ACTA
SANCTORUM
BOLLANDIANA

Apologeticis libris in unum volumen nunc primum contractis

VINDICATA.

SEU

SUPPLEMENTUM APOLOGETICUM
AD ACTA BOLLANDIANA

Sanctissimo Domino Nostro Papæ

BENEDICTO XIV.

D. D. D.

ANTUERPIÆ

Apud Bernardum Albertum Vander Plassche.

MDCCLV.

BEATISSIMO PATRI

Catholicæque Ecclesiæ Pontifici Optimo Maximo

BENEDICTO XIV.

FELICITATEM.

S*Olent ii, qui libros Viris præstantissimis inscribunt, ipso epistolæ suæ initio caussas aperire, cur hunc potius, quam ceteros omnes, patronum sibi delegerint; atque eas quidem ejusmodi esse videmus quam sæpissime, ut, etsi aliud scriptoris verba præ-*

sferre videntur, facile prudens quivis intelligat, non tam necessitatis id officii fuisse, quam voluntatis. Ego vero, ut sub nomine Tuo, PATER BEATISSIME, *librum istum in lucem edi curarem, iis me rationibus impulsum fuisse tum sentio, cum etiam gratulor mihi metipsi, ut si vel maxime voluissem, nullum præter Te alium quæri Mæcenatem a me potuisse palam omnes agnoscant. Magnas inter tempestates, quibus in Belgio, atque in Hispaniis se, suumque de Actis Sanctorum Opus gravissimum jactari ac pene non obrui dolebant, optavit semper Daniel Papebrochius, optavit Conradus Janningus, optarunt semper ceteri Bollandiani Socii in Apostolicæ Sedis judicio veluti in tutissimo portu conquiescere. Qua de causa nulla sumptuum, nulla incommodi ratione habita bis Romam adcessit Janningus, se seque Innocentii XII. & Clementis XI. Decessorum tuorum pedibus advolvit, id unum illos etiam atque etiam rogaturus, ut Bollandiana acta Urbano VIII. Alexandro VII. Clementi IX. ceterisque, qui hos fuerant consequuti, Pontificibus Romanis non mediocriter probata, sua ipsi quoque auctoritate tuerentur, atque ab adversariorum calumniis, potentiaque vindicarent. Quamobrem Bollandianos Socios, si quæ, vel ab illis, vel ab aliis illorum caussa scripta sunt apologetica opuscula, in unum corpus collegissent ipsi (quod in hoc ego volumine adgredior selectissimum, ac pau-*

cis

cis parabilem, Ecclesiasticæ eruditionis Thesaurum litteratis omnibus viris exhibiturus) *Tibi uni, qui post Egregios illos, immortalesque Pontifices maximo Christianæ Reipublicæ bono* cœlestis, *ut cum Ennodio loquar*, Imperii Lib. v. Ep. 10. apicem regis *novum hoc opus oblaturos fuisse nemo non videt. Quamquam non eo solum nomine, quod tuo imperio Catholica Res feliciter geritur (quam scilicet illi dignitatem in terris amplissimam, ac prope divinam venerantur maxime, ut pios Scriptores decet, atque Ignatii filios Romanæ Sedi obsequentissimos) Te illi operi suo Patronum maxime adsciscerent; verum etiam, quod es* humanitate summus, tantoque per gratiam Spiritus Sancti scientiæ lumine præditus, ut non modo Tibi in præsentibus temporibus quisquam Doctorum, sed nec in præteritis quidem (*quod de S. Gregorio Magno scribebat Hispalensis Isidorus in aureo* de Viris illustribus *libello)* par fuerit umquam. *Nam ut de Eruditione Tua dicam, unamque illam ejus partem adtingam, quæ potissimum spectat operis hujus argumentum, eximia illa, nec ullis umquam satis laudibus prædicanda* de Servorum Dei Beatificatione, ac Beatorum Canonizatione *volumina palam faciunt, nihil esse in Ecclesiastica historia, nihil in saniori critica, nihil in Theologicis disciplinis tam arduum, tam implicatum, tam a communi doctorum hominum scientia sejunctum, quod ani-*

mo

mo non complectaris. De Humanitate vero quid loquar, quam alteram egregii Pontificis virtutem in Gregorio Magno Isidorus admirabatur? Eam certe (quid enim alios hoc loco adtinet commemorare beneficiis a te largiter cumulatos) experti sunt maximam ac pene incredibilem Bollandiani ipsi Scriptores. Quum enim ad conflandam ipsis invidiam Tua nonnulli auctoritate nuper abuterentur in Belgio, eorumque opus Te Judice in Epistola, quam ad supremum in Hispaniis fidei Quæsitorem dederas, censura dignum esse disseminarent, querelas illi suas ea de criminatione ad Te humillime detulerunt, Tu vero litteris ad ipsos benignitate summa perscriptis tanta eos tamque invidiosa suspicione liberasti; præterea etiam cavisti graviter, ne quis ad injustam illorum reprehensionem Tua imposterum verba malevolentissime detorqueret. Nec his tantum postea se benignitas erga eos Tua finibus includi sustinuit; nam quum Joannes Stiltinghus ex illorum numero unus Codicum manuscriptorum conferendorum caussa Romam non ita pridem se contulisset, omni illum Sociumque suum officiorum genere es amantissime prosequutus; quod quidem in Commentarium de S. Johanne Chrysostomo præfatio luculenter testificatur, qua Stiltinghus ipse veluti monumento aliquo beneficiorum tuorum vix in Belgium redux memoriam consecravit. Adcipies igitur a me librum

hunc,

hunc, PONTIFEX BEATISSIME, quem Tibi uni destinassent Bollandiani ipsi, probe intelligens integrum mihi non esse, alteri offerre, quem Tuo tantum nomine ornatum ii maxime vellent, quorum in eo agitur caussa. Accedit ad hæc, Nicolao Coleto, qui Romæ quum esset superioribus mensibus, consilium hoc meum tecum communicaverat, significasse Te humanissime, gratiam apud Te maximam initurum, qui Collectionem istam sane utilissimam adgrederetur. Quamobrem quum ut citius hæc in adspectum hominum lucemque prodiret, auctoritate tua effectum sit, ad eum cui deberetur maxime, referendam illam esse putavi. Porro non est cur multis Te verbis rogem, ut patrocinio hoc opus tuo foveas, atque sustentes, quum & illud probari Tibi adfirmaveris, & totum quantum est in Bollandianorum, quos tanta benevolentia complecteris, caussa defendenda versetur. Illud Te potius demissis precibus petam, ut me quoque, qui qualemcumque in illud symbolam libenter contuli, benignitate Tua prosequare, adque pedes tuos provolutum Apostolica benedictione impertias.

SANCTITATIS TUÆ

Dabam Antuerpiæ Kal. Juliis.

Humillimus, Obsequentissimus, devotissimusque famulus
BERNARDUS ALBERTUS VANDER PLASSCHE.

H U-

HUJUS VOLUMINIS
CONSPECTUS

Editoris Præfatio Generalis.

Elucidatio Historica Actorum in Controversia super Origine, antiquitate & historia Sacri Ord. B. M. de Monte Carmelo. Pag. 1.

Responsio Danielis Papebrochii ex Societate Jesu Theologi ad Exhibitionem errorum per adm. R. P. Sebastianum a S. Paulo Ord. Carmel. &c. evulgatam. pag. 218.

ART. I. *De historia Vitæ Christi.*

ART. II. *De summis Pontificibus.*

APPENDIX.

ART. III. *De Bullis Pontificiis.*

ART. IV. *De Decretis Pontificum.*

ART. V. *De sacris Conciliis.*

HUJUS VOLUMINIS.

CONSPECTUS.

ART.

Synopsis

Synopsis Quæstionum curiosarum Historico-Theologicarum tractatarum in responsione ad Exhibitionem Errorum P. Danieli Papebrochio S, J. imputatorum,

Apologia pro veritate contra varias imposturas & acccusationes publicas adversus personam & libros P. Danielis Papebrochii, & ipsum Societatis Jesu institutum auctore P. Antonio Xaramilio. Pag. 731.

Examen Divinitatis, quam in Carmelo Vespasianus consuluit, sive C. Svetonii Tranquilli locus de Deo Carmelo explicatus. 819.

§. XI.

Vindi-

EDITORIS
PRÆFATIO GENERALIS.

1. U*Tilius opus, & Ecclesiæ Dei gloriosius hactenus nullum editum esse a quoquam, nec etiam inchoatum*, quam quod Ven. Pater Joannes Bollandus, a quo ejus Socii, ac successores vulgo *Bollandiani* nuncupantur, emittere cœpit in lucem anno 1643. Antuerpiæ de Actis Sanctorum, gravissimo sane effato ajebat Alexander VII. (*in Bollandi vita tom.* 1. *Martii pag.* XXIII. *n.* 76.) Et illum quidem, ejusque successores doctissimos exquisitissimis semper celebrarunt laudibus viri litterati quique, & studiis doctrinisque dediti, quorum plures in medium adferrem, nisi in re notissima versaremur. Sed sive quod *veritas odium parit* ex vulgari parœmia, sive quod præconceptæ opiniones omnes, atque illæ præsertim, quas studia partium confirmant & fovent, evelli ex animis quam difficillime possunt, non defuere, qui tanto operi detrahere, atque vel universum adrodere, vel aliquas illius partes criminari, & in invidiam adducere moliti sunt. Enimvero non injucundum historiæ literariæ studiosis erit, ut equidem ipse arbitror, harum controversiarum seriem hic uno veluti obtutu contemplari. Quamobrem antequam meum in hoc opere edendo consilium aperiam, brevem illarum historiam subjicio. Illud autem moneo me non de illis agere, qui Bollandianorum opiniones aliquas vel paucis confutarunt, vel aliud omnino argumentum tractantes, ejusmodi plures sane fuere illorum cæteroqui æstimatores, Pagius, Tillemontius, Bacchinius, Blanchinus, Murstorius, Maffejus; sed de iis tantum, qui singularibus libris Bollandianos aggressi sunt, neque de his omnibus, quorum aliqui me fortassis latent, aliqui obscuriore tegi silentio merentur, sed de præcipuis tantum atque illustrioribus. Qua in re voluminum a Bollandianis editorum, unde disputandi caussæ ab illis, qui diversa sentiebant, quæsitæ sunt, ordinem sequi placet.

§. I.

Ortæ ex Bollandiano Januario, & Februario controversiæ enarrantur.

2. PRimus Januarii tomus (in duos Januarius dispertitus est) primam excitavit controversiam, brevi tamen extinctam, de qua hæc accipe ex præfat. in tom. 1. Februarii c. 6. P. Joannes Bollandus in Præfatione generali pag. LIII. de Franciscani Arturi Monasteriensis Martyrologio questus fuerat in hæc verba. *Cum jam prior Januarii tomus esset excusus, prodiit Martyrologium Franciscanum cum amplis commentariis, cura ac labore Arturi a Monasterio. Sed illud in eo opere, atque Chrysostomi Henriquez Menologio, haud probo, quod nulla inter eos, quibus ab Ecclesia olim decreti permissive sacri honores sunt, & ceteros sola adhuc hominum opinione, nullo Ecclesiæ judicio confirmata, claros differentia statuatur: quo fit, ut his quidem honoris nihil accedat, & de illorum veneratione plurimum detrahatur, dum uno omnes gradu habentur. Et Chrysostomum quidem nobis persamiliarem de his antea monueramus, ut qui vel ad aras invocantur, vel sunt alioqui ab Ecclesia tabulis Cœlitum adscripti, vel ab omni memoria Sancti aut Beati publica populorum religione habiti, eadem consentiente Ecclesia, eos omnes secerneret ab illis, qui solum opinione sanctitatis in vita ac morte, aut etiam fama miraculorum, celebres fuerunt, eorumque nonnulli haud ita pridem: cavendum enim esse, ne in recentem Urbani VIII. Pontificis Maximi bullam peccasse judicaretur. Nostrum ille quidem consilium probare videbatur; negabat tamen ei se tunc posse obtemperare, aut editionem differre operis, quod continuasset, majori diligentia, quam subsidiis librorum, rerumque aliarum; cum jam & typographus esset paratus, & Abbates sui Ordinis complures opus illud expectarent. Præsagiebat etiam fortassis arcano quodam instinctu naturæ fore, ut non admodum diuturna sibi vita contingeret: paullo enim post, etsi non admodum grandis natu, decessit.*

3. *Alterum Scriptorem vehementer nostra illa, verbis quæ retulimus expressa, atque ita modesta admonitio pupugit. Is suum Martyrologium anno* 1653. *recudit* „ accuratius (*ut ait*) recognitum, & auctum: *quæ nobis editio nonnisi absoluto jam excusoque Februario, cum hanc Præfationem indicesque moliremur, innotuit. In hac Prologum bene longum præfixit, in* 26. *distributum articulos. Secundi autem articuli hic est titulus:* „ Minoritici Ordinis Cælites facti atque „ Beati sunt in triplici differentia. Bollandus „ emendatus. *Explicata ea totidem fere verbis quot in priori editione, differentia, post alia quædam* §. 2. *ita scribit:* „ Denique in refellendis quorumdam dictis, minus veris & „ impune effatis adversus nos institutumque no„ strum, dignum duxi abstinendum a dicacita„ tibus, & verbis malignis, seu provocatoriis, „ vel indebite prolatis. Etenim ut D. Hiero„ nymi verbis utar Ep. ad Furiam: Aut lo„ quendum, ut vestiti sumus; aut vestiendum, „ ut loquimur. Mentem secuti S. Augustini „ lib. 1. contra litteras Petiliani cap. 29. ita „ nos alloquentis: Diligite homines, interfici„ te errores: sine superbia de veritate præsu„ mite, sine sævitia pro veritate certate „. *Ut autem declaret, quinam illi sint, quorum* interficere errores *velit, immediate addit.* „ Quapropter redeat ad se Joannes Bollandus; & „ calamum iterum abstergat scribentis velociter „ (Tom. 1. Actor. Sanct. in præfar. generali „ cap. 4. §. 9.) haud sibi probatum esse, quod „ nullam posuerim differentiam inter Beatos „ nostros Minoritas. Utique illi dixissem eam „ apud Salvatorem similitudinem: Medice, cu„ ra teipsum. Luc. 4. v. 23. Ecquid fallacius „ librum perscrutari solius indicis inspectione? „ Legat, si velit, nostras Annotationes; & cla-

„ re certoque sciet, quo titulo, quave de caus„ sa quisque apud nostrum Martyrologium Fran„ ciscanum, Beati nomen jure sit adeptus; li„ cet diverso gradu, varioque modo id evene„ rit: quo differentia perspicue adecit, cum „ testimoniis ita probatis, & authenticis, ut „ iis amplius requiri non possit: respective ta„ men circa quemlibet eorum. *Ita ille.*

4. *Haud sane improbavimus, cum hominum sanctitate illustrium nomina exemplaque posteritati tradere: verum ita id fieri optabamus, ut primo aspectu innotesceret, qui* Sancti *aut* Beati *appellari possint, pingi cum radiis, aliisque Sanctitatis jam probatæ insignibus ornari; ne si quis alteri, quam qui in ea classe jam locati sunt, honorem illum tribuat, Urbani VIII. probibitioni non paruisse, gravemque propterea noxam incurrisse arguatur. Præclare id discrimen Beatorum ac Venerabilium statuit Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitanico; atque in Gallicano Martyrologio Andreas Saussayus, diversa ad id usus forma characterum. Ipse quoque tandem post multa Arturus art. 22. differentiam constituere videtur, sed verbis sane implexis atque obscuris, ut nobis quidem videtur. At nihil tale indicarat in prima editione, quod quidem perspexerimus.*

5. *Quid autem sibi vult, cum* abstergere me jubet calamum velociter scribentis? *An me existimat præcipiti stylo Acta Sanctorum decurrere, & haud satis mature cogitata chartis illinere, prœloque transmittere? Næ ille fallitur vehementer. Multi e contra viri graves, etiam Præsules, nos frequenter increpant, quod non celerius nostra edamus: posse, si quid postea addendum videatur, seorsim id fieri. Nonnulli, qui Januarium nostrum accurate legerunt, fatentur satis se perspexisse, magnum ei elucubrando laborem a nobis impensum, nec jam se mirari, quod non citius provebatur opus. In styla quidem poliendo haud multum operæ ac temporis ponimus: Arturus tamen, ut remur, stylum non facile nobis abjiciet, qui, ut jam ante professus est,* dignum duxerit abstinendum a dicacitatibus.

6. *At cur illa nobis inculcat ex Evangelio,* „ Medice, cura te ipsum? *An nos uspiam non distinximus a Sanctis aut Beatis eos, qui solum Venerabiles dicendi erant? Nam hoc erat, quod in ipso requirebamus. Certe in eo genere nimium fere religiosi sumus quorumdam judicio. Quod autem insinuat nos libros perscrutari sola indicum inspectione, errat profecto.*

7. *Nos ipsius Annotationes omnes legimus; nec eas solas, sed & auctores ab eo citatos accurate pervolvimus, quos quidem habuimus: Marianum enim Florentinum non vidimus, cum non sit typis vulgatus, neque exemplar MS. nancisci potuerimus, uti nec quosdam alios. Sed primarios omnes Scriptores annalium antiquitatumque Ordinis, Bartholomæum Pisanum, Marcum Ulyssiponensem, Petrum Rodulphium, Franciscum Gonzagam, Barezzum, ac præcipue diligentissimum Lucam Wadingum, quibus locis agunt de Sanctis, quos Arturus commemorat, sedulo legimus, & expendimus. Neque ex illis auctoribus, ipsiusve annotationibus, intelligere antea potuimus, Martyrologio illi insertos esse* diverso gradu, varioque *modo, ut jam videtur profiteri. Denique quod ibi scripsimus, scimus pluribus probari: neque sane suspicari potuimus sic sua scripta amare, ut neminem a se dissentire pateretur. Qui namque ita est animatus, satius esset operam scriptioni non addiceret, nam illud nescio an hactenus quisquam vel consecutus sit, vel sapienter sperare possit se consecuturum.*

8. *Multa ipse congerit de Sanctitate Seraphici Ordinis sui, qua præcellere eum omnibus omnino Ordinibus, omnibus in rebus, contendit. Gratulor ipsi sanctissimum suum institutum. Sed quid ad ea, quæ scripseramus, id spectat? Sane ipsi Ordini usque adeo nihil detractum voluimus, ut potius, ubi licuit, ejus omni studio amplificasse honorem nobis videamur. B. Odorici de Portu Naonis (quem multi ex ipso Ordine, viri alias doctissimi, & præcipuis in eo muneribus perfuncti, ignorabant Utini publicam habere venerationem) primi nos vitam, ab ipsomet conscriptam, protulimus in lucem 14. Januarii: primi item Marochiensium quinque Martyrum 16. Januarii Acta dedimus, prout videntur a Joanne Tislerando composita.*

9. *At fortassis illa Arturo ignota, cum non videatur opus nostrum legisse, sed quæ in ejus præfatione de se scripta essent, ab alio didicisse. Edidit enim hoc ipso anno 1657. tomum alium, quem* Sacrum Gynecæum, seu Martyrologium amplissimum Sanctarum ac beatarum mulierum *inscripsit, & in eo supra mille Auctores citat, quorum & Catalogum præfigit, interque eos 60. circiter Jesuitas: at non in his Joannem Bollandum, aut Godefridum Henschenium. Cumque plurimas, quæ non ita pridem vel martyrii agone perfunctæ sunt, vel magna innocentia & sanctitatis laude vitam finierunt, illi includat Gynecæo; multarum, quas ex Martyrologiis ante mille fere annos exaratis in Januario retulimus, omnino non meminit. Nam 28. Januarii S. Marinam martyrem recenset, annotatque:* Ita Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum hoc die ex Beda & Galesinio: *Perperam citatur a Ferrario Beda, apud quem S. Marinæ eo die non extat, ut illic indicavimus, memoria. At 27. Januarii, vetustissimum secuti Martyrologium Romanum, quod S. Hieronymi vocatur, atque alia, cum retulimus cum SS. Veneria, Fortunata, Tecusa, Secunda, Perpetua, Juliana, Vincentia, Victoria, quas omnes Arturus prætermisit, aliasque quamplurimas, ut S. Noitburgam viduam, Hixtamque ejus filiam 26. Januarii. B. Oringam, Christianam dictam, virginem Etruscam &c. Non tamen ipsi suum,* Medice, cura te ipsum, *objiciemus, qui ne ipsos quidem indices nostros legerit, & opus citet. Potuisset alioquin ex eo opere suum locupletare: neque opinor, neglexisset. Quis enim suspicari audeat, consulto eum noluisse a nobis ullas describere, quod aliquid in ipsius Martyrologio visi essemus reprehendisse? Non esset ille affectus sincero Scriptore, nedum viro religioso, dignus. Miror tamen, si nostrum opus habebat, cur, cum 29. Januarii B. Redigundem accepit e solo Tamajo, qui tamen Acta Sanctorum Bollandi citat, tomum, diem, paginam 975. non tomum illum nostrum inspexerit: uti & priorem tomum ad 6. Januarii, ubi Tamajum eumdem citat, non Bollandum, e quo ille Acta accepisse se fatetur S. Maceræ. Illud etiam magis miramur, quod qui sæpius auctore Tamajo multas in suum opus Sanctas adlegerit, 11. Januarii S. Felicitatem omittat, a Tamajo relatam. An displicuit, quod is Bollandum citans, dicat ab illo* amplius requirere, esse oleum, & operam perdere?

dere? *Non tamen ut nos Arturus citet, laboramus; nec enim nobis honorem ex laborioso hoc opere quærimus, sed Sanctis. Horum celebrentur ab mortalibus, atque imitatione exprimantur benefacta: nostra vero nomina, si Deo & Sanctis ipsis ita placuerit, aboleantur; modo inscripta permaneant in libro vitæ.*

10. Hactenus Joannes Bollandus, cujus illa in primum Februarii tomum præfatio est. His, quæ statim subjicio, addit Papebrochius in Respons. ad art. Exhibitionis XVIII. n. 26. *Annis paucis post Romam mecum Henschenius adiit, atque* (ut scribit tomo I. Martii pag. 4.) *Romæ in Ara cæli, & alibi ab ipsis Franciscanis moniti sumus, ne Auctori isti nimium sideremus. Intelleximus tamen & Ordini rem gratam, & Operi nostro haud inutilem facturos nos, si eorum, quorum legitimum ac verum cultum necdum haberemus probatum, rationem vellemus inter Prætermissos cujusque diei habere, quod libenter in se suscepit Henschenius, atque pro totis Martio, Aprili, Maio, imo & Junio* (idem deinceps ceteri Bollandiani præstiterunt in Julio & Augusto) *omnes ac singulas inscripsit; subinde monens solius Arturi auctoritate, appellari Beatos, quia tali titulo aliarum de iis Scriptorum nullus usus sit, aut quia ipsi intra proximos ab Urbani Bulla annos centum obierunt, quos nefas est, citra expressam Sanctæ Sedis licentiam, sacro aliquo cultu prosequi.* Hic controversiæ ab Arturo motæ exitus fuit.

11. Ad aliam, quæ mox consequuta est, disputationem explicandam accedo. Cum post edita in lucem Acta Sanctorum mensis Januarii, incumberent Joannes Bollandus, sociusque ejus Godefridus Henschenius Actis Sanctorum Februarii prælo parandis, eorumque pars excusa esset; ob quasdam oblatas occasiones Henschenius seorsim edidit duplicem Diatribam; primam anno 1653. de *Episcopatu Trajectensi, Episcoporum Regumque Franciæ iis coævorum chronologia, & populis diœcesi illi subjectis*: posteriorem vero *de tribus Dagobertis Francorum Regibus, in qua horum Regum ac successorum genus, tempus, acta indicantur; Dagoberto II. S. Sigeberti filio regnum Austrasiorum vindicatur; & Chronologia ex Conciliis & Episcoporum gestis stabilitur*. Utraque hæc Diatriba, quæ Eruditorum plausu excepta fuit, unum Hadrianum Valesium adversarium nacta est. Itaque in præfatione ad tomum II. Rerum Francicarum contra primam S. Servatium Trajectensem Episcopum in duos distrahit, monetque Servatium Tungrensium Episcopum fuisse, Trajectensium *Aravatium*, sive *Arvatium* cum Servatio perperam confusum. Ad alteram quod attinet, Valesius Henschenium plagii accusat, seque primum de tribus Dagobertis cogitasse inclamat, & ex occulto literarum commercio sententiam suam Henschenio innotuisse, quam deinde uti suam impudenter jactaverit; hinc etiam arrepta occasione alia in universo Bollandianorum opere carpit, ac mordet. Quid faceret Henschenius? Tractatum adversus Valesianum de S. Servatio in duas personas distrahendum commentum conscripserat: quem tamen perraro christianæ charitatis exemplo suppressit, quamvis deinde in Exegesi de Episcopatu Tungrensi ac Trajectensi post Henschenii obitum tomo VII. Maii præfixa cap. 3. & 4. duplex ille Servatius fuerit ab ipso Henschenio modeste quidem, sed solide confutatus. Sed cum Valesius iterum illa plagii ogniam canere non erubuisset, tandem aliqua furenti adversario reponere cogitavit Henschenius. Quamobrem exegesi ad tomum III. Martii præliminari II. de Genealogia Regum Dagobertinorum appendicem subjecit apologeticam pro Diatriba de tribus Dagobertis Francorum Regibus. En illam ex eodem III. Martii tomo pag. XXII. ex qua etiam controversiæ origo, ac status melius cognosci poterit.

Godefridi Henschenii Appendix Apologetica pro Diatriba de tribus Dagobertis Francorum Regibus.

12. H*Actenus Genealogiæ Regiæ ordinem ac chronotaxim paraveram prælo, tacito fermè usque Hadriani Valesii nomine, ne immodestiæ illius ad tomum 2. Rerum Francicarum præfationi cogerer respondere. Cum enim suspicionum æstu abreptum se scripsisse istam ipsi Diatribæ Dagobertinæ auctori esset confessus, velle autem de cetero amicitiam colere cum hominibus, quos non ineruditos cognovisset; non existimabam retractandam esse injuriæ semel condonatæ memoriam. Videbam etiam neque magnam ejus apud eruditos Francos auctoritatem esse, neque ab ullo credita fuisse quæ scripserat; ut sine magno dispendio veritatis vel dissimulari posset res tota, vel expectari ab ipsiusmet calamo reparatio noxæ. Sane cum intellexi, proximo postquam Parisiis discesseramus anno, vulgatum ab eo libellum fuisse, cui locus aliquis ex S. Memmii Vita, Dagoberti II. regnum confirmans, subnecteretur; omnino existimavi hanc fuisse captatam occasionem ad oblitterandam insigni aliqua auctoris læsi commendatione notam, eidem prius sine fundamento impositam: quid enim ad Berengarii laudes vel Adelberonis carmen, quæ isto tractabantur libello, facere poterat Dagobertus; nisi ut vel hoc, quod sperabam, fieret; vel ex multis erroribus, quos ei retexisse poterat Diatriba sedatius lecta, aliqui retractarentur?*

13. *Allatus interim diebus hisce Antuerpiam est libellus ipse, vanamque fuisse spem meam ostendit. Ut enim oculos in ultimas illas pagellas conjeci, non modo occurrit ipso in principio de S. Sigeberti ætate annis 21. conclusa error, quem mirari possem Februario visa a Valesio non fuisse depositum: sed rursus legi prioribus similia sic jactantem:* „ Primus ego anno 1647. ex Malmesburiensi & S. Salabergæ Vita didici & observavi Dagobertum, regno ac domo expulsum factione Procerum, ex Hibernia in Britanniam transiisse, & a Wilfrido Eboracensium Episcopo hospitaliter exceptum, equisque & armis instructum revertisse in patriam: quare & in præfatione tomo 2. Rerum Francicarum præfixa dixi, Dagobertum videri restitutum in regnum: sed quem duobus illis auctoribus adjungerem tertium nuper reperi. *Et in fine addit, quod festinaverit hanc nuperam observationem suam proferre in lucem, tum ob alias caussas, tum vel maxime* „ ne a quoquam, ut jam sæpe contigerat ac sibi, in illius editione præveniretur, atque postea ad repetendam rem compelleretur miserrima necessitate.

14. *Hæc legens, quid prius, quid posterius admirarer non habui. Quid? Adeo famæ suæ prodigum esse Valesium, ut amice monitus quod in*

Diatriba, prius ex sola præfatione & capitum titulis ab ipso cognita ideoque temere impugnata, plura nec minus gravia invenire posset pro veritate eadem testimonia, & multam quam accipere ex eo tunc neglexerat lucem regno Regis prædicti afferre; indicaret ultro, quod ne tunc quidem inspicere ac legere eam curarit, publice confitendo solum illum de S. Memmio auctorem catenus esse repertum a se, quem prioribus duobus adjungeret tertium? Quis vero existimaret adeo ipsi vilem futuram amicitiam, ultro quæsitam ab eo recenterque acceptâ injuriosæ temeritatis indulgentia coalitam, ut eam vellet tam cito rescindere, injustissimam illam de suis observationibus sibi subductis querelam sic repetendo, quasi viveret nemo qui posset intelligere, eumdem utique ab ipso argui criminis hujusce reum, quem sui Tomi 2. pag. 421. dixerat „ occulto litterarum commercio ex „ ipso, non tamen per ipsum, didicisse Dago„ bertum, Sigeberti senioris filium &c.? quasi etiam ex insimulato auctore nullum audivisset verbum, quo debuisset ejusmodi suspicionem deponere, & persuaderi, Dagobertum illum alteri longe citius fuisse cognitum & pluribus in Belgio indicatum, quam ipse de Malmesburiensi legendo cognitionem susciperet.

15. Ut ergo satisfaciam nonnullis amplissima dignitatis viris, pridem questis apud nos, prorsus impunitam dimitti insultationem adeo insulsam, velut si auctores expositos communi luci nemo ante Valesium inspicere potuerit; atque magistri mei denuo lacessiti æstimationem a tam infami liberem suspicione; non gravabor, Hadriane, ex tractatu de S. Servatio quem pridem adversus tuum de illo Sancto in duas personas distrahendo commentum idem auctor conscripsit (cum recens esset injuriæ sensus, mox autem prævalente ingenita sibi in tolerandis æmulis facilitate suppressit) excerpere quædam, unde cognoscas quam importune recoxeris crambem illam, nescio cujus livoris ergo immerentem amicum aceto conditam. Ita autem habet eo loco, ubi querelarum tuarum meminit: Fatetur Valesius ne„ gandum non esse, quin in Diatriba ista mul„ ta sint observata, quæ ante nemo observarit. Idem de toto opere nostro, ubi nactus otium legere dignabitur, dicturum confido; certoque cogniturum, eos esse nos, qui nolimus alienis plumis spectandi aut verius irridendi prodire; sed qui soleamus quæcumque ab aliis forte didicimus singulis singula referre accepta, adeo ingenue & liberaliter, ut multis in hoc nimii videamur.

16. Asserit ille de studiis suis „ quod ab anno „ 1647. cœperit Willelmum Malmesburiensem „ aliosque exteros auctores evolvere. Id ego annis duodecim cœpi citius, & quidem sic cœpi, ut cum rebus inter me & Collegam Bollandum nondum plene constitutis, sumpsissem mihi statim a principio horum meorum studiorum parandum prelo Februarium, interim dum Januarium ipse conficeret, cumque in eo viderem SS. Sigeberti Regis, Pippini Ducis, Vedasti, Amandi, Ansberti, Eucherii, Eleutherii Episcoporum Acta occurrere, de iis autem statui nihil certi posse nisi cognita Regum primorum apud Francos successione, & uniuscujusque eorum in regno ætate: cum in rem primas curas convertérim, ipsoque in limine impegerim in illum Malmesburiensis famosum de Dagoberto locum. Dumque per omnia me sollicite verso (videbam enim & in hoc & in aliis plerisque stirpis Merovingicæ Regibus plurimum a vero aberrare receptos passim opiniones) primum observavi chronicon, Gesta Francorum appellatum, quod alios passim post se traxit auctores ut Clotharii III. regnum ad annos quatuor coarctarent, anonymi cujusdam fabulatoris esse, inter antiquas ac fide dignas historias nequaquam numerandum. Vidi deinde Fredegarii chronicon ad dicti Clotarii tempora non esse deductum, sed cap. 90. ad annum 4. Chlodovei finire.

17. His ita deprehensis, difficultas restabat ut anni 14. Chlotharii apte insererentur Francorum Regum chronologiæ, ideoque excutienda fuerunt monumenta omnia typis edita & in membranis antiquis exarata diplomata, sive anteriorum sive succedentium eadem in stirpe Regum; eaque diligentia manifesto comperi, inter Dagobertum primum & ultimum unum esse interponendum, qui tempore Chlotharii, Childerici & Theodorici fratrum regnarit in Alsatia. Ab istis porro accensus principiis, Stabulensis ac Malmundariensis monasterii antiquissimo tabulario excutiendo judicavi, non varia spe ductus in iis posse haud levia sententiæ jam constitutæ haberi subsidia, quæ quibus adnitentibus impetrarim, ubique in Diatriba professus sum. Eodem plane tempore Imnichildem notavi fuisse S. Sigeberti uxorem & genitricem Dagoberti jam retecti: cujus deinde in toto Austrasia regnum indicarunt mihi Acta S. Irminæ & testamentum Adelæ filiarum ejus, ipsiusque Dagoberti diploma patrem Sigebertum agnoscentis; atque ita inveni vero esse quæ antea legeram de Dagoberti reditu ex Hibernia in S. Wilfridi Actis, deque bellis gestis cum Theodorico patruele in Vita S. Salabergæ: quæ duo postrema testimonia, ut sola notantur in dedicatoria Epistola, ita sola mihi fuisse argumento ad asserendum vita & regno Dagobertum II. non dixisset Valesius, si totam Diatribam legere voluisset; agnovissetque præ iis, quæ istic a me per suos singula annos deducuntur demonstranturque, admodum pauca & prorsus confusa esse quæcumque cognovit hactenus & vulgavit ipse de illo Dagoberto.

18. Ita porro, ut dixi, repertam conquisitamque maximo labore scientiam, non statim protrusi in lucem publicam, novæ inventionis laudem appetens; neque veritus ne alieni plagiario innotesceret, abditam prorsus sub modio habui: sed proprio non omnia fidens judicio, & gnarus tempore maturescere cuncta, moram indulsi ipsi mihi iisque quorum sententias exquirebam amicis. Fuerunt autem hi mihi tunc in Belgio multi, varii etiam longius dissiti, quibus cogitationes meas indicavi per litteras: cum homine autem Gallo ad usque tempus vulgatæ Diatribæ non fuit mihi de Dagoberto quæstio, nisi cum P. Henrico Ignatio Godefroy, Rectore Societatis Jesu Rotomagi, ex quo anno 1654. didici, certum esse quod alibi pridem legeram de Rotomagensi Dagoberti sepultura. Quid Valesius de eo cogitaret essetque scripturus, nec ego curavi ex aliquo quærere, neque aliquis me docere laboravit, libris autem ejus necdum editis non potui divinare, ne, quod postulat, eumdem ex æquo reciperem in partem consortionemque ejus rei, quam quia nemini acceptam debebam nec alicui ante me sciebam incidisse, totam mihi asserui: libenter Valesio permissurus, ut quod suo se acquisivisse dicit studio, totum sibi vindicet; imo nec amicorum, quos dixi, cuipiam indignaturus, si per aliquem eorum factum est, quod fieri facillime potuit, ut conatus meus Valesio innotuerit.

19. No-

19. *Nolim interim in suspicionem vocari ab eo etiam Cantarelli Fabri demortui nomine, quasi is nihilo minus, quam ipse in Dagoberto, fuisset admiratus in Chlothario, quod annos illius 14. in Diatriba mea invenisset cunctis iis rationibus auctoritatibusque fultos, quibus ipse eosdem cognoverat, & cognitos Valesio communicaverat. Qui meas ipsiusque apud Valesium auctoritates confert inter se, facile is cognoscet non omnes easdem, sed aliquas etiam diversas utrique praluxisse: utri autem serius vel citius nihil magnopere referre existimo. Observationem tamen illam, non modo cum eam digererem principio horum studiorum, sed neque adhuc cum S. Sigeberti Acta jam impressa haberem, inter viros doctos fuisse Parisiis receptam colligere potuissem ex Philippi Labbei Miscellaneis curiosis pag. 406. tomi 2. eodem anno impressis, ubi admodum ambigue suspensoque prorsus judicio de hoc puncto loquitur; etsi nonnulla istic proferat documenta, quibus sane ad meam sententiam confirmandam uti valuissem, nisi adeo sero venisset in manus, ut Diatriba mea jam versante sub prælo, animus tempusque defuerit totos illos tomos accuratius evolvendi.*

20. *Quin & ad Cantarellum fidenter dedissem litteras, si in Considerationibus illius historicis super Genealogia domus Lotharingicæ, ab illo vulgatis anno 1642. ullum talis novitatis, etiam sub dubio animadversæ vestigium reperissem. Etenim Bollandum inter & Cantarellum nonnulla extabat officiorum epistolarumque communio, & harum una superest adhuc, quæ possit omnibus manifestum facere, quantum vir ille de se humiliter, de studiis nostris sentiret sublimiter: ut parum verosimile videatur conqueri illum Valesio valuisse de me; longe autem verosimilius, Bollandum, qui suorum studiorum subsidia & arcana, magis quam forte expediebat liberaliter, communicabat cum amicis, inventi mei conatusque notitiam ipsi Cantarello, & hunc Valesio impertivisse: quod sicut nec huic, nec illi, nec alteri cuiquam vitio vertendum existimo (cum fateatur Valesius a quo acceperit; & Cantarellus, modo foret in vivis, non incunctanter auctorem proferret, si præter seipsum habuit aliquem) ita mihi non puto obesse debere, si eodem quo ego meas annorum multorum meditationes vulgavi tempore, etiam aliquid eadem in re studio suo (nec enim negare velim) detexerit Valesius. Sed utrum quod invenisse se dixit, etiam potuerit ad perfectum adducere, tunc patebit, cum, quod ego feci in Chronologico Indice ad Diatribam, annos, quibus unusquisque Rex regnare cœpit ac desiit, audebit omnes designare, & quæ in suis Francicarum rerum tomis intricata atque inexplicata reliquit plurima, distincte proferre, sic ut a principiis & assertionibus propriis non debeat sæpius sæpiusque recedere, & perperam constituta retractare.*

21. *Nunc ipsam Cantarelli epistolam videamus, dignam sane, quæ lucem videat ex Gallico fideliter Latine reddita, qualem anno 1648. 3. die Maii scripsit.* ,, Distuli respondere eleganti epi-
,, stolæ tuæ, qua me 26. Martii dignatus es,
,, donec absolvissem apologiam pro libro meo
,, de conjugio Ansberti & Blithildis, injuriose
,, traducto per quemdam Jurisconsultum Mar-
,, cum Antonium Dominicii, qui te sæpius al-
,, legat. Sane divina factum providentia existi-
,, mo, ut R. P. Thiersoult mihi traderet doctam
,, & elegantem epistolam tuam eo ipso momen-
,, to temporis, quo respondebam cuidam loco
,, adversarii mei, post allegatam auctoritatem
,, tuam exprobrantis, a se contra me stare viros
,, omnes doctos: quia scilicet tres quatuorve
,, litterati, quorum consiliis laboribusque fulci-
,, tur, ipsius tenent opinionem. Etenim nomen
,, tuum usque adeo celebre & illustre est, ut
,, vel solum sufficiat ad demonstrandum viros
,, magnos a meo coœtu non abhorrere. Itaque
,, impelli me sentio vehementer, ut tuum de
,, me testimonium, nisi tu nolis, in publicam
,, lucem dare velim. Non equidem ignoro im-
,, putandum id vanitati ab aliquibus propter exi-
,, mias laudes, quas mihi tribuit Reverentia ve-
,, stra: verumtamen respectus veritatis, cui ma-
,, ximopere servit patrocinium a pio, prudenti
,, & facundo oblatum calamo, coget nihil pensi
,, habere istorum judicia. Possum tamen osten-
,, tare etiam alias plures hoc de argumento vi-
,, rorum eruditionis omnino excellentis episto-
,, las, & earum octo ex vestra doctissima So-
,, cietate: verum ab iis vulgandis abstineo, tum
,, ne studio quæsitus testium numerus videatur,
,, idque majori jure in culpam vertatur jactan-
,, tiæ, tum quia mihi sola tua approbatio suf-
,, ficit, vel eo magis, quod de illa nec cogi-
,, tanti quidem ultro sic oblata eo tempore, quo
,, velut in Sanctorum honorem injuriis accusor
,, ab æmulis; propterea quod nonnullos eorum,
,, veris suis laudibus conspicuos satis, vetuerim
,, alienis & falsis onerari, nec sine judicii dis-
,, creti examine admittenda censuerim quælibet
,, Acta, ipsorum nomen præferentia; ostendens
,, quædam eorum esse, in quibus pietatem su-
,, peravit vilis quædam abjectaque credulitas.
,, Ingens illa utilissimaque molitio (ad cujus ab-
,, solutionem ut tuos annos possis extendere Su-
,, peros omnes obtestor) includit modicam il-
,, lam partem, quam meis studiis illustrandam
,, suscepi: adeoque obligor vel hoc nomine tibi
,, subjicere conatus meos, idque palam ac pu-
,, blice profiteri.

22. *Hactenus tum Cantarellus in Epistola, tum Diatribæ auctor in sua, quam dixi, de S. Servatio nequaquam in duos dividendo tractatu: quibus addere coronidis loco quædam monita Valesio velim; primum, ut ipse, qui toto passim opere suo multa de Sanctis tractat, non ita contemptim habeat positum in eorum Actis elucidandis laborem, ut* ,, nisi nuda a notis & commentariis
,, edantur, *recipere ea nolit. Si enim ipse*, ob
,, paucitatem antiquæ historiæ peritorum, *quæ-*
,, *rit*, quotusquisque libros a se scriptos evolu-
,, turus sit, quotusquisque qui evolverit intelle-
,, cturus, etiamsi nec obscuris nec barbaris uta-
,, tur vocibus? *quanto id potiori jure deberet de Actis Sanctorum quæri, si notis & commentariis destituerentur, in quibus tot obsoleta verba miscentur, tot locutiones inferuntur multiplici barbarie obfuscatæ & intellectu difficillimæ? in quibus tot recondita historiæ & quasi demortuæ resuscitantur, quas scioli aliqui, opinionum suarum vanitate turgentes, nigro calculo obducturi sunt promiscue omnes, nisi ea sic tractentur, ut rejectis falsis stabiliantur vera, certaque a dubiis & probabilibus discernantur?*

23. *Alterum, ut nobis* ,, quod Vitis Sancto-
,, rum qualibuscumque addictissimi, earum in
,, verba religiose jurare soleamus, *non prius objiciat, quam opera nostra ipse legerit, idque jure*

nabis objici posse compererit. Caufidimus enim vel ipso judice absolvendas nos ab ea levitate, laudemque relaturos, quam alii passim nobis concedunt, quod in Sanctorum Actis examinandis, secernendisque, &, si quando opus est, rejiciendis, omnem eam posuerimus diligentiam, quæ pene ab homine possit sperari. Quod si grave ipsi est nostra legere accuratius, non præcipitet decursis obiter paginis sententiam, prout fecit, cum Diatribæ auctorem arguit „ vigilantem somniasse „ temereque effutiisse, *Dagobertum Regem ac Martyrem Satanacensem unum eumdemque videri; propterea quod argumenta, quibus id aliquibus probari videtur, ipse retulerit: id enim sic retulit, ut (quod mirum est paucas post lineas contradicentem priori censuræ suæ scribere potuisse Valesium)* „ falsa commentitiaque censuerit Acta „ Satanacensia, *in quibus Martyr ille Sigeberti Regis filius dicitur. Cetera, quæ a coævis probatisque auctoribus descripta invenimus, aut ceteraquin graviter fideliterque exposita, si melioribus rerum ac temporum notis nusquam repugnant, cur non suscipiamus religiose? Utinam ipse, qui in dicta superius Præfatione affirmat,* „ Historiam a se scriptam posse esse Gregorio „ Turonensi, vel potius Gregorium atque etiam „ Fredegarium legentibus haud obscuri com„ mentarii loco, *in amborum vel prioris saltem verba juraret religiosius; non toties ea ex sua interpretatus phantasia detorsisset in sensum a sensu auctoris sui prorsus alienum, quandoque & contrarium: quod alibi, si necesse sit, poterit exemplis non paucis monstrari.*

24. *Adversus virum eruditum & pluribus editis libris Parisiis clarum, sed ex Valesii convitia,* „ de trivio Theologum, *ipse in eadem sua præfatione* „ Unum, *inquit*, monitos lectores ve„ lim, nisi qui in litteris ac in historia no„ stra evolvenda consenuerit, de meis scriptis „ recte judicare neminem posse: nec a quoli„ bet temere & sine caussa argui eum oporte„ re, qui Francorum popularium suorum pa„ triæque gloriæ assiduam per annos 23. ope„ ram & majorem ætatis partem gratis impen„ derit. Quid enim iniquius, immo vero quid „ absurdius est, quam ea improbare atque da„ mnare, quæ non intelligas? *Videat Valesius, ne supra nobis alius quispiam ista adversum se intorquenda putet, paucula immutans verba, & pro Francis earumque historia Sanctos illorumque Acta substituens. Nos tantum non sumimus nobis, ut tam paucos existimemus de rebus nostris posse judicare: doctis pariter & indoctis debitores sumus, quia utrisque signavere Sancti quæ utrique sequerentur vestigia; eaque in ipsorum gestis posteritati commendata, sed temporum injuriis pene abolita, renovare contendimus; & ne mediocriter dumtaxat eruditi circa eadem palpabundi oberrent, notis commentariisque illustrare. Cujus rei caussa si nihil nobis vult debere* [illegible] *Valesius, neque nostra, nec operis nostri quidquam existimamus interesse: merito tamen miramur ab Sanctorum Vitis, quas pluribus locis parvi a se fieri ostendit, quærere ipsum gloriam agniti sua unius industria Dagoberti secundi.* Hactenus Henschenius, qui deinde in Exegesi Præliminari ad Tom. III. Aprilis Diatribam olim editam de tribus Dagobertis Francorum Regibus innovavit & stabilivit.

§. II.

Quas Martius, & Aprilis Bollandianus moverit controversias; earumque Synopsis historica.

25. A Februario ad Martium transimus, cujus singuli tomi adversarios nacti sunt, Papebrochius in Respons. ad artic. 21. §. 8. turbas narrat, quas apud nonnullos excitavit Commentarius prævius Henschenii de B. Carolo Bono Comite Flandriæ Tom. I. Martii, quod cædem B. Caroli ad Erembaldinis patratam fuisse contenderit, ac perperam Stratianæ apud Brugenses familiæ tributam. Itaque Henschenius *commentarium suum* (verba Papebrochii sunt) *jamjam prælo adducendum illuc detulit, omnia subjecturus judicia illustrissimi tunc istic Episcopi, & historiarum præ cunctis Belgii Antistitibus scientissimi*, Caroli *van den Bosch: qui mox ut legere cœpit, adeo captus est eruditione rara, atque multiplici illustratione rerum ad suam diœcesim spectantium, ut professus nobis sit, noctibus continuis tribus vix se potuisse indulgere somnum, quin totum perlegeret, atque expenderet: omnia autem & singula, authenticis probata actis atque instrumentis publicis, vehementissime sibi probari. Idem judicium erat D. Officialis CorteWile & nonnullorum aliorum Canonicorum ac Jurisperitorum (quorum notare nomina non curavimus) qui eumdem Commentarium, ab Illustrissimo sibi laudatum, similiter legerunt.*

26. *Nec alius esse poterat Brugensis Nobilitatis sensus, si requisitus fuisset. Quomodo enim illi non placuisset, illustriorem unam apud se Stratensium quondam Toparcharum familiam, cujus adhuc aliqua posteritas superest, ab dispersa per vulgi ignorantiam infamia necis, optimo Principi illatæ, declarari liberam; totamque facinoris nefandi invidiam derivari in facem servilis conditionis? Hæc siquidem per avi sui Erembaldi adulterium, Castellanique Brugensis Domini sui cædem, ad tantas evecta opes, ut non timeret nomen sibi facere ex nobilium vicinorum vexatione injusta; ideoque a Comite, non minus justa quam bono, punita demolitione cujusdam munitæ domus, quam habebant in Stratis, & unde in ipsas Dominarum Stratensium villas crebra incurrebant, versa in judicem suum ira, conspirationem conflavit, qua totius posteritatis execrationem commeruit, quatannis solenniter innovandam. Hæc autem omnia patebant irrefragabili concordique relatione duorum coævorum atque in plurimis oculatorum testium; quorum Commentarios, eatenus obscuratos, in lucem prodebat Henschenius.*

27. *Et primum quidem proferebatur vitæ mortisque Historia, jussu B. Joannis tunc Morinarum sive Teruanensium Episcopi, scripta ab ejus Archidiacono Gualterio: qui tertio ante Comitis mortem die cum eo loquens, intellexerat, quanto ferretur desiderio mortis pro Deo & justitia obeundæ. Quia tamen Brugis non adfuerat, cum cædes patraretur, Gualterius iste* „ Deum testatur, „ *num.* 25., se quæ de morte Comitis & mira„ culis retulit, viri religiosi domini Heliæ Bru„ gensis Decani, Fromoldi Furnensis Præpositi, „ & aliorum Clericorum & Laicorum, qui se „ ea vidisse affirmabant, cognovisse testimonio: „ *scripsisse autem ea*, quæ infra duos fere post „ mor-

,, mortem Comitis meoses consumata sunt: *ut verosimile sit, scriptioni isti finem posuisse proximo ab inde Majo.*

28. *Alter Scriptor, isque multo copiosior, & ulterius progressur* ,, per distinctiones dierum & ,, gestorum, quæ in ipsis facta sunt diebus, usque ad vindictam, *de parricidis divinitus & humanitus sumptam, idest usque ad Augustum anni sequentis 1128.; alter, inquam, Scriptor exhibebatur Galbertus, ipsius suæ urbis publicus Notarius (primæ tunc dignitatis & auctoritatis officium id erat) quem summa cum accuratione coram omnia observasse apparet ex num. 59. ubi ait:* ,, Inter tot noctium pericula, & tot dierum certamina, com locum scribendi ego ,, Galbertus non haberem, summam rerum in ,, tabulis notavi, donec aliqua noctis vel diei ,, expectata pace ordinarem secundum rerum eventum descriptionem præsentem; & sic, secundum quod videtis & legitis, in arcto positus, fidelibus transcripsi: neque quid singuli agerent, præ confusione & infinitatione, ,, notavi; sed hoc solum intenta mente notavi, ,, quod in obsidione (*Ecclesiæ S. Donatiani, ubi cædes facta erat, & unde parricidæ veluti ex arce se tuebantur*) communi edicto & facto, ,, ad pugnam & ejus caussam congestum est: atque ad hoc quasi me invitum, ut Scripturæ ,, commendarem, coegi.

29. *Non credo, quod in totis Sanctorum Actis ulla sit aut erit certior aliqua invenienda historia, (quæ quidem non sit ipsiusmet Sancti manu conscripta), quam sit illa Boni Comitis, sic a duobus illis edita; ut unus de altero sciret nihil, Gualterio Ternanæ & Brugis cuncta examinante, interim dum Galbertus partim in Ecclesia, partim domi suæ continebatur, singulis pene horis de vita periclitans. Sed illis ista clam scribentibus, populus, amissi Domini dolore, & præsentium turbarum sensu fere actur in rabiem, non minus quam auctores cædis abominabatur eos, quorum causa irritati illi cædem patrarant; neque satis distinguens Stratenses toparchas ab iis, qui domum in Stratis habuerant, licet genere ignobiles, communi utrosque invidiæ involvebat; ita ut abiret in proverbium, necdum abolitum è memoria, ut quoties mali grandioris aliquid patratum volunt Brugenses dicant:* Hoc *vel* illud illi de Stratis fecerunt.

30. *Crevit autem magis invidia popularis contra Stratenses, quando abdicato Guilielmo Normanno, receptus a civibus in urbem fuit Theodoricus Alsatius, & contra hunc illosque stabant Toparchæ Stratenses; ex quibus denique Brugas captivus adductus est* ,, Walterus, nepos Thancmari, per quem occasio & causa seditionis & ,, pugnæ originem habuit inter Borsiardum (*Erembaldi ex filio, Bertholdi vero Præpositi ex fratre nepotem*) ,, Comitis Caroli traditorem. *Tunc scilicet, ut Galbertus ait n. 174.* Brugen- ,, ses manus præ gaudio complosas conferebant; ,, quod captus esset Waltheros, qui caput & principium fuit totius mali terræ nostræ, pro cujus dolis Carolus Consul traditus est; non ,, quod ipse tradidisset, sed hostes suos Borsiardum, & suos ad tradendum compulisset. *Ita Galbertus; atque mox addit:* Hæc quoque dico secundum sensum vulgi, & secundum furorem animi illorum, qui modo captivum ,, Waltherum præfatum suspendissent, aut novo ,, & inaudito mortis fine dissipassent, si Comes (*Theodoricus*) permisisset.

31. *Ab animis sic commotis & turbatis, ecqua verax distinctaque rerum gestarum cognitio manare ad posteros potuit, etiam post amnistiam promulgatam? Cum ergo historia genuina lateret cives, Stratensibus exinde nunquam benevolos, propter altius jam radicatum odium quam ut facile absolvi totum posset; quid mirum, si non nisi confusa notitia rerum ac personarum fuerit per os vulgi ad posteros tradita, ac denique etiam scripto mandata? Factum hoc fuerit post annos centum, vel ducentos, aut etiam serius, cum sacra sancti Comitis ossa, novis forte miraculis clarescentia, transferrentur ab Ecclesia media in portatilem arcam, annuæ commemorationis die supra altari exponendam. Tunc ad consuetam cornuum inflationem, pro parricidarum execratione ab olim institutam, placuerit addere narrationem aliquam rei gestæ, & composita sit ea, quam Henschenius appellat fabellam, cujus nec caput nec cauda (ut dicitur) cohæret, vera falsis commiscens, & vivos mortuis, plenaque anachronismis & contradictionibus. Prolixe hoc ostendit Henschenius, & proponit fabulæ synopsim § 2. & 3. sicut ea in vernaculis Flandriæ annalibus, & hinc in posteriorum Scriptorum historiis inseritur, conformis ipsi proclamationi. Hujus & ego authenticam copiam, Brugis nactus, possem ex Flandrico Latinam dare, nisi scirem id, ipsis etiam, qui illam improbant, displiciturum. Est autem talis, ut non absurde conjectaverit Henschenius, initium habuisse ab aliqua de hoc argumento tragicomædia; ita initia ludicra sunt omnia, quæ deinde in tristem vertuntur catastrophen, & majora veris reorum supplicia: quorum aliqui, istic quasi in Scena necati, inveniuntur adhuc postea in honore fuisse, & actis publicis subscripsisse.*

32. *Optabat prælaudatus Carolus Antistes, formulam proclamationis istius, cui ipsummet cum suis Canonicis oportebat ex fundatione intervenire, si non aboleri totam, saltem ad normam veritatis, & absque nomine Stratensis traductione injusta, reformari. Sed cum ejus rei arbitrium penderet a Cameræ feudalis Magistratu, cujus impensis & sacrum de Trinitate, & prædicta cornuum inflatio proclamatioque curatur, ex quodam ad id apud ipsum constituto reditu; non placuit Capitulo commovere homines, aliis prorsus curis & negotiis quam historiis intentos, fortassis nec commode satis laturos consuetudines suas a Clero censurari; sed potius expectare, donec ipse ille Magistratus, lecto forsitan probatoque ab eorum aliquibus Henschenii Commentario, ultro commoverentur id facere. Sed ut pauci grandia nostra volumina legunt; pauciores, quæ legerint, integre apteque referunt, paucissimi curant aboleri errores sibi minime graves; & quia Stratenses jam ferme extinctos leviter urgebat nota tam vetus, quam a se removebant dicentes, ex alio Stratensium ramo sese procedere; quin etiam metus suberat, ne illa contradictione commota plebs in novas effervesceret iras; omnia hactenus manent, ut erant; neque de mutatione cogitatum est amplius, maxime postquam Episcopus Carolus a Brugensi ad Gandensem cathedram fuit translatus.*

33. Interea quidam ad conflandam Bollandianis injuriam nonnullis Brugensibus civibus ca-

tenus

tenus omnium ignaris aliquid insusurrarunt, obmurmurantes, quod eos Bollandiani traduxerint *tamquam comicos & histriones* (quibus verbis nusquam est usus Henschenius;) sed nullo prudentium motu. *Inter hos cum esset rogatu meo* (pergit Papebrochius) *instituta consultatio, omnes facile conveniebant, seque id ex Aldenburgensibus aliisque monumentis demonstraturos docebant, distinguendas omnino familias duas; prænobilem unam; alteram plebejam: quarum hæc, non illa, rea fuisset: sed quod hæc plebejo unquam cognominata fuerit* van ter straten, *idest*, de Stratis (*qua via videbatur utcumque excusari posse usus ambas confundendi*) *probari non æque poterat iis, qui sciebant, plebeiis eo seculo nulla fuisse stata cognomina, sive* (*ut loquebantur*) *supranomina: contrarium enim apparebat ex ipsis Bertulfi Præpositi fratribus*, Lamberto Nappin, Desiderio Haket, Wulfrico Knop, *aliis alio cognomine dictis. Quin etiam Dunensis Abbas monstrabat Privilegium anni 1139. & 12. post cædem, quo* „ Theodoricus Flandriæ Comes, Furnis constitu„tus, *dedit* Fratribus S. Mariæ de Dunis terram, „ quam Bertulfus Præpositus Brugensis in parochia „ de Ramscappel possedit, cum terra Erembaldi „ Cromminck ultra & citra fossatum. *Idem eodem verborum tenore confirmantibus Sampsone Remorum Archiepiscopo, & Milone Morinorum Episcopo, quorum singularia diplomata, sub nota anni 1153. monstrabat idem Abbas, ex iis docens, prædictorum fratrum ipsiusque Bertulfi parenti Erembaldo cognomen personale ac proprium, non vero gentilitium, neque ad posteros transiturum fuisse Cromminck.*

34. *Erant ergo qui non probabant, Erembaldi istius posteros ab Henschenio dici* Erembaldinos, *quasi commune familiæ parricidalis supranomen, a progenitore sumptum derivatumque ad posteros, fuisset* Erembauts, *toti Brugensi civitati ignotum. Sed in promptu responsio erat, id ab Henschenio fieri, non astruendi talis cognominis causa, sed solius distinctionis gratia, ut apparet ex num. 13. ubi ait:* „ Homicidas hosce, quos Erembaldinos „ appellamus, scribit coævus Abbas Sugerius fuis„se genere humiles, & de fæce conditionis servi„lis: *quin & hanc* primam fuisse visam interfe„ctionis causam, *ait Galbertus, quod, cum constaret, illos* „ secundum lineas cognationis suæ de „ servili conditione fuisse . . . Comes ipsos suæ „ servituti vendicabat, cui illi se modis omnibus „ subtrahere nitebantur.

35. *Hinc veniebatur ad quæstionem, an esset abolenda vel corrigenda Proclamationis formula, atque in hoc vel maxime variabant sententiæ; aliis dicentibus, tam certis rerum gestarum testibus omnino inhærendum, liberandosque infamia Stratenses; aliis e contra nihil movendum sustinentibus, atque Erembaldi posteros credi posse, a commorationis loco Stratenses dici voluisse, adeoque non male sic compellari ab historicis recentioribus, atque in ipsa Proclamatione, de qua reformanda ipsimet Stratenses non laborent: reliquos vero, qui ceteræ narrationi irrepsissent errores, dissimulandos potius fuisse, quam excutiendos scrupulosius. Tales enim, inquiebant, vulgi errores nulla non civitas habet, quibus omnibus se velle opponere, omnesque corrigere, infinitus ac ferme frustraneus sit labor. His, aliisque rationibus, imprimis autem quia cum feudali Curiæ difficile apparebat negotium, ceteri quoque inducti sunt, ut censerent movendum esse nihil: plerique tamen ab injustis Carmelitorum querelis, sparsaque in populum invidiosa fama exemptum volebant haberi Henschenium; eum quippe solis eruditis scripsisse, quæ nullo possint ratione convelli; male autem facturum fuisse, si duos tam præstantes historiæ celeberrimæ Scriptores* (*quorum notitia fere omnis Brugensibus exciderat, & unius dumtaxat ecgraphum unicum, idque recentius & non integrum diuque quæsitum nunc erat repertum*) *invidisset posteris, & tenebris æternis damnasset. Ex horum ultimorum numero rationeque prævalentium sententia præcipuus eorumdem unus Abbas Dunensis officii sui esse putavit, hoc veritatis testimonium dare.*

„ 36. Rogatus meum qualecumque judicium „ proferre circa ea, quæ typis evulgavit R. P. „ Godefridus Henschenius S. J. Historiographus „ in Actis Sanctorum ad diem 2. Martii de „ vita & nece B. Caroli Comitis Flandriæ; cen„seo, Auctorem hunc præclaram, succinctam, „ & laudabilem operam præstitisse in historiæ „ veteris elucidatione, qua sustinet, Erembal„di posteros, tum consilio, tum facto inter„fectores fuisse pii Comitis Caroli. Moveor „ vel maxime, quod neglectis neotericorum fa„bellis, suam hanc opinionem stabiliat, pro„ductis, qui latebant, Scriptoribus Synchro„nis; qui asserunt se historiam hanc tracta„re secundum ea, quæ ipsimet præsentes vel „ viderunt, vel audiverunt a viris fide dignis. „ Et quamvis Scriptores moderni indistincte „ velint, auctores necis prædictæ fuisse Stra„tenses; si tamen historiæ veritas funditus exa„minetur, recedendum non est a P. Hensche„nii opinione, dum culpam omnem perpetrati „ facinoris conjicit in Erembaldinos: esto & „ hi non incongrue Stratenses appellari possint. „ Nam non solum Gualterius & Galbertus Scri„ptores coævi, sed & Moderni fere omnes „ tradunt, quemdam Erembaldum, ex infima „ fæce populi procreatum, ad Castelaniam Bru„gensem evectum esse; a quo filii quinque ge„nerati sunt. Inter hos Lambertus secundo„genitus prolem masculam procreavit, nomi„ne Borsiardum; qui possessiunculam sibi com„paravit in Straten (nempe in dominio No„bilium Stratianorum, sito Brugas inter & Mo„nasterium S. Andreæ) atque in ea domum „ construxit. Cumque eo sæpius confluerent „ istius Erembaldi posteri, divitiis suis inju„ste conquisitis jam facti præpotentes, & No„bilibus Stratianis aliisque valde formidabiles, „ a vulgo sæpius inde vexato appellati etiam „ ipsi sunt Stratenses; sed male & per abusum; „ cum ipsi non essent de nobili familia Stra„tianorum oriundi, sed potius Erembaldini vo„candi, a suo progenitore Erembaldo.

„ 37. Hinc cum Hagiographus memoratus „ primus distinxerit Erembaldinos, abusive di„ctos Stratenses, a prænobilibus Stratianis, „ qui semper fideles fuerunt Comiti suo Ca„rolo, ejusque tum in vita, tum post mor„tem strenui defensores; non est cur doctissi„mus, & historiarum peritissimus hic auctor „ sibilum vel censuram mereatur; cum id so„lum intenderit, ut prænobilis familia de Stra„tis parricidii nota liberaretur. Nec me com„movet Proclamatio annua, quæ in Burgo „ Brugensi contra Stratenses, per sonitum cor-

„ nuum

„ nuum poſtmodum inſtituta eſt a Flandriæ Comitibus, Caroli pii ſucceſſoribus, utique in deteſtationem facinoris prætacti; cum hęc ſit ſimplex enarratio facti, perpetrati a Borſiardo, cæteriſque Erembaldi poſteris: qui propter domum, quam, ut dixi, habebant in dominio ter Straten, inſtar arcis munitam, & a pio Comite propter juſtas cauſas everſam, Stratenſes quoque dicti, facti ſunt jurati inimici tum Comitis, tum familiæ Stratianæ. Quapropter præſentibus fidem facio, nihil unquam hic Brugis commotionis aut ſcandali ſubortum eſſe ex Henſchenii opinione: quod idem plures viri graves, deſuper a me conſulti, mecum aſſerere parati ſunt. Dabam Brugis Flandrorum 2. Maii 1697. Martinus Abbas Dunenſis.

38. *Eodem menſe die 25. dignatus eſt etiam ſuam ſuper his ſententiam mihi ſcribere Ampliſs. D. J. de Baillencourt, Brugenſis Archidiaconus, vir nihilo minoris, quam prælaudatus Abbas eruditionis & lectionis, præſertim hiſtoricæ, & antiquariæ. Tenor epiſtolæ ejus hic eſt.* „ Reverende in Chriſto Pater. Nullis unquam encomiis ſatis laudari poterit ingens animi magnitudo P. Bollandi Acta Sanctorum tam operoſe illuſtrare aggreſſi; P. Henſchenii, tam vaſtæ molis operi humeros ſubſtituentis; & demum veſtræ Paternitatis, tam difficilis provinciæ onus excipientis: vigebitque apud Litteratos omnes nunquam interitura tam amplæ eruditionis virorum memoria. Sane P. Henſchenium, de Flandria noſtra & civitate Brugenſi optime meritum cenſeo, qui vitæ & necis Caroli Comitis, filii S. Canuti Regis, ab auctoribus Synchronis conſcriptam evulgavit. Quamvis enim laudatus Pater in quibuſdam recedat a Proclamatione hiſtorica, quæ quotannis in Borgo Brugenſi ad valvas Eccleſiæ Cathedralis, diebus Veneris in menſe Martio circa Veſperam, a Feudatario quodam legi ſolet, & præſertim in eo, quod Stratianos neget cædem præfati Comitis patraſſe; nullam hac in civitate inde turbam obortam intellexi, nec timendam fuiſſe autumo; cum adhæreat Scriptoribus coævis, qui res, quas ipſi viderunt, aut publice notas, recentiſſimeque factas chartis commiſerunt. Scribit Gualterius, Archidiaconus Morinenſis, valde judicioſe & ſincere vitæ & mortis ſeriem Caroli Sancti Comitis, ad ſanctum Præſulem ipſiuſque Comitis amiciſſimum & familiariſſimum Joannem Epiſcopum Morinenſem, dum adhuc tota Flandria ardebat in vindictam facinoris tam immanis: ſcribit de mandato ipſius Epiſcopi ad poſterorum inſtructionem, & rei peractæ memoriam: ſcribit tam ea, quæ ipſe vidit, quibuſque præſens adfuit, quam quæ audivit ab iis, qui viderunt, rebus factis interfuerunt, iiſque primariis, ſelectis, & fide digniſſimis. Narrat Gualbertus Notarius Brugenſis, vir, ut ex ſcriptis patet, candidus & ingenuus, quæ dietim contingunt tempore perpetratæ cædis, quæque ipſe propriis oculis curioſus inſpectat, viſaque a ſe ſucceſſive in tabulas refert, nec nila parricidarum flagitia, aut familiæ dedecora diſſimulat. Quis non potius adhæreat ejuſmodi teſtibus, quam male conſutæ narrationi, quæ poſterius ævum ubique redolet, erroreſque palpabiles contra fidem hiſtoriæ complectitur?

„ 39. In antiquis diplomatibus, quæ veritatis hiſtoricæ lapis Lydius ſunt, nuſibi confunduntur ii, qui ſe de Stratis inſcribunt, cum Erembaldo Caſtellano aut ejus progenie, quorum nemo Stratianorum nomen aſſumpſiſſe deprehenditur: imo frequentiores rixæ inter utramque familiam, ob prædiorum viciniam obortæ, aliæque plures circumſtantiæ ſatis innuunt, nullo eas inter ſe neceſſitudinis aut conſanguinitatis vinculo junctas fuiſſe. Qui autem poſtmodum ſatis inepte Proclamationem illam concinnarunt, quibuslibet perſonis gentilitia ſupernomina (ut infimæ Latinitatis voce utar) ſtudioſe aſſignantes, etiam ipſi Carolo Comiti, quem Lanwardum indigitant; familiæ parricidalis nomen non invenientes (quod ſeculo iſto rariora adhuc eſſent, quæ ad poſteros tranſmitterentur, & quæ demum ſeculo decimo tertio paſſim invaluere); perſpicientes etiam neminem liberorum Erembaldi eodem ſupernomine appellatum; ipſoſque proinde nec Erembaldinos a patre, nomine videlicet perſonæ non gentis (cum & eodem tempore viverent aliarum familiarum etiam Erembaldi) nec Hakettios, Cnoppicos, vel Nappinios, utpote diverſis nominibus, quæ iſti fratres ſigillatim ſibi unis appropriaverant, totam familiam indigitari poſſe; arbitrati ſunt fortaſſis, nullum aptius ei aſſignari poſſe, quam a loco de Stratis, in quo domicilium, aut ſaltem domum ſuburbanam non ignobilem Borſiardus ex eadem ſtirpe parricidarum anteſignanus poſſidebat, a quibus domibus ſolebant iſta ætate ſæpius primores nomina deſumere. Addi poteſt, quod populus tantum non in furorem ob necem amantiſſimi Principis actus, proclivisque ad funeſtos flagrantis iracundiæ impetus effundendos in quemlibet, quomodocumque ſceleris participem; ipſos Stratenſes infamis patibuli ſupplicio addixerant, eo quod caput & principium totius mali haberentur, ob rixas cum Erembaldi progenie exortas, indeque animum Comitis exacerbatum; nec niſi furori populi modeſte ſe ſubducentes mortem evaſerunt. Ex diſſidiis ergo cum Stratenſibus, populique in eos exaſperatione; ex domicilio & prædiis Borſiardi in Stratis, unde non minima malorum materia profluxerat, & quod hujus familiæ nomen aliud non eſſet; pronum fuit, caſuum permixtione & vulgari errore, parricidas quoque appellari Stratenſes.

„ 40. Quando vero Proclamatio illa cœperit, non ſatis compertum eſt. Non crediderim illam a tempore Guilielmi Normanni decretam; nec enim Gualbertus, qui uſque ad mortem ejuſdem Comitis minute quæque, præſertim quæ Brugis contigere, deſcripſit; rem ita notabilem, & quæ defuncti Caroli memoriæ non parum decoris affert, tam alto ſilentio preſſiſſet. Si mihi conjicere liceret, in hoc propenderem; Proclamationem iſtam, quæ, ut præ ſe fert, a Comitibus ſucceſſoribus imperata eſt, tum primum edictam eſſe, cum frequentiores ſeditiones in Flandria excitari cœpiſſent. Populus enim tumultum ſuſcitans audaciores ſæpe profert,

„ qui

„ qui in caput Principum conjurant, & ad perpetranda quæque flagitia fæcem plebejam stimulant, propositis majorum ejusmodi ausis. Igitur, ne quod in Carolum Comitem immane facinus, ac in Flaodria hactenus inauditum patratom fuerat, perniciosum præberet exemplum; atque ut perdisceret posteritas, neminem impune Principibus necem machinari, non impossibile forte videbitur, quod terroris incutiendi nomine Proclamatio illa, quæ ex vulgaribus traditionibus non satis expensis compilata fuit, enarratque sopplicia sceleratis illata, (non juxta rei peractæ seriem, sed criminis admissi meritum adinventa) jussa fuerit publicari.

„ 41. Verum, ut dixi, mera conjectura hæc mea est, quam verosimiliori lubens submitto. Regesta enim Capituli nostri, quæ supersunt, ad ætatem istam non perveniunt: unde quantum mihi videre licuit, aliud nihil reperi, quam quod 6. Junii anni 1403. occasione devotionis quarumdam honorabilium personarum erga Capellam SS. Trinitatis, in templi solario ab ipsis nuper exornatam, duæ Capellaniæ cum custodia illic fundantur, assignatis quibusdam reditibus, nulla omnino Caroli Comitis coram isto altari mactati facta mentione. *Anno* vero 1606. die 23. Februarii dictam Capellam, deturpatam forte a tumultibus ob religionem seculo superiori exortis, nitori nondum restitutam reperio, pietate Reverendiss. D. Caroli de Rodoan, Episcopi Brugensis id procurante, eumdemque 1. Martii 1610. effecisse, ut Missa annua, quæ ad ista usque tempora de Requiem pro dicto Comite cantari consueverat, imposterum in ejusdem memoriam celebraretur de SS. Trinitate. Elevationem sacrorum ossium factam jam a pluribus seculis non dubito, determinatum vero tempus me latet; ac præter Gualteri Archidiaconi oarrationem, in membranis exaratam veteri charactere & structura, & Galberti notarii, recenter tamen & temporibus nostris scriptam, nihil apud oos scio de Caroli Boni actis asservari.

„ 42. Optarem tam indefesso Paternitatis vestræ studio majorem elucidationem subministrasse, quod fieri forsitan potuisset, nisi aut decessorum incuria obstitisset, aut tempus rerum & imprimis chartarum edax, documenta substraxisset: noo impediet tamen, quin pereoni venerationis cultu subscribat. Brugis 25. Maii 1697.

„ Reverende admodum Pater

„ Paternitatis vestræ humillimus & devotissimus

„ famulus

„ J. De Baillencourt Archidiac. Brugensis.

43. *Ex hac epistola intelligitur auctorem existimare, quod Proclamatio sæpe dicta neque tam vetusta sit, ut possit a primis post S. Carolum Comitibus instituta credi; neque tam nova, ut ad hujus seculi initium vel superioris dimidium referatur. Sed medio aliquo tempore, cum civiles motus in Flandria frequentes, ipsis quoque Comitibus exitiales futuri formidarentur. Talis conjectura, verosimilis sane, reducit mihi in memoriam Comitem Ludovicum Cresciacum, qui anno* 1323. *tertia Flandrorum rebellione, ab ipsis captus, Brugisque carceri mancipatus indigna multa in se suisque pertulit; unde liberatus, & an.* 1327. *victoria de quartum rebellantibus potitus, sequenti mox anno, memorabili plusquam quingentorum reorum supplicio, aliisque populo impositis mulctis, eumdem compescuit; quare non absurde cogitare quis possit, inter alia ad terrorem instituta, etiam fuisse Proclamationem aliquam.*

44. *Supra hanc tamen sapuit vir Brugis Consularis D. Nicolaus d'Espars, cujus in nostri Collegii Bibliotheca extat Chronica minutissimo ac difficillimo charactere autographa. Hic enim, fortassis ex sibi lecta Galberti vel Gualterii Historia, narrat præmemorati Erembaldi cum Domina sua impudicum commercium, quo mediante Dominum suum Boldranuinu Castellanum necavit, & ipsam adulteram uxorem habuit una cum Castellania: cujus etiam filius Lambertus, ob campestrem suam domum in Stratis, obtinuerit supranomen* Van ter Straten. *Sed cum ipse hoc nomine non inveniatur uspiam usus, verosimilius est, non ipsum, sed filium Borsiardum cognomen tale, non tam arripuisse vulgari errore inditum, quam una cum suis tenuisse, sic tamen ut eo in publicis Actis nunquam uterentur; an autem eo usi sint ex posteris aliqui, unde divinabimus?* Sed de his satis.

45. Anconitano cuidam Causidico molestus fuit Commentarius historicus de S. Cyrillo Hierosolymorum Episcopo tom. 2. Martii ad diem XVIII. Nimirum illius commentarii fides si staret, nullum in Hierosolymitanorum Episcoporum serie superesse locum videbat Causidicus Anconitano Judæ Quiriaco, seu Ciriaco, quem tamen Hierosolymis Episcopum præfuisse arbitrabatur. Interea, ut tomo 1. Maii pag. 444. narrat Papebrochius, cujus in hac quæstione narranda verba recitabimus, anno 1674. gravior suborta est *contentio inter Julianum Saracenum, Anconitanum Patricium, Canonicum & Decanum Ecclesiæ Cathedralis, prælo parantem Notitias historicas Anconæ, prout eas nunc habemus editas Romæ anno* 1675. *& supra indicatum ejusdem urbis Causidicum. Uterque igitur per interpositos amicos scriptasque litteras me solicitavit, ut quid de S. Cyriaci Episcopatu sentirem ego, amice communicarem. Feci candore Belgico quod rogabar; monuique, videri mihi ambos rationibus niti, quarum potentiores hinc quidem probent Episcopum Hierosolymitanum fuisse S. Cyriacum; inde non fuisse tempore S. Helenæ & Juliani Apostatæ, quemadmodum in nostris Sanctorum Maii Actis essem declaraturus; interim suadebam, ut seposita contentione, quæ tota fere procederet ex auctoritatibus supra fabulosa inventæ Crucis & Passionis acta fundatis, dignarentur docere me de ipsa corporis translatione Anconam.*

46. *Gratanter officium meum excepit Saracenus, professus ingenue, non persliturum se in asserendo Anconitano S. Cyriaci Episcopatu, quem facile crederet superiori primum seculo excogitatum ad complanandam temporum rationem, alias difficillimam, si sibi ostenderetur, diverso quovis ævo alius, inter Hierosolymitanos notus Episcopus, sub eodem Judæ vel Cyriaci nomine: non enim ignorabat in Martyrologiis utrumque nomen vel conjunctim accipi, vel disjunctim alterum supponi pro altero; nec difficulter recipiebat censuram prædictis actis a me positam. Alius, cui*

jam

jam tractatus sub prælo erat cum titulo Patriarchæ defensi, *fortassis exacerbatus, quod Tractatum illum non sineretur dare in lucem, convertit in me bilem suam; & beneficio reponens maledicentiam, non expectato Majo, qui publici juris factus publice quoque posset citra justam cujusque offensionem redargui; contra meas, ipsi privatim scriptas litteras, properavit, me inscio, vulgare* Confutationem Collectionis, *ut vocat,* novarum opinionum, quas futiles nonnulli compilarunt & leves: *in qua dissimulata eo, quod præcipuum esse debuerat, ut ostenderet scilicet, Hierosolymorum Episcopum fuisse alium sub Juliana quam Cyrillum, vel ut authentica de modo ac tempore factæ translationis exhiberet documenta, dilapsus ad parerga est.*

47. *Ceterum non est nova Anconitanis de sua Patrono quæstio; pridem ea ipsas solicitas habuit, cum vatis certarent ambiguis, utrum optabilius suæ esset civitati, possidere corpus ejus, qui olim Anconitanus Episcopus, an qui Hierosolymitanus fuisset. Qui Anconitanum ajebant, in partes suas traxere Baronium. Baronium secutus mox ille est, qui anno MDCXIII. Venetiis, ut supra dixi, imprimendum curavit Officium & commemorationes Patriarcharum & Prophetarum, Martyrum & Confessorum Terræ Sanctæ. Idem in hujus operis tyrocinio ad IX. Januarii & S. Marcellini Episcopi Anconitani Acta, sequi tantisper maluit Bollandus noster, quam vel admittere manifestam cum tota antiquitate repugnantiam, a qua contrariæ sententiæ assertores nullatenus se expediebant; vel intempestiva præjudicia antevertere tempus controversiæ illius examinandæ: quo suo facto tantum abest, ut putaveris successores suos obligari ad singula, quæ sic ex incidenti causa notaret sustinenda; ut è contra plurimum lætaretur, cum videret nos, tamquam humeris elatos suis, prospicere aliquanto longius. Nam cum ille circa Hibernicas historias (ut hoc exempli causa dicam) in Januario ac Februario secutus esset Chronologiam Usserianam, donec S. Patricius necessitatem & facultatem præberet ipsam si opus foret corrigendi: ubi me rem a fundamentis scrutari exorsum, vidit, dimissa illa, longe diversam multoque certiorem viam iniisse; probavit vehementissime, neque voluit ullam eorum rationem haberi, quæ scripserat ipse diversimode de S. Brigitta aliisque Sanctis nationis istius.*

48. *Desinat igitur me, velut degenerem Bollandi discipulum ex eo capite increpare Sarateni adversarius; usque adeo parum bene consultus, ut mihi vitio vertere voluerit, quod duas ex sententia aliena scriptas a Bollando lineas non sequar, in asserenda morte sub Juliano tolerata; cum gaudere potius debuisset, & gratias agere, quod Cyriaco Hierosolymitanum Episcopatum asserens, contrariam sibi Bollandi auctoritatem præriperem facientibus Anconitanum. Patuisset enim Bollandi sententiam objecturis respondere, ipsum vel per se, vel per suos in opere successores re melius examinata mutasse opinionem; quemadmodum se jactat vacillatione Baronii, eumdem Anconitanum Episcopatum, quem asseruerat in Martyrologio, in tomo IV. Annalium ad annum 363. dubium esse agnoscentis: quod fecisse crediderim, ne alterius factionis zelum, ad retinendam Hierosolymitani Patriarchatus titulum obfirmatum, in se concitaret.*

49. *Etenim hujus zeli indicium retinent Instrumenta Notarialia, nobiscum olim communicata, & fidem facientia, prima, quod Lectiones de S. Cyriaco ex Breviario Lugdunensi anni MDVII. existente apud Carmelitas Avenionenses, legitime transcriptæ essent in præsentia Fr. Stephani Dulcis Avenionensis Archiepiscopi: secundo, quod ex libro dicto* Sermones Discipuli de Sanctis, *impresso MDXXXIV. existente penes Bartholomæum Tancredum Canonicum Anconitanum, transcripta fideliter sit rubrica de inventione Sanctæ Crucis Latine; Italice autem ex alio libro de Vitis Sanctorum Venetiis impresso MDLVI.: tertio, quod in Catalogo generali Ferrarii inveniatur pariter exhibitum Elogium S. Cyriaci. Et hæc omnia MDCXXII. per Notarios publicos sic curata sunt, ut talium librorum auctoritate collata credatur S. Cyriacus, urbis Anconæ Patronus, vere fuisse Hierosolymitanus Episcopus: quod & fuisse contendit obtrectator noster, & nos probabile conamur reddere: non quidem pro eo tempore, quod dubitandi causam justissimam aliis præbuit; sed pro alio, quo certum est fuisse Hierosolymis Episcopum Judam: quem etiam esse martyrio coronatum, si non certum, saltem probabile omnino fecimus: contenti tamen opinionem nostram appellare conjecturam; quam eo credemus firmiorem, quo evidentior cunctis erit Actorum, velut de alio compositorum, fabulositas.* Hæc Papebrochius. De celeberrima inter Bollandianos & Carmelitas controversia hic agendum foret, cum tomus tertius Martii primam tantæ disceptationi occasionem præbuerit. Verum hæc fuse pertractata in Elucidatione historica Papebrochii dabitur infra. Quare ad Aprilis controversias propero.

50. Vita S. Francisci Paulani Tom. I. Aprilis novæ controversiæ ansam præbuit. De ea sic Papebrochius in respons. ad art. XXII. §. 6. n. 48. *Labor integri anni fuit; manu mea propria descriptus totus, adeoque vastus, ut in ipso libro impleat folia 130. quem ipsi quoque Sancto gratum fuisse duplici comprobasse videtur argumento, cum sub illo P. Godefridum Henschenium, ad mortem ægrum & capitis intolerabili dolore cruciatum, supposito miraculorum libro, nobis salvavit; ipsumque illum commentarium totum mirabiliter præservavit ab incendio, quo arsit an. 1673. typographia Blaviana, in qua jam imprimendus periisset cum aliis secundæ diei Actis, eodem infortunio consumptis, sed facilius reparatis. Fuit tamen in eodem aliquid, quod non placeret omnibus: quæstio videlicet mota super Sancti ætate, quem nonagenario majorem obiisse creditum eatenus fuerat; ego vero viginti annos inde detrahendos censebam, motus tum aliis argumentis multis, in speciem convincentibus; tum maxime auctoritate Philippi Comminei, qui* jam nuper ante duos menses *cum eo locutus erat, quando scribebat elogium ejus, asserens, quod* in ætate annorum duodecim rupem quamdam subivit, ibique manserat usque ad ætatem annorum *circiter* quadraginta trium, usque ad eam videlicet horam, qua Rex (*Ludovicus XI. is erat*) eum accersivit, *idest usque ad annum 1481. Hoc anno si ille agebat solum ætatis annum 43. moriens anno 1507. (de quo dubitat nemo) potuit tantum vixisse annis 71. quem tamen in officio proprio ad 91. pervenisse legimus.*

51. *Scribebat Commineus anno 1498. quem toto vicen-*

vicennio aberrasse in definienda ætate hominis, adeo recenter sibi visi, ægre apparebat credibile: quis enim non continuo distinguat sexagenarium ab actogenario? Sed nihila facilius creditu erat, Cardinalem Simonetam, anno 1518. coram Pontifice referentem de illo, fuisse ab instructoribus causæ, qui & ipsi Sancta convixerant, adeo male infarmatum, ut ad 20. annos exerraret? Quia tamen in totis processibus nulla fiebat anni natalis mentio, neque ætatis, quam habuit, quando ex Calabria in Franciam venit Sanctus; & quia multa alia accedebant argumenta, minorem ætatem suadentia, elegi tunc hanc partem, velut ardinandæ Chronologiæ aptiorem. Pater autem Franciscus Giry provincialis Franciæ alteram partem in peculiari dissertatione sustinere aggressus, plerisque fundamentis a me adductis satisfecit tam commode, ut in hujus denique sententiam, idest in communem redire me posse crediderim, saltem ut magis verisimilem. Interim, sicuti non puta me arguendum temeritatis in eo, quod prius statui, sic nec levitatis in eo, quod postea elegi; in utroque autem functum officia scriptaris sinceri, nulloque affectu in hanc vel illam sententiam ducti, sed solius veritatis amore. Nempe ex tali amore etiam non dissimulavi errorem primorum nostræ Societatis Scriptarum, in definienda ætate S. Francisci Xaverii: qui sane non minus mirabilis est in hominibus tam accuratis simul & litteratis, quam ille fuisset in Patribus Minimis, iisque Francis, nec valde senibus, adeoque facilius excusabilibus.

52. *Nulla interim inde orta est Ordinis conturbatia cantra nos, nemo injuriam sibi aut Sancto Fundatari factam voce aut scripto questus est per annos quinque post editum Aprilem. Sed neque post editam dissertationem prelaudatam auditæ sunt insultationes immodice triumphantium; quin potius expectabant, quid ego illa lecta decreturus essem; nihil de meo erga se affectu dubii, & in sua ista de me fiducia falsi. Vix enim dissertatianem ipsam anna 1680. quo prima pars Maii edita fuit, accepi, legi, & expendi, cum inclinavi mox animum in illorum sententiam; & circumspicere cœpi, quo potissimum loco id testari possem; & de hoc mox etiam certiores feci Patres Antuerpienses. Quin & ad eruditissimum dissertatianis illius auctorem litteras idem significantes dedi anno 1681. ad quas humanissimum, ut par erat, responsum accepi, die 10. Junii sic exaratum.*

„ 53. Sæpius proposueram mittere ad tuam „ Reverentiam dissertationem nostram de ætate, qua vixit B. Franciscus de Paula, Institutor noster; sed modo hoc, modo illo promittente se laturum, aut fideliter directurum, „ subinde vero variis ex causis impedito, hactenus res incassum abiit. Interim gaudeo „ maxime, quod in manus V. Reverentiæ pervenerit: neque enim eo modo composita est, „ ut ejus conspectum erubescere debuerit: sed „ amice omnino, & cum ea reverentia, quæ „ tanto viro, tantumque de ecclesia, de Sanctorum Societate, & de omnibus veritatis „ amatoribus benemerito debebatur. Jucundissimum vero fuit, nostram & antiquam de illa „ ætate sententiam tuo jam calculo, tuoque „ judicio roborari. Nec enim quisquam est, „ cujus judicium, in hoc maxime genere, pluris æstimari debeat: sed neque te ipsum unquam ut judicem detrectavi. Novi enim, & „ ex frequenti operum tuorum lectione comperi, tantum tibi inesse veritatis amorem, „ ut ea sive proprio studio, sive per alterius „ disputationem illucescente, præconceptas opiniones deserere, & alias amplecti sis paratus: „ unde non parum securum esse puto apud te, „ contra teipsum causam agere. Rem vero mihi totique Ordini nostro pergratam facies, „ si in quarto Maii volumine quamprimum, „ ut arbitror, edendo, occasione aliunde arrepta, significes te in veterem Ordinis sententiam jam inclinare, quemadmodum in tuis „ litteris promittere dignatus es.

54. *Hæc & alia plura, quæ modestiæ caussa prætereo, Dissertator non minus placidus quam eruditus, idemque haud ex vano jactans frequentem operum nostrorum lectianem, quippe cui sub manu erant Vitæ Sanctorum, Gallica lingua recudendæ; ad quod per eamdem epistolam petebat auxilio consilioque juvari, quanda ei non licebat præstolari exitum Mensium nostrarum reliquarum. Sed non æque liberum mihi erat multum operæ istuc conferre, perficiendo Majo intendenti, cujus secundam partem, in tres ut primam tomos divisam, simili modo edere properabam. Et jam locum apportunum designaveram retractationi promissæ in ea scilicet disputatione, quam inter Appendices Maii daturus eram circa ætatem S. Gregorii Nazianzeni: nam & in hac definienda videbar mihi defecisse, quantum excesserant alii, volebamque inire mediam viam.* Tali ergo occasione, *sicuti in Synopsi ultimi tomi legitur*, satisfeci *etiam* iis, qui rationabiliter evicisse videntur, S. Francisci Paulani ætatem non esse necessario minorem statuendam, quam usque ad Aprilem nostrum fuerat credita. *Nec minus feci, quam pollicitus eram: &, licet varia corporum temporumque incommoda, nobis typographoque oblata, sæpius interrumperint progressum operis, vix demum anno 1688. finiti; toto tamen illo tempore nulla a Patribus Minimis audita querela est, vel moræ impatientia.*

55. Sed ecce novam ex Tomo 1. Aprilis controversiam. In appendice ad Acta B. Julianæ de officio pro festo corporis Christi Urbani IV. jussu per S. Thomam composito, scripserat Papebrochius *S. Thomam ex antiquo Leodiensi officio fere accepisse tatum, quod ecclesiæ obtulit universæ legendum, mutato duntaxat partium quarumdam ordine, suppleto defectu hymni unius ad Matutinum, rescissis superfluis, & expolita, ut sibi videbatur, stylo.* Rem non tulit Natalis Alexander. Quamobrem anno 1680. edidit expostulationem, cujus summam quamdam idem Natalis intulit in articulum 3. dissert. 6. ad hist. Eccles. Sæc. XIII. & XIV., illamque Reverendiss. Patri Johanni Paulo Olivæ S. J. Præposito Generali inscripsit. Natali respondit R. P. Oliva 21. Maii ejusdem anni 1680. litterasque in hæc verba clausit: *Nos autem magnas agimus Reverentiæ vestræ gratias, quod tam ingenue, tam honeste, ac tam temperato animo nobis eam controversiam exposuerit. Unde nolim unquam nostram de mutua amicitia contentianem cum vestra Reverentia, & cum tata sacro vestro Ordine dirimi. Sum etenim* &c. Audiamus nunc Papebrochium in Respons. ad artic. XIII. num. 171.

56. *R. P. Fr. Jacobus Quetif ex Ordine Prædicatorum vir doctissimus, idemque ex frequenti mearum lucubrationum lectiane animum meum per-*

spe-

spectissimum habens, uni veritati sic intentum, ut ea sibi proposita facillime soleat etiam contra prius asserta flecti, ostendit sibi displicuisse, quod collega suus, adversus Appendicem præfatam scripturus quidpiam, odiosæ expostulationis ad Generalem Societatis directæ formam uti maluerit, quam placidæ dissertationi mecum suo; quando res ea agebatur, quæ rationibus erat, non terroribus evincenda. Ego vero factum excusanti rescripsi, non eum esse me, quem titulus unus male lævigatus, aut stylus parum blandus moveat, jampridem assuetum duriora pro veritate audire & ferre: rem ipsam inspecturum me propius, & quatenus probata mihi ex ratione solida fuerit, probaturum. Illi ergo Fratres, causæ suæ bonitate freti, & hanc contenti semel exposuisse, nihil ultra moverunt, conquiescere parati, etiam usque in tempus faciendi post multos annos supplementi. Et ecce citius, & plus quam speraverunt ultro præsto, in eorumdem sententiam totus transivi, & paratus similem satisfactionem quibuscumque aliis dare, sicut jam pluribus casibus dedi, quando pro iis viderim veritatem stare. Contra hanc nihil possum, nec volo; hanc quisquis ad causam non attulerit, multiplicatis quamtumvis libellis schedisque famosis efficiet nihil, nisi ut tacitus compatiar incassum se torquenti, & causam, pro qua pugnat, ex mala pejorem facienti.

57. Quam illustrissimo Dominicanorum Ordini grata fuerit hæc Papebrochii retractatio, dici vix potest; quum enim Papebrochius a P. Fr. Francisco Janssens Provinciæ Germaniæ inferioris apud Dominicanos Provinciali petiisset fidenter, ut testimonium veritati scriberet inserendum Responsioni ad exhibitionem errorum, ille in literis die 14. Decembris anni 1696. ad eumdem Papebrochium datis sic humanissime respondit. *Adm. Reverende Pater, Literis suis de die quinto currentis, quas die 13. primum recepi, requirit a me Paternitas vestra, an, dum in lucem prodierat Conatus suus Chronico-historicus, idest anno 1685. dum altera vice gerebam Provincialatum hujus provinciæ; an, inquam, verum non sit, quod lecta dissertatione 23. ejusdem Conatus tui, de Officio pro festo corporis Christi, gratam acceptamque habuerim sinceritatem tuam, & de ea laudabile testimonium coram aliis dederim, qua nimirum plene cordateque separasses id, quod in Actis Sanctorum Aprilis ad vitam B. Julianæ Leodiensis Angelico nostro Doctori detraxisse videbaris; tanquam non ille, sed alius quispiam Leodii, Cornelianæ domus Clericus, Officium corporis Christi, quod ecclesia quotannis recitat, & in pretio habet, composuisset; ille autem nonnisi ejusdem, quia nimis fusi, & minus accommodi, ordinator & merus expositor fuisset.*

58. Cum autem secundum meam epigraphen, requisitum pro manifestanda veritate nec me elinguem esse deceat, nec bilinguem, imo nec hoc ullatenus charactieri meo conveniat; attento etiam, quod cæteroquin Adm. Rev. Paternitati vestræ, & in ea Societati, plurimum in hoc obstricti sumus, quod non minoribus impensis ac sumptibus, quam exantlatis laboribus studiisque (quæ & continuari pro residuis nostri Ordinis Sanctis summopere desideramus) laudabiliter adhibitis, jam nunc in præteritorum mensium decursu tot intercurrentia nostrorum Sanctorum virorum Acta, nunquam antea vel non sic edita, illustraveris; ut justæ molis tomum in folio (prout vere in tuis ad me meministi) si cum tuis commentariis in unum colligerentur, facile complerent. Propterea, Pater Reverende, veritatem sensus dictique mei præfatis literis tibi requirenti, sincero calamo respondeo, & candida mente notum facio ac declaro, me eo tempore, idest lecta tua illa dissertatione vigesima tertia, gratam acceptamque habuisse, ac etiamnum habere sinceritatem illam tuam: sed nec hoc solum, verum etiam plus vice simplici in consessu, seu præsentia diversorum virorum præcipuorum, etiam Ordinis nostri, eamdem ingenue commendasse; eo quoque intuitu, quod sub finem prememoratæ dissertationis tuæ, ultro spontaneeque affirmasses, te similem satisfactionem quibuscumque aliis dare paratum, quando videres veritatem pro eis stare, contra quam nec velles, nec posses.

59. Pace autem tua, Pater Reverende, hoc addidero, ampliorem adhuc satisfactionem per te nobis adventuram, si non in solo Conatu tuo Chronico-historico, sed etiam in aliquo libello magis familiari, separatio illa tua circa auctorem Officii pro festo Corporis Christi, idest circa Doctorem nostrum Angelicum cum aliis, si quæ occurrent perspecta veritate haud dubie a te separandis, prælo mandaretur, & obviam lucem videret. Hæc, Pater Reverende, pro responsa ad tuas gratanter accipe, & æqui bonique consule, dum me commendans precibus & Sacrificiis maneo Adm. Rev. Paternitatis vestræ humilis in Domino servus Fr. Franciscus Janssens Elinga, S. T. Doc. Provincialis Germaniæ inferioris Ordinis Prædicatorum, & Missionum ejusdem Ordinis per confœderatas Belgii provincias Præfectus Apostolicus.

60. Propyleo Aprilis Tom. 2. ut Carmeliticam iterum mittamus, duas satis graves disputationes debemus, alteram de diplomatis, de Martyrologio Brixiano alteram. Utriusque historiam ex Papebrochio audire præstat. Quod ad primam adtinet, primæ Propylæi illius parti de diplomatis discernendis occasionem dedit (ait Papebrochius in Respons. ad art. 15. num. 384.) *disputatio quædam inter me ac P. Jacobum Masenium nostrum, restauratorem Annalium Trevirensium, a Christophoro Browero compositorum, & postquam impressi essent a suspicaci Principe suppressorum ac pene abolitorum, qui Pater nihil non paratus credere, quod Browerus quomodocumque probaverat, quamvis communi doctorum judicio nunc improbatum, mordicus tueri nitebatur, S. Irminam, Horreensis apud Treviros parthenonis fundatricem, fuisse filiam Dagoberti I. ex Nanthilde, quam P. Henschenius in laudatissima apud Gallos Diatriba de tribus Dagobertis demonstraverat, filiam potius fuisse secundi in paternum Austrasiæ regnum postliminio restituti, & ingrata annorum pene mille oblivione apud Historicos Francos sepulti, nunc vero communi plausu excepti ab omnibus.*

61. Nitebatur Masenius membrana quadam, quæ ut Originalis ipsius Dagoberti I. monstrabatur apud Sanctimoniales illas, quam etiam nos videre fecit: sed adeo multas præferentem suæ fictionis notas, ut nullam ei fidem possemus adhibere, & miraremur bonum virum in eo etiam tunc cæcutire. Postea veniens Luxemburgum, reperi San-Maximianensis Monasterii Annales, a nostro item P. Alexandro Wilthemio diligentissime compilatos, ex pervetustis Imperialis illius Abbatiæ monumentis; qui Annales utinam non perierint

injectis ante nuperam obsidionem ignibus, & aliquando passint lucem videre! Inter alia erat prædicti Dagoberti genuinum (ut mihi quidem ipsique videbatur) diploma, ad quod collatum Horreense pratensum, quasi eera liquestens ad faciem ignis, adeo facile dissolvebatur, ut crederemus, ipsummet Masenium, quantumvis in præjudicio obfirmatum, passe mollescere.

62. *Rem itaque aggressus per exiguum, quod imprimendus Aprilis dabat, atium, & formulas formulis, characterec characteribus, sigillum sigilla, naminis chirographum Monogrammaticum cum chirographo componens, sex omnino capitibus eo rem adduxi, ut neque Masenius, nec Trevirensium eruditorum in Electorali palatio quisquam, nec alius ulibi hiscere auditus sit per annos 20. pro Harreensi figmento manutenendo; licet ad primum refutationis mea nuncium moti aliqui strenuam defensionem pollicerentur. Neque mirum: quia aculis arbitris res dijudicanda proponebatur per laminas aneas, nec quidquam decidebatur per conjecturam, nisi in uno illo capite, ubi quatitur: quomodo Horreense diploma fabricatum, & errores ehranalogici accepti videantur ex Reginonis Abbatis Prumiensis chronico, tribus fere saculis post Dagobertum I. eadem in regione scripto. Quæ disquisitio cum nihil ad substantiam rei spectet (ubi enim de errore canstat, parvi refert scire, unde sumptus sit) nihil peccat conjectura, etiamsi ea minus posita placeat; neque si jam ega retractarem (quod ubi quis verosimiliora excagitaverit, paratus sum facere) quidquam afferre posset canfusionis.*

63. *Ast illa successu animatus, cum viderem a nemine adhuc quasitam viam de aliis quibuscumque diplomatis judicandi, tentavi, an ex notitiis per illam Horreensem controversiam acquisitis campani regula quadam certa posset, operi nastro deinceps servitura: ejusque rei cœpi facere experimentum in pluribus aliis ad examen revocendis per capita quatuar, sed successu valde dispari. Etenim illud ipsum San-Maximianense Dagoberti I. diploma (quod aliis saculi Dagobertini putabam posse servire pra regula) aliudque Carolinum, ac tertium Lotharianum a Joanne Mabilione in Francicorum Monasteriarum archivis quotidie versante penitius inspecta, apparuerunt etiam ipsa non esse sincera usquequaque, ac singulariter Dagobertinum.*

64. *Considerans porro idem Mabilio, quanti ad Historiam momenti res diplomatica sit, argumentum a me exiguo tractatu delibatum non satis feliciter, proprio prolixoque opere tractandum sibi ab ovo sumpsit; annoque post editum Aprilem sexto, Christi 1681. regiæ molis ac majestatis volumen edidit, tabulisque grandibus & insignibus 70. instruxit; quo & causas exposuit vitiatorum sæpius diplomatum, & certiores vias ipsa discernendi tradidit, ac denique lib. 3. c. 1. ipsorum, ex quibus ego praccesseram, vitia, mihi inobservata retexit; eoque rem adduxit, ut præ gaudio & admiratione magna inventæ ab amica, ad quam ego frustra aspiraveram, veritatis, nihil jam pensi facerem Harreensis figmenti falsitatem detectam feliciter a me fuisse; multaque observata & plenæ luci exposita, qua ego solum ex parte videram, & certius confirmari merebantur. Quare mox ut librum perlegi, vehementerque prabavi, nulla interposita mora, Amico scripsi gratulabundus. Et quoniam San-Dionysiani archivii dignitati ac fidei nonnihil videbar detraxisse, ipsas meas litteras communicari eruditis ejus sociis volui, ut per eos omnibus innotesceret, quam minime cæcus essem mearum lucubrationum æstimatar; quamque nihil curius haberem veritate, etiam cum aliquo honoris mei dispendio monstrata.*

65. *Aberat ille tunc Parisiis, Ordinis sui per Germaniam archivia perlustrans, unde & cœptum sæculorum Benedictinorum opus locupletaret, & alia rei litterariæ profusura colligeret: mox autem atque rediit, ac meas litteras legit, suisque prælegit sociis, hunc in modum rescripsit anno 1683. 12. Novembris.* „ Nobis ex itinere Germanico reversis reddita est Epistola tua, in „ qua quid de opere nostro diplomatico sentias, sincere exponis. Ego vero satis mirari „ non possum tantam in insigni eruditione modestiam, cujus exemplum vix ullum illustrius „ reperire licet. Quotus enim quisque Eruditorum est, qui in litterario conflictu victum „ se agnoscat, & agnita veritate priorem sententiam incunctanter deponat, atque id palam omnibus testatum velit? Tu vero facis „ ultro, & tam amice, ut, si aliunde te non „ nossem, statim intimo amore complecterer. „ Sic non tibi sufficit doctrinæ & eruditionis „ primas tenere, nisi etiam primas assequare „ modestiæ. Utramque tibi palmam deferimus, „ adm. Rev. Pater. Neque hæc mei solius sententia est, sed etiam eorum omnium, quibus litteras tuas tuo jussu ostendi. Alii nimirum tuam eximiam humanitatem, alii modestiam & humilitatem, omnes insignem eruditionem tuam deprædicabant. Sed vereor, „ ne, dum hæc fusius persequor, mihi de tua „ confessione ingenuissima adblandiri videar. Absit hæc a mente mea cogitatio, ut de tua „ modestia ego ipse superbiam. Imo vero id „ ita animo reputo, si quid in opere nostro „ dignum tua publicave æstimatione inveniatur, non tam ex ingenii mei conatu, quam „ ex monumentorum copia & facultate æstimandum esse. Verum quidquid illud est, „ malim esse modestissimæ epistolæ auctor, quam „ cujusvis operis vanus ostentator. Tu vero, „ vir piissime, Deum precare, ut qui tui in „ Actis Sanctorum illustrandis imitatores sumus, etiam in consectanda christiana humilitate socii esse mereamur.

66. *Hactenus vir ille religiosissimus ... Equidem ejus, quam Parisios tunc misi, epistolæ nullum ipse mihi servavi exemplum, non solitus, propter nimiam talium multitudinem, id facere; sed haud absimilem reor fuisse protestationi illi, qua in mea ad Conatum Chronico-historicum de Pontificibus præfatione par. 1. pag. 3. num. 12. usus sum, dicens: In hoc (scilicet in statuendis unique Pontificatus terminis justis, juxta veteres Catalogos) in hoc, inquam, si scopum non attigero, alterque feliciari id favens successu, meas errores corrigat, adeo non feram id ægre, ut cum animi gratulatione sincera cessurus ei palmam sim, eademque promptitudine illi assurrecturus, qua eruditissimi Patris Joannis Mabilionic opus de re diplomatica excepi, & postquam legeram approbavi; licet in non paucis contrarium iis, qua in argumento eatenus intacto, optima quidem voluntate, sed impari ad rem tantam instrumenti necessarii copia, obiter delibavi, octa-*

sione

sione Trevirensis cujusdam figmenti. Quomvis enim istud satis eversum sit lucubratiuncula prædicta, assentiente ipsomet Mabilione; ad lucem tamen dignioris istius, justique operis, illa sic mihi ipsi viluit, ut in eo nihil fere amplius invsuiam, quod placeat, quam quod ex dubiis, istbic a me fortuita motis, tam insignis Commentarius nasci potuerit ob eo, qui rem ex professo pertractavit. Sed de his vide adnotationes nosteas ad hos Responsionis locos. De altera Brixiani Martyrologii controversia dicamus.

67. In Propylæo Aprilis veluti fabulosos rejecerat Papebrochius Catalogos S. Aphræ, unde auctum est Brixiensis Ecclesiæ Martyrologium. *Causa* de horum Catalogorum authenti a *dubitandi erat* (ut loquentem Papebrochium in laudata sæpius responsione ad art. 3. num. 70. iterum inducam) *quod istius Martyrologii Auctor, operis nostri promovendi studiosissimus Bernardinus Faynus, rogatus submittere, sicut de aliis Sanctis fecerat, documenta, quibus nitebatur fides prædictorum Catalogorum, aliud non potuerit invenire, quam cujusdam Notarii Guerrini Cerreti commentariolum de hoc argumento: cui cum multa per litteras opponerem, quibus ille respondebat nihil, silentium amici accepi pro verecunda confessione agnitæ ad ulteriorem probationem insufficientiæ. Deinde suspectum jam Guerrini scriptum examinandum sumpsi, propter acceptas ex eo ad 19. Aprilis SS. Angelinum & Orieldam ac filios, de quibus merito dubitabam. Inveniens autem fabulosum totum, Exegesim de eo compilavi, qualem habes in Propylæo antiquario ad tom. 2. Aprilis; futurum sperans, ut labor is subserviret prædicto Martyrologio etiam post mortis Auctorem corrigendo.*

68. *Verum contra accidit, quia id Reverendiss. Abbati S. Aphræ Onuphrio Stellæ occasionem dedit scribendi contra me tanquam pro aris & focis, majori cum fiducia causæ, & minori cum modestia, quam ejus nota aliàs prudentia & humanitas, ratione ipsa patiebatur. Me tamen parum aut nihil id commovebat, cum viderem, aliosque crederem æque visuros, etiam sic mihi concedi, quod unicè postulabam; & magna cum diligentia hinc quidem coacervari, quidquid ad censuram amoliendam, utramque dubiorum fontem fuadendam conducturum, a me autem invincibiliter ignoratum videbatur: inde vero Guerrini opusculum fabulosum dici pag. 61. in titulo sui capitis 5.; in contextu autem expressius notari, quod* „ Revera Chronica Guerrini Cerreti, velut in Scena Tragica plus continet mendaciorum, quam veritatis, introducitque personas, quæ neque actis, neque tempori, neque loco conveniunt; & sub larva fictitia narrat miracula nunquam audita, martyria non usitata, eorum uniones prorsus chimericas.

69. *Ante istud responsum Abbatiale nemo erat, qui non me excusaret: considerans præter illud Cerreti Chronicon nihil probationis a me fuisse Brixia impetratum. Quid enim poteram aliter, quam feci, de dubiis mihi nominibus, cognominibusque judicare, quæ videbam hodierni usus esse, quam gratis a Guerrino esse antiquis Sanctis attributa? Non aliud etiam potui inde concludere, quam quod, si revera eorum ista fuerint corpora, quorum legebantur nomina & cognomina, ipsa quoque longe sequioris ævi sint, adeoque dubitabilis eorum sanctitas, quicunque eamdem bona fide susceperint Episcopi & Pontifices, arbitrati rem a satis peritis Antiquariis examinatam fuisse.*

70. *Huic definitioni contrarius, in anni 1687. opere Abbas Stella innititur decreto anni 1529. die 9. Martii sic formato:* „ Cum notum sit superioribus diebus in Ecclesia olim SS. Faustini & Jovitæ ad sanguinem, in præsentiarum D. Aphræ in civitate nostra nuncupata, quod reperta fuerint multa corpora Sanctorum; conveniatque Reipublicæ nostræ curam aliquam adhibere circa præmissa; idcirco vadit pars, quod in concilio generali scrutinio eligantur tres cives, qui habeant interesse fossionibus seu excavationibus faciendis prædictis corporibus, & tam hactenus repertis, quam in futurum reperiendis, ac de omnibus aliis circa prædicta opportunis; & invigilare debeant omni industria & ingenio, quod quidam liber Chronicarum, medio cujus asseritur talia corpora inveniri, in lucem prodeat & habeatur. Et quod prædicti sic eligendi debitis mediis provideant, ne dicti Patres præfatæ ecclesiæ fodiant, seu fodere faciant sine licentia, præsentia, & consensu ipsorum DD. Deputatorum.

71. *Factum sane & consultum prudenter: sed an inventus denique liber est diversus a Chronico Guerrini? Hoc supponit Stella, quia hanc utpote fabulosam non fuissent ad probationem adhibituri Deputati: quippe quibus provisionalis actus deputationis ipsorum testimonium dat, quod fuerint sapientissimi cives, D. Joannes Chizzius, D. Laurentius Patusius Jurisconsulti, & Joannes Paulus Averoldus. Proinde vult Reverendiss. Abbas in iis servatam juris regulam, sumptam ex causa* 14. *quæst.* 2. *c.* 1. super prudentia: *quod* „ in possessione vel hujusmodi negotiis hi potissimum assumendi sunt, qui eadem negotia tractaverint; de quorum auditu & visu hæsitatio esse non debeat. *Insuper adducit p.* 23. *morositatem Episcopi Brixiensis Pauli Zani, qui eodem ipso anno rogatus a Franciscanis Observantibus licentiam alio transferendi quædam corpora sub altari destructo reperta, eamdem negarit ex consilio Mathiæ Ugonis Episcopi Famagustani.*

72. *Verum quam gratis præsumitur licentia illa negata propter defectum repertos in pratensis de veritate & sanctitate corporum sub isto altari quiescentium monumentis, cum aliæ diversissimæ causæ plures potuerint adfuisse, ob quas petita licentia negaretur; tam improbabile mihi videtur, tres illos cives, utcumque peritos juris civilis, fuisse etiam peritissimos Antiquarios, quales tunc erant tota Europa admodum pauci, & Brixiæ forsitan ne unus quidem.*

73. *Sicuti autem hoc ipso sæculo annis abhinc tantum 25. vir inter suos eruditissimus Faynus non prius agnovit insufficientiam Chronicæ Guerrini, quam de ea moneretur a me; sed ejus auctoritate usus sine scrupulo est in notis ad suum Martyrologium; sic multo facilius potuerunt illi, sesquisæculo seniores, quando summa regnabat ubique talium rerum imperitia, eamdem Chronicam suscepisse, ut rem undequaque certissimam. Nec scio, quomodo in virum prudentem cadere possit, quod velit supponere, aliisque persuadere, meliorem certioremque Chronicam ab iis inventam, cujus nulla uspiam extet memoria. Invento enim fuisset eo loci, ubi debuissent eamdem transcri-*

psisse tot illustres familiæ, quæ erant ex ipsa probatorum stirpis ac nominis sui antiquitatem a primis usque christianæ religionis sæculis deductam.

74. *Illustriss. Comes Valerius de Zanis, variis opusculis editis Bononiæ notus, & familiarissimus Comiti Carolo Cæsari Malvasiæ antiquariæ rei studiosissimo, uti probant illustrata ab eo nuper Marmora Felsinea, rogatus a me præscribere suum aliorumque in illa Academia Antiquariorum sensum de opere prælaudati Abbatis, respondit anno* 1692. 14. *Sept. in hæc verba:* ,, Convenit inter
,, nos, ipsum non aliud fundamentum habere, ne-
,, que approbationem aliunde, quam ab interessa-
,, tis in causa earum familiarum, quas delectat
,, fumus apocrypharum istarum antiqualium; &
,, hoc est judicium universale Eruditorum. *In eumdem sensum de judicio Florentinæ nobilitatis totius a multiplici eruditione una cum Magno suo Duce celebratæ scripsit mihi illustriss. Antonius Magliabechius ipsius Serenissimi Bibliothecarius, ad quem in talibus ex tota fere Europa consulendum accurritur, velut ad commune oraculum litteratorum.*

75. *Nec dispar fuit judicium Primi Aloysii de Tattis, Annalium Comensium Scriptoris sinceri, non tamen adeo perspicacis Critici, ut sciverit habere suspecta Pseudo-Luitprandi, Plinium Secundum Comensem facientia, & quidem pro Christo Martyrem; docte de pseudodextrinis ex Hispania commentis cavendis moneretur a me, quod etiam gratissimum habuit. Pridem tamen ille per se ipse cognoverat, & prima Decade suorum Annalium pag.* 527. *studiose refutaverat familiarum nobilium vanitatem, ab adulatoribus lucripetis ingestam, qua sibi patiuntur persuaderi, nomina sua gentilitia antiquissima esse. Verba ejus ex Italico placet Latina reddere, & Abbati Stellæ considerandа proponere, ne bene impensam a se operam credat in propugnanda talium nominum vetustate; in quo vano labore maxima pars scriptionis, alias non ineruditæ, consumitur.*

,, 76. Hic, *inquit* (*idest sub initium sæculi 6. quo Ecclesiæ Comensi præsidebat Eusebius*) in-
,, cipiunt Scriptores moderni aliqui (*quos in*
,, *margine nominat, alioqui satis bonos, sed in*
,, *isto nimis credulos*) incipiunt, *inquit*, desi-
,, gnare familiam, ex qua quisque Episcopus na-
,, tus sit; idque fecerunt per omnes Insubriæ
,, Episcopos, Mediolanenses, Novarienses, Ver-
,, cellenses, aliosque, (*poterat addidisse etiam*
,, *Brixienses, si Fayni Martyrologium vidisset.*)
,, Verum qua ratione id cum veritate haudqua-
,, quam consistat, facile concipiet, quisquis ci-
,, tra passionem & cum prudentia consideraverit
,, hujusmodi vanitatem. Nun scribuntur histo-
,, riæ, sicut fabulæ. Hæ in chimericis fundan-
,, tur conceptibus: illæ postulant solidas ratio-
,, nes: quæ cum nostris temporibus Chronogra-
,, phis hic desunt, compositiones eorum æsti-
,, mantur a Sapientibus velut poeticæ, & inte-
,, stabiles fiunt, etiam ubi continent veritatem;
,, quæ tot phaleris onerata magis quam orna-
,, ta, multum amittit gratiæ naturalis.
,, 77. Concedimus libenter, quod ante, &
,, post nativitatem Servatoris, apud Romanos
,, aliosque Italiæ populos sua quæque nobiliores
,, familiæ cognomina usurparint; nec eget pro-
,, batione istiusmodi usus ex historicis antiquis,
,, sed maxime Romanis certissimus. Verum illa
,, non perennarunt usque modo. Nam post in-
,, vasionem barbarorum, cum hi in Italia pe-
,, dem fixissent, ea omnia sic evanuerunt, ut
,, eorum nec minima quidem memoria reperia-
,, tur in libris publicisve instrumentis vel in-
,, scriptionibus; & ævi medii antiquitate aliud
,, non videas, quam purum ac simplex nomen
,, personæ, de qua agitur. Cum hoc igitur cer-
,, tum sit, & plusquam certum cuicumque ha-
,, benti aliquam notitiam sæculorum ante an-
,, num millesimum præteritorum; quanto altius
,, ascendimus ad nonum, octavum, & priora
,, sæcula, tanto minus videmus, quomodo boni
,, isti Scriptores tam secura possint affirmare de
,, Episcopis nostris, quod de suis numquam
,, præsumpsit Roma; licet horum acta a pluri-
,, bus descripta habeantur antiquitus, nostro-
,, rum non item.

78. *Sic ille nihil reformidans paratam sibi a nobilitate invidiam, cui nihil intendit præjudicare quoad suas bene ac solide fundatas probatasque traditiones: quod nec ego intendo, nec eruditissimus Joannes Mabilio in opere de re diplomatica, hanc de cognominibus quæstionem tractans lib.* 2. *cap.* 7. *plane ex mea sententia, sed multo magis quam ego plenius distinctiusque, pro singulari sua, cui libenter cessero, antiquariæ rei peritia. Ad martyres autem antiquos quod spectat, hoc insuper observo, neque in eorum passionibus sive sinceris, sive apocryphis, neque in Martyrologiis, neque in monumentis eorum aliis, communiter apparere cognomina; quamquam tempore martyriorum plerisque sua, eaque Romana fuisse dubitare non possumus. Causa hæc esse videtur, quia in medio persecutionum æstu nemini cura erat talia notare; ipsique Christiani fortasse contemnebant istas gentilitiæ nobilitatis appellationes, solo nomine baptismali contenti, satisque gloriosi titulo Christianitatis. Et credemus nos solis Brixiensibus eam curam fuisse? neque merito dubitabimus de sic repertis reliquiis?*

79. Hinc etiam Johannes Baptista Sollerius Tom. 2. Julii p. 286. de SS. Martyribus Brixiensibus Niculao & Hieronymo agens ait n 6. *Ad hæc si paullo accuratius attenderent Brixienses, vanis satyris, & inanibus declamationibus aut lamentis mortuos vel superstites Sanctorum Historiographos incessere desinerent, ac id potius operam & studium conferentes, ut sedatis prius intestinis controversiis solido aliquo & erudito opere Sanctorum suorum acta saltem probabilia, incertas traditiones, dubias depositiones, cultus initia, & chronologicam seriem expenderent, & ad justæ criseos normam revocarent; historica methodo a familiarum hodiernarum affectata fuligine extergerent; ab evidentibus fabulis expurgarent, non per mera patria præjudicia, aut insolitas vulgi opiniones, quæ indoctæ plebi relinquenda sunt, sed per fidei humanæ vera receptaque ab Eruditis principia & momenta. Hac ratione semel inita spondere audeo, nunquam futurum, ut de Hagiographis merito conquerantur; quibus id sacrosanctum est sinceram veritatem omni conatu inquirere, dubia ne certa non admittere, fabellas ab historia Ecclesiastica excludere, libenter doceri & discere; sed falsa, quamdiu falsa apparent, non timide refellere, nihil attendendo ad decantatas sæpe nænias, rerum possibilitatem potius quam existentiam certatim oggerentes. Historice discant agere, qui historias meditantur.* Cæterum quam ab Onuphrii Stellæ ac Fayni credulitate absint recen-

cen-

centiores Brixiani, constat ex adnotationibus Cl. Gagliardi ad Episcopos Brixienses in nova Italiæ sacræ Ughellianæ editione vulgatis. Idem vir doctissimus, ut me monuit Eminentiss. Angelus Maria Quirinus, Brixianum Martyrologium expurgare moliebatur; sed morte interceptum fuit præclarissimum opus.

§. III.

Majus & Junius Bollandianus controversiarum fœcundus. Ilbachii Odoacris declamationes in Bollandianos insulsæ ineptæque. Papebrochium Saxius impugnat. Dini in Papebrochium dissertationes. Montfauconius & Bavillartius Benedictini Congreg. S. Mauri adversus Sollerium scribunt.

80. PRoximus ab Aprili Majus cæteris mole ac voluminum numero major, (in septem scilicet tomos dispertitus est) sed adversariorum scriptis & controversiis, in quas multæ Bollandianorum opiniones vocatæ sunt, longe celeberrimus. Ad hunc mensem, & ad primum ejus tomum ea refero, quæ in *Actis Martyrum vindicatis* acriore stylo expendere adgressus est Ilbachius Odoacer Romæ anno 1723. duobus tomis, quibus anno 1724. veluti appendicem quamdam peculiares Actorum S. Catharinæ vindicationes simili ferme volumine comprehensas adjecit. Quum enim præcipuus Odoacris conatus in eo situs sit, ut S. Catharinæ Acta vindicet, ex iis, quæ de his Actis ad Ephemerides Græco-Moscas Papebrochius primum scripsit, deinde vero in Responsione ad *Exhibitionem Errorum* fusiore calamo prosequutus est, occasionem suarum vindicationum videtur arripuisse Odoacer. Sed quid de Odoacre, ejusque libris sensere Bollandiani? Audiamus illos post Synopsim Tomi v. Julii præfixam hæc monentes. *Erunt fortasse, qui a nobis apologiam expectent adversus ea, quæ non ita pridem vulgavit Odoacer quidam Ilbachius in Actis Sanctorum discernendis aut vindicandis ut minimum summe peregrinus. Odiosas is controversias ab annis fere triginta extinctissimas, lævo prorsus sidere renovavit: ipsum nos, dum longe utilioribus occupamur, ad tunc abunde dicta probataque remittimus. Quæ si sufficere non existimet, adeat, obsecro, librum apologeticum ab Eminentiss. Card. Baronio, sub Antonii Gallonii nomine anno 1604. Romæ editum, & Clementi Papæ VIII. inscriptum, ad Constantinum Cajetanum ex Breviario S. Gregorii Monachatum Benedictinum adstruentem: ubi quid de Breviario, & consequenter de S. Catharinæ contractis in eo actis censendum, nisi volens cæcutiat, apertissime perspiciet.* Hæc Bollandiani.

81. Et hi quidem, quod Ilbachium Odoacrem in *Actis Sanctorum discernendis aut vindicandis ut minimum summe peregrinum* appellent, illos, qui quæ de Actis B. Petri Damiani ab Ilbachio conscriptis vir longe doctissimus Abbas Guido Grandus adnotavit, quæque P. Capassius Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis edidit adversus Acta SS. Crescii & Sociorum ab eodem Ilbachio defensa, & *Nugas Laderchianas* alicubi impressas legerint, suffragatores habituri sunt. Quod vero ad librum Baronii apologeticum Ilbachium amandent, sapientissime factum; Baronii enim auctoritatem aspernari non potest, qui Baronii Annales ad nostra tempora perducendos suscepit. Ilbachius nimirum Odoacer Jacobus est de Laderchio Faventinus Congregationis Oratorii Presbyter, a quo tres Annalium Ecclesiasticorum tomos habemus ab anno 1565. in quem Raynaldi Annales desinunt, ad annum 1571. Laderchium tamen Bollandianorum monitio illa commovit adeo, ut Baronii modestissimi Cardinalis, ac Jesuitarum amantissimi Annales prosequi sese oblitus, Tom. xxiv. Ann. ad annum 1504. ex vita S. Ignatii ab Johanne Pinio Tom. vii. Julii erudite scripta occasionem expiscatus est bilem suam virusque in Bollandianos evomendi. Adtulerat Pinius P. Gabrielis Venusti testimonium a Famiano Strada historico celeberrimo scriptis consignatum adfirmansis, B. Philippum Nerium dixisse sibi: *Magister Ignatius me docuit facere orationem mentalem*. Adjecerat etiam Nicolai Lancisii viri doctrina, morumque sanctitate illustris verba, ex quibus discimus eumdem S. Philippum petiisse a S. Ignatio, ut in Societatem cooptaretur. Hic enimvero in furias agitur Laderchius, quasi vero de B. Philippi sanctitate, de Vallicellanæ præclarissimæ Congregationis gloria conclamatum sit, ubi isthæc vera credantur. Alterius instituti esset, Laderchii argumenta (quod facili negotio possem) infringere. Sed fac, errasse Pinium, Venustum, Lancisium. Num quos Magdeburgensium erroribus refellendis destinavit Baronius, Annales fas erat violare, & acri in Catholicos viros, deque historia Ecclesiastica optime meritos, declamatione turpare? Næ ille, qui nunc Baronii Annales prosequitur, Blanchinius, Magni Francisci Blanchinii nepos, qua est eruditionis, ingenii, pietatis præstantia, aliam in pertexendis ejusmodi annalibus rationem est initurus. Hæc hactenus.

82. Jamvero nos Camerinensium ad se vocant querelæ de Commentario Papebrochii prævio ad S. Venantii Martyris Acta T. 4. Maii p. 136. Ea inter apocrypha recensuerat Papebrochius criticis ductus argumentis, quæ viros quosque doctos movere possint: Socios vero Martyres incertos esse adfirmaverat. Franciscus Dinus Lucinianensis Camerinensium rogatu desperatam caussam tuendam suscepit. Edidit igitur observationes historico-Criticas in Acta S. Venantii ac 1575. Martyrum Camerinensium: item Vindicationes Actorum S. Venantii, ac Sanctorum Meletii ac sociorum Marcianæ, Susannæ &c. adversus P. Danielem Papebrochium Soc. Jesu duobus libris excusas Venetiis an. 1700. Sed & aliam emisit in lucem Dinus dissertationem historico-Criticam de *Antiquitatibus Umbrorum, Thuscorum, Camertumque origine adversus Sigonium, Cluverium, Papebrochium* &c. At Bollandianis (quod sciam) Dinus ille quæ maxime optabat, haud persuasit. Ajentes equidem audivi Camerinenses quosdam, Papebrochium palinodiam cecinisse; at mihi nullum hujusce rei monumentum ad manus est. Fortassis nimia illa, qua Dinum ejusque lucubrationes prosequuntur Camerinenses, æstimatio palinodiæ Papebrochianæ fabulam procreavit. Nonnulla quidem anno 1688. in Appendice ad Majum Tom. 7. ejusdem mensis pag. 804. addidit suo illi de S. Venantio ac sociis Commentario Papebrochius, sed nihil correxit, mutavit nihil; deinceps vero

nullus

nullus apud Bollandianos locus occurrit, ubi mentem suam retractarint. Unum illud invenio, Bollandianos Francisci Dini in criticis rebus auctoritatem non magni facere. Vide, quæ adversus Dini dissertationes pro Actis SS. Floræ & Lucillæ, & pro translatione corporis Sancti Bartholomæi Apostoli Romæ in insula Lycaonia scribunt Cuperus Tom. VII. Julii a pag. 13. & Johannes Stiltingus Tom. V. Augusti a pag. 77.

83. Longe alium exitum habuit controversia, quam Commentarius de SS. Gervasio & Protasio Tom. 3. Junii excitavit. Quum enim Papebrochius ibi §. 9. pag. 837. pro Brisacensibus stetisset contra Mediolanenses in ea, quæ inter ipsos viget, de corporibus prædictorum Sanctorum disputatione, V. Cl. Josephus Antonius Saxius SS. Ambrosii & Caroli Oblatus S. Th. & collegii Ambrosiani Doctor dissertationem apologeticam vulgavit pro vindicanda Mediolanensibus SS. corporum Gervasii & Protasii antiqua possessione. Tum vero Papebrochius ad Mediolanenses transiit. Vide quæ habet Tom. 6. Junii a pag. 209. Præstabit hic Saxium ipsum audire in *appendice ad dissertationem* suam edita anno 1719. additamento I.

Tertius jam annus effluxerat, ex quo dissertationem meam ad vindicandam Mediolano Sanctorum corporum Protasii, & Gervasii possessionem publicis typis vulgaveram, utque candidius animum meum ab omni partium injuria alienum, ac solo veritatis & Patriæ amore permotum ostenderem, ad ipsum P. Danielem Papebrochium, cum quo mihi præcipue res erat, ejusdem exemplum Antuerpiam transmittendum curaveram, paratus tota etiam arena excedere (quemadmodum in ipso operis decursu professus fueram) si nova, quæ vim facerent, & ad firmandam Brisacensium caussam graviora argumenta depromerentur. Cum ecce a doctissimo, atque amicissimo Braydensis Collegii Bibliothecario Joh. Baptista Mosca mihi litteræ redduntur Conradi Janningi Soc. Jesu manu exaratæ, sed nomine P. Papebrochii ad me conscriptæ, in quibus Vir ille doctrina & scriptis sane clarissimus, raro in literariis contentionibus modestiæ exemplo, indicabat, non solum ipsi molestum haudquaquam esse, quod ego ætate, & ingenio tam longe ab ipso agens, ejus sententiam in hac antiqua, implexaque adversis Scriptorum testimoniis caussa, impigre prolatam, totis viribus oppugnassem; verum etiam gratulari se mihi, & Patriæ, tanquam de integra relata victoria, pollicitus se publicæ luci daturum, quam evolutis vix apologeticis meis paginis aggressus jam fuerat retractationem. Testes tantæ ingenuitatis literas præstat proferre, neque enim supprimendum est ingrato silentio præclarum adeo monumentum, quo & Urbis nostræ antiquissima de hujusmodi Sanctorum corporum possessione fides non modice roboratur, favorabilem calculum suum addente tam erudito prius adversario: & Papebrochii nomini, quamvis jam satis illustri, plurimum gloriæ adsciscitur, ob revocatam sincero, ac facili calamo sententiam olim typis commissam, majore veritatis, quam editi jam Operis cura: quo, sicut nihil præstantius, ita nihil desiderabilius in viris doctrina conspicuis, quorum non semel, hac quoque nostra ætate contumax nimis vidimus in literariis dissidiis ingenium, ac eorum, quæ in lucem semel ediderint, adeo perdite amans, ut si forte contradicentes offendant, in eos veluti in hostes acutiore calamo insurgant, litesque inverecundas jurgiis potius, quam rationibus vicissim prolatis perpetuo urgeant, lugentibus interim Bonis omnibus prodigi tam inaniter sudores, quos gloriosius quieta studia absorberent, nec aliud comparari infelicibus hisce contentionibus, præter ludibria, & risus exterorum; cum æque ambigendum remaneat, num in hoc pervicaci Scriptorum certamine magis indecorum sit vincere, an vinci. Datæ sunt hæ literæ Antuerpiæ VI. Kal. Decembris anno MDCCXI. in hæc verba: „Pridem mihi Mediolano submisit „R. P. Joh. Baptista Mosca noster Dissertationem apologeticam tuam Adm. Rev., ac „Illustris Domine, qua Mediolano vindicantur corpora Sanctorum Gervasii, & Protasii, tuo, ut puto, dono; verum codex „ille, nescio quomodo, intercidit. Quod ubi „post longam expectationem meam ille tandem „intellexit, aliud ejusdem exemplum gratiose „suppoluit, quod nuper huc allatum est. Legi „obiter librum: placuit claritate, eruditione, ac modestia tua. Mox ipsum obtuli lustrandum optimo seni nostro Papebrochio, „qui inde oblectatus æque, ac ego, fuit, simulque professus, se indidem discere, quæ ocscierat, usui futura tum ad augendum, & „magis illustrandum commentarium suum de „prædictis Sanctis, tum ad mutandum, quæ „scripserat de sacris illorum corporibus, eorumque possessione Mediolani perpetua, gravioribus argumentis in hoc libro tuo productis „penitus nunc persuasus. Immo capita aliquot „correctionis suæ jam collegit octuaginta quatuor annorum senex, mihique tradidit supplemento Junii, quod præ manibus est, inserenda &c. Gratulor Auctori dissertationem „apologeticam ad vindicandam Mediolano Sanctorum corporum Gervasii, & Protasii antiquissimam possessionem; meque tibi, cæterisque omnibus, qui meliora, quam quæ nobis suppeditata fuerunt, aut in mentem venerunt, bona ratione nixa produxerint, amicum profiteor. Vale.

Supplementum hoc, de quo in recitatis literis mentio est, serius quidem, quam publicæ expectationi par videbatur, prodiit in lucem; id tamen non calami tardioris ad exsolvendam promissi fidem culpa, sed vitio temporum factum scimus. Cum enim Belgium omne implerent bellica vexilla Anglorum, ac Batavorum, quos Cæsar in societas copiarum suarum contra Gallicos exercitus acciverat, in partem communium ærumnarum, quibus afflictæ sunt urbes illæ, venere quoque literæ suis non raro sedibus expulsæ, aut saltem coactæ in tanta Militum frequentia, ferrique omnia obtinentis strepitu solitudinem, silentiumque tueri. At postquam anno MDCCXIV. Populis tranquillitas data est, Augustissimo, ac gloriosissimo Imperatore nostro Carolo, & Ludovico Magno Galliarum Rege in idem pacis consilium consentientibus, reflorere etiam scientiæ, luctuque omni, ac metu militarium injuriarum abjecto, pristinum cultus decorem resumere visæ sunt, Lyceis undique, Academiisque docta ingeniorum exercitatione ferventibus. Nec segnes fuere Antuerpienses Patres arripiendæ opportunitati mitioris temporis; statim enim ac data libertas literis est, restitutumque præclaris sudoribus suis clementissi-

mi Cæsaris patrocinium, eodem anno paratum jamdiu opus commisere celeri prælo, quod subinde anno insequenti Caroli VI. Mæcenatis sui nomini inscriptum, ac publicæ luci donatum, desideria universæ literariæ Reipublicæ implevit. Inter cætera, quæ ibidem aut ulterius illustrata, aut revocata ad limam modesteque abrasa exhibentur, commentarium quoque de Sanctis Gervasio, & Protasio in appendice ad diem XIX. Junii partim auctum, partim mutatum legitur, quod utpote impressum in vasto Bollandiano Opere, non ita facile privatis impensis parabili, necessarium duxi, ad æternum Urbis nostræ decus, cultumque hujusmodi Martyrum vividius promovendum in hisce paginis strictim collectum vulgare. Tum Saxius synopsim subjicit Papebrochiani commentorii.

84. Cl. P. Montfauconius Benedictinæ S. Mauri Congregationis singulare ornamentum in vita S. Athanasii, quam novæ S. Doctoris editioni a se paratæ editæque an. 1698. præfixit, celebrem illam de baptismo ob Athanasio puero ludibundis pueris collato historiam fabulosam ostendere conatus est; tum S. Athanasii obitum in an. 373. pluribus momentis refert. Jam vero ecce novæ controversiæ cum Bollandianis occasio. Johannes Baptista Sollerius in egregio & laborioso opere de Patriarchis Alexandrinis, quod habes Tom. v. Junii a n. 233. Montfauconii sententiam de Athanasiani obitus anno modestissime refellere adgressus est: de baptismo nihil admodum sollicitus, quem n. 200. ut veram historiam potius sumit, quam probet. Utramque tamen sententiam suam novis argumentis stabilire conatus est clariss. Montfauconius edita hac super re Latina dissertatione anno 1700. Hanc ego non vidi; sed illam memoratam invenio apud Cerfium in Maurinorum Bibliotheca pag. mihi 384. & apud Diarii Florentini Scriptores Tom. I. part. I. p. 158. in viri doctissimi elogio.

85. Graviorem, quæ occasione Usuardini Martyrologii ab eodem Sollerio Tom. VI. & VII. Junii illustrati inter ipsum Sollerium & Bovillarium Benedictinum exarsit, contentionem enarrandam aggredior verbis Johannis Stiltingi in elogio Sollerii Tom. v. Augusti pag. 4. & seqq. Erant in Museo nostro editiones prædicti Martyrologii variæ, plures ad manum erant codices MSS. integri, plurimi aliqua sui parte mutilati. Verum, sicut in Martyrologiis passim usu venire solet, ut non pauca ad primum auctoris textum adjungantur a posteris, inter tot exemplaria nullum erat, quod nudum Usuardi textum exhiberet, nullum ab interpolationibus & additamentis purum. Quanta autem hinc oriretur Operis nostri difficultas facile intelligi potest, si consideremus Codices illos omnes, quorum vel sola cognitio ob diversitatem difficilis est, ad dies singulos excutiendos fuisse & consulendos. Difficultatem hanc ostendit Sollerius in præfatione sua pag. 2. hæc de se candide adjungens: „ Fateri non erubesco, per annos „ mihi laborandum fuisse, priusquam vel solorum „ codicum proprios characteres satis dignoscerem: videlicet utrum codices essent Hieronymiani, an Bedæ, Adonis, Usuardi, aliorumve: deinde utrum ex purioribus essent, aut ex magis interpolatis. Prima igitur ratio editionis Usuardi erat, ut suo posterorumque suorum commodo consuleret, quo nomine tantum nos Sollerio debere agnoscimus, ut optime de Museo Sanctorum meritum censeremus, etiamsi vel id solum toto, quo hic fuit, tempore præstitisset. Altera erat ratio, ne lectores de auctoritate Martyrologiorum, quæ sæpe in Actis citantur, hærerent ambigui, ut latius exponit pag. III.

86. At vero editio ipsa, prout illam meditabatur, tam ingentis erat laboris, ut plane animo tanto opus fuerit, quanto erat Sollerius, ad opus illud audendum, tantaque constantia, quanta illius erat, ad perficiendum. Etenim ut „ Martyrologium Usuardi Monachi, quemadmodum habet titulus, ederetur „ ad excusa exemplaria quatuor- „ decim, ad codices MSS. integros decem & se- „ ptem, atque ad alios ferme quinquaginta colla- „ tum, ab additamentis expurgatum, castigatum, „ & quotidianis observationibus illustratum, magno primum labore codices Usuardini separandi erant ab omnibus aliis, quorum ingens erat copia, nec suas in classes hactenus digesta. Deinde ex codicibus Usuardinis inter se collatis, quorum ad singulos dies magna, propter additamenta, erat discrepantia, quærendus erat purus auctoris textus, isque observationibus illustrandus. Ac demum de singulis editionibus ac codicibus notandum, quid in iis Usuardi textui esset additum detractumve, quid mutatum aliove ordine collocatum: atque hic labor ad singulos anni dies recurrebat. Præstitit hæc omnia accurate vir laboriosus non minus quam eruditus. Neque hoc modo; verum insuper in observationibus suis assignavit, unde sua hausisset Usuardus; an ex Hieronymianis, Beda, Adone, an aliunde: rursum, an Sancti ab Usuardo annuntiati a sequentibus quoque Martyrologis, nimirum Rabano, Notkero, ac Wandelberto, eodem, aliove modo fuerint memorati.

87. Præterea prolixam æque ac utilem præfationem toti Operi præmisit Sollerius, in qua fuse disputat de singulis antiquis Martyrologis, eorumque inter se ordinem & connexionem assignat. Multæ ibidem refellendæ fuerunt opiniones virorum eruditorum, quas solide & feliciter refutavit, ut agnoverunt passim eruditi. Itaque Sollerio gratulati sunt non pauci felicem hujus laboris sui successum, animosque illi addidere, ut continuato labore Hieronymiana quoque Martyrologia ex MSS. codicibus recenseret, ederetque. Insinuavit hæc ipse Sollerius in præfatione ad Martyrologia Hieronymiana contracta, quæ in Supplemento Junii impressa sunt.

88. Verumtamen non defuit unus aliquis, qui hanc editionem iniquo ferret animo, quique eam susciperet impugnandam. Ratio hæc erat. Servatur Parisiis apud RR. PP. Benedictinos in abbatia S. Germani de Pratis codex antiquus Usuardi; quem autographum credunt, cujusque lituras permultas ab ipso Usuardo factas, ejusque correctiones esse contendunt. Dubitavit Sollerius, an hæc ita se haberent, ob rationes, quas allegat cum in præfatione a pag. LI. tum subinde in observationibus, quamvis alioquin fateatur, codicem illum omnium, quos habebat, esse antiquissimum. Præterea existimavit, codicem suum præcipuum, seu Herinienfem, memorata Pratensi puriorem esse, seu propius accedere ad ipsum Usuardi textum. Judicium hoc suum, multis rationibus fultum, ad veritatem certius indagandam proposuit, non recusans corrigi, si eruditus aliquis abbatiæ sancti Germani ostendere posset, codicem illum Pratensem non modo autographum esse, sed correctiones quoque illas, de quibus præ-

cipua

cipua erat dubitatio, uni Usuardo adscribendas.

89. *Sic enim disputationem suam de illo codice concludit pag. LIV.* „ Si fallor, errorem mihi & cæteris eximat ex ea celeberrima congregatione doctus aliquis, harumque rerum peritus; dubia mea, imo errata, in quæ codice ipso privatus incidi, explanet, & diluat; primus ego promptissime retractabo, quidquid forte de autographo illo iniquius sensisse dici possum. Satis equidem de republica litteraria meritus videbor, si id ab ipsis importunius extorsero, quod nemo hactenus precibus & exhortationibus impetrare valuit: puta, si id dubitationibus meis efficiam, ut Usuardum ipsi suum, nativa simplicitate, iisque, quibus voluerint, annotationibus vindicatum, publici juris aliquando faciant, imo si eodem impetu Usuardum nostrum succutere conentur, sic cecidisse, triumphus erit. Eumdem omnes scopum præfixum habemus, ut dissipatis tenebris errores depellantur, eruatur veritas, antiquitas Ecclesiastica vel æmulis studiis illustretur, ad majorem Dei Sanctorumque gloriam.

90. *Impleta fuerunt Sollerii vota: editum est anno MDCCXVIII. ex codice Pratensi Martyrologium Usuardi per Jacobum Bovillart, ut docet Philippus le Cerf in Bibliotheca Scriptorum Congregationis S. Mauri pag. 44. nam editor ipse nomen suum prodere noluit. Audiamus, quid Bovillartus in Sollerii editione probet, quid improbet. Epistolam ad Sollerium, martyrologio præfixam, sic orditur:* „ Tandem persolvisti munus, quod septuaginta abhinc annis Bollandus dux vester pollicitus fuerat. Opus sane magnum, & magni laboris. Erudita præfatio, tam utilis, quam prolixa. Neque enim dubium est, quin doctis vehementer placeant, quæ disseruisti de Bedæ Martyrologio Flori diligentia aucto, tecumque tuis rationibus victi judicent, Henschenium & Papebrochium deceptus Bedæ adjudicasse, quod Bedæ, & Flori erat; Floro tribuisse, quod incerto interpolatori adscribendum fuit. De Martyrologio Romano Rosweidi curis edito multum etiam tibi debet litteraria respublica: in quo vindicando tuus eo gloriosior est triumphus, quo plures tibi erant & formidolosiores adversarii, Henricus Valesius, Saussajus, Fronto, Florentinius. Nec laudare non possum tuam de secundo Flori libro conjecturam, eum esse purum putum Adonis Martyrologium, si conjecturam vocare licet sententiam tot tamque solidis argumentis fultam. Quod contra omnium Eruditorum opinionem affirmas, Adonem ante Usuardum scripsisse, fuisseque modo non ab Usuardo exscriptum; id ita mihi videtur evidens, ut mirari satis non possim, quo modo a Criticis negari potuerit. Neque etiam inutiles futuræ sunt observationes . . . . . Denique auctaria aut Sanctorum ignotorum nomina suppeditant, aut notorum docent quo memoria perinuerit; qui sane fructus haudquaquam est levis. Hæc omnia pulchre, bene, recte. Si tam præclaris principiis cætera respondérent, o librum eximium! o Martyrologium nullis non laudibus extollendum!

91. *Sic ille de omnibus, quæ pacato animo legere potuit in Usuardo Sollerii, non suam magis quam communem eruditorum de illis opinionem elocutus. Neque aliter, opinor, scripsisset Bovillartus de judicio, quod Sollerius tulit de Codice Pratensi, nisi istud præconceptæ ipsius opinioni fuisset contrarium. Ego certe deprehendere non potui, Sollerium minori rationum pondere confirmasse dubitationem, sententiamque de illo codice prolatam, quam reliqua a Bovillarto tantopere mox laudata: deprehendere id, inquam, non potui, etiam post epistolam Bovillarti, observationesque, quibus impugnat Sollerium, diligenter perlectas, seduloque cum rationibus Sollerii collatas. Itaque iratum fuisse putem: iram enim ubique prodit, iratumque se ipse fatetur pag. 190. usus hac phrasi philosophica:* „ Ulciscerer, nisi iratus essem; *iratum, inquam, fuisse putem, iratoque animo verum non satis cernere potuisse, cum scripsit sequentia:* „ Verum in judicio, quod de codicibus tulisti, pace tua dixerim . . . . . nihil video, quod tuam κριτικὴν δύναμιν referat; nihil, quod tibi honori esse possit. Hinc pendebat tamen editionis & pretium & utilitas . . . . Tu codicem omnium antiquissimum, integerrimum reddendis Usuardi sententiis verbisque accommodatissimum, atque, ut verbo dicam, quod codicem commendat maxime, ipsummet Usuardi autographum, neglexisti nulla causa; prætulisti codices, quorum nullus omnino purus, alii sunt aliis inquinatiores, quique neque ad judicium de Pratensi ferendum, nec ad edendum Usuardum utiles tibi esse poterant. Atque hæc culpa est omnium, quas editor possit committere, gravissima, in quam te incidisse demonstrare aggredior. *Deinde disputationem subjungit magna quidem verborum vehementia, sed iis fere rationibus instructam, quas jam ante Sollerius in præfatione sua cap. 3. art. 4. §. 1. consideraverat attente ac refutaverat.*

92. *Misit Scriptor ille Anonymus Opusculum suum ad Sollerium cum epistola alia anonyma, quam præ manibus habeo una cum responsoriis Sollerii, datis xx. Decembris anni MDCCXVIII. Excusaverat ille se, ob styli acrimoniam, opinor, adjungens se paratum esse ad satisfaciendum, si qua in re ipsum offendisset. Respondit ad hoc Sollerius, sibi satis futurum, modo editor ipse, aliique, qui librum ejus legerent, conferre voluerint locos, quos ille per avulsas lacinias refutare conatus est, textu collato cum textu;* „ Quod, *inquit,* „ labore te sequendi me liberabis, ac pro responsione erit, quam exspectare non debes. *Deinde, paucis interjectis, unicuique persuasum esse ait, se rectius judicium ferre non potuisse de codice Pratensi, idque fecisse majori moderatione, quam anonymus impugnasset editionem suam,* „ quæ tamen, *inquit,* tuta est ab omnibus censuris tuis, quæque stare poterit sine ulla apologia. *Ita vir prudens, ac melioribus occupatus negotiis, petulantes jocos anonymi illius contemnere maluit quam castigare, cum satis sciret, viris eruditis non tam facile persuasum iri, correctiones Pratensis Codicis tam certo Usuardi esse, ut præferri debuerint iis, quæ certo illius erant.*

93. *Nam, fatente adversario, Sollerius, ubi recedit a codice Pratensi, Usuardi expressit Martyrologium, sicut id ille Carolo Calvo obtulit. Audi Anonymum seu Bovillartum pag. 36.* „ Neque

„ que tamen diffiteor Carolini autographi (sic „ mihi loqui liceat brevitatis causa, ut Martyrologium Carolo regi oblatum significem) Sollerianam fuisse lectionem. *Idque passim agnoscas in ipso adversario. Addit ille:* Correcta illa le*ctio* ab Usuardo in Pratensi fuit. *Id incertum erat Sollerio; & mihi non modo incertum est etiam hodie, sed vix credibile videtur, auctorem* quinquaginta circiter locis, (*fatente adversario pag. xx.*) *correcturum fuisse exiguum libellum, postquam illum summa cura perpoliverat, ac principi limatum obtulerat. Quapropter nequeo assentiri laudato le Cerf pag. 45. sic Gallice scribenti:* „ Martyrologium istud dicatum fuit, „ & oblatum Carolo Calvo. Plausibile est, „ Usuardum ei non obtulisse originale, quod „ limavit postea, & in quo mutavit illa, quæ „ mutata in eo observantur. Interim omnia „ exemplaria desumpta fuerunt ex manuscripto „ Caroli Calvi: hinc mirari non debemus diversa esse a manuscripto, quod servatur in abbatia sancti Germani. *Assentiri his, inquam, non possum: neque enim solent Scriptores opuscula sua primum in lucem dare, ac deinde limare. Corrigunt illi quidem subinde aliqua, in quibus se errasse deprehendunt; sed correctiones illæ minus sunt frequentes, quam mutationes, quæ occurrunt in Pratensi codice factæ post Martyrologium Carolo oblatum. Si quis dicat, Usuardum voluisse totum Opus suum ad limam revocare, quod monitus esset de erroribus quibusdam; id mihi certum non erit, ac ne satis quidem verisimile: non enim voluisset Usuardus correctiones illas esse in uno suo codice; sed, cum toti scriberet ecclesiæ, curasset, ut correctiones tanta cura factæ aliis etiam innotescerent; curasset, inquam, ut exemplaria deinde describenda ex codice suo correcto desumerentur, non ex primo illo Carolino, cum id facile efficere posset in Ordine saltem suo. Quocumque igitur cogitationem inflecto, semper verisimilius mihi apparet, Martyrologium post mortem Usuardi ab altero ad limam revocatum, aut paulatim correctum, jubentibus vel certe permittentibus domus Superioribus. Neque hanc conjecturam destruit, quod idem ubique appareat character: nam si revera omnia ab eodem sint exarata, potuit ille, qui, dictante Usuardo, Martyrologium scripserat, altero deinde dictante, illud corrigere. Prudenter itaque Sollerius contenta in Martyrologio, quod editum constat ab Usuardo, dum illud Carolo dedicavit, prætulit incertis illis correctionibus in codice Pratensi privatim factis, de quibus merito dubitatur Usuardinæ sint, an alterius: præsertim cum nec illas correctiones omiserit, sed inter additamenta primo loco collocaverit. Verum hæc sufficiant de illo Martyrologio, cum mihi non lubeat vindicias scribere, quas Sollerius ipse sibi nequaquam putavit necessarias. Plusculα tamen de his videri possunt in Memoriis Trevoltianis in Majo anni MDCCXIX.: & loca Sollerii oppugnata conferri cum objectionibus adversarii.* Hactenus Stiltingus, quem etiam consulas, velim, Tom. 6. Augusti pag. 569. num. 1.

§. IV.

Ob Julium & Augustum Bollandianorum controversiæ. Cuperi commentarium de Prædicatione S. Jacobi in Hispaniis impugnat R. P. Michael a S. Maria: Cuperus vindicat. Turbæ ob commentarium ejusdem Cuperi de S. Dominico.

94. AD postremos Bollandiani operis hactenus editi menses properamus, Julium, & Augustum. Historiam controversiarum, quæ ex illis duobus mensibus prodierunt, subministrat P. Johannes Limpenus in elogio R. P. Guilielmi Cuperi cap. 2. Tom. 6. Augusti. *Singularem eruditionis laudem imprimis promeruit Cuperus commentario historico, qui extat tomo* VI. *Julii de S. Jacobo majore Apostolo. Duas eum in partes divisit, quarum prima multa eruderat, explanat, & discurrit de Sancti cultu, actis, martyrio, corpore, reliquiis, gloria posthuma, patrocinio & stupendis miraculis. Palæstra ac tempus martyrii, corporis translatio Compostellam, quod & alia loca nunc sibi vindicant, ejus caput variis ecclesiis attributum, litibus gravioribus ansam præbuerunt, quas ipse magno judicio componit, vel pro alterutra parte dirimit. Secunda pars in octodecim secta paragraphos, tota est de S. Apostoli prædicatione in Hispania, quæ ex SS. Patrum, aliorumque veterum testimoniis, ex antiquis Officiis & Martyrologiis, insigniter stabilitur: argumenta vero multa & difficilia, a diffidentibus ob ea abunde solvuntur. Huic dissertationi subjicitur Appendix de Cæsar-augustana Deiparæ imagine, quæ ab eodem Apostolo erecta traditur.*

95. *Elapsis aliquot mensibus ab edito tomo* VI. *Julii Cupero in manus venerunt duæ dissertationes R. P. Michaelis a sancta Maria, sacræ theologiæ Magistri, ex Ordine FF. Eremitarum S. Augustini, contra Hispanicam S. Jacobi prædicationem, quarum postrema, cui titulus* Vox Veritatis, *adversæ parti acriter respondet, suamque in priore assertam opinionem novis argumentis confirmare conatur. P. Guilielmus controversiæ, magna animorum contentione in Lusitania agitatæ, inscius se immiscuerat; nam eam ibi tantopere fervere non audierat, nisi postquam acta S. Jacobi typis excusa essent, ab excellentissimo domino Didaco de Mendoca Corte Real, qui ex Hollandia, ubi cum summa prudentiæ fama ac laude legationem pro potentissimo Lusitaniæ rege obierat, Ulyssiponem rediturus museum nostrum præsentia sua honoravit. Itaque contra R. P. Michaelem pro Hispanorum traditione Vindicias sibi scribendas duxit, quas ad calcem ultimi tomi Julii lector adjectas inveniet. His autem laudato patri tam cumulate satisfecit, ut ei nihil plane debuerit.*

96. *R. P. Emanuel Cajetanus de Sousa, Clericus Regularis, regi Lusitaniæ a Consiliis &c. grande volumen pro S. Jacobi in Hispaniam expeditione ante Cuperum in lucem emiserat Ulyssipone anno* MDCCXXVII. *Dein hujus prima lucubratione perlecta, ejusdem argumenti volumen alterum, complectens tres Appendices ad primum, ibidem quinquennio post typis vulgavit, in quo variis locis de P. Guilielmi eru-*

ditione honorifitam facit mentionem. *Numero* MMDCXXI. *hac habet*: „ Solutionem (*argumenti a Baluzio lib. 4. Marcæ Hispanicæ objecti*) „ acceptam referimus reverendissimo patri Guilielmo Cupero Societatis Jesu, sapientissimo Critico, & in re historica versatissimo: unde ei contigit omnium optime & validissime probare expeditionem Hispanicam S. Jacobi, & diligentius profligare argumenta, quæ illi expeditioni opposuerat Natalis Alexander. *In Propylæo ad tomum* II. *scribit allatas sibi fuisse Cuperi vindicias contra R. P. Michaelem, cum illius index ultimus jam sub prælo esset. Testatur ibidem magnopere sibi placuisse* „ aureum illud opusculum, *quo* invictum se exhibet veritatis vindicem sapientissimus P. Cuperus. *Hujus vindiciis in Synopsim contractis, ita pergit*. „ Sed post geminam illam nervosissimam lucubrationem R. P. Cuperi pro prædicatione Hispanica S. Jacobi neque ego, neque Hispani egemus aliis ulterioribus S. Jacobi vindiciis: tam fortiter feliciterque defendit castra nostra ductor ille maxime strenuus, hostilia tela summa retundens dexteritate. Illud tantummodo optandum esset, ut illa duo opuscula seorsim ederentur a magnis voluminibus separata (*edita seorsum sunt, quæcumque de S. Jacobo scripserat vindiciis exceptis*) „ & in Lusitanum Hispanumque sermonem transferrentur, ne vernaculo libello, qui *VOX VERITATIS* inscribitur, Latinæ linguæ ignari deciperentur. *Alias, quas de illo prædicat laudes, non adfero, quia immodicæ sunt. Hoc unum vitio vertimus R. P. Emanueli, quod sententiæ suæ patronos extollat nimium, & ab ea dissentientes nimium deprimat, & æquo durius tractet. Verba tamen ejus allegandæ censui, quod Cuperi lucubrationes aliis omnibus, imo & suæ præferre videatur, neque ullis amplius vindiciis immemorabilem Hispanorum traditionem indigere affirmet. Hujusmodi testimonium non tulisset de uno e Continuatoribus Bollandiani Operis, quos sibi adversos in tomi* II. *appendice* II. *identidem* morosos criticos *cum contemptu appellat, nisi plane convictus judicasset, P. Guilielmum illa super argumento omnium optime disseruisse.*

97. *Tomus primus Augusti exhibet Acta S. Dominici, RR. PP. Prædicatorum patriarchæ. Hujus admiranda gesta, uti numero, magnitudine, ac varietate excelluerant, ita operosiore Commentaria sibi illustranda esse existimavit. Summa rerum capita, quæ de celeberrimo illo Sancto referuntur, examinanturque, non recenseo, quoniam nimis multa sunt, & magna ex parte eruditis nota. Hoc universim dico, P. Guilielmum nostrum hic (quidquid alii contradicant) omnia præstitisse, quæ a diligente collectore, prudente critico, verique amante historico exspectari possunt. Vix Acta magni hujus Patriarchæ lucem aspexerant, quin in vulgus spargi cœperint epistolæ anonymæ, calamo virulento scriptæ, in quibus quot fere verba, tot dicteria & calumniæ occurrunt contra Cuperum, ejus socios atque ipsam Societatem. Pudet hic ea referre, at proferre magis auctores pudere debuisset, qui ejusmodi scriptis nihil aliud præstant, quam sui judicii inopiam, & nulla de causa maledicendi pruritum non sine scandalo orbi palam facere, sibi suorumque nomini magis infesti, quam nostro.*

98. *Bilem illorum maxime attenderat Commentarii paragraphus* IX. *ubi inquiritur, an Sanctus ex nobilissima Guzmanorum familia oriundus fuerit. Postquam ostendisset Cuperus neque apud auctores synchronos & suppares, de Sancto Dominico ex professo scribentes, quorum bene longum texit catalogum, neque in antiquioribus Breviariis ullum exstare vestigium de illius nobilissima prosapia, tandem ita concludit num.* CXLIX.: „ Cum teste Echardo (*cujus verba, S. Francisci Borgiæ progenitores ex vili homine natos asserentis, paulo ante dederat*) „ otiosi vanique hominis sit, falsam Sanctis nobilitatem affingere, & lividi veram iisdem abrogare, utrumque hoc vitium evitare cupientes, nihil certi de genere Sancti Dominici statuimus. Quinimo libenter fatemur, argumentum nostrum maxima ex parte esse negativum, quod nihilominus sæpe vim suam habet, ut plures viri eruditi demonstrarunt. Attamen hoc genus argumenti plane corruit, quando aliunde ex genuinis & antiquis monumentis res aliqua probari potest. Propterea omnem lapidem movimus, ut RR. PP. Prædicatores authentica hujus nobilitatis testimonia nobis communicarent: Jam enim a tribus annis & eo amplius publica epistola, quæ memoriis Trivultianis anno 1729. Gallice inserta est, exactam S. Dominici genealogiam expetiimus. *Numero sequente affert duplicem ejusdem Echardi locum, ubi mentio fit de nobilitate Sancti Guzmanica, probata per Andream Ferrer Valdecebro, sed nondum typis edita. Dein ita pergit*: „ Sed cum editionis hujus videndæ exigua & remota spes esset, præter alia studia in istum finem collata, statim R. P. Priori Prædicatorum conventus Antuerpiensis hos ipsos Echardi textus assignavi, ut jussu Reverendissimi Magistri Generalis totius Ordinis ex his operibus posthumis & anecdotis quædam argumenta pro nobilitate S. Dominici impetrarem; at licet laudatus R. P. Prior paginas assignatorum textuum tunc coram me in pugillares suos referret, & sic non parvam petitionis obtinendæ spem faceret, tamen post moram duorum annorum nihil hactenus accepi. *Paragraphum hac verba finiunt*: „ Quod si quis Guzmanicam Sancti Dominici nobilitatem antiquis ac genuinis instrumentis probaverit, jam inde omne dubium circa illam deponimus, & raram omnium veterum biographorum taciturnitatem deinceps tantummodo mirabimur. Quo autem ea testimonia fuerint plura & certiora, eo erunt nobis gratiora; maxime tamen placuissent eadem, si tempestive fuissent subministrata, quandoquidem iis instructi claros S. Dominici natales etiam in hoc Commentario intrepide asserere potuissemus.

99. *Cum mihi non liceat hic apologiam scribere, Cuperi verba allegavi, quorum vel sola lectio sufficit, ut quilibet æquus arbiter convincatur cum nullam dedisse caussam, ob quam quis merito ei succenseat. Adversam partem ad rei historicæ & artis criticæ peritos provoco: hi dijudicent, an quidquam temere, imprudenter, aut*

minus

nimis honorifice de Sancto scripserit, vel alia de causa se dignum reddiderit iis opprobriis, quibus a famosarum Epistolarum auctoribus tam immisericorditer exceptus fuit. Dum insulsas illorum satyras contemnit Cuperus, & in Acta Sanctorum promovenda incumbit, anonymus quidam non indoctus, qui se Germano-catholicum nominavit, rei indignitate commotus, calamum strinxit, duasque pro Cupero edidit apologias, acriori quidem stylo quam vellemus, sed eo simul argumentorum pondere, ut ineptis declamatoribus silentium imposuerit.

100. *Prodiit tandem anno MDCCXXXIX. Parisiis pro Guzmanico S. Dominici stemmate Dissertatio critica, auctore R. P. Antonio Touron Dominicano, quem ob moderatum & urbanum stylum Cuperus responsione dignum censuit. Modestam dissertationem edidit anno proxime sequenti, qua illius objectiones omnes tam nervose refelluntur, ut quicumque, omni deposito partium studio, eamdem perlegerit, fateatur necesse est, P. Guilielmum sufficientes habuisse rationes, cur de S. Dominici nobilitate Guzmanica nihil certi statuerit. Innititur potissimum R. P. Touronus documentis Bononiensibus, quæ Alexander Macchiavellus anno MDCCXXXV. vulgaverat. Operæ pretium est legere examen, quod Cuperus de illis instituit: ex illo discet lector, quanta cautela necessaria sit in instrumentis, quæ toti antiquitati ignota fuerunt, pro genuinis admittendis. Hanc si adhibuisset R. P. Touronus, non tam facile deceptus fuisset, neque fictitia monumenta Bononiensia vera & authentica esse credidisset. In alicujus impostoris cerebro ea fabricata fuisse Cuperus ob rationes, quas adfert, vehementer suspicabatur: at post ejus mortem ex variorum litteris intelleximus, jam non amplius in Italia dubitari, quin revera sint supposititia.*

101. *Non modo tribus annis ante editionem Commentarii in Acta S. Dominici, sed & in illius paragrapho IX. (verba dedi num. XV.) vir veritatis detegendæ & pacis conservandæ studiosissimus expetierat a PP. Prædicatoribus documentorum, si qua haberent, communicationem, ut sublato omni dubio Guzmanicam S. Patriarchæ nobilitatem tamquam certam intrepide asserere posset. Eadem postulatio in qualibet Synopsi, tomum in lucem emittendum prænuntiante, quamdiu vixit, iterata fuit. R. P. Antonius Bremond, sacræ theologiæ Magister ejusdem Ordinis, ut illius desiderio plenius satisfaceret, Romæ anno MDCCXL. edidit* Historicam demonstrationem de Guzmana stirpe S. Dominici. *Hanc serius ad nos perlatam non vidit P. Cuperus: summopere ei placuisset, si legere potuisset: nam varia monumenta, magno labore collecta & pulchro ordine digesta, suæ lucubrationi inserit, in qua dignam religioso viro moderationem ubique servat. Antequam hanc vulgaret, nondum viderat Cuperi dissertationem, quam contra R. P. Touronum sub finem vitæ conscripserat. In hac satis ostenditur, instrumenta aliqua, quæ allegavit R. P. Bremondus, nihil plane evincere: sed & hic aliqua etiam produxit, quæ illum latuerant. Quoniam autem prudentes historici non statim acquiescere solent monumentis ab adversa parte prolatis, & sine prævia eorumdem inquisitione definire istius rei certitudinem, de qua antea ob mirabilem Scriptorum æqualium vel fere æqualium taciturnitatem non immerito dubitarant; nemo ægre ferre potest, si nos, quos obscura monumenta Bononiensia cautiores reddere debent, judicium nostrum suspendamus, donec ea, quæ allegavit R. P. Bremondus, discussa & ad criticæ regulas exacta fuerint. Siquis, hoc negotii opportuno loco & tempore aliquando suscepturus, illa compererit esse convincentia, laudato sacræ theologiæ Magistro gratulabimur probatam Sancti nobilitatem, quæ hactenus conviciis magis, & fictitiis instrumentis, quam solidis rationibus & idoneis testimoniis defensa fuerat.*

102. Hæc Limpenus. Mirum profecto est, hic nullam fieri mentionem eorum, quæ in Hispaniis ob hanc ipsam controversiam gesta sunt. Audi, quid de his scribat P. Michael a S. Joseph Ord. Excalceatorum SS. Trinitatis Redempt. Captivorum in Bibliographia Critica Matriti edita anno 1740. T. 1. Acta Bollandiana p. 93. Memorat vir eruditus primam Germani Romano-Catholici apologiam, cujus nuper Limpenus meminit. Tum hæc addit: *In hac dissertatione licet fortasse ejusmodi rationum momenta, quæ a Bollandistis* (eos scilicet sub Germani illius nomine latitare arbitratus est vir doctus) *producuntur, talia nonnullis videantur, quæ aliqualem animis dubitationem ingerere possint, non omnino tamen temere suspicamur, quod Authores prudentia, urbanitate, & charitate præditi dubium invidiæ plenum, parumque religiosæ paci consentaneum conceptum ultro suppressissent, neque ex mente ad chartam transtulissent, nisi præcessisset aliquid, quod & eorum animos turbaverit, & calamos ipsorum acuerit. Quid hoc sit, non omnino dissimularunt in præsenti dissertatione Bollandistæ, ubi ex Bibliotheca Prædicat. Tom. 2. novam allegant sententiam P. Jacobi Echardi asserentis in examinandis Sanctorum Actis nonnisi per accidens, & secundario discuti nobilitatem generis, eamque obiter comprobari, dum processus Canonizationis instituitur, vel officium in festivitate alicujus Sancti recitandum admittitur; & post Scriptor ille, inquiunt, hanc assertionem suam probare nititur exemplo S. Francisci nostri, qui communiter de Borja cognominari solet, & cujus progenitores asserit oriundos esse non ex antiquis Aragoniæ regni primævæ nobilitatis de Borja nuncupatis, sed ex Dominico quidem Borja, vili utique homine, tenueque prædium apud Seturium Aragoniæ habente, qui Borgianum usurpavit sibi nomen. Echardi assertum non minus leviter, quam confidenter in opere alioqui egregio exaratum, tolerandum non esse censuit integerrimum S. Inquisitionis officium, cujus speciali jussione expunctum & deletum est. Adversus Bollandistarum dissertationem prodiit Matriti typis Alphonsi de Mora anno 1737. liber Hispanice scriptus, cujus author dicitur D. Petrus Josephus de Mesa Benitez de Lugo. In hoc volumine S. Dominici prosapia accuratissime illustratur, & ad Bollandiana argumenta pro virili respondetur. Sed multa hinc enata dissidia, & varia utrimque edita opuscula, quibus controversia non jam terminatur, sed in longum producitur: mirum, si religiosa modestia, & charitas Christiana non inde læditur.*

103. Atque in hac quidem R. P. Michaelis narratione delenda nonnulla sunt, nonnulla illustranda. Quod suspicatur eruditus Pater, Bollandianis bilem movisse Echardi assertum, vix Probabilista (quid de Probabilioristis existima-

bimus?) a temerarii judicii noxa absolvet. *Germanus Romano-Catholicus*, seu *Bollandiani* (demus enim Germanum illum quempiam fuisse ex Bollandiani sociis) *meminere Echardi dicentis progenitores S. Francisci Bargiæ oriundas esse non ex antiquis &c.* igitur hinc ira exarserunt, & ad ulciscendam S. Francisco impactam injuriam S. Dominicum ex Guzmanica nobilitate deturbare conati sunt. Papæ! argumentatio digna sane nupero quodam Italo historico, qui quæcumque effutit, demonstrari a se ea jactat præfracta fronte. Quasi vero si Echardus nunquam illa scripsisset, Cuperus potuisset rem dissimulare. Sed hæc mitto. Delenda omnino sunt verba illa, ubi de dissertatione R. P. Benitez loquitur, *accuratissime illustratur, pro virili respondetur*. Nimirum quam insulsa, frigida, ac futilia sint, quæ ibi larvatus Benitez congessit, ostendit idem Cuperus in dissertatione de *Guzmanica S. Dominici stemmate* a pag. 95. Inlustranda autem sunt, quæ de enatis dissidiis satis strictim indicat Bibliographus Criticus. En igitur fragmentum epistolæ Gallicæ ab amico meo Roma scriptæ 4. Decembris 1745. *Je n'ai pas manqué de trouver une occasion favorable pour m'informer de la suite des controverses d'Espagne, dont vous voulez être instruit. En voila donc toute l'histoire, que je viens d'apprendre d'une personne, qui se trouvoit alors sur le lieu. Des que l'Ouvrage des PP. Bollandistes parut, on commença a en faire du bruit dans la Castille, & sur tout en Salamanque entre les deux partis. Cependant on fit publier ou imprimé, ou par ecrit un papier* („ Alcendencia de Santo Domingo de Guzman) *contre les Bollandistes. Ce fut alors, que le P. Lossada Jesuite fit imprimer sans son nom* (atque adeo Ludovici Lopez adscito nomine) *une lettre en defense de ces Peres. Cela arrivé le P. Benitez Jacobin publia un volume sous le nom de D. Fulano de Mesa* (Canariensis æditui) *contre cette lettre, contre les Bollandistes, ou pour mieux dire contre tous les Jesuites selon la coutume de ces Religieux-la. Pour respondre a ce livre le même P. Lossada composa une seconde lettre, que fut aussi la derniere. Car comme les parties commençoient s'echauffer beaucoup dans cette dispute, le Tribunal de la S. Inquisition d'Espagne trouva a propos de deffendre tout ce qu'on avoit publié jusques alors sur le point de cette controverse; & par ce moyen-la fut achevée d'abord cette contestation.* Sed Limpenus ad aliam nos vocat disputationem.

104. *Post Cuperi mortem & alius libellus ad nostras manus pervenit, Venetiis in lucem, quam melius numquam aspexisset, datus anno MDCCXXXVI. sub nomine Caroli Antonii Plantamura. Si vera referunt litteræ, ex Italia acceptæ, auctor illius fuit R. P. Daniel Concina, Ordinis S. Dominici strictioris Observantiæ. Ut hominis ingenium, velut ex ungue leonem, cognoscas, satis est libelli titulum transcribere:* „ Commentarius historico-apologeticus in duas dissertationes tributus, quarum altera anticriticis „ animadversionibus refellit ea, quæ *adversus* „ paupertatis disciplinam a divo patriarcha Dominico in suo Ordine constitutam, *intemperantiore critice*, scriptis prodiderunt Continuatores Bollandi in Commentariis, nuper „ in Acta ejusdem Patriarchæ editis &c. *Cuperum hæc scriunt, qui §. xxxiv. agit de quæstione Minoritas inter & Dominicanos controversa, an scilicet horum Fundator interfuerit Capitulo Storearum, & exempla S. Francisci arctiorem paupertatem amplexus fuerit. Partis utriusque argumentis expensis, litem indecisam relinquit. Verba accipe:* „ Cum tamen antiquitas illorum „ MSS. codicum (*quorum auctoritate Minoritæ* „ *maxime nituntur*) nobis hactenus ignota sit, „ certo decidere non audemus litem illam, inter Prædicatores, & Franciscanos agitatam, „ quæ in Actis S. Francisci poterit ad examen „ revocari. Interea Prædicatoribus incumbit „ ostendere, Speculum istud vitæ S. Francisci „ perperam coævis sodalibus ipsius adscribi, aut „ saltem memoratam relationem ei, aliisque vetustis Scriptoribus postea insertam esse: Franciscanis vero legitime probandum est, illam „ ipsam narrationem in veteribus MSS. ac fide „ dignis codicibus inveniri, ut de veritate alterutrius opinionis plane constet. Quod si „ collegæ, aut successores mei tunc certiora „ illa documenta pro alterutra parte acceperint, vel alia inter biographos S. Francisci „ detexerint, illos rogatos volo, ut conjecturas meas confirment, aut liberrime refellant, „ si a veritate aberrare videantur.

105. *Nunc æquum lectorem rogo, ut libelli titulum conferat cum Cuperi verbis, & toto, si lubeat paragrapho xxxiv. Controversiam in medio relinquit, ulterius ejus examen differens ad iv. Octobris; exigit a Franciscanis, ut sententiam suam ex veteribus MSS. ac fide dignis codicibus probent, si velint, ut pro ejus veritate judicium feramus, quando Acta S. Francisci illustrabuntur: nihilominus persuasus ille Auctor præoccupatione contra Cuperum, vel alia, nescio qua, vehemente animi perturbatione in transversum actus, ipsi Operis sui fronti inscribere non erubuit, quod* „ *adversus* paupertatis disciplinam a Divo Patriarcha Dominico in suo Ordine constitu„ tam, *intemperantiore critice scripserit, vel ut in titulis capitis secundi & tertii habet, quod* „ Franciscanorum sententiam defendendam su„ sceperit. *Neutri parti addictum Cuperum pro hoste habet. Nec negat, nec affirmat Guzmanicam S. Dominici nobilitatem: hostis est, Dominicanorum sententiam oppugnat. Nec negat, nec affirmat paupertatem, quam exemplo S. Francisci amplexus fuerit: hostis est, Franciscanorum sententiam defendit, adversus Dominicanos intemperantiore critice utitur. Dixi satis. Dedi lectori specimen ingenii Scriptoris istius, ex quo de tota ejus Opere conjecturam formare possit.* Hactenus Limpenus.

§. V.

Operis edendi Consilium, & Institutum.

106. HÆ præcipuæ Bollandianorum controversiæ. Jam vero duo ex harum historia, quam hactenus pertexuimus, constare arbitror: primum illud, Bollandianos in tribus tantum disputationibus adversariorum libros peculiaribus ad id editis opusculis confutasse, in iis scilicet, quas Jacobææ prædicationis defensio, & prævius ad Acta S. Dominici commentarius excitavit: quibus adde Carmeliticam, quam supra tantummodo indicavimus. Alterum illud est,

est, Bollandianis alios etiam adcessisse Apologistas, quemadmodum Germanus ille Romano-Catholicus, cujus in superiori paragrapho Limpenus meminit. Sed longe plures in Carmelitica controversia Bollandianis suppetias tulere, quos inter primum sibi vindicat locum P. Antonius Kammitius, alterum vero a Kammitio Auctor Collyrii, *quem licet Jesuitam esse non putem*, ait Papebrochius in Resp. ad art. xv, num. 368. *a Jesuitis tamen Hispanis Lusitanisque probari scio*.

107. Ejusmodi Apologeticos pro Bollandianis libros nunquam omnes collectos fuisse dolebant eruditi viri, qui noverant, in iis plurima contineri, quæ historiam Ecclesiasticam mirifice illustrant, & arti criticæ leges egregie confirmant. Verebantur etiam, ne aut malevolorum artibus, aut indoctorum incuria tandem vel interirent penitus, vel ex hominum mentibus delerentur. Quotus quisque est enim, qui sciat, a Bollandianis pro commentario S. Dominici editam apologiam? imo vero non desunt, qui Bollandianos prostratos plenis buccis jactent: amplius quid dicam: sunt, quos ante aliquot annos evulgare non puduit in Ephemeridibus literariis Florentinis, quæ singulis hebdomadis væneunt, cum eruditorum diario Florentino minime confundendis, Bollandianos in Dominicanorum controversia palinodiam cecinisse. Quod si res paucis ab hinc annis gestas ita perperam obscurari videmus, quid futurum putabimus centum post annos? Quæ ad controversiam Carmeliticam spectant, ea tribus tomis comprehensa lucem adspexerunt Antuerpiæ annis *1696. 1697. 1698.* quin etiam Responsio ad exhibitionem errorum iterum Antuerpiæ edita est, atque adeo in Italia saltem primus ejus tomus satis miseris typis recusus fuit. Sed præterquamquod pauca hujus collectionis exemplaria vænalia prostent, ne illa quidem omnes in ea causa apologeticos libros continet. Deest Conradi Janningi Apologia: deest etiam opusculum illud, quod nuper memorabamus, inscriptum *Collyrium*.

108. Itaque rem eruditis omnibus viris gratam facturum me existimavi, si apologeticos istos libros colligerem, atque in unum volumen referrem. Moneo tamen ne a me quidem omnes omnino, qui in Carmelitica controversia prodierunt, apologeticos libros edendos esse: sic P. Cassani apologiam omittam. Id autem eo a me consilio factum, quod illa veterum apologiarum veluti summa quædam fuit, neque opus videbatur eamdem crambem tam sæpe recoctam apponere. Nunc quid in hac editione a me præstitum sit, quemque ordinem in edendis hisce apologeticis libris servaturus sim, brevi edisseram. Historicam Elucidationem Actorum in controversia Carmelitica præter inspersas adnotationes appendice auxi, in qua cetera ab anno *1697.* ad annum 1715. narrantur. Præterea Responsionem ad Exhibitionem errorum, & Examen Divinitatis adnotationibus inlustravi. Ad ordinem quod spectat edendorum librorum, primum locum dabimus illis, qui in controversia Carmelitica vulgati sunt: tum vindicias edemus pro Jacobæa prædicatione ex VII. Julii tomo; tandem epistolas Germani Romano-Catholici, & P. Ludovici Lossadæ epistolas, & Cuperi dissertationem pro commentario prævio ad Acta S. Dominici proferemus.

109. At ne quid prætermittam, sub initium Elucidationis historicæ Antuerpiensis editionis, hæc legitur instructio Bibliopegi a Papebrochio scripta. *Quamvis hæc pars tertia Responsionis meæ duobus dumtaxat constet membris, Elucidatione videlicet & Synopsi; quia tamen sub idem fere tempus prodierunt alia quædam opuscula, huc spectantia, quæ commode in unum volumen cum parte tertia compingi possunt, quærunt multi, quem inter ea ordinem servari conveniat. Sit ergo*
„ I. Elucidatio Actorum in contruversia Carmelitica. II. Examen Præambulorum ad Exhibitiunem errorum. III. Apologia veritatis contra imposturas Hispanicas. IV. Vera origo, & successio Carmelitarum ab Elia. V. Examen Divinitatis, quam in Carmelo consuluit Vespasianus, Auctore Marchione de Mondexar, Comite de Tendilia, utroque titulo ex Magnatibus Hispaniæ, necnon Marchione de Valhermoso, Agropoli &c. VI. & ultima ponatur Synopsis, quæstionum curiosarum. *Atque hæc serviant Bibliopego, cum tertia parte Responsionis religaturo prædicta Opuscula: quod si illi aliquis offerat etiam priores partes duas, iisque sic jungi tertiam hanc velit cum ipsis Opusculis, ut solum habeat tomos duos; tunc post Dedicatoriam & Præfationem partis primæ ponatur* Synopsis *&* Vera Origo, *cum* Examine Præambulorum, *atque post duodecimum Articulum* Apologia *Xaramiliana, &* Examen Divinitatis *præfatæ veluti Appendix Apologiæ, fiatque tomus primus. Secundus autem tomus contineat articulos reliquos cum Elucidatione. Qui ordo et ferme tenendus etiam erit, qui opus hoc Apologeticum vellet recudendum curare: ast nolim id me inconsulto fieri, plura forsitan ad operis perfectionem suggesturo*. Hæc Papebrochius. Sed hunc ordinem nonnihil immutare libuit. Bollandianos interea rogo, obtestorque, ut hunc meum laborem gratanter accipiant.

INDEX OPUSCULORUM.

OPUSCULA
IN
CONTROVERSIA
CARMELITICA.

ELUCIDATIO HISTORICA ACTORUM

In Controverſia ſuper origine, antiquitate, & hiſtoriis Sacri Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli,

Inter quoſdam illius & Societatis Jeſu Scriptores, Acta Sanctorum illuſtrare profeſſos.

PROTESTATIO DANIELIS PAPEBROCHII.

Accuſatus de Sanctorum numero cultuque imminuto per meas ſuper ipſorum Actis Commentationes ac Notas; deque eorumdem geſtis quibuſdam, revelationibus, atque miraculis in dubium adductis; non videor cuiquam poſſe in ſuſpicionem venire, ne forte reſpondens objectis mihi circa iſta erroribus, in contrarium deflexerim vitium, Sanctos vel Beatos appellando, quibus talem honorem Apoſtolica Sedes vel non indulſit expreſſe, vel propter longam immemorabilis temporis conſuetudinem tacite ſaltem non approbavit. Quia tamen omnibus, circa tale argumentum ſcribentibus aliquid, Pontificia Urbani VIII. Conſtitutione mandatur, prævie proteſtari, Decretis illis præſtitam præſtandamve obſervantiam; & quod mens Auctoris non ſit relationibus ſuis, plus quam humanæ hiſtoriæ erroribus obnoxiæ fidem tribuere; idem & ego hic proteſtor de omnibus hactenus a me editis in majori opere, vel in Reſponſione hac tripartita obiter delibatis.

Eadem occaſione ſignifico, non prætendere me, ut ex hac Elucidatione Actorum in Controverſia prænotata, quidquam confirmationis aut roboris accedat ad ea argumenta, quibus hactenus conatus ſum demonſtrare, quam parum ſolida ſint meritoque dubitanda, quæ RR. PP. Carmelitæ de prætenſa ſua antiquitate, veluti certiſſima, tradunt. Satis id factum reor in Aprili ac Majo, & in prægreſſis duabus Reſponſionis meæ Partibus, ut de ipſa tacere poſthac, & ex modeſtia velim, & cum honore poſſim. Meram ego hic Apologiam texo, non jam ſcriptorum ſenſorumque meorum, ſed modi, quo illa protuli atque ſuſtinui hactenus, quoque ea proferri ac ſuſtineri paſſa Societas eſt: contra quem modum haud paulo leviores calumnias, quam contra illa, annis jam triginta patior; potiſſimum poſt fallacem relationem rerum initio hujus noſtræ diſputationis geſtarum, intextam Libello ſupplici ad S. D. N. Innocentium XI. anno 1683. Iſtas ergo veraciori relatu, & productis quam fideliſſime textibus inſtrumentiſque originariis ac plerumque publicis, refutare hic nitor; ſimulque declarare, quam diverſis utrimque artibus conſiliiſque res acta ſit; & ex mea ac Societatis parte porro agenda: ſi porro agendum ſit aliquid, & non potius tenendum utrimque ſilentium, quod ipſi, qui priores me loqui coegerunt, nunc inſtantiſſime petunt Pontificia auctoritate decerni; quaſi abſque Decreto tacere ipſis primis non liceat; & ſilendo mihi ſibique quietem, ex parte noſtra ſemper optatam, reddere; libris autem meis priſtinam libertatem, deſiſtendo a proſecutione calumniarum, tam parum religioſe publicatarum. Equidem earum expreſſius retractandarum obligationem libenter propter Deum remitto, non confuſionem quærens, ſed converſionem eorum, quos nihil aliud mihi poſthac debere volo, nec me ipſis, quam ut alterutrum, ex Chriſti mandato, diligamus. Hoc opto: hoc voveo.

IDEA ELUCIDATIONIS.

Præfatio. De occaſione & neceſſitate hujus Elucidationis, nata ex Libello ſupplici admodum R. P. Sebaſtiani a S. Paulo Carmelitæ ad Innocentium PP. XI. ſel. mem. invidiam ſcandalorum, a ſuis partiariis editorum & edendorum, detorquente in Scriptores Actorum.

Caput. i. Quomodo circa caput totius Controverſiæ, ab anno 1635. ſe geſſerint Patres Bollandus & Henſchenius, ac denique ab anno 1660. cum illis Papebrochius, uſque ad editum anno 1669. Armamentarium Carmelitarum, quo illi nominatim provocabantur ad rationem reddendam ſui, ſtudioſe (ut dicebatur) affectati, de dicta controverſia ſilentii, vel obſcuræ brevitatis.

Cap. ii. Quomodo Papebrochius in Aprili, ad Acta S. Alberti Legislatoris, nihil ultimate definiens, ſed ſolum oſtendens, quam parum ſolidis meritoque ſuſpectis fundamentis hactenus nitantur aſſerta RR. PP. Carmelitarum, conatus ſit pro ſe ſuiſque Magiſtris ſatisfacere, ad rectæ rationis & Lectoris æqui tribunal, anno 1675.

Cap. iii. Quam religioſis & honeſtis modis, ex una parte, apud ſolos eruditos & rerum hiſtoricarum peritos; quam vero turbulentis & indecoris, ex altera, apud imperitum vulgus, actum ſit in proceſſu controverſiæ, eatenus dumtaxat litterariæ, & verſantis circa quæſtionem puri facti, nihil ad fidem aut mores ſpectantis.

Cap. iv. Papebrochius, in prima parte Maji, edita anno 1680. tuetur ſcripta ſua in Aprili, contra Auctorem ſecundi Armamentarii, vulgati anno 1677. & tunc & nunc paratus ad-

mittere successionem ab Elia, qualem Carmelitæ prætendunt, si ea possit aliunde probari vera, quam ex jam refutatis.

CAP. V. Post editam a Papebrochio primam partem Maji, varii variis locis Carmelitæ causam ex mala pejorem faciunt, & ex concertatione litteraria actionem injuriarum, multiplicando libellos famosos, quorum conditiones, religiosis scriptoribus parum dignæ, expenduntur.

CAP. VI. De epistola Gallica eruditissimi Cangii, latentis sub titulo Regis Consiliarii, & libellos quidem improbantis, silentium vero ad eosdem suadentis, inscripta amico suo D. Ant. Herouvallio, paris claritatis viro; deque publice convictis imposturis Carmelitarum Leodiensium, Herouvallii nomine, velut qui nusquam extaret, abusorum, contra eamdem Epistolam.

CAP. VII. RR. PP. Carmelitæ, jussi ex voluntate Romani Pontificis, sibi per circulares suorum Generalium declarata, cessare a libellis, pergunt, aliis nullo aut falso nomine editis, insultare Papebrochiano silentio.

CAP. VIII. Absoluto septem Tomis Majo sub annum 1688. (quorum septem Tomorum posteriores quatuor controversiam, satis ut videbatur ventilatam, non attingunt, & discere tacent de libellis) collato plurium studio præparatur EXHIBITIO ERRORUM, colligenda ex totis 14. voluminibus, præferentibus Papebrochii nomen, non quidem solius, solius tamen accusandi; eaque prodit anno 1693. auctore eodem Adm. R. P. Sebastiano a S. Paulo, inscripta S. D. Innocentio Papæ XII. Anno autem 1695. clandestina machinatione inducitur Hispanica Inquisitio ad inexpectatam Tomorum 14. proscriptionem.

CAP. IX. Papebrochii Delatores conantur Decretum contra Acta Sanctorum, totius Christiani orbis stupore exceptum, variis & nihilo minus injuriosis modis palliare.

CAP. X. Epistolæ Augustissimi Imperatoris Leopoldi, in favorem Actorum, ad Romanum Pontificem & Catholicum Regem, variorumque Principum ac Præsulum de publica operis utilitate, exploduntur, ut supposititiæ atque nullius ponderis: una etiam Cæsaris denuntiatur sacro Officio, ut hæretica & schismatica: alteri opponitur rescriptum, Pontificio nomini suppositum.

CAP. XI. Tandem cogitur Papebrochius anno 1696. publica Apologia edita, sua & Henschenii scripta, articulatim defendere, contra exhibitorem, per omnes & singulos Articulos falsum, aut etiam manifeste calumniatum. Defendens autem censuratos libros suos, Latine per se, Hispanice per alios, neutro idiomate recipitur in sacro Officio, prætextu Decreti cujusdam veteris, anno 1634. lati, contra libros & schedas, quibus Religiosi quidam mutuo se infectabantur, quod illum in finem renovatur: jubeturque Papebrochius Censuras, operi suo inflictas, purgare Apologia secreta Hispanice: quod facere exorsus anno 1697. mense Martio, nullum toto anno responsum refert.

CAP. XII. Veteres injurias nova graviori obtegere nituntur RR. PP. Carmelitæ, supplicantes Regi Catholico, aliisque Principibus ac Prælatis, ut a Romano Pontifice postulent rigorosum præceptum perpetui silentii, imponendum omnibus, sponsam ab Elia successionem minus probantibus; idque ante absolutionem librorum tam injurio e accusatorum, & .. ... Censuræ Hispanicæ. Supplicationi isti occursum est supplicatione contraria ubique probata, & sæpe ac variis linguis recusa. Interim quæritur, quale silentium Patres isti petant. An forte simile ei, ad quod obstringuntur quicumque non firmiter credunt beatissimam Dei genitricem Mariam esse sine labe originali conceptam, sic ut sustinere contrarium publice aut privatim ipsis non liceat; Immaculata vero Conceptio passim & ubique possit ut certo vera prædicari?

INTRODUCTIO.

De occasione & necessitate hujus Elucidationis, nata ex Libello supplici admodum R. P. Sebastiani a S. Paulo, Carmelitæ, ad Innocentium PP. XI. fel. mem. invidiam scandalorum, a suis partiarus editorum & edendorum, detorquente in Scriptores Actorum.

DEcem annis prius quam secundum suum in Flandrobelgica Carmelitarum provincia Magistratum nobilitatus adm. Rev. Pater Sebastianus a S. Paulo Exhibitione Errorum, multorum ac gravium, a me (ut prætendit) commissorum inter edenda Sanctorum Acta; ipse dederat sui experimentum alio multo minori libro, & ad solam controversiam Carmeliticam contracto, tunc prima vice Provincialis, PARTE I. *demonstratur, Eliam Prophetam Carmelitani Ordinis esse Fundatorem & Institutorem, a quo moderni Carmelitæ hæreditariam, absque ulla interruptione, tenent successionem; adversus P. Papebrochium Societatis Jesu.* PARTE II. *Crassiores P. Papebrochii deteguntur ac refutantur errores, quibus PP. Carmelitæ se gravatos censentes, expostulant a sacrosancta Sede Apostolica quod juris est.*

2 Huic operi responsum directe & ex professo nihil tunc est, quia totum illud argumentum, ab adm. R. Patre Francisco Bonæ-Spei pridem Exprovinciali assumptum, videbar mihi pertractasse in tribus primis Tomis Maii, editis anno 1680. neque lubebat scriptitandis libellis conterere tempus, prosequendo operi meliori debitum. Sed cum silentium illud meum, respondendi impotentiam interpretatus bonus P. Sebastianus, fiduciam sumpsisset totius operis accusandi, eo apud imperitos successu, ut loquendi tempus, imo necessitatem, adesse mihi censerent etiam illi, qui silendi propositum ante probaverant; non jam primo, sed secundo operi respondere volui: quia sicut in hoc illud continebatur totum, sic unum in altero abunde refutaretur. Neque vero tam facile erat, ut in posteriori, sic etiam in priori sequi vestigia præeuntis: cum in eo partes quidem apparerent duæ, sed ita inter se connexæ, ut nisi quis vellet bis eamdem rem agere, non posset utramque separare. Etenim prima parte, id est prætensæ successionis certitudine vel constituta, vel eversa, consequens erat judicium de secunda ferendum; in qua vicissim si nihil magnopere errasse ego per ignorantiam, nihil per malitiam peccasse probatur, non poterat stare

ſtare aſſumptum prius, in ſenſu Carmelitarum: poterat tamen ſtare in eo, quem ex Joannis Phocæ Itinerario dabam, ductaque ex dimidio ſeculi XII. Ordinis origine ab Elia, non quidem ante bis mille annos inter mortales vivente, ſed ut tunc ex Paradiſo conſpicuum ſeſe præbente illi, qui montem & fontem, anachoreſi ipſius quondam nobilitatos, eodem mandante ſuſceperat, ſociosque ibi collegerat; quorum, ad Eliæ exemplar vitam iſtic ſolitariam inſtituentium, ſucceſſionem hæreditariam ab hodiernis Carmelitis teneri, nemo eſt qui inficias ire velit aut poſſit. Atqui Reſponſiones meæ, per hos duos priores annos in lucem datæ, totum id præſtiterunt, quod utrique jam dicti prioris opuſculi parti reponi conveniebat.

3 Eſt tamen, in hujus fronte, Libellus ſupplex ad Innocentium felicis recordationis Papam XI. quo (ſicut habet prævia Synopſis) *imprimis exponitur & oſtenditur, quod P. Papebrochius primum offenſionis poſuerit lapidem, & Carmelitis primus moverit litem; quam hi, utpote nihil magis cordi habentes quam pacem, omni modo ſibi poſſibili conati ſunt impedire*. In hoc aſſumpto vix unum chartæ folium implens Supplex, toti tamen libro titulum inde facit. Libellum autem, prius quam offerretur (ſi tamen oblatus unquam Pontifici eſt) prævertit Societatis noſtræ Procurator Generalis, pro me rationem privatim reddens Eminentiſſimo Cardinali Cybo, & per eum ſuæ Sanctitati. Poſtquam vero Libellus idem videri palam in Belgio cœpit, ac Romæ etiam legi, oppoſuit mox eidem Brevem Inſtructionem Collega meus P. Conradus Janningus: quæ Inſtructio ſuum ubique tunc fructum habuit; & ut hic durabilior eſſet, recuſa illa eſt ante primum tomum Junii. Sed neque is tomus ad manum eſt omnibus, neque accuſationem iſtam ſic refutat Inſtructio, ut controverſiæ eatenus tractatæ originem progreſſumque ac ſtatum declaret; ſicut declarari ipſam convenit iis, quibus de Carmelitanæ ſucceſſionis veritate aut falſitate parum ſolicitis, major cura eſt publicæ inter fideles ædificationis. Quam enim ad hanc eſt utilis Religioſorum virorum conſenſio inter ſeſe, ad gloriam Dei, contra hæreſes vitiaque; tam moleſta accidit quæcumque eorumdem, in alio quamvis genere, diſſenſio. Hinc fit, ut illi, cum vel nolint, vel nequeant controverſias ipſorum inter ſe litterarias dijudicare, optarent eſſe nullas; ignari, quantam utilitatem Eccleſiæ afferant, dum per eas, ſpiritu caritatis ac veritatis moderatas, elucidantur obſcura, diſcutiuntur falſa, certa & vera conſtituuntur.

4 Atque utinam hic ſtare ſciret humana infirmitas, & judiciorum diverſitas non etiam quandoque pareret alienationem animorum, per quam plerumque magis efferveſcunt illi, qui minus rationis pro ſe habent. Id vero dum fit, uſitatum etiam multis eſt, eorum, quæ naſci ipſi fecerunt, damnorum aut ſcandalorum culpam convertere in adverſarios, accuſando eos tamquam primos auctores controverſiæ atque litigii ſuſcitati. Hujuſmodi quiritationes, mulieribus quam viris convenientiores, quamdiu ſolis verbis apud vulgus perſtrepunt, contemni ſæpius præſtat, judicium relinquendo peritioribus, nec ideo vel hilum diſcedendo a ſemel bene ſuſcepta cauſa: dicente Angelico Doctore Thoma 2. 2. qu. 43. art. 7. *Si de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur ſcandalum, quam veritas relinquatur*.

5 Verum ſi querelis talibus ſcandaliſque ſpargendis non contenta pars infirmior, a conſueto inter eruditos & unico rectæ rationis tribunali procurrat ad tribunalia ſuperioris ordinis, injuriarum poſtulans partem adverſam, & crimina gravia impingens, quid agat ſic appellatus? Quæſtionem illi quidem controverſam non decidunt, cum tamen, qui accuſatur, ſic infamant, ut niſi ab his ille ſe purget, humana omni fide ac fama excidere ipſum ſit neceſſe, judicibus per calumniam ſubverſis, & damnaturis vel etiam damnantibus innocentem. Tali conditione profecto jam non amplius licet ſua ſe conſcientia involvere; maxime cum agitur de fama, non ſolum unius privatæ perſonæ, quæ lucrum æſtimare poſſet pro veritate contumeliam pati; ſed integræ unius Communitatis, & quidem religioſæ, atque ex ſuo inſtituto obligatæ proximorum inſtructionem ſalutemque curare. Huc autem deducta controverſia eſt, inter me & quoſdam Scriptores Carmelitas, imo totum jam illorum Ordinem, ſuam injuriam interpretantium quidquid contra opiniones, in ipſo quomodocumque receptas, diſputatur; indeque a tribunali litteratorum (coram quo ſolo diſceptandum fuiſſet) ad ſuperioris generis tribunalia me trahentium. Ibi vero non ſolum erraſſe arguor, quod humanum foret; ſed convicto agnitoque errori pertinaciter inhærere, idque cum ſumma & manifeſta Ordinis Carmelitani injuria, quod eſſet diabolicum; ita autem errantem & peccantem arguitur ſuſtinere & protegere Societas tota: quod eſt crimen probis omnibus merito incredibile viſum.

6 Quod ad calumniam attinet, eo titulo intentatam, quaſi primus proceſſerim ad diſceptandum; eſſet illa quidem nullius momenti, imo ridicula (dum conſtat quam nullo non ſeculo habuerint Carmelitæ, & maxime hoc præſenti etiam ex noſtra Societate, contradicentes prætenſæ ſuæ ſucceſſioni, & vero in Lege veteri monachatui) ſi ſibi perſuaderi ſinerent illi, talem puri facti quæſtionem, in qua decipi majores ſui potuerint, abſque injuria ſua agitari. Videns ergo quod illi exiſtiment, intolerabili contumelia totum ſuum Ordinem, imo ipſammet Catholicam religionem, & Apoſtolicam Sedem affici, ejuſmodi opinionem revocando in dubium, ejuſque fundamenta labefactando: non perſuaſi mihi, neque probavit Societas, eam accuſationem contemni debere. Neque ſane exſpectavi ego, donec prodiret ſupplex P. Sebaſtiani Libellus, ita aſſeveranter illud aſſumens, ac ſi irrefragabilis & ſole meridiano clarior veritas foret; ſed tribus annis prius, ſecundo meo tomo Maji, *Præfationem Apologeticam ad querelas RR. PP. Carmelitarum*, a noſtris Romæ generalibus Reviſoribus ſevere recognitam & unanimiter approbatam dedi, ante Acta B. Aloyſii Rabbata. Hanc tamen vel non legit, vel contempſit, levique manu excuſſit P. Sebaſtianus; &, veluti ſi ea nuſquam extaret, aſſumptam & jactatam pridem contra me querelam continuare præſumpſit: quaſi eſſet ſecurus, quod ea præfatio non foret legenda aut lecta ab illis, quibus Libellum ſuum ſupplicem obtruſurus erat, cum Tomus iſte, æque ac cæteri mei, inter eruditorum privato-

rum manus rara sit; illatus autem majoribus bibliothecis, a paucis vel nemine sic pervolvatur totus, quin passim multa multos lateant ibidem contenta. Adde, quod Præfatio illa ultra annum 1680. non progreditur, interimque per octodecim annos gesta sint plurima, quibus ex calumnia, jam inde ab edito Martio annoque 1658. spargi cœpta, natum præjudicium falsum contra me, nostramque Societatem scripta mea tolerantem, magis magisque confirmare nisi sunt quotidie Adversarii.

7 Quid quod experiendo comperism, non paucos esse ex operis nostri laudatoribus & amatoribus, ex ipsaque nostra Societate, qui existiment, veritatem quidem a parte mea stare: dubitent tamen, utrum convenerit, ejusmodi veritatis, tam parum publico utilis, causam suscipi ab homine & scriptore Societatis, qui salvo (ut sibi falso persuadent) cœpti operis instituto, potuerit eam relinquere indiscussam, & *sinere mundum* (ut loquuntur) *vadere, sicut vadit*; sentiendo cum paucis, loquendo, vel saltem tacendo cum multis. Ergo contra præjudicium istud, cui alte imprimendo animis, etiam peritiorum, non minus quam conquirendis stabiliendæ suæ opinioni præsidiis, tam diu & tota sua industria incubuere Patres Carmelitæ, serviet Elucidatio historica hæc; in qua dum ordinem temporum teneo, non licebit articulatim prosequi Libellum supplicem, qui etiam ultra annum 1683. non progreditur; sed progrediuntur quam plurimi exinde libelli, tanto fidentius vulgati quaquaversum, quanto fortius obfirmaveram animum ad silendum.

8 Prima & ultima, atque apud homines pios magis quam curiosos valentissima accusatio in omnibus istis libellis est ea, quam dixi; quod scilicet *Pomum discordiæ* jecerim inter præstantissimos duos Ordines, antea conjunctissimos, donec ad Acta Sanctorum elucidanda Bollando atque Henschenio accessi socius. Utque in universam Societatem devolvatur invidia, insimulatur hæc, quasi non ferens decorem Carmelitanæ antiquitatis, suæ novitatis fulgori officientem, gavisa sit hunc meis libris infuscari, & pertinaciter recuset imperare meorum errorum retractationem. Hanc enim sibi deberi existimant RR. PP. Carmelitæ, actores simul & judices, in iis libellis, quibus silentium meum exagitatur. Igitur non hic intendo probare, quam vera aut saltem verosimilia sint, quæ circa historiam Ordinis Carmelitani proposui, quod tota Responsione abunde feci: sed veraci relatione palam facere, quam ordinate, modesta ac religiose ego & nostra mecum Societas, quam e contrario turbulente, injuriose atque scandalose processerint illi, qui nostro in Belgio fiduciam assumpsere, in suam sententiam, veluti evidentissime demonstratam, non solum adducendi, sed etiam pertrahendi restitantes. Silere volentes nos, primi provocaverunt, nec adhuc desinunt provocare illi, usque ad suprema denique Tribunalia; dum interim variis atque clandestinis modis ligare nituntur provocatis & accusatis manus, & ora occludere oppressæ per calumniam innocentiæ, ne ejus uspiam vel audiatur vox, vel apologia legatur. Porro priusquam veram rerum gestarum historiam tradere incipiam, placet exhibere fallacem P. Sebastiani ac fraudulentam, ut appareat, quam nihil dissimulatum velim eorum, quæ illi placuit contra me producere, eadem scilicet sinceritate, qua errores & hæreses mihi impegit.

ADM. R. P. SEBASTIANI a S. PAULO AD S. D. N. INNOCENTIUM XI.

Libellus Supplex.

Beatissime Pater.

9 C*Um Eminentissimus Dominus Cardinalis Cybo, Sanctitatis vestræ nomine, per Procuratorem nostrum Generalem, significari nobis curaverit, Sanctitatis vestræ voluntatem esse, ut Patres Societatis Jesu deinceps contra Ordinem nostrum aliquid typis edere desistant*; usque, parte *ex altera, Provinciæ nostræ Patres, qui adversus præfatos Societatis Patres aliqua in lucem edere in animum induxerant, omnino abstineant; addicens nobis justitiæ ministrationem, siquas adversus præfatos Patres habeamus expostulationes: & occasione lucubrationum P. Danielis Papebrochii Societatis Jesu, in Actis Sanctorum, gravatos nos admodum sentiamus & læsos; expostulationes nostras ac gravamina, omni, qua par est, reverentia, humilique in omnibus submissione, Sanctitati vestræ exponere audemus, ut jam dudum exoptata desuper administretur justitia. Cum autem Patres Societatis tales modo experiantur exortas nos inter & ipsos dissensiones animorum atque discordias, quales illis, ex antiquissimæ Ordinis nostri Historiæ impugnatione, moraliter certoque eventuras prædiximus; illique, ut inter innocentes manus laveut, spargere non desinant, nullam se illis prime dedisse occasionem, nihilque inconsultis nobis, & prius non auditis, circa Ordinis Historiam fuisse impressum; hinc, ut de dissensionum imprimis origine & causa constet, pateatque, quod seminariis his dissensionibus nullam nos prorsus primi dederimus occasionem, quin imo nihil nobis magis cordi fuerit & curæ, quam, quæ hactenus inter Societatem Jesu & Mariæ familiam vigere solebat, fovere charitatem, pacemque conservare & unitatem; breviter rei totius seriem, factique speciem, sincere & fideliter exponam.*

10 *Cum Patres Bollandus & Henschenius Societatis Jesu, suscepissent in se Sanctorum Acta ac Vitas colligere, typisque evulgare, occurrentium, mensibus Januario ac Februario, nostri Ordinis Sanctorum Acta & Vitas, ad votum plane, juxtaque antiquissimam Ordinis traditionem, descripserunt, atque in lucem ediderunt; spondentes, ad subsecuturas Sanctorum Ordinis nostri Vitas eo, quo cœperant, pede pergere, nihilque in Ordinis Sanctorumque nostrorum præjudicium scribere. Ast postquam, defuncto P. Bollando, in hujus locum successit P. Daniel Papebrochius, P. Henschenio in colligendis Sanctorum Actis adjunctus socius, mox visus est Henschenius, ad Papebrochii instantiam, Ordini nostro minus affici, & voluisse circa Historiam Ordinis, a suis Patrisque Bollandi fundamentis & sententia recedere. Cujus in Martio mense signum edidit evidentissimum, ubi non obscure insinuavit, se, una cum Papebrochio Carmelitana historiæ ac Annalium nostrorum eversioni intendere: dum occasione festi S. Bertholdi, occurrentis die* XXIX. *Martii, asserit hunc primum fuisse totius Ordinis nostri Generalem; acsi Ordo tum primum seculo* XII. *incœpisset; aliunde nuncupando, quæ habet P. Lezana in Annalibus, novas narrationes &c. Quæ cum Fratres nostri Antuer-*

tuerpienses intelligerent, sudare sub prælo, vel ad prælum proxime disposita, illos statim accesserunt, aliterque informarunt; demonstrantes, illa Ordini fore valde injuriosa, utpote contra antiquissimam traditionem, ac pacificam multorum sæculorum possessionem: institeruntque proinde pro illius correctione, conformiter ad illorum protestationes, & promissiones in illorum librorum præfatione factas, ubi admoneri rogant & de veritate instrui, casu quo illam non sint assecuti, promittentes sese illico errores correcturos. Et ne forte aliquibus, ex desiderata correctione, gravarentur expensis, si folium ejusmodi sub prælo sudaret, aut jam foret impressum; pro factis expensis spoponderunt, si, juxta suas promissiones, vellent errata corrigere. Verum nihili facientes suas alias datas promissiones, suasque in præfatione protestationes, noluerunt ad rationum momenta vel tantillum attendere, nunsantes melius sese de Ordinis informatos Historia, atque ita incorrecta immutataque in Martio edidere.

11 *Statim atque hæc intellexit Reverendiss. Pater Matthæus Orlandus, tum totius Ordinis nostri Prior Generalis, & modo Episcopus Cephaludensis, litteras scripsit P. Danieli a Virgine Maria, Provinciæ nostræ Alumno, Ordinis Historiographo; ut accederet Patres Societatis, illosque interrogaret, quo fundamento Annales P. Joan. Bapt. Lezanæ, viri æ singulari eruditione ac pietate commendati, ita exauctorizarent: cum ea omnia, quæ de S. Cyrillo habet Lezana, referat ex Abbate Joachino (qui claruit circa annum Christi* MCXC.) *Guilielmo Sanvico, & aliis, qui successive post S. Cyrillum annis abhinc trecentis, aliqui ultra & nonnulli citra, scripserunt. Mox Patribus Societatis P. Daniel illas communicavit litteras, rationibus pondus addens & momentum precum, sed in vanum; jam enim præjudiciis præoccupatus erat animus P. Papebrochii, plurium flabellis accensus, certus quasi totius Carmeli diruendi montis; nihil audire voluit, nihil dimittere; sed in suo perseverans Ordinem impugnandi proposito, undequaque congessit futilia & omnino supposititia fundamenta; argumenta formavit, sed mere negativa; conjecturas excogitavit varias, sed novitiæ planeque infundatas; & hujusmodi argumentorum nullius prorsus momenti formandis modis integrum, uti fatetur, impendit quinquennium. Et sic humilis P. Daniel noster cum rubore ab eo discessit, & nihil obtinuit.*

12 *Cum adverteremus, nihil nos simili posse modo efficere, ut suam de Ordinis impugnanda Historia immutarent resolutionem (ex qua non nisi animositates & dissensiones utrimque natæ forent oriri) maturo inito consilio, judicatum fuit publico illis occurrendum fore scripto: ne, postquam sua contra Ordinis Historiam typis vulgassent, ad querelas nostras respondere possent; ut habet P. Maximilianus a S. Maria in suo Harpocrate, post P. Franciscum Bonæspei parte 1. Armament.* " Jam serius est: legistis ea, quæ de Ordi-
,, ne vestro in Martio prælibavimus, ex quibus non
,, obscure colligere potuistis, quod Ordinis vestri
,, Annales funditus in subsequentibus mensibus in-
,, tenderemus evertere; nostras aliunde legistis pro-
,, testationes in præfatione, ubi rogamus de veri-
,, tate instrui, si ab ea recesserimus, statim cum
,, gratiarum actione, quæ perperam scripsimus, e-
,, mendaturi. Quibus non obstantibus, meliorem
,, non dedistis informationem: scriptis nostris acqui-
,, evistis, & tacuistis. Si proinde ex illis, quæ mo-
,, do subsecuta sunt, aliquod patiamini damnum,
,, totum vestro indiscreto imputandum est silentio
,, & negligentiæ. *Occursum est igitur illis, & P. Franciscus Bonæspei, quoad omnia exactissimam, circa Ordinis Historiam, prima Armamentarii parte dedit informationem; ubi Ordinis antiquitatem, ac hæreditariam a Sanctissimo Propheta Elia, usque modo absque ulla interruptione, clarissime & irrefragabiliter, probat successionem, ex S. Scriptura, Pontificum Bullis, Historiis ac Revelationibus a S. Congregatione sæpius recognitis & approbatis, SS. Patribus, antiquissimis Monumentis, Epitaphiis, Fundationibus, Breviariis, Missalibus, Scriptoribus etiam antiquissimis & modernis, etiam externis & cujuslibet Ordinis, imo & quamplurimis celebrioribus ex Societate: quibus adeo fortiter, & aliunde suaviter, Carmelitanam communivit antiquitatem, ut ne vel unicam hactenus periodum citaverit, aut citare valeat Papebrochius, in qua contra justitiam, charitatem, aut modestiam religiosam deliquerit, vel minimam dederit Societati causam offensionis.*

13 *Sed & hæc frustra: vidit, legitque omnia Papebrochius, at nihil pensi habuit: quin imo ejus hinc animus est indignatione in Ordinem accensior: quod mihi ipsi compertissimum fuit, diversis cum ipso hoc super negotio habitis colloquiis, rogando & instando, quatenus in describendis deinceps Sanctorum nostrorum Vitis, præfati P. Francisci informationi Ordinisque Annalibus sese non dedignaretur conformare. Quale autem ad hæc & similia mihi, tunc Conventus nostri Antverpiensis Priori, dederit subinde responsum, malo, ne irritem magis, silentio premere: cum probasse sufficiat, quod his omnibus non obstantibus, a semel concepto evertendorum Annalium proposito noluerit recedere. Quod nostri intelligentes in Urbe Patres, & aliunde animadvertentes, antiquissima, atque adeo solida, pro Ordinis antiquissimi Historia, irrefragabili deducta filo, flocci ab uno Papebrochio haberi, ad ipsum Societatis Præpositum Generalem habuere recursum, cui exposuerunt impugnationem ejusmodi futuram Ordini admodum injuriosam; indeque nihil, quam sine ullo fructu, orituras animorum dissensiones: supplicaruntque, ut male jacta in Martio semina, indeque pejus pullulantia, pro paterna solicitudine, suffocare supprimereque dignaretur in semine, priusquam dissensionum adolescerent in lolium.*

14 *Votis extemplo annuit P. Oliva, pacisque fructum spopondit; ac proinde P. Henschenio, ut Scriptorum digniori, ut per eum ad juniorem Papebrochium deveniret notitia, & suæ placitum voluntatis, litteras scripsit tenoris sequentis:*

Rev. in Christo Pater.

,, RR. PP. Carmelitani valde desiderant, ut eum
,, in Actis Sanctorum, in quibus conscribendis
,, Rev. Vestra versatur, Ordinis istius mentio in-
,, ciderit, antiquitatem illius, quam aliqui etiam
,, e Nostris Scriptoribus adstruxerunt, minime
,, impugnet; quin potius confirmet, si quæ forte
,, in eam rem argumenta suppetant. Cum igitur
,, præclaræ hujus Religiosæ familiæ caussæ pluri-
,, mum cupiam, ad mentem plane meam votum-
,, que faciet Rev. Vestra, si ipsorum hac in re de-
,, siderio fecerit satis. Et certe antiquitatis glo-
,, ria, quæ huic Ordini tribuitur, a nobis, si non
,, confirmanda, *saltem impugnanda non est*. Va-
,, leat Rev. Vestra, meque Deo in Missæ Sacri-
,, ficiis commendet. Romæ 14. Novembris, 1675.
,, Joannes Paulus Oliva.

15 Cum autem Religiosi nostri Antverpienses (ubi degebat P. Papebrochius) compertum haberent, quod nostræ, & aliorum Provinciæ nostræ Religiosorum instantiæ precesque nihil omnino valuissent in Papebrochii animum, ut ab impugnandi proposito removeretur; & aliunde probe iis constaret de missis præfatis Reverendiss. Præpositi ad P. Henschenium litteris; visum illis fuit, suam scripto declarare mentem, æternum ut servaretur in Archivio indicium: quo liquido constaret posteris, nos omni modo contendisse, ne vel minima discordiæ ansa daretur, sed sarta tectaque undique pax atque animorum unio conservaretur. Novas igitur primarii istius Conventus Patres litteras Henschenio & Papebrochio scripserunt, ut ob Historiæ Carmelitanæ impugnatione desisterent; ne alioqui Societatis Jesu & Mariæ familiæ, non absque Catholicorum Hæreticorumque scandalis, non profuturis contentionibus discordiisque involverentur. Sed frustraneus omnino conatus: ne quidem ad informativum voluerunt venire colloquium, aut suas contra Ordinis Historiam nobis dare inspiciendas diluendasque objectiones. Verum cum P. Daniel Papebrochius solus soli Patri nostro Danieli, Ordinis Historiographo, ad illas responderet litteras, licet tamen essent scriptæ ex parte Prioris & primoriorum Patrum Conventus Antverpiensis, & ab his signatæ ac directæ ad Patres Henschenium & Papebrochium; visum est iterato scribere, & ad ipsum Domus professæ Præpositum destinare; ut sic nulla prætexi posset ignorantia, ipsique constaret Præposito, de nostro conservandæ amicitiæ & pacis desiderio & conatu. Scribunt igitur præfato Præposito litteras, significantque scripsisse sese Patribus Henschenio & Papebrochio, suppliciter rogantes, quatenus dignarentur, saltem prius fundamenta & rationes communicare, quibus Ordinis Historiam, tot sæculorum pacifica gaudentem possessione, impugnare volebant. Extant litteræ in Pomo discordiæ, num. 315. & seqq. ac num. 322. & seqq.

16 Sed omnia hactenus, pro conservanda pace a nobis excogitata & attentata, frustranea fuerunt; mansit enim, manetque sui tenax nimium Papebrochius propositi, pergens navare operam argumentis congerendis, quibus Carmelitarum convellat aut evertat Historiam; neglectisque etiam Præpositi sui Generalis commendatitiis litteris, mentisque placito aut voto, in Aprili mense, quamquam nulla sese ultronea offerret occasio, sui nunc amplius vix potens, quidquid adversus Carmelitanum Ordinem toto potuit excogitare aut conjecturare quinquennio, effudit; styloque mordaci ac parum religioso, simul ac semel, ne forte aliquo successu temporis impedirentur, Sanctorum Actis inserta, typis evulgavit: & ubi indubitata hactenus vetustissimaque Ordinis monumenta suis conjecturis, novitiisque speculationibus nequiit antiquare, conatur per frivola & inania fundamenta, ut sunt, Non puto, Non videtur, Non legitur, Forte, Dubitare cogor, Quis credat: &c. evertere. Ad informationes autem, quas illi P. Franciscus Bonæ-spei, prima Armamentarii parte oggessit (ubi ex omni argumentorum genere, Carmelitanam solidissime probat, evidenterque demonstrat antiquitatem) vel verbulo respondere dedignatur, neque ipsum quoque audet nominare auctorem; nisi terminis non satis religiosis, dum ait: Non scribimus vespertilionibus & noctuis; sic virum sugillans a libri titulo, quem quondam indiderat opusculo, quod adversus D. Caramuelem conscripsit, & inscripsit Noctuam Belgicam advertus Aquilam Germanicam &c. Ab eo autem citatas Historias, atque ab ipsa, non uno prævio examine, discussas S. Congregatione, suo audet, ut Commenta, calamo explodere; summorumque Pontificum Bullas & Brevia, quæ gratiose Carmelitano Ordini concesserunt, imposturæ arguere; quamquam eadem a Sixto V. Gregorio XIII. Paulo V. Clemente X. confirmationis robur acceperint.

17 Ad hunc peregrinum adeo parumque religiosum impugnandi modum attonitus prorsus fuit uterque Carmelitanus Ordo; & pro innato sibi zelo, P. Franciscus Bonæ-spei, suum defensurus Ordinem, calamum resumpsit, secundamque Armamentarii partem edidit; in qua prævalide Adversarium pressit confutavitque, eum, quos commisit errores, ad oculos demonstrat; neque alia formasse argumenta nisi negativa, quæ contra Historiam, positivis munitam fundamentis, straminea plane sunt nulliusque roboris; quin etiam ipsius infelicem denudat successum; qui, dum passim auctores citat, eorum plerumque immutat aut mutilat textum, adjectis demptisve, quæ suis novitiis conjecturis fucum aliquem aut apparentem sperat posse conciliare fidem. Solutis igitur per P. Franciscum Bonæ-spei, quæ flaccida atque straminea, ex meris conjecturis & novitiis speculationibus, produxerat Papebrochius argumentis; certam aliquam Carmelitanæ Historiæ, omnis generis fundamentis munitæ, totque sæculorum possessione stabilitæ, victoriam sperabamus & fructum pacis; dum Papebrochius in Maio mense revocaret, quorum convictus fuerat, errores. Sed frustra. Hinc etenim magis animus ejus exacerbatus videtur, cum nullum specificet a se commissum errorem, nullumque recantilet; quin immo novas, planeque inauditas hactenus, ad S. Angeli Vitam Notas excogitavit, omnia & singula, licet quam minutissima, rigorosissimæ suæ subjiciens crisi.

18 Cum vero nobis innotuisset, sudare sub prælo criticas illas Papebrochii Notas, ad nostrum Generalem scripsimus, ut conaretur per Generalem Societatis efficax adversus novam Papebrochii crisim obtinere remedium. Qui una cum P. Carolo a S. Felice, nostrorum Discalceatorum Præposito Generali, P. Olivam convenerunt; suasque de Papebrochio, ob extravagantes in S. Angeli Vitam Notas, exposuerunt querelas; qui quidem strictissima inhibitione injunxit Papebrochio, ut eamdem S. Angeli Vitam, cum novitiis & inauditis hactenus Notis, supprimeret; nec eam, una cum ceteris Sanctorum Actis distrahi sineret. Verum nihili hæc fecit Papebrochius; nisi quod solis a Typographo negaretur Antverpiæ Carmelitis S. Angeli Vita cum Notis novitiis, quæ aliis ubique divendebatur, quo sui Generalis præceptum elusit Papebrochius. Hinc, Beatissime Pater, demonstratur, quam solicita cura, media omnia, quantum potuimus, a nobis excogitata, adhibitaque fuerint remedia, ut sarta tecta pax atque unitas, inter utramque Jesu & Mariæ familiam, conservaretur. Verum irrito ubique successu, ita ut nulla nobis aliunde, quam ab Apostolica Sede spes videatur affulgere. Unde ad Sanctitatis tuæ pedes provoluti, humillime supplicamus; ut, una ex parte mature expensis Historiæ nostræ fundamentis, ex altera vero novitiis Papebrochii hallucinationibus, speculationibus, & conjecturis, quas in Carmelitanam Historiam, & in

hujus

hujus stabilimen concessas Pontificias Bullas confinuit, quod juris fuerit, velit proanuntiare.

19 Hactenus in illa sua Supplicatione P. Sebastianus; qui more suo vera falsis miscens, multa omittens, multa involvens, tam fidenter me accusat, acsi meras certissimasque proferret convictiones, quas neque ego infitiari, neque Societas excusare possit; unde consequenter fiam execrabilis universis, etiam Jesuitis; judicetque non solum prohibendus ab omni scriptione, sed ab aris quoque focisque arcendus. *Ut* autem *ab ipso limine fieret perversionis exordium* (quemadmodum juniori Hincmaro exprobrat senior) avulso qui Supplicationem immediate præcedebat Titulo, quique impressionis locum & annum, ac nomen alicujus nostratis Typographi subscripta habebat, placuit pro unica pagella illa substituere Synopsim totius operis, per integra duo & semis folia chartæ extensam, cum novo Titulo, mentiente impressionem factam fuisse, *Francofurti apud Viduam Zubrodt*. Annus editionis ideo fuit in Titulo fortassis omissus, ad Supplicationem vero & annus & dies, quibus fuerit præsentata, ut, si tunc non conveniret, Libellum aut offerri Romæ, aut alibi publicari, posset *is* alio quocumque aptiori tempore habere usum suum, velut recens in lucem prodiens. Interim judicarunt Superiores Societatis Romæ, concipiendum aliquod scriptum breve, non quidem palam & cuivis exponendum, sed valiturum pro antidoto apud Prælatos Romanæ Curiæ, & alios alibi viros graves, per quorum manus clam aut palam traderetur Supplicatio illa. Scripsit ergo Collega meus (ut supra indicavi) P. Janningus *Instructionem brevem* ad præfatum Libellum: quam placet hic quoque reproducere, ut etiam in hac tertia parte habeat aliquid Lector, contra fraudulentas & captiosas illas *Rationes* atque *Expostulationes*, quæ totum deinde opus conficiunt; earumque confutatione obiter prægustata, instructior accedat ad veritatem Elucidationis nostræ cognoscendam.

CONRADI JANNINGI S.J.T.

INSTRUCTIO BREVIS

Ad Rationes & Expostulationes P. Sebastiani, supplici ejus Libello adjunctus.

20 *Etsi veritas odium pariat apud multos, apud matrem suam tamen, Ecclesiam dico Romanam, parere nil nisi amorem potest illustrantibus ipsam, e tenebris in lucem protractum, Utrumque veritatis partum, ipsam illustrando, sibi peperit P. Daniel Papebrochius, decessorum suorum exemplo laudabiliter atque indefesso studio Sanctorum gloriam cum veritate promovens, colligendo illustrandoque ipsorum Acta, tanta cum utilitate Religionis Catholicæ, ut ipsi in Hollandia acatholici Doctores ac Prædicantes fateantur, hactenus nullum prodiisse Opus, quod continuatam in Ecclesia Catholica ad nostra usque tempora sanctitatem, sacrarum Traditionum atque Rituum successionem, Doctrinæ per singula secula conformitatem, aliaque plura manifestius commonstret, quam* Acta Sanctorum, *a P. Joanne Bollando inchoata, communi bonorum plausu excepta, singulari Summorum Pontificum favore promota; adeo ut Alexander Papa VII. eorum Auctores, tum temporis Godefridum Henschenium & Danielem Papebrochium, a Belgio in Italiam evocaverit, ac bibliothecas tum Vaticanam, tum reliquas omnes ipsis examinandas patere, dato ad hoc diplomate, voluerit.*

21 *Inde in Belgium reversi Patres, ingenti sacrarum notitiarum thesauro divites, cœptum Opus feliciter prosecuti sunt. Cum vero ad Vitam S. Bertholdi, primi Carmelitarum Prioris Generalis, ventum est; ne vel a proposito sibi veritatis studio recederent, vel indignationem PP. Carmelitarum incurrerent, tractando quæstionem de origine Ordinis, ab hac abstinendum sibi, salva veritate & amicitia prædictorum Patrum, putaverunt, Acta S. Bertholdi tantum illustrasse contenti, nulla penitus de antiquitate Ordinis facta mentione. Patet hoc legenti ejus Vitam, impressam Tom. 3. Martii pag. 791. Utinam prudens hoc atque innocens de antiquitate Ordinis silentium (quid enim silentio innocentius prudentiusque, ubi loqui quod sentis, prævides displiciturum offensurumque?) omnibus, æque ac plurimis e PP. Carmelitis, probatum fuisset! Uni præcipue P. Francisco Bonæspei displicuit: qui proinde arrepto calamo librum composuit sub hoc titulo, Historico-Theologicum Carmeli Armamentarium; ubi per triginta & amplius paginas, contra PP. Henschenium & Papebrochium nominatim agens, ipsorum silentium, quod dixi, acriter perstringit, ejusque rationem publice reddi prolixe exposcit. Neque hæc mihi ita asserenti credi velim; Armamentarium ipsum pro me, quæ asserui, probabit.*

22 *Ita per scriptum publicum provocati Patres prædicti, & sua, & Operis sui interesse putaverunt, publico similiter scripto satisfieri provocanti: adeoque Tom. 1. Aprilis a pag. 769. ad Vitam S. Alberti rationes silentii sui exponunt. Verum prius quam rationes istæ typis ederentur, subodorati PP. Carmelitæ illas expectatione sua solidiores esse, provocationis suæ consilium damnarunt, omnemque continuo moverunt lapidem, tum per se, tum per ipsum Societatis Jesu Præpositum Generalem, ut earum editionem impedirent; obtinueruntque re ipsa illum in finem epistolam a dicto Generali P. Oliva, quam & impresserunt in Libello suo supplice, de quo agimus, pag. 10. Sed uti nunc in hoc Libello, ita tunc apud P. Olivam callide tacuerunt de Armamentario & Expostulatione, publicæ luci a se datis, quæ cum P. Generalis ex suorum informatione postea cognovit, ægre ferre non potuit, responsionem paratam publice postulanti reddi. Porro quæcumque in prædicto Libello supplice, pro pace conservanda a PP. Carmelitis gesta, speciose dicuntur, post violatam ex parte illorum pacem per editionem Armamentarii gesta esse, observandum studiose est. Iterum dico, studiose observandum esse, Armamentarium Carmelitanum P. Francisci Bonæspei, publice provocantis atque obtestantis P. Papebrochium, ut suam de antiquitate Carmelitani Ordinis sententiam ferret, multo prius fuisse editum, quam ipse illius mentionem vel verbo fecerit. Patebit id utriusque scripta inspicienti. Atque hoc modo abunde refutatum est quidquid in Libello supplice ejusque Synopsi objicitur non recte P. Papebrochio, quasi primum ipse offensionis posuerit lapidem.*

23 *Circa reliquum porro Libellum, etsi nihil quidquam contineat, quod non pridem aut refutatum, aut gratis asseri monstratum, aut scriptis suppositi-*

pestitiis atque apocryphis niti ostensum sit, notanda nihilominus nonnulla veniunt. Ac primo quidem, quod variis locis reus agatur Papebrochius læsa Majestatis Pontificiæ, propterea quod Bullis aliquibus minorem, quam par sit, reverentiam deferat: scilicet iis Bullis, quas pridem Tom. 1. Aprilis pag. 791. a num. 101. demonstravit apocryphas esse, nec ab ullo unquam Pontifice datas: quasi vero Ecclesiæ sanctitas auctoritasque sine figmentis salva esse non possit.

24 Noto item, quod a num. 23. auctoritate Pontificia canonizatam antiquitatem suam velit Libelli auctor: sed vereor, ne eadem auctoritate antiquiorem faciat Ordinem, quam ipse velit, ac nomen Fundatoris ab Elia ad Enochum transferre cogatur. Nam numero suo 25. ex Julii II. Bulla, qua priores omnes confirmari ait, hæc ipsa verba pro se adfert, scilicet, Carmelitas Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisei, & Enoch... successionem hæreditariam tenere. Ex quibus si quid pro antiquitate ac veri nominis Institutore probatur, non solum probatur Eliam atque Eliseum (ut volunt Carmelitæ) sed Enochum quoque (quod tamen nolunt illi) & quidem primarium, utpote tempore priorem, verum Ordinis Carmelitani Institutorem esse.

25 Tertium noto, nimis indulgenter præsumere Auctorem Libelli, ad evincendam antiquitatem prætensam satis esse, quod illius mentio fiat in Officiis Ecclesiasticis, per sacram Congregationem Rituum aut permissis, aut approbatis. Fateor, ex ejusmodi approbatione historiis auctoritatem accedere, neque ullus id negaverit Catholicus; at vero accedere talem, ut falsum subesse non possit historiis, sub approbatione tali lege permissis, aut ut viri eruditi prohibeantur circa illas disputare, ab iisque ratione bona nixi dissentire, ne ipsa quidem sacra Congregatio prætendit. Patitur enim de facto quæstionem agitari de S. Dionysio Parisiensium Patrono, an scilicet idem sit (quod Breviarium Romanum manifeste asserit ad diem 9. Octobris) cum Areopagita, an vero diversus: item, an a S. Clemente seculo primo missus sit in Galliam, an tempore Decii sæculo tertio. Patitur similiter de historia S. Marthæ ad 29. Julii relata disputari. Patitur denique (ut plura missa faciam) contra adventum sancti Jacobi in Hispaniam, ad 25. Julii a se assertum, rationibus pugnari. Patitur, inquam, Ecclesia de historiis illis dubitari, tametsi in Breviario Romano legantur, atque inde non unius tantum Religiosi Ordinis, sed quasi totius Ecclesiæ traditio fieri videantur; neque injuriosum sibi putat, si quis oppositam assertioni suæ in historiis Breviarii sententiam teneat, Quomodo igitur Ecclesia non patietur similiter quæstionem institui de historiis, in privato alicujus Ordinis Breviario contentis, aut ex speciali S. Congregationis favore recitari permissis? Quomodo item injurius censeri possit cuipiam Ordini, qui ab illius Breviario ac traditione particulari, nixus ratione bona, & auctoritate Historicorum alicujus notæ pœne omnium, recedat? Sed neque ipsi PP. Carmelitæ præcipui in hoc consentiunt Auctori Libelli supplicis. Siquidem ea super re apud S. Congregationem mota difficultate ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Auberto vanden Eeden Antuerpiensium Episcopo, responderunt PP. Carmelitæ Romani utriusque Ordinis, & quidem ipsi Reverendissimi Generales" Nihil se auctoritatis prætendere Officiis suis inesse, præ aliis continentibus histo„rias antiquas, de quibus exacta certaque ha„beri modo notitia non potest „ ut videre est tom. 2. Maji pag. 716. a num. 29. Sed neque parem inesse auctoritatem Officiis Regularium privatis, circa historias antiquas recentissime compositis, & a S. Congregatione pure permissis, atque inest Officiis Ecclesiæ universalibus, ab omni memoria legi solitis, & speciali approbatione confirmatis, ex dictis supra manifestum est.

26 Quartum denique noto, in Libello supplice num. 53. undequaque congeri auctoritates Scriptorum, partim antiquiorum, partim recentiorum duodecimo sæculo. Et antiquiores quidem non nisi duo vel tres citantur, iidemque fidei aut suspectæ aut omnino nullius esse convincuntur, tom. 1. Aprilis pag. 760. a num. 50. Recentiores vero, præsertim cum plerique hujus aut præcedentis sæculi sint, neque ex professo ac studio proprio, sed unius fere Abulensis fide antiquitatem prætensam obiter attingant, parum morari debent illam ex coævis auctoribus studio singulari examinantes, & oppensis diligenter in utramque partem rationibus tandem mature sententiam suam proferentes. Sed neque obtinent auctoritates pleræque id quod prætenditur, neque evincunt quidquam amplius quam P. Papebrochius ultro concedit. Vide enim sis Libellum a num. 69. ubi auctoritates Cornelii a Lapide, Francisci Suarez, aliorumque afferuntur, comperies Auctores præcipuos passim uti particulis similitudinis, dicendo, Eliam tamquam Patronum atque Institutorem esse Carmelitarum; Carmelitas quasi posteros Eliæ esse; item quasi hæreditariam successionem in Monte Carmelo tenere.

27 Nihil autem horum negat P. Papebrochius: quin imo docet, quomodo PP. Carmelitæ Prophetam Eliam appellare possint Ducem, Patrem, Auctorem, & (si ita volunt) Institutorem suum, hoc nimirum sensu, quod per revelationem Prophetæ & jussu ejusdem (quod hactenus fere erat ignotum, & S. Bertholdo primo Priori accidisse, ex contemporaneo Scriptore, tunc Carmelum inviseute, ostenditur) Ordo Carmelitanus initium sumpserit; quemadmodum Ordo Servorum S. Mariæ, ob similem revelationem, illam nuncupat Fundatricem suam. Concedit igitur istbæc ultro Papebrochius, & eatenus optime meretur de Ordine Carmelitano, quod solidum ipsi principium assignet retinendi adeo amotum Eliæ ut Institutoris titulum: unum interea deprecans, ut ne rem incredibilem, & Acta Sanctorum scribentis minime importunam, cogatur admittere; videlicet, Ordinem religiosum a Christo nato duodecim fere sæculis extitisse, & toto illo tempore nulli cuipiam Scriptorum distincte innotuisse; eumdem continuatum sine interruptione, a temporibus Eliæ ad duodecimum usque Christi seculum, successionem tenere; & id auctoribus aut domesticis traditionibus, utrisque sæculo duodecimo multo junioribus, credi debere. Inde enim fieret, ut pariter cogeretur Papebrochius in Actis Sanctorum adscribere eidem Ordini, quotquot fere Palæstina aliæque regiones vicinæ incolas habuere Sanctos, puta SS. Hilariones, Serapiones, Spiridiones; item SS. Basilios, Gregorios Nazianzenos, Cyrillos Alexandrinos; sed & Joannem Baptistam, & ipsam, si Superis placet, Beatiss. V. Mariam. Hi enim omnes, præter innumeros alios, nominatim a PP. Carmelitis inter suos annumerantur, nonnullique etiam variis in locis habitu Ordinis donantur.

Porro

Porro Papebrochium, sensu prædicto, concedere Eliam PP. Carmelitis, patet tum alibi, tum ex tom. 2. Maii pag. 710. num. 9. Quousque autem se extendat ipsius impugnatio, melius intelligi non potest, quam ex verbis impugnantis, quibus ibidem pag. 713. num. 18. ita loquitur: "Denique aliud nihil concludam, quam prætensas Carmelitani Ordinis „antiquitates ejusmodi esse, ut de iis possit non „imprudenter dubitari; atque ipsos dubitantes „nullam facere injuriam Ordinis, sive cum de „illis agere subterfugiunt majoris boni respectu; „sive cum loqui coacti, tandem ingenue confitentur, quid sentiant: quorum primum in Martio, secundum fecimus in Aprili.

28 *Denique sine annotatione prætermittere nequeo, quod Auctor Libelli, in ipso supplicationis exordio, non minus asseveranter de P. Papebrochio, & quidem primo loco, quam deinde de Patribus sui Ordinis pronuntiet, interdictum tam illi, quam istis a Sanctitate sua ulteriori circa eam controversiam scriptione: quod de suis quidem certe scire potuit; de illo nimis temere, ne dicam injuriose, affirmavit. Demus tamen ita esse: profecto si istiusmodi interdictum respectu P. Papebrochii re ipsa factum fuisset, non potuisset severius sibi ipse imperasse silentium, quàm tenuit hactenus; & constanter deinceps tenere animum obfirmavit, nihil importunis quibusvis adversæ partis libellis, ad respondendum identidem provocantibus, a proposito dimovendus, utpote existimans, hactenus allata a se argumenta, ad elucidandam quæstionis propositæ veritatem satis esse veritatis amantibus; nulla satis unquam fore aliter affectis. Utinam eadem mens PP. Carmelitis etiam post interdictum fuisset, nullumque scriptum eorum seu proprio seu alieno nomine monstrari posset! Utinam & modo foret!* Ultimæ huic observationi Janningi nostri, qua modeste sugillat fidem Accusatoris, addere placet manifestiorem minusque excusabilem fallaciam aliam, qua nomini meo & personæ tribuit quasi mea hæc verba: *Non scribimus vespertilionibus & noctuis*; cum sint verba nostri tunc Censoris, Rev. P. Jacobi van Calloen, mei olim in Theologia Professoris, Commentarium meum de S. Alberto approbantis, atque amice adhortantis (*tom. 1. Aprilis pag. 802. ad finem num. 144.*) ne rationem nobis putemus habendam eorum, *qui Berosos, Hunibaldes, Dexteos, Luitprandos, & hujusmodi monstra vel amant, vel etiam mirantur*: & concludens addit: *Non scribitis noctuis, aut vespertilionibus, quibus intolerabilis lux est; sed aquilis, quæ quasi luce ab infantia pastæ, explorata ad meridiem, sola jubare plenæ diei lætantur.* Quæ viri gravissimi & grandævi verba quod P. Sebastianus voluerit intelligere, quasi in contumeliam P. Bonæ-spei dicta, pro suo ingenio fecit, in sequiorem partem omnia torquere solito, quæ me quomodocumque spectant.

29 Porro quod ad ipsum Libellum attinet, qui se Lectori offert, tamquam Pontifici oblatum, idem P. Janningus ex eorum uno, qui Pontifici familiarius assistebant, post Instructionem hanc scriptam studiose percunctatus est, utrum revera oblatus aliquando fuisset Libellus iste: qui absolute negavit ejusmodi quippiam se cognovisse, cogniturus ex officio si factum fuisset. Hinc nihil pronius est opinari, quam quod Carmelitarum Romæ Superiores, jure merito veriti repulsam, ex eo quod Libellus, qui prius erat præsentandus Judici appellato, per eumque communicandus parti, ac denique (si iste pateretur) publicandus; prius toto orbe Christiano sparsus esset, quam aliquid eorum ex juris forma servandum auctores cogitarent; nisi malit quis suspicari, clam quidem traditum, sed privatim consideratum, displicuisse, veritosque delatores actionem prosequi coram Pontifice a talibus paradoxis audiendis alieniore. Ut ut erat: cum, nemine actionem prosequente, nulla fortior causa urgeret, liti necdum contestatæ occurrere, malui tenere cœpti semel silentii propositum, & tenuissem usque modo, nisi resumpto post annos decem certamine, & quidem contra Opus nostrum totum, collatis plurium suorum studiis instructior P. Sebastianus, & clandestina apud Inquisitionem Hispanicam aggressione victor, coegisset animum advertere ad pericula & damna, ex isto silentio nata, ac porro nascitura. Quare & Responsiones, per omnes Exhibitionis Articulos ductas, confestim edidi; & nunc prosequor reliquias accusationum, alio in genere objectarum, velut perfunctus prima maximeque necessaria defensione.

CAPUT I.

Quomodo circa caput totius Controversiæ, ab anno 1635. se gesserint Patres Bollandus & Henschenius; ac denique ab anno 1660. cum illis Papebrochius, usque ad editum anno 1669. Armamentarium Carmeliticum: quo illi nominatim provocabantur, ad rationem reddendam sui, studiose (ut dicebatur) affectati, de dicta controversia silentii, vel obscuræ brevitatis.

ANnus labitur sexagesimus quartus, quod piæ mem. R. P. Godefridus Henschenius, acri vir judicio & ad quoscumque studiorum labores impiger, suo in Rhetoricia quondam Magistro, Rev. P. Joanni Bollando socius additus fuit ad Acta Sanctorum colligenda, quæ Heribertus Rosweydus obiter delibata reliquerat moriens; Bollandus vero, solus in opere per triennium, nec tamen uni illi rei vacare permissus, deducere cœperat, secundum ideam animo præformatam, qua sperabat intra tempus non admodum longum posse compleri Annum sacrum, voluminibus duodecim, aut pluribus, uti in ejus Vita ante Martium docui. Bollando Januarium prosequente, Henschenio autem exorso sui experimentum dare in Februario, illustrandis gestis S. Amandi Flandrorum ac Brabantinorum Apostoli, seque in difficillimas quæstiones, & eatenus fere intactas Chronologiæ Franco-Merovingicæ immergente; certoque, posthabitis quibuscumque præjudiciis, nihil indiscussum relinquere, quod ad argumentum propositum spectaret; cito apparuit, quam longe aliud, & huic erudito sæculo dignius evadere opus posset, si eadem forma induceretur Januario, quamvis sic tardius processuro.

31 Ergo, dimisso secundo mense, in quo tam feliciter Henschenius cœperat laborare; suspensa etiam ad tempus aliquod impressione, usque ad vigesimum ternionem & ultra 250. paginam

pro-

progressa, recognosci cœpere priores quatuor dies, & initium quinti, si forte mutatis foliis pauculis, omissisque nonnullis & aliunde suppletis, fieri posset, ut secuturis minus dissimilis illi quoque viderentur. Fuit etiam inter alia deliberatum de Vita *S. Telesphori Papæ*, a Zegero Pauli Carmelita composita: sed quoniam eam jam impressam haberi sciebant illi, qui Bollando adhuc solitario persuaserant ipsam recipere inter Acta, & sine eorumdem offensa gravi non poterat ea aboleri, aut supprimi; excusationis apud eruditos habiturum se satis Bollandus credidit, quod alieno nomine ac fide ita Vitam illam fecisset imprimi, ut aliud nihil præfatus sit brevi decem lineolarum Commentariolo, quam qua ratione Sanctum, in vetustis Martyrologiis relatum die secundo Januarii, hodierni Romani correctores, cum iisque Patres Carmelitæ, recolere cœperint die quinto.

32 Caverat etiam, ne titulo *Papæ & Martyris*, adderet (quod optabant & speraverant illi) titulum *Carmelitæ*; caveras, ne verbo vel unico, ad præfati Zegeri Notas addito, ipsas sibi probari indicaret. Verum cavere ea ratione non potuit, quin illi, veluti summum votorum consecuti lætarentur, confiderentque facile impetraturos se, ut ceteræ quoque, quas ipsi suggesturi essent, idemque Zegerus sub manibus habebat, Vitæ Sanctorum Carmelitarum, seu verorum seu prætensorum, eodem modo susciperentur. Cavere denique nec hoc potuit, ne deinceps passim & quotiescumque incideret occasio, allegarentur *Bollandus atque Henschenius in Vita S. Telesphori*. Doluit ille quidem, nimia sua facilitate factum, ut hoc liceret Patribus Carmelitis; sicut Theophilus Raynaudus doluit, quod eorumdem arbitrio commiserit suum de Stockiano Scapulari opusculum: sed ne malo pejus remedium foret, ut hic, sic ipse dissimulandum sibi credidit, eorumque conservandam amicitiam; adhibita majori imposterum cautela, ne in eumdem lapidem rursus impingens, minus excusabilis videretur. Ergo, non facile decipiendus amplius, abstinere ab ita manum constituit, ubi non liceret sibi amicitia salva quod sentiret eloqui; & lampadem, in Carmelum ferendam cum opus esset, tradidit Henschenio.

33 Hic *Anastasii Persæ* illustraturus Acta ad diem XXII. mensis, solum scripsit, quod, Benedictinis ipsum sibi vendicantibus nullo solido argumento: *Carmelitæ ut sui Ordinis alumnum Officio duplici colant*. Non ita paucis expedire se potuit ad diem XXVIII. mensis, propter celebrem & acrem pro S. Cyrillo Alexandrino contentionem, Baronium inter & Carmelitas. Mediam tamen inter utrosque viam quadamtenus tenens, scripsit de Monachatu ejus integrum fere Paragraphum, cujus synopsim hanc posuit in margine: *Carmelitam fuisse male probatur ex Scripto quodam Gallico, nullius fidei, adeoque explosо a Baronio. Joannes Hierosolymitanus, antea Monachus, an in Carmelo, & Cyrilli magister, non constat*. Recte omnino, eoque prudentius, quod antea præmiserat, S. Cyrillum istum, cujus sorores aliique consanguinei Alexandriæ commorabantur, *genere & orta Alexandrinum fuisse haud obscure indicari*. Hoc ipsum tamen in gratiam Carmelitæ Alegræi, Cyrillum Constantinopolitanum facientis, pariter indecisum relinquens, & ad §. 3. transiturus, *ad certiora*, inquit, *properemus*.

34 Ad eumdem vero diem XXVIII. datutus Acta *S. Jacobi Pœnitentis*, prope Carmelum commorati, cavit quidem, ne Carmelitarum faceret mentionem; sed eum Commentarium Bollandus recensens, recordatusque erroris in Telesphoro commissi, non potuit se continere, quin adderet, nihil causæ videri, cur Alegræus, omnes Orientales Sanctos primorum quinque seculorum Monachos adscribere suo Ordini solitus, quamvis longe extra Syriam vixerint; hunc, tanto propiorem Carmelo, non etiam adscripserit Carmelitis, seu veris, seu causa exempli adscitis: quo solo titulo tales posse Carmelitis conjungi, *multi ex recentioribus existimant, qui undecim seculis integris negant Carmelitarum vel nomen prolatum ab ullo eorum temporum scriptore; at contra constare, ante S. Hilarionem nec auditum quidem in Palæstina & Syria nomen Monachorum, Hieronymi testimonio firmant*. Tomo autem 3. Februarii, ad diem mensis XXVIII. quo inveniebatur Carmeliticis quibusdam Kalendariis inscripta *B. Angela Bohema*, nihil amplius audens Carmelitis credere, quod non inveniret ab aliis quoque scriptoribus traditum, distulit ipsam ad 6. Julii, quo dicitur obiisse. Addidit quoque, habere se *Vitam manuscriptam, haud tamen examine egentem*. Nec immerito hoc addidit; cum inter alia affirmetur, quod Angela illa fuerit *Raymundi Regis Bohemiæ filia*, qualem Regem Bohemia tota nullum novit.

35 Ad hunc locum, aliosque prænotatos, scio non defuisse qui quererentur: sed necdum historiis suis tam firmiter adhærebant Patres Carmelitæ, multo quam nunc moderatiores, ut in tam manifeste dubitantes consurgerent, sibique indici a Jesuitis bellum clamarent, arma inferri, injuriam fieri, totius Ordinis linguis calamisque vindicandam: imo, modo sic pergeret Henschenius, profitebantur abunde facturum amicitiæ satis. Id vero faciebant eo magis, quo jucundius eos afficiebat *S. Petri Thomasii* Vita, die XXIX. Januarii edita, auctore Philippo de Mazeriis, Cancellario Cypri, individuoque postremis annis ejus expeditionum comite usque ad mortem. Quamvis enim istic alia omnia de Sancto narrabantur, quam in Carmelitano Thomæ Saraceni Menologio: nemini tamen satis animorum erat, ut hunc, multa ex sua phantasia scripsisse convictum, tam certo & tam irrefragabili testi componerent, nedum præferrent.

36 Quin imo, considerantes fieri posse (sicut & contigit) ut ad hunc modum ab Henschenio deinceps in lucem proferrentur certiora de sui Ordinis Sanctis monumenta, quam quæ sui ipsorum scriptores secuti in graves palpabilesque errores impegerant, amare cœperunt veritatem præ mendacio. Sed cœperunt tantum. Cum enim eamdem Vitam ipsis rogantibus seorsim imprimendam anno 1659. Henschenius dedisset, & Fr. Valentinus a S. Amando Indicem confecturus, istic ubi *Elias* dicebatur *primus Patronus Ordinis*, substituisset *Fundator*; idque non pateretur Auctor Henschenius, & omnino juberet *Patronum* restitui; certius ex textu aliud probari non posse, in eo sensu, quo passim *Fundatores* dicuntur; cœpit idem ille Valentinus mussitare inter suos, ne putarent historias Ordinis ei bene credi, qui circa capitale istud

pun-

punctum nollet conſentire, neque plus aſſerere quam ex coævis vel alias congruæ antiquitatis ſcriptoribus probari poſſet.

37 Alt vicit pro tempore prudentia eorum, qui judicabant eo cogendum neminem; ſed circa indubitatos Ordinis Sanctos accipiendum, quod dabatur a viris religioſis & eruditis, omnemque circa eos operam pollicentibus; circa antiquiores vero & ſeculo 12. priores proteſtantibus, ſe non poſſe ullatenus ipſis favere. Manſit ergo hac lege amicitia firma, poſt annos abinde ſeptem novo firmata beneficio, æſtimato æque ac prius *æterna Ordinis gratitudine digno*; quo, poſt Bollandi mortem celebratalque eidem velut optime merito exequias ſoleones, alteram præfati S. Petri Thomaſii Vitam eiſdem Patribus dedimus imprimendam, confirmativam prioris. Scripta hæc erat a Fr. Joanne Carmeſonio, Minorum in Terra-Sancta Miniſtro, ſtatim poſt Petri mortem advecto in Cyprum; ubi & oratione funebri defunctum laudarat, & in miracula, quæ patrari dicebantur, quæſtionem inſtituerat, Canonizationi promovendæ ſubſervituram.

38 Amicitiæ, tam bene (ut credebat) conſtitutæ fiducia nixus porro Henſchenius, & eadem, cui acquieſcere Patres videbantur, moderatione uſurus, procedebat in Martio, jam imprimi cœpto; atque de primo & tertio Carmeli Prioribus ſanctis, *Bertholdo* & *Cyrillo* acturus; licet locus is poſcere videretur, ut de prætenſa Ordinis proceſſione ab Elia ſucceſſioneque in Carmelo uſque ad Bertholdum ſuam diceret ſententiam, & de ea quæſtione, deque illo, quem ſub dictis Prioribus Ordo cœpit habere, ſtatu multa haberet dicenda; ex P. Danielis a Virgine Maria, aliorumque judicio, ſic ordinavit perbrevem de Sanctis illis duobus tractationem, ut iis, quorum confutatio ingrata erat futura, omiſſis, certiora dumtaxat aliqua efferret, unde conſtare poſſet, quo tempore ambo floruerint, & quo jure poſſent in Opere noſtro locum habere. Placuit prælaudato P. Danieli, qui jam impreſſa de S. Cyrillo aliquoties legerat probaveratque, placuit & aliis modeſtioris zeli Patribus moderatio talis, qua ſcilicet pergebamus abſtinere a controverſia circa ipſorum antiquitatem movenda: id quod obſervatum ſuiſmet oculis videns P. Daniel in Commentario Notiſque ad Vitam S. Cyrilli, ſemper ſibi gratum eſſe declaravit, verbis honorificis plenam ſatisfactionem teſtatus.

39 Quid autem dico verbis? Voluit etiam, Provincialis exiſtens, rebus ipſis teſtari, quanti faceret noſtrum erga ſuum Ordinem affectum: & exemplo plane nobis inexpectato ac novo, miſit adm. Rev. P. Gerardum a Puero Jeſu, tunc Priorem conventus Antuerpienſis, qui a Rev. P. Petro vanden Berghen, Domus noſtræ Præpoſito, impetraret facultatem redhibendi reciprocæ gratitudinis affectum, religioſæ ac fraternæ caritatis epulo nobis præbendo. Ad hoc ut novæ ſymbolæ afferret aliquid P. Henſchenius, ſecurus de priori ſua circa *S. Cyrillum* commentatione (utpote, ſicut dixi, jam ſæpius probata) deproperavit alteram de *S. Bertholdo*; dumque apparatur menſa, coram iis, qui nos invitaverant, legit, ſimili quo priora ſucceſſu; niſi quod Sauſſaii circa Sanctum iſtum errores, ſane craſſi, crediti ſint poſſe diſſimulari, ne per ejus latus viderentur peti auctores Ordinis, ex quibus eos hauſerat. Horum ſic geſtorum memores, & ex Martio ſic prodituro offenſiunculam nec minimam quidem formidantes, ſed grande augmentum amicitiæ pollicentes nobis; quid mirum, ſi ad inexſpectatas non unius hominis querelas ſumus aliquantum commoti?

40 Fuit hic *Adm. Rev. P. Franciſcus Bonæſpei*, Provinciæ Flandrobelgicæ Exprovincialis, turbis inter ſuos excitandis notus; qui tunc Adm. Rev. P. Provinciali Aſſiſtens, & fretus æſtimatione doctrinæ, quam ſibi acquiſiverat in alma univerſitate Lovanienſi ſacræ Theologiæ Profeſſor emeritus, adhuc tumebat ex ſucceſſu, quo ſibi ſuiſque videbatur anno 1664. non ſolum demonſtraſſe grandi libro, *Viſio Eliæ* dicto, fuiſſe huic Prophetæ, in nubecula de mari aſſurgente, revelatam immaculatam Deiparæ Conceptionem, adeoque primos fuiſſe Carmelitas in eadem colenda ac propugnanda; ſed etiam per Appendicem apologeticam libro iſti ſubjunctam, ſe credebat debellaſſe eximium P. Chriſtianum Lupum, in eadem Lovanienſi Univerſitate S. Theologiæ Doctorem Auguſtinianum, qui Joannem Jeroſolymitanum in ſuis ad Canones quinti Concilii Notis comparaverat Tertulliano & Origeni, pro quorum orthodoxia vindicanda, *fruſtra quidam in Eccleſiam apologias ſpargunt, Æthiopem lavant, compeſcendaque ſunt ut ingenia libertina & noxia, niſi brevi etiam pro Martino Luthero & Joanne Calvino velimus apologias videre*. Neutrum triumphum (ſi tamen triumphus fuit, quod aliis judicandum relinquo) neutrum, inquam, invideo emerito Theologiæ Profeſſori in argumento Theologico: ſed vellem, ut iſta ſua ſparta contentus, non tranſiliiſſet ſtadii eatenus non illaudabiliter decurſi lineas, extemporalis factus ex Theologo Hiſtoricus: neque perſuaſiſſet ſuorum ſociorum præcipuis aliquot, etiam nos, nec ſibi nec ſuis moleſtos, ſed quantum ſalva veritate licebat indulgentes, provocandos publico aliquo ſcripto, atque cogendos ad reddendam ſilentii prioris rationem; ſive, ut ille appellabat, *brevitatis obſcuritatiſque affectatæ*, quam cum ſui Ordinis incredibili præjudicio conjunctam eſſe arbitrabatur.

41 Quid non egi? Deus bone! quo me non demiſi? ſuadendo, orando, verbis & ſcriptis apud P. Danielem, ut ab iſto conſilio abduceret hominem, nihil moderate facturum; perſuaſumque, poſt tam diuturnam exercitationem inter ſcholarum cathedras, nulli diſputationi ſe imparem eſſe, quacumque in materia; cum tamen Theologus, quamtumvis profundus, ſi ſtudium hiſtoriarum tractare non didicerit cura ſpeciali, non magis ad aliquid in hoc genere ſapienter definiendum idoneus eſſe videatur, quam ad inſtruendos diſcipulos in arte poetica. Monebam igitur & orabam P. Danielem, ſuaderet ei, ut a nobis nominatim laceſſendis deſiſteret. Sed ſurdo fabula canebatur: nam etiam hic, quem ſperabam mediatorem, cœperat adverſari palam, & priora de ſcriptis in Martio retractare judicia, neſcio qua ratione ſe deceptum cauſatus. Prodiit ergo ſub nota anni 1659. id eſt immediate poſt Martium, juſtæ molis liber, cui titulus erat: *Hiſtorico-Theologicum Armamentarium, proferens omnis generis ſcuta, ſive Sacræ Scripturæ, ſummorum Pontificum, ſanctorum*

Pa-

Patrum, Geographorum & Doctorum, tam antiquorum quam recentiorum auctoritates, traditiones & rationes, quibus omnium Amicorum dissidentium tela, sive argumenta, in Ordinis Carmelitarum antiquitatem, originem, & ab Elia sub tribus essentialibus votis in monte Carmelo hæreditariam successionem, & huc usque legitime non interruptam vibrata enervantur. Isti autem *Amici dissidentes* (sic enim molliori vocabulo nominari placuit eos, qui sub initium impressionis a *pag.* 118. ad 160. vocabantur *Æmuli*) Isti, inquam, *Dissidentes Amici* erant, primi quatuor ex nostra Societate assumpti; *Franciscus Salmas, Christophorus de Vega, Franciscus Suarez, Petrus Redanus*: quasi Societas nostra præcipua esset inter omnes Religiones in oppugnanda Carmelitana antiquitate, pro qua tamen ex eadem Societate quamplurimos (dum fert usus) nominare solent, qui eamdem suo assensu videntur roborare.

42 Post primos illos quasi duces, & alios aliunde tres cum Cardinali Baronio, sequuntur Prætensiones aliorum: quos inter ego & Henschenius protracti ad judicium sumus, *ob quinque argumenta, dubia saltem & obscura*, videlicet, I. *a translatione Ordinis è Terra Sancta in Europam, post annum 1099. II. a Bertholdo, primo Ordinis in monte Carmelo Priore. III. a sententia Em. Baronii de origine Ordinis Carmelitarum, sub Alexandro Pontifice & Aymerico Patriarcha Antiocheno. IV. a flore Ordinis Carmelitarum sæculo* XII. *&* XIII. *& tunc Generalium acceptione. V. à Joanne de Lezana & Danielis à Virgine Maria novarum rerum scriptionibus*. Vere *dubia & obscura argumenta*, cum ea trahuntur, quo per vim contendit ea esse trahenda Armamentarii auctor: in nostro autem de Sanctis Bertholdo atque Cyrillo contextu plana sunt & clara; non *Argumenta* (nec enim ibi argumentamur) sed simpliciter prolata, ut posita extra controversiam.

43 Argumenta nempe dicenda erant, ut essent quæ retunderentur; cum non minori injuria nostra, qui dicebamur tam futilibus niti; quam Fratrum suorum perniciosa deceptione, quibus de adversariis tam leviter armatis facillima promittebatur victoria. Per numeros porro sexaginta duos aliud nihil agit Auctor, quam ut nostro nos officio defuisse ostendat: *Nam*, inquit num. 818. *dum aliqua spectant ad materiam, qua tangitur, notoria est controversia; qui materiam tangit & controversiæ resolutionem prætermittit, non illustrat; sed aperte, contra omnium expectationem, quasi oneri succumbens, eam controversia indecisa, in appendentibus obscuritatem & confusionem, illustrationi a se prætensæ contrariam, relinquit*. Enimvero cur non relinqueremus, licet oneri pares? Cur contenti alias partes Carmelitanæ historiæ illustrare, in ea non parceremus labori, ubi lucem inferre erat odium incurrere? Non igitur imbecillitas ea fuit, sed discreta caritas, ab infirmis oculis lucem subtrahens nocituram.

44 Sed nihil tale Armamentarii Auctor cogitare de iis voluit, quorum in Prologo Paragraphi tertii laudaverat beneficia, ut *æterna totius Ordinis gratitudine digna*; eum *agnitione debiti erga Societatem nostram, numquam ad æqualitatem persolvendi*. Interim, gratiose supposuit in eodem Prologo, quod *omni scriptorum & librorum thesauro abundantissimi, forte fortiores & convincentes haberemus auctoritates*: *quas* tamen, inquit, *dum non producunt, nec nos* Carmelitæ, *cum notabili totius Ordinis & nostræ antiquitatis præjudicio, supponere debemus*. Hactenus id ab eis non exegerat P. Henschenius, nec ego eram exacturus. Abundassent illi in sensu suo, & fundamentorum suorum præsumpta soliditate nixi, pleno ore dixissent, quod *Triumphator Henschenii ac Papebrochii Jesuitarum, novissimorum Ordinis hostium* (sic enim publice ac privatim a suis tunc appellabatur P. Franciscus Bonæ-spei) in Partis primæ Præfatione scripsit; dixissent, inquam, non obloquentibus nobis, *Carmelitanam historiam tot & tantis communitam esse scutis, ut ipsa subsistere debeat, aut nulla*. Si aliquando apud P. Danielem, tamquam amicum unanimem, privatim fassus sum, illa omnia fundamenta, quantumcumque ipsis videantur immobilia, mihi æque ac pluribus eruditis viris esse suspecta; id feci vel verbo, vel per epistolam; tamque familiariter, ut nihil inde metuens incommodi, nequidem retinuerim ejus apud me copiam, qua postea ad mei purgationem uterer si opus foret. Ea autem epistola vel non debuerat ad publicæ litis contestationem adduci, vel adduci integra: & tunc constitisset lectoribus omnibus, etiam Carmelitis, quam sincere candideque in hac causa processerim; & quam ex animo voluerim declinare certamen, rebus, ut tunc erant, meis studiisque perquam incommodum.

45 Pergebat nihilominus Triumphator noster provocare: & num. 804. aliquam nobis, ex multis quibus nititur, auctoritatem adducens, *aut illam*, inquit, *debent admittere* (quod vero de illa dicit, etiam de cæteris intelligi voluit) *aut fortiorem opponere: aut, si illam, contra totius Ordinis inconcussam acceptationem, habeant suspectam, suspectationis efficacem reddere rationem; ne ipsorum nuda stet pro ratione voluntas: quæ si sufficeret, actum esset de Vitis & Actis Sanctorum, quibus operose & laudabilissime incumbunt*. Talibus provocationibus, per paginas triginta duas late deductis, constricti, & veluti tormentis eculei ad intima cordis arcana patefacienda adacti, quid faceremus? Impetraverant illi quidem ab omnium prædictorum initio Reverendiss. P. N. Joanne Paulo Oliva commendatitias ad nos litteras, quibus moneremur: *ne fundatorem Eliam vellemus ereptum Carmelitis*, id se temere significantibus: *eorum enim sententiam, si confirmare non possemus* (quod imprimis optasset) *haud tamen esse oppugnandam*, scilicet propter bonum pacis inter Ordines servandæ.

46 Verum ubi Judex ille æquissimus, viso libro, deceptum sese, nosque non aggressores, sed defensores fore intellexit; responsum, tanta cum importunitate ac violentia extortum, reddere permisit; eo etiam libentius, quod promitterem, plusquam dimidiam eorum, quæ præparata habebam, partem resecandam (quod & feci) nihilque hac vice definiendum a me circa Eliam, fueritne veri nominis Monachus, seu Religiosus essentialibus tribus votis Religiosis adstrictus (id enim posse differri in Julium) sed solum rationes reddendas nostri silentii, de Ordinis ab eodem, ut prætenditur, instituti successione usque ad Bertholdum; quam successionem, prout ipsi illam volunt ab annis bis mille ductam, si reciperemus, omnes fere totius Orientis Monachos, & magnam partem Occidentaliam,

PRIVILEGIVM DAGOBERTI I.R.F

In nom pa tris & filii et sps sci omnsu xpia norū noue

consilio episcoporu meorū consitumq legatos dem

inquireret mihiq per se ipsū indicaret quibus g

it ... a pristinis tem poribus esset subiectū

Hactenus tres primæ lineæ originalis membranæ, quæ ferme quadrata est: aliæ quinde

post has sequitur subsignatio Regis et Cancellarii, hac forma; nis

actū pridie nonas aprilis anne regni

signum dagoberti regi

SPECIM

archicapilani recognovi

sub eoder

fuæq fi

in nomine scē et indiuiduę trinitatis

INITIVM PRIVILEGII HENRIC

Anno MLXXXVII dati pro Basilica S. Servatii Traj

ex originali membrana, quæ in Archivio Capituli asser

in nomine sancto et indiuidue trinitatis et uictorio sissi

Iisdem litteris, sed paululum minoribus, exprimitur Signum Domini Heinrici Quarti IIII, Regis et Imper

RAN. PREVIR.

:rit in duſtri n con ſen tienti

ea pat ut diligenter

tū vel cuius

pucto r i bu

h a n c per ci p i e n s

:im forma litterari

i quod penultimu



n̄ r i x x i

s heri ve

IEN PRK

n Rege

ctionis evi

da gober

IANI

ectenſis

vatur

mo crucis us

atoris Monogramma nostra loco vacanti expressimus.

Propylaeo tom 2 ... pr. Post pag 12 Tab

MARTYROLOGIVM
S. HIERONYMI.

quale in membranis Epternacensibus ante annos nongentos scriptum servatur, et anno 1626 æri incisum usq; ad Iulium habetur in officina Plantiniana, cura R.P. Heriberti Rosweidi S.I., sumptu CL.V. Balthasaris Moreti.

Domino sco fratri hieronimo prb
Chromatius et eliodorus episcopi indno salt
Cum religiosissimus theodosius ags mediolanensium urban
fuisset ingressus uniuersos et episcopos italiae ad se inui
tasset ob causam aliquantorum episcoporum qui ex arria
na pace suas animas inquinassent contigit et nostram paruitatem
in eodem deuenisse concilio in quo cum dicenda dicta essent et difinienda
difinita coepit christianissimus princeps scm gregorium cordubensis episcoporum
ecclesiae meo praesente ancoretam quod omni die siue non ieiunans
martyrias siue ieiunans uespertinas explicans misas eorum marty
rum quorum natalicia essent plurimorum nomina memoraret
Factumq; est ut omnes pariter statueremus ad uestram nos scribere
caritatem ut famosissimum feriale de archiuis sci eusebii caesareae
palestinae sacerdotis inquirentes martyrum ad nos dirigere festinetis
ut possit hoc officium per uestram sanctam industriam melius et perfectius
di martyribus exhiberi — Item hieronimus

Chromatio et eliodoro scis episcopis
hieronimus indno aeterno salutem

Constat dnm omni die martyrum suorum triumphos
ampliare quorum passiones a sco eusebio caesariensi episcopo
scribtas repperimus nam constantinus ags cum caesaream
fuisset ingressus et diceret memorato antistiti ut peteret aliqua
beneficia caesariensi eccle profutura legitur respondisse eusebium
opibus suis ditatam esse aecclesiam nulla petendi beneficii necessitate
compelli sibi tamen desiderium inmobile extitisse ut quid ubiq; in re quis
publica romana gestum fuerit circa scos di iudicibus iudicibus succedentibus
in uniuerso orbe romano sollicita perscrutatione monimenta
publica discutiendo perquirerent quis martyrum a quo
iudice in qua prouincia uel ciuitate quo die qua ue passione
perseuerantiae suae obtinuerit palmam dirigerent sub
locum ipsi eusebio regio iussu dirigerent Unde factum est ut idonei

INITIVM ET FINIS PRIVILÆGII ACA

in nomine patris et filii et sp̄s s̄c̄i N otū

gr̄a d̄i rex francorū longobardorū acp̄atric

fignum caroli gl.

data menfe augufto anno xi regni nr̄i

ALIVD LOT

in nomine patris et filii et sp̄s s̄c̄i cum regalis officii fit

ad d̄m pertineant hoc eft in aecclefiis ftabiliendis feu confi

ego grimlandus ad uicem aduencii archicapella

data mettis ciuitate xvii k̄l mai anno domini

anno ferenissimi regis lotharii xii in d̄i nomi

ROLO MAGNO DATI MONASTERIO

. fit omnibus in xp̄m fideliter credentibus regibu

ius romanorū pro remedio animę meae atq; stabi

rio sfs simi regis radolrei regi



ata patres brona fisco nr̄o

fug ip

HARII REGIS.

diuersarum partium negocia pia sollicitudine pri


e mandis abantecessoribus nr̄is in honorem dī constru



ni recognoui

ice incarnationis dccc lx viii indictione pr

ne feliciter amen


PRIVILE AB OTTONE I IMP DAT
In nomine scae et indiuiduae trinitatis otto diuina
quam futurorum industria qualiter nos interuentu dil
quam futurorum mdustria qualiter no interuentu d
signum domni ottonis magni
data viii id ian anno dominice incarnationis dcccc lxvi indict vi
data viii id ian anno dominice incarnationis dcccc lxvi. indict u
ALIVD AB HENRICO
in nomine sanctae et individuae trinitatis Heinricus diuina
preuidere maxime tamen et magis ppne illi aecclie utilitatib; 9sulere n
preuidere maxime tamen et magis ppre illi aecclie utilitatib; 9sulere n
signu domni Heinrici tercii regis inuictissimi
Eberhardus cancellarius uice d oni bardoni
Data viii kl Aug Anno Incarn dni mill xliii. Indict xii Anno aut domi EINRICI t
Data viii kl Aug Anno Incarn dni mill xliii. I icti xii Anno aut domi HEINRICI t

V / DCCCCLX VI.

R

delium nostrorum tam praesentium

.fitte atu et incolomitate regni uel

iu.

fius


militer amen

uuiter amen

L III.


auersarum partium negotia pia sollicitudine

gitimo iure in regnum nos associare et sublimare



NOTA

In utroq. hoc Ottonis atque Henrici Privilegio linearum inter valla, ipsaq. adeo apicum fastigia, tertia sui parte contractiora hic spectari, quam sint in membranis originariis: alias lamina una utrumq. specimen capere non potuisset. Similiter contracta est amplitudo signi notarialis primi. Signum quoq. Henricianæ manus quadri majus erat, et quidem non calamo, sed typo expressum. Ast sigillorum integra magnitudo mansit, minuto duntaxat circulo abundantis circumquaq. ceræ, medium fere pollicem lato, in Ottoniano æque ac Henriciano.



Ne spatium vacet, exhibetur Notariale signum cum vestigio residui sigilli, quæ in specimine Privilegii Hlotharian amissa fuerunt

eri, feliciter, Amen

In Propylæo tom. 2. Apr. post pag. 22. Tab. 5.

talium, teneremur Ordini isti expresse adscribere in Opere nostro. Nostræ autem ad illam sic recipiendam tergiversationis rationem intendebamus reddere, non negando absolute & in terminis illam originem successionemque, sed solum demonstrando, quanto jure suspectæ nobis sint auctoritates, quibus illa hactenus probata fuit; animo videlicet sic comparati, ut, si certiora istis & meliora producerent, (sciebamus autem nulla haberi) continuo in eorum sententiam manibus pedibusque iremus.

47 Hæc dum aguntur, futurum sentiens P. Daniel a Virgine Maria, ut non omnino sileremus, expressit a suo Reverendissimo Generali, Matthæo Orlando, litteras Roma datas XIV. Octobris 1671. quibus rogaremur, ut acturi de B. Alberto & Regula ab ipso data Ordini, *sequeremur informationes a dicto P. Daniele nobis dandas; &, sicubi alleganda esset Cæsaris Cardinalis Baronii auctoritas, non illam nude (sicut factum in Martio) sed cum aliqua explicatione insereremus; ne quod ipse de Carmelitano Ordine non sine passione scripsit, & nos probare videremur. Non enim ignotam esse, ipsum Ordini Carmelitano ob causam aliquam offensum, & inde etiam infensum fuisse; & de eo quædam scripsisse, non sine grandi & patenti passione.* Cardinalem Baronium non fuisse in eadem cum Carmelitis sententia circa S. Cyrillum Alexandrinum sciebamus quidem; *offensum, ideoque infensum, & ex passione scripsisse*, ignoramus plane; neque adhuc credimus; cum videamus, Ordinis inimicos & hostes censeri omnes, qui non satis placentia scribunt & sentiunt de ejus origine: argumentum offensi animi sane perquam debile. Interim Reverendiss. P. Generali præfato in hæc verba respondi, exeunte Decembri.

48 *Reverendissimæ Paternitati Tuæ primum maximas agimus gratias pro affectu, quo memoriam optimi P. Bollandi nostrumque de Sanctis opus prosequitur Ordo Carmeliticus. Huic ut pari affectu respondeamus, dedimus ac porro dabimus semper operam. Nec autem fuerat necesse nos tam operose rogari, ut de Sanctis vestris quam fieri potest copiosissime scriberemus, ad id tum nostra sponte, tum ipsa susceptæ scriptionis ratione inclinatissimi: si quid tamen in iis probamus minus, id præter consuetudinem a nobis circa alios usurpatam, malumus premere amice silentio, quam inprata controversiæ discussione imminuere suavitatem ejus caritatis, quæ nobis hic cum Patribus vestris longe suavior familiariorque, quam cum ullis aliis Religiosis intercedit, verbis factisque testata. Quæ de S. Cyrillo habemus in Martio, ea Adm. Rev. P. Daniel a Virgine Maria aliique ex vestris legerunt & probarunt verbotenus, priusquam imprimerentur: adeoque culpari non possumus, si verbum aliquod, ab ipsis censo inoffense lectum, displicuit postmodum alicui alteri, ingenii minus commodi viro. In elogio B. Bertholdi, eorumdem suggestione semel iterumque refecto, pro verbis Saussaji ex Martyrologio Gallicano acceptis, quæ illi omitti malebant, quam refutari (nam cetera omnia iidem ipsi probabant) substituimus disquisitionem de tempore, quo vixisse potest Bertholdus: neque aliud illic a nobis intendi, patet ex Synopsi marginali, quæ talis est:* " Gaudium ob recuperatam Terram
„ sanctam, secutus luctus ea amissa, mitigatur
„ ob Carmelitas in Europam traductos. Horum
„ primus Generalis creditur S. Bertholdus, colitur 29. Martii. An Lemovicensis, & frater
„ Ademari Episcopi Podiensis, mortui anno 1098.
„ an Haymerici Patriarchæ Antiocheni? Ab hoc
„ traditur Prior Carmeli factus, & mortuus circa an. 1188. Elogium ex Grosso, Rolevinko
„ & Bostio. *Hactenus verba Synopsis, in margine expressa. In contextu, quia quæstio erat de tempore, nec certa tunc suppetebant congrua antiquitatis documenta ad rem definiendam, visum fuit scriptorum recentiorum proferre sententias, inter quos præ ceteris placuit nominare Cardinales Bellarminum & Baronium, allegatis utriusque verbis; neque enim sciebamus, quod nomen Baronii adeo grave audiret Carmelitis esset, propter verbum* COEPIT; *quod uti sensum habet multiplicem, ita in subjecta materia poterat (etiam tacentibus nobis, nec propriam sententiam explicantibus) pro vestro arbitratu intelligi.*

49 Ita nos tunc, ex certa (ut nobis quidem videbatur) præteritorum memoria. Nunc in quadam ad Lectorem allocutione, ante Speculum Carmelitanum, dicitur prædictus *Rev. P. Daniel* reliquisse *sub protestatione signatum*, die VIII. Augusti MDCLXXV. *Sicut veritati parceret, qui diceret me Vitam S. Alberti ante impressionem vidisse & probasse (quod quidem aliquos sparsisse intelligo) ita hisce declaro, haud verum esse, in vita S. Cyrilli aut S. Bertholdi non esse litterulam, quam non approbaverim.* De Vita Alberti si quis locutos nos intellexit, erravit haud dubie: nec enim in ea vel litterula est, quam viderit P. Daniel (utpote ex approbatione Armamentarii palam cognitus adversari) nedum approbarit in Bertholdo. An viderit verba Bellarmini atque Baronii, substituta in locum aliorum ipsius arbitrio omissorum, dubito. Cætera omnia ad usque litterulam ab eo fuisse probata, quomodo negare potuerit, fateor me non capere, potissimum in S. Cyrillo, unde tamen non una sumpta est causa querelarum, contra nos formatarum. Nescio quomodo in viris alias optimis subinde locum habeat istud Græcorum,

Ὅ τις βούλεται, τοῦτο καὶ οἴεται.

Quod quis vult, hoc etiam putat esse.

Sive mavis, *τοῦτο καὶ μέμνηται, hoc & meminit.* Affectus certe suus bono Patri Danieli fuit aliquando pro memoria: & hoc mihi evidentius patuit, cum ante editum Aprilem ipse & Rev. P. Gerardus a Puero Jesu, agebant mecum, ut a refutando Armamentario abstinerem; in quo nos esse provocatos, sibi & plerisque in Ordine viris cordatis vehementer ajebant displicuisse. Non meminerat scilicet amplius P. Daniel, se Mechliniæ Priorem sic scripsisse in sua ante ipsum Armamentarium approbatione. *Attente perlegi & studiose examinavi librum .... quem totum ad historiæ Carmelitanæ veritatem perspicue elucidatum, totum ad amicorum dissidentium concordiam suaviter præparatum reperi.*

50 Verum quidem est, quod idem P. Daniel anno 1667. procedentis impressionis quarto, proprione an alieno motu? diffidens iis, quæ ante biennium bis terve legerat in Commentario ac Notis ad Vitam Sancti Cyrilli; post varios itus reditusque ad nos, nunc hoc, nunc illo prætextu institutos, ac dubia mora, petiit adeo pridem probata rursum sibi legenda dari: & tunc quidem abiit, quasi acquiescens responsis

B P. Henschе-

P. Henschenii, circa verba quædam: in quibus nihil quidem esse, quod sibi magnopere displiceret, P. Daniel ajebat, metuere tamen ut suis quibusdam Patribus, suspectos nos habentibus, æque arriderent omnia. Cum autem non impetraret, ut ea secum auferre ad Conventum posset, postridie redivit, diserte postulans recudi paginam 500. istius Tomi, in gratiam Ordinis, libenter soluturi sumptus ad hoc necessarios. Nihil istic quidem contra Ordinis antiquitatem dici (nec enim ulla ejus mentio) nihil quod non posset in bonam partem accipi, sicut ipse semper acceperat; delicata tamen esse quorumdam ingenia, & ex parva scintilla magnum sæpe excitari incendium. Verba, quæ sequius accipi posse videbantur, hæc erant num. 9. *Effluxerunt anni ferme trecenti, quibus gesta fuerunt qua de S. Cyrillo Bostius & Palæonydorus narrant, tam illustria & praclara, ut mererentur antiquiorum scriptis confirmari*: item num. 10. *Qui postea secuti sunt scriptores Carmelitani, quæ Palæonydorus & Bostius tradunt, ut rem certam transcribunt .... seorsim Vitam S. Cyrilli scripserunt ... Saracenus, ... Alegræus, ... Philippus a Trinitate .... Leo Indelicatus .... Zegerus Pauli .... Joannes de Lezana ... Daniel a Virgine Maria, ... ad quos novarum narrationum curiosum Lectorem remittimus.*

51 Obstupuit ad postulationem tam inexspectatam tamque importunam Henschenius, rectissimæ suæ intentionis conscius, servatique tunc & religiosius quam unquam antea de Ordinis antiquitate silentii. Respondit ergo, non existimare se Patres Carmelitas, eos præsertim qui Romæ præsidebant, & quorum sensum coram perspexerat, illis tam innocuis verbis offendendos: non potuisse suavius indicare se, in hoc particulari casu, ubi de successione Eliana nec eminus quidem agitur, haudquaquam certissima sibi videri omnia, quæ ex Palæonydoro & Bostio prænominati auctores recentiores de Sancti Cyrilli Actis tradunt. Hac libertate, citra cujusquam contradictionem, & majori etiam, se Bollandumque usos in Januario & Februario; hac nunc quoque se usum in Martio; hac conditione suscepisse se illustranda Sanctorum Acta, certa ab incertis ac dubiis secernendi; neque fuisse hactenus qui postularet sua omnia, ut certissima & citra discussionem recipi: id enim si faceret, rursus Acta Sanctorum danda ludibrio hæreticorum, qui, propter sinceritatem & diligentiam a nobis adhiberi cœptam aliter incipiebant judicare. Acta Sanctorum Carmelitarum, vel eodem modo tractanda quo aliorum Acta, vel prorsus sic omittenda ac si nulla forent; quæ prætermissio longe gravius ferenda esset, quam adeo moderata censura: evidenter enim patefactura erat nostrum ab illis dissensum, quoad principale punctum; a quo si abstineremus, toties ipse P. Daniel professus erat, acquieturos omnes. De nominato una cum ceteris Lezana nihil excusationis reposuit, quia nihil P. Daniel querebatur, uti nunc P. Sebastianus: nec erat sane quod quereretur. Quis enim dixerit, ut ille assumit, quod simplex dubitatio de Actis alicujus particularis Sancti, sit totum *Lezanam exauctorizare*; aut dicere, ut loquitur P. Bonæ-spei, *quod Ordinis Annales funditus in subsequentibus mensibus intenderemus evertere*. Tali P. Henschenii responsioni (cui ne ego aliquid mei miscerem, cum socio P. Danielis alia quædam tractabam) non videbatur prorsus acquiescere bonus vir; nullam tamen indignationem præ se tulit, nedum voluntatem efficiendi, ut, vellemus, nollemus, ad disceptationem principalis controversiæ venire cogeremur, vel in ipsius sententiam incunctanter transire; nullamque nobis formidinem in futurum reliquit.

CAPUT II.

Quomodo Papebrochius in Aprili, ad Acta S. Alberti Legislatoris, nihil ultimate definiens, sed solum ostendens, quam parum solidis meritoque suspectis fundamentis eatenus nitebantur asserta RR. PP. Carmelitarum, conatus sit pro se suisque Magistris satisfacere, ad rectæ Rationis & Lectoris æqui tribunal, anno 1675.

EX toto præcedenti Capite liquet, Bollandum & Henschenium dubios semper de origine Ordinis Carmelitici, amicitiæ tamen causa voluisse ab ea discutienda sic abstinere, ut nec eam confirmarent ullo verbo factove, neque sibi interdixerint subinde obiter indicare, illam sibi non esse certissimam; & quos idem Ordo tam liberaliter sibi arrogat ante sæculum 12. Sanctos, nequaquam tales sibi videri; in reliquis autem Ordinis ejusdem, certis quidem, sed quorum Acta non habentur undiquaque certissima, noluisse abstinere cum opus esset moderata censura, qualem in similibus aliis nemo non probat.

Diversum de re quavis sentire duobus
Incolumi licuit semper amicitia.

Patet etiam, quod usque ad editam primam partem Armamentarii, extra disceptationem fuerim habitus, si qua inter illos Patres, meosque Magistros præfatos duos extitit aliquando; ego hinc discipulus, inde amicus, usque adeo religiose me gessi in eadem, pacisque & silentii ab Henschenio promissi tam sui studiosus, quam eram cupidus opus Actorum sub omni celeritate promovendi. Etenim, a primo ad hæc studia accessu, progressum illum quovis offendiculo haud leviter retardandum præsagiebam, minime vanus augur; cum viderim animos Carmelitarum quorumdam in Belgio eo adductos, ut neque dubitare amplius scirent ipsi, neque alios paterentur, quin lædi se crederent.

53 Addere etiam possum, teste Deo & conscientia, quod usque ad acceptum Armamentarii, contra Martium prodituri, indicium (quando primum cœpi controversiæ istius momenta maturius expendere) id est totis decem primis hujus mei studii annis, numquam potuerim ab Henschenio persuaderi, quod absque omni verosimilitudine sustineatur antiquitas aliquanto major sæculo 12. quin saltem uno alterove annorum centenario ante sacras Latinorum expeditiones, transmarini quidam peregrini, cælo magis quam hominibus noti, sub Saracenis in hoc conniventibus, vixerint solitarii in Carmelo, sparsi per montem, sine alia regula, quam qualem ab ejusmodi Eremitis viderant in Europa teneri, usu potius quam scripto inductam: quibus

bus demum accedens sæculo 12. ex Europa Bertholdus, formam aliquam Religionis induxerit, Regulam Albertus Patriarcha. Hanc ego, de Carmelitarum origine ideam adeo firmiter menti impresseram, ut jussus in Martio agere de S. Josepho, neque adhuc sciens quam nihil Carmelitæ attulerint ex Syria, quod mores ac ritus Syrogræcorum saperet; & intelligens cultum S. Josephi apud Orientales, quam Occidentales, multo esse antiquiorem, ausus fuerim conjectando asserere, Carmelitas cultui tali pridem assuetos in Syria, eumdem ex Palæstina traduxisse. Quin etiam credidi, non esse prorsus impossibile, ut jam inde a tempore Eliæ semper unus alterve vir pius, ac subinde plures, ad fontem Eliæ solitarii viverent, licet id nulla solida certaque auctoritate probari posset, adeoque nec prudenter affirmari; prout obiter dixi in Episcopis Hierosolymitanis ante Tomum 3. Maji num. 11. Hoc vero dici tanto facilius passus fuissem, quanto a præsumptione talis successionis minus timenda erat consequentia, pro omnibus cujuscumque temporis in Syria Monachis, nedum extra eam, in Ordinem Carmelitanum cogendis.

54 Ita circa quæstionem controversam affectus, eamque sententiæ indifferentiam præferens in familiari omni cum Patribus istis colloquio, ut ab ipsis pæne stare viderer; cœpi idoneus existimari, quem totum traherent in partes suas, si rationes, quas credebant evidentissimas esse, mihi ingererent; eoque velim credere spectasse approbatores Armamentarii, ut, si Henschenium flectere nequirent, me saltem successorem ejus haberent opinionum suarum defensorem. Sed nimium cupientes, obtinuerunt nihil. Quanto enim magis legebam Armamentarium, tanto minus fundamenti solidi reperiebam; & experiendo comperiens, quam certum judicium formasset Henschenius, cogebar priores ideas abjicere. Dolebam nihilominus me quoque in certamen ab illis pertrahi, propter pauca quædam Henschenii in Martio verba, quæ bene noverant mea neutiquam esse. Quod si accuratius volebant scire, quid ego in Martio composuerim, sine ambagibus ex me didicissent, præter Præliminares tractatus tres, Commentariosque de Sanctis Josepho, Joachimo, Longino, ac prolixum opus de S. Patricio Hiberniæ Apostolo, & Græco-Latina pleraque, nonnullaque ex Gallica, Hispanica, & Italica lingua Romano sermoni reddita, nihil in illo mense meum esse, sed Bollandi atque Henschenii cetera omnia; in quibus jurare possim nullum verbum, quod in considerationem venire mereatur, vel additum, vel mutatum a me fuisse.

55 Nunc quæso, vos Patres Reverendi, videte, quomodo excusare possitis P. Valentinum, P. Henschenii sententiam suamet experientia doctum, jam inde ab anno 1659. quando ego, Philosophiam docens in Collegio Antverpiensi, nullum aut rarum habebam cum Scriptoribus Actorum, in Professa Domo agentium, commercium; videte, inquam, quomodo excusare possitis P. Valentinum vestrum, quod anno 1681. Caput primum ejus libelli, quem POMUM DISCORDIÆ appellavit, exorsus fuerit ab his verbis: *A* MARTE, *antiquis Deo Belli*, MARTIO *nomen est, eoque soleat Reges ad bella procedere .... & illo ad bellum processit Papebrochius.* JANUARIUS *Carmeli Ordinem Janum fecerat, fassus, ut Janus utrumque vides annum, exactum & novum, ita veterem Legem novamque Ordinem respicere. Februarius, a Februa Lustratione dictus, Ordinem lustrat, nil antiquitatem decerpens, nil arrodens successionis. Sic ex primis emersi mensibus, iter historicum Auctores primi, in pace processerant, & magnum ad Carmelitani erga Societatem amoris adjecerant incrementum. Venit* MARTIUS, *& adjunctus* PAPEBROCHIUS *bellum addidit. Fax ab illo accensa est, ab illo elata, nequidquam Societatis Superioribus extinguendæ laborantibus, quoad suis, quibus nescia, obtentibus, etiam eo illam protraxit, ut & ipsa belli foverit & excusserit facem.*

Opuscul. Collect.

56 Pax tuis sit ossibus & manibus, Valentine; ibi esse te opto, ubi non amplius tibi sit expiandus reatus tam patentis contra scientiam, adeoque & conscientiam propriam, fictionis. Sed si ex mortuo, veluti vivente, quærere liceat, quanam in parte Januarii scripserit Bollandus, Carmeli Ordinem, velut alterum Janum, veterem simul ac novam Legem respicere; quem, obsecro, locum assignabis? Vitam, inquies, S. Thelesphori. Sed hanc nosti compositam totam a vestro Zegero Pauli, sub initium Januarii loqui legique sine censura permissi, quando jam integrum non erat eidem silentium imponere, permisso tamen loqui & legi cum omni quæ poterat adhiberi cautela. Post Vitam illam, non credo quod velles monstrare Notam Bollandi ad Acta S. Jacobi pœnitentis: nam utriusque temporis respectum sic attingit, ut veritatem aut sensum talis respectus in medio relinquat. Plus aliquid in B. Angela fecisse Bollandus poterat alicui videri, eam prætermittendo, ob Vitam *multi examinis* indigam: noluit enim dicere *fabulosam*, licet revera esset. Nullam tamen in illis duobus mensibus erupturi aliquando ignis scintillam Carmelitæ agnoverunt; nec ullam forsitan agnoscerent in Martio, etiam quoad Ordinem innocente, nisi eo viso P. Franciscus Bonæ-spei conclamasset, Ad ignem; motoque crepitaculo in sui Armamentarii apparatu, eadem verba paucula sic torquere & rotare cœpisset, ut in oculis tuis, aliorumque, visa sint facere metum *incendii*, luculentam in Ordine stragem facturi, nisi undis omnibus comprimeretur. Sic ad imaginarios hostes processit Dux belli imaginarii, & pro verbis pauculis, atque (ut fatebatur) obscuris, quibus si longe clariora dixisset Henschenius, non poterat censeri bellum intulisse, needum ad disceptandum progressus; pro pauculis, inquam, verbis totidem ferme reposuit folia, ad bellum palam provocantia; sed Henschenium & me provocantia dumtaxat, & ideo ad indictionem conflictus litterarii, nec inter eruditos amicosque insoliti, nihil se commovit Societas.

57 Quid autem Henschenius? Sensit se pœnas luere nimii candoris, quo inter amicos (ut rebatur) usus, sæpe expresserat suum in prætensa antiquitate dissensum; quem illi invidiosius exculpserint ex verbis, majori cum circumspectione scriptis, quam qua loquens utebatur: ob quæ tanto ægrius tulit indici bellum, quanto sibi melius erat conscius nihil tale meruisse. Quia tamen P. Bonæ-spei, de Henschenii sententia aliunde jam certus, nomine totius Ordinis exigebat dissensus istius rationem, quam

præsciebat si redderetur, nec gratam vobis, nec nobis commodam fore; deliberatum est de modo, quo Viro, æqua in speciem postulanti, sie ficret satis, ut si rationes nostras dissolvere posset ipse, aut sententiam suam melioribus quam in Armamentario fecerat argumentis firmare; liberum nobis foret illi accedere, necdum palam inter Acta elocutis absolutum dissensum, aut voluntatem discerptandi professis. Omnes Aprilis mensis Sanctos circumspectantibus, nullus apparebat Carmelita: sed aderat Ordinis Legislator Albertus. Hunc scilicet ut Carmelitam fuisse persuaderet Thomas Saracenus, ac die Octava mensis hujus colendum; *prodigiosam* (ut Ughellus appellat) *narrationem* de ipso commentus fuerat. Hanc si cum certiori ex Vercellensibus eruta monumentis, solaque Lezanæ probata Vita conferre vellet Henschenius, spes erat fore, ut intelligerent Patres Carmelitæ, ideo de Ordinis sui ante Regulam statu agere Henschenium detrectasse ac detrectare, quia ipsius auctoribus credere nihil audebat, de rebus ante bis mille annos eoque amplius gestis; quando tam infelices illi erant in iis, quæ propius adjacebant. Hoc igitur aggressus facere proprio Commentariolo de isto S. Alberto, eidem junxerat alterum de Breviario Ordinis, quod conferens cum Breviario Canonicorum Regularium S. Sepulcri & Ordinis Equitum Hospitalariorum, ostendebat, & hæc & illud totum esse formatum secundum ordinem Francicarum & Belgicarum Ecclesiarum, paucis in Terra sancta additis; sed talibus, quæ nullum indicium facerent alicujus a Syro-Græcis mutuati ritus, aut consuetudinis; cum quibus si aliquando communia habuissent Carmelitæ Sanctorum Officia, nec Eliæ raptum, nec tot celeberrimos in monasteriis Palæstinæ Sanctos, Euthymium, Sabam, Theodosium, Cyriacum, Charitonem, aliosque annuo suo cultu privatos dimisissent.

58 Hactenus primus conceptus Henschenii: qui conceptus cum quæstiones a Patre Bonæ-spei propositas declinaret, non solveret, non potui ego eum probare; sed dicebam, vel excutienda esse omnia Armamentarii totius fundamenta, vel provocatione contempta respondendum nihil; & Alberto, qui mense Septembri obiit, nec nominato quidem, expectari posse mensem Majum, qui plures Sanctos Carmelitas haberet, & plus otii consiliique esset daturus non nobis dumtaxat, sed etiam Patribus illis, ab ulteriori provocatione forsitan destituturis. Quod si omnino absoluta prætermissio non placeret, censebam, hunc Albertum sic differri ad Septembrem posse (quod in B. Angela non infeliciter cesserat) ut paucis verbis indicaretur, non esse vel voluntatis amicæ, vel instructionis necessariæ defectui adscribendum, quod tali occasione data non uteremur ad reddendam rationem affectatæ in Martio brevitatis atque obscuritatis. Formulam quin etiam, qua id fieret, ego semel iterumque concepi; sed novis subinde accedentibus causis, maluit Henschenius mihi, per ætatem tolerantiori commentationis prolixioris, committere inchoatum a se opus, collaturus ipse, ex copiosissimo memoriæ thesauro, notitias qualcumque opportunas. Subjeci ergo humeros oneri, diu frustra detrectato; & ideam eam mihi efformans, quæ complecteretur pleraque præsentiæ antiquitatis monumenta, putavi me posse agere de Ordine, qualis ab optimo minimeque suspectabili Ms. codice (quem propter erutam ex eo S. Petri Thomasii Vitam, numquam sine osculo contingere solebat P. Daniel) dicitur sæculo XII. *cæpisse*; & quidem (ex relatu Auctoris Græci, qui anno 1175. secundum Græcos, secundum Latinos 1183. ad Montem Carmelum adscenderat, & qualem invenit descripserat) *ex revelatione Prophetæ*; adeo ut saltem hoc titulo possent eum Carmelitæ suum appellare Fundatorem; sicut Ordo Servorum S. Mariæ, ob similem revelationem, illam nuncupat Fundatricem suam. Cum autem ex S. Hieronymi & cæterorum, quicumque post illum sacra loca descripsisse noscuntur, constanti silentio, considerem me persuasurum minime pertinacibus, locum, Eliana anachoresi olim nobilitatum, saltem per septem sæcula non fuisse inter illa numeratum, quæ pietatis causa frequentabantur a fidelibus peregrinis; &, si quod antea ibi fuerit monasterium, desertum jacuisse ac desolatum usque ad primum ibi Latinum Priorem (qui licet non nominabatur, certo tamen ab illo Græco auctore designabatur) consultius longe facturus mihi videbar, si Ordinis, quatenus Europæ est notus, historiam a Bertholdo auspicandam suaderem. Deinde, ex certius jam cognita ejusdem primi Prioris patria, ætate, ac numero Sociorum, pro comperto habere me credidi, contrarias eis recentiorum longe scriptorum relationes, similes esse *portentosæ* (ut Ughellus in Vercellensibus Episcopis loquitur) *narrationi*, quam de Alberto instituerant scriptores Carmelitæ, Saracenus & alii; licet prior profiteatur se *Sanctorum originaria, egenuinis fontibus, robusta & constanti fide, proprio recudere stylo, apocryphis omnino exulare jussis*.

59 His porro semel statutis, & exinde per necessariam consequentiam educto, quam levis momenti esset præsentia traditio de Ordinis eo tempore amplitudine per universam Palæstinam; cujus amplitudinis neque Regula, ei ab Alberto data, ullum præferebat indicium, nec prima ab Honorio III. pro eodem expedita Apostolica bulla; cum multa docere possem præterea circa modum originemque Breviarii, tum primum assumpti, ex usu ecclesiæ sacri Sepulcri, & circa formam Carpitæ seu Barratæ cappæ, quam esse suæ *Religionis signum* designavit Capitulum Ordinis generale, sex annis prius quam id mutaretur Londini, in Anglia celebratum; magnam obscurissimis illis initiis credebam me lucem allaturum, ordinando primorum Priorum chronologiam, errores plurimos corrigendo, ablegando supposititios quosdam auctores, ac sic demum ad notiora ipsis, expeditiora nobis, historiæ Carmelitanæ tempora transeundo.

60 Rebus ad defensionem nostri silentii in Martio, & ad supplementum affectatæ ibidem brevitatis circa Bertholdum atque Cyrillum, in eum modum comparatis; collectis etiam summatim rationibus, ob quas suppositionis suspecta habere possemus scripta quædam, edita sub nominibus Josephi Antiocheni, Sanctorum Dorothei atque Epiphanii, Joannis Hierosolymitani Patriarchæ, Luitprandi aliorumque in Hispania Pseudo-Dextero succenturiatorum, Leonis Papæ IV. & aliorum sex antiquiorum Bertholdo Pontificum, ipsius Bertholdi atque Cyrilli, Enochi quoque Hierosolymitani, a quo S. Angeli Vita esset edita, Patriarchæ: his, inspectis etiam accurate, expensisque indubitatis aliis ac certis Ordinis

dinis ipsius monumentis antiquis, composui prolixum satis de B. Alberto, tamquam Ordinis Legislatore, Commentarium; & Partem 2. Propyıæı antiquarii, ad amoliendas aliquas inventiones novissimas de Conventuum quorumdam Europæorum antiquitate, contrarias ipsi Breviario, Pontificum assertis, scriptoris coævi Joannis de Sanvico expressissimæ assertioni, docentium, quod, ante Latinorum regnum in Syria collapsum, *Professores hujus Religionis numquam proposuerunt extra Terram-sanctam habere ad habitandum aliquam mansionem suæ Religionis*; quod *sub Honorio III. in Europa Ordo esset ignotus*; & quod sub Innocentio IV. *ad cismarinas partes se conferre coactorum, propter incursus barbarorum, eo aspirabat affectio, ut per Apostolicæ pietatis auxilium statum consequi valerent &c.*

61 Ita prodiit Aprilis noster: in quo an scopum intentum attigerim, meum non est judicare: sicut nec ipsorum quid effecerint, compilando secundam Armamentarii Carmelitici partem, eique addendo Indicem, præ ipso libro iojuriosum, ne dicam falsum, dum multa veluti probata designat, quæ Auctor vix ausus erat verbo tangere, saltem non ut sibi certa asseverare. Pro me interim judicavit, prius quam Pars illa secunda componeretur, communis utrimque amicus & censor, tunc Archidiaconus Antuerpiensis, & Episcopalis Generalis Vicarius, postea etiam Episcopus noster, sed tempore, eheu! nimium brevi, Aubertus vanden Eeden. Hic non contentus approbatione illa generali, quam dederat Aprili toti præfigendam; de meo isto tractatu rogatus ferre nominatim sententiam, in hæc verba eam manu propria descripsit, postquam non semel, sed bis ac ter considerasset singula.

62 *Legi attente Vitam S. Alberti, ex Canonico Regulari Episcopi Vercellensis ac demum Patriarchæ Hierosolymitani, per Rev. P. Danielem Papebrochium ex variis auctoribus concinnatam: in qua Regula Patribus Eremiticis, in monte Carmelo degentibus, præscribitur; & alia continentur, quæ ad fidem historicam conducunt. Eamdem ergo typis evulgari posse censeo, non obstante quod antea approbaverim Armamentarium Historico-Theologicum Carmeli, à Rev. P. Francisco Bonæ-spei, Ordinis Carmelitam nuper Provinciali, compositum. Etsi enim Traditiones S. R. Ecclesia admittat; non tamen omnes tamquam de fide credendas præcipit; nec rejicit si quæ contra prodeunt a veritate non aliena, prout hæc Vita continet: & amica hæc concertatio tantum deservit ad obliterandas cicatrices ex Armamentarii tractatione, veritatis tuendæ causa. In quorum fidem hisce subscripsi. Datum Antuerpiæ, XII. Septembris* MDCLXXIV. Sed forte visa & lecta parte secunda Armamentarii aliter censuisset. Vidit, & legit; atque non modo non aliter censuit; sed jam Episcopus & ætatis plus quam septuagenariæ senex, ultro ad nostrum accessit Musæum, testaturus animi sui sensum gravem, *propter pedantismum*, ut ajebat, *ac minime liberalem scriptionis, nihil solide concludentis, stylum*. Unde colligas, minime permissurum fuisse, si vixisset, ut illa Pars hic Antuerpiæ recuderetur, attexereturque Speculo Carmelitano, R. P. Danielis a Virgine Maria nomen præferenti, sed post mortem *a*
a auctoris similibus scriptis in duplum aucto.

63 Talibus freti judiciis (plures *b* enim similia
b testimonia dederant, ac nominatim S. Michaelis ex Ordine Præmonstratensi & S. Salvatoris ex Ordine Cisterciensi Abbates Antuerpiæ, qui & ipsi eadem de causa iterum legerant tractatum de Alberto) talibus, inquam, judiciis freti, adduxeramus ad prælum initia Maji; cum me, per æstatem anni 1676. gravis morbus invasit, lectoque affixum tenuit a medio Junio ad dimidium Augustum. Ea res cum periculo mortis non careret, multum solicitos amicos habuit, qui deinde malo dispulso lætati, testabantur quanti æstimarent sinceritatem in Actis Sanctorum discernendis, & quam ægre paterentur illos, qui hanc libertatem nobis ereptam volebant. Eos inter memorabilia imprimis fuit Illustrissimus Episcopus Castoriensis Joannes, Apostolicæ Sedis in Hollandia Vicarius, non solum ipse diligens & curiosus lector Actorum nostrorum, sed omnibus Cleri sui inter Acatholicos versantis Sacerdotibus hortator assiduus, ad eamdem diligentiam. Hic pro suo affectu erga ipsum opus, cui RR. PP. Carmelitæ passim & ubique minabantur deferendas ad Pontificem Romanum querelas; nihil inde metuere me jussit per Epistolam, quam hic attexere operæ pretium censeo, quia scio quanti illius judicium faciant etiam illi, qui Jesuitico nomini parum benevoli, vacuum ab affectu suffragium pluris æstimabunt. Sic autem scripsit Hussiæ, ex suæ tunc residentiæ loco, die 3. Septembris.

a Opuscul. Collect.

64 *Sicut cum gaudio intellexi valetudinem tibi esse restitutam, ita dolenter audio inde suscitari rumores, unde conveniebat eos omnes favere tibi, qui Sanctorum gloriam & Ecclesiæ diligunt decorem, quæ utraque in manifestatione veritatis, & non in fuco blandientium fabellarum reposita esse noscuntur. Tanta est vestra eruditio, tantum de Ecclesia meritum, ut mihi certissime persuadeam, nihil eos apud Sedem Apostolicam, quæ veritatis Magistra est, vobis nocituros, qui nescio qua ambitione ducti, suo Ordini annumerant fere quotquot Christum Prophetæ præcesserunt, & fere quotquot Orient Ecclesiæ dedit Doctores. Quod si arbitreris in me quid esse quod vestris lucubrationibus possit esse munimini, illud omne tuo jure exigere a me potes: eo ipso enim quod Ecclesiam, quæ altrix Sanctorum est, expurgas a fabulis, quibus tam ejus quam illorum vilescit æstimatio, agnosco quam plurimum eam tibi debere. Quare etiam magno cum affectu profiteor, tam R. Tuæ me, quam optimi & doctissimi Patris Henschenii deditissimum & officiosissimum famulum.*

J. *Episc. Castor. Vicar. Apost. in fœderatis PP.*

65 His accesserunt Revisorum nostrorum Generalium Romæ de eodem Tractatu judicia. Quamvis enim hic jam publicatus esset, cum Provincialis nostri consueta & sufficienti facultate: prævidebam tamen parata mihi istic certamina, tanto magis formidanda, quanto moderatius quam Belgæ processuri erant Carmelitani Romæ Superiores, inter quos & Patrem nostrum Generalem summa erat amicissimaque concordia. Quare ne illum improviso adorirentur, qui erant de nobis procul dubio questuri, ex sinistris informationibus hinc submissis instructi: & incautum solique amicitiæ conservandæ intentum impellerent promittere aliquid minus æquum nobis; censui non indulgendum illis plurium mensium spatium, quo opus erat ut exempla Aprilis seu mari seu terra pervenirent Romam; sed utendum veredariis regiis, sola folia illuc

spectantia quam celerrime perlatutis. Venerunt ergo illa omnia in Urbem mense Octobris, ad Rev. Petrum Possinum, Societatis Historiographum, rerumque ad Sanctos pertinentium curatorem fidum atque industrium; qui, acceptis ultimis, in hunc modum rescripsit 18. Octobris.

66 *Accepi hoc die, S. Lucæ Evangelistæ sacro, ultimam clausulam Dissertationis vestræ accuratissimæ & eruditissimæ super originibus sacri Carmelitarum Ordinis, intextæ a vobis Commentario de vita & actis S. Alberti, cujus Natalis incidit in diem octavum Aprilis vestri. Admiratus fuissem diligentiam & ceteras eximias ingenii vestri dotes, nisi solitus paria fere suspicere in omnibus vestris Commentariis ad Acta Sanctorum quæ editis, admirationem ut in re consueta remisissem, æstimationem & laudem auxissem. Scribo serius, quod ad meam super isto vestro scripto sententiam aperiendam expectandus videretur Epilogi adventus, qui hodie, ut dixi, demum appulit. Interim non omisi præmunire animum Rev. P. Assistentis vestri; rogans, ut, si forte ad Patrem nostrum venirent preces aut expostulationes in vos Patrum Carmelitarum, ageret cum ejus Paternitate, ne statim prodiret in nimium favorem, sed defungeretur promissis commendationum, quibus possetis, salva justa libertate ac fide historica, satisfacere. Ex responsu P. Assistentis intellexi, actum jam a Reverendiss. P. Generali Patrum istorum cum nostro super ea re, & litteras ab hoc ad vos missas, de quibus inaudisse vos aliquid video, nisi eas nondum accepertis: confido tales fore, quæ minime vobis manus ligent: & censeo id sedulo agendum, ut vestra Dissertatio cum toto Aprili sine mora prodeat. Cum luce potietur, suam per se causam aget.*

67 Has P. Possini litteras secutæ sunt 25. Octobris litteræ R. P. Assistentis, sic scribentis: *Satis video quam sint iniquæ Patrum Carmelitarum querelæ; faciam ut idem intelligat Pater noster. Ceterum non fuit unquam Patris nostri mens, ut in gratiam istorum Patrum operi vestro insereretis aliquid non consentaneum veritati. Hoc dumtaxat desideravit, ut caveretis ipsis dare ansam justæ offensionis seu querimoniæ; ac nominatim ut Eliam, si ipsis asserere non potestis, non eripiatis. Interim nec querelæ Patrum istorum, nec Patris nostri litteræ ad illorum petitionem scriptæ vos commoveant: nam injustæ querelæ floccifaciendæ sunt; & Pater noster rite informatus, nihil ipsis amplius deferet.* Hæc P. Assistens, qui mox studuit informare Patrem nostrum: prout intelligitur ex litteris 10. Novembris datis hoc exordio. *De querimoniis Patrum Carmelitarum curam ponat Rev. Vestra; quam illæ sint injustæ, Pater noster satis agnoscit; & habet in promptu quod ipsis respondeat, si forte novas querelas deferent.*

68 Eadem posta, id est 10. Novembris, scripsit etiam P. Possinus ut sequitur. *Dissertationem vestram, de B. Alberto & vera origine Carmelitani Ordinis, dedi legendam Rev. P. Nathanaeli Sotuello. Est is magnus admirator rerum vestrarum; & hanc partem vestri operis mirifice probavit; solidissime a vobis adstrui quod affirmatis, professus, & inexplebiliter laudans exactionem, eruditionem, prudentiam, &c. quæ elucent in illa operosissima lucubratione. Puto me, tali viro ita vobis conciliando, parasse potentem operis vestri protectorem apud Reverendiss. Patrem nostrum, si forte contingat querelas ad ejus Paternitatem deferri a Carmelitanis. Nam P. Sotuellus, tot Generalium Secretarius, vir doctissimus, summi judicii & experientiæ maximæ, magni æstimatur a Reverendiss. Patre nostro, cujus est Admonitor; & ad omnes fere consultationes supernumerarius adhibetur, etsi non sit amplius Secretarius: quare ipsius de vestra ista Dissertatione testimonium, peramplum & honorificum, præcipui momenti erit ad obstandum, ne ad preces, si quæ instarent, Generalis Carmelitarum, a Patre nostro quidquam vobis molestum statuatur.* Hactenus Possinus.

ANNOTATA.

a *Quid autem secundam illam partem recudi permisisset sapientissimus Præsul? qui prius quam tale quid esset decretum, aut forte etiam cogitatum, admittere noluit oblatam sibi dedicationem* Speculi *prænominati, quamvis hoc apud eum laudaremus, nostro consilio diceremus ab Auctore compilatum, sicut ex Præfatione ante plures annos impressa, nobisque ab ipsomet auctore ostensa, apparituram affirmabamus. Causa vero, cur dedicationem istam repudiaret, non erat alia, quam quod primo in aditu præferebat auctoritatem eruditissimi viri avunculi sui Auberti Myræi, quasi is historiæ totius Carmelitanæ designasset ideam, quando inter scribendorum librorum initia minus ad veri falsique discrimen exercitatus, quam fuit postea Belgicas Antiquitates tractando factus, præmisit suo illi Libello (cui ad aliorum similium normam simplex titulus erat,* Origo Teresianarum*) alium titulum præfigi, a sua consuetudine, & ab ipso suæ scriptionis argumento alienissimum; nec non alloquium ad Lectorem sibi obtrusum, conforme titulo, quo promittuntur* „Ordinis Carmelitani, ab Elia propheta primum „inchoati, ab Alberto Patriarcha Hierosolymi„tano vitæ Regula temperati, a B. Teresia Vir„gine Hispana ad primævam disciplinam revo„cati, origo atque incrementa. *Quæ omnia ex nota sibi avunculi mente, omitti volebat illustrissimus Dominus; & Libellum prædictum genuinæ suæ simplicitati restitui, quando Myræi operum omnium coordinatorum editio nova, quæ parabatur, procederet.* Hactenus Papebrochius in Comment. Apolog. prævio ad vitam B. Aloysii Rabata tom. 2. Maii pag. 712. num. 13. qui in eodem tomo hæc addit pag. edit. Venet. 945. num. 13. *Illustrissimo Episcopo nostro Auberto oblatam sibi dedicationem Speculi admittere nolenti, ipsum apud eum laudavimus, diximusque nostro consilio ab Auctore compilatum, sicuti ex præfatione ante plures annos impressa, nobisque ab ipsomet Auctore ostensa apparitarum affirmabamus. Laudavimus utique Speculum, non solum in ea qua primitus conceptum forma, sed etiam quatenus tunc excusum erat multo auctius, mox que in lucem proditurum offerebatur illustrissimo in æstate anni 1678. Consilium quoque colligendi antiqua monumenta Ordinis, quod pridem communicatum nobis fuerat, & jam olim probaveramus, probabamus etiam tunc vel maxime. Verba præfationis ante secundam partem Speculi sub finem hæc sunt:* "Occurrit menti, quod „pridem pleraque vetustiora opuscula circa hi„storiam Ordinis hujus tradiderim inspicienda „Patribus Bollando & Henschenio, & examinan„da, quid circa eorum Editionem censerent: „quibus perspectis & lectis judicarunt, e re & uti-

„ utilitate publica fore, si thesaurus ille abscon-
„ ditus publicus fiat. *Diu autem antea idem P. Dani-*
el sic scripserat in prologuo ad Vineam Carmeli ,
editum ab eodem R. P. Daniele sub nota anni 1662.
„ Speculum magnum Ordinis Carmelitani, quod
„ paulatim excrevit io molem utcumque notabi-
„ lem, ab annis multis formare cœpi , coostans
„ partibus sex; io quibus, Deo dante, vetustio-
„ ra & præclariora, quæ extare noscuotur, hu-
„ jus Ordinis monumenta, cum insertis notulis suc-
„ cinctis exhibere in votis est: quæ pleraque ha-
„ ctenus non excusa & tantummodo Manuscriptis
„ in paucis reperibilia, non modo e re Ordinis,
„ sed & Ecclesiæ esse, censent viri graves, qui
„ ea viderunt: quos inter RR. PP. Joannes Bol-
„ landus, & Godefridus Henschenius e Societa-
„ te Jesu. *Nempe e re communi esse judicabant &*
illi, & ego post eos, expositas publice habere fon-
tes tot paradoxarum in historia ecclesiastica conse-
quentiarum , per quas originis suæ antiquitatem
successionisque certitudinem demonstratam haberi vo-
lunt scriptores Carmelitani. Neque sane fieri vide-
batur posse, ut de iis quamdiu laterent, prudenter
judicaret aliquis , ex locis hinc inde decisis , prout
fiebat hactenus; ideoque in partem felicitatis duxi,
cum mea de Alberto scriberem, accipere a P. Cor-
nelio Hazart sex illas partes Speculi jam impressas, si-
cut has ad ipsum tulerat ipse P. Daniel an. 1671. qui-
bus tunc quidem vix aliquid videbatur ad editionem
deesse præter indices & quasdam appendices, ultra
unius voluminis molem non extensuras opus, sicut
illud ordinario librorum censori exhibitum fuit, ab
eoque approbatum 6. Decemb. 1672. Quomodo autem
approbatio tunc data pro opere eatenus composito
sufficiat pro eodem per septennium deinde secutum
in quatuor volumina producto, viderint ii quorum
interest. Mihi tamen hoc indicandum fuit , ne sibi
contradixisse argueretur vir moderatissimus sapien-
tissimusque Aubertus Vanden Eeden, tunc librorum
censor ista approbans, & deinde Episcopus non o-
mnino probans, quæ sub eodem titulo , sed multo
plura offerebantur: longe minus ea probaturus, si
vidisset, quæ post suam atque auctoris mortem de-
inde alii addiderunt. Post istam diem , qua alie-
num ab dedicatione prædicta animum nobis decla-
ravit idem illustriss. Aubertus , nunquam eum de-
inde vidimus: incubuit enim haud diu postea An-
tuerpiensi urbi gravis illa aura, quæ domos pœne
singulas implevit morbis , multas etiam mortuis. In-
ter ægrotantes ad mortem ego ipse fui. Proh dolor!
vix bene cœptum Episcopatum dimisit mortuis ad-
ditus. Quid interea cum P. Daniele egerit , equi-
dem nescio. Discipulos ejus in tomi secundi dedi-
catoria , successori ejus illustriss. Joanni Ferdinando
inscripta, gloriantes video , quod" delectatus in
„ singulis , hæsit in universis: vidit , stupuit ,
„ laudavit: aggratulatus est operi nondum edito
„ applausitque: & oblatum suoque dicandum no-
„ mini ambabus, quod dicitur , ulnis amplexus
„ gratantissime acceptavit. *Testes citantur, falle-*
re nescius R. P. Daniel, ac R. P. Leo a S. Lauren-
tio Antuerpiensis Carmeli, hodieque Prior. Nihil
equidem alterutrius fidei detractum velim; laboro
tamen, ut hæc conciliem cum Auberti dictis fa-
ctisque, jam alibi relatis, quorum oculatam auri-
tamque fidem non patiar mihi extorqueri. Habeant
tamen illi quod volunt : acceptaverit dedicationem
Aubertus: habebo & ego quod mihi gratuler , a-
deo scilicet efficax fuisse extremum illud nostrum
cum eo colloquium, quod fere consumptum fuit in
persuadendo, ut nostræ arbiter futurus controver-
siæ, quando prodiret Majus, suspectum sese non
faceret parti adversæ intempestiva severitate.

b Sed ex ipso Carmelitarum Ordine non de-
fuere Papebrochiani de B. Alberto Commentarii
adprobatores. Audi Papebrochium in Com-
ment. Apologetico tom. 2. Maii pag. 712. num.
14. *Sed quare probationes operis nostri , impro-*
bationem adversi aseris quæro? Ultro se mihi i-
pso ex Ordine Carmelitano obtulit approbator ,
natione Gallus , genere perquam illustri nobilis ,
& (quod caput est) animi sinceritate & rerum
historicarum tractatione insignis: cujus epistolam,
tacito loci ac personæ nomine, juvat hic attexere.
„ Quid sentiam de iis, quæ in Aprili suo scripsit
„ Rever. vestra de nostro Ordine, latius aperiam
„ occasione commodiori. Dicam interim, quod
„ in plurimis non recedo a vestris assertis, eo-
„ que minus quo plus studii ac laboris per mul-
„ tos jam annos insumpsi in iis ad fundum dis-
„ quirendis. Veritatem amo, non commenta ,
„ quibus undique repleta est historia Ordinis ;
„ a quibus utinam semel bene repurgetur. Sar-
„ raceni in Menologio absurditates sæpius demi-
„ ratus sum: tentavi aliqua conciliare, sed fru-
„ stra, præsertim in Alberto legislatore. De a-
„ liis nunc taceo. Meam mentem circa illas ma-
„ terias sæpe discretioribus quibusdam e nostris
„ aperui; & plura, de quibus agit Rev. V. ante-
„ quam illa vidissem, jam olim judicavi: unde
„ non difficile erit excusare Rev. V. (quod etiam
„ præstiti, & quantum prudentia patietur, præ-
„ stare pergam) quasi ad hæc scribenda aliena
„ aggressione impulsam. Utinam ille Armamen-
„ tarii Auctor tacuisset, nec vobis occasionem
„ dedisset discedendi a proposito olim facto! U-
„ tinam & imposterum taceat! quod vix credi-
„ derim. Sed de his modo satis: aliàs data op-
„ portunitate pluribus. Interim maxime laudo
„ tractatum de diplomatis discernendis, qui su-
„ per omnia placet. Apprecor felicia Rev. V.
„ festa Pentecostalia, rogoque Dominum , ut i-
„ psam divinis Sancti Spiritus Charismatibus re-
„ plere dignetur, ut Ecclesiam doctissimis suis
„ lucubrationibus ditare festinet. Hoc voveo:
„ hoc opto.

Quisquis hæc leget, sine dubio cogitabit , in eo-
dem Ordine plures ejusmodi Nicodemos esse , qui
gaudeant a me prolatam veritatem ; quam ne i-
psi palam profiteantur ac tueantur , prohibet ju-
stus metus ab indiscretiori sibique noto Fratrum
quorundam circa hanc partem zelo . Nec sane eis
suaserim, ut se prodant, nihil profuturi mihi, si-
bi vero plurimum nocituri , in hac præsertim Flandro
Belgica Provincia. Si nunc, quemadmodum sæculis
præcedentibus , plures ex religiosis Ordinibus ad
Prælaturas Ecclesiasticas assumerentur , plures forte
haberet ex ipso Carmelitano Ordine approbatores la-
bor noster, etiam manifestos. Sic enim passim vi-
demus fieri , ut qui factione potius quam ratione
præoccupati meliora vel cognoscere nequeunt , vel
profiteri non audent ; postquam occasione aliqua
fuerint emancipati, incipiant mente ac judicio se-
reniori uti , ac minus probare , aut plane etiam
improbare quasdam opiniones, quas antea cum a-
liis defendere conabantur, aut saltem nolebant sci-
ri apud se dubias esse. Lubet hujus rei testem
suscitare mortuum (mortui enim jam non habent
amplius, quod timeant) nec tamen quia mortuus,
rejiciendum, quia de eo nihil scripturus sum, quod
ad

ad PP. Danielis atque Francisci prænominatorum notitiam, & per ipsos ad plurium adhuc superstitam conscientiam non perveneris eo vivente, nec parum forsitan ob id passo; longe autem prius, quam nos de Aprili nostro cogitaremus, tots post Romanam iter intenis Martio. Est is R. P. Fr. Ludovicus Jacob a S. Carolo, Ordinis Carmelitarum alumnus, variis libris editis clarus, quos omnes Parisiis in suorum conspectu composuit, & imprimendos curavit.

Hic anno 1662. mense Septembri, visitanti sese P. Henschenio dixit: "Scio, quod Rev. V. per„quam amica sit P. Danieli; id enim apparet ex „ejus prologuio ad Vineam Carmeli, cujus ec„ce hoc anno editæ exemplar: noveris autem „omnes A. & L. sordes in eo libro retulcitari. *Nollem ego sic loqui: sed defuncti verba non debui alterare. Nam quod A. spectat, humanum non est addere afflictionem afflicto, & graviora forsan quam commeruit passo. De L. vero sic sentio, ut me ipsumque magna injuria affectum putem ab eo, qui verba mea in ejus contumeliam interpretatus est: credulitas enim nimia, a qua eum optarem immunem fuisse, ipsi cum tam multis communis est, ut veniam facillime mereatur; alioqui laudatur a me propter sinceritatem, qua verbo tenus produxit verba allegatorum a se textuum, hoc suo facto commoditatem reliquit aliis de tota re per seipsos judicandi. Utinam sic fecisset Saraceaus! Nec ipsum L. nec tam multos alios traxisset in labyrinthos inextricabiles. Cœpit id agnoscere me am agendo R. P. Daniel a Virgine Maria, non semel mihi protestatus, se Saraceno manifesto mendaci jam nihil amplius credere: in quo proposito utrum præstiterit, erit ex operis tunc ultra medietatem impressi posteriori parte æstimandum. Atque hæc per parenthesim dicta sunto. Pater ergo Ludovicus Jacob, cœptum prosequens sermonem:* „ Ut intelligas, *inquiebat*, quam lon„ge alterius mentis sim, en Bibliothecam Car„meliticam opus jam ferme paratum prælo, „quod ab Alberto legislatore nostro exordior: „quæcumque enim illo & Bertholdo primo Prio„re antiquiora esse prætenduntur, non sunt ni„si somnia nostrorum. *Utinam præstantissimum opus in sua origine non fuisset suppressum? Quod si abolitum penitus non est post mortem auctoris, libenter ipse darem, ne pereat, aut in alicujus manus deveniat, qui alienos sibi labores supponens ea omnia adjiciat, quæ penitus noluit alter attingere. Utinam & superstes adhuc foret R. P. Philippus Labbe (dum ego tunc peiusculo habens domi attinebar) comitatus P. Henschenium illa die, & totius colloquii fidelissimus testis! Hanc tamen defect[illegible]que supplet R. P. Fr. Jacobus Quetif, eruditissimi viri Francisci Combefisii apud Prædicatores in conventu Annuntiationis dignissimus successor, nuperrime mihi per litteras pridie Kalendas Octobres datas testatus, quod nonnulla studiorum consuetudine conjunctus cum P. Carolo, præsertim dum apud optimum Harlæi Senatoris amplissimi patrem degeret,* sæpe ex eo audivit idem, quod nos, nimirum ab Alberto tantum ductum sibi esse Bibliothecæ Carmelitanæ exordium, ex eo quod anteriora nutarent. *Vix dubitem, quin Parisiis alii plurimi similia ab ore ejus acceperint, quos requirere non est operæ pretium: puto enim, quod Patres Carmelitæ fidem habebunt etiam soli Henschenio, jam octogenario, & de reddenda Deo factorum dictorumque omnium ratione quotidie cogitanti. Credidit certo jam olim P. Franciscus Bonæ-spei, eaque occasione in P. Ludovicum quidem, tunc adhuc viventem, evomuit accusationes, quales minime decebant a fratre in fratrem jaci: contra nos autem concepit bilem, quam post annos septem patefecit; iteramque recoctam deinceps fovit in secunda parte Armamentarii promendam.*

CAPUT III.

Quam religiosis & honestis modis, ex una parte, apud solos eruditos & rerum historicarum peritos; quam vero turbulentis & indecoris, ex altera, apud imperitum vulgus, actum sit in processu controversiæ, eatenus dumtaxat litterariæ, & versantis circa quæstionem puri facti, nihil ad fidem aut mores spectantis.

VNo anno vel etiam amplius, prius quam Aprilis, tribus tomis gravis, in lucem mitteretur, venit ad nos, cum suo tunc Antuerpiæ Priore, sæpe jam nominatus P. Daniel à Virgine Maria; haud ex vano suspicatus, si non ex communi nobis & ipsis typographia certus, in eo mense apparitutum aliquid responsionis ad Patris Bonæ-spei publicas de nobis querelas. Venit autem deprecaturus, ne id faceremus; sed ignosceremus inconsulto hominis boni zelo, quo nos provocatos dolebant præcipui quique Patres, quibus non requisitis actum id erat: quasi nesciremus, ipsummet Patrem Danielem unum fuisse inter libri Censores, ac forte primum, sicut in principio legere est. Nisi libri Auctor, totas 32. contra me paginas, à 322. ad 354. imprimi fecit, ipso P. Daniele ceterisque Censoribus suis insciis: quod quale apud Carmelitas crimen sit nescio, in Societate nostra Excommunicationem referret, cum privatione vocis activæ & passivæ. Illud si confessus fuisset P. Daniel, & vel excindendam ubique provocationem totam promisisset, vel permisisset me testari, inscio invitoque Ordine nos provocatos; haud dubie voti compos factus fuisset, nihilque in Aprili nunc legeretur de Alberto, nihil de Florentina fundatione, aliisque antiquitatis fictæ Conventibus; imo neque opus fuisset refundere, quod offerebatur, expensas in impressionem factas; sed solum pagella unica, lectorem doctura causam hiantis sequelæ foliorum in libro; libenter enim hoc dedissemus amicitiæ, nobis iam caræ, & propriæ imposterum quieti. Sed cum reponerem displicentiam illam prætendi non posse, cui reclamarent Generalis atque Provincialis, Facultati subscribentes; neque P. Bonæ-spei diceretur fefellisse quemquam; merito supplicationem rejecimus, & Patri Bonæ-spei (ad hanc enim replicam tacebat P. Daniel) responsum petenti dandum censuimus quod petebat, nec retractare, aut retractari volebat.

70 Memini autem P. Danielem, inter cetera, quibus nostra vel non imprimi, vel jam impressa supprimi suadebat, appendisse scandala, inde secutura. *Quamvis enim*, ajebat, *confidere possimus, Societatem actatam moderatas, nostri*

ta-

tamen (ut res novi) modum nullum tenebunt, persuasi totam Ordinis incolumitatem inde pendere. Vera prædixisse P. Danielem ipso eventu mox patuit: nam cum paulo post editum Aprilem contingeret fratrem germanum meum, P. Joachimum Papebrochium, in Collegio Antuerpiensi Philosophiæ Professorem, suas de Physica Theses ex more defendendas mittere ad Conventum Carmelitarum Veterum, per duos juniores Religiosos discipulos suos; redierunt illi consternati toti, retuleruntque, post longam plusquam dimidiæ horæ moram, prodiisse ex Professoribus unum, qui oblatas Theses noluit acceptare, sed dixit, mandato Superiorum prohiberi, ne quis iret; Priorem autem adeo commotum esse, propter librum P. Danielis Papebrochii, ut si domi foret, ipsas Theses eis laceratas redderet; quo modo, inquiebat, liber ipse meretur lacerari. Atque hoc sæpius repetens, addebat, cito edendum librum (Speculum credo intelligebat) qui totum illum refutaret. *Et ego*, inquit freodeos, *multa collexi* (dixisset *collegi*, si ira permisisset animum colligere) *multa*, inquit, *collexi de vestre S. Xaverio*.

71 Cum hac urbanitate dimissi nostri, sperabant mitiores sensus redituros Patribus Carmelitis; nec enim existimabant fieri posse, ut viri religiosi rancorem, undecomque conceptum, vellent perpetuo atque etiam publice retinere, non tantum contra eum, a quo læsos se putabant, sed omnino contra totam Societatem nostram. Verum tam bona tamque rationabilis de bonis aliàs viris præsumptio, falsa apparuit, quando Antuerpienses nostri, præsertim Veteres, totis viginti annis nihil remiserunt de ista publice scandalosa pertinacia; & Jesuitas veluti excommunicatos pergunt habere (Lovanii saltem & Antuerpiæ) neque ad exercitationes scholasticas in Collegiis, neque ad festivitates in Templis, aliorum Religiosorum, mutuo se honorantium, more comparent; abducturi etiam reliquos Ordines, si possint id impetrare ab afferentibus, eorum antiquitatem nihil ad commuoem Mendicantium causam facere, neque confœderationem totam de mutuo auxilio illuc trahi deberet. Quid quod programmata Indulgentiarum atque Festivitatum pro concione publicanda, & mortuales pro defunctis schedas ad imploranda ipsis precum suffragia, ex more inter Religiosos usitato, dedignentur ad nos mittere; neque nostra ad se missa prælegere populo observentur; quasi ad fideles omnes, vivos atque defunctos, velint pertinere hoc suum à Jesuitis dissidium. Quæ porro a particularibus multis dicta factaque subinde narrantur, nolo in publicam notitiam adducere, nedum omnibus imputare; quin potius libenter audio pluribus in locis, extra hanc civitatem, urbanius agi, nec paucos dolere huc usque esse progressum, ut qui nimium extorquere à nobis voluerunt, totum periclitentur amittere.

72 P. Henschenius (ut ad priora redeam) rem intelligens ex eorum ore, qui Theses tulerant, atque ad memoriam scripto consignans, quale responsum acceperint; tertio post die, scilicet 25. Junii anni 1675. misit communem nostrum ipsorumque Typographum Michaelem Cnobbarum, qui ageret cum prædicto adm. R. P. Daniele. Hoc autem ad aram impedito, egit is cum ipsius in Speculo promovendo edendoque adjutore, Sacerdote & Concinnatore; qui dixit, *adm. R. P. Franciscum Bonæ-spei examinasse Vitam B. Alberti, aliaque circa Carmelitarum originem edita, & dixisse, se nihil posse contra ea scribere; tantum optare, ut abessent quædam scommata*; ita scilicet placuit appellare, quodcumque paulo durius verbum, ab evidenter demonstrata veritate subinde expressum.

73 Verum cito resumpsit animos P. Franciscus, vel resumpsisse videri voluit, coactus à suis; scripsitque secundam Armamentarii partem, atque post unius anni decursum mense Augusti vulgavit, Martialem totum, & præmunitum mordacissimis suorum Theologorum Approbationibus, tamquam plaustris serrantibus, quibus TRIUMPHATORI *Patrum Henschenii atque Papebrochii novissimorum Ordinis hostium*, applauditur. Mitto dicere, quæ in festivitatibus B. Mariæ de Monte Carmelo, S. Eliæ, aliorumque passim in variis civitatibus declamabantur contra nos; quibus nihil ista curare certis, prima sollicitudo fuit, ne Jesuitæ, publicis ejusmodi invectivis offensi, in suis quoque publicis privatisque sermonibus reponerent aliquid, causæ nostræ profuturum nihil, magis autem exacerbaturum animos jam commotos plus satis; neve ipsimet, pro suo pacis studio, nimis faciles aures præberent lamentantibus de illata sibi, nihil tale de Societate meritis, injuria gravissima. Primum ergo, ad nostrorum instructionem, quorum plerique nullam habentes Armamentarii utriusque notitiam, mirabantur controversiam suscitatam a nobis, quæ inter Acta Sanctorum dissimulari potuisset, scripsi Præfationem brevem ante Acta S. Alberti Carmelitarum Legislatoris, legendam per Collegia super mensam: qua scilicet Præfatione exponebatur *occasio & necessitas prolixiorum digressionum ad historias & antiquitates Carmeliticas*. Exordium tale erat.

74 „ Ostium nobis apertum est, magnum & „ evidens, *inquit in prima ad Corinthios suos Epistola B. Paulus Apostolus*; & adversarii multi. *Ab his verbis Annales suos Ecclesiasticos orditur Cæsar Cardinalis Baronius: & nos iisdem sæpe uti possemus, in hoc de Actis Sanctorum opere; in quo, dum commentariis observationibusque opportunis illustrare conamur singula, necesse est non tantum plurima variorum scriptorum errata retegi & confutari; sed integrarum quandoque familiarum, urbium, nationum opiniones, male fundatas quidem, sed diuturni temporis quadam veluti præscriptione roboratas, convelli aut saltem labefactari. Quia tamen in hoc genere scriptionis, post curam veritatis nullo respectui postponendæ, prima nobis est ratio caritatis Christianæ, ac religiosæ modestiæ; & in utroque sic nos gessimus hactenus, ut nisi quæ ex antiquis scriptorum pæne coævorum monumentis haberentur certa, asseruerimus nihil; multa, quorum evidens non erat veritas, in medio reliquerimus, relatis Auctorum discrepantium sententiis; nonnulla etiam sponte prætermiserimus, ubi, apud præoccupatos nimium & obfirmatos ad partem nobis minus probatam animos, periclitari caritas videbatur. Ideo totis hisce triginta annis, qui ab edito Januario effluxere, vix ullus eorum, quos sic refutavimus, de nobis questus est; multi etiam egerunt gratias, velut affecti beneficio singulari: qui autem nostrum de re aliqua controversa silentium (quo certe nihil esse innocentius poterat), suam interpretaretur injuriam, inventus adhuc nemo est, præter*

unum.

unum. Hic ergo quanta impetuosissimæ provocationis instantia compulerit invitos, multumque ne eo cogeret deprecatos, ad reddendam hujusce silentii rationem, ante omnia arbitror declarandum.

75 Hinc ingressus in materiam, breviterque exposita provocatione Patris Bonæ-spei, ac facultate nobis à P. Generali facta declarandi veritatem, & quomodo Commentarium illum Albertinum, causam tantarum ubique querelarum, à Revisoribus Generalibus recognitum, etiam Pater noster Generalis probasset; monebam, ne terrerentur adversariorum minis, Romana judicia intentantium, quando contra ejusmodi satis nobis istic provisum esset apud summum Pontificem: provideram autem per Prælatos & Cardinales eruditos, & gratos in Curia. Scripsi etiam, quod *ad eumdem finem, Dissertationem istam jam legerant Sereniss. Princeps Leopoldus, Cardinalis de Medicis, Magni Ducis Hetruriæ patruus; & Illustriss. Octavius Falconerius, Internuncius olim Bruxellensis, Romæ tunc præsens, ac propter æstimationem cultissimæ eruditionis apud omnes in pretio: qui quidem eadem nobiscum sentientes, de origine Carmelitica, libentissime legendam Dissertationem illam & protegendam susceperant. Pari promptitudine idem facturos, cum rogarentur, Franciscum Cardinalem Barberinum, sacri Collegii Decanum; & Serenissimam Reginam Sueciæ, nihilo minus in opere nostro legendo versatam, & illud summopere probare solitam, aliosque ex Cardinalibus; adeo ut, a majoribus quidem potestatibus, istic timendum nihil videretur; sed tantum nostris esse cavendum, ne ipsis Carmelitis videremur insultare, tamquam victis. Nec nisi parcissime ac modestissime agendum, inquiebam, erit cum illis atque cum aliis de nostra hac controversia.*

76 Ita nostris ego, certus de omnium tunc Romæ eruditorum judicio; quorum jam inde a tempore Alexandri VII. bonarum litterarum & scientiarum Mecænatis, ingens ibi florebat copia. Inter hos primum fere locum obtinebat Illustrissimus Augustinus Favoritus, Pontifici isti & successoribus ejus duobus ab Epistolis ad Principes, atque historiæ ecclesiasticæ expurgandæ zelator præcipuus; nec non Stephanus Gradius, politiori etiam litteratura insignis; qui factus deinde Vaticanæ Bibliothecæ primus Custos, promptissime submittebat, quidquid inde in rem nostram haberi poterat; à me autem, pro controversia Carmelitana solicito, interpellatus, ita rescripserat die 14. Martii. *In causa cum Patribus Carmelitanis bonum animum habeat censeo Paternitas Tua. Locutus sum ego hac de re cum P. Secretario S. Congregationis Indicis, cujus animum erga illam qualem optabam inveni; aversum mirifice à fabulis in re historica; & archæologiæ Carmelitanæ non plus quam conveniat tribuentem; quique narrationes de gestis Sanctorum, quas in Breviario legimus, nequaquam pro textu sacræ Scripturæ habendas putet. Nihil hactenus hac de re allatum esse ad S. Congregationem affirmat: tum autem, si afferentur, mecum communicaturum mihi recepit: quod si fecerit, una cum P. Possino, quid agendum sit, considerabo.*

77 Magister autem sacri Palatii Fr. Raymundus Capisuccus similia mihi scripsit, cum me consuluisset super S. Cyriaco, in cujus nominis vicum se dicebat habere jus patronatus, ad se à parentibus devolutum, & ex permissione Pontificia etiam in Religione servandum. Tali enim occasione rogatus intendere etiam ipse, ne quid Adversarii contra veritatem obtinerent, 20. Februarii sic respondit: *Quoad Carmelitas non timeat Paternitas vestra, nec sit solicita de aliquo: quia nullum detrimentum patietur volumen* (illud scilicet ubi de ipsis agitur) *cum revera de origine illa ab Elia nihil certi habeatur, & res sit prope fabulosa, uti & ego censeo.* Plura hujus generis non vacat hic addere; neque tunc adeo multa suppetebant, uti postea sunt allata.

78 Restabat, ut instruerentur homines nostri, de modo, quo sibi loquendum in hac materia esset, sive impeterentur à Carmelitis, sive interrogarentur ab aliis: & puncta quinque, omnibus etiam prælegenda, scripsi, in hunc modum: *Dicant,*

I. *Jure suo usos Carmelitas, quod objecta sibi conati sint diluere: nec ægre ferendam styli acerbitatem, quandoquidem etiam stylus noster subinde acerbior fuerit, quam nunc probemus: sed ipsi prius aculeum strinxerant in 1. parte Armamentarii.*

II. *Quoad rem & argumenta pro Eliana successione (quam nos probare nec potuimus, nec voluimus improbare directe, contenti explicuisse, quam non immerito diffidamus fundamentis, quibus nititur) eadem illa argumenta sunt in 2. parte Armamentarii, quæ in 1. parte; neque magis aut clarius rem evincunt.*

III. *Quidquid objectionibus nostris circa regulam, habitum, fundationes conventuum &c. respondetur, id sigillatim potest refelli: nec desunt exempla & instantiæ novæ ad eorum confirmationem, quæ de illis scripsimus.*

IV. *An isti secundæ parti responsuri simus in Majo, pendet ab arbitrio Superiorum, imo ipsorummet Carmelitarum: qui si reconciliari, quam ultra disputare malint, possumus litem relinquere in medio, ut penes lectorem utrimque maneat judicium de rei ipsius substantia: nam animosius utrimque dicta nihil opus est ventilanda resumere. Si ex parte nostra adhuc scribendum sit aliquid, fiet id cum debita caritate & respectu erga Religiosissimum Ordinem: qui ne deinceps de nobis queri possit, de ipsorum Sanctis solum ea tractabimus, quæ grata fore sciemus, cetera dimittemus: vel causas dubitandi, ut summum leviter ac nude proponemus.*

V. *Quod circa Officium B. Alberti, à Canonicis Regularibus impetratum; & circa attestationis Florentinæ auctorem dixi ex informatione alicujus; in eo me deceptum fuisse informatione fallaci, probant productæ nunc attestationes, contrariæ iis, ex quibus informatio petita fuerat: per quod nihil magnopere decedit nostræ fidei, quæ bona & sincera fuit: nec modica illa mutatio valde facit ad rem.*

79 Sic præinstructi nostri, pergebant tenere silentium, aut saltem in responsis prudentiam. Ego quoque, capto semel consilio insistens, ad diem VIII. atque XVI. Maji, quibus occurrebant Sancti Carmelitæ *Angelus & Simon*, sic disposueram omnia, ut sola certiora & utrimque probata darentur imprimenda: Carmelitæ e contra nihil de ferocia sua remittebant, ne quidem post mortem Patris Bonæ-spei, à quo fuerant excitati ad bellum nobis indesinenter ardentissimeque movendum. Obiit autem ille anno 1677. in-

ineunte Januario, quando vel maxime fervebant prælo Cnobbariano, nostrum quidem in secundo Tomo Maji, Carmeliticum vero in excudendis Actis Sanctorum Ordinis (quæ nobis ultra committere totum non videbatur) facturis tomum secundum Speculi. Sequenti anno 1678. 24. Octobris obiit etiam P. Daniel a Virgine Maria, Provincialia munere bis gesto, aliisque in Ordine Magistratibus, atque ordinata suaviter disciplina de suis optime meritus; de nobis etiam optime meriturus, si nostra unice æstimantem atque laudantem, etiamsi non semper quantum vellet faventia, in transversum non rapuisset P. Bonæ-spei. Vir siquidem erat P. Daniel, ex una quidem parte tenacissimus præjudiciorum inveteratorum; ex altera tamen antiquitatis amans, eique inhærentibus libenter tributurus quantum salva pace suorum posset. Hanc cum sibi videret non stare domi, nisi eam nobis foris negaret, novit Deus quam acerbe id senserit. Quare licet composuerit contra me *Propugnaculum Carmelitanæ Historiæ*, apponendum suæ collectioni Monumentorum vetustiorum, tomo speculi primo a pagina 743. ad 794. sic extendendo; eo tamen usus est stylo, qualem inter eruditos disceptatores teneri convenit, utpote ingenio vir mitii.

80 Huic si Fratres sui similes omnes fuissent, non legeremus nunc eo in opere, post Auctoris mortem in quatuor tomos distracto, pone dictum Propugnaculum, recusam partem secundam Armamentarii Bonæ-speani; multoque minus tot in principio insulsissima Prolegomena, quæ paulo moderatioris ingenii Carmelitis displicuisse scio. Certe vivens ille sæpe fuerat communi Typographo protestatus, in suo opere appariturum nihil, quo nobis videretur offensus. Idem postea Typographo prænominato confirmavit R. P. Columbanus, Provinciæ Syndicus, vehementer improbans factum P. Valentini, in novo illo P. Danielis Speculo quadratis rotunda mutantis, cum gravi communis ærarii impendio: de quo tamen ego non queror: quid enim ad me, bene an male collocata in eo pecunia fuerit? Sed non æque patientee fero, quod qui novam istam Armamentarii impressionem curarunt, fecerint ipsum P. Danielem sic loqui in fine sui Propugnaculi, *Operæ pretium esse duxi, ad hoc monitus a viris cordatis, hic etiam inserere alteram partem Armamentarii Carmelitici, quod a me factum integre de verbo ad verbum*. Ex hoc specimine intelligitur, quam libere Curatores operis, post mortem Auctoris, arrogaverint sibi illius nomen, ut sui proprii consilii inventa eo palliarent: qui etiam hoc sibi voluerunt licere, ut in illo Propognaculo, in quo nominare me noluerat Auctor, eam moderationem imitatus, qua fueram in Aprili usus erga P. Franciscum Bonæ-spei, meum nihilominus nomen apponerent. De Indicibus idem judicium esto, similiter post Auctoris mortem collectis licentius.

81 Ita modeste procedentibus Jesuitis, Carmelitis tumultuose, moritur, ut dixi, anno 1677. die 5. Januarii, sæpe nominatus Pater Franciscus Bonæ-spei; & procedit utrimque pridem cœpta impressio tam Speculi, quam Maii; sed ita, ut libenter pateremur ipsum, etiam cum impedimento operis nostri, urgeri operosius, priusque prodire; quo simul ac semel excuti posset totum, quod ad causæ suæ defensionem, extremo illo (ut credebamus) conatu, adducturi essent Antagonistæ nostri. Responsum enim, ad secundam Armamentarii partem dandum, adeo non formidabant illi, ut ultro nos accedens Prior eorum ad id expressius provocaret, dum alia omnia tentabant ipsorum Superiores Romæ, ex Aprili docti formidare Majum, in quem varios Ordinis Sanctos concurrere sciebant. *Hinc Procurator Generalis Carmelitarum Discalceatorum* supplicavit Patri nostro, *ut dignaretur providere de remedio opportuno, contra multiplicia præjudicia ex tractatibus jam editis, & quæ in futurum verosimiliter timentur; districte inhibendo P. Papebrochio & ejus Sociis, ne de Vita S. Angeli, jam ante præpropere præscripta, ut veritati multimodis contraria, nec de Vita ulla Sancti, Sanctæ, aut Beatæ, nec de ulla historia Carmelitana quidpiam deinceps scribant, aut mentionem faciant: aut certo, si adhuc scribere permittantur, ne quidquam, concernens Sanctos aut historias Carmelitarum, prælo dare possint, nisi prævie examinatum & probatum fuerit a quatuor Ordinis Carmelitarum Theologis, in historiis Ordinis versatis, duobus deputandis a Generali Ordinis Carmelitarum, & itidem duobus nominandis a Præposito Generali Congregationis Italicæ aut Hispanicæ.*

82 His sub medium Augusti acceptis, memor eorum, quæ ante tres quatuorve hebdomades ex Priore audiveram, & aliorum qui adfuerant memoriam consulens, ipsum quoque verborum suorum memorem feci, atque rogavi, in scriptis eadem confirmare, hac vel simili formula. *Infrascriptus, Prior Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, Conventus Antuerpiensis, sicuti existens in Domo Professa Societatis Jesu, in Musæo ubi scribuntur Acta Sanctorum, coram Patribus Godefrido Henschenio, Daniele Papebrochio, Gualtero de Hutter, & Daniele Cardon, ejusdem Societatis, petii, & instanter petii, tamquam rem ab Ordine nostro valde optatam & expectatam, ut responderetur ad secundam Partem Armamentarii, compositam a Rev. P. Francisco Bonæ-spei piæ memoriæ, & nuper typis editam; ita etiam nunc cum nominis subscriptione profiteor, me meosque in eodem desiderio & expectatione persistere; ut historiarum nostrarum veritas, quæ editis Actis Sanctorum Aprilis vocata in dubium fuit, mutuarum responsionum comparatione clarius innotescat. Actum in nostro conventu Antuerpiæ 16. Augusti 1677.*

83 Hujusmodi formulam, uti miseram, sic absque subscriptione, recepi die 20. cum litteris P. Danielis a Virgine Maria insulse expostulantibus de Aprili, tandemque concludentibus, respondere Priorem, *quod a Provincia nullam habeat vel habuerit commissionem, ut aliquid figuet ..... Cum talibus nolle habere communicationem; inscium & invitum mense Julio proxime præterito deductum se fuisse ad illud illorum colloquium: repetiisse, quod tunc dicebat, se non potuisse concipere, nec posse modo, quod isto sit spiritus Societatis.*

84 Et hoc & multa alia querulum dixisse memini, sed id non quærebam. Quærebam, an non vere etiam illa dixisset, quæ proponebat formula. Si negasset, paratus erat amicissimus illius P. Gualterus, qui non aliud quam invitationem amicam se adhibuisse ajebat, ut ipsum ad nos deduceret. Tacendo autem, an non consen-

sensisse videbatur, & fateri ista sic dicta esse? Sed enim videbat se verbis suis irretitum teneri; & forte etiam intellexerat, quid Procurator præfatus Romæ petiisset a Generali nostro. Quid quod immediate post dictum colloquium, in convivio apud Patres Carmelitas celebrato 21. Julii festo S. Danielis Prophetæ, cui & Provincialis interfuit, ita se provocando locutum asseruit idem Prior, idemque sæpius iterasse cum risu: P. Henschenium vero aliud non respondisse, quam ut esset Pax, prout Typographus Coobbarus narravit, qui eidem convivio interfuerat, una cum D. Marten Presbytero, & quæstore Episcopali D. Berendonck.

85 Minuta sunt hæc, fateor, sed ei, qui historicam deductionem rerum gestarum cupit, nequaquam contemnenda; uti nec hoc, quod ejusdem anni fine cœptum, ac sequentis initio continuatum, vehementer commovit animos adversariorum, intelligentium, Illustrissimum Antuerpiensium Episcopum, Aubertum vanden Eeden, consuluisse sacram Congregationem Rituum super Lectionibus, quas ipsa pro solenni Commemoratione S. Mariæ de Monte Carmelo, Ordini isti concessas pridem, extenderat ad omnes Catholici Regis Provincias. Equidem non diffitebor, me, eadem cum Episcopo nostro sentientem, partem aliquam in eo consilio habuisse; nec volenti rem istam suo tunc Secretario committere, operam meamque commodasse ad scribendum epistolam: qui si etiam auctor ei primus ad id faciendum fuissem, non me pœniteret pudereve. Quid enim honestius, quam pro veritate, præjudicium ex istis Lectionibus patiente, contra falsitatem consilium dare Episcopo meo? Quid etiam modestius, quam sine ullo domi aut foris strepitu, non in publicis (ut Carmelitæ solent) ad plebem promiscuam concionibus, causam agere apud competentem judicem? Quid denique regulare magis, quam id agere per Ordinarium, qui citius in talibus fidem citius habiturus, audiendusque, & super quæsitis responsum certo relaturus? Epistolæ, ex mente Illustrissimi a me scriptæ, & ab ipso coram me ac Patre Henschenio firmatæ proprio sigillo, tenor hic fuit.

EMINENTISSIMI DOMINI.

86 *Cum in totis Hispaniarum & Indiarum regnis Belgicisque provinciis, Catholico Regi Domino nostro subjectis, nulla imprimi aut venum exponi Breviaria & Officia possint, quam quæ juxta Romanum exemplar, cum licentia Ordinarii, & ex Typographia Plantiniana Balthasaris Moreti, hic Antuerpiæ prodeunt ac prostant; atque adeo pro secuturis deinceps impressionibus, mea, ut Ordinarii, facultas requirenda sæpius sit; ad munus meum credidi pertinere, exponere sacræ, cui præsidetis, Rituum Congregationi, quod in hisce partibus, & forsan etiam alibi, ubi magna est fidelium erga Deiparam devotio, & Catholici hæreticis aut vicini, aut permixti vivunt; haud levis existat difficultas, circa Lectiones pro secundo Nocturno die XVI. Julii recitandas in solenni Commemoratione B. Virg. Mariæ de Monte Carmelo, juxta exemplar Officiis his adjunctis, & sæpius recusi, postquam illud, rogante sereniss. Hispaniarum Regina, cum S. P. N. Clementis X. præcepto, extensum fuit ad omnes, qui in prædictis Catholici Regis ditionibus ad Horas Canonicas tenentur. Patres enim Carmelitæ dicunt, scribunt, & prædicant, per hujusmodi Lectiones proprias sic affirmari traditiones suas circa processionem Ordinis ab Elia Propheta, & nomen Fratrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, inde a temporibus Apostolorum eisdem inditum, ut de earum veritate amplius nequeat dubitari, absque injuria sacræ Congregationis, ipsiusque Apostolicæ Sedis contemptu.*

87 *E contra eruditi viri passim in Clero, tam sæculari quam regulari, existimant, Sanctorum Patrum sententiis conformius credi, quod ipsa B. V. Maria prima fuerit, quæ vexillum castitatis extulit, suam Deo virginitatem vovendo; contrarias autem dictorum Patrum Carmelitarum traditiones, nulla antiquarum historiarum auctoritate fulciri: adeoque se cum Emin. Card. Baronio ad annum 1181. posse sentire, quod Ordo Carmelitarum, qui in Palæstina in ipso Monte Carmelo fixere sedem, sub Alexandro III. Rom. Pont. sumpsit originem. Non fuisse autem, nec esse putant mentem sacræ Congregationis, aut Apostolicæ Sedis, sive cum dictum Officium in Ordine recitari posse primo concessit, sive cum illud nuper ad omnes Catholici Regis subditos extendit, ejusmodi assertis ex se dare pondus irrefragabilis auctoritatis: sed in his aliisque Monasticorum Ordinum Lectionibus, quas illis per sua privilegia componere & imprimere licet, solum permissive se habere.*

88 *Queruntur itaque lædi se ejusmodi Patrum Carmelitarum dictis, scriptis, & prædicationibus; scandalizari imperitam plebem; hæreticis, ritus Catholicos ridere solitis, materiam obloquendi præberi; & ideo optant, ut in remedium prædictorum, sacra Congregatio suam circa hoc mentem declarare dignetur. Quin etiam utile fore censent, si liberum cuique relinqueretur, pro Lectionibus secundi Nocturni usurpare Lectiones præscriptas in simili solennitate sanctissimi Rosarii, de Homilia quapiam, quandoquidem adinstar hujus facta sit hujusmodi Officii extensio. Super his sacræ Congregationis responsionem & resolutionem humiliter præstolabor, ut in futuris dicti Officii impressionibus juxta illam procedere possim, absque ullius gravamine aut præjudicium. Deus Eminentias vestras incolumes servet. 17. Decembris 1677.*

AUBERTUS Episcopus Antuerpiensis.

Ita scriptam, signatam, sigillatam, & congrue involutam inscriptamque epistolam, nequis domesticorum sciret, jussus sum Romam destinare (sicut & feci) deferendam ad eum, qui Illustrissimi negotia tractabat in urbe. Hic vero eamdem tradidit Illustriss. Bernardino Casalio, Congregationis istius Secretario, qui proximo Februario jussit responsum expectare.

89 Prius vero quam id huc adferretur, (sicuti in meis ad Possinum litteris 4. Martii hinc datis, mihique post aliquot annos relatis, scripsisse me invenio) *invitavit nos ad se Illustrissimus* (Patrem scilicet Henschenium & me) *die 26. Februarii, significans se aliquid habere communicandum: id autem erat hujusmodi: Adfuisse sibi Eliticos, modeste querentes de libello per eum Congregationi oblato, & multa excusando, nosque, veluti istius consilii auctores, notando. Quibus ille graviter constanterque respondere; non id nostrum, sed suum fuisse consilium; qui etiam antequam fuisset electus, vi-*

vente

vento adhuc Decessore suo, dissuaserit evulgationem Officii, sciatque impressum sine assensu Ordinarii, ex more requirendo cum exhibitione exemplaris legitime signati, quod numquam exhibuerint. Communem se ipsis & cæteris esse Patrem, nullius tamen respectu prohibendum, quo minus fungatur officio suo. Attulerant autem ad eum operis, octavum annum sub prælo sudantis, & circa Pascha (ut ajebant) prodituri, partem primam, continentem antiquos scriptores Ordinis, pro prætensa antiquitate firmanda facientes, cum Dedicatoria Ms. ipsi facienda, tamquam Auberti Miræi nepoti, a quo accepissent primam Ideam Historiæ Carmelitanæ, in Præfatione præfixa ejus libello de Originibus Teresanarum. Ipse vero responderat, Dedicatoriam se consideraturum; nobisque coram se legendam & expendendam exhibuit.

90 *Summam totius ab Elia ad Teresiam successionis complectitur Præfatio illa, quam non esse avunculi sui opus demonstrabat Illustrissimus, producto exemplo, cujus & charta & typus discrepant a charta typoque Præfationis; cum qua, pro simplicissimo ac proprio titulo, etiam nunc per omnes paginas legendo,* Origines Teresanorum (*sicuti ejusmodi opuscula alia plura Miræi inscribuntur,* Origines Carthusianorum, Cisterciensium &c.); *Igitur cum Præfatione impressus hic alius, nec libro, sed Præfationi respondens:* „Ordinis Carmelitani, ab Elia primum „inchoati, ab Alberto Patriarcha Hierosoly- „mitano vitæ Regula temperati, a B. Tere- „sia Virgine Hispana ad primævam discipli- „nam revocati, origo atque incrementa. *Hæc omnia dicebat Illustrissimus, non a Miræo, cui archæologiæ Carmelitanæ veritas unquam potuerit persuaderi; sed a Wastelio Carmelita, Miræo reluctanti obtrusa, ut libello, jam jam lucem spectanti, præponerentur, quod utrum Wastelii amicitiæ & precibus avunculus suus dederit, an intercessioni Serenissimæ Claræ Eugeniæ Principis, cui a Cortina Miræus, & Teresanæ erant perquam caræ, utpote in ipsius gratiam ab Alberto Archiduce Bruxellis fundatæ, nesciebat Illustrissimus dicere. Ajebat autem, in sua bibliotheca, in qua collecta habebantur omnia defuncti opera & opuscula, nihil tale reperiri; & Avunculi sui mentem fuisse, ut prætermitterentur, siquando eadem sua opuscula in tomum unum colligerentur (de quo tractabatur) sed natruæ simplicitati restituerentur* Origines Teresanarum.

91 *Legens ergo Dedicatoriam talem sibi offerendam, ejusque intendi cognoscens, ut alienis quasi Avunculi sui verbis obligatus teneretur ad ista, a quibus etiam ipse alienissimus erat, manutenenda; statuit non admittere Dedicatoriam istam, quin etiam de ipso toto opere suscipiendo vehementer dubitabat. Sic dubitanti opportune venit Tua, R. Pater (Possine) epistola, data 12. Februarii: ex qua, sicut a nobis lecta cognovit, qua ratione Eliani venerint in notitiam supplicationis, Congregationi oblata (quia scilicet hæc ipsam Patribus istis confidentiam miserat) seque instruxit ad respondendum iisdem, ad se post meridiem venturis, pro sua circa Dedicatoriam resolutione.* Hactenus isthæc mea ad Possinum epistola: cui de successu tunc quidem aliud scribere non potui; fuisse autem successum ex voto ipsorum, atque etiam ex nostro, indicant verba Epistolæ Dedicatoriæ, tomo .. Speculi præfixæ ad Illustrissimum ejus successorem, hodieque Episcopum nostrum, D. Joannem Ferdinandum van Beughem.

92 Etenim ubi enumeratis Carmeli floribus quibusdam præstantioribus (quis enim neget Sanctos esse flores, nusquam copiosius quam in sacris Religiosorum Ordinibus legendos?) sic progreditur Auctor, totam eloquentiam ibi suam effundens. *Vidit illos,* inquit, *oculisque ut corporis, ita mentis consideravit, horti Tui peritus olitor, Prædecessor Tuus* Aubertus. *Quam delectatus in singulis! quam hæsit in universis! Vidit, stupuit, laudavit, odoremque sanxit esse sanctitatis. Tantum? Et aggratulatus est nondum edito:* adde, nec ultra primi Tomi pag. 736. adhuc impresso, nisi forte impressum etiam erat Propugnaculum, sed caute subtractum Illustrissimi oculis, quibus sciebatur displiciturum, quantumvis modeste scriptum. Quid porro? *Applausit, & oblatum,* inquit, *suoque dicandum Nomini ambabus, quod dicitur, ulnis amplexus, gratantissime acceptavit, lætantissime testatus, gravatum annis fratum suum talium odore florum recreatum iri & alleviatum.*

93 Credo equidem benigne acceptasse librum, quod ut faceret, vehementer suaseramus etiam nos, iis quas mox indicabo rationibus. Sed quid de Dedicatoria? Non credo de hac non esse locutum, qui tam obfirmate eam coram nobis improbaverat. Suspicor ergo aliam componi voluisse, idque in se recepisse Patrem Danielem; & in hanc rem stetisse, quoniam protracta fuit, quoad usque absolveretur etiam tomus Speculi secundus, qui esse debebat, uti supra dixi, de Actis Sanctorum Ordinis. Verum sequenti mox anno obiit P. Daniel, duodecimo autem post die ac 6. Novembris moriendo secutus est senex Episcopus. Ex his facile intelliget Lector, quomodo accepturus ille fuerit biennio post, si tam diu vixisset, non jam unum librum, (qui suæ censuræ pridem oblatus, tunc dedicandus offerebatur; quemque in lucem dari etiam laudassent ii, qui relatis in eo monumentis non multum credebant) sed libros omnino quatuor, tot asperos spinis & aculeis in Collectores Actorum, ipsamque nostram Societatem. Hoc vero ignorans successor Ferdinandus, quid mirum si susceperit opus, adeo pridem approbatum, ut præferret facultates, anno 1663. & 69. signatas; præcipue autem approbationem ipsiusmet Auberti, anno 1671. expeditam; quando scilicet ultra unicum tomum, nihil, non dico impressum typis, sed nec animo quidem adhuc erat Auctori designatum.

94 Juvat interim observare, quo stylo usus fuerit Aubertus, isto anno 1671. Archidiaconus & Librorum Censor, in approbando eo de quo agimus Tomo, & alio tunc pariter oblato P. Danielis opere. Non adhibuit flosculos plus quam poeticos, ne dicam pueriles, quibus extrema in ætate utentem fingit Dedicatoriæ Auctor. Gravi ille sententia, ac forma fere ordinaria, solum scripsit, quod in *Speculo Ordinis*, quale tunc erat, pariterque in altero cui titulus, *Speculum religiosi monastici status, nihil reperit, fidei orthodoxæ aut bonis moribus adversum; sed multa pia, erudita, ac præclara, doctissime pertractata:* cui & ego & quicumque Jesuita libenter subscripsissemus: neque enim ii sumus, qui nihil legi aut imprimi patiamur, nisi quod cum nostro privato sensu congruat, si eo neque fides lædatur, nec mores corrumpantur. Certe nos, fastidiosi illi

rerum Carmeliticarum censores, quales P. Sebastiano ejusque sociis videmur, Aubertum, tandem Episcopum, hæsitantem non solum ob caussas jam dictas, sed etiam propter memoriam offensionis ex a. parte Armamentarii sumptæ suadendo impulimus, ut operi P. Danielis patrocinium non negaret suum, & reapse persuasimus.

95 Etenim consilium (sicut in Appendice ad primum tomum Maii pagina 847. dixi) consilium inquam colligendi antiqua monumenta Ordinis, quod pridem communicatum nobis fuerat, & jam olim probaveramus, probabamus etiam tunc vel maxime. Verba Præfationis ante secundam partem Speculi Tomo 1. pag. 130. sub finem, hæc sunt. *Occurrit menti, quod pridem plerasque vetustiora opuscula, circa historiam Ordinis hujus, tradiderim inspicienda Patribus Bollando & Henschenio, & examinanda, quid circa eorum editionem censerent: quibus perspectis & lectis, judicarant, e re & utilitate publica fore, si thesaurus ille absconditus, publicus fiat*. Diu autem antea idem P. Daniel sic scripserat in Prologuio ad Vineam Carmeli, editam ab eodem Rev. P. Daniele sub nota anni 1662. *Speculum magnum Ordinis Carmelitani, quod paulatim excrevit in molem utcumque notabilem, ab annis multis formare cœpi, constans partibus sex: in quibus, Deo dante, vetustiora & præclariora quæ extare noscuntur hujus Ordinis monumenta, cum insertis Notulis succinctis exhibere, in votis est: quæ, pleraque hactenus non excusa, & tantummodo manuscriptis in paucis reperibilia, non modo e re Ordinis, sed & Ecclesiæ esse, censent viri graves qui ea viderunt: quos inter RR. PP. Joannes Bollandus & Godefridus Henschenius e Societate Jesu*. Nempe e re communi esse judicabant & illi, & ego post eos, expositos publice habere fontes tot paradoxarum in Historia ecclesiastica consequentiarum, per quas Originis suæ antiquitatem successionisque certitudinem demonstratam haberi volunt Scriptores Carmelitani. Neque sane fieri videbatur posse, ut de iis, quamdiu laterent, prudenter judicaret aliquis, ex locis hinc inde decisis, prout fiebat eatenus: ideoque in partem felicitatis duxi, cum mea de Alberto scriberem, accipere a P. Cornelio Hazart sex illas partes Speculi jam impressas, sicut has ad ipsum tulerat ipse P. Daniel, anno 1672. Et illis quidem vix tunc aliquid videbatur ad editionem deesse præter Indices & quasdam Appendices, ultra unius voluminis molem non extensuras Opus, sicut illud Ordinario librorum Censori exhibitum fuit, ab eoque approbatum vi. Decembris. Quomodo autem Approbatio tunc data, pro opere eatenus composito, sufficerat pro eodem per septennium deinde secutum in quatuor volumina producto, viderint ii quorum interest. Nos vel ideo magis admittendam Dedicationem suasimus, ne Præsul, nostræ arbiter futurus controversiæ quando prodiret Pars 1. Maii, suspectum se faceret parti adversæ intempestiva severitate.

96 Sed istam felicitatem invidit nobis, quæ secuta mox æstate civitati incubuit, acerba lues, meque Lovanium, ipsumque vita expulit. Præcedenti tamen æstatem illam funestam hieme, acceperat ille Roma expectatum ad suam supplicationem præmemoratam responsum, quod nobiscum libenter communicavit, eratque oretenus relatum ab Illustrissimo Casalio ei, qui supplicationem attulerat, in hunc sensum. *Sacram Congregationem censuisse, communicandas Carmelitanis utriusque Ordinis querelas & petitiones Illustrissimi ac Reverendissimi Antuerpiensis: Patres autem illas, iis visis, respondisse per Memoriale, cujus originale transcribendum exhibebat idem D. Casalius, ac pro exspectato responso remittendum. Sacram enim Congregationem, judicantem benigne acquiescendum iis, quæ proponebant & petebant dicti Patres utriusque Ordinis, statuisse abstinere a novo super hac Decreto condendo; consideraque, incommodis, quæ Illustriss. & Reverendiss. Antuerpiensis proposuerat, sufficienter occurri per ea, quæ allegabant & promittebant dicti Patres in sua Memoriali; aut si tamen idem Illustriss. ac Reverendiss. Dominus imposterum deprehenderet quaddam ejusdem generis inconveniens, coerceret ipse ac corrigeret auctoritate qua pollet; aut siquid ulterius desideraret, iterum ad sacram Congregationem scribat, opportune super delatis provisuram.*

97 Eramus tum forte, cum responsum istud afferebatur, apud Illustrissimum Dominum: qui opportunitate illa utens, non tantum ipsum nobis legendum exhibuit, sed etiam cum adjuncto Memoriali concessit transcribendum. Memorialis vero, post caussæ expositionem, hic erat tenor. *Dicunt Patres Carmelitæ, se ubique & semper ex intimis visceribus tenere, beatissimam Virginem fuisse primavam caussam, finalem, motivam, ac exemplarem solennis castitatis voti: ad cujus exemplum siquid unquam fuit, est, aut erit veram religionem sapiens in Ordine Carmelitano, prorsus totaliter emanavit; ipsique immaculatæ Virgini unice acceptum referunt, quin unquam oppositum dixerint. Deinde mirantur, quod ex præfatis Lectionibus aliquis inferat professionem Carmelitarum cum voto solennis castitatis ab Elia Propheta, contra stabilitam prærogativam Beatissimæ Virginis: quandoquidem nec minimum verbum ibi legitur de Religione instituta, aut castitate ab Elia constituta. Ad hæc non dicitur ibidem, quod a temporibus Apostolorum, titulum Fratrum Ordinis Beatiss. Virginis obtinuerint Carmelitæ; sed dumtaxat, quod sic appellari cœperint, propter cultum Beatissimæ Virgini ubique exhibitum.*

98 Facile videbamus, quo spectaret bis inculcata mentio *Voti solennis*: sed volo id tantisper dissimulare. An autem & qua ratione possit votum, quo se obstrinxit Virgo, dici *solenne*, quærant Theologi, dum disputant de voti religiosi solennitate; quam esse positivi juris, & ab Ecclesia diu post Apostolorum tempora institutam, Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino*, post Bonifacium VIII. docuit. Miramur interim admirationem ipsorum, considerantes hoc principium dictarum Lectionum: *Cum sacro Pentecostes die Apostoli cælitus afflati, variis linguis loquerentur, & invocato augustissimo Jesu nomine mira multa patrarent; viri plurimi, qui vestigiis sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisæi inhæserant, & Joannis Baptistæ præconio ad Christi adventum comparati fuerant, rerum veritate perspecta atque probata, Evangelicam fidem confestim amplexi sunt, & peculiari quodam affectu beatissimam Virginem (cujus colloquiis & familiaritate feliciter frui potuere) adeo venerari cœperunt, ut primi om-*

nium,

nium, in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem nebulam, Virginis typo insignem, conspexerat, eidem purissimæ Virgini sacellum construxerint. Ad novum ergo sacellum sæpe quotidie convenientes, ritibus piis, precationibus ac laudibus beatam Virginem, velut singularem Ordinis tutelam colebant: quamobrem Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo appellari cœperunt.

99 Fallor, si P. Sebastianus, & ad unum omnes ipsi adhærentes, non sint parati vel sanguine suo subscribere, quod isthæc omnia ad Apostolorum tempora & Ordinem ab Elia institutum pertineant, idque intenderint auctores ipsarum Lectionum, licet id maluerint verbis minus distinctis involvere. Quod autem ad intentionem sacræ Congregationis attinet, hæc non debet eodem trahi: nec enim commissionem a Pontifice habuit, neque rogata fuit a Carmelitis examinare, quam veræ & fundatæ essent historiæ tales, in fide ipsorum jam pridem receptæ; sed solum, an Officii istius ad plures extensio posset Reginæ postulanti concedi. Quod autem eas denuo non examinaverit sacra Congregatio, vel inde patet, quod nonnulli eorum, qui interfuerant, petierint ad se Antuerpia mitti exempla ipsarum. Si dubitent aliqui, experiantur, utrum Decretum possint impetrare, quo nefas fiat de ipsis dubitare. Sed redeamus ad Memoriale, quod tangit punctum principale hoc modo.

100 *Quantum ad auctoritatem memorati Officii spectat, nihil in eo occurrit præ aliis, continentibus historias antiquas, de quibus exacta illa haberi certaque notitia modo non potest, quæ circa vitas & gesta Sanctorum his ultimis temporibus canonizatorum, ut plurimum suppetit; adeoque in eodem loco & gradu est a sacra Congregatione repositum, quem secundum Catholicorum doctorum sententiam possident quam plurima consimilia Officia, in Romano Breviario sine ulla jam controversia existentia .... Quod si nonnulli prædicatores & scriptores indiscrete se gerant, ex nimio ac imprudenti zelo sua dilatantes phylacteria, imponentesque sacræ Congregationi, quod in liberali concessione præcitati Officii numquam asseruit; opportunum ac efficax non est tale Officium derogare, vel in aliqua sui parte corrigere .... Verum Pater Generalis Ordinis Carmelitarum statim, sub regularibus comminationibus, præmonebit suos alumnos, præsertim Belgas, ut deinceps sine cujusquam offensione in prædicationibus ad populum se gerant; siquidem in aliis punctis non accusantur, nec præfatus D. Episcopus de aliqua injuria, vel irreverentia sibi irrogata conqueritur.* Sic illi.

101 Non videbatur satis acquiescere Episcopus, tum quia petebant Patres suum illud Officium, *in eodem loco ac gradu repositum haberi, quem possident consimilia Officia in Romano Breviario existentia*; tum quia in aliis quæ attigerat punctis multo minus satisfacere responsiones sentiebat; se quoque nonnihil uno loco perstringi. Sed nos, religiosæ caritatis memores, volentesque de prædictis Patribus, utcumque dignis, bene mereri, omnino suasimus ut acquiesceret. Nam, siquidem agatur de præteritis scandalis, ad imperatæ lætitiæ novitatem causatis per eos, quibus per dicti Officii extensionem omnis sua opinio velut canonizata videbatur; ea, defervescentibus animis, haud parum imminuta esse; atque a religiosissimo Antuerpiensium Patrum conventu, qui potissimum taxari videbatur, sperari debere, quod plurium prudentiorum atque moderatiorum cura contineret indiscretum paucorum zelum, maxime quando illuc accederent promissæ a Reverendissimo Ordinis Generali comminationes: quas sane convenisset Episcopo exhiberi, inde æstimaturo, quid & quatenus sperandum ex illis esset, quantumque eisdem deferretur in Belgio, atque ut omnes intelligerent, Romanos Carmelitas nihil minus concludi velle, quam institutam ab Elia Congregationem solitariorumque sub voto castitatis paupertatis & obedientiæ viventium, propter regnum cælorum, tanto prius quam Virgo nasceretur, & regnum istud a Christo ejus filio promitteretur servaturis consilia Evangelica. Hoc enim negari, vel saltem dubitari posse absque injuria cujusquam Illustrissimus imprimis declaratum sibi cupiebat. An promissæ Generalium comminationes unquam venerint in Belgium, nescio; vim certe exiguam habuerunt, moriente citius Episcopo Auberto.

102 Ad fidem quod spectat adhibendam historiæ, in Lectionibus secundi Nocturni comprehensæ, abunde satis esse dicebamus, si Patres Carmelitæ patiantur, eadem cum libertate examinari & disputari suæ historiæ veritatem, qua patitur Ecclesia eruditos viros versari circa S. Dionysium, Patronum Parisiensium, dum quærunt, an idem sit qui Areopagita, an alius, an a S. Clemente sæculo Christi primo missum, an solum sub Decio sæculo tertio, quorum affirmativa priora *in Romano Breviario* existunt quidem *sine controversia*, id est non proponuntur, ut dubia & controversa inter eruditos; non sunt tamen *sine controversia*, ut per se liquet. Sed ejusmodi obscuritatibus amant Patres Carmelitæ res suas involvere, uti faciunt in iis, quæ elici ex Lectionibus suis mirantur, quæque ipsimet passim eliciunt ubi non timent a quoquam redargui. Interim ex prædicta resolutione diximus Episcopo, hoc commodum nunc haberi, quod sufficienter refutatus maneat Armamentarii Auctor, sua præludia concludens num. *69*. recitato Brevi Clementino, Officioque per illud ad omnes Hispanicæ Monarchiæ ditiones extenso, sic quasi *omnia mea dicta in ipsum non obscure impingant, & fere unicum ad ea enervanda sufficiat*.

103 Hæc, prolixiora licet, placuit excerpere ex præcitato Apologetico & litteris tunc scriptis, ut appareat, quam religiose modesteque nos gesserimus durante hac controversia; quam turbide e contra Carmelitæ. Quorum impetus si aliquantum represserit P. Daniel, Speculi auctor, quoad vixit (vixit autem usque ad 24. Octobris 1678.) parum id profuit, quia eo mortuo, velut rupto aggere, effudit eum locus se P. Valentinus in maledicta: & in Speculo mutans quæcumque voluit, primum totam secundam partem Armamentarii, præter mentem P. Danielis, adjecit Propugnaculo; tum addidit ea omnia Prolegomena, quæ ille numquam fuisset toleraturus, & etiamnum abominantur moderatiores inter ipsos alii. Ibi, post Dedicatoriam ad Cardinalem Paulutium Ordinis Protectorem, habetur Ordinis nomine, directa nostræ Jesu Societati Allocutio; in qua gloriabundus Auctor: *Non debet*, inquit, *mater portare iniquitatem sui filii* (cur ergo tam dure vapulat in Belgio, & velut excommunicati

permittuntur haberi Jesuitæ omnes?) *Peccavit Papebrochius: suum ante oculos Papebrochio ponimus peccatum. Injurias intulit Papebrochius: illatarum ab eo petimus palinodiam injuriarum.*

104 Ad hoc faciendum *proximus opportunitatem Majus dat, daturus Acta Sanctorum Ordinis Carmelitani. Opportuna ad* v. *Maii occurrit vulgatissima S. Angeli Vita, tuo illi suspecta filio. Sive enim illam dabit, opportunitatem habet, suos ut revocet errores & emendet: sive illam non dabit, dare tamen potest suis theta erroribus. Occurrit ad* XVI. *Maii S. Simonis Stockii Vita, quem illa, suis ut stet promissis, campum aperit? Sextum habet Ordinis Generalem, & chronotaxim Generalium instituisse arguitur non bonam. Non posset ipsa opportunitas locum offerre opportuniorem, suis ut præstet fidem protestationibus. Si abnuat, pertinaxque stat pro ratione voluntas, suis detrahit fidem libris, sibique non bonam inurit notam.* Quotquot autem Carmelitæ hujates, totis quinque post Speculi editionem annis dederunt ad nostrum Generalem litteras: scio autem datas esse plures) & aliud non petunt, quam mandatum canendæ a Papebrochio palinodiæ.

105 Quid videtur, Lector, an ita non satis imperiose & fidenter citabar, tamquam publico judicio convictus & damnatus? Potuitne Societas sic postulato ad pœnam negare locum defensionis, saltem in Majo? Legitur deinde, inter pulchra isthæc, meramque caritatem, sed Carmeliticam, spirantia Prolegomena, a Fr. Valentino composita, distichorum sexaginta Elegia, titulo quidem *Protrepticon, Speculo Carmelitarum in lucem eunti*: revera *Diræ in Papebrochium*, cujus per singulos versus unus aut plures exhibentur errores & mendacia, atque (si superis placet) demonstrantur in margine, assignatis librorum meorum locis, quibus continentur. Initium calumniosi poematis hoc est.

Quid mihi, Livor edax, Eliæ tollis honores?

Finis autem talis:

Quid tamen ista juvant? Manet obduratio, nilque
Ipsum (P) solicitat restituendus honor.
Attamen Henschenius spondet, Bollandus, & ipse,
Quod prompti errores sint revocare suos.
Spondent; non faciunt. Erroribus additur error;
Quamque prior pejus ultimus error habet.

106 Neque hic sistitur. Post Approbationes Theologorum Ordinis, injuriis exaggeratis & maledictis fartas pleras que, & post Auctoris defuncti elogium cum Præfatione ad Lectorem, occurrit *Elenchus errorum aliquot & falsitatum Papebrochii*, cum sententia sumpta ex S. Gregorii lib. 6. Moralium cap. 7. *Arrogantes viri hoc proprium solent habere, ut, dum in nimia invectione prodeunt, etiam invehendo mentiantur; & cum non possint reprehendere juste quæ sunt, reprehendunt mentiendo quæ non sunt.* Ego vero quid? Meo me involvi silentio, ne latum quidem unguem egressurus limites præstituti mihi operis: nostræ vero Societatis homines, per Provinciam, in quos erupturus erat primus bacchantium turbo, præmuniendos curavi, notitia & expectatione proditum eodem anno 1680. Maii; misso per Collegia Apologetico jam excuso, cum hac manuscripta allocutione, mensæ accumbentibus prælegenda.

Reverendi Patres.

107 *Post nonum cœptæ impressionis annum prodit tandem*,, Speculum Carmelitanum, sive historia ,, Ordinis Eliani, in qua ejus origo, propagatio, successio exponuntur; Sanctorum Acta ,, aliaque proponuntur; contra impugnatores ,, Propugnacula & Armamentaria opponuntur, ,, per adm. R. P. Danielem a Virgine Maria. *Dividitur opus totum in volumina quatuor: secundum dimidia fere parte implent Propugnacula & Armamentaria, scripta contra P. Danielem Papebrochium, propter ea quæ hic impressit in mense Aprili, ad Vitam B. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani, qui circa annum Christi millesimum ducentesimum decimum quibusdam in Carmelo Eremitis scripsit Regulam, qua utitur Ordo Carmelitanus.*

108 *Agit ibi P. Papebrochius de fundamentis prætensæ ab eo Ordine antiquitatis, non sponte sua, sed coactus importunissima provocatione R. Patris Francisci Bonæ-spei, in* 1. *parte sui Armamentarii plures quam triginta paginas implentis contra Patrem Godefridum Henschenium, eo quod inter Acta Sanctorum Martii suam de illa antiquitate sententiam non clare exposuerit, sed argumentum istud dissimulanter prætereuerit. Calumniantur igitur, aut decipiuntur, qui dicunt, aut credunt, Patrem Papebrochium suscitasse hanc controversiam. Nunc cum appareat, Patres Carmelitas rursum magnis clamoribus publicaturos Triumphum, hoc (ut opinantur) opere relatum, monentur & rogantur omnes nostri, ut quam modestissime & cautissime loquantur de hac controversia, ac ne loquantur quidem de ea cum externis, nisi interrogati: tunc autem respondeant, Quæstionem esse historicam, quam nolit Societas suam facere. Nos omnes dolere & mirari, quod Patres Carmelitæ tanto cum strepitu querantur de responso, quod ab invitissimis extorserunt: potuisse & posse rem istam modestius ex eorum parte agi: responsum a nobis non negari, sed dandum in proxime edendo Majo, quatenus judicatum fuerit utrimque expedire. Interim ad privatam dumtaxat nostrorum instructionem, prælegetur hic Commentariolus Apologeticus, ex mandato Rev. P. Nostri a Patribus Revisoribus generalibus Romæ recognitus, atque de verbo ad verbum, absque ulla contradictione, vel exceptione, approbatus & imprimi jussus.*

CAPUT IV.

Papebrochius, in prima parte Maii, edita anno 1680. tuetur scripta sua in Aprili, contra Auctorem secundi Armamentarii, vulgati anno 1677. & tunc paratus admittere successionem ab Elia, qualem Carmelitæ prætendunt, si ea posset aliunde probari vera, quam ex jam refutatis.

PArs secunda ARMAMENTARII, instructa *præcipue contra Henschenii & Papebrochii tela, sive argumenta*, unice spectabat supradictum Aprilem, secundo post hunc anno, Christi 1677. editum in lucem; cui ut simili opusculo seorsim responderem votum quidem RR. PP. Carmelitarum erat, sed non consilium nostrum;

non enim sic pruriebant nobis ad disceptandum manus, quin possemus expectare maturitatem Maji, opportunum locum defensioni, etiam post an. nos plures, daturi. Videntes ergo Adversarii, nihil nos vociferationibus suis moveri, nihil scripulationi tam ferventi reponere; haud ex vano crediderę, usuros nos occasione refellendi etiam istam secundam partem Armamentarii inter Acta Sanctorum Maji, sicut primam refutaveramus in Aprili; cœperuntque magnis clamoribus rem agere, publice ac privatim; palam etiam secessionem facere a Societate; renuntiantes omni cum ipsa commercio, ut supra dictum est, & Jesuitas velut excommunicatos habere; licet hi ex sua parte & invitarent ad scholas more solito, & omnem humani officii vicem reddere vellent ipsis, æque ac aliis religiosis, cum quibus non eadem in schola sentimus. Quid enim ad cæteros pertinebat, quod duo treive historici disceptarent de quæstione facti, nihil ad fidem moresque spectantis? Sperabant scilicet futurum illi boni Patres, ut concitandis in plebe scandalis cogerent Superiores Societatis ad imponendam nobis retractationem scriptorum aliquam, vel saltem confessionem publicam, quod sua sententia iis nitebatur rationibus, quæ hominem eruditum & prudentem possent ad assensum, ut minimum probabilem, trahere.

108 Hoc vero cum nulla arte extorquere se posse viderent, effundebantur in maledicta atque convitia, publice ac privatim, in satyras libellosque famosos; neque jam amplius ulla vel thesis in scholis, vel materia aliqua tractabatur in libris, cui non adderentur Impertinentia Appendicesque contra me: ipsæque Approbationes, quæ modestiores esse debuissent, diffluebant ad invectivas acerrimas atque prolixas, ut non tam de encomio operis texendo, quam de me proscindendo, ipsaque nostra Societate sugillanda, laborasse auctores appareret. In hoc autem præ cæteris excesserunt, qui approbantes novum Speculum, an. 1680. ineunte editum, versu ac prosa insultarunt mihi, tam infrunite & inverecunde, ut tres omnino duerniones, quos insaniis istis impleverant, improbaverit Generalis & aboleri jusserit; sicut ex ipsorum ore Typographus sæpe nominatus retulit, an autem non frustra id mandarit Generalis, an effectu secuto, viderint qui libros habent.

109 Specimen modestiæ censoriæ accipe ab uno eorum F. Alexandro a S. Teresia: qui cum intellexisset improbari nonnullis, quod Carmelitarum aliqui appellassent R. P. Franciscum Bonæ-spei, *Triumphatorem Henschenii ac Papebrochii*; invento isto mire sibi plaudens, ne quis hanc laudem subriperet, cavit in sua laureata Philippica, quam Approbationis loco scripsit præfigendam Speculo, seque his verbis extulit: *Armamentarii Auctori, in edito a me Religionis Clypeo, hocce dederam elogium*: Triumphator Henschenii & Papebrochii *Jesuitarum*, novissimorum *Ordinis nostri* hostium. *Sensisse scio, indignatos esse, questosque, at nullos curat incus strepitus. Ecce tibi, Papebrochi, alter iterum Triumphator, quemque encomio non verebor exornare simili*:

Rumpatur quisquis rumpitur invidia.

R. A. P. Daniel, *Historiographus verax, solidus, solers & accuratus*, Triumphator Henschenii & Papebrochii, novissimorum *Ordinis nostri* hostium.

Opuscul. Collect.

Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.
Corrodat: non enim nisi veritate triumphante triumphant. Indignatos esse questosque pro nobis de Societate nostra nonnullos, externos autem plures, facile credidero; de me meoque Magistro Henschenio jurare possim, nullum nos alium ostendisse sensum ad insolentiam tituli talis, quam commiserationis erga eos, quos tam manifeste apparebat, in felle amaritudinis positos, omnem moderationis legem excedere: quin & dixi nonnullis, nomen *Triumphatoris* perquam commode offerri mihi, qui verebar auctorem secundæ partis appellare *R. A. P. Franciscum Bonæ-spei*; eo quod post ejus mortem prodiisset liber, cui allaborasse plures dicebantur; quemque eodem jure poteram ab aliis auctum credere, quo sciebam augeri Speculum, mortuo jam P. Daniele.

110 Hæc aliaque nihilo modestiora cum nuntiarentur Patri nostro, isque vereretur, ne tam atrociter lacessitis nobis excideret aliquid, ad innocentiam tuendam parum, multum ad iram hominum tam bellicosorum accendendam facturum, mandatum scripsit Provinciali nostro, ne quid in proxime excudendo Majo pateremur ad defensionem, quantumvis justam, inseri, quod non esset supremo Revisorum Generalium judicio Romæ oblatum approbatumque. Primo igitur composui Commentarium Apologeticum, præliminarem ad Acta B. Aloysii Rabatà, de quo supra, & unde adhuc aliqua inferius subnectam.

111 Deinde institui comparare inter se sacra Hodœporica duo, unum *Joannis Phocæ*, de quo supra, aliud falso ferens titulum *S. Antonini Martyris Placentini*, ex sacra Thebæorum Legione Tomo 2. præpositum utrumque: ad quorum calcem, post notatos posterioris errores, necesse habui excusare Lectori, veritatis non fabularum amanti, quod post auctorem adeo gravem, pium, elegantem, qualis est Joannes Phocæ, voluerim eum fatigare inconcinna ista Placentini scriptoris balbutie, nullo stylo, nullo ordine, nulla verisimilitudinis cura conjungentis vera falsis, affinia disparatis. Oportuit enim, loquebam, utrumque integre legendum exhibere; ut, sicut Carmelitæ fuerit hactenus suspectus Joannes, quia à me laudatus; non suspectus Antoninus, quia sibi favens; is, collato inter se utroque, non mihi, sed oculis suis atque judicio credat. Scriptum autem illud dixi decimi vel undecimi sæculi videri, tum ex styli barbarie, tum ex aliis adjunctis; sed pseudepigraphum: idque non tantum quia se *Antonini Martyris* socium facit, & illum, qui Miles fuit, transformat in Presbyterum vel Monachum, *Patrem Antoninum* appellando cap. xxxiv. sed maxime, quia se dicit socium itineris, quod non potuit nisi somnians fecisse: quo fit ut taceat de celebrioribus, quæ in Terra-sancta antiquitus fuerunt, & tunc adhuc erant monasteriis, puta Sabæ, Charitonis, Euthymii, Gerasimi, Theodosii, Calamonis, Chozebes, de aliis vero non nisi nocerta quædam & sæpe fabulosa percurrens, nihil nos docere possit circa statum monasticum in Oriente, pro illo quo vixit & scripsit sæculo, quantumcumque dilato.

112 Post hæc concinnavi Historiam Chronologicam Episcoporum ac Patriarcharum Hierosolymitanorum, præponendam tertio Tomo ejusdem Maii, ipsamque iis instruxi Parergis, qui-

bus supplerentur qualescumque defectus Aprilis, quidam etiam corrigerentur errores, & responderetur ad nova ex secunda Armamentarii parte regesta tela. Primus & secundus quos dixi tractatus, ne verbo quidem notato, rediit, ut missus erat, sic imprimendus: tertius vero secum attulit Approbationem specialem hac forma. *Legimus tractatum preliminarem P. Danielis Papebrochii de Episcopis & Patriarchis sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, censemusque vulgandum ad justam Auctoris defensionem, quem adversarii de variis criminibus perperam & injuriose, scriptis etiam libris, postularunt; quibus nisi respondeatur, silentium pro confessione interpretabuntur. Est autem responsio modesta, nulliusque offensionis, quæ rationabilis sit, conciliatrix. Actum in Collegio Romano S. J. 10. Julii 1680. Joannes Maria de Requesens, Ignatius Tellinus, Martinus de Esparsa, Franciscus Dunellus.*

113 Denique Romam misi, suo exemptam loco, ut tempus cognoscendi istic daretur, & ad finem libri dilatam Vitam triplicem S. Angeli Martyris, cum amplis meis Commentariis ac Notis & Censuris, quibus ostendebatur tota esse supposititia, itaque enervabantur omnia inde petita testimonia. Quæris quo successu? Iidem Patres Revisores, qui prædicta omnia absque ulla tergiversatione & exceptione approbaverant, testati quidem sunt in ipsa quoque sic notata Vita *omnia vero, accurate, sapienter, atque etiam modeste deducta videri*; censuerunt tamen cum Patribus Carmelitanis communicanda; futurum sperantes, ut evidentia veritatis & styli moderatione moti illi, aut verecundarentur earumdem jam impressarum evulgationi non assentiri; aut saltem paterentur iis, quibus nota est præfixa Speculo Carmelitano adjuratio de non prætermittenda S. Angeli Vita, indicari fuerent, provocationi esse abunde factum satis per ejusmodi Notas, sibi amice exhibitas. Istud Revisorum consilium secutus cum esset Reverendiss. noster Pater, simulque rogasset PP. Carmelitas, ut cito mentem suam manifestarent (sciebat enim ad finem vergere impressionem) ab initio Julii, quo id factum, usque ad XVII. Augusti, quo datæ ultimæ nostrorum ad nos litteræ Roma sunt, nullum omnino responsum potuit obtineri ab iis, licet plus quam semel instanter rogatis. Ita denique oportuit Paginam 847. inferne notatam littera * A, una cum Indicibus, usque ad ultimum libri edendi diem studiose dilatam, tandem subjicere cessanti prælo; & silentium tam diuturnum interpretari contensum, verecundantium palam fateri, quod imprudenter fecerint editores Speculi Carmelitani, ad ejusmodi Vitam provocando, cujus falsitas tam multis tamque evidentibus argumentis poterat eis pridem innotuisse, si ipsam serio examinandam sumpsissent viri, a peritia tractandarum historiarum debite comparati.

114 Cur autem prædicti Patres Revisores istas potius Notas, quam Parerga, Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum historiæ inserta, atque Apologeticum Commentarium, censuerint esse communicandas cum Carmelitanis Romæ Superioribus, etsi pro certo compertum non habeam, ideo tamen puto tali usos discrimine, quod hæc omnino erant necessaria ad criminum mihi impactorum expurgationem, adeoque non debebant exponi periculo suppressionis, forsitan ab illis petendæ; Notas vero in Vitam S. Angeli si postularent vel mutari in aliquo, vel etiam omnino supprimi; suspensa solum manebat causa, cujus peremptoriam definitionem illæ vel continent, vel offerunt tergiversatione seclusa. Ipsam quippe terminari, vel indecisam relinqui nostra non ita multum intererat; utpote satis habentium, si permittamur de Vitæ istius veritate, adeoque de probationibus prætensæ antiquitatis exinde petitis, cum fundamento dubitare; eaque tenere, quæ de statu Ordinis, sub Alberto Patriarcha, in Aprili proposuimus, ut verosimiliora nobis, quamdiu in contrarium non adducuntur certiora æque veterum & coævorum auctorum testimonia. Qualia nulla a nobis produci, mirum est qua fronte ausi sint nobis adversarii objicere; cum Joannes Phocæ in Carmelo fuerit, non multis post cœptum ibi erigi monasteriolum annis; Sanvicus vero eodem tempore vixerit, quo primum ex Asia migravit Ordo in Europam. Albertus Regulam, Pontifices sæculi XIII. Bullas dederint, ex quibus notitiam Ordinis pro eodem sæculo petii, per verosimiliores saltem rationes, ubi melius aliud non suppetebat.

115 Quoniam vero satis prævidebam, prurientes ad scriptitandum manus, jamque plenam nactas a suis Superioribus libertatem, non cessaturas; neque mihi animus erat respondere articulatim ad singula, palam aut furtim proditura; sed reliquos Maii Tomos jam ferme prælo paratos absolvere; num. 16. prædicti Apologetici prævii protestatus sum, me non ægre ferre, quod Rev. Patrem Bonæ-spei, *vehementer*, ut ait ipse, *reluctantem* Fratres sui coegerunt, rursus admovere scriptioni infelici manum. *Etenim, quocumque id animo ac stylo factum esset, agnoscebam nonnullas ei me debere gratias, pro notatione duorum, vel trium in aliena informatione errorum, & mendorum aliquot typographicorum; tam suo loco ac tempore ea paratus corrigere, quam alia recte constituta tueri contra interpretationes impertinentes verborum meorum, imo & cognationum accusationes, computationes disparatas, querelas intempestivas, paralogismos continuos, tautologias insulsas, quibus librum istum, non causam impleri censebant plurimi, qui nostra cum istis sic contulerunt, ut ea in proprio fonte suoque nativo contextu legerint; non vero distracta inter alienos discursus.*

116 *Addebam porro, quod, cum adversus ista tueri me meaque scripta cogerer, non id facerem, uti eatenus, velut aliud agendo; sed plana ac facili ratione. Primo enim, inquiebam, docere conabor, ubi, quando, & quantum vim habeat argumentum negativum, quod uti nullum, aut stramineum passim a Triumphatore explodituṛ. II. Sigillatim percurram scripta, sub auctorum quorumdam celebrium titulis objici solita; ostendamque argumenta, ex quibus sustinui ea aliena & temporibus & nominibus supponi, hactenus mansere inconcussa; proinde neque S. Cyrillo, nec alii cujuscumque & quantæcumque æstimationis viro, ullam fieri injuriam, quando auctor alicujus scripti, sub nomine Cyrilli v. g. perperam obtrusi & vulgati, causa brevitatis & phrasi in talibus usitata vocatur Pseudo-Cyrillus &c. III. Demonstrabo quam exigua & quot erroribus atque gratuitis conjecturis implicata usque in nostram ætatem fuerit penes Ordinem scientia, de vita*

&

& actis antiquiorum sacrorum Sanctorum, puta Bertholdi, Alberti, Cyrilli, Angeli, Simonis, Avertani, Petri Thomasii &c. evincentibus id monumentis coævorum testium: & eum, qui hæc ex professo & longa experientia tractat, non impingere in id, quod dicitur vulgato adagio,, stul- ,, tum plus videre domi propriæ, quam sa- ,, pientem alienæ.

117 IV. *Velut consequens ex priori educetur, quantum intersit inter eum credibilitatis gradum, in qua Societatis aliorumque hujus ævi historiarum scriptores consistunt; & eum, qui dari potest scriptoribus Carmelitis, post tot sæcula, circa res maximas, &, si veræ fuissent, apud antiquos scriptores nequaquam prætereundas, asseverantissime loquentibus, aliena ab iis, quarum indicia nunc habemus in eorumdem, ad quæ res istæ pertinent, temporum scriptoribus; ut sunt Joannes Phocæ, Albertus in Regula, Pontifices in primis Bullis Ordini datis, Sewvicus &c.* V. *Expendam æquiparationes ex editis per nos Sanctorum Actis desumptas, nihil ad rem facere; neque eorum aliqua reprobanda, aut examinanda severius, quam antea factum erat, non solvere, sed adimplere legem, ab initio fixum, de veritate paulatim eruderanda, & libere proferenda.* VI. *Denique aliud nihil concludam, quam prætensas Carmelitani Ordinis antiquitates ejusmodi esse, ut de iis possit non imprudenter dubitari; atque ipsos dubitantes nullam facere injuriam Ordini, sive cum de illis agere subterfugiunt majoris boni respectu; sive cum loqui coacti tandem ingenue confitentur, quid sentiant; quorum primam in Martio, secundum fecimus in Aprili. Atque hac ratione, credo, abunde satisfacturum me intricatissimo obscurissimoque Auctori Armamentarii, etiamsi non sequar vestigia ejus, conferendo Caput Capiti, Paragraphum Paragrapho.*

118 Hæc tunc proposita habebam, cum scripsi Apologeticam istam præfationem, needum certus, paterenturne Superiores in eodem Majo imprimi cætera, quæ successive suggererem, adjungenda ejusdem Tomi fini vel sequentis initio. Verum ne ingrato istiusmodi labore contra sic exorbitantes uti vellem in altera parte Maji, & sic interpolare illius progressum, effecerant amicorum ex Gallia & Italia litteræ, certatim obtestantium, contemnerem insultus, qui plausum inventuri essent apud neminem vel modice in nostro opere legendo versatum. Istis igitur omnibus sepositis, solum intendebam absolvendæ primæ medietati Maji, tres tomos implentis, & urgentis Typographum, ut hic interquiesceret, respiraretque tantisper ab ulterioribus in opere tam gravi sumptibus faciendis. Hoc dum ago, & Vita S. Angeli Romæ (ut supra dixi) a nostris recognoscitur, P. Possinus, sæpe dictus, cui res commissa erat, significat nobis, Revisores optare, ut illa Vita hic monstraretur adversariis nostris, ea visa forsitan mitigandis, atque movendis ad desistendum a prosecutione causæ, nequaquam ad gloriam suam cessuræ. Quare ex mandato P. Henschenii (cujus manu quæ sequuntur scripta conservo, sicut ea postea misi Adm. Rev. P. nostro Generali) ex mandato, inquam, P. Henschenii Provincialem Carmelitarum Veterum adiit D. Coobbarus, nostro nomine petiturus, ut is designaret duos, quibus Vitam istam daremus legendam: sed ille negavit quidquam circa rem eam, quæ Ordinem totum concerneret, potestatis se habere.

119 Ignorabat scilicet ferox ille, nihilque minus quam integram omnium in Aprili scriptorum retractationem expectans, eodem fere tempore eamdem Vitam Romæ quoque oblatam sic ipsi suo Generali fuisse. Hoc vero cum deinde, post quinque vel sex hebdomadas, intellectum fuit, pœnituit oblatam conditionem repulisse; venitque P. Valentinus ad Typographum, volens Vitam S. Angeli videre. An sciens, & quia ipsam numquam viderat? Dubito equidem. Nam plures post annos retulit mihi typothetarum quidam, ingressum se cum foliis Speculi emendandis cellam dicti Patris, vidisse super mensam ejus exposita folia de Vita S. Angeli, tunc pariter prælum occupante; cognitumque est id factum ex perfidia alterius famuli typographici, identidem illuc commeantis, pretioque vel prece inducti ad nostra furtim sublegenda, & Carmelitis ferenda.

120 Ut ut est, petiit Valentinus videre apud Typographum Vitam S. Angeli; sed ab illo ad me remissus, mihique merito suspectus, vacuus discessit: similiterque venire ad me, & me alloqui sunt dedignati Discalceati duo, paulo post Coobbaro supervenientes eadem de causa. Venit denique & Prior Discalceatorum, & idem responsum accipiens, acturum se cum P. Henschenio reposuit: *Et ego* (inquit Henschenius) *expectavi eum, virum aliàs humanum expertus, Vitamque sæpedictam ostendissem: sed non comparuit.* Hinc & ex post actis colligere licuit, Carmelitas Romanos, qui rogati fuerant respondere statim, responsum, quod a se ipsis dare poterant, Antverpia petiisse, ultroque ac citra consultando traxisse tempus, subducendum nobis, ne quid liceret replicare mandato, quod a Generali nostro elicituros se sperabant, de supprimenda non tantum Vita S. Angeli, sed etiam historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum, cui inserta Parerga, & per similem mercenarii perfidiam sibi nota, præcipua verosimiliter fuerunt morarum causa. De his tamen moderatiores Romani Patres satius duxerint verbum nullum facere, quam nimium petendo, ne hoc quidem quod ultra offerebatur obtinere.

121 Interim urgebar ad iter in Westphaliam accelerandum, dum adhuc in vivis esset, qui molestissimo calculo ad mortem ferri nuntiabatur, Mecœnas noster, Celsissimus Princeps Ferdinandus Furstenbergius, Paderbornensis ac Monasteriensis Episcopus, cui ejusque duobus fratribus tres Tomi illi dedicabantur. Videns ergo plus justo tardare Romanum de Carmelitarum voluntate responsum, venum jussi dari impressos Tomos tres, dispositisque rebus in ordine ad citam librorum tam diu expectatorum distributionem, per Galliam, Germaniamque faciendam, dedi me in viam cum socio P. Conrado Janningo. Die Augusti 2n. Coloniæ existentem assecutæ sunt litteræ P. Henschenii, ad sarcinas (uti dicitur) relicti, quibus nuntiabat, Roma scribi RR. PP. Carmelitas tamdiu exspectatum responsum attulisse, atque amicitiæ resarciendæ causa petere, ut Vita omitteretur: proinde velle Patrem nostrum ut id fieret; respondisse autem ipsum,

se, qui

se, qui jam fere octogenarius vixisset filius obedientiæ, talem etiam mori velle; & quamvis non esset amplius res integra, extemplo tamen suspendisse ulteriorem distractionem librorum, donec consultus ego, qui absens eram, & quem ea res potissimum spectabat, cuncta disposuissem. Id autem adeo agebat serio bonus senex, ut cum Typographo sit pactus de pretio 100. scutorum pendendo, mox atque constaret, Patrem nostrum, intellecto rerum hic statu, nihilominus velle, ut suum istud mandatum daretur executioni. Pactum illud ego mox ratum habui, simulque præscripsi modum, quo id fieret, etiam ante meum reditum, si opus foret. Etenim in talem, si contingeret, casum & necessitatem, habebam præmeditata omnia: extatque adhuc formula a me submissa pro Appendice Tomi 3. secundum quam folia, antecedentia Vitam S. Angeli, cum eam sequentibus nonnullis connecterentur.

122 Sed imparem illi curæ se credens Henschenius, exoravit Bibliopolam, tantisper ut suspenderet cœptam distractionem, donec rediissem ego; ac paulo post in paralysim lapsus, extremisque munitus, trepide me revocavit Antverpiam. Itaque confestim viaque breviori per Cliviam regressus, cum quo res statu esset intellexissem, nihil prius curavi, quam folium imprimendum, quod septem integris duernionibus a pag. 737. ad 844. eximendis substitutum, ita conjungeret extrema duo, ut nemo qui non esset mysterii conscius, animadvertere istud posset, & sic venum exponi denuo libros jussi. Verum iidem Patres Carmelitæ, quos par erat in sinu suo gaudere, isto pacis conciliandæ initio a nobis facto, frustraneum illum laborem ac sumptum fecerunt, irritumque reddiderunt consilium, quod poterat effectum habuisse speratum, si mansisset occultum; simulque securos illos reddidisset, quod in secuturis Tomis reliquis nihil amplius imprimendum esset de quæstione jam satis utrimque agitata.

123 Etenim prius quam talia mandata venirent, jam toto Belgio & Parisios usque illi sparserant, impressus quidem tres tomos Maji, sed vendi non posse, nisi prius exempta essent omnia, quæ ipsi vellent: prout inde rediens vir Clarissimus D. Balthasar Moretus, Plantinianæ Typographiæ tertius heres, nuper vita functus, P. Henschenio renuntiavit istic sibi dictum. Hoc autem etiam publice constitit per famosum libellum, Flandrice impressum, atque in vulgus tunc recens sparsum, cui titulus: *Extremum Officium extrema in necessitata Casuistarum Pasquillos fabricantium contra Theologos orthodoxos* (Jansenistas videlicet) *præstitum illis per Philippum Jansenium*, ubi Pag. 12. leguntur verba, Latine sic reddenda. *Qui solebant præcipui esse laxarum sententiarum patroni ac defensores, mandatum a superiori potestate acceperunt, ne quos libros posthac scribant aut imprimi faciant: unde etiam Sanctorum Acta, jam typis excusa, suppressa apud Typographum manent, propter interdictum ea publicandi Roma datum*. Scio equidem RR. PP. Carmelitas Belgas, præsertim Veteres, nihil in doctrina habere cum damnatis Jansenistarum principiis commune; sed utrum istæc tam patentia mendacia ex illorum, an ex Jesuitarum sermonibus hauserint isti *filii iniquitatis*, ut eos Alexander VII. appellabat, Lectori dividendum relinquo.

124 Talibus fabulis consternatus Cnobbarus, & futuri certus, statim post ultimi folii impressionem, 9. Augusti expedivit Coloniam sarcinas librarias tres, in quibus exempla Patrono Episcopo offerenda. Tum supervenientes Carmelitæ duo (ut ille retulit) obstupuerunt (credo, quia jam Roma certum habebant, id quod nos jam deliveramus expectare) & quæsiverunt, utrum id P. Valentinus sciret; responsumque eis est, quod scire posset, simulque tradita ipsis fuit Synopsis. Pergebant tamen iidem disseminare rumores præfatos, adeo certo, ut Typographum passim riderent æmuli sui, creditoribusque suspectum facerent, velut fortunas omnes suas in ipsis Actis collocatas haberet; & hoc eumdem etiam urgebat magis, ut & in Gallias exemplaria mitteret, sicut fecit, priusquam illud jam sperari desitum responsum veniret. Cum autem postea, sublata interdicti causa, Vita scilicet S. Angeli, illos iterum venales haberet iste, nullus Carmelitarum sic emere voluit; eorumque exemplo cœperunt etiam nolle alii opus (ut ajebant) mutilam, & integrum petere.

125 Quid, petere, dico? Jurgando etiam extorquere volebant, quod orando non poterant. Pater Valentinus Officinam Cnobbarianam implevit clamoribus tam sonoris, ut viciniam omnem illuc acciret. Adm. Rev. Pater Albertus le Roy Eremitarum Augustinianorum Historiographus, & conventus Antverpiensis Prior, alio quidem quam ille actus spiritu, haud tamen minori indignatione commotus, foras quidem vocem non misit, ventis tradendam, sed epistolæ commisit objurgationem acrem, hujus tenoris. *Indolui plus quam valeam calamo exprimere, quod præclarum vestrum opus de Actis Sanctorum incipiatis fœdare, & historiæ veritatem labefactare. Subit indignatio cum miseratione, post duodecim ingentes Tomos, tam vera sinceraque fide conscriptos, quod in decimo tertio volumine, ab usitata vestra consuetudine decedatis, a qua nec prece nec pretio recedi oportebat: siquidem studiorum & laborum vestrorum scopus est*, Acta Sanctorum digesta & illustrata *posteritati relinquere, quæ multorum inscitia & quorumdam malitia contaminaverant, & portentosis fabulis Alcorano & Talmuda similia propemodum fecerant: idque hactenus tam probe & feliciter executi estis, ut etiam libri vestri vim adferant animis, diversum a nobis circa sacra sentientibus*.

126 *Porro quæ vox nunc orbi erit, quando historiam Vitæ S. Angeli, tot fartam fabulis & figmentis, consulto prætermissam observabit? Gloriabuntur Carmelitæ, quod intactam reliqueritis ab illis expostulatam; ac veluti arcem inexpugnabilem, aggredi timueritis. Et quantum inde malum Ecclesiæ, cujus caput est ipsa Veritas, quæ non honoratur figmentis, quæque in gratiam nullius quantumvis potentis, aut spe futuri boni, abscondi & opprimi debet, si Christiane vivere velimus? Siquidem magis interest, ad decus & laudem religionis Catholicæ, unius Sancti vitam ab erroribus & figmentis vindicare, quam mille latentes e tenebris eruere: numquam enim heretici impugnabunt Ecclesiam propter exiguum numerum*

San-

Sanctorum, sed ob ea, quæ perperam de illis traduntur. Vale. Ita tunc, cum ista concertatio ferveret, die 3. Octobris, vir ille eruditissimus, nuper, id est anno 1692. primum mortuus, adeoque Carmelitis Antverpiensibus notissimus, qui talia ex ejus ore sæpius audire potuerunt. Manet autem ille manebitque notus urbi nostræ, per recusos opera sua Petri Scriverii, Equitis & Senatoris ac Poetæ cultissimi, familiarium sermonum libros tres, operosissimisque & ingeniosissimis Commentariis illustratos, atque anno 1683. typis Basilicis, id est Plantinianis, redditos luci meliori.

127 Quid ageret inter malleum (ut dicitur) & incudem potius Bibliopola? Ex quo sine S. Angeli Vita venales habere libros cœperat, unicum dumtaxat exemplar sic vendiderat Patribus Dominicanis, postea questis se deceptos. Monstrabat vero plus quam decem epistolas Carmelitarum, oblata sibi exemplaria recusantium, nisi adsit Vita S. Angeli: iidem vero quædam sic ab eo extorta, cum Discalceatis quoque fecerant per librorum commutationem communia, adeo illi non laborabant, ut ea Vita supprimeretur, sed ut calumniam nobis conflarent; quare etiam de consensu sui tunc Prioris & Exprioris scribi Henschenio permiserunt, *Societatis nostræ politicam non esse religiosam, ac ne humanam quidem*; cum ipsi hic Antverpiæ omnia subdole agerent. Interim, dum adhuc nulla cuiquam amplius esset spes a Cnobbaro habendi quod petebatur, vendebantur carissime ab aliis bibliopolis, quæ ipsi initio acceperant exempla; adeo ut Procurator Corbejensis monasterii in Gallia Bruxellis tres illos Tomos emerit 40. florenis, quos alias potuisset pro 30. habere. Unde apparet, quam præsens lucrum subtractum impressori sit, ac porro subtrahendum fuisset, si Parisiensibus ac Lugdunensibus Bibliopolis, tunc Antverpiæ præsentibus, pergeret libros desideratos negare. Quomodo autem ipsum Bibliopolam habebant Carmelitæ iidem? Ut hostem tractabant, licet ipsorum Speculum, cum omnibus contra me invectivis ac satyris, impressisset ut volebant, utrique parti ex æquo serviens: & licet apud illos filium carissimum haberet, illum ipsum, qui gradum deinde Definitoris in Provincia obtinuit, & nunc Antverpiensem conventum Prior regit, merito præcipui pro Ordinis antiquitate zeli, utinam satis discreti! Quid porro erat futurum homini, si Jesuitæ, quorum causa hæc omnia patiebatur, commodis ejus obstinatius restitissent, extortum tam intempestive præceptum servari volentes? Non hoc æquitas, non ratio patiebatur.

128 Ergo non valentibus, nec volentibus nobis prohibere diutius, consilium sumpsit ex necessitate; & de injuria damnoque protestatus, quod ipsimet Carmelitæ, in quorum gratiam omittenda Vita ista erat, ipsam omissionem fecissent impossibilem, sua illa importuna jactantia & jactabunda importunitate, venales iterum cœpit habere libros, quo solum modo videbat se vendere eos posse; & vendidit multo quam antea copiosius, quia plurium cupiditatem excitaverat tumor litigii, super S. Angeli Actis gliscentis. Nos jure suo (ut ajebat) utentem, quia libri debita cum Ordinarii & Societatis approbatione excusi erant, ipsius sumptu & impendio, excusavimus Patri nostro factum hominis, moram ulteriorem non ferentis.

129 Quid autem Pater noster Generalis? Id, quod videbat jam mutari non posse, tanto tulit æquius, quanto se minus profecisse videbat ista indulgentia erga eos, qui priores provocaverant, & provocatos gravissime accusando ad justam sui defensionem coegerant; maxime cum illi satisfactionem nullam ex parte sua aliam offerrent, quam similem Prolegomenorum novo Speculo præmissorum suppressionem, quorum scilicet jam ipsos suos auctores pudebat. Ego de illis parum solicitus, maluissem præstari ab ipsis silentium de jam satis jactatis controversiis, quale ego jam ultro mihi ipsi indixeram, tollens ex reliquis Maji Tomis quidquid illic ad confirmationem præmissorum spectans habebam paratum, ac nominatim prolixiorem de Vita B. Simonis Stockii tractatum; partim quia expertus eram difficultatem recursus Romam habendi pro obtinenda impressionis facultate, partim quia cætera, omni historiæ communia, nec specialiter Carmelitas tangentia, absque ulla eorum mentione pertractari poterant.

130 His intentum me anni 1681. initio, accessit Conventus Antverpiensis Procurator, P. Gratianus; idque felix precatus, rogavit, ut, quemadmodum præcedentibus annis Acta Sanctorum Aprilis haberi feceram, in singulis Provinciæ hujus conventibus, pro stipendiis Sacrorum a me conquisitis; sic etiam faverem porro in præstandis simili modo Actis Maji. Equidem mirabar ingenium hominis, quamcumque offensam utilitati postponentis, & lucrum undecumque captantis; præmissa tamen amica querela, de tam publice professo odio Societatis nostræ, uti illud ipsi omnes profitebantur; dixi, christiane magis ac religiose acturum me cum illis, & benefacturum ubicumque possem, & quotiescumque haberem occasionem, posthabitis multis aliis, idem beneficium enixe postulantibus & dignioribus impetrare. Postea tamen audiens, quomodo illi, quibus istud indulseram, usi essent libris sic a me impetratis, judicavi explorandum prius, quo animo excipienda esset beneficentia hæc nova, idque feci per epistolam, 12. Januarii scriptam in hæc verba.

131 *Quod Reverentiæ Vestræ animo sincerissimo promisi, volo optima fide exequi; estque mihi occasio aliqua tot Sacrorum, quot sufficiunt pro habendo uno exemplo Maji: sed priusquam ea vobis committam, peto mihi eximi scrupulos duos, qui post nuperum congressum nostrum supervenere, faciuntque dubitare, an ea res aliquid conductura sit ad optatam a me reconciliationem. Primus est, quod ex PP. Discalceatis intellexerim, eos libros, quos ita Rev. Vestra pro Sacris habuit a Cnobbaro, non mansisse in Conventibus vestris, ubi usui esse poterant ad innocentiæ meæ & veritatis defensionem; sed pro aliis libris per commutationem esse distractos; quæ sane non est intentio mea, Sacra commendantis. Secundus, isque multo gravior, quod non intelligam, qua ratione laturi sint vestri Superiores, Rev. vestram petendis accipiendisque ejusmodi beneficiis colere amicitiam mecum, cujus nomine causa jus habere se putant, omnem publicum in Scholis Templisque cum Patribus nostris aliis Collegiisque congres-*

gref-

gressum prohibendi, quod vulgus interpretatur publicam odii professionem. Hos duos scrupulos si mihi exemerit Rev. Vestra, statim incipiam, & data occasione pergam diligenter atque amanter communicare Sacra: sin minus, amare vos quidem ego non desinam, & qua potero per tertiam manum benefacere; sed Sacra ejusmodi inpendam aliis, quorum beneficiis atque obsequiis publice ac privatim obstrictum me agnosco, & qui illa mea beneficentia melius usuri sunt.

132 Ad hasce litteras cum nihil responderetur, patuit, inscius invitisque Superioribus suis, a P. Gratiano tentatum id fuisse. Non tamen vel sic omnino cessavi, etiam in isto genere munificus esse Rev. P. Isidoro a S. M. Magdalena de Pazzis, filio Typographi nostri, non solum de libris paternæ impressionis, sed etiam de tribus prioribus mensibus, alibi non amplius venalibus, mihique tunc rarissimis & ideo carissimis, nunc vero prorsus exhaustis; non recogitando quibus, sed cujus causa id facerem: ejus videlicet, qui præcipiens discipulis suis dixit; *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri.* Quin imo, cum factum non possem, excusabam intentionem; velut si externa isthæc odii ostentatio non proficisceretur ex animo irreconciliabiliter exacerbato; sed ex firma quam conceperant spe cogendi ea ratione Superiores Societatis, quos sciebant publicæ ædificationis studiosissimos, ad præstandam, quam toto biennio postulare non desinebant a Patre nostro Generali, retractationem.

133 Nam etiam anno 1682. scripsit mihi Roma P. Janningus, mense Augusto dimidio locutum se Patri nostro: cui cum exposuisset quæ commiseram, audivit ab eodem, adfuisse illi reducem e Germania Reverendiss. Patrem Generalem Discalceatorum, atque inter alia mentionem injecisse de revocandis illis, quæ contra Ordinis antiquitatem scripta sunt: responsum autem accepisse; duo esse consideranda in scriptione ista, alterum quod ad materiam spectat, idque passim a viris eruditis aut probari absolute, aut certa probabilius opposito judicari, adeoque a se damnari non posse: alterum, quod ad modum scribendi pertinet, nonnullasque aculeatas dictiones; sibi quoque eas displicere, optanti ut, quidquid amaritudinem sapit, abesset: sed quoniam præcipua circa materiam disputatio versetur, nihil se visurum libentius, quam ut rationes, quæ Ordini obesse videntur, rationibus solidis refutentur, quo illius apud multos obscura antiquitas magis elucescat. Idem, sed paucioribus verbis, scripsit 22. Septembris Rev. P. Nicolaus Avancinus, Assistens Germaniæ, veluti factum recens; adeoque factum cum altero Generali, videlicet Veterum Carmelitarum.

CAPUT V.

Post editam a Papebrochio primam partem Maji, varii variis locis Carmelitæ, causam ex mala pejorem faciunt, & ex concertatione litteraria actionem injuriarum, multiplicando libellos famosos: quorum conditiones, religiosis scriptoribus parum dignæ, expenduntur.

Edita, ut supra vidimus, prima parte Maji, & exinanitis per ipsolmet Antagonistas mediis, pro redintegranda pace oblatis Romæ acceptatisque; quia desperabant per hæc fieri posse, ut Societas nostra, vel meam famam prostitueret injuste querentium vindicativæ libidini, imperando silentium ad impactas calumnias; vel Rempublicam Christianam fraudaret utilissimo & desideratissimo ubique opere, sistendo ejus progressum; sperare etiam desierunt, per Generalem nostrum, licet sui Ordinis pacisque amantissimum, quidquam obtenturos se, quo suum de me apud vulgus triumphum plausibilem redderent. Ad hæc in Chronologica Patriarcharum historia legentes tam multa variaque Parerga, quibus ex occasione quacumque confirmabantur, pleniusque roborabantur alia, alibi strictius dicta; timere cœperunt, ne idem accideret etiam in reliqua parte Maji, ubi tractandum erat de B. Simone Stockio, aliisqua nonnullis; qui si forte omitteretur, ex voluntate vel nostra vel aliena, nihil tamen novi allaturos se, cui confutando locum non faceret Chronologia Pontificia, edenda cum posterioribus Tomis sub titulo Conatus Chronico-historici ad Catalogos Pontificum Romanorum.

135 Quamquam enim mandasset P. Generalis noster, vel abstinere manum a rebus Carmeliticis, quod deinceps religiosissime feci; vel Romam mittere ad censuram, non quidem externam, sed domesticam; apparebat tamen infinitis fere locis, in argumento prorsus diverso, incidere posse aliquid, quod affine sit ipsorum fundamentis; & in genere sic dicenda, facile applicanda ab unoquoque suæ causæ. Nam si in Conatu v. g. probarem, ante Leonem IV. & post etiam diu, non fuisse in Ecclesia Romana usum largiendarum ex causa quapiam Indulgentiarum, ad eum quo nunc conceduntur modum; Argumentum negativum universale, validissimum sæpe creditum, & ut tale usurpatum a Sanctis Patribus ac Pontificibus Romanis; horum nominibus & temporibus multa commenta & figmenta adscripta, quæ superiori ævo fidem passim obtinuerint, & nostro nullam mereantur; iisdem, æque ac Conciliis, sæpe obrepsisse errores in quæstionibus facti, ex vulgi sensu & communiori sui temporis opinione allegati; hæc, inquam, aliaque similia si probarem, nemo Carmelitarum erat, qui non vidisset, eadem posse assumi contra multa, quæ ipsi vellent indubitata haberi.

136 Ne ergo hunc morem deinceps tenerem; &, Carmelitas numquam nominando, pergerem ipsorum argumenta in simili casu, quasi suffodere, per latus aliorum similiter ac ipsi argumentantium; consultum imprioris visum

fuit

fuit ipsis (si non ad fidem faciendam rebus suis, saltem ad detrahendam meis) tam multos libros libellosque procudere, ut si respondere vellem singulis, cogerer penitus desistere ab opere; si nollem, impotens convictusque æstimarer ab omnibus, aut saltem ab imperitis. Nec puduit P. Valentinum, eodem quo Antverpia aberam tempore, in Officina Cnobbariana jactare, *se cum suo Priore P. Leone, & Suppriore Gratiano, habere tractatum paratum contra Societatem: Bruxellis etiam laborare diu noctuque P. Jacobum Priorem, Romæ, ubi omnia turbaverat, reducem. Idem facere P. Columbanum Syndicum, dixit 20. hujus Octobris, P. Samuel, Procurator Provinciæ, qui inde huc Antverpiam excurrit: & rumor spargebatur, P. Alexandrum a S. Theresia alterum opus edere. Est hic auctor Clypei Religionis, qui in Prolegomenis Speculi stylum suum exeruit*. Ita Henschenius die 27. in ea, quam tunc Generali nostro scribebat, Epistola.

137 Mox vero ut Antverpiam ex Westphalia redii, apparuit ad omnes platearum angulos, nostræque Ecclesiæ valvas, & domus portas, affixum hujusmodi schediasma, absque nomine Auctoris & typographi, loci vel temporis nota.

NODUS PAPEBROCHIO INDISSOLUBILIS.

Disparitas negatur inter negantem Carmelitas esse veros Eliæ successores, & negantem Jesuitas esse veros Religiosos. QUIA *non est minus credendum, Carmelitas esse veros Eliæ successores, quam Jesuitas esse veros Religiosos. Tota siquidem ratio utrumque credendi Bullarum est Pontificiarum declaratio, quæ non minus extat pro primo, quam pro secundo. En Nodus, Papebrochio indissolubilis: quem propugnandum, quo libuerit loco, proponit C. D.* Ego CARMELITAM DISCALCEATUM intelligo, qui nos voluerit falsum reddere, quod in laudem & commendationem sui Ordinis num. 35. Apologetici sæpe citati dixi, *Discalceatos colere amicitiam nobiscum, Antverpiæ & alibi in Flandrobelgica, non minus quam antea: nec deesse inter eos* (quod verissimum erat, sed non expediebat nominari quemquam) *qui fateantur nostros illos Commentarios* (de Alberto & fundatione Florentina) *non magnopere improbari sibi, multa etiam ex iis probari, saltem ut valde verosimilia.*

128 Aderat, tunc forte, Lovanio huc advectus & in Collegio hospes, Rev. P. Joannes Pollenter piæ memoriæ, Theologiæ Professor, qui allatum inde exemplar mihi attulit, cum hac extemporali antiphrasi, non typis excusa, sed manu exarata.

NODUS IMAGINARIUS,
NULLIUS SOLUTIONIS INDIGUS.

„ Negatur disparitas inter negantem Carmeli-
„ tas esse veros Eliæ successores, & negantem
„ Jesuitas esse veros Religiosos: quia ratio
„ utrimque credendi est Bullarum Pontificia-
„ rum declaratio.

En Nodum imaginarium, nullius indigum solutionis. Palpare id lubet? Accipe.

Pontifex nullus declaravit decisive, nullus definivit, nullus credi saltem fide humana, aut bullarica, nullus censeri jussit, quod Carmelitæ sint veri Eliæ successores. Pontifex nullus contra sentire, disputare, docere, aut scribere vetuit sub pœna excommunicationis; ut ut aliqua de Carmelitis, tamquam Eliæ successoribus, nonnumquam, potissimum aliud agentes, locuti fuerint ex fide humana; quod fieri assolet in rebus historicis factisque, ob nudam hominum testificationem vera haberi solitis, & credi more humano. Nullus Pontificum, declarando ac volendo, facere potest aut potuit, ut ex non Eliæ successoribus, Carmelitæ fierent Eliæ successores veri. Pontifex, declarando & volendo, potuit ac potest facere, quod norunt Theologi, ut ex non Religiosis, fiant vere ac proprie Religiosi. Pontifices, iis etiam in constitutionibus, quibus hoc unice agunt, decisive declaraverunt ac definierunt, Jesuitas esse vere ac proprie Religiosos, & tales haberi voluerunt, etiam ante editam Professionem solennem, ac volendo, veri Religiosi ut essent, effecerunt; contra doceri, disputari, censeri Pontifex vetuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Vides Nodum, indissolubilem aliis visum, esse reipsa imaginarium, nec solutionis indigum? nulla solida paritate implexum? inani labore, ac spe a C. D. propugnandum? Hoc satis sit. Sapiet magis, opinor, Papebrochius, quam ut se cruciet hujusmodi nodis, aut iis solvendis se occupet majora molientem. Hæc loco collyrii erunt cæcutientibus.

139 Quid ego his acceptis? An imprimi feci? an affigi per civitatem, & bonum C. D. ad Dialecticam remisi tironibus explodendum, emeritum fortassis Philosophiæ aut etiam Theologiæ Professorem? an calamo saltem feci describi exempla plura, inter amicorum manus versanda? Nihil horum. Servavi autographum usque modo, prolaturus ut acceperam, sicut illud jam Typographo trado; ne nunc quidem id facturus, nisi id postularet importunitas, ausa de nobis apud Pontifices Innocentium XI. & XII. queri; atque peccata propria publice nota, affingere Jesuitis; si non melioribus, certe prudentioribus, quam ut tali ratione quidquam apud cordatos homines effecturos se putent. Ad pueros crepundia, ad populum phaleras, Auctori interim mox scripsi ut sequitur.

AUCTORI PAPEBROCHIUS SALUTEM.

140 *Gratus est affectus, quo Nodum, Indissolubilem visum C. D. ostendis esse Imaginarium. Non probo tamen ut imprimatur hujusmodi schedula, oculos habentibus ut videant nequaquam necessaria, eos vero pertinaciter claudentibus nihil profutura. Imo magis exacerbabit animos, nullum quantumvis rationabile responsum patientium; sed implacabile odium, non mei tantum, sed nostræ totius Societatis palam profitentium, reipsaque jam totis sex continuis annis cum vulgi scandalo exercentium, hic Antverpiæ præsertim. Accedit, quod præter meam operisque nostri dignitatem sit, vel ipsum me, vel alios pro me certare schediasmatis, per manus rudis populi spargendis: quodque eorum Auctores, quemcumque sibi finem præfixum habeant, digni sint eo tam sentire per silentium nostrum, optimum adversus ista remedium. Ore itaque, & (si possim) impera, ut nihil tale imprimatur. Rev. P. Valentinus a S. Amando, nescio an cum sui Generalis consensu, contra me nostramque Societatem grandem parat librum: sed nec hic responsum a me feret, nisi expressam in fronte gerat protestationem, quod Generalis suus petat, noster vero permittat, responderi. Jam enim plures patuit eos, qui hic peta-*

petulantissime provocant, Romæ solicitissime agere ut non recipiatur provocatio sua ; generosi milites, sed extra campum.

141 *Liber iste Patris Valentini, qui dicebatur numquam loqui de me apud homines sæculares, Typographum & alios, nisi ore spumanti, numquam prodiit : sed prodiit Coloniæ liber P. Alexandri a S. Teresia, eodem in quo versamur anno 1682. Ipsum hactenus nec vidi, nec legi : ne autem aut legere aut videre curarem, fecit epistola, de eodem Coloniæ scripta post obitum Vener. Patris Henschenii, a quodam (ut se vocat) Parthenophilo. Epistolæ addita erat Icon triumphantis in Monte Carmelo Mariæ : eadem ipsa, quam P. Franciscus Bonæspei anno 1664. posuerat in fronte libri, cui titulus.* „ Magni „ Prophetæ Eliæ, sacri Ordinis Carmelitarum „ fundatoris Visio, de Immaculata Deiparæ „ Virginis Conceptione, a Carmelitis omnium „ primo culta ac propugnata, & ab Ecclesia „ jam proxime definibilis. „ *Effecta est icon hæc ad ejus imitationem, qua Petrus Paulus Rubenius, Antverpiensis Apelles, in aula majori Palatii Bruxellensis, expressam dedit Ecclesiam cum sacra Eucharistia triumphantem ; aurigante divino Amore, discurrentibus inter quadrijuges totidem virtutibus cardinalibus, & hostes venerandi Mysterii sub rotis prostratos conterentem. Subjungebatur autem triumphali Carmelitanæ Virginis imagini Epigramma, quale expectare a zelo pseudo-Eliano quis posset, in hisce circumstantiis. Huic Epigraphæ quid reposuerim ego, disce ex altera ejusdem Parthenophili epistola, quam (nisi deprecatus ego fuissem) pridem vidisset mundus typis excusam, nunc autem judico efferendam in lucem: nam Antigramma meum, cui imprimendo facultatem Superiorum, & approbationem Ordinarii impetraveram, supprimendum censueram. Ecce Epistolam inscriptam Lectori Mariani Præconis, ut huic præponi posset.*

142 *Librum vidisti, cui titulus,* PRÆCO MARIANUS EVANGELICÆ LEGIS? *Si videris, nihil dubito, quin titulus tantum placuerit, quantum Maria. Placere etiam debuit in aversa paginæ parte impressa imago, elegans sane atque suavis ; ubi speciosissimo curru insidens illa cum Filio, repræsentatur in Carmelo triumphans (nam quis invideat?) circumplaudentibus Angelis, Carmelitis inter quadrijuges discurrentibus, habenas moderante Elia, cujus Monacho cuidam Sacerdoti apparentis mandato, tutam montis possessionem cum decem ferme sociis, legimus apud Auctorem coævum, qui anno secundum Græcos* MCLXXXV. *nobis* XCIII. *loca sancta visitans, ea sicut reperit, ita descripsit ; ad fontem vero Eliæ morantibus primam Regulam dedit sub annum* MCCXII. *B. Albertus, ex Vercellensi Episcopo Latinus Hierosolymorum Patriarcha, Accone juxta Carmelum residens.*

143 *Sed quid de Epigrammate, imagini, ex se innocentissimæ, velut explicationis causa subjecto, quod F. Amantius a Passione Domini in hunc modum fecimus?*

„ Ecce triumphantem Carmeli in Monte Mariam ;
„ Mitte foras pavidum, grex Eliane, metum.
„ Insurgant hostes, totumque evertere tentent
„ Carmelum ; impavidum nulla ruina manet.
„ Surgat, & antiquis jugat sese hostibus * HOSTIS,
„ Et vomat in monte viscera cuncta simul,
„ Ut crepet in medio : semper Maria triumphi
„ Sedem servabit, Virgo benigna, sui.
„ Quam bene, casta Parens, Carmeli in monte triumphas !
„ Nempe Mariano milite bella gerit.

Ne autem ambiguus hæreas, quis ille sit * HOSTIS, *junctus antiquis hostibus currui Mariano substratis, Ario, inquam, Nestorioque, blasphemus magis : ideo enim (nisi fallor) majoribus notatur litteris ; affulget asteriscus, remittitque ad subscripta Epigrammati verba,* * „ Pater „ Daniel Papebrochius Jesuita.

144 *Exhorrui, fateor, lecto viri mihi amicissimi nomine : &, Hiccine, inquam, totius fere orbis Christiani judicio de Maria & Divis, etiam Carmelitis, tam bene meritus, ac nuper de Sancto Angelo, cujus miracula fere innumera primus e tenebris in lucem extulit, Vitam autem a fabulis erroribusque gravissimis repurgavit? Hiccine inter novissimos Mariamastyges, quas additæ Marianis encomiis Annotationes castigant ; dignus, quem Patres Carmelitæ optent,* UT CREPET IN MEDIO, *& cum Juda omnia simul viscera effundat? Horrenti indignantique pene exciderat e manibus liber. Collegi tamen ipse me, & levi oculo paginas percurrens, reperi ejusdem farinæ & argumenti Carmina & Epigrammata plura ; in Indice vero notata omnia sub nomine* PAPEBROCHII, *cum execrationibus multis. Mox primum capiens ex corpore folium ; ipsummet Papebrochium, Sanctorum Maji Actis ad calcem perducendis intentum, interpellavi per Epistolam, reliquum etiam librum offerens, si mitti ad se vellet.*

145 *Egit is perhumaniter gratias ; sed negavit sibi vacuum aut libitum esse legendis maledictis bonas horas perdere ; atque hanc disputandi formam pueris mulierculisque relinquere, quibus pro rationibus convitia sunt, & mala causa plerumque fit propugnando deterior. Præconem istum Antverpiæ, vel non comparere uspiam ; vel, si alicubi se ingessit importune, plausum nullum tulisse. Si vero irreligioso Epigrammatistæ reponendum aliquid videretur (non autem videri dignum responsa) aliud a se reponendum nihil, quam votum, quale inimico facere nemo velit, nisi bonus ; factum, nemo carpere possit, nisi malus. Ita se a S. Patre Ignatio doctum : qui flammas sibi imprecanti, quibus combureretur vivus, ignem optavit Spiritus sancti, quo vivificaretur etiam mortuus. Ut autem non minus est Poeta facilis quam Historicus verax, dedit ex tempore Epigramma, quod rancidis adversarii versiculis vel superinducerem, vel subjungerem,*

„ AMANTIO A PASSIONE DOMINI CARM.
„ ex passione, saltem non Dominica, votum
„ edenti, quale solum animus turbatus concipere,
„ sedatus possit indulgere ; aliud melius
„ in pacifica lenitate reponit
„ DANIEL PAPEBROCHIUS JESUITA ;
„ Subjungendum Epigrammati præliminari Præ-
„ conis Mariani, auctore R. P. Alexio a S.
„ Teresia Coloniæ Agrippinæ emissi. Cui una
„ cum Marianis encomiis, intempestivas diras
„ buccinanti, Divi hominesque ignoscant.
„ QUIS NOVUS hic HOSTIS? PAPEBROCHIUS.
„ Excute somnum :
„ Quem reputas Hostem, verus Amicus erit.

„ Dor-

„ Dormis: &, UT MEDIUS CREPET, optas.
„ Ast pius ille
„ Optat, ut æternum te beet ipsa salus.
„ Sic nos Diva parens, pacis sic auctor Jesus,
„ Sic docet amborum consociandus Amor.
„ Hic verum a falso doceat discernere, quot-
„ quot
„ Nomine signarunt ille vel illa suo.
„ APPROBATIO ORDINARII.
„ Vidi carbones igniæ caritatis, congestos
„ super caput inimici; &, quia sic vincere pul-
„ chrum est, cum plausu approbavi votum,
„ animo vere Christiano ac Religioso repo-
„ situm.
„ A. H. S. T. C. A. L. C.

146 *Tam religiosum redhostimentum nactus, nolui apud me servare reconditum; sed ut omnibus indistrete Præconis exemplaribus præfigi ex apposito illius diræ imprecationis possit, partibus typis imprimendum curavi. Tu, cum legeris, judica, ab utra parte tumultuosa passio, ab utra ratio modesta militet. Simul etiam scire te volo, quod* xi. *die hujus mensis Septembris, horis* 20. *prius quam ante sedecim annos Antverpiæ obierat magni illius operis molitor Rev. P. Joannes Bollandus, pie, uti vixerat, vita functus est; illius ab annis* 46. *socius, Rev. P. Godefridus Henschenius, anno ætatis* 81. *idem ipse, cujus in Carmelitas* beneficia, æterna Ordinis gratitudine digna *pronuntiatus Præconis Mariani Magister. Hujus lectionem si ille memoria tenuisset, erubuisset, credo,* novissimum ordinis hostem *appellare talem ac tantum virum; cui boni omnes, velut de universa Ecclesia & religiosis præsertim Ordinibus omnibus optime merito, diuturni utilissimique laboris mercedem in cœlis, non tam apprecantur obtinendam, quam gratulantur adeptam. Ego certe imagini ejus, si (quod opto) in lucem preditura est aliquando ære incisa, libenter hujusmodi distichon subnotarim:*

„ Sanctorum Henschenius dum scripsit no-
„ mina terris,
„ In cœlis scribi quis meruisse neget?

147 Ita Coloniensis iste Amicus: qui ne talem Epistolam, una cum meo Epigrammate per impressionem publicaret, uti facere cogitabat, intercessi ego; sicut intercesseram solutioni Nodi, vere nullius solutionis indigi, nullam merentis; tamquam modis omnibus sollicitus, ne veteri offensioni, quantumvis injustæ, ulla accederet nova. Despiciens etiam quomodo veteres abolerem, cum audissem Discalceatos questos, propter sugillatum nonnihil in Apologetico num. 35. tacito licet nomine, P. Carolum ab Assumptione Walo-Belgam, qui anno 1677. in Capitulo Generali Romæ Ordinem ibi congregatum commoverat, ut subscriberet libello contra me delato ad nostrum Generalem; ob hoc, inquam, cum audissem questos Discalceatos, ego, arrepta occasione corrigendi sphalmatis cujusdam memorialis, isthic commissi, jussi, ut potius omitteretur totus ille locus; idque ad calcem quarti, qui primus post tres alios prodiit, Tomi Majalis; nolens utique expectare finem Tomi 7. ubi volebam amplam ad omnes septem Tomos dare Appendicem. Cum autem in hac Appendice intenderem me clarius explicare, & docere, quod damnatum & ibi indicatum opusculum non fuerit in materia Jansenismi, cujus aliàs propugnatorem se professus fuerat Auctor, sed in materia *nimiæ laxitatis*; cum, inquam, talis explicationis occasione, dilapsus esset calamus ad libellos duos contra me famosos; totam istam digressionem inde excerpsi, quia nolebam in totis quatuor ultimis Tomis Maji apparere aliquid querelarum contra alterutros Carmelitas. Digressio autem tunc prætermissa, & huic opportuna Capiti, talis erat.

148 *Hoc quoque non dissimulaverim, RR. Patribus Discalceatis, quorum eo paragrapho laudatur moderatio, hanc ipsam licet meritissimam laudem, catenus gravem esse visam, quatenus ipsa apud Veteres Carmelitas videri potest invidiosa. Maluissent igitur omissam fuisse: nec per me stabit, quo minus satisfactionem hanc habeant, in altera hujus operis editione. Videat interim adm. Rev. P. Maximilianus a S. Maria, eorumdem dignissimus an.* 1681. *Prior, ut obtineat pari facilitate, licet multo majori jure debitam, satisfactionem ab iis, qui isto anno ipsi affinxerunt famosum illum libellum, cujus ad omnium platearum angulos Antverpiæ vidimus legendos titulos, & exempla quaquaversum sparsa scimus. Tulit id adeo moleste vir modestissimus, denique ac seris exempli optimi, ut priusquam officio defungeretur, necesse duxerit apud primarias quasque personas & suo Ordini perquam addictas, sed eo facto graviter offensas, se expurgare, atque per se suosque notam inde sibi inustam abstergere; palam & ubique profitens, in eo consilio, quod absente & inconsulto se tentatum ajebat, nullam se habere partem. Quocirca, expuncto quod ad Lectorem præmittitur Epigrammate, istud substituendum curare possent Patres Discalceati, & Calceatos sic alloqui:*

„ Harpocrates noster, quæ se negat esse locutum,
„ Nomine commentos vos, ait, esse suo.

149 Ipse certe P. Maximilianus Consulari apud nos viro, etiam nunc viventi & testari parato si opus, multis conatus est persuadere, nihil toto officii gesti triennio unquam sibi accidisse tam grave, quam quod ii, quorum causam aliàs nolebat improbasse videri, tam fidenter abusi essent nomine sui titulo. Sed & addebat, mirari se, quod potuerit alicui verosimile videri, tale quid a se suisve editum, quibus gravissimum crimen foret, absque consueta Ordinis approbatione (quam palam est libello isti deesse) aliquid emisisse in lucem. Idem ipso, quo in urbem redierat, & rem factam cognoverat die, misit ad nostrum Typographum Cnobbarum duos ex suis Religiosis, quorum unus etiam discipulus fuit (Cnobbarus, *Patrem Gillis* & Patrem *Wolf*, appellabat, uti in sæculo nominabantur) qui vehementer suum Priorem stomachatum dicerent; nec sciri auctorem.

150 Verum si hunc ille ignoravit, non potuit editorem notum sibi negare Carmelita Calceatus, qui ab A. Eyben, Censorum tunc ordinariorum uno, imprimendi facultatem impetravit. Hic vero expostulanti secum de facultate data Censorum alteri *A. Hoefslagh*, respondit; *magna importunitate se coactum, plurima longe virulentiora & insulsiora prius expunxisse.* Hæc vero quis credat sic scribi potuisse a P. Maximiliano? Ipse quidem videns placere Calceatis, dicitur postea confessus nonnullis, se quidpiam scripsisse ad suorum Discalceatorum

privatam instructionem, prælertim circa Vitam S. Angeli; quod clam libi lubductum materiam Harpocrati isti dederit: sed quid & quantum editionis curator de suo addiderit, numquam explicuit. Curator iste inquit; *Carmelita Calceatus aut Excalceatus non sum, sanctas tamen prosequor amore familias, ac toti doleo inflictam Ordini injuriam*. Sed is in hac protestatione non majorem meretur fidem; quam quod Harpocrates impressus sit *Coloniæ Agrippinæ, typis Hermanni Demen*; cum latis constet impressum Antuerpiæ, iisdem typis, quibus alii libelli P. Valentini; & à Calceatis fuisse circumlata exemplaria per plurium primatum & amicorum ædes.

151 Calumniatur autem iste pseudo-Harpocrates, asserendo, quod doctrina, suprà memorato P. Caroli libello contenta, Auctori communis cum Societate nostra sit. Esto enim unus fortassis alterve quidpiam tale tradere permissus fuerit aliquando; alii deinceps eidem magno consensu sunt refragati. Sed nescio quomodo placet hominibus illis, quæ ipsis videntur in uno aliquo ex Jesuitis mala, potius quàm bona passim omnibus probata, toti adscribere Societati; cum ego e contra ipsorum Ordinem eximere quadamtenus coner ipsa nimiæ credulitatis nota; quidquid inde prodire potest verecundiæ, in paucos fabulosarum narrationum auctores regerendo.

152 Coactus ego rationem reddere prioris nostri de antiquitate Carmelitana silentii, aliis multis fictionibus missis, solas eas refutavi, quibus credebatur antiquitas talis irrefragabiliter probari; quod si mihi ad id provocato condonaretur, sicut æquum erat, volebam abstinere a cæteris; haud minus displiciturus Ordini, mihique injucundis controversiis, necdum in disceptationem adductis. Adversarii vero, dimissa principali causa, tum alibi, tum maxime in iis libellis, quos sine approbatione, Auctorisque & Typographi veris nominibus, edere ac spargere non cessabant, alia prorsus agebant omnia; & in Acta nostra Sanctorum universa, in nomen, auctores, vota Societatis, collectas ex hæreticorum scriptis injurias colligebant: & quia mihi permissa erat innocentiæ meæ moderata defensio, unum hoc videbantur habere propositum, ut Sociis omnibus facerent ægre; quasi ex Societate non essent tam multi illi illustres Scriptores, quorum longo ordine texunt seriem, tamquam partium suarum in argumento controverso. Neque putes existimasse Adversarios meos, quod cum *Theophilo Raynaudo, Scapularis Partheno-Carmelitici vindice*, extincti sint omnes inter nos, qui aliquid eorum historiæ deferunt. Nominabant ipsi alios, tunc, & fortè etiam nunc viventes; & imprimis *Rev. P. Josephum Andres*, invidioso ingratoque titulo *Antipapebrochii* onerabant, conatum supplere id quod Martio nostro ipsi dolebant deesse; idque eo libello, qui *Decor Carmeli* inscribitur, quem ipsi post editum Aprilem nostrum curarunt Coloniæ recudendum, ne parum notum hominem gratis pro se allegare viderentur.

153 Iste ergo aliique similes Jesuitæ suadere poterant, esse cum Sociis eorum moderatius agendum, & mere historicam quæstionem tractandam liberalius. Hoc vero tantum abest, ut etiam inventus sit, qui seposita tantisper persona, non solum Religiosi, sed etiam Catholici, Jansenistam profiteri se voluerit; sub eaque larva, non *Justus* (quod se appellat) *Camus*, sed insipiens *Chamus* scurrili libertate grassatur in id omne, quod aliquam mecum putat habere communionem. *Societatem* ex *Jesuitica* facit *Ismaeliticam*; Sanctorum ejus cultum venerationemque sugillat; Rev. P. Corocllum Hazaert, tum de re Catholica universim, tum de ipso Carmelitano Ordine optime meritum, proscindit imprimis; ejusque libros utilissimos, sed Jansenistis invisos, appellat Gazetias; ipsi quoque Theophilo Raynaudo, tanto Carmelitarum laudatori, non parcit; Typographi, mihi ipsisque communis, & filium etiam inter Calceatos habentis, sic elevat æstimationem, quasi imprimendo *Sanctorum Acta* pene ad incitas fuerit redactus; cum tota hæc civitas noverit, eum per ipsa ad quam tunc habebat fortunam, eumque gradum emersisse, quem inter bibliopolas sane haud infimum Antverpiæ tenuit, non absque invidia æmulorum. Ipse e contra jurejurando affirmabat, nihil eatenus majori cum emolumento impressum a se, nec imprimendum optari, quam *Acta Sanctorum*. Adeo autem non *deferbuerat illius ardor* (quod sibi affingi ferebat indignissime) ut si æque celeriter procedere compositio potuisset, quam ipse paratus erat deproperare impressionem; singulis fere annis novum mensem editum haberet ordo litteratorum: apud quos, non inter Catholicos tantum, sed etiam heterodoxos, maxima est operis istius æstimatio simul & expectatio.

154 Sed leve est male dicere privato homini, ideo solum, quia nobis æque ac Carmelitis typos suos commodabat; in ipsum quoque Celsissimum Principem Episcopumque Paderbornensem ac Monasteriensem, Patronum nostrum quoad vixit, eadem se effundit Satyra. Ac primum ut *Poeta boans*, sed alia nulla laude conspicuus, irridetur; tum ego atque ipse, *ut mutuo muli* scabunt, dicimur *mutuo miracularizare* nostra in versibus; quia scilicet desperatam fere à medicis vitam, Sanctorum intercessioni apud Deum potius referimus acceptam, quam humanis remediis; & hoc fingimur facere & appellare *miraculum*, quod neutri nostrum in mentem venisse puto. Ego certe in Præfatione expresse etiam cavi, ne viderer miraculo rem adscribere. Male scilicet habet tenebrionem istum, inventum Mecœnatem, qui tunc sua munificentia sublevabat sumptus, in hujus vastissimi operis apparatu per omnes Christiani orbis partes faciendos: pejus etiam, quod vivus evaserim ego ab illa anni 1678. mortalitate, quæ civitatem Antverpiensem, nostram imprimis Professam Domum, implevit funeribus. Hs additas si fuissem, quas mihi, non Vigilias, sed Diras cantaturi fuerint Carmelitæ, facile intelligitur. Illos dico Bruxellenses Discalceatos, qui infamem Libellum, si non composuerunt ipsi, venalem tamen habuerunt apud Portarium sui Conventus, ubi honoratus ac nobilis Canonicus emit exemplar, quo nunc utor; cum nusquam palam prostaret, sed clam spargeretur, & Calceati profiterentur indignum, quem cautam tueri vellent.

155 Nactus aliud exemplar Auctor Novellarum litterariarum, anno 1684. Amstelodami excusarum, illius hanc descriptionem Gallice texit pag. 453. *Novus Ismael, cujus manus contra omnes & omnium contra ipsum, sive P. Daniel Papebrochius Jesuita, omnes oppugnans, orbi expositus per D. Justum*

D. Justum Camum. Augustæ Vindelicorum (id est, Lovanii) *in* 8. Verba scriptoris Hollandi Latine reddo. *Diximus in nostris Novellis præteriti Novembris, quod Carmelitæ se sint ulti de Jesuitis, per varios Libellos, de injuria quam se passos credunt a PP. Henschenio & Papebrochio: accum nunc eorum unum. Satyra est in forma Dialogi, queruli de Jesuitis, quod omnes alios Religiosos sacrificent suæ maledicentiæ, eosque reddere conentur suspectos Jansenismi, quem dicunt foveri Lovanii; & quod ad hoc utantur manu & calamo P. Papebrochii, contra Benedictinos, Augustinianos, Franciscanos, Minimos, Dominicanos, sed præcipue contra Carmelitas. Postremis autem hisce maxime stomachum movit, quod Papebrochius nullo modo persuasus videatur, ipsorum Ordinem tam antiquum esse quam prædicant; imo ea de causa eum irriserit dicens, quod P. Bollandus joco dumtaxat ipsis adscripserit S. Jacobum Eremitam, qui vixit sæcula sexto, quando necdum inveniebantur ejusmodi Religiosi: quo dicto videtur parva aliqua innocentique astutia usus, in socii sui Henschenii gratiam, qui tenebat sæculo sexto nullos fuisse Carmelitas. Auctor Satyræ hujus nonnumquam jucundo exspatiatur; & quasi prosa non sufficeret, quinque Epigrammata jaculatur in suum adversarium.*

156 Multo acriori aceto perfusa fuerunt alia quinque, statim post editum Aprilem mihi missa traditaque Mechliniæ, quo excurreram causa valetudinis, per assiduos in mense isto deproperando labores haud parum attritæ. Specimen exiguum eorum habes in Apologetico num. 25. sed in Appendice optavi, ut ipsum quoque in alia, si qua fiat, impressione eximatur; ne vestigium tantæ fœditatis acerbitatisque appareat in illo Tomo. Quamquam etiam tum cum isthæc imprimenda dedi, seniores excusans, credere voluerim esse juvenis alicujus, *qui olim forte meus aut discipulorum meorum discipulus, ad Ordinem consilio nostro directus vel commendatione susceptus*, malam hanc reddiderit gratiam. Sed audiamus porro eruditum istum, licet Acatholicum Franco-Hollandum.

156 Carmelitæ, *inquit*, plures alios *libellos evulgarunt, sub titulo Prodromi, Pomi discordiæ, aliisque: in quibus omnibus apparet, hunc eis scopum fuisse; primum, ut immensos PP. Henschenii atque Papebrochii labores, risui exponerent infamarentque, deinde ut stabilirent originem & vetustatem sui Ordinis. Ea res obligavit Dominum du Cange*, (cujus hic nomen Novellistæ potuit ex infra laudando D. Jacobo Barone le Roi innotuisse) *unum ex eruditioribus viris totius Europæ, quemadmodum apparet ex multitudine tot illustrium operum ab eo editorum, atque imprimis ex Glossario Latino barbaro, quod brevi excipiet Glossarium simile Græcum; ea, inquam res Dominum du Cange obligavit, ut publicari permitteret epistolam quamdam, a se inscriptam Domino Wioni Herouvallio, qua is hortatur Carmelitas, ultro & decore renuntiare vanis, quibus se pascunt, antiquitatis summæ prætensionibus: repræsentans eis, quod ipsos ludibrio publico exponant elogia immoderata, quibus Ordinem suum extollunt, quæque aliud fundamentum non habent, quam traditiones magis fabulosas & chimericas iis, quibus veteres Græci Romanique utebantur, ut genus suum adducerent ad Deos. Quia autem timebat prædictus du Cange, ne P. Papebrochius, tam atrocibus convitiis, in omnia sua opera vibratis provocatus, iisdem respondendo tempus perderet; exhortatur eum ad vindictam, non nisi generoso contemptu sumendam: atque demonstrat, quod minutiæ istæ non debeant ipsum avocare a suis ordinariis studiis, quorum successum & conditionem laboriosam miratur mundus universus. Eum tamen laborem Jesuita Rosvveydus non apprehendebat tam vastum, quin ipse, licet natus annos sexaginta, crederet se opus necdum inchoatum posse absolvere voluminibus octodecim ....*

157 *Non ita judicabat Cardinalis Bellarminus, sed æstimabat ducentorum annorum vitam, eidem digne elaborando vix suffecturam. Ferreum esse oportet & incomprehensibilis patientiæ, ut quis inducere animum possit, ad vitam omnem transigendam inter vetera manuscripta, ex iisque omnium Sanctorum Vitas compilandas. Eruditos sane innumeros reperias, qui mallent ad lapicidinas damnari. Quia tamen non omnium idem est sensus, susceptum a Rosvveydo opus excepit Bollandus; & assumpto socio Godefrida Henschenio, perduxit usque ad Martium; accedente autem Papebrochio jam numerantur Tomi grandes quatuordecim, usque ad medium Majum deducti .... Quantamcumque tamen adhibeat diligentiam superstes hodie Papebrochius, ipsique nuper junctus Baertius, apparebit quod vere dixerit Bellarminus, satis materiæ esse, ut ducentos annos ei exhauriendæ quis impendat.* Ecce quomodo & quam magnifice de opere hoc sentiant etiam Acatholici, quorum nemo, nisi scurriliter impudens & sanctitatis omnis contemptor, inventus est hactenus, qui illud sugillaret ac parvi faceret. Patres tamen Carmelitæ, quia ibi non vident probatas res suas, flocci illud pendunt, ipsisque Catholicis reddere nituntur execrabile.

158 Sed transeamus ad libellos Antipapebrochianos, quorum notitiam dare incipiens Novellista, velut Ismaelis sequacium, abrumpere elenchum cœptum maluit, quam indagare omnes. Janningus, in Amica expostulatione ad P. Sebastianum, num. 84. & seqq. præcipuos enumerat; ex quibus, editis anno 1680. auctoris sui nomen præferunt tres. Primus est: PRODROMUS CARMELITANUS *sive Rev. P. Danielis Papebrochii Jesuitæ, Acta Sanctorum colligentis, erga Elianum Carmeli Ordinem sinceritas volitatim & remissive discussa, e majori opere,* ELIAS HEROICUS *inscripto, excerpta, zelo & studio Rev. P. F. Valentini a S. Amando, ejusdem Ordinis Historiographi, antehac sacræ Theologiæ Professoris*: & hic in lucem prodiit mense Augusto.

159 *Elias Heroicus* numquam comparuit: causam reddant, qui norunt: mense autem Decembri in lucem emersit, ex eodem verosimiliter thesauro abscondito, HEROICA CARMELI REGULA, *a sanctissimo Propheta Elia vita & exemplo tradita, ab Hierosolymitanis Patriarchis Joanne & Alberto conscripta, ab cujusdam mustei scriptoris vilipendiis vindicata, per Rev. P. F. Valentinum a S. Amando &c.* MUSTEUS ille SCRIPTOR Papebrochius esse videor: sed non apparet, quomodo Regulam, quatenus Eliana & Joannina esse prætenditur,

potuerim vilipendisse; cum negem, institutam ab Elia Congregationem aliquam sacrorum hominum, regulariter sub votis tribus viventium; a Joanne autem, aut omnino ab alio Græco ac veteri scriptore, negem esse librum *de institutione Monachorum*: Albertinam adeo non contempsi, ut vehementer laudaverim, tamquam appositam eorum quibus dabatur numero & proposito.

160 Hoc interim fateor, me non capere, cur hæc Regula præ aliis debeat *Heroica* dici, quæ pure Solitariis scripta, nullos actus humana æstimatione heroicos præcipit, sicut nec mulieribus ullos præcipit Augustiniana. Quo modo enim istæ præscriptam sibi a Regula perfectionem assequi possunt sine talibus actibus, id est singulariter excellentibus, arduis ac difficilibus; sic etiam poterant primi Carmelitæ assequi perfectionem, suo tunc statui propositam. Solitudo & Silentium Carthusianorum, cum perpetua a carnibus abstinentia, etiamsi aliàs vita periclitaretur; Paupertas Franciscanorum, Prædicatio Dominicanorum contra hæreticos; Redemptio captivorum, cum obligatione vitæ inter barbaros oppignorandæ; Ministerium infirmorum, etiam peste infectorum; solius cibi Quadragesimalis usus per omnem vitam, quem profitentur Minimi S. Francisci de Paula; Missiones ad nutum Pontificis in qualecumque gentes ac regiones, etiam sine viatico obeundæ; aliaque similia, in quæ ex instituto proprio sub specialis voti religione quidam Ordines obstringuntur, heroicos animos & actus requirunt, quos quæ exigit Regula recte forsitan *Heroica* dicetur.

161 Ast vero uni Priori subesse; cellulam habere separatam, oratorium commune; locum injussu Superioris non mutare; certis diebus jejunium, certis horis silentium observare; nihil proprium possidere; a carnibus, quamdiu per valetudinem licet, abstinere; horas canonicas, vel harum loco Pater noster & Credo, aliquoties recitare (qualia fere sola præscribit Regula Albertina) etsi possiat Heroem facere coram Deo, non considerante quantum, sed ex quanto; non sunt tamen judicio communi tam ardua ac difficilia, ut æstimari & vocari *Heroica* possint, suosque observatores *Heroes* efficere. Certe non puto eos, qui in Officio Commemorationis annuæ scripserunt, quod Deiparam *Proceres comitantur Heriles*, vocem *Herilis* aliter usurpavisse, quam sicut a Latino *Herus* vel *Hera* derivatur; ad Græcum autem *Heros* non respexisse.

162 Heroicæ Regulæ postea accessit *Appendix*, dicta POMUM DISCORDIÆ: *sive, dissidii inter Patrem Papebrochium, origo, progressus, fructus*, eodem Rev. P. F. Valentino auctore, cui Appendici opponitur tota hæc *Elucidatio*, ut de ea hic dicere nihil debeam. Non possum tamen quin producam Epistolam socii mei P. Janningi, tunc Romæ versantis, cuidam in ulteriori Italia Præsuli inscribendam, de tribus jam memoratis libellis, *Ismaele*, *Prodromo*, ac *Pomo* sub initium anni 1683. cum necdum prodiisset P. Sebastiani Libellus supplex, recens autem asset fama *Pomi*, sed absque notitia *Heroicæ Regulæ* in Urbem perlata, credo, quia etiam seorsim circumferebatur. Consilium scribentis eam Epistolam Janningi erat, ut aliquammulta exempla, quæ describere, quoties ferebat usus, operosum ac sumptuosum fuisset, imprimi faceret haberetque ad manum, jam sæpe similia interrogatus & sæpe interrogandus; non vero ut ea spargeret in vulgus, sicuti libellos suos ubique terrarum spargebant Patres Carmelitæ. Verum ne tantillum quidem, quod speciem publicæ defensionis haberet, aut ego probare potui, aut permittere voluit Pater noster Generalis. Latuit ergo Epistola illa, quam paucissimis communicata, nunc vero opportunissima huic Elucidationi, & sic deducta.

163 *Accipe, quod desideravit Illustrissima Tua ac Reverendiss. Dominatio, meum qualecumque judicium de libellis istis, quos (nescire Te an, quo itinere e Belgio in Italiam delatos) multorum manibus teri vides legique, cum vario variorum sensu, aliis eos Carmelitano magis, aliis Jesuitico magis nomini injuriosos esse existimantibus. Ego, ut dicam quod sentio, utrique pariter noxios judico, sed apud diversos: videlicet Patribus Jesuitis, apud vulgus; apud eruditos, Patribus Carmelitis. Et his videri possunt nocere, cum quod causam illorum Patrum defendendam suscipientes, nihil quidquam pro causa principali (quasi evinci illam posse desperarent) agant; tum quod Ordinis Carmelitani titulum cum gravi aliquorum sensu præferentes, ab ejusdem Ordinis modestia, quæ passim omnibus in æstimatione est, nimium discedant. Patribus vero Jesuitis noxii sunt, atque inprimis P. Papebrochio etiam injuriosi, quod variorum hunc reum proclament facinorum, quorum tamen pars maxima verbotenus finguntur talia, pauca vero quæ reprehendi merebantur, ab ipso jam pridem ante libellorum istorum editionem, in Majo sunt correcta; ubi occasionem erroris unde profluxerant, palam mundo expositam, me legere memini; quod argumento est, aut non legisse auctores illos Papebrochii scripta, aut (quod deterius est) maligne criminari, invidiamque ei conflare conari, dum correcta corrigenda, & revocata revocanda denuo postulant. Sed de singulis pauca audi.*

164 *Primus quem vidi libellus*, HARPOCRATES *inscribitur, habetque cum aliis id commune, quod a scopo aberret, & nihil minus tractet atque defendat, quam quod tractandum foret atque defensum vult: neque deest sua scriptori verbositas & acerbitas, aliaque religioso saltem scriptore parum digna, quamobrem vel ipsum, cujus nomen præfertur, Rev. P. Maximilianum a S. Maria ejus puduisse, intellexi ex litteris amici, Antverpia 21. Decembris anno superiori datis; ubi inter alia prædictus Pater dicitur ægerrime tulisse, quod sui absentis & inconsulti nomine sic abuti præsumpsisset aliquis; atque adeunda præcipuos quosdam suos & Ordinis amicos, ea re scandalizatos, multis rationibus persuadere conatum, talem libellum neque a suorum quoquam fuisse compositum, aut compositum potuisse edi, absque Generalis facultate, quæ nusquam appareat. Quin etiam ultra exaggerasse facti indignitatem, quod propudiosa programmata, seu titulus libelli, affixa apparuerint nocturna manu, ad omnes Jesuiticæ ecclesiæ, areæque ante eam quadratæ portas & angulos, ipso S. Francisci Xaverii festo die, quando illuc concurrit civitas propemodum universa. Quæ credibilia veraque esse, persuadere possunt hinc character & Religiosi, & Superioris, & Sacerdotis, ita protestantis, inde*

gravi-

gravitas veracitasque viri Consularis ita testificantis.

165 Quod si tam operose conatur Pater ille testatam facere innocentiam suam, quoad editionem libelli istius, qui haud paulo moderatior est aliis duobus, quale quæso judicium de his formandum? Ratio certe, ex qua colligi vult, Harpocratem istum, aut suum, aut sui Ordinis non esse, id ipsum quoque de NOVO ISMAELE evincit, omni probationis genere destituto; „ cujus manus sit contra omnes, ut non solum illas conferat cum hominibus in terris, verum etiam in cælos extendat, detracturus inde (si possit) Superos; tanto nequior priscis Theomachis Poetarum, quanto digniores veri Divi diis fictitiis. Sed & ipse, nequitias suas dissimulare nequiens, sententiam, qualibet alia digniorem fide, de se pronuntiat; cum suo calculo sibi proscriptionem atque condemnationem sui prædicit Romanam; quæ quod secuta non sit, & fortassis numquam secutura, hinc fieri credo, quod illi, quorum posset interesse, ulteriorem proscriptionem non urgeant; judicantes, absurditate sua abunde proscriptum, apud ingenuos fidem nullam inventurum.

166 At quid de PRODROMO? Ferant pro me sententiam, qui censuras atque probationes tulisse perhibentur, Approbatores ipsi. Quis non commendationem potius ab illis (ut fieri assolet) quam condemnationem expectet? Ne longior sim, decerpta dumtaxat singulorum pauca verbo do. Unus, „ Deprehendi quidem, inquit, stylum „ subinde acrem: alter: „ Qui enim acrius „ paulo Prodromum loqui censeret; item alius: „ Acutus est Prodromus, argutus. & (si pla„ cet) aculeatus. Ecce autem verum hominis modesti, & (ut fertur) religiosi. „ Utinam „ tamen aculeatior! Denique alius: „ Pugnat „ Prodromus pro Ordine acriter. Ita Censores & Approbatores. Sed quid de libro, ab Approbatoribus ipsis ita censurato, æquus rerum æstimator? quid de ipsis censuris censeat? Omnesne ejusdem, an singulas singulorum putes? Si singulæ singulorum sunt, nil nisi Acrimonia liber iste sit oportet, quem tot capita diversa, in unam eamdemque sententiam, contra veius verbum conspirantia, Acrimoniæ notarunt. Si omnes ejusdem malis esse auctoris, credes, quod is styli sui acrioris sibi conscius, minus sinceri fore Censoris putaverit, si nulla mentio fieret acrimoniæ, quæ passim in oculos prævidebatur incursura. Ea enim (me judice) non potest non etiam animam cujusvis ingenui Lectoris penetrare ac pungere, infligendo vel doloris vulnera, qua commiseratur parum modesto scriptori; vel iræ, qua indignetur, hoc tempore quidquid in mentem venerit chartæ committi impune. Sed si tales ob causas malis ejusdem auctoris esse prædictas censuras, jam omnem sibi ipse auctor auctoritatem ac fidem detraxerit, eademque fronte reliqua fingere aut perperam referre judicabitur, qua ipso in limine Approbatorum nomina supponere non dubitaverit.

167 Atque hæc ad quæsitum Dominationis Vestræ: quibus addo, quartum etiam libellum eodem spectantem, nuperrime ad me pervenisse, POMUM DISCORDIÆ appellatum. Caret approbatione omni: æque verbosus est, ac tres prædicti; minus tamen fortassis acerbus; licet materia fere tota ex ipsis aliisque pridem editis desumpta sit. Illud quoque cum iisdem commune habet, quod Papebrochium læsæ Sanctitatis Pontificiæ reum faciat, propterea quod Bullis aliquibus minorem aucam par est reverentiam deferat; scilicet iis Bullis, quas pridem demonstravit suppositiuas esse, nec ab ulla unquam Pontifice datas: quasi vero Ecclesiæ sanctitas auctoritasque sine figmentis salva esse non possit. Unum porro atque alterum particulare in illo libello credideram displicere Papebrochio, nimirum, quod Auctor publici juris faciat quasdam Epistolas, quæ expiciendo præferunt pacis, jam ex parte scribentium eas ruptæ, & timorem, ne ea ex altera quoque parte similiter rumpatur; causam vero timoris semiceat callide, nulla mentione facta expostulationis publicæ, quam aliquando legi, P. Francisci Bonæspei; qua prudens, ac innocens postremo silentium (quid enim silentio innocentius atque prudentius, ubi loqui quod sentit prævides displicitorum atque offensurum?) illiusque rationem reddi prolixe exposcit.

168 Alterum quod displicebit est, quod Scriptor, cum violandæ pacis atque amicitiæ auctorem primum monstrare P. Papebrochium ex verbis ejus nequires, id ipsum conficere interpretando mentem conatus sit. Sane capere non possum, quo interpretandi modo ex verbis Papebrochii, admodum præclaris & benevolentiæ plenis, suam quam vult conclusionem inducat. Ipsa hic, quamvis longinscula, accipe. Sic cap. 1. verbis suis loquens inducitur Papebrochius: „ Multi Or„ dinis B. Mariæ de Monte Carmelo occurrunt „ viri illustres, Sanctis adscripti, quibus stu„ dium nostrum libenter addicimus, optamus„ que Acta illorum quam diligentissime illu„ strare. Unum interea dolemus, nos non „ posse omnia Acta olim conscripta nancisci, „ neque industriam nostram satis secure im„ pendere, uti licuit præstare circa Vitam S. „ Petri Thomasii, quam primo inseruimus „ operi nostro de Actis Sanctorum ad 29. „ Januarii, ac postea secundis curis elimatam „ edidimus seorsim, ac RR. Patribus Ordinis „ B. Mariæ de monte Carmelo, in Comitiis „ Provincialibus anno 1659. Mechliniæ con„ gregatis dicavimus; imo & alia acta ejus„ dem S. Petri, ab altero coævo scriptore „ exarata, postmodum assecuti sumus, & dictis „ Patribus edenda obtulimus.

169 Hic interloquens epilela Auctor, fatetur huc usque „ pacem, benevolentiam, amorem „ spirare omnia; ac pergit porro citare Papebrochium, sic scribentem. „ Cum Ordo hic, „ post Terram Sanctam a Christianis recupe„ ratam, sæculo 12. & 13. in dicta regione „ floreret, accepit suos Priores Generales, „ quorum tres primi Cælitibus adscripti, ec„ clesiastico cultu honorantur; primus Ber„ tholdus, 29. Martii; secundus Brocardus, „ 2. Septembris; tertius Cyrillus, hoc 6. „ Martii. Hactenus citatio. Dic modo, sodes, quid in his posterioribus non æque pacem, benevolentiam, amorem spirat, atque in prioribus verbis? quid magis antiquitati officit hic, quam ibi? Num, quod sæculo 12. & 13. in Terra sancta dicatur Ordo floruisse? Si tum floruit, recte interpretando concludes, pridem fuisse? Tu, si ita vis, initium extende ad decem, viginti, aut amplius sæcula. Nihil de iis Papebrochius.

170 *Ait* „ sæculo 12. & 13. floruisse: *sed ait quoque sui temporis* „ accepisse suos Priores Generales. *Ita est; idque nec ipse* Pomi *Auctor negat: ita* floruisse, *peccatum vult. Accipe ipsiusmet interpretationem; sic citatis Papebrochii verbis continuo subjungit, interrogando;* „ Nil-„ dum diffidit? *ac respondet:* Est, sed latens, „ non facile nisi a nostræ perito historiæ de-„ tegendum. *Vere latet, latuissetque æternum, nisi justo subtilior quispiam, cum gravi utriusque Ordinis incommodo, præpostere detexisset. Sed pergit interpretari:* „ Fatetur (*Papebrochius*) 12. *floruisse Ordinem* sæculo. (*Ita est: quid porro?*) „ sed sic, ut adeo nolit floruisse, imo velit „ omnino non fuisse 10. (*nihil de hoc Papebrochius*) „ ille 12. vult initium Ordinis, quasi „ simul & inceperit & floruerit (*neque hoc Papebrochius*) „ sicque excitati dat initium belli, „ ulteriorem omnem quasi Tenedia securi am-„ putans successionem.

171 *Velim hos mihi sensus aliquis e locis Papebrochii citatis elitiat, aut extorqueat etiam. Nimis dissonat a verbis explicatio.* „ An menti consonat? *inquit Auctor: sic enim, non ad Papebrochium conversus, per apostrophen interrogat:* „ Potes, Papebrochi, hanc tui negare mentem „ scripti? An non ibi Rhodum vis esse & „ saltum, non altius promovendum quam ad „ istud sæculum? An non ibi omnem antiquo-„ rum Carmelitarum vis antiquitatem esse, „ nec pro illa eundum ad Eliam? Ecce non „ pono nisi tua verba: ecce positus a te lapis „ offensionis: ecce jactum discordiæ pomum: „ ecce excitati initium belli. Tacitò, sine „ tympano aut tuba, sine sonitu aut strepitu, „ tecte sub velo aliquo, aliqua sub sindone, „ Sed velum movimus, abstulimus sindonem, „ versutiam deteximus, & in animum intro-„ speximus, quo Papebrochianæ illæ in cuni-„ culo effutiæ spectarent, certiores. *Hæc interpres ille, tam verbose, ut me tædeat vel verbum addere. Tu confer explicationem cum verbis explicatis, ac præsertim consideratis antecedente Papebrochii & conclusione Auctoris hujus, quam recte ista ex illo sequatur vide; vide etiam quomodo mentem (quam æquus quilibet verbis conformem, saltem in religiose supponeret) scrutetur, ut istbic inveniat quod scriptura ipsa negat: unde denique unum quo fortasse modo in gratiam Auctoris conciliare inter se possis hæc ejus scripta:* „ Ecce non pono nisi tua verba; *cum his,* „ in animum introspeximus, *nec non cum his;* „ Potes hanc tui negare mentem scripti? *Si sola verba sufficiant ad concludendum quod vis, cur animus inspicitur, cur mens examinatur, explicaturque difformiter verbis?*

172 *Sed longior sum quam volui, etsi fortossis debuerim esse, ut ex his de reliquo libello, quem nondum tibi visum suspicor, ex litteris suis certius judicium formes. Ecce autem accipio litteras a Superiore residentiæ nostræ ad S. Goarum super Rheno infra arcem Rheinfeltzensem, quibus indicat, quod tradiderit Principi suo, æque ac boni omnes, famosos istos libellos abominari solito, Epistolam Gallicam, docte omnino ac circumspecte scriptam de isto argumento: quæ sic placuit, ut in favorem dilecti sibi ex veteri notitia Papebrochii, tot injuriosis scriptis vexati, ac verosimiliter pluribus deinceps lacessendi, vellet eamdem Latine vertendam atque imprimendam curare. Hoc si fiat, inquit, non omittam ad Rev. Vestram exemplaria mittere. Ego vero cum accepero, participem faciam Illustrissimam Dominationem suam, cujus obsequiis maneo devotissimus. Romæ, 1683.* Princeps iste erat Sereniss. Hassiæ Landgravius Ernestus piæ m. ex quo a Lutheranismo ad fidem Catholicam animum appulit, ab iis figmentis alienissimus, quibus norat, proprio doctus experimento, potissimum averti heterodoxos ad fidei Catholicæ unionem amplectendam, quod subinde etiam publico impresso declaravit.

CAPUT VI.

De Epistola Gallica eruditissimi Cangii, latentis sub titulo Regii Consiliarii, & libellos quidem improbantis, silentium vero ad eosdem suadentis, inscripta amico suo D. Ant. Herouvallio, paris claritatis viro; deque publice convictis imposturis Carmelitarum Leodiensium, Herouvallii nomine, velut qui nusquam extaret, abusorum, contra eamdem Epistolam.

EPistola, quæ nobis Caput superius clausit, extrema sui clausula aditum aperit, ad exponendum omnibus audax Leodiensium Carmelitarum figmentum, quo nescio an impudentius aliquod cogitari possit. Quid enim impudens magis, quam viro honorato ac nobili, totisque Parisiis imo Galliis notissimo, viventi ac pæne videnti, adeoque mox reclamaturo, affingere epistolam, quam numquam scribere somniaverit; & quidem responsoriam ei amico, quem paulo ante habuerit omnis eruditæ curiositatis consortem, ac peregrino munusculo honoraverit? Quid ineptius, quam eumdem inducere primo statim aditu protestantem, eadem dignatione se illi amico respondere, qua asinæ suæ dignatus est responspondere Balaam? Diceres parum abesse, quin furibundus exclamet; *Utinam haberem gladium, ut te percuterem? Num. cap.* 22. Blandula enimvero captatio benevolentiæ! Quid plura? Ipsimet Auctores, cum sedata paululum passione factum suum circumspexere, aliud non invenerunt quo excusarent; quam quod persuasi, Epistolam istam a me vel aliquo Jesuita compositam, sub titulo *Consiliarii Regis*, crediderint, pari impostura missam fingi alicui *Herouvallio inter Doctos celeberrimo*, cumque esse purum putum figmentum, cui eodem jure posset quodcumque antirrheticum supponi. Admitto excusationem, ut non prorsus scienter illi peccaverint, sed tanta passione excæcati, ut ne semel quidem cogitaverint, Parisiis, Leodio non plus quam spatio leucarum 70. semotis, facile sciri posse, an & quis ibi Herouvallius esset; qui si negaret quidquam de Epistola ejusque auctore scire, impostorem Papebrochium tam fidenter quam patenter proclamarent. Rem ab ovo exordior narrare.

174 Christophorus Jagher, Supprior olim, nunc etiam Prior Abbatiæ Lambertino-Benedictinæ in Styria Austriæ, vicina Carnioliæ provincia, ad Acta Sanctorum non tantum est lector assiduus, sed etiam adjutor sedulus, uti pate-

patebit ex Actis B. Hemmæ comitissæ & Fundatricis Gurcensis Ecclesiæ, ab eo collectis ad xix. Junii diem illustrandum. Hic auditu cognoscens, quas Carmelitæ in Belgio contra Auctores Actorum ciebant turbas, ut est Poeta minime tardus, parænericam ad nos Elegiam scripserat, scriptamque imprimi fecerat, *ut in continuandis Sanctorum Actis æmulorum latratus contemnamus*, hoc exordio. *Sic est: invidiam Virtus habet.*

175 Finis autem talia erat.

Et dubitatis adhuc vulgi præponere dictis
Mentem, quam mundi pars melioris habet?
Postulat ille datos cælo cognoscere Divos,
Nec soli notos sustinet esse polo.
His vester labor est: per vos a funere vivunt,
Et Superum in terris pars aliquota manet.
Non quia nocturnæ fugiunt a luce volucres,
Orbari reliquæ sole merentur aves:
Nec quia doctrinam non sustinet unus & alter,
Lux non est vestris publica danda libris.
Fallor? An occultas iterum coquit Æmulus iras?
Et quos Virtutem vulneret, arma parat?
Arma paret: sane; juvet insanire furentem.
Vos vestro moveant nullius arma loco.
Vos Socios Jesu patiendo credite: sed qui
Ista movent, fotis, dicite, cujus erunt?

176 Talem ille Elegiam, cujus aliàs prolixioris satis est hic gustum dedisse, cum suis in Germania & Gallia amicis, Benedictinis præsertim ac Jesuitis, communicasset; venit unum alterumve exemplar in manus Herouvallii prælaudati, tum forte in prædio suo degentis, qui mox amicum suum Carolum du Fresne, Dominum Cangii, Christianissimo Regi a Consiliis & Franciæ apud Ambianos Quæstorem, participem ejus fecit: unde & recepit gratiarum actionem, non tam carminis (ut apparet) laudandi gratia; quam ut tali occasione suaderet, in eo quod Poeta suggerebat, proposito obfirmare animum. Vidit quo id tenderet Herouvallius; nempe ut ab aliquo meo amico vulgata in Belgio Epistola talia, laudabilis silentii propositum eruditis probatum, etiam vulgo ipsam lecturo probaretur: curavitque tradendam in manus Generosi Domini Baronis le Roy, quem ex ejus libris noverat amicum nostrum, & magni facere Acta Sanctorum. Huic tradita Epistola est, librorum suorum causa existenti in Hollandia; ubi mox imprimi illam fecit; & istic passim laudatam, redux attulit mihi.

177 Quid facerem? Non placebat, causam Sanctorum per schediasmata agi, multo minus talia, quæ legitima approbatione carerent; ne in eo culparer ipse, quod arguebam in quibusdam PP. Carmelitarum scriptis. Cum igitur persuadere non possem D. Baroni, quin consumptam ferme in Hollandia impressionem renovaret Antverpiæ, propria quadam sua Observatione auctam; persuasi, ut Ordinario librorum Censori, Eruditiss. D. Antonio Hoefflag, Canonico Graduato & Seminarii Episcopalis præsidi, probandam offerret; qui 13. Februarii 1683. libens subscripsit, quod *Epistola, discreta æque ac fortis, & ad impediendas scandalosas consequentias (famosorum libellorum) haud parum conferens, utiliter imprimitur.*

178 Sic impressam per amicorum manus D. Baro dispersit, quos inter etiam fuit P. Andreas Huck, Rheinfelziensis nostræ prope S. Goaris oppidum Residentiæ Superior, rogatus illam communicare Serenissimo Hassiæ Landgravio Ernesto, tunc viventi & in arce commoranti, ac pridem cupido videndi alicujus responsi ad tot famosos contra Sanctorum Acta libellos. Cessit autem D. Baroni ex voto consilium: rescripsit enim prædictus Pater 6. Martii; quod Princeps suus, eleganti istius Epistolæ brevitate delectatus, continuo jussit, *ut eam Latino idiomate redderet suus in Cancellaria assessor, vir doctus & intelligens proprietatum linguæ Gallicæ*. Ignotum tunc mihi interpretis nomen postea indicavit ipsemet, rescribens Priori Carmelitarum Francofurtensium, *Joannes Georgius Magb Cancellista*, titulo mihi ante inaudito, unde factum, ut quem P. Huck *Assessorem* appellaverat, crederem usitatiori in talibus titulo vocari posse *Vice cancellarium*; eoque titulo usus in epistola quadam, Augustam Vindelicorum ad amicum scripta, occasionem dedi nonnulli inter ipsum & dictum Priorem cavillationi; ex qua P. Valentinus aliique arripuerunt ansam, de mea tamquam falsarii convicti fide, apud imperitos rerum triumphandi.

179 Sed tempus est, ut ipsamet Epistola producatur: ac primum nativa sua Gallica lingua, cujus notus Parisiis nitor & externis inimitabilis certum faciat, ex alicujus Belgæ calamo talem fluere non potuisse; ut merito censuerunt, qui eamdem summopere probarunt præcipui quique & in talibus versati, tam in aula Bruxellensi, quam in supremo Mechliniensi Senatu. Eccum ipsam ex autographo, quod nunc penes me est. Inscriptum operculo erat, *Pour Monsieur Herouval*: in capite autem Epistolæ, *à Paris le 4. de Septembre* 1685. tum porro,

MONSIEUR,

180 *Comme vous ne sçauriez vous empecher de me faire parte de vos curiositez, & de ce qui vous tombe de nouveau de temps en temps entre le mains: je vous en serai toujours infiniment obligé.*

181 *J'ay leu les Vers Latins du Pere Jagher, Benedictin à S. Lambert en Styrie, que vous m'avez fait la grace de m'envoyer, touchant le different des Peres Carmes & du P. Papenbrouck, & de quelques Observations, que ce Pere a faites sur les sentimens, qu'ils ont fait courir jusques à present dans le monde, touchant l'origine de leur Ordre, & quelques autres choses, qui ne leur aggréent pas: ce qui les a portéz à faire des livres & des piéces remplies d'aigreur, ce qui ne convient nullement à la charité Chrestienne, dont ils nous doivent l'exemple par leur profession, estans plutost obligez de travailler à l'édification, qu'à la destruction de la reputation des personnes d'honneur. Je n'estime pas pour tant que le Pere Papenbrouck y doive respondre, comme on dit qu'il veut faire; ny mesme inserer ces Vers dans ses ouvrages, & qu'il doit negliger ces sortes d'invectives, qui ne font tort qu'à ceux qui les publient. Et je crois mesme, que c'est une espece de vengeance licite devant Dieu de mépriser son ennemy, quand il nous attaque d'injure, en ne luy répondant pas.*

182 *Ces Peres en ont usé jusques à present, dans tous leurs escrits, une maniere si sage & si prudente, que rien ne sçauroit faire tort à leur reputation, qui est trop bien establie parmy*

tout

tout ce qu'il y a de Sçavans dans le monde, pour recevoir la moindre atteinte par la médisance. Mais comme je puis dire que j'ay leu tout ce qu'ils ont donné au public, je puis aussi rendre ce témoignage à la verité, qu'ils y agissent tousjours avec beaucoup de sincerité, protestans à tous momens, qu'ils n'ont autre but que de rechercher la verité, & qu'ils n'auront jamais de peine à se retracter, lors qu'on leur fera voir qu'ils se sont mépris: ce qu'aussi ils ont deja fait en plusieurs endroits de leur grand œuvre, à l'exemple du Cardinal Baronius. Car il est sans doute, & personne ne le reconnoit mieux que les Sçavans, que l'on n'est pas infaillible, & que l'on se peut abuser dans les conjectures, qui souvent sont trompeuses, quoy qu'elles flattent quelquefois leurs Autheurs. On n'est pas criminel pour dire ce que l'on pense, & ce que l'on croit des choses que l'on traite, puis qu'on en laisse tousjours le jugement au Lecteur. Mais lors qu'on les appuye par des bonnes autoritez & par des raisons solides, je crois qu'on les peut debiter pour des veritez incontestables, veu qu'on n'y avance rien du sien, & que tout le fondement depend des preuves qu'on y produit. Et aussi il y a quelquefois des choses mis en lumiere par des Escrivains, que l'on ne peut pas laisser passer sans les critiquer. Parce qu'elles sont si éloignées de toute probabilité, que se seroit passer pour ignorant, ou pour trop credule, de ne les pas combattre.

183 *Car de bonne foy, qui est celuy qui croira, pourveu qu'il soit tant soit peu versé dans la lecture des bons livres, que les ouvrages que quelques Espagnols, quoi que tres-sçavans d'ailleurs, ont publié sous les noms de Flavius Dexter, de Maximus, & de Luitprandus, soient veritablement de ces Autheurs? Est-ce que les Espagnols s'offenseront, de ce que les Peres Henschenius & Papenbrouck, sujets du mesme Prince, en ont dit leur sentiment en gens d'honneur? Il en est de mesme du livre de Jean de Hierusalem, & de la Vie de S. Ange Martyr Carme par le pretendu Enoch, qui sont des livres mal fabriquez & plus que supposez, que les PP. Carmes cependant soutiennent comme des ouvrages certains de ces Patriarches, aussi bien que l'origine de leur Ordre, quoy que sans aucun fondement, lors qu'ils la tirent de l'ancien Testament. Ils feroient bien mieux de s'arrester au témoignage de Jean Phocas, qui vivoit au tems qu'il a commencé de paroistre, & qui nous le décrit si nettement. Car de dire, pour renverser cette autorité, que c'est un livre imprimé en Hollande, c'est en verité une foible raison, qui ne fera jamais impression dans un esprit bien fait. Car outre que les manuscrits de Monsieur Allatius ne sont pas perdus à Rome, est-ce que les Hollandois ou les Protestans s'interessent si fort dans l'origine de l'Ordre des Carmes? ou bien qu'ils ayent preveu ce different, pour falsifier un Autheur qui s'imprime chez eux?*

184 *Ces bons Peres devroient plutost s'attacher à la verité, que non pas d'aller rechercher des origines fabuleuses, comme faisoient les Grecs & les Romains, lors qu'ils travailloient à l'Histoire de leurs Villes & de leurs Provinces. L'Histoire sacrée, dont celle des Ordres Religieux fait partie, doit estre purgée de ces sortes de fables, & de ce qui en approche: & quand les personnes sçavantes se donnent la peine d'y appliquer leur étude, ils meritent tousjours du Public. C'est ce que font ces Peres d'Anvers, qui travaillent avec tant de succés aux Vies des Saints, où ils n'avancent rien que de serieux & de solide, & qui ne soit appuyé de fortes autoritez, ne donnant pas dans la bagatelle, comme font quelques-uns. S'il y en a qui s'en offensent, & qui ne puissent souffrir qu'on découvre leurs erreurs, il faut leur laisser faire ce qui bon leur semble, sans s'en embarasser: la verité ayant cét avantage, qu'elle dissipe bien-tost les nuages du mensonge. Leurs escrits ne sçauroient faire tort à la reputation de ces grands hommes, qui ont tant merité du public, & des belles lettres, aussi il n'y a rien qui leur puisse donner la moindre atteinte.*

185 (*Ceux qui voudront sçavoir* (dit le sçavant Morori Tom. 1. pag. 1163.) *si le Prophete Elie assembla des Solitaires au Mont Carmel, de qui les Carmes se disent descendus, consulteront Tornel, & le Cardinal Baronius sous l'An 1181. de salut, & ils apprendront la verité de la chose, sans se laisser preoccuper à des certains contes apocryphes, & sans approuver les responses peu modestes, que nous avons veues contre ce que ce grand Cardinal a escrit avec tout de solidité, & de bon sens. Ce que je remarque est assez connu, & il n'est plus facile de prevenir les esprits des personnes raisonnables par des contes.*) *Au reste, j'ay tousjours de l'impatience pour vostre retour; quoy que je me console de cette absence, lors que je fais reflexion, que l'air de la campagne contribue à vostre santé, que je vous souhaitte tout entiere, estant à l'ordinaire, de Paris 4. Septembre 1682.*

MONSIEUR, *Vostre tres-humble & tres-obeissant Serviteur du Cange.*

186 Hactenus contextus ex autographo, nisi quod locus initio num. 185, inclusus uncis ( ) additus ab editore sit, ex causa inferius dicenda, juxta mentem Auctoris; cujus tamen nomen ipso inconsulto exprimere nolens D. Baro, satisque existimans ad fidem obtinendam, si expressisset nomen ejus cui scripta Epistola erat, hunc titulum fecit; *Epistola Domini N. N. Consiliarii Regis*, (qualem ipsemet D. Cangius in suis libris se scribebat & erat) *ad amicum suum D. Antonium Wionem Herouvallium, virum inter Doctos celeberrimum* (Gallice, *tres renommé entre les Sçavans de France*) qualem testantur eorumdem ad libros suos complures Prolegomena & Præfationes, puta Acherii, Mabillonii, Bigotii, Baluzii, & aliorum; dum quisque profitetur quid ex antiquario ejus gazophylacio, benigne sibi communicato, profecerit. Epistolæ autem argumentum indicavit idem Prænobilis editor esse *de libellis, qui interdum* (de temps en temps) *in Belgio publicantur, contra RR. PP. Henschenium & Papebrochium Jesuitas.*

187 His explicatis accipe textum ex versione Rheinfeltzensi, & impressione Moguntina. Quamvis enim Coloniæ Agrippinæ facta impressaque sit alia versio, prior tamen potius datur, quia hæc magis Patres Carmelitas commovit, propter dignitatem personæ, ipsam fieri mandantis.

MI DOMINE.

188 *Quod nova & curiosa omnia, quæ ad manus tuas perveniunt, mihi communices, plurimum tibi debeo.*

189 *Legi, quæ mihi misisti Latina carmina P. Jagher*

Jagher Bruediĉtini ad S. Lambrrtum in Styria, de controversia inter PP. Carmelitas & P. Papebrochium, & nonnullis Observationibus, quas hic de illorum opinionibus, de Ordinis sui origine & antiquitate mundo hactenus obtrusit, continuavit. Moti deinde vehementer PP. Carmelitæ libellos publicarunt, plenos acerbitate & caritati Christianæ nulloteuus conformes: cum tamen sue potius exemplo ad eamdem nos excitare, vi suæ professionis, obstringantur; teneanturque augere potius, quam diminuere honestorum virorum existimationem. Attamen haud crediderim responsurum his P. Papebrochium, prout facturum illum quidam opinantur; neque inserturum operibus suis Versus illos; sed neglecturum potius ejusmodi invectivas, quæ non nisi publicantibus nocere possunt: licitæ enim vindictæ speciem arbitrer, iniquiti injurias silentio contemnere.

190 *Etenim Patres illi, omnibus in scriptis suis tam prudenter hactenus egere, ut nihil nocere illorum existimationi possit, firmius inter doctos stabilitæ, quam ut a calumnia & obtrectatione sibi timeat. Quemadmodum vero omnia perlegi, quæ ab illis hactenus in lucem edita sunt; ita testari possum, maxima eos sinceritate agere, ubique protestantes, nullum sibi nisi veritatis indagandæ finem propositum esse; neque fore se ad retractandum difficiles, sicubi erratum esse quis monstraverit, quod etiam pluribus in locis emplissimi operis sui, Cardinalis Baronii exemplo, facere non dubitarunt. Enimvero sine dubio est, & viris doctis perspectissimum, neminem infallibilem esse, & in conjecturis facile errari, quæ sæpe fallunt, etsi nihil minus auctori videatur. Sane nemini vitio vertendum est, suam de re tractata sententiam edicere, modo lectori integra sentiendi, quod placuerit, libertas relinquatur: sed qui opinionem suam gravissimis auctoritatibus, & solidis rationibus confirmat, eam ut veritatem indubitatam ederr potest, cum nihil de suo efferat, & res tota ab adductis probationibus dependeat. E contra vere asserta quædam in scriptoribus reperire est, quæ sine crisi præteriri nequeunt; cum tam longe ab omni probabilitate absint, ut qui ea non oppugnaverit, aut ignorantiæ, aut nimiæ credulitatis argui possit.*

191 *Quæso enim, quis credet, libros quosdam, ab Hispanis aliquibus, aliàs sat eruditis, sub nomine Flavii Dexteri, Maximi, & Luitprandi publicatos, vera esse illorum auctorum opera? Ausuceusere PP. Henschenio & Papebrochio, Principis ejusdem subditis, Hispani poterunt, quod suam ea de re sententiam, ut viri boni cordate dixerint? Idem de libro Joannis Hierosolymitani, ac Vita S. Angeli Martyris Carmelitani per Enoch, sentiendum est: quos, etsi inconcinne compositos suppositosque, PP. Carmelitani, velut certa Patriarcharum illorum opera sustinent; eodem plane fundamento & soliditate, qua Ordinis sui originem veteri ex Testamento deducere nituntur. Consultius itedo facerent, si Joannis Phocæ testimonio crederent, qui sub Ordinis illius prima initia vixit, eumque nobis tam dilucide descripsit. Etenim illius auctoritatem nequidquam evertit, librum hunc in Hollandia impressum esse. Nam præterquam quod manuscripta Domini Allatii adhuc Romæ invenire sit, quid quæso Hollandorum aut Protestantium interest de origine Ordinis Carmelitani? An præviderunt illi hanc controversiam, ut Auctorem apud se impressum falsificarent?*

192 *Sane veritati potius inhærere deberent boni Patres illi, quam fabulosas origines tam remote conquirere, eodem fere modo, quo Græci ac Romani, in tenenda Civitatum & Provinciarum suarum historia egerunt. Historia sacra, cujus partem facit Historia de religiosis Ordinibus, purgata & defæcata esse debet ab omni fabula ac quidquid illi simile; & cum viri docti eiusdem se studio applicant, haud parum de Republica merentur. Faciunt hoc Patres Antuerpiani, dum in Vitis Sanctorum concinnandis tam feliciter laborantes, nihil nisi vera, solida, gravissimisque auctoritatibus firmata afferunt; neque, ut nonnulli, ridicula & futilia intermiserint. Si qui vero sint, qui hos labores, & errorum suorum detectionem, ægre ferant, agant prout libitum illis fuerit. Habet hoc veritas privilegium, ut mendacii nebulas suapte natura dissipet; nec adversariorum scripta vel quidquam nocere poterunt existimationi tantorum virorum, & de litteris atque Republica tam bene meritorum.*

193 „Qui scire cupiunt (*ait doctissimus Morerius Tom. 1. pag. 1165.*)„ an Propheta Elias
„ solitarios in monte Carmelo congregaverit,
„ ex quibus descendere se volunt Carmelitani;
„ Toroiellum & Cardinalem Baronium consu-
„ lant sub annum salutis 1181. ubi rei verita-
„ tem discent; & neque præoccupari se sinent
„ certis fabulis apocryphis, neque probabunt im-
„ modestas quorumdam responsiones ad ea, quæ
„ magnus ille Cardinalis hac de re tam solide
„ conscripsit. Id quod hic assero, abunde notum
„ est, neque adeo facile prudentium ingenia fa-
„ bulis circumscribere licet. *Ceterum reditum tuum vehementer desidero, tametsi soletur me, quod aerem campestrem valetudini tuæ profuturum existiment, quam opto tibi integram bonamque esse, ut sum*

Servus tuus humillimus & obedientissimus NN.

194 Circa hanc Epistolam notatum velim, locum istum Moresii non fuisse in originali Parisiis scriptum a Cangio; sed sub ejus ratihabitione Amstelodami additum ab editore, cum illic comparere cœpisset Magnum Dictionarium Historicum, ex Tomo uno, quem Lugdunensis impressio anno 1667. dederat, in duos Tomos extensum, assiduo Auctoris labore, quorum Tomorum primus, locum istum continens, impressus habebatur illo adhuc vivente; nec tamen nisi post absolutionem secundi Tomi simul cum hoc prodiit, non prodierat autem scribente Epistolam suam Cangio. Ludovicus autem Moresius, Doctor Sorbonicus & Sacerdos, antequam moliretur suum istud grande Dictionarium, cui immortuus est, Gallice traduxerat Alphonsi nostri Rodriguez tripartitum opus de perfectione Christiana & Religiosa: deinde cultiori stylo expoliendis Sanctorum Vitis navavit operam. Mortuo illo, prodiit anno 1689. Tomus tertius Supplementorum, quem solum videre obiter licuit, quoniam ex Hollandia dicebatur idem opus proditurum, Supplementis ad sua quæque loca relatis, aliisque multis aliunde additis & mutatis: & sic ipsum prodiit Lugduni Batavorum & Amstelodami anno 1692. cum elogio editionis sextæ & ampla Præfatione, signata nomine *Joannis le Clere*; à quo creduntur omnia, ut nunc habentur, ordinata, mutata, addita fuisse.

195 Hic Joannes le Clere (prece, an pretio, vel potius brevitatis studio inductus, nescio) locum prædictum in pauca contraxit, quod & alia plu-

plurimis locis fecit; & ad nomen Eliæ, post compendium Historicum Actorum ejus, sic legi voluit. *Qui scire voluerint, utrum idem Propheta Solitarios in Monte Carmelo adunaverit, consulat Tornellum & Cardinalem Baronium.* Ita à se declinavit invidiam, quam aperta fronte prolata veritas Morerio pepererat; prærnaturæ morti suæ debenti, quod vivus non pertulerit infestationes, quales sustinemus ego & P. Henschenius. Similiter ad nomen *Carmeli* nunc legitur: *Religiosi Carmelitæ nomen ab isto monte traxerunt, propter Prophetas Eliam & Elisæum, quos consideraut tamquam primos suos Patriarchas*: ad ipsum tamen verbum *Carmelitæ* dicitur aperte, *quod sint Ordo Religiosus, qui cœpit sæculo* XII. *in Syria, ubi plures ex Occidente peregrini vivebant dispersi per eremitaria, expositi violentiæ & excursionibus barbarorum: quos Aymericus Patriarcha Antiochenus in Carmelum deduxit, Albertus Patriarcha Hierosolymitanus data Regula informavit. Primus eorum habitus fuit albus, circumeuntibus inferne coloratis limbis pluribus circulatus.* Citanturque auctores, *Daniel a Virgine Maria, I. B. de Lezana, Arnoldus Bostius, Trithemius, aliique*, ut ostendat Auctor hos omnes sibi lectos fuisse, sed non usquequaque probatos.

196 Quorsum, inquies, tam prolixa de Historico illo Dictionario digressio? Dicam. Ne, qui forte solam ultimam editionem habebunt (præsertim in Belgio, ubi Parisina rara & cara valde est) non repetientes præcitatum locum, editorem Epistolæ, virum in suis omnibus libris fidelissimum accuratissimumque, præsumant facere de impostura suspectum; in eumque regerant convitium, quod commentuere Leodienses, de quibus infra. Nunc transeo ad Appendicem Epistolæ, una cum ipsa impressam probatamque & Latine redditam: ob quam etiam in hujus auctorem, Baronem prænominatum, non minus quam in me invehitur propudiosa Responsio impudentis falsarii. Qui Francicæ linguæ delicatiorem habent gustum, & hanc Appendicem cum Epistola conferunt, discrimen grande puritatis inter utramque notant, ut vel hoc nomine passim irrisi fuerint a peritis, qui volebant suspicari, me, vel aliquem Jesuitam Belgam, Epistolæ auctorem fuisse: Peritiores enim sentiebant, non esse possibile, ut Belga aliquis tam terse scribat, ac scripsit Cangius. Latina versione & hic & infra contenti erimus, ut breves simus. Igitur Appendix, Antuerpiæ addita, hæc est.

197 *Postquam Epistolæ hujus Autographum mihi amicus quidam communicasset, ut eo in favorem offrusæ veritatis pro lubitu uterer; non potui, quin illud ex Auctoris intentione publicando, prudentissimum Rev. P. Papebrochii silentium doctissimi illius viri judicio justificarem: quod scio tam Romæ, quam Parisiis omnium virorum doctorum calculo probatum iri. Libelli, de quibus hic agitur, nihil sunt nisi coacervati errores & convitia, prout quisque facile perspiciet, judicabitque quam responsionem mereantur; cum ad quæstionem principalem nihil aut parum attineant, nisi in locis ex Armamentario & Speculo Carmelitano desumptis, quæ dictus Pater in Tractatibus Præliminaribus primorum trium tomorum Maii, atque de Vita S. Angeli Martyris, ac Vita Aloysii de Rabatà Carmelitarum, ad quintum & undecimum dicti mensis & illorum Appendicibus, abunde refutavit, ubi jam anticipando manifeste eversa reperiuntur, quæ auctor Pomi discordiæ, nuper prodiens, stabilire conatur, fingens, ut duo alii libelli, quasi mensem Majum non omnino legisset Auctor suus.*

198 *Sufficient igitur hæc ad melius informandos RR. PP. Carmelitas, qui, quod ingentem strepitum libellos suos multiplicando excitaverint, suos agendi modos à viris doctis probari, & P. Papebrochii scripta omnino destructa esse, ea de causa sibi imaginantur, quod is eorum exemplo eadem semper repetere non velit. Si qui vero sint, qui partim querimoniis præventi, aut cognitione supradictorum operum destituti, persuasum habeant, hanc materiam à Patribus Jesuitis præteriri potuisse, sciant oportet, RR. PP. Carmelitas in prima Armamentarii sui parte questos esse, quod Pater Henschenius in Mense Martio nimium succincte & affectata brevitate de hac materia egerit, ac poposcisse a P. Papebrochio, ut Collegæ sui brevitatem latius expliearet; & suas in hac lite partes apertius declararet; tametsi is sæpius oretenus & literis significaverit, ægre se & non nisi coactum ad hanc materiam tractandam accessurum.*

179 *Cæterum præterire nequeo, quin hic memorem, quod Auctor Prodromi Carmelitani, P. Papebrochium ut puerum habeat (vah! insolentiam) quia is asserit a sæculo septimo usque ad duodecimum neminem, neque nobilem, neque plebejum, in subscriptione tabularum notarialium, aut simili occasione, cognominis usum esse. Videantur solum ea, quæ in Notitia Marchionatus Sacri Imperii pag. 495. hac de re asseruntur* „ (est hoc primum & „ speciosissimum volumen, a D. Barone le Roy „ editum Amstelodami an. 1678. quod alia secuta „ ta sunt, & plura Deo dante sequentur.) *Asseruntur autem, ut veritates omnibus cognitæ. Qui parumper saltem in tabulis antiquis versati sint, inde judicent, quam ignorans sit & ridiculus illius libri auctor; qui pag. 86. scriptores omnes, tam Ecclesiasticos, quam sæculares, in partes suas vocare audet, ut illudant viro, quem ipsi hæretici, nec non illi, qui cæteroquin Jesuitis parum favent, magni faciunt.*

200 *Sane imbecillitatis argueretur, si territus hoc strepitu, pulcherrimum opus suum interrumperet, ut his nugis responderet, ad quas tam præfracte sustinendas Carmelitæ imaginaria officii sui religione impelluntur, pro veritate venditantes, quod non nisi in scriptis apocryphis fundatur: quorum illi auctoritatem, quorundam sæculorum scriptorumque credulitate firmatam esse volunt, & hinc legitimam possessionem sinistre sibi vendicant. Qui leget ipsorum Speculum, facile perspiciet, quid de eo sentiendum; & an justa illis causa sit tam acriter in PP. Henschenium & Papebrochium invehendi, quasi primi illi & inter Catholicos soli essent, qui de prætensa Ordinis illius antiquitate dubitaverint, ac postularint, ut antiquiores, magisque quam hactenus authenticas probationes de successivo stabilimento suo afferrent; cujus octodecim sæculorum Historici, ab Elia usque ad Terræ-sanctæ recuperationem, ne verbo quidem meminerunt.*

201 Hujus porro tam Epistolæ, quam Appendicis versionem, adornatam fuisse jussu & sumptu Serenissimi Ernesti, innotuit PP. Carmelitis anno 1683. quapropter Francofurtensis eorum Prior, Fr. Stephanus a S. Joanne Evangeli-

gelista, mox calamum stringens (neque enim homines isti sciunt ulli parcere dignitati, quam in se dissentire circa quæstionem antiquitatis intelligunt) & Epistolam misit, die 26. Junii signatam, quæ deinde bis excusa cucurrit. Ac primum quidem prodiit Epistola illa Francofurtensis in scheda volante, cui titulus, SUADA HARPOCRATIS, *sive P. Daniel Papebrochius Jesuita, a Carmelitis convictus, sibi suadens silentium. Hermopoli* (id est Antuerpiæ, Mercuriali emporio) *Typis Lippiis*, siquidem lippus Typographus fuit. Recusa etiam fuit Epistola eadem in majori libello, qui inscribitur, JESUITICUM NIHIL, *P. Papebrochio Jesuitæ, super ipsius cum Carmelitis, quoad Ordinis illius Historiam, controversia, Carmeliticis scriptis convicto, & ad silentium redacto, demonstratum, Auctore Petro Fischero Francone*; æque inveniendo nuspiam, quam nuspiam & numquam *Gottsfredus Junck*, qui Typographus inscribitur, inventus est *Salisburgi*, ubi impressus Libellus fingitur.

202 Sed has fraudes, jam minime Carmelitis novas, missas facio; & dictam Epistolam, sicut eam a Principe accepi, manu Cancellistæ transcriptam, etiam ego profero, omissis probationibus Elianæ successionis, jam satis descriptis refutatisque toto Responsionum mearum opere. Profero autem & consequenter aliam, æquioribus judiciis expendendam, quam sit eorum, qui in propria causa sibi indulgendum putant, ut simul & testes & judices sint, imo etiam vindices.

SERENISS. PRINCEPS, GRATIOS. DOMINE.

203 *Suscepisse Serenitatem vestram, contra totum Carmelitarum Ordinem, causam P. Papebrochii, vel exinde patet, quod haud ita pridem* (*uti ex istiusmet præfati Patris litteris 22. Aprilis Antuerpia Augustam missis, liquido mihi constat*) *versionem vulgaverit alicujus Epistolæ, quæ scripta fingitur ab Anonymo quodam Regio Consiliario, ad D. Antonium Wion de Herouval; id quod Serenitas vestra, in præjudicium totius Carmelitani Ordinis, sane non debuisset facere, antequam prudentissimo suo judicio mature ponderasset, tot celeberrimorum scriptorum Auctoritates, tot summorum Pontificum Bullas, Brevia, &c. ..... Proinde summopere miror hanc successionem* (*in qua controversiæ totius cardo versatur*) *a vestra Serenitate sic facile impugnari, ut versionem memoratæ Epistolæ probarit, atque per suum Vice-Cancellarium evulgari mandarit. Certe haud levis toti nostro Carmelitano Ordini infertur injuria, dum in illa Epistola asseritur, nos nostram antiquitatem & hæreditariam ab Elia successionem ex apocryphis, fabulis & figmentis probare .... Non dicturam id Serenitatem vestram, dum melius se informarit, animus mihi meus dicit; & ni dicat, necesse est, ut uni Papebrochio præferas tot celebres ejusdem Societatis scriptores; uni suspecto Joanni Phocæ, tot summorum Pontificum Bullas, totque Eminentissimorum Cardinalium Declarationes. Auctoritatem Cardinalis Baronii penitus qui considerat, pro Carmelitis plus, quam contra facere dicet.*

204 *Deprehensus itaque inter respondendi angustias Papebrochius, haud alia jam scit methodo se tueri, quam emendicatis ejusmodi ab aliis semifoliolis. Et facile nobis esset Thrasonicæ illi litteræ aliam multo splendidiorem opponere; ni sciremus, jam perfectam esse illius Spongiam: quam, ut primum typi beneficio lucem viderit, vestræ Serenitati mittam, ut ex ea pateat evidenter, quam longe valentioribus tueantur armis sua jura Carmelitæ, quam ea sint, quibus illa impugnat Papebrochius. Quippe qui Carmelitis implacabiliter offensus, pro rationibus sui tantum effutit somnia cerebri; qui haud aliud affert argumentorum pondera, quam consuetum & insulsum suum:* „Non dubito, Puto tamen, Mihi videtur, „Cogor dubitare, Conjectura est, *quique* (*quod absurdum est, & ecclesiastico Scriptore prorsus indignum*) *temerario ausu scriptores falsificat, id, quod solenniter fecit in Jacobo de Vitriaco, & abunde probat Auctor Prodromi R. P. Valentinus. Societati non invideo suæ Serenitatis affectum; hoc tantum opto, ut ille prudentiæ prospectum, quem sua Serenitas omnibus religiosis Ordinibus debet, non adimat. Deus interim Serenitatis vestræ perpetuam vitæ tranquillitatem & incolumitatem largiatur, quod eo animo & affectu opto, quo maneo suæ Serenitatis infimus servus, Stephanus a S. Joanne Evangelista, Carmeli Francofurtensis Prior. m. pr. Francofurti 1682. 26. Junii.*

205 Habes, Lector, specimen Carmelitanæ pro sua causa, deque prostrato ineluctabiliter ac manifeste Papebrochio confidentiæ. Responsum nunc accipe, quod Serenissimi Principis mandato redditum fuit ab ejus, uti se scribit, *Cancellista*. Hic cur *Vice-cancellarii* titulum non usurpet, quem ego credebam quadrare posse ei, qui Cancellarius quidem ipse non est, Cancellariæ tamen ministerio proxime a supremo Directore intendit, equidem non divino; neque scire ad rem multum facere puto. Replicam tamen, inde sumptam contra Epistolam Prioris, qui initio dixerat, ex meis litteris constare sibi, quod Serenitas sua versionem curavit *per suum Vice-Cancellarium* (quæ verba omittens puncta .... substitui) replicam, inquam, inde sumptam omitto, quatenus ille scribit, quod *Serenitas sua, toto Regiminis sui tempore* (*quod in sextum supra trigesimum excurrit annum*) *nec Cancellario unquam usa est, nec Vice-cancellario; & moderno Cancellariæ Directori, Doctori Joanni Trarbach, tantum constat de Epistola* (Consiliarii), *quantum ipsi* (Priori) *de multis omnino rebus, quas numquam didicit*. Scio quod ex his ultimis, quorum ideo volui meminisse, occasionem sumpserit P. Valentinus, ad triumphum de me, velut impostore, canendum; sed liquere puto, imaginarium fuisse triumphum; sicut imaginaria est impostura. Sive enim *Cancellarium & Vice Cancellarium* voces, sive *Cancellariæ Directorem*, hujusque *Adjutorem*, neutris sic adstringuntur Principes, ut ad quæcumque litteraria negotia utroque vel alterutro uti debeant. Altero tamen usum mihi constat; neque hic negat; sed solum negat de Directore. Reliqua sic integre leguntur, ut sequitur.

ADM. REV. PATER.

206 *Litteræ Rev. Vestræ, ad sextum Kalendas Julii Francofurti datæ, Serenitati suæ per postam recte sunt traditæ..... Et unde quæso dubitabit Serenitas sua, PP. Carmelitas, saltem aliquo vestigio, descendisse a Carmelo; & secundum quid veros Eliæ successores esse; dum iidem, scilicet Carmelitæ, in causa contra P. Papenbrouck Spiritum Eliæ, ad ignem etiam e cælo si possibile fuisset exposcendum* (*juxta illud, Tange montes & fumigant*) *plusquam eum, cujus spiritus filii esse debuerant, satis aperte demonstrarunt.*

207

207 *Serenitatem suam nec tangunt, nec angunt vestra, e nimio honoris studio, seu ambitione potius, quam alio fonte promanantes quisquiliæ; nec se illis misceri patietur, solidioribus occupata. Ille enim vero zelo accenditur, & quidem rectissima cum intentione, tam pro gloria Dei, quam pro salute & conversione Fratrum nostrorum errantium; adversus omnia, quæcumque eorum obstant reductioni: e quorum genere merito censentur illa, quæ, licet post Scripturam canonicam & indubitata Ecclesiæ sanctæ dogmata modo suni luci data, nihilominus pro æque authenticis & infallibilibus universo Christiano populo proponi volunt; per quæ Religio Catholica & Christianissimus universus hæreticis & infidelibus sæpenumero redditur suspectus: & præstaret omnino, ut ingens rerum ejuscemodi congeries nec lucem aspexisset, neque hominum plurimorum animis ita penitus insedisset. Si Testamento utrique coætanei, & tam veteranus est Carmelitarum Ordo, etcur non illum Sedes Apostolica antiquissimis Religiosis, in Occidente Benedictinis, & in Oriente Basilianis præposuit, illique primas dedit?*

208 *Anachoretæ (ut arbitror) primi fuere SS. Antonius, Paulus, Pachomius & alii. Verum quid dico? Forsan & illi e Sacra Carmelitarum familia fuere. Esto vel secus. Quis autem, amabo, est ille Christianus, imo religiose discretus procedendi modus, quo Patribus Carmelitis adversus Patrem Papenbrouck uti placuit? Etenim si Historiographus aliquis de Serenissima Domo Hassiæ mentionem fecisset, & vocaret in dubium, an exempli gratia Serenissima Principum illorum prosapia a Carolo Magno, vel antiquioribus majoribus genealogiam suam derivaret, de cætero nil scriptis, contumeliose nihil assereret; æquum ne esset illico (prout fecere Patres vestri) methodo tam parum ordinata, satyrica, Christianæ indoli amorique & religiosæ modestiæ insolita, ejusmodi scriptorem aggredi, & sincera ejus sensa convitiari? Non ergo alius defendendi sui, vel proponendæ causæ modus & via? Romam nonne petere, & ad Generalem Patris Papebrochii crimen, si quod est, deferre oportebat primum; deinde si minus ibi auditi fuissent, numquid satius fuisset ad competens orbis religiosi tribunal causam suam agere?*

209 *An putatis vos, Domini Patres Carmelitæ, Patres Jesuitas, nisi ex motivo Christiani amoris, Præpositis suis parendi, vobisque parcendi studio arena cederent; &, nisi unice se continerent, ne hæreticorum sibisiculos foverent, an putatis, inquam, famosis vestris libellis non respondere, & parem clamoribus vestris echo reddere non potuisse? Erras, mi Pater, & aberras vehementer; nam & illi ætatem habent; & sane Christiane magis & laudabilius agunt, meritumque illorum majus erit apud Deum, & coram hominibus honor, quo carebunt vestri Spongiæ presseces; qui post tam seriam, & ad pacem, evitationemque scandali tam provide directam prohibitionem, nihilominus nituntur in vetitum; & loco quo tollere lapidem offensionis deberent, petram novi scandali ponunt, & vulnus cui mederi oporteret, faciunt recrudescere. Quis crederet, tam intempestivæ plenum æmulationis zelum, & apprehensivam indolem, in animis profitentium solitudinem Religiosorum, tam altas egisse radices? Quasi vero fractus illaberetur orbis, & cælum minaretur ruinas, si quis ad justa rationum momenta hæreat dubius, num ita sint, quæ de Ordine suo rata haberi volunt Carmelitæ. Profecto pissimus religiosæ disciplinæ & moderationis Magister Thomas de Kempis alterius consilii auctor vobis fuisset.*

210 *Et hoc denique asseverare ausim, Serenitatem suam (quæ sinceritatis & impartialitatis dudum inviolabilem profitetur regulam) Patrum Societatis Jesu nunquam sectari & approbare partes, nisi usque ad aras veritatis & æquitatis. Hæc non eo scripta a me quisquam existimet, quod dubitem in minimo de antiquitate, auctoritate & sanctissimi instituti vestri firmitate, super ipsum fundamentum Apostolorum & Prophetarum, in ipso summo Angulari lapide Christo. Absit hoc suspicari. Numeret quis stellas si potest, & ego tot numerabo Heroes spirituales, sanctitatis Magistros & Discipulos, qui in Ordine vestro fidei veræ arcem, sapientiæ thesaurum, perfectionis apicem, & felicitatis centrum reperere. Perennent & fulgeant hi virtutis radii sine nebulis, super Ecclesiæ candelabrum; & virtuti debita laus & existimatio, quæ crescant in mille millia, etiamsi quis de origine ab Elia, & an Enoch in Paradiso terrestri a Jesu Christo baptizatus fuerit, dubitaret. Vale, mi amantissime Pater: cui de cetero omni quo fieri poterit studio, maneo addictissimus. Ad S. Goarem, octavo Nonas (Idus) Julii, anno 1683.*

Ioan. Georgius Magb Mesellanus, Cancellista.

211 Tali accepto responso, non diu cunctatus Francofurtensis Prior, sic rescripsit:

CLARISSIME DOMINE.

212 *Literas Dominationis Vestræ, ea ipsiusmet ferentis manibus, 14. hujus rite accepi: quas, ut bene intellexi, ita e suo non natas cerebro perspicue cognovi. Quantum enim Dominatio Vestra de multis omnino rebus, quas nunquam didicit! Optarem ipsam legisse nostros Annales, legisse nostros ac præcipuos ipsiusmet Societatis scriptores, legisse summorum Pontificum, S. Congregationis Rituum, & celeberrimarum totius orbis Universitatum declarationes, &c. .... Et quis unquam ex Carmelitis has declarationes &c. pro æque authenticis & infallibilibus, ac sunt scripturæ Canonicæ, populo Christiano proposuit? Nihil derogat Antiquitati nostræ, quod Sedes Apostolica in Occidente nobis præposuerit Benedictinos. Nonne in Africa & Occidente antiquissimus est Ordo Eremitarum S. Augustini? & tamen eadem S. Sedes illis eosdem præposuit Benedictinos, Cistercienses, Dominicanos & Franciscanos.*

213 *Si Serenitatem suam non tangunt: eccur ergo angunt nostra cum Papebrochio Controversia? Cur ergo mandavit suo Vicecancellario, ut versionem vulgaret supradictæ Epistolæ? Sicut certo scimus ex litteris Papebrochii Augustam missis, & inde in Belgium ad nostros remissis litteris. Quæso, Domine, si Landgraviatus quis jura invaderet, titulos eriperet, majorum famam macularet, aliisque injuriis oneraret, putaretne Serenissimus Landgravius sibi esse silendum? & dum non sileret, sed justa defensionis gladium aut calamum contra iniquum invasorem stringeret, diceret merito quis posset, hoc eum nimio honoris studio, aut potius ambitione illum facere? Nostra invasit jura Papebrochius, Patrem abstulit, Regulam contempsit, Titulos abripuit, Sanctorum nostrorum famam maculavit; & sileremus? Non silemus: crudelis enim est,*

qui

qui suam famam negligis. Itaque dum post gravem nobis illatam injuriam non silemus, sed Patrem nostrum, Regulam nostram, Titulos nostros, Sanctos nostros defendimus; tu, mi Domine, ex nimio honoris studio & ambitione id fieri existimas? Erras, & convitiaris, si præfata, quæ defendimus, Quisquilias appellas. Non enim sancta Sedes approbat Quisquilias, non desinunt Eminentissimi Cardinales Quisquilias.

214 Injuriam infert Carmelitis, quicumque scribit, illos non religiose, non discrete procedendi modo P. Papebrochium aggressos; vel methodo parum ordinata, satyrica, religiosæque modestiæ insuitata usos. Utinam, mi Domine, sic oculos tuos aperires justitiæ, sicut aperuisti affectui! Ad Armamentarium, ad Prodromum, ad Heroicam Carmeli regulam, ad Pomum discordiæ te voco. Inspice, lege, relege; haud alium reperies, quam religiose discretum procedendi modum; ille vero convitiatur, ille scoptice & contumeliose scribit, ille methodo parum ordinata, satyrica, &c. qui summis Pontificibus inurit notam falsitatis; qui Sacræ Rituum Congregationi impingit fabulositatem; qui Sanctos, quos jam ab aliquot retro sæculis colnit Ecclesia, trahit in dubium, utrum fuerint in rerum natura; qui scriptores de Ecclesia bene meritos vocat impostores, fabularum figulos. Hoc fecisse Papebrochium evincit Prodromus, evincit adjecta hæc Synopsis.

215 Utique oportebat Romam prius petere, & ad Generalem crimen deferre: id a Carmelitis non fuit intermissum. Lege Pomum discordiæ, in illo reperies, quomodo nullas omiserint Carmelitæ procurandæ pacis ansas; quomodo nullis studiis, nullis pepercerint impendiis, ut unum unius mollirent animum Papebrochii. In illo invenies, datam nostrorum Patrum Antuerpiensium, sub initium hujus controversiæ ad Patres Societatis in Vigilia S. Ignatii, humilem litteram; invenies alteram ad Reverendiss. P. Generalem Paulum Olivam, qui P. Papebrochio scribendo, hæc inter alia mandavit; „ Cum præclaræ huic Religiosæ familiæ causæ plurimum cupiam, ad „ mentem plane meam votumque faciet Rev. ve„stra, si ipsorum hac in re desiderio faceret fa„tis. Et certe antiquitatis gloria, quæ huic Or„dini tribuitur, a nobis, si non confirmanda, „ saltem impugnanda non est. Sed omnia incassum. Papebrochio, amore postposito, ad majorem Dei gloriam placuit diffidium.

216 Patres Societatis ætatem, sapientiam, & doctrinam habere, scio: sed quidam eorum in sua doctrina sic evanescunt, ut bene de illis scripserit Eminentissimus Cardinalis Bona, Epistola anno 1674. sexta Maii, ad unum e nostris Patribus Discalceatis data: „ Qui (scil. Jesuitæ), nihil „ verum, nihil orthodoxum existimant, nisi quod „ ipsi scribunt & docent. Sese quoque clamare illos posse; veruntamen nihil solide opponere iis, quæ in Armamentario, Prodromo, Heroica Carmeli Regula, Pomo discordiæ nostri scripsere contra Papebrochium: & cum non possint, specioso, per meritum & majorem Dei gloriam, per honorem apud homines, se excusant. Quis autem crederet, odium & invidiam tam altos egisse radices in animo majorem Dei gloriam profitentis Papebrochii, ut spretis tot illustribus suæ Societatis scriptoribus, spreto sui Generalis mandato, spreta sui Magistri Bollandi instructione, incuriæ notam inurat Pontificibus, fabulositatem affingat Eminentissimis Cardinalibus, Sanctos vocet falsidicos, dubitetque num fuerint in rerum natura; Auctores bonos falsificet, & vocet impostores; male vero olentibus & suspectis, contra solos Carmelitas, adhæreat. Profecto pissimus religiosæ disciplinæ & moderationis Magister Thomas de Kempis alterius consilii ipsi auctor fuisset. Ego tibi, mi Domine, vel quisquis Epistolam dictavit, auctor sum, ut pro una parte non feras sententiam inaudita altera. Si dubitare de nostra ab Elia Origine tibi placet; dubita. Nos quoque cum viris doctissimis dubitamus, an S. Franciscus Xaverius fuerit Societatis, an S. Ignatius a bajulante Crucem Christo audierit: Romæ vobis propitius ero, &c. De meo obsequendi Tibi studio & sincerissimo affectu velim ne dubites.

217 Hactenus Epistola, eodem quo prior loco ac nomine data, sed die incerto, cujus nobis levis jactura est. Maluisset Societas indicari viros illos doctissimos, quibuscum placet Carmelitis dubitare, an S. Franciscus fuerit Societatis &c. Memini me aliquid simile ex Generali Discalceatorum Romæ audivisse an. 1661. cum indignaretur, quod P. Henschenius negaret, S. Petrum Thomasium cruento martyrio fuisse defunctum: de quo tamen in Menologio Carmelitico Saracenus asserit, quod Alexandriam appulsus, dum religionis catholicæ propagandæ, & contra Saracenos defendendæ studio flagraret acerrime, infidelium turbæ turmatim in eum irruentes, universam rabiem in ipsum converterunt; & post ludibria multa...., ad palum alligatus, telis infidelium vulneribus mille affectus .... obdormivit in Domino. Quamvis enim P. Henschenius reponeret, ex Vita composita per Philippum de Mazeriis Cypri Cancellarium & ubiqua præsentem (qualem summa cum Ordinis totius reliqui gratulatione in lucem dederat) certissimo constare, mortis causam Sancto fuisse febrem, contractam Famagustæ in Cypro, quia officia Nativitatis Dominicæ & tres Missas celebraverat, tenuissime vestitus & pedes nudus, in magno frigore, jejuniis insuper, vigiliis & dolore totus maceratus: cui profecto si, vel unicus pilus capitis læsus unquam fuisset, non omisisset notare fidelissimus iste ad extremum comes. Sed doctissimus ille Generalis, Philippus a SS. Trinitate, qui edita anno 1656. Historia Carmelitani Ordinis, omne circa ipsum scibile exhausisse sibi videbatur, non erat docibilis amplius; neque plus didicisset, si etiam vidisset alteram Vitam a Joanne Carmessonio Terræ sanctæ Ministro, virtutumque ac miraculorum defuncti exceptore Apostolico scriptam, quam a nobis commodatam Carmelitæ Calceati hic Antuerpiæ imprimi fecerunt, anno 1666. Patrique Henschenio & mihi dedicarunt, pignus obligationis ergo nos perpetuæ.

218 Cum dubitat Prior Francofurtensis, utrum Cancellista Serenissimi ex seipso scripserit, an alius ei dictaverit, procedit ex supposito unde ortus erat, suspicans, Patres nostros San-Goarenses supplesse vices illius Vicecancellarii, per quem scripseram curatam versionem Epistolæ Cangianæ: quorum, inquit, quidam etiam secundum quid Eliæ sunt successores, nimirum qui igne sunt accensi, non Ignatiano, sed odii livoris, & invidiæ. Quo igne ferveat ista scribens, facile intelligitur; cetera loquitur epistola ipsa; in

qua com citari video quamdam Epiſtolam Cardinalis Bona, quaſi iſthic voluerit Jeſuitas taxatos, cogor credere ipſum P. Priorem, vel ignorantem eſſe rerum inter Eminentiſſimum iſtum & Patrem Carolum ab Aſſumptione actarum, vel affectum ipſi pro memoria eſſe. Neſcivit certe, vel non curavit meminiſſe, alterius ſecundæ ad eumdem P. Carolum Epiſtolæ, quam ad excuſationem prioris contra officium boni viri vulgatæ, vulgari ſimiliter voluit Cardinalis hac forma.

219 *A. R. P. Nuper incidit in manus meas Epiſtola, typis edita, quam ad te ſcripſeram die 19. Maji labentis anni: & quod tibi ſoli confidentiſſime dictum putabam, ubique divulgatum eſſe video, & miror, & doleo vehementius, quam verbis explicare queam. Multi enim, ut audio, crediderunt, me ipſos acerbius perſtrinxiſſe; cum ad duos tantum vel tres reſpexerim, qui librum suum accuſarunt. Jam tollendum erit ab humano genere commercium litterarum, ſi fides publica violatur; &, ſi aliquando plures litteras dictanti quidpiam excidit inadvertenter, cum ſumma ſcribentis injuria publicatur. Hanc vicem a viro nobili & religioſo, pro præſtito beneficio, non expectabam, quod quamvis exiguum fuerit, ſaltem obligabat te ad ſervandam fidem. Ego doctrinam tuam nec approbavi, nec approbo, nec eam a S. Congregatione approbatam fuiſſe teſtificatus ſum, ſicut ex litteris meis falſo deducis. Dixi, me aliquid operæ contuliſſe, ut liber tuus immunis evaderet a cenſura: ſed hoc non eſt approbare doctrinam tuam: nam reus ſæpe evadit pœnam, ſed non ideo innocens declaratur. Sunt & alia opuſcula tua examinanda: & hæc fortaſſis obnoxia cenſuræ invenientur, Sed quidquid de iis futurum ſit, ego tibi Chriſtiana caritate igneſco. Tu vero obligationi tuæ rem conſentaneam facies, ſi omnia prædictæ Epiſtolæ exemplaria colligi facias & comburi. Deum precor, ut tibi ſit propitius, & meliora deinceps conſilia ſuggerat. Romæ, die 25. Auguſti 1674.*

Tuus JOAN. CARD. BONA.

220 Ad hanc Epiſtolam remiſiſſet Francofurtenſem Priorem Sereniſſ. Landgravius, niſi infra ſuam dignitatem exiſtimaſſet, cum illo reciprocare ſerram contentionis; & quod in me laudabat ſilentium, tenere porro maluiſſet; parum ſolicitus, quomodo tractandus eſſet in *Spongia*, quam ille minabatur. Sed hæc numquam comparuit, quod ego quidem ſciam, niſi forte *Spongia* verſa ſit in *Jeſuiticum Nihil*, de quo pluribus infra. Idem ſi ulteriori reſponſo dignatus hominem importunum fuiſſet, ſuaſiſſet exemplum & modeſtiam imitari Auguſtinianorum, tam Eremitarum, quam Canonicorum. Deſpicientes hi præterita ignorantiæ tempora, quibus diſputabant ex utris Auguſtinus habuerit religioſam familiam, inſtitutam in Africa; aut utris idem Regulam ſuam ſcripſerit; nunc minime indignantur recentioribus ſuis alieniſque ſcriptoribus, qui Regulam fatentur, paucis unius cœnobii Virginibus ſcriptam, ſæculo primum nono viris aptatam, & in uſum adductam ſæculo undecimo.

221 Quamvis autem Canonici glorientur Apoſtolica vivendi ex Evangelio forma, a ſuis majoribus tempore Paſchalis II. Lucæ inſtaurata in eccleſia S. Frigidiani, ubi illi ſub regula S. Auguſtini Ordinem ſpecialem & a ceteris diſtinctum exorſi ſunt; quamvis etiam Eremitæ exiſtiment, haud inveroſimiliter ſuſtineri, quod, una cum Epiſcopis Clericiſque Wandalica perſecutione pulſis, Eremitæ aliqui ex Africa trajecerint in Italiam, atque ab eorum exemplo proceſſerint ii, qui paulatim in formam aliquam Religioſæ communitatis coeuntes, ſub eadem S. Auguſtini Regula, ſæculo XI. conſtituerant tres illas Congregationes, S. Joannis Boni, de Fabalis, & de Brictinis, quas Pontifex Alexander IV. an. 1256. una cum duplici Guilielmitarum Benedictinam profeſſorum familia, in unam conflavit Religionem; neutri tamen indignantur noſtris Sanctorum Actis, quia non omnes antiquos Epiſcopos, quos conſtat cum ſuis quibuſdam Clericis in communi vixiſſe; neque omnes, quos ab Auguſtini tempore conſtat ſolitariam vitam duxiſſe, ſuo reſpective Ordini hactenus adſcripſerimus in Actis noſtris; contempſeruntque inſanas novi Iſmaelis vociferationes, utroſque nobiſcum committere conantis: Eremitas tamen ſpecialiter, propter quaſdam olim ſuas quaſi traditiones, minus nobis probatas.

222 Prudentiores ſcilicet ſunt, quam ut injuriam fieri ſibi putent, quod eruditi nunc paſſim Auguſtino abjudicent *Sermones ad Fratres de Eremo*, multoque junioris auctoris eſſe cenſeant, tantoque & tam eloquenti atque arguto Doctore indignos. Numquam etiam indignati Henſchenio ſunt, quod ad diem 10. Februarii illuſtrans Acta S. Guilielmi, Eremitæ in Stabulo Rhodis prope Caſtilionem Etruriæ, oſtenderit, eum nec Religioſum quidem fuiſſe, licet Patronus ſit Ordinis religioſi, ipſo mortuo ad ejus ſepulcrum exorti, idque ſub regula S. Benedicti. Non etiam eumdem Henſchenium culpant, quod in jam dicto Commentario oſtenderit, ipſum S. Guilielmum non fuiſſe Ducem Aquitaniæ, quem S. Bernardus abduxit a ſchiſmate; ſed ut ſummum *ex Comitili Ducum Aquitaniæ proſapia, ut fertur*, inquit ei proximus ætate Petrarcha. Malunt illi pro Auguſtiniana, quam putant, doctrina ſatagere etiam contra Jeſuitas; ſed ita, ut invidiæ atque odii infames paſſiones ſibi contradicentibus non affingant, neque hoſtem reputent quemcumque aliter ſentientem, quam ipſi, de Gratia & Prædeſtinatione ac Parvulis citra baptiſmum mortuis.

223 Nuperus quidem eorum Annaliſta Torellus, quem anno 1660. Bononiæ in Italia vidimus, Sæcula Auguſtiniana exorſum, ſucceſſionem aliquam a S. Auguſtino uſque ad S. Joannem Bonum, qui obiit an. 1249. ſuadere nititur; eique etiam S. Guilielmum involvere, mortuum an. 1157. mecum tamen ſemper amicitiam per litteras coluit, idem quod ego de Carmelitis ſentiens; ſicut etiam ſenſit is, quem ſupra memoravi, Hiſtoriographus Ordinis Albertus le Roy, paternarum de S. Guilielmo traditionum etiam ipſe quadamtenus tenax. Neuter vero quidquam ſimultatis unquam fovit contra Henſchenium, quem etiam Albertus ut Magiſtrum venerabatur; quando per ipſum licebat eumdem S. Guilielmum colere, eo quod nominata ab ipſo Sancto monaſteria aliquamdiu fuerint, ſub uno cum Auguſtinianis Eremitis Generali.

224 Denique inſignia illa Ordinis Auguſtiani decora, Chriſtianus Lupus piæ mem. & nunc Cardinalis de Noris, hic mecum, ille cum Henſchenio coluerunt ſemper amicabile commercium,

cium, salva cuique sua quod verosimilius crederet sentiendi atque scribendi libertate: & hic quidem adbuc in Academia Pisana Professor, inde mibi scribens anno 1676. Febr. *Sicut*, inquit, *semper risi Elssium, Torellum, & alios Chronico-graphos nostros*, (totum Lerinensem Monachatum, uti aliàs explicuerat, Augustinianæ Eremo subnectentes, dum ipse nec Sancto Hilario quidem puritatem Augustinianæ doctrinæ concedit) *ita ridiculam censeo Elianam antiquitatem, quam Carmelitæ sibi arrogant, induentes suo babitu Christum Dominum, Baptistam, Apostolos &c. Fundant se illi in Bullis Pontificum, in quibus dicunt Eliam appellari Fundatorem suum: sed hæ facti quæstiones sunt, in quibus solus Deus non errans Pontificibus infallibilitatem haudquaquam concessit*. Quid vero Exim. Magister Lupus? Docuit ille discipulos, propter verba Breviarii circa lapsum Marcellini & Acta concilii Sinuessani, non discedere a S. Augustino, Donatistarum calumniosis figmentis utraque annumerante, & *Sermones ad Fratres in Eremo* non pluris facere, quam *librum de Institutione Monachorum*; quemadmodum Patres Carmelitæ aliquando experti sunt in publica Lovanii disputatione; qui & cum totius auditorii risu doluerunt contemni iram suam comminantium, quod vices suas essent Augustinianis reddituri, si aliàs præsumerent attingere suam antiquitatem.

225 Quod attinet ad locum Thomæ a Kempis, quem D. Cancellista Rheinfeltzensis oggerit, & ipsi regerit Prior Francofurtensis; inveniendus is videtur lib. 3. cap. 58. ubi legitur: *Noli requirere nec disputare de meritis Sanctorum, quis alio sit Sanctior, aut quis major fuerit in regno cælorum. Talia generant sæpe lites & contentiones inutiles; nutriunt quoque superbiam & vanam gloriam, unde oriuntur invidiæ & dissensiones, dum iste illum Sanctum & alius alium conatur superbe præferre .... Melius est Sanctos devotis precibus & lacrymis exorare, & eorum suffragia humili mente implorare, quam eorum secreta vana inquisitione perscrutari*. Sed locus hic mores & vitam ac conversationem hominis spiritualis informat, non historicum dirigit, tempora & ætates, non merita, dijudicantem.

226 Interim ne Thomæ a Kempis facta hic gratis mentio fuerit, velim Lectorem meminisse controversiæ, antehac ferventer agitatæ Parisiis coram Archiepiscopo, & nescio an vel nunc satis compositæ, inter Benedictinos Congregationis S. Mauri & Canonicos Regulares ad S. Genovefæ, super auctore librorum *de imitatione Christi*, fueritne is prælaudatus Thomas a Kempis, cujus autographus codex Antuerpiæ apud nos est, *finitus & completus anno Domini* MCCCCXLI. *per manus Fr. Thomæ Kemp. in monte S. Agnet. prope Zwoll*, uti ad calcem rubricatum legitur; an vero Joannis Gersen, de Cannabaco, Abbatis Benedictini Vercellis in Pedemontio, cujus autographum esse putatur in Abbatia, Benedictina olim, nunc ex voluntate & liberalitate S. Caroli Borromæi attributa Collegio nostro Aronensi, atque alibi alia ectypa, ipso Thoma Kempensi antiquiora æstimata.

227 Disceptatione inita primum causam obtinuerant Regulares, ex nostro ad judicium allato codice; rursumque post multos annos resuscitata lite, ex eodemmet codice nostro eruta sunt argumenta, quibus probari videbatur, Thomæ

Opuscul. Collect.

esse scripturam, sed non librum. Sicut autem a primis steterant Sommalius, Rosweydus, Bollandus, Belgæ; sic pro posterioribus faciebant testimonia nostrorum similiter Patrum, Bernardini Rossignolii, Majoli, Bellarmini, Possevini, Italorum; ad quos ego quoque propius accedere visus sum, in Conatu ad Chronologiam Pontificiam, parte 2. pag. 82. nulla cujusquam invidia aut querela. Citra hanc etiam agitata semper causa fuit, sicut inter eruditos & religiosos decet tractari puri facti quæstiones: qualem sine dubio etiam Carmeliticam esse ipsemet Ordo fateri cogitur, quidquid plerique pertinaciter magis, quam efficaciter garriant de reverentia & deferentia Bullis Pontificum, Declarationibus Cardinalium ac Breviariis debita, quam a nobis magis, quam ab ipsis teneri haud temere existimo: ab illis vero, qui eorum auctoritatem altius quam par est, etiam in linea credibilitatis humanæ, evehere satagunt, exponuntur ludibriis hæreticorum & dubiis imperitorum, inter credibilitatia majoris minorisque gradus non discernentium.

228 Hæc habui, pro Sereniss. Lantgravio ejusque Cancellista, reponenda Priori Francofurtensi; possuntque addi Jesuitico Nihilo, loco *Reflexionum*, præmissis Epistolis interludentium. Ego Leodium ex Franconia transeo, ubi invenio Carmelitas Calceatos, omnes concordes in persequendo Papebrochio, & *Jesuitica* (ut vocare malunt) Epistola NN. exagitanda. Non eadem ipsis concordia erat anno 1659. quando ex una quidem parte, quæ causa ceciderat, prodiit mordacissimus, & (si victoribus credere licet) mendacissimus atque calumniosissimus Libellus Gallicus, cui titulus, LA GUERRE DES CANNES, *Pugna Cannarum* (sic enim Leodii vocantur veteres Carmelitæ, sicut Parisiis nominantur *Billetæ*) ex altera MONOMACHIA OBEDIENTIÆ ET REBELLIONIS, *facti & juris, complectens imaginem Carmeli Leodiensis, seu acta in ipso, circa lites præteritas & decisiones Leodienses, per Rev. Adm. P. Michaelem a S. Spiritu Carmel. reformatæ Provinciæ Turonia*, & (sicut ex pag. 19. & 189. apparet) in ipsa lite *Apostolica auctoritate Commissarium*. Monomachiæ hoc est principium. *Quid gloriatis in malitia* REBELLIO, *quæ potens es in iniquitate? Calamos & linguas acuis ut serpens, stringens aspidum sub tuis labiis venenum. Stulta, tuam scripto, etiam prælo, monstras nigredinem; & Responsum, tuam juxta insaniam, ab invita tandem extorques atque mereris. Sacra nunc canit tuba* OBEDIENTIÆ, *sui inconcussa fortitudo veritatis semper militat atque famulatur; dum tu, dæmoniaco mendacii fulta præsidio, in medium prodis. Circuis, vagabunda per vicos & plateas civitatis & patriæ, quærens quos devores atque decipias, prava* REBELLIO ...... *Vel contumax iniquam excute pellem ...... vel succumbe sub fortissimo ense veritatis*.

229 Habuit etiam Societas nostra (nec diffiteor) ex simili mutandi regiminis pruritu, suos Leodii molestos aliquos; sed intra domestica judicia res stetis, neque ad sæcularia tribunalia protractæ sunt lites, aut mutuis Libellis decertatum fuit; multo minus ventum est ad pugnas, ad direptiones sacrarii, vel ærarii, aliasque violentias. Si hic est zelus, quo zelatum se ait Libelli auctor; ego nec Eliam quidem, cum ignem de cælo evocavit, tali zelo actum fuisse credo. Certe non iste est spiritus, quo Apostolos suos agi voluit is, qui ignem contra Samaritanam plebem evocare paratos compescuit, dicens: *Nescitis*,

cujus spiritus fitis. Noo est hic ignis Ignatianus, quo inceosa Societas etiam rebelles, etiam apostatas non exasperat maladictis, non reponit eorum Libellis famosis Libellos in decuplum aculeatos magis: & licet Clementem Scotum, quem ut bis Apostatam exagitavit Theophilus Raynaudus, quæcumque hic scripsit audire meruit; dubitant tamen qui legunt, an meruerit audire a Jesuita. Interim oportuit ista producere, ut appareret, quo spiritu acti iidem Leodienses Carmelitæ, aut eorum posteri, post annos circiter viginti, efferbuerint contra Epistolam Caogianam; non contenti simplici aliqua refutatione, sed maledicentiæ addentes imposturam putidissimam, hac ratione, & eo successu, quem indicat nostri P. Francisci Dysarin Epistola, ad me Leodio data 31. Maji 1683.

Reverende in Christo Pater,

230 *Etiam hic habet Rev. vestra voluntarios hostes, sed non desunt amici. Mitto Libellum evulgatum a Carmelitis Calceatis, eo die (29. hujus), quo intellexerunt esse deprehensam fabulam, & explicationem narro. Dedera aliqui nostrûm amicis Epistolam ad Dominum Wian. Indignati sunt, plusquam par erat, Eremitæ, & me Auctorem somniarunt. Primo fere atque passim jactabant, responsum acerbum ex Gallia mittendum: sciebam autem hoc tempore Parisiis nihil istiusmodi ausuros imprimere. Quare cum mea, Auctoris, ut fingebant, interesset scire, quid haberemus responsi: per certos homines quæsivi, quid, quomodo, quando. Hæc ab aliquot septimanis habui indicia, futurum, ut hic haberemus Auctores & Typographos. Ajebat apud fidos Prior, futurum ut responsum sibi imponatur a Jesuitis. Itabat Typographus, qui sæpe imprimit clanculum, ad Carmelitas. Dixerat hujus servus, herum de nocte imprimere aliquid contra Jesuitas: denique quemdam Leonardum de Franc habere compingendos libros a Carmelitis; sed secreta hæc esse.*

231 *Interim intellexi, per urbem noctu dispersas schedulas contra D. Consulem le Rond; suspicari hunc, esse ex typographia cujusdam Grisen: jurabat tamen ipse Grison se nihil horum scire; imo, cum misissem amicum, qui ei diceret, me audivisse eum etiam impressisse pro Patribus Carmelitis contra Jesuitas, & iisdem devotionibus negaret, non dubitavi me posse rem totam scire ex Consule. Adivi igitur Dominum le Rond, atque dedi mea indicia pro libello nostro; explicuique, qua ratione posset ex typis scire, indemne esset Typographus schedularum. Annuit consilio; & sequenti die, 29. scilicet, summo mane, pro sua auctoritate ingressus est tabernam librarii, invenitque nostros libellos. Fassus est librarius Carmelitas esse auctores, Grison esse typographum. Idem si peregisset alter Consul ex hujus consilio, habuissemus omnes libros; petierat enim ab illo Dominus le Rond, ut cum ipse pergeret domum librarii, iret ille domum Grison typographi, atque istbic maneret, donec ipse le Rond adesset, una inspecturi domum, cubicula, granarium.*

232 *Sed vir bonus delusus est a Typographo; credidit enim juranti, & ad Consulem le Rond rediviit, & fecit Typographo tempus suas omnes artes & nequitias abscondendi. Cum enim istbuc venit le Rond, nihil reperit; non negavit tamen Grison impressisse se librum istum Carmelitanorum. Auctor est T. F. Hyacinthus Pierart, Rupefortensis: ideo cautissime ad fictitium Approbatoris nomen addi H. P. R. Juvit adolescentem senex Prior Gallus; et qui, cum libellum componerent, certia venit, ut haberet pro sua solemnitate nostrum Concionatorem ad S. Lamberti, atque amicissimis verbis impeditum hominem compellavit & obtinuit.*

233 Similia Romam idem P. Dysarin scripsit; 1
& mendacis libelli exemplaria pauca, quæ habere potuit, monito meo illuc misit 16. Julii, simulque prænotatam comœdiam sic prosecutus est. *Ut senserunt boni Patres (quæ acta erant) adiverunt Consulem quasi alia de causa; sed cum istam fictam proposuissent brevius, obtulerunt suum libellum, jam editum, ut ajebant, idque ut se defenderent contra calumnias Jesuitarum. Acerba illas excepit Consul: referrent parvo suum librum, habere se plures in taberna libraria; puderet viros religiosos ista scribere contra Societatem, nihil minus meritam. Legerent porro primam & postremam Libelli pagellas, istbic sibi enumerarent mendacia.* A PARIS CHEZ LA ROCHE, A L'ENSEIGNE DE LA VERITE', Parisiis apud la Roche ad insigne Veritatis, *quæ scilicet* VERITAS *si adhibita fuisset in consilium scribi jussisset*, A LIEGE CHEZ GRISON, PRES LE VIEUX MARCHE', *id est*, Leodii apud Gri.on juxta vetus Forum. *In fine autem sub Approbatione fi 'itta scriptum* à Paris le 1. de May 1683. LA FRANCHISE, *id est* Libertas (*Tessera scilicet turbarum Leodiensium*) *H. P. R. Conclusit autem Consul: Abite vos, sed faxo Typographum pœniteat commodasse vobis suam operam. Abiere illi subirati, erubuissent modestiores, vel etiam magis ingenui.*

234 *Venit paucos post dies ad me Typographus, ut se excusaret: sed Consul, quem etiam alias sæpe offenderat, jure civitatis eum privavit. Dixere quidam Carmelitæ, nos primum mulctari debuisse, qui Epistolam finximus; at jam habeo instrumenta authentica, quibus probem veritatem. Interim vendidere quos servarant a Consule libros, parantque (ut audio) aliam editionem auctiorem, sed spero fore, ut illis male succedat; jam enim intellexi Typographum aliquem clam ac de nocte laborare, illuc ire Carmelitas; sunt vicini qui invigilant. Si præterea habuero aliquot alia indicia, auctoritate Consulum impediemus evulgationem.*

235 Ista Leodii sic acta cum Amicorum alicui Augustam Vindelicorum scripsissem, existimans causa libri Carmelitici Typographum jure civitatis privatum; talis mei scripti copiam nacti Eliani, & undecumque quærentes ansam contorquendæ in me calumniæ, invenerunt, sic quidem mulctatum Typographum fuisse, sed non ea de causa, quæ quidem in sententia expressa sit. Ergo, alios jam Consules nacti, expresserunt testimonium, quo afferebatur, falsum esse, quod Typographus Grison, propter librum contra Jesuitas impressum, jussus esset exulare. Tali autem testimonio instructum & armatum P. Valentinum, iterum vidisses tota volitare Antuerpia, Papebrochium plenis buccis, & more suo spumantibus, Impostorem mendacissimum proclamare, imo & demonstrare. Nihil equidem dubitabam, quin aliquid novæ fraudis lateret: nec falso. Quare Leodium scripsi, & accepi responsum, signatum t a. Julii, his verbis,

236 *Legi maximam partem Epistolarum mearum ipsi Grisen, & affirmavit ita esse gesta cuncta, ut nuntiavi: se exulasse; sed aliam fuisse*

se

se causam. Cum autem ipsi legissem testimonium novorum Consulum, risit, & miratus est, id eos voluisse testari in gratiam Carmelitarum: imo obtulit se, ut mecum adiret D. Ryckman, adhuc superstitem; fore ut coram illo rem declaratam iterum affirmaret. „Sed omnibus attentis, adverto Consules lusisse in verbis. Verum enim est, illam causam, impressionem scilicet libri Carmelitani, non esse allegatam inter rationes privationis civitatis & exilii; neque id ego omnino asserueram; sed offensum Dominum le Rond mihi affirmasse, Grison daturum pœnas propter impressionem libri. Hoc miror, vestros Carmelitas audere iterum tentare novo aliquas fabellas suas publicare, nihil autem scribere de nostris. Verbo dicam: Padet plurium mores audire. Ejectus est urbe, & jussus exire à patria Leodiensi, P. Josephus Lyon, eorum Prior. Is est, qui procuravit testimonium Consulum. Si ad rem vestram faceret, scriberem quam infamis sit vir iste. Unnam unus esset, imo non essent plures!

237 His acceptis, instabam pro notitia rerum distinctiori, & impetravi scriptum 8. Septembris hujus tenoris; *Verum est, quod scripsi de impressione Libelli, & quemadmodum scripsi, fecere Consules le Rond & Ryckman. Nunc dicam quid porro hac in re factum sit, quidque fecerim ego. Adiverant Carmelitæ Dominum Gaen Consulem, atque petierant, vellet attestari, Grison non exulare, propterea quod impressisset suum Libellum, nec omnia exemplaria esse a librario ablata. Respondit Consul, id ad se non pertinere, gesta omnia sub aliis Consulibus: scire, male egisse Grison, atque incurrisse indignationem Consulum justa de causa. Ita sequenti mane uxor Consulis ad me scripsit. Eodem die, cum essem occupatus in audiendis Confessionibus, non exivi domo, sed scripsi ad Dominos Consules le Rond & Ryckman, venturos Carmelitas Calceatos, petituros testimonium; porro vel negarent, esse novam fraudem in æquivocatione, vel affirmarent, quod res erat. Ast illi aliter fecerunt, & cum suo præconcepto testimonio adivere D. Consulem de Remonchamp, qui subscripsit. Adivere item Dominum Gaen Consulem alterum, qui negavit se scribam qui testari debeat; Dominos le Rond & Ryckman esse viros fide dignos; mirari se id factum a Domino Remonchamp. Interim modum reperi impetrandi ab ipsomet Grison historiæ totius relationem.*

238 Tali spe lactatus, non destiti, dictum P. Dyserin urgere, ut hujusmodi testimonium mihi mitteret; sed variis impedimentis intercurrentibus, vix denique post annos decem obtinui, quod desiderabam, scriptum Gallice, in hac plenissima forma, quod tamen satis habeo Latinum hic dare, paratus fidem facere exhibito instrumento originali cuicumque postulanti, quod & de aliis, infra adducendis ex parte D. Herouvallii, præstare possum quoties opus fuerit. Ipsum ergo Typographum audi, quo certior testis optari nequit.

239 *Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, mensis Julii die decimo, coram me Notario subsignato, & præsentibus Testibus infrascriptis, personaliter constitutus Gerardus Grison, Typographus hujus Leodiensis civitatis, in favorem justitiæ libenter declarare voluit, sicut & declarat per hasce. Quod anno 1683. circa mensem Majum, absque præjudicio temporis præcisius definiendi, inque sub administratione D. Consulis le Rond & D. Consulis Ry[illegible], quorum hic adhuc superest, R. P. Hyacinthus Pierart, tunc Supprior PP. Carmelitarum in [illegible] Leodii, requisivit declarantem, ut [illegible] imprimere librum, cui titulus* „Responsio ad Epistolam, quæ visa est Leodii [illegible], sub „titulo N. Consiliarii Regii, contra Originem & Successionem PP. Carmelitarum. *Cumque D. Declarans aliquo modo difficilem se ostenderet ad suscipiendam impressionem, quia notaverat in eo injurias aliquas contra Societatem RR. PP. Jesuitarum, & cum aliunde multum urgeretur in alio opere; Rev. P. Supprior spopondit ipsi indemnem illum servare, quoad corpus & bona, ista super re contra Societatem RR. PP. Jesuitarum, si quando ei propterea essent molesti; promittens insuper lautam mercedem operis præstandi, quam etiam solvit, postquam ipse Rev. P. Pierart fecisset comburi partem operis jam imprimi cœpti, ut repoliretur, pulchriorique typo reimprimeretur.*

240 *Declarat ulterius, quod dd. DD. Consules le Rond & Ryckman accesserint etiam domum suam, tertio post absolutam impressionem die, salvo justo; subdolèque (scilicet per bona verba, data uxori Declarantis) insinuantes se in culinam, typographiam, & granarium; inventoque Declarante, qui in præd. suo granario opus faciebat circa Quitancias & Passeportus Hispaniæ; præd. D. Consul Ryckman, magnis cum minis imperavit, ut in manus suas consignaret libros, pro RR. PP. Carmelitis impressos, contra RR. PP. Jesuitas. Cumque d. D. Consul duoque Secretarii ejus scrutati essent totum præd. granarium, & nec unum quidem exemplar invenissent, interimque supervenisset D. Consul le Rond, Declarantem interrogavit; numquid d. librum impressisset. Qui Declarans, post multa convitia minasque auditas, confessus est quod ipsum impresserit, partemque exemplarium reddiderit d. R. Patri Pierart, aliam vero partem Leonardo de France religandam, de mandato d. Patris Pierart. Ita D. Consul le Rond egressus domo est, multa minitans, transiitque ad domum prædicti de France, sitam in claustris S. Petri, ut inde vi auferret exemplaria quædam. Interrogatus autem d. Declarans de causa scientiæ, dixit: Quia ipsemet eodem tempore illuc ivit, impediturus bibliopegum le France, ne pateretur ex domo sua auferri exemplaria: sed inveniens ibi D. Consulem le Rond, pessime exceptus fuit.*

241 *Offerebat autem ipse Declarans iterare præsentem declarationem sub juramento, coram quocumque judice, ubicumque & quotiescumque requireretur. Quapropter &c. Actum & stipulatum Leodii, in domo Vener. D. Joannis Crins, Canonici Imperialis in Cathedrali Leodiensi, sita in vico Petraso parochiæ S. Andreæ, coram ibidem præsente d. Canonico Crins & honorabili Nicolao Crins, tanquam Testibus assumptis. Signabant in minuta hujus actus originali* G. GRISON: JOANNES CRINS *testis*, NICOLAUS CRINS *testis*. *Et ego* JOANNES NICOLAUS HOMLET, *Notarius Curiæ Episcopalis Leodiensis, ad præmissa requisitus. In fidem &c.*

242 Dum ista sic aguntur & curantur Leodii, ipsomet adhuc anno 1683. pergebant asserere Carmelitæ, Epistolam, quam conati fuerunt medio tam parum honesto refutare, supposititium esse

esse fœtum *Anonymi*, *in Jesuitica tega Consiliarii*, ut loquitur Auctor Nihili Jesuitici pag. 38. Prævidentes tamen fieri non posse, quin aliquando convincerentur mendacii, si mihi libuisset Parisiis testimonia veritatis petere, vel jam habita in lucem proferre; præoccupandum D. Herouvallium putaverunt; & ex suis præcipuum aliquem miserunt illuc, non tam exploraturum, quo & qualis ibi esset Herouvallius, quod Leodii satis discere potuerant; quam tentaturum hujus fidem, si forte allicere eum posset, ad probandam fictionem suam, ad quam scilicet necessitas defendendi Ordinis compulisset. Sperabat ille saltem elicere aliquid ex ejus ore, quo vel improbare videretur editionem Epistolæ, vel de auctore quidpiam indicaret mihi opponendum. Sed emissarius ille, ab homine doctissimo simul & sincerissimo, ita ut merebatur, exceptus atque rejectus est, cum spurio illo suo fœtu, quem nec videre quidem Herouvallius voluit. Expectabam ego ut publica aliqua demonstratione palam id faceret, quam ferret ægre tam injuriosum sui nominis abusum. Hoc vero cum ultro fieri non viderem, ac ne exemplum quidem adulterinæ responsionis Parisiis haberi intelligerem; mittendum unum eo putavi, rogavique D. Herouvallium, ut testimonium redderet veritati. Is excusans moram, fecit mox quod petebam, & Gallice scripsit, (ut plerumque solebat ad me) hoc quod Latine reddo epistolion.

242 *Reverende Pater. Ut desiderio vestro faciam satis, protestationem publicam coram Notario feci, quam transmitto; utere ea ut placuerit. Equidem vix cogitassem de scripto tali abdicando, nisi Tu monuisses ex re esse ut facerem; quia numquam credidissem fieri posse, ut auctorem me existimares aliquis ejuscemodi opusculi. Quidquid tamen ejus sit, non nisi per te stabit, quo minus injuria, quæ tibi sub meo nomine potest facta fuisse, perfecte reparetur; palamque innotescat, me huic litigio admixtum non fuisse. Interim non possum me continere, quin iterum iterumque moneam, id quod etiam alias feci, quod controversiam illam longe infra te esse putem, & quod nequeas partem vel minimam horarum tuarum illi impendere, quin magnum præjudicium reipublicæ facias. Optime quam habeo de tua persona, & fructus quem percipimus ex labore tuo, cogit me æstimare, concertationem istam, tanto diuturniorem æqua esse, quanto minus necessariam judico: nec meliorem video rationem in illa vincendi, quam nihil agere. Ut ut est; habebo consolationem hanc, quod posthac non potero a parte altera numerari inter adversarios tuos. Assevero tibi, quod nullo jure nomen meum usurpaverint, cum neminem esse credam, non solum minus capacem qui partem tibi contrariam teneam, sed nec qui magis perfecte sit tuus, quam ego, Reverende Pater, humillimus vester & obedientissimus servus, Herouval. Parisiis 28. Novembris 1683.*

Attestatio autem fuit talis ex Gallico Latina.

243 *Hodie comparuit coram nobis, subsignatis Consiliariis & Notariis Regiis Parisiis, D. Antonius Wion, Eques, Toparcha de Herouval, Consiliarius Regis & Auditor Cameræ rationum, Parisiis commorans ad insulam Dominæ nostræ, supra ripam Alenzoniam, parochiæ S. Ludovici; qui declaravit, recepisse se abhinc diebus aliquot Epistolam impressam, cui titulus* „ Responsio „ D. Antonii Wion Herouval ad Epistolam „ D. N. Consiliarii Regii, *hoc Principio*„ Titulus inter viros Doctos nominatissimi, quem „ in tua mihi tribuis epistola, rubore me tin„geret, si adulari ipse mihi præsumerem: & „ *finitur hoc modo:* Hæc rumina bene verba, „ hisce monitis profice: sapientior sis & magis „ Christianus, quando impetere voles Ordi„nem, adeo Mariæ dilectum, si illius nolis „ experiri iram, meique sentire indignationem „ calumi. Caritatis tibi a me est consilium: „ qui maneo, Domine mi, Tuus humillimus „ servus Coloniæ 20. Aprilis 1683. *De qua Epistola, prædictus Dominus Comparens, omnibus quorum interierit, certam fidem facit, instrumentum esse totaliter suppositicium, sub nomine impressum suo; prorsus illud abdicans, tamquam neque factum, neque scriptum a se, directe vel indirecte. Quare d. Dominus Comparens rogavit dd. Notarios, super hac sua declaratione facere hunc Actum publicum: quod eidem fecerunt, ut ipsa uti possit in loco ac tempore. Actum in ædibus d. Domini Comparentis, 13. Novembris 168.. post meridiem: & protocollum horum mansit apud* Coullon, *unum prædictorum Consiliariorum Notariorum subscriptorum.*

MONERAT COULLON.

244 Cur eo instrumento neque tunc neque postea unquam usus fuerim, si vel tacente me non appareat satis, apparebit magis ex sequentibus. Interim tamen, eo accepto, egi ut debui gratias: pro quibus responsum Latinum accepi. *Si qualecumque tibi officium, mihi sane maximum ipsi præstiti, cum Epistolam illam, meo scriptam nomine, falsam & suppositiciam, ut erat, declaravi. Non est igitur, cur te mihi ita adstrictum existimes, cui nihil optatius esset, quam opportunitas palam & publice significandi, quo te tuaque opera studio prosequor.* Hanc Latinam, mensibus sex præcesserat alia Gallica, occasione judicii, quod de prætacta controversia tulerat Serenissimus Landgravius Hassiæ. Illa sic in sua originali lingua sonat, data Parisiis 1683. 18. Martii.

245 J'ay receu, *avec bien de la joye, la lettre que vous m'avez fait l'honneur de m'escrire; & je vous suis infiniment obligé, de la part que vous me faites de celle du Prince Ernesto, touchant vôtre different avec les PP. Carmes. Je ne doute point, que tout ce qu'il y a des personnes sçavantes, ne vous donnassent de ces témoignages de la conformité de leur sentiment au vôtre sur ce sujet, si ce n'estoit point trop relever ces sortes des écrits, qui ne le meritent pas. Plus ces ecrits, dont on ne parle gueres icy, sont injurieux, moins ils feront d'effet parmy les honnestes gens, si ce n'est contre leus auteurs, qui seront toujiours blâmez d'emploier de tes moyens, qui seroient même defendus, quand il s'agiroit de soutenir un point d'histoire, aussi veritable, que celuy qui defendent est manifestement faux.*

146 *Comme l'ont a fort approuvé jusques à present, vôtre maniere d'escrire, & de dire la verité sans deguisement & sans preoccupation; vous ne recevrez pas moins de louange de negliger ces invectives, qui ne peuvent venir que d'un zele mal reglé, & du peu de connoissance que ces escrivains ont de l'histoire. J'ay toujiours*

bien

bien crû, que vous prendriez de party, si conforme à vôtre profession & de vôtre merite. L'Auteur de la Lettre, qui m'a esté addressée à l'occasion de ce different, & dont j'ay receu depuis peu un exemplaire imprimé, aura bien de la joye d'apprendre, qu'elle ay peu contribuer à vôtre satisfaction. Je vous puis asseurer, qu'il vous honore infiniment, & qu'il fait une estime toute particuliere de vos ouvrages. Ce seroit un grand chagrin, pour ceux qui aiment les belles choses: si vous vouluissiez donner quelque partie du temps, que vous employez si utilement ailleurs, à répondre & à écrire sur un sujet, si peu contesté parmi les sçavans, & d'une si petite importance.

247 Legisti, Parisina elegantia simul & urbanitate scribentem Herouvallium, nunc Fr. Hyacinthi, personam illius assumere eusi, Wallonismum considera, nativa sue ferocia sic protestantem Pagine post titulum vacua. *J'aurois bien voulu me dispenser de répondre à cette lettre, ne jugeant pas qu'elle fut digne de réponce: & il y a meme plus de deux mois, que j'ay tasché à m'en defendre, pour le bien de la paix. Mais enfin le scandal que cette mechante Courreuse porte avec soi dans touts les lieux ou elle est distribuée, par le soing des confreres de Papebrauck, ne me permet plus de dissimuler mon sentiment. Je tacheray pourtant de le faire avec toute la moderation possible; & si la patience semble m'échapper, je veux bien que l'on sçache, qu'elle ne m'échappe point. Apres tout, quelque ridicul que soit le Conseillier N... qui a si mal écrit, & quelqu'indigne qu'il soit de ma réponce, je veux la luy faire; non par ce qu'il le souhaitte (cette complaisance luy donneroit trop de reputation) mais parce que je ne le crois pas de moindre condition, que l'Asne de Balaam, à qui ce Prophete voulut bien répondre. J'espere pourtant que le Conseillier deviendra raisonnable: à moins que de cela, je ne vois rien de plus juste, que de le mener tout droit à l'estable, & de lui dire comme Daniel à Nabuchodonosor*, Votre demeure sera avec le bestes.

248 Sed forte Lectorum aliquis idioma hoc non satis intelligit: reddatur ergo hic Latine ex Jesuitico Nihilo, in cujus limine stat Epistola Consiliarii, & Responsio cum Reflexionibus, auctore atque interprete dignis; *Protestatio* autem sic exprimitur pag. 9. *Lubens a respondendo huic Epistolæ me redemissem, responsione eam indignam judicans: duoque menses & amplius sunt, quod satago ei curæ me eximere, ob bonum pacis. Sed scandalum, quod mala hæc Vagatrix secum in omnibus affert locis, ubi cura Sociorum Papebrochii dispersa fuit, non me patitur meum diutius dissimulare judicium. Conabor tamen id cum omni possibili moderatione præstare; &, si elabi mihi patientia videntur, scire alios velim, non elabi. Denique quantumcumque ridiculus sit Consiliarius N..... qui adeo male scripsit, & quantumcumque mea refutatione indignus; volo tamen hanc dare: non quod illam optet (hæc satisfactio nimium illi afferret æstimationis) sed quia vilioris eum non puto conditionis, quam Balaami Asina fuit, cui hic Propheta dignatus est respondere. Spero etiam Consiliarium rationabilem evasurum. Sin minus, nihil æquius occurrit, quam recta in stabulum ducere: illique, ut Daniel Nabuchodonosori, dicere*: Cum bestiis erit habitatio tua.

249 Quanto, quam Balaam iste, humanius loquitur Herouvallius, cujus supra relatam Epistolam Gallicam placet etiam Latine reddere, ut omnes intelligant. *Recepi, cum plurima lætitia mea, epistolam, qua scripta me honoratum voluisti; & infinitum tibi obligor, pro communicata mecum ea, quam tibi scripsit Serenissimus Princeps Ernestus circa vestram cum PP. Carmelitis controversiam. Quidquid est hominum eruditorum (ut ego quidem omnino existimo) dabit tibi libenter testimonium suæ cum tua sententia conformitatis, super eo argumento, nisi hoc foret nimium extollere ejusmodi scripta, id minime merentia. Quanto illa, de quibus vix ullus hic sermo est, sunt injuriosa magis; tanto minus efficiunt apud viros honestos, nisi contra auctores eorum: quibus semper dedecori vertetur, adhibuisse media, quæ etiam damnabilia essent, quando ageretur de sustinendo puncto aliquo historica tam vere, quam manifesto falsum est illud, quod tuentur. Quemadmodum usque modo approbata fuit vestra ratio scribendi, & veritatem absque fuco & præjudiciis promendi; ita non minorem laudem obtines contemnendis talibus invectivis, quæ procedere nequeunt nisi ex zelo male ordinato. Equidem semper existimavi quod hanc viam esses ingressurus, adeo conformem tuæ professioni tuisque meritis. Auctor Epistolæ, quam te fecimus habere occasione controversiæ istius* (Cangium intelligit) *cujus etiam Epistolæ pauco abhinc tempore exemplum recepi impressum, lætabitur vehementer, cum intelliget, quod ea contulerit aliquid ad solatium tuum. Affirmare possum, quod infinitum te honoret, & quod singularem omnino habeat æstimationem tuorum operum. Molestum vehementer esset omnibus, quæ pulchra sunt amantibus, si particulam ejus temporis, quod alibi tam bene impendis, impenderes respondendo & scribendo amplius de ista materia, adeo parum disputabili inter viros eruditos, & momenti tam exigui.* Atque hæc sufficiant pro Herouvellio.

C A P U T VII.

RR. PP. Carmelitæ, jussi ex voluntate Romani Pontificis, sibi per circulares suorum Generalium declarata, cessare a libellis; pergunt aliis, nullo aut falso nomine editis, insultare Papebrochiano silentio.

EX Leodiensis imposturæ successu in seipsos regressi Adversarii, cognoverunt, se ubique terrarum infamandos, si Societati placeret permittere, ut quæ sciebam ego, & scire me non ignorabant ipsi, in vulgus ederentur; imo fieri posse, ut, etiam accusante ex nostris nemine (sicut Thesibus Biterrensibus contigit) publica fama libellos ipsorum deferret ad Pontificem Summum, qui tunc erat felicis Recordat. Innocentius Papa XI. Igitur præoccupandum hujusmodi casum rati, elegerunt priores ipsi querelas suas ad Apostolicam Sedem deferre, per sui Ordinis Protectorem Eminentissimum Alderanum S. R. E. Cardinalem Cybo:

per

per quem mense Junio, vel initio Julii, ipsius anni 1683. fecerunt porrigi Memoriale, quod ex more censuit Pontifex communicandum cum P. N. Generali, per ecgraphum ab Eminentissimo illo traditum Procuratori Generali Societatis, hoc tenore verborum.

251 *Patres Societatis Jesu pergunt evulgare & distribuere Epistolam, Latino & Gallico idiomate, variis in locis Germaniæ & Belgii impressam, cujus tria exemplaria consignata fuere Eminentiss. D. Cardinali Cybo; & minantur, colligere omnia, quæ in variis libris P. Papebrochius impressit contra Ordinem Carmelitarum; illaque in uno volumine reimprimere: &, si ipsis id probibeatur a Sanctissimo Domino, curabunt per aliquem ex suis amicis id fieri. Id non semel dixerunt Patres Moguntini, quibus Carmelitæ, pro sua defensione, non poterunt non respondere.* Opportune tunc adhuc Romæ aderat, ut supra dictum, P. Conradus Janningus, & viso Memoriali Carmelitico, Responsum Italica lingua (velut ad rem aptiori & usitatiori) deproperavit reddendum Eminentissimo, quod Latine versum hic propono.

252 *Non possunt dissimulare Patres Carmelitæ, auctores querelarum suprascriptarum, quin usque hodie notum sit, quis scripserit Epistolam Gallicam, quis eam cum aliquibus observationibus suis imprimendam dederit, quis eamdem curaverit vertendam Latine, & in hac lingua imprimendam. Scitur etiam certo, nihil istorum factum esse ad instigationem Patrum Societatis, cum eorum auctores non sint viri versatiles ad nutum ipsorum. Hoc unusquisque facillime apud se statuet, animum advertens ad ejus conditionem, qui fuit auctor, sive Epistolæ ipsius, sive versionis Latinæ, sive unius alteriusque impressionis. Si demus autem, quod viris talibus usi fuissent Jesuitæ ad componendum imprimendumque ejusmodi scriptum, an iidem vicissim opus habebant auxilio Jesuitarum ad finem intentum consequendum; per distributionem & evulgationem exemplarium impressorum? Quod Jesuitarum aliquis ex Collegio Moguntino minas præsuppositas fecerit, hoc neque conceditur, quia legitime non probatur; neque negatur, quia in tanto numero personarum fuisse possunt aliqui, nimis ferventes in loquendo, qui debitos limites sint egressi. Attamen qua verosimilitudine cogitari potest, quod Collegii cujuscumque Jesuitæ assumant sibi insimul recudenda particularia loca, assignata in prædicta quærimonia, circa quæstionem, quæ quomodocumque resolvatur, Societatis nihil interest? Facile esset ostendere Epistolas minaces, contra Societatem scriptas ab aliqua P. Carmelita, ad personam conditionis non infimæ, quorum etiam effectus apparuere, absque eo quod Patres super iis questi sint coram aliquo altiori Tribunali.*

253 *Porro quam caute processerint Jesuitæ, & quam exacte observaverint mandata Generalis sui, nihil committendi chartæ circa istam materiam, nequidem ad sui defensionem, contra plures injurias, etiam per typum factas, ipsimet Patres Carmelitæ testari possunt: qui non valebunt cum veritate allegare vel unicum folium chartæ, prælo datum a Jesuitis, super eo argumento, de quo questi sunt, contra P. Papebrochium litigantes. E contrario possunt Jesuitæ citare sex libros (ut missa faciam alia minora folia & scripta) a PP. Carmelitis imprimi vel dispergi curatos: videlicet* „ Harpocratem Carmeliticum, novum „ Ismaelem, Prodromum Carmeliticum, Po„ mum Discordiæ, & Heroicam Carmeli Re„ gulam: *in quibus quomodo tractent Societatem, quasi tota res esset in eo, quod unus forsitan ex illa peccavit, palam videre est.*

254 *Vera occasio harum novarum querelarum deducitur ex facto sequenti; cujus respectu is qui queritur, prior attollit manum, tum pro eo quod fecit, tum pro eo quod forsitan facere constituit. Factum hujusmodi est. Patres Carmelitæ, aut (ut cum debita cautela loquar) quidam ex Ordine Carmelitico, qui scribunt & imprimunt, simularunt se credere, quod auctor Epistolæ Gallicæ fuerit Jesuita, & quod D. Herouvallius, cui ipsa inscribitur, sit persona ficta. Igitur sub ejus nomine furtim impresserunt Leodii responsum ad illam Epistolam; putantesque se scribere contra larvatum Jesuitam, indignis modis habuerunt ipsum Epistolæ auctorem. Ex talis facti incontestabili manifestatione processit, quod publice sciatur, Responsum istud profluxisse ex calamo Carmelitico. Cumque illi Patres denique rescivissent, D. Herouvallium, non solum existere in rerum natura, sed etiam mundo notissimum esse, propter insignes suas qualitates; merito timent, ne hic, graviter offensus ab eo, qui ipsius nomine est abusus, ad contumelias acerbas scribendas cuidam suo amico, & quidem amico æstimatissimo, existimet obligatum se ad abstergendam a suo vultu talem maculam; idque faciat scripto publico, parum grata futuro illi, qui coegit suum suique amici honorem sic tueri.*

255 *Hæc fuit motiva causa querelarum præsentium, per quas prætendunt PP. Carmelitæ, anticipato & contra jus omne, culpam suam in Jesuitas devolvere; atque obtinere apertum campum scribendi contra Societatem quidquid voluerint; quasi Jesuitæ omnium sint auctores, & turbarum istarum concitatores; licet Patres Carmelitæ nequeant exhibere vel unicam periodum, a Jesuitis imprimi curatam, contra tot injuriosos libellos, qui ex parte ipsorum, in Belgio & alibi, omnium passim manibus circumferuntur.* Ut hæc suggerere Janningus posset, commode appulerat Romam relatio mea, ex litteris P. Francisci Dylerin hausta, de Leodiensi figmento; allata scilicet eadem septimana, in cujus finem & diem Julii 3. citatus ad Cardinalem erat P. Secretarius, in absentia Procuratoris Generalis, responsurus ad querelas Carmelitarum. Necdum autem tunc Romam pervenerat exemplar suppostitiæ illius Responsionis; quæ si ad manum fuisset, exhibitaque Cardinali, sola potuisset Societatis innocentiam, perversamque accusantium vafritiem manifestare.

256 Ut ut est: responsi nostri summam retulit ad Pontificem Cardinalis: quid autem eo audito statuerit Pontifex, quadamtenus cognoscere licet ex verbis, a quibus P. Sebastianus eodem adhuc anno sic exorditur supplicem suum Libellum. *Cum Eminentissimus Dominus Cardinalis Cybo, Sanctitatis vestræ nomine, per Procuratorem nostrum Generalem, significari nobis curaverit, Sanctitatis vestræ voluntatem esse, ut Patres Societatis Jesu deinceps contra Ordinem nostrum aliquid typis edere desistant; utque parte ex altera Provinciæ nostræ Patres, qui adversus prædictos Societatis Patres aliqua in lucem edere in animum induxerant, omnino abstineant &c.*

Dixi

Dixi ex istis verbis *quadamtenus* cognosci posse, quæ tunc fuerit mens Pontificis. Quis enim dubitet credere P. Sebastiano, tam expresse afferenti, Provinciæ suæ Belgicæ Patribus cessationem scribendi contra nos injunctam Pontificio præcepto? At vero, quod Procurator Generalis Carmelitarum recte intellexerit verba Cardinalis, quatenus ea Societatem spectabant, quomodo possim credere, cum ejusmodi mandatum nullum Roma ex parte Pontificis acceperim, neque ullus Patrum nostrorum Romanorum? Sane non erat opus præcepto iis, qui probabantur nullo suo scripto quidquam fecisse, cujus perniciosa progressio sisti tali mandato deberet; quemadmodum fecisse ipsimet Accusatores nostri evidentissime probabantur.

257 Ego tamen mirari non possum expositionem Pontificii mandati, a Carmelitano Procuratore formatam pro suo affectu talem, qualem ille optabat, Pontifice aliud longe intendente. Ratio, cur id mirari pro illo tempore non possim, est, quod idem nuperrime factum esse intelligam ex litteris circularibus Reverendiss. Generalis Discalceatorum datis Genuæ, adeoque ex simili relatu sui Procuratoris Roma submisso, cum extensione multo latius patente, quam mens Pontificis Innocentii XII. erat; quatenus autem me concernere videtur mandatum, non omnino vera. Exemplum Patribus nostris tradidit Typographus Dilinganus, quem, de recudendo Responsionum mearum opere deliberantem, ut absterreret Carmelitarum Prior, tamquam ab opere vel prohibito, vel mox prohibendo, attulit ecgraphum, quod studiose asservo, hujus tenoris.

258 JESUS MARIA. *Rev. adm. Pater observandissime. Pax Christi. Sanctissimus Dominus noster Innocentius Papa XII. mihi mandari fecit, ut toti Religioni præciperem, ne ullus impostérum ex nostris scriberet aut imprimeret de nostra Religionis antiquitate contra Papebrochium vel alios; quod idem vice versa mandavit Reverendissimo Patri Generali Societatis Jesu; & si alicui quidquam in hac materia occurrat, habeat recursum ad sacram Congregationem S. Officii; intendens Sanctitas sua quamprimum Bullam expedire, imponendo perpetuum silentium in hac re pro communi pace. Et volens, ut par est, sanctissimi Domini nostri mandatis obedire; injungo Rever. vestræ, ut toti Provinciæ intimet, & intimari faciat omnibus & singulis nostris Religiosis, tam superioribus quam subditis, ut punctualem obedientiam in prædicto puncto præstent Sanctitati suæ, sub pœna graviori contra facientibus, aliisque pœnis, nostro Definitorio generali bene visis: suisque orationibus me commendo. Genuæ 16. Septembris*, 1696. & subscriptum erat. *Rev. vestræ humillimus servus*, FR. PHILIPPUS *a* S. NICOLAO: iterumque subscriptum: *Præsens transumptum de verbo ad verbum concordat cum originali epistola, ab adm. Rev. Patre nostro Generali Genua mibi transmissa. In cujus fidem præsentibus subscripsi. Pragæ, in nostro conventu S. Mariæ de Victoria & S. Antonio de Padua, die 3. Novembris*; 1696. & subscriptum erat, FR. CAROLUS *a* SS. TRINITATE PROVINCIALIS.

259 Eodem sensu, fortassis etiam tenore, ad suos scripsisse dicitur Reverendiss. Generalis veterum Carmelitarum, tunc pariter Roma absens, & Mediolani degens, cum tale mandatum accepit. Sed o!

------- *Quod nimis miseri volunt,*
Quam facile credunt! ------

Deceperit utrumque Generalem præcepti, verbo solo (ut credibile est) dati, & pro affectu intellecti relatio infida. Nullas nos a Generali nostro accepimus in communi super ea re litteras, nullas ego in particulari; sed mandato ejus, Procurator Generalis, Rev. P. Petrus Franciscus de Orta, Roma mibi scripsit, 1. Septembris 1696. in hæc verba: *Rex Hispaniarum rogaverat summum Pontificem, ut assumeret resolutionem seu cognitionem controversiarum inter Societatem nostram & Carmelitas, de quibus actum fuerat in libellis sibi oblatis. Sanctitas ideo sua Regi rescripsit, huc se libenter acturum. Quamobrem injunctum est, pro parte ejusdem sanctissimi, R. P. N. Generali, ut si quid agendum, scribendum, proponendum, vel apponendum fuerit in re hujusmodi, id totum fieret in Congregatione S. Officii, cui cognitio controversiæ commissa erat, cum inhibitione interim expressa utrique Religioni, ne vel dicto vel scripto, tam manufacto quam impresso, aliquid aliud circa hanc controversiam novaretur: utpote quia mens sua Sanctitatis est, quod quæ undique evulgantur hinc inde, ea cuncta coram sacra Congregatione proponantur & discutiantur, ut tandem hisce controversiis finis imponatur. Porro in hujus mandati executionem Patres Carmelitæ litteras encyclicas se scripturos dixerunt. Non ob id existimo Rev. vestram intermittere debere Responsionem ad Exhibitionem errorum.*

260 Notis ad utramque Epistolam nullis est opus. Quod Generalis noster non miserit etiam encyclicas suas, causam fuisse puto, quia id sibi injunctum non erat; & aliunde satis certo confidebat, neminem ex nostris acturum quidpiam inscio se; ac nulli manus sic prurire, ut cum gratiæ laborisque impendio succurrere velit alienæ causæ, tam invidiosæ ac delicatæ, quam mea est cum Carmelitis controversia. Sufficere ergo putavit, moneri me, ne novæ cum dictis Patribus contentioni occasionem præberem. Nec vero opus monito erat, plus quam satis habenti quod agerem cum meorum Errorum prætensorum Exhibitore: imo deliberavi de omittendo integro Articulo XVI. qui totus Carmelitanam spectat historiam, & multa continet antea mibi intacta. Omisissem autem, nisi jussus fuissem totam Exhibitionem articulatim refutare, ita volentibus & exigentibus, tum aliis plurimis, tum præcipuis nonnullis Purpuratis, causæ isti intentis. Dolebant videlicet, hinc quidem urgeri se ad deproperandum judicium librorum, in Hispania tam turpiter confixorum; inde vero deesse ex mea parte promptum remedium contra Exhibitionem, cujus ut copia esset in omnium Revisorum manibus effecerant Patres Carmelitæ; cum Responsiones ad illam meæ, non nisi lente ac sero, post plurium auditas sententias, apportarentur per postam; idque foliatim dumtaxat, & modico sex vel septem exemplarium numero, donec major perfecti jam operis copia in Italiam deveheretur, quod vix demum contigit sub finem mensis Januarii, hujus anni 1698.

261 Sunt qui existiment, postremum istud man-

mandatum ab optimo pacisque studiosissimo Pontifice emanasse, ad solicitationem eorum, qui Responsionibus meis constrictos se videbant ad retractationem tot calumniarum, quot opere isto refutavi; & tot gravissimorum aliorum errorum, in quos P. Sebastianus est lapsus, meos errores frustra conatus invenire. Etenim futurum erat, ut istiusmodi mandato absolverentur ab utroque importabili ipsis onere, saltem coram vulgo, obedientiæ nomine prætendentes impotentiam. Laudo tamen qualemcumque, & ex quocumque motivo natam præcepti Pontificii observantiam; laudaremque magis, si eamdem præstitissent voluntati sanctissimi Pontificis Innocentii XI. Sed ecce in ipso libello, quem mox ab hujus mente intellecta impresserunt, sparseruntque in omnes Europæ provincias, sub titulo LIBELLI SUPPLICIS, manifestam notare est inobedientiam. Fallit enim titulus, cum sit veri nominis *Libellus famosus*: nulli enim rei minus servivit, quam cui destinatus videbatur, informando scilicet Pontifici de fundamentis prætensæ originis, & injuriis Ordini eam in dubium vocando per me illatis.

262 Audi P. Janningum (qui tunc Romæ aderat, cum vulgari Libellus cœpit) in Epistola sua familiari contra Exhibitionem errorum, primum seorsim, nunc etiam ante Junii principium edita, sic scribentem num. 40. *Discessurus Roma anno* 1686. *triennio ab editione libelli exacto, curiosius interrogavi unum ex Illustrissimis* (illis scilicet quibus antea Instructionem prædictam exhibuerat) *qui fere quotidie Sanctissimum Dominum ex officio adibat, de controversia nota probe instructum, numquid libellus* (prædictus) *unquam oblatus reapse, aut visus fuerit Sanctitati suæ. Negavit autem ille: addiditque, si offerretur, nihil effecturum apud æquas Pontificis aures, veritatem præ antiquitate æstimantis. Vivit etiamnum Illustrissimus ille, in majori nunc dignitate constitutus.* Ita Janningus, nunc iterum Romæ præsens, & si necesse sit ipsiumet Illustrissimi haud longe absentis testimonio authentico id se confirmaturum confidit: nisi forte Prælatos nunc tantus infra dignitatem suam existimet de re tam exigui momenti testari, cum palam sit Libello isto nihil Romæ effici potuisse pro causa contra me agitata, neque quamdiu vixit Innocentius XI.

263 Demus tamen, quod forma ac titulus Libelli supplicis, & hunc eximant numero famosorum libellorum, & excusent Auctorem a crimine inobedientiæ contra mandatum ipso in limine agnitum; qua ratione turpibus illis notis famositatis & inobedientiæ eximetur JESUITICUM NIHILUM, falsis Auctoris, loci, atque typographi nominibus suppositium, anno immediate mandatum secuto, 1684.? Auctor, qui se *Petrum Fiseberum Franconem* dicit, recte ex Psalmo 72. assumpsit hoc lemma, *Ad nihilum redactus sum, & nescivi*. Si tamen nescivisse potuit, quemlibet quærere volentem facillime cogniturum, quam temere istud vere Nihilum se mentiatur impressum *Salisburgi, apud Gottofredum Junck*. En tibi signatum isthic testimonium ab eo, qui optime scire potest, hoc tenore: *In hoc sæculo primum erecta fuit typographia hic Salisburgi: eratque primus Typographus Conradus Curner, & post ipsum ejusdem filius Georgius; tertius, meus Antecessor Christophorus Catzenberger, & quartus ego infrascriptus ab anno* 1655. *nunc autem etiam quintus Melchior Han; nec unquam novi aliquem ex typographis, qui diceretur Gottifredus Junck. Ideo tantum fictum nomen est, sicut etiam illi libello Salisburgum præfixum est: cum tamen hic locorum nemo ita somniaverit. Imo ex charta ipsa & impressione dolus & fraus tam auctoris, quam impressoris, deprehenditur. Hæc pro informatione; simul me dimisse commendans. Salisburgi ex musæo meo, 3. Febr. 1698. Joannes Baptista Mayr, Celsiss. & Reverendiss. Principis & Archiepiscopi nostri Cubicularius & Typographus.*

264 Ut autem ipse libellus vere *Nihilum* est, sed *Carmeliticum*; sic nihilum sunt omnes quæ ipsum componunt partes; juxta vulgare istud, *Ex nihilo nihil fit*. Ipsum enim aliud non est, quam farrago pseudonymarum & damnabilium scriptionum, in qua primum gradum tenet Pseudo-Herouvalli Leodiensis Responsio ad epistolam Consiliarii Regii. Secundam Partem faciunt AMYCLÆ JESUITICÆ, *sive Papebrochius, scriptis Carmeliticis convictus, suo silentio perditus, auctore D. N. Consiliario Regio*, ad Serenissimum Principem Hassiæ Landgravium; ut scilicet par pari referretur, quasi cum veritate componi pari in gradu mendacium possit. Sunt autem Amyclæ istæ synopsis quædam Prodromi.

265 Pars III. SUADA HARPOCRATIS, *sive Daniel Papebrochius Jesuita, a Carmelitis convictus: sibi silentium suadens*. Pars IV. JESUITICA *ad Epistolam* (Prioris Francofurtensis) *in suada contentam*, RESPONSIO, illa scilicet, quam verus Serenissimi Landgravii Cancellista supra memoratus, Jesuitico pallio nequaquam egens, scripsisse comprobatur, *Reflexionibus* nonnullis inquinata. Pars V. SYNOPSIS *curiosa & authentica errorum, commissorum a R. P. Daniele Papebrochio, e Societate nominis Jesu, contra utrumque sacrum & candidum Ordinem Carmelitarum, & insertorum suo Propylæo atque Commentario in Acta Sanctorum, variis utriusque juris textibus stipata; auctore R. P. F. Alberto Zeunero de Vesalia Clivorum*. Vero, an falso nomine sic dictus sit auctor, non disquiro: solum noto, Bruxellis primo vilam Synopsim seorsim, & a conducto ad id Gazettario Hollando laudatam, ut rem totius civitatis Bruxellensis plausu & approbatione celebratam. Opus vastum credas, si titulum consideres; si scriptum ipsum, vix implet quartam folii unius sectionem.

266 Pars VII. PAPALE JESUITICUM, ET JESUITICUM NON PAPALE, verus fœtus ejus, qui NIHILUM totum præcedens consarcinavit, utpote eodem procedens stylo, quo *Reflexiones*, singulis Partibus intercurrentes. Et primo quidem probat Auctor, ex Societatis scriptoribus, eam, de qua nemo nec Jesuita nec Catholicus dubitat, summi Pontificis auctoritatem, scilicet supremam, cui & ego subjicere me sum professus. Deinde unius Maimburgii ex-Jesuitæ delictum in totam transferens Societatem; *Multum*, inquit, *Regis Christianissimi valet auctoritas. A Pontificiis abeunt* (Jesuitæ) *partibus; tenent Regias, Regii sunt, non Papales. Actor & director P. la Chaise*, Confessarius Regius: *Scriptor P. Maimburg, nunc ex-Jesuita. Multum illos cruciavit novus Ismael, qui hic in Germania vere prodiit; non adeo, alia nova editio. Do ex illa excerptum.*

267

267 Hactenus credideram, nos bie in Belgio tntum ac genuinam Ismaelem habere, *Juste Came* auctore, qualis Bruxellensibus typis prodiit, titulum mentitua *Augustæ Vindelicoram*, *typis Josue Brillemaker*, *sub insigni exploratorum in Jericho* (Nomina Augustæ Vindelicoram & olim & nunc ignota omnia) 1682. Id autem credidi, quia Ismael iste exorditur a vindiciis eorum, qui in Lovaniensi Academia damnatas in Augustino Jansenii taebantur hæreses; adeoque ex schola Jansenistarum credebatar petendus Auctor, vel saltem interpolator, suffarcinatus querelis Discalceatorum Carmelitarum, quoram cara libellus ipse, si non impressus, saltem dispersas fuit. Aliam nunc vete Germanicam editionem, ignoti æque aactoris & loci ac typographi, Belgica editione priorem, nobis indicat Auctor Nihili, quem non ausim Carmelitam Francofuttensem dicere, licet multa indicia id faciant verosimile. Etenim prolixus ille locus, qui pag. 95. ex tali editione, actius Jesuitas pungente, describitur, facit, at auctorem oemo dubitabit Calvinistam credere, dum Calvinismi vindicem contra Maimburgium agere eum videt, nisi etiam hoc simulatio sit.

268 Causa inter Pontificem & Regem Christianissimum controversa, nihil ad Societatem nostram attinet. Quod eam in sua Calvinismi historia (a qua sane abesse poterat & debebat) attigerit Maimburgius, invitis censoribus suis omnibus fecit; & quia aliter castigari non poterat, Rege patrono fultas, eodem Rege non invito, atque extra Societatem Jesu poni citra invidiam cupiente, dimissus auctor ab ea est. Quid autem ad Acta Sanctorum Maimburgius? An quia hic in causa Regalium *non* satis *Papalis* fuit; atiam *non Papalis Papebrochius*? Non video consequentiæ nexum : neque bunc probant loca quædam, ex Armamentario Speculoque Carmelitano assumpta, per quæ contempsisse auctoritatem Pontificiam tam falso arguor, quam illa evidenter justificavi in mea Responsione ad primum Exhibitionis Articulum, & alios consequenter. Huc abi, Lector, & vere Nihilum nihili facito; solumque ex eo disce impotentem animi impetam, quo actus Auctor me insectatur tota illa tam insulsa farragine libellorum famosorum, ad quam hujus Capitis titulus me invitum pertraxit.

269 Post editionem Nihili, induciæ libellariis aliqaæ fuerunt, solumqne perrexit P. Valentinus, frequentibus ad P. N. Generalem litteris, postulara retractationem mihi imperandam; idem autem responsum semper accepit, videlicet, ipsi quoque Patri nostro displicere, siquod acerbius dictum mihi excideret; quoad substantiam factnrum, a me tractatorum, ejus veritatem a viris aruditis probari. Interim moritur anno 1687. 10. Januarii *P. Valentinus a S. Amando*, aliàs *Rekemans*, aliquando minatus S. Ignatii Vitam eodem modo excatere totam, sicut ego verbotenus excusseram apocrypham Vitam S. Angeli. Hoc subtracto, *non defuit alter*, (*Aureus*, an *Plumbeus*; vel potius *Ferreus*, judicet lector) qui depositum ab illo stylum resumens, atque Bruxellis substituans Coloniæ titulum, Approbatorem vero nullum quærens, verum aut fictum, edidit DEBITA PAPEBROCHIANA, *sive Palinodias sanatas & cantandas a P. Daniele Papebrochio Jesuita. Computo prime ... subdacto per D. J. S.*

270 Quanto plenior primus hic Computus est, *debita soluta continens*, (secundus adhuc expectatar), tanto manifestiorem cordatis hominibas facere posset sinceritatem meam, unice spectantis veritatem, nisi in multis fallax, & ubique malignus esset Computista; impropetaos, quam laudaret alias, retractationis debitæ promptitudinem; & intentionem optimam retractantis, sinistris interpretamentis obfuscans, sicut ostendo ad §. 6. Articali 23. Istum ego paragraphum totum ex libello jam dicto sumptum præsumens, nolo tempus perdere in eo pervolvendo; sed credere, si quid haberet, vel ipsimet Exhibitori dignum visum, quod mihi objiceretur, & fortius urgens quam quæ exhibuit, nequaqaam id fuisse prætermissurum. Idem præsumere libuit de cæteris antea nominatis aat adhuc nominandis libellis, quos totos legere non vacabat, melioribus occupato, totiesque experto, nihil nisi eamdem cramben, mille modis recoctam, inveniri in omnibas : maxime cum propositum mibi esset, ipsis nil respondere, sed eruditi lectoris judicin & ipsos & reliquam omnem caulam dimittere.

271 Sane, eorum plerosque nunc primum inspiciens paulo accuratius, sub initium ac finem eajusque satis invenio, ande præbeam cognoscendam exorbitantem Auctoram passionem & contemnendam. Sic ad hujus Computi finem invenio relata illa quinque epigrammata, qaibus Poetaster Carmelita, (ex autographo manus suæ aliisque indiciis facile noscendus, si operam adhibere libuisset) evomuit spamam rabiei saæ in me, atque in Societatem Jesu, ejusque fundatorem Ignatium, mox ab edito Aprili. Ipsoram finem leviter delibasse contentus in Apologetico ad diem 12. Maji, postea in Appendicibas ad universum mensem, etiam exiguam istud fragmentum optavi abesse loco illo, & in altera ejusdem mensis editione decrevi abolendam. Non placuit Computistæ solutio hæc, & quia palato ejus prorsus felleo, placebat amaritudo Epigrammatam saorum, illa subtexuit Computo, dolens forsitan se non satis eorum aactorem agnosci. Dolori huic facile potuisset mederi, nomen snam integre exprimendo : nunc quæ in autographo lego sacra nomina

JESUS, MR JOSEPH,

Discalceatum quidem mibi indicant, potius quam Calceatum.

272 Computistæ isti suppar ætate, ejusdemque anni 1688. est *D. Christianus del Mare*, æque ignotus omnibus in Belgio, atqua ignotus est Salisburgi *Gottefredus Jonck*, eujus nomen Bruxellensis typographus mentitur, Jesuitico Nihilo simili fide appositum; uti etiam is, qui *Vidit*, *A. V. B. I.* ab illius parum Christiano calamo, sane amarulento, processit, *Rev. P. Papebrochius Jesuita*, *Historicus conjecturalis*, BOMBARDIXANA *in Actis Sanctorum*, *S. Lucam & Sanctos Patres*, *S. Thomam*, *summos Pontifices*, *Cardinales*, *antiquas Indulgentias & Bullas*, *Breviaria & veteres fundationes monasticas*, *restinctas a Domino Christiano del Mare*. Vides credo, lector, Exhibitionis, jam animo P. Sebastiani conceptæ, primum embryonem.

273 In illo tam frequens *Explodendi* verbum, suspicari me fecerat, ipsummet P. Sebastianum

ſtianum auctorem fuiſſe Bombardizantis Papebrochii, cujus ibi tam multi diſtinguuntur Bombi, quot ſunt capita Bombardizatorum in titulo. Nunc ipſum libellum obiter luſtrans, pag. 36. invenio, quibus ſuſpicio firmetur, hæc expreſſiſſima verba. *Au Jeſuitis benigne inclinati dicantur Pontifices, cum Societatis approbaverunt Inſtitutum, & quotquot concceſſerunt eiſdem privilegia; adeoque cum illis non fuit quam ſeveriſſime excutere ſingula? Examen illud reſervo pro magno, quod præ manibus habemus volumine, ubi totos Aprilis, Martii, Maji Tomos, ſingulaſque Societatis hiſtorias ſeveriſſime examinandas ſuſcepimus. At quum mirabitur orbis, in doctina Papebrochiana nihil in illis reperiri ſtabile?* Primam magni iſtius voluminis partem, quis non videat jam perfectam in Exhibitione haberi? Secundam premi æternumque premeodam, tanto credimus facilius, quanto inſtructius habemus archivum ab omnibus cujuſque temporis ac pæne anni monumentis, fidem Hiſtorico noſtro facturis, neque minas iſtiuſmodi formidamus. Audeat modo, quiſquis is eſt.

274 Ultimus, quem ego quidem viderim, libellus, compoſitus *per J. L. M. N.* profertur ut impreſſus anno 1688. *Leodii, apud Guilielmum Henricum Streel, ſuæ Sereniſſimæ Celſitudinis Typographum.* Sed bonus hic vir, anno 1698. ineunte interrogatus a P. Dyſerino, an talem libellum impreſſerit, omnino negat: præſumit autem Carmelitas fiducia mutuandi nominis ſui uſos, quia anno 1659. ipſis commodaverit operam ſuam ad imprimendum *Monomachiam Obedientiæ & Rebellionis*, in Leodienſi Carmelo quinque continuis annis depugnatam, atque adeo celebrem, ut initium ejus vulgo dignum ſit habitum quod ſignaretur hoc Chronico,

Le granD VaCarMe

alluſione quadam nominis *Carme*, quod Gallice *Carmelitam* ſonat; & *Vacarme*, quod eſt *Tumultus* vel *Seditio* cientium ad arma. Eſt autem libelli prædicti & Monomachiæ tam ſimilis ſtylus, ut credere quit poſſit vel eumdem eſſe auctorem *R. A. P. Michaelem a Spiritu ſancto*, vel hujus ſpiritum, nihilo minus duplicem, ſed aliter quam duplex fuit ſpiritus Eliæ, tranſiiſſe in Hyacinthum Piarad Rupefortenſem, pſeudo-Herouvallianæ Epiſtolæ ſubſcriptum per litteras H. P. R. cujus Epiſtolæ Walloniſmus non multum diſcrepat a barbariſmo ejus, de quo agere inſtitui, libelli. Titulum accipe. *Epiſtola informatoria ad Societatem Jeſu, ſuper erroribus Papebrochianis, ſive* Hercules Commodianus, Joannes Launoyus *Conſtantienſis, repulſus ab adm. R. P. Theophilo Raynaudo ejuſdem Societatis*, Redivivus in P. Daniele Papebrochio *Jeſuita, commenta propria Titulo* Actorum Sanctorum *evulgante*.

275 Titulum ſequitur *Elenchus Titulorum. & Summarium Materiarum*, hoc ordine.

„ *Alloquium fraternum ad Ordinem Societatis*
„ *Jeſu*. Prælibatio Bacchationum P. Papebro-
„ chii Jeſuitæ, in Sanctos Pontifices, & Car-
„ dinales, noviſſimarum hæreſeon expugnatores.

276 „ *Alloquium ad Papebrochium:* qui ex-
„ hibetur ut Hercules Commodianus, ad
„ eum modum, quo Theophilus dedolavit Lau-
„ noyum, dedolandus ab hoc auctore, quaſi
„ Launoyus Redivivus. Eſt autem ipſum Alloquium Theophili ad Launoyum, ex genio ſcriptoris mordax plus ſatis, & ſatyricum totum, hoc exordio: *Salve Hercules* .... & hoc exordium denique ſic mihi applicatur. *Itaque Hercules eſto, Papebrochi, ſed Commodianus*, id eſt, *muliebribus dumtaxat armis, mendacitate, loquacitate, ſutelis, procacitate, petulantiaque inſtructus*. Quis autem dubitet? Probant hoc Quæſita & Reſponſa omnino XVI. in Elencho propoſita.

277 Hujus Elenchi præfixi Libello ultimo auctor ſi P. Sebaſtiano præluxit, ſcribenti §. 9. Articuli 54. habet ille, quod ſibi de tam docili diſcipulo gratuletur: ipſe certe Magiſtrum ſuum Theophilum, Launoyo maledicentem (jure an injuria, hic non quæro) multis paraſangis conatus eſt ſuperare. Ego nec Launoyum magiſtrum habui in illuſtrandis Actis S. Benedictuli opilionis, cui nequaquam dubitavi adſcribere Avenionenſis pontis fabricam miraculoſam ad diem Aprilis 14. neque ex ſimilitudine operis Lugduni conſtructi conſequens cenſui, quod a Paradino ſcriptum & a Theophilo aſſumptum nuſquam adhuc legeram, hujus etiam fabricam eidem Benedictulo adſcribendam. Nihil igitur ad me pertinet, quid de utroque Ponte cum Launoyo tricetur Theophilus, plus laudis extra intraque Societatem habiturus, ſi adverſus diſſidentes a ſe Religioſos Catholicoſque ſcriptores moderatiori ſtylo uſus fuiſſet.

278 Sed ita factus erat Theophilus, ut neminem contradicentem ſibi patienter ferret; & niſi præſentes adfuiſſemus, cum prælo iterum pararetur Indiculus Sanctorum Lugdunenſium, noſque mature aliquis monuiſſet, inveniretur ibi acriter perſtrictus P. Joannes Bollandus, in S. Anemundo Lugdunenſi Epiſcopo, ſub regimine S. Batbildis occiſo, quia ad 26. Januarii eumdem ſtatuerat cum S. Delfino, contra Theophili ſententiam, cui aliàs Bollandus amiciſſimus erat, & in curanda operum ipſius impreſſione Antverpiæ meritus de illo optime. Interim ex deductis hactenus manet demonſtratum, quam religioſum ſilentium de rebus Carmeliticis ego tenuerim, in omnibus libris meis poſt annum 1680. etiamſi nullo ad id præcepto adſtrictus; quamque ex adverſo immodeſte adverſarii, etiam poſt denuntiatam ſibi Pontificis voluntatem, perrexerint contra me bacchari, ipſum meum ſilentium interpretati vel ſuam injuriam, vel confeſſionem impotentiæ meæ.

C A.

C A P U T VIII.

Absoluto septem Tomis Majo, sub annum 1688. (quorum septem Tomorum posteriores quatuor controversiam, satis ut videbatur ventilatam, non attingunt, & discrete tacent de libellis) collato plurium studio præparatur EXHIBITIO ERRORUM, *colligenda ex totis 14. voluminibus, præferentibus Papebrochii nomen, non quidem solius, solius tamen accusandi: eaque prodit anno 1693. auctore eodem Adm. R. P. Sebastiano a S. Paulo, inscripta S. D. Innocentio Papæ XI. Anno autem 1695. clandestina machinatione inducitur Hispanica Inquisitio ad inexpectatam Tomorum 14. proscriptionem.*

TOt tamque fœdis impetitus convitiis, certus de eruditorum judicio, nec tantillum quidem dimoveri me sivi a cœpto promovendorum Actorum cursu. Anno 1685. in lucem dedi Conatum Chronico-historicum ad Catalogos Romanorum Pontificum, & Henschenianum ad eam rem apparatum, nec non Propylæum dedicatorium totius mensis, ipsum inscribens summo tunc Pontifici Innocentio XI. & potentissimo nostro Monarchæ Carolo: simul etiam publicavi Tomum 4. & 5. Maji, a die 17. ad 24. Rursum autem anno 1688. Tomum 6. ac 7. exposui, cum ampla ad universum mensem Appendice, & Paralipomenis ad prædictum Conatum. Itaque tota moles octo Tomorum, cœpta imprimi anno 1676. mense Novembris ineunte, fuit absoluta anno 1688. 17. Aprilis, licet interpolata variis meis meique Magistri atque Typographi morbis, sociorumque Danielis Cardoni atque ipsius Henschenii mortibus.

279 Et tamen accusatoribus meis Hispanis placuit exprobrare mihi præcipitantiam in scribendo, per quam factum sit, ut fuerit opus tam multis Appendicibus. Quasi spatio annorum duodecim non potuerint identidem nova nec prius habita monumenta adferri; & lux veritatis affundi multis, antea minus claris certisque: quæ omnia si expectari debuissent, nec unicus quidem haberetur Tomus Actorum, contra commune orbis Christiani votum, dolentis nos tam lente procedere (qui tamen revera dicendi sumus properare, attenta cujusque Tomi laboriosa vastitate) ut ego quidem annum jam transgressus septuagesimum, dimidium operis sperare vix ausim: alteri vero dimidio ægre suffecturum videatur proximum seculum, si primum semestre velimus recognoscere totum, supplere atque corrigere, prius quam reliqui sex menses fuerint excusi atque recusi simili morositate & diligentia. Hinc erudita Gallia, in Ephemeridibus anni 1670. 10. Februarii, occasione Martii tunc Parisiis legi cœpti, agens de opere universo sic merito conclusit. *Multi Principes exorsi sunt fabricare ædificia, quæ non nisi per eorum successores consummari potuerunt: verum paucos fis invenire scriptores,* Opuscul. Collect. *qui susceperint compositionem alicujus operis, cui vita unius hominis nequiret sufficere: & Bollandus dici potest fuisse primus, qui cœperit moliri opus plurium seculorum.*

280 Et bene, quod grandibus ejusmodi cœptis primis triginta annis intervenit nihil, ab humana vel ignorantia vel invidia, quo impediretur progressus: hoc enim inexcusabilem necessitatem induxisset Superioribus ad initia ipsa disturbanda sistendave: bene etiam quod statum jam consecuto operi supervenerint procellæ & turbines contradictionum, facturæ ut deinceps tanto illud cognoscatur æstimeturque a pluribus, quanto violentius impetitur. Hæc tempestas, post editum Martium orta, cum per Aprilem ac Majum gravior graviorque incubuisset Henschenio atque mihi, & propter me toti Societati, tandem in decumanum fluctum intumuit, qui simul totus 14. tomos minatus est involvere: quod qua ratione factum sit nunc explicare aggredior.

281 Non erat PP. Carmelitis satis (iis scilicet qui mecum venerant in certamen, non amplius, ut credebam, litterarium) eo rem adduxisse clamoribus atque libellis suis, ut satius ducerem ab anno 1680. silentium tenere ad omnes ipsorum insultus; & quidquid pro vindicanda prima parte Maji instruendaque secunda paratum habebam, subtrahere prælo; Non erat, inquam, PP. Carmelitis satis, effecisse, ut porro tacere mallem, quam cum sic turbatis disceptare. Retractationem volebant, eamque perfectam, omnium eatenus de sua historia scriptorum. Hanc tamen nulla sua importunitate extorqueri videbant, eo quod viri eruditi atque cordati tanto minus commovebantur ipsorum pro sua antiquitate vociferationibus, quanta per illas ipsos ea vilescebat magis; oleumque & operam perdi experiebantur in procudendis libris suis, quos præter ipsos emere curaret nemo, gratisque datos legerent pauci. Statuerunt ergo genus pugnæ mutare, & ex defensoribus aggressores se facere, non tantum unius alteriusve Commentarii, ad se propius spectantis; sed simul omnium, meum nomen præferentium Tomorum; atque grandioris illius voluminis, quod P. Valentinus moliebatur, & P. Sebastianus bombardizando fuerat comminatus, partem saltem primam producere, & adducere ad tribunal S. D. N. Innocentii XII. decimo post anno quam Libellum suum supplicem in vulgus sparserant, non ausi ipsum præsentare ei cui inscribebatur Innocentio XI.

282 Titulus, ut vidimus, novo operi ponebatur auditu horribilis, & qualem Catholicus nullus scriptor ulli unquam hæretico opposuit. Titulo respondebat atrocitas ac multitudo impactorum mihi criminum; adeo ut auctores viderentur præ oculis habuisse vulgatum istud, *Calumniare audacter, semper adhærebit aliquid.* Ita scilicet Carmelitanæ antiquitati in meis (ut queruntur) libris subversæ, non jam reparatio, sed ultio quærebatur; dum plerique cogitarent in tot criminationibus, veras esse aliquas; nec auderent penitus abrogare fidem viro Religioso, ac Provinciali Ordinis sui; fidelitatem autem explorare tot voluminibus pervolvendis nemini liberet.

283 Commoti, libro istiusmodi edito lateque sparso, superiores nostri, qui eatenus silere me voluerant, judicarunt reponendum aliquid, quo mala fides ignorantiaque Exhibitoris manifestaretur; sed non nisi per modum speciminis, satis futuri ad judicium de toto volumine ferendum. Ne autem ego a meliori opere prosequendo impedirer, datum negotium est Collegæ meo, P. Conrado Janningo. Composuit hic eodem anno 1693. cujus initio prodierat Exhibitio, & edidit die 5. Martii, EPISTOLAM FAMILIAREM, adm. Rev. P. Sebastiano a S. Paulo inscriptam. Epistolæ in margine legenda Synopsis proponebat solum respondere ad pauca ex multis punctis, ab Exhibitore tractatis, quibus Acta Sanctorum Auctor lacerat; docendo ea reprehendi a Carmelitis, quæ passim laudantur ab aliis, *quale est baptismus Constantini, collatus ad finem vitæ, uti constat ex Eusebio, Synodo Ariminensi, SS. Athanasio, Ambrosio, Hieronymo; item ex Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Gelasio Cyziceno, & aliis plurimis: recenseri, sed non probari alia Papebrochii crimina, quibus majora commiserint ii, qui ista nobis imputant, infami libello suo præfigentes illustre nomen Domini a' Heronval, factum publice detestati.*

284 Addebat Janningus, objici Papebrochio quod doceat aliqua *a probibitis auctoribus accepta, dum ipsi hæreticos pro se citant, & probibitas Theses Buerrenses sequuntur: invidiam Papebrochio creari apud Antverpienses, quasi Præputium Christi ipsis negarit, qui tamen id eisdem clare asseruit; item apud Præmonstratenses, quasi impugnaturo eorum Ordinem, quod mox apparitorum sit falsum, ex illustrata Vita S. Norberti; cujus Canonicis indecorum non sit, initio gestasse habitum similis cum Canonicis secularibus formæ, sed candidi coloris. Denique asseris, Amicum (P. Sebastianum) multa accusare, sed pauca evincere; multa supponere ut vera, quæ pridem sint monstrata falsa; quæque ut vera fiant, numquam efficiet auctoritas Censorum, præsertim si, supposita Accusatoris veracitate, judicent de re sibi ignota.*

285 Modestissima Janningi scriptio, non paucis etiam ex illis placuit, qui Exhibitionem probarant; ita ut deinceps nihil ægrius ferrent, quam suam approbationem sibi a familiaribus commemorari. Sed non acquievit P. Sebastianus, procudi fecit MOTIVUM JURIS, ad confirmationem eorum, quæ antea scripserat, recoquens totam crambem priorum querelarum, quibus Janningus non responderat; ipsamque eorumdem præteritionem assumendo velut confessionem demonstrati criminis. Huic sic dicto Motivo respondens Janningus 12. Augusti, reposuit EXPOSTULATIONEM AMICAM; questus quod ille Epistolæ familiari parum familiariter respondisset; petentique exhiberi in Actis vere digna correctione, talia paratis corrigere, nec unum quidem demonstrari, dum interim Amicus confessus se habere mandatum Romani Pontificis silere jubentis, ipsum inobedienter transgreditur, promulgando contra formam juris Motivum juris, quod debuerat prius Judici offerri, quam publicari, in ipsius Judicis contemptum, & cum Jurisconsultorum risu.

286 Deinde ostendit Janningus „ Exhibitionem errorum vere libellum famosum esse, non autem Epistolam ei oppositam: cujus finis est tueri Sanctorum Acta, refutando in paucis exemplis totum librum Accusatoris, peccantis ex ignorantia facti & mala fide, utpote qui auctorem Epistolæ arguit fraudulentiæ, cujus ipsemet reus convincitur ex ipsiusmet Epistolæ terminis, & affinxit eidem Janningo, quæ hic nec somniavit quidem. Queritur etiam ille, concitari in Papebrochium Carthusianos, quasi reprobet prodigium suscitati Doctoris, cum illud expresse approbet, afferendo pro eo auctoritates antiquissimas: rursumque ostendit, quam mala fide dicatur Papebrochius negare Antverpiensibus Christi præputium, cujus tamen indubitabilem haberi possessionem asserit ille.

287 „ Ignorantiam quoque Amici demonstrat, resuscitantis quæstionem de baptismo Constantini, qui si fuit Nicomediæ factus, non potest fuisse Romæ collatus, aversante Ecclesia duplicem ejus baptismum, sine crimine non admittendum. Tum expostulat Janningus, imposturæ insimulari se, quia expressionis clarioris causa rem eamdem dupliciter enuntiarit. Ex eo autem quod Nicomediensem baptismum testentur coævi plurimi, Romanum intra secula tria nulli, ostendit (assumpta similitudine scriptoris Franci, nuper ausi negare Franciscum Regem ad Papiam captum a Carolo V.) Nicomediensem baptismum indubitabilem, Romanum incredibilem esse. Hac porro in re demonstrat, summam esse auctoritatem Eusebii, quem tota Ecclesia Gallicana, adstipulante Usuardo, perpetuis fere temporibus pro Sancto coluit, & cujus fidem in scribendo etiam Hieronymus laudat. Docet denique Janningus, baptistam Constantini non fuisse Eusebium Nicomediensem (quod Eusebius historicus, Arianis favens, non tacuisset) sed Petro Solensi eam laudem adscribi ab Abassinis, Alexandrinam Ecclesiam, ut suam rerum sacrarum Magistram, venerantibus. Tum negat, Eusebium in hæresi mortuum; & quamvis sic obiisset, sustinet negandam ei fidem non esse in omnibus; uti amicus P. Sebastianus non cunctatur Baronio assentiri, quoad Constantini baptismum; licet eum non probet scribentem de origine Ordinis Carmelitani. Pro baptismo autem Constantini Romano, probat nihil facere Concilium Romanum sub Silvestro, utpote supposititium, nihil ipsius S. Silvestri Acta compluribus deturpata mendaciis ex sententia Baronii; nihil etiam auctoritates Adriani Papæ, Gregorii Turonensis, Anastasii Bibliothecarii, eadem mendacia Acta sequentium; nihil denique tabulam Lateranensem, indignam semper visam Schelstratio Bibliothecæ Vaticanæ Custodi, quæ citaretur, scatentemque mendaciis, &c.

288 Non habebat quod rationabiliter reponeret P. Sebastianus; ne tamen prior, etiam coram vulgo, tacens, confunderetur; voluit reponere APPENDICEM AD MOTIVUM, nihil hoc meliorem anni 1694. & huic Appendici Janningus distulit respondere usque in sequentis anni Februarium, quando imprimenda dedit

sua

sua pro Actis Sanctorum opuscula Apologetica, eaque collocavit præ limine Actorum Junii, quorum, tunc primus Tomus in lucem ire properabat: insuper iisdem typis, ad formam octavi uc vocant reductis, eadem Apologetica seorsim vulgavit, apparuitque ad calcem illorum POST-SCRIPTUM, signatum 25. Februarii, pridie particularis istius editionis. Tomus autem ipse primus Junii, illo quasi Prologo Galeato instructus, prodiit solum sequenti Junio. Quoniam autem Appendix Moeivi, non jam meam, sed ipsius Janningi fidem insimulabat, coactum se credidit Janningus, prius pro se, quam pro me agere in Post-scripto illo, atque ante omnia ostendere, quod ipse
„ neque in Epistola, neque in Expostulatione
„ sua attigerit antiquitatem Carmelitanam;
„ adeoque nec transgressus sit sui Generalis
„ præceptum, sicut transgressus est P. Sebastia-
„ nus præceptum Pontificis. Ostendit etiam
„ quod pacem clamans Amicus, eam, semel
„ iterumque pæne factam, turbarit, novos
„ edendo libros; & quomodo ea fieri potuerit,
„ aut etiam oblata sit.

289 Protestatur deinde ibidem Janningus, quod cogatur revocare Professorem Theologiæ emeritum ad Grammaticam: quia ex hac resolvi debent tres præcipuæ illius quæstiones, ad quas fere tota Appendix reducitur, & in quibus imposuisse lectori Janningus prætenditur. Hic vero Accusatorem suum ad scholas remittit pro intellectu Gelasiani decreti de libris apocryphis; primo quidem pro historia inventæ Crucis, istic nequaquam approbata, sed censurata, velut narratio novella: secundo, pro Actibus S. Silvestri, quæ idem decretum non dicit *cum omni honore suscipi*, sed bene *Vitas Patrum*, post quas inter alia multa, quæ a nonnullis suscipiuntur, nec a Pontifice probantur, ponuntur prædicta Acta S. Silvestri, quæ demonstrantur undequaque fabulosissima. Remittitur etiam ad Grammaticos auctor Appendicis, dum contendit in Bulla Sixti IV. mentionem faciente *Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisæi, & Enoch*, non esse intelligendum Enochum veteris testamenti, diluvio priorem; sed quemdam Enoch ab Amathim, S. Marci Evangelistæ locium, Sixti illius ætate adhuc ignotum. In hoc autem tertio loco ventilantur ex incidenti multa Appendicis errata, in describendo & intelligendo textu Palæonydori Carmelitæ, eumque truncando, quoad citatum ab illo Philonem, Sigeberti Supplementum, Historiamque Alexandrinam, & librum de Institutione Monachorum.

290 Denique Patri Sebastiano ac sociis, passim minantibus Inquisitionem Romanam, ad quam delati accusatique libri nostri, brevi sint proscribendi; eam appellari ab illis respondit, postquam frustra eosdem libros Inquisitioni Hispanicæ accusarunt detuleruntque, nobis rerum omnium ignaris. Gaudet autem quod libri pro se, aut Sancti pro suis libris tunc locuti, sibi ipsisque patrocinati fuerunt. Verum. *Rectius tunc*, inquit Janningus, *agitis, cari Patres, cum ad Inquisitionem recurritis universalem, quod antea factum oportuerat, relicta Hispanica. Probo recursum ultimum, nec terreor nomine Inquisitionis, neminem nisi nocentem punituræ, nihil librorum nisi noxiorum proscriptura; quales si nostri æquissimis illis arbitris judicati fuerint, proscribentur, damnentur, urantur ut meriti fuerint: volumus enim ipsi illos extare, nisi in publicum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, quo labores studiaque nostra unice tendunt, emolumentum.*

Opuscul. Collect.

291 Hæc de Inquisitione Romana (ut patet) intellecta a Janningo, & a quocumque integrum ejus textum legenti intelligenda, intelligi de Hispanica volens Thesista quidam Lovaniensis, ipsi Janningo petulanter insultat, & Decretum objicit de quo infra; eoque illum jam vult obstrictum teneri ad subscribendum damnationi librorum nostrorum, tali Decreto turpissime confixorum, etiam ut *propositiones hæreticas atque hæresim sapientes* continentium. Tales certe propositiones ad judicium Inquisitorum fidei, tam Romanorum quam Hispanorum spectant dumtaxat; non autem quæstiones historicæ merique facti; quales solas in libris nostris tractari intelligens Romana Inquisitio, onus de ipsis judicandi, a Pontifice delatum ad se, uti supra vidimus, excussit ab humeris, vel potius non est passa deferri ad suum tribunal; sed ad Congregationem Indicis spectare censuit, coram qua illi, ut dixi, nunc examinantur anno jam septimo. Nec enim tot tantique libri, tam cito ac vellent Carmelitæ, & sicut in Hispania factum omnes mirantur, examinari integre possunt, atque libratis utrimque quæstionum momentis expendi.

292 Quid in Hispania clam furtimque egerint RR. Patres, tunc quidem ignoramus; tantumque didiceramus, Generalem tunc Inquisitorem Excellentiss. D. Didacum Sarmiento Valladares venerabilis memoriæ, ex officina librarii petiisse Conatum Chronico-historicum ad Catalogum Pontificum, Tomum ab Actis distinctum; atque videre voluisse librum; cujus damnatio tunc postulabatur, eumque post menses aliquot inviolatum remisisse. Quin etiam dixisse ferunt, Neminem se tota in Hispania nosse tam eruditum, qui idoneus esset de illo libro judicare. Equidem tantum mihi meisque libris non arrogo; neque ipsummet Inquisitorem generalem ea auxesi sic usum puto, ut singula istic asserta putarit certo demonstrari; sed solum indicatum voluisse, magnam apud se operis tam laboriosi æstimationem, in quo nihil facile posset erroris gravis & manifesti argui, multo minus hæreseos, prout Delatores intendebant.

293 Ut enim cum Janningo num. 63. Post-scripti loquar. *Homines sumus, quorum est, errare: sed & Catholici sumus, quorum est Catholice sentire; & si quid per inscitiam humanam vel inadvertentiam erratum sit, Christiana humilitate libenter emendare: idque veri studiosis molestum esse non debet, nec erit nobis. Imo, uti rogamus passim eruditos Lectores, ut animadversa sibi in Actis Sanctorum errata indicare nobis dignentur, quo, istis correctis, perfectius semper evadat Opus; ita sæpe vota nostra eo se extenderunt, ut suprema in Ecclesia auctoritate deputarentur viri litterati, & historices periti, qui legerent attente examinarentque mature scripta nostra; & notata in iis errata nævosque, sine quibus vix scribitur aliquid, nobis indicarent, continuo illa cum submissione ac debita gratiarum actione correcturis.*

294 Quid P. Sebastianus cum suis Belgis contulerint ad Hispanicas accusationes anni 1691. equidem ignoro; hoc scio, non omnia quæ istis continentur, hinc esse suggesta. Imo nostris aliqua nec nota quidem fuisse ante annum 1691. demonstrant Accusationes Articuli 15. in Exhibitione præteritæ omnes, & in sola Appendice obiter tactæ; prolixe autem operoseque deductæ initio libri Hispanici impressi, cui titulus, DELATIO *contra scripta P. Danielis Papebrochii, & sociorum ejus Francisci Baertii & Conradi Janningi, Religiosorum sacri Ordinis Societatis Jesu, oblata a Procuratoribus Generalibus utriusque familiæ Religionis Dominæ nostræ montis Carmeli; & per P. Fr. Didacum de Jesu, Historiographum generalem Ordinis Discalceatorum Carmelitarum, die* 14. *Februarii anni* 1691. PARS PRIMA; & PARS SECUNDA DELATIONIS, *quam obtulerunt supremo Tribunali Inquisitionis RR. Patres Mag. Fr. Joannes Gomez Barrientos, Qualificator sacri Officii, Prior Conventus Dominæ nostræ de Carmelo de Observantia, & Procurator Generalis dicti Ordinis in Curia Madritensi; & Fr. Josephus de Jesu Maria, Procurator Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum in eadem Curia; præsentata in dicto supremo Tribunali per P. Fr. Didacum de Jesu, Historiographum Generalem d. Religionis Carmelitarum Discalceatorum, die* 3. *Junii, anno* 1691. *tamquam Auctorem, Theologum & Delatorem operum R. P. Danielis Papebrochii & sociorum ejus, Religiosorum sacri Ordinis Societatis Jesu*,

295 Pars prima unice aut præcipue Propylæum spectat: Pars secunda, Acta Martii, Aprilis, & Maji. Ante hanc secundam partem *collationantur breviter magis graves propositiones P. Papebrochii, cum aliis Sedis Apostolicæ*; & sunt illæ, quæ anno 1696. inde transcriptæ, ac Romam missæ, justam in me omnium bonorum indignationem concitassent, nisi properato remedio eas recudi, meque ab iisdem per oppositas vere meas expurgare curassem, edita charta cui titulus *Fraus captiosæ Collationis Elogiorum, a Sede Apostolica datorum Carmelitis, & Scommatum Pseudo-Papebrochii in eosdem, Urbis & Orbis judicio exposita*: ubi videre est hinc *Summorum Pontificum Protheses* inde *Antitheses Pseudo-Papebrochii*; & utrique subjectas *Theses Danielis Papebrochii*. Hæc scheda Romæ & alibi magno cum fructu exposita, deinde vero in Opere Responsionis edita post Articulum 2. sub titulo *Appendicis*, distinctaque in *parallela decem* Accusationum Responsionumque, manifestam omnibus fecit impudentiam calumniantium me, mihique non solum falsa, sed & blasphema scommata, in Carmelitas jacta, affingentium.

296 Præfatio autem ante Partem primam Delationis, a Procuratoribus Ordinis utriusque subscripta, Propylæum defert, *quia hic incurrit in omnia decreta, quæ in tali materia expedivit sanctum Tribunal: nec non videtur peccasse contra Decretum Sanctissimi Patris ac Domini nostri Sixti IV. de non excudendis libris, qui Religiosorum contentionibus &c. Datum Romæ anno* 1484. *in quo Sanctitas sua de talibus libris judicavit*. „ Controversiam minus necessariam continare, Auctoresqua non veritos „ esse eos libros hujusmodi levitatibus com„ ponere, eosque legere & aliis legendos tra„ dere, non sine scandalo & perturbatione „ mentium legentium & aliorum Christi fide„ lium, quos per ineptias hujusmodi, cum „ eos potius lucrifacere deberent, perdere fe„ stinant &c. *Mox autem progrediens Sanctitas* „ *sua*. Nos tam enorme facinus, *inquit*, & „ periculosas contentiones de medio tollere, „ & penitus extirpare volentes, motu proprio „ &c. *Et favens Decreta Sanctissimorum Pii IV. Sixti V. Clementis VIII. jubentia condemnari* „ *libros*, qui vel hæretici sunt, vel de hæretica „ pravitate suspecti, vel certe moribus & pie„ tati noceant, &c. *quæ Decreta reproducemus* „ *in parte* 2. *Delationis nostræ*, Ita illi in Præ„ fatione sua.

297 Equidem non existimo contra Decretorum istorum aliquod peccasse me, idque satis ostendi in Responsionibus Art. 4. §. 3. & 4. Volui tamen videre Decreta illa, quæ promittebantur reproducenda in 2. Parte, ut Delatoris fidem explorarem, merito mihi suspectam; sed necdum potui ea istic invenire, ipsam 2. Partem foliatim, licet celeriter, evolvendo; eo autem id faciebam curiosius, quod nusquam invenirem prætitatum Sixti IV. Decretum. Ejus tempore aliud nullum scitur dissidium inter Ordines Religiosos fuisse, quam super Conceptione Deiparæ, Franciscanis affirmantibus immaculatam fuisse; Dominicanis peccato originali obnoxiam prædicantibus scribentibusque; quibus postremis dicitur idem Pontifex, (is erat ex Franciscanis assumptus) silentium imposuisse, edita anno 1485. Constitutione, quæ apud Waddingum extat, ab adversariis autem in dubium revocatur. Verum neque hic, neque alibi, invenio talia verba, qualia producunt Delatores Hispani; neque verosimile est, quod mysterio isti tam devotus Pontifex, dicturus fuerit ejusmodi disputationem, *Controversiam* esse *minime necessariam*; & libros de ea compositos, *ineptias* ac *levitates*. Nec patienter ferent, credo, Carmelitæ, si quis dixerit, suam antiquitatem, pro qua tanto zelo & cum tam frequenti scandalo pugnat, ita notatam a dicto Pontifice.

298 Exponant ergo mihi, quam controversiam spectet Decretum istud. An forte *ingentem & turbulentum errorem, a nonnullis Pseudo-Carmelitis Bononiæ disseminatum, ex quo gravissimæ offensiones obortæ, dum publicis concionibus disceptationibusque ferebatur, Non esse hæreticum, & a puritate fidei alienum, dæmonum expectare responsa?* Ita refert Odoricus Raynaldus, Baronii continuator, ad annum 1473. quo errorem illum Sixtus compescuit, num. 24. Aut forte Decretum istud spectat *errores cujusdam Carmelitæ Bononiensis, affirmantis Deum, per suam omnipotentiam, damnatum hominem salvare non posse?* Contra hoc aliquid edidisse Sixtum, scribit Ludovicus Jacob a S. Carolo Carmelita, in Bibliotheca Pontificia pag. 204. Ut ut est, judicet Lector, utrum Sixtinum istud qualemcumque Decretum, non potius conveniat, partim pluribus paradoxis historiæ Propheticæ assertionibus, a Reverendissimo Galliano Hieronymiano Generali notatis, atque a me indicatis Art. 15. nu. 101. partim tot famosis, quot supra indicavi, Carmelitarum contra me libellis.

299 Ego de tali Delatione nihil tunc scivi, multo minus impressam haberi; secretissima enim ex illius Tribunalis legibus tenebatur, solumque terebatur manibus Qualificatorum: qui si erant aut omnes aut plerique ex eorum lecti numero, qui pseudo-dextrinæ Higueræ figmenta venerantur pro oraculis (quales omnes fere in Hispania sunt ecclesiastici illi, sæculares vel religiosi, qui ultra Theologiam suam nihil sapiunt, & majori suo numero, diu aliis prævaluerunt prævalentque etiam nunc) merito ab illorum hominum judicio appellassem; & Qualificatores postulassem ex paucis illis prudentioribus, quales laudat Cardinalis Aguirre, figmenta ista secum detestantes: nam prioribus meos libros censentibus, non poterat non certa esse eorum, licet injustissima, damnatio ... Sed bene; quod omnibus illis sapientior supremus Inquisitor Valladares conatus eorum tunc dissipaverit.

300 Utinam autem hic porro vixisset! Sed per ejus mortem vacante, quinque circiter menses officio, & edita anno 1693. Exhibitione Errorum, tamquam novis armis animisque instructi rursum Carmelitæ processerunt, & simili sacri Tribunalis indulgentia totam fere Exhibitionem, cum suis Præambulis, transfuderunt in librum Hispanicum, cui titulus EXPOSTULATIO, *quam nomine suæ Religionis totiusque Ecclesiæ, coram regio sacro & supremo tribunali sanctæ Fidei, faciunt, contra P. Danielem Papebrochium, ex sacro Ordine Societatis Jesu, & contra doctrinam librorum ejus intitulatorum* ACTA SANCTORUM, *Fr. Joannes Gomez Barrientos, & Fr. Petrus a Conceptione, Procuratores generales familiarum Carmelitarum, Observantis & Discalceatæ, nomine proprio; & Fr. Angelus a Purificatione, Historiographus generalis dictorum Ordinum Carmelitarum Discalceatorum: Impressa Madriti anno* 1694. Latet me dies absolutæ impressionis, æque ac dies oblatæ in sacro Officio Expostulationis prædictæ, numerantis paginas bifrontes 91.

301 Verum ut hæc supponamus excusa & oblata fuisse statim post mortem Inquisitoris prioris, qui accusationes anni 1691. rejecerat, & obiit secundo post anno; apparet quod designati vacante officio Qualificatores, quales optaverant Patres Carmelitæ (quorum duo, inter quatuor vel quinque, fuisse dicuntur) non plus temporis insumpsisse verificandis tam multis tamque gravibus accusationibus Tomorum grandium 14. quam menses perpaucos. Siquidem Decretum, examen istud secutum, signatur die 14. Novembris 1695. Ejus Decreti mox plura exempla ad me fuerunt missa, simul cum exemplari tam Delationis quam Expostulationis prædictarum, idque ab ignota manu, & pretio vecturæ magno, trium scilicet pistolarum Hispanicarum. Impensæ tamen istius non pœnitet: sic enim positus sum extra suspicionem, ne nunc usus fuisse credar eo exemplari, quod decem mensibus post mihi communicandum acceperunt Patres nostri Madritenses, cum obligatione ipsum in publicam notitiam non adducendi; quapropter ipsum Madriti retinuerunt, quia pridem eis scripseram aliud me habere.

302 Quomodo istud aliaque exempla, quæ pariter in Belgium ad utrosque Carmelitas perlata fuisse, scire me puto, subducta fuerint eorum manibus, qui tenebantur clam habere, ipsi viderint quorum interest: nam Decretum anni 1697. 17. Junii, quo omnia referri jubentur ad sacri Officii ministros, me aliosque Belgas non obligat. Interim haud levi animadversione dignum est, quod Decreti hujus Auctores fateantur, *Delationes* illas, *sacro Officio oblatas, atque de mandato ejus impressas fuisse, sub obligatione secreti, eum in finem, ut distribuerentur inter Qualificatores & Ministros, ferendæ censuræ & expeditioni illius materiæ interventuros ad securius procedendum, idque cum limitato & ad eumdem finem necessario exemplarium numero*. Liceat hic mihi cum omni respectu ac reverentia quærere, cur mihi, tantis marium terrarumque spatiis remoto, & per multa jacturæ faciendæ discrimina unicum solum aut certe pauca exempla manuscriptæ apologiæ transmissuro, eadem gratia facta non fuerit?

303 Sed feratur hoc, quamvis durum: istud quomodo capiam, quod permissæ sint imprimi Delationes, tam gravibus, tam enormibus contra reum maledictis injuriisque scatentes, quibus abstineri omnia alibi tribunalia jubent; sic ut in Actores, modum enormiter excedentes, severe animadvertant, foroque proscribant istiusmodi. Credamne illas ex mandato sacri Officii prius non fuisse lectas, quam imprimendi facultas expediretur; aut hanc expediendam fuisse, si lectæ essent? Quid? quod non me tantum, privatum hominem, Religiosum tamen; sed etiam coronatum Regis Christianissimi caput, iis conviciis onerare præsumpsit Delator, quæ extant parte 1. pag. 40. col. 3. (idque Latine, ne qua natio non intelligat). Novit Rex Catholicus, quæ Regibus, etiam hostibus, debeatur reverentia; nec impunitum abire sineret, qui de Rege Franciæ talia coram se effutiret: non credo autem in Hispania plus licentiæ ad talia in Ecclesiastico, quam in Civili foro concedi debere.

304 Decretum anni 1695. tales Delationes secutum, & libros meos censurans, quod attinet; fuit illud, mox ut prodiit, a triumphabundis insolenter Carmelitis ferme ubique recusum, ac studiosissime divulgatum, notioribus nationum quatuor Europæarum linguis, Latina, Hispana, Gallica, Teutonica. Idiomate autem Latino hanc præfert sententiam.

Nos, Inquisitores Apostolici contra hæreticam pravitatem & apostasiam, in Civitate, Regno, & Archiepiscopatu Toletano, cum Episcopatibus Abulensi, Segobiensi, & Siguntino, Partibusque harum partium, auctoritate Apostolica & ordinaria, &c.

305 *Omnibus & singulis personis, cujuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, aut dignitatis existant, exemptis aut non exemptis, civibus & incolis, existentibus & habitantibus in hac urbe Toletana, & in omnibus aliis civitatibus, oppidis, & locis dicti nostri districtus, & singulis ac unicuique vestrum, notum sit, ad nostram notitiam devenisse, quod impressi & evulgati fuerint quidam libri, quos mandamus recolligi & omnino prohiberi, qui sunt sequentes.*

306 *Liber unus in folio, primus, secundus, & tertius, cui titulus: Acta Sanctorum Martii, impres-*

impressus Antverpiæ, apud Jacobum Meursium; primus & secundus anno 1668. & tertius anno 1684. (Mirus profecto error, neque concipere possum unde natus: cum omnibus oculos habentibus videre liceat, eodem anno quo priores duos editum tertium Tomum Martii fuisse: Meursius autem obierit anno 1683. Joannes autem Baptista Verdussen, quem pro illo nominat Delatio Hispanica pag. 1. nec unicam quidem litteram to illo vel aliis Tomis impresserit).

Alius liber, primus, secundus, & tertius Tomus, intitulati: Acta Sanctorum Aprilis, impressi Antverpiæ, apud Michaelem Knobbarum anno 1675.

Alius liber, primus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, & septimus tomi, intitulati Acta Sanctorum Maji, impressi Antverpiæ; primus, secundus, & tertius tomi, anno 1680. quartus, & quintus, anno 1685. & sextus ac septimus, anno 1688.

Alius liber, cujus titulus est: Propylæum ad Acta Sanctorum Maji. impressus Antverpiæ, apud Michaelem Knobbarum anno 1685. uti apparet ex Dedicatoria: qui omnes simul sunt quatuordecim tomi. Auctores eorum, Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius, Societatis Jesu.

307 *Quia continent propositiones erroneas, hæreticas, sapientes hæresim, periculosas in fide, scandalosas, impias, piarum aurium offensivas, schismaticas, seditiosas, temerarias, audaces, præsumptuosas; plurium summorum Pontificum, Sedis Apostolicæ, Sacræ Rituum Congregationis, Breviarii & Martyrologii Romani, graviter offensivas; & excellentiarum quorumdam Sanctorum multorumque Scriptorum, nimium depressivas; & clausulas, multis Sanctis Patribus, & gravissimis Theologis Ecclesiasticis irreverentes. Et similiter quia continent propositiones Status Religiosi, multarum Religionum, & specialiter Carmelitarum, & suorum gravium Scriptorum, multarum Nationum, & signanter Hispaniæ offensivas; nec non multorum Auctorum, communi æstimatione veridicorum, detractivas: ac denique, quia in dictis operibus multa hæreticorum & doctrinarum alioium infamis notæ Auctorum, a Summis Pontificibus & ab Ecclesia prohibitarum & condemnatarum, continentur elogia; quorum doctrinis utuntur, at eas, quæ sunt Sanctorum & Ecclesiæ traditiones impugnent.*

308 *Ideo mandamus, ne ullus cujuscumque status, qualitatis, dignitatis, aut conditionis existat, dictos libros impressos, vel manuscriptos, tam prædictarum, quam aliarum impressionum, retinere, legere, aut vendere, vel imprimere, emere, aut de novo traducere valeat, sub pœnis excommunicationis majoris, latæ sententiæ, & ducentorum ducatorum ad usus sancti Officii; & cum commonitione, quod contra inobedientes procedetur. Et mandamus, ut a die, qua hæ nostræ litteræ fuerint lectæ, aut quocumque modo de iis sciveritis, aut notitiam acquisiveritis, usque ad sex dies immediate subsequentes (quos vobis pro tribus terminis, & ultimum pro peremptorio damus & assignamus) adferatis, exhibeatis, & coram nobis, aut coram Commissariis sancti Officii, in locis hujus nostri districtus residentibus, præsentetis, quatenus nobis consignent omnes supradictos libros, quos sic habueritis; & manifestetis eos, quos aliæ personæ habuerint & occultarint. Et contrarium faciendo, dicto termino elapso, eis qui contumaces & rebelles extiterint, non præstando, nec adimplendo præmissa (factis & repetitis dictis canonicis monitionibus in jure præmissis) Nos ex nunc pro tunc, & ex tunc pro nunc ferimus, & promulgamus in vos & in unumquemque vestram dictam excommunicationis majoris sententiam, & habemus vos dictis censuris & pœnis obnoxios; & commonemus vos, quod contra vos ad earam procedemus executionem, & prout de jure repererimus.*

309 *In cujus fidem, mandamus dari, & dedimus litteras nostras, nominibus nostris signatas, Sigillo sancti Officii munitas, & per unum Secretariorum secreti pronuntiatas. In Aula nostra Audientiæ sancti Officii Inquisitionis Toletanæ, die 14. mensis Novemb. 1695. L. Don Andres De Soto y la Fuente. L. Don Martin Perez de Segura. L. Don Francisco Ochoa de Mendarozqueta y Arramende.*

Locus ✠ Sigilli.

De mandato sancti Officii Inquisitionis Toletanæ
DON JUAN MANUEL GIRALDO.

Nemo tollat, sub pœna Excommunicationis Majoris.

310 Nullum erat uspiam alterutrius sexus monasterium, nulla communitas, ac fere nulla honestior domus, vel persona, cui non deferrentur biglotta vel tetraglotta folia, Antverpiæ, Bruxellis, Brugis, Lovanii recusa maximo numero; & eo fine, ut, si per civiles Magistratus licuisset, ad omnes platearum angulos affigerentur. Primus quoque Decreti promulgati nuntius, tam effusa lætitia exceptus est, ut Bruxellis quidem festivis ignibus explosionibusque triumphatum sit de hostibus, ut loquebantur, sui Ordinis; Antverpiæ invitati fuerint amici & vicini ad solenne Sacrum, in gratiarum actionem decantandum. Cum autem similia Decreta supervenerunt ab Inquisitionibus Regni Aragonici &c. Civitatis & districtus Madritensis, Regnorum Castellæ, Legionis ac Principatus Asturiæ, nec non Regnorum & Dominiorum Portugalliæ, &c. publicata Cæsaraugustæ 8. (fortassis legendum 18.) Novembris; Madriti, 19. Novembris; Vallisoleti, 15. Decembris; Ulyssippone, 14. Januarii 1696. simul omnia, Latina atque Hispanica lingua recusa, ac denuo sparsa sunt, titulis ubique ad valvas affixis, plaususque renovati; bonis ingemiscentibus, ridentibus aliis tam effusam super imaginaria isthac victoria lætitiam, per quam sensatis omnibus nihilo fiebat quam antea credibilior prætensa antiquitas.

311 Quicumque legebant Decretum, æqui & iniqui, mirabantur atrocitatem sententiæ, latæ contra 14. Tomos, quorum uni legendo, ne dum debite examinando, vix suffecisset trium quatuorve hebdomadum tempus, quod solum dijudicandis simul omnibus impensum dicebantur fateri Carmelitæ; excusantes id factum, ex præparata pridem materia, cuesim indicando loca singula. Sed, quam pridem cœpta præparari? Certe non nisi post perlatum ad Madritenses Carmelitas librum Exhibitionis, Approbationibus plerisque signatis mense Decembris 1691. Bruxellis, Lovanii, Antver-

Antverpiæ. Qui autem vel titulum legisse meminerant, continuo judicabant, hunc solum præluxisse laturis sententiam. Atqui similibus fere, quibus titulus ille, verbis usas fuisse Inquisitiones alias, ejusdem Toletanæ ex more secutas seolum apparebat; adeoque sine nova causæ cognitione: ita ut talium Decretorum cum primario Toletano consensus ad pompam solum inanem factat, non autem ad novæ auctoritatis robur primæ addendum. Omnes vero Inquisitiones illæ mandabant libros recolligi; & significabant, eos totos prohiberi: Hispanice, *que estan prohibidos in totum, y mandados recoger*.

312 Non ita Inquisitor Portugalliæ, ex Ordine Carmelitano bonus senex; qui nullam eatenus habens ipsorum librorum notitiam, sed sola atrocitate censurarum Hispanicarum perculsus, & a sui Ordinis Religiosis importunissime compulsus, hoc solum publice promulgavit: *Episcopus D. Fr. Joseph de Lancastro, Inquisitor Generalis regnorum & dominiorum Portugalliæ &c. Universis, ad quos præsentes devenerint, aut qui earum notitiam habuerint, notum facimus, quatenus matore considerantes, quod ex nostri officii munere tenemur invigilare, ut sacro-sancta fides Catholica in ea conservetur puritate, quam Sancta Romana Ecclesia, tamquam vera Mater & Regula infallibilis nos docet, omnia & singula semovendo, quæ Christi fidelium spirituali saluti officere possunt: & certiores facti, quod in Libris* (de Actis Sanctorum) *continentur propositiones, contra Sanctorum Patrum doctrinam communemque Ecclesiæ sensum; ideo præsentium tenore & auctoritate Apostolica mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nobis reservatæ, omnibus & singulis .... ut prædictos libros quos retinent, aut ab aliis retineri noverint, Sancti Officii Commissariis tradant & denuntient.*

313 Ita ille, prudenter ab omni censura abstinens; eam autem, quam in Hispania latam competerat, justamque arbitrabatur sic mitigans, ut videatur non potuisse persuaderi, quod in talibus libris, a Societate Jesu approbatis, continerentur *Propositiones Hæretica, Sapientes hæresim, Schismaticæ, Seditiosæ &c.* Postquam autem, requisitis plurium peritorum, quibus fidere se posse credebat, judiciis, etiam in Hispania atque Madriti, comperit libros innocentes censeri, atque per meram subreptionem & calumniam tam fœde proscriptos, relaxari quidem ipsos mox jussit, & iis a quibus ablati erant restitui; pergit nihilominus, sicut a nostris rogatus est, in ipsorum librorum examine. Sed cum pauca admodum toto regno habeantur exemplaria, & pauciores qui legerint; Responsionum quoque nostrarum exigua eo pervecta sit copia, & plerique ecclesiastici Ordinis, qui aliquid in re historica scire creduntur, figmentis Dextrinis, æque ac Hispani quam plurimi, mordicus adhæreant; difficile erit, ut ea via verum sincerumque judicium obtineat Inquisitor, priusquam Roma locuta fuerit.

314 Et ipse quidem, ut *Inquisitor Generalis*, Decreto suo subscripsit; Hispanico autem, soli Inquisitores locales, nulla facta mentione Inquisitoris Generalis, passim subscribere soliti iis, quæ promanant a Generali Inquisitione, judicio coram illo ejusque auctoritate exercito. Hinc Dominicani, tam Belgæ quam Itali, ad ejusmodi Decretum exhorrescentes, merito videntur negavisse, D. Jo. Thomam de Roccabertis, ex sui Ordinis Generalatu Archiepiscopatui Valentino, deinde supremæ Inquisitioni concessum, partem aliquam in ipso Decreto habuisse. Quin etiam ex Hispania scribitur, ipsummet pluribus se excusasse, quod ad officium accedens, judicium totum absolutum invenerit. Idem fortassis etiam responderit Archiepiscopo Parisiensi, consanguineo suo; qui cum jussisset coram se suisque Canonicis, in quibus eruditissimus Claudius Castellanus, Decretum legi, stomachabundus adjecit, quod super tam extravaganti sententia vellet cognato illi suo scribere.

315 Sane incredibile est, quod is, qui in libris, a se pro suprema Pontificis auctoritate editis, sæpius laudat, allegat, & sequitur sententiam meam, ac nominatim circa innocentiam S. Marcellini, fictionemque Synodi Sinuessanæ, damnari eamdem tam fœde permisisset, particeps & præsens judicio, & censuratarum in eo propositionum conscius.

316 Porro cum prælaudatus Parisiensis, sub lectione sæpe dicti Decreti, audiret hanc clausulam, *Et specialiter Carmelitanæ*; cum risu exclamavit: *Eccum crimen. Eccum causæ totius caput*. Ego vero existimo, alterum risum addi potuisse, ex clausula altera, *& signanter Hispanicæ offensivas*, propter Dextrina figmenta, in libris nostris traducta; propter quæ si patiar in Hispania, non erubescam, sed gloriabor etiam in isto nomine; certo persuasus, futurum aliquando, ut turba imperitorum, pietatis specie deceptorum & obcæcatorum, lumen oblatum a prudentioribus, nec minus veritatis quam patriæ amantibus, tandem aliquando suscipiens, lætanter incipiat cum Ecclesia canere,

Lux ecce surgit aurea,
Pallens facessat cæcitas,
Quæ nosmet in præceps diu
Errore traxit devio.

Tunc ex voto Cardinalis Aguirre, peregrinis Higueræ, Tamaji, & Lupiani Zapatæ figmentis damnatis, repurgabitur Historia Ecclesiastica Hispaniæ, & antiqui ac veri gentis Iberæ Patroni clarius enitescent, secreti a turba male superinductorum, vel fictitiorum, vel ad Hispaniam pertinentium ex toto nihil, aut pertinentium quidem, sed nullo majorum usu aut decreto aris admotorum.

317 Interim non despero, prius etiam quam ejusmodi reformatio fiat, satis illuminandos supremi istius Tribunalis Ministros, quantumvis in re historica hactenus parum versatos, ideoque facile protractos a Carmelitis in sententiam tam probrosam sibi apud exteros omnes; spero, inquam, fore ut ex meis Responsionibus intelligant, auctores istos, quos suimet scriptores tam patentis arguunt fictionis, merito contemni a scriptoribus externis; neque horum libros, majori quam in Hispania fieret libertate scriptos, esse contemnendos, quia maluerint de Hispanicis Sanctis vera, quam vulgo placentia tradere. Supremus certe Inquisitor, supplicationibus meis nostrorumque Madriti Patrum, ad hoc auctoratorum, benigne inclinatus

cum

cum suis Assessoribus, annuit recipiendam pro ipsis libris, quæ offerebatur, Apologiam, causæque revisionem instituendam, per Decretum quod ex Hispanico Latine redditum ita sonat.

318 *Madriti, die tertia mensis Augusti, anno 1696. Excellentiss. Dominus Archiepiscopus Valentinus, Inquisitor Generalis, cum Dominis de Consilio Majestatis suæ sanctæ Inquisitionis generalis, visis petitionibus Patrum Antonii Beltran & Josephi de Aguirre, Procuratorum Generalium Societatis Jesu in Castellæ Provincia, quas exhibuerunt pro parte Patrum, Danielis Papebrochii, Francisci Baertii, & Conradi Janningi, ejusdem Societatis Religiosorum, petentium sibi dari copiam Propositionum delatarum & censuræ latæ super illas, ut contentas in libris intitulatis Acta Sanctorum &c., ut prædicti eorum Auctores Papebrochius, Baertius & Janningus possint respondere, & satisfacere censuræ super eas latæ; jusserunt, ut eis detur copia & transsumptum, quod petunt, juxta stylum sancti Officii; atque ut P. Josepho de Aguirre, Procuratori Actuali ad id instituto, tradatur, accepta vicissim recepisse, & juramenta pro se & partibus quas repræsentat præstito, quod dictæ copia servabitur cum omni cautela & secreto convenienti, nec cuiquam omnino communicabitur, præterquam Auctoribus dictorum librorum, aut aliis quos Societas designaverit ad responsionem & defensionem; sic ut inde non extrahatur alia copia, vel copiæ: quod si ad hunc finem aliæ plures necessariæ sint, eas petent, sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ, & cum interminatione, quod contra secus facientes procedetur ad id, quod locum in jure habebit.*

319 *Item, ut illis mandetur, sub eisdem censuris & pœnis, non imprimant Defensorium, quod formabunt & mittent ad S. Officium, neque copiam inde sumant, publicent, aut participent personæ cuicumque: opere autem finito ipsum præsentabunt suæ Excellentiæ & Dominis prædicti Consilii, simul cum adversariis primæ suæ, quantumvis maculosæ, scriptionis* (los borradores) *quibus usi fuerint; sic ut folium omnino nullum, mundum vel immundum, apud Auctores remaneat, remittenda easdem Propositiones & Censuras, quæ ipsis concessæ fuerint. Contentum autem hujus Actus notificetur d. Patri Josepho Aguirre, cujus etiam ei copia detur. Pro punctuali autem ejus observantia, ipsum rubricarunt sua Excellentia & Domini prædicti Consilii, D. Antonius Alvarez de la Puente, Secretarius Regis & hujus Consilii.*

Don Antonio Alvarez de la Puente.

Concordat cum suo originali, quod coram me exhibuit P. Franciscus Holgado de Herrera, Provincialis Societatis Jesu in Provincia Toletana, cui ipsum reddidi transmittendum, in cujus rei fidem, atque ut omnibus constet; ipsam copiam firmo & signo, Madriti 9. Augusti, anno 1696. in testimonium veritatis.

Petrus Josephi Not. Apost.

CAPUT IX.

Papebrochii Delatores conantur Decretum contra Acta Sanctorum, totius Christiani orbis stupore exceptum, variis & nihilo minus injuriosis modis palliare.

MOx atque Hispanicæ censuræ decretum, tam enorme, comparuit linguis quatuor publicatum, spargentibus quaquaversim Carmelitis; idque in Belgio, Inquisitioni illi nequaquam subjecto, & adhuc memore ingentium turbarum, quibus olim ipsum vel solus ejus huc inducendæ metus involvit; ingens omnes cupido incessit, cognoscendi distinctius Propositiones, tam fœde censuratas: quibus respondebatur a Carmelitis, Lovanii & alibi, brevi illas cum sua quasque Censuris edendas in lucem. Non fuisset id difficile, habentibus Delationes & Expostulationes, annis 1692. & 94. impressas; easdemque verosimiliter fide subductas sacro Officio censuras ipsas, qua illas acceperant. Imo credibile est, quod utrasque jam tum habuerint Latine redditas: in tali enim re quapiam gnaviter laborari, declaravit viro Nobili Antuerpiensi, id cum opus fuerit testari parato, quidam ex Discalceatis, in Claustro Carthusianorum obambulans, interim dum suus socius, Rev. P. Cornelius de Monte Carmelo, alias vanden Bogaerde, cum Priore monasterii privata quædam tractabat negotia. Sed resedit fervor iste, cum intellexerunt id fieri non posse, nisi vellent sacrum Tribunal irreconciliabiliter offensum, publicatione eorum librorum, quos imprimendi facultatem ipsum non dederat, nisi pro informandis secrete Qualificatoribus, ut supra dictum est.

321 Ad fidem tamen promissi quadamtenus solvendam, opportune advenerunt Hispali impressæ Theses: quibus id, quod quærebatur, præstari utcumque videbatur. Vetuerat illas quidem propugnari Inquisitor Hispalensis, & supprimi jusserat; sed serius id erat, & sparsa quaquaversum volitabant exemplaria: quæ pluribus locis recusa, justificatura credebantur enormitatem Censurarum. Earum copiam & Theses inde extractas publicandi facultatem, quomodo acceperit Auctor, declarandum ipsi relinquo; nisi fateri malit se, (quod verosimilius est) non visis originalibus actis sacri Officii, ex incerto aliorum relatu propriaque conjectura, Propositiones definivisse, eisque aptasse Censuras, congruere visas. Ut ut est, impressæ fuerunt Hispali Theses; quæ quem ferirent, licet non exprimeretur nomen, dubium esse poterat nemini, controversiæ tunc ubique ferventis gnari: & subscriptum erat, *Propugnabuntur in Collegio majori D. Thomæ, die 19. Octobris 1697. mane & vesperi. Ex typographia Lucæ Martini de Hermosilla.* Has, sicuti promittebantur *propugnandæ*, sic reapse *propugnatas*, supposuit, qui reimprimendas obtulit Carmelita, ei qui reimprimi posse censuit, Ordinario Lovaniensi, 30. *Januarii* 1697. quando eisdem factus est hic titulus: *Theses, haustæ ex perenni fonte Angelici Præceptoris & quinti ecclesiæ Doctoris, D. Thomæ Aquinatis; & ipsius gloriosa nomini, humili & supplici obsequio, dedicatæ.*

312

322 Titulo, qui originali Hispalensi non aderat, Lovanii componendo argumentum dabat Dedicatoria, terminis concepta valde bombilooantibus & perplexis; quos Grammaticorum pueria concinnandos relinquens, ipsos, sic uti accepi, repræsento. *Integerrimæ puritatis candore, Illibata decorato munditia, claro Virginitatis nobilitato insigni, Angelicæ manus insignito miraculo; quem præstantium excellentia virtutum, quem omnigenæ sanctitatis emporio conspicua reddunt fulgescentem facinora; cujus sapientiæ multæ nimis abyssus, sibimet conferenda relinquitur, cum Deus ipse prædicavit eximiam; Angelico, inquam, præceptori D Thomæ Aquinati, quinto Ecclesiæ doctori, Fidei columini, orthodoxæ Veritatis athletæ, Sedis Apostolicæ pugili; hæ tenues lymphulæ, ex ipsius perenni fonte haustæ, humili & supplici dedicantur obsequio.*

323 Post hujusmodi Dedicationem, quid aliud expectes, quam puras putas, si non ipsius S. Thomæ, saltem Scholæ Thomisticæ Conclusiones? Verum nihil minus invenies in iis thesibus, quas ad triginta produxit Auctor, multa asserens, probans nihil; responsuroque dumtaxat molestiam facessens, juxta Proverbium quo vulgariter dicitur, *plus posse interrogare stultum unum, quam septem sapientes respondere*. Fuit tamen qui responderet stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videretur. Ita mox comparuerunt impressæ Salmanticæ, *Contra calumnias veræ Papebrochii Assertiones*, quibus subscriptum erat, *Defenduntur Salmanticæ more Academico-Juridico, expositis libris & textibus*.

324 Hasce Antitheses si una cum Thesibus recudi fecissent Patres Carmelitæ, veritati quidem consuluissent bene, sed causæ suæ perquam male. Me vero quid prohibeat utrasque sic componere, ut veritati opposita falsitas, maledicentiæ modestia, eluceant luculentius.

THESIS HISPALENSIS I.

Divos Apostolos Petrum & Paulum fuisse in solidum Episcopos Ecclesiæ Romanæ, Proposita sapiens hæresim est.

ANTITHESIS SALMANTIC. I.

D. Paulum recte dici posse Episcopum Romanum, Petro tamen subordinatum, ab omni hæreseos suspicione vacat. S. Leo P. S. Epiphan. S. Iren. F. Mat. Corona, Diana, disp. 1. Apolog. sec. 3. n. 6. Imo Linum, & Cletum Episcopatum in Urbe gessisse, vivente adhuc S. Petro, confirmant Auctor Præfat. ad lib. Recognit. Auct. Pontificalis, Guilielmus de Nangiis, Albertus Stadensis, & sic quoque Cardinales Baronius & Bellarminus, *quos cum Binio secuti sunt plerique periti*, ut ait Schelstratius Antiquit. illustratæ p. 2. dissert. 3. cap. 2. n. 254.

II *Practice dubitare, an Sancti, canonizati ab Ecclesia, fuerint in rerum natura, erroneum est.*

III *Si vero de Sanctis beatificatis fiat dubium practicum, an in rerum natura exstiterint, temerarium est.*

II, III Practice vel speculative dubitare de Sanctis, quorum existentia & cultus solummodo nota sunt ex incertis, fabulosis, & suppositiis monumentis, tam longe abest a temeritate aut errore, ut laude dignissimum censeatur ab his, qui ecclesiasticam historiam ab omnibus figmentis repurgatam videre cupiunt.

IV *Ponere scienter in albo Sanctorum Confessorum, quem Romana Ecclesia in hoc Catalogo non annumerat, ingens temeritas est.*

IV Abstinere a titulo Martyris conferendo ei, quem Pontifices tantum Confessorem nominant; & cujus martyrium, non nisi ex suspectæ fidei Auctoribus deducitur, prudentissimum est; uti fecit Baronius in Martyrologio a se recognito.

V *Reliquias Sanctorum, ab Ecclesia approbatas, vel prolixo sæculorum tractu publicæ venerationi expositas, in dubium vertere, scandalosum, temerarium, & injuriosum est.*

V Dubitare ex gravibus fundamentis, an hic vel alibi quiescant reliquiæ Sanctorum, etsi pro alterutra parte stent diplomata Pontificia, aut etiam Breviarii auctoritas, neque temerarium neque scandalosum est, ut patet ex his, qui pro possessione corporis S. Benedicti contendunt, allegatis utrimque Bullis, ex certa scientia conditis; tum etiam ex Em. Card. Ursino, negante translatas unquam fuisse Romam reliquias S. Bartholomæi, etsi contrarium asseratur in Breviario Romano.

VI *Sanctæ mulieris Veronicæ existentiam in dubium vertere, temerarium est. Sacram vero imaginem Genuensem, in Sudario ab ea Christo Domino, sub Cruce gementi, oblato, depictam fuisse negare, contra inconcussam traditionem pugnare est.*

VI Sanctæ mulieris Veronicæ existentiam, non item Sudarii Christi faciem exprimentis, in dubium vertere, temerarium esse negabunt Baronius & S. Carolus Borromæus, qui ab omnibus Breviariis, & Missalibus Ecclesiæ Mediolanensis ejus nomen eradi jussit; & eruditissimus Joan. Mabilio, cum Jacobo de Trecis postmodum Urbano IV. cujus verba profert in Itinerario Ital.

VII *Imagines Christi Domini, & beatissimæ Virginis Mariæ, a Divo Luca Evangelista propria manu depictas, in dubium vertere, temerarium est*

VII Non credere eadem firmitate S. Lucam pictorem fuisse, atque medicum, nullam temeritatis notam meretur; cum medicum fuisse constet ex sacra Scriptura, secus pictorem; quamvis hoc etiam moraliter certum sit.

VIII *Baptismum Magni Constantini, a S. Silvestro ministratum, & virtute sacri lavacri fuisse prædictum Imperatorem a lepra mundatum, negare, insignis temeritas est.*

VIII Constantinum Magnum, Romæ a S. Silvestro fuisse baptizatum, usque adeo incertum est, ut contrarium sustineant hodie plerique eruditorum. Card. Perronius, Dionysius Petavius, Andreas Valesius, Antonius Pagius, & (si per vos licet, licebit autem opinor) eruditissimus P. Natalis Alexander, cum plerisque antiquorum, ut sunt Eusebius, Theodoretus, Gelasius Cyzicenus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, & alii plures.

IX *Antiquitus, ut Martyres, venerari quotquot ex populis Christianis violenta morte diem claudebant extremum, etiamsi a prædonum vel latrocinantium manu cæsos esse constaret, & hoc suspicari de S. Geruntio impium, temerarium, & blasphemum est.*

IX Antiquitus ut Martyres coli solitos nonnullos, qui alia quam fidei causa occubuerint,

con-

constat manifestissime, exemplo SS. Rumoldi, Ruperti, & Lamberti Episcoporum: quin imo SS. Evermari, Trudberti, & similium a grassatoribus mactatorum. Canutus quoque Daniæ, Eduardus Angliæ, Wenceslaus Bohemiæ Reges causa regni occubuere, & Martyres habentur.

x *Martyrologium Romanum ac Breviarium pluribus scatere fabulis, fictionibus, & falsitatibus, scandalosum & temerarium est.*

x Martyrologium ac Breviarium Romanum in nunnullis spongia indigere, *doctissimi Historiarum exploratores judicant*, ut ait Card. Ursinus.

xi *Donationem Magni Constantini, factam Romana Ecclesiæ, falsam & fictitiam esse, atque ad eam validandam instrumentum suppostitium factum fuisse, blasphemum, impium, & temerarium est.*

xi Instrumentum Donationis a Constantino factæ, suppositititium esse, tenent S. Antoninus, Card. Cusanus, Morinus, Christianus Lupus, de Marca, Schelstratius cum aliis: & saltem interpolatum, & depravatum esse, fatetur Baronius.

xii *Donationes, factas a Regibus, aliisque Magnatibus, pluribus Ecclesiis, tam Regularibus quam Secularibus, tum Galliæ, tum Hispaniæ, falsas & fictas esse; tabulasque publicas confictas fuisse a religiosis & viris simplicibus illius ætatis, ad prædictas donationes firmandas; injuriosum, seditiosum, scandalosum, & temerarium est.*

xii Multa diplomata a religiosis viris conficta fuisse seculo xi. pro tuendis bonis suis, fatetur eruditissimus D. Joannes Mabilio lib. de re diplomat. ad quem proprius, quam ad alios ea causa spectat.

xiii *Indulgentiarum usum non viguisse in Ecclesia usque post seculum duodecimum, sapit hæresim.*

xiii Indulgentiarum usum (ad eum quo nunc modum) non viguisse in Ecclesia usque ad seculum xi. adeo non sapit hæresim, ut hoc ipsum Roma probaverit, in Comm. Hist. Jo. Morini, de disciplina in administr. Pœnit. valde laudato a Card. Barberino. Probarunt etiam eruditi in Curia Pontificia viri, Augustinus Favoritus, Joannes de Luciis, Michael Angelus Riccius postea Cardinalis, nec non Joannes Maria Sanfelicius Apostolicus ad inferiorem Germaniam Nuntius, in Epist. ad quemdam Doctorem Coloniensem.

xiv *Prælatos in Hispania, magis pios, quam cautos, eo adductos esse, ut cultum ecclesiasticum decernerent multis, qui non dico ad Hispaniam nihil pertinent (id enim levius foret) sed neque probari quidem possunt, in rerum natura fuisse, temerarium, injuriosum, scandalosum, atque piarum aurium offensivum est.*

xiv Pios magis, quam cautos fuisse nonnullos in Hispania Episcopos, qui eorum fidei credentes, qui Dextrinas fabulas pro antiquissimis monumentis obtrudere voluerunt, eo adducti sunt, ut cultum Ecclesiasticum decernerent pluribus Sanctis, quorum existentia, quando ab unius Dextri auctoritate pendet, citra noxam improbabilis censeri potest, constanter affirmabunt, idque asserentes ab omni temeritatis & scandali nota liberabunt, non tantum exteri fere omnes, sed ex Hispanis etiam primæ notæ scriptores plurimi, Dextrinum chronicon novitium figmentum esse contendentes. Unum pro multis legisse sufficiet eruditissimum, atque Excellentissimum Marchionem Mondexarensem, toto opere Differt. Ecclesiast. præsertim a Differt. 3.

xv *Symbolum fidei, quod in diebus Dominicis solenniter ab Ecclesia concinitur, non esse concinnatum a Divo Athanasio; Regulam D. Augustini non esse dictatam pro viris, sed pro mulieribus; Librum de cælesti & ecclesiastica hierarchia, non esse a D. Dionysio Areopagita compositum; falsissima sunt.*

xv Symbolum *Quicumque vult*, non esse concinnatum a D. Athanasio, *eruditissimi plerique consentiunt*, ut ait Eminentissim. Card. Ursinus. Regulam D. Augustini non esse dictatam pro viris, sed pro mulieribus affirmant Bellarminus & Nicolaus Desnos in suo Canonico Seculari & Regulari. Libros de cælesti & ecclesiast. Hierarchia non esse a D. Dionysio Areopagita compositos, tuentur celeberrimi Scriptores, Joan. Roffensis, Card. Cajetanus, Jacobus Sirmondus, Dionysius Petavius, Joannes Morinus, Guillelmus Crocinus, Chistianus Lupus; quique, ut ait Labbe in Differt. Philolog. multorum instar esse potest, Illustriss. Isaacus Habertus Episcopus Vabrensis, & alii plures: quibus accedit judicium Academiæ Parisiensis apud excel. March. Mondexar. ubi sup. Differt. 4. cap. 5. num. 25.

xvi *Corpus Beatæ Catharinæ, Virginis & Martyris, non fuisse collocatum per sanctos Angelos in monte Sinai, temerarium est.*

xvi Adeo incerta sunt, quæ de S. Catharina passim narrantur, ut ejus vitam totam fabulosam esse ab initio usque ad finem, affirmet Adrianus Valesius, in Posthumis, pag. 48. nec parum dubitet Baronius.

xvii *Veri nominis Monachos neminem facile invenire posse anno ducentissimo septuagesimo a Christi Domini nativitate, sed tales tantum, quales faciebat fugiendæ persecutionis necessitas, qua initium vero Monachatui dedit circa finem seculi tertii; sapiens hæresim ac temerarium est.*

xvii Vitæ Monasticæ cultores ad seculum 3. esse referendos, sine ulla hæresis umbra, docebunt Hieronymus in Præfat. ad reg. S. Pachomii, Acta ejusdem Pachomii, nec non Lucas Holstenius Præfat. ad Cod. regul. ubi ait, *ætati Constantini Magni vita regularis initia imputanda sunt.*

xviii *Monachatum, a Christo Domino institutum, & a tempore Apostolorum susceptum, certum est.*

xviii Etsi certum sit, Monachatum quoad substantiam a Christo & Apostolis institutum esse; incertum tamen est, an ante Antonii & Pachomii tempora stabilis vitæ monasticæ professio extiterit. S. Hieronymus, ubi supra, & in Præfat. ad vitam S. Pauli.

xix *Monachatum imperfectum a Sanctissimo Propheta Elia cum tribus votis, Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis inchoatum, absque solemnitate tamen & potestate clavium, a Monachatu legis gratiæ, tamquam ab exemplari desumptum, & usque ad Christi adventum continuatum, & sanguine Christi promeritum, evidenter probabile est extitisse.*

xix Monachatus Eliæ, qualiscumque demum fuerit, usque ad Christi adventum continuatus,

cate-

eatenus probabilis erit, quatenus id evicerint fundamenta pro eo allegata.

xx *Magni Prophetæ Eliæ indumentum fuisse ex mollissimis pilis, mira venustate splendentibus contextum, hæreticum est.*

xx Licet hæreticum esset asserere, Eliæ indumentum fuisse contextum ex pilis mollissimis, & mira venustate splendentibus; ei tamen attribuere meloten, seu vestem ex pelle ovina factam, omnino Catholicum est.

xxi *Nihil certe plausibilius dici potest, ad conjugium Beatissimæ Virginis Mariæ cum ejus voto virginitatis conciliandum, quam quod* ex familiari Spiritus S. instinctu, credenda est desponsari voluisse, confidens de divino auxilio, quod nomquam ad carnalem copulam perveniret. *Ut ait D. Thomas 3. p. q. 29. art. 1. ad 1.*

xxii *Nihil vero ineptius excogitari potest, ad prædictum conjugium cum præfato voto stabiliendum, quam; ut ex tempore emissi voti necessitas inciderit improvisa conjugii ineundi, quæ ex æquo utrumque conjugem ad matrimonium, & usum matrimonii obstringeret, & utrumque redderet dubium de voti obligatione; & sic ad contrahendum matrimonium utrumque liberum exhiberet, si legem vellent, ut profecto volebant, observatam.*

xxiii *Ineptissima, inquam, cogitatio, & in multis deficiens. Primo, in eo quod votum a beatissima Virgine asserit emissum, improvisa lege conjugii eam obligante: quod quidem erroneum est. 2. In eo quod legem obstringentem beatissimam Virginem ad matrimonium ponit: quod falsum est. 3. In eo quod legem fingit ad usum matrimonii sanctissimam Virginem compellentem: quod erroneum est. 4. In eo quod beatissimæ Virginis assensum in usum matrimonii tribuit, quod hæreticum est. 5. In eo, quod beatissimam Virginem a voto virginitatis emisso, in casu prædicto dubii, liberat: quod temerarium & erroneum est.*

xxiv *Neque securiori tramite discurrit, qui, ut supradictum fœdus matrimonii & voti statuat, asserit, quod voto virginitatis noluerint se obligare beatissima Virgo & castissimus Joseph, in casu, quo matrimonii ineundi adveniret necessitas; quia licet lex ad usum non obligaret matrimonii; nihilominus, quia ex cohabitatione viri cum uxore communiter periculum incontinentiæ imminet, adeo difficilem voti virginitatis observantiam judicarunt, ut rationabiliter conferri possit, noluisse ipsos in casu simili se voto constringere.*

xxv *Haud minus, inquam, deviat hic discursus. Primo; quia votum virginitatis absolutum, facit omni tempore alienum a Beatissima Virgine: quod erroneum est. 2. Quia periculum incontinentiæ, plenitudini gratiæ ipsius Dei Genitricis repugnans, judicat attribuendum: quod temerarium & erroneum est.*

xxi, xxii, xxiii, xxiv, xxv Amandatis procul inanibus glossematis, nemo hactenus honorificentius, religiosius nemo, de B. Mariæ virginitatis voto, ejusque conjugio locutus est, quam P. Papebrochius, tom. 3. Martii pag. 14. §. 7. a num. 44. & in Propylæo Maii pag. 31. a num. 22. ut graviter & perspicue demonstrat Apologetica Doct. Ignatii Jordi, Canonici Perpinianensis, Epistola.

xxvi *Messiam ex Abraha semine & Davidis stirpe descensurum, nota erat passim & ubique prædictio: sed quomodo huic sua subsisteret veritas, tunc maxime obscurum fecerunt Evangelistæ Lucas & Matthæus, cum exposita generationum serie, & quasi tabularum fide, eamdem videbantur clare demonstratam voluisse. Hoc assertum hæreticum est.*

xxvi Nullus, nisi plane Scripturarum indoctus, dubitare potest, quin uterque Evangelista Matthæus & Lucas, ex diversa, quam prosecuti sunt, generationum serie, maxime obscuram reddiderint Christi genealogiam. Quod si quis hujus rei experimentum capere velit, inveniet, post doctissimas SS. Patrum & Interpretum lucubrationes, copiosam adhuc restare difficultatum messem.

xxvii *Ex modo, quo sacri Evangelistæ Christi Domini Genealogiam descripserunt, occasionem præbere adversariis veritatis, aut Evangelistas mendacii, aut fidem nostram falsitatis arguendi, hæreticum est.*

xxvii Hæreticos, tam ex genealogiis Christi, quam ex aliis Scripturæ locis, occasionem arripuisse blaterandi multa contra infallibilitatem Scripturarum, demonstrabit, ut ceteros prætercam, Augustini concordia; nisi forte & huic hæresim affingere libet.

xxviii *Plerique Sanctorum Patrum, temere Africanum secuti, nec rationi, nec Scripturis satis conformiter videntur adscripsisse Matthæo, ejus, quæ secundum naturam est, generationis seriem; Lucæ vero alterius, quæ secundum legem successionis. Hoc dictum, blasphemum, impium, ac erroneum est.*

xxviii Deducere, ad augendam ejus opinionis difficultatem, plerosque Patres, temere Africanum secutos, seu, quod idem est, in Africani sententiam conspirantes, non satis conformiter rationi aut Scripturis videri locutos, nec blasphemum, neque impium, neque erroneum est; aut easdem omnino censuras merentur Scholastici omnes, quotquot gravissimas absurditates ex contrariis opinionibus deducere solent.

xxix *Nec dicere audemus omnino, neutrum Evangelistarum carnalem Christi genealogiam texuisse, non Matthæum, sæpius ab ipsa deficientem; non etiam Lucam, quia hic in contrario nobis sensu statim ab ipso limine errat, generum substituens loco filii. Et hoc erroneum est.*

xxix Etsi non tantum erroneum, sed etiam impium, atque blasphemum esset, negare, alterutrum Evangelistarum carnalem Christi Genealogiam texuisse, ab his solum hæc absurditas devoranda erit, qui statuere volent, Joachimum, patrem B. Virginis eumdem esse cum Heli, ut recte argumentatur Papebrochius tom. 3. Martii pag. 78. §. 2. num. 8.

xxx *Sanctos autem Patres vituperare, eorum uniformem doctrinam spernere, & nihili facere; Auctorum vero ab Ecclesia damnatorum dicta & scripta usque ad nubes & cælum extollere, mali genii pessimæque indolis signum & indicium est.*

xxx Sanctorum Patrum sententias, etsi aliquando deserantur, reverenter tractare, religioso & probo viro consentaneum est. Nullus autem, nisi per summam contumaciam, exprobare cuiquam potest, quod religiosos & doctrinæ fama claros Scriptores, licet eorum opera ab Ecclesia damnata sint, cum elogio allegaverit; præsertim, si id factum sit ante eorum damnationem. Hactenus ambæ partes.

318 Non poterant latinæ Theses, eæque perbre-

breves illo in regno, ubi istius linguæ usus rarus est, & ubi Decretum vulgari lingua fuerat promulgatum, satisfacere infinitæ multitudini curiosorum, distinctius scire cupientium, quænam essent Propositiones inventæ in duorum Jesuitarum libris, vix aliter in Hispania quam titulo, numero, & magnitudine notis; quibus tam præceps tamque atrox censura infligenda fuerit, ac si præsens & contagiosa pestis iis contineretur, totam Religionem Catholicam eversura. Impressa Delationum & Expostulationum, ut fuerant prætextu informandi sacri Officii curata, sic non multa verosimiliter erant; & ut multa fuissent, non poterant absque illius consensu vulgari; hic autem consensus tanto minus sperari debebat, quanto gravius vulgo glicebat rumor de injuria Actis Sanctorum illata. Placuit ergo, illis deinceps suppressis, ipsos P. Sebastiani libros Hispanicos facere, supplendo unos ex aliis, & quædam addendo, noviter forsan ab ipsomet auctore hinc suggesta. Titulus operis Latine expositus hic est. *Memoriale, quod in defensionem veritatis & comprobationem innocentiæ præsentatur ad rectæ rationis tribunal, contra calumnias, quas P. Conradus Janningus Jesuita imponit libro, intitulato Exhibitio errorum .... quam lingua Latina scripsit P. Fr. Sebastianus a S. Paulo, & S. D. N. Innocentio XII. dedicavit anno 1693. in linguam autem Castellanam traduxit, atque in formam Memorialis redegit Don Daniel a S. Petro, Juris utriusque Doctor. Impressum Hispali, cum licentia Ordinarii, per Mathiam Merinerum 1696.*

329 Hoc Memoriale, calumniosum æque ac ipsa Exhibitio, detulerunt, ut multipliciter tale, ad sanctæ Inquisitionis Tribunal Vice-rector Salmanticensis cum multis sui Collegii Patribus, die 13. Octobris, 1696. detulerunt autem in hunc modum alloquentes Salmanticensem Inquisitionem. *DOMINE. Vice-rector & Patres quidam Collegii Societatis Jesu Salmanticæ, moti justo ac debito zelo pro honore Religionis suæ tam necessario ad Dei obsequium in eadem Religione ejusque individualibus personis, deferunt Celsitudini Vostræ adjunctam his chartam, tamquam summopere injuriosam Societati Jesu, Patriarchæ suo & individuis suis, quemadmodum apparebit ex sequenti tenore.*

330 *Primo in Appendice fol. 42. num. 68. sic dicitur* „ Injunctum fuit P. Generali Societatis „ Jesu, de mandato suæ Sanctitatis ordinare, „ non solum ne permittatur Patribus Societatis „ scribere pro opinione magis probabili, & im„ pugnare sententiam eorum qui asserunt, quod „ in concursu opinionis minus probabilis cum „ magis probabili, cognita & judicata tali, li„ citum sit sequi minus probabilem: verum et„ iam mentem Sanctitatis suæ esse, ut in omni„ bus Universitatibus Societatis, quæcumque „ illæ fuerint, scribatur pro opinione magis „ probabili, & impugnetur contraria supradi„ cta; mandetque ipse illis, ut integre se sub„ jiciant mandato suæ Sanctitatis.

„ Die 8. Julii 1680. mandatum istud intima„ tum fuit P. Generali Societatis Jesu, per Re„ verendiss. D. Assessorem: respondítque, obe„ diturum se in omnibus prædictis; quamquam „ nec ipse, nec sui antecessores unquam prohi„ buerint scribere pro opinione magis probabili „ eamque docere. Et tamen Societas nonnisi „ contrarium practicat, defendendo & docendo „ opiniones maxime laxas & oppositas meliori „ Theologiæ, etiam post condemnatas tam mul„ tas in suis auctoribus ab Alexandro VII. Et id„ eo non solum non receperunt dictamen sui Gene„ ralis, scribendi & docendi in favorem opinionis „ magis probabilis, in concursu minus probabilis; „ sed etiam opposuerunt se ejus scripto & consilio, „ adeo ut, propterea quod in Societatem introdu„ cebat istam sanam doctrinam, aliaque dictami„ na sancta, tractaverint de eo dejiciendo ex gra„ du suo, aut sese eximendis ab ejus jurisdictio„ ne. Atque hic fuit effectus, quem in Hispa„ nia produxit Decretum Congregationis atque „ dictamen P. Thyrsi Gonzalez.

331 *Domine, injuria & calumnia, quam continent verba ista omnia contra Societatem, individuos suos, & P. Generalem, quod ipsis tantam licentiam permittat, non minus evidens est, quam gravis: ideoque relinquendo illam sublimi considerationi Celsitudinis vestræ, progredior ad alia.*

332 §. 12. *Ejusdem Appendicis num. 56. fol. 40. sic legitur* „ Et vero si statuatur, quod rela„ tionibus, quæ inseruntur Bullis Pontificiis, non „ debeatur plus fidei quam antea habebant, a„ peritur porta ad invadendam undique Socie„ tatem. Quia supposito isto principio, diffi„ culter probabit Janningus, quod liber Exer„ citiorum sit S. Ignatii; & æque difficulter pro„ babitur, quod Scholares Societatis sint pro„ prie dicti Religiosi.

333 *Domine, præterquam quod præsuppositum istorum verborum imputetur Janningo & Papebrochio, est impostura; quemadmodum postea videbit Celsitudo vestra. Videtur autem etiam erronea consequentia esse, quam ex isto præsupposito educit hæc charta. Omnes enim Catholici sentiunt, quod Papa sit infallibilis in approbandis Religionibus earumque institutis; & ex alia parte Gregorius Papa XIII. per Bullam* Ascendente Domino, *expedita* motu proprio, *confirmat & approbat Institutum Societatis, declarando, quod Scholares illius, nuncupatis simplicibus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ, sint veri ac proprie dicti Religiosi; prohibendo cum censura opinionem contrariam. Apparet autem statim, quod argumentari ab historiis pure relatis ad Scholares Societatis, sicuti fit in verbis præcitatis, est auctoritatem Papalem facere fallibilem in approbatione Religionum: sicuti Catholici omnes eamdem confitentur fallibilem circa puncta historica, relata in parte narrativa Bullarum.*

334 *Ultra quod in eadem Bulla* Ascendente Domino *videatur damnari, tum compilator Memorialis, quam Sebastianus a S. Paulo, qui format simile argumentum Art. 3. Exhibitionis errorum §. 3. Videntur autem damnari per hæc verba Gregorii XIII.* „ Præcipimus ergo in virtute „ sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis excommu„ nicationis latæ sententiæ, & inhabilitatis ad „ quævis officia & beneficia secularia & quorum„ vis Ordinum regularia, eo ipso absque alia de„ claratione incurrendis, ne quis, cujuscumque „ ætatis, gradus, & præeminentiæ existat, di„ ctæ Societatis Institutum, Constitutiones, „ vel etiam præsentes, aut quemvis earum, vel „ supradictorum omnium articulum, vel aliud „ quid supradicta concernens, quovis disputan„ di vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore,

„ lore, directe vel indirecte impugnare, vel iis „ contradicere audeat: distinctius inhibentes, ne „ quis, sive extra sive intra dictam Societatem, „ nisi de illius Generalis aut inferiorum Præposi- „ torum licentia, declarationes, glossas, vel „ scholia ulla super præmissis facere, vel ea, ni- „ si quantum verba ipsa sonant, interpretari aut „ de eis disceptare, seu scrupulum cuiquam in- „ jicere vel in controversiam aut dubium revo- „ care audeat quoquomodo. *Quibus in verbis notanda sunt duo: primum, quod prohibeat* impugnare directe vel indirecte; *secundum, quod prohibeat* movere scrupulum. *Videatur modo an æquiparare istud punctum cum antiquitatibus Carmelitarum tam controversis, non sit impugnare indirecte aut scrupulum movere.*

335 *In Præludio Memorialis ad Lectorem fol. 1. sic habetur:* „ P. Janningus, socius P. Papebro- „ chii de eo ipso (scilicet quod Acta Sanctorum tam indigne tractentur in Exhibitione errorum) „ acerbe queritur in Epistola familiari, scripta „ dicto P. Sebastiano; atque recentius Patres Je- „ suitæ in Memoriali oblato tuæ Majestati, ex- „ hibentes fragmentum ex Epistolæ ipsius P. Jan- „ ningi, ubi exponit querelam, ipsius opinio- „ ne justam, contra P. Sebastianum a S. Paulo, „ .... Legens autem unum & alterum tracta- „ tum, certissimo tandem intellexi, quod qui- „ cumque sine passione legeret tam librum Ex- „ hibitionis quam Motivum Juris, judicaturus „ sit, querelam dicti P. Janningi aliorumque de- „ inceps Jesuitarum, qui illam propugnant, adeo „ male fundatam esse, ut potius de calumnia „ debeat accusari, quam adscribi zelo veritatis, „ quem profiteri deberent Patres talis Religio- „ nis multis titulis venerabilis. *Et magis infra, sub medium pag. 5.* „ Cogitanti mihi de modo qui „ posset observari, ut manifestum fiat, quod quid- „ quid contra P. Sebastianum dicit (*Janningus*) „ sit mera calumnia; nullum medium magis bre- „ ve & efficax mihi visum est, quam &c.

306 *Domine, id de quo P. Janningus & P. Antonius Beltran in suo ad Regem Memoriali queruntur, sunt maximæ & gravissimæ imposturæ in facto & jure, quas contra P. Papebrochium suscitat Fr. Sebastianus a S. Paulo: & ut Celsitudo Tua videat rationem cum qua queruntur & injustitiam calumniæ cum qua accusantur, ex multis calumniis, imposturis & hallucinationibus, quibus utuntur Fr. Sebastianus ejusque compilator, paucas seligam* .... Hinc incipit enumeratio calumniatum, mihi Papebrochio impactarum: puta,

Quod dicam Christum vixisse 37. annis; cum ego dixerim, eam esse paradoxam Natalis Alexandri sententiam.

Quod illuminationem cæci Tobiæ male attribui dicam meritis Christi: quod solum dixi fieri *minus apte*.

Quod Lectiones Breviarii de S. Silvestro, dicam esse intolerabiles; cum solum dixerim tales visas Cardinali Bona.

Quod antiquum sigillum Sergii Papæ tribuam Sergio hæretico, Patriarchæ Constantinopolitano; dum cuique eorum proprium suum diversissimumque assigno.

Quod Donationem Constantini dicam esse fictitiam; quasi de dono ipso id intelligam, licet de solo instrumento scripto, quo Donatio firmata fuerit, quæstio historicis sit; qui nunc fere omnes conveniunt, suppositium illud quod circumfertur esse, vel saltem interpolatum.

Quod nemo ante me dubitaverit de Epistola Formosi Papæ ad Episcopos Angliæ; cum dicam, quod Polydorus Virgilius jam pridem eamdem adscripserit Joanni IX. Spelmannus Leoni IV. Cossartius vero scriptam putet tempore Alfredi Regis, non Eduardi: quia scilicet videbant aliter non posse conciliari tempora.

Quod dicam, magnos sumptus in canonizationibus Sanctorum, esse puritati ipsarum contrariam; cum solum dicam id sensisse Adrianum Papam VI.

Quod asseram, Pontificias Bullas nihil probabilitatis addere historiis, quas referunt aut approbant; cum solum perquam restricte dicam, hanc ex ipsis non accedere historiis, quas attingunt velut assertas ab aliis.

Quod citem damnatos Æneæ Silvii Dialogos; cum hic factus Pontifex Pius II. solum reprobaverit quosdam suos Dialogos juveniles, non autem quos edidit senex & Papatui propinquus, qualem ego cito.

Quod dicam prærogativam supremi Capitis Ecclesiæ annexam fuisse Apostolatui Petri, non Cathedræ Romanæ; cum dicam a Petro singulariter fluxisse in ejus successorea *auctoritatem Apostolicam, conjunctam* (non *connexam* quæ valde differunt) *cum prærogativa supremi Capitis; & hoc, jure divino.*

Quod schismaticam propositionem sustineam, dum dico S. Paulum etiam fuisse Romanum Episcopum; licet id dixerint plures sancti Patres, Pontifices, & Concilia.

Quod cum Wicleffo negem veritatem Decretalium in genere; cum hic omnes rejecerit, ego solum paucas, primo earum collectori ignotas, & seculo 8 confictas, communi plurium eruditorum judicio.

Quod commendem Blondelli, licet Calvinistæ, diligentiam in detegendis Decretalium suppositiitiarum fontibus, & sinceritatem in refutanda fabula Joannæ Papissæ. In quibus omnibus calumniari Compilatorem, ejus meisque verbis, qualia in Responsione protuli, adductis in medium, cum demonstrasset Delator, tandem sic concludit.

337 *Ex omnibus prædictis colligere poterit Celsitudo Tua, quam justa cum ratione querantur P. Janningus in sua Epistola familiari, & P. Antonius Beltran in suo ad Regem Memoriali, de imposturis, quas in gravissimis materiis scripsit Fr. Sebastianus a S. Paulo; quem auctor hujus chartæ traduxit & compilavit, assumpto sibi (quantum videtur) nomine Doctoris Danielis a S. Petro; deque injuria quæ duobus illis per tala scriptum infertur verbis supra notatis* „ Legens u- „ num & alterum tractatum (scilicet Exhibitionem errorum & Motivum juris) „ certissimo compe- „ ri, quod quicumque eos sine passione lecturus „ esset querelam P. Janningi, aliorumque dein- „ ceps Jesuitarum ipsam defendentium, inveni- „ ret tam male fundatam, ut potius ipsa debat de „ calumnia accusari quam adscribi zelo veritatis, „ quem profiteri deberent Patres talis Religionis, „ multis aliunde titulis venerabilis. Cogitandum „ mihi porro fuit de modo, ad hoc observando, „ ut fiat manifestum, quod, quidquid contra P. „ Sebastianum dicit (Janningus) sit mera calum- „ nia;

„ nia: modos autem efficacissimus simul & brevissimus visus est, in hoc scriptum (*quod est repetitio totius libri in Belgio excusi*)„ referre omnes „ Propositiones P. Papebrochii, quas in suo libro „ in motivo juris exhibet atque impugnat P. Fr. „ Sebastianus a S. Paulo. *Quapropter speramus, quod sublimis prudentia Celsitudinis vestræ judicabit, quid de tali scripto statuendum sit. Datum in hoc Collegio Salmanticensi 23. Octobris anno 1696.* unde etiam possit videri prodiisse foliculum Hispanicum, impressum sub hoc titulo: *Delatio calumniarum* (tredecim) *Fr. Sebastiani a S. Paulo Carmelitæ, ad Tribunal justitiæ*; earumdem enim septem delatæ indicantur primis septem articulis, diversa est autem altera media pars, ubi de libris Joachimi Abbatis, habitu Eliæ, Præputio Christi, Scapulati Carmelitico, S. Josephi cultu, arguor prorsus alia dixisse, quam revera dixi.

338 Hæc porro fuit prima & hactenus unica accusatio, ex parte mea aut Societatis, judicialiter illata contra libros P. Sebastiani, aliorumque cum ipso contra me scribentium Carmelitarum, quamvis tempore Excellentiss. D. Didaci de Valladares non deessent, tum alibi, tum in ipsa Hispania, opus nostrum & legere & magni facere soliti, qui operam offerrent ad libros P. Sebastiani & similes deferendos in forma. Numquam enim volui in talem delationem consentire; indignum homine litterato judicans, quæstionem litterariam ad aliud tribunal deferre, quam notitiæ publicæ eruditorum. Quanto autem tunc facilius, vel Romæ vel in Hispania, obtinenda fuerit, si postulata fuisset, librorum prædictorum censura aliqua, vel inde potest æstimari, quod talis prohibitio, etiam post tanta in illorum favorem præjudicia, ab iisdem fuerit ultro promulgata, qui Carmelitis nimis facile creduli, meos ante annum confixerant. Atque utinam hi simplici prohibitione contenti, meos tantum prohibuissent, donec sumpto congruo temporis spatio, pro mole & dignitate operis, communique de ipso æstimatione, mature fuisset discussa causa! Utinam, inquam, S. Inquisitionis Ministri, simplici ad tempus prohibitione contenti, censura omni graviori abstinuissent, sicut decretum prohibens libros P. Sebastiani ab ea abstinet! Non potuissem forsitan tantopere tunc queri, licet queri potuisset Hispania tota; scilicet quod pendente nec intra paucos annos finiendo judicio, abstineatur a lectione librorum, quos aliæ ubique Regiones legunt ac vehementer laudant.

339 Quod porro attinet ad Hispanicam librorum P. Sebastiani versionem, hanc saltem laudem meretur Interpres totiusque Memorialis compilator, quod ab Exhibitione sumens Propositiones mihi imputatas, abstinuerit ab injuriosissimis titulis, quos euique Articulo Paragraphoque præfigit P. Sebastianus. Sed acetum & fel, quibus iste pepercit, supplevit abundantius Anonymus scriptor, qui voluit Vox Veritatis nuncupari, quod per antiphrasin usurpatum intelliget, quisquis legerit ibidem laudatos & prolixe allegatos Auctores, in iis quæ contra Societatem blasphemarunt damnatos, Clementem Scotum & Petrum Aurelium; hunc vero nomine Antonium Arnaldum, Romæ notatum & Sorbona ejectum; istum bis apostatam a Societate; idoneos utique de moribus ac fide Jesuitarum testes. Voci isti simul & P. Sebastiano Hispanice loquenti, nec non & Delatoribus operum meorum Hispanis, quomodo responderit P. Antonius Xaramilius, dicam infra, agens de publica librorum meorum defensione, tandem palam, & legitima eum auctoritate, reposita calumniosis istic scriptis. Talem autem esse non credo, libellum, alias eruditum ac modestum, cui titulus ex Hispanico Latinus sic sonat: *Notitia prævia, eruditi & singularis operis Quæstionum Historico-sacrarum, ad illustrationem historiæ ecclesiasticæ, & decisionem multarum controversiarum, Auctore Don Hieronymo Benedicto, Professore Historiæ sacræ ac profanæ*. Verumne an adscititium nomen id sit; qua in Academia, quove in Ordine utriusque historiæ notitiam tradere soleat Auctor, divinare quis possit? cum neque annus, nec locus, nec approbator uspiam ostentur: quare nec ipsum, licet alias scriptum optimo cum judicio & summa cum moderatione, hic afferre pro me volo, uti nec alia ejusmodi plura, Latina vel Hispanica: quoniam

.... *Non defensoribus istis Tempus eget*....

CAPUT X.

Epistola Augustissimi Imperatoris Leopoldi, in favorem Actorum, ad Romanum Pontificem & Catholicum Regem, variorumque Principum ac Præsulum de publica operis utilitate, exploduntur, ut suppostitia atque nullius ponderis: una etiam Cæsaris denuntiatur sacro Officio, ut hæretica & schismatica; alteri opponitur rescriptum, Pontificio nomini suppositum.

Quam utile sit Catholicæ rei, elucidandis Sanctorum Actis impensum hactenus studium, nulli possunt cognoscere melius, & testari certius, quam earum provinciarum Principes, ecclesiastici & seculares, ubi permixti hæreticis Catholici vivunt. Id expertus jam pridem Apostolicus per fœderatas Provincias Vicarius, Illustriss. Joannes Neueassel, non solum ipse frequenter & sedulo legebat opus nostrum; sed in omni subditorum sibi Presbyterorum conventu, sæpe etiam in privatis aliorum congressibus, commendabat illud, velut compendiariam ac securam viam ad omnis antiquitatis ecclesiasticæ notitiam; per quam vera & certa Sanctorum acta & miracula secernere a falsis ac dubiis discerent, & quæ vera de illis tenet religio a superinductis futilitatibus, ne dicam superstitionibus, separare. Cum autem in hoc officio, ut putabat, suo ferventissimus esset; omnes fere quos eariores habebat, opportune importuneque urgebat, ut libros, jam multos ac pretiosos, emerent; nec ab ulla cujusquam bibliotheca paulum instructiori eos patiebatur abesse. Supersunt adhuc in utroque Belgio infiniti, qui Præsulis illius alloquiis amicitiaqua gloriantur, taliaque ex ejus ore frequentius audivisse testantur.

341 Qui in Officio ei successit Illustriss. Petrus Codde, Sebastenus Archiepiscopus, quod ex defuncti disciplina hauserat, ipsaque experientia verum esse cognoverat, nequaquam

quam dimisit, Hispanici Decreti fulgetro inopinato perstrictus; sed, tamquam Apostolicæ Sedis Vicarius, suum mox sensum, quem credebat Catholicis omnibus bonis communem, hoc modo perscripsit.

BEATISSIME PATER.

Cum adversus Acta Sanctorum, nova eaque perquam gravis concitata sit tempestas, acri admodum contra ea extra Urbem lata censura, indubie plurimi Sanctitatis vestræ pedibus advolventur precatores, ut pro suprema sua auctoritate opus illud, quod ubique terrarum ab eruditis pisque mire celebratur, dignetur protegere. Huic supplicantium agmini me jungere non præsumerem, nisi muneris, a Sanctitate vestra injuncti, ratio urgeret. Etenim, Beatissime Pater, si præclaro isti operi, vel potius librorum Catalogo, atrum stigma, nullo remedio aut lenimento adhibito, maneat inustum; Heterodoxi novo fastidio Catholicam Ecclesiam aspernabuntur, longiusque animos ab ea avertent, quos de candore ac eruditione Orthodoxorum meliora ac proximiora saluti sentire lucubratio ista cogebat. Non possum itaque non etiam pro modulo meo Sanctitatis vestræ patrocinium isti tot annorum & tot laborum eximio Societatis Jesu fructui, qui in sanctam Ecclesiæ, præsertim inter Acatholicos militantis, cedit utilitatem, submississime implorare. Ceterum rogo humillime, ut Sanctitas vestra hanc meam supplicam, quam (nullis, ut arbitror, affectibus ductus, sed sincero Religionis studio excitatus) Tuis sacris Pedibus advolvo, pro sua clementia æqui bonique consulere non gravetur: qui observantissimo iis affixo osculo me profiteor,

BEATISSIME PATER,

humillimum, obedientissimum, & devotissimum famulum vestrum, Petrum Archiepiscopum Sebastenum.

342 Hoc exemplo plures alii Episcopi & Archiepiscopi per Germaniam, etiam Electores, suum quoque studium testari cœperunt, ad protegenda Sanctorum Acta, suis in diœcesibus tam utilia, scriptis Romam litteris, partim ad suam Sanctitatem, partim ad suos istic amicos Prælatos, quæ nec omnes ad meas venerunt manus, neque huc congerendæ videntur; cum omnium una eademque fuerit atque etiamnum sit sollicitudinis causa. Præterea non omnibus Romæ placuit tantorum tamque multorum interpellari precibus; nec defuerunt ex adversariis, qui novam hinc arriperent criminandi occasionem, quasi Societas niteretur, per bene affectos sibi Prælatos ac Principes, quamdam quasi seditionem movere in Ecclesia, seque Romanæ Curiæ terribilem ostentare, & extorquere velle Decreti Hispanici abrogationem, potius per gratiam, quam per justitiam. Ita scilicet illi, qui Decretum, nemini extra Hispaniam, imo nec omnibus in Belgio Carmelitis probatum, modo tam seditioso ubique publicarunt; quique per annos decem integros mundum impleverant libris libellisque, contra me & Societatem famosis; ægre nunc ferunt inveniri quemquam, qui displicere sibi monstret quod fecerunt. Erit autem operæ pretium, videre, quomodo tractarint Augustissimum Cæsarem, Pontifici summo, & Regi Catholico scribentem, nisi enim posteritas viderit, ægre credet, viros religiosos eo usque progredi potuisse. Utriusque Epistolæ exemplum, de mandato ipsius Cæsaris mihi transmissum, ut accepi, & sicut a Legatis ejus Romæ atque Madriti traditas illas esse scio, fideliter reddo, originali sua Latina lingua.

343 *Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Ad Sanctitatis vestræ notitiam perferre etiam muneris nostri esse omnino existimamus, quantam minime gratus Inquisitionis Hispanicæ procedendi modus Catholicis admirationem, Acatholicis vero risum pariat & subsannationem; dum quatuordecim Patrum Societatis Jesu volumina, Henschenii & Papebrochii, in quibus Acta Sanctorum describuntur, præter alios quatuor tomos de scientia media & prædestinatione; 14. Novembris anno elapso, per appositas Patentes* (exemplum Decreti pariter missum intelligo) *sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & ducentorum aureorum inhibuit; inserendo causam, quasi continerent Propositiones erroneas, hæreticas, sapientes hæresim, periculosas in fide, scandalosas, impias, piarum aurium offensivas, schismaticas, seditiosas ..... Acriorem aut magis portentosam opera Lutheri, Calvini, aut cujuslibet pessimi hæresiarchæ censuram mereri non possint.*

344 *Antelati Tomi, magnam ubique laudem adepti, illicitis doctrinis carere, & Ecclesiæ utilissimi esse, & alio favore quam ista minus circumspecta prohibitio stillet, digni feruntur. Gravia scandala inde originem traherent, & graviora timenda sunt. Societas enim, una cum aliis Ordinibus, quos amore complectimur, erga fidem Catholicam ubique terrarum, per innumera vitæ discrimina, labores & martyria, optime merita est, ac meretur in dies; ut ejus celeberrimum nomen obscurari, eidemque mala nota affricari non debeat. Persuadere etiam nobis non possumus, quod dicti Auctores, utpote magni Theologi Scholastici, doctrinam hæreticam aut impiam scripserint; & Societas ac constituti in Universitatibus librorum Censores divulgari permiserint. Inquisitor vero Generalis (uti ad nos delatum est) erga Societatem eum gerit animum, ut quidquid ad eam pertinet, minus benevolorum opera fultus, improbare studeat.*

345 *Res est magni momenti: cujus gravitatem Sanctitati vestræ ad animum revocandam duxi: cui in Sede summi Principis Apostolorum constitutæ, præcipuum est providere, ut sæpe dicta Societas, totis viribus propugnandæ Catholicæ Religionis veritati intenta, hujusmodi scandalosis turbinibus non concutiatur. Proinde a Sanctitate vestra, pro filiali nostra erga eumdem observantia, impense desideramus, velit, ad intercludendam omnibus ceteroquin ex dictis Patentibus promanaturis scandalis viam, paterne demandare, ut hæc causa Romam avocetur; atque ibidem a viris neutri partium addictis, rationes suprafatæ librorum & tomorum proscriptionis examinentur, ac desuper legitime cognoscatur; Inquisitioni vero Hispanicæ omnes ulteriores processus & attentata inhibeantur. De reliquo Sanctitati vestræ longam annorum seriem ac perennem incolumitatem corde tenus apprecamur. Datum Viennæ 20. Januarii 1696.*

346 Dum super responso ad hanc Epistolam dando, modoque hac in causa cum Inquisitione Hispanica tenendo, consultatur Romæ: contigit ipsius Epistolæ copiam ad Curialium curiosorum quorumdam manus, atque etiam Car-

melitarum pervenire, quorum aliquia vel alius pro eis, argumentum ex ea sumpsit, exercendo, non tam ingenio, quam odio suo contra Societatem; & comminiscendi responsum, tam ei qui scribere, & ei ad quem scribi fingitur indignum, ut nescio an abnorme magis ab utriusque ingenio, gravitate, prudentia concipi quid possit. Societatem Jesu, tam Cæsari caram, vix semel nominare dignatus iste pseudo-Papa, dehonestat eam vocabulo, hactenus inaudito & Græco-barbaro, appellans *Monarchiam Monopanthorum*; forsitan quasi *μόνοι πάντα*, *Soli omnia* velint esse & æstimari Jesuitæ, scilicet alludendo ad vetus scomma satyrici cujusdam commenti, quo scripsit anonymus aliquis *Monarchiam Solipsorum*: veluti innuere volens, quod Societas soli sibi arrogare nitatur omnia, omnem auctoritatem, doctrinam, potentiam, opulentiam. Quin etiam turpissimum figmentum Prophetiæ, tempore S. Thomæ contra Ordines mendicantes, editæ sub nomine S. Hildegardis, quam deinde Jesuitarum hostes Societati applicarunt, non veretur hic sycophanta, veluti canonizare, calamo ipsiusmet Pontificis, & prædictionem completam indicare.

347 Tale responsum Latinum, una cum Latina Cæsaris Epistola, Hispalensis aliquis novitatum publicarum scriptor parum *Politicus* (licet hoc titulo appelletur) cuidam suo correspondenti dirigit, Hispanice redditum; præfatus; quod *Jesuitæ, pro vendicandis quibusdam libris suis prohibitis, commoventes omnia, non relinquant lapidem supra lapidem; sed quotidie effundant schediasmata, modo impressa, modo manuscripta, satyras, epigrammata, memorialia, epistolasque diversorum Principum & Personarum, contra venerabiles personas Inquisitorum, etiam cum irrisione Sanctorum; adeo ut ad istum modum, nisi Dei timor & fidei Catholicæ zelus obstet, quilibet audacter invadere poterit sacra S. Officii tribunalia, Hispanis omnibus in tanta semper veneratione habita.* Ex Italia allata dicuntur exempla Latina, quod ægre de posteriori credam, Hispanice autem reddita & impressa Hispali. Magni non refert, isthicne, an alibi prodierit monstrum, quod Romam universam stupore implevit, ac deinde etiam Viennensem aulam; ubi cum numquam visum sit exemplar Latinum, nec uspiam prodierit, quod equidem sciam; cogor ex Hispanico Latinum reddere, ut fictionis appareat turpitudo. Sic enim scripsisse Pontifex asseritur.

348 *Dilectissimo filio nostro in Christo, Leopoldo Imperatori, Innocentius XII. salutem & Apostolicam benedictionem.*

Fili carissime. Non sine amaris suspiriis, a secretissimo cordis recessu expressis, accepi litteras vestras, datas in Tua aula Viennensi 10. Januarii hujus anni 1696. per quas Nos certiores reddis Censuræ, publicatæ in Tribunali S. Inquisitionis Hispanicæ, contra libros, quos scripsere Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius, Societatis Jesu; & vehementer mirati sumus, quod adscribendo passioni definitiones, tam juste proportionatas Catholicissimo regimini, conati fuerint quidam novi pseudo-Christiani, traducere illas, tamquam exerrationes, natas in animo passionato, & nixas phrenetica quadam temeritate; instruendo viscosos laqueos, & frustra jacientes retia dolose ante oculos Principum, maxime Catholicorum, ut eos in præcipitium ac ruinam pertrahant.

349 *Præsumptio ista, quæ calumniatur zelosam integritatem Inquisitoris Generalis in Hispania, cum solida circumspectione & attenta maturitate dirigentis negotia tam gravia; tam indigna est vestra commiseratione, ut potius deberet novas pœnas eidem postulare; tantoque graviores, & absque ulla specie misericordiæ infligendas, quanto audacius se tueri nititur contra censuram, tam bene commeritam. Persequitur enim Pastores Ecclesiæ, columnas fidei inconcussas, exponens illos rabidæ astutiæ istarum pessime intentionatarum vulpecularum, quæ cum favore Principum maxime Christianorum & auxilio Potentium, intra Ecclesiæ intimas portas viventium, fascinatorum astutissimis & apparenter religiosis rationibus, demoliuntur formosam & floridam vineam Engaddi, & pinguissimam atque fructuosam Dei Sabaoth hereditatem. Cum maturo consilio, intentione sana, gubernante omnino divina providentia, decreta fuis in Hispania proscriptio quatuordecim Tomorum Henschenii & Papebrochii, prohibendo ne per formosum Ecclesiæ campum currerent faculentæ aquæ, derivatæ ex cænosis lacubus dogmatizantium hæresiarcharum; tamquam spurii abortus phantasiæ propriæ, semper oppositæ claris illis fluentis, quæ descendunt ex fonte perenni veritatis primæ, ad explenda corda sitientia filiorum veræ & Catholicæ fidei.*

350 *Nulla est ratio, quæ nobis persuadeat, quod illic qui bene sentit cum sapientibus, & non est excæcatus malitia, ut solent ignorantes, risum causet potius quam admirationem zeli, pro eradicandis & separandis zizaniis, quæ seminat inimicus homo in mystico campo, ipsa vel damnando ad perpetuas latebras, vel etiam collecta in manipulos tradendo insatiabilitati flammarum; donec mundum purumque reddatur bonum triticum, quod seminavit Christus homo-Deus, & irrigavit rore sui pretiosi sanguinis. E contrario multa sunt quæ nobis persuadeant, quod veri filii sanctæ fidei nostræ, cum viderint formosas genas Matris Ecclesiæ, quæ solebant esse sicut areolæ aromatum & sicut fragmen mali punici, sulcatas lacrymis intimi doloris, & factas fragmenta livoris & amaritudinis, extollunt in cælum voces doloris, quæ penetrando obseratos justitiæ divinæ muros, obligant eam, ut desiliens ex solio suo, ipsam se tueatur in tribunalibus hujus mundi signo aliquo manifesto.*

351 *Tantum autem abest, ut veri Catholici pro talibus solvantur in risum atque subsannationes, ut erumpant in planctus cordium penetrativos, & ad eorumdem tristia frequentiaque suspiria, dissiliant durissima & condensata æra. Quis est iste, inquiunt, qui involvit sententias sermonibus imperitis, ad irretiendum diabolicis laqueis animas, non solum debiles, sed etiam magis robustas; quatenus elogiis & encomiis ornent perniciosas ipsorum opiniones, ut ita valeant palliare suam contra Ecclesiam Matrem rebellionem; transgrediendo reverentiam Apostolicis ejus definitionibus debitam, pessumdando ejus traditiones, vilipendendo dicta & acta Pontificum veterum, abutendo eorum scriptis, & torquendo sensus, alteran-*

terando textus, vitiando receptas illius historias, ac denique per impiam audaciam detrahendo ornatum atque vestem, qua pulchra cum varietate ornabatur. Ecce, quam per tot annos pacifica possessionis nulla insedit macula vel ruga; illa nunc se videt fœdis novitatibus obfuscatam, per eos, qui ad defeaſandam fulciendamque machinam diabolicæ ſuæ cavillationis, iſtæc omnia ſus deque vertunt.

352 *Non eſt novum mundo, quod monarchia Monopantborum, quemadmodum prophetice locuta eſt veritas, quæ ſpiritum S. Hildegardis movit, temporibus biſce ſuis fieret inventrix malorum, Eccleſiæ pernicioſorum. Utinam, Fili cariſſime, numquam verificaretur iſtiuſmodi prophetia; & quæ prædicta fuerunt ventura mala, non inveniantur in effectum deducta noſtro hoc calamitoſo tempore! Si ad infortunium noſtrum nunc implentur iſtæ prædictiones, quid mirum ſi fluctuet navis myſtica Piſcatoris, tam multis undis impulſa, quot eam circumdant inimicæ & ſeditioſæ doctrinæ. Stelliones (b) iſtos merito exiſtimamus dignos majori cenſura, quam hæreſiarchas alios: quia in epitomen colligentes multitudinem errorum & ſtultiſſimarum ineptiarum, omnium quodammodo hæreticorum, pruritum vanitatis cieat auribus velut novi magiſtri; ſeque ſuſtentantes adulatoria aura populorum, nituntur tranſcendere ſubtiliſſimum apicem falſitatis, ſuperare verticem altiſſimum Proteſtantium, extendere fines ſuos ultra peſtilentem cathedram malignantium; & potentes in malitia, quia potentes ſunt in iniquitate, levant manus ſuas contra Deum, & contra Omnipotentem roborantur: quaſi pro ſecure ſcuto iis eſſet ſola præſumptio ſuæ erroneæ doctrinæ.*

353 *Quid vero mirum ſi eadem* (Monarchia Monopaothorum) *fulmine excommunicationis tercidas manus roboravit, referendo vitas actaque Sanctorum, quomodo eam feciſſe in ſpiſſis illis Tomis videmus, ad ſcribendum Propoſitiones, erroneas alias, alias hæreticas aut ſapientes hæreſim, periculoſas, impias, ſcandaloſas, &c. .... antepenendo ſcriptis Sanctorum Patrum doctrinam auctorum infamis vitæ ac morum, & a Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, damnatorum, ad impugnandum & contradicendum ſanæ Sanctorum doctrinæ atque traditionibus Eccleſiæ: ex quibus omnibus timemus oriri graviſſima ſcandala; quin potius (quæ noſtra infelicitas eſt) ea jam manibus palpamus, oculiſque videmus. Nam quod eſſe ſcandalum majus poſſit, quam quod Eccleſiaſtici ſe armeat contra Eccleſiam, filii convertantur in matrem ſuam, diſcipuli erigant ſe ſupra magiſtros ſuos, & ſpecie religionis faſcinent Principes Chriſtianos, inducendo nunc unos, nunc alios, ut modo per epiſtolas, modo per legatos atque miniſtros, iis patrocinentur doctrinis, quibus ſe tamquam Catholici deberent opponere, & qui, tamquam fidei aſſertores deſtruerent eas atque everterent, niſi eos lateret fraudulenter occultata falſitas? Hoc eſt venire in profundum & abyſſum peccatorum, per cordis duritiem & præſumptionem, unde prævidemus etiam majora damna, quam quæ declaramus; dum tales ſe opponunt zeloſiſſimis Superioribus, per calumnias & dicteria; prætenduntque judices ipſimet eſſe in propria cauſa, atque ut curſum in mundo habeat eorum luculenta doctrina, fundata in ſola ipſorum aſſertione.*

354 *Non ideo tamen, Fili cariſſime, dubitamus, imo certi ſumus, quod magnus Deus Sabaoth judicabit cauſam ſuam, & Dominus exercituum bellabit bella ſua, neque permittet, ut ad abyſſum ſuæ malitiæ deſcendant hoſtes, cum pace & tranquillitate conſcientiæ. Satis ſcimus quod animus Inquiſitoris Generalis Hiſpaniæ (ſicut nobis relatum eſt) non ſit erga Societatem valde bene affectus: ſcimus nihilominus & clare cognoſcimus, quod ſit obedientiſſimus filius Eccleſiæ, & exactiſſimus defenſor veritatis; quodque armatus zelo domus Dei, impleat omnes officii ſui partes, cum ſumma integritate & rectitudine. Non judicamus autem conveniens modo, inhibere ejus proceſſus & attentata. Inſuper ponimus cogitatum noſtrum & ſpem in Domino, quod decurſu temporis ad aures veſtras perventura ſit ſincera relatio facti: & tunc videbimus noſtrum atque Eccleſiæ digniſſimum Filium, captivare intellectum in obſequium fidei Jeſu Chriſti, cujus prælia non ceſſat præliari cum fortitudine; qua de cauſa ipſi vovemus multos atque iteratos triumphos, longævos vitæ annos, ſalutem atque incolumitatem in quibuſcumque caſibus, & præſervationem in periculis. Datum Romæ ſub Annulo Piſcatoris, anno a Nativitate Domini 1696. die 25. Martii.*

355 Hactenus Epiſtola (ſi Superis placet) Pontificia, tam vera, quam fuit illa Eliæ Lovanii excuſa, & Carmelitas animans contra Societatis Theologos, qui Diſcalceatorum aliquos accuſabant Janſeniſmi, vanis SS. Auguſtini & Thomæ nominibus palliati. Epiſtola profecto, tam rebus & veris rationibus vacua, quam ampulloſa mendacitate ac verboſitate turgida. Accedunt ad pompam, non ad probationem, deſcripta in margine quædam loca Latina Scripturæ ſacræ atque Sanctorum Patrum, quibus hic replicandis nolo chartam & tempus conterere: ſunt enim pleraque talia, & modus ejuſmodi locutiones citandi tam alienus ab uſu Pontificiorum Brevium, ut qui ea tam inepte addidit Hiſpanico textui, videri poſſit non magis intellexiſſe ſtylum Secretariæ Papalis, quam linguam & mentem Auguſtiſſimi Imperatoris. Nam quid v. g. ad textum ſpectat, quod hic num. 349. *litt.* (a) ad vocem *Vulpecularum*, notatur ex Auguſtino in Pſ. 80. *Vulpes ſolent habere tales foveas, ut ex una parte intrent, & ex alia exeant. Sic faciunt hæretici: unde ſi velimus eos capere, proponendum eſt rete ad foramen utrumque, ut unde vulpes exire voluerint, capiantur:* & n. 352. (*litt.* b) *Stellio manibus nititur, moratur & in domibus Regum.* Prov. 30. 28. & ex Alberto Magno lib. 24. de animalibus tract. unico; *Cum mordent lacerta & ſtellio, dentes parvos oris ſui dimittunt in loco morſus: & ſunt parvi, ſubtiles, & nigri, &c.*

356 His conſiderationi lectorum dimiſſis, tranſirem ad alteram Cæſaris ejuſdem Epiſtolam, niſi me retraheret S. Hildegardi (ut ſupradixi) afficta pſeudo-prophetia, quam turpiori figmento inducitur Pontifex, velut divinum oraculum, non ſolum allegare (quod turpe foret viro prudenti, & non prorſus ignaro eorum quæ in Societatem conjiciuntur ſcommatum) ſed etiam applicationem ipſam probare, quod improbiſſimi calumniatoris eſſet. Egit de ea P. Henſchenius, ante triginta annos, in Notis ad Vitam S. Thomæ Aquinatis, ſcribentis contra errores Guilielmi de S. Amore, cujus

ipsa Vita facit mentionem num. 20. ad quem numerum littera (*b*) sic loquitur Henschenius. *Poterat Abrahamus Bzovius, confictam sub nomine S. Hildegardis prophetiam, quam inseruit suis Annalibus ad an. 1415. (obiit autem Sancta Virgo an. 1180.) ad jam indicata (Gulielmi istius) tempora referre (id est ad an. 1255. vel sequentes) & conferre cum opusculis Guilielmi, aut Bullis Pontificiis, quibus ea perniciosa doctrina inseritur & damnatur, ac plane eadem ubique omnia reperisset. Asserit Bzovius, se illam prophetiam eruisse ex vetusto Codice, cui titulus erat*, Menipulus florum Thomæ Hibernici, *qui scilicet eodem tempore, quo Gulielmus de S. Amore, Parisiis studiorum causa vixit; & gradum Doctoris sacræ Theologiæ assecutus, postmodum in Italiam progressus, atque in Ordinem Fratrum Minorum adscriptus, ultimam vitæ partem Aquilæ transegit*....,

357 *Huic ergo Codici, ne periret, adjuncta aut assuta fuit illa dicto tempore conficta prophetia: cujus initium est apud Bzovium*: „ Insurgent gen„tes, quæ comedent peccata populi, tenen„tes Ordinem mendicum &c. *Heretici nostri temporis eadem prophetiam plurimum immutarunt, hoc exordio*: „ In diebus illis exurget gens, in„sensata, pomposa, cupida, perfida, exosa, „ quæ peccata populi comedet, Ordinem quo„rumdam devotariorum, sub assimilata men„dicantium specie tenentes, satietatem sectan„tes, &c. *Et, ut plena esset mentiendi securitas, præfati heretici fabulatores fingunt, monasterio S. Hildegardis per Germanica bella destructo, volumina ejus antiqua periisse, aut alio translata esse. Unde potuerunt ergo habere, quæ tam libere proferunt, nisi ex propria cerebello? Fuimus nos anno 1650. in monasterio Bingensi, & sacras S. Hildegardis reliquias veneratì, perantiqua volumina ejus, quæ etiamnum ibi extant manuscripta in membranis, perscrutati, nihil ejusmodi reperimus. Interim nonnulli Catholici, verbis immutatis, pejorem sensum conflarunt; & ubi apud hæreticos legebatur* „ Satietatem sectan„tes, *substituerunt* SOCIETATEM sectantes, *aut quid simile*.

358 Pluribus de eodem figmento agit Xaramilius, contra Vocem dictam Veritatis, sed Carmeliticæ, indicantis id se hausisse ex *Theatro Jesuitico*, quod non solum a sacra Inquisitione condemnatum esse constat, sed etiam ab eodem Illustrissimo, cujus nomini mendacissime adscribitur, Ildefonso Archiepiscopo Malacitano, operosissime abdicatum, per *Querimoniam* suam *Catholicam*. Hanc Querimoniam primo edidit ille adversus Petrum Juriæum, Practicæ moralis Jesuiticæ auctorem, mendacissimum simul & hæreticissimum; deinde recognitam auctamque, adversus eumdem ejusque duces & sequaces, anno 1686. Madriti recudi fecit, inscripsitque Innocentio Papæ XI. exemplis Madritensis impressionis omnibus propria manu signatis; quale unum habetur Antverpiæ, ubi excusa mox iterato fuit eadem Querimonia.

359 Queritur autem Illustrissimus iste, ejusmodi libellum adscriptum sibi, Societatis amantissimo; & quidem sic, quasi ipsum auctorem agnoscat Hispania tota, agnoveritque ipse Papa Romanus, & tamen Episcopalibus infulis auctorem decorarit; agnoverit denique ipsemet. Sed dum hoc suadere falso nititur Juriæus, & mentiti Auctoris imaginem certissimam dare, ostendit Illustrissimus, ipsum tam multa accumulare mendacia, ut monstrosius fingi nihil possit. *Perstringit*, inquit, *matrimonium parentum nostrorum, Marchionum de Quintana; cumque a splendore Natalium nos commendat, caligat in sole, & in mendaciorum barathrum hallucinatus intruditur. Inter ea (ut alia prætermittamus) unum hoc maxime notabile est. Asserit, genitricem ac dominam meam Marchionissam, paulo post matrimonium viduam, in Monialium cœnobium se recepisse, & arcana quædam mihi retexisse. O inauditum naturæ portentum! Vix dum ablactatus (triennium enim agebam) matre orbatus sum, & jam me maternorum consiliorum capacem effermat. Ergo ex falso, non nisi falsum: qua nota etiam apertissime laborat ille, quem somniat, genitricis meæ in monasterium ingressus; cum apud omnes constet, ex urbe Velez, ad civitatis Albamæ balnea de Medicorum consilio iter fecisse, & Granatæ 12. Augusti 1634. ultimum diem clausisse in privata domo. Adde cæcutientis animi demonstrativum aliud argumentum: ait enim nos Dominicanam Religionem Malacæ elegisse, in cujus confiniis Majoratus, Tituli, Ditiones existunt, quibus renuntiavimus. Sed quantum distet a tramite veritatis novus iste Geographus, nemo sensatus ignorat; cum prædicti Status partim sint in Gallæcia, partim in veteri Castella constituti, & fere oppositi cum illa Bætica regione.*

360 Hæc Malacitanus in prima ad Pontificem allocutione: & §.4. physice convicturus imposturam; *Anno*, inquit, 1655. (quando scilicet annum ætatis 18. agebat, vel primum egressus erat ille) *prodiit sanctæ Inquisitionis edictum, quod in publico fidei Theatro*, THEATRUM JESUITICUM *meritissimo proscripsit .... quomodo ergo potui docere & scribere, cum nondum litteras didicissem? Vix professionem emiseram, & tirocinium litterarum inceperam; & jam inter scriptores reputatus sum? Nondum fere aderat tempus addiscendi rudimenta, & jam acquisieram tam varia ac disparata figmenta, in tot codicibus vel moralibus vel fabulosis & historiis dispersa tam variarum abominationum copia fartis? Nondum potui ex tam proficuis sanctissimæ Religionis (Societatis Jesu) floribus mel conficere, & jam ex tot soliorum amaricantium humoribus poteram venena propinare? Mathematica ergo demonstratione resultat, nec potuisse quidem fieri, ut nos Theatro Jesuitica componendo insudaverimus*. Legat totam Querimoniam, qui volet Societatis ministeria & utilissimos ad Gentilium conversionem labores, ab illo dignissimo Præsule laudatos, & contra calumniam defensos videre.

361 Ista ego hic solum adduxi, ut appareret, quos duces sociosque habuerit pseudo-Papa, suo ad Leopoldum Imperatorem rescripto inculcans nomen S. Hildegardis. Alia profecto sunt Innocentii XII. sensa circa libros meos; quos (uti infra patebit) defendi patitur, neque inaudito auctore censurari permittit; tantum abest, ut Decreto Toletano, velut irrefragabili, stare Catholicos omnes velit. Quin P. Mathias Soutermans, non solum Viennæ notissimus, sed etiam Matriti, ubi cum Legato Cæsareo Comite Ferdinando Bonaventura ab Harrach aliquamdiu vixit, Theologus ejus & Confessarius, a me rogatus requirere verum Pon-

Pontificis ad commendatitias Cæsareas rescriptum, cum nullum in Secretaria reperiret, ipsummet Cæsarem initio hujus anni 1698. interrogavit, numquid ea de re meminisset. Hic autem asseruit, nihil per litteras rescriptum fuisse vel Roma a Pontifice, vel ex Hispania a Rege, sed oretenus dumtaxat responsum Legatis; istam Cæsaris pro Actis Sanctorum sollicitudinem accidisse gratissimam, & habituram apud unius Majestatem & Sanctitatem alterius pondus omne, quod habere poterant & merebantur: & ideo novis nuper litteris, novo suo in Urbe ad Papam Legato injunxisse, ut protegendis Sanctorum Actis conferat quidquid potest auctoritatis & gratiæ, prout fuerit a P. Janningo, pro iisdem satagente, instructus & rogatus: quod ille mandatum pergit fideliter ac prompte exequi. Addidit etiam Cæsar, *nihil se pro Carmelitis egisse, a quibus quidquid objiciebatur fundate ac ubertim refutatum Patres Societatis*. Ita Soutermannus 8. Martii 1698.

362 Verum quid tantopere miramur, inventum, qui auderes sui rabiosi cerebri somnium Pontificiæ Majestatis nomini adscribere; cum Vox mentitæ Veritatis eadem fide, qua nonnemo scripsit, me (quem omnis parentela novit avia ac proavia bene Catholicis natum) solo commorationis jure Flandrum credi, alias ex hæreticis Hollandis Hollandum; eadem, inquam, fide scripsit fol. 3. *celebratum Concilium Episcoporum Belgicorum, quod prohibuit & condemnavit omnia opera Papebrochii, & concordi omnium voce destinavit flammis*. Multa quidem Carmelitæ, præsertim Antverpienses, de me meisque libris sparserunt in vulgus sparguntque mendacia; sed tam insulsum tamque patulum cunctis, neminem eorum crediderim hoc somniasse, nedum scripsisse in Hispaniam. Istic natum sit oportet, eodem fortassis parente, qui non timuit, ne palam forte confunderetur, si cui liberet, super ea re in Belgium scribere. Hic certe nemo audivit vel nominari Concilium aliquod provinciale, post Mechliniense celebratum anno 1607. quando ego necdum natus eram. Quamvis enim nuper quatuor vel quinque Episcopi, occasione quadam convenientes Bruxellas colloquium de communibus suarum diœceseon negotiis instituerint; nullum tamen istic decretum conditum, nedum publicatum; de libris vero meis actum nihil.

363 Interim adeo invaluerat mendacium istud in Hispania, inter parum affectos Societati, & per Inquisitionis decretum contra Sanctorum Acta, capaces redditos, ad credendum de nobis quidlibet, ut ei destruendo necesse fuerit, a duobus qui propiores erant Antistitibus, testimonium veritatis in forma petere, quod suæ pro me Apologiæ cap. 18. insereret Xaramilius Hispanice redditum, sicut Latina illi dederant, & hic exhiberi operæ pretium fuerit. Primus ita scripsit.

Humbertus Guilielmus a Præcipiano, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii, ad exercitus Regios Delegatus Apostolicus, suæ Majestati a Conciliis Status, &c. Omnibus has visuris salutem in Domino.

Rogati dare testimonium veritatis, fidem facimus & attestamur, Nos nullum a Tomis R. P. Danielis Papebrochii, Societatis Jesu Presbyteri, de Actis Sanctorum, per Archidiœcesim prohibuisse; nec scire, quod ullus ex dictis Tomis in aliqua hujus Belgii diœcesi sit prohibitus. Cum autem Tomi illi ad Sedem Apostolicam delati sint, sanctæ Sedis judicium desuper expectamus. Datum Mechliniæ in Palatio Archiepiscopali, die 3. Septembris 1696. Signatum erat.

H. G. Archiepiscopus Mechliniensis.

Locus ✠ Sigilli.

de mandato &c.

H. I. van Susteren Secret.

364 Alter, tamquam de re propius ad se spectante, paulo prolixius, in hunc modum:

Joannes Ferdinandus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Antverpiensis Omnibus has visuris salutem in Domino.

Rogati dare testimonium veritatis, fidem facimus & attestamur, Nos nullum ex Tomis Rev. P. Danielis Papebrochii, Societatis Jesu Presbyteri, de Actis Sanctorum, per diœcesim nostram prohibuisse, nec ullum ex dictis Tomis in aliqua Belgii parte fuisse prohibitum aut proscriptum; e contra vero a plurimis eruditissimis piisque viris eos laudari audivimus, imo non modicum ex Censura contra eos lata ortum fuisse scandalum, tam Catholicis quam Acatholicis, testari possumus. Cum autem dicti Tomi ad Sedem Apostolicam sint delati, sanctæ Sedis judicium desuper avide expectamus. In quorum omnium fidem has manu propria subsignavimus, & sigillo nostro muniri fecimus. Datum Antverpiæ in Palatio nostro Episcopali, die 13. Septembris, 1696. Subsceiptum erat. *J. Ferdinandus Ep. Antv.*

De mandato Illustriss. D. Episc. præfati M. A. van Marcke Secret.

Transeo ad aliam Cæsaris Epistolam, Domino Regi nostro sic scriptam:

365 *Serenissimæ Majestati vestræ satis explicare non valeo, quantum Catholicis, qui nullo præconcepto favore, vel odio, omnibus æque propensi sunt, admirationem, & quem risum Acatholicis, exoticus Generalis Inquisitoris Hispaniæ, Ordinis S. Dominici, procedendi modus procreat, dum 14. volumina Actorum Sanctorum damnavit ac prohibuit &c.* iisdem fere verbis quibus ad Pontificem usus erat Cæsar: & concludens ut supra, addit. *Persuadere etiam mihi eo non possum, quod dicti Auctores, utpote magni Theologi Scholastici, doctrinam hæreticam aut impiam scripserint, quia & in Belgio librorum Censores & Revisores non desunt: Inquisitor vero Generalis, forte aversum gerit animum a Societate, & quidquid ad eam pertinet non probare existimatur. Res est magni momenti, cujus gravitatem Majestati vestræ exponendam, eamdemque omni energia interpellandam esse duxi, velit Societatis Patribus gratiam & beneficium præstare, quod, in casu non multum dissimili, quondam præstitit Serenissimus Philippus Quartus, Majestatis vestræ Parens. Is Fr. Antonium de Sotomayor, Ordinis S. Dominici, vix nominaverat Inquisitorem Generalem, cum serio interdixit, ne inscio aut non interrogato prius se,* (Rege nimirum,) *in ulla Societatis Jesu causa, quæ ad doctrinam pertineret, sententiam ferret; consultus autem, Theologos, neutri parti neque Dominicanis neque Jesuitis addictos, adhiberet. Salubre nimirum hoc fuit decretum, quo via scandalis & odiis interclusa, cautum est, quodque hujus meæ enixæ interventionis causa facile renovandum confido; & Majestati vestræ felicissimos rerum eventus*

tus ex animo apprecor . Datum Viennæ 20. Januarii 1696.

366 Tanti ponderis interceſſio atque ſuggeſtio merebatur omnino , ut eam Rex communicaret cum ſuo Status Conſilio, deliberaturo , quid agendum eſſet ea in re, quæ Cleri ac Populi Proceres diſtrahebat vario partium ſtudio; plebem vero, hæreſes in conſulo deteſtantem , concitabat non jam in libros exteros & ignoros, quibus tam fœdum ſtigma inurebatur; ſed etiam in univerſum Societatis Ordinem , unde Scriptores tam abominandi proceſſerant, quam prætendebat cenſura illis inflicta . Dum igitur in Palatio conſultatur, & pro Senatorum commodo plura deſcribuntur ecgrapha; contigit Epiſtolam Latinam , etiam Hiſpanice reddi , & utraque lingua tranſire per manus; allaborantibus veroſimiliter etiam Jeſuitis , indeque ſolatium aliquod ſibi ſumentibus, contra eam, qua apud imperitum vulgus gravabantur , invidiam. Quid plura? Idem veroſimiliter qui Pontificem Cæſari, etiam Regem fecit reſpondere , quod Carmelitæ volebant ; ſed iſtud ad manus meas nondum pervenit; neſcio, an uſui alteri futurum , quam ut figmentorum mihi objectorum numerum augeat. Verum, cum nemo prudens eo moveretur, ſed auctoris imprudentiam etiam adverſarii paulo moderatiores abominarentur ; Delatoribus noſtris , priori apud Inquiſitionem ſucceſſu tumidis, nihil facilius viſum eſt, quam iiſdem ſancti Officii miniſtris perſuadere, Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe , ac flammis dignam ; plane ac ſi Madriti non adeſſet Legatus Cæſareus, qui Epiſtolam porrexerat; Rex ipſe, qui notum ſibi Cæſareæ Majeſtatis ſigillum & chirographum ſuſceperat; Senatus totus , cui exhibitæ litteræ originales fuerant. *Magnam rem ſuo Regi facit*, inquiebat Politicus quidam, (dicam ego, cauſæ malæ patronus) *qui mendacium, in ejus favorem confictum, facit vel ad paucos dies ſubſiſtere* . Hac ergo fiducia nixus Delatorum unus (ultimorum primus , dicam , an poſtremus?) Accuſationem Hiſpanice ſcribit & format, in hunc, quem Latine reddo, ſenſum.

Potentiſſime Domine .

367 *Fr. Angelus a Purificatione , Hiſtoriographus Generalis Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, habitans in Collegio vulgo dicto Guadalaxaræ ejuſdem Ordinis , coram Excellentia veſtra compareo & dico, quod ad manus meas pervenerit folium manuſcriptum, cui titulus:* „ Copia Epi- „ ſtolæ D. Imperatoris Leopoldi Ignatii, ad Re- „ gem Catholicum Carolum ſecundum , *data Viennæ 20. Januarii 1696. quam idiomatibus Latino & Hiſpanico (quoniam in ambobus illis pervulgatur & ſpargitur, ignoro autem an & in aliis) exhibeo Excellentiæ veſtræ , in uno & altero idiomate , & ſi in alio aliquo typis excuſa vel manuſcripta ſit, denuntio & defero cenſuræ Excellentiæ V. qua eam digniſſimam reor , ob rationes ſequentes .*

368 *Primum , quia (ſupponendo cum fundamento, præfatam Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe, & cujus doctrina male ſonat auribus Catholicis , utpote continens puncta non producenda) quia , inquam , eam adſeribere Imperatori tam orthodoxo pioque (in quo nec debet nec poteſt præſumi niſi ſumma reverentia & veneratio, pro Decretis veſtræ Excellentiæ) judico maximum eſſe crimen læſæ Majeſtatis Cæſareæ , dignum ut aut caſtigatione purificetur , aut flammis expurgetur .*

369 *Secundum (cum ſit prædicta Epiſtola aſſumptam inſolita, quod tribuat inſultationi , paſſioni, & malevolentiæ Decretum V. E. de die 14. Novembris 1695. quo debita cenſura notat 14. Tomos, ſub titulo* Acta Sanctorum , *Auctoribus Daniele Papebrochio & Godefrido Henſchenio Societatis Jeſu) injuria afficit Excellentiam V. quaſi unicus fuiſſet Decreti auctor , cum ait Epiſtola ;* „ Inquiſitor Generalis forte animum gerit aver- „ ſum a Societate, ut quidquid ad eam perti- „ net, improbare exiſtimetur . *Quod in Judice majus ac horribilius delictum , quam in edendis decretis ſuis , non æquitate , ſed paſſione moveri ? Sed hoc imputatur Excellentiſſ. D. Inquiſitori Generali. Quapropter non ſolum mihi perſuadeo, quod damnari & proſcribi Epiſtola hæc meretur , juxta Clementis VIII. inſtructionem , in Regulis ad Concilium Tridentinum* „ de prohibitione librorum, *ubi jubet eradi & prohiberi omnes propoſitiones , quæ* „ famæ proximorum & præſertim Epiſcoporum detrahunt .

370 *Tertium, quia prænominata Epiſtola laudat & elogiis exornat Opera Papebrochii & Henſchenii, præfato Excellentiæ V Decreto proſcripta & condemnata, ut produnt verba illa, quibus agens de duobus illis , appellat* „ Viros magna e- „ ruditione , vitæ integritate & variis ſcientia- „ rum ornamentis conſpicuos; *& alia quibus illos laudat , ut* „ magnos Theologos Scholaſticos. *Certum autem eſt, quod non tribuit illis epitheta illa, niſi juxta eruditionem & doctrinam, quam in libris ſuis manifeſtant, ut enuntiatur per illa verba* „ Annales libri ingentem ubique applau- „ ſum adepti, & Eccleſiæ utiliſſimi , & alia be- „ nignitate quam iſtac minus circumſpecta pro- „ hibitione, digni feruntur. *Adſcribere ſimilia epitheta libris ab Excellentia V. damnatis , eo quod inter alias doctrinas minime ſecuras , contineant propoſitiones hæreticas , eſt Clementis VIII. præcitatæ Inſtructioni refragari , quæ ſtatuit, ut* „ Epi- „ theta honorifica, & omnium hæreticorum di- „ cta deleantur & prohibeantur : *& declaravit Congregatio , quod* „ verbo Hæreticorum in- „ telligitur, non dico qui in perſona proſcri- „ ptus eſt talis, ſi ſcripta Catholica ſint ; ſed „ dico, cujus ſcripta ut hæretica damnata fue- „ rint, licet ipſe ut Catholicus teneatur .

371 *Quartum, quia prænominata Epiſtola , manifeſtam prodit adverſus ſuprema V. Excellentiæ Decreta, inacquieſcentiam & reluctantiam:* „ Per- „ ſuadere etiam mihi ex eo non poſſum , *inquit*, „ quod dicti Auctores, utpote magni Theolo- „ gi Scholaſtici, doctrinam hæreticam aut im- „ piam ſcripſerint , quod in Belgio librorum „ Reviſores & Cenſores non deſint. *Enuntiat V. Excellentia libros continere doctrinas hæreticas & malæ notæ : Epiſtola autem, quod hoc ſibi non perſuadeat ; ſed quod iſta enuntiatio ſit prava voluntas D. Inquiſitoris Generalis. Et quæ clarior inobedientia , quæ ſcandaloſior præcipitantia ? Et hæc Epiſtola tribuitur Imperatori orthodoxiſſimo ? Numquam credam, ſed quod ſit publici alicujus hæretici .*

372 *Quintum, quia Epiſtola poſtremo ſuo Articulo prætendit , Regi ac Domino noſtro perſuadere, ut circumſcribat juriſdictionem & manus vinciat D. Inquiſitori Generali, ne queat per ſe aut miniſtros regii ſui tribunalis , ſine interventione Theologorum , ideo ſingulariter deſignandorum , & omni paſſione vacantium, cauſas ad Societatem ſpe-*

spectantes terminare; simul suspectam Dominos omnes supremi Tribunalis sanctæ ac generalis Inquisitionis. Abhorrent profecto aures Catholicæ ad auditum similis propositionis. Sacro Tribunali inter Catholicos maximæ semper fuit gloriæ, ejus integerrima justitia & intemerata æquitas: & hodie illa infamatur, volendo ut ei subtrahantur causæ ad Societatem pertinentes, ne eas judicet Tribunal, quasi passione corruptum. Soli ergo Societati novum fidei tribunal erigendum erit. Maxima hæc est, Domine, signanter injuriosa Excellentiæ V. nec non toti sacro Tribunali, apertissimeque schismatica.

373 *Sextum & præcipuum, quod Epistola hæc tali modo ignominia afficit suprema V. Excellentiæ Decreta; & ea non tantum ut vituperabilia, sed etiam ut abominabilia rideat, negando eis æquitatem, justitiam, veritatem & fidem; eaque exhibendo tamquam passione vitiata, minus circumspecta, &c. Quantum omnia hæc vergant in detrimentum, non solum sacri Tribunalis, sed & puritatis fidei nostræ; quam absona sint auribus orthodoxis, plausibilia heterodoxis & in fide male sanis, facillime dignoscitur. Judicavi semper, Domine mi, quod hæreticum & blasphemum sit, denigrare suprema sacri Tribunalis Decreta; quodque e converso Catholica sit doctrina, hæreticam esse quam V. Excellentia designat ut talem; nec recte sentire eum, qui ausit obtrudere ut sanam, quam V. Excellentia reprobat ut suspectam. Quid ergo juxta hæc erit dicta Epistola, in toto suo themate ac præcipuo assumpto?*

374 *Heterodoxis novum non est, Domine, blasphemias vomere in Ecclesiam, & quasi rabidi canes ea morsibus suis qua possunt impetere, quando ipsorum opera proscribit, & dogmata damnat. Loquuntur Buceri & Philippi Melanthonis epistolæ. Hinc suspicor, Epistolam tam rabidam, vomitum fuisse cujusdam Belgæ hæretici, videntis damnari nonnullos errores, quibus Boreales provinciæ infectæ sunt, signanter exigua erga Sanctam Apostolicam Sedem subjectione. Intendit enim hæc Epistola supremum Excell. vestræ Decretum spoliare auctoritate sua, quasi inde firmaret male secura dogmata, quæ in proscriptis operibus continentur.*

375 *Postremum profero V. Excellentiæ suspicionem unam meam, quæ ut talis transeat, protestando, uti protestor, nullatenus animum mihi esse, censurandi personam Danielis Papebrochii aut Conradi Janningi. Est autem suspicio mea, quod hujus Epistolæ, quam denuntio, auctor sit Conradus Janningus, Societatis Jesu, modo Collega Danielis Papebrochii, continuatoris Bollandorum. Motivum hujus meæ conjecturæ est stylus, proprius Conrado Janningo, sicut indicat „* Motivum Juris *&* Appendix ad Motivum juris *„ præfati auctoris opera. Et est adeo solidum hoc fundamentum, ut liber anonymus, per Balerum Tuscum Lutheranum in lucem protrusus, sub titulo „* Tela Catholica contra judicia erronea *„ ab Ecclesia sit proscriptus anno 1622. tamquam opus prædicti Baleri Tusci, agniti ex stylo præfati libri. Ita habet Lambertus Batavus, in sua „* arte nautica catholica *„ lib. 2. cap. 9. Maximus Ecclesiæ doctor S. Hieronymus, ex solo stylo quamdam epistolam Joannis Hierosolymitani cognovit, conferendo eam cum aliis ejusdem auctoris, ut ipse sanctus Doctor refert, scribens Theophilo Alexandriæ Episcopo, Epist. 15. Quapropter suspicio non caret fundamento, quod hæc Epistola sit Conradi Janningi. Huic fundamento accedit, quod dicti Conradus Janningus & Daniel Papebrochius, manu ipsius Generalis porrexerunt Romæ Pontifici libellum supplicem, diffamantem V. Excellentiæ Decretum, ut præcipitatum, inconsideratum, & temerarium, de quo certior factus sum per litteras Procuratoris Generalis nostræ Religionis, existentis in illa Curia nomine Congregationis Hispanicæ. Et cum eadem sint quæ ibidem allegantur, & quæ hæc Epistola propalat, non caret gravi fundamento conjecturæ hic a me proposita.*

376 *Quare denuntio præfatam Epistolam, supplicando vestræ Excellentiæ super ea rectissimam suam justitiam, ut sistat scandala ex ea profluentia, cetera & perniciosiora, quam illa asserit timenda esse ex condemnatione 14. Tomorum, per æquissimum Excellentiæ V. Decretum facta.*

377 Adm. Rev. P. Angele, utinam bone! Credamne, satis imprudentem, ne dicam impudentem fuisse Te, qui talem Delationem sperares a sacro Tribunali excipiendam, patienterque audiendam; an potius suppositiciam fuisse? Ipse tu videris. Pœnam certe, quam a Rege in te statui postulabat Legatus Cæsareus, tamquam læsæ Majestatis reum, declinasse diceris, negando Delationem a te vel scriptam, vel oblatam. Ego ea de re certi nihil scio: nam Soutermannus mihi scribit, in Secretaria nihil super ea re aliud inveniri, quam relationem Legati missam Cæsari de injuria ipsi facta, & pœna postulata: prius autem quam peragi posset aliquid, revocatum in Germaniam Legatum istum, ubi paulo post obiit; successorem autem ejus in Hispanica Legatione, nullis novis super ea causa mandatis instructum, & nemine ipsum ad prosecutionem stimulante, supersedisse odioso negotio, quod decessor suus ultro assumpserat, officii sui esse ratus non dissimulare tam luculentam injuriam Domino suo inflictam, in publico Hispaniæ totius theatro. Nempe ea erat clementia Cæsaris, etiam perduellibus, suæque vitæ & imperio insidiatis ignoscere soliti, ut noluerit diutius meminisse contumeliæ, in alieno regno sibi factæ a viro religioso: neque Jesuitæ, ad quorum nutum versatilem ipsum sibi fingunt adversarii mei & Societatis, illum contra Te volebant incitare, sicut vos contra me conamini concitare magnos & parvos; sed in spiritu lenitatis dissimulare maluerunt, quod castigari ex merito non magni putabant interesse ad causam principalem Controversiæ nostræ, a qua deflectere ad peregrina incidentia, argumentum esset animi suo juri diffidentis, & divertere judicium cupientis.

378 Si tamen negasti a te profectam Delationem Epistolæ Cæsareæ, idque negare salva veritate potuisti, poteris etiam excusare te ab insigni stultitia, per quam ridendum se proposuit Delator, ex stylo epistolæ judicando, non esse illam Cæsaris, sed Janningi. Hoc enim tibi nemo concedet eorum, qui cum veris Janningi opusculis, vel seorsim editis, vel ante primum Tomum Junii legendis, Epistolam conferent, linguæ Latinæ melius periti quam Delator; Nam si vel levem ad talia discernenda experientiam attulisset, lecto Exhibitionis libro (quem tu, P. Angele, negare, non potes

lectum

lectum diligenter a Te, quia Expostulationes anni 1694. inde sumptas totas, attulisti Inquisitioni *nomine proprio*) Lecto, inquam, Exhibitionis libro, ac deinde *Motivo Juris ejusque Appendice*, illico agnoscit quilibet, ejusdem omnia esse auctoris, nec Janningi, sed P. Sebastiani a S. Paulo, primum librum contra me, libellos duos alios contra Janningum scribentis. In his libellis si veras hæreses reperisti, non meum Collegam, sed Magistrum tuum hæresis convicisti, quod nec ego quidem hactenus feci, aut facere velim.

379 Simili infelicitate voluisti stylum Janningi cognoscendum dare ex libello supplici, quem ipsius meoque ac socii nostri Francisci Baertii nominibus subscriptum & summo Pontifici offerendum, Romam misimus P. Procuratori nostro Generali, Petro Francisco Orta. Exhibitus enim is numquam fuit, nedum a vestro Procuratore lectus, sed scriptus istic nomine P. Generalis est similis, de quo ille ad me 28. Novembris 1696. ita refert. *Statim ac ad manus meas venit libellus, a Rev. V. & PP. Baertio ac Janningo dictatus, summo Pontifici offerendus, illum in breviorem formam, mutatis mutandis, juxta morem Romanæ Curiæ, redegi; & exinde una cum P. Gulielmo Aerubendis, Præposito Domus Professæ Antverpiensis, & ad hanc Congregationem electo Procuratore, ad pedes Sanctissimi obtuli, qui benigne eum excepit, causam oblationis laudavit, & justæ petitioni annuens eumdem libellum Reverendiss. P. Magistro sacri Palatii Apostolici pro informatione remisit. Opportune vero eidem P. Magistro S. Palatii rationes insinuavi, quæ dignæ visæ sunt, ut Sanctitati suæ referrentur: quam relationem, satis & aliunde favorabilem ipse P. Magister præstiturum se dixit.* Eccum autem ipsum, qui oblatus est, libellum, quemque a vestro Procuratore visum non arbitror, sed quid eo contineretur, ex fama dumtaxat, vel alicujus qui legerat relatione imperfecta ab eo cognitum, & scriptum in Hispaniam fuisse. Verum ergo contextum accipiat Lector, qualem causa exigit.

BEATISSIME PATER,

380 T*Hyrsus Gonzalez, Præpositus Generalis Societatis Jesu, si unquam nomine istius Ordinis, & universi, & summe gravati, provolutus ad pedes suæ Sanctitatis, ejus patrocinium & opem imploraverit; id certe gravissimo & communi mœrore nunc facit. Atroci Decreto, quo Tomos grandes omnino quatuordecim P. Danielis Papebrochii & Sociorum ejus*, Acta Sanctorum *complexos, post examen (ut fertur) vix quadrimestre, censuris immanibus mense Novembri 1695. damnavit Inquisitio Hispanica, quam enormiter tota Societas læsa sit, latere neminem, multoque minus Tuam Sanctitatem potest. Ita enim dicenda erit Religio, ad oppugnandas hæreses instituta, atque in iis detegendis refutandisque non infeliciter hactenus versata*, assertiones hæreticas, schismaticas, impias, *& si quid his pejus est, non in pagella aut thesi quapiam, non in obscuri nominis libello, sed in tam multis magnisque voluminibus (quorum non pauca a suis Censoribus Romæ probata, Tuisque, Beatissime Pater, Decessoribus dedicata, atque ab iis laudata sunt) non tolerasse tantum & confirmasse, sed per omnes orbe Christiano toto Bibliothecas præcipuas, Romanas in primis, distribuisse. Quod quid est aliud quam hæreses atque impietates disseminasse, per mundum veterem & novum, qua patet, universum?*

381 Aliis gravata & oppressa modis tacere Societas ac pati posset; certe sæpenumero solet. At de hæresi accusatis, imo publice damnatis, non licet, e Sanctorum Patrum sententia, patientibus ac taciturnis esse. Quamquam, ut licitum hic etiam silentium foret, quando nos tantum id venenum ac probrum inficeres; jam sane tacendo prævaricabimur, si nostram pestem dispersimus per Ecclesiam universam, id est præcipuis ejusdem Bibliothecis intulimus. Hinc nuper Sanctitatem Tuam rogabamus (quod & pro sua benignitate prudentiaque concessit) ut Romano, maturiori utique & sapientiori examini, volumina illa subjicerentur; corrigenda, damnanda, igni etiam danda, si mererentur: sin minus, absolvenda, & porro Ecclesiæ permittenda; utque probantibus Summis Pontificibus conscribi cœpta, & ad mensem Julium perducta sunt, eorumdem, ac Tuo in primis patrocinio continuanda; absolvi ut possit opus, quo vastius Ecclesia nullum habitura sit.

382 Hæc ergo nuper concessisti Pater Beatissime. Nunc vero ut a sapientia, æquitate, benevolentia erga nos tua plusculum supplices petere audeamus, faciunt tot virorum ecclesiastica dignitate & notitia antiquitatis præstantium (etiam aliquorum alibi nobis non faventium) tot Principum, ipsiusque adeo Augustissimi & Sapientissimi Cæsaris Leopoldi vota ac postulata, Tuæ Sanctitati vel eorum litteris exposita, vel aliis viis minime ignota. Censent hi omnes æquissimum esse, & plerique a Te, Beatissime Pater, per se vel alios petunt, ut dum volumina illa Romæ examinantur, pro Apostolicæ potestatis plenitudine Decretum Hispaniense suspendas. Horum postulatis desideriis nunc sua & vota jungit Societas Jesu; & siquid Ecclesiæ, quam feliciter regis, opera suorum profuit, per eorum sudorem & sanguinem eidem immolatum, & favente Deo etiam immolandum, suppliciter etiam atque etiam, & quanta potest contentione rogat, ut auctoritatem hic tuam in Ecclesia summam accommodes atque impendas Religioso, Romanæque Sedi devoto præ ceteris Ordini, Censuris illis enormiter læso, & potentia jam dicti Tribunalis oppresso.

383 Remedium quod petimus, Sanctitatem Tuam neque ullis affectorum molestiis, neque cum Catholico Rege ullatenus commissurum certius est, quam ut operose explicetur. Apostolicam potestatem sua superiorem agnoscit ipsum illud Tribunal; neque observantissimus erga Sanctam Sedem piissimi Regis animus, jam præsertim Cæsaris aliorumque Principum litteris & ipse præmunitus, ægre feret aliquam Apostolicæ potestatis partem exeri in hacce causa, ad Ecclesiam sane totam, ac proinde ad supremum ejus Pastorem multis titulis pertinente. Uno tantum opus est BREVI *diplomate, quo memoratam suspensionem Decreti, in causa Romam ex parte delata festinanter editi, Tua Sanctitas vel ipsa decernat ac faciat, vel per Inquisitionem Hispanicam aut Summum Quæsitorem fieri, saltem monendo aut suadendo, curet: ita ut in locis Inquisitioni Hispanicæ subjectis legere interim, item emere*

ac

ac vendere liceat volumina confixa cum eorum apologiis, Actisque Sanctorum Junii recenter editis. Quæ quidem Apologia jam in hac Urbe visa & laudata, censuras tot voluminum Hispanicas impeditura forsan erant, si potuissent citius illuc pervenire. Injuria sane fieret non parva Sanctis, si tot millenæ eorum vitæ, ex coætaneis nec umquam aditis monumentis erutæ, & ne accusatæ quidem, in tanta tamque illustri Ecclesiæ parte, quanta subest Inquisitioni Hispanicæ, ad tenebras, etiam aliquorum dumtaxat annorum, condemnatæ manerent.

384 *Hanc igitur, Pater Sancte, Decreti atrocissimi, Lutheroque & Calvino digni, suspensionem æquissimam censent tot eruditi & illustrissimi viri, tot supremi Catholicique Principes: hanc etiam plerique a Tua Sanctitate postulant; æquitatis & sapientiæ Tuæ Rescriptum propitium expectantes, &, nisi fallimur, multis nominibus promerentes. Hanc etiam mœrore plena petere audet universa Societas, & pro antiqua Tua in se benevolentia sperare. Ita vegetam Sanctitatis Tuæ, & vel per se venerabilem senectam diu nobis conservent Superi; atque pacatam Tua tandem opera Europam, annumque Secularem videre faciant. Ita veniat Christianus Orbis, teque obturatis Jani portis gloriosissimum Pontificem, Vaticanas aperientem valvas claudentemque, lætus aspiciat.*

385 Quod stylus libelli hujus nihil commune habeat cum stylo Epistolæ Cæsareæ, nemo vel modice litteratus negabit. Sed quid agas homini passione cæcato? Ut furiosi solent, saxa, stirpes, cespites, fungos, imo (sit verbo venia) stercora, jactare in eos quibus irati sunt; sic ille quidlibet, quomodocumque & undecumque oblatum, stolide arripit, & convertit in arma. Quid enim aliud sunt *Tela Catholica*, quæ Delator asserit agnita ex stylo esse *Baleri Tusci*, & tamquam hujus damnata ab Ecclesia? Romana Ecclesia hæc esse deberet, hujus enim solius judicium respiciunt & reverentur Catholici; *Tela* autem ista, adeo non damnavit illa, ut nec quidem ad ejus notitiam delata esse unquam videantur. Index sane prohibitorum librorum, a tempore Concilii Tridentini usque ad annum 1670. aliique post editi Indices, *Baleri Tusci* nomen nusquam habent: qui autem talis damnationis testis citatur *Lambertus Batavus*, si fuit (ut ex titulo libri verosimile fit) Navarchus Hollandus, fuit etiam Calvinista: nec enim Catholici ad talem dignitatem provehuntur. Dicitur ille quidem scripsisse *de Arte nautica catholica*; verum epitheton *Catholica*, ibi non refertur ad Religionem auctoris, sed ad universalitatem argumenti, docentis in quamcumque universi orbis partem navigare.

386 Hoc in libro cur refutandus fuerit Balerus, ipso necdum reperto (licet ab ejusdem rerum peritissimis Amstelodami quæsitus sit) divinare est difficile. Cognoscenti tamen secreta Indicæ Societatis apud Hollandos, & quædam ejus statuta servanda epibatis apud Japones, omne Christianorum nomen exosos, aliaque ejusdem Societatis decreta: hæc, inquam noscenti, haud satis congrua religioni Christianæ suspicio ingeritur, quod contra ipsa scripserit Balerus librum, præfixo nomine suo: quem cum Ministrorum Calvinianorum Classis (ita locales suas Synodos appellant) condemnasset, ut status politici perturbativum (huic enim illi volunt religionem subservire) & ipsorum censuræ, tacito nomine, repoluisset Balerus *Tela Catholica* (nam hunc titulum etiam Lutherani Calvinistæque affectant) fuerit ex stylo agnitus, iterumque nominatim damnatus *ab Ecclesia*, non *Romana*, sed *Calvinistica*. Ista si scivisset Cæsareæ Epistolæ Delator, fuisset credo Hieronymi exemplo contentus, ad probandum id, de quo dubitat nemo, posse auctorem ex stylo suo cognosci, & quidem sæpe infallibiliter, sicut P. Sebastianus cognoscetur ex stylo Exhibitionis proprio, auctor esse Monitivi & Appendicis, etiam quando nomen expunctum reperietur.

387 Argumenta porro, ob quæ Cæsarea Epistola defertur ut hæretica & schismatica, ejusmodi sunt omnia, ut quemcumque, querentem se decreto aliquo Inquisitionis pravatum injuste, reum illa faciant: quod nemo admiserit, nec ipsa Inquisitio velit; gloriæ sibi ducens, quod parata semper sit reddere rationem suorum decretorum, & injuste se læsum probanti justitiam reddere. Exempla quædam videbis infra in libello supplici, quem noster P. Beltran Regi obtulit, P. Xaramilius composuit. Ego huc loco dignam censeo Epistolam proferre, quam vir eruditus Madritum Hispanice scripsit cuidam suo amico, ad solum Inquisitionis nomen (ut ferme vulgus Hispanicum solet) tantopere dejecto, ut quamcumque sententiæ inde promanantis declinationem habeat, sicut habet Delator, pro evidentissimo animi hæretici argumento: ipsam audi.

388 *Percellit Dominationem Tuam vehementer, quod Patres Jesuitæ ausi fuerint juridice postulare a Tribunali S. Inquisitionis exemplum censurarum, prolatarum contra Propositiones desumptas ex quatuordecim tomis de Actis Sanctorum, editis per Jesuitas Belgas, Henschenium & Papebrochium, & tam severe prohibitis anno præterito. Ratio autem obstupescendi fundatur in gravitate, integritate, & secreto, cum quibus in isto sancto Tribunali proceditur; de quo nulla quemquam possit subire suspicio injustitiæ, negligentiæ, vel omissionis circa puncta tam gravia, spectantia honorem & doctrinam Catholicorum subditorum, quorum fidem & famam circumspectione tam benigna curat ipsum sacrum Tribunal. Ego vero multo magis miror, quod Dominationi vestra instructæ præteritarum rerum notitiis tam multis & tanta eruditæ curiositatis copia, memoria non suggesserit varia exempla similium in Hispania casuum. Ut autem ad antiqua tempora non recurram, tria dumtaxat seculi hujus commemorabo.*

389 *Primum offert Jesuita Fagundez. Eruditus hic Theologus ediderat librum de Præceptis Ecclesiæ; perveniensque ad quartum lib. 1. cap. 2. n. 11. docuit, quod in locis ac regionibus, ubi consuetudine introductum est, ut ova & lacticinia comedantur in Quadragesima, absque bulla, non est peccatum mortale ac ne veniale quidem ipsa absque Bulla manducare. Propositio hæc visa est in Castella derogare juribus sanctæ Cruciatæ; & (quasi ad publicum interesse, ut vocant, conformari debeant doctorum opiniones) ad instantiam Fiscalis Cruciatæ, gravissimi duo Theologi, verum Societati non bene affecti, do-*

ctrinam

Christianam istam censurarunt, ut temerariam, scandalosam, singularem, & male sonantem: eaque censura delata mox ad Inquisitionem est, cujus Qualificatores, licet non omnes, accesserunt ad priorem censuram; & consequenter mandavit sacrum Tribunal, ut prohiberetur Caput illud secundum, donec corrigeretur. Decretum istud Madriti publicatum fuit, cum esset Generalis Inquisitor Illustriss. D. Fr. Antonius de Soto-Major ex Ordine S. Dominici anno 1627. P. Fagundez, antequam audiretur, damnatus (de quo modeste queritur cap. 1. Defensorii sui num. 1.) mox occurrit pro jure suo, defensurus se contra censuram, exhibenda fundamenta doctrinæ suæ. Ac primo impetravit suspensionem edicti: deinde vero, ad diem 29. Aprilis 1630. obtinuit decretum, ut liber prædictus currere posset & curraret libere, non obstantibus edictis & prohibitionibus sacri Officii; ejusque gratiæ testimonium auctori expediretur: quod decretum & testimonium dicto P. Fagundez per Licentiatum Sebastianum de Herrera, Secretarium supremi Consilii S. Inquisitionis, traditum fuit Lugduni in Gallia an. 1631.

390 Erat Stephanus Fagundez natione Lusitanus, &, cum Ulyssippone moralem Theologiam docuisset per decennium, factus supremus in suo Collegio studiorum Præfectus, duos traditæ a se doctrinæ Tomos impressurus, Lugdunum se contulerat; ubi luci dedit (uti in Bibliotheca Societatis legitur) Tomum primum *Quæstionum de Christianis officiis, & casibus conscientiæ in 5. præcepta Ecclesiæ an.* 1628. Apologeticum autem suum *de Lacticiniorum usu*, ibidem excudit anno 1631. ac paulo post Tomum suum 2. *in* 10. *Præcepta Decalogi*. Ubi noto, quod in censurando scriptoris Jesuitæ libro, juxta Ordinem a Rege illi Inquisitori præscriptum, proposita quæstio, primum fuerit commissa duobus Theologis, quos Regii Cruciatæ ministri sibi assumpserant parum æquos Societati; idque verosimiliter tam secreto, ut contra judices, notorie adversos sibi, non potuerint excipere Jesuitæ pro confratre suo, licet externo & absente, alias futuri solicitii, & audientiam delato postulaturi.

391 Atque hactenus quidem paria meo casui omnia, sed o quam disparia cetera! Conferatur unicum unius libri caput cum tomis 14. & quanto plus damni afferat negata, interim dum defensorium scribitur, Decreti suspensio. Propositio autem istic unica, non tam longo egebat defensorio, quin posset paucis foliis describi etiam sæpius: sed absenti & necesse habenti illud exponere viarum periculis, permissum est ipsum prælo mandare. Ego & duplo absum longius, & necesse habeo tueri propositiones supra trecentas, quarum cum mox aliquæ docerentur per calumniam delatæ, adeoque per injuriam censuratæ, numquid æquius erat, donec cetera paulatim exculparentur, suspendi decretum? Id sane tunc saltem videbatur fieri debuisse, quando jam constabat publicum me Apologiam cudere, contra Exhibitionem, eamque talem, ut passim legentibus faceret satis: ex qua deinde sumenda esset secreta responsio ad censuras. Quod si unica Facundii propositio biennio eguit ut justificaretur; quid fiet, si meæ singulæ sic differantur? aut quæ demum spes erit boni finis, intra centum annos vix obtinendi, quamdiu in Officio isto prævalebunt ii, quorum interfit numquam retractari Decretum, quocumque jure vel injuria promulgatum.

392 Transeamus ad alterum exemplum, quod in epistola sic proponitur: *Religiosas monasterii S. Placidi Madritensis, quas condemnaverat Inquisitionis Tribunal, variisque pœnis ac censuris gravaverat, clarissima S. Benedicti Religio, tamquam suas filias defendendas suscepit, Procuratoremque causæ ipsarum constituit R. P. Fr. Gabrielem Bustamantium. Hic 17. Februarii anno 1633. postulationem suam secundum formam juris instituit, ut causa recognosceretur. Admissa postulatio fuit a sacro Tribunali, alteraque vice & maturius considerata causa, coram Dominis supremum Inquisitionis Senatum constituentibus, cœtuque decem doctissimorum Qualificatorum, Deprehensum autem est, primos Qualificatores, quibus commissæ erant examinandæ actiones prædictarum Religiosarum, non protulisse in judicium excusationes & apologias earum (defectus sane in judicio gravis atque omnino substantialis) visis autem illis inventum fuit, eas plene satisfacere, & consequenter absolutæ sunt reæ ab inflictis pœnis atque censuris, per Decretum formatum 7. Novembris 1638. quo declarabantur illæ liberæ a sententia prænotata, restitutaque iis in integrum est fama sua: de quo etiam publicum instrumentum iis fuit traditum per D. Christophorum Sanchez Garzia, Secretarium Consilii sanctæ inquisitionis supremæ, quale penes me impressum habeo.*

393 Habeo & ego sub eadem Epistola descriptum exemplar absolutionis istius, cujus narrativa pars, nihil differens a substantia præmissæ epitomes, habet nomina postremorum Qualificatorum cum titulo professionis singulorum, qui *duos solidos menses* dicuntur impendisse *Actis & processibus prioribus recognoscendis; & uno ex Consiliariis præsidente* declararunt, *non potuisse ex illis se quidquam eruere, quod censuram mereretur: atque addiderunt, quod censuræ & qualificationes priorum Theologorum Qualificatorum, secundum quam sacrum Officium contra prædictas Religiosas processerat, sententiamque tulerat, nec possint nec debeant illis obesse; eo quod processerunt ex aliis motivis & rationibus, & non visis totis illarum confessionibus; eaque forma, ut si etiam sic proponerentur præsentibus novis Qualificatoribus, nudæ a circumstantiis, cum quibus nunc fuerunt propositæ, similiter fuerint etiam hi censuri, quemadmodum primi*. Consequenter ad hæc notat Epistola, & *irrefragabiliter* concludit. Primo, *eam esse supremi Tribunalis justitiam, ut potius quam permittat personas innocentium manere infamatas, velit illatum eis damnum reparare, etiam cum retractatione, si opus, ac reformatione primæ suæ sententiæ*.

394 Hanc justitiam mihi quoque præstandam citius confidam, quando satis constabit, quam male ac falso causam informatam attulerint Delatores, & quomodo ipsos secuti sint Qualificatores, itque ad res historicas tam parum exercitati, ut multa damnaverint summopere laudata eruditis, optimisque auctoribus nixa: sicuti ex meis ad Exhibitionem Responsionibus patet; clariusque patebit sacro Officio, quando dignabitur totam causam serio examinandam

nandam suscipere, juxta Apologiam secretam, ipsi pridem cœptam exhiberi. Alterum insuper notat Epistola, quo responsum manebit Delatori Epistolæ Cæsareæ, *supremum Inquisitoris summi Decretum* identidem inculcanti, velut omni casu habendum extra suspicionem erroris, etiam ubi ille nihil per se, sed solum per ministros paucos, eos vel adversarios vel imperitos, cognoscit. Istud autem alterum est, *quod supra terram nulla sit infallibilis auctoritas, præterquam summi Pontificis, Vicarii Jesu Christi, cujus sententia & definitio irrefragabilis sit; quia propter assistentiam Spiritus sancti, promissam unice S. Petri successoribus, decipi, falli, & errare non potest:* idque in solis quæstionibus fidei, non autem puri facti, quales plerumque eæ sunt, ex quibus culpor. Nam in his fallibilem agnoscunt Catholici omnes, ipsomet eorum capite Gregorio IX. in suis Decretalibus affirmante; quod *Romanæ Sedis sententia non negatur posse in melius commutari, cum subreptum aliquid fuerit*. Decipi autem, per subreptitias informationes falsasque calumnias, potest quicumque, etiam prudentissimus judex; quod tamen non debet præsumi accidisse, nisi ex certissimis convictionibus, quales sunt eæ, quibus defensio mea nititur.

395 Denique sumpto exemplo tertio, ab ipsismet Carmelitis, quorum sententiæ quædam prius damnatæ, & post novem concertationis juridicæ annos, currere sunt permissæ anno 1639. die 9. Decembris, sic concluditur Epistola. *Per hæc exempla cessabit credo admiratio Dominationis Tuæ, & per ipsam in aliis multis præsumptio censurandi, veluti temerariam & audacem, petitionem atque prætensionem Jesuitarum; quoniam jure humano ac divino licet, mediis omnibus justis quærere reparationem honoris injuste læsi. Interim maneo ad Dominationis Tuæ obsequia & mandata promptus Valentiæ 23. Martii 1696. protestans cum osculo manus, quod sim ejus minimus famulus, Licentiatus Don Didacus Franciscus Maldonatus.*

396 Nemo, ut reor, feret patienter, si Fr. Angelus eruditissimum hunc & gravissimum auctorem hæreseos suspectum velit reddere, quia dixerit, Decreta supremæ Inquisitionis reformari posse, (quod nec de suis quidem, extra fidei definitiones, negat Apostolica Sedes) quomodo igitur feret Cæsar, sese ut schismatis auctorem notari, quia Sereniss. Regem nostrum hortatur, ut, ad præcidendam rixis causam, non patiatur ab Inquisitore Ordinis Dominicani, ad primam instantiam judicari libros Societatis, exemplo patris sui Philippi, hac cautione usi in promotione Soto-Majoris. Nam quæ Tribunalia patiuntur, ut in causa aliqua judex sedeat is, qui adversæ parti connectitur, aliquo propioris connexionis vinculo? Numquid non ideo excluduntur ab ejusdem magistraturæ consortio fratres, patrui, parentes; & reis potestas datur excipiendi contra eos, quos quoquo modo adversæ parti obnoxios esse, possunt demonstrare? An Advocatus quispiam, sicut Papebrochii Advocatum agere dignatur Augustissimus Cæsar, rei sui nomine contra quemcumque excipiens, dicetur excepto inferre calumniam, dignam ob quam pellatur foro, nec in judicio audiatur, dum profert veram omnibusque patentem excipiendi rationem?

397 Philippum IV. ut faceret quod fecit, movit recentissima tunc memoria controversiarum, super Auxiliis gratiæ inter Dominicanos & Jesuitas gliscentium, quæ utinam vel nunc satis sopitæ sint, postquam alterutrorum sententiam ab alteris censurari, severissime prohibuit Apostolica Sedes. Et Philippi IV. filius Carolus II. non posset sic prudentissime agere, cum ejusdem professionis Rocabertio, cujus cum Societate simultates, jam inde a principio sui in Ordine Generalatus, notiores sint Romæ sunt quam ut hic debeant commemorari? Nuper vero ad veteres accesserat causa Palafoxii, consanguinei ejus, ipsum cum Discalceatis connectens; ut alias rationes præteream, quibus eum arctius obligatum Discalceatis teneri haud obscure susurratur. Nihil hic opus est ad incertos susurros recurrere: nam quo ille animo primo suo ad officium aditu esset, satis ostendit proscribendo libellum P. Pauli Segneri, notissimi Romæ viri, & aliquos de Prædeterminatione tomos; quin etiam 14. tomos de Actis Sanctorum; idque ne viso quidem propositionum illis imputatarum elencho; quem si legisset, legisset in eo suasmet sententias, quas utique voluisset censuræ eximere.

398 Ast intolerabile, imo incredibile videtur Delatori, quod Christianissimus Religiosissimusque Imperator, præsumeret laudare auctores librorum, ab Inquisitione damnatorum, tamquam *eximios Theologos Scholasticos*, contra Instructionem Clementis VII. omnia hæreticorum elogia eradi jubentis ex libris, alias tolerandis. Quasi omnes ubique Christiani obligentur damnare ut hæreticum, quidquid quatuor vel quinque Hispanis tale visum fuerit, cum injuria ordinariorum Censorum: qui nihilo minus Theologi quam ipsi, & propter continuos cum hæreticis conflictus, magis quam ipsi versati in controversiis fidei, non modo hæreticum nihil in libris Papebrochii invenerunt, sed e contrario experiri se dicunt, eosdem ad hæreticorum confusionem, imo & conversionem, utilissimos esse. An pendente causa Patris Fagundez de licito lacticiniorum in aliquibus provinciis usu, citra expressam Bullam, pro quo usu vel pueri rusticique in Belgio judicassent, non licuisset auctorem laudare, ut profundum solidumque Theologum? Peccavit ergo graviter Innocentius XII. qui 13. Novembris præteriti, venienti ad suos pedes P. Generali, cum quinque ex unaquaque Assistentia Provincialibus, excusantique necessitatem respondendi tot libellis famosis, quibus undique Societas impetitur, ac nominatim pro libris meis, subjunxit hæc formalia verba, PATER PAPEBROCHIUS EST VIR MAGNUS ET DOCTUS. Ignosce Lector, hoc proferenti, dum cogor Cæsaris tueri judicium.

399 Non peccat autem contra Clementis VIII. instructionem, sic ut scripta ejus prohiberi debeant, qui rem aliquam, parum decoram alteri, sed vulgo notissimam, pro sua suive clientis defensione allegat, inter causas declinandi arbitrii vel judicii ejus, etiamsi is contra quem excipitur ecclesiastica aliqua emineat dignitate. Atque hoc non mea, sed Cæsaris causa dixerim, absit enim ut existimem Excel-

Illustriss. Rocabertium, quomodocumque erga Societatem ejusque scriptores affectum, & quantumcumque Carmelitis obnoxium, existimem tanti criminis esse capacem, ut innocentem opprimi sciens ac volens patiatur. Quin imo cognitam habens profundam ejus doctrinam, etiam in materia historica, & quam longe absit ab ea plerorumque in Hispania ecclesiasticorum fatuitate, quam Cardinalis Aguirrius aliique prudentiores Hispani tantopere detestantur, fidenter ipsiusmet appellabo judicium, postquam Responsiones nostras publicas legerit; & dicam cum Illustrissimo Malacitano, Querimoniæ suæ Præfationem concludente: *Judica ergo nocentes me, Domine, expugna impugnantes me; quia insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi: apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi.* Quinam autem isti? Omnes qui sustinent verum sub tribus essentialibus Religionis votis in veteri Lege monachatum non posse vocari in controversiam, absque injuria Inquisitionis Hispanicæ, quæ propositiones eo spectantes ac primo prohibitas, currere sub aliqua limitatione permisit, quod illi volunt habere vim approbationis positivæ; & qui tenent, absque præjudicio Hispanicæ Ecclesiæ & Nationis, non posse ut supposititia ac fabulosa explodi pseudo-chronica sæpe dicta, in iisque solis fundatos Auctores vel Sanctos. Tales enim Qualificatores, tamquam notorios adversarios recuso, & a qualicumque Tribunali, non alios ministros habente, vel exclusis aliis illos admovente cognitioni librorum meorum, tam fidenter quam necessario appello, ad Tribunal rectæ rationis, omnibus gentibus commune & æquum, Sedisque Apostolicæ judicium.

C A P U T XI.

Tandem cogitur Papebrochius anno 1696. publica Apologia edita, sua & Henschenii scripta articulatim defendere, contra Exhibitorem, per omnes & singulos Articulos falsum, aut etiam manifeste calumniatum. Defendens autem censuratos libros suos, Latine per se, Hispanice per alios, neutro idiomate recipitur in sacro Officio, prætextu Decreti cujusdam veteris, anno 1634. lati, contra libros & schedas quibus Religiosi quidam mutuo se insectabantur, quod illum in finem renovatur; jubeturque Papebrochius Censuras, operi sui inflictas, purgare Apologia secreta Hispanice: quod facere exorsus an. 1697. mense Martio, nullum toto anno responsum refert.

SI sanctæ Inquisitionis Ministris in promptu erant, ut esse oportebat, Propositiones tam fœde censuratæ, ante publicationem ipsius censuræ, nulla debuisset fuisse mora, quin exhiberentur statim eas postulanti, authentice transcriptæ. Sed sive eæ in promptu habebantur, sive non (quod divinare non convenit) longius multo effluxit tempus, quam requirebat simplex descriptio. Equidem oooo dumtaxat post editum ferale Decretum mense, accepi elenchum propositionum plus quam trecentarum, cum sua cujusque censura: qui elenchus si restrictus fuisset ad solas, quas visum fuerat notare ut *hæreticas*, aut *hæresim sapientes* (de quibus ante omnia me intendebam purgare) nulla in me mora fuisset, quin statim remitterem Apologiam, qualis postulabatur, secretam, saltem Latine scriptam: nec enim multæ esse poterant, ut ex Elencho post ipso patuit. Ast tam multis non licuit satisfacere cito, præsertim quando Responsio publica ad librum Exhibitionis, jam eo usque sub manu ac prælo processerat, ut operis progressum morari non liceret; cum ex eo præsentior & major lateque patentior speraretur fructus, quam ex privata secretaque satisfactione Tribunalis unius. Imo si publicam tantisper illud dignaretur suscipere, magna pars requisitæ Apologiæ jam habebatur præformata, quando inde possent excerpi capita censuram passa, & jungi si quæ accesserant Patri Sebastiano prætermissa.

401 Viderat hoc, jam statim a principio latæ Censuræ, Adm. Rev. P. Thyrsus Gonzalez, viderant & alii plures, simulque periculum esse in mora: quapropter suspenso tantisper mandato, quod a suis decessoribus latum ipse confirmaverat, ne circa res Carmeliticas ederetur aliquid, quod Romæ prius recognitum & probatum non fuisset a revisoribus Generalibus, quod mandatum jam cœperat etiam ad Janningi opuscula apologetica laxari (nam hæc quoque visa fuerant moram pati non posse) non solum facultatem ultro misit, sed & mandatum refellendi librum Exhibitionis, ad eum quo refutavi modum, ita scribens 21. Decembris. *Non dubitatur in Hispania, quin in libro Fr. Sebastiani a S. Paulo, magna saltem ex parte effectum sit, ut Acta Sanctorum a S. Inquisitione ibidem proscriberentur gravissimis illis censuris. Quapropter nostri juxta & externi, qui Societatis sunt amantes, vehementer desiderant copiosiorem aliquam & pleniorem responsionem adhiberi ad librum memoratum. Quorum æquo desiderio cum existimem sine mora faciendum esse satis, cupio talem, vel a Rev. vestra, vel ab ejus Socio quam primum apparari; aut, si quam in promptu jam habeat, exemplaria non pauca mitti in Hispaniam, præsertim Madritum, idque sine dilatione.*

402 Non scripseram ego, neque scribere proposueram aliquam, credens ea Romæ opus non esse, in Hispania autem confidens non defore, qui ad censuras, mox atque harum obtinuissent copiam, eas cum ipsismet libris conferendo, per se facerent Apologiam, abunde suffecturam hominibus eruditis, atque historicarum rerum utcumque peritis; imperitis autem, & præoccupatis assuetudine credendi quascumque de Sanctis fabellas, specie antiquitatis & traditionis velatas, (quales sciebam de meis libris judicasse) nullam Apologiam satisfacturam. Ad hæc prævidebam, eos, quorum potentia & gratia expressæ censuræ erant, mox atque impressissem aliquid in Hispania publicandum, facile effecturos, ut id vel invehi prohiberetur, vel invectum a Ministris Sacrii Officii, ad hoc invigilaturis, auferetur, sicuti postmodum reipsa contigit. Ad hæc intelligebam, libros meos, licet Latine scriptos, quia tamen Hispanice accusati fuerant, censuratos

etiam

etiam eadem lingua fuisse, nec alia scriptam Apologiam quidemcumque in sacro Officio excipiendam. Ego autem, licet Castellanam idioma utcumque intelligam, nihil eo tamen scribere scio, atque adeo per interpretem mihi agendum erat; quod si fecerem, apparebat, nemo quam facile contingere posse, ut Latina lingua & libertate Belgica scribens, peccarem aliquid contra praxim illius Tribunalis.

403 Videns itaque in Hispania peremptum nihil efficere posse me, quo sacra Inquisitio immediate moveretur ad retractandam vel saltem suspendendam Decretum suum, donec aliunde fortior auctoritas magisque persuasiva adhiberetur; ad illam quaerendam forum nihil tunc magnopere laborandum credidi; confisus tamen alibi, atque Romae praesertim, profuturam refutationem Exhibitionis plenam & integram, qualem fieri mandabat Pater noster. Nam alibi quidem gliscebat indignatio, impatientiam etiam conclamantium tam pertinax ad accusationes tam infirmiter assimatas silentium; Romae autem jam pridem pars aliqua operis nostri versabatur sub examine sacrae Congregationis, propositae formando Indici a Synodo Tridentina promisso. Quamvis enim a Catholico Rege rogatum Pontifex, sacra facere gliscentem inter Carmelitarum & Jesuitarum Ordines controversiam, ut librorum fluorum in Hispania confiscatione orta, decidendam litem ut in suscipiendo, judicium illud demandasset supremae Inquisitioni Romanae: hoc tamen, tum alibi molem judiciique de causis, cum ut in speciem optatam, quod prius ad Congregationem Indicis delati libri fuissent, invidioso arbitrio ista subtraxerat.

404 Mea nihil magnopere intererat in otro Tribunali causa ageretur, modo ageretur in aliquo per pontificam delegatio, & coram quo audiri mereret ut possem. Etenim jam inde a principio edita in lucem Exhibitione, & judicio Romae intentari accepta, ubi ipse libros meos examinandos obtulerant, felicitatem magnam existimare, posse illorum innocentiam in isto orbis terrarum theatro manifestare. Probat hoc Libellus supplex, quem Procurator noster Generalis mense Decembri anni 1693. obtulit, cum jam occasione Decreti Hispanici, accensum Romae Rediorum esset praesequendo serio, uti optabam, revisionis. Libelli illius, ex Italico Latine redditi, hic est tenor:

Beatissime Pater.

405 P*Rocurator Generalis Societatis Jesu, ad pedes suae Sanctitatis provolutus, humiliter exponit, quomodo Daniel Papebrochius & sum ejus, Scriptores Theologi praedictae Societatis, scribentes Vitas Sanctorum usque ad annum 1693. intellexerunt delatos fuisse Congregationi Indicis aliquos ex Tomis, continentibus Acta Sanctorum; (opus inchoatum a Patribus Bollando & Henschenio ejusdem Societatis) atque imprimis & nominatim Tomum vulgo dictum Propylaeum Maji, velut continentem Propositiones censura dignas. Quapropter, mediante ipso Oratore, recurrerunt ad suam Sanctitatem, per Memoriale eum ejusdem 28. Novembris; ubi exponebatur, quanto cum studio & labore, prosequi*

Opuscul. Collect.

sum sit ab scribendis Sanctorum Actis atque Monacalia, jam ante stilodium grandia volumina complendas, disserendisque calumniatibus vero a bellis, probabilibus a fortalis, ut fiat, ut dico in nomine stabilita & confirmata vera Ecclesiae Catholicae fundamenta, & confundantur haereses, quae in blasphemiam garrunt in caelum, pro deridendo habent Sanctorum vitas atque miracula & historias sacras. Proinde supplicabant, ut sua Sanctitas dignaretur mandare, eam ipsis communicari Propositiones praedictas, ut per se possent eas si opus foret corrigere, ad quod promptissimos exhibebant se; ne alias tot annorum improferamque labor & opus, publicatum in variis mundi partibus atque receptum, veniretur in vilipendium apud Catholicos, & haereticis contemnerentur in risum.

406 *His omnibus brevi ac benigne consideratis, placuit Sanctitati suae declarare verba sacri, ... esse sua esse, ut, priusquam aliquid constituerent, audirentur Auctorum rationes, quandoquidem parati erant correctionem praestare: justitque sua Sanctitas Memoriale ipsum remitti P. Magistro sacri Palatii, tunc D. Cardinali Ferrario, desuper informaturo ipsum. Hic autem eventu, nihil ulterius postulare; & quod dicti Patres, secundum mentem Sanctitatis suae, congruo tempore instruerentur de animadversionibus & correctionibus. Exhibuit idem Orator aliud deinde Memoriale sacrae Congregationi Indicis, quo, narrans praedicta omnia, supplicabat, expediri ejusmodi communicationem, & assignari quod corrigendum judicaretur.*

407 *Interim contigit eosdem libros accusari coram Inquisitione Toletana in Hispania, eadsque emanavit Decretum, die 19. Novembris anno 1693. quo sub gravissimis censuris ista prohibentur quamvis volumina praedicti operis (in quibus ipsum Propylaeum) id est tres tomi de Vitis Sanctorum mensis Martii, tundem mensis Aprilis, & alii septem Maji. Quapropter nos confinemus Orator enixium, ut ejusmodi volumina deinceps legantur ac possideantur Catholicis, cum damno Ecclesiae & Societatis infamia, siquidem in eis vere continerentur Propositiones damnabiles; humiliter supplicavit Sanctitati suae, ut ex facto, sub oculis suis in hac alma Urbe, examinatis: atque ad facilitandum examen tam valorum tempus spissorum librorum, quod alias in longum tempus protraheretur, mandare Inquisitioni Hispanicae, ut suae Sanctitati transmittat Censuram suam, cum ipsis Propositionibus specificis atque individualibus, simul assignando defectis loco unde excerpta sunt; ut inde possit definiri quid statuendum sit. Id quod &c.*

408 Hactenus Memoriale Procuratoris, quo tum contentus Adm. Rev. P. N. Generalis, eo quod Inquisitionis Hispanicae Decretum maximas post se trahebat consequentias, ex Patrum suorum Consultorum judicio, obtulit proximo Februario aliud Latinum, relatum Capite praecedenti. Exinde in consultationem deducta res est a Sacra Indicis Congregatione, cui utrumque Memoriale remiserat sua Sanctitas: ubi in varias itum est sententias, omnes eo spectantes, ut honori & auctoritati Inquisitionis, cum zelo pro fide Catholica puritate ut subjectis sibi regnis conservanda, quantum fieri potest, consuleretur. Visum autem

H 2 plerif-

plerisque est, mandatum transmittendi Romam individualem singularum Propositionum, & Censurarum in eas latarum notitiam, licet in præsenti casu commodum futurum, quale mandatum Oratores postulabant in Hispaniam mitti, non esse mittendum ad primam instantiam. Ratio erat, quod talis mandati, sic illuc aliquando missi nulla recentioris memoriæ proferebantur exempla; sed alia leniora media prius tentanda, per Apostolicum in Hispania Nuntium, fortassis supremo Inquisitori persuasurum, ut sub expectatione plenariæ satisfactionis, ex nostra Apologia accipiendæ, vel judicii Romæ finiendi, Decretum in querelam adductum ultro suspenderet, potius quam expectaret aliquid, cum nonnulla Sacri Officii nota, a summo Pontifice statuendum ex plenitudine potestatis. Hoc enim ne tandem faceret, ægre is posset declinare, instantibus pro ea gratia Jesuitis facienda, cum Augustissimo Cæsare, omnibus fere Regibus & Principibus Christianis, partim per se, partim per suos Oratores. Omnibus sane peregrinum videri, quod de opere ad universas orbis Christiani regiones spectante, & universis hactenus probato, sola Hispanica natio, apud quam haud adeo vigere Historiæ Ecclesiasticæ studium satis constaret, tulisset sententiam, ex tam levi ac brevi quatuor vel quinque Theologorum judicio damnatis libris, quibus cum debita maturitate examinandis complures anni, censoresque in omni scientia versatissimi vix suffecissent.

409 Exhinc causa nostra, quæ Romæ usque ad id tempus fere hæserat inter manus eruditi unius alteriusque viri, multas suas occupationes causantis, urgentibus opportune importune Cornelisiis, serio tractari & accelerari cœpit; distribuique sunt libri, per variorum Theologorum manus, qui de illis sigillatim ad Congregationem referrent. Apparebat hoc etiam non carere periculo, eo quod Theologi isti, omnes aut plerique in librorum sibi recensendorum lectione parum erant aut nihil versati antea; præ oculis autem habentes singuli Exhibitionis calumniosæ exempla, ipsamque legentes, non poterant non imbui præjudiciis multis admodum nocivis operi; quæ præjudicia si iidem communicarent judicibus ipsis, ægre videbatur posse evitari grande aliquod malum, cum essent in promptu adversarii, accusationibus armati; patroni autem vel parum vel nihil ad defensionem instructi.

410 Igitur, dimissa tantisper rerum Hispanicarum cura, applicui manum operi; cœpique componere simul & imprimere Responsionem, qualis nunc habetur, ad singulos Articulos Articulorumque Paragraphos. Ac primos quidem duodecim articulatim & successive in lucem dedi, singulas ut plurimum, aut etiam binas ternasve. Hæ autem Romam transmissæ, licet exemplaribus numero paucis, & per manus Dominorum Cardinalium traditæ, haud pœnitendum tulere fructum; persuaserunt enim ne prius quam totæ absolverentur (quod factum duobus tomis, operosis quidem, sed tamen intra quindecim menses perfectis) ferretur sententia definitiva circa aliquam Actorum nostrorum partem; ipsomet Pontifice sæpius pollicito nihil præcipitatum iri, sed audiendum me in singulis quæ vellem excusare. Quia autem pauca exemplaria, per publicos veredarios magno impendio Romam missa, ægre ac lente transibant ad manus singulorum, ex iis informandorum; & impedita mari terraque per bellum commercia plurium transvectionem non nisi lentissimam permittebant; variis modis ac locis tentavit P. Generalis noster, alteram in Italia editionem curare; itaque modo jam habetur recusa pars prima, & speratur etiam brevi habenda pars secunda.

411 Hic ego si narrare deberem, quot machinis & quibus usi sint Patres Carmelitæ, ut rem tam necessariam impedirent, historiam fortassis aliam implerem; sed eam Italis nostris committere malo, singula distinctius scientibus, aut scire valentibus. Magnam scilicet spem obtinendæ causæ in eo positam habebant. Adversarii, plures simul in id unum intenti, si prævertere possent detrimentum, sibi ex Responsionibus illis adferendum, quas ex Belgio intelligebant, & Romæ experiebantur, peremptorias judicari. Atque utinam usus Tribunalis illius, in causis librorum æque ac aliis juberet, cum auctoribus communicari accusationum puncta sigillatim omnia! Nunc cum id non fiat, non plus facere potui, quam respondere exhibitis palam ultroque ab accusatore criminibus; atque confidere, quod æqui judices, visa adæquata solutione omnium & singulorum eorum quæ patent, benigne præsumpturi sint, pari facilitate & efficacia excusanda etiam cetera, mihi hactenus ignota; & prius quam ad sententiam accedant daturi sint, sicut promisit Pontifex, etiam ad ista expurganda locum. Ne enim expurgatio hæc longe petenda sit, adest nunc Romæ Collega meus Janningus, annorum aliquot studio imbutus notitia controversiæ totius.

412 Talibus Responsionibus sic articulatim cœptis edi, simulque passim & ubicumque legebantur probari; cum eorumdem fama, fortassis etiam vero major, in Hispaniam penetraret, quid agerent illi, quorum malæ causæ nihil poterat fieri perniciosius, quam in lucem protrahi fraudes atque calumnias, quibus Exhibitor usus fuerat, utebanturque ab eo suffarcinati Delatores Hispani? Certatim multiplicaverunt chartas libellosque famosos, nullo aut ficto auctoris nomine, quorum specimina dedi Cap. 9. multa autem adhuc me latent: quin etiam sub nominibus Jesuitarum, veluti Papebrochianos libros defendentium, thrasonismos potius quam defensiones protruserunt, in quibus otiosa refutandis suas ipsi jactabant victorias, & de Papebrochiana hæresi canebant triumphos, eo fine omnia, ut sive Jesuitæ illis opponerent aliquid, sive non, semper magis magisque accenderetur flamma seditionis scandalosæ, tandemque vel Rex vel summus Pontifex prohiberent omnia utrimque scripta, tam legitima, quam illegitima, veluti pacis publicæ perturbativa, & sic ipsis maneret fructus victoriæ, per Decretum Toletanum qualitercumque acquisitæ. Sane non deerant exempla causarum, in quibus Apostolica Sedes, quandoque etiam potestas Regia, usæ sint ejusmodi moderamina, indicto partibus disceptantibus silentio.

413 Sed apud Pontificem haud ignarum doli, sub larva tam speciosa latentis, tale nihil fuit tunc impetratum: Rex autem a se causam totam removerat. Ergo Inquisitionis Ministris,

iis

iis præſertim, qui ſui honoris intereſſe putebant Decretum ſuum non commoveri, facile perſueſerunt Adverſarii, ut hujus ſtabilitati conſulerent, novis duobus Decretis, de quibus infre, nullem quidem mentionem facientibus publicæ meæ Apologiæ (quippe a quo ſecreta Apologia, & promiſſa erat & expectebatur) viam tamen illi præcludentibus; nec illi tantum, ſed alteri cuicumque publicæ in Hiſpania defenſioni librorum meorum. Non licebat tamen mihi queri, quia omnia ſacundum ſacri Officii ſtylum acta dicebantur: quin etiam arguebar ad elencbum Propoſitionum & Cenſurarum, tanto molimine petitum ac tandem impetratum, non reſpondiſſe ſtatim per Apologiam ſecretam, ſub conditionibus ſupre notetis ſupremo Inquiſitori tradendam. Sed buic querelæ credo ſatisfeciſſe me, demonſtrata neceſſitate quam citiſſime occurrendi; bine quidem infamiæ publicæ, per accuſationem toto Chriſtiano orbe vulgetam illetæ; inde ſatisfaciendi Romanæ Curiæ, cupienti in cauſa, ad ſuum judicium protracta, inſtrui contra Exhibitionem arrorum, pridem iſtic ſparſem & ſolem diu lectam, non ſine ingenti præjudicio cauſæ, novis ex Hiſpania præjudiciis gravatæ.

414 Evidens porro erat, quod ebſoluto Apologetico iſto opere, cupide etiam in Hiſpania legendo, ſi reciperetur, plus quam dimidium facti habebatur, in ordine ad Apologiam ſecretam; quæ ſic & brevior multo, & nervoſior eſſe poſſet, & a Medritenſibus noſtris Patribus ad ſtylum ſacri Tribunalis aptius formari, quam poſſet a me; idque idiomate Caſtellano, quod iſtic ſolum auditur, & ego non calleo. Conditiones quoque, ſub quibus Apologia ſecreta ſcribi permittebatur, ejuſmodi erant, ut in Belgio Latine ſcripta illa, & in Hiſpaniam miſſa, nullo ejus ecgrapho nequidem ideali hic ſervato, incommodis & periculis multis eſſet expoſita, megis ſaltem quam ea quæ ſcriberetur Madriti; ſcribi autem non poterat niſi a plene inſtructis; plenæ vero inſtructioni ſervitura erat publica, & late deducta, typiſque multiplicata defenſio. Hujus autem ſi exempla aliqua val perirent in via, vel ab Adverſariis interciperetur in termino, uti aliquoties contigit, jactura videbetur facila reparabilis; irreparabilis futura io eo Defenſorio, quod ſemel dumtaxat maouſcriptum mitteretur, nulla ejus ſervata copia.

415 Ita diligenter & cito jam ibi compoſita habatur Secreta Apologia, qualis ab initio requirebatur, ſed prius dari non poterat; & ne Domini Qualificatores, denuo ſingulos Tomos recogniturı (quos ſpero prioribus peritiores inventos, neque Dextrinæ factioni addictos, aut Carmelitanæ obnoxios) ne, inquem, Domini Qualificatores, multis ſimul quaſi obruti, minus poſſint attendere ſingulis; Procurator meus jam inde a menſe Junio anni ſuperioris, ſolum obtuleret Apologiam duorum priorum tomorum Martii, in quibue peueiora nutari contigit; ex eorum ſucceſſu conjecturam facturus de ceteris, ex ordine juſtificandis. Tenet autem illorum tam paucorum diſcuſſio occupatos uſque modo; unde apparet, quem parum properandum ſit in reliquorum duodecim tomorum abſolutione impetranda; & quam merito non deſuerim urgenti prementique per omnes Europæ provincias malo, accelerando remedium, quod non ſatis citum poterat ab Hiſpanis expecteri: qui ſi tam lenti damnando fuiſſent, quam nunc ſunt in abſolvendo, diu adhuc expectarent Carmelitæ victoriem, de qua nunc ſibi tantopere pleudunt coram vulgo.

416 Hoc ne in Hiſpania temdiu impune fecerent, quamdiu denuo cognita tota cauſa non eſſet, iterumque de ae judicaſſet Inquiſitio; utque ad ſecretam Apologiam præparentur animi eorum, quibus minus familiaris eſt lingua Latina, qua publicam meam ego Apologiam ſcribebam, lentius etiem quam noſtri iſtic optebant feſtinantem; voluit adm. Rev. P. N. Generalis, ut P. Antonius Xaramilius, qui hinc e me accipiebat ſucceſſiva impreſſas Reſponſiones, non exſpectato herum fine, deproperaret aliquem *Apologiam* Hiſpanicam, quæ mox legi poſſet. Fecit hoc ille, & eodem ipſo fera abſolvit tempora, quo primus Reſponſionis meæ tomus in Hiſpaniam appulit, venum exponendus. Titulus erat, *Apologia Veritatis, contra varias impoſturas & accuſationes publicas*. Egi de ea ego, ejuſque ſolennes a Regio Senatu, atque Madritenſi Inquiſitore approbationes produxi Art. 25. num. 10. amplius tamen aliquid magiſque huc faciens edere cogor, ex Prolegomenis ipſius.

417 Ante omnia ſcilicet proteſtetur Auctor, quod nolit ulla ax parta, contradicera cenſuræ, latæ contra me a ſacra Inquiſitione, cui ipſemet ſuam Apologiam dedicet, & cui ego privatim ac ſecreto reſponſurus ſim, vel alius pro me, juxa illius Tribunelis ſtylum, quod in Decreto ſuo nullam propoſitionum mearum individualiter exprimit. Proteſtatur etiam, non aliud ſe intendera, quam ut famam ſui in Religione Fratris eximat, ab impactis falſis criminibus, *oſtendendo* (ut ait in Dedicetoria) *quædam verba, Papebrochio imputata, ab eo dicta non eſſe; alia, prorſus contraria quam imputentur, dicta; aliorum truncatas clauſulas, cum præjudicio genuini ſenſus; alia denique eſſe conformia ſenſui graviſſimorum Catholicorumque Scriptorum, quæ tamen in ipſo ſolo publice accuſentur*. Hinc ſperat Apologiſta *proceſſuram aliqualem reſtaurationem fidei, reo ablatæ; idque totum adſcribendum ipſiuſmet ſacræ Inquiſitionis beneficio, quæ benigne juſſerit ablatos libros Collegio reſtitui, in ordine ad legitimam in forma excuſationem*.

418 Proditurus erat Medriti liber, cumque in finem autographum prius diligenter lectum approbatumque fuerat; nec tantum juxta uſum Societatis noſtræ, ſed etiam auctoritate Inquiſitoria Madritenſis, atque Senatus Regii expedite fuerat ejus imprimendi licentia, menſe Januarii anni 1697. ac porro, non Madriti, ubi proditurus, ut dixi, liber erat; ſed alibi, extra oculos adverſariorum, impreſſus. Aſt dum exempla Madritum transferuntur, augenda impreſſis hic foliis quatuor præliminaribus, continentibus Titulum, Privilegium, Licentiam, aliaque requiſita, & prolixiorem inſtruendo Lectori Præfationem; rem ſubodoratis qui obſervabant omnia, ne ulla libera vox oppreſſæ innocentiæ audiretur, intercepta a Miniſtris ſacri Officii exemplaria illa ſunt, ſic ut erant, acephala; & , quaſi præter jus faſque impreſſa,

sequestrata omnia. Nihil deinde profuit Auctori, coram sacro Tribunali justificasse causam & modum talis impressionis transvectionisque; quin etiam reprehensi graviter typograhi Madritenses sunt, qui Prolegomena impresserant. Et Auctor quidem primum secedere ad Noviciatum nostrum, deinde Collegium quasi pro carcere habere jussus est: sed apud summum Inquisitorem ita se probavit, ut ab eo libertati restitutus sit, & honorifico sacri Qualificatoris titulo honoratus, quasi ad aliquam compensationem injuriæ toleratæ, nihil ipse tale ambiens aut expectans.

419 Quis dubitaret eo facto relaxandam etiam Apologiam, tanta cum cautela impressam, ut contra tot famosa atque calumniosa scripta, & libros P. Sebastiani & aliorum, non solum ab annis quatuordecim Latine, sed etiam Hispanice totum jam annum impune volitantes, unum saltem remedium versaretur in manibus nationis Catholicissimæ, seductæ per fraudem, & credere jussæ, inter Acta Sanctorum eas contineri hæreses, quæ ipsis tam publice imputabantur. Verum talis Apologiæ relaxatio hactenus impetrari non potuit, prætextu cujusdam contrarii ut volunt Decreti. Atqui hoc ipsum prævidens Fr. Raphael de S. Joanne, cui Inquisitor Ordinarius & Vicarius Madritensis Apologiam legendam commiserat, testabatur, *in illa, cum tali attentionis studio lecta, qualem requirebat argumentum & circumstantia temporis, non modo nihil invenisse contrarium Catholicæ ac sanctæ fidei, vel bonis & salutaribus moribus, sed neque Decretis sanctæ ac generalis Inquisitionis*: quod judicium secuturus Inquisitor, Don Alfonsus Portillo y Cardos, imprimendi licentiam expediverat 25. Januarii die. Iisdem verbis utebatur Don Petrus Ferdinandus de Pulgar, a sua Majestate jussus eodem officio fungi.

420 Expressius vero ipse Auctor, in Præfatione num. 16. inter Animadversiones quasdam prævias, hanc primam posuerat. *Post hanc Apologiam scriptam, qua ex parte refutatur* Vox veritatis, *prodierunt Decreta duo sacri Officii, quorum unum fuit signatum sub data diei 14. Octobris 1696. per quod inter alia scripta prohibetur jam dicta* Vox veritatis. *Hinc forsitan videri alicui potest, illius jam prohibiti scripti nullam fuisse habendam rationem aut mentionem faciendam in hac Apologia, sed evincunt contrarium rationes sequentes.*

Prima. Quia sola alicujus scripti prohibitio non declarat, quod omnia in eo contenta sint falsa. Prohiberi quid potest, ut nimis injuriosum & excedens modum debitum, etiamsi vel omnia vel pleraque contenta essent verissima. Quod si in tali scripto attribuantur proximo doctrinæ perniciosa, semper illo injustus manebit turpi nota, & annius ne habeatur suspectus in fide, sicuti alius habetur pro maledico.

421 *Quicumque Catholici nomine gloriatur, jus habet ut ab ejusmodi suspicionibus se liberet: quin etiam casus dari potest, quo adjungatur juri obligatio purgandi se. Fides occulta est in animo credentis: verum qui sic credit, ut paratus sit animam ponere pro fide, debet esse manifestus, & inter alios dignosci Catholicus. Atque hoc est quod S. Paulus 1. Cor. 12. ℣. 30. appellat* Oportere, *dum ait,* Oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. *Si ad hanc sui manifestationem & notitiam publicam jus habet quicumque Catholicus, etiam secularis & idiota; quanto magis Catholicus, Religiosus, Scriptor; nec qualiscumque Scriptor, sed multorum magnorumque librorum; nec de qualicumque, inutili, triviali vel indifferenti argumento, vel nullius exiguique laboris, sed tali quod maxime facit ad splendorem Ecclesiæ, hæreticorum confusionem, Dei gloriam, Sanctorum honorem; idque impendio laboris continui ac diuturni, vigiliarumque & studiorum inter archiva ac monumenta recondita vetustatis variarumque linguarum?*

422 *Hoc est propositum Papebrochii, modo instar auri in fornace versantis, sub probatione rigidiori, quam fortessis Catholicus aliquis scriptor unquam sustinuit; dum nomen suum obscurari videt satyris schedisque volantibus, eo autem universim tendentibus, ut omnes ipsum credant esse hæreticum. Quin etiam amplius eo prætendit vox falsa dicta Veritatis; concitare scilicet & irritare totam Hispaniam ejusque nobilitatem omnem contra Papebrochium, velut inimicum Christi, sanctissimæ Matris ejus, sacrorum Evangelistarum, atque Sacramentorum Ecclesiæ. Ad talem insultum nulla excusatio datur. Oportet omnino, ut Ecclesia Dei sciat, quid Jesuita iste dicat: & si in iis, quæ ipsi publice imponuntur, quidpiam velut homo erravit, oportet, ut ostendat se paratum emendare, id retractando, atque ut cum S. Augustino Epist. ad Fortunatum, palam sibi detrahentibus dicat:* „ Neminem vellem sic amplecti omnia
„ mea, ut me sequatur, nisi in his in qui-
„ bus me non errare perspexerit. Nam pro-
„ pterea nunc facio libros, in quibus opuscu-
„ la mea retractanda suscepi, ut nec me-
„ ipsum in omnibus me secutum fuisse de-
„ monstrem; sed proficienter me existimo
„ Deo inserente scripsisse, non tamen a per-
„ fectione cœpisse: quandoquidem arrogan-
„ tius loquor quam verius, si vel nunc di-
„ cam, me sine ullo errore scribendo ista
„ ætate venisse.

423 *Hoc Augustini animo præditus Papebrochius, facit novos libros, alios pro secreto sacri Officii, alios publico. In istis solum respondebit ad Propositiones determinate condemnatas, modo producendo auctores & rationes, quibus speret eas se posse liberare a censura; modo ingenue confitendo id in quo erravisse se cognoverit; in aliis idem publico faciet contra libros & scripta publica, ac specialiter contra Reverendiss. Patrem Sebastianum a S. Paulo, quia scripsit Latino idiomate, quod ipsi Papebrochio est familiare. Non æque id faciet contra scripta alia, quæ cum Hispanice exarata sint, non ita commodo ipse i[illegible]ligit. Spero quod non diu cunctabitur utrumque præstare, ut, si Deo placet, constet universis, nihil a se erratum esse, quod censuram Theologicam mereatur, maxime circa quæstiones immediate spectantes ad fidem. Paratus est Papebrochius non solum confiteri, sed etiam concremare errata, si quæ ostendatur flammis digna commisisse; dum autem non ostenditur, poterit semper contra tam publicam accusationem dicere cum Sancto Basilio Epistola 63.* „ Temere ora sua adversus con-

„ versos

,, versos referarunt : mendacium sioe timo- ,, re effatitur ; veritas obleurata est : *vulgatæ sunt contra me falsæ , publicæ & horribiles imposturæ , veritas ad tempus aliquod obscurata fuit , sed voluit Deus , ut ipsarum declaratio illam monstret sistatque præsentem . Interim unusquisque ejusdem cum ipso Religionis , titulo fraternitatis habet jus ad succurrendum illi ubicumque poterit , atque publice denotanda , id quod in materiis gravissimis judicaverit esse imposturam , veritatis defectum , & exorbitantiam publicæ criminationis .*

· 424 *Secunda ratio , cur citari hic possit* Vox veritatis , *licet prohibita sit , est ; quia non citabitur ad ejus confirmationem , sed ad ipsam appugnandam , ratione , auctoritate ac veritate , quanta potero ; hoc enim est quod cum propositionibus damnatis sæpe facit Apostolica Sedes , ipsa illarum impugnatione utens ad corroborandam sententiam suam . Tertia ratio dictum scriptum citandi est ; quia ipsum in idem argumentum , & in modum illud tractandi eumdem , concurrit cum aliis publice editis ; puta , cum Delationibus annorum 1692. & 94. cum libris P. Sebastiani Latinis & Hispanicis ; imo nullam accusationem contra P. Papebrochium infert Vox , quæ hausta non sit ex operibus illis : his autem adhuc impune currentibus , posset quilibet cogitare , Papebrochium revera auctorem esse earum , quas scriptum istud ei imputat , doctrinarum , vere portentosarum , blasphemarum , & hæreticarum .*

· 425 *Ad confutationem publicæ infamiæ , qualis est ista , obligatur quilibet , professus institutum , ad animarum salutem procurandam ordinatum , & sui honoris curam assumere debet . Talis autem obligatio insita est animis jure naturali , canonizata in Scripturis divinis , observata e variis summis Pontificibus , exercita a majoribus Ecclesiæ Sanctis , & ab ejus Doctoribus tradita . Videantur S. Augustinus* ,, Canon audiend. 25. *ubi dicit* ,, Qui , fidens conscientiæ suæ , famam ,, negligit , crudelis est ; *S. Gregorius* ,, hom. 9. ,, super Ezechielem ; *S. Thomas* 2. 2. ,, qu. 70. ,, art. 5. &, *ex eadem Illustrissima Prædicatorum Religione , S. Antoninus* ,, 2. part. tit. 2. cap. ,, 2. & tit. 8. cap. 5. §. 3. *Raymundus in Summa* ,, tract. 6. de vit. & honest. Cleric. *Silvester* , ,, verbo Contumelia ; *Soto* ,, lib. 3. de Just. qu. ,, 6. §. Ex qua ; *Ledesma* ,, part. 1. qu. 1. art. 3. *Bannez* ,, 2. 2. qu. 62. art. 2. concl. 5.

426 *Videantur Apologiæ & Defensoria , quæ pro seipsis scripserunt Sancti , Athanasius , Basilius , Gregorius Nazianzenus , Chrysostomus , Hieronymus , Augustinus , aliique Ecclesiæ pugiles , & quas pro ipsis scripserunt alii ; mox autem apparebit , quod Papebrochius , qui non est majoris nec tantæ auctoritatis quam sunt illi , magis necesse habet illos imitari ; procuranda , quantum per Christianam virtutem poterit , restaurationem honoris sibi ablati . Cogitemus quod Petrus Cellensis , loquens de Viro Religioso , combinans varia Sanctorum Patrum jam nominatorum loca , alloquatur P. Papebrochium , his verbis : Epist.* 82. ,, Cum redditur ratio facti , rei veri- ,, tas non obscuratur , nec rei culpa , si qua est , ,, dissimulatur . Distinguitur namque falsa accu- ,, satio , & rationabilis satisfactio : alterum cul- ,, pam cumulat ; alterum , quatenus culpandus ,, sit , vel non culpandus qui arguitur , decla- ,, rat . Uterque etiam peccat , & qui mentitur ,, in sui accusatione , & qui dedignatur falsa ob- ,, jecta vera relatione diluere . Reproba humi- ,, litas est , plus quam in corde tuo sentias , va- ,, ne te dejicere ; detestanda præsumptio , famam ,, suam negligere , & suspicionis nævum non ,, abolere .

427 *Si multum dicere videtur Cellensis , majori etiam exaggeratione utitur Doctor Angelicus & Princeps Theologorum S. Thomas ; qui 2. 2. qu. 43. art. 7. cum S. Gregorio supracitato hom. 7. in Ezech.* ,, Si de veritate scandalum , *inquit* , ,, sumitur , utilius permittitur nasci scandalum , ,, quam veritas relinquatur . *Numquid non præsentis necessitatis est casus , de qua agimus ? Quia , inhærendo verbis , quibus utitur Sanctus Doctor , nemo nisi admodum pusillus aut Pharisæus scandalizari potest , quod aliquis summa affectus contumelia , qualis est fuitque Papebrochius , in puncto maxime sensibili fidei Christianæ , publice assurgat ad sui defensionem , vel alius pro ipso ; excusando se de eo quod imponitur ; ostendendo , verum an falsum sit ; num verba ipsius allegentur truncata ; num Hispanice dixerint adversarii id , quod ipse non dixerat Latine ; an ipsimet non sint reprehensibiles in eodemmet , in quo ipsum reprehendunt . Alioqui , contra omnem rationis ac legis ordinem , quisquis præoccupat aliam , invadendo ejus famam , emolumentum consequeretur ex fraude , absque eo quod infamatus stare ex adverso possit : quia aliud ille scandalum appellat , non invasionem injustam , sed curam conservandi boni nominis , quam commendat Spiritus sanctus ; quodque est reddere rationem doctrinæ , uti suadet Apostolus .*

428 *Quidquid hactenus retuli , non excedit limites justæ defensionis ; nec desinit insistere vestigiis Sanctorum Patrum , qui ea ratione nititur ostendere , non solum Catholicum esse se , verum etiam Catholicæ fidei defensorem . Porro si vult S. Thomas prævalere veritatem , licet ejus demonstratio scandalizaret aliquos ; quanto magis id fieri ille volet , quando demonstratio veritatis solum servit oppugnandæ imposturæ ; multoque magis quando agitur de tollendo horribili scandalo , Ecclesiæ Dei objiciendo , si dicatur impune , quod aliquis Jesuita neget mysteria fidei , Evangelistasque traducat ut ignorantes , & quod Societas Jesu patrocinetur errori tam turpi .*

429 Hactenus Xaramilius , ex cujus Præfatione , tam solenniter Madriti approbata , & (sicut rei ac temporis circumstantiæ exigebant) severissime expensa , transcribere volui prolixum licet locum istum , ut appareat , quanto jure exspectet Societas ab æquitate summi Inquisitoris , ut , dum denuo cognoscitur causa librorum in forma consueta , & judicium in multos annos comperendinatur , cursum suum faciat habere Apologiam tam Hispanicam istam , quam Latinam meam ad Exhibitionem ; si nolit (quod tamen fieri posset & fieret magna cum approbatione exterarum gentium) relaxare provisionaliter rigorem Decreti , & ipsissimet libris nostris liberum cursum reddere , donec certius fuerint cogniti damnosi . Triste est enim , ad instantiam Delatoris ferre certam pœnam criminis , de quo ut minimum non constare , tot jam argumentis & calumniarum evictionibus patet .

430 Dixi , tam Hispanicam istam quam Latinam meam Apologiam relaxandam , ut publice legi possit : quia hujus etiam quinquaginta exem-

exemplaria, non totius quidem, sed dimidiæ, ad celebrem Madriti Bibliopolam missa, tertio post publicatum Decretum die (quod tamen solum præscribebat, ut intra diem sextum deferrentur ad Commissarios libri proscripti) ex bibliopolio ablata fuerunt; atque utinam saltem distributa inter manus Ministrorum sacri Officii! profecto haud otiose illa sic forent. De S. Francisco Xaverio legimus, quod omnem sibi ad Sinas aditum præclusum videns, eo tamen penetrare voluerit, non obstante periculo captivitatis perpetuæ: confidebat enim, quod vel in carcere aliquos ex concaptivis faceret Christianos, qui deinde liberati semen forent Religionis, per vastum istud Imperium diffundendæ. Ita ego quoque ausim sperare, illam tot exemplarium jacturam, modo in manus veniant ipsorummet judicum, haud caritura eo qui prætenditur informationis veracis fructu; nullus autem sperari potest, quamdiu non solum publicæ luci subtrahuntur, sed etiam usui privato eorum, quorum officii ratio exigere videtur, ut non ignorent quid rationis pro se alleget reus, suæ fidei judicioque commissus, etiam cum id fecit extra formam juris, solius instructionis præviæ causa, ut ego feci. Partem secundam Responsionum mearum hactenus mittere in Hispaniam distuli, donec securus reddar, melius istic excipiendam quam excepta prima est. Interim operæ pretium fuerit videre ipsa Decreta, quæ prætexuntur exclusioni Apologiarum nostrarum.

431 Primum publicatum Medriti 19. Octobris 1696. innititur Decretis Inquisitorum prægressorum, videlicet D. Fr. Antonii de Soto-Mayor, D. Didaci Sarmiento de Valladares, sub data 9. Martii 1634. & 26. Maji 1694. quibus *sub pœnis gravibus & excommunicationis majoris, injungitur omnibus Ordinum regularium Superioribus, ut non permittant subditis suis invicem afficere injuria vel contumelia, voce aut scripto, in pulpito aut cathedra vel alia ratione, propter diversitatem sententiarum vel alio quocumque prætextu*. Huic autem mandato inhærere se dicens modernus Inquisitor, per prædictum Decretum, 1696. mense Octobri, proscripsit libros quorum tituli:

432 INNOCENTIA VINDICATA, liber in 4. *auctore P. Fr. Joanne ab Annuntiatione, Generali Ordinis Discalceatorum Mariæ de Monte Carmelo Hispale, per Thomam de Hermosilla*. Qui liber quam sit injuriosus Societati, & imprimis eximiæ sanctitatis scriptori P. Paulo Segneri, vide sequenti Capite.

433 VOX VERITATIS, *duodecim foliis chartæ impressa*, plenum est scommatis & injuriis scriptum in me & Societatem universam; cui oppositum COLLYRIUM, æque anonymi Auctoris, licet non videatur excedere limites inculpatæ tutelæ, acriori tamen quam causa exigebat aceto perfundit adversarios meos. Huic, fortasse simile est & eodem titulo suppressum scriptum aliud, eidem Voci similiter oppositum, quod hactenus mihi videre non contigit, implere autem dicitur folia 59. sub hoc titulo VERA CONTRAPUNCTA *ad Vocem falso dictam veritatis Pars* 1.

434 Aliud, impressum duobus foliis, quo continetur EPISTOLA sub nomine *P. Joannis de Vargas Societatis Jesu Magistri Rhetorices, in Collegio Imperiali Madriti ad P. Guiterium Alfonsum Hurtadum, commorantem in Collegio Complutensi, cum hujus ad illum responso*. Qui utramque Epistolam legerit, non dubitabit, quin utraque sit meorum adversariorum commentum merum, eo consilio duobus istis Jesuitis affictum, ut unus induatur, velut rabidus canis personam supremi Inquisitoris incessens; alius impudenti ori frænum ponens, & interim persuadens, libros meos dignissimos fuisse ea censure quam tulerunt, nihilque consultius Societati fore, quam si eorum defensionem & excusationem deponat. Denique Manuscriptum cui titulus, NOTABILE INTENTUM *Patrum Generalium Observantiæ Discalceatæ, versibus adstrictum*, de quo nihil sciens, nihil possum docere: facile tamen credidero otiosi alicujus ingenii lusum esse, cui placuerit sibi aliisque risum facere ex duorum Ordinum Religiosorum conflictu. Ea porro omnia, ut sunt absque approbatione legitima impressa, sic merito prohibita fuisse ipsemet censeo. Non adjutoribus istis eget causa Actorum nostrorum, nec talibus mediis sustentanda est.

435 Simile, sed magis huc spectans Decretum prodiit anno 1697. die 11. Junii, & dignum est quod totum hic describatur. *Nos Inquisitores Apostolici ... omnibus & singulis ..... Sciatore, quod ad notitiam nostram delatum sit, impressos esse libros & chartas sequentes.*

Liber in 4. cui titulus: „ Controversia dogmatica, in tres partes divisa, pro veritate, spiritu & perfectione Legis Gratiæ; contra asserentes, quod in veteri Testamento fuit verus „ status religiosus &c. *Auctor est R. P. Fr. Franciscus Gallianus Spuche, Ordinis S. Hieronymi, Madriti 1696. Ejusdemque Auctoris* „ Apologia pro Controversie dogmatica, *eodem loco & anno*. Nulla his libris, uti nec sequentibus aliis, infligitur censura Theologica: auctor tamen a simplicis prohibitionis (uti existimat) injuria vindicaturus utrumque suum librum appellavit Apostolicam Sedem, misso totius Ordinis nomine in Urbem Procuratore, qui eorum innocentiam probet, persuadeatque permittendos libero suo cursui, donec tanti momenti controversiam definiat ipse, qui solus potest Pontifex. Speret autem Ordo definiendam; nec enim in quæstione facti sistis Gallianus; sed conatur evincere, doctrinam, quam impugnat, multipliciter impingere contra orthodoxam fidem, sensumque Scripturarum & Sanctorum Patrum: & ideo in hujus quoque judicii exitum suspensa pendet tota Hispania.

436 *Alius liber in 4. cui titulus* „ Exhibitio „ errorum, quos P. Daniel Papebrochius Societatis Jesu suis in Notis ad Acta Sanctorum „ commisit. *Auctore P. Fr. Sebastiano a S. Paulo. Coloniæ Agrippinæ 1693. Ejusdem Auctoris* „ Libellus supplex S. D. Innocentio XI. pro „ origine & antiquitate Ordinis Carmeliterum „ &c. adversus P. Danielem Papebrochium, S. I. *impressus Francofurti*.

Alius liber in 4. cui titulus „ Censuræ, „ quibus Propositiones ex Notis ad Acta Sanctorum &c.

Charta, cui titulus: „ Memoriale, quod in „ defensionem Veritatis & comprobationem Innocentiæ, ad rectæ rationis tribunal &c. quam „ lingua Latina scripsit P. F. Sebastianus a S. Paulo, & traduxit Doctor Daniel a S. Petro, *Hispali per Mathiam Marinerum 1697*.

Alia

Alia charta manuscripta & impressa „ Prophetia S. Hildegardis, Abbatissæ conventus Monacharum Benedictinarum civitatis Moguntinæ, facta (prout constat ex Commentario addito) cum respectu ad Religionem Societatis Jesu &c.

437 *Charta impressa in speciem Gazettæ, quæ incipit.* * „ Notitiæ particulares Roma scriptæ 15. Julii.

Alia charta manuscripta, quæ incipit, * „ Vox mortua, quæ pulsat cælum vivum.

Alia charta, quæ incipit * „ Responsio veridica, *data per* P. Fr. Albertum Monium Doctorem Theologum, Agentem Generalem Insularum & regni Majoricæ &c. ad Memoriale compositum per adm. Rev. P. Antonium Beltran Societatis Jesu: *& simul ipsum* „ Memoriale, *dicti* „ P. Antonii Beltran, Procuratoris Generalis Provinciæ Toletanæ Societatis Jesu; *in quo dicit* „ venisse ad manus suas Memoriale impressum, quo Fr. Joannes Feixao de Villalobos & Fr. Joannes ab Annuntiatione Generales, hic Observantium, iste Discalceatorum Carmelitarum &c.

Alia charta impressa in 4. quæ incipit: „ Notitia prævia admirandi & singularis operis *Pars prima,* * *tertia,* * *& quarta; Auctore D. Hieronymo Benedicti, Professore Historiæ sacræ & profanæ.*

Alia charta impressa, quæ incipit; „ Copia epistolæ, scriptæ cuidam Canonico sanctæ Ecclesiæ Barcinonensis ad D. Ignatium Jordi, Canonicum Perpinianensem.

438 *Ac denique omnes tomi, libri & chartæ, qui & quæ pertinent ad controversiae, pendentes inter Ordines Carmelitarum & Societatis Jesu, atque ex tali motivo publicati aut publicandi, quia contraveniunt mandato & edicto Excellentiss. Archiepiscopi Valentini Inquisitoris Generalis, edito 19. Octobris anni præteriti 1696. cui subseruntur alia duo decreta DD. Inquisitorum Generalium, D. Fr. Antonii de Soto-Mayor, & D. Didaci Sarmiento de Balladarez, decessorum illius, quibus prohibentur, sub pœnis & censuris ibidem contentis, similes libri & chartæ. Et quamquam relati libri & chartæ omnes, comprehensi (sicut apparet) in prædicto decreto prohibitorio, non deberent necessaria hic nominari denuo; & quando, propter aliquam vel aliquas speciales rationes, id necessarium foret, ad talem declarationem ex nunc procedi deberet; placuit tamen, propter justas causas eo moventes, ipsos per hanc declarationem dumtaxat suspendere, donec post morosam cognitionem causæ, ea sumatur resolutio, quæ maxime congrua erit & conformis justitiæ.*

439 *Et quia intellectum est, quod Delationes quædam operum Patrum Danielis Papebrochii, Godefridi Henschenii & Conradi Janningi, Societatis Jesu, oblatæ in sancto Officio, & ex hujus mandato impressæ (sub obligatione silentii, ad informationem dumtaxat Qualificatorum & Ministrorum, interventurorum censuræ & expeditioni illius materiæ, ad distinctiorem ejus cognitionem, idque cum limitatione ad certum numerum exemplarium, necessariorum ad effectum prædictum) factæ sint publicæ, atque transierint ad alias manus casu aliquo vel incuria; jubemus ut prædictæ Delationes, sicut aliæ omnes chartæ & libri hoc nostro Decreto comprehensi, recolligantur, ita ut nullus cujuscumque conditionis, qualitatis, dignitatis &c.* (ut supra num. 312. in „ decreto prohibitorio operum nostrorum) *Madriti die xi. Junii 1697. de mandato S. Officii Inquisitionis* De Corte.

340 Utinam sacro Tribunali isti etiam visum fuisset, cum Actis Sanctorum, quantumcumque graviter accusatis, sic procedere, ad primam sub novo Inquisitore instantiam! Ast bene, quod nunc saltem cautiores Ministri, dilationem, quam libri P. Sebastiani aliæque contra me schedæ & libelli anonymi per se non merebantur, justam videri fecerint per adjunctionem aliorum, maturiori examine vere dignorum. Talis haud dubie est primo hic notatus Auctor, Reverendiss. Galianus, cujus Latinus liber ipsi summo Inquisitori dedicatur; ubi præambule explicans Auctor totius controversiæ statum, *totum opus sancto Inquisitionis Tribunali submittit*; nihil interim omittens quod ad legitimam alicujus libri editionem facere possit. Habet enim, non solum approbatorem domesticum, Reverendiss. P. Franciscum de los Sanctos, Expriorem Regii monasterii S. Laurentii Escuriacensis, Visitatorem Generalem per regna Castellæ & Legionis, electum pro Episcopatu Cerronensi; sed etiam Inquisitoris Ordinarii & Vicarii Madritensis D. Alfonsi Portilli & Cardosi etiam supra num. 419. laudati, signatam 13. Februarii 1699. idque ex judicio ejus, cui ipse examen commiserat, P. Alfonsi de Alcaraz Theologiæ Professoris primarii in nostro Collegio Imperiali, nec non sacræ Inquisitionis Qualificatoris, atque apud Apostolicum per Hispanias Nuntium Theologi, *inter* alia testantis, quod in eo opere Galianus *indagat* veritatem attente, adinvenit feliciter, defensat imperterrite; *vincit, non mordet suos adversarios; telis fortissimorum argumentorum adoritur, non dicteriis offendit; triumphat, non lædit nomen alienum; scribit calamo, non felle tincto; sed potius melle inuncto; non oblitus, sed memor Christianæ caritatis, quæ, ut ait Apostolus, non agit perperam.*

441 Eumdem librum jussus a Regio Senatu legere Simon Ferdinandus Molinilius, olim in majori Divi Ildephonsi Collegio Complutensi Toga condecoratus, & nunc ecclesiæ S. Crucis Madritensis Rector, inter alia hanc meritissimam laudem adscribit Auctori, quod *alto maturoque judicio opposita ponderat fundamenta; Pontificia diplomata, circumferri ac vulgo jactari solita, in examen vocat; supra eorum veritatem & auctoritatem rationibus reflectens efficacissimis; Ecclesiastica Officia huc usque permissa, Revelationes & Traditiones antiquas fideliter appendit in statera, ut Ecclesia judicet, an inveniantur minus habentia.* Hanc autem approbationem sequitur ex more privilegium Regium, ut nihil ei videatur deesse. Quin etiam in fine libri Auctor ad pedes provolutus S. D. N. Innocentii XII. dijudicandas ei offert septemdecim *Novitates, tam in disputationibus Theologicis & Dogmaticis, quam in Dissertationibus ethicis & historicis,* quas hoc seculo parturit, *qui nuper orbi Christiano apparuit, verus Monachatus Eliæ, cum votis religiosis institutus in Carmelo, ante legem gratiæ.* Earum Novitatum specimen dedi in Responsionibus Art. 15. num. 101. Easdem omnes solennitates & si quid amplius requiti

quiri potest, videre est observatas ante Apologiam prælaudati libri, eodem anno *1696.* Hispanice editam, exculam Madriti, & dedicatam præfato sanctissimo Domino nostro, cum erudita præfatione ad Eminentissimos Dominos Cardinales sacræ & universalis Inquisitionis Romanæ; quam Præfationem sequitur Approbatio Revisoris ab Inquisitore ordinario prænominato deputati, Reverendiss. P. Mag. Fr. Raphaelis a S. Joanne, Vicarii Generalis in Ordine sanctissimæ Trinitatis de Mercede Redemptionis captivorum; aliaque deputati ex parte Regii Senatus, Reverendiss. P. Mag. Fr. Isidori a S. Joanne Ordinis Mercenariorum Discalceatorum.

442 Dicta autem hæc sint, ut appareat, quanto jure, vel Galiani unius causa, suspendi potuerit condemnatio librorum, tantis judicibus approbatorum; præ aliis schedis libellisque vix dignis nominari, quorum pleroique, superius asterisco * notatos, hactenus non vidi, nec facile visurum me puto; minime curiosus scrutator talium quisquiliarum, quæ sine auctore & vindice prodeunt. Interim, sicuti extra Hispaniam neminem obligant Hispanicæ Inquisitionis Decreta, sic ab hac mihi vitio vertendum non puto, quod in hac Apologiæ meæ publicæ parte, subinde libris utar ab ipsa suspensis. Non etiam a me expectari arbitror, ut Delationes contra me impressas, quarum exemplar quinque mensibus prius habui, quam ipsas mecum communicari permittaret sacrum Tribunal, eidem nunc restituam. Illis ergo usurum me profiteor, ad prosequendam etiam contra ipsas Apologiam meam; quando Decretum præfatum efficere nequit, ut alia exempla non sint in Belgio, Gallia, & Italia, unde ea credo remittet nemo: nec Carmelitæ quidem ipsi omittent, cum bene sibi visum fuerit, in lucem dare earumdem Latinam versionem, pridem prælo paratam, aut forsassis etiam impressam.

443 Liceat porro, salva S. Officii reverentia, circa Decretum illud novissimum, sontes & insontes eadem involvens sententia, & anno jam fere integro nihil inter ipsos discernens, notare aliquid ad rationem motivam, paucis verbis ac veluti per parenthesim indicatam, ubi dicitur; quod *relati in eo libri & chartæ, omnes comprehensi, (sicut apparet) in prædicto prohibitorio Decreto*, (Soto-majoris & Balladarezii) *non deberent necessario nominari denuo*, quasi scilicet jam satis designati termino illo generali, quo dicti supremi duo Inquisitores *injunxerunt omnibus Ordinum Regularium Superioribus, ut non permittant subditis suis, invicem afficere injuria vel contumelia, voce aut scripto, in pulpito vel cathedra, vel alia ratione, propter diversitatem sententiarum vel alio quocumque prætextu*. Id tamen videtur scriptor novissimi Decreti supponere, cum ex vi talium decretorum, censet prohiberi posse, aut saltem ad interim suspendi debere, *omnes libros & chartas, qui & quæ pertinent ad controversias pendentes inter Ordines Carmelitarum & Jesuitarum, ex tali motivo publicatos aut publicandos*. Apparet enim illorum duorum priorum Decreta (ad quorum tamen exemplum procedere dicitur postremum Roccabertinum anni 1697.) non ita late patere. Apparet etiam in prædictis controversiis quædam sic scripta esse, & porro scribi posse, saltem ex parte Jesuitarum, quæ limites eruditæ disceptationis & inculpatæ tutelæ non excesserint vel excedant.

444 Ita censuerunt tum Inquisitor Madritensis, tum Senatus Regius, qui Apologiam P. Xaramilli approbaverunt, & quidem expresse judicando, in eadem *nihil inveniri, contrarium Catholicæ ac sanctæ fidei, vel bonis aut salutaribus moribus, sed neque Decretis sanctæ ac generalis Inquisitionis*. Quæ ipsa ne hic sibi objici possent, prudenter cavit Auctor in Prolegomenis n. 36. & sequentibus, agens de eo Decreto, quo prohibentur *Vox veritatis* & alia tria scripta, sine dubio injuriosa & sarcastica; & (ut ego quidem demonstrari puto) calumniosa. Ultimum, quo boni & mali promiscue suspenduntur, respicere Auctor ipse non potuit, utpote Apologia jam excusa posterius. An autem ipsum eo fine procusum non sit, publicatumque, (ita suggerentibus adversariis) eodem fere ipso die, quo meæ Responsionis exempla Madritum advecta erant, ut haberetur prætextus ipsa supprimendi, pariterque Xaramilianam Apologiam, judicabit qui renes & corda, etiam Principum supremorum, scrutatur Deus. Sed ipsummet Xaramilium audiamus, summa cum reverentia, ex Hispanico hic per me Latine sic scribentem.

445 *Decima nona Octobris anni 1696. Excellentissimus Dominus Inquisitor Generalis D. Fr. Joannes Thomas de Rocaberti, mandavit publicari edictum, cui inseruit alia duo decessorum suorum Dominorum Inquisitorum Generalium, D. Fr. Antonii de Soto-Mayor; & D. Didaci Sarmiento de Balladares; mandans sub gravibus pœnis, ne quis sacras Religiones vel alias quascumque personas contumeliis & dicteriis lædat: atque ut, si quis de Religiosis scribat aliquid, prius cum peculiari attentione deleatur quidquid in stylo aut terminis quibus utuntur quemquam potest offendere, censurando aliquas opiniones. Rectissime enimvero & justissime, quemadmodum requirunt pax Christiana, & providentia boni publici. Hujusmodi igitur mandata præ oculis habens, volensque me in omnibus & per omnia conformare eis, quæ præcipiuntur, curavi, prius quam hæc Apologia imprimeretur, ut ipsa examinaretur cum ea attentione, quam requirit Excellentia sua; cavique ne me ingererem ad alienam opinionem censurandam, vel alicui ex sacris Religionibus contumeliam faciendam, vel paucis istis, quorum in particulari oppugnantur Propositiones, convitium dicendum. Turpe soles æstimari privata cuicumque personæ, integram aliquam communitatem offendere; lædere vero quemcumque particularem, contra quem disputatur, vilis omnino vindicta est. Propositum mihi est exemplum Baronii, in Præfatione ad primum Annalium Tomum, sic alloquentis suum quemcumque adversarium.* „ Humanissime tecum agimus, ut plane „ rem tibi potius, ipsam inquam veritatem, „ intelligas adversari, quam hominem. *Aliter qui agunt, stulte invertunt causam, quam sibi faciunt contra personam, quæ solum deberet esse contra argumentum de quo disputatur.*

446 *Hujusmodi error tunc se manifestissime prodit, quando intemperies iracundiæ scriptorem facit armare se ejusmodi assumptis, quæ licet vera essent, valdeque apta movendo horrori contra eum cum quo disputatur, nihil tamen faciunt ad id de quo disputatur. Tunc enim quiscumque moderatior dicet,*

dicet, sit sane revera factum quod asseris; ast veritas facti ejusmodi quid facit ad hanc causam? Ad aliud profecto nihil, inquit S. Hieronymus, quam,, ut causa cadas, & crimine superes. *Idem dicit S. Augustinus, de iis qui intendunt alios conviciando reddere odiosos. Hac arte Abaylardus, videns sententiam suam a S. Bernardo non approbari, infamat ipsum & Claravallenses Monachos. Ultra etiam progressus Berengarius Pictaviensis, ipsum Sanctum accusabat hæreseos, distortis in alienum sensum illius verbis. Ad hæc Sanctorum exempla, ac plurium aliorum quos possem adducere, lubet interrogare Vocem prætensæ Veritatis. Omnia ista, quæ refers ex Clemente Scoto, Petro Aurelio & Valclusino, aliaque multa, quid facinnt ad causam Papebrochii, ut vera forent? quid faciunt ad probandum, quod ille hanc vel istam propositionem habeat? Profecto nihil. Quid autem erit, quando factum relatum, non solum nihil facit ad casum in quæstione positum, sed etiam falsum est totum, quod ex talibus auctoribus allegatur?*

447 Hactenus Xaramilius, respiciens ad allegata ab Anonymo Stentore ex Petro Aurelio pag. 12. & ex Clemente Scoto pag. 13. quorum primus Jesuitæ cuidam falso impingit, quod Symbolum Apostolicum in contemptum adducere ausus sit; cum aliud nihil intenderit quam in exemplo isto sacerrimo demonstrare, nihil esse tam verum certumque, quod impostor quivis non possit in falsissimum sensum trahere, si liceat quidlibet a sensu auctoris alienissimum addere, demere, immutare, sicut ipsius quidam accusatores fecerant, & quemadmodum meis quoque scriptis factum queror. Displicuit ille fateor, tale exemplum movendo, quod ne sic quidem tangi debuisse judicaverunt ii, qui factum istius Jesuitæ improbaruot; non tamen censuerunt revera intendisse Symboli ipsius contemptum, Similiter ex Clemente Scoto, falso imponit Anonymus Societati, quod *Reos faciat criminis Pontificem aliosque Principes, sive ecclesiasticos sive seculares, si quid decernant contra id quod (Jesuitæ) sentiunt sive proponunt faciendum, vel derogant alicui concessioni jam factæ*: & quod in usu habeat eadem Societas, *Mortem inferre veneno, iis quoque, qui vel non approbant aliqua quæ fiunt in Societate, maxime a Superioribus nonnullis, ac de illis libere loquuntur, vel timent ne recurrant ad Sedem Apostolicam &c. talem quoque mortem moliri etiam contra illos extra Societatem, qui aliquid scripserunt minus eorum placitis congruum.*

448 Est autem in hoc mirabilis Declamator iste, quod cum viderit P. Sebastianum summo crimini vertere Art. 2. §. 16. *quod Papebrochius cum Clemente Scoto Apostata, prætendit esse summorum Pontificum instructor* (quam calumniam suo loco discussit) ipse eumdem Clementem Scotum appellet *Sapientissimum scriptorem*, atque ex eo, veluti arcanorum Societatis omnium scientissimo, testimonium irrefragabile vult recipi de moribus & doctrina Societatis; & qui mihi objicit sequi Launoyum aliosque, quorum nonnulli libri sunt proscripti, ipsemet insistit iis Auctoribus, quorum opera damnata esse non potest ignorasse, hoc ipsum in suo P. Sebastiano legens. Ita homines illi pro placito probant ac reprobant, uti sibi commodum est. Redeo ad Xaramilium, sic finientem sua ad Apologiam Veritatis Prolegomena.

449 *Quando viri Sancti talibus scriptis impetebantur, quibus vel ipsi traducebantur ut hæretici, vel doctrina ipsorum suspecta reddebatur, publicis usi Apologiis, aciebant vitia accusationum, redarguebant inconsequentias & evagationes a quæstione, notabant imposturas, veniebant denique etiam ad exclamationes; totisque viribus id agebant, ut mundum reducerent a præjudiciis, ostenderentque longissime se abesse ab erroribus qui ipsis imputabantur. Non poterant ipsi quidem id consequi, quin notam falsorum accusatorum facerent cadere in suos adversarios; non ideo tamen desinebant se tueri: noverant enim ejusmodi medium consistere cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut sua ipsis fides in materia doctrinæ salva maneret. Atque ita Sancti non culpabant aggressores suos, sed hi sese implicabant necessitati culpandi semetipsos. Apte ad hoc propositum dixit S. Thomas Aquinas 2. 2. qu. 38. art. 1.* ,, Si ,, autem contentio dicatur impugnatio falsitatis, cum debito modo acrimoniæ, sic con- ,, tio est laudabilis. *Ubi notatu digna est particula* ,, Cum debito modo acrimoniæ; *qua indicatum Sanctus voluit, quod validi ictus non debeant languide repelli, sed efficaci veritatis expressione. Rationem addere videtur Cajetanus, supra locum jam dictum notando, quod contentioni vitiosæ proprium sit, eo modo loqui ut re ipsa solum feriatur alius, quacumque ratione id fiat, dum scilicet venitur* ,, ad contentionem, cujus ,, est veritatem velle supprimere. *Dissimulentur sane quæcumque aliæ infamationes, sepeliat eas sub silentio tolerantia, contentus sit qui injuriam patitur testimonio conscientiæ suæ*: ,, Sed in su- ,, spicione hæreseos; *inquit Hieronymus ad Pammachium*, ,, nolo quemquam esse patientem; ,, ne apud eos qui ignorant innocentiam ejus, ,, dissimulatio conscientia judicetur si taceat.

450 *Eo stylo plures alii Sancti inculcant necessitatem publicæ defensionis, apud quos videre est fortissima & efficacissima argumenta, nusquam evagantia a materia proposita, sed solum eo spectantia, ut demonstrent quam longe distent ab iis erroribus, qui ipsis inconsiderate fuerant imputati. Ad eum perfectæ defensionis gradum pertingere nequit parvitas mea; quisquis tamen videt tam publicas imposturas contra Papebrochium & meam sacram Religionem Societatis Jesu, obligatur illas notare atque ad apologias venire, tamquam discipulus Sanctorum. Quemadmodum autem discipuli primum officium est, velle discere; ita secundum, libenter corrigi sicubi erraverit, solam quærendo veritatem, undecumque illa offeratur. Quapropter iterum iterumque protestor, ita me esse animatum, ut nolim vel latum unguem discedere ab eo quod præcitata Decreta adeo sancte commendant. Quod si uspiam defeci, non imputetur deliberatæ voluntati, sed fragilitati & inscitiæ, denuo subjiciendo tam personam quam scripta mea omnia correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ.*

451 Ita pro sua Apologia Xaramilius; cujus omnia & singula verba, quatenus reverentiam Decretis ab eo laudatis habendam testantur, mea quoque esse volo. Adversarios ajo enormiter exerrasse ab assumpto, quod erat probare prætensæ antiquitatis veritatem, & refutare ea quæ ego contra objeceram. Quid huc spectabant infinita ex Actis Sanctorum allegata puncta, in quibus errasse me volunt credi, non ut sua aliis verosimilior & credibilior evadat opinio, sed ut

me

me omnibus odiosum & execrabilem reddant. Non is mihi animus in toto hoc Responsionum opere fuit; si quem accuso, in eo accusando in quo me aggreditur; & satis habens quod hic egam, imo plusquam satis, & ad alia professionis meæ propriora redire festinans; infinita, quæ possem in famosis Carmelitarum libellis carpere, tacitus prætereo; errores item alios in Annalibus Lezanæ scrutari nolo; nedum protrahere in lucem ea, quibus ipsimet inter se digladiantes, mutuo sese suumque Ordinem infamarunt facta scriptaque. Imo neque ad Apostolicam Sedem vel aliud Tribunal unquam detuli ipsas quas contra me intulerunt calumnias. Sufficit mihi tribunal rectæ rationis; & virorum in historiis eruditorum judiciis caussam relinquo: quia non probo quæstiones historicas, quas ego solas ventilandas, & quidem non nisi coactus, suscepi contra Carmelitas, ad Quæsitores fidei, obtorto velut collo, traduci.

452 Si, cum Reverendissimo Galiano & aliis ante Galianum in Hispania pluribus, voluissem ex quæstione, de asserto a Carmelitis veteris Legis vero & religioso Monachatu, facere quæstionem fidei, credidissem me extra chorum saltare: multoque magis, si ab ea quæstione deflexissem ad plurimas illas ineptias, quibus istius Ordinis Concionatores sacrum suum Scapulare, de quo numquam nisi cum præfatione honoris loqui velim, ridiculum potius quam venerabile reddunt. Ægre satis me habet, quod Illustrissimus Atrebatensis coactum se putaverit idem nuperrime facere: fecit autem per Censuram, perquam rationabilem atque modestam, & cum summo erga sanctam illam Vestem respectu. Quoniam igitur arguor ego, in mense Majo, non satis illius utilitates extulisse; intelligatur, cujus consilii fuerit de eo tacuisse argumento, in quo vix aliquis ipsis quorum interest satisfacere videtur, quin simul is videatur prudentioribus exorbitare, non tantum contra decorem, sed subinde etiam contra sinceram fidem. Ut tamen desinant in alienum tectum lapides mittere, quibus suum est tam vitreum; & eadem opera doceantur fideles, quid cavendum in devotione alias tam utili sit, non gravabor Antistitis illius Pastoralem hac super re Epistolam Gallicam, ex parte Latinam addere, simulque præteritum meum de talibus silentium justificare.

453 *Guido de Seve de Roche-chouard, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Atrebatensis, omnibus nostræ diœcesis Fidelibus Salutem & Benedictionem. Ex præcipuis Episcoporum officiis est, inviolabilem in suis diœcesibus conservare sacram Ecclesiæ doctrinam, atque impedire, ne vel in fide, vel in disciplina, vel in moribus detrimentum aliquod illa patiatur. Huic indispensabili obligationi facturi satis, Nos, qui testes præsentes audivimus Propositiones prorsus erroneas, quas nostræ diœcesis Concionator quidam coram Nobis de cathedra veritatis ausus fuit publicare; credidimus nihil omittendum Nobis fuisse, quo ipsum induceremus ad dandum veritati quod debebat, & reparandum humiliter errorem admissum, explicando quæ dicta ab eo poterant in malum sensum accipi, & absolute retractando quidquid nullius sani sensus posset esse naturaliter capax. Patienter expectavimus, & merito speravimus, quod vir religiosus, & quidem ejus Ordinis qui specialem profitetur humilitatem, ultro venisset facturus quod volebamus, vel quod Superiores ipsius hoc ei injunxissent: quin imo ei proposuimus ipsimet formam explicandi illas Propositiones, quæ excusari utcumque poterant; formamque retractandi alias, tantum mollitam, quantum permittere veritas poterat: eamdemque ex caritate, tam ipsi quam ejus Superiori considerandam dedimus. Verum elapsis tandem plus quam quatuor mensibus, quibus nec ille ullum dederat submissionis signum; neque Superiores, delicti certiores facti, ipsum ad ejus correctionem compulerunt; existimavimus moram condemnationis dilatæ, habendam pro approbatione; unde diuturnius silentium nostrum accusaretur proditæ veritatis, per suppressionem censuræ Propositionum earum, quæ nostræ diœcesis Fideles tantopere scandalizarunt.*

454 I. *B. Simon Stock recepit Scapulare, velut certum signum prædestinationis, tum suæ, tum Religiosorum suorum, tum denique Fidelium aliorum, qui venturis temporibus illud essent suscepturi.*

II. *Historia B. Simonis Stock, provecta est ad eum certitudinis gradum, qui propinquus est certitudini fidei; neque potest in dubium revocari, sine specie aliqua infidelitatis, in quam ne cadant formidare debent omnes pii atque prudentes.*

III. *Inter omnes praxes devotionis, excogitatas ad honorandam sanctam Virginem, usus Scapularis est certissima nota prædestinationis, & signum securissimum salutis æternæ.*

IV. *Filii & Confratres Scapularis debent dicere Beatæ Virgini,* „ Fiat mihi secundum verbum tuum, *cum tali submissione, qualem illa habuit erga ea promissa, quæ Deus ipsi fecit per Angelum.*

V. *Si sancta Virgo permitteret, ut Filii & Confratres Scapularis æternum damnarentur, eorum ruina præpararet triumphos inimicis nominis ejus, ipsorumque blasphemiis præberet materiam.*

VI. *Ecclesia quodammodo voluit significare Fidelibus, quod non minus favoris sperare possint ex meritis beatæ Virginis, quam ex meritis Jesu Christi.*

VII. *Confrater Scapularis, qui obstinasset animum ad moriendum in suo peccato, moreretur quidem impœnitens, sed non moreretur in Scapulari: & si sancta Virgo non posset illum abducere a perversitatibus, peccatis & criminibus suis, inveniret modum abstrahendi ab eo Habitum suum; ipseque-met illum exueret, prius quam reprobus moreretur.*

455 *Nos, post invocatum sanctum Dei nomen, & auditam sententiam plurium Doctorum, aliorumque sapientium, prudentium, beneque illuminatorum virorum, declaramus, Propositiones præmissas, in sensu proprio suo ac naturali, respective falsas, temerarias, scandalosas, idoneas ad cultum Beatæ Virginis exponendum ludibriis & blasphemiis hæreticorum & libertinorum, atque ad homines pertrahendos in abyssum impœnitentiæ, peccatoresque retinendos in sua depravatione, per vanam & præsumptuosam certæ salvationis fiduciam. Proinde inhibemus expresse omnibus divini verbi Prædicatoribus, ne ausint præmissas aut similes Propositiones efferre in pulpito concionatorio; & aliis quibuscumque personis, easdem in nostra diœcesi sustinere, sub pœna processuum contra eos per viam juris intentandorum. Nec tamen, damnando Propositiones præmissas, intendimus approbare plures alias ejusdem sermonis,*

nit, quæ absolute possum habere bonum ac verum sensum; sed non explicatæ, vel rudioribus terminis expressæ, possent in malam partem accipi. Ipsas tamen nulla censura notamus; sed quia remedio opus habent ne noceant, utiles aliquas Maximas proponemus, quæ instruendis in hac materia Fidelibus nostræ diœcesis serviant, simulque dirigendis Prædicatoribus quoad modum loquendi in iisdem tenendum.

456 Hinc Atrebatensis Præsul aggreditur ejusmodi Maximas proponere, usque ad novemdecim, hic nequaquam referendas, ubi hoc non agimus, ut Fidelium plebem doceamus, quam utilis & laudabilis sit Deiparæ cultus, ac nominatim per devotionem Scapularis; quæ (sicut habet Maxima XII.) *considerari debet veluti nota quædam & Christiana associatio plurium, ad Deiparam specialiter honorandam, assumendo peculiarem habitum, quo quis monstret, quod sese dedicare & consecrare velit illius servitio. Hæc si quis vere atque fideliter faciat, potest, auxiliante & assistente hac misericordiæ Matre, sperare, quod non solum in vita atque in morte cumulandus sit gratiis atque favoribus cælestibus, sed etiam magnam partem relevandus a pœnis, pro expiatione peccatorum residuorum solvendis, itaque et accelerari æternæ beatitatis fruitio, per Indulgentias, quas Ecclesia impertitur morientibus in eo, in quo illæ solum possunt obtineri, finalis pœnitentiæ statu.* Maximis istis miscentur subinde argumenta evidentia, quibus censura præmissa justificatur: quorum specimen tibi sit, contra Propositionem VII. Maxima hæc XVIII.

457 *Nihil potest cogitari exorbitantius, quam Divæ Virgini adscribere zelum pro Scapulari tantum, ut tolerare nequeat reprobum aliquem in eo mori; ipsa, quæ patitur etiam in hora mortis aliquos indigne communicare Corpori filii sui; neque impendit potentiam suam, ut impediat, ne peccatores aliqui, percepto tam venerabili Sacramento, moriantur impœnitentes. An illa istum Habitum suum pluris facit? An minus apprehendit profanationem Dominici corporis in Eucharistia, quam Habitus illius? Dum ad excessus tam grandes & tam prodigiose exorbitantes delabuntur aliqui commendatores sacri Scapularis, numquid non tempus est ut Pastores eleventvocem suam, ad sistendum cursum consequentiarum tam horribilium? Si enim omnis qui moritur impœnitens, non moritur in Scapulari; numquid non evidenter sequitur, eum qui moritur in Scapulari, non mori impœnitentem; atque ita, quomodocumque vixisset aliquis, eo tamen mediante moreretur certus de sua æterna salute; & Christiana vigilantia, tantopere in Evangelio commendata, eo posset reduci, ut quis caveat absque Scapulari mori; ipsumque erit peccatori, usque ad illam horam inhærenti licentiæ sibi assuetæ, pro contritione, pro pœnitentia, pro Sacramento? Sancti Patres talis hominis salvationem considerant velut miraculum; nostro autem tempore affirmabit aliquis, miraculo opus esse, ut aliquis Confraternitati Scapularis adscriptus damnari possit? Denique Scapulare fortius & potentius erit ipsissimis Sacramentis atque feracius gratiarum; & quam certitudinem salutis hæc, juxta Sanctorum Patrum sensum, non dant, illud dabit?*

458 Hactenus Antistes ille, insistens sensui, quem Propositio VII. naturaliter ingerit; ignarus alioqui, RR. PP. Carmelitas plerosque & melius instructos saniora sentire. Sed hoc satis non est, oportet etiam sana loqui. Et si P. Sebastianus errores illos, quos mihi affingit, tam diserte invenisset in libris meis, quam Atrebatensis Episcopus diserte audivisse se ait Propositiones illas septem, primus profecto forem in illis condemnandis, quemcumque meliorem sensum in animo latentem prætendere possem: de interois enim non judicat Ecclesia. Ex ore & calamo meo judicandus sum; & tam evidenter male dicta aut scripta vellem absque mora retractare, atque interim venerari & laudare censuram, a quocumque Tribunali latam contra meos libros, sic peccare convictos. Sed, Deo sint gratiæ, hactenus nec unam quidem Propositionem, non dico hæreticam aut hæresi proximam, sed neque graviter erroneam demonstravit P. Sebastianus Exhibitione sua tota: ego autem, quas mihi propalare non licet, a sacra Inquisitione censuratas, confido nihilo difficilius justificandas, quando ejus Ministri, qui publicam Apologiam meam nolunt recipere ad audientiam suam, audire & expendere dignabuntur Apologiam secretam, jam inde a mente Junii anni superioris 1695. exhiberi cœptam, pro primo atque secundo Tomo Martii.

459 Atque hic nunc est causæ nostræ in Hispania status; si spem conficiendi citius negotii spectes, apud homines quidem pæne desperatus: minime vero desperabilis per Deum & Sanctos, in quorum manibus corda, non solum Regum, sed etiam Judicum sunt. Causa boni Patris Joannis a Diana, super unica Concione perperam apud Sardos censurata, totis 12. annis protracta fuit; neque finienda forsitan erat unquam, nisi eamdem serio discutiendam suscepisset, idem qui primam operis nostri delationem rejecit anno 1692. haud paulo amantior Societatis & eruditorum ejus laborum æstimantior, quam qui ei succedens credidit, in aditu novi officii sibi non fuisse penitius cognoscendum, quo spiritu agerentur, & qua eruditione pollerent singuli illius Ministri; neque sententias, quas illi contra Societatis scriptores non ignobiles officio vacante præformaverant, supremæ potestatis suæ jure recognoscendas, reformandasque. Quod tamen tunc non fecit, id ab eodem jam melius informato sperare audeo, faciendum aliquando, Deo ac Sanctis faventibus. *Injuriam gravem, Dianæ illatam per delatorem, conjuratores, æmulos, falsos testes, minusque affectos ministros*, duodecimo tandem anno deprehendit Excellentiss. Didacus de Arze-Reynoso, & publicam de ea satisfactionem habere fecit eum, qui tam graviter diffamatus fuerat. Quidni idem sperem ab Excellentiss. Joanne Thoma de Rocaberti, qui ex hac Elucidatione historica cognoscere poterit, præposterum zelum Adversariorum meorum, in antiquitate quam prætendunt tuenda?

CAPUT XII.

Veteres injurias nova graviori obtegere nituntur RR. PP. Carmelitæ, supplicantes Regi Catholico, aliisque Principibus ac prælatis, ut a Romano Pontifice postulent rigorosum præceptum perpetui silentii, imponendum omnibus, ipsorum ab Elia successionem minus probantibus; idque ante absolutionem librorum tam injuriose accusatorum, & abolitionem Censuræ Hispanicæ. Supplicationi isti occursum est supplicatione contraria; ubique probata, & sæpe ac variis linguis recusa. Interim quæritur, quale silentium Patres isti petant. An forte simile ei, ad quod obstringuntur quicumque non firmiter credunt, beatissimam Dei genitricem Mariam esse sine labe originali conceptam, sic ut sustinere contrarium publice aut privatim ipsis non liceat; Immaculata vero Conceptio passim & ubique possit ut certo vera prædicari?

Responsiones meas ad Exhibitionem errorum, quinto post Decretum Hispanicum mense, edi in publicum, & ab Eruditis legi atque probari cœptas in Belgio, Germania, Italia, Gallia, fama etiam in Hispania ut convincentes celebrabat, tanto semper magis, quanto longius procedebant Articuli, successive elucubrati vulgatique. Hinc Adversarii, qui in suo Motivo juris ejusque Appendice contemptim exploserant Apologetica Janningi opuscula, ubi paucis refutatis specimen dumtaxat totius Exhibitionis dabatur; objiciebantque istud Hieronymi Ep. 61. ad Pammachium: *Qui arguitur in pluribus, & in dilutione criminum aliquod prætermittit, quidquid tacuerit, confitetur.* Adversarii, inquam, videntes tandem Articulatim responderi ad singula; & sic responderi, ut ad peremptoriam replicam, qualem mox dandam cœperant fidenter polliceri, impares sese cogerentur agnoscere; cogitabant de Responsionum istarum progressu, saltem in Hispania sistendo; & dimissis intempestivis triumphis, Romæ quoque solicitare silentium, læsis post illatam injuriam imponendum, nihil de satisfactione prius præstanda restituendisque in integrum libris meis soliciti. Ergo communi Ordinis utriusque Carmelitici consilio scriptus est Hispanice libellus supplex, ad Catholicum Regem, Dominum nostrum, quo exponitur Ordinis processio ab Elia, per hereditariam nec interruptam successionem, tamquam veritas incontestabilis; utpote plane irrefragabilibus (ut jactant) auctoritatibus firmata, imo & publicis judiciis contestata. Post talem deductionem formatur denique conclusio hæc:

461 *Supplicant igitur Religiosi Dominæ nostræ de monte Carmelo, ut Majestas sua, consideratis rationibus præmissis, pro zelo quo fervet, tamquam protector Religiosorum Ordinum, ad pretiosum caritatis vinculum universaliter inter ipsos servandum, dignetur interponere suam Regiam auctoritatem & patrocinium, apud Sanctitatem suam, ut ne amplius impugnari patiatur puncta quædam, ipsis præcipua, de suis fundatoribus Elia & Eliseo Prophetis, successionis antiquitate, privilegiis & indulgentiis, imponatque omnibus perpetuum de illis tenendum silentium, eo modo & forma, quibus, ad sistendos & evitandos similes tumultus, Apostolica Sedes illud tenendum sanxit, in favorem Ordinis Augustiniani, & circa instituta Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia atque Capuccinorum; ut mediante silentio tali, Religio Carmelitana in plena tranquillitate obtineat incrementum observantiæ & meditationis in lege Domini, quorum institutum pro exemplari habuit S. Eliam Prophetam, dicere solitum,* „Vivit „ Dominus, in cujus conspectu sto. *In cujus tanti beneficii compensationem, omnes filii Matris Dei offerunt Majestati Tuæ debitum tributum plurium continuorumque Sacrificiorum, pro felici vita Majestatis suæ, & eo quod imprimis desiderat bono, ad suorum subditorum solatium, & universale commodum Ecclesiæ Catholicæ,*

462 Si Supplicantes judicassent, ex re sua futuram distinctiorem notitiam earum controversiarum, quæ prædictos Ordines aliquando inquietarunt, & quas bene sopitas, nolo ego commemorando resuscitare, appareret status earum, diversissimus ab eo, de quo nunc agitur: ipsasque quæstiones non solum levia plerasque momenti, sed & nullius ad bonum illorum statum consequentiæ fuisse; si quæ tamen fuerunt factum spectantes, ut est tota nostra cum Patribus Carmelitis controversia. Etenim hanc levissimam esse (etsi revera multis ridicula videatur tantæ antiquitatis prætensio) numquam illi fatebuntur; nec scio, an, vel ipso jubente Pontifice, unquam sint desituri eam populis prædicare, tamquam absque intolerabili sua injuria dubitabilem nemini. Non est autem illa consequentiæ levis ad historiam ecclesiasticam: siquidem exinde pendet, quid sentiendum de præcipuis Sanctis quibusque usque ad annum millesimum, & auctoribus & scriptis communiori eruditorum judicio supposititiis, aliisque rebus pluribus, tali occasione in disputationem inevitabilem adductis, ut patet ex Synopsi Quæstionum.

463 Quatenus controversiæ inter prænominatos Ordines juris erant, non facti (ut erant pleræque) evidens est, eas, dum non liquebat ab utra parte staret justitia, potuisse a supremo Judice consopiri, indicto, sicut indixit, partibus utrimque silentio. Sed & in his nostris, quæ sunt puri facti, potest sine dubio idem Pontifex, tam Carmelitis quam Jesuitis, & quibusque aliis aliter de Ordinis origine atque historia sentientibus, imperare silentium, tam voce quam scripto tenendum, quatenus videbitur necessarium ad amolienda scandala, ex tali concertatione procedere posthac nata, sicut processisse enormia multa ex parte Carmelitarum, tota hac Elucidatione demonstratum est. Sed hoc imponere uni, & quidem innoxiis ne grandia damna inde passis, ante horum reparationem; & permittere aliis plenam licentiam suas fabulas (ut alii quidem censent) venditandi; idem fere esset, atque eas velle haberi populo Christiano tam certas, quam ipsi est opinio de immaculata Virginis Deiparæ Conceptione; cujus interior fides, etsi a nemine requiratur, puncto illo needum extremum definito, non licet tamen exterius profiteri

discre-

discredentiam; & maculatam Conceptionem dicto scriptove, publice vel privatim, asserere. Tale autem præceptum imponi sibi circa Carmeliticas prætensiones, nescio quis, non dico laturus, sed vel auribus admissurus sit.

464 Quid, quod silentium, pro quo impetrando jam fortiter nunc agitur, aliud esse non possit, quam quod pridem Henschenius tenere professus est, & reipsa, æque ac ego, in Martio tenuit; Carmelitæ vero coegerunt in Aprili, ac multo clarius in Majo rumpere. Nunc autem illud mihi petunt cupiuntque imponi, postquam meos omnes sibi exosos libros, per meras imposturas atque calumnias condemnari fecerunt, ut hæreticos hæresimque suspectos, vel hæresibus affines: quod quam iniquum sit, cæcus est qui non videat. Non hoc volumus, inquiunt; Purget se librosque suos, si potest, Papebrochius, in quibuscumque materiis aliis; habet satis quod agat: Antiquitates & historias nostras fatestur esse prudenter credibiles, easque desinat velle falsitatis convincere; aut de iis taceat, si non ut convictus, saltem ut obediens Apostolicæ Sedi, quam obedientiam toties profitetur. Sed quid si major pars criminum, ipsi objectorum, versetur circa easdem vestras historias & monumenta; poteritne etiam quoad ista tenere silentium, nec historias vestras monumentaque attingere? Poterit tamen & vult, libris suis & fama restaurata, tacere deinceps de rebus & Sanctia vestria, quamdiu pati noletis ut ex animi sui loquatur scribatque sententia.

465 Interim RR. PP. Carmelitis tam æqua & rationabilis visa est petitio sua, ut ad exemplar Regi oblatum, mutatis mutandis imprimi fecerint exemplaria quamplurima, cum quibus Hispanorum Episcoporum circumierunt palatia; quæque ipsimet Generales in Italiam abeuntes secum tulerunt, inter provinciarum illarum Antistites similiter spargenda; ut concurrentibus plurium apud Pontificem suffragiis, certius consequerentur, intentum finem. Sed vehementer illi obstupuerant, cum Mediolanensem, Bononiensem, & alios plures Antistites repererunt præventos contrarii sensus supplicatione, multo quam eorum erat rationabiliori. Interim tam manifesta Carmeliticæ postulationis indignitate commoti Toletanæ Provinciæ nostræ Patres, eidem Regiæ Majestati die 6. Aprilis 1696. Supplicationem obtulerant, Carmelitanæ ex diametro oppositam, similiterque Hispanice impressam vulgarunt.

466 Hæc Supplicatio, sive hic SUPPLEX LIBELLUS (sic enim Latine placuit nominare) adeo pronis in favorem oppressæ veritatis exceptus est auribus, ut Madriti, Barcinone, Cæsaraugustæ, Valentiæ, Gadibus recudi ipsam oportuerit, totamque cito Hispaniam pervaserit; nequidquam se opponentibus iis, qui cum pridem servatum ab Actorum Scriptoribus silentium ac porro servandum pati noluerint; ipsum nunc exigunt, prætextu desideratæ quietis in rerum divinarum contemplatione, nihil de illata injuria prius reparanda soliciti. Verum sicut intra Hispaniam non stabat tam intempestiva silentii quietisque cupido, sed extra eamdem præsumebat passim minus cautis obrepere, ubi idioma Castellanum in usu non est; congruum videbatur, ut communicaturo se latius malo, nisi obviam iretur, communi ubique lingua adhiberetur remedium, Libello Apologetico Jesuitarum Latine reddito; prout magno cum fructu & eruditorum plausu factum est, in Belgio præsertim, Germania, & Italia: quibus ut fieret satis, non solum hic Antverpiæ bis terve recusus idem Libellus fuit, sed etiam Coloniæ, & Pragæ, nec non in Sicilia aliisque locis Italice redditus.

467 Nolui quidem antehac illum adjungi prioribus Responsionibus meis, ne differretur conclusio operis, tam necessaria causæ. Nunc autem, dum multi adhuc requirunt libellum eumdem, placet ipsum velut proprio suo loco recudendum hic dare, licet Decreto novissimæ suspensionis tantisper in Hispania vetitum, donec super eo maturius deliberetur. Cum enim modestissime conscriptus sit totus, eoque nomine justissime laudatus ubique locorum, etiam in Aula Madritensi; præsumere possum, nihil sacro Officio displicuisse aliud, quam quod attingat controversiam, quam sopitam frustra Ministri cupiunt, post tantum ex eorum Decreto suscitatum incendium, cujus scintillæ quaquaversum perlatæ, illata etiam quaquaversum aqua restinguendæ sunt. Interim ex propiori apud nos, quam apud Hispanos rerum quarumdam notitia, corriguntur in hac versione nonnulla, quæ ipsemet Auctor corrigi optavit. Fuit is (ut hoc, jam alibi dictum, obiter hic repetam) Pater Antonius Xaramilius; qui tamen quia ipsum libellum Regi non obtulit, non ipse, sed is cui ex officio id competebat, P. Antonius Beltran, passim nominatur Auctor, ab iis qui mentionem ejus faciunt. Sic autem procedit scriptum istud.

SACRA REGIA MAJESTAS.

468 ANtonius Beltran, Societatis Jesu Sacerdos & hujus Toletanæ Provinciæ Procurator Generalis, ait: In manus suas devenisse impressum quoddam Memoriale, quo Frater Joannes Feyjoo de Villalobos & Fr. Joannes ab Annuntiatione (uterque Generalis Carmelitarum; ille quidem Observantium, hic autem Discalceatorum) supplicant Tuæ Majestati, quatenus Regiam suam auctoritatem interponere dignetur apud Summum Pontificem, atque efficere, ut sua Sanctitas omnibus imponat perpetuum silentium; & sic imponat, ut nemini deinceps impugnare, aut in dubium vocare liceat antiquitatem atque successionem, quam supranominati Ordines ajunt obtinere se jam tum a Sancto suo Propheta Elia. Circumstantiæ, DOMINA Clementissime, in quibus hoc silentium petunt; rationes motivæ, quibus petitio nititur; & colorati, quibus eamdem speciose vestiunt, prætextus pacis ac tranquillitatis, juxta Eliæ exemplar, ad contemplationem divinamque præsentiam conducentium; non solum sunt arma adversus ipsos supplicantes, sed injuriam etiam inferunt Tuæ Majestati: videntur enim illam a recta via velle deflectere; atque inducere, ut ne is, quem ipsi in re doctrinali pessime notarunt, ulla ratione possit audiri; imo nec in sui defensionem remedium adhibere saltem unum aliquod ex innumeris, quæ præscribit justitia, & quæ de facto coram quovis Tribunali adhibentur, in homuncionum vel vilissimorum & delinquentium patrocinium. Quando quis judicum, in re mere temporali & civili, fores isto modo clauderet, duabus auribus accusa-

tori datis, accusato negatis utrisque; surditas foret intolerabilis, & prorsus periculosa: sic quippe fieret, ut prostrata jaceret justitia, periretque humanum omne commercium. Quid igitur censendum erit, siquid ejusmodi contingeret in re tam delicata tamque sensibili ac momenti tanti, quanti est ea, quæ concernit Catholicæ fidei puritatem, & Summis Pontificibus debitam venerationem? Obmutescit Christiana quævis eloquentia, nec ulla sufficit depingendæ satis enormitati violentiæ adeo irregularis. Ad hanc autem volunt (si Superis placet) præfati Carmelitarum Generales, ut, contra jus omne rationis, contra sancti Officii, Synodorum generalium, summorumque Pontificum constantem stylum concurrat, & cooperetur Tua Majestas; utpote cujus intercessionem implorant pro obtinendo perpetuo silentio. Quorsum autem? Ut liberius scilicet impuniusque quaquaversus per orbem volitent innumera illorum impressa folia, plurimas easque graves injurias per omnium aures publice spargentia; quibus Religiosi Carmelitani lacessiverunt, provocarunt, ac diffamarunt aliquos Societatis Religiosos. Hos autem nolunt audiri a quopiam; imo, quod pejus est, hisce nolunt esse permissum, ut, in causa doctrinæ, quantumvis invasi, suum saltem exponant catholicum sensum. Quasi vero præfatis Generalibus id competat privilegii, ut injustam provocationem pro actione laudabili, pro vituperabili vero delicto habeant justissimam defensionem. Quocirca Majestas Tua benignam dignabitur aurem præbere ad id, quod detracta larva omnique absterso fuco, necessario jam proponendum occurrit, ne supradicti larvatæ virtutis colores prævalcant adversus ipsissimam veritatem.

470 Effecit Alexander VII. ut e Belgio in Italiam festinarent Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius, uterque Societatis Jesu Sacerdos: mandavitque speciali diplomate, ut Vaticana perinde atque reliquæ Bibliothecæ libere paterent indefesso labori studioque, quo par illud Jesuitarum nitebatur veritatem investigare, qua Ecclesia illustraretur in admirando illo opere; quod ad majorem Dei suorumque Sanctorum gloriam & hæreticorum confusionem, inchoavit primum Joannes Bollandus Jesuita; ac deinceps provexit P. Godefridus Henschenius cum Sociis suis, imprimis P. Daniele Papebrochio: qui etiam, Henschenio mortuo, rem sibi commissam eo promovit, ut extent jam tomi omnino viginti, usque ad primos dies ineuntis mensis Junii. Cum vero perventum esset ad mensem Martium ejusque diem vigesimum nonum, vitam & elogium concinnarunt S. Bertholdi primi in Carmelo Prioris. Offerebat se tunc quidem occasio agendi de Ordinis istius antiquitate & Eliana successione: hanc tamen, uti non affirmarunt, sic neque negarunt. Non affirmarunt, ne a veritate deflecterent, asserentes id, cujus contrarium sentiebant in animo, habebantque pro vero. Non etiam negarunt (quamvis eis pro negativa solidissima occurrebant firmamina,) ne Carmelitas offenderent, ansamve præberent eorumdem querimoniis & expostulationibus; ideoque maluerunt isti narrationi tacendo supersedere, atque tenax hac in parte præfigere sibi silentium: quodque plus est, ne causam quidem sic silendi judicarunt debere attingi; satis habentes S. Bertholdi vitam illustrasse; uti latius videri potest in mensis Martii Tomo 3.

471 Juxta hæc minime opus fuit, Domine Clementissime, sive Majestatis Tuæ interventione, sive mandato Papæ, ad imperandum Jesuitis istis silentium; hoc enim ultro imperarunt tunc ipsi sibi, quod imperari nunc postulant præfati Generales: &, quamvis Carmelitæ non sint, Eliani tamen axiomatis, *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto*, fuerunt admodum memores; quando in illud, velut in acum nauticam intenti, suos eo calamos dirigebant, ut ne veritatem offenderent, si scriberent contra mentem; &, si mentem suumque sensum aperirent, ne dictamine suo offenderent eos, quibus grave foret id audire. Hoc fuit illud silentium, hæc illa modestia, hic ille duorum Jesuitarum zelus, quo locum apud eos obtinuit Elianum axioma, juxta quod in suis scriptis, & animis sectabantur tranquillitatem, & divinæ legis exactam observantiam; conditiones scilicet, quas in Memoriali suo præfati Generales tantopere exaggerant.

472 Advertat nunc, si placet, Majestas Tua, quale super hoc Jesuitarum silentio judicium tulerint Carmelitæ. Eorum nonnemo, Fr. Franciscus Bonæ-spei, in libro quodam suo, cui titulus, Armamentarium historico-Theologicum Carmeli, agit in paginis plus quam triginta contra Henschenium & Papebrochium; ubi exprobrat illis fortiter silentium illud, & tamquam reos reprehendit, provocatque cum acrimonia, ut exponant silendi causam. Nec hoc satis; pungit etiam exstimulatque, ut suum super Carmeli antiquitate sensum dilucide pronuntient.

473 Sic lacessiti, sic læsi, judicarunt duo illi Jesuitæ, obviam eundum exorbitantiæ isti. Eorum igitur provocationi obsequentes cœperunt in ordinem redigere sua fundamenta, pro impressione tomi primi mensis Aprilis, ubi perveniretur ad vitam S. Alberti Legislatoris ipsorum. Prius tamen quam in publicam lucem illa prodirent, rem subodorati Carmelitæ, omni nisu conati sunt editionem avertere: atque in eum finem, tum per se, tum per alios obtinuerunt tunc quidem a Præposito Generali Societatis (erat is Joannes Paulus Oliva) epistolam, qua istius puncti impressio impediretur. At qua ratione obtinuerunt? Non alia certe, quam subdole & arte non bona: nam silentium quidem hac super re postulaverunt, sed nullam fecerunt apud dictum Societatis Generalem de publica Carmelitæ sui provocatione mentionem; ideoque processit impressio. Hinc factum, ut Carmelitarum alii (inter quos Auctor Armamentarii, & ejus Approbatores ac Superiores, in ejusdem impressionem consentientes) Jesuitarum silentium velut injuriosum respuerent; silentium requirentibus aliis, ea tamen lege, ut illud servarent soli Societatis homines; quorum ora labiaque optant capistris ac pessulis arctissime obsignari, atque calamos omnes ex eorum manibus procul ablegari, dum loquuntur interim Carmelitæ, scribuntque pro arbitrio.

474 Justissime Rex; quænam (quæso) est illa præsumptio, quænam prædominans illa superioritas, quam exercere nituntur in Jesuitas; ut ibi modo sileant, & modo non sileant, prout lubuerit Carmelitis; ut provocatis imponatur dura silendi necessitas; provocantibus autem concedatur provocandi privilegium, cum securitate non audiendi responsum? Henschenius & Papebrochius, pro sua prudentia atque religiosa caritate, scientes volentesque declinabant nuper a ventilanda quæstione circa Carmeli originem,

vitan-

vitandi dissidii causa; eamque malebant sub studioso silentio præterire. Quæritur, cur hoc Jesuitarum silentium debuerit tunc esse culpabile; nunc autem debeat esse laudabile, postquam toties lacessiti & injuriis impetiti compelluntur sui reddere rationem, prout infra patebit? Si Elianum illud axioma (*Vivit Dominus, in cujus conspectu sto*) ejusdem Eliæ respicit imitationem, qua quis cum animi tranquillitate conquiescat in legis Divinæ meditatione ac turbidarum quæstionum fuga; quinam (amabo) defecerunt hac in re primi? provocantesne Carmelitæ, an duo provocati Jesuitæ, qui pridem adeo a quæstionibus istis abstinuerant? Silentium tunc tenuere Jesuitæ, cur non tenuere & Carmelitæ? His quid decessisset silendo? Prorsus nihil. Quid accessisset? Plurimum; pax scilicet animi & tranquillitas, quam nunc exoptant.

475 At infelici sidere nati fuerint duo isti Scriptores Jesuitæ: nam quidquid agant, peccant: silendo peccant, & peccant non silendo, dum provocati id exponunt quod sentiunt; quia nempe non idem sentiunt, quod provocantes. Mirum sane & Majestatis Tuæ consideratione dignum fortunæ ludibrium! quod, ubi de Carmeli antiquitate commode pro re nata poterat disputari, hominibus Societatis non fuerit satis, id quæstionum genus subterfugisse; verum etiam quod scriptor aliquis melioris notæ, & cujus opera celebrantur passim ab omnibus, ferali quadam necessitate compellatur disputare, remque definire ex voto Carmelitarum; vel certe, si secus fecerit, subdere se eorumdem telis quam plurimis; nec alius illi concedatur clypeus, quo, quod judicat, verum esse tueatur, quam perpetuum silentium.

476 Si coram Tua quoque Majestate amantem adeo silentii se simulat Carmeli Generalis F. Joannes ab Annuntiatione, quis eum coegit illud frangere in libro suo, cui titulus est, *Innocentia vindicata?* ubi, cum nec ad thematis sui probationem necesse erat, nec fuerat ante provocatus, satis superque provocat Societatem Jesu, & in communi, & in particulari quemdam ejusdem alumnum ac filium. Is est illustris ille vir Paulus Segneri, cujus in Ecclesiam merita sunt longe notissima in missionibus suis, scriptis libris, & obtenta adversus hæresiarcham Michaelem Molinos victoria. Hunc ille sub Anonymi pallio vocat Pag. 31. *Hominem immensi fastus, nauci, sine fronte, superbum & audacem*. Pag. 16. *Infamatorem*. Pag. 34. *Impostorem*. P. 46. *Hominem a Deo derelictum*. Pag. 58. *Qui calumniatur ad modum dæmonis*. P. 67. *Fatuum vel parum honestum*. P. 14. *Cujus lateri adhærent Anabaptistæ hæretici*. Adeo denique impetuosus est torrens sarcasmorum, quibus per librum totum inundat illius calamus, & in particulari vellicando prædictum Paulum, & Societatem cujus ille filius est, lacessendo in genere, ut Christianus orbis mirari satis non possit, talem stylum potuisse cadere in talem virum, & talis Ordinis Generalem.

477 Hisce attente perpensis, quid profuit Eliæ axioma in propositis Pauli Segneri & Papebrochii casibus, ut staretur in conspectu Domini, atque vitarentur contentiones; dum Papebrochius acquiescebat illustrandæ tantum S. Bertholdi vitæ; Paulus vero rationes ducebat rationibus esse refellendas, injuriam nullam & nullum scomma intermiscens, prout viros decet, scriptores præsertim Religiosos? Profecto non satis intelligitur, qua facilitate Carmelitæ ad scribendum modo provocant, modo tantum in provocatis requirunt silentium. Hic procedendi modus manifeste videtur arguere, quod Memoriale præfatorum Generalium exterius quidem præ se pacem ferat, sub specioso perpetui silentii velo; revera autem quis non videat, primarium illius scopum esse, ut per silentium (si forte imponeretur) præpediatur in provocatis defensio, ne per hanc injusta provocantium retegatur accusatio; dum multa adhuc examinanda supersunt puncta, quorum latens veritas audito reo elucesceret: Primum adversatur juri naturæ; alterum legi veracitatis. Fit namque persæpe, ut sub nube delitescens, nec sub initium facile erumpens veritas, quo fortius hæc impugnatur, soleat prodire tandem serenior formosiorque, ac defensoribus suis lætam deferre lauream: prout evincent sequentia argumenta & exempla, silentio a præfatis Generalibus expetito admodum contraria.

478 Primum argumentum sit, quod eruitur ex consueto sancti Officii stylo. Sacra scilicet Inquisitio, ubi librum aliquem confixerit, non ideo januam occludit illico Auctori libri, quo minus se defendat. Justitiæ rectitudo permittit, ut confixæ Propositiones petantur, petitæ concedantur, concessæ permittantur ab Auctoribus suis fulciri rationibus, quam fieri potest solidissimis: quod ita non raro factum est, ut Inquisitio Edicta sua revocaverit, ac Propositiones modo confixas suo pristino restituerit splendori, quin & novis approbationibus ac laudibus exornarit. Sic res contigit Joanni Nicolao de Diana Jesuitæ. Condemnata fuerat quædam illius concio, quam ad populum habuerat de S. Lucifero. Per annos omnino duodecim & quinque menses gravissime passus est optimus ille Jesuita pro defensa veritate: & fuit hæc quidem veritas densis adeo passionum obfuscata nebulis, ut tantum non pateretur eclipsim. Fuit Auctori necesse, adversus Sardiniæ Inquisitores excipere, velut partiales & passioni obnoxios. Suam autem exceptionem illam & damnatas Propositiones ea probavit Diana argumentorum energia & evidentia, ut Reverendus Episcopus D. Didacus Arze-Reynoso, Generalis tunc Inquisitor, varios istius Tribunalis administros castigaverit, omnesque eorum processus & acta irrita declaraverit ac prorsus nulla; Auctorem autem Jesuitam honoris causa creaverit supremi Tribunalis Qualificatorem; suum insuper addiderit testimonium de insigni ejusdem eruditione ac juris peritia. Nec hoc satis. Quia Religiosus ille tam multa tamque gravia fuerat passus, atque procedendi in ea causa modus scandalum apud plures pepererat, voluit sacrum Tribunal & scandalum tollere, & Jesuitam plurima passum ab omni injuria vindicare per publicum Decretum, expeditum 19. Decembris anno 1653. Atque inter alia jussit inseri hæc formalia verba.

479 *Ut in omni tempore, præsenti perinde ac futuro, constet, innotescat, atque publica fiat innocentia dicti Patris Diana; ut item illi, ad quos hujus rei notitia pervenerit, quique proinde scandalum fuerint passi ex processibus in illa causa commissis, & in libello impresso supra relatis; publicam hanc satisfactionem habeant super dicta præfati Patris innocentia, & Catholica il-*

lius in Evangelio exponende dectrina . . . pariter sciant omnes , qued Tribunal atque supremum sacræ Inquisitionis Consilium , non solum convictos contra Fidem castiget ; sed innocentiam etiam præmiet inculpatorum , addita satisfactione publica contra notorias iisdem impactas injurias. Sed denique dictus P. Diana ad Deum Dominum nostrum Omnipotentem remisit publicam ac justam vindictam de gravi sibi illata injuria, per delatorem , conjuratores , æmulos , ac falsos testes , minusque bene affectos ministros ; supplicando divinæ Majestati ejusque piæ clementiæ , quatenus omnium talium mentibus lucem dignetur infundere , qua illustrati , errore suo cognito correctoque, & peculiariter in hoc casu commissa culpa , animas suas possint salvas facere.

480 Multum nos docet eventus iste : estque hoc sancti Officii Decretum adinstar lucidissimi speculi , in quo Majestas Tua clare perspiciat percipiatque , manifestam perpetui silentii injuriam , quod in præsenti circumstantiarum concursu a Carmeli Generalibus postulatur. Profecto videbatur parum referre, si una unica concio damnata maneret, vel non maneret; multoque minus videbatur digna esse, pro qua per duodecim totos annos ultro citroque tantopere pugnaretur. Si tamen silentium fuisset Jesuitæ impositum, prohibitaque defensio , pæana proculdubio cecinisset invida passio, oppressa jacuisset innocentia , tenebrisque sepulta æternum latuisset veritas, mendacio triumphante ; & (quod super omnia magis deflendum erat) de æterna sua salute periclitati fuissent iniquus accusator, & huic adhærentes falsi testes ac male affecti ministri : quandoquidem Tribunal ipsum petit a Deo lumen, quo illustrati id genus homines animas suas possint salvas facere, Sed denique datus est defensioni locus ; accusatus Joannes Diana remediis usus est in jure concessis ; atque ita in fumum evanuere tot tamque gravia aliàs secutura mala.

481 Quænam porro, Æquissime Rex , duorum vel trium foliorum (quibus ut summum constare poterat prædicta concio) institui potest comparatio cum quatuordecim bene crassis in folio voluminibus? Quid labor habet unius diei (quo concionem suam absolvisse poterat Auctor , præsertim adeo doctus) collatus cum labore tam vasti operis, qui totum hominem, vitamque non unius, sed plurium sibi succedentium Scriptorum requirit totam? Unius assumptum thema qui conferret cum alterius themate, risum faceret intelligenti. Quamvis namque assumptum concionis fuerit laudatissimum , utpote quod versabatur circa S. Luciferi gloriosissimas prærogativas , versabatur tamen circa solum unum Sanctum. Assumptum vero quatuordecim istorum voluminum versatur circa Sanctos omnino omnes, spectantes ad Martium, Aprilem, Majum. Immensus sane labor! qui plurium & vires & vitas consumpsit jam nunc , & prius quam reliqui septem menses suo ordine absolventur aliis triginta aut quadraginta tomis, consumet fortassis aliorum adhuc viventium plures; ob improbum constansque studium , quod impendi necesse est, indagando , inquirendo , perscrutando , & exornando elogia cujusque seorsim Sancti Sanctorumque omnium , quotquot per annum unoquoque die sancta celebrat Ecclesia; eruendo pariter fundamenta , quæ rebus non paucis insunt , sed latentia ; quibus erutis quædam sæpe deprehenduntur non ita se habere , prout vulgo creduntur ; distinguendo denique certa ab incertis, vera a falsis, & ea quæ pium est credere, ab iis quæ credere omnino necesse est. Aliàs vacillaret historia , nec magnam mereretur æstimationem lectoria.

482 Quænam etiam comparatio est earum censurarum , quibus dictam concionem perstrinxit sacrum Tribunal , cum iis , quibus confixit quatuordecim illos tomos? Omnino profecto nulla. Siquidem in Edicto, quod emanavit 14. Novembris anni *1695.* leguntur tot numero & qualitate tam graves censuræ , ut stupeat passim Orbis , dubitetque , an Calvini atque Lutheri opera potuerint plures & graviores promereri: prout ad Tuam Majestatem perscripsit Augustissimus Imperator ; scribuntque aliunde ex diversis regionibus quam plurimi, litteris etiam & eruditione conspicui viri, Ignorant hi scilicet , ob locorum intercapedinem , eos conatus , quos in hac Curia adhibuit nostra Societas , his jam petitis Propositionibus qualificatis ; ideoque scribunt admirabundi, quin & desidiam hic nostram incusantes , quasi Societas rem tanti momenti negligeret , nec dictas Propositiones curaret a sancto Officio exhiberi ; ut iis exhibitis posset liber defensorius ad easdem seorsim confici ; atque recurri ad competentem judicem , apud quem rationem sui reddant earum Auctores ; prout res exigit tanti momenti, quæ & bonum concernit totius Ecclesiæ in communi, & in particulari famam etiam eorumdem Auctorum.

483 Si igitur in causa unius solius concionis non fuit Auctori impositum silentium; cur imponatur Auctoribus tomorum quatuordecim ; nec detur locus defensioni , quam jus naturæ concedit? Auctor concionis jus suum obtinuit exercuitque, absque animo vindicandi injuriam (hanc enim remisit omnem , sic attestante ipso Tribunali) nullo excito strepitu, & scandalo nullo dato, quantum quidem in ipso fuit. Quis nunc Carmeli Generalibus dixit, non fore ut jus suum pari, quin & potiori ratione consequi possint Papebrochius & Socii ejus? quis item, non fore ut Generalis Societatis Jesu invigilet, pro zelo suo, ne defensio limites excedat soliti defensionis , absque dura necessitate suas Auctoribus fauces innodandi perpetuo silentio? Auctor concionis excepit contra varios Inquisitores ; nihil hactenus tale intentarunt Papebrochius & Socii ejus. Hoc solum executioni mandarunt, ut qualificatæ cum annexis censuris Propositiones individualiter peterentur exhiberi, prout exhibitæ fuerunt Auctori concionis. Et quamvis suam illi petitionem nondum obtinuissent, quando hæc scribebantur, haud tamen immerito sperabant fore ut obtinerent , sicut denique obtinuerunt , tum quia id pertinebat ad rigorem justitiæ ; tum quia ea supposita , nihil ad petitionis executionem videbatur posse deesse præter aliquam moram , qua forte sanctum Tribunal indigeret, ut interea describi mandaret easdem illas qualificationes , quæ condemnationem necessario præcesserint,

484 Quis hic non admiretur in Carmelitis talem agendi modum? Papebrochius & Socii ejus defensioni suæ vix fecerant initium petitis dictis Propositionibus, cum ecce interpellant

Car-

Carmelitarum Generales, petentes ut mediante Tua Majestate imponatur illis perpetuum silentium. Quod quid aliud est, quam petere, ut illorum defensio suffocetur in ipso suo principio? ut ne accusati ulla audiantur ratione? ut tam horridam sententiam vorent concoquantque taciti, dum ignorant qua in parte individualiter peccaverint? Atqui nihil horum, quæ dicti Generales petunt, petit natura justitiæ; nec vero petit Tua Majestas, utpote quam universalis sua Monarchia agnoscit colitque velut magnum justitiæ patrem ac patronum, qui proinde ejusmodi Carmelitarum petitioni nec velit nec possit patrocinari.

485 Proh! quam inconsequenter in hac materia procedunt præfati Generales! Quando Historiam Propheticam in Hispania damnavit S. Officium, existimarunt Carmelitæ se graviter læsos esse: silentium vero (quod nunc pro Jesuitis postulant) ab omni sua cogitatione ablegarunt adeo procul, ut confestim recurrerint ad Regem Philippum IV. Serenissimum Tuæ Majestatis Genitorem, instanter supplicantes, ut novus cogeretur cœtus, a quo ipsi suaque audirentur allegata. His auditis, permisit quidem Inquisitio, ut nonnullæ Propositiones currerent, sub ea tamen limitatione quam norunt omnes, Justitia requirit lancium æqualitatem; & mandat Caritas, ut, quod quis sibi vult fieri, hoc & alteri fieri velit. Quo igitur argumento, quave ratione probabunt præfati Generales, hodiernam suam perpetui silentii prætensionem esse filiam caritatis, atque etiam justitiæ genuinam prolem? Quo modo suam justificabunt petitionem, dum debitam licitamque pro suis libris volunt esse defensionem, nolunt autem pro suis libris Societatis? dum volunt loqui atque audiri a novis cœtibus; at nolunt, loquantur audianturve scriptores Jesuitæ? Quasi hi, non illi, digni sint, qui sub æterno sepulti jaceant silentio.

486 Non ita, Rex Æquissime, non ita res est, ut illi blande suggerunt; sed latet anguis in herba. Silentium namque, tot tamque dissonis involutum ambagibus, quantumvis speciose pallietur prætextu pacis, non pacem, sed bellum redolet; sed classicum canit ad pugnam; sed surdo tympano incautum hostem nititur opprimere. Jactent Generales isti, inculcentque quantum volent silentium illud, quod jam ambiunt, aptissimum medium esse ad imitandum, & accedendum propius ad contemplationem Eliæ, dicere soliti, *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto*. Longe alium oportet illis præfixum scopum esse: siquidem tale medium sanctus Propheta non videtur ullibi inspirasse; cum historia, quæ extat de vita ejus atque integerrimo justitiæ zelo, nullibi nos doceat tantam tam inæqualium lancium disparitatem.

487 Alterum argumentum, quo mota dignabitur Tua Majestas præfatorum Generalium petitionem repellere, fundatur in Delationibus, quas illorum subditi typis mandarunt, sparseruntque quaquaversus per orbem. Qua super re non paucæ eæque gravissimæ occurrunt faciendæ reflexiones; quarum hic aliquæ breviter insinuabuntur. Delatores sunt Magister Fr. Joannes Gomez Barrientos, Carmelita de Observantia; Fr. Josephus de Jesu Maria, Fr. Didacus de Jesu, Fr. Petrus de Conceptione, & Fr. Angelus de Purificatione, Carmelitæ Discalceati. Eorum Delationes videntur impressæ Madriti 14. Februarii & 3. Julii; una quidem anno 1691. altera vero anno 1694.

488 Prima reflexio fundatur in Delatione facta anno 1691. ubi folio 5. & 6. accusant Propylæum Papebrochii, quod impressum sit absque ulla licentia, sive Regis, sive Episcopi, sive ullius Prælati suæ Religionis; adduntque; quod, quamvis absque prædictis licentiis imprimi possent aliquot folia Indulgentiarum, aut etiam libelli sex vel octo foliorum, non tamen id possit fieri grandiori volumine: atque ideo petunt, ut juxta Concilium Tridentinum sess. 4. cap. 5. & Indicem expurgatorium Regula 10. volumen illud prohibeatur, velut suspectæ ac periculosæ doctrinæ. Ut modo non dicam, requisitas licentias & impressionis annum reperiri ante partem 2. Conatus Chronico-Historici, quem ob additis illi quandoque Dedicatoriis, toti Majo communibus, vulgo vocant Propylæum Maji; licet dictus Conatus, ex prima Auctoris intentiona, fuerit ante tomum 4. ac 5. Maji divisim collocandus, tamquam lucubratio a Propylæo diversissima. Ut, inquam, id taceam (quod cuivis, librum vel obiter inspicienti, in oculos debet incurrare, propter characterum, quibus licentiæ requisitæ ante prædictam Partem secundam sunt, spectabilissimam qualitatem & magnitudinem prorsus insolitam) hoc solum assumo expendendum; quod, cum Delationes illæ non sint folia Indulgentiarum, nec libelli 6. aut 8. foliorum, sed justus liber & octoginta ferme foliorum, seu trecentarum & amplius paginarum volumen; nec habeant earum impressiones ullam ad id licentiam, sive a Rege, sive ab Episcopo, sive a quopiam Prælatorum utriusque sacræ familiæ Carmelitarum; isti Papebrochii Delatores accusent condemnentque ipsi se; ac proinde necessaria consequentia pœnales Tridentini Indicisque leges suis applicare debent Delationibus: & juxta ipsorum allegata, tam est vafræ duplicitatis suspecta ista suarum Delationum impressio, quam volunt suspectum esse librum Papebrochii. Quod vero evidentius esse potest argumentum, ut cupiam denegetur id quod petit, quam incurrisse idem delictum, cujus alterum accusat? Nisi nolint Carmelitæ, contra se leges illas vigere, de quarum transgressione accusant Papebrochium; uti noluerunt constringi silentio, quo volunt constrictos alios. Miræ sane & multæ inæqualitates sunt istæ!

489 Secunda reflexio. Sancti Officii mos est inconcussus, ut ab eo, qui accusationem aliquam contra certum librum aut personam instituit, exigat juratam fidem servandi secretum: atque adeo indubitatum videtur, quod præfati Delatores Carmelitæ juramentum illud præstiterint. Rem clarius evolvat sequens enthymema. Sanctum Officium vel relaxavit illis hoc juramentum, atque insuper potestatem fecit imprimendi dictas suas Delationes, spargendique per Orbem, per Regiam hanc Curiam, per varias Hispaniæ, Italiæ, Belgii aliasque regiones; vel nihil horum concessit idem Sanctum Officium. Si non concessit; ubi est observantia juramenti, quam decet inviolatam esse, præsertim apud viros Religiosos, & talis Ordinis

Reli-

Religiosos? ubi silentium, quod nunc ambiunt; dum interea ubique terrarum provocant eos, quorum ora prætendunt occludere? Quorsum proderit cautela, sive secretum illud, quod ob altissimos fines arctissime servari vult Inquisitio, si facilitate tanta & nulla necessitate Carmelitæ Delatores divulgant arcanum quaquaversus? Videbit sacrum Tribunal, quid tali casu judicet factu optimum esse. Videbit quoque Tua Majestas & Orbis intelliget universus, quam male componatur publica illa provocatio, & postulatio perpetui silentii; sub cujus umbra protecti accusatores, cum sancto Elia, perfectius scilicet ambulent coram Deo, quiescantque suavius in meditatione pacifica. Si vero (quæ enthymematis est pars altera) sanctum Officium relaxavit suum dictis Delatoribus juramentum, permisitque eorum Delationes imprimi spargique, non habet Societas Jesu, quod contra mussitet opponatve. Id ei solum superest, ut venerabunda judicium suum captivet in obsequium altiorum judicum, quorum fines non assequitur; solum animadvertit ex parte Delatorum, quod, si licentiam istam obtinuerint, id in impressionibus suis non exprimant, saltem quo consequentior fundatiorque appareret eorumdem accusatio.

490 Reflexio tertia. Delatio anni 1691. fol. 34. col. a. citat hæc verba Lutheri, (*Scribo contra Deum & contra animam meam*) eaque Papebrochio applicans, sic ait: *Necessaria scribis contra Deum & contra animam suam. Atque hæc intentio & hic spiritus rexit illius calamum in omnibus, quæcumque scripsit*. Notabile sane scomma Religiosi Catholici in alterum Catholicum Religiosum. Nec hoc satis. In Delatione namque anni 1694. folio a. verso, iterum proferuntur Hispanice talia: *Vix est reperire doctrinam moderni Hæretici, quam non fulciat approbetque P. Papebrochius, tametsi sciat ab Ecclesia esse damnatam. Et quas aperta fronte tueri non potest, sic tamen palliat usque pingit coloribus, ut satis ostendat magis sibi ejusmodi Hæreticorum dogmata placere, quam quod ab Ecclesia Romana Catholica definitum est &c.* Sub brevibus adeo clausulis asseritur de scriptore Catholico, quidquid iniquitatis & perversitatis cadit in materiam doctrinæ. Nam attribuitur Papebrochio non solum is errandi modus, quem Theologi passim vocant pure materialem, & in quem per humanam fragilitatem subinde lapsi sunt nonnulli sanctissimi viri, iisque doctissimi; uti videre est in sapientissimo Augustino, qui scripta sua non pauca retractavit; nec non in quibusdam Angelici Doctoris propositionibus, postmodum rejectis ab Ecclesia, & sic de Sanctis aliis: id ita permittente Deo, ut vel sic inditam a natura nobis agnosceremus miseriam pariterque divinæ lucis efficaciam, talium Doctorum calamos dirigentis. Attribuitur, inquam, Papebrochio, non materialis tantum, sed formalis error; nec qualitercumque formalis, sed formalissimus: utpote quod ille non jam ex ignorantia, sed sciens volensque sectetur hæreses, obfirmato animo scribendi *contra Deum & contra animam suam*; neque hoc in uno tantum alterove articulo, sed *in omnibus quæcumque scripsit*.

491 Non est hujus loci, Piissime Rex, indagare, qua conscientia, quave suarum ipsi animarum securitate tuti audeant, de viro Catholico & Religioso id malum affirmare, quod malorum omnium, quæ in re doctrinali dici queunt, est & gravitate pessimum & extensione generalissimum. Hoc unum repræsentatur Tuæ Majestati, ejusmodi loquendi modum præteriri non posse, nec debere, quin, qui sic læsus est, tales suos læsores compellat coram legitima potestate, cui resisti non possit, probare quæ sic affirmant: ut vel ille, qui per omnia sua scripta contra Deum Catholicasque Ecclesiæ sanctiones impium assumit bellum, irremissibiliter puniatur pro delicti merito; vel ut læsores isti, si sua dicta non probaverint, ea scripto retractent. Nec satis erit, si probaverint, in uno alterove puncto errasse Papebrochium; sed probandum incumbet, errasse in omnibus quæcumque scripsit; & errasse quidem ex stygia illa Lutheri mente, quam Papebrochio adscribunt. Aliàs namque, si effræni cuique linguæ concedatur libertas effutiendi quidquid in buccam venit, spargendique impune quaquaversus lubet; nec imponatur necessitas probandi, quæ sic dicuntur & sic divulgantur; quid tandem in futurum poterit ab iis sperari, qui sic loquendo, immunes erunt etiam in hoc seculo ab omni formidine reddendi dictorum suorum rationem?

492 Porro si præfati Carmelitæ ad hanc angustiam redegerint Papebrochium, dispiciat (quæso) Majestas Tua, qua ratione poterit hic (Catholicus cum sit) taliter læsus tale sustinere silentium, quale ab istis petitur? *Nolo* (inquit Divus Hieronymus) *in suspicione hæreseos quemquam esse patientem; ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientiæ judicetur, si taceat*. Epist. 61. ad Pammachium contra Joannem Hierosol. Mirum, quantum a sententia Hieronymi præfati Generales distent. Volunt nempe, ut perpetuo sileat Papebrochius, absque facultate purgandi se ab hæreseos, non jam dicam suspicione, sed a certitudine ejusdem, voluntarie & studiose incursæ; prout ab illis in publicis suis Delationibus accusatur.

493 Addo, quod (quandoquidem ibi habeatur hæc clausula, *In omnibus quæcumque scripsit*; & in Edicto legatur hæc altera; *Mandamus, retractabantur & prohibeantur ex toto*) apud varios ortum sit dubium, imo quæstio; an, cum tomi prohibiti sint quatuordecim, in omnibus & singulis hæreses subsint vel errores in fide, saltem materialiter? an in unaquaque pagina, folio & versu? Dubitandi ratio fundatur in eo, quod eodem die, mense & anno, per aliud Edictum mandetur, in libro quodam Fratris Jayme Corella Capuccini, expungi una quædam Propositio: unde videtur colligi, reliquas dicti libri Propositiones non esse malas; malas autem esse omnes, quæcumque continentur in 14. tomis, quia absque simili exceptione prohibentur *In totum*. Ex hac dubitatione non obscura apparet, Rex Justissima, quantopere hujus puncti elucidatione indigeat fama Papebrochii; & quam justa sit hujus, Sociorumque ejus prætensio, qua loco silentii, quod injuste prætendunt præfati Carmelitarum Generales, petunt exhiberi qualificatas Propositiones, & ab Ecclesia audiri.

404 Reflexio quarta. Præcipuus dictarum Delationum labor videtur stetisse in vertendo Hispanice, quod Fr. Sebastianus a S. Paulo Latine scribit duobus libris; quorum uni titulus est, *Libellus supplex* &c. alteri, *Exhibitio errorum*. Et quoniam ex alia parte Edictum sancti Officii in suis censuris admodum simile est illis, quas dictus uterque liber, præterim postremus, continet in suo frontispicio; prudenter dubitatur, an Qualificatores (quorum censuria conformatur sententia Tribunalis) plus ad qualificandum habuerint fundamenti, quam quod allegatur a dicto F. Sebastiano, & quod accusatores inde desumpserunt pro formandis suis Delationibus. Proinde scitu necessarium est, *Libellum supplicem* a dicto Fr. Sebastiano editum, Patavii, auctoritate publica Status Veneti, fuisse per ejus Inquisitorem suppressum. In responsione, quam ad libellum istum dedit breviter Conradus Janningus, Societatis Jesu & Papebrochii Socius, de dicto libello sic legitur: *Nihil quidquam continet quod non pridem, aut refutatum, aut gravis asseri monstratum, aut scriptis suppositiis atque apocryphis niti, ostensum sit*. Ejusmodi scripta apocrypha & sellea ad calcem Elegia, ex Speculo ibi pariter recusa, fuerint motivum, saltem partiale, dictum Libellum supprimendi. Hoc certe constat, Libellum istum, quamquam dicatur Innocentio XI. oblatus fuisse, exiguum vel nullum Romæ robur adversus libros Papebrochii obtinuisse, prout experientia ipsa docuit.

495 De altero libro, cui titulus, *Exhibitio errorum*, qui Sanctiss. Patri ac Domino nostro Innocentio XII. inscriptus est anno 1693. idem Janningus in Epistola sua familiari trium circiter foliorum, ad dictum Fr. Sebastianum responsoria, ac data 5. Martii eodem anno 1693. (quæ impressa visitur modo seorsim, modo præfixa initio tomi primi de Actis Sanctorum Junii, conferenda cum *Exhibitione errorum*) sic habet: *Arguimur docere, Constantinum Magnum, non a Silvestro Papa Romæ, sed ab alio Nicomediæ, sub vitæ finem salutari fonte lavatum esse; non credere pari firmitate, divum Lucam fuisse Pictorem, ac fuisse Medicum; non admittere imagines omnes, quæ in locis variis honorantur, & a S. Luca pictæ feruntur, revera tales esse; repudiare historiam Inventionis sanctæ Crucis; Acta S. Silvestri Papæ; Bullas, quibusdam Pontificibus affictas; librum Joannis Hierosolymitani; Epistolam, sub nomine S. Cyrilli, tertii in Carmele Prioris, sese commendantem; Vitam S. Angeli Carmelitæ ... & sexcenta ejusmodi. Magnum crimen, & ante hunc diem ab historiæ rudibus inauditum! Ne ego vices doleo Paternitatis vestræ, quod tam inconsiderate famam suam ludibrio exponat vel ipsis in historia Ecclesiastica tironibus; cum talia arguit ac reprehendit in Papebrochio, quæ eruditi passim amplectuntur, ita persuasi auctoritate veterum & elucidatione recentiorum*. Hæc ibi Janningus.

496 Duo in hisce reliquisque citatæ Epistolæ verbis valde notabilia occurrunt. Primum est, quod Auctores damnatorum 14. tomorum ostendant, vidisse & verò considerasse se, quidquid a Fr. Sebastiano sibi objicitur. At, quia considerarunt etiam, nec in Italia, nec in Gallia, Belgio, Germania, aliisque orthodoxis regionibus Propositiones illas suas haberi ut tales, quales volebat Fr. Sebastianus, scilicet hæreticas & erroneas, non judicarunt operæ pretium esse longas responsiones pro singulis in particulari formare, contenti ad tria solum quatuorve puncta respondisse breviter & succincte, speciminis causa & in exemplum, quod (si foret opus) responderi posset ad puncta reliqua. *Habet hic* (inquit Janningus) *Paternitas vestra exemplo in uno specimen eruditionis, & argumentum confusionis suæ. Hanc ne augeam, missa facio reliqua objecta*. Alterum notabile est, quod ea, quæ carpuntur in Papebrochio, probatis Auctoribus nitantur, tum antiquis, tum modernis. Quænam ergo irrationabilior potest esse petitio, quam ea, qua petitur, ut post 14. tomorum confixionem Auctor illorum jubeatur silere; cum is loqui facile potest, innixus auctoritati tum modernæ tum antiquæ, loquendique locum concedente Ecclesia?

497 Dignetur Tua Majestas ex paucis, quæ sequuntur, exemplis, in brevissimam synopsim contractis, considerare, quam sit difficile, ut sileant Auctores, jam publice per orbem Christianum traducti. Delatio anni 1691. folio 12. arguit Papebrochium, tamquam adversantem sacræ Scripturæ, eo quod dicat, Magos non invenisse Christum in stabulo, sed in alia separatim domo. Poterat eadem opera argui S. Epiphanius, qui idem sentit his verbis: *Neque enim (inquiens) Mariam in spelunca, ubi pepererat, repererunt: sed (ut Evangelium narrat) stella illos ad eum locum perduxit, ubi erat Puer. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria, non in præsepi vel spelunca, sed in domo scilicet* &c. Allegat eadem ipsissima verba Silveira Carmelita. Idem sentiunt Theophylactus, Jansenius in Concordia, Maldonatus, Jacobus Salianus insignis Annalista, & alii. Eminentissimus Cajetanus ait, incertum esse, quod puerum invenerint in præsepi: esse autem certum, quod ad primam instantiam exiverit Virgo quæsitura domum; at ubi locum non invenisset in diversoriis, retro redierit sua Majestas ad stabulum: & quoniam, quando Magi postea venerunt, non erat hospitum ille concursus, qui fuit tempore virginei partus; quid mirum foret, si quæ initio quærebat domum stabulo decentiorem, neque inveniebat ob hospitum multitudinem, cessante hoc impedimento, domum quæsiverit inveneritque? Quid hic adversatur Evangelio? &, si adversatur aliquid, cur non eadem accusatione, qua impetitur Papebrochius, involvuntur Auctores isti antiqui & moderni?

498 Eadem Delatio a folio 6. arguit Papebrochium, quod ad illa verba S. Lucæ, *Et erat Jesus incipiens quasi annorum triginta*, distinguat illos annos, annectatque, non ætati Christi, sed soli illius doctrinæ & prædicationi. Id autem tantum videtur illis piaculum, ut asserant, Papebrochium non admittere Evangelium Lucæ, prout legi solet ab Ecclesia; nec esse textum, versionem, vel Sanctorum Patrum aliquem, qui faveat Papebrochio. Multum falluntur Delatores isti; & eadem, qua quidlibet asserunt, facilitate convincuntur de falsitate. Fr. Ferdinandus de Orio, Ordinis Mercenariorum Divæ Virginis, de Tertulliano cap. 5. discursu 17. §. 3. fol. 72. textum interpretatur

eodem

eodem modo quo Papebrochius: *Jesus* (inquit) *erat incipiens, hoc est, operari & docere & Ecclesiam congregare, quasi annorum triginta;* citatque eamdem in rem Calixtum Placcotinum.

499 Cardinalis Toletus, hæc habet: *In hujus loci intelligentia magna est controversia inter antiquos etiam Patres.* Et in margine: *Patres* (inquit) *diversis modis superiorem sententiam legunt.* Et Annotatione 54. agens de eodem illo participio *Incipiens*, dicit: *Varii igitur sunt Doctores in connectendo hoc participio atque interpretando. Quidam separant ab annorum numero in hunc sensum: Jesus erat incipiens, cum esset quasi triginta annorum.* Et cum Origene, Clemente Alexandrino, Justino & Euthymio dictus Cardinalis sequitur hanc sententiam: *Mihi* (inquit) *in hac parte accommodatior & verior est visa sententia, si participium dividatur ab annis; sensusque sit juxta vulgatam is, quem in Commentario explicuimus.* Sensus autem, quem in Commentario explicuit, is est, quod Christus manifestare se cœperit mundo, *Incipiens, id est, suam manifestationem exorsus est.* Citatis vero in hujus suæ sententiæ confirmationem duobus sacræ Scripturæ textibus, atque textu Græco, addit in eadem Annotatione 54. quod, si τὸ *Incipiens* intelligatur necti cum annis (prout volunt Delatores) *incongrua nimis sit locutio, Incipiebat esse quasi 30. annorum: superflua enim particula, quasi.*

500 Videant nunc Delatores, qua ratione affirment, tamquam certum, id quod omnino dubium est & controversum. Quomodo negent textum Græcum, qui revera extat, quemque citant alii. Quomodo graves adeo Doctores eamdem sequantur divisionem, eumdemque interpretandi modum, quem & quam sequitur Papebrochius. Hunc ergo, dum accusant quod non insistat Evangelio S. Lucæ, prout Ecclesia solet; cur non pariter ejusdem delicti reos faciunt reliquos, atque inter eos præfatum Ortum? Vel illi erant accusandi, vel non accusandus Papebrochius: quia zelus pro fide non est acceptor personarum. Aut si, dum accusabant Papebrochium, nondum viderant legerantve præfatos Auctores, cur in divulgandis Propositionibus tam criminatricibus adeo fuere præcipites?

501 Delatio anni 1694. a folio 74. terribilem in modum invadit Papebrochium, quod neget Constantinum Magnum a S. Silvestro fuisse Romæ baptizatum. In hanc eamdem sententiam habet pro se Papebrochius S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Athanasium, trecentos Episcopos Synodi Ariminensis, Eusebium Cæsareensem in Palæstina, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Gelasium Cyzicenum Episcopum, & collectorem Actorum Concilii Nicæni, Cardinalem Perronium, Cuspinianum, Lambecium, Pagium, Valesium, & doctissimum Petavium; qui in Rationario temporum lib. 6. cap. 1. anno 337. ait, ejusdem sententiæ esse antiquiores plerosque. Si Auctores hi omnes non merentur eas exclamationes, quas in Papebrochium jaculantur Delatores, cur acriter adeo solus hic Jesuita ab illis impetitur?

502 Nec apud sanctum Tribunal accusari meretur is, qui tot tamque validis fulfultus argumentis quædam sentit iis opposita, quæ in quibusdam Lectionibus recitanda proponit Breviarium: quia non id omne, quod in illis proponitur, est de fide. Habet Breviarium, S. Joannem Evangelistam mortem subiisse: oppositum tamen sentiunt (absque vel minima nota) plurimi iique gravissimi Doctores; muniti scilicet auctoritate sacræ Scripturæ & rationibus congruis. Similiter controverti permittuntur ne disputari puncta quædam circa S. Dionysium Lutetiæ Parisiorum Patronum, circa S. Jacobi in Hispaniam adventum, aliaque hujusmodi: &, quod plus est, infertur ex ipsa correctione, qua subinde Christi Vicarius mandavit e Breviario expungi quasdam clausulas, illas Breviario insertas non fuisse ut infallibiles veritates, neque ut historias omnino certas.

503 Delatio anni 1691. verso folio 43. accusat Papebrochium, tamquam qui inventionem S. Crucis explodat ut fabulam. Exigua sane discretio adhibetur in re adeo gravi, & quæ prima fronte nata sit Christianam pietatem adversus Papebrochium irritare. Inventionem S. Crucis non negat ille absolute, nec ejusdem Historiam: illam solum negat, quam negat etiam cum 70. Episcopis Gelasius Papa istius nominis Primus, vocatque in Decreto suo *novellam relationem*, uti & inventionem capitis S. Joannis Baptistæ; lectorem monens, ut, quando ejusmodi historiam legerit, memor sit dicti Paulini; *Omnia probate; quod bonum est, tenete.* Cur igitur, dum, omnibus mature expensis, deprehendit Papebrochius, sufficiens tali determinatæ & individuali narrationi deesse fundamentum ad merendam fidem; cur, inquam, peccat Papebrochius, fidem detrahens; tali præsertim præeunte ductore, qualis cum 70. Episcopis est Papa? Asserit ea historia, inventionem S. Crucis contigisse annis 233. post passionem Christi: contigit autem 59. annis serius, id est, anno post passionem 292. Eodem anno 233. supponit historia regnantem tunc temporis Constantinum Magnum, cum tamen tunc nondum natus esset. Narrat eadem historia, Constantinum ab Eusebio Papa baptizatum fuisse; cum tamen nullus sit fide dignus scriptor, qui id asserat. Dicit etiam historia eumdem ipsum Papam Roma tetendisse Constantinopolim; cum toto Pontificatus sui tempore extra Italiam numquam pedem moverit; imo dubitatur etiam, an extra Romam. Vult insuper eadem historia, sanctam Crucem inventam esse, mediante indicio cujusdam Judæi Quiriaci, quod solidissimis nixus argumentis negat Papebrochius.

504 Facetum est, quod ait Fr. Sebastianus a a S. Paulo in sua *Appendice ad Motivum juris*, nempe S. Ambrosium post Gelasium Papam scripsisse historiam de Inventione S. Crucis. Error in Chronologia temporum sane crassus! ut consideranti cuilibet patebit: error namque est in intervallo unius fere seculi, quo scilicet mors S. Ambrosii præcessit obitum S. Gelasii: ideoque non immerito arguit illum Janningus in tractatu, cui titulus; *Postscriptum pro Actis Sanctorum*, edito 29. Febr. 1695. his verbis: *Si tam parum accuratus historicus es, ubi ipse historicam profiteris, in scriptione propria, qualis eris in scriptione aliena?* Dicit etiam idem jam citatus Fr. Sebastianus in sua *Exhibitione errorum* Artic. 1. §. 7. quod præfatam historiam

neget

neget Papebrochius solum pro sua libidine, nullo citato Auctore. At hoc esse falsum, patet ex jam allatis rationibus, aliis, quæ adferri plures possunt, omissis brevitatis causa: id etiam falsitatis convincunt supra citati Auctores, atque inter hos unus Papa,

505 Addit idem Fr. Sebastianus Art. 11. §. 19. circa Crucis Inventionem, Papebrochium id negare, quod insertum legitur Breviario Romano; in cujus Officio habetur, *a Matre Constantini compulsum esse Judæum quemdam, ut ostenderet Calvariæ locum, ubi absconditum erat pretiosum lignum Dominicum*. Additque: *Cum orasset Judas, commotus est locus ille, in quo sancta Crux jacebat*. Breviarium habemus omnes; nec tamen in Antiphonis, aut Responsoriis, aut alibi occurrunt ea verba quæ Breviario Fr. Sebastianus adscribit. Sed quod apud omnes admirationem moveat, est, quod Breviario Romano perlecto circa Crucis inventionem, collatoque cum iis, quæ de illa Papebrochius scribit in ipso illius festo, nihil sit invenire, quod non quadret cum dicto Breviario; aut quod ille neget quidquam ex iis, quæ ibi habentur. Quin potius notat Eusebium, quod hic, scribendis Constantini laudibus justo occupatior, expressiorem mentionem non fecerit istius miraculi, quod accidit eo ipso tempore, quo sacrum lignum inventum est, Notat item & acriter perstringit Causidicum quemdam Anconitanum, quod de Crucis inventione sic agat, ut nullam prorsus mentionem faciat istius, quod in illo casu Breviarium refert de sancto Macario; quasi inventio tanti thesauri accepta referri deberet soli testimonio cujusdam Judæi, qui pœnæ metu compulsus (sic ajunt) indicaverit latentis Crucis locum, Et de altero quodam inventæ Crucis singulari modo (qui est apud S. Ambrosium, Oratione de obitu Theodosii) ait Papebrochius, *Hæc narratio, & singularis prorsus est, & Crucis gloriam vehementer imminuit*.

506 Hæc omnia cum ita sint, animus tamen & fiducia Fr. Sebastiano superest, ut audeat affirmare, Papebrochium circa S. Crucis inventionem negare id, quod habetur in Romano Breviario. Audent item Fratres Carmelitani in Hispania Delatores de Papebrochio dicere, quod pro falso & nugatorio habeat, quidquid admittit Ecclesia in festo inventionis ejusdem S. Crucis. Domine Rex, si sic aberratur a vero in iis, quæ quisque facile potest indagare, ipso Papebrochio consulto, inspectoque Romano Breviario, passim extante omniumque manibus tritissimo; quid non timendum, quid non in malam suspicionem trahendum erit, circa alia abstrusiora puncta, quæ ab Auctoribus tractantur in libris, non ita passim extantibus aut occurrentibus? Dignetur igitur Tua Majestas expendere, qua ratione coram Catholico terrarum orbe sub silentio dissimulari poterit tam atrox impostura. Delatores Carmelitani ajunt de Papebrochio, quod, *Pro falso & nugatorio habet, quidquid admittit Ecclesia in festo ejusdem Inventionis*; idque ajunt de eodem ipso loco, quo eamdem profitetur, & verò illustrat. Quid Auctor hic meritus est, ut vi nigerrimæ calumniæ, quam ipsi in re adeo sacra Delatores affingunt, universalem sibi conciliet omnium horrorem & execrationem? & eadem opera dici possit, Auctorem extare in Societate Jesu, qui *pro falso & nugatorio habet*, quidquid 3. die Maji circa Crucis inventionem celebrat Ecclesia?

507 Non plus significationis, imo minus ponderis habet hæc vox, *Historia Inventionis Crucis*, quam ista vox, *Evangelium*. Nihilominus Evangelia quædam proscripsit Ecclesia ut apocrypha; & cum Ecclesia Matre proscripserunt illa omnes filii sui orthodoxi: horum tamen nemo vel eminus accusatur, velut apocrypha rejecisse quatuor Evangelia, vel veras Christi actiones. Cur igitur, quia Papebrochius, ductorem Papam & 70. Episcopos secutus, unam aliquam determinate & particularem historiam rejicit ut apocrypham & fabulosam, ab accusatoribus Carmelitis dicendus est absolute rejicere, & habere pro falso ac nugatorio, quidquid circa Crucis inventionem docet & celebrat Ecclesia? Hinc est, quod Carmelitæ non frustra nitantur Papebrochio os suum occludere; ut scilicet ad æternum damnatus silentium non possit, nedum leonum rugitum (quem casus reique gravitas postulat) sed ne ovinum quidem balatum edere.

508 In Delatione Propylæi fol. 21. accusatur dicere Papebrochius, non esse Ecclesiæ traditionem, quod Christi manifestatio, ejusdem baptismus, nuptiæ in Cana Galilææ contigerint uno eodemque die; idque constet ex Sancto Maximo. Quod non contigerit triplex illa Christi Epiphania seu manifestatio Divinitatis ejus eodem die, docent Card. Baronius ad annum 31. Card. Toletus in Joannem cap. 2. annot. 15. Jansenius in Concordia cap. 14. Pereyra lib. 11. in Danielem: & quamvis Suarez contrarium teneat, negat tamen esse certum, totum id uno die accidisse; vocatque sententiam suam non nisi probabilem. Præterea pro se citat Papebrochius consensum Ecclesiarum Orientalium. Quare igitur non accusantur hi pariter omnes? Fierine potest, ut una eademque Propositio, sub uno eodemque sensu, sit accusabilis adversus unum, & non adversus alios?

509 Quod S. Maximus censeat, non esse Ecclesiæ traditionem, quod illa tria concurrerint eodem die, videtur manifestum. Primo. Quia Sanctus se evolvit per particulam *Vel*; quæ disjunctiva est, non copulativa: *Vel stella duce* (inquit) *a Gentibus adoratum, vel ad nuptias invitatum aquas in vina vertisse, vel suscepto a Joanne baptismate &c.* Secundo ex Hom. 5. de Epiph. ubi idem Sanctus, super concurrentia istorum trium mysteriorum, ostendit hærentem se dubiumque, ac Deo tandem relinquit istius rei certam scientiam: *Sed quid potissimum* (inquiens) *præsenti hoc factum sit die, noverit ipse qui fecit* &c. Certum est autem, S. Maximum non eo stylo (qui dubitantis, nec omnino certo scientis proprius est) usurum fuisse, si trium istorum mysteriorum concursum in uno die proponeret nobis Ecclesia, tamquam traditionem ab omni dubia opinatione exemptam. Tertio. Non ait S. Maximus, Ecclesiasticam, sed paternam esse traditionem, *Sicut* (inquit) *relatu paternæ traditionis instruimur*, statim post sequente disjunctiva particula *Vel*. Quæritur ex Delatoribus, an illa S. Maximi verba *Paterna traditio*, hic & nunc in hisce circumstantiis, idem sonent ac ista,

Tra-

Traditio Ecclesiæ, quam hæc velit a filiis suis omnimodo firmitate teneri, excluso qualicumque dubitandi vel opinandi modo? Si ita velint intelligi, accusent sane duos Cardinales, reliquosque supra citatos Auctores atque Orientales omnes Ecclesias, ob deficientem in illis talem in credendo firmitatem: id operæ pretium referent ea via Delatores, ut eadem a legitimo judice doceantur doctrinam congruentiorem.

510 In eadem Delatione fol. 37. refertur sequens Paragraphus Papebrochii: *Licet Paulus recte dici possit Episcopus Romanus cum Petro fuisse (sicut erudite ostendit Petrus de Marca in peculiari exercitatione de singulari Primatu Petri, nuper in lucem data) eorum tamen nomina hic non composuimus: quia utriusque auctoritas non ex æquo (sicut recenter quidam somniavit, aut potius blasphemavit) neque eodem modo in eorum successores Romanos Pontifices fluxit; sed Episcopalis quidem ab utroque, a Petro autem singulariter Apostolica, conjuncta cum prærogativa supremi capitis .... Plures autem unius Ecclesiæ Episcopos esse, ita tamen ut unus alius præemineat, adeo non est veteris Ecclesiæ disciplinæ contrarium, ut usque ad Concilii Niceni tempora, quibus abrogatum id est, durasse videatur. Certe Act.* 20. *Ephesios alloquens Paulus*, non unum, *sed plures eorum Episcopos appellat, dicens:* „ Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. *Ad quem locum apte scribit præfatus de Marca: Antiquum illud Presbyterium* &c. Arrepta hujus Paragraphi occasione, accusant Papebrochium, tamquam qui *tuetur id* (ita Hispanice loquuntur Delatores) *quod semper assumpserunt hæretici, velut fundamentum, ad stabiliendam Ecclesiam bicipitem, destruendam Ecclesiæ Catholicæ monarchiam, negandum primatum & unitatem sui Capitis.* Crimen, quod hic affricatur, horribilitate sua superat omnem modum; &, si rite probaverint Delatores, erit omnino necesse, ut adversus Papebrochium ejusque librum de opportuno & efficaci prorsus remedio provideatur: at, si falso impositum deprehendetur, viderint Delatores aliqua, qua ipsi providentia conscientiis suis poterunt satisfacere.

511 Primo. Papebrochius in citato Paragrapho Dissert. 2. num. 9. dum dicit: *Licet Paulus recte dici possit Episcopus Romanus cum Petro fuisse*; non ibi sistit, sed ultra progreditur, tamquam delirum & blasphemum damnans eum, qui dixerit, S. Paulum unum Ecclesiæ caput constituere cum S. Petro: quia soli Petro (inquit Papebrochius) competit prærogativa Apostolici & supremi Capitis; & quia juxta jus divinum impossibile est ut aliter fiat, prout tamquam rem certissimam tenent Orthodoxi omnes. Quæro nunc, qua conscientiæ regula dicatur concedere Papebrochius id ipsum, quod impugnat, imo damnat, non velut delirium tantum, verum etiam velut blasphemiam? Clarius adhuc de falsitate accusatores convincet sua ipsorum accusatio. Meminit hæc cujusdam libri in lucem editi anno 1645. sub hoc titulo: *De suprema Ecclesiæ Romanæ amplitudine, in Petri & Pauli (ex summorum Pontificum, Patrumque & Conciliorum testimoniis) individua Auctoritate fundata.* Duo continet hic titulus: primum, quod Auctoritas SS. Petri & Pauli non solum suprema sit, sed & individua. Alterum, quod suprema illa, & individua Auctoritas probetur ex summorum Pontificum, Patrum, & Conciliorum testimoniis. Utrumque negat pernegatque, quin & damnat Papebrochius, velut binas blasphemias. Negat supremam & individuam in Petro & Paulo Auctoritatem, dum S. Petro singulariter & unice tribuit prærogativam supremi & Apostolici Capitis. Testimonia etiam negat summorum Pontificum, Patrum & Conciliorum, dum asserit, prærogativam illam de jure divino esse solius Petri; atque in eam sententiam conspirare unanimem fidelium consensum. Qua igitur fide, qua veri specie volunt Accusatores isti, Papebrochium in eam suspicionem, eamque doctrinæ cum dicto Auctore societatem, vocare?

512 Acerrime coram Innocentio X. impugnavit præfatum librum Antonius Diana; qui nihilominus in suo tractatu de Primatu solius Petri, sic habet: *Assero Petrum & Paulum fuisse Episcopos Romanos, hoc modo; videlicet Petrum proprio & titulo, Paulum officio adjutoris, Petro subordinati.* Et post pauca folia: *Respondeo distinguendo: si enim asseris, Petrum & Paulum in Apostolici senatus culmine principatum possidere in eodem genere, nego: si in diversa genere, concedo.* Hisce verbis conceditur uni & alteri Apostolo nomen Romanorum Episcoporum, assignato tamen inter utrumque discrimine; quod eo totum recidit, ut solus Petrus supremum sit universalis Ecclesiæ Caput. Atqui idem prorsus, nullo addito vel dempto, dicit Papebrochius quod Antonius Diana. Hic tamen ab omni censura liber, quin & laudatus evadit; solus ille perquam fortiter accusatur. Diana primatum & unitatem Ecclesiæ adstruit, illam juxta Delatores destruit Papebrochius, adhæretque partibus hæreticorum; licet Dianæ consonet in omnibus; imo tamquam hæreticum rejiciat, quisquis supremam Auctoritatem confuderit. O despoticam auctoritatem! o miram arbitrandi passionem, quæ unam eamdemque rem accusare possit simul & absolvere, exornare pariterque criminari!

513 Secundo. Decretum, quo præfatum librum sub dicto titulo editum anno 1645. condemnavit Innocentius X. attente consideranti patebit, id, quod tamquam hæreticum sua Sanctitas declaravit, illud esse, quo quis de prærogativis SS. Petri & Pauli ita loquitur, ut uterque intelligantur *unum solum Ecclesiæ Principem* facere; vel ambo *summa inter se unitate esse conjuncti*; vel sua dignitate *in unum divinissime coaluisse*; denique, ut omnimoda inter Petrum & Paulum intelligatur statui æqualitas, sic ut in suprema potestate & universalis Ecclesiæ gubernaculo S. Paulus non subordinetur, nec subsit S. Petro. Dum igitur Papebrochius, doctrinam summi Pontificis claris adeo terminis expressam secutus, soli Petro tribuit singularem primi Capitis prærogativam, & ab hac S. Paulum separat, atque oppositum asseris delirium esse & blasphemiam; qua veri specie contendunt Delatores isti, Papebrochium in suspicionem vocare, quasi asserat id quod Papa damnat? Damnat Papa hoc dogma:

Suns

Sunt (SS. Petrus & Paulus) *duo Ecclesiæ summi Pastores ac Præsides, qui unicum Caput constituunt*: damnat & Papebrochius; nec enim, dum hæc verba profert, *Licet Paulus recte dici possit Episcopus Romanus cum Petro fuisse*, Paulum vocat *summum Pastorem Ecclesiæ*; nec ait, illum cum S. Petro *unicum constituere Caput*: imo hanc supremi Capitis prærogativam asserit unicam & singularem esse solius Petri; atque ut blasphemum rejicit qui dixerit oppositum. Juxta hæc qua fida præfatum decretum objicitur Papebrochio?

514 Tertio. Delatores citantes Conatum Chronico-Historicum part. 1. pag. 14. num. 9. accusant iterum Papebrochium, quod pro ea, quam ipsi detulerunt, Propositione citet S. Epiphanium. Non invenitur ista S. Epiphanii citatio pagina aut numero citatis; nec verbum invenietur vel unicum, quo S. Epiphanii fiat ibi mentio: fit hæc solum sequenti Dissertationa 3. numero 7. ubi citat illum Papebrochius pro alio assumpto & in alium finem. Et quia Sanctus ille habet hæc verba inter alia, *Romæ primum omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter & Episcopi fuerunt*; statim post dictorum verborum factam relationem, notat ea verba num. sequenti cum marginali nota, qua dicit, citatum S. Epiphanii locum a se *expensum & correctum*. At quænam expensio, quænam erit illa correctio, nisi quam exhibet num. 8.? cum jam antecedenter Dissertatione 2. numero 9. advertisset differentiam, qua Petrus Paulum superat; cum ex institutione & jure divino Petrus solus sit supremum Ecclesiæ caput, non autem pariter Paulus in Petri comitatu: quia, qui contrarium fuerit opinatus, meretur audire somniculosus seu dormituriens; aut, si vigilaverit, blasphemus.

515 Secundum hæc, dicite, Delatores, ubi vestra nunc sinceritas, ubi est veritas accusationum? Hæ ipsæ citant Lorinum, Raynaudum, & doctissimos viros alios; qui S. Epiphanium rectius (perinde ut alios scriptores, qui S. Paulum nominant Episcopum Romanum) interpretati sunt, dicentes, talem loquendi modum accommode debere intelligi, *propter functiones Episcopales, quas ubique Paulo licuit obire, etiam Romæ; sed salva Petri primi Capitis prærogativa*; utpote qui ad Pauli exclusionem solus sit supremum & singulare Caput Ecclesiæ. Atque hæc eadem ipsa est prærogativa, quam pro solo Petro Papebrochius tuetur adeo distincte, ut nihil opus habeat alterius cujuspiam interpretatione: nec tuetur tantum; sed eos, qui contrarium dixerint, collocat in classe somniantium, vel etiam blasphemantium. Videant igitur Delatores, qualiter accusent, qualiter criminentur, qualiter multiplicatis impressionibus suas publice criminationes per orbem divulgent; aliisque præbeant ansam credendi, quod Papebrochius cum hæreticis conspiret ad convellendum primatum & unitatem Ecclesiæ. Hoc profecto & huic similia puncta non usque adeo levia sunt, ut sine scrupulo, sine ullo remordentis conscientiæ sensu, sint contemnenda.

516 Punctum hoc concludat succulenta quædam reflectio, quæ attentionem mereatur & Tuæ Majestatis, & sancti Tribunalis, & Orbis universi. Accusatores, citatis verbis Papebrochii, suppresserunt notabilem hanc ejus clausulam, qua dicit: *Et hoc quidem jure divino penes unum solum necessario statui, Catholicorum omnium est consensus*. Quibus verbis quid clarius? Asseveranter per illa dicit, quod, solum Petrum esse supremum Ecclesiæ caput, juris sit divini, & Catholicorum omnium consensus; tenetque consequenter, non esse doctrinam Catholicam, quæ illam Petro prærogativam derogat. Sciri summopere conveniret, Justissime Rex, cur Delatores verba illa silentio presserint, cum sint verba Papebrochii, tamque substantialia, atque ad rem, quam isti incusant, apprima facientia? Cur, cum sint brevissima, non illa cum prolixioribus reliquis eadem opera conjecerunt in chartam suæ accusationis? Quid sibi vult ille trans duas lineas omissas saltus; dum id, quod immediate præcesserat, exprimunt; supprimunt autem, quod immediate sequitur? Cur oculis clausis calamoque rejecto lineolas duas tam studiose retinent? An forte, quia per illas Papebrochius opponitur isti Anonymo, cujus librum damnavit Innocentius X. quia per illas bellum infert hæreticis omnibus, qui inconsutilem Christi tunicam lacerantes, intentant Ecclesiam ejus bicipitem facere? An denique, quia per illas supremitatem illam statuit de jure divino penes unum solum Petrum; adeoque non agnoscit in terris potestatem, quæ uno eodemque tempore simul aspiciat duos? Non omitterent saltem hæc ultima Papebrochii verba, quibus ait, *Catholicorum omnium est consensus*: viderent inde concludi, quod aliter sentientes abjiciat ille, velut ramos ab Ecclesiæ trunco revulsos.

517 His omnibus non obstantibus, Carmelitæ Delatores, duabus illis lineolis in atramentario submersis, accusant Papebrochium, tamquam qui Ecclesiam laceret, stetque ab hæreticis. Maturius graviusque, quam in hoc libello supplici possit fieri, Majestas Tua expendet istum accusandi modum; ideoque supplicans ab exclamationibus hic abstinebit, jure potiore & majore modestia, quam abstinuerint dicti Delatores a duabus illis lineis Papebrochii, quem sane vellent adeo taciturnum, ut ex iis quæ dixit scripsitque, dictas duas lineolas expunxerint; quin, ut ne plura dicat scribatve, vellent ex toto mutum delitescere sub æterno silentio. Non adducentur hic plura argumenta Tuæ Majestati, tum ad vitandum nimiæ prolixitatis tædium; tum quia facultas plura adducendi jam deest; librorum enim, unde superiora extracta sunt, copia nos deficit: ex quo scilicet jussu Inquisitorum quatuordecim illi tomi ex collegio hoc Imperiali ablati sunt. Quæ autem hactenus ex illis allata sunt, non eo sunt allata, ut sustineantur quæ sacrum Tribunal confixit (non enim scitur adhuc certo, quænam illa sint; nec, quas determinate Propositiones Edictum respiciat) sed eo solum, ut modus observaretur & ratio, qua nixi delatores Papebrochium adeo fœde accusant.

518 Confidunt, Serenissime Rex, Papebrochius ejusque Socii, divina freti clementia, nec non intercessione Sanctorum omnium (quorum Acta immenso labore studioque susceperunt illustranda) fore ut Responsionibus suis perquam efficaciter satisfaciant, ad Accusationes Fr. Sebastiani a S. Paulo, & factas in Hispania Dela-

Delationes: occurrunt namque in illis non raro gravissima puncta, circa Auctores utrarumque notanda. Ita dabitur occasio, ut hinc inde auditis utriusque partis allegatis, subintret judicium Ecclesiæ, atque secundum justitiæ leges suus cuique rei assignetur locus. In talibus autem circumstantiis, Domine Rex, eritne justum & æquum, ut Papebrochius damnetur ad perpetuum silentium, ac proinde exarmetur ea spe, qua nunc vivit? ut ipsa sua se exuat natura; patiens ut eo jure quod illa secum trahit, spolietur? ut penitus illi occludantur fores, ne in gravissima causa vel minima pateat rima ad ullam uspiam exceptionem aut excusationem?

519 Audiat Majestas Tua, quam altum contra Generalium Carmeli prætensionem intonent in Jure summi Pontifices. Capita *Ex parte tua. De officio & potestate judicis delegati*, sic habetur in Decretalibus Gregorii IX. *Debet* (judex delegatus) *rationales exceptiones admittere, & in causa juxta juris æquitatem procedere; nisi exprimatur in litteris nostris, quod nullæ debeant exceptiones admitti: quod nec nos nec antecessores nostros credimus nuquam expressisse.* Et ratio cur ita statuat Pontifex exhibetur Capite, *Tum ex litteris, De in integrum restitutione*, his verbis: *Sententia Romanæ Sedis non negatur posse in melius commutari; cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa, pro consideratione ætatum & temporum seu gravium necessitatum, dispensative quidquam ordinare decrevit.* Antequam autem horum textuum vere æstimandorum concludatur justa ponderatio, advertendum occurrit, quod Fr. Sebastianus a S. Paulo, mediante variorum librorum suorum editione, prætenderit, ut Romæ examinarentur configerenturque opera Papebrochii; &, quamvis in Hispania quidem obtenta fuerit 14. ipsius tomorum prohibitio; Romæ tamen spatio 13. annorum ne unius quidem Papebrochianæ Propositionis confixio potuerit hactenus obtineri. In illo tamen Orbis & Urbis celeberrimo theatro nec doctrina deest, nec historica eruditio, nec zelus. Hujus causa non alia assignabitur facile, quam quod Romana Curia vel non inveniat quod configat; vel quod in causa adeo gravi & immenso tanti laboris opere judicet pedetentim procedendum, & opus esse qualificatione virorum in omni litterarum genere versatorum, in Annalibus præsertim & antiquitatum monumentis; vel denique, quod justissimi illi judices prius velint audire Papebrochium, quam fulmen vibrent, justitia id ita exigente.

520 Vim suam ac robur apud Tuam Majestatem obtineat nunc Papalis textus, hujusque justa ponderatio. Siquidem Apostolica Sedes, etiam post latam sententiam decretoriam ei, contra quem lata est, petenti dat locum, ut audiatur ipsius exceptio: affirmat namque dicta Sedes, quod numquam clauserit aut claudere voluerit sive S. Petri aurem, sive os oviculæ suæ, ut non possit hæc halatum edere. Cur jam, propter solam Carmelitarum postulationem, contrarium adversus Papebrochium executioni mandetur, qui talem contra se sententiam non habuit hactenus? Si id ita postulant Accusatores in virtute istius Edicti, quod in Hispania obtinuerunt a sacro Tribunali; quod non est majoris, imo nec tantæ auctoritatis, quantæ Sedes est Apostolica; ipsum Tribunal non poterit non indignari (& sancte quidem) adversus eos, qui putaverint ejusmodi sua Decreta non esse revocabilia, dum revocabilia sunt, quæ ab ipso Christi Vicario emanant in causis judicialibus, contra quas definitum non sit ex Cathedra.

521 Tali silentio non acquievit, nec tale admisit Julianus, Toletanus Archi-episcopus, quando suus *de tribus Substantiis liber* prohibitus fuit a Benedicto II. Papa. Quin contra potius scripsit, dixit, respondítque ea soliditate, ut responsionibus illius convictus Pontifex suam revocaverit prohibitionem, ejusque librum pristina sua donaverit libertate; eo quod institutæ contra eumdem accusationes deprehensæ fuerint non subsistere. Notandum autem, tantum abfuisse, ut Juliani vivacissimas expressiones, admirationes, vociferationes ægre Papa tulerit; ut eumdem laudaverit, quin etiam magnas pro facta sui defensione gratias egerit; & apologiam insuper, omnibus publice præconis voce prælegendam, addiderit in hæc verba: *Apologeticum Roma digne & pie recipiens, cunctis legendum indixit; atque Pontifex acclamando*, Laus tua Deus in fines terræ, *lectum sæpius notum fecit; qui & rescriptum Domino Juliano per suprafatos Legatos, cum gratiarum actione & cum honore remisit; & omnia quæcumque scripsit, justa & pia esse, deprompsit.* Vide Rodericium in sua Historia, & Toletanum Concilium XV.

522 Prohibitus fuit tomus Stephani Fagundez Societatis Jesu; non tamen loqui prohibitus est Auctor, nec perpetuo silere jussus. Edidit hic Apologiam suam: &, quia multi, non litteris minus quam sapientia clari Revisores, nihil eorum, quæ confixa fuerant, invenerunt confixione dignum, recessit sacrum Tribunal ab illorum judicio, qui tomum qualificaverant: & mandavit 18. Aprilis 1630. novo Edicto, ut, priore non obstante, dictus tomus curreret, immunis ab omni nota.

523 De Abulensi vel nullam prorsus, vel ampliorem fecisse mentionem debuerat Accusator. Hujus doctissimi & ad miraculum sapientis viri Propositiones quædam fuerunt condemnatæ. Repetitis vicibus petiit ille locum sibi dari pro sui defensione, nec impetravit, suis scilicet æmulis artificiose id impedientibus. Tum enimvero, juri naturæ usquequaque insistens, vocem extulit in eum clamorem, qui Romam usque ad aures pervenit Eugenii IV. Mandavit itaque sua Sanctitas, ut ipse Abulensis publice in ipsa Curia Apostolica suas alibi confixas Propositiones defenderet, velut earum Auctor: quod & fecit, eruditione & efficacia tanta, ut illas ab omni censura liberas victor retulerit, ad insignem sane æmulorum suorum confusionem. De hac vide ipsum Abulensem, in proœmio Apologetici sui part. 2. ubi sic præfatur. „ Æmuli mei, „ inquit, ne nihil omnino fecisse putarentur, „ assertiones meas præsumptuosas vel superbas „ vocaverunt, falsas tamen dicere nequaquam „ ausi sunt: cum tamen per multos dies ante, plurimi æmulorum ipsorum eas erroneas „ & hæreticas apertissime testarentur „. Notatu dignum est, quidquid idem Auctor, tum loco jam citato, tum Apologetici sui parte 1. differit

ed

de æmulorum suorum ultimato scopo; quo scilicet nitebantur efficere contra fas omne, ut ne ipse audiretur. Et Abulensi tanto tempore stetit ille labor, quanto Inquisitoribus stetit tarda mora in exhibendis confixis propositionibus.

514 Ea de causa, Rex Serenissime, Præpositus Generalis nostræ Societatis Jesu, Thyrsus Gonzalez, imposuit hujus Toletanæ Provinciæ Provinciali, hic vero supplicanti, ut peterentur Propositiones, quas sacrum Tribunal in Papebrochio damnavit; ut hic in sui defensionem eodem jure naturæ possit uti, quo usi sunt Stephanus Fagundez, Joannes Diana, Abulensis, Julianus, Auctor historiæ Propheticæ, aliique innumeri, quos brevitatis ergo lubens omitto: atque ita eædem Propositiones bis jam sunt petitæ. Non est autem defensio hæc, quæ justissima petitur, compatibilis cum perpetuo silentio, quod inique petunt Generales Carmelitani; immemores nempe allegatorum jam exemplorum, & solum intenti in præfixum sibi scopum; qui non alius certe videtur esse, quam ut securi triumphent, neque (si pars audiatur) aleam subeant succumbendi.

515 Eo procul dubio tendit insignis illa copia accusationum, quas imprimi curarunt sparseruntque per orbem. Sparserunt quoque per Belgium edictum Tribunalis Toletani, impressum in eodem folio linguis omnino quatuor, Latina, nempe, Hispana, Gallica, & Flandrica: cujus exemplaria plurima parabant etiam affigere ad templorum valvas platearumque compita: & vero affixissent, nisi obstitisset regionis illius (quæ Majestati Tuæ subest) Magistratus Ecclesiasticus æque ac Civilis. Animum, si placet, ad hoc advertat Majestas Tua; quam male hujusmodi Accusatorum procedendi atque agendi modus, vere importunus, & satis superque ac publice provocativus; quam male, inquam, conveniat ille modus agendi cum silentio, atque cum pacifica illa coram Deo contemplatione, quam prædicti Generales in suo Memoriali tantopere commendant ambiuntque. Nec coram Majestate Tua dissimulari debet, quod idem illud suum Memoriale remiserint Carmelitæ ad plures Episcopos; supplicantes ut illi idem secum silentium solicitent apud summum Pontificem. Ad eam supplicationem admirabundi (ne quid dicatur gravius) hæsere Episcopi non pauci, suspicati eam esse supplicantium de causa sua diffidentiam, dum solo violenti silentii scuto nituntur eam tueri, formidantque Papebrochii responsionem audire; eaque via valla subdola consequi, ut ne in Hispania admittatur ulla defensio contra id, quod, ipsis adnitentibus, semel ibidem prohibitum est: quasi in Tuæ Majestatis dominiis merces forent prohibitæ, tam jus naturale se defendendi, quam quæ illud concedit, strictissima justitia; vel quasi læsæ partis audita defensio idem foret, ac Carmelitanæ pacis tranquillæque contemplationis totalis subversio.

516 Justitiam recta administrare; audire partem, præsertim graviter læsam; hujus expendendis (num forte subsistant) rationibus patientem aurem præbere, res non est, Æquissime Rex, quæ recte dici possit opponi aut paci aut tranquillæ contemplationi, aut Eliæ imitationi. Sic Jura omnia docent, tam ecclesiastica, quam civilia. Sic per ipsam praxim nobis præluxerunt summi Pontifices, Synodi Generales, SS. Patres, & omnia Tribunalia. Hoc idem pro defensione Historiæ suæ propheticæ, quando fuit damnata, voluerunt sibi tribui Carmelitæ; & hoc ipsum est, quod nunc nolunt tribui Societati pro suo Papebrochio; quod vel nolentes reddit admodum suspectos. Si Papebrochius suis Propositionibus qualificatis in Hispania non fecerit satis, eas ipsemet, ut Catholicus, agnoscet erroneas retractabitque, ad multorum Sanctorum imitationem; quin & manu ipsa sua (si fuerit opus) vulcano vorandos tradet errores hæreticos, si qui (quod non existimat) per lapsum calami in tomos suos ignoranter irrepserint. Si autem potuerit satisfacere, suamque innocentiam probare, quo jure constringetur ad perpetuum silendi tormentum? Adeone in conscientia non est tutus hic portus scriptoribus Catholicis, in ea procella periculoque fluctuantibus?

527 Serenissime Rex, descendatne Ordo Carmelitanus, an non descendat a S. Propheta Elia, res non est quæ spectet ad Societatem; uti nec spectat, an Papebrochius in fundamentis, quibus sententiam suam fulcit, erret nec ne. Non defuere Jesuitæ quidam scriptores, iique celebres, qui scripserunt ex voto Ordinis Carmelitani: ut sunt Franciscus Suarez, Gaspar Sanchez, Jacobus Salianus & alii: non omiserunt tamen scriptis suis inserere id, quod notarunt ex divo Antonino Florentino Parte 3. Historiarum tit. 20. cap. 5. in principio; scilicet de certo habitu, quem antiquitus gestarunt Carmelitæ: *quem habitum asserebant* (ut ait ille) *fuisse Eliæ Prophetæ, habitantis in monte Carmelo in Syria; quod tamen neque in Sacra Scriptura, neque in authentica scriptura reperitur*, & paulo inferius addit idem Sanctus, dicens, Carmelitas vocari, non quod originem trahant ab Elia, sed a Carmelo monte: *De monte Carmelo* (inquit) *unde Carmelitæ dicuntur, non quod ab Elia habuerint initium*. Eadem verba citat d. Bartholomæus Cassanæus 4. part. Catal. glor. mundi considerat. 70. asserens cum dicto Sancto, quod Carmelitæ vixerunt sub Regula S. Basilii. Franciscus Bordonus in suo Theatro pag. 108. ait: *Ordo Carmelitarum cœptus est anno 1160. carens Regula; ideoque confirmationem non obtinuit usque ad Honorium III. quando anno 1226. 30. Januarii approbavit Regulam Alberti Patriarchæ Hierosolymitani*. Ita docent Miranda tom. 1. qu. 4. art. 7. Ascanius Tamburinus, tom. 2. disp. 24. qu. 7. num. 2.

528 Baronius ad annum 444. non solum non accusatus, sed ab accusatoribus etiam admodum laudatus, scribit in hæc verba, quæ quidem ego non ausim ex Latino vertere in Hispanicum. *Sane quidem* (inquiens) *respuimus & exsufflamus figmentum illud, incerto Auctore proditum, Chronico nimirum (quod extitisse fingunt apud quemdam Franciæ Regem) quo trudunt, eumdem S. Cyrillum Alexandrinum Episcopum, Monachum fuisse montis Carmeli; cui quidem assertioni Trithemius leviter nimis fidem præstitit. Unde hæc, quæso, incerto Auctori; si, qui certi atque probati sunt Auctores*

ejusdem Cyrilli æquales, ejusdemque res gestas quam diligenter prosecuti, hæc nescientes, obruta silentio reliquerunt? vel quæ apud hujus temporis scriptores mentio de culto Carmelo a vita monasticæ professoribus? Etenim cum apud S. Hieronymum, Palladium, Evagrium, Cassianum, Theodoretum, Cyrillum Monachum, & alios seculi hujus Scriptores, frequens mentio sit de Monachis in Palæstina degentibus; nusquam penitus apud eos de Monachis Carmelitis. Facessat igitur ejusmodi de Monachismo Cyrilli in Carmelo fabella: sicut & illa huic haud impar, qua traditur & Joannes, Hierosolymorum Episcopus Origenista, fuisse etiam Monachus Carmelita. Sicut enim leviter hæc effinguntur, ita & facile refelluntur. Flagrans quidem cupido nobilitatis antiquæ cogit interdum homines delirare. Hæc Baronius.

529 Quis, qualis, quantusque sit Cardinalis Baronius, nemo est qui ignoret. Illius laudibus pondus addunt Delatores ipsi Carmelitæ, in Delatione anni 1691. a folio 20. & alibi; ubi ejusdem sapientiam atque auctoritatem pro merito mire extollunt. Audiant igitur & videant Religiosi Carmelitæ, quam energice hujus tanti tamque eminentis Auctoris sapientiam exprimant hæ admodum significantes voces: *Respuimus; Exsufflamus; Figmentum illud; fingunt; Leviter nimis: Nusquam penitus; In Carmelo fabella; Leviter effinguntur; Facile refelluntur, Flagrans cupido*; & illud denique *Cogit homines delirare*. Certe hæ voces Baronii nihil minus exprimunt, quam quidquid fortassis expressionis circa eamdem materiam inveniri poterit in Papebrochio. Hic tamen vapulat apud Delatores; at laudatur Baronius. Quis capiat, in quo discrimen illud consistat?

530 Præfato Cardinali consonant alii duo: Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis anno 390. & Capisuccus controv. 16. §. 6. qui non admittunt, Joannem Hierosolymitanum esse Auctorem libri *de Institutione Monachorum ad Caprasium*: Capisucco quidem asserente, eum librum exigui ponderis esse & auctoritatis: Bellarmino vero, Carmelitarum nomen tempore Joannis Hierosolymitani fuisse inauditum: *Dicit Auctor*, inquit Bellarminus, *se esse Ordinis Carmelitarum; at illis temporibus nomen Carmelitarum erat plane inauditum*. Ejusdem circa dictum librum sententiæ sunt Sherlogus Tom. 2. in Cantic. vestigat. 20. num. 42. Fr. Joannes Maria Brasichellensis, Magister sacri Palatii; Margarinus de la Bigne, Jacobus Tirinus, quos citat idem Sherlogus, dignissimus qui legatur: uti & Magister Fr. Abramus Bzovius Ordinis Prædicatorum, in Historia sua Ecclesiastica (quam dedicavit Paulo V.) Lib. 12. anno 1182. Henricus Spondanus in Epitome suorum Annalium: in suis quoque Annalibus Odericus Raynaldus anno 1286. ubi citat verba Ptolomæi de Luca in Hist. Ecclesiastica lib. 24. cap. 13. Magister Fr. Franciscus Bivarius Ordinis S. Bernardi, lib. 1. de vet. monach. cap. 15. *Persuasum*, inquit, *habeo, minime Joannis illius opus esse, sed Auctoris multo recentioris*: multisque rem istam prosequitur. Possent hanc in partem Auctores etiam classici adferri numero plures, idem sentientes; unde ea corollaria inferuntur, quæ Carmelitæ non ignorant.

531 Ex dictis manifesta colliguntur tria. *Primum*, quod non una, sed admodum diversa sit opinionum qualitas; dum super Carmelitarum Ordinis antiquitate, tot tamque eruditos videmus inter se dissidere, unis ajentibus, negantibus aliis. *Alterum*, quod sa ipsa opinandi diversitas certum indicium sit, non usque adeo istam Carmelitarum prætensionem esse manifestam, ut non cadat in dubitationem, nec quæstionem, prout ipsi vellent. Nec enim una eademque res est, negare dictam illorum prætensionem; atque oppugnare veritatem pietatemque Christianam: alias ejusdem criminis rei damnandi forent tot alii doctrina clarissimi viri, qui scriptis suis Ecclesiam illustrarunt. *Tertium*, quod, sive ab Elia originem ducat Ordo Carmelitanus, sive non ducat, ad Societatem nihil pertinere illa quæstio, quandoquidem inter Jesuitas ipsos etiam reperiatur opinionum diversitas; & ipse quoque Papebrochius modum explicet & sensum, quo S. Propheta Elias dici possit Auctor præfati Ordinis.

532 Quod universa Societas, velut rem sibi propriam, agnoscit ad se pertinere, illud est, ut procuret pro subditis sibi filiis scriptoribusque, quorum libri configuntur, ordinem servari justitiæ, & defensionis jus naturale non denegari, ubi casus inciderit adeo arduus, & adeo sensibilis. Ausim Majestatem Tuam certiorem facere, undique litteras huc adferri, quibus Seculares perinde ac regulares aliorum Ordinum, contra hujus Toletanæ Provinciæ Jesuitas admirantur expostulabundi, quasi incurii ac desides hic simus in præparando primo defensionis aditu; hoc est, in postulandis a sacro Tribunali qualificatis Propositionibus, & Censuris cuique Propositioni correspondentibus.

533 Ac replicabunt Carmeli Generales, dicentque, non esse suam mentem aut præfixum sibi scopum, ut in omnibus & ubique, sed in iis solum punctis taceat Papebrochius, quæ præcipue concernunt suum Ordinem. Frivola sane ratio ac debile argumentum, quo inducant Majestatem Tuam, ut a sua Sanctitate ejusmodi silentium requirat. Etenim id ipsum est, quod illi intendunt; ut ne scilicet Papebrochio Sociisque liceat respondere ad majorem accusationum partem. Si præfatis Generalibus firma adeo & inconcussa videantur antiquitatis suæ fundamenta, manifestius arguent errores Papebrochii ex suis ipsius Responsionibus; quæ si fuerint invalidæ, vel non subsisterint, redundabunt in Auctoris sui majorem confusionem. Sin autem non adeo firma visa fuerint dicta fundamenta, quin citra Catholicæ fidei, pietatis Christianæ, & Historicæ veritatis detrimentum possint illa viri docti non admittere, vel in dubium vocare, non est rationi consentaneum, ut super illis imponatur silentium, quod ab ipsa Ecclesia non imponitur super aliis non minoris momenti punctis, super quibus ipsi Ecclesiæ Doctores, sancti Patres & Interpretes sinuntur disputare, atque in utramque partem controvertere.

534 Sed fuerint denique in Carmelitarum idea qualiacumque ipsorum fundamenta, notarunt toties tamque turpiter Papebrochium, facta illius cum hæreticis Wiclefo, Luthero, Calvino & Magdeburgensibus comparatione, ut ille non possit jam non defendere se adversus infamem adeo notam: manifesta quippe præfato-

rum

rum Generalium est inconsequentia, quo volunt in hoc puncto taceri, non item in reliquis. Foret factu admodum facile, hanc in rem adducere eam doctrinam, qua ipsi Ecclesiæ Doctores, gravissimique omnium Ordinum Scriptores, qua seculares qua regulares, silentium damnant ut gravam culpam. Etenim necesse est, sciant omnes, non esse perinde, Bullam aliquam velut apocrypham rejicia, ac debitam summis Pontificibus denegari venerationem, quando graves illam rejiciendi subsunt rationes: non item idem esse, dubitare propter dubitandi firma argumenta, an aliqua Indulgentia revera sit concessa, ac derogare Christianæ pietati; nec etiam idem esse; negara, librum aliquem esse talis vel talis Auctoris, dum negandi subest sufficiens ratio, ac injuriam Auctori inferre & veritati deessa: & ita in pluribus punctis aliis, in quibus adversus Papebrochium Accusatores stylum acuunt, eumque (quantum in illis est) notatum relinquunt infami macula; ut adeo silere non possit Papabrochius; sed sui cogatur rationem reddera; præsertim quando non una eademque res est, accusari in multis, & accusationes omnes a sancto Officio probari. Præterea postquam per publicam impressionem accusationes (annuentibus Fr. Sebastiano & Hispanis Carmelitis) passim omnibus innotuerunt, æquum imo necessarium est, ut ab omnibus quoque audiatur cum Sociis suis Papebrochius.

535 His positis, Clementissime Rex, supplico Tuæ Majestati, ac vehementer rogo, de mandato meorum Superiorum (Generalis, inquam, mei meique Provincialis) ut loco silentii, quod præfati Generales Carmeli expetunt, dignetur suprema sua auctoritate facilem Papebrochio illiusque Sociis viam sternere, ut audiantur. Gratiam hanc debet Tua Majestas eidem suæ benignitati, qua ad imitationem suorum Progenitorum gloriosæ memoriæ semper favit Societati, & ipsis etiam istius operis, quod nunc persecutionem patitur, Auctoribus; quando, subministrata ad impressionis sumptus liberaliter eleemosyna, calcar eisdem subdidit ad operis sui laborem constanter prosequendum. Hujus operis Pars una septem omnino Tomorum, mensis Maji Acta complectens, dedicata est Tuæ Majestati, ejusdem effigie præfixa fronti: in cujus etiam mensis Tomo ultimo Papebrochius sancti Regis Ferdinandi ad regnum Castellæ jus tuetur egregie, contra scriptores quosdam, non solum Francos, sed etiam Hispanos, circa Reginæ Berengariæ ætatem turpiter hallucinatos. Singularem quoque oratione cum soluta tum ligata facit ibidem mentionem præclari istius exempli, quo Tua Majestas 20. Januarii anni 1685. orbem Christianum docuit debitam SS. Eucharistiæ Sacramento venerationem. Nec eo contentus, eventum istius numquam satis laudandæ pietatis in alia separatim icone, dicto Tomo inserta, repræsentat Papebrochius, ut suavius transiret a papyri impressione ad impressionem animorum.

536 Hanc quoque gratiam a Tua Majestate jure suo postulat gloriosissima tot, quot illustravit Papebrochius, Sanctorum Hispanorum memoria; & plures alios (si Deus senescenti jam viro vitam produxerit) illustrare paratus est in reliquo suo opere. Inter hos specialiter illustrandi venient S. Ignatius de Loyola, S. Franciscus Xaverius, & S. Franciscus de Borgia; qui tamquam Tuæ Majestatis vasalli, & in religione Parens ac Fratres Auctorum operis, hunc & alios a Tua Majestate præstolantur favores, quos in hac causa (dum qualificatæ Propositiones fuerint exhibitæ, & ad singulas seorsim responsio prodierit) præstare dignata fuerit; memor istius successus, qui contigit olim Juliano Archiepiscopo Toletano, cujus liber (ut supra dictum est) confixus fuit, at mox integræ libertati suæ cum honore restitutus. In ea occasione opus non fuit Juliano, Regis operam implorare; sed ipse Rex, zelo ductus succurrendi tali suo vasallo (qui ratione sui libri notabatur de perniciosa doctrina) instigavit Julianum ursitque, ut Apologiam conficeret, mitteret Romam, appromissa Regia sua protectione. Sic enim in historia sua refert Rodericius: *Sanctus Julianus, veridicis testimoniis in hoc Concilio, ad exactionem præfati Principis, Apologeticum fecit, & Romam misit per suos legatos.* Tantum aberat, ut Princeps scilicet impenderet Regiam suam auctoritatem, ad procurandam afflicto Præsuli impositionem silentii, ut suam illi etiam defensionem, defensionisque felicissimum procuraverit eventum: nam silentium ponere perinde fuisset, ac si inflictæ notæ tormento adderetur alterum tormentorum maximum.

537 Huic simillima est causa Papebrochii, idque in ea solum discriminis subest, quod Julianum superet Tomorum numero longe majora Papebrochius, hic autem ab illo superetur censurarum gravitate multo acriore. Quoniam vero Tua Majestas integerrimus est totius justitiæ ac pietatis Patronus, nihil ab illius Regia protectione expectat minus Societas Jesu, quam quod a glorioso illius Antecessore expectavit obtinuitque præfatus Julianus. Et quamquam illa nihil dubitet, quin Majestas Tua vel per se, vel mediante suo Status Consilio, annuet præsenti supplicationi; orat nihilominus eadem Societas, ut (casu quo libellus hic supplex alio remittatur) Tua Majestas ab ejus cognitione exclusos velit Religiosos illos, quos vel nimia quædam ad proprias suæ Scholæ sententias adhæsio quasi prædeterminatos tenet, ut Societatis doctrinæ scriptoribusque adversentur; vel professa palam inimicitia probat contra Papebrochium æquos arbitros esse non posse. Confidit interim illa fore, ut & unam & alteram petitionem suam consequatur: hoc enim sperare jubet inconcussa semper Tuæ Majestatis æquitas & rectitudo.

538 Hactenus Libellus supplex, Provinciæ Toletanæ nomine oblatus primum Regi idiomate Hispanico, deinde cum totius Curiæ applausu vulgatus; relatus nihilominus, ut suprapradixi, in Decretum, quo omnes libri P. Sebastiani, cum aliis contra me aut pro me scriptis, jubentur colligi; prætextu quidem pacis indicto utrimque silentio obtinendæ, revera autem cum gravi præjudicio innocentiæ meæ, quæ jubetur apud Hispanos tamdiu delitescere, & sub pondere censuræ tam infamis ingemiscere, quamdiu placuerit sacri Officii Ministris revisionem causæ protrahere. Huic enim malo nisi ipsius summi Inquisitoris æquitas remedium afferat, per provisionalem relaxationem librorum calumniose delatorum, & suspensionem

Decreti, spes nulla obtinendæ justitiæ superest quam in Romano Pontifice: quamquam hæc quoque lentior videri possit, quam præsens in Hispania incommodum postulet.

539 Quod ad Libellum præmissum attinet, cum ejus exempla Latina venissent Florentiam, contigit illuc Romam transire venientem ex Hispania Reverendiss. Generalem Calceatorum Villalobos; nuntiatumque mihi inde est, illius Socium circumferre, & iis quibus fidendum putabat offerre legendum Hispanicum scriptum adversus Supplicationem præmissam, impressum 20. Julii anni 1696. sex circiter foliorum, sub titulo *Responsionis veridicæ*, quod deinde scriptum relatum in Decreto anni 1697. (ut supra vidimus) necdum propius cognoscere mihi licuit; uti nec librum Latinum foliorum plus quam triginta, impressum verosimiliter Antverpiæ, a viro nobili & honorato inventum in taberna cujusdam bibliopegi mense Octobris ejusdem anni; qui bibliopegus resciderat vacuos margines usque ad litteras, quo levior esset publico Cursori, eum Romam vel in Hispaniam laturo. Tituli sensum hunc esse referebat idem qui casu videre & legere potuit, *Censuræ quibus obnoxius videtur Martius, Aprilis, & Majus P. Papebrochii*. Nunc ex præcitato Decreto liquet, illum Madriti quoque Hispanice loqui jussum & publicum esse, cujus cur integer titulus ibi expressus non legatur, haud divino: mysterium est, nomen forsitan Auctoris occulens; quid ni ejusdem cujus erant præcedentes, Exhibitio, inquam, & supplex Libellus? Hic ergo liber ille sit, de quo ut pridem impresso, sed magnis de causis adhuc suppresso, hic gloriabantur Patres Carmelitæ, quando ex iis quærebatur, eccur tardaret P. Sebastianus expurgare librum Exhibitionis suæ, de tot tamque manifestis calumniis convictum. Ego non luctor cum umbris, in lucem prodire non audentibus: sed fidenter proferens quidquid in mei defensionem nunc paratum habeo, expectabo eventum Romani judicii, Deo & Sanctis commissum.

540 Fuit interim Poetaster Anonymus (Italus an Belga nescio, licet usus sit veniente ex Italia veredario) fuit, inquam, Poetaster anonymus, qui epistolari operculo, nulla loci vel temporis nota signato, misit quoddam male tornatum Epigramma, ad silentium indicendum nomine S. D. Innocentii Papæ XII. hoc principio:

Eliadas vicit Papebrochias: attamen illam
Censores fidei non satis usque probant.
Utraque pars sileat: maledicta & scandala cessent,
Unicuique suus sic remanebit honor.
INNOCUUS *Papa hoc vult, & quicumque sub illo*
Exclusis bellis, gaudia pacis amant.

Maledicta & scandala nulla ex parte Societatis audita sunt, ex parte Carmelitarum multa; quibus si semper commoverentur viri religiosi ad innocentiæ veritatisque defensionem deserendam, actum esset de virtute & religione. Mihi vero quis honor remanebit, de hæresi, schismate, aliisque criminibus sic publice damnato, quasi nec audiri amplius merear; sed obstructo ore raptandus censear ad scalas Gemonias, tamquam pestis, Luthero Calvinoque occentior?

541 Equidem animo tam sereno eum colaphum accepi, ut etiam libuerit respondere versu, quem & cum amicis tunc communicavi, dignum alicubi prælo visum. Nunc eumdem contractiorem accipe, ex animo optantis pacem, sed honestam & æquam.

Nec pugnare mihi est animus, nec vincere cura:
Eliades vincant nomine, honore, gradu:
Sed ratione prius. Sic me vincentibus ultro
Subjiciam, & plausum, quem meruere, dabo.
Si nequeant; cessent erroris crimina ficti.
In caput auctoris non reditura sui.
Eliadis pax sit, Sociis pax detur Jesu:
Sed detur libris pax simul æqua meis.
Hos Pater INNOCUUS *si mandet labis haberi*
Haereticæ puros, pax erit æqua satis:
Non quæ vera loqui, quæ falsa tacere vetaret,
Protectura reos, innocuisque gravis.
Pace fruens æqua, Sanctorum nomina Fastis,
Et quo quisque polum commeruere die,
Sedulus inscribam; donec sacri ambitus anni
Plenus, honorato fine coronet opus.
Si quis, ut est hominum proclive, obrepserit error;
Doctus, agam grates, & meliora dabo.
Cetera committam Superis, quorum unica major
Gloria stat stadiis meta petita meis.

542 Bibliothecæ Ambrosianæ novissimus Præfectus, Ludovicus Antonius Muratorius, edendis illustrandisque præclari illius gazophylacii thesauris anecdotis, de republica litteraria bene mereri feliciter exorsus, post Tomum primum luci datum, sub prælo habet Tomum alterum, cujus pars minime contemnenda est *Catalogus Sanctorum Martyrum, qui Romæ tempore S. Gregorii Magni quiescebant*, Collegæ meo P. Conrado Janningo inscriptus. Hic ille, postquam laudasset nostra Sanctorum Acta, velut *opus litterariæ reipublicæ utilissimum Catholicæque Religioni necessarium*, Disquisitionem ipsam concludit, prædictum P. Conradum Janningum his verbis alloquens: *Ego Tibi, Patriæ, Papebrochio meliora de cælo precor otia, ut interruptam studiorum vestrorum lineam, in Ecclesiæ Catholicæ commodum atque in litterarum progressum, validius repetatis: Libris vero vestris ut pax reddatur & honor restituatur, una cum omnibus litterarum & veritatis cultoribus, vehementer opto. Et quis nobis modo hanc felicitatem non spondeat? Si rationum vestrarum soliditas, si adversariorum vestrorum minus æquæ accusationes perpendantur, si animo præjudiciis expurgato in sententiam eatur, nullus dubito, quin a vestris partibus stet victoria. In eam autem Urbem atque ad illud Tribunal causam vestram agitandam detulistis, ubi tot eruditissimi viri melioribus litteris dant operam; ubi quot eruditos invenias, totidem etiam feras æquitatis amantes. Atque utinam vota spemque meam brevi completam intelligam; tunc enim non vobis tantum pro pace recuperata, sed universæ Litterariorum reipublicæ gratulabor: cum omnium intersit, tum utilissimi operis vestri, tum veritatis triumphum conspicere.*

A P.

APPENDIX

In qua quæ ab anno 1697. ad annum 1715. hac in Controversia acta sunt, colliguntur.

543 **A**Ge jam cætera persequamur, quæ ab anno 1697. ad an. 1715. gesta sunt, ut Elucidatio isthæc historica absolutissima sit. Ea porro a VV. Clarissimis Petro Boschio, & Joanne Pinio mutuabor, quoniam ille ab Janningo tom. 3. Julii, hic a Papebrochio tom. 6. Junii gestas res enarrandas suscepit. Itaque, *qui Hispana procuderant fulmina, moliri etiam Romana sunt ausi. Ea res, ut intellecta primum est, Janningum denuo in Italiam compulit, motus accusatorum omnes observaturum; quod utinam in Hispania fieri potuisset. Ut Romam duobus fere mensibus attigit 5. Kal. Nov. anno 1697. sensit illico, quam necessarius isthic esset; adeo jam apud plurimos adversa nobis præjudicia invaluerant: quippe quæ & multi suggererent, & refelleret nemo. Quare ipse circumcursare ad omnes continuo cœpit, quos ad res nostras, tot oneratas calumniis conferre aliquid sive secundum illas, sive contra pronunciando suadendove, posse existimabat. Purpuratorum inter eos Patrum (nam cæteros prætereo) nemo unus opinor, tum Romæ fuit, apud quem causam nostram tum voce, tum scripto, tum utroque non egerit solertissime, apud ipsum imprimis, qui tunc Ecclesiæ præerat Sanctissimum D. N. Innocentium XII. a quo perbenigne (1) acceptus est. Tantum vero hac sua tam sedula industria mense uno profecit, ut eodem anno 17. Kal. Jan. Eminentiss. Cardinalis Norisius in labores nostros (quod & in libris suis dudum, & datis ad Papebrochium 1693. litteris prolixe testatus erat) mirifice semper propensus, asserere Janningo non dubitaverit, ne apicem quidem unum, qui quidem ad Acta Sanctorum eorumque illustrationem pertineret, umquam prohibitum iri Romæ: id se jam collegisse statutum esse in ultima Congregatione, ubi tertius tomus Maij tertium relatus fuisset. Similia innuebant eodem die Eminentissimus Barberinus, ac biduo post Eminentissimi eidem Cardinales Petruccius, atque Albanus, postea Clemens XI. Pontifex re ac nomine Maximus; qui idem illi ineunte proxime Januario repetebat, hortatus eum, ne porro sollicitus esset; sibi modo curam de Actis Sanctorum omnem relinqueret. Nihilo de se aliisque pluribus inferiora deinde efferebant Cardinales Acciajolus, Carpegna &c. Et vero quod addiderant, præstitere: quando ad hunc usque diem in tam vasta tot voluminum mole, post tot tamque potentium delatorum conamina, post tam assiduas tot annorum discussiones, post Hispanicum denique præjudicium, omnino nihil, quod Acta propria Sanctorum spectet Romana censura notaverit.*

(1) De acerbissima Tulsiana censura Innocentius XII. in primo Janningi ad ipsum ingressu exclamabat Italice: Fiera censura? Pinius 2, §, n. 41.

544 Tantus Purpuratorum Patrum in Janningum amor, benevolentiaque singularis illud effecit, ut Bollandiani operis Osores *desperata Romæ librorum alienorum condemnatione, quam tanto urserant opere & conatu, generosos animos suos converterint, ut rebus propriis consulerent, peterentque a summo Pontifice sæculi proxime elapsi anno* XCVIII. *decretum silentii evulgatum Romæ 25. Novembris ejusdem anni sub hoc titulo*: Præceptum silentii perpetui nomine totius sacri Ordinis ..... iterato petitum a Reverendissimo P. Joanne Feyxoo de Villalobos, ejusdem Ordinis Priore Generali &c. *Quod præceptum quanto urserant ardentioribus studiis edendum, tanto minus suis placuit editum. Papebrochius vero illud sic accepit, ut gratulabundus sibi applauderet, quod tandem auctoritate summi Pontificis de antiquitate delatoribus tam cara sibi liceret tacere; id quod ab initio controversiæ per annos 25. & amplius ab amicis ipse amicissime exorare hactenus non potuerat.* Decretum hocce, cæteraque ad illud spectantia vide sis in Danielis Papebrochii iterata protestatione, quam suo loco edemus.

545 *Gaudebat merito tam prompta eorum sanctum conversione Janningus, sed in ea nequaquam sibi acquiescendum ducebat; parum id esse ratus, quod sua libris nostris Romæ, totoque adeo orbe Christiano, fama constaret; dum vel in uno regno Catholico infamia quam quæ maxima, puta hæreseos aliaque ejusmodi, stigmata circumferrent. Id ergo operam dedit, ut ea quatenumque demum ratione induceremus. Quam in rem urgere S. Officium non destitit, ut siquam in operibus nostris hæresim comperisset, eam notare ne gravaretur; sin offendisset nullam, id aliquo saltem judicio positivo, ut ajunt, orbi patefaceret. Saxum hoc volvit ad annum 1700. quando tandem persuasit Cardin. Norisius, id nec Romæ sperandum umquam, nec in Hispania necessarium esse, imo vero, inquiebat, inutile*,, Cum enim constet (*verba sunt Eminentissimi*) ,, libros post censuram ,, Hispanicam Romæ examinatos fuisse, & nihil simile contra illos statutum fuisse; quivis judicare poterit, illis non contineri, ,, quæ Hispanica Inquisitio tam graviter damnat. ,, Atque hæc ipsa causa est, cur sancitura non ,, sit Roma positivi quidpiam ad justificationem ,, vestram. Imo siquid etiam tale statueretur. .... *Tum illa subdit, quæ pro ea qua Janningum dignabatur familiaritate ac fiducia, dissimulanda non putabat, sed quæ ego ne quid offendam uspiam, libenter omitto. Permovit hæc tam candida denuntiatio, ut cœptis desistere, ac proficisci tandem Roma statueret, ubi nec timore jam amplius ullo, nec spe detineretur. Cum discederet ineunte Majo anno 1700. tum vero apparebat, quantam sui existimationem in omnium, Eminentissimorum præsertim Ecclesiæ catholicæ Principum, animis spectatus ante fere triennio Conradus excitavisset: adeo singulari valedicentem honore tamque profusa benevolentiæ atque officiorum suorum testificatione prosecuti sunt, quod & pluribus deinde datis ad eum epistolis, quarum hic integrum adhuc fascem reperio, comprobarunt.*

546 *Vix domum redierat P. Conradus, cum defuncto nuper Pontifici Maximo intelligit SS. D. N. Clementem XI. antea Joannem Franciscum S. R. E. Cardinalem Albanum, quo neminem Romæ aut privatim faciliorem aut acriorem publice causæ nostræ patronum expertus erat. Gratulatus id nobis est continuo Eminentiss. Coloredus datis ad Janningum 7. Idus Jan. 1701. humanissimis litteris*:,, nam vestris quoque studiis, *inquit*, ,, magnum profecto accessurum lumen confido, ,, & qui olim pars fuit in translatione e Græco in Latinum, nunc judex opportunissimus ,, evadet. *Menologium præter alia quædam intel-*

telligit Basilianum, cujus mensem Aprilem ac Majum elegantissime versum dudum acceperamus hoc titulo: „ Acta Sanctorum ex Græco Menologio Cryptæ Ferratæ, interprete Joanne Francisco Albano Urbinate, Philosophiæ ac juris utriusque Consulto, ætatis suæ anno decimo octavo. *Plura vide in Actis nostris Comm. prævio in S. Marcum Evangelistam die 25. Aprilis §. 1. 2. 5. & alibi. Hæc de judice opportunissimo mirum in modum placebant, præsertim Papebrochio, certum jam sibi Romæ judicium pellicenti, quod frustra non semel invocasset; quando, ecce, pendentem ea spe optimum senem tam violenta febris invasit, ut mortem in horas pene singulas certissimam intentaret. Quid ageret eo rerum articulo vir Catholicus? Ejuraret hæresim, qua damnatus erat? At eam nec ipse in scriptis suis assequi poterat, nec interpellati toties ab eo judices exhibebant. Instrumentum erga novum conficit, quo concipi fortius non poterat ad maturandam non quidem jam vivo, ut augurabatur, sibi, sed vel mortuo sententiam Pontificiam, qua vel propositiones in libris nostris hæreticas indicaret ipse, vel per Inquisitionem Hispaniæ indicandas mandaret.*

547 *Instrumentum* hoc, quoniam ad propositum non mediocriter conducit, & deliberatissimum ultimæ voluntatis in materia adeo gravi decretum complectitur, placuit hoc loco integrum subnectere, quod non invitus, ut spero, lector accepturus est. Ita sonat.*

„ Ultima voluntas P. Danielis Papebrochii „ e Soc. Iesu presbyteri ad Sanctiss. D. „ N. Clementem XI. Pontificem Romanum.

„ Ego Daniel Papebrochius, e Societate Jesu presbyter indignus, postquam quadraginta duos circiter annos, labore, possum dicere, assiduo, æstimatione vero pro vario hominum genio diversa, plerisque laudantibus, aliis, uti fit, criminantibus, impendi Actis Sanctorum illustrandis; vocante me nunc Domino ad societatem, ut confido, eorumdem Sanctorum suorum, illud unum in terris adhuc desidero, ut meo nomine supplicetur æquitati Sanctiss. D. N. Clementis Papæ XI. ut quod vivus ac valens pridem iterato petii ab Innocentio XII. decessore ejus, ipse nunc tandem non deneget mortuo.

548 „ Petii autem ab Innocentio XII. ut pro auctoritate sua super ecclesiam universam dignaretur mihi indicare, aut per Inquisitionem Hispaniæ indicandas mandare Propositiones hæreticas, quas meis in libris illa damnavit an. 1695. uti tales; ut ego, si quid hæreseos ignarus scribendo forte commisissem, id sciens volens retractando emendare possem; aut si prædicta Inquisitio Hispana propositionem hæreticam exhibere in libris meis non posset ullam, e decreto suo saltem eximeret terminum hæreseos, suæque pariter ac meæ famæ eximendo consuleret.

549 „ Idipsum peto nunc morti vicinus, & justo judici Deo rationem actorum a me omnium redditurus propediem, a Sanctiss. D. N. Clemente prædicto, ut mortuo saltem præstare dignetur, quod vivo hactenus non licuit obtinere. Catholicus vixi, Catholicus mori volo per gratiam Dei, & jus habeo, ut Catholicus quoque moriar in opinione hominum. Hoc autem obtineri non poterit, quamdiu decretum Inquisitionis Hispaniæ videbitur justo judicio editum, ac publicatum esse, & ego ibidem legar in libris meis propositiones hæreticas docuisse, ac propterea damnatus esse.

550 „ Cæterum uti omnibus, qui totis quadraginta duobus, quos dixi, annis opem mihi ad illustranda Sanctorum Acta quoquo modo tulerunt, gratias ago immortales, integrque illos, jam olim in Martio nostro a me laudato, tum pæne adhuc puero sed Græce docto, Joanni Francisco Albano, nunc Sanctissimo Domino nostro: ita illis, qui me veritati in rebus obscuris aliquid afferre lucis conatum quomodocumque læserunt, veniam lubenti animo concedo, & ex charitate Christiana ignosco omnibus. Et appositum est signum Patris Danielis Papebrochii per modum Crucis ✠.

551 „ Infrascripti testamur nos eodem die 12. Novembris hujus anni 1701. quo extremis Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, Eucharistia videlicet, atque Unctione munitus fuit, ab octiduo tum æger e febri & lecto decumbens Pater Daniel Papebrochius, ei adfuisse sub horam octavam vespertinam vocatos & rogatos; ac comperisse virum perbene compotem mentis, sensuumque omnium excepto visu, cujus usum jam fere a triennio excussa oculis catarracta, sic perdiderat, ut scribere per se non posset.

552 „ Testamur insuper nobis præsentibus, audientibus, & videntibus, eidem clare & distincte prælectam fuisse totam scripturam ab ipsomet præconceptam & conscribi jussam, quæ hic præmittitur, atque incipit: Ultima voluntas Danielis Papebrochii &c. ipsum vero auditis & recognitis omnibus declarasse expressis verbis, illam revera voluntatem suam esse, & in signum veritatis crucem ✠ ei subscripsisse manu propria, per alienam modice directa. Ita testamur Antuerpiæ decima tertia Novembris 1701.

„ Isaacus de Bruyn, Præpositus Domus professæ societatis Jesu Antuerpiæ.

„ Bruno Moustier, Minister Domus professæ ibid.

„ Carolus Claesman, Sacerdos Societatis Jesu ibid.

„ Franciscus Baertius, Sacerdos Societatis Jesu ibid.

„ Conradus Janningus Societatis Jesu Sacerdos,

„ Joannes Franciscus Bruyns.

553 „ Et ego Nicolaus de Riemer, Presbyter & Notarius Apostolicus, & per Concilia, privatum & supremum suæ Catholicæ Majestatis in Brabantia admissus, Antuerpiæ residens declaro, & assertor, me omnibus & singulis interfuisse, dum hæc ita fierent atque agerentur ad lectum Rev. P. Danielis Papebrochii præfati, mihi ab annis noti; qui quidem Papebrochius, me præsente & stipulante, quæ xii. Novembris 1701. acta sunt, approbavit, & signaturam ratificavit.

554 Acta sunt hæc Antuerpiæ decima tertia Novembris 1701. & eodem die subsignaruot supraicripti, præsentibus ibidem Reverendis Dominis Joanne van Can, & Melchiore Ignatio Stuyck, Presbyteris incolis, ad hunc actum

„ actum adhibitis & requæsitis. Et minuta hu-
„ jus est subsignata per præfatos Reverendos Pa-
„ tres, & reverendos Domioos, testes in regi-
„ stro meo, tamquam Notarii, mecum. Io
„ quorum omnium fidem & robur præmissorum
„ &c. *Periculum evasit etiam hac vice optimus se-
nex præter omnium expectationem, & a mortis quo-
dammodo faucibus ereptus est.*

555 *Sed ne hac quidem morientis, ut tum pu-
tabatur, viri vox exaudita. Itaque Ianningus,
urgente fiducia, quam de summo Pontifice, suo
nuper in omnibus Achille, conceperat, iter in Ur-
bem jam tertio meditatur, quo de negotio Hispaniensi
supremi in Ecclesia judicis auctoritate decerni tan-
dem aliquid aperte curet. Consulere tamen ante per
litteras visum est Eminentiss. Cardinalem Coloredam,
qui hæc inter alia rescripsit pridie Kalendas Fe-
bruarias 1705.* „ Examen tomorum vestrorum,
„ quod præpropera quadam urgebatur sollicitu-
„ dine, modo tantisper subsistit, ac tardiori de-
„ inceps perget itinere. Cæterum, quæ olim
„ ab Inquisitione Hispanica prodierunt censuræ,
„ noo aliis, quam ipsius regionis auspiciis pote-
„ runt revocari; oec multum, quantum ad hoc,
„ adventus vester prodesset; sed magis inniten-
„ dum, ut ipsamet (*S. illa Inquisitio*) „ ratio-
„ num vestrarum momenta perpendat, factum-
„ que honestiori, quo poterit modo, aut retra-
„ ctet, aut declaret. *Sensit inde P. Conradus,
quam etiam sub hoc Pontifice vera essent, quæ
sub ejus olim decessore Cardinalis Norisius, ut
modo narravimus, futura prædixerat: quod &
aliis subinde litteris confirmatum est. Quare an-
no 1705. omissa demum spe Romana de modo
agendi cum ipsa iterum sancta Inquisitione Hispa-
nica deliberari cœptum. Nec mora in Janningo
fuit, quin continuo in Hispaniam ipse contende-
ret; inhibuit tamen aliquamdiu justissimis de cau-
sis, quas Matrito rescripserat consultus hac de re
R. P. Balthazar Rubius.*

556 *Lubet hic tamen, priusquam negotia Tole-
tana prosequar, paucis attexere, quem tandem fi-
nem sortita sint Romæ apud Congregationem In-
dicis tam diuturna tomorum nostrorum, ut Acta
Sanctorum continent, examina. Hæc sunt, quæ,
certissima Auctore, sed qui se nominari vetuit, ex
Urbe accepimus 7. Kal. Julii 1707. 1. ad eum us-
que diem decretum in eos omnino nihil quidquam
esse in illa Congregatione. 2. Jam remissos ab illa
esse tomos nostros, ac restitutos accusatoribus ----
ad quos pertinebant, & a quibus eos Congregatio
commodatos habuerat. Ac proinde finitam esse cau-
sam. 3. Si quando contingeret eam denuo suscita-
ri, eo rem quidem minimum statutum iri, nisi
cum singulari ac magna benignitate & cautela in
favorem (sic verba sonant Italica) ejusdem
operis. Hæc ille. Neque ulterius Romæ res illa
agitata; nisi quod anno hujus sæculi octavo &
nono pronum se Sanctissimus Dominus ostenderit,
ad causam nostram per se in Hispania promoven-
dam, non decreto quidem ullo suo, ut commenda-
tione apud supremum Inquisitorem; sed velantu-
tem illam optimam suborta inter utramque curiam
diffidia ad propria negotia distraxerunt.*

557 *Interea (ut redeam, unde digressus sum) dum
maturum expeditioni Hispanicæ tempus expectatur,
commodum accidit, ut Romæ tum essent, qui ad
Generalem Societatis Jesu Præpositum deligendum
convenerant ex Provinciis; atque inter eos R. P.
Ijaacus de Bruyn, Provinciæ Flandro-Belgicæ tum
Præpositus; is enim ad P. Papebrochium 17. Kal.
Aprilis 1706. in hanc modum scribebat,* „ Quo
„ tempore hic Romæ sum, deliberavi multa
„ -- an nihil possem efficere apud Romanum
„ Pontificem contra censuram Toletanam cir-
„ ca libros R. V. quando incidi in P. Jo-
„ annem Marin, electorem provinciæ Tole-
„ tanæ & Professorem primarium; (*editis ope-
ribus Theologicis jam tum clarum, nunc Serenis-
simo Asturiarum Principi a Confessionibus*) „ qui
„ dicit, esse Matriti in Collegio Imperiali P. Jo-
„ sephum Cassani Professorem & Qualificatorem
„ supremæ Inquisitionis ----, qui defensionem
„ librorum R. V. libenter susciperet, & putat,
„ se exemptionem a Censura procuraturum,
„ modo loqui posset; quod non potest, quam-
„ diu debita auctoritate, seu procuratiooe io-
„ structus oon est. Quare rogo R. V. ut instru-
„ mentum procurationis, quo ipsum suum A-
„ gentem instituat, statim Matritum mittat,
„ eique negotium commendet..... In mora pe-
„ riculum est, quia supremus Inquisitor curam
„ demandavit Patri Cassani, cooficiendi catalo-
„ gum omnium librorum a suprema Inquisitio-
„ oe damnatorum, in quem convenit non re-
„ ferri libros R. V. *Nimis enim vero aperte divi-
num hic providentiam agnoscebat, qui Papebro-
chii causam æque ac suam sustinebat unice Jannin-
gus, quam ut imperata differret. Confectum ergo
instrumentum procurationis authenticum, & ad P.
Josephum Cassani destinatum est, Idibus Aprilis
ejusdem anni.*

558 *Arduum erat sane, si quod unquam fuit
negotium; imo vero multorum judicio temerarium:
is enim defendendus erat, quem tota execrabatur
Hispania; defendendus, inquam, hic erat in ipsa
Hispania contra adversarios & plurimos & poten-
tes, contra gravissimi Tribunalis severissimam,
eamque incredibili solennitate promulgatam quaqua
vastissima S. Inquisitionis auctoritas per orbem u-
trumque porrigitur, sententiam; apud ipsam deni-
que & per ipsam contra se Inquisitionem. Sed ni-
mirum quanta res hæc erat, tantum ad eam P.
Cassani alacritatis, laboris, industriæ, constantiæ
attulit, quibus equidem dubitem, an parem huic vi-
ro reperire sit uspiam, sive cognatas illas habent,
sive cælitum ope in hac sua causa collatas. Ego
me obstupuisse fateor identidem, cum eas epistolas
relegerem, quibus ipse rerum a se gestarum geren-
darumque rationem Janningo reddere consueverat,
quasque ad viri tanti memoriam accurate collectas
servamus.*

559 *Vix causam susceperat, cum a S. Fidei tri-
bunali exemplar obtinuit authenticum propositio-
num Danielis Papebrochii, quas censura notave-
rat; tam operis nostri vindicias tam in Hispania
pridem a pluribus conscriptas, quam ab Aucto-
ribus ipsis excusas in Belgio corrasit: unde suum
ipse, ut appellat, defensorium verbis ac stylo Cu-
riæ, quem probe callebat, accommodatum, tanta
sedulitate elaboravit, ut noctes diesque meditando
committeret, gravesque capiti dolores, ac, roba-
sto licet, pectori debilitatem accerseret. Depreca-
randam enim omnino hoc negotium fuit, ne in In-
dicem proscriptorum operum, cujus editionem ve-
hementer urgebat supremus cum suo senatu Inquisi-
tor, libri nostri referendi. Cum parata tandem ha-
beret omnia, implorato RR. PP. Præpositi Provin-
cialis, Rectoris, & qui tam Regi ut Reginæ con-
scientiam moderabantur, patrocinio, iisum ab omni-
bus*

bus una ad illustrissimum S. Inquisitionis Præsidem, postulatumque suppliciter, ut ne judicem in hac re, sed patronum agere vellet. „ Renuebat „ initio: verum ego, *inquit P. Cassani*, ab ipso „ solum petii, ut meum libellum supplicem au„ diret. Consensit ipse; auditoque in tantam „ raptus est admirationem, ut extemplo in a„ lium virum mutatus, non jus dicere vellet; „ sed causam dirigere optaret, ut felici progres„ su felicem consequamur exitum. *Fortissima sane libellus ille argumenta continebat, quibus hoc unum Papebrochio concedi flagitabat Auctor* „ quod „ ipsi ex strictissima (verba sunt ipsa) rigidis„ simaque justitia distributiva competit: *nam* „ gratiam, *inquit*, benignitatem, aut indulgen„ tiam petere meum non est; justitiam, eam„ que strictam expostulo. *Idem subinde libellus una cum Defensorio sacro Tribunali juridice oblatus XI. Kal. Febr. 1707. tantum valuit, quantum P. Cassani aut suæ, aut hominum quorumvis industriæ tribui posse negat.*

560 *Erant libri nostri, atque eorum, quod jam diximus, Defensoriam apud Qualificatores septemdecim, Theologos omnes, & in historia Ecclesiastica magnam partem versatos: quorum tam assidua fuit in discutiendis, quæ proposita fuerant, capitibus opera, ut minime dubitaret P. Josephus, quin causam essemus ante mensem Augustum proximum obtenturi. Et vero ante elapsum ejusdem anni Novembrem hæc ad Papebrochium scribebat idem Pater:* „ sciat R. V. nos nullam in Theo„ logis Qualificatoribus, nullamque in judici„ bus difficultatem invenire. Ne apex quidem „ nobis objicitur. Quæ salvanda sunt, salva „ diu extant; quæ expurganda videntur, ex„ purgari debent, & in hoc concordes sumus: „ hæc enim extra Propylæum duo aut tria loca „ sunt, & quæ nullam merentur Theologicam „ censuram ... In Propylæo ... tantum corri„ gentur quædam conclavium historiæ. *Jam tum ergo absolutioni matura erant omnia, & quidem ea solemnitate gravitateque perpensa, at parem in S. Tribunali umquam alias vel vidisse se, vel audivisse senex quidam ejus minister, Cassano teste, negaverit.*

561 *Sed nostra nimirum Actorumque Sanctorum intererat, ut quæ uno paucorum mensium judicio damnata essent, non nisi post iterata per annos multos examina absolverentur. Nam quæcumque demum tam lenta sententiæ causa fuerit (quod scire consulto bis volui) eadem & innocentiæ nostræ, & ampliori gloria miram in medium consuluit. Quamquam utrique cautum abunde fuisset, si uno saltem anno citius lata sententiam superstitem adhuc Papebrochium recreare potuisset; sed & bis ante mortem habuit, unde sentiret haud dubiam appropinquare in Hispania redemptionem suam, tametsi obitum ejus toto amplius anno secuta est. Nam illustre decretum, quod nonnulli probro sibi futurum timuerant, gloriæ sibi merito vertendum putavit, qui edidit exeunte anno 1715. Emmentiss. S. R. E. Cardinalis, idemque supremus per Hispaniarum regna Inquisitor, D. Franciscus Giudice; neque edidit solum; verum etiam toto mense Januario affixum templorum valvis hærere toto regno voluit, ac promulgari polam in omnibus Cathedralibus, aliisque majoris notæ Ecclesiis, tam insitato hactenus exemplo, ut exclamet ea fuit ad Janningum litteris P. Cassani:* Video ego, & num video, vix credo.

562 Eccum illud. *Don Francisco Judice por la divina misericordia presbytero Cardenal del titulo de sancta Sabina, arçobispe de Monreal, Protector del Reyno de Sicilia, Inquisidor General en todos los Reynos, y Sennorios de su Magestad, y de su Consejo de Estado &c. Aviendose visto y considerada con toda estudia y reflession las Obras del Padre Godefrido Henschenio y Daniel Papebrochio de la Campannia de Jesus, interveniendo para su expurgasion personas de literatura e integridad, con nombramiento de los Sennores Inquisidores Generales nuestros antecessores y nuestro: Hemos acordado levantar la prohibicion absoluta de dichas Obras, que se hizo por edicto del Sennor Arçobispo de Valensia, Inquisidor General, de 25. del mes de Octubre del anno passado de mil seiscientos y noventa y sinco, con tal, que en el Tomo 3. de Março pag. 10. col. 2. num. 27. lin. penult donde dize Temere, se borra esta palabra y en su lugar se sponga* facile. *Y en el Propileo de Mayo tom. 8. in Apparatu fol. 29. n. 16. sol. 2. lin. 1. se borren las palabras, sed persunctorie prorsus ratiocinio. En el mismo tomo 8. y Apparata fol. 33. col. 1. §. 5. n. 27. lin. 6. se borre la palabra* Temere, *y en su lugar se ponga,* facile. *En dicho tomo 8. del Propileo de Mayo se probibe todo el Tratado, que se intitula,* Conatus chronici historici ad Catalogum Romanorum Pontificum pars secunda a Gelasio Papa II. ad Sanctum D. N. Innocentium XI. *En el tomo 3. de Março fol. 10. col. 2. n. 27. lin. 6. se borre la palabra* Temere *y en su lugar se ponga,* facile. *En el tom. 1. de Abril fol. 903. en la dissertacion, que se intitula,* Appendix de Officio venerabilis Sacramenti, *en que niega, que Santo Thomas compuso el officio del Corpus, se ponga al margen la nota de averse retratado Papebrochio deste sentir. En el mismo tomo 1. de Abril fol. 776. col. 2. 38. en que niega, que san Alberto Patriarca de Jerusalem huviesse tenido enlio entre los Canonigos de su Iglesia, se ponga al margen la nota, que el Autor se retratò de esta opinion. En el tomo 1. de Mayo fol. 245. n. 381. se borre desde la palabra* Hanc vitam, quam perisse credebat Baronius, *hasta el fin del numero. En el tomo 2. de Mayo fol. 461. col. 2. num. 2. despues de la palabra* Martyrem dici, *se annada immediatamente* minus proprie. *En el tomo 2. de Maya fol. 626. col. 1. num. 1. en que habla del Arçobispo senenense, se ponga al margen la nota, de que el Autor se retratò de lo que dize en aceden ha aver sido sospechoso en la Fé, y Jansenista. En el tomo 7. de Mayo fol. 8. del* Paralipomena Addendorum *col. 2. num. 35. se borre desde la palabras* non sine apocryphis, *hasta el fin del numero. Y para que conste, mandamos despachar el presente edicto, firmado de nuestro nombre, sellado con nuestro sello, y refrendado del infrascripto Secretario del Rey nuestro Sennor, y de su Consejo de la Santa y General Inquisicion. Dado en Madrid a veinte de Diziembre de mil setecientos y quinze annos.*

563 *Quam vero libenter id fecerit Eminentissimus Præsul, neminem nostrum, ne ipsum quidem Janningum tam procul positum latere voluit; dum non unas ad eum literas dare dignatus est. Habe illas, Lector, quibus ornare præsidem studiorum nostrorum debita per epistolam gratiarum actione persunctum vir tantus voluit; neque enim indigne ferret, opinor, nos eas tanti facere, ut legi ab omnibus cupiamus. Sic habent, quantum quidem lepores*

pores Italicos Latino rudique calamo adumbrare mihi licuit. „ Admodum Reverende Pater. Sua „ illa tam grati animi significatione eam in me „ voluptatem renovat R. V. quam tum percepi, „ cum licuit mihi tam præstantibus P. Papebro- „ chii operibus jus illud tribuere, quod merito „ suo exigebant. Gaudeo equidem, cum quod „ restituere illa potui publicæ omnium utilitati; „ tum quod factum istud meum R. V. tam ju- „ cundum accidit. Neque vero immerito recrea- „ vit eam, ut quæ tantopere laboraverit ad su- „ stinendam eorum dignitatem. Atque utinam „ novæ mihi se occasiones offerant, in quibus „ testificari R. V. queam, & quanta sit ejus apud „ me existimatio, & quantum desiderium illi „ commodandi meum, quo et felicitatem ei „ perpetuam apprecatus, sum ac maneo obse- „ quiis ejus ex animo addictissimus Matriti 9. „ Martii 1716.

564 Sed hanc appendicem claudat, qui Papebrochianam Elucidationem clausit doctissimus Muratorius. Is ergo in libro, quem adscito *Antonii Lampridii* nomine Venetiis edidit anno 1742. *de superstitione vitanda* cap. 21. pag. 161. loquens de Quæsitoribus fidei apud Hispanos & Lusitanos ait: *Serium videbit quisquis Tribunalibus iis quamdam infallibilitatis speciem tribui audit. Satis sit mihi dicere, ab Hispanica Inquisitione proscriptum fuisse temporibus nostris eximium opus, & celebre eruditionis Ecclesiasticæ promptuarium, scilicet Acta Sanctorum a Bollando, aliisque clarissimis Patribus Societatis Jesu Antuerpiensibus collecta & illustrata, quæ tamen eodem tempore illæsa evasere a Romano examine. Imo ea ipsa in Hispania sub novo Rege Catholico Philippo V. libertati pristinæ reddita sunt, paucului verbis expungi, aut mutari jussis, ut aliqua præcedenti censuræ excusatio fuisse videretur*. Et Canonicus quidem Laurentius Migliaccius, qui Lampridii seu Muratorii librum impugnandum suscepit libro inscripto: *Lampridius detectus & castigatus*. Dissert. VIII. cap. 4. pag. 266. quo bonam cæteroquin pro voto Marianæ Conceptionis defendendæ *usque ad sanguinem* caulam suam patrocinio malo malam redderet, in Lampridium mirum in modum declamare cœpit, & Bollandianorum opus traducere, *cum neminem eruditorum lateat, quot lacunæ, opus ineptiæ, quæ intemperantioris Criticæ exorbitantiæ apud illud inficiant*. Sed idem Muratorius, qui sub Ferdinandi Valdesii nomine prius opus suum ad vindicandum aggressus epist. xv. pag. 214. Migliaccium hisce verbis jure optimo castigavit. *Sed nemo eruditorum erit, qui non in hoc homine multum inscitiæ, certe parum verecundiæ offendat, quando is tam claros doctissimosque viros, eorumque volumina ob sanioem Criticam, atque ob eruditionem uberrimam a melioribus quibusque probata, cachinnis excipit, ac temere proscindit. Levium profecto ingeniorum est eos non ferre, qui populum erroribus ab Ecclesia improbatis, historiam ecclesiasticam fabulis liberare contendunt. Et immani quidem censura adversus eadem Acta Sanctorum insurrexit P. Sebastianus a S. Paulo; sed rogandus est Migliaccius, ut legat Responsionem Cl. P. Papebrochii; tunc enim, si sapit, fortassis eum pudebit intemperantiæ suæ, ac discet Ecclesiæ catholicæ deceptores & destructores non tantum esse, qui fabulas .... veræ doctrinæ adversantes spargunt, sed etiam qui sparsas refellendas & eradicandas negant*. Hactenus vir summus, cujus ego etsi scrupulos quod ad votum spectat *sanguinarium* pro immaculata Deiparæ conceptione non probo, eruditionem suspicio, candoremque animi longe integerrimum.

CONRADI JANNINGI,

PRO ACTIS SANCTORUM HACTENUS EDITIS

OPUSCULA APOLOGETICA,

REPOSITA ANTIRRHETICIS

Adm. R. P. Sebaſtiani a S. Paulo Provinciali Carmeli Flandrobelgici.

ÆQUO LECTORI AUCTOR.

TEmpus tacendi & tempus loquendi* eſſe monet divinus Eccleſiaſtes. Importuna Amicorum loquendi licentia, dictis ſcriptiſque P. Danielem Papebrochium imprimis, & illuſtrata ab ipſo Sanctorum Acta dudum exagitavit: quam opportuno per annos propemodum viginti ſilentio ita toleravimus, ut priorem moniti divini partem, tacendo ſuo tempore, impleviſſe putemus, ſecuti tum ſacræ Scripturæ & rationis ductum, ſuadentium ut locus iræ ac perturbatis animis quo ſe colligant detur; tum virorum prudentium ac litteratorum conſilium, adhortatorum nos identidem per litteras ſuas, ut ne propter objectos verborum aculeos ſparſaſque libellorum ſpinas deflecteremus a cœpto bene itinere; aut etiam aureis, inſtar Atalantæ pomis, nedum *Pomis diſcordiæ* colligendis, retardaremur a curſu.

2 Ita adhortati ſunt (ut e plurimis, quorum litteræ penes me ſunt, duos producam) viri clariſſimi, Antonius de Wion, Dominus d'Herouval; & Carolus du Freſne, Dominus du Cange; quorum ſola nomina protuliſſe, attentionem ſibi apud eruditos Lectores conciliaſſe eſt. Illorum primus, litteris Lutetiæ Pariſiorum ao. MDCLXXXIII. die XVIII. Martii datis, poſtquam epiſtolam non ita pridem ſibi familiariter inſcriptam Gallice a Domino du Cange (de qua mox) Celſiſſimi Principis Erneſti Landgravii cura latine verſam ſibique ſubmiſſam acceperat; inter alia duriuſcula, ægris auribus diſplicitura, & propterea hic prætermiſſa, in hunc modum ſcribit alloquens P. Papebrochium, de aculeatis Amicorum libellis: *Quemadmodum huc uſque mundus ſingulariter approbavit veſtrum ſcribendi & ſine fuco atque animi præoccupatione veritatem dicendi modum; ita non minori vobis laudi vertet, ſi contempſeritis ejuſmodi invectivas, quæ provenire nequeunt niſi a zelo male ordinato, & inſcitia hiſtorica eorum, qui talia ſcribunt.... Gravis animi dolor caperet omnes ſtudia litterarum amantes, ſi Paternitas veſtra quantulamvis partem temporis, quod alibi tam utiliter collocatis, impenderet reſpondenda ſcribendoque de argumento, tam parum dubio inter Eruditos, & nullius operæ pretii.*

3 Alter prædictorum virorum eadem ſuper re ſenſum ſuum declaraverat familiariter amico ſuo Domino d'Herouval præmiſſo, per litteras anno MDCLXXXII. IV. Septembris data Pariſiis: quas hic amicis quoque ſuis quibuſdam communicavit; qui & judicaverunt continuo, luce dignas eſſe. Prodierunt certe, neſcio quo editore, lingua ut ſcriptæ erant Gallica, & initio anni ſequentis etiam recuſæ fuerunt Antverpiæ, cum *Approbatione Ordinarii Cenſoris Domini A. Heeſſlagh*, ita teſtantis die XIII. Februarii MDCLXXXIII. *Epiſtola hæc, non minus diſcreta, quam fortis ad occurrendum conſequentiis ſcandaloſis, utiliter reimprimetur.* Publicata exinde Epiſtola, ſic placuit viris ingenuis, ut mox latinam fecerint non tantum in Belgio, ſed etiam in Germania loco non uno: nec alienum putaverit a perſona ſua, eo curam & operam conferre Celſiſſimus Princeps, de quo ſupra. Ejuſdem Epiſtolæ, pro ut pridem edita fuit, partem hic potiorem accipe: putabis eo fine publicatam ab editoribus ſuis fuiſſe, ut arctius nos aſtringerent ad ſilendum, ipſi quodammodo facti Apologiſtæ noſtri. Sic incipit:

4 *Mi Domine,* Antoni. *Quod nova & curioſa omnia, quæ ad manus tuas perveniunt, mihi communices, plurimum tibi debeo. Legi, quæ mihi miſiſti latina carmina Patris Jagber Benedictini ad S. Lambertum in Styria, de controverſia inter PP. Carmelitas & P. Papebrochium, deque nonnullis obſervationibus, quas hic ac illorum opinionibus, de Ordinis ſui origine & antiquitate mundo hactenus obtruſis, concinnavit. Moti exinde vehementer PP. Carmelitæ libellos publicarunt, plenos acerbitate & caritati chriſtianæ nullatenus conformes; cum tamen ſuo potius exemplo ad eamdem nos excitare, vi ſuæ profeſſionis, obſtringantur; teneanturque augere potius, quam diminuere honeſtorum virorum exiſtimationem. Attamen haud crediderim reſponſurum his P. Papebrochium; prout facturum illum quidam opinantur; neque inſerturum Operibus ſuis Verſus illos; ſed neglecturum potius ejuſmodi invectivas, quæ non niſi publicantibus nocere poſſunt: licitæ enim vindictæ ſpeciem arbitror, inimici injurias ſilentio contemnere. Etenim Patres illi omnibus in ſcriptis ſuis tam prudenter hactenus egere, ut nihil nocere illorum exiſtimationi poſſit, firmius inter Doctos ſtabilitæ, quam ut a calumnia & obtrectatione ſibi timeant.*

5 *Quemadmodum vero omnia perlegi, quæ ab illis hactenus in lucem edita ſunt; ita teſtari poſſum, maxima eos ſinceritate agere, ubique proteſtantes nullum ſibi niſi veritatis indagandæ finem propoſitum eſſe; neque fore ſe ad retractandum difficiles, ſicubi erratum eſſe quis monſtraverit; quod etiam pluribus in locis ampliſſimi Operis ſui, Cardinalis Baronii exemplo, facere non dubitarunt. Enimvero extra dubium, & viris doctis perſpectiſſimum eſt, neminem infallibilem eſſe, & in conjecturis facile errari, quæ ſæpe fallunt, etſi nihil minus auctori videantur. Sane nemini vitio vertendum eſt, ſuam de re tractata ſententiam edicere, modo Lectori integra ſentiendi, quod placuerit, libertas relinquatur: ſed qui opinionem ſuam graviſſimis auctoritatibus, & ſolidis rationibus confirmat, eam, ut veritatem indubitatam, edere poteſt; cum nihil de ſuo aſſerat, & res tota ab adductis probationibus dependeat. Contra vero aſſerta quædam in ſcriptoribus reperire eſt, quæ ſine criſi præterire nequeunt; cum tam longe ab omni probabilitate abſint, ut qui ea non oppugnaverit, aut ignorantiæ, aut nimiæ credulitatis argui poſſit. Quæſo, enim; quis credet, libros quoſdam ab Hiſpanis ali-*

qui-

quibus alias sat eruditis sub nomine Flavii Dexteri, Maximi & Luitprandi publicatos, vera esse illorum auctorum Opera? An succensere PP. Henschenio & Papebrochio, Principis ejusdem subditis, Hispani poterunt, quod suam ea de re sententiam, ut viri boni, cordate edixerint? Idem de libro Joannis Hierosolymitani, ac Vita S. Angeli Martyris Carmelitani sentiendum est; quos, etsi inconcinne compositos suppositosque, PP. Carmelitani velut certa Patriarcharum illorum Opera sustinent, eodem plane fundamento & soliditate, qua Ordinis sui originem veteri ex Testamento deducere nituntur.

6 *Consultius credo facerent, si Joannis Phocæ testimonio crederent, qui sub Ordinis illius prima initia vixit, eaque nobis tam dilucide descripsit. Etenim illius auctoritatem nequidquam evertis, librum hunc in Hollandia impressum esse. Nam præterquam quod manuscripta Domini Allatii adhuc Romæ invenire sis; quid quæso, Hollandorum aut Protestantium interest de origine Ordinis Carmelitani? An præviderunt illi hanc controversiam, ut auctorem apud se impressum falsificarent? Sane veritati potius inhærere deberent boni Patres illi, quam fabulosas origines tam remote conquirere, eodem fere modo quo Græci ac Romani in texenda Civitatum & Provinciarum suarum historia egerunt. Historia sacra, cujus Historia de religiosis Ordinibus partem facit, purgata & defæcata esse debet ab omni fabula, ac quidquid illi simile; & cum viri docti eidem se studio applicant, haud parum de Republica merentur. Faciunt hoc Patres Antverpiani, dum in Vitis Sanctorum concinnandis tam feliciter laborantes, nihil nisi seria, solida, gravissimisque auctoritatibus firmata afferunt; neque ut nonnulli, ridicula & futilia intermiscent. Si qui vero sint, qui hos labores, ut & errorum suorum detectionem ægre ferant, agant prout libitum illis fuerit: habet hoc Veritas privilegium, ut mendacii nebulas suapte natura dissipet; nec adversariorum scripta vel quidquam nocere poterunt existimationi tantorum Virorum, & de litteris atque Republica tam bene meritorum.*

7 Hactenus Dominus du Cange ad amicum suum Herovallium, qui non ex fama vulgi aut dictis aliorum hic judicat, sed ex propria visione, lectione & ingenio; testatus se nostra de Actis Sanctorum legisse scripta *omnia*: eaque talia esse putat, ut defendi non debeant contra *libellos* Amicorum *acerbitate plenos*; sed *injurias* inde illatas (si tamen ejusmodi libelli non magis Auctoribus suis noceant, quam quibus nocere volunt) per *licitæ speciem vindictæ* SILENTIO *contemnendas esse*. Observavimus igitur, horum utrorumque suasu, *tempus tacendi*; & catenus monitum, quod præmisi, divinum implevimus; impleturi mox partem moniti ejusdem alteram, opportune *loquendo*, quando majoris auctoritatis scriptori, ipsi Ordinis Carmelitani in Belgio Provinciali, adm. Reverendo Patri Sebastiano a S. Paulo, lubuit, satyrica variorum scriptione damnata, aliquanto moderatiore uti stylo, & per libros, partim pro defendenda antiquitate sua, partim ad convellenda nostra Sanctorum Acta, impressos, ad Sedem Apostolicam iterato ac sæpius recurrere. Auctoritas enim atque dignitas viri (non tamen modus scriptionis) meretur responsum aliquod, non minus quam aliorum libelli contemptum.

8 Primus igitur liber, quem edidit anno MDCLXXXIII. R. P. Sebastianus prædictus, inscribitur LIBELLUS SUPPLEX *pro origine & antiquitate Ordinis Carmelitarum variisque illius historiis .... Sanctissimo Domino Innocentio XI. exhibitus*. Præmittitur *Libello* SYNOPSIS, in speciem magnifica, sed nihilo solidior quam Libellus ipse, nempe *ut Judices, ad illius examen a sua Sanctitate deputandi, difficultatis nodum ac causæ substantiam mox & intueri, & assequi valeant*. Egit tam Synopsis quam Libellus, quantum potuit, spatio annorum decem, sed nihil peregit spatio annorum decem in rem suam suæque prætensionis apud Judices deputatos; si tamen tanti Libellum fecerit Sanctitas sua, ut Judices putaverit deputandos, aut ipsum etiam Libellum admittere dignata sit.

9 Malum omen. Igitur alia tentandum aliquid est via. Si probanda Romæ nostra curare non possumus, improbanda, &, si Superis placet, prohibenda curemus (quamvis in Inquisitione Hispaniæ id frustra tentaverimus) ab Ecclesia sancta *Sanctorum Acta*, a Papebrochio illustrata; fidem Auctori sic detracturi, etiam ubi agit de rebus nostris. Hunc in finem prodit post decennium ab edito *Libello supplice*, eodem auctore R. P. Sebastiano a S. Paulo, secundum Provinciali, Accusatio P. Papebrochii, sive EXHIBITIO ERRORUM, quos hic commiserit in scriptis suis de Actis Sanctorum; cujus libri titulum si spectes, jurabis, (ut mitissime dicam) a non Catholico profluxisse calamo; si librum ipsum, a non Historico. Accessit his ejusdem Auctoris MOTIVUM JURIS *pro libro, cui titulus, Exhibitio errorum*, & subinde APPENDIX *ad Motivum illud*. Tres hi posteriores, in titulo suo, offeruntur Sanctiss. Domino nostro Innocentio Papæ XII. feliciter nunc Ecclesiam moderanti, &, si vota nostra valeot, in multos moderaturo annos.

10 Monuit me tum auctoritas adm. Rev. Patris Provincialis, tum sanctitas Pontificii nominis, cui inscribuntur libri prædicti, *tempus loquendi* advenisse; movitque, ut quod sibi dudum indixerat silentium P. Papebrochius, ego rumperem, pauca quæ ad rem faciebant, modeste (ita puto, & judicare poterit Lector) illis reponens. Ad *Libellum* enim *supplicem* reposui *Brevem instructionem*, eamque manuscriptam solummodo, ad informandum eos, quorum intererat; quæ non nisi post decennium publici juris facta est cum altero meo scripto, edita jam *Exhibitione errorum* a P. Provinciali. Eamdem *Instructionem* & alia nonnulla his subjicio perennatura (ut ne querantur amplius RR. PP. Carmelitæ, nulla nos scripta sua dignari responsione) subjicio, inquam, his *Instructionem brevem*, & quidem primo loco, utpote primo R. P. Provincialis libro oppositam; subsequetur *Epistola familiaris*, opposita libro ejus secundo: addetur *Expostulatio amica*, opposita tertio: hisce autem, seorsim prius excusis, adhærescere postremo poterit *Post-scriptum* ad præmissa, tam nostra, quam Carmelitana scripta, ut a *Brevi instructione* exorsi scriptionem nostram, in *Post-scripto* brevi terminemus, æternum, si modo liceat, tacituri. Accipe igitur hic, Lector, Opuscula illa, pro *Chronologia Patriarcharum Alexandrinorum*, primo quidem Junii Tomo destinata, uti monuimus in hujus Præfatione; sed illis, quæ Apologetica sunt editorum hactenus voluminum, ac proinde hunc sibi locum vindicare videntur, locum suum cessura.

BREVIS INSTRUCTIO
CIRCA LIBELLUM SUPPLICEM,

Qui Sanctissimo Domino Innocentio XI. pro origine, & antiquitate Ordinis Carmelitarum, variisque illius historiis, a S. Congregatione Rituum iterato recognitis & approbatis, nec non summorum Pontificum Bullis, adversus P. Danielem Papebrochium Soc. Jesu, eas ut commenta & imposturas explodentem, exhibitus est per Fr. Sebastianum a S. Paulo, Provincialem Provinciæ Flandro-belgicæ, Ordinis FF. Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo: quique editus dicitur, *Francofurti apud viduam Zudbrodt.*

ETsi veritas odium pariat apud multos, apud matrem suam tamen, Ecclesiam, dico, Romanam, parere nil nisi amorem potest illustrantibus ipsam, e tenebris in lucem protractam. Utrumque Veritatis partum, odium nempe & amorem, ipsam illustrando, sibi peperit P. Daniel Papebrochius, decessorum suorum exemplo laudabiliter atque indefesso studio Sanctorum gloriam cum veritate promovens, colligendo illustrandoque ipsorum Acta, tanta cum utilitate Religionis Catholicæ, ut ipsi in Hollandia acatholici Doctores ac Prædicatores fateantur, hactenus nullum prodiisse Opus, quod continuatam in Ecclesia Catholica ad nostra usque tempora Sanctitatem, sacrarum Traditionum atque Rituum successionem, Doctrinæ per singula sæcula conformitatem, aliaque plura, manifestius commonstraret, quam *Acta Sanctorum*, a P. Joanne Bollando inchoata, communi bonorum plausu excepta, singulari Summorum Pontificum favore promota; adeo ut Alexander VII. eorum Auctores, tum temporis Godefridum Henschenium & Danielem Papebrochium, e Belgio in Italiam evocaverit, ac bibliothecas, tum Vaticanam, tum reliquas omnes, ipsis examinandas patere, dato ad hoc diplomate, voluerit.

2 Inde in Belgium reversi Patres, ingenti sacrarum notitiarum thesauro divites, cœptum Opus feliciter prosecuti sunt. Cum vero ad Acta S. Bertholdi, primi Carmelitarum, ut ipsimet vocant, Prioris Generalis, die XXIX. Martii illustrata, ventum esset; ne vel a proposito sibi veritatis studio recederent, vel indignationem PP. Carmelitarum incurrerent, tractando quæstionem de origine Ordinis; ab hanc abstinendum sibi, salva veritate & amicitia prædictorum Patrum, putaverunt, Acta S. Bertholdi tantum illustrasse contenti, nulla penitus sententiæ suæ de antiquitate Ordinis facta mentione. Patet hoc legenti eadem Acta, impressa Tom. 3. Martii pag. 791. Utinam prudens hoc atque innocens de antiquitate Ordinis silentium (quid enim silentio innocentius prudentiusque, ubi loqui quod sentis, prævides displiciturum offensurumque?) omnibus æque ac plurimis e PP. Carmelitis probatum fuisset! Uni præcipue P. Francisco Bonæ-spei displicuit, qui proinde arrepto calamo librum composuit sub hoc titulo, *Historico-Theologicum Carmeli Armamentarium*; ubi per triginta & amplius paginas, contra PP. Henschenium & Papebrochium nominatim agens, ipsorum silentium, quod dixi, acriter perstringit; ejusque rationem publice reddi, prolixe exposcit. Neque hæc mihi ita asserenti credi velim: *Armamentarium* ipsum pro me, quæ asserui, probabit.

3 Ita per scriptum publicum provocati Patres prædicti, & sua, & Operis sui interesse putaverunt, publico similiter scripto satisfieri provocanti: adeoque Tom. 1. Aprilis a pag. 769. ad Vitam S. Alberti, rationes silentii sui exponunt. Verum prius quam rationes istæ typis ederentur, subodorati PP. Carmelitæ, illas expectatione sua solidiores esse, provocationis suæ consilium damnarunt; omnemque continuo moverunt lapidem, tum per se, tum per ipsum Societatis Jesu Præpositum Generalem, ut earum editionem impedirent; obtinueruntque re ipsa illum in finem epistolam a dicto Generali P. Oliva, quam & impresserunt in *Libello* suo *supplice*, de quo agimus, pag. 10. Sed uti nunc in hoc *Libello*, ita tunc apud P. Olivam callide tacuerunt de *Armamentario* & expostulatione, publicæ luci a se datis; quæ cum P. Generalis ex suorum informatione postea cognovit, ægre ferre non potuit, responsionem paratam publice postulanti reddi. Porro quæcumque in prædicto *Libello supplice*, pro pace conservanda a PP. Carmelitis gesta, speciose dicuntur, post violatam ex parte illorum pacem per editionem *Armamentarii* gesta esse observandum studiose est. Iterum dico, studiose observandum esse, *Armamentarium Carmelitanum P. Francisci Bonæspei*, publice provocantis atque obtestantis P. Papebrochium, ut suam de antiquitate Carmelitani Ordinis sententiam ferret, multo prius fuisse editum, quam ipse illius mentionem vel verbo fecerit. Patebit id utriusque scripta inspicienti. Atque hoc modo abunde refutatum est, quidquid in *Libello supplice*, ejusque *Synopsi*, objicitur non recte P. Papebrochio, quasi primum ipse offensionis posuerit lapidem.

4 Circa reliquum porro *Libellum*, etsi nihil quidquam contineat, quod non pridem aut refutatum, aut gratis asseri monstratum, aut scriptis supposititiis atque apocryphis niti ostensum sit, notanda nihilominus nonnulla veniunt. Ac primo quidem, quod variis locis reus agatur Papebrochius læsæ Majestatis Pontificiæ, propterea quod Bullis aliquibus minorem, quam par sit, reverentiam deferat: scilicet iis Bullis, quas pridem Tom. 1. Aprilis pag. 791. a num. 101. demonstravit apocryphas esse, nec ab ullo umquam Pontifice datas. Quasi vero Ecclesiæ sanctitas auctoritasque sine figmentis salva esse non possit.

5 Non item, quod a num. 23. auctoritate Pontificia canonizatam antiquitatem suam velit *Libelli* Auctor: sed vereor ne eadem auctoritate antiquiorem faciat Ordinem, quam ipse velit; ac nomen Fundatoris ab Elia ad Enochum transferre cogatur. Nam numero suo 25. ex Julii II. Bulla, qua priores omnes confirmari ait, hæc ipsa verba pro se adfert, scilicet, Carmelitas *Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisei, & Enoch ... successionem hereditariam tenere*. Ex quibus si quid pro antiquitate ac vetii nominis Institutore probetur; non solum probatur, Eliam atque Eliseum (ut volunt Carmelitæ) sed Enochum quoque (quod tamen nolunt illi) & quidem primarium, utpote tempore priorem, veros Ordinis Carmelitani Institutores esse.

6 Ter-

6 Tertiam noto, nimis indulgenter præsumere Auctorem *Libelli*, ad evincendam antiquitatem prætensam, satis esse, quod illius mentio fiat in Officiis Ecclesiasticis, per sacram Congregationem Rituum aut permissis aut approbatis. Fateor, ex ejusmodi approbatione historiis auctoritatem accedere, neque ullus id negaverit Catholicus: at vero accedere talem, ut falsum subesse non possit historiis, sub approbatione tali legi permissis; aut ut viri eruditi prohibeantur circa illas disputare, ab iisque ratione bona nixi dissentire, ne ipsa quidem sacra Congregatio prætendit. Patitur enim de facto quæstionem agitari de S. Dionysio Parisiensium Patrono, an scilicet idem sit (quod Breviarium Romanum manifeste asserit ad diem ix. Octobris) cum Areopagita, an vero diversus: item, an a S. Clemente sæculo primo missus sit in Galliam, an tempore Decii sæculo tertio. Patitur similiter de historia S. Marthæ, ad xxix. Julii relata, disputari. Patitur etiam (ut plura missa faciam) contra adventum S. Jacobi in Hispaniam, ad xxv. Julii a se assertum, rationibus pugnari. Patitur denique, ab ipsis PP. Carmelitis in controversiam vocari, an S. Dionysius Papa Confessor, qui sæculo tertio Ecclesiæ præsedit, Carmelita, ut ajunt, *Martyr* fuerit nec ne. Patitur, inquam, Ecclesia de historiis illis dubitari disputarique, tametsi in Breviario aut Martyrologio Romano legantur, atque inde non unius tantum Religiosi Ordinis, sed quasi totius Ecclesiæ traditio fieri videantur; neque injuriosum sibi putat, si quis oppositam assertioni suæ in historiis Breviarii sententiam teneat. Quomodo igitur Ecclesia non patitur similiter quæstionem institui de historiis, in privato alicujus Ordinis Breviario contentis, aut ex speciali S. Congregationis favore recitari permissis?

7 Quomodo item injurius censeri possit cuipiam Ordini, qui ab illius Breviario ac traditione particulari, nixus ratione bona & auctoritate Historicorum alicujus notæ pæne omnium, recedat? Sed neque ipsi PP. Carmelitæ præcipui, in hoc consentiunt Auctori *Libelli supplicis*: siquidem ea super re apud S. Congregationem mota difficultate ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Auberto vanden Eeden, Antverpiensium Episcopo; responderunt PP. Carmelitæ Romani utriusque Ordinis, & quidem ipsi Reverendissimi Generales; *Nihil se auctoritatis prætendere Officiis suis inesse, præ aliis continentibus historias antiquas, de quibus exacta certaque haberi modo notitia non potest*; ut videre est tom. 2. Maji pag. 716. a n. 29. Sed neque parem inesse auctoritatem Officiis Regularium privatis, circa historias antiquas, recentissime compositis, & a S. Congregatione pure permissis, atque inest Officiis Ecclesiæ universalis, ab omni memoria legi solitis, & speciali approbatione confirmatis, ex dictis supra manifestum est.

8 Quartum denique noto, in *Libello supplice* nu. 53. undequaque congeri auctoritates Scriptorum, partim antiquiorum, partim recentiorum duodecimo sæculo. Et antiquiores quidem non nisi duo vel tres citantur, iidemque fidei aut suspectæ, aut omnino nullius esse convincuntur, tom. 2. Aprilis pag. 760. a n. 50. Recentiores vero, præsertim cum plerique hujus aut præcedentis sæculi sint, neque ex professo ac studio proprio, sed unius fere Abulensis fide antiquitatem prætensam obiter attingant, parum morari debent ex coævis auctoribus studio singulari illam examinantes, & appensis diligenter in utramque partem rationibus, tandem mature sententiam suam proferentes. Sed neque obtinent auctoritates pleræque id quod prætenditur, neque evincunt quidquam amplius quam P. Papebrochius ultro concedit. Vide enim sis *Libellum* a num. 69. ubi auctoritates Cornelii a Lapide, Francisci Suarez, aliorumque afferuntur; comperies Auctores præcipuos passim uti particulis similitudinis, dicendo, Eliam *tamquam* Patronum atque Institutorem esse Carmelitarum; Carmelitas *quasi* posteros Eliæ esse; item, *quasi* hereditariam successionem in Monte Carmelo tenere.

9 Nihil autem horum negat P. Papebrochius; quin imo docet, quomodo PP. Carmelitæ Prophetam Eliam appellare possint *Ducem*, *Patrem*, *Auctorem*, & (si ita volunt) *Institutorem suum*; hoc nimirum sensu, quod per revelationem Prophetæ & jussu ejusdem (quod hactenus fere ignotum, S. Bertholdo primo Priori accidisse, ex contemporaneo Scriptore, tunc Carmelum invisente, ostenditur) Ordo Carmelitanus initium sumpserit; quemadmodum Ordo Servorum S. Mariæ, ob similem revelationem, illam nuncupat *Fundatricem suam*. Concedit igitur isthæc ultro Papebrochius, & eatenus optime meretur de Ordine Carmelitano, quod solidum ipsi principium assignet retinendi adeo amatum, Eliæ ut Institutoris, titulum: unum interea deprecans, ut ne rem incredibilem, & Acta Sanctorum scribenti maxime importunam, cogatur admittere; videlicet, Ordinem religiosum a Christo nato duodecim fere sæculis extitisse, & toto illo tempore nulli cuipiam Scriptorum distincte innotuisse; eumdem continuatam sine interruptione, a temporibus Eliæ ad duodecimum usque Christi sæculum, successionem tenere; & id auctoribus aut domesticis traditionibus, utriusque sæculo duodecimo multo junioribus, credi debere. Inde enim fieret, ut pariter cogeretur Papebrochius in *Actis Sanctorum* adscribere eidem ordini, quotquot fere Palæstina aliæque regiones vicinæ incolas habuere sanctos, puta SS. Hilariones, Serapiones, Spiridiones. Item SS. Basilios, Gregorios Nazianzenos, Cyrillos Alexandrinos; sed & Joannem Bapt. & ipsam Beatiss. V. Mariam. Hi enim omnes, præter innumeros alios, nominatim a PP. Carmelitis inter suos annumerantur, nonnullique etiam variis in locis habitu Ordinis donantur, contra præceptum Urbani VIII.

10 Porro Papebrochium, sensu prædicto, concedere Eliam PP. Carmelitis, patet tum alibi, tum ex tom. 2. Maji pag. 710. n. 9. Quousque autem se extendat ipsius impugnatio, melius intelligi non potest, quam ex verbis impugnantis, quibus ibidem pag. 713. n. 18. ita loquitur: *Denique aliud nihil concludam, quam prætensas Carmelitani Ordinis antiquitates ejusmodi esse, ut de iis possit non imprudenter dubitari; atque ipsos dubitantes nullam facere injuriam Ordini, sive cum de illis agere subterfugiunt, majoris boni respectu; sive loqui coacti, tandem ingenue confitentur, quid sentiant: quorum primum in Martio, secundum fecimus in Aprili.*

11 Denique sine annotatione prætermittere neque, quod Auctor *Libelli*, in ipso supplicationis exordio, non minus asseveranter de P. Papebrochio, & quidem primo loco, quam deinde de Patribus sui Ordinis pronuntiet, interdictum iam illi quam istis a Sanctitate sua ulteriori circa rem controversam scriptione: quod de suis quidem certo scire potuit; de illo, nimis temere, ne dicam injuriose, affirmavit. Demus tamen ita esse: profecto si istiusmodi

modi interdictum respectu P. Papebrochii re ipsa factum fuisset, non potuisset severius sibi ipse imperasse silentium, quam tenuit hactenus; & constanter deinceps tenere animum obfirmavit, nihil importunis quibusvis adversæ partis libellis, ad respondendum identidem provocantibus, a proposito dimovendus; utpote existimans, hactenus allata a se argumenta, ad elucidandam quæstionis propositæ veritatem, satis esse veritatis amantibus; nulla tamen umquam fore aliter affectis. Utinam eadem mens religiosissimis ceteroquin Patribus Carmelitis etiam post interdictum fuisset, nullumque scriptum eorum, seu proprio seu alieno nomine editum monstrari posset! Utinam & modo foret!

EPISTOLA FAMILIARIS

Ad Rev. Adm. P. Sebastianum a S. Paulo, Provincialem Provinciæ Flandrobelgicæ Ord. FF. Beatiss. Virg. Mariæ de Monte Carmelo, olim Sacræ Theologiæ Professorem Lovanii, circa librum ejus, qui inscribitur;

EXHIBITIO ERRORUM,

Quos P. Daniel Papebrochius S. J. commisit contra Christi Domini paupertatem, ætatem &c. Summorum Pontificum Acta & Gesta, Bullas, Brevia & Decreta, Concilia, S. Scripturam, Ecclesiæ Capitis Primatum & Unitatem, S. R. E. Cardinalium dignitatem & auctoritatem; Sanctos ipsos; eorum cultum, reliquias, acta, scripta; Indulgentiarum antiquitatem; Historias sacras, Breviaria, Missalia, Martyrologia, Kalendaria; receptasque in Ecclesia traditiones ac revelationes; nec non alia quævis antiqua monumenta Regnorum, Regionum, Civitatum, ac omnium fere Ordinum, idque non nisi ex meris conjecturis, argutiis negativis, insolentibus censuris, satyris ac sarcasmis; cum Ethnicis, Hæresiarchis, Hæreticis, aliisque Auctoribus ab Ecclesia damnatis; anno MDCXCIII. *oblata S. D. N. Innocentio* XII.

ADM. REVERENDE PATER,

PAX CHRISTI.

Vidimus librum Paternitatis vestræ adm. Reverendæ, cujus titulus incipit, *Exhibitio errorum*. Reliquus hic iterari refugit, ne Auctori suo, pro religiosa modestia, qua subditis prælucere Provincialis debet, ruborem denuo injiciat. Liber ipse duo potissimum tractare videtur; alterum, ut stabiliat summam antiquitatem sacri Ordinis sui, quod opto fieri posse: alterum, ut ad stabiliendam antiquitatem illam, convellat *Acta Sanctorum*, quod Sanctorum Cultores improbare debent omnes, & desperatæ causæ vestræ indicium esse censent. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant quæ putatis bona. Tertium quoque addi posset; stylus, commoti animi index; epitheta, æquis auribus gravia, termini invidiam concitare nati, sententiæ partis alterius truncatæ, pro integris passim venditæ; tituli, plura promittentes, quam demonstrent; suppositiones non fundatæ, & numquam probatæ, nec facile probandæ; Censores, qui partem inauditam, nec lectis ejus scriptis, condemnant, minus æqui, & alia ejusmodi plura. Sed bona causa talibus adminiculis nulla indiget.

2 Ad primum nihil attinet respondere, præter dicta pridem suis locis, Patern. vestræ non ignota, & hactenus sibi constantia. Tertium, commiseratione potius, quam responsione dignum est. Secundum considerari potest. Sed cum in illo jam Patern. vestra non tam exagitet P. Papebrochium, quam laceret (si Superis placet) ipsa *Sanctorum Acta*, a populo Christiano utiliter legi solita, ab historiæ ecclesiasticæ peritis ample probata, a Prælatibus, Episcopis, Cardinalibus, summis Pontificibus vaite promota; ab omnibus denique, non livido oculo illa legentibus, passim laudata; cum, inquam, Patern. vestra ita tractet indigne *Acta Sanctorum*, nihil miretur, quod nunc silentium rumpamus; non jam causam privatam nostram & scripta de origine Ordinis vestri, sed causam Ecclesiæ & Sanctorum omnium publicam defensuri.

3 Quamquam ne hanc quidem mihi defendendam sumere velim, illo quo vobis placeret modo, conscribendo librum, & respondendo ad singulos paragraphos vestros: sed, monendo Lectorem, ut cum pervolverit librum vestrum, citata ibi ex Actis Sanctorum loca ipse per se dignetur inspicere, legens præmissa & subjuncta. Hanc ego refutationem libri existimo sufficere & optimam fore. Quod si minus recte nos passim accusari viderit idem Lector, innocentiæ plaudere; si quid erratum notaverit, benigne nobis indicare dignabitur. Id enim palam esse eruditis omnibus cupio, paratos fore nos, quicumque indicati fuerint errores, cum gratitudine animi corrigere, exemplo decessorum nostrorum, qui id præstiterunt in ætate S. Francisci de Paula, in Officio sanctissimi Sacramenti, in aliis.

4 Questi fuerant RR. PP. Minimi, prægrandem sancti Patriarchæ sui ætatem, non recta a nobis imminutam esse. Questi item RR. PP. Prædicatores, male negatum a nobis Divo Thomæ auctori totum Officium prædictum. Utrique productis rationibus ostenderunt querelarum suarum verisimilem æquitatem; & continuo obtinuerunt correctionem nostram, mutatis quæ mutanda erant. Et ecce cessarunt ipsorum querelæ; successit gaudium nostrum ex elucidata magis veritate; perstitit religiosa pax, amor, concordia. Utinam similiter RR. PP. Carmelitæ rationibus non vanis, aut male suppositis argumentis, probent vera esse, quæ esse cupiunt; nos similiter prompti sumus futuri ad subscribendum veritati monstratæ.

5 Videri etiam potest *Protestatio iterata* tomo 6. Maji præfixa, ubi adm. Rev. D. Claudio Castellano, Canonico Parisiensi, obstricto nos esse fatemur; & Papebrochius, tamquam singulariter merito de se & *Actis Sanctorum*, eidem inscribit, grati animi causa, amplam Dedicationem, *Paralipomenis ad Conatum in Catalogos Romanorum Pontificum* præfixam, quod inter legendum *Acta Sanctorum* notare errores, nobisque indicare dignatus fuerit. Si eumdem scopum inter legendum

dum *Acta* habuit Patern. vestra, quem iste; & si veritatis illustrandæ studio collegit operose tam multa in libro suo, gratias eatenus agimus: sed aliud etiam beneficium addi rogamus, ut Patern. vestra (neque enim ipsamet crediderit, omnia, illic a se congesta, errores esse) errores veros maturo examine e libro suo excerpere, & scriptos aut typis seorsim editos communicare nobiscum dignetur. Quo facto, majori nos beneficio affectos putabimus; quia magno labori, lectione libri vestri perdendo, parcituri simus, sanctiore studio utilius occupati.

6 Quod si animus mihi foret contentionis cupidus, deberem exemplo Patern. vestræ scrutari atque invidiose explicare librum vestrum, uti explicantur a vobis *Acta Sanctorum*; ausim spondere futurum (ita me Sancti juvent) ut plura proferam e libro vestro reprehensione digna, quam ex *Actis* vos produxistis. Atque illud imprimis ubique in vobis reprehendam, quod temere ipsi reprehendatis, quæ passim reprehendenda non sunt, judicio Eruditorum. Vin' pauca, quæ paucis dici & facile intelligi possunt, hic notem? Arguimur docere, Constantinum Magnum, non a S. Silvestro Papa Romæ, sed ab alio Nicomediæ sub vitæ finem salutari fonte lavatum esse: non credere pari firmitate, Evangelistam Lucam fuisse Pictorem, ac fuisse Medicum: non admittere imagines omnes, quæ variis locis honorantur, & a S. Luca pictæ feruntur, revera tales esse: repudiare historiam Inventionis sanctæ Crucis; Acta S. Silvestri Papæ; Bullas, quibusdam Pontificibus affictas; librum Joannis Hierosolymitani, de institutione Monachorum ad Caprasium; Epistolam, sub nomine S. Cyrilli, tertii in Carmelo Prioris, sale commendantem; Vitam S. Angeli Carmelitæ, ab itinerum ejus individuo socio, ut volunt, compositam, & sexcenta ejusmodi.

7 Magnum crimen, & ante hunc diem ab historiæ rudibus inauditum! Næ ego vices doleo Patern. vestræ, quod tam inconsiderate famam suam ludibrio exponat, vel ipsis in historia ecclesiastica tironibus, cum talia arguit ac reprehendit in Papebrochio, quæ Eruditi passim amplectuntur; ita persuasi auctoritate veterum & elucidatione recentiorum. Vere, non una nocte aut subita metamorphosi Theologus bonus, bonus evadit Historicus. Si antiquos legisset auctores Patern. vestra, si legisset recentes, oculorum animique acie in veritatem intenta, non verteret Papebrochio crimini, quod laudi potius vertendum est.

8 Primo loco arguitur, quod Constantinum Magnum sub finem vitæ, non a S. Silvestro baptizatum, dicat. Non gratis id dicit Papebrochius, secutus auctores probatissimos, coævos Constantino atque ad ætatem ejus proxime accedentes. Hos producere (tametsi longior futurus sum, quam vellem) in gratiam Patern. vestræ lubet, ut hic eos legat, sine confusione tamen sui, si possit. Exemplo ex uno de reliquis judicabit Lector.

9 Primus, & coævus Constantino & gestorum ejus scientissimus, prodit *Eusebius Pamphili, Cæsareæ in Palæstina Episcopus*, describens accuratissime extremum ejus morbum, iter, baptismi desiderium, baptismum ipsum, testamentum, obitum; quæ legi possunt libro ejus quarto de Vita Constant. cap. 61. & seqq. Et de baptismo quidem scribit, quod *in suburbano Nicomediæ invocatis Episcopis* infirmus Imperator, desiderium suum baptisma suscipiendi declaraverit; ab iisque *solenni ritu divinis cæremoniis peractis, sacrorum mysteriorum particeps factus sit. Et postquam omnia rite impleta sunt, candidis ac regiis vestibus, lucis instar radiantibus, est amictus; & candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit*. Non potuit Eusebius, qui historiam hanc scripsit sub Constantio Constantini filio & successore, non scire, quid patre ejus factum fuerit, præsertim in re tanti momenti & tam solenniter acta: nec præsumi potest ausus fuisse mentiri, a toto mundo mox redarguendus.

10 Anno ab obitu Constantini vicesimo secundo coacta fuit *Synodus Ariminensis*, in qua, præter Arianos, interfuerunt Episcopi plures quam trecenti Catholici; qui omnes, in Epistola sua Synodica ad Constantium Imp. extante apud Athanasium græce dicunt, Ἐπειδὴ Κωνσταντῖνος, ὃς ἐξ εὐσεβείας ... ἐγένετο βαπτισθεὶς ... *Constantinus, post baptismum susceptum, vita functo*.

11 Eamdem sententiam *Athanasius*, dum Epistolam Synodicam operibus suis inserit ac approbat, similiter approbasse censendus est: non id facturus profecto, si aliter se res circa baptismum prædictum habuisset; quod ipse, si quis alius, ac totus pene Orbis Christianus tom novisse poterat. Id etiam ostendit *S. Ambrosius*, semper in Occidente (ni fallor) commoratus, & anno post Constantinum sexagesimo mortuus, in Oratione quam habuit de funere Theodosii Imp. in qua de Constantino mentionem faciens, ait; *Cui baptismatis gratia, in ultimis constituto, omnia peccata dimisit*. Adde *Hieronymum*, non admodum multis post Ambrosium annis mortuum. Dicit is in Chronico, Constantinum, *extremo vitæ suæ tempore, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, baptizatum esse*.

12 A morte Hieronymi potissimum floruerunt, in Oriente Historici Græci, *Socrates, Sozomenus, Theodoretus*, Continuatores Eusebii: quorum primus an. 440. vivens, in Historia sua Ecclesiastica lib. 1. cap. 39. editionis Valesianæ notat, *Constantinum*, ἐν προαστείῳ διάγοντα τῆς Νικομηδείας, τὸ Χριστιανικὸν μεταλαμβάνειν βάπτισμα; *in suburbio Nicomediæ degentem, baptisma Christianum suscepere*.

13 Suppar Socrati *Sozomenus*, in sua pariter Historia Ecclesiastica lib. 2. cap. 34. rem eamdem verbis non multum discrepantibus explicat. Paucissimis post utrumque annis obiit *Theodoretus, Episcopus Cyrensis*, cujus Græcus textus sic sonat Latine: *Cum Imperator Constantinus esset Nicomediæ in Bithynia, graviter ægrotare cœpit: cumque secum consideraret quam certus sit humanæ vitæ exitus, donum sacrosancti baptismatis accepit. Ad hoc namque tempus istud ideo distulerat, quod magno tenebatur desiderio, hoc salutare lavacrum in Jordane fluvio percipiendi*.

14 Proximus illos sequitur *Gelasius Cyzicenus, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus*, Actorum in Concilio Nicæno collector; de quo Photius in Bibliotheca Cod. 88. sic scribit: *Desinit Gelasius in Imperatoris Constantini Magni abitu, quando, divino remissionis peccatorum lavacro suscepto, vitæ hujus maculas, quas communi mortalium sorte contraxisse oportuerat, una eluit. Baptismate vero tinctum refert ab orthodoxo Sacerdote, sacroque ritu, non autem, ut quidam prodiderunt, ab hæreticorum aliquo. Longiorem autem hanc baptismati obvenisse moram, quod ipsis Jordanis fluminis aquis tingi vehementer optasset*.

15 Quid attinet hisce alias, mediæ ætatis ac re-

centiores, annumerare; *Cuspinianos*, *Perronios*, *Petavios*, *Lambecios*, *Valesios*, *Pagios*? In idem consentiunt cum prædictis omnes, Constantinum *sub finem vitæ* (addunt plerique *Nicomediæ*) baptizatum fuisse, mortuo pridem Romæ Silvestro. Quare satis fit unum audire, omnium quodammodo loquentem ore, eruditissimum *Petavium*. In Rationario temporum lib. 6. cap. 1. an. 337. sic habet: *Ipso Pentecostes die moritur Constantinus, in suburbano Nicomediæ, ubi paulo ante mortem baptizatum esse PLERIQUE VETERUM affirmant: quibus Cardinalis Perronius nuper adstipulatus est, dum post Nicænam Synodum baptizatum ab Eusebio Nicomediensi Constantium asseruit*,

16 Si illa legisset Patern. vestra, quod utiqua oportebat ab Historico factum esse, qua fronte ausa fuisset vel hiscere contra Papebrochium, quod tot, tam gravium & antiquissimorum juxta ac recentium scriptorum sententiam, de baptismo Constantini, amplectatur; relicta altera de Baptismo Romano, quæ præcipue nititur pseudepigrapha Melchiadis Epistola, & improbanda in multis Vita Silvestrina, quæ fere fundamentum fuit cur postleri id crediderint multi? Habet hic Patern. vestra exemplo in uno specimen eruditionis, & argumentum confusionis suæ. Hanc ne augeam, missa facio reliqua objecta, majora Papebrochii crimina inspecturus, qualia præferunt Tituli vestri plerique, paragraphis præfixi, ubi passim notatur. *Translationes Sanctorum*, *Brevia Apostolica & Bullas explodere, & arguere imposturæ: effutire sua: per imposturam agere; impugnare cum hæreticis Imagines sacras & Reliquias Sanctorum: imponere Sedi Apostolicæ*, *&c.* Graviora sunt hæc enimvero. Sed horum probat textus, Titulis tam sacris subjectus? Judicent æqui partis utriusque Lectores. Ego tantum dico, Theologiam mihi meam non permittere, ut talia regeram in Auctorem magis meritum, ac nocentiorem.

17 Possem vicissim ornare Patern. vestram (si par pari referre vellem) elogiis æque honorificis, idque majori cum jure, tum quia provocor, tum quia innocentiæ patrocinor, non talia meritæ. Sed unum pro omnibus sit, non meis verbis leviter effutitum, sed authenticum, probe testatum, & publica auctoritate convictum. Dudum penes me est instrumentum authenticum, quale dixi, publica auctoritate Parisiis anno MDCLXXXIII. die XIII. Novembris factum, curante Amplissimo viro, Antonio de Vyon, Domino d'Herouval, Consiliario Regis sui, circa imposturam veram atque palmarem, a Patribus vestris commissam Leodii eodem anno, in impressione infamis libelli, Papebrochium ac Societatem nostram criminantis; cui titulus, *Rèponse a la lettre, qu'on a vû courir à Liege depuis peu, sous le titre de M. Conseiller du Roy, contre l'origine & la succession de l'Ordre des PP. Carmes. A Paris, chez la Roche, à l'enseigne de la Verité*, 1683. Adeo placuit vobis libellus ista, ut etiam latinitati donatus sit, alterique deterioris farinæ, *Salisburgi*, uti præfertur, *apud Gotifridum Junck*, nuspiam illic notum typographum, *anno* MDCLXXXIV. impresso, sit insertus; ubi titulus, gallice modo hic præmissus, sic redditur latine: *Responsio ad Epistolam, quæ visa Leodii grassari sub titulo N. Consiliarii Regii, contra Originem & successionem Ordinis Carmelitarum*.

18 Locum impressionis, Latinus hic interpres, uti & impressoris nomen, caute prætermittit: ubi auctor Gallicus locum impressionis posuerat *Parisios*, & impressoris nomen *La Roche*: cum tamen constet mihi, ex amicorum litteris, 16. Julii an. 1683. in loco impressionis datis, Libellum prædictum *Leodii* impressum esse, impressore *Grison, sur le vieux marché, in veteri foro*. Additur præterea sub calcem libelli *Approbatio*, quæ solet esse Censoris, ejusdem ingenii, id est fictitia, quantum quidem ego potui rescire. Nomen Auctoris, probe mihi descriptum, non debeo indicare Patern. vestræ, quæ illum ignorare non potest: vulgo autem indicare non volo, caritatis causa. Sed præcipua, & (si ita malis) unica imposturæ ratio in hoc consistit, quod Auctor ille vester præfixerit Epistolæ suæ, quæ totum fere conficit libellum, prædicti Ampliss. Domini d'Herouval, rerum omnium ignari, & factum vestrum, ubi rescivit, ægerrime ferentis, illustre nomen. Quapropter ut famæ ac nomini suo consuleret, putavit notam adeo turpem per publicos Tabelliones ac instrumenta a se atque familia sua arcendam. Instrumentum, ut dixi, authenticum penes me est, quod semel impressisse in prima hujus Epistolæ editione, satis sit, ut parcatur honori Ordinis. Judicare Lector inde plura posset de sincera fide Patern. vestræ ac suorum, quam ego velim hic exprimere. Judicabit etiam eadem de re, majori cum certitudine, si inspexerit Bullam Clementis Papæ X. datam Romæ die XI. Maii MDCLXXIII. relatam in Bullario novo, Bulla XXXIV,

19 Summo denique crimini datur Papebrochio, quod nonnulla teneat in re historica, quæ Lutherus, Calvinus (quos tamen is legit numquam) Launoyus ac Natalis Alexander docuerunt. Quasi vero nihil reperiatur veri inter errata plurima hæresiarcharum. Quid vetat, uniones luto permixtos colligere ac servandos reponere? Meministne Patern. vestra, quod Articulo suo 13. §. 53. num. 101. in quem casu incido, ad probandum quædam dicta sua, advocet *Auctores Bibliothecæ Tigurinæ*, cognitos a se ut hæreticos? Nuspiam advocat P. Papebrochius Lutherum aut Calvinum, nuspiam Auctores Bibliothecæ prædictæ. Quod illorum doctrina immerenti imputetur, debet cum aliis ejusmodi beneficiis Patern. vestræ. Miserum vero Launoyum (sed in Carmelitas peccavit) ac magis etiam miserum Alexandrum, quod uterque passim hæreticos imitari, jubente Patern. vestra, debeat; atque Alexander insuper debeat Papebrochii causa culpam neutrius luere, coactus (quasi immemor esset calamitatis suæ qualiscumque) identidem audire ex Patern. vestra, cum ingenuorum indignatione, *damnatum se ab Ecclesia esse*. An religiosum est afflicto addere afflictionem? & pœnam, a Superiore semel inflictam, ab æquali, nihil injuriæ passo, sæpius iterari?

20 Nolim ergo R. P. vestro Philippo Teissiere, qui an. 1682. coram Capitulo Provinciali, Biterris coacto, Historiam Carmelitanam, Thesibus Episcopo loci dicatis, theologice defendendam suscepit, exprobrare, quod Theses ipsius, & in Thesibus Historia Carmelitana, Romana censura notatæ ac legi prohibitæ sint. Et quam multa vos etiamnum sustinetis, quæ damnatis illis Thesibus continentur? Quod Papebrochius citet subinde, ac laudet etiam, Natalem Alexandrum, vitio ei dari non potest; cum id fecerit prius quam libri illius proscripti fuerint: quemadmodum ad crimen imputari non potest ulli, qui hodie laudaverit librum, multa bene ac erudite disputantem; si is forte, propter detecta quædam errata, post mensem aut annum, in Indicem librorum prohibitorum

rum

rum referatur. Papebrochium autem ante damnationem Alexandri prædicti, tantummodo usum fuisse libris ejus, scrivit Patern. vestra, citans Art. suo 4. §. 7. partem textus hac super re Papebrochiani. Sed cur non totum? An ex toto textu patuisset sinceritas Papebrochii; & omni culpa a legentibus totum, absolvendus putabatur? Totum igitur accipe ex Conatu Chronico-historico pag.* 5. num. 20.

21 *His prænotatis, incipio cum P. Henschenio a primo ac præcipuo Ecclesiæ Capite Christo Jesu, cujus Vicarii suos Romani Pontifices, Petri successores. Sed ecce, ipso tempore, quo, utriusque Tomi (4. & 5.) impressione jam ferme absoluta, pagina hæc, in duobus ultimis numeris mutanda, iterato destinatur ad prælum; perfertur Roma gravissimum Sanctissimi Domini Nostri Decretum, publicatum istic an.* MDCLXXXIV. *die* X. *Julii, quo* „ *Libri quidam, Auctore* „ *Natale Alexandro, Fratre Ordinis Prædicatorum, in sedecim volumina distributi* (*præter* „ *alios in quatuor opuscula divisos*) & *a primo* „ *usque ad duodecimum sæculum inclusive editi,* „ *sub titulo,* Selecta Historiæ ecclesiasticæ Capita, *a S. D. N. Innocentio PP. XI. motu proprio* „ *ex certa scientia ac matura deliberatione, deque* „ *Apostolicæ potestatis plenitudine damnantur ac reprobantur, ac legi seu retineri prohibentur, ipsorumque librorum omnium & singulorum impressio, descriptio, lectio, retentio, & usus sub gravissimis pœnis in decreto contentis, omnino interdicitur.* „ *Ne quis igitur duos hos Tomos in lucem venire videns post hujusmodi Decretum, & nihilominus in iis dictos libros subinde absque scrupulo allegatos reperiens, observantiam Apostolicorum mandatorum, quam ante singulos Tomos profitemur, ea in casu desideret; monitum lectorem velim, id, prius quam tale Decretum conderetur Romæ, procul inde in Belgio esse absque malo dolo factum; & quidem in iis duntaxat argumentis, quæ solo si Auctor ille tractasset, non putamus incursurum fuisse Sanctæ Sedis indignationem tam gravem. Interim etiam sic impressa pro non impressis haberi cupio; & Pontificiæ voluntati in omnibus atque per omnia morem gestum desiderans, a sexto septimoque Maji Tomis, jam jam ad prælum postulandis, expungo quæcumque alia loca, dictorum librorum mentionem facientia.*

22 Quid ad hanc assertionem positivam, suspicio contraria & male cohærens, a vobis loco citato mota? Ille retractat ultro, disertis verbis, cum singulari erga sanctam Sedem Apostolicam reverentia; atque pro retractatis & non impressis haberi vult omnia, quæ e Natale uspiam adduxerat. Vobis nihilominus lubet suspicari, hanc tam seriam retractationem aliud non esse, *nisi verba & voces, ac frivolam in peccato excusationem.*

23 Sed ad crimina Papebrochii redeo; non quod eluenda putem, quæ probata non sunt; sed quod operæ pretium judicem, hic etiam crimine in uno (quod pace Patern. vestræ liceat) monstrare æquo Lectori, quod de reliquis sentiendum sit. Paragraphus vester 8. Articuli primi sic inscribitur: *Papebrochius ex meris conjecturis impugnat Præputium Christi Domini, Antverpiæ asservatum.* Antverpia mihi vellicat aures: Antverpia, quam ego alteram mihi patriam esse duco diutina commoratione: Antverpia, ubi *Acta Sanctorum* illustrari cœpta, hac usque feliciter, si per vos licet, illustrari pergunt; ubi monumenta publica, Senatus populique in Societatem merita loquuntur: ubi Societas vicissim gratitudinem suam commonstrare non cessat, domi & foris in vinea Domini laborando; in Scholis inferioribus, litteris & pietate imbuendo ætatem teneram; in altioribus, scientia divina instituendo adultam; in sacris pulpitis, dicendo ad conciones; in sacellis minoribus, catechizando ad rudes; in sodalitiis, hortando ad virtutem pueros, adolescentes, juvenes, cœlibes & conjugatos; sacros & profanos; Flandrice, Gallice, latine; in expiando, labore indefesso, pœnitentes; in dando consilium dubitantibus; in consolando mœstos; in visitando captivos; in confortando infirmos; in assistendo moribundis.

24 Illa, inquam, Antverpia, in istis aliisque gratitudinem & zelum nostrum multipliciter experta, propter unum alterumve Societatis alumnum, & eum alumnum, cui (quod novisse potest Patern. vestra, & illustrata Anverpia, brevi typis vulganda, manifestum faciet) præ ceteris Antverpiensium gloria cordi est, indigne concitetur in totum laboriosæ Societatis corpus? At quo pacto? *Papebrochius impugnat.* Quid? *Præputium Christi Domini, Antverpiæ asservatum.* Quid Præputium Domini apud Antverpienses, ad antiquitatem Ordinis vestri in monte Carmelo? Quibus autem argumentis impugnat Papebrochius? *Ex meris conjecturis.* Audiamus.

25 *Inter ecclesias* (ait Patern. vestra loco citato) *quæ contendunt, apud se existere sacrosanctum Christi Domini Præputium, non immerito ecclesia Antverpiensis gloriatur, illud apud se quinque ferme sæculis fuisse asservatum: quod Ven. Bollandus, Papebrochii magister Tom. 1. Januarii fol. 6. censet omnino probabile. Primum. Ex testimonio Capituli Antverpiensis an. 1416. dato. Secundum. Ex testimonio Theobaldi Archiepiscopi Bisontini an. 1427. dato. Tertium. Ex testimonio Joannis Episcopi Cameracensis an. 1428. Denique ex testimonio Eugenii Papæ an. 1446. Quibus accedit Bulla Clementis VIII. an. 1599. data, qua confirmatur Confraternitas Circumcisionis, jam olim in urbe Antverpiensi instituta.* Hæc saltem laus, quod præ ceteris ecclesiis, de Præputio Christi contendentibus, illud adjudicetur Antverpiensi, & quidem tam variis argumentis, debetur *Actis Sanctorum*, & hactenus id debeat Antverpia Societati.

26 Sed an P. Papebrochius id *impugnat*? Enimvero, inquis; *Ex professo enim studere* VIDETUR, *ut antiquissimas Capituli Antverpiensis litteras, quibus testimonium perhibetur, quomodo Hierosolymis olim ad Ecclesiam Antverpiensem transmissum fuerit sacrosanctum Christi Domini Præputium, funditus evertat, aut saltem de suppositione & fictione valeat reddere suspectas. Nam, quamvis præfatæ litteræ disertis verbis asserant, sacrum Christi Domini Præputium Hierosolymis Antverpiam transmissum esse ab Henrico Norse, Presbytero Antverpiensi, facto Hierosolymitanorum Episcopo; præfidenter tamen asserit Papebrochius, Tom. 7. Maji pag. 702. col. 2. Nullum inter Patriarchas Latinos,* qui Hierosolymis sederunt, *locum esse Henrico, de quo litteræ Capituli Antverpiensis anni 1416. Qua asserto, juxta modum argumentandi, seu potius argutandi, ipsi admodum familiarem, Antverpiensium testimonii probabilitas ac verisimilitudo funditus evertitur.*

27 Nihilne aliud argumenti suppetit? Inde igitur vestræ Patern. VIDETUR Papebrochius *ex professo studere*, ut *funditus evertat* litteras Antverpiensis Capituli; atque ita *impugnet Præputium Christi Domini, Antverpiæ asservatum?*

Et

Et tamen certo scit eadem vestra Patern. illo loco Papebrochium *ex professo studere* Chronologiæ Patriarcharum Hierosolymitanorum stabiliendæ: quo facit imprimis, ut ne quem annumeret Patriarchis istis, qui annumerari omnino nec potest, nec debet. Sed quid tandem peccavit Papebrochius? *Præfidenter asserit, nullum inter Patriarchas Latinos locum esse Henrico* (cur non Patern. vestra locum ei quærit, ac ostendit esse?) *de quo litteræ Capituli Antverpiensis, an.* 1416. signatæ. An vero in peccato isto, quod dicis, vel verbulum est quod Præputium lorret, nedum *impugnet*? Alia prorsus, quam vos vultis, & non bene interpretamini, illic habet Papebrochius, huc pertinentia. Imprimis partem profert ipsarum Capituli litterarum. Deinde eas explicat, & conciliare conatur in favorem Antverpiensium, ac veritatis. Præputium vero tantum abest, ut *impugnet*, ut ejus *perpetuam sæculorum quinque possessionem, variis documentis testatam* asseveret *indubitabilem* esse. An hoc *impugnare* est? An ea non legit Patern. vestra? Fidem hic requiro Religiosam, Sacerdotalem, provincialem. Accipe textum Papebrochii, quemadmodum vestrum jam dedi, totum ut jacet: Judices appello ipsum Ven. Capitulum Antverpiense, ipsamque Patern. vestram, ut coram Venerandis istis viris moderatiore animo expendat dicta Papebrochii, & sententiam tuam vel confirmet, si ausit ac possit; vel retractet, si se amet ac amari velit. Ita scribit Papebrochius.

28 *Ex dictis apparet, regnante Balduino I. nullum inter Patriarchas Latinos locum esse Henrico, de quo litteræ Capituli Antverpiensis, signatæ an.* MCCCCXVI. *& a nobis prolatæ* 1. *Januarii; ubi de Præputio Domini, num.* 14. *sic loquuntur:* „*Tradiderunt nobis seniores nostri, quod olim regnante in Terrasancta felicis recordationis illustrissimo Christianissimoque Principe, fundatore nostro, Godefrido de Buillon, Hierosolymitanorum Rege, erat cum illo generosus quidam vir Antverpiensis oppidanus, Henricus Noese, Presbyter & ejusdem Domini Godefridi Capellanus; qui deinde eorumdem Hierosolymitanorum factus Episcopus, videns, succedente Balduino, præfati Regis Godefridi fratre, sævitiam infidelium invalere Paganorum, natalis patriæ nimium affectus amore, conquisitum ante & sufficienti documento probatum Domini nostri Præputium, per manus cujusdam nostrates Capellani sui & nostri, Arnoldi Heerbaut, priusquam morte corporali illic præveniretur, ut rem tam sacram indignis fidelibus subtraheret, ad nostram præfatam ecclesiam Antverpiensem, memoriale sui perenne, fideliter transmisit.*„ *Facile fuit decursu sæculorum trium, in hac per traditionem accepta relatione, variari quidpiam salva rei substantia, quam* PERPETUA SÆCULORUM OMNINO QUINQUE POSSESSIO, VARIIS DOCUMENTIS TESTATA, INDUBITABILEM FACIT. *Omnia autem consideranti mihi verosimillimum fit, quod Daybertus Patriarcha, cum decretum haberet ab infensi sibi Regis Balduini facie Antiochiam declinare, Vicarium pro se reliquerit Henricum istum, unum fortassis ex Suffraganeis Episcopis suis, & sic traditio Antverpiensium, Episcopum dixerit, qui solum erat Episcopi Hierosolymitani Locumtenens: cui etiam additum cognomen Noese posterioris forsitan institutionis fuerit, quia sæculo* XV. *sic appellabantur, qui Henricum istum inter proavos suos numerabant.* Ita Papebrochius. Quid hic Præputium Christi Domini impugnat? Imo quid illud non confirmat Antverpiensibus?

29 Hactenus Antverpia me loqui coegit, & nondum sinit tacere. Facit ad gloriam ejus, ne quid indignum committamus in sanctum Apostolum suum Norbertum, institutumque ab eo sacerrimum Ordinem. Quid? Nos? in S. Norbertum institutumque ab eo Ordinem? Primordia saltem ejus ex veteri Testamento accersenda non sunt. Rogat me hisce diebus (jocone an serio, vix scio) Vir Amplissimus, Ordinis istius imprimis amans, & mihi pridem familiariter notus: num quid moliremur proximo Sanctorum Junio mense adversus Ordinem Præmonstratensem; simulque proferri jubet librum Patern. vestræ, ab aliquo subditorum vestrorum ei dono datum, monstratque mihi locum, quem hic monstraudum omnibus proferre lubet, ex Art. 21. §. 2. n. 19.

30 *Videtur præterea* (inquit ibi Patern. vestra) *Papebrochius etiam adversus historiam Canonicorum Præmonstratensium aliquid machinari, quod effutiet in Junio, quando edet Vitam S. Norberti, nisi coerceatur. Nam tomo* 2. *April. in Propylæo, parte* 2. *num.* 29. *dicit:* „*Exortos Canonicos Præmonstratenses, credibile est, in principio suo, distinctos fuisse a sæcularibus solo colore, haud multum dissimili forma tonsuræ atque vestitus usos.*„ *Quasi vero a S. Norberto non minus vestitus religiosi formam acceperint, quam ipsam Regulam.*

31 Nisi Prophetam hic agat Patern. vestra, capere non possum, qui de futuris contingentibus & libertati nostræ subjectis, tam asseveranter pronuntiet, determinate futura esse. *Videtur*, inquit, *Papebrochius etiam adversus historiam Canonicorum Præmonstratensium aliquid machinari.* Tacebit potius salva veritate, uti tacere voluit de antiquitate vestra, si passi fuissetis, quam loquatur rationabiliter displicitura Ordini integro. Quid vero est, cur timeant Præmonstratenses, nisi forte a prophetia temeraria Patern. vestræ tantum? Machinatur aliquid Papebrochius, *quod effutiet in Junio, quando edet Vitam S. Norberti, nisi coerceatur.* Nisi Patern. vestra coerceat, nescio quis tandem coerciturus sit; cum putem, nulli uspiam terrarum tantum mali ominis in mentem venisse, quantum hic præsagitur a vobis.

32 Prodit hoc ipso primo Sanctorum Junii tomo Vita S. Norberti, ipso adjuvante Sancto. Sed, tacentibus nobis, docet Vita illa, quam irreligiose ac temere hæc & similia *effutita* sint a Patern. vestra, pro tota mali ominis probatione aliud non citante quam hæc verba Papebrochii, & hoc modo: *Exortos Canonicos Præmonstratenses, credibile est, in principio suo, distinctos fuisse a sæcularibus solo colore, haud multum dissimili forma tonsuræ atque vestitus usos.* Miror equidem, quomodo prudenter hinc inferri possit, timendum esse Præmonstratensibus ab editione Vitæ S. Norberti, aut coercendum iis esse auctorem Vitæ edendæ, de qua nemo bonus mali quidpiam ominabatur.

33 Dic amabo, Religiosi Præmonstratenses, nonne Canonici sunt? Quid si modo institutum eorum obtineret, ut haud multum absimili forma ton-

ma ton-

ma tonsuræ atque vestitus uterentur, colore tamen vestium albo distinguerentur a sæcularibus; an similitudo illa tonsuræ atque vestitus iis magis indecora foret, quam appellatio Canonici? Nihilomious id displicet vestræ Patern. inquienti; *Quasi vero a S. Norberto non minus vestitus religiosi formam acceperint, quam ipsam Regulam*. Certe Regula S. Augustini, quam suis tradidit S. Norbertus, ne colore quidem differt ab eadem Augustini Regula, quam plures alii Ordines religiosi sequuntur; & tamen indecora Præmonstratensibus non esse putatur, etiam a Patern. vestra: cur igitur vestitus, colore saltem a vestitu Canonicorum sæcularium diversus, indecorus eis, præsertim initio Ordinis, fuerit? Sed neque ait Papebrochius, *haud multum dissimili forma tonsuræ atque vestitus usos fuisse* Præmonstratenses, initio Ordinis sui, illi formæ, qua tunc utebantur Canonici sæculares; sed illi, quæ exprimitur in lapide effigiato sepulcrali, de qua controversia erat. Ut autem hæc patescant, producam, uti supra, ipsum Papebrochii textum integrum, & quidem paulo altius repetitum, partim claritatis causa, partim ut appareat quam aliter citetur a vestra Patern. auctor ille, aliter ipse scripserit; quamque ex incidenti tantum illic mentionem faciat Præmonstratensium. Loco igitur citato, quæstio vertitur, an lapis sepulcralis, in oppido Boppardia ad Rhenum, effigiem exhibeat Carmelitæ; ajentibus vobis, Papebrochio negante, & sic inter alia loquente n. 29.

34 *Interim ex visis dictisque appareret satis, nihil Carmeliticum videri in lapide Boppardiensi: quem tamen ut præcipuum solidissimumque suæ in Europa antiquitatis fundamentum ostentant aliqui, majori præjudiciorum tuendorum zelo ducti, quam rerum veterum cognitione instructi. Quoniam vero de istic sepulto facilius est pronuntiare, non fuisse Carmelitam, quam distincte definire quis fuerit; optarem plura sæculi* XI. *ac* XII. *monumenta sepulcralia in provinciis Rhenanis eorumque vicinia superessent. Vix enim dubito, quin Priorum seu Præpositorum sæcularium lineamenta omnia similem fere habitum repræsentarent. Siquidem paulo post exorti Canonici Præmonstratenses (quos credibile est in principio suo distinctos a sæcularibus fuisse solo colore) haud multu dissimili forma tonsuræ atque vestitus usi sunt; quemadmodum colligere nobis licuit ex antiquis picturis, B. Hermannum Steinfeldensem, sæculo* XIII. *mortuum, repræsentantibus*. Cur Patern. vestra hæc citans, omissa parentesis nota, confundit sensum? Cur *formam tonsuræ atque vestitus* Præmonstratensis refert ad sæculares Canonicos, cum ad imaginem in lapide effigiatam deberet? Cur ultimam orationis partem, præmissorum probationem de visu continentem, præscindit, parum fideliter adducto textu dimidio? Fidem hic requiro, quam supra.

35 In utroque textu Patern. vestræ, a me paulo ante producto, mirari satis non possum, quomodo tam debilia proferat, ad probandum, per miserum VIDETUR, quæ tam magnifice ac jactanter proponit in titulis. Primi loci titulum supra dedimus: alterius sic habet: *Papebrochius valde insolenter, & successu plane erubescendo, antiqua variorum Monachorum*, quos inter Norbertinorum, *invadit diplomata & monumenta*. Erubescunt litteræ ipsæ, quantumvis nigræ, quod promittentibus ipsis tam multa ac gravia, præstentur tam pauca & fere ficta. Primo loco, Patern. vestræ VIDETUR *Papebrochius ex professo studere, ut antiquissimas Capituli Antverpiensis litteras funditus evertat*. Secundo loco eidem VIDETUR *etiam adversus historiam Canonicorum Præmonstratensium aliquid machinari*. Idne probare est thema, tam insolenter & asseveranter in titulo propositum? si ego de scriptore inepto, qui maledictis utitur pro argumentis, dicam, quod mihi *insanire* VIDETUR: an propterea insaniat?

36 Probet Patern. vestra esse, quæ Papebrochius negat esse, quæque non esse ostendit; non recte vapulans ab eo, qui dicit, supponit, clamitat, & nihil probat. Negat Papebrochius, Henricum Noese, de quo supra, fuisse Patriarcham Hierosolymitanum, & rationem reddit, quia illo tempore, quo fuisset, constat alium sedisse. Vult ipsum Patriarcham fuisse Patern. vestra: sed rationem nullam reddit, qua probet. Improbat ille Vitam S. Angeli, negatque ab itinerum socio scriptam esse ob argumenta plurima, quæ vobis solvenda proponit tom. 2. Maji in Append. & nisi solveritis, nihil facitis. Negat Papebrochius S. Eliam institutorem esse Carmelitani Ordinis, ut SS. Dominicus, Franciscus, Ignatius sunt; & pluribus probat tom. I. Aprilis & alibi, rejectis per argumenta bona documentis incertis, fictis, falsis. Asserit, quod ille negat, Patern. vestra: ut probet, assumit documenta illa, incerta, ficta, falsa, eversa, pro certis, sinceris, veris, inconcussis. Probandum est talia esse documenta ista, non supponendum.

37 Neque suppositiones vestræ, probationes ut fiant; aut dicteria scommatave, ut rationes evadant; umquam efficiet auctoritas Censorum, quamvis multorum & e variis Academiis, magis Theologicis, quam Historicis, collectorum; illorum præsertim, qui extra chorum saltant, Judicis personam induentes, ubi Censores tantum rogati sunt, & videri volunt: qui non legerunt: qui statuunt aliquid parte inaudita altera, in favorem auditæ, ac grave præjudicium non auditæ. Æquiore hic Judice opus est, ut de talium æquitate æquum judicium judicetur. Finge, me coram Titio judice injuriarum agere Patern. vestram ac dicere, inepta, falsa, truncata, injuriosa, scandalosa, damnanda, comburenda scripsisse: putas æquum fore Titium? si non audita Patern. vestra, non lectis ejus scriptis quæ accusantur, sic pronuntiet: Ego Titius *Censeo P. Sebastianum a S. Paulo, in iis*, quæ contra librum ejus, *Exhibitio Errorum*, ab Actore citantur (*SUPPOSITA CITATIONUM FIDELITATE*) *non satis insistere Spiritui Ecclesiæ Catholicæ & proprii Ordinis sui Carmelitani, circa sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem; S. R. E. Cardinalium dignitatem; Sanctorum cum Christo regnantium honorem; Religiosorum Ordinum vetustatem ac probata monumenta*.

38 Stupeo. *SUPPOSITA CITATIONUM FIDELITATE*. An illud judicandi damnandique fundamentum? Non temere supponendum est judicanti, quod imprimis inspectum, examinatum, ac certum illi esse debet. An, si supponam ego ex sola unius relatione, injustum in casu dicto Judicem esse Titium; justus ego sim,

sim, si non auditum illum injustitiæ ac pœnæ condignæ damnem ? Si Patern. vestra Censoribus suis cum suo libro simul obtulisset etiam *Acta Sanctorum*, ut non truncata & perperam explicata, sed integra cum præmissis & subjectis in proprio fonte legere potuissent idque voluissent; tum vero æquiorem, credidero, ac nomine suo digniorem tulissent Censurem. Quapropter appellare possem a Censoribus, qui non legerunt *Acta Sanctorum*, in quibus ea damnant, ad eosdem cum legerint, Carmelitanis exceptis. Sed alii reperiuntur, qui legant nostra, magis in historicis versatis, quam Theologi plerique: nec desunt Itali ac Galli: quos miror nullos a Patern. vestra esse advocatos ad censurandum. An probatori non fuissent illi scripta vestra? aut reipsa advocati, ut plures alii, probare noluerint?

39 Cur porro præter Censores prædictos, initio libri positos, apparet in medio ejusdem tota caterva Censorum, approbantium *Libellum supplicem* ad felicis recordationis S. D. Innocentium XI. P. M. qui ante decennium prodiit, nulla nisi Ordinarii Censoris approbatione munitus? An sine Censoribus istis intrare Romam, & oculos sanctissimi Innocentii, cui offerendus erat, subire ausus non fuit? An illorum auctoritate mota Respublice Veneta rescindet Acte sua, quibus idem *Libellus* apud se recusus, publicari prohibitus ac tenebris addictus fuit?

40 Fui ipse Romæ, quando prodit primum *Libellus* iste *supplex*, uti titulus habet, *Francofurti* impressus; nec non, quando recusus fuit in statu Veneto, ac suppressus Superiorum mandato. Submissum etiam e Belgio exemplar obiter inspexi: cumque nihil novi, quod magnopere urgeret, afferri observassem, concepi *Brevem Instructionem* circa *Libellum* istum, qua viros aliquot Illustrissimos de quibusdam eo spectantibus informandos curavi, & sic suam Sanctis causam per ipsos tuendam commisi. Discessurus vero Roma anno MDCLXXXVI. triennio ab editione *Libelli* elapso, curiosus interrogavi unum e prædictis Illustrissimis, qui fere quotidie Sanctissimum Dominum ex Officio adibat, de controversia nota probe instructum; Numquid *Libellus* vester umquam oblatus reipsa, visusque fuisset Sanctitati suæ? Negavit ille, addiditque: Si offerretur, nihil effecturum apud æquas Pontificis aures, veritatem præ antiquitate æstimantis. Vivit etiamnum Illustrissimus ille, majori nunc in dignitate constitutus.

41 Lego inter Censuras proxime memoratas, primo loco, *Judicium Universitatis Coloniensis*. Quod & legerant Colonienses ipsi, qui se per litteras apud nos, nihil de fraude suspicatos, excusant; negantes, Universitatem suam approbasse Libellum istum; ac dolentes, seu auctorem ejus, seu alium quempiam, nomine Universitatis abusum, prudentiam atque auctoritatem ejus turpiter prostituisse, & ad delendam notam illam obligari, & forte cogendum. Sed hoc ipsi curaverint. Ego, ne præter propositum meum Epistolæ rationem excedam, finem facio, ubi Protestationem Patern. vestræ, aut saltem ejus partem, uti & meam, his adjecero.

42 Protestatio vestra, quam credebam, imprudenter passim scriptæ abolituram fuisse, talis est: *Protestor, me abstinere velle & præscindere ab omni censura; contentus demonstrare, quod Papebrochius non minus irreverenter, insolenter, & contemptim dicta Ecclesiæ monumenta, Sedis Apostolicæ auctoritate communita, repudiet; quam hæretici, aut Joannes Launoyus, Natalis Alexander, aliique ejusdem surfuris scriptores, ab Ecclesia damnati*. Hoccine *abstinere* est *ab omni censura?* Sed *vult* tantum abstinere Patern. vestra. Supponat igitur, Cajum, in pectus Titii deliberate adigere pugionem, & exclamare ac protestari, se nolle eum lædere: an propterea videbitur Cajus non læsisse Titium, sic percutiendo; & contra mentem locutus non fuisse, sic protestando?

43 Pergit Protestatio: *Quod si vero hinc inde Papebrochius nimis acriter & dure corripi & redargui videatur, dum erroris, falsitatis, ac imposturæ passim arguitur* & censuratur; *non habet quod inde conqueratur, cum illorum plerumque evidenter convincatur*. Hoc ultimum ostendat Patern. vestra verum esse, & non dico *evidenter*, sed vel verosimiliter *convincat* quæ ait: & ego protestor, me reliqua, quæ in Papebrochium, quæ in Societatem nostram, quæ in Ecclesiam militantem, quæ in triumphantem scripturiendo peccavit vestra Patern. ex toto cordis affectu ei, quantum quidem in me est, condonare omnia.

44 Protestor item, corrigente Ecclesia aliquid in scriptis nostris, aut qualibet privata persona errores in illis veros indicante, futurum ut eos proxima quaque occasione corrigamus. Si Patern. vestre inter illos errate nobis vera dignabitur paucis suggerere, gratias a nobis ampliores exspectet: si acta pergat agere ac nugas, nullum exspectet responsum.

45 Rogo etiam Patern. vestram, ut hanc Epistolam meam, cum *Brevi Instructione circa Libellum supplicem vestrum*, de qua modo dixi, quamque huic Epistolæ præmisi, patiatur addi ad calcem libri sui, simulque cum illo vendi ac legi. Neque enim moror judicium illorum, qui cum libro vestro hanc etiam Epistolam legentes, reprehensuri sunt, quod mitior sim, quam par est, in amicum exorbitantem. Malo enim videri nimis mansuetus, quam parum prudens, aut parum religiosus. Atque hic finem faciens, me meaque studia, ad majorem Dei & Sanctorum gloriam prosequenda, commendo sanctissimis Patern. vestræ sacrificiis, in osculo pacis. Antverpiæ, ex Museo nostro, anno a partu pacifico Virginis MDCLXXXXIII. die 1. Martii.

ADM. REV. PATERN. VESTRÆ.

Servus in Christo
CONRADUS JANNINGUS S. J.

AMICA

AMICA EXPOSTULATIO
PRO EPISTOLA FAMILIARI
CONTRA MOTIVUM JURIS,

Præter omnem juris formam nuper in vulgus ſparſum,

Ab adm. R. P. Sebaſtiano a S. Paulo, de quo ſupra.

ADM. REVERENDE PATER.

PAX CHRISTI.

DIe VII. Martii nuperi ſamiliariter miſi Paternitati veſtræ adm. Revercodæ *Familiarem Epiſtolam* impreſſam, comitante eam altera mea manuſcripta. Credebam (quod ſine inhumanitatis nota omitti non potuit) alterntram ſaltem reſponſione pariter familiari dignandam; ut ſic Mundo conſtaret, nullas inter Religioſos viros intercedere ac ali ſimultates, ſine quibus, exemplo Sanctorum plurium, diſputari poteſt eruderandæ atque illuſtrandæ veritatia cauſa. Cum ecce, poſt moram trimeſtrem, video prodire *Motivum juris pro libro cui titulus, Exhibitio errorum* &c. Motivum parum familiare, ac reſpla erambe ter eocta, primum io *Libello Supplice*, iterum in *Exhibitione errorum*, deoique io hoc *Motivo Juris*. Oſtendit Patern. veſtra ſcriptia illis ſuis, nolle ſe familiariter agere cum æqualibua; nolle obedienter cum Superioribus; nolle fideliter ac religioſe cum *Actis ſanctorum*, ſolicite *collectis*, prudenter *digeſtis*, erudite *illuſtratis*. Illa monſtrare aggredior.

2 Familiariter tracto ego Patern. veſtram, atque adeo invito ad ſamiliare reſponſum; cum ipſi in *Epiſtola Fam.* oum. 3. æque ac *Eruditis omnibus polam eſſe cupio, paratum fore me, quicumque indicati fuerint in Actis Sanctorum errores, cum gratitudine animi corrigere*. Et num. 5. *magno beneficio afficiendos nos putavi a Patern. veſtra, ſi errores veros maturo examine e libro ſuo excerpere, & ſcriptos aut typis ſeorſim editos communicare nobiſcum dignata fuerit*. Et numero denique 44. eum dixeram: *Proteſtor corrigente Eccleſia aliquid in ſcriptis noſtris, aut qualibet privata perſona errores in illis veros indicante, futurum, ut eos proxima quaque occaſione corrigamus*. Adjunxi: *Si Patern. veſtra inter illos errata nobis vera dignabitur paucis ſuggerere, gratiae a nobis ampliores expectet; ſi acta pergat agere ac nugas, nullum expectet reſponſum*.

3 Cur ad has tam amplas, tam amicas oblationes, tam promptam voluotatem corrigendi errata, non proferuntur, amice ac familiariter, vere talia? An alio collimat Patern. veſtra tot ſcriptis ſuis, quam ut errata in *Actis Sanctorum* corrigantur? Nolim id ego ſuſpicari. Cum igitur ultro offeratur talis correctio, quæ familiaritas eſt, illam per *Motivum Juris* procul hinc in incertum ſolicitare? Quia creditor familiariter in jus vocet debitorem ſuum, multum olei operæque perditurus, præſertim ſi is ſponte ſe offerat ad diſſolvendum omne debitum, quod oſtenderit creditor vere deberi? Sed ultima præmiſſæ ſententiæ meæ pars, *Si acta pergat agere ac nugas, nullum expectet reſponſum*, movetit Patern. veſtram, opinor, ad ſcribendum *Motivum Juris*, ut ne reſponſum acciperet, impleta conditione, ſub qua reſponſum dicitur negandum. Accedunt Eruditorum, eadem etiam nunc ſentientium judicia, atque adhortationes, ut nullum demus reſponſum aliud, quam datum eſt in *Epiſtola Familiari*. Perſtiti & ego propoſito in eodem; donec ab inerudito vulgo, etiam Religioſorum, jactari audivi, poſt editum *Motivum Juris*, Auctorem *Epiſtolæ Familiaris* adeo convictum eſſe, ut redactus ſit, quod ajunt, ad metam non loqui. Miſerum Auctorem *Epiſtolæ Familiaris*! Præcipue quod in judicium vocetur ineruditorum, & in gratiam vulgi debeat, contra propoſitum ſuum, denuo reſponſum parare, idque ad vulgi captum; cum Eruditis aliunde de veritate rei ſatis ſuperque ſit perſuaſum.

4 Quod nolit obedienter agere Patern. veſtra cum Superioribus, clamitant citata ejus ſcripta; in quorum primo, ſive *Libello ſupplice* (quandoquidem de illo ſibi etiam plaudat Patern. veſtra initio *Motivi* ſui) Sanctiſſimo Papæ Innocentio XI. pridem (uti titulus legit) *exhibito*, ſic ipſum alloquens, ordiris. BEATISSIME PATER. *Cum Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Cybo, Sanctitatis veſtræ nomine per Procuratorem noſtrum Generalem, ſignificari* NOBIS *curaverit, Sanctitatis veſtræ voluntatem eſſe, ut Patres Societatis Jeſu deinceps contra Ordinem noſtrum aliquid typis edere deſiſtant; utque parte ex altera Provinciæ noſtræ Patres, qui adverſus præfatos Societatis Patres aliqua in lucem edere in animum induxerant, omnino abſtineant; addicens nobis juſtitiæ adminiſtrationem, ſi quae adverſus præfatos Patres habeamus expoſtulationes; & occaſione lucubrationum P. Danielis Papebrochii Societatis Jeſu in Actis Sanctorum gravatos nos admodum ſentiamus & læſos, Expoſtulationes noſtras ac gravamina, omni qua par eſt reverentia humilique in omnibus ſubmiſſione, Sanctitati veſtræ exponere audemus, ut jam dudum exoptata deſuper adminiſtretur juſtitia*.

5 Grave præceptum, ab ipſa Sanctitate ſua, Pontifice Romano, emanatum, per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Cybo, tunc temporis præcipuum primumque præfatæ Sanctitatis ſuæ Miniſtrum, & per Procuratorem totius Ordinis veſtri Generalem, nomine Sanctitatis ſuæ, legitime intimatum, a Patern. veſtra, ex

propria

propria confessione, pro tali cognitum, & susceptum: Videlicet, *Sanctitatis suæ voluntatem esse*, ipsamque velle; .... ut Patres Carmelitæ, qui adversus Patres Societatis Jesu *aliqua in lucem edere in animum induxerant*, OMNINO *abstineant; addicente* Pontifice *vobis justitiæ administrationem, si quas adversus præfatos Patres* Societatis Jesu *habeatis expostulationes*. Si revereretur Patern. vestra, ut debet, auctoritatem Sedis Apostolicæ, ac Jesu Christi in terris Vicario debitum præstare obsequium vellet; deberet continuo, ut erat Provincialis, impedivisse, nequis subditorum suorum tam luculento Pontificis mandato refragaretur; nedum deberet ipsa, quæ bono suis exemplo tenetur prælucere, mandatum illud transgredi tam palam.

6 Quid enim? Fatetur Patern. vestra, præceptum sibi esse a Summo Pontifice, ne *quid in lucem edat* contra Patres Societatis; utque OMNINO *abstineat* ab editione atque impressione ejusmodi. Nihilominus eadem Patern. vestra, non multo post, etiam tum Provincialis, sciens prudens protrudit in lucem *Libellum* suum, nomine tenus *Supplicem*; atque interposito paucorum annorum intervallo, iterum creatus Provincialis (quasi subditus non satis luculentum inobedientiæ erga sanctam Sedem dare speciem posset) iterum effundis partum, pejorem priore, *Exhibitionem errorum*; quin mox & tertium eniteris, *Motivum juris*, quo nempe insomnia ille partus utcumque formetur.

7 Vin' inobedientiam illam clarius intueri? Fingamus duos Conventus Religiosos, imperio Patern. vestræ subjectos, inter se, quacumque demum de causa, contendere maledictis, libellisque famosis, nomen auctoris nullum præferentibus: quæ, uti & scandala aliaque incommoda inde secutura, provide impedire cupiens Pater. vestra, ut decet Provincialem, Conventui, magis insolescenti ac petulanti, imponat justas ob causas, ac legitime intimet sanctæ obedientiæ præceptum, ne imposterum aliquid contra alterum omnino aut scribat, aut imprimat. Posito tali casu, si nihilominus ille Conventus, cui præceptum silendi fuit impositum, & quidem ejus Prior, silentium rumperet; & eadem quæ prius maledicta, libellosque verius famosos quam religiosos ingereret alteri Conventui; an Patern. vestra eum pro subito *obediente* haberet? an impune violasse præceptum pateretur? an scandalum, quod Prior exemplo pessimo subditis dedisset, reparatum legitime non vellet?

8 Neque diluet inobedientiæ vestræ labem, quod liber inscriptus sit *Libellus supplex*, neque quod *exhibitus* fingatur *Innocentio XI.* Quin imo hoc utroque ex capite augetur peccati malitia. Nam primum, sub titulo *Libelli supplicis*, nihil minus quam supplex libellus, nihil magis quam farrago scriptorum, qualia Pontifex edi vetuerat, non solum Societati nostræ, sed Cælitibus ipsis eorumque Actis injuriosorum, in lucem prodit. Deinde, quod *exhibitus Pontifici* dicatur, mera fictio est, ad imponendum mundo, & auctoritatem qualem qualem libro comparandam; cum re ipsa Pontifici visus nuspiam sit, secundum scripta mea in *Epist. Famil.* n. 39. & 40. Quæ autem ratio, quæ juris regula, quod tribunal permittit, *Libellum supplicem*, qui soli Principi, cui inscribitur, saltem primum offerri debet; prius quam huic visus fuerit, aut cognitus, ab auctore suo publici juris fieri, cum dedecore Principis & abusu nominis ejus; præsertim quando nihil supplicis Libelli (præter unum quem præfert titulum) complectitur? Et tamen Libellum talem, & in eo *expostulationes vestras ac gravamina, omni qua par est reverentia humilique in omnibus submissione*, excepta obedientia, *Sanctitati suæ exponere audetis*.

9 Ad alterum præcepti membrum, quod Patres Societatis spectat, responsum jam est in *Brevi instructione circa eumdem Libellum supplicem*, n. 11. & ultimo. Videlicet, quod Patern. vestra, Auctor Libelli, de se suisque certo quidem scire potuerit, id quod fatetur, impositum sibi suisque fuisse præceptum Pontificium silendi: quod vero Patribus Societatis id ipsum impositum dicat, nimis temere, ne dicam injuriose affirmat. Cum certissimum sit, mihique ex ipso ore nostri tunc Præpositi Generalis, Caroli de Noyelle, illa super re expresse coram a me interrogati, constet, istiusmodi præceptum nuspiam datum, nedum intimatum Societati fuisse. Nihilominus sine præcepto, arctius silentium tenuit Societas; quam cum præcepto, Ordo Carmelitanus.

10 Quod ipsum *Brevis Instructio*, jam tum a decennio, declaravit his verbis: *Profecto, si istiusmodi interdictum* Pontificium *respectu P. Papebrochii re ipsa factum fuisset, non potuisset severius sibi ipse imperasse silentium, quam tenuit hactenus; & constanter deinceps severe animum obfirmavit; nihil importunis quibusvis adversæ partis libellis, ad respondendum identidem provocantibus, a proposito dimovendus; utpote existimans, hactenus allata a se argumenta, ad elucidandam quæstionis propositæ veritatem, satis esse veritatis amantibus; nulla satis umquam fore aliter affectis. Utinam eadem mens PP. Carmelitis etiam post interdictum fuisset, nullumque scriptum eorum seu proprio seu alieno nomine monstrari posset! Utinam & modo fores!* etiam postquam Patern. vestra, triplici exinde edito scripto, tripliciter Pontificium silendi præceptum elusit. Ego interim pro me, quod pro P. Papebrochio *Brevis Instructio*, sancte spondeo Patern. vestræ, me quoque, cum videam nihil familiariter, parum rationabiliter agi, nil nisi cramben recoqui, imperatum mihi silentium, constanter deinceps tenendum, nec importunis quibusvis libellis vestris, ad respondendum identidem provocaturis rumpendum: postquam nunc de modo scribendi vestro juridico primum, deinde de tribus a me propositis in *Epistola Familiari* argumentis; denique pro *Brevi Instructione* mea pauca addidero. Quibus etiam patere poterit, quam parum religiose ac fideliter nos & *Acta Sanctorum* impetatis: quamvis accuratius de illo judicare poterit, quisquis *Exhibitionem* & *Motivum Juris* contulerit cum ipsis *Sanctorum Actis*.

11 Imprimis igitur scire velim Patern. vestram, non minus difficile esse, ut una nocte & velut subita metamorphosi Theologus subtilis, subtilis pariter evadat Jurisconsultus, quam ut evadat peritus rerum aliquando gestarum Historiographus. Prima scriptio vestra complectitur *Libellum supplicem* qualemcumque, & qui-

& quidem Summo Pontifici, hoc est supremo in terris controversiarum Judici offerendum: altera congerit acculationes & approbationes contra *Sanctorum Acta* eorumque Auctores, quibus ipsorum auctoritas labefactetur: tertia, & has & illas tueri, recoctis iisdem argumentis, nequidquam nititur: & ne sua ei desit apud imperitum Lectorem auctoritas, hunc ei titulum apponis, *Motivum Juris pro libro, cui titulus est, Exhibitio Errorum* &c. Egregiam vero laudem juridicam meretur Patern. vestra, quæ sub titulis juridicis tam parum juridice scribat, ut in toto, quantum quantum est, *Motivo juris*, nullum habeat Juris textum, quod sciam, nisi miserrimum unum Brocardicum, ut Jurisconsulti loquuntur, ex Decreto Gratiani sumptum, ad probandum id, quo sine probatione admittitur ab omnibus, videlicet, quod *errare*, sit *unum pro alio putare*.

12 Deinde, loco sane non suo, nec ordine juridico, offers Judici (si tamen re ipsa offeras) *Motivum Juris*. Offerri enim prius re ipsa debuit Judici *Libellus supplex*; quod factum non est. Libellum Judex communicari jubet parti; quod item factum non est. Libello demum communicato, ansam defensionis acquirit pars: atque ita litis ordo instituitur. Quæ omnia si legitime fuissent facta, tum demum potuisset Patern. vestra scribere atque offerre *Motivum Juris*. Jam vero cum illa facta non sint, nescio qua fronte audeat illud offerre, & quidem sanctissimo juxta ac jurisconsultissimo Pontifici. An ut tacite eum reprehendat Patern. vestra, quod partem accusatam non citaverit in judicium? An vero, ut ei falso persuadeat, a Decessore Innocentio XI. citatam partem jam fuisse: cum *Motivum Juris* ei oblatum supponat citationem præcessisse?

13 Certe si Juris consultum velis agere, ac sententiam a Judice ferri desideres, Juris ordinem servare debes; nisi Juris peritis omnibus ludibrium velis fieri. Ad hoc autem non sufficit, ut Libellum supplicem componas, sed ut eum Judici insuper offeras. Ita docet (cogit enim me Patern. vestra Jurisconsultos vel invitum adire) Thuldenus ad Cod. *de in Jus vocando*, in principio: *Exhibito per actorem Judici libello, eum Judex per subscriptionem jubet communicare reo, & reum, responsurum certo die, comparere in judicio*. Hæc autem oblatio libelli, de Jure ita est necessaria, ut dicatur esse de substantia judicii, prout ex communi doctrina docet Vantius in tract. *de Nullitate process. ac sentent.* sub rubrica *de Nullitate ex defectu processus, sive ordinis judicarii* num. 18. his verbis: *Libelli itaque oblatio, ex supradictorum omnium communi sententia, est de substantia judicii: cum principium & fundamentum causæ ipsius judicii existat; & non solum ratione partium, verum etiam respectu judicis offerri consuevit: videlicet ut ipse judex ex eo modum & actionem intentatam, & numquid sit apta vel non, & sibi concludat, cognoscere possit; ac secundum illius formam sententiam suam dictet*.

14 Hic porro juris ordo, non tantum servari debet, ubi inter laicos lite contenditur; verum etiam, docente eodem auctore, citato loco n. 1. *Ordo iste juris etiam in causis, quæ Romani Pontificis judicio deciduntur, servari debet*. Atque hinc discere Patern. vestra potest, quo pacto agendum sibi sit, cum denuo *Libellum supplicem* scriptura est. Quam vero non juridice, ne dicam ignoranter, egerit hactenus, patet ex eo, quod, *Libello supplice* non oblato, in *Exhibitione errorum* Accusationes conscribat; nec ipsas, puto, oblatas Judici: atque insuper pro illis consarciat *Motivum Juris*. Risum, si potestis, tenete, Jurisconsulti.

15 Porro vestra *Exhibitio errorum*, qualis liber est? Judicio Eruditorum, ac præcipue Juris-peritorum, non modo liber, sed & ipse libri titulus, *libellus famosus* est; utpote qui compositus est ad infamiam viri probi, & religiosi, & scriptoris ecclesiastici. De talis farinæ libello ita loquitur Imperator §. 1. Instit. *in injuriis: Si quis ad infamiam alicujus, libellum, aut carmen, aut historiam scripserit, composuerit, ediderit, dolove malo fecerit quo quid eorum fieret*: is, (teste Ulpiano, ex quo prædicta verba desumpta sunt, l. 5. §. 9. ff. *de injuriis & famosis libellis*) *si condemnatus sit*, INTESTABILIS *ex lege esse jubetur*. Est autem *Intestabilis*, ut habet Schardius in suo Lexico, *qui testimonii dicendi jus non habet*. Atque hinc timere non immerito debet Patern. vestra, famosæ *Exhibitionis errorum* auctor, ne ab omnibus *intestabilis* habeatur; habebitur certe ab iis, qui eam scripti libelli famosi tacite condemnant.

16 Neque existimare Pater. vestra debet, plus sibi aliquid hac in se licere, quod Ordinis sui Provincialis sit, quem titulo Patroni Advocative protegere aut defendere teneatur. Defensionem ego vestram neutiquam improbo: sed improbant illam tamen, atque adeo vetant, quando cum injuria & contumelia partis instituitur, Imperatores l. 6. Cod. *de postulando*: ubi universim præscribunt, ut tales defensores, *non ultra quam litium poscit utilitas* (Lis vestra quæ sit, scitis. Quid eo confert inique convelli *Sanctorum Acta*, & exagitari Auctores eorum?) *in licentiam conviciandi & maledicendi temeritatem prorumpant. Agant quod causa desiderat; temperent se ab injuria. Nam si quis adeo procax fuerit, ut non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patietur: nec enim conniventia commodanda est, ut quisquam, negotio derelicto, in adversarii sui contumeliam aut palam pergat, aut subdole*. Quod communiter illi faciunt, qui rationibus destituti, clamoribus rem putant agendam: de quibus Ammianus 30. *Cum ad inopiam venerint allegationum, ad effrænatam deflectunt conviciandi licentiam*. Atque hæc de juris peritia qualicumque Patern. vestræ per qualemcumque meam illustrata, sint satis. Progredior ad tria argumenta, pridem a me vobis objecta.

17 Exposui Patern. vestræ in *Epist. Fam.* n. 2. ac 3. finem, quem ipsa sibi proposuit in *Exhibitione errorum; convellere* scilicet, ad stabiliendam antiquitatem summam sacri Ordinis vestri, *Acta Sanctorum*, cum magno rei Catholicæ commodo, prægrandibus octodecim voluminibus *collecta, digesta & illustrata*. Atrox sane facinus, desperatione plenissimum, ac homini Religioso Catholico prorsus indecorum! Exposui pariter finem, quem ego intendi; videlicet, communi Ecclesiæ bono, *in defendendis Sanctorum Actis*, a vobis male discerptis, consulere: sic tamen, ut nolim defensionem instituere *illo* (uti loquor num. 3.) *quo*

vobis placeret modo ; conscribendo librum , & respondendo ad singulos paragraphos vestros : sed monendo Lectorem , ut cum pervolverit librum vestrum , citata ibi ex Actis Sanctorum loca ipse per se dignetur inspicere , atque legere præmissa & subjuncta. Idipsum nunc iterum iterumque rogatum & obsecratum velim Lectorem ut faciat: sic facile per se judicaturus est, refutatione libri vestri alia opus non esse, quam collatione ejus cum textu integro Papebrochii.

18 Quod si intelligere voluisset Patern. vestra, non objecisset mihi, insultabundo similis, illud Hieronymi: *Qui arguitur in pluribus, & in dilutione criminum aliquod prætermittit, quidquid tacuerit, confitetur*. Nego enim, me umquam diluere voluisse librum, centonibus male consutis farium, & seipsum ingenuis condemnantem: sed voluisse, ajo, in duobus tribusve exemplis exhibere Lectori specimen, unde de toto libro judicium formare posset. Volui insuper aliquid responsi dare, cum eatenus nullum dederamus, propter dignitatem personæ vestræ, moderantis totam provinciam religiosi Ordinis; ratus illam modeste ac familiariter disputaturam fuisse. Volui autem illud responsi paucis dare, propter famam ejusdem personæ vestræ, in dignitate constitutæ; ne, si totum librum simili modo tractassem, Patern. vestra etiam apud suos, despectui foret, cum gravi damno disciplinæ religiosæ. Habes hic, cur responderim; & cur paucis. Nunc Hieronymianæ sententiæ tuæ loco, hanc meam, ubique veram, mihi liceat vicissim proponere Patern. vestræ, in jure ac rationis dictamine fundatam: *Qui arguit in pluribus, & in argutione criminum convincitur statim tria peccasse, ex ignorantia facti, ex mala fide, ex malignitate, in reliquis nullam habeto auctoritatem*.

19 Ostendi in Epist. Fam. num. 8. *ignorantiam* vestram historicam in Baptismo Constantini. Ostendi, n. 23. *malam fidem* in Præputio Christi Domini apud Antverpienses conservato; quod Papebrochium *impugnare*, & quidem *ex meris conjecturis*, asseris; ubi tamen apertis terminis illud Antverpiæ conservatum, & ait, & confirmat. Ostendi, a num. 29. *malignitatem* in eo, quod de futuris vaticinando, sacrum Præmonstratensium Ordinem concitare in innocentes coneris, dicendo: *Videtur Papebrochius etiam adversus historiam Canonicorum Præmonstratensium aliquid machinari, quod effutiet in Junio, quando edet Vitam S. Norberti, nisi coerceatur*. Usque suum hoc VIDETUR probet Patern. vestra, citat textum Papebrochii, in rem suam nil probantem; ubi omissa parenthesis nota, confundit ejus sensum; ubi refert ad Præmonstratenses, quod alio deberet; ubi ultimam textus Papebrochiani partem, præmissorum probationem de visu continentem, præscindit, parum fideliter adducto textu dimidio. Sed hoc peccatum & proxime præcedens de mala fide, locis citatis, ostendi pluribus & tam clare, ut eadem tantum non concedat *Motivum Juris* vestrum: adeo frigide hic purgat auctorem suum, alia fere ad rem non facientia tractans §. 5. & 6.

20 Ibidem commiseratione etiam tangor Patern. vestræ, quod n. 102. *omnium maxime injuriosus sis*, tum mihi, cui illic affingis quæ nec potui, nec cogitavi; tum tibi, qui illic vel veram, vel affectatam prodis ignorantiam scriptorum meorum, quæ impugnas, & *omnium maxime tibi injuriosa reputas*. Inspice mea denuo n. 35. & damnabis ac revocabis tua n. 102. si tamen inspexeris oculatior, quam fuisti, cum me ausus es arguere *fraudulentiæ*, quod imputem tibi, *quasi per illa*, quæ dixeras de Præputio Domini, *probares hoc thema tuum* §. 2. *Art.* 22. *Papebrochius valde insolenter & successu plane erubescendo, antiqua variorum Monachorum invadit diplomata & monumenta*. *Ubi tamen*, ais, *per totum illum paragraphum, ne vel verbum de Præputio Christi habeo*. Et addis exultabundus; *Idne refutare est meas assertiones & exhibitiones? Certe talem fraudulentiam a religioso Sacerdote expectaveram numquam*. Nec ego expectaveram. Sed egone tibi imputem quæ dicis? Mirari satis nequeo cæcitatem (nolo enim fraudulentiam interpretari) unde profluxerit illa inconsiderata, ignorans, atque irreligiosa locutio Patern. vestræ. Inspice igitur apertis oculis, ac relege totum meum num. 35. in quem inveheris. Ostenderam paulo ante, non impugnari (ut arguebat Patern. vestra in Exhibitione errorum §. 8. Art. 1.) a Papebrochio Præputium Christi; allegato prius toto Titulo Articuli vestri prædicti, videlicet illo; *Papebrochius ex meris conjecturis impugnat Præputium Christi Domini, Antverpiæ asservatum*. Deinde transeo ad ostendandum, quod Patern. vestra Ordinem Præmonstratensem injuste concitet in eumdem Papebrochium. Ac damum sic ordior numerum 35.

21 In utroque textu Patern. vestræ, a me paulo ante producto (ubi nempe de *Præputio Domini*, & de *Præmonstratensibus* egeram) mirari satis non possum quomodo tam debilia proferat, ad probandum, per miserum VIDETUR, quæ tum magnifice ac jactanter proponis in Titulis. Primi loci Titulum supra dedimus (ubi nempe de Præputio actum fuerat, ac Titulus ejus illic datus, non debebat hic iterari): alterius loci Titulus sic habet: *Papebrochius valde insolenter & successu plane erubescendo, antiqua variorum Monachorum*, quos inter Norbertinorum, *invadit diplomata & monumenta*. Erubescunt litteræ ipsæ, quantumvis nigræ, quod promittentibus ipsis tam multa ac gravia, præstentur tam pauca & fere ficta. Primo loco (ubi de Præputio Antvarpiæ servato) Patern. vestræ VIDETUR *Papebrochius ex professo studere, ut antiquissimas Capituli Antverpiensis litteras funditus evertat*. Secundo loco (ubi de Præmonstratensibus, in nos concitatis) eidem VIDETUR *etiam adversus historiam Canonicorum Præmonstratensium aliquid machinari*. Idne probare est thema, tam insolenter & asseveranter in titulo propositum? Si ergo de scriptore inepto, qui maledictis utitur pro argumentis (addo nunc etiam, qui nescit quid reprehendat; qui sibi ipse injurius est, injuste accusando fraudulentiæ alium) dicam, quod mihi *insanire* VIDEATUR; an propterea insaniat?

22 Hactenus ille numerus 35. totus ut jacet præter inclusa parenthesibus, quæ cæcutientes oculos illuminandi ergo inserta nunc sunt. Quæ autem, amabo te, ibi vox, quæ littera, quis apex, qui imputet Paternitati vestræ, *quasi per illa, quæ dixeras de Præputio Domini, probares thema tuum* §. 2. Art. 22. præfixum? Quilibet pro-

profecto non omnino cæcus, facile jam vides ac intelligit, protulisse me Titulos duos, & & singulos singulorum protulisse probationes vestras; levissimas sane, oec nisi per miserum VIDATUR probaturas, quod magnifice in Titulis assertum fuerat: ooo vero tibi imputasse me, quod objicis, quasi per illa de *Præputio* probes alia de *Præmonstratensibus*. Vide nunc, mi Pater, quam nullo *te consoleris* argumento; quamque vane *tibi persuadeas*, *valde pauca*, *si aliqua*, *& quidem nonnisi exigui momenti*, *esse in tuo libro reprehendenda*; *cum aliqua illi contra evidentem veritatem affingi debeant*, *ut impugnari possit*. O cæcitatem! Agnosces, opinor, ouoc, *affinxisse*, non me tibi, sed te mihi *contra evidentem veritatem*, quæ non sunt; *ut impugnare me posses*, & *fraudulentiæ* fraudulenter accusare. Agnosces etiam, utri nostrum potissimum competat Gregorianum illud, quod eodem num. tuo 102. loco epiphonematis adversarium aoecantis, subdis, sic scriptum, ARROGANTES *viri habere hoc proprium solent*, *ut dum in nimia invectione prodeunt*, *etiam inventa* MENTIANTUR; *& cum non possunt reprehendere juste quæ sunt*, *reprehendunt* MENTIENDO *quæ non sunt*. Ausus noo fuissem terminis tam mordacibus uti io Provincialem Ordinis religiosi, quantumvis apte cooveniectibus, nisi illos mihi præscripsisset ac improperasset ipsa.

23 Audivisti etiam, *frivole conari* Papebrochium, *se excusare apud Carthusianos*, *quod Tomo 2. Martii fol. 255. historiam de prodigio Doctoris Parisiensis defuncti*, *dixerit*, *in* CARTHUSIA NON PROBARI. Nihil est, cur se excuset illa super re Carthusianis Papebrochius: sed est, cur detegat Carthusianis ac toti mundo fraudulentiam (da veniam verbo, quod indignitas rei exprimit) Patern. vestræ. Loco a te citato, ad Vitam Dionysii Carthusiani, a P. Henschenio piæ memoriæ illustratam, ubi mentio fit prodigii prætacti, legisti hanc Notulam: *De hac historia*, *quam ipsi in Carthusia didicimus non approbari*, *agendum erit 6. Octobris*. Scribit illic Henschenius, quæ coram didicit in ipsa magna Carthusia, ab ipso Reverendissimi P. Generalis Secretario; qui Patrem illum & Papebrochium, ex itinere Romanobelgico anno MDCLXII. die XII. Junii Carthusiam ingressos, & summa caritate exceptos, jussu Reverendissimi prædicti per omnia deduxit; juvit; &, quæ supra citantur ab Henschenio, cum illa de re colloquium inciderat, pronuntiavit. Quodnam hic peccatum Henschenii, qui dictum Secretarii refert, nihil ipse de quæstione proposita definiens, sed ad VI. Octobris differens? Et tamen hoc peccatum tam grave videtur Patern. vestræ, ut non contenta, illud in *Exhibitione Errorum* per integrum Articulum exaggerasse, idem etiam reproducat in *Motivo*. Qua autem verecundia, & conscientia, ipse judicaveris & æquus Lector.

24 Jam vero innocens Notula ista, scripta fuit a P. Henschenio, illa qua vidimus auctoritate, in tomis Martii, qui prodierunt omnium primi post reditum ejus in Belgium. Septennio autem post, anno videlicet MDCLXXV. in lucem editur typis Lugdunensibus tomus P. Joannis Columbi Societatis nostræ, complexus Opuscula varia historica, & primo loco Dissertationem de Carthusianorum initiis, antiquitatem historiæ prodigiosæ ex antiquioribus Mss. probantem. Ut vidit illa Papebrochius, fere anticipat Henschenii mentem, ad VI. Octobris decisionem differentis; & aperte favet sententiæ, a Columbo probatæ, in Conatu Chronico-historico parte 1. pag. 35. n. 46. & 47. his verbis: *Nec sane, quia ex Lectionibus de S. Brunone, ad instantiam Academiæ Parisiensis, expuncta est occasio conversionis vulgo jactata, desinit religiosissimus Patrum Carthusianorum Ordo eamdem adhuc ut veram tueri: & Joannes Columbi noster, in capite suorum Opusculorum, ponere non dubitavit Dissertationem de eo argumento; doctam sane.*

25 Et post pauca, ostendens vim docti ejus argumenti, annumerat annos ætate Gersonis (qui diu putatus fuit illud prodigium, an. 1420. circiter, primus litteris prodidisse) longe anteriores, a Columbo erutos ex Mss. inquiens, *ipsum testes habere ab anno 1391. 1383. 1313. imo 1298. & 1150. ita ut ultimus solum distet 49. annos a morte sancti Fundatoris*, *obita anno* 1101. Hæc Papebrochius, quem hic in Carthusianos peccasse arguis, nescio qua fronte. Proferat modo, si ad manum sunt, Patern. vestra similia instrumenta, non dico annos 49. sed annos etiam bis mille, post raptum Eliæ aut Enochi Prophetæ scripta, & non minus æquus erit Papebrochius antiquitati vestræ, quam est illi prodigiosæ historiæ. Interea tamen vapulat Papebrochius a Patern. vestra, nulla sua culpa, ut vides; diffamatur & apud Carthusianos turpi criminatione; uti etiam apud alios Religiosos Ordines non dissimilibus artibus: quibus tamen, dubito, an gratum sit patrocinium, quod Patern. vestra, non rogata, iis impendit contra Papebrochium; saltem postquam vident, illam infeliciter cecidisse causa, non tantum pro Carthusianis ac Præmonstratensibus suscepta, sed etiam sua propria. *Non defensoribus istis tempus eget*, nec Ordines illi.

26 Sed redeamus ad *Malam fidem*, unde & modo narrata non procul absunt, nisi ad *Malignitatem* malis reducere. Malam fidem consistere in eo diximus, quod arguas, *Papebrochium ex meris conjecturis impugnare Præputium Christi Domini*, *Antverpiæ asservatum*. Sunt hî ipsissimi termini, quibus proponit Patern. vestra impugnationem suam in *Exhibitione* Art. 1. §. 8. a me fideliter & integre relati in Epist. Fam. num. 23. ac deinde non semel integro iterati, ne refutati: & tamen in *Motivo* num. 94. legere cogor, quod *astute & callide tibi contra omnem veritatem affricem*, quasi tantum dixerim, Papebrochium *præputium Christi Domini impugnare*; cum tamen dixeris, illum id impugnare, *quatenus Antverpiæ asservatum*. Atqui ego, ita ut tu vis, a te dictum esse, & dico & dixi. Inspice textum meum a num. 23. confunderis, ubique legens conjunctim hæc a me scripta, *Præputium Christi Domini*, *Antverpiæ asservatum*; de quo agitur, an illic asservatum impugnetur, nec ne. Confundere igitur, & resume honorem illum tibi, quod *astute & callide* non tibi ego dimidium sensum, sed tu mihi suppositum tuum falsum & forte malignum, *contra veritatem affrices*. Qui a veritate stat, nihil est cur *astute*, cur *callide* agat; est cur agat, qui rebus diffidit suis, commenta venditans rerum ignaria, ut vel sic eis

persuadeat esse quod non est. Quo autem pacto conatur Patern. vestra *Motivum* hic suum liberare mala fide, indigna Religioso viro, magis indigna Sacerdote, maxime indigna Provinciali? Confugis ad litteras Capituli Antverpiensis. Nihil facit. Dicit: *Papebrochius impugnat Præputium Christi Domini quatenus Antverpiæ asservatum.* Et Papebrochius, eodem quem tu citas loco, eamdem veritatem servati apud Antverpienses Præputii apertis terminis asseverat ac defendit; *quam*, inquiens, *perpetua seculorum omnino quinque possessio, variis documentis testata, indubitabilem facit.* Quid nervosius dici potuit? Asserere rem *indubitabilem* esse, mihi sonat, esse *veram*, esse *certam*: sed Patern. vestræ sonat atque explicatur, *impugnare*. Qua fide, bonane an mala? Per se patet.

27 Patet etiam, frustra recursi ad litteras Capituli Antverpiensis, quæ trium sæculorum ætatem non habent, cum admittat Papebrochius, tamquam *indubitabilem* Præputii possessionem esse per *secula omnino quinque*, duobus ante sæculis, quam litteræ illæ conscriptæ fuerunt: & possessionem illam, ait, *testatam* esse *variis documentis*; quæ inter refceras licet Litteras prædictas. Has, cum prima fronte aliquid falsi continere videantur, conatur Papebrochius explicare & conciliare in favorem Antverpiensium ac Veritatis, uti dixi n. 17. Sed & hoc Paternitati vestræ, *impugnare* est. Cur non accedis ad Ven. Capitulum Antverpiense, viros intelligentes apud quos scriptione illa tua in invidiam vocare Papebrochium frustra conatus es. Ipsos ego fidenter appellabam Judices, quamvis in eorum præjudicium scripsisse hic videamur Patern. vestræ. Si bene meritum de ipsis scriptione tua te putas, poteris exspectare aliquem ab ipsis, quantum æquitas sinet, favorem. Accede eadem qua ego confidentia: interroga, an in toto contextu Papebrochii hac de re, aliquid sit, quod *impugnet* illorum possessionem Præputii? an non e contrario sint multa quæ eam confirment? Ni facis; existimare poterunt Venerabiles isti viri, te confirmata sententiam tuam aut ausum non esse, aut non potuisse; atque adeo illam, cum alteri injuriosa sit, retractari a te debere, si te ames ac amari velis.

28 Venio nunc ad *ignorantiam facti* historicam. Ubi claritatis causa debeo præmittere priorum textus vestri hac super re, ut habetur in *Motivo* n. 23. *Dic*, ais, *quænam ego temere in Papebrochio reprehende? Primo loco* (*inquit Epistola familiaris n. 8.*) *arguitur Papebrochius, quod Constantinum Magnum, sub finem vitæ, non a S. Silvestro baptizatum dicat. Quam vero isthæc impostura sit evidenter falsa, & contra evidentem veritatem mihi affricta, ex eo liquet, quod nullibi Papebrochium arguam de eo, quod Constantinum Magnum sub finem vitæ .... baptizatum dicat: sed de eo dumtaxat, quod baptismum Constantini a S. Silvestro susceptum, explodat tamquam fabulam. Ut videre est in libro meo Art. 2. §. 3.* Evolvamus tantisper propositionem hanc ultimam in duas quas habet partes. Vel arguis Papebrochium dumtaxat ex eo, Quod *baptismum Constantini a S. Silvestro susceptum* neget: vel ex eo, quod negatum insuper *explodat*, & explodat *tamquam fabulam*. Si secundum: dic, quid sibi velit illud *explodere tamquam fabulam*. Varia sonat vox *Fabula*: hominibus quoque competit, quorum aliqui subinde sua culpa fiunt etiam *fabula vulgi*, postquam Eruditorum facti sunt. Igitur in quæstionem venire non potest (quibuscumque demum [illegible] nia more suo velit uti Patern. vestra) num quod neget Papebrochius, Constantinum Romæ a S. Silvestro baptizatum esse. Huic autem sententiæ opponitur alia de baptismo, eidem in suburbiis Nicomediæ sub finem vitæ collato. Adeo ut, quicumque vult baptizatum aliquando esse Constantinum, si alterutram sententiam admittit, alteram necessario excludat: & bene sequitur, Reprobo baptismum Constantini Romanum; ergo teneo Nicomediensem: &, Approbo baptismum Romanum; ergo reprobo Nicomediensem. Nam cum a duabus prædictis sententiis altera alteram excludat; qui unam solide firmiterque stabilierit, alteram necessario reprobandam ostendit.

29 Quod enim Patern. vestra in re desperata ad tertiam confugiat opinionem, antiquis omnibus, totis ut minimum octo sæculis a morte Constantini ignotam, de duplici ejus baptismo, primo Romano Catholico, altero Nicomediensi Ariano; dubito, an ex animi sui sententia faciat: nisi pariter admittat Arianorum ritu baptizatum Constantinum, eorumdem dogmatibus consensisse, in iisque obiisse; & sic Arianum in Arianismo mortuum, semper pro Sancto habitum cultumque fuisse & coli in Ecclesia Catholica. Detestabitur id sine dubio Patern. vestra: verumtamen ex illa sententia id sequi, docet Baronius, præcipuus vester hic, & unicus fere dux, ad an. 324. n. 47. & seq. numquam passurus (quod nec ullus patietur Catholicus) *Constantinum pro Sancto coli in Ecclesia*, & eumdem *impie atque ab ecclesia penitus alienum migrasse e vita*, qualiter migrasset ex sententia Baronii loco citato, si ab Ariano Episcopo baptizatus sub vitæ finem fuisset: & ex mea sententia, etiam sic migrasset, si rebaptizatus sub finem vitæ fuisset a quocumque demum, etiam non Ariano, Episcopo aut Sacerdote. Quia baptismum secundum Ecclesia Catholica semper detestata est: idque temporibus Constantini quam maxime notum fuisse oportet, cum paulo ante, controversia gravi illa super re orta, sententia S. Cypriani atque Episcoporum Africanorum, ab hæreticis baptizatos denuo baptizari debere docentium, primum reprobata sit a S. Stephano Papa; deinde etiam sit damnata a *Concilio plenario*, ut loquitur S. Augustinus, sive Œcumenico Niceno, cui interfuit Constantinus: idemque noluisset, nec vero potuisset rebaptizari, contra definitionem Ecclesiæ sibi notam sine gravi delicto.

30 Jam velim consideret maturius Patern. vestra meam *imposturam evidenter falsam, & contra evidentem veritatem tibi affrictam*, uti loqueris. Ajo, *argui Papebrochium* a vobis, quod *Constantinum Magnum sub finem vitæ*, prope Nicomediam, *non a S. Silvestro* Romæ *baptizatum esse dicat*. Fateor; & iterum ajo. Ac ne terminis fabulisque inutiliter occupemur, scire velim, an in alterutra istius propositionis parte arguendus tibi videatur Papebrochius, nec ne. Si in alterutra arguas: nihil *impostura*, nihil contra *evidentem veritatem* tibi affrictum: cum revera ex supposito *arguas* Papebrochium in propositione præmissa: quod tantum dixi. Si neutra in parte ipsum arguas: fatere id, quæso, palam candide; & ego fatebor me non debuisse scribere, *argui a vobis Papebrochium*

in eo,

in eo, *quod Const. Magnum sub finem vitæ, non a S. Silvestro baptizatum esse, dicat*: cum in eo arguendus non sit, ex suppositione iterum confessionia vestræ. Atque adeo nil superest, in quo arguere volueritia Papebrochium, quam quod *explodat* baptismum Romanum *tamquam fabulam*; concedentes, Constantinum *sub finem vitæ baptizatum esse* prope Nicomediam, non Romæ *a S. Silvestro*. Id ipsum autem est quod asserimus nos. Sed nec uspiam, puto, ostendes, quod baptismum illum Papebrochius appellet *fabulam*, multo minus quod illum pro tali *explodat*. Termini sunt illi Patern. vestræ tantum, quibus nolo immorari.

31 Quamobrem, ut expressius explicarem ignorantibus historicis quæstionis statum, dupliciter quodammodo rem eamdem proposui, conjugendo baptismum Nicomediensem cum non Romano; quia affirmatio baptismi Nicomediensia necessario infert negationem Romani. E. g. Baptizatus est Constantinur Nicomediæ, ergo non Romæ. Uti ex vestra similiter sententia infertur, Baptizatus est Romæ, ergo non Nicomediæ. Si nempe alteruter Baptismus necessario tenendus est, ut hic supponimus ex præmissis. Ecce quo evaserit, quam dicis, *impostura, evidenter falsa, & contra evidentem veritatem tibi affricta*. Si dicam Patern. vestram, *esse animal rationale*: respondebis, me recte dicere. Si dicam, *esse animal rationale & non irrationale*: argues me per hoc imposturæ? Non credo. Majoris enim expressionis causa, affirmando & negando res oppositas, idem quodammodo bis dico.

32 Sed relinquamus *fabulas* & *imposturas* auctoribus suis: ac stabiliamus sententiam de baptismo Nicomediensi, a Papebrochio assertam, a me confirmatam, a Patern. vestra negatam, per hoc quod mordicus tueatur Romanum; cujus defensione semel suscepta, indecorum sibi putat non perseverare in errore, aut saltem in opinione multo magis aliena a vero, quam sit opposita nostra. Adduxi pro sententia mea a num. 9. Eusebium Pamphili, Episcopum Cæsareæ Palæstinæ. Adduxi Athanasium Patriarcham Alexandrinum. Adduxi plus quam trecentos Patres Synodi Ariminensis Catholicos, qui omnes eodem quo Constantinus tempore vixerunt, toto mundo sparsi. Adduxi item sanctos Patres & Ecclesiæ Doctores, Ambrosium & Hieronymum. Adduxi Historicos præcipuos, Socratem, Sozomenum, Theodoretum; qui pariter omnes intra primum a morte Constantini sæculum vixerunt, scriptis suis illustres; sine quibus, vix ulla historiæ ecclesiasticæ primorum quatuor sæculorum notitia ad nos pervenisset.

33 Adscripsi, ut nostia, auctoribus meis suam cuique ætatem qua vixit. Agat nunc historicum etiam Patern. vestra, similemque notam temporis qua vixerunt Auctores a vobis, sive pro baptismo Romano, sive contra Nicomediensem citati, in medium proferto. Inde, sine alia refutatione, cogeris fateri vel invitus, maximam esse diversitatem inter auctoritater, contemporaneam nostram, & aliquot sæculis posteriorem vestram. Certus sum enim, ne vel unum unicum idoneum auctorem, non dico coævum Constantino, sed ne quidem qui intra totum primum, alterum, ac tertium ab obitu ejus sæculum scripserit, contra baptismum Nicomediensem, aut pro Romano, produci in medium posse. Cur igitur tanto majorem auctoritatem ac certiorem non præferas minori ac minus certæ?

34 Scripsisse nostra memoria Gallus quispiam narratur, Franciscum primum Regem, numquam a Carolo quinto Imperatore bello captum fuisse: cumque propterea passim irrideretur etiam a suis, respondisse fertur, id se tali scriptione effecisse, ut post centum annos captivitas illa in dubium revocanda sit. Nunc, opinor, nihil dubitat Patern.. vestra de captivitate illa Regis Francisci, nixa testimoniis scriptorum, coævorum ipsi facto, & qui temporibus proxime secutis per sæculum integrum vixerunt. Nec dubitare nunc incipiet propter auctoritatem præd. Galli, quantumvis magnam aliunde is sibi adeptus sit; qui sæculo fere ac dimidio post factum, primus id factum negat, sine teste idoneo, imo contra tot testes factum affirmantes. At vero, si contingeret Patar. vestram post mille annos primum nasci, an fidem derogaret illis, quibus nunc adhibet, contemporaneis & proxime secutis Auctoribus, staretque a Gallo isto ejusque sequacibus? Non puto; nisi forte contingeret illam tunc nasci vitiato admodum intellectu, & qui verum a falso discernere omnino non valeret.

35 Similiter, si vixisset Patern. vestra centesimo (fingamus) a morte Constantini anno, qui fuit a Christi Domini nativitate quadringentesimus tricesimus septimus, habuisset tunc omnes illos auctores quos enumeravimus, pro baptismo Constantini Nicomediensi, non habuisset ullum pro Romano. Habuisset insuper testes illius veritatis homines fere omnes, qui tunc vixerunt; cum soleant gesta Principum, ac præsertim Imperatorum, singularia atque valde eminentia, diu subditorum animis inhærere, & quasi per traducem propagari ad posteros, uti experimur, in exemplo proposito de capto per Cæsarem Carolum V. Francisco Rege; quod omnium animis etiamnum insidet, lippisque & tonsoribus notum, frequens in colloquium adducitur post sesquisæculum. Jam vero inter omnia Constantini facta ecquod illustrius & memoria Christianorum sempiterna dignius, illo quo se per baptismum in eorum numero perfecte constituit, eatenus Catechumenus; fidei Catholicæ pridem probatæ signaculum suscepit; & sanctæ Ecclesiæ se subjecit, cum summa omnium consolatione & gratulatione Catholicorum, post tot Imperatorum gentilium, ac ultimam eamque sævissimam Diocletiani persecutionem, primum hunc per baptismum Imperatorem, plene Christianum, conspicientium.

36 Si, inquam, vixisset Patern. vestra centesimo a morte Constantini anno, visis cognitisque qualia diximus, non potuisset tunc aliter opinari de baptismo Nicomediensi, quam nunc de capto Rege Francisco. Uti igitur dimoveri se ab opinamento hoc non patitur a scriptore Gallo prædicto, qui contrarium asseris; ita nec debebit abduci ab opinamento illo, a quovis qui post sæcula aliquot primum scripserit contrarium.

37 Confundere hæc possunt, quantumvis obstinatum in negando animum, etiam illius, qui mavult totam quatuor primorum & amplius sæculorum historiam ecclesiasticam everrere ac eliminare ab Ecclesia, omnem negando fidem Eusebio, Socrati, Sozomeno, Theodoreto, solis, certa præcipuis istorum temporum historicis sacris; quam admittere, Eusebium non esse mentitum, in re tam nota omnibus ac manifesta, ut

mentiri non potuisset, quin objectum sibi in os mendacium quotidie erubuisset. Eusebius, inquis, ex D. Hieronymo fuit hæreticus *Arianus, Arianorum signifer*. Audio: & fuisse Arianum ante Synodum Nicænam concedo: post illam permansisse ac mortuum esse in hæresi, negabunt plerique; & imprimis tota Gallicana Ecclesia, ejusque Martyrologia & Missalia antiquissima; quæ tantum abest, ut Eusebium in Arianismo mortuis annumeraverint, ut etiam inter Sanctos reposuerint coluerintque perpetuis fere temporibus. Constat enim jam tunc a sæculo nono cultum ei ut Sancto delatum fuisse, eumdemque anno MDLXXXVII. nondum desiisse. Nam Eusebium hunc inscribit Usuardus Martyrologio suo, quod jussu Caroli Calvi Regis collectum, non tantum, inquit Molanus, *in Gallicanis Ecclesiis*, sed etiam *in Romana & permultis aliis* usurpatum perpetuo fuit.

38 Dicit autem Usuardus, ut editus est a Molano an. 1568. *Die* XXII. *Junii. Civitate Cæsareæ Palæstinæ* SANCTI *Eusebii Episcopi & Confessoris, viri excellentissimi ingenii & historiographi*. Quibus insuper addit alter Usuardi codex Ms. antiquus in membrana, ecclesiis Alsatiæ aptatus, & apud nos conservatus: *Qui* (Eusebius) *tantum dilexit studium, ut nil a Constantino Magno petere vellet, nisi tantum ut gesta Sanctorum sibi mitteret, in quibus suum ingenium ad multorum utilitatem exercere valeret*. Habuit idem Eusebius in Galliis & Missam suam cum Oratione propria: habuit & proprium Officium, in cujus prima Lectione de vita ejus sic habetur: *Hic* (Eusebius) *cum aliquando Ariana hæresi laborasset, ad Synodum Nicænam accedens, Spiritu sancto inspiratus, Patrum sententiam secutus est, ac deinceps usque ad mortem sanctissime cum orthodoxa fide vixit*. Extant totæ tres Lectiones & Oratio prædicta cum Missa, apud Henricum Valesium ante opera Eusebii: ubi etiam mentionem facit Codicis Ms. Parisiensis Ecclesiæ, ante octingentos annos, ut ait, exarati, qui continet Eusebii historiam Ecclesiasticam Rufino interprete, atque ita incipit: *In nomine Dei summi. Incipit historiæ* SANCTI *Eusebii Cæsariensis Episcopi*.

39 Atque hæc dicta sunto, non quod velim ego canonizare Eusebium. Absit. Pontificii id fori est, cui ego me meaque opinamenta volens lubens submitto. Sed & Pontificii similiter fori est decanonizare (da veniam novo verbo) illum, qui nescio quo usu, aut abusu, a tempore immemorabili per tot sæcula, vultu Sanctorum, in regno tam amplo & bene Catholico, affectus fuit; non Patern. vestra, quæ illa sua decanonizatione invasit forum alienum, & Pontificiam sibi arrogavit potestatem. Ego, cum Ecclesia Romana nihil declaraverit, quod sciam, super sanctitate aut non sanctitate Eusebii, audax facinus existimo esse Patern. vestræ, quod Ecclesiam Gallicanam totam præsumat tacita criminari imprudentiæ, temeritatis atque erroris, commissorum, & per sæcula tam multa continuatorum, in colendo Eusebium pro Sancto. Neque excusat factum vestrum auctoritas S. Hieronymi. Legerunt enim & Galli Hieronymum, ejusque scripta de hæresi Eusebii æque intellexerunt ac Patern. vestra: & illis lectis intellectisque, nihilominus Eusebium pro Sancto habuerunt. Si Galli vicissim inquirerent in Sanctos, quos Ordo Carmelitanus sibi aut fecit aut adoptavit, & breviori tempore coluit, plura invenirent carpenda. Specimen infra proponetur. Dices forsitan, tunc decanonizatum ab Ecclesia Eusebium, cum Gregorius XIII. probavit recognitum suo jussu Martyrologium, in eoque pro Cæsariensi Eusebio substitutum Samosatenum. Sed intellige, ex anastasi Doctoris Parisini, in Lectionibus de S. Brunone aboleri jussa, pluribusque similibus exemplis, non continuo falsum aliquid judicari, quia ex Breviario Martyrologiove deletur; quemadmodum expresse declaravit sacra Congregatio Rituum, nequaquam per expunctionem istius anastasis intentum fuisse.

40 Præter hanc sanctimoniæ Eusebianæ laudem, in promptu sunt Auctores plurimi, præstantes, antiqui juxta ac recentes, etiam illi ipsi, qui notam Arianismi, forte non immerito, tribuunt Eusebio; quorum testimonio non minus quam Gelasii Cyziceni lib. 2. cap. 1. *veri studiosissimus* (quæ historici laus summa est) *& inter veteres ecclesiasticæ historiæ scriptores* FIDA DIGNISSIMUS audit. Imo & ipse S. Hieronymus, tametsi ob Arianismum Eusebio infensior, fidem tamen ejus historicam, aliasque dotes historicum commendantes, laudat Epistola 65. ad Pammachium & Oceanum his verbis: *Ecclesiasticam pulchre Eusebius historiam texuit* .... licet *impietatis Arii apertissimus propugnator sit*. Et alibi: *Quis prudentior, doctior, eloquentior Eusebio* (tametsi *assertor Origenis* sit) *inveniri potest?*

41 Sed his non obstantibus, semper Arianus manebit Patern. vestræ Eusebius, per me licet; atque ideo omni fide historica indignus; id per me non licet. Nam Hieronymus idem, qui illum tamquam *Arianorum signiferum* insectatur; ejusdem *prudentiam, doctrinam, eloquentiam & historiam ecclesiasticam pulchre*, atque adeo fideliter descriptam, laudat & extollit. Iterum, si, quia hæreticus, historica fide indignus est: jam Martyrologio quoque Romano fidem negare, atque e numero Sanctorum Martyrum eradere debes, quotquot Ecclesia Romana aliunde ignotos, sane plurimos, ex Eusebio inseruit Martyrologio suo; populoque Christiano quotidie legendos, & pro Sanctis colendos proponit.

42 Vide sis, mi Pater, quo te abstraxerit zelus, Eusebio parum æquus; cui si fidem negare pergas historicam, quia fuit hæreticus, tametsi plures tueantur ejusdem sententiam Catholici scriptores, negare fidem pariter debebis Luthero Calvinove hæresiarchis, etiam in iis argumentis, quæ Catholici scriptores non minus quam ipsi tuentur: puta, captum a Carolo V. Regem Franciscum: nec ut credas, debebis moveri auctoritate Catholicorum idem scribentium, quia hæreticus aliquis id ipsum affirmat: & negare tibi ego fidem debebo in omnibus, quorum accusas Papebrochium, quia hæreticus nescio quis eumdem in iisdem accusaverit.

43 Auctoritatem aliorum quos citavi historicorum, Socratis, Sozomeni, Theodoreti; item Athanasii, & Synodi Ariminensis trecentorum & amplius Patrum Catholicorum, unanimiter affirmantium, sub finem vitæ Constantinum fuisse baptizatum, evertisse te putas, dicendo,

Epi-

Epistolam illam Synodicam, quæ a prædictis auctoribus recitatur, intelligi debere de *Constante*, non de *Constantino*, sub finem vitæ baptizato: idque præcipue Baronii sic sentientis nomine, te putas evicisse. Nugæ. Admittit Baronius ad an. 324. num. 52. apud Socratem, apud Soxomenum, apud Theodoretum legi *Constantinum*: & sic scriptum ab ipsis istis auctoribus suisse, si quis sustineat, non difficulter & hoc admittet num. 53. ratus, illorum auctoritatem unius Athanasii lectione, quam & profert, *Constantem* scribentis, facile elidendam. Sed legit Baronius cantummodo textum Athanasii Latinum, ut est apud Nannium an. 1564. editus; ubi nescio quo fato, cum primo loco expresse legatur *Constantius*, paulo post, ubi de baptismo ejus, irrepsit *Constans*.

44 Quod si Baronius legisset etiam textum Athanasii Græcum, an. 1600. primum in lucem typis editum, ex novem codicibus Mss. qui omnes *Constantinum* legunt, concinnatum, addita interpretatione Nannii prædicta; si legisset eamdem Epistolam Græce apud Labbeum & Cossartium, tom. 2. Concil. col. 798. utrobique, ex fide plurium, ut dixi, Mss. legisset Κωνσταντῖνος; atque sententiam suam hac in parte vir ingenuus ac veritatis studiosissimus mutasset. Unum mirari satis nequeo, nec scio quo nomine appellem, an stuporem, an ignorantiam, an fallaciam, non Baronii, sed illius qui Baronium sibi ducem hic sequendum asciivit. Vult enim Patern. vestra, etiam confirmare sententiam Baronii, *Constans* legentis pro *Constantinus*. Factum bene. Sed quomodo? Num. 48. scribis: *Atque ita legitur in Operibus Græco-Latinis S. Athanasii: uti & apud Labbeum & Cossartium tom. 2. Concil. fol. 796.* (imo columna 798.) *Deinde in textu Latino apud S. Athanasium in Epistola de Synodo Arimini & Seleuciæ, tam in margine quam in corpore legitur, Imperator Constans, non Constantinus.*

45 Quid? Legitur in operibus Græco-Latinis Athanasii, nec non Labbei & Cossartii, *Constans* pro *Constantinus*? uti mox expresse etiam explicas legi in textu Athanasii Latino tantum, tam in margine quam in corpore? Fateor, in Operibus Græco-Latinis Athanasii & Labbei legi in Latino *Constans*: sed textus ille Nannii est, quem sive semel, sive centies recusum asseras, nihilo ex replicata impressione plus auctoritatis conferes. Legere debebat Patern. vestra, aut sibi legendum curare, utrobique textum Græcum, quem citat, noctuis, credo, & vespertilionibus. Utrobique enim reperisset Patern. vestra, & quisquis oculos habet, Κωνσταντῖνος; idque ex consensu novem diversorum codicum Mss. ut diximus. Si revivisceret modo Baronius, tanta codicum Mss. auctoritas, scio, compelleret, virum mutare sententiam suam; diceretque (quod, lectis Socrate, Sozomeno, Theodoreto, dixerat ad an. 324. num. 53.) *Quis audiens*, Athanasium etiam scripsisse Κωνσταντῖνον, *non statim intelligat causam* Baptismi Constantiniani *Eusebio adjudicandam, nec ullum reliquum esse defensioni locum*; nisi forte Paternitati vestræ.

46 Num. 50. quæris; *Sed quid ad S. Hieronymum in Epist. Fam. dicentem: Constantinus, extremo vitæ suæ tempore, ab Eusebio Nicomediensi baptizatus (astute omittitur, ais) in Arianum dogma declinavit.* Vis dicam? *Eadem astutia omittitur* illud, *in Arianum dogma declinavit*; qua omittitur reliquus Hieronymi textus usque ad finem libri: quia nempe neutra faciunt ad quæstionem præsentem, quæ præcise tractat de baptismi Constantiniani loco ac tempore. Si locus fuerit Roma, facile conveniet, baptistam fuisse S. Silvestrum; si vero fuerit Nicomedia aut ejus suburbia, non omnino certum est de baptista, qui ulterius inquiri, nec facile uni Hieronymo credi debebit fuisse Eusebius Nicomediensis. Si enim is fuisset baptista Constantini, sane Eusebius Cæsariensis innominatum non prætermisisset, cum id gloriosum sectæ suæ Arianæ fuisset, magnamque ei conciliasset auctoritatem, primum inter Christianos, eumque Magnum Imperatorem Constantinum, a sectæ suæ principe Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatum fuisse. Cum igitur inpræsentiarum quæstio non vertatur, in quod dogma declinaverit Constantinus jam baptizatus, neque a quo Nicomediæ baptizatus sit; sed an baptizatus ibi sit potius quam Romæ, frustra adjunxissem illud, *in Arianum dogma declinavit*; imo & frustra adjunxisse videri possum ac volo, illud Hieronymianum, *ab Eusebio Nicomediensi* baptizatum esse. Opinor enim & hoc falsum esse, tum ex ratione supra allata, tum quod aliunde discamus, cujus nominis & loci Episcopus baptizaverit Constantinum.

47 Fasti quippe Ecclesiæ Alexandrinæ, in Habessinæ gentis Hagiologium metricum relati, nominant baptistam Constantini *Petrum*, *Solorum* in Cypro civitatis Episcopum sanctum: cui ad diem VII. Tubæ, qui diei secundo Januarii nostri respondet, accinunt hanc strophen: *Salutem* (dico) *tibi, Petro Solensi, baptistæ Constantini Regis, ejus qui Crucem revelavit* (sive invenit, aut publice colendam adorandamque proposuit). *Dies ministerii tui facti sunt dies justitiæ & æquitatis administrandæ: quoniam confractus est Dagon, & cecidit Bel, sicut olim Isaias prædixit.* Quibus indicatur per baptismum Constantini, omnem sublatam gentilibus spem esse resuscitandæ aliquando idololatriæ.

48 Sed vereor, ne hic mihi objiciat Patern. vestra silentium Eusebii Cæsariensis, nihil de illo *Petro Solensi*, baptista Constantini, memorantis. Ego vero objiciam similiter Patern. vestræ ejusdem Eusebii silentium circa baptistam Constantini Eusebium Nicomediensem, quem ex Hieronymo credis talem revera fuisse. Et rationem addo, cur silentium Eusebii faveat sententiæ nostræ, ex fastis Habessinis, non faveat vero sententiæ Patern. vestræ, ex divo Hieronymo; idque præcipue e prudentia & subtilitate ingenii, quam Eusebio tribuunt auctores, etiam Hieronymus; & testatam faciunt ipsa Eusebii scripta, non modo historica, sed etiam theologica, quæ passim extant. Prudentis namque & subtilis erat ingenii nihil publice scribere, quod publice constabat falsum. Atque hac ipsa de causa peccasset etiam contra prudentiam suam, si falso scripsisset, Constantinum sub vitæ finem prope Nicomediam baptismo tinctum esse. Prudentis item & subtilis erat ingenii, Arianismo faventis, ut palam enuntiaret, quod salva veritate in rem suam posset; quale erat, prodere nominatim Eusebium Nicomediensem, si is re ipsa Constantinum baptizasset. Erat insuper

super

super prudentis ac subtilis ingenii, Arianismum faventis, silentio tegere, quod salva veritate in rem suam tegere poterat; quale erat, non prodere nomen Petri Solensis, qui baptismum contulerat Constantino, recte Catholici; ut ne illa proditione Catholicis videretur prodesse; ubi silendo auctorem baptismi, nulli faciebat injuriam; argumentum vero relinquebat posteris suspicandi, baptismum contulisse Eusebium Nicomediensem, quia in ejus diœcesi baptizatus fuerat Constantinus.

49 Redeo ad textum Hieronymi, ex quo inferri posse nego, una atque alia ejus verba æqualiter credi debere. *Baptizatum* enim *esse* Constantinum, latius patet, & prius cognosci potest, quam, *a quo baptizatus sit*: & ad hæc ipsa cognoscenda, nihil omnino attinet scire, *in quod dogma deinceps declinaverit*. Ego quidem nihil dubito, quin Patern. vestra infans baptizata sit, ignoro autem, a quo Parocho: nec ad baptismum ejus spectat, a me sciri, in quod dogma deinceps declinaverit, an illorum, qui ex animi sententia defendunt antiquitatem Carmelitanam; an vero eorum, qui pro forma tantum, ne Fratrum suorum incurrant invidiam. Sed & hæc inter nugas repono; & maxime illud, quod num. 52. respondes ad textum Ambrosii, dicentis; baptismi gratiam, IN ULTIMIS CONSTITUTO, omnia peccata dimisisse, *Nihil*, inquiens, *inde colligi, nisi quod sanctus Pater ibi alludat ad lepram, qua Romæ laboravit Constantinus*, *ratione cujus reputabatur* IN ULTIMIS CONSTITUTUS. Si sic licet explicare auctores eorumque verba, ut IN ULTIMIS CONSTITUTUM esse, sit *lepra laborare*; leprosi omnes gaudeant, atque ad Patern. vestram confessionis causa concurrant suadeo, ab omni excommunicatione aliisque censuris ecclesiasticis, & peccatis quantumvis gravibus, etiam summo Pontifici reservatis, tamquam IN ULTIMIS CONSTITUTI, continuo absolvendi.

50 Atque hæc satis sunto ad stabilienda argumenta mea, contra objectiunculas Patern. vestræ, pro baptismo Constantini, sub vitæ finem collato: quæ cui veritatem hanc persuadere nequeunt, ei auctor sum ego, ut imposterum abstineat ab historia. Colligere interim, ex dictis huc usque de *Ignorantia facti* historica, potest Paternitas vestra, non agi hic de fabulis, seu veris, seu fictis, sed quæri, an Constantinus baptizatus sit prope Nicomediam, an Romæ; quorum alterutrum necessario dicendum est. Primum afferunt Auctores plus quam trecenti, coævi omnes, toto orbe sparsi, doctissimi juxta atque sanctissimi, uti videmus: secundum asseris nemo idoneus testis, qui nominari ut talis possit, intra sæcula tria sequentia.

51 Colligere item potest Patern. vestra, quam frustra elevare conata sit auctoritatem Eusebii, ex Baronio præcipue accumulans multa, quibus eum ostendat hæreticum fuisse, quod ne nego quidem: sed in hæresi mortuum, negat Ecclesia Gallicana (cujus plures Episcopi Eusebium noverunt coram in Synodo Nicæna) & negavit semper; nec Baronius aut citati ab eo Auctores eo usque hæresim ejus (quod sciam) extendunt.

52 Colligere insuper potest Patern. vestra, hæresim non efficere, ut quis continuo in omnibus deliret, ut negare ausit, medio die lucere solem; ut mentiri velit in re toti mundo exploratissima; ut impune mentiatur nemine omnino contradicente, sed omnibus mendacium ejus, uti tale cognitum, pro veritate verissima adorantibus.

53 Colligere etiam potest Patern. vestra, Græcos textus, non solum Socratis, Sozomeni, & Theodoreti, quod fatetur Baronius; sed etiam S. Athanasii (cujus textum Græcum Baronius non viderat, ideoque Nannii, Latini interpretis errore lapsus aliter sentiebat) & quidem ex novem codicibus Mss. præter impressos, legere; *Constantinum* in fine vitæ baptizatum esse; nullum vero legere, *Constantem*, ut Patern. vestra sustinere vult, & sustinere nollet Baronius, si illa monumenta habuisset, quæ Patern. vestræ hic indicantur & ante oculos proponuntur, si videre velit.

54 Colligere denique post Patern. vestra, explicationem, quam adhibet verbis divi Ambrosii, omnino ridiculam esse. Item textum divi Hieronymi posse ac debere admitti pro illa parte, quæ communem cum aliis sui temporis sententiam docet; non vero debere admitti, ubi singularem, aliis inauditam, ac rationi parum consonam tradit. Qua in re stupeo pervicaciam Patern. vestræ, quæ pergit sustinere, indignum fide esse Auctorem qualemcumque qui in uno aut paucis errasse deprehenditur, ex auctoritate aliorum, aliter sentientium; atque hinc Eusebio negandam fidem a Papebrochio prætendis, quia in uno alterove eum non sequitur, ratione nixus. Certe sibi ipse non credidit D. Augustinus in multis, quæ, ut Christianum ac veritatis studiosum decet, laudabiliter retractavit; uti multi alii fecerunt, quorum gaudeo e numero esse Papebrochium, quem ais, *proprio motu retractasse ultra bis mille errores, quos inter Acta Sanctorum ex ignorantia commiserat*. Laudo veritatis studium in Papebrochio, non minus quam in D. Augustino: unicum tamen deesse credo, illius errorem, ut numerus bis mille compleatur, ac doleo, quod in tanto errorum numero nihil in causa vestra reperierit corrigendum retractandumve, etiam postquam vos multis, opinione vestra, luce clarius demonstrasse jactatis: aut si quid hic etiam retractavit, agnoscite æquum ejus in vos animum.

55 Insultat nihilominus Patern. vestra Papebrochio n. 42. quod *Eusebium* auctorem habet *modo probatissimum*, ubi de baptismo Constantini, *modo improbatissimum*, ubi nescio quæ in illo reprehendit. Nolim hic pluribus ea proponere, utpote non magni momenti. Sed velim quærere, an idem Baronius, qui Patern. vestræ est auctor *probatissimus*, ubi agit da baptismo Constantini, (quamvis tot alii recentiores, a me citati, Perronii Cardinales, Petavii, Lamberti, Valesii, Hermantii, Pagii, legerint & ipsi Baronium, magis in arte historica, quam profitebantur, versati, quam est Patern. vestra, aut ego; & illi tamen, salva Baronii pace, non probant baptismum Romanum, probant vero Nicomediensem. Nec putare velim Patern. vestram se illis omnibus perspicaciorem existimare in penetrandis Baronii argumentis, aut discernenda veritate historica.)

56 Velim, inquam, quærere, an Baronius, qui auctor est Patern. vestræ *probatissimus*, ubi da baptismo Constantini, sit eidem similiter *probatissimus*, ubi ad ann. 1181. num. 13. sic scribit:

Con-

Constantior videtur assertio, quod Ordo Religiosorum Carmelitanorum, qui in Palæstina in ipso Carmelo monte fixere sedes, sub Alexandro III. Rom. Pontifice sumpsit originem: quoto autem anno ejus Pontificatus, habetur incertum. Horum autem promotor, propagator, & castos fuit ille, qui fungebatur in Oriente legatione Apostolicæ Sedis Haimericus, Patriarcha Antiochenus: qui considerans complures ex Occidente, qui venerant vitam eremiticam acturi in Terra sancta, hinc inde dispersos, expositos barbarorum incursibus; collegit eos in unum, duxitque in montem Carmelum, Eliæ habitatione egregie olim nobilitatum. Fuere ista principia, ex quibus, ut ex parva scaturigine flumen, immensus est auctus cœtus religiosorum virorum. Hactenus Baronius: qui si hic quoque *probatissimus* est Patern. vestræ, uti debet esse, ne nihil ex eo probet, ubi de baptismo Constantini; jam principium contentionis vestræ cum P. Papebrochio, & caput ejus omnino sublatum est, & in reliquis facile pax & amicitia vestra coalescet. Credat igitur hic sanctissimus Ordo vester religiosissimo Baronio, si minus honorificum sibi putet, credere Papebrochio. Alia vobis similiter credenda proponit idem Auctor ad an. 444. n. 17.

57 Eruditorum, scio, nullus dubitavit, quin allata hactenus argumenta pro baptismo Nicomediensi, talia sint, ut in considerationem venire non possint, quæ afferri solent pro Romano Silvestrino; quantumvis hunc *certa & indubitata probare testimonia* inscite jactet Patern. vestra num. 25. *Motivi sui*. Obiter oculo dignemur *certa* illa & *indubitata* vobis *testimonia*. *Nam* (uti probas ibidem primo,) *Concilium Romanum, sub S. Silvestro Romæ coactum, in exordio id testatur*. Auctoritas magna & coæva, si modo vera; sed hoc ipsa sibi Patern. vestra persuadere numquam poterit; atque ideo magis miror, quod aliis id credendum ausit proponere. Dic, quodnam istud Concilium Romanum? Cujus viginti Canones circumferuntur, initio loquentes de baptismo Constantini Romano; & extant apud Labbeum tom. 1. Concil. col. 1545. Sed ibidem extat quoque a Labbeo notatum in margine, quod Canones isti *Hincmaro* Archiepiscopo Rhemensi, sæculo IX. florenti, & *plerisque Eruditis videantur suppositi*, uti & ipsi Labbeo, & Christiano Lupo, & Antonio Pagio, & Emmanueli Schelstratio, viris istarum rerum peritissimis, & ex professo talia tractantibus. Ut alios omittam, audi Illustriss. Schelstratium, bibliothecæ Vaticanæ Custodem, Patern. vestræ non minus quam mihi æstimatum, in singulari Dissertatione hoc de Concilio pag. 484. *Antiquitatis illustratæ*, sic concludentem,

58 *Quia, non solum Dionysius* (qui Romæ Justiniano imperante Codicem Canonum confecit) *Canones hos omisit, sed etiam hoc Concilium, tum ex dictis* per totam Dissertationem, *tum ex falsa Consulum creatione, tum ex Helenæ subscriptione, contra omnium sæculorum praxim, quæ mulieres ab Episcoporum Conciliis, & multo magis ab eorum subscriptionibus excludit; tum demum ex numerosissimo & Græcorum Episcoporum catalogo, aliisque, suppositionis arguitur; facile assentior Hincmaro, Metropolitæ Rhemensi, Parisiensium Archiepiscopo de Marca, Christiano Lupo, Philippo Labbeo, ac plerisque Viris eruditis, tanto ab eo citatis*: facile, inquam, iis assentior, *brevem Epilogum & Canones XX. de hoc Concilio, ut fertur, testantes, esse suppositos*. Atque hoc Concilium Romanum est *certum & indubitatum* vobis, sed solis, *testimonium* pro baptismo Constantini Romano, ideoque primo loco productum.

59 Videamus alterum. Sunt illud *Acta S. Silvestri*, ais, *in altero Concilio Romano, sub Gelasio primo CUM OMNIBUS HONORE SUSCEPTA*. Bona fides aut intelligentia Patern. vestræ hic iterum deficit. Falsum est enim illic scribi, Acta S. Silvestri *cum omni honore suscepta esse*. *Legebantur* tantummodo *a multis in urbe Romana Catholicis, & pro antiquo usu multa hæc imitabatur Ecclesia*. Eatenus autem probantur illic Acta S. Silvestri prædicta a Gelasio, quatenus ipsa, ut multæ aliæ scripturæ, ibidem expressæ, *suscipi non prohibentur*; quia nempe nihil contra fidem Catholicam continebant, ac utiliter legi a populo Christiano ad multorum ædificationem poterant, uti nunc etiam leguntur tam ipsa, quam alia *Sanctorum Acta*, tametsi non in omnibus probata, imo in multis manifeste falsa. Non enim solum ad imitationem sui allicit, quod re ipsa præclare factum est, verum etiam quod potest præclare factum fuisse.

60 Considera nunc, quam *certum & indubitatum testimonium* dare possint Acta S. Silvestri; quæ, ipso Baronio teste ad ann. 315. n. 17. *non in omnibus vera sunt*, prout *hodie extant, nimirum deturpata compluribus* (ut *vidimus*, ait; ac prius monstraverat) *quæ aliunde irrepserunt, MENDACIIS*. Et Baronium fere secutus Labbeus enumerat compendio *mendacia* illa tomo 1. Concil. col. 1491. sic dicens; Acta S. Silvestri, *prout hodie extant, pluribus mendaciis scatent. Nam quod referunt, Constantinum ante Helenam Christianum fuisse; Constantium & Constantem Cæsares Augustos hoc tempore in Oriente degisse; Isaac* (alii legunt *Isachar*) *apud Judæos summum Pontificatum administrasse; Helenam ex Bithynia oriundam fuisse; jejunium Sabbati per Silvestrum obrogatum, diem Dominicum per eumdem institutum, ipsumque Silvestrum Pontificem a Melchiade ordinatum fuisse*. Addere his potest qui volet, Constantinum lepra infectum *per universam*, ut Acta apud Surium loquuntur, *misisse regionem, qui infantes colligerent* crudeliter mactandos, ut eorum sanguine adhuc *bulliente* in piscina lavaretur. Addat etiam, baptizatum Romæ a S. Silvestro Constantinum, rem Gelasii temporibus ubique ignotam. Addat denique, eumdem Constantinum anno Christi CCCXXIV. uti Baronius colligit, Romæ baptizatum fuisse, quo toto anno Romæ non adfuit; *aliaque plura a veritate omnino aliena esse, præterquam quod id pulchre ostendat Baronius anno 315. n. 12. & sequentibus; etiam ipsi Canones Apostolorum, & Notæ, quas ibi conscripsimus, aperte demonstrant*.

61 Objicies, scio, Acta illa, a Baronio & Labbeo credi puriora fuisse, quando Romæ & in multis aliis Ecclesiis lecta, suscipi prohibita non sunt a Gelasio. Nescio equidem qui probent Auctores illi opinionem istam. Potest enim Pontifex ille utilitatem, ex lectione piorum gestorum in vulgus promanantem, spectasse potius, quam rigorem veritatis historicæ; quemadmodum eadem Acta, etiam ut nunc sunt, utiliter legi permittuntur ab Ecclesia. Fuerint

tamen

tamen, puriora tunc, & fuerint purissima, per me licet. Quid concludes ex Actis illis purissimis pro baptismo Constantini Romano? Nihil de baptismo illo Gelasius, ne verbo quidem. Citat solummodo Acta illa, ut hic supponimus, purissima: quæ probari debent a Patern. vestra in puritate sua aliquid locuta fuisse de baptismo Constantini: quod ni feceris, auctoritas Actorum istorum, quantumvis purissimorum, nihilo plus conferet ad intentum Patern. vestræ, quam eo conferunt eadem Acta, ut nunc sunt, depravata. Imo quamdiu illa Acta vis pura & Authentica fuisse, tam diu Constantini baptismus Romanus & lepra, recenti infantium sanguine ex Auspicum responsis abluenda, abfuisse debent ab Actis illis, non minus quam abfuerint alia impertinentia, paulo ante ex Labbeo prolata. Quis enim de lepra illa aut de illo baptismo somniavit umquam usque ad Gelasii tempora & diu post, idoneus scriptor, Latinus, Græcus, Christianus, Gentilis, amicus aut inimicus Constantino? Unde ergo illa probabis? Ex Actis S. Silvestri, ut nunc habentur! Nulla illis hic fides. Ex Actis illis, ut primitus fuerunt, purissimis? Nihil illa de baptismo & lepra, nisi ostenderis.

62 Considera etiam, quod Julianus Apostata, annos xxvi. post Constantinum mortuus, objecerit quasi per ludibrium Christianis (uti legitur apud Cyrillum Alexandrinum lib. 7. contra Julianum), baptismum eorum neminem lepra aut alio morbo corporali sanavisse, dicens: *Et leprosi quidem lepram baptisma non adimit .... Adulteria vero, rapinas & omnia omnino peccata eximet?* Qua fronte ita loqui, quantumvis apostata, Imperator ausus fuisset, si recenti memoria in Constantino re ipsa tale miraculum in totius mundi conspectu contigisset, depulsa per baptismum ejus lepra. Quid etiam impedivisset Cyrillum, quo minus Apostatæ pridem mortui dicta confutaret, allato Constantini, lepra sic mundati, si verum est, exemplo? Sed nihil de illo Cyrillus: respondens tantummodo, baptisma etiam curaturum esse lepram aliosque morbos, si Deus vellet, aut eum in finem illud Christus instituisset. Ut videri potest apud ipsum loco citato.

63 Tertium vobis *certum & indubitatum testimonium* profert *Adrianus* IV. (ita pone hic sequitur Patern. vestra Ciacconium, ut ejus etiam errores amet, *Adrianum* IV. pro I. scribens) *in Concilio Nicæno secundo, & tom. 2. Epist. Decretalium.* Obiit Adrianus I. sub exitum sæculi octavi, annos fere CCC. a morte Gelasii Papæ prædicti. Interea temporis Acta S. Silvestri, quæ possunt sedente Gelasio pura & purissima fuisse, possunt itidem ac debent, in supposito illo, depravata esse non admodum diu post; cum Adrianus præfatus citet Acta illa Silvestrina, jam tum non melioris notæ, quam nunc sunt. Nam idem Adrianus, qui loco vobis favente, scilicet Epistola Constantino & Irenæ Augustis inscripta, atque a Labbeo tomo 7. Conciliorum col. 102. relata, ex Actis S. Silvestri mentionem facit baptismi Romani, idem, inquam, Epistola ad Carolum Magnum eodem tomo 7. col. 939. ex iisdem Actis Silvestrinis citat Concilium illud Romanum, ad quod Helena Judæos, Scribas & Pharisæos adduxerit, paulo ante hic monstratum nullius fidei esse.

64 Atque hic quidem primus omnium est, quod sciam, idoneus Auctor, qui de baptismo Constantini Romano ex Actis S. Silvestri meminit. Nam quod Gregorium Turonensem eo trahere velint aliqui, violentum pluribus videbitur: nec immerito. Nam hæc ejus verba, ex Historia Francorum l. 2. n. 31. ubi baptismum Clodovei, primi gentis suæ Christiani Regis, describit, inquiens, *Procedit novus Constantinus ad lavacrum, deleturus lepræ veteris morbum, sordentesque maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus*. Hæc, inquam, verba de baptismi Constantiniani loco ac tempore nihil exprimunt. Deinde tota Scriptoris, encomiasten hic agentis, intentio per hoc salvatur, quod Clodoveum, primum Francorum per baptisma Christo renasciturum Regem, laudet exemplo Constantini, primi similiter inter Imperatores baptismo Christiano tincti; dicens: *Procedit novus Constantinus ad lavacrum*; cujus deinde effectum describens, per *lepræ veteris morbum*, tam potest spiritualem peccatorum lepram, sane *veterem*, intelligere; quam alludere ad lepram Constantini corporalem; quæ sane *vetus* in ipso non fuerit, cum divinitus immissa, non multo post miraculose depulsa dicatur, uti vel ex ipsis Actis Silvestrinis patet. Adhæc, per *lepræ morbum*, non tam corporalem (ne & hoc laborasse Clodoveum insinuet) quam spiritualem intellexisse dicendus est Gregorius; uti mox per *sordentes maculas*, non intelligit alias, quam spirituales animæ.

65 Interea tamen, si quis spiritu contradictionis actus, sustinere pertinaciter velis, Gregorium isto suo loquendi modo respexisse ad lepram Constantini corporalem; & hoc ego non morabor gratis concedere, requirens pariter concedi mihi, quod Acta S. Silvestri, quæ sub Gelasio supponimus adhuc proba fuisse, centum spatio annorum, quod inter Gelasii atque Gregorii prædictorum intercessit obitum, vitiata fuisse; & non majorem, quam nunc apud Eruditos, auctoritatem habuisse tempore Gregorii: quamvis in laudem Clodovei Regis, inde deduxerit comparationem, quam vidimus. Jam reliquos Auctores, Adriano Papa prænominato juniores, Anastasium Bibliothecarium, Wandelbertum Diaconum, Nicolaum I. Pontificem, Theophanem, aliosque, qui obiter plerique baptismum Romanum innuunt, nihil attinet refutare alio argumento, quam quo refutavimus auctoritatem hac in re Adriani; quia nempe talia adstruxerunt, ex apocryphis Silvestri Actis, quæ illorum ætate nihilo majoris fidei fuisse censenda sunt, quam modo.

66 Pergit denique probare Paternitas vestra, per *certa & indubitata* sibi *testimonia*, quod vult, baptisma Romanum: quia prædictis auctoribus suis *accedit antiquissima Romanæ Ecclesiæ traditio, cujus specimen exhibet magna tabula, ex columna secunda a latere dextro navis basilicæ Lateranensis pendens: cujus verba referuntur Art. 54. §. 3. Exhibitionis errorum*. Videamus ipsa: *Ante annos mille* (inquit Tabula) *circa annum Christi sexcentesimum; S. Gregorius, & ante istum S. Silvester, Indulgentiam plenariam, quocumque tempore anni, omnibus ad Ecclesiam Lateranensem venientibus concessere*. Non prosequor reliqua, cum ex capite Tabulæ pateat, ipsam initio hujus sæculi primum

scri-

scriptam esse; atque inde satis appareat, quantum fidei mereatur in re antiquissima, mille trecentos ante annos gesta, de baptismo Constantini, quem postea eadem Tabula innuit contigisse Romæ, depulsa a corpore baptizati lepra. Certe Illustrissimus Schelstratius, quem supra laudavi, ut erat curiosus antiquitatis scrutator, in ecclesia Lateranensi centies spectaverit *Tabulam* prædictam: sed dignam non judicavit, cujus vel verbulo mentionem faceret in *Antiquitate* sua *illustrata* pag. 466. & seqq. ubi plurima colligit pro Baptismo Romano, quibus addi non licuit miseræ illi *Tabulæ*. Unum mirari non desino, quod ausit Patern. vestra, tam *certa & indubitata testimonia* vel mediocriter Historiæ Patrum oculis objicere; quodque præfidenter suam hic probationem concludat his verbis: *Quibus aliisque* ANTIQUISSIMIS AUCTORIBUS (maxime antiquos vestros ego supra produxi omnes: nam *antiquissimi* nulli sunt, idonei testimonii) .... *id* (baptisma Romanum) *undequaque tam solide probatur* (si verba qualiacumque, probationes forent) *ut Julius Resensis tom. 25. Vet. Patr. asserat, esse* TEMERITATEM *negare, Constantinum a S. Silvestro baptizatum fuisse*. Qui idem Julius, si modo oculos aperirat, allataque a nobis argumenta inspiceret, assereret profecto, esse TEMERITATEM, *negare, Constantinum sub vitæ finem in suburbiis Nicomediæ baptizatum fuisse*.

67 Transeo ad alia, properans ad *Brevem Instructionem* meam purgandam. Paragrapho suo 4. male habet Pater. vastram, quod ego num. meo 19. dicam, *summo criminis* a vobis dari Papebrochio, *quod nonnulla teneat in re historica, quæ Lutherus, Calvinus .... Launoyus, ac Natalis Alexander docuerunt*. Et irasceris etiam, dicendo: *Itane? Quænam, obsecro, illa sunt? Non ostendetur in toto libro, quod ullam criminis, & multo minus summo criminis, dem Papebrochio*. Concedo; fortassis toto libro te non objicere verbotenus *summum crimen*: at ubicumque de hæresi agis, de *summo crimine* agis; cumque identidem ingeris, Papebrochium *tenere* nescio quæ cum *Wicleffistis*, cum *Illyrico*, cum *Luthero*, cum *Magdeburgensibus*, *aliisque hæresiarchis*: quæro, an intelligi debeat Papebrochius aliquam tenere hæresim, quam isti docent; nec ne.

68 Si tenet, *summum crimen* admittit; sed non *minus* admittit *crimen* Patern. vestra, quod tale crimen ejus non aliter probet: interest enim totius Ecclesiæ Catholicæ, detegi hæreses in viris Catholicis ac Religiosis. Si non tenet hæresim aliquam cum hæreticis Papebrochius, *Summo* pariter *crimini* dabitur Patern. vestræ, quod innocentem hæresis insimulet, aut in ejus suspicionem adducere conetur, quando invidiose cum hæreticis eum collocat, & illorum doctrinam sequi sugillat; ideoque & excommunicatis & ab Ecclesia damnandis annumerat. Eadem sane argumentandi ratione ostendam ego, Patern. vestram hæresim sapere, in eo quod *credat in unum Deum*. Nam R. P. Sebastianus a S. Paulo *tenet* cum *Wicleffistis*, cum *Illyrico*, cum *Luthero*, cum *Magdeburgensibus*, *aliisque hæreticis & hæresiarchis* fere omnibus; cum iisque credit ac docet, *Deum esse unum*: ergo cum hæreticis excommunicatus est, cum iisque ab Ecclesia damnandus. Ecce pretiosissimus unio tuus, quo vitam æternam compares, tibi cum hæreticis communis est.

69 Antequam paragraphum istum concludas, dicis num. 80. *Videamus denique quænam in re historica Papebrochius teneat cum Natale Alexandro, ex ejus damnatis libris; quorum impressionem, descriptionem ... & usum ... sub pœna excommunicationis, per contra facientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, soli Pontifici reservata, prohibuit Innocentius XI. an. 1684. 10. Julii. Unde ut ab incursu hujus excommunicationis coram vulgo excusetur Papebrochius; cum passim dictos damnatos libros citet, sequatur, etiam subinde laudet, varia ex illis describendo ac suis tomis inferenda: hinc astute in Epistola Fam. num. 20. sic habetur:* Quod Papebrochius citet subinde ac laudet etiam Natalem Alexandrum, vitio ei dari non potest: cum id fecerit priusquam libri ejus proscripti fuerint. *Quid contra evidentem veritatem esse excogitatum, luculenter patebit ex citationibus infra producendis. Nam cum primum folium Conatus Chronico historici Propylæi Maji sudaret sub prælo,* FATETUR PAPEBROCHIUS *fol. 5. * num. 20.* SE ACCEPISSE ET LEGISSE PRÆFATUM INNOCENTII XI. DECRETUM: *satis cito proinde (si animus ei fuisset obtemperandi Decreto Apostolico) ut omnia & singula, ex istis damnatis libris excerpta, in subsequentibus foliis, prælo subjiciendis, per totum Conatum expungerentur: & a fortiori, ut expungerentur ex tomo 6. & 7. aliquot annis post demum impressis.*

70 Hactenus Patern. vestra, quæ, recoquendo hic etiam cramben suam, ac negando contra assertionem Papebrochii, folium illud 5 * Conatus Chronico-historici inter ultima impressum fuisse; compellit me quoque, ut cramben recoquam; & quæ Patern. vestra, primum a Papebrochio, folio 5 * citato apposita, gustavit; a me in *Epist. Fam.* ingesta in os, digerere non potuit; nunc demum hic tertio cocta exhibeam. Gusta igitur denuo ac digere ex *Epist. Fam.* a num. 20. sequentia: Quod Papebrochius citet subinde, ac laudet etiam, Natalem Alexandrum, vitio ei dari non potest: cum id fecerit prius quam libri illius proscripti fuerint: quemadmodum ad crimen imputari non potest illi, qui hodie laudaverit librum, multa bene ac erudite disputantem, si is forte, propter detecta quædam errata, post mensem aut annum, in Indicem librorum prohibitorum referatur. Papebrochium autem ante damnationem Alexandri prædicti, tantummodo usum fuisse libris ejus, scivit Patern. vestra, citans Art. suo 4. §. 7. partem textus hac super re Papebrochiani. Sed cur non totum? An ex toto textu patuisset sinceritas Papebrochii, & omni culpa a legentibus totum, absolvendus putabatur? Quando nempe animadvertissent, illud ipsum folium loqui & fateri, contra pertinacem obstinationem Patern. vestræ, aliter volentis credi, se *impressione jam fere absoluta*, propterea quod mutari quædam deberant, *iterato destinatum fuisse ad prælum*. Totum igitur accipe textum ex Conatu Chronico-historico p. 5. * p. 20.

71 His

71 *His prænotatis, incipit enim P. Henschenio a primo ac præcipuo Ecclesiæ Capite Christo Jesu, cujus Vicarii sunt Romani Pontifices, Petri successores. Sed ecce, ipso tempore, quo, utriusque Tomi (4. & 5.)* IMPRESSIONE JAM FERME ABSOLUTA, PAGINA HÆC, *in duobus ultimis numeris mutanda*, ITERATO DESTINATUR AD PRÆLUM; *perfertur Roma gravissimum Sanctissimi Domini Nostri Decretum, publicatum istic an.* MDCLXXXIV. *die x. Julii, quo „ Libri quidam, Auctore Natale Alexandro, Fratre Ordinis Prædicatorum, in sedecim volumina distributi (præter alios in quatuor opuscula divisos) & a primo usque ad duodecimum sæculum inclusive editis, sub titulo,* Selecta Historiæ ecclesiasticæ Capita, *a S. D. N. Innocentio PP. XI. motu proprio & ex certa scientia ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine damnantur ac reprobantur, ac legi seu retineri prohibentur; ipsorumque librorum omnium & singulorum impressio, descriptio, lectio, retentio, & usus sub gravissimis pœnis in decreto contentis, omnino interdicitur. „ Ne quis igitur, duos hos Tomos in lucem venire videns post hujusmodi Decretum, & nihilominus in eis dictos libros subinde absque scrupulo allegatos reperiens, observantiam Apostolicorum mandatorum, quam ante singulos Tomos profitemur, eo in casu desideret; monitum lectorem velim, id prius, quam tale Decretum conderetur Romæ, procul inde in Belgio esse absque malo dolo factum; & quidem in iis dumtaxat argumentis, quæ sola si Auctor ille tractasset, non putamus incursurum fuisse Sanctæ Sedis indignationem tam gravem. Interim etiam sic impressa pro non impressis haberi cupio; & Pontificiæ voluntati in omnibus atque per omnia morem gestum desiderans, e sexto septimoque Maji Tomis jam jam ad prælum postulandis, expungo quæcumque alia loca, dictorum librorum mentionem facientia.*

72 Quid ad hanc assertionem positivam, suspicio contraria & male cohærens, a vobis loco citato mota? Ille retractat ultro, disertis verbis, cum singulari erga sanctam Sedem Apostolicam reverentia; atque pro retractatis & non impressis haberi vult omnia, quæ e Natale uspiam adduxerit. Vobis nihilominus lubet suspicari, hanc tam seriam retractationem aliud non esse, *nisi verba & voces, ac frivolam in peccato excusationem*. Hactenus ego, cum, & pro Papebrochio.

73 *Fatetur* igitur, ais, *Papebrochius se accepisse, & legisse Innocentii XI. Decretum*, damnans libros Natalis Alexandri. Ita est. Et ego fateor: ac vellem Patern. vestram similiter fateri, folium illud Propylæi seu Conatus Chronico-historici, signatum 5*, quod vos *primum* pertinaciter appellatis, etiam postquam in terminis scriptum ibidem legistis, folium illud inter ultima, sive *utriusque (4 & 5) impressione jam ferme absoluta, iterato destinatum fuisse ad prælum*; propterea quod aliqua in illo mutanda judicarentur. Atque hinc patere potest, quam perfrictæ frontis esse debeat, qui pergit obstinate tueri, folium illud, *primum* fuisse, quod tertio doctus fuit, *inter ultima* esse impressum: idque nolit credere Religioso, qui affirmat; oculis suis, quibus legit; folio ipsi lacero, cui integrum substitutum est; bibliopego demum, testaturo, si rogetur, folium prædictum, bis impressum reperiri in massa chartarum solutarum; & prius quidem laceratum adhuc superesse, quando compingendus datur tomus ille; cui alterum substitui debet integrum, quod nempe *impressione jam ferme absoluta*, denuo recudi debuit; uti sæpe accidit rei litterariæ ac impressioni operam dantibus.

74 Conferre nunc Patern. vestra potest cum ejusmodi homine, obstinato dicam an obcæcato, hominem religiose candidum, atque erga Decreta Romana vere atque religiose observantem: quem ex eodem contextu manifesto potuisti cognoscere. *Fatetur*, inquis, *Papebrochius se accepisse ac legisse Innocentii XI. Decretum*, damnans libros Natalis Alexandri. Ita est, ut dixi; fatetur. Verum cur fateatur, nisi ex ingenito animo candore ac reverentia erga Sedem Apostolicam? Aliud enim non est, cur fateatur. Si, uti passim insimulatur a vobis, subdole voluisset agere, atque citata e prohibitis libris rata habere; poterat relinquere omnia ut erant, & nullam uspiam talis Decreti mentionem facere. Quid enim cogebat facere? Non Summus Pontifex, non Eminentissimi Cardinales, non Illustrissimus Internuntius, non adm. R. P. Generalis Societatis nostræ, aut alius quivis Superior, quorum nullius Decretum aut præceptum nobis intimatum fuit; uti Patern. vestræ intimatum fuit legitime, jussu Summi Pontificis, per Eminentissimum Cardinalem Cybo & Procuratorem suum Generalem, ut fatemini, nequid scriberet contra Patres Societatis Jesu hagiographos. Non denique ullibi prædictum Decretum, Antverpiæ aut in Belgio, publicatum fuit.

75 Unde igitur istius Decreti potius notitia, quam aliarum rerum plurimarum, quæ quotidie Romæ statuuntur decernunturque, nobis ignoratarum, pervenisset ad Papebrochium? Quidquid de Decreto illo scivit, privata diligentia sic assecutus est, ut dissimulare scientiam illam facillime potuerit. Quod igitur privatam scientiam suam ingenue declaret, atque illico promptum se offerat ad rescindendum quidquid Decreto illi, antequam editum esset, contrarium scripserit; ac re ipsa rescindat, ex illis libris prohibitis *impressa pro non impressis haberi cupiens*; id alia de causa non fecit, quam ut *Pontificiæ voluntati in omnibus & per omnia morem gereret*. Gessit autem eo modo quo potuit, protestationem suam quam vidimus, inserendo foliis, initio quidem libri repositis, sed inter ultima denuo recursis; nec aliter tunc, quam sic protestando, quod factum erat, infectum facere potuit. In futurum vero providens, addit; *e sexto septimoque Maji tomis, jam jam ad prælum postulandis, expungo quæcumque alia loca, dictorum librorum mentionem facientia.*

76 Hic vero amo Patern. vestram, & gratias eidem ago, quod perscrutando 6. & 7. tomos Maji, adjuvare dignata sit conatum nostrum, declaratamque modo Papebrochii intentionem, indicando in singulis prædictis tomis singula loca, Natalis obiter mentionem facientia, cujuscumque demum Correctoris oscitantia illic relicta. Nam scire oportet, ne cum nimia temporis jactura ingentes tomos

jam

jam compositos scrupulose relegeremus, distulisse nos correctionem propositam usque ad ipsam impressionem, ut sic eadem opera ac minoris temporis dispendio, & legeremus simul & corrigeremus cum erratis typographicis etiam loca, Natalis mentionem facientia. Id autem ita fecimus, ut pluribus rescissis mutatisque, indicata a Patern. vestra duo loca aciem oculorum & mentis, inter corrigendum ad plura distractæ, subterfugerint, ac præter intentionem nostram remanserint immutata: quorum unus reprehendit Natalem, tamquam male meritum de Gregorio VII. Pontifice Romano; alter eumdem opponit auctoritati S. Thomæ in quæstione, in Symbolum *Quicumque vult*, sit S. Athanasii, nec ne. Gratias interim denuo agimus Patern. vestræ pro indicatione istorum duorum locorum: non item pro indicatione, aut potius exagitatione, multa plurium e Conatu Chronico-historico correctorum, quem diximus ante prohibitionem Natalis fuisse fere impressum totum.

77 Ut autem videas, quam ingenue ego agam cum Patern. vestra, quamque nihil magis in votis habeam, quam *quicumque indicati fuerint, errores*, veros nempe, *cum gratitudine animi corrigere*, uti indicabam in *Epist. Familiari* n. 3. nolim duorum præmissorum locorum correctionem differre, dum alius de *Actis Sanctorum* tomus edatur: sed hanc ipsam, quæ præ manibus est, occasionem arripio, tum ut citius correctio fiat, tum ut ad plurium notitiam promptitudo nostra perveniat; & hoc ipso loco cum Papebrochio velim monitum Lectorem, cupere nos præmissa duo loca, & si qua sunt alia, eorumdem librorum mentionem aliquam facientia, ex 6. & 7. tomis de *Actis Sanctorum* deleri, quæque illic impressa sunt pro non impressis haberi, desiderantes *Pontificiæ voluntati in omnibus & per omnia morem geri*, tam a nobis, quam a Patern. vestra; a nobis, in obtemperando Decreto, nobis non intimato; a Patern. vestra, in obtemperando Pontificio, et legitime intimato.

78 Paragrapho 7. sumit sibi Patern. vestra rem arduam, ut iniquitatem ipsam æquitatis pallio tegat, & iniquos Censores æquos esse ostendat; illos, inquam, Censores, qui judicis personam induerunt; qui condemnarunt quæ non legerant; qui statuerunt aliquid, parte inaudita altera, in favorem auditæ, & grave præjudicium non auditæ: illos Censores si Patern. vestra pergat æquitatis laude extollere, confundi poterit tam ipsa, quam illi, a Poeta gentili, æquius multo judicium ferente eorumque iniquitatem damnante, ubi ait:

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit (quid si statuerit iniquum?) *haud æquus fuit.*

79 Neque iniquitatis notam evadent, quod *expresse rogati sint a Patern. vestra*, uti excusas num. 106. *ut una præter nudam imprimendi licentiam, suum circa contentum libri* vestri *dignarentur adjungere judicium*. Belle. Sed an rogati etiam fuerunt a Patern. vestra, ut judicarent de libris adversarii, *Acta Sanctorum* illustrata complexis, quos numquam legerant? An rogati fuerunt, ut eorum auctorem damnarent *inauditum*? An rogati fuerunt, ut ipsi nihil inquirentes in scripta adversarii, illa nihilominus, *SUPPOSITACITATIONUM*, a Patern. vestra adductarum

Opuscul. Collect.

& perperam explicatarum, *FIDELITATE*, condemnarent? Dixi n. 38. *Ep. Fam.* non temere supponendum esse judicanti, quod imprimis inspectum, examinatum, ac certum illi esse debet, ut æquus sit. Si tamen isthæc etiam rogati fuerunt a Patern. vestra Censores illi, ut debebant esse, quod volunt, viri prudentes, non debebant in illo obsequi iniquæ postulationi vestræ; neque excusari hic possunt Doctores Theologi a culpa, tametsi is, qui tale quid postulaverit persuaseritque, gravioris culpæ reus esse debeat.

80 Atque hoc punctum est unicum fere, quod Patern. vestra in gratiam Censorum suorum paragrapho illo 7. monstrare debebat; nempe, æquum esse judicem, qui damnat partem *inauditam, non visam, non lectis ejus scriptis ac rationibus*. Et cum nihil minus quam hoc monstraverit Patern. vestra, confidenter tamen sic concludit paragraphum istum num. 119. *Et hinc evidenter patet, quam temere & injuste in Epistola Familiari Censores adeo sapientes, utpote Eximii in sacra Theologia Magistri ac Doctores, nec non publici Professores, tamquam minus æqui arguantur: quod proinde commiseratione potius quam ulteriori refutatione dignum videtur*. Imo ulterior refutatio ad eximendum Censores tales a culpa, omnino necessaria est. Neque enim appellationes *Theologi*, neque *publici Professoris*, neque *Magistri*, neque *Eximii Doctoris*, imo nec, *Amplissimi* si ita vis, faciunt, ut quis *minus æquus* non sit, si inique judicet; imo faciunt, ut magis sit iniquus: cum scientia abutatur sua, eo majori cum delicto, quo scientia majore præditus est. Et istorum tale judicium commiseratione potius quam excusatione revera dignum est.

81 Pergit autem Patern. vestra: *Unde illos Doctores Theologos &c. rogatos cupio, quatenus tantam temeritatem dissimulare dignentur: cum a viro magis Historico quam Theologo procedat* (id mihi indecorum non reputo in præsenti materia. Quamvis, Theologus ut audiam ac sim, non debeam esse *Adm. R. P. F. Sebastiano a S. Paulo, olim sacræ Theologiæ Professor Lovanii &c.* fuisse. Reputo autem injuriosum mihi, quod subjungis); *& quidem a tali, qui non aliter suos consuevit refutare adversarios, quam sarcasmis, satyris, & insolentibus censuris*. Somniatne Patern. vestra, an delirat, quando sic loquitur? præsertim quando ad hæc sua dicteria probanda, appellat ad Art. 28. n. 8. suæ *Exhibitionis*. Velim ostendat Patern. vestra, me non tantum *refutare*, sed etiam *consuevisse refutare*, quod ais, *adversarios vestros sarcasmis, satyris, & insolentibus censuris*. Articulum prædictum, ut levissime dicam, *somniando citasse debes*, quia ne verbulo quidem mei meminit. Ostende igitur alicunde quos comminisceris *sarcasmos, satyras, & insolentes censuras*, quorum me reum contendis; vel requiram ego fidem denuo a Patern. vestra, non tantum Sacerdotalem, sed & Provincialem. Et requirent jura satisfieri, tum hic, tum alibi, huic suæ Legi, cap. *Qui non* 2. quæst. 3. *Qui non probaverit, quod objicit; pœnam, quam intulerit, ipse patiatur*: per quam Legem damnabitur Patern. vestra hujusce opprobrii, *quod non aliter suos consuevit refutare adversarios, quam sarcasmis, satyris, & insolentibus censuris*.

82 Venio ad Paragraphum Patern. vestræ octavum, qui ordiatur *a valde impertinenter exprobratione*, ut putas, *tibi facta*; cum dicis: *Non alterius in Epist. Fam. n. 40. mihi* VALDE IMPERTINENTER EXPROBRARI, *Libellum meum supplicem, in statu Veneto recusum, per Senatum fuisse suppressum. Cum id magis ad confusionem Papebrochii quam meam factum fuerit.* Laudo apertum cor Patern. vestræ, quod agnoscat meritum *Libelli* sui: laudare vero non possum, quod id ad *confusionem Papebrochii* vertat. Quæ, quæso, confusio Papebrochii major ex damnatione Veneta libri vestri, nihil de viro honeste loquentis: quam fuit ex damnatione Romana Historiæ vestræ Carmelitanæ, Biterris in Gallia coram Episcopo loci & Capitulo Provinciali defensæ & Episcopo dicatæ? Quid hic ego *impertinenter exprobro?* ubi obtrudis mihi, loco non suo, cohortem Censorum, cum atque *judicium Universitatis Coloniensis*, Universitati illi, rerum omnium ignaræ, mala fide suppositum? Ubi Censores approbasse leguntur *Libellum supplicem*, postquam triennio & amplius publicam lucem aspexerat sine illorum approbatione; postquam in Repub. Veneta jussu Inquisitionis, tenebris damnatus fuerat. An mirari non debui, quod pro tali *Libello*, tam adversam passo fortunam, post tot demum annos ex ipsa Hispania accersis Censores? An *impertinenter exprobravi*, cum ad rem tam novam interrogavi, *An illarum Censorum præposterorum auctoritate mota Respub. Veneta, rescissura esset Acta sua, quibus idem Libellus supplex apud se recusus, publicare prohibitus ac tenebris addictus fuerat?*

83 Probatur tamen, suppressionem illam Libelli vestri Papebrochio magis confusioni esse, quam Patern. vestræ. *Nam, uti mihi inde* (ex Rep. Veneta) *scriptum fuit*, inquit, *id ex alio capite Libello contigisse non præsumitur, quam ex factione quarumdam Jesuitarum; pro ut omnino est verosimile; nam cum dictus Libellus a tot viris Academicis, ex diversis Universitatibus, non absque confusione Papebrochii sit approbatus, non videtur ulli posse displicere, quam Jesuitis.* Non potui quin totum contextum hunc confusionis Papebrochianæ adscriberem, ut Lector considerat ac miretur argumentandi modum qualemcumque, seu theologicum seu historicum, quo illam confusionem probare vult auctor. Crimen damnati *Libelli supplicis* datur Jesuitis; illis nempe, qui os digitum quidem, ut dici solet, moverunt, ad curandam proscriptionem tot aliorum libellorum vestrorum, ideotidem cum ingenuorum virorum nausea protrusorum in publicum, quales sunt.

84 *Heroica Carmeli Regula; a sanctissimo Dei Propheta Elia, vita & exempla tradita, ab Hierosolymitanis Patriarchis Joanne & Alberto conscripta; ab cujusdam Musæi Scriptoris* (Papebrochii) *vilipendiis vindicata, per R. P. F. Valentinum a S. Amando ejusdem Ordinis Historiographum, nunc S. Theologiæ Professorem. Coloniæ apud Petrum Alstorff Bibliopolam 1682.*

Pomum Discordiæ, sive Dissidii inter P. Papebrochium & Carmelitas Origo, Progressus, Finis. Auctore, Impressore, Loco, Tempore iisdem: & additur infra *Cum approbationibus*: sed nullam invenio hujusce ipsius libri Approbationem, nec ullius Approbatoris nomen.

Novus Ismael, cujus manus contra omnes, & manus omnium contra eum: sive Daniel Papebrochius Jesuita, omnes impugnans, orbi expositus, per D. Justum Camum. In camo & fræno maxillas eorum constringe. Psal. 31. Augustæ Vindelicorum Typis Josue Brille-maker. Sub signo Exploratorum in Jericho 1682.

85 *Jesuiticum Nihil, P. Papebrochio Jesuitæ, per ipsius cum Carmelitis quoad Ordinis illius historiam controversia, Carmelitanis scriptis convicto, & ad silentium redacto; demonstratum Auctore Petro Fischero Francone. Ad nihilum redactus sum, & nescivi Ps. 72. 22. Salisburgi apud Gottefredum Junk*, ignotum illic Typographum, *an.* 1684. sine Approbatione, qua profecto indignissimus est liber, variis fartus opusculis inverecundis, plerisque jam antea seorsim editis, sed effrontis sui auctoris judicio, dignis quæ hic simul recuderentur. Aliquot annumero.

86 *Responsio ad Epistolam, quæ visa Leodii grassari sub titulo N.* (id est Caroli du Fresne, Domini du Cange) *Consiliarii Regii, contra Originem & successionem Ordinis Carmelitarum.* Subticetur hic locus & Impressoris nomen, quæ prius ficta expresserat Auctor textus Gallici, sub hac inscriptione: *Reponse a la lettre, qu'on a vu courrir a Liege depuis peu, sous le titre de N. Conseiller du Roy, contre l'origine & la succession de l'Ordre des PP. Carmes. A Paris, chez la Roche, a l'enseigne de la Verité*, 1683. Fingitur præterea, fictione ignominiosa *Responsio esse D. Antonii de Herouval*, Equitis Aurati, Regi Christianissimo a Consiliis & in suprema rationum Curia Auditoris, varia eruditione non minus quam antiquissima nobilitate conspicui. Sed is ubi rescivit abusum nominis sui, ægerrime tulit factum fraudulentum; turpemque notam, per hoc famæ ac dignitati suæ inustam, per publicos Tabelliones & instrumenta expungendam, atque a se familiaque sua arcendam putavit, uti & re ipsa arcuit *Parisiis* XIII. *Novembris* MDCLXXXIII. *post prandium* coram Notariis Regiis declarando, librum prædictum esse *omnino suppositum* . . . *nomini suo; eumque reprobat in omnibus, tamquam non compositum aut scriptum a se directe vel indirecte.* Instrumentum legi potest ad calcem *Epist. Familiaris* editionis primæ. Alterum *Jesuitici nihili* scriptum hoc est:

87 *Amyclæ Jesuiticæ, sive Papebrochius, scriptis Carmelitanis convictus, suo silentio proditus. Auctore D. N. Consiliario Regio*; sed ficto. Deliunt ei locus & tempus impressionis & Impressoris nomen. Tertium Scriptum *Jesuitici nihili* sonat:

Suada Harpocratis, sive Daniel Papebrochius Jesuita, a Carmelitis convictus, sibi suadens silentium. Prima editio Libelli facta fuit *Hermopoli, typis Lippiis* 1683. Sequitur *Jesuitici nihili pars* IV.

Jesuitico ad Epistol. in Suada contentam Responsio; sed Jesuitis afficta. *Pars* V. *Jesuitici nihili* appellatur.

Synopsis authentica & curiosa errorum, commissorum a R. P. Daniele Papebrochio e Societate nominis Jesu, contra utrumque sacrum & candidum Carmelitarum Ordinem, & insertarum suo Propylæo atque Commentariis in Acta Sanctorum, variis utriusque juris textibus stipata, prodit in lucem Auctore (verone an ficto, equidem ignoro) *R. P. F. Alberto Zenurro de Vesalia Clivorum, Ordinis Prædicatorum SS. Theologiæ Magistro & Professore.* Antea seorsim editus Libellus

fuit,

fuit, sine loco etiam ac tempore impressionis, atque impressoris nomine. Concludunt denique totum *Jesuiticum nihil* duo sequentia opuscula, in hac farragine Libellorum forte primum edita, mihi certe antea nusquam visa; nempe,

Jesuiticum Papale, & *Jesuiticum non Papale*. Transeamus ad alia, quæ quidem ad nos pervenerunt præclara Anti-Papebrochiana opera.

88 *Harpocrates Carmelitanus, R. P. Papebrochio Jesuitæ, Ordinis Carmelitarum impugnatori, loquens per R. P. Maximilianum a S. Maria, Carmel. Excalceat. S. Theol. Lectorem, hodieque Antverpiæ Priorem. Coloniæ Agrippinæ, Typis Hermanni Demen Bibliopolæ*, anno 1681. Auctor, qui nominatur, voluit persuadere se Auctorem non esse.

Harpocrates Jesuiticus, R. P. Papebrochium Jesuitam, salutaris silentii debitæque palinodiæ monens, per R. P. F. Valentinum a S. Amando, qui supra, *Coloniæ apud Wilhelmum Friessem*.

89 *Prodromus Carmelitanus, sive R. P. Danielis Papebrochii Jesuitæ, Acta Sanctorum colligentis, erga Elianum Carmeli Ordinem sinceritas, voluntatum & remissive discussa, ex majori opere, Elias Heroicus inscripto, excerpta, zelo & studio R. P. F. Valentini a S. Amando &c. An.* 1682. loco & Impressore iisdem.

Debita Papebrochiana, sive Palinodia cantata & cantanda a P. Daniele Papebrochio Jesuita. Computus primus, continens debita soluta, sive palinodias cantatas, subductus per D. J. S. Coloniæ apud Vilhelmum Friessem 1688. Caret Approbatione.

R. P. Papebrochius Jesuita, Historicus conjecturalis, bombardizans in Actis Sanctorum, S. Lucam, & SS. Patres, S. Thomam, summos Pontifices, Cardinales, antiquas Indulgentias & Bullas, Breviaria & veteres Fundationes Monasticas, restinctus, a Domino Christiano del Morè. Salisburgi apud Gottefredum Jonck 1688. Pro Approbatione est, *Vidit A. V. B. L.*

90 Scribitur nobis etiam nuperrime Luca, spargi per Italiam *dicacissimum Libellum, non quidem in Italia, sed Leodii anno* 1688. *editum*, cum titulo, *Epistola informatoria ad Societatem Jesu*. Nondum mihi contigerat librum illum videre: sed adhibita modica diligentia, tandem ipsum vidi, vere *dicacissimum*, sub hoc titulo integro: *Epistola informatoria ad Societatem Jesu, super erroribus Papebrochianis; sive Hercules Commodianus Joannes Launoyus Constantiensis, repulsus ab adm. R. P. Theophilo Raynaudo ejusdem Societatis; redivivus in P. Daniele Papebrochio ejusdem Jesuita, commenta propria, titulo Actorum Sanctorum evulgante. Per I. L. M. H. Leodii apud Guilielmum Henricum Arcel, suæ Serenissimæ Celsitudinis Typographum* 1688.

91 Hi omnes libelli (& quot alii ejusdem generis?) prodierunt superioribus annis, plerique mentientes suorum (si tamen præferunt) Auctorum, Approbatorumque nomina, & impressionis locum; atque adeo tantum perstringendi erant Sacræ Congregationi Indicis, ad hoc ut confligerentur: & tamen nullus Jesuitarum tantillum sibi eo collaborandum putavit; utpote persuasurum, tam egregia monumenta nemini magis quam Auctoribus suis ignominiosa esse. Numeret Patern. vestra, licet, inter illos, cum aliis suis, etiam *Libellum supplicem*, contra expressum Innocentii XI. mandatum, idque in civitate hæretica typis vulgatum, & vel ideo ejusdem Innocentii Sanctissimo nomini indigne inscriptum. Hæc causa Venetis damnandi Libellum esse potuit, verosimilior quidem illa, quam quod id curaverit *factio quorumdam Jesuitarum*, quos Respublica ista curat scilicet. Vis tamen ita esse; quia, *ut tibi inde scriptum fuit, id ex alio capite Libello contigisse* NON PRÆSUMITUR. Egregia probatio! Et tamen talis præsumptio, Patern. vestræ *omnino est verisimilis*. Ratio. Quia *dictus libellus non* VIDETUR *alii posse displicere quam Jesuitis*. Displicuit certe Inquisitoribus Venetis. An & illi Jesuitæ sunt? Cur porro nulli alteri displicere *videtur* posse? Quia *a tot viris Academicis, ex diversis Universitatibus, non absque confusione Papebrochii* (Academicorum illorum dictum oportuit) *est approbatus*.

92 Oblita denuo hic sui est Patern. vestra. Meminisse enim debebat, quod Libellus, quamdiu illum *factio Jesuitarum*, ut *præsumitur*, curasset damnandum, a nullo adhuc viro Academico (excepto Censore ordinario) erat munitus; cum muniri cœperit primum an. 1687. anno ut minimum integro post damnationem Libelli Venetam. Et hinc non *exprobrabam impertinenter*, sed commode ad rem interrogabam nuper: *An Approbatorum illorum auctoritate mota Respublica Veneta rescinderet Acta sua, &c.* Sed ut mittam has nugas, dic mihi; vel crimen est collaborasse ad damnationem Libelli, vel non est. Si est: crimen majus est Patern. vestræ, quod ex sola *præsumptione*, & quidem aliena, & quæ vobis ipsis tamen *verosimilis* est, sine probatione ulla, crimen imponas viris honestis ac religiosis, & illud ipsum crimen, quod tegere caritas debebat, toti mundo publice manifestes. Si non est crimen: cur igitur *confusioni* sit Papebrochio, si re ipsa factio Jesuitarum eo collaborasset? Quod tamen factum esse, nec Patern. vestra, nec ullus vestrorum, credo, probabit umquam.

93 Venio nunc ad *Brevem Instructionem* meam *circa Libellum supplicem* vestrum, Paragrapho vestro ultimo perstrictam, quam tecum Paternitati vestræ attulit nuper *Epistola mea familiaris*; nunc vero hic eidem præmisimus, dudum quidem compositam, sed pacis amore (quod putaremini, non exaudito supplice illo Libello, deinceps taciturі fuisse) non vulgatam, nisi nuperrime postquam denuo scriptitare elapso decennio cœpit Patern. vestra; cui nihil in illa *Instructione* dignum refutatione occurrit, *nisi quod num.* 5. CONTRA EVIDENTEM VERITATEM, FRAUDULENTER, IN DERISUM ORDINIS CARMELITARUM, *Enoch, de quo in summorum Pontificum Bullis, sumat pro Enocho veteris Testamenti: cum evidenter constet (ex Art. 16. §. 3. num. 34. Annal. Lez. tom. 2. fol. 115. num. 24. item fol. 141. num. 9. Et iterum fol. 177. num. 2.) ibi agi de Enocho de Amathem novi Testamenti, qui cum S. Marco Evangelista pervenit in Montem Carmeli, ibidem sanctissime vixit & obiit anno Domini* LXIV.

94 Audio. Sed imprimis irasci debet Patern. vestra summis Pontificibus, quod *Enoch* in Bullis suis nominaverint; idque *contra evidentem*, uti vos loquimini, *veritatem, fraudulenter, in derisum Ordinis Carmelitarum*. Dico enim, tantum abesse, ut *evidenter constet* ex locis citatis, in Bullis agi *de Enocho Amathem*, ut

Opuscul. Collect.

N 2 nn

ne agi quidem de illo in dictis Bullis potuerit ullo modo. Distingue tempora, & historicum age. Docebunt te illa, non me *contra evidentem veritatem*, non *fraudulenter*, non *in derisum Ordinis Carmelitarum*, sed ex mente Pontificum, qui Bullam dederunt, locutum fuisse; & quidem, ut parcerem honori vestro, obiter tantum illa attigendo; quæ pluribus ostendere in promptu erat, & nunc me adigit Patern. vestra, ut ostendam.

95 Inspexi igitur loca omnia, quæ citas, ad *evidenter*, ut ais, probandum, agi in Bullis de Enocho de Amathim novi, non de Enocho veteris Testamenti; ac imprimis inspexi citatum Articulum tuum 16. §. 3. n. 34. ubi aliud probationis nil invenio, quam auctoritatem solius Patern. vestræ, quæ in re tam antiqua, quando alios non citas auctores, mihi nulla est. Dicit enim tantummodo, quod *in Ægypto Essenis constructa fuerint monasteria ab Enoch S. Marci comite, qui post martyrium S. Marci, ad Montem Carmelum reversus, instituti Eliani dilatationi strenue operam dedit*. His fidem adhibere nequeo, nisi auctoritas accedat major. Addis igitur continuo: *Prout Sixtus IV. Julius II. & Gregorius XIII. suis in Bullis testantur, dicentes*, CARMELITAS SANCTORUM PROPHETARUM, ELIÆ, ELISÆI AC ENOCH, NEC NON ALIORUM SANCTORUM PATRUM, QUI MONTEM SANCTUM CARMELI INHABITARUNT, SUCCESSIONEM HEREDITARIAM TENERE. Nihil hic Pontifices de Enoch *S. Marci comite*; nihil de *structura monasteriorum in Ægypto*, nihil de *strenuo Eliani instituti promotore*. Hæc igitur probanda supersunt Patern. vestræ.

96 Inspexi deinde Annales Lezanæ, tom. 3. fol. 115. num. 24. & sequentibus quæ citas locis: inveni omnia, quæ modo ex Patern. vestra produxi; & insuper, quod Enoch ille, S. Marci Comes, *in suum Carmelum reversus, contemplationi & orationibus vacans, anno Domini* LXIV. *pro septima die Julii diem clausit extremum*. Item, quod *e septuaginta duobus Discipulis Christi*, & quidem *Septimus* ordine electus; *& Episcopus Nicopolis*, sed per *triennium tantum*, fuit. Horum auctoritatem Lezana præcipue fundat in Palæonydoro vestro; quem vis eidem se non satis fidere monstrat, his verbis: *Si verum est, quod Joannes Palæonydorus lib. 2. cap. 2. asserit, videlicet Enoch de Amathim, Carmeli Fratrum Rectorem & Præpositum circa hoc tempus* (ad annum videlicet Domini, ubi hæc scribit Lezana, XXXVI.) *fuisse*.

97 Nunc quæro, an RR. Patres Carmelitæ habeant Auctorem antiquiorem Palæonydoro ullum idoneum, qui noverit Enochum illum de Amathim, Christi Discipulum, septimo loco inter Septuaginta duos vocatum, S. Marci comitem, Episcopum Nicopoleos, Carmeli incolam, anno Christi LXIV. die VII. Julii mortuum: an non habeant? Si habeant; injuriam faciunt tam sibi, quam nobis, quod auctorem illum nuspiam prodeant, qui sane multum afferre lucis historiæ Carmelitanæ posset, ac forsitan satisfacere desiderio utrorumque nostrum, antiquitatem vestram pari studio stabilire cupientium. Si non habeant antiquiorem Palæonydoro, consideret quæso Patern. vestra hujus antiquitatem auctoris, qui a duobus sæculis floruit; an. MCCCCXCV. Historiam suam, FASCICULUM TRIPARTITUM, absolvit; ac biennio post, typis Moguntinis primum in lucem edidit. Primus is fuit (ut suppono, cum antiquiorem nullum citatis, nec puto citabitis) qui an. MCCCCXCVII. in lucem protulit Enochum de Amathim, antea omnibus ignotum. An. autem MCCCCLXXI. creatus Pontifex Sixtus IV. Bullam, quam citatis, numerantem inter majores vestros, uti *Eliam* & *Elisæum*, ita etiam *Enochum Prophetam*, edidit an. MCCCCLXXVII. viginti annos ante quam ederet historiam suam Palæonydorus.

98 Dic modo, amabo Paternitat. vestram, quem potuit ac debuit Sixtus IV. in Bulla sua intelligere Enochum? an illum antiqui testamenti, qui vere *Propheta* fuit, uti appellatur a Pontifice, & e sacris litteris, æque ac Elias & Elisæus, notissimus est; an alium novi testamenti, uti vos interpretamini, qui nondum notus erat mundo, quando Bulla prodiit, & *Propheta* nusquam audit, etiam apud vos. Suspicari quis posset, quod edita Bulla Sixtina, doctiores Patres vestri animadverterint sequelam, videlicet, eadem auctoritate Apostolica, qua pro fundatoribus sanctos Prophetas Eliam ac Elisæum adoptatis, admitti etiam debere Prophetam Enoch: atque ideo iidem Patres curam ac studium suum intenderint in præcitatæ Bullæ Pontificiæ explicationem: quam Palæonydorus in rem suam commode invenerit, atque audacter impresserit, jubens mundo nasci ac innotescere novum Enoch.

99 Si nunc Patern. vestra, aut quivis alius, cujuscumque auctoritatis ille demum sit apud suos, assereret, atque imprimeret etiam, sine teste tamen vel auctore idoneo, rem novam ac illustrem, quæ ante annos mille contigerit, sed hactenus mundo non cognitam: Exempli gratia, si produceret Enochum de Aquaveteri Ultrajectinæ diœcesis, eumque faceret Jesuitam aut Franciscanum; qui deinde egressus collegio aut monasterio suo, socius adhæserit S. Willebrordo, cum eoque Romam peregrinatum ierit. Reversus vero, Ultrajecti Episcopatum tenuerit annis tribus, quando eo relicto redit ad monasterium suum, ubi instituti Ignatiani aut Franciscani dilatationi strenue operam dans, & simul contemplationi ac orationibus vacans, an. Domini DCXCVI. die VII. Julii, obierit. Si, inquam, hæc aut similia de Enocho illo de Aquaveteri, qui, ut suppono, aut numquam fuit in rerum natura, aut saltem nulli ante hac uspiam innotuit, audacter nunc primum assereret aliquis, an Patern. vestra tali assertori, quantumvis magnæ auctoritatis, possit adhibere fidem illa in re? Non credo: ne quidem si ipsamet ejus auctor foret.

100 Quando hæc considerat Patern. vestra, fateri tacite, credo, debet, dicta illa Palæonydori non modo Historicis, verum etiam Theologis ac sibi esse incredibilia; illum post XV. sæcula, tacentibus omnibus, sine teste, sine auctore idoneo excitare e concavo lunæ novum Enochum, Discipulum Christi Domini septimo loco electum, Comitem S. Marci Evangelistæ, Episcopum Nicopoleos, Priorem & Præpositum Fratrum vestrorum in monte Carmelo, an. Christi LXIV. VII. Julii mortuum. Quam vellem ut ne sustulisset mihi Patern. vestra circa hanc rem in particulari, quam ego honoris ve-

stri

stri causa, ut dixi, delibare tantum volui in *Brevi Instructione*, non etiam explicare, quod nunc me cogitis facere.

101 Quin imo volui in omnem me partem vertere, si quo modo possem solvere nodum illum Pontificium, in favorem vestrum, argumento aliquo, vel speciem veritatis habente: atque incidens in Epistolam Canonicam B. Judæ Apostoli, legi versu 14. *Enoch septimum ab Adam* fuisse: qui tametsi non possit intelligi Enoch novi Testamenti, potest tamen aliter, non nimis subtili, visus fuisse fundamentum præbere, cui inædificaretur novi Testamenti Enoch; tum quod in novo Testamento nomen illud citetur ab Apostolo, ut vidimus; tum quod Auctor hujus Enochi, *septimum* cum fingat inter discipulos Christi Domini, per quamdam analogiam ad illum veteris Testamenti, qui fuit *septimus* ab Adam, & hocce ornatur elogio Geneseos 5. quod *ambulavit cum Deo, & non apparuit; quia tulit eum Deus*. Quo similiter respexisse potest fictionis Auctor, suum faciens Enochum ambulare cum Filio Dei, Domino nostro: qui & sublatus fingi poterit, cum nusquam apparuerit, ne nomine quidem tenus, quindecim seculis fere integris a passione ejusdem Filii Dei.

102 Pro reliquis, quæ tribuuntur huic Enocho, adjunctis, nullam reperio in illo veteri analogiam. Miror autem, quod illa eadem tam singularia & notabilia adjuncta non conentur Patres Carmelitæ ipsi, aliunde credibilia reddere, quam ex Palæonydoro, nimis recenti auctore, quam ut in illis fidem obtineat. Sed nesciunt dubitare in iis, quæ volunt credere & credi. Unum tamen, quod Discipulus Christi fuisse dicatur Enoch e LXXII. videtur scrupulum movisse Lezanæ tom. 2. pag. 177. consideranti, in Catalogis Discipulorum Christi, qui passim extant, nullum istius nominis legi. Attamen debuit scrupulus iste cedere opinioni præconceptæ, atque Enoch ille etiam ipsi Lezanæ Discipulus e LXXII. & esse & manere: quia, ait, *nomina ipsorum incerta sunt* (quomodo incerta quæ distincte scripta sunt nomina?) *& fortasse aliqui binomii fuerunt, ut propterea inter ipsos, etsi alio nomine, Enoch esse potuerit*. Quid prohibet eodem argumento Lezanam ipsum Discipulum Christi e LXXII. facere? *Potest* enim *inter ipsos fuisse*, seu hoc suo, seu alio nomine notus.

103 Juvabit porro oblatam hic etiam arripere occasionem, ostendendi modum, quo nonnulli rerum suarum amantiores quam par est, canonizant paulatim quos volunt Sanctos. Hic ipse Enoch de Amathim pro exemplo sit. Illum Patres Carmelitæ paulo antiquiores ignorarunt, recentiores in mundum induxerunt, recentissimi etiam in cælos invexerunt, atque inter Sanctos collocarunt auctoritate sua. Nam anno MDCXXVIII. Petrus Thomas Saracenus in *Menologio Carmelitarum*, cui *catalogum plurium Sanctorum ac Beatorum utriusque sexus Eremitarum B. Mariæ de Monte Carmeli* adjungit, etiam recenset *Beatum Enoch Episcopum*. Deinde in libello Gallico Valenceniis anno MDCLIX. impresso & an. 1681. Namurci tertium edito & aucto, cum nomine Auctoris R. P. Philippi a Visitatione, Religiosi Carmelitæ) sub hoc titulo: *Breviarie des Confreres & Conseurs du S. Scapulaire de N. Dame du Mont Carme*, id est, *Breviarium Confratrum & Consororum sacri Scapularis S. Mariæ de Monte Carmelo*. In hoc, inquam, libello præmittitur *Kalendarium festorum B. Mariæ Virginis, & PRÆCIPUORUM SANCTORUM Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo*, (qui, uti post Calendarium additur, *aut per totum Ordinem Carmelitanum, aut in aliqua ecclesia, coluntur, Officio vel aliquo honore publico*,) *quique deberent particulariter honorari a Confratribus & Consororibus sancti Scapularis*: ad deinde ad diem VII. Julii, inter *præcipuos* Ordinis Sanctos, refertur *Enoch* (nempe de Amathim) *Episcopus Confessor*. Extat etiam alius liber, secundum editus Valenceniis anno 1670. magis sacer priore, qui continet *Martyrologium Sanctorum Ordinis Carmelitarum*, & in Kalendario præmisso ad VII. Julii legit, *S. Enoch de Amathim, Episc. Neapolitanus*. Hujus Sanctitas si talibus porro incrementis augeatur, timendum est, ne brevi etiam (nisi per Sacram Rituum Congregationem illicitum foret) collocetur in Breviario Ordinis, atque Officio & Lectionibus propriis ornetur is, de quo nondum constat, an in mundo fuerit.

104 Plura etiam occurrunt in eodem Kalendario, quæ risum mihi moveant & commiserationem, quando inter PRÆCIPUOS SANCTOS ORDINIS CARMELITANI lego diebus IX. XIX. XXII. XXVII. XXVIII. solius Januarii (ut reliquos taceam) Sanctos *Telesphorum* ac *Dionysium* Pontifices Romanos, *Anastasium Persam* Martyrem illustrem, *Joannem Chrysostomum* Doctorem Ecclesiæ, *Cyrillum Alexandrinum* Episcopum, quorum nonnullorum gesta in Breviario Romano etiam leguntur, illuc inserta a Collectoribus, & approbata ab Eminentissimis sacræ Rituum Congregationis Cardinalibus, viris scientibus atque prudentibus; sed (quod dolendum est) hic tam cæcis, ut nullus illorum in memoratis eorum gestis viderit agnoveritque Carmelitam. Testabuntur quas dico Lectiones ipsæ in Breviario Romano: ad quod identidem appellat Patern. vestra, infallibilem quodammodo ei, in rebus sibi faventibus, per totam *Exhibitionem Errorum*, adscribens auctoritatem. In non faventibus, uti hic, nescio qualem adscriptura sit. Fateor interim, benigne vobis ab Apostolica Sede permissum esse, aliquot ex prædictis Sanctis aliisque in Kalendario memorato contentis, colere tamquam Ordinis vestri: non tamen permissione illa cautum est, ne quis omnino dubitet, aut etiam disputet, an singuli eorum revera vestri Ordinis fuerint: sed illud vobis probandum relinquitur, quod Pontifex sub hac formula (*sicut nobis relatum est*) benigne concessit.

105 Pergit porro Patern. vestra irasci *Brevi Instructioni*, dicendo num. 129. *Similiter non minus malevole, contra evidentem veritatem, & in derisum Ordinis Carmelitarum, num. 8. in dicta Brevi Instructione asseritur: Carmelitas Eliam Prophetam appellare posse, suum Institutorem, hoc nimirum sensu, quod per revelationem, & jussu ejusdem... Ordo Carmelitanus initium sumpserit*. Dissentiet a Patern. vestra totus, cum quovis æquo Lectore, Ordo Servorum B. Mariæ, qui non malevole, non *contra evidentem veritatem*, non in *derisum Ordinis sui* loqui pa-

tat illum, qui B. V. Mariam nuncupat *Fundatricem* & *Institutricem suam*, quamvis tantummodo per *revelationem ejusdem* Ordo ille initium sumpserit. Dissentiet pariter totus Ordo beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede, qui tantum abest ut existimet, *in dersum sui Ordinis* beatissimam Virginem appellari *Institutricem suam*, ut potius supplicaverit summo Pontifici, quo liceret sibi eam sic appellare, ac pro tali habere & colere Oratione Officii propria, a Sacra Congregatione Rituum approbata, his verbis: *Deus, qui per gloriosissimam filii tui Matrem, ad liberandos Christi fideles a potestate Paganorum, nova Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es: præsta quæsumus, ut quam pie veneramur tanti operis* INSTITUTRICEM *&c.* Et tamen constat, tum ex Lectionibus subjunctis, tum aliunde Beatam Virginem per revelationem tantum instituisse, aut instituendum jussisse, prædictum Ordinem de Mercede.

106 Ad ultimum Patern. vestræ numerum seu manissum quod spectat, scire potuisti, ineptam esse, quam illic innuis, comparationem inter *Joannem Boulesr* (quiscumque demum ille sit Hebraicarum litterarum Professor) qui nescio quid scripserit de origine Societatis Jesu; & *Joannem Phocæ*, qui graphice describit incunabula religiosæ familiæ vestræ in Monte Carmeli. Joannes Boulels scripsisse dicitur anno MDLXXVIII. annos XXXVIII. post confirmatam a Paulo Papa III. & aliis deinde Pontificibus, Societatem, per Bullas, quæ extant, originem ejus distincte explicantes. Joannes Phocæ describit incunabula vestra, in Montem Carmelum peregrinatus, qualia ipse illa oculis suis coram inspexit atque auribus audivit; & prius illa descripsit, quam ulla pro Ordine vestro edita Bulla sit. Majus discrimen illos inter Auctores dari poterit alibi, si visum fuerit. Nunc solummodo velim, ut referas Patern. vestra Bullas Pontificias, tam uni quam alteri Ordini datas, ad eorum principia, considerans quo tempore, quo loco, quibus loquendi formulis respectu utriusque datæ sint; & cognosces quantum inter illas intercedat discriminis.

107 Sciri item velim, non tam stolide amari a Societate nostra antiquitatem justo majorem, ut velit Institutorem sibi adoptare *bonum Patrem Standonk*, aut ab ipso originem suam derivare; tametsi is annos quingentos aut mille ante S. Ignatium, aut etiam temporibus Eliæ floruisset. Mavult Societas nostra (atque idem malle debet tam sacer Ordo Carmelitanus, quam quivis alius) parum stetisse, & multa exiguo tempore ad gloriam Dei præclare fecisse; quam multos retro annos vixisse, ac desidem inutiliter in proprium dedecus trivisse ætatem. *Senectus enim*, non tantum hominum, sed etiam Religionum, *venerabilis est, non diuturna neque annorum numero*, sed virtutibus & præclare gestis *computata*. Et *ætas senectutis, vita immaculata*. Sap. 4.

108 Atque hæc sufficient, non quidem Patern. vestræ cum suis, quibus nulla umquam argumenta, etiam sole meridiano clariora, sufficient ad deponenda præjudicia inveterata; sed æquis sufficient Lectoribus ad judicandum, baptizatusne fuerit Constantinus Magnus prope Nicomediam, sub vitæ exitum, an vero prius a S. Silvestro Romæ, quæ præcipua, me inter & Patern. vestram, nunc agitur quæstio: quandoquidem, relicta aut desperata propria causa, alienæ hujus patrocinium susceperis, successu non magis felici. Ad hanc enim evincendam præcipue dirigis tuum *Juris Motivum*, scribens in ipso Titulo, illud *figuanter afferri SS. D. N. Innocentio XII. pro Baptismo Constantini Magni, a S. Silvestro Romæ collato, quem cum .... alius S. Silvestri Actis explodit* (ita modestiæ vestræ loqui lubet) *P. Daniel Papebrochius Soc. Jesu, tamquam fabulam & mendacia*. Sed fabulam ego istam & mendacia, quæ dicis, jam ad captum, ni fallor, etiam vestrum & eorum, qui historici non sunt, elucidata dedi. Reliquæ duæ quæstiones, scilicet de Præputio Christi Domini, *quatenus Antverpiæ asservato*, atque de Præmonstratensibus, quorum indignationem male conata fuit Patern. vestra nobis conciliare, liquidiores sunt in *Epistol. Famil.* quam ut pluribus hic denuo tractari debuerint: præsertim cum illorum, quorum interest, Venerabile, inquam, Capitulum Antverpiense Cathedralis Ecclesiæ, & Venerabiles pariter Domini Canonici Præmonstratenses, saltem multi quos ego novi, approbent scripta Papebrochii, in quibus a Patern. vestra reprehenduntur & accusantur.

109 Quod examinaverim obedientiam Patern. vestræ erga summum Pontificem, feci, tum quod illam in Papebrochio, ubi non debes, sæpe requiris; tum quod mentio *Libelli Supplicis*, contra obedientiam Pontifici debitam typis editi, initio *Motivi* injecta, id me monueris faciendum, ad correctionem illorum, qui minorem, quam par est, Pontificis mandatis deferunt observantiam.

110 Quod Juris peritum videri me velle, opinari possit Patern. vestra, ex eo quod arguam ipsam inscitiæ juris, propterea quod *Motivum Juris* scripserit, non servato Juris ordine: id equidem liberum relinquo opinioni vestræ: acturus libentius hic & nunc cum Patern. vestra Historicum; alio tempore ac loco Theologum, Jurisconsultum vero non nisi per vos coactus.

111 Censores seu Approbatores *Exhibitionis* vestræ hic non resuscito; nec prius resuscitabo, quam ipsi, vel Paternitas vestra, quæ eos excusare nequidquam conata est, monstraverit æquos esse, qui judicarunt aut condemnarunt partem non auditam, non visam, non lectam. Nequeo tamen, quin sinam nunc vivere in ore omnium, a Censoribus illis unum, qui se ipse resuscitavit in vestro *Motivo juris*, illud etiam approbando, Eximium Dominum *Hermannum Damen, Sacræ Theologiæ Doctorem ac Professorem ordinarium, Archipresbyterum districtus Lovaniensis, librorum Censorem*: qui inter alios, cum non legisset umquam *Acta Sanctorum*, librum qualemcumque, illa *Acta* subruere conatum, approbavit atque ample commendavit, sed *supposita veritate citationum*; ita ut cæcus videri possit judicasse de coloribus. Quam vero id honorificum Doctori!

112 An autem oculatior idem & prudentior fuerit in approbando *Motivum juris*? *Scriptum hoc*, ait, ATTENTE PERVOLVI (maturum igitur judicium expecto) *at in eo tam solidas quam peremptorias invenio rationes* (cujus rei aut scripti *peremptorias*? imaginarii, credo) *ut jure merito pro libro suo Motivum*

juris

juris appelletur & sit (Infelix *Motivum Juris*, *contra jus* exhibitum, ut vidimus; & infelicior Censor, qui sibi persuaderi sivit, *Motivum* illud, *jure merito juris appellari & esse*. Sequitur autem in Censura :) *Quo eodem Motivo, pariter Epistola Familiaris P. Conradi Janningi Societ. Jesu* INVICTE *refutatur &c.* Quæso Patern. vestram, ut roget Eximium illum Dominum Censorem, an, qui Censuram tulit ineptam, *Supposita veritate citationum*, contra scripta Papebrochii, quæ non legerat, & forte ne viderat quidem umquam; radiis Theologicis, quæ ejus fori præcipue sunt, immersus; an, inquam, is legerit *Epistolam Familiarem*, quam INVICTE *refutatam* per *Motivum juris* clamitat? Si non legit *Epistolam* illam; meretur Censor censurari denuo etiam hic, uti in *Epistola* prædicta; quod damnet quæ nescit. Si legit *Epistolam*; offer ei, quæso, & hanc *Amicam Expostulationem* legendam; judicetque tum denuo, an non ipse potius INVICTE refutatus sit in refutato hic *Motivo juris*, quod approbavit; quam per *Motivum* & ipsius Censuram, refutetur *Epistola Familiaris*, quæ veritate nixa & simplicitate sua, non putavit, tot sibi opus esse Censoribus, ut se venditet veritatis amantibus, quot adhibiti fuerunt, sed alia de causa, *Exhibitioni errorum*. Veritas enim nuda amat comparere: numquam magis suspecta, quam cum verborum phaleris ac Censorum elogiis ornata jubetur prodire.

113 Quod denique egerim de Enocho, veterisne an novi Testamenti intelligendus sit in Bullis Pontificiis protestor me acturum non fuisse omnino, nisi Patern. vestra mordacissime me insimulasset, *contra evidentem veritatem, fraudulenter, in derisum Ordinis Carmelitarum*, argumentum istud, quamvis obiter tantum attigerim, tractasse. Detegenda mihi itaque necessario fuit nota illa turpissima, quasi scripserim, *in derisum Ordinis Carmelitarum*, idque *fraudulenter, & contra evidentem veritatem*. Superi! Ego sic scripserim contra Ordinem Religiosum, florentem, laboriosum, ac mihi singulariter dilectum? Quæ super illa quæstione in *Brevi Instructione* attigi, innocua plane sunt omnia: quæ hic protuli, puto esse *vera*, non *fraudulenta*, non in *derisum* alicujus scripta, quamvis Patribus Carmelitis fortasse non placitura; culpam totam sui doloris imputaturis Patern. vestræ, non mihi, qui invitus eo accessi & a vobis compulsus: sic tamen comparatus animo, ut si quid, quod humanum est, erraverim, nusquam promptius correcturus sim erratum, quam in præsenti quæstione, quæ vobis summi momenti est, & multæ sequelæ.

114 Id igitur oro atque obtestor Patern. vestram, ut me doceat, qui Pontifex Sixtus IV. scripserit in Bulla sua, ac nominaverit hominem, toti mundo hactenus, & postea aliquamdiu, ignotum. Utiliorem sic operam conferet Patern. vestra sacræ Religioni suæ, quam si de Baptismo Constantini, de Præputio Christi Domini, *quatenus Antverpiæ asservato*; de rebus Præmonstratensium atque Carthusianorum; aliisque ad vos minime spectantibus, pergat, zelo modoque parum laudabili disputando, *Acta Sanctorum illustrata* impugnare. Ego interea ad illa redeo illustranda, ad gloriam Sanctorum eorumque remuneratoris Dei; non amplius inde abstrahendus a vobis, simili semper pede progressuris; sed (quod protestatus sum alias, ac denuo protestor) tacite correcturus suo tempore ac loco, quidquid Ecclesia Romana in scriptis nostris correctionis indigere judicaverit, aut quivis privatus recte monstraverit.

115 Si tamen pergat irritare nos porro Patern. vestra, fieri poterit ut adhuc semel silere desinam, daturus libellum non magnum, qualitercumque demum vobis placiturum, sub hoc aut simili titulo: *Refutatio libellorum omnium, a RR. Patribus Carmelitis contra P. Papebrochium, aut Acta Sanctorum quæ illustravit, hactenus editorum, & edendorum posthac*. Fateor non minus invitum id me præstiturum esse, quam præstiterim supra dicta de Enocho de Amathim; præstiturus tamen, si compellar. Quamobrem consultat, quæso, Patern. vestra otio suo ac meo, ut neuter illud perdamus, rationem pretiosi temporis aliquando reddituri æquissimo rerum nostrarum atque disceptationum Arbitro, qui scrutatur corda & renes, Deo; quique redditurus est utrique nostrum mercedem, non secundum opinionem hominum, sed secundum opera nostra: quæ quidem mea cum alibi sæpe prava fuerint; & cum, licet in hac atque præcedenti scriptione nullius mihi conscius sim culpæ: non tamen in hoc justificatus sim; rogo Patern. vestram, ut suis suorumque Sanctissimis Sacrificiis & precibus, tam placatum mihi die novissimo Judicium illum reddere conetur, atque ego nunc sum Patern. vestræ ac sacro Ordini vestro, mihi in veritate semper amando ac venerando, Antverpiæ ex Museo nostro, anno a Nativitate Christi Jesu, Salvatoris nostri & Judicis futuri, MDCXCIII. die XII. Augusti.

ADM. REV. PATERN. VESTRÆ

Servus in Christo

CONRADUS JANNINGUS S. J.

POSTSCRIPTUM

AD EPISTOLAS PRÆMISSAS,

PRO AUCTORITATE SCRIPTORIS VINDICANDA.

Ad eumdem adm. R. P. Sebaſtianum a S. Paulo &c.

ERrare poſſum, fallere non volo; fraudis aut impoſturæ falſo poſtulari, æquanimiter fero, commiſeratus etiam ſic poſtulantem. Erraſſe Patern. veſtram in iis, quæ mihi fraudi ac impoſturæ ducit, nolet ipſa credi. Quid ergo credi voluerit, cum id iterato & loco non uno facit, judicium ſit penes Lectorem. Certe, quiſquis credi non vult, ſe erraſſe in criminando alterum, ubi manifeſti erroris convincitur, credi debet calumniatus fuiſſe. Prodiit non ita pridem *Appendix* Patern. veſtræ *ad Motivum Juris*: in qua cum nihil fere agatur præter ſæpius acta & ſexcenties agenda; ſtatueram nihil omnino reſpondere, prout in *Epiſtola Familiari* & *Amica Expoſtulatione* declaravi: & vero eatenus quod ſtatueram obſervabo, ut per libellos ſeorſim reſponſurus nihil ſim. Attamen (cum viri ſpectabiles atque eruditi judicent, uti *Acta Sanctorum*, a deceſſoribus meis illuſtrata, putantur perennatura; ita eorum Apologiam, qualibuſcumque demum ſcriptis antirrheticis oppoſitam, debere eadem *Acta* perpetuo comitari) decrevimus talium judicio conformare noſtrum, apponendo hic Apologiam, non ita pridem ſeorſim impreſſam, in *Epiſtola* & *Expoſtulatione* præmiſſis. Hæc tamen ipſa ſcripta ut fidem ſuam apud æquos Lectores retineant, debet ſua quoque eorum Auctori fides & auctoritas ſalva eſſe. Hanc vero cum *Appendix Motivum Juris* elevare per fas & nefas conetur, meum eſſe debet eamdem integram oſtendere & ſervare.

2 Id autem, prætermiſſis aliis injuriis omnibus, præſtabo tribus præcipue in exemplis, quibus accuſor in *Appendice* num. 129. & ſeq. (nulla, quæ evincat aliquid, probatione addita, ut mox videbimus) quod, *auſu valde temerario & ſucceſſu pudibundo*, *aſtute vulcar* defenſionem Papebrochii: damnorque in illa re *impoſturæ*, & quidem *manifeſtæ*. Adhæc num. 83. accuſor, quod *ineptiſſima gloſſemata* apponam *ſummorum Pontificum Bullis*. Denique num. 84. objicitur mihi, quod ſim *malevolus criticus*, *a paſſione ſua excæcatus*; eo quod intelligam in Bullis Pontificum Enochum, Prophetam veteris Teſtamenti, quem Patres Carmelitæ volunt eſſe, Enochum de Amathim, diſcipulum Chriſti Domini in Teſtamento novo.

3 Gravia iſthæc ſunt, & cuivis innocenti non toleranda. Nam *impoſtorem* qui agit Hiſtoricus, indignus eſt qui Hiſtoricus audiat, nedum qui philiſtoriam profiteatur. Qui *ineptiſſimis gloſſematis ſummorum Pontificum Bullas* male explicat atque deturpat Catholicus, ſummorum Pontificum indignationem merito incurrit. Qui *malevolus criticus*, & quidem *a paſſione ſua excæcatus*, vult ſcribere hiſtoriam Chriſtianus, deleatur nomen ejus e numero Hiſtoricorum, non tantum Chriſtianorum, ſed & gentilium & ſcriptorum omnino omnium. Hinc par eſt, ut notas tam turpes, quas mihi inurit Patern. veſtra, per moderatam defenſionem exuſtas, amoliar. Id autem pace etiam veſtra me facturum confido; niſi perinde mecum agere velitis, atque is acturus eſſet, qui parte ex una apud ſummos infimoſque, ſparſis etiam quaqua verſum litteris ac libellis, furti accuſaret innocentem; ex alia vero parte furcam illi minitaretur, ſi ſe ſuamque innocentiam tueri ac mundo judici probare vellet. Violentia illa foret, plus quam tyrannica.

4 Scio quidem adm. R. P. Thyrſi Gonzalez, Præpoſiti noſtri Generalis, mentem eſſe, ut deinceps nihil ſcribatur, quod attinet *antiquitatem* Ordinis Carmelitani, eamque ipſum etiam provide ac benigne cum Reverendiſſimo Patre Generali veſtro communicaſſe; idque pariter me docet *Appendix veſtra* num. 136. ſic loquens: *Modernus quoque Præpoſitus Societatis Generalis, Reverendiſſimus P. Thyrſus Gonzalez, promiſit (prout ſcripſit nobis Reverendiſſimus P. Generalis noſter) ſe non permiſſurum ultra contra Ordinem Carmel. a Papebrochio aliquid conſcribi vel in lucem edi. Cui omnino eſt fidendum.* Ne dubites. Sed quando iſthæc vobis ſcripſit Reverendiſſimus veſter Generalis, an ſimul Patern. veſtræ facultatem dedit ſcribendi *Appendicem ſuam*; provocandi me per illam denuo, meque faciendi *impoſtorem manifeſtum*, *malevolum criticum*, *excæcatum a paſſione ſua ineptiſſimum* Bullarum Pontificiarum interpretem &c.? Æquitas viri id vetat vel cogitari. Interea Patern. veſtra ſcribit talia de me, poſt acceptam Epiſtolam Generalis ſui: & volet me obmuteſcere ad injurias illatas? Religioſæ quidem virtutis exercitium eſt, injurias patienter & ſilentio ferre, uti dudum tulimus; idque glorioſum ſit in perſona privata, cujus contemptus cum damno publico conjunctus non eſt. At in perſona quodammodo publica, qualem me ſuſtinere Obedientia vult, dum *Actis Sanctorum* illuſtrandis publicandiſque jubet operam dare, tolerari ejuſmodi contemptus laudabiliter non poteſt; imo poteſt tam laudabiliter, quam debet neceſſario, arceri, ne *Acta Sanctorum* cogitentur ineptiſſimis gloſſematis, & impoſturis illuſtrari a ſcriptore cæco.

5. Quod porro ad mentem adm. R. Patris Noſtri ſpectat, ſcio pariter, ipſum nunquam addixiſſe Reverendiſſimo Patri veſtro Generali, neque voluiſſe, aut etiam potuiſſe prohibere, ne, quod lege naturæ cuilibet permiſſum eſt, vel Papebrochius, vel ego, vel alius quivis e ſubditis ſuis, injurias, quibus laceſſitus ſit, depellat, ſuumque honorem moderate

& re-

& religiose tueatur. Quapropter id & licebit mihi, tum Nostri, tum Vestri Generalium pace; & id agendo nihil me agere scio, quod vel mandato Patris Nostri, vel promissis, ab eo factis Reverendissimo Patri vestro, adversetur; aut hujus etiam voluntati merito adversari possit, dolituri tamen fortassis, quod Patern. vestra, pacificis literis suis acceptis, me denuo provocaverit.

6 Neque vero promissis ejusmodi aut mandato opus erat; quibus ego constringerer, ne imposterum contra antiquitatem Ordinis Carmelitani scriberem, qui istiusmodi scriptionem nec scripsi hactenus, nec meditatus fui. Quidquid scripsi ad Ordinem Carmelit. spectans, coactus, uti nunc, a Patern. vestra scripsi, ut illustrata a nobis *Acta Sanctorum* tuerer, contra famosam vestram *Exhibitionem Errorum*, per *Epistolam Familiarem* meam. Hic ego nihil contra antiquitatem Ordinis Carmelitarum. Tres præcipue tracto quæstiones in specimen libri male cohærentis; primam de Baptismo Constantini, alteram de Præputio Christi Domini, tertiam de Præmonstratensibus, illic videndas. Subsecuta est deinde, ad retundendum *Motivum Juris* vestrum, *Amica mea Expostulatio*. Sed neque hic ego quidquam contra antiquitatem Ordinis; nisi forte impactam mihi a Patern. vestra calumniam, amoliturus, talium alicubi mentionem fecerim, quæ tangi debuerint, ut me defenderem. Quamvis non videam, quid amplius piaculi committerer, qui antiquitates Ordinis Carmelitani illustrandas susciperet, quam qui illustrat antiquitates Ecclesiæ Catholicæ Romanæ. Hæc certe gaudet illustrari: & veritas nusquam lætior est, quam cum pleno die, omnium oculis exposita, velut in theatro conspicitur. Interea nolentibus vobis, nec ego volo illustrare, necdum impugnare antiquitatem, quam etiam probare vellem si possem. Calumnia interim in *Motivo Juris* mihi impacta, quam amoliri debui in *Expostulatione mea*, hæc erat, quod *contra evidentem veritatem, fraudulenter, in derisum Ordinis Carmelitarum*, sumam Enochum, de quo in summorum Pontificum Bullis, pro Enocho veteris Testamenti.

7 Huc tota mea impugnatio antiquitatis vestræ reduci debet, si qua est. Nempe dixeram in *Brevi Instructione* num. 5. vereri me, ne Auctor *Libelli supplicis* auctoritate Pontificia antiquiorem faciat Ordinem suum, quam ipsa velit; ac nomen Fundatoris ab Elia ad Enochum transferre cogeretur: quia Pontifex in Bulla asserit, Carmelitas *Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisæi, & Enoch .... successionem hereditariam tenere*. Ubi ego Enochum veteris Testamenti intelligo, sed *contra evidentem veritatem, fraudulenter, in derisum Ordinis Carmelitarum*; uti arguit Patern. vestra in *Motivo juris* num. 128, volens Enochum de Amathim, Christi discipulum, intelligi. Cumque expositionem meam, sic criminatus, defensionis causa pluribus confirmassem in *Amica Expostulatione* a num. 93. perstringis me denuo mox in *Appendice* a num. 83. quod *ineptissimis glossematis* summorum Pontificum Bullas commaculem ac male explicem, *insipiens aut malevolus criticus, a passione sua excæcatus*.

8 Interea aliud non clamat Patern. vestra quam pacem utique nobis, qui e publicis disputationibus publicisque in ecclesiis vestris Officiis, more patriæ, certis anni temporibus frequentari solitis, non emansimus primi, carissimam; & videreris etiam sincera pacem velle, collaborantibus eo utriusque Ordinis Generalibus, ut vidimus, nisi eorum mente intellecta, contrarium re ipsa monstrares, novo libello novisque injuriis lacessendo cupidos silere, & publica, quæ dantur scandala, tollere, eamque ob causam paratos revisere etiam prius ecclesias scholasque vestras, quam vos nostras; licet primi Vos usum illum religiosum interruperitis, dummodo officium istud præventionis nostræ pacificum fore intellexerimus. Similiter visa fuisset Patern. vestra a biennio sincere pacem velle, nisi mox novo famosoque libro pene confectam turbasset. Ipsa Patern. vestra tunc Ordinis sui Provincialis, & R. P. Philippus Regaus Societatis nostræ icidem Provincialis, per Flandro-belgicam, rem agebant; alter serio, alter nescio quo animo, ab effectu cuilibet interpretando.

9 De illa Pacificatione ita loquitur Patern. vestra in *sua Append.* num. 238. *Isti Decreto*, laudabili sane, in favorem sententiæ probabilioris a S. Romana Inquisitione edito; sed hic plane otioso, & non alio fine inserto, quam ut novitate aliqua sub magni viri nomine, (quod & in titulo indigne præfigitur) conditus, per se absonus libellus, emptorem inveniret. *Isti*, inquis, *Decreto adjungo Resolutionem R. Adm. P. Philippi Regaus Provincialis Societatis Jesu per Flandro-belgium, quam conceperat, & mihi ab anno intimari curavit per P. Isidorum a S. Maria Mag. de Pazzis Ordinis nostri, Philosophiæ Lectorem; qui ex ejus ordinatione mihi significavit, dictum Provincialem multum inclinari, pro restauranda pace & concordia inter B. Virg. Mariæ Fratres & Societatis Jesu alumnos, quæ ante hac inter illas semper viguit, donec eam turbavit Papebrochius* (imo Auctor *Armamentarii*, intortis in Papebrochium acutissimis telis, & qui post Auctorem istum decreverunt, abstinendum sibi fuisse a publicis Societatis functionibus, & re ipsa primi abstinuerunt & abstinent) *& in istum finem dixit*, Provincialis scilicet Societatis, *per Reverendissimum P. Præpositum Generalem, Societatis suæ Professores admissuros traditionem de origine Carmelitarum ab Elia Propheta in veteri Testamento & hereditaria inde successione, tamquam omnino probabilem, & fidem humanam omnino mereri, sicut aliæ similes Ecclesiasticæ historiæ merentur. Cumque Papebrochius huic supervenires discursui, dixit se etiam subscripturum. Quod dictus Lector paratus est juramento confirmare. Veruntamen cum paucis post diebus in lucem ederetur* Exhibitio *errorum, oblata, non est subsecuta subscriptio*.

10 Quis impedivit subscriptionem *oblatam*? Qui edidit *Exhibitionem Errorum*, infamem vel ipso titulo suo librum. Quis edidit *Exhibitionem* illam? Adm. R. P. Sebastianus a S. Paulo, Provincialis Carmelitarum per Belgium. Quando edidit? Dum pacem tractat, & quidem talibus jam sibi *oblatam*, uti ipse scribit, conditionibus, qualibus Ordo suus acquiesceret. Hoccine est pacem serio velle? Imo, uti is vult, qui dux exercitus cum sit, tempore induciа-

ducatum adversarium, nil doli suspicatum, ex improviso novis tormentorum ictibus hostiliter invadens, tractationem pacis, propemodum conclusæ, turpiter abrumpis, subdolus pacificator. Sed quid de omnimoda probabilitate successionis hereditariæ? Scio, *R. P. Philippum Regaus, nunc Provincialem* nostrum, uti etiam hodiernum, illius successorem R. P. Ignatium Dierixens, *multum inclinari pro restauranda pace & concordia* inter utrumque Ordinem, idque primus abunde monstraverit; si (quod ait Patern. vestra) *dixit, per Reverendissimum P. Præpositum Generalem, Societatis sua Professores admissuros traditionem de origine Carmelitarum ab Elia Propheta &c. tamquam omnino probabilem, & fidem humanam omnino mereri.*

11 Ubi noto primum, nolle me putari impugnare probabilitatem illam, si quatenus necesse est, de ipsa hic loquar. Deinde, nolle me juramentum exigere a R. P. Isidoro super dictis, quæ, ut labilis est memoria, facile alterantur mutata vocula; &, ut quilibet est rerum suarum amans, facile torquentur, imo sponte prorumpunt in favorem narrantis, quo plus gessisse, quam gesserit, videantur suis auctoribus. Ita res sunt humanæ. Tertium noto, imprudens promissum in re præmeditata, uti hic fuisse debuit, alienum videri a nota prudentia R. P. Philippi Regaus. Quomodo enim dixerit, quod *per R. P. Generalem, Societatis Jesu Professores admissuri sunt traditionem*, de qua supra? præceptione ejus coacti, an rationibus moti? Deinde admissurine sunt traditionem illam, *tamquam omnino probabilem* vobis, an etiam *omnino probabilem* sibi? Præceptum R. P. Generalis, ad persuadendum intellectui probabilitatem talis originis, hic frustra foret, ut patet. Tali enim præcepto, mere extrinseco, nisi rationes secum adducat, non subest intellectus, etiam Religiosi; neque illo movebitur ad judicandum, medio die non lucere solem, aut, probabile esse sibi aliudve, quod rationabiliter putat improbabile esse tam aliis quam sibi. Igitur rationibus agendum est: hæ vero peti non debent a P. Generali nostro, in antiquitate vestra parum versato; sed ab ipsis Patribus Carmelitis, qui si tales protulerint, ut ad prudentem assensum probabilitatis optatæ movere possint viros indifferentes & rerum illarum gnaros, frustra recurritur ad R. P. Generalem, ut per ipsum Societatis Professores admittant traditionem vestram, ut probabilem, quam ipsi, quo rerum scientiores sunt, eo citius per se sibi persuadebunt, ducti rationibus quas petimus produci, ut *sibi* quisque probabilem habeat traditionem. At si velis, Professores Societatis illam traditionem tantum admittere, ut *vobis Carmelitis* omnino probabilem: iterum hic nullum erit præceptum P. Generalis. Rationibus ducendi sumus: quas non difficile erit adducere tam multas (& ego paratus sum adducere, si gratum foret) ut a quovis prudenti viro prudentem, & plus quam probabilem, assensum eliciant, quo judicetur, probabilem esse Patribus Carmelitis traditionem suam de origine Ordinis. Si & hoc voluerit admittere & addicere vobis R. P. Regaus, prudenter egit, ut solet, sed imprudenter acturus fuisset, si pro eo obtinendo ab omnibus Societatis Professoribus, recurrisset ad R. P. Generalem suum, in cujus potestate non erat id obtinere. Et huic resolutioni libenter subscribit Papebrochius. Aliam probabilitatem si prætenditis, explicate nobis illam, & aptis argumentis confirmate; assensum obtenturi etiam nostrum, si argumenta, quæ allata fuerint, prævaleant contrariis, aut paria etiam sint.

12 Quartum etiam noto, quod prædictus R. P. Philippus Regaus, edita *Appendice vestra*, adhuc Provincialis, a me rogatus responderit; & nunc hujusce Domus Professæ Præpositus meus pergat respondere, se rationabilia addixisse, non tamen meminisse terminorum, quibus pacificatio proposita aut acceptata fuerit oretenus (nihil enim scripto conceptum fuit) nisi quod termino *omnino*, bis in narratione P. Isidori repetito, sciat se usum non fuisse; sed simpliciter concessisse Patribus Carmelitis probabilitatem suam; supervenientem vero P. Papebrochium, a se rogatum, an & ipse concederet probabilitatem illam, respondisse, *omnino*, & conversum hunc ad P. Isidorum dixisse in hunc sensum; *Tenete, prout vobis libitum fuerit, id vobis licere per me, verbis & scriptis, sæpius protestatus sum.* Noto denique, eumdem R. Patrem Regaus mirari, quod Patern. vestra privatam inter vos tractationem pacis, publicam typis faciendo & pro libitu suo interpretando, efficere voluerit, ut post hac nec ipse, nec alius e Societate tam confidenter ausurus sit vobiscum de similibus agere, atque ipse egit.

13 Redeo ad injurias, num. 2. potissimum attactas, quæ me cogunt non jam pro P. Papebrochio, non pro illustratis ab ipso Sanctorum Actis, sed pro me ipso præcipue ac pro auctoritate mea, agere cum Patern. vestra: quam imprimis rogatam velim, ut circumspectius deinceps scribere dignata, integram pariter suam sibi auctoritatem conservet. Quisquis enim alterius famam lacerat injuste, suam lacerat præcipue. Ut autem meam monstrem sic laceratam esse, compellit me Patern. vestra non jam Historicum, nedum Theologum aut Jurisperitum, ut in præcedentibus suis, sed Grammaticum agere. Putabam pridem illo me onere docendi defunctum fuisse, cum, ex more Societatis nostræ & voluntate Superiorum, per annos aliquot Grammaticam pueris tradidi: numquam suspicatus futurum, ut viri, graves ætate, dignitate conspicui, Theologiæ Professores, cogerent me scriptis suis, ad se docendum leges grammaticales & connexiones in oratione observandas, ut commodus inde sensus, ab auctore intentus eliciatur.

14 Compulsus igitur a Patern. vestra illustrare aggredior quæstiones Grammaticales præcipue tres, de quibus in *Appendice* vestra, inter alia mihi litem movetis. Prima est de intelligentia Decreti, quod Gelasius Papa, in Concilio Romano cum Episcopis LXX. congregatus, edidit super scripturis quibusdam, tum probis, tum apocryphis; utrum in illo Decreto Pontifex Acta S. Silvestri Papæ *cum omni honore suscipiat*: an vero dicat tantummodo, quod *a multis in urbe Romana legantur* Acta illa; quodque *pro antiquo usu multæ hoc imitentur Ecclesiæ*. Altera quæstio eodem fere redit, utrum nempe *Scripta*, sive historia, *de inventione Crucis Dominicæ*, in eodem Decreto Gelasii, &

ipsa

ipsa, *suscipiantur cum omni honore*; an vero dicantur tantum Scripta eadem, *nonnullæ quædam relationes esse, quas nonnulli Catholici legunt*. Hinc fiet digressio ad examinandam auctoritatem prædictæ Historiæ; utrum illam Papebrochius merito repudiet. Tertia quæstio grammaticalis versabitur, præter alia, circa pronomen relativo demonstrativum, *Hæc*, in textu Palæonydori; utrum referat demonstrative illa, quæ remotiora sunt a se in memorato textu, sicque salvare possit Enochum de Amathim; an referat demonstrative alia, quæ sibi propiora sunt. Hunc in finem proponetur amplior Palæonydori contextus, qui plura curioso Lectori consideranda mirandaque dabit, quam ego notare velim pacis causa, si quo modo amari animi leniri possint. Harum igitur trium quæstionum priorem partem ita mordicus tenet Patern. vestra, ut dissentienti mihi *impostoris* notam atque alia non leviora, quæ vidimus, affricet: alteram partem ego sic tueor, ut tangar commiseratione eorum, qui adeo hallucinantur in rebus apertissimis, ut hallucinatio non possit errori, sed debeat ignorantiæ crassæ aut pertinaciæ adscribi. Sed de hac judicium relinquamus Lectori; quod ut formet, aliud nihil attinet fieri, quam produci ac legi partem ampliorem, quam profert Patern. vestra, contextuum, de quorum intelligentia disputatur. Ex hisce enim solis, vel puer Grammaticæ studiosus, nil a me doctus, declarabit per se, quis sensus genuinus sit. Primo loco inspiciamus Decretum Gelasii & LXX. Episcoporum.

15 In illo Decreto Pontifex, postquam de auctoritate sanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, deque prærogativa & Cathedris S. Petri Apostoli exordium præmiserat, sic instituit de librorum variorum auctoritate atque utili aut inutili eorum lectione orationem; *Quamvis aliud fundamentum nullus possit ponere præter id quod positum est, qui est Christus Jesus: tamen ad ædificationem nostram, eadem sancta Romana Ecclesia, post illas Veteris vel Novi Testamenti, quas regulariter suscepimus, etiam HAS SUSCIPI NON PROHIBET scripturas, ID EST, sanctam Synodum Nicænam .... Constantinopolitanam .... Ephesinam .... Chalcedonensem ..... Item Opuscula B. Cypriani Martyris. Item B. Gregorii Nazianzeni .... Item Gesta sanctorum martyrum*. Horum tamen Gestorum aliqua saltem, *ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur; & ab infidelibus aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur; sicut cujusdam Quirici & Julitæ, sicut Georgii, aliorumque hujusmodi Passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes Martyres & eorum gloriosos agones, qui Deo magis, quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur. Item Vitas sanctorum Patrum, Pauli, Antonii, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus. Item Actus beati Silvestri Apostolicæ Sedis Præsulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Romana Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo usu multæ hoc imitantur Ecclesiæ. Item scripta de inventione Crucis Dominicæ, & alia scripta de inventione Capitis Joannis Baptistæ, novellæ quædam relationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, beati Pauli Apostoli præcedat sententia: Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

16 Antequam hoc super textu differam, debeo notare, æqualiter hic approbari a Gelasio *Scripta de inventione Crucis Dominicæ* (quæ Patern. vestra sine formidine proclamat, *cum omni honore* ab eodem Gelasio *suscepta esse*) *& alia scripta de inventione Capitis S. Joannis Baptistæ*. Quæ adeo & ipsa debent a Gelasio cum omni honore suscepta esse, secundum vos. Sed in eo cedit acumini Patern. vestræ Theologico perspicacitas Historico-Theologica Eminentissimi Baronii, qui approbationem istam Gelasii nuspiam e textu *ejus* potuit eruere. Quin imo ex eodem censuram scriptis istis adjunxit ejusmodi, qua nullam iis fidem addat suam, sed potius demat. Loquitur enim Baronius de scriptis, quæ de inventione Capitis S. Joannis Baptistæ tractant, in Annotationibus Martyrologii Romani ad XXIX. Augusti litt. b. in hunc modum. *Cujus autem fidei sit Tractatus ille de revelatione seu inventione Capitis S. Joannis Baptistæ, declarat censura Gelasii, qua sic ea quæ ibi sunt, relinquit Lectoris arbitrio, ut quæ vera vel falsa sint, ante examinet, quam probet*. Erant nempe ex eadem Pontificis censura, utraque scripta *novellæ quædam relationes*. Deinde reprobat Baronius ibidem scripta illa de inventione Capitis S. Joannis Baptistæ, ut apocrypha; similibus fere argumentis ac nos reprobamus scripta de inventione Crucis Dominicæ. Considera nunc, cum quanta cautione & quo ordine procedat Pontifex in supradictis. Textus catalogum librorum, Catholicis permittendorum, præfigit universalem hanc omnium approbationem, aut permissionem seu non prohibitionem, quod nempe *suscipi non prohibentur* ab Ecclesia; eoque omnes reducit sequentes scripturas per conjunctionem generalem *id est*: & singula eodem respiciunt membra per particulam *item*, in capita singulorum positam; quæ suum membrum neutiquam refert ad proxime præcedens; sed ad generalem, ut dixi, non prohibitionem initio præfixam, aut si id non facit, omnino otiosa est particula illa *item*. Præter hanc autem generalem *non prohibitionem*, adjungit Pontifex nonnullis libris particulares aliquas rationes aut censuras, cur securius, aut minus secure legi; cur laudari; cur suspecti esse mereantur. Verum hæc adjuncta Censurarum, in singulis Decreti membris, ad suas quæque Scripturas, de quibus illic agitur, sic adstringuntur, ut extendi ad alias non possint, etiam proxime sequentes; uti fatebuntur vel ipsi grammaticæ candidati, ubi textum quem protuli, non oscitanter legerint. Cur enim hæc membra *Item scripta de inventione Crucis Dominicæ: Item Actus beati Silvestri*: quæ propriam habent censuram, referantur potius ad censuram membri proxime præcedentis, ubi tantummodo *Vitas Patrum*, illic indicatas, *cum omni honore suscepit* Pontifex; quam hoc ipsum membrum

de

de *Vitis Patrum*, referetur ad censuram proxime quidem præcedentis membri, quæ dicuntur quædam sanctorum Martyrum gesta *in sancta Romana Ecclesia non legi*, quia ab ignotis, infidelibus, aut idiotis minus apte scripta putantur? Præterea, fingamus sensum esse quem ponit Patern. vestra, *ut Pontifex dictum voluerit: Item Actus beati Silvestri cum omni honore suscipimus: Item scripta de inventione Crucis Dominicæ cum omni honore suscipimus*: debes pariter sustinere, in sequentibus ejusdem Decreti membris, idem debere intelligi, utique de libris *Rufini*, *Origenis*, *Eusebii*, *Orosii*, aliisque ibi indicatis, quod illos *cum omni honore susceperit* Pontifex. Id vero esset confundere & sus deque vertere omnia; nec fieri ullo modo potest, ut legenti reliquum Decreti textum patebit. Interea hic tantum inspice, quæ de inventione Crucis Dominicæ produxi ex Decreto illo; comperies, scripta de illa inventione *novellas quasdam relationes* appellari a Pontifice; quas si *cum omni honore ab eodem susceptas* esse sustinere velis, voles ejus prudentiæ injurius esse.

17 Habes hic, Pater adm. Reverende, partem Decreti Gelasiani & LXX. Episcoporum, eadem sinceritate prolatam, qua nuper inde in *Amicam Expostulationem* transtuli pauca, quæ Patern. vestra reprehendit, & carpit, & *imposturæ* arguit more suo; atque *ausu valde temerario & successu pudibundo* a me prolata esse, jactat. Miseret me tanti stuporis ac cæcitatis in Professore Theologiæ & quidem Lovanii illam professo. Verum ut stupor ipse sentiat & cæcitas ipsa videat, quæ nolet, conjungenda cum productis ex Decreto Gelasii quædam hic sunt, ex *Appendice vestra ad Museum Juris*, paulo altius repetita. Sic ibi num. 147. loqueris: *Et ut omnes notabiliores simul & semel comprehendam errores, quos Papebrochius in Notis ad Acta Sanctorum commisit; dico & sustineo, ipsum turpiter errasse, quoties a regula & magistra veritatis recedit* (concedo): *prout centies & centies ab ea recessisse convincitur* (id nego). *Nam cum pro regula & magistra veritatis, proprio motu suo Papebrochius præscripserit sacrosanctæ Sedis Apostolicæ judicium, a qua firmiter statuit & sancte juravit, ne quidem latum unguem declinare velle* (optimum Papebrochii & sanctissimum juramentum): *ostenditur, ipsum ab eo passim recedere, & toto cælo aberrare, ut patet per totam Exhibitionem Errorum* (quæ passim a toto aberrat textu Papebrochii, nec fidem meretur, nisi postquam Papebrochii scripta, quæ impugnantur, simul etiam lecta sint in fonte suo, non adulterata). *Nam* (ita probas modo dicta) *quæ sacrosancta Sedes Apostolica recipit & approbat tamquam vera, vel ut probabiliter talia, rejicit & reprobat passim Papebrochius, tamquam falsa, mendacia, figmenta, & commenta, prout variis in exemplis ostendi hic §. 2. & 9. & UNUM hic duntaxat PRO OMNIBUS reproduco SPECIMEN, NOTATU DIGNUM, quod habetur num. 11. & 12.* (imo 12. & 13.). *Ubi ostenditur, quod Papebrochius Historiam inventionis Crucis Dominicæ & Acta S. Silvestri* (*quæ S. Gelasius Papa I. an. 494. in Concilio Romano, cum LXX. Episcopis*, CUM OMNI HONORE SUSCEPIT) *cum omni vilipendio & contemptu rejiciat & repudiet; tamquam figmenta & mendacia* (quot figmenta & mendacia hic somniat Patern. vestra; nulla nempe, nisi sua tantum; certe somnianti nocitura præcipue!

18 Inde porro relicto Papebrochio, ad me converteris his verbis). *Mirabitur hic astute Janningus adeo insolentem censuram excusare; sed ausu valde temerario, & successu pudibundo. Dicit enim n. 59. in Amica Expost. Falsum est, illic* (in Concilio Romano) *scribi, Acta S. Silvestri cum omni honore suscepta esse. Leguntur tantummodo a multis in urbe Romana Catholicis, & pro antiquo usu multæ hæc imitantur Ecclesiæ*, (ita dixi & dico; & dici debere sustinebo coram Grammaticis omnibus contra Patern. vestram, quæ tamen sic pergit ex dicto meo verissimo imposturam, non meam uti putat, sed suam consuere). *Ut autem hujus imposturæ ad oculum appareat falsitas, inspiciendum est Concilium tam antiquæ quam novæ impressionis, quod sic habet: Vitas Patrum .... cum omni honore suscipimus. Item Actus beati Silvestri, Apostolicæ Sedis Præsulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Romana Catholicis legi cognovimus, & & pro antiquo usu multæ hoc imitantur Ecclesiæ. Item scripta de inventione Crucis Dominicæ.* Ita Patern. vestra: quæ & pergit sic concludendo insultare mihi. *Quid ad hæc Janningus? Miserum Auctorem Epistolæ Familiaris! Næ ego doleo vicem ejus, quod tam inconsiderate famam suam & auctoritatem ludibrio exponat* (*uti in Epist. Fam. n. 7. male mihi ipse prius condoluit*) *tam manifestas imposturas referendo.*

19 Hactenus contextus vester, ut jacet, integer, exceptis parenthesibus, quæ Romano charactere inscribuntur. Sed, *quid ad hæc Janningus?* In caritate conabitur vincere gloriabundam ignorantiam & ignorantem accusationem adm. R. Patris Provincialis. Quis enim ex illo scripto seorsim lecto, non damnet Papebrochium *perjurii*, me *imposturæ*, & quidem *manifestæ*? Evolvamus primo imposturam, sed ea conditione, ut alteruter nostrum, id est, ego aut Patern. vestra, qui imposturam fecisse deprehensus fuerit, se impostorem esse reipsa & palam scripto fateatur. Imposturam fecisse arguor ego, quia dixi in *Amica Expost.* num. 59. *falsum esse*, quod in Concilio Romano, sive Decreto Gelasiano, de quo supra, scribatur, *Acta S. Silvestri cum omni honore suscepta esse*. Jam fassus sum, me dixisse, *falsum esse*, ita legi in Decreto; & iterum dico; & erit mihi magnus Apollo Patern. vestra, si contrarium monstrare, seque sic purgare possit ab injuria, a maledicentia, ab *impostura manifesta*, mihi injuste impacta. Hæc enim in te recident, nisi monstres in me locum habere. Dicis, ad detegendam imposturam meam, *inspiciendum est Concilium tam antiquæ quam novæ impressionis, quod sic habet: Vitas Patrum .... cum omni honore suscipimus. Item Actus B. Silvestri, Apostolicæ Sedis Præsulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Romana Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo usu multæ hoc imitantur Ecclesiæ. Item scripta de inventione Crucis Dominicæ.* Ita Patern. vestra.

20 Sed quis Grammaticus inde concludat, *Actus B. Silvestri* CUM OMNI HONORE SUSCEPTOS

PTOS

PTOS ESSE a Pontifice? Nullus omnino. Et multo minus inde concludet aliquis, *scripta de inventione Crucis Dominicæ* sic suscepta esse. Inspice, amabo te Lector, invitatus a R. P. Provinciali, Concilium; aut, si illud ad manum non est, inspice hæc ipsa, pro ut inde prolata sunt; & considera paulo attentius. *Vitas Patrum*, ait Pontifex, *cum omni honore suscipimus*. Optime. Sed similiter cum omni honore suscipiat Actus B. Silvestri, ut ais: Ergo hic sensus a sequentibus formandus est: Item Actus S. Silvestri ... licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, *cum omni honore suscipimus*. Quo posito, supervacanea est reliqua orationis pars *a multis &c.* ut legenti patet. Dic porro, quid membrum orationis præcedens absolutum, & per se completum, facit ad membrum sequens, cum priori neutiquam connexum? Illud, *cum omni honore suscipimus*, claudit suum solius membrum, monstratque illo contenta, nempe *Vitas Patrum*, a Pontifice *suscipi cum omni honore*. Non sic suscipiuntur contenta membro proxime sequenti, nedum remotiora: sed illa suas æque habent clausulas proprias; & *Actus* quidem *B. Silvestri* hanc habent; quod *a multis in urbe Romana Catholicis legi cognoscuntur*: *Scripta vero de inventione Crucis Dominicæ* habent hanc; quod *novellæ quædam relationes sint, & nonnulli eas Catholici legant*. Et sic alia habent alias clausulas. Ex quibus etiam videre est, *&* *Item*, singulis membris præfixum, ea non connectere inter se, ut dixi, sed respicere ad generalem omnium approbationem, initio positam, qua singulæ scripturæ *suscipi non prohibentur* ab Ecclesia Romana; aut certe, si eo nolis respicere, otiosum esse.

21 Quamobrem certum fixumque maneat, *cum omni honore suscipi* solummodo *Vitas Patrum*, illo membro Decreti contentas; non item *Actus B. Silvestri*; non, *scripta de inventione Crucis Dominicæ*; non reliqua quæ sequuntur. Quid igitur causæ dicam esse, quod Patern. vestra, semel a me in *Amica Expost.* num. 59. monita errorem hunc, eumdem videre noluerit; noluerit item legere præmissa & subjuncta in Decreto? Sed deducta fronte iteratum eumdem proponat, defendat, pro verissima veritate vendiret incautis Lectoribus; & mihi, recta monenti non recte insultans, *ausum valde temerarium*, *facinus pudibundum*, *imposturam manifestam* improperet? Si obstinationi in mala fide, aut *imposturæ manifestæ* nolim tribuere, cogar saltem tribuere ignorantiæ, in re apertissima seu veræ seu affectatæ. Vera autem unde ortum ducere potuerit non video, nisi eo eo quod Patern. vestra truncaverit, uti passim scripta Papebrochii *in Exhibitione errorum*, ita nunc etiam Decretum Pontificis & LXX. Episcoporum.

22 Cur enim sic locutus, *Item scripta de inventione Crucis Dominicæ*, amputas reliqua, manifeste doctura, non posse illa scripta intelligi *cum omni honore suscepta* fuisse a Pontifice: uti jam ostendimus, contra assertionem vestram contrariam & fallacem? Cur etiam priora Decreti, ad intelligentiam ejus plurimum conferentia, non profers in se ipsis, aut legisse saltem atque intellexisse commonstras; quæ pariter dedoctura te errorem fuissent? Neque ex eo, quod Actus B. Silvestri *a multis in urbe Romana Catholicis legi cognoscuntur*; aut *novellas de inventione Crucis Dominicæ relationes nonnulli Catholici legant*; inferre licet, majorem iis auctoritatem inesse, quam insit Epistolæ, quæ Apostolo Paulo affingitur tamquam ad Laodicenses scripta, de qua divus Hieronymus; *Legunt quidam & Epistolam Pauli ad Laodicenses; sed ab omnibus exploditur*. Atque hæc pro me dicta sunto; ex quibus judicium formet Lector, uter nostrum impostor sit. Ego talem me fateri non dubitabo, si prudens & æquus in præsenti casu me damnaverit imposturæ. Nunc pro Papebrochio pauca.

23 Dicis: *Quæ sacrosancta Sedes Apostolica recipit & approbat, tamquam vera, vel ut probabiliter talia, rejicit & reprobat passim Papebrochius tamquam* FALSA, MENDACIA, FIGMENTA & COMMENTA; *pro ut variis in exemplis ostendi hic §. 2. & 9. & unum hic dumtaxat pro omnibus reproduco specimen, notatu dignum, quod habetur num. 12. & 13. Ubi ostenditur, quod Papebrochius historiam inventionis Crucis Dominicæ & Acta S. Silvestri (quæ S. Gelasius Papa primus anno* CCCCXCIV. *in Concilio Romano, cum* LXX. *Episcopis, cum omni honore suscepit, cum omni vilipendio & contemptu rejiciat & repudiet, tamquam* FIGMENTA & MENDACIA. Modestius, amabo. Imprimis Acta S. Silvestri a Gelasio Papa I. *cum omni honore suscepta esse*, jam credes, opinor, falsum esse. Nolim tamen ego errorem illum Patern. vestræ, *mendacia*, *figmenta & commenta* dicere; talia vobis libeat, & (si potest) liceat, Papebrochii scripta reputare. Remittis autem me pro *figmentis* & *mendaciis* ultra ad paragraphum 8. ipsius *Appendicis*. Ubi *instanter*, *instantius*, *instantissime urges*, ut respondeam ad multa, quæ illic enumeras. Dixi in *Epistola Parad.* optimam refutationem libri vestri habiturum Lectorem, si conferat per se scripta Papebrochii cum vestris. Me vestra suffecit in speciminibus paucis monstrasse qualia & quanti sint. Alibi utilius occupor.

24 Attamen cum Patern. vestra multa illic enumerata, hic reducat ad unum, atque unum ex omnibus seligat tamquam Achillem suum præcipuum, idque *pro omnibus reproducat specimen notatu dignum*, uti loquitur: lubet specimen illud unum, notatu dignum, pro omnibus reproductum, tantisper spectandum exhibere, & in illo aliorum omnium imbecillitatem monstrare. Si enim illud, quod ex omnibus ipse eligis, præ omnibus *notatu dignum*, inveniatur debile esse aut nullum; facile intelligi datur, quantulum tribui debeat aliis omnibus. Certe Patern. vestra non poterit, nec audebit negare, reliqua sua argumenta, in Papebrochium intorta, nulla esse, si hoc specimen demonstretur esse nullum. Gustemus igitur fontem, ex quo reproducis *specimen notatu dignum*. Sic ais num. 12. (nam num. 21. quem etiam citas, nihil invenio huc spectans): *Item si non sit redactus* Janningus *ad metam non loqui, probet, Papebrochium recte repudiasse historiam inventionis Crucis Dominicæ, tamquam fabellam, fabulam, figmentum &c. cum tamen a S. Gelasio Papa I. in Concilio Romano an. 494. cum* LXX. *Episcopis*, CUM OMNI HONORE SUSCEPTA SIT: *& deinceps a SS. Ambrosio, Gregorio* Turo-

Opuscul. Collect.

Turonensi, *Andrea Cretensi*, *aliisque illustribus scriptoribus tradita*, *& per totam Ecclesiam indubitanter recepta*.

25 An non similiter recepta fuit, & hodiedum legitur historia de vita S. Silvestri? Et tamen illam valde apocrypham esse ostendimus in *Amica Expost.* a n. 59. estque reipsa *deturpata compluribus* (ita Baronius loquitur) *mendaciis*. O! si Baronius esset Papebrochius, quam crudeliter hic vapularet a Patern. vestra! An non similiter recepta fuerunt atque hodiedum leguntur Acta S. Judæ Cyriaci? Et tamen scatere compluribus, ut cum Baronio loquar, mendaciis convincuntur Tomo 1. Maji a pag. 445. quamvis aliter sentire Patern. vestra nequidquam velit. An non similiter receptæ fuerunt & hodiedum leguntur Passiones SS. Quirici & Julittæ, nec non S. Georgii celeberrimi pugilis? Et tamen ab ipso Gelasio Papa jam olim in eodem Decreto, de quo egimus, inter apocryphas scripturas relatæ fuerunt. An non similiter, ut infinita prætermittam, Epistola Pauli ad Laodicenses ætate Hieronymi, ut jam vidimus, *a quibusdam legebatur? Sed ab omnibus explodebatur*. Verum quid ego ad Achillem illum vestrum? *instanter*, *instantius*, *instantissime* a Patern. vestra requisitum, ipso compulsus respondere? *A S. Gelasio Papa I. in Concilio Romano anno 494. cum LXX. Episcopis*, CUM OMNI HONORE SUSCEPTA EST *Historia Inventionis Crucis Dominicæ*. Id vero falsum, falsius, falsissimum est; nolo enim dicere, splendidissimum esse mendacium. Judicet id Lector ex verbis Gelasii, qui rotunde edicit, Historiam illam esse *Novellas quasdam relationes*, monetque Catholicos, cum ad eorum manus illæ pervenerint, memores ut sint sententiæ S. Pauli; *Omnia probate, quod bonum est tenete*; indicans, se illis non multum historicæ fidei adhibere, tantum abest ut *cum omni honore susceperit*. An Pontifici injuriam faciat Papebrochius secondando conatus ipsius? aut neges porro, Papebrochium *Historiam Inventionis Crucis Dominicæ*, sive, uti Pontifex loquitur, *Novellas relationes*, recte repudiasse? Nihil attinet id hic monstrare pluribus, postquam de Historia illa prævium Pontificis Romani & LXX. Episcoporum audivisti judicium. Legisti insuper Commentarium P. Papebrochii de Inventione sanctæ Crucis, Tomo 1. Maji a pag. 361. multorum opinione accuratum & laudabilem: licet ægre nonnullorum oculis atque animis recte capi forsasse nequiverit.

26 Ad eam nunc denuo legendam sereniori vultu, remitto Patern. vestram, si volet intelligere; eodemque mitto æquos Lectores omnes, illic inventuros probationes Papebrochii ampliores, quam hic ego velim inserere, brevitati studens. Ostenditur enim ibi in ipso principio (malum omen) turpiter errasse auctorem, quisquis ille fuerit, in tempore quo inventa Crux dicitur, quod definit ille *annum ducentesimum trigesimum tertium post Passionem D. N. Jesu Christi*, qui est ducentesimus sexagesimus sextus post nativitatem ejusdem Domini nostri; cum certum sit, Crucem primum inventam post Concilium Nicænum, id est post annum ducentesimum nonagesimum secundum a Passione, trecentesimum vigesimum quintum a Nativitate: atque ita anteverterit verum tempus Inventionis sanctæ Crucis annos, ut minimum, septuaginta. Eodem anno facit regnare Constantinum Magnum, qui tantum abest, ut tunc regnaverit, ut natus nondum fuerit; atque vix scio an vel nata fuerit Helena mater ejus. Potest certe tunc nondum nata, & tamen Constatini mater postea fuisse, quantum ad temporis intervallum spectat. Facit præterea, *gentem barbarorum multam super Danubium congregatam*, *ac paratam ad bellum*, timorem Constantino incussisse *usque ad mortem*; idque *in sexto anno regni* ejus: quando nempe, ex quo regnare cœperat, Danubium aut Orientem nondum viderat, nec aliquanto post visurus erat, subigendo Galliam atque Italiam occupatissimus, & hoc ipso sexto imperii anno, magno apparatu ad Tiberim contra Maxentium movens: quando & signum Crucis conspicatus est in aere; quod auctor Historiæ ei visum fuisse, perperam dicit, quando contra Barbaros ad Danubium movit: quo ne movit quidem, nisi aliquot post annos, ut dixi, rebus in Occidente, pacatis.

27 A Danubio commode deduci visus est Auctori *Rex Constantinus in sua civitatem*, utique Constantinopolim; unde *mittens ad Eusebium Episcopum urbis Romæ*, *fecit eum venire ad se*, qui *catechizavit eum fidem Christianorum*, *& baptizavit eum*. Quot hic monstra historica! Obiit Eusebius Papa anno Æræ vulgaris CCCX. ex nostra, anno vero CCCXI. ex aliorum sententia; & hic est imperii Constantini sextus. Recte hæc coincidunt, cum præmisso temporis charactere, quo barbaros, Danubium transeuntes, repulsos fingit victosque a Constantino fuisse. Quod ut supponamus tam vere factum esse, quam est falsum: quomodo Constantinus in *suam civitatem* CP. tunc venerit, quam anno imperii sui XXII. primum construere cœpit e Byzantio? Quomodo porro conciliabit Patern. vestra hunc locum cum sua de baptismo & baptista Constantini opinione, in *Exhibitione errorum*, Marte suo juris, in *ejus Appendice* mordicus, sed cæco modo defensa? Vult Historia illa, ab Eusebio Papa baptizatum Constantinum fuisse, quod nemo idoneus auctor asseruit hactenus, neque ipsa Patern. vestra credere potest etiamsi cuperet. Vult Historia, Eusebium Roma Constantinopolim profectum; qui (ut caetteri tum Constantinopolis) pedem in Pontificatu non extulit Italia; & nescio an extulerit Roma, paucorum mensium, ex nostro calculo, Pontifex. Vult denique, Constantinum Constantinopoli baptizatum esse. Sed neque hoc admittere potest aut Patern. vestra, aut ullus historicus.

28 Prætermitto plura: cum gustati fontes adeo turbidi atque amari, sufficiens de reliqua aqua judicandi argumentum sint, & tota Historia, ut jacet, ex quatuor Mss. edita, legi possit Tom. 1. Maji a pag. 449. ubi de *S. Juda Quiriaco*. Prætermitto etiam, falsum esse, quod *a S. Ambrosio tradita sit*, ut ait, Historia eadem de Inventione sanctæ Crucis. Agit quidem Ambrosius de inventione illa, eamque vere factam esse credit atque asseverat, uti & credit & asseverat Papebrochius: sed de Historia Inventionis,

nis, de qua hic, nihil invenio apud Ambrosium: imo quæ de inventione narras ipse, ac præcipua de indicio salutiferæ Crucis, plane diversa sunt ab Historia prædicta. Prætermitto insuper, quod Patern. vestra, incauta (ut sæpissime alias) scribat, Ambrosium *deinceps* (a tempore videlicet Gelasii Papæ) tradidisse Historiam Inventionis sanctæ Crucis, atque adeo *deinceps* vixisse; cum tamen sæculo ante Gelasium integro, minus anno uno, mortuus sit. Quod si tam parum accuratus historicus es, ubi ipse historicum profiteris, in scriptione propria, qualis eris in scriptione aliena? Denique prætermitto negare, quod Historia illa *per totam Ecclesiam indubitanter recepta sit*, ut ais, sed non probas; cum id dudum pro me negaverit Gelasius, *Novellas relationes* illam appellans: post cujus judicium, quid attines examinare *Gregorium Turonensem*, *Andream Cratensem*, *aliosque illustres scriptores*, quos nominas? Omnes enim, si Catholici sunt, subjicient se æque prompte quam Patern. vestra, judicio Pontificio; revocaturi etiam si viverent, sicubi nimis creduli aliorum dictis, ab illo forte recesserint: quod hic, ut dixi, examinare mihi non vacat.

29 Examinet hæc Patern. vestra, atque tum judicet, uter nostrum *redactus sit ad metam non loqui*: utrum ego *astute molitus sim*, *sapientem censuram* Papebrochii, ut ait, *excusare*, idque *ausu valde temerario & successu pudibundo*; an potius indigeat Patern. vestra causidico, qui adeo insolentem ipsius & iniquam censuram, atque ausum valde temerarium & successum pudendum, excuset, si possit? Transeo ego a quæstionibus Grammaticalibus circa intelligentiam Decreti Gelasiani, in quantum spectat ad *Actus B. Silvestri*, atque ad *Scripta de Inventione Crucis Dominicæ*; ad tertiam jam similem, de intelligentia Bullæ Sixtinæ.

30 Quæstio est, utrum illic per *Enoch* intelligi debeat *Propheta veteris Testamenti*, notus in Genesi; an vero non Propheta, sed *Discipulus Christi e septuaginta*, *comes S. Marci*, *de Amathim* a vobis cognominatus. Illud assero ego, & probo in *Amica Expost.* a num. 93. quo Lectorem remitto. Hoc adstruit Patern. vestra cum suis post Palæonydorum; utque similes, te nihil dimoveri scriptis meis a præconcepta opinione aut pertinacia; *Transeo*, inquis in *Appendice* a num. 83. *ad ineptissimum Janningi glossema circa summorum Pontificum Bullas*, dicentium, *Carmelitas*, *sanctorum Prophetarum Eliæ*, *Elisei ac Enoch*, *nec non aliorum sanctorum Patrum*, *qui montem sanctum Carmeli inhabitarunt*, *successionem hereditariam tenere*. Ubi Janningus *audet asserere*, *per Enochum intelligi posse*, *Enochum antiqui Testamenti*. Recte ais. Addo autem, & intelligi debere. Progrederis vero: *Quis*, *nisi insipiens & malevolus criticus*, *a passione sua excæcatus*, *per Eliseum*, *Enochum*, *nec non alios sanctos Patres istos*, *intelligere aliquos Eliæ Propheta longe anteriores & seniores*, *qui in monte Carmelo juxta Elianum institutum numquam vixerunt?*

31 Vis dicam, quis sit ille *insipiens & malevolus criticus*, *a passione sua excæcatus?* Omnes illi Reverendi Patres Carmelitæ, qui

Opuscul. Collect.

cum *Adm. R. P. Daniele a Virgine Maria*, *Carmeli Flandro-belgici Exprovinciali & Historiographo*, in Speculo Carmelitano, anno MDCLXXX. quatuor voluminibus edito, ex *Catalogo seu Kalendario vetusti Codicis Ms. Carmeli Mechliniensis*, tenent pro *Sancto Ordinis Carmelitani Enochum*, antiqui Testamenti *Prophetam*; licet hic *Elia Propheta longe anterior & senior* sit, & *in monte Carmelo juxta Elianum institutum numquam vixerit*. Sic enim ex Catalogo isto in Speculi prædicti tomo 2. sub initium legitur: XX. *Maji*, *Enoch Carmelitæ Prophetæ*. Neque intelligere hic licet alium, quam Prophetam antiqui Testamenti; quia in eodem Catalogo condistinguitur a prætenso *Enoch Episcopo*, *discipulo Christi*, & ab *Enoch Patriarcha Hierosolymitano*, de quibus VII. Julii & XII. Augusti ibidem agitur. Neque tamen hinc inferas, *Enoch Episcopum*, *Christi discipulum* ante Palæonydori tempora fuisse notum mundo. Constat enim imprimis, Codicem illum Ms. Conventus Mechliniensis, quamvis vetustissimus vobis sit, post editam a Sixto IV. Bullam, quando florebat Palæonydorus, conscriptum esse. Constat deinde, isthæc de Enoch prædicto, Christi discipulo, recentiori manu Codici adjecta esse: idque ut fieri non potuit ante Palæonydorum, verosimillimum est, aut per ipsum, aut post ipsum, & forte diu post, factum fuisse.

32 Sed pergis *ineptissimum meum glossema refutare*; sic probans, non posse per Enochum intelligi *anteriorem & seniorem* Elia, qui in Carmelo numquam vixerit: quia vobis *evidens est*, *per Eliseum*, *Enochum*, *nec non alios sanctos Patres*, *in dictis Bullis intelligi non posse alios*, *quam Eliæ Prophetæ successores*, *discipulos & qui cum ipso*, *vel post ejus raptum*, *in monte Carmelo juxta propheticum ejus institutum vixerunt*. Dictum imprudens, & rerum suarum obliti! Infero enim; Ergo *S. Joannes Baptista*, Christi Præcursor: ergo *S. Andreas*, Christi Apostolus; ergo S. Joannis Baptistæ Discipuli, iidemque Enochi de Amathim (ita enim vos gratis supponitis) socii, & in Gallia deinde Episcopi, *S. Martialis Episcopus Lemovicensis*, *S. Saturninus Episcopus Tholosanus primus*, *S. Fronto Episcopus Petragoricensis*, *S. Nathanael*, *Philippi Apostoli germanus*, *Episcopus Bituricensis*, ergo *gloriosissima Virgo Maria*; ergo *beatissima Maria soror Lazari*, *& Marthæ*; ergo *Sanctissima Thecla*, *virgo*, *Romanorum nobilissima*, *Pauli Apostoli discipula*; aliique innumerabiles, quos cum Palæonydoro lib. 2. cap. 2. & alibi contenditis, *Carmelitas* fuisse, revera tales numquam fuerunt, quia *cum Elia*, *vel post ejus raptum*, *in monte Carmelo* numquam, quod scitur, *vixerunt*. Nihilominus non potest per *Enochum*, in Bulla Sixtina nominatum, intelligi alius (& hoc vobis *evidens est*) quam *Eliæ successor*, qui *in monte Carmelo vixerit*. Atque ita male cauti, exclusionem tot aliorum pro nihilo ducitis, dummodo excludatur a Bulla & numero Carmelitarum Enochus veteris Testamenti; tum quia *in monte Carmelo non vixit*, tum quia *anterior est Elia*.

33 Dic, amabo; si Pontifex scripsisset, *Carmelitas sanctorum Prophetarum Eliæ*, *Elisei ac* JOANNIS BAPTISTÆ *hereditariam successionem tenere*: an Pontifex e sententia vestra locutus

O 2 fuis-

fuisset? Non audebitis negare. Et tamen Joannes Baptiste nusquam legitur aut scitur inhabitasse montem Carmelum. Cur igitur debet Enochus inhabitasse montem illum, ut hic nominari possit a Pontifice & intelligi Carmelita? At, inquis, est Enochus tempore anterior Elia, & posterior illo nominatur in Bulla. Quid tum? Solummodo sequi inde potest, non Enochum, sed Eliam primo loco nominatum, pro præcipuo auctore Ordinis haberi; aut ab Elia principaliter, minus principaliter ab Enocho *hereditariam successionem teneri*; uti Pontifex loquitur. Non sequitur autem, quod Enochus non posuerit principia quædam Prophetici Ordinis, quæ deinde perfecerit Elias. Quis enim reprehendat Pontificem (vos certe nullo modo potestis) si nunc definiat: *Carmelitas Discalceatos sanctorum Teresiæ, Joannis a Cruce, Eliæ & Elisei hereditariam successionem tenere?* Et tamen præcipuum Ordinis sui auctorem agnoscere debent Patres Discalceati S. Teresiam, quæ fundamenta quædam, ab anterioribus & senioribus posita inveniens, superædificavit Ordinem religiosissimum, cujus ipsa Mater & Auctor & *Fundatrix* merito audit, etiam ex oraculo Pontificio. Similiter ratiocinare illic de Enoch, uti hic de Elia.

34 Præterea nuspiam ibi vocat Pontifex Institutorem aut Fundatorem Ordinis Carmelitani Eliam, aut Eliseum, aut Enochum; sed tantum ait, Carmelitas inde *hereditariam successionem tenere*. Quod sane evidens non est, sonare Institutorem aut Fundatorem proprie dictum; & ad Enochum referri etiam commode potest. Certe ego successionem hereditariam naturæ teneo, propius quidem ab atavo meo tritavoque; sic tamen ut negari non possit, me illam pariter tenere ab Noe atque Adamo, longe anterioribus. Denique considera attentius Pontificis effatum. Bipartitur is illud in *Prophetas* & *sanctos Patres*, utriusque membri partitionem notans per, *nec non*: ita ut priores intelligantur tantum Prophetæ, aut (si illos malis etiam Patres dicere) intelligantur simul Prophetæ & Patres esse: posteriores vero intelligantur solummodo esse Patres, qui montem sanctum Carmeli inhabitarunt: atque ideo explicari debeat Pontificia sententia hoc modo: Carmelitæ, *sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisei ac Enoch* successionem hereditariam tenent; nec non, iidem Carmelitæ, *aliorum sanctorum Patrum qui montem sanctum Carmeli inhabitarunt*, successionem hereditariam teneat. Ex qua propositionis Pontificiæ analysi observabis primo, Enochum non posse illic non intelligi *Prophetam*, æque ac Eliam & Eliseum. Certe si abstrahas Enochum istic e numero Prophetarum, non constat sibi oratio, sed est falsa; si addas ipsum Prophetis, constat sibi; ut patet, ac est vere. Quemadmodum si dicas: Apostoli, a Christo inter duodecim vocati, sunt Petrus, Andreas & Enochus de Amathim: vera esset propositio, si omnes reipsa essent Apostoli. Nunc autem, cum unus talis non sit, propositio est falsa; quia est hypothetica copulative affirmativa, quæ ut simpliciter vera sit, requirit omnium partium existentiam prout enuntiantur existere: ut sit simpliciter falsa tota, satis est deficere existentiam partis unius.

34 Ex eadem propositionis analysi observabis secundo, manifestum etiam fieri, quod habitatio in Monte Carmelo non referatur necessario ad Prophetas, sed per relativum *qui*, aptissime conjungatur cum proximo membro tantum; ut soli Patres debeant in Carmelo vixisse, non item Prophetæ, ex vi Bullæ in qua nominentur; quamvis duo horum reipsa in Carmelo aliquamdiu vixerint. Ita si ego dicam, Jesuitas S. Ignatii de Loyola, nec non aliorum religiosorum virorum, qui institutum ejus secuti sunt, hereditariam successionem tenere; nemo referet relativum *qui* ad Ignatium, quod est primum membrum; referent autem omnes ad secundum tantum; nempe ad religiosos viros, qui secuti sint Ignatii institutum. Restat igitur ut quærat mihi Patern. vestra Enochum alium, qui sit *Propheta*, præter illum antiqui Testamenti; & respondeat apte ad hactenus dicta, ut merito mihi exprobrare possit (quod nunc immerito facit) explicationem meam sententiæ Pontificiæ esse *ineptissimum glossema, contra summorum Pontificum Bullas*, & quidem *insipientis aut malevoli critici, a passione sua excæcati*. Quantum excæcata esse passio debet, ubi animus tam est perturbatus, ut nihil recti videat aut loquatur; quamvis ubique evidentiam sibi fingat videre & loqui! Sic enim concludis num. 891,

35 *Cum igitur evidens sit, dictas Bullas necessario esse intelligendas de aliquo Enocho, Eliæ discipulo & sequaci, qui inhabitavit montem Carmeli* (id jam monstravimus *necessarium* non esse: & si pergis *necessario* requirere, expungere e numero Carmelitarum debes S. Joannem Baptistam, cum reliquis quos enumeravimus, aliisque qui numquam videre Carmelum) *& alius inter filios Prophetarum ac sequaces Eliæ non reperitur præter Enoch de Amathim, qui cum Marco Evangelista perrexit in Ægyptum, & post ejus martyrium, reversus in montem Carmeli, ibidem sanctissime vixit & obiit anno Domini LXXV. ut refert Palæonydorus in Fasciculo tripartito lib. 2. cap. 2.* (Audiemus te de hoc iterum, ubi monstraveris Enochum de Amathim aliquando extitisse in rerum natura: quod numquam evincet auctoritas solius Palæonydori, annos abhinc ducentos non amplius scribentis). *Hinc per Enochum, in Bullis Pontificum, intelligimus Enochum de Amathim* (ita est, & quidem omnes hactenus scriptores vestri post Palæonydorum, nullus vero ante ipsum): *nisi malit Janningus intelligere Enochum Patriarcham Hierosolymitanum*.

36 Si hoc mihi concedas, jam actum est, saltem hic, de auctoritate Palæonydori & omnium eum secutorum. Nolunt hi Enochum intelligi Patriarcham Hierosolymitanum. Junior is est, quam ut possit quæ ipsi volunt antiqua confirmare, sæculo XIII. mortuus. Reposcent omnes Enochum de Amathim, nihil pensi habentes, quidquid Patern. vestra aliter interpretetur, aut adacta concedat, alium intelligendum Enochum quam de Amathim. Nec sane mihi per ipsos licebit, tametsi *mallem*, per Enochum in Bulla intelligere Patriarcham Hierosolymitanum. Continuo enim clamitarent omnes, æque injurium me esse Ordini tuo, & æque, *contra evidentem veritatem*, æque *fraudulenter*,

æque

æque *in decisum Ordinis Carmelitarum*, sic a vobis explicari Bullas Pontificum: quam id clamitavit Patern. vestra, cum intelligendum dixi Enochum antiqui Testamenti. Ut enim hic Patern. vestræ nimis antiquus, sic ille aliis scriptoribus vestris nimis recens est: ideoque nolunt, nec vero possunt admittere Enochum Patriarcham prædictum, nisi omnes propriam sententiam, jam mortui, revocent in gratiam Patern. vestræ, ut deleant e Bulla Pontificia voculam *Propheta*, qualem expresse notat Pontifex fuisse Enochum, ut monstravimus; pro eaque supponant voculam *Patriarcha*.

37 Sequitur deinde numerus vester 88. pro quo notandum hic est, dubium me movisse in *Amica Expost.* num. 97. *An RR. Patres Carmelitæ haberent auctorem antiquiorem Palæonydoro ullum idoneum, qui noverit Enochum de Amathim, Christi discipulum, septimo loco inter Septuaginta duos vocatum, S. Marci comitem, Episcopum Nicopoleos, Carmeli incolam, anno Christi* LXIV. *die* VII. *Julii mortuum: an non haberent?* Et post pauca: *Primus fuit Palæonydorus (ut suppono, cum antiquiorem nullum citatis; nec, puto, citabitis) qui anno* MCCCCXCVII. *in lucem profert Enochum de Amathim, antea omnibus ignotum*. Ita ego loco citato: sed quæ interpretatur Pater. vestra numero suo prædicto, a me *putari & supponi contra evidentem veritatem*. *Nam*, inquis, *ipse Palæonydorus, quando in Fasciculo tripartito lib. 2. cap. 2. narrat, quomodo Enoch de Amathim, comes S. Marci, post hujus martyrium reversus sit in montem Carmeli &c. subdit: Hæc in Historia Alexandrina, & in Libris de Institutis Monachorum, & in Supplemento Sigeberti de illustribus viris; quæ Palæonydoro sunt longe antiquiora*.

38 Fateor hæc omnia legi apud Palæonydorum: sed & fateri debet Patern. vestra præter illa legi quædam alia, hic truncata per mysteriolum, &c. Et omnia ista ego probe perspecta habui, quando postulavi auctorem *idoneum*, Palæonydoro antiquiorem, qui novisset Enochum de Amathim. Si vere sibi persuadeat Patern. vestra, citari a Palæonydoro Historiam Alexandrinam, Libros de Institutis Monachorum, ac Supplementum Sigeberti, pro *Enocho de Amathim*; quasi nominaverint noverintve hi Auctores Enochum istum: mirabile sane est, quod ipse a me rogatus postulatusque non promas Auctorum verba, Enochum de Amathim appellantia nominatim, aut ejus mentionem quoquo modo facientia. Profecto si talia laterent in citatis Auctoribus, Patern. vestra, scrutata minutissimos quosque apices per tota *Sanctorum Acta* labore diutino, ut carperet Papebrochium; quovis impendio ac labore erueret e latebris suis thesaurum istum, hactenus frustra quæsitum, in defensionem suam. Atque hæc satis forent ad monstrandum, non *putari & supponi contra evidentem veritatem*, vos auctorem Palæonydoro antiquiorem pro Enocho de Amathim proferre non posse. Verumtamen, quoniam truncatum per &c. mihi textum objicis Palæonydori, evolvendum mysterium est, productis hic, non tantum latentibus sub illo, &c. sed præmissis quoque a principio Capitis; quod sic orditur Palæonydorus:

Opuscul. Collect.

39 *Satis est jam brevibus deductum, quod Joannes Baptista, verus fuerit Religionis Carmeli observator & princeps, cum discipulo suo S. Andrea. Nunc vero de ceteris discipulis ejus restat declarandum. Quamvis vero discipulorum ejus paucorum nomina Evangelistæ exprimant; tamen plures eos fuisse, describunt, qui Patrem suum Joannem Carmelitam, ipsi Carmelitæ, sinceriter observantes, postea Christo, & deinceps Apostolis familiarissime adhæserunt. Horum unus fuit Sylas, comes Apostoli Pauli, de quo habetur Actuum 15. Capitulo. Ipse quievit anno Domini* LXXXIV. *Julii die* XIII. *Alter, Martialis filius Addi, Petri Apostoli consanguineus & S. Stephani, Episcopus Lemovicensis, Galliæ, ultima Junii ab hoc sæculo migravit. Tertius, Saturninus filius Legeæ Regis Achajæ, Episcopus Tolosanus primus, martyrio coronatus penultima Novembris. Quartus, Fronto Episcopus Pictagorensis, qui S. Martham sepelivit. Iste postquam cooperatus fuisset Fratribus in constructione ecclesiæ in honore Virginis gloriosæ in sancto monte Carmeli, fuit in prædicto loco suæ nativitatis Episcopus constitutus. Construxit igitur illic monasterium,* LXX. *secum habens discipulos, teste (a) Vincentio in Speculo. Vide ibi. Hujus festum colitur* VIII. *Kal. Novembris, id est* XXV. *die Octobris. Quintus, Nathanael, Philippi Apostoli germanus, qui & Urcissinus dictus est, Episcopus Bituriensis, in Lege doctissimus. Ipse decessit mensi Novembris die* IX. *Et alii Carmelitæ, discipuli Joannis, multi; quorum nomina sunt in Libro vitæ*. Gratularer hic ego in transitu vellem sanctis istis & antiquissimis Galliarum Ecclesiis originem suam, si sperare possem futurum, ut gratulatio mea non videretur ipsis improperium esse. Supersedebo igitur gratulatione ejusmodi tantisper, dum antiquior, in re antiquissima, Palæonydoro mihi auctor monstretur, qui Carmelitam agnoscat in primis prædictarum Ecclesiarum Episcopis.

40 *Istos*, quos modo enumeravimus S. Joannis Baptistæ Discipulos, Episcopos Galliarum primos, *habuit socios Sanctissimus Enoch de Amathim, puer, velut alter Samuel, a parentibus in montem Carmeli adductus, virgo permanens. Hic Enoch prius in monte Carmeli Fratrum Rector & Præpositus fuit constitutus. Cum vero locum suorum Fratrum circa Jordanem visitaret, audivit S. Joannem, Christum Dominum commendare, ubi dixit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Tunc cum quibusdam Fratribus suis deinceps Christo junctus est, ab eo septimus in numerum Discipulorum* LXXII. *ordinatus. Et hoc non sine mysterio factum creditur. Nam primus Enoch, fuit septimus ab Adam in linea Seth, translatus in paradisum, significans septimam ætatem, in qua beatus Enoch Carmelita beatam & eremiticam vitam peregit. Inde post Ascensionem Christi, ab Apostolis Nicopoli Episcopus ordinatus, vocatis quibusdam de Fratribus, monasterium ibi construxit. Sed tribus tantum annis illi ecclesiæ præsident, beato Marco adhæsit. Tandem Marcus ad Romam missus, visitatis Aquileja, Cypro & monte Carmeli, profectionem fecit in Ægyptum. Unde (b) Philo: Itaque Marcus, assumpto Enoch eremita montis Carmeli, cum Evangelio quod ipse confecerat, perrexit in Ægy-*

ptum. Ubi constructis monasteriis & Fratribus religiose institutis, Enoch ad Terram sanctam post Martyrium S. Marci reversus, in monte Carmeli contemplationi & orationibus vacans, die VII. mensis Julii diem clausit extremum: ubi anno Domini LXIV. a Fratribus digno cum honore traditus est sepulturæ. Nam cum in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi, Monachorum nomine censerentur, qui a beato Marco, qui primus Alexandriæ præfuit, suadente Enoch Christi discipulo, normam suscepere vivendi, eo fervore lectioni, orationique, ac operi manuum diebus & noctibus incumbebant, ut nec escarum quidem appetitus vel memoria, nisi altero tertiove die incideret, corporis interpellante inedia. Hæc (a) *in Historia Alexandrina, & in Libro de Institutis Monachorum, & in Supplemento Sigeberti de illustribus viris*

41 Huc usque Palæonydorus in editione prima vivente auctore, *dicta* anno MCCCCXCVII. absoluta Moguntiæ, *impensis venerabilis Patris Joannis de Cronenberg, Prioris Conventus Moguntinensis Ordinis Carmelitarum*. Quæ similiter ita leguntur in editione secunda, Venetiis anno MDLXX. curata, *sumptibus Communitatis Carmelitica; ita disponente ejus Patre Joanne Baptista Rubeo, Priore & Magistro Generali dignissimo*; cui ipsam dedicet ejusdem Ordinis *Frater Pompejus Zuccala, Conventus Venetiarum Regens*, doctorali laurea insignis. Tribus in præmisso contextu locis diversis video citari e Palæonydoro nominatim Scriptores, quorum auctoritate confirmet sua dicta. Sub initium, ubi littera a, citat *Vincentium in Speculo*; sub medium, ubi littera b, citat *Philonem* ejusque verba adducit; sub finem vero, ad litteram c, citat *Historiam Alexandrinam*, *Librum de Institutis Monachorum* & *Supplementum Sigeberti*. Primus & ultimi Auctores ita citantur, ut præmissa, etiam altius repetita, videri possint ab iis tradita fuisse: cum tamen primus nihil præmissorum habeat, præter illa quæ proxime præcedenti versu dicuntur de *Monachis* LXX. *ad serviendum Domino congregatis a S. Frontone*. Quam alte autem repetenda sint, quæ tribuuntur ultimis Auctoribus, non facile definitu est; nisi quod ille imprimis, & forte sola, utpote proxime, tribui eis debeant, quæ Patern. vestra sub mysterioso *&c.* involvere tenebris conatur, ad altiora extendens auctoritatem eorum, quam par est; absconditis iis, quæ propius & certo noscuntur intelligenda. Quidne auctoritas ultimorum Auctorum æque restringatur ad proxime dicta, quam restringitur auctoritas primi?

42 Fateor quidem quod imprudens aut pervicax aliquis imaginari sibi possit, possitque sustinere animo obstinato velle, non tantum pro iis, quæ proxime præcedunt, sed pro remotioribus quoque, citari Vincentium. An autem id Lectoribus suis etiam videri voluerit Palæonydorus, non disputo. Certum interea est, non debere, nec posse ad remotiora referri auctoritatem Vincentii, solummodo dicentis (quantum spectat ad præsens argumentum) quod Fronto, Episcopus Petragoricensis, LXX. *Monachos ad serviendum Domino congregavit*. Nihil autem ibi Vincentius de conversatione Frontonis cum S. Joanne Baptista ad Jordanem; nihil de mora ejus in Monte Carmelo, nedum de ecclesia beatæ virgini Mariæ ibidem ab eo constructa; nihil de sepulta ab eodem S. Martha. Hæc aliunde debet confirmare Palæonydorus, aut Patern. vestra, si velitis credi. Ut autem mea quæ dico, credatis, non mihi, sed oculis vestris, subjicio verbotenus textum Vincentii, quatenus huc facit, e lib. 9. cap. 43. collatum cum textu Palæonydori de Frontone. Palæonydorus, ut supra vidimus, sic habet: *Quartus, e Discipulis nempe S. Joannis Baptistæ, Fronto Episcopus Petragoricensis, qui S. Martham sepelivit. Iste postquam cooperatus fuisset Fratribus in constructione ecclesiæ in honore Virginis gloriosæ in sancto monte Carmeli, fuit in prædicto loco suæ nativitatis Episcopus constitutus. Construxit igitur illic monasterium, LXX. secum habens discipulos, teste Vincentio in Speculo.* Vincentius autem sic loquitur: *Fuit etiam S. Fronto, qui a prima ætate Deo devotus, & a Petro Apostolo Romæ ordinatus, atque in urbem Petragoricam, in qua natus est, primus destinatus Episcopus, LXX. Monachos ibidem ad serviendum Domino congregavit.* Video nihil facere auctoritatem Vincentii ad ea, quæ paulo remotiora sunt, de sepulta S. Martha & extructa ecclesia; quæ tamen videri potest Palæonydorus tribuisse Frontoni.

43 Conferat modo Patern. vestra, quæ dicimus de citatione Vincentii, cum citatione Historiæ Alexandrinæ atque aliorum duorum; & rationem reddat, cur horum auctoritas altiore in textu respiciat, quam auctoritas illius: nisi reddas, producto Historiæ istius aut aliorum Auctorum textu (uti ego Vincentianum produxi) præsumetur, par utrobique citandi Auctores illos motivum fuisse Palæonydoro, & pari modo citatos esse, nempe ad confirmandum proxime dicta. Hæc autem Patern. vestra in citatione ultimorum auctorum, oculis subjicere veritæ sepelire optet sub mysterioso *&c.* parum fideliter allato textu. An non infidelis ego historicus forem, si præmissum Palæonydori textum, ubi Vincentium citat, allegarem, suppressis per *&c.* illis omnibus, quæ in Vincentio leguntur; ac dicerem: *Fronto, qui S. Martham sepelivit, postquam cooperatus fuisset Fratribus in constructione ecclesiæ in honore Virginis gloriosæ in sancto monte Carmeli, fuit Episcopus Petragoricensis constitutus* &c. *teste Vincentio in Speculo*. Infidelis enimvero citatio foret hæc! quæ per *&c.* faceret, ut citati auctoris nihil citaretur, atque lectores manifeste induceret in errorem, opinaturos, a Vincentio doceri, extructam Virgini in Carmelo ecclesiam: quod nequidem somniavit Vincentius, ut videre est apud ipsum loco indicato. Nolo hæc applicare pluribus citationi vestræ & æque mysterioso *&c.* de quo supra: eadem enim utrobique est ratio. Quia tam vestrum *&c.* Lectorem inducit ad credendum, citari Historiam Alexandrinam pro Enocho de Amethim, quod falsum est; quam induceret meum, ad credendum, citari Vincentium pro ecclesia beatæ Virginis prædicta, quod pariter falsum est.

44 Imo tametsi auctoritas Vincentii referri posset etiam ad altiora, non potest eo tamen referri auctoritas ultimorum Auctorum; quia

hanc

hanc ad proxima restringit ipse Palæonydorus per relativo-demonstrativum pronomen *Hæc*, quod proxima; uti pronomen *Illa*, remotiora demonstrat: ut sensus Palæonydori sit: *Hæc*, id est, quæ modo retuli, de fervore atque assiduitate Monachorum in lectione, oratione, ac opere manuali, deque abstinentia eorum & jejuniis triduanis (quæ omnia sub *&c.* transmittit silentio Patern. vestra) *in Historia Alexandrina*, *& in libro de institutis Monachorum*, *& in Supplemento Sigeberti de illustribus viris*. Jam capio, quid referat demonstretve *Hæc*; quid item probari possit ex Auctoribus his, quando integer producitur Palæonydori textus. Nihilominus tametsi integer, candide, sine truncatione allegatus in textus fuisset a Patern. vestra; necdum scio, an integra continuo fides Palæonydoro habenda esset, in vaga citatione Historiæ Alexandrinæ Auctorumque sequentium; cum nullum ex iis verbum ipse aut Patern. vestra producat. Ratio dubitandi est, quod in eodem contextu paulo ante, ad litteram b, nominatim citet *Philonem*, verba ejus pro Enocho de Amathim allegans; sed ea verba, quæ nuspiam in Philone leguntur. Palæonydorus enim, postquam multa e genio suo de Enocho de Amathim prolocutus fuerat, quæ supra retulimus; ita loquentem inducit Philonem. *Unde Philo*: *Itaque Marcus*, *assumpto Enoch Heremita Montis Carmeli*, *cum Evangelio*, *quod ipse confecerat*, *pervenit in Ægyptum*. Nolo plura adjungere, supra legenda, cum disputari possit an plura ad sententiam Philonis debeant, nec ne, pertinere. Pertinent eo certe quæ hic produxi; quæque propterea Patern. vestra vel ostendere mihi in Philone debet; vel debet fateri, Palæonydorum, sub specioso Philonis nomine ac gravi ejus auctoritate, levia sua somnia de Enocho de Amathim mundo proposuisse, ac diu vendidisse incautis pro dogmatibus veris.

45 Ex Philone igitur, ex Philone, inquam, quem præcipue & solum & verbatim hic citat Palæonydorus, nominatim exprimere *Enochum eremitam Montis Carmeli*, utique de *Amathim*, ex illo, iterum dico, Philone debet Patern. vestra eruere Enochum istum: alioquin, Palæonydoro quid fiet? quid fiet Enocho vestro? Hinc porro facile colligitur, spem esse minorem eruendi Enochum de Amathim, ex citata pariter a Palæonydoro *Historia Alexandrina*, aut *libro de Institutis Monachorum*, aut *Supplemento Sigeberti de illustribus viris*, quorum nulla apud Palæonydorum leguntur verba, nedum exprimitur nominatim *Enochus*: uti exprimitur in verbis Philoni suppositis. Quod si tamen eruere vel hinc eum possis, retractabo, quod silentio auctorum vestrorum ac aliorum nixus, dixi; primum Enochi de Amathim inventorem aut plastem fuisse Palæonydorum.

46 Quid hic agat Patern. vestra ad succurrendum vacillanti auctoritati Palæonydori, imprudenter (ne quid gravius dicam) sua inventa pro genuina Philonis sententia obtrudentis? Hærebit hic aqua. Negabit citari *Philonem* a Palæonydoro? Exhibebo Palæonydorum ipsum, anno MCCCCXCVII. atque iterum MDLXX. impressum, qui te convincet: Appellabit ad aliam editionem, super a P. Daniele a Virgine Maria curatam, & insertam Speculo Carmelitano? ubi non leguntur verba illa: *Unde Philo*. Noli, quæso, nisi æque gravia delicti reum velis facere Auctorem Speculi, P. Danielem prædictum, Ex-Provincialem & Historiographum Ordinis; quam ego reum facio Palæonydorum ipsum. Tam enim in vitio est, qui notabilia auctoris, quem profitetur integrum se dare, verba, quia rebus suis non favent, e textu, contra fidem historici, eradit, quam qui similia verba, quia favent suis rebus, auctori antiquo & magni nominis affingit; & contra fidem pariter historici pro veris citat. Primum fecit R. P. Daniel a Virgine Maria (cogit me Patern. vestra importunitate sua optimum alioquin virum, minus honorifice hic nominare) eradens in editione sua Palæonydori, verba illa, *Unde Philo*; credo, quod quæsita in Philone non invenerit, quæ citat hic Palæonydorus. Sed fidelis Historici erat tam notabilem omissionem, inter plura minoris momenti notata, saltem monere lectorem. Alterum fecit Palæonydorus, affingens Philoni verba admodum notabilia, quæ non habet, & sic afficta, pro veris allegat, citato nominatim Philone.

47 Sed ponamus omnia hic fideliter a vobis acta esse quæ egistis: fideliter a Palæonydoro citari Philonem pro iis, quæ non habet Philo: fideliter a Daniele a Virgine Maria deleri nomen Philonis in textu Palæonydori, quem præfatur se integrum edere: fideliter a Patern. vestra abscondi sub *&c.* quæ præcipue intelligi debent per subsequens *Hæc*, Quid inde? *Hæc*, inquis, *in Historia Alexandrina*, *& in libris de Institutis Monachorum*, *in Supplemento Sigeberti de illustribus viris*, *qui Palæonydoro sunt longe antiquiora*. An & putas auctores istos, aut omnino aut saltem in præsenti argumento, idoneos esse (postulavi autem *idoneos*) qui testimonium perhibeant fide dignum? Non hoc quidem probas, quod primo loco probandum esset: sed illos *longe antiquiores fuisse Palæonydoro*, conaris ostendere; idque imprimis de Historia Alexandrina *adeo est evidens* (ita dicis) *ut probatione non indigeat*. Amas tenebras, mi Pater. Dic primum, quam intelligat hic *Historiam Alexandrinam* Palæonydorus; quam, Patern. vestra; Editamne typis, an nondum editam? Si editam; dic, ubi, quando, quo editore? ut mihi quoque inspicere librum liceat, libenter vobiscum laturo in quærendo Enochum de Amathim, & eruendo illum inde, sicubi lateat. Nisi aliquod horum præstet Patern. vestra; fateberis, non esse *evidens*, Historiam illam Palæonydoro *longe antiquiorem* esse aut omnino extitisse, tametsi a Palæonydoro citetur; uti evidens non est, legi apud Philonem, de quibus supra num. 44. tametsi pariter citentur a Palæonydoro. Fateberis item, credi prudenter non posse, mentionem fieri Enochi de Amathim in Historia illa Alexandrina, nisi aut verba ejus proferas rogatus, aut saltem indices, ubi lateat liber ipse, ut examinari possit.

48 Habeo quidem *Chronicon Alexandrinum* editum initio hujus sæculi a Radero nostro Monachii, sed nihil ibi de Enocho de Amathim, quamvis tribus locis agat de S. Marco, cui Enochum vos socium datis. Habeo item *Chronicon Orientale*, latinitate donatum, atque in lucem editum ab Abrahamo Ecchellensi Syro Maronita, quod præcipue tractat de rebus Alexandrinis Ægyptiisque, continens inter alia *Histo-*

floriam Patriarcharum Alexandriæ, additque Patriarchis gestorum suorum narrationem aptam, longiorem vero reliquis addit B. Marco Evangelistæ. Sed neque hæc Historia meminit de Enocho de Amathim. Habeo denique codicem Ms. prægrandem, adeo carum æstimatumque P. Danieli a Virgine Maria de quo supra, ut sæpius, ad nos iucilent, osculum ni impresserit, propterea quod eruta inde primum editaque seorsim ab Henschenio fuerat vita S. Petri Thomæ, e Carmelita Patriarchæ CP. eatenus ignota etiam ipsis PP. Carmelitis. Agit hic codex amplissime de rebus Ecclesiarum orientalium earumque initiis & Patriarchis, ac speciatim de S. Marco: sed neque hic verbulum lego de Enocho de Amathim; uti nec in Vita ejusdem S. Marci, a nobis n pluribus Mss. edita atque illustrata xxv. Aprilis. Restat igitur, ut me doceat Patern. vestra, quænam, & ubi, sit *Historia Alexandrina*, quæ meminit Enochi: nisi docuerit; laceratum putabo a Palæoydoro codicem esse, postquam illo usus fuerat. Ego ad *Libros de Institutis Monachorum* transeo, inspecturus, quales ii, & quam idonei auctoris sint.

49 Tribuuntur a vobis libri isti, tamquam auctori, Joanni Carmelitæ, exinde Episcopo Hierosolymitano xliv. qui Græce illum conscripserit ineunte sæculo v. sed tam caute librum suum servari mandaverit, ut sæculis omnino duodecim sequentibus, nulli hominum, ad hunc usque diem, textus Græcus sic innotuerit, ut aptum de ejus existentia testimonium protulerit aliquis; ne quidem ille ipse, qui fertur a vobis e Græco Latinum fecisse: judicantibus interim aliis, in illa re versatissimis Scriptoribus, auctorem eorum, hominem esse, non tantum recentiorem, sed & mere Latinum. E quorum numero sunt, imprimis *doctissimi in alma Universitate Coloniensi Theologi ac Professores*, qui Bibliothecam veterum Patrum anno MDCXVIII. Coloniæ ediderunt, præmittentes opusculo inter alia hoc suum judicium; quod, *stylus ipse ejus totus Latinus sit*; quod *magis putem, esse opus auctoris Latini & recentioris; nec esse ex omni parte sinceræ & integræ fidei*: quod *multa sine majorum auctoritate, & fide ambigua operi inserta sint*, quod illa ipsa *satis arguant alium ejus esse auctorem, quam Joannem, & quidem recentiorem*; quod ex ibi præmissis *facile refellatur auctor libri fuisse Joannes* xliv. *Hierosolymorum Episcopus*: denique quod *liber ipse, fide vacillare deprehendatur, cum multa de Monachis Carmelitis, primis Ecclesiæ temporibus jam vigentibus, prodat*.

50 Ex eorumdem numero est Reverendissimus Joannes Maria Brasichellensis, ex Ordine Prædicatorum, Magister sacri Palatii Romæ, ac deinde Episcopus Polymnianensis in Apulia. Hic dum erat sacri Palatii Magister, ex officio recognoscens etiam hunc, de quo agimus, librum, judicium de illo suum impressit Romæ anno MDCVII. in Indice librorum expurgandorum; quod cum præmisso Doctorum judicio ita coincidit, ut ipsum hi præ oculis habuisse, & partim descripsisse videantur, tanti viri sententiam tantorum suffragio munientes. Abjudicat enim & iste librum Joanni xliv. inquiens esse auctoris *recentioris* & quidem *Latini*, destitui *majorum auctoritate*, esse *fidei ambiguæ & vacillantis*; quia (ecce totidem verba, quæ supra Doctores descripsere) *multa de Monachis Carmelitis, primis Ecclesiæ temporibus jam vigentibus, prodit*.

51 Ex eorumdem numero est Philippus Labbe, qui in tractatu de Scriptoribus Ecclesiasticis, multa erudite disputans atque indagans, sic loquitur pag. 584. *Hunc librum a posteriore aliquo scriptore eoque Latino, fuisse Joanni Hierosolymitano suppositum, eruditissimi & acutissimi viri censuerunt, Baronius, Bellarminus, Sherlogus, & Theophilus Raynaudus in Erotematis, quæ post Wastelianam editionem prodierunt*. Et postea subdit, quod assertores libri, qui auctorem ejus *æqualem & concertatorem S. Hieronymi statuunt, Wastelius, & Michael Nuñez, & Auctor Paradisi Carmelitici, nequaquam id persuaserint Baronio, & Bellarmino, & vix ulli extra suum cœtum*; nedum Raynaudo, quantumvis Carmeli amico, deque ipso tam bene merito, ut solennes exequiæ mortuo per Ordinem intuitum decretæ factæque sint. Is in Erotematis suis, post editas a Wastelio Vindicias impressis, æque clamat ipse, ac *clamat stylus* libri, *auctorem esse Latinum, nec adeo antiquum, ut S. Hieronymi dici possit æqualis*. Bellarmino de Scriptoribus Eccl. jam tum Cardinali, *longe posterior* est auctor libri; utpote *qui dicat, se esse Ordinis Carmelitarum, & describit habitum Carmelitarum*. *At illis*, inquit Bellarminus, *temporibus nomen Carmelitarum Religiosorum erat plane inauditum*.

52 Ex eodem capite negat Baronius, librum tam antiquum esse, aut a Joanne xliv. Hierosolymorum Episcopo conscriptum, quia nempe *Carmelitam* se facit auctor, qualem negat fuisse aut esse potuisse Joannem prædictum. Textum ejus ut de Joanne capiat, debeo aliquanto altius repetere. Ex occasione enim quod de Cyrillo Alexandriæ Episcopo urget Carmelitam fuisse: negat idem de Joanne. Sic igitur ad annum 444. pag. mihi 21. litt. c loquitur Baronius: *Respuimus atque exsufflamus figmentum illud, incerto auctore proditum, Chronico nimirum, quod extasse fingunt apud quemdam Franciæ Regem, quo traditur, S. Cyrillum Alexandrinum Episcopum, Monachum fuisse montis Carmeli: cui quidem assertioni Trithemius leviter nimis fidem præstitit. Unde hæc, quæso, incerto Auctori; si, qui certi atque probati sunt auctores, ejusdem Cyrilli æquales, ejusdemque res gestas quam diligenter prosecuti, hæc nescientes, obruta silentio reliquerunt? Vel quæ apud hujus temporis scriptores mentio de culto Carmelo a vitæ Monasticæ Professoribus? Etenim cum apud S. Hieronymum, Palladium, Evagrium, Cassianum, Theodoretum, Cyrillum Monachum & alios sæculi hujus quinti Scriptores frequens mentio sit de Monachis in Palæstina degentibus, nusquam penitus apud eos de Monachis Carmelitis. Facessat igitur ejusmodi de monachismo Cyrilli in Carmelo fabella: sicut alia huic haud impar, qua traditur & Joannes, utique* xliv. *Hierosolymorum Episcopus Origenista, fuisse etiam monachus Carmelita. Sicut enim hæc leviter effinguntur, ita & facile refelluntur*. Hæc Baronius: qui dum negat, Joannem, æque ac Cyrillum, fuisse *Carmelitam Monachum*, negat simul etiam, auctorem esse libri de Institutione Monachorum quo de agimus; quia horum auctor palam profitetur se Carmelitam esse.

53 Imo ipse Trithemius, ceteroquin encomiastes Ordinis Carmelitani effusissimus, non audet in libro *de Scriptoribus Ecclesiast.* Joanni huic, ineunte sæculo v. Episcopo Hierosolymitano ascere-

ferere librum, de quo hic agimus; nec audet eum dicere *Carmelitam*, sed potius Origenis sectatorem. At in libro *de illustribus viris Ordinis Carmelitarum* meminit alterius *Joannis*, qui sæculo VIII. floruerit, quem & *Beatum & Carmelitam & Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcham*, & quidem *quadragesimum quartum* facit, dicitque *claruisse temporibus Adriani Papæ I. anno Domini Nostri Jesu Christi septingentesimo septuagesimo*: & huic attribuit *volumen insigne*, uti ait, *de principio & profectu Ordinis Carmelitici*; designans procul dubio per hoc volumen, illos ipsos libros, quos sub titulo *de institutis Monachorum*, citatos vidimus a Palæonydoro: quosque alii aliis nominibus indigitarunt. Aliqui enim, & quidem paulo antiquiores, hoc titulo usi sunt: *Institutio antiqua Religionis Carmeli*. Alii isto: *Historia de antiquitate Ordinis Carmelitani*. Alii illo: *Liber de institutione primorum Monachorum*. Imo plures Carmelitæ hunc eumdem librum suum volunt intelligi per illum, quem, teste Gennadio, scripsit Joannes XLIV. *in obtrectatores studii sui*, quo nempe S. Hieronymo visus fuit Origeni ultra modum addictus esse.

54 Certe titulus quem Trithemius ponit *de principio & profectu Ordinis Carmelitici*, planius exprimit argumentum libri, atque adeo magis proprie ei convenit, quam quivis prædictorum. Et sane, nisi eumdem librum designet Trithemius, alium sub illo titulo debet proferre, aut saltem indicare, quisquis sententiæ huic nostræ volet contraire. Neque enim credibile est, tam *insigne volumen de Principio & profectu Ordinis Carmelitici* ante typorum inventionem, per sæcula septem, ex mente Trithemii, conservatum, nulli, præterquam soli Trithemio innotuisse, ne quidem Patribus Carmelitis, qui de libro isto altum silent; licet debuerit aptissimus esse ad commendandum Ordinem ejusque antiquitatem; & aptior fortassis (ita saltem titulus indicat & æstimatio, quam de eo habet Trithemius, *insigne volumen* appellans) quam sit liber (si tamen diversus est) *de institutis Monachorum*, qui plerisque in Conventibus invenitur manuscriptus. Minus etiam credibile est, librum Trithemio, Carmelitis amicissimo, visum, ab ipso his communicatum aut indicatum, & ab his descriptum non fuisse. Denique omnium minime credibile est, librum, typis jam inventis, & per Germaniam creberrime usitatis, postquam Moguntiæ Trithemius sua *de laudibus Ordinis Carmelitarum* impresserat, infeliciter interiisse. Nusquam enim comparet.

55 Designaverit igitur Trithemius librum eumdem, quem Palæonydorus, *de institutis Monachorum*, eumque cum suo auctore, seu vero, seu supposititio, Joanne XLIV. retulit ad sæculum VIII. ignotum sibi pro sæculo V. Atque hinc conficitur, Trithemii tempore incertum adhuc fuisse, quis libri *de institutis Monachorum* auctor sit: Joannes ne qui sæculo V. ineunte, uti nunc contendit sacer Ordo Carmelitanus; an vero qui sæculo VIII. præfuit Hierosolymis Patriarcha, uti annis abhinc ducentis idem Ordo cum Trithemio sensit. Nam cum Trithemius *precibus & instantia & crebris adhortationibus* Carmelitarum Crutzenacensium *impulsus*, scripserit Opusculum suum *de laudibus Ordinis Fratrum Carmelitarum* eademque *illustribus viris*, cumque tanto impulsu concinnatum a se Opusculum præcipuis quibusque per Alamanniam Carmelitis, *Joanni Wirici de Nussia Provinciali ac ceteris Patribus in Conventu Agrippinensi capitulariter congregatis anno* MCCCCLXXXXII. transmiserit adhuc manuscriptum, biennio ante quam imprimeretur, ab ipsis legendum, examinandum, & *ut liberet corrigendum*, imo & imprimendum; uti re ipsa anno MCCCCLXXXXIV. impressum est Moguntiæ, *operam navante Venerabili & devoto Patre, Domino Joanne Lapicida Coloniensi, Priore Carmelitarum in Crutzenacho*, uti docet Epistola *Rutgheri Sycambri Regularis Heynensis*, primæ editioni præmissa. Cum, inquam, Trithemius Opusculi hujus sui hortatores, adjutores, examinatores, censores, correctores, atque editores habuerit tot præcipuos totius amplissimæ provinciæ cum suo Provinciali Carmelitas; & ejusdem Opusculi exinde approbatores ac defensores huc usque habeat Ordinem totum, conficitur, ex mente Patern. vestræ num. 83. *Appendicis*, non solum Trithemium Opusculi auctorem esse, sed omnes etiam prædictos Patres vestros. Asseris enim num. prædicto, quod, qui *scripta alterius tuetur & approbat .... juxta communem juris regulam sua facit, & pro illorum auctore etiam habendus est*, idque multo magis si etiam corraxerit ac imprimi curaverit.

56 Atque hæc dicta sunto, tum ut appareat acumen Patern. vestræ, quo me via reum facere omnium, quorum frustra clamas reum esse Papebrochium; tum, idque præcipue, ut appareat Trithemii tempore incertum adhuc fuisse, quis auctor sit libri de Institutis Monachorum, & quo tempore vixerit. Vel enim id sciverunt, Trithemius, qui de laudibus & viris illustribus Ordinis Carmelitani ex professo tractat, & Patres Carmelitæ, approbatores correctoresque ipsius: vel non sciverunt. Si non sciverunt, quis & quando vixerit auctor libri prædicti, id saltem tunc incertum & obscurum fuerit, quando ipsi, quorum unice intererat, id nescierunt. Si vero sciverunt, quis auctor libri, & quo tempore vixerit, ex eorum scientia ætas certa auctoris definienda est, nempe sæculum octavum: quo scimus cum Trithemio, vixisse auctorem & scripsisse librum de quo hic. Verum cum id repugnat hodiernorum Carmelitarum placito communi, ad sæculum V. auctorem libri adducentium, nec umquam consensurorum sententiæ priorum de ætate Auctoris, quærendi sunt Judices verum scire volenti, indifferentes, neutri parti addicti, famæ integri, doctrina conspicui, probitate noti, omnibus æqui, &, quod caput est, rerum, de quibus controversia est, intelligentes. Quales sunt, Cardinales, Baronius & Bellarminus; Episcopus & Magister sacri Palatii, Joannes Maria Brasichellensis, ex Ordine S. Dominici; Doctores ac Theologi Academiæ Coloniensis; cum eruditissimis Sherlogo, Raynaudo, atque Labbeo; adde etiam Trithemium; qui de libris ecclesiasticis eorumque auctoribus, ætate & auctoritate ex professo scripserunt plerique.

57 Horum omnium nullus omnino patitur, librum *de institutis Monachorum* tribui Joanni XLIV. sæculi quinti Patriarchæ Hierosolymitano; nullus auctorem ejus patitur Græcum hominem dici; nullus pro illa ætate patitur Monachum inveniri Carmelitam. Omnes auctorem ejus faciunt anonymum Latinum ac recentiorem; præter

ter Trithemium, qui sæculo VIII. eum attribuit ut vidimus. In quo cum ei nunc assensuri non sint Patres Carmelitæ, nec ego assentiri possim, illis, antiquiorem sæculo VIII. fuisse auctorem; me, fuisse posteriorem, opinantibus: vocet Trithemium in prædicto Opusculo merum encomiasten, quisquis sanctissimo Ordini Carmelitano favet; non vocet historicum, nisi velit ingens dedecus & dedecus inde Ordini obvenire. Tam enim multa in unico, nec longo, Joannis sui XLIV. elogio habet monstra historica, ut quemvis Historicum torrefacere merito possint. Monstrum est, Joannem, qui a Trithemio designatur *Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha*, fuisse *Carmelitam*. Non enim pro tali eum Carmelitæ ipsi agnoscunt. Monstrum est, fuisse Patriarcham *quadragesimum quartum*, qui sexagesimus secundus aut circiter computari debet. Monstrum est, *claruisse temporibus Adriani Papæ*; & majus monstrum, *claruisse temporibus Adriani Papæ, anno Christi septuagentesimo septuagesimo*; quando nondum erat Papa Adrianus, & Joannes aliquis Patriarcha, jam pridem e vivis abierat. Monstrum denique est, Joannem istum esse *Beatum*, qualis a nullo Martyrologio agnoscitur pro sæculo VIII. Joannes Patriarcha Hierosolymitanus fuisse.

58 Sed erto, quod ultimum hoc monstrum adscribam Trithemio, quasi ipse Joannem hunc *Beatum* fecerit: non enim in Trithemii editione prima, anno 1494. aut paulo post curata, invenio titulum *Beati*, datum Joanni. Fuit illa pietas & religio posterorum, & forte solorum Carmelitarum, qui tali ipsum titulo decorandum putarunt. Certe qui Carmelitæ Trithemii recuderunt Coloniæ anno 1643. sine scrupulo *Beatum* vocant. Cetera editionis hujus in Joanne isto Patriarcha integre concordant cum editione prima Trithemii. Non sic editio nuperrime, in *Speculo Carmelitano* proposita a P. Daniele a Virgine Maria. Hic enim parte 5. pag. 901. in eodem Joanne Patriarcha e textu Trithemii, nulla addita Annotatione, tollit hæc verba; *Anno Domini Nostri Jesu Christi septingentesimo septuagesimo*; utique superflua ei visa, quia conciliari non poterant cum reliquo textu; quemadmodum superflua ei pariter visa fuerant illa Palæonydori; *Unde Philo*; ideoque prætermissa, quia Philo illic citabatur, supposito Philoni textu alieno.

59 Denique restat idoneus auctor inveniendus in *Supplemento Sigeberti de illustribus viris*, quod tertio loco citatur a Palæonydoro, & quidem pro Enocho de Amathim, uti contendit Patern. vestra. Ego vero ausim sustinere, non magis meminisse Enochi auctorem Supplementi istius, aut magis *idoneum* esse, ut testimonium reddat, quam Enochi meminerint, aut *idonei* ad testificandum fuerint, Auctores Historiæ Alexandrinæ, & Libri de Institutis Monachorum. Palæonydorus, ad probandum extitisse & egisse illa, quæ narrat, Enochum de Amathim, citat *Supplementum Sigeberti de illustribus viris*, & ipsum suscipit Patern. vestra pro tali (quomodo enim erret Palæonydorus, in re vobis tam cara?) imo defendit & probare etiam tentat. Supplementum istud Sigeberti *Palæonydoro longe antiquius esse*, his verbis in *Append.* num. 89. *Sigebertus juxta Bellarminum floruit anno MCI. quadringentis circiter annis ante Palæonydorum. Quid ad hæc Janningus?*

60 Multa sane: eaque minus temeraria quam illa vestra. Primum: probat Patern. vestra, *Supplementum Sigeberti* longe antiquius esse Palæonydoro, quia *Sigebertus floruit ante Palæonydorum quadringentis circiter annis*. Bellissime. Quid si ego nunc scribam, ut possum, Supplementum Sigeberti, an Supplementum hoc Palæonydoro antiquius sit? Deinde, doceat me velim Patern. vestra, aut, si id nequeat per se, extundere debebit ex Palæonydoro, quodnam sit illud *Supplementum Sigeberti de illustribus viris*. Novi quidem *Sigebertum de illustribus viris*: estque ille ipse liber, qui *de Scriptoribus Ecclesiasticis* passim inscribitur; quem ipse Sigebertus in fine appellat *libellum* suum *de illustribus viris*. Non novi autem, neque noverunt Trithemius, Bellarminus, Vossius, Labbeus, ubi ex professo de libris Sigeberti Supplementisque disserunt, *Supplementum ejus* ullum *de illustribus viris*. Num ita abscondit illud Palæonydorus, ut nulli præterquam ipsi notum fieret deinceps, nisi forte Patern. vestræ? Tertium; docebo ego veriora: existere nempe Supplementa Sigeberti, non libelli de illustribus viris, sed *Chronici* ejus, & quidem triplicia, aut etiam plura, si vis. Hæc autem cum non citentur a Palæonydoro, & mihi non vacet ea evolvere, ut Enochum de Amathim inde eruam, rogo Patern. vestram id ut faciat, si Palæonydori & suæ auctoritati consultum velit: ego satis eo collaborasse potero videri, docendo, qualia Sigeberti Supplementa extent; ne frustra fatiget se Patern. vestra atque otium perdat, inquirendo nunc frustra in *Supplementum ejus de illustribus viris*, quod antea inquisitum oportebat, quam illud citares ex Palæonydoro pro Enocho de Amathim, ut accuratior Palæonydoro Historicus videri posses, nisi existimaveris fortassis uterque, efficacius probari non posse, extitisse hominem, qui non extitit, quam ex libro similiter non existente. Quid ad hæc Patern. vestra?

61 Longior hic fui, quam voluissem, nisi importune coactus essem in reddenda ratione *ineptissimi mei glossematis, circa summorum Pontificum Bullas*, quæ mihi sanctæ sunt & erunt, quotiescumque sunt Pontificiæ & non supposititiæ. Longior item fui, ut ne post hac audiam a Patern. vestra *insipidus aut malevolus criticus, a passione sua excæcatus*. Denique longior fui, ut turpissimam notam *impostoris manifesti* ostenderem, tanto mihi injuriosius affricari, quanto minus probaverit Patern. vestra dictum suum. Interea cum ego demonstraverim, nullo me argumento aut ratione a vobis tam honorifice appellari, viderit Lector cui honor iste debeatur præcipue. Certe qui aliis me vult *impostorem* videri, & non probat, iisdem *imponit*.

62 Jam vero retusis, ut opinor, injuriis, binæ supersunt, quibus pauca repono, minæ. Audiuntur passim per Belgium RR. PP. Carmelitæ minitari nobis sacram Inquisitionem Romanam, eo jam delatos & accusatos libros nostros, brevi proscribendos. Scilicet, postquam frustra eos detulerunt & accusarunt, proscriptionem pariter tentantes, in Inquisitione Hispanica, nobis rerum omnium ignaris. Sed libri pro se, aut Sancti pro libris locuti, sibique patrocinio sunt. Rectius nunc agitis, cari Patres, cum ad Inquisitionem recurritis universalem Romanam; quod antea factum oportuerat, relicta Hispanica.

ca. Probo recursum ultimum; nec terreor nomine Inquisitionis; neminem nisi nocentem puniturae; nihil librorum nisi noxiorum proscripturae. Quales si nostri æquissimis illis Arbitris judicati fuerint, proscribantur, damnentur, urantur, ut meriti fuerint. Nolumus enim ipsi, illos extare nisi in publicum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ bonum; quo labores studiaque nostra unica tendunt.

63 Neque hæc jactanter a me dicta accipi velim, quasi nulla in libris nostris putemus errata, aut correctione digna esse. Absit. Homines enim sumus, quorum est errare: sed & Catholici sumus, quorum est catholice sentire, &, siquid per inscitiam humanam aut inadvertentiam vere erratum sit, Christiana humilitate libenter emendare: idque veri studiosis molestum esse non debet, nec erit nobis. Imo, uti rogamus passim eruditos Lectores, ut animadversa sibi in *Actis Sanctorum* errata, indicare nobis dignentur, quo, istis correctis, perfectius semper evadat Opus; ita sæpe vota nostra eo se extenderunt, ut Superiorum in Ecclesia auctoritate deputarentur viri litterati, Historiæ periti, qui legerent attente, examinarentque mature scripta nostra; & notata in eis errata nævosque, sine quibus vix scribitur aliquid, nobis indicarent, continuo illa cum gratiarum actione ac debita submissione correcturis. Hæc ad minas jam dictas vestrorum per Belgium satis sunto; simul declaratura, quod non simus idololatræ scriptorum nostrorum, quæ quovis tempore, ubi a vero descivisse cognoverimus, corrigere parati sumus, ut sæpius jam dixi.

64 Alteris, Patern. vestræ minis, minus etiam terreor. Minaris enim in *Appendice.* num. 139. Quod *si non nisi nugas & quisquilias ad cetera reponam, prout hactenus, alium deputabis, qui nugis meis nugando respondebit.* Primum, gratulari hic potius deberet sibi Patern. vestra, quod responsum aliquod acceperit; quam minari mihi, quod parum feliciter scribendo fessa, alium sibi debeat substituere. Scis enim, quod innumeris fere libellis vestris, quorum enumeravi aliquot in *Amica Expostulatione* a num. 84. nullum dederimus responsum: neque Patern. vestræ dedissem ego, si de Antiquitate vestra tantum disputasset. Sed cum *Acta Sanctorum* universa prostituere ac dilaniare, truncatis periodis, non dubitaveris, persona in dignitate constituta, utpote Provincialis Ordinis, alioquin celeberrimi; meum fuit *Acta* eadem defendere, quantumcumque inde vobis detrimentum nasci putaveritis. Non impugno vos, nec impugnabo: defendo, ac defendam *Sanctorum Acta*, quamdiu per Sanctam Ecclesiam Romanam defendere licebit, mihi sancta: æque promptus silere, aut errata corrigere, ut dixi, ubi eidem Ecclesiæ visum fuerit. Deinde rogo Patern. vestram, non quidem *instanter, instantius, instantissime*; sed humiliter ac amice, ut ad *nugas & quisquilias meas hactenus repositas* scriptis suis, per similes nugas & quisquilias respondeat mais; sed ad rem. Tertium, non ego provocavi Patern. vestram, sed provocatus respondi pro defensione Sanctorum. Quod si *alium deputaveris* pro te, qui auctor es mutuæ disceptationis nostræ, nolim ego propterea triumphum canere; sed remittam alium istum, ut disputet quocum ei libuerit, & qua libuerit de re. De antiquitate enim vestra non magis cum ipso, quam cum Patern. vestra disputabo: sed nec disputabo cum eo pro *Actis Sanctorum* vindicandis, quamvis forte subtilius disputaturus, & minus ignominiose *Sanctorum Acta* tractaturus sit, quam decessor suus. Si porro jusseris, eum *nugando respondere*, nugari incipiat, & nugatorem nugari sinemus, quantum libuerit. Interea, sepositis nugis, Patern. vestram, quantumvis mihi Sanctisque iniquam, & sacrum ejus Ordinem amo, juxta ac meum; eroque ei semper amicus, sed usque ad aras, ultra quas progredi nefas est. Antverpiæ XXII. Februarii MDCXCV.

ADM. REV. PATERN. VESTRÆ

qui supra
CONRADUS JANNINGUS S. J.

COLLYRIUM

ADHIBITUM OCCASIONE CONTROVERSIÆ DE ELIANA CARMELITARUM ORIGINE.

Ex Hispanico Idiomate in Latinum translatum.

§. I.

1 MElius quam ego ex hoc meo recessu, Domine mi, noveris tu in hac sola, cordatorum & intelligentium Universitate, duo in Mundo distinguenda esse cæcorum genera blando quoppiam atque efficaci indigentium collyrio, quod eis oculorum visum restituat, vel illustret. Inveniuntur cæci, qui quod existit, non videant; & hæc est ignorantiæ cæcitas. Alii vero inveniuntur cæci, qui quod non existit videant, & hæc esse solet ægritudo malitiæ, cui plerumque confert humorum intemperies ex intimo capite defluentium, & confundentium species & imagines ab objectis ad oculum transmissas.

2 Ex his duobus cæcitatis generibus cæcitas videns non existentia utpote a deterioribus humoribus effecta, validius collyrium utique postulat, quam cæcitas existentia non videns, quæ est ignorantium imbecillitas. Christus supremus Medicus cæco S. Joannis (1) collyrium pauco luto nec fortius, nec pretiosius applicuit, quia erat cæcus, qui nihil in Mundo contentorum aut videbat, aut unquam viderat, & ad ejusmodi cæcorum oculos aperiendos parum collyrii sufficit. At cæcum S. Marci (2) non curavit nisi collyrio ambarum ipsius supremi Medici manuum, quas ipsis oculis proxime applicuit, quia ex illis cæcis erat infelicioris conditionis, videntibus non existentia, cum esset cæcus, (3) qui *homines velut arbores ambulantes*, inverso nimirum capite, videret. Hisce autem malignis cæcis res contrarie cernentibus, si quando aperiendi sint oculi, consuetum collyrium non est satis; proximo contactu opus est manuum ipsius cœlestis medici, qui eorum oculos comprimat, quia hæc malitiæ est cæcitas, animique persistentia, ac voluntaria determinatio ad videndum in multis rebus, quod non existit.

3 Præmissa hac vulgari animadversione cognosces, late fieri viam ad difficilem finem hujus libelli, Collyrium inscripti. Etenim non sine Christiana charitate cæcis dicatur, & non sine animosa fiducia ægrum visum curandi nonnullorum oculorum, qui aut cognitionum defectu veritatem videre nequiverunt ignorantiæ cæcitate; aut nimia propositi tenacitate adducuntur ad videndum, quod non est, cæcitate, quam malitiæ cæcitatem appellare non ausim, ne leges violem mihi præscriptas a modestia, quam ii, qui ob severiorem professionem maxime tueri deberent, tam graviter lædunt. Necesse mihi profecto erat proxime admovere dexteram in hoc collyrio contra tantæ firmitatis cæcitatem, quantam hodie experimur. Verumtamen perpendens tam fervidam pertinaciam forsitan oriri posse ex inopia visus, quam afferat aer quarumdam eremorum, ubi magis cœli contemplatio, quam studium librorumque tractatio exercetur, hanc cæcitatem ero contentus curare suavi luto hujus blandi sermonis, quin presse digitos adjiciam, aut vocibus minus moderatis (nisi forte una aut altera occasione, in qua aliqua acrimonia fuerit necessaria,) aut omnibus fundamentis rationis, & auctoritatis, quæ materiæ gravitas exposceret. Hoc prolixum exercitium aliis relinquam calamis longe magis idoneis, qui te non latent. Cujus præceptum ingenue sententiam meam dicendi ex hoc angulo laboriosi mei otii libens exequor (4) summa voluptate sciendi neminem te melius agnitorum, quæ mereantur aliquam animadversionem, atque emendaturum sive addendo, sive detrahendo juxta modos, quos in hac materia studium, ac diligentia tua in hac materia perceperit. Primum collyrio utar contra cæcitatem, quæ non existentia videt, ubi diutius loquar; deinde contra cæcitatem, quæ existentia non videt, ubi brevius loquar, semper cavendo, ne immodestia ad nimiam dexteræ compressionem elabatur.

§. II.

4 Non ignoras, proximis temporibus in hoc magno Hispaniæ atque adeo Europæ universæ theatro ingentem fragorem excitatum fuisse validis, persistentibusque conatibus PP. Carmelitarum, ardentiusque Religiosissimorum PP. Excalceatorum elaborantium omnibus ostendere ac persuadere fere tanquam fidei dogma ab ipsis creditam suæ originis antiquitatem, & constantem descensum suæ Religionis a S. Propheta Elia per publicam & firmam permansionem perfectæ Religionis per tria vota substantialia paupertatis, castitatis, & obedientiæ intra imperfectiones veteris Legis, & ante perfectiones Legis gratiæ plusquam nongentis annis ante Christum Dominum, Mundi redemptionem, adventum Spiritus Sancti supra collegium Apostolicum, & promulgationem cælestis Evangelicæ Legis propter humani generis reparationem. Afferunt præterea hanc propriam perfectamque Religionem a magno Propheta Elia ejus primo patre in Carmelo monte fundatam & constitutam non solum floruisse nunquam interrupta serie ne septuaginta quidem annis Babylonicæ transmigrationis & captivitatis, sed etiam a Christo usque ad S. Albertum floridam permansisse Religionem Carmelitanam, quin ejus durationis & continuationis fortu-

Hist. Prophet. anno 1690.

(1) Joan. 9. *Linivit oculos ejus.* (2) Marc. 8. *Imposuit manus super oculos ejus, & cœpit videre, & restitutus est, ita ut clare videret omnia.* (3) Ibid. *video homines velut arbores ambulantes,* (4) Hieron. ep. 101. ad Pammach. *Ego beatum me in hoc duntaxat negotio judico, quod apud eruditas aures imperita lingua responsurus sum.*

fortunatum filum incideret Romanorum gladius in Hierosolymæ destructione, ac totius Judææ desolatione, nec trium sæculorum crudeles persecutiones Romanorum Imperatorum adversus Christianam Religionem, eo quod nullus horum turbinum publica Carmelitarum cœnobia, eorumque regularem observantiam secratæ ac religiosæ vitæ evertere potuerit.

5 Ipsam Dei matrem tanquam Carmelitani Monasterii Prælatam Monialibus Carmelitanis adnumerant, & Carmelitani Ordinis Generalem constituunt magnum Baptistam Christi Præcursorem, & Eremorum habitatorem. Ex illaque tempestate nullus superest innumerabilium Sanctorum asperas incultasque Ægypti & Palæstinæ solitudines incolentium, qui ceu stella in Firmamento Carmelitanæ Religionis non fulgeat. Pacomios, Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios, Dionysios, Athanasios, Basilios, Nazianzenos, Hieronymos, Chrysostomos, Cyrillos, cum universa pulcherrima legione Sanctorum Pontificum, Episcoporum, Martyrum, Confessorum, Anachoritarum, & ferme omnibus cæteris astris cælum Orientalis Ecclesiæ illustrantibus, cum S. Simpliciano S. Augustini magistro inter Occidentales, S. Romano S. Benedicti directore, & Ven. Gerardo Ordinis S. Joannis equitum institutore sibi vendicant.

6 Perinde ac si hæc omnia parum valerent ad hanc sacram familiam super cunctas alias extollendam, fatendum est fuisse pariter Fratrem Carmelitam [1] antiquissimum illum Philosophum Gentilitatis celebrem Pythagoram, qui in Græcia, & in Italia quingentis annis amplius ante Christum floruit, cum turpibus erroribus suæ scholæ & præcipue transmigrationis animarum, quos eruditi non ignorant, & cum funesto suæ vitæ fine, quem ejusdem vitæ veteres Historici enarrant. Eadem Carmelitica veste induere voluerunt antiquissimos illos Galliæ Philosophos Druidas [2] nominatos, quia inter sua gentilitia deliramenta austeram vitam profitebantur. Et quod caput est, fœdissimum Idolorum Sacerdotem Basilidem in monte Carmelo [3] tempore Vespasiani juxta Svetonium, quando irritatus Romanorum furor Judæam universam diruebat ac desolabat, neque Nationis Religionisque Judaicæ vestigium relinquebat, sacra veste Carmelitarum induunt, atque adeo Fratrum Carmelitarum Generalem efficiunt in cœnobio totius Ordinis maximo, unde cum Elia, & Eliseo primis Generalibus Ordo originem duxit.

7 Experimur quotidie, gloria, quam imaginantur, nunquam ullos esse contentos, eo quod gloriæ cupiditas raro habenis cohibeatur. Omnibus hisce veteris Carmeli magnis decoribus alia addituri sumus nihilo minora præteritis, cæteroquin tam magnifica: omnes Hebræos Carmelitas utriusque sexus veluti regulam sui religiosi instituti expressam accepisse revelationem de Christo venturo, de ipsius vita, prædicatione, & Evangelicis consiliis in primarium suorum trium substantialium votorum exemplar: neminem illorum summopere privilegiatorum Carmelitarum in illa imperfecta Lege, figura & umbra Legis gratiæ, ut eam nominat sacra Scriptura, fuisse malam Carmelitam, neque a sua prima vocatione defecisse per maximum privilegium, quod nulla Religio, ne ipsa quidem Carmelitarum in Lege gratiæ assequi potuit: Eliam alio singulari privilegio ab ipso Christo inter Thaboris splendores ac fulgura baptizatum fuisse: Eumdem S. Prophetam Eliam a Christi manibus Eucharistiam noctæ cœnæ sumpsisse in cœnaculo, sacerdotio initiatum esse, ab eoque suam Carmelitanam Religionem esse confirmatam, seu roboratam: atque alias imaginarias gloriationes tanto studio propugnatas [4], ut qui ausi fuerint eas negare, aut in dubium vocare, illico in horribilem acrium inimicorum Ordinis, impiorum, blasphemorum, imo apostatarum & hæreticorum censuram incurrant.

8 Hoc brevi compendio videtur mihi satis elaboratum primum collyrium; quo isti Patres religiosissimi aliquam curationem patiantur suorum oculorum, qui tot non existentia videre voluerunt, arbitrorque suavissimum in collyrium hanc ipsam pacatam considerationem fore. Compertum habes hasce prodigiosas propositiones neque in ullo Scripturæ textu reperiri, neque in Conciliis, neque in Ecclesiæ Patribus, neque in priscis ecclesiasticis historiographis, in quibus ne minimum quidem vestigium cernitur, neque in Annalibus gentilibus ac profanis, ut mediocriter eruditis notum est, neque in aliis extraneis Annalistis recentioribus, & quod majus est, neque in Carmelitis Scriptoribus, qui ante duo postrema sæcula scripserint. Igitur apertissime infertur, glomerata hæc Carmeli ornamenta adhuc a RR. PP. Carmelitis inspecta fuisse eo misero, affectoque intuitu, qui ea quæ non sunt, aut ea quæ sunt, secus tamen ac præpostera, videre consuescit.

9 His generatim præmissis ne in tam gravi materia inconsiderate procedamus (in quo multum utrinque peccatum fuit, præsertim a fervido studio RR. Patrum sanctæ reformationis, qui nobis illud exemplum non præbuere, quod ab eorum severa professione adeo veneranda in Ecclesia nobis expectare licebat) par est, ut res a rebus secernamus, ut quisque in tam ferventi controversia, de vero, de falso, de certo, de dubio judicium aliquod proferre valeant.

§. III

10 In primis sapientes ratiocinando inficiari non poterunt RR. PP. Carmelitæ, quod tota congeries magnificorum decorum sui Ordinis, quæ supra numeravimus, cum cæteris, quæ brevitatis ergo prætermisimus, sit prudenter incredibilis, aut saltem magnam præseferat suspicionem includendi multas arbitrarias narrationes; & quod tyrannice torquerentur liberi doctorum hominum intellectus, si proposita impietatis pœna cogerentur fidem suam sacrificare quoad non pauca puncta, quæ clara voce pronunciantur citra ullum rationis auctoritatisque fundamentum, quæque non aliam, ab ea, quam entia rationis habeant, existentiam obtinent. Reticendo (si-

Opuscul. Collect. P qui-

[1] Ita Historia Carmelitana theologice propugnata thesibus habitis in comitiis Provincialibus Biterris congregatis an. 1682. [2] Ita in eisdem thesibus Biterrensibus. [3] Legatur sermo editus an. 1678. ab excellentis. D. Marchione de Mondejor: *Explicatio cujusdam loci Svetonii & examen de Deitate, quam consuluit Vespasianus in Carmelo.* [4] D. Nazianzenus Orat. 1. *Prius omnia projecerint, quam opiniones suas quas domo de cum afferunt, & dogmatum, quibus innutriti sunt, consuetudinem.*

quidem referre tantum, non accusare mihi animus est) præcipuum doctrinæ forsassis non admodum tutæ, quam e portentosis propositionibus plures continent, ad æquæ mentis eruditos provoco, qui meridiana luce clarius perspicient, qua injuria isti RR. Patres affecerint gravissimos Scriptores, hos infami hæreticorum classi adscribendo, eo quod in scriptis suis obloqui aut disputare non dubitarint de collectione narrationum, quas in sacra sua vetusta Religione Carmelitæ congesserunt.

11 Qua conscientiæ quiete imprimuntur & evulgantur ejusmodi privatæ censuræ scandali plenæ, quæ tantummodo ex fervida Theologia phantasticæ & non castigatæ affectionis ducuntur? Tibi fateor me nunquam conscientiam cum tam inconsiderato loquendi scribendique modo componere potuisse. Miseri Jesuitæ post præbita tot dexteritatis exempla continenter arma gestare coguntur adversus violentos hostes, qui nonnisi stricto gladio contendere noverint! Profecto commiserationem merentur. Nihilominus exploratum mihi est a prudenti moderatione RR. Patrum Societatis Jesu patienter hilariterque in domesticis eorum colloquiis [1] audiri censuras libellorum per ignarum vulgus dispersas, quibus sancta Reformatio Excalceatorum eos hæreticos vocitat, perinde ac si admodum venialis hæc esset infamia, eoque magis quod publicis scriptis profertur contra universum corpus adeo venerabilis Religionis, quam Deus nostra ætate in sua Ecclesia instar validi contra Lutherum & Calvinum propugnaculi constituit. Neque arrogantiæ damnandi sunt hi prudentissimi Patres, quod illos contemnant, a quibus hæresis nota deturpantur. Etenim, ut sapienter docuit Tertullianus [2], quoddam calumniarum genus invenitur, nullam præter ipsum confutationem merentium, quia illas serio confutare illis quamdam auctoritatem tribueret. Omni ævo [3] ignorantia ad duras sententias pronunciandas præsto fuit, semperque auditu dignum fuit effatum Principis Philosophiæ [4], quod male intenti fabularum excogitationi ob familiæ suæ inanem gloriam faciendam, se ad alienam familiam infami labe conspergendam transgrediuntur. Quandonam deformes fœminæ dolorem invidentiæ ob formosarum laudem, hac vitiosi abusus pulchritudinis accusando, imminuere non studuerunt? Quandonam formosæ honestæque fœminæ miseras deformes pulchritudinem ex rabie suæ invidentiæ assidue calumniatas risu non exceperunt? Magnanimitas semper invicta Societatis Jesu [5] nunquam obtrectationem [6], utique veritatem timuit; & grandes nati suorum calumniatorum ictibus se vulneratos nunquam putarunt.

12 Non temerariam, sed prudentem credidi confidentiam cujusdam a me auditi Jesuitæ viri perspectæ modestiæ, quemque tu optime agnoscis. Paratus pignus deponere assevero, ipse dixit, si PP. Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius totam seriem narrationum a RR. PP. Carmelitis volitarum in suis insignibus tomis confirmassent, tunc in nihilo forent hæretici, imo piissimi forent & Catholici Scriptores, dignissimi, quos litteraria Respublica, & Vaticanum ipsum laurea decoraret: contra vero, si eruditissimi Patris Joannis Bollandi calamus minimum apicem adversus aliquam Carmelitarum traditionem scripsisset, dubio procul omnia ejus volumina forent monstrosa hæresum congregatio, & flammis dignissima. Ad extremum, Domine mi, fateri cogimur omnes antiquitates ac narrationes sacræ Religionis Carmeli in Ecclesia Dei esse Lydium lapidem, quo deprehendamus, qui Scriptores in quibuscumque suis operibus hæretici censendi, aut non censendi sint. Ego quidem ultra progredior. Si Papebrochii scripta antiquis Carmeli inventis aperte favissent, tunc omnes boni Carmelitæ sese fortes ejus defensores patefecissent. Auctor etenim, qui ad totum Eliotismum, qualis nobis exhibetur, compendiandum feliciter pervenerit, metuere nequaquam potest, ne a divina dextera derelinquatur, ideoque pene in canonicorum scriptorum ordine se constituit.

13 Tunc Papebrochio pro rata portione contigisset, quod Apostolo Paulo cum Pharisæorum secta contigit. Hi Saducæis conjuncti [7] tumultuose urgebant S. Apostoli mortem tamquam hæretici, schismatici, inimici Legis, utpote qui Christum cruci affixum esse verum Deum prædicaret. Quid tum egit Apostolus, ut Pharisæorum infensissimorum inimicorum favorem acquireret? In eo seditiosorum concilio proposuit se super resurrectione animæque immortalitate cum Pharisæis sentire contra errantes Saducæos manifestos Pharisæorum hostes. [8] Felix eventus hujus divini stratagematis statim apparuit, quia statim in concilio tota Pharisæorum schola surrexit, qui hæreses obliti, quarum Apostolum falso accusabant [9], vociferantes publice ipsum, ipsiusque vitam, omnemque doctrinam tueri cœpere. Quantum interest nimis constanti quorumdam hominum affectioni blandiri! Miser Papebrochi, qui narrationibus Carmeli obsecundare nescivisti! quam longe nunc ab auctoris schismatici atque hæretici nomine abesses. Te fortis acies Carmeli duce P. F. Sebastiano a S. Paulo palam defenderet.

§. IV.

14 Deinde descendendo ad singulas Carmelitarum assertiones, tanquam Christianus obligor non negligere regulas prudentissimæ moderationis, qua utrique debent ratiocinari & loqui quoad præcipuum quæstionis punctum, *An in antiqua Lege status veræ Religionis extiterit cum tribus substantialibus votis, sicut reipsa in Lege gratiæ, paupertatis, castitatis & obedientiæ.* RR. Patres Carmelitæ ad summum consequi possunt, si res terminis sedatæ rationis agatur, propositionem affirmativam, quam tuentur, esse valde probabilem ob scripturæ, antiquorum Pa-

[1] Nazianz. Orat. 2. *Adeo facile in contemptum venit, quidquid facile superatur.* [2] Tertul. in Apolog. *Multa sunt sic digna revinci, ne ipsa gravitate adorentur.* [3] Arist. *Qui respiciunt ad pauca, de facili pronunciant.* [4] Arist. 3. Metaph. 19. *Canentes sibimetipsis, nostri autem nullam curam habentes.* [5] Nazianz. Orat. 1. *Non tam objectum crimen, quam veritas ipsa hos lædit.* [6] Sen. l. 3. de ira c. 25. *Proprium est magnitudinis veræ non se sentire percussam.* [7] Act. 22. *Levaverunt vocem suam dicentes: tolle de terra hujusmodi; non enim fas eum vivere.* [8] Act. 23. *Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego judicor.* [9] Ib. c. 10. *Nihil mali invenimus in homine isto: quid si spiritus locutus est ei, aut Angelus?*

Patrum Ecclesiæ, & tot Bullarum Pontificiarum fundamenta, quæ illam non parum roborare videntur. At par non est ipsos calcare, suumque studium transferre ad defendendum stricte ense pro aris & focis, ut dici solet, propositionem negantem omni carere probabilitate, esse evidenter falsam, temerariam, scandalosam, & erroneam, sique Deus non consulat, hæreticam, aut hæresi proximam. Nemo doctus & prudens ardorem & affectionem adeo inconsideratam probabit, & tantum videre, quæ fortasse non cernuntur, efficaci collyrio indigebit, quod magna validæ manus compressione applicetur. Et sane hujusmodi collyrium suppeditat novissimis, solidissimis, & validissimis argumentis Reverendissimus, ac sapientissimus P. Magister Franciscus Gallianus Espuche dignissimus sacri Ordinis maximi Patris, & Doctoris S. Hieronymi Generalis emeritus. Quare mediocriter considerando perspicit unusquisque non exigue fortunatos fore RR. PP. Carmelitas, spectato pondere rationis & auctoritatis, qua sententia opposita propugnatur, si a litteraria Republica aliquam suæ sententiæ probabilitatem referant.

15 Prætermittendo rationis fundamenta, quæ haud dubie sunt gravissima, fundamenta auctoritatis tot sunt, & tam exquisita, ut vix ullus, vel nullus auctor, qui punctum hujus controversiæ penitus scrutatus sit, conclusioni RR. PP. Carmelitarum recta non adversetur. Legatur ante nominatus Reverendissimus Gallianus in hac facti quæstione, eximiusque Doctor P. Franciscus Suarez [1], qui ea suavissima modestia, qua hanc (quemadmodum reliquas omnes) disputationem tractat, concludere non dubitat, statum veræ Religionis eum forma, quæ in Lege gratiæ cernitur, & eum tribus essentialibus votis probabili fundamento Antiquis tribui non posse. Doctissime opposita rationis scripturæ ac SS. Patrum argumenta refellit statuendo in Lege scripta tantummodo umbram, figuram, imperfectum simulacrum, & quædam prima rudimenta Religiosi status in hominibus Mundi tumultum fugientibus non sine vero paupertatis, castitatis, & obedientiæ exercitio & observantia, velut in Elia, Eliseo, Jeremia, & Prophetarum filiis, sed circa vota, quæ firmum propriæ Religionis statum constituerent. Hoc pariter docent Cardinales Baronius, Bellarminus [2], & Capisucchi, & communiter reliqui scriptores de religioso statu disputantes, rati se in hoc Angelici Doctoris S. Thomæ claram doctrinam sequi. Porro evidenter S. Thomas [3] non tam clare physicæ prædeterminationi adhæret, quam huic opinioni, scilicet verum Monachatum solius legis gratiæ esse proprium, illiusque perfectionem ab imperfectione veteris legis non cognitam, aut non exercitam fuisse. Quomodo autem RR. PP. Carmelitæ diffiteantur esse saltem magis probabilem, magisque a Theologis, Ecclesiæque Patribus admissam propositionem, Quod Virgo Maria nostra Domina non solum dignitate, sed etiam tempore voto virginitatis præiverit?

16 Hæc omnia cum ita sint, quid justæ causæ fuit, cur RR. PP. Carmelitæ eatenus debitæ modestiæ sede recesserint, quatenus eorum ostendunt dispersi libelli, qui procul dubio censentur iracundi zeli sanctæ Reformationis partus non satis castigati, vel parum expoliti? Neque enim puncta inter magnos Doctores controversa tractant calamis & linguis Angelorum, quemadmodum petit Apostolus, sed forsan calamo cujusdam F. Angeli, qui propter carnem & sanguinem, juxta quam scribit [4] melius F. Homo nuncuparetur, cum in quemlibet Jesuitam perinde acsi omnes essent Papebrochii, suos ictus dirigit. Quam culpam perpetravit Papebrochius (non sufficiente ejus prudenti silentio) quod se patronum patefecerit sententiæ, quam Carmelitarum Paternitates admodum reverendæ negare nequeunt esse tam communem apud maximos Auctores, sicut Orbi universo notum est, & a nobis dictum fuit? Quorsum tanti fragores? tantum scandalum? Quid dicent homines sæculi ad hæc exempla? Profecto in ipsis hunc morem non aspicimus adeo parum politicum & Christianum se invicem publice famosis libellis dedecorandi, quamvis ipsi quoque pro humana imbecillitate aliter peccent. Hæc PP. Carmelitarum inconsideratio multum dedecet [5] exemplarem ipsorum professionem, quam cuncta Ecclesia veneratur; atque hoc pacto non tam Papebrochium, quam suam ipsorum famam vulnerant.

§. V.

17 Postquam de vero antiquæ Legis Monachatu egimus, consequitur, quod Monachatus Carmelitarum descensum ab eorum patre Elia examinemus. Non minus aperta res est, RR. PP. Carmelitis adversari in hoc puncto plerosque Doctores graviores, melioresque Scriptores, quos colat litteraria Respublica, eosdemque, quos supra memoravimus. Jam vero omnes prudentes viros rogo, in quo peccaverit infelix Jesuita Papebrochius. Cur crimini tributum ei fuit silentium, quod ipse elegit [6], nihil super hac re dicturus, ne affirmando veritatem, negando venerabilem Carmelitarum Religionem offenderet? An quod Jesuita sit, ei sine crimine asserere non licebit, quod S. Antoninus tam manifesto asserit? quod asserit Cardinalis Baronius? uno verbo, quod omnes extra Carmelum Scriptores asserunt? Quam obligationem cum sacra Carmelitarum Religione Societas Jesu contraxit, ut ex una parte huic in illius antiquitatibus omnino tacere non concedatur, ex altera

[1] Suarez tom. 3. de Relig. l. 3. c. c. *Nec cum probabili fundamento potest antiquioribus tribui:* Et paulo supra in eodem numero. *Fortasse fieri potuit ut aliquis tria vota emiserit priscis illis temporibus, dico tamen de nullo posse cum sufficienti fundamento affirmari: multoque minus de aliqua communitate, & statu aliquo vivendi pro omnibus hominibus communiter proposito.* [2] Card. Bellarm. t. 2. Controv. l. 2. c. 1. *Sexto probatur ex Apostolorum exemplo, qui veri primi Monachi Christiani: quod denique ab Apostolorum exemplo cœperint Religiones, testantur quamplurimi Patres.* [3] D. Th. 2. 2. q. 108. art. 4. in corp. *Convenienter in lege nova, quæ est libertatis, supra præcepta addita sunt consilia, non autem in veteri lege, quæ erat lex servitutis.* Et in 4. sent. dist. 29. q. unica art. 3. *Nondum virginalis perfectionis tempus advenerat, prout advenit in Christo.* [4] Sidon. Apol. l. 2. ep. 1. Calumniatur ut barbarus. Et l. 3 ep. 7. *Cui scribendi, si bene perspexeris, magis est facilitas, quam facultas.* [5] Damian. opusc. 4. *Andabatarum more confligunt, dum nimirum clausis oculis vulnerant, sed quomodo semetipsos a vulneribus tueantur, ignorant.* [6] Apollinar. l. 4. Ep. 22. *Turpiter falsa, periculose vera dicuntur.*

ejusdem societatis scriptores evadant errantia mancipia omnium Carmelitanarum traditionum, quominus astutum famosioribus libellis male adhibeantur?

18 Quemadmodum aliquot Societatis Auctores, velut Henschenius & Papebrochius constantem ab Elia descensum a Carmelitis tam acriter volitum improbarunt, sic dubitari nequis, quin alii multi gravissimi ejusdem Societatis Auctores pro asserta hujusmodi vetustate scripserint, ut nulli mediocriter eruditi nesciunt, & ipsi RR. PP. Carmelitæ in suorum Monasteriorum claustris e suarum genealogicarum arborum tabulis pictos ostentant. Contra vero nemo Auctorum præclari Ordinis S. Dominici invenietur, qui hanc materiam tractando aperte non obsistat huic non interrupto Carmeli descensui, idque maxime omnium Eminentissimus Cardinalis Capizuchi nuperrime præstitit. Igitur quodnam est hoc novum justitiæ genus? Cur in alios querelis, satyris, libellis parcitur, qui jam multi in alios non citra scandalum singulis diebus evulgantur? Nescio, quomodo ad hoc argumentum sint responsuri, nisi aliquo occulto mysterio, etsi non admodum abscondito; aut infortunio Societatis Jesu invidentia semper vexatæ, in qua magis hæreditariæ sunt insectationes, quam hæreditarius sit in Carmelo descensus ab Elia; aut aliqua ingenti præoccupatione peculiari, qua nonnulli RR. PP. Sanctæ Reformationis sese affici nolunt. Id percipiatur die rationis [1], si cæcitati tam deplorabilis visus hoc blandum collyrium non satis fuerit. Quæro insuper, cur per orbem libellos in Eminentissimos Baronium & Capizuchi delationum nomine inscriptos non dispergerint? Si dixerint, se per illorum dignitatis reverentiam amotos fuisse; at quomodo Imperatoris epistolam publice arguere, & famosum in societatem libellum præferentem nomen visibilis Ecclesiæ capitis edere ausi sunt? Quantum hic congruebat efficax collyrium, quod manu super tam cæcos oculos comprimeretur?

§. VI.

19 Si doctissimus P. Papebrochius stylo critici Inventoris veritatis fabellas aniles que narrationes appellavit (in quo eum non laudo) plures historias, quas domi suæ venerantur RR. PP. Carmelitæ, id sufficiens causa non videtur cum iracundia & scriptis adeo posthabendi reliquis auctoribus, qui eadem styli ingenuitate & certe apertius locuti fuerant, dum has historias somnia & deliramenta nominarunt. Ita se gesserunt eminentissimi Capizuchi & Baronius, & eruditus Carmelita P. F. Ludovicus a S. Jacobo, [2] natione Gallus, cujus verba Reverendissimus Gallianus exscribit pag. 180. *Ut intelligas, quam longe alterius mentis sim, ea Bibliotheca Carmelitana, opus jam fere paratum prælo, quod ab Alberto Legislatore nostro exordior. Quæcumque illo & Bertholdo primo Priore antiquiora esse prætenduntur, non sunt, nisi somnia Nostrorum.* Hactenus hic Auctor Carmelita. Sique domesticus scriptor sine gravi culpa suas prætensas antiquitates *somnia* vocare potuit, quidni Jesuitæ idem licuit?

20 Cum sint tam idonea ob efficax collyrium oculorum hac in re cæcorum, hoc transferre non renuam sapientia verba eruditissimi Cardinalis Baronii, viri tantæ auctoritatis in Ecclesia, & immunis a suspicione peculiaris affectionis, quippe qui Jesuita non est: [3] *Facessat igitur ejusmodi de Monachismo Cyrilli fabella, sicut illa huic haud impar, qua traditur & Joannes Hierosolymitanus Episcopus Origenista fuisse etiam Monachus Carmelita. Sicut enim hæc leviter affinguntur, ita & facile refelluntur. Flagrans quidem cupido nobilitatis avitæ cogit interdum homines delirare.* Nec mirum est, quod tantus vir, quantus fuit Baronius, *deliramentum* nominaret immoderatum RR. PP. Carmelitarum erga antiquissimam suam antiquitatem amorem, cum quædam sit innata hominibus passio tam alta nobilitatem suam extollendi, ut prima ejus incunabula fere ignorentur, quemadmodum cecinit Poeta [4] Nili prærogativam, quæ illum cunctorum fluminum clarissimum reddat, esse illius primæ originis aut fontis ignorationem. Etenim secundum D. Pauli locutionem adeo coniunguntur fabulæ & genealogiæ, ut genealogiarum cura vix a fabularum studio dignoscatur. Idcirco Apostolus Timotheo præcipit, ut hortetur novos Christianos Ephesinos conversos, *ne intenderent fabulis & genealogiis interminatis*. 1. Timoth. 1. Et quamvis neque fabulæ sint, neque sint reprehendendæ genealogiæ, quæ in sacris Geneseos, Paralipomenon, Josue, & Esdræ libris leguntur, olim necessariæ, ut sciretur, ad quos divisiones Terræ sanctæ pertinerent, quibusnam Sacerdotum ac Levitarum ministerium exercendum esset, quinam forent ex Tribu Juda, & ex genere David, ex quo juxta Jacob prophetiam venturus erat Messias; nihilominus, postquam Messias in Mundum jam venit, quid valet, inquit Paulus [5], nimium genealogiarum et antiquitatum generis studium, nisi ad contentiones & vanas quæstiones excitandas, Fidelium ædificationi minime secundas, gravissimeque infensas charitati, quam tantum nobis commendat lex divina? Consulatur Cornelii a Lapide interpretatio Apostolicorum verborum [6], & quisque intelligens judicabit ibi Apostolum proprie loqui de eo, quod hodie experimur.

21 Nolo quidem, nec possum fabulas vocare cunctas historias, quas tanto ardore domi suæ congerunt RR. PP. Carmelitæ propter hasce genealogias, aut descensum hæreditarium; verum ne ipsi quidem admodum RR. Patres Carmelitæ dubitare poterant, quin exiguam fidem apud omnes doctos retulerint ejusmodi ipsorum gloriolæ genealogiæ solidis sacræ Scripturæ, externorumque historicorum fundamentis haud innixæ; sique spectemus lectas, quos duobus ab hinc circiter sæculis in Ecclesia Dei perceperint ejusmodi constantes sollicitudines Elia-

ni

[1] Apollinar. l. 2. ep. 12. *Nam quibus loquacis fæce petulantiæ lingua polluitur infrænis, his conscientia quoque sordidatissima est.* [2] Ludovicus a S. Jacobo in vita beati Aloysii de Rabata ad querelas Carmelitanas n. 14. v. 15. [3] Baron. ad an. 444. [4] Sidon. in paneg. ad Avit. Aug. *Et ignotum plus notus, Nile, per ortum.* [5] Ibid. *Quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem Dei, quæ est in fide.* [6 Cornel. a Lapide ib. *Quæ scilicet fabulæ & genealogiæ magis altercationes & rixas pariunt, quam profectum in cognitione & cultu Dei.*

.ui descensus, non alios utique, neque meliores reperimus, quam obstinatas disputationes, quæstiones, & rixas, nulla Christianæ reipublicæ ædificatione, & scandalosis religiosæ charitatis detrimentis. Pro humanorum judiciorum varietate non defuit, qui opinaretur hanc genealogiam, quæ primam suam originem tam alte quæritat, vanitatem esse vanitatum, ejusque fervidos conatus valde parum congruere tam arcto eorum statui, qui tam pulchro exemplo Mundum reliquerunt, seque vivos in eremis sepeliere. Sistat hic sedatum judicium, sibique valde præsens habeat præclarum illud S. Augustini monitum [1], nempe nihil magis esse periculosum, quam quod obtectum divini cultus velamine humanum cor ingreditur.

22 Rem æque lepidam ac veram tibi significabo, quo videant isti RR. Patres clarum argumentum, ostendens, quo usque ad delirandum impellat minus edomita sollicitudo gloriosas laudes domi suæ cumulandi, non sine voluptate eas insuper Societati adimendi. Assevero, & juramento etiam firmare possem, me aliquot abhinc annis in gravissimo cœtu audivisse, (cujus rei nonnulli testes adhuc vivunt) ab excellentissimo D. Didaco Gomez de Sandoval Lermæ Duce, in quodam cœnobio Vandaliæ sanctæ Reformationis se ad latus templi aspexisse pictum sub veste Carmelitana magnum Indiarum Apostolum D. Franciscum Xaverium omnibus signis, quibus iste Sanctus distingui solet, infra quam imaginem ejusdem Sancti nomen legebatur. Idque admiratus, ut par erat, ille Dynasta a Religiosis eo manentibus causam ejus tam notabilis picturæ sciscitatus fuit, cum neminem fugiat D. Franciscum Xaverium in Sanctorum Societatis Jesu numero contineri. Cui iidem Religiosi tenui arcanaque voce responderunt: *Nos hic, Domine, nosmet ipsos intelligimus*. Quod responsum inclytus vir indignabundus excepit. Nonne hoc inter deliramenta, quorum meminit Cardinalis Baronius, recensetur? Quousque rapiuntur humanæ affectiones, si vel incuria, vel nimia cura eis habenas laxet. Profecto si magnus S. Franciscus Xaverius sanctam Reformationem introisset, præbenda ab ipso non erant illa mirabilia exempla profundæ observantiæ & venerationis erga sanctissimum suum præceptorem, parentem, ac Patriarcham Ignatium Lojolam, flexis genibus ad illum ex Oriente scribendo; eum vocando *Nostrum beatum Patrem*, quotiescumque illum adhuc superstitem nominaret; assidue inter alias sacras reliquias e pectore pendentes deferendo illius nomen epistolæ subscriptum. Nunc, S. Apostole, e cælo hanc tam debitam reverentiam erga sanctam Reformationem acquires. O prodigiose Thaumaturge! Tu utique valide potes [2] utraque manu oculos tam cæcos comprimere, nihilque tanti Collyrii supervacaneum erit.

Opuscul. Collect.

§. VII.

23 Animadvertito paulisper ad multos, ac torvis oculis inspectos libellos, quibus isti Religiosi Patres hisce diebus Litteratos, aut potius [3] ignarum vulgus munerati sunt. Qui stylus! quæ discretio! quis probus gustus! quæ urbanitas! quæ modestia! quæ delicata conscientia! Mihi humanissimus Scriptor gratificatus fuit quemdam horum libellorum spiritualium inscriptum *Vox veritatis* ea significatione, qua illas formidata vox in Matritensibus callibus decima noctis hora, *Vox aquæ* appellatur. Sicut hæc Vox aquam promittit, & non aquam præbet, ita *Vox veritatis* veritatem promittit, mendaciumque immundo horrendarum accusationum vale porrigit: Jesuitas esse hæreticos, Ecclesiæ pestem; atque hic in medium profertur Mena, Poza, & nescio qui Valclusinus Tolosæ Galliarum exostus: Scientiam Mediam esse magnam hæresim, cum Thomisticam Prædeterminationem illi oppositam os ipsius Christi Angelico Doctori e cruce dicentis, *Bene scripsisti de me, Thoma*, canonizaverit.

24 Jam vero Jesuitas horis suæ religiosæ recreationis ad lectionem hujusmodi paginarum ridere nollent. Bonorum horum Fratrum notitias mirare. Valclusinus est fictum nomen celebris P. Theophili Raynaudi Eruditorum miraculi, qui, sicut vixerat, obiit in suo cubili Catholicus, quamvis optime sciret complures alios igne enectos publicis historiæ amplam materiam suppeditasse. Jesuitæ peculiari Dei patrocinio demisse gratias agunt, quod sesquisæculo amplius neminem a Tribunalibus fidei morte punitum habuerint. Nimirum nullus ex Molinæ propugnatoribus crematus fuit neque Vallisoleti, neque Hispali, neque Limæ, neque Bernæ, neque Florentiæ, neque Oxonii, neque aliis in locis; qui e memoria Jesuitarum non exciderunt, sed quos Christiana Jesuitarum modestia silentio involvere non ignorat.

25 Semper venerandum S. Officii tribunal fideliter testari poterit, quis fuerit P. Joannes Baptista Poza, vir admirabilis doctrinæ sine ullo contra catholicam fidem hæretico errore, quamvis reprehensibilis duritiæ mentis contra judicia & censuras Tribunalium, quibus maximam subjectionem & obedientiam debebat. Ceu christianus catholicus extra Inquisitionem in Collegio Societatis Jesu occidit Conchæ, summoque honore ad sepulcrum delatus fuit humeris ipsorum Dominorum Inquisitorum, qui ejus sapientiam mirabantur. Nolentes Jesuitarum calumniatores [4] ipsis vanitatis materiam suppeditare, cum non aliam, quem producerent, habuerint nisi miserum simplicem P. Menam eo tempore, quo qui in eum excitant tantum fragorem, in omnibus suis monasteriis complures Menas anumerant.

26 Physicam Prædeterminationem in D.

[1] S. August. l. 2. de Serm. Dom. in Monte c. 12. *Eo periculosiorem, quo sub nomine Virtutis Dei decipit.* [2] Sidon. l. 3. c. 13. *Elixotarum siquidem est sicut facile convinci, ita difficile compesci.* [3] Sidon. l. 3. Ep. 13. *Est enim hic gurges de fatoribus fabularum, de concionatoribus criminum, de sinistrarum Opinionum duplicatoribus; loquax ipse, nec dicax, ridiculusque, nec lætus, arrogansque, nec constans, curiosusque, nec perspicax, atque indecenter affectato lepore plus rusticus.* [4] Apolinar. Ep. 11. *Sufficere debere, quod Satyræ objectio famam mihi parasset, non infamiam.*

Thoma ore ipsius Christi canonizatam fuisse, audient Jesuitæ, omnesque mediocriter docti risu, quem meretur deliramentum ad Vulgi oculos perstringendum idoneum. Evidenter enim probatur, ut Eruditos non præterit, in nullo D. Thomæ opere extare minimum vestigium Physicæ Prædeterminationis sive ad bonum, sive ad malum; eamque graviores S. Thomæ interpretes tanto Magistro indecoram existimant. [1] Illustrissimus Araucus Segoviæ Episcopus & Dominicanus eam *parum probabilem, & S. Augustino indignam* appellat. Fr. Joannes Vincente, & Fr. Blasius Verdu eam improbant tanquam *impiam & blasphemam*. Et Fr. Joannes Gonzalez ei contrariam (idest scientiam Mediam) *expresse a S. Thoma, illiusque discipulis* tradi opinatur. Ita loquuntur graviores S. Dominici scriptores. Missas facio censuras, (quæ mihi non arrident) aliorum Auctorum; ex quibus Zumel sentit physicam determinationem ad materiale peccati *semper a SS. Augustino, Fulgentio, Damasceno, & Thoma fuisse reprobatam*; Fr. Alphonsus de Mendoza eam *impiam & stultam*, & Gregorius Ariminensis *blasphemam* nuncupant. Poteritne hoc falsitate asseri Prædeterminationem Banez ore ipsius Christi canonizatam fuisse, idemque Scientiam Mediam Molinæ fuisse anathematizatam? Hoc certe [2] exiguum Collyrium non est, quo RR. PP. sanctæ Reformationis oculos tandem relereot.

§. VIII.

27 Nec alia quidem debita cum moderatione tractata est hujus Carmelitanæ controversiæ pars, quæ potissimum sita est in argumentis, quibus RR. PP. Carmelitæ suum hæreditariam a S. Propheta Elia descensum probant per Scripturæ textus, Pontificias Bullas, traditiones, ac domesticas revelationes, quæ ad summum valde probabilem reddunt prætensam Elianam originem, quin tamen æqualem majoremve contrariæ sententiæ probabilitatem auferant. Hoc est maximum, quod argumentis hunc hæreditarium descensum & proprium Religiosis statum tempore legis veteris probantibus concedere viris doctis licebit.

28 At quid ad hæc omnia ait noster P. Fr. *Vox Veritatis*? Papebrochium canem hæreticum, quippe qui insuperabili robori Carmelitarum rationum non se dedit, & hæreticum præseferre spiritum Wicleffi, Joannis Hussii, & Magdeburgensium hostium status Religiosi, quippe qui vanas imbecillesque autumando probationes a Sacra Scriptura deprompsas huic statui subtrahit præcipuum, (quo valde nititur Cardinalis Bellarminus) fundamentum, nempe quod Religiosus status vigente antiquo testamento extiterit. Paternitatem admodum reverendam alicujus Carmelitæ audiamus. Archangelus S. Gabriel Sacerdoti Zachariæ prænunciavit ejus filium magnum Christi præcursorem [3] certas esse ingressurum *in spiritu & Virtute Eliæ*. Spiritus & virtus Baptistæ fuit veri Religiosi emittentis tria substantialia paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota. Ergo vel spiritui & virtuti Eliæ idem tribuere, vel Sacræ Scripturæ veritatem denegare oportet. Nullum aliud verbum super hac materia proferatur. Verumtamen eodem textu, eademque argumentandi forma (admittendo verum Joannis Baptistæ Monachatum) Paternitas admodum reverenda ostendere posset, vel Eliam spiritu & virtute patrandi miracula caruisse, vel apertissime contra Evangelium [4] patrandi miracula spiritu & virtute potitum fuisse Joannem Baptistam. Id clarissime demonstro. Joannes venit in spiritu & virtute Eliæ. Joannes suo spiritu & virtute nullum miraculum patravit. Ergo ne Elias quidem ullum patravit miraculum. Aut contra, Elias suo spiritu & virtute multa & stupenda miracula patravit. Joannes venit in spiritu & virtute Eliæ. Ergo Joannes quoque multa & stupenda patravit miracula. Ex quo infertur, si quid valet textus, cui tantum fidit admodum reverendus Pater, utrimque Sacram Scripturam fallam reddi. Quod magnus Baptista in spiritu & virtute Eliæ venerit, unice significat [5] eum venisse spiritu severitatis & austeritatis vitæ ac zeli divinæ gloriæ æque ac ille ardens Propheta. Quemadmodum affirmare licet Julium Cæsarem Magni Alexandri spiritu & magnanimitate præditum fuisse, quatenus hunc ille belligerando cunctosque suos hostes vincendo imitatus fuit, quin ambos omnino æquari necesse sit. Atque hæc sufficiant.

29 Audiamus Paternitatis admodum reverendæ aliud ineluctabile argumentum, quo ex Sacra Scriptura Eliseum fuisse verum Religiosum probare contendit. Eliseus Sunamitidi [6] se apud Regem pro ea locuturum, & ob regium favorem assequendum se aulam regiam ingressurum spopondit. Ergo fuit verus Religiosus. Ex D. Thoma hanc illationem probo. Angelicus Doctor textum exhibuit [7] ut ostendat Religiosos citra suæ professionis a Mundo remotæ detrimentum posse palatia ingredi. Ergo Eliseum fuisse verum Religiosum judicavit, quin levus inepta fuisset probatio. Intueris, quansi valeant ejusmodi argumenta? Et patienter ea toleranda sunt, tolerandumque est per ipsa tantos in Orbe fragores excitari? Eliseus sanctissimum suum parentem imitatus cum filiis prophetarum vitam vivebat exemplarem, austeram, a mundano tumultu, ideoque ab aularum profanitatibus, ambitionibus, assentationibus sejunctam; quam istam nunc temporis pariter non profitentes stabilem ac publicum Religiosorum statum vivere nequeunt, ut contingeret, si multis cognitis Mundi, mundanorumque vitiorum dolis spiritu ferventes in aliquam eremum

ob

[1] Legatur P. Gaspar de Ribadineyra tom. de prædest. disp. 11. c. 3. n. 4. [2] Daniel. 13. *Recte mentitus es in caput tuum.* [3] Luc. 1. *ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* [4] Joan. 10. *Joannes quidem signum fecit nullum.* [5] S. Thomas in 1. Joan. Lect. 2. *In suis operibus, in quibus similitudinem Eliæ ostendebat quantum ad vivendi modum.* Toletus in Luc. 1. annot. 45. ex Ambrosio & aliis: *Multas similitudines proponentes inter Eliam & Joannem. Ut enim ille Achab regem impium reprehendit, sic hic Herodem: ut ille zelator legis, ita & hic. Et sunt alia hujusmodi.* Nullus tamen Pater, seu vetus Interpres illos comparant in statu Religioso. Subdit Toletus: *Nec intelligas de virtute miraculorum. Nam Joannes nullum miraculum fecit.* [6] *Numquid habes negotium, & vis, ut loquar Regi?* 4. Reg. 4. [7] D. Thomas 2. 2. q. 187. art. 7. ad 3.

ob pœnitentiam exarandam recederent. Igitur docuit S. Thomas utpote religiosæ perfectionis valde peritus non dedecere statum Religiosum propter recessum, quem Religiosi profitentur, quandoque Aulas intrare, siquidem Eliseus sine ejusdem recessus, quem profitebatur, detrimento dedecere non putavit regale palatium inire, quo miseræ fœminæ opitularetur. Hoc & non aliud S. Thomas voluit persuadere.

30 Quis non miretur istos RR. Patres in Scripturæ textibus tam parum idoneis veteris Legis Monachatum cernere, oppositum vero non cernere in tot ejusdem Scripturæ textibus, qui in veteri Lege Monachatum non extitisse non sine aliqua evidentia demonstrant. Capite Ecclesiastici quadrigesimo octavo Spiritus Sanctus tot, tamque claras S. Prophetæ Eliæ laudes prædicaverit nullum ejus heroicorum facinorum omittendo, & de institutione ac fundatione Religionis tam admirabilis atque exemplaris tria vota emittentis contra usum & morem illius legis, & carnalis Judaicæ Reipublicæ, ubi vel ex præcepto, vel ex communi intelligentia matrimonium & propagatio illius electi populi adeo desiderabatur, atque adeo præcipiebatur, ne unicum quidem verbum protulerit? Proculdubio in panegyri Patriarchæ ac fundatoris tam gloriosi calamus Ecclesiastici plus nimio parce scripsit. Nec laborandum est, ut agnoscatur hoc argumentum spectatis circumstantiis negativum non esse. Quid sentiret Orbis universus, si S. Gregorius Magnus, & unicus Panagyrista virtutum S. Benedicti omnia ejus sanctissima & prodigiosa acepta percurreret, quin eumdem fuisse patrem ac fundatorem tam illustris Religionis umquam meminisset? Si hoc validum argumentum foret nunc in lege gratiæ, ubi Evangelicæ virginitatis & castitatis consilia tanto usu & exercitio sunt confirmata, quid erit in Mosaica lege, ubi vel ex præcepto, vel ex communi consensione tam torvis oculis virginitas aspiciebatur? Angelicus præceptor [1] contulatur? Atqui ii, qui tam paupere stylo hoc punctum discutiunt, locuplex Papebrochii ingenium captivum detinere contendent!

§. IX.

31 Porro quid si ad argumenta in auctoritatibus posita Sanctorum Ecclesiæ Patrum pro antiquo Monachatu transeamus? Hæc quoque parvi facit Papebrochius Magdeburgensium more, ut ajunt RR. Patres Carmelitæ. Papebrochius revera Baronium, Bellarminum & Criticorum recentium aciem secutus auctoritatis Joannis Hierosolymitani rationem non habet. Non inficior plures veterum Patrum a Suarez loco supra memorato [2] relatos primo aspectu obsecundare antiqui Carmeli postulatis: fateor statûs Religionis initium fecisse Eliam & Eliseum cum filiis prophetarum, quos S. Hieronymus, S. Chrysostomus, S. Bernardus, aliique multi *Monachos veteris testamenti*, *Monachatûs patres & principes* vocant. Ad tantam vero auctoritatem quid respondet Papebrochius? Non sine debita reverentia respondet idem, quod respondent S. Thomas, & reliqui fere omnes Theologi [3], sicut ante innuimus, Eliam, cæterosque antiquæ legis Monachos lata & non propria significatione Monachos nominari: professionem illam religiosæ professioni tam similem fuisse umbram & figuram Monachatus legis gratiæ, quem solus Christus, hanc sibi gloriam detinendo, addidit tribus substantialibus paupertatis, castitatis, & obedientiæ votis institutis: Eliam & Eliseum propter illa veluti religiosi status prima rudimenta & imagines, posse dici inchoasse esti imperfecte hunc perfectum statum, ideoque religiosi status quodammodo Principes, patres, & fundatores fuisse. Atque ita, & non secus intelligenda sunt verba S. Matris Teresiæ in suis fundationibus c. 25. *Semper intueamur genus, unde venimus, illorum Sanctorum, & veterum Prophetarum Patrum nostrum, quibus noster Elias Dux præivit*. Idem, eademque significatione religiosissimis Patribus Hieronymianis se sui magni patris Hieronymi exemplari hortationibus dicere pariter licebit. Fieri autem potest, ut ob responsum, & doctrinam adeo receptam, & a S. Thoma traditam solum adversus Papebrochium ejusque Fratres tam mordacium libellorum examen per Mundum volitet? Reverendos Patres Carmeli multum excæcavit iracundia.

§. X.

32 Iidem modestiam amisisse videntur præcipue in Puncto Pontificiarum Bullarum, quibus tam manifeste exprimitur sibi arrogatus *hæreditarius descensus ab Elia, Eliseo, aliisque Sanctis Patribus, ac Prophetis Carmelum incolentibus*, quemadmodum Sixtus IV. loquitur. Ait vero noster P. Fr. *Vox Veritatis* Papebrochium hæretica impudentia respondere tot Bullas nihil RR. PP. Carmelitis prodesse eo, quod hujusmodi Bullis fides non sit habenda. Hæc sic relata prout sonant, ægre credentur dicta non fuisse per malitiæ cæcitatem, quæ videat non existentia, aut existentia inverso modo videat. Quod affirmat P. Papebrochius [4], brevissima narrabo, ut omnibus innotescat, & vel ipsi non intelligentes intelligant, quam longe absit hic Auctor ab illo, quod hac super re falsa *Vox Veritatis* eidem imputat.

33 In primis negat unquam extitisse nonnullas ex pluribus Pontificiis Bullis, quas isti RR. PP. pro nonnullis suis historiis afferunt, ostendendo haud imbecilliter supposititias esse, veluti Bullam Sabatinam, aliasque vetustiores. Quid hic detrimenti capit observantia erga Apostolicam Sedem? Si quis ad propositum suum fulciendum aliquem textum cujusdam quinti Evangelii apocryphi exceperit, illique alter reponat hunc textum nihil valere, quia hoc quintum Evangelium utpote fictitium omni vacat auctoritate, poteritne ipse calumniose vocari

[1] D. Th. 3. par. q. 28. art. 4. In corp. *Quia tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres, quam viros &c.* [2] D. Hieron. Ep. ad Ruf. *Filii prophetarum, quos Monachos in veteri testamento legimus*. Et Ep. 13. ad Paulin. *Noster princeps Elias, noster Eliseus, nostri filii Prophetarum*. Cassian. l. 1. Instit. cœnob. c. 1. *Qui in veteri testamento professionis hujus fundavere primordia*. [3] Papebroch. in vita S. Alber. 8. Aprilis. [4] Papebrochius in Vita S. Alberti 8. Aprilis.

vocari impudens hæreticus, qui sancta Evangelia non veneretur?

34 Deinde respondet Papebrochius se RR. PP. Carmelitis haud negare eam ab Elia originem, quam ipsis concedunt ipsorum Bullæ eo modo intellectæ, quo supra interpretati sumus loquendi formas SS. Ecclesiæ Patrum; & SS. Eliam & Eliseum nuncupari posse *Principes ac Patres* Carmelitani instituti, cujus primas lineas duxerint, quos tamquam sua primæ imitationis exemplaria inspicere tenentes Carmelitæ, postquam S. Albertus ipsis propriæ perfectæque Religionis formam addidit per tria legis gratiæ substantialia vota, quibus lex scripta carebat. Quid hic pariter detrimenti capit debita erga Bullas & Apostolicam Sedem observantia?

35 Postea respondet Papebrochius, quamvis narrationes, quibus ceu causis concessionis alicujus privilegii vel gratiæ bullæ innituntur, generatim multum auctoritatis obtineant, omnemque reverentiam mereantur, nihilominus non semper tantam certitudinem obtinere, ut eas identidem veritas deficere nequeat; neque in iis præmittendis diversa est mens summorum Pontificum. Petit quispiam privati Oratorii privilegium, exponendo tamquam causam in proœmio supplicationis Domum familiamque suam esse ex primaria Nobilitate. Papa autem hoc præmio motus per suam Bullam petitam gratiam concedit. Rogo. Proptereane illam domum esse ex primaria Nobilitate authentice declarabitur? Id P. Papebrochius quodam particulari ac domestico RR. Patrum Excalceatorum exemplo melius explicat. Impetrarunt ipsi a Sanctitate Clementis IX. Breve ob fundandum Monasterium in pago Bilbao initio supplicationis asserentes sibi neque pecuniam necessariam ad fundationem, neque sæcularis Capituli assensum deesse. Hoc ultimum requisitum coram Clemente IX. assertum non subsistit, & idcirco hanc gratiam Clemens X. revocavit. Igitur etiamsi RR. PP. Carmelitæ ante Apostolicam Sedem suum hæreditarium, & nunquam abruptum descensum a S. Propheta Elia asseruerint, non continuo Bullæ Apostolicæ canonizarunt hujusmodi hæreditarium descensum ea stricta significatione, qua RR. PP. Carmelitæ postulant. Quid hic hæreticæ impudentiæ reperitur?

36 His ita cognitis evidenter infertur sine ullo detrimento debitæ erga Sedem Apostolicam observantiæ RR. PP. Carmelitis illum hæreditarium descensum a Papebrochio denegari eo modo intellectum, quo ipsi allatis tot Bullis intelligunt. Itemque eadem evidentia demonstratur, quanta injuria P. Fr. *Vox Veritatis* Papebrochio adscribat temerariam illam propositionem, *Pontificias Bullas nihili æstimandas esse*. Quæ propositio hisce terminis in oculos vulgi projecta ex se grave scandalum gignit. In quo palam fit istum Patrem sincera sua intentione non quærere quod emendet, sed juxta Augustini dictum [1], quod in hoc catholico Scriptore mordeat.

37 Omittendum non est nullo jure Paternitatem ejus admodum reverendam contra Papebrochium inferre futurum, ut omnes falsa reverentia eodem pacto accipiant tot Bullas, quas Apostolica Sedes pro Societate Jesu edidit. Quem locum hic habet ejusmodi illatio? Negat Papebrochius Sabatinam Bullam ullo tempore extitisse probando eam esse falsam; & sane solus ejus stylus adeo communi Bullarum Apostolicarum stylo contrarius non contemnendam probationem suppeditat. Quod attinet ad Bullas Honorii IX. & Honorii X. quas propter suas Indulgentias Carmelitæ depromunt, cum extra omnem dubitationem inter Papas quatuor dumtaxat Honorii numerentur, ubinam gentium nonum & decimum, eorumque Bullas invenere? Extatne tale aliquid Bullis pro Societate editis objiciendum? Res Societatis, ejusque Bullæ non sunt adeo antiquæ, ut illas Orbis universus manu non contingat; his vero quomodo æquari possunt res Carmeli, quarum multæ sex & viginti antiquitatis sæcula præseferunt? Audent Paternitas admodum reverenda Societatis facta & Bullas negare, utqua exemplo Bullaria & Romana tabularia, & pene oculi totius Christianæ Reipublicæ eam falsitatis arguere poterunt.

§. XI.

38 Insistunt RR. PP. Carmelitæ Breviariis, quibus fere omnes præcipuæ eorum antiquitates nituntur, rati calamum Papebrochii tantæ auctoritati non cedendo multum hæretici ardoris patefacere. Durum est, mi Domine, quod nimium horum RR. Patrum studium homines cogat per ignarum populum & plebem divulgare veritates, quæ in libris penitus latere, & viris doctis reservari deberent, apud quos ejusmodi veritatum notitiæ nullum scandali periculum subeunt. Quam caro pretio emere cupit Carmelus sua prisca decora, si coguntur ob oculos ignorantiæ effundere, quod tot prudentibus hominibus inter sola sapientiæ penetralia abscondendum esset!

39 Paucis. Quamvis utique Breviarium rebus ab ipso relatis ingentem ex se præbeat auctoritatem, tamen liquet Ecclesiam Sanctam in ipso multa facta reformasse, & emendasse, quæ antea in ipsis lectionibus recitabantur. Admodum vulgaria sunt exempla, & pro omnibus exempla S. Catharinæ Senensis, & S. Brunonis sufficiant. Hoc tempore die 26. Aprilis Romanum Breviarium lapsum S. Marcellini in idololatriam ob tormentorum metum, Concilium 300. Episcoporum occasione tanti scandali reparandi gratia Sinuessæ congregatum, cilicium, sub quo Pontifex coram eodem Concilio constitit, illius pœnitentiam, retractationem suæ imbecillitatis, sacrilegæque superstitionis coram tyranno, & tandem ipsius gloriosum martyrium narrat. Nihilominus magnus Pater & Ecclesiæ Doctor S. Augustinus ait illud esse fabulosam calumniam ab hæreticis Donatistis excogitatam; atque insuper (quod in mea existimatione grave pondus addit) hac eadem sententia palam nititur [2] doctissi-

[1] August. Serm. 4. ex noviss. *Quærunt non quod corrigant, sed quid mordeant.* [2] Roccaberti tom. 1. de Infallib. Rom. Pont. l. 2. c. 14. apud quem D. August. Card. Lauria, Baronius, Aguirra, Christianus Lupus, qui omnes negant authenticam certitudinem Concilii Sinuessani, tametsi Baronius hanc suam sententiam retractaverit.

ctissimus & excellentissimus D. Thomas Roccaberti noster præsens dignissimus supremus Inquisitor. Quid ergo de infallibili lectionum Breviarii [1] veritate? Sibimetipsis respondeant nostri scrupulosissimi Patres ex alto & antiquo Carmeli vertice, virosque vere eruditos Henschenium & Papebrochium quiete vivere patiantur. Illis commendo, ut legant excellentissimum D. Roccaberti [2], qui tam persistenti cæcitati sanctæ Excalceatorum Reformationis non inutile Collyrium exhibebit. Legant Cardinalem Bonam, qui examinavit probavitque nova Carmelitarum officia, & a quo Papebrochius illam sumpsit liberam clausulam, cujus eum acerbe accusant F. Sebastianus a S. Paulo, aliique Delatores: *Sibi intolerabiliter esse lectiones casus Marcellini, & Concilii Sinuessani*. Sique id non sufficiat ad Papebrochium tanta auctoritate purgandum, legant eminentissimum Card. Ursinum sacri Prædicatorum Ordinis etiamnum viventem, cujus verba sunt apta ad tollendum scrupulum nostrorum RR. PP. Delatorum Papebrochii tamquam irreverentis in Breviaria, ut mihi visum sit ea huc transferre [3]: *Breviarium Romanum maximæ quidem auctoritatis esse in iis, quæ per se ad cultum ecclesiasticum attinent; minoris tamen ponderis esse in privatis factis, aut gestis, quæ in vitis Sanctorum ex occasione referuntur, itaut efficax argumentum inde peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Neque enim Ecclesia, qua illis utitur, inconcussæ infallibilisque veritatis judicat quæcumque Breviariis sunt inserta*. Hactenus his eminentissimus neotericus Domenicanus, qui suum assertum confirmat asserendo pariter esse incertum & apochryphum casum S. Marcellini, ejusque in Concilio Sinuessano pœnitentiam, ibidemque itidem incertam existimat communem persuasionem, quod sit opus S. Athanasii Symbolum fidei, quod a Breviario S. Athanasio adscribitur, nec non aliam communem persuasionem, quod Canticum *Te Deum* a SS. Ambrosio & Augustino confectum fuerit. Et adhuc post tantam auctoritatem, quam pro se super hoc puncto obtinet Papebrochius, eum solum RR. PP. Carmelitæ irreverentiæ ac blasphemiæ insimulabunt!

40 Nihil pacatur noster sapientissimus P. F. *Vox Veritatis*, atque ex tripode ceu oraculum Apollinis Delphici pronunciat, si hoc valeret, negare nos posse, quidquid die 31. Julii narratur in Lectionibus S. Ignatii, qui Sanctus factorus est semper omnium sinum RR. PP. Carmelitarum, in quibus suibus singulari exemplo Reverendissimus P. Generalis S. Reformationis suæ *Innocentia vindicata* præcessit. Et jam in cælo Jesuitæ stipendium acceptura est gloria S. Ignatii, qui nescimus, an peregrinus loca terræ Sanctæ visitando pium gressum ad Elianas Carmeli antiquitates extenderit. Parum quidem huic magno Patriarchæ portentosæ narrationes historiæ propheticæ favevunt, cum hac occasione Conversum Carmelitam non efficiendo, sicut Constantinus Cajetanus somniavit eum efficiendo S. Benedicti Conversum in Monteserrato, cui rei noster P. F. *Vox Veritatis* non dissentit. Non deesset autem in illo religioso Monasterio aliquis F. Sophonias de Engaddi, qui spiritualis director, & celebris libri exercitiorum auctor foret, sicut P. Constantinus in Monte Serrato quemdam Fr. Garziam de Cisneros fuisse opinatur. Neque negari potest minus incredibile esse S. Ignatium in monte Carmelo se Conversis adscripsisse, quam antiquum Philosophum Pythagoram Carmelitam extitisse.

41 Ut vero cernatur magna reverentia, qua noster P. F. *Vox Veritatis* credit omnia in Breviarii lectionibus contenta, animadvertatur eum non argumenti retorquendi gratia, sed absolute probabile, valdeque probabile putare, quod manifeste obstat tenori Lectionum officii S. Ignatii in secundo Nocturno, ubi Sanctus dicitur [4], cum esset homo rudis, & illiteratus, admirabilem exercitiorum librum elucubrasse. Quod idem affirmat, comprobatque sua Bulla, petente S. Francisco Borgia tum Gandiæ Duce, Paulus III. Attamen noster P. F. *Vox Veritatis* hæc ipsissima verba profert: *Præsupposita esse opinionem probabilissimam illum libellum Sancto traditum fuisse a Monacho Montisserrati Garzia de Cisneros ad eum in virtute instruendum tempore, quo is erat illius cænobii Oblatus, seu Donatus, ut ample Constantinus Cajetanus ostendit*. Hactenus Paternitas admodum reverenda, quæ esse probabilissimum Breviario expresse contrarium absolute confitetur, & affirmat. Prætereo summam injuriam, quam ipse facit profundæ S. Ignatii humilitati credendo ipsum sibi arrogasse librum ab altero elaboratum.

§. XII.

42 Pro certo habeas me non destitisse mecum admirari, qua fronte isti RR. PP. Carmelitæ Papebrochio exprobrarint irreverentiæ crimen contra Breviarium & Bullarum Apostolicarum tenorem, cum ipsi passim hanc veram irreverentiam apertius committant. Attente adesto. In primis Lectionibus ardentis Seraphini S. Ignatii Lojolæ memorata fundatione præclaræ Religionis Societatis Jesu a Paulo III. Tridentinoque Concilio approbatæ breviter innuuntur mirifici fructus, quos suo Ordine novus iste Patriarcha Mundo produxit tum per magnum Apostolum S. Franciscum Xaverium ejus filium Indias convertendo, tum per alios innumerabiles viros Apostolicos [5], qui hæresi bellum

[1] Card. Baron. 302. n. 104. *Ceterum eamdem ipsam Rom. Eccles. non sicut Evangelium, quod Gelasius monuit, legere consuevisse, vel legenda proponere quælibet SS. Acta, sed potius cuncta Apostolica illa lance libranda relinquere: Omnia probate, quod bonum est, tenete.* [2] Roccab. supra §. 4. n. 2935. respondet: *Igitur quamvis Ecclesia in Breviario permittat legere acta de Marcellini lapsu, longo antiquitatis argumento probata, non tollit gravissima in oppositum momenta, quibus tractu temporis veritas potuerit lucidius examinari.* [3] Ursinus in Dissert. de reliquiis S. Barthol. an. 1694. [4] Lect. 1. *Quo tempore homo litterarum plane rudis admirabilem illum composuit Exercitiorum librum Sedis Apostolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum.* [5] Lect. 2. *Ipso autem misso ad prædicandum Indis Evangelium S. Francisco Xaverio, aliisque in alias Mundi plagas ad Religionem propagandam disseminatis, Ethnicæ superstitioni hæresique bellum indixit eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus etiam Pontificio confirmatus oraculo Deum sicut alios aliis temporibus sanctos viro, ita Luthero ejusdemque temporis hæreticis Ignatium & institutam ab eo Societatem objecisse.*

bellum moverunt eo felici eventu continuatum, ut constanter universi non sine Pontificii Oraculi confirmatione senserint, Deum sicut alios aliis temporibus sanctos viros expediit, ita adversus Lutherum aliosque hæreticos Ignatium ejusque Societatem expedisse. S. Ignatius, mi Domine, ejusque Societas juxta Breviarii lectiones a Deo contra Lutheri, & Calvini, sique lubet Reverendo Patri, etiam contra Molinos hæreses missi fuere; quemadmodum S. Athanasius contra Arrium, S. Augustinus contra Pelagium, contra Nestorium S. Cyrillus, contra Albigenses S. Dominicus. Quid vero de hoc sentit noster P. F. *Vox Veritatis*? Omnino oppositum sentit ac prædicat: scilicet Societatem a S. Ignatio institutam esse Mundi pestem, quæ hæresibus, aliisque latis & scandalosis erroribus animas inficiat. Atque ob hujusce suæ veritatis canonizationem quemdam *Petrum Aurelium* nominat, nempe Abbatem Sancyranum Jansenianæ hæreseos Ducem, Jansenii primogenitum, Ecclesiæ anathemate simul cum suis scriptis perculsum, & apertissimum omnium inimicorum, quos usqueadhuc Status Religiosus passus fuerit. Nominat pariter scripta cujusdam Aloysii de Monte-alto, nempe Doctoris Arnaldi Jansenisticæ sectæ oraculi; contra quem illustrissimus Dominus Episcopus Malacæ Fr. Alphonsus de S. Thoma sacri Prædicatorum Ordinis edidit celebrem illum suum librum, *Querimonia Catholica* inscriptum. Denique quasdam pagiuas a S. Ecclesia, & a S. Inquisitione Hispaniæ gravibus censuris interdictas nominat. Isti sunt Auctores, quos adversus Breviarium refert Paternitas admodum reverenda. Quamquam hic ejus oculos obscurare potuit ejus inscitia. At quam excusationem assequi poterit referendo Roalem, & Elpinum, quorum sacrilegi libelli S. Tribunalis jussu publica auctoritate & carnificis manu Matriti in parva S. Salvatoris platea combusti fuerunt? Hæccine *Vox Veritatis*? Hiccine adorator veritatis infallibilis eorum, quæ in Breviariis leguntur? O cæci! Juvabitne vos ullum Collyrium?

§. XIII.

44 Quod si ad Bullas transgrediamur Apostolicas, quæ tantum extollunt mirandos fructus, quos Societas Jesu in Ecclesia peperit? Nescio, an illas audire voluerit falsa *Vox Veritatis*; sed istud Collyrium brevi efficiet, ut illas videre non nequeat. Sanctissimus Pius V. a Religione Prædicatorum ad summum Pontificatum assumptus sacram Societatem quo amore prosecutus non est, quibus favoribus non cumulavit? Jesuitæ eum saltem ut parentem suum benignissimum intueantur. Ipse in Bulla anni 1568. appellat Jesuitas, *Viros litteris præsertim sacris conspicuos, religiosissimos, Magistros Divini Verbi, optimos Concionatores & Interpretes &c.* Pius IV. Brevi ad regem Philippum II. diei 24. Novembris anni 1561. eos appellat *Novissime operarios ad vineam Domini hora diei nona profectos &c. Illorum diligentia fidem Catholicam confirmari, pestem hæreticæ pravitatis reprimi, & multis in locis idololatriam extingui. Compertum esse Deum hujce tribulationis & calamitatis Ecclesiæ temporibus congregasse Ordinem Societatis Jesu adversum Ministros & satellites satanæ, ut his fortiter Ecclesiam oppugnantibus eamdem magno robore Jesuitæ propugnent; illisque per suos errores veritatem obscurare conantibus Jesuitæ Mundo lucem veritatis ostendant; neque tandem quantum illi suis improbis exemplis & contagiosa doctrina dejiciunt, & destruunt, tantumdem Jesuitæ morum sanctitudine doctrinaque salutari ædificent.*

45 Ne sine termino hunc libellum protraham, omitto alia innumera elogia doctrinæ Societatis, quæ in tam repetitis Apostolicis Bullis leguntur. Audiat unica noster P. F. *Vox Veritatis* oraculum Pauli V. in Bulla anni 1606. cujus verba nescio an ejus auribus gratum sonitum editura sint: *Quantum Religio Societatis Jesu in Ecclesia ad fidei, pietatis & religionis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat, nos ipsi scimus, & Christiana respublica novit universa. Propterea illam diversimode perturbare, & ab incæpto retardare malis artibus humani generis hostis nititur.* Ignoro, an inter has artes numeretur *Vox Veritatis*, aliæque Satyrulæ eam comitatæ ejusdem forsasse officinæ opera.

46 Alexander VII. Brevi die 1. Januarii anni 1653. ait *homines Societatis a Deo adjutos sollicitudine fructu & excellantia promovere Infidelium conversionem, & hæreticorum pertinaciam infringere*. Quantum Patris nostri audientum delectabunt verba Clementis IX. in Bulla erectionis duarum cathedrarum Societatis in Complutensi Academia, qua Bulla edita die 28. Julii anno 1668. ait Pontifex, *cum ipse animo propenso consideraverit, quomodo solida doctrina, theologicaque scientia errores ignorantiæ, & cæcitatis eliminarentur, & in omnibus regionibus veritas catholicæ fidei eluceret, animadvertendo Societatem Jesu suum institutum ex Apostolicæ Sedis oraculo digito Dei elaboratum semper egregie servasse, pariterque providenter reputando si Religiosi Societatis Jesu, qui inter scientias potissimum sacra Theologia præstant, publicas cathedras in Universitatibus, & præcipue in insignioribus obtinerent, in eisque Theologiam legerent, atque interpretarentur, facile ad optatum finem se perventurum &c.* Subditque hanc clausulam Paternitati admodum reverendæ non parum placituram: *Sicuti publice testantur perennia religiosæ sapientiæ monumenta, quibus litteraria theatra decorantur, & catholica Ecclesia coronatur.*

47 Satis esse videntur istæ Bullæ Pontificiæ ob irrefragabile testimonium puritatis doctrinæ, qua Societas Jesu Ecclesiæ serviat, christianamque Rempublicam illustret. Noster vero P. F. *Vox Veritatis* hasce Bullas quanti pendit? Credendo, ac disseminando assertiones omnino contrarias aperta fronte easdem contemnit. Quam reverentiam præstat Bullis tam severe vetantibus, ne una schola alterius scholæ doctrinæ censuram inureret? Hujusmodi autem Bullis certo nemo veram existentiam negare potest, quemadmodum toc viri eruditi existere negant Carmelitanarum Bullarum nonnullas, & perpauci inveniuntur, qui prophetam imitati Bullæ Sabatinæ volumen comedant.

48 Jam me non præterit nostrum Patrem in suis collationibus & cœtibus valde stricto ore,

ere, infirmaque voce dicturum omnia hæc Pontificia elogia primis Jesuitis hominibus Apostolicis convenire, non vero præsentibus, qui adeo a primorum doctrina & virtute degenerarint. Idem respondebit ad argumentum ductum ab ingenti amore & devotione, quam Societati exhibuerunt quotquot sancti super altaria elati fuerunt, postquam Societas in Mundum intravit. Inter quos sunt ejus mater S. Teresa de Jesu, S. Philippus Neri, S. Thomas de Villanova, B. Pius V. S. Carolus Borromæus, S. Franciscus de Sales, S. Ludovicus Beltrandus, S. Maria Magdalena de Pazzis pulcherrimus Carmeli flos, & prætermissis aliis Sanctis S. Josaphat martyr Ordinis magni Patris S. Basilii (ut in ejus vita in Castellanum sermonem versa legitur) dicere solitus, sicut est prædestinationis signum Jesuitas amare, ita se animadvertisse reprobationis signum esse eos odisse & insectari. Hac ratione insignis hic martyr, & zelantissimus Poloniæ in Russia Episcopus loquebatur.

49 Vehementer optarem mihi significaret noster P. F. *Vox veritatis*, quandonam Jesuitæ in mente & ore benedictorum Patrum S. Reformationis tolerati hæretici non fuerint? Pontifices vero maximi Alexander VII. & Clemens IX. præteritamne Societatem, an ipsis præsentem commemorabant, dum mirifice illam suis Bullis cohonestabant? suæ conscientiæ lucem consulant, sique illam sedato animo inspiciant, forsitan collyrium invenient, quo eorum oculi tantum indigent. Et forsitan, imo sine dubitatione cognoscent sinceram doctrinam [1], quam Jesuitis deficere contendunt, esse emendicatum obtentum ad captandam suæ conscientiæ decipiendæ opportunitatem, ac theatrum Reipublicæ Christianæ sub specioso catholici zeli indumento ascendendi. Equidem scio inter RR. Patres S. Reformationis complures haberi homines summi judicii, virtutis, veræque orationis, ægerrime ferentes pravum exemplum, quod hac in re sui Fratres præfervidi zeli imprudentia sæcularibus præbent. Fierine potest, ut contra sententiam tot Sanctorum, sapientissimorum, & zelantissimorum Episcoporum, quot scientiam, modestiam, vitæ probitatem, & utilissimos labores Societatis Jesu coluerunt, ac foverunt, nescio cujus venerandi viri inflammata scripta prævaleant? O conscientia! [2] Tecum student sese fallere aliquot homines, qui spiritualium professione lætantur.

§. XIV.

50 Si Papebrochius assensus non est postremo argumento deprompto a domesticis traditionibus, & revelationibus, quas super suis antiquitatibus RR. Patres Carmelitæ servant, in hoc non hæreticorum Magdeburgensium, sed catholicorum classicorum scriptorum spiritum imitatus fuit; neque judicavit RR. Patres Carmeli fuisse deceptores, aut falsarum ac simulatarum revelationum malitiosos inventores. Quoties sine prava intentione pia facilitas paulatim affectione abripi, aut in voces alicujus historicæ narrationis æquivocas incidere solet? Quoties usuvenit, ut primus Scriptor sine necessario veritatis examine prodigiosum factum referat, & hunc sine alio fundamento sequatur secundus, hosque duos tertius, donec ignoto modo, quod initio inconsiderata aut præceps pietas fuit, postea processu temporis pro inconcusso fidei dogmate habeatur, de quo dubitare sacrilegium vocaretur? Audiant admodum reverendæ Paternitates sapientissimum Magistrum Melchiorem Canum sacri Ordinis S. Dominici Episcopi Canariatum, qui cum parum Jesuitis obsecundarit, fortasse RR. Patribus sanctæ Reformationis gratior accidet, & nescio, an ipsi ausuri sint tantum responsum libere improbare. [3] *Negare non possumus viros aliquando gravissimos in divorum præsertim prodigiis describendis, sparsos rumores & excipere, & scriptis etiam ad posteros transfudisse &c. adeout Ciceroni Demosthenes, Horatio vero Homerus quandoque ipse dormitare videatur. Quæ ego eadem de Beda, & Gregorio, jure fortasse ac vere dicere possum. Quorum ille in Historia Anglorum, hic in Dialogis, quædam miracula scribunt, vulgo jactata & credita, quæ hujusmodi præsertim sæculi Aristarchi incerta esse censebunt. Equidem historias illas probarem magis, si earum Auctores juxta præfinitam formam severitati judicii curam in eligendo majorem adhibuissent.* Hæc celebris magister Canus, quæ si Papebrochius pronunciasset, nos non amplius Mundus caperet.

51 Audiant quoque V. Cardinalem Bellarminum [4], qui in S. Joanne Damasceno improbat quamdam orationem, tanquam continentem fabulosas narrationes, ac subdit: sed fieri potest, ut S. Joannes Damascenus, quamvis alioquin doctus & prudens, istis narrationibus facile fidem habuerit, neque de veritate earum investiganda sollicitus fuerit. Atque in confirmationem hujus ejusdem assertionis affert pariter S. Bernardi exemplum [5] citantis tres S. Ignatii Epistolas, quæ fabulosæ censentur. Porro si hæc incuria tam insignibus Sanctis contingere potest, quid mirum idem sacræ Carmeli Religioni in puncto suarum traditionum contigisse, atque in hoc eodem ejusdem Religionis credulæ pectori optime aptari vestem a P. Magistri Cani, & Cardinalis Bellarmini sapientia supra dispositam? Si ipsi Carmeli Scriptores adeo invicem pugnant ac dissident in vita sui Legislatoris D. Alberti [6], ut alii Gallum civem Ambiani, alii Italum Parmæ civem, alii Episcopum & Confessorem, alii Episcopum & Martyrem efficiant, & insuper utrum idem D. Albertus fuerit Carmelita, an vero externus Carmelitarum leges duntaxat condiderit; sique res hæc eatenus est confusa, ut in novo Ordinis Breviario anni 1672. die 5. Aprilis secundas sancti hujus lectiones e communi Confessoris Pontificis officio sumi præcipiatur, fortassis quia Lectiones propriæ a sacra Carmeli Religione propositæ valde incertæ agnoscuntur; cur a Mundo erudito suas traditiones cæce adorari postulant?

52 At illico foras exilit noster R. P. *Vox veritatis*. Igitur idem sumus dicturi de traditionibus

&

[1] Nazianz. Orat. 2. *Sinceritoris doctrinæ prætextu vitii zelum effecerant.* [2] D. Bernard. lib. de Consc. p. 2. *Hæc est conscientia mala, & tranquilla, qua sicut nihil est pejus, ita nihil est infelicius.* [3] Melchior Canus lib. 11. de loc. sac. c. 6. [4] Bellarm. de Script. Eccles. col. 119. [5] Bellarm. ib. col. 29. D. Bern. serm. 7. in Psal. Qui habitat. [6] Vide Lezanam ad an. 1214.

& revelationibus, quas historiæ Societatis enarrant. Cur pro cæteris sacris Religionibus eamdem non trahit illationem; præsertim vero pro S. Dominici Religione, cujus insignes Auctores tam parum Carmeli traditionibus adhæserunt? In Logica hujusce nostri Patris, mi Domine, spectata forma, legitima ducitur hæc illatio. Antiquæ historiæ factorum & fortunarum Domini Ruiz Diaz & Bernardi de Carpio multas fabulosas, aut de falsitate suspectas narrationes continent. Ergo idem super novis historiis facinorum & acquisitionum magni Ductoris Gonzali Fernandez de Corduba, & magni Ferdinandi de Toleto Ducis Albæ credituri sumus. Egregia illatio! Pariliterem, spectando formam, & non materiam spectando currere iterum monen, ne alius querimoniæ ansa capiatur. Dura captivitas, Domine mi, propter cunctos homines rationis non expertes. Aut Carmelus in omnibus rebus suis indubitabilem veritatem pronunciat, aut omnes Mundi annales mentiuntur.

53 Quæ difficultas obstet in hisce revelationibus virorum Sanctorum sacræ Religionis Carmeli interpretandi juxte eamdem latam significationem, juxta quam ante summorum Pontificum Bullas, & plurium veterum Sanctorum Patrum dicta interpretati fuimus? Nisi hoc admittatur, qua ratione a falsitate tuebimur e-lias S. Birgittæ aliarumque Sanctarum revelationes a reverendissimo Galliano [1] relatas, & discrepantes ab iis, quas RR. Patres Carmelitæ domi asservent?

54 Hactenus, Domine mi, patefeci RR. PP. Carmelitas passos esse, & pati infelicem illam cæcitatem, quæ videt res non existentes, aut existentes inverso modo ac sunt, præcipue domi suæ; & curavi, ut hæc ratiocinia salutare quodpiam collyrium suppeditent oculis iam infirmis, ne dicam, desperatis, cum hic repetere liceat sapiens effatum Sidonii Apollinaris supra memoratum, multos inveniri, qui facile convinci possint, cohiberi nequaquam possint. Jam vero ostendere aggredior, ipsos esse quoque passos, ac pati consuetum visus morbum, idest res existentes, præcipue domi alienæ, non videre. Certo judico hosce RR. Patres ita scripsisse libellum ferventium Delatorum Papebrochii, ut ejusdem Papebrochii libros, quos denunciarent, non viderint, aut tam cursim viderint tum quod attinet ad facta, quæ arguunt, tum quod attinet ad jura in propositionibus, quas accusant, ut tam præceps festinatio a nobis vocari mereatur ignorantiæ cæcitas, quin modestiæ terminos prætereamus. Breviter fundamenta mea accipito.

55 Primum est. Opera hujus insignis Auctoris staturæ sunt adeo giganteæ, & adeo mirabilia ob ausum ad tantum cœptum, ob indefessum laborem, ac studium exquisitas notitias colligendi ac perpendendi, & tanti sunt decoris, obsequii, atque utilitatis Ecclesiæ universæ, ut quando in illis deprehenderetur una aut altera duities essentiam catholicæ doctrinæ non attingens (quod in peramplis voluminibus multum non foret) debuissent nostri RR. Patres, si quid in tam gravibus libris ingratum legissent, dissimulare, saltem ut sese homines rectæ sententiæ ostenderent. Et sane ipsis honorifice blandior, tam bene de ipsorum Paternitatibus admodum reverendis judicando. Nam contrarium factum, quod experimur, omnes eruditos ac prudentes offendit, & scandalo afficit. Assentiendum est haberi opera tam sublimis æstimabilisque categoriæ, ut nemo magis sese dedecoret, quam qui illa improbaverit. Perspicaces Astrologi [2] in Sole quasdam maculas negligere nequiverunt, atque ego malim totam culpam tribuere infidelitati instrumenti, quod illas detegit, aut explorat. Quoniam perperam ipsum Solis opificium inspexere, ipsi inesse quasdam litoras somniarunt. RR. PP. Carmelitæ cum quæ Papebrochio insunt, non viderint, quæ Papebrochio non insunt [3], viderunt, & ex non visis eam cruentam, & meo judicio tam injustam in Papebrochium accusationem conflarunt.

56 Secundum fundamentum me adducens ad credendum a RR. PP. Carmelitis visum non fuisse Papebrochium est, quod eum non solum accusant tanquam ipsis noxium, sed etiam tanquam laborem improbum & Ecclesiæ Dei prorsus inutilem aspernantur. Si mediocri intelligentia illum legissent, quomodo eum flosculos, seseque magnos viros ostentando tantum ejus contemptum manifestare potuissent? Et patienter ferendum erit, mi Domine, quod misellus Excalceatus generalem in nobilissima Sapientum republica Definitorem agens despotico contemptu decidat esse molesta atque supervacanea Papebrochii opera, quæ in universa Europa tanto applausu excepere doctiores homines, inter quos excellentissimus D. F. Thomas de Roccaberti, qui totis tribus tomis suis passim illum ut virum insignis eruditionis tantum commendat? & quod ad ea tempora devenerimus, quibus despicit Pigmæus Atlantem, qui humeris vastam totius Orbis fabricam sustinere ausus fuit? *Axem humero torquet.*

57 Tertium est. Cum fieri non possit, me quidem judice, quæ in hunc egregium Auctorem extollunt Fr. *Vox Veritatis* & F. Sebastianus a S. Paulo, esse actus voluntarios malitiæ a Christianis hominibus, multoque magis a Religiosis severioris disciplinæ tam alienos, fateri oportet eos esse legitimos crassissimæ ignorantiæ partus, ideoque cæcos Delatores minus cognita immoderata affectione horribilibus culpis accusasse opus, quod non legerant, cum evidens manifestumque sit pleraque culparum ab ipsis assertarum non subsistere, & paucas subsistentes esse doctrinam catholicam, & a classicis doctoribus admissam, sicuti perspicient quicumque ad Papebrochii volumina cum accusationibus conferendo oculos in fronte gerunt.

58 Hic mihi non est animus ex professo demonstrationem conficere hujus essentialis puncti majorem laborem expostulantis, quam qui angustiis hujus libelli capiatur. Spero autem brevi in lucem prodituram Tractatum seorsim, quo perfecte fiet satis singillatim cunctis accusationibus, cunctisque conatibus falsæ *Vocis Veritatis*, ob adimendum potius aliquod contra Papebrochium

[1] Gallianus part. 1. disc. 3. §. 6. n. 210. [2] Eccli. 43. *Sol, Vas admirabile, opus excelsi.* Et Dionys. de divinis Nom. c. 4. *Omnibus, quæ ejus lucem capere possunt, collucet; ac si quid est, quod eam non participat, id ejus luminis tenuitati aut parvitati non est tribuendum, sed iis, quæ apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur.* [3] Tertul. Apolog. c. 1. *Quid enim iniquius, quam ut oderint homines quod ignorant?*

chium scandalum parium fortasse in ignaro populo, colores dignoscere nesciente, quam ob sacram Societatem Jesu defendendam, quæ contra tam male incisos calamos defendi non indiget. Percurram tantummodo celeri gradu nonnulla pauca clara mendacia, & perspicuas calumnias, quibus inconsideratio horum RR. Patrum PP. Jesuitas Danielem Papebrochium, & Godefridum Heuschenium aggravant. Ita aliquod necessarium Collyrium eorum oculis præbebo.

PROPOSITIONES.

59 PRima Propositio. *Virgo Maria Domina nostra & S. Joseph desponsati fuerunt animo certo matrimonium consumandi, filiosque procreandi; atque eamdem domum incolentes cum periculo incontinentiæ vivebant.* Audita tam horrenda calumnia in catholicas aures Hispani populi projecta, immodestiæ notam non subibit Papebrochius, si ad hujus mendacii Auctorem nequam, & ad falsam *Vocem Veritatis* illum sequutam respondeat, *Mentiris mi Angele*. Prorsus oppositum juramento protestari possum ac debeo [1], neminem usque adhuc nullum Catholicum trivisse viam magis angustam, virgineæque puritati divinæ matris, ejusque Sponsi carissimi S. Josephi magis decoram. Et sane, Domine mi, omisso gravi scandalo in hunc catholicissimum populum derivato, modum non invenio excusandi iracundum zelum adstringentes viros doctos communicare Vulgo difficilem Theologicam quæstionem, utrum sanctissimæ Virginis & S. Josephi fuerit verum matrimonium, aliunde tenendo ab ipsis nuncupatum Virginitatis votum, quod Papebrochius docet fuisse absolutum, cum S. Thomas eodem ipsorum voto conditionato contentus sit. Nocia, Papebrochius asserit illorum votum fuisse votum absolutum Virginitatis intactæ servandæ, *usque ad extremum spiritum*, idest usque ad mortem, excipiendo, si obstaret divinum præceptum contrahendi vel consummandi matrimonium, quia tunc Dei præceptum prævalere voto deberet, quod est privata lex, quam sibimet aliquis constituit. Atque huic doctrinæ ullum Catholicum dissentire certissime non licet. Concludit Papebrochius Sanctissimos Sponsos contracto matrimonio instaurasse tanta firmitate Virginitatis votum, ut ne illam deperderent, gloriam Paternitatis Messiæ dimisissent, si ab hujus gloriæ consecutione eorum Virginitas detrimentum capture fuisset. Potestne amplius dicere Papebrochius, aut majori decoro de mentis & corporis Virginitate S. Josephi & divinæ Matris loqui? Provoco ad omnes, quibus Papebrochium legere licuerit, qui clarissime cernent *periculum incontinentiæ ab hoc Auctore inter duos purissimos* sponsos non poni, sed *ordinarie* loquendo inter omnes generatim Sponsos, sicut aperte ex illius lectione agnoscere licet.

60 Secunda Propositio. *Papebrochius sacros Evangelistas S. Matthæum & S. Lucam super genealogiam Christi sentienda eosdem errasse*,

Opuscul. Collect.

ignorantiæ insimulat. Me latet audacissimum hæreticum unquam imaginatum fuisse hujusmodi blasphemiam, aut ullum Catholicum Scriptorem [2] alteri Scriptori Catholico tam enormem injuriam fecisse, carentem ad tam temerariam calumniam omni fundamento præter stupidam ignorantiam, quæ dubito, an in scholæ puello inveniri queat. Audiantur verba R. P. F. Sebastiani a S. Paulo, ut oculis quisque videat, an vera sint, quæ assero. [3] *Et subdit* (Papebrochius) *hanc tam notam veritatem effecerunt obscurissimam, atque adeo confuderunt, & errarunt (quod idem est) Sancti Evangelistæ Lucas & Matthæus*. Cur autem hoc? quia dixit Papebrochius: *Maxime obscurum fecerunt Evangelistæ Lucas atque Matthæus*. Intelligentiæ tam exiguæ, mi Domine, & calami tam obtusi adversum tanti nominis auctores talia in Mundo scribunt. Quis usque adhuc censuit *obscurare esse errare*, ex quo noster P. F. Sebastianus *esse idem* affirmet? Num Deus, qui obscura nostræ sanctæ fidei mysteria nobis tradidit, ea nobis tradidit erronea, quia tanta obscuritate illa involvit? Diciturne aliquis erroneam esse Apocalypsim, quia hujus mysteria S. Joannes perobscura edidit? Rem magis declaremus. Diceturne aliquis Christum Dominum errasse in catholica veritate æqualitatis & consubstantialitatis Filii & patris, quando ait Joan. 14. *Pater major me est*, aliisque id genus textibus certe mysterii difficultatem augentibus, illudque obscurius reddentibus, & intellectu difficilius? Quomodo ergo Provincialis sapientissimus dicere potuit, ne aliqua quidem rationis specie, idem esse, Evangelistas *obscurare* genealogiam Christi, ac in ea *errare*? Porro cur dicitur Papebrochius negligentiæ & inscitiæ Evangelistas arguere eo, quod ipse objectiones, & causas dubitandi de catholica conclusione exponat? Hoc pacto S. Thomas, omnesque Theologi, dum de aliqua catholica veritate disputant, sibique objiciunt contraria argumenta, eamdem subibunt censuram, quam Paternitas Reverendissima Papebrochio infligit. Durum est tam crassas species dissipandi necessitas.

61 Tertia Propositio. *Papebrochius contra communem Ecclesiæ & SS. Patrum sententiam sequitur Natalem Alexandrum auctorem interdictum sacro Ordinis Prædicatorum, & Christum Dominum septem & triginta annorum mortuum esse affirmat*. Papebrochius Natalem Alexandrum solummodo sequitur (eumque citat ante ejus interdictionem) docendo Christum hanc vitam mortalem ultra tres & triginta annos vixisse, eo quod ipse putat vixisse aliquot menses amplius. Sed qui Papebrochio tribuit docere Christum vixisse annos septem & triginta, illum non intelligit. Ipse illius textum legatur.

62 Propositio quarta. *Papebrochius Christi paupertatem impugnat, docendo eum usque ad 30. annos pauperem non fuisse. Cui doctrinæ obstat paupertas stabuli, præsepis paupertas, paupertas stipularum nativitatis, & quod se Matth. 8. ait ipse Mundi Salvator: Filius ho-*

[1] Legatur *Exhibitio Errorum*, & *Motivum juris* Fr. Sebastiani a S. Paulo, & *Delationes* Castellano Sermone impressæ & editæ. [2] Vincentius Lirin. c. 14. *Horreo dicere, sunt enim tam superba, ut ne refelli quidem sine piaculo posse videantur*. [3] Motivo juris n. 77. 78.

ramos non habet, ubi caput suum reclinet. Papebrochius neque inficiatur, neque inficiari potest Christum Dominum a nativitate in stabulo, in præsepio, in stipulis nobis mirificæ paupertatis exemplum præbuisse; sed opinatur hanc eamdem paupertatem, quam exercuit, publice non professum esse totius dominii ac proprietatis abdicatione usque ad 30. annos, quando Evangelicæ prædicationis initium fecit. Quid hic nota dignum apparet?

63 Quinta Propositio. *In dubio ponit Papebrochius historiam Assumptionis Virginis Mariæ, qualem nobis proponit Ecclesia*. Accusator Papebrochium non intellexit, aut intelligere noluit. Papebrochius tractatum Eutychianum de mysterio Assumptionis Dominæ nostræ suspectum, aut apocryphum autumavit, atque in hoc eruditorum in historia Ecclesiastica censuram secutus fuit. Non proinde ipsi in mentem venit negare veritatem Assumptionis Sanctissimæ Virginis, qualem nobis proponit Ecclesia. Sique dicatur ipse aliter loqui, est perspicuus error illi alteri valde similis, quod Papebrochius esse apocrypham doceat historiam inventionis Crucis, quam die tertio Maji Ecclesia colit. Cur hoc? Quia Papebrochius esse apocrypham docuit historiam Inventionis Crucis, qualem nescio quis Judas Cyriacus narrat. Ad ejusmodi accusationes respondebimus? Regi scribit Dux generalis valde accurata narratione eventum prælii & victoriæ. Alii ex eodem exercitu contraria scribunt. Rogo. Qui has secundas vulgares notitias contempserit, & fabulosas vocaverit, num sine falsitate dici poterit contemnere quoque, & fabulosam vocare narrationem, quam Dux generalis ad regem miserit?

64 Sexta Propositio. *Papebrochius affirmat S. Prophetam Eliam induisse vestem mollem & Sericam ex Cameloto*. Id dumtaxat ex ignorantia & quidem deplorabili oritur. Affirmavit Papebrochius zonam pelliceam & melotam, qua S. Propheta induebatur, confectam fuisse rudi panno ex villis caprinis in Syria contexi solito, illumque nominat Syricum, utpote in Syria elaboratum; atque observat haberi alium pannum Syricum molliorem ex eisdem villis caprinis contextum, eique similem, quem in nostra Europa Camelotum appellant. Quid judicavit mirabilibus notitiis suis Accusator? *Syricum* idem esse ac *Sericum*, quod Latine telam Sericam significat, & Papebrochium dixisse Eliam induisse Syricum molle ac pellucidum Europeo Cameloto simile, dum solum dixerit induisse rude Syricum ex iisdem villis caprinis perpetuo confectum. Si nostri Patres suam miseriam agnoverint, quomodo violationis decreti Urbani VIII. vetantis titulo Beati decorare Beatos non declaratos ab Ecclesia P. F. *Vox veritatis* accusabit Papebrochium eo quod in funebri panegyri laudabiliter memorandi Henschenii antecessoris sui eum *Macarion* nominarit, & hæc Græca vox *Beatum* significet? Quasi vero vox *Beatus* pariter felicem & fortunatum non significaret. Cogitarine potest risu dignior accusatio?

65 Septima Propositio. *Papebrochius religiosissimos Patres Carmelitas vocat hæreticos, schismaticos, & ramos a suo trunco recisos*. Magna cæcitas primi accusatoris, ac reliquorum illi adhærentium! Vocat Papebrochius hæreticos, schismaticos, & ramos a suo trunco recisos Orientales illos Monachos Græci ritus erroribus involutos & schismate, quo separati a legitimo Ecclesiæ visibili capite Romano Pontifice Christi Vicario degunt. Additque idem Papebrochius sacram religionem Carmeli a glorioso Patriarcha S. Alberto anno 1200. institutam, legibusque instructam non decere hæreditarium descensum suum a S. Propheta Elia continuare per illos Monachos hæreticos, schismaticos, qui tot sæculorum cursu rami a suo trunco separati existunt. Quis hoc neget? quæ in hoc injuria, aut vituperatio præclaræ Religionis Carmelitanæ à S. Alberto fundatæ, quæ illorum schismaticorum Monachorum Græci ritus gressum non sectatur? Nonne sacro Ordini magni P. S. Basilii idem accidit?

66 Octava Propositio. *Papebrochius Hispanæ nationi & Hispanis historiis injuriosum se exhibet. Siquidem improbat, vel fabulosas vocat vetustas earum traditiones, veluti S. Crucem Caravacæ, plures admirabiles casus vitæ nostri S. Regis Ferdinandi, & S. Secundi Episcopi ac patroni Abulæ, aliaque id genus, quæ in Martyrologio Tamaji, in historia Dextri, in Luitprando, in Juliano &c. leguntur*. Huic accusationi, cui tantum insistunt reverendi Delatores, perfacile satisfacere non nequibunt omnes viri eruditi mediocri non carentes Hispanicarum rerum studio, quarum RR. Delatores tam parum peritos se ostendunt. Nisi forte se excæcare voluerint cupiditate invidiam Papebrochio apud Hispanos conflandi, quod soli ipsi noverint. Vix ullus hodie est Criticus, qui non notet tamquam nullius auctoritatis auctores suppositios & fabulosos Dextrum, Luitprandum, & Julianum, & plurimas Martyrologii Tamaji narrationes, ut præter alios multos Eminentissimus Cardinalis de Aguirre, & doctissimus Nicolaus Antonius in sua Bibliotheca præcipue n. 395. demonstrant. Decora nostri S. Ferdinandi nullus exterus Historicus melius quam Papebrochius illustravit, probando reginam Berenguelam ejus matrem fuisse filiam natu majorem, & minorem natu fuisse Reginam Blancam gloriosi S. Ludovici Galliæ regis matrem, Gallorum & nonnullorum Hispanorum Historicorum opinioni contrarius. Non admittit dumtaxat concors testimonium Auctorum acta S. Ferdinandi scribentium, & asserentium miraculum universe creditum, imaginem scilicet nostræ Dominæ Regum esse opus Angelorum manu elaboratum, qua in re opinione dividi Scriptores nostri videntur. De Sanctissima Caravacensi Cruce semel atque iterum profitetur Papebrochius *se nequaquam de miraculo dubitare, quo eadem Crux ab Angelis Caravacam lata fuit, quin hæc veritas disputationi subjiciatur*. Nihilominus ajunt nostri PP. Delatores hoc magnum S. Crucis miraculum a Papebrochio apocryphum existimari. Quare? quia apocryphas existimat plures novas historias, quæ alias narrationes addidere & miracula, quarum circumstantiæ fabulæ speciem præseferunt. Hoccine est prodigiosam Caravacensis S. Crucis existentiam negare? Sapientissimi Delatores semper illi tam firmo inhærent principio, quod quisquis veluti apocrypham refellit aliquam prodigiosi eventus narrationem, simul eam esse

apocry-

apocryphas omoes ejuicem eventus historias: quod est mirandum principium. Hac via incedendo refutans ceu apocryphum cum Gelasio Papa & cum universa Ecclesia quintum Evangelium eadem opera apocryphas censet quatuor SS. Evangelistarum historias. Assidue sese admirabilem ostendit RR. PP. Delatorum sapientia. In nobili oppido Caravaca nemo est, qui de miraculo delationis illius Sanctissimæ Crucis per Angelos tantillum dubitet: at utrum, ut vulgo dicitur, eodem tempore eadem Crux pectorali Hierosolymitani Patriarchæ defecerit, utrum sit ex sacro ligno Crucis, in qua Christus obiit, an vero ex aliqua alia, & ex qua alia materia Angelorum manu effecta fuerit, in nobilis oppidi Caravacæ annoalibus, vel tabulariis nihil certi extat.

Ad accusationem de S. Secundo Abulensi Episcopo respondetur Papebrochium tantummodo dubitare, an juxta Breviarii Lectiones fuerit martyr, & cum Leone X. propendet ad credendum eum fuisse Confessorem, quod non videtur gravissimum piaculum.

Brevitatis ergo missa facio alia innumerabilia exempla minimi vigoris, quo doctissimi Delatores in Papebrochium recto collineantes præ visus iniquitate omnibus fere ictibus errarunt. Quod ad suos accusatores attinet Papebrochio imitari licuisset Philosophum Stratonicum, qui imperito jaculatore sagittas in signum vibrante se in ipso signo constituit, causam afferens: quia in signo ab ictus periculo erit securior: *Ne me feriat*.

Apud Nicomb. De oro volent. l. 4. c. 6.

§. XVI.

67 Ex hactenus disputatis non ægre D. T. intuebitur [1], quam immerito scandalosum fragorem in Papebrochium tam præcipitibus accusationibus effecerunt RR. PP. Carmeli. Quæ res clarius demonstrabitur, quando Mundo satisfactio amplior exhibebitur, & major, quam ut hujusmodi libelli brevitas patiatur. Quamquam arbitror me complevisse ejusdem libelli præcipuum assumptum Collyrii porrigendi contra voluntariam cæcitatem, quæ in eruditissimo P. Daniele Papebrochio existentia videre noluit, ideoque ad infelicem transierit cæcitatem, qua in ipso non existentia vidit contra ejus quatuordecim tomos tam horrendas accusationes congerendo, ex illisque occasionem capiendo [2] totum sacrum Societatis corpus tam scandalosis satyris feriendis.

68 Nemo non rudis nescit sacram Societatis Jesu Religionem non esse hæreditario ab Elia descensui, quem RR. PP. Carmelitæ sibi vendicant, peculiariter infensam; in quo admodum reverendæ Paternitates manifestam æquivocationem subeunt. Hinc si Jesuitæ faciem exposuerunt, id non Carmeli postulationibus obstituri præstiterunt, sed fratrem suum optime de Societate ac de universa Ecclesia meritum Danielem Papebrochium hæresis macula abstersuri. A S. Propheta Elia, & altius etiam descendant Carmelitæ, per Societatem Jesu licet, neque hæc unquam contradicit, neque contradicere fuit istius libelli finis. Unice optatur, & flagitatur, ut PP. religiosissimi sanctæ Reformationis majori moderatione, ac meliori exemplo celebrem hanc suam controversiam tractent.

69 Maximi momenti animadversionem omittere nequeo. Aspexit Mundus diligenter exaratam syngrapham a reverendissimo Provinciali Societatis Jesu Regi nostro oblatam contra silentium a Reverendissimo Generali Villalobos volitum. In ea syngrapha P. Antonius Beltran Toletanæ provinciæ Procurator generalis manifestas calumnias demonstrat, quibus Papebrochii Delatores ejus famam in maximis rebus deturpant. Cum usquequaque tot Satyræ, totque famosi libelli, ac potissimum qui falso inscribitur *Vox Veritatis*, dispersi fuerint, animadvertunt Cordati omnes nullum istorum libellorum suscepisse onus satisfaciendi, aut respondendi tot gravibus punctis, in quibus eorum auctores tanquam injusti accusatores convincuntur. Quo circa hoc efficax dilemma conficio. Vel RR. PP. Carmelitæ se gravis calumniæ crimine esse convictos agnoscunt, vel secus. Si id agnoscunt, cur Mundo pro tam pravo exemplo, ac Papebrochio pro tam enormi injuria non faciunt satis? Si secus, cur P. Antonio Bertran non respondent, nec probant subsistere culpas, quibus Papebrochium accusant, ideoque se falsos accusatores non fuisse? Nonne hoc silentium non indagari ingenue veritatem evidanter ostendit? Nonne persistentis & cacæ conjurationis vehementem suspicionem ingerit? Quid significat P. Antonium Beltran respondisse ad *quatuor nugas*, & *quatuor culpeculas*? Nugæne sunt tot gravissimæ calumniæ aperte demonstratæ? Culpeculæ ne sunt irreverentiæ adversus catholicam Ecclesiam, blasphemiæ, hæreses? Profecto extremo die culpeculæ non putabuntur, neque eas *Syriens non Sericus* sanctæ Reformationis pannus tegere valebit.

Quandoquidem existimo, mi Domine, esse nunc valde opportuna fortia illa verba patientissimi Job de illis suis falsis molestisque amicis locuti, eisdem verbis hunc libellum absolvam, e quibus RR. PP. sanctæ Reformationis excerpent, quod sibi libuerit.

JOB 13. 7.

Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos? ℣. 8. *Numquid faciem ejus accipitis, & pro Deo judicare nitimini* ℣. 9. *Aut placebit ei, quem celare nihil potest? Aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis?* ℣. 10. *Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.*

[1] D. Nazianz. Orat. 33. *Et vero utinam sicut linguam volubilem habent, atque in nobilioribus & probatioribus verbis insectandis acrem & vehementem. Sic etiam in agendo nonnihil saltem aut etiam æque operam collocarent. Id quod si facerent, minus utique cavillatores essent, neque tam absurde, atque insolenter in verbis, perinde atque in aleæ ludo versarentur.* [2] Philo de præm. & pœn. *Si præ insania rabidi ruant in bellum, pertinaciter tantisper dum congrediantur, durabit audax superbia: ubi vero ad conflictum venerint, discent inanem fuisse suam jactantiam, & frustra conceptam spem victoriæ.*

EXAMEN
JURIDICO-THEOLOGICUM
PRÆAMBULORUM
ADM. R. P. SEBASTIANI A S. PAULO

ad Exhibitionem errorum,

Danieli Papebrochio S. I. T. ab eo imputatorum.

AUCTORE NICOLAO RAYÆO

ejusdem Societatis similiter Theologo.

AD LECTOREM.

SAnctus Gregorius, Nyssenus Episcopus, de libris pro Basilio contra Eunomium edendis fratrem suum Petrum Sebasteoum Episcopum consulens, sic scribit: *Sæpius interpellatus a multis, qui aliquo veritatis zelo tenebantur, quod fama jam, nescio quomodo, vulgaverat, me adversus blasphemum Eunomium refutationem confecisse; e re fore judicavi, ante omnia te super hoc consiliarium uti; num scilicet opus evulgandum, an aliud consilium capiendum sit. Quod ancipitem me reddit, est illud. Cum, sub ipsam S. Basilii mortem, librum Eunomii accepissem; corde adhuc desiderio illius æstuante, & ob communem Ecclesiarum calamitatem admodum dolente; Eunomius autem non solum ea, quæ ad sui dogmatis perversitatem stabiliendam conducunt, attulerit; sed plus diligentiæ in conviciis adversus Patrem nostrum ejaculandis studiosa posuerit; exasperatus contumeliis ab eo effusis, alicubi nonnihil iræ & bilis contra scriptorem ostendi. Cum autem plerique aliam fortassis persuasionem habeant, quasi eo simus ingenio, ut eos, qui petulanter contra nos insurgunt, æquo & patienti animo sustineve, & ex disciplina S. Basilii moderationem in moribus, quoad licet, exhibere soleamus; metui, ne ex his, quæ contra hunc adversarium scripsimus, lectoribus novi appareremus, tanquam qui ad calumniatorum convitia facile inflammemur. An forte, ne tales habeamur, objiciet, quod non pro nobis, sed pro probrosis in Patrem nostrum dictis irascimur? Nam in ejusmodi rebus majorem forsitan veniam meretur succensere, quam moderate agere. Si vero primordia orationis quasi a certamine aliena existimantur, spera eum, qui judicio pollet, non gravate orationis nostræ institutum probaturum. Neque enim decebat, ut magni Basilii famam & existimationem, ab adversario maledice laceratam, indefensam relinqueremus. ..... Turpe enim & generoso animo prorsus indignum arbitrati fuimus, cum hostes suam absurditatem non occulerent, nos veritatem non liberrime profiteri.*

Ad hæc S. Petrus, inter alia, sic respondet: *Bilis & acrimonia orationi inspersa, salis vicem & gratiam sensibus animæ præbet .... Bono igitur animo esto, ceu præclarum exemplum posteris factus, quomodo probos filios, erga bonos parentes, affectos esse oporteat.* Ante dixerat: *Videtur ille ab initio homicida, qui in Eunomio locutus est, contra seipsum accurate gladium exacuisse.* Sic Sancti illi ad invicem. Sed an non possum ego, paucis mutatis, hæc eadem cum Nysseno dicere, dum paro hocce opusculum pro Rev. P. Papebrochio edere adversus Rev. P. Sebastianum a S. Paulo? Sane in iisdem fere scriptum est adjunctis; in uno tamen valde dissimilibus, quod Eunomius Cyzicenus Episcopus, Basilii insectator, novam hæresim mundo invehens, pro ea decertaverit; Pater vero Sebastianus, Ordinis sui Carmelitani Provincialis, Papebrochii accusator, veterem quatuor seculorum de Eliana successione opinionem conatus fuerit propugnare; tam in hoc excusandus, si solum id egisset; quam ille execrandus, etiamsi Basilium non fuisset insectatus; & ideo quam unus meruit odium orthodoxorum omnium, ex eo quod solus peccavit; tam alter, in eo quod cum multis erravit, dignus est commiseratione potius quam increpatione. Sed si Eunomio, in Patrem Nysseni spiritualem maledicta jaccenti, potuit hic irasci, imo & acerbe ita cum scribere, quamvis ille esset Episcopus; potui ego in Sebastianum, singulis fere paginis convitiatorem aut calumniatorem commoveri Papebrochii Discipulos. Non extant quidem Eunomii libri, nec nisi ex Nysseno divinare possumus, quomodo ille Basilium habuerit; sed extant, & toto Christiano orbe vulgati longe lateque sunt libri P. Sebastiani, quibus Papebrochium explodit ut ignorantem, traducit ut mendacem, defert ut hæreticum; & si quid his pejus est. Hæc, Erudite Lector, considera & cogeris mihi respondere eadem, quæ Petrus supra respondit fratri suo Gregorio; imo ubi opusculum meum totum perlegeris, cum eodem dices: *Videtur ille ..... qui in P. Sebastiano locutus est, contra seipsum accurate gladium exacuisse.*

PRÆFATIO.

Adm. Reverende Pater Sebastiane

QUamquam R. P. Papebrochius Tibi tam plene cumulateque responderit, ut tulerit omne punctum, & nemo sit æquus rerum æstimator, qui non damnet Tuam in accusando inconsiderantiam & temeritatem: tamen cum ipse, festinans ad rem venire, prætermiserit respondere ad tua quinque Præambula, ego ad hæc examinanda prosilio: non quod magni momenti instar habeant, sed quod sic præterita silentio, aliquam Tibi Tuisque gloriandi materiam relinquere videantur. Etenim, quemadmodum naufragi jam, & in mediis natantes fluctibus, etiam putridam tabulam & quidquid fors manibus obtulerit, avide arripiunt ad enatandum; sic & Vos, Papebrochii Responsionibus obruti, hoc unicum ipsius silentium fortasse arripitis, ut imperito vulgo persuadeatis, vim vestrarum accusationum nondum esse debilitatam. Et certe, Pater admodum Reverende, Tu ipse mihi videris, jam inde ab initio, omne in istis Præambulis collocasse præsidium, quoniam *generalia* dicis esse *principia, quibus se omnis probus & sincerus veritatis amator; in describendis Sanctorum gestis & actis, nec non aliis quibusvis sacris historiis, conformare tenetur*.

2 Hæc igitur causa est, cur Præambula ista a P. Papebrochio fuisse refellenda semper duxerim. Quia autem eum diutius a prosequendis Sanctorum Actis evocari nulli nefas esse censeret, propterea ego, recens ipsi adjunctus socius, hanc suscepi provinciam. Qua in re etiam Tibi, R. P. Professor, gratum fecisse me autumo: nam Te tam duro liberavi Adversario. At vero, quantum hic Tibi erigitur animus, tantum mihi deprimitur: quippe cum considero Tuum cavillandi criminandique artificium, tum primum intelligo, quam arduum opus & periculosæ plenum aleæ aggrediar. Quid enim tibi potest esse facilius, quid magis in promptu, quam me (hic præsertim ubi de rebus, in quibus falli potest Ecclesia, differendum est) falso insimulare hæreseos, vel certe violatæ reverentiæ, sicut Papebrochium insimulasti tam sæpe? Id vero ne possis tam commode, neve magnopere noceat accusatio mihi Tua, visum fuit hic Tibi meam de Pontificis sive Ecclesiæ auctoritate declarare sententiam. Eo enim semper potero Lectorem remittere, si me læsæ Pontificiæ auctoritatis reum agere conatus fueris. Arrige itaque aures, R. P. Professor.

3 Fateor ego, atque etiam profiteor, & præ me fero, Pontificem Romanum, vel sine Concilio œcumenico, errorem nullum admittere posse in dirimendis Fidei controversiis; neque in sensu librorum hæretico catholicove declarando; neque in condendis decretis morum: neque in approbandis Religiosorum Ordinibus; nec denique in Sanctis canonizandis. Verum in particularis facti quæstionibus, quæ ex hominum testimoniis decidendæ sunt, errare posse Summum Pontificem, teneo & constanter assevero, cum Jurisperitis omnibus Theologisque, qui id ipsum sæpe testati sunt. Inter alios Alexander III. *in cap. 5. de Rescriptis* ait; Patienter sustinebimus, si non feceris, quod fuerit prave nobis insinuatione suggestum. *Et in cap. 29. de sententia excomm.* dicit Innocentius itidem III. Judicium Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli. Ubi Pontifex agit de illo, qui sententiæ excommunicationis irretitus ob Clerici percussionem, aliqua in mortis articulo dederat argumenta pœnitentis animi, & subjungit: *Sæpe contingit, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum, Ecclesiæ sententia sit innodatus*. Ob eamdem rationem Eruditissimus D. Nicolaus du Bois, quem Lovanii vidimus consuli ab omnibus, tamquam utriusque Juris oraculum, scribens in Actus Apostolorum *qu. 15. art. 9.* ait: *Nihil notius est, quam quod sæpissime in impetrationibus dispensationum, beneficiorum, officiorum quoque ecclesiasticorum, supplicantes diversimode imponant Pontificibus, sicut in materiis temporalibus imponunt Regibus. Ac propterea adversus illos emanarunt plures Ecclesiasticæ Constitutiones, ut cap. 8. 19. 27. 42.* de Rescriptis: *& expressi in Imperatorum legibus titulis:* de precibus Imperatori *offerendis, Si quis contra jus vel utilitatem publicam*.

4 Reverende Pater, censeo fieri posse, ut tibi mihi non venias in mentem Brevis illius Apostolici, in quo Clemens X. commemorat, PP. Carmelitas Discalceatos imposuisse Decessori suo Clementi IX. quando ei retulerunt, quod *a civibus & incolis loci de Bilbao desideraretur nova fundatio* (Conventus Ordinis sui) *& quod reditus, ex legato seu hereditate Mariæ de Aguirre provenientes, & civium pietas, ad alendos duodecim Fratres sufficere possent?* Profecto locus est, qui in hanc rem conveniat quam qui maxime. Nihilominus imperavi egomet mihi illum prætermittere, tum quia solo in hoc ulcere tamquam unguis existere; tum etiam quia quæ attuli usque adhuc, satis convincunt, non esse Pontificem in particularis facti quæstionibus falli nescium, neque exigere ut talis habeatur. Scio quidem ignorantiam hujusce rei in S. Theologiæ Professorem cadere non posse; sed quoniam ista scribo etiam aliis, qui in Theologico pulvere versati non sunt, necesse erat, ut locos saltem aliquos in medium adducerem. Noli ergo putare, me id eo egisse, quod scientiæ Tuæ theologicæ diffiderem. Novi enim legisse te apud D. Thomam, Quodlib. 9. Art. 16. *In sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est judicium Ecclesiæ errare, propter falsos testes.*

5 Jam vero dic mihi, amabo, quid sunt Sanctorum Acta (ago de Actis illis, quæ non sunt Ecclesiæ divinitus patefacta vel explicite vel implicite) quid, inquam, sunt Sanctorum Acta, nisi quæstiones particularium factorum? Certe ex nudis hominum testimoniis ea dirimenda sunt, non ex litteris sacris Apostolorumque traditionibus, ut constat. Quid igitur consequens est, nisi in iis labi posse Pontificem? Atque hoc plus etiam satis videtur esse ad intelligendam tuorum Præambulorum falsitatem. Veruntamen

ne contemptum Te a me putes, juvat omnia quinque examinare aliquanto uberius. Quod dum facio, decretum est mihi longe recedere ab pseudo-Eliano spiritu, id est, Te habere multo clementius, quam Tu P. Papebrochium habuisti.

PRÆAMBULUM PRIMUM.

Summorum Pontificum Bullis aliisque Litteris Apostolicis summa debetur a Catholicis deferentia, fides & observantia humana.

E X A M E N.

Gaudeo, R.P. Sebastiane, quod hic in ipso examinationis aditu sese offerat occasio ostendendi fidelitatem meam. Etenim si ego hoc tuum Præambulum vellem, non dico jam fraudulenter immutare (sicut Tu propositiones Papebrochianas plus vice simplici immutasse convinceris) sed tantum intelligere prout ipsum jacet, non habita ulla ratione adjunctorum, an non possem illud traducere tamquam erroneum, suspectum, scandalosum, & piarum aurium offensivum; & in Te tam atrociter debacchari, quam Tu debacchatus es in P. Papebrochium? Certe nihil mihi fuerit facilius.

7 Agedum, faciamus periculum. Tuum hoc Præambulum indefinitum est & doctrinale, ut loquuntur Dialectici, atque adeo universaliter accipiendum; perinde ac si dicat: *Omnibus summorum Pontificum Bullis, aliisque litteris Apostolicis omnibus, summa debetur a Catholicis deferentia, fides, & observantia humana*; ubi τὸ *humana* non solum observantiam afficit, verum etiam fidem; id quod negari haud potest. Hinc sequitur ineluctabiliter: Ergo etiam Bullis Pontificum, aliisque Litteris Apostolicis, continentibus materiam fidei, summa secundum Te debetur a Catholicis fides humana. Subsumo: Atqui Bullæ Pontificum aliæque Litteræ Apostolicæ, continentes materiam fidei, sunt ipsa puncta fidei: sic enim Episcopi Galliæ data ad S. Leonem litteris profitentur, *se Apostolica illa Scripta* (quibus Leo hæresim Eutychetis damnaverat) *tamquam symbolum Fidei suscepisse*. Ergo secundum Te, punctis Fidei summa debetur fides humana. Subsumo iterum: Atqui humana fides, etiam summa, non est divina, nec supernaturalis, nec meritoria, nec certissima, neque talis, *cui non potest subesse falsum*. Item (nisi forte Semipelagianam sectaris hæresim) *non est humanæ salutis initium & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*. Hujus subsumpti veritas patet, in promptuque est omnibus. Ergo fides, quæ secundum tua principia punctis Fidei debetur a Catholicis, non est divina, nec supernaturalis, nec meritoria, nec certissima, neque talis *cui non potest subesse falsum*, contra ac exigit Tridentina Synodus Sess. 6. cap. 9. Item contra eamdem Synodum Sess. 4. cap. 8. non *est humanæ salutis initium & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*. Vide, R. Pater, quo te possim redigere: sed juvat progredi longius.

8 Ex Præambulo tuo, universim accepto, sequitur, ut a Catholicis fides humana debeatur punctis Fidei, quemadmodum jam ostendi. Ergo sequitur ulterius, ut Fidei puncta non sint patefacta a Deo, quia a Deo patefacta si sint, jam fides divina ipsis debebitur, nullo modo humana. Ergo puncta Fidei patefacta sunt a nudo homine. A quo autem homine? Certe, P. Sebastiane, Christianus cum sis, non potes non fateri pleraque Fidei puncta esse patefacta a Christo. Ergo debes assentiri Theodoto Coriario, Paulo Samosateno, aliisque hæresiarchis, & Turcis ipsis, Christum esse nudum hominem omnisque divinitatis expertem: & sic magis impius cogeris esse quam Ariani; qui licet Christo divinitatem ademerint, numquam tamen eo progressi sunt, ut aliquid ponerent, unde eum esse nudum hominem sequeretur. Ergo ulterius debes admittere, Beatissimam Virginem, quam veneraris Carmeli Præsidem, non esse Θεοτόκον sive *Dei genitricem*. Item Sacrosanctæ Eucharistiæ non esse tribuendum cultum latriæ. Mitto deducere ceterorum corollariorum portenta, quia jam nunc, (ut Catholicum decet) exhorruisti, steteruntque comæ; & universim acceptum Præambulum, ex quo ceu vitiato fonte illa profluunt, pietas tua Catholica ultro jam execratur, secundum prudens illud S. Augustini monitum lib. 2. de adulterinis conjugiis: *Muta antecedentia, si vis cavere sequentia*.

9 Quid jam tibi videtur, Reverende Pater? An si ego tua vellem premere vestigia, non possem potiori jure tibi hæreticos dicam scribere? An illa impia, blasphema & hæretica corollaria non possem invidiose amplificare, adductis Pontificum decretis, sanctionibus Conciliorum, & SS. Patrum auctoritatibus? An non possem in Te bonorum omnium concitare odium? An non possem etiam suspicionem multis injicere, te non refugere ab admittendis illis tam detestandis corollariis? Ad hoc ultimum consequendum, dicerem, Te (verene an falso, dijudicent Tui) esse acerrimo ingenio Professorem, optimo judicio, prudentia admirabili, Theologiæ scientia prope Angelica, summa argutandi peritia, adeo ut fidem facerem non posse prudenter præsumi, talem ac tantum Sacræ Theologiæ Professorem ignorasse, quod ea corollaria delitescerent in eo primo Præambulo, veluti in semine ac radice? Sed religio mihi major est, quam ut me tali flagitio alligem. Quapropter gaude, Pater Reverende, & ego gratias Deo immortali, quod Tibi tam fidelis obtigerim adversarius, qui non tantum non sum in tuas iturus aties, verum etiam, sensum Præambuli tui explanaturus Catholicum. Audite igitur omnes, quibus veritas cordi est.

10 Primum illud P. Sebastiani a S. Paulo Præambulum, *Summorum Pontificum Bullis aliisque Litteris Apostolicis summa debetur a Catholicis deferentia, fides & observantia humana*, etiamsi indefinitum sit & doctrinale; non tamen universaliter intelligendum est, sed tantum particulariter, ita ut sensus sit: *Aliquibus summorum Pontificum Bullis aliisque Litteris Apostolicis, iis videlicet quibus non continetur materia divinæ fidei, summa debetur a Catholicis deferentia, fides & observantia humana*. Id quod quod patet, tum ex adjunctis Personæ apprime Catholicæ, tum etiam ex serie & contextu totius operis. Ecce Reverende Pater, quam ego

sim

sim fidelis, quam candidos, quam sincerus, &, ut verbo dicam uno, quam dissimilis Tui.

21 Hic mihi videor videre Te triumphantem & gaudio gestientem incredibili, non tam propterea quod me adversarium nactus sis, quam quod tuum Præambulum hoc sensu explicatum admitti a me putes. Sed erras, mi Pater, & vehementer quidem erras, nam & hoc quidem sensu explicatum Præambulum abest a vero. Ut autem a me plane admittatur, & verum sit universim, addendæ sunt illæ particulæ, Tibi S. Theologiæ Professori non incognitæ, *Ordinarie, & per se loquendo*. Quippe occurrunt interdum gravissimæ rationes, cur talibus Bullis aliisque litteris Pontificiis fides humana adjungi non possit. Quid enim? An Discalceati illi Carmelitæ in Hispania, qui sibi satis erant conscii, *novam fundationem Conventus Ordinis sui a civibus & incolis loci de Bilbao non desiderari*, debebant postea humana fide credere oppositum, quia id Litteris suis Apostolicis inseruerat Clemens IX.? At vero, cum istius exempli usu mihi ipse interdixerim, afferam potius aliud. Si tu, Admodum Reverende Pater, solita tua arte me innocentem Romæ criminatus fuisses, quod æterni nominis furens libidine, tamquam alter Erostratus, incenderim Archivum, in quo reservabantur authentica hereditariæ vestræ ab Elia successionis instrumenta; an deberem ego fidem humanam habere litteris Apostolicis, in quibus Pontifex me hujusce criminis reum pronuntiaret, ob eamque causam excommunicationis feriret fulmine? Non adeo fungus es, ut ita sentiae. Etenim (nisi præter Scholæ vestræ Principem Franciscum Bonæ-Spei nullos alios inspexeris Theologos) scis, quid hi tali eventu faciendum suadeant.

22 Sed quia forte non æque scis, quid in jure Canonico sanciatur, non gravabor subjungere ea, quæ Alexander III. cap. 5. *de Rescriptis* scribit ad Ravennatem Archiepiscopum. *Si quando aliqua Tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotii, pro quo Tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod pravo nobis fuerit insinuatione suggestum*. Cernit itaque, Pater Reverende, quam non universaliter adstrui possit tua propositio, licet accipiatur eo sensu, quo eam supra interpretatus sum. Atque hoc vel ex tuis ipsius dictis confici cogique potest: sic enim habes n. 7. *Universi probi Catholici, etiamsi contenta in Bullis aliisque Litteris Apostolicis non sint fide divina credenda, aut physice certa, iis tamen omnem deferunt reverentiam, fidem & observantiam, adeo ut similia in dubium vocare non audeant; supponentes, omnia in illis contenta moraliter certo esse vera, donec evidenter demonstretur contrarium*, sicut E. C. contigit in negotio illo Carmelitico, cujus mihi ante indixi silentium. Animum adverte ad ultima ista verba: *Donec evidenter demonstretur contrarium*. Ex quibus colligitur, ne Te quidem exigere, ut ne unquam fides Litteris Apostolicis denegetur. Cur igitur tam sine ullis limitibus posuisti hoc tuum primum Præambulum: *Summorum Pontificum Bullis aliisque Litteris Apostolicis summa debetur a Catholicis deferentia, fides & observantia humana?* Profecto positionem restringendam non restringere, Professorem haud decet, præsertim emeritum.

23 Sed da gloriam Deo, Reverende Pater. An non mulctaberis, ita indefinite loquendo, fucum facere, & hæc restrictio Tibi incauto postea excidit? Ut ut est, ea, quæ in Litteris Pontificum continentur, doces non esse credenda tum, cum evidenter constat de contrario. At quomodo hæc tua doctrina congruit illis, quæ num. 2. & sequentibus operose adduxisti ex Jure Canonico? Sic ibi loqueris: *Calixtus Papa primus dist. 12. Can. 1. Universos hortatur Catholicos, ne membra recedant a Capite, quod est Romanus Pontifex. Quod S. Gregorius commendat dist. 4.* (potius dixisses *eadem*) *can. 2. Si Sanctæ Dei Ecclesiæ desideretis habere communionem. Adeoque a Bullis aliisque Litteris Apostolicis probo Catholico nullatenus est recedendum, imo ne quidem ad latum unguem ..... Et ne quis præsumat ista solum esse intelligenda de Litteris Apostolicis, materiam fidei divinæ & mores salutares concernentibus, audiat Leonem V.* (debuisti IV. dicere, Reverende Pater) *causa 25. cap. ideo 16. q. 1. dicentem: Ideo permittente Domino Pastores sumus effecti, ut quod Patres nostri, sive in Sanctis Canonibus, sive in mundanis affixere legibus, excedere minime debeamus. Deinde dist. 19. can. 2. universaliter dicitur sic: Omnes Apostolicæ Sedis Sanctiones ita accipiendæ sunt, tamquam divina voce Petri firmatæ. Quare, causa 25. cap. nulli 4. q. 1. omnibus & singulis dicitur: Nulli fas sit, sine status sui periculo, vel divinas Constitutiones, vel Apostolicæ Sedis Decreta temerare*.

24 His ita constitutis, quæro ego ex Te, P. Professor, *an membra non recedant a Capite*, etiam tum, cum Catholici non credunt Pontifici, dicenti in Litteris Apostolicis aliquid, quod evidenter demonstratur esse falsum? Certe in tali eventu Pontifex manet Ecclesiæ Caput, & reliqui Catholici manent membra: nisi forte dicas Pontificem non esse Pontificem, dum ex falsa relatione decipitur; quemadmodum dixit Wicleffus, in Constantiensi Concilio damnatus, nullum esse Pontificem, dum est peccati mortalis reus. Ejus articulus 15. ita sonat: *Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali*. Hujus pestilentis hæresis vel umbram exhorrescis, sat scio: nam ut motiva deessent alia, tamen hoc a Te impetraret institutio atque disciplina Waldensis. Ea propter non potes ire inficias, *membra* in casu proposito *recedere a suo Capite*. Id autem concedis in eodem casu esse licitum, ut supra vidimus. Ergo Tecum ipse pugnas, quando ista Calixti verba extendis etiam ad alias Litteras Apostolicas, quam ad eas, quæ materiam divinæ fidei & mores salutares continent. Si enim per ista verba vetet Calixtus, ut ne umquam membra a Capite recedant, profecto per eadem etiam vetat, ne recedant in proposito eventu. Qua igitur specie veri, qua religione Tu id tunc fas esse concedis? Fatere, Observande Professor, Te hic tuo ipsius jugulatum esse gladio. Fatere, verba Calixti Papæ non esse extendenda ad Litteras Apostolicas, in quibus dumtaxat quæstiones facti particularis dirimuntur. Sed quia aliqui hoc argumento ad hominem, ut vocant, fortasse contenti non erunt; idcirco juvat locos

eos juris exhibere integros, ut Lector dijudicare possit, quantopere a vero & genuino eorum sensu aberraveris.

15 Textus primus, qui abs te objicitur, extat distinctione ac canone supra citato, & sic habet: *Non decet a capite membra discedere; sed, juxta sacræ Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli vero dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater est omnium Ecclesiarum, a cujus vos regulis nullatenus convenit deviare.* Ubi observa, *a cujus regulis*, & cedo mihi obsecro, quis Theologus, quis Jurisperitus, quis sacrorum Canonum Interpres dicit, facta particularia, in Bullas Pontificum relata, esse regulas? Si non sint regulæ, ergo nec suas præcepta. Unde liquet, quam nihil ad rem facias textus ille alter Gregorii, abs te pariter assignatus, quamquam male citato loco. *Præceptis Apostolicis non dura superbia resistatur; sed per obedientiam, quæ a Sancta Romana Ecclesia & Apostolica auctoritate jussa sunt, salubriter impleantur; si ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis.* Huc iterum oculos, Pater Sebastiane, huc mentem; ut præter alia videas & consideres, dici: *Per obedientiam, quæ jussa sunt, salubriter impleantur*; non vero, *Per fidem saltem humanam, quæ narrata sunt, salubriter credantur.* Quo posteriori modo debuisset Gregorius loqui, ut perditæ tuæ causæ patrocinari a viro prudente censeretur. Ut autem tecum agam liberaliter, accipe ponderanda præterea illa verba ejusdem Canonis: *Si quis hæc Apostolicæ Sedis præcepta non observaverit, percepti honoris esse hostis non dubitetur.* Pondera hic denuo dici, *Præcepta*; non, *Narrata*; *Observaverit*, non *Crediderit*. Quæ jam tibi surgit sententia? An ullo intelligibili eorum dicuntur impleri narrata, sive observari?

16 Sed plus tibi præsidii constituisse putas in sexto tertio, ideoque eum adducis ad dilucidandos duos antecedentes; quam vero inepte, non facile dixerim. Nam si constituisses hic aliquem ex Jure textum transcribere, non habito ullo delectu atque discrimine, sed fortuito, non potuisses adducere alium, qui ad tui rationem instituti minus conduceret: quia dicit ibi Leo, quid Pontifices ipsi agere debeant, non quid alii Pontificibus subjecti Catholici. Age, verba ipsa revolve animo iterum iterumque: *Ideo permittente Domino Pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri, sive in sanctis canonibus, sive in mundanis affixere legibus, excedere minime debeamus.* Horum verborum sensus, licet clarus sit per se, tamen fiet clarior perlegenti hujus Quæstionis argumentum, quod hic describere non vacat. Sed gratis demus, subjectos Catholicos hic a Leone commonefieri officii sui, tamen nec hilum profecisti: eo quod denuo instituatur sermo de Canonibus & Legibus. Omnia autem illa, nominatim facta particularia, quæ in Pontificum scriptis tractantur, non esse Canones aut Leges, quis neget? Neque eadem ullo modo sunt divinæ Constitutiones, neque Apostolicæ Sedis Decreta, neque Sanctiones, neque Definitiones, neque Mandata. Unde patet luce meridiana clarius, te etiam duos posteriores textus, non nisi inepte & insulse ad stabiliendum tuum Præambulum protulisse potuisse, cum ibi de divinis Constitutionibus & Apostolicæ sedis Decretis Sanctionibusque agatur.

17 Atque hoc eodem argumento ostenditur, quam nullius ponderis sit illud, quod repetis ex S. Bernardo, de præcepto & dispens. cap. 12. *Sive Deus, sive homo Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto prosequendum est cura, pari reverentia deferendum.* Quamquam hic, per hominem Vicarium Dei, supremus Romanorum *Pontifex* non intelligatur. Nec iterum eodem capite: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum, quam si præcipiat Deus.* Hoc observasses & intelligisses vel accuratius, vel sincerius. Continuo enim subjungitur, *Uos tamen Deo contraria non præcepit homo.* Ergo S. Bernardus agit de Vicario Dei, qui potest Deo contraria & displicentia præcipere. Cum autem talia præcipere universæ Ecclesiæ vel magnæ ejus parti non possit supremus Pontifex, utpote in decretis morum labi nescius, quod consequens est, nisi ut & sanctus Doctor agat de alio Dei Vicario, & tu hunc locum perquam imperite alleges. Video quo te jactaturus sis. Dicea, hic agit Bernardus saltem de sui & cujusvis religiosi Ordinis Præsule. Itaque si huic, multo magis supremo Ecclesiæ Præsuli parendum est. Quis dubitat, Pater Venerande? Sed facta singula, quæ commemorantur vel supponuntur in Scriptis Apostolicis, esse singula præcepta, pernego.

18 Affers etiam illud Lucæ Capite 10. versu 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* *Quod Thomas Waldensis*, inquit, *late prosequitur tom. 3. de Sacramentalibus tit. de horis canonicis cap.* 20. Imbelle iterum telum & sine ictu, quemadmodum ex jam dictis patet, ideoque nihil attinet illud demonstrare pluribus. At, R. Pater, qua fronte addis, Thomam Waldensem hæc, loco a te assignato, late prosequi? Locum hunc, quantus quantus est, perlegi totum iterum atque tertio, neque tamen simile quippiam ibi inveni, ne per umbram quidem. Tua te levitas in hunc errorem rapuit: Viso enim citati capitis titulo, qui sic habet: *Quod Apostolica auctoritate statuenda fuit orandi forma in Clero, cum alternatione psalmorum, antiphonarum, lectionum, hymnorum & ceterorum*, statim judicasti verosimiliter hic residere aliquid, quod ad tuum pertinebat propositum, caput cursim ipsum legere neglexisti. Hoc tam levi nixus fundamento, ais Waldensem hæc late prosequi. Expende, Reverende Pater, quam benigna hoc ego interpreter, ne quid gravius de te suspicetur Lector. Et dic, amabo, an, si mihi arrogem tuam tuorumque petulantem licentiam scribendi, non possim te hic merito appellare *Conjecturalem Theologum*, quemadmodum Tui R. P. Papebrochium immerito appellarunt *Conjecturalem Historicum*. Convitii istius sibi conscios est Christianus del Marè, quem nonne æque ac P. Sebastianum pernovisti intus & in cute?

19 Sed non est meum, maledictum maledicto rependere. Ac proinde dumtaxat dico, loco Thomæ Waldensis e te nominandum fuisse potius Fr. Jacobum a S. Antonio, in *Append. Consultat. Resolut.* 2. *n.* 4. & 5. Quippe quos juris textus abs te allatos refutavi hactenus, eos omnes insigni prorsus plagio inde arripuisti; ita ut in iis citandis eumdem servaveris ordinem, easdem propemodum transitiones adhibueris, iidem denique admiseris erratum in scribendo

Leone

Leone V. pro IV. Vix me temperem, quin in vos accommodem illud Christi, Matth. 15. vers. 14. Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Neque vero dixeris, potuisse te prudenter credere Fr. Jacobo, utpote qui apud Vos famam jurisprudentiæ obtinet, eo quod ausus fuerit adversus duos Clarissimos Juris utriusque Doctores scribere, alterum Parisiensem M. Antonium Godefroy, alterum Lovaniensem Zegerum Bernardum van Espen. Ne, inquam, hoc dixeris: nam certum est quid respondeam. Quare attende. Inter alia, quæ ego jam fileo, idem ille Fr. Jacobus, duos Juris Canonici textus, quos supra ante alios omnes allegasti, restringit ad Episcopos, & recte quidem: hi enim & in Jure ipso restringuntur; tu vero eos extendis ad omnes Catholicos. Jam autem, si sua cuique in arte credendum sit, cur Fr. Jacobo non hic æque credidisti quam alibi? Illi & hic credidisti quidem, opinor; sed textus ita restricti non videbantur tibi ad fallendum Lectorem habere satis ponderis, satis momenti; idcirco eos perinde proposuisti, ac si ab ipsis illis Pontificibus ad Orthodoxos omnes dirigerentur. Noli itaque malæ tuæ fidei credulitatem, quasi velum aliquod, obtendere; & imitare benignitatem in te meam, quandoquidem hunc tuum lapsum non calligaverim superius, sicut res ipsa exigere videbatur.

20 Postquam Lectorem frustra, ut jam vidimus, circumisti, Pater Rev. ad Waldensem vestium, obtrudis exemplum S. Caroli Borromæi, de quo te postea conveniam. Nunc enim, ut in Juris textibus immoremur, visum fuit transilire ad numerum tuum 9. ubi dicis, *Quod eo fortius convincit intentum, quia Papæ judicium, Cælesta Arbitrium appellatur l. 1. in fin. c. 6. de sum. Trinit. & fid. Cathol.* Cardinales Tulchus tom. 6. littera P. conclus. 49. num. 87. *Et de eo dicitur, habere* IN SCRINIO PECTORIS *omnia jura, cap. 1. de constitution. lib. 6. Tiraquellus de nobilitate cap. 20. num. 41. & cap. 31. num. 537. Solum propter viros doctos, qui semper Papæ assistunt in Bullarum, diplomatum, aliarumque Litterarum Apostolicarum editione. Abbas in Cap. Cum ex litteris n. 4. versu quæstio. Nota, de restit. in integr.* Quid dixi decere illa te, Pater Reverende? Imo dicit Lezana tom. 1. Annal. ad an. 817. n. 7. unde hæc omnia ad verbum non sine horrendo plagio descripsisti. Igitur in gratiam Lezanæ respondebo ad singula. In primis, Legis primæ a te; *Hanc legem*, inquam, citatæ verba hæc sunt: *Christianam (Catholicam Religionem) sequentes, complecti; Christianorum tam Catholicorum nomen jubemus amplecti; reliquos vero, dementes vesanosque judicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere; divina primum vindicta, post etiam motus animi nostri, quam ex cælesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos.* Ubi autem hic ulla fit Papæ mentio? Ubi ejus judicium cæleste Arbitrium appellatur? An hæc significant verba illa, *Motus animi nostri, quem ex cælesti arbitrio sumpserimus*? Certe hanc significationem illis verbis subjectam esse, non dicit Paulus, nec Jason, nec Bartolus, nec Alciatus, nec Duarenus, nec Cujacius, nec Nævius, nec Salicetus, nec Mornacius, nec Antonius Fabri, nec Barbola, nec denique ulli alii Justinianæi Codicis interpretes, quorum mihi saltem videndi facultas fuit. Quid, quod Glossa, per illa verba videatur intelligere po-

narum infligendam hæreticis per sententiam Judicis vel Regis, ideo cæleste Arbitrium dicti, quia, inquit, cor Regis in manu Dei est. Veruntamen quod viri illi acutissimi & Juris peritissimi non viderunt in his verbis, hoc videre P. Lezana & P. Sebastianus a S. Paulo, duo Carmelitani lumina. O felix Ordo, cui tales Jurisconsulti obtigere!

21 Cardinalis Tulchus potuisset tam sentum cernere, ubi loco supra citato asseris Pontificem habere cæleste Arbitrium, ibi pro se non solum Panormitanum, sed etiam hanc Legem, quam vos affertis, citaturum, ut nunc facit; verum assentiris, inquies, Cardinali Tulcho judicium Papæ esse Arbitrium cæleste? Assentior, & mecum assentiuntur Catholici omnes, adeoque ad hoc persuadendum nihil necesse erat Jus civile adducere. At quid tu inde conficies? Memini, Reverende P. Professor, me aliquando exercitationis ergo hunc vel similem locum objicere Theologis paucorum mensium. Norant illi ritu academico ita distinguere. Judicium Papæ est cæleste Arbitrium, in definiendis fidei controversiis, concedo: in definiendis aliis controversiis, quæ spectant ad factum particulare, nego. Sed nolo ego tecum agere tam parce. Quare Discipulorum responsioni (quamvis abunde sufficienti) superaddam aliquid loco epimetri. Judicium, quod fert Pontifex de peccatis, censuris, votis, juramentis, matrimoniis, & aliis hujusmodi, ea solvens vel ligans, est cæleste Arbitrium, quia Deus hoc idem in cælo ratum ac fixum habet, & ut suum approbat atque confirmat, juxta illud Mat. 16. vers. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Unde S. Hilarius apud vestrum Joannem Sylveriam, scribentem in hunc locum, exclamat: *O beatus cæli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cælo:* Sic apud eumdem, D. Chrysostomus homil. 5. de verbis Isaiæ, ait: *A terra judicandi principalem auctoritatem sumit cælum: nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum; & quidquid hic in inferioribus hic judicaverit, hoc ille in supernis comprobat.* Neque dissimilia habent Lucas Brugensis, a Lapide, aliique Commentatores. Sed, Reverende Pater, hæccine locum obtineat etiam tum, cum Pontifex memorat factum aliquod particulare, quod non est patefactum divinitus? An tunc aliquid solvit vel ligat? An judicium, quo F. C. Clemens IX. judicavit novum PP. Discalceatorum Conventum a civibus & incolis oppidi de Bilbao deliderari, fuit *cæleste Arbitrium*? An Deus illud ratum habuit? An approbavit & confirmavit tamquam suum? Quo fugit tua mens, P. Professor?

22 Ast ego imprudens, contra ac decreveram, hujus exempli rursus memini. Itaque supprimam reliqua, quæ inde parabam deducere: & venio ad id, quod tu (iterum hic erro) quod Lezana, inquam, affert ex cap. 1. de constit. lib. 6. *Romanus Pontifex jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere.* Idem dicit Tiraquellus, dicit Abbas, & (ut nihil dissimulem) dicunt Bellencinus & Redoanus. Certe Lezana in hac citatione est aliquanto fidelior. Mox intelliges, cur addiderim, *aliquanto.* Interim quæro ex te, o bone, Putasne hunc locum ad rem facere? Si diceretur

Pon-

Pontifex in scrinio pectoris sui habere omnes historias, omniaque facta particularia, quæ a Deo revelata non sunt, dicere aliquid. Nunc autem cum solius juris fiat mentio, locus ille non ferit nos, ut pote qui id ultro concedimus. E contrario ferit te, una cum tuo Lezana. Audi enim, quid ibidem sequatur: *Tamen locorum specialium & personarum singularium consuetudines & statuta*, CUM SINT FACTI ET IN FACTO CONSISTANT, *potest* (Romanus Pontifex) *probabiliter ignorare*. Hæc verba suppressit Lezana, ideoque supra dixi, eum in citando hoc capite esse, saltem aliquanto fideliorem.

23 At inquies, quid ad hunc Suarii locum, n. 10. a me allegatum: *Interposita jam auctoritate Sedis Apostolicæ, nullius ponderis est cujuscumque Auctoris opinio in contrarium?* Ah P. R. hic sese iterum prodit tua illa in citando infidelitas: nam citas tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 4. coroll. 2. pro coroll. 3. fol. 46. pro fol. 429. n. 12. assoleque illam lacinium *in contrarium*. Illa quidem lacinia sensum Auctoris non mutat, tamen pacto nescio quo ostendit, quam non sis scrupulosus in adulterandis Auctoribus, aut certe, quam negligens & socors in eisdem perlegendis. Jam vero (ut Suarem ex licemus), contra quem Suarez hic agit? Contra illum nimirum, *qui asserunt, Scholares approbatos & incorporatos Societati, per tria vota simplicia, non esse vere ac proprie Religiosos. Deceptus autem fuit, inquit, ex opinione, satis communi inter antiquos Doctores, dicentes, verum Religiosum non constitui nisi per professionem & tria vota solemnia: qui tamen, juxta antiquum jus suique temporis usum, loquuntur de facto potius (ut sic dicam) quam de possibili; id est declarant sic fieri, non negant autem aliter fieri posse. Et quamvis aliqui vel multi ex Auctoribus privatis in eo sensu id docuissent ..... interposita jam auctoritate Sedis Apostolicæ*, (declarantis hujusmodi Scholasticos esse vere ac proprie religiosos) *nullius ponderis est cujuscumque auctoris opinio*. Ex his liquet, Suarem hic quærere, an qui tria vota simplicia in Jesu Societate nuncupavit, Religiosi rationem vere proprieque sortiatur. Sed, Pater Professor, facti-ne hæc quæstio est, an juris? Juris esse tu ipse fateberis: neque enim ex humanis pendet testimoniis. Igitur ex hoc Suarii pronuntiato nihil aliud eruitur, quam quod cum aliqua juris quæstio per Sedis Apostolicæ auctoritatem dirempta jam est, tunc nullius ponderis sit cujuscumque auctoris in contrarium opinio; atque adeo fraudulenter illud extendis ad quæstiones alias omnes, etiam facti particularia, qualia sunt illa, quæ ab eruditissimo Papebrochio cæterisque Historicis communiter tractantur. Neque vero mihi quidquam officit id, quod in fine objicis, tamquam validissimum telum: *Ipsa Societas, in Imagine primi seculi fol. 65. de Pontificibus, historiæ Jesuiticæ approbantibus*, ait: *Quorum effata in rebus hujusmodi errori non sunt obnoxia*. Et inferius: *Ita Pontifices, quorum testimoniis non pro arbitrio adhibetur fides, sed debetur*. Nihil, inquam, id mihi officit, quia hic denuo (ne quid gravius dicam) fœdissime erras. Non enim de Pontificibus, rerum nostrarum historias approbantibus, ibi sermo est; sed de Pontificibus approbantibus nostrum Institutum, ut pium, ut sanctum, ut a Spiritu sancto excitatum, denique ut non abhorrens ab Apostolorum & ipsius Christi Domini exemplo atque doctrina. In Pontifices autem, Instituta Religiosorum Ordinum approbantes, non posse cadere ullum errorem, dixi supra, & cum Theologorum agmine universo sustinet etiam Auctor vester P. Bone-spei, tom. 3. tract. 2. de fide disp. 4. dub. 7. resol. 2. n. 108.

24 Infirma sunt, quæ refutavi usque adhuc, ut nemo non videt: sed hoc, quod habes num. 10. multo infirmius est, atque haud scio, an responsione dignum. Sic loqueris: *Quomodo narrative in Bullis seu diplomatibus plenam faciant fidem, docet Lezana tom. 5. Summæ qq. in Mare Mag. Carm. n. 4. prout etiam indicat tom. 3. Annal. ad an. 847. n. 6. ubi probat ex Juribus & Doctoribus, narrativam Bullarum, etiam de facto alieno, motu proprio factam, & in qua fundat suam intentionem, plenam facere fidem, adeoque ei standum esse*. Itane vero, Pater Professor? Hoc, te judice, probat Lezana ex Juribus & Doctoribus? O quam dolendum est, quod hæc Jura, hos Doctores non viderint incolæ oppidi de Bilbao, nec ipse Pontifex Clemens IX. Certe narrativa noti Brevis, in qua Clemens IX. fundabat suam intentionem, & apud hunc, & apud illos fidem invenisset. Sed vah! Pudet me mei, qui iterum mei propositi immemor, aggredior hoc ulcus premere; vereor ne plus tandem exprimam.

25 At istud Breve, inquies, non est *ex motu proprio*, non est *ex certa scientia*. Fac ita esse. Quam vim, Reverende Pater, putas inesse istis clausulis? quam virtutem? quod robur? quos effectus? Id mavis nos ex Lezana quam ex te cognoscere, ideoque num. 13. ais: *Quales effectus habeat clausula*, MOTU PROPRIO, *docet Lezana suæ Summæ tom. 2. Verbo* CLAUSULA *n. 41. ubi etiam agit n. 29. de effectibus clausulæ* EX CERTA SCIENTIA. Bene habet, sequor te ad Lezanam, quo vocas. Spectatum admissi risum teneatis Amici. Bonus P. Sebastianus hic se ipse in laqueum induit. Lezana enim loco citato dicit: *Clausula* EX CERTA SCIENTIA ..... *non operatur nisi circa ea, quæ sunt juris, & non quæ sunt facti*. Pro eaque sententia ibidem merito allegat Sanchez, Naldum, & Barbosam. Item num. 41. postquam docueras per clausulam, MOTU PROPRIO tolli surreptionem, addis: *Hæc tamen surreptio, quam tollit, solum est ea, quæ oritur ex parte impetrantis, non ea quæ oriri potest vel ex re ipsa, vel causæ falsa expressione, vel ex defectu personæ, puta si sit inhabilis, irregularis*, &c. Ac præter tres supra memoratos Autores, citas hic quoque Suarem cum Tamburino, non nostro quidem Thoma, sed Ascanio, Abbate Florentino Ordinis S. Benedicti, qui de Jure Abbatum tam erudite disputavit.

26 Quid jam dices, P. Professor? An causa ipsa potest clariorem pro se vocem mittere? teneo te, &, quod maximum est, tuis irretitum laqueis. Nulla fuga est. Nolim tamen existimes fore, ut nunc tibi insultem, & te quasi in triumphum ducam, quemadmodum Reges barbaros captis hostibus fecisse memoriæ proditum est. E contrario agam tecum humanissime, prout debeo, cum Seniore Provinciali Sanctissimi Ordinis, sacræque Theologiæ Professore emerito. Ante omnia ut plenius intelligas illud, quod apud Jurisconsultos dici solet: *Assertio Papæ, etiam de facto alieno, plenam probationem facit, adeoque*

facſtum alie-
que a ſcudum eſt ; neceſſum eſt factum alienum coram
non ſubdividere in factum alienum coram
Papa geſtum, & in factum alienum fac accu-
Papa non geſtum. Hanc diviſionem & ipſi id
rue doceas diſcipulos tuos. Tunc Profeſ-
perfecte cepient : quia quemadmodum ita etiam
ſor, qui bene dividit, bene docet ; ita etiam per-
Diſcipulus, qui bene membra dividentia per-
cepit, bene percipit ea, quæ de membris divi-
dentibus poſtea differuntur. Jam autem Card.
Tuſchus tom. 6. littera P. Concl. 62. n. 11. &
12. ſic pronuntiat. *De facto alieno, coram ſe*
geſto, an credatur (*Papa*) *ſunt opiniones ; ſed*
diſtinguitur. Quia ſi non proprie reſcribit,
credatur ; ſi vero ad inſtantiam partis, non cre-
ditur. Ita declarat Aretinus conſ. 23. n. 9. De
facto alieno non coram ſe geſto (nota non co-
ram ſe geſte, qualia ſunt facta omnia, de qui-
bus nos inter diſceptatur) *non creditur Papæ.*
Ita Aretinus d. conſ. 23. n. 9. v. aliquando.
Anch. conſ. 188. viſis conſiliis, n. 10. & ſeq.
ubi dicit maxime hoc verum eſſe, quando aſſerit
contra notorium verum. Sequitur Aretinum Cel-
ſum Paduanum conſ. 2. poſt conſilia Zabar.
n. 72. Put. deciſ. 129. lib. 1. & 338. lib. 3.
ita ſervat Rota, Capetaquen. deciſ. 33. & 239.
& 185. lib. 2. Pariſ. conſ. 1. n. 76. lib. 1. &
conſ. n. 42. lib. 4.

27 Breve eſt etiam illud, quod habet Joſe-
phus Maſcardus de probationibus vol. 1. con-
cl. 139. n. 21. *Aſſertioni Papæ de facto alie-*
no, non coram ſe geſto, fundanti licet ſuper tali
facto intentionem ſuam, ſimpliciter non ſtatur.
Imo ne quidem transfertur onus probandi,
juxta Eminentiſſimum Cardinalem Tuſchum,
qui loco ante citato num. 54. ita diſſerit.
Quod narrativa Papæ de facto alieno, etiamſi
Papa ſe fundet ſuper narrata, non transferat
onus probandi in adverſarium, eſt de obſervan-
tia Curiæ, ut dicit Caputaq. lib. 2. deciſ. 33.
& latius deciſ. 239. NARRATIVÆ PAPÆ : *ubi*
dicit communem opinionem, quod non transfert
onus probandi, & quod ita ſervat Curia Ro-
mana : & repetit deciſ. 285. l. 2. Poſſem in
hanc ſententiam accumulare Auctores plures ;
& niſi vellem eſſe tenax mei propoſiti, poſ-
ſem etiam meminiſſe narrativæ Clementis IX.
de quodam facto alieno, ſive de conſenſu In-
colarum oppidi de Bilbao, quæ narrativa ple-
ne non probaris, tametſi ſuper ea ſe funda-
ret Pontifex. Sed ſatis eſt, quod non tam tui,
quam tuorum diſcipulorum erudiendi gratia,
hæc jura tractaverim tam fuſe diſtincteque ;
ubi tamen ad cauſa meæ defenſionem nihil
intereſt, quoquo modo hæc ſe habere dicantur.
Id quod jam breviter oſtenſum eo.

28 Rev. Pater, quod dicitur de Papa *in*
Clement. 1. de probat. idem habet etiam lo-
cum in Imperatore, ut ſtetur ipſius narrativæ
in facto proprio, & in facto quoque alieno ; ne-
quando ſe fundat ſuper illo facto alieno : ne-
que in Imperatore tantum, ſed etiam in Re-
ge, etiam in quovis Principe non recogno-
ſcenta ſuperiorem, etiam in Delphino Galliæ
& quibuſdam aliis. Quod ſi mihi credere no-
lueris, ea legas cenſeo partim apud Cardina-
lem Tuſchum tom. 4. littera I. concl. 43. paſ-
ſim apud Maſcardum de probationibus vol. 1.
concl. 139. num. 10. & 11. ubi & invenies
Auctorum nubem eglomeratam, uti etiam
apud ... Hermoſinum tom. 1. tit. eodem ad cap.
28. ... a nobis, de teſtibus quæſt. 2. His co-
gnitis ... finge animo, Imperatorem, vel alium
quempiam ex jam memoratis, narrare factum
aliquod, cujus de veritate digladiantur Hiſto-
rici inter ſe ; an ſubito controverſia omnis,
tamquam Tenedia bipenni dirempta cenſebi-
tur, ita ut contrarium ſcribere non liceat ?
Non, inquies. Quidni obſecro ? Dicam ego.
Quia iſtorum narrativas de facto alieno ple-
nam probationem facere, nihil aliud eſt, quam
eas ex ſola diſpoſitione juris dabere Judici ſuf-
ficere ad finiendas lites in foro externo ac
contentioſo. In hoc autem foro non verſan-
tur Hiſtorici, neque adeo his legibus ſiva ju-
ris diſpoſitionibus inter ſcribendum alligantur,
præſertim quando a priſcis Annalium monu-
mentis eruerunt aliquid, quod talium narrati-
varum falſitatem evincat.

29 Jam vero ſi Imperatori aliiſque Princi-
pibus, alienum factum narrantibus, credere
Hiſtorici non ſemper debeant, quid cauſæ eſt,
cur ſemper debeant credere ſummo Pontifici
narranti factum iſtiuſmodi ? Ut enim oſtendi
antea, nihilo magis hic eſt ſummo Pontifici,
quam iſtis Principibus divinitus conceſſa aucto-
ritas errare neſcia ; atque adeo eſt etiam mera
dumtaxat juris humani diſpoſitione ſancitum,
ut ejus de facto alieno narrativa probandi vim
obtineat ; non quidem ubique & apud omnes,
ſed apud Judices, & in foro contentioſo.
Quin imo cum Pontifex nulla diſpoſitione ju-
ris efficere poſſit, ut numquam labatur in
alieni facti narratione ; faceres perquam ridi-
cule, ſi ſuas de facto alieno non revelata
narrativas proponeret omnibus, tamquam ve-
riſſimas certiſſimaſque regulas verum a falſo
diſcernendi. An tu, Rev. Pater, dum hoc vi-
deris affirmare, Sedem Apoſtolicam non ex-
ponas hæreticorum ludibrio, judicent alii :
non eſt enim benignitatis meæ tibi invidiam
conflare. Igitur hæc eſt ſumma reſponſionis,
illas juris ſanctiones obtinere tantum in exter-
no & contentioſo foro. Unde intelligas, quid
ſibi velit id, quod affers num. 8. *Intra limites*
humanæ teſtimonii nullum dari poteſt majus aut
firmius, quam aſſertio Sedis Apoſtolicæ. Quid,
quod & illud effatum admittendum cenſeam
ab ipſis Hiſtoriographis, ubi in antiquis mo-
numentis vel alibi nihil reperiunt, quod Apo-
ſtolicæ Sedis aſſertioni repugnare videatur.
Etenim ſi viro honorato & docto oporte at
credere, quando nulla ratio eſt diſſentiendi ;
multo magis tunc oportet credere Sedi Apo-
ſtolicæ. Atque hoc ita eſſe ſtatuerem, etiamſi
Pontifex illas juris diſpoſitiones, ſicut poteſt,
pro foro externo penitus aboleret. Capis jam,
P. R. quam non ſatis ad genuinum iſtorum
juris textuum ſenſum attentus, eos protuleris
ad impugnandum P. Papebrochium ?

30 Neque ſubtilius argumentaris num. 6.
ubi ſic ais : *S. Carolus Borromæus tantam Lit-*
teris Apoſtolicis ſolitus erat exhibere reverentiam
& obſervantiam, ut eas numquam niſi denudato
capite, & cum tota familia genibus flexis, re-
ciperet & perlegeret. Quid enim ? An hinc vis
concludere, Ergo Catholici omnes hoc agere
debent ? Egregia enimvero & tali Profeſſore
digna concluſio ! Si tu, Rev. Pater hoc pacto
legeres Superioris tui litteras, an id facere
debe-

deberent reliqui Carmelitæ omnes? At, inquies, tantum volui inde ostendere reverentiam aliquam Litteris Apostolicis esse debitam. Quis orthodoxus hoc unquam negavit? Sed scire te convenit, aliud esse fidem, aliud reverentiam. Hæc Apostolicis litteris semper debetur, illa non semper. Innocens aliquis E. C. excommunicatur publice a Pontifice; excommunicatum esse se credere non debet, imo non potest. Attamen (ut fert communis Theologorum opinio) debet sese publice quasi excommunicatum gerere, donec innocentiam suam probaverit, & eatenus scripto Apostolico reverentiam exhibet observantiamque. Quo in discursu quid reprehendi abs te possit, non video. Quid si ille innocens jam scribat ad Pontificem, & dicat, crimen, de quo apud Pontificem falso accusatus fuit esse fictam fabulam, esse commentum: an ideo censebitur scriptum Apostolicum explodere, & læsæ Pontificiæ auctoritatis reus? Vide quid respondeas. Si ais, aliis risum movebis, aliis stomachum, mihi tui commiserationem, approbationem nemini. Sin autem negas, tuo calculo etiam P. Papebrochium absolvis. Quid enim inter hunc & illum interest? Ergo aliud est dicere simpliciter aliquid esse fabulam & commentum, aliud aliquid tamquam fabulam & commentum explodere. Hoc contemptionem sonat, & nescio quem risum sarcasticum; illud, non item. Sed nihil attinet hoc urgere pluribus, tum quod hoc satis superque declaravit P. Papebrochius in eruditissimæ suæ Responsionis locis variis, tum quia nolo ego lucernam, quod ajunt, in meridie adhibere. Quare ad Præambulum tuum secundum festino.

PRÆAMBULUM II.

Piis Ecclesiæ Historiis, Divino Officio seu Breviario insertis, ab universis Catholicis debetur summa reverentia & fides humana.

E X A M E N.

ET sub hoc lapide, Reverende Pater, delitescit scorpius: quia nisi abhorrerem ab imitanda effræni tua criminandi audacia, possem & hinc consectaria impia maximeque cacodoxa eruere. Quid enim? An hoc Præambulum sumptum prout jacet, non complectitur pias Ecclesiæ Historias, etiam divinitus revelatas, quæ in Evangeliis, Litteris Canonicis, & Actibus Apostolorum commemorantur? Nemo, cui tantum est aliquid aceti in pectore, hoc negabit. Sunt enim Ecclesiæ historiæ, sunt piæ. Ergo & ex hoc tuo Præambulo sequitur, historiis a Deo quoque revelatis adjungenda sit fides humana; & consequenter cuncta redeunt, quæ num. 7. & 8. celeriter perstrinxi. O quam metuo, ne cui hic in graviorem suspicionem venias! Nam semel tantum ita indefinite loqui, potest facile condonari inconsiderantiæ; at iterum ita loqui, habet pacto nescio quo, plus suspicionis. Quippe ut num. 14. ipse probasti, adductis Juris textibus, *Verborum geminatio majorem deliberationem & intensam voluntatem indicat*, cum in omnibus, tum maxime in S. Theologiæ Professore emerito, qui suarum propositionum latebras, recessus, & angulos solet scrutari omnes. Sed mache animis, Pater Reverende, quanto graviorem hæc iterata loquendi formula suspicionem aliis injicit, tanto me impensius æquum est Tibi consulere & sensum tuum orthodoxum palam facere. Igitur, si quis est, cui hæc Fratris Sebastiani a S. Paulo positio, universalis nimium atque indefinita, offendiculo fuit, sciat ille, constare ex antecedentibus & consequentibus, Fratrem Sebastianum hic tantum intelligi velle de iis Ecclesiæ historiis, quæ tunc quidem divino Officio seu Breviario insertæ, sed divino afflatu scriptæ vel traditæ non sunt, atque ideo omnem suspicionem propulsato. En iterum, Rev. P. Professor, quam tecum agam non inimice: & quam longe absim a tua accusatoris infidelitate: ego enim ipsas tuas propositiones purgare studeo.

32 At quamvis illud Præambulum in tuo sensu jam explicato labe hæreseos careat; tamen verum esse non potest. Etenim cum piæ illæ Historiæ, quæ divinitus patefactæ non sunt, spectent ad quæstiones facti particularis, & cum Ecclesia in iis errare queat, sæpeque erraverit; qui fieri potest, ut iis debeatur summa fides humana, præsertim quando rationes in contrarium afferuntur? Tu quidem num. 16. objicis: Sacra Congregatio die 14. Junii an. 1618. sic statuit: *Historiæ, quæ in Breviario per Sedem Apostolicam approbato recitantur, ut maxime vera ab Ecclesia venerantur*. Sed ego, cum illum locum diu conquisitum nondum in fonte invenerim, dubito, an hic possim tibi credere. Neque immerito dubito: partim quia solœcismus ille, *venerantur*, pro *honorantur*, stylum redolet tuum; partim quia jam tot deprehendi textus abs te vel fictos, vel adulteratos, vel male citatos denique, ut hic valere existimem illud gl. 1. in can. qui negligunt. 24. q. 3. *Præsumptio inducitur ex consuetudine*. Ob eamdem malam fidem nescio quoque, an possim tibi credere *Sacram Rotam in una decisione Cæsar-Augustana coram D. Coccino an. 1631. au. dixisse*: „ Historias „ contentas in Breviario, a S. Sede Apostolica „ approbato, censeri ab Ecclesia canonizatas. „ Imo ad rationem jam dictam accedit & alia, nimirum hæc, quod scribis *An. 1631.* ubi Sylveira vester in Apologia Carmelicana quæst. 1. scribit *An. 1630.* Insuper verba in tuum favorem exhibes paulo aliter atque Sylveira, ut ostendam alio loco. Neque cum eodem Sylveira post ☞ *Cæsar-Augustana* ponis ☞ *Cathedralis*; id quod mihi argumento est, te nondum novisse modum citandi sacram Rotam. Ut ut est; Rotæ decisionem ad utrumque annum quæsivi diu multumque, & nihilo magis reperi quam locum S. Congregationis. Tamen agam liberaliter, causæque fretus bonitate, dabo tibi & hunc & illam reaple existere. Quid jam?

33 Ergo, inquies, historiæ Breviario insertæ habentur ut maxime veræ, & censentur ab Ecclesia canonizatæ. Itane vero? Sed quomodo fidem facies, duos illos locos intelligendos esse eo sensu, quo intelliguntur abs te? Profecto, ut notum est omnibus, Sacra Rituum

Congre-

Congregatio Breviaria mutavit persæpe, substituitque historias historiis inductis summopere repugnantes: id quod numquam faceret, si sibi persuasum haberet, historias Breviario approbato contentas, esse verissimas, esse ab Ecclesia canonizatas, sicut Pontifex Sanctos semel Canonizatos ex albo Sanctorum numquam expungit. Igitur debet necessario citatis a te verbis subjecta esse alia vis atque significatio. Quæ autem ea possit esse, mihi quidem difficile non erit dicere. Placetne, R. P. incipiam a priore loco? Eum sic distinguo: *Historiæ, quæ in Breviario, per Sedem Apostolicam approbato recitantur, ut maxime veræ ab Ecclesia venerantur*, quando nihil ab Eruditis affertur in contrarium, concedo; quando ab Eruditis aliquid in contrarium affertur, nego. Atque hæc responsio non potest displicere, tibi saltem, utpote qui num. 7. supponis Orthodoxos tantum debere omnia in litteris Apostolicis contenta venerari ut maxime vera, quamdiu non demonstratur contrarium.

35 Tamen quoniam certum est mihi esse liberali, accipe etiam alteram responsionem. Illæ Historiæ, tum quoque cum ab Eruditis vocantur in dubium, imo & manifestæ falsitatis convincuntur, honorantur ut verissimæ (nota τὸ ut) quia ritu eodem recitantur quo veræ, & sic recitandæ præcipiuntur ab Ecclesia. Unde Gavantus in Rubric. Breviarii sect. 5. cap. 12. num. 16. universim ait *se laudare non posse, eos qui ritu Romano recitant Officium, & ab Officio ritus alieni mutuo accipiunt Lectiones de vita Sanctorum non approbatas Romæ, contra Rubr. Breviar. de Dupl. n. 1. & de Lect. n. 9. ubi approbatæ requiruntur Lectiones auctoritate Sedis Apostolicæ*. An autem S. Rituum Congregatio, per verba a te allata, voluerit stabilire hanc Rubricam, potes tu scire, si hæc verba in fonte consulueris. Nam juxta illud Gregorii de verborum significatione: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi*: inde sciri potest. Atque, utrovis modo explicanda est Decisio S. Rotæ, in qua dicuntur hujusmodi historiæ ab Ecclesia *canonizatæ* censeri. Modum ultimum videntur indicare verba Rotæ, prout referuntur a Sylveira; qui addit particulam *Veluti*: *Historia*, inquit, *quæ in Ecclesiæ Breviario habentur, veluti historiæ ab Ecclesia Canonizatæ censentur*. Quam particulam, an tu non omiseris mala fide, est cur dubitem. Sed nimis parce hic tecum ego. Quare agedum, Rev. Pater, fac errare Sylveiram, & particulam istam non esse in Decisione expressam; tamen τὸ *Canonizata* hic non sumi proprie ac in rigore, colligitur ex eo, quod alias Historiæ singulæ, in Breviario approbato inclusæ, essent singula Fidei Orthodoxæ puncta; adeoque (ut levissime dicam) erroneum esset hoc tuum Præambulum: *Piis Ecclesiæ Historiis, Divino Officio seu Breviario insertis, ab universis Catholicis debetur summa reverentia & fides humana*. Quis enim nesciat punctis Fidei divinam fidem esse debitam? Ecce, Pater Reverende, quomodo hæc S. Rotæ verba, proprie intellecta, in nos intorquere nequeas, nisi tibi ipse infligas vulnus æque grave.

36 Sane misereor tui, & nescio quo animi impetu incitor iterum ad te docendum, *Canonizari* sumi posse dupliciter, proprie scilicet & improprie. *Canonizari* proprie, est ab Ecclesia approbari, tamquam divina fide credendum, &

ut [illegible] proponi. Improprie autem *Canonizari* est,
eb [illegible] clesia approbari, tamquam non adversans
fidei [illegible] nec bonis moribus, ita ut non decernatur ve-
rum [illegible] sit, an falsum. Atque hoc ultimo sensu e-
ism [illegible] bri illi, qui ab Censoribus ordinariis assi-
que [illegible] iris eruditis approbantur, Canonizari di-
cun [illegible], tum apud alios, tum apud Eckeardum
Mi [illegible] num, de Vita Notkeri Balbuli, ubi cap.
16. [illegible] e: *Ea quæ sacis & fratres ejus in eodem*
Mon [illegible] *erio S. Galli composuerant, videlicet hymnos, sequentias, tropos, &c.*
uit [illegible] *m authenticavit*. Cum ergo Historiæ, quæ
& [illegible] sunt in Breviarium, proprie Canonizatæ
rela [illegible] n possint, sicut tu debes admittere; quid
dic [illegible], nisi ut S. Rotæ decisio solum de im-
sup [illegible] Canonizatione loqui censeatur? Sic tuum
pro [illegible] enti vis tota frangitur. Nondum tamen
arg [illegible]
fran [illegible] is animo.

37 [illegible] *Cardinalis Lugo*, inquis, de Fide disp.
20. [illegible] sect. 3. n. 69. asserit, *Historias pias, communiter ab Ecclesia receptas & propositas, ut V. G. quod Christus B. Thomæ Aquinati dixerit: Bene scripsisti de me Thoma, & similes quæ authentice Breviario sunt insertæ, absque temeritatis nota non posse negari*. Sed, Rev. Pater, an tanti tibi est illius Cardinalis auctoritas, ut ipsius judicio hanc controversiam dirimendam putes? Bene habet, talem non recuso arbitrum, quia Lugo hoc loco totus est meus. Audi igitur, quid ratio numeri a te citati pronunciet: *Propositio temeraria apud Censores Theologos est, quæ communi Patrum sensui opponitur, aut quæ contra Doctores Theologos sentit* (observa vigilanter ea quæ sequuntur) *sine sufficienti fundamento, quale esset, si magni ponderis ratio, vel gravis Doctoris auctoritas, qui rem bene discussisset, pro ea etiam parte reperiretur*. Tum pauculis lineis interjectis inter alia subtexit exemplum a te transcriptum: *Talis erit, si aliquis neget historias pias, communiter ab Ecclesia receptas & propositas, V. G. quod Christus B. Thomæ Aquinati dixerit: Bene scripsisti de me Thoma, & his similia*. Ubi has particulas, *sine sufficienti fundamento*, subaudiri constat, & ex orationis contextu, & ex scopo Auctoris. Hic ergo patescit denuo, quam tu agas infideliter, & quam recte ego semper inculcaverim, fas esse Orthodoxo recedere ab Historiis passim admissis, quando sufficiens aliqua in oppositum ratio adinvenitur.

38 A Cardinali Lugo abis ad Bordonum, Raynaudum, Sinnichium, subtilem Scotum, & S. Augustinum, ab iisque omnibus patrocinium petis, sed conatu rursus irrito, quemadmodum pulcre ac erudite ostendit Papebrochius in numquam satis laudanda Responsione Art. 1. §. 2. & Art. 4. §. 1. Quare, quoniam non habeo quod superaddam, nolo actum agere. Hoc unum edico tibi, mirari me P. Papebrochii clementiam, quod ubi tot & tam atrocibus a te proscissus est calumniis, non accusaverit te hic ingrati plagii. Id sane poterat facere commode: fiat enim noverat, locum Scoti & S. Augustini a te fuisse surreptum Francisco Bordono, ita ut omnia eadem, quæ ipse, errata admiseris. Præterea quanto cum plausu suique animi sensu in te retorsisset eumdem Bordonum, ut qui tom. 3. resol. 86. n. 136. dicit: *Carmelitarum Ordo cœpit circa annum 1160. sed quia Regula carebat, ideo confirmationem non obtinuit nisi sub Honorio III. Qui Regulam ab Alberto Patriarcha Hierosoly-*

R

solymitano confectam approbavit anno 1226. die 30. Januarii: & n. 159. negat *validum sumi argumentum ex recitatione Officii*. Hoc tamen Papebrochius siluit. Est profecto cur Patri, sibi adeo benevolo, grates referas. Simile aliquod benevolentiæ in te meæ volo hic extare monumentum. Quippe cum n. 25. dicas: *Universa Hispania, non alio graviori innixa fundamento, profitetur S. Jacobum in Hispania prædicasse, quam quia Ecclesia ita tenet in proprio ejus Officio*, posset durior aliquis adversarius te criminari, tamquam si integræ illi nationi affinxisses nimiam in credendo levitatem. Et certe contemptionis nescio quid præferunt illa verba: *Non alio graviori innixa fundamento*. Ergo, inferret adversarius ille durior, quidquid pro S. Jacobi in Hispaniam adventu elaborarunt acutissima Hispanorum ingenia, quidquid eruerunt ex antiquis rerum Iberarum annalibus, nullum habet fundamentum, vel saltem non tantum habet, quantum Romana Breviaria.

39 Atqui Vincentius Maria [is deinde fuit Benedictus XIII.] Ordinis Prædicatorum S. R. E. Presb. Cardinalis Ursinus, S. Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopus Metropolita, in eruditissima sua Dissertatione de S. Bartholomæi Apostoli reliquiis Benevento vindicatis, art. 7. affirmat, Breviarium Romanum, *minoris ponderis esse in privatis factis aut gestis, quæ in vitis Sanctorum ex occasione referuntur, ita ut efficax inde argumentum peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa, quo iis utitur, inconcussæ infallibilisque veritatis judicat quæcumque Breviariis suis sunt inserta, cum multoties pro variis temporibus, varia ea occasione ea mutaverit correxeritque. Testatur id Concilium Senonense, de anno 1528. quod ut Breviaria & Missalia emendarentur, decreto sanxit: testatur Concilium Coloniense, de anno 1536. cui hoc idem decernere placuit: testatur Concilium Tridentinum, in quo idipsum statuitur; ac demum Concilium Rothomagense anni 1581. & Concilium Rhemense anni 1583. decreverunt, ut quam diligentissime a falsis narrationibus & historiis Breviaria repurgentur. Quæ omnia argumento sunt, non illico putanda esse ab omni historica aberratione libera, sed magna plerumque spongia egere, licet illa in suum usum usurpet Ecclesia*. Hæc pereruditus ille Cardinalis. Unde intelligi debet, quam facile quis te posset traducere, quasi contemptorem universæ Hispaniæ, ut quæ in tanta subtilissimorum ingeniorum multitudine, tantaque copia, non potuit tot jam labentibus annis pro sua sententia advenire aliud fundamentum gravius, præter unum Breviarium: sed id non facio ex benevolentia singulari. Imo, etiamsi hujus Eminentissimi Cardinalis auctoritas sufficere videatur, tamen prosequor amice expendere reliqua.

40 Num. 26. in Præambuli tui defensionem affers, illud Gregorii ad caput Apostolicæ 35. quæst. 9. *Apostolicæ Sedis sententia, tanta consilii moderatione concipitur, tanta patientia & maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut non immutari necessarium ducat*. Et ideo, inquis, *quæ ab Ecclesia pro Officio Divino approbantur, summa sunt digna veneratione & fide. Unde licet in Breviario antiquo aliqua sint emendata & correcta sub Clemente VIII. a Cardin. Baronio & Bellarmino, quæ tamen in eo retenta & relicta sunt, fidem & venerationem merentur*. Sed R. P. Professor, quomodo ista duo cohærent: *Ut non immutari necessarium ducat*, &, *Licet in Breviario antiquo aliqua sint emendata & correcta*? An emendari & corrigi queunt Breviaria sine immutatione? Si secundum Gregorium Apostolicæ Sedis sententia ita profertur, ut non immutari necessarium ducat, quomodo Clemens VIII. necessarium duxit immutari antiquum Breviarium, quod Apostolica Sedis sententia approbatum erat?

41 Hic suspicabitur fortasse quispiam, Gregorii verba manca esse ac mutila. Et revera sic est. Quapropter, antequam ea hic meliore fide referam, oro Lectorem, ne tibi sit nimium indignetur. Sunt autem hæc: *Apostolicæ Sedis sententia ..... tanta deliberationis gravitate profertur, ut retractatione non egeat, nec immutari necessarium ducat*, NISI FORTE SIC PROLATA SIT, UT RETRACTARI POSSIT, VEL IMMUTANDA SECUNDUM PRÆMISSÆ TENOREM CONDITIONIS EXISTAT. Rev. Pater, appello quemlibet, cui suffragatur hoc caput? Tibine, an mihi? At, istum locum, inquies, ita descripsi ex Sylveira. Esto: nam ut non dicam, hinc conjici, Carmelitarum proprium esse, textus in sui favorem mutilare, ne sic quidem te purgabis de tua mala fide. Quia cum hic memineris mutati Breviarii, non poteras non suspicari in illius Capitis verbis sic citatis, utpote illi mutationi minime congruentibus, latere errorem aliquem; adeoque, si voluisses agere fideliter, omisso rivulo fontem ipsum adivisses. Verum missa faciamus hæc, & ad rem redeamus, & repetamus tua verba.

42 *Licet in Breviario antiquo*, inquis, *aliqua sint emendata & correcta sub Clemente VIII. a Card. Baronio & Bellarmino; quæ tamen in eo retenta & relicta sunt, fidem & venerationem merentur*. At tibi neutiquam consentit supra laudatus Cardinalis Ursinus, quia loco citato ita loquitur: *Imo nec satis animo cavere novis Clementino-Urbanum, quo utimur, Breviarium doctissimi historiarum exploratores indicant*. Tum nævorum seriem texit bene longam, quam videre est apud P. Papebrochium in Responsione Art. 9. n. 30. Postremo subjungit ille: *Et vero Cardinalem Baronium .... non absolutissimam in rebus historicis fidem Romano Breviario tribuisse, certissimum est*. Et Jure merito, quia pleraque Sanctorum acta tam sunt quæstiones facti particularis in recentiore Breviario, quam in aliis jam antiquatis; atque adeo, cum ideo Ecclesia in his subinde erraverit, potuit & in illo. Eam autem revera & in illo errasse, affirment viri doctissimi religiosissimique, imo & Ecclesiæ Principes. Ex quo quasi suapte sponte profluit hic syllogismus: Nullis piis Ecclesiæ Historiis, quæ possunt esse falsæ, & quas falsas esse ajunt viri doctissimi piissimique, debetur ab universis Catholicis summa fides humana. Atque sunt piæ quædam Ecclesiæ Historiæ, Divino Officio seu Breviario etiam recentiori insertæ, quæ possunt esse falsæ, & quas falsas esse ajunt viri doctissimi piissimique. Ergo quibusdam piis Ecclesiæ Historiis, Divino Officio seu Breviario etiam recentiori insertis, non debetur ab universis Catholicis summa fides humana.

42 Quid ad hoc argumentum, R. P. Professor? Oppones, sat scio, Quintannadunam, quem dicis habere in Theologia sua Morali, Singulari 14. num. 2. tract. 7. *Brevia, quibus*

inoda

modo utimur, omni suspicione caret: nullo modo ambigendum est. Sed si tibi assentiatur Quintanadunas, iisdem quibus tu, frustra jacet argumentationibus; neque tanta est ipsius apud quemquam auctoritas, ut hoc ipsius placitum me magnopere solicitet. Accedit, quod Auctor ille nullam hujusce placiti rationem adferre nitatur. Proinde hic tenet illud Melchioris Cani lib. 8. De Locis Theologicis cap. 4. *Theologorum Scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit.* Quamquam dubitem, an Quintanadunas hic perinde intelligendus sit, atque tu eum intelligis; ideo dixi, Si tibi assentiatur. Qua de causa juvat totum ipsius contextum ponere ob oculos, ut aequus Lector dijudicare possit. *Secundum locum,* inquit, *obtinent Breviaria, tam universalis quam singularium Ecclesiarum, quorum Lectiones, Sanctorum patrias & vitas continentes, cum earum constructio viris doctis & eruditis commissa sit, generaliter loquendo* (Nota GENERALITER LOQUENDO) *fide digna censentur; non vero tanta, ut notam erroris vel temeritatis, aut similem censuram incurreret, qui illis fidem negaret; imo nec peccatum committeret, non aliter, ac qui Historiis aliis humanis fidem negaret: nonnulla enim & non levia mendacia in veterum Breviariorum Lectionibus, sicut in Historiis, reperta sunt, ut constat ex cap. Sacrosancta Romana dist. 15. Ubi Gelasius Papa has Lectiones corrigendas, & ad veritatem summa cura redigendas statuit. At Breviaria, quibus modo utimur, omni suspicione carere, nullo modo ambigendum est.* At cujus rei suspicione? Cum antea facta fuerit mentio de mendaciis, videtur hic nihil aliud a Quintanaduna afferi, quam non dubitandum esse, quin quibus modo utimur Breviariis, ea careant omni suspicione mendacii. Jam vero suspicionem mendacii differre a suspicione falsi vel erroris, lippis & tonsoribus notum est.

43 Judicet igitur aequus Lector, an non anceps sit ad minimum atque ambiguum illud subsidii genus, quod ex Quintanaduna repetendum putasti. Hoc autem evidens est, Quintanadunam hic tibi adversari, quatenus etiam prisca Breviaria omni vacare errore incaute statuisti. Te id statuere, patet & ex universalibus Praeambuli tui vocibus, & ex num. 17. ubi, posteaquam attulertas hanc decisionem Sacrae Rotae, ut dicis: *Historiae contentae in Breviario, a S. Sede Apostolica approbato, censentur ob Ecclesia Canonizatae:* statim subdis: *Quod intelligendum est maxime de Historiis Breviario insertis post illius recognitionem sub Clemente VIII. a Card. Baronio & Bellarmino factam.* Si de hoc maxime: ergo etiam de aliis antiquioribus Breviariis idem intelligendum esse existimas; nisi forte velis fateri, redundare illam particulam inclusivam *Maxime.* Et vero ut id ingenue fatiare, ego tibi auctor sum. Alioquin (id quod emerito Professori longe turpius est) debebis fateri, te in paucis lineis locutum esse pugnantia: scilicet Breviaria antiqua caruisse omni mendo, & simul non caruisse. Hoc enim demonstrari potest, non solum ex num. 27. ubi concedis, *in Breviario antiquo aliqua esse emendata & correcta sub Clemente VIII.* sed etiam ex ipso num. 17. ubi ut ostendas Decisionem S. Rotae intelligendam esse

maxime de recognitione Breviario, adducis verba Gavanti. *Quae (Baronius & Bellarminus) rejecerunt omnia, quae jure merito revocari poterant in dubium; imo quae controversa erant; alicujus tamen gravis auctoris testimonio suffulta, aliquam haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo quo erant ante, cum falsitatis argui non possint, quamvis forte altera sententia sit a pluribus recepta.* Hic per transennam nota, Gavantum scribere *fortasse,* non *forte,* ut tecum scribit Jacobus a S. Antonio; unde iterum colligo, Gavantum abs te ne inspectum quidem: sed parum nostra id interest.

44 Ex istis Gavanti verbis liceat mihi argumentari hunc in modum: Non caruit omni mendo, neque summa fide dignum fuit Breviarium illud, in quo aliqua sunt *emendata & correcta,* & in quo erant aliqua, *quae jure merito vocari poterant in dubium.* Atqui, ut tu cum Gavanto admittis, in antiquo Breviario *sunt aliqua emendata & correcta,* & in eo erant aliqua, *quae jure merito vocari poterant in dubium.* Ergo antiquum Breviarium non caruit omni mendo, neque summa fide dignum fuit. Et tamen caruit omni mendo, & fuit summa fide dignum, nam, secundum te, censebatur ab Ecclesia Canonizatum, & contentae in eo Historiae honorabantur ut verissimae. Quid jam dices P. Professor? Quo te vertes? quo confugies? Vides profecto, si quidquam videas, te hic fumum fugere non posse, nisi in ignem incidas. An ergo confiteris, haud satis tibi perspectam fuisse vim illius particulae *Maxime?* Sed nae ergo gladiator lentus sum, qui, ubi tu ipse mihi mucronem das simul & jugulum, adhuc ferire cesso. Quoniam igitur ita placet, feriam. At unum exciderat: dic ante, obsecro, quare intercisa dum Gavantum omiseris haec verba: *Visum est illis (Baronio & Bellarmino) ad eos, idque minima qua fieri potuit mutatione? Siti historiae veritatem bona fide restituere sacras Lectiones,* ubi veritas cordi tibi, Pater Reverende, non difficulter ideo te omisisse illa verba, quod nimis clare innuerent falsa aliqua in antiquo fuisse Breviario; & quod verereris, ne qua hinc fieret ad Clementinum Breviarium argumentatio.

45 Nunc age, ictum fortiter excipe, & ut virum decet. Nullis piis Historiis, quae tantum aliquam habent probabilitatem, debetur ab Orthodoxis summa fides humana. Atqui sunt in Breviario Clementino quaedam piae Historiae, quae tantum aliquam habent probabilitatem. Ergo quibusdam piis Historiis, quae sunt in Breviario Clementino, non debetur ab Orthodoxis summa fides humana. Propositio certa est apud omnes. Complexio est legitima, maximeque ad normam dialecticae exacta. Sola igitur restat probanda assumptio, & probatur clarissime ex his verbis Gavanti, quae in tui defensionem adduxisti: *Quae controversa erant, alicujus tamen gravis auctoris testimonio suffulta, aliquam haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo quo erant ante.* Ergo sunt in Breviario Clementino quaedam piae Historiae, quae tantum habent aliquam probabilitatem. Jamne vides, R. Pater? Jamne tenes, quem mihi porrexisti mucronem, non esse plumbeum? Sed nondum satis est: juvat eum adigere adhuc altius. Hoc autem ut fiat, oportet observemus, a Gavanto non dici, *quae aliquam habebant probabilitatem,* ut a me dictum est in illo syllogismo; sed, *quae aliquam haberent probabilitatem,* id quod apud politioris litteraturae

naturæ hominei perinde sonat, ac si dicatur: *Quæ poterant habere aliquam probabilitatem.* Atqui *posse habere aliquam probabilitatem*, non est *habere aliquam probabilitatem*. Ergo videtur censuisse Gavanius, in Clementino Breviario retenta esse; non tantum quæ ob alicujus gravis auctoris testimonium habebant probabilitatem aliquam; verum etiam quæ ob simile testimonium aliquam habere poterant, sive quæ gerebant aliquam probabilitatis speciem; *quamvis fortasse altera sententia sit a pluribus recepta.* Tantum abest, ut omnes quæ sunt in illo Breviario Historiæ, a cunctis Orthodoxis verissimæ esse censeantur.

46 Neque ad ictum avertendum Tibi clypeus datur in illis verbis, *cum falsitatis argui non possint*; licet Jacobus a S. Antonio in Appendice Consultatoria Resolut. 3. num. 19. verba illa valde notanda esse inculcet. *Cur enim hoc?* inquit. *Nisi quia eo ipso quo Breviario, ute recognito & approbato, inserta sunt, tamquam Canonizatæ & Canonicæ veritatis habendæ sunt.* Non ideo, R. P. Jacobe, non ideo: quomodo enim ea, quæ sunt solum probabilia, possunt esse veritatis Canonicæ? Veritatibus Canonicis præbetur assensus fidei supernaturalis, qui solum probabilis esse non potest, ut ostenditur ex propositione 21. ab Innocentio XI. damnata: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Non ergo ideo, sed quia eo tempore, quo castigatum fuit Breviarium, nondum erant lustratæ tot Bibliothecæ, nondum tot Manuscripta e suis eruta latebris, nondum tot Numismata effossa, nondum excogitata ars legendi antiqua diplomata, nondum reperta tot monumenta alia, nondum denique tot in elucidandis Historiis positi labores ac vigiliæ, quot hac nostra eruditissima ætate ponuntur hodie in Belgio, Gallia, Italia, aliisque mundi plagis. Hinc factum est, ut tunc invenirentur nihil novi, quod alterutri parti aliquid momenti adderet vel demeret.

47 Quid igitur mirum est, tunc non potuisse Historias quasdam falsitatis argui; posse autem jam, cum tot novis subsidiis atque adminiculis instructi sumus? Sic maritimo usu astrolabi nondum invento, perfectaque arte navigandi, non potuerunt nautæ detegere multas regiones, unde orbem terræ universum tres in partes dumtaxat divisit antiquitas. Inventi demum novi tractus quartam adjecere; si quarta appellanda est, quæ una reliquis omnibus magnitudine ferme par est. Neque tamen hæc recentiora tantummodo, sed veterum quoque finium haud exigua spatia prisci homines ignorarunt. Siquidem & in multis regionibus describendis Ptolomæus, vir ceteroqui summus, & alii Geographi insignes hallucinati sunt; & Africæ terræ quidquid a Praso Promontorio & interiore Æthiopiæ ac Lunæ montibus in Austrum extenditur, multæque & ingentes tum Afrito, tum Indico littori objacentes insulæ, eorum diligentiam notitiamque quamvis accuratam subterfugere. Sic nondum invento microscopio, non poterant Philosophi detegere minutissima illa, quæ nunc detegimus animalcula, eorumque alas, crura, oculos, aures, pilos, proboscides, fibras, venulas, & in venulis assidue circumeuntem sanguinem, aliaque plura hujuscemodi. Sic tubo optico nondum invento, non poterat perspicax Astronomorum acies detegere maculas Solis, Jovis satellites, comites vel annulum Saturni, phases Veneris & defectiones, quas propter terræ interjectum non secus atque Luna patitur. Sed quid ego tam singillatim ista commemoro? In ea tempora ætas nostra incidit, cum pedetentim scientiæ perficiuntur omnes, & perfici Historiarum scientiam, adinventis novis præsidiis, quisquam neget?

48 R. P. Sebastiane, dum hæc mihi cum tuo commilitone Jacobo fuit velitatio, aliquantulum respirasti. Nunc te iterum adorior, & acceptum in te mucronem distringo iterum, alia ex parte facturus vulnus. Christi fideles non debeant in omnibus credere isti Breviario, in quo quæ controversa erant, retenta sunt eo modo quo erant ante. Atqui quæ controversa erant, sunt in Clementino Breviario retenta eo modo quo erant ante. Ergo Christi fideles non debent in omnibus credere Breviario Clementino. Si non debeant ei credere, ergo licitum est Historiographis aliquas eo contentas Historias, prolatis in medium rationibus, falsi arguere. Neque enim id illi unquam prohibuerunt Pontifices; non Pius, non Clemens, non Urbanus: qui quidem si id voluissent prohibitum, id expressissent sine dubitatione in suis Bullis, Romano Breviario præfixis, in quibus quæ quoad Breviarii emendationem observanda sunt, explicant adeo accurate.

49 Mirabitur forsasse Lector, quod ad confirmandum tuum Præambulum allegaveris hunc Gavanti locum, in quo hæc adversus te latebant argumenta, velut in equo Trojano milites. Sed est cur multo magis miretur, quod eumdem in finem allegaveris ea, quæ habet Gerson tom. 2. libello qui inscribitur: *Declaratio veritatum, quæ credendæ sunt de necessitate salutis. Sicut, dicit Aristoteles, nihil refert quædam falsa probabiliora esse quibusdam veris; ita nihil refert, quædam falsa pie credi: non quod ea ratione qua falsa sunt, vel si scirentur esse falsa, credi possint (procul hoc a pietate fidelium), sed cadit existimatio vel pia credulitas non super veritate vel falsitate, sed tantummodo super apparentia vel probabilitate: & hoc utique non est periculosum vel falsum, quia constat de apparentia & probabilitate, dum falsitas vel veritas ignota est.* Est, inquam, cur Lector hoc summopere miretur in S. Theologiæ emerito Professore, qui non solet proloqui tam aliena a proposito. Erat porro sibi propositum probare hanc propositionem: *Piis Ecclesiæ Historiis Divino Officio seu Breviario insertis, ab universis Catholicis debetur summa reverentia & fides humana.* Quomodo autem hæc probari potest per ista verba: *nihil refert quædam falsa pie credi?* Quippe, præterquam quod istis verbis non significetur ulla credendi obligatio; agitur hic, ut patet, de quibusdam falsis; de quibusdam, quorum de apparentia tantummodo & probabilitate constat; de quibusdam etiam, quorum veritas vel falsitas ignota est. An igitur falsæ sunt vel esse possunt piæ Breviarii Historiæ? An tantummodo constat de illarum apparentia & probabilitate? An illarum veritas vel falsitas ignota est?

50 Vide quid respondeas ad singula. Nam si ais, quomodo jure illas Historias dicis esse maxime veras, censeri ab Ecclesia Canonizatas, & a cunctis Catholicis firmiter credendas, ita ut fas non sit quidquam illis opponere? Sin autem negas; quid ille Gersonis locus ad rem

tuam

tuam pertinet? E contrario utcumque pertinet ad rem meam; quia ex illo video me posse colligere te in hoc Præambulo statuere aliquid, quod procul est a pietate fidelium. Quod sic ostenditur. Posse credi quæ sciuntur esse falsa, est, secundum hunc locum, procul a pietate fidelium, imo secundum alios *ἀσέβεια*. Atqui in hoc Præambulo statuis posse credi, quæ scimus esse falsa. Ergo in hoc Præambulo statuis aliquid, quod est, secundum hunc locum, procul a pietate fidelium, imo secundum alios *ἀσέβεια*. Probo assumptionem hoc modo. Omnia, quæ narrantur in Breviario, statuis in hoc Præambulo posse credi. Atqui aliqua quæ sciuntur esse falsa, narrantur in Breviario. Ergo aliqua, quæ sciuntur esse falsa, statuis in hoc Præambulo posse credi.

51 Assumptionem ejusque probationem mihi pernegabis. Sed, R. P. Professor, aliqua, quæ in Breviario narrantur, esse falsa, significavit se scire Baronius, significavit se scire nobilissima Burghesiorum familia, significavit Cardinalis Ursinus; &, ne plures memorem, id scire se significavit P. Desirantius ex Ordine Eremitarum S. P. Augustini. Hic S. Theologiæ Doctor & Historiæ Professor Regius, in Thesibus Theologicis, quibus præsedit Lovanii 19. Augusti 1684. sic loquitur Thesi 19. *Orandus esset Pontifex Maximus, ut de lapsu pii Marcellini fabula expungeretur ex Breviario. Mirum qui irrepserit. Non est simile vero thurificasse virum idolis.* Hic viros quanos habes? An te unum his omnibus prælatum cupis, o bone? Sunt & alia tela validissima, quæ ex hoc Gersonis loco, veluti ex plena pharetra, possim depromere; sed non duco operæ pretium esse. Etenim quam nihil Tibi consentiat Parisiensis ille Cancellarius, cernere est vel ex ultimis illius declarationis vocibus, quæ hæ sunt: *Magis hic attenditur id, quod pia recogitatione fieri potuit, quam illud quod factum est. Et hoc apud Oratores creberrimum reperitur, qui ex aliorum personis dicunt ea, quæ personæ non dixerunt, sed quæ dicere potuerunt; sicut in Legenda Beatæ Agnetis & Beati Sebastiani.* Hic mihi succurrit interrogare, an eam narrandi rationem & modum secuti fueritis in contexendo Breviario vestro. Hoc si ita sit, jam nihilo plus fidei ipsi debebitur, quam piis aliquibus tragœdiis, in quibus Poetæ faciunt Martyrem E. C. dicere vel facere, non quod dixit vel fecit, sed quod dicere vel facere potuit; ipsique affingunt liberos, aut fratrem, aut sororem, aut alium nescio quem consanguineum, imo & priscam nobilitatem, quo magis eluceat ipsius fortitudo, quoque facilius possint in spectatoribus cieri pii animorum motus.

52 At vero nimis importuna fortasse hæc Tibi accidit interrogatio: quare veniam potius ad numerum suum 28. ubi reprehendis P. Papebrochium, quod tom. 2. Maji fol. 716. n. 33. dixerit: *Licet forsitan multum intersit inter modum, quo Romani Breviarii Officia fuerunt approbata, & quo approbari dicuntur Monastica quædam.* Judicet Lector, an te ab hac reprehensione avocare non debuisset particula illa *Forsitan*: nam, ut alios prætercam, Barbosa tract. de Dictionibus usu frequent. ait: *Quando hujusmodi dictiones (Forsan, Forsitan, Fortassis) apponuntur, nihil affirmatur; & ideo non est necessaria verificatio ejus, quod per tales dictiones asseritur, ut Opuscul. Collect.*

in praecip. For glos ... *in subst. ff. de vulgari, notant Vulpell. de of. & ad verb. signif. sub dict. Fors, vers. san. pagina 38. Gonsalez ad reg. 8. Cancell. 32. num. 10. & 11.* Quid, quod loco citato addat Papebrochius, *id non videri examinum curiosius*. Vel ex his verbis facile e intellectu, Papebrochium dubitantis, non nantis in morem hic loqui. Et vero ut antis in morem, loquatur, quid in eo e iaculi? Quid tera tua miniatula, quid tendignum? Siquidem illa approbatio, qua ia Religiosorum Ordinum Breviaria dir approbari, non tam videtur esse apatio, quam mera permissio seu indulgenAtque hæc causa est, cur jure merito esset Papebrochius Breviario plus deferre, quam Breviario Romano ali-. Tu, Pater Rev. tam multa hic effutis castiganda, ut vix extum possim evolvere: nec satis tibi fuit falso dicere, P. Papebrochium videri plusculum tribuere Breviario Romano, quam Breviariis Regularium; addidisti etiam causam, eo quod, inquis, *bis (ut sibi imaginatur) non tam rigorosum adhibeatur examen, quam Breviario Romano.* An uspiam hoc dicit Papebrochius? Profer locum. Certe ex loco, quem citas, scilicet tom. 2. Maji fol. 716. num. 33. non magis elicias eam causam, quam oleum ex pumice. Verum necesse erat istud fingere, quia homo disertus non potuisset aliter huc sat concinne intrudere *rigidum examen*, quod subiisse dicitur Vita S. Ignatii a Nierembergio edita. Hinc etiam quæso videas, quam belle ratiocineris. Tua positio hæc est: Breviaria Regularium tam rigide examinantur, quam Breviarium Romanum: quam positionem ut probares, tuum erat ostendere aliquod Religiosorum Breviarium ita rigide fuisse examinatum; & interim pro tali Breviario obtrudis Vitam S. Ignatii, de qua inferenda Breviario minime agebatur: erat enim volumen integrum, nec agi poterat: quidem idiomate conscriptum. & Hispanico dem opera eodemque successu, attulisses etiam diligentiam illam ac sedulitatem, qua ad examen revocantur dogmata, antequam catholica vel hæretica declarentur. Neque ista positio firmius a te stabilitur, quando addis ex Vincentio Baronio: *illam Christi apparitionem, in qua S. Ignatio dixisse pretenditur: Ego vobis Romæ propitius ero: Sacræ Congregationi fuisse oblatam, sed Breviario nullatenus ab ea approbatam, nec Post varias instantias, hactenus inserta.* Hic namque de Romano Breviario agitur; in tua vero positione de Breviariis Regularium, & consequenter hoc nihil ad rem: usque adeo, Rev. Pater Professor, non modo non cohærentia inter se loqueris, verum etiam maxime disjuncta, maxime contraria.

54 Habes nos, ut video, pro cucurbitis, aut saltem tu ipse cucurbita es. Accusas enim P. Papebrochium, quod citaveris aliquando Natalem Alexandrum, Auctorem prohibitum: & tu hic, fronte nescio qua, citare sustines Vincentium Baronium. An nescis, Pater Reverende, Vincentium illum pariter prohibitum esse? Quam apte io te convenit illud? *Gladius accusat.* Accedat, quod tu citaveris Vincentium Baronium, postquam esset prohibitus; Papebrochius autem citaverit Natalem Alexandrum, antequam pro-

prohiberetur. Præterea Natalem inter & Vincentium quantum interest? Vincentius asserit, Bullam Pauli V. quæ Rituali præfigitur, extortam fuisse per subreptionem, & in moribundi articulo errorem irrepsisse: secundo, defendit Sotum, in eo quod post Bullam Leonis X. & Concilium Lateranense, Montes Pietatis damnaverit. Tertio, sustinet contra Gregorium XIII. Religiosos Societatis, ante solennem professionem, non esse perfecte religiosos. Quarto, dicit sententias controversas ab Ecclesia definiri non posse, Quinto, contra Alexandrum VII. affirmat, piam illam de immaculata Conceptione sententiam recens inventum esse. Sexto, effutire non dubitat, Ecclesiam errori obnoxiam esse in controversiis, quæ ad mores spectant, decidendis institutis Ordinem Religiosorum approbandis, & quibusdam solenni ritu in Sanctorum Album referendis, aliaque multa habet hujusmodi, quæ piæ aures exhorrescunt. Nihil autem simile neque in sua Historia, neque in sua Theologia Morali habet Natalis Alexander.

55 Ast unum hic mihi pæne exciderat. Theophilus Raynaudus, quam venerabilis apud vos vir habetur! Quam doctus! Quam eruditus! Quantum Oraculum! Hunc tamen virum Vincentius ille Baro (sic enim melius vocatur quam Baronius) dicit esse Asinum, Atheum, Atheo pejorem, Auctorem ridiculum, Blasphemum, Comitiali cerebri morbo laborantem, Genimen Viperæ, Fæcundum ineptiis & absurdis, Hostem traditionis Ecclesiasticæ, Impostorum maximum, Impudentissimum Hæreticorum, Luciani discipulum, Lutheri imitatorem, Mutilatorem SS. Patrum, Novitatum profanarum Auctorem, Stultum, Ignorantissimum, Mendacissimum, Os lutulentum; atque sexcentis aliis hujusmodi eum onerat conviciis. Et tu Baronem illum, qui Theophilum Antiquitatis vestræ præconem tam pulchre pingit, citare sustines? Ingratum caput! Sed fallor: nam & Baroni debetis aliquid, nimirum suavissimos illos Christianæ eloquentiæ flosculos, quibus P. Papebrochium vestris in scriptis ornare non desinitis. Verum huc longius quam voluntas fuit, digressa est Oratio mea, duce te.

56 Revertamur ergo ad fidem, quam pugnas Breviario esse debitam. *Denique*, inquis num. 31. *quod Historiæ, a Sede Apostolica tam pro Breviaria Regularium, quam pro Romano approbatæ, omnem apud Catholicos mereantur fidem & venerationem, verbis ipsiusmet Papebrochii convincitur: dum in Præfatione (debuisti dicere in Protestatione) tom. 1. Aprilis universaliter asserit, in describendis Ecclesiæ Historiis sacris, Sedis Apostolicæ judicio omnino esse acquiescendum, & ab eo nullatenus recedendum, ad quod speciali juramento se obstringit, dicens*: „ Cælites omnes, Deumque ipsum sancte testamur, nos eamdem „ Sacro-sanctam Sedem, ut veritatis . . . . „ Magistram, revereri, neque ab ejus scitis „ jussisque vel latum unguem declinare velle. Iterum imponis, P. Reverende: non enim dicit Papebrochius, in scribendis historiis omnino acquiescendum esse Sedis Apostolicæ judicio: sed illius Sedis judicio ac decretis obtemperandum. Verba ipsius accipe: *Multo sane æquius est nos Sanctæ Apostolicæ Sedis judicio ac decretis obtemperare.* Est autem aliud acquiescere, aliud obtemperare: quoniam sæpe obtemperat quis Superioris præcepto, nec tamen ejus speculativo judicio acquiescit. Porro, uti dixi jam sæpius, non solum Ecclesiæ præcepto, leito, justoque obtemperandum est; verum etiam omnino acquiescendum est ejus judicio, quod fertur de rebus, in quibus dijudicandis errare non potest: at vero ejusdem judicio, quod fertur de rebus aliis, puta de quæstionibus facti particularis, acquiescendum, id est, credendum non est, si qua gravioris momenti ratio in contrarium occurrat.

57 Sed quid attinet concidere ista minutius? Paucis verbis declarari poterat, quæ Patrum Henschenii & Papebrochii mens sit. Quando Cælites omnes Deumque ipsum sancte testantur se Sacrosanctam Sedem, ut veritatis Magistram revereri, significant a se pro Sancto haberi sine ulla dubitatione omnem eum, qui pro tali solenniter declaratus est ab Ecclesia. Quando autem addunt, se neque ab ejus scitis jussisque vel latum unguem declinare velle, significant velle se observare ea omnia, quæ Ecclesia, Catholicis cujusque vitæ Scriptoribus observanda præcepit. Id quod planum fit ex his verbis consequentibus: *Quare (quod est alias Urbani VIII. Pont. Max. statis Constitutionibus vetitum) nulli, quantum quidem per imbecillitatem humanæ judicii providere nobis potuit, Sancti aut Beati appellationem adscripsimus, cui non eam vel Sedis ejusdem sententia, vel Majorum religio, vel veterum Scriptorum auctoritas contulerit. Neque item cujuspiam qui non videatur* „ per communem Ecclesiæ consensum, „ vel per immemorabilem temporis cursum, aut „ per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel „ longissimi temporis scientia ac tolerantia Se„ dis Apostolicæ vel Ordinarii *venerationem obtinere, commemoravimus miracula, prædictiones, arcanorum manifestationes.*

58 Hæc omnia, Rev. Pater, si subjunxisses, an mens Papebrochii non fuisset luce clarior? An non vidisset ipse Lector, quam inaniter glorieris, dum dicis: *Quod Historiæ a Sede Apostolica, tam pro Breviario Regularium, quam pro Romano approbatæ, omnem apud Catholicos mereantur fidem & venerationem, verbis ipsiusmet Papebrochii convincitur?* Sed ita videret, hæc omnia prætermisisti dolo malo: neque tantum hæc omnia prætermisisti, verum etiam studio ac dedita opera videris, pro, *in Protestatione*, scripsisse *in Præfatione*: quippe, cum illi, qui defunctorum Vitas litteris consignant, in Protestatione profiteri soleant, se non adversari illis Urbani Constitutionibus; verebaris verisimiliter, ne, si scripsisses *in Protestatione*, venisset erudito Lectori in suspicionem male intellecti Papebrochiani sensus. Rev. Pater Professor, an hanc tuam mentem melius divinaret ipse Oedipus? Quamquam, quæ hæc est digna Professore emerito consecutio? Papebrochius testatur se sacrosanctam Sedem, ut veritatis Magistram revereri, neque ab ejus scitis jussisque vel latum unguem declinare velle: ergo, quod Historiæ a Sede Apostolica in Breviarium relatæ omnem apud Catholicos mereantur fidem, verbis ipsiusmet Papebrochii convincitur? Profecto similis est huic: P. Fr. Sebastianus a S. Paulo testatur, se sacrosanctam Sedem, ut veritatis Magistram revereri, neque ab ejus scitis jussisque vel latum unguem declinare velle: Ergo, quod Breve, in quo narrat Clemens X. quomodo PP. Carmelitæ Discalceati imposuerint suo Decessori, omnem

apud

apud Catholicos mereatur fidem, verbis ipsiusmet Patris Sebastiani convincitur.

59 Sed hic iterum obliviscor datæ fidei. Quam oblivionem ut rependam, taceho, illam particulam *omnem*, non satis cohærere cum illis, quæ num. 10. habes in Gestione: *in talibus* (Historicis) *nihil de certitudine scitur esse falsum, quamvis etiam nesciatur illud certitudinaliter esse verum, quod oportet credere.* Si enim illæ Historiæ non sint certæ, quomodo fieri potest, ut fidem mereantur omnem? Interim, Rev. Pater, hic ego tuam commendabo modestiam. Papebrochius (uti dicebas supra) ad judicium Sedis Apostolicæ in omnibus sequendum obligavit sese juris-jurandi religione; nec tamen, cum illum putes deesse officio, crimen perjurii objecisti. An inter tot alias atrocissimas criminationes hæc una te terruit? O rem in P. Sebastiano non satis admirandam! Aliquis fortasse istud tribuerit nescio cui stupori, quo præpeditus istam consecutionem videre haud poteras; at ego, sicuti jam inchoabam dicere, malui id tuæ tribuere modestiæ, vel (si vis) mansuetudini: &, ut fatear verum, sic mihi a natura comparatum est, ut omnia etiam adversariorum dicta optimam in partem interpreter atque excusem.

60 Utinam vero sic possem excusare id, quod asseris num. 10. *Pias Breviarii Historias, a Sede Apostolica recognitas & approbatas, ab aliquibus controverti posse.* Profecto hic te denuo in laqueum inseris. Nam si Historiæ Breviarii controverti possint ab aliquibus, cur controverti non possunt a P. Papebrochio? Age, nobis edissere, quinam sint illi Aliqui. Dubio procul dices, illos Aliquos esse eruditos, & in omni scientiarum genere versatos. An igitur talis non est Papebrochius? Ipsius eruditionem loquuntur tot ac tam magna quæ edidit in lucem volumina; ut jam omittam viros doctissimos, qui tum ex omni orbis parte, tum maxime ex Hispania eum assidue consulunt, ejusque responsa pene ut oracula venerantur. Sed jubet te hoc laqueo constringere arctius. Si Historiæ Breviarii possint controverti ab aliquibus, ergo Historiis Breviarii non debetur ab aliquibus fides, quia non debetur fides iis rebus, quæ in controversiam ac disceptationem vocari possunt. Ergo ulterius, R. P. Professor, secundum te, piis Historiis, divino Officio seu Breviario insertis, ab universis Catholicis debetur fides humana; & iisdem Historiis ab aliquibus non debetur fides humana. Quid cum hocce homine disputem diutius, qui tam manifeste contradictoria loquitur? Potius illum traderem alicui Dialecticæ tiruneulo exagitandum, ut discat, duo contradictoria, simul vera esse non posse.

61 Sed ad te, erudite Lector, jam me converto. Quippe tum sis Patre Sebastiano acutior magisque lynceus, poteris movere scrupulum, qui non incidit usque adhuc isti emerito Professori. Dices namque: Quotquot Romano Breviario continentur Sancti, coli ab Ecclesia præcipiuntur. Ergo, si qua Historia possit esse falsa in Romano Breviario, Ecclesia poterit cultum falsi præcipere. Non posse autem falsi cultum ab Ecclesia præcipi, ostenditur, tum ex Firmiano Lactantio, tum ex multis variisque rationibus, quæ ex intima Theologia petuntur. At non tenet ista conclusio. Ideo opus esse judico aliqua distinctione. Si qua Historia possit esse falsa, hoc est, si quis in Romano Breviario possit præcipi colendus Sanctus, qui vere Sanctus non est, Ecclesia poterit cultum falsi præcipere; assentior. Si qua historia possit esse falsa in Romano Breviario, hoc est, si in Romano Breviario illi, qui vere Sanctus est, tribuatur falso patria aliqua, familia, vitæ institutum, posteritas, opus, vel quid simile, Ecclesia poterit cultum falsi præcipere; pernego, & merito quidem. Quia, ut recte observat Magister Franciscus de Rufpuerta, de Sanctis Naturalibus Diœcesis Giennensis, tract. 3. sect. 3. num. 8. *La veneracion y culto que se da à un Santo natural, no mira al Santo en quanto es Natural, sino en quanto es Santo, tenido por tal y venerado de la Yglesia.* Hoc est: *Veneratio & cultus, qui alicui Sancto populari exhibetur, non respicit Sanctum quatenus popularis est, quatenus est talis nationis Apostolus, quatenus talis Ordinis Conditor vel Religiosus, & sic de reliquis; verum quatenus Sanctus est, quatenus habetur pro tali, & honoratur ab Ecclesia.* Quæ omnia firmari possunt auctoritate D. Thomæ quodlib. 9. art. 16. *Cultus, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus.* Nota, *Sanctorum gloriam*, id est, beatitatem, qua jam Sancti perfruuntur in cælis; non privata eorum acta, quæ egerunt in terris, quæ ab alio quam a Canonico Scriptore referuntur. Non est igitur consequens, ut, si quid in Romano Breviario esse falsum possit, cultus falsi possit præcipi ab Ecclesia. Sed fortasse ægre fert P. Sebastianus, quod ego eum ita missum fecerim. Quare, Lector, hoc me abs te impetrare sine, ut ad eum redeam, licet jam suis jugulatum gladiis.

PRÆAMBULUM III.

Qui Sacras Historias, a Sede Apostolica prævio examine approbatas, explodit tamquam fabulas, injuriam eidem irrogat.

EXAMEN.

Adsum iterum, P. Sebastiane, adsum, non jugulaturus mortuum, sed pollincturus. Tibi namque hoc Præambulum concedam totum. Quin imo ajo ego: Qui sacras Historias a Sede Apostolica prævio examine approbatas explodit tamquam fabulas, ille injuriam facit Sedi Apostolicæ, etiamsi eas fabulas esse ex divino aliquo instinctu afflatuque cognosceret. Ad hanc Pollinctoram tibi redit animus; & reviviscis, Pater Reverende; reviviscis, veluti flamma lampadis affuso oleo. Sed nostin' verbo *explodere* quæ subjecta vis sit, quæ notio? Nisi tibi admodum fluxa est memoria, meministi eorum, quæ variis tuis Responsionis locis super hac re dixit P. Papebrochius, & quæ ego dixi num. 30. Sic ibi disserebam: *Aliud est dicere simpliciter aliquid esse fabulam & commentum, aliud tamquam fabulam & commentum explodere. Hoc contemptionem sonat, & nescio quem visum*

fum farcaſticum; illud, non item. Ego quidem conſtitueram hit paucis contentus eſſe, ſed cum videam hoc verbum in tuis ſcriptis tam crebro recurrere, mutavi conſilium, & amplius aliquid dicendum cenſeo.

62 *Explodere*, idem eſt quod eludere, irridere, ſubſannare, naſo adunco ſuſpendere, exſibilare. Hoc ſi auctoritate probandum eſt (ſicut revera eſt) quem appellabo potius, quam M. Tullium? Ad Q. Frat. ſcribit: *Multa dixi in ignobilem regem, quibus totus eſt explosus*. Et pro Quint. *Eroticus Comœdus, non modo ſibilis, ſed etiam convitio e ſcena explodebatur*. Et in Parad. 3. *Hiſtrio, ſi paulo ſe movit extra numerum, exſibilatur & exploditur*. Alia iſtiuſmodi habet locis aliis. Putabam etiam adjungere Laurentium Vallam: ſed ob audiendo Hæretico refugiat teretes tuæ & religioſæ auriculæ. Quamobrem, prætermiſſo Valla, obteſtor te, ut in Ciceronis locum ultimum præſertim, oculos & mentem intendas. *Exſibilatur*, inquit, *& exploditur*. Apud Ciceronem, R. P. ſemper creſcit oratio. Ergo, cum *exploditur* collocetur poſt *exſibilatur*, *explodere* ſignificat aliquid amplius vehementiuſque quam *exſibilare*. Unde ſi illas, de quibus agimus, Hiſtorias exſibilare ſit Sedi Apoſtolicæ injurioſum, quanto magis erit eaſdem explodere? Vide R. P. quam nibil diſſimulem, & propoſitas difficultates quantopere ipſe exaggerem.

63 Sed quo jam argumento fidem facies, illas Hiſtorias exſibilatas & exploſas eſſe a P. Papebrochio? Aliquæ ſimiles Hiſtoriæ, inquis, ab ipſo dicuntur *Fabulæ*, *Commenta*, *Somnia*; Ergo ab ipſo ut fabulæ, ut commenta, ut ſomnia exploduntur. Perbella enimvero concluſio! Jam nunc oſtendi, aliud eſſe aliquid fabulam dicere, aliud explodere aliquid ut fabulam. Quid enim? An incolæ oppidi de Bilbao, quando noluerunt PP. Carmelitas recipere, aſſerens, Breve Clementis IX. contineri narrationem falſam, ſive fabulam, iſtud Breve tamquam narrationem falſam ſive fabulam exploſerunt? An quando Calaguritanus Epiſcopus, ad Congregationem Cardinalium ſcripſit, eamdem narrationem *erroneam* eſſe, eam exploſit ut erroneam? An eam ut falſam exploſit ipſe Clemens X. Pontifex maximus, Clementis IX. ſucceſſor, quando ....? O me obliviosum! hic mei iterum non reminiſcor propoſiti. Quaero melius num. 30. ad hanc rem conficiendam, feci innocentem aliquem, excommunicationis nexu irretitum, ſcribere ad Pontificem, crimen, quod Pontifex prævio examine putat verum, eſſe fabulam, eſſe commentum, eſſe ſomnium! Hunc locum, cenſeo, iterum conſulas: non quod minus ponderis, minus momenti arbitrer ineſſe in veris illis exemplis quam in hoc ficto; ſed quod hoc fictum poſſis legere cum minore perturbatione animi.

64 Quid plura? Si ille innocens non cenſeatur explodere Sedem Apoſtolicam, cur eam explodere cenſendus eſt P. Papebrochius? Profecto Breviaria non tam prope ac immediate ſpectant ad Apoſtolicam Sedem, quam ſcriptum illud, quo iſtum Innocentem a Sacrorum uſu arceri fiaximus. Dicis quidem num. 33. *Dum Sacroſancta Sedes Apoſtolica ſuis in Bullis narrat & approbat Hiſtoriam, aut Breviario inſerit pro æterno Officio, quod mandat ac præcipit recitari; hoc ipſo dictam Hiſtoriam adeo ſibi devincit & connectit, ut quidquid eſt contra unum, etiam ſit contra alterum.* Sed R. P. Profeſſor, dum Clemens IX. (mira res eſt, huc denuo prae lapſus fueram) dum Sedes Apoſtolica, inquam, ſuo in ſcripto narrat crimen, ob quod innocentem percutit fulmine excommunicationis, an non etiam hoc ipſo dictæ criminis narrationem adeo ſibi devincit & connectit, ut quidquid eſt contra unum, etiam ſit contra alterum? Non poteris ita inficias; quia par utrimque ratio eſt, atque adeo & utrimque valent ea, quæ affers juris axiomata: *Connexorum idem eſt judicium: Connexa & individua reputantur idem:* &, *Nihil poteſt fieri contra unum, quod non fiat contra alterum.* Hæc tamen connexio, hæc juris axiomata, nihil impediunt, quo minus ille innocens poſſit dicere, objectum ſibi a Sede Apoſtolica crimen eſſe falſum, eſſe fictam a ſuo adverſario aliove malevolo fabulam. Ergo neque impediunt, quo minus Papebrochius aliqua Hiſtorico-critici poſſint dicere, aliquas Hiſtorias, Bullis vel Breviario a Sede Apoſtolica inſertas, eſſe falſas, eſſe fabulas, fictas ab Hæreticis, vel etiam a quibuſdam Catholicis, itaque conſtanter ſparſas in vulgus, ut tandem labentibus ſeculis fidem in Eccleſia invenerint.

65 Hoc ita eſſe acute inter alios perſpexit Eximius P. Deſirantius in ſupra citata Theſi, ubi lapſum pii Marcellini vocat *fabulam, expungendam ex Breviario, & commentum Donatiſtarum, quod refutatum fuerit, dummodo fumus educatur ad præceptum*. Et ſub finem illius Theſeos addit: *Suſpicor* (Sinueſſanum Concilium) *fabricatum eſſe a poſterioribus Donatiſtis, ſparſum per Hiſpaniam, collectumque ab Iſidoro Mercatore, qui plura ejuſmodi ſpuria introduxit in Eccleſiam; atque, ut cetera tranſeam, epiſtolas varias Romanorum Pontificum.* Quin & in hunc Eximium Doctorem, Pater Rev. tuam evomuiſti rabiem, ſicut eam evomuiſti in P. Papebrochium? Ratio omnibus in promptu eſt, ideoque nibil neceſſe eam a me explicari. Sed juvat redire ad axioma juris: *Connexorum eadem eſt judicium.*

66 Scilne, P. Profeſſor, quænam connexa dicantur? Magni nominis Juriſconſultus Menochius lib. 2. de arbitrariis judicum quæſtionibus cent. 2. caſu 95. ſic loquitur: *In jure tanta nata obſcuritas videtur, ut quæ connexa dici poſſent, quodammodo ignoretur. Hinc eſt factum, ut cenſuerint aliqui judicis arbitrio hoc relinquendum eſſe.* Nolo tamen banc tacum movere quæſtionem, ne videar nodum in ſcirpo quærere. Sunt etiam qui hoc axioma tantum intelligi volunt de connexis inſeparabiliter, idque ſecundum gl. fin. in cap. præterea 5. de officio deleg. ubi dicitur: *In connexorum utroque idem eſt judicium, ubi alterum ſine altero eſſe non contingit; & ubi eadem eſt ratio in utroque caſu: ſecus ubi eſt diverſa ratio.* Hos ſecutus eſt Papebrochius in Reſponſ. ad Art. 3. n. 117. Ego autem, utpote cui certum eſt habere te liberalius, nunc admittam tantiſper iſtud axioma ſine ullo limite. Præterea, quamquam Hiſtoriæ a Sede Apoſtolica pro Breviario approbatæ, cum Sede Apoſtolica connexæ non ſint, ſenſu a te intento, ut oſtendi poteſt facile; tamen connexas eſſe non aliter atque ipſas Bullas, hic gratis concedam.

Quid

Quid tum? Ergo, inquis, clarum est & per- spicuum, id quod assero num. 34. *censuræ in ipsam Historiam, etiam officiunt ipsum autorem, & eos qui illam factum suam; adeoque ipsam Sedem Apostolicam, a qua Historia approbatur.* Quid hic opus erat, R. Pater, tam invidio- so nomine *Censuræ*? Multo modestius magisque apposite dixisses: Quidquid Historiæ opponitur, opponitur etiam ipsi auctori, & iis qui illam factum suam, adeoque ipsi Sedi Apostolicæ. Quid enim? An humanam aliquam Historiam appellare fabulam est illi censuram inurere? Ergo innocens excommunicatus a Sede Apo- stolica, dum se purgare nititur, dicitque cri- men, in quod vocatur, fabulam esse, atque imposturam, Apostolico scripto inurit censu- ram. Imo, si teneat tua consequentia, censu- ram eamdem inurit ipsi Sedi Apostolicæ, & Pontificem imposturæ arguit. O miserum inno- centem! qui sine tam immani crimine non potest insidias suorum adversariorum & impo- sturas cuiquam detegere.

67 Quam pulchre, R. Pater, hic mihi usui possint esse incolæ oppidi de Bilbao, tu ipse judex. Eos tamen prætereo ob adstrictam fi- dem, & ex cæsu innocentis dumtaxat infero: Igitur opponere aliquid Sedi Apostolicæ in fa- cti particularis quæstionibus, aut non est illam censurare; aut, censurare si sit, talis censura licita est. Alterutrum tu mihi assentiri debes, nisi forte Apostolicam Sedem fingas magis ini- quam, magis crudelem, magis truculentam, quam ullum est vel unquam fuit Regum Bar- barorum tribunal. Ut ut est, liquet, Sedi Apostolicæ posse aliquid opponi sine ulla in- juria. Ubi jam es, P. R. cum tuo ita jactato juris axiomate atque effato; *Connexorum idem est judicium*, quod erat unicus hujus tui Præ- ambuli nervus! Dices fortasse: Quidquid iste innocens profert ad diluendum crimen, hoc in ejus adversarios sive criminis architectos re- dundat, non in Sedem Apostolicam. Eadem ra- tione dicam ego: Quidquid Historico-critici dicunt adversus Historiam a Sede Apostolicam re- approbatam, hoc non in Sedem Apostolicam pri- dundat, verum in illos, qui eam historiam respon- mi finxere. Quamquam si hoc modo adhæreas tuo dear, non satis video, quomodo adhæreas tuo axiomati, *Connexorum idem est judicium*.

68 Cæcus es, mi Pater, nisi jam perspicias, istud axioma, etiam universim & sine ullo li- mite acceptum, esse pugionem plumbeum. Nunc autem, ut te omni ex parte confutem, ajo, istud tam universaliter accipiendum non esse. Quid est enim in homine tam arcte tam- que inseparabiliter connexum, quam ratioci- nandi potentia cum potentia ridendi? Tamen hæc propositio, *Christus est rationalis*, de fide est; hæc autem, *Christus est risibilis*, non item; sicut tu, S. Theologiæ Professor emeritus, ignorare non potes; præcipue cum his imbutus principiis Patris Bonæ-spei, qui (quod ego facere non ausim) tom. 3. tract. 2. de fide, dub. 10. resol. 3. num. 107. progreditur adhuc ulterius: *De fide est*, inquit, *Christum esse ho- minem; non tamen de fide est, esse animal ra- tionale*. Hæc Auctoris tui ac Magistri senten- tia per te penitus profligatur. Etenim si, se- cundum te, *Connexorum idem sit judicium*, si nihil connexa & individua reputentur idem, si

fiet contra unum, quod non fiat contra al- quo pacto fieri potest, ut de fide sit esse hominem, non tamen de fide ristum esse animal rationale? Imo vero, & *animal rationale*, non tantum connexa ut rationabilitas & risibilitas; verum (quemadmodum in scholis loquimur) utuo formaliter involvant, ita ut alte- ne altero concipi non possit. Ergo, ut ri tui doctrinam sartam tectam serves, est admittas, non esse universaliter ve- lud pronuntiatum: *Connexorum idem est* m.

Sed quid ego hisce subtilitatibus schola- indulgeo? Brevius ac magis dilucide confici potest. Neque enim, (licet sæpe loquaris pugnantia) opinor, hic in constanter philosophaturum te, ut ne- quinque famosas illas propositiones tum ium Antistite Cornelio Jansenio esse con- Jam vero illæ propositiones damnatæ Sede Apostolica tamquam hæreticæ, persona Cornelii Jansenii tamquam hæ- damnata non est; multo minus damnati ejus Approbatores Fromondus & Cale- Hinc iterum ineluctabiliter sequitur, ut sit universaliter verum, *Connexorum idem judicium*. Hoc loco, R. Pater, ora- quam hactenus in angustias & Stoicorum dumeta compuleram, cœperat aliquantulum exultare quasi in patenti campo, & per Para- disum Carmelitici Decoris, per Theses Bruxe- renses, per vetita alia hominum vestrorum scripta discurrere longe lateque. Unde denuo quilibet vidisset clare, connexorum alterum damnari posse, altero non damnato; atque adeo non semper & ubique, idem esse connexorum judi- cium; id quod tu adstruis tam præfidenter. At vir mitissimus R. P. Papebrochius, judicabat ista nimium invidiosa esse, ob eamque ratio- nem a me petiit, ut inducerentur. En quanta sit illius optimi Patris erga Ordinem vestrum benevolentia, quanta benignitas, etiam post tot injurias, quibus eum affecistis. Et, ut ve- rum fatear, exemplum quod a persona & scri- ptis Jansenii repetii, abunde sufficit: quare non admodum grave mihi accidit, hoc Viri desi- derium adimplere.

70 Exspectas, Rev. Pater, ut repellam etiam Pharisæos, quos tamquam triarios subsi- dio posuisti. Nec fallet te tua istæc expecta- tio: quia jam jam istud aggrediar, ubi quod tu ipse dicis, sub aspectum subjecero. Dicis num. 36. *Pharisæi Christi Discipulos*, Matth. 12. num. 2. *arguentes & dicentes*; „ Ecce discipuli „ tui faciunt, quod non licet facere in sab- „ batho; „ *arguunt quidem directe discipulos, sed interea reipsa intendebant arguere Christum ipsum, qui talia tolerabat & permittebat in discipulis suis*. Inde conclusum vis: Ergo qui aliquid dicunt adversus eos, qui Historias Sa- crosanctæ Sedi Apostolicæ approbandas offe- runt, ut Divino Officio inseri possint, hoc ipso, saltem indirecte, Sedem Apostolicam il- las approbantem arguere intendunt. Digna iterum tali Professore argumentatio. Etenim ex eodem antecedente poterit quis hoc conse- quens elicere, admittendum a nemine: Ergo qui aliquid dicunt adversus eos, qui criminantur innocentem & Sacrosanctæ Sedi Apostolicæ eos demnan-

clerimandum offerunt, ut a societate conturiorumque Fidelium segregari possit, hoc ipso, talemm indirecte, Sedem Apostolicam, in illum pronuntiantem excommunicationis sententiam, arguere intenduot. Ille innocens, Rev. P. mirabilis homo est, quia innocens ut sit, tamen te mirifica exagitat, instat, premit, urget, insectatur, persequitur usque & usque, denique elidit omnia. Vereor, ne si ita prosequatur Papebrochianam tueri innocentiam, tandem apud te fiat nocens. Facile quidem potuissem in ipsius locum substituere Incolas Oppidi de Bilbao, Episcopum Calsguritanum, & Clementem X. qui licet directe falsi arguerint PP. Carmelitas, non intendebant tamen indirecte arguere Clementem IX. Brevi suo falsas aliorum Patrum narrationes inserentem. At, uti scis, non servassem iterum fidem. Ut ut est, tibi & hic a me jam nunc satisfactum puto. Sed plusculum aliquid debeo liberalitati meæ.

71 Agedum, P. Sebastiane, dic mihi: Sequiturne, Pharisæi publice erogantes stipem, aucupabantur gratiam & rumorem populi, juxta illud æternæ Sapientiæ oraculum, Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*. Ergo alii omnes qui publice erogant stipem, populi rumorem aucupantur. Minime, inquis, Quidni? obsecro. Certe non potest alia dari ratio, quam quia non omnis qui stipem publice elargitur, id cum Pharisæis eo refert, ut inanem gloriam consectetur. Atqui neque omnis, qui discipulum reprehendit, id eo refert cum Pharisæis, ut reprehendat ejus magistrum. Igitur non omnis, qui reprehendit discipulum, reprehendere magistrum intendit, nec directe, nec indirecte. Non directe, ut jam ostensum est; non etiam indirecte, quia ut id indirecte faceret, deberet inter discipuli & magistri reprehensionem esse necessaria quæpiam connexio, vi cujus non posset altera ab altera sejungi. Talis autem connexio inter reprehensionem utriusque nihilo magis est, quam inter largitionem stipis & captationem inanis gloriæ. Ergo, quemadmodum qui largitur stipem, inanem aucupari gloriam non intendit, nisi istam largitionem eo referat; ita etc ille, qui arguit discipulum, intendit arguere ejusdem magistrum, nisi eo referat reprehensionem discipuli.

72 Ut vero ostendam Scribas & Pharisæos in Christi calumniam retulisse quidquid reprehendebant in Apostolis, nihil necesse est conquiram Interpretum testimonia multorum: nam unius Paschasii testimonium, quod tu num. 37. putasti esse e re tua, erit nobis instar omnium. Hic lib. 7. in Matth. ut tu quidem dicis, sic fatur: *Mira Pharisæorum Scribarumque stultitia! Dei Filium arguunt, quoniam quidquid in Discipulis reprehenditur, ad calumniam Magistri insidiose ab eis refertur*. Ubi oportet animum advertere ad istas particulas, *ab eis*: Etenim si istæ particulæ a Paschasio prætermissæ essent, tibi, P. Professor, forte patrocinaretur locus ille. At vero nunc, cum istæ particulæ apponuntur, tibi obest quam qui maxime. Quippe per istas indicat Paschasius, reprehensionem discipuli & calumniam magistri non habere commune quoddam vinculum, nec necessaria quadam cognatione inter se ex natura rei contineri; sed esse, ut Scholæ loquuntur, disparata: ita ut, qui reprehendit discipulum, non censeatur hoc ipso magistrum reprehendere, nisi id quod in discipulo reprehenditur, in calumniam magistri insidiose ab eo referatur. Hunc Paschasii locum a te prolatum dum considero, videris mihi imitari turdum, qui auctore Plinio, *sibi ipse viscum cacat*. Qui enim ita jam extricabis? Diceine Papebrochium ea quæ scribit, insidiose referre ad contemptionem Sedis Apostolicæ, tamquam ad finem sive scopum sibi propositum? Eo si progrediare, ridiculum te facis, & te præfers ipsi Ecclesiæ, ut pote quæ de internis, sive de hominum intentione, numquam judicat.

73 Sed & ridiculum te facis, cum n. 34. objicis Papebrochio „ communem Societatis „ Jesu opinionem, quæ in Imagine Primi sæ„culi asserit, eos Pontificiam contemnere „ Majestatem, qui Societatem ab ea sacrato „ stabilitam invadit, dicens fol. 89. *Hæc tot „ Pontificum tanta animorum consensione in idem „ conspirans auctoritas, Societatem ita stabili„vit, ut eam jam nulla malevolentia invidia „ convellere possit aut labefactare; sed neque „ invadere, nisi per Pontificiæ Majestatis atque „ adeo divinæ humanæque contemptum*. „ Ridiculum, inquam, te facis, dum iste objicis. Quia enim non videas hic de quæstione juris agi, non alicujus facti particularis? In hac (uti dictum est jam toties) errare potest Pontifex; in illa non potest. Atque adeo qui Pontificem in approbando stabiliendoque Societatis aliorumve Ordinum instituto errasse diceret, non contemneret solum Pontificem, verum etiam Deum ipsum, qui hanc falli nesciam auctoritatem Pontifici promisit.

74 At, inquies, saltem facti particularis quæstio est, an D. Xaverius nomen Societati unquam dederit. Assentior, Pater Rev. & ideo in ea decidenda quæstione Pontifex absolute errare potest. Eum autem arguere eumquam si hic revipsa erraverit, non solum est petulantiæ & impudentiæ (ut loquitur Hazartius, teste te) sed etiam evidens contemptus. Quid enim? Si ego sine ulla ratione nolim fidem habere viro gravi & honorato, publice narranti aliquid, quod sua ætate & sua in urbe contigit, quod scire ipsius multum interest, quodque si falsum esset, statim posset convinci falsi etiam ab oculatis testibus; an non censear, impudentissime agere, eumque virum evidenter contemnere? Jam vero talis sine dubio vir fuit Pontifex maximus Paulus III. qui in sua Constitutione sibi coætaneum Xaverium & adhuc viventem, reposuit inter S. Ignatii Loyolæ Socios. Et hoc scire Pauli intererat, quia si hic falsum dixisset, potuisset statim ob oculatis testibus falsitatis convinci. Quemadmodum falsi convictus est Clemens IX. in Brevi illo, quod iterum nominare non volo. Imo vero idem Pontifex Paulus III. discessurum in Indiam Xaverium admisit ad pedum suorum osculum, ad eamque expeditionem velut futurum Apostolum pluribus cohortatus est, & postea, misso ad Lusitaniæ Regem diplomate, legatum Apostolicum designavit. His ita constitutis, estne simile vero, deceptum esse Pontificem, dum Xaverium ex turma Ignatii esse narravit? Præterea, Rev. Pater, te non fugit, quam multi Societatis adversarii jam inde ab initio similes Bullas Pontificum dente Theonino

rodere

Hoc punctum si po-
rodere non extimuerint. Hoc punctum si po-
tuissent olim evertere, malum auctoritatis,
saltem in speciem & apud imperitum vulgus,
detraxissent Bullæ reliquæ. Cur igitur hoc
punctum integrum ac intactum reliquerunt an-
tiquiores illi, nisi quod tunc ea res ita esset
in aperto ac propatulo, ut in falsi suspicionem
incidere non potuerit? Huc accedit, quod Pauli
successores eamdem narrationem in Bullis suis
iterum incluserint, præsertim Julius III. qui
eo tempore, quo Xaverius fuit Romæ, erat Car-
dinalis, nomine Joannes Maria Montius, adeo-
que potuit Xaverium Ignatio junctum suis
ipsiusmet oculis intueri. Ex his licet collige-
re, quantum inter Xaverianam & Elianam
historiam intersit. Hæc enim immenso tempo-
rum intervallo ab ætate Pontificum disjungitur,
adeoque in ea decipi facile potuere. Juverit
forte hic consulere Papebroehium, in Respon-
sione ad art. 3. n. 23. Age quod lubet.

75 Sed, P. Professor, dum hic Xaverianæ
Historiæ certitudinem commendo, nolim equi-
dem existimet, me eam velle efferre usque ad
eum certitudinis gradum, qui proxime accedat
ad certitudinem Fidei, ita ut de ea dubitare
non liceat sine aliquo infidelitatis genere, a quo
abhorrere debent homines pii & sapientes. Ne-
que enim tam fatuus sum, quam Concionator
ille, qui 21. Julii 1697. in Atrebatensi Diœcesi
ausus est de sacro pulpito inter propositiones
alias effutire hanc: *L'Histoire du Bienheureux
Simon Stock est dans un degré de certitude, qui
approche de celle de la foy; & on ne peut en
douter sans une espece d'infidelité, ou les per-
sonnes pieuses & sages doivent craindre de tomber.*
Hoc est (cogor enim hanc propositionem reddere
latine, quia accipio inter Calceatos Carmeli-
tas Belgas plures Gallice non scire) *Historia
B. Simonis Stockii est in eo certitudinis gradu,
qui accedit ad certitudinem fidei; neque fas est
de ea ambigere, sine aliquo genere infidelitatis,
quam infidelitatem debent pii homines & sapien-
ter pertimescere.* At bene habet, jam proposi-
tio ista pœnas dedit Illustrissimo Atrebatensium
Episcopo; qui eodem anno 23. Septembris,
eam, cum sex aliis ejusdem furfuris propositio-
nibus, proscripsit, veluti falsam, temerariam
& scandalosam. Neque immerito. Quippe quæ
non sunt Historiæ divinitus revelatæ, quanta-
cumque nituntur auctoritate, numquam ultra
terminos aut cancellos moralis certitudinis
progrediuntur: & si quis imprudens eas efferre
nisatur altius, periculum est, ne Religio Catho-
lica Heterodoxis ludibrio sit atque despectui.

76 Verum longius quam volueram, me huc
abripuit impetus ardorque disputandi: id quod
tu potes tribuere felicitati tuæ. Hinc namque
factum est, ut non notaverim tuam in citando
socordiam, neque errorem, neque perfidiam.
Socors es in citandis Literis sacris, quia pro,
in Sabbatis, scribis, *in Sabbatho*. Erras in ci-
tando Suarez; quia ad stabiliendum illud prin-
cipium, *Connexorum idem est judicium*, affers
ipsius librum de legibus cap. 11. n. 10. quasi
vero ipsius tractatus de legibus libro uno cir-
cumscriberetur. Libros complectitur omnino
decem, quorum undecimum quodque caput n.
10. sedulo lustravi, neque ibi quid tale reperi.
Denique perfidus es in citando Sanchez: quia
pro eodem principio allegat ejus de Matrimo-
nio librum 8. disp. 2. n. 2. ubi illius principii
per umbram quidem meminit. Quid erit
... Rev. Pater, humanum in scribendo
commercium tollere, si hoc non est? Et talis
... non erubescis tamen in hoc eodem
... modo discussi Præambulo, num. 40. &
... sentibus, rabiem tuam effundere etiam in
eruditissimos gravissimosque viros, qui S.
Dionysium Areopagitam negant fuisse Gallia-
rum Apostolum. Illos vocas petulantes Gallos,
susurrones, omnium pæne traditionum hostes,
Apostolicæ Auctoritatis contemptores, atque
imitatores hæreticorum. Suavis profecto &
... cantio! Sed dum eam occinis, extra
... eam saltitas. Quid enim ista faciunt ad
... andum tui Præambuli caput: *Qui sacras
Historias, a Sede Apostolica prævio examine ap-
probatas explodit, tamquam fabulas, injuriam
eidem irrogat?* Sane, quod hic probandum
fuerat, id videris aperte in istis viris suppone-
re. An hoc deceat emeritum S. Theologiæ
Professorem, judicent alii: ego autem ex istis
Viris, quos tam fœde laceras & cruentat tua
oratio, enumerabo aliquos.

77 Inter illos sunt Gregorius Turonensis,
Severus Sulpitius, Usuardus, Ado Viennensis,
Sirmondus, Petavius, & Hadrianus Valesius;
quos etsi nominasse laudasse est, & calumniam
omnem absterisse; tamen velim observes, duos
primos fastis Sanctorum adscriptos esse. Quid
jam ais, Pater Reverende? An duo illi San-
cti, scilicet Turonensis Gregorius & Severus
Sulpitius, sunt petulantes Galli, susurrones,
omnium pæne traditionum hostes, Apostolicæ
Auctoritatis contemptores, atque imitatores
hæreticorum? O si quid simile unquam scrip-
sisset P. Papebrochius, quantas tu tragœdias
excitares! Insimulares eum impietatis & blas-
phemiæ, neque injuria: quid enim magis im-
pium potest esse, quid magis blasphemum,
quam homines Sanctos, & qui pro talibus ha-
bentur ab Ecclesia, tam nefariorum scelerum
arcessere? Quoniam autem ego a tam justa ac-
cusatione abstineo, quivis facile intelliget quan-
ta sit mea in te lenitas, & quantopere animus
meus abhorreat ab illo tuo aculeato genere
scribendi. Et vero cave, ne te in posterum
tueare exemplo Hilduini Abbatis, qui eosdem
illos viros appellat *Discipulos ejus, qui ab initio
mendax & Pater mendacii extitit*. Quia quem-
admodum tu tuo Ordini Eliam, sic Hilduinus
ille suo Monasterio totique Galliæ ardebat vin-
dicare Areopagitam Dionysium. Cumque defi-
cerent rationes, quibus adversariorum impetus
retunderet, virum esse se haud satis memor,
arripuit arma muliebria, id est, scommata,
dicteria & convitia. Hæc ipsa cum scribo,
Rev. admodum ac Nobilissimus Dominus Clau-
dius Castellanus, Canonicus S. Mariæ Pari-
siensis, commodum ad nos mittit Officium S.
Dionysii Areopagitæ, prout jam in Ecclesia
Parisina recitatur 3. Octobris, sejunctum ab
officio S. Dionysii Parisiensis, qui ejusdem
mensis 9. colitur. Scribit is huic sese ritui con-
formatum ire sequentes Ecclesias, Lugdunen-
sem, Cabillonensem, Catalaunensem, Tullen-
sem, sicut olim fecerunt Forojuliensis, Massi-
liensis, Aptensis, Narbonensis, Petrocoriensis,
Venetensis, Carnotensis, Briocensis, qua-
rum antiqua Breviaria mense Octobris exhi-
bent

bent duos Dionysios, tertia quidem Areopagitam qui habet Lectiones tres; sed nona Parisiensem, qui novem Lectiones habet. Quid hic denuo dices? An hæ sanctissimæ Ecclesiæ, earumque Antistites omnes, qui jam sunt & qui ante fuerunt, sunt petulantes Galli, susurrones, omnium pæne traditionum hostes, Apostolicæ Auctoritatis contemptores, atque imitatores hæreticorum? Nefas est hoc vel suspicari. Tamen, si tibi constat, id tu dicere debebis. Sed de his satis multa, vel plura potius quam necesse fuit. Nunc Lectori duo judicanda sunt. Alterum est, an Papebrochius quidpiam peccaverit contra hoc tertium tuum Præambulum. Alterum, an idem Papebrochius to. 2. Maji ad diem 11. fol. 716. num. 33. inique petierit, *Ut Patres Carmelitæ patiantur eadem cum libertate examinari & disputari suæ Historiæ veritatem, qua patitur Ecclesia eruditos viros versari circa S. Dionysium Parisiensium Patronum, dum quærunt, an idem sit qui Areopagita, an alius; an a S. Clemente primo seculo missus, an primum sub Decio seculo tertio.*

PRÆAMBULUM IV.

Antiquæ Historiæ, & traditiones communiter receptæ, non sunt impugnandæ Argumentis negativis, sive ob defectum Scriptorum coævorum.

EXAMEN.

Quidni, Pater Reverende? Quia argumentum negativum, inquis, est stramineum, puerile, dignum exsibilatione & virgis, imo & in fide periculosum, Calvinistis portam aperiens ad explodendum quasvis sacras Traditiones non scriptas ". Ah! modestius, obsecro, Bone Vir: & prius circumspice, an non sint ulli ex tuo Ordine scriptores, qui isto argumento usi fuerint. Primus sese offert Joannes Bacho, ab Abbate Trithemio & Sixto Senensi tantopere dilaudatus. Hic Bacho in 1. Distinction. 6. Quæst. 1. Art. 5. §. 1. ut confirmet, *hæc nomina Prioritatis & Posterioritatis, quæ indicant ordinem originis, posse usurpari in Divinis*, adfert hoc argumentum negativum: *Quia Athanasius* (quem scilicet supponit ex communi sui temporis opinione composuisse Symbolum QUICUMQUE VULT) *Athanasius*, inquit Bacho, *qui negat Prius & Posterius in Divinis, probat per hoc, quia Personæ coæternæ sunt & coæquales: sed cum ista coæternitate & coæqualitate in eodem Symbolo concedit, quod Filius est a Patre, & Spiritus sanctus ab utroque: ergo* TALEM PRIORITATEM CONCESSISSET IN DIVINIS IPSE, SI DISPUTATIO FUISSET CUM EO DE NOMINE PRIORIS. Simili argumentandi genere ibidem ante probaverat Consubstantialitatem non auferri prioritate originis: *Quia*, inquit, NULLA APPARENS RATIO POTEST REDDI, *quare ordo originis est cum consubstantialitate, & non prius & posterius originis, nisi quia significata istorum nominum Ordo originis, & prius & posterius ordine differrent, secundum quod Prius & Posterius dicerent imperfectionem, ordo originis non; sed hoc nihil est, quia significata istorum nominum ita eadem, vel ita propinqua, quod ita apparet videtur una proposisse sicut alia* &c.

79 Alter qui hic sese offert ex vestro Ordine, est Waldensis ille Thomas tom. 2. tit. *Quod corpus Christi est Eucharistiæ Sacramentum secundum propriam substantiam*, cap. 83. ubi ex eo quod Christus non dixerit, *Hoc est corpus meum figuraliter*, colligit realem ejus in Eucharistia præsentiam. *Surge*, inquit, *misser & rudis hæretice, tolle micas figuralium prædicationum tuarum, quæ tibi sunt suaves. Nos non audivimus Christum dicere: Hoc est corpus meum figuraliter. Sed quid? Hoc est corpus meum.*

80 Tertius est Scholæ vestræ Princeps P. Franciscus Bonæ-Spei, cujus argumenta negativa infinitum est adducere. Ideo tantum adducam aliqua ex Tractatu de Angelis, ubi disp. 1. dub. 5. hanc statuit Resolutionem: *Angeli sunt naturaliter incorruptibiles, sed non absolute respectu Dei.* Ejus partem alteram sic probat, *Quia*, inquit, *non est ratio, cur minus Angelus a Deo sine miracula destrui possit, quam ignis ... a me sine miracula extingui.* Et paucula interjectis, *Non est cur igni minus exigi a me ... non destrui, quam Angelus a Deo non annihilari: ergo &c.* Item disputatione sequenti dubio 1. resolut. 1. sustinet contra Thomistas, *probabilius esse Angelos omnes sola numero differre*; & cum allegasset aliquot SS. Patrum locos, ubi Angelis natura una tribuitur, ait; hos *non nisi consorte intelligi de Angelis, secundum naturam genericam spectatis.* At quo id probat argumento? Non alio quam negativo, *Quia*, inquit, *ubi sancti Patres non distinguunt, nec nos ... distinguere debemus.* Iterum argumentum negativum adfert disp. 14. dub. 2. ad probandam hanc suam primam resolutionem: *Primum Luciferi peccatum aliud esse potuit quam superbia.* Probatio enim hæc est: *Quia non est, cur esse non potuit infidelitas, odium Dei, inobedientia (si quod ei imperatum fuisset) curiositas, optando inordinate nimis scire aliorum cordium secreta, detractio de aliorum fama, mendacium, &c.* Sed quin maturo hinc concludere: Ergo P. Sebastiano judice, Carmelitani illi Triumviri, Bacho, Waldensis & Bonæ-Spei attulerunt argumentum *stramineum, puerile, dignum exsibilatione & virgis, imo & in fide periculosum, Calvinistis portam aperiens ad explodendum quasvis sacras Traditiones non scriptas?* Neque vero hoc de illis Carmelitanis Triumviris tantum dici potest, verum etiam (quo nihil potest esse indignius) de Scholasticis aliis, de sanctis Patribus, de Conciliis, denique de supremis Pontificibus: quia tali argumentandi ratione usi sunt non raro, uti jam ostendere aggredior.

81 Æquum est ut incipiamus a Scholasticorum Principe ac Coryphæo D. Thoma, qui 2. 2. q. 10. art. 12. sic infit: *Hic Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur; quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, ut Silvester Constantino, Ambrosius Theodosio,* QUI NULLO MODO PRÆTERMISISSENT AB EIS IMPETRARE, SI HOC ESSET CONSONUM RATIONI, *& ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere;*

[illegible] in Ecclesia ha-
cere; et præter consuetudinem, filii invitis paren-
tibus observatam, Judæorum filii invitis paren-
tibus baptizentur. Præiverat Alexander Alen-
sis, in 4. parte Summæ quæst. 30. memb. 6.
art. 1. edit. Coloniensis: Neque ex sacris Bi-
bliis, neque ex SS. Patribus aut explicite aut
implicite haberi potest, claves datas esse Ecclesia
tempore legis naturæ, quod concedimus. Hic
quærit Launoyus: Quare id tantus Doctor con-
cedat, nisi quia inficiali ratione vincitur? Nec
alia impulsus ratione Alphonsus a Castro ne-
gat, Armenos, tempore Philastrii & Augusti-
ni, sese ab Ecclesia segregasse, quemadmodum
ipse indicat lib. 11. adversus hæreses: De Ar-
menis, inquit, hoc certum est, tempore Philastrii
Brixiensis Episcopi & B. Augustini, eos ab Ec-
clesia nondum esse separatos: QUONIAM UTERQUE
ISTORUM, HÆRESIUM AUCTORES RECENSENS,
NULLAM DE ARMENIS FECIT MENTIONEM.

82 Neganti argumento plurimum etiam tri-
buit Melchior Canus, lib. 11. de locis theo-
logicis cap. 5. ubi fabulis annumerans lepram
Constantini ita loquitur: Lepra Constantinum
laborasse, apud idoneos auctores nusquam legi.
Et paucis interjectis de Cajetano, qui hoc
ipsum negat. Habes hic scriptores omnes veteres
ejus ætatis, qui tacuerunt, non omissuri si sci-
vissent, scituri omnino rem, si fuisset. Cap. 3.
ejusdem libri hæc dixerat: Probabilissime a Bo-
ptista Mantuano aliisque recentioribus asseritur,
Magos (qui Christum adoraturi ex Oriente
venerunt) Reges non fuisse. Non enim id si-
lentio prætermissurum Evangelistam, quod ad
rem magnopere pertinebat; nec Herodem, si Re-
ges essent, eos adeo imperiose & inciviliter ex-
ceptorum. Agnoscis auctorem domesticum?
Non est cur ejus te pudeat: nam Mantuanus
non solum montis Carmeli, verum etiam Par-
nassi gloria fuit ac decus.

83 Hoc nixus argumento Baronius, quot
figmentorum monstra profligavit! E multis
seligo unum, quod habetur ad annum 237.
At non audiendi penitus recentiores, qui post
Pontianum introducunt Cyriacum quemdam Ro-
manum Pontificem, cujus nulla prorsus extat
mentio in serie Romanorum Pontificum; vel apud
Optatum Milevitanum, vel Augustinum; nec apud
Cresconium, aliosque Indices Vaticanos; Chronogra-
phos Græcos, ut Eusebium, Nicephorum quidem sit
vel alios: adeo ut ne digna quidem sit
quæ pluribus confutetur sententia, quippe quæ
nulla penitus nitatur ratione vel testimonio anti-
quorum, ex commentitiis tantum Actis illis mar-
tyrii sanctarum Ursulæ & Sociarum petita, quæ
in nostris Notationibus refutavimus. Atque hoc
telo sese armavit Bellarminus quoque, ad
Joannam mulierem deturbandam e solio Pon-
tificio: Non solum Latini, inquit, lib. 3. de
Rom. Pont. cap. 24. ut Anastasius, Ado, Re-
gino, Lambertus, Hermannus, Abbas Urspergen-
sis, & Otho Frisingensis; sed etiam Græci, ut Zo-
naras, Cedrenus, Joannes Curopalates, & alii
qui ante Martinum Polonum scripserunt, historiæ
nullam mentionem hujus tam prodigiosæ historiæ
inter res ejus temporis faciunt; cum tamen illi non
faverent Romano Pontifici, quique libenter acce-
pissent occasionem irridendi Latinos in hac parte,
si [illegible] esset. Quomodo autem credibile est, Marti-
[illegible] novisse res gestas circa annum 850. quam omnes
num Polonum, qui vixit anno 1250.
Opuscul. Collect.

[illegible] historicos illos, qui vixerunt anno 850. vel 900.
[illegible] 1000. Huic subjungo Cardinalem alium,
[illegible]m Dialectices tum aliarum rerum scientia
[illegible]lebrem; nempe Jacobum Perronium: qui ut
[illegible]nfutaret hunc Nicephori locum, a Rege
[illegible]itanniæ objectum, Vigilius eo insolentiæ pro-
[illegible]essus est, ut & Menam a communione exclude-
[illegible]; idem sane & Menas adversus illum fecit.
[illegible]d enim Justinianus, rebus hujusmodi ad iram
[illegible]motus, eum comprehendere jussit: Vigilius
[illegible]tem sibi metuens, ad Sergii Martyris aram
[illegible]fugit, & sacris illis fistulis implicitus, non prius
[illegible]e extractus cessit, quam illas everti. Ut
[illegible]hæc, inquam, Nicephori locum refutaret
[illegible]rd. Perronius, respondit hæc duo: In primis
[illegible]cephorum auctorem esse, a Justiniani seculo
[illegible] totum septingentis annis, & Ecclesiasticæ Chro-
[illegible]ologiæ parum intelligentem: deinde, hanc Ni-
[illegible]cephori narrationem fabulosam esse, quod illius
[illegible] Procopius, nec Liberatus, nec Victor Tunnu-
[illegible]nensis, nec Marcellinus Comes, nec Evagrius,
[illegible]qua Græci, qua Latini Scriptores, meminerint.
Hæc qui ex fonte Gallico haurire voluerit,
[illegible]is adeat Refutationem Responsionis Regis Bri-
[illegible]tannici lib. 1. cap. 44.

83 Succedat gravis auctor Didacus Alvarez,
[illegible]Tranensis Archiepiscopus, in disp. 11. de in-
[illegible]carn. concl. 2. nihil dubitans de vi negantis
[illegible]argumenti: quomodo enim aliter ausus fuisset
[illegible]loco citato ita scribere? Quia Scriptura non ex-
[illegible]primit creationem alterius mundi, sed solam crea-
[illegible]tionem hujus mundi, inde argumentamur effica-
[illegible]citer, Deum non creasse plures mundos, aut alium
[illegible]mundum esse creatorum. Nefas esset hic præte-
[illegible]riri Eximium Patrem ac Magistrum Francis-
[illegible]cum Janssens Elinga, S. Theologiæ in Lova-
[illegible]niensi Academia Doctorem, ejusque in sua
Dominicana familia Professorem emeritum,
[illegible]totique Provinciæ Germaniæ inferioris non se-
[illegible]mel Præfectum: quem P. Papebrochius in suæ
Responsionis Articulo 13. merita prosecutus est
laude. Asseruerat hic Doctor vere eximius,
in Summa totius doctrinæ de Pontificis aucto-
ritate art. 9. §. 5. Tantum abest, Patres
(Constantienses) omnium simul trium Obedien-
tiarum Decreta Sessionum quartæ & quintæ ....
tanquam legitima admitterent; quod ea potius
pro insufficientibus habuerint, volendo, a Ponti-
fice eligendo, una cum Concilio vel deputans
declarari, propter quæ Papa indubitatus Concilio
subjici posset. Enimvero si illa pro sufficientibus
habuissent; jam ultimo agi voluissent, petendo
declarari, propter quæ Papa corrigi & subjici Con-
cilio posset; attento, quod in iisdem decretis
jam essent expressæ causæ, in quibus Concilio
obedire tenerentur, & nisi obediret, puniri pos-
set; videlicet in iis quæ pertinent ad fidem,
extirpationem schismatis, & reformationem uni-
versalem Ecclesiæ Dei tam in capite & in membris.
Proinde quo ad articulum illum nulla declaratio
subsecuta est, sicque nulla causa expressa propter
quam Papa corrigi posset; articulus ille subse-
disse censendus est, & cum eo simul decreta Ses-
sionis quartæ & quintæ.

84 Juvat etiam audire Doctissimum Ciam-
pinum, tot editis in lucem libris Romæ con-
spicuum, in examine Libri Pontificalis sect.
10. sic pronuntiantem. Aliud ad id proban-
dum argumentum desumitur ex SILENTIO Cl.
Viri Antonii Possevini, in suo Apparatu sacro,
Verbo

Verbo DAMASUS; *ubi de nonnullis Epistolis*
falso Damaso adscriptis disserit, et prædictarum
nullam facit mentionem: quare ex hujusmodi si-
lentio quis non videat Possevinum, Virum in
sacris eruditionibus versatissimum, ambas has epi-
stolas genuinas existimasse? De Emmanuele
Schelstratio quid dicam? Negativo argumento
utitur, cum alibi, tum in sacro Antiocheno
Concilio diss. 4. cap. 1. num. 2. ubi refel-
lens conjecturas, ob quas Natalis Alexander
cum Hermantio sustinuerat, Antiochenos Ca-
nones nihilo magis esse unius Concilii fœ-
tum, quam Canones Carthaginenses, sic agit:
Leves sunt conjecturæ illæ, & vanum funda-
mentum super quod construitur vanæ suspicionis
ædificium. Canones Carthaginenses unius esse
Concilii, nemo unquam edixit: Canones Antio-
chenos plurium esse Conciliorum ante Dominum
Hermantium nemo somniavit. Canones Carthagi-
nenses, in Codice Africano repertos, non unius
esse Concilii, testantur tituli variarum Synodo-
rum, in codice illo variis locis exhibiti .... Ca-
At quæso, ubi simile quiddam vestigium in codice vel per
nominibus Antiochenis? Quinam in codice vel Ar-
umbram insinuatur, Canones esse variorum An-
tiochenorum Conciliorum? Forsan quod alequi
Canones Antiocheni reprobati sunt ab antiquis, ab
tamquam Canones Arianorum; alii admissi ab
Ecclesia, tamquam Canones Catholicorum? At id
commentum est, si loquamur de 25. Canonibus.
Mitto Bellarminum, Suarem, Vasquem, Estium,
Gretserum, Sirmondum, Becanum, Gamachæum, alioſque subtilissimos & acutissimos
Viros, qui ab hoc argumentandi genere non
abhorruere: quia sanctis Patribus suus dandus
est locus.

85 Et vero quoniam non ignoro, Rev. Pater, quantopere Cyrillus Alexandrinus placere
tibi soleat, ille agmen ducet. Epist. 8. ad Clericos Constantinopolitanos, *Quod hoc superci-*
lium? ait. *Numquid, qui illum (* Nestorium *)*
antecesserunt, doctrinæ fidei operam non dederunt?
Numquid eloquentior est Joanne? Numquid æqua-
lis vel sapientior est forsan beato Attico? Ima
vero cur ingenue non agnoscis, doctrinam se in-
vexisse peregrinam planeque insolitam, talem
denique, quæ pro sua absurditate Majoribus nostris in nullis unquam Ecclesiis, aut fidelium
cœtibus, vel cognita sit vel approbata? Hoc
argumentum negativum esse, vel cæcus videat;
quale est & illud Hieronymi lib. 1. contra
Jovinianum; *Quamquam, excepta Apostolo, non*
sit manifeste relatum de aliis Apostolis, quod
uxores habuerint; & cum de uno scriptum sit,
ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, sine
uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scri-
ptura significat. Si unquam, Reverende Pater, delibaveris aliquid ex priscis Historiarum monumentis, ignorare non potes, fuisse
olim aliquos, qui censerent B. Virginem fuisse coronatam martyrio ac violenta morte affectam. Ad hunc errorem refellendum duo
lectissimi doctissimique viri, Ambrosius scilicet & Paulinus, non aliud admovent arietem, quam abnutivum argumentum. Hic
Epist. 59. ad Augustinum ait: *nec Mariam*
Beatissimam usquam legimus occisam, ut de
corporali gladio sanctus ille Simeon ei futuram
passionem prophetasse videatur. Ille, lib. 2.
in cap. 2. Lucæ: *Nec littera, nec historia do-*
cet, ex hac vita Mariam corporalis necis passio-
ne migrasse.

86 Sed cum hic facta fuerit S. Augustini
mentio, subit videre, an & hic Pater, qui
ab Apollinari Sidonio *Dialecticus* per excellentiam nuncupatur, numquam ad negans argumentum confugerit, quasi ad sacram anchoram. Id autem facit tum alibi, tum lib. 1.
de civit. cap. 2. *Tot bella gesta conscripta sunt*
vel ante conditam Romam, vel ab ejus exortu
& imperio; legant & proferant sic ab alienigenis captam esse civitatem, ut hostes qui ceperant,
parcerent eis quos ad Deorum suorum templa
confugisse comperirent: aut aliquem Ducem barbarum præcepisse, ut irrupto oppido nullus feriretur qui in illo vel illo templo fuisset inventus.
An non fuit argumentator subtilis Petrus Chrysologus? Hic tamen serm. 48. Mariam Virginem non habuisse plures filios, ita probat:
Beata Maria, si alios habuisset filios; a Christo
mater, in ipso crucis tempore, in articulo ipsius
mortis, non discipulo traderetur, non commendaretur extraneo. Breve est etiam illud Athanasii, in disputatione contra Arium: *Quis talia*
locutus est Prophetarum aut Apostolorum, qualia
tu dicis?

87 Sunt & Patres alii, qui abnutivo argumento plurimum roboris ac nervi inesse putaverunt; verum eos enumerare si voluerim,
deficiet tempus adducendi aliquot Synodos summosque Pontifices, quod facturum me receperam. Ut igitur fidem liberem, habe tibi, Reverende Pater, Concilium Milevitanum II.
cap. 5. *Item placuit, ut quicumque dixerit, ideo*
nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere
per liberum jubemur arbitrium, facilius implere
possimus per gratiam, tamquam, etsi gratia non
daretur, non quidem facile, sed tamen possimus
etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus
loquebatur, ubi non ait, Sine me difficilius potestis facere; sed ait, Sine me nihil potestis facere. Ubi in postremis verbis argumentum negans exprimitur. Item Concilium Francofordiense, quod sub Carolo Magno coactum est
adversus Felicem & Elipandum, in Epistola
Hadriani I. Papæ ad Episcopos Hispaniæ; *O*
quam bona, fidei immobiliter persistens muro,
omnium hæreticorum fluxa sunt machinamenta
destructa! Numquidnam dixit Petrus, Tu es
Christus, qui propter nos factus es filius hominis, & per adoptionem factus es filius Dei?
Absit. Hoc nec Petrus confessus est, nec sancta
Ecclesia, supra firmam fundata petram, id est
fidei fundamentum, quod Christus est, confitetur
..... Sed una voce cum Petro Christum Dei
filium confitetur, quia unus est Christus, Dei
hominisque filius, non per gratiam adoptionis, sed propria filii dignitate. Hiccine nerum vides, Professor perspicax, quomodo
Concilium, ex eo quod Petrus non dixerit,
Tu es filius Dei adoptivus, colligat Christum
esse filium Dei naturalem? Igitur & hoc argumentum negativum est, si quod aliud.

88 Neque vero dissimili argumentandi genere Concilium Parisiense VI. utitur, ubi decernit, Presbyterum nullum sine Ministro debere ad aras facere: *Irrepsit in plerisque locis,*
partim incuria, partim avaritia, reprehensibilis
usus & congrua emendatione dignus, eo quod
nonnulli

Ministris Missarum
nec verba Domini
poris & sanguinis
dit; nec Apostoli
nec etiam in ipsis
sine leguntur, ita
r. At quidquam
que sacrosanctum,
Omousiae, sive
sserunt? Hæc ta-
1. Historiæ cap.
odo edita referun-
abnuens; Cum
? Erat quando
hujusmodi, nulla
usurpent, hæc di-
consentaneum videbatur.
Synodus 126. Episco-
porum, in Epistola ad Constantinum IV. quæ
legitur & approbatur Actione 4. sextæ Synodi:
Quomodo itaque, quod nec a sanctis Patribus
orthodoxis dictum est umquam, nec a profanis
hæreticis præsumptum est inveniri, nunc poterit
annumerari, ut duarum Christi naturarum, divinæ
scilicet & humanæ, quarum & proprietates salvæ
esse noscuntur, in Christo, unam habere operatio-
nem, quisquam recte sentiens poterit demonstrare?
argumentum negans

89 Ne porro suspicere, huc vitium fuit
displicuisse S. Gregorio Papæ, huc vitium fuit
conscriberet, quibus in libri 6. Epistola 31.
probat, Eudoxium male damnatum fuisse a
Cyriaco: sic autem infit: Frater noster (Cy-
riacus) omnia in suis Synodicis Catholice Deo
auctore locutus est. Quemdam vero Eudoxium
damnavit, quem neque in Synodis damnatum in-
venimus, neque a decessoribus meis in suis Sy-
nodicis reprobatum. Et Canones quidem Constan-
tinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed
qui fuerit eorum auctor Eudoxius, minime di-
cunt: Romana autem Ecclesia eosdem Canones,
vel gesta Synodi illius, hactenus non habet, nec
accepit. In hoc autem Synodum accepit, quod est
per eam contra Macedonium definitum: reliquas
vero hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab aliis
Patribus damnatas reprobat: de Eudoxianis ve-
ro nihil hactenus agnovit. In Historia Sozome-
ni, de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanæ
Ecclesiæ Episcopatum arripuisse dicitur, aliqua
narrantur, sed ipsam quoque Historiam Sedes
Apostolica suscipere recusat, quoniam multa
mentitur. Et post pauca: In Latina vero lin-
gua de hoc Eudoxio, neque in Philastrio, neque
in beato Augustino, qui multa de hæresibus
conscripserunt; neque in aliis Patribus, aliquid
invenimus. Caritas igitur vestra, si quis apud
Græcos probatorum Patrum de eo sermonem fe-
cit, suis mihi epistolis innotescat. Audi quo-
que Honorium III. in lib. 3. Decret. tit. 37.
de Capellis Monachorum cap. 3. ad Venetæn-
sem Episcopum: Ex parte tua fuit propositum,
quod Abbas & conventus Rivenensis,
Venetensis diœcesis, occasione litterarum Aposto-
licæ Sedis asserunt, sibi esse concessum, ut in
singulis ipsorum Prioratibus singuli Monachi
commorentur, si pluribus facultates non sup-
petunt eorumdem. Cum autem id obviet Late-
ranensi Concilio, de quo nulla mentio est in lit-
teris antedictis, Fraternitati tuæ breviter re-
spondemus, quod hujusmodi litteras ab Apo-
stolica Sede non credimus emanasse. Accipe præ-

Opuscul. Collect.

tereæ verba Adriani II. in epistola quæ lecta
& approbata est in 8. Synodo Actione 7. ubi
Pontificem esse supra Concilium sic probat:
Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præ-
sulibus judicasse legimus; de eo autem quem-
quam judicasse non legimus. Licet enim Honorio
ab Orientalibus anathema sit dictum, sciendum
tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus,
propter quam solam licitum est minoribus, ma-
jorum suorum motibus resistere.

90 Plures quid necesse est commemorare,
cum avidus sciendi Lector illos legere ordine
longo possit apud Launoyum? Tamen, si ego,
Pater Professor, his clarioribus auctorem possim
adjungere, id est, his auctoribus sacris pro-
fanum; audi etiam Lucretium, qui mundum
non fuisse æternum, probat hoc argumento
negativo.

Si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cæli, semperque æterna fuere;
Cur supra bellum Thebanum & funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere Poetæ?
Jamne vides, non soli P. Papebrochio fami-
liare esse istud genus argumentandi? O si na-
stus esses adversarium aliquanto acriorem tui-
que similem, quotam hic tibi iterum sus-
citares invidiam! Nam succensus indignatione,
quantam posset animo capere maximam, di-
ceret: O...! (exprimere nomina quibus te
compellaret, exhorrescit calamus) Tune de
Schola Theologus? Tune Eminentissimos Car-
dinales? Tune sanctos Patres? Tune sacro-
sancta Concilia? Tune supremos Pontifices,
ita contemnas, ut ab iis adhiberi censeas
argumenta frivola, puerilia, digna exsibila-
tione & virgis, imo & in fide periculosa, Cal-
vinistis portam aperientia ad explodendum quas-
vis sacras Traditiones non scriptas? Ne quis
igitur possit talia in te jure merito jacere,
muta sententiam, & dic, abnusivum argumen-
tum, in historicis præsertim, habere multum
ponderis, multum momenti.

91 Sed in tuam gratiam, Pater Reveren-
de, decretum est vim hujus argumenti decla-
rare pluribus. Christophorus Gillius, in Co-
nimbricensi Academia S. Theologiæ Professor,
de negante argumento sic disputat, lib. 1.
tract. 7. de locis Theologicis, cap. 14. num.
3. Verumenimvero argumentum negativum, si
solum applicetur ad dogmata fidei, fortissimum
argumentum est: nam si desit ratio formalis
objecti habitus, non potest objectum materiale
spectare ad habitum. Ratio formalis fidei est
divina revelatio, quam habemus in sacris litte-
ris ac traditionibus: hoc colligimus ex sensu ac
decretis Ecclesiæ & communi sententia Patrum;
ac proinde, si quis ostenderet, rem de qua est
controversia, in nulla hujusmodi auctoritate fun-
dari, hoc ipso convinceret non esse dogma fidei.
Quam in sententiam descendere debent cum
Theologi omnes, tum tu maxime, qui es di-
scipulus Bonæ-spei: Tuus enim ille auctor ac
magister, tract. de fide disp. 1. dub. 1. relo-
lut. 1. recte pugnat contra Suarem & Ovie-
dum, mere revelabilia neutiquam esse de ob-
jecto materiali (proximo) fidei divinæ. Te-
net igitur hæc consequentia: Divinitus reve-
latum non est, ergo nec fide divina credendum
est. Unde planum fit, non esse universaliter
admittendum illud Aristotelicum, quod tu in-
culcas

euleas tam importune tanque insolenter, *ex parte negativa nihil sequitur*. Quamquam & alio ex capite colligi queat principii illius debilitas. Quam multos enim, etiam in severiorum Dialecticorum Lycæo, reperias, qui arcte tenent accurateque defendunt legitimam esse minimeque rejiciendam consecutionem, quæ a Negatione negante ad infinitantem ducitur. Neque ullus, quod sciam, hoc Aristotelico principio illos impugnat.

92 At nolo ego te, gravissimum Theologum & jam Professorem emeritum, hisce Dialecticæ spinis tricisque involvere: nam forte id tibi verteres dedecori. Quapropter velis remisque (quod ajunt) redeo ad consequentiam, quam in materia Theologica posui paulo ante, & quam tu negare haud potes: *Divinitus revelatum non est, ergo neque divina fide credi debet nec potest*. Hæc consequentia autem in Theologicis cum teneat, quid causæ dices esse, cur non teneat ille in Historicis? *Scriptum non est vel dictum ab auctore synchrono, ergo non est prudenter credibile?* Ubi observa, non dici a me, *Ergo verum non est*, id enim non sequitur; quemadmodum ex eo quod quidpiam a Deo revelatum non sit, non sequitur, *Ergo verum non est*, sed tantum; *Ergo divina non est credendum fide*, sive, ut supra loquitur Gillius, *dogma fidei non est*. Igitur si, illo auctore judice, argumentum negativum, applicatum ad dogmata fidei, plurimum nervi habeat; id ipsum habere necesse est, quando ad humanas historias, eo quo jam dixi modo, applicatur. Nisi molaste feras, Pater Professor, ego hic in pauca conferam totam argumentandi rationem, quam inire consueverunt Historico-Critici. Est autem hæc: Nullum factum, quod ex natura sua tale est, ut hominum notitiam diu fugere non possit, est prudenter credibile, quando id tacuerunt omnes ejus ætatis scriptores, non tacituri si scivissent, scituri omnino si revera contigisset. Atqui tale factum est hoc, E. C. Patres Carmelitas a sanctissimo Vate Elia originem ducere; & id tacuerunt omnes ejus ætatis scriptores, non tacituri si scivissent, scituri omnino si revera contigisset. Ergo hoc factum prudenter credibile non est. Atqui quod non est prudenter credibile; id verisimiliter falsum est. Ergo hoc factum, E. C. Carmelitanos Patres ducere ab Elia originem, verisimiliter falsum est. Estne aliquid, Pater Reverende, quo hunc ratiocinandi modum labefacias? Nihil invenies, sat scio, etiamsi libitum fuerit Chrysippæam artem omnem exprimere.

93 Verumtamen, ut tibi gratificer, propositionem illam, sive, ut cum Dialecticis loquar, Majorem, qua cetera omnia, veluti basi ac fundamento, nituntur, suscipio aliqua illustrandam similitudine. Quem in finem finge animo, esse Parisiis homines tres tibi amicissimos, qui octavo quoque die diligentissime fidelissimeque ad te perscribunt quidquid ibi accidit memorabile scituque dignum. Finge præterea Antverpiæ & alibi percrebrescere famam quæ nuntiat, certum aliquem e prima nobilitate virum, rebus domi belloque gestis insignem, sese permissu Regis palam in urbe Parisina abdicasse omnibus dignitatibus, & Carmelitanæ Familiæ adjunxisse, suscepto sanctissimi Scapularis habitu, coram ingenti populi multitudine. Postremum, finge neminem ex illis tribus, qui tam crebro ad te scribunt, facere ullam mentionem facti adeo memorabilis in iis litteris, in quibus res alias, eodem factas & tempore & loco, commemorant accuratissime. Hisce ita constitutis, libet ex te sciscitari, an hoc a nobilissimo illo viro Parisiis factum esse crederes? Non pateretur id tua gravitas, sed diceres, & tecum dicerent prudentes omnes: Apage illud somnium, fabulam & commentum. Hoc si verum esset, scripsisset ad me aliquis ex triumviris meis: est enim memorabilius quam ut ab iis aut sileatur aut ignoretur. Ut ut est, hoc universale eorum silentium mihi hanc rem suspectam facit minimeque credibilem. Eapropter vulget fama quodcumque voluerit, ego non credam. Sed, Pater Professor, an est apis api similior, quam hic casus similis est nostro illi, qui nunc in disceptatione versatur? Igitur fac eamdem de utroque pronunties sententiam, & dic cum Cardinale Baronio: *Quod a recentiori auctore de rebus antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur*. Certe nisi sis Tiresia cæcior, vides jam ipse, magnam vim inesse argumento negativo. Tanto autem major inest, quanto notitia facti, de cujus credibilitate disceptatur, ad plures pertingere & a pluribus consignari scripto debuisset, propter insignem sui claritatem atque præstantiam.

94 Hic mihi opponis id, quod habes nu. 58. *Ergo necesse est admittas, recte argumentatos fuisse Anabaptistas, cum negarunt verum esse, quod narratur in Joannis Evangelio de Piscina probatica, quia de tanto miraculo ne gry quidem est apud Josephum. Quid enim (ajebant) magnificentius & ad gloriam Metropolis gentis suæ illustrius proferri a Josepho potuit, quam illud tam multiplex in una Piscina miraculum? Et quomodo hoc tacuisset tam studiosus suæ gentis decorum Scriptor? Quomodo id nemo alius attigit?* Josephum, Rev. Pater Professor, esse auctorem supposititium & recentioris ævi, quam ut tempore excidii Hierosolymitani sub Vespasiano & Tito vixerit, innuit Joannes Harduinus noster, in eruditissimo suo Tractatu de Nummis Herodiadum. Hoc ne suboleret Lectori, non poterat Auctor ullo pacto prodere, se legisse sacras novi Testamenti litteras, ac proinde e re ipsius erat consulto præterire illud frequens in Piscina probatica prodigium, utpote quod novi Testamenti litteris contineretur: sicut etiam ob eamdem caussam præterivit cædem infantium ab Herode factam. En tibi, Pater observande, quomodo tam studiosus rerum Judaicarum scriptor, hoc tantum prodigium tacere potuerit, vel potius debuerit. Sed quorsum ego ista tam alte repeto, quasi in promptu non sit, responsio alia? Sis sane Josephus Judaicarum Antiquitatum proprius ac genuinus auctor; non tamen consequens est ut recte argumentati fuerint Anabaptistæ. Etenim cum illius Piscinæ meminerit S. Joannes, scriptor pariter coævus, non est silentium universale, quod, ut argumentum negativum valeat, omnino requiritur. Sic male quis colligeret, Lazarum non fuisse a Cristo revocatum ad vitam, quod Matthæus, Marcus & Lucas de ea re nihil scripserint.

95

95 Sufficit itaque, ... utrumque ab
uno Joanne narratum esse. Imo vero etiamsi
Josephus aliique omnes Judaicarum antiquita-
tum scriptores non Canonici, diserte negarent
hujusmodi Piscinam Hierosolymis unquam ex-
titisse; tamen, his omnibus valere jussis, ad-
hærendum esset uni scriptori Canonico, id
contra reliquos omnes non Canonicos asseve-
ranti. Quippe (ut est apud Augustinum epist.
19. ad Hieronymum) De Propheticis vel Apo-
stolicis scriptis, quod omni errore careant, du-
bitare nefarium est. Unde ... Ego solis eis li-
bris ... sanctum Pater ... appellantur, didici hunc
timorem honoremque deferre, ut nullum eorum
auctorem scribendo aliquid errasse firmissime cre-
dam. Quæ omnia persuadent, illos pessime argu-
mentum fuisse Anabaptistas, argumenta-
tuos autem optime, si neque in literis sacris
extaret ulla Piscinæ probatica memoria, quia
tunc foret universale silentium. Nunc, Pater
Reverende, & justa Anabaptistarum volumi-
na, ut argumentum negativum sibi inimicissi-
mum in invidiam voces. Id porro quod addis,
idem argumentum Calvinistis portam aperire
ad explodendum qualvis sacras Traditiones non
scriptas, refutatum jam est exemplo doctissimo-
rum sanctissimorumque hominum, qui sibi in
eo summum adversus Hæreticos præsidium con-
stitutum esse semper putaverunt.

96 Attamen, quoniam mihi certum est libe-
ralitatis famam non objicare, mearum partium
esse intelligo, ut id alio quoque pullem atque
everiam ariete. Tu, Reverende Pater, qui
tuus explicuisti sacræ Theologiæ placita, non
potes ignorare duplex esse sacrarum Traditio-
num genus. Unum earum, quæ a Christo &
Apostolis ad nos usque pervenerunt, ideoque
Divinæ & Apostolicæ nuncupantur, imo, atque
ac Scriptura, sunt ipsum verbum Dei, atque
adeo habent auctoritatem falli nesciam: alte-
rum earum, quæ provenerunt ab hominibus,
nullo divino spiritu afflatis, errori obnoxiis,
& sæpe etiam mendacii, ob varias multiplices-
que causas. Non has posteriores, sed Priores
illas Traditiones, adversus Calvinianos alios-
que hæreticos, tuentur Catholici, secundum
illud Pauli 2. Thes. 2. State, & tenete Tra-
ditiones, quas didicistis, sive per sermonem,
sive per epistolam nostram. Quem Pauli locum
commentans S. Chrysostomus ait: Est Tradi-
tio, nihil quæras amplius. Hæc cum ita sint,
quis est qui non ... ceram argumentum negati-
vum nequidquam opitulari hæreticis ad Chri-
sti Apostolorumque traditiones infringendas?
Quippe ubi Ecclesia aliquid sive scriptum, sive
non scriptum, divina fide credendum asse san-
civit, ibi nihil valet neque humana ratio,
neque auctoritas, neque universalis hominum
... in scriptis taciturnitas; quia nerobi-
que locutus est Deus, cui fidem derogare ex-
tremæ ... impietatis atque amentiæ est. Summa.
Traditiones, quas ... primo loco commemoratæ
sunt, ... destituantur scriptore synchro-
no, ... loquuntur Dei loquentis auctoritate,
quæ (ut ... loquuntur Scholæ) nobis applicatur
per definitionem Ecclesiæ. At vero Traditio-
nes aliæ, ... quæ careant testimonio Dei, si etiam
careant testimonio scriptoris synchroni, pru-
denter credibiles esse non possunt; præsertim
Opusc... l. Collect.

... concurrunt plura alia adjuncta, quæ eas
si ... fundere ablegandas esse ad somnia delirantium
& aniles fabulas.

97 Sed argumentum negativum, inquis, mi-
rifice placet Gebennensibus. Quid tum? An
iidem non placet etiam argumentum positi-
vum? Ergo & illud oportebit funditus excin-
dere, si quid nervi cogitetur habere tua ora-
tio. Insuper quid est, Pater Professor, quo
hæretici ad defendenda pestifera sua dogmata
utuntur crebrius, quam D. Augustini Opera
& Codices sacri? Anne propterea dicas Divum
Augustinum & Codices sacros Calvinistis aliis-
que Hæreticis portam patefacere ad explo-
dendam religionem Catholicam? esse periculo-
sos in fide? esse dignos exsibilatione & virgis?
O bone! Qui fieri potuit, ut tibi hæc scriben-
ti in mentem non venerit, rei optimæ usum
posse esse pessimum? juxta illud quod ex Sul-
monensi vate canunt etiam pueri: Nihil prodest,
quod non lædere possit idem. Sed habuisti satis,
opinor, aperitis fucum facere. Ausus es etiam
objicere Bellarminum, quasi inficiali argumen-
to summe adversarium: sic enim habes num.
73. Bellarminus, lib. 2. de Rom. Pont. cap. 8.
ais, nihil concludi ex argumentis ab auctoritate
negativa. Verumenimvero, qui jam norunt &
locum Bellarmini supra num. 83. exhibitum,
& frequentem tuam in citando perfidiam, hic
non imprudenter in animum inducent suum,
hoc abs te pro libidine confictum esse, aut sal-
tem apud Bellarminum non existere; atque adeo
hic possem supersedere pluribus & parcere labo-
ri. Nec tamen supersedebo, contra ac tu simili
in occasione faceres. Quia cum velim more
meo agere quam candidissime, mihi cautio de-
bet esse, ne hic in suspicionem Lectori venias
tuo merito graviorem.

98 Itaque (attendat, obsecro, æquus Le-
ctor) dicit quidem loco citato Bellarminus,
nihil concludi ex argumentis ab auctoritate nega-
tiva, sed non loquitur de argumentis ab aucto-
ritate negativa universali. Id quod colligere
est, non solum ex eo quod in his ipsis de Ro-
mano Pontifice libris, argumentum negativum
sæpissime adhibeat (quamquam id ex eo colli-
gere est clare) sed ex verbis, quæ ibi continuo
subnectit: Non enim, inquit, sequitur: Lucas,
Paulus & Seneca non dicunt, Petrum fuisse Ro-
mæ: igitur non fuit Petrus Romæ. Non enim
isti tres omnia dicere debuerunt: & plus creditur
tribus (idoneis) testibus affirmantibus, quam
mille nihil dicentibus, modo isti non negent, quod
alii affirmant. Alioqui, quia Matthæus non scri-
bit in Evangelio, Christum circumcisum; Marcus
non meminit præsentationis; Lucas non meminit
stellæ novæ; Joannes non dicit Christum natum de
Maria Virgine, ista omnia erunt falsa: quod
absurdissimum est. His egregie scitteque consi-
deratis, perspicuum est Bellarminum hic non
loqui de auctoritate negativa universali, sed
de particulari tantum; cumque confutare Ve-
lem, Calvini, atque Illyrici ineptias, eo mo-
do quo ego supra num. 96. ineptias Anabapti-
starum confutandas esse tradidi. Atque eodem
labefactata motu necesse est concidere ea, quæ
ibidem confirmationis gratia protulisti ex Car-
thagena, dicente in serm. B. M. Virg. de Mon-
te Carm. (ut tu quidem inquis) Nec valet;
In Evangelio autem Christi descensus ad inferos
non

non habetur; ergo anima Christi non descendit ad inferos. Quia tametsi Christi ad inferos descendentis historia in Evangelio non habeatur (id quod tibi non dubuoc multi Theologi, propter caput Matthæi 12.) tamen habetur Psalmo 15. habetur Actorum 2. habetur ad Ephes. 4. habetur 1. Petri 3. habetur in Apostolorum Symbolo: atque adeo silentium illud iterum tantummodo particulare est, non universale, quod ad vim argumenti negativi exigi jam toties, & forte ad nauseam usque inculcavimus. Unde recte dixit D. Augustinus in epistola undecentesima ad Evodium: *Dominum carne mortificatum venisse in infernum, satis constat. Neque contradici potest vel prophetiæ quæ dixit, Quoniam non derelinques animam meam in inferno (quod ne aliter quisquam capere auderet, in Actibus Apostolorum idem Petrus exponit) vel ejusdem Petri illis verbis, quibus eum asserit solvisse inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri. Quis ergo nisi infidelis negaverit, fuisse apud inferos Christum?*

99 *At S. Hieronymus*, inquis, *hoc argumentum vocat* STRAMINEUM. Utinam, Pater Reverende locum expressisses, ubi hoc dicit Hieronymus! Locum exprimere cum prætermiseris, videor mihi in te posse intorquere, id quod extat in epistola Synodica Concilii Francofordensis, ab Episcopis Galliæ & Germaniæ ad Præsules Hispaniæ missa: *In libello vestro, sanctorum Patrum per loca testimonia invenimus posita, sed ..... tacuistis nomina librorum, & numerum capitulorum, ut difficilius error vester investigaretur.* Sed cum hic omnia a Raynaudo emendices, & nihil de tuo afferas, debuisti verisimiliter citare Hieronymi librum 1. in cap. 2. ad Galatas, quia hic locus a Raynaudo, in Opusculo alio quam unde hæc descripsisti, nimirum in Antemurali, citatur ad marginem. Eia age, videamus quid ibi agitet Hieronymus. *Sunt*, inquit, *qui Cepham, cui hic in faciem Paulus restitisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, sed alium de septuaginta Discipulis, isto vocabulo nuncupatum .... maxime cum Lucas scriptor historiæ, nullam hujus dissensionis faciat mentionem, nec dicat unquam Petrum Antiochiæ fuisse cum Paulo.* Profecto hoc est argumentum negans, nec tamen ab Hieronymo vocatur *stramineum*, ut tu cum Raynaudo affirmas: sed quia a silentio particulari tantum ducitur, propterea S. Hieronymus illud merito rejicit, dicens: *mirum seu esse, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia prætermiserit; & non statim esse contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cetera dereliquit. Denique*, inquit, *primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omisit.*

100 Certe si Hieronymus omne argumentum negativum ludicrum ac stramineum putasset, quid hic opus erat tam multis? Imo vero tantum abest, ut S. Hieronymus hoc loco docuerit, non posse validum argumentum duci ex universali silentio, ut qui hic adstruebant alterum Cepham, eos tali argumento confutandos esse censuerit: ante enim dixerat: *Quibus respondendum, alterius nescio cujus Cephæ nescire nos nomen, nisi ejus qui in Evangelio & in aliis Pauli epistolis, & in hac quoque ipsa, modo Cephas, modo Petrus scribitur.* Vides quomodo sanctus ille Pater, ex eo quod non innotuerit ex sacris paginis alium Cephas præter Petrum Apostolum, colligat, alium non fuisse? Hic in memoriam revoca illud aliud argumentum negativum, quod ex eodem Doctore num. 85. adduximus; & fatere, cum nullus omnino scriptor æqualis vel suppar, nullum traditionis monumentum æquale vel suppar, alicui facto, quod memoria dignum sit, præstat testimonium; tunc ex eo generali silentio, quod centum plus minus annorum æstimari potest, efficax depromi argumentum, atque adeo debile & infimum esse hoc tuum totum Præambulum.

101 Sed nondum hic manum de tabula: reservavi enim argumentum negativum longe pulcherrimum, quod in Synopsi collectionis maximæ pag. 50. & 51. habet Josephus Saenz de Aguirre, Benedictinæ Congregationis Hispanarum Magister Generalis, Regii ac supremi Fidei Sensus Consultor, in Salmanticensi Academia Doctor Theologus, ac post plures alias cathedras Primarius sacrorum Bibliorum Interpres, nunc S. R. E. Presbyter Cardinalis, Titulo S. Balbinæ antea, modo S. Mariæ super Minervam, Protector regni Siciliæ, vir editis in lucem libris toto orbe celeberrimus. Est autem hoc: *Ex iisdem instrumentis* (scilicet ante ab eo prolatis) *constant apertissime, plura monasteria Ordinis S. Benedicti intra Cataloniam & Rusciononem fuisse ac floruisse, saltem toto decursu illius seculi octavi: ut proinde vel ex hoc capite, quamvis plura alia deessent a me variis locis indicata obiter, mutis esse liceat nonnullis, fere hospitibus in historia ecclesiastica veteri; qui nuper somniarunt, & libris editis docere ausi sunt, nullum monasterium sub Regula S. Benedicti fuisse in Hispania usque ad annum Christi millesimum quinquagesimum, quo celebrata fuit Synodus Coyacensis sub Ferdinando Magno Castellæ Rege. Verum hoc paradoxon, & alia ejusdem farinæ, lepide simul & disertissime refutavit Salmanticæ eruditissimus scriptor, ac linguarum varietate celebris, Magister Josephus Perez, in suis Dissertationibus Ecclesiasticis, ubique sparsis cum eximia ipsius laude. Nobis solum licerit rem hanc veluti digito indicasse, præter nonnulla alia, quæ obiter monuimus tom. 2. pag. 403. & 764. circa S. Ildefonsum & alios Præsules Toletanos, intra sextum & septimum seculum, qui in monasteriis, clarissimæ urbi Toletanæ vicinis, Regulam S. Benedicti professi sunt, præter quam nulla alia iis temporibus, imo nec longe postea, usque ad seculum duodecimum, recepta aut servata legitur in Hispania: nisi aliquis, ob dulce præjudicium aut nimium affectu verum fuerum, oppositum somniare velit, sine fundamento ullo antiquæ traditionis, vel instrumenti veteris, & fide digni. Nam quæ ex pseudo-chronicis supra memoratis nomine Dextri, Maximi, Luitprandi, Juliani Perez, Hauberti, &c. proferuntur, fabulosa & aerea sunt: uti cum plurimis & gravissimis scriptoribus sæpe diximus, præsertim tom. 2. Dissertatione tertia*, summo videndo. Reverende Pater Professor, an hujus Eminentissimi doctissimique Cardinalis argumentum censes stramineum, puerile, dignum exsibilatione & virga,

virgis, amo & in fide periculosum. Neque ve-
ro hoc argumentum solum negativum est, sed
etiam ostendis vestrum Ordinem non esse, fal-
tem in Hispania, tam antiquum, quam vos fin-
gitis, & inaniter gloriamini. Facile mihi foret
adducere Eminentissimos Cardinales alios, pura
Ursinos, Noßlios, Sfondratos, Lauream & Ca-
pisuccos, hujusce modi argumentandi ratione u-
fos in suis eruditissimis lucubrationibus. Sed mo-
leste ferret Lector, si ego tot Ecclesia Principes
uni Carmelitano Monacho opponerem. Quare
propero ad alia.

PRÆAMBULUM V.

Regula aliquot observanda in colligendis & describendis Sanctorum Actis & gestis.

EXAMEN.

Hic magnum opus, P. Sebastiane, atque ar-
duum moliris. Etenim, quasi Solon ali-
quis vel Lycurgus paras Historicorum Republi-
ca leges dicere. Huc igitur advolate Historici
omnes; favete linguis, novum vestrum Legisla-
torem attendite, ejusque leges prono excipite
vertice; & nunc quidem animo, sed postea co-
dro insculpite.

Primo, inquit, majestate quanta potest esse maxima, in describendis Sanctorum Vitis & Actis, pro oculis, tanquam Magistra veritatis, semper habenda est Sacro-sancta Sedes Apostolica, a cujus fonte, jussu, ac ritu nullatenus est recedendum.

Secundo, antiquae Historiae absque testimonio coaevorum scriptae, a majoribus per manus tradita, & recipienda, non minus esse admittenda & recipienda, quae contigerunt, scripto edita, sunt admittenda; quo contigerunt fuit recepta, nisi fuissent ab initio, quo communiter fuit recepta; adeoque si communiter requiritur ad faciendam illis fidem, importune requiritur scriptor synchronus aut coaevus.

Tertio, Historiae, quibus a majoribus fides constanter fuit adhibita, nullatenus sunt repudiandae, & multo minus tanquam fabula contemptim explodenda.

Quarto historiae communiter receptae non sunt impugnandae argumentis negativis.

Quinto, Historici cujusvis Ordinis, in rebus ad Ordinem suum spectantibus, maxime & prae ceteris sunt attendendi: quia nemo magis competens habere potest res suae Religionis, praesertim ad factum spectantes, quam ipsi.

Sexto, in rebus historicis, ad fidem nos Ecclesiam Catholicam spectantibus, fides adhibenda potius Scriptoribus probe Catholicis, quam Ethnicis, Judaeis, aut Haereticis; utpote hac in re suspectis, & inimicis, cum similes ordinarie ex invidia, de Fide Catholica & rebus ad illam spectantibus, pessime loqui & scribere soleant, nec non ejus mirabilia, miracula, & decora callide occultare, vel maligne corrumpere.

Nunquid non hæc occinis, ac veluti surdis ista occinis, quod frustra ac veluti surdis politior & reverende. Nemo historicus politior & ... Nam ut ... te audit, & merito quidem. Nam ut ... quid illis ... primis Legibus incipiam, quid illis ... epitome & quasi anacephalæosis co- ... omnium, quæ in antecedentibus Præam- ... bulis ... accumulasti? Porro cum ista Præ-

ambula diruta jam ac protrita jaceant, neces-
se est etiam regulas sive leges Præambulis illis
innixas labi, ruere, atque concidere. Quam
ob rem immorari in earum confutatione diu-
tius, esset oleum & operam perdere. Neque
vero Regula quinta universim admitti potest:
quia, licet Historici cujusvis Ordinis melius
possint scire Ordinis sui res, quæ suæ ætati
proximæ sunt; tamen res, quæ a sua ætate mul-
tis seculis disjunguntur, melius scire non pos-
sunt; nisi forte habeant in suo archivo aliqua
antiqua & certa monumenta, quæ non habent
alii. Talia monumenta si habeat Ordo Carme-
liticus, quid cessat ea proferre? Posset profecto
multum prodesse Reipublicæ litterariæ, non tan-
tum in causa Eliana, verum etiam in Pythago-
rica: nam ignorant hodiedum Eruditi, quo se-
culo vixerit Pythagoras; quale fuerit illud quin-
quennale silentium, quod a suis auditoribus serva-
ri volebat; qualem μετεμψύχωσιν adstruxerit,
physicamne, ut vulgus explicat, an moralem
tantum, ut apud Fournier in universæ Philoso-
phiæ Synopsi putant Gregorius Nyssenus, Au-
gustinus, & quidam ex illustrioribus Platonicis;
cui ob inventas Propositiones 32. & 47. libr. 1.
Euclidis, hecatomben immolaverit, Musisne an
Deo vero; an etiam apud Carmelitas, sicut poste-
ea fecit, semper carnibus & fabis abstinuerit;
quam mortem obierit idem Pythagoras, natu-
ralemne an violentam; quare religiosissimi Car-
melitæ non impediverint ejus apud Metapontinos
ἀποθέωσιν; quare siverint ædes ejus pro tem-
plo ei consecrari, divinisque mortuum coli ho-
noribus. Isthæc, inquam, omnia & multa alia
hujuscemodi ignorant de Pythagora Eruditi,
quæ vestris ex monumentis discere gauderent.
Sed talia monumenta in suo archivo non habent
PP. Carmelitæ: alioqui ea protulisset P. Daniel
a Virgine Maria in Carmelitano Speculo, ea pro-
tulisses P. Sebastiane.

103 Quamquam quid attinet hanc quintam
Regulam pluribus impugnare? quia perspicis Le-
ctor satis videt, hanc Regulam abs te ipso pe-
nitus debilitari atque infringi. Cum enim dicas
Regula sequenti, in rebus historicis, ad fidem
aut Ecclesiam Catholicam spectantibus, creden-
dum esse potius scriptoribus Catholicis, quam
Ethnicis, Judæis, aut Hæreticis, utpote in hac
re suspectis; debes etiam constanter dicere, in
rebus historicis, ad Carmelitanum Ordinem spe-
ctantibus, credendum esse potius scriptoribus a-
liis quam Carmelitis, utpote in hac re suspectis.
Quia si, ut tu dicis, Ethnici, Judæi, & Hære-
tici ordinarie ex invidia, de Fide Catholica &
rebus ad illam spectantibus, pessime loqui &
scribere soleant, nec non ejus mirabilia, mira-
cula, & decora callide occultare, vel maligne
corrumpere; an non quispiam merito suspicetur,
Carmelitas, ex singulari quodam affectu, nec di-
cam cæco impetu, de Ordine suo & rebus ad il-
lum spectantibus, optime loqui & scribere, nec
non ejus mirabilia, miracula, & antiqua deco-
ra callide promulgare; vel, si non maligne,
saltem ambitiose extollere? Quippe quemadmo-
dum invidia multa male, sic & benevolus affe-
ctus potest ac solet multa bona comminisci, vel
saltem credere, juxta illud Poetæ tragici.

——— Quod nimis miseri volunt,
Hoc facile credunt. ———

104 Non quidem existimo, Carmelitas omnes
esse

esse tam credulos: nam fieri non potest, ut inter tam multos non inveniantur eruditi aliqui, qui veritatem agnoscunt, videntque Ordinis sui monumenta plurimis esse fabulis referta, & illis accommodant id, quod D. Augustinus lib. 18. de civit. cap. 38. de nescio quibus Adami, Enochi & Noemi scriptis pronuntiavit: *ut in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicuntur ab iis, qui pro suo sensu passim, quod volunt, credunt.* Sed Carmelitæ illi quid de Ordinis sui antiquitate sentiant, non audent palam scribere, quæ est altera Historicorum pestis. Qua de causa tu, Pater Reverende, historico futurus leges, posuisses in fronte hanc quam fert Lucianus, quamque Orthodoxi omnes approbant: Μάλιστα δὲ καὶ πρὸ τῶν πάντων ἐλεύθερος ἔστω τὴν γνώμην, ὡς ἀληθείας φίλος, καὶ μήτε φοβείσθω μηδένα, μηδὲ ἐλπιζέτω μηδέν. *Historicus maxime & super omnia sit liber in pronuntianda sententia, veri amans, neminem metuat, speret nihil.* Quippe ut est apud eumdem Auctorem, debet Historicus speculo similem habere mentem; liquido nimirum & splendido, quodque accuratum centrum habeat; & quales rerum species ac formas receperit, easdem etiam tales spectandas præbeat. Talem vero mentem habere non potest ille, qui spe, metu, odio, amore, aliisque motionibus perturbatur: neque enim aqua vel limpidissima, si paulo fuerit turbatior, speculi naturam in reddendis fideliter rerum imaginibus imitari potest.

105 Itaque si ea esse debeat optimi Historici conditio, summæ dementiæ est, Historico, vera dicenti & non adulanti, succensere: hoc est enim perinde, acsi Thersites indignaretur speculo, quod faciem suam non repræsentet formosam similemque Æacidæ. PP. Carmelitæ viri sunt; atque adeo non debent imitari deformes mulierculas, quæ veracia & nescia adulari specula oderunt; mandantque pictoribus, ut se quam pulcherrimas pingant; ratæ melius habituram se faciem, si pictor & plurimum ruborem illinat, & pigmento multum candoris immisceat. Imitentur potius magnum Alexandrum, qui cum navigans in Hydaspi, accepisset ab Aristobulo librum, in quo Aristobulus singulare Alexandri & Pori certamen descripserat, assignatis illi falso rebus quibusdam præclare gestis, factisque veritate majoribus, eum librum in aquas projecit, inquiens: Et te, Aristobule, decebat eodem modo præcipitari, qui talia pro me singulari certamine pugnaveris, & elephantos sagitta interfeceris. Præclara, inquies, & pathetica oratio. At qua via, quave ratione veraces Historicos a fallacibus distinguere atque internoscere valebimus? Leges, Rev. P. Professor, quibus Historici cujusque fides ac veritas exploretur, præscribit Canariensis Episcopus Melchior Canus, lib. 11. de locis Theologicis Cap. 9. Has ego, licet prolixissimas, ad tuam aliorumque Carmelitarum institutionem, huc transferibam; eoque libentius, quod in illis earum confutata aliqua, quæ tu Patri Papebrochio imperite objecisti. Sic igitur fatur.

106 *Prima lex est hominum probitate integritateque sumatur, quæ omnino eos locum habet, cum quæ narrant historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his qui viderunt accepisse: quales sunt plerique in epistolis Ambrosii, Cypriani, Hieronymi, Augustini; in libris quoque hujus de civitate Dei, in Dialogis Gregorii; breviter in omnibus fere Doctorum Ecclesiæ probatissimorum scriptis; in quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerint, piaculum est. Magnis quippe præclarisque virtutibus viri sanctissimi atque optimi id consequi meruerunt, ut in rebus ejusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se audisse testati sunt, fides omnino illis habeatur. Qua in re Erasmus Roterodamus, aliique juniores quidam, sæpe ac licenter erraverunt. Quid enim liberius, licentius, aut immoderatius dici potuit, quam Hieronymum, asserentem, Matthæi Evangelium Hebraicum describendi sibi copiam fuisse, in eo virum gravissimum sanctissimumque mentiri? Jure itaque piis hominibus nimia hæc quorumdam juniorum liberiorque licentia displicuit; jure etiam in crimen vocata est.*

107 *Hæc autem prima Lex in profanis quoque auctoribus locum habet. Quædam enim Julius Cæsar, quædam Suetonius, quædam Cornelius Tacitus, quædam Plutarchus, quædam Plinius narrant, quæ auctores ipsi partim oculis aspexerunt, partim acceperunt ab his, qui eo præsentes aspexerant. In hisce vero auctoribus, tametsi pietatem absolutamque virtutis officia spectare non liceat; licet tamen probitatem quamdam bonitatemque naturæ. Quidam enim eorum, aut veritatis amore inducti, aut ingenui pudoris verecundia, usque adeo a mendacio abhorruerunt, ut jam pudendum fortasse sit, Historicos Gentium quosdam veraciores fuisse, quam nostros. Dolenter hoc dico potius, quam contumeliose; multo a Laertio severius Vitas Philosophorum scriptas, quam a Christianis Vitas Sanctorum; longeque incorruptius & integrius Suetonium, res Cæsarum exposuisse, quam exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum & Confessorum. Illi enim in probis aut Philosophis aut Principibus nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent; in improbis vero etiam colores virtutum produnt: nostri autem plerique vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solum pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo Ecclesiæ Christi cum nihil utilitatis attulisse, tum incommodationis plurimum.*

108 *Nominibus parco, quoniam hujus loci judicium morum etiam est, & non eruditionis tantum, in quo liberior potest esse censura. Nam, quæ morum est, hæc debet profecto esse, & in vivos cautior, & in mortuos reverentior. Certum est autem, qui ficte & fallaciter historiam ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos atque sinceros esse non posse; totamque eorum narrationem inventam esse, aut ad quæstum aut ad errorem; quorum alterum fœdum est, alterum perniciosum. Justissima est Ludovici [Vives] querela de historiis quibusdam in Ecclesia confictis. Prudenter illo sane ac graviter illos arguit, qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione fingere: id quod & maxime periculosum est, & minime necessarium: mendaci quippe homini ne verum quidem credere solemus. Quamobrem, qui falsis ac mendacibus scriptis mentes mortalium concitare ad Divorum cultum voluere, hi nihil mihi aliud videntur egisse, quam ut veris propter falsa admotur*

mutur fides, & quæ severe veracibus odiosa sunt, ea maxime ... auctoribus plane ... adstruuntur in du- bium.

109 In Herodoti lucubrationibus, rebus fictis & adumbratis quidem locis plurimum esse: verum ita sapientiæ ipsa illa permanent, non rejiciendum est. In historia rationem ad veritatem fabulæ inter- hæc videlicet inscripsit, quibus animos jucundius Musas ... fuit, ut audientium narrationi- dum concessa sunt, ut audientium ... qui, ut Fe- & formas allectione, quod severitate ... Historicas ut ponendo assequerentur. Xenophon ... Principis for- bus est, magis inter Philosophos quam ... itaque mandandus est, optimi & absolutissimi effingere: tam in Cyro perfectam conatur effingere Cyrus inve- tam in Cyro expectandum, qualisquam ... sed quan- ... est ab eo excellens & eximius; ... si ad ver- ... Rex bonus excellens Imperator. At in bi- ... futurus sit in Republica componator. ... non vo- ... exemplaris emotissimi ... diximus ... quorsum attinet ... Christiano, quæ tota, ut perpenditur ... prætendere? ... sed veritate perpendisme fabulisque ... mendacies e- ... tamen commentis ... nostris ... gesserunt, quasi vero sancti Dei homines pro Christo gesserunt, ... qui tam multa vera pro simulationis artificio ... falsa, quamvis erudita ... quoniam inutilia sunt, ... ut omnia non sint, ... autem sive magis ... tamen, tamquam ignavi milites ... quam auxilia.

110 Horum porro nostrorum res fere gestæ, ... ego existimo, non solum ampla magnificaque ... verum multæ etiam majores quam fama ... qui fecere virtute tanto ba- ... neque corum qui verbis extollere potuerunt ... est, quantum eam verbis ... & præclara ingenia ... nostri: sed tanto potius, ut & præclaris verba quoque de- ... ipsis, & ingeniis præclaris affectus suo ... scribentis ... fuerunt. Sed dum quidam quæ animus scribentis nobis in- dulgent, & ea scribunt quæ quandoque nobis ... , non veritas; tales Divos ... etsi possent, esse tamen ... , quales Divos ipsi ... credat, Divum Fran- ... voluissent. Ecquis enim ... in se ipsum ... pediculos semel ... ad sanctitatem viri ... esse inventiore? quod ad sanctitatem non puto; qui scriptor pertinere putavit. Equidem non puto; qui Paupertatem sciam viro sanctissimo placuisse semper, sordes nunquam. Illud item quam ridiculum? Dia- bolum, Dominico Patri nostro semel obstrepentem, a Divo esse candelam ... laternam haberet in manibus; quod illa absumpta, non molestiam solum, sed in- credibilem dolorem non afferret.

111 Non possunt hujusmodi exempla numero com- prehendi; sed in his paucis pleraque alia intelli- guntur, quæ Divorum clarissimorum historias ab- ... curarunt. Non enim decebat veras Sanctorum res ... falsis & commentitiis fabulas contaminari. ... causa Gelasio fuit, ut hujus generis historias repro- ... in Concilio septuaginta Episcoporum cognosci- ... Ejus Pontificis verba sunt, legi cognosci- ... dignissima, & idcirco hæc adscribenda. Gesta, ... Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus ... cruciatibus & mirabilibus confessionum de- ... triumphis irradiant, quis ita esse Catholicorum ... ambigat, & majora eos in agonibus esse perpessos; ... sed Dei gratia & adjutorio uni- ... toleravisse? Sed ideo, secundum antiquam consuetudinem, singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum ... omnino penitus ignorantur, & ab in- ... dicta superflua, aut minus apte quam ... scripta esse putantur. Sicut cujus- ... & Julittæ matris ejus; sicut Georgii ... passiones hujusmodi, quæ ab hæreticis

perhibentur conscriptæ: propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen, cum prædicta Ecclesia omnes Martyres, & eorum glo- riosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, cum omni devotione veneramur. Item Vitas Patrum, Antonii, Pauli, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus. Item actus Beati Silvestri Apostolicæ Sedis Præsulis, licet ejus qui scripsit nomen ignoremus, a multis tamen in urbe Roma Catholicis legi cognovimus: & pro antiquo usu multæ hoc imitantur Ecclesiæ: item Scripta de inventione sanctæ crucis Dominicæ, & alia scripta de inventione Capitis beati Joannis Baptistæ, novellæ quidem revelationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt, sed cum hæc ad Ca- tholicorum manus pervenerint, beati Pauli Aposto- li sententia præcedat: Omnia probate, quod bo- num est tenete.

112 Hactenus Gelasius: quod si prophetias, quæ Numinis afflatu edi solent, Paulus docet, non spernendas quidem, sed explorandas tamen; ecquis nos accusare jam audebit, si historias hominum sen- su editas exploremus? Gelasius sane auctor est cum Concilio gravissimus, quod de prophetiis ab Apo- stolo dictum est, hoc apte etiam in historiam qua- drare. Jubet ergo imprimis Pontifex, ut eas hi- storias nullo modo amplectamur, quæ sine certo au- ctoris nomine proferuntur: olent enim aut quæstuo- sorum hominum imposturam, aut (quod Gelasius ipse ait) hæreticorum fœtum. Quæ eadem omnino causa subest, ut historiæ illæ valde etiam suspectæ sint, quæ tametsi auctoris cujuspiam nomen præ se ferunt, sed quis ille qualisve sit, obscurum & incertum est. Cujusmodi ante hos paucos dies, qua- dam fabulæ prodiere, quarum & auctores & loca adeo longo intervallo distant, ut, an mentiantur illi, non possis invenire; an hæc sint, dubitari e- tiam possis. Sed bene habet, quod totum narratio- nis corpus commentitium apparet, ut, quod Hi- spanorum sermone teritur, id quoque in hac re fa- cile probet, de luengas vias, luengas mentiras.

113 Sed ad Gelasium redeamus: qui deinde al- lius erroris nos admonuit, in quo olim non vulgus solum, sed Gratianus etiam versatus est, ut libro- rum deceptus indiciis, crederet, omnia quæ Hie- ronymi & Augustini nominibus inscripta erant, Hieronymi & Augustini vere etiam esse. Sic li- brum qui de Vitis-patrum inscriptus est, Hierony- mi nomen vulgus circumferebat; cum paucissimas tamen ille Patrum Vitas scripserit, quæ & hoc loco fere a Pontifice referuntur. Gelasio itaque te- stimonio eorum imprudentiam retundemus, qui ho- rum verum auctorem Hieronymum pervulgarunt, quas homo non rudis atque elinguis ederet. Hujus generis fabula etiam illa est, insulsa æque ac bar- bara, de nativitate Sanctæ Mariæ, ad Chromatium & Heliodorum Episcopos. Hujus generis sunt alia multa, quæ & diligentissime & rectissime Eras- mus notavit. Illud etiam in his Gelasii verbis equidem animadverto, novellas revelationes (sic enim vocat) nec admirari & suspicere minime o- portere. Jam enim passim, non pro Ecclesiæ neces- sitate, sed pro hominum affectu exprimuntur: a- deo ut in Conceptionis causa utrimque, si Superis placet, revelationes vel contrariæ proferantur: quæ res impiis quidem non levem subsannandi occasio- nem præbent, piis vero lacrymandi. Contemnan- tur profecto necesse est Dei & dona & miracula,

si no-

si gestis aut opinionibus aut affectibus inservierim. Ecclesiæ igitur Christi hi vehementer incommodant, qui res Divorum præclare gestas, non se putant egregie exposituros, nisi eas fictis & revelationibus & miraculis adornarint. Qua in re, nec Sanctæ Virgini, nec Christo Domino, hominum impudentia pepercit; quin, quod in aliis Divis fecerunt idem quoque in Christi & Matris historia scribenda facere; & pro humani ingenii levitate, multa vana & ridicula commiscerentur.

114 *Cum Superioribus annis Tridentino Concilio interessem, e quibusdam audivi, Aloysium Lippomanum Episcopum Veronensem huic malo mederi, historia de Vitis Sanctorum constanti ac gravi ratione edita: sed hanc mihi adhuc videre non licuit, nec aliam quamvis, quæ mihi quidem probari possit, de his quæ venerunt in manus. Spissum sane erit opus, & operosum; sed vehementer omnibus Christianis utile; si quis præstiterit dignum modo Divis, Ecclesia, Christo: id quod haud dubie præstabit nemo, nisi vir probus, integer, incorruptus; ut ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Quæ cum ad probitatis integritatisque officia pertinere notum sit, miror ab uno Suetonio servata esse omnia, a plerisque nostris omnia esse deserta. Qui autem res humanas a Divis, quorum historias scribendas sumunt, alienas fore censent; hi Divos ipsos ne homines quidem fuisse videntur credere. Quanto sapientius Evangelistæ faciunt, qui vel in ipsis Apostolis, quos viamus vitæ totius exemplum habituri, nec affectus naturæ imbecilliores, nec casus etiam graviores dissimulant. Divina hæc sapientia quidem Evangelistarum fuit; sed bonitas quoque integritasque naturæ, ut nihil illis in scribenda historia deesset, quod in historiæ lege vel Ethnici requisiissent.*

115 *Scriptoris autem probitas & integritas (nam hoc quæret aliquis) in his qui olim fuerunt, licet aliquando in scriptis ipsis eluceat, sed fama & gravi atque frequenti præteritorum hominum testimonio cognoscitur. Sunt enim, ut dixi, in profanis auctoribus non pauci, quorum ingenuitas & verecundia sic hominum sermone celebrata est, ut nemo illos unquam mendaces, & in fingendo impudentes existimaverit: quales sunt Cæsar, Valerius Maximus, Terentius Varro, Livius, Cornelius Tacitus, Seneca, Ammianus Marcellinus, Eutropius, Flavius Vopiscus, Paulus Diaconus, Lucius Florus, Polybius, Dionysius Halicarnassæus, Julius Capitolinus, Cornelius Nepos, Strabo, aliique plures, Latini præsertim auctores: nam Græcorum fides majori ex parte fracta ac debilitata est. Religiosus est Thucydides, & (ut Josephus ait) inter omnes Græcos historicos imprimis scrupulosus. Appianus Alexandrinus, Græcus licet auctor, sed quoniam hesterna & civilia Romana bella memoriæ mandavit, in alienis rebus mendax non fuit; futurus in suis, si Græcorum morem & ingenium sequeretur: quorum jactantia ac vanitas impudentiaque est aucta, postquam certare cum Latinis de Imperio, de rebus gestis, de doctrinæ veritate inceperunt. Latii siquidem fulgor & gloria, Græciæ claritatem obscuravit, & adeo Græcorum perstrinxit oculos, ut vel Plutarchus, scriptor alioquin verax, in rebus Græcorum illustrandis & extollendis & fingere interdum etiam videatur, quod tum in opere de vitis illustrium Græcorum & Romanorum, tum in parallelis, Ludovicus Vives animadvertit.*

116 *At vero in nostris, hoc est Ecclesiasticis, facilior est ratio veritatis & bonæ fidei cognoscendæ. Optimos enim quosque apud nos, non solum humanus sermo atque existimatio colit, verum etiam Ecclesiæ decretum in concilio Cælestium collocat. Hos itaque mendacii impudentiæque arguere, quemadmodum supra diximus, impietatis etiam, non modo temeritatis argumentum est. Cum his ego sanctis justisque viris Hegesippum, Paulum Orosium, aliosque nonnullos Ecclesiæ Historicos annumerandos censeo, qui a me brevitatis causa prætereuntur. Non enim hic bibliothecas enumeramus, sed genera degustamus: ne quis negligentiæ nos insimulet, si ullos aut laudando aut vituperando transimus. Sed ais: Crispus Salustius, in perditis omnino moribus, veridicus historiæ scriptor est habitus. Sane quidem: at cum Salustium objicis, hominem objicis; in quo, si non honestatis pudor, at infamiæ ejus timor fuit, quam Romani cum primis declinarunt, ne mendaces, quemadmodum Græci, in historiis haberentur. Deinde non mihi Salustius videtur vitiis caruisse & gratiæ & simultatis. Certe cum de Cicerone scribit, multa silentio præterit; quæ libentissime in aliorum gratiam retulisset. Sed hæc duo vitia cum historicorum fere omnium communia sunt, tum quorumdam quasi propria: in quibus Paulus Jovius est, in quamlibet partem nimius, odio & amore, gratia & simultate; & quoniam pecuniam amabat, in historia quoque scribenda pecuniæ serviit fuit. Postremo aliud est dicere, viros bonos veraces esse omnes; aliud, improbos omnes esse mendaces: illud nos diximus, hoc non diximus. Quamquam nescio quomodo fit, ut nusquam securus animus nisi in viri boni testimonio conquiescat. At officio veritas adeo connexa est, ut in homine vitioso esse illa fortasse possit, sed esse tamen credi vix possit. Quæ causa Chaldæis Ægyptiisque fuit, quamobrem non alios historiæ auctores approbarent, nisi qui sacerdotio fungerentur: quod sanctos religiososque viros mentituros esse nullo modo existimarent. Homo, inquiunt, ex Judæis quidem, Sacerdos venit; non decipiet nos. Verum de prima ad historiam dijudicandam regula hæc dicta sunt.*

118 *Lex vero secunda in historiæ judicio sanciatur, ut eos Historicos reliquis anteferamus, qui ingenii severitati quamdam prudentiam adjunxerunt, & ad eligendum & ad judicandum. Quæ lex in iis rebus locum habet, quas neque scriptores ipsi sunt intuiti, nec a viris fide dignis qui viderant audierunt. Quo in genere est operæ pretium eorum levitatem recordari, qui multo oculatorum more, quod nimis misere volunt hoc sæculo credunt. Nam & ætas nostra Sacerdotem vidit, cui persuasissimum esset, nihil omnino esse falsum, quod semel typis fuisset excusum: non enim, ut ajebat, tantum facinus Republicæ administros commissuros, ut non solum divulgari mendacia sinerent, sed fur etiam communirent privilegio, quo ista intus mentes mortalium pervagarentur. Quo fons argumento permotus, animum induxit credere, ab Amodiso & Clariano res eas fere gestas, quæ in eorum libris commentitiis referuntur. At vero quantum illa adversum Republicæ administros ratio valeat, non est hujus loci temporisque disserere. Certe hoc ergo, pro me ipse & animi mei sensu ac dolore, pronuntio, magnæ Ecclesiæ calamitate atque pernicie id solum in libris vulgandis præcaveri, ne erroribus fides adversis aspersi sint, ne sint moribus vitiolis non item.*

119

119 Nec de fabulis istis potissimum [illegible] quas modo dixi, quamvis incredibilis [illegible] nunc conferentibus, non dico ad bene [illegible] vivendum, sed ne ad recte quidem de [illegible] nos sentiendum. Quid enim conferunt [illegible] ac virgo, ab hominibus otiosis ficta, [illegible] ingenuis versata? Sed acerbissimus est [illegible] omnino consolabilis, quod dum quidam [illegible] non prodierunt quam ferventer! [illegible] [illegible] esse [illegible] Ecclesiae [illegible] et graves historias [illegible] sed libros Mysteriorum [illegible] quod [illegible] erant [illegible] pestilentissimarum [illegible] libellos [illegible] [illegible] sententia [illegible] non modo [illegible] doctrinae [illegible] quae vulgus eos [illegible] probavit video ab iis [illegible] definita. Sed Magistratu, verum etiam [illegible] Republica [illegible] Miseranda Conjunx [illegible] Christi [illegible] agamus [illegible] ludendo, hoc [illegible] quod instat potius, quam [illegible] erat, ut omnes homines ignorantia [illegible] aut [illegible] si modo esset [illegible] qui [illegible] crederet, non pari inscitia [illegible] alios [illegible] pane pari [illegible] residere sit solita; [illegible] sed imprudentia [illegible] ubi ea [illegible] invenire: [illegible] rerum [illegible] raro est [illegible] rumoribus [illegible] sed in iis, in quibus [illegible] inconstanti levique [illegible] propagat [illegible] sunt atque severi, non [illegible] homines graves [illegible] aucupari.

120 Quamquam negare non possimus, veras [illegible] Doctorum praesertim [illegible] & excerpsisse, [illegible] gravissimi, [illegible] rumores [illegible] Quae in [illegible] describendis, sparsos retulisse [illegible] & scriptis etiam ad posteros [illegible] quod vulgus [illegible] videtur, [illegible] quod [illegible] miracula credere [illegible] certe vulgo [illegible] non tantum eo facile [illegible] signa nonnulla [illegible] sed impense etiam flagitare. Itaque [illegible] memoriae prodiderunt; & prodigia Sanctis quoque [illegible] sed ne deesse [illegible] non quae ea libenter credidissent, [illegible] Id vero eo magis [illegible] [illegible] videretur. [illegible] intellexerunt [illegible] [illegible] existimarunt, quod [illegible] legem esse, [illegible] placuisse, verum historiae [illegible] Neque [illegible] scribere, quae vulgo vera haberentur. Speculum [illegible] libro [illegible] auctorem [illegible] qui [illegible] etiam ejus, [illegible] historiarum [illegible] nec Historiae [illegible] In illo enim [illegible] Legenda aurea nominatur. [illegible] miracula [illegible] monstra saepius quam vera [illegible] plumbei [illegible] hanc bene scripsit ferreus oris [illegible] prudentis. Vete[illegible] parum severe & prudentes [illegible] & sanctos & eruditos viros, [illegible] [illegible] & nomina [illegible] adscribere, ne [illegible] [illegible] vitaret, nisi [illegible] careret, [illegible] damnarent [illegible] plerisque causa esset, ut [illegible] circum San[illegible] non intelligeret [illegible] aut errore varia [illegible] omnium historias vagarentur.

121 Atque Theologum etiam admonere opera pretium [illegible] ut statim illi persuasum sit, omnia [illegible] magne Auctores scripserunt, undique [illegible] [illegible] Nam & labuntur aliquando, ut ille ait, [illegible] & indulgent ingeniorum [illegible] se perse [illegible] vulgoque (ut dixi) interdum [illegible] & non [illegible] nec semper intendunt animum, [illegible] Demosthe[illegible] indulgent [illegible] adeo ut Ciceroni Demosthenes [illegible] numquam [illegible] Horatio vero Homerus quandoque dormitare [illegible] Somnia enim sunt [illegible] homines [illegible] ego eadem de Beda atque Gregorio [illegible] vere dicere possem; quorum [illegible] Anglorum, hic in Dialogis quae [illegible] scribunt, vulgo jactata & credi[illegible]

[illegible] certiam [illegible] barem [illegible] tam [illegible] majorem [illegible] circum [illegible] dum [illegible] plerisque [illegible] vis [illegible] ra [illegible] peccare [illegible] quam [illegible]

que hujus praesertim saeculi Aristarchi immagis, si eorum Auctores historias illas pro[illegible] esse censebunt. Equidem historias illas [illegible] enormem, severitati judicii curam [illegible] juxta praesu[illegible] adjunxissent. Sed quoniam in eligendo [illegible] ipso judicio de tantis viris modeste & [illegible] est, ne in hos quidem duobus viris pronuntian[illegible] plerisque: pauca enim ex eis possis arguere, rejicienda sunt [illegible] historiam ecclesiasticam revocare [illegible] judicia contendas: ac, si necesse est in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quam multa reprobari malo.

122 De Vincentio Bellovacensi & Divo Antonino liberius judico, quorum uterque, non tam dedit operam, ut res veras certasque describeret, quam ut nihil omnino praeteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur: ita ad historiam unamquamque existimandam suo ponderandam, non artificum statera, sed ut populari quidem trutina usi sunt. Quamobrem, boni liceat ac minime fallaces viri, quia tamen nec auctorum, a quibus suas exscripsere libros, diligenter examinarunt, nec res justis libratas ponderibus memoriae prodiderunt apud criticas gravis atque severos auctoritate carent. Historicus autem, qui Theologiae decreta probandus erit, nec omnes schedas lectione etiam indignas excutiet, nec omnibus fabulis accommodabit operam, nec prius lecta auditaque describet, quam ea prudenti accurateque judicio expendat ac [illegible] gat. Sed in secunda Regulae explicatione diximus satis.

123 Tertia Regula sit, si cui Historico auctoritatem Ecclesia imbuit, hic dubio procul dignus est, cui nos etiam auctoritatem adjungamus, contra vero, cui Ecclesia derogavit fidem, ei quoque nos fidem jure ac merito derogabimus. Gelasius porro historiam de Vitis Antonii, Pauli, Hilarionis, ac ceterorum Eremitarum, quam [illegible] Hieronymus scripsit, cum omni honore suscepit. Acta rursum beati Silvestri, licet non pari veneratione, sed suscepit tamen; collaudavit Orosium; Eusebii Chronica, hoc est de temporibus, (quantum animi conjectura colligo) non rejecit: rejecit Itinerarii Clementis libros octo; Actta Andreae, Philippi, Petri, Thomae nominibus falso edita; librum de infantia Salvatoris; alterum item de ejusdem nativitate; librum Pastoris, Acta Theclae & Pauli, quae Epiphanius usurpat interdum; revelationem Pauli; librum qui Mariae transitus inscribitur; libellos de poenitentia Adae, Origenis, Cypriani; Epistolam Jesu ad Abagarum, Passiones Georgii ac Quirici & Julittae; historiam dimum Eusebii Pamphili: in qua refellenda Gelasius, magna, ut mihi quidem videtur, prudentia est usus. Nam quod Rhenanus dixit, verba haec postrema, Gelasii non esse; sed esse potius ab aliquo quopiam adjecta; hoc insolenter, rustice, imperiteque dixit.

124 Principio quippe Pontifex ad hunc modum censuerat, Chronicon Eusebii Caesariensis atque ejusdem historiae ecclesiasticae libros, quamvis in prima narrationis suae libro tepuerit, & postea in laudibus atque excusatione Origenis schismatici, unum conscripserit librum, propter rerum tamen singularem notitiam usquequaque non dicimus renuendos: postea vero sic censet. Historiae Eusebii Pamphili apocrypha. Quae duae sententiae, cum contrariae non sint, tum sunt etiam verissimae, & unis quam graviter ac severe latae.

Cur

Cur autem Gelasius historiam Eusebii apocryphum pronuntiarit, causæ sunt sane plures ac vehementes. Primum, in primo libro refert Eusebius epistolam Jesu ad Abagarum scriptam, quam Gelasius eadem distinctione explodit. Fuit etiam altera causa Gelasio, quamobrem historiam Eusebii apocrypham definiret: quod multa ibi Clementis Alexandrini testimonio confirmentur, cujus opuscula eadem distinctione apocrypha judicata sunt. Præterea & librum sextum Eusebius texuit in laudem & excusationem Origenis: eum autem & discipuli Origenis magnas in Ecclesia tragœdias excitassent, & Origenes ipse, tanquam schismaticus, deque fidei Catholicæ via sæpe deflectens, fuisset Ecclesiæ judicio condemnatus, jure illius historia refellitur; qui Origenem non solum immodice prædicat, sed ad cælum, perinde ut si Pater esset Ecclesiæ, extollit.

125 Et postquam idem Canus pluribus ostendisset, Eusebium illum fuisse Arianæ hæreseos defensorem, sic prosequitur: *Merito ergo Gelasius Pontifex historiæ Eusebii Cæsareensis auctoritatem ademit:* sed audi, quid post multa subnectat Canus: *Ad Eusebium revertamur, in cujus historia Ecclesiastica satis Gelasius ostendit, cetera sibi ac Concilio placuisse, dum quædam displicuisse commonuit. Itaque si fabulam Abagari laudesque Origenis ab Eusebio demeres, digna ejus historia esset, cui fides omnino haberetur; præsertim si in Ecclesiæ contra Arium pugna, non ab Ario, sed ab Ecclesia staret. Ac de ecclesiasticæ historiæ libris hactenus. Nam in Chronicis admiranda fuit hominis diligentia, ingens omnino labor, varia & pene incredibilis lectio, ac grave prorsus in lectionis varietate judicium. Nec scio, an quisquam alius inter Ecclesiæ sive Latinos sive Græcos auctores, quamvis summa vi, ope atque opera uteretur, præstantiora nobis posset temporum monumenta relinquere; tametsi describentium incuria, adeo multis locis vitiata sunt, ut dici sine animi dolore non queat.*

126 Denique totum Caput concludit Canus in hunc modum: *Perspicua sunt hæc quidem & in vulgari prudentia posita. Nam in quibus animi quædam major vis acriorque in judicando prudentia est, ii sine hisce Regulis, exacuenda illam ingenii aciem, vera deligent rejicientque contraria. Mihi sane aliquando & verum ipsum in scribentis sinceritate candoreque relucet, & mendaciorum contra auctoris quædam angor & calliditas patefaciunt. Sinceræ, mihi crede, veritas est; & si animum repurgatum invenerit, ipsa per se recte influit. Falsitas circuitiones quærit & anfractus, seque verborum ambitu sollicite circumdat ac protegit. Atque etiam, cum ex historiæ ratione, quid quemque deceat considero, facile intelligo, historicos non solum falso, sed imprudenter res quasdam memoriæ prodidisse. Quis enim vel mediocriter prudens ab Apostoli Thomæ Joannisque Evangelistæ persona illa non videat abhorrere, quæ in rebus eorum gestis referuntur? Ut aut ille injuriæ vindictam expeteret; aut hic rupta veste summque ipsius caput tundens, equum acceperit; ex ecclesia, quantum poterat, properaverit; & senex adolescentem juveniliter fuerit insecutus. Non itaque prudentibus & ingeniosis judicandi præcepta diligenter elaborata dedimus; sed, ut dicitur, crassa pinguique minerva, rudioribus. Nec vero adeo stultus ego sum, ut existimem in has formulas omnia historiæ judicia conclusa & comprehensa; sed si quæ fuerunt præscribendæ formulæ, hæ videntur potissimum consentaneæ convenientesque fuisse.* Hactenus Canus.

127 Cave tamen arbitreris, Rev. Pater, me ea omnia præstare tuerique velle. Leges omnes, quas hic sancivit universim admitto: quæ de auctoribus & quibusdam Sanctorum Vitis format judicia, non universim admitto; satis habens ex Cano ostendisse me, quam illiberaliter indocteque in Patrem Papebrochium egeris quasi summi criminis reum, quod Auctores Judæos, Hæreticos, & Gentiles quandoque citaverit. Certe, Rev. Pater Professor, ille, quem ante laudavi, Ciampinus in Examine libri Pontificalis pag. 102. Romæ inspectante, citat Davidem Blondellum, eumque vocat *Maximum nostri temporis censorem*. S. Basilius, in homilia habita tempore famis & siccitatis, Josephum appellat *Auctorem gravem*. S. Hieronymus, ad Pammachium & Oceanum, *Ecclesiasticam*, inquit, *pulchre Eusebius historiam texuit; sed impietatis Arii apertissimus propugnator est*. Frustraneum est commemorare singulos; eo quod Pater Papebrochius in Responsionis Articulo 24. id satis superque fecerit.

128 Quare venio ad Gentiles, qui quantopere Historiam Ecclesiasticam illustrent, docet Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 28. ajens: *Quidquid de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur Historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam & per Olympiadas, & per Consulum nomina multa sæpe quæruntur a nobis: & ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum: quia per tot annos ædificatum esse templum, dictum est a Judæis, quod imaginem dominici corporis habebat. Et annorum quidem fere triginta baptizatum esse, tenemus auctoritate Evangelica; sed postea quot annos in hac vita egerit, quanquam textu ipso actionum ejus animadverti possit, tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia Gentium, collata cum Evangelio, liquidius certiusque colligitur.* Et ejusdem libri cap. 39. *In ceteris autem doctrinis, quæ apud Gentes inveniuntur, præter historiam rerum, vel præteriti temporis, vel præsentis, ad sensus corporis pertinentium, quibus etiam utilium artium corporalium experimenta & conjecturæ annumerantur, & præter rationem disputationis & numeri, nihil utile esse arbitror.*

129 Sequenti Capite idem Augustinus pereleganter demonstrat, ab Ethnicis si quid bene dictum, in nostrum usum esse convertendum; & hoc esse quasi de Ægyptiorum spoliis excitare trophæum Deo viventi. Neque prætermittit exempla aliorum: *Nam*, inquit, *quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspicimus, quanto auro & argento & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, doctor suavissimus & Martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus? Optatus, Hilarius? (Ut de vivis taceam) quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum.*

Imo

Imo vero Paulus ipse a cuandis Gentilibus non abhorruit, nominatim ad Tit. I. 12. ubi dicit, verum esse hoc Poetæ Epimenidis, vel, ut alii volunt, Callimachi de Cretensibus testimonium: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Cretenses, semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

Et eadem Patres Carmelitæ hauserunt res a suo (si Superis placet) Pythagora præclare gestas, nisi ex temporis Gentilium? Agnosce igitur, R. Pater, quam inique talium Auctorum appellationem P. Papebrochio exprobaveris, & tace, ut cum tuo opimam in gratiam quamprimum redeas. Cum bona quinque Præambulorum expositione, rogatus fui, ut pariter Expostulationem impellerem, Præambulo librum accipio in manus, continuo frontem: cumque in qua fronte legerem tres illos Carmelitanos Hispanos, explico, inspicio Barrientos, Petrum popules, Joannem Gomez a Purificatione, a Conceptione, & Angelum mihi in illa tricorporis cohorte: etenim videbar illum Geryonem bus spectare quasi Hispanum interfectum tricorporem, quem ab Herculeolim veniebat in esse fabulantur. Quamobrem mihi, ad triplicem conterere clavam Herculeam comminuendum. Ecce autem terror fuit plane quam Panicus, quia cum illum adversarium plus quam numero sex, habent eadem fere quæ tu in suis Præambulis, quæ sunt eamdem inter quæstionem juris & facti particularis confusionem, iisdem exemplum S. Caroli Borromæi, eosdem Juris textus, eadem Patrum auctoritates, eadem testimonia Theologorum, eosdem locos ex Innocentio priori seculi, ex Theophilo Raynaudo, Bollando, & aliis; imo, ubi tu malecitas, male citant etiam illi. Quoniam igitur tanta est inter Præambula tuæ Exhibitionis & Expostulationis illorum contentio, hæc una cum illis in hujus Examinis statera appensa censeri debent; & an non sis inventus minus habens, eruditus Lector dijudicet. Ego autem, Rev. Pater, obsecro te, ut si quid tibi videatur hic illic dictum duriuscule, irascare tibi ipse, non mihi; quia adactus sum ea sæpe reponere, non quæ sunt mea, sed quæ sunt tua, & quæ mihi perquam invito ex contagiosa Exhibitionis tuæ lectione adhæserunt. Usque adeo verum est illud, quod est apud Ecclesiasticum 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Quamquam quid opus est ista expurgatione? Cum nusquam tibi impegerim dicam hæreticos; & cum te habuerim multo clementius, magisque liberaliter, quam tu habuisti P. Papebrochium. Non sum egressus extra modestiæ cancellos, quos mihi ipse jam inde ab initio circumdederam. Ut ut est, tuo exemplo possum excusare omnia; etenim sicut tu num. 76. protestaris te, abstinere velle & præscindere ab omni censura, quam tamen inflixisti persæpe; sic protestor & ego, me abstinere velle & præscindere ab omni mordaciore dicto. Quin (quod tu protestatus non es) si quid hic animum tuum juste commoverit, id omnino eratum volo.

T RES.

RESPONSIO
DANIELIS PAPEBROCHII

Ex Societate Jesu Theologi

AD EXHIBITIONEM ERRORUM

Per Adm. R. P. SEBASTIANUM A S. PAULO,

Ordinis Carmelitani in Belgio bis Provincialem, olim sacræ Theologiæ Professorem Lovanii, evulgatam.

POTENTISSIMO MONARCHÆ

CAROLO II.

Hispaniarum Indiarumque Regi Catholico.

Serenissime Rex.

DIvinæ erga nostrum de Actis Sanctorum opus providentiæ acceptum debeo referre consilium, quo mense Majo, ceteris ampliori & gratiosiori, atque ideo magis etiam obnoxio invidiæ, optavi potentissimum Patrocinium Majestatis tuæ; animo quasi præsagiente tempestatem nuper in tomos meos omnino quatuordecim effusam, cum ferali decreto, eos totos & in solidum prohibente, ac si continerentur in sparsæ per omne corpus Propositiones, non solum erroneæ, quod humanum foret; sed etiam schismaticæ atque hæreticæ, quod est catholicis auribus abominabile. Meministi, DOMINE CLEMENTISSIME, quanta cum admiratione, imo & quorumdam indignatione per Hispaniam, perstrepuerit illud tonitru: quomodo autem affecerit animos eruditorum ac piorum alibi, eorum præsertim qui vivunt heterodoxis permixti, luculentissimi testes Tuæ Majestati sunt, Augustissimus Cæsar LEOPOLDUS, Serenissimus Poloniæ Rex JOANNES, & S. R. Imperii Electores ac Principes, qui litteris ad Regium Thronum Tuum datis petierunt maturum tam grandi atque improviso malo remedium. Suos scilicet singuli populos querebantur nudari paratissimo contra eas hæreses præsidio, quæ, cum alios omnes catholicæ Ecclesiæ ritus, tum legitimorum Sanctorum cultum impugnant, ut anilibus superstitionibus mixtos & fabulis nixos. Quo enim magis experiebantur earum sectatores mitescere lecta illa nostra lucubratione, animosque induere minus alienos ab unione catholica, cujus sinceritatem & soliditatem incipiunt pluris facere, propter tot undique eruderata illustrataque certæ antiquitatis monumenta; eo gravius in iis nasciturum prospiciebant scandalum, si audiant, Scriptores, conatos vera secernere a falsis, certa ab incertis, tam diu & tanto cum labore, referre in catholicissimo tuo Hispaniarum Regno pœnam pro præmio, ignominiam pro laude in favorem quarumdam fabularum eo in opere refutatarum. Sed & Societas nostra, solicita de tot suorum sumptuum, ac laborum fœtu, qui per annos fere septuaginta in præsentem excrevit magnitudinem, a paucorum Qualificatorum judicio appellavit ad melius informandum sacræ Inquisitionis Tribunal, atque legitimam defensionem parans sub benigno Majestatis Tuæ nutu, postulavit exhiberi sibi Propositiones, quæ dignæ fuerint visæ censura, eaque tali, qua atrociorem nullus unquam hæresiarcha in aliquo Ecclesiastico cœtu retulit. Considerans etiam præcipua, quibus illa Censura nititur, fundamenta, sumpta ex libro, cui Titulus, *Exhibitio Errorum, quos P. Daniel Papebrochius commisit inter Acta Sanctorum*, mihi jam annis totis viginti ad libros libellosque famosos tacenti, mandavit, ut abrumpam silentium, jam non amplius laudabile; & articulatim respondeam ad objecta singula. Valuit ex obedientiæ imperio suscepta defensio, & per modica intervalla publicam in lucem dari cœptæ Responsiones, fructum nobis referre cœperunt non pœnitendum, cum per eas, dispulsis calumniarum male coalitarum nebulis, innocentia elucescens, supremo Sacræ Inquisitionis Antistiti senioribusque & sapientioribus Assessoribus elicuerit Decretum, die XXII. Junii; quo & Collegio nostro Imperiali Madriti restitui jubebantur libri, ad instituendam defensionem necessarii; & mihi a Qualificatoribus exhiberi mandabatur Elenchus censuratarum ab illis Propositionum: quod utrumque quam æquum erat, tam facile obtentum est primum, remissis in Collegium nostrum libris omnibus: alterum vero impetrari necdum potuit, iterato etiam rogatum; nectentibus moras, qui minime debebant; & propositiones damnatas, quas ante latam sententiam in promptu habuisse oportebat, quodammodo adhuc requirentibus. Quapropter primam hanc Responsionum mearum partem ad Articulos priores duodecim (nam totidem alii adhuc restant discutiendi) advolvo pedibus Majestatis tuæ; humillime supplicans, ut dignetur tergiversantes Regio suo nutu urgere, ad executionem Decreti tam æqui; quo possim in altera Responsionum mearum parte omnibus satisfacere. Equidem fixum habeo, eadem qua priora fide tractare cetera; & prompte corrigere, sicubi me a vero aberrasse cognovero, per ejus ignorantiam: nam a recto, per hæresim, usquam declinasse me, ausim præsumere,

re. Unica igitur gratia, quam summa æqui-
tate tua, REX CLEMENTISSIME, nunc pe-
to, & mecum petit Societas universa, innu-
meris pridem Majestati tuæ nominibus ac bene-
ficiis obstrictissima, sed ex illis tam libe-
raliter concessis spem concipiens majorem impe-
trandi plura, unica, inquam, gratia quam pe-
timus, hæc est, ut cognoscere mihi liceat quid
peccaverim, ubi Propositiones hæreticas, schis-
maticas, seditiosas &c. tradiderim. Catholicus
tam Ecclesiæ Romanæ unitus, Majestati tuæ
fidelis subditus, vivere atque mori volo. Qui
autem potero, si non mihi detegant errores, ac me ha-
que inter illos debent damnari unique, gratiam, ut
dicunt ignorentes? Hanc eandem schismaticæ, quid
sane quid hæretica, quid pro me cum reli-
gionis scripserim, exorent pro me innumerabiles fere ex
quo operatus Patroni, innumerabiles Sancti; tum pro-
Hispanus in cælos translati Majestatis tuæ pro-
pro quasi jure suo Sanctus, idemque Regnis
genitor FERDINANDUS; copulam, Vi-
pacem firmam, Thoro sobolem felicitatem
in omni prosperitatem, & æternam quemadmodum cre-
Austria obtineat in cælis: quemadmodum Sanctos orat,
bus precibus uterque Deum ac ... xxiv. Julii
Antverpiæ in Belgio MDCXCVI.

MAJESTATIS TUÆ REGIÆ

Humillimus Vassallus atque Cliens
Daniel Papebrochius
Societatis Jesu Presbyter.

PRÆFATIO.

SI nostra de Actis Sanctorum grandia nu-
merosaque volumina tam facile possent ubi-
que haberi, & habita perlegi, quam Exhibitio er-
rorum, illis per Adm. R. P. Sebastianum a S.
Paulo impugnatorum, in exiguæ molis libro fa-
cile potuit ac potest quaquaversum spargi, &
certis ditis pariter atque ineruditis opportune im-
portuneque obtrudi, necessaria non foret ope-
rosior ad illam Responsio. Etenim pro sua in-
nocentia suis loquerentur ipsi libri, post tot
annorum approbationem publicam, post tot
hinc cœpti accusari universim, quatenus meo
nomine inscribuntur. Nam appareret manife-
ste. Errores ab Exhibitore productos, vel om-
nes vel plerosque, mere imaginarios esse, ac
fide parum sincera exsculptos ex verbis trunca-
tis alteratisque.

Sed talis tantaque operis vasti notitia cum
paucorum sit, eorumque dumtaxat, qui non
hinc inde aliquid (prout usu venit) obiter per-
currunt, verum toti studio historico dediti,
veri falsique discernendi principia in eo tenen-
da callent; ex diuturno nostro ad tot famo-
sos libros libelloque, ac ipsam etiam Exhibitio-
nem silentio, majora existimat in dies que exsistu-
ra videntur detrimenta, quam quibus mederi
possint nostri P. Conradi Janningi opuscula qua-
dam apologetica, primo Junii tomo præfixa eo
fine, ut Exhibitoris exigua fides & eruditio,
paucis in exemplis demonstrata, nos excularet
a cæteris refutandis. Visum est igitur, ad plu-
rium commodiorem instructionem, articulatim
procedendum esse una cum libro præsato, &
diluenda in ordine crimina singula, mihi ma-
le objecta.

Id dum facio successive per partes, invicem
sese intervallo modico secuturas, itaque vulgan-
das & legendas facilius, ac denique in unum li-
brum compilandas, non morabor Lectorem lon-
gis Præambulis, novam forsitan criminandi oc-
casionem præbituris; sed mox ingressus in ma-
teriam, Accusationes ipsis verbis Exhibitoris
proponam sigillatim, ac sigillatim refellam,
quanta potero sinceritate ac fide; nequaquam
dissimulaturus, sed edicturus dilucide meam de
punctis controversis sententiam, nec minori
promptitudine correcturus, si quid appareat ra-
tionabiliter argui emendationisque egere.

EXHIBITIONIS ERRORUM

ARTICULUS PRIMUS

Circa Historiam Vitæ Christi Domini.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Nihil pene in sacris Historiis tam est certum ac
firmum, quod Papebrochius contravertere ac
... non vereatur: unde etiam certissima
... in Ecclesia receptissima quædam puncta,
atq... Christi ... concernentia, criminum evadent
vit... ejus manus contra emmet, evadent
sala... ut jam tum omni submissione
... Sedis venia exhibitum.

RESPONSIO.

D... consulsti Rev. Pater, Nihil pene tam
... quod Papebrochius vereatur &c.
... alteram negationem addis, reli-
Dum eni... facis quod velles. Dum autem
gloriorem ... Collect.
Opusc...

accusationem instituis tam atrocem, & qui-
dem non tantum coram Sede Apostolica, sed
etiam, librum tuum vulgando, coram univer-
sa Ecclesia; opto ut promissæ submissioni jun-
gas sinceritatem & caritatem; juxta Juris Re-
gulam 5. Decret. lit. ESTOTE. Ea facta,
quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem
partem interpretentur; & memor sis ejus quod
habetur cap. QUI NON, & cap. CALUMNIA-
TOR. Qui non probaverit quod objecit, pœnam
quam intulerit ipse patiatur. Et, Calumniator,
si in accusatione defecerit, talionem ferat.

§. I.

ACCUSATIO.

Papebrochius contra sanctos Patres, & communem fidelium sensum, asserit dici posse, Christum non fuisse opere professum Evangelicam paupertatem, antequam cœpit eam verbo docere.

RESPONSIO.

IN Propylæo Maji, in Apparatu ad Chronol. Pontif. pag. 40. num. 51. ubi ostendo, Deiparam & Josephum, non mendica, quamvis nec opulenta fortuna fuisse, subjungo: *Itaque divino potius consilio, quam parentum paupertate natus in stabulo Christus, receptum mox aliqua in domo Bethlemitica reperit, ubi inveniretur a Magis: dicique potest, ipsummet Christum Evangelicam Paupertatem tum primum professum opere, quando eam cœpit docere verbo, & a vocatis ad suum Discipulatum exigere, ut venderent quæ haberent omnia, darentque pauperibus: quod consilium mox amplexa Deipara sit, oblatis ultro eleemosynis deinceps victura cum Filio.*

2 Quid per Evangelicam Paupertatem hic intelligam, satis explico, dum addo: *ut quis vendat omnia, quæ habet, & det pauperibus, ac deinceps vivat eleemosynis.* An hoc Christus diu fecerit antequam docuerit, non vidi hactenus a sanctis Patribus definitum. Neque ago de infantia Christi, seu tam tenera ætate, in qua pueri nihil solent habere proprium; & licet hanc suam Dominii negationem tunc Christus amaverit, cum tamen in hoc exterius se habuerit aliorum instar parvulorum, non videtur id proprie dici Evangelicam paupertatem opere profiteri.

3 De adulta ætate mihi sermo est: de hac autem audire juvat religiosissimum pariter ac doctissimum scriptorem Franciscum Suarez in 3. part. Tomo 2. quæst. 40. disp. 28. sect. 2. *Verisimilius*, inquit, *mihi est in aliqua etiam parte illius temporis, habuisse CHRISTUM DOMINIUM ALIQUARUM RERUM, PROPRIUM ET IN PARTICULARI. Hoc probatur. Quia non statim ac baptizatus fuit, habuit discipulos quibuscum in communi viveret, ut ets statim essent omnia communia; sed aliquo tempore, saltem brevi, solus degebat: & quando cœpit habere Sectatores, non statim habuit illos stabiles & perfectionem profitentes. Unde legimus, semel atque iterum Apostolos vocasse; quia non statim principio cum eo permanserunt, nec effecerunt unum veluti corpus politicum, quod esset capax Dominii communis: ergo necesse erat, ut eo tempore eorum, quæ Christus possidebat, & ad victum & vestitum ei donabantur,* PROPRIUM AC PECULIARE HABERET DOMINIUM, *ut eisdem rationibus ostendi potest. Quia* TUNC HABEBAT LIBERUM USUM ILLARUM RERUM; *nec potest fingi apud quem alium earum Dominium resideret. Propterea hoc nihil perfectioni derogat; quia pro temporis & status opportunitate non poterat esse alia conveniens vivendi ratio. Denique hoc ipsum insinuat Joannes Vigesimus secundus dicens, cum hoc non sit per se malum, etiam decuisse, ut in hoc genere Paupertatis & moderati Dominii, Christus esset hominibus exemplo. Cum enim Christus esset commune omnium exemplar, & doctor, decuit, ut omnibus præberet exemplum, & iis qui perfectam, & iis qui minus rigidam Paupertatem profiterentur.* Hæc de ætate Christi, prædicationem Evangelicæ paupertatis immediate præcedenti.

4 Diceine, R. Pater, hæc quidem de eo tempore non carere probabilitate; sed Christum antea opere professum Paupertatem perfectiorem? Ergone Christus, dum juxta Evangelium proficiebat sapientia & ætate, apud Deum & homines, defecit in perfectione Paupertatis? Responsum hic simul habes ad id, quod objicis de Paupertate Scholasticorum Societatis: *Cum*, inquis, *Societatis Scholares, non obstante omnium bonorum suorum Dominio, quod in particulari retinent, prætendant equidem opere profiteri Evangelicam paupertatem; licet aliunde ipsis quoad victum & amictum bene sit provisum; quo igitur fundamento Papebrochius negare potest, Christum Dominum, a primo suæ nativitatis momento & deinceps, opere professum fuisse Evangelicam Paupertatem, cum ab incunabulis vitam duxerit pauperrimam?*

5 Scholarium in Societate Paupertas in hoc consistit, quod, licet rerum suarum Dominium tantisper retineant, nullius tamen rei usum liberum habeant: atque ad ipsum Dominium a se abdicandum, quando Superioribus visum fuerit, parati esse debeant. Hæc Paupertas, ut est a sancta Sede definitum, vere religiosa est, adeoque Evangelica; non tamen adeo perfecta, quam Professorum, qui nullius rei in particulari Dominium habent: de qua sola Paupertate agebam, ut ex meis verbis, sed nescio an fide satis bona a te prætermissis, manifestum est: *Ut venderent*, inquiebam, *quæ haberent omnia darentque pauperibus: quod consilium mox amplexa Deipara sit oblatis ultro eleemosynis deinceps victura cum Filio.*

6 Supponamus tamen, quod ne istam quidem agnoverim in Christo Paupertatem, antequam eam cœpit docere; sed putaverim, nullum in eo fore inconveniens, si diceretur, quod Christus rerum aliquarum mobilium, sive quas operando, sive quas rogando, aut alio modo licito accepisset, Dominium habuerit, imo & usum liberum, seu independentem ab alterius voluntate; quid in eo *sanctis Patribus & communi fidelium sensui* contrarium? Quotquot sancti Patres a te citantur, quotquot ab *Aurifodinæ* compilatore, ad quam me remittis, aliud non dicunt, quam Christum in ortu, in vita, & in morte pauperem fuisse, & amasse paupertatem, cum potuisset esse ditissimus. Etiamsi autem Patres dicerent, Christum tota vita sua mendicasse, nec nisi ex eleemosynis vixisse, atque hanc vitam Christum in ipso exordio seu conceptione non elegisse tantum, sed etiam vovisse, non sequeretur, quod Christus Paupertatem Evangelicam semper opere professus sit, sive quod earum rerum, quas mendicando acceperat, non haberet Dominium & usum liberum.

7 Quod Patern. vestra interseris de Societatis Scholaribus, quasi *ipsis quo ad victum & amictum bene sit provisum*, ad rem non pertinet; nam plurimis professis, etiam vestris, non minus bene quam Societatis Scholaribus *de victu & amictu provisum est*.

8 Pa-

8 Paragraphum concludis, postulando juda- cium Sanctæ Sedis, an & quantum differat Pa- pebrochius a Wikleffistis, Erasmo, aliisque Se- ctariis, Christi paupertatem impugnantibus. Ne- autem perquirere nobis necesse sit, an & quo- modo paupertatem Christi illi impugnaverint, remittis nos ad Thomam Waldensem Carme- litanæ familiæ scriptorem, & ad Petrum Cani- sium Societatis. Citas itaque Waldensem, de Wickleffistis dicentem: Possent, si jam credo- lius crederent, conspicere Jesum nostrum in præ- sepi mendicum. Et: quid ergo in genere usum, quod mendicasse? Christum Christum actualiter mendicare mendicasse fore.

9 Reverende Pater, neque Evangelicam pauperta- tem nego: neque dicit Evangelium enim non de- esse totum id, quod dicit; Mendicus enim liberum eo- rum professio actualis; Mendicum & usum, quod domi- nium habere Dominium accepit, non consistit fuit, quæ mendicando conjunctum in rigore intelle- ctu, quæ cum eo libero Paupertate, perquam ma- nifeste Evangelica Paupertate, in telligi, ut Catholici fi- dem, prout hic a me etiam intelligi, quod Christus infans est. Sed an credere, præter formam, mus, necesse est nos in exteriori similis apparere voluit infantulus (qui in exteriori hoc usum rationis in & illius status miseriis) circa hoc, ut actu formaliter ceteris infantibus) voluerit, ut cæteros præteream, præsepi ostendere voluerit, & mendicitatem religio- mendicaret? Certo, Lutherum, aliosque al- acerrimos paupertatis, Lutherum Ordinis FF. Mino- fa contra Wickleffum, Castro Ordinis, verbo Mendici- fertor, Alfonsus a Castro hæreses, verbo Mendici- rum, lib. 2. adversus hæreses, de ipso Christo non tatus, sic scribit: Quamvis de ipso aliquando fle legatur, aut credatur, quod ipse aliquando mendicaverit; quia mulieres aliquæ probæ, quæ illius doctrinam audiebant, & suscipiebant, illi de facultatibus suis, curam illius mendicitatem, ministrabant; non tamen inde sequitur, mendici- tatem non esse licitam ad vitæ sustentationem.

10 Videamus modo quid objiciatur ex Ca- nisio. Illi, inquit, (nempe Erasmo) non placet tot sæculis piorum opinio de singulari & eximia Virginis ac Christi pueri paupertate: &, Theo- logum certe hoc Erasmus se præstare debebat, ut idcirco non casu sed divino consilio adscribere, quod Messias vere pauper, & in laboribus a juventute sua, sicut prædictum fuerat, mortali- bus voluerit apparere. Respondeo, me admit- tere quidquid hic de Christo adstruit Canisius: nempe Christum, ab ipsis incunabulis non tan- tum paupertatem expertum, sed etiam arden- tissimo affectu complexum: quod procul dubio singulare in Pauere est ac eximium: neque pau- pertatem hanc & laborem Christi a juventute ascribo casui, sed divino consilio, ut vidisti. In hoc igitur error hæreticorum situs est, quod dicerent, Christum non tantum non mendicasse, sed nec approbasse mendicitatem, nec permisisse iis, qui laborando aut aliter sibi possint comparare: unde inter Wi- cleffi articulos, in Concilio Constantiensi dam- natos est hic 23. Fratres religiosi manuum la- bore victum comparare tenentur, & non per mendicitatem: & hic 19. Ille, qui Fratribus religiosis eleemosynam confert, eo facto excom- municatus est. Similiter Lutherus apud a Ca- stro loc. cit. docet, mendicitatem esse ex lege prohibitam. Erasmus autem, uti religiosis men- dicantibus infensissimus, & Lutheri in multis Op... sent. Collect.

defensor, mendicitatem Religiosorum invidio- sissime traducebat, ita ut apud multos audierit Lutheranus, licet paululum reformatus, uti inter Sectarios a Patern. vestra numeratur.

11 Fateor equidem, R. Pater, si Christum asseras, in ipso præsepi & deinceps tota vita actualiter mendicasse, & Evangelicam pauper- tatem semper opere professum, adeoque nullius rei proprietatem in particulari simul & libe- rum usum habuisse; fateor, inquam, sic a Wi- cleffi, Lutheri, & Erasmi opinionibus hac in parte videri potes paulo quam ego remotior: sed an hoc ipso magis accedas ad veritatem, non satis liquet. Nam quandoque, nimium re- cedendo ab uno extremo falso, inciditur in aliud etiam falsum. E. G. Libertatem nimiam naturæ humanæ in hoc statu, post Adami pec- catum, attribuit Pelagius; ab hoc quam lon- gissime recedentes Calvinus, & Lutherus, om- nem libertatem ad bene vel male agendum eri- piunt: an igitur hi censendi sunt propius ac- cedere ad veritatem, eo ipso quod longius a Pelagio recedant, quam Ecclesia Romana, li- bertatem admittens, sed debilitatam, & ad bo- num salutiferam prorsus indigentem gratiæ ad- jutorio? Possuntne eorum sequaces merito ex- probare Patribus Tridentinis, & gloriari, quod Patres illi non tam remoti in hac parte sint a Pelagio, quam Lutherus & Calvinus? Hoc igitur mihi sufficiat, quod tantum ab hæreticis distem, quantum veritatis amans Catholicus: neque tam longe & cæce ab errore uno diffu- giam, ut in alium me præcipitem.

13 Frustra etiam vociferaris adversari me sanctis Patribus, qui ne unum quidem hactenus mihi adversantem protulisti, neque proferes, qui dicat, Christum ea ætate, qua solent ho- mines habere aliquarum rerum proprietatem in particulari, & liberum earum usum, eo prorsus caruisse antequam cœpit prædicare: neque id asserunt communiter fideles; sed tantummodo quod Christus pauperem semper vitam duxerit, in laboribus a juventute sua paupertatem amaverit præ divitiis &c. Quæ, uti jam ostensum est, sententiæ meæ minime repugnant.

§. II.

ACCUSATIO.

Papebrochius, contra communem Ecclesiæ sensum, cum Natale Alexandro ab Ecclesia damnato, sensisse Christum vixisse 37. annis.

RESPONSIO.

14 Neque id sustineo, R. Pater, neque su- stinui unquam. Accusationem probas his verbis: *Papebrochius, parum curans commu- nem Ecclesiæ sensum, sanctorum Patrum authori- tatem, ac Pessimi monitionem, sequitur notam Natalis Alexandri ab Ecclesia damnato opinio- nem; eique Epistola prima loco citato immediate ante Epistolam secundam, applaudit dicens:* „ Non „ potui non favere prædicto Alexandro, con- „ tra communem sententiam sustinanti, citius „ natum esse Christum, adeoque diutius vixisse „ inter mortales quam annis 34. *juxta Alexan-* „ *drum autem* Christus mortuus est anno „ ætatis suæ 37. inchoato, ut dictum est.

15 Mul-

15 Multi, locum hunc in libro vestro legentes, existimarunt, me non tantum dixisse, quod aliquando *faverim* prædicto Alexandro, sustinenti vitam Christi longiorem annis 33. sed etiam (ut ostenderem quantum ætatem illam superaverit) mox subjunxisse: *Christus mortuus est anno ætatis 37. inchoato.* Sunt enim verba hic eodem, quo mea, expresse charactere, & serie pene continua. Nosti autem R. Pater, ea non a me, sed a te addita esse, ut nempe persuaderes, me cum *Natale Alexandro ab Ecclesia damnato sustinere, Christum vixisse 37. annis.*

16 Aliud est igitur *favere* alicui, sustinenti, Christum vixisse plus quam 33. annis, aut etiam vixisse (si ita vis) annis 37. aliud, id ipsum per se *sustinere* atque docere. Primum fecisse me aliquando, fassus sum loco citato; secundum feci numquam. Si autem ex me quæras, quantum igitur vitæ Christi tribuerim ultra annos 33. Respondeo, non nisi tres menses. Hoc ne hodie primum a me excogitatum quis autumet, adeat ipsum, quem accusas, Tomum, & in eo Apparatum ad Chronologiam Pontif. pag. 25. id est novem paginis post locum a te accusatum. Ibi a me ad Posinum scripta invenies, quæ sequuntur.

17 *Videor posse, saltem ut probabilem, sustinere sententiam pridem mihi placitam, secundum quam in meis ad Ephemerides Græcomoscas observationibus statui, nati in terris Christi anniversarium diem ipsum esse, quo eumdem Bethleemi adoraverunt Magi, duce stella jam inde a mensibus viginti, & uno, aut etiam tribus, videri ipsis in Oriente cœpta; secundum quod tempus ab iisdem Magis intellectum, occidi Herodes infantes jusserit a bimatu & infra, ipso peracte cædi vix totis tribus mensibus superstes; juxta quem calculum baptismus Christi contigerit anno ætatis ejus xxx. expleto, mors vero ætatis ejusdem xxxiv. per tres menses inchoato.* Eamdem postea sententiam, non ut probabilem jam tantum, sed ut *visum nobis hactenus verisimiliorem*, declaravi, & multis stabilivi Epistola 3. consultatoria ad Schelstratum, in Paralipom. pag. 149. Hoccine est sustinere, quod Christus vixerit annis 37?

18 Adeo autem non applaudo Natali Alexandro, hanc sententiam propugnanti, ut in eodem, quem insectaris, Tomo Conatus Chronico-Historici pag. 7. num. 3. de eo dicam: *Videns hinc sese constrictum teneri ne ante annum vulgaris æræ 33. Christum mortuum fateretur; inde ne Herodem statueret obiisse nisi anno ante æram vulgarem quarto, novam & nemini auditam hactenus sententiam adduxit in medium, ut Christum diceret obiisse anno ætatis suæ 37. inchoato.* Eamdem sententiam in jam citatis Paralipomenis ad Conatum, pag. 19. & 20. voco *Paradoxon*. In notis vero marginalibus, quas addidi ad epistolam 2. Possini, dico ab eo *ostendi, Canonem Neo-Cæsareensem, sensumque totius Ecclesiæ, tali sententiæ adversari*: atque hæc dico ea pagina, quæ immediate sequitur eam, unde criminationis ansam desumpsisti.

19 Superest scrupulus de tribus mensibus, quos triginta tribus annis adjiciebam. *Certum enim*, inquis, *& indubitatum in Ecclesia hactenus fuit, Christum Dominum vixisse dumtaxat 33. annis. Ita sancti Patres.* Si per exclusivam particulam *dumtaxat*, exclusos volueris plures non modo annos, sed etiam menses, ea hoc *certum & indubitatum in Ecclesia hactenus fuerit*, libenter intelligam, seu sanctæ Sedis, seu quorumvis eruditorum judicio. Testes mox audiemus aliquot, nec leves. Quid si concedat quispiam, Christum proprie non annos 33. sed 32. vixisse, sentietne contra id, quod ais, *hactenus fuisse in Ecclesia certum & indubitatum?* Ita quidem videtur; nam qui asserit annos *dumtaxat* 33. nec plures agnoscit, nec censetur agnoscere pauciores. Hujus autem tam *indubitatæ certitudinis* testes quidem appelles *sanctos Patres*, sed nullum determinando nisi S. Epiphanium hæresi 51. num. 23.

20 Quis *hæresim* citari audiens, non verea-tur, ne sententia, plures vel pauciores annos quam 33. numerans, ab Epiphanio collocetur inter hæreses? Sed tantum agit contra Gnosticos, unicum Prædicationis Christi annum, contra clarissimam Scripturam, agnoscentes. Imo potius manifestum est, S. Epiphanium, ipso loco, quem citas, non nisi 32. annos & præterea 74. dies Christo tribuisse. *Compertum est*, inquit, *anno 33. suæ in carne præsentiæ passum Unigenitum.* Ibid. num. 27. *Triginta duos annos integros ac dies præterea septuaginta quatuor ab Epiphaniis impletos*: diem autem *Epiphaniorum* statuit eumdem quem Nativitatis. Atqui in vulgari sermone non dicetur, proprie & in rigore, vixisse annos triginta tres, qui mense tertio post annum trigesimum secundum mortuus est; sed magis obvie dicetur vixisse annos 33. Ergo unicus, quem pro te profers, S. Epiphanius, magis proprie & in rigore, censet, Christum non vixisse annos 33. pro quibus tamen eum citas, & solum.

21 Dicesne, cum Cardinali Baronio ad annum Christi 34. *plane constare, ipsum S. Epiphanium in mendaces fastos incidisse?* Sic unicum, quem protulisti, Patronum tuum destrueres. Sed & *sunt plerique alii*, inquit ibid. Baronius, *qui dixerunt Dominum nostrum passum anno 33. suæ ætatis, per tres menses inchoato, sed cum eo potissimum innitantur fundamento, quod Dominus fuerit baptizatus ipso trigesimi anni exordio, cum in hoc errent, in cæteris quoque deducendis annis errare non mirum est.*

22 Citat deinde Baronius pro se S. Ignatium Martyrem ex Epistola ad Trallianos, post cujus verba sic concludit: *quibus plane significatur Christum passum esse annos natum triginta quatuor. Itaque Ignatius, proximus ætati Christi, ima qui eadem vixit ætate, qui & Christum post Resurrectionem se vidisse in carne testatur ..... nostræ sententiæ non tantum assertor, sed & auctor habetur, quo dicitur Christus affectus supplicio Crucis, anno trigesimo tertio ac mense tertio suæ ætatis.* Confidentius Beda eidem sententiæ suffragatus est, de Ratione temp. cap. 45. his verbis; *Habet, ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulo plus quam triginta tres annos, usque ad sua tempora passionis, vixisse.*

23 Contra testatur Paulus Middelburgensis, apud Petavium in animadversionibus ad hæresim Alogorum se neminem reperisse, qui quadraret, seu consentiret Bedæ. Atque ipse, in Chronologia & antiquitate versatissimus Petavius: *Quod Ecclesia*, inquit, *auctoritate, qui cum Beda sententiam illam adstruunt, uti se profitentur, velim Concilii alicujus Decretum*,

hoc

hoc est communem Ecclesiae verbum illa quae antiquo- plerer antiquos post Tertullianum recenset Car-
rum certe Patrum consensum in ... omnino per- dinalis Baronius ad annum Christi 34. et que-
fessionem proferant: quod nequaquam ... quamopere scriptores (ut ait, non ignobiles) sed illustri-
fuerunt. Nec enim ignorare possumus, anno Passio- simos in Ecclesia Dei? nimirum Julium Africa-
a se recensitos Patres omnes, cum in Irenaeus Aposto- num, Lactantium, Hieronymum, Augustinum,
ais, non in die ipso diffidenti. quadragesimum Severum, Clementem Alexandrinum. Sed quan-
lorum propemodum aequales, inter passum esse tumcumque magna fuerit, & passim ab aucto-
& quinquagesimum anno aetatis fuae Evangelio, ribus referatur antiquorum Ecclesiae scriptorum
Salvatorem asserit; idque se & ex quod, in numerandis Christi annis dissensio, [1] Pe-
& a Joanne Evangelista discipulus teris vestra omnes ab Ecclesia excludit, qui vel
Magistro acceperant, didicisse ostendit. minimum dubitarint, an Christus dumtaxat 33.
24 Sententia haec apud Irenaeum legitur lib. annos vixerit; id enim, inquis, in Ecclesia ha-
2. contra haereses cap. 39. his verbis: Triginta betur certum fuit & indubitatum. Contra me
annorum aetas prima indolis est juvenis, & ex- denique sic concludis: An autem in hoc adver-
tenditur usque ad quadragesimum annum, declinat jam fari communi Ecclesiae consuetudini, insolen-
a quadragesimo, aut quinquagesimo anno, docebat Chri- tissima non sit insania, prout asseris Augustinus
stus, quam habens Seniores testan- epist. 118. & juxta Scotum, an non sit valde
tur, qui in Asia apud Joannem ... discipulorum Do- periculosum, cum asseras in 2. dist. 11. q. 1. in
mini convenerunt, id ipsum tradidisse eis Joan- fine; „ periculosum est errare circa illa, quae
nem .... Quidam autem ipsorum non solum Joannem, „ non tantum ab Apostolis praescripta, sed
sed & alios Apostolos viderunt, & haec ab eis „ etiam quae per consuetudinem universalis Ec-
audierunt, & testantur de hujusmodi relatione. „ clesiae tenenda sunt, judicet S. Sedes ...
Et cap. 40. Quinquaginta annos nondum habes 27 Neque tamen conqueri possum de acer-
& Abraham vidisti? hoc dicitur ei, qui jam bitate & injuria, sic enim praefaris post Prae-
quadraginta annos excessit, quinquaginta autem ambulum 5. in Protestatione generali: Si hinc
nondum attigit, non tamen multo a quinquage- inde Papebrochius nimis acriter & duriter corripi
simo abstitit. & redargui videatur, dum erroris, falsitatis,
25 Contra eos, qui haec Irenaei disputationi ac imposturae passim arguitur, non habet quod
ab alio inserta fuisse putant, sic insurgit Peta- inde conqueratur, cum illorum plerumque evi-
vius in animadversionibus contra Haereses Alo- denter convincatur. Ac paulo ante: Protestor ta-
gorum. Tantum abest, inquit, ut haec Irenaei men me abstinere velle & praescindere ab omni
propria non sint, ut alioqui, quam si ea scrip- censura, contentus demonstrare, quod Papebro-
serit, ac scriberet, illius procedere disputatio nul- chius non minus irreverenter, insolenter & con-
lo modo potuerit. Quod pluribus illic astitur temptim dicta Ecclesiae monumenta (receptas Ec-
ostendere: utrum tenue an secus, mea hic non in- clesiae Historias, traditiones, aliaque) Sedis
terest, qui nullam in particulari sententiam Apostolicae auctoritate communita, repudiet, quam
firmandam modo suscipio, sed tantum proban- haeretici. Modum, Rev. Pater, hic sane com-
dum, quod non adeo Certum & indubitatum modum doces effutiendi quidlibet, & quidem
habitum in Ecclesia fuerit, Christum dumtaxat sine censura. Atqui ego Patern. vestram de ac-
triginta tribus annis, id est, neque plus neque cusationibus iniquis evidenter convinco. Quid si
minus, inter mortales vixisse. igitur in eam vibrem quidquid sancti Patres
26 Postquam Petavius loco citato variorum & Legislatores de calumniatoribus pronuntia-
Patrum longe diversas sententias retulit. Lon- runt? Sufficiat nobis, quem objicis, Augusti-
gum est, inquit, enumerare caeteros, qui 31. nus, Operis perf. l. 5. c. 36. Sicut falsa sunt
vel 32. aut ad summum triginta tres vitae an- crimina, quae objicitis, ita falsa sunt dogmata,
nos Christo arrogant. Pro triginta annis com- quae fingitis nobis. Sed dicite quantum potestis,
omne malum adversum nos mentientes ..... Quid
apud

[1] Audiendus hic est Emin. Prosper Lambertinus, nunc Benedictus XIV. in adnotationibus fu-
festis diebus Par. 1. n. 319. Se fosse nostra intenzione di trattare dell' anno, in cui Cristo fu crocefis-
so, e fin dell' anno del secolo, e dell' anno della di lui età, entreremmo in una controversia superiore alle
nostre forze, e che richiederebbe un ben grosso volume. Il Card. Baronio nell' anno 34. al. n. 132. e se-
guenti è di sentimento, che Gesù Cristo morisse nell' anno trentesimo terzo, e nel mese terzo di sua età,
e nell' anno decimo ottavo dell' Imperio di Tiberio. Il P. Gravesón de Mysteriis & annis Christi alla pag.
305 vuole che Cristo morisse nel principio del suo anno trentesimo terzo, e nell' anno decimo nono dell'
Imperio Proconsolare di Tiberio. Il Calmet sopra il Capo VIII. di S. Giovanni al v. 57. pone la morte
di Cristo sul mezzo del trentesimo sesto anno della sua età [quin etiam pectissimos, inquit, hac in re
Chronologus sequimur.] Il P. Natale Alexandro nella Dissert. 3. del secolo I. alla Propos. 2. vuole,
che morisse incominciato l' anno trentesimo settimo della sua età, e nell' anno decimonono dell' Imperio di
Tiberio. Il P. Onorato di S. Maria nelle Riflessioni sopra le regole e l' uso della Critica al lib. 3. Dissert.
1. dice esser costante tradizione, che il Salvatore avesse intorno a trent' anni, quando morì, e che dagli altri si dice, ed
nell' anno decimoquinto, dell' Imperio di Tiberio. Basterà l' aver riferito ciò, che morì
... Gesù Cristo morisse nell' anno trentesimo terzo della sua età e incominciato, e finito, e così ac-
ne, che ... di tre mesi, come disse il Card. Baronio, in ordine alla quale possono vedersi il Riccioli nel tom.
crescimento di Tiberio, aderiremo a questa sentenza, il Sig. Card. Gotti nello 2. Par. del tomo 4. della verità
Imperio ... riformata al lib. 8. c. 7. Il ad haec diceret P. Sebastianus a S. Paulo? De tota hac
1. della ... Cristiana al t. 30. §. 2. Quid Romae Dissertationes amicus meus, idemque doctissimus
della Re... nuper Professor Petrus Lazzari; sed foedatas, truncatas, ac
controv... praeclaras editurus erat historiae Ecclesiasticae mihi ipse insigni fraude atque impudentia cujusdam ado-
in Roma ... collegio suas prodiisse conquestus est in lucem. Cum tamen illas etsi turpiter adeo deformatas eru-
plane no... qui illas suo nomine emittit dignasque vitas, quae non sine laudibus in literariis Florentinis Ephe-
lescentis, ... lacuisse compertum, judicet aequus lector, quales verus auctor nobis eas dedisset.
ditis viris ... nunciarentur,
meridibus

opus est, vovit reddere similia maledicta, & non potius Evangelio, credere, atque gaudere, quod ex istis falsissimis maledictis vestris nobis merces augeatur in cœlis? Quod ego talibus *passim* non utar *censuris, censurando summorum Pontificum Bullas, Breviaria* &c. neque de *impostura* & cæteris objectis mihi criminibus *convincar*, patebit ex totius operis decursu.

28 Nunc de duabus, quas mihi intorquet, S. Augustini & Scoti sententiis aliquid dicendum. Pace tua, Rev. P. Professor, quærere mihi liceat, legistine locum Augustini in ipso fonte, aut eum bona fide descripsisti? Non existimo. Verba Augustini sunt: *Ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si Divinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus ut legimus .... similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, nam & hinc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Vestra autem Paternitas, pro, *quod tota per orbem frequentat Ecclesia*, ponit, *communem Ecclesiæ consuetudinem*, & quidem iis characteribus, qui indicant esse ipsa verba Augustini. Neque de materiali tantum verborum corruptione te reum ago; sed vel maxime de formali, & quæ ad mores pertineat. In primis Lectorem moneo, non agi ab Augustino de quæstione mere speculativa, ut est nostra; sed de maxime practica; an aliquid, & in quibus circumstantiis agendum sit. Præcipua fraus est in *communi*, posito pro *tota*.

29 Quis neget *insolentissimam esse insaniam* velle agere contra *totius* Ecclesiæ praxim; quamvis non sit semper *insolentissima insania*, agere contra praxim Ecclesiæ *communem*? Sic nemini licet Sacrum celebrare contra consuetudinem *totius* per orbem Ecclesiæ; multis licet contra consuetudinem *communem*. Ita sanctissimo Ordini Patrum Carmelitarum, E. G. licet alio uti Missali, & aliis hinc inde ritibus, quam utatur Ecclesia *communiter*. Nemini licet vesci carnibus contra *totius* Ecclesiæ consuetudinem; licet Belgis, contra *communem* Ecclesiæ consuetudinem, diebus Sabbathi post Christi Nativitatem usque ad Purificationem Virginis. Centena ejusmodi exempla in promptu sunt.

30 Et quoniam vobis placuit ea, quæ de practicis ab Augustino dicuntur, transferre ad mere speculativa, ac nusquam definita aut revelata; supponamus semper esse insolentissimam insaniam, etiam in illis sentire & loqui contra sensum *totius* Ecclesiæ; idcone insolentissima semper est insania sentire & loqui contra *communem*? Pythagoram, Philosophum fuisse profanum, imo Ethnicum, *communis* (ni fallor) fuit sensus hactenus, & est etiamnum; idcone insolentissime insani dicendi sunt Carmelitæ illi, qui in Comitiis Provincialibus Provinciæ Tolosanæ Biterris, anno 1680. mense Aprili, triduo sustinuerunt, & typis ediderunt hanc inter cæteras Thesim V. *Valde probabile est, Pythagoram Philosophum etiam fuisse Carmelitam.* Ejusmodi assertionibus contra *communem* sensum Theses illæ refertæ sunt.

31 Non magis me ferit Scoti, quam Augustini sententia. Scotus enim loco citato tantum dicit, *periculosum esset errare circa illa, quæ non tantum ab Apostolis descendunt per scripta: sed etiam, quæ per consuetudinem universalis Ecclesiæ, tenenda sunt;* unde: Aliquid contra me inferas, subsumere debes; Atqui *Papebrochius errat circa ea, quæ per consuetudinem Universalis Ecclesiæ tenenda sunt.* Verum, R. P. Professor, negabo subsumptum. Nam neque errare me probas, neque universalis Ecclesiæ consuetudinem mihi adversari, neque contrarium tenendum præscribere.

32 Concedamus tibi verum esse, *favisse me* sententiæ Natalis Alexandri de Christo inter mortales versato, non tantum ultra annos 33. sed etiam usque ad annum ætatis 37. mensibus aliquot inchoatum. *Favere* alicui sententiæ, non semper eam in rigore *sustinere* est; sæpe inchoatam aliquam propensionem significat: contingit autem aliquando, ut, propter rationes in speciem plausibiles, quis in sententiam nonnihil propendeat, quam tamen absolute sustinere nolit, propter nimiam forte illi adversantem auctoritatem. Quod nullam hic opinionem *sustinere* voluerim, patet ex iis, quæ loco accusato mox subjunxi: *Placuit igitur super hac nova de Christi vita ultra annum 33. opinione, ejusdem Possini sententiam exquirere:* & aliquot paginis post in *Epistola* mea *consultatoria* ad Possinum hæc legere est: *Qua de re obsecro, ut, velut discipulum consultabundum cum Magistro, rerum aliquantisper discurrentem audias.* Ibidem in fine: *Hæc habui, pater optime, quæ curis tuis eruditissimis reponerem; non sane, quid ipse acta fuerit, quam quid potuisset fuisse, explicans: neque Chronologiam, recte constitutam a te, mutatam cupiens; sed duntaxat consultans, neque interrogans utrum* Ἀκολουθία *Evangelica non possint commodius obtineri, intelligenda Lucam de anno trigesimo ante tredecim dies necdum completo, quam solum per dies totidem inchoato.* Hic ego timide & fluctuans tanquam discipulus Magistrum consulo, an vitæ Christi ultra annum 33. non liceat addere tres menses. Accusator autem meus audet asserere, quod paucis paginis ante *sustineam*, Christum vixisse annis 37. Cur igitur, R. Pater, numquam numerum hunc a me expressum exhibes? Putasne quod exprimere eum non potuissem, si voluissem *sustinere*?

33 Denique, ut criminationem tuam de manifesta iniquitate undequaque convincam; supponamus etiam quod loco a te citato positive sustinuissem, Christum vixisse, non modo annos 33. & menses tres, sed etiam usque ad 37. inchoatum; saltem ignorare non poteras, me paulo post scripsisse oppositum, quoties totam Christi vitam conclusi *annis 33. & tribus mensibus*; & quidem adhuc dubitans, an tantum temporis Christo tribui posset. Si igitur librum meum accusare salva æquitate voluisses, dicere non poteras; *Papebrochius sustinet Christum vixisse 37. annis:* sed dicere ut summum poteras; *Sustinuit aliquando; postea tamen, & quidem in eodem libro sæpe, retractavit.* Auctorem enim de quadam opinione præterita, tamquam si præsens esset, accusare, ejusque claram & sæpius inculcatam retractationem celare, nemo dicet officium esse accusatoris probi.

34 Hæc ut clarius perspicias, revoca in memoriam S. Augustinum Manichæorum hæresi aliquando fuisse infectum, & post conversionem a Manichæismo incidisse in errorem Semipelagianorum, cum putaret initium fidei esse

ex

ex nobis. Quid tibi videtur, Pater? si quis Augustinum, dein Episcopum, & post errorem, scriptis publicis sæpe retractatum, aggressus fuisset, atque in Concilio Episcoporum, vel coram summo Christi Vicario, retractationem Augustini callide reticendo, cum accusasset, dicens: p. 146. Sustinet Augustinus, initium fidei esse ex nobis: quod nomen tribuisses ejusmodi accusationi? Denuntiationisne Christianæ & religiosæ, an criminationis putidæ & infidelis? Hæc ergo perpende, R. Pater, & accusationis tuæ, qualis sit, judex ipsemet esto. Obscura quoque & fallax accusatio est, dum me clamitas consentire Natali Alexandro, ab Ecclesia damnato, quasi damnatus fuisset ab Ecclesia priusquam a me citaretur: quod tam a veritate alienum est, quam quod ei, in assignanda Christo ætate annorum 37. consentiam aut consenserim unquam, multo minus sententiam hanc modo sustineo.

§. III.

ACCUSATIO.

Papebrochius cum Hæreticis impugnat imagines Christi Domini, ac SS. Matris ejus Mariæ, a S. Luca Evangelista pictas.

RESPONSIO.

35 Quis, hæc audiens, non existimet, esse me de genere Iconoclastarum, imagines velut idola templis eliminantium atque comminuentium? Tota autem tam enormis accusationis ratio in hoc sita est, quod tomo I. Maji in Ephemeridibus pag. 46. dixerim: *Lucas Evangelista, Medicus fuisse scitur ex Paulo: Pictorem quoque eum facit pia fidelium credulitas, innixa variis Christi ac Deiparæ imaginibus, quæ Romæ & alibi venerationem habent, velut ab illius manu essent.* Quæ sequuntur autem hæc: Adversarius prætermittit: sequuntur autem hæc: *Fuerit operæ pretium legere quæ in hanc rem scripsit Abbas Paulus de Angelis, in descriptione Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe lib. 12. cap. 1. & 3. agens tamen illa examine aliquo, quod non est hujus loci.*

36 Forte verebatur Accusator, ne, si locum integrum reddidisset, non tam facile Lectori persuadere posset, quod imagines illas impugnem; quando, ad confirmandam earum legitimam a S. Lucæ originem, viderer me adducere Abbatem Paulum de Angelis, quo nemo magis in istarum imaginum commendationem scripsit, quæ erudito Lectori laudo tanquam digna lectu, licet quædam in iis esse censeam, quæ egeant examine aliquo. Maluit Accusator cæteris omissis solum dicere, quod juxta me, *quæ de illis scribit Paulus de Angelis, egeant examine.* Mitius dico, egere examine aliquo. Quamvis enim in optima cujusque historici narratione principale verum sit, subinde tamen erratur in aliqua circumstantia; & inter probationes multas non omnes æque certæ sunt; subinde adfertur quidpiam pro confirmatione, quod ipsi assertioni minus firmum sit, & egeat examine aliquo: hoc autem non facit, quo minus assertioni, propter alia rationis vel auctoritatis momenta, præbeatur assensus. Et quidem in casu præsenti, licet, propter communissimum fidelium consensum & receptissimam jam a multis sæculis quodammodo traditionem, agnoscamus imaginum [1] quarumdam a S. Luca originem; an tamen etiam id, quod in Paulo Abbate jam allato dicitur, quod S. Leo Papa primus, cum pag. 145. ... *obtinuisset, ut libidinis ignem propriam* ... *per hanc Virginem, (sive, per hanc imaginem,* ut titulus habet) *recuperavit?* ... (ipsomet Paulo fatente) *Baronio dubium videtur*, nec valet credere, licet a S. Antonino ... relatum.

37 Sed video, R. Pater, præcipuum offensionis lapidem esse, quod communem fidelium de imaginibus istis consensum *credulitatem*: sic enim appellationem vocarim *piam credulitatem* ... Vox credulitas, juxta interpretationem illam Calepini, error magis, quam culpa est. Et, credulus dicitur, qui temere credit ... Papebrochius, non in alio capite S. Lucam ... *meminerim fuisse pictorem* ... adeoque confitetur ... Christi fideles temere id credant, quam ex eo quod ... di addidi, sed omnia nixa uno. Plura ejusmodi ... dixisses interpretationem esse Calepino. Verum Ciceronem, a Calepino citati, Planci apud ... credulitatem aliter non definit. Calepinus vero ea pronuntiat, quam esse *facilitatem*, nec aliud de ...

38 Quædam credulitas ... tas ... est temeraria & levis; seu credendi facilitas, & diserte, teste Laurentio Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, verbo *credulitas*. Non igitur recte infers, fideles a me temerarios vocari, quod eorum de imaginibus istis fidem vocaverim *piam credulitatem*. ... non temerariam, sed *probabili* ... sermone ... esse, facile colligere poteras, Pater Professor; nam credulitas *levis & temeraria* proprie *pia non est*, quia levitas & temeritas vitium est, pietas virtus. Imo vero apud me diserte ... ex pia credulitas certitudinem non excludit, nec quidquam vetat, quo minus, positis motivis credibilitatis moraliter certis, *pia credulitas* ... assensum imperet ... rem. Nisi dicere malis, motivis istis firmiorem efficere ... *non assensus fidei in seipso sit magis firmus*, Apertum ... *mereatur pondus rationum ad assensum in ... Pellentium*, quæ est decima nona inter Propositiones ab Innocentio XI. damnatas.

39 Contra argumentaris: *Vox illa credulitas ordinarie importat vacillationem, etiam secundum Papebrochium, prout ex decursu patebit.* Respondeo, R. Pater Professor, negando assumptum. Probare niteris unice ex Tom. Maii pag. 811. ubi (inquis) *Papebrochius refert apparitionem Christi Domini, dicentis S. Angelo Carmelitæ:* „Ibis in Siciliam cum imagine Deiparæ Ma„tris meæ, quam depinxit S. Lucas. Quam ap„paritionem sic repetitur: „Utinam hæc, quam „fidenter afferuntur, tam certe essent a Christo „sic revelata! magnum utique præsidium ad„ferrent confirmandæ vulgari fidelium credu„litati

[1] Prudenter dictum, neque aliud ad cavillationem importuni hominis explodendam necessarium. Cæterum severiores hujus ætatis Critici, quæ de imaginibus a S. Luca pictis circumferuntur, quæque olim Gretsero nostro probata sunt, apocrypha censent. Sextus in Exercitationibus Criticis exercit. 47. Baillet, Tillemontius agmen ducunt.

in hiati de istiusmodi imaginibus: nonda paulo post infert: me de imaginibus *istis dubitare & hæsitare*.

40 Respondeo negando consequentiam, atque ipsum consequens. Nam primo, quomodo sequitur; Dubito, an revelatio illa facta sit S. Angelo Carmelitæ: ergo dubito, an S. Lucas depinxerit imagines Deiparæ? Nemo dubitat, quia possit veritas aliqua subsistere, etiamsi revelata non sit S. Angelo Carmelitæ. Secundo, cur E. G. Religiosi vestri, qui sine *dubitatione*, *hæsitatione*, *vacillatione* judicant, quod Ordinis sui institutio fuerit a tempore Eliæ; cur, inquam, illi dubitare simul non possent, an hoc Patern. vestræ sit divinitus revelatum? Aliud scilicet est dubitare de veritate propositionis, aliud de ejus revelatione, præsertim quæ dicatur facta alicui determinatæ personæ.

41 Si constaret de apparitione & revelatione facta S. Angelo Carmelitæ, jam profecto imaginum istarum deducta a S. Luca origo non tantum moraliter certa foret, sed metaphysice, & quidem certitudine inter metaphysicas summa, quæ est fidei divinæ, propter auctoritatem Dei revelantis. An non igitur merito dixi, quod, si constaret, hæc *esse certo a Christo sic revelata*, *magnum utique præsidium adferrent confirmandæ vulgari Fidelium credulitati de istiusmodi imaginibus*? Quis dubitet, quin propositio, quæ prius tantum habebatur moraliter certa, *magnum* dein *præsidium* accipiat a revelatione divina, per quam ad certitudinem metaphysicam evehatur? Nec tamen *vacillasse*, *hæsitasse*, *dubitasse* de propositionis illius veritate dicendus est, quisquis eam tantum censuit moraliter certam, non revelatam divinitus.

42 Pudet me tam multis illa probare Professori Theologiæ, quæ vel tironibus perspecta sunt. Illud miror, quod litem mihi non moveris de τὸ *vulgari*, dum voco *vulgarem fidelium credulitatem*. Nam & vox ista apud Calepinum subinde sumitur in partem deteriorem. Sed respondissem, etiam Calepino interprete, eam accipi quoque pro *communi & pervulgato*: atque ita admittu, esse communem & pervulgatam fidelium de istis imaginibus credulitatem.

43 Ast iterum te offendo voce *credulitatis*, atque hanc mihi, ubi de imaginibus istis agitur, plane cupis interdictam, quia Planco apud Calepinum, *errorem* sonat, tibi etiam *temeritatem*. R. Pater, si ostenderis, ita eam sonare omnibus, retractabo. Verum jam inde propter vocem istam ad Sedis Apostolicæ Tribunal a Patern. vestra citatus, utque ibi accusatus sum, tanquam de ingenti crimine in genere scriptionis; quapropter cogor istricam de nomine quæstionem pluribus agitare.

44 *Temeritatem & errorem* esse vitia quædam animi nullus Theologus, aut Philosophus, saltem Christianus, iverit inficias, quamvis erroris vitium posse esse sine culpa omnes agnoscant. Atqui Christi judicio credulitas, neque erronea videtur fuisse, neque temeraria, neque vitiosa, quando non tantum incredulitatem discipulis exprobravit, sed absolute & indefinite monuit Thomam, ne deinceps esset incredulus: *Noli esse incredulus*. Si omnis incredulitas vitium sit, videtur mihi non incongrue colligi, aliquam credulitatem non esse vitium, sed potius virtutem. Sicut ex eo quod omnis injustitia, omnis intemperantia, omnis imprudentia, vitia sint, non male colligitur justitiam, temperantiam, prudentiam vitia non esse, sed virtutes: nam teste S. Basilio in Constit. cap. 2. *Vitium nihil est aliud quam defectus virtutis*; & S. Joanne Damasceno, l. 2. de fide Orthod. cap. 30. *Vitium nihil quidquam aliud est, quam boni secessio, quemadmodum est caligo, lucis abscessus*. Unde non arbitror scandalizandum fuisse Basilium & Damascenum, si piam seu discretam credulitatem, cujus defectus & secessio est incredulitas, appellari audivisset virtutem, non *errorem*, non *temeritatem*.

45 Aliter, quam Patern. vestra, de pia credulitate loquitur S. Antoninus parte 2. tit. 10. de mendacio cap. 10. *Sine mutua credulitate*, inquit, *nulla est fida societas, nulla in aliquo fides, nulla spes & confidentia firma, nulla amicitia vera, nullum pactum firmum, nulla concordia, nulla pax, nulla denique in aliquo bono firmitas*. Nulline, Pater Professor, in aliquo fides, nulla spes, nulla in aliquo bono firmitas esse potest sine *errore & temeritate*? Similiter apud Auctorem tuum, Aurifodinæ compilatorem, verbo CREDULITAS, S. Cyprianus super Symbolum Apostolorum, aut quisquis alius est istius Tractatus Auctor, paria S. Antonino paucis docet cap. 4. in medio: *Nihil est*, inquiens, *quod in vita geri possit, si non credulitas ante præcesserit*. Hæc pro Achille tuo Calepino, & quidem perperam a te citato, plus quam satis sunt.

46 Jam monui verba a Patern. vestra allegata, esse Planci in Cicerone apud Calepinum, non ipsius Calepini. Sed cur falsum auctorem pro vero citare maluisti? Verebare scilicet, ne forte exprobrassem tibi, quod cum auctore Ethnico sentias contra Christianos; nihil enim simili exprobratione tibi familiarius est, nullum ad me prosternendum putas telum esse minus eluctabile: quod tamen, uti in casu præsenti, ita & in iis, in quibus mihi intorquetur, vel nullius esse roboris censeo, vel sane exigui. Auctarii interim loco sit, quod ubi disceptatur de significatione vocum, quarum in Theologia, in Asceticis, aut aliis sacris & Ecclesiasticis scriptionibus usus est, non consulendi sint Plancus, Cicero, aut ejusmodi apud Calepinum scriptores profani, quantumvis Latini. Frustra ex his quæras, quid usu Ecclesiæ Christianæ significet E. G. *Spiritus*, quid *Spirituale*, quid *Humilitas* &c. *Animus humilis* vitium apud illos indicat, virtutem apud Christianos.

§. IV.

ACCUSATIO.

Papebrochius præbet ansam dubitandi, an vera Christi facies Sudario S. Veronicæ revera fuerit impressa.

RESPONSIO.

47 HÆc legens hæsi aliquamdiu, neque quid sibi velles accusatio, satis assequebar; cum de Sudario isto, & Christi illi impressa facie nunquam me dubitasse meminissem; sed potius locutum semper, tamquam de re indubitata. Miraberis & tu, Lector, accusationis seu malignitatem, seu obscuritatem, quando eam conferes cum ipsius Accusatoris confessione Art.

st. §.

81. §. 2. ad quem nos mittit. Illic itaque sic scribis: *Fatetur citra ullam dubitationem Papebrochius admittendum Sudarium, Christi faciem exprimens, quod hæretici explodunt.* Quomodo cogitabam, dubitandi ansam aliis præbeo, ubi tam clare Sudarium illud, & impressam ei Christi faciem contra hæreticos assero, tamquam rem indubitatam, ipso fatente Accusatore? An forte, quod uno loco affirmavi, deinde retractavi, aut revocavi in dubium? Atqui de una eademque pagina & columna, agit Adversarii confessio simul & accusatio.

48 Ne igitur te, Lector, pluribus suspensum teneam, in eo crimen meum versatur, quod Tomi Maji p. 357. n. 26. de S. Veronica, ut piam Matronam significat, quæ Christo crucem bajulanti occurrisse, ejusque sanctissimam faciem Sudario extersisse vulgo creditur, dixerim: *quæ an ulla unquam fuerit, dubitatur*: unde Adversarius concludit, ansam a me præberi dubitandi, an Christi facies impressa fuerit Sudario istius Matronæ. Si aliud non velit Accusator, non est cur tantopere repugnet, modo illud fixum & firmum maneat, quod Christi facies, tamquam *indubitatum*, admittitur a me, alicui Sudario vere impressa fuerit, neque de hoc dubitandi ullam a me ansam præberi. Ratio longe dispar est de Sudario illo, & de Matrona, quod pro illo, tamquam indubitato, constantissima traditio militet; Maji, unde hæc accusatio desumpta est, quia, antequam Tomum VII. in lucem edidissem, de ea dubitari cœptum sit, nec inter solos catholicos quidem.

49 Nomen S. *Veronicæ* reperitur quidem in Martyrologio Galesinii; at cur Baronius, qui tam multis Sanctis, etiam ex Galesinio desumptis, Romanum Martyrologium auxit, ausus non fuit ex eodem adjungere *Veronicam*? imo cur adjunctam tempore Gregorii XIII. expunxit idem Baronius; & in Martyrologio, cum suis aliisque viris eruditis reformato, eam pressit alto silentio? An non Baronius, cum suis in hoc opere adjutoribus, dubitationem suam de sanctitate hujus *Veronicæ*, factis ipsis satis loquitur? Licetne autem, P. Professor, dubitare de sanctitate *Veronicæ*, imo tamen ex Albo Sanctorum in cælis viventium absolute expungere; non liceat eam expungere de numero viventium in mundo, adeo ut vel *dubitare* de ejus existentia nefas sit?

50 Edissere igitur nobis, cur de sanctitate & gloria a Baronio dubitetur, nisi quia dubitat de ejus existentia. An forte dices, Baronium sanctam hanc mulierem ex Sanctorum Catalogo sustulisse, non propter dubitationem suam, sed aliorum? Ita sit, R. Pater: jam habetur contra propositionis meæ, a te in crimen vocatæ, veritas: nam aliud illic non asserui, quam quod, *an ulla unquam* (Veronica matrona) *fuerit, dubitatur*: a quibus, vel a quo, vel a quot, non dixi.

51 Quanquam non video, quomodo vos satis dictum sit, expunctionem hanc, factam a Baronio ejusque adjutoribus, non esse ullum in illis dubitationis signum de sanctitate aut existentia *Veronicæ*; postquam nudum silentium nostrum de origine Ordinis Carmelitani in Martio, non tantum dubitationem de antiquitate Ordinis sui, sed & negationem ejusdem; uti videre est in Armamentario, ab ipso, rationem silentii exigente, interpretatus est P. Franciscus Bonæ-spei, tota Provincia approbante, mox edito in lucem,

52 Hisce puto, satis superque persuasum esse æquo Lectori, nihil criminis committi ab illo, qui, appensis utrimque rei momentis, dubitaverit de sanctitate vel existentia alicujus, quem privatum cujusvis loci, diœcesis, regni, aut etiam Ordinis religiosi Martyrologium habet pro Sancto, habuitque aliquamdiu; cui nihil committitur criminis ab illo, qui Sanctum, quem familia aliqua Religiosa pro Martyre semper habuit coluitque, monstraverit in pace obiisse, & ut Confessorem colendum esse. Qualiter accidit S. Petro Thomæ, qui a vobis Officio de Martyre coli solitus, a nobis demonstratus est vere Confessor fuisse, editis, quæ eatenus latuerant, ejus Vitis duabus.

53 Utinam non tam multa nobis quotidie, inter gesta Sanctorum versantibus, occurrerent, de quibus rationabiliter dubitare debemus, imo quæ & reprobare! Talium autem plurima prætermittimus silentio, ut indigna, quæ inter Acta Sanctorum legantur: aliqua autem indicare saltem inter scribendum debemus, & a verioribus secernere, si rationem muneris nostri, quod est indagare veritatem, velimus implere.

54 Dubitavit Bollandus, ad diem xx. Februarii de sanctitate *Eleutherii*, *Episcopi Constantinopolitani*, ideoque ausus non fuit inter Sanctos eum reponere, licet in Martyrologium Romanum, etiam post emendationem ejus, relatus sit. Ratio cur ausus non fuerit, videre licet ad dictum diem inter Prætermissos pag. 168. col. 13. nec inventus hactenus Romæ est, qui ejus prætermissionis auctori ea causa litem moveret, vel de irreverentia erga Romanum Martyrologium immutata verbum faceret: quin potius tum qui inde scripserit ad me, ut si plura ejusmodi longo usu notassem corrigenda, ea suggererem pro nova Martyrologii editione; quod facere distuli, quia currente adhuc opere, necdum plene informatus de singulis sum.

55 Namquid *Eusebium Cæsareensem* (ut nuper in amica expostulatione num. 37. & seqq. ostensum est) perpetuis fere temporibus Gallicanæ Ecclesiæ Martyrologia & Missalia Sanctum dixere? Illum tamen eumdem, licitum sibi putat P. Sebastianus in Motivo Juris, non tantum expungere e numero Sanctorum, sed hæreticis & in hæresi mortuis, atque adeo æternum damnatis, accensere. Quid ad facinus tam audax prædicta mea dubitatio?

56 Ostenditur similiter in eadem Expostulatione amica a num. 93. & confirmatur in Postscripto a num. 30. (utrumque opusculum legi potest in Apologia, Tomo 1. Junii præfixa) *Enochum ab Amathim*, quem Patres Carmelitæ Ordinis sui faciunt Eremitam, discipulum Christi ex 72, Comitem S. Marci Evangelistæ, Episcopum Nicopoleos, ac denique Sanctum, & pro tali Kalendariis suis inserunt; ostenditur, inquam, Enochum istum a ducentis primum annis innotuisse, antea ignotum omnibus, adeoque deficere fundamentum credendi, quod talis Carmelita, Christi discipulus, Episcopus & Sanctus, unquam extiterit in rerum natura.

57 Denique sanctissimæ memoriæ Innocentius XI. *Joanne Cala*, pro sancto Anachoreta pluribus annis in regno Neapolitano habitum, ulla veneratione in posterum affici vetuit anno 1680, præcipiens expresse, *omnem cultum*, eatenus ei exhibitum, *penitus tolli: ossa etiam in sepulcro*, ubi

ut alia fidelium defunctorum cadavera quiescunt, eruenda & cum illis confunda, nunquam inde extrahenda: imagines vero ipsum repraesentantes, vestes aliasque reliquias ab exoticis Ecclesiis, oratoriis, & altaribus omnino tolli.

58 Interea sanctam & indubitatam *Veronicam* admittimus, quae sit ipsa Salvatoris nostri Imago, a sanctissimo ejus vultu impressa Sudario, & *Veronicae* nomine communiter appellata, teste Nicolao IV. Pontifice, in litteris, apud S. Mariam majorem idibus Aprilis 1290. ubi sic habet: *in ea namque Basilica sue pretiosissimi vultus imaginem, quam Veronicam fidelium vox communis appellat, in singularis amoris insigne creditur venerari*. Complures praeterea Pontifices Clementem VI. VII. VIII. Gregorium XIII. aliosque, sacrosanctum Sudarium appellantes *Veronicam*, refert Jacobus Grimaldus, Basilicae Vaticanae chartophylacii Propraefectus apud Bzovium in Annalibus ad annum 1216. num. 16.

59 Si autem in re obscura conjecturis uti liceat, non videtur ab omni verosimilitudine alienum [1], quod *Vera icon* exigua litterarum transpositione factum sit *Veronica*, ut vulgus in ejusmodi mutationibus facile est. Sic Bruxellis sacellum S. Mariae, *Finis terrae* primitus appellatum, nunc vulgo dicitur *Venster-Sterre*, quasi Stella fenestrae: quare etiam Stella in apice frontispicii intra summam fenestram picta cernitur.

60 Si Etymologiam nominis *Veronica* aptiorem alii invenerint, avide amplectemur, qui soli veritati studemus, non novitati. Quidquid rationum excogitare potuimus, pro stabiliendo sanctae mulieris *Veronicae* cultu & veneratione, studiose congessimus ad diem 4. Februarii; dein vero, quibusdam de ejus existentia dubitare incipientibus, dubitationem etiam verbo indicare visum fuit; nunc autem provocati, fundamentum aliquod dubitandi exposuimus, non invidentes sanctae mulieri cultum suum, sed gratissimum habituri, si Sedes Apostolica, ad eximendam omnibus qualemcumque dubitationem, nomen ejus Martyrologio Romano inseri curet, sanctitatemque suprema definiat auctoritate.

§ V.

ACCUSATIO.

Papebrochius arrodit Christi columnam, Scalas sanctas, aliaque monumenta sacra, Romae existentia.

RESPONSIO.

61 Mirabilis vir es, P. Sebastiane, qui me ais arrodere Christi columnam. Putasne, satis intelligi de qua columna agatur? Imo, inquis, *arrodit columnam Christi Domini*, Tomo 1. Aprilis fol. 18. lit. L. his verbis: *Dicta vulgo Columna sancta, quae juxta sacellum Gregorianum posita in Basilica Vaticana, olim prope ipsam Sanctorum Apostolorum Confessionem stabat, supra parietem quamdam arcus triumphalis, prout eam describit Joannes Severanus in secunda Memoria VII. Ecclesiarum pag. 108. nunc autem submota est, uti & alia quaedam a Basilicis suis, sanctitatis non satis certa monumenta*.

62 Columna haec vulgo dicta *Sancta*, de qua cum Joanne Severano hic ago, non est ea, ad quam flagellatus est Christus, sed longe alia, de qua in Vita S. Francisci de Paula num. 31. legitur: *Ex qua praedicans Salvator noster Jesus Christus in Hierusalem, convitium perfidis dicentium sibi, Daemonium habes*: nam huc illa Annot. *L* refertur. Cur autem Paternitas vestra, citans verba mea, ait, me agere de *Columna Christi Domini*? An ut Romanis, de priori Columna, utpote pridem submota, nihil jam scientibus, honorantibus autem ad S. Praxedis *Columnam*, ad quam Salvator noster flagellis caesus est, stomachum contra me moveret, quasi hanc annumerem, *non satis certae sanctitatis monumentis*? Ex aliis sinistris interpretationibus Lectori praesumere licebit, non optima fide mutatum titulum: maxime cum legerit subjectum hoc epiphonema p. 116. *Sic Papebrochius quaevis, etiam sacratissima, pro suo capiu, absque probatione, suspecta monumenta. An recte, judicet sancta Sedes*.

63 Quid judicabit sancta Sedes? Utrum recte narrem, quod ipsa recte fecit, aut fieri permisit, ne prudentioribus peregrinis, neque tam caece credulis, ut omnes vellet esse Paternitas vestra, scandalo esset tam incerta ac pene ridicula traditio vulgi? Potiori jure judicabit eadem sancta Sedes, quod sibi & Basilicae Vaticanae curatoribus, illius Columnae aliorumque similium ob oculis removendorum suasoribus & ministris, injurius sit P. Sebastianus, dum sic remota, & in nescio quem angulum retrusa, pergit ipse vocare *sacratissima*; & indignatur a me poni inter *alia sanctitatis non satis certa monumenta*.

64 Alia porro *monumenta sacra*, de quibus Titulus tuus, dic quae sunt? Si ea nosti, cur non eodem zelo vindicas? Si non nosti, cur judicas satis certae sanctitatis esse? De me alia ratio est: monumenta illa non duxi nominanda, ne iis, quorum laudabam judicium in illis amovendis, aegre facerem, refricando memoriam nimiae credulitatis majorum suorum, ista olim, ut certissima, commonstrantium advenis.

65 Inter haec sanctitatis non satis certae monumenta haud numero *Scalas, quas passim Sanctas vocant, e Pilati Praetorio, ut creditur, advectas*; Tomo VII. Maji pag. 457. Eae etiamnum in pristina veneratione sunt. Vult tamen me de iis dubitare Accusator meus. „ Bene, in„ quit, expendendum illud dubitantis animi in„ dicium, *ut creditur*: nam eo verbo aut si„ mili solet Papebrochius uti, dum receptas „ historias ac traditiones molitur reddere su„ spectas, aut labefactare . . . . Ego quidem pridem edoctus sum, quod credere ex genere suo, differat essentialiter ab *opinari*, per hoc, quod *opinari* importet necessario formidinem, saltem radicalem; credere autem non importet. Quamquam lubens fateor, fidem hanc de Scalis sanctis, moralem apud me certitudinem non excedere; atque id per, *ut creditur*, voluisse indi-

[1] Papebrochio subscribunt Tillemontius ad not. 33. super rebus a Christo Domino gestis, Serry exercit. 13. n. 4. & Calmetus in Evangel. Lucae c. 23. v. 26. ubi & illud affirmat, quod P. Sebastianum in furias ageret: *Vulgares hasce opiniones sapientissime dissimulat Ecclesia; minime tamen silentio probat*. Sed P. Honoratus a S. Maria in Regulis Criticis veterem traditionem tuetur conatu magis pio, quam plausum ab eruditis relaturo.

indicatum; si metaphysicam ... inter homines vivens, vel quæ ejus discipuli fidei divinæ, deberi autumet Accusator, nescio, & quæ fit ... sectatores patrarunt. Hæc enim facta sunt, an vel unum rationes compotem sibi habiturus non tantum ex ejus meritis; sed etiam ejus sit consentientem: nisi forte ex vulgo nimis te-nomine, & ad explicitam ejus invocationem: mere credulo, ut alibi sæpe, sic & hic.

§. VI.

ACCUSATIO.

Papebrochius impugnat merita Christi.

RESPONSIO.

"HOc si verum, R. Pater, fateor me hæreticum, & inter hæreticos non hæreticum, & inter universo vulgariter execrandum. Quid enim facit, qui hominum generi salutis reliquum stolide Christi meritis subvertit? Ast ubi tam Mittis nos impugno in fidem & religionem? S. Canionis ad Tomum 6. Maji, ubi de vita quædam ex ad diem 25. Maji, refero Acta historia auctore incerto, cujus varios lapsus historicos detego: simul etiam verbo attingo orationem hanc, quæ ab eo tribuitur S. Canioni: *Dominus Jesus Christus, qui aperuit oculos cæci* Tobiæ Prophetæ, *ipse te illuminet*: circa quam orationem sic animadverto pag. 33. litt. h. *Cum* illuminatum Tobiam incarnationem *Verbi præcesserit*, parum apte illa tribuitur *Domino Jesu Christo.*"

67 In hac sola notula contendit Accusator, se manifeste prodere virus, quo Christi merita tollantur e medio. Ait, per hanc me prætendere, quod Christi *merita se non extendant ad dona omnia & gratias hominibus concessa ante ipsam incarnationem*. Non igitur impugno merita Christi indefinite & illimitate, ut arguebat in titulo; sed nunc restringitur accusatio ad tempus incarnationem præcedens: neque impugno re ipsa, sed *prætendo* tantum ea impugnare: id de me, tamquam sibi exploratum, asserit religiosus Accusator. Ego vero testor, nihil hujusmodi me *prætendere*, nec in mente incidisse unquam; neque id indicant verba ex me citata.

68 Agnosco illuminationem Tobiæ, & quidquid donorum, præsertim supernaturalium, hominibus, saltem post Adæ peccatum, concessum est, acceptum referri debere meritis Christi. Verum superest mera quæstio de vocc, an illa, quæ ante incarnationem facta sunt ex meritis Christi secuturis, communiter & in sensu obvio dicantur Christus fecisse: E. G. an, sicut revera ex meritis Christi prandium Danieli in lacu leonum delatum est, Susanna adversus calumnias defensa, Moyses accepit tabulas legis, eductus Loth per Angelum est de urbe Sodoma, Tobiæ aperti sunt oculi; quæstio, inquam, est, an propterea sint valde aptæ, seu communi passim usu receptæ similes locutiones: *Christus solis prandium Danieli, Christus defendit Susannam, Christus dedit Moysi Tabulas legis, Christus aperuit oculos cæco Tobiæ*. Putavi ego locutiones ejusmodi esse *parum aptas*, seu parum usu receptas, sive in Scripturis, sive a Patribus, sive a Theologis, sive a populo in vulgari sermone.

69 Aliud est de miraculis, quæ Christus non tantum ex ejus meritis; sed etiam ejus nomine, & ad explicitam ejus invocationem: nulla enim legitur in Ecclesia oratio, quæ non mediatione *Domini nostri Jesu Christi* terminetur. Habet quidem propositio illa, Christus aperuit oculos Tobiæ, sensum verum, quia Christi meritis aperti sunt, tum quia Christus est persona divina, seu Deus, qui operatur omnia in omnibus: & qui propositionem aliquam non de falsitate arguit, sed de modo tantum *parum apto*, satis indicare ordinarie censetur, se eam habere ut veram. Neque eam voco prorsus *ineptam*, ut mihi alibi ...; sed *parum aptam*: præsertim, nisi congrua accedat interpretatio, ejusmodi propositionibus teriri solet, quod eodem omnino sensu, quasi figeretur, quod Christo tribuatur, quo alia miracula ista Christo vivente patrata sunt; adeoque quæ a Christo vero existente tempore Tobiæ, Moysis, Danielis, &c.

70 Unicam adversum me probationem adfers, &c., ut quidem ais, evidentissimam, ex *Prosa*, quæ ex ordinatione *Ecclesiæ legitur in Missa ipsa festi Nominis Jesu*. In Prosa autem illa seu Rhytmo hæc habentur:

Condens soli, terræ molem
Jesu omnes, atque solem
Est cœlestis gaudium.
Angelorum ingens cœtus,
Protoplastusque perfectus
Fuit Jesu nomine.
Ut aquarum magni fontes
Sint immissi super montes
Justo rerum ordine.

71 Rhytmus hic legitur in Ecclesia Metropolitana Mechliniensi, non in diœcesi universa: legitur & in Antverpiensi a paucis annis. Admitto nihil in eo esse falsum, nihil *ineptum*: inde tamen non sequitur, esse aptissime dictum. Constat multos Rhytmos, etiam ubique usurpatos, deinde a S. Congregatione Rituum esse correctos: an nihil hic etiam aliquando corrigendum sit, quis divinabit? Interea, R. Pater, censesne omnia & singula in Officiis & Missis particularium Ecclesiarum ac Ordinum esse talia, ut nullus apex sit, de quo suspicari liceat, positum esse *parum apte*? Certe in Officio solemnis Commemorationis B. V. Mariæ de Monte Carmelo, vobis proprio, & nunc per omnes Hispanicas ditiones communi, si aliquando in Romanum Breviarium recipiatur, prout optatis, vix dubito quin multa reformanda sint: scio autem passim displicere phrasim Responsorii 3. ad Matutinum, ut *minus aptam*, & Œdipo egentem, qua dicitur, quod Virginem Dei Genitricem ..... *Proceres comitantur heriles,*
Per quos orbis ovans Christo sub Principe pollet.

Quærunt enim, quinam illi sint Proceres, nec intelligunt, quisnam ille *orbis*, qua in re pollet; neque simplices Grammatici, mei similes, intelligunt, quid tandem isto verborum ambiguorum circuitu indicatum velitis: nam si *Orbis* vobis est Meandus, hunc se vicisse, aut salvaturum, seu triumphaturum, gloriatur; ovaturum autem fere ergo nobis Christus nusquam promittit. Edissere, Rev. Pater, parabolam istam.

Opuscul. Collect. V 72

72 Sed ad rem. Unde tibi constat, omnia quæ ex Rhytmo de Nomine Jesu relata sunt, ei tribui propter Christi merita? Quid si contendam, tribui ex illis quædam propter solam personalitatem & naturam divinam; sive tribui Verbo, ut persona divina est, non ut incarnata? Cælum, terra, sol, &c. fuitne creata propter merita Christi? Quid autem si contendam, cum S. Thoma ejusque discipulis, & infinita aliorum Theologorum ac Patrum turba, Verbi incarnationem tantum decretam fuisse, post decretum absolutum de condendo mundo, & praevisum absolute Adami peccatum? Quænam igitur species hic impugnandi Christi merita, atque ea restringendi ad solum tempus incarnationem secutum? Si quid obscurum fuisset in propositione mea, neque caritatis erat, neque æquitatis eam in deteriorem partem interpretari, præsertim dum circumstantiæ loquentem satis alienum ostendunt a sensu tam perverso.

73 Abunde omnibus perspectum est, me, Censores meos, cæterosque Societatis Theologos, remotissimos esse ab opinando, quod Christus pro solis incarnationem subsecutis mortuus fuerit: mortuum esse ac passum pro omnibus & singulis, etiam pro Caino, eisque auxilia ad salutem sufficientia ex meritis Christi, partim re ipsa collata, partim oblata fuisse, omnes constantissime sustinemus; & quantum pro hac doctrina stabilienda, ubique, ac præsertim in Belgio a nobis pari consensu laboretur, non est quod commemorem; omnino id, præter vestram forte Paternitatem, vocanta in dubium. Dic modo, R. Pater, quis in tota mea doctrina apex sit, qui non cum communissima Ecclesiæ & Scholarum, quoad rem seu substantiam, conveniat?

74 Denique verum non est, quod P. V. dicit, me propter orationem illam *reddere suspectam vitam S. Cunonis*. Vitam hanc, ex probatis auctoribus descriptam, dedi Tomo VI. Maji; relationem vero quorumdam, de pluribus circumstantiis partim falsis, partim suspectis a me convictam, non potui non saltem suspectam vocare. Annotatiunculam autem de oratione *parum apta*, ut minutiam quamdam, quæ ad modum loquendi potius, quam substantiam pertineret, uno tantum alterove verbo interjeci. Quilibet igitur æquus arbiter judicet, an impugnem merita Christi, hoc ipso quo cantico *parum apte dici*, quod Christus tulerit prandium Danieli, existenti in lacu leonum; quod Christus eduxerit Loth de Sodoma; quod Christus dederit Moysi tabulas legis, quod *aperuerit oculos Tobiæ*, quamvis profitear, quod hæc & cætera bona, quæ hominibus post Adæ peccatum collata sunt, ex Christi meritis proveniant.

§. VII.

ACCUSATIO.

Papebrochius Historiam inventionis Crucis, in Ecclesia receptissimam, & Romano Breviario insertam, repudiat tamquam fabulam.

RESPONSIO.

75 H*istoriam inventionis Sanctæ Crucis*, Romano *Breviario insertam*, & (sicut ibi refertur) *in Ecclesia receptissimam*, nec verbo quidem uno attingo; haud solitus Lectiones Breviarii transcribere, cuivis obvias, nec adeo antiquas; sed quid ea de re habeant Theodoretus & Rufinus, erudo X. Martii, ubi de S. Macario Hierosolymitano Episcopo, præcipuo rei tunc gestæ adjutore: ad diem vero III. Maji illuc me referens, addo quæ habet S. Theophanes, & quædam ex S. Paulino. Inde §. 2. transeo ad *fabulosa inventæ Crucis Acta*; qualia deinde sequenti die integra produco, eruditorumque judicio integra subdo ad Vitam S. Cyriaci: quem S. Macarii successorem fuisse non credo, & a quo eadem Acta fingunt sanctam Crucem Helenæ indicatam fuisse.

76 Vultne Patern. vestra, hæc Acta esse *historiam, in Ecclesia receptissimam & Romano Breviario insertam*? Videtur id omnino velle; & nisi velit, accusat nihil. Nam & in sua Appendice ad Motivum juris num. 12. dicit, eamdem Historiam a S. Gelasio Papa & LXX. Episcopis in Concilio Romano, annis ab hinc 1200. *cum omni honore susceptam fuisse*: quod falso imponitur Gelasio & Episcopis. Tantum enim abest, ut *cum omni honore susceperint* Historiam illam, ut sub honestis terminis eam inter fabellas reponant, utpote eam vocantes *Novellam relationem*; ideoque monent Lectorem Catholicum, ut ne temere ad ejus lectionem accedat. Verba ipsa legi possunt in Decreto ejusdem Concilii Romani apud Labbeum Tomo 4. Sunt autem hæc: *Scripta de Inventione Crucis Dominicæ, & alia scripta de Inventione capitis S. Joannis, novellæ quædam relationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt: sed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, beati Pauli Apostoli præcedat sententia; Omnia probate, quod bonum est tenete.* Si monitum S. Gelasii hanc Apostoli sententiam adhibuisset Patern. vestra, non tanta ei venisset libido arguendi.

77 Eodem autem hic loco habentur Pontificis Historia de Inventione Crucis Dominicæ & Historia de inventione Capitis S. Joannis Baptistæ: utramque vocat *Novellas relationes*. Hanc repudiat Baronius Notat. 6. ad Rom. Martyrologium 29. Augusti, ego alteram: uter gravius deliquit? Ita mihi quærendum ex Patern. vestra, delictum videns, sed in me solo. Alii putant rectius se quæsiturum a magis eruditis, quam bene uterque, repudio tali, meriti simus de ecclesiastica historia. Item, peccaverimne ego, *Acta* prædicta nominans *fabulosa*, ac talia esse multipliciter demonstrans? Arguetur verius Patern. vestra, fingens, historiam illis Actis contentam, a Gelasio

& LXX.

& LXX. Episcopis cum honore [fictitiam] fuisse suam in Concilio Romano. Proba si possis.

78 Ergo Lectorem mitto ad Postscriptum P. Janningi in Apologia ante Tomum 1. Junii, ubi ostendit num. 16. Auctorem Historiæ de inventione Dominicæ Crucis, quisquis ille demum fuerit, fingere loca, tempora, personas, & gesta. Fingit anno 233. post Passionem D. N. Jesu Christi, sive anno 266. ab ejus Nativitate, sanctam Crucem inventam fuisse; nempe anno ut minimum 70. antequam re ipsa inventa sit. Fingit eodem anno jam tum imperasse Constantinum Magnum, quando scilicet necdum natus erat, & vix aut ne vix quidem nata fuit mater ejus Helena, sanctæ Crucis inventrix. Fingit eumdem Constantinum anno Imperii sexto in Oriente ad Istrum barbaris gentibus se opposuisse, illo videlicet anno, quo cum magno apparatu in Occidente ad Tiberim contra Maxentium movit, eumque profligavit, non moturus in Orientem nisi multis post annis. Fingit, Constantino in Oriente agenti Crucem Domini in aere conspicuam apparuisse; quod constat factum in Occidente. Fingit eodem anno imperii sexto venisse *Constantinopolim* Constantinum, quam ipse imperii sui anno 13. primum cœpit construere, eo ubi Byzantium fuerat & nominabatur loco. Fingit, eodem ab ipso evocatum Roma venisse *Eusebium Papam*, qui in Pontificatu, quem paucos menses ex supputatione nostra tenuit, pedem non extulit ab Italia, & dubito an extulerit Roma. Fingit, eumdem Eusebium baptismo abluisse Constantinum, & quidem in urbe sua Constantinopoli. Utrumque novum est, historicis antiquioribus inauditum, & recentioribus incredibile.

79 Ecce specimen præclaræ historiæ de inventione Crucis Dominicæ, quam Paternitas vestra pro verissima veritate reputat. Doceat nunc me, quid fabula sit, si hoc non est. Doceat porro, cur Catholico scriptori non liceat, fabulosam dicere historiam, multiplici fictione scatere demonstratam. Doceat denique, cur, quod laudabiliter fecerunt sancti Patres, id nobis non liceat. Certe D. Hieronymus ejusmodi historias, easque ad apocryphas scripturas, liberrime appellat *fabulas*. Audi ipsum de itineribus Pauli & Theclæ ac baptizato Leone, in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, verbis etiam in Breviarium Romanum ad festum S. Lucæ relatis, sic loquentem: *Periodos Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas computamus*. Hunc sanctum Ecclesiæ Doctorem imitatus sum, repudians ut fabulam, historiam illam, quam ex pluribus fictionibus ostendi fuisse compaginatam.

§. VIII.

ACCUSATIO.

Papebrochius ex mera conjectura impugnat Præputium Christi Domini Antverpiæ asservatum.

RESPONSIO.

30 Nego omnia: & id hocce loci satis foret, si Lectoribus ad manum esset Apologia, Pro Actis Sanctorum contra Exhibitionem errorum atque alios ei succenturiatos libellos, præfixa tomo 1. Junii. Istic enim in Epist. Famil. num. 17. & subinde in amica Expostul. num. 26. commonstrat Janningus, tantum abesse, ut *Præputium Christi Domini, Antverpiæ asservatum, impugnem*; ut ejus *perpetuam a sæculis quinque possessionem, variis documentis testatam*, assereretim *indubitabilem* esse. An hoc impugnare est? Ibidem Paternitatem vestram Janningus provocavit ad ipsum Antverpiensis ecclesiæ Venerabile Capitulum, cujus præcipue interest; quodque iniqua interpretatione tua concitare in nos voluisti: & provocare etiamnum pergimus, ut coram venerabilibus istis viris, ad quos tibi æque ac nobis aditus quotidie patet, expendas mea dicta; & tua vel confirmes, si possis; vel retractes, si non possis.

EXHIBITIONIS ERRORUM

ARTICULUS SECUNDUS

circa Summos Pontifices.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Sicut Papebrochius contra historiam Vitæ Christi Domini ausus est criticare & opponere; ita & a fortiori non erubescit contra supremos ejus in terris Vicarios, Pontifices Romanos, varia effutire, quæ gravem ipsis videtur inferre injuriam.

RESPONSIO.

Sicut nihil in Christi Vitam peccatum a me, luculenter demonstravi, ita & demonstrabo, nec circa ejus Vicarios scripsisse me aliquid, quod lectum cum antegressis & subsequentibus, censuram mereatur.

Opuscul. Collect.

§. I.

ACCUSATIO.

Papebrochius, contra communem Ecclesiæ sensum sustinet, S. Petrum annis dumtaxat 15 Romæ sedisse.

RESPONSIO.

Vulgatum annorum 25. numerum exorbitare a vero, necesse est fateantur omnes, [1] si velint sustinere, quod habent antiqui Catalogi, Petrum crucifixum *Nerva & Vestino Coss.* qui ex omnium Chronologorum consensu signant vulgaris æræ annum 65. cujus solius anni die 29. Junii, & numquam postea, fuisse Neronem Romæ, demonstrat Henschenius, ante tomum 1. Apr. pag. xv. Ducem illi habeat antiquissimum, Epiphanium; qui (sicut notat Schelstratius Antiq. illustr. pag. xxx. alias 239.) scribit, hær. 26. cap. 6. quod *Petri & Pauli mors in 12. Neronis annum incurrit*, qui omnibus est 65. durans illi usque ad 13. Octobris.

3 Hinc si retrogradiaris per annos 25. incurris in annum 41. quando, die 2, Februarii, Claudius imperare cœpit, nemine contradicente. Cum interim iidem omnes, qui annos 25. assignant Romanæ Cathedræ, eos numerare incipiant ex Eusebio, ab anno 2. Claudii; & sic solum reservent annos 24. eosque non integros. Da mihi nunc annos 7. Cathedræ Antiochenæ adscriptos, & utrique Cathedræ interjice annos aliquot liberæ per Asiam prædicationis, venerit Antiochiam Petrus, vivente adhuc Christo (quod est absurdum) si is, ut habet communis sententia, & ego nunc cum illa statuo, dumtaxat est mortuus anno 33. aut etiam 34. eo quod, inter Crucifixionem illius atque Petri accessum Antiochiam, fluxerint anni tres vel quatuor, aut etiam plures.

4 Cum igitur teneri nequeat numerus annorum 25. quia tollatur aliqui ex tempore vel Romanæ vel Antiochenæ Sedis; quid ego hic pecco in sensum communem Ecclesiæ (qui ista tam accurate non discutit) si eos annos Romanæ Sedi potius, quam Antiochenæ detrahi posse censeo? Nihil autem in numeris facilius fuit, quam notatis initio XV. adde X. ab antiquo librario, perperam calculo subducente, & plures quam 25. statuendos arbitrato; qui error sic ad posteros fluxerit. Talis autem animadversio optime conciliatur cum Actuum Apostolicorum Historia, ex qua constat, Paulum, & Barnabam non potuisse Antiochiam ab Hierosolymis mitti, nisi 4. aut 5. anno post Passionem Domini; adeoque Petrum non venisse Antiochiam, nisi circa annum 38. aut etiam serius; atque ita oportet, sicut dixi, ut vel perdas septennium Antiochenæ Sedis, vel Petrum serius Romam adducas.

5 Quid autem facias illis 12. annis, quibus Apostolos, *ex Apollonii traditione*, mansisse Hierosolymis agnoscit Baronius? Atqui ille Martyr obiit circa an. 185. & in libro contra Cataphrygas apud Eusebium lib. 5. cap. 18. *refert, tamquam ex veterum traditione, Dominum Apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis discederent*,

6 Non adstringebantur hoc præcepto Paulus & Barnabas supernumerarii, sed adstringebatur Petrus, & ut Hierosolymam latius sumas, pro tota circum Palæstina (quod tamen non fecit in Actis Lucas, dum narrata Stephani cæde dicit cap. 8. quod discipuli *omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos*) ut, inquam, angustias illas laxes, intraque eas comprehendas etiam Antiochiam, non tamen excesserit Palæstina Petrus, ante annum 45. & ut tunc statim Romam accesserit, (quod non probatur, sed contrarium potius) non potuisset istic plus quam 20. annos numerasse.

7 Quid porro facias [2] Lactantio, probatissimo auctore sub Constantino Magno, filii ejus Crispi Cæsaris magistro? qui lib. de Mortibus Persecutorum cap. 2. Petrum Romam primum adducit *Nerone jam imperante*, [3] adeoque post annum 54. Verba Lactantii, e quibus etiam fluxisse [4] per errorem potest opinio de xxv. annis Cathedræ Romanæ, sunt hæc: *Dispersi sunt* (Apostoli) *per omnem terram ad Evangelium prædicandum, sicut illis Magister Dominus imperaverat; & per annos xxv. usque ad principium Neroniani imperii, per omnes provincias & civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit*. Ubi notanda est accuratio

[1] Hic humani aliquid passus est Papebrochius. Henschenius sane, Janningus, Schelstratius, & Petrus Boschius in historia Patriarcharum Antiochenorum tom. 4. Julii statuunt S. Petrum Nerva & Vestino Coss. anno æræ vulgaris 65. martyrio sublatum fuisse; neque vero *vulgatum annorum 25. numerum exorbitare a vero* fatentur. Utique exorbitarent a vero, si ab anno secundo Claudii, quo Romam pervenisse Petrum docent Eusebius atque Hieronymus, horum 25. annorum petenda essent initia. At quid vetat exordium sumere ab anno æræ vulgaris 40. quo constituto Antiochiæ Evodio Romanum iter aggressus sit Petrus, etsi aliis quoque Nationibus Christum annuntians in annum alterum imperante Claudio Romam advenerit? Hæc profecto virorum Clarissimorum, quos nuper appellavi, sententia est. [2] Edidit quidem Parisiis an. 1679. librum hunc de *Mortibus Persecutorum* sub Lactantii nomine Baluzius vir Clarus ex Moissacensi codice mox in Colbertinam Bibliothecam illato. Sed sub initium IV. a nato Christo sæculi a quodam L. Cæcilio compositum prolixa dissertatione ostendit doctissimus P. Nicolaus le Nourry, quam anno 1715. tom. 2. Apparatus ad Bibliothecam Maximam Sanctorum Patrum recudit, & anno 1716. Epistola in Ephemeridibus Parisiensibus edita pag. 698. vindicavit ab objectionibus Maturini Versi da la Croze. P. Philippus Cerfius in Bibliotheca PP. San Maurinorum pag. 403. Nourrianam sententiam iis momentis comprobatam ait, quæ nulla infirmari responsione posse videantur. Non desunt tamen qui aliter censeant, Dupinius, Dan. Maichelius lib. de Biblioth. Paris. Cantabrigiæ 1721. p. 187. [3] Quid facias? Dic auctoribus Janningo tomo 5. Junii, & Schelstratio tom. 1. Antiqu. Differt. 1. c. 5. a. 4. n. 4. ad quos nuper accessit Petrus Franciscus Fogginius *de Rom. divi Petri itinere* exercit. 6. bis Romam advenisse Petrum, primum quidem anno secundo Claudii, deinde sub Nerone, de secundo adventu Lactantium, sive Cæcilium loquutum fuisse, post quem deinde Roma non discesserit Petrus, saltem longius, quia *converterit ibi tunc multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit*. [4] Ita etiam suspicatus est Baluzius, sed immerito, uti ostendunt Schelstratius, & Fogginius p. 107.

ratio Lactantii, qui Christum duobus Geminis Consulibus, id est anno 19. vulgaris æræ, passum opinatus, post annos xxv. præcisa incidit in primum Neroniani imperii annum. Ex qua accuratione ipsum ad verum Petri Romam adventum etiam propius accessisse cogitari potest. Sequitur certe ex sententia Lactantii, Petrum, Romæ anno 65. martyrio affectum, non potuisse illic præsidere Ecclesiæ ultra annos xi.

8 Hanc eamdem sententiam sequitur Pagius in Criticis ad 1. annum Neronis; citatque pro eadem ad annum 3. Claudii Ludovicum de Four, in Observationibus Mss. ad Chronol. Pontificiam. Henricus Valesius in Annotat. ad librum 2. Eusebii cap. 16. recedit pariter ab opinione vulgi, pauciores annos Petro tribuens Romæ; citatque pro se Chronicon Alexandrinum, a Cangio nuper *Chronicon Paschale* inscriptum: nullum tamen certum annorum numerum designat, quibus Romæ Petrus fuerit. Designo illum ego, ob rationes loco suo allatas. Si quis putet, numerum magis certum se invenisse, probaveritque rationibus magis solidis, quam ego meum, facile ei cedam.

9 Interim noto, quod in secundum annum Neronis cadens dies 18. Januarii, quando Romanam Cathedram Ecclesia celebrat, concurrerit cum Dominica, ut, quocumque me vertam, & vel xv. vel xi. annis Romæ tenentem Petrum, potuerit is istic sibi Sedem in Dominica constituisse: quidni & fecerit, suisque successoribus faciendum transmiserit? Qui citius Romam sic adduxerit Petrum, ut ibi Cathedram constituerit, interimque excurrerit alio ad prædicandum, causam nullam inveniet, cur non etiam citius Vicarium, pro se absfuturo diutius, constituerit Linum: quem tamen Catalogi dumtaxat ordinatum dicunt, *Saturnino, & Scipione Coss. id est an. 56.* Ita quotidie discere gaudeo, quantumvis senex 56. annis versatus inter *Acta Sanctorum*; & novo accepto lumine mutare atque supplere festino qualescumque priorum lucubrationum defectus. Hoc si turpe sibi putat Theologus, non putat *Historicus*, sed laudi sibi ducit: cumque Conatus meus recudetur, fortassis Romano Petri Episcopatu, a 18. Januarii 56. (nec enim opus est, ut ipso, quo venerat Romam, anno Cathedram quoque constituerit, sed potius multa eo præordinarit) e die, inquam, 18. Jan. 56. ad 29. Junii 65. ducto, Episcopatui adscribam dumtaxat annos 9. menses 5. dies 11.

10 Deserendi hic sententiam [1] Henschenii, magistri mei, quod mihi hic exprobrat Patern. vestra, præcisa plane necessitas fuit. Is enim Christum passum statuit anno 29. vulgaris æræ, *duobus Geminis* Coss. idque ex omnibus fere antiquioribus Patribus; quos nemo nunc negat ita sensisse, sed cuncti excusant illos, tanquam minus solicite punctum istud scrutatos. Hoc vero etiam facere debet Patern. vestra, si velit Christum mortuum retinere anno saltem 33. Sed parum de hoc solicitus ipse, satis habes invenire quod carpas in me, ut *sanctis Patribus & communi sensui fidelium* contrarium; nec isti tantum, sed & Henschenio Magistro meo: quasi ab hoc & illis non debuerim recedere, si vellem annum 33. cum communiori & fundatiori eruditorum nunc sensu, tenere.

Opuscul. Collect.

11 Carpis insuper nu. 9. R. Pater, Notulam ad Acta S. Alphei prorsus fabulosa, ubi dico, *Frustra est qui Apostoli Petri ædem ante Constantini tempora nobis proponit.* Objicis autem mihi Baronium atque Spondanum ad an. 106. Sed neque ipsos bene legisti, neque me intellexisti. Noto ego ad eum locum, ubi dicitur, quod missos ex Sicilia legatos excipiens Papa, *postridie deduxit ad ædem Apostoli Petri, convocans Episcopos vicinos & primarios Cleri.* Baronius autem conatur verificare auctorem libri Pontificalis, scribentem, quod *Anacletus B. Petri memoriam construxit atque composuit*, eoque adducit S. Augustinum dicentem; *Nos martyribus nostris non templa, sed memorias fabricamus.* Quod Baronius explicat *ædificii structuram*.

12 Distingue tempora, & intellige scripturas. Auctor (quem ut fabulosum refuto ex pluribus capitibus) tom. 2. Maji pag. 505. num. 16. *ædem* seu basilicam intelligit, palam extantem & Synodi capacem. Augustinus talem *Oratorium*, qualia Christianis semper fuisse, *Ecclesias etiam* ex re dictas, nemo inficias iverit. *S. Petri memoriam si construxit atque composuit Anacletus* (quod facile crediderim, etsi antiquiores Catalogi tale nihil habeant) *memoria* intelligitur *monumentum*, sive *sepulcrum*, jam inde ab Apostoli morte fidelibus venerabile, & decentius elaboratum; vel certe sacellum subterraneum, humile, exiguum, & angustum, ut nunc sunt quas vocamus *Confessiones*, Græce Μαρτυρια.

13 Denique, velut ad S. Petri injuriam dictum huc quoque, R. Pater, refert, negare me, *Petrum solum fuisse urbis Romæ Episcopum*, quod Art. 7. §. 1. pluribus exagitandum promittit, aculeum figens prius quam locum des responsioni, alibi scilicet expectandæ. Atque hoc tibi fere tota Exhibitione est usitatum; ut sic me cogas vel prævertere responsionem, postea latius iterandam; et tempus perdere; vel dissimulare crimen, per transennam impactum; & lectoris animum tantisper præoccupatum tolerare.

14 Hac ego conditione nollim prævaricatis vestigia semper premere, pro hac tamen vice intelligat lector, *S. Petrum solum* a me credi & coli *Romanum Pontificem*; cujus successores, quia in usu habent usurpare *auctoritatem Petri & Pauli Apostolorum*, exhibeo Opusculum posthumum Petri a Marca Archiepiscopi Parisiensis, oppositum cuidam Epistolæ, anonymisque nonnullis, Ecclesiam bicipitem facientibus, & parem utriusque potestatem agnoscentibus, quam opinionem damnat ut hæreticam; sicut & ego. Constitutioni Innocentii X. contra bicipitis Ecclesiæ hæresim datæ anno 1647. 24. Januarii, semper consensi, & ultro subscribo. Dum autem *Coepiscopum* Petri Paulum dico, cum peculiari ad Urbem respectu, ut Petro summo Pontifici subjectum, non contradico Concilio Florentino, quod de tali acceptione nihil cogitavit; & dico aliquid multo minus,

V 3 quam

[1] Postea tamen Papebrochius in *Heschenii* sententiam de morte Christi Geminis Coss. consignanda discessit. Vide ejus anamnesim tom. 5. Junii pag. 404.

quam si Coapostolum nominarem, in quo tamen nullam Pater, vestra invenit difficultatem, licet id multo majus sit, nec in unam particularem Ecclesiam dumtaxat, sed in universam, jurisdictionis non parum Paulo det; & ideo illud, quod minus erat, a Concilii Florentini Patribus consideratum non fuisse, credo.

15 Sic arbitror intelligi posse locum S. Epiphanii, hæresi 27 dicentis: *Romæ fuerunt primi Petrus & Paulus Apostoli iidem ac Episcopi*. Interpretationem hanc, licet & alias adhibuerit, admitti posse, aperte docet præclarus Ordinis vestri scriptor, R. P. Mathias a Corona, Leodiensis, Lib. de *Potestate infallibili S. Petri & successorum contra hujus seculi novatores*, cap. 3. §. 15. pag. 121. ubi eadem verba S. Epiphanii citans; *Non significavit*, inquit, *Petrum & Paulum fuisse non tantum Apostolos, sed etiam Episcopos Romæ, hac particula sumpta in genitivo possessionis; sed sumpta pro in Roma; quia certum est, Paulum commoratum fuisse Romæ & fuisse Episcopum dum ibi existeret, non illius civitatis, sed alterius. Vel dici potest etiam priori sensu, Paulum fuisse Episcopum Romæ; quia commune fuit Apostolis, ut totius orbis Episcopi & Pastores dici possent habitualiter & in actu primo, non in actu secundo, seu exercito. Vel dici possunt Episcopi & Pastores cum subordinatione ad Petrum, ut primarium Pastorem & Episcopum.* Ecce ipsissimam interpretationem nostram, ultimo loco clarissime expressam; directe autem oppositam æqualitati inter Petrum & Paulum in gubernanda Ecclesia Romana, tum particulari, tum universali, assertæ ab hujus temporis novatoribus, duce Marco Antonio de Dominis apostata.

16 Si vociferari pergas art. 7. §. 5. hæc *enormissime derogare prærogativis unici ac supremi Ecclesiæ capitis*, exitonet expectabo, non contentus clamoribus, in quos erumpis propter *irrefragabilem* (ut jactas) *auctoritatem*. Talem non constituunt duo treisve Theologi recentiores, quos solos adducis, & quorum ne unus quidem sententiam nostram reprobat, tamquam intolerabilem, aut alia dignam censura. Si Patern. vestra, omnibus perspicacior ac severior, eam ut *schismaticam* traducere pergat, viderit quam bene consulat famæ tam præclari sui scriptoris, quam bene honori Theologorum aliorum ex eodem Ordine, qui librum ejus non approbarunt tantum, sed summis exornarunt encomiis, & (ut nihil dicam de R. P. Provinciali) Reverendissimus vester Generalis Matthæus Orlandus tanti fecit hunc P. Mathiæ Tractatum, ut *non licentiam ei fecerit modo, sed & præceptum adjecerit eum typis mandandi*, ut patet ex ejus diplomate, operi præfixo. Denique tu ipse, Reverende Pater, quod in me tantopere reprehendis art. 7. §. 5. n. 39. ita S. Epiphanium interpretaris, ut *Paulum vocet Romanum Episcopum*.

17 Addo, hoc *recte dici posse*. Quid enim? Dicamne, *non recte dici posse*, quod dicit S. Epiphanius, a nemine Patrum aut Theologorum, ne a Paternitate quidem vestra, reprehensus? At, *recte*, inquis, significat idem quod *proprie*; atqui non est dicendum, quod Paulus fuerit proprie Episcopus Romanus. Ideo, scilicet ad conflandam pro libitu mihi invidiam, dum aio, *dici posse recte*, addis, *seu proprie*: Ego vero R. Pater, nescio quo interprete didiceris, idem esse, *recte dici*; &, *dici proprie*. Nonne plurima in omni scientia dicuntur *recte*, quæ non *proprie*? Fides docet, Christum recte dici pastorem, panem, ostium, vitem; discipulos autem palmites, oves, sal terræ, &c. Quis tamen Catholicus admittet, hæc omnia dici in sensu proprio, & non potius metaphorico?

18 Neque ignorare potuisti, quod vocando Paulum cum Petro Episcopum Romanum, non voluerim inde inferri æqualitatem Pauli cum Petro; quandoquidem etiam SS. Linum, Cletum, Clementem dixerim vocari potuisse Episcopos Romanos; & quidem vivente Petro, utpote ordinatos pro urbe Roma. Et hoc etiam satis ostendunt antiquiores Catalogi, quando de eo dicunt: *Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros decem, Episcopos tres, Diaconos septem, per mensem decembrem*. Episcopos utique, non per *diversa loca*, seu pro diversis locis (uti alii Pontifices fecisse leguntur) numerandos in Catalogis iisdem post Presbyteros & Diaconos, (Cardinales nunc vocamus): sed pro urbe Roma. Huic nempe primum providerit Petrus de *Presbyteris*; deinde, aucto intra extraque pomœrium in ipsoque Neronianon Palatio fidelium numero, pro tribus illis Diœcesis tunc Romanæ partibus, totidem *Episcopos*; quos nunc Episcopos, Vicarios diceremus.

19 Cum autem ibi ordinationes illa legis factas *mense Decembri*, id est sub initium Adventus Domini, obiter animadverte hujus temporis ad sacras Ordinationes observationem ab Apostolica traditione fluxisse; ut minus mireris idem a me dictum de observatione diei Dominicæ, ad Ordinationes Episcopales solita ac præcepta teneri; licet nunc etiam aliis festis eæ fieri permittantur; sicuti neque solus December fuit semper observatus post 5. vel 6. prima secula; sed etiam quatuor temporum mensis Septembris, atque alia deinceps, cœperunt adhiberi.

§. II. & III.

ACCUSATIO.

Papebrochius Acta S. Silvestri, cum Natale Alexandro, ab Ecclesia damnato, ablegat ad Fabulas: & Baptismum Constantini, a S. Silvestro susceptum, explodit tamquam Fabulam.

RESPONSIO.

ITa tu quidem, R. P. Professor; interim nullum meum locum accusat, quo phrasi tam dura usus sim, nisi forte in simili casu de Marcellini lapsu. Quod addis num. 23. ita me loqui *pro meo beneplacito, atque ulla probatione*, nescio quomodo intelligas; cum disputationes meæ de illis rebus paginas plures impleant. Quæ super iisdem punctis P. Janningus scripsit in Epistola famil. num. 8. & 50. nec non in Expostul. amica a num. 48. atque in Postscripto, a num. 19. non expecto tibi, ante ipsam scribenti.

20 Pluribus opus non esset nostra legenti, insuperque scienti quod omnes, qui nunc aliqua eruditionis laude clarent, in Italia ac Germania, atque potissimum in Gallia, Historico-critices studiosissima, de Actis Silvestri & Baptismo Constantini eadem mecum sentiant. Talem sensum ibidem post me typis vulgarunt eruditissimi duo Cangius & Pagius; hic in sua ad Annales Baronii Critica anni 1689. ad ann. 315. n. 5. & ann. 324. num. 4. iste in Notis ad Zonaram, anno 1687. illustratum pag. 28. num. 2. Romæ vero, ubi vulgo parum grata accidit opinio ista, eruditioribus tamen Cardinalibus Prælatisque exhibita P. Janningi Epistola sic placuit, ut is, cujus judicium in talibus ibi nunc præcipue auditur, nostro istic Pœnitentiario dixerit; utcumque antea hæsitaverit, jam non amplius dubitare se posse, quin Constantinus non nisi semel, & quidem Nicomediæ aut prope eam fuerit sub vitæ finem baptizatus.

21 Superest etiamnum Parisiis ædis Metropolitanæ Canonicus, Claudius Castellanus, ex Protest. mea ante Apparatum posita nolcendus, nec non ex Dedicatoria Paralipom. ad Conatum, qui mihi scripsit, ex ore Cardinalis Bona p. m. *insupportabiles esse ipsi lectiones pro festo S. Silvestri. Cumque reponerem*, inquit, *Si Constantinus Romæ baptizatus non est, cur appellatur communiter Baptisterium Constantini? Respondit: Quia ipsum construi fecit, quemadmodum ob eamdem causam Basilica Lateranensis Constantiniana dicitur*. Hæc illius Cardinalis verba, legenda parte 1. Conatus pag. 212. Patem. vestra non tam invidiose adscripsisset mihi num. 17. si bona fide voluisset accusare.

22 Non præteriisset etiam expendere, quæ pro me eadem pag. 211. allego, duorum Dominicanorum illustrium testimonia, Cajetani scilicet Cardinalis & Melchioris Cani; quorum hic libro xi. cap. 5. loquens *de lepra Constantini*, in Actis Silvestri asserta, & a Cajetano improbata, quia ipsam *apud probatos Auctores non legisset*, sic scribit de ipso Cajetano: *habes hos scriptores omnes veteres ejus ætatis, qui tacuerant, non omissuri si scivissent; scivissent autem certe, si fuisset*. Quis autem potius, quam S. Cyrillus Alexandrinus? qui scribens contra Julianum, Christianis objicientem, quod *leprosi lepram baptismo non adimat*: respondere debuisset: *Imo vero, socero tuo Constantino ademit, ut omnibus notum*. Baptismatis autem gratiam Constantino *in ultimis constituto*, ut S. Ambrosius loquitur, *collatam* Nicomediæ fuisse scribit Eusebius, non clam & in abdito quo casu posset aliquis suspicioni locus dari, sed cum tam publico apparatu talibusque circumstantiis, ut eas Eusebius commemorare non potuerit in cujuscumque gratiam, etsi maxime voluisset.

23 Porro ne probationum ipsarum cognoscendarum curiosus Lector, neque Majum nostrum aut Janningi Apologetica habens ad manum, desiderio suo frustratum se queratur; juvat earum præcipuas reproducere ex Schelstrato; at vel inde constet, quam mala fide accuset, *pro beneplacito meo, absque ulla probatione*, negasse Romanam Constantini Baptismum, cum ipsas probationes, septem annis prius quam ego eas Tomo 5. Maji proferrem, omnes fere viderit Accuratius prolatas ab erudito illo viro, *Antiquitate illustrata* commerito Bibliothecarii Vaticani dignitatem. Sic autem ratiocinatur in præcitato opere; quod primam lucem vidit anno 1678. Parte 2. Dissert. 3. cap. 6. num. 327. *Et hæc quidem momentosa pro Baptismo Romæ, at non minus urgentia pro Baptismo Constantini Nicomediæ: de quo omnium temporum scriptor, præcipue Eusebius, cap. 61. & 62. testatur, lib. 4. de Vita Constantini, ... ita scribens*: „Cum ei in mentem veniret extremum ejus „vitæ dies, existimaretque hoc tempus opti„mum esse ad delenda ea errata, quæ, quo„niam mortalis erat, admiserat, credebatque ar„canorum mysteriorum efficacia, & salutaris „lavacri initiatione mentem expiari: hæc, in„quam, cum ei in mentem venirent, humi „procumbens genibus, & in ipsa Martyrum „æde errata sua confessus, supplicem se Deo „offerebat. Ubi primum manuum per preca„tionem impositione dignus habitus est: inde „discedens, ad suburbana Nicomediæ civitatis „pervenit, & convocatis Episcopis ita fere ad „eos locutus est. Quam ego Fratres &c. *exponendo desiderium, quod habuit suscipiendi in Jordane baptismum: & eo exposito, pergit Eusebius*: „Illic vero sacrorum religione consummata, „adhibitisque statis divinæ institutionis cere„moniis, arcanorum mysteriorum eum parti„cipem faciunt.

Hæc Eusebius; quæ se in Eusebio legisse confirmat Photius, Cod. 127. pertractans Eusebii de vita Constantini libros: „Refert ergo hic. Nicomediæ ba„ptizatum Magnum Constantinum, hactenusque „lavacrum distulisse, quod in votis haberet in „Jordane Baptismo tingi: quia vero baptizaverit, „silentio præterit. *Eusebium secuti sunt Theodoretus Cyri Episcopus lib. 1. Historiæ cap. 32. versione Valesiana* „Imperator Nicomediæ degens „morbo corripitur: cumque incertum esse vi„tæ exitum animadverteret, divini lavacri gra„tiam suscepit: qua re mirum in modum ex„hilaratus gratias Deo egit. *Sozomenus lib. 2. cap. 34.* „Constantinus affecta corporis valetu„dine, Helenopolim Bithyniæ perrexit, ut a„quis illis, suapte natura calidis uteretur: sed „cum morbus ingravesceret, Nicomediam de„portatus est. Ibi in suburbano degens, Chri„stianum baptisma suscepit: quo vehementer „exhilaratus, testamentum condidit. *Libellus Synodicus, ante annos 700. editus, apud Philippum Labbeum Tom. 2. Concil. col. 88.* „Constan„tinus igitur Christianus Imperator, postea„quam exilio Athanasium mulctasset, Nico„mediam veniens cum in ægritudinem inci„disset, baptizatus est: & cum ad Dominum „peregrinaturus esset, testamento facto revo„cari ab exilio divinum Athanasium jussit. *Ex Latinis magnus Mediolanensium Antistes Ambrosius, serm. de obitu Theodosii* „Quando (*inquit*) „Constantino adhærens, cui licet baptis„matis gratia in ultimis constituto omnia pec„cata dimiserit, tamen quod primus Impera„torum credidit, & post se hæreditatem fidei „dereliquit, magni meriti locum reperit. *Notanda verba*: „Baptismatis gratia in ultimis con„stituto: *hæc enim important, circa vitæ finem baptizatum fuisse. D. Hieronymus etiam, in Chronico expresse scribens* „Constantinus, extremo vitæ suæ „tempore, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo „baptizatur: *quæ verba adeo clara sunt, ut Severinus Binius nihil aliud opponendum habuerit,*

quam

quam subreptitia esse, & ab alio potius quam ab Hieronymo supposita. Verum cum absque ullo prorsus fundamento asseratur, hæc in Chronico D. Hieronymi supposita esse, manet testimonium Chronici inconcussum, & auctoritate D. Hieronymi fultum. Ita Schelstratius: cui libenter ex Janningi Amica Expostul. num. 47. adjunxerim, Baptismi Constantiniani ministrum, Eusebio innominatum, non fuisse Nicomediensem Arianum, uti conjectando asseruit Hieronymus, vel apud aliquem Arianum legit; sed *Petrum, Solorum in Cypro Episcopum*, hoc titulo ad diem 2. Januarii celebratum in Hagiologio metrico Habessinorum, juxta Ecclesiæ Alexandrinæ fastos digesto. Hoc notato, ad Schelstratium redeo, probationes Nicomediensis baptismi sic prosequentem.

Demum Concilium Ariminense 400. Episcoporum, in Synodica ad Constantium Imperatorem anno 359. quam Theodoretus lib. 2. cap. 19. Socrates lib. 2. cap. 29. S. Hilarius Pictaviensis in Fragmentis, Cassiodorus in Hist. tripart. aliique, sed corrupte citarunt . . . . unde eorum versiones præteriens, epistolam illius Concilii, a Sozomeno lib. 4. cap. 18. accuratius editam in medium affero, „ Nefas duximus recte & juste sancitorum aliquid mutilare, & eorum qui in Nicæno Tractatu consederunt, una cum gloriosæ memoriæ Constantino, patre Pietatis Tuæ. Qui Tractatus manifestatus est & insinuatus mentibus populorum, & contra hæresim Arianam tam appositus invenitur, ut non solum ipsa, sed etiam reliquæ hæreses inde sint expugnatæ: a quo si aliquid demptum fuerit, venenis hæreticorum aditus panditur . . . . In hoc igitur Tractatu cum magno examine fuisset conscriptum, Constantino præsente, quod tenens baptizatus ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde aliquid mutilare. *Hæc Patres Ariminenses apud Sozomenum versione Valesiana, ex quibus corrupta aliorum Auctorum lectiones mutile restituuntur. Hinc enim patet, Patres Ariminenses non voluisse, quod Constantinus adfuerit Mediolanensi Concilio, neque ibi conscriptam esse fidei formam cum magno examine, ut indicant Hilarius supra; sed Tractatum fidei Nicænæ, præsente Constantino Magno Constantii patre conscriptum, omnibus fuisse propositum . . . & in hoc nihil se mutare velle profitentur Patres Ariminenses, Constantio Ariano Constantinum patrem apponentes, qui fidem illam tenens baptizatus, ad quietem Dei migravit; ac si dicerent, usque ad finem vitæ tenuisse, sicque baptizatum ad quietem Dei commigrasse. Hæc videtur genuina Patrum Ariminensium lectio; ut post tot veterum testimonia, non sine fundamento Theologi Parisienses inclinare videantur in hanc opinionem, quam Theophanes Orientalibus adscribit*: „ Orientales, inquiens, aiunt, apud Nicomediam eum circa mortem „ ab Eusebio Nicomediensi Ariano baptizatum, „ ubi & contigit eum dormivisse: differebat „ enim, inquiunt, Baptismum, sperans in Jordane flumine baptizari.

Neque soli Orientales, sed cum Ambrosio, Hieronymo & Patribus Ariminensibus, id recentiores quoque Occidentales amplexi sunt, & inter alios Cuspinianus in Vita Constantini. „ Quod lavacrum Baptismatis, in extremum vitæ tempus, distulerit. *Et Dionysius Petavius lib. 6. Rationarii temporum c. 1. an. 337.* „ Ipso Pentecostes die moritur Constantinus in suburbano „ Nicomediæ, ubi paulo ante mortem baptizatum esse plerique veterum affirmant: quibus Cardinalis Perronius nuper adstipulatus est, dum „ post Nicænam Synodum baptizatum ab Eusebio Nicomediensi Constantinum asserit. „ Hactenus Schelstratius, cujus prolixiorem contextum transcripsi, ut appareat vel ignorantiæ vel malevolentiæ summæ fuisse, mihi amice crimini vertere sententiam, adeo antiquam fundatamque: quanta item pervicacia fuerit P. Sebastiani, in Motivo juris operosa contra disputantia, & adeo certas claraque auctoritates oppugnantis, per nugaces cavillos, quos in Expostulatione atque Postscripto suo Janningus discussit. Res autem adeo certa est [1] ut Schelstratius, ad Baptismum Romanum tenendum propensior, &

[1] Matthias Furkmannus Austriacus historiam sacram de Baptismo Constantini Romæ anno 1743. edere cœpit, & in ea fictitium hujus imperatoris baptismum Nicomediensem pluribus comprobat. Librum ipse non vidi. Ante hunc Cl. Blanchinius in suis ad Anastasium Bibliothecarium notis pro Romano Constantini baptismo acriter pugnat, profertque hæc verba vetustissimi chronographi Nestoriani Constantino pene æqualis, quem in sua Chronographia transcribit Joannes Malala scriptor Antiochenus sub Justiniano. *Baptizatus est* (Constantinus) *cum matre Helena a Silvestro Episcopo Romano: baptizati etiam sunt propinqui ejus omnes & amici, Romanorumque insuper aliorum multitudo ingens.* Quid igitur faciendum Eusebio, cujus ex Schelstratio verba Papebrochius recitat? Putat Blanchinius Eusebium nil aliud significare voluisse, quam Constantinum Nicomediæ instante morte primo Sacramento pœnitentiæ sua peccata expiasse, ac deinde Confirmationis Sacramento nomen Christi militiæ dedisse. Ingeniose quidem, num etiam solide? Et vero si unus Eusebius testis Nicomediensis baptismi nobis suppeteret, diserta Nestoriani ac Malalæ sententia pro Romano baptismo minus violentam hanc Eusebii interpretationem redderet. Sed quemadmodum ad Orationem S. Ambrosii de obitu Theodosii adnotarunt doctissimi PP. Benedictini, non potuit Ambrosius elatioribus verbis suam de Constantini baptismo sententiam promere. Nihil etiam obscurius eumdem Principem in extremia tantum eo Sacramento initiatum esse alii scriptores testificantur, quos vide tum apud Janningum, tum hic apud Papebrochium. Hosne omnes aut mendacii incusabimus, aut ineptæ incredulitatis, ut Nestorianum ac Malalam audiamus? quorum hic minime spectat ad Justinianæum sæculum, ut videtur sentire Blanchinius, sed ad sæculum nonum, quod pluribus comprobat Humfredus Hodius in Prolegomenis ad Oxoniensem Malalæ editionem anni 1691. ille vero *historiam suam* [verba Malalæ sunt in Zenone pag. 85.] *ad Leonem usque perduxit*, atque adeo Constantino junior fuit pæne sesquisæculo; anno enim 473. Leo junior Imperio potitus est, Constantinus vero vita functus anno 337. Photius etiam, ut alia taceam, non Romanum modo baptismum negat, sed negantem quoque Eusebium producit eo ipso loco, quem de Pœnitentiæ & Confirmationis Sacramento intelligit Blanchinius. Age jam cætera ipsius Eusebii verba, quæ Papebrochius omisit, diligentius consideremus. *Hinc ad suburbana Nicomediæ digressus, convocatis Episcopis sic ad eos verba facit. Hoc erat tempus, quod jam dudum sperabam, cum incredibili cupiditate arderem, votisque omnibus desiderarem Salutem in Deo consequi.* [Consequi autem Constantinum potuisse salutem sine confirmatione quis neget?] *Jam tempus est, ut signum illud quod IMMORTALITATEM CONFERT accipiamus.* [Porro vitam immortalem non confert Confirmatio, sed auget, confert autem baptismus.] . . . *Equidem olim statueram id agere in flumine Jordane*,

& Nicomediensem negare non valens, cœperit dubitare, aliisque proposuerit considerandum, an ea difficultas solvi non posset, sustinendo, quod Constantinus, Romæ Catholice baptizatus, Nicomediæ rebaptizatus sit, more Arianorum. Sed hunc morem ego doceo tam antiquum non fuisse, adeoque effugium illud non valere, alioquin non omnino novum; cum apud Schelstrasium auctores inveniantur, ante centum annos Cardinalis Jacobatius lib. 10. de Concilio, & Jacobus Zenus Episcopus Paravinus ante annos 250. Hoc autem si sanctæ Sedi placet (quamvis haud credo futurum ut placeat) non ero difficilis, ut, clausis ad ceteras rationes oculis, traditionem qualemcumque recipiam.

24 Jam quod ad ipsa *Acta S. Silvestri* attinet, quæ Patern. vestra nititur persuadere, fuisse a Gelasio Papa & considentibus sibi Episcopis septuaginta *cum omni honore suscepta*, jam tertio se convicit Janningus, quam id falsum sit; coactus denique in Postscripto decretum Gelasianum expendere, ut vel modicum Latine scienti pateret, hoc de iis Actis non posse intelligi, nec aliud illis a Gelasio tribui, quam quod, *nonnulli os Catholici legant*, ideoque non omnino prohiberi.

25 Amplius inde nihil extundes, & (*sicut hodie extant*) ipso Baronio judice, ad ann. 315. num. 17. sunt *deturpata compluribus mendaciis*: quæ ipse quidem *aliunde* irrepsisse censet; sed omnino gratis, cum in omnibus obique MSS. Legendariis, etiam vetustissimis (extant enim fere in omnibus) inveniantur: & talia legit is, qui Græca fecit, ut sunt apud Lipomannum & Surium, non quidem Metaphrastes, sed sesqui-seculo junior Joannes Zonaras, Allatio teste.

26 Et alia quidem Actorum Silvestrinorum mendacia multa, cum *Baronio* expendi ego, expenditque Janningus, neque hic debent iterari, ut fabulositas toties demonstrata iterum exponatur. Iis ergo omissis lubet Prologum, hactenus intactum, considerare, sicut apud Mombritium excusus, & alibi passim est manu exaratus. Sic ille orditur, ad aliquem (ut videtur) Romanum Pontificem, a quo jussus erat *de Græco in Latinum transferre* quæ spectant Silvestrum: *Historiographus noster Eusebius, Cæsareæ Palestinæ urbis Episcopus* (ubi nostrum appellans Eusebium, ostendit quo in pretio ille ipsiismet Romanis esset) quamvis non haberetur genuinus, sed solum contractus & interpolatus ab interprete Rufino: *Historiographus*, inquit, *noster Eusebius cum Historiam ecclesiasticam scriberet, prætermisit ea, quæ in aliis opusculis sunt, vel quæ se jam meminit retulisse*.

27 Tum veluti indicaturus fontem, ab Historia ecclesiastica diversum, unde credi vult, se ibidem præterita eruisse, addit: *Nam & viginti libros omnium pene provinciarum passiones Martyrum & Episcoporum & Confessorum & sanctarum Virginum ac mulierum continere fecit; deinde secutus & ab Apostolo Petro omnium Episcoporum nomina & gesta conscripsisse*, & in his scilicet etiam S. Silvestri. Simile nihil habet de Eusebio Hieronymus, in libro de Scriptoribus, lucubrationes ejus, quotquot noverat, accurate enumerans, quarum etiam aliquas fecit Latinas.

28 Interim non modo compilatorem istum, nihil verorum Eusebii operum cognoscentem, sed etiam Hieronymum latebant libri quatuor de Vita Constantini, in quibus etiam Nicomediensis baptismi refertur historia; quos superiori primum seculo repertos Græce editos, mox Latinitate donatos, habuit Baronius: nec fuit inventus hactenus qui dubitaret, quin vere Eusebiani sint, cum id ipsum stylus faciat manifestum.

29 Tam diuturnas tamen librorum istorum latebras consideranti, & ad Romanum baptismum, excluso etiam Nicomediensi, tenendum obfirmato, præberi ansam video suspicandi, quod totum illud de baptismo Caput attextum aliunde Eusebio sit. Sed ejusmodi dubitationem inutilem redderet ad finem intentum consensus omnium exinde Græcorum, Socratis, Sozomeni, Theodoreti: quorum si aliquis genuinum Eusebii textum habuit, salva res est; si nemo, & tamen eadem cum illo scripserunt; nihilominus, imo multo magis, salva manet: siquidem eorum ultimus vix 100. annis junior Eusebio, alii etiam propiores fuere. His autem accedit ipsemet Hieronymus, in Supplemento Chronici, quod ex Eusebiano Græco transtulerat, eadem, qua Rufinus historiam, libertate: ibi enim clare dicitur *Constantinus, extremo vitæ suæ tempore .... baptizatus*.

30 Hæc eo dicta sint, ut intelligat Lector, quam nihil boni verique sperandum ab auctore Actorum Silvestrinorum fuerit, qui ut persuaderet, se ex Eusebio hausisse de Silvestro ea, quæ ille nec scripsit unquam, nec scribere cogitavit, imo quibus prorsus contraria scripsit (vere, an falso, jam non disputo) necesse habuerit et affingere opera, nemini visa, nemini videnda: & quam bene huic Auctori possit applicari, quod Hincmarus senior exprobabat Juniori apud Theoph. Rayn. in Syntagm. de libris propriis, cap. 72. *admissa in ipsa adeo conspiratione* (imo lapsu perquam fœdo) *non potuerit expectari progressio melior*. Et tamen, pro tali scriptore vindicando, reus accersor ad Apostolicam Sedem.

31 Additur quin etiam criminatio gravis ex Epistola Possini, & exaggeratur, tamquam sententia *admodum scandalosa & periculosa in Ecclesia Dei, cum sic omnia primorum seculorum miracula ab hereticis explodi possint*, eo quod cum il-

lo

dane, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum lavacrum suscepisse memoratur. Sed Deus, qui optime novit ea, quæ nobis utilia sunt, hoc in loco nobis IDIPSUM exhibere dignatur. [Num autem ad imitationem Christi confirmari in Jordane peroptasset Constantinus? Baptizari sane ita Jordane voluit. Cum igitur in suburbanis Nicomediæ idipsum acceperit, quod in Jordane suscipere cupierat, qui Confirmatione ibi roboratum, non Baptismo ablutum illum dicemus?] Sed pergit Constantinus apud Eusebium. Idque semel decretum est, ut in posterum una cum populo Dei permiscear, & in Ecclesiam adscitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam. Atqui hæc belle Baptismo aptari possunt, Confirmationi non item. Quid? quod paulo post Eusebius Constantinum in Martyrio RENATUM RENOVATUMQUE appellat. Valeat igitur, pace dixerim doctissimi viri, valeat novum hocce Romani baptismi propugnandi systema, quod P. etiam Constantinus Roncaglia in suis ad Natalem Alexandrum notis tom. 4. pag. 333. ante nos confutavit, illudque Coronidis loco adscribamus, quod Benedictini Ambrosii editores aiunt in loco nuper appellato: *Mirum videtur adhuc extare, qui Constantinum a Silvestro Papa baptizatum ex Actis apocryphis obstinatius defendant*. Noster Ludovicus Dumesnil vir emunctissimæ naris tom. 1. doctrinæ & disciplinæ Ecclesiæ l. 10. n. 53. ad Romani baptismi inficiatores paucis abhinc annis accessit.

In *overtenuade blaterem* pag. 213. & dicam; *Erant primis Ecclesiæ seculis Christiani, qui fingere ac mentiri pro religione pium crederent*. Si dubitas, Pater Rev. inspice Breviarium tuum, & ex S. Hieronymo ad festum S. Lucæ, recordare quotannis tibi lectum: *Presbyterum quemdam in Asia, amatorem Apostoli Pauli, convictum a Joanne quod auctor esset libri* (de periodis Pauli & Theclæ) *& confessum, se hoc Pauli amore fecisse*. Idem dixerim de miraculis & disputationibus S. Petro affictis, in libris Recognitionum Clementis, quos Baronius ad an. 51. n. 5. *manifesta impostura* argui dicit, & in Indice, talium *ab Hæreticis depravatos* ait. Idem de Vita S. Joannis per Prochorum, quasi unum ex vii. Diaconis, cujus scripta idem Baronius ad ann. 44. num. 30. *prorsus commentitia ac fabulosa, & indigna planæ chartis* esse pronuntiat, & auctorem non nisi *Pseudo-Prochorum* appellat, illic & alibi: interim tamen excusus habetur liber, tam in Orthodoxographia, quam in Bibliotheca Patrum. Similia autem inveniuntur plurima inter Martyrum Acta, varia aut numquam scriptis aut deperditis supposita.

32 Quid vero miramur talia, etiam primis seculis; & minime tolerandum putamus? cum similia facta demonstrentur etiam seculis posterioribus; atque inter illos ipsos, qui ea de causa sic me meosque libros exagitant, non ita pridem inventi sint, qui non modo ignotis ac nullibi extantibus auctoribus, bibliopolis, & approbatoribus, supponerent libellos contra me; sed etiam Clariss. Viro D. Antonio Herovallio, viventi ac fiendenti, publiceque de injuria contestanti, supponerent Epistolam bene prolixam: quam, etiam post detectam redargutamque fraudem, non dubitarunt Latinam facere ac lata vulgare. Numquid non hoc est *pro religione* (si ita meo pro religione) *fingere ac mentiri*, quos si volumus utrimque excusare, dicendo quod crediderint *pium esse* illud, numquid non *pie* ipsi cum illis agimus, aam benigne accipiendo factum, per se alias detestabile?

33 Ast hoc est præbere hæreticis ansam ad *omnia primorum seculorum* (dic, si vis, omnium *seculorum*) *miracula* explodenda. Distinguo; R. P. Professor. Est hæreticis ex pervicaci malitia cæcutire, & quidlibet perperam, imo stulte arripere volentibus, ansam, non tam præbere, quam non eripere; transeat: de his enim præcipit Christus Matth. 15. *Sinite illos; cæci sunt & duces cæcorum*. Hæreticis, minus malis nec ineruditis: nego. Hi enim, deposita noxia & inveterata persuasione, qua putant Catholicam fidem teneri non posse, absque omnimoda credulitate eorum omnium, quæ Papistarum Monachi (uti loquuntur) de Sanctorum suorum miraculis garriunt citra ullum veri falsique discrimen; cum hoc vident adhiberi ab eruditis Catholicis, non solum impune, sed etiam cum laude; & scriptores veros a suppositiis distingui; mollescunt paulatim, & quæ antea contempserant Sanctorum Acta, dum nihil distinguebatur, jam magni faciunt, eruunt, legunt.

34 Sin autem eis, in quo id fit opere, utriqua viderint, ab ipsa Apostolica Sede (id quod tota Exhibitione prætenditur) nigrum aliquod stigma inuri (quod Deus & Sancti omnes avertant) novo *fastidio Catholicam Ecclesiam aspernabuntur, longiusque animos ab ea avertent, quos de candore ac eruditione Orthodoxorum meliora ac propiora salutis sentire, elucubratio ista cogebat*, ut nuper Sanctitati suæ scripsit Illustrissimus Archiepiscopus Sebastenus Petrus, Vicarius per Hollandiam Apostolicus, optimus utique talium arbiter & propria doctus experientia. Quapropter in ea Epistola urgeri se dicit, *ratione muneris injuncti sibi, ad implorandum sanctæ Sedis patrocinium operi* (ut intellexerat) alibi inique oppresso, & ad Romanum quoque tribunal delato, *quod usque terrarum ab eruditis prisque more celebratur, quo quo in tantam Ecclesiæ, præsertim inter Acatholicos militantis, cedit utilitatem*. Hoc testimonium Antistitis, in nostris operibus minime rudis, habent Accusator contra multos suæ Exhibitionis Approbatores, de quibus satis dictum est in Epist. Familiari a num. 37. & Amica Expostulatione a n. 78. quod non tantum approbarint librum vestrum, quem poterant legisse; sed damnarint etiam libros nostros, quos non legerant, nobis non auditis; imprudenter fisi *citationibus* Accusatoris, ubique, uti hæc Responsio docet, infidelibus.

§. IV.

ACCUSATIO.

Papebrochius cum Luthero aliisque hæreticis donationem Constantini Imp. Sedi Apostolicæ factam, censuit esse fictitiam.

RESPONSIO.

Aut fallis, aut falleris, R. Pater, ambiguo *Donationis* vocabulo abusus aut deceptus; plane sicut Art. 1. §. 4. *in Veronico*. Deceptum falli, malim dicere, sed falli ex nimis ardenti accusandi zelo. Quamquam enim vox *Donatio* in Jure significet propria Actionem, qua rei alicujus dominium a donatore transit in donatarium, & sic dicitur Ecclesia possidere multa *ex donatione Constantini*, quod nec hæretici quidem negabant, vulgari tamen usu loquendi inter Historicos, *Donationis* nomine etiam venit instrumentum authenticum, quo translatio talis ad fidem faciendam habetur consignata: & quia absque hoc subsistere potest ac frequentissime obtinet donatio, possessione immemorabili suffulta; idio absque Ecclesiæ injuria, quæri potest de eo quod profertur, verumne, an suppositium sit. Sic in l. 12. cod. *de fide instrumentorum* dicitur: *Non ideirco minus, in vacuam inductus possessionem donationis causa, quod ejus facti prætermissum Instrumentum asseveratur, hanc obtinere potes*. Et, in l. 5. ff. eodem titulo: *Si res gesta, sine litterarum quoque consignatione, veritate factum suum probet, non ideo minus valebit, quod instrumentum nullum de ea intercessit*. De hujusmodi *Donatione*, sive ut alias vocatur *Edicto*, id est Donationis instrumento, omnis inter Catholicos quæstio est, fueritne revera conditum aliquod (ut est verosimile, non unum, sed plura condita fuisse, & forte quoties aliquis fundus, vel possessio immobilis donabatur) & si fuerit, an ipsum sit, quod nunc eo nomine Latine vel Græce circumfertur; adeoque an eo doceri certo possit, quid quantumve Ecclesiæ donaverit Constantinus, præter prædia & dona apud Anastasium Bibliothecarium recensita in Vita S. Silvestri.

36 In utraque acceptione agit de Constantini donatione ad annum 324. Baronius, ex eoque verbotenus transcriptus Binius, in Notis ad Scripturam sive Edictum (ut vulgo appellant) Constantini. Quid uterque scripserit, ne longus sim, indicatur in Indice post tom. 3. Annal. his verbis: Donatio Constantini multis fulcitur verosimilibus conjecturis; haud probatur Edicto, a Græcis depravato. An non melius dixisset, confisto toto dijudicabis, si legas in suo contextu Baronium sic loquentem num. 118. Justa possessio (quem.... posteriores Reges ac Imperatores ratam habuere ....) ex depravata illa a Græcis mutata donationis Edicto, ambigua potius redditur, quam probetur.

37 Hæc dicentem Baronium non accensebit, credo, Pater. vestra Hæreticis, quia Lutherus cum suis, simul negans & rem & scripturam, Donationem dicit mendaci & stolidissima diplomate confictam. Si autem Pater. vestra dixerit, contra eum contendens, Donationem veraci & sapientissimo diplomate confirmatam, æque falsum dixerit atque ille; cum de verissima donatione falsissimum diploma, non solum fingi potuerit, sed reipsa confictum manibus teneatur. Frustra igitur pro te allegas, R. Pater, Baronium & Binium, qui tibi adversantur: frustra etiam Labbeum & Cossartium, quorum hujus nec nomen quidem uspiam istic notatur, iste Observationem bene longam subjicit de Græco textu ejusque interpretatione, nihil addens, quo Edictum probet vel improbet.

38 Baronius porro, itemque ex eo Binius, ad an. 1191. pluribus acturus de veteri ejusdem edicti exemplo, circa id tempus reperto sub nomine Joannis Diaconi, & num. 61. longam excursionem finiturus, sic orditur: Quamquam plerique Romanorum Pontificum, ut S. Gregorius & Hadrianus, nec non etiam Nicolaus vel alii, meminerint beneficentiæ Constantini erga Romanam Ecclesiam .... nullus tamen ante Leonem IX. ejusdem Edicti aliquo modo fecisse mentionem reperitur.

39 Cum vero ante etiam num. 53. idem dixisset, addidit, quod Edictum ipsum, ex Leonis IX. Epistola haud modicum fidei incrementum accepit, unde posteri, absque aliqua Græcorum imposturæ suspicione & indagatione, bona fide sicut ipsum legerint, ita receperint: quod idem est ac fateri, quod Leonis IX. Edictum recipientis auctoritas, & in hac fundata bona fides posterorum, solam imposturæ ignorantiam, & indagationis defectum pro fundamento habuerit; ac proinde eruditos dimovere non debeat ab agnitæ falsitatis reprobatione. Atque ita per Baronium ipsum difflatur tota illa, quam ex Coccio operose producis nubes testium, nec non & tua accusatio, toties iterata, quod Pontifices dicam in puri facti quæstionibus falli posse, dum aliquid bona fide narrant, ut acceperunt.

40 Instare tamen mihi videris, & amplius aliquid velle extundere ex Paralipomenis meis ad Conatum pag. 43. ubi irreverenter dicere arguor, quod Pauli Papæ II. dicta, asserentis Constantinum fecisse translationem Patrimonii, quod Ecclesia sancta Sedi applicavit . . . numquam efficere poterunt, ut viri eruditi desinant de rei veritate dubitare; optentque videre certiora Constantinianæ Donationis etiam quoad solam substantiam, documenta. Hoc autem intorto velut peremptorio jaculo, quæris, R. Pater; quinam sint illi viri eruditi, præter hæreticos ante nominatos, nisi Launoyus, Alexander, Quesnellius: quorum scripta nonnulla prohibita sunt legi, quorum quia ipsos & hic & alibi damnatos appellas, liberaliter censura omni pariter eorum opera sine notata.

41 Respondebo igitur, ipsum mei inter illos numerandum Baronium, qui cum donationem prædictam dicit verosimilibus conjecturis fulciri, haud obscure indicat certiora se optare documenta, quoad res in specie donatas, eaque se producturum si posset. Notabis autem, quod ille amplam quidem & multam Constantini liberalitatem prædicet, nihil tamen in particulari definiat, quamvis non nescius prædicto Decreto contineri, non solum Urbem Romam cum Palatio Lateranensi, sed & omnes totius Italiæ & Occidentalium regionum provincias & civitates. Nicolaus Alemannus, sub auspiciis Francisci Card. Barberini parietinas Lateranenses Romæ perquam erudite illustrans an. 1625. cap. ult. & fuse de Patrimoniis S. Petri agens, & Cangius in Glossario; ne semel quidem Constantini meminerunt.

42 Istis accedunt a Cancelio nostro, in opere de historia metropolitanarum urbium pag. 191. citati, ut Edictum improbantes, Æneas Silvius, postea Pius II. S. Antoninus, Card. Cusanus, Baronius, Morinus, aliique, quos nec tu, credo R. Pater, viros eruditos fuisse negaveris, etiamsi nec propter commeritam censuram, tales esse & haberi desinunt illi, quos mihi exprobras. Ipsos autem, inquit Cancelius ibidem, si audias, in illa Donatione, absona sunt omnia; verba, quibus contexitur; stylus; scriptionis genus & character, a Constantini ævo abhorrent; utraque fabula est, Historiæ fidei, Constantino, Græcis, Francis, summo Pontifici inimica; sequioribus sæculis ab imperito nescio qua consuta. Nec pigebit etiam hic adscribere, quæ prælaudato Antiquitatum illustratæ opere, dictæ Dissertationis 3. cap. 7. num. 337. habet Schelstratius. Postquam enim de Decreti auctore & defensoribus ejus egit: Verum quidquid sit, inquit, de plurium hanc Donationem defendentium zelo, & ardore, plurima in illa continentur, quæ aut interpolatam aut suppositam certo confirment, etiam in illa parte quam retulit Theodorus Balsamon, & in qua Constantinus sic scripsisse fertur: „ Tradimus itaque ipsis Sanctis Apostolis Dominis „ meis Petro & Paulo, ac post illos B. Silve„ stro Patri nostro, magno Episcopo & Catho„ lico Papæ urbis Romæ, omnibusque succes„ soribus ejus, qui ab hodierno die usque ad „ finem mundi in solio B. Petri præsidebunt, „ Imperatorium nostrum Palatium Lateranen„ se, quod superat atque vincit totius mundi „ palatia.

Sed errorem esse illius qui Donationem Constantino supposuit, clare ex Baronio ad ann. 312. ostendit Christianus Lupus, parte 4. in Canon. 8. dictatus Gregorii VII. „ Etenim, inquit, Latera„ nense Palatium possedit Melchiades Pontifex, „ & in ipso synodaliter damnavit Donatum E„ piscopum in Casis nigris & alios Donatistas, „ adeoque illud Constantinus non dedit S. Sil„ vestro. Nec verum est ipsum fuisse eminentis„ simum cunctorum in toto mundo Palatiorum. „ Erat enim Plauti Laterani domus, de qua „ in litteris ad Oceanum S. Hieronymus; in „ Basilica quondam Laterani, qui Cæsareano trun„ catus est gladio. „ Fuerat a Nerone Augusto

„ per-

„ percussus, adeoque ipsius in fiscum redactas ædes vel Constantinus conjugi suæ, vel filiæ suæ Faustæ dedit Herculius Maximianus; atque ita ipsas S. Optatus Milevitanus Episcopus vocat „ *ædes Faustæ in Laterano*. „ Addit S. Hieronymus, ad Chronica sui annum 331. „ *Constantinus uxorem suam Faustam interficit*, adeoque non Constantinus, sed ipsa Fausta videtur suas ædes donasse Melchiadi. Hinc ipsas Romani Pontifices perrexerant, in beneficii memoriam, titulare ædes Faustæ. *Huc usque Lupus, qui de Edicto scribit* „ esse spurium & fictitium, nemo eruditus hodie dubitat.

Ipsum Constantino quoque abjudicandum docet de Marca lib. 3. cap. 11. §. 1. asserens, quod ea Donatio jam „ a præclaris viris confossa, & profligata sit. *Assumit autem hæc Edicti verba*. „ Decernentes sancimus, ut Principatum teneat Sedes Romana tam super quatuor præcipuas Sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in universo orbe Ecclesias. Hic vero, *inquit Parisiensium Archiepiscopus, de Marca* „ Constantinopolitana Sedes post Antiochenam, Alexandrinam, & Hierosolymitanam recensetur; & Romano Pontifici non sola concessus prærogativa, sed etiam Principatus in omnes Ecclesias & Universalis Papæ appellatio tribuitur. Atqui ex hoc Articulo maximum inficiis argumentum trahunt eruditi adversus interpolatorem Donationis, eo quod Constantinopolitanam Sedem inter Patriarchales recenseat tempore Constantini, cum certum sit evectam tantum fuisse in eam dignitatem a Concilio Chalcedonensi, centum triginta & amplius annis post tempus Edicti. *Addit ege* (nempe Schelstratius) *hoc Edictum subnotatum esse* „ tertio die Cal. Apr. Domino nostro Flavio Constantino Augusto quater & Gallicano viris clarissimis Coss. *Et licet hæc nota Consularis falsa sit, nec in Fastis reperta, Constantinus tamen quater, & Licinius Augustus quater, Consules dicuntur anno 315. S. Silvestri sexto, quo anno needum Byzantium nomen Constantini mutaverat, nec in thronum Imperialem evasecat, ut vel ex hac parte constet de suppositione Edicti*. Hucusque Schelstratius: a quo citatus modo locus Petri de Marca, sumptus ex ejus Censurato libro, satis indicat scriptorem istum, Romani moris satis peritum, non formidasse Auctorem talem usurpare in favorem Antiquitatis ecclesiasticæ, suppresso dumtaxat libri proscripti titulo, non autem Auctoris alias laudatissimi nomine: de quo pluribus infra Art. 7. §. 5.

43 Quibus ita stantibus, nec quoquam, cui notum inter eruditos sit, *Patrimonia S. Petri* aliter definiente, quam *Ecclesiæ Romanæ prædia, ditiones, vel census in Provinciis*, uti ea definit Cangius, qualia apud Anastasium bibliothecarium complura leguntur a Constantino donata; numquid non merito *viri eruditi* pergunt *dubitare de veritate Constantinianæ Donationis*, tam amplæ, quam facit Edictum istud suppositititium, *eorumque videre certiora, etiam quoad substantiam*, rerum donatarum documenta; unde intelligant distincte, quid ultra enumerata ab Anastasio Ecclesiæ largitus sit Constantinus? Sed neque acquiescent dictis Pauli, eo sensu quo vellet paternitas Vestra, quasi is voluerit indicatum, totum id a Constantini dono esse, *Quod Patrimonii nomine Ecclesiæ sanctæ Sedi applicavit ita persona Sancti Silvestri*, quodque Paulus ipse sub eodem titulo possidebat.

§. V.

ACCUSATIO.

Papebrochius negat, ex Natale Alexandro cum hæreticis, jus eligendi Imperatorem per septem Germaniæ Principes, profluere a Constitutione Apostolica.

RESPONSIO.

SI negassem, quod jus illud *ab Apostolica Sede manarit*, haberes, R. Pater, quod merito redargueres, veluti Apostolicæ Sedi injuriosum. Nunc cum id expresse asseram, quid est quod arguas? At quod subjungam, id non aliter factum, quam *quatenus Sedes illa, usu potius quam constitutione aliqua se obligavit, ad eum coronandum Imperatorem, qui fuerit rite electus Germaniæ Rex*; Id vero detrahit sanctæ Sedi nihil; sed quadamtenus facit liberiorem, ad jus istud Electoribus, solo usu & quasi connivientia creatum, si eo abusi fuerint, adimendum, quando pro Ecclesiæ grandi damno vitando fuerit necessarium.

45 Constitutionem tamen Paternitas Vestra omnino vult aliquam, de qua constet *ex Concilio Romano, quod in hunc finem congregavit Gregorius V. anno 996*. Hoc autem unde nosti? Nam Binius, quem pro te allegas, fatetur una cum Baronio, quod talia *Concilii Acta omnia interierunt*. Dicesne superesse Titulum, ex quo id habeatur? Quæram ego, quæ Tituli istius auctoritas sit? quando, & a quo scriptus? Nam facilius fuit Titulum fingi, quam Acta. Titulum sine Actis reservari difficile, nisi in fide testis omni exceptione majoris, qui nusquam producitur. Interim illi ipsi, quos pro te citas, contra faciunt.

46 Audi Baronium num. 57. sicut eum transcribit Binius: *Etsi in controversiam venire non potest id, quod Ottonibus a Romano Pontifice tributum fuerit jus eligendi successores, per Gregorium V. transfusum ad Germaniæ Principes* (uti creditur scilicet, propter titulum prædictum, qui quomodo extra controversiam id ponat, non satis video) .... *nemo jure inficias ire poterit, post tertii Ottonis obitum, ducentis & amplius annis, quotquot electi fuerunt Romanorum Reges, Imperatores designatos eosdem non septem dumtaxat Electorum, sed omnium Principum Germanorum, qui ad comitia convenissent, suffragiis fuisse ad regium culmen electos.*

47 Labbeus & Cossartius, quos similiter citat Paternitas vestra, curatores quidem fuerunt novæ editionis Conciliorum, sed, ut alibi multa notarint sub nomine suo, ita hic omnino verbum nullum, quod facere ad rem possit. Desine ergo, R. Pater, objectare mihi Alexandrum, qui mihi nec dux nec auctor sententiæ hujus fuit, sed adjutor dumtaxat, multa distinctius fundatiusque quam alii de hoc argumento disputans, idque in favorem Pontificis; & Innocentium III. atque Clementem V. suggerens, ex quibus eadem sententia, de jure electionis a Pontificia Sede emanato, confirmatur; nec non ex ipsorummet Electorum jus illud sic acceptum fatentium litteris, scriptis anno 1279. ad Nicolaum Papam III. quorum ego needum repertas mihi auctoritates,

Pon-

Alexandro Natali libenter imputabo, si per vos liceat.
Pontificiæ dignitati faventes, non puto contemnendum

48 Tali autem cùm non puto Alexandri, etiam post testimonium auxiliumque Alexandri, cum requisita facultate lectionis ejus prohibitionem, cum requisita Sedis defensionem, necessi ad ipsius Apostolicæ Sedis excellentis eloque ei suberahendum doctrinæ deberi censet erugium, quod eidem etiam nunc Eminentissimus dictissimus S. Galli Abbas, nunc Eminentissimus Card. Sfondratus, in libro cui titulus, *Innocentia vindicata*, nuper in lucem dato, ubi pag. 38. citans eumdem *Natalem*, *celeberrimum nostra ætate Theologum & Doctorem Parisiensem* sine scrupulo appellat.

49 Hæreticos, qui Pontificibus Romanis omnem in constituendis Electoribus partem sublatam vellent, execror & refello, tantum abest ut sequar: sed tu libenter eos mecum componis, licet a te nec visos, nec lectos, quia nec nominari quidem eos sustines, nisi quando pro te faciunt. Ecce autem, ipso quo hic Paragraphus recudebatur die 26. Septembris (nam prima tecundique Articuli exempla, intra septimum a cœpta impressione mensem distracta, necessitatem illos citius recudendi adduxerunt) accipio ex Abbatia Rodensi prope Aquisgranum literas ab eximio Patre Fr. Norberto Delbeeque Ord. Prædicatorum S. Theologiæ Doctore atque ibidem Professore, datas 22. hujus ipsius mensis, quibus moneor, nihil causæ esse, cur adeo timide frigideque excutiam usum librorum Natalis Alexandri. *Habeo enim*, inquit, *datas Parisiis anno* 1694. 1. *Februarii litteras, quibus securus reddor, nequaquam id Curiæ Romanæ displicere. Nam cum R. P. Antonius Pagius, de hoc ipso solicitus, quia primo Criticorum suorum Tomo plurimum ipso Alexandro usus fuerat, suppresso tamen Auctoris nomine, atque optabat posse palam exprimere in Tomo suo 2. cum, inquam, P. Pagius consuluisset præcipuos Cardinalium, omnibus fere Congregationibus interesse solitos, quærens an id sibi licitum esset; responsum accepit, nihil obesse, quo minus Natalem Alexandrum citare posset, etiam cum merito elogio: quippe cujus in Curia Romana tamen celebre est, & eruditio atque utilitas librorum ejus magni æstimata, licet ipsi ibi fuerint improbati, quæ attestaungunt famosas propositiones Cleri Gallicani, an. 1682. editas*, Hactenus ille: quæ judicavi tantisper communicanda Lectori, donec ipsius Patris Pagii obtineatur testimonium, Cardinalium verba originalia exhibiturum, usuique futurum ad Art. 24. §. 10. totius Exhibitionis ultimum: placuit enim P. Sebastiano cum §. ordiri ab insectatione Auctorum, quorum nomina quomodocumque allegasse magno crimini vertendum mihi existimat; etiam ubi allegantur pro auctoritate Ecclesiæ,

§. VI.
ACCUSATIO.

Papebrochius cum Natale Alexandro sustinet, Nicolaum Papam I. errasse, recipiendo & approbando Acta Concilii Sinuessani.

RESPONSIO.

50 MAlo videre verba mea, ex quibus accusatio deiumpta est. In Propylæo Maii Conat. Chron. part. 1. fol. 44. hæc habeo: *Quid autem cunctabimur fateri, in recipiendis Sinuessani Concilii suppositiitiis Actis, errare potuisse Nicolaum*. Pro *potuisse errare*, maluit Patern. vestra ponere; *errasse* reipsa. Quod dictum saltem crudius est, & minus modestum; quamvis non diffitear, quod Acta Concilii Sinuessani revera mihi supposititia visa sint, licet a Nicolao bona fide citata, ex communi tunc temporis opinione.

51 Quid autem hic contra auctoritatem dignitatemque Sedis Apostolicæ a me peccatum? Ut S. Marcellinum, Pontificem & gloriosum Martyrem, liberem a crimine & infamia idololatriæ, dico Nicolaum I. in hoc ei crimine attribuendo, *errare potuisse*. *Quanto autem gravius, Pontificem aliquem thus obtulisse cum idololatris, quam in alicujus rei narratione erravisse, cum vulgo hominum ceterorum, etiam optimorum*, ut monebam loco cit. Præter Idololatriæ crimen, putida manifestæ veritatis negatio, ac gravissimum mendacium, Marcellino affricanda sunt, si Acta a Nicolao I. allegata subsistant. In his enim refertur Marcellinus, multorum testimoniis convictus, nihilominus Thurificationem a se commissam, negasse; dein plurium oculatorum testimoniis adactus, dixisse: *Non diis sacrificavi, sed tantum grana thuris levatis manibus super prunas combussi*. Tandem completo septuaginta duorum testium numero *cecidit in terram*, & crimen impositum confessus est, ac suo Episcoporumque judicio condemnatus.

52 Hæc, fateor, ducebam non esse, in summo, & sancto Pontifice, admittenda, nisi argumentis prorsus ineluctabilibus probarentur. Talia mihi hactenus visa non sunt, tum quæ ex communi fama, tum quæ ex Nicolao I. Concilium Sinuessanum allegante, proferuntur, cum iis opponantur non pauca, nec levia. Tu quidem R. Pater, dicis *solum Hæreticos & Novatores Acta illa impugnare, & tamquam fictitia rejicere*, me vero *ea impugnare ex meris conjecturis*: quod utrumque a te tam confidenter assertum, quomodo eruditorum oculis exponere non erubueris, vix assequor.

53 Longum esset hic repetere rationes omnes, quæ tum a me, tum ab aliis pluribus, contra prætensam istam Synodum, objectæ sunt. Inter eas est auctoritas S. Augustini, qui totam istam Historiam Thurificationis (præter quam nihil magnopere continet istud Concilium) aperte negat, tamquam commentum Donatistarum, quælibet subdole fingentium ad criminandos Romanos Pontifices: sic enim scribit Augustinus adversus Petilianum, Donatistarum Episcopum, lib. de unico Baptismo cap. 18. *Quid jam opus est, ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis consectatus est, objecta*

sta ab eo crimine diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus Melchiades, & Marcellus, & Silvester, traditionis Codicum divinorum & thurificationis ab eo crimine arguuntur; sed numquid ideo convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam?

54 Hæc scripsit summus Ecclesiæ Doctor, seculo solum uno post Synodum Sinuessanam trecentorum Episcoporum, contra Marcellinum, ut prætenditur, celebratam. Ignoravit igitur Augustinus tantæ auctoritatis Concilium, aut contempsit? An & ignoravere illud Donatistæ? Idem argumentum ex alio Augustini loco urget. Antonius Pagius, celeberrimus nunc in Francia Chronologus, in Criticis suis, communi totius Cleri Gallicani munificentia promotis, & an. 1689. excusis; ubi, quam alibi contra me libere, tam pro me ad an. 302. sincere scribit omnia; & notat, quod *in celeberrima illa, mandato Pontificis facta collatione Carthagine, Catholicos inter & Donatistas, eum sibi separatos jactarent heretici, ad convincendum traditionis Melchiadem Romanum Pontificem, & prolixa admodum Acta legi petivissent: nihil in eis, quo rem probaretur, penitus inventum est, ut refert Augustinus in Breviculo Collat. cap.* 18. *& libro post Collationem cap.* 12. & 13. *At si vere lapsus esset Marcellinus, ibi lapsum ejus objicere non omisissent, ad errandum negotium Melchiadi, qui ejus Presbyter fuerat; sicut moverant quæstionem Cæciliano, quod ab eo fuisset ordinatus Felix Aptungitanus, qui fuerat sacrorum librorum traditor.*

55 Cur autem Donatistæ, accusationis suæ probationem rogati supra ab Augustino, non adduxere auctoritatem Concilii? Respondet pro nobis Christianus Lupus, in notitia Conciliorum versatissimus, Tom. v. Synodorum pag. 228. & sequentibus, fabulosam de Concilio Sinuessano historiam tantum postmodum fuisse confictam. *Probationes rogata fabula*, inquit Lupus, *sibi ipsi non consistit: protulit enim Acta, in quibus non Marcellinus, nec Marcellus, nec Melchiades, nec Silvester sub Diocletiano; sed nescio qui Straton & Cassianus asserebantur tradidisse sub Maxentio .... De Marcellini lapsu nullus antiquus scriptor meminit: quin & de illo scribit in Ecclesiastica Historia ... Theodoretus lib.* 1. *cap.* 3. MARCELLINUS VIR, PERSECUTIONIS TEMPORIBUS, MAGNA GLORIA PLENE NOBILITATUS. *Fuisse persecutionis certamine insigniter defunctum addit Nicephorus Calixtus, quod ipsum scribunt & alii posteriores Græci. Nempe Isidori* (adulterinas) *merces hi non viderunt, ideoque nulla unquam ipsis fuit de Marcellini lapsu vel suspicio ..... Isidorianæ collectionis Auctor ignoravit hæc omnia: apud Donatistas legit lapsum Marcellinum ... & fabricavit Synodum Sinuessanam.* [1] Ib. *Sancti Marcellini lapsum esse calumniosum Donatistarum figmentum, constantissime docet S. Augustinus. Denique esse non solum calumniosam, sed insuper novellam fabulam*, idem *Augustinus ostendit*.

56 Franciscus a Coriolano, ex Ordine S. Francisci, in Summa Conciliorum, edita non tantum cum Privilegio Cæsaris, Regum Hispaniæ, & Galliæ, sed etiam summi Pontificis Gregorii XV. licet Acta Concilii Sinuessani propter antiquitatem admittat, fatetur tamen, quod res est pag. 160. præter hæreticos, & Novatores, *virorum doctissimorum plurimos*, [2] *ea spuria &*

[1] Quid vero si Donatistæ, quemadmodum Marcellini lapsum confinxerunt, Acta quoque Sinvessanæ Synodi fabricarunt? Ita sensisse plures doctos viros novimus, eosque inter appellare lubet P. Mistorium Franciscanum in suis Disputationibus Criticis in Epistolas SS. Firmiliani & Cypriani pag. 226. Et eorum quidem maxime interérat Acta Sinvessanæ Synodi conficere, proque veris obtrudere, qui Marcellino lapsus calumniam primi impegerant. Commentos autem illos ejusmodi Acta fuisse vel post Augustini obitum, vel statim post Carthaginensem Collationem, necesse est, cum Augustinus nusquam illa a Donatistis prolata fuisse meminerit. Et sane quæ post Collationem illam gesta fuerint a Donatistis, pleraque ignoramus, cum tamen etiam Gregorii Magni temporibus certissimum sit illos adeo viguisse, ut sanctus Pontifex in Epist. 33. l. 2. ad Columbum Numidiæ Episcopum conquestus fuerit, *Donatistarum hæresim quotidie dilatari*. Nuperi tamen Veronenses Norisianorum Operum Editores negant tom. 4. in additament. ad hist. Donatist. part. 1. c. 7. Donatistis hæc acta tribui posse, suspicanturque illa excogitata esse post Acta purgationis Sixti Papæ III. in Romano ejusdem fursuris concilio factæ, quæ ex eodem fonte scatere judicantur ex stylo. Hisce subscribit Fr. Ioannes Sbaralea in erudito libro, quem adversus Mistorii Criticas disputationes Bononiæ edidit anno 1741. inscriptumque *Germana S. Cypriani & Aphrorum, nec non Firmiliani & Orientalium opinio de hæreticorum baptismate*, contendis autem initio sæculi vi. nondum Romæ ac in Occidente commentitia illa Sinuessana Marcellini, & Romana Sixti Papæ acta innotuisse, ac publicata fuisse: *nam Ennodius Ticinensis diaconus in libello apologetico pro Symmacho Romano Pontifice inquit*: „ Sedis Apostolicæ Præsulem minorum nutu „ quam subjacuisse sententiæ; *adjecitque*: novam deinde culpam, & quam investigatio nostra transferit, „ reclusisti. Quare Papa sine exempli instituto præcedentis Synodum convocavit, ut de criminum ejus „ objectione cognosceret. *Similiter Episcopi Italiæ in Relatione ad Regem Theodoricum, quæ legitur post ipsius Symmachi concilium III. scribunt*: „ maxime quia res nova est, & Pontificem sedis illius apud nos „ audiri nullum contiae exemplum. *Ex quibus manifestum est Acta illa Sinuessana aut nondum anno 502. confilta fuisse, aut nondum palam producta; alioquin Italici Episcopi non dixissent rem novam esse, & sine præcedenti exemplo, Symmachi Romani Pontificis causam audiri, cognoscique in Synodo a subjectis Episcopis, si jam innotuisset ipsis, Marcellini Papæ causam olim in Sinuessana discussam Synodo fuisse.* Ita vir doctus pag. 369. ubi Christianum Lupum inter eos adnumerat, qui Sinuessanæ Synodi confictionem Donatistis tribuunt. Sed tam claudicat ilthæc consecutio, quam falsum est Lupum, qui ab Isidorianæ collectionis auctore fabricatam fuisse Synodum Sinuessanam disertis verbis tradit, Donatistarum adulterinis mercibus eamdem Synodum adscripsisse. Enimvero ea quidem testimonia falsitatis arguunt Marcellini lapsum, ipsiusque Synodi acta, non tamen necessaria consecutione probant tum acta illa aut nondum conficta, aut nondum palam producta fuisse. Quid enim si Ennodius, si Episcopi Italiæ vidissent acta Sinuessana, sed falsa, atque a Donatistis fabricata existimassent? an non vere dixissent, *rem novam esse & sine præcedente exemplo Symmachi Romani Pontificis causam audiri, cognoscique in Synodo a subjectis Episcopis?* [2] Post Papebrochii tempora vix invenias eruditum virum, qui aliter senserit de commentitio Marcellini lapsu. Præter Mistorium, Sbaraleam, Ballerinios Norisii editores, quos nuper commemoravi, pro eadem sententia stat Franciscus Pagius in Breviario Pontificum, Tillemontius tom. 5. Gravelon in hist. Eccles. Dumesnil Doctr. & Discipl. Eccl. 1. 2. l. 8. n. 15. Scipio Maffeius in egregiis observationibus literariis, sed hujus verba ad art. xvii. opportunius recitabimus, ubi de Breviariis, Ludovicus Antonius Muratorius in Italiæ Annalibus.

Qualitatis argumentis pro-
[illegible] verbis profitetur au-
[illegible] factæ anno 1644. vi-
[illegible] ipse Cardinalis Ba-
[illegible] Concilior. Atque 303. editione 2. non
[illegible] 615. Christi 3d in editione 1. ut
[illegible] quod sententiam, ut Acta
[illegible] fuerit. Et paulo ante: Quæ
Synodi [illegible] multa habeant, quæ ipsis ju-
quidem Acta non [illegible] videantur, ut in se valde dubia,
[illegible] effet, noluimus in pri-
[illegible] arbitrio definire, sed cuncta
[illegible] judicio. Tum dicit, sibi
nunc videri defendendum antiquitati, ut Acta
illa in sua possessione relinquantur; quamvis
rursus fateatur, quod quæ adversus Acta pro-
ponuntur, videantur fortia.

57 Prælaudatus Pagius tum ostendisset num. 19. ad an. 302. Baronium non tam proprio motu, quam aliorum pro Breviario solicitorum impulsu vacillasse in sententia de Marcellino, *Dicimus*, inquit, *illum, dum eis satisfacere conatus tantum est, non nisi pauca ex multis objectiones solvendas suscepisse, idque languide satis & parum efficaciter, per dissimillima valde exempla.* Inter eas autem, quas ne solvere quidem tentavit, imprimis considerari meretur, quam ab omni Conciliorum & veteris Ecclesiæ praxi abhorreat, ut adversus Pontificem admittatur testis, adulter notorius, ipsius Concilii judicio. Quam parum quoque verisimile est Pontificem voluisse in Concilio præfracte negare, quod in totius urbis conspectu atque ipsorum Catholicorum conferta multitudine palam perpetraverat, si Actis illis fides est?

58 Præterea, quis unquam legit in templis deorum, sacrificium oblatum aliis diis, quam quibus fuerant dicata, ut hic in templo Jovis, Vestæ, & Isidis sacrificatum Jovi, Herculi, & Saturno? Quale est etiam istud, quod dicatur Diocletianus in Perside existens audivisse Marcellini resipiscentiam, quando constat, Baronio consentiente, Diocletianum in Perside non fuisse. Vult scilicet Cardinalis id Actis concilii aliunde adjectum, &, ut consonet veritati, ponendum, *cum reversus esset ex bello Persarum*. Quam parum credibile etiam est, tempore sævissimæ persecutionis, convenisse trecentos Episcopos ad unam Campaniæ civitatem Sinuessam, [1] neque quidquam sagacissimis persecutoribus de hoc suboluisse? Prætereo inauditam celebrandi concilii formam, in crypta, quam propter ejus angustias quinquageni tantum simul occuparent.

59 Verum, quidquid rationum & auctoritatum contra Acta Synodi Sinuessanæ a me hactenus adductum est; & quantumvis plura, ubi opus foret, adduci possent; non desinit equidem

Opuscul. Collect.

contra me, velut fidei nostræ fundamenta subruerem, declamare; quid in fide tandem firmum esse possit, si Acta cujusdam Concilii, alicubi a Pontifice citati, dein rejiciuntur ut supposititia? Quasi vero, P. Professor, neque Scripturas sacras, neque Traditionem constantem, neque Concilia indubitata, neque definitiones Pontificum, neque unanimem totius Ecclesiæ sensum haberemus, quibus fides nostra satis firma consisteret. Nihil horum reperitur pro Sinuessana Synodo, qualem nobis vulgata ejus Acta depingunt.

60 Profecto si fides nostra penderet ex Actis unius qualiscumque Concilii, a Pontifice alicubi memorati, supposita jam etiam Actorum Sinuessanorum veritate, non parum luxata foret religio, & quidem occasione ejusdem Epistolæ Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem. Illic enim citatur etiam Concilium Romanum sub Sixto III. celebratum, in causa Polychronii Episcopi Hierosolymitani. Atqui longe verisimilius est Concilium istud esse fictitium; uti & Polychronium ipsum, quem nunquam in rerum natura fuisse, agnoscit demonstratque Baronius ad annum Christi 433.

61 Fatetur nihilominus Cardinalis, scire se, Acta illa *ut legitima citata a Nicolao*: atque illo nequidquam obstante, fatetur *multo circa illa studio nihil se consecutum; quam ut impossibile esse repererit eadem ad veritatis lineam revocari aliquo modo posse.* Hoc ipsum exemplum & iisdem verbis legit Pater. vestra a me citatum eodem loco, quo Concilium Sinuessanum rejectum invenit. Cur non itaque accusesti pariter Baronium? cur non saltem augusti secundum istud exemplum decerpsi ejusdem Pontificis, & quidem in eadem ad Michaelem Imperatorem Epistola, & in subjecto plane simili? Sed nimis clare vidisset quivis rationis compos lectos, vociferationes tuas inanes esse, me autem ab omni irreverentiæ & temeritatis specie immunem, ac multo magis a succutiendis fidei basibus alienum.

62 Neque inde sequitur, quod dum sic Marcellinum a tam infami crimine liberare conamur, Nicolaum I. arguamus erroris in definiendo aliquo fidei vel morum dogmate, vel facto universali seu revelato. An putas, P. Professor, omnia Ecclesiæ universæ credenda præscribi a Pontifice, quæcumque is facta adducit ex Concilio aliquo, scribens ad Imperatorem vel quemcumque alium? Si affirmas, postulo mihi vel unum Theologum exhiberi, qui consentiat. Multo minus arbitror singula Concilii alicujus Acta a Pontifice approbari, tamquam puncta fidei, hoc ipso quo forte aliquid ex Actis illis citaverit.

63 Invidiosior accusatio est, cum dicis Art. 5. §.

[1] Nolim erudito viro Natali Alexandro in Seculi III. Hist. Eccl. Dissert. 20. prop. 2. illud excidisset, Sinuessam urbem fictam esse, ejusque nullam *apud quosvis scriptores sive profanos sive Ecclesiasticos occurrere vel levem memoriam*. Sinuessæ frequentissima apud profanos scriptores mentio. Livius l. 10. *In saltu Vestino Sinope dicitur Græca urbs fuisse, Sinuessa deinde a Romanis Colonis appellata*. Plinius l. 3. *Oppidum Campaniæ regione Sinuessa extremum in adjecto Latio, quam quidem dixerunt Sinopem vocitatam*. Idem l. 31. c. 2. *In eadem Campania Sinuessanæ aquæ sterilitatem feminarum & virorum insaniam abolere produntur*. Horatius l. 1. ep. 5. *paludes Inter Minturnas Sinuessamque Petrinum*. Ovidius l. 15. Met. *Vulturnus, niveisque frequens Sinuessa columbis*, aut si mavis, *columbis*. Martialis l. 6. ep. 42. *non mollis Sinuessa*; & l. 13. ep. 108. *De Sinuessanis venerunt Massica prælis*. Mitto Strabonem l. 5. & Silium Italicum qui l. 8. v. 529. *tepentem Sinuessam* appellat propter thermas, quæ ibi fuisse ex Plinio nuper didicimus. En profanos Scriptores. Ad Ecclesiasticos quod attinet, Sinuessæ martyrio coronatos Castum & Secundinum eorum acta produnt, quæ tom. 1. Julii ab Joanne Baptista Sollerio a pag. 19. illustrantur; Ferrarius, Ughellus tom. 10. & Baronius in Romano Martyrol. ad diem 1. Julii.

5. §. 3. me in margine Propylæi Maji, Conatu Chronico-Historico parte 1. pagina 43. numer. 8. notare, quod *in Actis Synodi plane fabulosis falso asseratur, nullo casu Papam a quoquam judicandum*. Ais, me contradicere Gelasio Papæ, dicenti, *Romanam Sedem de Ecclesia judicare, illam vero ad nullius commeare judicium*: & Evodio Diacono, asserenti in Concilio Romano IV. *Sacrasanctæ Romanæ Sedis Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio*.

64 Reverende Pater, cur non, ut fidelem accusatorem decuit, retulisti simul casum unicum, quem eodem num. 8. a te citato adduxeram, in quo, & non in alio, possit Pontifex Ecclesiæ judicio subjacere? Casus est definitus Canone SI PAPA, distin. 40. sumpto ex verbis S. Bonifacii, Moguntini Archiepiscopi & Martyris, ubi statuitur, ut *Papa judicetur a nemine, nisi fuerit a fide devius*. Hunc Canonem ibidem proposui & approbavi. Sed & approbatum invenies ab omnibus passim Canonum sacrorum peritis; traditurque in Concilio V. sub Symmacho, in Concilio VIII. generali actione 7. ab Anacleto Epistola 3. & ab Eusebio Epistola 2. quas duas Epistolas eum objicio tibi, Rev. Pater, ne dicas, eas a me censeri spurias. Spuriæ certe non sunt Patern. vestræ, quando me Art. 3. §. 1. reum agis, quod Decretales Pontificias ante Siricium, a variis subinde Pontificibus citatas, impugnem. Ut autem dubiæ etiam tibi sint, modo in illis reperias quo me accuses, non fiet dubius Sermo 2. ab Innocentio III. habitus de Consecratione Pontificis, quo Canon prædictus roboratur.

65 Si autem possit Pontifex aliquo casu, nempe *deviationis a fide*, alieno judicio subjacere, ut tam multiplici ac prorsus irrefragabili auctoritate demonstratum est, quid in eo dignum reprehensione, quod dixerim, *falso asseri, Papam nullo casu a quoquam judicari*? Ita semper in animum induxi ex omnium plane Dialecticorum consensu, propositionem universalem negativam esse falsam, si particularis affirmativa, ei contradictoria opposita, sit vera. Aliane forsan penes te, quam penes omnes sunt ratiocinationis principia? Casum quidem nunquam eventurum confido, ut Pontifex aliquis a fide deviet, & firmiter censeo, nunquam evenisse: idque multo facilius in mea sententia, fictitiam Synodum Sinuessanam rejiciente, quam in tua eam sustinente, intelligitur.

66 Si enim Marcellinus Pontifex publice thus obtulerit idolo, quamvis fidem animo retinuerit, censebitur tamen eam exterius negasse, æque ac si dixisset, Agnosco Jovem esse verum Deum; quandoquidem cultus ille, ex omnium gentium, etiam Christianarum acceptione, soli Deo proprius sit. Neque est Theologus, qui arbitretur, fidei seu professionem seu abnegationem solis vocibus fieri, & non etiam rebus. Quis autem magis a fide devius est, quam idololatra? Cumque Ecclesia de internis non judicet, sed de externis: difficulter se expedivisset Marcellinus, si de eo, tamquam in infidelitatem lapso, ferre judicium Episcopi voluissent. Quid vero refert, quod metu mortis infidelitatem opere fuisset professus? Nam etsi metus hic peccatum minuat, tamen non aufert: neque infidelis esse desinit, sive timore, sive spe, sive alia ratione in infidelitatem pertractus.

67 Scio Theologos communiter, Synodi Sinuessanæ assertores, dicere, quod Marcellinus thurificando charitatem amiserit, non fidem, quod ipsum admitto, si agatur de fide interna & habituali: si autem de fide externa, difficilius probaveris; cum invicem opponantur, *infidelitatem externam profiteri*, & *fidem externam retinere*: præsertim cum de Marcellino non legatur, quod in thurificatione, vel ad eam accedens, protestatus fuerit, se nullam in idolo isto divinitatem agnoscere, adeoque thurificationem esse mere materialem. Contendi igitur potuisset, Pontificem, qui fidem exterius negaverat, licet eam animo retineret, subjici judicio Ecclesiæ. Denique, nec scio, an Marcellinus judicium effugisset, dicendo, se resipuisse: nam forte aliqui dubitassent, an non posset de infidelitate immediate præterita judicari.

68 Quidquid sit, saltem ex hactenus dictis manifeste apparet primo, minime temerarium me fuisse in negando lapsu Marcellini, quando, præter rationes multas & graves, secutus sum apertissimam sententiam S. Augustini, & *plurimorum doctissimorum virorum*; etiam Christiani Lupi. Secundo, nec temerarium fuisse, in negandis Actis Synodi Sinuessanæ: nam sublato Marcellini lapsu nemo est qui Acta illa admiserit, cum is unicus perhibeatur convocatæ Synodi scopus, neque in ea, quidquam, præter lapsum Marcellini & paucorum Presbyterorum, legatur agitatum. Tertio, non male me consuluisse dignitati Sedis Apostolicæ, quando propter rationis & auctoritatis monumenta jam memorata, malui admittere, quod Nicolaus I. in citandis Actis istius Concilii Sinuessani suppositiciis, tanquam genuinis, *errare potuerit*, nihil definiens circa quæstionem facti, ad fidem vel mores non pertinentis, quam quod S. Marcellinus Pontifex & Martyr in Concilio mentitus sit, & paulo ante coram infinita multitudine gentilium opere professus.

69 Ex dictis etiam evidens est, nihil me derogare potestati Pontificis, quando eum submitto judicio Ecclesiæ, in casu unico *deviationis a fide*: in quo eum subjici, totius Ecclesiæ atque omnium Romanorum Pontificum, allatos supra Canones approbantium, indubitata sententia est. Hoc autem simul cum pleniori Sinuessanæ Synodi excussione fusius hic deducere volui, ut eadem opera refutarem Art. 5. §. 1. 2. ac 3. eodem spectantes; ne iterum ingerere recoquere crambem, a tam multis aliis eruditis viris ante me jam toties versatam, ut nesciam, qua fronte ausus sis, in facie totius Ecclesiæ, & ad tribunal summi Pontificis, mihi insultando asserere *solum hæreticos, & novatores Acta illa impugnare, & tamquam fictitia rejicere*, meque id cum illis facere *ex meris conjecturis*. Sed hæc phrasis Patern. Vestræ tam usitata est, etiam ubi firmissimas rationes produco, ut videatur calamo tuo sæpe effluere citra animi advertentiam.

§. VII.

§. VII.

ACCUSATIO.

Papam Felicem V. Antipapam, a Conciliabulo Basileensi electum, asseris, absque nota admisisse Papatum contra Eugenium IV. Art. 2. §. 7.

RESPONSIO.

Amedeus Pacificus (hoc libro nomen, quem licitum me profiteor in excusando Felice) Auctorem habet Petrum Monodum, Societatis Jesu Collegii Taurinensis Rectorem, multis laudatum in Bibliotheca Societatis; unde nunc primum nomen disco, simulque quod liber ille Taurini impressus sit ann. 1624. Parisiis recusus, sicut eum habeo, biennio post. Qui eum scribi & edi jussit Sabaudiæ tunc Dux, Carolus Emmanuel fuit: de quo Urbanus VIII. in quodam Brevi anni 1623. apud Guichenonem pag. 863. scribit, quod *Magnitudo virtutum ejus, & triumphi relati de hæresi, potentiam domus Sabaudicæ, non solum gloriosam Religioni Catholicæ, sed necessariam fecerant.* Quem autem ille edi jussit Commentarium, pene ad verbum descripsit & ad calcem voluminis sui 17. Annalium Ecclesiasticorum adjecit Abrahamus Bzovius; ut quæ de Felice parum rei consentanea scripserat, castigaret; id autem fecit Romæ, Ordinis Prædicatorum scriptor nobilis, mox atque illic liber comparuit an. 1625. non sine multis ac magnis Elogiis Felicis.

71 Ast Odericus Raynaudus an. 1658. maluit Blondo credere. Sit ita sane: non idem sensus iis fuit, qui Ciacconium auctiorem ediderunt Victorello, & Oldoino. Hic anno 1677. Romæ excusus, sic finit historiam Felicis. *Serverunt aliqui, vel maledicendi lascivia, vel veri ignorantia, Amedeum hunc ... fœdis calumniis laceratum; sed injuste. Nam Amedeus, non modo Sedem Apostolicam, sed ipsum Eugenium tantis cumulavit beneficiis, ut idem Eugenius fassus sit, Amedeum reliquos omnes Christianos Principes in hoc officii genere facile superasse.* Omitto judicia Nicolai, post Eugenium, Pontificis de Amedeo.

72 Quod si Eugenius & hujus sequaces, in ipso fervore contentionis, eum vocavit *filium damnationis*, ignoscendum quidem justo zelo est, sed non habendum pro oraculo: & ut omnino damnabilis fuerit electio Amedei; non tamen continuo damnanda criminis electi conscientia, nixa Electorum suorum auctoritate, in quibus præcipuum hortatorem, & suasorem Papatus capessendi, habuit Ludovicum Alemannum, Arelatensem Episcopum, quem pridem cultum ut Sanctum, fastis demum adscripsisse dicitur Clemens VII. & sic in Amedei Epitaphio, publice in Cathedrali Taurinensi exposito, dicitur ipsum, *non regnandi libidine, sed obsequendi necessitate impositum orbem sustinuisse ne rueret.* Monodus num. 82. sic concludit: *Amedeus, nisi Pontificiam Provinciam, ab omni temeritatis labe nitidissimus, adiisse credatur, nullus sane conscientiæ nostris securitatis locus superesse videbitur. Quis enim vel plura unquam humanæ sapientiæ præsidia adhibuit, vel sponsoribus usus*

Opuscul. Collect.

est locupletioribus, quam Amedeus? Quid igitur? Aliæ sunt divinæ, aliæ humanæ sapientiæ leges. Ludit illa in orbe terrarum, & illudit vel oculatissimis, ne plus æquo sibi placeant: tamque se maxime cæcutire intelligant, cum lynceos habere oculos opinantur. Verum, ut hoc agnoscere demissi animi est, ita errare hominis: sed neque hic error innocentiam exuit, neque hominem reum facit .... Dabo igitur, Amedeo contigisse quod sanctissimis viris, ut innoxiis errore hominem se esse testatus sit, at temere fecisse, vel culpam contraxisse aliquam, jure inficiabor.

74 Ego tantum non petii; solum putavi coram Deo peccatum ab Amedeo non fuisse; utcumque de eo homines judicaverint adversæ partis, ipseque Eugenius postquam deferbuit aliquando; aliter opinati, postquam deferbuit æstus contentionis; & ideo Nicolaus V. *severe jussit* (teste Oldoino) *ut ea omnia inducerentur, quæ vel temporum iniquitas, vel malevolorum protervia, in tantum Principem excogitasset.* Eumdem autem jam mortuum expressius laudans ipse Nicolaus: *Talem, inquit, se ad unionem & pacificationem Ecclesiæ in oculis nostris, & omnium Christi fidelium exhibuit, ut quidquid nobis factu possibile viderimus, suæ recordationi & honori libenter tribuamus.*

75 Hæc omnia facile invenire potuisset Accusator meus, si eadem cura incubuisset in cognoscenda penitius Amedei causa, quantam adhibuit, ut undecumque arriperet ansam mei insimulandi. Si ei ad manum non erat Amedeus Pacificus, aderat Bzovius, aderat Oldoinus, laudatores Amadei supra viginti enumerans, Catholicissimos omnes: quos mihi allegare necesse non credidi eo in tractatu, ubi satis habui quarumcumque rerum capita summatim delibare curioso lectori, non integram historiam texere Pontificum Romanorum. Non tamen eo loci omittere volui, quod scribit Guichenonus, Historiæ Sabaudiæ conditor, *defuncti corpus, ut Sancti, fuisse in honore habitum Ripaliæ, usque dum Bernates hæretici sepulcrum everterunt: ex cujus ruderibus collecta ossa, Caroli Emmanuelis Ducis cura, deportata sunt Taurinum,* cum Epitaphio, in quo dicitur, quod *ejus gesta & acta Ecclesiæ saluberrima Nicolaus decretis, populus plausu, cælum miraculis comprobavit.* Marmorea quoque statua Amedeo in ecclesia Cariniani a Mauritio Principe erecta est cum epigraphe, qua nominatur *vita, obitu, miraculis ter sanctus; cui (cum in Augustiniani cœnobii secretiori delubro ad vivum expictus, immemorabilis sed privata pietas coleretur) imaginem istam, ab illa exsculptam, publice collocavit Mauritius anno 1656.* Et hunc Tu, Pater Rev. in opprobrium prædictorum Principum, totiusque Sabaudicæ Domus dedecus, nobis audes denigrare, rapto ex flamma titione pro calamo usus, ex iis dumtaxat quæ fervente dissidio a parte adversa scripta reperisti? Judicet, quam appellas, sancta Sedes, Sabaudicæ Domus fautrix semper præcipua, factum tuum.


§. VIII.

ACCUSATIO.

Papebrochius antiquum Sergii Papæ sigillum, in Vaticano asservatum, adscribit Sergio hæretico.

RESPONSIO.

VEre operosum est disputare cum homine, qui carpens omnia, nescit ipse quid carpat. Accusas me, P. Sebastiane, quod antiquum Sergii Papæ sigillum, cum hac inscriptione, SERGII PAPÆ, adscribam Sergio hæretico. Rev. Pater, ut mitissime dicam, falleris. Relinquo enim Sergio Papæ suum Sigillum cum inscriptione SERGII PAPÆ, nec verbulo quidem contradico; uti nec alteri sigillo, ibidem a me proposito, & ZACCHARIÆ inscriptio hac forma; quam iterum hic spectandam produco, ex Paralipomenis meis ad Conatum pag. 59.



76 Tertium sigillum ex Ciacconio additum, Græcis characteribus est notatum; BOHOH CEPTIOY. In hoc nomen PAPÆ, uti in prioribus, invenitur, nec vestigium ullum est, ex quo Romani Pontificis pateat esse, nec ullus auctor est, qui esse putet; ne ipse quidem Ciacconius, qui illud protulit forte primus. Simpliciter enim illud profert, non ausus dicere cujus sit. Si Pat. Sebastianus asserere ausit esse Sergii Papæ, quia servatur in Vaticano; dicat primo, cujus Sergii Papæ, plures enim fuere. Deinde probet, nullas ibi nisi Pontificum bullas literasque servari. Ego sigillum hoc, quia nimium discrepat ab aliis Sergii Papæ & illius temporis Latinorum, merito abjudicasse me credo Latinis: & quia Græca inscriptio est, æque merito transtulisse ad Græcos: ad quem autem eorum potius, quam ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, qui & ante & post suum lapsum & condemnationem frequenter scripsisse Romam potuit & debuit?

77 Si alium noverit Accusator, cui conveniat magis Græcum istud sigillum, doceat me potius quam culpet, in causa nihil ad Romanos Pontifices spectante. Verum dum attentius discutio, unde viro Religioso in mentem venire potuerit tam confidenter scribere, quod sigillum a me tributum Sergio Patriarchæ hæretico, habeat *inscriptionem* SERGII PAPÆ, ubi tamen constat alteram ejus *inscriptionem* non esse quam BOHOH CEPTIOY ex una parte, ΘΕΟΣ ex altera, quod latinis est ADIUTOR SERGII DEUS: malo credere, errorem ortum ex ignoratione linguæ Græcæ, quam ex cæca calumniandi libidine. Quamquam nec probum nec sapientem accusatorem deceat, ex idiomate, quod ignorat, accusationem instituere, & quidem tanto strepitu.

§. IX.

ACCUSATIO.

Papebrochius Formosi Papæ Epistolam temere suspicatur esse merum figmentum.

RESPONSIO.

QUam multa sunt monumenta, scripta ac litteræ, etiam pro Pontificiis diu habita, quæ postera ætas deprehendit Pontificibus suppositæ fuisse? Illa inter numerari potest Epistola Formosi, de qua hic: neque inde periculum incurres hæreseos aut schismatis, Arguor suspicari, illam esse merum figmentum. *Suspicor*, vel *esse merum figmentum seculo* xi. vel *saltem esse interpolatam epistolam*.

79 Ratio ita suspicandi est 1. Quia epistola scripta fuit post Synodam Anglicanam (de qua Labbeus tomo 9. Concil. col. 429.) anno 905. sub Rege Eduardo, novem ab obitu Formosi annis, celebratam. Quo igitur pacto Formosi sit? 2. Quia, ut in citata Synodo narratur, *Septem annos plene destituta* tum fuerat *regio Gewissorum ab omni Episcopo*: quæ destitutio solummodo cœpit anno 899. triennio post mortem Formosi, 3. Quia auctores Angli passim hanc Synodam ponunt anno 905. 4. Quia utitur vocabulo *Cantorberia*, quod nondum reperi apud Auctores, tempore Formosi & aliquanto post scribentes, Erat tunc in usu vox *Dorobernia*. Denique multis inculcat Epistola posteriore sui parte primatum Cantuariensis Ecclesiæ supra Eboracensem; cum de illo nec sub Formoso Papa, nec sub Eduardo Rege, nec in memorata Synodo, ulla sciatur controversia fuisse, fuit autem seculo xi. sub S. Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi. Quamobrem otiosum fuerit sub annum 900. inculcare talia, quæ ad rem non erant. Neque sæculo xi. controversia illa agitari potuisset, si jam ante per Formosum in tam perspicuis & gravibus verbis fuisset decisa, constitutaque *Separatio perpetua a corpore S. Ecclesiæ*, et qui huic de Primatu determinationi pertinaciter obniti præsumeret. Si quis autem contenderit, priorem Epistolæ partem, non quidem Formosi, sed Sergii III. esse, non reluctabor. Scripta esse potuit statim post Synodum Anglicanam, cujus statuta de novis Episcopis satisfecerint querelis Pontificis; atque hinc ipse Epistolam hanc dederit: quam seculo XI. aliquis aptam putaverit, ut alteram partem ei adjiceret, controversia m de Primatu pro Cantuariensi decisurum; add. o per errorem nomine *Formosi* Papæ, cum posterior is esset,

anno 905. ad Cathedram
quasi epistolam
ratione, quod
Pontificiæ leni-
cujuscum-
tumultibus
Regni Epi-
excommunicatos
epistolæ exordio
sunt. Ne-
ultimæ, di-
deliberaverit eas
talis apparet
Formosi defe-
vel non fue-
bellis tem-
Formosi man-
excommuni-
totius Re-
eos semel
quod hu-
alicubi aber-
non potius
dum &
æquitatem
orthodoxos An-
utcumque

dis, seu Sup. III. Apologeti preside. Is. Non tam ille accusator, ea solum suspicatus. Intacto non videntur non congruere, propter simplicem tam & privatam, tempore bellicis que ipsius epistolam, tempore unius Regni Episcopi, pro quibus ipse epistolæ exordio ...

Formosus. Plura alia a me indicata rationi ultimæ, quæ suscitavit adversarius tantum deliberaverit eas cendo quod Formosus tantum & deliberatio talis apparet communicaverit; nam & deliberatio Formosi defe-mirabilis, cum neque tempore Formosi, vel non fue-flus extiterit de quo querebatur, bellis tem-sit adeo communis & turbatissimo Formosi man-pore facilius excusandus: neque Formosi man-suetudini convenire videatur, de excommuni-candis propter negligentiam omnibus totius Re-gni Episcopis deliberare, antequam eos semel monuisset. Sic opinando, etiamsi me, quod hu-manum est, a veritate historica alicubi aber-rare contingeret, quid male, & non potius bene mereor de Ecclesiæ dignitate, dum & Formosi lenitatem, prudentiam, æquitatem Pontifice dignam prædico, & orthodoxos An-gliæ Episcopos citra ullius injuriam utcumque conor excusare.

§. X.

ACCUSATIO.

Papebrochius summos Pontifices erroris arguere non veretur, in materia Religionis.

RESPONSIO.

GRavis sane accusatio est, sive materia, sive personarum dignitas, in quas peccasse, sive illimitatus accusationis modus attendatur. Quis non suspicetur, me de summis Pontificibus scripsisse, quod in fidei vel morum definitionibus erraverint, vel approbarint religiosos Ordines noxios, & ex instituto a salutis ac perfectionis tramite aberrantes, vel quod solenni canonizatione homines quosdam in Sanctorum numerum retulerint, quos constet æternis suppliciis addictos; vel saltem, quod, ut privatæ personæ, errores contra fidem amplexi sunt? Nihil istorum unquam de Pontificibus scripsi, nihil simile dixi, nihil cogitavi. Sinam igitur te, R. Pater, accusationem prosequi, eamque distinctius explicare.

84 *In primis (inquis) generaliter asseris Papebrochius, se aliosque* „ Historicos nullatenus „ auctoritate constringi Pontificia „ *qualescumque Pontifices edant Bullas, Brevia, aliasque literas Apostolicas, quibus antiquas Historias aut alia quævis monumenta, pro veris recipiunt & approbant; idque, sive proprio motu & certa scientia, nec non prævio rigoroso virorum in Historias versatissimorum examine, sive alio quocumque modo procedant.* Egone id assero, & quidem *generaliter*? Imo, inquis, prorsus generaliter. Hic itaque Accusator gradum fige: & *assertionem generalem*, mihi apud suprema Christiani orbis Tribunalia tam audacter imputatam, aut proba, aut revoca. Ubi, quando, qui-bus verbis tradita est hæc a me *generalis assertio*.

85 *Traditta est*, inquis, *in Propylæo Maji cognomine Chronico-Hist. ad Catal. Pont. Rom. part. I. pag. 32. num. 16. (his verbis)* „ Historici non „ existimant Pontificia auctoritate se constrin-„ gi, ad habendum pro canonizato, quidquid „ quomodocumque probatum, improbatumve „ Romæ fuerit „. Ego vero Dialecticos omnes appello, ut ex verbis hisce meis propositionem si possint eliciant, æquivalentem ei, quam finxisti *generalem*. Cum dico: *Historici non existimant*, subjectum quidem confusum est, & indefinitum; sed in ejusmodi propositionibus, narrativis non dogmaticis, supponere potest tantum particulariter: saltem necesse non est supponat universaliter absolute. Sicut cum dicitur, *Grammatici certant*; sensus non est, quod omnes omnino Grammatici certant. *Interpretes S. Scripturæ* sic locum istum explicant, non significat semper, quod Interpretes omnes nemine excepto eum sic accipiant: similia dari possent exempla innumera, in quibus dicuntur *Philosophi putare, Theologi docere* quidpiam, ubi subjectum tantum supponit pro multis, vel ad summum pro plerisque. Sed necesse fuit appellationem *Historici* a Patern. vestra accipi generaliter, ne censeretis processisse a non distributo ad distributum, quando termino illo etiam me involvisti, dicens, *Generaliter asserit* (Papebrochius) *se aliosque Historicos* &c.

86 Verum supponamus, quod Historicorum nomine omnes Historicos, etiam me, comprehendi patiar hoc loco; estne alia præterea generalitas, ob quam tibi propositio mea tam vehementer displiceat? Est, inquis, valde multiplex & horrenda, cum Papebrochius dicit se *nullatenus constringi auctoritate Pontificia, QUALESCUMQUE Pontifices edant Bullas, Brevia, aliasve litteras Apostolicas, quibus antiquas Historias, aut alia QUÆVIS monumenta, pro veris recipiunt & approbant sive motu proprio & certa scientia . . . sive alio QUOCUMQUE modo procedant*. R. Pater, quid aliud hic tibi respondeam, quam in tota accusatione tua non esse vel micam, vel speciem veritatis aut fidelitatis? Pro, *Non existimant se constringi*, ais, me asserere eos nullatenus constringi.

87 Multa *multis existimans*, quæ a me non *asseruntur*. Demus tamen etiam me asserere, cur pro *Non* posuisti *Nullatenus*? Hæc scilicet tibi corruptela necessaria erat, ut accusatio quo magis *generalis* appareret, eo majorem crearet adversus me indignationem. Si idem tibi utraque negatione significatur, cur non retinuisti particulam a me expressam? Si autem aliud significetur, qua fide mutasti? Inter negationes istas discrimen quale sit, percipies, si postquam te in accusando fidelem *non esse* ostendi, dicerem, te nullatenus fidelem esse. Ut quempiam dicam fidelem *non esse*, sufficit, si malæ fidei eum vel in paucis convicero, *nullatenus* autem fidelem esse, significat infidelitatem in omnibus. Sic prorsus aliud est Historicos, ut ipsi existimant, *non* constringi Pontificis auctoritate ad omnia, quæ quomodocumque Romæ approbantur vel improbantur; aliud eos *nullatenus* constringi ullis Pontificum Bullis, ut me jactas asserere.

88 Inter propositionem utramque palpabile discrimen est, quod accusatio tua, secundum

omnes

omnes particulas, a te operose inculcatas, generalis sit; propositio autem mea, non nisi particularis. Generalitatem accusationis non est quod probem, utpote a te tot particularum universalium additione studiose quæsitam: hanc tantum necesse est ab assertione mea alienam ostendere. Quare iterum verba mea repeto: *Historici non existimant Pontificia auctoritate se constringi, ad habendum pro canonizata, quidquid quomodocumque probatum improbatumve Romæ fuerit.* An non verum existimant Historici, si quidpiam aliquo modo approbatum fuerit, vel improbatum, ad quod pro canonizato habendum non obstringantur? Solum enim negant, teneri se universaliter *ad habendum pro canonizato, quidquid Romæ fuerit quomodocumque approbatum improbatumve*: cum quo optime consistit, teneri se ad habenda aliqua, imo plurima, pro canonizatis, quæ Romæ fuerint probata. Præterea ubinam propositio mea dicit, non obstringi eos auctoritate Pontificum, *qualescumque edant Bullas?* Ubinam dico rejicere eos posse *quævis monumenta quocumque modo prodant Pontifices*, etiam definiendo & instincta Spiritus Sancti? Ut autem sensus scriptorum meorum innocuus magis perspicuus fiat, exhibeo eum cum circumstantiis omnibus.

89 Loco citato agebam de Glossa, Decreto Gratiani quidem apposita a Joanne Andrea celebri Juris consulto, & a Gregorio XIII. deinde erasa, quia falsa erat, annumerans Cyriacum quemdam inter Pontifices Romanos, qui dimisso Papatu, comitatus fuerit virgines Ursulanas, cum iisque prope Coloniam Martyr obierit. De auctoritate istius Glossæ consultus pridem Petrus Marionus, juris-prudentia in urbe Romana, patrum nostrorum memoria, clarissimus, respondit; Glossam illam Joannis Andreæ non habere eamdem vim & auctoritatem, quam reliqua ejus scripta, in quibus Juris-consultus *de Juris Pontificii quæstione tractat*; sed eam tantum, *quam habent Juris-consulti, de aliena professione tractantes, qualis est historiarum cognitio, quæ pro temporum conditione non potuit ad Joannem Andream, nec ad ceteros ejus ætatis exacta pervenire.*

90 Hic continuo subjungo: *Non poterat ipsamet Juris-prudentia aptius respondere in Historicorum favorem, qui non existimant Pontificia auctoritate se constringi, ad habendum pro canonizato, quidquid quomodocumque probatum improbatumve Romæ fuerit.* Cujus rei confirmationem mox annecto dicens: *Nec sane, quia ex lectionibus de S. Brunone, ad instantiam Academiæ Parisiensis, expuncta est occasio conversionis vulgo jactata, desinit religiosissimus Patrum Carthusianorum Ordo eamdem adhuc ut veram tueri.* Præcipua tamen confirmatio a me ibidem allata, imo potius omnium illic dictorum occasio est Historia S. Cyriaci Pontificis, de quo supra, qui medius refertur ab aliquibus inter SS. Pontianum & Anterum. Habebatur is in Breviario Romano anni 1522. Venetiis excuso, uti & in alio anni 1550. denique & in Glossa ordinaria in 6. Decretal. Lib. 1. tit. 7. *de renuntiatione.* Nihilominus Cardinalis Baronius Pontificem illum, velut fictitium, expungit ex Historia Ecclesiastica his verbis: *Non audiendi penitus recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quemdam Pontificem, cujus nulla prorsus extat mentio in serie Romanorum Pontificum, vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum, vel Cresconium, aliosve indices Vaticanos; nec apud Græcos, ut Eusebium, Nicephorum vel alios; adeo ut ne digna quidem sit quæ pluribus confutetur sententia, quippe quæ nulla penitus nitatur ratione.*

91 Idem Cyriacus ex Glossa ordinaria jussu Pontificis erasus est. Non desiit tamen propterea Hermannus Crombachius eum retinere, ut Sanctum Pontificem, Joannes Colombus etiam non sine indignatione reprehendit eos, qui anastasim damnati Doctoris ut fictitiam rejiciunt. An *existimare* debent Historici, *constringi se auctoritate Pontificia* ad credendum, quod historia de damnato Doctore Parisiensi vera sit, quia aliquo modo Romæ probata fuit, dum Romano Breviario aliquando inserta, & ex eo tamdiu recitata? Debentne pariter existimare, se *constringi auctoritate Pontificia* ad retinendum inter Sanctos & Romanos Pontifices Cyriacum, quia aliquando relatus in Breviarium Romanum, & expressus in Glossa Decretalium, adeoque videri aliquando potuit utcumque Romæ probatus? Fallor si ullus id censeat hoc tempore.

92 Vertamus modo nos in oppositum: *Constringunturne Historici auctoritate Pontificia*, ad rejiciendam resuscitationem Doctoris Sorbonici, & expungendum ex Historia Ecclesiastica Cyriacum Pontificem, quia apparitio illa ex Romano Breviario expuncta est; & tam ex Breviario quam ex Glossa expunctus Cyriacus; atque ita Cyriaci Historia & resuscitatio Doctoris aliquo modo Romæ improbata, saltem velut incerta? Atqui multi, etiam hoc tempore, utramque historiam tenent, tamquam indubitatam: neque propterea Pontificum irreverentes sunt, aut tales habentur. Rectius itaque statues, Pontifices nolle in similibus adstringere Historicos, sive ad unam partem, sive ad alteram, utramque eorum studio magis discutiendam & disputationibus pacificis agitandam relinquentes.

93 Denique, R. Pater, ut clarius pateat, propositionem meam non habere istam *generalitatem*, quam ei affingis; ago contra eos, qui volunt, Historicos generaliter *constringi auctoritate Pontificia*, ad tradendum, tamquam infallibile, *quidquid & quomodocumque Romæ probatum fuerit*; similiter ad rejiciendum, tamquam certo falsum, *quidquid & quomodocumque Romæ fuerit improbatum.* His contradico. Nego propositionem eorum universalem affirmativam esse veram. Atqui nemo tam ratiocinandi imperitus est, saltem Professor esse minime potest, qui nesciat, contradictoriam propositionis universalis affirmativæ, non esse *generalem*, sed particularem negativam. Ideo non præposui particulam *quidquid & quomodolibet* negationi: sed postposui. Non enim dixi: *Quidquid quomodolibet probatum improbatumve Romæ fuerit, non existimant Historici auctoritate Pontificia se constringi ad habendum pro Canonizato*; sed: *Non existimant Historici auctoritate Pontificia se constringi, ad habendum pro Canonizato, quidquid quomodocumque probatum improbatumve Romæ fuerit.* Quid multis opus, R. P. professor? Scis, aut scire debes, quod nulli Dialecticæ Tirones ignorant; particulam *quidquid non*, esse universalem; *non quidquid* esse particularem,

etiam de ineptia con-
particula habendum pro Ca-
Romæ aliquo modo ap-
accensentur Beatis: ideone
pro Canonizatis? Si af-
Canonizatione novum & tam
constituitur? Deinde contradi-
Cardinalibus, & sen-
habendum ab omnibus
Canonizato (id est pro
Magdalena de
Pazzis sit Sancta) quod cum sacra Pentecostes
de Apostolis colitus afflati, variis linguis loque-
rentur .... tunc Carmelitæ plurimi qui vestigiis
Sanctorum Prophetarum Eliæ ac Elisei institerant,
& Joannis Baptistæ præconia ad Christi adven-
tum comparata fuerant, ... evangelicam fidem
confestim amplexati sint: quodque Beatissimam
Virginem (& quidem adhuc in vivis agentem,
utpote cujus colloquiis ac familiaritate frui po-
terant) adeo venerari cœperint, ut primi om-
nium eidem sacellum construxerint, idque in
monte Carmelo, & in eo præcise montis loco, ubi
Elias olim ascendentem nubulam, Virginis typo
insignem, conspexerat? Atqui hæc tam bene Ro-
mæ probata sunt, ut identidem clamitas, quam
quod Maria Magd. de Pazzis sit Sancta. Cur
igitur utraque non æque habeas pro Canoniza-
tis? Quod si habere ausis, ipsa tibi refragabi-
tur: si non ausis; cur me arrosas, quod nec
ego ausim, illa & alia Romæ quomodocumque
probata pro canonizatis habere?

95 Discrimen ingens certitudinis inter illa vestra, & sanctitatem Mariæ Magdal. prædictæ oritur, non solum ex diversitate personæ probantis, & probantis per se aut per alium; sed etiam ex modo probandi: ideoque non otiose scripsi *ad quomodocumque*, quod etiam tenuisti. Nam approbationem tantum imperfectam importat, qua approbantur plurima, non ut propterea pro canonizatis habeantur, dubitareque de veritate eorum historica non liceat; sed ut tuto, sine fidei jactura, legi possint aut debeant; debeant quidem, si de præcepto; possint vero, si tantum ad libitum legenda inserantur Breviario. Sed hæc ipsa Patern. vestra omnia æqualiter recipit pro canonizatis, dum me accusat, quod pro talibus non admittam, quidquid quomodocumque Roma probaverit.

96 Alteram accusationis & criminationis tuæ probationem profers ex Tom. 7. Maji Paralip. ad Conat. in Catalogos Pontificum pag. 35. unde te ais excerpsisse hæc: *Historiis in Bullis Pontificum relatis, nec minimum quidem punctum majoris quam antea habuerint probabilitatis, inde accedere.* Quis non arbitretur eam esse propositionem meam? Falsificatio in hoc consistit, quod ubi habebam, *Ejusmodi sic relatis*, omissa gemina voce *Ejusmodi & sic*, potuerit Patern. vestra, eodem, quo verba mea, charactere: *Historiis, in Bullis Pontificum relatis*.

97 Disputabam, an Congregatio Crucigerorum in Italia, nunc extincta, instituta fuerit a S. Cleto Pontifice S. Petri discipulo, & post unum alterumve in Pontificatu successore, ita opinantibus, contra plerosque alios, non antiquis scriptoribus, & fere istius Congregationis; de quibus, uti de multis aliis, verificari etiam possit illud Baronii ad annum 444. *Fla-*
grans cupido nobilitatis avitæ, cogit interdum homines delirare. Altius enim repeti origo Crucigerorum istorum vere non sanctam a seculo XII. Latinis in terra sancta dominantibus. Prætendentibus igitur scriptoribus dictæ Congregationis, se a B. Cleto Papa institutos, & ab Alexandro III. reformatos esse; idque probari putantibus ex Bullis Pontificum posteriorum; demonstro ego, nihil ex Bullis istis probari posse, producens verba huc pertinentia, ex Bulla Gregorii XIV. anno 1591. data, qua is Pontifex, privilegia Congregationis confirmaturus, aucturusque per communicationem privilegiorum, Ordinibus Mendicantibus concessorum, præfatur; quod *Magister generalis & Fratres Congregationis Cruciferorum exponi sibi fecerunt, quod .... prædicta Congregatio per B. Cletum instituta, & per Alexandrum III. Romanos Pontifices .... reformata fuit.*

98 Istis continuo sic ego subjungo: *Hac verba qui acciperet, velut Gregorii ipsius assertum, cum tantum referantur ut assertum supplicantium, ne is vehementer aberraret, sequa ostenderet ignarum styli, in similibus teneri soliti: cum ejusmodi sic relatis, nec minimum quidem punctum majoris, quam antea habuerint probabilitatis, inde accedat; aliud omnino agentibus & intendentibus Bullarum scriptoribus ac largitoribus, quam definire quæstiones historicas, numquam examini suo oblatas.* Hactenus mea verba: ubi videas illud, *ejusmodi sic relatis*: pro quo, ut accusare me possit Professor Theologiæ, substituit auctoritate sua, & quidem meorum charactere forma, illud *historiis in Bullis Pontificum relatis*, supponens propositionem suam indefinitam pro mea, per particulas, *ejusmodi & sic*, admodum restricta, & ad ea quæ præcedunt relata: in qua æquo lectori nihil (ut mihi quidem videtur) displicere merito potest; sub altera vero contineri possunt, quæ merito displiceant plurima.

99 Clemens Papa IX. suo Brevi dato die 24. Septembris 1668. inserit, quod Patres Carmelitæ Discalceati sibi retulerint, *quod a civibus & incolis loci de Bilbao desideratur nova fundatio Conventus Ordinis sui, quodque redditus, ex legato seu hæreditate Mariæ de Aguirre provenientes, & civium pietas, ad alendos duodecim Fratres sufficere possent.* Huic relationi credens Pontifex, *direxit specialem commissionem* ad Ordinarium loci, in favorem dictorum Patrum ac petitæ fundationis; uti refert Clemens X. in suo brevi, hac de re dato, quod est 14. in Appendice Bullarii editionis Romanæ. Nunc quæro, an Patern. vestra habeat illam Clementis IX. historicam relationem pro re canonizata & vera? Debes utique ex principiis tuis, quibus & nos prætendis adstringendos. Igitur repudias auctoritatem Clementis X. qui improbat dictam relationem Clementis IX. decessoris sui, ut subdolam, & specialiter, ut *falsam*: sicque Patres Carmelitas, ais, *extorsisse* a Clemente IX. specialem commissionem, de qua supra.

100 De Actis S. Silvestri, per eaque decepto Nicolao I. quæ more tuo iterum inculcas, adhuc sæpius inculcaturus, jam tibi, R. Pater, respondi ad §§. 2. & 6. Inde transis ad *Bonifacium VIII.* confirmantem Indulgentias Stationarias, veluti a S. Gregorio concessas: quas

cum

cum parte 1. Conatus pag. 132. a num. 7. usque ad 15. expendit utrimque rationibus & auctoritatibus, ostendissem non posse tam antiquas credi (in hoc ipso tamen ratiocinium & judicium meum subjicere sanctæ Sedi paratus, quandocumque contrarium teneri voluerit) tandem securus de convicto lectoris æqui intellectu, & quod consequens erat de demonstrato aliter sentientium errore, subjungo, quod ex „ confirmatione illa Bonifacii, errorem quoad „ factum Gregorii continente, discimus, posse „ Pontifici, etiam *frequenti considerationis in-* „ *dagine aliquod perlustranti, & intra claustra* „ *pectoris solicita meditatione discutienti* (his nempe verbis utitur Bonifacius) „ obrepere „ quidpiam in iis, quæ pure historica sunt, „ cujus falsitas non obsit principali ejus intento.

101 Ob hæc aliaque, Rev. Pater, dignum me judicas, quem Theophilus Raynaudus noster dicat esse *conculcatorem Pontificiæ auctoritatis, Pontifici impingentem colaphum, ac injuriosum Sedis Apostolicæ illusorem* &c. Bona verba quæso, R. Pater. Didicisti jam ex Brevi Clementis X. errasse quoad factum decessorem ejus Clementem IX. *ex falsa narratione* Patrum vestrorum. Pone jam Clementem IX. in Brevi suo loqui iisdem verbis, quibus utitur Bonifacius VIII. *Frequenti considerationis indagine perlustramus, & intra claustra pectoris solicita meditatione discutimus*, qualiter Prior Generalis & Fratres Ordinis Carmelitani exponi nobis fecerunt, &c. Si, inquam, ita ordiretur Clemens IX. an propterea minus errasset *ex falsa narratione* vestra?

102 Potest similiter falsam narrationem Cartophilax proposuisse Bonifacio VIII. potest ipse in scriptis legisse; potest per vulgi errorem primum cœpisse, deinde ad prudentiores etiam serpsisse, ac tandem passim invaluisse error, si revera error fuit; ut ego probasse me puto, correcturus si ipsemet errasse docear. Interim illo ipso loco, qui mihi tam invidiose & præter rationem objicitur, vide, obsecro Lector, quomodo de servanda iis, quibus debetur, reverentia solicitus, num. 16. dicam. *Ceterum non obstantibus iis, quæ supra disputavimus de Pontificum in rebus historicis fallibilitate, manet maneboque, quod, ubi cetera paria sunt, Bullis, Brevibus, Constitutionibus, Decretis eorumdem summorum Pontificum, & cum proportione etiam, Eminentissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium &c. etiam extra casum & materiam fidei aut morum salutarium emanatis, maximam, saltem intra lineam auctoritatis humanæ, universi Catholici debent deferentiam, fidem, ac observantiam. Et hanc servant, qui nihil eorum, quæ istic dicuntur, aut vera esse supponuntur, in dubium revocant, nisi meis magnis & quomcumque rationabiliter movere natis, antea autem minus consideratis, aut eatenus prorsus ignoratis rationibus & auctoritatibus.*

103 Claudit hanc Accusationem Paternitas vestra cum admiratione, quod Societas, *quæ adeo generose ubique Sedis Apostolicæ invasores conatur reprimere*, permittat istæc a me scribi, eosque remittit ad Imaginem primi seculi nostri, ubi pag. 89. post annumeratas Constitutiones Pontificum, Institutum nostrum confirmantium, sic concludit Auctor: *Hac tot Pontificum tanta animorum consensione conspirans auctoritas, Societatem ita stabilivit, ut eam jam nulla malevolentiæ invidia convellere possit aut labefactare, sed neque invadere, nisi per Pontificiæ majestatis, atque adeo divinæ humanæque contemptum.*

104 Sic est, ex Bullis Romanorum Pontificum sequitur, Societatis institutum tanta auctoritate approbatum convelli non posse, nisi convulsa constitutionum Apostolicarum infallibilitate. Injurius sit sanctæ Sedi, & ejus notorius contemptor, qui etiamnum effutire audeat, Societatis Institutum perniciosum esse, paupertatem ejus in Scholaribus non esse religiosam, adeoque neminem in Societate religiosum esse, ante Professionem solemnem vel vota ultima. Idem censeo de aliorum Religiosorum institutis ab Ecclesia approbatis; salubria esse, viam pandere ad salutem & perfectionem adeoque ea *neque labefactari neque invadi posse, nisi per Pontificiæ Majestatis, atque adeo Divinæ humanæque contemptum*, uti dicebam de Societate. Si vero in Pontificum pro Societate Bullis quidpiam contineatur, quod Pontifices non asserant; sed, uti forte a Superioribus Societatis dictum referant: ajo, historiæ sic relatæ non deberi fidem indubitatam, saltem si graves aliunde dubitandi rationes occurrerint.

105 Ut autem R. P. Professor sciat, quid de Pontificum infallibilitate censeam, dico; Pontificem Romanum esse infallibilem in definiendis quæstionibus fidei & morum, uti & in approbandis religiosis Ordinibus, & in Sanctorum Canonizatione. Inter quæstiones autem fidei numero, non tantum dogmaticas, sed etiam versantes circa facta, seu in Scripturis seu alibi revelata, & quæ universæ Ecclesiæ credenda proponuntur, hæc facta, licet subjecti particularis, voco universalia; quia circa ea universæ Ecclesiæ fides a Christo, vel ejus nomine a summo ejus Vicario, exigitur. Circa facta particularia, sive circa ea, quæ Ecclesia vel Apostolica Sedes non sic credenda proponit, quamvis ea in judicio quodam decernat, existimo errorem accidere posse: multo magis in iis quæ Pontifex non decernit, sed tantum ex sententia aliorum narrando, non asserendo refert.

106 Ast istud concoquere non potes, quod dicam, *hujusmodi sic relatis, nec minimum quidem punctum majoris, quam antea habuerint, probabilitatis inde accedere*; ut dicebam de institutione Crucigerorum, quam ajebat Gregorius XIV. a Magistro generali & ejusdem Congregationis Fratribus sibi propositam, quasi orta fuisset a B. Cleto & ab Alexandro III. approbata. Vereris scilicet, ne forte probationes, ad stabiliendam Ordinis vestri antiquitatem proferri solitæ, debilitentur. Contendit itaque Paternitas vestra, quod, etiamsi aliquid in Pontificum diplomatibus, tantum narrative, & non assertive referatur, pondus tamen grave inde accipiat, & quidem tale, ut de ejus veritate dubitare non nisi temerarius possit.

107 Quæro igitur, an quotiescunque favorem aliquem seu privilegium a Pontifice quis petit, titulo singularis nobilitatis, aliorumque, quæ adferri solent multa & speciosa; quæro, inquam, an si Pontifex in diplomate indulti respondeat, Cajum E. G. *exponi sibi fecisse, quod sit ex Illustrissima natus prosapia* &c. propterea tanta Caji nobilitas Pontificio oraculo confirmata

mata

AD quam antea habue-
plus, ... profecto, qui Re-
potestatis? ... pro nobilitatis suæ
... Coloribus aliud non is sibilis
... proferret, an
hominum exemplar?

108 Quam male refert Scriptura sacra, quæ
non afferat. E. G. ubi legitur: Dixit insipiens
in corde suo, Non est Deus. Fateor disparita-
tem esse inter sermonem hanc, alias, quam Scri-
ptura vellent esse insipientis; & tamen hæc
Pontifex non reprehendit. Faciet quas
comparatio, ut Patere. vestra criminationis suæ
apertissimam ineptiam cogatur perspicere. Ac-
cipiunt propositio hæc, Non est Deus, probabi-
litatem aliquam, quia sic refertur in Scriptu-
ra sancta? Nonne verissime dicam propositioni-
bus hujusmodi, sic relatis in Scriptura sacra,
nec minimum quidem punctum majoris quam an-
tea habuerant (ut hæc nullum habuit unquam)
probabilitatis inde accedere?

109 Quid si modo accusandum me, coram
Ecclesia universa, scripto publico suscipias; at-
que, omissis vocibus, Hujusmodi, & Sic, trun-
catam & corruptam exhibeas propositionem
meam hoc modo: Papebrochius dicit proposi-
tionibus relatis in Scriptura sacra nec minimum
quidem punctum majoris, quam antea habuerint,
probabilitatis inde accedere, profecto accusatio
hæc omnibus horrorem incutiet, neque ad in-
saniam hæreticum esse merito dicent, quicum-
que Paternitatis V. auctoritate permoti cre-
dent propositionem, tam distinctis characteri-
bus notatam, a me profluxisse. Ast ubi corru-
ptionem & fraudem detexerint, fallor, si vel
unus rationis compos, & non odio adversus me
excæcatus, inveniendus sit, qui accusationem
hanc judicaverit viro sensato dignam esse, mul-
to minus Christiano & Religioso. Quis enim
scriptor unquam satis tutus erit, si talis accu-
sandi ratio invaluerit? Evidens est nullum esse
Volumen tam sanctum, nullam Constitutionem
Pontificiam, nullum Scripturæ librum quan-
tumvis a Spiritu sancto dictatum, quæ, unius
voculæ additione vel expunctione, converti non
possit ... sensum a vero alienissimum.

§. XI.

ACCUSATIO.

Papebrochius Clementem X. indirecte arguit imprudentiæ.

RESPONSIO.

NEc directe, nec indirecte arguitur impru-
dentiæ, qui negatur, id *intendisse*, *quod*
intendere prudenter non potuit. Hoc nego inten-
disse Clementem X. Non etiam arguitur im-
prudentiæ, qui supposita efficaci intentione fi-
nis, supponitur intendere omne medium eo ne-
cessarium, si id in sua est potestate. Hoc af-
firmo de Clemente. Pontifex oblatas sibi ab Or-
dine aliquo Indulgentias confirmans, intendit se-
curos & certos reddere Christi fideles, quod po-
nendo opera pietatis præscripta, obtineant gra-
tiam desideratam. Intentum tale obtinere ne-
quit, nisi supplendo quemcumque juris vel facti
defectum, si quis forte subest priori concessio-
ni: supplere autem eum potest confirmatione
sua: ergo & intendit, quatenus opus est, eum sup-
plere. Et hoc ex natura rei semper petit, quis-
quis sibi Filii petit confirmationem puri alicujus be-
neficii, nulli gravis, multis vero proficui, qua-
le sunt Indulgentiæ.

111 E contrario, posito casu, quod Indul-
gentia, quæ creditur olim data, revera non
fuerit data; fieri non potest, ne divinitus qui-
dem, per confirmationem quamcumque, ut data
tunc fuerit. Hoc ergo nemo potest prudenter
intendere: ergo non debet Præsumi hoc inten-
disse Pontifex, maxime cum id ad intentum fi-
nem, qui est certus & indubitabilis fructus In-
dulgentiæ, necessarium non sit: talis enim fru-
ctus per confirmationem sic explicatam obtine-
bitur, non obstante prioris concessionis certitu-
dine vel etiam nullitate.

112 Quod ad ipsasmet Indulgentias attinet,
quales jam inde a Leonis Papæ IV. ætate, se-
culo XI. mediante, Ordini suo cœptas concedi
prætendunt Patres Carmelitæ, & Clementi præ-
sato confirmandas obtulerunt, agam loco pro-
prio: nempe §. 17. nec enim placet sequi exem-
plum P. Sebastiani, quæstionum confusione ob-
scuritatem captantis, sub qua securius fallat ac
noceat; & idem decies resumendo, novis iden-
tidem argumentis crimina mihi affecta probare
conatur Lectori, incauto ad talia.

§. XII.

ACCUSATIO.

Papebrochius Alexandrum VII. perorantem in Consistorio semipublico ad Cardinales & Episcopos, arguit erroris; uti & Nicolaum I. in recipiendis Actis Concilii Sinuessani.

RESPONSIO.

ACta Sanctorum, PP. Bollando & Hen-
schenio illustrata, quanti faceret Alexan-
der VII. tunc vel maxime declaravit, quando
secundum ista tulit sententiam de corpore S. Anto-
nii, adjudicans illud Archimonasterio Antonia-
no, sicut dixi ad Vitam Bollandi ante primum
tomum Martii num. 46. Non fuerat ergo sa-
pientissimus Pontifex contempturus extremum
ejus Commentarium de Actis & Canonizatione
S. Suiberti, cui vir tantus extremos quinque
vitæ annos impendit, alteri nulli studio inten-
tus, sicut legitur in eadem Bollandi Vita nu.
142. Sed Commentarius is necdum prodierat,
quando prædictus Pontifex, incompertam ad-
huc habens Actorum istorum fabulositatem, ea,
ut passim recepta invenerat, sed accuratius exa-
minata a nemine, allegavit, agens de initio
Canonizationum. Hinc loco per P. Sebastia-
num accusato scripsi, nihil dubitare me, *quin si*
sapientissimus Pontifex Epistolam de prædictis le-
gere postea potuisset, ut est a Bollando examina-
ta, (non potuit autem, prius mortuus quam
Martius ederetur) *apturusset ea*, quæ de Ca-
nonizatione S. Suiberti, ut a Leone III. cele-
brata, dixerat, *numquam a se fuisse dicta*.

114 Hic P. Sebastianus ut Bollando parcat
(cui parcitum equidem non ægre fero pro ejus
tam claro ipsisque Carmelitis caro nomine, di-
stincte a se bis lecto, Parte 1. Conatur pag.
121.) ut invidiam mihi conciliet, tertio me
indu-

inducit in scenam num. 74. sic exordiens: *Refutaverat Papebrochius S. Suiberti Canonizationem*, deinde bis accusat epistolam, *ut esse a Papebrochio refutata, Papebrochio correcta*; cum ego totum illud opus Bollandi esse ubique profitear. Addidi autem ibi, quod Alexander *non credidisset illa refutatione quidquam detractum suæ Pontificiæ auctoritati: neque enim hoc ita se putabat, cum in argumento pure historico ea protulit, quæ plurimi ante ipsum alii in tali occasione*. Nunc insuper dico, eum tanto promtius mutaturum fuisse opinionem, quanto pluris faciebat in talibus judicium Bollandi, experientia annorum fere triginta ad talia dijudicanda omnium, quos noverat, aptissimi; & cujus epistolas ad suum Theologum P. Vekenum, quasi ad se datas, hebdomadatim legi audiebat; auditasque reponi in bibliotheca sua domestica, ubi collectas vidimus in plura volumina, prout etiam ipsas haberi credo apud Cardinalem Chisium ejus nepotem.

Ad Objectum de Nicolao, supra respondi §. 6.

§. XIII.

ACCUSATIO.

Papebrochius Clementis IX. electionem asserit præominatam ex Malachiæ Vaticiniis, quæ alibi tanquam figmenta explodit.

RESPONSIO.

EGone id assero? Applaudo Auctori Anagrammatis, bono cum omine, inde tracti, cui ipsemet applauserat Pontifex: non tamen aut hic aut ego propterea credidimus, *ea, quæ sub nomine Malachiæ circumferuntur Vaticinia*, aut divina esse, tancti Episcopi, aut saltem Malachiæ. Tam promptus alibi P. Sebastianus, ut ex similibus ancipitis sententiæ verbis, *dicuntur, creduntur*, &c. crimen mihi faciat, nihil invenit nunc in verbo *circumferuntur*, unde arguerat, illis qualiscumque Malachiæ vaticiniis nihil aut parum me credidisse etiam tunc, quando, 1. Tomum Martii Clementi IX. dedicavi adhuc tiro sub annum 1668. & in luto (ut loquimur) figlinam discens.

116 Revera autem credebam illis nihil, sed hunc sensum primum confirmavi, ac prompsi post annos abinde plures quindecim, quando ad primam partem Conatus, quæsivi *de ætate & auctoribus Prophetarum, B. Joachimo & S. Malachiæ imputatarum*, & judicium tunc explicatum renovavi quinto post anno in Paralipomenis. Judicium hoc secutus antiquarius in Gallia laudatissimus, Claudius Menestrier, peculiari libro istorum figmentorum inanitatem explosit, cui hactenus a nemine contradicitur. Illo autem putassem cum vulgo, & Malachiæ esse, & divinitus accepta vaticinia fuisse, an turpe est studendo proficere; & vulgo relicto, sapientioribus tandem adhærere?

§. XIV.

ACCUSATIO.

Papebrochius imponit Sedi Apostolicæ, dum asserit se illam revereri ut veritatis Magistram.

RESPONSIO.

CAtholicus non sit, qui hoc non asserat, Theologorum tamen Catholicorum nemo est, qui asserat infallibilis auctoritatis Pontificem esse in meris factis, ex alieno relatu & communi pro tempore opinione referendis sine definitione; neque fieri posse, neque fieri subinde, ut facta vulgo putata vera, postea deprehendantur non esse talia: hoc autem dum contingit, non putant talis erroris demonstratores, minus revereri se Apostolicam Sedem ut *veritatis Magistram* in rebus fidei, morum, ac rituum. Sane neque Cardinalis Baronius propterea dubitavit allegatam a Nicolao I. Polychronii damnationem repudiare, ut gratia confictam; neque nunc Cardinalis Ursinus, eum sustinet, contra quam legitur in Breviariis Martyrologiisque, corpus S. Bartholomæi Apostoli non fuisse translatum Romam, sed Beneventi remansisse, & contrariæ relationis fundamenta radicitus suffodit.

118 Posterioris sententiam infra ponam, ubi de Breviariis, &c. solum dico, quod etiam istic ubi Breviario contradicimus, licet a sancta Sede approbato, ipsam agnoscimus *Magistram veritatis*; dum expositis contrariæ nostræ sententiæ rationibus, quas scimus vel credimus talium Lectionum auctoribus vel omnino non visas, vel certo non satis expensas fuisse; nos nostraque & scripta & sensa, ipsius judicio, melius tandem (ut credimus) informandæ, omnino subjicimus. Nam quis dicat nobilissimos Burghesios, dum querebantur, S. Catharinam Senensem, quam ipsi sciebant genere plebeio natam, dici *ex Benincasia una cum Burghesia familia ex eodem stipite provenienta*: quis, inquam, dicat, non reveritos Burghesios *Apostolicam Sedem ut Magistram veritatis*: quin potius reveritos quam maxime, postulando ab ea correctionem promptam manifesti erroris. Ego mihi tantum nullibi sumo: satis habeo indicasse quid invenerim, & omnibus mature expensis dixisse quid sentiam; absolutam autem ac finalem decisionem a Pontifice expectando, quando & quomodo ei visum fuerit: & hoc significatum volunt omnes protestationes meæ, non vero cæcam adhæsionem ad quæcumque verba Breviarii, sæpe correcti & verosimiliter adhuc in multis corrigendi, quæ veteribus correctoribus necdum erant comperta.

119 Næ hic iterum bilem moveo Accusatori; hoc enim illi est *Turpiter & irreverenter Sedem Apostolicam taxare & censurare; ut merito sancta Sedes ambigere possit, an Papebrochius non agat cum illa, sicut olim Judæi egerunt cum Christo Domino, dum verbis reverentialibus genuflexi tamquam Regem adorabant dicentes*, Ave Rex, *& interea dabant ei alapas, & spuebant in faciem ejus. Nam Papebrochius satis reverenter quidem verbis Sedem Apostolicam tractat*,

Pontificum definitionibus, traditioni Pa- ... eaque omnia errare turpiter, approbare nullius fidei esse &c.

... Magistram, at dum ... non censea- ... sancta Se- ... judicet ... irreverens, ... verbum ... a me in ... censuram esse unquam ... quidem ... a me affe- ... prolatam ... approbare impo- ... Ais quidem ... fidei, impo- ... errare, ... esse nullius probabilitatis ... vel minimum ... mea sint, ut

120 Hæc, R. Pater, si verba ... pœnam refugio. ... indicas, nullam ... Sedi Apo- ... per calumniam mihi afficta, merearis. ... judicandum, quid ... vel plures, un- ... Cur locum non designas unum ... cur non ... hæc verba descripsisti? Ratio alia, nisi quod ta- ... designaveris, subesse non potest, nisi ... detegendam. ... calumniam nimis facile a me ... verborum con- ... itaque, totam irreverentium ... esse merum ... gerium, e re mihi imputatam, ... & famæ figmentum tuum, perquam malignum, & famæ ... (ut cuivis patet) gravissime noxium.

121 Scio quid responsurus sis; certe aliud non potest, quam quod facta aliqua particula- ria, a quibusdam Sedi Apostolicæ oblata, di- xerim esse *imposturas*, ac dein ut tales convi- cta, ideoque nullam deinceps fidem mereri. Addidi insuper, ea, quæ e Pontifice, non asser- tive, sed mere narrative, tanquam ab aliis di- cta referuntur, ne vel minimum probabilitatis punctum ex tali relatione accipere, ut fuse ostendi §. x. hujus Articuli. Verum an fieri non potest, & reipsa fit, ut aliqui turpiter men- tiantur & imponant Pontifici, fraudem non su- spicanti, quamvis Pontifex, fraudem, impo- sturam, mendacium minime approbet? Aliud scilicet est mendacio & impostura circumveniri, aliud illa, cognita ut talia, approbare.

122 *Bullas Pontificum esse nullius fidei* ais a me dictum, ego inficior: & nisi accusationem probaveris, quod certius sum te non posse, ca- lumniæ perniciosissimæ infamiam non effugies. Capeabis quidem rursus effugium, dicendo, a me subinde in dubium vocari, vel etiam absolute negari factum aliquod particulare, quod in Bul- la seu diplomate attingitur & recipitur tamquam verum: inde infers: *Bullas Pontificum* juxta me *esse nullius fidei*. Hæc quidem, R. Pater, illatio tua est; sed ideone illa, singulari chara- ctere, tamquam verbis meis concepta, fuit ex- primenda? Si talis accusandi modus admittatur, quis erit auctor, quem non propositionibus ma- xime enormibus valeas onerare?

123 Nullus Theologus non probat conclusio- nes suas, vel probare conatur ex sacra Scriptura, ex Conciliis, ex Pontificum definitionibus, ex sanctorum Patrum sententiis, adeoque ea cen- set cum sui adversarii placitis non convenire: atqui tamen, ut sæpe fit, controversia utrim- que disceptatur probabiliter, adversario etiam sententiam suam stabiliente locis sacrarum Pa- ginarum, Conciliorum, Pontificum, & sancto- rum patrum assertis: uterque igitur concludit, non modo sententiam suam veram esse, sed op- positam etiam non congruere auctoritati tam multiplici, inter probationes adductæ; quis- quamne propterea ferat alterutrum adversario- rum ab altero accusari, tamquem asserentem, posse contradici oraculis Scripturarum, Concilio-

Opuscul. Collect.

... rum ... impostura ...

124 Ut Bullæ Pontificum nullius fidei essent, deberent non tantum errores ... continere circa facta particularia, subinde aliquos nullam ... nobis fidem Pontifices exigunt, circa quæ deberent errores illi versari circa substantiam ... & admodum frequentes esse, & principale quod deciditur; denique ... subdole & nequiter ... seu punctum idem esse propriam conscientiam quæsiti a Pontificibus con- tra ... eisdem inserti. Sic de quolibet viro ho- nesto & probo, qui nunquam mentitus est, non dicetur esse homo *nullius fidei*; licet aliquando (quod cuivis etiam sanctissimo & sapientissimo accidit) in fraudem inductus sit; maxime si ab aliis dolose conficta, ipse fide optima susceperit, ac narraverit ut vera. Sed neque id est, *errare turpiter*, aut *approbare imposturas*. Nemo enim probat, quod vel ignorat, vel detestentur Pon- tifices; neque ullum unquam factum recipiunt, nisi propositum ut verum, & uti tale bona fide a se creditum, licet forte dolo pessimo ab aliis adornatum.

125 Fallis etiam, R. Pater, & (pace tua dixero) *evidenter* ac gravissime calumniaris, cum ais; *evidens esse*, *quod pluris faciam here- ticorum*, *aliorumque ab Ecclesia damnatorum*, *quam Sedis Apostolicæ auctoritatem*. Hæc apud me omnem aliam superat; quamquam & in puris factis particularibus locum esse censeam ratio- ni; atque ubi probationes ab inferioris notæ auctoribus prolatæ falsitatem ejusmodi facti evin- cunt, non arbitrer indecorum, salva Pontifici reverentia, illud inter supposititia ablegare. Ne- que deferendam puto veritatem, quia ab hære- ticis alicubi defenditur; nec enim hæreticum est aut fallum quidquid hæreticis verum sonat; neque de falsitate suspectum est, quidquid susti- netur ab iis, qui alicubi forte in errorem lapsi sunt, quem sive ante sive post Ecclesia condem- navit; quorsum enim alioquin Theologi passim, & sacræ Scripturæ Interpretes, etiam sancti Pa- tres, citarent S. Cyprianum, Originem, Ter- tullianum, aliosque, quos constat in errorem aliquando lapsos, & quorum forte non omnes post damnationem Ecclesiasticam resipuerunt?

126 Instat tamen P. Sebastianus, & more suo judicium sanctæ Sedis appellat, an alicubi recedere a sententia Pontificis, in quæstione facti particularis, non sit ei more Judæorum *colaphum impingere*, atque *insigniter imponere Sedi Apostolicæ*, dum eam voco *veritatis Magi- stram*. Respondeo, nullam hic speciem esse *im- posturæ*, nullam irreverentiæ, multo minus *co- laphi*. Sedem Apostolicam esse *veritatis Magi- stram*, non significat Catholicis, Pontificem nusquam errare posse in factis particularibus, circa quæ fidem universæ Ecclesiæ Pontifices non exigunt, neque ad ejus spectant incolu- mitatem; sed errare non posse in fidei & mo- rum definitionibus, in approbandis Religioso- rum Ordinibus, Sanctorum canonizatione, li- bris hæreticis reprobandis, vel approbandis ca- tholicis. An *colaphum Sedi Apostolicæ impin- git*, an eam negat *veritatis Magistram* S. Ber- nardus epistola 180. cum dicit; *Hoc solet ha- bere præcipuum Apostolica Sedes, ut non pigeat revocare quod esse a se forte deprehenderit fraude*

Y

elici-

elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam & summam Sedem. Si hoc soleat habere præcipuum Apostolica Sedes, ut revocare non pigeat &c. ergo aliquando saltem fallitur, quorumdam *fraude* & *mendacio* circumventa.

127 Imo quædam prava insinuatione mandata particularia Pontifici extorqueri posse, fatetur Alexander III. in cap. 5. §. de rescript. dicens: *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum exasperare videntur, turbari non debes; qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum diligenter adimplens; aut per litteras, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Ad quæ Glossa casum exponens: *Aliquis*, inquit, *habens plura beneficia, impetravit litteras contra Archiepiscopum Ravennatem super obtinendo beneficio in Ecclesia Ravennate tacito de beneficiis suis. Archiepiscopus multum miratus fuit, quod Papa scribebat pro habente sufficiens beneficium, & super hoc scripsit Papæ.* An Alexander III. Pontifex sibi suisque tum prædecessoribus tum successoribus judaico more *colaphum impegit*, eosque negavit *Magistros veritatis*, quia in aliquibus deceptioni fraudulentiorum obnoxios arbitratus est?

128 Ejusdem pariter criminis reus erit Gregorius, lib. 1. Dialog. de Romanis Pontificibus dicens; *Quid miraris, Petre, quia fallimur, qui homines sumus? An mente excidit, quod David, qui Prophetiæ spiritum habere consueverat, contra innocentem Jonathæ filium sententiam dedit cum verba pueri mentientis audivit? quod tamen quia per David factum est, & occulto Dei judicio, justum credimus; & tamen humana ratione, qualiter justum fuerit, non videmus. Quid ergo mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non sumus? Multum vero est, quod uniuscujusque Præsulis mentem curarum densitas vastat; cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula; tantoque ei in una qualibet re surripitur, quanto latius multis occupatur.*

129 Ne tamen vel ex his criminandi ansam assumes, quasi hæc Sedi Apostolicæ (ut quidem putabis) minus honorifica ex pravo affectu operose collegerim; omnia hæc & longe plura inveni apud vestrum Mathiam a Corona, in opere supra cit. cui titulus, *Potestas infallibilis S. Petri & successorum Romanorum Pontificum in rebus Fidei, Morum, Regimine Ecclesiæ, &c. contra hujus sæculi Novatores.* Ibi Tract. 2. cap. 17. sententias omnes, de factis particularibus a me adductas probans, dicit: *Ratio est, quia in similibus negotiis possunt testes facile corrumpi, vel laborare lapsu memoriæ, vel procedere ex amore aut odio; vel Procuratores partium negare concedenda, etiam medio juramento, vel neganda concedere. Idem contingit in gratiosis, ut in collatione beneficii, matrimonii dispensatione, pro cujus impetratione sæpe repræsentantur falsa paupertas, nobilitas, ætas, gradus; vel sollicitatores, dum procurant dispensationem matrimonialem, allegant quod per conjugium graves lites componentur, quod puella gravem patietur infamiam, quod difficile alteri nubere poterit.* Aut igitur me absolvas necesse est, aut (nisi personarum acceptor esse malis) accuses simul tam illustrem vestrum scriptorem, & cum eo S. Bernardum, Alexandrum III. Gregorium, Glossam, & reliquos ad unum omnes sacrorum Canonum peritos.

§. XV.

ACCUSATIO.

Papebrochius fingit, summorum Pontificum Coronationes seu Ordinationes ex traditione Apostolica, ipsis etiam in persecutionibus, celebratas semper fuisse in Dominica.

RESPONSIO.

RESpondeat hic pro me S. Leo [1] ex epistola sua vulgo 89. ad Episcopos Provinciæ Viennensis: *Non passim, sed die legitimo Ordinatio celebretur: nec sibi constare status sui noverit firmitatem, qui Sabbati vesperi, quod lucescit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die non fuerit ordinatus*: quatenus scilicet, ex antiquo Ecclesiæ ritu, utrasque Vesperas unus dies festus includit. Rationem reddit Pontifex, sub annum 445. ista scribens: *Solum enim majores nostri Resurrectionis Dominicæ diem hoc honore dignum judicaverunt.*

131 Habes legem, & quidem iam absolutam, ut qui eam neglexerit, *sui status firmitatem sibi noverit non constare*. Eam etiam a Romanis Pontificibus fuisse observatam anterioribus seculis, variis ex Anastasio Bibliothecario exemplis probo. Quæris, a quo tempore? Canonem ex antiquis nullum invenis, qui eam sanxerit, idenque velut rem novam nec antea usurpatam explodis. Respondeo cum Augustino libro 2. contra Donatistas, tum aliis capitibus, tum cap. 24. sic loquentem: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Atqui tempore S. Leonis & ante illum, ut ex irrefragabili ejus testimonio constat, semper hoc *retentum* est, *neque Conciliis* reperitur *institutum*, ergo *non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur*.

132 Negas, nunc & ultimis hisce seculis retentum ac retineri; sed arbitrarium censeri. Hoc tibi assentior: sed quam multa olim in electionibus Pontificum observata duceo, & quidem ut tunc necessaria, quæ frequenti relaxatione legis paulatim exoleverunt! Miraris, quod nemo alius id ante me detexerit. Quid tu si nemo alius studium suum eo vertit? In copiosa segete semper locus est diligentiæ spicilegorum. An eam ego adhibendo, bene an male meritus de Historia Pontificia sim, judicent Eruditi.

133 Alia hic interitur accusatio, quod visus mihi sim, ex Consulatibus, cuique Pontificis initio ac fini additis, tamquam certissima juxta Baronium nota temporum, utrumque posse definire, etiam contra Baronium, talibus notis cum scriberet destitutum; ac denique coactum in Sotere, successorem optare feliciorem, qui nodos sibi insolubiles solveret. Ad dies Pontificiarum Ordinationum

[1] Alium S. Leonis sensum tribuit damnatus ejusdem Leonis editor, & ex eo Pagius Crit. t. 1. ad an. 67. n. 18. & 19. ubi etiam contra Papebrochium ostendit, ante constitutam a Constantino Magno Ecclesiæ pacem Pontificum Romanorum ordinationes quocumque die indiscriminatim peractas fuisse.

[illegible] dirigendos nec aspiravit qui-
dem. Et erat res ardua; eo magis, quod
Chronographia plurimum librariis in nu-
meris, nihil enim numeri. Facilius
temporumque quam similitudinem. Conari
aliquid per verosimilitudinem fundando in lege
jactando, & verosimilitudinem, modica subinde
præfatus, inveni, quod aut omnium suc
correctione ... numeris, initia illuc posscor
plerumque Pontificiorum cessurus alteri, ve-
adduci; conjecturam meram profiteor parte 1. in
verosimiliorem daturo, uti temporis displicet tibi
præfat. num. 12. Interea Meliorem ergo sug-
Regula, quia a me inventa. Si nullam habes, & ha-
gere, sequar libenter. Si nullam, fac ut voles: me
bere desperas cum Baronio, neque insulsæ te-
finito conari quousque possum; non suppetunt,
veritatis argue, qui, cum certa doceo ut verosi-
verosimilia doceo; sed tantum in istis stylus adeo
similia: quod perpetuus meus ut illum ipsum mihi vertas
frequenter probat, velut Historico conjecturali.
crimini,

134 De tempore persecutionis, quod in titulo
assumitur, velut patentis erroris convincendum,
nihil extra titulum lego toto textu. An forte
credidisti, P. Professor, per se evidens esse,
quod saltem tunc non potuerit Dominica expe-
ctari? Mihi e contrario videtur evidens, quod
fideles, etiam tali tempore & inter quoscumque
metus, convenire ad Synaxes suas soliti, saltem
in cryptis, potissimum curaverint convenire in
Dominica, aliis diebus non item. Ordinationes
itaque Episcoporum, quas oportebat agi in cœtu
fidelium quam poterat numerosissimo, nulla die
congruentius factas crediderim, etiam tunc,
quam in Dominica.

§. XVI.

ACCUSATIO.

Papebrochius cum Clemente Scoto Apostata, prætendit esse summorum Pontificum instructor.

RESPONSIO.

INdex Prohibitorum, impressus anno 1683. post enumerata sex opera seu opuscula cujusdam *Julii Clementis Scoti Placentini*, septimum indicat *De potestate Pontificis in Societatem Jesu.* Contra hoc calamum stringens Theophilus Raynaudus, consueta sibi acrimonia scripsit libellum, qui est inter ejus Polemica Tomo 18. tertius; ubi illum arguit §. 2. quod prætendat esse *Instructor summorum Pontificum*, ad reformandam Societatem, ipse ab ea bis fugitivus. Tale sarcasma quomodo in me quadrare velit Accusator, nescio. Nam quod demonstravi Pontificias Ordinationes fieri olim solitas in Dominica, non eo feci ut docerem, diem istum etiam nunc semper esse observandum; sed solum, quid fuerit moris antiqui, nulla cujusquam culpa hodie mutati. Estne aliud, in quo videar comparandus Clementi Scoto? Est, inquis: quia hic *præsumit Pontifices docere potestatis suæ fines*: & ego parte 1. fol. 5. dico, *Innocentium XI. optime intellexisse in iis, quæ fidem aut mores non spectant, nec a Theologis vel Canonistis sed ab Historicis sunt discenda, nihil sibi facultatis competere humana majoris.* Quod intelligebat ille optime, id utique a me docendus non fuit. Si dubitas, an in quæstionibus historicis consulturus ille Historicos fuerit, mitte qui litterarum Bollandi volumina, si supersint, scrutentur apud Cardinalem Clusium; ibi centies invenies proposita ipsi per P. Vekenum ab Alexandro VII. dubia istiusmodi.

Opuscul. Collect.

137 Consultationibus istis nimium auctoritati suæ detraxit Pontifex juxta P. Sebastianum, cui crimen apparet, inter Catholicos inauditum, quod *in iis, quæ ad fidem aut mores non spectant, Pontifici nihil facultatis dicatur competere humana majoris*, propter hoc Apostatæ comparandus fui. Ergone in factis omnibus particularibus & historiis, quamvis nec revelatis, nec definitis, neque ad fidem aut mores spectantibus, necessario tribuenda Pontifici auctoritas divina? Scimus quidem orasse Christum, ut fides Petri, neque in ipso, neque in successoribus deficeret; verum orasse, ut notitia historiarum & quorumlibet factorum particularium in nullo unquam Pontifice, circa nullum apicem deficeret, fateor me nusquam legisse. Doceri cupio, P. Professor, si tua hic forte Theologia plus aliquid, quam ceterorum omnium detexerit.

138 Contradicis ipsis quoque Romanis Pontificibus, dum facultatem *humana majorem* eis vendicas in ejusmodi materia, in qua se homines esse, & humani nihil a se alienum putare profitentur; ut eorum verbis demonstratum est §. 14. Tu autem videris, an non scandali occasionem præbeas hæreticis, Catholicos insimulare solitis, quasi plus Pontifici tribuerent, quam sacrarum Scripturarum vel Patrum auctoritas unquam concesserit: quasi Pontificem, ut Numen alterum, in omnibus infallibile cæci revereamur. Quod circa S. Suitberti Canonizationem & Clementis X. Indulgentias ad nauseam repetis, in superioribus abunde refutavi.

139 Novam accusationis materiam arripis ex Propylæo Maji, Conatu Chronico-Hist. part. 1. pag. 136. n. 4. ubi, ut ex circumstantiis evidens est, ago de historiis, non definitis, nec revelatis, de quibus sic pronuntio: *Quis a Romanis Pontificibus in quanticumque momenti negotio, majorem exigat distinctioremque rerum præteritarum scientiam, quam suis cujusque ferebant tempora?* Inde concludis; *iterum indirecte instrui & moneri Romanos Pontifices, se prudenter non posse præteritarum rerum perhibere testimonium.* Hoc qua ratione ex dictis meis sequatur, non percipio; neque præter te quemquam percipere, autumo. Aio, Pontifices, circa historica, sententias suo tempore passim receptas, sequi; in ejusmodi causis plus ab eis exigendum. Quomodo inde sequitur, quod de rebus præteritis *prudenter testari*, seu judicare, non possint?

140 In Historicis prudenter sequimur communem sententiam, quamdiu nihil occurrit, quo eam vocet in suspicionem erroris. Sic prudenter aliquando judicari potuit Constantinum a Sylvestro baptizatum, Marcellinum idolo thus obtulisse, accusatum dein damnatumque in Concilio Sinuessano, uti & quæ de Polychronio Episcopo Hierosolymitano a Nicolao I. referuntur. Quanquam & posteris, dein multo studio omnia perscrutantibus, quædam innotescere possint, quæ dubium moveant minime temerarium circa ea, quæ aliquando

habita sunt tanquam indubitata, & pro illis circumstantiis non imprudenter.

141 Possunt itaque *Pontifices præteritarum rerum* aliquando certum, aliquando mere probabile, *prudent* tamen *testimonium perbibere*: metaphysice certum rerum divinitus revelatarum, physice certum rerum, quas immediate sensibus usurparunt, moraliter certum vel probabile pro majori minorive pondere motivorum. Si igitur ex dictis meis intulisses, Pontificem non quarumcumque rerum præteritarum posse prudenter testimonium ferre metaphysice infallibile, sequelam admisissem: nunc autem cum infers, Pontifices juxta me *non posse prudenter* ullarum *rerum præteritarum perbibere testimonium*, sive certum, sive probabile, judicet Sancta Sedes & quilibet æquus lector, an hæc illatio sensato & religioso accusatore digna sit.

§. XVII.

ACCUSATIO.

Papebrochius asserit, sumptus, in solemni Canonizatione fieri solitos, esse quasi alienos a sanctimonia & puritate Canonizationis.

RESPONSIO.

Tomo 9. Maji pag. 555. quæ accusatur, assero nihil; simpliciter narro, Adrianum Pontificem, teste Blasio Ortizio, in canonizatione SS. Antonini & Bennonis tales sumptus *fieri vetuisse*, eam ob causam quam refert idem Ortizius, Adriani, a tempore acceptati Pontificatus usque ad obitum comes individuus, ac secretorum omnium conscius; qui id ex ore ipsiusmet Adriani audivisse præsumitur. Verba ejus sunt: *Quamvis summa pecuniarum non exigua in ejusmodi actu, tum in Pontificia familia toganda, tum in aliis impendiis soleat consumi, circumspectissimus tamen Papa, tales sumptus, quasi alienos a sanctimonia & puritate canonizationis, fieri vetuit.*

142 Hæc loco accusato exprimo distinctis plane characteribus, ut pateat Ortizii esse. Tu autem, R. Pater, suppresso Ortizii nomine, ais, me illa dicere. *Noto* quidem istud *cum Ortizio*; verum cum hæc ejus fide & testimonio referam, cur me, tamquam illius sententiæ auctorem, citas? Dum quasi primus & solus ista *notans* accusator, videbur multis *notasse* temere; si autem testem addidisses a me nominatum, omni exceptione majorem, *Ortizium, Canonicum Toletanum, Adriani Papæ ex Hispania in Italiam comitem, & quamdiu is fuit in vivis domesticum*, temeritatis notam apud neminem incurrissem. An ignoras, P. Professor, certam esse apud Theologos sententiam, quod accusatio esse possit graviter injusta, non tantum ex falsi impositione, sed etiam ex reticentia veri? Fateor etiam, me istud cum Ortizio notasse *ad laudem Adriani*. Quid enim? An notassem istud ad opprobrium Adriani? Quanto tum majori jure me accusasses, quam soles alias, ut irreverentem Pontificum!

143 Sed, inquis, Adrianum VI. hic laudando, *censet Papebrochius, ceteros errasse & errare Pontifices, qui tales ordinant fieri sumptus*. Respondeo, negando consequentiam. Laudo Adrianum VI. quia id fecit zelo bono & secundum conscientiam, quam inculpabiliter errantem sequi cum laude possumus, & sæpe debemus. Si ex sententia Adriani sequatur, *alios Pontifices errasse, & errare qui tales ordinant fieri sumptus*; cur prætermisso Adriano imputatur mihi sententia, qui Adrianum laudo propter zelum bonum, modestiam, pietatem, intentionis denique rectitudinem in sumptibus canonizationum minuendis; quamvis rationem ab ipso allatam, *quasi sumptus illi alieni sint a sanctimonia & puritate canonizationis*, numquam probaverim. Laudavit Dominus Iehu, Scriptura teste, quod studiose fecisset, quamvis non omnes facti circumstantias laudaverit.

144 Censeo ergo, multas & graves causas esse, quæ sumptus fieri solitos probent, ut valde congruos; quos Adrianus VI. improbans ut privatus doctor, falli potuit sine ullo Apostolicæ Sedis, ex Cathedra infallibiliter definientis, præjudicio. Procul igitur absum ab asserendo, *sumptus in solemni Canonizationis actu fieri solitos, esse quasi alienos a sanctimonia & puritate Canonizationis*. Tua vero iterum accusatio, R. Pater, nullam habes speciem bonæ fidei aut veritatis.

145 Quid miramur Adrianum Papam, privatam illam suam & communi judicio erroneam opinionem, ex laudabili turpis quæstus odio procedere visam, fuisse secutum; cum sciamus, Pontifices aliquos in multo gravioris momenti negotiis tales opiniones privatim tenuisse? Exempla sunt obvia in Baronio. Tomo ejus decimo ad annum Christi 897. & seqq. abominatur facinus Stephani VI. commissum in cadaver Formosi decessoris sui; quem ille damnaverat veluti illegitime factum Pontificem, quia persuadebat sibi, contra Canones peccasse translatum ab Ecclesia Portuensi ad universalem Romanam. Illam tamen persuasionem Stephani, adeo non probavit successor ejus Joannes Papa IX. ut damnationis acta resciderit; Formosum ab injuria vindicaverit, & pro indubitabili Papa habuerit, cum approbatione Ecclesiæ universæ. Aliud exemplum passim notum videre licet in Joanne XXII. quem ut privatum Doctorem constat in illa fuisse sententia, quod animæ Beatorum in cælis non fruerentur, nec ante extremi judicii diem fruituræ essent beatifica divinæ essentiæ visione: cujus sententiæ contrarium postea definivit Benedictus XII. Ejusmodi quæstionum, prima, juris; secunda, facti erat, sed ad fidem pertinentis: neutrius tamen Pontificis privatus error, quidquam offecit infallibilitati alterutrius, quatenus Pontifex erat: neque qui eam retulit in Annales Baronius, arguitur velut Apostolicæ Sedi injurius.

§. XVIII.

ACCUSATIO.

Iopdum? non Innocentium III. & Honorium III. damnantes libellum Joachimi laudas. Abbas, illum approbat & ...

RESPONSIO.

Libellum, quem Prior Pontifex in Concilio damnavit, & posterior damnatum fuisse dicit, nec approbo, nec laudo: merito damnatum fuisse agnosco. Cur ergo in Disquis. hist. Vitæ ac miraculis Joachimi subjuncta, §. 4. doceo? quam solide Catholiceque de mysterio Trinitatis in Psalterio scripserit Joachimus.

146 Placeat obsecro istius §. 4. synopsim ex margine accipere, quæ sic habet: *Joachimus in libro Psalterii, contra falsas Arii, Sabellii & Gilberti hæreses disputans, clarissima docet unam trinam Personarum substantiam, eamque nulla similitudine explicabilem, & prorsus individuam Trinitatem; in qua non sit essentia distincta a Personis, sed tribus una communis & eadem cum ipsis Deitas; ideoque veritas trium Personarum; non autem unius Personæ singularitas: nec usquam jam dictis contraria in Psalterio docet: licet iisdem cum libello damnato Scripturis & similitudinibus utens; quia in Psalterio illas utitur sensu plane diverso, ut patet ex locis, ubi Christus unitatem suis petit, & Joachim unitatem non nisi inter plures esse docet; aut, quomodo alia sit hujus vocis significatio, quam qua dicitur Trinitas.*

147 His sole probatis, [1] quibus nihil adhuc opposuit quisquam, num. 40. sic exordior: *Ex dictis sole liquido constat, quam pura & orthodoxa fuerit Joachimi Abbatis doctrina, circa mysteria sanctissimæ & individuæ Trinitatis; saltem ultimis quindecim aut sexdecim vitæ annis, intra quos elaboratum Psalterium fuit (non libellus, sed justæ molis & magnitudinis liber) quæcumque demum fuerit sententia junioris. Et hoc posita, subnascitur quæstio circa LIBELLUM, citra controversiam HÆRETICISSIMUM, meritoque damnatum; ipsiusne revera an alterius auctoris, Joachimi nomine & auctoritate abusi, fuerit .... Verum nulla hactenus occurrente ratione, quæ omnibus omnino faciat difficultatibus satis, tantisper supersedendum mihi censeo disquisitione, non admodum necessaria.*

148 Minus formidolosus Theophilus Raynaudus, Carmelitis carum nomen (nisi cum aliquid contra librum de institutione Monachorum dicit, ipsis minime gratum) in *Hoplotheca* tomo 12. operum pag. 150. iis quibus falsa imponitur *contra ictum Calumniæ* nova in Deum, annumerans Joachimum; *Eadem*, inquit, *cum piis quibusdam Franciscanis, forte anterius fuerat Joachimus Calaber, Abbas Florensis .... Damnatus est in libro abs se edito de Unitate Trinitatis, sed per calumniam, a domesticis concinnatam (ut multorum vehemens suspicio talia) ex occasione quam subjicio. Professus Cistercienese institutum Joachimus, in Calabria Monasterio* ... *nomen Florense* *de Curatio, reformationem sui Ordinis molitus, facta a Curatianis secessione, fabricavit, in quod eam induceret, eorum, a quibus secesserat, lacryma crocodilinæ, & odia, deque ejus vaticiniis famæ, & ... scripta flagrans zelus amarus. Quare ipsi demortuo, ad Concilium ab Innocentio III. indictum, detulere criminationem in eum, quem dixi, Joachimi librum, & ut in sensu reprobo, quem aliqua (forte supposititia) verba præferebant, damnaretur, evicerunt .... At revera, & ille libro, qui damnatus est, & alibi, sanam de Trinitate doctrinam tradit.*

149 Hæc & plura Theophilus Raynaudus, in eamdem mecum damnationem trahendus (quod Carmelitæ nolint) & quidem majori jure. Siquidem ipse non distinguit inter Psalterium, & libellum Concilio oblatum, quod ego noster definire, quia hic dicitur scriptus contra Petrum Lambardum, in Psalterio autem (quod solum potuit legisse Theophilus, cum alius nullus inveniatur de isto argumento) neque Petrum Lombardum de nomine expressit Joachimus; neque sententiam retulit, quæ apud Lombardum habeatur. Et quis scit, an alium quam istum, vel supposititium, vel depravatum libellum legerit S. Thomas, dum, ubi aliquod erroneum reperit, vel suspectum, linea subducta damnavit?

150 Ego, iterum dico, nihil definio; & quidquid de libello illo sit (quem si scripsit, admodum juvenis scripsisse debuit, in ipso Curatii Monasterio, unde accusatio prodiit) laudo Catholicum in Psalterio spiritum, a nullo orthodoxo scriptore hactenus improbatum quod sciam. Similis autem sibi Joachimus est in aliis quoque suis operibus, Lucii II. & Urbani III. mandato atque Clementis III. suasu elaboratis. Dico quidem num. 29. quod eluceat in omnibus ingens & sublimis spiritus; in omnibus scilicet, quæ Joachimi esse constat. Et quamquam neque ejusmodi elogium auctorem eximere, aut declarare soleat exemptum omni errore seu lapsu (ut innumeris exemplis facile, ubi opus erit, demonstrabitur) omnem tamen errorem, saltem gravem sive substantialem, abesse puto a Psalterio, de quo, ex ipsius verbis sule relatis, in margine noto num. 23. quod, cum esset in Casa-Mariæ in Pentecoste, post molestam in fide hæsitationem, mysterium Trinitatis divinitus edoctus, de eodem scribere Psalterium incepit.

151 Quid tibi videtur, R. P. Professor, an non insignis impostor fuisset Joachimus, aut insigniter illusus, si Psalterium illud fuisset libellus a Concilio damnatus? Hoc ipsum, dices, volo cum Baronio, *Pseudo-Prophetam*, dicum Spondano, *Impostorem* appellantibus; cum Guidone etiam de Perpiniano, qui de ipso & quodam Joanne ait, quod *isti duo multa fatua & fabulosa, blasphema & heretica dixerunt & scripserunt*. Ita sane locuti sint: sed te quoque P. Sebastiane, bis Provincialem Carmelitarum, & omnium his non consentientium Historicorum hypercriticum, eo usque abripi mei accusandi libidine, ut ne meminisse quidem volueris, quantopere Religiosi tui glorientur Joachimi de suo, ut putant, Ordine testimoniis?

Opuscul. Collect.

[1] Joachimi orthodoxiam ab infami hæreseos nota alia ab ea, quam hic & in Majo Papebrochius noster secus est, vindicare ratione aggressus est Natalis Alexander in sæc. xiii. & xiv. hist. Dissert. 2. Neutra cordatis viris displicere potest.

Saltem Annalistam vestrum Lezanam consoluisses, didicisses ex eo, ad annum tant. num. 2. moderatius sentire, & eum illo dixisses: *Verum Prophetam fuisse, fama passim percrebuit; idque plura ipsius exarata monumenta testari videntur. An id verum, judicio Ecclesiæ mittendum.*

152 Interim cum eodem voluissea *in medium afferre, quæ de Ordine ab Elia instituto dixit:* quem, *modo Virginalem, modo Monasticum, modo contemplativum appellat;* quem prophetasse videtur eum ait: *Surget Ordo, qui videtur novus & non est, indusi nigris vestibus & accincti desuper zona. Hi crescent, & fama eorum divulgabitur, & prædicabunt fidem, quam & defendent usque ad consummationem mundi in spiritu Eliæ; qui erit Ordo Eremitarum, imitantium vitam Angelorum.* Si ego hæc Carmelitis attributa in claustro Discalceatorum vestrorum Bruxellis, ipsis erepta applicarem Augustinianis Eremitis, quomodo id Fratres tui ferrent? Et putas hunc tantum suum encomiasten, cui & S. Cyrillus tertius Prior vester scribit, tamquam *Domui totius sapientiæ, septiformi columnæ sancti Spiritus, qui a Patre luminum ineffabiliter promanat, suffultæ;* qui etiam ejusdem Cyrilli Oraculum suo illustraturus Commentario decuplum plus elogiorum illi retribuit, tam humilis ut ejus respectu *scurra & ethnicus* dici voluerit; hunc, inquam, a te ferent *Impostorem* dici & *Pseudo-Prophetam?*

153 Ego quidem nihil istorum ad ejus defensionem assumo; tantum non persuasus, & Epistolam utramque plenam vanissimæ adulationis Sanctique indignæ, & Oraculum, & expositionem Oraculi, ejusdem omnes figlinæ esse: sufficit mihi dicere, quod in Calabria in sui quondam Ordinis Monasteriis, nunc Cisterciensium, antea Florensium, idem Joachimus colitur ut *Sanctus*, aut *Beatus*, atque miraculis, quæ prolixe leguntur, clarus. Ex antiquis autem Florensis Monasterii manuscriptis apparet (ut noto in margine §. 1. Comm. prævii) *arsisse ad sepulcrum lampades, Missam dici, rasuram sarcophagi esse in pretio, Commemorationem in divinis fieri, imagines cum radiis & titulo Beati pingi; in Monasterio Floris, in natali domo jam versa in templum, in æde Parochiali, & alibi; inter Reliquias autem Sanctorum honorari mentum, dentem, vestes; nomen referri in Hagiologiis Benedictinis & Cisterciensibus*, aliaque hujusmodi, nullo Pontificum vel Episcoporum per tot secula contradicente: Luca etiam Archiepiscopo Consentino, viro Sancto, luculentum testimonium præbente de Joachimo, cujus fuerat scriba familiaris.

154 Quis autem nunc magis peccat? An Accusator meus, qui hæc omnia legerit tomo 7. Maji pag. 91. una cum Vita & Miraculis: & nihilominus pergit *Impostorem* ac *Pseudoprophetam* dicere *Joachimum?* an ego, qui tota Calabria notam & honoratam sanctitatem revereor, una tamen cum Honorio III. agnosco libellum, sub ejus nomine damnatum, sicut damnatus est, eumque appello *hæreticissimum;* abstrahendo an fuerit ejus, vel non, (quod neque Honorius voluit excutere, sed sententiam Concilii simpliciter retulit, ut inveni) Joachimi autem personam omni crimine eximo; insuper etiam ostendo innocentiam ejus, quem habemus, libri; Doctores vero, etiam sanctos & magnos, aliter de Joachimo locutos excuso, ut minus bene informatos; nego denique ab illo esse Pseudoprophetias, ipsi vulgo attributas, & ob quas ita fœde traducitur.

155 Adeone grave erit fateri, S. Thomam E. G. ex frequenti commercio cum quibusdam Cisterciensibus, tunc Florensium æmulis, humanum aliquid passum; ut potius aligas, R. Pater, ex numero Beatorum expungere integri Ordinis & a Pontificibus Romanis laudatissimi Fundatorem; eumque damnatissimis hæreticis adscribere, contra nationis totius Calabræ judicium, Apostolicæ Sedis diuturna scientia & tolerantia confirmatum, juxta decretum Urbani VIII. talia nolentis vocari in controversiam?

156 Bene habet, inquies, quod demortui, & cultu publico apud multos celebrati tamquam Sancti, fama, quantum fides patitur, defendatur, verum *facta ad fidem pertinentia* propterea revocare in dubium, quæ dementia est? *Atqui* (prosequeris) *Papebrochius libellum de unitate seu essentia Trinitatis .... censet non esse revera Joachimi, contra auctoritatem Concilii & Pontificum, expresse asserentium dictum libellum ab ipso Joachimo esse editum: adeoque censet Papebrochius, prout sufficienter indicas, Concilium & Pontificem in illo errasse quoad factum Joachimi Abbatis; ac proinde Pontificem in quæstionibus facti, etiam ad fidem spectantes, esse fallibilem.* R. Pater, etiamsi omnes nervos & funes adhibueris, numquam mea dicta eo pertrahes, ut significent, *Pontificem in quæstionibus facti, ad fidem spectantis, esse fallibilem.* Si dubites, experire, Stamus ad Tribunal Innocentii XII. quoniam eo me provocasti. Disceptantes nos intuetur universa Ecclesia. Ut accusationem tuam quaquaversum distraxisti, apologiam hanc publici juris facio. Proba igitur, quod tanta confidentia asseris; *quæstionem hanc ad fidem spectare*, an revera Joachimus, an alius suppostitius, librum *de unitate seu essentia Trinitatis*, a Lateranensi IV. damnatum, composuerit.

157 Agnosco ad fidem spectare quæstionem, an propositio aliqua, de hæresi a Pontifice condemnata, hæresim contineat: idem est de epistolis, libris, & quibuscumque Tractatibus eadem censura a Pontifice definitione notatis. Præterea ad finem juxta me pertinet, an propositio aliqua, in certo libro, sensum habeat hæreticum; neque adeo, an propositio in sensu Auctoris sit hæretica, per Auctorem intelligendo librum ipsum, ut librum Ciceronis, exempli causa, vocamus passim Auctorem, cum dicimus: Vide Ciceronem, lege Ciceronem, accipe Ciceronem in manus, &c. Verum quid auctor seu scriptor in animo habuerit, satisne clare, satisne sincere sensum suum expresserit; an contra mentem & conscientiam locutus sit; an etiam is, cujus nomen libro inscribitur, eum composuerit, an alius; ut &, an librum ab eo scriptum nemo fraudulenter vitiaverit, quæstio facti particularis ad fidem non spectantis est; neque juxta me solum, sed Theologos passim.

158 Si contra sententiam communissimam neges, quod quæstio illa sit facti particularis; velim unum mihi factum particulare in rerum natura exhibeas. Facta ejusmodi diserte vocantur particularia a Cardinalibus, Bellarmino, Baronio,

no, Wilhelmo, Turrecremata, Richelio, &c. Pontifices cum Concilium Generale cum Pontifice, cum omnibus esse in judicandis sub variis quæstionibus, omnes fatentur cum Catholicis, tum Heretici, recte Bellarmino l. 4. de Pontif. c. 2. Convenit, inquit, inter Catholicos & Hæreticos in duobus. Primo, posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu Consiliariorum, vel cum generali Concilio, errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipue pendent; quemadmodum pendet quæstio, an liber damnatus a Lateranensi IV. scriptus sit a Joachimo, an ab alio insidias ei struente; & an, si Joachimi sit, nullæ sententiæ si ab adversariis ingestæ fuerint.

159 Ego libellum, sub Joachimi nomine damnatum existimo Joachimi genuinum non esse fœtum, sed supposititium. Primo, quia libellus ille editus est contra Petrum Lombardum, appellans hæreticum & insanum, ut habetur in Lateranensi IV. cap. 2. Atqui hoc non reperitur in Psalterio Joachimi, neque in aliis ejus indubitatis Tractatibus. Secundo, quia in libello damnato manifeste protestatur Auctor, quod nulla res est, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; nec est essentia, nec substantia, nec natura; teste eodem Concilio ibidem.

160 Tertio, quia libellus damnatus docet in Trinitate tres distinctas essentias; ut refertur a Possevino, libro cui titulus Moscovia &c. adversus Catholicæ Ecclesiæ hostes, editionis anni 1597. pag. 179. Atqui neque secundum, neque tertium, sed oppositum docet Joachimus in libris a se editis: ut videre est in dissertatione mea, quæ ab Adversario accusatur. Quarto, quia apud summos Pontifices sui temporis tanto in pretio fuit Joachimus, ut ad scribendum & scriptionem usque ad senium prosequendam, non semel instigatus fuerit. Vide quæ de Lucio, Urbano, & Clemente superius dicta sunt. Plura ad Joachimi laudem ac defensionem tradidere Lucas Consentinus Archi-Episcopus, Jacobus cognomento Græcus &c. Denique loco accusato non dico, Joachimum numquam aliquid contra sanctissimæ Trinitatis fidem docuisse; sed non docuisse in libris qui extant; &, si docuerit juvenis, in adultiori ætate (cujus sunt libri a me laudati) oppositum docendo retractasse.

161 Quivis nunc æquus arbiter statuat, an merito Paternitas Vestra me in facie totius Ecclesiæ accuset, quasi contra *Innocentium III.* & *Honorium III. damnantes libellum Joachimi Abbatis, illum approbem & laudem*: dum ignorare non potes, quod tantum absim ab eo laudando & probando, ut in eadem, quam accusas, dissertatione expresse eum vocem, non modo perversum & hæreticum, sed *hæreticissimum*; utpote continentem gravissimos in fide errores, relatos & damnatos in Concilio Lateranensi IV. c. 2.

162 Statuas præterea quilibet in controversiis non plane rudis Theologus, an negare dictum libellum ab ipso Joachimo esse editum, sit sufficienter indicare, *quod Concilium & Pontifex erraverint in quæstione facti ad fidem pertinentis*. Cum manifestum sit quæstionem hanc a Theologis communissime numerari inter quæstiones facti particularis, circa quod neque Concilium, neque Pontifex assensum fidei divinæ a fidelibus exigit. Profer factum aliquod particulare, si hoc non sit: aut saltem profer rationem aliquam, ob quam, contra communissimam Theologorum sententiam, dicas, quæstionem hanc esse *facti ad fidem pertinentis*.

163 Quamquam neque absolute assero, libellum non esse Joachimi; sed tantum, vel non esse ejus, vel ab aliquo corruptum, vel non amplius extare. Nullus enim Joachimi liber extat sub hoc titulo, *de unitate seu essentia Trinitatis*; nullus, qui censuras contineat in Petrum Lombardum; nullus, qui errores de Trinitate in Lateranensi damnatos; adeoque Reverende Pater, quocumque te verteris, vides accusationem tuam nullo fundamento niti, sed undequaque convincide falsitate manifestam.

APPENDIX

164 *Comparentur breviter aliquot magis graves Propositiones P. Papebrochii, cum aliis Apostolicæ Sedis.*

Finieram hunc circa Pontifices summos Articulum, cum Roma nuntiatur, ibidem circumferri, sub Titulo præfato, Comparationem quamdam Pontificiarum mearumque Propositionum, invidiosissimis conceptarum terminis, & cuicumque viro probo stomachum moturum, si tales a meo calamo crederentur profluxisse. Atqui utinam brevis istæc scheda jam nunc non plus attulerit damni, quam contraria protestatione possit cito reparari! Sistam tamen illud qua-possum, & sensum meum, quamvis in libris meis satis clare apparentem, sed tam multa volumina grandia non legentibus minus forte notum, omnibus quam sincerissime candidissimeque exponam.

165 Sunt autem propositionum sic inter se comparatarum parallela decem; ne scilicet multitudo gravis esset descripturis lecturisque. Nec sane pluribus opus videbatur; cum solæ illæ essent ad præjudicium sufficientes. Ipsas ego distinguam titulis; & Pontificibus quidem imputatas vocabo *Protheses*; juxta positas vero, *Antitheses Pseudo-Papebrochii*: nec enim meas esse agnosco, quamvis dolo malo adscriptas mihi: meas autem sententias, utriusque subjectas dabo sub titulo proprii nominis, & appello *Theses*.

166 PROTHESIS SUMMORUM PONTIFICUM.

Quindecim summi Pontifices asserunt in Bullis, Carmelitas esse hereditarios successores SS. Prophetarum Eliæ & Elisei. Ita Gregorius XIII. & alii XIV.

I. ANTITHESIS. PSEUDO-PAPEBROCHII.

Carmelitæ, asserentes se esse hereditarios successores SS. Eliæ & Elisei, sunt fabulatores, falsarii, & impostores. Ita Wicleff & Haroldus heretici, & Sabellicus rhapsodiator.

167 THESIS DANIELIS PAPEBROCHII,

CArmelitæ, assereotes se, secundum Bullas Sixti IV. ab aliis deinde confirmatas; *Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisei, & Enoch, nec non aliorum Sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt* (scilicet SS. Bertholdi, Brocardi & Cyrilli, primorum eo loco Priorum) *successione hæreditatem*, vel *successionem hæreditariam tenere*, commodo sensu, & cum respectu ad eorum, qui nominantur, *ætatem ac statum*; *tali titulo recte gloriabuntur: aliter sentientes excusabit simplex sua ac levis credulitas, modo ex eo affectu nihil falsi comminiscantur. An autem hoc fecerint eorum aliqui, res ipsa, non verba decident.*

CUr maluerit nominare Gregorium XIII. potius quam Sixtum IV. si roges Collatorem, non facile rationem reddet, nisi fateatur, quod noluerit argui haud integre ejus verba retulisse omisso *Enocho*, anni 650. ante Diluvium mortuo, quando ille gratis fingeretur in monte sancto habitasse, in eoque vitam Eremiticam duxisse: alium autem *sanctum Prophetam* non erat facile invenire. Sed si consuluisset auctorem famosarum Thesium Biterrensium anni 1682. vidisset ibi Theologice propugnatam Thesim 4. quæ ita habet: *Mihi certum videtur, Patriarcham nostrum vel ab ipso Christo, vel ab Angelo, vel ab Henoch fuisse baptizatum, cui vicissim gratiam baptismatis rependit*: quidni etiam eidem contulerit habitum sui Ordinis, ejusque professionem exceperit? Ita potuit ac debuit nominari tertius ordine Professionis, qui fuerat ordine vitæ prior. Quidni autem habitarit in monte Carmeli, si Adam habitavit & sepultus est in monte Calvariæ, uti censent Origenes, Epiphanius, Tertullianus, & Athanasius, Augustinus, Cyrillus apud Corn. a Lapide?

169 Quod Auctores Pseudo-Papebrochio præcinentes attinet, laborabit Collator, ut probet scommata talia in Carmelitas jacta ab eis esse, *Wicklef*, mendicitatis religiosæ & Ordinum Mendicantium universim gravis insectator, contra Carmelitas aliquid specialiter scripsisse non dicitur ab eis, qui Catalogum operum ejus texuerunt. Waldensis vestet loco, a Patern. vestra indicato, antea mihi nunquam lecto, quia fori mei non est, citat ex ejus libro de Ecclesia & membris ejus cap. 6. hæc verba: *Carmelitæ, cum ante incarnationem Domini fundati, Beatam Virginem Patronam habeant singularem, patres eorum excellentia supra cunctos; nam, ut fingunt, Elias fundavit eos in monte Carmelo tamquam filios Prophetarum. Sequitur. Fratres etiam Beatæ Virginis debent dici.* Ista a Carmelitis dici, non debebamus ex Wickleffo discere, satis id omnibus notum erat; nec etiam vere an falso id dicerent, ex ejus testimonio definietur. Doctoribus istis res & causa non eget. Quo jure vel teste Heroldum voces non solum *hæreticum* pag. 634. sed etiam infestissimum *Sedis Apostolicæ hostem*, hactenus non capio; nolim tamen spondere, quod extremis vitæ annis in Lutheranam hæresim non declinarit. Concionatio belli sacri, post Guilielmum Tyrium (ex cujus lib. 5. lineas aliquot descripsi, S. Antonino, Baronio, Spondano aliisque conformes) a Catholico S. Morandi Præposito edi curata, Catholicoque Episcopo Basileensi aliisque Præsulibus quinque successive dicata, Carmelitas verbo nullo lædit; uti nec *Sabellicus*, cujus libros Petrus Card. Bembus maximi se facere ostendit; mortuum autem post Gallicam legationem Venetiis, laudavit eruditus Sacerdos Baptista Egnatius. Is, ut Homerus Poemata sua, sic Enneades suas Historiarum, appellavit *Rhapsodias*, alio sensu quam intelligit Collator ineruditus.

170 PROTHESIS.

Quindecim summi Pontifices approbant & confirmant summarium Indulgentiarum, quod est hujusmodi, Leo Papa IV. *&c. Ita* Clemens X. *& alii* XIV.

II. ANTITHESIS.

Summarium indulgentiarum, quod est hujusmodi, Leo Papa IV. *&c. est apocryphum, & a Pseudo-Leone confictum. Colligitur ex Wicleff, Lubecro, & Haroldo Lutherano.*

171 THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

LEo Papa IV. sedit ab anno 847. ad 855. quando vel Carmelitas in Europa fuisse, vel Indulgentias loca pia visitantibus concedi solitas, nullo ejus ætatis testimonio probatur: merito igitur Bulla de iis censetur *apocrypha*, & auctor potest *Pseudo-Leo* vocari. Pontifices autem citra curiosam indaginem confirmando oblatas sibi sub nomine Leonis IV. Indulgentias, cum intenderent fideles certificare de sperata gratia in Ecclesiis Carmelitarum impetranda, recte præsumuntur voluisse ipso facto supplere quemcumque defectum, in ea concessione, quæ præjudicare nemini, prodesse autem multis posset.

SI vere hujusmodi indulgentias Leo IV. concessisset, juvantibus vel visitantibus Carmelitarum Ecclesias; multo magis & ipse & successores ac successores ejus similes dedissent, modo huic, modo illi Romanæ Ecclesiæ, quod fecisse probari nequit: sed potius contrarium. Etenim Leoni isti coævus fuit Anastasius Bibliothecarius, ejusque Vitam prolixissime descripsit: nec omisit donaria Ecclesiis Romanis collata, accurate notans quid & cui largitus sit: nec tamen vel in ipso vel in ullo antecedentium omnium aut sequentium quatuor vel quinque Vitis levissima fit mentio alicujus Indulgentiæ; nulla etiam in antiquis Pontificum Romanorum formulariis, qualia in Vaticana extant, etiam ad Leonis usque tempora, pro quocumque argumento Brevium conscribendorum, multo etiam levioris momenti quam sit Indulgentiarum, &

qui-

quidem perpetuarum, concessio, quales se a Leone IV. accepisse prætendunt Carmelitæ. Quod autem nulli Romanæ Ecclesiæ adhuc datum scitur, non debet præsumi petitum a Carmelitis, quos in Europa pro eadem ætate nullus uspiam scriptor novit.

173 Neque recurras ad Syro-Græcos, qui forte in Carmelo tunc habitarint, Monachos; nullo enim auctore probabis, vel ipsos, vel alios ullos in totis quatuor Patriarchatibus Orientalibus, Romam recurrisse pro aliqua gratia suis Monasteriis obtinenda; omnibus suos Patriarchas unice respicientibus, in negotiis aut rebus ecclesiasticis quibuscumque, nisi quæstio iis esset de fide; in qua optime tunc erant cum Leone uniti, mediante fidei professione; quam, mox ut erant ordinati Patriarchæ, manu sua signatam mittebant Pontifici, & eamdem a subditis sibi Episcopis, hi a Clericis Monachisque, exigebant.

174 Quod spectat prænominatos Hæreticos, neminem eorum puto de Summario controverso vel somniando cogitasse. Qui illud ampliori Bullæ inseruisse dicitur Sixtus IV. anno 1477. post ipsum ponit nuda quinque nomina *Adriani II. Stephani V. Sergilii* (imo Sergii) III. *Joannis X. Joannis XI. Sergii V.* (imo IV.) qui omnes intra annos 160. a Leonis IV. obitu sederunt; nec addit quid concesserint; sed transit ad *Innocentium IV. qui Ordinem confirmavit*, seculo 13. annis 340. posteriorem Sergio.

175 Si quæras, unde habeatur, quod priores isti cum Leone IV. aliquid Indulgentiarum largiti sint (æque ac alii duodecim post Innocentium IV. per annos circiter 100. quorum Indulgentiæ summatim indicantur) nihil aliud respondetur, quam quod, *propter singularitatem privilegiorum originales desuper litteræ ad manus Generalis* (Martignoni) *non pervenerunt, nec de illis aliter quam ut præfertur doceri potest*; simpliciter scilicet asserendo, quod *multi Romani Pontifices ... diversas Indulgentias & peccatorum remissiones, ac privilegia & indulta, ipsi Ordini & illius domibus concesserunt, quæ in eisdem domibus sunt recepta, & quorum continentia publicis scripturis in dictis Ordinis Ecclesiis aptissime reperiantur*.

176 Credemusne tot in locis nullos fuisse Notarios publicos, qui transcribere ab originalibus possent exhibenda Pontifici exemplaria? Id certe prætermissum non fuit in alia ejusdem Sixti Bulla, qua confirmantur vetera Ordinis privilegia ad verbum insertis, totis Pontificum præcedentium diplomatis, sed incipiendo dumtaxat a Nicolao IV. & anno 1288. An tanto majoris momenti Bullæ originales Romam transferri potuere, aut omnes ibidem ab olim servabantur, Indulgentiarum omnino nullæ? Suspecta merito ea res est, nisi concedas id quod in Thesi posui, Pontificem parum curasse de Auctore Indulgentiarum, quas omnino volebat ratas esse, quomodocumque vel undecumque eas haberent vel non haberent Carmelitæ; prout posui in Thesi; ac voluisse pro indubitatis teneri, propter *nonnulla dubia suborta* circa illas *aliaque in dies formidanda*, supplendo eorumdem quemcumque defectum.

177 Est sane mirabilis temporum rerum ac personarum in ista Sixtina secunda confusio: siquidem post indicatas Indulgentias a quatuor Innocentii IV. successoribus obtentas, venitur ad Privilegium Lucii Papæ IV. (qui nullus hactenus extitit) velut unius ex decessoribus Innocentii quarti, ad quem ejusque Indulgentias tandem reditur.

178 Et hoc agnoscens Ordinis Annalista Lezana, Indulgentias Lucio quarto male imputatas, adscripsit Lucio III. ad annum 1182. quando jam indubitabiles Carmelitæ aliqui, iique Latini & bene Catholici, sub Latino Priore in sacro monte ad fontem Eliæ habitabant; qui aliis sacris Palæstinæ locis dari cœptas Indulgentias, petere pro suo etiam sacello potuerunt a Lucio III. cujus bulla aliqua, decursu seculorum fere quinque vix amplius legibilis, solam initialem nomini litteram L. retinuerit, vel (ex usu illorum temporum) solam habuerit ab initio scriptam loco nominis: ex qua littera nimius aliquis prætensæ vetustatis amator, *Leonem* sibi sustic imaginatus: qui ne tanto ante Innocentium IV. intervallo nullos habuerit auctores similis gratiæ, istis præmature nominatis Carmelitis concessæ, addiderit nuda istæc quæ dixi nomina.

179 Dico igitur fidenter, cum omni tamen qua par est erga successores Pontifices reverentia, quia (sicut de suppositítio Constantini edicto loquitur Baronius) *absque aliqua impostura suspicione & indagatione, bona fide, sicut legerint, ita receperint*. Dico, inquam, secundam Sixtinam vel totam suppositítiam esse, sumptis ex prima & genuina ad initium & finem verbotenus iisdem terminis formulisque, vel saltem interpolatam ea parte, quæ continet Pontifices Lucio III. anteriores.

180 Cum autem hoc dico, non puto me facere injuriam ceteris, fraudis ignaris; non magis quam fecerint prælaudatus Lezana, qui primigeniæ Ordinis Regulæ, ab Alberto Patriarcha scriptæ, & a variis Pontificibus confirmatæ, agnoscit additum temere annum datæ, & quidem a vero alienissimum, qui in vetustioribus exemplis non reperitur, invenitur tamen in ecgraphis bullarum Innocentii IV. & Honorii III. apud eumdem Lezanam ad an. 1171. male adscriptum Regulæ prædictæ. Quare excandescens ille sic exclamat. *Qui, quod in registro non extat, in exemplari apponere non vereatur, nedum corrigendi, sed expungendi sunt*. Nolim ego tam severus esse. Corrigatur quod peccatum est, & qui peccavit excusetur qua potest, atque eum Accusatore meo, liberaliter verbis meis addente ac detrahente quod lubet, omnes simul scribantur in libro viventium.

181 PROTHESIS III. ANTITHESIS.

Quindecim summi Pontifices approbant & confirmant constantem ac perpetuam traditionem Ordinis Carmelitarum, exeunti a mari usque ad mare propter antiquitatem suam. Sixtus IV. & alii XIV.

Carmelitarum de sua antiquitate traditio traditiunculis male consutis levissimisque fundatur conjecturis. Ita Heroldus; & Centuriatores per consequentiam.

THE-

183 THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

CArmelitarum de sua antiquitate non antiquissimam traditionem, eo sensu acceptam, ac si Ordo suus ab annis ante Christum 900. cœptus, & citra interruptionem fuerit usque modo continuatus, non approbavit nec confirmavit Sixtus IV. verbis supra ad 1. Thesim productis, & commode explicatis : & quæ pro summa illa antiquitate dicuntur, parum solidis nituntur fundamentis.

TRaditionem dico *non antiquissimam*, utpote natam in Europa ab iis, qui, cum a majoribus audivissent Ordinem Elia auctore institutum (per revelationem scilicet primo Priori Bertholdo factam) neque id scirent distinctius explicare, interrogati, unde vel a quo essent; institutionem illam nimis crude acceperunt, & ad modum aliorum Ordinum (puta Prædicatorum a S. Dominico, Minorum a S. Francisco) imaginati sibi sunt in Elia plus quam exemplum solitariæ Vitæ, ratione cujus dicatur *Princeps*, *Dux*, *Pater Monachorum*, quomodo in Lectionibus 15. Januarii, S. Paulus vocatur *Eremitarum auctor & magister*, licet discipulos habuerit & reliquerit nullos.

184 Nihilominus sic conceptæ Institutioni veteris in lege antiqua monachismi, sub tribus religiosis votis probandæ adducuntur, veluti certissima documenta, primum Latini nec vetusti hominis liber de institutione Monachorum, tamquam a Joanne Hierosolymitano, Hieronymi coævo; deinde Joannes Antiochenus, pro anno 130. propter aliquem Possevini seu potius typothetarum ejus errorem, quo omissa litterula una, 130. legitur, pro 1300. tertio Cyrilli epistola, quæ nec ipsam quidem Carmelitarum veterum Carpitam apte describit, denique S. Angeli vita, per nescio quem Enochum, fictitium Patriarcham, nihilo minus quam ipse conficta est tota.

185 Pro continuatione vero asserenda, in Ordinem Carmeliticum involvuntur omnes in Scriptura nominati Prophetæ & filii Prophetarum, Nazaræni insuper, Rechabitæ & Esseni, & tantum non Pythagoras cum discipulis, item Enoch ab Amathim, ante finem sæculi 15. notus nemini; Basilides quoque, Serapidis Sacerdos Tacito & Suetonio, fausta Vespasiano Imp. inspectis extis vaticinatus; nec interim apud Scriptores sacrarum in Terram sanctam peregrinationum ulla montis Carmeli notitia, nulla apud alios habitantium in eo Religiosorum invenitur mentio, a tempore S. Hieronymi.

186 Hæc ego animadvertens, nec iis satisfieri posse censens; cum inveni scriptorem, S. Bertholdo coævum, Joannem Phocæ, qui anno 1175. Terram-sanctam, uti inveneras, sic fidelissima describens primus fecit mentionem Carmeli, ac sanctorum locorum ultimi; numquid non merito dicere potui, quod, omissis *traditiunculis male consutis levissimisque conjecturis*, certiora docere possem de vero Ordinis præstantissimi, saltem ut est Latinus, initio?

187 Juvat omnino ejus verba, Cangio aliisque eruditis æstimatissima, hic reproducere. Num. 26. post descriptum eleganter locum ejusque diutinam desolationem, sic habet: *Πρὸ τινων χρόνων ἀνὴρ μοναχὸς, ἱερεὺς τὴν ἀξίαν, πολιὸς τὴν τρίχα, Καλαυρηδόθεν ὁρμώμενος ἐξ ἀποκαλύψεως τοῦ προφήτου τῷ τόπῳ ἐπιδημήσας, ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, καὶ ὡς ἐν τοῖς τῆς μονῆς καταλείμμασι, θριγγίον τεῖχει μικρὸν, καὶ πύργον οἰκοδομήσας, καὶ ναὸν ἐγείρας μικρὸν καὶ ἀδελφοὺς ὡσεὶ δέκα συνάξας, νῦν τὸν ἅγιον χῶρον ἐκεῖνον οἰκεῖ. Ante aliquot annos* (puta circa 1155. uti ex Chronologia Priorum ibidem, colligo ante tomum 3. Maii p. XLIX.) *homo Monachus* (Bertholdum omnino indicant locus & tempus, licet barbarum sibi nomen memoriæ non mandaverit Græcus advena) *dignitate Sacerdos, capillitio canus, e Calabria oriundus, ex revelatione Prophetæ, immigravit in hunc locum; & ibidem, veluti in cujusdam Monasterii reliquiis, & parvo defixo valla ac turri ædificata, ædicula etiam excitata, & collectis quasi decem Fratribus, nunc locum illum sanctum habitat*.

188 Hæc tam distincte & ab auctore tam vicino scripta inveniens, potui scribere tom. 1. Aprilis pag. 779. *Quomodo illi* (novissimi scilicet incolæ Carmeli, pluribus seculis desolati) *locum cœperint habitare; quo primum vitæ magistra usi, quot numero fuerint; non ego per abrupta gratuitarum conjecturarum, nec per lubrica traditionum incertarum requiram, sed audiam irrefragabilem atque oculatum testem*. Isti scilicet, quos ille indicat, sunt *sancti Patres, qui montem sanctum Carmeli, juxta Eliæ fontem, inhabitarunt*; postquam eundem a S. Elia habitandum acceperant (sicut ipse & Elisæus in eo habitarant olim) & posteris suis Carmelitis *successione hereditaria* tenendum reliquerunt. Intermedios, & quidem successione continua nec unquam interrupta, frustra requires; & cum inveneris, needum invenies tales ibidem, seculo x. atque xi. a quibus RR. PP. Carmelitæ possint honeste dicere se processisse, ut mox Thesi 8. 9. 10. apparebit.

189 PROTHESIS IV. ANTITHESIS.

Trecentis annis ante Alexandrum Papam, Leo Papa IV. dedit Indulgentias visitantibus Ecclesias B. M. Virginis de monte Carmelo. Ita Clemens X. & alii XII.

Ordo Carmelitarum non præcessit Alexandrum III. nec Aymericum Patriarcham Antiochenum, viventem sub Alexandro III. Colligitur ex Wicleff & Haroldo Luthereno.

190 THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

NOn Leo IV. sed verosimiliter Lucius III. potuit circa annum 1183. dedisse indulgentias Carmelitis Latinis & orthodoxis, qui circa annum 1155. paulo ante Alexandrum III. & Aymericum Patriarcham Antiochenum, incolere montem sanctum cœperunt : Sixtinam autem sup-

suppositiam vel interpolatam Bullam, potuit Clemens X. aliique confirmasse bona fide, sicut decessor ejus Clemens IX. bona fide probaverat fundationem Carmelitarum Bilbai, *falsis relationibus*, inductus, Clemente X. ipsomet teste.

191 PROTHESIS V. ANTITHESIS.

Carmelitæ, qui dicunt Patrem se habere Eliam, quam plurimis religiosis eruditis & doctrina præstantibus vigent ac reflorent. Ita Joannes XXII. Paulus V, Sixtus IV. Clemens VIII.	*Carmelitæ, qui dicunt se Patrem habere Eliam, sunt ignorantes, ineruditi, garruli, nugatores, & Commentorum figuli. Ita Wicleff & alii hæretici.*

192 THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

CArmelitæ, qui dicunt se habere Patrem Eliam, id vere dicunt (sicut & ipsi & Servitæ & Mercenarii dicunt, se Matrem habere Mariam) quam plurimis Religiosis eruditis & doctrina præstantibus in facultate Philosophica, Theologica, aliisque gravioribus scientiis viguerunt & vigent; neque id debemus ex Pontificum Bullis discere, cum opera ipsa id palam loquantur: ast in facultate Historico-critica, superiori seculo primum excoli cœpta, desiderari quidpiam in ipsis poterit, quamdiu contrariis prorsus nitentur principiis, quam passim in illa eruditi soleant sequi.

SI qui inter illos etiam crediderunt, licitum pro pietate mentiri, & falsas scripturas comminisci, eos relinquo censuræ altiori. Non facile autem invenias in meis scriptis nomini alicujus Carmelitæ, nedum Carmelitarum in genere, apposita epitheta ex præmissis a Pseudo-Papebrochio: sed ejusmodi titulis, una cum Nicolao Antonio, auctore Bibliothecæ Hispanicæ, & Cardinali d'Aguirre, ipsius Bibliothecæ partem 2. Romæ imprimi faciente, soleo talibus titulis designare Auctores pseudo-chronicorum, quæ ab annis circiter 100. in Hispania cœperunt legi, & pene tamquam altera Evangelia haberi; quibus sub initium decepti quoque fuere viri alias eruditi, Salianus, Cornelius a Lapide &c. æque ac libro de institutione Monachorum. Fraude tamen paulatim detecta: *nemo jam fere extra Hispaniam est, qui illis fidem habeat*, præter Carmelitas.

194 Hi nempe fidem etiam habent nugacissimo Pseudo-Antonini itinerario, a me ante tom. 2. Maji producto, & comparato cum Joannis Phocæ Hodœporico, gravissime ac religiosissime scripto, ut supra vidimus. Cur autem hunc ipsi suspectum habeant, de illo nequiverint dubitare, alia nulla adferri potest ratio, quam diversus in utrumque scriptorem affectus; eo quod hic non placeat in descriptione Carmeli, licet a Leone Allatio Latinitate donatus, a Bartoldo Nihusio publicatus, viris utique eruditissimis; & Augustino Chisio Nepoti Fabii Chisii tunc Cardinalis, postea Papæ Alexandri VII. dedicatus, atque inter litteratorum manus ab annis 40. versatus, cum approbatione communi; meritus etiam bene de ipso Carmelo, quem pridem desitum locis sacris annumerari, primus in eorumdem censum retulit.

195 Suspectandi causam rogati Carmelitæ, aliam nullam sciunt adferre, quam quod scriptor sit Græcus, & liber ejus excusus in Hollandia. Nempe ibi degebat pius Sacerdos Nihusius, & copia suppetebat pulcherrimorum typorum, ubi similiter excusum antea fuerat pulcherrimum & grande opus ejusdem Allatii, de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione, eodem Nihusio curatore. Deinde, *præterquam quod manuscripta Allatii* (ut cum Cangio loquar) *adhuc Romæ inveniri sit; quid, quæso, Hollandorum aut Protestantium interest de origine Ordinis Carmelitarum? An præviderunt illi hanc controversiam, ut auctorem apud se impressum falsificarent?* Quod autem scriptor Græcus sit, quem id sapientem movere possint, ad dubitandum de illius fide circa Carmelum, quando in toto ejus libro nihil est, in quo fundari possit aliqua suspicio fraudis? Hæc si subesset aliqua, pluribus locis ipsa se proderet, sicut ea se prodit in Pseudo-Antonini Itinerario ad singulos fere passus, Carmelitis tamen non improbato.

196 Sed redeo ad commentorum Pseudo-dextrinorum figulos, ne quis eos putet Carmelitas fuisse. Alii omnino illi sunt, atque utinam nomina eorum possent latere, quos prudentiores Hispani præfati, cum iisque Marchio Agropolitanus, nunc etiam de Mondexar, & Comes Tendiliæ atque utroque titulo ex Magnatibus Hispaniæ, aliique post illum protraxerunt in lucem, ex propriis scriptis convincendos. Non sunt illi, inquam, ex Ordine Carmelitarum: sed hi studiosissime propugnant supposititia istæc Chronica, vel non volentes, vel non valentes a verioribus secernere; eorumdemque auctoritates adhibent, ad probandam Ordinis antiquitatem, quos equidem commiseratione potius, quam objurgatione dignos censeo.

197 Talis anno 1690. prodiit Fr. Hieronymus a Conceptione, Historiæ Gaditanæ Compilator, professus *specialiter* sequi *Dexterum, Julianum, Aubertum*, velut *hoc tempore maxime usitatos, maxime receptos, maxime graves Annalistas*. Ex quibus scilicet nobis producit *Hispanam Reginam Amarillem filiam Hesperi & Leucadiæ domitricem Italiæ, & multarum in ea urbium fundatricem, longe prius quam Romulus Romam conderet*; tum *Nabuchodonosorem, qui subacta, post Asiam totam, Hispania, in hanc traduxerit captivos Judæos; cum iisque Samuelem vel Malachiam, Uriæ Prophetæ filium, atque adeo Carmelitam, quem ibi mortuum ac sepultum, non jam quatriduanum, ut Christus Lazarum, sed quinque seclis resuscitarit S. Jacobus, & Petrum nominatum consecrarit Episcopum*, eum scilicet, de quo egi tomo 3. Apr. pag. 1001. Omitto simili auctoritate assertam *Christi Genealogiam ex Machabæis, Machabæorum ex muliere Gaditana; Magos, Christi adoratores, Gaditanis navibus advectos in Judæam, revectosque in regionem suam; Consultos de Christi nece per epistolam, Hierosolymis*

mis missum, *Hispanos Judæos*, *ab eadem prorsus alienos*; aliaque hujusmodi plura, magnis encomiis plausuque excepta quidem a Doctoribus & Qualificatoribus extra Italiam non paucis, sed apud sapientiores non excusatura & hos & Hieronymum illum Carmelitam, quo minus *Commentorum*, non quidem *figuli* (nec enim istorum, quæ dixi, fabricatores sunt) sed *approbatores* nominentur.

198 PROTHESIS VI. ANTITHESIS.

Carmelitæ sunt speciali caritate fulgentes, & imitatores Patris sui & Prophetæ Eliæ. Ita Sixtus IV. Gregorius XIII. Paulus V. Clemens VIII. & Alexander VII.

Carmelitæ sunt passione excæcati, furiosi Poetæ, suæ rabiei spumam evomentes: colligitur ex Wicleff & aliis hæreticis.

199 THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

NIhil titulis illis detractum volo, quos Pontifices isti suo quique tempore veraciter dare Carmelitis potuere: sed neque excusatum Poetam eorum unum, qui suis Epigrammatis non me solum, sed etiam S. P. N. Ignatium fundatamque ab eo Societatem maledictis incessit, *vide Tom. 2. Maii pag. 714. & 715.*

EQuidem dubito, an idem quod prænominati Pontifices, facturus sit hodiernus Innocentius XII. cum ante 1. Tomum Junii (præter libellum Accusatoris supplicem, Innocentio XI. inscriptum, sed probatum nunquam; & hanc novissimam Exhibitionem errorum) explicatam videbit longam seriem famosorum contra me meaque opera libellorum, & audiet hujus ipsius anni triumphalia gesta, Si hæc sit caritas Eliæ, quam imitantur, nescio quid futurus sit zelus, quo ille usus in peccatores, ipsi abutuntur in omnes, etiam amicissimos sibi & quantævis dignitatis viros, quos antiquitati a se prætensæ experiuntur contrarios: quo fit ut plurimi malint tolerare eos, quidlibet publice ac privatim jactantes pro sua sententia; quam contradicendo, tam impotenter disputantium dentes calamosque provocare. Nobis non licuit esse tam beatis, quibus tacere de ista antiquitate volentibus, innocens silentium crimini tanto datum est, ut prorsus inexcusabiles videremur, nisi illius rationem dedissemus, sicut late deduxi in Apologia præliminari ante Acta B. Aloysii Carmelitæ tom. 2. Maii pag. 709. & seqq.

201 Quod attinet ad scommata, quæ Pseudopapebrochius impegisse dicitur Carmelitis; si Accusator meus totum Ordinem repræsentaret, fortassis ei non male quadraret epithetum primum, quo *passione excæcatus* diceretur, æque ac alii ei similes multi. Nunc bene, quod propter ipsum & complices ejus, non debeant tales audire omnes alii; præsertim ante editum Apparatum nostrum; licet plerique postea, excitati criminibus & erroribus mihi contra veritatem imputatis, caritatis religiosæ limites, in ipsis etiam contentionibus litterariis tenendos, haud parum cognoscantur excessisse.

202 Similiter dico, non debere alios turpi nota a me affectos dici, quam merebatur Poeta ille, cujus in me Epigrammata obiter delibavi cit. Tom. 2. Maii pag. 715. Si Collator expressisset integrum tenorem verborum meorum, quibus dico, quod *Poeta furiosus, rabiei suæ spumam evomuit in nostram Societatem, ejusque Institutorem Ignatium*, non fuisset visa justo acerbior censura, neque in omnes aut multos intorta; sed in unum unicum Auctorem, qui ceteris ibi relatis etiam hoc subjungebat (Ignoscite Patres, proferre cogitis, quæ tacita volueram, ipse autem in quodam famoso libello integre imprimenda dedit) subjungebat, inquam, etiam hoc:

Quas Benedictinis Ignatius abstulit ædes,
An bene facta putas? Nec bene dicta quidem.

203 Age: si ego sic luderem in *S. P. V. Eliam*, propter cœnobia quædam, quæ Lezana vester narrat ex voluntate Magistratuum & Pontificis Romani consensu, lumina cum Ordinis commendatione, ipsi collata, veteribus incolis vel extinctis, vel alio amandatis pro causa publicæ utilitatis; idque facerem, ut Poetæ isti par referrem; nonne & ego merito dicerer, insanire ac furere?

204 PROTHESIS VII. ANTITHESIS.

Carmelitæ sunt virtutibus & sinceritate vitæ pollentes. Ita Sixtus IV. & alii quam plurimi Pontifices.

Carmelitæ sunt impostores, qui Bullas finxerunt, & Apostolica diplomata falsificarunt. Colligitur ex hæreticis.

205 THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

TAles sunt Carmelitæ plerique, quales summi Pontifices esse ex merito dicunt, *sed non omnes*, sicuti & Apostuli *Joan. 13.* quando Jesus eis dixit, *Jam vos mundi estis.*

NEscio quinam sint hæretici, ex quibus colligatur, Carmelitas Pontificum Bullas falsificasse, cum neminem illorum sciam, qui suspectarum mihi Bullarum fecerit aliquam mentionem. Carmelitarum quoque neminem memini appellatum a me *Impostorem*, si feci uspiam, emendatum cupio. Certe sic non potui, nec volui appellare multos, nedum plerosque, nedum omnes, prout indefinita propositio sonare videtur.

207 Fuisse tamen inter omnes subinde aliquem, non eadem *sinceritate pollentem*, qui fingeret quidpiam, patet ex ipsorum Annalista Lezana ad annum 1171. qui annus Regulæ, ab Alberto Patriarcha Carmelitis datæ, subscribitur in Bullario; & tamen ipse, ex fide antiquiorum exemplarium, probat, nullius anni notam Regulæ adscriptam ori-

originaliter fuisse. Quare inquit, *qui Innocentii IV. Bullam cum Regulæ Data subscribunt, nedum corrigendi, sed expungendi sunt, cum quod in registro non extat, in exemplari apponere non verentur.*

208 Factum id putatur zelo nimis simplici, quo Ordo videretur Dominicanis & Franciscanis antiquior plus quam annis 40. Ut ut est; factum agnoscit Lezana, nec quidquam addit, quo præsumptioni eximat Carmelitas: eum ipsorum Regula, toties transcripta, & annum Datæ expressum passim habens, præsumi non debeat, alibi quam in ipsorum Monasteriis, & ab aliis quam Carmelitis, fuisse additione Datæ falsificata. Quiscumque eo ausu primus illusit Ordini, ut per duo deinde vel tria secula, etiam in exemplaribus Sedi Apostolicæ oblatis, legeretur annus 1171. subscriptus Regulæ, noxam sane minime levem commisit in se, & intulit aliis.

209 PROTHESIS.

VIII.

Carmelitæ sunt Religionis speculum & exemplum. Ita Sixtus IV. Gregorius XIII. & alii.

IX.

Carmelitæ sunt morum sanctitate, ac propogatione fidei orthodoxæ conspicui. Ita Sixtus IV. & Clemens VIII.

X.

Carmelitæ fructuosis ministeriis & pene innumeris pietatis operibus, uberes fructus in agro militantis Ecclesiæ producunt utiliter: ita Sixtus IV. Sixtus V. Paulus V. & Clemens VIII.

ANTITHESIS.

VIII.

Carmelitæ Religionis & nominis religiosi jus amisere. Nullus hæreticorum in talem audaciam prosilivit.

IX.

Carmelitæ sunt moribus ac fide diversi, ut sunt hæretici.

X.

Carmelitæ tamquam inutiles rami ab Ecclesiæ agro, una cum suo trunco (scilicet S. Propheta Elia) per schisma scissi sunt, sicut schismatici.

210 THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

Quam libens subscribo præmissis omnibus RR. PP. Carmelitarum laudibus, tantum abominor Pseudo-Papebrochium, contra illos effutientem, quæ numquam ego contra illos cogitavi. Detestor ergo *audaciam hominis, in qualem nullus hæreticorum prosilivit*; & velim ipsi vicissim abominentur Patres Carmelitæ titulum, libro *Exhibitionis errorum* præfixum, & enormitatem censurarum ex eodem desumptarum, quales hæreticorum nullus, ne Lutherus quidem atque Calvinus unquam ab Apostolica Sede tulerunt, & qualem Catholicus scriptor nullus contra hæreticum quemcumque pessimum, nec scio an hæreticus contra Catholicum, unquam libro suo præfixit.

Locus, unde sumptæ sunt horribiles istæ blasphemiæ, non indicatur quidem, uti nec alii ulli tota Comparatione præmissa; invenitur tamen tom. 1. Aprilis pagina 777. ubi non loquor de Carmelitis, sed de Pseudo-monachis Syro-græcis, quales soli in Palæstina ac Syria erant, quando in montem Carmelum venit S. Bertholdus, habitaturus ad fontem Eliæ, & socios ibidem primos collecturus. Ibi ego, Carmelitarum Ordinem ex tam exiguis principiis vel natum, vel (ut ipsi mallent audire) renatum, comparo Evangelico grano Sinapis; nolim quidquam dixisse *in præjudicium Elionæ successionis*, sicut hæc a PP. Carmelitis prætenditur, neque vel ibi vel alibi eatenus a me absolute negabatur; sed tantum asserebatur talibus argumentis niti, quibus non cogatur hominis vel modice eruditi intellectus ad assensum, ne probabilem quidem.

212 Hoc ubi feci loco citato, continuo subjungo num. 42. *Cum autem dico semen exiguum, in Carmeli solitudine sylvarumque condensis, cælo propemodum solo conscio jactum; & usque dum Regula tenero germini congrua adjungeretur, lenis auctum progressibus; soli autem nativa malignitate victa, in ramosam demque excrevisse arborem: hæc cum dico, nolo sic accipi, quasi intendam negare, ipsum illud exiguum semen decisum fuisse ex vasta aliqua & annosa arbore, quæ (sicut habet Ordinis Carmelitici qualiscumque traditio) ab Elia quondam plantata fuerit; & legis gratiæ per Apostolos inserta feliciusque revirescens, Orientem implerit Monachis; quorum successores ac posteri Elianum institutum propagarint; donec inutiles rami ab Ecclesiæ agro una cum suo trunco per schisma excisi, nominis tanti jus amisere; quod tamen conservatum sit in semine, in illis, inquam, paucis sub Bertholdo eremitis; qui licet lingua, ritu, fide, moribusque diversi ab iis, in quorum locum successisse præsumuntur, possunt tamen dici etiam ipsi Eliani instituti propago.*

213 Non video cui debeant displicere hæc, S. Bertholdi socios secernentia a schismaticis, qui tunc fuere toto Oriente, Monachis; quos tamen permitto concipi ut arborem annosam, cujus truncus non sit S. Propheta Elias (uti calumniatur Collator, eum per schisma scissum dici) sed plantator illius: truncus autem sit monasticus in Oriente status, in varia instituta velut ramos diffusus. Poteram S. Eliam etiam trunci illius nominasse radicem, ex qua (illis propter schisma excisis) per memoriam actæ ab eo Eremiticæ vitæ, non jam decisum

sit exiguum semen; sed novus surrexerit ac felicior surculus; Ordo scilicet Carmelitanus modernus, quem amamus ac reveremur.

214 De Monachorum Syro-Græcorum in schismate & hæresi pertinacia vide dicta tomo 3. Maii pag. 806. num. 7. ex Jacobo Vitriaco, talium rerum certissimo teste. Quomodo autem ipsorum tunc ultimus Patriarcha Simon fuerit erga Latinos affectus, testatur ejusdem liber, contra illos in azymo sacrificantes, repertus a R. P. Mabilione, & allegatus tomo 7. Maii pag. 702. ubi additamentum istud, Chronologiæ Hierosolymitanæ inserendum, sic concludo.

215 *Cum Patriarchæ & Episcopi Syro-Græcorum medio ævo, fermo acciperentur ex Monachis, & hi ut plurimum ejusdem essent cum suis Prælatis sententiæ; atque alienationem a Latinis multo manifestius & liberius profiterentur, videant Religiosi quidam Ordines, inde in Europam traducti, utrum tantopere laborandum sibi sit, ut ab antiquis in Syria & Palæstina Monachis se processisse persuadeant; & an non honestius asseverarem, primos ibi Latinos Eremitas habuisse, communo nihil cum Syro-Græcis Monachis* (addo nunc, *quibus mediantibus prætensa cum antiquissimis Sanctis connexio facienda esset*) nihil, inquam, commune, *præter exemplum & patrocinium Eliæ in Carmelo*, cum illis habuisse. Quod si etiam per tales tenere & continuare successionem suam malint RR. Patres, saltem non ægre ferant meam bonam voluntatem, majores eorum Latinos & Catholicos a Syro-Græcis schismaticis secernendi; neque putent quæ de his tam diserte pronuntiavi, sibi me applicata voluisse.

EPILOGUS COLLATORIS.

216 HAc ratione poteramus conferre plurimas Papebrochii Propositiones, alias cum articulis sanctæ Fidei nostræ, alias cum Scripturis sacris, multas cum traditionibus Ecclesiæ, nec paucas cum doctrina sanctorum Patrum; inventuri omnes ut minimum suspectas, & infamium hæreticorum auctoritate subnixas; quemadmodum huic superstruuntur omnes jam relatæ.

217 Neque stylus videtur non dignus censura; cui merito applicaveris hunc Hieronymi, contra Jovinianum scribere incipientis, textum: Cum *legissem* (Commentariolos Joviniani) *& omnino non intelligerem, cœpi revolvere crebrius; & non verba modo atque sententias, sed singulas pene syllabas discutere; volens prius scire quod diceret, & sic vel reprobare, vel redarguere quod dixisset. Verum scriptorum tanta barbaries est, & tantis vitiis spurcissimus sermo confusus, ut, nec quid loquatur, nec quibus argumentis velit probare quod loquitur, potuerim intelligere. Totus enim tumet, totus jacet: attollit se per singula; &, quasi debilitatus coluber in ipso conatu frangitur; non est contentus nostro, id est humano more loqui: altius quiddam aggreditur: parturiunt montes, nascetur ridiculus mus .... Quotiescumque eum legero, ubi me defecerit spiritus, ibi est distinctio. Totum incipit, totum pendet ex altero; nescias quid cui cohæreat, & exceptis testimoniis Scripturæ, quæ ... mutare non ausus est, reliquus sermo omni materiæ convenit, quia convenit nulli.*

218 Omnia verba descripsi (*etiam illa quæ brevitatis studio hic prætermissa sunt, Jovinianarum elegantiarum specimina*) quia nullum abundat verbum; & singula selecta videntur ad propositum casum.

RESPONSIO.

219 QUam nullo juris ordine servato hæc fiant, publicenturque in vulgus, quæ Judex primum videre solus, tum reo deberet communicare, *etiam in causis, quæ Romani Pontificis judicio subjiciuntur*, docet P. Janningus in sua amica Expostulatione, ante tomum 5. Junii legenda n. 12. & seqq. De stylo Latino non puto ex Hispania expectandum judicium, ubi oportuit loca ex meis libris accusanda vulgari linguæ reddere omnia: quam bona autem id fide factum sit, judicabunt ii, qui textum textui conferre scient & dignabuntur.

220 Porro ut Collatori facile fuit ex Hieronymo arripere aliquid, quod ipsemet forsitan non satis intelligebat, apte tamen videbatur posse intorqueri in eum, cujus non tam stylus quam argumentum displicet; sic ego non ægre multo plura, sumpta ex eodem Hieronymo, retorserim in Exhibitorem errorum mihi imputatorum; neque enim possum in Collatorem, cujus nomen nosse mihi necdum contigit. In hunc tamen possum conferre illud S. Basilii Epist. 82. ad Patrophilum: *Homines illi, qui nos odio persequuntur, ... assiduis nos calumniis gravarunt. Purgavimus quidem nos semel atque iterum ... nec aliquid prodesset, si perpetuo nos defenderemus, propterea quod, nobis procul dissitis,* (addo ego, & quid alibi spargatur sæpe diu ignorantibus, certe promptam defensionem non ubique terrarum habentibus) *mendacibus nostris detractoribus in promptu sit e vicino, suis adversum nos delationibus, vulneraro cor facile, & convitiis credendis expositum, neque doctum alteram auriculam absenti illibatam esse servandam.* Hujusmodi cor utinam solum vulgus haberet! & quandoque non haberent etiam illi, quibus de aliena fama committitur judicium. Hic mihi ad extremum monendus es, Lector, quod ea, cui respondi hactenus, Comparatio propositionum Pontificiarum, eisque oppositarum & mihi perperam imputatarum, missa sit Roma, sicut ibi circumferebatur manuscripta absque Auctoris nomine, aliove indicio, quo intelligatur unde fuerit accepta. Anonymo igitur pasquillo, absque verborum meorum exhibitione sincera, & locorum assignatione distincta, perniciosius grassanti, continuo reposui breve responsum sub hoc titulo, *Fraus captiosæ Collationis Elogiorum a S. Sede datorum Carmelitis, & scommatum pseudo-Papebrochii contra eosdem, Urbis & Orbis judicio exposita.* Ipsam autem expositionem, claritatis causa, distinxi in *Protheses summorum Pontificum*, & *Antitheses pseudo-Papebrochii*; utrisque vero subjunxi *Theses Danielis Papebrochii*, ut veraciter meas, & tam contonas Pontificiis, quam Pseudo-Papebrochianis contrarias, vel etiam contradictorias. Eadem nomenclatura mansit in prima hujus Appendicis post Articulum 2. editione, licet aliis sæpe verbis, iisque modo contractioribus, modo prolixioribus. Nunc vero in hac secunda Respon-

sionum

sionum primarum editione, mutata est etiam nomenclatura prior, quia minus commoda videbatur Lectoribus vocum Græcarum vim non bene capientibus; & in *Accusationes Responsionesque* distinguitur etiam hæc Appendix, ad normam reliqui totius libri.

Porro cum illa Appendix prælum quoque jam esset subitura, intelligo Collationem præfatam & hic discussam, verbotenus reperiri impressam in libro Delationum, sacræ Inquisitioni lingua Hispanica oblatarum anno 1691. reperiri autem post Prologum Partis 2. subscriptum a Fr. Didaco de Jesu Discalceato, Historico Generali Ordinis Carmelitani, veluti continuare Delationum earum, quas contra nostros libros, eodem anno similiter impressas, obtulerant, eum ipso Fr. Didaco, utriusque Ordinis Procuratores Generales, Observantium quidem Fr. Joannes Gomez de Barrientos, Discalceatorum vero Frat. Josephus de Jesu-Maria. Qua auctoritate vel licentia tales libros (nam secundum, priori similem, excusum ferunt anno 1694.) isti imprimi fecerint, & aliis quam deputatis a sacra Inquisitione judicibus communicaverint exempla, usque in Italiam Belgiumque fusa, contra Tribunalis illius sacratissimas leges, viderint ii, quorum interest; quam non bona fide me accusarint, declarat Libellus supplex, sub titulo *Memorialis*, Regi Hispaniarum oblatus, a nostræ Provinciæ Tolatanæ Procuratore Antonino Beltran, compositus autem a P. Antonio Xaramillo, Provinciarum Indicarum Procuratore Madriti. Ambo libri dicuntur pro parte majori sumpti ex libro Patris Sebastiani: quapropter prælumere licet, eadem spongia, qua Exhibitiones Errorum diluuntur, dilutas & diluendas calumnias, inde in Hispanicam linguam traductas.

Igitur, ne cœptum opus Responsionum interturbem, Articulos prosequar eosdem & eodem ordine, quo ipsos mihi objicit Pater Sebastianus: & huic cum respondero, prædictos Delationum libros excutiam; quidquid a P. Sebastiano intactum objici videro explicaturus, simulque laboris & chartæ facturus compendium, & daturus tertiam partem Responsionum ad Delationes Hispanicas, interim fortassis Latine publicandas. Etenim pridem est, quod traductioni illi scio incumbi, forsitan eo fine, ut cum ego, curis operis medio jam confecto, nonnihil respirare voluero, videantur Adversarii novas copias ex Hispania in campum educere, Responsionibus meis oppositas, *Populo imposuimus, & oratores visi sumus*, inquiebat ille. Sic & isti, etiam cum nihil adducunt novi, videri volunt noviis armis pugnare; quos justius erat, per ingenuam abdicationem calumniarum, mihi a Patre Sebastiano impactarum restituero famam injuste læsam; aut certe ad singula Apologiæ meæ capita reponere, si quid habere sibi videantur ad priores Accusationes substinendas, meque fraudis & malæ fidei convincendum.

EXHIBITIONIS ERRORUM
ARTICULUS TERTIUS.

ACCUSATIO PRŒMIALIS.

Exhibentur illa, quæ inter Acta Sanctorum habet Papebrochius contra Summorum Pontificum Bullas, aliasque litteras Apostolicas.

RESPONSIO.

Quænam ea sint, expectabo, responsionem ad singula, explanationemque dilucidam paratus statim præstare. *Quantam*, inquis *defe- rentiam, fidem & observantiam universi Catholici debeant Bullis, aliisque Apostolicis litteris ostendit Jacobus a S. Antonio in Appendice consultatoria* edita anno 1684. sed & ostendunt alii plures, non minoris, quam Jacobus ille, auctoritatis. Quid tamen & quam efficaciter contra me ostendat, non invitus edocebor.

2 Ais *Societatem docere*, quod nemo, *nisi per Pontificiæ Majestatis, ac Vicarii Dei contemptum recedere possit a Bullis aliisque litteris Apostolicis.* Cur tenebras & confusionem ubique amas, R. Pater, Accusatoria non admodum recti ac fidelis indicia? ubinam hoc Societas tecum docet indefinite? Quænam id indefinite docet schola in Ecclesia? Omnes asserunt, recedi non posse a Bullis aliisque litteris Apostolicis in quibusdam causis: in nullis recedi ulla ratione vel auctoritate posse, neminem præter te, qui asserat, legisse vel audivisse me memini.

3 Satis sibi constat excellens Sanctæ Sedis auctoritas, exoticis ejusmodi & passim rejectis extensionum figmentis minime indigens. Nibil me ei infallibilitatis, nihil reverentiæ a Catholicis tribui solitæ negasse memini. Nibil reipsa negasse, cœpi ostendere paragrapho superiore, & pergam deinceps, refutando accusationes tuas circa singula: Præi, Accusator: nil morabor, premam ubique ductoris vestigia.

§. I.

ACCUSATIO.

Papebrochius impugnat cum Hæreticis epistolas Decretales Summorum Pontificum.

RESPONSIO.

Expectas procul dubio, Lector, fore ut Adversarius probandum suscipiat, quod vel omnes epistolas Decretales rejiciam, vel saltem aliquas, tamquam catholicæ fidei vel Christianis moribus non satis convenientes. Omnes in Ecclesia receptas, tamquam doctrinam sanam continentes, etiam ut tales recipio: sed teneo, non omnes eorum Pontificum esse, quorum nominibus insigniuntur. Hoc epistolas decretales Summorum Pontificum impugnare est juxta Adversarium. De inscriptione falsa su-

spectæ mihi sunt, quæ præcedunt Siricium Papam; ante quem licet non negem scriptas aliquas fuisse, nego tamen haberi genuinas, sed vel suppositas esse, vel interpolatas; idque eo fidentius assero, quod ipsas ignoraverit diligentissimus talium Romæ collector primus, Dionysius Exiguus, post Siricium sesquiseculo non integro.

5 De utriusque pagina 136. parte 1. Con. Chronico hist. sic loquor: *Decretales epistolas, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas*, mandaverat olim *Gelasius Papa I.* eas scilicet intelligens, *quas dumtaxat & antiquitas sancta Romana Ecclesia conservans* (uti loquitur *Nicolaus I.* in epistola 47. ad Galliæ Episcopos) *nobis quoque custodiendas mandavit: & penes se in suis archivis & vetustis rite monumentis reconditas veneratur.* Tales haud dubie erant, quas Dionysius Exiguus collegit, a litteris *Siricii* Papæ incipiens. Sed plus videtur voluisse *Nicolaus*, & veris illis indubitatisque Decretalibus etiam accensuisse omnes illas anteriorum Pontificum, quas veluti Romæ deperditas, & in Hispania repertas, Isidoriana collectio insuper habet, seculo VIII. exeunte, vel ingrediente IX. primum nominari & legi cœptas: sic enim pergit: *Absit, ut scripta eorum quoquo modo parvipendenda ducamus, quorum videmus Deo auctore sanctam Ecclesiam, aut roseo cruore floridam, aut vorsiluit sudoribus & salutaribus eloquiis adornatam.* Nam quos alios habuit Romana Ecclesia Pontifices Martyres, nisi eos, sub quorum nominibus tunc circumferebantur, & passim ab omnibus suscipiebantur, ut veræ, Decretales Epistolæ, nunc autem convictæ tenentur suppositionis certissimæ?

6 Non mei unius hunc sensum esse, licet solus accuser, poteras, Rev. Pater, discere, ex toties a te citata Labbeana Conciliorum editione: ubi tom. 1. colum. 78. legisses prolixam ipsius Philippi Labbe Observationem, cujus hic initium cogor exhibere: *Mirum est* (inquit) *viris doctissimis, Turriano, Binio, & quibusdam aliis, in tanta eruditionis ecclesiasticæ luce* (quanta scilicet hoc seculo gaudemus) *probari potuisse Decretales illas epistolas, a quocumque seu Mercatore seu Peccatore* (alterutro enim cognomine in Mss. invenitur Isidorus) *& antiquis Romanæ urbis Pontificibus suppositas circiter an. 800. adeo enim perspicacibus viris deformes videntur, hoc saltem tempore, ut nulla arte, nulla cerussa, aut purpurisso fucari possint.* Isti autem perspicaces viri, ex multis pauci, Labbeo sunt, *Baronius, Bellarminus, Perronius, Contius, Antonius Augustinus, Lorinus, Sirmondus, Ducæus, Petavius, Marca, Bosquetus.* [1]

7 Hos si non legeras, Rev. Pater, saltem apud me parte 1. Conatus pagina 18. non potuisti non legisse verba Baronii ad ann. 530. num. 5. sic stomachantis: *Eant procul a fidelium cœtu, qui in Ecclesiam .... ejusmodi conantur inferre quisquilias, longeque longius exulent a Catholico orbe, qui, quæ corruere videntur, mendaciis suffulcire nituntur.* Quod si hæc quoque oculos tuos fugerunt, quomodo in eandem quam accusas pagina 4. non vidisti, quod verbis quidem meis, sed sensu allegati istic illustriss. Schelstratii, dicantur omnia? Vide Antiquitatis ab eo illustratæ partem 2. dissert. 3. cap. 5. Quare, ut dissimulares tantorum virorum a me referri sententias, & in me solum torqueres invidiam, eamque omni ex parte injustam, locum exhibuisti mutilum; & ex ipso contextu ea quoque omisisti, quibus majorum credulitas circa Decretales istas excusatur? Non enim tantum dico, *multas epistolas Romanorum Pontificum falsis inscriptas nominibus*; sed addo, *doctrina alioqui & sententia veraces, ideoque non agnitas* fuisse, atque ita [*diu illusisse credulitati Christiani orbis*] &c. quæ sola ultima verba tu allegas, usque ad mentionem Schelstratii, fusius eadem tradentis, ex cujus denique disputatione concludo *eas nunc viles Historicis haberi*; & Chronologica dumtaxat errata indicanda mihi sumo, quæ & Labbeus notat.

8 Quid autem ego in illis carpo? Nominis inscriptionem falsam. Baronius ad an. 865. num. 8. cum pluribus ostendisset supposititias, iisque Ecclesiam non egere, *quod excepta*, inquit, *ex illis capita, a Benedicto Levita primum in Canonibus consentientia, probata essent* (*ut ipse testatur*) *auctoritate Romanorum Pontificum* (*quod & a posterioribus factum est collectoribus*) *eadem usu potius recipi contigerunt, quam constanti ipsorum firmitate.* Hæc verba describens ex Baronio a Marca Parisiensis Archiepiscopus, apud Labbeum colum. 79. negat se posse consentire Baronio, *quod acrioribus verbis Epistolas dilaceret, quas e sententiis & verbis Legum, Canonum antiquorum, & Sanctorum Patrum, qui quarto & quinto seculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat.*

9 Hoc cum primus mundo ostendisset David Blondellus, diligenter fontes scrutatus, sicut ex ipso illos transcripsit in sua editione Labbeus, potui & debui eidem, licet heterodoxo dare laudem, quam merebatur, & quam talibus non solent invidere scriptores Catholici. Quemadmodum nec Blondello invidit Labbeus post tom. 1. de scriptoribus Ecclesiasticis in Cœnotaphio Joannæ Papissæ subverso pag. 840. Nam cum dixisset, paucos reperiri hæreticos, qui velint fateri, fabulose confictam Papissam esse, aut agnitam ut talem damnare, *saltem publice, propter metum Collegarum, aut insanæ plebeculæ, similibus jam pridem næniis assuefactæ. Unus*, inquit, *David Blondellus, Catalaunensis, Calviniana hæreseos administer, hanc spartam exornandam suscepit, conquisitis ex historicæ antiquitatis penu pluribus argumentis.*

10 Neque in laudandis sic heterodoxis Philologis, Antiquariis, Poetis, Criticis, Medicis, Juristis quidquam peccare se credunt Orthodoxi, contra Instructionem Clementis VIII. quem ais præcepisse, ut e libris Catholicorum deleantur *Epitheta honorifica, & omnia in laudem hæreticorum dicta.* Usus enim proborum Catholicorum id intelligit, de ea dumtaxat laude, quæ posset in ipsius hæreseos commendationem verti, quando laudarentur ipsi nimis illimitate, vel in materia religionis, sancti-

[1] Natalis Alexander, Tillemontius, Oudinus, Dupinius, Fleury, verbo, Eruditi omnes hujus ætatis.

ctitatis &c. vel ipsorum libri in defensionem pravæ vel vituperium sanæ doctrinæ sunt conscripti. Nec tu ipse, Pater R. in scholis humanioribus didicisti, e manibus abjicere Notas Farnabii in Virgilium, Senecam, Horatium, quod heterodoxus auctor fuerit.

11 Ast intolerabile videtur, & *horrent Catholicæ aures*, dum ipsis, ex pag. mea 18. præcitata, legitur, quod Blondello, sic merito de Decretalibus istis suppositititiis, *debitores se agnoscunt Scriptores Catholici, pro eo quo tenentur veritatis studio, etiam a Wicleffo gratanter suscepturi correctionem inveterati erroris, si primus imposturam detexisset*, cum ea laus Hincmaro Remensi Archiepiscopo, a multis tribuatur; qui paulo postquam illatæ illæ in Galliam fuerant, contradixit novitiæ tunc fictioni, sed frustra. Horrent, R. Pater Professor, aures vestræ, ad Davidis Blondelli elogia: qui tamen, velis nolis, vir fuit & semper habebitur eruditus: neque pervicaci mentis errore abstractus in hæresim est, sed ei innutritus totum se studio historico dedit, & solius veritatis amore decantatissimam hæreticis Joannam Papissam exsufflavit, *sinceritatem viri honesti præstans*, ut in Dict. Hist. ait Morerus, Presbyter, & Doctor Parisiensis.

12 Horrent, inquam, aures vestræ ad elogia Blondelli; & non horrent ad nomen *Joannis Balæi*, turpissimi Apostatæ Carmelitani Ordinis, cujus omnes paginæ scatent invectivis & sarcasmis in Papas, Papismum, & Papistas. Cur autem Balæi nomen non horrent Patres Carmelitæ? sed apud P. Franciscum Bonæ Spei, in sui Armamentarii Carmelitici parte 1. quam totam placuit in novo Speculo Carmelitano reproducere, quatuor omnino locis meretur nominari, quia (sicut in Indice legitur) *testatur Joannem XLII. Patriarcham Jerosol. composuisse librum de institutione primorum Monachorum, & asserit Carmelitas anno 1212. venisse in Angliam, multaque passos a Rectoribus & Curatis ecclesiarum parochialium*.

13 Si Balæus vixisset cum S. Hieronymo in Palæstina, contra hunc, tam diserte affirmantem in Vita Hilarionis cap. 10. quod *ante S. Hilarionem necdum Monasteria in Palæstina erant, nec quisquam Monachum in Syria noverat*, quodque *ille fundator & eruditor hujus conversationis & studii in provincia fuit*: contra Hieronymum, inquam, recensentem opera Joannis adversarii sui, & ista affirmantem, & ut affirmare tutius posset dissimulantem notum sibi esse istum sui adversarii librum *de institutione Monachorum*, valeret Balæi pro libri auctore testimonium: item, si pro anno 1212. instrumentum aliquod authenticum allegasset, valeret pro constituenda epocha adventus Carmelitarum in Angliam. Nunc de homine, a tyrocinio folicitius ideis Carmeliticis imbuto quam virtutibus, quid aliud exspectes, quam ut, licet Wicleffi discipulus esset ex primariis unus, verificari in se monstraret illud vulgo dici solitum:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem.
Testa diu, tenacius autem malum quam bonum.

14 Wicleffo nullam debent Catholici gratiam, quia crisim suam, quæ fuisset in quibusdam pseudonymis Decretalibus tolerabilis, contra omnes extendit, causa stabiliendæ hæreseos, quando docuit, Propos. 18. damnatam in Concilio Constantiensi, non tantum quod *Decretales Epistolæ sunt apocryphæ*, per propositionem indefinitam; sed insuper addit, *Et reducunt a Christi fide: & Clerici, qui eis student, sunt stulti*. Dum hæc Wicleffi memoras; *Judicet*, inquis, *sancta Sedes an & quousque accedat Papebrochius ad hanc Wicleffi propositionem, in Concilio Constantiæ damnatam*.

Opuscul. Collect.

15 Respondeo paucis; non magis me ad Wicleffi doctrinam accedere, quam Labbrum, Petavium, Peronium, Lorinum, Sirmondum, Baronium, Bellarminum, Schelstratium, aliosque supra adductos; & ni fallar, omnes, qui hoc tempore antiquitatum studiosi sunt. Cur igitur, omnibus illis præteritis, me solum accusas? atque ubi tot legisti in dissertatione mea Socios catholicos, cur nullos alios citas quam *hereticos*? Cur non indicas varium & patentissimum discrimen inter meam & hæreticorum sententiam? cur dicis, a me ut *illusorias & viles* traduci Pontificum Decretales, qui non nisi de suppositititiis loquor, & non ex mea, sed Schelstratii Bibliothecæ Vaticanæ præfecti sententia, Dissertationem ejus citans & in ea caput 3. Cur graviorem contra Decretales illas censuram Baronii prætermittis? Denique, R. Pater, tot obique se prodont infidelis & iniquissimæ criminationis tuæ argumenta, ut non videam, quomodo eam concipere, nedum in publicum protrudere potuerit Accusator Christianus, Religiosus, Sacerdos, &c.

§. II.

ACCUSATIO.

Papebrochius asserit, summorum Pontificum Bullas ne vel minimum punctum probabilitatis adferre Historiis, quas referunt & approbant.

RESPONSIO.

Confutata hæc calumnia est Articulo 2. §. 10. Cum autem jubeas eamdem crambem recoquere, illic ostendi, quod si ejusmodi accusandi ratio invalescat, nullus sit liber, ne Sanctorum quidem Patrum, aut etiam Scripturæ sacræ, cui gravissimus error imputari non possit. Ubinam enim *assero, summorum Pontificum Bullas ne vel minimum punctum probabilitatis adferre historiis, quas referunt & approbant?* Ubinam, quod ais, num. 14. idem *assero de aliis quibusvis, in Bullis Pontificum relatis?* Ubinam *censeo, Pontifices per Bullas suas historiis, quas in illis referunt & approbant, non plus auctoritatis ac probabilitatis adferre, quam si Mahometus in suo Alcorano, aut hæresiarcha in suo libro eas referret?* Remittis lectorem ad Paralipomena Conatus Chronico-Hist. pag. 35. Atqui neque illic, neque usquam alibi comparationem institutio inter *Bullas Apostolicas* & *Mahometi Alcoranum*, aut *librum* ullius *Hæresiarchæ*; neque *Mahometi*, neque *Alcorani*, neque *Hæresiarchæ* illic memini. Pergis tamen eamdem comparationem objicere frustra, ter in eodem Paragrapho.

17 Hic ego Paterm. Tuam arguo de calumnia: non enim ais id me aperte asserare, sed tan-

tantum *censere*, scilicet in animo: *Papebrochius*, inquis, *censet Pontifices* &c. Quomodo autem probare possum id me in animo non *censere*? Proferamne locos amplissimos, ubi Pontificiam auctoritatem etiam in facti quæstionibus summi momenti esse prædico; neque ab ea vel in historicis recedendum, nisi ubi error indicio minime levi detectus? Si referam ex 1. parte Conatus num. 16. *Bullis*, *Brevibus*, *Constitutionibus*, *Decretis summorum Pontificum* &c. *etiam extra casum & materiam fidei aut morum salutarium emanatis*, *maximam*, *saltem intra lineam auctoritatis humanæ*, *universi Catholici debent deferentiam*, *fidem*, *ac observantiam*; ita quidem me verbis asserere rursum dices, non tamen ita *censere*. *Papebrochius* enim *censet*, *Pontifices per Bullas suas historiis*, *quas in illis referunt & approbant*, *non plus auctoritatis ac probabilitatis adferre*, *quam si Mahometus in suo Alcorano*, *aut Hæresiarcha in suo libro illas referret*. Undenam igitur habes, R. Pater, me ita *censere*?

18 Ex eo, inquis, quod *in Paralipomenis ad Conatum in Catalogum Pontif. pag. 35. asseritur*, *quod historiis aut aliis quibusvis*, *in Bullis Pontificum relatis*, *nec minimum quidem punctum majoris*, *quam antea habuerunt*, *probabilitatis inde accedat*. Atqui loco citato, ut patet, agitur de factis tantummodo relatis, non de *approbatis*, quemadmodum perperam mihi affingis. Approbationis enim nullius memini; imo expresse dico, *Aliud agere & intendere Bullarum scriptores ac largitores*, *quam definire quæstiones numquam examini suo oblatas*, *nec si offerantur*, *recipiendas ab ipsis*, *nedum decidendas*. Qua igitur fronte dicis, me agere de historiis a Sede Apostolica *approbatis*? Præterea a veritate alienum est, quod agam illimitate seu indefinite de *historiis & aliis quibusvis in Bullis Pontificum relatis*; cum agam de *solis ejusmodi sic relatis*, ut sunt quæ non assertive, sed mere narrative, & aliorum nomine, in Bullis Pontificum continentur.

19 Casus erat de Gregorio XIV. qui in Bulla ann. 1591. præfatur quod *Magister Generalis & Fratres Congregationis Cruciferorum exponi sibi fecerunt*, *quod*.... *prædicta Congregatio per B. Cletum instituta*, *& per Alexandrum III. Romanos Pontifices*...., *reformata fuit*: quibus relatis sic animadverto: *Hæc verba qui acciperet*, *velut Gregorii ipsius assertum*, *cum tantum referantur ut assertum supplicantium*, *næ is vehementer aberraret*, *seque ostenderet ignarum styli in similibus teneri soliti*. Pontifex E. G. concedit Cajo privilegium sacelli domestici, quia *exponi curavit Cajus Pontifici*, *se esse prænobilem*, *valetudine infirmum* &c. Quid si autem Cajus, ut quandoque in similibus solicitationibus fit, revera non sit nobilis, eritne sufficiens diploma Pontificis ad probandam Caii nobilitatem? imo an illi propterea *vel minimum punctum majoris probabilitatis*, *quam antea habuerat*, *inde accedet*? De his & *ejusmodi sic relatis* respondeo negative.

20 Quid hic contra communem sapientum sententiam? quid adversus auctoritatem Sedis Apostolicæ? Imo, inquiet P. Sebastianus, hoc ipso quo habetur in Pontificio diplomate, quod Cajus exponi sibi curaverit se nobilem, valetudine infirmum, &c. nefas est dicere, quod Caii nobilitas non sit reddita magis probabilis. Reverende Pater, si hæc ad probandam nobilitatem aliquid conducerent, quanto frequentiores forent fraudulentæ ejusmodi diplomatum solicitationes.

21 Ne totius accusationis scopum ignoremus, hic & ubique intersefis, *hereditariam Carmelitarum ab Elia successionem fide humana*, ut ais, *dignissimam*. De hac suo loco. A Carmelo dilaberis ad minimam Societatem nostram, argumento quod vocant *a pari*. Citas imaginem primi seculi, in qua de Societate habentur pag. 89. *Hæc tot Pontificum*, *tanta animorum consensione*, *in idem conspirans auctoritas Societatem ita stabilivit*, *ut eam nonnulla jam malevolorum invidia convellere possit aut labefactare*; *sed neque invadere*, *nisi per Pontificiæ Majestatis*, *atque adeo Divinæ humanæque contemptum*. Inde inevitabili consecutione deduci posse arbitraris, *hereditariam & coævam Carmelitarum ab Elia successionem*. Disparitas, R. Pater, est, quod in priori casu agatur *de Societatis instituto*, *a Sede Apostolica confirmato*, ut vel ex titulo capitis est evidens: quæ cum sit quæstio juris & morum, in ea definienda Pontifex errare non potest, ex communi Theologorum sententia; an autem ab Eliæ tempore Ordo vester extiterit, mera facti, non morum, quæstio est, neque usquam a Pontificibus definita.

22 Ut legitime argumentum deduceres, inferre debebas, *ergo etiam Carmelitarum Ordinem*, *quem tot Pontificum tanta animorum in idem conspirans auctoritas ita stabilivit*, *nulla jam malevolorum invidia convellere potest aut labefactare*. Totum sine cunctatione admisissem; spectat enim ad quæstionem juris & morum, an religiosus Ordo, seu ejus institutum viam pandat ad salutem & perfectionem. Vetustas autem & successio hæreditaria ad factum pertinent, circa quod nihil hactenus reperitur auctoritate Apostolica definitum.

23 Instas ex P. Cornelio Hazart, asserente, Xaverium fuisse Societatis, *idque negari non posse absque evidenti contemptu Vicarii Dei*. Respondeo, & hic disparitatem esse manifestam. Xaverium enim Societatis fuisse, facile & sine morali periculo errandi declarare potuerunt Romani Pontifices, utpote rem temporibus suis proximam, innumeris stabilitam testimoniis, atque ipsius Xaverii manuscriptis litteris; neque aliunde ulla ratione suspectam aut dubitabilem. Aliud est de institutione vestra Eliana, tam remotam a nostris & Pontificum temporibus, tot supposititiis actis suspecta, tot argumentis impugnata, tot adornata falsis & incredibilibus circumstantiis. Contradicere autem Pontifici sine ulla ratione, imo contra rationem manifestam, quis non interpretetur quemdam Pontificis contemptum? At ubi rationes dissentiendi graves sunt, recedere a Pontifice cum reverentia, in quæstione puri facti, non definiti, & ad fidem aut mores minime pertinentis, semper licuit.

24 In hoc itaque accusationis tuæ, in titulo propositæ, infidelitas præcipue consistit: primo quod dicas indefinite, me agere de *historiis*, *quas summi Pontifices referunt & approbant*; cum loco a te citato diserte agam de iis solis historiis, quas Pontifices tantum *referunt*, *non recipiunt*, *nedum decidunt*. *Secundo* quod cum

tan-

tantum agam de *ejusmodi sic relatis*, omittas utramque particulam restringentem *ejusmodi*, & *sic*, quibus significabam me tantum loqui de iis, quæ a Pontifice mere narrative & aliorum nomine, non suo referuntur, neque ullatenus asseruntur; uti Gregorius XIV. non asserit, quod Cruciferi a Cleto instituti sint, & ab Alexandro III. approbati; sed tantum, quod *Magister Generalis & Fratres Congregationis Cruciferorum* hoc *exposuit sibi fecerint*. Quare & doctrinam hanc meam sanctæ Sedis judicio sisto intrepidus, teque ego, R. Pater, gravissimæ calumniæ & infidelitatis reum ago.

§. III.

ACCUSATIO.

Aliæ quædam argutiunculæ refutantur, & in Societatem retorquentur, quibus Papebrochius aliorum Bullas, Brevia, aliasque litteras Apostolicas molitur invadere & suspectare.

RESPONSIO.

Quod ad *Argutias* mihi objectas attinet, quid quæso argutiæ in eo est, quo Parte 1. Con. pag. 5. num. 17. dicam, *Non indignabitur* Innocentius XI. *si quibusdam decessorum suorum litteris subinde dicatur contineri quidpiam, non alia, quam qua a supplicantibus suggestum est, accipiendum fide?* Atque hæc magis innocua judicabit, qui non crude avulsa a textu, sed cum antecedentibus consideraverit, & minime scandalizabitur. Præter ea, quæ de Decretalibus ex Schelstratio supra relata sunt, præmiseram Epistolam Illustriss. Augustini Favorini (ad ipsum enim propter famosos infamesque libellos ac minas Patrum Carmelitarum scribere coactus fueram) sic inter alia mihi rescribentis: *significavi Sanctitati suæ* (Innocentio XI.) *quam injuste de vobis querantur Religiosi nonnulli viri; qui si ad Pontificem querelas detulerint, næ illi rem sibi esse sentient cum Principe, acri hominum & negotiorum æstimatore*. Hinc ego de eodem sanctissimo Pontifice subjungo, quod, cum optime intelligeret, *in iis, quæ fidem aut mores non spectant, nec a Theologis vel Canonistis, sed ab Historicis sunt discutienda, nihil sibi facultatis competere humana majoris, non indignaretur &c.*

26 Alia sane plura quotidie occurrunt, & Pontifices etiam ipsi testantur, querentes Decessoribus suis a supplicantibus impositum fuisse; nec tantum in simplici relatione historica, cum gratia aut privilegio concesso non connexa; sed etiam in tali relatione, quæ motivum sit præstandi gratiam, & sine quo non præstaretur. Ejusmodi relationem Clementi IX. obtrusam fuisse a PP. Carmelitis in Hispania, testatur, indignatur, & damnat Clemens X. uti Patern. vestra non ignorat, & Art. 2. §. 10. num. 99. ostendimus ex Bullario.

27 Argutiunculam secundam repetis in verbis, quibus pag. 91. num. 9. propono exemplum Angeli de Nuce Abbatis Casinensis, qui Monasterii sui Chronicon egregiis commentariis illustrans, noluit uti bullis S. Gregorii, in capite Bullarii Casinensis legendis; uti neque Joannes Mabilio in prolixa Præfatione ad opus suum, eo quod illas suspectas falsitatis haberent. Clarius apparuisset, R. Pater, frustra te nodum in scirpo quærere, si locum integrum protulisses. Hunc ergo accipe. *Certis verisque testimoniis ipsius quoque* S. Gregorii, *commendatissimam Regulam sciebant viri sapientissimi, non egere ficta ejusmodi laude; quos utinam omnes ii imitarentur, quibus subinde detrahuntur falsa & Eruditis hominibus stomachum moventia, ut vera decora appareant in luce majori. Id si facerent, non ita velut pro aris ac focis, inveherentur in nostros Conatus; nec tam pervicaciter sibi putarent propugnandum quidquid nimia majorum simplicitas quocumque modo in lucem protulit de sua origine, non etiam talia ponerent in capite Privilegiorum suorum, neque canonizata omnia esse putarent, si aliens Pontificum, benigne inclinato ad illa sibi confirmanda, curæ non fuit quam severissime excutere singula.*

28 Hæc scribens nihil equidem argutabar, sed consequens esse volebam, *ejusmodi fictitia* laude (quam Benedictini repudiabant) non egere Ordinem Carmelitarum, qui veris encomiis ex merito ornari potest per secula omnino quinque, a Sancto scilicet Bertholdo; tanto alioquin obscurior futurus, quanto altius justo repetere exordium suum conabitur. Hoc autem dum nihilominus fundant in Bullis, supradictæ non dissimilibus, aut in aliarum parte mere historica & narrativa, easque in capite privilegiorum suorum ponunt, moneo, non propterea *canonizata omnia esse*, quæ illis narrantur: idque exemplo Bullæ Bonifacii VIII. de qua supra confirmantis indulgentias stationarias, tamquam a Gregorio Magno concessas, uti illa ætate passim credebatur. Neque hoc culpæ verti Bonifacio, aut piæ sæculi istius credulitati potest; uti potest verti, non quidem Clementi IX. sed viris alias Religiosis, quorum falsa relatione inductus ipse, facultatem petitam concessit, a successore, fraude detecta, paulo post revocanda. Hinc colliges, textum meum, quem num. 19. producis, nihil contra me, nihil pro te facere: & Breve Clementinum, de quo loquor, non esse *argutiunculam, in Societatem nostram* a te *retorquendam*.

29 Placeat etiam Patern. Tuæ integrum locum relegere, ex parte 2. pag. 79. a te omissione Parenthesis meæ mutilatum; ubi post allatam quamdam Sixti Bullam, narrantis Ecclesiam Avenionensem extructam fuisse a S. Martha Christi hospita, *ut fama est, & antiquorum habet relatio, & aliquorum Romanorum Pontificum litteræ attestantur*, ita subjungo: *Non existimo quemquam esse, qui hujusmodi factis, sicut ea hic a* Sixto *asseruntur, & asserta dicuntur a decessoribus ejus aliis, putet indubitatam fidem adhibendam; quique velit ab ista Avenionensium traditione, undequaque incertissima* (*quod probare alterius loci ac temporis* [1] *est*) *consequentiam duci ad similes alias*

[1] Nimirum ad diem 29. Julii, quo S. Martha a Martyrologis celebratur. Sollerius tamen, qui tom. 7. Julii ad illam diem de S. Martha egit, contentus fuit ex Guesnæo Sixtinæ Bullæ verba aliquot

aliat, simili occasione aut modo, aut eodem Sixto IV. *alisve Romanis Pontificibus, attestatae. Nam ex talibus aliud ad quaestionem facti sequitur nihil, quam Sixti aetate (dum nimis quam enormiter neglecta jacebant bonarum litterarum, & sacrae historiae studium) ejusmodi narratiunculas, nemine illas discutiente, fidem hausisse majorem, quam hodie impetrarent a viris eruditis; aut saltem auditas patientius, & indulgentius fuisse etiam a Pontificibus Romanis receptas, quam nunc audirentur reciperenturque, si proponerentur contradictorio judicio ventilanda.*

30 Venio nunc, R. Pater, ad tuas in Societatem retorsiones. *Profecto*, inquis, *si hoc, aut simile argumentandi genus, quo Papebrochius Pontificum invadit diplomata, & in illis contenta molitur reddere suspecta, valeat, & Societas ipsa approbet; poterunt similiter Societatis aemuli ac adversarii, Pontificum Bullas in favorem Societatis datas, undequaque corrodere, & omnia illis contenta trahere in dubium, & suspecta reddere; nihilque, quod a sacro-sancta Sede Apostolica procedet, praeter fide divina credendum, a similibus cavillis erit tutum.*

31 Pone, quaeso, metum illum, quo nemo hactenus Societatis pulsari se sentit, neque, quod sciam, amicorum ullus de hoc periculo nos unquam commonuit; quosdam Patres vestros excipio, de quibus minus constat, nostraene incolumitatis, an praetensae vetustatis suae amore, tam solicito hic nos cohortentur. Si metum autumes rationi consentaneum, proba, P. Professor, Syllogismo aliquo, aut quovis alio legitimo ratiocinandi genere, ex dictis meis consequi, quod assumis; nimirum, quod *Societatis aemuli possint omnia, Bullis Pontificum in Societatis favorem datis contenta, trahere in dubium, & suspecta reddere* &c.

32 De S. *Francisco Xaverio*, & de *B. Stanislao Kostka*, quod Societatis fuerint, uti & quod *libellus Exercitiorum* compositus [1] sit a S. Ignatio, satis secura est Societas; totque argumentis undequaque evidentibus pridem stabilita sunt, ut contemptu potius quam refutatione dignus ab omnibus censeretur, qui aliquid eorum etiamnum revocare vellet in dubium. Nullum ex his factis incredibile est, nihil repugnans communi hominum sensui, nihil supposititiis actis probatum, nihil nixum solis litteris Apostolicis ab omni definitione abstinentibus, nihil demum aliunde innumeris argumentis suspectum, ut subinde in aliorum factis accidit. Sic pariter habes, R. Pater, responsum congruum ad numerum tuum 23. & 24.

33 Deterius est quod intorques num. 25. *Quod Societas*, ioquis, *jam eximatur ab onere chori, dicet quis provenire a Pontifice benigne et inclinato, cui cura non fuit, quam severissime excutere singula; idem dici poterit quoad privilegium Scholaribus ejus concessum de non legendis Horis canonicis, donec sint in Sacris; & retinendo bonorum suorum dominio, cum religiosa paupertate, ut praetendunt.* Quaero, an tria puncta hic memorata, de Choro, de Horis canonicis, de Dominio bonorum, juris sint, an facti? Juris esse, nemo inficiabitur. Atqui a quaestionibus facti, & quidem particularis, nec revelati nec definiti, nullum esse argumentum ad quaestiones juris, evidens est. Quid ergo ex negata a me Pontificis infallibilitate in quaestionibus facti particularis, non revelati, non definiti, arguis me quasi Instituti nostri, seu totius, seu quoad partem, ejusque approbationis subversorem? Bonorum dominium cum Religiosa paupertate constare, non e Pontificibus tantum definitum est, sed & a Tridentino approbatum: neque Catholicus hoc tempore est, qui de hac juris definitione ambigat. Ideone paris auctoritatis est quodlibet factum particulare, quale est praetensa vestri Ordinis antiquitas, vel *Indulgentiarum Stationariarum* orta *a S. Gregorio Magno* institutio?

34 De Societatis primum ortae *interitu* aliquando *actum est* ne extingueretur. *Cur igitur*, ioquis, *non interiit?* Mox tibi ipsi respondes: *Poterit quis respondere juxta Papebrochianam argutiam, quia ab aliquo Pontifice benigne et inclinato fuit confirmata, cui cura non fuit quam severissime excutere singula.* Agebam ego de Indulgentiis stationariis, essentne a S. Gregorio institutae, ut supponebat Bonifacius VIII. Non institutas ab eo fuisse, probavi argumentis minime levibus. Societatem autem immerito confirmatam fuisse, debuisseque in cunis aut postmodum suffocari, potius quam Carmelitarum Ordioem, non ostendes, etiamsi utrimque *severissime excutores singula*.

35 Ineptior est argumenti tui prosecutio, cum dicis: *Numquid enim Urbanus VIII. extinxit Jesuitissas?* Quid inde, P. Professor, concludes? An extingui debuisse eadem opera etiam Jesuitas? Cur non eadem ratione infers, Diaconos & Presbyteros extingui in Ecclesia debere, quia extinctae sunt Presbyterae & Diaconissae. Nihil nobis cum Jesuitissis, uti neque cum Marollis, neque cum Apostolinis, per Belgium nostrum nunc notissimis. Sicut hae non sunt, ita illae Religiosae non erant, neque a Sede Apostolica approbatae, licet Instituti nostri observationem in multis affectarent. Multa viris conveniunt & expediunt, quae non mulieribus, & contra.

36 Denique retorsionem totam ita serminas: *Profecto, si quis his aut similibus argutiis ausus foret Jesuitarum invadere Institutum tot summorum Pontificum munitum Bullis, quasi sub & obreptitie illius foret obtenta approbatio & confirmatio absque debito examine, ab aliquibus Pontificibus Societati bene affectis, non absque fundamento ambigerem, an talis foret Catholicus: & Societas ipsa indubie judicaret reum laesa Majestatis Pontificiae, nec non insolentem & impudentem Vicarii Dei contemptorem.* Recte ambigeres, P. Professor; & recte *judicaret Societas* de homine, Sedem Apostolicam temere arguente erroris in approbatione Ordinis religiosi, quae ad jus & mores pertinet. Sed quid inde contra me? Plurimum, inquis; *Cum enim Novaturiens Papebrochius similibus argutiunculis passim Apostolica Diplomata corrodat, & impugnet;*

quot recitare; tum illud adjecit: *quo autem haec Sixti IV. verba sensu accipienda sint, docebit te Papebrochius in Propylaeo p. 79.* Nimirum pacis scilicet amor, turbatumque metus bonum senem videtur severiore examine dimovisse tum hic, tum in actis S. Mariae Magdalenae, quae dubium non est a Bollandianis socius ad criticas leges aliquando refingenda, ne ob humanas rationes veritatis inimicas quidquam in immortali opere non absolutissimum habeamus. [1] Adi sis tom. 7. Julii a pag 419.

guet; quin imo eorum contenta tamquam commenta & figmenta explodere audeat, an non sit pariter reus læsæ Majestatis Pontificiæ, nec non insolens ac impudens Vicarii Dei contemptor, Societati considerandum relinquo, & sacrosanctæ Sedi Apostolicæ judicandum.

37 Respondeo primo; me nusquam improbare Institutum Carmelitanum, quemadmodum in casu posito accusabatur Institutum Societatis: adeoque manifesta est disparitas. Secundo, solum nego facta quædam particularia, neque revelata, neque definita, sed relata aliorum fide. Tertio, ea quæ sic referuntur, non voco *commenta*, aut *figmenta* Pontificum, sed aliorum, qui primi commentorum & figmentorum illorum auctores sunt, ut favorum petitores nonnumquam in libellis supplicibus, ad faciliorem gratiæ impetrationem, comminiscuntur & fingunt quædam non vera, atque ita auctores sunt, cur in diplomate, quo gratia conceditur, motivum, vel circumstantia non vera inferatur. Hæc dum assero, quæ species *læsæ Majestatis Pontificiæ?* quid contra sanam Theologiam, aut sensum communem? quid cur vocari merear *insolens* & *impudens?* Quam potius censuram mereatur tot ubique plena contumeliis & calumniis accusatio, consideret æquus lector, & Sedes Apostolica decernat.

§. IV.

ACCUSATIO.

Papebrochius fidem infringere molitur eorum, quæ Sixtus IV. refert in quadam Bulla.

RESPONSIO.

SAmmarthani tomo 1. Galliæ Christianæ in Episcopis Avenionensibus sic loquuntur de famoso apud illos ponte; *Utrumque Rhodani ripam pons 23. arcuum seu fornicum amplectitur; de cujus fundatione a Benedicto puero, Amilatensis in Burgundia oppidi indigena, commemorant plura, sed, ut credunt, commentitia: quamquam & Card. Baronius Annalium tomo 12. plura tantæ rei veritatisque Pontificum Romanorum diplomata enumeret*, videlicet Innocentii IV. Clementis item IV. & V. Bonifacii VIII. atque Joannis XXII. Si ego sic loquerer, aut de ponte illo, aut de Ecclesia, ibidem Avenione, veluti a S. Martha fundata, attestante Bulla Sixti IV. gravior in caput meum cusa fuisset accusatio.

39 Ad diem 14. Aprilis, *Benedicti* illius ut Sancti historiam & cultum, in ipsomet ponte illo continuatum, probo; adeoque & Bullas omnes, illius ut talis mentionem facientes. De Bulla Sixti IV. in cujus narrativa parte plus aliquid historicæ verisimilitudinis requiro, supra memini; & locum meum a Patern. vestra perperam accusatum, integre produxi a superiore, Cur autem argumentum facti, a me rejecti, non adduxisti in medium? Timebas, ne hac cultiore ætate, primo intuitu stomachum homini prudenti & utcumque historico moveret, quod Cathedralis ecclesia Avenione *a B. Martha, Jesu Christi hospita, ad laudem ejus & gloriosæ Virginis primum extructa, manu Dei consecrata extiterit*, tam multo antequam Christiani inciperent habere ecclesias publicas, & quidem Cathedrales.

40 Hoc tamen in Bullæ istius parte narrativa dicitur, cum addito, *ut fama est & antiquorum habet traditio*; ab eo scilicet tempore, quo per Provinciam invalescere opinio cœpit, quod Maria, Martha, & Lazarus, cum Marcella ipsorum famula, & Maximino Christi discipulo, ab Judæa Massiliam, inermi vecti Cymba venerint; quæ quam male consuta sint omnia, & propter Synonymiam aptata personis ex Evangelio celebribus, suo tempore docebo. Interim noto, quod ita persuasi doctissimi viri correctores Breviarii Parisiensis an. 1680. nihil ejusmodi passi sint in Lectionibus suis recitari, ad dies festos SS. Magdalenæ & Marthæ. Id vero cum dico, nolim me accuset Patern. vestra, quasi majorem novo isti Parisiensi Breviario auctoritatem tribuam, quam Romano. Solum intendo significare, quod, sicuti in hoc magna cum prudentia prætermissæ sunt historiæ omnes, inter eruditos controversæ, multoque magis passim nunc habitæ falsæ; ita aliquando fieri poterit in Romano, sicut antea sub Gregorio XIII. aliisque Pontificibus plus semel factum est. Hoc autem cum fiet, sperare ausim, meorum de Sanctis Commentariorum & in Acta Annotationum majorem habendam rationem, quam Accusatores mei volent; mundo persuasum cupientes, quod post novissimam Breviarii reformationem nihil amplius reformabile supersit.

§. V.

ACCUSATIO.

Papebrochius contra Bullam Eugenii IV. asserit, Episcopos esse in sublimiori gradu quam Cardinales.

RESPONSIO.

SI titulum legas, ac deinde num. 34. verba ejusdem P. Sebastiani, quasi ex parte 2. conat. pag. 13. num. 19. descripta, quibus asseruerim, *Episcopos esse in sublimiori gradu positos, quam Eminentissimos Dominos S. R. E. Cardinales*, nihil videbitur esse evidentius, quam quod omnes quoscumque Episcopos Cardinalibus non Episcopis præposuerim. Ast si omnia antecedentia consideres, manifeste apparebit falsitas criminis mihi impacti.

43 Nusquam enim in tota Gelasii II. historia, a Pandulpho Aletrino familiari ejus scripta, quam illustro, agitur de Episcopis in genere, sed de *Episcopis, Romani Pontificis Suffraganeis*, iis scilicet, qui nunc inter Cardinales primum Ordinem constituunt pari cum ceteris suffragii jure: anno autem 1118. neque Cardinales dicebantur, neque votum ferebant; Portuensi Episcopo Petro, ad quosdam Consuffraganeos suos schismaticos sic scribente, *Nec vestrum, sicuti nec meum fuit, eligere; sed potius electum a Fratribus* (Cardinalibus) *approbare*.

44 Cum ergo Cardinales decretum electionis a se factæ mitterent Lothario Imperatori, primum quidem illi, tamquam Electores, ex ordine subscribunt. Deinde decretum approbari faciunt *a Petro Portuensi cum reliquis Romanæ Eccle-*

Ecclesiæ suffraganeis, iis scilicet, qui antea nominati erant primi, veluti ad electioni præsidendum vocati, *Petrus Portuensis*, *Centius Sabinensis*, *Vitalis Albanensis*, *Lambertus Ostiensis*, *Episcopi*: quibus aliisque auctoritatibus expensis, verissime subjungo, quod *in Synodalibus*, (Conciliorum scilicet Romæ celebratorum) *subscriptionibus*, *& Pontificiorum Privilegiorum subsignationibus*, *videas semper priori loco nomina Episcoporum*, scilicet Romanæ Sedis Suffraganeorum, *utpote in sublimiori gradu positorum*, nempe in ordine eorum, qui viventi Pontifici a consiliis erant, & mortuo eligi faciebant successorem, *deinde Cardinalium*, Presbyterorum & Diaconorum S. R. E. In Paralipomenis porro ad hunc locum pag. 97. ex veteri apud P. Mabillonem inscriptione, atque ex Abbatiæ Farfensis Chartulario, doceo ejusmodi Episcopos vocatos etiam an. 1090. *Episcopos Urbis*, & *Episcopos sanctæ Romanæ Ecclesiæ*.

45 Horum quin tunc fuerit major dignitas, quam Cardinalium Presbyterorum & Diaconorum, dubitare non sinit, [1] tum subscribendi ordo, tum potius officium in conclavi, tum etiam præcitatus Pandulphus, qui de illorum seniore Petro (Decanum nunc appellant) scribit, quod *Primatum post Papam per longa jam diutius tempora detinuerat*. Idem confirmo pag. 20. ex S. Petro Diacono Cardinali, dicente, quod Pontificis *Electio per Episcoporum & Cardinalium fieri debeat principale judicium*. Ac denique p. 24. ostendo, quod circa medietatem ejusdem sæculi factum videatur, ut duobus Cardinalium veterum ordinibus adjungeretur & præponeretur ordo Episcopalis, ac deinceps *Episcopi Cardinales* dicerentur. Quando etiam factum puto, ut iisdem, veluti in Clerum Romanum cooptatis, communicaretur jus ferendi in electionibus suffragii, quo antea caruerant. Itaque cum in Catalogis Pontificalibus, per novem prima secula, legis, primo dici, quot quisque Pontifex ordinarit *Presbyteros*, deinde quot *Diaconos*, ac denique quot *per diversa loca Episcopos*, non ita id accipias, quasi omnes Episcopi, etiam *Suffraganei S. R. E.* fuerint Presbyteris & Diaconis, postea Cardinalibus dici cœptis, posthabitis; sed quia pauci eorum, imo nulli, tunc accensebantur Romano Clero.

46 Contra hæc tam distincte explicata, quid facit Eugenii IV. breve, anno 1438. scribentis Henrico Cantuariensi Archiepiscopo, dubitanti de jure præcellentiæ, eatenus Cardinalibus, etiamsi dumtaxat Presbyteris, deferri solito? Nihil ea declaratio tangit istos, qui anno 400. licet Cardinales nondum appellarentur, plus tamen erant quam Cardinales tunc dicti; & æque aut magis quam illi a consiliis Pontificis; ac reipsa tempore Eugenii IV. æque ac nostro, in Cardinalium numerum assumpti, primum eorum Ordinem constituunt. Quid dicam, R. Pater, ad istam voluntariam in accusando cæcitatem? Eodem quem accusas numero, paucis lineis ante verba, a te citata, expressissimis terminis declarabam, me non agere de quibuslibet Episcopis; sed de solis *Episcopis Suffraganeis Romanæ Sedis*, qui & nunc primi inter Cardinales sunt, & olim Cardinalibus, licet ipsi Cardinales non essent, præferebantur. Idem, si voluisses, videre poteras in margine ejusdem numeri. Vidisti procul dubio; sed nisi dissimulasses, non potuisses criminari, quod ponam *Episcopos in sublimiori gradu quam Cardinales*. Vis ne autem, Rev. Pater, Auctorem non ignobilem, de Archi-episcopis & Episcopis asserentem, id quod ego de solis Episcopis, Romani Pontificis Suffraganeis? Is est Eximius Pater Christianus Lupus tomo 5. Synodorum. Vide apud eum in primis verbum *Cardinales* in Indice: *Cardinales*, inquit, *olim Archiepiscopis & Episcopis postpositi*. In dissertatione autem de peccatorum ac satisfactionum indulgentiis pag. 617. agens de Epistola S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis ad Rixfridum Trajectensem Episcopum, *Habet*, inquit, *quasdam spuriæ suppositionis notas. Etenim Romanos Card. contra istius seculi morem, præponit Archiepiscopis & Episcopis*. Cur non in Eximium hunc scriptorem inveheris, tribuentem omnibus illius temporis Episcopis, quod ego solis Romani Pontificis Suffraganeis? Et quidem hoc adeo non novum illi visum est, ut epistola oppositum continens, vel hoc ipso *Spuriæ suppositionis notam* mereatur. De hoc porro argumento iterum me respondentem lege Articulo 3. §. 5. & Art. 8. §. 4. ubi tertium eamdem Accusationem, veluti novam resumis, more tuo mihi molestiam, lectori fastidium, Tibi contemptum creans.

§. VI.

ACCUSATIO.

Papebrochius ex damnatis Natalis Alexandri libris recipit & admittit Æneæ Silvii Dialogos contra Bullam Pii II. illos expresse damnantis & reprobantis.

RESPONSIO.

REv. Pater, si ea me respondere deceret, quæ te audire, non deesset hic locus novæ expostulationi. *Æneas Silvius*, prius Clericus Ceremoniarum (ut vocant) & omnibus Concilii Basileensis Sessionibus præsens, Schismatisque ab eodem suscitati acer propugnator; anno 1445. ætatis suæ 40. resipuit, & quidquid juvenili fervore ante id tempus scripserat, factus anno 1458. Pontifex retractavit, per propriam ea de re Bullam, quam allegas. In hac prolixe explicat suam de suprema Pontificis Romani potestate doctrinam, atque sic concludit: *Si quid adversus hanc doctrinam inveneritis, aut in Dialogis, aut in Epistolis nostris (multa enim scripsimus adhuc juvenes) respuite atque contemnite, sequimini quæ nunc dicimus, & seni magis quam juveni credite. Æneam rejicite, Pium recipite.*

48 Hæc ille, nec verbum amplius de Dialogis, utique juvenilibus illis; nihil de aliis, quos solos citavi, quosque *biennio ante Pontificatum susceptum edidit* jam quinquagenarius, & pridem Episcopus Senensis, ac forte etiam Cardinalis. In his posterioris ætatis Dialogis (quos mihi videre necdum contigit, sed in aliis Auctoribus palam laudatos invenire,) fuerit etiam is, quem teste Philippo Labbe tomo 2. de scriptoribus edidit *adversus falsam*

dona-

[1] Consule etiam Thomassinum V. cl. tom. 3. Vet. & n. discipli. pag. 594.

donationem Constantini, *cujus meminisse volunt Hieronymum Occalum Catulanum*, *Joannem Felinum ad Cap.* Solitæ, tit. de majoritate & obedientia, *& Balbum Episcopum*, *libro de coronatione*: Auctores utique antiquos & probatos. In illo autem Æneas rejecerit etiam baptismum Constantini Romanum, post quem fingitur scripta donatio, idque legerit Natalis Alexander, non solum Æneam, sed etiam Cardinalem Cusanum allegans, juris Pontificii scientissimum, qui libro septimo Decretalium compilando operam ecclesiæ utilissimam præstitit, quem Patern. Tua caute prætermittit.

49 Nunc ego ex te quæro, R. Pater, quis sit *infamis iste Dialogorum libellus*, *quem Æneas*, *factus postea Pontifex & Pius II. dictus*, *retractavit & condemnavit*? Non is potuit esse, quem edidit post resipiscentiam; non enim in abdicatos semel errores relapsus est: & licet Deus, qui momento uno ex lapidibus istis potest suscitare filios Abrahæ, & ex persecutore Ecclesiæ statim fecerit Apostolum, posset etiam ex persecutore immediate facere Pontificem; non tamen solet Ecclesia, nisi fidei satis probatæ viros, ad summi Pontificatus apicem evehere: adeoque nec verisimile est, Æneam Silvium eo fuisse promovendum, si immediate ante, tam absurda & damnabilia, contra Sedem Apostolicam evulgasset.

50 Sed neque Dialogum, qui male a te accusatur, debebam ex Natale Alexandro discere, qui notitiam ejus habebam in libro Labbe, edito anno 1660. prius quam aliquid scribere cœpissemus aut ego, aut ille. Cum tamen eodem tempore, quo Commentarium de S. Constantino imprimendum dabam, id est an. 1683. Antuerpiam allata essent prima decem sæcula præfati Alexandri, Historiæ ecclesiasticæ præcipua capita ordine commodissimo complexa, post annum deinde unum prohibita Romæ. Interea novo hospiti honorem eum habendum mox credidi, ut in tam celebri argumento de vita primi Christiani Imperatoris, ipsum etiam consulerem, & ex eo aliquid mutuarem.

51 Quod ita fecerim, ne nunc quidem me pudere debet propter postea secutum, eruditi alioquin viri miserabilem casum, qui nomen ejus famamque afflixit anno 1684. cum ab anno ista mea jam impressa habebantur. Nam tomi Majalis quinti impressio quadriennium integrum tenuit, & ejus rei distinctissimam notitiam ex paternis Ephemeridibus dare tibi potest, simul & rationes tam diu protractæ sæpiusque interruptæ impressionis, filius Michaelis Cnobbari Typographi, Frater vester, Isidorus a S. Maria Magd. de Pazzis.

52 Ast etiam, postquam in reculo parte 1. Conatus folio 5. Decretum mihi innotuisse, dico, Auctorem jam damnatum bis allegavi tom. 6. aut 7. Maji, inprimi cœptis post illam damnationem, contra quam me facturum polliciti: eram. Nempe in Commentariis pridem ad prælum paratis, facile fuit semel iterumque relinqui nomen inobservatum. Id quam innocue fieri possit in majoribus Tomis, exemplo tuo te convinco, in libro tuo non adeo magno: neque multa opus erit disquisitione. In hoc ipso tuo §. graviter & immerito accusas *Eugenium* Pontificem, his verbis: *Sic enim in dicta Bulla ait Eugenius*: „ Seducti peccavimus ut Paulus, & ignoranter persecuti sumus Ecclesiam Dei, & Romanam, primamque Sedem „. Scio id a te factum per inadvertentiam, & pro *Eugenio* positum voluisse *Pium II.* alias Æneam Silvium: verum cum error tam palpabilis oculos tuos fugerit, etiam ubi nævos omnes Typographicos tam studiose colligere in unum folium conatus es, noli mirari simile quidpiam alteri contingere.

53 Magis dubito, an per inadvertentiam acciderit, ut Dialogos ab Ænea Silvio editos *in juventute*, quando Romanæ Sedis Primatum impugnavit, confuderis cum iis, quos composuit ætate provectior, anno circiter decimo post suam resipiscentiam, & paulo ante Pontificatum. Priores retractavit & reprobavit Pontifex, posteriores numquam. Quid igitur censeas de hac tua criminatione: *Papebrochius ex damnatis Natalis Alexandri libris recipit & admittit Æneæ Silvii Dialogos, contra Bullam Pii II. illos expresse reprobantis & damnantis?*

§. VII.

ACCUSATIO.

Papebrochius, contra Breve Apostolicum Gregorii XIII. explodit translationem corporis S. Monicæ Romam.

RESPONSIO.

NIhil eorum, quæ bona fide ac graviter scripta reperio, *explodo* aut *explosi* usquam. Geminæ translationis Historiam, sicut accepi, sic trado & examino, cum summa utrimque reverentia. Tu autem, R. Pater, quasi de priori nihil legisses, de sola secunda loqueris, quo scilicet existimer ex mera controvertendi libidine, in dubium revocare qualitatem ejus quod Romæ est corporis. Si enim de utraque pariter retulisses, apparuisset illico, Romanam translationem sic a Martino Papa V. describi, ut si per eam allatum corpus vere sit corpus S. Monicæ, nequeat ejusdem esse illud, quod anno 1162. translatum Arroasiam in Belgium, scribit idem qui transtulit Walterus, ibidem Regularium Canonicorum Prior, de qua Comment. Prævii num. 3. sic loquor: *Habet ea* (historia) *notas omnes fidelis & coævi scriptoris*, *ab eaque translatione initium sumpsit totus S. Monicæ cultus*, *ignotus antiquioribus Martyrologiis omnibus*, & *ab Arroasiensibus ad ceteros Regulares Canonicos per Belgium*, *Galliam*, *& Germaniam*; *inde etiam ad Eremitas Augustinianos*, *ac denique ad Ecclesiam universam transfusus*, una cum Romano Martyrologio.

55 Nunc a te quæro, quid egisset Patern. vestra, si anno 1430. Romæ præsens fuisset, quando *Petrus Episcopus Aletiensis*, *Apostolicæ Cappellæ Sacrista & Confessor Papæ*, ex ordine Eremitarum, *pro parte Prioris Generalis & universorum Fratrum*, licentiam petiit ad corpus *S. Monicæ*, *a loco civitatis Ostiensis*, tunc, & pridem desolato, *transferendum ad Ecclesiam Domus Fratrum de Urbe*. Quid, inquam, tunc egisses, si interveniens ex Belgio Arroasiensis Prior opposuisset sese petitioni illi, exhibens vetus suæ Ecclesiæ Martyrologium, ab annis

aon.

200. aut pluribus scriptum, ex eoque legenda dedisset hæc verba: XIII. *Kal. Maji translatio corporis sanctissimæ Monicæ, ab Ostia Tiberina, in hanc Dei & S. Nicolai ecclesiam, manu Domini Walteri Prioris Arroasiæ, Anno Domini* 8. c. LXII.

56 Hæsisses, credo, ad tam improvisam objectionem attonitus, hæsisset & Prior Generalis Eremitarum, hæsisset ipse Martinus Papa, & rem maturiori examine dignam judicasset. Difficile est, aut etiam impossibile, hoc erudito seculo, quo Critica, superiori ætate ferme neglecta, tam studiose exercetur, scriptum aliquod alieno tempori auctorique supponere tam feliciter, temporumque, locorum, ac personarum circumstantias sic aptare, ut diu lateat impostura. Fallet illa quidem aliquamdiu; sed cum impegerit in alia certiora & nemini indubitata criteria, tandem deprehendetur, & in lucem protrahetur falsitas.

57 Arroasiensis interim historia annum jam decimum sextum legitur Romæ, nunc si unquam historicis criticis instructa Urbe: nec tamen hactenus inventus est, qui ansam in ea reperiret aliquam, ob quam suspecta haberi possit. Ego ipse judicio vestro plus quam nimium criticus, in omnem partem versavi eamdem, cupiens reperire quidpiam, quod in dubium vocare possem, atque ita stabilire possessionem Romanam. Tu denique, R. Pater, & tui adjutores, quos audio fuisse plurimos ex Carmelitano Ordine utroque, neque hic, neque Artic. 12. §. 2. ubi iterum eumdem lapidem versasti, mutire contra es ausus, vel exigere ut eamdem historiam rejiciam: quomodo ergo vis, ut hac rejecta Romanam translationem incunctanter suscipiam, neque in ea suspicer aliquem facti errorem?

58 Hic autem tanto facilius potuit Eremitarum Generali, & per eum Martino Papæ obrepere, quod (sicuti Martinus Papa narrat) neque Ostiæ, jam ut dixi, desolatæ, quisquam præter unum senem esset, qui acceptam a decessore notitiam loci, quo Monicæ corpus jacebat, aut jacere credebatur, traderet successori. Accedit quod, juxta Arroasiensem historiam, dum Walterus Ostiam venit, ibi tam confusa habebatur memoria S. Monicæ, ut hæc alio nomine dicta crederetur *S. Prima*.

59 Tam temere ab Ostiensibus asserta gemini nominis identitas, occasionem mihi dederunt opinandi, confusionem istam nominum processisse ex confusione Personarum, quarum unius ejusque veræ *Monicæ* corpus, secundum ipsiusmet revelationem, translatum sit Arroasiam; alterum alterius Sanctæ, vero nomine *Primæ*, inventum Ostiæ, anno 1260. translatum sit ad ecclesiam S. Aureæ, & sub titulo nominis *S. Monicæ* suppositum arcæ S. Aureæ (sub hac enim inventum corpus, dicit Martinus) ab iis qui duplici nomine unam eamdemque signari sibi persuaserant. Talis vero notitia, sic per manus tradita, Martino Papæ potuit videri indubitabilis, nulla ablati alio corporis notitia ad Italos ex Belgio perlata.

60 Equidem semper eo propendeo, ut acta circa Sanctos eorumque cultum, si non possim eximere a convictione erroris in alterutris eorum, qui de uno eodemque corpore certant, reperiam bonam fidem, quæ cultum justificet, & per hunc salvet patrata divinitus utrobique beneficia. Ideo in præsenti casu amplexus sum viam (ut mihi videbatur) expeditiorem, qua Arroasienses vacarent culpa turpissimæ alias imposturæ; Romanorum vero pro tunc invincibilem errorem, si error fuerit, bona fides excusaret.

61 Cur Accusator hic & iterum Art. 12. §. 2. (cui pariter hic responsum cupio) in titulo nominat *Gregorium XIII.* quia testatur sese ex capite prædicti corporis acceptam particulam misisse Bononiam, & non potius Martinum V. haud satis capio, nec scire magnopere refert. Illud majorem vim habere forsitan videatur, quod idem Martinus, post narratam translationem sua concessione factam, sic concludat: *desiderantes, quod ob translationem prædictam, de sanctitate hujusmodi corporis major apud omnes fideles Christi notitia haberi potest, translationem & repositionem hujusmodi corporis ratas habentes & gratas, eas ex certa scientia, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus; & ut erga dictam S. Monicam magis confirmetur eorum devotio, quasi patulo præconio ad omnium notitiam deduci volumus per præsentes.*

62 Verum hæc *certa scientia* Pontificis, acta approbantis & confirmantis, non ultra se extendit, quam quod corpus sub arca S. Aureæ repertum, & habitum pro corpore S. Monicæ, Pontificia concessione & voluntate fuerit Romam translatum, sicut pro tali fuit Ostiæ habitum, & sub dicta arca collocatum.

63 Egimus ad 21. Martii de S. Benedicti corpore, inter Italos Gallosque controverso; quorum utrique similes Bullas pro se habent & allegant; imo & prohibitiones, ne translatio in Gallias annue celebretur, quod tamen hodiedum fit; & e contrario, ne alibi quam in Gallia esse dicatur idem corpus rescripta similia prohibent. Quare prudentissimus Mabillon, [1] Seculo suo 2. pag. 338. pro suis acturus Gallis, ita loquitur num. 7. *Quam firma sint, quæ a Bullis Pontificis (si modo ex certa scientia datæ, ac legitimæ sint) petuntur argumenta, nemo ignorat Catholicorum ... at cum in ea quam tractamus, quæstione Bullæ Bullis, nonnumquam ejusdem Pontificis, opponantur, huic argumento supersedemus.*

64 Sicut ergo alterutras necesse est aliquem errorem involvere in facto, quod narrant, cum nequeant contradictoriæ simul esse veræ; sic potest etiam contingere in casu, quo dictæ Bullæ pro una dumtaxat parte faciunt, Pontificibus earumdem auctoribus nihil scientibus vel cogitantibus de alia, quæ idem posset prætendere; idque ex possessione longe antiquiori, qualis Arroasiensium, sed longe absentium, erat.

65 Neque ego Arroasiensium possessionem ita tueri volo contra Romanos, ut putem illam tam certam esse, quin falsa esse possit, & vera Romana. Si Arroasiensia monumenta tam feliciter servata fuissent, quam Floriacensia,

pro

[1] Mabillonis sententiam de corpore S. Benedicti Floriacum translata impugnat eruditus Anonymus, qui ad calcem tomi VI. Annalium Benedictinorum Lucæ hoc anno recusi satis prolixam Apologiam pro Casinensibus edidit. Vide & D. Gerardum Cafteel in Controversiis Ecclesiastico-Historicis Colon. Agrippinæ editis 1734. Controv. 34.

pro corpore S. Benedicti Floriacum translato, vix equidem dubito, quin apud eos sicut pro festo S. Monicæ, post translationem instituto, invenirentur etiam Indulgentiæ, intuitu corporis S Monicæ impetratæ seculo 12. vel 13. Sed hæc ut mera conjectura est, sic ultra valere non debet. Itaque modo dicta sufficiant ad amoliendam invidiam, quam Accusator ciere nititur ex hisce terminis, *creditum*, vel, *ut prætenditur*, dubitationem insinuantibus & ingerentibus. Quare sicut S. Benedictum paratus sum venerari, tam in eo quod in Italia, quam quod in Gallia est, corpore; sic & S. Monicam, tam in eo quod in Italia est, quam quod in Belgio; nihil dubitans, quin id gratum Deo sit, non nimium scrupulosos nos volenti esse in hac parte, ne, dum locus deligitur, religio minuatur. Satis sit utrobique esse veri alicujus Sancti corpus, quamvis unum pro alio haberi subinde Deus patiatur. Puto tamen inter eruditos haud inutiliter disputari, cujus Sancti corpus sit, ut veritas magis elucescat.

66 Falsum est itaque primo, dubitationem a me indicatam, vel motam suspicionem esse, *absque ulla prorsus ratione & fundamento*. Falsum est secundo, me *explodere translationem corporis S. Monicæ Romam*. Magis vero subdola, odiosa, noxia, injusta, ac minime tolerabilis calumnia est, qua tum hic, tum passim alibi distinctis characteribus, tamquam si verba mea forent, dicis hæc a me afferi juxra *novum criterium, neque Henschenio, neque ulli priorum animadversum*. Quæ ineptia & infidelitas est, de casu aliquo singulari, & momenti non magni, a me alicubi dictum, ingerere ubique, tamquam dictum de singulis etiam maxime diversis!

67 Majorem fraudem, & magis ferire atque offendere natam, de *Bullis Pontificum, ne minimum quidem probabilitatis punctum* afferentibus, notavi semel iterumque; sæpius neglexi seu præterivi tacitus, ne tædium parerem lectori. Tu vero, R. Pater, hæc verba identidem infarcis, & applicas locis omnibus; ut ii, qui fraudis ignari sunt, & forte non nisi lineas aliquot obiter, vel paragraphos paucos responsionis nostræ legunt, eosque vobis suggerentibus conferunt cum accusatione vestra, arbitrentur toties agnitam & admissam a nobis accusationem, quoties non deprehenditur refutata; quamvis luce meridiana clarius de multiplici calumnia plus quam semel convicta sit.

§. VIII.

ACCUSATIO.

Papebrochius contra diversa diplomata Apostolica, explodit Reliquias Ecclesiæ S. Aphræ Brixiensis, tamquam fictas.

RESPONSIO.

NEscio, Pater R. an auctor sis famosi illius libelli, cui titulus *Papebrochius bombardizans*: ita familiare tibi est illud, insolitum mihi verbum, *explodere*. Si quæram, qui nam sint Pontifices, quorum diplomata eas Reliquias approbarint, non solum invenio a te nominatos *Sixtum V.* pro annis 1586. & 1587. & *Clementem VIII.* pro 1602. quia permiserunt aliquas inde transferri; sed etiam *Honorium III.* idque ex Abbatis Stellæ Responso, ad meum de prædictis Commentarium. Verum in Stellæ libro pag. 14. aliud nihil invenio, quam quod Pontifici isti, circa annum 1225. oblata sit supplica, indicans, quod *non solum ex scripturis & indiciis multis, verum etiam ex antecessorum processis, sit clarum, corpora SS. Faustini & Jovitæ ... in Ecclesia juxta viam Cremonensem esse recondita*: & *ab Episcopo*, qui tunc sedebat, *in majori altari reposita*.

69 Quid autem ad hæc responderit Honorius, contradicentibus verosimiliter Benedictinis, eaque corpora, pridem inde ablata, in sua SS. Faustini & Jovitæ Ecclesia haberi asserentibus, nec Stella indicat, neque ego divinaverim; neque affirmare potes, R. Pater, nisi more tuo plus scribendo quam legeris. Additur quidem, in eadem supplica etiam hæc verba subjungi: *Cumque in ipsa ecclesia antiquissima procul dubio multa aliorum Sanctorum corpora requiescant*. Verum gratis assumit D. Abbas, de his quoque intelligi, id clarum esse *ex scripturis, indiciis, & processis*, atque adeo *ei procul dubio*, referre ad sequens verbum *corpora*, potius quam ad *Ecclesiam antiquissimam procul dubio*. Sed de hoc ei litem non movero, cum nec ipse dubitem, quin Sanctorum corpora ibidem maximo numero condita aut sint, aut fuerint.

70 Præcipua autem, imo tota nostra controversia est, an ea ibi antiquitus habeantur sub istis nominibus & cognominibus, sub quibus eorum multos referunt Catalogi S. Aphræ, unde auctum est Brixiensis Ecclesiæ Martyrologium. Causa dubitandi erat, quod istius Martyrologii Auctor, operis nostri promovendi studiosissimus, Bernardinus Faynus, rogatus submittere, sicut de aliis Sanctis fecerat, documenta, quibus nitebatur fides prædictorum Catalogorum, aliud non potuerit invenire, quam cujusdam Notarii *Guerrini Cereti* Commentariolum de hoc argumento: cui cum multa per literas opponerem, quibus ille respondebat nihil, silentium amici accipi pro verecunda confessione agnitæ ad ulteriorem probationem insufficientiæ. Deinde suspectum jam Guerrini scriptum examinandum sumpsi, propter acceptos ex eo ad 29. Aprilis *SS. Angelinum & Orieldam ac filios*, de quibus merito dubitabam. Inveniens autem fabulosum totum, Exegesim de eo compilavi, qualem habes in Propylæo antiquario ad tom. 2. Aprilis, futurum sperans, ut labor is subserviret prædicto Martyrologio, etiam post mortem Auctoris corrigendo.

71 Verum contra accidit: quia id Reverendiss. Abbati S. Aphræ Onuphrio Stellæ occasionem dedit scribendi contra me, tamquam pro aris & focis, majori cum fiducia causæ, & minori cum modestia, quam ejus nota alias prudentia & humanitas, resque ipsa patiebantur. Me tamen parum aut nihil id commovebat, cum viderem, aliosque crederem æque visuros, etiam sic mihi concedi quod unice postulabam; & magna cum diligentia hinc quidem coacervari, quidquid ad censuram amoliendam, veramque dubiorum sanctitatem suadendam conducturum, a me autem inculpabiliter ignoratum videbatur: inde vero Guerrini opusculum *fabulosum* dici p. 61. in titulo sui capitis 5. in contextu autem expressius notari, quod *Revera*

Chronica Guerrini Cereti, velut in scena tragica plus continet mendaciorum quam veritatis, introducitque personas, quæ neque actis, neque tempori, neque loca conveniunt; & sub larva fictitia narrat miracula numquam audita, martyria non usitata, rerum unioars prorsus chimericas.

72 Ante istud Responsum Abbatiale, nemo erat qui non me excusaret, considerans, præter illud Cereti Chronicon nihil probationis a me fuisse Brixia impetratum. Quid enim poteram aliter, quam feci, de dubiis mihi nominibus cognominibusque judicare, quæ videbam hodierni usus esse pleraque, quam gratis ab Guerrino esse antiquis Sanctis attributa? Non aliud etiam potui inde concludere, quam quod, si revera eorum ista fuerint corpora, quorum legebantur nomina & cognomina; ipsa quoque longe sequioris ævi sint, adeoque dubitabilis eorumdem sanctitas, quicumque eamdem bona fide susceperint Episcopi & Pontifices, arbitrati rem a satis peritis Antiquariis examinatam fuisse.

73 Huic definitioni contrarius, in suo anni 1687. opere Abbas Stella, innititur decreto anni 1529. die 9. Martii sic formato: *Cum notum sit, superioribus diebus, in Ecclesia olim SS. Faustini & Jovitæ ad sanguinem, in præsentiarum vero D. Aphræ in civitate nostra nuncupata, quod reperta fuerint multa corpora Sanctorum; conveniatque Reipublicæ nostræ curam aliquam adhibere circa præmissa: idcirco vadit pars, quod in Concilio generali, scrutinio eligantur tres cives, qui habeant interesse fossionibus seu excavationibus faciendis prædictis corporibus, & jam hactenus repertis quam in futurum reperiendis, ac de omnibus aliis circa prædicta opportunis; & invigilare debeant omni eorum industria & ingenio, quod quidam liber Chronicarum, medio cujus asseritur talia corpora inveniri, in lucem prodeat & habeatur. Et quod prædicti eligendi debitis modis provideant, ne dicti Patres præfatæ Ecclesiæ fodiant seu fodere faciant sine licentia, præsentia, & consensu ipsorum DD. Deputatorum.*

74 Factum sane & consultum prudenter: sed an inventus denique liber est diversus a Chronica Guerrini? Hoc supponit Stella: quia hanc, utpote fabulosam, non fuissent ad probationem adhibituri Deputati: quibus Provisionalis actus deputationis ipsorum testimonium dat, quod fuerint *sapientissimi cives, D. Joannes Chizzius, D. Laurentius Pausius, Jurisconsulti, & Joannes Paulus Averaldus*. Proinde vult Reverendiss. Abbas in iis servatam Juris regulam, sumptam ex causa 14. quæst. 2. c. 1. *super prudentia*: quod *in possessione vel hujusmodi negotiis hi potissimum assumendi sunt, qui eadem negotia tractaverint, de quorum auditu & visu hæsitatio esse non debeat*. Insuper adducit pag. 23. morositatem Episcopi Brixiensis Pauli Zani, qui eodem ipso anno rogatus a Franciscanis Observantibus licentiam alio transferendi quædam corpora, sub altari destructo reperta, eamdem negarit ex consilio Mathiæ Ugonis Episcopi Famagustani.

75 Verum quam gratis præsumitur licentia illa negata propter defectus repertos in prætensis de veritate & sanctitate corporum, sub isto altari quiescentium, monumentis; cum aliæ diversissimæ causæ plures potuerint adfuisse, ob quas petita licentia negaretur: tam improbabile mihi videtur, tres illos cives, utcumque peritos Juris civilis, fuisse etiam peritissimos Antiquarios, quales tunc erant tota Europa admodum pauci, & Brixiæ forsitan ne unus quidem.

76 Sicuti autem hoc ipso seculo, annis abhinc tantum 25. vir inter suos eruditissimus Faynus, non prius agnovit insufficientiam Chronicæ Guerrini, quam de ea moneretur a me; sed ejus auctoritate usus sine scrupulo est in Notis ad suum Martyrologium; sic multo facilius potuerint illi, sesquiseculo seniores, quando summa regnabat ubique talium rerum imperitia, eamdem Chronicam suscepisse, ut rem undequaque certissimam. Nec scio, quomodo in virum prudentem cadere possit, quod velit supponere aliisque persuadere, meliorem certioremque Chronicam ab iis inventam, cujus nulla uspiam extet memoria. Inventa enim fuisset eo loci, ubi debuissent eamdem transcripsisse tot illustres familiæ, quot erant ex ipsa probaturæ stirpis ac nominis sui antiquitatem, a primis usque Christianæ religionis seculis deductam.

77 Illustriss. Comes Valerius de Zanis, variis opusculis editis Bononiæ notus, & familiarissimus Comiti Carolo Cæsari Malvasiæ, antiquariæ rei studiosissimo, uti probant illustrata ab eo nuper Marmora Felsinea, rogatus a me præscribere suum aliorumque in illa Academia antiquariorum sensum de opere prælaudati Abbatis, respondit anno 1692. 14. Sept. in hæc verba: *Convenit inter nos, ipsum non aliud fundamentum habere neque approbationem aliunde, quam ab interessatis in causa earum familiarum, quas delectat famus apocrypharum istarum antiqualium: & hoc est judicium universale eruditorum.* In eumdem sensum, de judicio Florentinæ Nobilitatis totius, a multiplici eruditione una cum Magno suo Duce celebratæ, scripsit mihi Illustrissimus Antonius Magliabechius ipsius Serenissimi Bibliothecarius, ad quem in talibus ex tota fere Europa consulendum accurritur, velut ab commune oraculum litteratorum.

78 Nec dispar fuit judicium Primi Aloysii de Tattis, Annalium Comensium scriptoris sinceri, non tamen adeo perspicacis Critici, ut sciverit habere suspecta Fragmenta Pseudo-Luitprandi, Plinium secundum Comensem facientia, & quidem pro Christo Martyrem; donec de pseudextrinis ex Hispania commentis cavendis, moneretur a me, quod etiam gratissimum habuit. Pridem tamen ille per se ipse cognoverat, & prima Decade suorum Annalium pag. 527. studiose refutaverat familiarum nobilium vanitatem, ab adulatoribus susceptis ingestam, qua sibi patiuntur persuaderi, nomina sua gentilia antiquissima esse. Verba ejus ex Italico placet Latina reddere, & Abbati Stellæ consideranda proponere, ne bene impensam a se operam credat in propugnanda talium nominum vetustate; in quo vano labore maxima pars scriptionis, alias non ineruditæ, consumitur.

79 *Hic*, inquit (id est sub initium seculi 6. quo Ecclesiæ Comensi præsidebat Eusebius) *incipiunt scriptores moderni aliqui* (quos in margine nominat, alioqui satis bonos, sed in isto nimis credulos) *incipiunt*, inquit, *designare familiam, ex qua quisque Episcopus natus sit; idque fecerunt per omnes Insubriæ Antistites, Mediolanenses, Novarienses, Vercellenses, aliosque,*

poterat

poterat addidisse etiam Brixienses, si Fayni Martyrologium vidisset. *Verum qua ratione id cum veritate haudquaquam consistat, facile conspiciet quisquis cura passionem & cum prudentia consideraverit hujusmodi vanitatem. Non scribuntur historiæ, sicut fabulæ. Hæ in chimericis fundantur conceptibus; istæ postulant solidas rationes: quæ cum nostris temporibus Chorographis hic desunt, compositiones eorum æstimantur a sapientibus, velut poeticæ, & intestabiles fiunt, etiam ubi continent veritatem; quæ, tot phaleris onerata magis quam ornata, multum amittit gratiæ naturalis.*

80 *Concedimus libenter, quod ante & post nativitatem Servatoris, apud Romanos aliosque Italiæ populos sua quæque nobiliores familiæ cognomina usurparint; nec eget probatione istiusmodi usus, in historiis antiquis, sed maxime Romanis tritissimus. Verum illa non perennarunt usque modo. Nam post invasionem barbarorum, cum hi in Italiam pedem fixissent, ea omnia sic evanuerunt,* [1] *ut eorum nec minima quidem memoria reperiatur in libris, publicisve instrumentis vel inscriptionibus; & ævi medii antiquitate aliud non videas, quam purum ac simplex nomen personæ, de qua agitur. Cum hoc igitur certum sit, & plus quam certum, cuicumque habenti aliquam notitiam sæculorum ante annum millesimum præteritorum, quanto altius ascendimus ad nonum, octavum & priora secula, tanto minus videmus, quomodo boni isti scriptores tam secure possint affirmare, de Episcopis nostris, quod de suis numquam præsumpsit Roma; licet horum acta a pluribus descripta habeantur antiquitus, nostrorum non item.*

81 Sic ille, nihil reformidans paratam sibi a nobilitate invidiam, cui *nihil intendit præjudicare, quoad suas bene ac solide fundatas probatasque traditiones*: quod nec ego intendo, nec eruditissimus Joannes Mabilio in opere de re diplomatica, hanc de cognominibus quæstionem tractans lib. 2. cap. 7. plane ex mea sententia, sed multo quam ego plenius distinctiusque, pro singulari sua, cui libenter cessero, antiquariæ rei peritia. Ad Martyres autem antiquos quod spectat, hoc insuper observo, neque in eorum Passionibus, sive sinceris, sive apocryphis, neque in Martyrologiis, neque in monumentis eorum aliis, communiter apparere cognomina; quamquam tempore martyriorum plerisque sua, eaque Romana fuisse dubitare non possimus. Causa hæc esse videtur, quia in medio persecutionum æstu nemini curæ erat talia notare; ipsique Christiani fortasse contemnebant istas gentilitiæ nobilitatis appellationes, solo nomine baptismali contenti, satisque gloriosi titulo Christianitatis. Et credimus nos, solis Brixiensibus eam curam fuisse? neque merito dubitabimus de sic repertis Reliquiis?

82 Dignetur Reverendiss. Abbas legere 11. Maji Appendicem ad Commentarium de S. Lucifero, Episcopo Calaritano; nec non eodem spectantem insignem locum post tomum 7. Maji pag. 819. Agitur in dicta Appendice de epitaphiis, [2] hoc seculo resossis in Sardinia: quæ cum Martyrum esse præsumerentur, prohibuit Bollandum iis fidem habere peritissimus tunc Romæ Antiquarius, Franciscus Cardinalis Barberinus. Multa istic Reverendissimus Abbas reperiet, fortunæ corporum Brixiensium simillima, ex iisque discet suo in patriæ favorem præjudicio diffidere, nec ægre ferre quæ de suis scripsi, eodem quo ista candore Belgico. Nescio adulari.

83 Si illis anni 1529. Deputatis par cura fuisset, quæ Sardis, referendi in acta publica circumstantias omnes, curatæ sua auctoritate resossionis, eaque acta commentariis, quam speciosissimis possent, illustrandi; & sic digesta ac Romam missa venissent in manus tam eruditi Pontificis, quam fuit Urbanus VIII. ejusque Nepotes Barberini, existimo non facile Episcopo concedendam fuisse licentiam sic inventa corpora transferendi, quam Sardis concessa hactenus non comperi.

84 His non tam tecum, R. P. Sebastiane, quam cum Reverendiss. D. Onuphrio Abbate collatis, puto manifestum fecisse me, si non Tibi, saltem ipsi aliisque intelligentioribus, quam nihil temere factum sit a me, Brixiano Martyrologio, eatenus nixo solius Guerrini Cerreti Chronica, ipsomet Abbate asseotiente fabulosa, fidem habere non potuerim; & cur ne nunc quidem possim prudenter ad summam primorum seculorum ætatem recipere nomina & cognomina usus hodierni, ut sunt Lombardica & Teutonica aut etiam Italica illis recentiora, puta in nominibus, *Albertus*, *Alvaunus*, *Bonacursius*, *Bonsanctus*, *Corradus*, *Jacobinus*, &c. in cognominibus, *de Scaligeris*, *Brusatis*, *Bornatis*, *Blanzanis*, *Duchis*, *Martinenghis*; aliisque quamplurimis. Interim Apostolicæ Sedi considerandum relinquo, quam temere feceris ipse, assumendo alienam causam, sibi ab iis quos attinet non commissam, Advocatus minime vocatus & rogatus; ne semel quidem expendere dignatus invicta prorsus argumenta, quibus num. 37. & 38. demonstro, fabulosam esse totam *Vitam* anno 1415. confidam, sub nomine *SS. Nicolai & Hieronymi de Pedrochis*, quasi anno 133. martyrizatorum. Et tamen fidenter pronuntias num. 48. concludens hunc §. quod *ista effutiam absque ullo fundamento ex meris conjecturis*; & ab Apostolica Sede dijudicari petis, an ea, quæ dico, *non potius exsibilationem, quam responsionem mereantur.*

Opuscul. Collect.

[1] Excipiendi Veneti sunt, in quorum monumentis gentilitiorum nominum vestigia etiam post decimum Barbarorum videre est, quod animadvertit vir doctissimus Scipio Maffejus Veronæ Illustr. l. m. p. 168. Exemplum habes in litteris donationis anni 982. quibus insula & Capella S. Georgii Ducis & Senatus Veneti munificentia Joanni Mauroceno, cuique cessit. Vide illas apud Ughellum tom. 5. noviss. edit. col. 1200. Sed de universa cognominum maceria consule præclaram doctissimi Muratorii Dissertationem inter Antiquitates Italicas medii ævi.

[2] Vide cl. Mabillonii Epistolam de cultu Sanctorum Ignotorum, & eruditissimi Muratorii Differt. 58. tom. 5. Antiquitatum Italicarum.

§. IX.

ACCUSATIO.

Papebrochius Bullam Leonis IV. a variis Romanis Pontificibus receptam & confirmatam, arguit imposturæ.

RESPONSIO.

SAltem a Leone IV. similes Indulgentias datas esse nego; a Lucio III. potuisse emanare concedo; quodque eas a quocumque olim datas, vel non datas, varii deinde Pontifices bona fide confirmarunt, supplendo quemcumque facti defectum. Quod in Paralipomenis ad Conatum pag. 93. jusserim alio transferri, vel potius expungi locum, ubi quæritur, *quomodo nominis Pontifici numerus inveniatur ante aliqua ecgrapha Bullarum* istius aut vicini ævi; non ideo feci, quod me censuræ de Leonina in Aprili latæ puderet (ut præsumis R. Pater) sed quia illud, quod passim nominatis *Bullam Leonis IV.* quodque nullam Bullæ formam habere ostensum volebam contra Patrem Bonæ Spei, jam pateremini dici *Summarium*, adeoque cessabat totum censuræ fundamentum. Et hac de causa etiam in Supplemento ad 2. tomum Aprilis pag. 792. pro instructione mea vel successorum scripto, hæc verba numeri 103. *Convincendæ imposturæ*, omissis intermediis, jussi cum sequenti numero sic connecti: *Convincendæ imposturæ sufficit quærere, quænam sint illæ domus, vel Ecclesiæ, in quarum favorem statutæ hæ forent.*

86 Hinc etiam nunc superfluum puto de eo tecum, Rev. Pater, disputare, quod ad controversiam nostram non amplius facit; quamvis etiam hic pergas vocare *Bullam*, quod *Summarium* Bullæ dumtaxat esse mihi concedis. Interim gratulor tibi, mihique, saltem in hac libri tui plagula repertum aliquid, non prorsus contemnendum, quo moverer ad expungendam censuram, quasi contra Bullam, quæ quidem reipsa nulla est, sed fuisse præsumitur ex Sixtina, Summarium illius referente, de qua supra Art. 2. num. 274. & mox iterum plenius

87 Istum meum candorem tribuendi tibi quantum possum, nescio quomodo sis accepturus; cum etiam ex ipsa quasi retractatione ansam novæ criminationis arripias; quærendo, cur Leonicæ qualiscumque Bullæ in theatrum reducendæ occasio sumpta sit ad Pontificatum Paschalis II. cum ejus rei proprius locus esset in Leone IV. Respondeo id eo factum, quia scribenti de Paschale primum innotuerunt ex Armamentario Bullarum quarumdam ecgrapha imperfecta, & ad rem vestram facere visa, de quibus putabam mihi reddendam rationem; scribenti autem Paralipomena, innotuit vos non persistere in sustinendo, quod h.. etis integrum & genuinum Bullæ præten-sæ . ctum, sed velle contentos esse titulo S..marii.

88 Ast alteram hinc arripis mei explodendi ansam, quod exempla Bullarum, incipientium a numero nominis Pontificii, idque sine consueta seculis istis formula, *N. Episcopus servus servorum Dei*, non quæsiverim in Bullario, sed in Italia sacra Ughelli, cum hic non habeat omnes Pontificum Bullas.

89 Ad hoc respondeo. Quia quæstio mihi erat de Bulla, quæ data fuisset seculo nono, adeoque quærendæ erant tales, quæ posteriores essent an. Christi sexcentesimo, anteriores autem millesimo: hujusmodi autem non nisi unicam, scilicet Joannis XV. habet Cherubini Bullarium; & hanc ipsam, ea, quam in Leonina vestra desiderabam, forma præetitulatam, *Joannes Episcopus servus servorum Dei*. Sciens autem quid mihi responderi a vobis posset, ex Cherubini Bullario unam solam pro tot seculis alleganti, abstinui eo nominando; & remisi vos ad Ughellum. Hic enim ejusmodi plurimas pro seculo 7. 8. 9. & 10. describit fide optima ex originalibus, estque ad formulas omnes, in quibus sæpe Cherubinus deficit, accuratus.

90 Tuam ergo, R. Pater, non meam accusa ignorantiam, seu oscitantiam in tractando Bullario; & imprudentiam in objiciendo tot Bullas, eo seculo de quo agimus tanto posteriores, ut quantumvis integra in iis forent omnia, probationem nullam facerent; occasionem tamen mihi darent, ad Pontificatum Paschalis observandi istam posteriorem Bullarum a prioribus vel differentiam vel defectum, sicut eum vester Pater Bonæ-spei suggerebat.

91 Quod in conclusione mihi tribuas *blasphemiam*, & quidem *cum qua nihil possit excogitari absurdius*: quod me iterum iterumque voces *insolentem ac impudentem Vicarii Dei contemptorem, adeoque reum læsæ Majestatis Pontificiæ*, refutatione non eget; atque ad ejusmodi intemperiem malo silere, quam respondere tibi pro merito. Tantum pergo postulare, primo ut Bullam Leonis integram, non autem ejus Summarium, a nescio quo confictum, exhibeas. Secundo ut ostendas, *quænam sint illæ Domus, vel Ecclesiæ, in quarum favorem statutæ hæ forent indulgentiæ*. Tertio quinam Generales, quinam Provinciales vestri fuerint seculo Leonis IV. id est seculis aliquot antequam religiosus Ordo vester notus fuerit, saltem in Europa.

92 Non satis etiam capio, quomodo vigilans scribere hic potueris: *Papebrochius nescit pœnitere, & cum non sit musicus, non novit canere palinodiam.* Quando tu ipse mihi exprobras art. 25. §. 5. retractationes frequentiores, quam in ullo alio hactenus legeris Auctore, dicens in ipso titulo: *Papebrochius proprio motu retractat ultra bis mille errores, quos ipse intar Acta Sanctorum ex ignorantia commiserat.* Hos quam recte numeraris, hic non discutio: neque ostendo, quod inconsiderate ansam capias accusandi me ex promptitudine corrigendi errata, quæ ingenuitas non minus in me, quam in D. Augustino, Baronio, aliisque laudanda videtur. Solum pone te juxta te, ut videas te tibi contradicere manifeste, dum reprehendis quod nihil noverim retractare, & reprehendis pariter, quod retractem plurima.

§. X.

ACCUSATIO.

Papebrochius per evidentem imposturam, machinatur certam & indubitatam Sixti IV. Bullam reddere suspectam.

RESPONSIO.

FOrte multis hæc legentibus inciderit suspicati, quod Sixti IV. Bullam fraudulenta additione, mutilatione, vel mutatione aliqua vitiaverim. Verum non istud est, quod vult Accusator. Ægre fert, quod non omnia, quæ in Bulla ista continentur, habeam pro indubitatis; maxime illud, quod citetur in ea Leo IV. tamquam qui certas Carmelitanis Conventibus Indulgentias concesserit: cujus facti veritas si subsistat, Carmelitanus Ordo necessario extiterit saltem a seculo 9. quod mihi hactenus non vidi ineluctabiliter probatum. Ad Bullam autem Sixtinam videor mihi respondere posse, vel eam non extare, saltem incorruptam, vel non in omnibus, quos citat, Pontificum nominibus esse plane erroris expertem.

94 Nam, ut omittam varia suppositionis indicia, quæ hic expendi non satis clare possunt, nisi exhibito toto illius Bullæ tenore; debeo ne credere, *Honorium decimum & Nicolaum quintum, insuper Honorium nonum* in illa recte referri? Juxta te quidem Pater R. nefas sit de hoc vel minimum dubitare, ut nefas est dubitare de nomine Leonis IV. Atqui tamen evidens est errorem esse tam in nomine Honorii noni, quam Honorii decimi, cum constet neque Honorium decimum, neque Honorium nonum unquam extitisse, imo non nisi quatuor Honorios passim comparere in Catalogis Pontificum, uti etiam nusquam comparet ibidem scriptus Lucius IV. cui adscriptas Indulgentias Lezana, Bullam corrigens, adscribit Lucio III.

95 Post tales tamque manifestos in Pontificum nominibus errores, quomodo evinces, nihil erroris esse in nomine Leonis IV. Argumentum igitur sumptum ex Bulla Sixtina, citante Leonem IV. quasi is Indulgentias Carmelitis concesserit, non est argumentum, ut putas, irrefragabile, ad probandum, quod Ordo vester tempore Leonis IV. certo extiterit; qui nusquam apparuerit seculo isto, aut etiam uno alterove ex subsequentibus. Indulgentiarum tamen, quas a Leone IV. concessas cupitis, valorem in dubium numquam vocavi: nam quidquid sit de prima illa concessione, certum est, ab aliquibus ejus successoribus confirmatas, aut, si non fuerint, datas fuisse, & quidem, ut in Bulla Sixtina legitur, *supplendo omnes & singulos defectus, si qui forsan quoquo modo intervenerint in eisdem*, quia ratione censetur Pontifex certos velle reddere fideles de Indulgentiarum istarum valore; adeo ut, si prior concessio non subsisteret, vel nulla fuisset, eas ipse largiatur.

96 Multum vociferaris de vestro Lezana, quod dixerim aliquando me ejus *Annales evolvisse & studiose scrutatum*, nec tamen apud eum Bullam hanc Sixtinam reperisse. Hoc scilicet ita accipis, ac si Lezanam totum perlegerim. Sed aliud est, R. Pater, librum aliquem evolvere; aliud totum perlegere. Evolvere dicitur etiam qui summaria seu titulos capitum percurrit, vel indices, si quis habet accuratos, ut habet Lezana: is autem solus perlegit, qui omnia & singula, libro & capite quovis contenta, legit, nihil prætermittens. Posteriori modo neque circa Lezanam versatus sum, neque soleo aut possum circa alios: passim singulorum indices lustro, ut videam, an & quid in rem, quam tunc ago, contineant. Hoc modo *solicite scrutatus* sum vestrum *Lezanam*, ut, *quo nihil optabam magis, Carmelitarum de suis ante seculum XII. in Europa Conventibus opinioni firmandæ aliquod invenirem fundamentum*; ita ipso loco accusato testabar. Verum quid tota hac vociferatione contendis? Imposturæ crimen me scilicet commisisse, dum negavi Bullam Sixtinam, ne apud Lezanum conspicatum. Ais, fieri non potuisse quin conspicatus sim: idque colligis ex eo, quod dixerim me Annales Lezanæ evolvisse. R. Pater, quilibet verborum suorum optimus est interpres, ut habet juris Regula, & communis juris peritorum sensus, atque ipsum lumen rationis dictat. Quomodo Lezanam evolverim, jam dixi.

97 Quid autem tanta, quam mihi affingis, in evolvendo Lezana accusatione impactum vis criminis? Imposturæ, inquis, in eo situm, quod dixerim non reperisse me apud eum Bullam Sixtinam. Numquid mirabile est, tantum a te strepitus excitari in re minima, & quidem contra rationem, & æquitatem naturalem? Jam ante tibi exposui, me non lustrasse singulos Annalium Lezanæorum angulos: statim ac monitus sum Bullam apud ipsum extare, agnovi palam sine cunctatione, typis edidi, quid vis amplius? Non credis, id me ante ignorare potuisse; ubi tu, R. Pater, in libris meis, quos ad accusandum tanto studio perscrutatus es, & quidem in iisdem paginis, in iisdem columnis, quas accusas, tam multas ignoras circumstantias, quæ nisi cæcus sis, te effugere non potuerunt: atque ex iis manifestum tibi esse debuit, nihil istiusmodi a me assertum, quod mihi attribuis. Sed parum ad rem facit, sive ad probandam prætensam Ordinis vestri antiquitatem, sive ad ostendendum Indulgentias a Leone IV. vobis esse concessas, quod Lezana vester Bullam hanc in suis referat Annalibus.

98 Suggessi nonnulla, quæ saltem suspectam reddant Bullæ istius, prout nunc extat, quoad facta aliqua veritatem, imo apertam probent falsitatem. Irrefragabile igitur quoad alia facta illic relata testimonium, & magis convincentem probationem necesse est aliunde accersas. Si neges, ostende quis sit ille Romanus Pontifex Honorius nonus, quis Honorius decimus, Ecclesia ultra quatuor Honorios non agnoscente? Plures circa Bullam hanc, prout hoc tempore extat, difficultates moveri possent: sed cum hæ ad defensionem meam sufficiant, nolo plus quam necesse est videri Bullæ cuicumque adversarius. Miror autem Paternitatem tuam tantopere commoveri errore meo levissimo & maxime innocuo circa Lezanam, neque retractationi meæ tam prompte pridem factæ nolle acquiescere; sed identidem exprobrare impo-

ſturam & pertinaciam; ubi noſti, tuos in tam multis a me de falſitate manifeſte convictos, ac te in primis a Janingo, hactenus tamen adduci nulla convictione poſſe, ut manus detis apertæ veritati; neque ſatis ſcio, an ſperare poſſim fore, ut, poſt innumeras & continuas peſſimæ fidei tuæ convictiones, ullam unquam criminationem tuam retractaturus ſis. *Ejice primo trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui*. Luc. iv.

§. XI.

ACCUSATIO.

Ut Papebrochius infundatas ſuas contra Sedis Apoſtolicæ auctoritatem palliare valeat argutiunculas, falſum Bullæ Clementis X. affingit ſenſum, eamque enervare molitur.

RESPONSIO.

Ut novum aliquod crimen, ab eo quod jam diluimus, objicere videatur Accuſator, diſſimulat in titulo, quæſtionem eſſe de Bulla Sixtina, & in genere fingit me contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ abuti Bulla Clementis X. quæ aliud nihil eſt quam confirmatio Summarii, referente Cardinali Bona, edita an. 1073. & hanc antea etiam ſub titulo in ſcenam adduxerat Art. 2. §. 11. Sed quod ei tunc ibi reſpondimus, non debet hic iterari, nec reſponſum meretur, quod objicitur de Clemente Pontifice, nullam faciente in Bulla ſua mentionem *de ſupplendo juris & facti defectu*, quamquam de hoc mox reſponſurus ſum.

100 Quod Cardinalem Bona attinet, revereor ſingularem ejus doctrinam, & magnam in rebus antiquis peritiam, æque ac Cardinalium Bellarmini & de Torres; qui, ſicut & ipſe, Lectiones in Commemoratione S. Mariæ de Monte Carmelo recitandas antea probaverunt, non tamen obligari me credo, ad affirmanda continuo omnia in Lectionibus illis contenta. Si contradictorio judicio (quod in gratiis concedendis non fit) res acta, & Promotor fidei, inſtructus iis quæ propoſuit dubiis, ad opponendum vocatus fuiſſet, non ita expedite forſitan conceſſa foret approbatio. Nunc vero prædicti Cardinales gratiam, quam Ordo Religioſus petebat, nulli futuram damno, nihil contra fidem aut mores continentem, tanto gratioſius poterant decernere concedendam, quanto odioſior fuiſſet ejuſdem negatio; non minus ægre ferenda, quam lata fuit Baroniana, negantis antiquitatem Ordini juſto majorem.

101 Hic ob nonnulla, quæ ſub ultimos vitæ annos, jam Deo ſtudiorum ſuorum omnium rationes redditurus, ſcripſerat parum grata Carmelitis, etiam poſt mortem apud eos vapulat, tamquam Ordinis inimicus. Sic enim Generalis eorum Matthæus Orlandus, litteris ad P. Henſchenium datis 14. Novembris 1671. *Non ambigo Veſtræ Patern. notum eſſe, ipſum Baronium, Ordini Carmelitano, ob aliquam cauſam, offenſum, & inde etiam infenſum fuiſſe, & de eo quædam ſcripſiſſe, non ſine grandi & patenti paſſione*. Tam benevole tractant cum ſuo Reverendiſſimo Generali etiam alii contrarios antiquitati ſuæ, ut patet ex prima parte Armamentarii Patris Bonæ-Spei, contra Patres noſtros Salinas, Vegam, Redanum, Suarez; Mirandam item & Bordonum Ordinis S. Franciſci; Baronium denique Cardinalem, quorum omnium pharetras evacuat, tela retundit bellator iſte; nec non contra prætenſiones Laurentii Landmeter Præmonſtratenſis, Bivarii Ciſtercienſis, Bollandi Henſchenii & Papebrochii Jeſuitarum, Jo: Petri Creſcentii Romani; & quidem contra me ac deceſſores meos in iis, quæ non ſcripſeramus, ſed tacueramus.

102 Interim nihil affingo Clementi, qui confirmata a Sixto IV. Bulla cum ſuppletione cujuſcumque defectus, non debuit eumdem iterum ſupplere; quamvis & hoc feciſſe dicendus eſt, intendens omnem, quem Sixtus intenderat finem, id eſt certificationem fidelium de obtinendis Indulgentiis, a quocumque primum impetratis. *Gratis dato*, inquis, *quod talis clauſula in Bulla haberetur, non cenſeretur equidem alios juris poſitivi ſupplere defectus quam in Bulla expreſſos, ut docet Barboſa clauſula* 178. *num.* 2. *&* 10. unde concludis, quod, ſi Leo IV. Indulgentias illas non conceſſerit, non redduntur validæ per confirmationem Sixti IV. & Clementis X. cum defectum illum non expreſſerint.

103 R. Pater, quo non adigit hominem libido contradicendi? Ut mihi contradicas, veſtras ipſe Indulgentias, a tot Pontificibus confirmatas, convellis. Clauſulam, qua Sixtus IV. diſerte profitetur, ſe *ſupplere omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan quoquo modo intervenerint in eiſdem*, noſti in Bulla ejus contineri: quid modo ad rem facit, quod eadem clauſula non addatur etiam in Bulla Clementis X. quæ Sixtina poſterior eſt? Defectus, quos prior Pontifex abunde ſuppleverat, quid neceſſe fuit iterum ſuppleri a ſucceſſore? Viſne itaque ſuppletos non fuiſſe defectus, quos interveniſſe veriſimile eſt; atque ita in dubium revocari Indulgentiarum veſtrarum valorem?

104 Imo defectus aliquos certo interveniſſe demonſtravi §. ſuperiore, ubi de Honorio nono & decimo, qui numquam extiterunt, dicitur in Sixtina Bulla quod Indulgentias veſtras approbaverint. Atqui non minus juris poſitivi eſt approbatio Indulgentiarum, quam earum prima conceſſio. Si igitur, ut ais juxta Barboſam, non cenſeatur defectus primæ conceſſionis ſuppleri per clauſulam illam generalem, non cenſebitur etiam ſuppletus defectus approbationis ſeu confirmationis. Unde autem noſti, quod non æque, imo forte magis Sixtum IV. & Clementem X. permoverint tot ſuperiorum pontificum confirmationes, quam ſolius Leonis IV. conceſſio? Ergo ſi ejuſmodi defectus per clauſulam memoratam non ſuppleantur, atque hi reddant confirmationem quamcumque invalidam, vides quid contra Indulgentias veſtras ex tua accuſatione ſequatur.

105 Ego vero Indulgentiarum veſtrarum, te eas ſic peſſumdante, defenſionem ſuſcipiens, dico, præcipuum motivum illas confirmandi fuiſſe præclara Ordinis veſtri in Eccleſiam merita; cauſam finalem, paupertatis veſtræ ſubſidium, templorum ædificationem, eorum frequentationem, cultus divini incrementum, animarum utilitatem, Dei gloriam. His ſubſiſtentibus, videntur

dentur cetera minus principalia, etiamsi aliquid in eis subreptionis deprehendatur, Indulgentiarum valorem non evertere. Ad Barbosam quod attinet, cur ejus verba non adducis? Sed neque numerum citatum reperio. In votis decisivis & consultivis Voto 99. num. 32. dicit quidem Barbosa, quod *clausula* SUPPLENTES *non operetur, ubi processum fuit sine causæ cognitione*. Verum, Pater Professor, agitur hic de concessione alicujus, quod est conjunctum cum damno tertii. Alia autem ratio est eorum, quæ mere favorabilia sunt, alia eorum, quæ aliquibus odiosa. Deinde etiamsi Leo IV. Indulgentias non concessisset, non tamen iden Sixtus IV. & qui eum secutus est Clemens X. processissent sine cognitione causæ principalis, ut jam ostensum est.

106 Videamus modo te probantem, quod Bulla Clementis X. quatenus refert concessionem Indulgentiarum, factam a Leone IV. sit infallibilis: *Nec dicat Papebrochius*, inquis, *partem narrativam Bullæ non plene probare; quia etsi hoc verum sit de narrativa in facto alieno, dum Pontifex in illa non fundat suam intentionem; falsum tamen est, quando Pontifex in illa fundat suam intentionem, prout hic contingit*. Quæro ego, P. Professor, an Pontifex non æque intentionem suam fundaverit in Honorio nono, & Honorio decimo, quam in Leone IV. Ideone *plene probatur*, quod Honorii isti, qui numquam fuerunt, Indulgentias istas confirmaverint? Quomodo igitur *plenam* ex simili *intentionis fundatione probationem* elicies, quod Leo IV. illas aliquando concesserit? Et nonne Pontifex Clemens IX. intentionem suam fundaverat in eo, quod sibi persuaserant Patres Carmelitæ? Et tamen Clemens X. falsitatem relationis istius detexit & reprobavit. Visne igitur etiam ex Bulla Clementis IX. contendere contra Clementem X. relationem Patrum vestrorum esse *plene probatam*?

107 Ridicula probatio est, quam formas ex regulis juris, quibus dicitur; *quod verisimile non est, nec credendum, nec dicendum, imo nec attendi debet*. Subsumis. Atqui Pontifices Sixtus IV. & Clemens X. dixerunt, Indulgentias illas esse a Leone IV. concessas. Quid autem aliud inferre potes, quam, Ergo hoc fuit Sixto IV. & Clementi X. *verisimile*? Respondeo concedendo totum. Sed & verisimilia alia quibusdam Pontificibus visa sunt, & quidem ipsi Sixto IV. & Clementi IX. ut jam de Honoriis &c. demonstratum est, quæ tamen postea deprehensa sunt non fuisse vera.

108 Quod in fine addis sic Pontifices a me argui *imprudentiæ*, falsum est: viros prudentes etiam errare subinde in factis, est notorium. Fuitne Sixtus IV. imprudens, quando adduxit Honorios nonum & decimum? Fuitne Clemens IX. imprudens, quando credidit Patrum vestrorum falsæ persuasioni? Indigna autem viro religioso infidelitas est, distinctis characteribus exprimere vocem *imprudentiæ*, quasi hanc ego in Clementem X. contumeliam effutiissem. De hoc nullus dubitabit, qui librum tuum leget, existimabitque a Religioso Provinciali alienum esse, calumniari tam turpiter, in re tam gravi, apud Sedis Apostolicæ Tribunal & scriptis publicis apud omnes Ecclesiæ sacras Inquisitiones coram toto orbe Christiano.

109 Quod sequitur, etiam odiosum est; sed post responsionem ad superiora, contemptu potius quam operosiore refutatione dignum. Vis me *portam aperire ad quævis Pontificum diplomata, etiam in favorem Societatis a Sede Apostolica indulta, similiter interpretandum, & intentum tam Societatis quam Pontificis explodendum*. O præclarum Sedis Apostolicæ defensorem, qui *quævis Pontificum diplomata explodi* posse arbitraris, si in aliquibus diplomatibus error aliquis circa factum deprehendatur, ut in aliquibus reperiri, jam aliquoties apertissime ostensum est, neque ullus juris canonici vel historiæ peritus inficiabitur. Verum nescio, an præter te ullus admissurus sit, hanc esse sequelam legitimam: Si in aliquo diplomate aliquis error circa factum contineatur, *diplomata quævis Pontificum explodenda sunt*.

110 Nos vero dicimus, diplomata quævis Pontificia, etiam ea, in quibus facti error aliquis deprehenditur, summam mereri observantiam & reverentiam; neque propterea ulli alteri Bullæ errorem affingi posse, neque sine notabilis momenti ratione licere eam in suspicionem erroris vocare, etiam circa meras facti quæstiones. Et quidem a fortiori hoc dicendum est de Bullis Pontificiis: quandoquidem, nemo tam temerarius sit, qui audeat asserere, inferiorum Tribunalium, etiam si tantum secularium, *diplomata quævis explodenda* esse, quia in aliquibus subinde contingit erroris quidpiam deprehendi. Semper præsumuntur nihil præter veritatem continere, nisi oppositum probetur, vel ob fundamentum non leve suspicio prudens ingeratur.

111 De Societate nostra alias te monebam, R. Pater, ut metum poneres, ipsam satis de Privilegiis suis curam solicitam gerere, nec tamen hactenus quidpiam in meis libris, quibus tantopere commoveris, invenisse, quod *portam aperiret ad quævis Pontificum diplomata, etiam in favorem Societatis a Sede Apostolica indulta, similiter interpretandum*. Sed & sui satis secura est, quod Pontificem ad obtinendum pro se diplomata non deceperis, uti alios decepisse nosti Clementem nonum. Quapropter non ægre ferat, quæso, Paternitas tua, quod ex antecedentibus tam manifestis aperte concludam, in tota præsenti accusatione nihil apparere rationis solidæ, nihil sinceritatis aut fidei, nihil prudentiæ, saltem Christianæ.

§. XII.

ACCUSATIO.

Papebrochius passim impingit in Brevia Clementis X. & Innocentii XI.

RESPONSIO.

QUænam ea Brevia sint, indicat Accusator in contextu, ea scilicet, quibus confirmatur & extenditur usus Lectionum, pro Commemoratione festi S. Mariæ de Monte Carmelo approbatarum, & ad XVI. Julii recitandarum: quas vult canonizatas ob hoc credi, atque indubitabilis veritatis. Sed responden, utrumque Ordinem, in suo responso ad querelas Illustiss. Auberti Episcopi Antuerpiensis de Lectionibus illis, professum esse an. 1677. aliud se non prætendere (sicut legere est tom. 2. Maji

pag.

pag. 716. num. 3.) quam quod Officium istud *eodem loco & gradu repositum* censeatur, *quem possideat quamplurima consimilia Officia, in Romano Breviario sine ulla jam controversia existentia.*

113 Atqui sic ibi jam existunt (ut alias plures taceam) Lectiones de S. Dionysio Episcopo Parisiensi, ad ix. Octobris, nec tamen propterea creditur illius approbatoribus Pontificibus ulla fieri injuria a dubitantibus, an idem is Dionysius sit, quem in Areopago convertit S. Paulus, an a S. Clemente in Gallias missus, an abscissum suum caput sustulerit, & ad duo millia passuum in manibus gestarit: quæ omnia indubitanter ante hac credita a Francis, iidem nunc videntur tam incerta, ut in novo Parisiensi Breviario anni 1680. omissa sint omnia.

114 Si quando visum fuerit Sanctissimo, Breviarium Romanum omni nævo (quantum quidem per imbecillitatem humanam fieri potest) expurgandum porro jubere, poterunt tunc etiam conniti PP. Caemelitæ, ut eidem suæ, si per Correctores liceat, pro usu Ecclesiæ universæ, inserantur Lectiones; tametsi ostendere non possint tam antiquum earum, etiam in solo suo Ordine usum, quam ostendere possunt Gallicanæ Ecclesiæ, pro suis de S. Dionysio traditionibus, stabilitis per octo secula cum ostendi non possit ipsamet Commemoratio, cui Lectiones istæ serviunt, antiquior esse seculo 16. Extat enim apud nos membrana, impressa Venetiis sub finem seculi 15. omnium tunc propriorum Ordini festorum prout suot ex Martyrologio annuntianda, ubi ejusmodi Commemoratio non invenitur, adest autem B. Albertus Drepanitanus, ex Brevi Sixti IV. anno 1476. permissus publice coli in Ecclesiis Ordinis, quod solo antea vivæ vocis oraculo permiserat Callistus III. ab annis tunc circiter viginti.

115 *Dum Papa*, inquis, *aut Sacra Rituum Congregatio concedit & approbat aliquod Officium in Ecclesia recitandum, hoc ipso censetur etiam approbare & confirmare contenta in eodem; nam unum cum altero adeo est connexum, ut unum sine altera probari aut reprobari non possit; quia connexorum idem est judicium, ut fuse probat Barbosa.*

116 Video, P. Professor, quod non satis distinguas inter approbationes juris & facti, cum tamen Juris peritiam, & non tantum Theologiæ, hic profitearis. Dum Sacra Rituum Congregatio approbat aliquod Officium ut recitandum, certum nobis & prorsus infallibile est, omnes eos, quibus hoc Officium a S. Congregatione *recitandum* proponitur, ab omni errore juris remotos esse, sive licite illud & sine culpæ periculo recitaturos; imo ad illud teneri si eos S. Congregatio obstrinxerit. Non autem certum nobis est & infallibile omnes eos, qui ad Officium *recitandum* præcepto obligantur, hoc ipso obstringi ad certo & infallibiliter tradendum quidquid in isto Officio continetur: imo hanc obligationem nescio, an ullus hoc tempore, te forte excepto, agnoscat. Exempla, quæ talem fidem impediant nimis multa occurrunt, & passim nota sunt, quædam etiam a nobis jam declarata.

117 *Connexorum* itaque *idem est judicium*; sed proportione servata connexionis, & materiæ seu ordinis. Hinc, licet metaphysice certo sequatur, Animal rationale est, ergo risibile est, quia proprietas metaphysica *connexionem* cum natura habet, etiam metaphysice inseparabilem; non tamen hoc ipso sequitur eadem certitudine, homo Belga est, ergo albus est. Sacerdos & religiosus est, ergo fidelis & verax. Cum enim connexio hæc mere accidentalis sit, & a subjecto separabilis, imo reipsa separari eam aliquando contingat, a veritate antecedentis ad veritatem consequentis deductio non potest esse infallibilis. Dico ergo, obligationem legendi Horas canonicas non esse essentialiter, sed tantum accidentaliter connexam, cum veritate singulorum, quæ in Horis canonicis continentur. Similiter approbatio, qua Sacra Rituum Congregatio declarat Officium aliquod ad libitum legi posse, vel etiam debere ex præcepto, non hoc ipso omnibus imponit præceptum credendi singula, quæ Officio illo continentur. Sic nemo dubitat, quin Confessarius pœnitenti imponere pro satisfactione possit lectionem libri Spiritualis vel Historici sacri, E. G. Vitas Sanctorum descriptas a Ribadineira, vel audiendam concionem sacram; licet non hoc ipso imponat ei præceptum credendi singula, quæ in libro continentur, vel dicentur in concione.

118 Illustrissimus Aubertus Episcopus Antuerpiensis, immediatus Illustrissimi D. Ferdinandi nostri Prædecessor, questus per litteras Cardinalibus fuerat, *Carmelitas dicere, scribere, & prædicare, per hujusmodi Officii Lectiones proprias*, quales habent festo B. Mariæ de Monte Carmelo, *sic affirmari traditiones suas, circa processionem Ordinis sui ab Elia Propheta, & nomen Fratrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, jam inde a temporibus Apostolorum eidem inditam, ut de eadem veritate amplius nequeat dubitari, absque injuria Congregationis, ipsiusque Apostolicæ Sedis.* Ad quod responsio liquida est P. Sebastiani. *Respondent Carmelitæ*, inquit, *Se hic nihil insolitum dicere, scribere, & prædicare.*

119 Ego vero, R. P. ex ejusmodi S. Congregationis approbationibus nullum sufficiens fundamentum deduci posse ostendi, quo cogamur singula Lectionibus Officii canonici contenta habere pro indubitatis. Atqui sine gravi & quodammodo patenti ratione, qualis hic non occurrit, non sunt multiplicanda in immensum præcepta seu positiva seu negativa, ut vos hic multiplicanda contenditis. Et quanti, obsecro, peccati reos statueris, quotquot de vestra ab Elia Propheta in veteri Testamento processione dubitaverint? Mortalis procul dubio; non enim res levis est de antiquitatis vestræ gloria ambigere: adeoque Absolutionis sacramentalis omnes illi incapaces sunt, qui de antiquitate tam mirabili & passim incredibili, vel minimum deinceps *dubitaverint*. Ecclesiæ igitur est fideles suos de tanti momenti, quod passim ignoratur, præcepto instruere: hoc nisi auctoritate majori declaretur, vereor, ut vestrum *dicere, scribere, prædicare* sufficiat.

120 *Hoc interim*, inquis, *certum videtur, Papebrochium nihil prorsus curare Sedis Apostolicæ auctoritatem.* Quæ objectio si quid responsi mereatur, absolvi istud deberet uno verbo, quamvis forte minus urbano. Criminationem probas iterata centies, & abunde refutata calumnia; quasi asseram, *bisteriat a Sede Apostolica*,

tes

eas approbante, nullum prorsus accipere robur, firmitatem, aut vel minimum punctum probabilitatis. Atqui expresse agebam de iis, quæ mere narrative, & nullo modo assertive, ac sine ulla Pontificis approbatione in ejus Bulla referuntur. Sic me cogis in omnibus Articulis easdem calumniat identidem refutare, ne Lector superiores responsiones, aut non legens, aut non reminiscens, putet hæc a me silentio, quasi tacita confessione agnosci. Sic, cum æquitate non potes, malis ubique artibus insidias mihi struis. Atque utinam citius periculum detexissem! non tantam famæ meæ labem, nec tamdiu impune intulisses. Ad *Joannem Bacbo*, quem vocas, *Doctorem Resolutum*, & similes, quos pro antiquitate vestra citas, nihil hic attinet respondere, ubi de sola agitur *Bullarum Pontificiarum* auctoritate,

§. XIII. & XIV.

ACCUSATIO.

Papebrochius negat, contra septem summorum Pontificum Bullas, Carmelitas Religionis suæ originem, & quasi hæreditariam a S. Propheta Elia trahere successionem, & præsumit, ausu prorsus erubescendo, contra summos Pontifices, Carmelitis tapere S. Eliam Prophetam, proprium institutorem; eisque obtrudere quemdam anonymum, plane inauditum, & a se confictum,

RESPONSIO.

JAm ad scommata Pseudo papebrochii respondi; quod nolim me operose opponere iis, qui volunt omnino sustinere, verum aliquem monasticum statum a S. Propheta Elia institutum fuisse; non etiam velle repugnare, quo minus omnes in Syria ac Palæstina Monachi, quos illuc advenientes Latini Cruciati invenerunt, dicantur illius instituti propago: Latinorum autem, qui Eremiticam vitam eodem tempore in Carmelo cœperunt ducere, *fundatorem* quoque agnosco *S. Prophetam Eliam*, & quidem immediatum, qui S. Bertholdo per visionem apparens, eum in vacuam pridem possessionem immiserit; hunc vero hæreditaria successione secuti sint ceteri Sancti vestrorum Carmelitarum Patres,

122 Hoc porro totum sumo (si solum nomen *Bertholdi* excipias) ex idoneo & nulla ex parte, nisi per meram contradicendi libidinem, inspectabili auctore; cui nulla cum Carmelitis contentio aut lis, nec ulla ejus adulandi falsisque laudibus ornandi causa fuit, sed breviter scripsit, quæ præsens vidit vel audivit de sacro monte ex novis incolis, plena reverentiæ atque honoris, ut supra vidimus. Ast bonus ille Græcus *Bertholdi* nomen, sibi barbarum, vel non curavit, vel non scivit memoria retinere: & intolerabile Accusatori videtur in eo legere indefinitum istud, *Quidam Monachus*. Hinc alibi quærit, quomodo ferret Societas, *Fundatorem* suum dici *Quemdam*.

123 Quam frivola querimonia quasi vero vox *Quidam* necessario vituperium [1] significet. Sed quidquid sit de imperita multitudine, quæ volumina nostra nec emit, nec legit; nemo vir sapiens terminum hunc universaliter accipiet tamquam contumeliosum. Circumstantiæ attendendæ sunt, in quibus quid pronuntiatur. Proferens nullo modo infensus est ei, quem nominat, sed in omnibus honorifice de eo loquitur: cur igitur vocem indifferentem interpretemur hic in partem deteriorem? Quod P. vestra ait de S. Ignatio; si quis, rerum ab eo in vita gestarum testis, laudabile de eo sub titulo *cujusdam Clerici* testimonium edidisset, non ægre ferremus ab eo vocatum *quemdam Clericum*. Censetne Matthæum Evangelistam injurium fuisse Josepho ab Arimathæa, quod de eo dixerit cap. 27. *Venit quidam homo dives?* aut injurium fuisse Lucam Zachariæ patri Joannis Baptistæ, cum de eo scripsit cap. 1. *Sacerdos quidam nomine Zacharias?* Neque *Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum*, litem tamquam de contumelia intentavit Evangelistæ, scribenti, *erat Regulus quidam*. Nihil Christo familiarius in parabolis, quam se vocare *hominem quemdam*, E. G. cum dixit: *Homo quidam fecit cœnam magnam: Homo quidam plantavit vineam. Homo quidam nobilis, Samaritanus quidam iter faciens* &c.

124 Cur igitur hæc offendunt novorum sub Bertholdo Carmeli incolarum successores tanta cum suorum commendatione, citra fucum scripta ab homine Græco, in quo nihil omnino, quod culpent, reperient, multum autem quo sibi gratulentur discere, quo speciali jure illi suum Fundatorem agnoverint, dixerintque Eliam, neque jam ipsis necesse esse altiores scrutari origines, ut veri *Eliani* vocentur & sint. Cur hic in Titulo accusas, quod ex isto testimonio *præsumis Papebrochius Carmelitis tapere S. Eliam Prophetam proprium Institutorem, eisque obtrudere quemdam Anonymum, plane inauditum & a se confictum*. Si Joannes Phocæ eum nominare nescivit, nominavit Papebrochius eumdem, quem vestri omnes Historici *Bertholdum*; &, si quid nunc dubitet, solum dubitat, an non sit vocandus *Brocardus*. Neutrum, si vultis agnoscere *proprium Institutorem*, sed titulum hunc relinquit *Eliæ*; relinquit, ut vultis, Joannes Phocæ; relinquit Papebrochius, neque confingit ex se alium pro illo; sed executorem Prophetici mandati nominat eundem, quem vos *primum Priorem*, studiose abstinens ab adscribendo eidem titulo *Fundatoris* vel *Institutoris*, cum id vobis displiciturum intelligat, & satis causæ habeat, cur eum titulum Eliæ relinquat. Hoc vero quo magis placeat Carmelitis, habent insuper in eodem testimonio *quasdam veluti Monasterii*, licet pridem diruti, *reliquias*; quas credere possint fuisse Monachorum, exemplo S. Hilarionis institutorum, qui fere usque ad ætatem S. Hieronymi in Carmelo habitaverint & non ultra: nam eadem ætate S. Hieronymi, mons sacer barbarorum latronum receptaculum factus, desiit frequentari a fidelibus. Si autem quæras, cujusmodi fuerint reliquiæ illæ, & an alterius quam Eliani monasterii? dicam, me nescire, neque id scire vel Bertholdum vel Joannem Phocæ potuisse, tot jam elapsis seculis: illis tamen, pro suo erga monachismum affectu, visas potius *reliquias Monasterii* qualiscumque, quam habitationis profanæ vel etiam idololatricæ, istic stantis, cum locum adivit Vespasianus

[1] *Quidam ex advocatis homo summa virtute præditus*. Cicero pro Cluentio.

nus Imp. per Aruspicem suum Basilidem inspectis extis sortes capturus, prout scriptores actorum ejus narrant.

125 Forte etiam non placet, quod verbum Καλαυρεδόθεν. Allatius verterit *ex Calabria*, cum Carmelitani scriptores *Bertholdum* velint credi *Lemovicensem* ex Gallia, idque per varias & incertas conjecturas, quas Henschenius expendit t. 3. Martii pag. 971. Patiar ego libens Calabriæ nomen, quæ prima occidentalium provinciarum occurrit ab Oriente navigantibus, latius sumi pro tota trans mare Europa; sicuti Hispani & Franci totum Belgium appellant Flandriam. Turcæ & Palæstini Latinos omnes vocant Francos, Belgæ Germanos quidquid trans Rhenum est nationum.

126 Pergis nihilominus, R. Pater, Amstelodamensem impressionem ex altero quoque capite suspectam habere, quod Typographus celeberrimus Joannes Bleau, libentius Catholicorum quam Acatholicorum libros assumere solitos (ex quo affectu etiam nostra Sanctorum Acta ambivit) more sibi in iis consueto libris, quos oportebat per Italiam & Hispaniam distrahi, Symmycta Allatiana, Augustino Chisio Romanæ juventutis principi dedicata, ediderit sub nomine *Kalkovii Coloniensis*. Multa in Patern. vestra dissimulare possum & soleo: sed quod alios arguere præsumas in eo, in quo ipse & tui Fratres, si culpa est, culpabiles estis quam qui maxime, sane nequeo tolerare. Tot libellis contra me famosis imprimendis ecquis typos suos commodavit, eisque ausus est verum suum nomen apponere? Vix unum alterumve invenimus: cæteri aliena aut assumpserunt, aut etiam nusquam invenienda finxerunt: sed latere non potuerunt, typis suis prodentibus ipsos, non valde invitos, aut non multum solicitos ut laterent.

127 An putat Patern. vestra, adeo hebetes esse bibliopolas nostrates, ut nequeant ex notis quibusdam characteristicis, & maxime ex ligneis figurarum cuique propriarum ornamentis, scire ex qua typographia libri singuli prodierint? *Libellus* tuus *supplex* dicit se impressum *Francofurti apud viduam Zubrodt*. Exhibitio errorum, *Coloniæ Agrippinæ apud Servatium Noethen*. Utrumque falsum est. Constat enim alibi impressos esse, & scitur ubi.

128 Quid vero dicam de supra memorato Hieronymo a Conceptione Carmelita Discalceato? Nonne is, desiderio melioris chartæ typique, suam historiam Gaditanam Amstelodamum misit, excudendam, *in ea typographia, quam administrat Joannes Buz*, pro domino suo, famoso, ac potenti ibidem Judæo Joseph Athias? Dignus scilicet erat liber, qui Judæo committeretur, cujus olim in Hispania contribulibus tantum laudis dabat, quantum nulli indigenarum; quasi in illorum gratiam S. Jacobus suscitarit mortuum quadriseciem, historiis inferendum cum vilipendio Christi, cujus laus summa sit quatriduanum Lazarum suscitasse: quæ omnia si non inducant auctorem historiæ prædictæ in suspicionem Judaismi, potest sane fictio, Catholicis tam peregrina, inducere in talem suspicionem illum, quem iste secutus est, primum totius fabulæ conditorem, plurima ejusmodi alia in gratiam Judæorum commentum, quæ vulgus ineruditorum temere credulum pro oraculis habet, & egregiis Christianæ religionis ornamentis, eruditioribus nequidquam refragantibus, quem enim non capiat istud elogium ex Dextro, Historiæ Gadis. pag. 148. *Hispania, prima provinciarum mundi, post Galilæam, Judæam, ac Samariam, in partibus Occidentalibus Christi fidem amplexa est?*

129 Pater Bonæ-spei his non contentus, quærit, si Monachus erat Bertholdus, cum venit in Syriam, cujus fuerit Ordinis, & cujus ii, quos sibi adscivit Socios. Respondeo non esse me Prophetam, nec filium Prophetæ. Plures tam in Lemovicibus, quam apud Calabros floruerunt seculo xii. Ordines Religiosi, & ex Guilielmo Tyrio atque Vitriaco scimus omnis generis illuc cum Episcopis & Principibus confluxisse. Ultimus eorum cap. 54. Hist. Orient. *De Ordinibus Cisterciensium & Præmonstratensium in locis idoneis Monasteria construxerunt, Multi autem ex his, qui desiderio sanctæ Terræ, de terra sua, & de cognatione sua, & de domibus patrum suorum exierunt: licet turba & tumultus hominum plerumque religioni sint impedimento, maluerunt tamen inter turbas populorum corporaliter habitare, quam a Sanctarum civitatum Hierusalem, Bethleem & Nazareth habitatione privari.*

130 Ex his ergo vel similibus fuerit Bertholdus. Socii autem ab eo in Carmelum allecti vitæ Eremiticæ ad Eliæ fontem desiderio, partim ex veteribus in Occidente ordinibus, partim ex piis & novum institutum amplexis laicis secularibus; quorum etiam varia loca, quæ ante & post regulam ab Alberto præscriptam novis Carmelitis, speciem aliquam Monasteriorum vel Eremitoriorum assumpserant, iisdem se aggregaverint, atque ita ordo eorum cito per Terram Sanctam fuerit vehementer propagatus. Magis verosimilia in rebus obscuris si ipsi suggerant, libenter amplectar; modo se cum Syro-Græcis schismaticis non misceant, quod debent, si sapiant, omni conatu fugere. Quoniam autem sustinere volunt, religiosos omnes Ordines, qui unquam in Ecclesia floruerunt, ex eo, quem Elias diu ante incarnationem instituerit, velut ramos ex una arbore processisse, habent modum, quo possint aliquanto religiosius atque tolerabilius opinari, per eorum Ordinum aliquem, ex quo Bertholdus prodiit, continuam se ab Elia successionem, independenter a Schismaticis istis habere.

131 His tamen omnibus non obstantibus, recusant Patres Carmelitæ suscipere Joannem Phocæ pro auctore irrefragibili, quia S. Bertholdo coævus fuit: nam si hoc, inquiunt, satis est, credenda Jesuitis etiam erit *origo Sacerdotum Societatis Jesu, a Collegio Montis-acuti*, qualem describit seu verus seu fictitius *Joannes Boulese Presbyter, Professor sacræ Hebraicæ linguæ & perpetuus Pauper Collegii Montis-acuti, in Historia triumphantis de Beelzebud Christi corporis*, an. 1566. impressa, & Gregorio XIII. inscripta an. 1578. Disparitas undequaque palpabilis est; quod Joannes Phocæ de suo *Monacho quodam* nihil indignum, nihil ex pravo animi affectu, nihil contradictorium, nihil aliunde testimonio ullius coævi scriptoris de falsitate suspectum scribat; tota autem Joannis Boulese de Societatis origine narratione nihil cogitari possit ineptius. Nam non tantum coævorum omnium de Societate scripto-

rum

rum testimonio convincitur de apertis mendaciis; sed ipsum se destruit, sibique vel io eadem periodo contradicit, adeo ut in paucis lineis, quibus institutionem Societatis narrat, affectum ubique perversum prodat, nec verbum quidem babeat verisimilitudinis.

532 Imo merito dubites, plurane verba, an notoria mendacia oratio tota contineat: sic eaim ait: *Mihi molestum est, quod inde duxerint originem, & id effecerunt, ut homines lateat: nam revera duxerunt suæ pietatis & doctrinæ originem in nostra hujusce Collegii Montis-acuti communitate Pauperum, a bono Patre nostro Standonck ... ex qua, ejus & statutorum causantes austeritatem, ægre ferentesque, ut dicebant, Fundatorum intentionem non servari, egressi sunt uno die quatuordecim primariæ pietatis & doctrinæ viri, Statuta & Bullam nostram secum ferentes, & hinc nomen Societatis triplici ratione acceperunt* &c.

533 Vide Lector calumniatoris ineptiam, Vocat *primariæ pietatis & doctrinæ viros*, quos simul describit ut seditiosos, disciplinæ impatientes, imo gravissimi furti reos. Constat primos Ignatii Socios, qui cum eo Societatem fundarunt, oon fuisse nisi novem: adeoque cum Ignstio decem: ex his *quatuordecim* facit hic Historicus. Quo die, quo mense, aut anno egressi communitate illa sint, oon meminit, neque quo appellati illi fuerint oomine: credo quia eum *Statutis & Bullis* omnia etiam Regesta & omnem oominum suorum memoriam abstulerunt. Sie *effecerunt, ut homines lateat, quod inde duxerint Originem*. Ut præteream, quod plerique e primis Sociis, non tam miseræ ante conversiooem fortunæ fuerint, E. G. Ignatius, Xaverius, Lainius, Bobadilla, Rodericius, Salmeron, ut domo pauperum opus habuerint: neque probatum hactenus inveniam, quod vel uous ex decem Sociis domum memoratam incoluerit. Quam parum verisimile est, quod neque communitatis illius Præses eos, apud Academicos vel alios judices, de tanto furto accusasset; nemo adversariorum, ad præfocanda Societatis initia, id Romæ adduxisset; nemo in processu Canonizationis SS. Ignatii & Xaverii objecisset.

534 Denique quam ridiculum est, omnes simul tam famosos oovi Ordinis, tam undique impugnati Institutores, simul in Universitate Parisiensi in uno Collegio habitasse, simul ex eo tamquam fures ablatis *Statutis & Bulla* fundationis profugisse, sic instituisse Societatem, sic Curiam Romanam & totum Orbem Christianum decepisse, *efficientes ut homines lateat, quod inde duxerint Originem*, tam scandalosam, tam infamem. Piget ejusmodi quisquiliis refutandis tam diu immorari; quas, uti & cæteras *novi Ismaelis*, vestri seu Fratris seu Advocati, ac similium Pasquioorum calumnias, oimio dignari honore est, earum vel meminisse.

535 Miseras profecto habet Eliana successio vindicias, si non alias habet quam tales. Undenam, a quibus, & qualem ortum habuerit Societas, non ex solis probamus Pontificum Constitutionibus aut Horis canonicis; innumera sunt coævorum testimonia, aliaque indobitata monumenta. Neque res hæc a parentum nostrorum temporibus tam remota est, ut io hac adeo sit mentiri facile, quam in Eliana Historia, multo plusquam mille annis post Eliæ raptum fabricata, circa religiosum Ordinem, qui tot seculis mediis nusquam comparuit, & ut aliquos semper habuisse videatur sectatores, arrogat sibi sanctos Patres fere omnes; atque adoptat quidquid olim fuit Monachorum & Eremitarum, etiam Mooachos Syro-Græcos Schismaticos, atque ipsos obi alii defecerint, Philosophos Ethnicos, *Pythagoram ejusque discipulos*.

536 Sed & longe alia est Joannis Phocæ & Boulesii ratio: io illius tota scriptione, per annos 20. a vobis examinata (nam & ego ipse aliquando vestris commendavi exemplar, quo noo segniter usi sunt) oihil hactenus potuistis invenire quod carperetur, &, ut dixi, nihil causæ habuit ipse Auctor, cur novos Carmeli incolas laudans, mentiri vellet: Boulesius vero, eo præcise scripsit tempore, quo gravissima contra Parisiense nostrum Collegium, propter apertas scholas, fervebat persecutio, ad veteres adversarios nostros, civitatis istius Parochos, jungentibus sese Academicis, & scholas nostras volentibus jurisdictioni suæ subjicere.

537 Hac occasione, ut antea sæpe, volitabant famosi contra oos libelli & schediasmata, collaborantibus haud segniter hæreticis tunc præpotentibus. Sed talibus a sui initio assueta Societas, & hodiedum probe exercitata, ad patientiam & silentium (quod nunc etiam a nobis, per tot libellos vestros provocatis præstitum, doluistis) libentius, quam ad Apologiam recurrebat; unde harum nullum vestigium extat io quatuor primis tomis Historiæ nostræ. Sed neque in Historia ipsius Collegii, quæ annuatim pertexitur ex more nostro, quidquam invenitur de fabula Boulesiana: & vel ex hoc liquet, omnino neglectam contemptamque fuisse, quippe quæ tot testibus revincebatur falsa, quot erant Parisiis, qui meminerant se primos nostros Patres istic studentes vidisse, & diversis in domibus habitantes.

538 Si litterarum cultus & posteritatis cura eadem priscis Carmeli sub Bertholdo Eremitis fuisset, quæ nostris fuit inter studia natis nutritisque, non esset eorum posteris tam curta monumentorum antiquorum supellex, ut ex Joaone Phocæ deberent discere quomodo cœperint, & quot numero fuerint Bertholdo socii. Primus ex vestris, qui aliquid in hoc argumento litteris consignavit (oam attributam S. Cyrillo epistolam ob rationes alibi indicatas non recipimus) fuit Guilielmus *de Sanvico*, vel *Sommtico*, cujus *Chronica de multiplicatione Religionis Carmelitarum, per Provincias Syriæ & Europæ, & de perditione Monasteriorum in terra Sancta*, scripta est post annum 1295. aut forte, integro sesquiseculo post aditum a Bertholdo Carmelum.

539 Chronica hæc digna nobis visa, quæ tota ioferereretur Historiæ Patriarch. Hierol. pag. LX. ante Tomum 3. Maii, cum propriis ad eamdem Annotatis; & Apologia pro eadem, quatenus asserit, quod primum anno 1237. deliberatum sit, an *res licita* foret extra Terram sanctam monasteria habere, sentientibus *nonnullis, nullas extra eam mansiones hujus Religionis habendas*; aliis, saltem Pontificem Romanum consulendum, *priusquam præsumerent Religionem suam quoad Monasteria notabiliter*

multi-

multiplicare. Tali deliberationi cum potuerit interfuisse ipse Sanvicus, aut saltem ex iis qui interfuerant audivisse, irrefragabilis ejus videtur auctoritas in iis, quæ circa migrationem scribit, contra prætensas nonnullorum in Europa Conventuum antiquitates.

140 Ast in iis, quæ Ordinis initium spectant, utpote tanto prius gestis, non eadem ipsi auctoritas est: quippe in illis patenter hallucinatus, ac nominatim in Legislatore Alberto, ubi ait, quod is *Anno Domini 1199. in Monte Carmeli .... Monasterium ædificavit, secundum formulam figuræ in Regula descriptæ*: quia ante annum 1306. non venit in Palæstinam Albertus, ut multum sit, si is anno 1309. Regulam dederit, & aliquid contulerit ad fabricam Monasterii. Error igitur manifestus est: qui si Sanvici ipsius est, ostendit exiguam, etiam isto seculo, rerum non admodum diu præteritarum notitiam apud Carmelitas extitisse: si ab interpolatrice manu ast, qualis fuit quæ ipsimet Regulæ annum falsum addidit, multo magis suspecta redduntur pauca illa verba initialia, quibus dicitur, quod *Religiosi Carmelitæ .... anno Domini 630. ... compulsi fuerunt mansiones, quas in urbibus habebant dimittere, & solum in monte Carmeli & in quibusdam aliis terræ sanctæ solitudinibus residere*.

141 Interim iidem, qui non alii quam Syro-Græci potuerunt fuisse, denique in pertinax schisma collapsi, debuissent juxta Sanvicum in illa sua paucitate mansisse, donec post recuperatam a Latinis Hierusalem, multi ex peregrinis in Palæstina vitam eremiticam susciperent, *sequentes vestigia sanctorum Patrum hujus Religionis, videlicet B. Joannis Baptistæ & filiorum Prophetarum*. Ubi tamen nihil dicitur de perpetua illa & indeficienti successione ab Elia, quam τὸ *sequi vestigia* nullo modo importat; & multo minus importet religiosa vota in veteri Testamento, aut Monachos in Palæstina ante S. Hilarionem; aut denique vivendi formam & regulam habitumque ab inventis in Carmelo Syro-Græcis traditum Bertholdo ac Sociis. Unde apparet, tam vestras hodiernorum Carmelitarum prætensiones, in Europa primum natas esse, cum ipsimet jam fere nescirent, quomodo in Terra sancta ad fontem Eliæ majores sui fuissent exorti.

§. XV. ACCUSATIO.

Papebrochius Bullam Joannis XXII. Sabbatinam, a pluribus Pontificibus confirmatam, cum Launoyo, ab Ecclesia damnato, asserit esse nullius fidei.

RESPONSIO.

JOannem Launnoy, Doctorem Parisiensem, inter opuscula, plura quam septuaginta, etiam aliquid scripsisse de *Sabbatinæ Bullæ privilegio*, scivi equidem, ejusque dissertationes quinque eo spectantes habui, impressas anno 1653. Vociferaris eas damnatas fuisse anno 1690. 29. Maji; sed cur non addis, damnatas tantum fuisse annis omnino quinque post aditum e me, qui accusatur, *Conatum*? Nec tamen inde sequitur, ejus de Bulla Sabbatina sententiam damnatam esse, quamvis vi talis Decreti appelletur Launoyus a Patern. vestra, non solum, *damnatus ab Ecclesia*, sed passim etiam *Infamis*.

143 Quid autem *P. Theophilus Raynaudus*, toties a vobis laudatus, dignusque etiam habitus, quem totus per Europam Ordo Officio funebri prosequeretur mortuum an. 1663. Audit is in libris vestris *Celeberrimus Societatis Jesu scriptor*; revera id esse non desiisset, etiamsi tria ejus opuscula, olim a sacra Congregatione Indicis prohibita vel suspensa, magnoque plurium annorum molimina defensa ab ipso adhuc vivente, sub aliqua emendatione non fuissent permissa recudi anno 1659.

144 Sed ab omni labe apud vos immunis est Raynaudus, quia scripsit librum, quem habemus sub hoc titulo: *Scapulare Partheno-Carmeliticum, propugnatum & defensum*. Verum nostin' etiam quid de libro isto, vestræ fidei commisso, questus sit Auctor? Docebo id ego Patern. Tuam ex ipsius Syntagmate de libris propriis, rejecto illo quidem inprimis, quia multa illic sunt quæ nollet Societas vulgata; vel ex eo tamen, quod Societatis censuræ exposita non fuerint, atque adeo manserint incorrecta tanto certius mentem Auctoris exprimere deprehenduntur. Hinc ergo accipe descriptum ex autographo §. 72. sub hoc titulo *Scapulare Stochianum illustratum & defensum*. *Hoc*, inquit, *opusculum quale Parisiis e meo manuscripto prodiit anno 1654. apud Antonium de Padelon abjudico tamquam spurium & alienum. Irruit enim in illud Leo, a quo misere deformatum est, ne dicam discerptum & dilaceratum. Recisa plerisque locis, me inconsulto, multa, addita ex mente interpolatoris alia, quæ plane improbo. Titulus ipse libri (ut ab ipso limine fieret perversionis exordium) immutatus est. Hiat passim oratio ob prætermissionem vel recisionem unius aut alterius voculæ. Menda ubique densa. Sic rependitur gratia?*

145 Hactenus Raynaudus, tantopere a vobis prædicatus. De Bulla autem Joannis XXII. adscripta quod sensi alias, iterum dico, nec ad hoc egere Magistro Launoyo, cum mihi res per se clara videatur; ut autem talis etiam videatur omnibus, vel ipsius Bullæ controversæ textum legere sufficiet, sicut illa ex Genuensi & Messanensi apographis, tamquam vetustioribus & probatioribus inter se collatis, sumpta, legitur tomo 1. Speculi novi anno 1680. Antverpiæ excusi pag. 549.

146 *Joannes Episcopus, servus servorum Dei, universis & singulis Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Sacratissimo uti culmine paradisi, Angelorum tam suavis & dulcis reperitur melodia, modulamine visionis, dum paterno Jesus numini conspicitur adhumanatus; dicendo Domine: Ego & Pater unum sumus; &, Qui videt me, & meum videt Patrem: & Angelorum non desinit chorus dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus: ita Synodus non cessat laudes effundere celsæ Virgini, dicendo: Virgo, Virgo, Virgo, sis speculum nostrum pariter & exemplum (quoniam munere muniur gratiarum, sicut sancta cantat Ecclesia; Maria, gratia plena & Mater misericordiæ) sit iste illo mons reputatus de Carmelo Ordine cantibus extollendo, & hanc gratiarum Genitricem commendando, & dicendo, Salve Regina, Mater misericordiæ, & spes nostra,

147 *Sic mihi flexis genibus supplicanti Virgo visa fuit Carmelita, sequentem effata sermonem; O Joannes, o Jasmes, Vicarie mei dilecti Filii, veluti a tuo te eripiam adversario, te Papam, facio solemni dono Vicarium, meis coadiuvantibus supplicationibus; a dulcissimo meo Filio petitus, quod gratiose obtinui, ita gratiam & amplam meo sancto ac devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeas præconcedera, per Eliam & Eliseum in monte Carmeli inchoato, quod unusquisque professionem faciens, Regulam a meo servo Alberto, Patriarcha ordinatam observabit, & inviolatam obtinebit, & per meum dilectum Filium Innocentium approbatam, ut veri mei Filii Vicarium debeas in terris assentire, quod in cœlis meus statuit semel & ordinavit Filius: quod qui in sancta perseverabit obedientia, paupertate, & castitate, vel qui sanctum intrabit Ordinem, salvabitur: &, si alii devotionis causa in sanctam ingrediantur Religionem, sancti Habitus signum ferentes, appellantes se Confratres & Consorores mei Ordinis prænominati, liberentur & absolvantur tertia eorum peccatorum portione; a die, quo præfatum Ordinem intrabunt, castitatem, si vidua est, promittenda: Virginitatis, si est Virgo, fidem præstando; si est conjugata, inviolati conservationem matrimonii adhibendo, ut sancta Mater imperat Ecclesia.*

148 *Fratres professi dicti Ordinis supplicio solvantur & culpa, & die quo ipsi seculo recedunt ab isto, perpetrato gradu accelerandum Purgatorium; ego Mater gratiose descendam Sabbato post eorum obitum; & quos inveniam in Purgatorio liberabo, & eos in montem sanctum vitæ æternæ reducam. Verum quod isti Confratres & Consorores teneantur Horas dicere Canonicales, ut opus fuerit, secundum Regulam datam ab Alberto; illi, qui ignari sunt, debeant vitam jejunam ducere in diebus, quos sacra jubet Ecclesia, nisi necessitatis causa alicui essent traditi impedimento, Mercurio & Sabbato debeant se a carnibus abstinere, præter quam in mei Filii nativitate. Et hoc dicta evanuit hæc sancta visio.*

159 *Istam ergo sanctam Indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo: sicut propter merita Virginis Matris gratiose Jesus Christus concessit in cælis. Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ Indulgentiæ seu statuti, & Ordinationis, irritare, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Avenione 3. die Martii, Pontificatus nostri anno sexto, qui esset annus Christi 1322.*

150 Pater Daniel a Virgine Maria, novi Speculi compilator, Bulla sic relata: *Animadvertendum*, inquit, *Bullæ hujus stylum videri aliquanto insolitum, ut conveniat subjecto insolito, ac simplicem, ut conveniat consuetudini Sanctorum & piorum, revelationes aut pias affectus consulta describentium simplici sermone, qualis etiam plerumque est in ipsis sacris litteris*. Insolitum agnoscunt, quotquot Joannis Stylum ex Epistolis ejus noverunt. Si dicas in Epistolis Stylum esse Secretariorum, in hac Bulla proprium Joannis; quam quæso idoneam reddet rationem, cur in hac, ad omnes Christi fideles expedienda, rem tam incongruam præter Curiæ praxim ipse voluerit, & sua manu exarare.

151 Simplicitatem styli, qualem excusat P. Daniel, nullam hic video; nisi barbariem & solœcismos, quibus Bulla abundat, ac veluti studio quæsitam obscuritatem, placeat vocare simplicitatem; turgidum alioqui grandibus, sed male ornatis phrasibus exordium, nihil minus refert, quam quem R. P. Daniel hic nititur invenire, styli familiaris candorem; quo ut simplici usus fuisset Pontifex, non fuisset tamen usus barbaro, ipse tam bene litteratus.

152 Non vacat (1) mihi nunc deducere minutim singola, quibus suppositionem moraliter certam ostendere non sit difficile, quæque ut lævi manu excutiat Raynaudus, non tamen satisfacit æqui lectoris animo, etiam apud ipsum solum ea legenti. Nam quid est hoc, quod, assumpto communi & Carmelitis usitatissimo loco, contra vim argumenti negativi, veniens ad objectos sibi ab adversario auctores, Carmelitas coævos, nihil de tali Bulla locutos pag. 203. recurrat ad *toties sugillatam Carmelitarum indiligentiam?* quasi hæc esse potuerit in re tanti momenti, & non unius alteriusve, sed universim communis omnium. Liceat ergo hic mihi suæ Sanctitati & sacræ Congregationi recognoscendum exhibere Syllabum eorum Auctorum, qui Sabbatinæ Bullæ debuissent, si potuissent, meminisse.

153 Philippus Ribotus, Provincialis Cataluniæ anno circiter 1340. *de institutione & peculiaribus gestis Carmelitarum libros decem* scripsit. Joannes Chimetensis sub idem tempus composuit duos libros, videlicet *Speculum historiale declarans declarativum status Fratrum Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo: &, Speculum Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo*. Generalis quidam hactenus anonymus, lucubrando edidit *Opusculum sive tractatus de tribus articulis, de successione, institulatione & confirmatione Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo*. Vetus quoque est *Compendium historiæ & jurium pro defensione institutionis & Ordinationis Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo*, & in istis sunt, lex omnino privilegia, a Joanne XXII. Ordini concessa, quorum unum est ann. 6. Pontificatus, ejusdem nempe quo data prætenditur Bulla controversa .... Cantabrigiensis Academia Decretum edidit an. 1374. super *Origine, titulo, & confirmatione Ordinis Carmelitici*. Joannes Grossus, pro defensione etiam Ordinis librum suum *Viridarium* scripsit circa annum 1400. Omnes autem sunt impressi Venetiis anno 1507. Denique Thomas Waldensis, supra laudatus, Angliæ Provincialis, in libro de Sacramentalibus tit. 9. cap. 92. agit ex professo *de Religiosorum vestibus*: tit. 10. cap. 93. *De suffragiorum Ordinis participatione*: & nemo omnium Bulla meminit.

154 Horum sic enumeratorum librorum argumenta consideranti, prorsus talia apparent, ut locum in iis habere non potuerit solum, sed etiam debuerit Bulla Sabbatina, si extabat; non poterat autem non extare, si erat in Conventibus singulis: non est opus Launoyo doctore, ut cum Melchiore Cano Art. 2. n. 22. supra, concludat & dicat: *Habet hic scriptores omnes* Carmeliticos *ejus ætatis, qui tacuerunt* de Bulla ista; *non omissuri, si scivissent; scituri autem, si fuisset.*

(1) Natalis Alexander tom. 8. pag. 548. Luc. edit. plura & ipse affert indicia, quæ suppositititiam hanc Bullam arguunt.

155 Non est quidem vis negativi argumenti eadem [1] ubique; sed pro diversis circumstantiis in aliis prægnans & valida, in aliis straminea & nulla; quas circumstantias qui non distinguunt, uti subinde non satis distinguit Launoyus, peccant contra illa ex eo loco argumentandi principia, quæ iste postea exposuit, egregio opusculo *de auctoritate negantis argumenti*, sub annum 1662. edito, nec unquam censurato aut refutato a quoquam. Ista autem auctoritate, uti jure suo postulat, hic admissa, revalescunt pleraque argumentorum, quibus Bullæ Sabbatinæ authentia impugnatur. Imprimis id quod sumitur ex magna textuum, nusquam uniformiter transcriptorum, diversitate.

156 Elucet hæc diversitas maxime in longe prolixiori quam hic dedimus contextu apud Alegrium de Casanate, cujus Paradisum Carmelitici decoris, licet non sciatur sacra Congregatio proscripsisse propter fraudem in Bulla Sabbatina interpolanda, lævigandoque ejus stylo commissam (proscriptum enim Raynaudus ait pagina 175. *propter farragines ineptiarum, in allegandis ad Ordinem suum variis Sanctis*) confirmat tamen suspicionem de facilitate quorumdam Carmeliticorum, ad falsificandas etiam Bullas, quas tamen protestantur genuinas se dare. Ita Saracenus in Menologio Carmelitano pollicetur *Sanctorum originaria, e genuinis fontibus robusta & constanti fide, proprio recudere stylo, apocryphis omnino exulare jussis*: quibus tamen vel aliunde acceptis, vel a se excogitatis liberaliter eum indulsisse apparuit in Vitis S. Petri Thomæ & B. Alberti Legislatoris; quæ, nisi ipsas Carmelitis ob oculos posuissem originarias, a coævis auctoribus sincerissime descriptas, & oppositas Saraceni figmentis, fidem hæc etiamnum apud illos obtinerent.

157 Nonnulli, ut excusent diversitatem Datæ, sub Bulla Sabbatina notatæ (sunt enim ecgrapha, *annum primum Pontificatus* notantia, qui fuisset Christi 1317.) præsumunt, bis promulgatam a Joanne Bullam; qua ratione etiam excusari posset diversitas textuum. Sed hæc aliaque minoris momenti discutiant alii: unum addiderim, frustra prætextus quæri, per quos originalia Bulla Joannis credatur in Anglia periisse, postquam Gabriel Cossartius noster certos nos fecit, tomo XI. Conciliorum Labbei parte 2. colum. 1643. & seqq. adhuc haberi Regestum integrum Bullarum Joannis, fere ducentarum, in quarum argumentis, istic propositis, cum cujusque initio nihil ejusmodi videre sit.

158 Sed quid ad Bullam *Alexandri Papæ*, quibusdam *Tertii*, aliis *Quarti*, sed plerisque, & melius *Quinti* dicti, ipsam Sabbatinam totam transcribentis & inserentis Bullæ suæ? Ipsam videamus ex novo speculo Carmelitano parte 1. num. 2162. & seqq. *Alexander Episcopus, servus servorum Dei, &c. ... tenore cujusdam privilegii, a fel. record. Joannis vigesimi secundi Prædecessoris nostri, dilectis filiis Priori Generali & Fratribus & dilectis in Christo filiabus, Sororibus, Confratribus & Confratriis Fratrum dicti Ordinis Carmelitarum concessi, per nos visi & diligenter inspecti, de dicto Originali sumpto* (lege *sumpti*), *ut de ipso in posterum certitudo plenior habeatur, præsentes fecimus annotari, qui talis est: Joannes Episcopus* &c.

159 Hic ponitur textus Bullæ supra relatæ, quo prætermisso, juvat ipsum Alexandrinæ Bullæ exordium notare scribentium vel transcribentium perplexitatem, dum ponitur, *dicti Ordinis, &, dicto originali*, quæ verba debuerunt festinantibus excidisse, sic ut legendum fuerit, *cujusdam Privilegii originalis*, & infra, *Priori Generali Ordinis Fratrum Carmelitarum*: sic enim postea apte sequitur, *dicti*, & *dicto*, intelligetur autem ipsa Originalis Bulla Joannis XXII. Alexandro V. visa & inspecta fuisse. Sed ubi? Hoc indicat Data sic descripta: *Datum Romæ 7. Decembris, apud sanctam Mariam Majorem, Pontificatus nostri anno primo*.

160 Atqui electus fuit Alexander V. in Concilio Pisano die 26. Junii 1409. mortuus Bononiæ 1410. 3. Maii, quo brevi tempore (quantum ex historicis tunc scribentibus scire possumus) Romam ipse vidit numquam, multo minus istic fuit die 7. *Decembris*, ejus, quo creatus est anni, Lucas Waddingus, post tomum 5. Annalium Minoriticorum, ex Regesto Vaticano producit Pontificis prænominati Brevia omnino decem, omnia data Pisis; quorum ultimum signatur x. *Kalend. Nov.* Inde profectum Bononiam scribit auctor Brevis vitæ, a me editæ ex Ms. parte 2. Conatus p. 108. Raynaudus quidem contendit eum prius excurrisse Romam; cum ejus obedientiam Urbs suscepisset, excusso jugo Ladislai Regis Hungariæ & Neapolis, licet ad brevissimum tempus, allegatque *Diploma, datum Romæ ad sanctos XII. Apostolos, Kal. Dec. quod penes se habet Fr. Joannes Jacobus Ordinis S. Augustini, inserendum suæ Historiæ Provinciæ Salynm*. Sed mallem integrum produxisset, una cum argumentis, quibus credat Alexandri V. ipsum esse: neque enim nominis Pontificii numerus solebat omnini ipsi adjungi, uti neque hic fit in Bulla, de qua agimus.

161 Fesajus, Aquensis Theologus Carmelita, in suo, quod mihi ad manum non est, de Privilegiis Scapularis ingenti contra Launoyum opere, & ab ipso Launoyo citatur 164. allegat aliam, *datam Pistorii* (qua scilicet Pisis Bononiam transitus erat) v. *Idus Dec.* id est die nona: & tamen juxta Datam prætensæ Bullæ, fuisset Romæ *die septima* mensis ejusdem ac Roma Pistorium redivisset, unum tantum diem moratus in via. Atqui, iter Roma Pistorium est centum quinquaginta milliarium Italicorum, id est, leucarum Belgicarum plurium quam quinquaginta, & quidem montibus non raris impeditum, ut nisi alas habuerit Pontifex, conciliari hæc nequiquam possint.

162 Credamne Raynaudum hoc non vidisse? an dissimulasse nodum, sibi prorsus insolubilem? Quas ex Cheroneo adducit auctoritates cujusdam Jacobi Elprinchardi in Vita Ruperti Imp. quod *novus Papa, post multam ultro citroque negotiationem, Romæ fuit receptus*, &

[1] Videndus omnino de vi negantis argumenti Benedictus XIV. in præstantissimo opere de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione l. 3. c. 10. num. 5. Patavinæ editionis.

& Myeri in Annalibus Flandriæ, quod eum *Ledislaus Rex Apuliæ Urbe exclusit*; quis, nisi præoccupatus, judicabit *de receptione & exclusione personali* ac physica intelligendum necessario esse, in tanta rerum temporumque angustia? cum utrumque sine incommodo videatur posse & debere intelligi, de receptione & exclusione morali.

163 Citat etiam Raynaudus Cochlæum, quasi is lib. 1. Hist. Hussitarum dicat, quod *Alexander Romæ admisit Hussi citationem, & contra eum rescripsit*. Cur non ipsa Cochlæi verba dat & rescriptum Alexandri? Nam paucis illis diebus, quibus Romæ fuit Alexander (si tamen fuit) non crediderim ejusmodi negotiis multum ei temporis fuisse, nedum cognoscendæ accuratius Bullæ, quæ Joannis XXII. esse dicebatur: & in tali casu, valere hic deberet, quod de Pontificibus, oblatas sibi Indulgentias confirmantibus, in genere dictum est supra; multoque magis de aliis aliorum Pontificum sequentium Bullis, eodem spectantibus. Has tamen ne inutiles esse dicas, nisi sua Sabbatinæ Bullæ constet authentia: efficiunt enim id, quod potissimum intendebatur, ut Carmelitæ absque scrupulo prædicare possint, ac dicere, sicut habet Lectio VI. in Commemoratione solemni B. M. Virginis de Monte Carmelo, quod ipsa *filios, in Societatem Scapularis relatos, qui abstinentiam modicam precesque paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno plane affectu, dum igne purgatorio expiantur, solari, ac in cælestem patriam, obtentu sua, quantocius pie creditur afferre*.

164 Neque periculum est, ne talia prædicantem Sorbona cogat revocare, sicut ab eadem coactus anno 1624. die 23. Novembris *Frater Petrus Arcis* ad Doctoratum *præsentatus Carmelita*, inter *multa*, *quæ* suis *in Thesibus, quorumdam auctorum lectione deceptus, inconsiderate nimis & imprudenter se scripsisse* fatetur, solemniter revocat suam hanc Propositionem. *Beata Virgo imperium .... spirituale in animas demonstravit, cum ... pollicita est morientibus in habitu Carmelitarum ex purgatoriis flammis ereptionem*. Talia aliaque, ideotidem pro concione inculcata, sacri Scapularis devotionem non promovent, sed elevant: ac subinde (quod dolemus) exponunt contemptui; certe magis eidem apud sapientes æque ac insipientes nocent, quam modesta disquisitio de veritate Bullæ Sabbatinæ.

165 Porro ad vanam pompam, non autem ad probationem facit authenticum ecgraphum prætensæ Alexandrinæ, factum Agrigenti in Sicilia anno 1430. includens aliam authenticationem priorem, factam anno 1421. Majoricæ, renovatum etiam Genuæ anno 1668. & Atverpiæ anno 1671. Chartam ista implent, non fidem earum, de quibus hactenus tanto jure controvertitur, Bullarum *Joannis XXII. & Alexandri V.* Interim nota, in his omnibus per tot testes signatis apographis, & tanto cum apparatu productis in Speculo semper nominari *Alexandrum quartum*, cujus obitus, annis 55. electionem Joannis XXII. præcessit, multoque magis hunc præcessit *Tertius*, totidem annis quarto senior: sed quin Romæ vixerint obierintque dubitare nemo potest.

166 Judicium modo non diffugio Apostolicæ Sedis, & cujuslibet æqui lectoris, meritone hic iterum in me Patern. vestra debacchetur, & jure vocet *Novatorem*, *reum læsæ Majestatis Pontificiæ, nec non insolentem ac impudentem Vicarii Dei contemptorem*, ideo, quia suspecta mihi est Bulla vulgo Sabbatina, superius relata, quæ a Joannis XXII. cultiore stylo & ordinaria Pontificiarum Bullarum majestate ac scriptionis norma, tam aliena est, ut sola sui lectione, sine ullis notis, suspicionem minime levem movere nata sit. Quid autem consideranti Regestum integrum Bullarum Joannis XXII. complectens Bullas fere ducentas, in quo hæc sola scilicet desideretur? Jubena interim nos PP. Carmelitæ captivare intellectum, ut credamus originalem Bullam sibi traditam, a se avectam in Angliam, illic periisse. Prætereo variationem datæ, textuum mutationem, & alia ejusmodi.

167 Hæc omnia simul sumpta ne minimam quidem dubitationem movere possent circa Bullæ Sabbatinæ a Joanne XXII. originem, nisi *insolens & impudens*, juxta Patern. vestram, haberi quis malit, *Vicarii Dei contemptor*, & *reus læsæ Majestatis Pontificiæ*, non tantum Joannis XXII. sed etiam Alexandri V. Hic enim, non Alexander quartus, plusquam medio seculo præmortuus Joanni XXII. Romæ, ubi verisimiliter numquam fuit, Bullam Sabbatinam confirmaverit; vel potius, juxta Confirmationis exemplaria, a vobis tamquam legitima ubique jactata, & variis temporibus authenticata, Bullam illam confirmaverit. Frustra etiam quæramus Bullam hanc Alexandrinam, prioris confirmatoriam, nam ut ait Patern. vestra, *R. P. Alphonsus de Theranno secum in Angliam asportavit originalem Alexandri Bullam una cum originali Bulla Sabbatina* Joannis XXII. atque ibi utraque, nescio quo infortunio, periit. Credite posteri.

168 Hactenus de veritate historica utriusque Bullæ, quarum tamen Indulgentias, utpote a successoribus Pontificibus confirmatas, non impugno; nam licet subsequentium Pontificum Bullæ factis particularibus veritatem non tribuant, Indulgentiis tamen etiam suppositiis valorem indere possunt, cum primo eas possint concedere.

EXHIBITIONIS ERRORUM
ARTICULUS QUARTUS.

ACCUSATIO PRŒMIALIS.

Exhibentur ea, quæ Papebrochius inter Acta Sanctorum habet contra Summorum Pontificum Decreta.

RESPONSIO.

Dum singula circa Pontifices, eorumque Bullas mihi objecta discusseram, dilueramque tam accurate, non expectabam novas rursus accusationes circa Decreta. Verum Accusator, ut est S. Theologiæ Professor emeritus, acutius novit Decreta a Bullis distinguere, & consequenter accusationes. Videamus itaque, quid proferat novi.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius videtur in multis contravenisse Decreto, seu Instructioni Clementis VIII. ad Regulas Indicis librorum prohibitorum.

RESPONSIO.

Nolim tecum contendere de Instructione Pontificia, eamdemne vim habeat, quam Decretum. Hoc obligare fideles, satis certum est. An æque semper obstringit Instructio? Nemo certe obstringi se credit ad ponendum annum impressionis *in fine libri*, postquam semel positus est *in principio*; quamvis Clementis VIII. Instructio, a te citata, expresse moneat *annotandum annum in principio & in fine*. Demus tamen Instructionem semper & in omnibus apicibus obligare, neque hanc Clementinam differre a Decreto; hoc enim tibi, Reverende Pater, necessarium est, ne accusatio frivola appareat, & Titulo generali de Summorum Pontificum Decretis parum conveniens.

2 Quid modo? *Clemens VIII.* (inquis) *in sua Instructione decernit, quænam in posterum in libris impressis & imprimendis sint expungenda & corrigenda: inter cætera de correctione librorum* §. 2. *decernit, nullatenus in libris esse tolerandas* „ propositiones, hæresim sapientes, „ scandalosas, piarum aurium offensivas, ac te„ merarias: *Item* quæ legentium animos a recto „ catholicoque sensu ad nefarias opiniones ad„ ducere possint. *An autem similes propositiones non habeat Papebrochius, ex dicendis judicabit S. Sedes.*

3 Respondeo, judicium istud a me nequaquam recusari; sed vel ultro appellari adversus qualescumque tuas, vel aliorum censuras. Verum, quidni pariter accusas me, quod peccaverim contra legem naturæ? Hæc enim omnibus evidenter dictat, *nullatenus in libris esse tolerandas propositiones, hæresim sapientes, scandalosas*, & alias quascumque in Clementina Instructione superius nominatas. Sed quænam in libris meis propositiones sunt *hæresim sapientes, scandalosa* &c.?

4 *In primis* (inquis) *Fermosinus dicit* „ Con„ stantini donatio Ecclesiæ facta valuit; & aliud „ asserere non est procul ab hæresi; & gravius „ est dicere nunquam factam fuisse. *Papebrochius autem, cum Luthero aliisque hæreticis, donationem illam reprobans, vocat illam* „ fictitiam, puden„ dam, suppositittiam, commentitiam, confi„ ctam, *ita ut dictum est Art.* 2. §. 4. *& dicetur Art.* 15. §. 24. *An autem, & quam procul sit ab hæresi, donationem illam tam insolenter & effrenate censurare, judicet S. Sedes.*

5 Respondeo. *Constantini donationem Ecclesiæ factam fuisse & valuisse* teneo: neque oppositum unquam asserui; imo nec dubitavi, quin ea donatio & insignis valde & multiplex fuerit, legitimisque tabulis consignata: existimo tamen sine temeritate disputari & dubitari, utrum diploma vulgo *Edictum Constantini* appellatum, donationem quamdam continens sic certæ fidei instrumentum, cum gravibus de causis rejiciatur a Cardinale Baronio, tamquam *a Græcis depravatum*, improbeturque a S. Antonino, Cardinali Cusano, Morino, aliisque apud Cantelium, & quidem a Cantelio afficiatur plerisque censuris, quas ais a me inustas fuisse in Propylæo parte 1. Conatus pag. 123. Ceterum totam de Constantini donatione accusationem abunde refutatam habes Lector art. 2. §. 4. An Censura Fermosini in rigore Theologico vera sit, cum contra me minime faciat, non est cur discutiam. Audiamus accusationem secundam.

6 *Bordonus* (inquis) *Tom.* 1. *cap.* 41. *num.* 38. *asserit, propositiones negative oppositas illis*, „ quæ in Missali, Breviario atque Conciliis ex„ primuntur, extra materiam fidei & S. Scriptu„ ræ, sapere hæresim. Ut videas, R. Pater, me nihil velle dissimulare, referam sententiam Bordoni integram. *Propositio* (inquit) *sapiens fidem, est illa, quæ non est revelata, neque deducta formaliter ex revelatis; sed recepta communiter ab Ecclesia, ut:* „ Maria Virgo assumpta „ est in cælum: Est immunis a peccato originali; „ Abstinendum est ab esu carnium & lacticinio„ rum in Quadragesima. *Hæ & similes non sunt revelatæ, non sunt deductæ, sed Ecclesia eas amplectitur uti Catholicas: quarum negativæ sapiunt hæresim. Hujus generis sunt omnes, quæ in Missali, & Breviario, atque in Conciliis exprimuntur, extra materiam fidei & S. Scripturæ.* Hactenus Bordonus, cujus, utpote privati Theologi auctoritas, non est irrefragabilis.

8 Ejus itaque pace & tua, P. Professor, dico 1. Nullam propositionem sapere fidem, nisi aliquam cum revelatione divina connexionem habeat, sicut nulla propositio fidei est, nisi sit vel explicite, vel saltem implicite revelata, & quidem formaliter; adeo ut virtualiter tantum revelatam esse non sufficiat, virtuali revelatione solum fundante assensum Theologicum.

9 Dico secundo. Nulla propositio, in rigore & proprie est *sapiens hæresim*, nisi propositioni fidem sapienti contradicat. Assertio hæc apparet evidens ex terminis. Neque displicet, quod

apud

apud Bordoum loco citato dicant Suarez, Lorca, Palaus, quod *propositio hæresim sapiens sit ea, quæ non per evidentem consequentiam, sed per probabilissimas consequentias moraliter certas, objecto fidei contradicit*. Nunc Tibi, P. Professor, vel etiam Bordono probandum relinquo, quod hoc ipso, quo aliquid negatur, quod *in Missali* vel aliquo *Concilio exprimitur*, *contradicatur objecto fidei*. Aveo videre *probabilissimas consequentias, & moraliter certas*, quibus *contradictio* ostendatur. Si de quæstionibus dogmaticis sermo esset, non refragarer: verum factis quibuscumque particularibus, solum quia *in Breviario*, vel *in Missali*, vel *in Concilio* aliquo referuntur, tantam tribuere auctoritatem, ut eis sine hæresis suspicione contradicere quis nequeat, quamtumvis multis nixus rationibus, auctoribusque gravissimis & apud omnes catholicissimis, hoc mihi, fateor, apparet tam a ratione alienum, quam quod maxime.

10 Audesne etiam cum Bordono doctrinam Thomistarum, Immaculatæ Conceptioni oppositam, censurare tamquam quæ sapiat hæresim? Atqui tam graviter eam censurari vetuit Sixtus IV. & Alexander VII. neque dubitant Thomistæ, quin fuerit doctrina Angelici Doctoris. Et tamen non omnia facta particularia, quæ sive in Breviario, sive in Concilio aliquo continentur, tot tantisque credibilitatis signis firmata reperiuntur, quot & quantis Immaculata B. Virginis Conceptio. Quare autem, citans Bordonum de *propositionibus expressis in Missali, Breviario, & Conciliis*, omisisti particulam, *omnes*? Verebaris scilicet, ne hoc tempore apud admodum paucos tibi similes fidem invenisset hæc assertio, tam aperte universalis. Denique in eo fallitur Bordonus, quod putet Ecclesiam eas omnes propositiones *amplecti ut catholicas*; nam *catholicum*, apud me & Theologos passim, imo & grammaticos, idem significat quod *universale*. Putasne autem, *universæ Ecclesiæ* certum & indubitatum apparere, quidquid forte de antiquitate vestra Eliana & Enochiana aliisque controversis, in aliqua Officii canonici lectione recitatur? Rationes dubitandæ variæ superius allatæ sunt, quas, te semper eadem accusationis capita ad nauseam repetente, non lubet mihi toties scribendo, uti nec Lectori toties legendo iterare.

11 Ne tamen quidquam a me prætermissum queraris, videamus quid objicias ex Sinnichio. *Hic*, inquis, *S. T. Doctor in suo Saule ex-Rege Lib. 1. cap. 68. §. 074. dicit*: „ Quis „ enim Catholicus in dubium revocet veteres ac „ novas Sanctorum historias ab Ecclesia approbatas & Ecclesiastico Officio authentice in„ sertas? *quod passim tamen audet Papebrochius, ut me pudeat exorbitantias ejus referre, quas ipsum non puduit contra hujusmodi historias ebuccinare*.

12 Cur Sinnichii sententiam refers mutilatam? Ut scilicet persuaderes sermonem esse illimitatum de quibuslibet Historiis, ab Ecclesia quomodolibet probatis, & Ecclesiastico Officio authentice insertis; ubi tamen in eadem periodo, post *authentice insertas*, immediate subjungit, *quibus nonnullorum pie defunctorum animæ perhibentur visæ in cœlum conscendere*, ita ut Pontifices illorum factorum veritate ex *peculiaribus*, inquit, *revelationibus*, *cælestibus apparitionibus*, *aut miraculosis quibusdam operationibus legitime probatis*, *ad taliter canonizandum permoti sint*. Cum autem Pontifices in canonizatione Sanctorum sint infallibiles; neque tantum definiant, Sanctos in gratia mortuos esse; sed etiam beatitudine, seu visione Dei jam potiri, atque, ut ait Sinnichius, *peculiaribus revelationibus*, *cælestibus apparitionibus*, *aut miraculosis quibusdam operationibus legitime probatis ad talem canonizationem permoti fuerint*; quis tales *historias in dubium revocet*, nisi Sanctorum pariter in cœlis existentiam reddere dubiam decreverit.

13 Non eadem factorum quorumdam aliorum ratio est, quæ neque tam authentice probantur, neque definitionis metaphysice infallibilia fundamenta sunt; adeoque ex quorum falsitate non tantum inconveniens sequeretur, quantum ex falsitate historiarum, de quibus Sinnichius. Quamquam ad ejusmodi objectionem aliud respondere non debui, quam esse argumentum ab auctoritate exigui ponderis. Nosti enim probe, quam parum honorifice de relatis in numerum Sanctorum scripserit, & quam alia multa docuerit, etiam Ordinis vestri Theologis vehementissime improbata.

14 Post hæc plurea simul accusationes, quasi in cumulum conjicis: videlicet, de lapsu ac pœnitentia Marcellini Papæ, de Synodo Sinuessana, de Actis S. Silvestri, de electione Imperatoris per septem Germaniæ Principes ex Constitutione Apostolica, de Canone Concilii Nicæni ficto, de Petro & Paulo urbis Romæ Episcopis, de Libris quibusdam S. Dionysio Areopagitæ vulgo attributis, de Romano Pontifice Petri & Pauli successore, de Actis S. Procopii, de Sanctis qui nunquam fuerint in rerum natura, de Reliquiis S. Mariæ Magdalenæ in Gallia, de Traditionibus Ecclesiasticis, aut potius Carmelitanis circa successionem suam ab Elia Propheta, de litteris ac diplomatibus Pontificum suppositititiis, de libro S. Joachimi Abbatis: quæ quia partim refutata sunt superius, partim refutabuntur in sequentibus, ubi de singulis occurret locus proprius & separatus, supervacaneum foret, nec nisi creando tædio lectori idoneum, hic iterum agitare.

15 In uno inficiari non possum me a Paternitate tua redactum ad angustias, novo scilicet de causa Joachimi argumento. *An*, inquis, *non prætendat Papebrochius Innocentium III. in Concilio Lateranensi, damnando librum Joachimi Abbatis, errasse quoad factum Joachimi prout Jansenii fautores contendunt*, *Pontificem errasse quoad factum Jansenii*, *Sedi Apostolicæ judicandum relinquo*. Iterum fateor angustias hic mihi esse undique: non quidem ex argumenti subtilitate, quæ nulla est; sed ex eo, quod S. Congregatio cum Innocentio XII. silere Theologos de Jansenianis controversiis cupiat: si autem taceam, videbor objectam paritatem admisisse. Verum cum accusatio tam gravis sit, spero fore, ut nemo mihi vitio vertat, si necessitate compulsus, unum alterumve verbum dedero justæ defensioni

16 Ajo itaque, disparitatem esse, quod librum ab Innocentio III. damnatum, pariter damnem & semper damnaverim tanquam hæreticum, imo, ut alias dixi, *hæreticissimum*, sive a Joachimo in juventute, sive ab alio sub Joachimi nomine compositus fuerit: Jansenii autem

fautores librum, Jansenii nomen præferentem, & a Pontificibus variis damnatum, tamquam continentem articulos perversos, nihilominus defendere pergunt tamquam injuste damnatum, & in omni dogmate sanum, Catholicum, Augustinianum. Dum istud tuum *argumentum*, P. Professor, *novum* vocavi, nolui indicare, quod a te primum esset inventum; sed quod, ubi ex Professo de Joachimo agebas, argumenti istius non memineris; nam quisquis aliquid controversiarum Jansenianarum novit, ignorare non potest vetus illud esse, & centies in libellis expressum *a Jansenii fautoribus. Erravit*, inquiunt, *Innocentius III. in facto Joachimi Abbatis, ergo etiam errare potuit Alexander VII. in facto Jansenii.*

17 Centies autem ostensa est manifesta disparitas, ex eo quod Jansenii fautores non modo velint Jansenii personam, sed etiam librum sub ejus nomine editum defendere; Defensores vero Joachimi condemnent librum a Pontifice damnatum; personam autem Joachimi ab hæreseos labe tueantur. Unde patet, quod Jansenii fautores non in sola quæstione facti, sed maxime juris, qualis est de sensu libri sano vel noxio, Pontificibus errorem tribuant; dum Joachimi patroni solum adscribant errorem facti, dum Innocentius III. putavit librum sibi oblatum esse genuinum fœtum Joachimi, & a nemine corruptum. Satisne autem honorificum est S. Theologiæ Professori Religioso, & Provinciali, *a Jansenii fautoribus* emendicare cavillationem, ab anti-Jansenianis scriptoribus centies elisam?

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius contra Clementis VIII. Decretum seu Instructionem varia attribuit hæreticis Epitheta honorifica.

RESPONSIO.

NUllum hæreticum laudo a Religione, a doctrina Theologica, ab ullo dono supernaturali. Talenta quædam naturalia, studium, diligentiam, eruditionem in historicis, ingenium in Philosophicis, aliaque ejusmodi agnoscimus ac laudamus in ethnicis, cur non possimus in hæreticis? Talem laudem non vetuit eis tribui Clemens Pontifex, neque aliam eis adscribo.

19 Tertullianum in Montani hæresim, quam antea fortissime oppugnaverat, fœde dein prolapsum fuisse constat, scripsitque adversus Ecclesiam libris pertinaciter defendisse. Quisquamne ideo religioni sibi ducat, prædicare ejus ingenium, eruditionem, plurimarumque scientiarum eminentem peritiam? Testatur Eusebius Cæsareensis in Chronico, eum *omnium Ecclesiarum sermone celebrari*: S. Hieronymus in litteris ad Magnum. *Quid Tertulliano eruditius? quid acutius?* Vincentius Lerinensis. *Quid hoc viro doctius? quid in humanis atque divinis rebus exercitatius?* Et quamvis S. Hilarius Episcopus Pictaviensis vere scripserit, *consequens Tertulliani error detraxit scriptis probabilibus auctoritatem. Nihilominus* (prosequitur Christianus Lupus in Epistola dedicatoria ad librum Tertulliani de Præscriptionibus) *& ipsa erroris scripta hederum ac novissimis Ecclesiæ temporibus sunt adeo utilia, ut Martini Lutheri ac Joannis Calvini commenta possimus ex ipsis foliis potentissime contundere. Uti ejus de Oratione librum laudat Hilarius, ita ego ejusdem præscriptiones appello Volumen aptissimum ad eosdem errores, si suadentem audire nolint, opprimendos.*

20 In Origenem quoque scimus anathema hoc a quinta Synodo generali Constantinopolitanæ vibratum fuisse: *Anathema sit Origeni; qui & Adamantius dictus est, & hæc promulgavit una cum detestandis ejus & execrandis dogmatibus.* Sed ideone desierunt ab omnibus laudari, quæ in eo erant sublimia? Vincentius Lerinensis apud Nicephorum Callistum Historiæ Eccles. Lib. 5. cap. 2. & apud Prateolum Lib. 13. hæresum pag. 270. de Origene sic loquitur: *In quo plura adeo præclara, adeo singularia, adeo mira exstiterunt, ut inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem, quivis facile judicaret. Nam, si vita facit auctoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia: si genus, vel eruditio, quid eo nobilius* &c.

21 Haud equidem ignoro, abstinendum prorsus ab omni hæreticorum elogio, unde periculum emergere possit, ne personarum commendatio pondus aliquod doctrinæ erroneæ additura sit: ideoque sapientissime monuit Clemens VIII. ut in libris approbandis ejusmodi elogia expungantur. Si Apostolica Sedes, aut S. Congregatio, ita Clementinam Instructionem aliquando interpretetur, quod hactenus eam fecisse non intellexi, ut nullum qualecumque verbum patiatur, quod vel minimam alicujus hæretici laudem in ulla materia sapiat; nullus me erit in parcendo promptior, quamvis huc usque an Clemens VIII. Instructioni suæ vim præcepti quoad omnia & singula inesse voluerit, non constet; imo certum sit, quoad annum impressionis, etiam *in fine libri annotandum*, vix ab ullo, quantumvis timorato, neque a Paternitate quidem vestra observari. De Heroldo, de quo ibidem mentionem facis, videri potest art. 2. nu. 169. De Salmasio agam ubi de *Esseuis*, seu *Essæis* quos non ipse, sed Eusebius lib. 4. cap. 22. ex Hegesippo annumerat *Sectis in Judaico populo proseminatis .... adversus tribum Judæ & adversus Christum*; ut pudeat eos facere Carmelitas.

22 Uti non omne quod in Catholicis est, aut subinde etiam in Religiosis, hoc ipso conspicitur laude dignum; ita nec vituperio, quidquid in gentilibus aut hæreticis. Lucæ 16. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset; quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* In quæ postrema verba sic Maldonatus: *Nemo Interpretum quærit, cujus hæc sint verba, hominisne illius divitis, an Christi, an Evangelistæ; quod tamen ad intelligendam hujus loci sententiam maxime pertinet. Mihi Christi videtur esse, opinionem hominis illius divitis, qui villicum iniquitatis laudaverat, approbantis: quasi diceret, Et merito quidem illius prudentiam laudavit: nam, quod ad prudentiam attinet, filii hujus seculi filiis lucis plurimum præstant. Eodem plane modo, quo serpens, omnium animalium, quæ in paradiso fuerunt, fuisse dicitur sapientissimus, Genes. 3. v. 1. In hanc enim sententiam D. Augustinus lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 2. & Basilius in Psalmum 48. & Origenes Hom. 8. in Isaiam hunc locum inducunt. Ac Origenes quidem recte ad hæreticos refert, qui in constandis tuendisque erroribus*

bus suis mire ingeniosi, *mire prudentes sunt*, Hactenus Maldonatus. An recte P. Professor? Possuntne hæc epitheta, *Ingeniosi* & *Prudentes*, manere in libro Maldonati, si Patero. vestræ offerretur approbandus? Sic existimo; uti neque expungendum titulum *Sapientissimi*, attributum serpenti, quamvis, quia prima malorum nostrorum causa movens fuit, mereatur mille opprobria & execrationes: neque te offenderet laus a Domino data villico iniquitatis; neque *prudentia* a Christo prædicata de filiis hujus seculi, quamvis inter illos procul dubio, imo & principaliter, hæreticos atque his similes intellexerit.

23 Igitur hæc verba Clementinæ Instructionis; *Epitheta honorifica*, *& omnia in laudem hæreticorum dicta*, explicationem commodam, qualem superius dedimus, videntur admittere; certe non tam universaliter necessario accipienda, quam contendis. Quam autem recte sub titulo hæreticorum comprehendas, & diserte exprimas *Natalem Alexandrum*, viderit sacer Ordo Dominicanorum. An non autem insignis irreligio est, S. Joachimum Abbatem inter hæreticos collocare? Supponamus etiam eum tradidisse propositionem aliquam, quæ postea ut hæretica condemnata est; ideone vir sanctus & publice cultus, appellandus est hæreticus? Quidni pariter S. Cyprianum, imo & S. Augustinum inter hæreticos recenseas, quia errorem in fide aliquando, saltem antequam damnaretur, sustinuerunt? An hic zelus tuus, R. Pater, sit secundum scientiam; an approbationem, pœnamve mereatur, judicet Ecclesia; ad quam identidem tu appellas, & recte quidem, in quantum illam agnoscis supremum judicem; non recte, in quantum ipsum vindicem facis causæ tam malæ.

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius contra Clementis VIII. Instructionem verba effutivit, quæ Religiosorum Ordines, Statum, dignitatem, ac personas lædunt & violant.

RESPONSIO.

POst titulum tam odiosum, atque in partes tam multas divisum, expectas procul dubio, Lector, ingentem congeriem locorum, ex omnibus nostris Tomis excerptorum, quibus Accusator probet, me Religiosos Ordines, si non omnes, complures saltem, læsisse. Ecce autem præter confusos clamores, de injuriis illatis Carmelitano Ordini, nulla citata ex me pagina, nullo Tomo, nulla propositione, unicum tandem producit locum de Religiosis aliquibus seculi XI. *Eo* (inquit) *insolentiæ Papebrochius devenit*, *Tomo* 2. *Aprilis in Propyl. parte* 1. *num.* 103. *ut contra Religiosorum Ordines*, *statum*, *dignitatem*, *ac personas effutire non erubescat*, *quod* „ Undecimo æræ Christianæ „ seculo ... ea erat morum corruptela, ut qui Dei „ famulatum erant professi ... non magno cri„mini sibi ducerent, ... pro tuendis possessio„nibus suis fingere ... quemadmodum Monaste„riorum superiores innocens quædam, ut ipsi „ putabant, vafrities permovebat ad ejusmodi „ fictiones procurandas.

25 Suspecta mihi sunt ista, quatuor locis notata puncta, ne scilicet eorum omissionem indicent, quæ maxime intererat non omitti, & multum imminuunt malitiam fictionis, de qua agitur. Ergo locum integrum relege; & quæ omisisti, R. Pater, vide an bona fide omitti potuerint. *Undecimo*, inquiebam, *Æræ Christianæ seculo & sequentibus*, *dum Ecclesiæ universalis pacem tot undique schismata seditionesque turbarent*, *ea erat morum corruptela*, *ut qui Dei famulatum erant professi*, *& viderent a potestatibus secularibus undique accipi immunitates & possessiones suas*, *non magno criminis sibi ducerent pro tuendis ipsis fingere*, *quæ in nullius præjudicium*, *solum videbantur cessura tuendæ æquitati*: *quemadmodum Monasteriorum Superiores innocens quædam*, *ut ipsi putabant*, *vafrities permovebat ad ejusmodi fictiones procurandas*.

26 Eruditissimus Joannes Mabilio, in suo de re diplomatica insigni opere, ostendit, antiquasa Monasteriorum instrumenta, etiam permissu Principum, ita sæpe fuisse reparata; quod satis quidem erat ad jus tenendum, non item ad historicam veritatem, unde ipsum illud Dagobertinum diploma, quod ego pro exemplo summæ ea in re sinceritatis assumpseram, perspicacior ipse lib. 3. cap. 1. excutiendum suscipit, & varie vitiatum interpolatumque ostendit; tantum abest, ut teneat indubitatam fidem omnibus antiquis chartis indifferenter habendam, aut neget iis rescribendis quidquam aliquando fraudis vel erroris intervenisse. Merito tamen excusat Monachos, quorum culpa id potissimum factum videbat, dicere, quod ista communis infelicitas erat medii ævi. Utinam mihi tam facile cum Carmelitis, quam cum Benedictinis conveniret! Non volitarent Europa tota tot famosi contra me libelli vestri; sed mutuis honoribus beneficiisque certaremus, invicem juvantes, invicem docentes, invicem reverenter amanterque compellantes privatim ac publice: quod utique virorum honestorum officium est, etiam ubi contingit aliquid litterariæ disputationis intercedere.

27 Quod de seculo XI. scripsi, nihil existimavi nocere Ordini vestro, qui juxta me necdum prodierat: nullus autem alius se mihi propterea infensum ostendit, nullus mihi apud Apostolicam Sedem litem movisse scitur. Sed & quantulum est, inter tot seculi illius vitia, inter tam depravatos, etiam Ecclesiasticorum mores, solam fictionem nulli noxiam, & *tuendæ æquitati conducturam* tribuere Religiosis! Inter *Christianos & Catholicos*, ut ait Laurentius Beyerlinck in Theatro Vitæ humanæ Titulo de Mendacio, qui illud aliquando licere arbitrabantur, *Abbas Joseph apud Cassianum Collatione* 17. *cap.* 8. *dicebat*, *mendacio utendum tamquam elleboro*, *quod sumitur imminente aliquo exitiali morbo*: *cui videtur Cassianus assentiri*. Ego quoque in tomo 1. Junii pag. 398. ubi de S. Alonio, necesse habui excusare, ut melius potui, & explicare hoc ejus responsum; *Nisi mentitus fueris*, *multa peccata commissurus es*; quod responsum ibidem ipse confirmat, allegato casu, quo Prætori necesse habeas respondere de homicida, in tua cella latente, quod si fatearis, ipsemet in mortem trades sic requisitum.

28 Si de Seculo IX. ejusque statu Ecclesiastico, de Religiosis, de Sacerdotibus etiam in altiore gradu constitutis, scripsissem ego, quæ Cardinales Bellarminus in Chronologia, & Baronius in Historia, atque apud hunc Petrus

Da-

Damiani, quanto gravior apparuisset accusandi mei materia, quandoquidem hic & nunc sola *fictio, in nullius cedens præjudicium*, & *solum cessura tuendæ æquitati*, Religiosis quibusdam confusie adscripta pro seculo, tam ontone corrupto, tantos Accusatori clamores eliciat! Cogis me R. Pater, tam importunis vociferationibus, ut, quod maluissem perpetuo silentio involutum, in memoriam iterum revocem *fictionem* vestram Bilbaensem. Quid enim miri, si seculo tam corrupto, quale fuit undecimum, reperti fuissent Religiosi & Religiosorum Superiores, qui pro *tuenda æquitate & tuendis immunitatibus suis ac possessionibus, non magno crimini sibi duxissent fingere, quæ in nullius cessura præjudicium videbantur*, cum hoc præsenti seculo & oculis sub ipsis tuis exemplum habeas pene domesticum, quo Pontifex Romanus Clemens X. quem propterea potius quam me accusare debueras, dolens scribit in speciali Brevi, Religiosos viros Ordinis Carmelitani, pro acquirendis Bilbai possessionibus finxisse Clementi nono. Vide quæ diximus Art. 2. nu. 99. Item quæ de adjecta Regulæ falsa Data, ex Lezana auctoribus indignante retulimus, aliaque hujus generis in prætensis Joannis XXII. & Alexandri V. Bullis.

29 Denique non est quod ab aliis petamus ejusmodi fictionum exempla, cum, quod bona pace R. Patern. Vestræ dixero, quoniam ita jubes, obvia nobis sint centena in ipso libro tuo, quem vocas *Exhibitionem errorum*. Jam inde enim *fictiones* tuas plures quam centum ad oculum demonstravi, nec tam innocuas, quam attribueram seculo XI. Tuæ enim, R. Pater, fictiones non sunt sine *ullius præjudicio*, non sunt *ad tuendam æquitatem*; sed ad pessumdanda nostra tot annis elaborata, tot impressa sumptibus volumina, & perdendam famam nostram, odiumque nobis excitandum apud summos & infimos. An hoc non est *contra Clementis VIII. Instructionem, varia effutire, quæ Religiosum Ordinem, statum, dignitatem, ac personas lædunt & violant*, & quidem multo gravius quam impositio mendacii officiosi? De injuriis a me, ut ais, illatis Carmelitano Ordini, cum nullum textum meum cites, nullum designes locum, sed in sequentibus exhibendum spondeas, responsum quoque differam; nec enim solet accusationi præmitti defensio.

30 Unum miror, quod occasione memoratæ modo fictionis, quæ a Religiosis viris subornata fuerit, non recoquas mea ex Possino dicta, toties alibi objecta, de quibus Art. 2. num. 31. videlicet quod fatear cum Possino, *fuisse primis Ecclesiæ seculis Christianos, qui fingere ac mentiri pro Religione pium crederent*, supponendo libros suos aliorum nominibus, fingendo Religioni proficua, narrando falsa. In ejusmodi Christianos atque Catholicos acrius invehitur Baronius cum scribit, ipsius quæstus causa finxisse talia, & *quæstum*, inde sibi proventurum, *pietatem putasse*; atque ita eorumdem *zelum non fuisse secundum scientiam*. Audi Baronium ipsum, in Actis SS. atque historiis ecclesiasticis si quis alius versatum. Quanta ipse te docebit recte reprobari a Scriptore Catholico, qualia itaque reprobari a me circa Acta SS. Apocrypha, passim per totam Exhibitionem criminaris.

31 Accipe igitur textum Baronianum, prolixiorem illum quidem, quia sæpius alibi usu venturum, ex præcapitulatione dicendorum ad Martyrologium Romanum cap. 2. cujus titulus est: *Quæ de Sanctorum historiis ab hæreticis vel aliis falsa scripta sunt*: sub quo sic orditur: *Sed quid? Quamvis optimi Patris-familias (ut habet parabola evangelica) bonum semen seminassent in agro; nihilominus inimicus homo, qui fuit homicida ab initio, veritatis adversarius, ipse Sathan superseminavit zizania, ipsoque pene initio exurgentis Ecclesiæ falsa veris, inania atque incerta incertis ac solida firmitate constantibus, admiscenda curavit; idque non tantum per hæreticos Catholicæ fidei perduelles, sed & per Catholicos ipsos; eos tamen, qui quæstum pietatem putarent, vel qui zelum quidem haberent, sed non secundum scientiam. Satis modo sit de his unum tantum in exemplum adducere Asianum Presbyterum, de quo Tertullianus hæc scribit in libro de baptismo: Si qui Pauli perperam scripta legunt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum docendi tingendique defendunt, sciant, in Asia Presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum, id se amore Pauli fecisse, loco excidisse. Hæc Tertullianus. Inscriptus erat liber illa Περίοδοι Pauli & Theclæ, continens & baptizati Leonis fabulam, ut testatur S. Hieronymus de Script. eccles. in Luca.*

32 *Ejusdem generis illa erant insomnia, nimirum Circuitus Petri, circuitus Joannis, Circuitus Thomæ; Actus Andreæ, Actus Joannis, Actus Philippi, Actus Petri, Actus Pauli, Itinerarium Clementis: quæ omnia damnant Athanasius in Synopsi, Philaster de Hæresibus, & Gelasius in Concilio Romano. Hæc enim, & alia hujusmodi ab hæreticis esse excogitata, certissimum est; ab Ebione in primis hæc factitata, adeoque falsa Acta Apostolorum inventa, & Circuitus Petri esse corruptos, & Pauli Acta referta blasphemiis introducta, tradit Epiphanius in Panaria Hæresi* 30. *A Gnosticis de Sancta Dei genitrice Maria portentosum librum esse conscriptum testatur idem Epiphanius Hæresi* 26. *Encratitas in medium adduxisse, ad stabiliendam suam ipsorum hæresim, Actus Andreæ, Joannis, & Thomæ, & alia hujuscemodi, idem auctor narrat Hæresi* 47. *Manichæos id generis commenta excogitasse, Apostolorumque nomine conscripsisse falsas historias, fidem facit Augustinus Lib. de Fide contra Manichæos aliisque in locis; idemque Philaster, Cyrillus Hierosolymitanus & alii. Priscillianistas & ipsos alios adinvenisse Actus Apostolorum, Orosius affirmat in Epist. ad Augustinum de errore Priscill. exempla alia plura hic omittimus.*

33 *Sane quidem, qui talia præsumpserunt de Sanctis Apostolis, nequaquam putandi erga Sanctorum Martyrum Acta fuisse molestiores, quæ sic corruperunt depravaruntque, ut eorumdem quamplurima in suspicionem adduxerint; adeo ut S. R. Ecclesia ab illis abstinere consultius aliquando esse putaris: unde Gelasius in Romano Concilio; Gesta, inquit, Sanctorum Martyrum, secundum antiquam consuetudinem, singulari cautela in S. Romana Ecclesia non leguntur; quia eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis superflua, & minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur. Sicut cujusdam Quirici & Julittæ, sicut Georgii, aliorumque hujusmodi Passiones, quæ*

ab

ab hæreticis perhibentur composita. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi arriperetur occasio, in S. R. Ecclesia non leguntur. Hæc Gelasius de Romanæ Ecclesiæ in recipiendis ac promulgandis Actis Martyrum disciplina. Deinde etiam de Sanctorum Patrum, non Martyrum, Actis similia docet ex Epistola Adriani Papæ ad Carolum Magnum, alia sic scribentis: *Vitæ Patrum, sine probabilibus auctoribus, minime in Ecclesia leguntur: nam ab orthodoxis titulatæ, suscipiuntur & leguntur.*

34 Ac denique post pauca sic progreditur: *Sed ut de Actis Martyrum, per hæreticos depravatis, cœptam sequamur narrationem, est de his Canon 63. sextæ Synodi, his verbis conscriptus. Quæ a Veritatis hostibus falsa conficta sunt Martyrum historiæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri essent, ad infidelitatem deducerent, in Ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi: qui autem eas admittunt, vel tamquam veris, his mentem adhibent, anathematizamus. Hæc Sancta Synodus, cujus auctoritate Græci Episcopi exactiorem curam adhibere consueverunt, ut dum suas Ecclesias visitarent, de Sanctorum Martyrum Actis conscriptis subtilius inquirerent; unde Theodorus Balsamo, eo in loco hæc de Nicolao Muzale Patriarcha testatur: Cum ille, inquit, Vitam S. Parasceves, quæ in quodam Callicatriæ vico colebatur, a quodam Vicano inepte ac indocte, & sancta angelica vivendi ratione indigne compositam invenisset, eam igni mandari jussit; & Diacono illi Basilico mandavit, Deo gratam & acceptam ejus vitam conscribere. Hæc ille*, uti, & reliqua præmissa, apud Baronium, quemadmodum dixi.

§. X. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra Clementis VIII. Instructionem, varia effutit, quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum detrahunt.

RESPONSIO.

Ejusmodi detractio non soli Clementinæ Instructioni, sed ipsi legi Divinæ & naturali adversatur. Ubi autem eam in libris meis reperies? *In primis* (inquis) *tomo 2. Maji ad diem 11. Maji in Vita S. Liceriæ fol. 626. num. 1. sic ait* (Papebrochius) „ Senonensem urbem „ Archiepiscopalem transeuntibus nobis anno „ 1661. non libuit licuitve Reliquiarum, ibi„ dem multarum & insignium thesauros scru„ tari accuratius, propterea quod eam tunc „ Sedem obtineret vir, in fide non satis ca„ tholice sentiens, præ Jansenianæ factionis „ studio; nostræ autem Societati eo affectus „ animo, quo posset maximis ab ea affectus „ injuriis, cum tamen publice notum esset, „ quanto ea beneficio sibi haberet obligatum.

36 Sic est: hæc scripsi loco citato, quæ Galliam peragrantes illic tamquam publica & notoria acceperamus. Verum, Reverende Pater, nosti quoque, me totum hunc locum ad finem Tomi IV. posuisse inter *Errata corrigenda, ac prætermissum voluisse, posterisque delendum in ipso Commentario, cum recuderetur, præscripsisse*. Estne autem officium viri probi, & accusatoris fidelis, ne dicam Christiani, Religiosi, Sacerdotis, & Provincialis, accusare adversarium suum de dicto aliquo vel scripto, ejusque celare retractationem? Causari hic non potes retractationis ignorantiam utpote qui & volumina mea omnia tam studiose scrutatus es, & quidem errata, quæ voluminibus in singulorum fine adnectere soleo, tam accurate dinumerasti, ut millena te deprehendisse glorieris, & palam jactes in hoc ipso libro tuo, quem de meis, ut ais, erroribus conscripsisti.

37 A Senonensi Antistite dilaberis ad P. Carolum ab Assumptione. Ais me *similem infamiæ notam inurere venerabili viro, P. Carolo ab Assumptione Walo-Belgæ, Carmelitarum Discalceatorum Exprovinciali; eumque traducere tamquam obstinatum hæreticum*. Pace tua, R. Pater, nunquam P. Carolum dixi esse *obstinatum hæreticum, neque tamquam* talem in libris meis unquam *traduxi*, neque id probant verba, quæ ex Tomo 2. Maji descripsisti. Tantum dixi eum fuisse, *Propugnatorem doctrinæ ab Ecclesia damnatæ*, neque verbum aliud ex me adducis. Idemne autem tibi sonant phrases istæ, *obstinatus hæreticus*, & *propugnator doctrinæ ab Ecclesia damnatæ?* Non omnis censura, quæ propositionibus infligitur, *hæresis* maculam inurit: quam multæ enim damnantur ut *scandalosæ*, vel *piarum aurium offensivæ, male sonantes*, vel *periculosæ*! Sustineat itaque aliquis propositionem *scandalosam* vel *periculosam*, ideone *obstinatus hæreticus* proclamabitur? P. Professor, legistine unquam Theologum qui sic concludat, & omne periculosum vel scandalosum confundat cum hæretico?

38 Præterea non omnis, qui doctrinam hæreticam ab Ecclesia damnatam propugnat, hoc ipso est *hæreticus obstinatus*. Numquid doctrinæ de præceptis homini justo impossibilibus anathema dictum fuit a Tridentino, ut præteream propositiones multas a Pio V. & Gregorio XIII. damnatas? Fuitne propterea Iprensis Episcopus, qui eamdem doctrinam infeliciter suscitavit, verum se suaque scripta omnia submisit judicio Sedis Apostolicæ; fuitne, inquam, *hæreticus*? Aliud scilicet est propugnare simpliciter doctrinam damnatam, aliud eam propugnare pertinaciter, & cognitam. Unde nullus Tiro Theologus nisi admodum rudis, ignorat fieri posse, ut quis propugnet doctrinam damnatam, quam putet damnatam non esse, vel non esse damnatam tali sensu; & tamen a formali crimine hæreseos immunis sit, nedum vocari debeat *hæreticus obstinatus*.

39 *Sed*, inquis, *P. Carolum propugnasse doctrinam damnatam negat P. Maximilianus ejusdem Ordinis Provincialis Flandro-Belga in suo* Harpocrate, *ostendens esse meras Papebrochianas calumnias*. Reverende Pater, legi Harpocratem, neque hunc efficaciorem P. Caroli defensorem invenio, quam fuit ipsius fuerit P. Carolus, tot scriptis ab aliis impugnatus, quorum vindicias suscipere non mihi difficilius foret, quam tibi P. Caroli aut Harpocratis tam opera a te jactare. Quidquid sit. An expendisti libros P. Fourmestraux aliorumque contra P. Carolum, & propositiones omnes in ipso pridem publice accusatas, antequam ullam ejus in libris meis feci mentionem? quomodo igitur scribere potuisti, aut quomodo potuit alius *ostendere, esse meras calumnias Papebrochianas?*

40 An non legeras judicium Doctorum Duacensium de quodam libro ejusdem P. Caroli?

En

En istud tibi iterum considerandum. *Nos infrascripti S. Theologiæ Doctores & Professores Regii ac ordinarii in Universitate Duacensi, diligenter perlectis quibusdam casibus circa librum nuper Duaci editum, cui titulus :* SCIENTIA MEDIA AD EXAMEN REVOCATA, &c, *nobis propositis, una cum suppositis, quæsitis, responsis, & rationibus subjunctis, omnibusque serio ac mature perpensis, judicamus, præfatum librum pluribus nominibus esse prohibendum ac damnandum.*

Nempe 1. Quia continet varias censuras, & injuriosas qualificationes Scientiæ mediæ, summorum Pontificum decretis prohibitas.

2 Quia respersus est verbis contumeliosis adversus Auctores Scientiæ mediæ, ac nominatim adversus Patres Societatis Jesu, contra eadem Pontificum Decreta.

3 Denique, quia continet nonnulla suspecta in fide, & Jansenismo affinia, circa possibilitatem mandatorum Dei, circa resistentiam naturæ lapsæ respectu gratiæ interioris, & libertatem voluntatis ad actus bonos.

Ita resolutum Duaci, die 22. Augusti 1671. salvo meliori judicio,

MATTHIAS GERTMAN, *S. Theologiæ Doctor, ejusdemque Professor Regius, ac Primarius, Regii bonorum Pastorum Seminarii Præses, Librorum Censor, ac Visitator, nec non insignis Ecclesiæ S.* AMATI PRÆPOSITUS *atque* UNIVERSITATIS DUACENÆ CANCELLARIUS.

PETRUS DE LALAING, *S. Theologiæ Doctor, ejusdemque Regius, & Ordinarius Professor, Seminarii S. Salvatoris vulgo Henniniani præses, nec non insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Canonicus &* PRÆPOSITUS, *eaque ratione etiam* UNIVERSITATIS DUACENÆ CANCELLARIUS.

41 Judicium hoc, ut patet, datum fuit anno 1671. Tomus autem 2. Maji tantum prodiit 1680. adeoque 9. annis post judicium Doctorum: quomodo igitur accusor, quasi primus & unicus P. Caroli accusator? Decreveram ejus manes relinquere in sancta pace, ideoque ad Tomum IV. Maji, inter *errata corrigenda*, locum a Paternitate vestra allegatum expresse posui, jussique totum expungi. Hoc quoque nosti, & nihilominus me accusare pergis, nulla facta correctionis, expunctionisque mentione. Pudet me, R. P. Provincialis, quod tantam infidelitatem tuam cogar scriptis publicis committere; sed & doleo vehementius, quod importunitate tua, & defensionis meæ necessitate compulsus, videar pacem defuncti manibus concessam, iterum turbare.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra Clementis VIII. instructionem, in Propylæo Maji omisit annum impressionis.

RESPONSIO.

PRopylæum sub duobus titulis paulo diversis prodiit; sub uno, ad usum eorum qui separatum vellent a cæteris operum nostrorum Tomis, sub altero, ad commodum aliorum, qui istud cum alio ejusdem mensis volumine essent compacturi. Primo modo editum expresse præ se fert notatum impressionis annum 1685. ut testari possunt, quotquot ejusmodi exempla emerunt, atque in primis vester P. Isidorus, Michaelis Knobbari Typographi & Bibliopolæ filius, qui 101 jam annos Bibliopolium paternum curans ipsa exemplaria venalia habet. Secundo modo editum, non præfert annum, quia incongruum videbatur, quod Tomo 1. Maji impresso anno 1680. præfigeretur pars seu Introductio, in fronte habens annum tanto posteriorem; aut si adderetur Tomis quarto & quinto, superfluum videbatur annum 1685. Propylæo iterum præmittere, cum id annus in titulo Tomi IV. & V. expressus conspiceretur.

43 Hoc ne a me hodie excogitatum dicas, legisti in Propylæo, immediate post titulum in aversa facie, quæ sequuntur: *Propylæum hoc ante Tomum 1. religari curetur ab iis, quibus id integrum adhuc est, quibus non est, ii ipsum collocari jubeant ante quemcumque alium ex septem tomis. Quod si pro majori commodo suo quispiam voluerit utramque partem Conatus nostri Chronico-Historici ad Catalogum Romanorum Pontificum cum suo Apparatu suisque Indicibus separare a Tomis quarto ac quinto, quibus ex nostra designatione præmittitur, & in unum volumen compaginare, ante omnes septem Tomos locandum, habebit aptissimum etiam locum, ubi Propylæum ipsum ponat, in fronte scilicet Tractatus illius.* Atque ipse operis titulus satis indicat Introductionem esse ad cæteros tomos, *Propylæum ad Acta Sanctorum Maji, in septem Tomos digesta.* Cum igitur videretur inconcinnum Introductioni præfigere annum 1685. ubi reliquo tomo appositus jam esset annus anterior, & ut quilibet pro commodo suo cuivis alteri Tomo Tractatum hunc jungere posset, omissus in titulo est annus. Quo facto, ut patet, nihil potest esse magis innocuum.

44 At, inquis, *Clemens VIII. in sua Instructione ad Regulas Concilii Tridentini, §. 3. de impressione librorum, ordinavit, quod annus, quo liber est impressus, in principio ejus & fine annotari debeat.* Respondeo primo, Propylæum non fuisse impressum ut esset *liber*, sed Introductio ad librum, cujus anno tanquam pars contineretur: quod autem Bibliopola majori sibi emolumento futurum duxerit, Propylæum, cum quibusdam exiguis tractatibus in unum minoris molis volumen compingere, quam Propylæi additione augere Tomos alios; alienum id a prima intentione mea est, ut jam ostendi. Secundo annum impressionis satis manifeste indico in utraque Epistola dedicatoria ad Innocentium XI. Pontificem & Carolum II. Hispaniarum Regem, dum in fine utriusque epistolæ distinctissime noto annum 1585. Eumdem annum clarissime videre est in approbatione Censoris Ordinarii. Atqui Epistola utraque dedicatoria est plane, ut solet, *in principio* Propylæi: adeoque & annus *in principio* positus: Clementina autem Instructio non dicit annum exprimendum in titulo, sed *in libri principio & in fine.*

45 Saltem, inquis, *solet annus impressionis poni in frontispicio libri.* Jam rationem dedi, cur hic positus non sit: neque scio quod consuetudo illa tam gravem afferat obligationem, ut nulla causa possit excusare, præsertim quando

annus

annus immediate post additur. Sed quia molestus esse pergis, meque propterea tamquam ingentis criminis reum citas ad *Apostolicæ Sedis judicium*, habetne liber tuus, R. Pater, quem vocas *Libellum supplicem*, habetne inquam, liber iste *annum impressionis positum in frontispicio*, ut termino tuo utar? Sane non habet. Ecce igitur Accusator, *in qua alterum judicas, te ipsum condemnas*. Habetne etiam hic ipse liber tuus *Exhibitio errorum* annum impressionis *annotatum in fine*? Atqui Clemens VIII. in Instructione a te citata expresse dicit, annum impressionis *annotari* debere *in principio libri & in fine*. In te itaque accusationem mutato nomine sic converte: Sebastianus a S. Paulo contra Clementis VIII. instructionem, in suo libro, quem vocat *Libellum supplicem*, omisit annum impressionis; & in ipsa sua *Exhibitione errorum* omisit eum *in fine*. Nonne etiam jubemur addere semper locum impressionis, & nomen Typographi? Da autem gloriam Deo, an liber tuus in Belgio impressus non est? & tamen præfert Coloniam, & illic Servatium Noeten.

46 Accusationi addis suspicionem. Suspicaris scilicet, annum 1685. impressionis in titulo fuisse prætermissum *ex astutia quadam, ne quis Propylæum Maji venire videns in lucem uno alterove anno post decretum Innocentii* XI. prohibens libros Natalis Alexandri, *& nihilominus in dicto Propylæo reperiens dictos Alexandri libros toties citatos, præsumeret Papebrochium esse inobedientem, & dicto Pontificio Decreto refractarium, sed, ut Lector sibi persuaderet, Propylæum fuisse scriptum & editum ante Innocentii Decretum*, Hinc dicis, etiam te *suspicari astute factum esse, quod ipsa Approbatio, seu Censura Ordinarii non sit posita ante initium operis, sed in medio libri loco vere abscondito*: finem autem imponis pro occasione ordinaria, dicens, *De hac re judicabit S. Sedes*.

47 De anno impressionis jam respondi; ad approbationem quod attinet, non est illa in *loco vere abscondito* collocata, sed statim initio partis 2. in aversa facie post titulum, loco maxime conspicuo, una cum privilegio Regis & Facultate nostri P. Provincialis; & quidem tam amplis characteribus, ut impleantur tres integræ facies, neque ulla soleat Approbatio, ullum diploma Regis, ulla Superiorum Facultas apponi libri, modo illustriori.

48 At cur apposita initio 2. Partis potius quam primæ? Quia, R. Pater, Censura ejusmodi erat, ut licet utramque partem approbaret, non potuerit tamen convenienter initio primæ partis apponi, ut vel ex primis Censuræ verbis clarum est; sic enim habet: *Equidem hunc Chronico-Historicum Conatum R. P. Danielis Papebrochii Societatis Jesu Theologi, cum prævio & alias approbato Apparatu, comprehensum volui ea laude, quam dedi ipsi continuationi Actorum Maji, legenda ante ejus Tomum* IV. Fuissetne conveniens, ante omnem *Apparatum*, qui in prima libri parte continetur, mentionem facere *Apparatus prævii*, ubi nullus fuisset *prævius*? Unam autem approbationem, ad omnes partes se extendentem, sufficere arbitrabar: & circumstantiam loci, quo approbatio ponenda esset, non obligare tam graviter, quin justa ratio eam in alium locum congruum & satis conspicuum transferri pateretur. Etiamne quæres, cur ab initio talis approbatio petita non sit, quæ initio libri congrue præfigeretur? Rationem habes superius abunde explicatam probatamque, quod primum nobis consilium non fuerit Propylæum tamquam librum separatum edere, neque augere tot tractatibus, ut minoris saltem molis volumen constitueret.

49 Nulla hic, mi Pater, *astutia* est, nulla fraus: & sane parum apta esset ad finem, quem a me intentum suspicaris. Voluissem scilicet occultare annum impressionis 1685. ne accusari possem, quod libros Natalis Alexandri, uno anno, postquam prohibiti Romæ fuerant, aliquoties citassem; sed quomodo annum illum impressionis, prohibitione Natalis Alexandri posteriorem, occultare volui? quomodo suspicari potes id me voluisse, cum non tantum in Approbatione Censoris Ordinarii, uti & in Facultate Provincialis, afficientibus utramque partem, & conspicue positis, annum 1685. clarissime expresserim; sed etiam initio totius Propylæi in utraque Epistola dedicatoria ad summum Pontificem & Regem Catholicum? Quam facile in his annum prætermittere poteram, si voluissem? cum prætermissio anni in ejusmodi epistolis non plane inusitata sit. Quapropter intentio, quam hic mihi affingis, nimis stolida fuisset, quam ut *industriæ & astutiæ* appellationem mereretur. De Natalis Alexandri libris, post condemnationem a me citatis, respondi jam in præmissis hujus scriptionis; & ante me plura respondit Janningus in Epist. familiari a n. an. atque iterum in amica Expost. a n. 69. & nihil attinet cramben istam recoquere.

50 Hic tantum considera R. P. Provincialis, Primo, an merito in me inveharis, propterea quod non posuerim annum impressionis in prima libri pagina, sed tantum in sequentibus; cum ipse in superiore libro, & forte non tam rationabili causa, idem feceris, quod in me reprehendis. Secundo, an Paternitas Tua, aut alii passim vestri Ordinis scriptores annum impressionis ponant quoque *in fine libri*. Atqui tamen id faciendum monet in eadem Instructione sua Clemens VIII. Tertio, an postulari debuerim, tamquam de ingenti crimine, quod Approbationem Censoris propter rationes allegatas, non præposuerim primæ Parti, sed secundæ.

51 An non difficilius capient alii, ægriusque *a fraudis suspicione* liberabunt speculum Carmelitanum, prout illud in quatuor volumina divisum prodiit an. 1680. quomodo eidem bis præfigatur *Approbatio Auberti van den Eeden*, sigillata anno 1672. quando R. P. Danielis a Virgine Maria auctoris cogitatio necdum se extendebat ultra antiqua Ordinis monumenta, volumine uno comprehendenda, qualem ipse, jam luci paratum, nobis interdum commodavit, tunc adhuc amicissimus; & qualem etiam vidimus sub ejusdem D. Auberti manibus anno 1677.

52 Interim anno 1678. obierunt, tam Aubertus ad Episcopatum electus, quam libri Auctor: & biennio post (ut dixi) prodiit opus, non jam bipartitum, sed quadripartitum. In tantam scilicet molem excrescere ipsum fecerant adjuncta alia, integrique contra me apologetici libri; quibus ne congruus desit apparatus, præmittuntur tomo I. virulentissima quæ-

quædam poemata, cum duabus in speciem approbationibus Doctorum Ordinis; revera acerbissimis invectivis, quas nec P. Daniel imprimi permisisset (si nota mihi viri modestia fuit) neque Aubertus Episcopus sibi dedicari, totus (sicut vos quidem dicitis) in nostras transgressus partes. Sane ut ejusdem Speculi dedicationi sibi faciendæ annueret (quamvis ea ob mortem super venientem facta non sit) memini suasisse Patrem Henschenium, eo potissimum argumento, quod totum evolvissemus, optandumque videretur, ut illa toties jactata monumenta, in quibus tanta fundabatur antiquitas, omnium oculis judiciisque exponerentur; quibus si accederent, ut fama erat, Acta Sanctorum Ordinis, id nobis quoque commodum futurum.

53 Quanto igitur prudentius, R. Pater, hic iram tuam cohibuisses: aut si zelus te ferebat ad vindicandam quoad omnes apices Clementinam Instructionem, nulla admissa exceptione, nulla excusatione, quanto æquiori jure zelum convertisses in vestros illos Elianæ successionis vindices, qui tot libellis infamibus, nulla nominis proprii, nulla loci, aut Typographi, multo minus Censoris adscriptione notatis, non me tantum, sed & propter me Societatem universam proisciderunt, contra Clementinam Instructionem, contra Tridentini Indicis regulas, contra jus omne humanum & Divinum, non positivum solum, sed etiam naturale. Sic nempe tua, R. P. Provincialis, prætericns eorvos, vexat censura columbas.

54 Illud autem quis satis mirabitur, Tuam Paternitatem tantopere in me debacchari, quasi *varia effutiam, quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum detrahunt*, dum non nisi duos locos, eosque a me inter *errata corrigenda* dein collocatos, & pro sequentibus editionibus *tetos omitti* jussos, proferre potuisti; te vero tuosque Socios tam infamia ubique de messuire: &, ut nihil dicam de tot libellis famosis & satyris, propter me adversus Societatem editis, nullus est in toto hoc accusetionis tuæ libro Articulus, nullus paragraphus, nulla pagina, vix ulla periodus, quæ non contumeliis & plerumque calumniis scateat. Hactenus tamen reparationem honoris, crescentibus quotidie injuriis nullam videre licuit, nec hodiedum satis scio, an ullam liceat expectare.

ACCUSATIO.

§. VI. *Papebrochius, contra Decretum Alexandri VII. suis Actis Sanctorum varia inseruit non tolcranda.*

§. VII. *Papebrochius, contra Decretum Innocentii XI. citat, sequitur, laudat, & describit damnatos libros Natalis Alexandri.*

§. VIII. *Papebrochius, contra Decretum Innocentii XI. non abstinet ab injuriosis censuris.*

EOs hic, R. Pater, & deinceps imitaris belli Duces, qui ut copiarum suarum speciem in immensum augeant, easdem turmas sæpe stationes & signa mutare jubent, atque ita singulos pene milites supponere pro viginti. Imo Duces illos longe superas, qui accusationes easdem sub variis titulis ostentas plus quam centies. Et quidem his tribus paragraphis innumera simul conglomeras, sed quorum nullum video, quod jam ante refutatum non sit, vel non recursurum in sequentibus, atque illic loco proprio & distinctius convellendum.

56 Paragraphum sextum sic inchoas: *in Appendice indicis Concilii Tridentini librorum prohibitorum, editi ab Alexandro VII. verbo prohibiti, sic statuitur*; „ Prohibiti sunt pasquilli „ omnes, omnesque conscriptiones, in quibus „ Deo, aut Sanctis, aut Sacramentis, aut Ec„ clesiæ Catholicæ, & ejus cultui, aut Aposto„ licæ Sedi quomodocumque detrahatur. Tu promittis *specimina aliquot nobiliora* ex libris meis *proferenda*, quibus in Decretum illud censear impegisse. Hæc autem, inquis, sunt, de paupertate Christi Evangelica, 2. de annis ejus vitæ, 3. de ejus meritis: quæ, ut dixi, partim antea pluribus refutata sunt, partim postmodum suo loco refutanda. Quod de pasquillis omnibus ab Alexandro VII. prohibitis Patern. vestra memorat, statuet meorum vestrorumque operum lector, studio partium liber, utrum meis lucubrationibus, non sine Auctoris nomine & Ordinarii Censoris approbatione editis, an potius tot vestris anonymis & pseudonymis libellis sine ullius Censoris approbatione, sine ullo vero loci aut typographi nomine contra me in lucem protrusis, pasquillorum appellatio conveniat.

57 Paragraphus VII. nihil continet præter accusationem de citato a me Natale Alexandro; ad quod satis superque responsum est, uti videre licet supra num. 49.

58 Paragrapho VIII. ais, me *relationes* quasdam vocare *falsas, commentitias, fabulosas*. Ita soleo, R. Pater, scapham scapham vocare, & ligonem ligonem. Atqui, inquis, hoc est contra Innocentii XI. Decretum, editum anno 1679. die 4. Martii, quo præcipitur *in virtute S. Obedientiæ, ut ab injuriosis contentionibus Doctores seu Scholastici aut alii quicumque in posterum se abstineant; & ut paci & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute S. Obedientiæ eisdem præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac prædicationibus caveant ab omni censura & nota, nec non a quibuscumque conviciis contra easdem propositiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur.*

59 Admitto Decretum Innocentii XI. atque quoad singula obedientiam præstandam esse semper censui; atque adeo neminem posse adversariorum suorum sententias, ab Ecclesia non damnatas, vocare hæreticas, erroneas, suspectas de hæresi: hæresim sapientes, scandalosas, piarum aurium offensivas; denique abstinendum ab omnibus censuris, quæ solent ægre ferri, & sine quibus veritas discuti sufficienter potest, & inter viros graves ac modestos solet. Quis tamen vir prudens ægre ferat, sententias suas probabiles ab adversario vocari falsas? Quomodo enim alioquin potest quis sententiam suam adstruere ut veram, nisi contradictoriam ejus consequenter pronuntiet falsam? Duarum contradictoriarum, quantumvis contingentium, altera necessario vera est, altera falsa. Neque ullus scholæ Professor tam scrupulosus est, qui si sic urgeatur: *tua juxta te sententia est vera, ergo contradictoria adversariorum est falsa*, non facile admittat totum; ridiculus autem apparebis

bis & exploderis ab omnibus, si propterea contra respondentem excandescas, tamquam contra prævaricatorem Decreti Pontificii de non censurandis mutuis sententiis.

60 Adi quoque, si libet, Historicum quemcumque: objice Acta seu historias, ab ipso rationabiliter rejectas, & quære, an igitur habeat illas ut *commentitias & fabulosas*? sine cunctatione respondebit affirmative: neque ullus ei propterea scrupulum movebit de transgressione Decreti Innocentiani. Ejusmodi locutiones ubique obviæ sunt in Cardinali Baronio, & Christiano Lupo; & quidem de Actis Sinuessanæ Synodi, quæ maxime a me appellata *commentitia & fabulosa* quereris. Inspice tantum Indicem Tomi 5. Conciliorum Christiani Lupi, verbo *Marcellinus*: illic invenies, *Marcellini Pontificis lapsum, esse calumniosum Donatistarum figmentum*; atque ita *docere Augustinum*. Neque hoc tempore putant S. Augustini & Patris Lupi Discipuli, non licere sibi eamdem Augustini sententiam usurpare, atque rejicere Acta Concilii Sinuessani tamquam fictitia, utpote quæ vix quidquam præter lapsum Marcellini continent.

61 Ego vero cuilibet æquo lectori expendendum relinquo, an tuus potius liber, a capite ad calcem, non sit perpetua & manifesta Innocentiani Decreti transgressio, dum tam liberaliter ubique gravissimis conviciis & censuris indulges, & quidem, ne longius abeamus, in his duabus ultimis §§. nam §. septimo in terminis dicis, *Papebrochius delirat, effutivit vere paradoxa*. §. octavo ais, me quædam *præfidenter & ausu schismatico asserere*, *garrire* &c. quare concludis: *Judicet S. Sedes, an reus non sit criminis ac pœnæ rebellantium contra Apostolica præcepta, in virtute S. Obedientiæ observari jussa*. Sic nempe Decreti Innocentiani observantiam nos doces: sic juxta Decretum mones, *abstinendum ab injuriosis contentionibus*; sic, *paci & caritati consulendum*. Nunquid cum me, ais, *delirare*, peccasti manifeste, non tantum contra Decretum Innocentii XI. sed etiam contra gravissimum Christi Domini Præceptum. *Qui dixerit Fratri suo, fatue* &c.

EXHIBITIONIS ERRORUM

ARTICULUS QUINTUS.

ACCUSATIO PRŒMIALIS.

Exhibentur quæ Papebrochius inter Acta Sanctorum habet contra Sacra Concilia.

RESPONSIO.

DUm te ad exhibitionem accingis, duo te monitum, vel etiam rogatum, velim: 1. ut facta cum dogmatibus non confundas; confusio enim tenebras parit, non nisi ad fallendum utiles. Alterum, ut nova accusationis capita proferas, ne tam frequens eorundem repetitio & mihi tædium pariat & lectori. Sed vel in ipso Articuli procemio peccas contra utrumque; nam & Bordoni sententiam Articulo superiore §. 1. a me refutatam iterum objicis; & propositiones dogmaticas cum iis, quæ ad factum pertinent, confundens, sostines cum Bordono, *tantam observantiam omnibus quæ in Conciliis, etiam extra materiam fidei & S. Scripturæ referuntur, & exprimuntur, deberi, ut propositio negative seu contradictorie opposita ei, quæ in Concilio exprimitur, sapiat hæresim*. Quæ censura uti verissima est, intellecta de propositionibus dogmaticis, sic universaliter accepta, ut se extendat ad propositiones omnes, etiam mera facta particularia continentes, plane exotica est, nec ab ullo hodie Theologo, extra forte scholam vestram admittenda.

2 Quis enim diceret (ut innumeros alios passim obvios prætereeam) Cardinalem Bellarminum, Cardinalem Turrecrematam, eximium ex ordine S. Dominici Theologum & Jurisconsultum Joannem Malderum Episcopum Antverpiensem, fuisse suspectos de hæresi, sive, eorum doctrinam *hæresim sapuisse*? Et tamen sustinuerunt, Concilium generale sextum, damnando Honorium Pontificem tamquam Monothelitam, *errasse*. Sic enim Bellarminus Lib. IV. *Opuscul. Collect.* de Pontifice cap. XI. aperte enuntiat, *Quod si aliquis adhuc non possit adduci, ut credat corruptam esse Synodum VI. is accipiat alteram solutionem, quæ est Joannis a Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 93. qui docet, Patres sextæ Synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proinde in eo judicio errasse ..... Itaque tuto dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus; & non intellectis Honorii epistolis, immerito cum hæreticis connumerasse Honorium*. Et paulo post; *Ad Tertium respondeo, Patres VII. Synodi secutos esse Synodum sextam, & solum repetivisse quod in ea legerant. Proinde deceptos fuisse ex sexta Synodo, quæ vel corrupta erat, vel per errorem Honorium damnaverat.*

3 Malderus autem, de objecto Fidei, disputatione VII. pag. 47. *omissa*, ut ait, *tergiversatione Alberti Pighii, qui frustra conatur ostendere acta VI. Synodi in hac damnatione a Græcis esse corrupta ... Honorii binæ epistolæ ad Sergium scriptæ, lectæ in VI. Synodo, & falso ita intellectæ, quasi Honorius Monothelitarum hæresim fovisset, occasionem dederunt, ut ei diceretur anathema ... quem facti errorem potuerunt sequi aliqui etiam Romani Pontifices, damnando Honorium*. En R. Pater, propositionem contradictorie oppositam duobus Conciliis sexto & septimo; sed, ut dixi, circa factum particulare, nec revelatum. Numquid igitur ridiculum est, quod propter auctoritatem solius Francisci Bordoni sic exclames: *Quibus non obstantibus*, hoc est, non obstante auctoritate Bordoni, *Papebrochius eo præsumptionis & audaciæ devenit, ut etiam ad ipsa SS. Concilia virgam suam censoriam extendere non vereatur*, putans, ea in facto quodam particulari non revelato errasse?

4 Non meministi autem, quod Bordonus in eadem sententia, quam citas Art. 4. §. 1. eodem prorsus modo loquatur, de iis quæ *in Breviario*

sicut quæ *in conciliis exprimuntur*? Quæro nunc, an is qui anno 1630. Senis negasset S. Catharinam nobili genere natam fuisse, dici debuisset hæresim sapere, quia tenuisset *propositionem negative oppositam ei, quæ exprimebatur in Breviario*? Atqui tamen Breviarium rogatu Burghesiorum correctum est, atque illa generis nobilitas expuncta. Noli itaque, R. Pater, tam altum clamare, & propter dictum aliquod unius Theologi, tam atrociter censurare, non me tantum, sed Eminentissimos quoque Cardinales, Episcopos, & Theologos hujus temporis passim omnes.

ACCUSATIONES.

§. I. *Papebrochius cum hæreticis Acta Sinuessani Concilii explodit tamquam fabulosa.*

§. II. *Papebrochius historiam S. Marcellini, inter Acta Concilii Sinuessani relatam, vocat fabulam.*

§. III. *Papebrochius, sequutus hæreticos & damnatum Natalem Alexandrum, asserit hanc Propositionem*, Prima Sedes non judicabitur a quoquam, *relatam in Concilio Sinuessano, esse falsam.*

§. IV. *Papebrochius, contra Concilium Nicænum & Romanum, ex damnatis Natalis Alexandri libris, gesta S. Silvestri explodit tamquam fictitia.*

§. V. *Papebrochius negat cum hæreticis, contra Concilium Romanum & Viennense, jus eligendi Imperatorem per septem Germaniæ Principes, profluere a Constitutione Apostolica.*

§. VI. *Papebrochius molitur acta indubitati Concilii Romani sub Zacharia Papa celebrati ad ineptias ablegare.*

§. VII. *Papebrochius Concilio Nicæno falsam adscribit Canonem, ut imperitis imponat, Paulum cum Petro Urbis Romæ fuisse Episcopum.*

RESPONSIO.

VEre molestus Accusator es, non argumentorum difficultatibus, quæ hactenus nullæ sunt, sed continua earumdem criminationum, quantumvis evidenter convictarum, iteratione. Ego vero uti nullum accusationis punctum dissimulare statui, sed respondere accuratissime ad singula; ita inutilibus & tetricis responsionum iterationibus tempus perdere non amo, neque lectoris patientia abuti. Quapropter septem paragraphorum, vix quidquam novi continentium, accusationes hic congerere placuit, & ad sola ante non refutata respondere. Quæ spectant Concilium Sinuessanum; Lapsum S. Marcellini; Pontificem a nemine judicandum, nisi fuerit a fide devius (quo solo casu judicandum agnovi cum Jure canonico & omnibus sive SS. Canonum sive Theologiæ peritis) vidisti dilucide discussa Art. 2. §. 6. quæ spectant institutionem septem Electorum, §. 5. quæ spectant gesta S. Silvestri, §. 2. & 3.

6 De Concilii Romani sub Zacharia Pontifice celebrati actis id est, Capitulis in eo constitutis (hæc enim sola ut sincera laudantur a Baronio, & iis qui ex Baronio illa inseruerunt Tomis conciliorum) de Actis, inquam, istius Concilii dubitavi numquam, nedum ea ad ineptias relegavi: neque tu, Pater R. id me voluisse probas, imo nec probare conaris: ut quid igitur sic me calumniaris in titulo ejus Paragraphi, ubi solum niteris verificare Appendiculam subscriptionum Episcopalium, quam nu. 28. *mendosissime esse scriptam*, fateris ipse cum Baronio & sequacibus, illius censuram verbotenus referentibus, *Sed mendorum nomine intelligunt*, inquis, *errores Chronologicos, & eos tantum, qui in characteres nominum Patrum subscriptorum irrepserunt*. Displicet autem P. Vestræ, quod eo non contentus, dicam: *Appendicula ista inepti cujusdam hominis est*. Hoc scilicet est, *Acta* ipsa *ad ineptias relegare*.

7 Quam multa in Tomis Conciliorum sunt Acta, a nemine dubitata, quæ subscriptionibus careant, iis avulsis aut neglectis! quam multorum subsignationes depravatæ, nominibus vel titulis Episcorum turbatis! quod si sæpius una in serie contingat, quia *inepti hominis* manum non agnoscat & doleat? Interim, quis exinde certo probet veram alicujus sic nominari existentiam, donec aliunde fidelior notitia offeratur, vel Episcopi vel Tituli?

8 Illa, quæ Capitulis xv. illius Romanæ Synodi subnectitur pars narrativa, *in omnibus quæ extant exemplaribus mendosissime* descripta (ut loquuntur editores præfati) in principio nomina refert Episcoporum, ad prædicta Capitula tractanda considentium, in quibus quintus *Thomas Florentinus*. Sed eo tempore, id est, anno 743. *Florentina Civitas tota pene jacebat diruta, & populus omnis erat dispersus*, sicut mihi manu sua scribit Ughellus, [1] in Propylæo Aprilis num. 15. relatus; *ipsique Episcopi, non se Episcopos Florentinos, sed B. Joannis Episcopos scribebant*. Ab omnibus etiam Florentinorum Episcoporum Catalogis, a Tiberio Petraccio Vallumbrosano diligenter inter se collatis, abest istius *Thomæ* nomen.

9 Istis autem consideratis, numquid opinari possumus, quod ineptus scriba, sicut ex membranis male servatis, nominat *Bladerum*, *Consilinum*, *Bisuntianum* Episcopatus, nusquam in tota sacra Geographia veteri ac nova inveniendos; sed per conjecturam referibiles ad *Bleranum*, *Cornetinum*, *Baxentianum*; ita etiam *Florentinum* supposuerit pro *Ferentino*. Cum autem inter hujus sedis Episcopos pro anno 721. habeamus Agnellum, pro 771. Stephanum; aptus videtur locus *Thomæ*, inter ipsos potius reponendo, quam inter Florentinos, tot contra hos stantibus; & ea quam signasse prætenditur Attestatione, nullum inter eruditos Florentinos per tot annos inveniente, qui fide dignam censeat: Lucio vestro Belga, Bibliothecæ Carmelitanæ auctore, qui hanc Florentiæ scripsit & edidit anno 1595. nullam ejus mentionem faciente, istic ubi maxime poterat & debebat, narrans ædificationem Ecclesiæ, factam anno 1268.

[1] Mirari itaque subit, quid deinde Ughellus ipse Thomam in serie Episcoporum Florentinorum collocarit non alio ductus argumento, quam hac subscriptione. Mendosam eam appendiculam vocat ex Baronio etiam Harduinus. In lacero ac dimidiato Codice Illustriss. Veronensis Capituli ætatis contumelias passo extat hæc Romana Synodus. *Quæ sequuntur* (appendiculam subscriptionum intellige) *tum in editis deformata sunt, tum in Ms.* Ita Maffejus Biblioth. Veron. Ms. p. 79.

1268. & elterius mejorie ec novæ dedicationem, en. 1422. uti letiue *deduxi* inter Petriarchas Hierolol. num. 165.

10 Porro cum in fine istius iam mendosæ Appendiculæ etiem legatur, teste Beronin: *Factum est boc Concilium unno * secundo Artabasdi Imperatoris* (qui esset 742.) *nec uon & Luitprandi Regis auno trigesimo secundo , Indictione duodecima* (quomodo notetur ennus 743.) Cum, inquam, sic legetur signetum tempus epud Beronium, neque hic indicet in mergine, uti elies solet, stelle * iste ut supra, posite ed oumerum enni Imperialis, eliquid correctionis necesseriæ significeri, sed quasi in Mss. tepertem; quomodo mirarie, quod e Barnnin non eccipipiem correctionem, de qua ille verosimiliter numquem cogitevit? sed intellecto per indictiooem 12. enno 743. latis hebuerit hunc tenere, omisso ceternrum cherecterum exemine? An, quie nnn vidi quod nusquam eret, deben eudire a Patern. Tue, quod *oculos nullos passio babet?*

11 Quin & impostorem me facis, quia de cleusula prædicte agens, exetrenie præter mentem celemn, scripsi, *exordientis*, prn *finientis*. Hoc me voluisse tes iple monstrat, dum sequitur, *Factum est boc Concilium :* nem pronomen *Hoc* pessim solet non referri ad aliquid subsequens, sed præcedens. Tibi interim, Peter R. citenti num. 27. hujus Articuli censnrem meam, ohrepsit *Indictio X.* prn *XII.* in quo nullem suspicor imposturam tuem, quie non video cui tuo bono mihi vnluisses imponere: uti neque cur Articulo 3. numero 36. reum facere Eugenium IV. eorum delictorum, quæ Pius II. se feteiur ente Pontificatum commisisse: verum cupio, ut eodem modo mecum ages, dum occurret eliquis scriptoriue, vel typotheticus error, nihil ed rem seciens, de qua agitur. Nem scriptoribus & correctoribus subinde ohrepere omissionis vel mutetinnis aliquid, præter mentem eorum, *Scimus, & banc veniam petimusque damusque vicissim.*

12 De Romeno Pauli Episcopatu vicarin, & subjecto Episcoperui Petri egi Art. e. §. 9. & porro agam Art. 7. Interim bunc S. Bernerdi locum hic eppendo, sic alloquentis Romenos, Pontifici rebelles, ep. 242. *Reconciliamini Principibus vestris, Petrum loquor & Paulum, quos utique in Vicario & successore suo Eugenio, suis Sedibus effugastis*. Ergo etiam Paulus Sedem habuit Romæ, in quam juxta S. Bernardum Eugeniue successit, adeoque Paulus etiam Episcopus Rnmanus fuit, quemvis Petrn subjectus, ejusque teotum Vicetius.

13 Cur eutem in titulo celumnieris me *Concilio Niceno falsum adscribere Canonem*, cum ipsemet cites Cen. 8. qui est apud Rufinum decimus, & eb eo sic exprimitur, *Ne iu una civitate duo Episcopi sint ;* Caput eutem 50. inter Arebicos Caoones ipso statim principio mendet: *Ut non sit nisi unus Episcopus uuius Civitatis, nec in una Ecclesia villa sint duo Sacerdotes*. Utrumque textum videre potuisti tom. e. Concil. cnl. 56. & 306. Si dicas Concilium non prohibere, quod aliquendo factum sit, sed cevere ne fiat; hoc tuum interpretamentum tibi habe, & sine, Peirum de Marca (ipsius enim est inventum, non meum) tenere id, quod ex naturali verborum sensu facilius educitur, cenonis ejus causa non fuisse solum metum futuri,

* *Opuscul. Collect.*

sed remedium etiam præsentie incommodi. Si in hoc eum errasse judicas, non samen finxisse, debueres dicere; multo minus me, qui solum illius Exercitationem reddo ut eccepi, hectenus e nemine, præterquem e te improbatem, nedum demnatem ab Ecclesie, uti fingis ipse, sicut mox probabo ante Art. 7.

§. VIII. ACCUSATIO.

Papebrochius contra Concilia, Romanum & alia, cum bareticis ubnegat S. Dionysio Areopagita libros de Hierarchia.

RESPONSIO.

TOmo 3. Maji ad diem 14. pag. 295. ipso scilicet loco, quem eccuses, profitenr, me *libros illos suspicere & venerari, ut Divino spiritu scriptos* : sed in margine nnto, eorum euctorem *non esse Dionysium Areopagitam*. Idem ente me suspiceti sunt plures, in Histnricie diu multuque versati, Catholici scriptnres. Idem superiore seculo sustinuerunt Lutherus & Calvinus, sed longe alio ducti spiritu, quam Catholici: illos enim urebat, *Hierarchiam Ecclesiasticam*, quem cene pejus & engue oderent, comparari *Hierarchiæ Calesti*; neque contenti libros illos ebjudicasse Dionysio Areopagitæ, eos etiem de grevissimis erroribus eccusare temere prælumpserunt, Nos solo veritetis studio in auctorem inquirimne, &, ut jem indicetum est, salvo meliori, non putamus fuisse Dionysium Areopagitem, quemvis pro eo stet plurium seculnrum possessio, & sub ejus nomine citentur a quibusdam Petribus & Conciliis.

15 Ao opinio nostra plene temereria sit, ut contendit Accusetor, expensis rationibus, lectnr, stetue; Librorum istorum, Areopagitæ etribuforum, neque Eusebius meminit, neque Hieronymus, quoscumque scriptores Ecclesiasticos diligentissime recensentes. Ipse Bellerminus, licet libros illos Areopegitæ edscribat; ait temen lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, quo *ante S. Gregorium Romauum nemo horum operum uomine Dionysii Areopagitæ meminerit*, videlicet quetunr integris seculie inter Areopagitem & Gregorium mediis,

16 Verum ennis eliquot ente Gregorium, vocatus eorum Auctnr deprehenditur idem Dionysius, & primum quidem e Severienis hæreticis, qui anno 533. in Collatione hebite cum Catholicis, usi sunt testimoniis inde petitis. Sed reposuit Episcopos Cethnlicus in dicte Collatione tomo 4. Conc. Labbe col. 1763. *Illa testimonia, quæ vos Dionysii Areopagitæ esse dicitis unde potestis ostendore veræ esse, sicut suspicamini? Si enim ejus erant, non potuissent latere B. Cyrillum. Quid enim de B. Cyrillo dico? quando & B. Athanasius si pro certo scivisset ejus fuisse, ante omnia in Niceno Concilio de Consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset, adversus Arii diversæ substantiæ blasphemias. Si autem nullus eu antiquis recordatus est ea, unde scitis quia ejus?* Ecce, R. Pater Professor, ergumentum e Catholico disputatore entiquo & Episcopo, contre entiqnos hæreticos productum, & quidem tem validum, ut hi, qui ed eliat pro aliis Senctis Petribus Catholicorum exceptiones, invenirent eliquid quod reponerent, prn Areopagite obmutuerint.

17 Invaluit tamen paulatim ea credulitas Constantinopoli; unde factum, ut eodem sexto seculo ad finem vergente, reversus inde S. Gregorius, Pelagii Papæ apocrisiarius, ejus notitiam aliquam, dubiam tamen, attulerit Romam; quam & inseruit suæ homiliæ 34. his verbis: *Fertur Dionysius Areopagita, antiquus scilicet & venerabilis Pater, dicere, quod ex minorum Angelorum agminibus, foras, ad explendum ministerium, vel visibiliter vel invisibiliter mittuntur, scilicet qui ad humana solatia vel Angeli vel Archangeli veniunt: nam superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt, quoniam ea, quæ præeminent, usum exterioris ministerii nequaquam habent.* Verum hæc & alia quæ sequuntur, non tam verba Dionysii sunt, quam sensus, ex pluribus capitibus collectus: quem Gregorius ab alio, libros diligentius scrutato, acceperit.

18 Ex hinc tamen Latinis etiam innotuit auctor Dionysius, ut Areopagita, neque de hoc dubitatum deinde videtur fuisse ante seculum 16. quando, occasione hæreticorum libros illos impugnantium, Catholici seposito præjudicio eos excutere penitius coacti sunt. Horum unus Petavius, inter nostri seculi eruditos nominatissimus, in opere Theologicorum dogmatum, de veritate istius opinionis admodum dubius, nusquam absolute Areopagitam nominat, sed *Dionysium, qui Areopagita vulgo dicitur*; semper autem eum postponit Dionysio Alexandrino, tamquam multo juniorem; atque tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 6. probat, etiam Guilielmum Estium aliter quam vulgus de ætate alterius Dionysii sensisse. Petavii discipulus Philippus Labbe, in magistri sui sententiam pronior, noluit tamen quidquam definire.

19 Idem fecisse videri quidem vult Joannes Morinus Oratorista, Petavii æqualis, in opere de sacris Ordinationibus; duobus nihilominus integris capitibus 5. & 6. partis 2. operose probat Areopagitæ adscribi non posse eos libros, in quibus & S. Ignatii epistola an. 168. scripta, & Apocalypsis S. Joannis, ut indubitanter Canonica, citatur identidem, quam tamen Græci tempore S. Hieronymi (ut testatur ipse Epist. 599. ad Dardanum) nondum suscipiebant ut talem, propter Chiliastarum hæresim, ex illius pravo intellectu natam, quam etiam hic Dionysius insectatur. Postquam tamen hæc aliaque multa, ex ipsorum librorum contextu toto petita argumenta exposuit, eorumque summam antiquitatem perplexia plenam difficultatibus ostendit Morinus, *Unusquisque*, inquit, *de hac quæstione ut libuerit opinetur. Experientia quotidie discitur, plerosque homines ægre admodum ferre, caducum quodlibet auctoritatis vel pietatis præposteræ fundamentum sibi subduci.* Ita profecto est. Sed quid agas, si vel ipsa ratio suscepti operis te cogat verum a falso secernere; vel adversariorum importunitas adigat ad categoricum in controversia aliqua responsum, prout mihi utrumque contingit.

20 Mortuis Petavio atque Morino successit in eamdem arenam Joannes Launoyus, cui huic non magis quam Theophilo Raynaudo aliisque nocere debet, quod aliqua alia ejus opuscula censurata sint: quod enim de hoc argumento scripsit edidítque anno 1660. non modo prohibitum non est (quod sciam) sed ita etiam placuit, ut plures sequaces habuerit, & nemo inventus Parisiis sit, qui libros istos contra Morinum defenderet usque ad annum 1679. quo Morino respondere conatus est Chiffletius noster: sed minus felici successu, ut hujus responsionis nullam sibi rationem habendam duxerint Parisiensis Breviarii, proximo deinde anno editi, reformatores: Chiffletium vero egregia epistola, sed nondum, quod sciam, edita, refutavit Quesnellus: cujus quidem synopsim aliquam dedi ad Ephemerides Græco-Moschas ante to. 1. Maji, nihil tamen ibi definivi: multo minus consensi Quesnellio, juniorem Eutiche & Nestorio auctorem facienti, & nescio quid circa ejus orthodoxiam [1] dubitanti, quia non dubito, quin Chal-

[1] Adnotandi hic nonnulli videntur, qui Dionysio Areopagitæ vulgata sub ejus nomine opera studio omni vindicarunt. Hos inter principem locum obtinet Natalis Alexander tom. 3. Diss. 22. quem mirum est, Papebrochio non fuisse a cavillatore Carmelita objectum; tum appellandi sunt D. Claudius David San-Maurinæ Congregationis, de quo Cerfius in Maurinorum Bibliotheca p. 76. & P. Adrianus de Sept-Fonds antea Oratorianus Presbyter. Nuper his accessit Anonymus ille Societatis nostræ, qui animadversiones in Floridi historiam ecclesiasticam Avenione edere cœpit in lucem. Sed receptissima hodie eruditorum sententia Papebrochio assentitur, illosque libros Areopagitæ Dionysio abjudicat. En aliquot, ut Papebrochii sententia doctorum virorum auctoritate comprobetur. Tillemontius tom. 2. Caveus Hist. liter. tom. 1. Oudinus de Scriptoribus Eccles. tom. 1. Fabritius Bibl. Græcæ, tom. 5. Calmet. in Dictionario Biblico, & P. Constantinus Roncaglia in notis ad 22. Natalis dissertationem, quibus recentiores Bollandiani, & Cl. Marchio Maffejus accenseri possunt cum illos libros nunquam nisi sub pseudo-Dionysii nomine appellare consueverint. P. le Nourry in Apparatu ad Biblioth. Max. Patrum tom. 1. utriusque sententiæ momenta affert, atque perpendit. In negantem tamen propendere videtur judice Cerfio Biblioth. Maurin. pag. 400. Gallus anonymus, qui de lectione SS. Patrum egregium librum edidit Italice Venetiis recusum an. 1721. p. 72. suspicatur, auctorem horum librorum sub Dionysii Areopagitæ nomine eos protulisse, ut majorem sibi venerationem adscisceret, deque Ecclesia optime mereretur. Cæterum pag. 205. manifestum ait hosce libros ab Areopagita Dionysio conscribi non potuisse. P. Le Quien doctus Dominicanus Dissert. 2. inter eas, quas Damasceni editioni prolegomenas voluit, hæretico Monophysitæ, quæ Dionysio Areopagitæ tribuuntur, opera adscribit. Fogginius nuper Exercit. 2. de Romano D. Petri itinere ex Chartaceo Codice Bibliothecæ Florentinæ Dominicanorum S. Marci ineditam Epistolam vulgavit, quæ dicitur *Dionysii ad Timotheum de morte Apostolorum Petri & Pauli, præcipueque Apostoli Pauli*. Notat autem pag. 26. Fr. Thomam Mamachium Ord. Prædicatorum dissertationem parare edendam ultimo tomo novæ editionis omnium operum S. Antonini Florentini Archiepiscopi, qua P. le Quien de Monophysita Dionysianorum operum auctore sententiam diruere sataget. Joannes Philippus Barraterius in appendice Disquisitionis Chronologicæ *de successione antiquissima Episcoporum Romanorum* Ultrajecti anno 1740. editæ Diss. 1.3. Dionysio Alexandrino Areopagiticos libros pluribus contendit. Nimirum ait ille: *Dionysius aliquis hos libros scripsit, quia se sic vocat, nec pro impostore haberi debet. Igitur Dionysius noster debuit esse vel Areopagita, vel Corinthius, vel Alexandrinus; sed neuter priorum; ergo Alexandrinus.* Ego vero nollem fallaci huic argumentationi fidere. Quid enim si quis primam illam propositionem negaret, vereque fictitium illum Dionysium impostorem fuisse contenderet? Quid si & consecutio claudicaret? Quod nempe alii nobis Dionysii non innotescant præter Areopagitam, Corin-

Chalcedonensi sit prior; nec miror, eos, qui ante hæreses quasdam damnatas scripsere, non ita circumspecte semper loqui, ut non aliquando videantur iisdem, licet post natis favere.

21 Ast tomo 2. Maji, quæsiturus, an cœnobialis vitæ seu perfectioris monasticæ initium & exemplum a S. Pachomio sumptum sit, sicuti in hujus Acta nu. 76. asseruisse dicitur S. Antonius; non potui declinare objectionem, in contrarium formandam ex libris de Hierarchia, ubi caput 6. de Monachis agit, eorumque consecratione. Respondeo ergo ibi, quod libri illi *movere eos solos poterant, quibus poterit persuaderi Ecclesiasticas omnes ceremonias, atque ritus in sacrorum Ordinum collatione Sacramentorumque susceptione tam fuisse distinctos, fixos & regulatos initio Ecclesiæ, quam fuerunt deinde quarto aut quinto seculo &c.* Multa addo in laudem auctoris, tanquam *absolutissimæ Magistri Theologiæ jam plene constitutæ, atque (ut sic loquar) scholasticæ, ad subtiliores quæstiones evagantis*. Simul in margine pono hanc synopsim: *Dionysius de Hierarchia non est Areopagita.*

22 Magna certe perspicacia opus non erat, ad hoc saltem videndum, quod non potuerit Apostolorum coævus fuisse, qui prolixe agit de puerorum baptismo, tamquam de re indubitata; de qua tamen dubitatum fuit, testibus Tertulliano & Cypriano, usque ad definitionem Concilii Carthaginensis sub ipso Cypriano an. 252. Quid? quod ipsemet ibidem, quasi oblitus suam dissimulare ætatem, sic loquatur: *Hac de re* (baptismo parvulorum) *dicimus, quod divini nostri Pontifices, ab antiqua traditione mystice edocti, ad nos usque produxerunt.* Ne quis autem obtrudere nobis posset aliam quampiam & interpolatam versionem ex Lanselio; accipe ipsa verba Græca, & si Græce nosti, vide an cum Latinis satis conveniant: *Περὶ τούτου πάντα φαμὲν ἅπερ οἱ θεῖοι ἡμῶν ἱεροτελεσταὶ πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως, εἰς ἡμᾶς προήγαγον.* Quinam obsecro, Pontifices isti? An S. Paulus aliique Apost. institutores Dionysii? An hi de puerorum baptismo *ex antiqua traditione* potuerunt dici duxisse quidpiam? & non potius intelligentur aliquot secula jam tum fluxisse, cum ista scriberet quiscumque Dionysius?

23 S. Maximus, ut expediat se ab Epistola S. Ignatii, sub Trajano (ut apud omnes constat) passi, cum Areopagita sub Domitiano coronatus credatur; dubitare mavult, an revera sub Trajano passus Ignatius sit; alii, an sub Domitiano, Areopagita: neque huic effugio satis fidentes, addunt, illum S. Ignatii locum, ab alio adscriptum margini, & in textum translatum a librariis. Sed si hoc admittimus, etiam cetera omnia, quæ objiciuntur loca, dicere poteris interpolata, & sic toti operi nulla manebit certa fides; sicut nec manet libro de Institutione Monachorum, quem ut Joannis Hierosolymitani esse teneatis, dicitis ab editore Riboto interpolatum iis sanctorum Patrum locis, qui post Joannem istum scripserunt; & mavultis non habere librum sincerum, quam non habere librum Joannis Patriarchæ, etiamsi Joannem illum Hieronymus faciat de hæresi suspectum.

24 Quod porro S. Maximum attinet, huic licet in expositione librorum omnino maximo, in ætate tamen Auctoris hallucinato, respondere malo verbis Baronii, ad annum 604. num. 40. objicientis sibi auctoritatem S. Joannis Damasceni, allata pro verificanda fabula de cranio Trajani, per S. Gregorium post annos 500. baptizati & anima ejus ab inferno liberata, quam rem iste Joannes, ut certissimam refert. *In his, quæ rerum gestarum veritatem spectant, frequenter accidit falli etiam prudentissimos ... ob idque nihil est, ut quantævis sanctitatis sive doctrinæ cujuslibet prærogativa viri, quod non factum est unquam ut factum asserentis, ipsi veritati possit præjudicium afferre, cum in his, quæ sunt facti, non dogmatis, potuerit quisque sanctissimus atque doctissimus fidei orthodoxæ professor atque defensor, aliquando falli.*

ACCUSATIONES.

§. IX. *Papebrochius, contra Concilium Florentinum asserit, Romanum Pontificem esse Petri & Pauli successorem.*

§. X. *Papebrochius, contra II. Nicænam Synodum, Acta S. Procopii ab ipsa Synodo laudata, de fictione habet suspecta; & contra Lateranensis IV. contradicit, libellum de unitate seu essentia Trinitatis non esse Joachimi Abbatis.*

RESPONSIO.

UBinam contradictorium assertioni meæ definivit Concilium Florentinum? Sessione ultima, inquis, his verbis: *Definimus, ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum.* Admitto, Professor, definitionem Florentini; sed consequentiam hanc non video: *Ergo definit Florentinum, Pontificem non esse successorem etiam Pauli.* Cur consequen-

Opuscul. Collect.

tiam

Corinthium, & Alexandrinum, cum probat neminem extitisse eo nomine prænotatum, qui opera illa obtrudere conaretur? Animadverto etiam hominis angustias. Bartererius ut suam tueatur sententiam, locum illum Pseudo-Dionysii ex cap. 3. de D. Nominibus §. 22. ubi ille Deiparæ morti interfuisse scribit, interpolatum ac suppositum fuisse affirmat; fictitias etiam esse contendit epistulas ad Apollophanem, ad Polycarpum, ad Joannem. Sed claudat hanc adnotationem P. Du-Mesnil doctr. & discipl. Eccles. tom. 1. l. 4. n. 12. *Illius*, [Areopagitæ] *autem librorum non meminit* [Dionysius Corinthiorum Episcopus] *nec Eusebius, nec Hieronymus, nec alius Auctor ante sextum sæculum, quorum tamen auctoritas fuisset maxima, præterea non pauca, quæ parum conveniunt ritibus illius ætatis, sed sequentibus sæculis usitata sunt, in iis continentur. In libro de divinis Nominibus, quem in Græcia se scripsisse testatur Auctor, B. Ignatii ad Romanos Epistola laudatur; hæc vero anno Christi 109. scriptam esse constat. Dionysium Areopagitam, qui se 25. annorum fuisse tempore Dominicæ passionis scribit ad Apollophanem, ad hæc usque tempora pervenisse quis sibi persuadeat .... Denique Gelasius Papa in Romano Concilio, & quinta Synodus Oecumenica dum recensent opera Patrum, quæ recipit ecclesia, non meminere librorum D. Dionysii Areopagitæ, quamvis jam a pluribus annis innotuerit. Equidem plures Pontifices, Patres & Concilia sequentibus sæculis ejusmodi libros laudarunt sub nomine Dionysii: quis autem nesciat, plures sextæ Synodi Patres, nullo reclamante, plura testimonia protulisse ex libris apocryphis? in ejusmodi factis, ut de Romano Breviario observant EE. Cardinales Baronius & Bellarminus, opinionem olim communem sabsecuti sunt Pontifices, nihil definientes. Hæc autem opera jamdudum inter Patres probabilem auctoritatem obtinent, eorumque auctor vixit ante sextum sæculum.* Hactenus Du-Mesnilius.

tiam illam non probas? An tam clara est, ut nulla egeat probatione? Atqui millena ejusmodi antecedentia vera sunt, quorum conclusiones similes forent falsissimæ. Supponamus verum esse, quod Patres Carmelitæ sunt successores Eliæ; sequiturne inde, non esse successores etiam Enochi? Non vocantur passim Pontifices, successores Pauli, sed Petri; sicut nec vos vultis Enochi esse, sed Eliæ; atque inde vocari Eliani, quia a principali seu potiori prædecessore potius sumitur denominatio.

26 Non acquiescis; sed, *Romanum*, inquis, *Pontificem esse solius Petri successorem, non vero Petri & Pauli, sustinet omnis probus Catholicus*. Legistine, Rev. P. Professor, libros omnes *omnium proborum Catholicorum*; aut saltem habesne testes aliquos irrefragabiles, qui dicant, non esse *probum Catholicum*, qui hoc non credat? Nullum ego quidem tam severum censorem hactenus deprehendi. Numquid tibi & mihi optandum est, ut tam *probi Catholici* simus, quam Doctor Mellifluus S. Bernardus? Atqui illum superius dedi, & iterum exhibeo sic alloquentem Romanos, Pontifici rebelles Epist. 242. *Reconciliamini Principibus vestris, Petrum loquor & Paulum, quos atque in Vicario & Successore suo Eugenio suis sedibus effugastis*. Ecce Eugenium, non tantum *Petri*, sed & *Pauli successorem*; & quidem, non tantum in laboribus Apostolicis, sed etiam in *sedibus*. Animadverto nunc ex Art. VII. §. V. quod præcipuus hic auctor tibi fuerit Diana, quamquam neque hic ulla censura notet meam, imo S. Bernardi sententiam. Quæro igitur, an vidisti Dianam, initio disceptationis de Primatu solius D. Petri fatentem, quod Anonymus in epistola Parisiis impressa anno 1645, *coacervavit quam plurimas Sanctorum Patrum auctoritates, in quibus asserunt, Pontifices esse successores & Vicarios D. Petri, & D. Pauli: in quibus etiam asserunt D. Petrum & D. Paulum fuisse Episcopos Romanos*.

27 In disceptatione 4. num. 12. citatum a Diana vidisti Cardinalem Bellarminum lib. 1. de Pontifice cap. 27. sed verba ejus Diana non protulit, forte quia videbantur minus faventia. Sic autem habet Cardinalis loco citato: *Satis constat Petrum Paulo auctoritate majorem fuisse .... tamen etiamsi constaret, Paulum Petro omnibus nominibus anteponendum esse, nihil id Romanis Pontificibus officeret, aut ipsi etiam Petri summo Pontificatui. Non quidem Pontificibus Romanis; quoniam ipsi tam Petrum quam Paulum Prædecessorem & parentem agnoscunt. Siquidem uterque Apostolus Romanam Ecclesiam fundavit, & gubernavit, ut præter alios testatur Irenæus lib. 3. cap. 3. & in urbe Roma uterque per martyrium vitam finivit; itaque omnis Pauli gloria ad Romanos Pontifices pertinet. Nihil etiam Petri Pontificatui officeret summa dignitas & auctoritas Pauli: quoniam extraordinaria erat, quanta tandem esset*.

28 Habes hic, non solum *Petrum*, sed etiam *Paulum Prædecessorem Pontificum Romanorum*. Numquid, R. P. Professor, hinc bene sequitur: Ergo juxta Cardinalem Bellarminum, Romanus Pontifex est, non solius Petri, sed etiam Pauli successor? Ista quidem mihi videtur tam necessaria & evidens consecutio, quam hæc, Titius est pater Caji, ergo Cajus est filius Titii. Sed an Cardinalis hic, tam pius & doctus Catholicæ fidei adversus hæreses defensor, a te excluditur e numero *proborum Catholicorum*? Si excluditur; hoc illi solatio esse poterit, quod a te solo, & cum S. Bernardo, cum S. Irenæo, aliisque SS. Patribus excludatur.

29 Ad alteram nunc accusationem veniamus. In Concilio Nicæno II. contra Iconoclastas coacto ad annum 787. Actione 4. allata fuerunt, & uno simul die legenda delibata volumina minimum quadraginta, in quibus etiam Vitæ quorundam Sanctorum pleræque scriptæ seculo 7. ut sunt S. Mariæ Ægyptiacæ, S. Joannis Jejunatoris, S. Theodori Sicensis, & loco 38. quasi ceteris recentior, producitur *Passio S. Procopii*. [1] Evidens est autem legenti Acta Concilii, tum isto tum aliis diebus, nullam discussionem habitam super cujusque libri auctoritate, ætate, fide: satis erat in eo contineri aliquid, quod Sanctarum imaginum cultum videbatur confirmare. Sic ibidem Col. 218. lectus est sermo S. P. N. Athanasii (quique ab Alexandrino diversissimi) de miraculo Crucis Berytensis, quod paulo ante Concilium contigerat.

30 Ne autem hæc a me dicta averseris, Pater R. ut scriptore Catholico indigna, accipe quid in simili casu respondeat Fronto Ducæus; ille de tota Ecclesia tam bene meritus, Græcolatine excudendis operibus Sanctorum Patrum, utriusque Gregorii Nazianzeni & Nysseni, Basilii, Chrysostomi aliorumque; ille Card. Baronio tomo 9. Annalium laudatissimus, & Urbano VIII. eximie carus. Is in notis ad tomum 6. Chrysostomi, agens de suppositis huic Sancto sermonibus quibusdam, sic loquitur: *Neque vero mirum, quosdam ex illis, in antiquis etiam synodis, sub nomine Chrysostomi citari; cum jam in usu essent in ecclesiis; neque soleant Concilia, dum testimonia proferant, in auctores inquirere, aut alias quæstiones excutere, ab ea diversas, quam præ manibus habent, sed quæ passim offeruntur usurpare; & quacumque ratione receptos scriptores hæreticorum commentis opponere; quemadmodum & Apostoli, & reliqui Patres apocryphos libros citarunt ....*

31 Igitur ex Concilio Nicæno, laudante, id est, legi coram se permittente Passionem S. Procopii (nam aliam laudem inde non extundas) hoc solum habemus, jam tum extitisse Passionem aliquam S. Procopii Martyris Cæsareensis, ea, quæ apud Lipomanum & Surium sub nomine Metaphrastæ extat, antiquiorem, non multum tamen diversam quoad substantiam, ignotam autem Eusebio Episcopo Cæsareensi, describenti singulari libro Martyres Palæstinæ sub Diocletiano passos; quorum primus Procopius, Cæsareæ captus, & mox capite plexus, nihil commune habet cum ea tragædia, quæ in editis longe lateque deducitur, & in qua leguntur recitata in Nicæno Concilio, occasione Crucis, ab isto, nobis dubio, S. Procopio fabricari jussæ. Capere certe non possum, quomodo Eusebius, annis vix 30. scribens post passionem cujuscumque Procopii in sua urbe peractam, unius Martyrii, non valde memorabilis, fecisset mentionem; prætermisso altero, tam variis tam-

[1] Papebrochii sententiam de apocrypha S. Procopii passione pluribus confirmant Tillemontius tom. 4. a p. 605. & Bollandiani socii tom. 2. Julii pag. 554.

tamque mirabilibus eventibus & certaminibus ad omnem posteritatem memorabili; si (quod plerique cum Baronio malunt) duo Procopii Martyres, in eadem civitate, sub eodem persecutore extiterint: maxime cum vetustissimum Martyrologium, quod Eusebio & Hieronymo adscribitur, non nisi unius *in Cæsarea Procopii* faciat mentionem, idque ad VIII. *Idus Julii*. Quid hic contra reverentiam Nicæno Concilio debitam? De libello Joachimi Abbatis abunde supra responsum est.

§. XI. ACCUSATIO.

Papebrochius impingit in Concilium Tridentinum.

RESPONSIO.

VIX usquam alias festinavi magis ad legenda accusationis capita: nam ne remotissima quidem mihi unquam inciderat suspicio, posse criminationis quidpiam vel ab acutissimo accusatore adversus me procudi ex hoc Concilio. Dum igitur avide paragraphum inspicio, nihil occurrit nisi futile, & partim antea pluribus refutatum. Primum est de anno impressionis, & Censoris approbatione non posita in fronte Propylæi: ad quod respondi Art. 4. §. 5. ubi de Instructione Clementis VIII.

33 Secundum est de septimo Tomo Maji, cui dicis *nullam appositam esse Approbationem*. Cur non accusas etiam Tomum 3. & 5. nam etiam in illis nulla conspicitur; aut potius cur non credis legitimo librorum Censori, cujus Approbationes cuique parti, ut edebantur, præfixas negare non audebis te vidisse aut etiam legisse. Meminit Censor in Approbatione Partis primæ, trium Tomorum, quot simul prodibant, dicens: *Hos tres Tomos . . . publicam lucem mereri tanto propensius censeo, quanto accuratioribus commentariis observationibusque singula invenio discussa atque expensa*. In Approbatione Partis secundæ, duos tomos complexæ, ita loquitur: *Accepi quam pridem optaveram, & diligenter legi, Partem alteram de Actis Sanctorum Maji . . . . Auctorum in hisce, qui nunc prodeunt, duobus Tomis, Quarto & Quinto, laboriosam industriam & eruditionem multiplicem ..., laudatam in primis tribus ejusdem mensis Tomis nihil attinet iterum commendare pluribus*. In tertia Parte approbantur, & laudantur etiam a Censore *Tomi* SEXTUS ET SEPTIMUS, *nec non Appendices ad Tomos priores atque Paralipomena ad Conatum Chronico-historicum de Romanis Pontificibus*. Habent ergo singulæ Partes Maii suam singularem, licet pluribus Tomis eandem Partem constituentibus, communem Approbationem. Nec plus habet Novum Ordinis vestri Speculum, anno 1680. tandem editum, Tomis quidem quatuor, sed Partibus solum duabus. Liceat tamen de eo mihi quærere, quando tam severus exactor Approbationum es, Rev. Pater, an ipsum Speculum saltem duas habeat, & loco tam conspicuo, & fide tam integra?

34 Finis Decreti Tridentini est, *coercere petulantia ingenia, ut nemo suæ prudentiæ innitatur in rebus fidei & morum: impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere, qui jam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet, sine licentia Superiorum Ecclesiasticorum, ipsos S. Scripturæ libros & super illos annotationes & expositiones quorumlibet indifferentes, sæpe tacito, sæpe etiam ementito prælo, & quod gravius est sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros hujusmodi temere venales habent*. Atqui certum est, utrumque hunc finem obtineri, sive ad singulos Tomos, sive ad singulas Partes, Approbatio distincta apponatur, modo nullus liber, nullus tomus aut pars libri prodeat sine Approbatione. Dicesne, Reverende Pater, etiam in hac responsione me contra Tridentinum delinquere, quia non singulis partibus, quæ seorsim eduntur, singulas appono Approbationes; sed in initio totius operis unam tantummodo generalem, omnes & singulas partes complectentem? Quod in fronte libri exprimi debeat Approbatio, decernit Tridentinum; quod autem, si liber aliquis in diversos tomos dividatur, una Approbatio singulos tomos distinctissime exprimens, & approbans præfixa tomo 1. non sufficiat, nusquam hactenus clare video constitutum.

35 Estne aliud præterea, in quo contra Tridentinum videar peccavisse? Est, inquis. Prohibet illud sess. 4. *Sacram Scripturam ad suos sensus contorquere, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, . . . aut etiam contra unanimem consensum Patrum*. Ita contorsisse me dicis in adstruendo Romano Episcopatu SS. Petri, & Pauli, ad quod respondi Art. 2. num. 13. & respondebitur porro suo loco, ubi ex professo de illa quæstione agis. Item in restringenda Christi paupertate, de qua actum Art. 1. §. 1. Denique circa locum Pauli ad Hebræos *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis*; quem ego locum nusquam attigi omnibus meis scriptis; nedum de ejus sensu disputavi.

36 Tu eum locum, Pater Reverende ex arbitrio & phantasia tua trahis ad habitum Eliæ; non eum, quem revera gestavit, sed quem vestri Carmelitæ, rationem reddere requisiti cappæ suæ barratæ (quæ erat *ex Syrico cum largis quibusdam virgis, scilicet albis, & griseis, circulata*) dicebant se gestare *more Eliæ Prophetæ*, uti testatur Jacobus Philippus Bergomensis idoneus utique auctor ad fidem faciendam de eo, quod, seculo 15. adhuc currente, dicebant PP. Carmelitæ de illa sua veste. Hoc tamen quantum a vero abesse ego judico, tantum absum a tribuendo ejusmodi vestitu Eliæ Prophetæ & discipulis ejus, quos ab Apostolo in Epist. ad Hebræos ais designari. Ut igitur Articulum hunc a splendida exorsus es calumnia, quasi *scripta mea scateant propositionibus*, quas *nullatenus tolerandas* edicit Clemens VIII. scilicet *hæresim sapientibus, scandalosis, piarum aurium offensivis ac temerariis*, eumdem finis cum nihilo minus splendido, ut mitissime dicam, commento, quasi locum Scripturæ de melotis aliorsum detorserim: qui neque de illis melotis, quarum meminit Paulus, verbum usquam feci, & Eliæ melotem defendi, contra ineptissimam, quæ olim a Carmelitis prætexebatur, nunc vero ab eorum posteris ac nominatim a Lezana vestro exsufflatur, traditionem.

EXHI.

EXHIBITIONIS ERRORUM
ARTICULUS SEXTUS.

Exhibentur ea, quæ Papebrochius inter Acta Sanctorum habet contra S. Scripturam.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra S. Scripturam, Eliæ Prophetæ vestem mollem & delicatam affingit; sicut Chytræus hæreticus Joannem Baptistam, etiam contra S. Scripturam, mollibus vestivit.

RESPONSIO.

DE habitu S. Eliæ Prophetæ nihil aliud asserui uspiam, quam quod in Scripturis nobis exhibeatur lib. 4. Regum cap. 1. *Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus*, quodque etiam Pallio usum sciamus. Album an nigrum illud fuerit, non discussi: solum negavi, ipsi similem fuisse veterem *Carpitam Carmeliticam*, sive *cappam Barratam*, idest, *albis & griseis virgis quibusdam circulatam*, sicuti eam describunt S. Antoninus & Jacobus Philippus Bergomensis, quam etiam Carpitam Capitulum vestrum Londinense anni 1281. definivit esse suæ *Religionis insigne*, & septem dumtaxar radiis intexi debere statuit, ut esset uniformitas.

2 Interrogati autem illius temporis Carmelitæ, unde talem habitum, oculis Europæis peregrinum, gestarent, *asserebant, habitum istum fuisse Eliæ Prophetæ, habitantis in monte Carmelo in Syria*. Hoc eos asseruisse testatur S. Antoninus, merito subjungens, quod illud *neque in sacra, neque in authentica scriptura reperitur*. Multo minus sic reperitur, quod *Eliæ pallium, de curru dimissum, tactum ab igne, fuit modicum denigratum sive discoloratum in partibus extrinsecis, sed retinuit colorem pristinum in partibus involutis*, sicuti scripsit Joannes Hildesheimensis Carmelita sub annum 1370. quasi hac de causa Carmelitæ illud sic variegatum gestarent. Neutrum ego admittere volui, credidi, Eliæ pallium non minus forma & colore diversum fuisse a Carpita seu Barrata cappa veterum istorum Carmelitarum, quam fuit diversum materia, siquidem Carmelitarum ex Syrico fuisse dicit Bergomensis; Pallium autem Eliæ putatur fuisse *Melota* sive pellis ovina.

3 Nihil igitur ad vestem Prophetæ Eliæ, secundum meam quidem sententiam, facit *Syricum* seu pannus Syriacus, ex quo Bergomensis confectam fuisse asserit cappam illam, quam, ut ait ipse, *Albertus Hierosolymitanus Patriarcha Fratribus Ordinis Carmelitarum assignavit & deferendam constituit*. Proinde cum quæsivi, quid esset *Syricum* seu *pannus Syriacus*; & cum docui differre a serico, & contexi solitum ex lana caprina, quam vulgus Belgarum *kemelshayr* nominat, ex qua etiam texitur splendidior ille ac mollior pannus vulgo dictus *Kamelot*, nihil minus cogitavi, quam ejusmodi pannum aptare Eliæ, imo nec Carmelitis, quamvis *Syrico* indutis; sciens, quod sicut ex ovilla, sic ex caprina diversissimi generis pannus texatur; adeoque *Syricum* multiplex detur majoris ac minoris pretii, asperitatis vel mollitiei, obscuritatis, vel splendoris.

4 Ista tamen occasione monui etymologiarum studiosos, ne, eum audiunt dici *kemelshayr* & *Kamelot*, putent significari pilos & pannos Camelinos, quales usitata textrina non novit; sed sciant usu corruptas deflexasque voces, pro *Kepers-hayr*, & *Kapelot*. In quo toto discursu nihil videbit, credo, æquus lector, quod vel asperitati vestitus Eliani contrarium sit, vel Scripturæ. Istæc autem scribens Tomo 2. Aprilis, ubi de Alberto cap. 12. num. 128. nec minimum quidem de Joanne Baptista vel de hæretici Chytræi delirio cogitabam. Sed ut de utroque cogitarem Tom. 3. Maii pag. 294. fecit Patris Bonæ-spei cavillatio, quam ab eo mutuatur Accusator meus, assumens eam pro hujus sui Paragraphi titulo. Mihi enim imponit, quod *contra S. Scripturam, Eliæ Prophetæ affingo vestem mollem, & pretiosam*: ubi ego solum dixi, Carmelitas, qui Syrico & barrato pallio utebantur, cum venirent in Europam, affirmasse, eam pallii formam esse ad exemplum Pallii Eliani, quod videbatur, uti nullo adstrui fundamento, ita nec admittendum.

5 Aptius tamen eo loci docuissem, & citra periculum reprehensionis tam injustæ, non, quam delicatus pannus ex pilis caprinis conficiatur, sed quam durus & asper alius ex iisdem texi possit, quando rudis pilus & nulla subactus arte, in fila ducitur; unde confecta sub Moyse cilicia, quibus extrinsecus operiebatur Tabernaculum fœderis, & quorum usum Monachis frequentem probat Epistola S. Pachomii *ad Fratres, qui tondebant in deserto capras, de quarum pilis texuntur cilicia*. Volui ergo ex hoc loco suppleri priorem, ne Carmelitæ pergerent queri, quod eorum majoribus, Syrico barrato vestitis, injecerim vestem mollem & pretiosam. Sed & hanc supplendi defectus prioris curam, in crimen vertens Accusator, ac nominatim quod dixerim, istam de Camelotti etymologia notitiam, *in gratiam curiosorum* additam fuisse a me; *Quis ferat*, inquit, *similia contra sacram Scripturam & unanimem sanctorum Patrum consensum, fingi ad gratificandum curiosis . . . Chytræus poterit se eodem astu excusare, & quilibet hæreticus absurdissimas suas excusare hæreses*.

6 Si Chytræus non alio modo, nec alia occasione meminisset Kamelotti, quam ego, neque asseruisset, eo usum Joannem Baptistam, non habuisset, quod reprehenderetur. Verum incensus odio in Religiosos, & in Gregorium Magnum ex Monacho Pontificem, dicebat, fuisse primum Antichristi Papam, vitam autem mo-

monasticam & religiosam (ut hæreticorum superioris seculi mos erat) calumnians, vestium asperitatem in illis aspernabatur: & ne Joannis Baptistæ exemplo convinceretur, vestem ei mollem & splendidam tribuebat, contra certam traditionem & Scripturam. Ego autem eo ipso, qui accusatur, loco, absolute nego & pernego, quod Elias Propheta, Cappam Carmeliticam, ex qualicumque Syrico factam, gestaverit unquam: adeoque judicet *sancta Sedes*, *an* P. Sebastianus *non malignetur* & imponat, insimulans me de eo, quod cogitavi numquam, & cujus contrarium docui tam operose.

7 Ut autem scias, R. Pater, ad quid, cum libueris, respondere debeas, paucis dico, ne unam quidem totius accusationis tuæ particulam veram esse, aut verisimilem; adeoque omni sensato apparere hic undequaque & manifeste fidem pessimam. Nam, ut dicta iterum repetam, ubinam vel per umbram dico, vel videor dicere, quod *Elias Propheta gestaverit vestem mollem, & pretiosam*, sive *ex pilis mollissimis, mira venustate splendentibus*? Citas Tomum I. Aprilis ad diem 8. in vita S. Alberti num. 128. Atqui cuilibet, numerum illum inspicienti, evidens est, nullam illic fieri mentionem, sive explicitam, sive implicitam de veste Eliæ Prophetæ: sed tantummodo de veste Carmelitarum circa annum 1209. sub Alberto Patriarcha Hierosolymitano. Putasne autem, Rev. Pater, me ubique aut saltem hic eadem sentire de Elia Propheta & de veste Carmelitarum?

8 Num. 121. citavi Philippum Bergomensem, ita scribentem ad annum 1200. *Ordo Carmelitarum per hoc ipsum tempus in Syria apud Carmelum montem ab Alberto Hierosolymitano Patriarcha excitatur, & multis Privilegiis ab eo sublimatur, atque eidem regulam, suo jure confectam, conservandam prima obtulit, & confirmavit: in qua pro habitu Fratribus ejusdem Ordinis cappam superiorem ex Syrico, cum quibusdam largis virgis, scilicet albis & griseis circulatam* (*more Eliæ Prophetæ, ut tradunt*, scilicet Carmelitæ) *assignavit, & deferendam constituit*. Mox addo, *eadem fere descriptione usi S. Antoninum*, quem cum Lezana ad an. 1159. num. 13. culpat, & rejicit, eo quod *verba Joannis Heroldi ad verbum referat, nec refellat*, ostendit nescire se, quod Heroldus centum annis fuerit S. Antonino junior; utpote qui suum *Principem juventutis, sive Panegyricum* (ut ait Gesnerus in Bibliotheca) *Ferdinando Archiduci Austriæ dicatum, cum historiola Turcici belli, anno 1556. gesti, Basileæ 1557.* impressit; patetque ex eorum ætate, quibus suos ipse libros dedicat, sub ann. 1550. & ultra. Nam S. Antoninus Historias suas scribere simul & vivere desiit anno 1459. quando jam fortassis suum Supplementum Chronicarum colligere cœperat Bergomensis, nescio quando prima vice impressum. Ipsemet in editione Brixiensi anni 1485 ad calcem profitetur, se illud eo anno, ætatis suæ 51. *castigatum, auctum* jam *secundo tradere, cum omni diligentia & veritate*. Quare dubitare non possum, quin sub ipsiusmet oculis curata impressio recte habeat *ex Syrica*, licet in Parisiensi, facta post obitum auctoris anno 1535. legatur *ex Serica*. Quod autem talis habitus datus ab Alberto dicatur *in Regula*, quæ tamen nullam habitus mentionem facit, facilem habet excusationem, in eo qui refert audita a Carmelitis, tam varia de illo suo habitu narrantibus; alias melius dixisset, datum habitum *cum Regula*: neque propterea dici meretur Bergomensis meram fabulam scripsisse, in ceteris tam conformis S. Antonino.

9 Verum quod talem habitum acceperint illi gestandum, *more Eliæ Prophetæ*, non magis credo quam aliis similibus traditionibus de Elia: itaque num. 138. expresse enuntio, *Melotem* [1] *Eliæ* attributam, *fuisse pellem ovinam*: idque ex eo probavi, quod *μῆλον*, *unde μηλωτὴ dici omnes Lexicographi consentiunt, propriissime ovem significet*. Ubinam hic vestis mollis & pretiosa, ex pilis mollissimis mira venustate splendentibus? Sed neque Carmelitis, ab Alberto regulatis, dixi vestem fuisse *mollem* & *pretiosam*, licet probaverim fuisse ex panno Syrico seu Syriaco, non Serico. Nam quamvis pannus Syriacus aliquis sit mollis, & pretiosus, non sequitur, omnem Syriacum, mollem & pretiosum esse. Sic quidem pannus Syriacus ex pilis caprarum, atque hos prædicavi *mollissimos ac mira venustate splendentes*, non tamen ideo juxta me omnis ex iis pannus confectus, multum mollis est aut pretiosus. Quapropter clarissime enuntiavi Tomo III. Maii pag. 294. num. 26. pannum *Syricum usi & cilicinum non male ex caprarum pilis contextum dici, sic ut non continuo delicias oporteat suspicari*, hoc ipso quo aliquid ex capratum pilis contextum scribitur.

10 Denique ubinam locum ad Hebræos, de melotis, & pellibus caprinis, explicui contra communem SS. Patrum, aut Interpretum sententiam? imo ubinam eum explicandum suscepi? Atque adeo, quid mihi potius quam tibi, Rev. Pater, commune est cum Cythræo hæretico? Dic modo, quænam in tota accusatione particula est, non convicta de aperta calumnia aut falsitate?

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius contra Sacram Scripturam negat, Carmeli montem fuisse antiquitus singularis devotionis locum.

RESPONSIO.

AVeo discere, Rev. Pater, ubi, & quibus verbis. *Referam*, inquis, verba *ex Tom. I. Apr. ad diem 8. num. 57.* Audiamus. *Dico & assero*, inquit Papebrochius, *nullo idoneo teste probari posse, quod ipsa Eliæ Prophetæ in Carmelo memoria olim a Christianis annumerata sit locis, in sacra peregrinatione adeundis*. Quid hic Paternitas vestra invenit *contra sacram Scripturam*, quando earum nulla de primis Christi & Apostolorum discipulis (ultra quos Apostolorum Actus omniumque extrema Apocalypsis non pertingit) nulla, inquam, earum de primis Christi & Apostolorum discipulis ait, quod consueverunt loca sacra terræ sanctæ peregrinando adire.

11 Cœperunt peregrinationes istæ sacræ frequentari primum sub Constantino Magno, postquam ejus mater Helena, humanæ redemptionis mysteriis sanctificata loca, ab idolorum inquinamentis repurgata, ædificiis ecclesiisque ornavit. Horum plura Eusebius nominat, Carmeli

[1] Adi Bollandianos Papebrochii successores de habitu Eliæ differentes tom. V. Julii pag. 16.

meli non meminit. Non integro poſt Euſebium ſeculo Hieronymus, S. Paulam per eadem loca peregrinabundam circumducens, uſque ad ipſa circa Carmelum ſparſa oppida, non facit eam ad Eliæ habitationem aſcendere. Suas deinde peregrinationes illuc inſtitutas deſcribunt per ſe alioſque, S. Adamnanus Scotus, per Bedam ſec. 7. S. Willibaldus Epiſcopus Eyſtettenſis in Germania, per ſanctimonialem conſanguineam, ſæculo 8. Epiphanius Hagiopolita & Anonymus quidam inter Symmicta Allatiana, ſeculo fortaſſis 9. aut 10. tum Pſeudo-Antoninus Placentinus, ac denique ſub annum 1130. S. Theotonius Luſitanus, paucis annis ante adventum S. Bertholdi in Carmelum. Nemo horum meminit aditi a ſe aut alio peregrinante Carmeli: tu, P. Rev. vel unicum profer, qui illuc devotionis cauſa acceſſerit, a Conſtantino uſque ad Bertholdum. Si minus, fatere me verum ſcripſiſſe: & ut hoc non eſſet, nihil tamen ſcripſiſſe contra ſacram Scripturam, de quo ſolo nunc eſt quæſtio, deque ſeculo 4. Chriſtiano & ſequentibus uſque ad ſeculum 12.

13 Allegas Sanctos Baſilium & Gregorium Nyſſenum; quorum priori *Carmelus dicitur mons celebris, in quo Elias perplacuit Deo*; alteri, *Clarus mons propter virtutem inhabitantis & fama celebratus*. Erat ſane Mons ille celebris, in ſcripturis tam ſacris quam profanis, & quidem propter ejus olim habitatorem Eliam; ſed an ideo ad eum patebat acceſſus Peregrinis, alia loca ſacra obeuntibus, antequam eum Latini, exturbatis latronibus Arabibus vel Saracenis, in ſuam redegerunt poteſtatem, una cum ſubjecta ei Accone vel Ptolemaide? Hoc ut probes, peto & expecto.

14 Epigramma de templo Eliæ, ſcripſit Nazianzenus. Scio; ſed hoc erat in Sarepta Sidoniorum ea in domo, quæ Prophetæ hoſpitium olim præbuerat: ſic enim incipit ex Billii verſione. *Hoſpes Sareptam cernis hic Sidoniam* &c. Baſilius Macedo Imp. *Eliæ vatis fanum condidit*, teſte Cedreno, ſed *in Petrio*, urbis Conſtantinopolitanæ noiſſimo loco; *inſtauravit etiam templum, Eliæ Vati dedicatum; & de nomine Eliæ Vatis condidit delubrum*: ſed utrumque *in Palatio*. Interim tu, Reverende Pater, ex Baronio, talia recenſente, ad probandum Eliæ Prophetæ inter Græcos & Orientales cultum, profers eadem, velut demonſtrativa perpetuæ in Carmelo devotionis peregrinantium illuc Chriſtianorum, quod quid aliud eſt, quam quidlibet referre quodlibet, nec ipſoſmet qui allegantur auctores inſpicere, ſed temere in chartam conferre omnia, ſive ea ad rem faciant ſive non.

15 Ita initio Paragraphi operoſe probas, fideles ad Eliam, & Eliſeum accedere in Carmelum ſolitos; ſed ad tunc viventes, quod unicum ex Scripturis habetur; nec a me negatur uſquam, cum ſit indubitatum. Erantne autem iſti, qui illic adibant Prophetas, Chriſtiani, de quibus mihi ſermo eſt? Quid porro, ſiquis neget, poſt obitum Prophetarum continuatum illuc populi acceſſum fuiſſe, dicatque omnia illa ceſſaſſe, & Sanctum Montem (tranſlato in Aſſyriam Iſraele univerſo ab Salmanaſſare Rege) emiſiſſe quadamtenus ejus nominis dignitatem, quando cœpit ipſemet Mons haberi a Gentilibus Deus; extinctoque ibi, quiſquis eatenus fuerat, veri Dei cultu, ſervire ſuperſtitionibus dæmoniacis: qualem invenit Pythagoras annis circiter 250. poſt tranſmigrationem prædictam, ſicut perſuadent expiationum divinationumque ritus, quos inde in Græciam reverſus ordinavit. Sic Veſpaſianus Imperator non conſuluit in Carmelo veri Dei oraculum, per Eliæ diſcipulos; ſed per Baſilidem, magum & Serapidis Sacerdotem, inſpectis extis didicit eventura proſpere, quæ facere cogitabat.

16 Allegas inſuper mihi, Balbini neſcio cujus, epiſtolam ad Imperatorem Antoninum, ubi ille dicet. *O Antonine. Inter mirabilia in hac regione mons eſt Carmelus, in quo & vetus religio, & ſanctitas ab Elia antiqua eſt*. Philippus Riboius lib. 3. cap. 5. Speculi ſui, primus Balbini iſtius meminit, & ejus verba ſic nobis exhibet. *Mons eſt Carmelus, in quo vetus religio, & ſanctitas antiqua eſt. Elias illic ſacrificia ſemper Deo offerebat: apparent etiam & nunc veſtigia de ara ſacrificiorum*. Apparere hæc dicuntur etiam nunc: ſed quid inde habes, niſi memoriam aliquam rerum ibi geſtarum ſemper apud accolas qualeſcumque viguiſſe? Nunc vero ſi requiram quis ſit iſte Balbinus; ubi invenienda integra talis epiſtola; quis antiquorum ejus meminerit, neminem indicare poteris ante Philippum Riborum; ſcriptorem anni 1345. cujus fides non major eſt in nominando *Antonino* aliquo *Imperatore*, cui Epiſtola ſcripta ſit, quam in eo quod *Joannem Hieroſolymitanum*, prætenſum auctorem libri de inſtitutione Monachorum, faciat ſanctæ urbis *Patriarcham*. Sed quidquid de Balbino ſit, nihil iſte facit ad verba mea, Reverende Pater, nihil ad accuſationem tuam, non ex illis ſed ex cerebro tuo formatam.

17 Edoce me igitur, cui *Sacra Scripturæ* loco repugnent hæc mea verba, a te accuſata: *Nullo idoneo teſte probari poteſt, quod ipſa Eliæ Prophetæ in Carmelo memoria olim a Chriſtianis annumerata ſit locis in ſacra peregrinatione adeundis*. Libris Regum, inquis, nam Lib. 3. Cap. 20. *Dixerunt Syri, Deus montium Dominus*. Lib. 4. Reg. cap. 4. *Quamobrem vadis ad eum?* nempe ad Eliſeum: *hodie non ſunt kalendæ, nec Sabbatum* & poſtea: *Venit ad virum Dei in montem Carmeli*. Ibidem cap. 6. *dixerunt Filii Prophetarum ad Eliſeum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis: eamus uſque ad Jordanem*. Nihil amplius allatum video ex Sacra Scriptura. Næ autem ego tardi ingenii ſum, & tu lector cæcus es, ſi non percipiamus argumenti hujus ſequelam tanquam legitimam: Habetur in libris Regum, quod tempore Eliæ & Eliſæi, multæ perſonæ piæ adiverint montem Carmeli; ergo Papebrochius loquitur *contra Scripturam ſacram*, quando negat, eumdem montem olim a Chriſtianis peregrinantibus paſſim frequentatum fuiſſe. Fueruntne ergo, Rev. Pater Profeſſor, Chriſti tempore Eliæ & Eliſæi? Loquiturne locis illis Scriptura de Chriſtianis? Si affirmas, vide an ea interpretatio ſit communis Sanctorum Patrum, aliorumque interpretum.

ACCUSATIONES.

§. III. Papebrochius, contra Sacram Scripturam, asseris, nomen Doctoris secundo Christi seculo non fuisse in usu.

§. IV. Papebrochius contra Sacram Scripturam negat secundo Christi seculo cognomina fuisse in usu.

RESPONSIO.

UTraque hæc accusatio similia est superiori, quemadmodum enim illic, ut probares Montem Carmeli olim *Christianorum peregrinationibus* celebrem fuisse, idque probares ex Sacra Scriptura, solum adferebas vetus Testamentum, atque ex eo solos libros Regum, aliud non testantes, quam quod tempore Eliæ & Elisei montem illum multi pietatis causa adivissent, Sic modo, demonstraturus me contradicere Sacræ Scripturæ, dum de quibusdam titulis & cognominibus nego, quod in usu fuerint secundo seculo, adducis Scripturam, quam constat scriptam esse diu ante finem primi seculi. Quam multa subinde vocabula in usu sunt uno seculo, quæ usurpari desinunt in alio, juxta illud Poetæ.

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi.

19 Sic olim *in Sacris Canonibus*, teste Benedicto Justiniano, in Caput 16. Epist. ad Rom. *Sæpe nominabantur Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ, Hypediaconissæ*, qui addit *plerumque Episcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum uxores iis nominibus appellatas fuisse*, idque probat ex Patribus, & Conciliis, quamvis etiam munus quoddam fœminarum in Ecclesia appellationes istæ significabant. Sic Apostolus ad Rom. 1. commendat *Phœben, quæ est in ministerio Ecclesiæ*, ubi Phœben *Diaconissam*, ut est in Græco Διάκονον, appellari passim consentiunt Interpretes, Quid autem si me, dicentem ejusmodi munia & nomina hoc seculo 17. in usu non esse, accusaret aliquis, tamquam contemptorem Scripturæ, veterum Conciliorum & Patrum, ex eo quod in illis respective prædicta cognomina vel munia inveniantur, quia non cum indignatione repelleret tam ineptam criminandi rationem? Sic ritus aliqui primo Ecclesiæ seculo aliquamdiu in usu fuere, quos constat abrogatos ante usum seculi secundi. S. Paulus, ut Apostolorum acta testantur, discipulum Timotheum circumcidit, quia natus erat ex patre gentili: si quis hunc ritum in usu non fuisse dicat seculo secundo, potestne ab ullo rationis compote accusari, tamquam contradicens Scripturæ sacræ?

20 Objicis 1. Deuteronomium, ubi variis locis reperitur nomen *Doctoris*. Sed quid hic veteris Testamenti liber, & non propheticus, facit ad probandum, quod nomen illud in usu fuerit seculo secundo post Incarnationem? Objicis 2. *In novo Testamento (ut videre est in Concordantiæ Bibliorum, & ipse Apostolus testatur dicens 1. Cor. 12.) Deum posuisse*, in Ecclesia Doctores: *& ipse ab initio Ecclesiæ* Doctor gentium *usque modo dictus fuit*. Diciturne, Rev. Pater Professor, locis illis Scripturæ, semper vocandos Doctores etiam seculo secundo? Quanquam Apostolum semper Doctorem gentium fuisse appellatum admitto, neque dubito, quin semper aliqui in Ecclesia Doctores fuerint in lata significatione, dum sumitur pro iis, qui alios docent.

21 Verum de Doctoribus [1] ago, prout a Laurentio Beyerlinck definiuntur, & accipiuntur passim pro iis, *qui per varios eruditionis gradus, summum in aliqua superiori Facultate apicem, in aliqua Academia, consecuti sint*. Tali enim modo accipi plane videtur titulus Doctoris, in Martyrii Brixiani Chronica sub nomine Guerrini Cerreti, in qua Beatus Joannes Æmilius vocatur *Doctor & Eques*; eodem, ut autumo, sensu, quo ipse Guerrini liber offertur: *Excellentissimo Doctori & Equiti, Anciano Excellentissimi Consilii Magnificæ Communitatis Brixianæ, D. Pandulfo de Arigonis, & Excellenti Cancellario dictæ Magnificæ Communitatis D. Oysato Chyzolæ, & Excellentiss. Comiti Æmiliano Scaligera*, &c. ubi titulus *Doctoris*, junctus *Equiti* & tot *Excellentissimis*: item titulus *Anciani*, pro Senatore; *Doctor & Eques*, pro nobili Medico; uti & cognomen *de Arigonis* cum *Joanno Æmilio*, non seculum secundum, sed longe posterius sapere mihi videntur, & forte ex Epitaphio ævi alicujus recentioris desumpta.

22 Hæc parte 3. Propylæi antiquarii ante tom. 2. Aprilis pluribus deduco, addens *Doctoris titulum*, sic nempe acceptum & in talibos circumstantiis, *satis esse ut legas & videas, videns eum seculo 2. aptari*. Nam & Joannes ille dicitur fuisse affinis *Nayme de Mazis*, & baptizatus a *Stephano de Marinis*: quæ Patronymica cognomina, sumpta ab aliquo proavorum, *Mazo*, id est, *Tomazo*, & *Marino*, nego fuisse in usu seculo Christi 2. ac vix demum 13. seculo puto accepisse stabilitatem suam. Imo velim aliquis mihi probet, etiam tali ætati, nedum antiquiori sub Imperio Romanorum, congruenter aptari junctos *Doctoris & Equitis* titulos, probet autem ex diplomatis testamentisque vetustis, Illud hic non prætereundum, quod de Chronica attributa Guerrino Cerreti, in qua *B. Joannes Æmilius Doctor & Eques* refertur, fateatur ipse Abbas Stella, Martyrii Brixiani Defensor, eam *plus continere mendaciorum, quam veritatis*. Nihilominus arguor a Paternitate Tua, num. 28. & 31. *hæreticis latam aperire portam, quævis Sanctorum maxime antiquorum gesta, miracula & cultum explodendi*; & num. 31. *ineptire*, atque S. *Scripturæ contradicere*: an recte, judicent veritatis, quam vanitatis amantiores Antiquarii.

23 Neque verum est, quod ais, Rev. Pater, me *negare antiquitatem usus cognominum*; sola nego recentiora affecta seculo secundo,

atque

[1] Vir Cl. P. Eduardus Vitry in Tumulo T. Flavii Clementis illustrato, & tom. 23. Opusculorum P. Calogerà cum Paralipomenis recuso Venetiis, quamdam ejus Inscriptionis explicationem rejicit: *Leo I. Doctor Christi* &c. quod longe serius Leonis I. ævo doctoris nomen inductum videatur.

aiqua ita *ab usu istius temporis abhorrentia*. Verba mea a te accusata sunt hæc: *Taceo cetera æque ridicula figmenta: tantum considerandum Lectori relinquo, quam inepte seculo Christi secundo affinguntur nomina & cognomina, ab usu istius temporis abhorrentia*: ubi sicut manifestum est, non rejicere me a seculo secundo quævis *nomina*, ita neque quævis *cognomina*; sed ea tantum, quæ isti *seculo affinguntur*, & revera *ab usu istius temporis abhorrent*.

EXHIBITIONIS ERRORUM

ARTICULUS SEPTIMUS.

ACCUSATIO PRŒMIALIS.

Referuntur ea, quæ inter Acta Sanctorum habet Papebrochius, contra Primatum, & Unitatem Capitis Ecclesiæ.

RESPONSIO.

NIhil est toto hoc Articulo, & parum admodum reliqua totius libri parte, quamvis majori, quod non in superioribus refutatum sit. Decreveram quidem a tetricis responsionum iterationibus abstinere; ne tamen integrum hic Articulum præteream, & quia accusationes antea convulsas, novis subinde fallaciis potius quam argumentis instaurare Adversarius conatur, ac censuras horribiles intorquet; ignosce, amabo, Lector, si hic & propositum meum violare, & patientia tua abuti videar.

2 Objectio prima, & Proœmialis: *Licet Papebrochius expresse & in terminis non impugnet Primatum & Unitatem Capitis Ecclesiæ; admittit tamen & tuetur principia, ex quibus hæretici, & alii auctores ab Ecclesia damnati, Primatum illum ac Unitatem evertere moliuntur*. Distinguo assumptum. Admitto principia quædam, ex quibus hæretici, & alii Auctores ab Ecclesia damnati Primatum illum ac Unitatem evertere moliuntur, per legitimas consequentias & nullo coassumpto principio falso, nego; per consequentias ineptas, vel coassumendo principium falsum, concedo. Sed quid inde? Visne itaque, Pater Professor, dignam esse accusatione materiam, quotiescumque aliquis principium tradit, quo hæretici ad fidei subversionem pessime abutuntur?

3 Igitur quilibet Catholicus, dicendo, hominem liberum esse, non tantum ad malum, sed etiam ad bonum, reus est juxta te, & summo Pontifici denuntiandus: nam principio illo Pelagius *molitur evertere* necessitatem gratiæ ad omne opus salutiferum. Reus est omnis Catholicus, afferendo unitatem essentiæ & naturæ in Deo; nam inde *evertere molitur* Sabellius Trinitatem personarum. Reus est omnis Catholicus, admittendo duas in Christo naturas; quia hinc Nestorius in Christo *evertere molitur* personæ unitatem. Denique vix ullus est fidei nostræ articulus, aut ullum principium, quo hæreticus aliquis non abutatur, solitus abuti ipsismet sacris Scripturis contra Catholicos. Quapropter ut accusatio tua, Rev. Pater Professor, rationabilis sit, teneris ostendere, quod hæretici ex solis meis principiis, nihil aliunde falsi accersendo, legitime concludant subsistere suam hæresim.

4 Unum, inquis, ex ejusmodi Papebrochii principiis est, quod habes in Propylæo Maji parte 2. fol. 7. num. 1. his verbis: *Initio nascentis Ecclesiæ, primus Romanus Pontifex Petrus non incongruum, imo necessarium duxit, plures pro sola urbe Roma consecrare Episcopos*. Ex hoc principio, tamquam clarissimo specimine judicandum relinquis S. Sedi, *an Papebrochius non censeatur tecte & astute, tamquam occultus adversarius, Primatum & Unitatem Capitis Ecclesiæ arrodere*: quod ne temere jactasse existimeris, probare aggrederis quinque Paragraphis sequentibus

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius contra communem Ecclesiæ sensum asseris, Paulum recte dici posse Episcopum Romanum cum Petro fuisse.

RESPONSIO.

AN communem Ecclesiæ, aut etiam meum sensum, satis assequaris, non scio, nam eamdem, quam in me §. 1. locutionem reprehendis, admittis ipse §. 5. num. 38. *Paulum dici posse Episcopum Romanum*. Addo quidem ego, *recte dici posse*; verum, cum ais *dici posse*, numquid intendis, & omnes intelligunt, *recte dici posse*? Numquid recte dicitur, quod dixerunt Eminentissimi Cardinales, sancti Patres passim, atque ipsi Romani Pontifices, auctoresque alii graves? Audi igitur Gregorium VII. in Concilio Romano: *Beate Petre, Princeps Apostolorum, & tu Beate Paule, Doctor Gentium .... ad vestram specialem Ecclesiam vedi .... in Throno vestro valde indignus sum collocatus .... gravissimum pondus Ecclesiæ vestræ supra me posuistis*. S. Leo Serm. de Natali Apostolorum: *Hi sunt Patres tui, Roma, verique Pastores*. Adrianus I. Epistola ad Constantinum & Irenem: *Hi siquidem Principes Apostolorum sunt, qui Catholicam orthodoxam fidem auspicati, per scripta quidem, veluti legibus latis, fidem suam servandam præceperunt, omnibus scilicet, qui in Sedes illorum* (Romanas) *successuri erant*. Nicolaus I. ep. 42. ad Episcopos Galliæ: *Dei auctoritate, & Beatissimorum Petri ac Pauli, Principum Apostolorum seu omnium Decessorum meorum*. Ubi inter suos in Romana Sede Prædecessores numerat non modo Petrum, sed & Paulum.

16 Goffridus abbas Vindocinensis Cardinalis S. Priscæ, ad Paschalem Papam II. seculo XI. exeunte scribens lib. 1. Epist. 7. *Firmiter credimus*, inquit, *Dominum vestrum duobus discipulis, Petro scilicet & Paulo, Ecclesiæ dedisse Principatum .... Hi sancti viri .... beatam immortalitatem adepti, suos, sed non degeneres successores expectant ....*

a quo-

a quorum forte beata qui in eorum Sede residens & aliter agens, se privavit, factum suum ipse dissolvat, & velut alter Petrus lacrymando corrigat quod fecit. Ita ille Petro & Paulo collatum a Christo Ecclesiæ *Principatum*: eorumque *Successores* & *Sedem* eorumdem communiter nominans. Ante lib. 1. Moralium S. Gregorii sic legitur: *Duo illi, quos præcedentes, seque invicem manu inserta vides complectentes, Beati Apostoli sunt, Petrus & Paulus. Reliqui vero, quos post eos cernis stantes, ipsi sunt Successores eorum, hujus Apostolicæ Sedis Pontifices, & eodem ordine quo eos in Episcopatu Romano sunt secuti, etiam nunc eos sequuntur.* S. Bernardus Epistola 242. sic ad Romanos scribit: *Petrum & Paulum in Vicario & Successore suo Eugenio Sedibus suis effugastis.* S. Irenæus libro 3. cap. 3. teste Cardinale Bellarmino libro 2. de Romano Pontifice cap. 4. *texit Catalogum Romanorum Episcoporum, & primo loco ponit Petrum Paulum, secundo Linum, tertio Anacletum.* Idem Cardinalis libro 1. de Rom. Pontif. cap. 27. *Uterque*, inquit, *Apostolus Romanam Ecclesiam fundavit, & gubernavit.*

7 Et ne singulis Patribus ac Pontificibus recensendis, quorum adhuc plurimi in promptu sunt, tædium lectori pariam; ipse, quo tantopere gloriaris, Reverende Pater, Antoninus Diana, initio disceptationis Apologeticæ de Primatu solius Petri, fatetur, Anonymum in Epistola Parisiis impressa anno 1645. coacervare plurimas Sanctorum Patrum auctoritates, in quibus asserunt, Pontifices esse Successores & Vicarios D. Petri, & D. Pauli, D. Petrum & Paulum fuisse Episcopos Romanos. Denique de communi veterum judicio testantem audiamus Cardinalem Bellarminum libro 3. de Romano Pontifice *cap. 2. diserte affirmat Irenæus libro 3. cap. 3. a Petro & Paulo Sedem Romanam fundatam, & primos in ea Episcopos sedisse. Quod idem omnes veteres docent, quos supra citavimus.* Ita Bellarminus. Raynaudus de Ecclesia bicipiti, puncto 10. pag. 246. hæc habet: *Theodoretus S. Leoni gratulatus est, quod SS. Petri, & Pauli Throno insedisset; id quod etiam Hormisdæ gratulatur Dorotheus, nec aliud habent Drepanius & Sarisberiensis.* Quæ quidem Raynaudus ita explicat, quasi Paulus in Throno illo *fundando & collocando plurimum laboraverit*, non autem in eo unquam sederit. Utrum an Thronus alicujus communiter & sensu obvio vocetur, si in eo numquam sederit, nec ullum sedendi jus, dependentem & subordinatum habuerit, statuat quivis Lector, communis loquendi usus haud ignarus. Vocaturne Thronus artificis, qui in eo conficiendo *plurimum laboravit*; an Principis, qui ei insidet? quidni alioqui pariter vestis quælibet dicatur sartoris, quia in ea scindenda, consuenda, aptanda *plurimum laboravit*? & ut in casu proposito maneamus, sicubi novus erigitur Episcopatus *adlaborantibus plurimum* quibusdam Canonicis & Sacellanis, quis propterea Episcopalem Sedem vocet *Thronum* eorumdem Canonicorum & Sacellanorum?

8 Quid ad hæc, Reverende Pater Professor? Pergeisne etiamnum asserere, quod dicebas §. 2. num. 2. *S. Paulum non fuisse Romanum Episcopum, sustinent omnes Catholici Auctores, Sedi Apostolicæ bene affecti?* Et num. 12. *Nulli nisi Hæretici, Schismatici, Gallo-græculi, & alii Auctores ab Ecclesia damnati, aut similis furfuris homines sustinent, Paulum Urbis Romæ fuisse Episcopum?* Suntne omnes illi Pontifices & Sancti Patres, ut nihil dicam de Cardinale Bellarmino aliisque, suntne, inquam, omnes illi *Hæretici, Schismatici, Gallo græculi, damnati ab Ecclesia Auctores, aut similis furfuris homines?* Quos tu, quæso, profeRes tantis Auctoribus opponendos? Producis quatuor recentiores hujus seculi Theologos, quos honoris & reverentiæ causa malo non nominare, quam de eorum aliquibus dicere, quod jure possem, quædam eorum scripta, theses, dogmata respective a Sede Apostolica reprobata aliquando fuisse; multo minus propterea eos nominabo, Auctores ab Ecclesia damnatos, ut tu soles passim notare Scriptores mihi consentientes, si quæ eorum lucubratio Romæ censurata est.

9 Age, quoniam tam præfidenter vociferari audes, *quod nullis nisi Hæreticis, Schismaticis, Gallo-græculis & aliis auctoribus ab Ecclesia damnatis, aut similes furfuris hominibus, se jungit Papebrochius, cum eisdem pugnaturus pro dogmate novo, certissime falso, ac evidenter schismatico*, postulo vel unum sanctum Patrem, vel unum Pontificem, vel unum antiquum scriptorem exhiberi sententiæ meæ refragantem. Citas Pium II. Bonifacium VIII. Concilium Florentinum, S. Cyprianum & S. Augustinum; sed quorum sententiæ propositam a nobis quæstionem non attingunt. Pius II. dicit; *Unus Pastor & omnium Episcoporum unus Episcopus, Romanus Præsul, B. Petri Successor.* Atqui, ut ex ipsis verbis patet, agitur de solis Petri successoribus; Paulus autem inter Petri successores numerari non potest, adeoque nihil ad præsentem quæstionem facit, sive post S. Petrum plures simul Episcopi Romani fuerint, sive unus tantum. Sed neque in verbis Pii II. agitur de uno Pastore & uno Episcopo Romano simpliciter; sed de uno Pastore, qui sit *omnium Episcoporum unus Episcopus*; fateor autem talem esse solum Pontificem; & fuisse solum Petrum, qui fuit Episcopus etiam S. Pauli, ejusque Pastor. Ast hoc non obest, quo minus Petrus & Paulus dicantur fuisse duo Pastores Romani teste S. Leone supra: *Isti sunt Patres tui, Roma, verique Pastores.*

10 Eodem sensu, quo Pius II. loquitur quoque Bonifacius VIII. *Ecclesiæ unius & unicæ unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum; Christus videlicet, & Christi Vicarius Petrus, Petrique successor* Qui tibi in mentem venit, Reverende Pater Professor, hanc mihi objicere sententiam, quam evidens est ad statum quæstionis non pertinere? Agit Bonifacius, non de Ecclesia Romana, ut particulari, sed de Ecclesia Catholica seu universali. Certum est, Ecclesiam Catholicam non habere nisi unum caput, quod fuit Christus, post Christum Petrus, post Petrum singuli successive Romani Pontifices. Sed neque admitto Paulum fuisse Caput Ecclesiæ Romanæ, ut Ecclesia particularis est; nam etiam in hujus Ecclesiæ regimine subjectus erat S. Petro, & ab eo poterat amoveri atque alio trasferri, prout visum fuisset communi bono expedire. Et

Opuscul. Callect.

certe *Episcopus*; si etymologia nominis spectes, non Caput, sed *Inspectorem* significat.

11 Ad Concilium Florentinum, *definiens Pontificem Romanum esse successorem B. Petri*, alias respondi, esse argumentum mere negativum, quod in his circumstantiis nullum est. Sicut enim non sequitur, Innocentius XII. est successor Petri, ergo non est successor Lini, Cleti, aliorumque; sic neque in signre sequitur, Innocentius XII. est successor Petri, ergo non est successor Pauli: præsertim cum S. Epiphanius, Gregorius, S. Bernardus, S. Primasius, Vincentius Lirinensis, Eusebius, aliique auctores præcipui, Sancti Patres & Pontifices, vocent Episcopos Romanos *successores Petri & Pauli*. Quamquam ultro concedo, & constantissime teneo, Pontificem Romanum esse successorem Petri solius in Episcopatu universali, summo Pontificatu, Primatu Ecclesiæ. Si hoc in Florentino definitum esse contenderes, non reluctarer.

12 Frustra etiam chartam imples citando S. Cyprianum, & S. Augustinum. S. Cyprianus dicit; *Non ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse Dominum, unum Spiritum Sanctum, unum Episcopum in Ecclesia Catholica esse debere*. Potestne S. Cyprianus clarius exprimere, quod agat, non de Ecclesia aliqua particulari, sed de *Catholica* seu universali? Deinde, quid per unum Episcopum intelligit, nisi unum Episcopum Episcoporum, seu supremum? Nam alioquin Ecclesiæ sic propagatæ consuetudini, utilitati, & necessitati ac consequenter veritati minime consentaneum est, non nisi unum simpliciter in tota Ecclesia Catholica Episcopum esse posse, aut debere. Neque Augustinus Epistola 165. quæ apud te est 164. agit de Episcopatu Romano, sed universali, quod ne appareret nimis manifestum, sententiam multis truncatam descripsisti, En integram: *Si tibi Angelus de cælo diceret, Dimitte* CHRISTIANITATEM ORBIS TERRÆ, *& tene partes Donati, cujus Ordo tibi exponitur in Epistola Episcopi tuæ civitatis, anathema esse deberet; quia te* A TOTO *præcidere, & in partem contrudere conaretur, & alienare a promissis Dei. Si enim Ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui*, TOTIUS ECCLESIÆ *figuram gerenti, Dominus ait, super hanc Petram ædificabo* ECCLESIAM MEAM, *& portæ inferi non vincent* Eam. *Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus &c.*

13 Quamvis autem Pontificum, non ut summorum Ecclesiæ Moderatorum, sed ut Episcoporum Romanorum successionem hic describere Augustinus voluisset; idcone censendus fuisset positive exclusisse Paulum? Consilium Augustini erat, contra Donatistas ostendere seriem rectam Episcoporum Romanorum, a Christo per Petrum descendentium; huic cum Paulus non esset prædecessor, neque successor, sed socius, inferior, & subditus, necesse non erat Pauli meminisse: utpote sine quo legitima Romanorum Pontificum in hæc usque tempora successio, a Petro & Christo legitime deducta, satis probabatur. Quemadmodum autem certa apud jurisconsultos regula est, non opponendas leges legibus, sed conciliandas; sic & Theologis erga sanctos Patres reverentia, ut eos inter se componere studeant, & ab omni dissidio vindicare. Atqui sancti Patres, a Bellarmino, & a me allegati, disertissime docent, etiam Paulum fuisse Romanum Episcopum: ergo alii, qui posteriores Episcopos Romanos dicunt successisse Petro, nulla mentione facta Pauli, non debent dici Paulum positive excludere; sed negative tantum, seu præcisive.

14 Num. 14. rursus sententiam meam vocas *Schismaticam novitatem*. Respondeo 1. cum Augustino Homil. 50. *Quis sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & accusator & judex?* Accusa me apud Apostolicam Sedem; sed non expectata ejus sententia, de doctrina Schismatico me condemnas. An hoc satis conforme est Augustino, an Innocentio XI. *in virtute sanctæ Obedientiæ præcipienti, ut Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque, caveant sibi ab omni censura & nota, nec non a quibuscumque conviciis, contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a Sancta Sede recognitæ, super iisdem propositionibus judicium proferatur*. Eratne judicium de ista propositione mea a S. Sede prolatum, cum hæc scriberes? Estne jam saltem? Et tu mihi, Reverende Pater Art. 4. §. 8. quam pathetice objiciebas Decretum Innocentii XI. quia fabulam vocabam fabulam? Dicesne te etiam Schismaticam novitatem vocare *Schismaticam novitatem*? Disparitas manifesta est, quod factam aliquod vocari fabulosum, non censeatur censura Theologica, neque convitium apud historicos, sicut nec falsum censetur convitium apud Theologos: & certe alioquin neque Theologicæ neque Historicæ quæstiones possent polemice agitari, unde disputator nimis morosus & intractabilis passim haberetur, qui in probabilibus ob ejusmodi vocem excandesceret; secus, si de *novitate Schismatica* arguatur.

15 Respondeo 2. Quod nam hic periculum Schismatis, in propositione a tot sanctis Patribus & Romanis Pontificibus, tam diserte & perspicue tradita; nullo hactenus contradicente, præter Theologos aliquot neotericos, & quidem qui, postquam in omnem se versarunt partem, si unum forte alterumve excipias, fatentur aliquo sensu dici posse, Paulum cum Petro fuisse Romanum Episcopum. Unus tamen Lovaniensis Doctor, pro sua auctoritate, sententiam hanc, inquis, pronuntiat *certissime falsam*, quæro an etiam probet: & quorum Pontificum, quorum Patrum sententiis? vel unum mihi ostende, quod frustra tentabis. Sed tolerabilior mihi istius Doctoris censura est, quam tua *Schismaticæ novitatis*. Si propterea me a tua communione discreveris, solatio mihi erit tot sanctorum Patrum & Romanorum Pontificum societas; horum singulos alloquar verbis S. Hieronymi Epist. ad Damasum. *Ego, nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini Tuæ, idest, Cathedræ Petri communione consocior .... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum; quicumque tecum non colligit, spargit.*

16 Denique *judicet*, inquis, *S. Sedes, an Papebrochius... non sit censendus recte & asinte reipsa Primatum & Unitatem Capitis Ecclesiæ*

inve-

evadere , divellere , ac destruere , aut saltem istis Sedis Apostolicæ hostibus plus æquo favere , ut latius patebit ex sequentibus. Sequentia igitur videamus , an forte illic accusationem tam enormem probaturus sis ; aut si proditurum sit aliquod, quod hactenus ignoravi , hujus dogmatis venenum.

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius , contra communem Ecclesiæ sensum asserit , episcopalem auctoritatem a Petro & Paulo profluere in eorum successores Romanos Pontifices.

RESPONSIO.

ANhelo ad probationes , quibus ostendas id esse communem Ecclesiæ sensum. Vel enim agis, Rev. Pater , de sensu Ecclesiæ veteris, vel de hodiernæ. Si de veteri sermo est , sensus ia extare debet in Patrum libris vel Decretis Pontificum aliisve monumentis. Enimvero, inquis, *Romanum Pontificem solius Petri esse successorem , non vero Petri & Pauli , constanter clamant Pontifices , & sancti Patres*. Solius Petri? *Solius* , inquis: & ne amplius dubitem, citas Anselmum, ubi Pontificem vocat *Petri Apostoli successorem* ; citas Hieronymum , ubi vocat *successorem Piscatoris* . Similiter Synodum Tarraconensem , Pium II. & Florentinum , quod definit Pontificem Romanum successorem esse B. Petri . Sed nondum video votem *solius* , quæ sit exclusive Pauli . Sufficis , inquis , *nullam factam* esse *mentionem Pauli* , ut censeatur Pontifex non esse ejus successor , *quia alioquin definitio* Florentini *foret manca* . Reverende Pater Professor , est ne definitio Apostoli manca , quando definit *fidem esse quæ justificat ?* Rectene hinc inferunt cum magistro suo Lutherani , *fidem solam* justificare , & *sine operibus* ; atque hoc debere subintelligi , *quia alioquin definitio Apostoli foret manca?* An itaque hæc potius ratiocinatio tua *manca* non sit , & an non magis *faveat Sedis Apostolicæ* & Catholicæ Ecclesiæ *hostibus* , quam mea assertio , judicent alii .

18 Num. 19. sic prosequeris : *Ne vero propterea arguatur cum hæreticis , aliisque Sedis Apostolicæ hostibus , intendere, & moliri Ecclesiasticæ Monarchiæ eversionem , aut constituere Ecclesiam bicipitem , astute inauditam excogitavit limitationem*, id est , *intendit* quidem Papebrochius *cum hæreticis , & cum illis molitur Ecclesiasticæ Monarchiæ eversionem, aut constituere Ecclesiam bicipitem* ; sed ne de hoc *arguatur , astute excogitavit limitationem inauditam*. Reverende Pater, de intentione non judicat Ecclesia, tuum vero non erat, neque est ullius probe Christiani & Religiosi , tam sinistram imprimere suspicionem, nullo nixam fundamento, imo contra claram & publicam professionem meam , ipso, quem citas , loco ex Propylæo Maji , Conatu Chronico-Historico parte 1. fol. 14. num. 9. his verbis expressam . *Licet Romani Pontifices , ab annis pluribus quam octingentis , in more habuerint , Petri & Pauli auctoritatem in iis omnibus allegare , quæ faciunt ex Pontificalis potestatis plenitudine : licet etiam Paulus recte dici possit Episcopus Romanus cum Petro fuisse , sicuti erudite ostendit Petrus de Marca in singulari Exercitatione*, de singulari Primatu Petri , *nuper in lucem data , eorum tamen nomina hic non composuimus : quia utriusque auctoritas non ex æquo (sicuti recentior quidam somniavit , aut potius blasphemavit) neque eodem modo in eorum successores Romanos Pontifices fluxit : sed Episcopalis quidem , ab utroque ; a Petro autem singulariter Apostolica conjuncta cum prærogativa supremi Capitis . Et hoc quidem jure divino penes unum solum necessario statui , Catholicorum omnium est consensus .*

19 An hoc tibi est *Ecclesiasticæ Monarchiæ eversionem moliri* , aut *constituere Ecclesiam Bicipitem ?* Ego vero non intelligo , quomodo quis clarius possit Ecclesiasticam Monarchiam asserere, & negare Ecclesiam bicipitem, quam affirmando in solis Romanis Pontificibus esse *auctoritatem Apostolicam , conjunctam cum prærogativa supremi Capitis : & hoc quidem jure divino penes unum solum necessario statui*: atque de hoc *esse Catholicorum omnium consensum* . Quænam autem ea limitatio est , quam ais esse inauditam ? *Quod utriusque* , inquis, scilicet Petri & Pauli *auctoritas non ex æquo , neque eodem modo in eorum successores Romanos Pontifices fluxit , sed Episcopalis quidem ab utroque , a Petro autem singulariter Apostolica conjuncta cum prærogativa Capitis* . Cur hic sistis Rev. Pater? cur non prosequeris in citandis verbis pauculis, quæ immediate sequuntur, & Monarchiam Ecclesiæ tam dilucide asserunt , negantque Ecclesiam bicipitem , & quidem ex jure Divino , statuente ut ratio Capitis sit *penes unum solum* , idque constare *Catholicorum omnium consensu?*

20 Ad accusationem de *limitatione inaudita* facilior mihi & brevior posset esse responsio , si dignatus fuisses significare distinctius , quid in memorata *limitatione* appareret *inauditum* . Estne inauditum , quod non *ex æquo*, sive non æqualis auctoritas sit Petri & Pauli , quæ in successores , profluxit? An quod dixerim , *non fluxisse eodem modo?* Primum inauditum esse non potest , utpote definitum ab Innocentio X. hæreseos damnante propositionem , quæ *omnimodam inter Petrum & Paulum æqualitatem* asserebat , *sine subordinatione & subjectione Sancti Pauli ad S. Petrum , in potestate suprema & Regimine Universalis Ecclesiæ*. Neque inauditum esse potuit secundum; est enim inter Theologos receptissimum atque inprimis apud te , quod Auctoritas Pauli , saltem non integre ad secuturos Episcopos devenerit , & ne ad Romanos quidem jure divino. Fuit quippe in potestate Petri , Paulum in Episcopatus Romani societatem non admittere, sed alio destinare , & imperio cogere ad erigendam alibi Cathedram , vel sine stabili Sede ubique gentium prædicandum . Neque Apostolatus Pauli ad successores derivatus est , sed Episcopatus tantum . Petri autem & Episcopatus , & Apostolica auctoritas , & Primatus Jurisdictio integra , & quidem jure divino , ad omnes & singulos Romanos Pontifices Petri successores dimanavit.

21 Quod in Episcopalem , non Petri tantum , sed etiam Pauli auctoritatem Pontifices

successerint, patet ex tot Patrum sententiis, vocantium utrumque Apostolum Episcopum Romanum; Pontifices vero, utriusque in sedem seu Episcopatum Sucessores: Sucessorem enim, uti in locum, ita & auctoritatem Prædecessorum succedere exploratum est. Ideo Gregorius VII. Lib. 1. Epist. 34. scribens Remedio Episcopo: *Auctoritate*, inquit, *Principum Apostolorum Petri & Pauli fulti, quorum vice, quamvis indigni fungimur*. Et nihil hodiedum Pontificibus familiarius, quam præcipere vel statuere aliquid auctoritate eorumdem Principum Apostolorum. Quid igitur in tota oratione mea vocaveris *limitationem inauditam*, non intelligo. Si etiam verba mea referens non prætermisses parenthesim hanc (*sicut recentior quidam somniavit, aut potius blasphemavit*) clarius patuisset, quantum non modo remotus sim, sed etiam abhorream a novitate Ecclesiæ Bicipitis, sive ab assertione Paulum Petro adæquante, & consequenter a novitate Ecclesiæ bicipitis. Verum qui male agit, odit lucem, & quivis criminari certat, debet ubique veritati tenebras affundere, vel truncando, vel addendo, vel aliter immutando scripta adversarii sui, alioquin innocua, & nulli per se obnoxia censuræ.

22 Paragraphum, & me, (ut quidem gloriaris) argumento concludis *evidenti*. *Cum*, inquis, *Primatus & Eminentia super omnes Ecclesias, seu prærogativa supremi Capitis, sit jure Divino Sedi Romanæ annexa . . . & cum aliunde Papebrochius asserat, Paulum cum Petro Romanum fuisse Episcopum, sequitur evidenter, ex variis & peregrinis ipsius doctrinis, Paulum æque ac Petrum fuisse Ecclesiæ Caput, & quod utriusque auctoritas ex æquo fluxerit in eorum Successores Romanos Pontifices cum prærogativa supremi Capitis*. Respondeo, distinguendo assumptum. Primatus & Eminentia super omnes Ecclesias, seu Prærogativa supremi Capitis, est jure Divino Sedi Romanæ annexa, in Episcopo ejus primario S. Petro, ejusque successoribus, admitto assumptum; est Sedi Romanæ annexa, in Episcopo ejus secundario Sancto Paulo, ejusque successoribus, in quantum præcise successores sunt S. Pauli, nego, & pernego, uti & negavi semper, etiam consequens. Disparitas manifeste fundatur in eo, quod Petrus Primatum Ecclesiæ diu ante a Christo acceperit, quam Romanam Cathedram erigeret, & antequam ex jussione Divina constituerit, ut omnes sui in eamdem Cathedram successores simul heredes fierent auctoritatis Apostolicæ & Primatus. Atqui Paulus neque Primatum antea a Christo accepit, neque successit Petro in Romanam Cathedram, sed ab eo tantum in socium Episcopum, non æqualem, sed subordinatum & subditum assumptus est; ideoque nullo jure poterat sibi Paulus, vivente Petro, Primatum arrogare: cumque Paulus simul cum Petro extinctus sit, non potuit ejus Primatus, qui nullus erat, devolvi ad successores.

23 Hæc non obscure traduntur a Bellarmino Libro 2. de Rom. Pontifice C. 12. dicente: *Quoniam Sanctus Marcellus Papa in epistola ad Antiochenos scribit, Petrum Domino jubente venisse Romam; & S. Ambrosius in Oratione contra Auxentium, & Athanasius in Apologia pro fuga sua, dicunt, Petrum Christi jussu Romæ Martyrium pertulisse; non est improbabile, Dominum etiam aperte jussisse, ut Sedem suam Petrus ita figeret Romæ, ut Romanus Episcopus absolute ei succederet. Sed quidquid de hoc sit, saltem ista ratio successionis non est ex prima institutione Pontificatus, qua in Evangelio legitur*, quando Petrus accepit a Christo Claves Regni cælorum, & universalem curam pascendi oves; quia nullum illic legitur expressum præceptum instituendi Episcopatum Romanum; nedum statutum illic reperitur, Petri in illam Cathedram successores summum consecuturos Pontificatum. An igitur in tota accusatione tua, in gravissimis censuris & invectivis, sit vel mica veritatis aut æquitatis, an in citanda mea sententia fidelitas; an in argumentis ratio; an ullius Patris aut Pontificis merito objecta auctoritas, utinam judicet, a te rursus appellata, Sancta Sedes!

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra communem Ecclesiæ sensum sustinet cum Hæreticis, Primatum Ecclesiæ, ejusque prærogativam supremi Capitis annecti Apostolatui Petri, non vero Cathedræ Romanæ.

RESPONSIO.

Equidem ignoravi hactenus, Reverende Pater Professor, *hæreticos sustinere, Primatum Ecclesiæ ejusque prærogativam supremi Capitis annecti Apostolatui Petri*. Quapropter edoceri a te percupio, quinam illi sint hæretici, & ubi id sustineant? *Wickleffus*, inquis, *Calvinus, Lutherus, & eorum asseclæ, fingentes principium Ecclesiasticæ Auctoritatis & Regiminis fundari in munere Apostolatus, infanierunt nullum supremum Ecclesiæ esse Caput seu Monarcham*, Respondeo, his verbis adeo non probari titulum, ut potius evertatur. In titulo enim ais, *Hæreticos sustinere Primatum Ecclesiæ * ejusque prærogativam supremi Capitis annecti Apostolatui Petri*; in probatione autem asseris, *Hæreticos fingere nullum supremum in Ecclesia esse Caput*. Quomodo autem *prærogativa supremi Capitis annectitur* alicui, si *nullum supremum Caput sit*, nec ejus prærogativa agnoscatur?

25 Wickleffus, Lutherus & Calvinus nullum post Christum admiserunt in Ecclesia Caput supremum: sed omnes Apostolos statuerunt æquales Petro, uti & Episcopos Romanis Pontificibus: a quo utroque errore alienissimum me esse, ex scriptis meis, & quidem ex pagina a te citata, manifestum est; sed tam assuevisti me cum hæreticis componere, ut hæc comparatio vel somniantis calamo excidere debuerit. Deinde quomodo dicis, *sustinere me, Ecclesiæ Primatum ejusque prærogativam supremi Capitis annecti Apostolatui Petri, non vero Cathedræ Romanæ?* *De Apostolatu Petri*, non ago; sed de *Apostolica auctoritate*: neque dico *annexam* huic *prærogativam supremi Capitis*; sed *auctoritatem* illam *cum* hac *prærogativa*

tiva conjunctam, fluere in Romanos Pontifices.

26 Si *Apostolatui Petri*, & non *Romanæ Cathedræ*, *annexa* fuisset *prærogativa supremi Capitis*, recte sequeretur, quod mihi effingis, destrui *Ecclesiæ Monarchiam & supremi Capitis* in Petri successoribus *prærogativam*. Cum enim Apostolatus Petri ad successores non transierit, sed tantum Apostolica auctoritas, evidens est, quod in sententia, quam per calumniam mihi tribuis, nec prærogativa supremi Capitis, utpote *Apostolatui annexa*, in subsequentes Romanos Episcopos profluere potuisset. Vide Laurentium Beyerlinck, in Theatro Vitæ humanæ titulo *Apostolus*: *Communis*, inquit, *usus vocis istius est, ut accipiatur tantum pro primis illis Evangelii legatis, quos misit Christus ad prædicandum omni creaturæ, & testificandum, quod ipse esset judex vivorum & mortuorum, testesque essent resurrectionis ipsius. Matth. 28. Marci 16. Act. cap. 1. & 10.* Robertus Cameracensis ad *officium Apostoli* requirit præterea ex D. Thoma sup. 1. Cor. Cap. 12. lect. 3. *potestatem faciendi miracula*. Benedictus Justinianus in Epistolas Pauli disp. 10. pag. 40. ad Apostolatum eum communi requirit potestatem *scribendi libros canonicos*, seu libros qui sint Scriptura sacra. Atqui hæc omnia Petri successoribus convenire nemo dixerit. Quapropter, si Prærogativam supremi Ecclesiæ Capitis docuissem *annexam esse Apostolatui Petri*, quod mihi adscribis, haberi merito potuissem prærogativæ illius in Petri successoribus destructor.

27 Admitto itaque in omnibus Romanis Pontificibus, licet non Apostolatum jam descriptum, tamen Apostolicam Petri auctoritatem, in hoc consistentem, quod possint fidem, ubique gentium jure suo prædicare, ubique novas Ecclesias instituere, institutas confirmare, collapsos erigere, errantes ad rectum veritatis tramitem revocare, ferre leges, judicia exercere, controversias dirimire, dogmata infallibili judicio definire, suprema in omnes potestate Ecclesiam administrare universam. Si usus tantum fuisses voce *conjungi*, quam adhibui, & non substituisses *annecti*, eatenus, non patuisset locus calumniæ; verum enim est, quod prærogativa supremi Capitis *conjuncta*, sive simul, in Petro fuerit cum Apostolatu, unde tamen non sequitur, quod cum Petro extincta sit, sicut sequeretur si *Apostolatui Petri* fuisset *annexa*. Quam multa in quolibet homine conjuncta sunt, quæ non invicem annexa. Vitia & virtutes conjuncta sæpe sunt, sive simul existunt in eodem subjecto; sunt ne propterea virtutes vitiis, aut vitia virtutibus *annexa*? Annexio qualibet unionem significat, non conjunctio; neque magis sequitur; Sunt conjuncta, ergo sunt annexa: quam sequatur; Sunt animalia, ergo sunt homines: tam enim conjunctio genus est respectu unionis, quam animal respectu hominis. Denique innumeris si opus foret exemplis, tum in Theologia, tum tum in Philosophia, tum in Jure civili, & canonico, convincere te possem de latissimo inter utramque vocem discrimine; sed cum veritate non posses, ubique ad fraudes confugere debuisti, ut criminationem adornares.

28 Deinde ubi nam dico, quod *Primatus Ecclesiæ non sit annexus Cathedræ Romanæ*? Ibi, inquis, ubi *Novaturiens Papebrochius dogmatizat*, *Romanos Pontifices Petri & Pauli esse successores, & utriusque Episcopalem in illos influere auctoritatem, a Petro autem singulariter Apostolicam, conjunctam cum prærogativa supremi Capitis*. Rev. Pater Professor, nondum video sequi quod promittebas. Loco a te citato exponebam primo, quid Romani Pontifices haberent cum utroque Apostolorum Principe commune, Episcopatum videlicet Romanum; inde gradum faciebam ad id, quod haberent commne cum solo Petro, sive quid *singulariter per Petrum in eos influeret*, atque hoc certum est esse *Apostolicam Auctoritatem, conjunctam cum prærogativa supremi Capitis*. Ne autem criminari aut hallucinari pergas in voce *conjunctam*, hæc apud me unionem seu annexionem non importat. Sed mere adhibetur, ut solet usu receptissimo, pro conjunctione, &: ut sensus sit, *utriusque Episcopalem in illos influere auctoritatem, a Petro autem singulariter Apostolicam & prærogativam supremi Capitis*, sive *una cum prærogativa supremi Capitis*. Quænam hic *schismatica & blasphema dogmata*, in quæ an *prolapsus* non sim, judicium appellas Apostolicæ Sedis? *Revera*, inquis, *si munus Apostolicum annexam habeat prærogativam supremi Capitis Ecclesiæ; tot fuerint suprema Capita, ac totius Ecclesiæ Rectores, quot fuerunt Apostoli: & omnes, qui in eorum locum successerint, eadem prærogativa gaudebunt; quæ sunt portentosa commenta, in Dei Ecclesia inaudita, ac prorsus schismatica*. Ego vero rursus queror de infidelitate tua, mox etiam de falso seu dogmate seu supposito te convicturus.

29 Cur *munus Apostolicum*, tamquam si utraque vox mea esset, charactere distincto exprimis. De munere Apostolico locutus non sum, sed de *Apostolica auctoritate*, quæ rursus multum differunt. Nam munus Apostolicum, idem est quod Apostolatus, cumque Apostolatus ad successores Episcopos non transierit, non transiisset etiam supremi Capitis prærogativa, si hæc Apostolatui, vel muneri Apostolico fuisset *annexa*. Sed tum *munus*, tum *annexio*, mihi afficta sunt; quibus sublatis, nihil ex tota sententia mea elici potest, quod in Theologia sana & maxime orthodoxa receptissimum non sit. Cum Benedicto Justiniano, de Apostolatu disput. 1. cap. 10. detestor *hæreticos, qui ferre non possunt Romanum Pontificem, Apostoli Petri successorem appellari*, & Apostolica præditum auctoritate; *atque idcirco neminem simpliciter putant esse Apostolorum successorem, qui non sit idem Apostolus*.

30 Vindicato abunde dogmate meo, tuum modo contemplemur. *Si munus*, inquis, *Apostolicum annexam habeat prærogativam supremi Ecclesiæ Capitis, tot fuerint suprema Capita, ac totius Ecclesiæ Rectores, quot fuerunt Apostoli, & omnes, qui in eorum locum successerint, eadem prærogativa gaudebunt*, Successerunt autem in Apostolorum locum Episcopi, sed valde limitate, ut docetur communiter; adeoque in illa sententia, omnes Episcopi eadem prærogativa gaudebunt, sive erunt suprema Capita ac totius Ecclesiæ Rectores. Verum,

P. Professor, ut hæc conclusio legitima sit, supponere debes, quod sicut potestas Petri fuit ordinaria, etiam aliorum Apostolorum ordinaria fuerit, nam extraordinaria non transis ad successores. Deinde supponere debes, quod potestas ea, seu auctoritas adæquate ad successores derivetur, nam si derivetur inadæquate tantum, sive secundum aliqua, quomodo inferre poteris derivari prærogativam supremi Capitis & totius Ecclesiæ Regimen? Nosti enim, apud omnes dialecticos nullam esse argumentationem a propositione particulari affirmativa ad singularem. Exempli gratia, nemo admitter valere hanc consequentiam: Aliquis homo est albus: ergo Petrus est albus. Non minus certum est, sequelam hanc nullam fore: Omnes Episcopi sunt successores Apostolorum in aliquibus; ergo si Apostoli omnes fuerint præditi prærogativa supremi Capitis, etiam omnes Episcopi eadem prærogativa potiuntur.

31 Cum autem supponendum sit, Philophiæ & Theologiæ Professorem emeritum argumentari non velle, nisi legitime; supponere judicandus es, Reverende Pater, quod omnis Apostolorum auctoritas pervenerit ad eorum successores Episcopos, adeoque Apostolorum jurisdictio omnis fuerit ordinaria; consequens inde fit, quod in Paternitatis Tuæ sententia, jam Episcopi omnes distributive accepti, seu singuli, habeant absolute omnem auctoritatem, quam habuerunt Apostoli præter Petrum; adeoque jure suo ubique terrarum Evangelium prædicare possint, ubique administrare Sacramenta, novos Episcopatus condere; ubique excommunicare, ferre leges, & auctoritatem sibi Apostolicam passim vindicare, quæ quantum a communi Ecclesiæ sensu, a sana Theologia, & veritate catholica remota sint, nemo Theologus non videt.

32 Rectius Nicolaus Cœffeteau, Sacræ Monarchiæ pag. 329. *Apostolorum auctoritas nullis erat definita Sedibus, sed longe lateque se per totum orbem, & ad omnium gentium fundebat populos: at intra certos cancellos cohibetur Episcoporum potestas, suosque terminos habet, extra quos ei vagari non liceat; namque usu, etiam jam ab initio nascentis Ecclesiæ, receptum est, ut certis Ecclesiis singuli Episcopi præficiantur.* Et pag. 343. *Procul dubio distinctæ res sunt Apostolatus & Episcopatus. Præterea, immediate mitti a Christo, Christo etiam convixisse, de essentia est Apostolatus; esse vero de essentia Episcopatus nemo prudens pronuntiavit. Rursus Apostoli Episcopatum successoribus suis tradiderunt, sed ad eos Apostolatum non transmiserunt.* Unde evidenter infero primo; Ergo, etiamsi Primatus Ecclesiæ annexus fuisset Apostolatui, & Episcopi sint Apostolorum successores, non propterea ad eos devenisset Primatus, cum Apostolatus ipse ad eos transmissus non sit; sed solum Episcopatus, atque ex hoc vocentur Apostolorum successores. Infero secundo: Ergo Paternitas vestra, supponendo, quod Apostolatus, ad Episcopos transierit, potestatem eis tribuit, quam nullus in eis Catholicus admittere potest, & Sedes Apostolica usurpari non pateretur. De tali itaque opinione tua operæ pretium foret Sedem Apostolicam consulere. Quomodo eam in fide tutam esse probaturus sis, aveo intelligere.

33 Disce etiam disparitatem inter Apostolatum & Apostolicam auctoritatem: & quando accusare vis, noli confundere, quæ inter se plurimum differunt; noli attribuere mihi voces a me numquam adhibitas; multo magis abstine a sententiis mihi affingendis, quas nosti ex ipsa pagina accusata, esse a sensu meo non tantum remotas, sed ei etiam directe contradictorias: denique noli ea verba omittere, quæ innocentiam, & sanam doctrinam meam clarissime demonstrant, ut sunt ea, quæ immediate sequuntur: *A Petro autem in Romanos Pontifices singulariter fluxit auctoritas Apostolica, conjuncta cum prærogativa supremi Capitis. Et hoc quidem jure divino penes unum solum necessario statui, Catholicorum omnium est consensus.*

§. IV. ACCUSATIO.

Papebrochius, ut imperitis imponat Paulum cum Petro Romanum fuisse Episcopum, fingit plures unius Ecclesiæ fuisse Episcopos, usque ad Nicæni Concilii tempora.

RESPONSIO.

NOn *imposuisse* me, vocando Paulum cum Petro Episcopum Romanum, patet ex tribus superioribus paragraphis. Si impostura foret, non foret mea, sed Cardinalis Bellarmini, aliorumque, quos retuli, gravissimorum auctorum, sanctorum Patrum & Pontificum, quorum clarissima verba retuli & secutus sum. Quis autem Reverende Pater, te constituit non meum solummodo, sed omnium etiam illorum judicem, ut tanta auctoritate fultam sententiam ablegare audeas inter *imposturas*? Neque *fingo plures unius Ecclesiæ Episcopos usque ad Nicæni Concilii tempora*, neque absolute assero, quod plures usque ad illa tempora unius Ecclesiæ Episcopi fuerint; sed tantum quod *videantur* fuisse. Rationes protuli tres præcipue. Prima erat, quod Petrus plures pro Urbe Roma ordinaverit Episcopos. Secunda, quod Paulus Actorum 20. plures simul alloquatur Episcopos Ephesinos. Tertia, quod Nicænus Canon juxta Ruffini ex Græco in Latinum interpretationem, videatur consuetudinem illam abrogare.

35 Ad primum respondes. *De tribus Episcopis a S. Petro pro urbe Roma ordinatis &c. pro nunc oppono hæc pauca verba Illustrissimi Domini a Schelstraten, Antiquitatis illustratæ dissertatione 3. Cap. 2.* „ Nec Linus, nec Cletus, „ vivente Petro, Pontificatum obtinuere. „ Hæc scilicet auctoritas sola sine ulla ratione ad me convincendum censeri debet abunde sufficiens. Si de summo *Pontificatu*, sive universalis Ecclesiæ Regimine sermo sit, ultro assentior Schelstratio, *nec Linum, nec Cletum, vivente Petro, Pontificatum obtinuisse*: nego autem, si de Episcopatu particulari in urbe Roma intelligatur. Et quidem Lino & Cleto addo Clementem; quem ea intentione a Petro ordinatum existimo, ut in supremum Pontificatum succederet. Esto enim Clementis ad Jacobum Epistola, ubi postremum asseritur, sit supposititia, non tamen probatur, non fuisse ea opinio antiquorum etiam ante illam fictionem, maxime si prima pars antiquissimi Catalogi

talogi

talogi apud Henschenium & Schelstratium, fuit conscripta tempore Anteri Papæ, id est paulo post annum 230.

36 Neque Schelstratius debet præferri Venerabili Bedæ, cujus hæc sunt formalia verba lib. 2. Hist. Angl. cap. 4. *Successit Augustino in Episcopatum* (Cantuariensem) *Laurentius: quem ipse idcirco vivens ordinaverat, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis, vel ad horam Pastore destitutus vacillare inciperet. In quo & exemplum sequebatur primi Pastoris Ecclesiæ, qui fundata Romæ Ecclesia Christi Clementem sibi adjutorem evangelizandi, simul & successorem consecrasse perhibetur.* Quia vero multo major & gravior Petro fuit ratio sic prospiciendi Romanæ Ecclesiæ, dixi parte 2. Conatus pag. 1. num. 1. quod *initio nascentis Ecclesiæ, primus Romanus Pontifex Petrus non incongruum, imo necessarium duxit, plures pro sola urbe Roma consecrare Episcopos, qui ipso vivente, sed ad prædicationem Evangelii diutius absente, Episcopalia obirent munia intra extraque urbem, mortuo autem sibi succederent, accedente tamen novo Cleri Romani populique consensu*: & hæc ultima verba patet adjecisse me, ut & electionis libertati, & Primatui Electi expressius consulerem.

37 Schelstratio autem oppono præterea Cardinalem Bellarminum, & antiquiores complures ab hoc citatos lib. 2. de Romano Pontifice Cap. 8. *Etsi Petrus*, inquit, *Romæ Sedem suam fixerat, tamen sæpissime aberat cum oporteret eum in variis locis Ecclesias constituere, ut Epiphanius annotavit hæresi 27. nam propterea Petrus assumpsit sibi in coadjutores Linum & Cletum, qui in absentia sua Romæ Episcopalia munera obirent.* Eodem lib. Cap. 5. *Apostolus Petrus passione sua imminente, beato Clementi Sedem Episcopalem reliquit. Id testantur gravissimi Auctores, Tertullianus de Præscriptionibus, Hieronymus lib. 1. in Jovinianum, & in Caput 52. Isaiæ; Ruffinus Præfatione Recognitionum & invectiva in Hieronymum; Joannes III. Papa in Epistola ad Episcopos Germaniæ; & præterea Clemens ipse lib. 7. Constitutionum Apostol. Cap. 37. Anacletus Epistola 2. Alexander Epist. 1. & Damasus in vita Petri. Ceterum Petro mortuo Clemens in Sede Apostolica sedere noluit, donec vixerunt Linus & Cletus, qui ipsius B. Petri adjutores in Episcopali officio fuerant.* Hactenus Bellarminus. Satisne hæc ut opponantur unius Schelstratii auctoritati?

38 Quid si autem ipse Schelstratius contra se fateatur sententiam meam esse communissimam, ei suffragari *Cardinalem Baronium, Binium, & plerosque peritos?* Schelstratium itaque audiamus Antiquitatis illustratæ parte 2. Dissertatione 3. cap. 2. num. 254. *Plerique eorum sustinent, Linum & Cletum a S. Petro ante Clementem fuisse electos Vicarios, aut Chorepiscopos. Ita indicaverat S. Epiphanius hæresi 27. & tanquam veterum traditionem statim usurpaverat auctor præfationis ad libros Recognitionum, Ruffino attributæ*: „ Quod Linus & Cletus fuerint quidem „ ante Clementem Episcopi in urbe Roma, „ sed superstite Petro. „ *Idem Auctor Pontificalis in Petro*: „ Hic ordinavit duos Episcopos Linum & Cletum, qui præsentialiter „ omne ministerium Sacerdotale in urbe Roma populo, vel ad se venientibus exhiberent „. *Idem plane, Chronicon Gulielmi de Nangis*: „ Cessit Clemens Lino & Cleto, qui „ ante eum scribuntur, eo quod ab ipso Principe Apostolorum fuerant ad Sacerdotale „ Ministerium habendum Episcopi ordinati. „ *Item demum Albertus Stadensis in Chronico per Patritium Junium relato*: *Clemens* „ quamvis „ a Beato Petro esset electus, tamen coegit „ Linum & Cletum ante se Pontificari. *Et sic quoque Cardinales Baronius & Bellarminus, quos cum Binio secuti sunt plerique periti, idque nisi eo fundamento, quod attingit Chronicon Episcoporum Metensium, relatum a Christiano Lupo in cap. 32. Tertulliani: scribit tempus Lini & Cleti incurrere in Petri Episcopatum, & addit*: „ Nisi tempora Pontificatus Lini atque „ Cleti, sub spatio Præsulatus B. Petri comprehenderis, non sibi consone respondebunt „ anni Pontificum Romanorum annis Imperatorum. „ Ad quæ hic aliud non respondet Schelstratius, quam *Vicariatum hunc gravissimis difficultatibus obnoxium, & ob plures rationes a se rejectum esse.* Nobis vero nulla apparet difficultas, quæ commode non solvatur. Experire, Reverende Pater, si lubet.

39 Ad secundam probationem de Episcopia Ephesinis sic respondes num. 58. *Non minus infeliciter & ignoranter ex Actor. 20. num. 28. probare molitur Papebrochius, unius ejusdemque Ecclesiæ Episcoporum pluralitatem.* Locus Actorum est, ubi Paulus Ephesios alloquens, dicit: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Pro quorum verborum interpretatione remittis me ad Raynaudum, qui citans Benedictum Justinianum, Estium, & Cornelium a Lapide, ait, *Apostolum per Episcopos designare Sacerdotes.* Quod mox probare niteris ex Capitis titulo, in quo nulla mentio fit de Episcopia; sed dicitur, quod *Paulus advocatos ex Epheso Presbyteros exhortatur, ut vigilantes sint in regenda Ecclesia.* Tum tibi ipse jus dicens sic concludis: *Quæ sufficiunt ad confundendum Papebrochium, cum non nisi ex Petro de Marca, Auctore Ecclesiæ bicipitis, Marco Antonio de Dominis, & similibus damnatis Auctoribus, allatum Apostoli locum interpretando argutetur.*

40 Reverende Pater Professor, hanc accepi ab omnibus passim Sacræ Scripturæ interpretibus receptam regulam, verba S. Scripturæ accipienda esse in sensu proprio, plano & magis obvio, nisi ex eo absoni quidpiam inferri posset, quod in casu hic controverso non posse inferri, patet ex iis, quæ de pluralitate Episcoporum in una civitate hactenus disseruimus, & mox sequentur. Nomen Episcopi in primitiva Ecclesia usurpatum fuisse significatione magis ampla, ut complecteretur etiam Presbyteros, non inficior; uti & nomen Presbyteri acceptum, non pro secundi tantum, sed pro primi quoque Ordinis Sacerdotibus seu Episcopis. Verum quidni in stricta significatione accipiamus voces, ubi latiorem non suadent circumstantiæ? Ais titulum Capitis meminisse Presbyterorum, non autem Episcoporum. Quid inde? Ideone de Episcopis non agitur in textu? Titulus non debet referre distincte singulos gradus eorum, qui textu comprehenduntur. Sub termino generali Presbyterorum, qui numerum longe majorem conficiebant, complectitur auctor tituli, etiam

Epi-

Episcopos, qui pauci aderant. Sic eum in textu versu 17. dicitur: Paulus *a Mileto mittens Ephesum, vocavit Majores natu Ecclesiæ*; intellexit Episcopos & Presbyteros teste Estio; quem perperam mihi objicis, tamquam si solos Presbyteros intelligeret. Utriusque Ordinis Sacerdotes hic admittit etiam a Lapide, quamvis cum Estio putet non solius Civitatis Ephesinæ, sed aliarum etiam Asiæ civitatum Episcopos designari.

41 Tu autem, Reverende Pater, mordicus sustines, solos designari Presbyteros; neque tum ex Titulo, qui neque Scriptura Sacra est, neque mihi contradicit; tum ex trium aut quatuor recentiorum explicatione, statuis *confundendum*. Confusionem si merear, non subterfugio; sed memineris quam contra argumenta negativa invehi soleas. Atqui hic argumentum negativum est, petitum a titulo Capitis, non faciente explicitam mentionem Episcoporum. Quid si autem etiam demonstrem, locum illum de Episcopis stricte dictis & ut modo loquimur, intelligi communiter a Doctoribus & Episcopis, atque ab ipsa Sede Apostolica; deberetne adhuc obrui *confusione*? Hoc me nunquam demonstraturum tam confidenter asseris, ut certus sis, me *non nisi ex Petro de Marca, Auctore Ecclesiæ bicipitis, Marco Antonio de Dominis & similibus damnatis Auctoribus*, *allatum Apostoli locum interpretando*, *argutari* posse. Quæro igitur, an omnes Concilii Tridentini Patres sint *damnati*, aut ejusdem farinæ cum *Marco Antonio de Dominis heretico, auctore bicipitis Ecclesiæ, & similibus?* Atqui Concilium Tridentinum diserte locum illum Apostoli ex Actorum 20. capite interpretatur de Episcopis, prout vox hæc hodie in usu est. Inspiciatur tantummodo Concilii illius Sessio 23. capite 4. de Sacramento Ordinis, ubi sic definitur: *Sacro-sancta Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinere, &* POSITOS, *sicut idem Apostolus ait*, a SPIRITUS S. REGERE ECCLESIAM DEI, *eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre*. In margine notatur, *Actor.* 20. atque inde verba desumpta esse per se evidens est. Undenam autem Ecclesiæ sensum certius discas, quam ex Concilio œcumenico?

42 Alia nunc superest quæstio, an Episcopi, quos Apostolus alloquitur, fuerint Civitatis Ephesinæ tantum, an totius Asiæ. Respondet Estius, quod *Apostolus mittens Ephesum, quæ erat Metropolis Asiæ, jusserit vocari Episcopos singularum Urbium, ut ad se venirent*. Hoc quidem Estii effugium est, ut non cogatur admittere plures ejusdem civitatis Ephesinæ Episcopos; verum si attentius consideretur textus Scripturæ, nihil ejusmodi apparebit, sed potius convocatos tantum esse Ephesinos; cumque inter hos quosdam vocet Apostolus *Episcopos* veros, & Presbyteris majores, ut interpretatur Tridentinum; sequitur plures fuisse Ecclesiæ Ephesinæ Antistites. Repetamus Scripturæ verba: Paulus a *Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ*, nempe Ephesinæ, non ait *Ecclesiarum*. Neque ex eo, quod Ephesus Metropolis modo sit, sequitur fuisse ab illo tempore; &, si fuisset, nondum foret evidens, vocatos esse omnes illius regionis Episcopos.

43 Restat verbum de Canone 8. Concilii Nicæni, quem adeo non favere mihi & Petro de Marca dicis, ut potius adversetur. Adversitatem non video; fateor tamen Canonem illum, ut inter 20. vulgatos Latine passim legitur, sic conceptum, ut videatur positus ex occasione Novatianorum Episcoporum pœnitentium, quos eum ad Ecclesiam redeuntes statuisset Synodus *honorem Presbyterii possidere*; mox addit, *nisi forte placuisset Episcopo*, Catholice instituto, *nominis eum honore censeri*. *Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chor-episcopatus aut Presbyterii locum, ne in una civitate duo Episcopi probentur existere*. Sed qui Schelstratium allegas, Pater Reverende, potuisti apud eum legere in libro, quem edidit primum sub titulo *Antiquitas illustrata* an. 1678. part. 2. num. 166. Canones illos Nicænos Latinitate donatos fuisse a Dionysio Exiguo, centum & amplius annis juniore, nec tam perito Græcæ linguæ quam fuerit Rufinus, eosdem Canones haud paulo clarius interpretatus; Græcum autem & originarium eorumdem contextum, adhuc requiri, unde definiatur, rectene Rufinus veluti Canonem a priori distinctum posuerit, *Ne in una Civitate duo Episcopi sint*. Cum autem, præter solius Raynaudi auctoritatem, nihil adversus me & Petrum de Marca proferas, non est cur me defendam operosius. Nam quidquid contra Illustrissimum auctorem illum debaccheris, ajo, non minori apud omnes antiquitatum notitia instructum censeri, quam Raynaudum. Sed de Marca pluribus sequenti paragrapho.

44 Denique quod legitima Ecclesiæ auctoritate plures aliquando fuerint ejusdem civitatis Antistites, confirmat Cardinalis Baronius apud Eximium Patrem Christianum Lupum [1] in Notis ad Tertull. capite 32. pag. 524. *Ad hæc*, inquit, *scribit in suis Annalibus D. Cardinalis Cæsar Baronius*: „ Legimus apud Clementis „ Constitutiones, quibus interdum usi sunt viri „ sanctissimi, nec non eruditissimi, Ecclesiæ „ Antiochenæ a Petro Evodium, Ignatium vero a Paulo esse creatos Episcopos: nec sane „ unum post alium, ut de ceteris ibi dicitur, „ sed simul. Quod tunc quidem factum ibi „ videtur, quod dissensio inter fideles, qui ex „ circumcisione, & eos, qui ex gentibus ad „ fidem venerant, esset concitata; quocirca „ quamdiu illa perduravit, illud remedium „ fuisse adhibitum, ut uterque sederet, alterque eorum præesset eis, qui ex Gentibus ad „ Ecclesiam venisset. Verum eo tandem sublato distinctionis pariete, sub uno eodemque „ Pastore utraque collecta Ecclesia, non amplius duobus, sed uno tantum fuit opus Episcopo. *Quod* (pergit Lupus) *an subsistat ignoro*.

45 Neque ego tamquam certum affirmo; sed, quid, salvo meliori, *videatur*, tamquam verisimile, propono, sapientum trutina discutiendum. Hoc exploratum est, ob nimiam diœcesium amplitudinem ordinatos multo tempore fuisse *Chorepiscopos*, non ἀπὸ τοῦ χορῦ *choro*, sed χώρου *regione* dictos, quasi *Episcopos regionarios*, de quibus multa erudite Cangius in Glossario. Atque isto modo etiam nunc Romæ,

[1] Vide doctissimum Thomassinum tom. 1. Discipl p. 187.

mæ, præter summum Pontificem, sunt alii duo Episcopi, unus dictus *Vicarius*, qui pro Papa exercet omnia Ordinarii munia in urbe, tamquam in Episcopatu Romano; alter *Vices gerens*: qui & ipse Episcopalia obit, Ordines sacros confert, Reliquias approbat; ipsi Vicario, qui sub Pio IV. cœpit ex Cardinalibus sumi, subordinatus. Et hic quidem nunc ordinari solet ad titulum alicujus in partibus infidelium desolatæ Ecclesiæ: sed primis decem aut duodecim seculis id in usu fuisse haud quaquam reperi; adeoque sic ordinatus, celebatur ejus urbis Episcopus secundarius, ad cujus subsidium unice ordinabatur.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius cum Marco Antonio de Dominis, & Auctore Ecclesiæ bicipitis, ex S. Epiphanio perverse intellecto molitur probare; Paulum cum Petro Romano fuisse Episcopum.

RESPONSIO.

QUid est homines importunis repetitionibus, non ad nauseam tantum provocare, sen quodammodo mactare, si hoc non est, Paucia tibi repeto, quod pro tribus aut quatuor Neotericis, quos mihi objicis, tot reposuerim Patres, Romanos Pontifices, Cardinales, aliosque summæ auctoritatis Scriptores, ut tui cum his nulla ratione conferri mereantur. Quis igitur censuram hanc tuam non rideat iterum inculcatam, *unanimis omnium proborum Catholicorum consensus est, Sanctum Epiphanium nequaquam intendisse asserere, Paulum cum Petro urbis Romæ fuisse Episcopum?* Nimis restrictum facis numerum proborum Catholicorum, dum tot tantosque & sanctissimos viros atque ipsum Epiphanium excludis; nam hæresi 27. non tantum dixit: *Romæ primum omnium Petrus & Paulus fuerunt Apostoli pariter & Episcopi*, quod recentiores aliqui torquendo explicant ita, ut significentur tantum fuisse *Romæ Episcopi*, non autem *Episcopi Romani*; verum obstruitur istud effugium verbis Epiphanii, sequentibus ibid. *Utcumque res habuerit, Romanorum Pontificum ista est successio: Petrus & Paulus, Linus* &c. Audis, Rev. Pater, *successionem*, non solum *Pontificum* Romæ, sed *Pontificum Romanorum?* Vocem Pontificis, uti passim in Horis Canonicis, accipio pro Episcopo, non pro supremo Ecclesiæ Capite.

47 Cum autem toties ingeras Marcum Antonium de Dominis, Archiepiscopum Spalatensem, Apostatam, quasi ei consentiam, respondeo, distinguendo: Consentio in hoc præcise, quod admittam Paulum fuisse cum Petro Episcopum Romanum, in quo etiam consentientes habeo sanctos Patres passim, Cardinalem Bellarminum, aliosque supra citatos, [t] concedo: Consentio illi, afferenti Paulum ita fuisse Episcopum Romanum, ut fuerit nullo modo subordinatus, aut subjectus, sed per omnia auctoritate æqualis Petro, atque illi æquales facio ceteros Apostolos; eamque auctoritatem universalem & Apostolicam ad omnes Episcopos assero dimanasse, & simile quid admittendum in Presbyteris, nego. Ipsum Apostatam in sua Republica lib. 2. cap. 5. loquentem audiamus: *Jam enim*, inquit, *probavi, omnibus Apostolis in solidum, in tota plenitudine potestatis, succedere omnes Episcopos; & non minus succedi plene reliquis Apostolis quam Petro in solidum: sed Presbyteros etiam Apostolis succedere vere & realiter, non similitudine sola*: Ibid. *Episcopos succedere Apostolis in tota essentiali auctoritate prædicandi, & universaliter regendi Ecclesiam*. Atque ita Ecclesia non biceps tantum esset, sed tot capitum monstrum, quot fuerunt Apostoli, & quot sunt Episcopi, si non etiam quot Presbyteri.

48 Quid auctores bicipitis Ecclesiæ tradiderint, ipsum nomen bicipitis Ecclesiæ utcumque indicat; ut nempe Petrus & Paulus fuerint duo Ecclesiæ Capita, quorum singula supremam & nullo modo alterius jurisdictioni subjectam potestatem haberent, Ecclesiam tum Romanam, tum Universalem gubernandi. Ab hoc errore, hæreticos recte condemnato, tam remotus sum, quam Bellarminus hæreticorum malleus, & tot Romani Pontifices, Sancti Patres aliique, tum veteres, tum recentiores, supra citati. *Paulus*, inquia, *hoc tantum sensu dici potest Episcopus Romanus, quod in subeundis Romæ muneribus Episcopalibus fuerit Petri adjutor*. Jam ecce Reverende Pater, locutionem tandem a te admissam, in quam tot paragraphis, tot invectivis, & censuris declamasti. Explicationem istam quidem, loco a te accusato, non expressi; contentus locutione simplici, a tot Patribus, Pontificibus & Scholasticis æque simpliciter adhibita. Vel igitur Pontificum, Sanctorum Patrum, aliorumque Auctorum sententiæ, quas pro me hoc Articulo adduxi, explicationem tuam patiuntur, vel non? Si illæ patiuntur, cur non patitur mea, iisdem terminis concepta? Si illæ non patiuntur, sed Romani Episcopi nomine plus aliquid intelligunt, dicito, quid istud sit, & quid amplius ex verbis meis valeat extundi? Plus, inquis, vult Papebrochius; nam asserit, *Paulum recte*, seu proprie *dici posse Episcopum Romanum cum Petro fuisse*. Respondeo, asseruisse me, quod *recte dici possit*; quod autem *possit dici proprie*, numquam asserui, aut cogitavi. Interpretatio hæc quidem tua est, Reverende Pater; sed quam ineptam, demonstravi Art. 1. §. 1. Recte dicitur in Sacra Scriptura, quidquid in Conciliis œcumenicis, quidquid a Pontificibus & Patribus communiter; nemo tamen negare potest, quin plurima, & quidem imprimis in Sacra Scriptura, dicantur non proprie. *Recte*, illic idem est, quod *Vere*, sic dicit Christus; *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus; Ego sum vitis vera*. Dicitne propterea carnem suam esse proprie cibum, se esse vitem proprie dictam? Utrumque quidem terminum, *vere & proprie*, usurpat Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis; ego tamen, quamvis dissertationem ejus laudaverim, utpote ex professo scriptam contra bicipitis Ecclesiæ Auctores, sponsorem seu vadem me præstare nolui singulorum ab eo dictorum; ideo studiose prætermisi vocem *proprie*, quia vulgari usu, hoc saltem tempore, Paulus, Romanus Episcopus, proprie vocari non solet.

49

[t] Quibus adde Thomassinum tom. 2. Discipl. pag. 191.

49 Multum quoque scandalizaris ex his duabus sequentibus Petri de Marca propositionibus: *Ex æquo super omnes Apostolos Ecclesiæ soliditas fundata est*, &, *Nulla itaque potest reperiri in Petro prærogativa, quod attinet ad Prædicationis vel Sacerdotii munus, nec etiam quoad potestatem Ecclesiarum instituendarum, nempe præficiendo illis Presbyteros & Episcopos, vel etiam in reos animadvertendo monitionibus & censura divina*. Sed cur, Reverende Pater, omittis, quod illic interjicitur, *Caput in Petro inter duodecim constitutum, ut Schismatis tolleretur occasio*? Sic itaque Antistitem hunc interpretor, ut Apostoli omnes ex æquo acceperint Sacerdotii & Episcopatus characterem, præterea potestatem prædicandi ubique Evangelium, ubique administrandi Sacramenta, ubique erigendi Episcopatus, corripiendi & puniendi Episcopos; ita tamen, ut supremæ Petri directioni & jurisdictioni obnoxii ipsi quoque Apostoli essent, posset ab eorum sententia ad eum appellari, atque ipsi a Petro possent huc illuc mitti, & ubi opus foret, etiam adigi præcepto. Si aliter explicari Marca volueris, ab eo recedo; sic etiam in Paralipomenis ad Conatum pag. 32. etiam interpretor, ut velit, *Supremi judicii infallibilitatem a Sede Romana peti*. Quam ob causam litem a Paternitate Vestra non expecto: si intentent alii, respondeo ut ad quæstionem præcedentem.

50 Interea eum appellare non desinis *Auctorem malæ notæ, utpote damnatum ab Ecclesia*. Itaque, ex Eruditissimi totaque Gallia celeberrimi Stephani Baluzii Præfatione, intellige, quo impulsore scriptum, & quomodo acceptum Romæ opusculum illud sit, de quo præter Patern. Tuam hactenus querì auditus est nemo. *Opusculum*, inquit, DE SINGULARI PRIMATU PETRI, *scriptum est occasione gravissimæ quæstionis, de duplici Capite in Ecclesia; quæ anno 1647. mota est in Gallia plerisque unicum tantum Caput, videlicet Petrum, in ea constituentibus; quibusdam vero censentibus, Paulum quoque Ecclesiæ Caput cum Petro fuisse. Cum hac quæstio distraheret in partes ingenia eruditorum, Innocentius Papa X. a Marca impetravit Exercitationem illam, quam et scripsit Barcinonæ v. Kalenda Junias. Ea porro sic placuit Innocentio, ut eam publice legi jusserit, atque hinc singularem quamdam, de Marcæ in Sedem Romanam propensione, acceperit opinionem*.

51 Hanc ille opinionem luculentius etiam declaravis, quando proximi Januarii Idibus eumdem instituit Episcopum Conseranensis Ecclesiæ, ad quam fuerat jam ante quadriennium nominatus a Rege, quin etiam anno 1654. placuit Patribus Purpuratis & eorum Patri Innocentio, ut vir summus Ecclesiæ Tolosanæ præficeretur Archiepiscopus, ac denique die quarto prius quam moreretur (obiit autem 29. Junii 1662) accepit *Alexandri VII.* litteras, quibus eum faciebat certiorem de translatione ejus ab Ecclesia Tolosana ad Parisiensem. Quid vero *Julius Card. Rospigliosius*, post annos 5. futurus Clemens IX, intellecta ejus morte, Clarissimo Viro Samueli Sorberio laudavis in defuncto, *vitæ innocentiam & assiduum Religionis studium: quo sublato, plurimam in Christiana Republica factam esse jacturam, intelligunt & dolent omnes*. Accepta deinde illius brevi vita per Baluzium edita; *Non diffiteor*, inquit, *Illustrissimi viri Petri de Marca, Parisiensis Archiepiscopi mortem, acerbam mihi & luctuosam fuisse; cum nefas esset non dolere Præsulem, Religione & doctrina eximium, Apostolicæ Sedis observantissimum, & in magno auctoritatis gradu positum, alienissimo Christianæ Reipublicæ tempore nobis ereptum*.

52 Ast liber ejus *de Concordia Imperii & Sacerdotii seu de libertatibus Gallicanæ Ecclesiæ*, Romæ displicuit, & anno 1642. rursumque 1646. relatus est in prohibitorum Indicem. Non diffiteor. Sed quid attinebat hujus vulneris meminisse, cum id ad rem nostram nihil faceret? Plenam certe ad fnas de opere isto querelas satisfactionem accepisse Apostolicam Sedem, testabatur fiducia illa, qua Innocentius X. postulavit ab eo refutari eam ipsam; cujus Tu & illum & me temere insimulas, hæresim. Si tuæ Patern. nondum is fecit satis, sed etiam in hac ipsa Exercitatione, quam apte insereadam meis paralipomenis judicavi, eadem aut etiam multo graviora peccari censeas; non me, sed ipsum reum cita: forte non deerunt alibi, qui pro mortuo respondeant.

EXHIBITIONIS ERRORUM

ARTICULUS OCTAVUS.

Circa Emm. S. R. E. Cardinales.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibentur illa, quæ Papebrochius habet inter Acta Sanctorum, contra Em. DD. Cardinales eorumque dignitatem.

RESPONSIO.

Summam deberi venerationem Eminentissimis Dominis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nemo Catholicus negat; immunitatem tamen ab omni erroris aut defectus periculo nullus tribuit: & quis Polemicus scriptor judicium suum ita semper noverit inflectere, ut cuilibet quantumvis eminentis dignitatis auctori, privata auctoritate scribenti, in omnibus consentiat? aut quis Historicus vitas & electiones Romanorum Pontificum ita temperaverit, ut nihil ospiam labis aut nævi in ullo eligentium appareat, vel ab alio scriptum referatur?

2 Quemadmodum tamen in dogmatibus, ita & in factis nunquam erro volens, nedum in iis, in quibus maculæ aliquid proximi famæ aspergeretur: cui si quid ex ignoratione detractum, præsertim si viri Principis, & quidem Purpurati Patris læsa dignitas, non alia responsio adhibenda est, quam prompta, & perspicua retractatio. Quam ego hactenus in retractando vel

mini-

minimo lapsu haud segnis suerim, agnoscunt omnes veritatis, quam criminationis amantiores. Videamus nunquid a me ulterius merito requiri possit. *Cum Papebrochius*, inquis, *nemini parcat, ne quidem summis Christo in terris Vicariis Pontificibus Romanis, ut patet ex dictis Art. 3. non erubescit etiam Eminentissimos Dominos S. R. E. Cardinales, nulla servata religiosa modestia & reverentia illis debita, taxare; nunc Simoniæ illos insimulans, nunc ignorantiæ arguens, nunc aliter censurans; quasi ipsi essent similes, ipseque solus etiam supra illos sapientissimos saperet*. Ita pro sua sapientia & modestia, religioso Superiore digna, loquitur Rev. Pater Provincialis; addens, futurum ut probationes *pateant ex decursu*.

§. I. ACCUSATIO.

3 *Papebrochius varios producit libellos Anonymos, derogantes honori Em. Dominorum S. R. E. Cardinalium.*

RESPONSIO,

Cum frequentius contingat monumentorum veterum Auctores, solo nominis titulo, expressos, ab hoc nihil ponderis accipere, nisi ipsi aliunde noti laudatique habeantur; sed quidquid merentur æstimationis debeant plerumque sumere ab ipso, quod posteris reliquerunt, scripto; hinc fit, ut Historici, talibus monumentis usuri, non multum angantur defectu nominis proprii (quamvis hoc quoque soleant indagare & proferre cum possunt) magis autem laborent ut definiant, quam prope præsens vel absens factis relatis Auctor quisque fuerit, quam graviter, quamque prudenter scripserit, quam nullo sinistro affectu abreptus.

4 Hæ tam necessariæ ad fidem promerendam qualitatis, vix hoc seculo creduntur inveniri in iis, qui Acta Conclavium Pontificiorum litteris mandant; licet præsentes fuerint in Conclavi, communi vel privato Cardinalium inclusorum ministerio servientes: tales enim sæpe nunc deprehenduntur, falsa cum veris, certo comperta cum vanis rumoribus, non raro miscere. Continuaturus igitur Pontificum Historiam, eorumque Chronologicam tractationem, per se subinde inamœnam, condire volens variarum rerum eo spectantium notitiis, & veteribus Latinis, qua scriptis, qua impressis relationibus, progressus eo modo scribendi sum usque ad Nicolai V. Pontificatum, & an. 1447. Studui etiam cum optimis quibusque Auctoribus declarare, non solum quo anno & die decessor Pontifex obierit, & successor sedere cœperit; sed etiam quid medio tempore actum sit.

5 Animadvertens autem, quod historiæ Conclavium, Roma mihi missæ, & Clemente VII. posteriores, non eadem procedebant simplicitate qua priores; & quod eadem nimis prope accederent ad præsentia tempora, incurrendæ alicui offensioni magis obnoxia; nolui tali periculo me meumque librum exponere, & a reddendis Latine iis, quæ solum Italice scripta inveniebam, abstinere statui, exceptis paucis, prædicto Clemente VII. antiquioribus; quarum aliquas satis fideles existimabam; eas scilicet, quibus continebatur creatio Nicolai V. & Callisti III. eas item quas Joannes Brocardus Clericus Cameralis, magnæ vir auctoritatis, post obitum Alexandri VI. ac Pii III. conscripsit, aliasque nonnullas; deinde, ut cœpta rerum series pertexeretur, addidi paucas quasdam alias.

6 In his ultimis, liberi exaratis stylo, nonnulla continebantur, electis quidem non indecora, sed eligentium uti & aspirantium aliquibus, vel hos præ aliis eligi cupientibus, haud æque honorifica: quæ tamen minime resecanda tunc putavi; ratus, quod ad fidelitatem pertineret, nihil mutilum dare. Nam ex talibus etiam fructus videbatur posse existere, quem indico parte 2. pag. 117. ut scilicet appareret, quomodo *divina sapientia quandoque, ad stuporem omnium, confundit humanam; manibusque palpari faciat, maxime secretas dissimulatasque negotiationes, quibus politica ratio impendit quidquid habet oculorum, momento dissipari; & cœlesti quadam operante virtute, in effectum ab intento diversissimum evadere.*

7 Verum consilium, quantumcumque recta mente susceptum, improbari intelligens, suggerentibus Dominis Cardinalibus, quibus displicuit talia in libro meo Latine legi, Protestationem scripsi imprimendamque curavi, ut ponatur ante Tomum II. Junii, nunc sub prælo sudantem. Hæc Protestatio, præter alia haud inutilia, docebit imprimis meam ad correctiones suscipiendas promptitudinem: quare haud gravabor integram hic exhibere, atque in publicam lucem præmittere; tantum abest, ut præsumam, *solus supra sapientissimos sapere, & nulla servata religionis modestia & reverentia illis debita, taxare Emm. Dominos Cardinales*. Igitur ante 2. Tomum Junii sic legitur.

8 *Non solum verbis professi sæpius, sed rebus etiam ipsis testati, quod de aliquo nostro defectu monitis, eum velimus prima data occasione supplere; idem iterato hic facimus, quando Sacra Indicis Congregatio gratia desideratissima nos dignatur, Acta Sanctorum recognoscens, per deputatos a se Censores. Tantum dolemus, quod qui defectuum talium notitiam accipiunt, non simul etiam semper accipiant notitiam pridem præstitæ, ut pollicebamur, correctionis.*

9 *Hinc fit, ut etiam nunc arguamur*, Innocentio VIII. *dedisse elogium, sumptum ex verbis Joannis Stellæ, scriptoris coævi, atque dicentis, Pontificem illum natum* Cyborum familia; mediocri, sed honorata, *quia id, præter ipsius nostramque mentem, intelligi volunt quidam*, de mediocritate, non fortunarum, *sed natalium; cum tamen in Paralipomenis, una cum* VII. *Tomo Maji editis anno 1688. & Propyleo ejusdem mensis nunc addi solitis, pag. 139. Commentarium, Elogio prædicto subjunctum, jussenimus incboari ab ampla nobilissimæ & perquam antiquæ familiæ claritate, ad cujus etiam laudem non minimam spectat, quod illius tunc caput* Aaron, *in iis versatus muneribus, ex quibus largas poterat opes collegisse, harum mediocritate contentus manserit; atque ac postea filius, meritus ab eodem Stella commendari*, ut vit dictissimæ paupertatis; *qui Cardinalis factus*, „ tanta moderatione alebat multam honestamque
„ familiam, ut in tecta privatæ domus guber-
„ natione, optimum se universalis Ecclesiæ re-
„ ctorem fututum præmonstraret.

10 *Sic istum in priori scriptione defectum cla-*

rita-

citatis, supplevimus & emendavimus in posteriori; una cum aliis pluribus (puta de Officio Sanctissimi Sacramenti, a Sancta Thoma composito, part. 2. Conatus pag. 51. de Ætate S. Francisci Paulani tom. 7. Maji pag. 658. &c.) eademque promptitudine tunc etiam mandavissemus expungi totas Historias Conclavium, siquis nos monuisset, eas perexiguæ, aut etiam plane nullius auctoritatis Romæ censeri; in iisque multa, aut ex ignorantia, aut ex partialitate narrari, de quibus merito subinde queri possit Illustrissima Posteritas.

11 *Quod igitur tunc moniti fecissemus, nunc facimus ultro, declarantes, voluntatis nostræ omnino esse, ut ipsæ Relationes, veluti Pontificiæ Historiæ gravitate parum dignæ, aboleantur in jam editis exemplaribus omnibus; consilii quoque nostri esse, post hujus secundi Tomi publicationem, nostrum* ad Catalogos Pontificios Chronico-historicum Conatum, *qui ibi* Propylai *nomine nunc venit, novo studio recognoscere, ac denuo imprimendum dare: omissis Conclavistarum narrationibus omnibus, suppletisque defectibus, tum iis, quos Paralipomena notant, tum aliis, quos vel ipsi interim observavimus observabimusque, vel Eminentissimi Patres, Sacræ Indicis Congregationi præpositi, aliive, suggerere nobis dignabuntur. Nam qui privati cujusque monito tam gratanter excipimus sequimurque, ut monitores ipsos speciali honore dignos habeamus; quomodo non libenter audiemus eos, quibus Apostolica Sedes librorum corrigendorum publicam auctoritatem commisit; postquam nos ipsi, per Societatis nostræ Procuratorem generalem, supplicavimus Sanctissimo Domino nostro Innocentio XII. ut omnia de Actis Sanctorum volumina, eoque spectantia Præliminaria seu Propylæa, nuper de haresi (quod abominamur) accusata, sub oculis suis, in alma Urbe, mandare revideri.*

12 Hæc si Eminentissimis Dominis Monitoribus meis fecerunt satis, uti fecisse spero, nihil est, cur ultra purgare me coner Accusatori meo, nescio an ullius de me bonæ cogitationis capaci, quin potius novam hinc ansam criminandi sumpturo. Numquid enim suam vel malevolentiam, vel rerum ignorantiam manifestat? cum indignatur, & quasi *ad dehonestandum infamandumque sacrum Purpuratorum Collegium* effutire me ait, in Joanne XIX. *Vacationem Sedis prorogatam esse ad integrum mensem, ut interea largitionibus & muneribus expugnarentur Electorum animi, & sic coemptis per nefas suffragiis eligeretur ineptus.*

13 Produxeram e Ms. nostro tempus Pontificatus Benedicti IX. idque cum fine ejusdem conferens; *Puto*, inquiebam, *Sedis vacationem* (ab obitu Joannis XIX. usque ad præfatum Benedictum) *prorogari posse ad integrum mensem & dies duos; qui facile effluxerunt, priusquam defuncti Pontificis frater electorum animos circuens expugnaret largitionibus suis, quatenus opus fuit, ut coempta per nefas suffragia in favorem filii, omnimodis ad tale munus inepti, superarent justam refragationem meliorum & saniorum.* Quantum hæc differunt, mi Pater, a fictione tua! Fingis a me vacationem Sedis *prorogatam esse* ad integrum mensem: ubi tantum puto ad istud spatium temporis *prorogari posse* ex calculo meo, non ex prava Cardinalium intentione. Fingis præterea pessimam *hic* particulam causalem, *Ut:* quasi asseruerim prorogatum a Cardinalibus tempus vacationis, *ut interea* muneribus cumularentur: ubi e contra totius artificii auctorem statuo Principem laicum, *defuncti Pontificis fratrem*. De hoc fratre altum siles, Reverende Pater, ut crimen, quod hic commisit corrumpendo, a me conjici videretur in Cardinales.

14 Tantum igitur ostendo, ad salvandam sententiam Ms. citati, quomodo potuerit ad mensem prorogari electio artibus fratris defuncti Pontificis, filium suum modis omnibus in Sedem Patrui Pontificiam intrudere satagentis, solicitando animos Electorum, promittendo, largiendo. Factum id est anno 1033. mortuis Benedicto VIII. & Joanne XIX. filiis Gregorii Comitis Tusculani, non minus virtute quam nobilitate claris; sed in hoc vel infelicibus vel male consultis, quod fratri suo Alberico Comiti Tusculano, tantam reliquerint potentiam, in summa illius seculi corruptela, ut per illam ejus filius Theophylactus, *puer annorum circiter duodecim, ordinatus* sit Pontifex, *contra jus fasque: quem scilicet sola pecunia auri & argenti plus commendavit, quam ætas aut sanctitas*. Ita Glaber Rodulphus, hoc ipso tempore vivens, cujus hanc sententiam, tum apud Cardinalem Baronium, quam apud me legere potuisti.

15 Quando electus puer est, non plures quam novem Cardinales scitur Romana Ecclesia habuisse, præter Episcopos suffraganeos Pontificis, tunc quidem in consessu priores, necdum tamen Cardinalibus adnumeratos. Ad istorum vero tam paucorum & debilium commendationem, potius quam ad eorum vituperium facit, quod integro mense opus habuerit Albericos, ut eos induceret (si tamen inducti revera fuerunt) ad faciendam vel tolerandam ordinationem hominis tam inepti. Baronius certo sic scribit num. 5. *Albericus Romanos, quos novit potentiores, aggreditur, quos expugnatos auro sibi devincit, quorum emptione suffragiorum, quam conceperat, parit iniquitatem*. De hoc Pontifice non magis honorifice loquitur S. Petrus Damiani, dicens, quod *usque ad finem, semper luxuriis inquinatus fuit*.

16 Quid? quod ego non dico, expugnandos fuisse *Cardinalium*, sed *Electorum* animos? Hi autem tunc temporis non erant soli Cardinales: nam Joannes IX. in Concilio Romano anni 904. apud Labbeum tom. 9. col. 505. Canone 10. sanxerat, ut *constituendus Pontifex, convenientibus Episcopis & universo Clero eligatur, expetente Senatu & Populo*. Et in Conatu part. S. fol. 117. n. 9. ex formula Decreti de Electione, ad Imperatorem vel ejus Exarchum mittendi, noto, pro ejusdem confirmatione supplicare solitos, *Presbyteros, Diacones, & universum Clerum, Axiomaticos etiam seu Exercitum & Populum Romanæ Urbis*; velut aliquam partem, pro suo quique gradu & ordine, in ipsa habentes electione, quam postulant confirmari. Et hoc posito, etiam in ista intrusione Benedicti IX. (nam hoc nomine dictus Papa fuit) locum habere potuit, quod de simili alia post annos circiter 50. scribit S. Petrus Damiani apud Baronium, ad annum 1033. n. 6. ut illa quoque facta sit *Cardinalibus*, saltem aliquibus & melioribus, *reclamantibus, absistentibus*,

t bus, & terribiliter anathematizantibus, ... dum pecunia per regiones, andronas, vel angiportus in populo exigitur.

17 Hujus temporis calamitates, per Principum secularium potentiam inductas, multis deplorans Baronius, dolet etiam miseram Cardinalium tunc conditionem, *ut vel pati cogerentur intrusum, aut alium eligendo schisma conflarent*, dolet etiam pluribus prælaudatus Glaber; quod *Romana sedes morbo isto pestifero* (Simoniæ) *per viginti quinque annorum spatia misérrime laboraverat*, patiens potius quam faciens malum: & tu, Rev. Pater, (quem meus a Te accusatus locus manu ducebat, ad ista omnia & longe plura apud Baronium anno præcitato legenda) apud Collegium Cardinalium, hoc tam longe alio ac feliciori tempore, calumniaris me, quasi ad eorum infamiam pro nunc dixerim, quæ jam cogitare sit nefas.

18 Hoc nempe solemne est Tuæ Patern. res temporaque confundere, ut lectoribus tuis offundas tenebras, per quas nihil nisi fœdum & dictu horridum in libris meis videant; ubi alii agnovissent rerum humanarum conditionem semper variam; & in omnibus divinam providentiam Ecclesiæ suæ conservationi semper & mirabiliter prospicientem, per quam (sicuti recte animadvertit Baronius num. 6.) *tanta tunc vigebat observantia toto Catholico orbe erga Romanam Ecclesiam, ut quemcumque audirent throno insidere Petri, colere eum & venerari non detractarent, cum non ipsum sedentem, sed eum, cujus vice sederet, imprimis intenderent*. Hujusmodi mella, etiam inter spinas, legere apiculæ norunt, unde venenum araneæ: tantum interest, quo animo quis quid legat. Ego infelicem istum Papatum paucis perstrinxeram, de sola solicitus chronotaxi, cetera probra dimiseram legenda apud Baronium: sed Paternitas tua istis omnibus dissimulatis, proponendo verba mea illam solam spectantia, quasi totam turpis facti invidiam in Cardinales contulissem, coegisti me, ut ex Baronio sic reproducerem facti totius veritatem, quod quam mihi molestum fuit, tam venia dignum (ut confido) videbitur Dominis Cardinalibus.

§. II. ACCUSATIO.

19. *Papebrochius meris figmentis, injuriosis censuris & satyris evertere molitur Em. D. Card. Baronii Annales, & Chronologiam Romanorum Pontificum.*

RESPONSIO.

QUam magnifice censeam de Herculeo illo, Ecclesiæque universæ utilissimo Annalium Baronianorum labore, tum alibi sæpe, tum dilucidius declaravi in Præfatione ante partem 1. Conatus mei ad Catalogos Pontificum, ubi num. 11. reproduco locum meum ex Vita Bollandi, ab annis triginta sic excusum: *Fidenter sæpe, sed semper reverenter, a sententia magni illius Auctoris recedimus, idque absque ulla nota vel injuria accipi volumus. Fatemur enim fieri posse, ut magni alicujus gigantis humeris insidens quantumvis pusillus, prospiciat longius aliquanto, & quæ ipsum latent intueatur*. Id autem dico, *nunc etiam fieri faciunt, propter tot antiquorum monumentorum millia partim a nobis recens inventa collectaque, partim ab aliis in lucem eruta, postquam Baronius desiit Ecclesiasticam Historiam per Annales digerere; quæ ille si videre potuisset, rectius utique certiusque judicasset*.

Opuscul. Collect.

20 Hæc aliaque præfatus, concludo, quod *intelligi volo Baronii nomen usurpare, tamquam viri omni exceptione majoris, nec unquam sine honoris præfatione nominandi, nisi id affectationis superstitiosæ plusculum haberet, necessitatis vero nihil; præmonito semel lectore, per quem deinceps nobis liceat, simpliciter in decursu appellare Baronium, sicut nominasse, laudasse sit, etiam iste ubi corrigitur*. Nescio, Reverende Pater, utrum *Satyram* tibi scribere videar eo loco; aut omnem a sententia Baronii recessum *injuriosum censuram* vocandam putes. Non ita senserunt de meo ad reformandam Baronianam Chronologiam Conatu viri tunc eruditissimi duo, ac postea S. R. E. Cardinales, Michael Angelus Riccius atque Leander Coloredus; hic ad prosequendos Annales delectus, iste plurium Congregationum Secretarius: quin potius multimodis hortati me sunt, ut quæcumque haberem præsidia, ad Pontificum ingressus egressusque certius definiendos, ea non cunctarer efferre in lucem, panicum timorem appellantes, quo vereri me dicebam, ne crebrior a Baroniana Chronotaxi recessus Romanos offenderet. Longum esset reproducere illam Præfationem, quæ, post expositam tractationis illius meæ occasionem ac scopum, tota est, non de evertendis Baronii Annalibus, sed *de servanda Baronio reverentia*; ut ipse titulus docet.

21 Profiteor quidem, quod *ex fundamentis, in Diatriba Henscheniana ante Aprilem positis*, id est ex veteribus Catalogis ab eo erudératis, *ersus deducere Chronographiam Pontificiam, certius quotidie clariusque cognovi, illa principia teneri non posse, quin ubique fere subducerem calculos a Baronianis diversos*; sed nihil *inverecunde proclamo*, ut mihi imponit Paternitas Tua; nihil *cum vilipendio & contemptu* dico, quasi *in ordinanda Chronologia nullum adhibuerit diligentiam*. Excuso, non habentem quod sequeretur, nisi librum Pontificalem & Anastasium Bibliothecarium de Vitis Pontificum; in posterioribus vero seculis multo magis destitutum iis subsidiis, quæ deinde protracta in lucem sunt; & quibus valida suffulti alii, Baronium, licet in ceteris maximum, præsertim in confutandis Centuriatoribus Magdeburgensibus, in ratione tamen temporum ineunda sequendum sibi non putaverint.

22 Nominavi num. 3. Deckerium, Bucherium, Tirinum, Petavium, omnes in constituenda Æræ Christianæ Epocha sentientes contra Baronium, quorum nemini id quisquam vitio vertit; tu vero, Pater Rev. nullum alicujus nominis Chronologum inveneris, qui eum illo, cupiente in viam redire unde recesserat a principio, Soteris Pontificatum & Probi imperium sic, ut ille fecit, decurtari sit passus. Atqui Chronologia est istiusmodi catena, cujus si unum annulum moveris, plures moveri necesse sit. Nostra autem memoria, Labbeus, Cossartius, Schelstratius, Pagius, suo quiqua modo Pontificum seriem digesserunt, nemo professus est se Baronium sequi; novissimus vero

eorum Pagius, integris ac bene spissis voluminibus duobus, aggressus in illius Annales Criticam Historico-chronologicam scribere, *Chronologia*, inquit in Præfatione sua num. 26. *Pontificum in multis emendanda fuit, per tria fere priora secula, & non raro in sequentibus; neque in alia alia sæpius peccavit Baronius*. Antea tamen n. 17. professus erat idem Pagius, eamdem, quam & ego atque iisdem fere verbis, Baronio haberi a se reverentiam, ita scribens: *Tantum abest, ut Baronium & Spondanum minoris habendos putem, quod illum dum Annales conderet, hunc que dum eos abbreviaret, notasque aliquas adjiceret, multa fugerint; ut e contra magis temporum nostrorum felicitati, quam propriæ industriæ attribuendum arbitrer, quod res nunc magis apertæ, & manifestiores sint, quam eo tempore quo ambo scripserunt ... Numquam sine elogio citassem, nisi brevitati mihi studendum fuisset ... quare utrumque Historicum, omni laude majorem, nominare, laudare oris*.

23 Ita Pagius, ita ego supra, nil magni nobis eo arrogantes, quod Chronologiam Baronii, omnium judicio defectuosam, partim supplere, partim corrigere conati simus. Defectus illos & eorum fontes, in nostra utriusque Præfatione notatos invenies, sed absque jactatione, & convitio; nisi convitium sit, aliquid prætermissum vel erratum dicere, quod vere prætermissum erratumque monstratur. Plura etiam notat Pagius, ac specialiter n. 18 varios temporum characteres indicat, qui *omnes*, inquit, *certissimi, ac subinde necessarii, in Annalibus desiderantur; Indictionibus exceptis, quæ etiam in eisdem ante seculi sexti finem non haventur, licet jam a Constantini Magni imperio viguerint, multaque identidem concurrant, quæ quo anno contigerint, non nisi earum beneficio detegi possit*.

24 Idem n. 9. significans, deproperandi sibi operis auctores fuisse imprimis Eminentissimos Cardinales tres, Calanatem, Barbarigum, Lauream, eorum judicio satis se præmunitum credit, adversus *opinamenta vulgi, quod inde Baronio decrementum, imo & injuriam inuri somniat, unde sapientissimi illi verum æstimatores decoris titulos accrescere putant; ...* quod *ejusdem operi illustrando perennandoque latatum fuerit*. Nihil simile factum ab hæreticis, Baronii adversariis; qui tantum abest ut Chronologiæ defectus corrigendos supplendosque sibi sumpserint, ut eorum præcipuus *Hottius*, professus se dare *Examen perpetuum Historico-theologicum in Annales Baronii*, in sua apud Pagium præfatione, dicat; *Quid curem, hoc vel illo anno, prius an posterius; hoc vel illud negotium, hanc vel illam rem, in qua nihil periculi, nihil fraudis, gestam? .... Baronium me tractare, atque res ipsas me spectare, meminerit lector*.

25 Calumniaris igitur, Pater Professor, cum dicis n. 8. *ad hæreticos*, qui *præclarissimo scriptori furiose sese opposuerunt, non erubescit accedere Papebrochius*: & n. 13. *summo cum applausu hæreticorum, Baronii Romanorum Pontificum evertit Chronologiam*, cum eamdem scilicet vel corrigit vel supplet. Quibusnam in libris hæreticorum applausus istos, vel mihi, vel Pagio, Schelstratioque exaratos legeris, nescio; aut unde eo probaturum te speres. Ut horum laboribus, sic & Conatui meo plauserunt Romæ viri eruditissimi, etiam potui videri modestius præ aliis agere, quod consummatam Chronologiam datuanum me non sim ausus polliceri, sed simplicem ad eam dederim Conatum, in quo *injuriosas censuras & satyras* ante Patero. Tuam nemo legere se putavit. *In eo si scopum non attigero, alterque feliciori id faciens successu, meos, siquos invenerit errores, corrigat, adeo non feram id ægre, ut eum animi gratulatione sincera cessurum me ei palmam* profitear in Præf. præcitata num. 12.

26 Sed nihil dubito, quin in secunda ejusdem Conatus editione multa sumpturus sim, contemptis tuis tuorumque sannis, ex insigni utriusque Auctoris labore, utroque post meam scriptionem edito, neque semper mihi contentiente. Cum bona tamen utriusque venia, conabor tenere præcipuas tres Regulas, quas Patero. Tuæ placuit *mera figmenta* nominare (licet unicam tantum nomines ac reprehendas) ad salvandam antiquissimi Catalogi, a Baronio ignorati, fidem. Primam, quoad annum ingressus exitusque Pontificalis definiendum ex fastis Consularibus, vivente Baronio needum satis illustratis: qui ad annum 69. n. 39. fatetur, quod *tempora annumerata per Consules liberioribus sint accipienda auribus, cum ceteris illa frequentior, liberalior & verior noscatur esse Chronographia*. Sed in Sancti Petri proximis successoribus ea uti non est ausus; ne cogeretur admittere a vivente Petro ordinatos Episcopos, quasi hoc esset eodem tempore plures admittere Pontifices, quem scrupulum eximie Henschenius distinguens inter Episcopos Pontifices, Episcoposque Vicarios, quod omnino tenendum probo Art. 5. §. 9. & Art. 7. toto.

27 Alteram regulam, a tua Paternitate præcipue explosam, præbet observantia *legitimæ dici* id est *Dominicæ*, ad Ordinationes Episcopales ab Apostolica (uti Art. 2. §. 15. probo) traditione deducta; quam tenere conor ad definiendum cujusque ordinationis diem, ipso, quem Consules designaverint, anno. Circa hanc regulam duo mihi imponis, primo quod absolute dixerim, *Omnes Pontificias ordinationes celebratas semper fuisse in Dominica*: quæ verba sic a me prolata nunquam memini. Secundo ideo decem annos detraxerim Romano Petri Pontificatui; jam enim ostendi, aliunde me coactum diminuere spatium annorum 25. eidem vulgo attributorum: hoc autem posito, notavi per annos 15. commode veniri ad Dominicam, collocandæ Cathedræ percommodam; sicut etiam Art. 2. n. 9. notavi haberi similem Dominicam posse, per annos undecim a Lactantio definitos: & alterutrum verisimile donec certior occurrat auctoritas, majorem minoremve designans numerum infra 25.

28 Sed redeo ad Baronium, quem me dicis, tom. 5. Maji pag. 21. *tamquam scriptorem insulsissimum*, traducere, eo quod n. 33. ipsius contra Sozomenum verba, (*quid hoc insulsius & ineptius?*) regeri posse indicem pro Sozomeno; non *infrunite*, ut tu ais, sed *verbis & pace eadem, quam ipse petis a Sozomeno*; dum respondere ei facit Sozimum, loco Sopatri, quem solum, non istum sibi ignotum Sopatrum, Sozomenus refutabat. Quanto durius cum Baronio egunt Carmelitæ quidam? cum sibi *offensum ideoque infensum* imaginati, ut ex Epistola Generalis eorum demonstravi Art. 3. nu. 101. unde factum teste ipsomet Lezana Carmelitarum Annalista ad ann. 444 n. 13. quod *plerimis bilem*

sic

sic commovit, ut in ipsum cruentatas sagittas retorserint, cum variis in locis suis scriptis exagitaverint. Specimen talium videre si lubet, adi locum præcitatum Lezanæ, referentis bene longam in Baronium invectivam ac satyram cujusdam ex suis, quem *Carmeli lumen quoddam splendidissimum* appellat: & tamen inter alia opprobria sic Baronio insultantem inducit: *Verum o ben! bone vir: solus sapis & vides: cetera minime? Olim Varro: Omnes videmur nobis Saperdæ, festivi, belli, cum simus copreæ .... Video per fissuras fastum Antisthenis*. Sic ille ibi contra Baronium, stomachantem adversus eos, qui S. Cyrillum facere volunt Carmelitam, Ista, & longe plura ac pejora suis Patribus Carmelitis, graviter (uti putabant) læsis regerere Baronio, de suis majoribus quidpiam referenti, & mihi non licuerit verbum unum reponere pro Sozomeno, ineptiæ insulsitatisque sine causa insimulato?

29 Minus tolerabile videtur, quod ibidem assumis credere me, *exerrante per imprudentiam calamo excidisse* Baronio quidpiam: hoc autem quid sit, taces Rev. Pater, ne appareat, benignam eam esse excusationem. Ex Eutropio indicare volens Baronius, *numerosos amicos*, a Constantino Magno interfici jussos, *innumeros* legi fecit. Quid ego in tam gravi tamque præstantis Imperatoris criminatione facere lenius poteram, pro *numerosos* legens *innumeros*, quam excusare id factum, *per imprudentiam* sive inadvertantiam, calamo exerrante, & gravius aliquid quam legebatur scribente.

30 Denique arguor num. 18. dicere, quædam ex unius Baronii auctoritate mutata in Breviario Romano, juxta eam quam tunc veriorem putabat Chronologiam, licet ab ipsomet agnitam non esse valde certam: quæ, si nostra Chronologia obtineat, rursum erunt in antiquum reducenda statum. Id si gratis dicerem, aut etiam fingerem, merito arguerer: non item exemplum ponens irrefragabile atque certissimum in Sotere, de quo nunc legitur, quod *sedit annos tres, menses undecim*, pro quibus olim legebantur *annis novem, menses tres*: sicut habet antiquissimus, & sub Aniceto Papa annis post Soterem circiter 50. scribi cœptus Catalogus, omnesque post illum alii. Id enim cum teneri posse aliquatenus, sub iis, quas Baronius exigit, conditionibus, demonstret Pater Henschenius; numquid non merito sperare potui, aliquando restituendum majorem numerum, pro quo tanta vetustas facit, assensu tot seculorum roborata? Illuc certe nunc proxime accedunt, rebus diu examinatis, Henschenianæ sententiæ subscribentes, Schelstratius in novissimo suo & Romæ excuso opere Differt. 2. Cap. 4. & Pagius ad an. 177. num. 11.

31 Iidem cum Henschenio & ex antiquis Catalogis ac Breviariis antiquis tenent, *Trajano Principe*, passum Sanctum Alexandrum Papam; nos tamen in hodierno jubemur legere, id factum *Adriano Imperatore*. Quid si isti addidissent, id quoque restituendum, quando denuo reformaretur Breviarium, an ideo accusarentur *effrænis* in Baronio censurando *licentiæ*? Hunc *turpiter* errasse nusquam dico; errasse demonstro, idque *qua proxime ad Ecclesiam Romanam spectabat*, non ut exaggerem erroris gravitatem, seu ut ostendam, novissimam Romani Breviarii correctionem, non esse tam absolutam numeris omnibus, quin adhuc aliqua corrigenda supersint, etiam istic ubi studiosius correctum putabatur, idest in Historia Romanorum Pontificum. *Dicteria, vituperia, insolentes censuræ contra tam illustrem scriptorem*, in opere meo, non reperientur ab eo, qui integros contextus leget: neque, præter ea, ad quæ responsum jam est, ullum Accusator notas locum, unde alia probet: quare excusari operosius non debent, sed pro calumniis reputari, donec locum aliquem designaverit. Ostende, ubinam *Socordiæ, levitatis, ignorantiæ* vocabula usurpem, impingamque Cardinali Baronio. Fieri potuit ut dixerim, Cardinalem aliquid *ignorasse*, vel in aliquo laborasse *ignorantia*. Verum aliud est, in casu aliquo particulari *laborare ignorantia*, aliud simpliciter *ignorantem* prædicari. Prior ignorantia est tantum secundum quid; posterior est absoluta. A priori nullus mortalium immunis est, neque ullum pudebit eam in se agnoscere: posterior rudibus tantum convenit, & gravis censetur in virum doctum contumelia.

32 Nec minor imprudentia fuisset, si Baronium appellassem, quod mihi affingis, scriptorem *insulsissimum*. Aliud est asserere, quod censura *insulsitatis & ineptiæ* a Baronio intorta assertioni cujusdam celeberrimi Auctoris, retorqueri posset; aliud, quod Baronius ipse sit *insulsissimus*. Quam multas Paternitatis Tuæ censuras de ineptia & insulsitate convici! quam multas calumnias detexi, nec religiosas, nec Christianas! nusquam tamen, quod inhumanum esset, vocavi Paternitatem Tuam *Scriptorem insulsissimum, ineptissimum, non Religiosum, non Christianum*; quamquam longe difficilius sit in tam frequentatis actibus auctorem a macula excusare. Denique scandalizaris in participio *desperans*: atque illud quidem majusculis notis, *tamquam si contineret* crimen præ ceteris enormius, & Cardinalem statuerem *desperantem* de sua salute. Atqui tantum agitur de *aliorum erroribus* quibusdam, de quibus *corrigendis* suspicor eum *desperasse*, quemadmodum de me ipse fatari cogor, quod *desperem* de reperienda uspiam in accusationibus tuis fide & veritate. *An vero, inquis, effrænis censurandi licentia sit supportabilis in Actis Sanctorum, judicet Sancta Sedes*. Utinam, Reverende Pater, judicet S. Sedes de propositionibus meis singulis, præsertim a te accusatis! Sed & de tuis ac quorumcumque aliorum adversus me censuris utinam *judicet* judicio publico & definitivo!

§. III. ACCUSATIO.

33. Papebrochius contendit Card. Bellarminum, contra hæreticos pro Indulgentiarum antiquitate certantem, ab illis fuisse superatum.

RESPONSIO.

QUæstionem nobis esse intelligat Lector, non de potestate, quam habet semperque exercuit Ecclesia, remittendi pœnas, post remissa peccata solvendas in hac vel altera vita, quamque hæretici negabant; sed de tempore quo illam potestatem ipsa cœpit, consueta hodiedum forma exercere, stimulandis fidelibus ad quædam bona & alias etiam satisfacto-

ria opera, præsertim ad visitandas eleemosynisque juvandas ecclesias, aliaque loca pia. Posterior quæstio censeri inter eas potest, quas Bellarminus in Præfatione ad Tract. de Indulg. ait, *inter Catholicos, salva fide, veritatis indagandæ vel illustrandæ gratia disputari*. Hæc autem iis, quos Bellarminus invictissime refutat, Hæreticis adeo cordi non fuis, ut ex illo nullum noverimus, præter unicum Kemnitium, qui Catholicis objecerit illius usus novitatem, affirmare ausus, & probare nisus cap. 4. disputationis suæ, *Indulgentias Pontificias* (qualescumque) *veteri Ecclesiæ per annos mille ducentes fuisse incognitas*.

34 Hunc esse certissimum in Historia arrorem, exemplis seculi undecimi ac dundecimi omnino irrefragabilibus lib. 2. cap. 16, demonstrat Bellarminus; neque in libris meis verbum ullum reperias, quo ea in dubium revocentur. Deinde cap. 20. eidem Kemnitio, neganti Indulgentias Straordinarias a S. Gregorio Magno institutas, Bellarminus putat, non valde premere illius argumentum, a silentio ipsiusmet Gregorii, quodque de illis nihil inveniatur in scriptis Burchardi, Gratiani, atque Petri Lombardi: censetque *ejusmodi concessiones, non libris, sed usu & consuetudine conservari*. Talem autem esse contendit Bellarminus ex iis, quarum Vita S. Suitberti meminit, Indulgentiis, a Leone III. Aquisgrani concessis: in quibus, aliisque Sergio ipsique S. Silvestro attributis, fateor me illi non assentiri; sed rationes de singulis reddendas reservo Articulo 14. §. 3. ubi hoc saxum operose & ex professo volvit Accusator.

35 Hic mibi sufficit Baronii sententiam, ad an. 604. num. 4. dicentis, quod *in his, quæ sunt facti non, dogmatis, potest quisque sanctissimus atque doctissimus fidei orthodoxæ professor atque defensor aliquando falli*. Id accidisse Bellarmino in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, contendant Patres Carmelitæ necesse est, nisi fateri velint, recte ab eo scriptum, quod liber, quem ipsi tribuunt Joanni 44. ejus non sit, sed *alterius longe posterioris: siquidem in eo libro dicit auctor se esse Ordinis Carmelitarum, & describit habitum Carmelitarum: at illis temporibus nomen Religiosorum Carmelitarum erat plane inauditum*. Sane scripta de S. Suitberto valde parum nota videntur fuisse Bellarmino, qui loco præcitato cap. 19. dicit, quod ejus *Vitam scribendam susceperit S. Luidgerus*; cum huic solum tribuatur Epistola de illius Canonizatione: sed etiam hanc æque suppostitiam esse, atque est Vita, ostendit utriusque examinator Bollandus ad 1. & xxvi. Martii.

36 Et hic quidem, ad Epistolæ fabulositatem convincendam, Tom. 3. Martii pag. 639. non putavit sibi necessarium quærere, *an moris tunc fuerit tam multis Ecclesiis Indulgentias conferendi? aut an ipsum Indulgentiæ nomen tunc fuerit in Ecclesia usitatum hoc sensu?* utpote magis evidentia habens convincendæ imposturæ argumenta. Interim tamen satis indicat, iis de rebus etiam inter Catholicos dubitari, cum pag. 140. num. 41, allegat viri gravis Epistolam, scilicet Joannis Matiæ Sanfelicii, Apostolici ad inferioris Germaniæ Principes Nuntii, anno 1659. ad quemdam Coloniensem Doctorem datam, secumque communicatam. Hanc Epistolam etiam eatenus delibavi, in Conatu p. 1. pag. 132. n. 7. quatenus negat, *Indulgentiarum usum hodie in Ecclesia tam frequentem*, comperiri *ante Urbanum II. qui anno 1086. proficiscentibus ad expeditionem Hierosolymitanam Indulgentias seu pœnitentiarum alterius speciei relaxationem concessit:* ante quem tamen initium aliquod talis usus invenio pro anno 1070. sub Alexandro II.

37 Quomodo autem relaxatio injunctarum pœnitentiarum paulatim ad alterius generis satisfactiones, per opera pia præstandas transierit, circa idem fere tempus, prolixe tractat Joannes Morinus, in Comm. Hist. de disciplina in administratione pœnitentiæ lib. 10. cap. 17. & seqq. quod opus anno 1651. editum valde laudabatur Romæ a Cardinali Francisco Barberino, & etiamnum in magna æstimatione habetur. Desinat ergo Accusator quærere, quinam *alii quam hæretici* sint, quibus *insufficientes* videantur probationes a Bellarmino adductæ, pro seculis undecimum prægressis, nedum pro ætate SS. Silvestri & Gregorii. Istæ enim passim notæ erant Eruditis in Curia Pontificia viris, Augustino Favorito, Joanni de Luciis, Michaeli Angelo Riccio postea Cardinali, aliisque, quorum Sententias pro me exquisivit noster P. Possinus.

38 Necdum scio aliquem, præter te tuosque, R. P. qui Bellarmini de hæreticis triumphos quidquam putet imminutos, si aliquid ille, ex communi sui temporis opinione credidit, illisque opposuit, quod postea minus solidum inventum sit. Triumphat & triumphabit ille, quamdiu suum propositum tenet tenebitque, contra quoscumque adversarios, docendo potestatem largiendi Indulgentias, in Romanos Pontifices a S. Petro fluxisse, cui specialiter a Christo potestas ligandi atque solvendi est tradita, designata per Claves; licet modus & forma his utendi, per decursum temporis variaverit; ac denique circa seculum undecimum, & serius quam Bellarminus credidit, usurpari cœperit in favorem locorum piorum juvandorum, eo quo nunc usurpatur modo. De hoc sustineo anteriora nulla extare exempla, nisi incertissima meritoque suspectanda, in tam constanti silentio Anastasii Bibliothecarii, Formularis Pontificii, aliorumque similium, apud quos moraliter impossibile fuit nullum talis usus indicium reperiri, si quis seculo octavo aut nono fuisset.

§. IV. ACCUSATIO.

39. *Papebrochius dogmatizat, contra Bullam Eugenii Episcopos in sublimiori gradu positos quam Cardinales.*

RESPONSIO.

HUic Accusationi, iisdem terminis objectæ, art. 3. §. 6. adæquate respondi, detexique calumniam in eo sitam, quod a me dicta de septem Episcopis, Romani Pontificis Suffraganeis initio seculi xi. nunc primum Ordinem Cardinalium constituentibus, extenderit Patern. tua ad quoscumque alios Episcopos, quomodo de his agit, eosque Cardinalibus cedere jubet Eugenius IV. anno 1438. Decreve-

ram igitur abstinere hoc loco ab argumento jam soluto, nisi te viderem specialiter hinc judicum gratiam captare, mihi vero odium ac invidiam machinari. Habe itaque tibi Notitiam Congregationum & Tribunalium Curiæ Romanæ, ab Hunoldo Plettenbergio nostro editam an. 1693. quæ propter summam utilitatem, quam præstat omnibus, aliquid negotii ea in Curia habentibus; tum alibi, tum etiam Romæ acceptissima est. Ejus libri Caput 1. *de Cardinalibus*, confirmat quidquid antea de his scripseram: ideoque ex eo placet paucula dare, sic legenda.

40 *Si quis* (Presbyterorum Cardinalium) *in Episcopum eligeretur, eo ipso vacabat dignitas Cardinalitia, tamquam inferior ... Postmodum vero promoti ad Episcopatum retinuerunt, primum ex gratia, nomen Cardinalitium, relinquendo titulum Presbiteris; solumque dicebantur,*
„ S. R. E. Cardinales *vel* Cardinales in Ec-
„ clesia Dei. *Deinde sub Alexandro III. cum viderent Cardinalatum gradum esse ad Papatum, & jus tribuere ad eligendum Pontificem, retinuerunt cum Episcopatu & nomen & Titulum Cardinalis: nemo tamen, qui ante Episcopus consecratus esset, assumebatur ad Cardinalatum, usque ad tempora Clementis V. ut refert Jo. Andreas* in C. cum aliquibus de rescrip. in 6. *cum putarent per hoc descensum fieri ad gradum inferiorem. At processu temporis, cum Episcopi quoque ambirent dignitatem Cardinalitiam, repertus est modus Avenione, quo Sedes Apostolica translata erat, ut fierent etiam & dicerentur Cardinales, alii Episcopi, alii Presbyteri, alii Diaconi.*

41 Ita ille, pro temporibus diu antegressis Eugenii IV. Pontificatum; quæ omnia an nota fuerint Eugenio, nihil opus est discutere, neque ad rem nostram facit; eatenus enim agit Plettenbergius de Episcopia, nunc primum Cardinalium ordinem constituentibus; de ordinum autem trium distinctione hujusque distinctionis initio, agens §. 5. ita loquitur: *Consecrabant quidem Pontificem Romanum Episcopi septem, Ostiensis Portuensis, S. Rufinæ, Tusculanus, Prænestinus, Sabinensis, Albanensis; & ante Leonis IX. tempora* (id est ante an. 1050.) *dicebantur* Cardinales Episcopi, *hoc est primarii sive principales Episcopi, eo quod essent ceteris Episcopis celebriores & insigniores; sed ad electionem novi Pontificis non admittebantur; cui primum tamquam electores intervenerunt, tempore Alexandri III.* Barbosa l. 1. Jur. Eccl. c. 3. n. 45. Lunadorus in Relat.

42 Porro, quemadmodum contra prædicta nihil facit Bulla Eugenii IV. tam diu post edita in favorem Cardinalium, aliis quibusvis Episcopis, qui Cardinales non essent, tunc temporis præponendorum; ita multo adhuc minus ordo sessionis & subscriptionis *in* Concilio Tridentino servatus, facit ad evertendum, quod dixi, illos eosdem septem Episcopos, prius etiam quam Cardinalibus accenserentur, ut dignitate potiores, sic priores subscribere solitos Actis Synodalibus & Bullis Pontificiis; quod non dicebam solum, sed exemplis probabam, & pluribus probari poterit ex Collectione & corpore Conciliorum, & ex Ughello, ita subscriptas Bullas multas exhibente. Tu tamen, Rev. Pater, ex Tridentino argumentaris ad secula adeo pridem elapsa; fidenterque pronuntias, *causam ob quam Papebrochius finxit eos Episcopis esse inferiores*, (quasi vero ego de Episcopia quibusvis & de proxime elapsis seculis egerim) *evidenter etiam esse falsam*. Tum vero petulanter insultans: *Sed infelicissimus Historicus*, inquis, *novis suis criteriis, nulli priorum agnitis, fascinatus; & qualibet pene, quantumvis certa ac in Ecclesia recepta carpendi ac reprehendendi libidine exagitatus, Eminentissimorum Patrum Purpuratorum dignitatem, quantumvis etiam certam, notam & reverendam, nequivit aut noluit dimittere intactam & inconcussam*. In quibus aliisque etiam asperioribus ad finem additis, utrum plus ignorantiæ quam maledicentiæ invenire sit; & quam nullo jure me reum feceris Eminentissimis DD. Cardinalibus, ipsorum, quos appellas, *judicio committo*.

43 Hæc de Episcopis Romani Pontificis suffraganeis, de quibus solis, ut cuilibet textum inspicienti patet, egeram. Verum credesne, tantum etiam crimen fore, si assererem *Episcopos*, etiam alios, *in sublimiori olim gradu positos fuisse quam Cardinales*? Idenne proclamari deberem *Novaturiens*? imo, inquis, nam juxta Waldensem, *Cardinales dicuntur a Cardine, quia mediis eorum officiis & industria volvitur ostium Militantis Ecclesiæ*. Juxta alios dicuntur *Pontificis Assistentes, Consules & Provisores, Collaterales & Coadjutores, Principes terræ, columnæ Ecclesiæ* &c. Respondeo me & Etymologiam nominis & quoscumque alios titulos adductos, & plures, qui adduci possent, admittere tanquam Cardinalitio gradui apprime convenientes. Item, revereri Bullam Eugenii IV. & revereri Eminentissimos Dominos Cardinales post Bullam istam; atque antea, si ita vis, positos in sublimiori gradu, quam sint Episcopi ut sic.

44 Nihilominus, ut exerceam eruditionem tuam Historicam (recte enim pronuntiavit Janningus in Epistola Fam. quantumvis ægre tuleris, *non una nocte aut subita metamorphosi Theologum bonum, bonum evadere Historicum*) propono tibi sequentia. An *Novaturiens* tibi videtur Christianus Lupus Ordinis Augustiniani grande decus? Estne *ignorans* ac *temerarius*, quia dixit, *Cardinales olim Archiepiscopis, et Episcopis postpositos*? Imo de quadam Epistola apud Surium post Vitam S. Suitberti extante dicit Tomo 5. Synodorum pag. 617. *habet hæc Epistola quasdam spuriæ suppositionis notas; & enim Romanos Cardinales, contra istius seculi morem, præponit Archiepiscopis*. Estne *Novaturiens*, *ignorans*, & *temerarius* Cardinalis Bellarminus? Atqui tamen hic, Tomo 1. Controversiarum lib. de Clericis cap. 16. respondens Calvino: *Fateor*, inquit, *olim Episcopos quoscumque Prælatos fuisse Cardinalibus non Episcopis, imo etiam Cardinalatum gradum fuisse ad Episcopatum, ut Onuphrius recte docet, in libro de Cardinalibus; & apertissime colligitur ex libro 1. cap. 7. Vitæ S. Gregorii, Postea tamen mutatus est ordo, & cœpti sunt Cardinales Episcopis anteponi, & Episcopatus gradus esse ad Cardinalatum*.

45 *Cujus mutationis duplex ratio assignari potest: una quod ad solos Cardinales devoluta sit electio summi Pontificis; nam quo tempore Pontifices eligebant Imperatores vel Clerus & Populus; non est mirum si non tanti fierent Cardinales. At posteaquam cœperunt soli ipsi eligere, & etiam soli ipsi ut plurimum eligi, non sine causa cepit dignitas Cardinalitia pluris fieri quam antea. Altera causa est, quod soli Cardi-*

nales cœperint adesse summo Pontifici in Consiliis, nam antea Cardinales, neque soli, neque primarii Consiliarii Pontificis erant. Hunoldus quoque Capite supracitato simpliciter asserit, *alias majorem fuisse dignitatem Episcopi quam Cardinalis*, idque colligi putat ex sexta Synodo Rom. & jure Canonico.

46 Saltem inter *Novaturienses ignorantes & temerarios* non rejicies Illustrissimum Cœffeteau, ex Ordine S. Dominici Episcopum Massiliensem designatum, cum eum mihi supra objeceris, tamquam præcipuum sacræ Monarchiæ adversus Marcum Antonium de Dominis assertorem. Sic habet in discussione libri 4. cap. 5. pag. 395. *Nullus sanæ mentis negaverit, priscis temporibus Episcoporum dignitatem majorem fuisse quam Cardinalium; id enim tum ex multis aliis, tum ex eo potissimum constat, quod & in Conciliis adhuc eorum extent nomina digniori loco subscripta, & in Vita S. Gregorii memoriæ proditum est, solitum illum ex Cardinalibus facere Episcopos: quod etiam observavit Illustrissimus Bellarminus. Igitur prioribus illis temporibus antesteterunt Episcopi, ac dignitate Cardinales anteverterunt, postea vero mutata ratio est.* Ipse Ludovicus Cellotius, quo nullus acrior est Hierarchiæ Ecclesiasticæ ac nominatim dignitatis Cardinalitiæ contra Petrum Aurelium vindex, fatetur nihilominus lib. 4. cap. 8. pag. 189. *Primis temporibus non eam fuisse Cardinalibus dignitatem auctoritatemque, quæ modo est, cum olim Cardinalitia inter suos, hoc est præcipua dignitas ad Episcopatum gradus esset, nunc Episcopatus ad Cardinalatum. Unde intelligis & Romanos sæpe Presbyteros aut Diaconos* Cardinales *Episcopis, & non raro istos illis fuisse præpositos ob causas omnino diversas.*

47 Placeret audire etiam Gabrielem Vasquez, in 3. Partem Tomo 3. Disp. 242. c. 6. *In secunda*, inquit, *Synodo Romana sub Symmacho Papa post omnes Episcopos subscripsere primum Presbyteri titulorum Romæ, deinde vero Diaconi Regionarii, qui jam a tempore Silvestri Cardinales dicebantur. Credibile autem non est, inter eos Presbyteros nullum fuisse titularem præcipuum qui tunc Cardinalis diceretur. Et in Synodo Romana sub Gregorio Magno, quæ est inter ejus opera libro 4. Registri Capitulo 88. alias Epistola 44. ut vidimus supra Cap. 2. post Episcopos omnes subscripsere Presbyteri titulorum Romæ. Et cum sub aliquibus titulis duo aut plures Presbyteri subscripserint, ut vidimus, dubitari non potest Cardinales Presbyteros subscripsisse. Adde etiam quod in Concilio 2. sub Silvestro, Episcopi Diaconis Cardinalibus manifeste præferuntur; nam cum Canone 3. decretum fuisset, ut Episcopus non nisi septuaginta duobus testibus damnari posset, subjungitur, Presbyterum non nisi quadraginta quatuor; Diaconum vero Cardini adstrictum hoc est, Cardinalem, non nisi triginta sex, damnandum esse.* Hactenus Vasquez.

48 Ad Concilia autem Florentino antiquiora, quibus deprehenduntur nomina Cardinalium ante Episcopos, respondet, illos fuisse Sedis Apostolicæ Legatos, atque ea ratione Episcopis præpositos. Alioquin, inquit, *solum invenio in Concilio Florentino, Actione 24. in subscriptionibus Latinorum Patrum pro litteris unionis, Presbyteros Cardinales, qui non erant Legati Sedis Apostolicæ, cum ibi interesset Eugenius quartus, Romanus Pontifex, ante Episcopos sedisse & subscripsisse.* Rursus tamen, inquit, *negare non possumus, antiquis temporibus Episcopos ante omnes Presbyteros etiam Romanos Cardinales, nisi essent Romani Pontificis Legati, sedere consuevisse: neque ante Concilium Florentinum ullum assignari poterit, in quo ulli Presbyteri Episcopos præcesserint: quin imo oppositum invenimus non solum in illo Concilio 6. Carthaginensi, sed etiam in aliis.* Neque ignorarunt Auctores illi Epistolam Eugenii IV. ad Archiepiscopum Cantuariensem, quam Bullam appellare mavis: atque eam expresse citat Vasquez eadem Disput. cap. 5.

49 At quomodo, inquies, respondere illi possunt ad hæc Eugenii verba: *Quantum autem hæc Cardinalatus dignitas sit sublimis, & aliis excellentior, & ita habenda in Ecclesia reputata, si ejus officium ac SS. Patrum statuta, & consuetudinem tam apud S. Sedem, quam generalia concilia semper observatam, scivers diligenter scrutari, facile tibi innotescet?* Quid respondere ad hæc possint Vasquez, Hunoldus, Lupus, Coeffeteau, Bellarminus, Cellotius, aliique, ipsi viderint, neque ad me inquirere attinet, qui loco accusato, de solis egi Pontificis suffraganeis, de quibus nullus Eugenio sermo est; sed de communi tantum Episcopali & Archiepiscopali dignitate, ut liquet ex occasione & scopo scriptionis. Vasquez quidem, quod de Cardinalibus Episcopos præcedentibus etiam in antiquioribus Florentino Conciliis refert, interpretatur de Cardinalibus, qui simul essent Legati Pontificii. Bellarminus vero aliique, qui Cardinalium supra Episcopos eminentiam antiquiorem sustinent, atque in hoc facilius cum Eugenio conciliantur, omni eo tempore Episcopos Cardinalibus submittunt, quo Cardinalitia dignitas ad tantum fastigium evecta est, ut soli Pontificem eligant, & ex ipsis pene solis eligatur; a quo etiam tempore universam cum Pontifice Ecclesiam regunt, neque solum primi, sed & quodammodo soli ejus consiliarii sunt, qui Romanorum Synodorum suppleant vices. Talis explicatio auctoribus illis necessario admittenda est, vel neganda infallibilitas Eugenio IV. nihil suprema auctoritate circa facta quædam non revelata definienti, sed bona fide referenti quæ ab aliis acceperat.

50 Hæc utcumque se habeant, nihil ad me. Satis est Patern. Tuam & Lectorem scire, quod sententia, asserens Episcopos Romæ, Suffraganeos summi Pontificis, potiores fuisse Cardinalibus, adeo non sit nova & temeraria, ut de aliis etiam quibuscumque Episcopis, etiam post Eugenii IV. ad Cantuariensem Archiepiscopum epistolam sustinere non dubitaverint Theologi, omnium pœne Ordinum gravissimi, cum Eminentissimo Cardinali Bellarmino lib. 1. cap. 16. de Clericis, *olim Episcopos quoscumque prælatos fuisse Cardinalibus non Episcopis*. Christianus Lupus asserit *spuriæ suppositionis notam* esse in Epistola, quæ assertioni huic contradixerit: *ipsa* est autem quæ in argumento de Indulgentiis toties mihi objicitur objicieturque a Tua Patern. Denique sufficit Illustrissimus Cœffeteau, quo tantopere gloriaris, sic incunctanter pronuntians parte a. pag. 395. *Nullus sanæ mentis negaverit, priscis temporibus Episcoporum dignitatem majorem fuisse quam Cardinalium*. Quid igitur de te censeat, cujus te esse *mentis* dicat? cum de *temeritate*, & *novitate* intolerabili me reum agis, propter Prælatos veteres, non *quoscumque Episcopos*, sed *Pontificis Suffraganeos*, Cardinalibus non Episcopis?

EXHI-

EXHIBITIONIS ERRORUM
ARTICULUS NONUS.
Circa Sacras Congregationes Romanas.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

1 *Exhibeantur ea, quæ Papebrochius, inter Acta Sanctorum, habet contra Sacras Congregationes Em. DD. S. R. E. Cardinalium.*

RESPONSIO.

Hunoldus Plettenbergius, sub finem Articuli præcedentis laudatus, viginti quinque enumerat Congregationes, a summis Pontificibus ad varios fines institutas, quibus præsideant ex Emm. DD. Cardinalibus aliqui, a sua Sanctitate designati. Has omnes ut simul io me concites, Rev. Pater, indefinito uteris termino *Congregationum*; cum interim omnes Accusationes tuæ spectent historias contentas in Breviariis vel Officiis propriis, ad usum totius Ecclesiæ, vel Ordinum Ecclesiarumve particularium approbatis: quæ approbatio fere tantum spectat *Congregationem Rituum*, in qua ad ejusmodi Approbationes *proceditur forma extrajudiciali, prævijs extrajudicialibus informationibus, ab Ordinario loci vel a Superiore Regulari pro qualitate causæ adeptis*; secus ac fit in causis Canonizationum, ad quas, extra ordinem aliarum decidendas, multo plures quam ad ordinarias illas adsciscuntur *Prælati, Officiales & Theologi, nec non tres seniores Rotæ Auditores*, ac denique *Promotor fidei*, paratus judicio contradictorio contendere, & contra veritatem certitudinemve aut supernaturalitatem factorum allegandorum opponere, quæ videntur opponi posse.

2 Hoc prænotato, & ad unicam fere eam ordinariam Congregationem, forma extrajudiciali procedentem, restrictis Accusationibus tuis, etiam hoc adjecerim, nihil a toto hoc Articulo fere dici, quod ex dictis ad Art. 2. §. 10. aliisque prægressis solutionem suam non habeat, vel porro non debeat habere iis locis, ubi ex professo tractabis singula, hic veluti in unum congesta temere, solum ad invidiam ciendam hibrumque fallaci specie augendum, Excutiamos tamen Paragraphos singulos.

§. I. ACCUSATIO.

3. *Papebrochius molitur undequaque minuere fidem, observantiam, ac deferentiam Sacræ Rituum Congregationi debitam.*

RESPONSIO.

Multa eaque varii generis argumenta, a Tua Paternitate collecta haberi ex libris meis oportet, quibus *molitionem* istam meam, tam universalem, facias *undequaque* patentem. Ea dum non assignas, sed ex tomis meis quatuordecim duo vel tria dumtaxat assumis, eaque necesse habes confirmare ex iis, quæ contra Pontifices molitum me dixeras, confusus in singulis; nescio, quid responsurus sis miranti sub Titulo tam universali, tam pauca referri, nisi forte, quod inopem te copia fecerit. Verum Lector prudens, & fidem Tuam jam expertus non facile credet, quod probatum non viderit.

4 Primo arguis, quod eum, qui Sacræ Congregationi obtulit Lectiones quasdam de Sancto Alberto Legislatore vestro ad Ordinem Carmelitarum extendendas, veluti Canonicis Regularibus jam olim indulto Pii V. concessas, dixerim, non *modo fidem nullam, sed etiam pœnam gravissimam commeruisse*. Ita scripsi Tomo 1. Aprilis pag. 776. num. 38. Certus scilicet Pium V. eo quod Cannnici Regulares ante Ordinia officia propria allegare solent Breve anni 1570. nihil de Alberto Patriarcha Hierosolymitano dicere; neque ejusmodi de illo Lectiones, quales mihi scriptas exhibebat Pater Daniel a Virgine Maria, contineri in ullis editionibus Officiorum apud Regulares Canonicos usurpatorum; cujusmodi editiones varias ostendebam usque ad an. 1645.

5 Accedebat, quod a nostro tunc Romæ Pœnitentiario P. Carolo Alexandro a Manderscheit piæ memoriæ, interrogatus aliquoties Regularium Canonicorum, ut dicabatur, Procurator Generalis, negaret ejusmodi Lectiones sibi notas esse, aut ipsum etiam Sanctum Albertum; quodque Ordo Carmelitanus, in novo mox excuso Breviario, diversas ab illis Lectiones, magisque verosimiles posuisset. Verum eum aliquot post annis innotuit, eum, qui erat interrogatus, Procuratorem non fuisse Congregationis (uti opinabar) Lateranensis, sed Gallicanæ, cui revera eatenus ignota tunc erant Officia nova ad usum Lateranensium circa annum 1658. nescio ubi excusa in Italia, & Mediolani recusa anno 1666. mihi quoque tum primum indicata, lategi, ut eorumdem obtinerem exemplar. Hoc autem viso, nihil prius habui quam ut pro edenda ante 3. Tomum Maji Chronologica Patriarcharum Jerosolymitanorum Historia, componeram eidem inserendum Parergon xt. *de cultu S. Alberti apud Carmelitas & Canonicos Lateranenses*; quo Parergo tum alia nonnulla in Aprili prætermissa supplerentur, tum corrigeretur memorata censura.

6 Ipsum porro Parergon sic composui, ut appareret, eum, qui Sacræ Congregationi dictas obtulis Lectiones, malæ fidei culpa & pœna merito liberum esse; indicaretur tamen, & ipsum & inductam ab ipso Sacram Congregationem, erravisse in facto Pii V. si crediderunt, eum ipsas sic approbasse, quomodo talia nunc solent approbari. Videtur quidem hoc præferre titulus, *Officia propria Sanctorum, ex speciali S. D. N. Pii Papæ V. concessione*: sed eum reserenti ad Breve ipsius Pii libello præfixum, patet

patet ab illo concedi facultatem componendi lectiones, non solum pro 16 Sanctis num. 5. nominatis, idque independenter a Congregatione Rituum, tunc necdum instituta; sed etiam juxta num. 6. *Omnium quoque aliorum dictæ Congregationis & Ordinis Sanctorum*. Ex qua concessione composita Officia cœptaque usurpari, cum essent recudenda Romæ anno 1613. fuerunt modice *amplificata*, *& a Sacra Rituum Congregatione emendata, approbata & concessa*. Variis deinde locis, identidem prodierunt auctiora illa, ac denique in ultima Mediolanensi ad nonaginta excreverunt, in quibus etiam apparuerunt tunc de S. Alberto Lectiones, cum erroribus non levibus, sumptæ ex Carmelitano Sarraceni Menologio.

7 Istis autem omnibus sic extra Urbem curatis semperque auctioribus editionibus, ita præfigitur Pii V. concessio, absque Congregationis Rituum mentione, ut hujus consensum fuisse requisitum non appareat, plane ac si Pii V. concessio esset sufficiens approbatio singulorum, quos aliquando constaret Ordinis Canonici fuisse, uti fuerat iste Sanctus Albertus. Id an, & quam rite factum sit, ipsi Sacræ Congregationi considerandum relinquo: unum dixi & dico, ipsas de Alberto Lectiones diu post an. 1613. imo & post 1645. compositas editasque, nullam vel Pontificis vel Sacræ Congregationis positivam approbationem habere; adeoque non potuisse ut ita approbatas eidem Congregationi offerri, nisi per quamdam facti ignorantiam, quamvis in Carmelita offerente excusabilem, multoque magis in Congregatione suscipiente; quis enim, sic (ut ajebam) præposito titulo non facile deciperetur?

8 Interim sicuti isto Parergo volui me excusatum, tam Lateranensibus, quam Carmelitis, quatenus circa istud ipsorum factum erraverim; ita Sacræ Congregationi explicare intendi, quid mihi dedisset occasionem dubitandi, de quo etiam nunc dubito; scilicet, an ipsa Congregatio intenderit Lectiones Lateranensium, nunquam sibi ab his exhibitas, velut sufficienter probatas Carmelitis concedere; an vero jusserit componi alias, quales in horum mox excuso Breviario nunc inveniuntur sumptæ ex Lezana multoque correctiores. Ut ut est, sicut fidei, observantiæ & deferentiæ Pontificum Bullis debitæ, nihil detrahit aliquis puri facti error, historico examine deprehensus indicatusque; sic neque Congregationis istius Decretis. Ego vero in Aprili dubitans, an Lectiones, de quibus supra, vere oblatæ aut saltem receptæ fuerint, nihil in ipsam Congregationem peccavi.

9 Atque hæc sufficient Accusationi, hic obiter a te propositæ; plenius autem deductæ Art. 15. §. 17. ubi quantumcumque coneris retractationis meæ sinceritatem fidemque more tuo elevare, spero tamen futurum, ut meæ hic iteratæ protestationi plus credatur, quam malignis tuis suspicionibus, quibus me istic gravare conaris. Nam quis est, cui ut Paternitas vestra supponit, vix credibile videatur, quod Pœnitentiarius noster, tot annis Romæ versatus, cum rogaretur quærere, utrum Canonici Regulares Officio proprio colerent S. Albertum, id quæsiverit ex Procuratore Gallo sibi familiarius noto, nullatenus suspicans Gallos aliis quam Italos Officiis uti? Carmelitæ Calceati & Discalceati, diverso quamvis utantur Breviario, eosdem tamen Sanctos communiter colunt; uti & Franciscani Conventuales atque Observantes, Augustiniani, quoque & Cistercienses, tam Veteres quam Reformati: & mirum sit aliquem Romæ esse, qui numquam cogitaverit, quod Canonici Regulares Galli discreparent in isto puncto ab Italis? Mirum sit potius, aliquem esse, qui extra utramque istam eorum Congregationem, differentiam sciat, adeo privatam ac domesticam, ac prorsus extraordinariam; sicut ego in talibus versatior eatenus illam ignoravi. Sed alio transeamus.

10 Num. 5. fingis, quod *intendat Papebrochius indirecte taxare Sacram Congregationem, quasi clausis oculis & absque aliquo examine, similia sibi oblata approbet Officia*. Sed dum intentionis soli Deo notæ præsumis esse judex, Reverende Pater, vide ne temerarii judicii te arguat inspector cordium Deus. Aliud sonat *minor cura*, qua dico, p. 1. Conatus pag. 18. n. 3. ad unius Cardinalis relationem, approbari Officia talia; aliud, *clausis oculis & absque aliquo examine*. Hoc enim Cardinali relaturo committi, postquam congruam adhibuerit inquisitionem super informationibus sibi oblatis, intelligitur ex ipsis decretorum verbis; & informationes accipi extrajudiciales docet Plettenbergius supra. Multo autem minor tunc adhibetur cura, quando præcessit alia similis approbatio, & solum petitur illius extensio, uti factum in casu præcedenti. Quod vero in talibus possit obrepere error aliquis circa factum, magis quam ubi contradictorio judicio agitur, non puto egere probatione. An autem gratis posuerim differentem modum recipiendi, inter eas historias, quæ ad Religiosorum quorumdam usum particularem permittuntur vulgari; & eas, quas ad totius Ecclesiæ communem usum Breviario insarendas Pontifici offert Sacra Congregatio, ipsamet definiat.

11 Ast neque huic parcere Papebrochius dicitur, & quæritur, *an Sacræ Congregationi non impingat pudendum colaphum*, cum tomo 4. Maji pag. 144. *præjudicium veritati natum* ait, ex Lectionibus de S. Venantio, in Romanum Breviarium receptis. Spero non ita sensuros Congregationis illius Præsides Eminentissimi Cardinales. Quis enim dixerit colaphum impingi ei, quem postquam ostenderis in quæstione facti bona fide errasse, sententiam tuam novis pergis stabilire argumentis, tanto solicitius, quanto major est auctoritas asserentis contrarium, magisque reverenter suscipienda, nisi magnæ ac graves rationes obstarent, uti obstant ex parte Actorum Sancti Venantii, de quibus mihi litem moves, alibi pluribus iterandam.

12 Hinc transit Accusator ad locum ex tom. 7. Maii, ubi pag. 665. *certum* esse dico, *Romæ in rebus sacris, tam communibus quam privatis, tolerari multa (ut levissime dicatur) incerta & dubia*; ubi non solum dico, sed etiam addo: *Et verosimiliter aliquando corrigenda, cum satis fuerint disceptata*; addere etiam potuissem, *Et quando universalis aliqua talium reformatio instituetur, sicut instituta fuit quoad Breviarium seculo superiori, ex quo tempore multa tunc nondum discussa diligentius cœperunt ventilari*. Ista autem dico occasione singularis diligentiæ, qua pro & contra publicum Sancti Job Prophetæ cultum, eruditissimi viri in Sacra Rituum Congregatione

ne disceptarunt, quod omni occasione ac tempore faciendum, nec sperari debet, neque fieri expedit tam cito.

13 Lepram Constantini, lapsum Marcellini, aliaque similia, res esse (*ut levissima dicam*) *incertas & dubias*, nemo nunc credo inficiabitur, qui expenderit; nemo tamen Sacræ Congregationi exprobrari posse dixerit, quod ista non continuo mutari jubeat, esto ab auctoribus gravissimis, uti supra ostensum, fabulis & commentis adnumerentur. Nemo etiam propterea dixerit, factis in Breviario relatis non plus credibilitatis accedere (quod hic iterum repetis, sicut & alia plura superius refutata) *quam si in Alcorano Mahometi, aut inter fabulas Æsopi referrentur*. In his celata ut fabulosa censeas, sufficit solus libri titulus; in isto probet idem titulus, ne tale quid censeas absque demonstratione pene evidenti.

14 Denique arguit me Paternitas vestra, quod allegans verba quædam Irenæi a S. Jacobo-narrantis, quomodo, post diligens examen ejusdam manuscripti, sacri Officii judicibus oblati, nihil in eo notatum sit, quo fides ipsius posset labefactari; arguis, inquam, quod conjunxerim verba *diligens examen*, omissa parenthesi ab auctore interjecta (*ut soles in hoc Tribunali*) ne scilicet huic Tribunali eam laudem darem. Equidem non possum nunc certo definire, casune omissa ea parentesis sit, an quod periodus Irenæi adeo longa esset, & altera majoris momenti parenthesi, sed necessaria, facta longior, ut potuerit secunda illa minusque necessaria exonerari.

15 Talem autem omissionem parenthesis, nihil ad rei substantiam spectantis, a te Reverende Pater, mihi objici, & grande ex ea conflari crimen, quo fuerim molitus minuere fidem &c. Sacræ Rituum Congregationi debitam, tanto est iniquius, quanto sæpius deprehenderis, in meis, quæ accusas, scriptis ea omisisse, quæ si non omisisses, accusare nihil potuisses. Neque Tribunal illud Rituum erat, de quo solo agis in titulo, sed Sancti Officii, quamvis utrique summa veneratio tribuenda sit. Denique, ut hic de intentione mea, non modo temere, sed etiam falso suspicaris, ita de Alberto iniquissime accusasti, nulla in toto tuo §. aut Articulo præsenti facta mentione retractationis meæ tam dilucidæ, quam non ignorasti, & alibi commemoras.

§. II. ACCUSATIO.

16 *Papebrochius prætendit sibi licere, cum infami Launoyo, Historias sacras, a sacra Rituum Congregatione recognitas & approbatas, allegare ad fabulas, & quidem cum assensu, & applausu Sedis Apostolicæ.*

RESPONSIO.

HÆc tam invidiosis terminis concepta Accusatio, juxta stylum auctori usitatum (quasi *disputare* quidpiam, aut etiam *improbare*, idem sonet, quod *ablegare ad fabulas*) in duobus fundatur locis: altero ex t.2. Maji fol. 716. n. 33. ubi dico, *Patitur Ecclesia eruditos viros disputare circa Dionysium Parisiensium Patronum ... & circa historiam, quæ XXIX. Julii in festo S. Marthæ recitatur*; altero ex parte 1. Conatus fol. 18. ubi alia occasione dicitur; quod talia *improbantibus haudquaquam indignatur Romana Curia, sed audit eos gratiose: & laudat studium bene merendi de re Christiana*, scilicet detegendis, si qui videntur obrepsisse, erroribus: *licet non statim (nec enim convenit) admoveat correctioni aptatæ manum*, quæ omnia placuit Accusatori prætermittere, ut non appareret, quam solicite caveam, ne quis ex sic notatis neque mox correctis scandalizetur; tantum abest, ut ex meo judicio corrigi aliquid velim.

17 Quod id patiatur Ecclesia, in proposito exemplo demonstrat Schelstratius ex reperta in nostro tomo 1. Aprilis fol. 745. epistola Innocentii Papæ III. data Pontificatus anno 18. qui fuit Christi annus 1215. ubi cum Pontifex exposuisset geminam de Dionysio Parisiensi sententiam, negantium & affirmantium Areopagitam esse; *Nos*, inquit, *neutri volentes præjudicare sententiæ ... sacrum B. Dionysii pignus ... quod P.... Apostolicæ Sedis Legatus de Græcia tulit in Urbem, vobis devote dirigimus ... ut nulla de cetero remaneat dubitatio, quin sacra B. Dionysii Areopagitæ Reliquiæ apud vestrum monasterium habeantur.*

18 Ex his verbis Schelstratius, in Synopsi Artic. 3. Capitis 3. Dissertationis 3. pag. 415. Antiqu. illustratæ, *Ostenditur*, inquit, *hanc de Areopagitæ Episcopatu contentionem relinqui a Sede Apostolica disputationi fidelium*. In ipso vero contextu num. 288. *Non ignoro*, inquit, *Romanum Breviarium hocce tempore, secutum eorum testimonium, qui Dionysium in Gallias missum a Clemente sustinebant ...... Nec ignoro quoque, alios amplexos priorem ab Innocentio III. memoratam sententiam, eamque de facto nunc communem esse in Sorbona Parisiensi & Galliæ, cui viam præpararant Sirmondus, Launoyus, Dionysius Petavius, Bellarminus.*

19 Quid tibi videtur, Reverende Pater Professor, an Schelstratio *infamis Launoyus* est, qui tantis viris illum sine scrupulo annumerat? Considera autem, dum sic loqueris de mortuo, ne ob violatum charitatis præceptum infamiam tibi compares. An solus aut præcipuus defensor est Launoyus istius sententiæ? Hanc nempe cum illo nominatim mihi facere debebas communem, aliis omnibus præteritis, ut in me conjicere posses omnia illa convitia, quibus Theophilus Raynaudus antagonistam suum illiberaliter onerat. Quæ *de duobus Dionysiis*, deque *commentitio Lazari & Maximini, Magdalenæ & Marthæ adventu in Provinciam* scripsit Launoyus, & tam indigne proscidit Raynaudus, numquam Ecclesia censuravit, quod sciam: sed neque improbavit Breviarium novum Parisiense anni 1680. in quo istæc omnia expuncta sunt, ut receptiori tunc Parisiis opinioni contraria. Hæc autem opinio, etiam nunc, ibi magis viget inter Eruditos: quos si cum Raynaudo dixeris, *Hypercriticos, sputis omnium etiam mulierculatum sandaliis dignos, audaces, effrænes novatores, pruriginosa ingenia, omnium pene traditionum hostes* &c. qualem me pingere conaris num. 14. ex illius Antemurali, vereor, ut patienter quis Parisiis & alibi sustineat te. Laudo Theophilum in plurimis, in hoc non laudo; neque ipsius amarulentas phrases velim contra te imitari, utcumque de me commeritum.

20 Jam vero Schelstratium, prædictam de Dionysio quæstionem inter suorum studiorum principia acutissime ventilantem, adeo non im-

pro-

probavit Romana Curia, ut merito primi illius libri, argumentum istud inter alia tractantia, obtinuerit ab eo Canonicatum Antuerpiensem; auctaque exinde doctrinæ minime vulgaris æstimatione per alia subsequenter opera, idoneus sit judicatus, quem a Belgio Romam accerseret Pontifex ad Bibliothecæ Vaticanæ Custodiam, cum titulo Canonici, primum Lateranensis, & mox Vaticani, ad majora porro provehendum, nisi mora immatura stitisset pronum ad dignitates amplissimas cursum. Aliter is, quam tu Tuique Rev. P. de nostro opere sentit ac scribit, etiam, ubi contraria sustinet.

21 Poterat is, ex eodem Henschenii commentario, ubi refert Innocentii III. epistolam, etiam observasse, si id ad argumentum spectasset, Pontificis errorem, in eo, quod credidit, misso illo corpore cessaturum dubium, an in San-Dionysiano monasterio vere haberetur corpus Areopagitæ. Hic enim creditur Atheniensis Episcopus fuisse; & corpus istud fuit alterius S. Dionysii Episcopi Corinthiorum, qui colitur a Græcis 8. Aprilis & fuit 100. annis junior quam Areopagita, quos quomodo inter se confuderit Pontifex, nescitur, nisi quod San-Dionysiani in historia translati ad se corporis (utique re certius jam comperta) dicant, missum sibi ab illo *corpus Sanctissimi Dionysii Confessoris, Corinthiorum Episcopi*.

22 Quin etiam Leo Papa IX. ducentis fere annis ante Innocentium III. & centum annis ante Petrum Abailardum, qui accusabatur primus dubium movisse de veritate adventus Areopagitæ in Galliam, diploma misit ad Regem & Prælatos Francorum, indicans corpus Areopagitæ haberi Ratisbonæ; unde consequens fiebat, Parisiensem Episcopum ac Martyrem, non minus ab Areopagita, quam a Corinthio Dionysio Confessore prædicto diversum esse. Neque tamen inventus est hactenus, qui talia tabulis productis dicentem Henschenium, appellaret hostem traditionum, vel Pontificum contemptorem, dum eos sibi mutuo contradicentes inducit, modeste agnoscens, in quæstionibus facti, ipsis posse errorem obrepere, etiam ubi studiosius agunt, uti apparet fecisse Leonem IX. & Innocentium III.

23 Finiens hunc Paragraphum, tam argumentis vacuum, quam contumeliis fartum, arripis, Pater Reverende, locum alterum, unde *applausum Sedis Apostolicæ* in titulo assumpsisti: ubi ego solum scripseram aliquid, in Breviario subinde notatum, *non improbari Curiæ Romanæ*, postquam scilicet observaveram, *absque ullius veteris scriptoris testimonio* assertum a Martino Polono, & aliis eum secutis, indeque insertum Breviario, quod *S. Cletus* in epistolis suis primus omnium usus sit verbis, *Salutem & Apostolicam benedictionem* apprecantibus.

24 Causam cur id cunctarer credere, talem addidi, ut in eamdem mecum sententiam cesserit Pagius ad ann. 91. num. 3. hoc insuper notans, nullam Cleti haberi epistolam (addo ego, ne supposititiam quidem) in qua videri possit fundatum esse Martini Poloni assertum: unde & Christianus Lupus Tom. 5. Synodorum cum Notis pagina 535. licet sustineat & pluribus probet non esse morem novellum, quo Romanus Pontifex absentibus mittit Apostolicam benedictiooem, Cleti tamen nullam mentionem facit, nec ullum aliud similis formulæ, qualis ei a Martino Polono tribuitur, exemplum aliquuin in ullo alio Pontifice potuit reperire. Locum ergo habere hic debet istud effatum Baronii tom. 1. Anoalium, cui deinde inhærens tam multas explosit fabulas, *Quod a recentiori auctore de rebus antiquis, sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur*: maxime cum summa antiquitas, ad quam ejusmodi formula possit adduci, ultra seculum septimum hactenus nequiverit deprehendi, inter tot jam multorum Pontificum epistolas etiam supposititias.

25 Hisce rationibus motos credo reformatores Breviarii Parisiensis, ut ex Romano assumpturi festum Sancti Cleti cum una Lectinne, brevissimam eam esse voluerint, nec in ea meminisse formulæ ipsi a Martino Polono adscriptæ. Hoc autem illi fecerunt anno 1680. quando nec dum de Conatu meo, talibus observationibus augendo, cogitabam. An eos Patern. vestra permissura sit viros eruditos credi ac dici, vel cum Launoyo atque Natali Alexandro explosura, nescio. Non sunt illorum Parisiis tam obscura nomina, ut ea hic exprimere me oporteat tuis scommatis dilaceranda, uti neque nomina Cardinalium, qui Breviarium istud, eique inhgrentem Pagii criticam maximi faciunt Romæ, sicut horum rescriptis probari poterit cum erit necesse, & illis gratum.

§. III. ACCUSATIO.

26 *Papebrochius Historias sacras, jussu Pii V. aliorumque Summorum Pontificum a Sacra Rituum Congregatione rigorose examinatas & approbatas, cum Launoyo & Natali Alexandro, passim tamquam fabulas explodit.*

RESPONSIO.

SI de Breviarii Lectionibus agitur, quæ Historiarum nomine in ritualibus libris veniunt, nusquam earum aliquam *explodo*, verbum istud, ipseque eo indicatus sarcasticus contemptus, tam mihi Reverende Pater est insolens, quam tibi contra me frequens. Dionysii Areopagitæ transitum in Gallias Launoyus vocat *meras aniles fabulas*. Sit ita sane: sed numquid non longe ab eo recedo, cum dico, sicut ipse fateris, quod, *Res ea admodum controversa est, neque volo in alterutram partem præjudicare quidquam*, totam nempe relinquens successoribus Octobrem tractaturis? Quid? quod nec ibi Launoyum allego, neque in alio hujus §. loco, Natalem vero semel, iterumque dumtaxat, antequam prohiberetur, idque in quæstionibus pridem aliunde & passim notis, de lepra Constantini, Marcellini lapsu, aliisque similibus, inter Acta S. Silvestri & Concilii Sinuessani relatis, ex quorum primis formatæ Lectiones Card. Bona, *insupportabiles* sibi esse dixit. Cur autem mihi, absque ulla auctoris proprii mentione, crimini vertitur dictum illud, quod constat me ex Cardinali & ejus solum nomine retulisse?

27 *Non censeri debere exploratæ & inconcussæ auctoritatis quæcumque Breviario sunt inserta*, scripsit Natalis Alexander: & ego ipsius verba secutus arguor idipsum confirmare, *ex tot locis ante hac facta correctione, ut spem faciant non displicitiurum SS. Rituum Congregationis Præsidi-*

fidibus, quisquis boni ductus ratione alia subinde adhuc suggerat. Nihil in his verbis displicuisse, vel displiciturum etiam nunc credo; neque illos assensuros Pater. Vestræ, asserenti, prædictas historias omnes tam *rigorose*, quam præsumis, *examinatas* fuisse, priusquam approbarentur. Hanc fiduciam mihi dat Bartholomæus Gavantus, sect. 4. c. 1 a. Commentarii sui in Rubricas. Ipse enim, ut ait Card. Ursinus, mox pluribus allegandus, *unus fuit e recognitoribus Clementini & Urbani Breviarii, adeoque tamquam de re sibi propria testatur*, quomodo in correctione ista processum fuerit, sic autem loquitur num 16. *Perdifficile visum est ad Historiæ veritatem reducere Sanctorum lectiones, idque minima, quæ fieri potuit, mutatione. Imo quæ controversa erant, alicujus tamen gravis auctoris testimonio suffulta, aliquam haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo, quo erant; cum falsitatis argui non possint, quamvis fortassis altera sententia sit a pluribus recepta*. Sunt ergo retenta non solum quæ videbantur certa, sed etiam quæ solum *probabilia*, omissis etiam probabilioribus, donec certius constaret de primarum falsitate.

28 Nunc quoniam grave tibi est, Rev. Pater, audire verba Natalis Alexandri; quæ nec ego protulissem, si libri prius fuissent prohibiti, quam Conatus meus imprimeretur; audi Eminentiss. D. Vincentium Mariam Ordinis Prædicatorum Card. Ursinum, S. Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopum, in Dissertatione de Reliquiis S. Bartholomæi, Benevento vindicatis ann. 1694. Negat hic, eas unquam fuisse Benevento translatas Romam, quod tamen in Breviario legitur; atque ad hujus objectam sibi auctoritatem respondet Art. 7. *illud maxime quidem auctoritatis esse, in iis, quæ per sese ad cultum ecclesiasticum attinent; minoris tamen ponderis esse in privatis factis aut gestis, quæ in vitis Sanctorum ex occasione referuntur; ita ut efficax argumentum inde peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur*.

29 *Nec enim Ecclesia ipsa, quæ illis utitur, inconcussæ infallibilisque veritatis judicat, quæcumque Breviariis sunt inserta; cum multoties, pro variis temporibus, varia ex occasione ea mutaverit correxeritque. Testatur id Concilium Senonense de anno 1528. quod, ut Breviaria & Missalia emendarentur, decreto sanxit: testatur Concilium Coloniense de anno 1536. cui hoc idem decernere placuit; ac demum Concilium Rothomagense anni 1581. & Concilium Rhemense anni 1583. decernunt, ut quam diligentissime a falsis narrationibus Breviaria repurgentur. Quæ omnia argumento sunt, non illico putanda esse ab omni aberratione historica libera Breviaria, sed magna plerumque spongia egere, licet illa in suum usum usurpet Ecclesia*. Hæc ego si scripsissem, quantos non cieres clamores, Pater Rev. quibus non contumeliis me onerares?

30 Pergit tamen Cardinalis dicens: *Imo nec fuit omnino carere navis Clementino-Urbanum, quo utimur, Breviarium, doctissimi historiarum exploratores judicant; cujusmodi sunt. I. Marcellini Pontificis cultus idolis exhibitus, ejusque pœnitentia in Concilio Sinuessano . . . II. Lectiones non paucæ, ex iis Sanctorum Patrum libris petitæ, qui ex gravissimo Criticorum judicio apocryphi reputantur. III. Symbolum* Quicumque vult salvus esse, *S. Athanasio in hodiernis Breviariis adscriptum, quod illius non esse eruditissimi plerique consentiunt, quamvis cujus determinate sit auctoris, non ita inter se congruant. IV. Canticum* Te Deum laudamus, *SS. Ambrosio & Augustino adscriptum, cum Sisebuto Monacho ab eruditis vindicetur, ex veteri Casinensis Cœnobii Breviario & Codice Ms. Vaticanæ bibliothecæ, a Card. Bona recensito. Et vero Cardinalem Baronium non absolutissimam in rebus historicis fidem Rom. Breviario tribuisse, certissimum est*. Auctoritates plures, & exempla eodem conducentia dedi supra.

31 Age nunc, R. P. Professor, ex Cardinali Ursino etiamnum vivente, quære id, quod toties quæris ex me, quinam sint illi *eruditissimi viri*, quos laudat, nec nominat; an sint alii quam *Heretici, vel Launoyus, Alexander, ac similis furfuris auctores ab Ecclesia damnati?* Interim agnosce tibi a me responsum verbis Eminentissimi unius, non tantum eruditissimi, sed etiam religiosissimi Cardinalis, ad ea, quæ mihi hic objicis num. 26. 27. 28. Sicut & antea tibi respondi ad num. 23. & 31. de Dionysio Areopagita ejusque libris. Suscitas etiam quæstionem de Romana corporis S. Stephani translatione, ex Breviario ad 3. Augusti, de qua non dixi aliud, quam *esse quibus videatur fabulosa*, rem proprio loco ac tempore discutiendam reservans. Recoquis deinde sæpius rejectam cramben, de occasione per quam conversus fuit S. Bruno, licet eam scias expunctam e Breviario, quam tamen non negaveram, imo soluto tandem dubio certior, operose confirmaveram.

32 Nusquam denique negavi Augustinum (quod solum ex Breviario allegas) *religiosam instituisse familiam*; solum dixi, quod ea, quæ nunc habetur Regula, *ex sui auctoris mente se non ultra extendebat, quam ad paucas illas Moniales quibus scribebatur*. Hoc autem me non docuit *Erasmus Rotterdamensis*, nunc primum mihi notus id asseruisse; sed ipsamet Regula, nihil continens, quod virili sexui peculiariter proprium sit, plura, quæ muliebri; ipsumque exordium solas illas respiciens. Idem vero confirmavit mihi Bellarminus de Scriptoribus pag. 180. dicens; *ex tribus Regulis sola tertia est Augustini: sed feminis data, non viris*: deinde eamdem professus Regulam, *Nicolaus Desnos, Prior Conventualis, Magister & Administrator generalis majoris Domus-Dei Pruvinensis, Ordinis Canonicorum Regularium D. Augustini*, in erudito opere cui titulus, *Canonicus Secularis*, sub annum 1674. diu ante Majum meum Parisiis editio, lib. 3. cap. 22. eamdem thesim dilucide probans, contra Pennotum, & Richardum quemdam.

33 Idem sequenti mox capite quærit, *quo tempore & quo auctore Epistola Augustini* 109. (hæc est Regula, de qua controvertitur) *Sanctimonialibus exarata, in Regulam Clericorum* (Eremitæ *Monachorum* dici mallent) *emerserit*: verosimiliusque existimat id factum in confinio seculi 8. ac 9. a S. Benedicto Abb. Ananiensi, auctore *Concordiæ Regularum*: qui sicut eidem Concordiæ inseruit Regulas SS. Cæsarii & Aureliani, mulieribus similiter solis scriptas, virisque aptavit; ita & istam, inter Epistolas S. Augustini repertam, iisdem accommodavit, *mutatis terminis femineis in masculeos*. Ita ille, pluribus deinde capitibus disputans contra Erasmum

mum

mum pro votis Augustinianorum, quæ ille videbatur negare; interim ipsum adeo non contemnens, ut ex ejus Epistola ad Archiepiscopum Toletanum, præfixa *præstantissimæ* (ut Labbeus appellat) *editioni Frobenianæ* anni 1529. per Erasmum curatæ, longissimum Augustini elogium, quasi Vitam, integre transtulerit cap. 21. ejusdem libri 1.

34 Eam Epistolam ego legens, invenio exordium plenum elogiis Sanctorum Patrum; quorum *mastygem* cur Erasmum tam illimitate vocet Paternitas tua, nondum video; Monachorum mastygem potius dici posse agnosco, & ut talem abominor. Interim operam ab eo in Augustini editione navatam nemo Catholicus contemnit. Doctor autem Molanus in editione Lovaniensi anni 1576. præfatur, quod *in censuris*, quibus pseudepigrapha opera secernit a veris, *Erasmus aliquoties .... magno adjumento* sibi *fuit*. Ita norunt Catholici, etiam in fidei suspectæ scriptoribus, laudare, quæ laudanda sunt; tibi soli, Pater Rev. placet, pariter eorum opera & in his omnia damnare, ut me damnare possis in omnibus, in quibus eis videor consentire, quantumcumque multi & graves Auctores alii id mecum faciant, eodem calculo mecum damnandi vel absolvendi, nisi in me solo displicerent omnia, quæ placent vel excusantur in aliis.

§. IV. ACCUSATIO.

Papebrochius, sacras Carmelitarum Historias, a sacra Rituum Congregatione approbatas, explodit tamquam fabulas.

RESPONSIO.

Accusatio hæc, iisdem fere quibus prior concepta verbis, non alia indiget responsione: hic tamen insuper addi potest, quod si non indubitabilis veritatis sint ea, quæ in Romano Breviario tolerat Sacra Rituum Congregatio, multo minus ea quæ tolerat in Carmelitano. De punctis vero hic propositis minus convenit me nunc respondere sigillatim, quod de singulis solum delibatis capitibus proprius promittatur rediturus locus, scilicet de Lectionibus pro Commemoratione solemnitatis B. Mariæ de Monte Carmelo, Art. 15. pro festis SS. Bertholdi, Cyrilli, Angeli, Telesphori, Art. 11. de revelationibus factis Patri sancto Eliæ, S. Petro Thomæ, S. Simoni Stock, art. 120. Denique num. 45. inculcas iterum Eliam *Ordinis fundatorem & institutorem*, a Te probatum Art. 3. Ego vero, id cum vere dici posse, censeo, & modum explico art. 2. num. 192. neque necesse puto eadem hic repetere.

36 An autem de istis omnibus etiam intelligi vis, quod hic in titulo omisisti, formatas de ipsis Lectiones, esse *rigorose examinatas a sacra Congregatione*, sive, ut alibi loqueris, *prævio rigoroso examine approbatas*? Ita videri posset ex num. 42. & 45. At ego jam dicere cœpi, *Officium de S. Alberto, quo ex Indulto Pii V. utuntur*, ut ais, *Canonici Lateranenses*, & cujus *recitandi licentiam Carmelitas obtinuisse* asseris *a sacra Rituum Congregatione*; dicere, inquam, cœpi, non aliter ipsum censeri posse concessum Canonicis illis a Pio V. quam quatenus in Bulla anni 1577. cum necdum instituta esset S. Congregatio Rituum, conceditur, ut *Omnium aliorum, (ultra paucos in Bulla expressos) dictæ Congregationis & Ordinis Sanctorum festa, etiam sub duplici officio, celebrare; atque iis omnibus & singulis proprias eorum atque authenticas Lectiones & Orationes accommodare valeant.*

37 Tali nempe concessione supposita, perrexerunt iidem Canonici, etiam post Pii mortem & Congregationem Rituum institutam, Sanctorum, quos sui Ordinis fuisse existimabant, multiplicare identidem Officia & proprias cuique Lectiones componere atque recitare. An autem sic extensa concessio, & talis modus quidlibet sub Pii V. nomine producendi, satis innotuerit S. Congregationi, nihil attinet quærere. Unum dico, si illæ, occasione Carmelitarum, novo examini fuerunt subjectæ & approbatæ, examen istud minime rigorosum fuisse: ipsasque in sola Lateranensium male informatorum fide receptas dico. Ibi enim dicitur *Albertus, Ambiani* ☞ *in Galliis urbe ortus; parentibus orbatus* ☞ *adolescens, factus Canonicus Regularis; & post literarum studia Parisiis decursa Sacerdos factus; ab Innocentio II. facta* ☞ *per litteras potestate confessiones audiendi, inter familiares Ludovici* ☞ *Regis profectus in Orientem: in claustro Dominici sepulcri* ☞ *Regularem vitam professus; re Christianorum infecta reversus, ab Adriano IV. factus Ecclesiæ Mortariensis Præpositus; deinde, ut traditur, Episcopus Vercellensis; rursusque profectus in Orientem, ab eodem Pontifice creatus* ☞ *Bethlemicus & Ascalonensis Episcopus; sed & Apostolicus Legatus in Syria ab Alexandro III.* ☞, *regulam concinnavisse* ☞ *quam Carmelitis tradidit; Hierosolymitana Sede vacante, ejus Patriarchali dignitate* ☞ *a Celestino III. decoratus; ac tandem senio gravis animam exhalasse, die* VIII. *April. anno* 1213.

38 Hæc si examinanda sumpsisset sacra Congregatio, num putas neminem futurum fuisse, cui incideret dubitatio, an vere in unum hominem, eumque ex Gallia advenam, tot fuerint consequenter collatæ Prælaturæ? Motam tem semel dubio, quomodo non cogitasset aliquis audiendum Ferdinandum Ughellum, tota Roma notissimum per tunc edita novem de Episcopatibus Italiæ volumina, qui etiam de Orientalibus Episcopatibus promittebat tractatum? Sed hunc ipsum fortassis studiose declinabant Patres Carmelitæ, scientes in Alberto eum sibi non favere: quippe qui Tomo 4. column. 1046. scripserat, quod eorum *Historici, præsertim Saraceaas & Aiegro portentosam de eo narrationem instituerunt*. Consultus ille, procul dubio alia exhibuisset, suæque censuræ reddidisset rationem, exhibito libro, quem de Vitis & gestis Episcoporum Vercellensium sub annum 1602. edidit Ioannes Stephanus Ferrerius Vercellensis etiam ipse Episcopus, unde veterem scripturam acceperat ipse Ughellus, de Vita & morte Alberti Hierosolymitani Patriarchæ, omnibus iis locis, quæ addito signo ☞ notavimus, contraria Lectionibus præmissis, prout hic placet considerandum exhibere.

39 XVIII. *Kal. Octobris* ☞ MCCXIV. *Indictione* 11. *Prafeati die de carnis ergastulo egressus est fel. mem. Venerabilis Pater & Dominus Albertus Hierosolymitanus Patriarcha, hujus Ecclesiæ quondam Episcopus .... Fuit vir Domini de Castro Gualterii* ☞ *Parmensis diœcesis, nobili ortus*

tus prosapia ... Valefacto mundo & pompis ejus, ad Ecclesiam Mortariensem ... cum ☞ parentibus confugit ... atque in Priorem ipsius Ecclesiæ electus ... de ipso Prioratu ad regimen ☞ Bobiensis Episcopatus fuit violenter abductus: unde paucis evolutis annis, antequam consecrationis munus reciperet, postulatus est in Episcopum Ecclesiæ Vercellensis, quam per xx. fere annorum curricula viriliter gubernans ... ab Orientali Clero & populo in Hierosolymitanum Patriarcham fuit unanimiter postulatus, & per Dominum Papam ☞ Innocentium III. ut illo iret coactus, ubi dum per octo annos sancte & laudabiliter vixisset .... diabolicus vir quidam de loco Caluxii .... eumdem .... in hac die gloriosæ exaltationis sanctæ Crucis, in Ecclesia S. Crucis civitatis Acconæ, processionem cum Clero solemniter agentem, cultellis petiit & occidit: & sic gloriosus Pater per martyrii ☞ palmam ex hac vita migravit.

40 Nunc mihi, in has redacto angustias, ut palam & iterum cogar demonstrare, non æque rigorose examinari omnia & singula in sacra Rituum Congregatione, quæ subinde a Religiosis proponuntur; liceat cum bona ipsius Congregationis venia, ab ipsiusmet Accusatoris mei ore extorquere veritatem, interrogando, utrum, ex duobus necessario dicendis, malit eligere. Dic ergo, Pater Rev. Lectiones illæ Lateranensium de S. Alberto, quas Carmelitis quoque permitti petiit & impetravit P. Seraphinus, an. 1671. tamquam *auctoritate Pii V. compositas*, fueruntne ab illo oblatæ examini, an non? Si non fuerunt, & tamen concessæ sunt, habeo quod intendo; neque quidquam magnopere derogatum video auctoritati sacræ Congregationis, quæ bona fide vobis asserentibus credidit, eas vere atque individualiter fuisse *compositas auctoritate Pii V.* & permissas, eo quo talia nunc solent modo, id est post prævium examen aliquod.

41 Si fuisse oblatas dicis, vide an non gravem inferas S. Congregationi injuriam, dum credere nos vis, in ea fuisse neminem, qui animadverteret multa in iis esse, quæ accuratiore examine certioreque probatione egerant; quo adhibito & libris consultis, statim patuisset, id quod supra pronuntiavit Ughellus, *portentosam* istius *narrationem*, per quam Albertus Vercellensis, qui usque ad finem sæculi 12. numquam sciebatur pedem tulisse extra Italiam, totis viginti annis in Vercellensi Episcopatu versatus, dicebatur ab Alexandro III. missus in Syriam Legatus, & Regulam Carmelitis dedisse multo prius quam fieret Patriarcha Hierosolymitanus; quem tamen titulum ipsa Regula expresse præsefert: *Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha*: hoc autem constare poterat eum non vocatum, nisi ab Innocentio III. sub annum 1204.

42 Ubi his responderis, quæram porro de P. Seraphino, an quando præfatas Lectiones permitti Ordini suo petiit, habuerit vel non habuerit notitiam aliquam verioris Vitæ, apud Ferrerium & Ughellum inveniendæ? Si non habuit, supinam ejus fateris negligentiam, in præparandis adminiculis tam necessariis, qui saltem nec Lezanæ Annales consuluerit: nam etiam in illis tom. 4. ad an. 1185. quo Episcopus Vercellensis electus est Albertus, & ann. 1204. quo ad Patriarchatum invitatus; & 1214. quo mortuus fuit, totum ex Ferrerio textum describit Annalista vester: & num. 13. postquam omnes Saracani errores loco non uno refutasset, illud Vercellense testimonium præ aliis omnibus æstimare se ostendit, velut quod *efficacius demonstrat B. Alberti sanctitatem meritaque præclara, ut vel ipsis solis jure Ecclesiam officium Canonicum & cultum Sancti tribuisse, dici possit.*

43 Si vero notitiam illam habuit P. Seraphinus, quomodo dicetur non imposuisse, neque studiose quæsivisse tenebras, quibus involvere veritatem maluerit, quam Congregationi palpandum præbere Lectionum Lateranensium defectum, & dubitabilem insuper reddere diem 8. Aprilis; quo Ordo suus colendum Albertum sumpserat, idque ut Confessorem, quem constitisset obiisse Martyrem 14. Septembris. Sic enim aliquando moniti per P. Danielem a Virg. Maria Carmelitæ Romani, ut S. Petrum Thomasium reponendum curarent ab ordine Martyrum in ordinem Confessorum, in quo olim steterat, sed per Saraceni figmenta adductus fuerat, nihil sibi movendum duxerunt, forte ne levi illo parvoque scrupulo Congregationi objecto, in dubium venirent alia ejusdem generis plura, quæ inter propria Officia Ordinis leguntur inobservata, meritoque observanda.

44 Suspicionem hanc (neque enim ultra valere volo) firmat novum Ordinis Breviarium, *revisente & approbante Cardinali Bona* edi a Congregatione permissum an. 1672. 5. Aprilis, & Antverpiæ excusum. Ibi ad 8. Aprilis jubentur ad 2. Nocturnum recitari Lectiones ex *Sermone S. Maximi Episc. de Communi Confessoris Pontificis*. Ad calcem tamen istius impressionis inveniuntur *Officia nova, a S. D. N. Clemente X. concessa, & huic Breviario nondum inserta, sed eidem propriis locis inserenda*, Cardinali Bona subscribente 12. *Maji*, & attestante, *subscripta Officia, cum additionibus & correctionibus, de mandato S. D. N. Clementis X. a se recognita & emendata, inseri posse Breviario Ordinis Carmelitarum, & a Religiosis ejusdem Ordinis recitari*. Inter ista habentur diversæ ab iis quas dixi petitas impetratasque prius fuisse, de S. Alberto Lectiones, quarum priores duæ sumuntur ex antiquis Actis.

45 Ultima particula rem animadversionem meretur: agit enim de *Regula* Carmelitis composita, ut *ex Divi Basilii & Joannis ... Hierosolymitani operibus* concinnata; & dissimulato mortis genere, in Actis descripto, non satis conformiter ad illa dicitur, quod *impiorum hominum furore divexatus clam se subduxit, & Carmeli Eremitis se adjunxit, ubi & Jesum Christum visibili specie habuit consolatorem, & Deiparæ Virginis præsentia mirifice est confortatus, sanctis tandem operibus plenus, inter suos lacrymantes animam Deo suavi fiat exhalavit*: quæ partim ex Saraceno accepta, partim nullo alio auctore præcedente addita sunt, contra expressam mentem Lezanæ. Nam hic ad an. 1214. num. 15. asserit, *gladio percussum & occisum quod ad rationem Martyrii sufficere, possit non incongrue dici: & num.* 18. fatetur, *primum Baptistam Mantuanum, quem alii mutis notæ secuti sunt*, asserere, *Ordinis* Carmelitani *professorem* fuisse Albertum: quod tamen tenere ipse non audens, sic scribit, *Cum in tabulis Ecclesiæ Vercellensis, in quibus fere ab incunabulis ipsius vita describitur, nihil de Carmelitani Ordinis professione habeatur, nec antiquiores nostri historici .... aliquid de hoc dixerint ... de Alberto hallucinatum credimus*

doctissimum Mantuanum. Ita ille, ad suorum errata agnoscenda multo promptior quam nunc passim Carmelitæ: a quibus interim libenter discam, quo argumento sententiam mutaverint; & an coram Cardinale Bona exposuerint prænotatam suorummet Auctorum circa punctum istud discrepantiam: vix enim induci possum ut credam, ipsum permissurum fuisse, ut ab antiquiorum potiorumque sententia discederetur, in favorem novitiæ inventionis. Qui autem scire volet, quam ambiguè fluctuaverint PP. Carmelitarum Romanorum opiniones circa istum suum Legislatorem, videat Generalis Strotii super eo argumento epistolam ad Miræum datam an. 1637. & a me productam ante tomum 3. Maii num. 218.

46 Ex dictis abunde patet, quam parum curiose sacra Congregatio hactenus excusserit illa tam speciose jactata Officia propria Sanctorum Carmeliticorum; quod tamen facilem excusationem habet ex multis capitibus, a me non discutiendis, sed inepte contra me assumitur, ut S. Congregationis contemptorem, qui similia mallem reticere quam tangere, si importunitas accusatorum ea pateretur sileri. Certe cum anno 1677. Officium solemnis Commemorationis ad omnes Catholici Regis ditiones extendi Pontifex permisisset, nonnullisque de sacra Congregatione ostendissent aliqui, mirari sese, quomodo id citra examen novum factum esset; præseferebant illi, se quidem extensionis talis conscios, nescire tamen quales essent Lectiones istæ, petieruntque exempla exhiberi; quæ quamvis Romæ deesse non poterant, Antuerpia tamen petita & a me missa sunt; caventibus iis scilicet qui petebant, ne si Carmelitis suboleret ipsos de Lectionum veritate dubitare, certum & irreconciliabile eorum odium in se traherent. Hinc est, quod etiam caveam nominare quemquam, expertus in Ughello aliisque mortuis, quid timendum sit vivis, si nominatim indicarentur.

§. V. ACCUSATIO.

47 *Papebrochius asserit, quemdam Ritum Missarum Gregorianarum, & si a sacra Rituum Congregatione prohibitum, non ideo credendum improbatum.*

RESPONSIO.

De ritu illo agens ad Pontificatum S. Gregorii, cui ipsum falso adscribi ostendo, & ex veteribus Missalibus eundem propositurus, nihil tum sciens de prohibitione, solum post annos circiter quinque ad meam delata notitiam, ita loquor: *Abest hodie a Romano Missali Ritus iste, non ideo tamen improbatus credatur*. Quis hæc mea verba cum titulo tuo conferens, primo statim intuitu non videat, calumniam mihi structam in caussali, *non ideo*, a me quidem relata ad hodiernum Missale, ab Accusatore vero ad prohibitionem, mihi tunc ignotam. Quis etiam non videat, non absolute a me negari improbatum, quod dico, necdum improbatum credi ab iis scilicet qui ipsum sine scrupulo curandum suscipiebant.

48 Nemo sane dixerit, ideo aliquid improbatum, quia nunc abest a Romano Missali, nisi ritibus in ea præscriptis contrarium id esse judicaverit sacra Rituum Congregatio: quod ubi eamdem in casu isto judicasse cognovi, continuo jussi in Paralipomenis priora expungi; atque locum istum sic legi: *Abest hodie a Missali Romano ritus iste: quin etiam sacra Congregatio Cardinalium, ejusmodi rebus curandis instituta, anno 1622. 8. Apr.* inter Missas, quæ circumferuntur; *quasque illa ut non approbatas* prohibuit, *numerat Missas S. Gregorii pro vivis & defunctis*: quarum serie relata ex veteri Missali, amplam subjicio Annotationem, qua indico ipsam sacram Congregationem etiam declarasse, quod per suum Decretum non prohibeantur *Missæ triginta pro defunctis a D. Gregorio institutæ*.

49 Denique, quoniam priores Missæ sigillatim singulæ, suis quæque diebus habentur, in Missali velut probatæ, censeo prohibitionem prænotatam restringi *ad irregularem istum Ordinem, ad quem obligari sacrificaturos, cum perturbatione tam diuturna totius ordinarii cursus, non probat nunc Ecclesia* (Quis enim probet in die Paschæ V. G. dici votivam de Cruce, qualem forte exigeret ordo prohibitus: ipsam 27. die notans) *etsi alioqui, nihil obstare videatur, quo minus illi, quibus liberum est votivam dicere, vel istas vel alias quascumque in Missali reperiendas Missas, per modum votivæ, eo quo voluerint ordine, recitare possint*, diebus scilicet potiori & nequaquam mutabili Missa non impeditis: hoc enim important, verba ista, *quibus liberum est*. Itaque non jubeo ipsarum Gregorianarum ordinem in Conatu p. 92. expungi, sed relinqui patior; partim ad memoriam veteris usus, partim ad usum adhuc nonnullum, siquidem *videntur etiam nunc posse, servatis servandis, fieri eædem omnes Missæ eodemque ordine quo olim*, sed non continuo, hoc enim prohibet cautio per verba, *servatis servandis*; apposita.

50 Concludo etiam atque dico, *Satius tamen fortassis esset excusata petentium simplicitate, & suprapositæ prohibitionis ignorantia, continuare tricenarium dicendis ad eamdem intentionem Sacris, secundum anni cursum præscriptis*, etiam in non duplicibus; quibus alias liceret quæcumque votiva facere. Et hanc nunc intelligo praxim esse eorum Religiosorum, qui tricenaria Gregoriana dicenda suscipiunt; & petentes quidem in sua simplici devotione relinquunt, dicunt tamen Sacra ex ordine præscripta, ea solum, quæ cadunt in dies ad id liberos: itaque simul & obediunt prohibitioni, & cavent scandalum pusillorum, fortassis crediturorum, si eorum petitio rejiceretur, etiam simplex tricenarium improbari, contra quam velle se declaravit Congregatio.

§. VI. ACCUSATIO.

51 *Papebrochius contra sacram Congregationem Indulgentiarum & Reliquiarum, revisas & approbatas Leonis IV. Indulgentias imposturæ insimulat.*

RESPONSIO.

Ne frustra in titulo Articuli hujus *Congregationes* nominaveris, alteram hanc Congregationi Rituum, cui me hactenus commiseras, jungere, Pater Rev. voluisti; plurea haud dubie nominaturus, si potuisses. Sed neque istam nominare potuisti, nisi resumendo Accusa-

cusationis, jam pridem & abunde refutatas. Nam quod ad *Leonis IV.* Indulgentias attinet, omnem earum fructum percipiunt fideles, ex auctoritate Pontificis eas confirmantis, supplendo quemcumque defectum atque omnem tribuendo auctoritatem, quam ex Leone IV. participarent, si ille eas vere dedisset. Idem statuo de illis, quarum auctores nominantur *Lucius IV. Honorius IX.* & *Honorius X.* qui numquam extiterunt. Quod autem intenderunt Pontifices, & solum prudenter intendere potuerunt, id etiam intenderit sacra ista Congregatio, quæ Summarium vestrarum Indulgentiarum anno 1673. dicitur approbasse, non quidquam aliud. Vide dicta Art. 3. §. 9. 10. & 11.

52 Ibidem §. 8. Egi de Reliquiis Brixiensibus, ex uno solo capite mihi suspectis, quod dicantur inventæ sub nominibus & cognominibus talibus, qualia ignorabant Brixienses seculo 2. & 3. Cum illæ docebuntur aliter inventæ, cum titulo tamen indiciove probabili veri martyrii, quomodo ex cryptis Romanis passim Martyrum corpora educuntur, dolebo Cerreti fabulis obscuratas inde, unde eas ipse voluit reddere illustriores. Sed neque absolute improbabo cultum alium corporum: cum ipsa ossa potuerint esse verorum Martyrum, sed hactenus anonymorum: de quibus quid porro statuendum, sacræ Congregationis relinquam arbitrio. Sic eidem reliqui judicium da corpore quodam posito Ravennæ, quod ex epitaphio Græco, pariter allato, credebatur esse cujusdam Argyridis, mulieris Græcæ; quæ tamen ex illo Epitaphio nec Christiana quidem fuisse probabatur: super quo interrogata Congregatio, respondit Ravennatibus; removerent ab altari, si rationabile dubium videretur, nihil desuper ipsa definiens: idem verosimiliter responsura Brixiensibus, si dubium ex mea objectione natum eidem modo proponant.

53 Similiter de corpore *S. Monicæ*, inter Romanos & Belgas controverso, tractavi Art. 3. §. 7. & num. 63. proposui exemplum Benedictinorum, in Italia Galliaque vindicantium sibi S. Benedicti corpus, imo etiam Bullas Bullis opponentium, nec tamen Pontificum infallibili auctoritati quidquam detrahentium, licet necesse sit in alterutro facto fictionem aut saltem errorem intervenisse, & pro antiquiori possessore stare videatur præsumptio. Interim censeo non errare fideles, etiam talis controversiæ conscios, cum utrovis loco *S. Monicam* intendunt honorare, cultu neque Deo neque Sanctæ ingrato, & ipsis eum sic deferentibus fructuoso.

54 Tu vero, Pater Rev. vide qua fronte §. hunc concludens, appelles S. Sedem, ut judicet, *an Papebrochius sacris Congregationibus intolerabilem non irroget injuriam, passim ea quæ approbant & confirmant ablegando ad fabulas & commenta*. Hoc ego neutro loco facio: ipsas vero Congregationes nusquam, nedum *passim* irreverenter nomino: multo minus id facio *plerumque cum Launoyo vel Natale Alexandro, auctoribus ab Ecclesia damnatis*, quos ego de Indulgentiis Leonis IV. deque Reliquiis Brixiensium Martyrum, & S. Monicæ, non puto unquam vel somniasse. Sed absque tali condimento vim nullam haberet insulsa accusatio, ideoque oportet te ad ipsum identidem recurrere; nisi malimus credere id ex consuetudine potius, quam certo consilio fieri.

EXHIBITIONIS ERRORUM
ARTICULUS DECIMUS.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

1 *Exhibentur ea, quæ Papebrochius inter Acta Sanctorum habet contra Sanctos ipsos, eorum imagines, templa, & cultum.*

RESPONSIO.

Dum tituli hujus probationes expecto, operæ pretium est exhibere Lectori modestiæ suæ specimen non vulgare, ipso statim se prodens accusationum proœmio. *Papebrochii*, inquit, *lingua balbsuus in terra transivit contra historiam vitæ Christi, contra S. Scripturam, contra Vicarios Christi, illorum Bullas & Decreta, contra Sacrarum Congregationum declarationes, approbationes & ejusmodi. Sed non hic terminum invenit novaturiens, vagabunda, & erravbunda Papebrochiana crisis; nam & in cælum ponit os suum, bellum movens Sanctis cum Deo regnantibus, corrodendo, & explodendo eorum Acta, Martyria, & Cultum; &, quod auribus Catholicis terribileus est, ne dicam blasphemius, plurimos Sanctos, ab Ecclesia publice cultos, proclamando fictitios, & ex cælo deturbanda.* Quid multa? *Contra omnium Sanctorum Reginam bellum suum* Opuscul. Collect. *exorditur Papebrochius*. Quis non arbitretur me omnium Sanctorum Reginam *proclamare fictitiam*, aut saltem *ex cælo deturbare*? Imo, inquia, §. 1. *Papebrochius suspectam reddere molitur historiam Assumptionis B. Virg. Mariæ*. De hac respondebo mox: tantum hic lectorem moneo, ut deprehensa in præcedentibus tot accusationum falsitate, clamoribus ejusmodi confusis non credas, donec distinctius aliquid ex me citatum viderit, meaque ad objecta responsiones æqua lance expenderit.

§. I. ACCUSATIO.

2 *Papebrochius, suspectam reddere molitus Historiam Assumptionis B. Virginis Mariæ.*

RESPONSIO.

Fallor, si multi Titulum hunc legentes, non existiment dubitari a me, vel dubitationem aliis moveri, sitne Deipara vere in cælum assumpta. Suspicionem auges, Rever. Pater, dum accusationem ita nitaris stabilire. *Triduo post obdormitionem Beatissimæ Virginis Mariæ, Apostoli convenientes ad lo-*

 cum,

eum, in quo virgineum ejus corpus repositum fuerat, illud non repererunt: ideoque assumptum fuisse in Cœlum, constans hactenus fuit Ecclesiæ traditio, sicque sentiunt SS. Patres &c. Sed Papebrochius Historiam illam non parum reddit suspectam. Ubinam autem? *Tomo*, inquis *septimo Maii fol. 697. & 698.* Amo quidem accurationem illam in citando Tomo & folio; sed quomodo illic *Historiam Assumptionis non parum reddo suspectam*, vel *reddere molior*.

3 *Dum* inquis *Sermonem S. Joannis Damasceni de Dormitione Deiparæ Papebrochius non tantum habet suspectum, sed absolute negare videtur, dicens; Joannem allegare, nescio quam, Euthymianam seu Euthymiacam historiam, ex qua historiam dormitionis refert, & postea subdit, Euthymium Scriptorem nullum uspiam reperio*. Habesne aliunde Rev. Pat. accusatioois tam borreodæ, quam titulus præfert, fundamentum? Aliud non habere censendus es, cum non proferas. Ignorare itaque cujus authoris, & unde dicta sit *Euthymiana Historia*, quam Damascenus refert, idem tibi est, ac *Historiam Assumptionis non parum reddere suspectam*; sive (ut clarius loquar) *Assumptionis mysterium*? Atqui de hoc oemo jam dubitat: ista quænam sit, ignorant Auctores passim, & autumo id ignorare etiam Paternitatem tuam; citata enim a Damasceno Historia Euthymiana ubinam extat? aut apud quem alium allegata reperitur? Euthymium scriptorem reperio quidem seculo 12. sed is a Damasceno, scribente seculo 8. citari non potuit. Euthymii aliqui extiterunt ante Damascenum; sed oeque ullus eorum inter scriptores Ecclesiasticos a Bellarmino aliisve in Catalogis refertur. Si Pat. Vestra Historiam hanc seu librum alicubi invenerit, vel certius aliquid de eo resciat, dignetur nos edocete: de Historicorum Republica bene merita censebitur. Si, *Euthymium scriptorem nullum uspiam reperire*, aut ei etiam abjudicare librum aliquem vel historiam, sit hoc ipso veritatem historiæ vel mysterii reddere suspectam; quid ni etiam abjudicare S. Augustino libros de Iocarnatione Verbi, de Trioitate & Unitate Dei (qui referri solebant inter opera Augustini, nunc autem a Bellarmino & recentioribus passim ab ejus operibus rescinduntur) sit Incarnationem Verbi, Trioitatem & Unitatem Dei suspectam reddere? Hoc quam sit ridiculum, nemo noo videt. Evideos igitur est longe aliud esse, negare librum alicui auctori, aliud rem libro contentam impugnare.

4 Tandem inquis, *licet Historiam ipsam explicite proclamare non audeat suspectam, implicite tamen juxta suam Dialecticam, & ordinarium argutandi modum reipsa videtur velle suspectam reddere; nam ubi Auctores & Scriptores de suppositione suspectos habet, mox illa quæ referunt, etiamsi in Martyrologiis habeantur & Breviariis authentice sint inserta & a Sede Apostolica recognita & approbata, non veretur suspecta pronuntiare, & tamquam fabulosa explodere: ut patet in vita S. Angeli, de qua articulo 12. §. 31. & aliis fere omnibus*. De Martyrologiis, de Breviariis, de S. Angelo, & quibuscumque aliis objiciendis, nihil prætermittemus loco proprio. Nunc velim *Dialecticam* meam exponas paulo dilucidius, atqua ex ea probes quod assumis. Interea distinguam assumptum. Ubi Auctores & Scriptores omnes de suppositione suspectos, oeque aliud solidum adstruendæ historiæ fundamentum babeo, eamdem historiam proouotio suspectam; concedo: ubi Auctorem aut Scriptorem unum de suppositiooe suspectum habeo; sed simul innumeros alios indubitatæ fidei & gravissimæ auctoritatis, imo certam [1] apud omoes Catholicos traditionem historiæ confirmatricem, tunc pronuntio historiam suspectam; nego assumptum. Atqui præter Euthymiaoam historiam, quæ, cujus anctoritatis sit, nescitur, habemus pro Virgioia Assumptione traditionem apud omoes certam, Sanctos Patres & auctores irrefragabiles, etiam Damasceno antiquiores, ot sunt, Hieronymua, Augustinus, Beda, Ildefoosus, aliique.

5 Ast *S. Joannis Damasceni*, inquis, *sermo recitatur in Officio Canonico Assumptionis*. Respondeo, admittere me quidquid ex Damasceni sermone refertur in Officio Canonico: at cum Historia Euthymiana a Damasceno citata ooo referatur integra in officio Canonico, oeque ullum usquam ejus appareat vestigium præterquam io solo Damasceno, neque inter scriptores Ecclesiasticos ullum reperiam Euthymiom nisi seculis aliquot Damasceno posteriorem, pergo fateri, quod *nesciam* quæ sit illa *Euthymiana Historia*, & quis *Euthymius scriptor*, qui a Damasceno potuerit allegari. Hoc certum est, quod Auctor Epistolæ Hieronymo suppositæ, scriptum aliquod oominet *Apocryphum de transitu Virginis, quod multi Latinorum, pietatis amore & studio legendi, carius amplectuntur*. An omnes omnino Assumptionis circumstaotiæ, qaæ ab aliquo scriptore referuntur, tam sunt indubitatæ, quam ipsa Assumptio, quæ ooanimi totius Ecclesiæ confessione firmata est?

6 Injurius, puto, non forem Damasceoo, si omnes prorsus circumstaotias Euthymianæ historiæ non statim amplecterer ut irrefragabiles; nam, uti in aliqua facti diu præteriti circumstantia facile errari potest, ita aliquod scriptum apocryphum, pro authentico a multis babitum, bona fide citari. Et quidem de Damasceno audiamus Cardinalem Bellarminum, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis columna 119. *Oratio de his qui in fide migraverunt, scrupulum injecit, quia narrat Falconillam precibus Primæ Martyris, & Trajani animam precibus S. Gregorii Papæ ab inferni suppliciis liberatas, quæ narrationes falsæ esse videntur, & fabulis similiores quam historiæ. Sed fieri potest ut S. Joannes Damascenus, quamvis alioquin doctus & prudens istis narrationibus facile fidem habuerit, neque de veritate earum investiganda solicitus fuerit*. Multo minus contra auctoritatem alicujus sancti Patris est, quod librum aliquem crediderit esse cujusdam Auctoris, cujus non esse postea deprehenditur. Sic rursus Bellarminus libro de Scriptoribus Eccles. col. 29. negat S. Ignatio Martyri tres epistolas, quod *neque in codicibus Græcis habeantur, neque gravitatem eloquii S. Ignatii omnino redoleant*; licet *S. Bernardus eorum meminerit sermone 7. in Psalmum. Qui habitat*.

7 Nunc

[1] De Deiparæ Assumptione consule Tillemontium, Bailletum, Natalem Alexandrum, & Constantinum Roncagliam in notis ad eumdem Natalem t. 3. p. 337. Serry Exercit. 66. Sollerium tom. 7. Junii p. 469. præcipue autem Dissertationem Advocati adversus Joan. Launoyum; neque omittendus Card. Prosper Lambertinus nunc Benedictus XIV. l. s. de Canoniz. Sanctorum c. 42. & io adnotat. ad festa part. 2. a oum. 11.

7 Nunc tibi. R. P. has tuas accusationes & consequentias, vel palam (ut par est) retractandas, vel (si malis) probandas propono: Papebrochius *nescit quænam sit Euthymiana seu Euthymiaca historia a* Damasceno citata; *Euthymium scriptorem*, nisi Damasceno posteriorem, *nullum uspiam reperit. Ergo Damascenus Papebrochio suspectus est Auctor.* Ergo *Papebrochius suspectam reddere molitur Historiam* (nempe mysterium) *Assumptionis B. Virginis Mariæ.* Ergo *contra omnium Sanctorum Reginam bellum suum exorditur.* Nihil simile habet mea *Dialectica*, ut jam ostensum est: neque similem *argutandi modum*, præterquam apud te, vidi aspiam. Plus dico, R. P. hac tua *dialectica, & hoc argutandi modo* subverti auctoritatem non solius Damasceni, sed Patrum & Scriptorum omnium, saltam non Canonicorum, imo destrui fidem circa præcipua quæque religionis Catholicæ mysteria, quod ex tua accusandi ratione evidenter demonstro. Juxta te sequitur: Damascenus aliquid tamquam verum refert, quod est incertum; *refert* enim *historiam nescio quam Euthymianam*: ergo *Damascenus est Auctor suspectus*. Atqui post Scriptores Canonicos, estne ullus, qui non aliquid incerti referat vel tradat ut verum? Si nullus sit, argo juxta te omnes Scriptores præter Canonicos sunt Auctores suspecti.

8 Deinde estne ullum mysterium nostræ fidei, circa quod non aliqua disputentur? Quodnam mysterium magis sacro-sanctum est, quam Dominicæ Passionis? Circa hanc tamen nonnulla a quibusdam referuntur incerta, ut de numero clavorum quibus Salvator cruci affixus est, de numero spinarum, de numero plagarum, guttarum sanguinis in flagellatione elicitarum, aliisque similibus. Sic nuper in Provincia Mechliniensi quidam vir minime malus, sed non satis prudens schedam impressam distribuit continentam quædam circa Passionem Dominicam incerta, quædam commentitia & superstitiosa. Historiæ hujus exemplaria statim pro sua Pastorali providentia merito supprimi jussit illustrissimus D. Archi-Episcopus: ideone de hoc Antistite dicendum est, quod suspectam reddere moliatur historiam Passionis Christi, quam certissimam habemus, descriptam a quatuor Evangelistis? Disca igitur, Accusator, aliud esse dubitare de Historia sive re aliqua præterita, prout a nescio quo privato auctore describitur; aliud dubitare de eadem re simpliciter, & prout certa traditione ab omnibus in Ecclesia admissa est.

9 Quænam autem ea sint, quæ ex historia Euthymiana allegat Damascenus, & in officio Canonico prætermissa sunt, dixi ipsa pagina accusata. De his altum siles, neque alio, ut apparet, consilio, quam ut incauto Lectori persuadeas, de Assumptione Virginis me dubitare, non autem de solis quibusdam minus certis, & quæ Assumptionem dicuntur subsecuta, ex Euthymiana apud Damascenum historia sic memorantur: *Dicitur, quemadmodum Beata Pulcheria multa Christo templa excitaverit, ex hisque unum in vico Blachernarum, anno tertio imperii Marciani, Beatæ Dei genitrici dicaverit; dumque illius beatissimum enquireret corpus, ut eo transferret, Juvenalem Episcopum Hierosolymitanum simulque multos cum eo ex Palæstina Episcopos, qui tunc forte, ob celebratam Chalcedonense Concilium peregrinantes, Constantinopoli aderant, accersiverunt Imperatores, atque in hunc modum allocuti sunt: Audivimus Jerosolymis templum esse in brevi loco Gethsemane appellato, ubi Beatissimæ Virginis corpus in tumulo collocatum fuisse creditur. Hoc itaque, ad hujus Imperialis urbis perpetuam decus atque honorem, transferre volumus. Quibus respondit Juvenalis e E sacrorum voluminum auctoritate nihil scriptum de iis, quæ ad exitum B. Virginis pertinent, tantum ex antiqua accepimus traditione, quod tempore obdormitionis Beatæ Virginis universi Apostoli, qui orbem terræ ad salutem gentium peragrabant, momento temporis in sublime elati convenerunt, &c.* sicut leguntur in Breviario, ad Matutinum 4. die infra Octavam, cum parte cujusdam loci ex cap. 3. libri de Divinis nominibus, Areopagitæ Dionysio adscripti, cujus loci partem, etiam alteram habet Damascenus; tum (velut ex eadem Euthymiaca Historia Juvenalis narrationem prosequente) addit. *Quæ cum Imperatores audissent, ab Archiepiscopo Juvenale contenderunt, ut sanctus ille loculus, una cum gloriosæ ac sanctissimæ Dei Genitricis vestimentis, quæ in eo iacerant, diligenter ad se mitteretur.*

Opascal. Collect.

10 Quis non videat, quod narratio hæc tota, ut ex relatu Juvenalis dicitur accepta, longe absit ab ea certitudine, quam apud bonos Christianos habet Assumptionis Marianæ mysterium. Nam hoc imprimis quod legitur de dispersis tunc toto orbe Apostolis, & momento in sublime elatis, nec non de præsente ibidem Areopagita Dionysio, nullam fidem invenire poterit apud eos, qui ex revelationibus B. Elisabethæ Schonaugiensis & B. Bertrami Cisterciensis credunt, obiisse Deiparam altero post Christi Passionem anno; alii ex aliis anno quinto; alii undecimo; omnes ante divisionem Apostolorum, factam ut volunt anno post Passionem duodecimo, diu autem ante conversionem Areopagitæ, quæ contigit anno Christi 49. quas omnes aliasque de obitu Virginis sententias, vide apud Jo. Baptistam Cancellottum nostrum in Annalibus Marianis ad annum Christi 46. nec non ad annos 71. & 72. eo tantum fine, ut scias quam multæ apud Damascenum aliosque legantur obdormitionis, sepulturæ, & Assumptionis circumstantiæ parum certæ.

11 Quin etiam idem Cancellottus fatetur ann. 72. num. 21. *primis ab assumpta Virgine seculis ita loqui solitos fuisse Patres nonnullos, ut dubitare viderentur, an illa post obitum rediviva in cælum una cum corpore sit evecta.* In quibus etiam S. Ildephonsus, tantus Virginis amator, seculo 7. serm. 6. de Assumptione sic loquitur. *Nec sane illud omittere debemus, quod multi pietatis studio libentissime amplectuntur, eam hodierno die a filio suo Domino Jesu Christo ad cæli corporaliter sublevatam palatia, quod licet pium sit credere, nobis tamen non debet affirmari, ne videamur dubia pro certis recipere.* Hæc aliaque si studiose colligerem, omissis potioribus & pluribus aliorum pro pia sententia testimoniis, haberet forsassis tua Patern. non injustam mei criminandi occasionem; nunc vero cum, pro mea erga Virginem pietate, nihil hæsitans de corporali Virginis assumptione, tantum fatear nescire me, & cupiam discere, quæ sit Euthymiana historia, quam Damascenus allegat, nihil in tota tua accusatione aliud videre possem, quam merum desiderium conflandæ mihi undecumque invidiæ.

§. II. III. IV. ACCUSATIONES.

12 Papebrochius impugnat imagines B. V. Mariæ, a S. Luca depictas.

Cum Joanne Launoyo oppugnat vestem Marianam.

Cum Hæreticis negat, primis Ecclesiæ seculis, Ecclesias aut Oratoria extructa fuisse, Deiparæ aut aliis Sanctis sacra.

RESPONSIO.

AN jam nunc tibi memoria excidit, Rev. Pater, quod primum ex his crimen retuleris Art. 1. §. 3. Ipsum ibi dilutum lege. Marianam vestem impugnare Launoyus dicitur, quia in dubium revocat veritatem visionis, in qua dicitur B. Virgo Scapulare tradidisse B. Simoni Stock; & Bullam Sabbatinam ut apocrypham impugnat. Bullam fictitiam videri, nec a Joanne XXII. editam Launoyo assentior, & rationem cur assentiar dedi, ut arbitror, idoneam Art. 4. §. 15. quid iterum eam reddi postulas? Manet interim, sicuti me fateri agnoscis, *sacri Scapularis devotio, miraculis & fidelium approbatione & devotione, celeberrima & receptissima.* Quid nunc vis amplius? *Apparitionem*, inquis, *de eo factam, censor ille cæli & terræ Launoyus fictitiam reddere molitur*; & *Papebrochius* pro illa *Lectorem remittit ad Launoyum*. Cur locum meum non indicas? indicabo ego.

13 Tomo 3. Maji pag. 653. rationem reddens, cur abstineam a Latine reddenda vita B. Simonis Stock Gallice scripta an. 1513. a Rolando Boucherio (nulla enim alia offerebatur antiquior) post alia dico; *Abstinet præterea nos ab eo consilio Petrus Swaningtonus, B. Simonis individuus comes, & Actorum ejus scriptor*, sicut ea *in Tabulario Burdegalensis Monasterii* asservari apud Raynaudum legeram: eaque Acta tanto optabam magis accipere, quanto ex iis certius probari poterat, quæ *producitur Visio B. Simonis, Joanni Launoyo suspecta*. Hoc autem addidi, non quasi Launoyi de ea probans sententiam; sed e contra stimulos additurus ad ea Acta, tanto ceteris potiora, quanto certior testis ea scripsit, edenda in lucem, cum dicerem. *Cur enim post tantas circa visionem illam contentiones, adhuc supprimitur Vita illa, subtrahiturque judicio & examini publico?* Ita ego tunc quidem: at postea edoctus, frustra requiri Vitam, quæ nulla sit, aut fuerit unquam: sed Actorum nomine intelligi solam narrationem visionis præfatæ, qualis pridem habetur edita; nihil cunctatus sum, quin pro Appendicibus Maii, tomo 7. addendis, componerem amplum de Actis B. Simonis commentarium: cui non solum inserui Latine redditam Vitam ex Gallico supramemorato, sed etiam ipsis Swanigtoni verbis Visionem totam, eamdem contra Launoyum probans, quam potui efficacissime.

14 Quod eum Commentarium edere non licuerit, fecerunt Patres Carmelitæ, apud Generalem nostrum adm. R. P. Thyrsum Gonzalez id assecuti, ut inhærens mandatis decessoris sui Caroli de Noyelle piæ mem. de Carmelitis nihil a me vellet imprimi, nisi quod præter ordinariam in Provincia censuram, etiam Revisorum Generalium Romæ subiisset judicium: in quo nihil commodi, sed longam moram expertus eram, in Vita S. Angeli aliisque nonnullis, prius quam ederentur, Romæ probatis, nullo alio fructu, quam offensionis majoris, & in universam Societatem redundantis. Itaque non solum Commentarium istum, in quo cavere non poteram, quin saltem tenerem Chronologiam a Lezana diversam; sed quidquid insuper ad Carmelitas pertinens primis Tomis addendum habebam, supprimere in tempus commodius malui: servo tamen diligenter, non solum ad testimonium, sed etiam ad usum posterorum; a quibus fortasse Patres Carmelitæ patientius quam a me ferent res suas tractari.

15 Interea contra Paternitatem tuam concludo, Accusationem præsentem prorsus ineptam esse, & aperte injustam. Dum enim tam præfidenter ais, me *cum Joanne Launoyo impugnare vestem Marianam* (vulgo Scapulare) aliam probationem non adducis, quam quod in Conatu Chronico-historico dicam, *salsa scripta* (quo nomine intelligo Bullam Sabbatinam) esse *nullius fidei*: & alibi, nempe tom. 3. Maii p. 653. *visionem B. Simonis* dicam esse *Joanni Launoyo suspectam*. Hæc duo me reum hic faciunt impugnatæ vestis Marianæ. Profecto si non admittere Bullam Sabbatinam talem, qualis allegatur, & tamquam Joannis XXII. sit *impugnare vestem Marianam*, fallor, si non tot *impugnatores vestis Marianæ* sint, quot ab omni partium studio liberi responsionem meam ad §. 15. Art. 3. attente perlegerint. Ego interea, ut ipso loco accusato monui, dico, quod *singularis illa erga Deiparam devotio, cui promovendæ talia scripta subservire volunt* PP. Carmelitæ, *adeo multis miraculis divinitus confirmata, tantaque fidelium approbatione est recepta, ut præsidiis tam incertis, aut potius nullius fidei, omnino non indigeat*. Imo tu ipse, Reverende Pater, accusationis tuæ non satis memor, ita de me gloriaris hoc §. 3. *Estque fatente ibidem Papebrochio, sacri Scapularis devotio, miraculis & fidelium approbatione & devotione, celeberrima & receptissima.*

16 Iterum si dicere, *visionem B. Simonis* Stock esse *Joanni Launoyo suspectam*, sit *impugnare* eamdem *vestem Marianam*, omnes omnino qui legerint Launoyum hic, & tu ipse, Accusator meus, convinceris impugnare vestem illam: negare enim non potes neque vis, vestem illam Launoyo fuisse suspectam. Sed inquies, disparitatem esse, quod alii omnes ac tu Launoyi suspicionem non approbetis, quemadmodum approbat Papebrochius, *dum pro apparitione S. Simonis Lectorem remittit ad infamem Launoyum, a quo novit illam malevole impugnari & explodi. Vide Articulum 20. §. 2.* Ita ais, Pater Reverende. Ego vero pro apparitione illa nusquam Lectorem remitto ad Launoyum: neque tu, Art. tuo 20. §. 2. in vanum allegato, id magis ostendis quam hic. Nunc igitur age, verifica tandem dictum tuum, & exhibe verba mea, quibus ad Launoyum remittere Lectorem existimer. Alia non invenies quam hæc, *visionem B. Simonis* esse *Joanni Launoyo suspectam*. Pronuntiare autem, quod visio illa fuerit suspecta Launoyo, est quid plane indifferens, & præscindens a visionis veritate ac falsitate, existentia ac fictione. *Remittere* autem aliquem ad certum Auctorem in communi acceptione, certe in tua, est sententiam ejus approbare; nam, ut probes quod *impugnem vestem Marianam* seu Scapulare atque adeo visionem S. Simonis Stock, qua devotio Scapularis nititur, ais me pro apparitione S. Simonis Lectorem remittere ad infamem Launoyum. Dico itaque, quod si ejusmodi accusandi ratio admitten-

zenda fit, nullum invenire erit Hiſtoricum, oullum Theologum, eut alium Scriptorem tam integrum, oullum tam providum, quem non poſſum accuſare de quolibet.

17 Res perſpicua fiet exemplo. Si ego veriſſime fic pronuntiem: Præceptum divinum de Confeſſione auriculari ſuſpectum fuit Eraſmo Rotterdamo, eriſne tu æquus accuſator, fi propter hoc meum de Eraſmo pronuntiatum, dicas, *Papebrocbius impugnat Confeſſionem auricularem*? Non exiſtimo, te euſurum ſateri. Attamen recta ſequitur ex tua argumentetione. Nam Papebrochius dicit, Præceptum illud divinum Eraſmo fuiſſe ſuſpectum: atque dicere, ſuſpectum eſſe Eraſmo Præceptum, ſecundum Patern. veſtram, eſt remittere Lectorem ad infamem Eraſmum, a quo oovit malevole impugnari Præceptum illud: ergo Papebrochius impugnat Confeſſionem auricularem: quemadmodum accuſatur impugnare veſtem Marianam, quia pro viſione Simonis Stock de illa veſte remittit Lectorem (ut ait Accuſator, licet falſo) ad Launoyum, cui illa viſio ſuſpecta eſt. Hoc eodem pacto etiam Paternitas Tua, de impugnata auriculari Confeſſione facile accuſabitur; fi dicat, ut dicunt omnes, Præceptum illud divinum Eraſmo ſuſpectum fuiſſe. Atqui, juxta te, hoe idem eſt, ac pro illo Præcepto Lectore remittere ad Eraſmum, e quo noſti illud malevole impugnari. Ergo P. Veſtra impugnat Confeſſionem auricularem. Neque evades dicendo, quod mens tua orthodoxa ſatis pateat, ex eo quod Theologiam olim Lovanii docens Confeſſionem auricularem defenderis; nam & ego, Rev. Pater, veſtem Marianam ſeu Scapulare defendo vel te judice; qui agnoſcis, me *fateri ſacri Scapularis devotionem eſſe miraculis, & fidelium approbatione & devotione, celeberrimam & receptiſſimam*. Vides igitur, quod tota præſens accuſatio oihil contineat, præter patentem calumniam; quodque ambæ ejus probationes futiles ſint; ſecunda etiam infidelis & maligna.

18 Accuſationi Paragraphi quarti reſponſurum me remittis, Pater Reverende, ad Articulum tuum 15. ubi, quod hic uno, totis agis tribus Paragraphi 9. 10. & 12. Iſtis ergo me exſpecta, ne, ficuti tu eaſdem objectiones ſæpius, fic & ego reſponſiones cogar identidem replicare. Neque timeo, ne S. Sedes ad votum tuum judicet, quod ſoleam *nimis leviter, temere, & cum periculo prolabendi in Waldenſium & Wicleffiſtarum errores, repudiare antiquiſſima Eccleſiæ monumenta*; cum aotiquiſſima nulla alleges pro te, & eorum quæ allegas oulla oon ſint meritiſſime dubia imo fabuloſa, idque ſuo loco demonſtraverim, ac porro in ſequentibus articulis demonſtraturum me confidam; ubi autem aliquid videris dicere, ibi æquivocatio fiat, ex uſu poſterioris ſeculi trahendo ad ſecula priora appellationes Eccleſiarum: ut, cum apud Anaſtaſium Bibliothecarium, ſeculi 9. ſcriptorem, *S. Caliſtus Papa* dicitur Romæ ædificaſſe *Eccleſiam S. Mariæ trans-Tiberim*; quia ſcilicet ædificarit eccleſiam, ab ipſo primitus dictam *Caliſti* (uti fere vel a ſitu vel a conditore nominabantur temporum priorum Eccleſiæ) poſtea vero, cum in hooorem S. Mariæ reſtauraretur, hioc cœpiam ouncupari S. Mariæ trans-Tiberim. Nullum certe hactenus produxiſti trium primornm ſeculorum ſcriptum, in quo Eccleſia vel oratorium quodpiam inveniatur ab aliquo Sancto nuncupatum.

19 Magdeburgenſes Centuriatores hæreticos in eadem fuiſſe ſententia, ais ex Caniſio noſtro, qui etiam id annumeret *ceteris eorum figmentis & fabulis*, dicatque *coargui facile* poſſe. Ipſos nec legi (uti fingere Tibi placuit) nec tua cauſa legam; Caniſium revereor; ſed maluiſſe exempla indicaſſet, unde id tam facile coargui poſſit, dum autem nec ipſe profert, nec Patern. Tua invenire valet, pace utriuſque dicam, ut in aliis quamplurimis iſti erraverint, oon item in eo puncto exorbitaſſe; ſed inter multas eorum falſitates, hoc ab eis cum veritate dictum ſit, Catholicos reprehendendi pruritu potius, quam ſpiritu veritatis. Inducendi autem hic Tibi, Rev. Pater, Magdeburgenſes erant, ut mihi aptares omnes titulos, quos illis merito applicat Caniſius; ut quibus *nibil in Eccleſiaſtica biſtoria placet; ſed apocryphum, vanum, frivolum, ementitium, adulterinum ſtatim babetur, quidquid aliquam veteris Eccleſiæ traditionem ac conſuetudinem, a qua illi ſemper abhorrent, redolere videtur*. Iſtis dum ſimilem me perſuadere conaris, quid aliud agis, quam lectoribus perſuadere, omnia Sanctorum Acta, tot voluminibus tantoque labore undique eruta & illuſtrata, me ipſo judice aliud non eſſe, quam farraginem fabularum? hoc vero an oon ſit magis adverſum orthodoxo Sanctorum cultui, quam paucornm cenſura rationabilis, judicet, quam appellas, Apoſtolica Sedes.

§. V. ACCUSATIO.

20. *Papebrocbius impugnat antiquum S. Joſepbi cultum.*

RESPONSIO.

ERras ſtatim initio, Rev. Pater, ſed errore condonabili, cum laudati a te Commentarii de S. Joſepho ad XIX. Martii Henſchenium auctorem facis. Sic iſte a me uno compoſitus eſt, ut ne literulam quidem addiderit mutaveritve Henſchenius; permiſerit vero etiam ut, contra ſuam opinionem, dicerem n. 14. ejuſdem Commentarii, quod *Carmelitana Religio ſeculo undecimo & duodecimo ſub uno capite in quamdam Europæi Monachatus formam coaluit*. Hinc factum, ut de Henſchenio in partes veſtras trahendo deſperantes, paſſim diceretis, me totum eſſe veſtrum. Et certe, rebus necdum examinatis, haud obſcure præ me ferebam, quod circa Ordinis initia ad ſeculum 12. differenda nonnihil diſſentirem. In iſto Commentario, circa Sancti Joſephi ſolemnem cultum, qui ad ſimplicem in faſtis ſacris commemorationem addit Officii eccleſiaſtici Miſſæque celebritatem, altius quam quiſquam ante me progreſſus, oſtendi ipſum feſtum, apud Latinos ſerius ſuſceptum, citius apud Græcos fuiſſe obſervatum, per Canonem cum ceteris ſacri Officii partibus compoſitum ſeculo Chriſti nono, idque pro Dominica poſt Nativitatem Chriſti, quando etiam nunc feſtum iſtud agitur per omnes Orientales Eccleſias. Eſtne hoc antiquitatem cultus impugnare?

21 Non hoc, inquis, ſed quod in Aprili retractaſti ſcripta ibidem conſequenter, de eadem

dem Religione nostra, de qua dixersa, quod *tandem in Europam translata, Hierosolymitanæ Ecclesiæ ritus & officium Græcum, quo primum utebatur, in Latinæ Liturgiæ atque Psalmodiæ formam paulatim commutarit; servatis tamen præcipuis antiquorum Ordinis Patronorum festis, in quibus credibile sit hoc ipsum S. Josephi fuisse, translatumque ad diem, qua in latinis Fastis inveniebatur adscriptus*, id est XIX. Martii. Hanc adeo benignam pro vobis, non tam sententiam, quam conjectutam ægre fers in Aprili ad diem 8. retractari, cum de S. Alberto agens cap. 9. quæro, *quale fuerit Breviarium vobis in Regula præscriptum, & quale Martyrologium*. Utrumque scilicet totum inveniebam sumptum ex usu Latinorum Canonicorum S. Sepulcri; & quia nec apud hos nec apud vos poteram reperire rituum Græcorum vestigium, credere tandem cœpi, Bertholdum & primos ejus in Carmelo socios nullam habuisse cum iisdem Græcis connexionem & nunquam ab iis dependisse.

22 Ob hanc ergo caussam, non autem quod vobis aliquid inde honoris inviderem, scripsi num. 96. hæc verba: *In isto porro Martyrologio, ejusque post excuso* (ante annos 200.) *Supplemento, abest S. Josephi Christi nutritoris nomen & memoria: ideoque* [*cogimur retractare & reprobare conjecturam; qua rebus his necdum plene discussis, conabamur nobis aliisque reddere verosimile ad diem XIX. Martii Carmelitas in colendo festive S. Josepho primum dedisse ceteris Mendicantibus exemplum, velut qui illi cultui pridem assuevissent in Syria.*] *Neque enim consensit Breviarium Ms. ex usu sancti Sepulchri, eo festo carens, nisi quod recentiori prorsus manu interpolatum Kalendarium nomen Josephi habeat; nec ab Orientalibus, S. Josephum solemnissime colentibus infra Octavam Nativitatis Dominicæ, didicerunt Carmelitæ eum colere in Martio: Breviarium autem Carmeliticum cui inseritur S. Josephi Officium novum & initio seculi XVI. compositum post eos annos primum prodiit, quibus diximus Franciscanos S. Josephi cultum recepisse; adeo ut sententia Patrum, qua Carmelitanis Fastis addita S. Josephi solemnia cecinit Mantuanus, non aliorum Patrum fuisse existimanda sit, quam qui in aliquo Capitulo Ordinis, ætate ipsius Mantuani coacto aliorum Ordinum permoti exemplo, ita sanxivere faciendum.*

23 Tu, Pater Rev. ut persuaderes, ad istam retractationem non alia me necessitate coactum, quam qua, te judice, obstinaveram animum *antiquitatem* vestram *omni molimine undequaque arrodere, impugnare, & (si possibile foret) evertere, necnon omni decore Ordinem spoliare*, omisso istius loci initio ac fine, quibus continetur vera ac solida mutatæ sententiæ caussa, sola illa verba transcribis, quæ posui (parenthesi) inclusa; ac denique exclamas, Papebrochius *erubescendo ausu adeo a sua passione est exagitatus, ut quævis sive a se, sive a suis Magistris antecedenter scripta, sive a Sede Apostolica approbata & Breviario authentice inserta, retractet & passim reprobet*. In quo obsecro Breviario reperisti, *Carmelitas in colendo festive S. Josepho dedisse ceteris Mendicantibus exemplum?* Mihi autem cur non licuit, re melius discussa (nam in Martio nondum Breviarium vestrum & Martyrologium examinaveram) corrigere errorem, in quem incautum protraxerat nimius erga Ordinem vestrum affectus, qui me alias non patiebatur omnia Henschenio credere, velut de rebus Carmeliticis melius instructo?

24 Sed ista quomodocumque tunc se habuerint (quæ forte nec jurato quidem mihi nunc voles credere) quid tandem ad veterem S. Josephi cultum tantopere facit, unone seculo prius aut posterius quam Franciscani, Ordo vester susceperit festum S. Josephi agendum, postquam demonstravi ipsum multo citius fuisse receptum a Græcis, etiam in Syria, pro Dominica prænotata; a Coptis vero sive Ægyptiis (qualis fuit S. Antonius) Coptico non Græco ritu Sacra sua obeuntibus, ad diem XXVI. mensis Abibi, qui respondet XX. Julii nostri? Si tunc habuissem Habessinæ gentis Hagiologium metricum, quod Junium componens deinde accepi, addidissem fortassis illum colendi S. Josephi ritum, in Ægypto multo prius usurpatum videri, quam prædicta Habessinorum natio esset per prædicatores a S. Athanasio submissos Christi fidem edocta, & fastis ab Alexandrina Ecclesia accepta instructa.

25 Verum dic, amabo, Lector sapiens, dum audivisti, quod *Papebrochius impugnet antiquum S. Josephi cultum*, quid in mentem tibi incidit ab Accusatore intelligi? Numquid suspicatus es, me aut veterem S. Josephi cultum reprehendisse tamquam incongruum, aut negasse saltem quod S. Josephus olim Catholicorum veneratione celebratus [1] fuerit? Ecce autem aliud contra me probationis non profertur, quam quod negem, *Carmelitas in colendo festive Josepho primum dedisse ceteris Mendicantibus exemplum, velut qui illi cultui pridem assuevissent in Syria.* Addo *Carmelitas aliorum ordinum* & nominatim *Franciscanorum exemplo* ad eum cultum *permotos* fuisse; cultum autem S. Josephi in Ecclesia fuisse diu antequam Carmelitæ extiterint in rerum natura. Potueruntne Carmelitæ cultui S. Josephi assuescere antequam existerent? Prius juxta me est esse, quam operari. Si negem Carmelitas tempore Adami & Evæ pridem assuevisse cultui veri Dei, ideone impugno antiquum veri Dei cultum, & de hoc tamquam impius & sacrilegus toto orbe accusandus sum? Neque censendus sum *antiquum* veri Dei *cultum impugnare* hoc ipso, quo nego Pythagoram ejusque Discipulos, quos Carmelitæ sibi vendicant, verum Deum unquam coluisse. Aliud scilicet est Deum vel Sanctorum aliquem non fuisse cultum a Carmelitis, dum non extiterunt, aliud simpliciter & absolute non fuisse cultum ab Ecclesia.

§. VI. ACCUSATIO.

26. *Papebrochius antiquos Brixienses Martyres explodit tamquam fictitios.*

RESPONSIO.

NIsi rem eamdem pluribus titulis voluisset accusare Patern. Vestra, poterat huc totum istud referre quod agit Art. 3. §. 8. & Art. 6. §. 3.

[1] Recentem esse apud Latinos S. Josephi cultum probat Thomasinus de Festis, Thiers de festorum imminutione, Tillemontius, & Bailletus, quos vide.

a. §. 3. & 4. Nunc cum præcurrentem ſequi feceris, iſtuc recurre, & adæquatum reſponſum ad hanc Accuſationem lege. Intelligere inde poteris, me Brixienſes Martyres, quos veros, ac plurimos civitatem habere agnoſco, nequaquam explodere: de corporibus autem ante centum annos inventis, utrum antiquorum quoque Martyrum ſint, mallem ex actis refoſſionum per omnes circumſtantias accurate ſcriptis dijudicare, quam credere nudæ præſumptioni, quod deputati ad id Commiſſarii nihil definierint, niſi ex indiciis omnino veroſimillimis, paſſimque ad talia dijudicanda probatis & probandis.

27 Nulla interim de corporibus illis mihi erit quæſtio, ſi inventa illa fuerunt anonyma; nomina autem & cognomina talia, qualia neſcivit Gentilis adhuc Brixia, non ſint ex Guerrini Cerretii Chronico, aliiſve minoris fidei indiciis, puta poſterioris ævi Epitaphiis, deſumpta, ſed ad voluntatem refodientium indita; quomodo notum eſt, communi Romæ praxi, anonymorum Martyrum & abſque ſexus vel conditionis diſcrimine refoſſorum corpora, rite examinata & pro talibus agnita, jubente aut permittente Urbis Epiſcopo Vicario, baptizari (ut vocant) id eſt, nominari, modo ut viros, modo ut feminas, modo etiam ut virgines, licet tale nihil docuerint inventa cum ſacris oſſibus documenta Martyrii. Hoc tamen intereſt; quod Romani ſatis habent ſic inventis certum aliquod nomen dare, quod fere ſignificet aliquid, Martyri conveniens; familiæ autem cognomina nulla addunt; ideoque in hoc nihil faciunt, quod non ſit prudentis piique conſilii, cum vulgus ſoleat anonymos Martyres velut nullos contemnere. Brixienſes quidem libenter excuſabo, quod nobilibus apud ſe familiis gratificaturi, etiam cognomina ab eis ſumpſerint: factum tamen probabo numquam, nec probabit ſcio ſacra Rituum Congregatio, ſi id ei dijudicandum proponatur. Si autem iidem Brixienſes omnino pergant ſuſtinere, ſub iiſdem nominibus & cognominibus fuiſſe eadem corpora ab initio tumulata, merito negabo fuiſſe antiquos Martyres, quibus fuerint nomina tempori iſti tam incongrua.

28 Cetera, quæ numero 34. vellicas, ſumpta ex meis ſupra Chronicam Cerretii Annotatis, puta circa 3290. ſimul cumulatos & ſimilia quædam obiter tacta, non proponuntur velut argumenta ad convincendam fabulam ſufficientia; opportuna tamen, ad eamdem jam convictam, magis urgendam. Talibus igitur reproducendis ſtabiliendiſque non immoror, uno illo præcipuo argumento quod dixi contentus: hoc autem quam validum ſit, ſatis ſuo loco declaravi ex plurium nunc eruditorum conſonante judicio.

§. VII. ACCUSATIO.

29 Papebrochius, nixus conjecturis & argutiis negativis, explodit cultum variorum Sanctorum, & aſſerit de aliquibus publice in Eccleſia cultis, poſſe dubitari, an fuerint aliquando in rerum natura.

RESPONSIO.

Hic iterum producis Martyres Brixienſes, de quorum oſſibus, ſic ut dicitur refoſſis, non puto dubitari poſſe, ſintne oſſa hominum, qui fuerint aliquando in rerum natura; ſed, ſi veris ſuis appellantur nominibus & cognominibus, an ſint vere Martyrum, multo magis an adeo antiquorum.

30 De *S. Veronica* egi Art. 1. §. 4. hic autem addo, iſtam, quæ olim de ipſa Mediolani legebatur, Miſſam ſublatam eſſe ex Kalendariis, Breviariis, Miſſalibus, editis juſſu S. Caroli Borromæi, recuſis autem recognitiſque ab ejus nepote & ſucceſſore Frederico, velut aliquod eorum, quæ (ut præfatur ſanctus Antiſtes) *diverſis temporibus non recte a nonnullis Sacerdotibus privatim introducta fuerunt*; idque non obſtantibus Indulgentiis, pro ejus recitatione conceſſis ut præfertur ab Innocentio IV. Quod addis Rev. Pater, ut videas, non ideo eſſe certam *S. Veronicæ matronæ* exiſtentiam, quia de ea fuerit aliquando Miſſa propria lecta in aliquibus Eccleſiis, neque huic applicatam Indulgentiam facere, ut nequeat de illa exiſtentia dubitari. Utrumque dum mihi identidem objicis, vide quantum repugnes, hic ſaltem, S. Caroli judicio, cui tamen me vis obſtringi in Martyribus Brixienſibus. Vide etiam quanto rationabilius agam, qui nullo caſu adſtringo hiſtoricos auctoritate ejuſmodi, cui ratio validior aut certior auctoritas adverſatur.

31 Quem n. 41. allegas S. Auguſtini locum de miraculis in translatione Reliquiarum S. Stephani patratis, neſcio quid faciat ad confirmandam corporis translationem Conſtantinopoli Romam, cum illa ſint patrata in Africa, ad Reliquias illuc multo prius allatas, quam Romæ earum aliquid fuiſſe prætenditur. Sed Tuæ Patern. plerumque eſt ſatis, aliquod magnum nomen contra me protuliſſe, ſive ad rem faciat, ſive non.

32 *S. Secundum* Abulenſem Epiſcopum, permiſſu S. Congregationis Rituum, Eccleſia ſua apud Hiſpanos colit ut *Martyrem*: hoc ſcilicet auctoribus Lectionum novarum illa credidit Congregatio: & tu eo ipſo velut certiſſimum aſſumis: ſed ſi legere voluiſſes Tom. 1. Maji p. 169. inveniſſes in ipſo translati corporis actu, & a Leone X. ſolum dici *Confeſſorem*; adeoque merito requiri argumentum melius, quo id mutatum fuerit, quam unius Pſeudodexteri auctoritatem, tunc cum ſacra Congregatio titulum Martyris indulſit, necdum ſatis exploratæ falſam.

33 Dubium de *Millebado Epiſcopo Sagienſi*; an nuper recte aſſumptus ſic colendus ut *Sanctus* ex unius Claudii Roberti auctoritate in Catalogo Epiſcoporum Sagienſium, nomini ejus litteram S. præfigente, abſque ullo quod uſpiam inveniatur indicio veteris cultus, non ego primus nec ſolus moveo; dubitare me fecit D. Gobilion, Sagienſis natu & Doctor Sorbonicus, factum iſtud improbans. Scito interim nova iſta Sagienſium Officia, unius alteriuſve modice eruditi Canonici opus eſſe, ideoque nullum fere pondus habere apud illos, qui noverunt; ut mihi ſcripſit Claudius Caſtellanus vir eruditiſſimus Pariſiis, etiam ipſe improbans nimiam Sagienſium iſto in facto levitatem. Sed de hoc ipſi Sagienſes viderint, an, quod ſua auctoritate fecerunt, aliena velint emendare.

34 De *S. Evellio, Martyre Piſano*, quidquid dici poterat, dictum ab Henſchenio eſt tom. 2.

Maji p. 613. Eum locum citans Patern. vestra, etiam legisse debuit ultima hæc Henschenii verba: *Optandum foret, ut de Martyrii istius veritate aliunde certius nobis constaret, quam ex fabulosis Actis S. Torpetis. Ferrarii autem assertionem de corpore Pisas translato petimus nobis confirmari, indicarique Ecclesiam, in qua ipsum colatur: tunc enim non dubitabimus, quin vere talis Martyr extiterit in rerum natura.* Quæsitum id deinde est, ex primis illius Academiæ rerumque patriarum studiosissimis viris, & responsum accepi, nihil de eo corpore Pisis sciri. An hoc latia fuerit, ut merito Henschenius optaret prætermissum a se ad xi. Maji fuisse adeo dubium Sanctum; & ut ego ejus votum implerem, quatenus poteram in Appendice; judicet Eminentiss. Norisius, tota fere vita in ista Academia summa cum eruditionis laude versatus; & dicat, an quemquam Pisis propterea querentem de me audierit.

35 De SS. *Bertboldo*, *Angela*, *Alberto*, an rationabiliter queri possit Patern. Tua, videbimus Art. 11. 14. 55. quo nos remittis. *Totam historiam S. Crucis per Judam Quiriacum inventæ*, æque ac ejus passionem sub Juliano Apostata, *purum putum esse figmentum*, iterum dico; videbo autem quomodo defendere eam coneris Art. 25. §. 19. interim noto palpabilem omnibus esse errorem tuum, quo rursum hic dicis illam *Breviario Romano authentice insertam*, cum in Breviario *Judas Quiriacus* nullus nominetur. Anconitanis, eum Patronum colentibus, verum Judam ostendo, cujus illi corpus habeant; sed ætate Juliani longe anteriorem, ultimumque ex circumcisione Jerosolymis Episcopum, ac verosimiliter etiam Martyrem: sed cujus memoria fuerit per istud, quod ipsum sese satis refutat, figmentum obscurata.

36 Quam infeliciter Hispanicum Tamaji Martyrologium & Cardosi Hagiologium Lusitanicum aucta fuerint, ignotis ante hoc seculum Sanctis, ex auctoritate quorumdam Pseudochronicorum, sub Dextri, Luitprandi, Juliani nominibus antiquis suppositorum, & Catholicissimæ nationis pietati illudentium, docere te potuit, Pater Rev. noster, quem veneraris, Bollandus, in Præfatione ad Februarium Capite 4. Hujus ego exemplo abstinui ab iis, de quibus aliunde constaret nihil, vel Hispaniæ adscribendis, vel omnino inter Sanctos referendis. Et in hac sententia magis magisque confirmor quotidianis pene experimentis fictionum patentissimarum, de quibus nunc persuasissimi cum sint omnes extra Hispaniam studiosi antiquitatis sacræ, & prudentiores Hispani etiam scriptis libris auctores istos liberrime rejiciant, ut omnino gratis confictos, de iis non laboro.

37 Nihil autem mihi opus est earum causa hic quidquam respondere: sufficiet nominasse Cardinalem d' Aguirre. Hic ut me magis animaret ad vindicandum & omni nisu purgandum Sanctorum verorum in Hispania cultum, tot noviter ac falso inductis Sanctis mirabiliter obscuratum; misit mihi folia duo ejus, quam sub prælo habet, Veteris Bibliothecæ Hispanicæ, a Nicolao Antonio viro doctissimo compositæ, atque ad suas manus devolutæ; ubi præstantissimi auctoris ea de re sensa, pridem a Bollando in dicta Præfatione laudata, & nobis quoque coram Romæ nota, legerem ex autographo distinctissime explicata. Legi ergo num. 395. sic respondentem ad testimonia sibi ex Dextro Luitprandoque objecta: *Falsa hæc & commentitia esse, cum ex iis, quæ propriis locis de utroque horum pseudo-historicorum dicenda sunt, tum interim ex duobus hic extra dubitationis aleam ponendis argumentis, nec non & simul Atheniensem Hierotheum fuisse, non Hispanum facile ei, qui non contendere, sed verum discere amat, persuadebimus* ..... &, ut ait num. 402. *singula idoneis auctoribus confirmabimus; quibus opponere, credo nihil habebunt adversarii præter Dextri & Luitprandi nomina, hoc est mera phantasmata.* Tum num. 409. *Cum Luitprandum audis, meram veri olim historici Longobardi umbram, sive nomen tantum, falsis quibusdam vanissimi hominis cogitationibus adscriptum, velim intelligas, qui forte adhuc ignarus es Chimæræ hujus apud nos grassantis.*

38 Atque hæc ex libro 1. cap. 19. Bibliothecæ prædictæ sufficiat delibasse: transeo ab cap. 20. cujus similiter mihi missi hoc initium accipe. *Pudet, pudet me insumere operam in convellendis ab aliquorum hominum mentibus (quos ut Plinius loquitur, numquam leviter aut cunctis credendi facietas capit) his, quas magno famæ nostræ malo admittunt, imo adorant, fabulis. Nisi tamen hæc, falsitatis & mendaciorum cæsis veritati expiamus victimis, perget de historiæ Religione delusorum licentia & impunitas, quod facit hactenus, triumphare velle. Nempe sub ea constellatione ipsa, quæ Dextrum atque ejus continuatores seu potius totidem ominosissima historiæ nostræ produxit monstra, formatum fuit heri aut nudius tertius Hauberti Hispalensis ... chronicon, quod .... Argaizius Benedictinus Monachus cum Commentariis, ut jactat, propriis in lucem edidit. Qualia autem & quam fœda hujus gangrænæ mendacitatis ulcera sint, alibi erit prodendi locus. Nunc interim .... ab uno disce omnia lector.* Et hinc incipit excuti fabula, per quam *Claudius Galenus, ille medicorum coryphæus, non quidem ex Asia Græcanica, sed ex Gallæcia Hispaniæ* natus fingitur.

39 A Galeno transit Nicolaus ad Quintum Serenum, scriptorem antiquissimum, ab Hispania relegandum, una cum tota ejus propagine, Gallæciæ afficta; & n. 415. concludit. *Hæc fuit prorsus ludionis hujus & aliorum ejus similium in fallendo mens & consilium: spoliare illustribus earum hominibus exteras regiones, quos Hispaniæ adscribere nominis æquivoci ductum sequentibus semel placuisset .... Agedum, singula consideremus capita, bipedumque insulsissimum tot fere mendaciorum, quot verba affutivit, arguamus.* Quo facto, concludens num. 431. *Hæc nimirum eruditio*, inquit, *est Pseudo-Luitprandi & hujus lucubrationibus, veritati proprie Adversariis* (nam *Adversaria* nominare eorum figulo placuit) *quibus plumbei oris & cordis homo Joannes Tamajus valide suffragabitur, si Poetæ sui Auli Hali carmen a se, ut credimus, formatum ... Actaque Quinti Sereni xix. Februarii inserta, stupidissima non esse ac falsissima, germanaque Luitprandinæ fictionis intelligat.*

40 Hactenus justo pro suæ nationis honore zelo flagrans eruditissimus iste totaque Roma notissimus Hispanus; cujus utinam opus integrum brevi nobis det Eminentissimus Aguirre, eodem quo ille studio abolita cupiens gen-

tis

tiæ suæ dedecora; quæ tu, Rev. Pater, tuique similes defensa vultis, quia ibi inventis ut antiqua nominari, complura Ordinis vestri monasteria, eremitoria, Sanctos, Sanctas, quorum realitatem in dubium vocari non potestis æquis animis pati. Fuit *Nicolaus Antonius Ordinis S. Jacobi Eques, & almæ Hispalensis Ecclesiæ Canonicus*; atque cum Romæ eum viceramus *ad Regia negotia* Procurator institutus, cum *generalis Agentis Hispaniarum titulo, itemque ad negotia Mediolanensia, Neapolitana, Sicula peculiaribus Proregum uniuscujusque horum regnorum facultatibus instructus necnon S. Inquisitionis Hispanicæ*; ut ipse de se fatetur Parte 2. Biblioth. Hisp. tomo 2. pag. 118. Philosophicis ac Theologicis disciplinis non mediocriter imbutus; & in omni cultiori litteratura longe excellentissimus.

41 His præditus facultatibus post editos duos tomos de scriptoribus Hispanis ab anno 1500. claris, profitetur se versare *immensæ molis ac forsan invidiæ opus constanti animo ac molimine*: qui tamen animus, *durabit*, inquit, ac *pro virili suo verum tuebitur; in eoque certas nostræ gentis laudes, a fabulosis emendicatisque distinguet, asseret, vindicabit, in publicum aliquando prodire faciens TROPHÆUM HISTORICO-ECCLESIASTICUM: Deo, ac veritati erectum ex manubiis pseudo-historicorum, qui Flavii Lucii Dexteri, Marci, Maximi, Heleca, Braulionis, Luitprandi & Juliani nominibus circumferuntur: hoc est Vindicias veræ atque dudum notæ Hispanarum rerum historiæ, ac germanarum nostræ gentis laudum, non ex Germano-fuldensibus Chronicis emendicatarum, in libertatem assertionem.* Ita ille tacens de *Hauberto Hispalensi*, aliisque ejusdem luti, ex figlina Lupia, ni de Zapata a Gregorio Argaizio productis, & una cum Beroso Anni Viterbiensis, æque fictitio, vindicacia, quia nondum ad ejus notitiam venerant.

42 Pro isto autem de Historia Hispanica bene merendi conatu, quem tot annis pressum nunc demum Auctore mortuo in lucem producit Eminentiss. Cardinalis, quam gratiam uterque sit relaturus, a conspirata semidoctorum turba, conjectare licet ex librorum meorum Delatoribus, qui parte 2. pag. 41. indigne ferentes, quod in 3. tomo Apr. pag. 27. num. 7. figmenta istæc eorumque propugnatorem Argaizium rejiciens, usus fuerim auctoritate Marchionis Agropolitani, in me ipsumque fœda debacchantur. Sed primis mox verbis suam ipsorum produnt ignorantiam, cum *Aubertum Miræum*, Antverpiensis nostræ Ecclesiæ Cathedralis Decanum, plurimis ad historiæ ecclesiasticæ illustrationem editis libris toto orbe notissimum, mortuum autem annis quinquaginta prius quam Haubertus Hispalensis fingeretur, confundunt eum isto noviter invento, neque *Miræi* cognomine uspiam a suis delatoribus indicato. Me quoque, Antverpiæ natum ex avis proavisque Antverpiensibus, *Francum* fingunt, eadem certitudine, qua Libellator ejusdem gregis alius, me fingit *Hollandum*, & sola commoratione Flandrum seu Belgam; cujus libros omnes damnati sint in Synodo Belgicorum Episcoporum, mendacio nemini apud nos audito; cui tamen difflando apud Hispanos, necesse fuit ipsorum Episcoporum authentica in contrarium mittere testimonia.

43 Nunc illorum de me deque Marchione prælato verba accipe, ex Hispanico fideliter reddita: *Aubertus*, inquiunt, *Miræus Hispalensis, auctor est Hispanus, Monachus Benedictinus, auctoritatis gravissimæ, & apud Historicos Hispanos bene notus. Æque notus est saltem P. Mag. Argaiz, Monachi similiter Benedictini. Contra hos, armatus gladio Marchionis Agropolitani, scribit P. Papebrochius. Non facile autem definiverimus, utrum majoris audaciæ sit, quod scriptor Francus ita scribat contra historicos Hispanos, quam quod aliquis Marchio Agropolitanus, homo mere laicus, scriptis suis ignorantiæ plenis, venalem exponat patriam favendo cuidam Franco, libris contra Hispaniam scribendis satente, atque a dextris & sinistris, sine justitia, ratione aut veritate calumniantis omnes Ecclesiasticos Hispaniæ scriptores, ... Grande profecto istud est Marchionis Agropolitani delictum, Regulis Indicis prohibitorii comprehensum; cui conjungens crimen perduellionis, dignum facit delatione nostra; sicut eum per præsentes deferimus.*

44 Ex his floribus intelliges Cardinalis prælaudatus, Hispanicæ nationis insigne decus, ac propter eximiæ eruditionis specimina ad Purpuram evectus, qualem sibi suoque Antonio Nicolao coronam texturi sint Accusatores mei, ubi cognoverint mecum illum facere, & tam in suis Conciliorum Hispanicorum tomis, quam in præfatione ad Bibliothecam Hispanicam impense laudare, quod posthabito respectu socialis conjunctionis, qua primo fabularum istarum propolæ jungor, veritati malim quam gratiæ litare. Sed non timet Eminentissimus ille, a sic sentientibus procul & altissimo in gradu collocatus tales insultus: habet fortasse quod timeat Agropolitanus Marchio, licet nunc etiam Marchio de Mondexar & Comes Tendiliæ, atque utroque titulo e Proceribus Hispaniæ, multisque aliis Dominiis ac juribus auctus. Nam quomodo parcent uni Marchioni, licet Magnati? qui nec ipsi quidem Augustissimo Cæsari parcere sciunt, ejus ad Regem epistolam de hæresi accusando; neque confictio injurioso ad eumdem responso præfigere nomen summi Pontificis; Christianissimo autem Francorum Regi apprecatam a me felicitatem indignantes, non verentur ipsum pagina immediate prægressa, verbis ad majorem energiam Latinis, appellare, *improbum Catholicæ religionis eserem, Machiavelli nefaria colluvione pollutum; candoris liliorum impium temeratorem, Apostolicæ Sedis & gladio & calamo impugnatorem*: qui primis inquam, orbis Christiani Capitibus nesciunt parcere, dummodo noceant mihi; quomodo parcent Marchioni, extra publicæ administrationis curas privatim vacanti studiis suis, illorum voluntati tam contrariis?

45 Parum illi profecto valebit testimonium, quod Nicolaus Antonius, in sua numquam satis laudanda Bibliotheca tom. 1. pag. 404. sic olim dedit: *Gaspar Ivanez de Segovia, Eques Ordinis Alcantaræ, Marchio de Agropoli, disciplinas omnes curiosas sic amat, instructissima omnis generis librorum bibliotheca usus, ut admirationi sit, in opulenta & nobili domo, virtutem & studia superbiæ atque otio non cedere, sed litteras & eos qui litteris delectantur vigere, & benigne excipi. Parabat is dum simul Madriti versaremur, libellum pro Patrono Segoviensis urbis S.* Fru-

Fructuoso, quem nondum vidimus quamvis jam typis editum. Editus est autem anno 1666. *contra suppositam oi Segoviæ Cathedram S. Hierothei*, magistri (ut fertur) Areopagitæ Dionysiii, *ex prætensa Dextri auctoritate*; quem Hierotheum, si fuit aliquis, in Hispania non fuisse demonstrat. Facto autem in S. Fructuosi defensione principio, idem argumentum grandiora opera dilatavit, sub titulo *Dissertationum ecclesiasticarum, pro honore antiquorum Tutelarium, contra fictiones modernas*, quarum primam partem editam anno 1671. utinam aliquando sequatur secunda, nec impedire id valeat eadem factio conjuratorum pro tuenda Pseudo-Dextri & sequacium auctoritate, quæ, stimulantibus Patribus Carmelitis, nuper tantum valuit, ut inter accusationes contra me illatas nulla frequentius acriusque suscepta fuerit, quam refutatio illorum pseudo-Chronicorum, tamquam conjuncta cum injuria intolerabili Hispanicæ nationis sanctorumque ejus.

46 His præmissis, pro Illustrissimorum apud Hispanos scriptorum mihique amicissimorum fama, contra Delatores nostros Carmelitas, revertor ad te Pater Rev. optoque, ut relegas tuum §. 4. hujus Articuli x. ibique recognoscas tela in Magdeburgenses contorta a Canisio, a tua autem Patern. in me conversa; atque intellige, quam facile mihi foret Catholicorum scriptorum in hæreticos aut fabulatores acerbiora dicta vicissim Tibi Tuisque applicare, easdem quas ultimi pseudo-dextrinas merces manu tenentibus, ad vestram antiquitatem firmandam.

47 Sed non lubet maledictis maledicta reponere: tantum rogo Te, ut passione seposita, considerare digneris quanto mitius, in iis quæ accusas locis, ego cum prædictis fabulatoribus egam; quamtumque infra eorum demeritum sit quidquid dico. Quando autem in manus tuas veniet opus Conciliorum Hispanicorum, quod cœpit in lucem edere, eruditissimis commentatis illustratum, prælaudatus Eminentissimus, (mihi autem necdum videre contigit) scrutare, quibus ibi verbis & quam *sæpe laudetur judicium* meum *circa Pseudo chronica figmentis plena*, ut ipse mihi scribi fecit per Secretarium suum ao. 1694. cum vestra contra nos studia Romæ fervrerent; *bono animo esse* me jubens, atque *alacriter ulteriores Tomos prosequi, quantum fas fuerit* curaturus, *ne operi tam sacro, & laborioso, ac tot sumptibus parato & excuso, aliqua injuria fiat*. Eum multis annis adhuc servet incolumen Deus, ne præstantissimum bibliothecæ Hispanicæ opus, tali patrono destitutum, prævalente factione plurium semidoctorum, pro fabulis prædictis ac si pro aris focisque pugnantium, eadem illud involvatur tempestate, qua libri nostri eodem quo hi jure accusandum ubi prodierit, quasi *continens Propositiones multas pluribus Religionibus, præsertim Carmelitanæ, & pluribus nationibus, præsertim Hispanæ, detractivas*.

§. VIII. ACCUSATIO.

48 *Papebrochius præsidenter asserit, Carmelitas Ordinis sui antiquos Sanctos cœpisse colere, non quia Ordinis sui, sed quia notabiles eorum habebant Reliquias*.

RESPONSIO.

JAm sæpe notavi, Pater Reverende, Accusationes Tuas, universales prorsus & absolutas, dum ad probationem & locorum accusatorum exhibitionem veniunt, multum declinare. Quod *præsidenter asserere* me præferis, dum ad rem venitur, solum dicis me *conjectare*.

49 Et revera non aliter loquor; ipsis, quæ profers, verbis, ex tom. 1. Aprilis ad Acta Sancti Alberti n. 91. dicens, *puto*. Hoc autem non dico *pro puro puto placito* meo, uti mihi objicis; neque de omnibus antiquis, quos colitis, sanctis (certe non de *Elia* & *Eliseo*, non de *Telesphoro* & *Dionysio* Pontificibus, de quibus alia ratio redditur) sed ibi ego primum demonstro, in cultu Sanctorum nullum apud vos inveniri vestigium originis a Syro-Græcis ductæ, qui festivissime colebant præcipuos monasticæ professionis in Syria, *partim fundatores, partim instauratores*; puta *Euthymium, Sabam, Charitonem, Theodosium, Gerasimum*, aliosque, in vetustissimo vestro Martyrologii Supplemento præteritos; sicuti nec a Latinis ecclesiæ S. Sepulchri Canonicis, quorum utebamini Breviario, recepti illi unquam fuerunt.

50 Id postquam demonstravi, transeo ad paucos Orientales, a vobis peculiariter, non item a Canonicis illis receptos, idque post excusum Supplementum istud, & quorum præ aliis colendorum occasionem suspicor seu *puto*, sumptam a primis in Europam transgressis Carmelitis; *vel quia eorum notabiles aliquas possidebant Reliquias, ut erant tunc omnes Latini conquirendarum Reliquiarum studiosissimi; vel quia in Cypro, prima a translati Ordinis Provincia ac veluti ceterarum altera matre, præcipuam illi venerationem obtinebant. Tum vero, disjunctive illius opinionis rationem reddo, sic progrediens*: Nam, *ut de singulis dicam aliquid, Cyprius fuit* S. Spiridion, *qui nunc inscribitur kalendario Carmelitico*, Episcopus & Confessor Ordinis nostri XIV. *Novembris*; *& tamen ne Monachus quidem fuit; sed ante Episcopatum agricola uxoratus, qui conjugem & filiam, quamdiu vixere, apud se habuit, nec postea aliter quam Episcopus vixisse legitur. Cum iisdem titulis oblatus est kalendario prædicto inserendus* S. Serapion, XXX. *Novembris, de cujus tamen monachatu ante aditam cathedram Antiochenam nullum uspiam verbum apud antiquos, multo minus de eodem post susceptam*. S. Anastasium Persam, *Monachum & Martyrem, quem multi ad se rapiunt Ordines, quam jure nullo utuntur singuli, vidimus in Januario ad diem* XXII. *In Februario asciverere Carmelitæ* S. Euphrosinam, *in Martio* Euphrasiam *seu* Euphraxiam, Virgines; *monachas illas quidem, sed in Ægypto; has tamen etiam Ordinis Carmelitici fuisse sustinent recentiores*.

51 Hæc illo loco ego, agens scilicet de solis istis ac paucis Orientalibus Sanctis, quos Ordo Carmelitarum antiquitus colit. Quemadmodum autem fieri facillime potuit, ut ultimarum duarum Reliquiæ ex Ægypto, & S. Anastasii corpus ex Syria in proximam Cyprum deferretur, utraque regione in servitutem infidelium prolapsa; sic etiam facile fuit Carmelitas ibidem, earum aliquid participare; & vel ex hac, vel ex altera jam dicta causa, ipsorum Sanctorum semel in Cypro assumptum cultum in reliquum Ordinem divulgare. *Ex ista*, inquam *vel altera causa*: neque enim absolute (ut Tua Patern. mihi affingit) determino unam solam; sed sub disjunctione duas; idque

idque opinative dumtaxat, cum possint aliæ excogitari & fuisse, quam quod Sancti illi crediti ab initio sint Carmelitæ fuisse; cum id ostenderim nec fingi quidem de eorum aliquibus posse.

52 Officiorum propriorum, permissu Pii V. Canonicis Lateranensibus concessorum, primum incrementum, Romæ impressum cum approbatione S. Congregationis anno 1613. ad veteres in Bulla nominatos Sanctos, addit tredecim, quibus non apponitur in kalendario præfixo, *Can. Reg.* uti in aliis; sed solum, *Habebatur ecclesia*; aliquibus vero additur, *Et corpus in ea*. Non igitur oportet *Carmelitas fuisse bebeses*, si æque ac Canonici Regulares, *sibi quoque persuaserint esse licitum, celebrare per totum Ordinem Missam vel festum cum Officio, eo præcise jure, quod in aliqua illorum ecclesia, notabiles istius Sancti requiescant Reliquiæ*. Porro ex recenti Decreto Urbani VIII. cultum illum sic extensum improbantis frustra nunc ducere velis argumentum ad longe anteriora tempora. Urbani decretum reveriti Lateranenses, omnia ista, quæ dixi festa, catenus toti Ordini communia, abrogarunt, & ad propria cujusque Sancti loca restrinxerunt, id cur non fecerint etiam Carmelitæ in promptu est causa. Persuasissimi erant, non tantum istos, sed omnes antiquos Orientalis Ecclesiæ Monachos, suos fuisse; non tamen omnes colendos assumpserunt. Cur autem non æque hos omnes, ac illos paucos? Reddant ipsimet aliam rationem, si possint, quando eis mea conjectura non placet.

53 Objicitur etiam num. 54. *S. Hilarion*, ad cujus honorem *S. Cyrillus*, tertius Carmeli Prior, *ante annum* 1200. *tamquam sui Ordinis, Missæ sacrificium Deo obtulerit*; idque Patern. V. ait haberi in ejus Officio canonico. Ast ego aliud ibi non lego, quam quod aliquid ei divinitus acciderit, *cum in Commemoratione S. Hilarionis Missæ sacrificium faceret*. Si eidem ei accidisset in commemoratione S. Benedicti, an ideo hic dicendus esset fecisse Missam de eo, *tamquam* de Sancto *sui Ordinis*? Aut si ego nunc cum omnibus Jesuitis *in Commemoratione* ejusdem *S. Hilarionis* (uti fit quotannis) *Missæ sacrificium* facio; an propterea S. Hilarion Jesuita fiat, aut Missam de ipso faciam tanquam de Jesuita? Non existimo.

54 Scribit autem S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis sub finem. *Certas usque hodie miram inter Palæstinos & Cyprios contentionem; his corpus Hilarionis, illis spiritum se habere certantibus; & tamen in utrisque locis magna quotidie signa fiunt*. Exhinc in ii Ecclesiæ, tam Græcæ quam Latinæ, ab annis ut minimum octingentis tam celebris fuit cultus S. Hilarionis XXI. Octobris, & quidem solius, antequam is super inducto S. Ursulæ cultu apud quamplures in occidente obscuraretur; ut non potuerit S. Cyrillus, si die XXI. Octobris sacrificaturus erat, de alio quam de illo Sacrum facere, quidcumque demum de illo senseris. Si ego Rev. Pater Breviarium vestrum, additis quæ luberet verbis, sic falsificarem, quam altis clamoribus *impressuram manifestam* admissam vociferareris? Sed clamoribus Tibi certare liceat, aut etiam vincere; dum ego rationibus innocentiam meam tueor.

EXHIBITIONIS ERRORUM

ARTICULUS UNDECIMUS.

Circa Sanctorum Acta seu Vitas.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Quod passim plurima Sanctorum Acta, in Ecclesia receptissima, audeat Papebrochius, tamquam FIGMENTA, COMMENTA, *imo* MENDACIA *explodere, patebit ex decursu.*

RESPONSIO.

TRedecim illis, quibus Acta Sanctorum Martii, Aprilis, Maji, explicantur Tomis, quibusque P. Henschenii ac meum nomen præfixum legitur, proponuntur Sanctorum, suis nominibus notorum, plus quam quinque millia, Actis autem undecumque eruderatis nunc primum patefacti mundo, cum fere ignorarentur; sut notiores effecti, iisdem actis per commentarios annotationesque Historicas illustratis, plures quam mille. Ex tanto in tribus mensibus numero, viginti reperit Patern. Tua, in quibus aliquid veluti peccatum arguas (jure an injuria infra videbimus) ex aliis autem mensibus totidem adjicis, quorum ex occasione sic memini, ut iis nec omnia, nec tantum credere videar, quantum velles, nolens certa ab incertis, verosimilia ab inverosimilibus discerni.

Opuscul. Collect.

2 Hunc tamen nobis propositum operis & studii scopum, sicuti a P. Joanne Bollando accepimus, omnibus passim laudatum, ita intendimus prosequi. Id agentibus quædam subinde occurrere non omnino vera, quandoque etiam nec verosimilia, nemo mirabitur, qui in talibus utcumque versatus sit, aut saltem locum Baronii Art. 4. num. 31. legerit, ejusque Annotationes super ipsum Martyrologium, identidem indicantes Acta quorumdam Sanctorum nonnullius aut etiam multæ correctionis egentia. Correctionem ergo adhibitam quereris, licet in tam paucis, habito respectu ad cetera pede inoffenso decursa; adhibitam vero ita quereris, quasi *passim* id agam, id est, rejiciam etiam *receptissima* quæcumque: & ideo tum aliis me convitiis oneras toto libro tuo, tum *Sanctorum Momum*, appellas, quandoque etiam *Magnum*, vel (uti Art. 9. num. 42.) *Maximum Sanctorum Momum*. Sic accusatus, si Lectorem remittam ad ipsa, quæ censurantur loca Actaque legenda, fecero quidem compendium operis; sed non satisfecero promisso respondendi ad singula.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius omnia, quæ de Propheta Elia narrantur, & in sacra Scriptura non exprimuntur, explodit tamquam figmenta.

RESPONSIO.

UBinam hæc *omnia explodo?* Ad Ephemerides Græco-moschas, inquis, ante Tomum 3. Maji pag. 25. Ibi Lector inveniet Thalmudicas de Jeremia Propheta fabulas compendio indicatas, quarum manifesta absurditas faciat diffidere quibuscumque de ortu & obitu Prophetarum narrationibus, ex eodem fonte sumptis, etsi alioquin non semper tam absonis. Hinc capta occasione loquendi de *Elia*, *cujus honori nihil detractum volumus*, sic prosequor: *Nolumus ex iis, quæ simili fide narrantur*, Thalmudica scilicet, in opusculis editis sub nomine SS. Dorothei, Epiphanii, Isidori, & Joannis Hierosolymitani; (unde enim alias hauriri ista potuerunt post annos circiter 1500. a raptu Eliæ?) *Nolumus*, inquam, *ad aliquid de ipso vel nascente, vel inter mortales agente, aut in paradisum translato, & denique sub finem mundi comparituro, credendum affirmandumque compelli, quod in Scripturis sacris non inveniatur expressum.* Non est hoc, *omnia explodere tamquam figmenta:* sed quam modestissime indicare caussam, cur ad ea, nisi aliunde certius probentur, *credenda affirmandaque compelli* Historicus non debeat. Quis enim compellat ea credere & affirmare, quæ neque sciri, neque scribi potuerunt, nisi in fide Rabbinorum: quæ quam nulla sit, disce ex Torniello, Saliano, aliisque, plura exempla fabulositatis eorum adducentibus, sicut docebunt indices eorum ad Verbum, *Rabbini*.

4 Neque tantum horum asserta isto loco volui indicata; sed & alia multa, quæ suggerunt Biterrenses illæ Theses: dum Eliam fingunt in Paradiso baptizatum, Sacerdotem ordinatum, Eucharistiæ communicantem, aliaque ejus generis. An recte, judicet Congregatio Indicis, quæ Theses illas proscripsit. Judicet etiam an satis tolerabilis sit violentia, illata verbis Domini ad Eliam 3. Reg. 17. *Vade & abscondere in torrente Carith qui est contra Jordanem*, longe utique a Carmelo; dum ex iis jubes nos Pater Rev., juxta librum de institutione Monachorum, intelligere, *quod tum Deus expresse mandavit, ut deinceps vitam a turbis hominum abstractam ac vere religiosam duceret.* Non enim, nisi paucis diebus ibi absconditus & pastus a corvis, mox dimissus est ad viduam Sareptanam, apud eam sustentandus toto reliquo triennio siccitatis. Sarepta autem reversus, & paucos in Carmelo dies moratus, rursus inde fugit a facie Jezabel: & tamen jubemur credere, quod inter omnes illas angustias collegerit in Carmelo discipulos, atque *propheticum instituerit Ordinem*.

5 Ego interim de Elia hactenus nolui disputare; sicut variis locis indico, ac nominatim eo, quem accusas tom. 1. Aprilis pag. 780. ubi dico, quod *de Carmelitarum ab Elia origine & successione, absque coævorum scriptorum auctoritate & testimonio volentibus pugnare, gratis cedent, quicumque nolent disputare de nomine.* Hic scilicet mihi videbatur recidere non minima pars quæstionum de filiis Prophetarum, quid nomine ejusmodi *filiorum* intelligatur: an fuerint eo modo *filii*, sicut Religiosi sunt suorum Fundatorum; deinde, an si ab aliquibus dicantur *filii Prophetarum vixisse religiose*, religiositas illa plus importet quam accuratam divinorum mandatorum observantiam, an etiam tria vota substantialia Religiosorum. Filios Prophetarum aliqua contubernia, Eliæ & Elisei temporibus habuisse Scriptura docet: non item docet qui & quales illi fuerint, rursumque an & quomodo ejusmodi contubernia sint continuata post Israelem abductum in Assyriam.

6 Non nego itaque, tempore Eliæ & Elisei fuisse *filios Prophetarum*, sed nego mihi constare, professos fuisse tria consilia evangelica, atque ad hæc voto se obstrinxisse; & *nolo compelli ad credendum affirmandumque*, fuisse illos veros religiosos Carmelitas, quales modo sunt; uti neque ad credendum affirmandumque circumstantias omnes *de Elia nascente, vel inter mortales agente, vel in paradisum translato, & sub finem mundi comparituro, quæ in Scripturis sacris non reperiuntur expressæ*, sed *Rabbinorum* tantummodo, vel simili *fide narrantur*: qualia sunt, quod Carmelitani Ordinis institutio in Eliæ *nativitate* patri ejus revelata sit: quod Elias *inter mortales agens* Ordinem illum instituerit: quod *in Paradisum translatus* illic a Christo baptizatus, Sacerdos ordinatus, & pastus sacra Communione sit; quod *sub finem mundi compariturus*, Carmelitas potius quam alios Religiosos ad prædicandum contra Antichristum assumpturus sit. Hinc tamen non sequitur, quod negem Eliam *natum* fuisse, *inter mortales egisse*, deinde *in Paradisum translatum, ac denique sub finem mundi compariturum*. Nihil horum voco in dubium; sed priorum pleraque æque facile negare possum, atque affirmantur ab aliis; & nonnulla puto re ipsa neganda esse. Unde concludo insignem hanc esse cum ceteris calumniam: *Papebrochius omnia, quæ de Propheta Elia narrantur, & in Sacra Scriptura non exprimuntur, explodit tamquam figmenta*. Imo saltem unum punctum postulo mihi exhiberi, quod de Elia *credere & affirmare* tenear, aliter quam *credo & affirmo*, sive illud *in Scriptura expressum* sit, sive non.

7 Tale profecto non est, quod apud Lipomanum & Surium sub nomine Metaphrastis, certe ex Græco aliquo auctore legitur, quod fuerit *ex tribu Aaron natus in Arabia*; cum tamen *Thesbites* fuerit cognominatus, a Thesbe Galaaditis civitate, ad tribum Gad pertinente. Non etiam id, quod ex Epiphanio & Isidoro, sive veri sive falsi nominis scriptoribus, profertur de visione, patri ejus *Sabac* dicto oblata; in qua *viri, niveum quemdam præ se ferentes habitum, pusionem salutabant, a matrisque uberibus in ignem evellebant, quin & flammam ignis cibi loco ministrabant*, sive, *igneis tustiis & fasciis involuebant, atque pro cibo ignem ei ad nutriendum subministrabant*. Ut enim verum sit, quod occasione libri S. Epiphanio attributi de Vita & obitu Prophetarum, ait Labbeus noster, in Diss. de scrip. Eccl. *non esse omnia veteribus Patribus subtrahenda, in quibus*

Thal-

Thalmudica commenta continentur; ut etiam verum sit, quod idem Labbeus ait, occasione similis libri S. Isidoro adscripti; excusare eum posse, qui *nimie credulus, quæ ab aliis scripta reperit, minus discussa non tam sua, quam aliena retulit fide*; ut, inquam, vere hæc dicantur; manet tamen sententia Petavii de priori, & Baronii de posteriori libro, quod in hoc *complura Isidoro indigna reperiantur coagmentata mendacia*; & in isto, *sexcentæ mendaciorum nugæ, quibus ille liber refertus*, moverint interpretem ut suppositititium judicaret, esto vere Epiphanii credatur a multis & forte etiam sit.

8 Quid autem si inter Judæorum Rabbinos digniores ipsoque Christo anteriores, unus ex præcipuis, is scilicet, quem *Rabbenu Haccados*, id est, *Magistrum nostrum sanctum* vocant, longe alia scripsit in libro de *Genealogia Eliæ & Prophetarum*? Intelligo hujusmodi librum haberi in Conventu Minorum Venlonæ Recollectorum. Est autem magni, non solum nominis, sed etiam meriti Haccados iste; quia Petrus Galatinus, in opere de arcanis Catholicæ Veritatis contra Judæos ad Maximilianum Imperatorem, libro 8. cap. 2. producit ex eo ad confusionem Judæorum, insignem Prophetiam, *de petra ex Israel excidenda, sine manibus ..... ex qua Messias futurus esset*; cujus utriusque dilectione Deus mundum creaverit, licet prævideret eum Adami peccato perdendum. Hoc si prophetico spiritu scripsit iste qualiscumque Haccados, poterat augere numerum prætensorum in veteri Lege Carmelitarum; siquidem *Prophetæ* & *Carmelitæ* nomina pro eodem supponunt in horum opinione.

9 Illius librum genealogicum equidem non vidi; & festinans typographus moram non indulget, ut eum (cujus nunc primum notitiam accipio) vel accersere possim, vel describendum curare. Testes igitur pro eo mihi tantisper sint RR. PP. Lectores S. Th. ex Ordine S. Francisci, qui hic Antverpiæ die XI. Maji 1694. in Comitiis vestris Provincialibus Te, Rev. Pater. præsente, disputationibus interfuerunt; quorum alter argumentans contra Thesim XXII. *Eliæ Castitae*, in tantas angustias Præsidenem ac Responsalem ejus adegit, ut aliud nescirent reponere, quam quod ignotus prorsus sibi esset talis liber; impositusque est finis disputationi, adeo ut Lectoris istius Collega, qui proximus sequebatur, non potuerit proponere sumptum ex eodem auctore argumentum, contra Thesim XV. cui titulus, *Elias Sacerdos*. Asseruerat autem primus ille oculata fide, quod eo in libro ipse legisset, Eliæ, ex tribu Gad nato, patre Sabacha, fratrem fuisse conjugatum, sed absque liberis quamdiu in terris fuit Elias: unde argumentando conficiebat, fieri non posse, ut voto perpetuæ castitatis se obstrinxerit is, qui vi Legis obligabatur suscitare fratri suo semen, quando hic ita moreretur. Ego quidem nihil horum affirmo, tantum dico, nominato isti notoque Rabbino, si qua Rabbino alicui in talibus fides habenda est, firmiorem plenioremque deberi, quam Epiphanio vel Isidoro, ex anonymis incertæ ætatis ac meriti, ea, quæ vos asseritis & teneri indubitanter vultis, transcribere compertis, inter *complura coagmentata mendacia*, & *sexcentas mendaciorum nugas*, uti

Opuscul. Collect.

Petavius & Baronius, & ex utroque Labbeus loquuntur. Verum de his iterum redibit loquendi necessitas Art. 20. §. 5. ubi de Revelationibus ab Ecclesia receptis.

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra communem Ecclesiæ sensum, præfidenter asserit, dubitari an ulla unquam fuerit S. Veronica.

RESPONSIO.

DE hac tibi jam bis terve respondi, Rev. Pater. Plura si vis, lege Eruditissimi Mabilionis iter Italicum, pag. 88. & 89. ubi ex descriptione Basilicæ Vaticanæ, seculo 12. a Romano Canonico tempore Eugenii III. edita, *de Oratorio Veronicæ* hæc verba habentur, apud me in ipso fonte & editione anni 1646. legenda: *Oratorium sanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ, quod vocatur Veronica, ubi sine dubio est Sudarium Christi, in quo ante passionem, suam sanctissimam faciem, ut a nostris majoribus accepimus, extersit, quando sudor ejus factus est sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Utique in horto, ubi nulla matrona aderat, quæ sudarium istud ei porrigeret. Et sic apud eundem Mabilionem Jacobus de Trecis, Innocentii II. Cappellanus, ipsemet postea Urbanus IV. factus, Abbatissæ Monstroliensi ectypon inde sumptum mittens, rogat ipsum accipiat *ut sanctam Veronicam, seu veram ipsius imaginem & similitudinem. Actum Romæ anno millesimo ducentesimo quadragesimo nono*. Unde concludens Mabilio: *Ex his intelligitur*, inquit, *Veronicæ vocabulum esse imaginis, non mulieris, tracto inde etymo quasi diceretur* VERA ICON, *seu* ICONIA, *& contractis in unum vocabuli litteris* VERONICA.

11 Diversam ab istis opinionem *recentiorum* dumtaxat esse, censet idem Mabilio. Neque vero magnam vetustatem sapiunt quæcumque de cultu *matronæ Veronicæ*, arguta, in Actis Februarii ad diem 4. collecta ab Henschenio. Licet enim hic pag. 449. loquens de ea, quam Mabilio *recentiorum*, id est, seculo 13. posteriorum scriptorum opinionem, eamdem Henschenius appellet *Christianam traditionem*; fecit hoc, necdum ex præmissis doctus, quam ea parum antiqua esset (nam præcitatam descriptionem Basilicæ Vaticanæ solum accepit quatuor annis post editum Februarium) Romæ tamen existens anno 1661. audivit doctissimum Lucam Holstenium, Canonicum & Bibliothecarium Vaticanum, aliosque eruditos, non solum dubios de Matrona Veronica, sed improbantes, quod ipse Henschenius in Februario nimium videretur tribuisse opinioni vulgari, pridem a Cardinali Baronio Ecclesiaque Romana rejectæ in Martyrologii correctione. Et adhuc pergis Rev. Pater, mihi *fidenter* objicere, *communem Ecclesiæ sensum*, quem saltem nunc doceris antiquum non esse, & nosti esse quodammodo improbatum.

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius, cum Joanne Launoyo, Historiam SS. Marthæ & Magdalenæ explodere censetur, tamquam fabulam.

RESPONSIO.

CUr autem id *censetur* facere? Quia id fecit Launoyus & Papebrochius tom. 2. Maji pag. 716. rogat Carmelitas, *ut eadem libertate patiantur suæ historiæ veritatem disputari, qua Ecclesia patitur viros eruditos versari circa historiam, quæ 29. Julii in festo S. Marthæ recitatur*. An ergo putat Patern. Vestra, unum Launoyum mihi esse pro omnibus? Jam dixi tibi quis communior nunc de ea Historia Parisiis sensus sit, ubi ea non amplius legitur nisi ab iis, qui ad Romanum Breviarium obligantur.

13 Neque primus de veritate istius Historiæ, sive de transitu Sanctarum Sororum in Provinciam, dubitavit Launoyus. Jam inde a Caroli Calvi ætate, id est, seculo Christi 9. in quodam Historiæ Francicæ fragmento ante annum 1031. conscripto, legebatur, *Ecclesia Vezeliacensis constructa, in qua requiescit Venerabile corpus S. Mariæ Magdalenæ*, idque confirmant septem Pontificum ex parte Vezeliacensium producta Brevia omnino undecim, a Paschali II. usque ad Martinum IV. Unde autem corpus istud acceptum? nisi Epheso, ubi sepultam docet S. Modestus Hierosolymorum Episcopus, ante 1050. annos scribens, in Oratione apud Photium. Idem ex Latinis asserit S. Gregorius Turonen. lib. 1. Mirac. Cap. 30. annis 100. Modesto antiquior; & post utrumque, Leo Philosophus Ephesо Constantinopolim corpus transtulit anno 886. Nec aliud legitur in Græcorum Menæis aliisque ritualibus eorum libris.

14 Hæc aliaque allegat Launoyus in opere numquam censurato, quod sciam, nec a te P. Reverende (ut existimo) lecto nisi apud Raynaudum, cujus illiberalem adversus antagonistas stylum ægre toleravit, numquam laudavit Societas nostra, sæpe etiam debuit castigare. Tu vero liberaliter uteris ejus dicteriis, & fidenter asseris, quod *ita*, ut in Romano Breviario nunc legitur, *sentiunt & credunt, universi Catholici scriptores*. Ego interim hoc ipsum, quod in Breviario asseritur, adeo non explodo, [1] ut etiam juvem in Ephemeridibus ad 22. Augusti; ubi ostendo, quam verosimiliter [2] distinguatur Maria Magdalena, Christum ex Galilæa secuta, a Maria sorore Lazari ac Marthæ, in Bethania prope Hierusalem commorata: *quod*, ut ibi dico, *fidem inter Massilienses, & Vezeliacenses faceret compositionem litis*, dicendo, quod Magdalena quidem Galilæa, secuta Joannem Evangelistam, Ephesi fuerit sepulta; unde corpus translatum sit ad Vezeliacensem Ecclesiam; Maria autem Bethaniensis, domi remanserit cum sorore & fratre, unde vel viva vel mortua traducta sit in Gallias.

§. IV. ACCUSATIO.

Papebrochius non improbat, quod Launoyus post Abaslardum S. Dionysii Areopagitæ Gallicanum Apostolatum ad aniles fabulas abieget.

RESPONSIO.

APostolatum hunc *aniles fabulas* nusquam appello, neque Launoyum vel Abailardum sequor: nihil ex eorum dumtaxat sensu & auctoritate definio: sed exemplo Innocentii III. Pontificis, *neutri volens præjudicare sententiæ*, rem dico controverti ab eruditis, sciente nec improbante Ecclesia Romana; quæ interim pro affirmante tolerat adhuc Lectiones, quæ ab ipsamet Parisiensi Ecclesia, quam Apostolatus Areopagitæ propius tangit, reprobantur, uti dictum pluribus Art. 9. discussionem autem plenam istius controversiæ differo in Octobrem.

16 Sunt hæc ad titulum tuum, Rev. Pater, abunde satis; non item satis videbuntur ad prolixum discursum, quo niteris Areopagiticum in Gallis Apostolatum stabilire. Fatigare me credo intendis, præpropere exigendo discussionem & definitionem grandium quæstionum, quæ neque adhuc subierunt apud nos, neque cito subituræ sunt ultimum ac rigorosum illud examen, quo solemus ex ordine Kalendarii, sicut opera præscribit ratio, Sanctorum Acta expendere suo quæque mense ac die. Instas tamen, & omissis, quæ ignorare non potes contrariæ sententiæ argumentis, sola extollis tibi faventia, quamvis cum aliis comparata nullius sint ponderis. Nihil enim etiam distinguis inter genuina & interpolata Martyrologia; nihil inter antiquos & neotericos auctores, dummodo tela undecumque accipias apud solos ineruditos valitura. Contemnentur hæc ab eruditis, etiam illis, qui alias sustinent ut verosimile, Dionysium, si non Areopagitam (hoc enim vix aliquis talis nunc admiserit) saltem alium aliquem, a S. Clemente in Gallias directum fidem Parisiis prædicasse; uti sustineri posse censet a Marca in Epistola, quam jam Archiepiscopus Tolosanus scripsit an. 1658. de

[1] Sed præclari quique ætatis nostræ Critici Massiliensem hunc Mariæ Magdalenæ appulsum fabulis adnumerant, ut mirer, (quod alibi monuimus) Sollerium nostrum to. 5. Julii ejus patrocinium suscepisse. Audiamus de hac traditione scribentem Du-Mesnilium tom. 1. doctr. & discipl. Eccl. l. 2. n. 10. *Incerta videtur hæc traditio non solum ex veterum silentio, quorum nullus ante medium sexti seculi meminit illius adventus; sed e contra Magdalenam Ephesi quiescere scribit Gregorius Turonensis: huic consensit antiquior Modestus apud Photium.* Demum in Græcorum Menæis hæc leguntur. Octobris die 17. translatio pretiosarum reliquiarum S. Lazari &c. *Idem testatur Honorius Augustodunensis: eorum sacras reliquias temporis successu traslatas in Galliam non inficior*. Neque ab hac sententia abhorret D. Geraldus Castel Canonicus S. Crucis alias a me appellatus Controv. IV. p. 36. [2] Plures eruditi viri, quos inter Calmetus in peculiari Dissertatione, tres Magdalenas distinguunt. Unam tamen tantum fuisse præter Natalem Alexandrum Dissert. 17. probat efficacibus argumentis Joannes Baptista Sollerius t. 5. Julii. Vezeliacensium autem & San-Maximianensium de corpore S. Mariæ Magdalenæ contendentium controversias ita conciliat, ut utrisque aliquam sacrarum exuviarum partem concedat.

de tempore prædicatæ in Gallis fidei: quam Epistolam quoque cum Animadversionibus necessariis reproducam, die 30. Junii, cum agam de S. Martiale Apostolo Lemovicensium, quem hi missum sibi fuisse dicunt a S. Petro.

17 Ne tamen tecum etiam alii, in talibus modice versati, & aliquid de summa tam nobilis controversiæ discere cupidi, querantur remitti se ad aliorum libros, quos vel non habeant, vel cito habituri non sint; & ut habeant aliquando, carituri otio ad eos pervolvendos; non gravabor ex cogitatis Criticis, Historicis atque Moralibus Hadriani Valesii, Historiographi Regii, Latina facere, quæ nobilis iste Vir reliquit sex annis ante obitum suum scripta Gallice, & a filio ejus nuper edita Parisiis, anno scilicet 1694. titulo *Valesiana*. Ibi enim invenies, Rev. Pater, adæquatam ad allegatas a te auctoritates omnes responsionem, duabus comprehensam Epistolis, ante quas pauca & hic & infra num. 20. præfatus Auctor, quæ sola charactere distinguam a contextu Epistolarum, ut hic allegata scriptorum veterum verba possim ab illarum contextu discernere. *Domino T. mecum colloquente ante hos dies, incidimus in Areopagismum nostri S. Dionysii: cui post longam disputationem non potui evellere præconceptam opinionem, qua credebat Areopagitam fuisse: quapropter postridie eidem scripsi sequentem epistolam.*

18 Severus Sulpitius, S. Martino Turonensi Archiepisc. familiarissimus, cujus etiam vitam edidit, libro 2. suæ Historiæ ecclesiastica, vulgo dictæ Historiæ sacræ, agens de Viennensibus ac Lugdunensibus Martyribus, 17. anno Marci Aurelii, Christi 177. passis, *tum primum*, inquit, *in Galliis Martyria visa, serius trans Alpes Christi religione suscepta*. Testimonium hoc perquam præcise declarat, nostrum primum Episcopum & Martyrem Dionysium, non posse credi Areopagitam, eumdemque Episcopum & Martyrem Athenis a S. Paulo conversum. Gregorius Archiepiscopus Turonensis, qui vixit sub finem sexti seculi, libro 1. Hist. Francorum cap. 28. epocham ejusdem nostri S. Dionysii figit initio Decii, id est anno Christi 250. Ecce cum ejus verba: *Hujus* (Decii) *tempore, septem viri Episcopi ordinati, ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia Passionis S. Martyris Saturnini denarrat: ait enim, sub Decio & Grato Coss. sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana civitas S. Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo missi sunt: Turonicis, Gratianus Episcopus; Arelatensibus, Trophimus Episcopus; Narbonæ, Paulus Episcopus; Tolosæ, Saturninus Episcopus; Parisiacis, Dionysius Episcopus; Arvernis, Stremonius Episcopus; Lemovicinis, Martialis est destinatus Episcopus. De his vero B. Dionysius, Parisiorum Episcopus diversis pro Christi nomine affectus pœnis præsentem vitam gladio imminente finivit.*

19 P. Sirmondus, eruditissimus Jesuita, illustria hæc duo loca allegavit in libro suo, cui titulus de duobus Dionysiis. P. Petavius, Ordinis ejusdem decus, ad illius ipsius veritatis confirmationem allegavit locum Gregorii Turonensis, lib. 6. sui Rationarii temporum cap. 17. D. Launoy Doctor, post P. Sirmondum tractavit idem argumentum, allegatis omnibus antiquis Ecclesiæ Gallicanæ Martyrologiis Ma-

Opuscul. Collect.

nuscriptis, ubi ambo Dionysii reperiuntur mense Octobri, sed diversis diebus: quando etiam distinguuntur & Sedibus Episcopalibus & genere mortis; dum unus (scilicet senior & Atheniensis) scribitur Episcopus Athenarum, & sua in urbe igne extinctus traditur; alter, videlicet noster, nominatur Episcopus Parisiensis, & prope civitatem dicitur capite plexus. Omnes Galli, omnes Franci, omnes denique Christiani ad seculum 9. Christi, ita, sicut distinguo ego, distinxerunt semper Dionysios duos, scilicet usque ad regnum Ludovici Pii, ex Carolo Magno nati. Tunc legati Imperatoris Constantinopolitani, sæpe venientes in Franciam, & intelligentes primum Episcopum ac Martyrem Parisiorum appellari Dionysium, illuc attulerunt libros Dionysii (ut prætendebatur) Areopagitæ; persuaseruntque Hilduino, San-Dionysiano Abbati, quod auctor istorum librorum, hactenus ipsis ignotorum, erat Episcopus Parisiensis, & monasterii ipsius Patronus. Hoc libentissime credens ille, composuit librum Areopagiticorum, plenum fabulis, ad suadendum, quod Sanctus Dionysius, noster primus Episcopus & Martyr, fuerit etiam Atheniensis & Areopagita. Tantum nempe valuit ea vanitas, quæ conatur suos primos Episcopos admovere temporibus Apostolorum, aut eorumdem discipulorum, præferens fabulam & imposturam solidæ & incontestabili veritati. Hilduinus, qui vivebat anno 840. ac postea, tam dextre scivit lucrari animos semidoctorum & ignorantium, ut plerique eorum secuti ipsum in suis deliriis sint, & clausis oculis hodiedum sequantur. Eccum, Domine, quod heri tibi promiseram circa nostrum S. Dionysium ejusque prætensum Areopagismum. *Hactenus prior Epistola.* Tum,

20 *Amicus meus*, inquit porro Valesius, *non satis idoneus veritatem a falsitate discernere per seipsum, & dissipare si quod occurreret nebulositatis; aliunde vero totus propensus in Monachorum sententias, & quidquid ab eis promanabat clausis oculis excipere solitus; Epistolam sibi a me scriptam detulit ad quemdam sibi familiarem Carmelitam, unum ex veteribus, quos hic Billettas vocamus: qui mox ut legit, promisit, Responsum ad illam ei daturum se; & promisso stetit: biduo enim post, cum forte ex agro redirem, inveni domi meæ admirabundus responsum, mille fartum ineptiis, sustinentibus veritatem prætensi Areopagismi. Itaque credidi obligatum me ad alteram Epistolam scribendam, si quo modo possem amicum adducere ad ejurandam istam (ut sic loquor) Historicam heresim: signabatur autem Epistola illa die 1. Decembris 1687. in hæc verba:*

« Non alio fine scripseram, Domine mi, quam ut errori exemptum te docerem veritatem, circa tempus, quo in Galliam missus venit S. Dionysius, primus noster Episcopus & Martyr. Sed mala fortuna voluit, ut Epistolam meam traderes in manus hominis præoccupati, & pervicacis ad sustinendum vulgatum errorem, itaque me implicares miserrimis contradictionibus processibusque verbalibus, majorem partem mutuo sumptis a Milleto & Menardo Monachis Benedictinis. Hi nempe pro suo erga suam San-Dionysianam Abbatiam affectu, & hujus quondam Abbatem Hilduinum, certandum sibi proposuerunt pro Areopagismo

 nostri

nostri S. Dionysii, veluti pro aris ac focis. Fortis est veritas, & pro se habet Severum Sulpicium ab annis 1500. florentem, S. Martino Turonensi coævum ac familiarem, nobilitate & scientia inter omnes sui temporis Aquitanos eximium: habet etiam pro se Gregorium Turonensem ab annis 1200. florentem, ætatis suæ præstantissimum Historicum, scientissimum insuper rerum Gallicarum atque Francicarum, omnibusque æstimatissimum titulo nobilitatis, virtutis & eruditionis præclaræ: habet denique pro se omnia antiqua Martyrologia Mss. ecclesiarum per Gallias Episcopalium, in quibus ambo Dionysii, Atheniensis & Parisiensis, mense Octobri referuntur ad duos diversos dies, tamquam Cathedra & supplicii genere distinctis.

22 Non possum autem quin tibi repræsentem verba Usuardi, auctoris gravis, eruditi atque exacti; qui noluit sequi coætaneum suum Hilduinum, sed in Martyrologio, quod dedicavit Carolo Calvo, non Magno, veritati litavit, primum 3. die Octobris hæc scribendo: V. *Nonas Octobris, Athenis natale S. Dionysii Episcopi & Martyris, qui post clarissimam fidei confessionem, post gravissima tormentorum genera, gloriosissimo martyrio coronatus est; ut testatur Aristides Atheniensis, vir fide sapientiaque mirabilis, in eo opere, quod de Christiana religione composuit*. En Dionysium Atheniensem seu Areopagitam. Sequitur alius 9. die Octobris, hoc modo: *VI. Idus Octobris apud Parisium, Natale SS. Mart. Dionysii Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutheris Diaconi: qui beatus Episcopus a Pontifice Romano in Gallias ad prædicandum directus, ad præfatam urbem devenit: ubi per aliquot annos commissum sibi opus ardenter prosequens, tandem a Præfecto Fescennino, una cum Sociis gladio animadversus, martyrium complevit*. Ecce nostrum Parisiensem Episcopum & Martyrem Dionysium: ecce testimonia luce meridiana clariora: ecce auctores modis omnibus irrefragabiles. Jam enim in priori epistola mea notavi verba Severi Sulpitii & Gregorii Turonensis; quibus nunc addo verba Usuardi, ante annos plusquam 800. scripta, quibus consentit Ado Viennensis, aliique Martyrologi, eadem pene verborum formula usi.

23 Quid vero amicus tuus hisce auctoritatibus, tam incontestabilibus, tam claris, tam expressis reponit? Solum opus est esse duros capite & animo obfirmato: nihil ille cedit, serio agit; nec inveniens apud antiquos unde se tueatur, fidenter ad nostrum descendit seculum; & Severis Sulpitiis, Gregoriis Turonensibus, Martyrologiis antiquis, opponit auctores (quos autem?) patrum nostrorum nostraque etiam memoria adhuc viventes. O miram & ingeniosam criticam! quæ secundum modernorum placita reformat corrigitque antiquos, & communem in historia subvertit intellectum. Primus, quem Amicus tuus allegat, est Cardinalis Baronius, Annalium ecclesiasticorum compilator, eo dignior laude, quo laboriosius est opus, quod tractat; licet non adeo feliciter, quin eruditi plures in eo errores notaverint, præsertim chronologicos, quam necesse sit ut conficiatur tomus; nullo eorum quos edidit, minor futurus. Sequuntur, Spondanus & Saussayus, quos, juvenes nos, vidimus senes; viros bonos, & trita aliis via gradi solitos: Milletus & Menardus, Benedictini erant, jurati in verba Hilduini pro Areopagitæ in Franciam adventu; & horum sententiæ sese adjunxit Natalis Alexander, [1] Dominicanus.

24 Amicus tuus, agnoscens debilitatem auctoritatum tam recentium & ratiocinii sui, astute, imo fraudulenter, conatur opinioni nostræ etiam speciem veri auferre, confundens de industria loca Sulpitii atque Gregorii, quorum unus agit de primis in Gallia Martyribus sub Marco Aurelio, alius de nostri Dionysii missione sub Decio. Asserit igitur, *duos illos videri hoc intendere, ut credamus, fidem Christi non fuisse Gallis prædicatam, nisi admodum sero sub Decio, tertio Christianæ æræ seculo, quod nullatenus teneri potest*. Quasi vero annus Christi 177. quo sub Marco Aurelio passi sunt 48. Martyres Lugdunenses & Viennenses, non præcesserit annis 73. missionem nostri Dionysii, aliorumque sex Episcoporum sub Decio, anno 250. Ubi hoc etiam notandum est, quod illi 48. *Martyres*, a Gregorio *Athanacenses* cognominati, non uno die venerint omnes. Oportuit autem eos in suam quemque patria recepisse fidem Christi, & ipsos ad eam conversos esse, atque audivisse prædicatores illius, ad aliorum deinde conversionem laborasse, prædicasse ipsos, egisse, exercuisse, auxisse religionem, donec tandem detecti, capti, suppliciοque extremo affecti sint. Atqui hæc omnia facile requirunt annos viginti aut triginta; adeoque indubitabile fit, quin eorum in Galliis prædicatio annis circiter centum præcesserit adventum Dionysii, ejusque sex sociorum Episcoporum.

25 Idem amicus vester, erubescens, quod nequiverit producere auctores, Hilduino Abbate seniores; aliunde novis argumentis instructus, arenam repetit, antiquiores illo producturus; atque inter alios citat Hincmarum, ante annos 800. Rhemensem Archiepiscopum, in quadam epistola scripta Carolo Calvo, seu Regi, seu Imperatori. Sed ipso in limine turpiter labitur: Hincmarus enim non præcessit Hilduinum; sed junior vixit in Abbatia S. Dionysii sub ipsomet Hilduino, diu antequam fieret Archiepiscopus, sicut in Historia Rhemensi testatur Flodoardus lib. 7. cap. 2. Epistolam ejus ad Carolum Calvum equidem necdum vidi; sed nihil miror, si in Abbatis sui sententiam, de Areopagita, clausis ut dicitur oculis, cesserit totus.

26 Hincmarum sequuntur, qui præcedere eum debuerant duo, Fortunatus Poeta, qui dicitur sub finem seculi sexti fuisse Episcopus Pictaviensis, & Beda. Verum an dicunt illi auctores, primum nostrum Episcopum Martyremque, fuisse Atheniensem & Areopagitam? Non existimo: imo plurimum dubito. Quando Amicus vester sincere produxerit eorum verba & ego ea videro, legero, & cum impressis contulero, credam. *Cras credo, hodie nihil*. Idem dico de Simeone Metaphraste, qui est posterior Hilduino;

[1] Natalem ejus novissimus Editor Roncaglia egregie refellit. Vide & Sollerium tom. 7. Junii ac Du-Mesnilium tom. 2. l. 7. n. 80. Cl. Dubois Dionysium Areopagitam a Parisiensi distinguit, sed hunc a Clemente in Gallias missum contendit.

duino; & de Anastasio Bibliothecario, qui Hilduini coævus fuit, potestque ipsum secutus esse, sicut opinio sua fortior probatiorque non sit opinione istius. Supervixis etiam Hilduino Anastasins: quippe qui anno 872. superstes, missus fuit Constantinopolim pro Adriano Papa ad Basilium Imperatorem. Methodios, Cnnstantinopolitanus Patriarcha fuit, & ipse Ludovico Pio atque Hilduino synchronus: & hic (nisi fallor) auctor Hilduino fuit Areopagismi, primo nostro Episcopo adscribendi, ac primum defendendi in Occidente falsam hanc opinionem. Michael Syncellus ejusdem suis temporis & farinæ. Sed nulla citantur verba vel hujus vel istius auctoris, uti nec Anastasii.

27 Denique allegat Amicus vester Concilium Parisiense, in epistola scripta ad Eugenium Papam II. Sed prætensum hoc Concilium Parisiense, celebratum anno Christi 824. Eugenii Papæ secundi primo, Ludovici Pii Imperatoris undecimo, impressum est Francofurti anno 1596. per hominem ignotum, non ausum nominare locum unde acceperit: estque tam exiguæ circa cultum imaginum auctoritatis, ut illud valide impugnaverit doctissimus Cardinalis Bellarminus, in Appendice ad Tract. de cultu imaginum. Quod ad prætensam Synodicam epistolam attinet, est ea sub nomine Engenii II. a Pseudo-synodo Parisiensi scripta ad Michaelem Balbum, & Theophilum filium ejus Græcorum Imperatores, prout testantur Bellarminus & Sirmondus Jesuitæ cum Baronio; neque pluris vales quam ipsa Pseudosynodus, & indigna est, secundum opininnem magni Sirmondi, quæ legatur. Atque ita novem Auctores, Hilduino ut prætenditur anteriores, reducuntur ad duos, Fortunatum & Bedam; & horum ipsorum, quæ non exprimuntur, verba varosimiliter invenientur asserto Areopagismo nostri Dionysii contraria: alii septem, contemporanei sunt Hilduino, vel etiam posteriores. Eugenins Toletanus, ignotns mihi est.

28 Hunc in modum dejectus Adversarius noster ab auctoritatibus antiquis, quibus nos arietare minabatur, redactusque in arctum, recurrit ad Antiquitates Parisienses Batullii, & similium aliorum testimonia talia, ut nisi per revelationam ea babeant auctores isti, nesciam unde acceperint. His instructus ille, notat, quod *S. Dionysius, mox atque Parisios appulit, ædificavit quatuor oratoria*; primum eo loco ubi nunc est S. Benedicti ecclesia; alterum in honorem SS. Petri & Pauli, *cujus stabilimentum & augmentum curavit S. Genovefa per Clodovæum I. Regem, qui etiam illam voluit S. Genovefæ appellari:* tertium in honorem S. Proto-Martyris Stephani, *cujus nomine dicitur, etiam nunc S. Stephani Græcorum, quia S. Dionysius Sociique erant, natione & lingua Græci:* quartum, ad honoram Deiparæ, in suburbio S. Jacobi.

29 Pulchræ enimvero Antiquitates! Obsecro ergo te, an fideles Christiani, persequentibus ipsos Imperatoribus & Magistratibus populisque idololatris, tanta utebantur fiducia, ut auderent in conspectu totius populi, intra urbem vel ejus suburbia, ædificare oratoria, in quibus publice convenirent? illi, qui felices æstimabant se, quando in subterraneis cryptis & cœmeteriorum latebris, extra habitationem communem, poterant sacra sua peragere & orare? Ecclesia SS. Petri & Pauli a Clndovæo I. ejusque uxore fabricata fuit, eo loco ubi antea nihil sacrum erat, sicut Gregorius Turonensis aliique Historici nostri nos docent: eademque fuit etiam dicta Apostolorum; & posteaquam ibi sepulta fnit S. Genovefa, in hujus nomen transiit. Ecclesia S. Stephani, vulgo *des Grez*, non *des Grecs*, in veteribus diplomatibus vocatur *S. Stephani de Gressibus*, quod idem est ac si dicas *de Gradibus*, vel *ad Gradus*, eo quod ad illam per plures gradus ascendebatur. Hæc autem omnia Oratoria, sicut Amicus vester me docet, erant remota valde a Parisiensi civitate, quæ tunc tota intra insulam Palatii continebatur. Primus ergo Episcopus noster, magnæ ædificationis fuit & valde opulentus. Ceterum profiteor me famulum nobilis Lisbii, qui illum Parisiis primus excepit & domo sua donavit, ad fabricandam in ea ecclesiam. Queritur atiam Amicus vester, quod sectatores Hilduini appellem *Denisames & Ignorantes*. Secundum verum est, non item primum: neque enim potui uti vocabulo, quod hactenus ignoravi, quodque nunc primum ex illo disco. Si Amicus vester plura desideret, expectet ab alio: exhaustum argumentum est. Si huic epistolæ meæ non acquiescat, extra spem curationis est, neque acquiescet unquam.

30 Hactenus in postumis suis Hadrianus Valesius, tota Francia notissimus, ut qui una cum fratre Henrico sacræ profanæque Historiæ studiia innutritas, Sirmondo Petavioque magistris, usque ad annum 85. ætatis complura erudita volumina elucubravit, quorum elogium & seriem vide sis in Diurno Eruditorum, a D. Præside Cousin digesto, sub nota diei 28. Julii, cujus mensis die 2. anno 1692. obierat. Ejus super controverso argumento Epistolas hic dum profero, nolo polliceri, quod quando ad Octobrim venietur, nihil in ais reperturi sint posteri, quod minus probent; cum nec ego spondere velim pro singulis hic allegatis, quæ necdum vacavit ponere (ut Henschenius loqui solebat) sub torculari: omnia tamen puto hoc loco apte proferri, ubi res mihi est cum ejusdem professionis ejusdemque pervicaciæ Adversario: & ideo lectorem rogo, ut hanc prolixitatem æqui bonique consulat. Epocbam sive annum, quo S. Dionysius, aliiqua in Galliam venerunt, nec definio, neque verosimiliter definiam unquam, jam propior morti quam ut aspirare ad Octobrim possim. Areopagitam non fuisse pro certissimo teneo: & huc volo solum valere Valesiana argumenta.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius negat cum Launoyo, Dionysium Areopagitam suum abscissum caput gestasse.

RESPONSIO.

ID *memoriæ proditum* Breviarium ait, & ego etiam dico in prædictis Ephemeridibus. Sed vere sic proditum, & a quoquam scriptum, quà præcesserit seculum 9. probare nec debui, nec potui. Acta S. Dionysii antiquiora, qualia quinto vel sexto, ut præsumitur, seculo scripsit auctor gravis, ax iis, quæ sola tunc per traditionem habebantur, cavens ne dilaberetur ad circumstantias novas adinveniendas, quibus Legenda auctior & mirabilior red-

redderetur: & sic *ex quinque codicibus Mss. optima notæ* ea edidit, part. 2. Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ pag. 68. Franciscus Bosquetus, anno 1650. adhuc Prætor Narbonensis, utroque in statu libris editis celebris. Nihil hic de Areopagita Dionysio, nihil de Pontifice, a quo missus Parisiorum Apostolus. Solum dicitur, quod, *ut ferunt, a successoribus Apostolorum verbi divini semina Gentibus eroganda susceperat*. Nihil de primo ejus Parisiis hospite, nihil de eo, sub quo passus est præfecto: dicitur autem, quod ipse & Socii *tali ad Dominum meruerunt professione migrare, ut amputatis capitibus adhuc putaretur lingua palpitans Dominum confiteri*, tum additur, quod *metuentes percussores, ne conversi populi fidelissima probataque devotio, Sanctorum corpora profutura sibi, & Reliquias ob patrocinium tumularet; elegerunt tetris Sequanæ profundisque gurgitibus Martyrum corpora perdenda committere, quæ imposita navibus ad prævisum jubentur gurgitem destinari*. Denique subditur, quomodo piæ matronæ furto, per submissos ad id famulos, subducta injuriæ, terræque seminatæ commendata illa, cessante persecutione, apposito titulo signata fuerint; unde merito præsumitur, eatenus vel ignorata, vel incerta prorsus habita, quæ postea accesserunt Legendæ veteri, tormenta & miracula.

32 Quod porro ad ibi præteritam, nec eatenus forte asseriam a quoquam gestationem capitis attinet, ego ad Tom. 6. Maji pag. 88. ubi de SS. Maximo & Venerando, ex male consutis Actis meritoque rejectis, idem narratur, dico, *recepta semel per Galliam consuetudine, omnes eos Sanctos, qui capite minuti fuisse credebantur, exprimendi in statuis picturisve, cum eodem capite intra manus ante pectus sublato, invaluisse popularem errorem, quo crediti sunt illi decisa capita post mortem sustulisse, atque ad suæ venerationis locum portasse*. Hoc vero ne nimium præjudicaret S. Dionysio, re nondum penitus examinata, addo ego; *Potuit hoc semel iterumque revera contigisse, sed agnito semel fallaci principio, de nullo Sancto potest prudenter credi, cujus Acta non sint omnino firmissima*.

33 Talia autem an sint Acta S. Dionysii, non satis probat Vislii vel Lisbii discipuli nomen alicubi additum: quin potius hoc ipsum, antiquioribus ignotum, magis suspectam rem facit. Interim ex S. Joanne Chrysostomo ibidem repræsento in cælis Martyres, *manibus* abscissa capita gestantes, & in medium afferentes, *quæcumque voluerint, apud Regem cælorum impetrare*. Ad ista scribenda non fuit mihi opus Magistro Launoyo, in quo raptim dumtaxat delibato, istud hactenus non legi, credere autem affirmanti Patern. Tuæ malo, quam scrutari curiosius, ad alia properans. Non possum tamen dissimulare, quod num. 44. dicas, me tomo 3. Aprilis pag. 106. istud, qualecumque Dionysii seu factum seu fictum miraculum comparare pugnæ Sancti Georgii cum dracone, ubi Dionysii omnino non memini, sed simpliciter *antiquorum Galliæ Martyrum*, quorum plurimis adscribitur talis capitis rescissi gestatio, utique ex pictorum ac statuariorum usu; licet aliquibus forsassis, ipsique imprimis Dionysio, reipsa contigerit, capita sua suis manibus gestasse.

§. VI. ACCUSATIO.

Papebrochius, ex sancto Dei Sacerdote, fingit Aruspicem, ut Historiæ Carmelitana noceat versati.

RESPONSIO.

Gentilium Imperatorum res gestas ex Gentilibus ejusdem temporis historicis certius & distinctius disci, quam ex Catholicis, post annos mille quadringentos in Catholicæ religionis favorem ipsos detorquentibus ab ea, quam illi exprimunt, actorum specie, nemo prudens inficiabitur. Cum ergo Tacitus Suetoniusque, *Basilidem*, in Monte Carmelo respondentem Vespasiano, *extis inspectis*, aut consultis *sortibus* id fecisse dicant: eumdemque doceat Tacitus *ex primoribus Ægyptiorum* fuisse, quem in somnis deinde Vespasianus videns *in æde Serapidis verbenas, coronasque, & panifitia (ut illic assolet) offerre*; nullam mihi videor Carmelitanæ Historiæ injuriam facere, si pro eo tempore, quo non monstratur veri Dei in Carmelo viguisse religio, dicam, non ibi repertum, sed eo deductum Basilidem, familiarem Vespasiano Aruspicem, qui oraculum eliceret.

35 Citas R.P. Livinum Torrentium, Antuerpiensem Episcopum eruditissimum; sed non citas, locum, quem apud me legisse debuisti ante tomo 3. Maii n. 9. plane tibi adversantem, & de hoc uno sollicitum, ut Tacitum Svetoniumque componat. Ibidem etiam a me citantur Philippus Beroaldus, Justus Lipsius, Theodorus Marsilius, omnes insignes commentatores in C. Cornelii Taciti libros, omnes probe Catholici. Quod si malis, tam Judæos quam Gentiles istinc oracula periisse, hos, a Monte, quem Deum credebant; istos, a vero Deo (*nec* enim ibi *simulacrum Deo aut templum*, teste Tacito, *ara tantum & reverentia*) hoc quoque dici patiar, tantum *Basilides* (quem absque Tacito nescirent Carmelitæ nominare) maneat qualis describitur ab eodem Tacito, non Christianus, sed Gentilis; non Hebræus, sed Ægyptius; non *sanctus Sacerdos*, ut eum appellas, sed Sacerdos Serapidis, vel Vespasiani domesticus Aruspex. Neque me commovet, quod *exta suspecta* Tacitus, Svetonius *sortes* dicas consultas, nam licet divinationis diversæ sint species, haruspicina & sortilegium; *sortium* tamen nomen videtur generice usurpari a Svetonio, Tacitum secuto, pro oraculo quacumque ratione accepto: sicut *Sortilegi*, ac *Sortiarii* (gallice *Sorciers*) sumuntur pro quocumque falso dicto *Divino*, aut verius mago vel malefico, de quibus ultimis videndus Cangius in Glossario.

36 Judicet interim æquus lector, & antiquorum Scriptorum, etiam Gentilium, in iis, quæ certius scire potuerunt, æstimator; an propter quosdam Carmelitas, eisque consonos scriptores aliquot recentiores, coram toto mundo *sim summæ insulsitatis convictus, quasi audeam virum sanctum in gentilem Aruspicem transformare*. Nihil ego hic audeo, neminem transformo, dum Basilidem volo, qualem inveni, relinquere; nec patior ex Aruspice in Sacerdotem Elianum transformari, zelo stabiliendæ Carmeliticæ antiquitatis: quam transformationem

nem habeo proprio tractatu erudite confutatam a Marchione Agropolitano, anno 1678. Hispali sub hoc titulo, *Explicatio cujusdam loci Suetoniani, & Examen Divinatatis quam Vespasianus in Carmelo consuluit*: quem Tractatum accusato a te loco in epitomen redegi.

§. VII. ACCUSATIO.

Papebrochius Acta Sancti Silvestri, cum Natali Alexandro ab Ecclesia damnato, explodit tamquam fabulosa & mendacia.

RESPONSIO.

37 CRambeo non jam bis, sed ter quaterque recoctam, nolo remandere: si semel iterumque dicta non sufficiant tibi, Rev. Pater, librum titulis & accusationibus replicatis augere cupienti, nec centies quidem dicta sufficient; maxime cum verbum nullum novum huc adferas, nullam novam auctoritatem producas.

§. VIII. ACCUSATIO.

Papebrochius Vitam S. Telesphori, a Sede Apostolica approbatam, repudiat tamquam infundatam.

RESPONSIO.

SI de ea Vita agis, Rev. Pater, qoam compilavit Fr. Zegerus Pauli, & Bollando obtulit Januario inserendam; quæque oihil minus est, quam id, quod titulus, promittit; nescio, quod illam Sedes Apostolica unquam approbaverit: hanc vero non repudio aliter, quam qunmodo eam repudiavit Henschenius, & Bollandum pœnituit inseruisse Januario. Hoc ipse Henschenius, noo solum verbis testatus mihi sæpe est, sed notum etiam facere voluit toti posteritati, ante Tomum 1. Aprilis in Catalogo Romanorum Pontificum (in quo nullam ego partem habeo) pag. 22. ad elogium S. Telesphori, addito brevi Commentario, qui substitueretur loco istius Vitæ; *quam solidum nullum fundamentum habere*, Bollando asserit fuisse compertum: unde in Brevi notitia Italiæ, post datum in lucem Februarium impressa, jussit expresse poni quod, *Acta damur auctore recentiori*; sperans hoc ipso satis intelligendum, quam parum ei fideret. Si autem, Rev. Pater, agis de ea Vita, quam habetis insertam Breviario vestro ad xxx. Januarii, translato in eam diem festo, nihil improbo, nihil repudio: quia nihil invenio ibi, quod mihi possis opponere, nisi hoc solum, quod vobis permissus sit coli, tamquam *Ordinis* vestri; quod sane potuit coocedi vobis Eremitis, quamvis post tot secula primum ortis, cum *ex Anachoretis* ad Papatum assumptus fuerit Telesphorus, nec eum sibi concedi postulent Ordines Eremitici alii, suo quique exordio posteriore contenti, vobis ipsum erigentibus usque ad Eliam: quod quomodo intelligi possit ac debeat, nondum intendit sancta Sedes definire.

39 Multo minus intendit id facere (uti Patern. tua vult credi) P. Bollandus Tom. 2. Januarii, ad diem, non 16. sed 18. ante Vitam S. Jacobi Eremitæ. Nam pag. 868. n. 5. miratur illum, qui prope Carmelum vixerat, prætermitti ab Alegræo vestro; *Cum sue Ordini adscribat, quotquot non solum in Syria, Palæstina & Ægypto, verum & reliquum per orbem, monasticam vitam primis seculis egerunt; aut aliquo modo administrarunt*. Tum vero pergens Bollandus, *Sive*, inquit, *institutum istud vivendi a primis usque temporibus assidua serie huc usque est propagatum, probabilius est ibi viguisse, ubi prima dicuntur a Prophetis posita ejusmodi disciplinæ cunabula; sin vero solum post subactam a Francis Syriam erecta ea Sanctorum hominum societas est (ut multi ex recentioribus existimant, qui undecim seculis integris negant usquam Carmelitarum nomen prolatum ab ullo eorum temporum scriptore, at contra constare, ante S. Hilarionem nec auditum quidem in Palæstina & Syria nomen Monachorum, Hieronymi testimonio firmant) si igitur cœpit quidem ante quinque solum secula, ut illi volunt, ea congregatio, sed quo magis inflammaret in suarum animis studium virtutum, earum voluit exempla proponere, & convictus similitudinem, loci ac pietatis similitudine asserere, non oportuit tamen, veteres potius illos ante Christum Prophetas, aut alibi terrarum Monasticen professos, producere statuereque imitandos, quam qui tanto propius ante nostra tempora ad ipsius habitarunt Carmeli confinia* .... Hinc ad vicinum Jacobo illi parthenonem transit Bollandus, atque concludit dicens: *Illud ergo ceteraque Monasteria certiori ratiocinio suo possunt Ordini vendicare religiosissimi Patres Carmelitæ, circa ipsum sita Carmelum.*

40 Totum eum contextum legenti apparet, ibi contineri honestam modestamque retractationem, absolutæ illius approbationis, quam videbatur indicare qualiscumque adoptatio compositæ a Zegero Pauli Vitæ S. Telesphori. Numquid enim Bollandus non satis dubium sese ostendit de veritate prætensæ ab Elia originis, qui non nisi sub disjunctione de ea egit: & quidem ut propensior in negativam, per illam tam operosam, qua hæc confirmatur, parenthesim; licet, alterutro posito, dicat Jacobum, cum ejusdem temporis circa Carmelum monasteriis, *certiori ratiocinio* assumi a Carmelitis posse, quam tot antiquiores remotioresque?

41 Vidit hoc P. Henschenius, qui Vitam istius S. Jacobi, Commentario prævio Annotationibusque illustratam, Bollando tradiderat prælo dandam, miratusque compositis jam typis, suum istum Commentarium videre auctum longiori illa neque ullatenus necessaria ad odiosam quæstionem digressione, volebat totum numerum 5. se inconsulto adjectum, prætermitti. Sed perstitit Bollandus, evicitque ut maneret, quod scripserat, indignum esse dicens, quod qui nullo jure omnes antiquos veteris ac novæ Legis Sanctos sibi arrogabant, præterirent Jacobum istum, peccatorem quidem, sed pœnitentem. Ita rem gestam, mihique relatam ab Henschenio, si credere recuset Patern. tua, more tuo feceris, nec ego multum de eo laboro; certus, fidem mihi dandam ab aliis, sinceritatem meam pridem expertis, nunc vero tanto pluria facientibus, quanto fœdioribus patentioribusque calumniis eam vident ac dolent traduci apud inexpertos.

42 Ceterum offensio vestra, quam ex ista qualicumque retractatione Bollandi metuebat

Hen-

Henschenius, neutiquam secuta tunc est: illam enim vel non intellexerunt Patres Carmelitæ, vel dissimularunt, eo libentius, quo in Synopsi marginali sic legeretur: *Jacobus, juxta Porphyrionem & Carmelum: ideo Carmelitis annumerandus*; licet non alio quam quem textus exprimebat modo. Dissimulavit porro etiam Bollandus, videns suum ab his dissensum non posse magis explicite declarari, absque dispendio amicitiæ. Henschenius autem, etsi sæpe privatim professus suis ex Ordine amicis, quod circa veteres Sanctos non posset ipsis consentire; gaudebat tamen eosdem acquiescere promisso in libris edendis silentio, quod etiam tenuit quamdiu per Patrem Bonæspei eique adhærentes licuit.

43 Ast intolerabile videtur Paternitati tuæ, quod in Aprili ad Vitam S. Alberti num. 70. scripserim, Bollandum, *usu discernendi certa a dubiis paulatim crescente*, intellexisse, *quam debilibus fundamentis, & auctoribus majori ex parte suppositis, uterentur asserta* a Zegero Pauli; ac primum num. 74. id me scribere, ais, *non absque Magistri injuria*, quasi *illum, post 40. circiter annorum studium historicum, ignorantiæ ac levitatis insimulare tentem*; &, *qui in solum Majum centenos me fateor invenisse errores*, sapiam supra illum. De erroribus istis postea videbimus, Art. tun 23. §. 5. Supra Magistrum sapere non præsumo, dum post ipsum & ex ipso aliquid sapere me profiteor. Sed ex ipso, non annos 40. nato (qualis necdum erat cum imprimebatur initium Januarii, in eoque ista S. Telesphori vita, non ab ipso, ast a Zegero Pauli composita) verum annos ætatis 67. numeranta, & in studiis istis annum plusquam 30. quando ad ipsum accessi post iter Romanum; utique jam multo plura scientem & expertum, quæ nesciebat olim; atque imprimis doctum diffidere Carmelitanis historiis, sicuti eæ nunc traduntur & propugnantur, earumque fundamentis, a Zegero Pauli supra arenam positis.

44 Dum autem mihi allegas scriptores aliquot recentiores, qui S. Telesphorum fecerint Carmelitam, Carolum Tapiam, mihi ubique ignotum; Dominicum Gravinam; Joannem Cartagenam, hunc Franciscani, istum Prædicatorii Ordinis; nec non Augustinum Oldoinum Societatis Jesu; non quidem suppositios auctores allegas, sed inidoneos ad fidem sine alia probatione faciendam de S. Telesphoro, quod ante secula plura quam 15. fuerit Ordinem Carmelitanum professus. Ceteri tam veri quam suppositii, quos nominat Zegerus, nihil probant; nisi ex hypothesi, quod omnes *Anachoretæ* veteres ante seculum 5. & omnes *Prophetæ*, fuerint Carmelitæ: hoc vero est in quæstione.

§. IX. ACCUSATIO.

Papebrochius receptissimam S. Georgii pugnam cum dracone accenset commentis plebeiis & deliris narratiunculis.

RESPONSIO.

SI mihi jocari liberet, Pater R. quærerem hic ex te, satisne habeas, si dixero, quod pro Ordinis Carmelitani processione stet tam certa inter vos tamque recepta traditio quam stat pro pugna S. Georgii cum materiali dracone inter Christianos, etiam non omnino plebejos. Equidem adducendo scriptores seculo 14. antiquiores, nec priores seculo 13. libentissime patiar utramque narrationem pari in gradu probabilitatis collocari, dummodo vobis satis hoc sit, neque unam credibiliorem velitis esse, quam alteram: hoc enim facile omnes concedent, & gratulabuntur sibi id ab ore vestro recepisse, ut simul utramque securius contemnant.

46 Baronius, Bellarminus, Canisius, Gretserus, & quotquot alii contra hæreticos scripsere pro cultu Sanctorum; Ribadineira, & alii Legendarum compilatores paulo prudentiores; tacent de Dracone. Objicientibus autem hæreticis S. Georgium, S. Christophorum, & similes aliquot, fictitios esse Sanctos, respondent: veros quidem Sanctos esse, quod & ego multis demonstravi; sed fictitias [1] & fabulosas passionum historias, atque a Gelasio Papa reprobatas. Cum ergo vester Baptista Mantuanus pugnam illam narrans, ipsum etiam Sanctum facit Carmelitam, numquid recte dixi, quod sit *Poeta quam Historicus melior*, & antiquiori fabulæ recentiorem intexuit aliam? quis enim hoc ante eum dixerat?

47 Ego vero nisi tibi præivissem enumerando scriptores, hac in parte nimis credulos, sed omnes seculo 13. juniores, quid quæso habuisses ex historia, quod mihi objiceres? Quia autem solicitus non fui, ut quærerem auctores qui dixerint, Draconem istum supponi pro idololatria, sicut eumdem in sua effigie supposuit Imperator Constantinus, insultas mihi petulanter, quod *adversus historiam, tam antiquam, & in ecclesia receptam non* allego, *nisi meras conjecturas & argutiunculas negativas*. Tua Patern. argumenta mea, & quæ multa hactenus ignorata docui de cultu & reliquiis S. Georgii, habeat ut volet; ego ab ipsa pene infantia ex parente meo puer didici, Draconem illius symbolice intelligi. Deinde ex Florario Ceremoniarum ecclesiasticarum, quod Belgice edidit P. Joannes David, Cortracenus primum Pastor, deinde eo in loco nostri Collegii fundator ac Rector initio hujus seculi, interroganti, ad 23. Aprilis, *Quid sibi vult S. Georgius eques, cum dracone sub pedibus, & virgine servata*, sic, inquam, interroganti didici respondere: *Hoc significat, quod S. Georgius veluti generosus Christi eques hostem superaverit; & nobiles animas, tamquam virgines, ubicumque poterat, ex caritate erga proximum, a faucibus hostis salvaverit, adducendo eas ad Christi fidem*. Si tua Patern. aliter forte instructa, aliter credere malit, per me licet; judicet interim S. Sedes, an propter rejectam pugnam illam, debuerim accusari ut *Criticus perversus, ac historiarum ecclesiasticarum rosor, exsibilandus potius quam refutandus*.

[1] Vide Tillemont. Tom. 5. a pag. 185.

§. X.

§.X. ACCUSATIO.

Papebrochius, cum Natali Alexandro, ab Ecclesia damnato, Vitam S. Marcellini ut fabulam repudiat,

RESPONSIO.

Utinam aliqua ejus Vita extaret! Quæ autem pro hac traduntur ex Actis Concilii Sinuessani, qualia sint, superius semel iterumque exposui, & fabulosam esse cœperam credere, prius quam Natalem Alexandrum nossem. Pluribus hic opus non est; videantur dicta Art. 2. §. 6. & Art. 5. §. 2. Dissimulare tamen hic rursus non possum pessimam fidem tuam, dum solos mihi jungis *Natalem Alexandrum* & *Launoyum*, *ab Ecclesia*, ut ais, *damnatos*; quasi cum iis solis lapsum & pœnitentiam Marcellini rejiciam; & tamen, Reverende Pater, objiciens mihi Schelstratium, ignorare non potuisti, ipso quod citas capite sexto dissertationis 1. partis 2. Antiquitatis illustratæ, eum, licet pro Marcellini lapsu pugnantem, fateri tamen sententiam nostram esse, variorum *Cardinalium*, *plerorumque hoc seculo eruditorum*, & plane *communem*. Sic enim exorditur capitis synopsim.

49 *Communis hodie evasit sententia, lapsum Marcellini esse confictum*. Ipsius autem capitis initio *de lapsu* (inquit) *Marcellini Pontificis non minima quæstio enorta est inter eruditos nostri seculi, quorum plerique jam sibi persuadent a Donatistis tempore D. Augustini fuisse confictum. Sic ob Augustinum libro de unico Baptismate cap. 26. Petiliano lapsum Marcellini negantem, Cardinalis Bellarminus sententiam priorem retractavit, ut refert ac propugnat Theophilus Raynaudus, Societatis Jesu in Gallia Theologus Tomo 20. lib. de corona aurea, Veritate 30. ubi habet*: „ Quod ad Marcellinum attinet, verior sententia est, totam narrationem de Marcellini crimine & damnatione, esse fabulosam, „ ut retractata priore sua sententia censuit Bellarminus, in recognitione libri 4. de Pontifice cap. 8. adducens S. Augustinum, & Theodoretum. Subscripserunt alii apud Baronium „ anno 305. & 303. *Accessit ex Gallis Eminentissimus Cardinalis Perronius, contra Angliæ Regem cap. 47. dicens, crimen Marcellini a Petiliano fuisse objectum* „ combien que cette reproche fut fausse, comme il appert par la refutation, que S. Augustin en fait ailleurs. *Idem fusius propugnat Christianus Lupus parte 5. Conciliorum ad Canonem 14. quinti Romani sub Gregorio VII.* Hæc oculos tuos fugere non potuerunt. Qua igitur sinceritate, qua æquitate me apud summos, & infimos traducis, quasi sequentem solos *auctores damnatos*? Sed si candide fassus fuisses, sententiam meam esse tam illustrium & proborum Auctorum, imo *esse plerorumque hoc seculo eruditorum* & *hodie evasisse communem*, non potuisses contra me solum debacchari, non me accusare tamquam duorum tantummodo Auctorum, eorumque *ab ecclesia damnatorum*, sequacem,

§.XI. ACCUSATIO.

Papebrochius nonnullorum Sanctorum Martyrum Brixiensium Vitas repudiat, tamquam fabulas.

RESPONSIO.

Jam sæpius dixi, Guerrini Cerreti Chronicam, ipsorummet Brixiensium judicio, *plus continere mendaciorum, quam veritatis*. Quidquid igitur ex illa sic assumitur, ut aliunde nullum accipiat firmamentum, merito repudiatur ut fabulosum; sicuti repudiat Sanctus Hieronymus quidquid reperitur in Periodis Pauli & Theclæ a S. Luca prætermissum. Tales autem sunt Martyres 3290. uno die combusti, pro quibus mihi litem moves num. 95. Tales sunt, visibiles circa corpora excubiæ Angelorum, & claritas toti civitati circumfusa num. 96. ac num. 97. arena sanguinea, in sudario ad Pontificem missa, qui ipsum aperiens, repererit conversam arenam in schedas, Martyrum nomina continentes, quæ nomina idem Pontifex in Catalogum referri jusserit: de quibus nihil uspiam legitur extra Chronicam illam, sive (ut aliter appellatur) *Martyrium Brixianum*, quod totum verbotenus edidi ante 2. Tom. Aprilis cap. 3. ut per se possit æstimare Lector, quam merito totum dicatur fabulosum, adeoque inidoneum ad fidem alicujus magnæ & raræ rei faciendam.

51 Videre, & relegere dignetur lector benevolus Articuli 3. §. 8. Art. 6. §. 3. Art. 9. n. 52. & Art. 10. n. 28. Si autem tot locis dicta ad justificandam dubitationem circa ea martyria, quæ ex sola Guerrini Cerreti Chronica hactenus sciuntur, non sufficiant: neque placet aut licet recurrere ad præcitatum Tom. 2. Aprilis: placeat saltem credere Abbati Stellæ, ultro concedenti pag. 61. suæ ad meam Censuram Responsionis, quod *Chronica* illa *revera velut in scena tragica, plus contineat mendaciorum quam veritatis; introducitque personas, quæ neque actis, neque tempori, neque locis conveniunt; & sub larva fictitia narrat miracula numquam audita, martyria non usitata, rerum uniones prorsus chimericas*. O si bonus ille Martyrum Brixianorum defensor, prius quam meam aggrederetur Censuram, illa, quæ notat incredibiliter conficta, distinctius dignatus fuisset designare singula; & ea, de quibus inter me ipsumque convenit fabulosa esse, secernere ab aliis, pro quibus intendebat certare! O si illud vel nunc dignetur facere! Tibi, Rev. Pater mihique levaturus molestiam disputandi de rebus, de quibus ipse disputari nollet,

52 Hoc dum expecto, nec tamen acquiescis, regustemus principium Chronicæ, quod tale est. *Incipit Martyrium Brixianorum, en parte per nomina & cognomina expressorum: .... quod martyrium cœpit anno post Incarnationem Christi*, CXVII. *& duravit usque ad annum* CXLI. *Tempore enim S. Apollonii de Oropellis, Nobilis Brixiani & Episcopi Brixiæ, ibant Martyres ad carnificinam, sicut oves ducuntur ad macellum, & propter amorem Domini Nostri Jesu Christi patiebantur se occidi*. Quam parum huic principio consentit, quod num. 26. notantur ii, qui *fuerunt decapitati & in partes secti per quosdam Capitaneos*

Bri-

Brixienses, qui Paganorum religionem pro Adriano sectabantur, occisi autem sunt in prælio, pro tuenda Christiana fide inito, in quo Christiani, licet multis suorum desideratis (scilicet usque ad 184. ibi nominatis) *tandem*, novo 400. Christianorum aucti subsidio, quod *Carolus de Lavellongo & Matthæus Laurentinus Scaligeri* adduxerant, *victoriam obtinuerunt*, ... *cæsis eorum* (Paganorum) *ducibus, Ugone Massacanino de Benaco, & Ferrarino Cajetano cum aliis circiter quingentis.*

53 Hoc certe prælium non dubitabit credo Abbas Stella inter *rerum uniones prorsus chimericas* numerare. Quis enim credat, Christianos secundi seculi, quorum patientiam & mansuetudinem inter carceres & supplicia tantopere extollunt quicumque pro iis scripserunt Apologias, collectis copiis conflixisse pro fide contra Paganos? Agnovit hoc ipsemet Martyrologii Brixiensis recens conditor Faynus, nec dubitavit quidem *rem* ipsam, ut narratur, *apocrypham* dicere: attamen substantiam servare, atque abson & male cohærentia conciliare cupidus, mutando rei gestæ tempus, *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charibdim*; dum scilicet conatus est prælium istud retrahere ad seculi XI. finem, quasi illud commissum sit contra Henricianos schismaticos, quo prælio cæsorum *corpora*, velut *Sanctorum, Obertus Episcopus consecraverit*; idque *ex consensu Urbani II. & consultu Synodi Diœcesanæ.* Cum certissimum sit ex monumentis ab ipsomet Fayno alibi allegatis, & a me citatis in Aprili num. 30. Ombertum istum ipsummet fuisse schismaticum, Urbani adversarium, & Henrici asseclam, ab Ecclesiæ autem Romanæ, tam primæ quam mediæ, usu abhorreat, milites, in prælio quamvis justissimo cæsos, Martyres consecrare. Tales certe nullos habet Martyrologium Romanum, nec novum, nec antiquum.

54 Tale cum sit scriptum, quod refutandum sumpsi, & tale cum ipsimet Brixienses agnoscant; neque ostendere possint illa, quæ inter fabulas a me rejici quereris, aliunde esse quam ex illo accepta; quis me dicat, ut in fine hujus §. facis, me canere *næniam argumenculæ negativæ*, magis quam Sanctum Hieronymum, quædam de SS. Paulo & Thecla fabulis accensentem, eo quod non aliunde quam ex ipsorum Periodis apocryphis habeantur. Martyres 3290. uno die, una in civitate, uno in loco trucidati, concremati, defossi, non ideo præcise mihi videntur fabulosi, quia immensam esse oportuerit, ad tot corpora comburenda lignorum struem, & fossam amplissimam ad ossa contumulanda (quamvis adjuncta ejusmodi difficultatem obtinendæ fidei non nihil augeant) sed quia neque in Actis SS. Faustini & Jovitæ, neque in alio ullo antiquiori scripto vel Martyrologio tam insignis numeri nulla sit mentio.

55 Ego, qui ad diem 25. Maji quinque millia Martyrum sub Almachio Urbis Romanæ præfecto, sine scrupulo admisi ex Actis S. Urbani Papæ; sex mille ducentos sexaginta Claramonte in Arvernia, ad 15. ejusdem Maii ex Gregorio Turonensi: sexdecim millia in Perside sub Sapore, suis nominibus olim nota, ex Sozomeno, non cunctarer Brixiensibus concedere Martyres 3290. etiam uno die contrucidatos, quemadmodum Treviris contigit aliquando; si Brixiensis Ecclesia, quam copiosissimo sanguine irrigatam libens agnosco, ullam talis numeri notitiam habuisse ostenderetur ante istud Guerrini Chronicon. Duces illorum & Antesignani nominantur *Felix & Gedeon de Lavello-longo*, dicunturque horum *corpora in ecclesia S. Faustini posita ad dexteram altaris majoris*: & digni non fuerint, qui una cum Sociis saltem indefinito numero inscriberentur antiquis istius Ecclesiæ Martyrologiis?

56 Die 18. Aprilis dedit Henschenius Acta S. Caloceri, Martyris Brixiensis, sub eodem Adriano palatium curantis seu custodientis: qui cum omni suo Officio conversus est, qui simul *cum illis, qui ex populo crediderunt, & baptizati sunt, erant omnes quasi duodecim millia hominum*. Hæc verba in vetusto Brixiensis Ecclesiæ Martyrologio, quod postea ad usum Tolonensis in Provincia Ecclesiæ transiit, sic transcribuntur, quasi omnes *de Officio* fuissent *usque ad duodecim millia*, quod nequaquam in Actis dicitur, nec dici vere potuit. Nihilominus Abbas Stella, legens in Actis, omnes de Officio eodem, quo Calocerus carcere clausos, & priusquam hic Mediolanum mitteretur, capite truncatos, omnium 12. millium supplicium istud fuisse supponit pag. 166. miraturque me dubitare de numero 3290. qui non dubitaverim admittere Martyres Brixienses 12700. Ego vero miror tantam socordiam fundantis accusationem in obscuro unius Martyrologii compendio, quod ex Actis unde sumptum est debuerat explicari, itaque intelligi, solos de Officio (qui non admodum multi esse potuerunt, puta 12. aut 20. vel paulo plures) capita plexos, sicut soli fuerant cum Calocero in carcerem dati; quid autem factum sit reliquo pariter baptizato populo, in Actis non dici. Cautior sane Henschenius cavit, ne S. Calocero, qui postea Mediolani Martyrium fecit, Socios adderet: hos enim sciebat mense Februario aut etiam Januario passos. Majori etiam jure abstinuit a nominandis 12. millibus Martyrum: quamvis enim tot millia legantur conversa ac baptizata, non tamen etiam martyrizata: quod alias non dubitavisset asserere Henschenius, si id probare ex Actis potuisset; eique non manifeste patuisset prædicti Martyrologii vel error vel obscuritas.

57 Dum autem *Martyrologium* nominas, non possum non observare fraudem, qua dissimulato *Martyrii Brixiani* nomine & auctore, accusas me, R. Pater, quod *fabulam* esse clamo *cæleste prodigium*, quod *ex Martyrologio Brixiano referunt de Angelis, ad quorundam Martyrum corpora visibiliter excubantibus, & claritate eodem tempore tanta, ut toti civitati nox videretur dies*. Nam *Martyrium Brixianum*, id est Chronicam Cerreti, nominas *Martyrologium*, ut diversum aliquid ab illo videaris allegare, cum neque in ullo veteri, neque in novo Fayni tale quid legatur: & eodem sensu, ipsius statim Paragraphi hujus initio, appellas *Martyrologium vetustissimæ ac celeberrimæ Ecclesiæ Brixiensis*. Quid enim ad conciliandam fidem scripto alicujus Ecclesiæ minime antiquo, & ex ipsorummet in ea eruditorum confessione fabuloso, facit antiquitas & celebritas Ecclesiæ? Imo quid eadem facit ad auctoritatem dandam composito nuper apud se Martyrologio, quale composuit

edi-

ediditque Faynus, nisi eadem Ecclesia ipsum ad usum Chori recipiat, subjungendum lectioni Romani Martyrologii, sicut Gregorius XIII. permittit fieri circa *alios Sanctos*, quam qui in Romano habentur, *in suis Ecclesiis aut locis celebrari solitos?* Hæc quidem fuit Auctoris intentio, expressa in Allocutione ad Illustriss. Marinum Joannem Georgium Episcopum Brixiensem anno 1665. sed neque ab ipso, neque a Censoribus & Approbatoribus obtinuit aliud, quam quod *sine offendiculo, ad gloriam Sanctorum & ipsius Brixianæ Ecclesiæ decorem, imprimi posset*.

58 Eodem modo etiam probatum fuit *Martyrologium Novocomense*, simili ratione compositum & editum a Primo Aloysio de Tatti an. 1675. & alia alibi plura, quæ possem nominare. Antea quoque, & titulo magis generali, prodierant *Gallicanum Saussaii* & *Hispanicum Tamaii*, *Anglicanum Wilsoni*, *Benedictinum Menardi*, *Franciscanum Arturi*, quæ sicut intitulantur, sic etiam passim vocantur *Martyrologia*, & nomine isto incautos decipiunt, dum putantur eo sensu sic dici, quo dicitur *Romanum Martyrologium*, *Synaxarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, *Menæum* vel *Menologium Græcum*, quæ publicum in choro usum habent, publica auctoritate recepta; cum nec privatim quidem usurpentur; & in ipsamet Natione, Ecclesia, vel Religione sua non leves subinde contradictiones patiantur, ne dum apud alienos, ab ea passione vacuos, qua quisque solet amare & amplecti libros suo suorumque honori scriptos.

59 Sed redeo ad Accusationem, & quæro, quænam sint *Vitæ Sanctorum Martyrum Brixiensium*, quas a me repudiari quereris ut fabulosas? ubinam eas vel invenisti haberi, vel saltem ut scriptas nominari audisti? Multas sane esse oportet, quando tam affirmate uteris numero plurali, atque allegas palam notas. Neutrum a te probari video. Fingere scilicet eas te Reverende Pater, oportuit, ut inde me accusares. Si enim in titulo posuisses *Correti chronicum*, ipsimet Brixienses, jam tamdem illius fabulositatem edocti, audire te noluissent. Unica, quam possis, me tamen prius docente, nominare, in fine hujus §. est Vita *Sanctorum Nicolai & Hieronymi*, quorum nominibus si addidisses, eos (ut habet titulus Vitæ) *ex nobilissima Pedrocca familia progenitos* fuisse, eamque Vitam primum scriptam ao. 1416. non fuisset pluribus opus, ut justificaretur mea de istis censura, & plus aliquid antiquariæ scientiæ requireretur in Episcopis, secutis Vitam istam. Si tamen pro hac Vita, seclusa fictione, quidpiam probationis certioris aliquando inveniatur, licebit de illis, ut *Sanctis Martyribus*, non autem ut ex *Pedrocca familia prognatis*, agere 1. Julii.

60 Dico, seclusa fictione. Jam enim ostendi, ipsiusmet Fayni Martyrologi Brixiensis confessione, nec dubito quin etiam Abbatis Stellæ tacito consensu, fictitium habendum prælium pro religione commissum tempore Hadriani Imperatoris inter Christianos & Paganos. Atqui de eo ipso agit Vita prænotata; sed multum contrariatur Chronicæ. Hæc enim dicit, quod *Duces illorum* (Christianorum) *fuerunt Manuel Confalonerius*, *Antonius Franciscus Martilengus*, *Uguzzo Comes Prałbani Datarius Ecclesiæ*, *Faustinus Garaldus*, *& Taverius de Taverniis de Roccado* (Quasi vero Civitas & Ecclesia Brixiensis tunc habuerit *Confalonerios*, *Datarios*, *Comites Pralbani*, titulis medio ævo primum natis tempore Longobardorum) eorum vero qui cum 400. in subsidium venerunt Duces nominantur *Carolus de Lavellongo*, *& Matthæus Laurentius Scaligeri*: ex omnibus autem Ducibus *soli duo Manuel & Uguccio* occubuisse dicuntur, cum aliis 184. *ex parte vero contraria multo plures* cæsis eorum Ducibus duobus, cum aliis circiter 500.

61 Vita interim, de qua agimus, *Nicolaum & Hieronymum Pedroccas*, patrueles, solos novit Duces Christianorum, & dicit, quod *in eo conflictu factum est, ut plerique ex Christianis Martyrio coronarentur; ipsi autem Duces multis vulneribus confecti ad Præsidem adducerentur*; a cujus vinculis antea fuerant per Petrum Nicolai filium effracto carcere liberati, ut contra Paganos bellare possent: quæ quam sint moribus Christianorum primorum contraria, nemo non videt. Si autem, ad salvandam duplicis relationis dissonantiam, dixeris, diversa ista fuisse prælia (habet enim Chronica, quod *ex eo die cœperunt vim vi repellere Christiani, posita formidine Paganorum, electusque est Capitaneus Matthæus Scaliger de Advocatis*) si inquam, hoc dixeris, multo magis augebis præsumptionem mendacii, fingendo quasi justum & publice continuatum bellum, in causa Religionis, eo seculo, quo nullus alibi Christianus legitur arma gessisse ad defensionem Religionis.

62 Nec minus ab illius seculi usu alienum est, quod eadem Vita præsumit usitatissimum, dum omnibus ex Pedrocca familia conversis mutata ait in baptismo nomina, ut *Erastus & Porsius* fratres, *Nicolaus & Emmanuel*; hujus uxor *Eleonora* antea, dicta sit *Juliana*, & utrorumque mater *Eugenia*, quæ antea vocabatur *Percia*; sicut & *Hieronymus* dictus sit, qui ante *Aselinus*. Hæc est ergo præclara illa Vita, pro qua non tota probata arguere me præsumit Patern. vestra, tamquam sufficiente ad probandum titulum tam late patentem, qualis Accusationi præfigitur, licet pro ea Vita vindicanda nec unum quidem verbum dignatus sit facere Abbas Stella: quasi nulla tam mala causa sit, quam contra me non sis paratus defendendam assumere, sicuti fecisti pro Dracone S. Georgii. An ergo nequit Ordinis vestri antiquitas sustineri, si semel liceat dubitare de iis, quæ vulgo creduntur? Hoc sane principio omnes vestræ apologiæ nituntur, ut eas legenti clarum est; & huc spectat, si spectet aliquid præter calumniam & invidiam, mihi conflandam, tota Exhibitio tua.

63 Idem Abbas Stella pro desperato habuit, quod initio attigi de arena conversa in nomina Martyrum, quodque tua Patern. queritur a me ut fabulam rejici; in Chronica autem sic refertur. *Cum D. Paulus de Bononia Canonicus Regularis Ord. S. Augustini esset præpositus Ecclesiæ SS. Faustini & Jovitæ, scripsit ei Pontifex epistolam, ut ad se mitteret nomina omnium Martyrum in dicta ecclesia quiescentium. Ipse autem non sciens quomodo posset ejus voluntati satisfacere, fusis in oratorio S. Faustini precibus, suspirari se sensit, ut pugillum arenæ ex dicto oratorio sumptæ, sudario includeret mitteretque Pontifici. Qui ut sudarium manu habeet*

conjectavit, Hæc, inquit, arena mihi esse videtur, Aperioque sudario invenit pro arena schedulas, Martyrum singulorum nominibus inscriptas, literis sanguineis, quæ nomina in Catalogum referri jussit Pontifex Urbanus (hoc enim ei nomen erat) accersitumque ad se jam dictum Præpositum in maximo deinde honore habuit. Ad hunc locum sic ego notavi: *Vix dubito, quin hic agatur de Urbano VI. qui post restitutum Italiæ Pontificatum primus Romæ sedit sub anno 1378. sed æque certum habeo fabulam esse, quæ hic narratur.* Causam addo: *Talem enim Sanctorum Catalogum, ex nominibus tam miraculose agnitis, si scribi jussisset Pontifex, quomodo neque istius miraculi memoria alia, neque Catalogi exemplar ullum extaret?*

64 Legit hæc Abbas Stella, legerunt Brixienses multi; & tamen nemo unus hactenus est ausus mussitare, pro tali miraculo & catalogo manu-tenendo. Tu, Pater Rev. nihil aut rationis aut auctoritatis habens quod prætendas, præter Cerreti Chronicam, quam tamen non audes nominare, pro omni responsione solum dicis, quod hoc est *mera nænia argumenculæ negativæ, omnibus Novatoribus solemnissima.* Quid si reponerem ego, quod hæc sit mera nænia Carmelitica, quoties ineluctabili negativi argumenti vi constringuntur, effugium quærentium. Abbas Stella istam non docet; sed præmissa semel abdicatione tam fabulosæ Chronicæ, unde res est sumpta, absolutum se credis ab onere respondendi de singulis; itaque tacite confitetur se quoque pro fabulis habere omnia istic contenta, nisi quatenus aliunde probari quædam posse existimat; multo sane rationabilius agens quam Patern. Tua, cui satis est invenire aliquid a quocumque & quomodocumque scriptum, de quo ego dubitem, ut inde mihi formes grande crimen coram Apostolica Sede & Ecclesia universa: quo jure quave injuria æstimet æquus lector, quem talibus nugis expendendis non distinerem, nisi tua me urgeret importunitas.

§. XII. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra communem Ecclesiæ sensum & Romanorum traditionem, opinatur, S. Alexium mortuum esse, non Romæ, sed Constantinopoli.

RESPONSIO.

Causas cur cogi me putabam ante hos sexdecim annos, ad opinandum huic S. Alexio idem contigisse, quod S. Joanni Calybitæ, ut ipse etiam crederetur Romæ veteri mortuus, & tamen mortuus esset Romæ novæ, id est Constantinopoli; causas, inquam, cur eo cogi me putabam, plene proferri, neque patiebatur brevis notitia danda ad Ephemerides Græco-moschas ante primum Tomum Maii die XVII. Martii, quo is celeberrimo Officio colitur apud Græcos; neque etiam vacabat funditus examinare: quapropter expedivi me paucis, profitendo, quod istic obiter dicta, *eruditis viris volui consideranda proponere, prius quam aliquid de iis statuam, quod erit faciendum ad XVII. Julii, quando Romæ S. Alexius colitur.* Nihil ergo aut tunc absolute opinabar, aut opinor etiam nunc contra Romanorum traditionem; sed solum vehementer & *multis causis* dumtaxat impellebar ad opinandum; prætensum tamen tenebam judicium; dubitationem vero proponendo, non aliud. Nec aliud intendebam, quam alicujus ex eruditis Romanis vellicare curiositatem, ad eam rem mecum privatim discutiendam, priusquam aliquid definirem. Sed frustra id expectavi. Primus tu, Pater Rev. assumis causam, non docturus me, quod ignorabam de Alexio, sed vulgo nota inculcaturus, ad persuadendum non solum quod dixerim dubitari posse de loco mortis & vitæ S. Alexii; sed etiam quod positive opiner non Romæ sed Constantinopoli mortuum esse; quod est a vero alienissimum & mera calumnia.

65 Ego, ut minus offenderet dubitatio, & simul aliqua dubitandi causa indicaretur, remitto loco accusato lectorem ad Januarium decessorum meorum, editum ante annos 53. ubi ad diem 15. Henschenius, Bollando approbante, de patria prædicti S. Joannis Calybitæ acturus, sic præfatur num. 8. *Sæpius in Martyrologiis usu venit, ut quo loco Sancti cujuspiam extent Reliquiæ, ei ita tribuantur, quasi vitam istic degerit, aut martyrium subierit. Ita 22. Januarii,* Romæ ad aquas Salvias S. Anastasii Persæ Monachi, *& 31.* Romæ Sanctorum Martyrum Cyri, & Joannis, *cum ille in Perside passus sit, hi in Ægypto. Idem* S. Joanni Calybitæ *accidit, cui posita Romæ ædes, Reliquiis eo allatis, persuasit eum Romæ habitasse*. Pergit deinde recensere Henschenius omnes fere Latinos scriptores, quibus numquam in mentem venit de Roma nova, id est Constantinopoli cogitare; & tamen ex ipsa Vita fidenter conficit, illi, non autem veteri, Joannis istius natales adscribi debere, obitum vero ad extrema Theodosii Junioris tempora, sive seculum 5. dimidium, pertinere. Et tamen hactenus inventus est nemo, qui de Auctoribus Januarii Romæ quereretur pro Joanne; quemadmodum pro Alexio, Pater Rev. quereris de me, nonnullas etiam causas habente, ad diffidendum simili & æque inolitæ opinioni, pro qua nullam rationem adducis, quæ mutato nomine valere non debeat circa Joannem.

66 Unum interest, quod Joannis Vita Græce scripta sit, non a Simeone Logotheta seu Metaphraste seculo 10. sed a coævo seculi 5. auctore; unde fit, ut in ea nihil reperiatur secum vel cum recta temporum locorumque ratione pugnans. S. Alexii vero Vita vel nulla antiquitus scripta fuit, vel periit; unde solum illa reperitur, quam ex traditione scripserunt Monachi sacri corporis custodes Romæ, seculo forrassis 8. vel 9. sicut eam habemus ex Mss. eorum impressam Romæ an. 1636. sed Auctor, (ut in diu post scriptis non raro contingit) enormiter erravit asserens, quod Alexii morte cælitus indicata, *Imperatores Arcadius & Honorius, qui eodem tempore Romanum regebant Imperium, una cum Pontifice Innocentio jusserunt ... exquirere de homine Dei*, eoque invento *videntes tanta mirabilia cœperunt cum Pontifice lectum gestare*. Atqui Innocentius Papa creatus anno 402. tempore utriusque Imperatoris, Honorium quidem Romæ præsentem habuit anno 403. & 404. Arcadium autem vidit numquam; ut qui anno 395. sortitus Imperium Orientis,

entis, in Occidentem Honorio fratri relictum non rediit.

67 Animadvertit hoc is, qui in monasterio Cryptæ ferratæ, prope Romam, Vitam illam aliasque plures ex Latino Græcas fecit: nam temporibus quidem utriusque Imperatoris rem actam dixit; de unico tamen Imperatore, qui vocem audierit, humerosque sacro feretro supposuerit tantum loquitur, neque enim nominare voluit. Hac autem non satis fideli interpretatione, lectori occasionem abstulit cognoscendi de auctore Latino, quam parum fuerit peritus earum circumstantiarum, quæ ad S. Alexii obitum spectabant; originalem tamen textum Latinum habentibus, justam dedit caussam diffidendi eidem, cum Innocentium Papam nominat: qui funus curaverit in ecclesia S. Bonifacii Romæ, quod in alia quapiam Constantinopolitanarum ecclesiarum potuerit fecisse S. Joannes Chrysostomus, cum Imperatore Arcadio, si novæ Romæ, non veteri, historia illa adscribi debeat.

68 Ipsam vitam S. Alexii non magis *figmentum esse* dico, quam id de Vita S. Joannis Calybitæ dixerint Magistri mei, idem de eo sentientes; adeoque nihil hue facit, quod a Theophilo Raynaudo accipis, Rev. Pater, eum, *qui id effutiret*, non *sibilis*, *sed fuste excipiendum*. Nolim id retorquere; eo quod, ubi dico, ab aliter opinantibus *veterem Romam pro nova accipi*, me mihi metipsi contradicere facis, quasi scripserim in persona propria, *veterem Romam pro nova accipio*; quin potius hanc verborum meorum tam substantialem corruptionem adscribam typothetæ, vel correctori libri tui, qui minus ad sensum meum attentus, scripserit *accipio* pro *accipi*.

69 Atque his abunde factum esse puto satis Accusationi propositæ; qui de loco natali S. Alexii hactenus definivi nihil, nec opinando quidem, ac proinde falso accusor apud Romanos. His autem, mota sic quæstione, scire nunc cupientibus, qua tandem ratione aliquis dubitare possit de re pridem ipsis indubitata, & quid ego demum de tota re sentiam; respondeo, illas, quibus olim penes me cogi opinabar caussas, non amplius mihi videri tam gravas, ut præponderare non possit [t] debeatque traditio de nato Romæ mortuoque S. Alexio. Eas tamen ut minime leves fuisse appareat, ipsas hic expendere juvat, fundatas in Vita, serius, ideoque obscurius, nec sine defectibus scripta, ut in talibus fieri post secula multa consuevit.

70 Prima dubitandi occasio nata mihi fuit, consideranti, quod Roma nova sita sit ad mare, brevique quatuor vel quinque stadiorum freto, quale remis actus lembus intra horæ quadrantem trancere potest, dividatur ab Asia, in qua octodecim annis peregrinatus est Sanctus, ante reditum in patriam: utroque autem in littore ingens jacet lemborum ad trajectum expeditorum copia, quavis diei ac noctis hora cuicumque naulum offerenti paratorum. E contrario vetus Roma distat a mari quatuor vel quinque horarum intervallo, eamque præterfluens Tiberis impatiens est navium, trajiciendo Mediterraneo mari, & emetiendis quingentis usque in Asiam leucis idonearum, quales requirere oportuisset in portu Romano, cum periculo a domesticis, fugitivum herilem filium undequaque mox requisituris. Et tamen Vita prædicta, neque in itu, neque in reditu mentionem ullius navigationis facit, nedum tam longæ. Hinc sumpto dubitandi initio, offerebant se nomina parentum *Euphemianus & Aglais*, æque ac nomen *Alexius* Græca; & quod cultus, multo prius videbatur institutus Constantinopoli, quam Romæ: legitur enim apud Gavantum ex Chronico quodam Germanico, *festum institutum* fuisse circa annum 1200. neque ipse Gavantus, studiose scrutatus talia, in ullis vel Breviariis vel Kalendariis Romanis, nomen S. Alexii reperit ante annum 1550. Ego paulo antiquiora habeo ab anno 1479. excusa, in iisque ad 17. Julii nomen S. Alexii, uti & excusa sub idem tempus Usuardi Martyrologia, nominis istius accessione in fine aucta. Vetustiora omnia, quæ vidimus, etiam ad Vaticanæ aliarumque Romanarum Basilicarum usum scripta, eo nomine carent; æque ac ceteri ante vel post Usuardum Martyrologi, Beda, Ado, Notkerus &c. nisi forte manu recentiori adscriptum sit, uti factum in vetustissimo monasterii S. Cyriacæ Codice, cujus ectypum cum ista distinctione signatim notata habemus. Apud Græcos e contra celebris fuit *S. Alexii Hominis Dei* cultus ab annis plus quam nongentis, quando vivebat S. Josephus Hymnographus, qui Officium S. Alexii cum Canone composuit. Hæ ergo mihi tunc erant causæ dubitandi: quas non omnino inanes existimanti, ut quid solidi super illas strui posset, visum est dubium meum ut dubium proponere tantisper eruditis ingeniis, si quid illa afferrent, quod dubium solveret vel augeret, priusquam nos ex professo de S. Alexio ageremus in Julio.

71 Exinde vero, quod aliis proposueram, dubium mihi ipse pene solvi, diligenti lectione ac ponderatione Canonis memorati. Considero enim ipsum illum Canonem iterum ac diligentius relegens, non solum, simpliciter istic nominari *Romam*, (quam si Novam intellexisset auctor verosimiliter alicubi nominasset, ut solet, Τὴν Βασιλίδα *civitatem Regiam*) sed etiam noto Odes IX. Strophen ut sic cani: *Convenerunt ad sepulturam tuam Patriarcharum ὁ πρόκριτος & Christi amantissimus Imperator, Principesque juvenes ac seniores cum Choris Monachorum*. Ubi Πατριαρχῶν πρόκριτος *Patriarcharum præcipuus*, sive *eximius inter Patriarchas*, nemo aptius intelligi potest quam *Patriarcha* seu *Pontifex Romanus*, esto idem epithethon convenire possit etiam Joanni Chrysostomo, tamquam eximio vel præcipuo inter Constantinopolitanos Patriarchas. Sed hunc cur non distinctius indicasset Josephus, Odarum istarum auctor, per epithethon magis ipsi proprium, si de eo intelligi voluisset? Fuit enim ipsemet Magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Scevophylax, sive sacrorum vasorum custos anno 848. institutus, in eaque dignitate vixit usque ad annum 883. intra quod tempus, reflorescente sub orthodoxa Imperatrice Theodora Sanctorum cultu, Canon seu Hymnus iste compositus fuit, ac fortassis tum primum Constantinopoli receptus S. Alexii cultus, una cum qualicumque Vita, Roma allata.

Opuscul. Collect.

[t] Adi tom. 4. Julii a pag. 238.

72 Eodem sane jure, quo posset præsumere quis, sic ut ego olim dubitans, Monachos Græcos, seculo 8. Constantinopuli pulsos ab Iconomachis, in Romanum S. Bonifacii monasterium attulisse corpus S. Alexii, cum aliqua vitæ mortisque notitia; eodem, inquam, jure præsumere potest e contrario alius in favorem Romanorum, eosdem illos Græcos redeuntes in patriam, persecutione cessante seculo 9. cum Sanctus Joseph Constantinopoli floreret, acquisitam Romæ notitiam & æstimationem S. Alexii, illuc attulisse cum aliqua ejusdem Sancti reliquia, & sic illius cultum a Latinis ad Græcos transiisse, multum promovente eum S. Josepho per compositionem Officii proprii, toto mox Oriente cum ceteris ejusdem Hymnis diffusi.

73 Hoc autem posito, revalescit traditio & eatenus æquam hinc inde lancem facile in suam partem inclinat, si modo concedamus, quod concedere oportet nihilominus, Vitam, a quocumque demum scriptam, non esse scriptam ex certa distinctaque notitia, sed ex longa majorum traditione; atque inde factum, ut in nominandis duobus Imperatoribus pro uno, reticenda navigatione longinqua, aliisque similibus adjunctis, auctor defecerit, fortassis etiam conformiter ad Græcum *Alexii* nomen, formaverit ex ingenio suo nomina *Euphemiani* patris, matrisque *Aglaidos*: quamquam non magis mirum fuerit, in Senatu Romano tunc fuisse familias aliquas Græcas, quam quod Constantinopoli erant Latinæ, ab ipso urbis conditore cum parte Senatus a veteri ad novam traductæ. Brevitas etiam illius scripturæ, quam moriturus Sanctus exarasse dicitur (cujus utinam exemplar servatum haberetur) sicut non exigebat accuratam fugæ itinerisque rationem, ita facile excusat omissam mentionem navigationis: atque ita solutæ manent pleræque difficultates, quæ prima fronte vix solubiles apparebant. Tanti interest, ut (quod hic & alibi plerumque caveo) nihil præpropere definiatur, sed expectetur proprium cujusque rei pertractandæ tempus, dum interim emergentia forte dubia discutiantur cum viris eruditis, quibus ea idcirco soleo libenter proponere; non vero ad creandum antiquis traditionibus præjudicium, uti satis liquet ex modo scribendi.

74 Teneant igitur, quantum in me est, sibi suum *Alexium* Romani: quærentibus autem unde tam sero inductum sit ejus nomen Missalibus, Kalendariis atque Martyrologiis, respondeant id factum, quia cultus Sancti eatenus substiterit in sola una ecclesia, quæ licet nesciatur, quandonam dici communiter cœperit *SS. Bonifacii & Alexii*, scitur tamen utrumque titulum gessisse seculo x. quando istuc venit S. Adalbertus Pragensis Episcopus anno 995. & Sermonem composuit ipso festo S. Alexii recitandum, nec minus seculo xi. quando istic fiebant miracula multa, quæ utrique Sancto communiter invocato & simul variis apparenti imputabantur, qualia ad diem S. Bonifacii 14. Maii descripta dedi.

§. XIII. ACCUSATIO.

Papebrochius impugnat Martyrium S. Secundi Episcopi Abulensis.

RESPONSIO.

Creditur hic unus esse primorum, quos Apostoli in Hispaniam direxerunt, Episcoporum, quod autem Martyr obierit nullus veterum dixit; sed bene quod *Abulæ quievit*. Historiam inventi anno 1519. corporis reddo fideliter, tom. 1. Maji pagina 179. cum indiciis multis Episcopatus, nullis Martyrii: & pagina 172. exhibeo Bullam Leonis X. rescribentis Episcopo & Canonicis, qui sibi exponi fecerant, *quod corpus S. Secundi Episcopi & Confessoris . . . in quodam antiquissimo tumulo . . . cum iisdem quibus ibi sepultum extiterat vestimentis, nuper repertum fuerit* Peracta autem Translatione ann. 1594. *toto octiduo Missa & Officium ex usu Romanæ Ecclesiæ recitabuntur, sicut de Pontifice Confessore*.

76 Quid igitur, inquies, movit Abulensium Romæ legatos, ut peterent anno immediate præcedenti Lectiones & Officium, cum Missa de Pontifice Martyre? & cur hic ritus statim Abulæ susceptus non est, adhibitusque per Octavam translationis? Id viderint Abulenses. Vis conjecturam audire? Invenio, sub idem tempus cœpisse ab Hieronymo Roman de Higuera communicari cum Hispanis Adversaria quædam Chronologica, sub nomine Luitprandi Ticinensis Diaconi, in quibus de S. Secundo dicitur, quod *in urbe Abula martyrium passus*. Hinc cœperint variari sententiæ: ac primum quidem retentus fuerit ritus antiquus; sed prævalentibus paulatim novorum Higueræ figmentorum approbatoribus, illa majoris antiquitatis specie deceptis, pro titulo Confessoris receptus sit titulus Martyris. Factumne hoc sit cognita satis Romæ causa mutationis, nescio, hoc scio, auctoritatem istius Pseudo-Luitprandi apud Cardinalem d' Aguirre aliosque prudentiores Hispanos nullam esse. Interim ego de veritate martyrii dubitans, ex jam dictis & suo loco a Te, Pater Rev. lectis argumentis, sane positivis, cur dicor id, *quod Ecclesia approbavit, reprobare argumentis negativis seu plane stramineis?*

§. XIV. ACCUSATIO.

Papebrochius Acta Sanctarum Catharinæ & Barbaræ Virginum & Martyrum molitur trahere in dubium.

RESPONSIO.

Dico quidem, in Ephemeridibus ad 25. Novembris, *Acta illa apud utrosque* (Latinos & Græcos) *quantum habent admirabilitatis, tanto etiam plus difficultatis pati ad faciendam fidem*: sed ubinam dico, aut dicere videor, quod *mirabilitas sit mensura credibilitatis, sicut sint eo minus credibilia, quo sunt mirabiliora*? Si diceres Rev. Pater, quo mirabiliora sunt, eo majori & certiori egent probatione ad fidem obtinendam, aliquid humanis mo-

ribus

tibus congruum diceres, atque ex sensu meo, qui gradum & modum credibilitatis peto a majori minorique certitudine probationis: quæ probatio, si res antiqua sit, de qua agitur, sit etiam antiquitatis proportionatæ. Hanc in utraque Sancta, passa (ut traditur) seculo 3. vel 4. requiro priorem seculo 9: legitimum vero utriusque cultum, post inventa corpora, conor stabilire per miracula, quæ utramque Sanctam fecerunt Ecclesiis tam Orientis quam Occidentis celeberrimam. Cui autem non merito suspecta sint Acta, [1] post corporum inventionem composita, cum antea illæ nec apud Græcos, nec apud Latinos nominarentur?

78 De *Catharina*, sive *Æcaterina*, constat, ejus nomen in hunc usque diem abesse a Kalendariis Ægyptiis & Habessinis, cum tamen passa dicatur Alexandriæ in Ægypto. Deest etiam in genuinis & antiquioribus Mts. Bedæ, Adonis, atque Usuardi Martyrologiis, licet in recentioribus exemplis postea additum reperiatur. Etenim in omnibus, tam Græcis, quam Latinis Actis passa dicitur sancta sub Imperatore Maxentio, Magni Constantini æmulo sævissimoque tyranno, adeoque circa annum 312. quo is obiit; celebrari autem primum cœpit Catharina seculo 9. secundum traditionem Monachorum Sinaitarum, sacrum corpus usque modo custodientium. Probat hoc Rudolphus Frameynsperg, nobilis Germanus, anno 1343. per terram sanctam peregrinatus, apud Quaresmium in Elucidatione Terræ-sanctæ tom. 2. pagina 997. dicens, *sacrum corpus quingentis annis quievisse in summitate montis Sinai, iisque finitis ad claustrum Monachorum delatum fuisse*.

79 Habeo quidem Mss. unum, ex Susatensi Patrum Prædicatorum bibliotheca, quod incipit, *Conceptionem & Vitam B. Catharinæ B. Isidorus, in libro de ortu & obitu Justorum, describit*: hic autem floruit initio seculi 7. & cum hac ætate conveniret, quod prælaudatus Quaresmius in quodam Mts. chronico reperit, *Corpus S. Catharinæ ibi quievisse annis trecentis ab Angelis custoditum*. Sed primum testimonium nullius est auctoritatis: liber enim allegatus, cujuscumque demum Isidori sit (nam Hispalensis esse, adeoque ad seculum 7. pertinere, multi negant) non transit ultra Apostolos, iisque junctos SS. Titum & Timotheum: istud autem additamentum de S. Catharina, & quæcumque alia nusquam nunc comparentia, ejusdem Auctoris non sunt, sed alterius longe posterioris: sicut etiam multo posterioris & ignotæ ætatis nobis est istud Ms. Chronicon, quod allegat idem Quaresmius. Quin imo hoc ipsum, quod Rodolphus audivit de annis 500. non potest consistere cum veritate, nisi dictum fuerit cum respectu ad annum Inventionis, non Translationis. Hæc enim ne quidem adhuc facta erat ann. 1026. quando in eo monasterio vivebat S. Symeon Trevirensis, cujus anno 1035. mortui Vitam dedi 1. Junii, & in ea legimus, quod ipse in summitate montis ante sepulcrum & corpus Sanctæ excubans, inde meruit tres Articulos accipere, quos postea in Galliam detulit. Ex Vita quoque S. Richardi Abbatis Virdunensis habemos, moris eo in monasterio fuisse, ad supercili-

Opuscul. Collect.

um montis dimittere duos tresve Fratres, qui eodem officio istic fungerentur, sacrum quod inde effluit oleum collecturi. Manebat ergo adhuc sanctum corpus eo in quo fuerat inventum loco, currente xi. seculo Christi.

80 Quidquid tamen sit de tempore Inventionis, certum haberi interim potest ex silentio omnium antiquorum, quod ante ipsum nulla eo loci fuerit Sanctæ notitia. Nam S. Nilus Constantinopolitanus, seculo 5. S. Joannis Chrysostomi discipulus, & Sinai montis Monachus factus, in Historia Monachorum aliorumque ibidem a Barbaris occisorum, qui ut Martyres coluntur 14. Januarii, omnem non solum disciplinam loci, sed etiam montis celebritatem describens, eumque laudans a præsentia Moysis atque Eliæ, non omisisset S. Catharinæ meminisse, si ea tunc ibi aliquam venerationem habuisset, corpore istic tam mirabiliter deposito, & post martyrium tam memorabile toleratum. An autem credemus tunc cum hoc inventum est, inventam quoque Historiam vitæ ac passionis eatenus ignotæ? an vero revelatione divina auctori illius facta innotuisse omnia? Neutrum habet loci traditio, imo nec hoc quidem hactenus distincte docere potuit, quomodo inventum corpus ipsum sit, esto ea de re aliquid pronuper scriptum reperiatur in monasterio S. Catharinæ Cortraci. Unde igitur habuerunt Monachi Sinaitæ, quæ de argumento tanto vetustiori, & de re tot seculis ante gesta tradiderunt, Græcia Latinisque litteris vulganda, nisi ex cerebro alicujus, pietatem existimantis, vitam & passionem comminisci, per quam desineret ignota manere Thaumaturga tanta?

81 Hadrianus Valesius, in posthumis a filio editis, citra dissimulationem dicit pagina 48. quod *Vita S. Catherinæ Virginis & Martyris tota fabulosa est, ab initio usque ad finem. Creditur tamen fuisse aliqua Martyr istius nominis: sed certum est etiam nesciri, quo tempore vixerit & cujus fuerit*. Cardinalis Baronius in Notis ad Rom. Martyrologium die 25. Novembris, ita loquitur: *In Actis ejus haberi aliqua quæ corrigantur, nullus qui illorum temporum res gestas noverit, inficias ierit, ut inter alia istud de Maxentio, cujus loco restitutus est Maximinus*; utique in recognitione Breviarii Clementina, sub initium hujus seculi facta: sed, quo codice vel auctore præeunte, Maximinus illic restitutus, aut potius primum constitutus sit pro Maxentio, non meminit Baronius: nec ego reperio vitam ullam Ms. in qua legatur alius, quam *Maxentius*. Id vero retineri cum veritate Historica multis de causis non potest (quia constat nullum in Ægypto Alexandriæ fuisse Maxentium, coram quo illic disputasse & passam esse Catharinam, Acta dicunt: sed fuisse ac sæviisse Romæ, ibidemque sub annum 312. prælio a Constantino victum, & e ponte Milvio prolapsum in Tiberim, periisse) atque adeo necessitas correctionis converterit animos recognitorum ad quærendum Alexandriæ tyrannum ejusdem vel similis cum Maxentio nominis, aptioremque non invenientes Maximino, hunc pro illo reposuerint, eodem enim

[a] Suspecta fuerunt & Pagio tom. 1. p. 346. qui Papebrochium ibi cum laude exscribit. Papebrochio assentitur etiam Du-Mesnilius l. 9. n. 16.

tempore ambo sævierunt; quod tamen solum Breviarium legenti, in quo nulla Constantini aut Romæ mentio, nihil detegit contradictionis aut discrepantiæ locorum.

82 Attamen commutatio illa Maxentii in Maximinum Acta ipsa, forsitan a librariis depravata, non corrigit ad auctoris mentem, sed tota contra ejus mentem vertit sus deque, & tollit insuper facultatem de ipsius Scriptoris fide & scientia judicandi. Etenim Acta illa, quæ Baronius habuit, servanturque in variis Codicibus Romæ, & qualia etiam nos in nostris membraneis habemus, constanter Maxentium nominant, æque ac Græci Latinique omnes, qui ea contraxerunt in compendium, ut sunt Metaphrastes, Joannes de Voragine, Petrus de Natalibus: Maxentium autem sic nominant, ut substitui pro eo alius omnino nequeat. Eccum initium. *Tradunt Annales Historiæ, quod Constantinus, qui gubernacula Imperii a patre Constantio accepit, ... cum rempublicam strenue in Galliis procuraret, prætoriani milites Romæ Maxentium, Herculis filium, qui privatus in Lucania morabatur, Augustum nuncupaverunt. Inde inter Constantinum & Maxentium civile bellum exortum est. Maxentius siquidem prælio fugatus, Alexandriæ partibus sese recepit. Audiens vero, Constantinum inter Illyricum sinum bellis undique consurgentibus detineri, repentina rabie incitatus, Ecclesiam Christi zelo idololatriæ persequi instituit, & ad profana sacrificia Christianos aut præmiis aut tormentis incurvare. Anno igitur trigesimo quarto regni sui, residens in civitate Alexandrinorum, feralia per vicinas provincias emisit edicta &c.*

83 Fuerat anno 306. elevatus ad solium Maxentius, unde si annos 34. numeres, habebis annum 340. Atqui jam triennium obierat ipsemet Constantinus, ejusque filius Constantius totum Orientis imperium absque consorte tenebat; unde apparet quam rerum tunc actarum exiguam notitiam habuerit, qui ad *Annales historiæ* tam fidenter appellat, indignus utique qui censeatur nomine *Rabani Abbatis*, ejus qui Fuldensem abbatiam in Germania rexit usque ad ann. 842. factus deinde Archiepiscopus Moguntinus. Molanus quidem in suis ad auctiorem Usuardum notis, semel, iterum, tertio recusis, testatur se Acta illa, quæ incipiunt, *Tradunt Annales historiæ*, habuisse impressa *sub nomine Abbatis Rabani*: sed ea licet forsitan inventa alicubi sint inter scripta Rabani, vere tamen hujus esse, non potuit persuaderi Georgio Calvenerio, qui non solum Rabani opera omnia quotquot reperire potuit tribus tomis edidit, sed etiam longam texuit seriem aliorum, quæ aliquando extitisse vel alicubi adhuc extare noverat; & S. Catharinæ nullam inter ea facit mentionem; tametsi illam non poterit ex familiari sibi optimeque noto Molani libro ignorare: prorsus scilicet contemnens scriptionem, toto stylo a Rabani charactere diversam: quæ tamen ut Rabani esset, non foret seculo nono antiquior.

84 Illa autem ipso initio tam absurda Acta solummodo videntur epitome fuisse prolixiorum Actorum, S. Isidoro perperam (ut supra dixi) imputatorum, totamque S. Catharinæ vitam, a conceptione usque ad martyrium, sic deducentium, quasi ipsa fuerit Magni Constantini neptis, ex prius aliunde genito fratre Costo; quem Costum Cæsar Constantius, Diocletiano militans in Oriente, genuerit ex filia & hærede unica Regis Armeniæ; rediturusque in Occidentem (ubi ex Helena, Britonum Regis filia, genuit Constantinum) cum matre reliquerit dominum Græciæ, id est Armeniæ. Hæc nempe & quæ sequuntur alia ejusmodi sunt, ut Cæsareæ Historiæ vel modicum peritus dubitare nequeat, quin falsa sint: sequitur autem de eodem Costo, ficto scilicet Constantini fratre, & quidem prius genito, quod eum paterno regno privaverit Maxentius Imperator, qui in Ægyptum confugiens, ducta Alexandrini Regis filia unigenita, nomine Sabinella, genuerit Catharinam. Hanc vero, omni litterarum profanarum scientia eruditam, cum nequiret mater, Costo mortuo Vidua & Christiana effecta, vel ad fidem Christi vel ad dignum natalibus suis matrimonium inducere, ad pium a quo ipsamet conversa fuerat, Eremitam, nomine Ananiam adduxerit, & hoc orante viderit Catharina speciosum forma præ filiis hominum, sponsumque optare visa sit, Deipara etiam conciliatrice usa; sed frustra, donec baptizata meruerit accipere sponsalem annulum. Horum autem omnium nihil cum habeatur in Actis Rabano imputatis, præter nomen *Regis Costi*, patet, quod hæc solum sint pars aliorum atque compendium.

85 Tum porro progreditur, iisdem quibus illa verbis, sed pluribus, primus Auctor narrare, quomodo talibus visis animata Virgo, & Alexandriam regressa, Maxentium Alexandrini regni occupatorem, sacrificantem redarguerit, quinquaginta philosophos ad ipsam revincendam undique evocatos disputando converterit, nec non Maxentii uxorem Faustinam, atque militiæ ducem Porphyrium cum 200. militibus, omnes ante ipsam martyrio donatos; ac denique post varia tormentorum genera, rotariam machinam, cultris & uncis asperam, quibus dilanianda erat, invocato Christo dissipaverit, cum strage quater mille Paganorum; ac denique gladio decollata lac fuderit pro sanguine, & ab Angelis delata sit in montem Sina, itinere viginti & amplius dierum distantem.

86 Habes hic summam, Rev. Pater, prolixissimi dramatis, quod ego quidem impressum habeo Argentinæ an. 1508. ex priori ibidem curata editione anni 1499. Sed in veteribus Mss. necdum potui reperire Legendam totam, fontem tamen (ut existimo) omnium quæ Græce Latineque deinde scripta sunt. Ac primus quidem servato *Rege Costo* sive *Consto* & *Imperatore Maxentio*, solam passionem Græce descripsit sub annum 950. Symeon Metaphrastes, Latine editam a Lipomano & Surio; integram vero Legendam nescio quis & quando Latine composuit, sed sic repertam in epitomen redegit Petrus de Natalibus, incipiendo ab ortu & conversione puellæ: ex Petro autem rursus contractiorem invenio insertam Breviario Romano, jam inde ab anno 1579. Venetiis impresso.

87 Hic tamen non dissimulaverim, quod illa, quam impressam habeo, Vita non sit sincera ac primigenia, sed assumptis parergis variis dilatata in Capitula 24. a quodam Fratre Petro, qui multa undique fabulosa corrasit addiditque Legendæ antiquæ, satis superque fabulosæ per se, incipiens ab initio Diocletiani. Fingitur enim

enim is assumptus a militibus ad Imperium, quia inventus sit prandens in agro super inverso quo terram arabat vomere, eo quod oraculo moniti erant assumere virum, ferrea mensa utentem. Huic principiu, nescio unde accepto, subjungitur totum veteris (ut puto) Legendæ argumentum usque ad sanctæ Virginis mortem, & funus ab Angelis procuratum: tum additur, quod inter frequentia ibidem fieri solita miracula, *unum est præcipuum & vere multa memoria dignum. Nam in festo hujus venerabilis Martyris innumerabilis avium multitudo annuatim venit, quarum qualibet unam vel plures olivas in rostro suo portans, in claustro deponit monasterii; & sic ibidem in tanta copia olivæ coadunantur, ut oleum factum ex eis per totum annum abundanter sufficiat Monachis, pro necessitatibus suis & ad usum lampadum.* Olivarum allationem a fidelibus ad festum confluentibus copiosam fieri, quasi in compensationem olei de sepulcro (ut constat) colligi consueti, facile crediderim, sed pro hominibus aves fabulosas supponi nemo sibi nunc (credo) patietur; quare si hoc in veteri Legenda narrabatur, merito id ab aliis omissum fuit.

88 Quæ porro sequuntur Capitula tria, scilicet XXII. *de vindicta, quam Deus mediante Constantino Magno & B. Catharinæ patruo fecit, sicut & ipsa prædixit, contra Maxentium tyrannum, qui eam tam crudeliter jussit cruciari & tandem gladiari:* XXIII. *de Lycinio, quomodo adversatus est Constantino: & de ipso Constantino, postquam solus obtinuit Monarchiam, qualiter deceptus fuit ab Eusebio Ariano, in qua deceptione auxilio Christi porum stetit Augustus; & quomodo filios suos, quando & ubi promovit; ac qualiter Christi sublimavit Ecclesiam:* XXIV. *De miraculis ejusdem gloriosæ Virginis Catharinæ.*

89 Hæc, inquam, tria capitula, veteri Legendæ haud dubie addita sunt ab eodem, qui primum prætexuit de Diocletiano, post ea autem *Finit liber Fratris Petri prædicti*; ejus utique qui de miraculis immediate prægressis testabatur; *sicut ego* (verba ipsius sunt) *in me ipso pluries & multipliciter comprobavi, & non solum in me ipso verum etiam similia in germano meo spirituali frequentius probavi, quæ tam pro eo quam pro me ipso memoria teneo.* Majorem Auctori huic debuissemus gratiam, si distinctius explicuisset miracula, quorum certior testis esse poterat, & quibus fidem non detraxisset veritoris historiæ in prægressis demonstrata ignorantia. Utinam vero etiam nancisci possim eum, quo exemplum nostrum caret, quaternum A; haud dubie doctorum, quis iste, *Frater Petrus*, fuerit? cui opus dedicarit? unde & quomodo illud collegerit? & forsitan etiam quando vixerit?

90 Apparet tamen ex fine capituli 8. non valde magnam ætatem, uti nec doctrinam Petri istius esse, cum sic scribit: *De prædicta fuga Maxentii* (quæ scilicet fingebatur prælio victus evasisse in Ægyptum) *quamvis Tripartita & ecclesiastica historia non dicant, tradunt tamen de ipsa fuga Annales Historiæ, sicut sæpius legi in quodam libro, ab uno Fratre Ordinis Prædicatorum mihi accommodato; videlicet, quod inter Constantinum & Maxentium bellum civile exortum est Romæ. Et de eodem libro extraxi Carminis modum & disputationes B. Catharinæ cum Cæsare & quinquaginta Philosophis. Maxentius siquidem prælio fugatus, Alexandriæ partibus se recepit: & aliter ponere non est bene possibile credere si volumus asserere, sicut fuit secundum rei veritatem, quod B. Catharina sit ab isto Maxentio passa, & non ab alio tyranno.*

91 Notatu digna visa est clausula hæc: primum, quia nos docet, jam tum, puta seculo 13. quando susceptæ cum festo fuere Lectiones de S. Catharina propriæ, sub Maxentio passam asserentes, non defuisse, qui eas & ipsam Legendam haberent suspectam; aliumque, ac fortassis Maximinum, suggererent; licet rudi isto seculo prævaluerit conspiratio semidoctorum, quales fuerunt Jacobus de Voragine & Petrus de Natalibus aliique. Discimus etiam ex eadem clausula, quam fidem mereantur *Annales Historiæ*, ex quibus Legendæ auctor sumpsit, quod Maxentius suam cœpit tyrannidem exercere anno sui regni 35. adeoque quam parum fidei mereatur disputatio cum Imperatore & Philosophis, a tali auctore sumpta.

92 Hanc tamen cum aliis scriptoribus Fr. Petrus tenuit; sed annum persecutionis cœptæ prudenter omisit: quin potius Cap. 9. cœptam indicat *iis temporibus, quibus sanctæ Romanæ Sedis B. Silvester Pontificatum tenebat*, id est ante annum 335. quo hic obiit: & consequenter cap. 28. descripturus Maxentii exitum infelicem, seculum immediate post mortem Sanctæ, narrat, quomodo idem tyrannus, intelligens Constantinum, ædificata Constantinopoli (cujus dedicatio celebrata fuerat anno 330.) tendere in Illyricum, ex consilio & cum auxilio Maximiani Galerii fratris sui, & filii ejus Maximiani, in Asia regnantium, moverit cum exercitu Romam, occupaturus Italiam: sed ab occurrentibus sibi Constantino & Licinio victus ad Pontem Milvium, ac Tiberi mersus sit, unde extractum agnitumque corpus ablatum a dæmonibus fuerit.

93 In his quantæ sint absurditates, quis non intelligat? qui ex Cæsarea historia didicerit, Maxentium fuisse filium Maximiani Herculii; Maximianum Galerium, generum Diocletiani, extinctum esse an. 313. cum Maxentio nihil negotii vel controversiæ habuisse Licinium, sed contra Maximinum, non ex Maximiano Galerio, sed ex hujus sorore natum, quem ipse Diocletianus, urgente Maximiano Galerio, Cæsarem dixerat. Hunc Licinius sibi insidiari compertum & palam insurgentem, prælio vicit fugavitque: unde is idola detestatus, a quorum sacerdotibus deceptus fuerat, se ipsum veneno interemit Tharsi in Cilicia an. 313. Post hæc tam infeliciter de Maxentii exitu concinnata, prosequitur Petrus historiam Constantini & Licinii, hujus exitum, illius monarchiam, lepram, baptismum, lapsum, & trium filiorum successionem, ubi etiam tres Eusebios distinguit, Nicomediensem, Cæsareensem & Vercellensem: eatenus bene, sed male, cum postremum facit auctorem Chronici, quod procul dubio fuit Cæsareensis; & quod fabulosis S. Silvestri Actis habuerit fidem.

94 Ast quorsum, inquies, tam fuse deducta hæc, ad 25. Novembris pertinentia de ætate deque imperitia auctorum, qui Legendam S. Catharinæ scripserunt? Primum quidem, ut in veteri Historia non multum, & in

nostris

nostris Sanctorum Actis legendis minus etiam versati, atque extra Breviarium suum perpaucum scientes, modum nostrum procedendi intelligant; ac videant, non ex eo, quod nunc vel olim insertum aliquid Breviario sit, æstimandam Historiæ cujuscumque ibi delibatæ veritatem; sed assurgendum paulatim ad primos cujusque relationis fontes; qui si denique comprobentur lutulenti ac fabulosi, nihil purioris certiorisque veritatis derivasse potuerunt in conchas, talium aquarum receptrices, nisi quatenus dederint ansam verosimiliora conjectandi. Deinde, ut labor impensus, istis tam operose requirendis ante tempus, serviat posteritati Novembrem elaboraturæ; ac denique ut Tu, Rev. Pater Sebastiane, aliquid hinc proficias, posito præ oculis paradigmate investigandæ dimetiendæque verosimilitudinis, majoris minorisque, non ex Breviariis, sed ex Auctoribus, unde Lectiones Breviariorum sunt acceptæ.

95 Hoc ut a tua Patern. obtineam facilius, simulque demonstrem, superioribus seculis nimis quam familiare fuisse, viris etiam probis & religiosis, Sanctorum gesta ex suo ingenio interpolare, exemplo tibi sit vester Baptista Mantuanus, vir multis titulis Tibi mihique venerabilis, sed (ut alibi dixi) Poeta quam Historicus melior. Hic non satis cautus ad habendam S. Catharinæ Legendam de fictione suspectam, totam sumpsit eam in argumentum Heroici poematis, bene longi, & in tres libros divisi, quod vocavit Parthenicen secundam, nam prima fuerat de Deipara. Melius tamen quam Auctores Legendæ versatus in Romana Historia, cavit, ne Costum, vel Regem Alexandriæ faceret, vel fratrem Magni Constantini. Quid ergo? Utrumque sciens esse patenter falsum, de suo ingenio commentus est aliquid, si non verius, saltem verosimilius; & interrogatam de suo genere Virginem sic respondere tyranno fecit:

96 ..... *Genus est illustre meorum.*
Majores etenim sceptrum gessere, meoque
Sunt Reges in stirpe decem: Lagus omnibus auctor,
Primus Alexandri miles .... Ptolomæus ab illo
Nascitur .... Ægypti, Libyes, Arabumque potitus
Imperio quondam: mansitque in stirpe nepotum
Ducentos quadraginta super (nisi fallimur) annos.
Ast ubi Romanam Superis extollere gentem,
Et Libyeas visum est bellis ardentibus urbes
Vertere; mutati Reges. Tum Regia proles
Interiit. Tunc arva meus vicina tenebat
Æthiopum campis atavus, præfectus Erembis;
Dux animis armisque potens, Regique propinquus
Sanguine, supremi vigilans custodia regni.
Qui postquam sero audivit sublata suorum
Sceptra; dolens, longe Æthiopum secessit ad urbem:
Et persæpe pater Reginæ Candacis illo
Contrivit ductore vagos Garamanthas ....
Quartus ab hoc Costus, genitor mihi, doctus & ipse
Militiam: verum patriæ telluris amore
Ductus, ad antiquos rediit cum prole penates ....
Hinc genus ipsa traho, patri nata unica Costo.

97 Ptolomæi Lagi posteros, Ægypti Reges, eorumque successionem, in Cleopatra ab Octaviano Augusto victa extinctam, norunt etiam pueri; Candacem Æthiopum Reginam ostendit Lucas in Actis Apostolorum: sed quod ex illis natus S. Catharinæ atavus sit, & quod extremæ Ægypti Præfectus fugerit ad Reginæ Candacis patrem, ac factus ei belli dux, Libyes terra, Indos mari subegerit; quodque ejus pronepos Costus Alexandriam redierit, regia prorsus opulentia auctus; ac denique quod filia quatuordennis aut quindennis (nam 18. nata dicitur cum Martyr obiit) Athenas studiorum causa missa, per omnes Philosophorum scholas transierit, Europaque universa usque in Scythiam & Britanniam, Africam quoque pervagata sit, ficta quidem ingeniose sunt, sed non contra verisimilitudinem, quam solam observare debet Poeta. Tantum adhibeatur moderatio; & Poema, non Historiam texi constet: quod non videtur constitisse duobus Mantuani Scholiastis Julio Badio Ascensio, & Sebastiano Murrhoni, operosissimos, nec sane ineruditos in Mantuani opera texentibus Commentarios.

98 Romana antiqua Breviaria sic ordiuntur Lectiones suas. *Regnante Maxentio Cæsare, in urbe Alexandria erat puella .... Costi quondam Regis unica filia.* Veteribus substitutæ novæ, nihil habent de patre; tyrannum autem nominant Maximinum, eum scilicet, quem anno 304. assumptum dixi, & scimus in Oriente persecutionem suscitasse; sed Constantini Liciniique litteris absterritum brevi ab eadem cessasse. Hujus interim crudelitates describit Eusebius lib. 8. cap. 27. sed juxta Valesium c. 14. post multa narrans; quomodo *mulier una Christiana inter alias Alexandrinas, tum ob splendorem generis ac divitias, tum ob singularem doctrinam celeberrima, sed quæ modestiam ac pudicitiam his omnibus præferebat: cum ceteræ a tyranno violatæ fuissent, effusam atque effrænatam Maximini libidinem virili quadam animi celsitudine devicit. Hanc enim cum tyrannus sæpius interpellasset de stupro, obtruncare quidem illam, mori utique paratam, non sustinuit, eo quod crudelitate superior esset cupiditas; ceterum bonis omnibus spoliatam, exilio damnavit.*

99 His lectis Baronius ad an. 307. inductus est ut crederet, ipsam fuisse Catharinam; cujus species, genus, opes, doctrina ita passim laudantur in Legendis: neque credibile existimavit, ejus exilio contentum fuisse tyrannum, sed putat ex Sinai monte, quo sese receperat, retractam ejus jussu, martyrium consummasse, corpusque relatum in montem fuisse. Agit quidem præcitato loco Eusebius, de Maximini & Maxentii crudelitatibus ac libidinibus ita conjunctim, ut facile fuerit cursim legentis confundi memoriam, & utriusque scelera permisceri; ita ut quod adscribendum Maximino erat, suggereret illa quasi adscriptum Maxentio. Sed non ita facile creditu est, Eusebio, Constantini Magni jussu omnes Martyrum memorias scrutato, & tam distincte Alexandrinæ istius exilium edocto, non etiam innotuisse ejusdem cædem, aut, si innotuit, prætereundam isto loco fuisse; maxime si eam præcesserint multa tormenta & miracula, qualia narrat Legenda.

100 Hoc tamen non admiratur Baronius de Eusebio, qui etiam nomen Martyris ignoravit, quod *Dorothea* fuisse scivit docuitque Rufinus lib. 8. cap. 17. & unde absterreri poterat ab ista conjectura firmanda (nam quæ convenientia nominum inter *Dorothea* & *Hecaterina*, sive *Aicaterina?*) eo negat se moveri: *nam nomen Hecaterinæ, quod ab Hecate derivatum esse videtur,*

datur, inquit, *inditum illi fuisse apparet*, *cum adhuc gentilis esset*; *factam autem Christianam* (*ut de multis accidit*) *mutasse nomen*, *& dictam esse Dorotheam*, *sed priori nomine magis notam*. Denique, ex eo quod idem Rufinus non dicat bonis spoliatam, itaque actam in exilium; sed quod intellecto discrimine non tam vitæ quam pudoris, *omnibus virgo pudicissima facultatibus suis domoque & familia derelicta*, *noctu clam*, *cum paucis fidissimis famulis*, *& cum amicissima sibi comite castitate discessit*, *atque illusum tyrannum*, *vanum*, *amentemque reliquit*: ex tali inquam fuga, a Rufino afferta, credit idem Baronius, *ipsam montes Arabiæ* (quos inter nominatissimus Sinai) *petiisse*. Ad aliquem sane Arabiæ montem frequentes confugisse Christianos, tempore persecutionis Decianæ, testis est S. Dionysius Episcopus Alexandrinus, apud Eusebium lib. 6. cap. 57. secundum veterem, secundum novam Valesianam cap. 47. quorum multi istic a Saracenis capti & in servitutem abducti sint.

101 Fateor, hæc non incongrue dici: nec possum non laudare sapientissimi scriptoris judicium, de vulgatis S. Catharinæ Actis scribentis ea, quæ non modo hisce, sed aliis passim similibus omnibus applicata vult, dicens: *Cum doleamus ab Eusebio prætermissa* multa, *magis angimur ab Auctore incerto*, *quo susius eo minus fideliter*, *quam par est*, *Acta ejusdem nobilissimæ Martyris fuisse conscripta*. *Præstat namque in rebus gestis Martyrum*, *aliorumque Sanctorum*, *multa desiderari*, *quam omni ex parte mutantia plurima cumulari*. *Melius enim consulitur ecclesiasticæ veritati*, *rerum quæ non sunt adeo explorata silentio*, *quam mendacio aliquo*, *veris licet admixto*, *atque adulteratæ orationis eloquio*. *Nam in illis*, *quantumlibet paucis*, *sed veritate subnixis*, *animus acquiescit*; *& ex iis*, *quæ certa accipit*, *cetera novit mente concipere*, *meditari*, *ac ferme oculis contemplari*, *quæ verisimilis conjectura*, *innitens veritati*, *demonstrat*: *in his plane accidit*, *ut aliquo vel levi mendacio semel offensus legentis animus nutet in reliquis*, *atque vacillet in veris*; *nec valeat tuto firmoque pede consistere*, *sed vera quoque suspecta habeat*, *qui in mendacium semel impegit*.

102 Utinam hæc, quam diserte, tam vere dicta, alta in animum dimittas Pater Rev. indeque æstimare incipias, quid sentire possint harum Responsionum lectores de tua Exhibitione, convicta tot mendaciorum in me accusando, tantæque pervicaciæ in fabulis, quantumvis certo ratiocinio jam patefactis, mordicus sustinendis. Si ego, priusquam suam de Catharina conjecturam declarasset Baronius, & manentibus adhuc veteribus Lectionibus (sicuti adhuc immutatæ manent, pari aut majori ratione mutandæ lectiones, de Sanctis, Martha, Dionysio aliisque nonnullis) Si, inquam, Lectionibus adhuc manentibus, his incredulus ego primus suadassem in prænotatis Eusebii & Rufini locis conjecturam talem, eamque Breviarii sententiæ præferens, dubiam fecissem S. Catharinæ passionem sub Maxentio, quomodo contra me insurgeres, Pater Rev.? quam grandibus cachinnis exploderes, quantis conviciis proscinderes conjecturalem Historicum! Nunc quia id fecit Baronius, & secuti sunt reformatores Breviarii, certa tibi videtur veritas, & omni acceptione dignissima. Quid autem, si cum Joanne Molano, in Historia sacrarum imaginum lib. 3. cap. 5. apud Quaresmium pag. 5013. Maxentium dixissem, non fuisse Imperatorem, sed ipsiusmet Catharinæ patrem, qui fidei causa in filiam ita sævierit, ideoque pingatur ejus pedibus substratus, an non hoc rursum esset totam Legendam avertere, aut eam confundere, cum Legenda S. Barbaræ? Probat interim hæc Molani, æque ac Baronii conjectura, quam incerta sint omnia de S. Catharina, præter cultum corporis in monte Sinai, & præter miracula ad ipsum atque ad ejus Reliquias variis locis patrata.

103 Ego conatum Molani laudo, & animum, contra fabellas quamtumvis vulgo gratas receptasque firmum; non tamen laudo conjecturam talem, quæ omnem nobis facultatem tollit statuendi aliquid de eo tempore, quo verosimiliter passa sit Sancta; & quæ privato homini, quamvis potenti, qualem ipse supponit fuisse patrem, tribuit potestatem ita publice & quasi judiciaria potestate sæviendi: magisque propendo in conjecturam Baronii, quæ Maximinum substituit pro Maxentio; tormenta vero, quæ iste intulerit aut paraverit Virgini, indiscussa relinquit, neque negans omnia, neque singula sicuti dramatis in modum describuntur, suscipiens. Non etiam displicet Mons Sinæus, non distans ab Alexandria itinere viginti dierum, ut habet Legenda, sed leucis horariis saltem 40. per asperam solitudinem emetiendis. Fateor tamen me laborare in applicandis S. Catharinæ locis, Eusebii, atque Rufini non obstante jam explicita nominis *Dorotheæ*, non *Catharinæ* nuncupatione, & commoditate plurium Arabiæ montium, multo viciniorum ac Saracenorum incursibus magis expositorum.

104 Certe haud facile est seculis illis invenire exempla eorum, qui nomen in baptismo mutarint; nedum ex tali, quam Baronius præsumit, causa. Nam sumpta a diis Gentilium nomina adeo erant tam Christianis, quam Paganis communia, ut nemini videantur horrori fuisse quantumcumque pio. Quid quod *ἀπὸ τῆς ἑκάτης* (Proserpinam Latini appellant) non recte derivetur *αἰκατερίνα* (sic enim Græce scribitur) & potius videatur barbarum esse nomen, ex lingua forsan Ægyptia vel Arabica, certe non pure Græca; adeo ut Barbarismus potius quam paganismus displicere in eo potuerit Virgini litteratæ & eruditæ. Sed quis credat, Rufino diversum ab usitato nomen indicatum fuisse, nisi forte (quod non existimo) eadem fuerit barbari ac græci nominis etymologia, *Donum-Dei*, vel *divinitus donatam* significans. Denique justum semper manebit dubium de illa, quæ sic Alexandria profugerit, an unquam ex suo qualicumque recessu retracta fuerit, & non servata quoad cessaret persecutio; ac deinde redierit Alexandriam, uti quam plurimi Episcopi, aliique tam ecclesiastici quam laici, gloriosæ Confessionis titulo illustratura Ecclesiam, nullis tamen Fastis hactenus adscripta.

105 Si conjecturis uti hic vellem, haud ægre comminisci possem varias, nihilo magis fundatas, sed forte verosimiles magis apparitutas eruditis. Unam accipe. Coluntur Romæ,

ob

ob allata illinc post passionem corpora, S. Bonifacius civis Romanus, Tarsi in Cilicia; S. Gorgonius, Diocletiani domesticus, Nicomediæ in Bithynia passi; cur non etiam potuit aliqua S. Catharina Virgo, Alexandriæ nata, fuisse sub Maxentio Romæ decollata; cujus corpus ab Arabibus aliquot fidelibus sublatum cum capite, ab iisdem, vel propria quadam ratione ductis, vel cælitus monitis, deportatum sit in summitatem Montis Sinai, ibique depositum, sculpto in rupem Epitaphio hujusmodi; *Aicaterina, Virgo Alexandrina, Martyr sub Maxentio?* Numquid tale Epitaphium, post aliquot secula lectum, potuisset parere supra explicatam Legendam, nulla alia rerum gestarum prælucente notitia. Ita autem salvaretur, quæ præcipuam alias habet difficultatem, urbis Alexandrinæ cum tyranno Maxentio compositio. Conjectura est, & amplius nihil; sicuti nec præfatæ omnes: quare nihil amplius ei tribui volo: accipiat eam unusquisque ut volet.

106 S. Catherinæ jungit Accusatio S. BARBARAM, [1] quam paucioribus licet perstringere, quia circa eam minus luxuriavit fabulatorum licentia. Ejus prima celebritas debetur Leoni Philosopho, Græcorum Imperatori, qui ab anno 886. ad 912. regnavit, eique extruxit Constantinopoli ædem, oratorio S. Pauli annexam, utique post corpus illuc allatum; quod Legati Venetorum, dono acceptum, an. 1003. in capellam Ducalem attulere; unde an. 1109. transiit ad ecclesiam Monialium S. Joannis Evangelistæ; & nunc una cum ecclesia & conventu extinctorum Crucigerorum, est sub custodia nostræ Societatis.

107 Ejus neque Eusebius, neque ullus veterum Græcorum meminit: quare nec credibile est, quod dicunt aliqui, ipsam ab Origine fuisse imbutam fide Christi, aut seculo quarto notam publico cultu; quomodo autem innotuerit, obscurum est. Imo nec definire ausim, utrum *Barbaræ* nomen proprium sit, an vero Anonymæ post obitum, quia ex Barbaria in Græciam adducta. Certe tam insolitum fuit tribus primis seculis nomen istud, ut inter quatuor eoque amplius Martyrialium nominum millia, quot continet Hieronymianum antiquissimum Martyrologium, ex Eusebii collectaneis, ut creditur, sumptum, nec semel quidem inveniatur aliqua *Barbara*. Non invenitur etiam in antiquis ullis Latinorum Martyrologiis, Bedæ, Flori, Usuardi, Adonis, quæ omnia habemus genuina ac pura; sed interpolatis dumtaxat additur.

108 Passionem ejus, teste Allatio lib. de Symeonum scriptis pag. 113. scripsit S. Joannes Damascenus, vixit autem Damascenus circa medium seculi 8. in multis pie credulus, sicuti apparet ex iis, quæ supra notavimus de Trajano per S. Gregorium ab inferis liberato, aliisque hujusmodi. Plures deinde alii, sed posterioris ætatis Græci, ac nominatim Georgius Grammaticus & Arsenius Corcyrensis (ut est apud eumdem Allatium pag. 90. & 92.) scriptia Græce encomiis eamdem ornarunt. Hæc encomia necdum vidi, sed id, quod Damasceno tribuitur, & aliud, quod habemus ex Ms. Cæsareo, cum nullam faciant avecti alio corporis mentione, videntur esse antiquiora.

109 Dicunt autem hæc, S. Barbaram cum S. Juliana passam, adeoque Nicomediæ in Bithynia; *sepultam autem in loco, qui vocatur Heliopoleos* (ejus in qua nata etiam & commorata fertur) XII. *fere milliaribus* (id est quatuor horarum itinere) *ab urbe Euchaitarum*: quam urbem Episcopalem in Helenoponto fuisse, vicinam Amaseæ, docet Janningus Tom. I. Junii, ubi de tribus SS. Dorotheis num. 23. adeoque longe abest Heliopolis illa, ab hujus nominis Cœlesyriæ urbe nominatissima, media inter Damascum & Tripolim: quæ tamen etiam ipsa videtur sibi Barbaram arrogasse. Quid enim aliud Damascenum movisset encomium scribere, nisi quia illa colebatur etiam in Syria, ubi vivebat & scribebat Damascenus, tamquam ibi nata?

110 Erat ergo ignobilis locus Heliopolis illa in Euchaitis, ubi S. Barbaræ corpus quiescebat: in ipsa autem Metropoli quiescebat Theodorus Martyr, unde & nomen accepit, ut Theodoropolis diceretur. Cur autem verosimile non sit, eumdem, qui S. Theodori Acta fabulosa scripsit, vel alium ejusdem genii & ingenii Euchaitam, etiam composuisse Acta S. Barbaræ? Ut enim pro illis mutuatus est ex Actis S. Georgii, hujus cum dracone pugnam, & Andromedæ ac Persei fabulam imitatus; sic in concinnanda S. Barbaræ passione, videtur præ oculis habuisse fabulam Danaes, quam pater suus, filiæ castitati consulturus, turri æneæ fingitur inclusisse. Sic enim hic inducitur Dioscorus quidam, vir paganus ac potens, custodiendæ filiæ, dum matrimonio jungeretur, turrim fabricasse: sed cum occasione tertiæ fenestræ, Barbara jubente adjunctæ duabus a patre in balneo designatis, hanc esse Christianam intellexisset, furore percitus voluit filiam interimere. Additur autem, quod huic, patrem fugienti, apertos sese rupes, transitum præbuerit: ipsa tamen a pastoribus duobus prodita, & a patre comprehensa adductaque ad Præsidem Marcianum, post varia tormenta permissa sit potestati patris, qui eam manu propria decollaverit; mox fulmine perculsus, & rapto a dæmonibus corpore disparens: & hæc omnia facta feruntur tempore Maximiani Imperatoris collegæ Diocletiani.

111 Qualia sint S. Julianæ Acta, & quomodo fabricata, licebit ad 16. Februarii in hujus supplemento quærere, paulo severius quam fecit Bollandus, ad Passiones diu post scriptas aut fictas indulgentior: plurium enim similium inter se collatio, multa nunc prodit, quæ primo singulorum aspectu olim non apparebant. Videtur tamen prior scripta Passio S. Julianæ, & ex hac ornata Passio S. Barbaræ: nam etiam ipsa Juliana dicitur a patre suo in mortem tradita, per eadem prægressa supplicia; solaque differentia est in modo conversionis & auctore cædis: quarum circumstantiæ, adeo mirabiles, an non sint potius adinventæ poetice, quam historice traditæ, prudens lector dispiciat.

112 Ego dubitationis meæ circa Sanctarum Catharinæ & Barbaræ Acta causam reddo summatim hanc, quod seculis tot prægressis ignota, neque divinitus revelata, non sint talia, quin citra detrimentum pietatis Christianæ possint vocari in dubium: neque timeo, ne sic

progre-

[1] Videndus Sollerius Tom. 7. Junii, p. 747.

progrediendo efficiam, quod timendum suggerit Accusator, *ut omnia pene Sanctorum Acta reddantur incredibilia*. Quid enim sunt istiusmodi pauca, respectu infinitorum aliorum, quæ ex certiori scientia probantur fuisse conscripta? Barbaræ (ut jam dicere cœpi) nomen ascititium mihi videtur: mortem credo pro fide obitam Nicomediæ, corpus translatum Heliopolim statim a passione, vel ibi inventum sæculo 7. postea autem compositam Legendam, qualem fingere scivit Auctor ad ciendam admirationem audientium, non qualem vera traditio adduxerat, ab ipsius porro poetæ, magis quam historici, ingenio esse turrim & balneum cum tertia fenestra, & pleraque tormenta, ac mortem manu patris illatam & divinitus vindicatam, eodem cum anima & corpore a dæmonibus sublato.

§. XV. ACCUSATIO.

Papebrochius Vitam S. Suitberti, ab omnibus receptam, explodit tamquam fabulam.

RESPONSIO.

VEnerabilis memoriæ P. Joannes Bollandus, non jam amplius tiro in opere suo, sicut erat cum a Zegero Pauli Carmelita scriptam Vitam S. Telesphori permisit initio sui Januarii inseri; sed annis omnino 30. expletis eo in studio, Vitam S. Suitberti, S. Marcellino socio ejus adscriptam, & Epistolam de Canonizatione ejusdem, sub nomine S. Liudgeri Episcopi editam, prolixo fastidiosoque labore examinavit reprobavitque; sicut docent Commentarii de illis reperiendi ad 1. & 26. Martii, Ita scriptum legi in Vita Bollandi n. 242. negare non potes; ego autem eam Vitam scripsi multo prius, quam de examinandis, nedum de refutandis Carmelitarum opinionibus cogitarem. Interim Reverende Pater eruditissimas illas lucubrationes, quarum tunc necdum capax eram, adscribere mihi ad invidiam, voluisti, & omissis invictissimis evidentissimisque argumentis, quibus vir ille tam eruditus demonstravit istarum pseudepigrapharum scriptionum impostura, satis habes quærere, an tolerabile sit *fabulas*, dici, *ab omnibus communiter receptas* historias.

114 Tolerabile id aliquando esse, imo laudabile, videtur doctissimo Mabilioni, qui de Sancto isto scripsit elogium Historicum parte 1. seculi sui 3. pag. 259. per hæc verba. *In collectione Suriana edita est Vita, Hæc Marcellinum, Sancti (ut præfertur) socium, fuit mentita auctorem, virisque eruditis non paucis, Baronio, Bellarmino, aliisque probata: dein sequioribus suspecta esse cœpit. Demum, detracta Marcellini larva rejecta est a multis; nuper vero in Martio Bollandiano tam validis momentis confutatum est imposteris hoc figmentum, ut nemo tam apertis Pseudo-Marcellini mendaciis fidem habiturus sit in posterum.* De litteris autem ad Canonizationem spectantibus pag. 243. ait, quod sint *Pseudo-Marcellini, infeliciter mentientis*, quodque *eas jam rejecerunt viri docti complures .... omnium vero eruditissime Socii Bollandiani. Hue movent, stylus ac genius auctoris, fabulam totus spirans*; Indulgentiarum *ac* Canonizationis *nomina præpropere usurpata, quæ vix ante seculum 13. audita*, Monasteriensis *Episcopi*, Studii Bononiensis, Confratris *passim*, Angier *pro Andecava urbe, & quædam alia recentiora item vocabula. Quid quod Leonis Papæ Electio a* Cardinalibus *facta dicitur, quod iidem* Cardinales *præferantur Archiepiscopis. Confer litteras Pauli 1. apud Baronium, quibus subscribunt Episcopi ante* Cardinales. *Multa alia pugnant cum veritate historica, veluti illud, quod ... Leoni Papæ tribuitur diuturna mora in Gallia, ad canonizandum S. Suitbertum: cum ex Egimbardo constet ad annum* 804. *Leonem Papam* subito ad Imperatorem, *Carolum Magnum*, pervenisse, nec nisi dies octo mansisse apud illum, *mox que* Romam repedasse .... Denique *Conjicimus*, inquit Mabilio, *S. Suitberti corpus e terra levatum fuisse auctoritate Leonis Papæ IX. quando Coloniæ ab* Hermanno Archiepiscopo exceptus est; *quo eodem itinere* B. Gerardum, Leucorum Tulli Antistitem, in numero Sanctorum computandum *statuit*,

115 Hæc ille, nihil reformidans loco convicti mendacii, suam substituere conjecturam, id quod a me fieri, cum nihil verosimilius suppetit, tam ægre pateris, exsufflasque. Neque a tali conjectura, contra suos Werthinenses Benedictinos sustinenda, dimovit Mabilionem longi præscriptio temporis, qua illi nituntur, vel codicum apud eos veterum multitudo: neque se putavit honori sui Ordinis derogare quidquam, agnoscendo imposturas infelicis istius seculi, & multa mea alias dicta confirmando: ob quæ illum quoque possis, Rev. Pater, pari jure, quo me Apostolicæ Sedi reum sistere, cogereque, ut auctoritate se defendat ab auctoritate Romani Martyrologii, Suitbertina Acta probantia.

EXHIBITIONIS ERRORUM

ARTICULI XI. PARS ALTERA.

§. XVI. ACCUSATIO.

Papebrochius martyrium S. Felicis Papæ asserit esse confictum a Luciferianis schismaticis.

RESPONSIO.

116 DUorum intelligi possum hic accusari, tum quod *confictum* asseram Martyrium S. Felicis, tum quod confictum *a Luciferianis*. De posteriori nihil videtur curare Accusator meus, cum absolute neget, confictum esse Martyrium istud. Neque ego magnopere nunc curo a Luciferianisne schismaticis, ut mihi verosimilius visum fuit, an ab aliis confictum sit; dummodo obtinuero, confictum esse. Si deinde de auctoribus fictionis disputare libuerit Paternitati vestræ, præsto ero. Primam accusationis

tionis partem, de negato a me Martyrio Felicis, putas te, nullo assertionis meæ argumento refuso, evicisse ex Martyrologio Romano, ad diem 29. Julii, *at Martyrem & gladio necatum* colente S. Felicem Papam II. *cujus Reliquiæ* (uti addis) *quasi miraculose inventæ sunt in arca marmorea, cum titulo: Corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui damnavit Constantium.* Et pergis: *Ita etiam Baronius, Usuardus, Ciacconius & alii Scriptores præclarissimi.*

117 Scio, & scivi, cum argumentum hoc tractarem, auctores, quos mihi citas, stare a Martyrio Felicis: nihilominus, salva tantorum virorum pace, æque ac *aliorum scriptorum præclarissimorum*, quos non nominas, ac tua ipsius, Rev. Pater, ab ipsis recedendum putavi, in quantum adstruunt Martyrium Felicis cruentum: quod ego cruentum fuisse nego, tractus in hanc sententiam gravioribus argumentis & auctoritate contemporanea, quæ tu, Rev. Pater, ne elevare quidem conaris; & quia opinioni Baronii ac Martyrologorum ne micam quidem ulterioris probationis addis, recedo ab illis etiamnum; persiturus in sententia, donec, quod tu præstare non potuisti, ostendat alius eruditior, novis argumentis docens, *gladio necatum* fuisse Felicem.

118 Cur autem simpliciter me accusas, & non distinguis inter Martyrium & Martyrium, uti ego distinxi? Falsum enim est, me simpliciter negare Martyrium Felici, cui tantummodo nego Martyrium, per mortem violentam illatum. Duplex quippe Martyrii genus pro fide aut religione certantium prioribus seculis agnovit Ecclesia; aliorum quidem, qui violenta morte necabantur; aliorum vero, qui post persecutiones aut carceres aliasve ærumnas, Fidei, Religionis aut Justitiæ causa toleratas, tandem naturali morte decedebant. Primum Martyrii genus posterioribus seculis fere solum tribuit Martyrii titulum, docente S. Thoma a. 2. quæst. 124. art. 4. *ad perfectum Martyrium requiri, quod aliquis mortem sustineat propter Christum.* Ibid. *Nec Martyrium proprie dicitur pro sola tolerantia carceris vel exilii, vel rapinæ divitiarum; nisi forte quod ex hic sequitur mors.* S. Thomam cum ceteris Theologis secutus Bassæus, verbo *Martyrium*, non dubitat hanc acceptionem vocare nunc communem.

119 Alterum Martyrii genus, ærumnæ scilicet pro Ecclesia, Fide, Religione &c. toleratæ, non minus tribuebat primis Ecclesiæ seculis titulum Martyrii, quam eum tribuebat mors violenta: & ærumnas taliter passos, non minus quam violenter necatos, habitos semper & vocatos, haberique etiamnum & vocari Martyres in Ecclesia Romana, constat ex sanctis Patribus, Catalogis Pontificum, Martyrologiis, & Breviariis etiam Romanis. Patres tibi citabit plures Theophilus Raynaudus, laudatissimus Carmelitis auctor, tomo 18. pag. 565. sic loquens: *Quod plerisque, etiamsi naturali morte excessissent, aptatus sit Martyrum titulus, tantum ob exceptas propter Christum ærumnas, in confesso est: ex roque usu S. Augustinus in Psalmum 127. ad v. 4. quemdam S. Felicem, qui ante admotos cruciatus ullos, extinctus in carcere fuerat, agnoscit fuisse vere Martyrem. Sed explicatissime S. Chrysostomus, Oratione de Eustathio Antiocheno*, quem non cæsum pro Christo, sed tantum relegatum a patria, recte a se vocatum Martyrem dicit, utpote *qui non ipse Martyrio, sed ipsi potius Martyrium defuisset, multasque propter Christum ærumnas generose excepisset.* Hæc speciminis loco ex Raynaudo; plures citante Patrum sententias, eodem spectantes.

120 Idem nescire potest ullus, qui Lectiones Breviarii Romani legit atque intelligit, ut prætermittam Catalogos prædictos, e quibus Lectiones de Pontificibus fere desumptæ sunt; & Martyrologia, quæ hic Lectionibus istis consentiunt. Colit enim Breviarium istud ut Pontifices *Martyres*, die 16. Januarii S. Marcellum, 27. Maji S. Joannem, 20. Junii S. Silverium; licet probe noverit & aperte dicat, violenta morte non obiisse. Et de Marcello quidem, quod custodiæ bestiarum deputatus, *loci fœditate multisque ærumnis afflictus obdormivit in Domino*: de Joanne vero, quod a Theodorico accersitus Ravennam, conjectus sit in carcerem, *ubi squalore inediaque afflictus, paucis diebus cessit e vita*: de Silverio autem, quod exulans in insula Pontia, postquam coegisset multorum Episcoporum Concilium pro restituenda disciplina ecclesiastica, *brevi incommodis ærumnisque confectus, obdormivit in Domino.* Hos inter ego *Martyrem* numero Felicem Papam II. [1] & numeravi pridem eo ipso in loco, ex quo me accusas, quod ipsum Martyrem fuisse negem. Postquam enim Differt. 9. dixeram S. Felicem summa ab Arianis *affectum injuria*, sic pronuntiavi Differt. sequenti num. 7. *Dicatur sane & Sanctus, & Papa, & Martyr, Felix: sed dicatur eo sensu, quo alii plures antecessores ejus, in carcere vel exilio mortui. Ita eum dici, persuadet ejus cultus in Martyrologio Usuardi*, uti & hodierno Romano, *non eorum dierum aliquo, quo vel mortuus vel sepultus fuisse scribitur; sed qua S. Damaso aliisque sibi adhærentibus visus est præcipuam passus injuriam privatione ejus Sedis quam triennio obtinuerat; dicatur, inquam, Sanctus, Papa, & Martyr Felix*, sed sensu jam dicto.

121 Si tu, Rev. Pater, alio sensu Felicem Martyrem facis, quasi violenter ipsam mortem subire coactus fuerit, cur me accusas de Martyrio ei simpliciter negato, & non potius de negato ei tantum Martyrio, per violentam mortem illato? Deinde si hanc ei illatam prætendis accusando me, cur non probas talem mortem? cur non refutas argumenta mea, quibus nego, violento Martyrio defunctum fuisse? Audivimus jam te dicentem, quod seculo superiori arca marmorea inventa sic cum hac inscriptione: *Corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui damnavit Constantium.* Quid tum? Admitto omnia: confirmant enim sententiam meam, S. Felicem *Martyrem* esse: tuum est porro probare, Martyrem esse per mortem violentam, quod nusquam dicit inscriptio illa, nec tu evinceris, si oppositarum sententiarum momenta appenderis bilance æqua. Dic, amabo te, si modo effoderentur similes urnæ cum corporibus Sanctorum Pontificum, de quibus supra, Marcelli, Joannis, & Silverii, addita inscriptione

[1] Vide Natal. Alex. tom. 4. p. 405. edit. Luc. Blanchinium in notis ad Anastasium, & tom. 7. Julii pag. 43. Nos alibi, Deo dante, de Felice disputabimus, dum Miscellanea Dissertationum edemus.

ptiona *Martyrum*; an propiera violentam mortem subiarint isti, quam non subierunt?

122 Citas præterea Martyrologium Romanum, quod *gladio necatum* dicit Felieem; & cum illo eitas *Baroaium*, *Usuardum*, *Ciacconium*. Ego vero & alios tibi subeos suggero, ex quibus isti sua hauserunt, Anastasinm Bibliothecarium, Librum Pontifiealem & Catalogum Pontificum Romanorum, seculo, ut putamus, sexto confectum, quem nos primi in lucem protraximus e manuscripto Reginæ Sveciæ Christinæ, racusum deinde a Schellstratio, & *secundum* indigitare solemus ad distinctionem alterius antiquioris, in Pontificatu Liberii desinentis, quem appellamus *primum*. Sed hie observari convenit, quod prædicti Anastasius, Liber Pontificalis, & Catalogus, ita inter se concordant in Vitis saltem Liberii atque Felicis, ut omnes præ oculis habuerint Auctorem a singulis diversum, val, quod mihi pronius videtur, priores duo Catalogum, quem diximus, secuti sint, ae leviter intarpolavarint: atque adeo quæ de uno istarum Auctorum seu scripturarum dicturi sumus, de omnibus fare æqualiter aceipi debent. Observari etiam interest, & bene notari, quod apud dictos Auctores in Vita Liberii pariter agatur de gestis Felieis; quodque mox in subjecta Vita Falicis propria, narrentur præmissis in Vita Liberii omnino contraria, saltem quantum attinet ad obitum Falicis, de quo disputamus.

123 Dicit quippa Catalogus in Liberio, quod *Felix depositus de Episcopatu, habitavit in prædiolo suo, ubi requievit in pace* IV. *Kalendas Augusti*. In ipso autem Falica; quod *capite truncatur cum multis Clericis & fidelibus occulte, juxta maros Urbis ad latus Formæ Trajani*, III. *Idus Novembris; exinde rapuerunt corpus ejus nocte Christiani cum Damaso Presbytero, & sepelierunt in basilica supradicta* (quam fecerat ipse Felix) XVI. *Kalendas Decembris*. *Cessavit Episcopatus dies* 38. Ubi nullus mihi conciliaverit isthæc: *Felix requievit in pace*; *Felix capite truncatur*: Felix obiit *in prædiolo suo* (*via Portuensi*, ut addit Anastasius & Liber Pontificalis); Felix obiit *juxta muros Urbis ad latus Formæ Trajani*: Felix decessit IV. *Kalendas Augusti*; Felix decessit III. *Idus Novembris*. Hinc & Baronius ad annum 357. n. 46. ait, in Libro Pontificali *de Felicis exitu diversa plane scripta reperiri; dum in Liberio de Felice scribitur, depositum ab Episcopatu babitasse in prædia sua via Portuensi, atque ibi in pace quievisse* 4. *Kalendas Augusti*. *Rursum in eodem Libro, cum agitur de rebus gestis ejusdem Felicis, habetur, ipsum ob damnationem Constantii, obtruncatione capitis, Martyrio coronatum esse*. Et posteaquam num. 49. dixisset in eodem libro Pontificali in Felice falso asseri, Constantium secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi, sic concludit: *At non hæc tantum, sed & alia pleraque in eodem commentario*, seu Pontificali, *cum in Liberio tum in Felice habentur, quæ erroris facile redarguuntur; ac nonnulla obscura mendisque depravata; & aliqua inter se discrepantia, ut ex eis vix veritas aliqua elici possit atque firmari*.

124 Lubens assentior Cardinali, in illis de Liberio & Felice commentariis aliqua esse, non modo *inter se discrepantia*, ut ait, verum & pugnantia; sed fere tantum in iis, quæ Felicis mortem concernunt, & modo protulimus. Assentior etiam, *nonnulla obscura mendisque depravata* ibidem reperiri. Assentior denique, alia etiam plura illic *erroris facile redargui in Felice*, non item *in Liberio*, nisi ab eo, qui violentam Falicis mortem eum Baronio propugnat; qui vero hanc negaverit, vix inveniet in Libario, quod redarguat; prætarquam forte, quod illic legitur de Concilio 48. Episcoporum, tunc Romæ contra Arianos Ursatium & Valentem coactorum, quando ipse Arianus Imperator Constantius in Italia versabatur, & omnes Italiæ Episeopi subscripsarant damnationi Athanasii ab Arianis oppressi, paucis exceptis, qui subscribere fortiter recusantes in exilium deportati fuerunt. Mihi certe istud Concilium tot Episcoporum, tali tempore, loco, & causa congregatum, non probatur ex sola auctoritata istius scripti: uti pridem in Dissertatione mea decima indicavi. Si vero dicere liceat, pro 48. Episcopis totidem Presbyteros Clericosque cum Felice congregatos Romæ fuisse, & fecisse quæ narrantur contra Ursatium & Valentem, nihil video in tota re, quod magnopere improbari debeat.

125 Redeo ad Vitam Liberii, quam constat ex allatis contradictionibus eum Vita Felicis, non posse ajusdem Auctoris esse. Utrimque enim pugnant, numquam inter se conciliandi, ebaracteres historieæ veritatis præcipui; modus, locus, tempus, quibus obiarit Felix. Unde & sequitur, alterutrum scriptum necessario confictum esse & falsum. Utrum autam? Jam dixi, plures errores, præter contradictiones, redargui in Felice quam in Liberio; idque pridem notavi in Apparatu ad Chronologiam Pontificiam pag. 53. ubi censui de hac Felicis Vita, ipsam mihi taliter interpolatam vidari, ut nihil inde debeat aut possit adscribi auctori Catalogi aut saltem præcedentium Vitarum, præter hæc fortassis, quæ nullam repugnantiam eum dictis in Liberii Vita aut aliis habent: *Felix natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annos tres. Hic fecit basilicam in via Aurelia milliaria ab Urbe secundo, ubi & requievit*. Qui enim jam de elevatione Felicis ad Pontificatum, de gestis in eodem, de depositione, de morte, mortisque loco, tempore ac modo egerat, non potuit mox in Vita sequenti, eorum plerisque (si mentis compos fuerit) contraria scribere, qualia de Felice in Vita propria leguntur, dictis in Liberio a diametro opposita.

126 Quid? quod Vita Felicis non tantum contraria narret Vitæ Liberii, sed etiam contradicat quodammodo sibi ipsa, sicque vel auctores vel interpolatores sui plures prodat, adeoque fidei perexiguæ sit? Quid enim aliud indicat Vita illa, quam *Martyrem* obiisse Felicem (non qualitar ego concedo, ob prægressas ærumnas, sed ob truncationem capitis) & simul *requievisse in pace*? dum ita scribitur in Catalogo: *Hic* (Felix) *martyrio coronatur. Hic fecit basilicam via Aurelia milliario an Urbe secundo, ubi & requievit*; utique in *pace*, quemadmodum in Vita Liberii additur: & intelligi hic atiam debere, ex toto Catalogo manifestum fit. Ab initio quippe ejus usque ad finem, tam post quam ante Felicem, nuspiam invenio usurpari vocem *requiescere*,

nisi pro morte naturali & in pace obira: de tumulatione autem Pontificum identidem reperitur, *sepultus est*; numquam legitur, *requievit*. Imo cum hae ipsa in Vita versus finem, uti passim aliis in Vitis obrinet, mentio fiae manifesta sepulturæ, frustra sulpiceris, antea jam de eadem sepultura actum fuisse, loco non suo; & per vocem, tali sensu usurpari non solitam in Catalogo.

127 Ponamus tamen, & gratis demus, *requievisse*, illie poni pro *sepultum esse*: qui salvabis, in Vita tam compendiosa bis eadem recantari? dum, quæ modo inde protulimus de Martyrio ejus & requie sepulcrali, ut jam supponimus, mox eadem repetit, versibus vix tribus interjectis, dicens: *Qui* (Felix) *etiam capite truncatur* ... *& sepelierunt corpus ejus in basilica supradicta*. Certe supervacanea hæc repetitio indicare videtur, duas olim has Vitas breviusculas fuisse, quas aliquis deinde in unam conflaverit: easdemque fic ad se traosferentes Anastasius & Liber Pontificalis, ne non Martyrem facerent Felicem, bis eum fecerint Martyrem, dicentes, quod Constantii jussu *martyrio coronatus & capite truncatus sit*, & paulo post, quod *etiam passus est in civitate Corona*; quasi *capite truncari* potuerit & non *pati*: & his fic dictis, dubitare mox faciunt iidem auctores de asserta passinne, subdentes, quod *sepultus sit in pace*. Qui sane loquendi modi in contextu perbrevis Vitæ, ut valde inconcinni sunt, fic uni eidemque Auctori non recte tribui posse videntur.

128 Quid porro, quod *rebaptizatus secundum* dicatur *Constantius* Imperator, *Constantini Magni filius*, idque *ab Eusebia Nicomediensi juxta Nicomediam, in Aquilone villa*? Manifesti erroris arguitur illie textus, cum Constantium expresse distinguit a patre Constantino, atque nihilominus rebaptizatum asserit, & illo quidem loco ac ministro, quo aliqui Constantinum ipsum, quamquam levissimis argumentis ducti, rebaptizatum esse præsumunt: *cum constet*, teste Baronio, *assertione majorum*, Constaotium sub annum 357. quod Felix expulsus est e sua Sede, *adhuc perseverasse catechumenum*, ac *tempore mortis* primum *ab Euzeio Ariano initiatum fuisse baptismo* Antiochiæ. Sed his omnibus præsentius in cauda venenum est. Clausula siquidem omnium hæc; *Cessavit Episcopatus* Felicis *dies* 38. lepide redarguit auctorem suum fictionis, sed infelicis. Dum enim aliis ubique Pontificum Vitis adjectam legebat clausulam de tempore, quo cessavit Pontificatus, putavit, eam suo quoque scripto deesse non debere; ac posuit cessationem dierum 38. non considerans incautus plastes, nullam post Felicis seu obitum seu potius ejectionem, intercessisse vacuitatem: quia Pontificatus Felicis sic includitur in Pontificatu Liberii, ut ubicumque ponatur desiisse Felix, inde Liberius prosecutus sit suum, semel inchoatum legitime Pontificatum.

129 Hactenus de Vita Felicis & commissis in ea erroribus. Sed an Liberii Vita probatior sit? Ita censeo. Auctor quippe ejus, præterquam quod errores memoratos non habear, scribit conformiter rationi & conformiter opinioni Sanctorum Patrum, Augustini, Optati Milevitani, Hieronymi; qui vel omnino non meminerunt Felicis inter Pontifices, vel meminerunt tantum in ipso Liberio, utriusque gesta miscentes. Sic Hieronymus in Chronico: *Liberius 34. Romanæ Ecclesiæ ordinatus Episcopus, quo in exilium ob fidem truso, omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuisset in Sacerdotium substitutus, plurimi pejeraverunt, & post annum cum Felice ejecti sunt; quia Liberius &c.* Fecit etiam Auctor conformiter rationi quam qui maxime, dum gesta Felicis inseruit Liberianis. Sic enim ordinem temporum, (quod Chronologo Pontificum historiam scribenti in primis spectandum est) observat; nec potuie sine chronologiæ perturbatione seorsim de Felice narrare, quæ postea in ipso narrantur. Ut enim tempus, quo Felix Pontificatum tenuit, utrimque terminatur Pontificatu Liberii, cui totum includitur; ita nihil rationabilius fieri potuit, quam ut gesta Felicis cum gestis Liberii, quibuscum commixta & connexa erant, simul tractarentur.

130 Quisquis hæc circa Liberium atque Felicem attente legerit, sive in Catalogo secundo, sive in Libro Pontificali aut Anastasio, nullus dubito, quin ipse quoque censurus mecum, & Vitam Liberii alteri præhabiturus sit. Interim notari hic debet, quod Martyrologia passim, quæ de Felice ejusque morte referunt, mutuata sint e propria Felicis Vita, male consuta & erroribus scatente, ut vidimus; contraria de eodem narrante Vita Liberii, magis sincera & irreprehensibili; ac tum denique judicare oportebit, quam puri latices e fonte tam turbido derivari potuerint in usum aliorum. Et ne dubites, quin Martyrologium Rom. inde sua mutuatum sit, confer utriusque verba inter se. Martyrologium die 29. Julii dicit, Felicem *a Constantio Imp. occulte gladio necatum* fuisse *Ceræ in Tuscia*, & *ejus corpus a Clericis raptum via Aurelia sepultum esse*: quæ in Felice apud Anastasium & auctorem Libri Pontificalis sic exprimuntur: Felix *Constantii præcepto capite truncatur occulte, in civitate Corona*, & *raptum est ejus corpus a Clericis, & sepultum in Basilica ejus via Aurelia*. Vix ovum ovo magis simile est, nisi quod civitas *Cera* vocetur in Martyrologio, quæ *Corona* in Felice. Sed inde vel maxime confirmatur e Felicis Vita propria desumpta esse omnia, ipso Baronio teste, qui ad annum 357. n. 47. dicit, pro *Corona*, quod habet textus, *restitutum* esse in Martyrologio *Cera*. Et nu. 48. vim ponie in vocabulo *occulte*, quod aliis Martyrologiis prætermissum, Romano primum Baronii tempore insertum fuit ex eadem Felicis Vita.

131 Ponamus tamen, istbæc omnia nihil magis probare pro me, quam pro aliter sentientibus; & auctoritatem partis unius, alterius auctoritatem elidere: quid adfers argumenti pro re, Rev. Pater, præter jam allata; sed quæ vidimus, in Vita Felicis propria & perquam apocrypha, fundari omnia? Nihil quidquam. Ego vero præter Vitam Liberii, multo probatiorem quam sit Vita Felicis, adduco pro me inter Martyrologos antiquiorem Usuardo seculo integro, Sanctum ac Venerabilem Bedam, qui Vitam illam Felicis (si tamen jam tum consarcinata fuerit) aut non vidit aut ejus auctori credendum non putavit, dum in Martyrologio suo

genuino

genuino nihil prædictorum de Felice, neque de Martyrio ejus meminit, solum dicens, iv. *Kal. Aug. Natales S. Felicis*. At, inquies, idem Beda pro me & Martyrio Felicis stat. Fateor, sed interpolatus a nescio quo, & ideo potius non idem, qui typis Plantinianis anno 1564. impressus, liberaliter genuino Bedæ Martyrologio adscripsit ex eodem turbido fonte sequentia: *Romæ S. Felicis Pontificis, Hic declaravit Constantium filium Constantini esse hæreticum, cum secundo rebaptizaretur ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, & juxta præceptum ejusdem Constantii Augusti capite detruncatur. Sedit autem in Episcopatu annum unum, mense 3. dies 2.*

132 Habeat hunc pro se & accusatione sua Pater. Vestra Bedam interpolatum, & quoscumque alios, qui æque sua mutuati sunt ex Felice: dummodo pro me & innocentia mea stet Beda genuinus: pro qua etiam stant antiquiores Beda scriptores, imo contemporanei Felici, Marcellinus atque Faustinus Presbyteri; ut de Sozomeno nihil dicam, qui tamen libro 4. cap. 15. mentionem faciens cædium, quæ Liberii, jam ad Pontificatum reducti, causa patratæ erant Romæ, ne verbo quidem de cæde Felicis meminit: sed expresse subjungit: *Post hæc*, idest post cædes factas, *Felix modico tempore supervixit*, ut omnino videatur ipsum numero cæsorum eximere, atque indicatum velle, naturali morte quievisse in pace: prout Catalogus ac Liber Pontificalis in Liberio pariter declarant, dicentes: *ab eodem die*, quo reductus fuit Liberius, *fuit persecutio in Clero, ita ut intra ecclesiam Presbyteri & Clerici necarentur & Martyrio coronarentur*. At *Felix depositus de Episcopatu, habitavit in prædiolo suo via Portuensi, ubi & requievit in pace* iv. *Kalendas Augusti*.

133 Conformia hæc etiam sunt dicta Eusebii Presbyteri bene Catholici, testis contemporanei atque ocularis, qui partes Felicis secutus, libertate loquendi in defensionem ejus, meruit a Constantio Imp. *includi in quodam cubiculo domus suæ, quod humile erat in latitudine pedibus quatuor: & ibi multis mensibus in oratione constanter perseverans, inclusus tamen post menses septem dormitionem accepit nono decimo Kal. Septembris*. Is Eusebius in Actis suis, ab Orosio pariter Presbytero & consanguineo suo, a quo & mortuus tumulo datus fuit, conscriptis; atque a Baluzio e tribus MSS. codicibus Bibliothecæ Colbertinæ in lucem datis tomo 2. Miscellaneorum, sic alloquitur Constantium atque Liberium: *Felicem Episcopum, quem vos non tacuistis Catholicum, & Dominum Jesum Christum invocantem, purum Sacerdotem ab omnibus decloratum, in damnationis causam exilio dirtxistis: qui tamen in prædiolo suo orationibus vacat. Et quidem jussu tuo Christianis occisionem & necem præcepisti inferri, maxime Clericis & Presbyteris & Diaconibus*. Quæ omnia, ut dicebam, conformia sunt relatis de Felice in Vita Liberii, quæ non tantum habet eadem de persecutione & cæde Clericorum, nec non de habitatione Felicis in prædiolo suo; verum insuper cum Eusebio ipsum laudat a Fide Catholica, & meminit in exilium ejectum esse, dicens, Constantium *ejecisse Felicem de Episcopatu, qui erat Catholicus, & revocasse Liberium*. Ex quibus non omnino temere cogites, hanc Liberii vitam, quatenus de Felice tractat, ex memoratis Eusebii Actis desumptam esse, quibuscum tantam habet conformitatem, quantam vidimus; ipsumque diminutivum *prædiolum* inde ad se transtulisse videtur.

134 Nunc Marcellinum atque Faustinum audiamus. Hæreticos, inquies, & Schismaticos? Etiam. Miror tantummodo, quod nondum mihi in Accusationibus tuis ipsos objeceris a me citatos fuisse, qui identidem mihi vitio vertis, quod Natalem Alexandrum aut alium quemvis scriptorem Catholicum, cujus forte liber aliquis in Indicem prohibitorum relatus est, ad confirmandam sententiam meam adducam, etiam ubi mali non sunt, imo ubi boni sunt & catholicas veritates aperte docent. Cito igitur & sequor (nihil pensi habens ejusmodi Paternitatis vestræ, nænias dicam, an accusationes?) Marcellinum atque Faustinum hæreticos & schismaticos, eodem jure, quo illos citat Baronius, quoque optime Catholici citant & sequuntur Tertullianum atque Originem; sed in iis tantum, in quæ hæresis aut schisma influere non potuit; & sub illa cautione, quam in Differtatione nona, *de S. Felicis Episcopatu Romano* tenendam præmonui, sic orsus: *Dissertationi huic certissimum fundamentum præstruere videntur, mendacissimi alias contra Damasum Presbyteri, Marcellinus & Faustinus, ea narrantes, quæ in conspectu Urbis totius gesta, non potuissent, etiamsi voluissent, mentiendo corrumpere. Mendacissimos tamen eos dico, quatenus Cleri Romani consilium in suscipiendo Felice, perjurium scelestissimum sunt interpretati, eosdem deinceps non alio quam perjurorum notantes vocabulo in odium Damasi, ab eodem Clero electi, qui antea Felicem susceperat* &c.

135 Damasum nempe oderant isti præcipue, contra quem ipsi elegerant Pontificem Ursinum, schismatis sui sectatorem. Hinc fieri potest, ut quod spectat ad Damasum ejusque Clerum & gesta, atque adeo ad Felicem, quem Damasus Pontificem secutus fuit, in deteriorem partem, in ambitionem, in perjurium detorqueant. At quanto tempore abfuerit Roma exul Liberius, quanto Episcopum egerit Felix, quanto etiam deinceps hic vixerit & quo mortis genere obierit, nihil est cur falso determinet hæresis aut schisma auctorum. Scribunt itaque, *post annos duos* ab ejectione Liberii *venisse Romam Constantium Imperatorem*, ipsum loco pristino restituturum, & *tertio anno* Liberium rediisse: Felicem vero, semel iterumque inde propulsum, *post annos octo, Valentiniano & Valente Coss. X. Kalendarum Decembrium defunctum esse; & Liberium in Clericos, qui pejeraverant* (ita criminantur passim auctores isti Clericos, qui Felicem secuti fuerant & eatenus eidem adhæserant) *misericordiam fecisse, eosque in locis propriis suscepisse*.

136 Statuo igitur hinc, tamquam ex auctoribus tum viventibus & oculatis, qui in rebus, ad suam ipsorum hæresim nihil spectantibus, mentiri nec voluerint, nec potuerint sine patentissima jactura auctoritatis suæ, quam istiusmodi homines bonis aliis præponunt omnibus, quo potentius in malam opinionem suam inducant incautos; statuo, inquam, ex prædictis (donec certiorem auctoritatem mihi producas) Liberium *tertio exilii sui anno* inchoato, Christi 357. rediisse in Urbem; & Felicem ejectum,

octo exinde *post annos*, *Consulatu Valentiniani ac Valentis*, qui in annum Christi 365. incidit, *defunctum* esse: ac noto, ly *defunctum esse*, nullo addito mortis genere, passim sumi pro morte naturali ac non violenta, nisi circumstantiæ aliud indicent; quales hic nullæ sunt. Deinde si morte violenta necatus est Felix, ea ipsi illata fuerit, jubente aut certe vivente Constantio Augusto, uti omnes, qui cum Baronio talem mortem adstruunt, nixi auctoritate qualicumque Vitæ Felicis propriæ, fatentur. Certissimum autem est, Constantium anno æræ vulgaris 361. obiisse, quadriennio ante Consulatum Valentiniani, & Valentis, adeoque & quadriennio ante obitum Felicis; ut merum somnium sit, a Constantio Felicem gladio truncatum esse; & frustra putem mediæ ætatis scriptores afferri ad id refutandum.

137 Consulamus igitur recentiores tantum auctores, qui visa lectaque sententia mea de Felice, de eadem & ipsi suam protulerunt, meamque vel probarunt, vel improbarunt. Præter Schelstratium, qui Tomo 1. Antiquitatis Eccl. Dissert. 2. c. 9. multa pro nobis affert, duos tantummodo novi hactenus, qui argumentum illud tractarunt, adm. Reverendos Patres Antonium Pagium & Sebastianum a S. Paulo; alterum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Doctorem Theologum, alterum Ordinis B. M. Virginis de Monte Carmelo Professorem Theologiæ: quorum prior cum laurea doctorali Theologica sic studium historicum conjunxit, ut celebre per illud sibi nomen pepererit, editis in publicum bonum libris variis, varia doctrina refertis, plura quotidie laboriose parans: posterior e palæstra Theologica, quasi cum scientia illa divina omnimodam nactus, prosilit in theatrum historicum, exhibetque subito specimen eruditionis suæ, *Libellum supplicem ad Innocentium XI.* contra me meaque opera; qui prima sui editione locum impressionis mentitus, mox in Veneta ditione recusus, ab Inquisitoribus Status, antequam ederetur malus fœtus, suppressus atque tenebris addictus fuit. Alterum deinde edidit librum, de quo hic agimus; *Exhibitionem errorum*; de cujus eruditione historica, studio veritatis, sinceritate christiana, penes lectorem judicium sit ex hisce Responsionibus.

138 P. Pagius disputavit cum Eminentissimo nunc Cardinali Noris de quæstione una alterave præcipua, quæ inter ipsos controversa erat; sed disputavit de illa veritatis solius elucidandæ causa, christiane, ac religiose; & disputavit de illa sola, non discurrens per reliqua Norisii scripta, quæ ad controversiam præsentem non attinebant, illa carpendo, corrumpendo, truncando, perperam interpretando. Secus mecum disputat P. Sebastianus de qualitate originis Ordinis Carmelitani ab Elia; cujus a me factam elucidationem sic probo etiam nunc, ut paratus sim mutare sententiam, si veriora me quis docuerit; sed non disputat ille Pater, ut talia me doceat; verum ut famam meam multimodis proscindat, carpendo quæ recta sunt, sed ipse ignorat; citando sententias dimidiatas, damnando, quæ sunt laudanda, fingendo, quæ sunt falsa, ut vidimus in præmissis; & ut, sic agendo, obtinuerit eviceritque omnia, quæ acquirat, nihilo magis Originem Ordinis sui, de quo disputandum est, elucidaveris, quam cum nondum disputare cœpisses. Pagius mea scripta modo probat, modo pari libertate improbat: quod ego laudo ut sinceri disputatoris, veritatem præcipue indagantis, factum. P. Sebastianus, per totam Exhibitionem suam, nihil meorum probat, improbat omnia: quod factum nemo veritatis studio attribuerit.

139 His prænotatis, arrigamus aures, & amborum de scriptis meis in quæstione præsenti judicium audiamus; ac primum Pagii in Critica historico-chronologica ad annum Christi 357. numero 14. ubi, cum e Marcellino & Faustino ea citasset, quæ nos supra de reditu Liberii in Urbem anno exilii *tertio*, deque morte Felicis, *octennio* post secuta; ac deinde subjunxisset, quod Auctoribus istis, tametsi schismaticis, *tuto hac in re fides haberi possit, cum ea narrent, quæ in totius Urbis conspectu gesta erant*; mox sic progreditur: *De S. Felicis Episcopatu Romano legendi Papebrochius in Conatu Chronico-historico ad Catalogos Romanorum Pontificum aliique. Colitur Felix ut Martyr in Breviario & Martyrologio Romanis die 19. mensis Julii, quemadmodum in Martyrologio Adonis aliisque ..... Quia* tamen, *quæ de Felicis Martyrio tradit Anastasius, & ex eo Ado aliique Martyrologi, fabulosa videntur; & Marcellinus ac Faustinus loco laudato eum morte naturali defunctum tradunt; existimo Felicem II. ideo Martyrem appellatum fuisse, quod multa pro Christo pertulerit, non vero quod ejus causa occisus fuerit: idque ex modo loquendi prioribus seculis usurpari solito. Hinc Fronto, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini, scribit, extare Litanias in Codice a septem aut octo seculis exarato, in quibus Felix II. in numerum Pontificum refertur, cum Sancti ac Confessoris nomine, quod etiam Julio & Damaso attribuunt*, quorum ille, immediatus, si Liberium demas, decessor; hic, immediatus successor est Felicis. Et illa quidem Pagius, mecum existimans, *Felicem ideo Martyrem appellatum fuisse, quod multa pro Christo pertulerit, non vero quod ejus causa occisus fuerit*.

140 Nunc P. Sebastianum audiamus. Cum citasset contra me Martyrologium Romanum, inscriptionem arcæ, cum Reliquiis S. Felicis inventæ, Baronium, Usuardum, Ciacconium, & *alios scriptores præclarissimos*, hoc epiphonemate, ut ferme alibi similibus, me honorat: „ At Papebrochius, passim spernens auctoritatem Martyrologii Romani & quorumcumque Auctorum etiam nobilissimorum, „ fidenter asserit, Martyrium S. Felicis a „ Luciferianis schismaticis esse confictum: & „ ad nonnulla, quæ occasione ejus Martyrii „ narrantur, ait: *Omnem speciem tolerabilis „ mendacii excedit fabula ..... Martyrium S. „ Felicis omnem apud me verisimilitudinem amisit*: adeoque reputat esse meram fabulam. „ Quæ insolens censura contra tam fundatam historiam, sitne supportabilis, ju„ dicet sancta Sedes. Hactenus modestia P. Sebastiani, cujus conscientiæ relinquo epiphonema suum, & æquo lectorum judicio: ego enim si illud elumbare inciperem, vereor ut intra modestiæ terminos me contineam præ criminationum indignitate. Spernere me passim auctoritatem Martyrologii Romani, dicere

cere non potest sine mendacio, qui scripta mea legit: is enim observare legendo debuit, mihi Romanum, præ reliquis Martyrologiis, magistri loco esse, ad discendum tradendumque deinde aliis verum & ecclesiasticum alicujus cultum: si vero graviora aliunde in contrarium occurrant argumenta, cum reverentia ab illo recedo, numquam auctoritatem ejus spernens. Nec magis sperno *Auctores quoscumque etiam nobilissimos*, nisi forte tibi tantum nobilissimi fiot, Reverende Pater, mihi ex eruditiorum judicio inter apocryphos & fabulatores reponendi.

141 Ast, *omnem speciem tolerabilis mendacii excedere fabulam*, dico. Quam fabulam? Quæ supponit mecum Differt. 10. Conatus Chronico-hist. n. 3. & 4. quod Felix Papa *declaravit Constantinum, filium Constantii, hæreticum*; eum nempe, quem Ecclesia Romana perpetuis temporibus pro Sancto habuit. Quando autem? Viginti post obitum annis. Ubi? Romæ, quam ipsa Christianam & Catholicam fecerat, religiosis virtutum suarum exemplis illustraverat, pluribus Deo Divisque extructis basilicis condecoraverat. Qua de causa? Nulla. Hinc præter alia sic scribo honori Felicis æque ac Constantini bene consolens: *Quis prudens credat, Felicem sensum suum* de prædictis *ausum fuisse aperire contra defunctum* Constantinum, *de tota Ecclesia optime meritum, honoratumque ab ea passim ut Sanctum; & ejusmodi declarationem palam evulgare ea in urbe, quam ille fecerat Christianam, & tot basilicis constructis exornaverat? Quæ autem fuisset hujusmodi declarationis utilitas? Si simpliciter dixisset auctor, quod Felix declaravit Constantium* (filium Constantini) *ipsummet hæreticum, quia scilicet Arianis palam studebat, dixisset aliquid vix credibile, respectu ejus temporis, quo Romæ Constantius cum suis Arianis poterat omnia. Nunc vero omnem speciem tolerabilis mendacii excedit fabula*, id est scriptum, quod talia de Constantino, filio Constantii senioris, fingit.

142 Quæ cum clara sint, cur tu, Reverende Pater, mihi improperas, quasi locutionem illam effuderim adversus Martyrium Felicis; quod tametsi in eodem scripto memoretur, potuit aliunde verosimilitudinem habere? An potuisti id facere sine fictione? Noles fateri. Et ego nunc malim, Martyrium cruentum Felicis fabulam dici, quam virum religiosum fingere ad denigrandam proximi sui famam; atque adeo negare non debeo, *Martyrium illud omnem apud me verisimilitudinem amisisse*, nunc magis quam umquam antea, quamdiu nempe fortiora, quam hactenus vidimus, nemo attulerit pro illo argumenta; & quamdiu illa non attulerit Paternitas Vestra, non poterit Martyrium illud *tam fundatam historiam*, aut ratiocinium meum *insolentem censuram* appellare, eamque ut *insupportabilem* apud Sedem Apostolicam accusare.

143 Quid superest modo? Duplex tibi genus Martyrii distinxi & demonstravi; altero ab ærumnis, fidei causa in Vita tantum tolleratis, alterum a violenta morte denominatum. Primum concessi semper, alterum semper negavi & nego Felici obvenisse. Negationis meæ causam reddens, primum ostendi, argumenta quæ Martyrium violentum probare deberent, nisi omnia scripto apocrypho, atque insulse ficto, & in plerique falso, licet jam olim circumlatum fuerit cum aliis Pontificum Vitis in Catalogo secundo, seculo saltem uno ac dimidio post Felicem scripto, uti & in Libro Pontificali, atque Anastasio Bibliothecario, multo recentioribus. Deinde probavi assertum meum, quod non fuerit violenter occisus Felix, positivis argumentis; ex iisdem quidem codicibus, sed probatiore ibidem Commentario de Vita Liberii, depromptis; depromptis item e Sozomeno, integro seculo antequam Catalogus secundus conderetur, & fere dimidio post obitum Felicis scribente, nec non e contemporaneis eidem Felici Presbyteris, Orosio, Marcellino atque Faustino; item e Sozomeno, & Pagio mea scripta hic probante ac aliis. Quid, inquam, superest modo? Ut qui tam multa tibi per decursum gratis pridui tantisper concedenda, nunc etiam liberaliter supponam, totam accusationem tuam esse verissimam veritatem. Quid inde, dignum tanto clamore, tam injuriosis dicteriis & provocatione ad Sedem Pontificiam; dummodo pro mea sententia supersit mihi tantum argumentorum, quantum sibi reliquum videt Paternitas Vestra pro sua, id est pene nullum comparatione aliorum oppositæ sententiæ? Si quis nunc Paternitatem Vestram, æque eadem sentientem, similibus ac tu me, dictis incesseret, atque ad Apostolicum tribunal, propter sententiam de Martyrio Felicis, quam putas probabilem, raperet, quo animo ferres, quid faceres rapienti?

144 Hac usque sat multa de Martyrio; & Accusatori meo etiam nimis multa fortassis; quia multa detegunt nimis, parum honorifica religioso scriptori, ne dicam ignominiosa. Verum de altera accusationis parte, quid? Accusator nullam ei probationem addens, aliud non fecit accusando, quam cupiditatem ciere lectori plura de illa discendi; nimirum, quinam Felici affinxerint Martyrium per mortem violentam. Ego quidem præcipue in eo fui, ut ostenderem Martyrium tale ipsum non subiisse; eoque, ut opinor, satis clare evicto; putavi conatum meum aliquanto ulterius extendi posse, ad illustrandam Historiam illorum temporum, proponendo saltem quæstionem novam viris historiæ studiosis, & meam simul de illa conjecturam proferendo, donec alius, fortassis hac mea quæstione motus, certiora inveniat. Quæro igitur Differtatione sæpe citata 10. *Unde orta sit antiqua penitusque insita de Felicis Martyrio opinatio?* Et respondeo, *si mihi dicere licet quod sentio, ex simili, unde Marcellini Martyrium, officina. Illud fabricaverunt Donatistæ hæretici, Melchiadis Papæ famam conspurcaturi per infamationem Marcellini: hoc imputare velim Luciferianis, per Liberii infamationem Romanorum omnium Pontificum eversam auctoritatem cupientium. Quia enim in hujus reditu persecutionem aliquam Clero motam constabat, ita ut intra ecclesiam Presbyteri & Clerici necarentur, visum est illis augere persecutionis atrocitatem cæde ipsimet Felicis: sed quam infelici commento, tunc intelliges, cum ejus synopsim ex Anastasio cognoveris.* Illam ego tunc sufficienter ostendi, plenam fictionis esse, & nunc ostendi clarius. Nihilominus quod de auctoribus dico, pro mera conjectura reputari volo, quam si amplius illustrari cupias, debebit P. Sebastianus novas con-

contre eam aeeuſationes offerre ſummo Pontifiei, & nove reſponſa obitnebis.

§. XVII. ACCUSATIO.

Papebrochius omnibus Chriſti Martyribus, paſſis ſub Juliane Apoſtata, abripere molitur aureolam Martyrii.

RESPONSIO.

Sicut omnes incruenta morte defuncti Sancti ab Eccleſie nominantur & eoluntur *Confeſſores*, licet hic titulus olim ſolis iis daretur, qui fidem io judicio confeſſi, eereerem, tormenta vel exilia ſuſtinuerant; ita *Mortyres* communis nunc uſus appellat quotquot Eccleſia eolit olim cruenta morte necatos, licet varia ex cauſa necati eſſent; nec eum titulom eut ritum muteri quiſquam juſſit, uteumque Scholæ loquantur de *Aureola*. Ita SS. Rumoldus, Rutpertus, Lambertus, Epiſcopi, elia quam fidei ceuſa occiſi; Evermarus, Trudbertus, & ſimiles, mactati a graſſatoribus; Caoutus Daniæ, Eduardus Angliæ, Wenceslaus Bohemiæ Reges cauſa regni occubuere, & Martyres habentur, abſque ulla cujuſquam eontradictione: nee ullus nobis decurrit menſis, qui non plurima hujus generis in utroque ſexu exempla præbeat.

146 Quod ſi illis id eoneeditur, quanto potiori jure eonceditur iis, quibus mortem conſtat fuiſſe illatam a Geotilibus vere in Chriſtianæ fidei odium, lieet alio prætextu id fecerint. Sic eccleſia ut Martyres veneratur eos, quibus, ſub Nerone aut Diocletiano, Romanæ urbis Palatii Nicomedienſis incendium imputatum per ealumniam fuit: oee minori jure damus eumdem honorem cunctis, ſub Juliano Apoſtata paſſis: quorum *eandidatus exercitus, in Romane Martyrologia per omnes fere menſes deſcriptus*, neſcio ubi viſus ſit Paternitati Tuæ. Nos totis ſex, quos illuſtravimus, menſibus, noo ſolum ex uno illo, ſed ex aliis omnibus Orientalis etque Occideotalis Eccleſiæ faſtis, ſtudioſe colligentes quotquot uſpiam potueruot reperiri, needuin alios invenimus, quam eos, quos furor plebejus ſuſtulit indulgentia Juliani fretus; & paucos quoſdam a Juliani Præfectis ſublatos de medio, puta *Julianum medicum & Eubulum* io Cypro, *Dorotheum Tyri Epiſcopum* in Thracia, *Gordianum, Joannem & Paulum* Romæ, de quorum priore acturus in Martyrologio Baronius 10. Maji, monet, *Carnificinas illas, quas Romæ in Chriſtianos exerceri ſolitas ferunt*, (auctores videlicet quoromdam ſpuriorum Actorum, qualia ſuot Paſſiones trium ſupra nominatorum) *non ab ipſo Juliano, ſed ab Aproniano Præfecto Urbis inſtitutas ... & horum Martyria potius ſub Juliano, quam coram Juliano actitata. Illum etiam poſt adeptum Imperium, Rome aliquando fuiſſe nullius probatorum Auctorum teſtimonio effirmari*.

147 Hine intelligas, Actorum quæ dixi ſpuriorum auctores, a Baronio non eenſeri *probatos*, nec re vera eſſe, ideoque fruſtra e Tua Patern. ellegari, quemadmodum etiam fruſtra me remittis ad ennum 362. Annalium, ubi n. 22. de illa perſeeutione leges hæc formalia verba: *Longo diſpar hæc fuit ab aliis per Ethnicos Imperatores illatis; cum illi Chriſtianitate venita adverſus ejus cultores ſancirent ac promulgarent edicta, quibus fideles omnes diis ſacra facere impellerentur: Julianus autem, ut ex ejus litteris ſatis exploratum habetur, colendi deos vim nemini adhibendam eſſe putavit, nec fieri quemquam invitum cogebat Chriſtianæ fidei deſertore*. Noſcio qua fronte, Reverende Pater, hæc relegere poteris, & non erubeſcere de hac tua cootra me aeeuſatione. Legiſſes ſeltem ipſum, quem aceuſare volebas locum, & ex Hierooymo verbe hæe: *Blanda perſecutio* Juliani *fuit, illiciens potius quam impellens ad ſacrificandum*. Totus ſcilicet erat io ejuſmodi legibus exquirendis, quibus ſiquid verſutum & eallidum, tamen quod minus videretur crudele, deeerneret, & Chriſtianam legem, in quam maximum poſſet contemptum adduceret. Vide Tom. 1. Maji pag. 443. n. 25.

148 Quod ſi elicubi everſa fana, extructas Eccleſias, ſolemni pompe traductes Reliquies, impietatem ſuam verbis aerioribus perſtrictam audiebat; hinc ſcilicet ſumebatur prætextus ſæviendi in eives, eoſque iodiſeriminatim vexandi. Si antem quandoque ad ſupplicia etiam deveoiebatur, ea *clam per Præfectos* exigebat, ut habeot Acta S. Dorothei io Meoæis; quemquam hoc quoque alio ut plurimum prætextu. Nam S. Chryſoſtomus, unde Bollaodus ad 25. Januarii dedit Acta SS. Juventini & Maximi Militum, Antiochiæ præſeote & jubente Juliano interfectorum, prætexuiſſe ait *affectatam tyrannidem, ut ita Martyrii corona privaret*. Antea autem dixerat idem Chryſoſtomus; enumeratis variis & injuſtis ſæviendi prætextibus, qui propius ſpectabant injurias, falſis diis illatas olim, & ſub Principibus Chriſtiaois, ſic progreditur: *Fingebat quoque & alias varias cauſas, ita ut pie viventium neme non lugeret. Agebat autem hæe, ut abſcuraretur Martyrii corona, & nihilominus cædes & strages fierent*. Habea hie, Pater Rev. unde Sozomenum & Baronium explices, in iis, quæ mihi objicis, locis; oeque me temeritatis & ignoreotiæ arguas in detrahenda martyrii Aureola, cujus nuſpiam memini.

149 Tu autem, quoniam memioiſti, die age, ubinam, quod in titulo aſſeris, *Papebrochius omnibus Chriſti Martyribus, paſſis ſub Juliane Apoſtata, abripere molitur Aureolam Martyrii?* Deſignas Tomum 1. Maji fol. 443. num. 25. ubi cito hanc Juliani ad Artabium Epiſtolam: *Ego per deos, neque interfici Galilæos* (ſeu Chriſtianos), *neque cædi præter jus & æquum, neque moleſtiæ quidpiam perpeti vole: ſed tamen iis pios ac ſanctes viros* (nempe idodolatres) *præferendos eſſe vel maxime cenſeo*. Poſt quæ ſic animadverto: *Si quid autem ab eo Antiochiæ vel alibi actum in Chriſtianos crudeliter, fere in tenebris carcerumque ſecretis, nec unquam niſi alio quam Chriſtianitatis titulo patratum fuit*. Video quidem, P. Profeſſor, mea verba a te, quod mirum, oon iofideliter citata; ſed nondum video, quomodo ex iis inferas, Ergo *Papebrochius omnibus Chriſti Martyribus, paſſis ſub Juliano Apoſtata, abripere molitur Aureolam Martyrii*. Ita ſcilieet verba mea intelligis, queſi dicerem: Nullus ſub Juliano paſſus eſt, niſi alio quam Chriſtianitatis titulo. Verum reſpondeo, iſtud a me neque explicite, neque implicite, neque virtualiter diei uſpiam: & etiamſi diceretur, non ſequeretur coneluſio ſeu Paragraphi tui titulus.

150 Aliud scilicet est, *a Juliano pati*, aliud tantum *sub Juliano*. Nam etiamsi Julianus nullum jussisset morte affici, quam multi tamen a Juliani Præfectis sæpissime torqueri potuerunt & occidi? quam multos dirissime dilaniare populi furor, dissimulante, & quasi tacite permittente Imperatore? Sed neque is a cæde semper abstinuit; dum enim palam simulabat, se neminem religionis causa interfici velle, multos tolli e medio jussit, re vera odio Christianismi; sed, ut erat versuto ingenio, & totus consutus ex fraudibus, alios semper prætextus seu *titulos* venabatur, quibus crudelitatem suam & in Christianos odium quadam æquitatis specie obvelaret. Sic de eo S. Gregorius Nazianzenus, in funere fratris sui Cæsarii: *Furebat*, inquit, *adversum nos infandus Imperator, & cum in seipsum primum per Christianæ fidei repudiationem insanisset, jam aliis quoque intolerabilis erat: nequaquam cæterorum Christi hostium more, magno & strenuo animo impietatem profitens, verum clementiæ obtutu persecutionem celans; atque instar flexuosi illius serpentis, qui ipsius animum obsidebat, omni genere machinarum ad barathrum suum miseros callide pertrahens. Ac ne eos honores, qui Martyribus haberi solent, consequeremur (hos enim Christianis homo egregius invidebat) prima illius fraus ac versutia hæc fuit, ut qui Christi causa excruciabantur, non ut Christiani, sed ut facinorosi, supplicio afficerentur.*

151 Est modo, Pater Professor, quod de Aureola Martyrum a te edoceri cupiam. Solisne illa confertur iis, quibus Tyrannus edicis, se eos propter fidem vel religionem ad mortem condemnare? an etiam iis, quos ex religionis odio interficit, sed alio allegato palam *titulo*? His quoque non denegari a Deo Aureolam Martyrii semper arbitratus sum, neque Theologum novi qui aliter censeat. Hinc Theophilus Raynaudus Tom. 18. pag. 415. postquam mentionem fecit sanctorum Martyrum Juventini & Maximi, quos S. Chrysostomus testatur a Juliano occisos titulo *affectatæ Tyrannidis*, re ipsa tamen odio religionis: ita subjungit: *Hæc artificia Julianum e persecutorum numero nequaquam exemerunt, nec qui ab eo passi sunt, quantumvis malitiæ obduceret aliam larvam, serie Martyrum sunt exclusi*, & paulo ante: *Quocumque autem ex prædictis modis persecutor sæviat, hoc est, sive causa persequendi & furendi sit odium fidei in seipsa, sive odium exercitii virtutis per fidem dictatæ, non est curandum, quod causa, ex qua persecutor mortem infert, subdole ab eo tegatur, & alia falsa obtendatur; inde enim nihil apud Deum decedit veritati Martyrii. Quo in genere turpiter hallucinati sunt plerique Tyranni, qui, sive ad declinandam crudelitatis notam, sive ad emolliendos Christianorum animos, obscurato Martyrii splendore, a quo putabant eos maxime impelli ad subeundam tam alacriter mortem, re vera in fidei odium vexantes plebem Christi, ficta tamen crimina conquirebant, quibus eam onerarent; idque studiose adnitebantur, ut persuaderent, propositum sibi non esse Martyres facere, vel in fidei & Christi causa cuiquam negotium facessere, sed aliorum criminum insimulatos Sanctos Dei insectabantur, & morte afficiebant ..... Julianus Apostata eadem calliditate Ecclesiam impetiit.* Solus tu, Reverende Pater Professor, iis omnibus *Martyrii Aureolam* denegas, pro quorum supplicio Julianus, aut quivis alius Tyrannus, *alium titulum quam Christianitatis* allegavit. Solus tu *Martyrii Aureolam* adimis omnibus, sub Juliano per furentem populum vel Præfectos odio fidei occisis. Quasi vero ab ipso Imperatore, vel ejus jussu, interfici quis debeat, ut *Martyrii Aureolam* consequatur.

152 Hanc si sententiam tuam esse inficieris, cur ejusmodi accusationem instituis, ex qua hæc omnia legitime deduci, quivis videt? Quæ enim potest esse argumentatio evidentior quam hæc: Juxta Reverendum Patrem Sebastianum, *Papebrochius omnibus Christi Martyribus, passis sub Juliano Apostata, abripere molitur Aureolam Martyrii*, quia juxta Papebrochium, *si quid ab eo actum in Christianos crudeliter, fere in tenebris carcerumque secretis nec unquam nisi alio quam Christianitatis titulo patratum fuit*. Ergo abripitur *Aureola Martyrii omnibus sub Juliano passis*, qui non sunt *Christianitatis titulo* occisi *a Juliano*: ergo abripitur Aureola Martyrii omnibus passis *sub Juliano*, qui *a Juliano* passi non sint; sed tantum a populo vel ministris Juliani: uti & omnibus, *qui a Juliano passi* quidem sunt, sed *sub alio quam Christianitatis titulo*, licet vere ex odio Christianitatis. Quæ cum ita sint, omnibus Theologiæ Professoribus decernendum relinquo, utra potius ad Sedem Apostolicam deferri mereatur, meane assertio; an tua, R. Pater, accusatio. Quod ex margine citas, *nullum extare indicium apud Catholicos Scriptores, crudelitatis a Juliano palam exercita in Christianos*, explicationem habet, tum ex jam dictis, tum ex textu ipso. Agitur nempe, non de qualibet crudelitate sub Juliano exercita; sed de *gravibus & multiplicibus tormentis, a Juliano & in conspectu ejus illatis*, prout illata referebantur S. Cyriaco, de quo erat quæstio.

§. XVIII. ACCUSATIO.

Papebrochius Acta & martyrium S. Barbari, qui Venetiis colitur, explodit tanquam fabulam.

RESPONSIO.

Nescio quo fine tam operose describas Rev. Pater, quidquid ego de S. Barbari cultu ex recentioribus Martyrologiis collegi, antiquiora nulla inveniens. Poteras sistere in Petro de Natalibus, illis longe vetustiore, unico unde alii sua hauserunt fonte; ex quo si describere voluisses verbis brevem, sed fabulis plenissimam Legendam (quam tamen hic reproducere nihil attinet) censuræ meæ æquitatem omnibus dedisses cognoscendam, qua dico, de illo *nihil haberi, verosimili scriptura aut ratione probatum, præter titulum Martyrii .. cætera mirum esse otiosi alicujus cerebri somnium, qualia subinde expedit proponi etiam in hoc opere nostro, ut contraria juxta se posita clarescant magis.*

154 Petrus de Natalibus, quantumcumque a te laudatus, nihil ultra seculi XIV. simplicitatem magnopere videtur sapuisse: neque Episcopalis gradus probat, eum curiosiorem fuisse, ad vera discernenda a falsis, quam ea ætate passim erant ejusdem professionis & dignitatis alii. Præferunt quidem nonnulli eum, & quidem

dem longe, Jacobo de Voragine: verum Bollandus, in Præfat. Gener. ad Vitas Sanctorum ante Januarium cap. 1. §. 4. *Si de numero*, inquit, *agitur Sanctorum, quorum illa nomina collegit, libens assentior; sin diligenter veteris Historiæ statuta examinata, certisque testimoniis ceu momentis librata quis requirat, ne ille in multis etiam Voragini cedit*. Pluribus hic mihi opus non est, cum de Juliani persecutione jam dixerim, nullum extare certum apud antiquos exercitę ab eo personaliter crudelitatis exemplum, causa solius religionis prælata. De imputato eidem Juliano longe fabulosiore Martyrio Cyriaci Hierololymitani, dicetur mox iterum.

§. XIX. ACCUSATIO.

Papebrochius Acta & gesta Judæ in sanctæ Crucis inventione, a Sede Apostolica apprabata, reprobat tamquam fabulosa.

RESPONSIO.

QUi probas, Acta ista Judæ & gesta in sanctæ Crucis inventione, approbata esse a Sede Apostolica? *ex Breviario*, inquis, *Romano*; nempe, in quo ne apex quidem est de Juda, aut ejus gestis. Nihilominus sic pergis, *in Antiphonis ad Laudes, in Officio inventionis sanctæ Crucis 3. Maii habetur, quod Helena Constantini mater compulerit Judam, ut* „ ostenderet Calvariæ locum, ubi absconditum „ erat pretiosum lignum dominicum; *&, ut subditur*,„ cum orasset Judas, commotus est lo„ cus ille, in quo Crux jacebat, *& sic inventa fuit, ut latius narrat Historia*. Vel ego cæcus sum, qui ista non invenio in Breviario Romano, vel justo oculatior est Paternitas vestra, quæ illa illic legerit. Te appello atque oro, Lector, ut inspicias: legas, relegasque Breviarium; & si nec tu inveneris illic gesta predicti Judæ, considera quo nomine appellandam putes, talem Accusationis probationem.

156 Sed heus Rev. Pater; est qui hic tibi opem ferat ex Hispania, nam octiduo antequam hæc recuduntur, allata fuit nobis ab amico Salmanticæ 20. Octobris 1696. data epistola, qua sic inter alia scribitur: *Hispanicus liber nuper nobis Exhibitionem errorum, in compendium redactam, proposuit. Sed cautior ejus auctor auctore primitivo, pene omnes illius titulas erasit, ac multis in locis audacissimas ejus censuras emendavit. Adjunxit etiam duos alios ejusdem auctoris* (P. Sebastiani) *libellos, nempe motivum & ejus Appendicem, omnibusque hunc titulum præfixit: Libellus supplex, quem in æquitatis tribunali Veritas offert, adversus calumnias P. Canradi Janningi*.

157 Illa eadem, credo, *Veritas*, quæ nuper non veris delationibus, sacræ Inquisitioni Hispaniæ oblatis contra Sanctorum Acta, multos ibidem ac deinde alibi circumvenit. Illa *Veritas*, quæ nuper Epistolam, ab Augustissimo Imperatore Leopoldo ad Regem Catholicum vere datam, eidem Inquisitioni sic obtulit, ut ex vera Augustissimi Epistola faceret falsam, imo hæreticam. Illa *Veritas*, quæ nuper audacissimo ausu confinxit inconditam Epistolam sub nomine Innocentii Papæ XII. Christi Domini in terris Vicarii, quasi ad eumdem Augustissimum Leopoldum Romanum Imperatorem datam (o Scelus,) eamque obtulit toti mundo, in dedecus Pontificiæ Majestatis præcipue. Illa *Veritas*, quæ item nuper si non toti mundo, saltem Hispanis, obtulit libellum famosum hispanice scriptum, nobisque Roma Octobri mense submissum, quo fingit, Propylæi, aut potius Conatus mei Chronico-historici ad Catalogos Romanorum Pontificum, prohibitionem *a Sacra Congregatione Indicis cum lætitia totius Curiæ Romanæ promulgatam* esse; & quidem *verbis iisdem & eisdem plane censuris, quibus respective prohibuit suprema Hispaniæ Inquisitio in Novembri 1695.* quatuordecim tomos de Actis Sanctorum: sicque *Congregatio, Romana confirmavit Decreta Hispanica, quæ tantopere abominantur* (ut ait) *cum universali sensu totius orbis Catholici, illi, quorum interest*. Dubito, an ipsa Sacra Congreg. & ipsa Veritatis mater Ecclesia Romana hanc veritatis vocem agnitura sit veram esse. Eadem nihilominus *Veritas* (ut ejus encomiis denique finem imponam) in Cæsareæ Epistolæ ad Inquisitionem delatione, Janningum nostrum Epistolæ hæreticæ auctorem fecit per evidentem falsitatem & calumniam, quia nempe Janningus Auctor sit Motivi Juris ejusque Appendicis, quorum idem stylus est cum Epistola hæretica, atque adeo hæc Epistola eumdem auctorem habet.

158 Hæc ultima *Veritas*, quæ Janningum Epistolæ hæreticæ (alias Cæsareæ) auctorem fingit & Inquisitioni defert, eadem sine dubio est, quæ nunc *in æquitatis tribunali Libellum supplicem*, de quo supra, *offert adversus calumnias P. Conradi Janningi*: mitior tamen aliquanto nunc, quia ex hæretico facit calumniatorem solummodo. Nimirum quia nunc oculatior, eorumdem librorum, Motivi Juris & Appendicis ejus, quorum tunc auctorem fingebat Janningum, & inde inferebat ex similitudine styli, etiam auctorem esse hæreticæ Epistolæ; eorumdem, inquam, librorum nunc agnoscit *Veritas* illa auctorem P. Sebastianum a S. Paulo; & inde similiter inferre debet ex similitudine styli, auctorem quoque esse Epistolæ hæreticæ. Aut e converso sic poterit concludere: Epistola hæretica, quæ sub nomine Cæsaris circumfertur, est simili plane stylo conscripta atque conscriptum est Motivum Juris & ejus Appendix. Ita *Veritas* vestra habet in Delatione Epistolæ Cæsareæ. Atqui per eamdem Veritatem infertur qualitas eadem Scripturæ unius cum altera ex similitudine styli unius cum stylo alterius: ergo & Motivum Juris & Appendix ejus sunt libri ejusdem qualitatis, id est hæretici. Et hoc motivum jam non timet *Veritas* vestra offerre in æquitatis tribunali; ut hæretica scripta (talia Argumentatio vestra illa facit) non jam condemnentur, sed ut per illa Janningus accusetur & convincatur, si Superis placet, calumniarum.

159 Abripuit me rerum enormitas & justa indignatio ultra quam volebam. Volebam ex præcitatæ Epistolæ Hispanicæ verbis inferre primo, titulos Articulorum per Exhibitionem sparsos, admodum acerbos aut falsos debere censeri, qui tuorum mei oculos, R. Pater, sic offenderunt, ut *pene omnes eraserint*: nec mitiorem aut meliorem esse textum, cujus *audacissimas censuras multis in locis emendarint*. Quam vellem

lem librum ipſum videre! Unum dumtaxat, emendationis locum mihi indicat Amicus, & huc præciſe ſpectantem: eſtque, quod *Hiſpanus Exhibitor* (ut ipſum vocat Amicus) conſiderans, P. Sebaſtianum ineluctabiliter teneri in eo, quod citat e Breviario Romano de Juda & inventione ſanctæ Crucis, quæ illic non habentur; *remittat nos ad antiqua Breviaria, dum de impoſtura facta arguitur*. Et ſic, opinor, ſalva putat omnia Exhibitor iſte: non animadvertens, ſe incidere in Scyllam, cupidum vitare Charybdim.

160 Si enim Breviaria antiqua Romana habent, quæ P. Sebaſtianus ſimpliciter citat ex Breviario Romano, & ex eodem ſolo probas; videlicet *Acta & geſta Judæ in ſanctæ Crucis inventione a Sede Apoſtolica approbata* eſſe: jam nihil probat P. Sebaſtianus, imo improbat, quod probatum unice vult. Nam Romana Eccleſia, reformans antiqua ſua Breviaria, variaque in illis contenta improbans, eradi & in poſterum omitti juſſit; qualia ſunt etiam, quæ de Actis & geſtis Judæ in inventione ſanctæ Crucis defenduntur a P. Sebaſtiano: eraſa enim & omiſſa ſunt, atque adeo non probata ab Eccleſia, ut idem P. Sebaſtianus in Accuſatione ſua quaſi ex tripode pronuntiat, dicens: *Papebrochius Acta & geſta Judæ in ſanctæ Crucis inventione* a SEDE APOSTOLICA APPROBATA, *reprobat tamquam fabulam*.

161 Quas deinde Adverſarius allegat auctoritates pro geſtis Judæ in inventione prædicta, neutiquam probant, illa *a Sede Apoſtolica approbata* eſſe. Imo illas allegando non niſi meis te plumis induis: illas enim ipſas in Commentario, quam accuſas, objeceram mihi, & cum oppoſitis auctoritatibus ac præcipue rationibus collatas, judicabam evincere non poſſe, quod tu vis: nec facere, ut Hiſtoria apocrypha non ſit apocrypha, & fabula non ſit fabula. Si argumenta, Aſſertionibus meis contraria, quæ diligenti ſtudio collegi ac refutavi, hic reproducere voluiſti (ut ſæpiſſime alias facis, nihil novi ſuperaddens) cur non reproducis eadem opera refutationes meas & argumenta, rejectis ſolidiora, quibus innitor? Sed nullam tunc farraginem Accuſationum congerere potuiſſes. Pluribus ſuperſedeo; cum refutata abunde ſint objecta tua, [1] non tantum ad diem IV. Maii, ubi de Juda illo tuo agimus, verum etiam in Poſtſcripto Janningi, & hic Art. 1. §. 7.

§. XX. ACCUSATIO.

Papebrochius Hiſtoriam S. Flaminæ, Virginis & Martyris Davajacenſis in Arvernia, ex leviſſimis conjecturis, apocrypham pronuntiat.

RESPONSIO.

VErum hic loqueris ex parte. Hiſtoriam *Apocrypham* pronuntio, ſed non *ex leviſſimis conjecturis*. Legiſtin' tu, Pater profeſſor,

[1] Pro P. Sebaſtiano, proque Juda Quiriaco adverſus P. Papebrochium, cæteroſque Bollandianos nuperus Controverſiarum Eccleſiaſtico-hiſtoricarum Scriptor D. Gerardus Caſteel Canonicus Ordinis S. Crucis pugnat Controv. XXV. actaque Inventionis S. Crucis, quæ Judam Quiriacum Helenæ Crucem Dominicam indicaſſe produnt, ſtudioſe defendit. Quibus vero argumentis? [Nam importunas declamationes iis relinquimus, qui tum demum cauſſam ſuam ſtrenue vindicaſſe ſibi videntur, cum inanibus invectivis, contumeliis, jocis, ſcurrilitatibus paginas onerarunt.] En illa. Gregorius Turon. hiſt. Franc. l. 1. c. 36. atque adeo ante Turonenſem Gregorium Catalogi Romanorum Pontificum Auctor, Andreas Cretenſis Oratione de S. Cruce, Berengoſus Ordinis S. Benedicti Abbas apud S. Maximinum, qui ſub initium ſæculi XII. floruit, l. 2. de laudibus S. Crucis, Nicephorus l. 8. c. 26. Vincentius Bellovacenſis l. 15. Sabellicus Ennead. 9. l. 6. Polydorus Virg. l. 7. c. 3. Petrus Comeſtor Hiſt. Schol. in Innocentio III. Mantuanus, Juda Quiriaco præmonſtratore Helenam Crucem inveniſſe docent. Præterea *multi inſignes in Eccleſia approbati Ordines Religioſi, Equeſtres, Canonici & Monaſtici inſtituti Sanctum Judam Quiriacum Epiſcopum & martyrem aut habent patronum primarium, aut ſpeciali Officio, vel ſacra commemoratione venerantur*. His omnibus addit Caſteelus Breviaria plurima, complura Martyrologia Bedæ, Rabani &c. Sed inania hæc ſunt ac flocci facienda in tanta hujus litterarii ſæculi luce, ut mirum ſit, doctum Canonicum, qui in cæteris controverſiis ſatis criticus eſt, in hac ad profligata Fr. Sebaſtiani caſtra tranſiiſſe. Nam Papebrochius & Janningus Gregorii Turonenſis & Catalogi Romanorum Pontificum auctoritatem hac in re minoris habendam efficaciſſimis rationibus dudum oſtenderunt. Et revera haſce de Quiriaco *quiſquilias*, ut loquitur Joannes Pinius tom. 3. Auguſti in comm. prævio ad Acta S. Helenæ n. 80. antiquas eſſe nemo negaverit. Sed qui ea, quæ Papebrochius ad acta S. Quiriaci adnotavit t. 1. Maii ad d. 4. diligenter inſpexerit, illa fabulis undequaque ſcatere, ſi ſapiat, fatebitur. *At receptiſſima ipſa Inventionis S. Crucis hiſtoria a Catholicis hactenus credita*, inquit Caſteelus, *ad nihilum deveniet cum ipſo Quiriaco, ſi circumſtantiarum diverſitas ipſiuſmet rei obſtet veritati. Paradigma ſit etiam S. Petri Apoſtoli Romam profecti hiſtoria, fabulamentis conſperſa, narratiunculis varia & confuſa, aſſtatis referta .... Quod ſi exinde ſtatuere liceat, Petrum nunquam Romam veniſſe ... actum eſt de ſucceſſione Romanorum in Sede Petri Pontificum*. Sed animadvertere debuit vir eruditus, tum ſolum circumſtantiarum diverſitatem veritati non obeſſe, cum veritas certiſſimis argumentis aliunde conſtat. Quis ergo de veritate inventæ Crucis, quis de adventu Romano S. Petri dubitare poſſit, univerſa id antiquitate comprobante, etſi aliæ ab aliis circumſtantiæ proferantur, quibus cum Criticorum legibus minime convenire poſſit. Quid ſi vero omnes circumſtantiæ falſitatis manifeſtiſſime arguantur? At omnes omnino circumſtantiæ, quæ in Actis S. Judæ Quiriaci leguntur, fabuloſæ ſunt, neque a ſano quoquam defendendæ. Quid ſi inter veteres ipſos graviſſimi quique narratione ſua prorſus eliminanda doceant, quæ apud minoris notæ hiſtoricos inveniuntur? At Judam Quiriacum ii omnes profligant, qui Crucem *divinitus* Helenæ indicatam tradunt. Quod ad Berengoſum attinet, cæteroſque a Caſteelo allatos, ſerium ridebit quiſquis in confirmationem rei ſæculo IV. geſtæ audierit proferri teſtes, qui octo, novem, & duodecim etiam ſæculis illa ſunt recentiores. Breviaria, Martyrologia, & id genus cætera cultum Sancti demonſtrant, hiſtoricæ veritatis narrationem minime confirmant. Enimvero Religioſi illi Ordines ſuum Quiriacum colant, colant Anconitani. Papebrochius, Janningus, & Bollandiani reliqui nuſquam illum in vivis extitiſſe inficiati ſunt, neque porro inficiabuntur: negant Hieroſolymorum Epiſcopum fuiſſe, niſi cum altero Juda confundatur, negant Helenæ crucem Dominicam deſignaſſe. Qui vero hæc Anconitani, hæc Religioſi illi Ordines comprobabunt? Magna illis reverentia a nobis exhibetur; ſed in hiſtorica re non majorem ſane poſtulabunt ipſi, quam a viris quibuſque eruditis Romano ipſi Pontifici tribuitur. Num quod Crucigerorum Ordo, quem noſtra ætate proſcriptum a Romanis Pontificibus novimus, Cletum ſibi auctorem jactaverit; idcirco injuriæ in illum Ordinem irrogatæ reus erit, qui lepidum ſane commentum riſerit, exploſeritque?

sor, aut vidisti Historiam ipsam, quam probas, ut de probitate ejus vel probabilitate judicare possis? Non puto: neque id uspiam audes asserere; & ubique satis apparet, nihil te hic, ut alibi passim, ad accusandum me legisse, quam me ipsum; ex commentariis meis promens, & quasi inventa tua forent, objiciens aliorum argumenta, quæ ibidem a me refutata sunt. Ego vero & vidi, & legi, & examinavi Historiam prædictam; nec non Officium ecclesiæ Davajacensis, & Saussajum & alios, qui de S. Flamina agunt, Hagiologos, quibuscum Flaminam, *Sanctam*, *Virginem*, & *Martyrem* facio, & pro tali in Acta nostra refero: Historiam vero, male cohærentem, atque tempora, loca, nomina confundentem, ab illis removeo, ut indignam & apocrypham. Tuum erat Pater Professor, ipsam ostendere probatam esse: tum demum licebit, mihi litem intentes, non prius.

163 Interim transibo ad mendacem, quam mihi hic affingis n. 157. Dialecticam, quasi sic argumenter: *Hoc est commune pluribus, ergo minus verosimile*; nam longe facilius credi solet, quod multis & sæpe contingere scitur, quam cujus nullum aut rarum extat exemplum. Tu tamen quasi in re certa subinfers, quod ex tali Dialectica, ut fingis, mea, *inferet quilibet criticus similis Papebrochio, quamlibet pene sacram Historiam esse apocrypham, atque ita totam facile turbabis Ecclesiam*. Ac denique, an ea *tolerabilis sit*, S. Sedi judicandum remittis.

164 Verum istæc tua, non mea est Dialectica, mi Pater: mea autem hæc est: Quidquid in nullis genuinis Sanctorum Martyrum Passionibus legitur, frequenter autem in apocryphis, justam dat occasionem opinandi, ipsum de cujus fide dubitatur scriptum pariter apocryphum esse. Talia enim sunt, quæ tribuuntur S. Flaminæ, cum narratur, moritura orasse Deum, *ut quicumque nomen suum invocaret*, nulla oculorum infirmitate laboraret, & cæcitate liberaretur; tum illud; quod continuo ei petitio sua concessa sit *per vocem e cælo delatam*. Quibus continuo subjungo: *Utrumque commune est Sanctorum Martyrum Passionibus iis, quæ multis post eorum obitum seculis, majori cum simplicitate quam certitudine, sunt scripta .... At in sincerioribus Martyrum Actis, quorum antiquitas major & certior fides, rarius tale quid invenies*, imo numquam. Atque hinc debebas tradere Dialecticam meam, quæ vere mea est, & non affingere mihi tuam.

165 *Conjecturis levissimis* non innitor, cum ex stylo aliisque adjunctis judico, Legendam istam esse unam ex iis, quales circumferuntur plurimæ, ex sola plurium seculorum traditione scriptæ seculo 13. vel 14. exornatæque & vestitæ circumstantiis aliunde mutuatis. Sic cum forte Nicomedia allatum esset corpus in Galliam tempore belli sacri, placuerit illarum auctori, ex S. Julianæ Nicomediensis Martyris passione, in omnibus Lectionariis nota, accipere judicem Eulasium sub imperio Diocletiani; & quia vetus traditio memorabat Baldericum aliquem cæcutientem, invocata S. Flamina curatum fuisse, popularis traditio non discreverit tempora; & miraculum in Gallia factum post translationem componens cum tempore & loco, quo vixerit Sancta, monstrum fecerit historicum, cui ad verosimilitudinem adducendo solum fit a conjectura prudenti remedium, retinendo id, quod retineri verosimiliter potest; cum teneri nequeat, Diocletiano regnante fuisse Nicomediæ civem nomine Francico Baldericum.

166 Hujusmodi autem conjecturas me suggerere in gratiam popularium traditionum, utcumque salvandarum (cum eæ plerumque habeant aliquod in veritate fundamentum) nemini puto displiciturum, qui animum advertere rationi velit; paratus interim sum amplecti si verisimilius quid suggerat alius, quamdiu haberi nihil certi potest. Interea ponas timorem velim, Pater Professor, qui te ominari facit nu. 157. si sic liceat Acta Sanctorum *in dubium vocare, & tamquam apocrypha repudiare*, futurum, *ut tota Historia Ecclesiastica, quanta est, exposita sit ludibrio hæreticorum & omnium petulantium criticorum*: imo sperare liceat futurum, ut tota Historia Ecclesiastica, complexa etiam Carmelitanam, fabulis atque apocryphis scripturis amandatis, quota quanta est, trahat in amorem ac venerationem sui hæreticos ipsos non minus, hic quam Catholicos veritatis amantes.

§. XXI. ACCUSATIO.

Papebrochius conjectando asserit esse fabulam, quod S. Athanasius Treviris latuerit in sicca cisterna.

RESPONSIO.

NOn ex conjectura, sed certa scientia habetur, quod, quando S. Athanasius Treviros venit, securitatis causa illuc missus a Constantino magno, non nisi biennium ibi manserit, ubi nihil contra eum poterant Ariani: quodque ibidem perhonorifice habitus fuerit, tum a S. Maximino Episcopo, tum a Cæsare Constantino, Magni primogenito, a quo restitutionem ejus urgente regressus Alexandriam intra biennium sit: quemadmodum in ejus Actis distinctissime probatum est. Falsum est igitur, quod septennio ibi egerit. Non est etiam conjectura, quod Ruffinus unicus inter antiquos talis latebræ testis eam ponat in Oriente, ubi ab Arianis Athanasius undique investigabatur. Falsum est etiam, quod Trithemius ex populari traditione scripsit, septennium istic, in eo qui monstratur puteo, prope Treviros exactum.

168 Hinc Brouverus noster Annalium Trevirensium conditor ad an. 338. n. 40. plebejam fabulam refutandam [r] sibi sumit, *haud sane ullo obtrectandi aut diffidendi studio, sed ne tacitus rem tantam prætereat, quam publica scriptorum Ecclesiasticorum auctoritas dijudicat, cui refragari haud temere domestici possunt*. Hæc ille, undecim annis prius mortuus quam nascerer ego, & Trevirensium traditionibus plus æquo solitus indulgere; hic tamen eas sustinere non valens contra evidentiam certioris notitiæ: quare non est, cur ipsum post tot annos absque cujusquam contradictione secutus, ea causa hic arguar. De Symbolo, Athanasii diu credito, quod jam *sæpius dixisse* & objecisse gloriaris, videbitur suo loco. Patientiam habe.

[r] Vide Tillemontium, & recentem S. Athanasii editionem.

§. XXII.

§. XXII. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra receptam Fossanensium traditionem, ex meris conjecturis asserit, S. Juvenalem non fuisse Narniensem Episcopum.

RESPONSIO.

TAntum abest, ut asseram non fuisse, ut totus meus de illo tamquam Episcopo Narniensi Commentarius 1. Tomo Maii a pag. 386. ad 398. aliud non agat, quam Acta & cultum ejus, apud Narnienses numquam interruptum, illustrare. Hunc Commentarium sequitur æque prolixus alius, ex authenticis Episcopatus Narniensis instrumentis de inventione ultima corporis anno 1646. secutisque eamdem translationibus.

570 Ex his cum nullum relinqueretur dubium, quin Narnienses vere possiderent corpus istius sui sancti Episcopi, & e contrario Fossanensea in Pedemontio sustinerent, ipsum apud se esse ab annis quadringentis, idque a me peterent confirmari; quid aliud facere potui, quam exigere, ut mihi etiam ipsi submitterent suæ prætensionis documenta? Hoc vero cum fecissent, eaque sumpsissem expendenda, a pag. 406. ad 411. omnibus & singulis fidelissime productis sicut acceperam; atque invenirem Romanisienses, Fossanum cum corpore alicujus S. Juvenalis migrantes post annum 1453. nihil solidæ probationis attulisse, unde doceretur, corpus istud Narniensis Episcopi esse, quid rursum aliud potui judicare, quam esse alicujus, Synonymi quidem, sed ignoti, quale ipsum Romanisii reliquerat peregrinus quidam Gallus, istud se Narniæ furatum dicens. Nam in ea tota narratione, ut non essent multa inverosimilia, satis tamen ad ejus confutationem sunt novissimæ Narniensis inventionis documenta; sicut sua quoque futura credit Cardinalis Ursinus, producta & producenda pro manutenenda præsentia corporis S. Bartholomæi, in Beneventana Cathedrali, nuper reperti, non obstante Romani Breviarii aliter sentientis auctoritate.

571 Atque hæc dicta sunto aliis R. P. non Tibi. Tibi enim æque reus judicabor & proclamabor, quidquid hic demum egero, & utri partium prætendentium apud se corpus S. Juvenalis Episcopi Narniensis esse, illud attribuero; adeo ut nisi per miraculum effecero, idem corpus binis collocari locis, effugere Accusationem tuam non possim. Cum enim me accuses & in me concites Fossanenses, quod præponderantibus rationum momentis corpus illud adjudicem Narniensibus, multo gravius me accusares & in me potentius concitares Narnienses, si horum prævalentibus rationibus posthabitis, eriperem eis Corpus Episcopi sui, & adjudicarem Fossanensibus. Quamobrem ingemiscere possim cum falso accusata Susanna, *Angustiæ sunt mihi undique*! Si enim agnitam veritatem dixero, accusor a te: si non dixero, æquidem a te accusabor.

§. XXIII. ACCUSATIO.

Papebrochius molitur, ex meris conjecturis seu potius figmentis, Acta SS. Alexandri Militis & Antoninæ Virginis & Martyris reddere fabulosa.

RESPONSIO.

NIhil minus molior, quin potius conor suadere, ante Translationem corporum Constantinopolim composita esse Acta illa, & quoad substantiam credo pleraque vera esse, licet fatear non esse auctoritatis per omnia certæ; cum appareat subinde pluſculum ingenio suo indulsisse scriptorem, comminiscendo varias voces cælitus delatas ad Sanctam ipsumque judicem, & alias similes circumstantias: quod indicari ratio nostri operis exigit, cui propositum est certa discernere a minus certis.

173 Domnus Theodoricus Ruinart, Benedictinus Congregationis S. Mauri, Parisiis an. 1689. insigni Tomo complexus fuit *Acta primorum Martyrum sincera & selecta*, a quibus si auferas desumpta ex Eusebio & Sanctis Patribus, ægre numerabis sexaginta, quæ ille sincera judicaverit: in Præfatione autem pag. 3. agnoscit, *plerorumque Martyrum gesta, non solum diuturnitate temporis, sed etiam tyrannorum malitia excidisse .... Et hinc*, inquit, *conquesti sunt aliquando sancti Patres, quod ex tanta multitudine, paucorum Acta superessent, quæ in ecclesia publice legerentur ... Hæc autem erant*, inquit pag. 7. & 8. *vel ex actis publicis excepta, vel a nonnullis Christianis, qui Martyrum quæstionibus præsentes interfuerant, concinnata, aut, si forte neutro modo haberi potuissent, si aliquid eo publica fama notum esset, aut certe ex antiquioribus viris qui persecutionum tempore vixerant, hæc omnia in unum colligebantur, unde aliqua saltem Martyrum gesta innotescerent. At cum paulo post omnes fere Romanæ Provinciæ a barbaris devastatæ & occupatæ fuissent, ex iis etiam Actis pleraque perierunt, quibus alia postmodum substituta fuere, sed quæ ad illorum auctoritatem non pertingunt, nedum ad eorum sinceritatem. Ea autem sunt, quæ passim in Codicibus manuscriptis & editis occurrunt, quæ, tametsi primigeniorum Actorum puritatem non assequantur, multisque in plurimum circa personas & tempora scateant mendis, non tamen omnino rejicienda crediderim.*

174 Non rejicimus autem ea nos, sed mendis studiose observatis, conamur, vel ex certiori auctoritate antiquiorum monumentorum, vel per verosimiliorem conjecturam docere, quomodo ea corrigi debeant, aut corrigi posse videantur. In quo licet *nugari & cavillari* me Patern. tua judicet, malletque omnia sic tradi ut accepimus, absque Notis & Commentariis, unde tamen apud ecclesiasticæ historiæ studiosos præcipua æstimatio operi nostro accedit; non ideo desinam insistere vestigiis Magistrorum meorum, hac ratione exortorum progressorumque, cum majori semper eruditionis experientiæque incremento. Istis autem, quæ dixi, parum sinceris mendosisque Actis, (quæ subinde etiam *Apocrypha* voco, aut *Suspecta*) censet prælaudatus Ruinardus *accensenda Acta, in summa quidem sincera, sed quæ ab hominibus imperitis*

temere

temere vitiata sunt, adjunctis ad priora Acta miraculis (visionibus, vocibus cælitus allapsis, ipsorummet Imperatorum ad quæstiones singulas præsentia) *aut concertationibus Martyrum cum tyrannis, quibus (ut sibi videbatur) illorum fortitudinem magis celebrarent; quamvis exinde apud viros doctos auctoritate sua ejusmodi monumenta exciderint & si passim in iis aliquot prioris sinceritatis veluti scintillæ elucere videantur.*

175 Videat nunc Paternitas vestra, in quorum classem referre velit ista SS. Alexandri & Antoninæ Acta; quæ, licet primigenia & antiquissima non sint, absunt tamen ab iis enormia menda; adsunt autem, (meo quidem judicio) ornamenta multa, ex ingenio scriptoris adjecta, in primis multiplicium de cælo vocum, quales in genuinis primorum Martyrum Actis numquam (puto) leges. Plerosque Martyres divinitus animatos ad constantiam inspirationibus internis, nemo potest dubitare: eas ex verosimili sibi formans orator pius, converterit in voces externas, & hæc tam benigna excusatio nescio, cur nugatoria videatur tuæ Paternitati. Interim nihil curabo, utrum vocem illam Christi ad S. Ignatium, *Ego vobis Romæ propitius ero*, interiori vel exteriori auditu perceptam fuisse dubitet aliquis, modo credatur Ignatii sociis Fabro & Laynio, quos ita ex illius ore audisse, nobis authentice constat: neque discere debemus ex tanto posteriore Nirembergio, ex cujus ingenio profluxisse libenter suspicareris. Scilicet Societatis nostræ historias, sub oculis viventium & memorum gestas, itaque descriptas, doles præferri vestris, de rebus antiquissimis absque idoneæ antiquitatis testimonio narrantibus multa, creditu difficillima; & si vera forent, non ignoranda tam diu.

§. XXIV. ACCUSATIO.

Papebrochius molitur Acta S. Pelagiæ Virginis & Martyris ex meris conjecturis reddere suspecta.

RESPONSIO.

SI Patern. vestra meas qualescumque conjecturas, certiori veritate reperta, possit probare vanas, cedam libens, & pro instructione agam gratias. Nunc cum id facere non possis, neque negare cum fundamento, quin Acta *illa, non solum verbositate, sed etiam fide Græca, ex traditione vulgari potius quam certis ac fidis documentis descripta sint*, & *circumstantiis quandoque supra verosimilitudinem exaggeratis ornata* (quod in talibus versato minime difficile est, prima lectione agnoscere) quid indignaris, si de re, oculis subjecta atque patenti, dicam quod sentio, dum suum cuique liberum judicium relinquo. Meum si hic probare deberem, opus foret ipsa Acta tota reproducere: neque enim ex uno alterove loco, sed ex toto complexo judicium istud procedit: id autem faciendo, justo prolixiores facerem Responsiones meas. Quod eadem Acta dico scripta esse *post multa secula*, si mihi nolis credere, exhibe majoris antiquitatis vel in ipsis Actis vel aliunde indicium verosimile; & viceris.

177 Quod denique existimem, *Constantinopoli* scripta Acta, *cum forte ejus confessio instaurata noviter inciperet clare miraculis*; apparet ex ipso verbo FORTE, solum proponi ut conjecturam, quam cuique liberum sit rejicere vel suscipere, ut verisimilem vel dissimilem, aut alia verosimiliori corrigere. Multo minus reprehendi meretur, quod nomen *Clinonis Episcopi* in Cilicia, ejus qui S. Pelagiam Tarsi catechizasse & baptizasse dicitur, nusquam nisi in talibus Actis inveniens, dubitem, *verône, an historiæ gratia afficto nomine, sic appellatus sit*. Ejusmodi dubitationis indicium, minime otiosum, eo spectat, non ut ipsa Acta magis quam sunt reddantur suspecta; sed ut Lectoris eruditi diligentia suscitetur ad me, si alibi ipsum Clinonem invenerit, distinctius quid docendum, ipsaque Acta verosimiliora reddenda. Talibus Notis nullus offenditur; sed passim laudatur nostra pene inimitabilis patientia, citra dissimulationem intendens quibuscumque personarum locorumque nominibus, per nos aliośve illustrandis, quæsita undecumque luce etiam ad res minimas.

§. XXV. ACCUSATIO.

Papebrochius molitur, conjecturis ridiculis & insulsis, conspurcare & suspecta reddere Acta Sancti Macarii Episcopi Laudunensis.

RESPONSIO.

UTinam extarent aliqua istius S. Acta! His numquam, quod sciatur, scriptis, compositæ fuerunt tres breves Lectiones pro Officio, sed ante non multa secula; quando non tantum perierat distinctior S. Macarii notitia; sed etiam ejus Guilielmi, qui corpus sanctum ex loco primæ sepulturæ Burdegalam transtulerat. Hinc factum, ut Auctor Lectionum eam translationem adscripserit Guilielmo Bono, Comiti Burdegalensi, qui florebat circa an. 448. & tamen ex instrumento indubitabili & publico, quod produco, constat illud corpus adhuc priori loco fuisse anno 1027. Itaque, circumspecta tota Guilelmorum serie, suggero Guilielmum ultimum Aquitaniæ Ducem, qui potuerit translationem istam fecisse ante ann. 1137. & quoniam *Archiepiscopum*, sub quo res acta sit, Lectiones non nominant, suggero Arnaldum, qui ab anno 1103. ad 1135. Sedi isti præfuit.

179 Adeone insulsa hæc conjectura est, ut memoriam Sancti videar per illam conspurcasse? *Laudunensem Episcopum* Lectiones istæ vocant: at Episcopatum istum scimus a S. Remigio institutum fuisse circa annum 515. annis 120. post obitum S. Martini; ex eoque tempore constat sibi Episcoporum Laudunensium successio, ad hæc usque tempora, absque ullo *Macario*: qui tamen si quis inter eos fuisset, non potuisset fuisse *S. Martini* discipulus, nisi per Anachronismum satis gravem, sed in talibus haud infrequentem, ut cum primi quarumdam Sedium Episcopi dicuntur a S. Petro ordinati vel missi, cum solum potuerint missi fuisse ab aliquo S. Petri successore. Hic mihi exclamans, Rev. Pater: *Quid hac conjectura insulsius & puerilius*! Aliam Tu ergo verosimiliorem causam excogita, unde potuerit nasci opinio, quod aliquis vere Laudunensis Epi-

Episcopus, fuerit discipulus S. Martini. Si non potes, compatere auctori Lectionum, quod ita cespitaverit; & patere, ut hac saltem ratione dicam, non omnino gratis de Martino cogitari potuisse.

180 Ego conjectura ista nibil indigeo: quia credere malo, sicut antea dixeram, *Laudunensem* Macarium esse creditum post tot secula, quia in antiquiori Burdegalensis Ecclesiæ Martyrologio *Macarius* vocabatur *Lugduuensis Episcopus*: & satis facile sciri poterat, etiam rudi isto, quo Lectiones compositæ sunt, seculo, locum non posse inveniri Macario *Lugduni* (vulgo *Lyons*.) Placuerit ergo scribere *Laudunum* vulgo *Laons*, atque ita corrigere manifestum, ut homines imperiti credebant, Martyrologii mendum. Ast ego suggero *Lugdunum Convenarum* (vulgo *Cominges*) ad Pyrenæorum montium radicem, Episcopatum vetustissimum, cui potuit re vera Episcopus *Macarius* obtigisse, ex veris S. Martini discipulis ante finem seculi 5. unusque fuisse ex iis, quorum nomina latent usque ad Suavem, ann. 506. Concilio Agathensi subscriptum, cum titulo *Episcopi de Convenis*. In Concilio autem Aurelianensi II. anni 533. *Præsidius Episcopus Convenorum*: & anno 549. in Concilio ibidem V. *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Convenicæ*; sicut & Rufinus anno 583. in Matisconensi; atque Abrabam anno 788. in in Narbonensi, *Convenensis Sedis Episcopus*. Horum omnium vetustiores decessores, servato proprio & antiquo Civitatis nomine (nam testibus Ptolomæo & Strabone *Convenæ* nomen Gentis est, cujus Civitas *Lugdunum*) potuerunt olim scripti fuisse vel simpliciter *Episcopi Lugdunenses*, *aut Lugduni*, vel cum additio, *Lugduni-Convenarum*, aut *Lugduno-Convenenses*, donec vetustior appellatio Civitatis, propter amphibologiam, quam parere poterat, penitus exolevit. Estne hæc conjectura, per quam tempora locaque conciliantur cum traditione de discipulatu S. Martini, adeo *insulsa & puerilis*? Si non est, cur hac præterita, adhæres alteri, non aliter oblatæ, quam sub hypothesi falsa de Laudunensi Macarii Episcopatu?

§. XXVI. ACCUSATIO.

Papebrochius conjecturis & censuris impugnat Vitam S. Innocentii, Episcopi Africani, Cajetæ in Italia culti.

RESPONSIO.

Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ, allegat Monumenta Ecclesiæ Cajetanæ, *in quibus*, inquit, *plura fabulosa, quæ resecavimus, continentur*: deinde Annotationem talem subjicit: *Hæc S. Innocentii Historia accurata eget censura alicujus docti viri*.

182 Voto ejus facturus satis quo usque possem, prius Historiam ipsam ex originali protuli integre & fideliter, sed cum epitheto *Apocrypha*. Deinde *censuras & conjecturas* subjeci, per quas veniri fortassis posset ad notitiam temporis & locorum, quibus Sanctus ille vivus mortuusque fuisset. Hoc illud grande crimen est; hæc tota impugnatio, *risu potius quam responsione aut etiam acriori aliqua reflexione digna*! Quin tu potius, Rev. Pater, coneris aliquid ad votum Ferrarii, quo loca & tempora illustrentur; atque tunc *cerebellum*, ut voles, mihi concute; aut potius apud S. Sedem accusa Ferrarium, qui priusquam nascerer ego, Vitam istam *fabulositatis* plurimæ condemnavit.

§. XXVII. ACCUSATIO.

Papebrochius molitur meris conjecturis, evertere Martyrium Sancti Gerontii, Episcopi Ficoclensis, & Patroni Callicasium in Umbria.

RESPONSIO.

Hic accusor num. 184. *ex meo critico cerebello, contra perpetuam traditionem, a sacra Rituum Congregatione, prævia examine revisam & confirmatam, ex Martyre formare Confessorem*: Sic, inquam, accusor; sed falso; Martyrem enim, sicut inveni, & sicut approbavit Congregatio, & sic reliqui, nec tu, P. Rev. quidquam forte haberes, unde titulum illum Sancto Gerontio competere probares, nisi mea qualiscumque diligentia, undique probationes colligendo, te instruxisset. An existimas, sacram Congregationem recedere debuisse a Decretis Urbani Octavi, in colendis Sanctis permittentis teneri, quidquid ab immemorabili tempore, id est ab annis centum, fuerit observatum? Si non debuit illa a Decretis illis recedere, non debuit oblatas sibi Lectiones approbatura, operose inquirere, a schismaticisne vel hæreticis ex odio fidei, an a grassatoribus prædæ cupidine occisus fuerit Sanctus, eo tempore, quo omnes Sancti, cruenta morte defuncti, passim ut Martyres colebantur, & in eodem cultu usque modo probantur perstitisse.

184 Non debuit etiam eadem Congregatio tituli illius probationem requirere ultra antiquam traditionem, confirmatam per Lectiones, licet sexcentis forsitan annis compositas post mortem Sancti, & licet compositas ex notitiis tam confusis, ut earum Auctor fateatur, ignota sibi fere omnia, quæ ad historiam requiruntur, dum ait, sermonem sibi faciendum de S. Gerontio, *cujus ortum natalique neu pro certa comperiunt, qualiterque ad Episcopalem Sedem sit ascitus, & quibus Imperatoribus advixerit, vel quo Apostolica Romæ insidente fuerit, & ea quæ dicturi sumus, gesserit*. Stante enim pro Calliensibus possessione antiqua, dubitari non poterat, an essent in ea manutenendi. Interim cur grave tibi videtur, Pater Rev. quod Papebrochius nescire se fateatur, *quo fundamento* S. Gerontius dicatur *occisus a schismaticis*, postquam ex subscriptionibus Synodi Romanæ, sub Agathone Papa anno 501. celebratæ, docuit (id quod Auctor Lectionum ignorabat) ipsum illi interfuisse, quando nullum erat in Ecclesia schisma? Tuum erat certius aut verosimilius aliquid docere, si poteras; si non poteras, amplecti notitiam, cum tam bono fundamento oblatam: neque calumniari auctorem, pro certo non asserentem, quod certo probari non videt, quasi *meras conjecturas* secutus, de cædis injustæ auctoribus dubitaverit: multo minus quasi gloriam Martyrii inviderit Sancto semper culto ut tali, & quem ipsemet, ut talem, ubique ac sine scrupulo ponit.

§. XXVIII. ACCUSATIO.

Papebrochius Acta & Gesta Sanctorum & Sanctarum Ecclesiæ Leontinæ, per meras conjecturas, dilacerat, censurat, & explodit, tanquam ficta, fabulosa, & insulsa.

RESPONSIO.

OMnes isti Sancti & Sanctæ, occasione trium celeberrimorum fratrum, Alphii, Philadelphi & Cirini, apud Leontinos passorum 10. Maii, fuerunt in unam compilati historiam, quæ tota a me proponitur Græce ac Latine, Tom. 2. Maii a pagina 502. ad 550. atque a pagina 772. ad 789. ita ut justum librum per se sola posset facere. Hunc tantum laborem tantosque sumptus, ideo a me susceptos, ut Leontinæ Ecclesiæ decora obscurarem, quis credat? Illustrare volui, vera a falsis, verosimilia ab inverosimilibus secernendo; ideoque in quatuor partes divisi, & unumquamque casum expendi, suum cuique tribuens majorem minoremve credibilitatis gradum. Verosimile etiam esse dixi, quod ante annos circiter 700. cum scriberetur Menologium Basilii Imperatoris, extiterint aliqua sanctorum Fratrum Acta, breviora, ac sinceriora.

186 Interim de prolixissimis iis, quæ habentur, quæque primus ergo integra dedi, non potui non laudare judicium nostri Octavii Cajetani, tom. 1. de Actis Sanctorum Siciliæ, in Animadversionibus pag. 51. scribentis, ea quæ haud dubie apud me legisti, P. Reverende, sed dissimulare maluisti, ut solus a te possem accusari. Verba ejus itaque hic iterum lege. Sic ait: *Quo prolixior hæc historia, eo minus legitima, nec antiqua illa, sive a Notariis excepta, sive a Christianis scripta, censenda est. Antiqua enim Acta sanctorum Martyrum brevia & candida. Sane historiam pius aliquis Monachus, vetustis Actis & veritati insistens, videtur composuisse & auxisse: sed in multiloquio peccatum est, qua contra dignitatem, qua contra historiæ fidem.* Ita ille, & quidem Siculus, Sanctorum Siculorum undequaque illustrandorum studiosissimus, multumque in Actis eorum versatus, neque severus plerumque censor; aliquando tamen, evidentia & multitudine mendaciorum, aut errorum, coactus reprobare aliqua. Obiit autem Panormi, cum magnæ sanctitatis opinione, an. 1620. quod addo, ne putes ipsum a me seductum.

187 Idem, Annotatione 2. observat in ipso principio errorem non levem, ex Actis derivatum in Romanum Martyrologium locis duobus, ad 4. Julii & 10. Decembris; dum quidam ex prædictis Martyribus passi dicuntur *Imperatore Licinio*, & *Imp. Diocletiano*; neque dubitat quin ubique debeat substitui, *Imperator Decius* ipsiusmet Baronii judicio, eumdem substituentis 10. Maii, ubi de tribus Fratribus agit. Ipse autem Cajetanus negat, *Liciniano gladio hos Martyres mori potuisse, quia Licinii persecutio Orientem solum vexavit, Occidentem, cui præerat Magnus Constantinus, non attigit*. Porro quod sancti Fratres, adeoque & socii, martyrium subierint, *Decii & Valeriani temporibus*, *clarum*, inquit Cajetanus, *est ex Actis, quorum initio dicitur* Imperatori secundum in Imperio *fuisse* Valerianum; *alias*, Valerianum Imperii consortem; *& rursum*, Imperatorem in Orientem profectum Valeriano mandasse, ut Christianos acerrime persequeretur: *quæ omnia, ut a Licinio procul sunt, ita Imperatori Decio conveniunt. Is enim, ut tradit Trebellius* Pollio, *adversum Persas, in Orientem profecturus, Valeriano summam cum Censura potestatem contulit. Inde factum est, ut Imperii consors & post Imperatorem secundus appellaretur. Sane Acta perturbata, & corrupta, occasione nominis* Valeriani. *Quod enim is* P. Licinius Valerianus *dictus sit, haud difficile fuit, turbari scriptoris mentem, & aberrare manum; scriptumque ab eo esse* Licinium, *pro* Decio; *cum esset ob oculos proxime scribendus* Licinius Valerianus.

188 Præter hunc capitalem errorem, alios, quasi in cumulum congestos, indicaverat idem Cajetanus Annot. 2. ad specimen interpolationis indoctæ. Verba ejus, licet prolixiora, producere hic placet, tum quia mea Tibi, Rev. Pater, adeo grava est legere; tum ut intelligas, quam male huc applicet, illud Baronii: *Si ob unum errorem, vel alterum in Vitis Sanctorum, cetera quæ remanent fide carere dixerimus; profecto omnes Sanctorum Vitas in maximum discrimen adducemus*,

189 Cognosce ergo errores paucos de multis, a Cajetano sic breviter notatos. Auctor Judæos ad Christum conversos ita loquentes facit: *Abjuramus Monothelitarum fidem, quæ unam asserit voluntatem. At hæc hæresis pro ævo Decii inaudita* (primum emersit seculo 7.) *Decio, ordinationem Episcoporum fieri Romæ nequivisse, prætorquam XXV. die Martii, quod contra majorum morem, ut notum est e Pontificum Vitis* (mensem Decembrem adscribere illi actui solitis.) *Romanum Pontificem, ait, confirmando Neophyto Leontino Episcopo, Synodum Romæ coegisse, ad quam accersiti ab eo vicini Episcopi, prudentiores, Ecclesiæ viri, Chartularii, Monasteriorum in urbe Rectores, & omnes Romæ viri Principes: convenisse vero supplicaturos in templum SS. Apostolorum Principis. Sed hos Ecclesiæ mores, Valeriani & Gallieni Principatu fuisse, quis credat? Eorumdem temporibus, tradit nativitatem Deiparæ Virginis celebratam, & exaltationem Sanctæ Crucis: at is festi dies nondum instituti: hæc Constantino Imperatore effulgere, colique publice cœpit; illa nondum S. Augustini ævo celebrabatur, ut bene advertit Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die 8. Septemb. Memorat Elisabetham cum Joanne Baptista, in scissura a Deo servatos, quod ex Apocryphis sumptum est. Romæ, ait, monasterium fuisse, extra urbem, quod Augustinum & S. Marci appellat, quod tum fuisse addubitaverim. Martyres duos e loco Herculis extractos, & Leontinum a Neophyto Episcopo translatos, Sacerdotibus psallentibus, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nostri, clamante populo, Kyrie eleison, atque hanc vocem sæpius a plebe repetitam: ad hæc Episcopum, clerumque, ac populum processisse psallentes, in translatione sanctorum Martyrum, & Litanias cantantes, ab æde maxima S. Mariæ ad sanctorum Martyrum Alphii, Philadelphi, & Cyrini: quæ omnia pro illo ævo inepte dicta*.

190 Agnoscisne hic, P. R. similes meis, quas tantopere vellicas & explodis, Notas & Censuras?

ras? Ego pluribus opus non puto, neque abuti Lectoris patientia volo, singulas sigillatim justificando a Tuis cavillationibus, securus, quod meum tractatum istum legenti, etiam Siculo, etiam Leontino, persuasurus sim, substantiam martyrii trium Fratrum omnino veram; aliorum verisimilem videri posse; sed utrosque magnum præjudicium pati ab admixtione tot falsitatum: meritoque optandum esse, ut, quemadmodum sanctis Fratribus, præter Acta isthæc, certiora aliunde suppetunt documenta, quibus eorumdem cultus ab immemorabili viguisse probetur; sic etiam suppeterent aliis, quorum notitia ex solis Actis sumpta, in fide horum necdum bene examinatorum, transiit ad propria de singulis Officiis: quibus quia & ego & decessores mei tantisper inhæsimus, nunc miraris & indignaris id porro non fieri. Scito ergo, R. Pater, quod moris nostri non sit necesse possit, pro unoquoque Sancto, ex prolixioribus aliorum Sanctorum Actis sumendo, totam molem alio spectantem revolvere; sæpe etiam nec in animum venis dubitare, donec res tota, simul & semel sub examen veniat; quo adhibito nonnumquam judicamus valde incerta aut etiam falsa esse, quæ antea sine scrupulo receperamus.

191 Sic ibidem num. 4. allego *Topographiam Sanctorum Primi, Episcopi Cabilonensis* pro anno 1450. a Maurolico editam; quam ex professo nuper examinans, cognovi supposititiam prorsus esse, nec talem Episcopum Cabilone illo tempore, ac ne ullum quidem omnino, nomine *Primum*, tota Gallia nominari a Sammarthanis, aliisque ante illos Episcopalium Catalogorum collectoribus; ipsam autem plurimis scatere erroribus, non facile retegendis, nisi quis examinet articulos singulos. Etenim non ex uno alterove errore, sed ex plurimis simul collectis formatur judicium de scripto aliquo: quale judicium tuli de prænotatis Actis, ideoque ipsa integra sic produxi, ut nihil dubitem, quin si Mabilio, Ruinardus, Pagius, similesque eruditionis ac pietatis Critici, post me eadem recognoscant, judicium de iis nostrum æque sint probaturi, ac Mabilio probavit id, quod de Suibertinis Actis prior censuit Bollandus.

192 Conor interim per verosimillimam conjecturam salvare, quæ salvari possunt; & quoniam ex toto primæ partis contextu patet, sanctos Fratres in ea, quæ proxima Siciliæ adjacet, provincia natos captosque dici, indeque Puteolos prope Neapolim in Campania, ac demum in Siciliam abductos fuisse; ideo pro male (ut censeo) nominatis *Vasconia* atque *Britannia*, Galliæ totius interjectu remotis ab Italia regionibus, suggero *Bastanos* atque *Brutios*, notos in proxima Siciliæ Calabria populos. Suggere, si potes, melius aliquid, quo excuses tam patentem, & cuique geographiæ perito cognoscendam exorbitantiam. Si non potes, quid explodis? & id, quod in Launoyum dixit Raynaudus parum apte, ineptius contra me intorques? *similes Grammaticales tricationes Historicis, in res, non in nomina intentis, solitas esse ridiculas*. Quomodo id Theophilus dixerit, non vacas quærere; si ad Paternitatis Tuæ mentem dixit, nihil potuit ab Historicorum stylo alienius dicere; cum omnes historicæ quæstiones versantur circa locum, tempus, personas, quæ omnia a nominibus pendent. Quis enim dixerit, ridicule quæri de insigni aliqua actione, sub Licinione post Diocletiani imperium, an sub Aureliano Decii consorte & successore, ea gesta sit, apud Vascones & Britannos, an apud Bastanos Brutiosque tanto locorum ac temporum intervallo?

193 Similes passim sunt aliæ observationes tuæ, quibus meas arguere ignorantiæ niteris. Ex multis una sit. Ad eum locum ubi dicitur, *Alexandro* cuidam datum in Baptismo nomen Neophyti, notaveram, quod *ratio mutandi in baptismo nominis ignota videtur fuisse primis Ecclesiæ seculis*. Tu *luculentissimo exemplo* te redarguisse id credis, in illo, qui baptizatus a S. Modesto Hierosolymorum Episcopo, *mutato nomine Magundar, appellatus est Anastasius*. An ergo nesciebas hunc esse S. Anastasium Persam, & ejus conversionem ad seculum 7. pertinere; mihi vero esse sermonem de tribus aut quatuor primis seculis? Quid autem ad rem facit exemplum ejus, qui ex necessitate non prodendi se Persis, a quorum superstitione ad Christianismum desciverat, & cujus barbarum nomen Magundar incommodum inter Græcos erat; quid, inquam, exemplum istud facit ad eum, qui nullam talem mutandi nominis causam habebat, neque occultari volebat aut poterat per istam mutationem. Sed missas facio ejusmodi parum eruditas cavillationes tuas, & com prædicto Cajetano luctari Te sino, modestius fortassis acturum cum illo, quam soles mecum. Dissimulo igitur hic tuas, Rev. Pater, invectivas, quibus mihi insultas, propter non admissos temporibus Decii & Valeriani Monachorum cœtus, & crebra etiam circa Romam ipsam monasteria: ædes item atque ecclesias, Deiparæ ac Sanctis sacras, ob quas dicis me, num. 211. *cum Luthero, Calvino, Magdeburgensibus, aliisque novissimis hæreticis crassissime errasse*, idque ostensurum te polliceris Articulo 15. Ibi ergo, quoad monasteria & ecclesias tales, me expecta, & interim supra vide Cajetanum, ea omnia reprobantem.

194 Nunc alias accipe rationes, ob quas dixerim, partem illam postremam Actorum, ultimo præsertim capite, esse *insulse fabulosam*, & *nugis scatere*; quædam etiam cap. 3. (Tu callide taces illic narrata) *omnem superare absurditatem*. In primis num. 120. narratur, quod *S. Andreas Apostolus, Episcopi habitum præferens, adstantibus ejus sanctis tribus Pueris cum uno famulo consecravit ex Presbytero Episcopum Mesopolis Leontinorum*, quemdam in Baptismo dictum Neophyium: qui nihilominus Romam profectus, quasi Ordinationis a Pontifice accipiendæ causa, priorem cælitus acceptam reticuerit; cumque ad eamdem se disponeret extra urbem in monasterio S. Marci, eodem accedens Pontifex ipsum ordinare in Pentecoste voluerit: sed, huic *noctu apparuerunt Apostoli dicentes, Quid agis? nescis eum ab Andrea ordinatum?* quare satis habuerit Papa iste, cujus nomen tacetur, tradere novo Episcopo, quæ supra altare divinitus allata invenerat, *Apostolicam & Superhumerale: unam vidit laminam auream & litteras in hunc modum: Divina gratia Jesu Christi dignatur virum hunc a Presbyterio transferre ad Episcopatum*.

195 Constat quidem inter Theologos, quod, sicut Deus suo arbitrio potest per se, quacumqua

tatione voluerit, conferre omnem effectum sacramenti cujuscumque, ita potest quemcumque statuere ejus ministrum, etiam Angelum, etiam Sanctum vita functum; licet ordinarius minister, institutus a Christo, sit homo mortali in corpore vivens: sed extraordinario ejusmodi ministerio usum aliquando ad Episcopum ordinandum, credere non debemus absque auctoritate moraliter certa. Tale non est exemplum S. Amphilochii, Iconiensis in Lycaonia Episcopi 23. Novembris, a nostro P. Ægidio de Koninck adductum in opere de Sacramentis quæst. 64. Artic. 7. Nam licet Sanctum istum, sua apud Surium Vita dicat, sic ordinatum in visu ab Angelis, idque sub ipsius simplici testimonio ferantur ratum habuisse comprovinciales Episcopi, ad ejusdem ordinationem congregati, is tamen, qui Vitam hanc, una cum operibus Sancti, Græco Latine edidit Combefisius, in Notis præfatur; *studio a se rejectam Vitam post opera, ut minus probatam forteque digniorem Metaphrastis ingenio & facultate, non usque adeo historica, ut plerique docti queruntur.* Ex Metaphraste Ordinationem eamdem transcribit, quatuor fere seculis illa junior, Nicephorus, lib. 12. cap. 20. sed solum ut rem simplici traditione narratam, non ut certa auctoritate subnixam: uterque autem cavisset ei fidem tantillam habere, si scrutati fuissent Sanctorum Basilii atque Nazianzeni, Amphilochio familiarissimorum, loca ad ipsum atque de ipso scripta, cum Actis Concilii 1. Constantinopolitani: inde enim valde diversas, & certissimas notitias accepissent de prædicto S. Amphilochio, ejusque ætate & actis, tam Causidici in foro, quam Episcopi in Ecclesia.

296 Combefisius in notis recordatur, in Patrum Vitis apud Rosvveydum legi, *ut Monachus sit in ordinem redactus a Patribus, qui sibi videbatur sic miraculose ordinatus in Presbyterum,* &, *Magna certe cautione*, inquit, *in rebus tanti momenti opus*, quia *nullam apud antiquiorem* Metaphraste *occurrit ordinationis tam singularis monumentum*. Idem sine dubio notasset Combefisius ad Sanctorum Leontinorum Acta præfata, si de iis judicandum ipsi fuisset: tantoque id fidentius fecisset, quanto plures in iis fabulas reperisset. In iis etiam illud huc spectat & superius a Cajetano notatum est, quod ibi dicat Pontifex, nihil scilicet adhuc sciens de facta per Apostolum ordinatione Neophyti, sese ad eam processurum in die Pentecostes, *licet Ordinis ritus aliter fieri nequeat quam* xxv. *Martii* (hoc enim certissime falsum est:) quodque sacer iste actus, qui summam requirebat celeritatem, toto Leontinorum populo reducem Roma Episcopum, a quo baptizaretur, expectante ad 150. millia, fingatur delatus in quartum ab adventu ad Urbem annum, prout ex consequentia rerum narratum infertur.

197 Appulsus enim 18. Julii, dicitur Neophytus, oblatum sibi Monachum, sanctorum trium Fratrum conterraneum, in horum patriam Vasconiam secutus, ubi totam illorum historiam disceret a nativitate ad discessum in Italiam: quæ scilicet omnia ignoraverat prior scriptor Actorum. Dicitur autem in *Vasconiam* illam (quæ nu. 108. ponitur in *intimis partibus Septemtrionis*, cum sit provincia Galliæ Pyrenæis proxima) dicitur, inquam, cum sociis Neophytus, Roma egressus *die* x. *Augusti post menses undecim die* xviii. *Junii* venisse in Vasconiam, & post actos ibi menses septem, recessisse *mense Decembri ac Romam regressus mense Octobris*, utique post alios undecim menses in eo itinere positos, nec tamen nisi sequenti Pentecoste ordinandus fuisse: ita ut ab egressu e Sicilia an. 260. mense Aprili, usque ad diem acceptorum Romæ insignium Episcopalium, id est 10. Junii anni 263. fluxerint anni omnino tres.

198 Harum aliarumque plurium ineptiarum, quia nihil attingo in Notis (quod tam palpabilia sint ut monitore non egeant, sed a quovis sanum sensum habente possint observari) assumis alia, quæ mihi notare placuit, tamquam seculo 3. quo facta esse debuerint, nequaquam conformia; neque tamen laboras, ut exemplis atque auctoritatibus probes conformia esse; sed solum miraris, quod propter ista tam graves in Acta præfata censuras stringam. An ergo tam facile creditu tibi videtur, quod jam tum usus obtinuerit, ut ad Romanum Pontificem deferrentur tabulæ donationum, noviter instituendis ecclesiis faciendarum, uti dicitur a Leontinis factum, ad quorum primam ecclesiam fundandam, pollicebatur *Thecla suburbana octodecim, Justina suburbana octo; pecorum Thecla millia novem, Justina millia tria, itemque alia plurima*. Tantas possessiones, nescio an vel Romæ a Constantino acceperit ulla Basilicarum in prima sua fundatione; & non dubitem ego, an sub modica illa pace, quam dedit Ecclesiæ captivitas Valeriani, tam opulente fundata sit apud Leontinos?

199 Quis autem talia inveniens apud Auctorem, alia plura convictum finxisse, ista quoque dubitet annumerare figmentis? Quantæ etiam exorbitantiæ est, scribere num. 119. legatos Leontinorum, urbe egressos *circa hordei Messem* (puta in Aprili, tunc enim eam in Sicilia fieri probavi) totos tres menses detinere in tam modico paucorum dierum itinere, ut tandem Romam pervenirent 18. Julii, importunissimo utique & iter eo instituentibus lethifero tempore? Interim, nulla allata ratione, per quam credibilia ista fiant, non dubitas quærere, & sanctæ Sedi judicandum offerre, *an tales censuræ*, sub quibus ista noto, *non sint insulsissimæ, nec non Sedi Apostolicæ & Ecclesiæ Leontinæ injuriosissimæ, dignæ quæ ex libris Papebrochii expungantur.*

§. XXIX. ACCUSATIO.

Papebrochius S. Bertholdi gesta, ab Ecclesia approbata, explodit tamquam insulsa.

RESPONSIO.

QUænam hic, Pater Reverende, intelligas *Gesta S. Bertholdi*, dubitare non possumus, cum addis, *ab Ecclesia approbata*: hæc autem si quæ approbavit, haud aliter id fecit quam permittendo aliquid de illo narrari in Lectionibus, quas anno 1672. novo Breviario vestro addidistis. Atqui harum nusquam feci mentionem, ne dum ut insulsas explosi; quamquam in iis viderim contineri multa, absque ullius veteris auctoris testimo-

stimonio, sumpta ex Menologio Carmelitarum Petri Thomæ Saraceni, proni ad historias ex suo ingenio mutandas augendasque, sicuti patuit in SS. Petro Thomasio & Alberto Patriarcha. Nihil tamen eorum contempsi: sed Vitam a Zegero Pauli olim compositam, & novo Speculo Carmelitano nunc insertam; (de qua dicere non potes, nisi fallere velis, esse a Sede Apostolica approbatam) Pater Henschenius non magni fecit, in eaque censuit contineri multa male cohærentia, & in Lectionibus prædictis merito omissa.

201 Conatus ergo pro 29. Martii Commentariolum de S. Bertholdo texere, Patribus illis utcumque placiturum; fassus mihi sæpe est, non satis certo se posse statuere, quod ante Brocardum, qui Regulam ab Alberto Hierosolymitano accepit post annum 1205. & successores habuit Cyrillum atque Bertholdum, re vera alius *Bertholdus* in Carmelo fuerit, quam hic vulgo dictus *Secundus*. Huic certe competit potius, quam primo, visio illa de animabus Fratrum a Saracenis cæsorum, quia temporibus secundi tota pene Syria redierat sub potestatem infidelium, in Christianos odio inflammatorum.

202 Sic hæsitanti Henschenio, neque satis certo definienti, ut dixi, duone an unus fuerint in Carmelo Bertholdi Priores, non deerant ex opere suo exempla eorum, qui, cum non possint combinare quasdam de suis primis Sanctis opiniones, pro uno geminos ejusdem nominis induxere. Sic Perusia Herculanos duos, totidem Juvenales Narnia, & Zenones Verona numerat, quibus addas Interamnatium Proculos duos; & ex nondum per nos examinatis, Lazaros duos Massiliensium. Cogitabat ergo vir iste eruditus, fieri posse, ut eodem majoris antiquitatis motivo, quo illi suos geminavere Sanctos, quamvis unicus solum probetur isque posterior, cujus cultum a majoribus acceptum superinductus antiquior (ejusdem, veri aut ficti, nominis) Sanctus obscuraverit; cogitabat, inquam, uti fecisse istos nequaquam dubitabat, ita facere etiam potuisse Carmelitas, jam persuasos annis 45. ante Brocardum fuisse in Carmelo aliquem, sub cujus obedientia vixerint illi, quibus, Brocardum Priorem habentibus, Regula, ut dixi, data fuit, quemque placuerit vocare Bertholdum primum.

203 Hanc tamen hæsitationem suam nolens tunc publicare Henschenius, ne Carmelitas offenderet; putavit se posse eatenus inhærere traditioni, pridem receptæ in Ordine, de duobus; satisque habuit paucis exponere, quæ apud scriptores eorum invenerat, quamvis inter se male cohærentia. Etenim cum faciebant Aymari Podiensis, Legati in terram Sanctam Apostolici fratrem, jam inde a principio belli sacri cum eo transgressum in Syriam; & quidem ex Nepte Salomonis Hungariæ Regis, quem constat anno 1053. quinquennem puerum adhuc fuisse, quando ejus fabulosa neptis duos illos filios viro suo enixa fuisset, utpote anno 1045. nupsisse credita. Interim ad hanc Chronologiam consequenter scripserunt recentiores, & tenetur in Lectionibus, ad annum 115. ætatis pervenisse Bertholdum; quem etiam crediderunt, Carmelitis in Syria præexistentibus Priorem datum anno 1151. a fratre suo. Sed cum *Aymarum* præfatum constaret obiisse anno 1098. placuit aliis substituere *Aymericum Patriarcham Antiochenum*, qui fuerit *Bertholdi frater*, *& Legatus Apostolicus*.

204 Postremum hoc gratis assumitur, quin potius refutatur ex belli sacri scriptore Tyrio identidem nominante Sedis Apostolicæ Legatos in Syria, & de Aymerico multa scribente, nusquam tamen ut de Legato; primum autem, quod scilicet Bertholdi frater fuerit Aymarus Podiensis, non ausi asserere Lectionum auctores, solum scripsere *consanguineum*: dissimularunt etiam errorem in tempore, quo is qui primum electus fuit Patriarcha anno Domini 1137. dicitur ut talis Priorem fecisse Bertholdum anno 1121. Quod autem ad cultum Bertholdi attinet, hunc is accepit primum seculo superiori, inscriptus Missali & Breviario anni 1564. & 1574. necdum autem habebat illum annis ab inde centum, utpote tunc nondum notus in Kalendario membraneo Sanctorum Ordinis Carmelitani, quod habemus impressum; licet in eodem pro mense Martio collocetur Cyrillus.

205 Hæc sunt *male cohærentia* illa, & *tam insulsa, ut potuerimus dubitare cum viris quibusdam eruditis* (erant hi ex ipso Ordine duo nobis familiares, ideoque non nominandi) *utrum aliquando fuisset Bertholdus iste in rerum natura, nisi aliquid dandum traditioni putavissemus*. Necdum scilicet Henschenio mihique, tunc cum Martium scriberem, innotuerat Itinerarium Joannis Phocæ, ordinis in Carmelo recentius cœpti initia longe distinctius referentis, sicut ibidem viderat, audiveratque, anno, secundum Græcos 1187. secundum Latinos 1195. quando ibi adhuc vivebat *Monachus ille Sacerdos*, ante non multos annos restaurare Eliæ anachoresim jussus, non ab homine, sed ab ipsomet Propheta. Eum ego censui posse credi *Bertholdum primum*, exorsum anno circiter 1155. cui post 45. annos regiminis, successerit *Brocardus*, annis 33. recturus Ordinem; Brocardo *Cyrillus*, non nisi tres annos in eo gradu consistens, mortuusque (ut habet vetus Chronica Carmelitana apud Balæum) anno 1234. Quod si Zegeri Pauli teneatur sententia, initium Brocardi constituens in anno 1175. atque adeo mortem anno 1208. nihil opus erit *Bertholdo primo*, nec ulla apparebit causa, cur is, quem Joannes Phocæ anno 1195. ceperit in Carmelo cum decem sociis habitantem, & illuc *ante annos non multos* advectum, ipsamet Brocardus non fuerit, *tempore Alexandri III. & Aimerici Patriarchæ Antiocheni* colligere Fratres exorsus anno circiter 1175.

206 Tunc autem staret, quod de Brocardo habent scriptores vitæ qualiscumque, eum scilicet obiisse, vivente adhuc Alberto Legislatore, ejusque beatitudinem attestante. Obiit enim Albertus iste anno 1214. ante quem si annis aliquot statuas, obiisse Brocardum, puta anno 1210. per annos 33. ipsi attributos retrogradiendo, veniri poterit ad ann. 1177. quo is cœperit, annis ante Joannis Phocæ adventum fere 16. qui recte possunt dici *non multi*, dicendi autem essent multi, si præponi deberent 45. anni Bertholdi primi. Sed tunc S. Cyrillo, pro tribus annis regi-

annus, donec essent anni 23. Chronologia autem tota, quo ad successores reliquos satis certo procedens, ab anno 1234. manebit inconcussa. Nec obesset, quod *Brocardus* dicatur a Bostio, fuisse *Patria Hierosolymitanus*, quodque Joanni Phocæ suus primus Carmelita dicatur Καλαυριδόθεν ὁρμώμενος, *ex Calabria oriundus*, vel *advectus*. Potuit enim ex Calabris parentibus Hierosolymis nasci: potuit Hierosolymis natus, in Calabria Monasticam vitam esse amplexus, indeque in Syriam Sacerdos rediisse. Ego horum nihil nec asserui, nec assero: solum ostendo, non nihil fuisse causæ Henschenio & Eruditis quibusdam circa vestri Ordinis historiam curiosis, dubitandi, an plus quam unus fuerit in Carmelo *Bertholdus*, isque *natione Longobardus* juxta vestrum Sanvicum, scriptorem seculi 13. sed qui male distractus sit ab imperitis in duos.

207 Dic mihi nunc, Reverende Pater, an eadem sit ratio de *S. Ignatio*: de quo iterum num. 223. dicis fore ut, simili qua de priori Bertholdo ratione, liceat *dubitare, an aliquando fuerit in rerum natura; cum Vita ejus ab Eusebio Nirembergio Hispanice descripta, ob multiplices errores a sacra Congregatione* (quam num. 228. dixeras Rituum fuisse) *sit proscripta; ut latius dictum est*, inquis, *in Libello supplici n.* 246. Mirabar, cur huc remitteres Lectorem potius quam denuo locum describeres, uti soles non illibenter eadem iterare. Locum ergo Libelli supplicis, sicut indicabas, quæsivi; & reperi, testem multiplicium Nirembergii in Vita Ignatiana errorum citari Vincentium Baronium, auctorem tibi sine dubio probatissimum, mihi vero non talem, postquam audio, ipsum longe fœdiora alia in Jesuitas congessisse, totis suis quos contra ipsos edidit Apologeticis.

208 Prius tamen quam de istius Vincentii fide ago, multum interesse dico, inter certitudinem, quam habemus de existentia S. Ignatii, & eam quam dare potestis de existentia primi Bertholdi. Hæc ultimate resolvitur in vestram traditionem, cum nullus de eo scriptor allegetur seculo 15. prior, præter suppositam S. Cyrillo Epistolam, nihil certi docere idoneam, incertique temporis. De S. Ignatio ex adverso habemus extra nostram Societatem testes coævos, tam Catholicos quam Acatholicos, quotquot de nostra Societate bene vel male scripserunt aliquid, ac denique Pontificum coævorum bullas, instrumentaque publica infinita, eo auctore, susceptore, aut teste confecta, dum adhuc viveret. De Vitæ historia, non erat nobis etiam necessarius Nirembergius, cum hæc ab Ignatii dilecto discipulo Petro Ribadineira (ut de aliis taceam) scripta habeatur.

209 Edidit tamen de S. Ignatio etiam Nirembergius an. 1645. Hispanice præclarum in folio volumen, cui titulus *de Gloria S. Ignatii & S. Francisci Xaverii*: contra quem librum nihil decretum est unquam, nec etiam contra Vitam editam ante annum 1664. quo anno absque Nirembergii mentione, recusum habemus Indicem prohibitorum, cum Appendice decretorum in eadem materia ab anno 1601. ad 1664. Utinam similem Appendicem pro sequentibus annis haberemus. In Indice an. 1683. nunc solum reperio pag. 294. Hispanicum titulum hoc sensu conceptum, *Vita S. Ignatii Fundatoris Societatis Jesu, recusa & aucta ex Bulla, & Relationibus pro Canonizatione, aliisque gravibus Auctoribus, per Joannem Eusebium Nirembergium*, cum addito, *Donec corrigatur*. Hæc secunda editio facta est Madriti anno 1631. cui anno 1634. successit tertia supra memorata, paucis mutatis additisque sub hoc titulo, *Vita gloriosi Patriarchæ S. Ignatii de Loyola, Fundatoris Societatis Jesu, tertia editione recognita ab eodem Auctore, & aucta accessu Vitæ S. Francisci Xaverii Indiarum Apostoli*. Contra hanc tertiam editionem cum nihil decretum sit, præsumere licet, de secunda illa jam tum motum fuisse quæstionis aliquid, coram Congregatione, non Indicis, sed Rituum, (verosimiliter propter puncta quædam canonizationem concernentia, quæ proprie ad illud tribunal spectabant) de quibus admonitus Auctor sategerit in tertia editione offendiculum istud tollere. Hoc igitur sublato cessaverit tota contradictio, donec placuit Societatis æmulis, iis quales nunc ego patior similibus, Auctore jam mortuo, denuo accusare secundam illam editionem; cujus improvisa confixio non multum commoverit Patres nostros, prima tertiaque editione contentos.

210 Ut ut est: quantumcumque in secunda editione erraverit Nirembergius, (quod inquirere mihi modo non vacat, estque difficile, cum in secunda ac tertia editione idem sit ordo, initium ac finis Capitum) tantum abest, ut errores illi dubiam possint alicui facere existentiam S. Ignatii in rerum natura, ut ipsa Bulla & Relationes, quæ citantur, indubitabilem reddant existentiam illam, utpote oculatorum plerumque testium depositionibus juratis nixam.

211 His prænotatis, venio ad Tuum, quo nos remittis, Pater Rev., Libellum supplicem. Hic narras pag. 245. ex Vincentio Baronio, quod instantibus pro correctione desiderata Hispanis, denuo datus sit liber recognoscendus; & quod ad hoc designatus Censor, facta relatione, *Judicibus Congregationis testatus est, adeo mendosum librum, ut esset inemendabilis, & a capite ad calcem spongia delendus; nonnulla etiam notavit, quæ stomachum & indignationem audientibus moverunt*. Quam hæc parum verosimiliter dicantur, facile intelligit, qui novit secretum, ad quod ejusmodi Censores tenentur. Sed dicta sunt ab illo Vincentio (quem satis mirari non possum citari a te, qui mihi identidem vitio vertis, quod citaverim Natalem Alexandrum etiam antequam condemnatus esset) dicta sunt, inquam, illa ab illo Vincentio, qui multis, ut audio, non fuit æquus, mihi quidem aliter notus non est, quam ex relatu eorum, qui legerunt, & ex Decreto, a sacra Congregatione Indicis emanato, sub data 27. Sept. 1672. Ibi, inter plures prohibitos alios, loco tertio censentur. *Duo primi Tomi operum Fr. Vincentii Baronii, inscripti, Theologiæ moralis summa bipartita, prohibentur: tertius vero præfati Auctoris suspenditur, donec corrigatur; ultimi autem duo Tomi ejusdem Auctoris, scilicet quartus & quintus, quinque libros Apologeticos continentes, pariter prohibentur*.

212 Quales Apologetici isti fuerint & contra quos scripti, vel ex illo, quod profers, specimine licet divinare; an autem non scateant iniquis in aliquos invectivis, eaque de causa prohibiti sint & *a capite ad calcem spongia delendi* non magis mereantur, quam Sancti Ignatii

tii Vita a Nirembergio edita, judicent qui habent & legere possunt. Ego mirari desino, cur istas tui supplicis Libelli gemmas oculeris reproducere in Exhibitione; neque tam rigidus sum, ut nolim credere Paternitati Tuæ, si excusare velis, quod Libellum supplicem imprimens annis undecim post istam prohibitionem, hujus adhuc fueris ignarus; licet mihi in ealu longe faciliori credere recuses circa Natalis Alexandri libros. Sed quod prohibitionem istam cognitam non habueris, quando Exhibitionem errorum scripsisti, altero decennio post censuram; quodque non fueris de illa monitus, ideoque caveris citare Apologeticum ipsum, qui tam explicite damnatus erat, ægre persuaseris. Judicet ergo Sancta Sedes, an debueras sumptum ex prohibito auctore lapidem denuo tollere, & non potius, (sicut ego feci) retractare priorem illius usum, fidemque detradere damnato Accusatori.

213 Ejus sic prohibiti libri an etiam nunc apud Theologos auctoritatem ac fidem habeant, viderit Paternitas Tua. Natali Alexandro ideo non omnem laudem periisse in rebus pure historicis, apud Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Ursinum, Aguirre, Slondratum, præcipuæ eruditionis Præsatos; imo apud ipsummet nunc supremum in Hispania Inquisitorem Archiepiscopum Valentinum, Joannem Thomam Roccaberti. Nam in opere, quod is edidit anno 1691. Valentiæ de auctoritate Romani Pontificis, dicitur ideotidem laudari Alexander, ac nominatim ubi agitur de lapsu S. Marcellini, quem D. Archiepiscopus plane commentitium esse fustinet, æque ac prætensa Concilii Sinuessani Acta; neque objecta sibi Breviarii Romani auctoritate quidquam movetur. Mihi necdum contigit libros istos videre; sed cum Hispaniis totis notissimi sint, puto me posse iis credere, qui legerunt, & ista mihi perscripserunt.

§. XXX. ACCUSATIO.

Papebrochius Vitam S. Cyrilli Constantinopolitani, a S. Congregatione Rituum approbatam, molitur ex meris conjecturis reddere suspectam.

RESPONSIO.

Quidquid de vita S. Cyrilli, ex antiquis scriptoribus suggerere P. Daniel a Virgine Maria potuit, tunc eum Martius excudebatur, in suum da eo Commentariolum collegit P. Godofridus Henschenius; eumque bis terve relectum, ante & post impressionem, Patres vestri probaverant. Iidem tamen ostenderunt postea non multum sibi placere hanc clausulam num. 10. ubi post enumeratos recentiores hujus seculi scriptores de Vita Cyrilli, ad hos remittit Henschenius *novarum relationum curiosum lectorem*, contentus dare Vitam a Palæonydoro descriptam, collatamque cum alia scripta a Bostio. Sic etiam in Commentario prævio dederat quidquid ante illos scripserat Generalis Ordinis Joannes Grossus, in quo etiam commentario idem Henschenius non tacuerat Cultum ipsi S. Cyrillo decretum in Capitulo Generali anni 1399. sub præfati Grossi Generalatu.

215 His ita editis probatisque, arguor ego, in Aprili Tom. 1. pag. 785. num. 70. sic loqui: *Ad Cyrillum quod attinet, vereor, ne sola nominis Græci ratio fecerit eum Græcum videri.* Vereor sane etiam nunc, cum & in assignanda Bertholdo primo Patria videam vestros hallucinari, Lemovicensem faciendo, quem Joannes Phocæ (si tamen hic de eo, non de Brocardo scripsit) docet fuisse Calabrum: qui vero Ademari Podiensis fratrem fecerunt, si in hujus patriam inquisivissent, Bertholdum istum dixissent fuisse Delfinatem; eadem ratione, qua Lemovicensem fecerunt ii, qui ipsum crediderunt fratrem Aymerici Patriarchæ. Nam sicut hic fuit patria Lemovicensis, cognomento Malafayda, nota tunc in Lemovicis familia; ita Ademarus Podiensis Episcopus, cognomento *de Monteil* juxta Sammarthanos, credi potest ibi patriam habere, unde traxit cognomen.

216 Quod autem ad Cyrillum attinet, primus Grossus *Græcum* fecit, mox alii *Constantinopolitanum*; & huic fundamento Palæonydorus superstruxit commissam ei legationem Emmanuelis Imp. ad Alexandrum Papam III. cui etiam significaverit Iconiensis Soldani propensum ad baptisma animum. Hæc autem aliaque plura, (puta confutatio Constantinopolitani Patriarchæ, processionem Spiritus a Filio negantis; reductio totius Armeniæ cum Rege suo, ad unionem Catholicæ Ecclesiæ, per eumdem Cyrillum, ac denique oblatus a Cælestino Papa, sed recusatus Patriarchatus Constantinopolitanus) talia esse dico, *ut optabile foret, antiquorum scriptis confirmari ea posse, utpote tam illustria, ut ab historicis illorum temporum necessario fuerint, si vere contigerint, attingenda.*

217 His taceotibus, nego, quod mereantur credi ista, *in sola talium scriptorum fide*, quales sunt Bostius & Palæonydorus, nimis longo tempore post Cyrillum nati, & in multis ejusmodi sæpe errantes. Nam Alexander III. cujus ad Soldanum Epistolam allegat Palæonydorus, Cyrilli non meminit; sed rescribens Soldano, dicit se *ex ejus litteris & nuntiorum ejus fideli relatione*, ejus desiderium cognovisse. Neque Constantinopoli Romam veniens aliquis, potuit Iconio transiisse, excursu plus quam 200. leucarum in oppositam partem: neque Cælestinus Papa quidquam potuit disponere de Patriarchatu, qui totus adhuc erat Græcorum, & ab horum Imperatore conferebatur: ut mirum sit talia non observari a Lezana, ne leviter quidem conato scrupulum, cuivis historico obvium, removere. Armeni deinque sub Eugenio III. circa annum 1145. (ut videre est apud Baronium) redierant ad Catholicam unionem. Cum autem de istis omnibus nihil habeant Guilielmus de Sanvvico, Ribotus, aut Grossus, patet, Rev. P. quod Lectori obtrudas inania nomina, ut ostendas prædictorum veritatem non pendere ex sola Bostii atque Palæonydori fide.

218 Allegas etiam ex Possevino Conradum ab Alpendorp, Germanum Carmelitam (*Azatensem*, Tu, *Episcopum* facis; *Arocensem*, Possevinus; Gesnerus, a Simlero auctus, verosimilius *Azotensem*, cum hic, non isti Episcopatus sint nóti) allegas, inquam, ex Possevino Conradum istum, qui floruit an. 1390. & S. Cyrilli historiam scripsisse dicitur; nec non Nico-

Nicolaum Kenton Anglum, qui sancta obiit ann. 1468. sed utrumque similiter frustra mihi objicis, dum nescis dicere, an de Cyrillo aliquid eorum narrent, quod Palæonydoro & Bostio eunctor credere. Nunc igitur S. Sedes judicet, uter nostrum *ex passione potius quam veritatis amore effutias*, quidquid de prædictis ego dubito, Tu affirmas; & utrum *ex meris conjecturis* suspectam habeam fidem duorum, qui hactenus soli produeuntur, antiquioribus talia tacentibus, qui ea narrare debuissent, si potuissent.

§. XXI. ACCUSATIO.

Papebrochius Vitam S. Angeli, a Sede Apostolica approbatam, undique dilaceras, & tamquam fabulam explodit.

RESPONSIO.

De qua S. Angeli Vita, quæ *a Sede Apostolica approbata* sit, tibi hie sermo est, Rev. Pater? De illane, quæ Panormi impressa fuit a Bellorosо; an de Vaticana & impressa a Gonono? Alteram, nempe Vaticanam, reprobatis vos; utramque ego, saltem quatenus scriptæ dicuntur ab oculato teste, & individuo comite S. Angeli. Dic modo: Utra illarum *a Sede Apostolica approbata* est? Ajo ego neutram, licet ambæ aliquid commune habeant eum Lectionibus Breviarii vestri, a S. Rituum Congregatione vobis legi permissis: vel si ex tali permissione, seu approbatione Lectionum, infertas approbationem Apostolicam Vitæ Panormitanæ, quia aliquid eum illis commune babent; ita ego eadem de eausa inferre possum approbationem similem Vitæ Vaticanæ (æque enim multum, si non etiam amplius, eum hæ commune habent Lectiones prædictæ;) atque adeo scriptores vestros, Vaticanam reprobantes, possum in eadem culpa ponere, in qua me esse accusas. Sed abhorret animus a tam gravi injuria Sedi Apostolicæ inferenda, dicendo tecum, ipsam Scripta seu Vitas, sæpe fabulosas & ab Ecclesia damnatas, approbare, quia approbat Lectiones, quæ ex similibus scriptis excerptæ sunt, aut commune aliquid cum illis habent.

220 Interim Tu, Rev. Pater, nihil inter utramque distinguens, colligis Auctores, qui alterutram, aut etiam solam Vaticanam sequuntur, Abrahamus Bzovius Dominicanus in prosecutione Annalium Ecclesiasticorum, & Octavius Cajetanus noster, inter Vitas Sanctorum ac Beatorum Siculorum: quos apparet animum serio numquam applicuisse illi examinandæ. Hoc de Bzovio non vehementer miror: miror de Cajetano. Utrique imposuerit titulus splendidus Bibliothecæ Vaticanæ, quasi in illustri illo omnigenorum librorum gazophylacio, nulli contineantur fidei minus firmæ, nulli apocryphi, aut etiam plane fabulosi. Hujusmodi plures notavi inter eos, quos inspicere & nosse videbatur facere ad nostrum inteotum; neque hoc ignorabat Bibliothecæ tunc Custos Leo Allatius, suam erga nos morositatem non alio titulo apud Alexandrum VII. excusans, quam quod metueret, ne sine discrimine quidlibet describi facientes, multas fabulas inveheremus in Acta Sanctorum: sed sapientior Pontifex securum de nobis esse jussit.

221 Præter recensitos Bzovium & Cajetanum, cur noluisti nominare Spondanum? siquidem etiam hic, citato Ms. Vaticano, delibat de S. Angelo aliquid. Sed videbas, credo, nihil tibi profuturum eum, qui parenthesi (*ut dicitur*) involvens omnia, indicabat, nihil certi habere se de illorum veracitate. Alius Baronii continuator Raynaldus, maluit nihil de S. Angelo dicere, quam fidei aliquid dedisse videri iis, quæ habentur in ipsius gestis, quamvis Baronius in notis ad Rom. Martyrologium dixerit, quod gesta illa scripsit, *Enoc Hierosolymitanus*, prudenter subjicens cetera, quæ addi potuissent ad conciliandam auctoritatem, si quam ei dandam putavisset. Id autem, loco tam conspicuo & passim ab eruditis legendo positum, neminem movit eorum, qui scriptorum Ecclesiasticorum ordinem ab annis 100. proximis digesserunt (puta Bellarminium, Possevinum, Miræum, Vossium, Labbeum, Oudinum. Morerium) ut inter eos nominare Enochum fie dignatus, quin neque Bibliothecæ Carmelitanæ auctor Petrus Lucius, Florentiæ scribens, Enochum asseruit Ordini sui Scriptoribus.

222 Ego quidquid, veritate salva, honoris dare S. Angelo potui, studiosissime contuli. Nam pauca de ejus patria, martyrio, cultu, translatione, & ecclesia præfatus, a pagina 56. ad 95. deduxi quotquot, ex depositionibus juratorum testium, nancisci potui ejus miracula, & beneficia: a Vita autem danda tunc abstinui, ne animis, ex tractatu de S. Alberto, quamvis expostulatione vestra publica mihi extorto, nihilominus exacerbatis, novum dolorem adderem, demonstrando fabulositatem illius Vitæ, in qua tantum præsidium stabiliendæ antiquitati prætensæ haberi credebatis. Sed evicit iterum provocantium importunitas, ut illam quoque ederem. & quidem geminam (nam duplex sub ejusdem Enochi auctoris nomine offerebatur contextus, isque valde diversus) quin etiam tertiam breviorem, & ab utroque vehementer discrepantem, ac forte antiquiorem & sinceriorem, a pag. 801. ad 841. qui tractatus, una cum priori, possent conficere justæ molis librum in quarto, ut vocant. Hoc autem postremum ita feci, ut demonstraverim cuicumque oculos habenti, fieri nulla ratione posse, ut eam Vitam scripserit auctor Græcus aut Syrus „ qui Hierosolymia & in
„ Palæstina, ineunte seculo 13. vixerit cum S.
„ Angelo, cum eodemque transierit in Italiam
„ Siciliamque, & morientem viderit, ac de-
„ nique reversus Hierosolymam, factus sit Pa-
„ triarcha. „

223 Verba mea ista sunt, in Anacephaleosi pag. 834. quæ deinde sic prosequor: *Quid enim? An talis vir potuit Græcorum rituum tam esse ignarus, ut pro iis identidem Latinos substituens, omnia aliter facta narraret quam fieri debuerunt? An potuit nescivisse, quo in statu Hierosolymam atque Alexandriam reliquerit, inde discedens? An potuit credidisse, quod Syro-Græci atque Latini promiscua inter se Sacrorum communione uterentur? An potuit vel somniando cogitasse, quod ex Carmelo Hierosolymam eunti transeundus esset Jordanes fluvius? An potuit Portum Romanum Centumcellensi, & hunc cum Urbe Veteri confudisse? An potuit Honorium hic reperisse eo tempore, quo constat fuisse Romæ? An potuit erravisse*

visse in nominando Archiepiscopo Panormitano hospite suo, vel eum non distinxisse a suo Vicario? An potuit denique characteres omnes temporum confudisse, ut Parasceven diceret celebratam XXIV. *Martii, festum S. Marci componeret cum feria* VI. *aliaque similia iis annis, quibus id nec factum esse, nec fieri potuisse, dijudicare potest quantumvis tiro in chronologia.*

224 Talia ego ibi: moxque concludo dicens. *Hec si, non singula, sed simul omnia, dicas fieri potuisse; vel ostendas, ut Vita illa verificetur, non debuisse fieri; fatebor ego me vel carere oculis, vel plena in meridie densissimam noctem pati, prorsusque captam esse mente, atque* (*ut ex Approbatoribus Speculi unus loquitur*) delirum sinciput. *Quin etiam ibidem præfatus eram, quod, licet veritas totius Carmelitanæ historiæ, quoad ortum, progressum, continuationemque suam in Carmelo usque ad initia Bertholdi, tam certa mihi esset atque est ipsum Evangelium; licet etiam de antiquitate & diffusione Ordinis per Europam, diu ante solemnem anni* 1238. *migrationem, eadem haberetur evidentia, qua habetur de Regulæ Benedictinæ per Occidentem propagatione atque universalitate ante ejus divisionem in varios Ordines .... licet denique nihil fictum, nihil supposititium esse in ullo alicujus auctoris Carmelitani scripto, imo nec in ulla ullius cujuscumque Sancti Vita; tamen non possem cogere intellectum meum, ut crederem Vitam S. Angeli esse genuinum opus veri Hierosolymitani Patriarchæ, socii olim ipsius Sancti.*

225 Sic protestanti, sic provocanti, quid reponeret sincerus disputator, quam vel ingenuam abdicationem fictionis tandem agnitæ, vel plenam ad singula responsionem? Sed hujusmodi sinceritas non magis a Tua Paternitate expectari debuit, quam verisimilis defensio singulorum, quæ demonstraveram falsa. Sileres ergo? Nec hoc volebas, neque si velles passi forte essent commilitones tui. Ergo præfidenter audes scribere n. 245. quo *Vitam illam Papebrochius non impugnat rationibus vel auctoritatibus, sed meris cavillis, infundatis conjecturis, frivolis argutiis, & insolentibus censuris.* Hoc ut probes, unum alterumve miraculum profers, notatum in circumstantiis, parum idoneis ad verisimilitudinem præstandam, non tamen manifeste falsis; multo minus talibus, ut seorsim sumptæ certum possint aliquem reddere, de falsitate totius Vitæ; imo quæ, in certiori auctore lectæ, fidem etiam obtinerent. Sed numquid ego hoc prætendo? & non potius, quod miracula, quæ in probato auctore fidem fortassis invenirent, nullam omnino mereantur quatenus in tali Vita referuntur?

226 Hujus porro Vitæ fabulositate jam demonstrata, quid restabat facere de Sancto, quem constabat fuisse, non tantum in rerum natura, sed martyrio insigni perfunctum, innumeris hodiedum clarere miraculis? Quid, inquam, de eo restabat aliud, quam, quod Append. t. feci pag. 839. *de tempore vitæ ac mortis S. Angeli per verosimilem conjecturam quærendo*, lectorem docere, quid mihi videretur, non quidem debere, sed posse teneri? Talem conjecturam, si recipere nolebas, Pater Rev. sed exsibilare, velut *effuctam ex uno & sola novaturientis Papebrochii cerebello*, oportebat te vel ostendere isthæc omnia aliunde quam ex prædicta Vita sciri certo posse, adeoque nulla opus esse conjectura (hoc autem non facis, allegando traditiones & auctores uni isti Vitæ innixos) vel debebas conjecturam aliam verosimiliorem adferre, per quam eadem omnia clara & salva manerent. Neutrum Patern. Tua facit, sed in ipsa mea conjectura, qua hactenus nulla a vobis inventa est commodior, fundas criminationem qua dicis, illam conjecturam meam (quæ conclusio mihi est, & quidem solum conditionata, donec inveniatur aptior) esse principium totius discursus; dum ais nu. 250. quod ea *conjectura armatus Papebrochius prosilit in arenam, & per totam Appendicem, perque omnes pene Annotationes, adversus Vitam sancti Martyris insolescit & insurgit.* Id autem probare te putas ex titulo Appendicis: quasi Appendix illa non supponat, fuisse evidentissime probatum in prægressis, quod ipsa Vita nequeat ab Auctore tali, qualem titulus totusque contextus præfert, scripta esse.

227 Fateor, quod nonnullam prædictæ conjecturæ partem fundo in illamet Vita (nullum enim est tam absurdum figmentum, cui non subsit aliquid veritatis, etsi a falsitate ægre discernibilis.) Fateor etiam, quod p. 8. 9. protester, *supponere* me, *quod ipsa accepta non sit ex vere oculati testis scripto, sed ejus qui oculati testis personam fallaciter assumpsit, scripturus de rebus eo sola eaque confusa cognitione habitis;* calumniatur tamen Patern. Tua, asserendo id me simpliciter supponere; cum id antea ut dixi, demonstraverim; atque inter alia etiam hoc, quod *eo tempore nullus fuerit Patriarcha Hierosolymitanus, nomine Enoch*, Catholicus scilicet, qualem convenit fuisse eum, de quo agitur. Rationes, quibus id demonstravi, nusquam refutas; sed quasi satis ad fidem extorquendam sit, dicere assertionem, quæ negat aliquem tunc fuisse Enochum Patriarcham, esse *tetram calumniam*; contra me insurgis, & (si Superis placet) etiam ex meipso probare contrarium intendis, ac dicis *calumniam* esse *falsumque fundamentum*; quodque in tractatu de Patriarchis Hierosolymitanis nu. 178. *agnita veritate ipsemet victus & coactus fuerim agnoscere & admittere præfatum Enoch, de quo in vita S. Angeli, Patriarcham fuisse Hierosolymitanum.*

228 Misera profecto & inæqualis est conditio mea disceptantis cum tua Patern. Potes enim, cum Tibi libuerit, quascumque calumnias ex meis ipsius scriptis mutilatis alteratisque arripere, & paucis verbis maxime absonas sequelas formare: ego vero refellere ipsas nequeo, nisi longiori textu producto, unde verus meus sensus pateseat simul & calumniantis perversitas: quo fit ut Responsio mea prolixior ut plurimum fiat Accusatione tua, ad meam Lectorumque fastidium. Toleretur tamen, quod vitari nequit, & locus integer producatur.

229 Agitur ibi *de Patriarchis Græcis, capta iterum a Saracenis urbe*, anno 1187. utique Patriarchis schismaticis pessimisque, qualis fuit primus eorum Dositheus & huic mortuo suffectus Leontius; qui cum ad Patriarchatum Constantinopolitanum contra Canones evehitur ab Imperatore, contra eum electus Hierosolymis fuit alius; cujus interim dum nomen & successores requiruntur (cito inveniendi, si quis Hierosolymis mihi afferat, quam opto, seriem

Patriar-

Patriarchalem anno præfato dedictam) dum, inquam, certior requiritur notitia, *Licebat*, dicebam ego, *gratiose supponere, eos qui nominantur in Vita S. Angeli Carmelitæ, successisse Dositheo; videlicet Nicodemum, Onuphrium, Joannem atque Enochum: sed successisse primum anno* MCXCII. *non autem ante annum* MCLXXXV, *cum adhuc urbem Latini tenerent; quod tamen sequeretur ex prædicta S. Angeli Vita, si ea fideliter esset descripta, & auctorem haberet, quem titulo præfert, Enoch Patriarcham.*

230 Hoccine est, Rev. Pater, talem, qualem Vita ista requirit, Hierosolymis tunc agnoscere Patriarcham? An non potest ibi fuisse aliquis, *Enoch* dictus, cujus nomen suppositius Enoch sibi temere assumpserit, eaque se fecisse dixerit, quæ verus (si fuit) Enoch numquam fecisse potuit? Quam multæ sunt fabulæ, assumptis perperam verorum Imperatorum ac Regum nominibus vestitæ? An ideo eæ desinunt esse fabulæ? Imo ex illis ipsis convincuntur, cum veris Principibus affingunt actiones, tempori, conditioni, aut loco repugnantes; ut facit iste Pseudo-Enochus. Fuerit igitur, non fuerit (quod aliunde discendum) aliquis tunc Patriarcha schismaticus Enoch, profecto non plus ille facit ad justificandam Vitam S. Angeli, quam ad salvandam illam Bullæ Sixtinæ partem, sensu vestro intellectam, qua dicuntur Carmelitæ *Sanctorum Prophetarum*, non solum *Eliæ & Elisei*, sed etiam *Enoch*, *hereditariam successivam tenere*. Hunc enim Enochum cum ostendisset Janningus Paternitati Tuæ, in Amica Expostulatione tua, non posse intelligi Enochum de Amathim, S. Marci Evangelistæ Socium ac itinerum comitem, utpote qui nullus usquam monstretur aut sciatur fuisse in rerum natura; recurris Pater Reverende (argumentis Janningi urgentibus) tu ipse in Append. tua ad Motivum juris, contra quam *hactenus communiter censuerunt scriptores* vestri, ad Enochum Patriarc. Hierosolymitanum: ut per hunc salvetur Enoch, de quo Bulla Pontificis, si per Enochum de Amathim non possit. Sed frustra recursus ille est: cum neque fictus Enoch de Amathim, neque incertus Enoch Patriarcha Hierosolymitanus, Prophetæ sint, de quibus loquitur Bulla, in solo Enoch veteris Testamenti salvanda.

§. XXXII. & XXXIII. ACCUSATIO.

Papebrochius, molitur Vitam S. Simonis Stock, Breviario insertam, reddere suspectam.
Papebrochius B. Angelam, Regis Bohemiæ filiam, quæ Sedis Apostolicæ indulto publice colitur, explodit, quasi numquam inter homines fuerit numerata.

RESPONSIO.

AD primum Punctum, hic operosius dilatatum, sed novæ querelæ nihil adferens, abunde respondi Art. 10. §. 3. causam reddens meæ circa S. Simonem brevitatis; & prolixiorem Tractatum, pridem prælo paratum, dandum pollicens, quando de eo licebit, non solum placentia scribere, sed etiam vera, quamvis minus grata.

232 De altero sufficit legere verba, quibus Tom. 2. Apr. pag. 777. ipsum attingo, transcribens ex Februarii Tom. 3. pag. 718. pauca ista: *B. Angela de Bohemia Ordinis Carmelitarum, quibusdam Kalendariis hoc die inscripta traditur. In ejus Vita, quam Ms. nacti sumus non tenui examine egentem, dicitur obiisse* VI. *Julii*. Ita Rev. P. Joannes Bollandus, Patern. Tuæ æque ac mihi venerabilis; qui in Januario ac Februario Prætermissos ac Prætermittendos digessit. Henschenio alias partes sibi ab eo assignatas curante, ego, ab hoc instructus, pauca addidi, quæ an reprehendi debeant, judicet æquus Lector: sunt autem hæc. *Idem quod Bollandus quoad diem, de omnibus Vitæ exemplaribus testabatur Lezana ad an. 1253. n. 18. contra quem consensum non debebat nos commovere auctoritas unius Mechliniensis Kalendarii, admodum temere consarcinati: præsertim cum Angela ista nullum vel in Ordine vel in Bohemia habeat cultum, & multa sint in Vita, partim evidenter falsa, partim dubia; ac ne hoc quidem probari sentiant viri in Bohemicis rebus tractandis & scribendis versatissimi, quod ipsa aliquando inter homines fuerit numerata.*

233 Ex his nominare Paternitati Tuæ tuto possum duos, quia vita functos, Georgium Gengerium & Bohuslaum Balbinum, ambos Societatis nostræ rerumque Bohemicarum scriptores illustres. Prior sacrorum Bohemiæ Pulverum memorias collegit, digestas per menses (quorum ultimum bimestre, cui est immortuus, utinam absolvat alius!) sed neutro die ausus fuit Angelæ memoriam facere, ut ad Bohemiam pertinentis, judicii tamen sui positivum testimonium nullum reliquit. Alius, non quidem absolute illud qualecunque decus, Carmelitis tam asseveranter attributum suæ patriæ, eidem abjudicavit; in primo tamen, quod edidit opere, & Epitomen historicam rerum Bohemicarum appellavit, lib. 3. cap. 13. *Sanctas duas in Regio Bohemiæ sanguine nominat (Angelam & Euphrasiam) apud externos scriptores inveniendas; de quibus*, inquit, *patrii Scriptores nihil omnino scriverunt*. Tunc vero majorum incusat segnitiem, in describenda Regum ac Principum genealogia: *Ut tamen*, inquit, *quod pridem sentio, aliquando dicam, sæpe me timor incessit, ne in S. Angela, quam Raymundi Bohemiæ Regis filiam faciunt, omnes erremus: quem enim unquam Raymundum Bohemia Regem habuit? .... Itaque non immerito Bollandus noster; Vita, inquit, quam manuscriptam nacti sumus, non tenui eget examine.*

234 Idem Balbinus postea plures Tomos sub titulo Miscellaneorum Bohemiæ edidit, ubi Decadis 1. l. 4. §. 28. rursum de ambabus, ut *in patria sua ignotis*, agit: iterumque allegat particularem dissertatiunculam suam de Angela, ad Vener. P. Carolum Slavatam, Carmelitam Discalceatum; & in gratiam illius, tunc cum hæc ultima imprimerentur Generalis Carmelitarum, plus aliquid tribuit Annalibus Ordinis: non tamen se continet, quin candide fateatur, *sustineri non posse, quod*, inquit, *iisdem Patribus narrantibus didici, Pragense cœnobium Carmelitarum rexisse Angelam; cum (quod certissimo constat) nullum cœnobium aut parthenonem sacrum ejus Ordinis ante Carolum IV. Bohemia habuerit*. A similis fidei auctoribus suffarcinatus in Bibliotheca Geloeriana augenda

Josias

Josias Simlerus, eidem Angelæ, quam Carmelitæ cupiunt credi Raymundi Regis filiam & Pragæ sepultam, adscribit *lib. 1. Revelationum*; quem ultimum Martinus del Rio lib. 4. Disquisit. Mag. cap. 1. qu. 3. sect. 4. simili modo citat: sed ambo corrigendi sunt ex Antonio Possevino in Apparatu, qui librum istum adscribit *Angelæ de Fulgineo*. Merito sane: nam totum, hujus ejusdem Vitæ insertum, habes a Confessario 4. die Januarii nostri.

235 Ast Leo Indelicatus Schiavensis, in Horto Carmeli sub ann. 1600. edito, scribit, quod *ex Indulto Clementis VIII. dato 10. Julii 1593. festivitas ejus celebratur Dominica prima Julii, in Conventu Carmelitarum Schiavæ in Sicilia, cum Indulgentia plenaria*. Velim videre Bullam, & multo magis fundamenta Schiavensium, ob quæ ipsi, potius quam alii toto orbe Carmelitæ, festum illud agant. Interim quis me vetabit suspicari, idem accidisse Carmelitis Schiavensibus, quod accidit Augustinianis Forojuliensibus in Gallia? Hi ex mera conjectura persuasi, S. Maximam Callidianensem 16. Maji coli solitam, camdem esse quam Victor Uticensis in Africa ut sibi notam laudat, atque a Wandalica servitute dimissam, extitisse multarum virginum Dei Matrem; ipsius sibi cultum eo jure petierunt concedi, quo totum Africanum Monachismum ad se trahit Ordo iste, veluti a S. Augustino institutum, & quod petierunt, impetrarunt, ut explicatur Tom. 3. Maji pag. 580.

236 Porro sicut ea, cujus nulla nunc distinctior extat notitia, sed sola memoria & vestigia antiquissimi cultus, gratis præsumitur venisse ex Africa, cum longe verosimilius sit, natam in Gallia, ex S. Hilarii Regula vitam instituisse: sic fieri potest, ut quædam S. Angela, post votivam ad sacra loca peregrinationem, vixerit prope Schiavam Solitaria: quæ tamen fuerit natione Sicula (nam Siculis frequentia videntur fuisse *Angeli* & *Angelæ* nomina) & cujus antiquissimus ibi cultus sit, memoria vitæ distinctior nulla; atque hinc occasionem sumpserint Carmelitæ, ecclesiam, ei fortassis ab olim sacram, tenendam nacti, ipsam confundendi cum Hungari Regis filia, de cujus vera existentia optamus certiora doceri. Atque utinam Schiavensibus eadem contingat felicitas, qua Forojulienses an. 1643. suæ S. Maximæ corpus invenerunt; tunc enim constaret, saltem illam, quæ Pragæ sepulta fuit, uti prætenditur, cum Schiavensium Patrona male confundi.

237 Ridebis fein conjecturam, Rev. Pater; & rideres merito, si conjecturas, uti faciunt Auctores vestri, pro certo testatis historiis, ac pene pro traditionibus ecclesiasticis, nec sine crimine in dubium revocandis, traderem. Sed qui conjecturas non aliter quam conjecturas profert, dum certius aliud nihil suppetit, libenter eas cessurus cuicumque verosimilius aliquid suggesturo: næ ille bene meretur de historia quacumque, sive ecclesiastica, sive seculari! Quis enim Historicus id in tali casu non facit sæpius, etiam Baronius, etiam Lezana vester? Sic enim aliis præbetur occasio ulterioris indaginis, & ansa subinde perveniendi ad ipsissimam rei veritatem, aut saltem quam proxime ad veri similitudinem. Non merebatur quidem brevis Tua paucarum lineatum contra me cavillatio tam exactam discussionem, diei 6. Julii reservandam: sed merebatur *S. Angelus Schiavensis*, atque ita *S. Angelus natione Siculus, Lycatæ ex generosa prosapia ortus*, (sic ac habet Henricus de S. Ursin, Catalogum Petri de Natalibus supplens anno 1493.) utique Christianus ex Christianis parentibus: nec alium videtur agnoscere Grossus Genaralis vester, *Angelum de Sicilia* simpliciter nominans: quem vos propter unius Pseudo-Enochi auctoritatem dedecoratis, facitisque ex Judaica stirpe procreatum.

§. XXXIV. ACCUSATIO.

Papebrochius suspectas reddere molitur Vitas BB. Alberti Patriarchæ & Petri Thomasii.

RESPONSIO.

Vitam B. Alberti, ut est a Stephano Ferrerio Episcopo Vercellensi primum ex originalibus tabulis suæ Ecclesiæ, edita; a Philippo Ferrario, Servitarum Generali, in compendium redacta; ab Annalium Carmeliticorum auctore Lezana verbotenus transcripta; Vitam, inquam, veram ac sinceram S. Alberti totam dedi, & multis illustravi 8. Aprilis. Tantum autem abest, ut eam conatus sim aliunde *suspectam reddere*, ut ab ea studiosissime removerim, non sine multa vestra querela, illam *portentosam* (ut Ughellus loquitur) *narrationem, quam Carmelitæ historici, præsertim Petrus Saracenus in Menologio Carmelitarum, & M. Antonius Alegre de Cesanate in Paradiso Carmelitici decoris, a Sacra Congregatione prohibita, de eo instituerunt*.

239 Nihilo veriorem narrationem iidem instituerant de S. Petro Thomasio; sed eorum commenta dissipavit Henschenius, edita anno 1643. ad 29. Januarii, ex nostro Ms. insigni, Vita ea, quam scripserat *oculatus testis Philippus Mazzerius Cancellarius Cypri*. Fuit hæc Vita excepta cum tanta gratulatione vestrorum hic Patrum, ut R. P. Daniel a Virgine Maria, quoties nos adibat, Codicem istum venerabundus deoscularetur, atque ex ejus fide optaverit eidem S. Petro restitui cultum Confessoris, quem habuerat olim, abolito quem Saraceni figmenta induxerant cultu Martyris. Ab iisdem porro rogatus Henschenius eamdem Vitam denuo recognitam, seorsim imprimendam dare, cum Analectis historicis & diplomaticis variorum Auctorum atque Pontificum, ipsam Capitulo vestro Provinciali dedicavit, addito insigni encomio Lezanæ, tunc recens defuncti.

240 Dum prædicta S. Petri Thomasii Vita sic iterato imprimebatur, quidam P. Valentinus a S. Amando, impiger tunc juvenis, postea grande nomen inter Carmelitas promeritus multiplicandis contra me famosis libellis, operam navabat concinnando Indici rerum notabiliorum. Hic, quasi jam tum specimen dare deberet sui, quem postea manifestaturus erat, importuni zeli ad dilatanda phylacteria prætensæ antiquitatis Indici inscripserat *Elias fundator Carmelitarum*, licet toto libro hoc non legeretur sed *Patronus*: quæ duo cum diversa valde esse diceret Henschenius, juberetque deleto priori titulo poni posteriorem, idque suis Patri-

Patribus retulisset Valentinus, eis suspicionem movit de mente Henschenii, ut ab Eliana processione tenenda alieniore. Hic vero adeo non curavit ab ejusmodi suspicione liberare se, ut palam illis sæpiusque protestaretur, non posse se eis consentire, quoad Eliam & Sanctos seculo 12. vetustiores; in ceteris facturum amici sinceri zelosique officium. Nec displicuit P. Danieli prælaudato hic ejus candor, qui profitebatur abunde Ordini fore satis quod pollicebatur. Idem eidem responsum Romæ est anno 1661. a Generali & Assistentibus Ordinis, parum tunc (ut videbatur) solicitis de manutenenda, quam quidam (ut ajebant) Belgæ demonstrare se posse credebant, opinione.

241 Certe nihil obstitit ista Henschenii sententia, iis jam aperte declarata, quo minus in Belgium redeunti hujusmodi patentes traderentur litteræ, signatæ die 20. Sept. *Reverendus & doctissimus vir Godefridus Henschenius, Societatis Jesu Presbyter, seu lucidum sidus firmamento veritatis affixum, Religionis nostræ splendori, quem vetustatis caligo obscurare quandoque tentat, propriis lucubrationibus insigniter consulit. Idemque, velut suavis & felix aura, sive ut expertus nauta, per oblatrantium procellas, nostræ historiæ carbasa promoveat seu gubernaculum regens, prospera navigatione eamdem tranquillo sistit in portu; e quo, injuriarum temporis expers, immensas probatissimo Scriptori grates habere non desinit. Id omnes & singulos nostri instituti alumnos intelligere volumus, ut præstantibus adeo prædicti P. Henschenii meritis, ejusque tam singulari erga nos affectui cunctis affectibus jugiter, ut par est, respondentes, nihil negligant obsequii, nihil in ipsum gratitudinis & amoris omittant. Expresseque iisdem præcipimus, ut quæcumque monumenta librosque Ordinis ipsi, cum opus fuerit, communicare non renuant, in ejus itineribus eum in domos nostras peramanter excipiant; nec non ipsi in omnibus in omni tempore, quantum vires suppetent, assistant & inserviant, ut dignissimo viro, nobis commendatissimo & optime merito de nostra Religione; quem utique valde exoptamus, ut illi perpetuis obligationum nexibus indissolubiliter se devinctam exhibeat.* Signatum erat. *Hieronymus Ari.*

242 Ita tunc animi erant: sic nihil commovebantur Generalis & Assistentes (quorum unus erat P. Gabriel, ipsius P. Henschenii aliquando discipulus) noto sibi dissensu a Patris Bonæ-spei & Belgarum quorumdam præsumpta certitudine circa Ordinis antiquitatem. Hac fiducia impune semper de ea tacendi, servandæque nihilominus amicitiæ fretus Henschenius, dissimulabat nihil, sed totus intendebat in præstanda pollicitatione sua circa Sanctos Carmelitas certioris recentiorisque notitiæ. Eadem fiducia, nec non amore erga Ordinem plenus ego, itineris ac studiorum socius, intendebam in occasiones gratificandi amicis, tam sincere agere creditis; & Parisios appulsus, lætanter ac propria manu transcripsi alteram prædicti S. Petri Thomasii Vitam, *scriptam per R. P. Joannem Carmesonum, in sacra Pagina Magistrum, & FF. Minorum Terræ-sanctæ Ministrum*, qualem prædictus Philippus de Mazzeriis secum ex Cypro attulerat Parisios, & moriens Cælestinorum cœnobio reliquerat una cum ceteris suis scriptis. Hanc nos Vitam Patribus vestris Antverpiensibus, per solemnes exequias P. Bollando celebratas bene meritis, obtulimus an. 1665. in pignus Amicitiæ; qui mox ipsam quoque imprimendam curarunt; Præpositisque nostris Provinciali ac Domus Professæ, necnon P. Henschenio ac mihi, dedicarunt, cum ampla exaggeratione tum hujus tum priora beneficii: quæ beneficia etiam P. Bonæ-spei, parte 1. Armamentarii num. 767. *æterna totius Ordinis gratitudine digna* pronuntiat.

243 Hæc sunt *Vitæ BB. Alberti Patriarchæ & Petri Thomasii*, quas ubique, & sæpius quam gratum vobis sit, laudamus; & ad quarum fidem jubemus exigi, quidquid uspiam postea scriptum a vobis invenitur: & audes dicere, Pater Rev. quod eas moliar *suspectas reddere?* Ubi & quibus verbis? Tomo 2. inquis, Maji pag. 840. num. 6. dicis, *eas portentosam omnino in speciem deformatas*. Egone loquor sic indefinite, seu illimitate, de Vitis SS. Alberti & Petri, quomodocumque & a quocumque conscriptis? Ad pœnam libri. *Si PP. Carmelitæ* (verba ipsissima sunt) *ex vitis BB. Alberti Patriarchæ & Petri Thomasii, & iis quos Saracenus frentus est duces, portentosam omnino in speciem deformatis, nondum didicerunt, quam facile suo in Ordine antiquitus invaluerint & increverint fabulæ, ipsorummet judicio nunc damnatæ; saltem jam id discant ex Vita S. Angeli, quam credulitati suæ tamdiu vident illusisse: neque injuriam suam interpretentur, quod viri eruditi, circa nonnullas alias Carmelitanæ historiæ partes simili examine versati, easdem nolint ad prætensæ antiquitatis probationem recipere.*

244 Ignosce mihi, Rev. Pater, quod gravius Tibi succensere nolens, quasi integram lineam sponte transilieris, unde intelligebatur, quas & a quibus (nempe a *Saraceno* & ejus *ducibus*) scriptas Vitas indicatas volebam; ignosce, inquam, si Tui excusandi causa opiner, quod locum istum, neque propriis legisti oculis, neque manu transcripsisti; sed juniori forte Clerico negotium dederis colligendi quascumque judicares duriores meas phrases, temere deinde per librum tuum digerendas. Quam id parum prudenter feceris (si tamen feceris) quantoque dedecori te ipsum exposueris sic agendo, judicent non solius *Exhibitioni* tuæ, sed etiam *Responsionis* meæ lectores.

§. XXXV. ACCUSATIO.

Papebrochius Vitam S. Marci Atheniensis, Eremitæ in Libya, ab Henschenio in Martio traditam & approbatam, Poeticæ fictioni in Majo assimilat.

RESPONSIO.

QUandoquidem Henschenio non placuit in Martio, ut lucubrationes suæ, additis initialibus nominum nostrorum litteris, sicut in Februario faciendum Bollandus decreverat, ab hujus meisque lucubrationibus, incomparabiliter paucioribus, secernerentur; liberum ac licitum Paternitati Tuæ fuit, quidquid ibi de S. Marco Atheniensi legitur, Henschenio adscribere; quapropter ad confutationem accusationis hujus facere non puto, quod, præter simplicem approbationem, nihil ipsius in ea

Vita ſit. Ego illam ex Codice Divionenſi deſcripſi, ego cum Ms. Pariſienſi contuli, ego ex Græco Latinam feci, & Commentariolo prævio illuſtravi, inter prima tirocinii hiſtorici rudimenta.

246 Quamquam autem tunc adhuc parum admodum eſſem ad veri falſique diſcrimen exercitatus; ſatis tamen jam tum prudens fui, ut intelligerem, eam Vitam, quanto mirabilior eſt, tanto majori egere auctoritate ut credibilis eſſet. Auctoritatem autem, qua illa nitebatur, faſſus ſum eſſe perquam exiguam, ſi comparetur cum ea, ſub qua habemus S. Pauli primi Eremitæ converſationem, ex teſtimonio S. Antonii, omnibus notiſſimi; cum Vita S. Marci nitatur teſtimonio cujuſdam Serapionis, omnibus ignoti. Addere potuiſſem, Pauli exiſtentiam in rerum natura comprobatam notitia loci, in quo vixit; veneratione ſepulcri, cujus ſibi notitiam ſervare & diſcipulis commendare S. Antonius curavit; & inventione ac translatione corporis in Hungariam; tale autem nihil habemus pro S. Marco Athenienſi.

247 Iſta præfatus, perſuaſi Henſchenio, ut ne laborem in ea tranſcribenda traducendaque factum perire vellet, ipſam (uti alias faciendum putabat) ſupprimendo. Totum enim, quod ex ejus editione poterat naſci præjudicium noſtro operi, putabam tolli ipſa profeſſione certitudinis non magnæ, ſub qua talis Vita ederetur: quam etiam indicarent hæc formalia verba: *Atque utinam, quam certis Auctoribus habemus magni Antonii de S. Paulo narrationem, tam etiam clare cognoſceremus, tum quis Serapion ille fuerit, tum quinam Fratres, qui talia ab ejus ore excepta ſcripſere*. Idem votum eſt noſtri P. Janningi pro Vita S. Onuphrii, ad 12. Junii jam impreſſa & propediem in tomo 2. Junii edenda, ſcripta ex relatu cujuſdam Paphnutii, omnibus ignoti, æque ac ſcriptores ipſi. Eſt ea tamen cunctis utriuſque linguæ Legendariis communiſſima, & Reliquiarum veneratione ac translationibus confirmata; & in hoc Onuphrius Marcum ſuperat.

248 Porro ab anno editæ Vitæ hujus S. Marci, anni fluxerunt duodecim; & ego multa experientia exercitatior, cum vellem, poſt præclariſſima maximeque authentica Magni Pachomii Acta, 14. Maji, Appendicem ponere de Pachomii junioris mox attingenda Vita, nihilo certiore quam ſit Vita prænominati Marci; de hac falſus ſum, *ſuſpectam nobis eſſe, ne fuerit ad ejus imitationem expreſſa, quam de S. Paulo primo Eremita deſcripſit Hieronymus, ex relatu Amathæ & Macarii, qui ex magiſtri ſui S. Antonii ore ſæpius audiverant. Mutatis enim nominibus, & additis pluribus, quæ fidem difficulter obtineant paradoxis, res eadem quoad ſubſtantiam utrobique narratur; circumſtantiæ autem eo tantum differunt, quod in Paulo ſint omnia ſimplicia magis & veroſimilis hiſtoriæ modum non excedentia; in Marco e contra poeticæ ſimillima fictioni atque ad ſtuporem ciendum adornata. Dedimus tamen illam Vitam, ut daretur occaſio plura forſitan eruderandi, quibus fictionis diluatur ſuſpicio, aut ſalva ſubſtantia corrigantur circumſtantiæ minus prudenter adjunctæ. Iis autem non comparentibus minime improbamus ipſam ab opere noſtro eximi, ſiquando Martius recudetur: nec prima quidem vice illam daturi, ſi credidiſſemus exituros aliquando, qui non obſtante cautela adhibita, auctoritatem nominis noſtri ei additam opinarentur.*

Opuſcul. Collect.

249 Potuiſtine hæc legiſſe, Rev. Pater, (non potuiſti autem non legiſſe) & tamen aſſeverare, quod Actia iſtis *ne minimam quidem alicujus fictionis ſuſpicionem aut indicium ſubeſſe indicaram* in Martio: & in Majo, *nulla prorſus ullata probatione, conſueta cenſurandi audacia & temeritate .... repudianda & fabulis accenſenda judicem?* Qua etiam fronte auſus es dicere, quod Vita ſit *tanto cum ſuis circumſtantiis accuratione deſcripta, ut a nemine hactenus vocata ſit in dubium?* Quas Tu ibi vidiſti circumſtantias, quæ eam veroſimiliorem faciant, quam fictionem quamlibet poeticam veroſimilem facerent ingenioſe confictæ circumſtantiæ, nullis aliunde notorum locorum, perſonarum, temporum characteribus illigatæ? Quibus in Vitis Patrum, quibus in Menæis aut Synaxariis Marcum Athenienſem inveniſti?

250 *Nemo eam*, inquis, *vocavit in dubium*. An quia id non ſcit Paternitas Tua, & ego neminem nominavi, ideo nemo dubitavit? Cum Vitam primum Divione tranſcriberem, mirabatur D. Conſiliarius le Mare, cujus erat Codex, quod in ea operam poneremus, quam ipſe credebat meram eſſe fabulam: ſed reſpondi, fieri poſſe, nec raro fieri, ut etiam talium uſus nobis ſit, ad recte dijudicandum: utrum vero præter virum iſtum, quiſquam librum legerit, poſtquam allatus in Galliam eſt, neſcio. Mazarinianum codicem indicavit nobis Fr. Franciſcus Combefis, & forte primus ac ſolus eum legerat; ſed Vitam iſtam non magni faciebat. Poſtquam autem hæc comparuit in Martio noſtro, Antverpiam veniens vir eruditiſſimus Claudius Caſtellanus, Pariſienſis Canonicus, ſignificavit eamdem, communi eruditorum qui legerant judicio, improbari: quod ſatis profecto mihi eſſe poterat ad concutiendam, ſi quam antea dederam fidem, mutandamque ſententiam, poſt novam conſiderationem cauſæ, quod erat officium ſinceri ſcriptoris.

251 Tu, Pater Rev. *non* factum id ais, quaſi neſcius quantum temporis interceſſerit inter editionem Martii & Maji. Majori autem paradoxo accuſationem tuam confirmas, n. 273. dicens, *quia, quæ ſemel placuerunt, poſtea diſplicere non poterant*. Sit iſta laus Profeſſoris emeriti numquam mutaſſe ſententiam, ſed ſemel quomodocumque dictum ſcriptumque ſemper mordicus tenuiſſe; ſicut Paternitas Tua, licet a P. Janningo manifeſtæ hallucinationis, quin etiam impoſturæ convicta per familiarem Epiſtolam, facit in ſuo Motivo juris, rurſumque in hujus Appendice. Non ita tenax ſemel placitarum opinionum fuit S. Auguſtinus, quin multas retractavit; & male enim republica ageretur, ſi in Tribunalibus eccleſiaſticis atque civilibus, ipſarum etiam ſupremarum Inquiſitionum, Tua iſta regula teneretur; nec daretur reviſionibus locus.

252 R. P. Antonius Xaramilius, Indicarum noſtræ Societatis Provinciarum apud Aulam Madritenſem Procurator Generalis, compoſuit Memoriale ſive Libellum ſupplicem, præterito Aprili a Procuratore Toletanæ Provinciæ oblatum Regi noſtro, contra intempeſtivam veſtram petitionem, qua poſtulabatis ab eodem Rege, ut ſilentium curaret imponi non tantum mihi, accuſato & non audito, ſed omnibus ubique Jeſuitis, quo minus ipſis liceret de antiquitate Eliana diſputare & Acta Sanctorum defendere. Nempe poſtquam vos ſatis ſuperque quidquid lubuit, locuti atque operati eſtis clam

nobis, accusando, criminando, (reliqua tacco præclarius gesta) quasi nihil fecissetis, nihil de probandis accusationibus solicitii estis; sed sorum pertæsi & eremiticæ quietis amore subito incensi, iniquum silentium postulastis imponi ab æquissimo Rege, & quidem per ipsos Reverendissimos Generales vestros. Nostin' quid ipsis occinat Clarissimus in Lovaniensi Academia superiori seculo Jurisconsultus, Joannes Wamesius, Responsionum seu Consiliorum suorum in jus Pontificium Cons. 87. *Defensio, cum a jure naturali proveniat, nemini deneganda est; & ne Diabolo quidem si in judicio compareret; etiam in causis, in quibus Judici libera & absoluta potestas judicandi est concessa: quia tollere defensionem, omni æquitati, juri naturali, & divino repugnat: quam idcirco Judex ipse ex officio, pro absente reo supplere debet potius, quam quod omittatur.* Hæc ille, toto Belgio ejusque Principibus æstimatissimus, & anno 1590. vita functus: allegatis ad singula Responsionis hujus puncta Legibus & auctoribus classicis; pro eo autem quod Diabolum spectat, *Rotæ decis. 364. Cum jura alias 56. de dolo & contumacia.*

253 Sed redeo unde digressus sum. P. Antonius Xaramilius, in suo illo, qui nunc etiam Latine legitur & Responsionibus hisce præponi potest, supplici libello num. 53. ex Jure Canonico Cap. *Tum ex litteris, De in integrum restitutione*, proponit hæc Gregorii Papæ IX. verba: *Sententia Romanæ Sedis non negatur posse in melius commutari.* Mox ibidem adducitur exemplum Juliani Archiepiscopi Toletani, cujus librum de tribus substantiis sub Benedicto Papa II. prohibitum, idem Pontifex absolvit, viso ejus Apologetico; ex plurimis autem quæ potuissent accumulari similibus duo producit exempla, circa libros Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis, & Stephani Fagondez Jesuitæ: antea autem n. 12. & seqq. fuse deduxerat Acta in causa Nicolai de Diana S. J. honorificentissime retractata pro innocente, contra delatorem ac fallos testes, sub quibus damnatus fuerat ejus de S. Lucifero Sermo. Quid autem foret vestra Historia Prophetica, & totus eum Elia antiquæ Legis sub votis vere religiosis Monachatus, tanto a vobis labore defensus, sed rursum a Reverendiss. P. Francisco Galiano Spuche Hieronymianorum Generali postulatus in judicium? quid, inquam, foret in Hispania totus antiquus Monachatus, per Historiam Propheticam assertus, & cum eadem proscriptus ab inquisitione; nisi reformato priori judicio teneri a vobis permissus fuisset, per decretum anni 1639.

154 Scitis etiam quantam mutationem vestro in Ordine acceperit doctrina Theologica, postquam suam proposuit, & ut in schola vestra ab omnibus teneretur, obtinuit P. Franciscus Bonæ-spei. Quam multæ & quam multis displicere cœperunt, quæ antea placuerant, resolutiones gravissimæ! Et non poterit privato uni Scriptori displicere, post plurimos annos longamque discussionem, quæ pridem antea placuerat opinio? præsertim in rebus historicis, ad quarum subinde judicium totum commutandum, satis est unum, quod omnes latuerat, incontestabilis auctoritatis instrumentum. Exemplo sit Firmiani Lactantii liber de mortibus Persecutorum ad Donatum Confessorem S. Hieronymi ætate notissimus; sed exinde per mille & amplius annos in nescio quibus bibliothecis absconditus, ab annis autem 17. feliciter protractus in lucem primum, deinde autem ad plures collatus codices pluriumque Annotationibus illustratus. Multas ille correctiones suggessit Pagio, in Annalibus Baronii faciendas; quas ipse Baronius haud dubie libenter amplexus fuisset in Appendicibus suis, si suo tempore liber is prodiisset.

255 Ego certe, de tempore & modo persecutionis renovatæ sub Diocletiano an. 303. certiora ex illo libro edoctus, ad diem 23. Aprilis, ubi de S. Georgio, abdicavi, quam tanto studio promoveram conjecturam, quæ suggerebat ipsum fortassis esse primum istius Persecutionis Martyrem ac Martyrum Ducem, qui proposita contra Christianos edicta Nicomediæ laceravit, ideo sævissime tortus cruciatusque; quod tanto tunc mihi videbatur probabilius, quanto celebrior est illius Sancti tota Ecclesia cultus dignus, qui tali ex causa profluxerit: hoc tamen nunc (invento & lecto libro Lactantii) judico teneri amplius non posse. De initio Latinorum in Carmelo Eremitarum, quibus S. Albertus Regulam dedit, diu ambiguus, judicabam nihil magnopere obstare, quo minus seculo 12. antiquius illud esset, licet tunc primum habere cœperint suos vulgo notos Priores. Ast reperto Itinerario Joannis Phocæ, tam nitide & distincte, nec minus pie ac religiose describentis loca sacra, qualia præsens lustraverat, eisque (quod alii prægressi non fecerant) adnumerantis Carmelum, nihil amplius putavi ambigendum, quin haberem jam diu requisitam notitiam certam de tempore, occasione, auctore, & numero eorum, a quibus cum laude & absque dedecore possitis ac jure debeatis ducere originem Ordinis vestri, nunc ubique & merito æstimatissimi.

§. XXXVI. ACCUSATIO.

Papebrochius argumento negativo repudiat Vitam S. Posthumii, quasi non fuisset in rerum natura, contra Bollandum &c.

RESPONSIO.

SI quidquid in Vitis Patrum a Rosweydo editis invenitur, deberet ut certa historia recipi, non solum recipi sic deberet Vita *Posthumii* prætitulati, aliis *Posthumii*, nobis Tomo 3. Maji pag. 357. *Pachomii Junioris*; sed etiam quæ hanc apud Rosweydum immediate præcedit *Vita S. Macarii Romani, servi Dei, qui inventus est juxta Paradisum auctoribus Theophilo, Sergio & Hygino, post iter pluribus fabulositatibus quam diebus productum.* Tu tamen, Pater Rev. quamvis fabularum plurium patrocinium suscepisse contra me videaris, ob istam censuram culpare me non audes. Terruerit fortassis Te ab ea defendenda allegatus num. 5. S. Hieronymus, qui videtur istius Macarii Vitam appellare *imprudens mendacium*.

257 Ast vita Posthumii visa talis non est Bollando, Januarium colligenti, neque in Notis ad Vitam S. Macarii Ægyptii, neque in Commentario ad Vitam S. Antonii. Respondeo, quod ex libro aut scripto aliquo obiter allegato, non probetur Auctor, id quod al-

legat

legat uti passim receptum, examinasse morosius. De Henschenio (nam hic Commentarium præcitatum composuit) certum mihi est, eum, mox ubi vidit, meam Vitæ Posthumianæ censuram, probavisse, utpote non levibus rationibus, tota illa Appendice deductis, fultam. Has dum Paternitas Tua ad *argumentum negativum* reducit omnes, egregie imponit Lectori suo. Nam Palladii silentium allegatur dumtaxat ad suspecta reddenda quinquaginta millia Monachorum, Macarii curæ a S. Antonio relictorum.

258 Sed neque propterea Vitam illam refuto, solum dico, expendi mereri numerum, pro Antoniano monasterio vix credibilem; vero tamen eum restringi ad solos viginti quatuor, custodes corporis Antoniani; pro qua vindicanda mirum quoque est non laborare Patern. Tuam. Solum arguis, quod cum Lezana vester, ad an. 376. num. 5. dicat *Pachomium* fuisse *quinque millium Monachorum Patrum*, atque ita corrigat excessum in numero *quinquaginta millium*; ego talis correctionis nullam facio mentionem. Quasi vero obliger ad Lezanam recurrere, quoties mentio mihi est facienda alicujus veteris Monachi, ut sciam numquid forsitan ille dicat contrarium receptæ illius Vitæ: quasi etiam magni debuerim facere correctionem (si tamen corrigere aliquid dicendus est is, qui non indicat errorem a se animadversum) quasi, inquam, magni facere debuerim correctionem, prorsus gratuitam nullaque auctoritatem subnixam. Si alia ipse habuit viditque manuscripta, ubi numerabantur dumtaxat *quinque millia*, ea debuerat indicasse, ne sola ejus hæc videretur conjectura; vel debuerat fateri, ex conjecturis se procedere, (uti facio ego) & culpa vacaret. Quid quod etiam 5. *millium* numerus nimis magnus videri debeat pro Antoniano monasterio?

259 Vellem porro, Pater Rev. ex eo quem accusas Commentariolo, ad Vitam istius Pachomii prævio, didicisse Te, quam nullum a talium refutatione præjudicium patiantur nostra Acta Sanctorum, sicut opinabatur præcentor tuus P. Franciscus Bonæ-spei, istic tacito nomine redargutus. Ceterum capitalis error est, quo dicor repudiare Vitam istam, *quasi iste* Sanctus *non fuisset in rerum natura*: cum solum dicam, quod *si talis* Sanctus *re vera extitit in rerum natura*, fuit coævus Sancto Hieronymo; ut mirum non sit, si hic de eo adhuc vivente non scripserit; & si eodem vivente scripta est Vita, adeoque hæc diem mortis notare non potuit, mirum quoque haud sit, nullam Posthumii talis memoriam inveniri in Martyrologiis, dierum ordine procedentibus, nec diem in Vita non repertum fingere obligatis.

260 Ita ego utcumque amolior objectionem, quæ poterat contra istam Vitam formari: & quamvis non solum ipsam, sed etiam personam Sancti suspectam mihi esse fatear, nolo tamen, in utraque abdicanda severus esse censor; quia neutra ex earum genere, *quæ admissæ longam post se trahunt consequentiarum catenam in tota Historia profana ac sacra*: sicut post se trahunt alia quædam (puta Carmelitica nonnulla & universalia principia) ideoque *non recipienda, nisi undique stabilita confirmataque: &, si deficiant sub examine, magno conatu rejicienda*. Hunc meum sensum ibi expono; & sub tali cautela Vitam ipsam produco, lectoremque moneo, diligenter legendas Præfationes & Commentarios nostros; quia bis lectis apparebit *diversissimos esse certitudinis gradus, secundum quos proponuntur ac disponuntur in hoc opere nostro Acta Sanctorum*.

261 Sic ad 18. Aprilis dedi Acta SS. Eleutherii Episcopi Æcanensis & Anthiæ matris ejus, ob translatas Roma Constantinopolim sub Arcadio Imperatore reliquias celeberrimi apud Græcos, & horum exemplo etiam apud Latinos. Ea Acta, coævis auctoribus duobus Leontio & Theodulo adscripta, licet pseudepigrapha & apocrypha judicarem, multisque argumentis probarem; nolui tamen ipsa ab opere nostro excludere, ne posteris commoditas præpediretur aliquid inde eliciendi, & aliter fortassis judicandi, objectionibus meis expensis. Ita fecit in suis Dissertationibus Ecclesiasticis, anno 1688. Salmanticæ editis, vir sane eruditissimus & de Hispanica historia, præsertim Ordinem Benedictinum spectante, optime meritus, nuper vero præmature defunctus, Josephus Perezius Monachus S. Facundi, & sacrarum Litterarum isthic Professor. Huic cum visum esset refellere quædam ex Propylæo Aprilis, etiam nobis ipsis deinde minus probata: ista quoque S. Eleutherii Acta putavit leviorem censuram mereri: quod licet necdum persuasus ab eo sim, multa tamen ejus sensa alia vehementer probo, præsertim quoad Ordinis antiquitatem in Hispania, neque pauciora ex eo quam ex opere Mabillonis de re Diplomatica discere gaudeo, ipsum quoque pro Actis S. Eleutherii qualibuscumque conatum laudo, eo affectu susceptum, quo si tu etiam, Rev. Pater, imbutus fuisses, minus a tramite veritatis caritatisque exorbitasses. Audi verba disceptationem exordientis.

262 *Principio*, inquit, *non possumus non cum aliorum, qui in hoc opus suas symbolas contulere, tum ipsius Papebrochii, qui in eo perpoliendo strenue laboravit, pietatis plenam industriam plurimum commendare. Opus enim Ecclesiæ dubio procul utilissimum atque honorificentissimum, nulla laborum, nulla immanium expensarum habita ratione, magnis animis aggressi sunt; nec sequiore eventu, Deo, ut par est credere, eorum piissimis inceptis favente hactenus prosequuntur. Pleraque enim (fatendum est) Sanctorum Acta circumferebantur, partim aperte falsa, partim tenebris densissimis obsita, quæ ab doctissimis Patribus, admota falce juxta & face egere videbantur*. Hanc religiosissimi viri mecum pro Eleutherianis Actis ad majorem quamdam veri speciem adducendis disceptaturi præfationem, placuit tibi, Rev. Pater, ob oculos ponere, ut, si quid posthac scribere contra aliquem voles, habeas exemplum disceptatoris amici atque modesti, soliusque veritatis amore eo devenientis, & ita suavius influentis in animos lectorum, etiam diversa sentientium, quam si eo, quo Patern. tua utitur stylo, hactenus nescio an multis extra Carmeliticum Ordinem tolerabili viso; nunc vero etiam multo minus, dum ex meis Responsionibus intelligitur, quam nullo solido fundamento nitantur accusationes tuæ omnes, pleræque etiam fulciantur mendaciis atque calumniis manifeste convictis, communi omnium ubique judicio.

Opuscul. Collect.

§. XXXVII. ACCUSATIO.

Papebrochius Vitam Sancti Mauri, a S. Fausto ejus æquali conscriptam, & a Bonifacio III. approbatam, nec non a Bollando productam, figmentis & mendaciorum monstris accenset.

RESPONSIO,

REver. Domnus Lucas d'Achery, cum eruditissimo discipulo ac socio Domno Joanne Mabilione Ordinis S. Benedicti, sub Congregatione Sancti Mauri in Gallia egregie reflorescentis, exorsus est an. 1668. colligere & illustrare, ad nostrum fere modum, Acta Sanctorum sun Professionis, ea per secula digerendo. Hic in Præfatione ad Tomum 1. §. 5. explicaturus S. Mauri missionem in Gallias; Si *B. Mauri Vita*, inquit, *a Fausto ipsius socio descripta, ad nos integra pervenisset, non esset nobis in iis, quæ ad ipsum pertinent, immorandum. At cum Odo, Glannafoliensis Abbas, nono seculi* (Sammarthani ad annum usque 1038. regimen ejus differunt, quo cœperunt monasterium pridem desolatum instaurare; nisi duo Odones fuerint, unus nono, alter undecimo seculo) *Cum*, inquam, *Odo* iste *in Acta illa jam vitiata (ut in epistola sua prævia testatur) inciderit, novaque ipse addiderit errata, nonnulla .... discutere mihi incumbit.*

264 Tum negat studiosissimus iste talium rerum scrutator, S. Benedictum, a quo Maurus in Galliam missus sit paulo ante mortem, hanc obiisse pridie Paschatis, quod tamen disertissime isthic asseritur, & confirmare intendit Auctor, narrans quomodo S. Mauro ea mors cognita fuerit, & hæc ab illo ipsi Auctori Fausto ac sociis revelata; unde, inquit, *diem illam & sequentem, qua specialiter triumphus Resurrectionis Dominicæ celebratur, solemnem .... peregimus*. Ad quæ verba Carolus le Cointe in Annalibus Francorum 543. quo obiisse S. Patriarcham statuunt ipse, & Henschenius atque Mabilio, *En mendum*, inquit, *clarissimum:* hoc enim in loco, non solo *Faustus ab Odone, sed & Odo a recentiori depravatus est*. Postremum etiam mihi visum est, Tomo 3. Maji pag. 605. nam adeo capitale vitium, quo tota historia inquinatur, ne Odoni quidem (si is seculo nono scripsit) videtur posse imputari: quomodo enim hic, S. Bertichramno Episcopo Cœnomanensi posterior duobus solum seculis, & scribens Adelmodo Cœnomanensis ecclesiæ Archidiacono, ex intervallo minori quam 30. leucarum, potuisset in serie tam sibi vicinorum Episcoporum adeo turpiter erravisse, ut totum ordinem interverteret?

265 Nemo itaque fuit inter scriptores Francos, qui hunc errorem non notaret, uti etiam fecit Bollandus, tam in Januario, ubi de Mauro, quam in Februario, ubi de Fausto; sed satis habuit, uti & illi, interpolatorem [s] Odonem accusare, ut memoria lapsum. Henschenius in Martio etiam primum errorem de obitu S. Benedicti conatus est corrigere; & pro Dominica Paschæ potavit intelligi posse Dominicam Passionis. Omnes autem cum Mabilione, pro Bertichramno substituunt S. Innocentium, 45 annis prius mortuum, quam iste ordinaretur Episcopus. Mabilio etiam pro Bonifacio III. cui Faustus Vitam a se scriptam obtulerit, mavult substitui Bonifacium IV. His omnibus & aliis multis expensis, plenam totius Vitæ discussionem, qua Bollandus abstinuerat, nec dum valde exercitatus ad talia, distuli ad Supplementum Januarii, post annos 60. continuati hac in re studii elucubrandum a me sociisque, juxta notitias a decessoribus relictas & a nobis successive retractas. Interim de S. Majolo agens in Majo, nihil equidem definivi, eo tamen me fassus sum propendere, *ut prolixum illud de S. Mauro scriptum (quod veluti ex quaterniunculis a Fausto coævo scriptis circa S. Benedictum ejusque discipulos, ab Odone Glannafoliensi acceptum expolitumque obtruditur) merum esse sequentis ævi figmentum opinor, ei simile, quod de martyrio S. Placidi & sociorum, sub nomine Gordiani, eorumdem ministri, habetur, cui quid solidæ veritatis subsit, inter tot mendaciorum monstra, nequeat vel per conjecturam prudentem definiri.*

266 Ob hanc paulo duriorem censuram, non definitive, sed sub dubio tantum pronuntiatam, dicis, Rev. Pater, nu. 280. quod *Papebrochius non videatur alio suum studium dirigere, quam ut antiquas evertat historias, non vero ut illas corroboret & confirmet explicando aut excusando*; quod tamen sequentibus meis verbis conor facere, suggerendo conjecturam, per quam servari multa forsitan possent. Idem rursum, sed paulo aliter, conatus sum in Tomo 5. Maji: ibi enim eædem in S. Romano recurrebant difficultates. Sed neque tunc successit ex voto conatus; ac denique variis modis frustra tentatis, aliud nihil invenio expedientius, quam pro Bertichramno substituere Innocentium, ut quam proxime ab obitu S. Benedicti successerit Glannafoliensis monasterii facta per S. Maurum fundatio. Indicat porro iste iterum iterumque resumptus conatus, meum fervens studium verificandi quas potest, quascumque Vitas, etiam adulteratas, & errata interpolatorum corrigendi, saltem per conjecturam, dum aliud non licet. Nunc ego te, Rev. Pater, quam possum humillime obtestor, ut non tantum non accuses, quæ nescias; sed, supracitatorum auctorum opinionibus intellectis, duriorem sententiam meam, tibi in primis displicentem, me dedoceas argumentis non vanis; paratum, ubi sic dedocueris, mutare omnia: tum demum te amabo, magis quam antea, tum veritatis studiosum, tum Accusatorem Christianum existimabo.

267 Henschenius, in præcitato ad Acta Sancti Benedicti Commentario, ubi suam de Actis Sancti Mauri sententiam dicit, qualem ego post expressi in Majo, ideo potius a te hic accusato quam Martinus, quod malles me solum quam cum Henschenio reum facere, simili censuræ involvit Acta Sancti Placidi Martyris Benedictini, allegatque Camillum Peregrinum, Historiæ Principum Longobardorum eruditum Compilatorem, qui illorum Auctorem numquam aliter quam *Pseudo-Gordianum* appellat, eique

[s] Theodoricus Ruinartius prolixa apologia, quam latine redditam atque in Append. tom. 5. Annal. Benedict. conjectam recudit, Odoni Vitam S. Mauri vindicat, atque ab omni interpolatione immunem esse contendit.

eique Baronium addit, ad ann. 529. num. 10. Hic ibi pro *Justino* Imperatore *Justinianum* substituendum monens; *Sunt plura alia*, inquit, *illic mendosa, nonnulla vero & mendacia inveniuntur*. Hæc si tu, Reverende Pater, in aliquo Commentario Maji vel Aprilis, meum nomen appositum habente, legisses (legisses autem si id alicubi exegisset propositum mihi argumentum) similem haud dubie contra me, nec minus atrocem, concinnasses litem, eo quod Acta Sancti Placidi non solum mendosa esse dicam, sed mendacia, & a Pseudo Gordiano quodam scripta. Sed ex prælaudata Domni Acherii Præfationa, simile priori scutum arripuissem, quod ille offert §. 4. sic exordiens. *Ad locum devenimus difficilem. De Sancto Placido, Benedictinorum Monachorum Protomartyre, ipsiusque in Siciliam accessu & martyrio tractandum occurrit. Res est involuta tot spiris, totque anfractibus intricata, ut aculei undique & impervia se objiciant ambages, quibus removendis probati nos deficiunt Auctores.*

268 Pergit porro Acherius, & ingenue agnoscit, quod *Petrus Diaconus Cassinensis seculi* XII. *scriptor non malus, sed non satis diligens, S. Placidi ejusque Sociorum gesta, a Gordiano Placidi comite scripta, vel interpolavit, vel supposuit*: itaque inquit, *Acta illa non quidem purgare* (quod impossibile videbat) *sed atrocioribus mendis exonerare conabimur*, utique per verosimiles conjecturas, in ipsis qualibuscumque Actis fundatas, sicuti & nos solemus facere; & sicut ipse antea fecerat in definiendo anno obitus S. Benedicti. Hoc notare te, Pater Rev. velim, ut tali proposito tibi candoris vere historici exemplo, non verecunderis pro Carmeliticorum simplicitata, qua veteres historias vel interpolatas vel suppositas dederunt, fateri veritatem; atque agnoscere, *scriptores* fuisse, pro saeculi sui captu *non malos*; id est non prorsus barbaros; sed non satis diligentes ad secernenda certa ab incertis, & inventa seu cogitata sua propria ab antiquitus habitis monumentis: tum vero fatereris id, quod circa SS. Maurum & Placidum non cunctantur fateri Benedictini; quod ad historiam vestram, sic ut velletis & opus foret, stabiliendam, *probati deficiunt Auctores*. Nunc cum omnes haberi probatos vultis, qui quomodocumque a vobis recipiuntur, iisque nos credere omnia citra discussionem, omnia pariter nobis dubia redditis & suspecta; nisi quæ ex melioribus quam illi sint sinceriusque informatis Auctoribus confirmantur.

§. XXXVIII. ACCUSATIO.

Papebrochius Acta & Gesta S. Canionis, secutus Erasmi Dialecticam, fabulis annumerat.

RESPONSIO.

Cur styli a stylo discretionem quodammodo mihi exprobras, Rev. Pater? Equidem negare non possum, neque volo, me legendo, describendo, examinando omnis generis monumenta, antiqua, nova; latina, barbara; proba, apocrypha; aliqualem styli usum ac discretionem acquisivisse. Sed cur hoc exprobras? Transi hinc, amabo te, in Hispaniam; ibi tuus te expectat in accusando me meaque Socius, ipsius etiam Augustissimi Cæsaris Leopoldi Ignatii accusator, & insignis styli discriminator, *Fr. Angelus a Purificatione, Historiographus Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum*; & vide sis, an discretione ejus, qua judicat inter stylum & stylum, nihil sit, quod potiori jure reprehendas, quam in me. Epistolam is (nosti enim) Augustissimi Cæsaris Leopoldi prædicti, Carolo II. Regi nostro nuper inscriptam, moderatione Cæsarea & Majestate utriusque dignam quidem, sed sibi invisam, negat primum Cæsaris esse; videlicet solem lucere medio die. Deinde hæreticam pronuntiat, ac pro tali accusat apud sacram Inquisitionem. Deniqua stylum epistolæ propius scrutatus, ipsum tam similem stylo Janningi nostri reperit, atque ovum ovo. Et Janningus quidem honori sibi ducit, & quodammodo gloriatur, aliquid styli Cæsarei in suo stylo elucere: at quod idem Collega tuus, Rev. Pater, indidem ipsum præsumit, sine alio indicio, Epistolæ *hæreticæ* auctorem proclamare, & quidem apud S. Inquisitionis Tribunal, debet profecto ægerrime ferre. Est sane gravissimum illic crimen, vel accusati si reus est; vel accusatoris, ex mera *suspicione* nullisque indiciis ad accusandum prosilientis, si reus non est.

270 Alterutrius crimen patebit a textu Accusatoris, sic alloquentis Judicem: *Est porro mea suspicio, auctorem istius Epistolæ* (Cæsareæ,) *quam accuso deferoque, esse Conradum Janningum Societatis Jesu, & Socium hodie Danielis Papebrochii, Continuatoris Operum Bollandi. Fundamenta mea suspicandi ratio est ipse stylus, Janningo propriissimus; uti videre est in* MOTIVO JURIS, *iterumque in Appendice ad* MOTIVUM JURIS, *quæ sunt dicti Auctoris opera*. Pape! Istane Janningi opera sunt? Inde Janningi stylus vobis cognitus? Ex similitudina ipsius styli cum stylo Epistolæ Cæsareæ, sive (ut ipsam vobis laudare & appellara placuit) hæreticæ, Janningum auctorem hæreticos faciatis? Atqui notorium est, quod & Motivum Juris, & Appendix ad Motivum sint, non Janningi, cujus nulla in opusculorum illorum titulis mentio; sed *Fr. Sebastiani a S. Paulo, Provincialis Provinciæ Flandro-belgicæ, Ordinis F.F. Beatiss. Vig. Mariæ de Monte Carmelo, olim S. Theologiæ Lovanii Professoris*. Nosti nomen suum, Rev. Pater, quod ipse opusculis tuis cum tot notis characteristicis & titulis præfixisti. Ut Accusator ille de styli conformitata judicaret, debuit procul dubio opuscula illa legisse. Si legit autem, quomodo homini sanæ mentis incidere potuit, esse Janningi, cum & *Motivum juris* & *ejus Appendix*, scripta aperte sint contra Janningum & me, ac pro Paternitate Tua. Denique non potuit nomen Patern. Tuæ, tamquam veri Auctoris, clarius exprimi, quam expressum habetur in fronte utriusque Opusculi.

271 Hic ego ipsum te, Rev. Pater, judicem non recuso. Quid censes de ejusmodi Accusatore, qui, si opuscula ista legit, ignorare non potest Patern. Tuam, mihi & Janningo directe adversantem, non autem Janningum, eorum Auctorem esse; si non legit, quomodo de styli conformitate judicare potuit; atque hinc Accusationem instituere contra Janningum, tamquam *hæreticæ*, ut ait, Epistolæ auctore? Et quidem Accusator hic est *Historiographus Generalis Ordinis*

dinis Carmelitarum Discalceatorum. An non præclaros, solidos, & fideles Historiographns habet Ordo Carmelitanus, cum tales habet? Profecto, si similes etiam olim Historiographos adhibuerit, potestne merito conqueri, quod talium testimonia & narrationes fidem nobis indubitatam non extorqueant? Historiographo huic dicitur in accusanda Cæsaris Epistola operam navasse Fr. Joannes Gomez Barrientos, Procurator Generalis vester. Istud fuit Fratrum & Aceulatorum par nobile, quod Tomnrum meorum XIV. Accusationem apud Inquisitionem Hispanicam in se suscepit, & condemnationem obtinuit. Quam autem Accusatio illa fidelis & æqua fuerit, dies docebit, & dandæ ad Delationem Responsiones.

272 Nescio porro, quam Patern. Tua hic vocet *Erasmi Dialecticam*. Nam si eam intelligis, qua ætas & genius auctoria cognosci putatur *ex stylo*; ea non ipsius tantum, sed omnium passim eruditorum est. *Acta S. Canionis suspecta* mihi esse, fateor; non ob ea, quæ notat Paternitas Tua, accepta ex meis ad ista Acta observatiunculis (judicium horum exigua fide illæ non fundant; istud tamen, prius bene fundatum, utcumque corroborant) sed propter temporum pugnam, in eo apparere visam, quod S. Canion passus dicitur anno 2. Diocletiani & Maximiani, id est anno 286. & sepultus a S. Elpidio Atellarum Episcopo, quem ostendimus Tomo 5. Maji pag. 282. vixisse seculo 5. cujus tempore ostenderam pariter aliqnem S. Canionem venisse ex Africa in Campaniam. Tum vero sic ratiocinabar, Tom. 6. pag. 28. num. 5. *Hæc tam certa notitia* Canionis *unius*, *ex Africa in Campaniam delati sub Wandalis*, *intra cariosam navim*; *& ætas* Elpidii, *in ejus de quo hic agimus* Canionis *Actis qualibuscumque nominati*; *collata cum incertitudine & exigua fide ipsorum Actorum*, *vehementer nos inclinant*, *ut arbitremur non nisi* Elpidium *unicum & unicum* Canionem *habendos pro Sanctis*, *eosque ad quintum seculum & Wandalorum tempora pertinere*. *Adeo ut*, *qui vera* S. Canionis *Patroni Acheruntini Acta volet discere*, *ex Actis* S. Castrensis *haurire ea debeat*, *quicum habuit communem carcerem*, *exiliumque & refugii ac sepulturæ primæ locum in Campania*. *Tum autem* (id est positis, quæ jam posui) *nihil reliqui erit*, *quam ut Acta*, *Acheruntiæ scripta servataque*, *omnino credantur esse fabulosa*, *& hoc indigna opere*.

273 Hactenus ego ibi, Tu vero, R. P. Professor, nescio qua utens Dialectica, conclusionem, ex immediate prægressis procedentem, istis prætermissis, aliunde deducis; ac tum contra me insurgens, *Ad censuram*, inquis, *adeo insolentem nescio quid Papebrochius movere potuerit*, *præter stylum*, *nisi quod illic nominentur societates Monachorum*, *frequentes de cælo voces*, *oratio ad Christum*, *qui aperuit oculos cæci Tobiæ*. Atqui tria hæc solum in Annotatis indicantur postea, adeoque factam antea conclusionem non inferunt: infertur autem illa ex aliis superius memoratis; idque non absolute, sed tantum supposita earum veritate: quare mox subjungo. *Ne cui tamen nimis rigidus Censor videar*, *volenti duos* Caniones *admittere*, *lubet ipsa integra Acta dare*, *qualia accepi*, *sub ista cautione*, *ut Apostoli sententia de iis præcedat*, *qua in simili argumento placuit Gelasio Papæ*, *Omnia probate*, *quod bonum est tenete*. Estne hoc, Rever. Pater Professor, aliquid absolute *annumerare fabulis*; uti me facere dicis in titulo? An etiam, *suspectum haberi*, & *esse fabulosum*, idem Tibi sonant? Art. 1. §. 6. excussi, hic denuo impactam mihi blasphemiam contra merita Christi, quia in Oratione de S. Canione dixerim, *minus apte* adscribi Christo illuminationem Tobiæ.

§. XXXIX. ACCUSATIO.

Papebrochius Vitam & Martyrium SS. Valentini & Damiani Breviario inserta, repudiat ut commenta.

RESPONSIO.

Cum ad nostram quæstionem parum aut nihil faciat, sit ne alicujus Sancti historia, peculiari unius alteriusve Ecclesiæ Breviario inserta, vel non: nolo, Reverende Pater, tempus terere te docendo, quid intersit inter Breviaria hodierni moris, & usus antiqui Legendaria, ex quibus, non ex illis, descripta trado Acta Sanctorum prænominatorum. Et ea quidem habeo ego, quoad partem posteriorem, omni acceptione dignissima; ita tamen ut ex eis conficiam, Legendam illam fuisse compositam Normanois Aprutium obtinentibus, seculo 12. aut 13.

275 Traosiens vero inde ad priorem partem Actorum, eodem prorsus stylo, sed ex minus certa scientia descriptorum, eorumdem Synopsim referre satis habeo; & quam exiguæ sint fidei jubeo inde æstimari, quod ibi *scribitur Julianus tyrannus*, *plane qualis Diocletianus fuit*, *edicta emittere per totum Imperium*, *quibus morte affici jubeantur quotquot idolis sacrificare recusarint*; *atque ad ea exequenda Duces*, *Præfectos*, *Tribunos*, *Comites quaquaversum dimittere*. Quam certo hinc sequatur, talis Legendæ Auctorem, non quæ antiquitus ac veraciter scripta reperērat, sed quæ vel ipse, vel alius ante ipsum, idonea judicavit repræsentandæ persecutioni cuicumque, multumque dissimili a Juliani persecutione blanda & captiosa, satis patet ex dictis §. 17. nec ampliori opus est demonstratione. Qui autem principium tale pro suo captu sunt commenti, merito præsumuntur etiam commenti cetera, quæ alioqui non ita promptum est manifestæ falsitatis convincere.

276 Quod porro dicis, Rev. Pater, ad hanc censuram me moveri, *meris tricis chronologicis*, calami exerrantia lapsus fuerit: chronologia enim hic dumtaxat utor ad docendam ætatem Legendæ prænotatæ; ad ejus falsitatem convincendam, seu potius ad justificandum repudium illius pro parte priori, argumentum sumo, primum ex demonstrata Auctoris levitate; deinde ex topographia tam antiqua quam nova, quæ ignorat *magnam civitatem Zappinam*, juxta quam Sancti passi sint, prope flumen Piscariam, in loco nunc *S. Valentini* dicto, inter Sulmonem & Theate. Etenim Italia tota a Plinio aliisque tam accurate descripta habetur, ut talis tantaque civitas, in qua Proconsul Romanus sedem habebat, non potuisset latere, si unquam in rerum natura fuisset: estque tam validum hoc argumentum, licet negativum, ut sine vetustiori teste eruditorum nemo recepturus *Zappinam* in Aprutio sit.

EXHI-

EXHIBITIONIS ERRORUM
ARTICULUS DUODECIMUS.

De Reliquiis & Miraculis Sanctorum.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibentur ea, quæ Papebrochius inter Acta Sanctorum habet contra sacras Reliquias, & Sanctorum Miracula.

RESPONSIO.

AN Tibi dignum accusatione videatur, si plurima etiam, quæ Reliquiarum & Miraculorum nomine veniunt, improbem; qui de infinitis propemodum Reliquiis & Miraculis tracto, & falsa a veris secernere ex officio teneor? Quis gemmarius eodem in pretio habet gemmas quaslibet? Quis aurifaber scoriam auro immixtam non ejectet? Quis nummularius monetam improbam a proba non secernit? & ut notiora tibi loquar, quis sacræ Theologiæ Professor, Propositiones, quas forte legerit, omnes suscepit ut fide certas, aut veras, nullamque reprobat ut falsam? Certe, quisquis is foret, non minus indignus esset appellari Theologus, quam indignus est nominari Historicus, qui æqualiter assentitur cuivis narrationi. Jam vero quid habeo contra sacras Reliquias & Sanctorum Miracula, quæ tam multiplicia primus e tenebris in lucem protraho, cogente nemine?

2 Universa reducis ad quinque paragraphos; præterquam quod in Præfatione resumas Accusationem de sacro Præputio Domini, Antverpiæ asservato (de quo satis respondi Art. 1. §. 8.) *nec sanctæ Sindoni parcere* me dicis. Si de ea agis, quæ Christi vultu impresso venerabilis, vulgo appellatur *Veronica*, de hac quoque ibidem respondi §. 4. ac rursum Art. 11. §. 2. Si novum crimen impingere mihi voluisti, vel certe ejus suspicionem movere rei ignaris (sicuti cum dixisti *columnam Christi* a me arrodi, §. 5. Art. 1.) calumniam more tuo struxisti apud eos, quibus *sacræ Sidones* dicuntur, lintea Christi sepulcralia, qualia Taurini in Pedemontio, & Vesontione in Burgundia honorantur, quamvis unius solum *Sindonis* Evangelistæ meminerint. De hac autem vel istis nusquam adhuc egi: proinde desuper agi reus nequeo, nec teneor respondere.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra communem Ecclesiæ sensum, Romanam Sancti Stephani Protomartyris translationem censet esse fabulosam.

RESPONSIO.

AD hujus accusationis probationem allegat Paternitas Tua locum ex Appendice ad diem 7. Maii, tomo 7. pag. 614. dicitque, quod ibi Papebrochius *retractat & expungendum asserat quod tomo* 2. (ad ipsum scilicet diem 7. Maii inter Prætermissos) *dictum est ex Ms. Vaticano & Martyrologio Romano.*

4 Confero loca, Rev. Pater, nec invenio, quod aliquid ex præmissis ibi jubeam expungi: solum, ubi dixi, quod *Translatio in Romam* tractari possit *die Inventionis 3. Aug. aut die Natali 26. Dec.* jubeo legi, quod id tractari possit, *die inventionis 3. Aug. aut potius* (...) *ad diem Natalem 26. Dec.* [1] Paternitas Tua legere se ait, *Diem inventionis aut potius* (...) *natalem ejus*, corrumpendo sensum, qui in meo textu latus est, & faciendo, ut videar *diem inventionis* cum *Natali* confundere; aut dubitare, an corpus Protomartyris vere inventum prope Hierosolymas sit die *3. Augusti*. Nam quid videri aliud possem retractasse per additionem voculæ *Potius*, & inhærendo verbis, sic alteratis?

5 Non hoc tamen vis: sed retractationem imaginaris in Parenthesi (*nam. sunt eruditi viri, quibus tota illa translatio Romana fabulosa videatur.*) Agnosco Parenthesim meam, secundo loco appositam, cum deesset primo: agnosco etiam, esse causam, ob quam malim a successoribus meis omnia, quæ de S. Stephano tractanda erunt, ad diem Natalem transferri (more nobis in similibus usitato, cum plura unius Sancti festa celebrantur) quam partem præmittere mense Augusto. Idque eo magis, quod translatio Romana non caret aliqua difficultate, tunc melius discutienda, cum sub unum simul conspectum habebitur quidquid sanctum Proto-Martyrem spectat. Sed unde quæso extundis, Pater Rev. quod *translationem Romanam fabulosam censeo?* Ego solum dico quibusdam Eruditis videri. An ideo ipse etiam talem censeo? Mala hæc consequentia est, Rev. Pater Professor. Ast Eruditorum istorum nomina non exprimo, quos Tu expertus es *plerumque fictos esse, vel certe hæreticos, aut damnatos aliquos ab Ecclesia auctores*. An ergo in brevi illa parenthesi debebat totum dici, quod dicendum reservabatur pro fine Decembris? Ibi ex professo eruditorum nomina & argumenta exponenda erant, & utrorumque merita expendenda. Quid si interim alii, æque aut magis eruditi, nova quædam adducant monumenta, & certiora quam hactenus habeantur, quæque Translationem istam prorsus faciant indubitabilem & numquid tunc non deberem his adhærere & priores illos qualescumque deserere? Miror interim, Pater R. quod ut tot mea volumina accusare possis, opus tibi sit scrutari Parentheses Notasve, ut persuadeas, quod studium nostrum eo tendat, *ut astu imperitum lectorem in errorem inducamus*; qui ne vulgo quidem scribimus, scientes Acta a nobis illustrata tam multis & ingentibus tomis

[1] Ad hunc diem rejecerunt etiam Bollandiani Papebrochii successores tom. 1. Augusti. Interea vide Sollerium in Mattyr. Usuardi t. 7. Junii.

mis passim a vulgo legenda non esse; existimantes autem numquam magis *imperitum lectorem* aut magis maledicum ipsam habuisse quam Paternitatem Vestram, quæ sane non sinet se *induci in errorem* a nobis.

6 Hic ergo finem poteram facere, non obligatus discutere propositam intempestive quæstionem. Dabo tamen & importunitati Tuæ, non æqua petenti, & benevoli Lectoris curiositati, haud satis patienti se in longe post edendos Tomos differri, ut de argumento eo dicam, quæ nunc quidem scio; & simul doceam me, cum *viros eruditos* indefinite nomino, alios intelligere, quam quos tibi præsumere libet, *hæreticos aut ab Ecclesia damnatos Auctores*. Card. Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium de translatione Corporis S. Stephani, ad 7. Maji relata, sic scribit: *Habentur rei gestæ vetera monumenta, scripto mandata a Lucio Archidiacono, sed quæ non modica castigatione indigeant*. Quam parvam autem fidem Actis istis ipse habuerit, imo de ipsamet translatione prænotata quam dubius fuerit Baron. satis apparet ex illius hac de re in Annalibus silentio, saltem ad eos, quibus referri debuisset annos tomo 5. vel 6. Ad annum autem 439. agens de translata Hierosolymis Constantinopolim manu, tamquam re certa, de corpore prorsus ambiguus, ita scribit num. 3.

7 *Sane quidem complura de his, haud fide digna, ab aliis scripta reperiuntur, nimirum non de membri alicujus S. Stephani, sed totius corporis facta Constantinopolim translatione, a Juliana nobili vidua, clam illud subripiente. Sed quoniam sub Magno Constantino & Eusebio Constantinopolitano Episcopo id contigisse Auctor habet, haud fidem ea historia sibi conciliat; sicut nec quæ habet Nicetas in Oratione de eadem Translatione, facta (ut ait) sub eodem Constantino Imperatore, atque Metrophane ejusdem civitatis Episcopo; quem voluit Auctor mutasse loco Eusebii, quod sciret hunc Arianum fuisse. Verum ante Honorii tempora numquam Reliquiæ corporis Protomartyris visæ sunt*, Corpore scilicet tunc primum revelato per visionem, Luciano Presbytero factam (nempe anno 415.) uti ex ipsius inventionis Actis habet Breviarium ad diem 3. Augusti. Ecclesiam autem S. Stephani Hierosolymis, in quam ex sancta Sion delatum est corpus, primum ædificatam ab Imperatrice Eudocia scribit idem Baronius ann. 458. num. 21. anno autem sequenti num. 3. ex Evagrio sic concludit; *Rejectis igitur fabulis, quæ hoc anno facta est per Eudociam Stephani Protomartyris Reliquiarum translatio, eam ut germanam, omni fide testatam, recipimus*.

8 Fabulas appellat vir ille doctissimus, quæ reperit, & nos habemus ac repudiamus, scripta dictæ translationi contraria, de alia, non unius membri, sed corporis totius translatione. Et sane nescio, quid fabulositatis speciem certiorem habere ipso primo intuitu possit, quam quod, non dico sub Constantino Magno, aut filio ejus Constantio, qui Arianum Eusebium a Nicomediensi Cathedra ad Constantinopolitanam transtulit; sed etiam sub Juniore Theodosio; quam quod in Actis a Baronio censuratis narratur? videlicet, Alexandrum Senatorem, ædificata Hierosolymis ecclesia S. Stephani, in ea sic fuisse tumulatum, loculo intra eamdem S. Stephani tumbam posito, ut postea Marciano imperante, nequiverit ab Episcopo Presbyterisque ecclesiæ istius novæ discerni, uter loculus Stephani, uter Alexandri esset; itaque permittendum fuerit Julianæ, viri corpus Constantinopolim translaturæ, quia ipsa id se nosse asseverabat, ut quem designaret loculum eum auferret; hanc vero mentitam Episcopo, abstulisse loculum quem sciebat ipsa, Episcopus autem nesciebat, S. Stephani esse. Et tamen mox dicitur eadem Juliana, Constantinopoli appropinquans, ad fidem de S. Stephani corpore faciendam, adduci petiisse Judæos, qui Epigraphen Hebraicam legerent, quam scilicet Jerosolymitanus Episcopus, vel legere nesciverat, vel inspicere neglexerat.

9 Manet igitur hoc solum ex indubitatis historiis certum, quod Pulcheria, acceptis ex eo, quod Eudocia transferri fecerat corpore, reliquiis dexteræ manus, eidem ædificaverit Oratorium, *in Pulcherianis* cognominatum; de quo multa eruditissimus Cangius, in Constantinopoli sua Christiana p. 136. & 7. allegato etiam Theodoro Lectore in Collectaneis, ubi hic, seculi 5. vel 6. scriptor, lib. 2. sub finem, dumtaxat meminit *Reliquiarum* in genere. Ut autem illam dexteræ partem Constantinopolim ad Pulcheriam ab Hierosolymis misit Eudocia; ita Romam miserit ad Eudociam filiam, una cum Catena S. Petri, armum dextrum sive humerum aut spatulam ejusdem S. Stephani, eodem anno 459. quem armum in ipsa S. Petri ad vincula ecclesia, tali occasione extructa, collocaverit Pelagius Papa I. Pelagius autem Papa II. fundata propria S. Stephano ecclesia extra muros Urbis, in ipsam intulerit prædictum armum, inter annos 477. & 490. Gregorius denique III. circa an. 720. donaverit eumdem Basilicæ Vaticanæ, in cujus archivo reperimus, & transcribi curavimus, omnes circa dictum armum notitias, ex Anastasio Bibliothecario & Visitationum Apostolicarum Actis, usque ad annum 1616. quo veneranda isthæc Reliquia, ann. 1520. in direptione urbis argenteo suo tabernaculo spoliata, & anno 1550. intra ligneam capsellam reperta, anno autem 1581. nobiliori ex argento inaurato arculæ inclusa, anno denique 1616. die 8. Junii honorificentius etiam collocata fuit.

10 Quamdiu reliquum corpus, exceptis aliis alio translatis Reliquiis (de quibus hic sigillatim agendum non puto) Hierosolymis manserit, & an, vel quando illud inde fuerit translatum Constantinopolim, ad Pulcherianam forsitan ecclesiam, nullus fideliter docere nos potest, supposita fabulositate jam refutatæ narrationis: nam qui eam sequitur Nicetas Rhetor, & eamdem corrigit in nomine Episcopi, sicut Baronius notavit, tantum nobis probat, quod diu ante seculum 9. quo ille floruit, creditum fuerit, Constantinopoli esse reliquum corpus S. Stephani; quandoquidem obscurata penitus veræ translationis historia, jam tum reciperetur fabulosa illa. Ego existimo, haud abs re fore conjecturam, quæ diceret Hierosolymis translatum Constantinopolim quidquid ibi superérat de corpore S. Stephani, tempore Heraclii Imperatoris, post occupatam anno 616. a Persis urbem & terram sanctam: quomodo autem Constantinopoli Venetias idem corpus translatum

lsium credatur anno 1110. narrat propriæ rei gestæ historia, quam variis in Codicibus invenimus manuscriptam: quamque compendio refert in Chronicis suis Andreas Dandulus uno post ista seculo Venetorum Dux, quem ex Ms. lege apud Cangium loco præcitato.

11 Nullam ea relatio habet fabulositatis speciem, salemque novo stylo exornavit D. Dominicus Asculanus, superiori seculo ibidem Venetiis ad S. Georgii Monachus. Solum subvereri possis aliquis, ne id quod credebatur esse corpus *Stephani Protomartyris*, fuerit *Stephani Junioris*, Martyris sub Copronymo, fallente ex facili Synonymia. Habeo super ea translatione manipulum Annotationum Mss. auctore Abbate Constantino Cajetano, Collegii Gregoriani Benedictinorum in Urbe Præfecto, inter Urbanianas Apes anno 1631. relato apud Allatium, in opusculo de viris illustribus, qui tunc Romæ aliquid typis vulgabant. Hic Abbas, præmissa enumeratione variarum ecclesiarum, quæ apud se esse Reliquias ejusmodi gloriantur, proponis sibi discutiendum, *ubinam totius corporis partes integrantes reperiantur, Romæ, an Venetiis*. Nam licet Dandulus integrum corpus appellet, ipse, ab oculatis testibus instructus, solum ait esse *Cranium capitis, multa ossa confracta, & quamplurimos cineres*. Pro his ostendit illa omnem fere eam haberi certitudinem, quæ de rebus hujusmodi haberi potest, quod saltem sint alicujus S. Stephani Constantinopoli allati, & tamquam Protomartyris semper Venetiis honorati, atque a veteri ad novam S. Georgii Majoris ecclesiam honorificentissime translati anno 1531. prout præcitatus Dominicus Asculanus præsens testis scribit. Omnibus tamen non obstantibus, propter Martyrologii Romani auctoritatem, putat dici posse, etiam *Pelagio I. Pontifice, partem competentem Romam esse allatam, atque in sepulcro S. Laurentii Martyris in agro Verano collocatam*.

12 Nihil in hoc apparet impossibile; sed re vera factum esse, unde habemus, nisi ex ea historia, quam fabulosam censet Baronius? Nam quod apud hunc in Notis ad 7. Maii, *Petrus Diaconus Cassinensis* in libro de viris illustribus sui monasterii cap. 15. *testatur S. Brunonem Episcopum Signianum* (obiit hic 18. Julii sub Calixto II. circa annum 1112.) *de ea Translatione scripsisse sermonem*; quodque *idem addit* cap. 45. *alium insuper sermonem conscriptum esse a Petro ejusdem monasterii Bibliothecario*, seculo eodem 12. quod, inquam, Sermones isti haberentur apud Cassinum descripti, id, quamdiu ipsi sermones latent, nihil facit ad docendum, quod in iis agatur de alia Translatione quam humeri, quæ merito habetur indubitata, & cujus occasione altera illa totius corporis reliqui potuit fuisse conficta. De hac autem cum Baronio merito dubitavit Bollandus noster, idque eo etiam magis, quod pro *Gelasio* Papa, nunc a Romanis nominari solito, in omnibus Mss. legeretur, *Pelagius*, anno primum 492. creatus Pontifex, adeoque male composita cum imperio cujuscumque Theodosii, cum senior anno 395. junior anno 450. obierit. Ita hæsitans Bollandus, consuluit anno 1659. P. Michaelem Seneschallum, Duaci apud nostros Theologum atque Chronologum præclarum; rogavitque consulere Aquicinctina Mss. ubi Acta noverat haberi sub hoc communi omnibus Codicibus principio post Prologum. *Tempore in illo, Theodosii Imperatoris filia Romæ a dæmonio graviter torquebatur.*

13 Fecit Seneschallus, quod rogabatur; & quo de re tota certius judicare posset Bollandus, relationis totius substantiam in breve redegit compendium, suaque manu scriptum sic misit, ut verba peculiari consideratione digna lineolis subnotares, pro quibus hic currenti charactere utar; dignum enim videtur compendium istud, quod etiam hic legatur, ad confirmandam Baronii censuram. Sic autem compendium suum texit Seneschallus.

14 „ Dum dæmon sacris adjurationibus ad-
„ actus, profitetur se non egressurum e corpo-
„ re filiæ Imperatoris, *custodes puellæ*, consi-
„ lio habito cum *Papa Pelagio* mittunt legatos
„ ad Theodosium, qui jubet filiam duci Con-
„ stantinopolim, ut illic liberetur. Sed dæmon
„ reversis Romam legatis, iterum protestatur,
„ se non egressurum nisi Romæ; eo quod S.
„ Stephanus ab Apostolis (Petro & Paulo) suam
„ expulsionem obtinuerit. Anxius ea re Theo-
„ dosius, agit cum Patriarcha, Clero ac Primo-
„ ribus; a quibus tandem impetrat, ut Romam
„ mittatur corpus Sancti Stephani, ea lege,
„ ut vicissim Roma Constantinopolim mittatur
„ corpus alterius Martyris. Consentiente Papa,
„ postulant Græci *corpus S. Laurentii*. Missi Con-
„ stantinopolim *Cardinales* avehunt inde corpus
„ S. Proto-Martyris, a quo passim edita sunt
„ miracula, tum Constantinopoli, tum in iti-
„ nere, ac nominatim *Capuæ*, ubi S. Stepha-
„ ni *brachium dextrum* relictum fuit, ac deni-
„ que Romæ.

15 „ Ibi consilium erat sacrum Corpus de-
„ ferre ad *Ecclesiam sancti Petri ad vincula*;
„ sed Deus virtute invisibili repulit conantes il-
„ luc inferre; & clamante dæmone sacrum cor-
„ pus destinari a Deo Ecclesiæ S. Laurentii,
„ statim eo delatum est, moxque sanata est fi-
„ lia Imperatoris. Postridie aperto sepulcro S.
„ Laurentii, inventus est Sanctus Martyr lo-
„ cum dextrum cessisse S. Stephano, cujus *dex-
„ trum armum* abstulit Papa, & in Ecclesia *S.
„ Petri ad vincula* collocavit. Dum autem ten-
„ tant Constantinopolitani extrahere ex sepul-
„ cro corpus S. Laurentii, omnes ceciderunt ve-
„ lut mortui: sed mox precibus Papæ ac alio-
„ rum, sanitatem recuperarunt. Latini autem,
„ qui consenserant in translationem S. Lauren-
„ tii faciendam Constantinopolim, phrenetico-
„ rum instar huc illuc erraverunt, donec ejus
„ tumulus clauderetur. Illi vero ex Græcis,
„ qui manum extenderant ad auferendum cor-
„ pus S. Laurentii, omnes, nomine excepto,
„ intra decimum diem extincti sunt.

16 „ Romani, utriusque Martyris Ecclesiam
„ communem egregie ornarunt, & sepulcro hos
„ versus inscripserunt:

Hic duo sanctorum sunt corpora clausa virorum,
Stephanus est alter, sibi par Laurentius, atque
Istorum meritos scandamus gaudia cæli,
Et cæli cives semper vivamus in ipso. Amen.

Ego Lucius S. Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, quod vidi & audivi, proprio sermone conscripsi. Translatum est corpus Beati Stephani Romam, Pridie Nonas Majas, Principe Theodosio, Papa Gelasio, ad tutelam Romanorum, tam adversus hostes visibiles, quam invisibiles, quod an-

nuat

nuat nobis Christus promereri, ad suam laudem & eorum, qui cum Patre & Spiritu Sancto unus Deus permanet in secula seculorum Amen. In quo ultimo loco notat Senetchallus, ad marginem clare legi *Tò Gelasio*, non autem *Pelagio*; & alterum quidem ex altero fieri facile potuisse scribendo, sed neutrum quadrare: cum *Gelasius* Imperium Theodosii Junioris præcesserit, *Pelagius* secutus sit, Junior autem Theodosius haberi hic debeat.

17 Facile hic quivis non ineruditus intelligit, in eo scripto, in quo componuntur Imperatoris atque Pontificis nomina ea, quæ certum est simul nominari non potuisse, & ubi præpropere nominantur *Cardinales*, nullam esse apparentiam auctoris coævi & oculati testis, qualis fingitur Lucius iste Actorum scriptor. Capitale autem in primis est, quod nullius Theodosii filia Romæ puella vixerit, nisi *Galla Placidia*, quam ex Seniore natam cum esset annorum 15. anno 410. Alaricus Rex urbe expugnata cepit, atque uxorem sumpsit, mortuo ante annos 15. patre: Junioris autem Theodosii filia Eudoxia, Constantinopoli nata an. 422, ibidem Constantinopoli anno 437. Valentiniano Cæsari nupsit, neque Romam puella seu Virgo vidit unquam. Ex tali interim Legenda suum compendium sumpsit Jacobus a Voragine cap. 106. Legendæ (si Superis placet) Aureæ, alias appellatæ Historia Longobardica. Hic Auctor, Theodosium quidem nominavit, nomen vero Pontificis prudenter reticuit: quod exprimere volentes veterum ad 3. Augusti Lectionum amplificatores sub Pio V. *Pelagium* scripserunt in fine v. Lectionis, sicuti Lucius scripserat, & hodiedum legitur.

18 His ita expensis, & ad primos (ut nobis mos est) fontes reductis, vides, Pater Rev. (si videre quidquam & proficere potes) solo hodierno Breviario & Martyrologio instructum te non satis fuisse, ad disputandum de Romana corporis S. Stephani translatione, Baronium autem (quem, ubi pro te facere non videtur, curare haud soles) de ejus veritate merito dubitasse, sicut & dubitaverunt Cajetanus, Bollandus, Senetchallus; viri utique eruditi, neque (ut tibi præsumere de auctoribus meis places) hæretici, vel ab Ecclesia damnati. Non possum tamen indignari tibi, sed compati cogor, quod zelus tuus pro Carmelitica antiquitate, quæ jam videbatur subsistere non posse, quamdiu mea qualiscumque staret auctoritas, eo Te adduxerit præsumptionis, ut ab antiquaria, non solum scientia, sed etiam supellectile destitutus, putaveris quidlibet te posse persuadere hominibus, quibus non liberet libros meos legere; multo minus fundamenta rerum, ibi non expensarum, sed obiter duntaxat indicatarum, scrutari, dummodo nominares Breviarum vel Martyrologium Romanum, tamquam exploratissimæ per omnia veritatis ea forent, atque indubitabilia.

§. II. III. IV. V. ACCUSATIO.

Papebrochius molitur, contra testimonium Gregorii XIII. Reliquias S. Monicæ, in ecclesia S. Augustini Romæ quiescentes, reddere suspectas.

Papebrochius, ex gratuitis conjecturis, pro suo captu excogitatis, SS. Martyrum Brixiensium approbatas Reliquias, tamquam fictas passim explodit.

Papebrochius Reliquias, ab Imperatrice Eleonora & variis Cardinalibus donatas Monialibus Teresianis Viennensibus in Austria molitur reddere suspectas; uti & nonnullas alias.

Papebrochius, ex meris conjecturis, variarum Sanctorum miracula, molitur reddere suspecta & apocrypha.

RESPONSIO.

De Reliquiis Sanctæ Monicæ, utrum Romæ vel in Belgio sint, disceptatur, ut dictum est: utrobique saltem non potest haberi integrum ejus caput, & tamen utrobique haberi prætenditur. Superest, ut coram Judice competente exponatur utrimque causa, & decidatur. Hoc quamdiu factum necdum est, nemo nullus juste potest a me exigere, ut in præjudicium antiquiorum possessorum pro recentioribus plus faciam quam feci, integre producendo horum fundamenta, & errorem si quis subest excusando; sicut feci & apparet ex dictis Art. 3. §. 7. Similiter de Reliquiis Brixiensibus (quæ tertia hic Accusatio assumitur & bis alibi assumpta jam fuit) satis egi Art. 3. §. 8. & Art. 10. §. 7.

20 Quod ad Teresianarum Viennensium Reliquias attinet, impacta mihi super iis calumnia non potest clarius dilui, quam resumptis ipsis quæ accusantur verbis ex tomo 5. Maii. Ibi ad diem 21. ubi pag. 8. & seqq. totum illum thesaurum expando in gratiam Rev. Patris Pauli ab omnibus Sanctis, Carmelitæ Excalceati, qui me de singulis quantum is potuit instruxerat, rogaveratque ipsarum haberi rationem in opere nostro. Id autem facio cum magna ipsius monasterii commendatione, num. 10. ita scribens: *Quibus indiciis crediti sunt illi, quorum sic translata sunt ossa, vere Martyrum Christi fuisse, tacentibus donationum instrumentis, dicere nequivimus: fidem tamen haud illibenter tribuimus eorum prudentiæ, quibus eam haberi, tantæ rei præpositi Cardinales jubent.* Estne hoc Reliquias illas suspectas habere, aut reddere? Non puto. Ast hæsito in nomine *Emmanuelis*, fateorque, quod illud credi possit, *inditum ex designatione inventoris aut donatoris, quamdiu certioribus nullis indiciis probatur, ipsum fuisse usurpatum inter Christianos, sub Gentilium Imperatorum tyrannide gementes.* Ita est, & circa nomen istud hæsito etiam nunc: sed dubitare de nomine sitne genuinum, an recens impositum (prout usitatissimo Romæ more Reliquiis multis anonymis certa imponi nomina notum est) non est Reliquias vocare in dubium, vel earum cultum obsufflare.

21 Nomina, sicut accipimus, sic veneramur; putamus tamen certioribus indiciis probari pluries posse Martyrii titulum, quam nominis vetustatem. Memini me & audivisse Romæ, & apud

apud Mabilionem legisse, pauca admodum corpora ex cœmeteriis Romanis erui, quibus additum inveniatur nomen; aut certe tale nomen, quod credi debeat ejus, qui eruitur Martyris esse. Etenim festinabundi ad Martyres sepeliendos Christiani, claudendis eorumdem loculis frequenter advolverunt titulos sepulcrales, quibus Romanæ viæ stipabantur, inscriptos nominibus quorumcumque ac fere gentilium, obversa introrsum inscriptione inutili: quæ inscriptiones apertis postea loculis relectæ, multos deceperunt decipiuntque, credentes vera se nomina invenire.

22 Ut ut est: non poteram honorificentius pleniusque scribere de Reliquiis Teresianarum Viennensium, atque de his ipsis earumque fundatrice Venerabili Matre Paula Maria de Jesu, deque Imperatrice Eleonora, & aliis ipsarum Reliquiarum donatoribus, quam feci loco præcitato; ut merito queri possim, hanc reddi gratiam; neque dubitare, quin prælaudatus P. Fr. Paulus ab omnibus Sanctis, siquidem adhuc vivat, ægerrime laturus sit retributionem tam indignam injustamque redditam a Patern. vestra.

23 Simili fide arguit Patern. Tua, num. 28. quod Tom. 7. pag. 709. *de S. Henedina &c. molior suspecta reddere ipsius & Sociorum corpora, sub altari S. Restitutæ reperta* in Sardinia, eo tantum, quia propono dubium, quod contra moveri posset: licet mox addam, non ignorare me, quam id leve sit. Estne hoc, ut dicis, Pater Rev. *fidem detrahere antiquis monumentis & traditioni non credere*? an vero optare, ut causa qualiscumque dubii tollatur, producta certiori solutione illius?

24 Iniquior etiam querela formatur num. 29. ob rejectam Tomo eodem 7. p. 777. dubitationem, motam Tom. 3. pag. 604. circa *Reliquias*, creditas esse *S. Domnoli in ecclesia Calamensi* rejectam autem ad testimonium Claudii Castellani, Canonici Parisiensis, quo hic asseveravis, non alium quam S. Domnolum Cenomanensem Episcopum isthic coli Patronum. Quomodo enim, habito tali testimonio, dubitare amplius poteram, quin eæ, quæ isthic sub tali nomine habentur Reliquiæ, habeantur tamquam ejus qui Patronus est loci? Quæ hic est in dubitando ac deponendo dubio levitas cordis, quam mihi nimis leviter objicis? uti & frequentes correctiones, ex ejusdem Claudii unius relatu, tamquam oculati testis, non uno loco a me factas, circa locorum situm, ecclesiarum ruralium Patronos proprios, aliaque hujusmodi? Utinam Patern. Tuæ possem tam facile credere, quam credo ipsi, earum de quibus me instruere nititur rerum scientissimo, & scientiæ rationem reddere paratissimo.

25 Plura cum non objicias, Rev. Pater, finem hic facere poteram respondendi de Reliquiis: sed aurem vellicant homines quidam alii in contrariam, quam Paternitas tua, partem se declinantes, ut thesaurum illum, fidelibus concessum ad incitamentum virtutis & solatium, tanto faciant minoris, quanto plures ejusdem sæpe & unius Sancti Reliquias variis in locis monstrari & honorari intelligunt. Maxime id patet ex tomis nostris, loca omnia & partes singulas qua fieri potest adnotantibus, unde videri tales possent foveri & confirmari in suo erga ipsarum sacrarum Reliquiarum cultum languore, eo prætextu, quod inde necessario consequatur, earum plures valde dubias esse atque incertas, an & quorum Sanctorum sint. His ego respondebo ea ratiocinatione, qua Comiti Souchea, Brunensis urbis pro Cæsare Gubernatori & contra Suecos defensori olim satisfecit vir Apostolicus Pater Georgius Pelinga noster; sicut in ejus elogio narrat Mathias Tanner Parte 1. Societatis Apostolorum imitatricis pag. 640.

26 *Si quis milnum*, inquiebat, *pileum ipsius, in assultu nuper urbis Iglaviensis tam præclara facinora exhibentis, globo forte trajectum nactus, rogatusque a fideli Dominationis vestræ amico eum ut sibi cedere vellet, retento illo fictitium afferret, quem tamen amicus bona fide pari honore, ob memoriam Dominationis vestræ, atque si verus esset, asservaret, nonne id gratum, perinde ipsi & æstimatum accideret? Ita plane reposuit Comes, uti non minus gravi injuriæ ducerem, si eidem supposititio galero, quem re vera meum crederet, contemptum aliquem pedibus eum proterendo inferret. Quidni ergo, subjicit Pater, perinde placeat Sanctis, dum vident sui amore & reverentia, honorem a fidelibus exhiberi Reliquiis, quas esse suas bona fide persuadentur. Fuitque id satis convincendo Comiti, ut aliis quoque Calvini erroribus sensim confutatis, manus tandem veritati cum multis aliis dederit.* Porro ea, quorum non suggerimus, plurium synonymorum Sanctorum notitia, & variorum eventuum, quibus contigit subjicere eas, de quibus agimus, Sanctorum Reliquias, uti nihil obest in quotidiana praxi fidelium devotioni; ita multum prodest, Ecclesiarum Prælatis, quibus incumbit cavere, ne quæ falsæ supponantur, & populari pietati illudant, ad instructionem, ideoque illis omnibusque eruditis grata accidit.

27 Ultima accusatio *de Miraculis Sanctorum variorum*, quæ molior *suspecta & apocrypha reddere*, procedit ex hypothesi falsissima; quasi eo movear, quia vel naturaliter fieri potuerunt, vel multiplicia & inaudita apparent, aut ex sola habentur traditione. Cum quæcumque hic adducuntur, in specimen meæ ad quidvis reprobandum proterviæ, desumantur ea Vitis, quas patenter ostendi apocryphas totas; quibus proinde nihil magnæ rei credi tuto possit. Tales sunt Vita *S. Angeli* Carmelitæ & Martyris, per Pseudo Enochum, 8. Maji; *S. Barbari Martyris* 14. ejusdem mensis; *S. Regnoberti*, Episc. Bajocensis in Normannia, die 16. *S. Silai* Hiberni, Lucæ peregrini, die 21. *S. Cannonis*, Episcopi Afri, die 25. & *S. Huberti*, Monachi Bretiniacensis, die 30.

28 Frustra ergo concludis hunc Articulum sapienti illo Bollandi nostri quæsito, in Præfatione generali ad Acta Sanctorum ante tom. 1. Januarii pag. 35. *Quid esse certum aut securum ei homini potest, qui absque causa ulla ubique fraudem suspicatur?* An enim *nulla causa* est, habere Auctores, temeritatis falsitatisque convictos in pluribus, uti in Vitis prædictis habentur, quod eas vel finxerunt totas, vel pro ingenio lubituque iis adornarunt circumstantiis, per quas detrahitur fides miraculis, alias (si a meliori graviorique teste prius scripta reperirentur) nequaquam rejiciendis? *Admirabilis omnino est Dei bonitas* (ut pag. 34. dixerat idem P. Bollandus)

dus) *neque ea capere intelligentia possamus, quæ vel castis sibique dilectis animabus paravit in cælis bona, vel quantum iis velit gratificari in terris. Non sunt temere damnanda, quæ ejusmodi narrantur, etsi nobis paradoxa videantur: sed potius reverenter accipienda, quatenus ex eo manasse fonte divinæ bonitatis dicuntur, unde omnis nostra petenda est felicitas*: scilicet cum *narrantur* & *dicuntur* a scriptoribus aut testibus fide dignis.

29 Neque ea sane damno ego, qui multo solicitior sum, quam decessores mei fuerunt, ad Sanctorum miracula, licet subinde numero & mirabilitate multa ac grandia, undique corradenda, quantumvis propterea necesse fit augere tomorum numerum etiam in duplum, ut contigit in Majo. Ne autem in ponendo exemplo longius abeam, habes ipsius Sancti Angeli Carmelitani miracula, tom. 2. Maii per Paginas omnino 30. extensa, incipiendo a pag. 64. idque sine ulla hæsitatione. Miracula viventi adscripta, cum circumstantiis parum verosimilibus, etsi ab his notentur, non tamen ob has repudiantur; sed propter malam manifeste Auctoris fidem, se oculatum testem scribentis plurium rerum, quæ tali quo scribuntur loco, modo, ac tempore demonstrantur fieri non potuisse. Sic Bollandus ad 1. Martii nulli scrupulo sibi duxit, prætermittere totam, cum suis miraculis, Vitam & Canonizationem S. Suidberti, adscriptas Sanctis Marcellino atque Luidgero tamquam testibus oculatis. Postquam scilicet meridiana luce clarius demonstravit, merum eas esse figmentum, ac tale, ut modus nullus suppetat vera (quæ forsan isti farragini subsint) a falsis secernendi. Ego id, quod ibi Bollandus fecit, rem totam prætermittens, passim facere tali casu non soleo, maxime si quid hactenus impressum fuit numquam; volo enim ut ipsimet lectori facultas præbeatur, per sese judicandi de singulis, post instructionem & lucem ex nostris Commentariis Annotatisque acceptam.

RESPONSIONIS
DANIELIS PAPEBROCHII
AD EXHIBITIONEM ERRORUM
PARS SECUNDA.

PRÆFATIO.

T*Ransiturus a prima ad secundam partem Responsionis promissa, nihil opus habeo monere Lectorem, id quod jam experiendo cognovit, unice propositum mihi esse, ut quam manifestissimam faciam falsitatem, non tam errorum, libris meis temere ignoranterque imputatorum, quam atrocium criminum, mihi coram Apostolica Sede præsidenter impactorum. Aliquid tamen praterea monendus mihi est, ut ne (quod facere aliquos, dolens intelligo) alio accipiat sensu vocabula*, Calumnia *&* Calumniari, *quibus brevitatis causa sæpe usus sum; quam quo accepi ego, & accipiuntur communiter a linguæ latinæ studiosis*. Calumnia *Latinis sonat, ut quidem in Dictionario Calepini aucto explicatur*; Vexatio alicujus in litibus per fraudem & frustrationem; aut rei alicujus malitiosa interpretatio: *ut vero exponitur a Nizolio in Apparatu latinæ locutionis*; Injusta vexatio & fraudulenta interpretatio, *videlicet in judicio. Hinc & mihi sonat*, Publica ac falsa accusatio: *nec aliter sonuit, nec accipi aliter apud me velim. Tali autem acceptione nemo prudens mihi male verterit, quod adhibuerim voces* Calumnia *&* Calumniari, *pro longiori verborum circuitu, alioquin cum tædio lectorum adhibendo. An vero publice & falso (accedente etiam malitiosa interpretatione verborum meorum) non accuser sæpissime a P. Sebastiano, dum dispiciet æquus lector, dispiciat ipse Accusator meus, quomodo intentionem conscientiamque suam excuset. Dicat, zelo tuendi honorem Ordinis, abreptum se aliquanto longius quam par erat; dicat, multa se propriis oculis non legisse, multa credidisse alienis, itaque sententias meas sæpe mutilas exhibuisse. Opto, ut vere possit dicere hæc omnia, seque ita excusare Deo, a quo pariter omnes judicabimur: tantum patescat innocentia mea, quoad utile erit gloriæ Domini, & Sanctorum ejus, atque Ecclesiæ in ipsis triumphantis splendori: Accusatorem vero meum ejusque consortes tot gratiis cumulet divina Bonitas, quot illi me conviciis calumniisque onerant, ac porro pergent onerare. Fiat. Fiat.*

AR-

ARTICULUS XIII.

ACCUSATIO PROOEMIALIS.

Exhibentur ea, quæ inter Acta Sanctorum Papebrochius habet contra scripta seu libros illorum.

RESPONSIO.

1 Etiam hunc Articulum ordiris, Pater R. ab insigni specimine modestiæ tuæ, qua effecturum te polliceris, ut judicare lector debeat, me in eo critices genere, quod spuria discernit a genuinis, esse comparandum Erasmo; qui (sicut Theophilum Raynaudum scribere ais) *temeritatis verticem occupavit; ex nescio qua styli saliva, qua volebat præ omnibus imbutus videri, varia indubitata opera quibusdam Patribus per anteriorem hallucinationem fuisse supposita, commentus, magna & scriptorum fraude, & Ecclesiæ dispendio non levi*. Quærenti ubi hæc Theophilus dicat, allegas *Tom. 8. in Prolog. Si Tomi 8. Prologum* indicas, nullus est; nec, si quis esset, Theophili esset, sed collectoris & distributoris operum ejus, Tomis septemdecim eo mortuo imprimendorum. Aliter ergo indices locum oportet, si inveniri eum vis.

2 Sed parvi hoc ad rem nostram. Nam si Theophili verba vera ista sunt, quod non mirarer (est enim ad ejusmodi nimis quam facilis, & idcirco eo libentius utitur Paternitas Tua) eadem in ipsummet retorquere mox debebis §. 5. ubi certas pro libro de institutione Monachorum, indubitato (ut Carmelitæ credi volunt) scripto Joannis 44. Hierosolymitani Patriarchæ, refragante Theophilo, atque adeo secundum te eadem cum Erasmo styli saliva imbuto. Videamus autem, an vel unus ex omnibus libris, quos indubitatis auctoribus detrahi dicis, a me, aut primo, aut cum solis iis quibuscum me componis, vocatus in dubium sit. *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris*, inquit Dominus Jeremiæ XV. Hoc facere sunt conati, quotquot de Scriptoribus ecclesiasticis hoc seculo egerunt, Joannes Maria Brasichellensis, sacri Palatii Magister, an. 1607. Robertus Bellarminus, 1612. Philippus Labbe, 1660. Casimirus Oudin Præmonstratensis 1686. præter alios, quos nihil attinet nominare; hi enim mihi sufficiunt ad amoliendas calumnias, quas mihi struxisti.

§. I. & II. ACCUSATIONES.

Papebrochius cum hæresiarchis, Luthero, Calvino, nec non Magdeburgensibus & eorum asseclis, contra Pontifices, Concilia, Sacram Rituum Congregationem, sanctos Patres, omnesque probos Catholicos scriptores, negat libros de Hierarchia cælesti & ecclesiastica esse S. Dionysii Areopagitæ.

Nec solum illos, sed & cetera S. Dionysii opera cum hæreticis illis abnegat, imo & de hæresi molitur reddere suspecta.

RESPONSIO.

3 Hic eadem pene ad verbum recantat Paternitas vestra, quæ Art. 5. §. 8. his ego respondens, probavi, primos Severianos hæreticos fuisse, qui in Collatione Catholicorum cum iisdem habita Constantinopoli anno 535, libros illos protulerunt, & quidem sub nomine *Areopagitæ*, sic tamen ut Catholicis, quærentibus unde probarent, eos libros esse illius quem dicebant, nullius ex antiquis Patribus auctoritate fulcire ipsum conati sint; sed pro aliis assumptam probandi fiduciam, pro Dionysio omnino abjecerint. Nihil terreor solis a te adductis nominibus SS. Ignatii Antiocheni, Dionysii & Athanasii Alexandrinorum, utriusque Gregorii Nysseni & Nazianzeni, Chrysostomi, Originis; in quorum scriptis non indiligenter versati Severiani illi, haud omisissent eos pro se allegare, si vere potuissent. Hieronymus in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, nec nomen quidem Areopagitæ, nedum libros novit, ut mirum esset eum a te nominari fide meliori, quam qua nominasti alios.

4 Interim Natalis Alexander, Areopagitæ esse eos libros asserturus, Dissert. 21. seculo 1. sic orditur. *Certum est, hæc scripta ante seculi quinti initium Auctorum Ecclesiasticorum laudasse neminem, nedum sub S. Dionysii Areopagitæ, sed nec sub alterius Patris nomine*. Nititur tamen, melius quam tu, P. R. probare assumptum suum, non objiciendo inania & nusquam invenienda primorum quatuor seculorum testimonia; sed (sicut virum eruditum decet) rationibus rationes opponendo, & veros post sextum seculum auctores, adeoque decem seculorum possessionem stabiliendo, vindicare conatur Areopagitæ libros illos. Scivit autem, æque ac tu, Pater R. Lutherum & Calvinum præcipuos fuisse, qui superiori seculo illorum veritatem in dubium revocarunt; sed iis qui deinde, præjudicio tam infami seposito, rem ipsam penitius considerarunt, non exprobravit, sicut tu mihi num. 8. quod, *spreta tam sancta & evidenti auctoritate, istis sceleratis ac perditis hæresiarchis adhæream, qui pietati bellum undequaque indixerunt*.

5 Sanctitatem eorum, qui post seculum 6. crediderunt, Areopagitæ libros esse, venerantur Estius, Petavius, Morinus, & alii; evidentiam negant; & negant (ut loquitur Casim. Oudin in Supplemento de scriptoribus) *cum aliis multis*; inter quos sunt Thomas Cardinalis S. Xysti & Christianus Lupus apud Schelstratium, Antiquitatis illustratæ pag. 396. His quod ego me adjunxerim, non debuit mihi crimini verti apud Apostolicam Sedem, non solitam hujusmodi quæstionibus, inter eruditos controversis, arbitram se interponere. Si volebas censuram Facultatis Theologicæ Parisiensis allegare, acrius perstringentis Lutherum & Erasmum, propter abnegatos Areopagitæ jam sæpe dictos libros, tamquam *temerarios & novitatum studiosos, nec vere eruditos*, addere debuisses eam censuram

latam fuisse an. 1527. cum adhuc cruda esset novitas, quæ ab optimis Catholicis paulatim digesta, visa est adeo non esse contemnenda, ut suum ipsi calculum addiderint, addantque etiam hodie multi, non novitatis, sed veritatis studiosi.

6 Ast §. 2. acrius me premere conaris, Pater Rev. quasi ea opera non solum moliar Areopagitæ eripere, sed etiam *reddere de hæresi suspecta*. Quomodo autem? Quia ad Ephemerides Græco-Moscbas, indico Quenellii dubitationem de Orthodoxia auctoris. Sed taces, quod ibidem subjungo, usitatis Eutychianis & Semi-eutychianis phrases, quas in illis libris deprehendere sibi videtur Quenellius, tales esse, *quas Catholice interpretari quis possit, fortassis & debeat*. Hæc Accusationum tuarum consueta scilicet infidelitas est, rescindere ex locis accusandis omnia, quibus aliena vel mea dicta lenio ac mitigo, & extra calumniæ ictum pono. Plura non patiebatur brevitas, proposita Annotatiunculis ad Ephemerides dandis. In eodem autem, quem accusas primo Tomo Maji, ipso scilicet quem lectum tibi indicas loco, quemque Art. 15. §. 6. num. 7. extrusurum te minaris, id est pag. 295. num. 28. prolixius de iisdem libris acturus, sic loquor: *Ego, libros istos suspicio ac veneror, ut divino spiritu scriptas*. Hoccine est, eos *de hæresi suspectos reddere*? Contra sic sentientem frustra produxisti tot elogia Areopagiticorum operum, §. a. deducta: quæ simul omnia tam multum libris illis non concedunt, quam ego verbis quatuor. Istis ergo verbis totam banc responsionem absolvo, Teque, manifestæ convictum calumniæ, relinquo conscientiæ tuæ dijudicandum, an & ad quam retractationem tenearis. Interim vide, quomodo in priori parte Responsionis meæ, Artic. 5. num. 20. dubitationem Quenellii refutaverim, & præoccupaverim ictum, quem prospiciebam ab accusatore aliquo ferendum, nisi expressius id facerem, sicuti expressissime feci.

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius, ex meris conjecturis, librum Josephi Antiocheni, de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ, præfidenter repudiat, tamquam spurium vitulamen.

RESPONSIO.

7 PHilippus Ribotus, Carmelitarum in Catalaunia Prior Provincialis, sub annum 1370. scripsit & digessit libros decem, *de institutione Ordinis Prophetici Eliani beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo*, sicuti reperiuntur excusi & recusi in veteri ac novo speculo Ordinis. Ibi lib. 5. cap. 8. docere volens, *quod Religiosi prædicti per Apostolos in doctrina Evangelii, in allegoriis Legis veteris eruditi, per Phœnicen & Palæstinam fidem Christi prædicarunt*; primo describit verba *Joannis Hierosolymitani*, quem vocat XLIV. *Episc. Hieros.* tum locum quemdam ex CHRONICIS ROMAN (quas Chronicas, non esse alicujus Latini recentioris, atque ejusdem fere cum Riboto temporis, ægre probabitur) ac denique, JOSEPHUM ANTIOCHENUM inducit, quasi *in Speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ cap. XII.* hæc babeat verba: *Perfectorum militum, Christi Apostolorum, coadjutores surrexerunt strenuissimi, viri solitarii, contemplationique dediti, sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei sequaces; qui de monte Carmeli descendentes, per Galilæam, Samariam & Judæam, fidem Christi constantissime sparserunt; quique in Virginis Mariæ honorem, in Montis Carmeli declivio, fabricantes oratorium, Salvatoris Matri specialissime servierunt.*

8 Locum hunc mox dicuntur descripsisse vel allegasse *Bernardus Generalis, in libello de antiquitate Ordinis sui, circa annum* 1378. & circa sequentis seculi medium *Thomas Waldensis* atque *Joannes Sereth*; exeunte autem eodem seculo 15. *Arnoldus Bostius*, ac *Joannes Palæonydorus, Carmelitæ*; quos porro secuti sunt complures alii, etiam externi. Citaturus eos Accusator præmittit *quod Emmanuel Romanus, in Elucidario Carm. Elucid. 27. referat, se illum* (librum) *in Bibliotheca Universitatis Salmanticensis vidisse & legisse*. Verum idem Accusator, allegando hoc testimonium, caute dissimulat, quod Hispanus iste Carmelita, adbuc vivebat & florebat anno 1632. quando Aubertus Miræus colligebat secundam Bibliothecæ suæ partem, in qua ejus sic meminit, ut dicat, *tempore vivere dignum longe*. Vivebat ergo & scribebat eodem tempore Emmanuel, quo in eadem Hispania eruderandæ & elucidandæ Historiæ Carmelitanæ incumbebant, Marcus Alegre de Casanate (qui tamen inter Sanctos & Scriptores seculi 3. nullam Josephi mentionem facit) & Joannes Baptista de Lezana, multus in Josepho eodem vindicando: sed nec ipse, nec alius ullam sunt nacti notitiam libri, veluti adhuc suo tempore extantis. Hoc vero quis credat fieri potuisse, nec multo studio quæsitum fuisse librum, tam certo teste indicatum? quæsitum autem serio, non fuisse reperiendum? neque per tot secula prægressa exemplar aliud ab ullo alicubi Carmelita describendum?

9 Utinam autem fuisset inventus! Vix enim dubitare possum, quin proditurus fuisset Auctoris, minime Græci vel Syri conditionem; ætatem vero, nequaquam tantam, quantam ei, nescio a quibus, fortassis antiquitatem nimis amantibus, tribui scripsit Antonius Possevinus, in Apparatu scriptorum veteris & novi Testamenti, his verbis usus: JOSEPHUS ANTIOCHENUS, *vetustissimus fertur fuisse scriptor, qui scripserit librum prænotatum*, Speculum perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ. *Vixit anno 130. Philippus Ribotus*. Atqui verba Riboti jam dedimus, ubi nihil de summa vetustate legitur, multo minus de anno 130.

10 Idne ergo de suo addiderit Possevinus? Non credo. An alibi legerit, quod nusquam modo extat? Mirum foret, si primus & solus. An Riboti textui aliquis addidit vel typo vel calamo? Non esset hæc prima in tali causa fraus, apta cadere in pridem convictos etiam Regulæ, Pontificiis Bullis inserendæ, annum addidisse, quem Auctor suus ei non adscripserat. Prudens lector teneat quod volet. Mihi satis est indicasse, quod ante Possevinum (qui circa annum 1600. composuit Apparatum) tantæ ætatis meminerit nemo. Qui autem illi Riboti textui annum, ex sua conjectura, vel aliunde addidit, annum fortassis expresserit 1300. sed cum hic non satis antiquus videretur alicui majoris vetustatis cupido, expunxerit unum O, & sic remanserit 130. quod Possevinum decepisse potuit.

11 Neque ideo minus negaverim, Græcum fuisse

fuisse aut Syrum scriptorem istius speculi, quia Antiochenus cognominetur. Ex Latinis enim Terræ-sanctæ vindicibus, potuit Josephus iste Antiochiæ natus fuisse, ante annum 1268. quo urbs capta a Turcis fuit; &, perdita ad extremum etiam Accone, cum reliquis Latinis & Carmelitis trajecisse in Europam, sub finem seculi 12. ibique librum istum suum scripsisse, eadem qua Guilielmus Sanwicus persuasione de Ordinis Carmelitani origine, ex defectu notitiæ certioris. Plus aliquid si de Josepho isto credere me velis, P. Professor, oportet, ut testes producas alios, quam hactenus reperisti, & argumenta validiora. Interim libenter ex te discam, quo auctore P. Daniel a Virg. Maria in Vinea Carmeli n. 319. & tu ex illo, *Josephum* voceris, non solum *Antiochenum*, sed *Diaconum Antiochenum*. An fortassis, ut persuadeatis, præcipuum aliquem in Ecclesia Antiochena ante annos 1300. gradum tenuisse, puta Archidiaconi? Nempe hoc munere fungentes antiquitas solum appellabat Diaconos, necdum in usu inducto illo ARCHI, quod seculo 4. primum cœpit usurpari, nominando *Archiepiscopos* eos, qui pluribus Episcopis præerant, quod ad alias quoque ecclesiastica ministeria, pluribus in una ecclesia communicata, transiit, ut *Archipresbyteri*, *Archidiaconi*, *Archiacolythi*, dicerentur. Ut ut est, quemcumque gradum vel in Antiochena ecclesia, vel in Ordine vestro tenuit Josephus Antiochenus, exspecto argumentum, quo probet Paternitas tua, seniorem illum fuisse seculo 13. ad finem vergente.

12 Hoc facere aggrederis: & num. 21. exordiens, *imprimis*, inquis, *librum illum commemorat & citat S. Brocardus, in Ordinis Carmelitani Constitutionibus, quas composuit circa annum* 1191. Mirum profecto si has ille composuit, tanto prius quam Ordo vester suam haberet primam Regulam: hanc autem non potuit a S. Alberto accepisse ante annum 1206. quo is primum appulit in Terram sanctam. Mirabilius etiam est, si talem eis apposuit Præfationem; nec minus, quod Constitutionum talium nullam fecerit mentionem Generalis vester Joannes Grossus, anno 1389. creatus, in suo Viridario Carmelitarum, quod ex Francofurtensi Codice magis sincerum habemus, quam nunc extat apud vos excusum. Is ad secundum Priorem Brocardum veniens; Hoc *præsidente*, inquit, *Domino Patriarcha Jerosolymitano proposuerunt*, qui Priorem Brocardum elegerunt Fratres, *quod a tempore quo Patriarcha* (Antiochenus) *Aymericus eos omnes sub cura unius Prioris per obedientiæ vinculum colligaverat, ipsi desiderabant vivere in monasterio, sub obedientia religiosæ vitæ solitariæ, per Eliam instituta. Ideo, priusquam includerentur, obnixe requirebant a prædicto Patriarcha Alberto, ut juxta propositum eorum traderet eis, de quibusdam articulis, per eos tunc sibi oblatis, brevem vitæ formulam, quam in posterum tenere deberent; quam eis tradidit, & prædicto Brocardo Priori direxit, secundum quod habetur in Regula Fratrum Carmelitarum.* Hæc sane non faciunt verisimile, præter Articulos istos a Brocardo oblatos, (paucos utique & breves, ac proportionatos Regulæ ex iis formandæ) alias prolixiores Constitutiones scriptas fuisse, non dico ante adventum Alberti, sed ante translationem Ordinis in Europam, & divisionem in plures Provincias, quam ubique supponunt eæ, quæ nunc extant, & quarum Præfationem mox dabo.

13 Obsecro autem unde hanc antiquiorum Regula Constitutionum, velut a Brocardo scriptarum, accepistis notitiam? Ex *Joanne Balæo*, inquit Lezana, ad an. 1191. num. 9. *qui etsi a nostris vel nominari indignus sit, quod fidem cum religione Apostata deseruerit; quia tamen in historiarum nostrarum (præsertim B. Brocardi vita, quam inter Catholicos scripsit) notitia peritus valde fuit, multum eidem in hac parte fidendum.* Scripsit Balæus Catalogum scriptorum Britanniæ usque ad annum 1557. adeoque annis 340. circiter post obitum Brocardi, eorum autem quæ de hoc scripsit testem nullum adfert; sed quia scripsit necdum Apostata (quod dici video, non etiam probari) & ex eo scripto præsumitur transtulisse jam Apostata, quæ habet in Catalogo, *multum ei fidendum* est apud Carmelitas. Scripsit Joannes Phocæ, quæ vidit in Terra-sancta vel audivit vivente ipso Brocardo, fidem tamen nullam meretur; quia non scripsit ad gustum & opinionem Carmelitarum. Quis hoc capiat?

14 Quid vero scripsit Balæus? Sic habet Centuria 3. post Gualterum de Constantiis in Appendice: *Brocardus Hierosolymitanus, secundus Carmelitarum Præses, anno* 1171. *composuit eis Regulam, ex Basilii dogmate quædam mutuatus, ut secundum illam viverent. Hanc anno Domini* 1199. *Albertus Patriarcha Hierosolymitanus abbreviavit, confirmavit, atque observandam eis tradidit.* Hæc quam peccant in tempore, tam non peccare in substantia, unde vis credam Pater Rev.? Et cum in Regula Albertina, quam Brocardicæ epitomen esse Balæo creditis, nulla fiat mentio Josephi Antiocheni, quo auctore credere me vultis, eam fieri in Brocardica, cujus nullum uspiam extat exemplum? Velimus tamen aut nolimus, credendum est, Constitutiones, quæ Regula antiquiores fuerint, scripsisse Brocardum, quia, Lezana teste, *eadem fere habent Magdeburgenses auctores, simili hæreticorum nota signati.* Hos licet me sequi crimineris, Pater Rev. non tamen ideo scrutari velim, ut sciam quomodo Balæum transcripserint.

15 Cum eisdem *similia Gesneri Bibliothecam* habere, Lezana dicit. Verum fallitur, si credidit, Gesnerum de Brocardo scripsisse: edita est enim Gesneri Bibliotheca an. 1545. sine mentione Brocardi. Hunc vero illuc intulit, qui ipsam Bibliothecam plus quam in duplum auxit, Josias Simlerus, æque ac ille, hæreticus, anno 1583. & nescio unde (fortassis ex hæretica quoque *Bibliotheca Tigurina* pag. 517. nam & hæc citatur a Tua Paternitate) adscripsit Brocardo, *Canonum sui Ordinis lib.* 1. *Statuta in Carmelo lib.* 1. *exhortationes pias lib.* 1. *atque alia.* Et quia hæc in suo Apparatu retulit Possevinus, Simleri nomine propter hæresim suppresso (ut fere solet in talibus) eadem, velut omni fide subnixa, traduntur a Lezana & Rev. vestra. Illas porro Brocardicas Constitutiones etsi fuisse concederet aliquis, ecquid tandem haberet, ad probandam vetustatem Josephi Antiocheni?

16 Multum, inquies. Extat enim ad ipsas Præfatio, Josephum citans. Satin' certo? Satis. Nam qui integram profert *ex antiquis Ordinis statutis* P. Daniel a Virgine Maria, vel si quis

alius est Auctor Appendicis ad Speculum Riboti num. 522. in Annotatis dicit, quod *statuta ista a Joanne Bacbone, Arnoldo Bostio, & aliis nuncupantur* Constitutiones antiquæ, *seu editæ* ab antiquo, *videlicet a S. Brocardo circa annum* 1191. Mirabile & mysteriosum profecto *Videlicet*, quo credere jubeor, *Constitutiones Ordinis*, quia nuncupantur *antiquæ*, seu *editæ ab antiquo*, editas esse a Brocardo. An non etiam antiquæ forent, si primum illæ essent compositæ editæque in Europa post mutationem habitus inductam ab Honorio IV. & Ordinem longe lateque diffusum, adeoque egentem Constitutionibus prolixioribus, quales habeo deductas in Capitula 76. & impressas anno 1499. Ibi, ut alia taceam temporis indicia, cap. xi. præscribitur, ut *quilibet Frater habeat cappam albam*: non igitur talem, qualem gestabat Brocardus, *Carpitam*, sive *cappam barratam*, id est, *quibusdam largis virgis, albis & grises, circulatam*. Hanc Capitulum Londinense anni 1281. sic nobis describit: *Frater professus habeat unam Carpitam (quod est nostræ Religionis insigne) non de petiis consutam, sed contextam; & habeat septem radios tantum, ut simus uniformes*. Manifestum est autem hic describi cappam, qualem Brocardus gestabat, & qualem omnibus habendam præscripsisset, si de cappa scripsisset.

17 Si dixeritis, Pater Rev. in iis, quas Brocardicas fuisse vultis, Constitutionibus, multa successu temporis auctoritate Capitulorum generalium addita & mutata fuisse, itaque eas accepisse formam, quam habent in prædicta anni 1499. editione; interrogabo ego vos, unde sciatis, Præfationem, quam adducitis, non esse similiter antiquioribus statutis additam, cum transgressi in in Europam Fratres varie a variis exagitarentur super origine Ordinis sui. Imo quæram, unde sciatis, quod Præfatio ista non sit composita post ætatem Riboti; sic ut ex hoc sumptus sit iste locus Josephi Antiocheni, licet Brocardo numquam noti. Hoc vero magis etiam verosimile apparebit, si ea, quæ extat Præfatio, non mutila (sicuti habetur in novo vestro Speculo) sed integra, ex veteri ista ante annos fere ducentos impressione, proferatur. Titulus, Rubrica descriptus, hic est. *Incipiunt Constitutiones Fratrum Ordinis beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo. Rubrica prima. Qualiter respondendum sit quærentibus, quando & qualiter aut quomodo Ordo noster sumpsit exordium, & quare dicuntur Fratres Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo. Cap. 1.*

18 *Cum quidam Fratres nostri Ordinis juniores, quærentibus a quo vel quomodo Ordo noster sumpsit exordium, vel quare dicimur Fratres Ordinis beatissimæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ de Monte Carmeli, nesciant satisfacere competenter: hinc est, quod in scriptis formam talibus competentem volumus relinquere: & testimonium veritati perhibentes, dicimus; quod a tempore Eliæ & Elisei ejus discipuli, Montem Carmeli, qui non longe ab Achon distat, devote inhabitantium, multi sancti Patres, tam veteris quam novi Testamenti, solitudinis montis ejusdem, pro contemplatione cælestium, veri amatores, ibidem, juxta fontem Eliæ, in sancta pœnitentia, sanctis successibus continuata, sunt procul dubio conversati, laudabiliter ac religiose, prout testatur IV. Regum Historia cap. 6. Et Josephus Antiochenus libro de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ cap. 12. dicens: Perfectorum militum Christi &c. (uti supra ex Ribote) Hac ratione ipsius titulum elegerunt, ut dicerentur Fratres beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli.*

19 Hactenus Speculum novum, additis, ex reliqua Præfatione illa, quæ paucula hisce signis [ ] mox includam; cetera cur omittenda putaverint editionis prædictæ curatores, apparebit ex nominatis porro Pontificibus, ex annis Christi notatis. Sic ergo progreditur vetus, & verosimiliter sincera, nec unquam interpolata Præfatio. Et ita (*scilicet, Fratres Beatæ Mariæ de monte Carmelo*) *deinceps per Apostolica privilegia sunt vocati. Quos Albertus, Ecclesiæ Jerosolymitanæ Patriarcha & Sedis Apostolicæ Legatus, ante Concilium Lateranense, in unum collegium congregavit, scribens eis certam Regulam, approbatam per Papam Honorium III. anno sui Pontificatus primo, scilicet anno Domini 1217. & per Gregorium IX. anno sui Pontificatus secundo, scilicet 1227. & per Innocentium IV. anno 1244. & per Alexandrum IV. 1255. Pontificatus sui anno secundo; & per Urbanum IV. anno suo primo, scilicet 1262. Similiter per Nicolaum IV. anno suo secundo, die 1. Julii, anno Domini 1282. & per Bonifacium VIII. anno sui Pontificatus secundo, scilicet anno 1294. (& multas Indulgentias dicto Ordini multi Pontifices concesserunt, atque plurima privilegia dederunt,) ut patet in Mari Magno. (Primus, quoad Indulgentias fuit Leo Papa IV. anno Domini 848. & Adrianus II. anno 873. & Papa Stephanus V. anno 892. & Sergius III. 954. Et ex antiquitate tantorum Pontificum, Privilegiorum & Indulgentiarum, facillime excerpitur antiquitas & approbatio Ordinis nostri, atque origo Fratrum nostrorum: & per plures alios summos Pontifices, qui ipsum Ordinem & titulum approbantes, sanctissime confirmaverunt. In cujus Regulæ & professione Ordinis, nos eorum sequaces usque in hodiernum diem, auxiliante Virgine benedicta, in diversis mundi partibus Deo famulamur, cui est honor & gloria in secula seculorum).*

20 Hic volunt editores speculi finiri Præfationem, quam hactenus, omissis supra non inclusis, volunt esse Brocardi; & ideo etiam omiserunt sequentem clausulam, quæ sic habet: *Et quia dignum & justum est, ut Fratres prædicti Ordinis, qui sub unius Regulæ professione vivunt, uniformes in observantiis ceremoniarum inveniamur, ne forte alicui aliquid sua temeraria auctoritate addere vel minuere liceat, Præcessorum nostrorum instituta, secundum quod Regulæ consonant, & vitæ Fratrum convenire videntur, in scriptis commendare decrevimus, modo subscripto.*

21 Hæc totius Præfationis clausula ultima supponere videtur, quod *Præcessorum instituta* eo tempore nondum fuerint *scriptis commendata*, sed solo usu observata, & tunc primum in aliquo Capitulo digesta, ac eam quæ sequitur Capitulorum 77. accepisse formam. Tum ad calcem libri subditur in eadem omnia Capitula copiosus Index, sub hoc titulo. *Hæc est tabula novarum Constitutionum almi Ordinis gloriosissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo, per alphabetum non modico labore ordinata a venerabili Religioso, sacræ Theologiæ Bacchalaureo, Fr. Joanne de Polutiis sive Peandinis de Novalaria.* Ubi noto, Constitutiones, eo libello digestas, non voca-

vocari *Antiquas*, sed *Novas*; fortassis respectu earum, quas dicitur Joannes Soreth *ordinasse*, apud Trithemium; *recognovisse*, vero apud Danielem a Virgine Maria in Vinea num. 186. in Capitulo Bruxellensi anni 1462. quamvis & hæ quoque dici Novæ potuerint, respectu primarum, quas putamus, non quidem ad ætatem Brocardi, sed ad tempora mutationem habitus immediate secuta posse aspirare. Ipsæ interim, quas impressas haberi dixi, Constitutiones, antiquiores esse non possunt sua Præfatione; quæ cum *Maremagnum* Privilegiorum nominat, a Sixto IV. concessum an. 1477. indicat, hanc compilationem Statutorum factam esse sub Generalatu Martignoni, qui creditur impetrasse Bullam *Mare-magnum* dictam, vel potius facta est compilatio sub regimine *Pontii Raynaudi*, anno 1482. creati, sub quo facta etiam impressio, omnium quod sciatur prima, an. 1569. curante prædicto Fr. Joanne, *Venetiis*, *per nobilem virum Lucantonium de Giunta*, *Florentinum*, tanta cum cautela, quod earum *nulla bona vel mala charta*, *aut minima littera*, *apud eumdem impressorem vel alium secularem*, *remansit*, *anno Domini* 1499. *tertio kal. Maii*, sicut in extrema pagella legitur.

22 His ita præmissis, ut ad finem seculi 15. spectantibus, peto mihi exhiberi alias revera antiquiores, quarum Præfationem sub nomine Brocardi, quasi certam & indubitabilem, profert novum Speculum. Si enim ejusmodi exemplum vetus atque indubitabile nullum profertis, suspecti manebunt novi Speculi editores, quod cupientes populo persuasum, istud suarum Constitutionum esse initium sincerum, & quidem a Brocardo scriptum, quidquid eo non faciabat expunxerint, utpote nimis evidenter proditurum ætatem, longe quam prætenditur posteriorem. Hoccine porro est antiqua Ordinis monumenta colligere & edere bona fide? Ipsum te judicem facio, Pater Rev. & dum deliberas, quid respondera velis aut possis, ignosce mihi, obsecro, quod scriptoribus vestris, tenebras ubique captantibus, & tam parum sincere agentibus, merito cuncter credere, in illa Præfatione quidquam esse, quod summæ antiquitati Josephi Antiocheni faveat.

23 Cetera, quæ in eadem Præfatione possem notare multa, lubens prætereo, unum hoc animadvertisse contentus, quod Auctor allegans *Mare Magnum*, ubi agit de Privilegiis, nullum tale alleget, ubi agit de Indulgentiis: quæ tamen duo diplomata apud Rodericium consequenter leguntur, veluti ab eodem Sixto IV. data; primum quidem nulla parte inspectabila, & a Nicolao IV. incipiens; secundum vero tot argumentis dubitabile, quot notavi Art. 2. n. 174. & seqq. An autem inde colligi nequeat postremum istud, toto seculo 15. adhuc ignotum, non nisi sequenti seculo confictum fuisse ad imitationem prioris, sed fidu longe deteriori, vos videritis.

24 Considera nunc, Pater Rev. quam infeliciter susceperis tuendam Josephi Antiocheni antiquitatem tantam, quantam ante hoc seculum ne vestri quidem sciuntur ei prætendisse, scilicet pro seculo Christi omnino tertio. Dum enim tueri eam niteris, scrutari me coegisti Constitutiones, temere adscriptas Broeardo; atque cognoscere, quod nec antiquissimæ quidem, quas possitis ostendere, ultra seculum 14. evehi possint; simul & declarare me compulisti malam fidem illorum, qui nihil præ oculis habentes quam exemplum earumdem, valde amplificatarum, & seculo 15. exeunti aptatarum, ut primogenitum textum sibi earum adfuisse persuaderent, expunxerunt ea omnia, quæ tantæ vetostati videbant repugnare, quasi ipsos Brocardi Articulos habuissent præ manibus, illos, inquam, unde Regulam formavit Albertus.

25 Superest, ut respondeam postremæ tuæ, quam veluti incluctabilem mihi objicis, auctoritati, meorum scilicet Magistrorum, Bollandi atque Henschenii. Magnifice omnino ostendis quædam, veluti eorum verba ac testimonia, ex Vita S. Telesphori 5. Januarii: hanc tamen optime nosti ipsorum non esse opus, sed vestri Zegeri Pauli, nulla alicrutrius littera vel syllaba auctum, testantibus id palam & clare per litteras capitales titulis; VITA AUCTORE R. P. SEGERO PAULLI ORD. CARM. THEOLOGO, ac, NOTÆ EJUSDEM R. P. SEGERI PAULLI IN VITAM S. TELESPHORI. Quomodo sic compositam Vitam & talibus Notis auctam, initio studiorum horum, induci in suum opus Bollandus permiserit, & quomodo superveniens mox Henschenius, eamdem improbaverit, aliaque huc spectantia, dedi legenda Art. 11. §. 8. Nunc vero etiam miror, quod P. Bonæ-spei parte 1. Armamentarii num. 794. non solum duos istos nominet illius Vitæ auctores; sed etiam me, necdum octennem cum ista imprimebatur. Adeo nihil pensi est adversariis meis, quid temporibus ac rebus congruat, considerare, modo aliquid inveniant, vel invenisse se putent, in quo ipse mihi videar contradicere.

26 Est tamen in istius Accusationis Tuæ, Rev. Pater, parte postrema verbum unum, quasi neglectim positum a Te, a me tamen nequaquam neglectim prætermittendum, pro eo quo teneor studio veritatis, etiam ex ore maledicentis gratanter suscipiendæ. Scripseram ego in Vita Alberti 8. Aprilis num. 56. quod *Præfationem seu Rubricam* prænotatam, *velut ab antiquo editam & antiquarum Constitutionum primam*, *allegant Joannes Bacconus*, *qui anno* 1330. *floruit*, *& Bernardus Obierius*, *sub Urbano VI. Magister generalis*; *Josephum quidem Antiochenum non nominantes*, *sed ipsa fere allegantes verba*, *quæ ibi allegantur*. Bacconum & Obierium, sive (ut Lezana appellat, Olensem, ut Tu, Olivium) equidem nec habeo, nec vidi, nisi citatum a vestris; neque jam recordor amplius, ubinam ante hos viginti annos, sic eos citatos legerim, ut Josephi Antiocheni nomen non exprimant. De Baccono tamen cum nihil replicetis, assentiri videmini; ab Olierio præteritum nomen negatis: sed easdem plane forma, qua Ribotus expressit, expressum dicitis.

27 Hoc ego malim vobis asserentibus credere, quam vobiscum causa tam levi contendere. Ex hoc enim solum sequetur, quod Olierius, annis octo post Ribotum scribens, hujus textum integre transcripserit. Cum autem Ribotus non dicat se locum Josephi transcripsisse ex Præfatione veterum Constitutionum, nescio, quare credere debeam, Bacconum & Olierium dicta verba allegasse, veluti accepta ex *antiquarum Constitutionum prima*, & quidem velut conditarum

a Brocardo. Hoc igitur dicto loco expunctum vellim, æque ac verba ista *Josephum quidem non nominantes*: & hanc correctionem Tibi, Rev. Pater, libenter acceptam refero. Eadem opera ibidem deleatur Parenthesis, qua dicitur, quod Præfationis sæpe dictæ pars *altera manifeste Sorethi est*. Nam *Mare Magnum*, quod in ea allegatur, sex annis post Sorethi obitum prodiit; adeoque istius quoque partis auctor vel saltem interpolator censeri debet Fr. Joannes de Novalaria, impressionis totius curator.

28 Finire responsionem poteram, relinquens Tibi onus vestigandi veram ætatem tum dictæ Præfationis, pro ea qua Josephus Antiochenus allegatur parte; tum ipsiusmet Josephi. Neque possem tantum, sed etiam vellem hic finire; nisi suspicarer, quod etiam de titulo *spurii vitulaminis*, quo librum ipsum notavi, movere mihi invidiam voluerit, saltem apud vulgus imperitorum, fœdum quid in voce *Vitulamen* cogitantium. Sciant ergo tales, quod S. Ambrosius, Epist. 7. ea voce etiam ad laudationes utatur cum ait; *Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar? quæ, tamquam nobilia vitulamina pullulantes, ad mortem, quasi ad immortalitatem festinaverunt*. Nihil certe mihi aliud est hic *spurium vitulamen*, quem liber alieno, non quidem nomini (hoc enim nihil vetat vere scriptum credi) sed tempori suppositum ab iis, qui quam antiquissimum credi Auctorem cupiebant, & totius commenti ignaros multos sola sui nominis auctoritate ad sibi credendum induxerunt, nullo idoneo teste, ac ne verosimili quidem argumento aliquo in sum favorem adducto, prout satis superque probasse me puto.

§. IV. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra communem Ecclesiæ sensum, cum Natali Alexandro & Paschali Quenel, ab Ecclesia damnatis, negat S. Athanasium composuisse Symbolum, Quicumque vult, *& tractatum de Virginitate*.

RESPONSIO.

29 DE Natali Alexandro egi loco plusquam uno. De Quenellio prolixior sermo texendus invenietur ad finem hujus Paragraphi, ne diutius suspendatur Lectoris animus, scire cupidus, quid ego scripserim sentiamque de Symbolo QUICUMQUE VULT, quod nunc accusor, S. Athanasio abjudicasse. Hoc me fecisse non diffiteor, neque etiam nunc aliter sentire possum: non tamen ad hoc permotum me agnosco sola auctoritate Quenelli, (neque enim sola recentiorum auctoritate soleo in rebus antiquis definiendis moveri) sed deductis ab eo rationibus persuasum me fateor, ut id, quod in dubium vocare nulla mihi antea cogitatio suggesserat, mutandum crederem; & Quenellii circa argumentum hoc dissertatiunculam dignam ducerem operi nostro adjungi. Id vero censui, & ipsam imprimendam dedi aliquos annis prius, quam Romæ censuraretur Quenellii opus.

30 Hoc autem jam censurato, non ideo putavi retractandum quidquam in Appendicibus ad tomum Majum, anno 1688. compositis; eo quod jam cognovissem, non istud fuisse, quo Romanam censuram meruerat, & quia tot jam annis prodierat nemo (si meos Accusatores excipias) qui Quenellii sententiam suscepisset refutandam. Cum ergo in novo Ismaele invenissem, non hunc, sed mihi objectam SS. Augustini & Thomæ Aquinatis auctoritatem, utramque mihi examinandam duxi in mea post tomum 7. Appendice: & ad Augustini quidam verum sensum secernendum ab alieno, satis habui ejus verba integra protulisse, auctoresque aliter eo usos excusare: ad Divum autem Thomam respondi verbia ex Natali Alexandro, acerrimo utique Thomista, sumptis; scilicet, non eamdem in Historicis quam in Theologicis esse sancti Doctoris anstoritatem, qui Scholasticorum more satis habuerit, id quod dogmatis erat definire, non requirendo veritatem in exemplo.

31 Quod ego feci, fecit etiam Card. Ursinus, & ante eum fecerat Mabilio (sicut dixi Act. 9. n. 28.) asserens, quod, *Symbolum* illud *Athanasii non esse, eruditissimi plerique consentiunt, quamvis cujus determinate sit Auctoris, inter se non consentiant*. Si quæras, Pater Rev. quinam sint *eruditissimi illi*, uti ex ma soles contemptim quærere, interroga Cardinalem Ursinum; ætatem habet, & vivit, ac scribit, satis securus, non ideo se Romæ redarguendum, quia hoc scripserit; neque tamen obligatus nominare omnes quos novit sibi consentientes, quamdiu sententiam suam publici juris non fecerunt. Quod autem mihi crimini verti non debeat, tali casu semel nominasse Natalem Alexandrum, cujus (quia Thomistæ celebris) plus ibi valere auctoritas poterat, confidere me facit Supremus per Hispaniam Inquisitor D. Rocaberti, in iis ipsis libris, in quibus Alexandri castigat excessos contra Pontificiam auctoritatem, alia ejusdem loca, veluti censuræ nulli obnoxiis ad quæstiones historicas identidem utens, non obstante prohibitione sibi notissima. Scio etiam totum Ordinem Dominicanum non parum laborare apud Apostolicam Sedem, ut opus, Historiæ ecclesiasticæ studiosis commodissimum, corrigatur in iis ubi offendit, & usui publico [1] restituatur.

32 Rationes quæ viros illos eruditissimos moveant, non debeo ex Alexandro resumere, brevius & magis cribratas eas exhibec Casimirus Oudin, Presbyter veteris instituti Ordinis Præmonstratensis, [2] in Supplemento de scriptoribus vel scriptis ecclesiasticis a Bellarmino omissis, ad annum 1460. edito Parisiia sub annum 1686. ubi pag. 32. sic habet;

33 Symbolum Athanasii. *Quamvis S. Athanasii Fides vel Symbolum vulgo appelletur, non est tamen opus Athanasii, ut recte censet Dominus Godefridus Hermant, Bellovacensis Canonicus, in suis Observationibus ad Vitam S. Athanasii Gallice editam (anno 1672. tribus annis ante Quenellii Leonem) Prima enim hujus operis scriptor aggreditur expresse Nestorii haresim, naturas in Christo confundentem, quod omnino convenire non*

potest

[1] Id præstitisse videtur P. Constantinus Roncaglia in sua Natalis Alexandri editione Lucensi, in qua adnotationes sæpe sæpius adjecit ad ca, in quibus peccasse visus est Natalis, castiganda.

[2] Dolendum enimvero doctum hunc Monachum a Romana Ecclesia descivisse. Apostata prægrandem de Scriptoribus Eccles. commentarium tres in tomos distributum edidit, in quo, ut multa sint, quæ eruditis placeant, plurima sunt quæ Catholici homines risu excipiant. Specimen habeto in tabula Joanne Papissæ, quam infelix ille instaurare conatur. Vide Bollandianos ad Vitam S. Leonis Papæ IV.

potest S. Athanasio, mortuo longe ante ortam Nestorianorum insaniam: unde hujus Symboli auctor non potest esse magnus Athanasius. Secundo. Omnia hujus Symboli manuscripta Græca exemplaria variant, Latina vero concordant sibi invicem: quod indicium est auctorem hujus operis non esse Græcum, sed Latinum. Ergo non convenit Athanasio; optime autem convenire potest Vigilio Tapsensi Africano, qui illud ediderit sub nomine S. Athanasii. Tertio. Nullus ante Hincmarum Remensem Episcopum, qui seculo 9. floruit, meminit hujus Symboli inter Latinos aut Græcos. At quis credat tam nobile opus, si magni Athanasii legitimus fuisset partus, tamdiu latitasse in utraque Ecclesia? Unde ex tam profundo prolixoque silentio arguimus, auctorem hujus Symboli non extitisse S. Athanasium, sed sub ejus nomine, ad majorem applausum, fuisse a Vigilio Tapsensi [1] *confictum. Qui plura voluerit, adeat dictum Godefridum Hermantium,*

34 *Objiciunt. De hoc Symbolo videtur sumsisse S. Augustinus illud in Psalmum* 120. „ De hoc „ sole Pater S. Athanasius, Alexandrinus Epi„scopus, ita pulchre locutus est: Non factus, „ nec creatus, sed genitus, *ut ante Bellarminus. Hoc sane argumentum esset validum, si auctoritas allegata legeretur apud Augustinum: sed jam olim Lovanienses annotarunt, hoc nullatenus legi in manuscriptis omnibus a se visis divi Augustini operibus, quod ab aliquo otioso intrusum fuit in textum Doctoris sancti, ut huic Symbolo auctoritatem compararet. Idem annotant doctissimi viri Monachi Benedictini, qui suas in cœnobio S. Germani Parisiensis curas impendunt corrigendis ordinandisque S. Augustini operibus, ut ex editis constat.* Hactenus Oudinus; cui non puto fuisse ignotum, ex aliis genuinis D. Augustini operibus (puta Enchirid. cap. 36. & lib. 5. de Trinitate cap. 8. &c.) varia adduci loca potuisse, non parvam similitudinem verborum habentia cum verbis, in Symbolo QUICUMQUE relatis: sed mentionem eorum non credidit sibi faciendam, cum ad omnia pariter dici possit, mirum neutiquam esse, si plurium idem docentium eadem fere subinde sint verba: fieri etiam perquam facile potuisse, ut ex Augustino ea mutuaretur Symboli istius auctor, centum aut pluribus annis illo junior, qualis Vigilius Afer fuit: de quo etiam nunc inter omnes convenit, ejus esse XI. libros de Trinitate (quorum Symbolum *Quicumque* videtur esse compendium) in multis codicibus adscriptos S. Athanasio, ipsomet Vigilio ita verosimiliter jubente, non ad fallendum, sed ad significandum Athanasiano spiritu se agi contra hæreses, mysterium sanctissimæ Trinitatis obfuscantes.

35 Objectam sibi pariter divi Thomæ Aquinatis auctoritatem dissimulare maluit Oudin prælaudatus, quam id, quod omnibus in promptu erat, respondere. Multo minus curavit, quod Calvinus, in Confess. fidei Art. 5. cum vulgo loquens, prius quam hoc punctum ventilaretur inter eruditos, admittere se dicat *tria Symbola, videlicet Apostolorum, Nicænum, & Athanasii.* Ut autem movere non debebat Oudinum Calvinus, Symbolum QUICUMQUE Athanasio adscribens; sic neque ab eodem eidem abjudicando deterrere me, quod Theophilus Raynaudus noster, in opere de bonis ac malis libris, anno 1655. nullos alios adhuc noverat istius sententiæ auctores, quam heterodoxos, ideoque contemptim rejiciat *paucarum e paludibus Lemanicis coaxationes ranarum*; postquam vidi bonos Catholicos etiam convenire, & sententiam camdem firmis tueri rationibus: quibus & ego nixus, condemnam Te, P. Professor, ab Apostolica Sede quærentem, *sitne tam insolens supportabilis audacia.* Merito ego quæram, sitne *tam insolens supportabilis censura*; quæ multos viros eruditissimos mecum comparat num. 37. Lemanicarum paludum ranis, eo quod opinione priorum non vetustissima postposita, secutus sim pauciores recentiores, funditus originem illius opinionis scrutatos, quod priores non fecerunt, communi abrepti præjudicio.

36 Sed quomodo, inquies, Oudinus aliique non animadverterunt, objici sibi etiam posse Canonem illum, quem, in Divionensi quodam codice repertum, Sirmondus noster, eique consentiens Labbe discipulus ejus, tomo I. Conciliorum Galliæ, censuerunt referri ad Augustodunensem S. Leodegarii Synodum, habitam anno 670. annis 200. ante Hincmarum? *In ea*, inquis, videri potest facta expressissima mentio Symboli controversi, his verbis: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum, quod inspirante Sancto Spiritu Apostoli tradiderunt, & Fidem S. Athanasii Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.* Respondeo, quod existimaverint illi, *Fidem S. Athanasii*, istic non aliam intelligi, quam Symbolum Nicænum, Athanasio allaborante, & forsitan Secretarii scribentis munus implente, ordinatum; atque una cum Apostolico præcipi memoriter tenendum ab omni Clero. Hoc enim inter Officia, jam inde ab ejus Concilii tempore recitari, institutum fuit: quod de alio, QUICUMQUE VULT, dici non potest. Absurdum autem fuisset, hujus, cujus adhuc nullus usus erat, scientiam exigi potius, quam Nicæni, omnibus Dominicis Festisque majoribus sub Missa recitandi.

37 Ceterum, quamvis Canon iste alicubi inveniatur dictus, primus Canon Augustodunensis, incertum valde est, ad cujus ætatis Synodum ille pertineat. Nam, licet Augustodunensis sub S. Leodegario non habeatur integra, reservatis dumtaxat Canonibus iis qui spectabant disciplinam Monachorum; & licet præter hos videri possint editi etiam alii, spectantes ad Cleri disciplinam: non tamen continuo sequitur, eodem spectare Canonem istum, cum dubium nullum sit, quin plures Augustoduni, sicut illa, celebratæ sint Synodi diœcesanæ, quarum Acta & Canones perierunt. Sic enim ex Vita S. Hugonis Cluniacensis apud Severtium & Baronium, notatur Synodus Augustoduni collecta anno 1055. [2] cujus in Corpore Conciliorum nulla mentio, [3] nec apud Sirmondum, qui prænotatum Canonem primus protulit in lucem; cum ipsi videretur eo quoque referendus, satisque haberet

eum

[1] Aliter sentit vir Cl. Antonius Muratorius, cujus hac de re dissertationem egregiam habes inter Anecdota ab ipso pluribus abhinc annis vulgata. [2] Extat eadem vita tom. 3. Aprilis p. 659. Sed annus ille 1055. perperam notatus est. Pagius ad eum annum 2. 3. inter annum 1060. & annum 1072. hoc Concilium collocat, Severtius, Jacobus Jo: Chifletius, & Sammarthani ad an. 1072. illud referunt, Cossartius vero in notis ad illud Concilium anno 1065. coactum putat. [3] In Veneta Conciliorum editione hujus Synodi fit mentio tom. 12.

eum sequestrasse ab aliis antiquitus notis, absque ulteriori aliqua reflexione, utrum de Nicæna fide vel symbolo QUICUMQUE id intelligi deberet. Quamquam enim de postremo nulladum esset mota quæstio, an Athanasii esset; si tamen animum eo advertisset Sirmondus, nullus dubito quin monuisset, Canonem istum de Nicæno Symbolo intelligi potius, quam de QUICUMQUE, propter immediate prægressam mentionem Apostolici, & necessitatem ejus memoriter tenendi, quam de symbolo QUICUMQUE nemo fuisse cogitaverit, sicuti nec modo ulla est, utpote semper solito (ut etiam nunc fit) ex codice legi vel cantari.

38 Hactenus refutatæ Accusationi adjungitur alia, manifestius injusta: *Papebrochius negat, S. Athanasium* [1] *composuisse tractatum de virginitate*. Ubinam ego id sic absolute nego? *Tomo* 5. *Maji*, inquis, *pag.* 234. Legamus verba: *Mihi insuper suspectus est tractatus* de Virginitate seu de exercitatione Virginis, *ratione styli* (*ut mihi quidem videtur*) *diversi*. Si ego negem, Pater Rev. Te Athanasii opera in suo fonte Græca legisse, ut dijudicare possis ejus (de quo agitur) tractatus stylum, parem esse aut similem stylo aliorum ejus operum, negabo id fortassis cum veritate, plus quam moraliter certa; plus tamen negavero, quam possim sustinere, necdum certus quam multum aut parum Græcæ linguæ scias; etsi merito suspicer ejus te scire vel nihil vel parum, minus autem operæ posuisse in cognoscendo S. Athanasii stylo. Potuit, inquies, Bellarminus, Græcæ linguæ scientissimus. Scientissimum Græcæ linguæ fuisse Bellarminum scio, operæ aliquid posuisse, ut ex stylo dignosceret opera Athanasii, ab aliis ei forsitan præter veritatem adscriptis, nec ipse profitetur, nec ego ex aliis ejus operibus possum deprehendere, gratias habiturus ei (nec enim legi omnia) qui hoc ostenderit.

39 Quid autem circa Athanasium, & ipsum de quo agitur tractatum, fecit Bellarminus? *Pro vero*, inquis, *Athanasii fœtu tractatum illum agnoscit lib. de scriptoribus Eccles. an.* 340. *asseritque, Erasmici genii levitatem esse, sanctis Patribus rapere libros ob styli diversitatem*. Nihil tale loco citato lego: sed invenio indiculum operum Athanasii, huic seu vere seu falso attributorum, prout habentur divisa in tomos quatuor: Indiculo autem Tomi tertii subjunctas invenio Observationes quatuor, quibus Athanasio adjudicat unum, alias dubitabilem; abjudicat e contrario omnino quatuor ex relatis supra; idque ex argumentis fere negativis, quæ tu, Rev. Pater, tantopere soles explodere. De tractatu autem hic controverso, de quo non ignorabat dubitasse Erasmum, nullum verbum habet, nedum de genio Erasmi, saltem hoc loco; quasi ob ejus auctoritatem maluerit, suspendere suum de libro illo judicium, quam opus suscipere refutandi Erasmum, cujus judicium in talibus sciebat tum apud Doctores Lovanienses in Augustini editione, tum apud litteratos passim æstimari; felicis futuri, & gratiam conservaturi, quam etiam apud Romanos Pontifices acquisiverat, si in dogmatibus fidei ac morum cautior non nimium Luthero tribuisset.

40 In Theophilo Raynaudo ea legeris, Rev. Pater, quibus *Erasmicam Rubricam* culpas: allatis enim a Te verbis ille utitur, agens de libris S. Augustino suppositis tom. XI. pag. 273. & defensurus contra Lovanienses librum de Trinitate & unitate Dei, passim Augustino adjudicatum, propter *majorem styli facilitatem quam soleat esse Augustini*; ipsos Lovanienses increpans dicit: *Quid vero tricantur contra Stylum, nimium quam fallacem sæpenumero, in abjudicandis operibus vero parenti, rubricam Erasmicam?* Hanc tamen Rubricam secuti sunt Bellarminus atque Possevinus, ipsomet fatente Theophilo, & nuperi Benedictini Parisienses, nihil Rubricam Raynaudicam morati. Censura Lovaniensium to. 4. in Appendice hæc est: *Incerti auctoris liber, in quo passim apparent fragmenta, quæ decerpsit ex Augustini libris. Stylus est facilior quam Augustini, interim vix bene Latinus: nam capite 3. commisit manifestum solœcismum.*

41 Admonitio autem Parisiensium in eumdem librum ita legitur: *Distributus olim fuit in tredecim capita, quorum posteriora novem, contractum interpolatumque omnem fere librum Augustini contra sermonem Arianorum, dictis eorumdem hæreticorum sine distinctione positis, continebant: capita autem priora, quæstiones aliquot Dialogi Orosii, qui in 6. tomi Appendice est, decurtatas & depravatas referunt; ut verisimilius sit, hunc librum ex Dialogo, quam ex hoc libro Dialogum, locupletatum fuisse. In ea porro Dialogi parte, quæ huc translata est, verba Augustini nonnulla reperies. Illud exempli gratia, quod legitur in cap. 3. & in quæstione dialogi 9. si Spiritus filius diceretur, amborum filius diceretur: nullus autem filius est duorum, nisi &c. descriptum est ex tractatu 99. in Joannem: & ex lib. 15. de Trinitate. Altera parte capitis ejusdem tertii exhibentur breviora quædam, excerpta ex libro 2. de Trinitate. Tandem caput 4. sumptum est ex libro quæstionum de novo Testamento, quæstione 93. qui quæstionum liber in Appendice primæ partis Tomi 3. extat.* Hucusque de verbo ad verbum in appendice Tomi octavi Benedictini Parisienses, cum quibus te, Pater Rev. confligere patiar, si velis porro contendere, quod liber iste sit genuinus S. Augustini fœtus.

42 Digressio hæc, ad librum de Unitate & Trinitate Dei, ab Augustini operibus removendum contra Raynaudi sententiam, eo facit, ut intelligas, Pater Rev. non omnia, quæ ille censuit, pro evangelio Jesuitis habenda. Audiunt hi etiam alios, eique adhærent, pro quo firmior stare videtur ratio: quæ in præfato casu stare videtur contra Raynaudum pro Lovaniensibus & Parisiensibus, penitus causam reprobandi scrutatis. Redeo ad Tractatum de Virginitate, quem composuisse S. Athanasium negare me dixisti in titulo. Ego de hoc tractatu definivi nihil, solum fassus sum suspicionem; quæ aliud indicare non solet, quam formidinem, ut satis certum sit quod asseritur; & talis suspicio, ratione aliqua probabili nixa, qualis subest in casu, non solet obnoxia esse reprehensioni; cum tantum indicet desiderium certioris scientiæ, quam si quis suggerat, promptius sit aliquis suspicionem deponere. Sic Godefridus Hermantius, libro 15. de Vita Athanasii cap. 14. agnoscit quidem in Tractatu de Virginitate stylum minus quam aliorum operum Athanasii sublimem: *Sed hic*, inquit, *character ordinarie servari solet in constitutionibus & ordinationibus istius generis*. Verum, si id

[1] Vide Mont-fauconianam S. Athanasii editionem.

ſi id ita eſt, cur eum non tenuit Athanaſius in *Exhortatione ad Monachos*? De hac dubitat nemo, quin ejus ſit, quia nihil a ceteris diſcrepat ſtylus.

43 Nunc quod initio promiſi, venio ad Quenellium, a me (ut equidem exiſtimo) innoxie allegatum productumque in quæſtione de Symbolo, communiter dicto Athanaſii. Ac primum dico, quod primus Tomus Maji, ex cujus Appendice ſumpta eſt Accuſatio propoſita in titulo, impreſſus eſt tribus vel quatuor annis, poſtquam publicatum Romæ fuit decretum, numquam mihi viſum, numquam in Belgio ab Epiſcopis publicatum, ſed ex Indice prohibitorum anni 1683. nunc diſtinctius notum, quo prohiberi dicuntur, *Paſchalis Quenellii Presbyteri, Diſſertationes, Notæ, Obſervationes, Emendationes, Interpretationes, Annotationes, Poſtillæ, ad S. Leonis Magni opera; & ad Codicem Canonum Conſtitutorum Sedis Apoſtolicæ*. Hujuſmodi prohibitio, ſic intellecta, nonnihil ſolicitudinis mihi ingeſſit, ſimul & deſiderium ſciendi, quæ cauſa Romanis fuerit proſcribendi operis, tota Gallia æſtimatiſſimi, & propter Chronologicum Epiſtolarum S. Leonis ordinem, numquam antea explicatum, pene neceſſarii hiſtoricis omnibus, ſancti Pontificis Acta & ſcripta quandoque citaturis.

44 Rogavi ergo R. P. Petrum Poſſinum, virum ab eruditione ac pietate Romæ ſingulariter tunc carum omnibus, litterarum præſertim ſacrarum amantibus, quem ſæpe in talibus ſciebam a Sacrarum Congregationum Præſidibus & Aſſeſſoribus conſuli, ut cauſas prohibitionis (ſi noſſet) indicare dignaretur. Reſpondit autem is 10. Februarii in hæc verba: *De cauſis damnationis Notarum Paſqualis Queſnel in S. Leonem, tam audio fuiſſe, quod in diſſidio ſanctorum Hilarii Arelatenſis & Leonis Papæ, hunc & Sedem Apoſtolicam lædat, & veram juriſdictionem Romani Pontificis in Patriarchas neget, contendens judicia Romani Pontificis de cauſis Patriarcharum, in hiſtoria Eccleſiaſtica relata, non ad legitimas appellationes reddita fuiſſe, ſed ab ultro electo a partibus arbitro prolata*.

45 Hanc ego notitiam, a tam gravi tamquam certo auctore acceptam, nequaquam retinui otioſam; ſed cum neceſſarium exiſtimarem prædicti S. Hilarii Vitam, ab Henſchenio illuſtratam Tom. 2. Maji ex manuſcripto Reginæ Sueciæ & Vincentio Barali, conferre cum ea quam ediderat Quenellius ex Arelatenſi in Appendicibus tomo 7. edendis, ad Henſchenianum Commentarium adjeci Paragraphum alterum, quo quæſivi, *quando, a quo, & qua certitudine* ſcripta illa Vita ſit, negavique S. Honorati Maſſilienſis opus eſſe, ſub cujus nomine circumferebatur. Tertio deinde §. propoſitum habens quod cavere deberem exemplum, conatus ſum eam inter duos Sanctos controverſiam ſic tractare, ut neque Leonis juſtitiæ detraherem quidquam, & Hilarii conſcientiam quam minime fieri poſſet gravarem, ſub hoc titulo, *Crimina S. Hilario a S. Leone impacta, quæ & quatenus excuſari poſſint*.

46 Id quomodo præſtitiſſe me putem, intellige ex Synopſi marginali, quæ ſic procedit. *Indiſcreto ſui juris tuendi zelo ductus Hilarius, arguitur a Leone, non quaſi in aliena provincia Celidonium depoſuerit, ſed quia ejus ad Pontificem appellationi non ſatis detulerit. Videtur Celidonius iſte non fuiſſe Epiſcopus Veſontionenſis, ſed aliquis ipſi Hilario ſubjectus: cujus cauſa fuerit ambigui juris, potius quam facti, in qua aliter Hilarius cum ſuis, aliter Leo cenſuerint; Hilarii vero pertinacia culpa letali caruerit. --- Projecto Epiſcopo invito ſuperordinatus ab Hilario ſucceſſor, & quidem in aliena provincia, excuſari nequit, ſi vera referuntur. Sed illa provincia videtur fuiſſe Alpium maritimarum, quam Innocuus Metropolita Ebredunenſis Hilario ceſſerat, propter continuas incurſiones barbarorum: Hilarius vero, vacantibus Eccleſiis providens, per Epiſcopos, in eum finem a ſe ordinatos, ex falſa de Projecti obitu fama, huic improviſo adduxerit ſucceſſorem. Appellationes autem Romanas non recuſaverit agnoſcere, ſed ſolum voluerit non ſuſpendere ſententias in Gallia latas, & harum reviſiones a Pontifice appellato in Gallia conſtitui: qua ejus duritia merito offenſus fuit Leo, male in hoc ſugillatus a Quenellio*.

47 Ex dictis clare (niſi fallor) intelligitur, primo, quam longe abſim a ſequendo Quenellio [t], in iis quæ contra jura & prærogativas Sedis Apoſtolicæ, in favorem S. Hilarii & reprehenſionem S. Leonis, fidenter nimis judicatur diſſeruiſſe. Intelligitur ex ibidem dictis ſecundo, numquam me conatum, *poſt duodecim ſecula, ſine ſcripturis in favorem S. Hilarii ejus innocentiam convincentibus, reprobare ſententiam ſummi Pontificis, in publica Synodo, reo præſente*, quemadmodum Romæ mihi objici intelligo; iiſdem veroſimiliter ſuggerentibus, qui poſt oblatam Exhibitionem errorum, mihi nova ex Belgio gravamina intulerunt, ipſius Exhibitionis defectus suppletura, & novis accuſationibus veteres roboratura. Hanc ergo ob cauſam paulo prolixius controverſiam deduxi; ſimul etiam ut pateret mala accuſatorum fides; atque hoc exemplo moniti Romani Cenſores ſuſpendere judicium velint ſuper iis, quæ in hac Reſponſione non invenient refutata, quia non objecta a P. Sebaſtiano. Dignentur obſecro illi (id quod omnis ratio æquitatis poſtulat) ſuper illatis accuſationibus audire me; neque ſatis habeant libros noſtros obiter inſpicere, atque in iis utcumque legere puncta delata. Hoc ſi meruero impetrare, confido futurum, ut ex ipſis meis verbis, bene expenſis, alium omnino ſenſum percipiant, quam ex præjudiciis, me non audito formatis, antequam eis diluendis potuerim Reſponſiones haſce ſubmittere.

48 Non ego omnia diluenda ſuſcepi, quæ in hac controverſia viſus eſt peccaſſe Hilarius, & circa quæ diſcutienda nullum novum vel antiquum ſuppetebat inſtrumentum: duo præcipua puncta, in quibus totius cauſæ cardo vertebatur, expendi, & in utroque *indiſcreto zelo* abreptum dico Hilarium, atque cum ſuis complicibus Epiſcopis nimis pertinaciter ſuſtinuiſſe cauſam contra Celidonium; quæ cauſa, ut prius viſa ſit dubii juris, poſt ſententiam tamen Synodi deſinebat eſſe talis; & licet Hilarii in hoc pertinacia veroſimiliter vacaverit culpa letali, non tamen omni culpa vacaſſe dicitur, quando metuens ne cogeretur latæ pro Celidonio ſententiæ ſubſcribere, Roma profugit. Nihil enim ultra contra Celidonium eſt molitus, quantum quidem colligimus ex S. Leonis epiſtola, qua ſatis habuit Epiſcopis Galliæ indicare, quid eſſet Romæ actum, abſque ulteriori contra proceſſu:

ad

[t] Roncaglia tomo 5. Natalis Alexandri ad cap. 5. art. 8. p. 187. Quenellium egregie refellit.

ad quem tamen fuisset opus devenire, si non solum in sua opinione pertinax Hilarius, sed etiam inobediens sententiæ Synodi, contra eam aliquid fuisset operatus. Hinc in titulo consulto quæsivi, *Quæ ejus crimina & quatenus excusari possint?* Aliud enim est, non peccasse mortaliter (id quod de Episcopo, judicato communiter ab Ecclesia Sancto, præsumi potuit, imo debuit, judicium internorum relinquendo cordium scrutatori Deo) aliud, omnino non peccasse. Hoc ultimum si voluit Quenellus sustinere, ei me profiteor consentire, neque velle, neque posse.

49 Ad Leonem quod attinet, justam omnino causam prosecutum, nolo equidem dubitare: sed in isto fervore contentionis, Pontificem, licet sanctissimum, vila tanta Hilarii pertinacia nihil humani passum, quis cogetur credere? Numquid non videmus Eugenium IV. sedatiori post schisma extinctum animo commendasse Amedeum Sabaudum; & quem antea appellaverat *filium damnationis*, postea multis laudibus extulisse? Eugenii vero successorem Nicolaum retractasse acta contra personam? Hoc sane etiam a Leone meritum crediderim Hilarium, quando *in civitatem* suam Arelaten *regressus, totum se ad placandum animum S. Leonis inclinato humilitate convertit*, sicut in ejus Vita legitur; & sicut ei ut faceret suaserat Auxiliaris, Urbis Romæ tunc Præfectus, & omnium in judicio actorum oculatus testis; nempe, ut Romanos placaturus, se demitteret in *quamdam teneritudinem*; quamvis profiteatur, quod *nullum ejus factum arrogantiæ meminit contagione fuscari*. Ego tantum Hilario non concesserim: puto tamen ex tali testimonio excusationis aliquid elici posse, quo præsumatur saltem non peccasse mortaliter.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius librum de institutione Monachorum, in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, negat conscriptum esse a Joanne Patriarcha XLIV. *Hierosolymitano.*

RESPONSIO.

50 QUod neque solus, neque primus id negem, prout ex modo accusandi tuo Rev. Pater pronum est intelligere, non est necesse, ut Paternitatem Tuam doceat aliquis, satis utique id scientem, & solum me criminari volentem. Operæ pretium tamen fuerit alios, controversiæ totius ignaros, id discere ex nostri Philippi Labbe Dissertatione Historica, de Scriptoribus Ecclesiasticis, Parisiis edita totis quindecim annis post Wastelii Vindicias, pro isto libro Bruxellis impressas, & post Lezanæ Annales Carmeliticos Romæ vulgatos. Prius tamen quam ex Labbeo doceam, qui quamque critici præfatum librum Joanni isti abjudicarint, accipe ex eodem, quæ certiori antiquiorique notitia de ipsomet Joanne sciri possunt. Sic ergo orditur prælaudatus scriptor: „ *Joannes post Cyrillum Hierosolymitanus Episcopus* XLIV. (ego, qui unicum, non tres Cyrillos numero, solum XLIII. dixerim) *ab anno* 386. *ad* 416. *Chrysostomo, Augustino, atque Hieronymo coætaneus, accusatus a multis tamquam doctrinæ Origenis defensor, conscribere coactus est (teste Gennadio cap. 3. Catalogi) librum adversus obtrectatores studii sui, in quo ostendit, Origenis se ingenium, non fidem secutum.*

51 Præter hunc, quem dixi, librum alius nullus Joannis istius liber nominatus fuit, usque ad seculum XIII. ab aliquo vero aut ficto auctore: quare nonnulli, constricti silentio iam diuturno, nec tamen dimittere volentes sibi aliisque earum librum de Institutione Monachorum, suadere conati sunt, eumdem esse, quem alias indigitaverat Joannes, *de studio suo*, licet in libro de Institutione Monachorum nulla Origenis mentio uspiam fiat. *Sunt quoque* (ut ait Labbe) *qui Pelagio favisse Joannem, contendunt, quos alii diffusius exagitant* ... *Tritbemius, qui Origenis dogmatibus nimium favisse intentum testatur, nec illi institutionem Monachorum aut alia, præter laudatum a Gennadio librum, & Epistolas ad diversos, attribuit.*

52 *Petrus Wastelius* .... *vocat Joannem Nepotem Silvanum, Romanis nobilibus editum, sororis Draconis filium, discipulum S. Pambonis, a parva ætate Theologum, amatorem B. Virginis; ex Abbate seu Patre Fratrum Eremitarum ejusdem B. Virginis de monte Carmelo* ... *Patriarcham Hierosolymitanum.* Ita scilicet suis indulgens conceptibus Carmelita iste, unum, sive *Episcopi Hierosolymitani*, sive *Patriarchæ* titulum, antiquitus repertum, quasi pilam per nives volutans, crescere facit in prædicata complura, ignota prioribus de Joanne scriptoribus; & dum illius levissime fundatas conjecturas ceteri nunc tradont mutuo velut certissima veritates, non ferunt quemquam in rebus suis, quibus nullum meliorem auctorem inveniat, conjecturas proponere ut conjecturas. Neque in titulis tantum multiplicandis, sed & in operibus fœcundus Wastelius, *Bruxellæ anno* 1643. *duobus tomis in folio, edidit* (ut ait Labbe) *opera* Joannis istius *omnia, quæ hactenus fuerunt omnibus eruditis scrutatoribus incognita; quaque, quacumque tandem ratione invenire potuerunt, in unum collecta, & tribus Vindiciarum libris asserta, emisit in lucem hoc ordine. Tomo* 1. *continetur Liber de institutione primorum Monachorum, in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium Monachum, interprete Aymerico Patriarcha Antiocheno.* De interprete, an opus fuerit aliquo, apparebit ex eo quod sentiunt prudentiores de Auctore.

54 *Hunc librum*, inquit Labbe, *a posteriori aliquo scriptore, eoque Latino fuisse Joanni Hierosolymitano suppositum, eruditissimi & acutissimi viri censuerunt. Baronius ad an.* 444. *n.* 17. *sic loquens*: „ Facessat de monachismo Cyrilli „ in Carmelo fabella; sicut & illa huic haud „ impar, qua traditur & Joannes Hierosoly- „ mitanus, Originista, fuisse etiam Monachus „ Carmelita. Sicut enim hæc leviter effingun- „ tur, ita & facile refelluntur. *Bellarminus de* „ *Scriptoribus pag.* 169. „ Hic liber videtur „ editus ab aliquo longe posteriore; siquidem „ in eo libro dicit auctor, se esse Ordinis Car- „ melitarum, & describit habitum Carmelita- „ rum: at his temporibus nomen Carmelita- „ rum erat plane inauditum ... Adde quod „ stylus est hominis Latini ac temporum po- „ steriorum. *Theophilus Raynaudus*. Hic etiam hic, tantus alias Patronus Carmelitarum, toties

mihi

mibi objectus objiciendusque? Imo etiem *Theophilus Raynaudut in Erotematis, quæ decennio post Wastelinuam editionem prodierunt*, enno scilicet 1659. adeoque & post tomum 1. Annalium Lezanæ, communicatis cum Wastelio studiis conscriptum vulgatumque anno 1645. *Ejus* (Theophili) *hæc verba adscribam*.

54 „ Mihi neque hic Joannes æqualis S. Hieronymo, neque ullus Græcorum veterum libri hujus auctor videtur. Stylus enim clamat auctorem esse Latinum, nec adeo antiquum, ut S. Hieronymi dici possit æqualis. Sed idem circa hunc librum, de Institutione Monachi, asserendum Joanni Hierosolymitano, apud scriptores Carmelitas obtigisse videtur, quod apud Augustinianos circa Sermones ad Fratres in Eremo, quos unanimiter FF. Eremitæ S. Augustino adscribunt, sicut unanimiter FF. Carmelitæ istum librum tribuunt prædicto Joanni, plaudente extra utrorumque cœtum nemine. „ Nemine scilicet eorum, quos Theophilus sub aonum 1645. noverat in Gallia Italiave eruditæ Critices æstimatione florentes. Alias ille satis noverat, librum ipsum, sicut Venetiis primum prodierat, & insertus erat Bibliothecæ Patrum anno 1607. ita citra operosam disquisitionem, simpliciter receptum a variis; in iisque censeri posse illustres aliquot Jesuitas, Possevinum, Suarez, Sanchez, Salianum, a Lapide; & ejusdem ætatis externis aliquot non ignobilibus addis, Rev. Pater, ex Lezana, Morigiem, Tapiam, Valentiam, Carthagenam, Acuniem, Torniellum, Marulum, Miræum, Trithemium,

55 Non lubet mibi inspicere singulos: de Trithemio jam dixi, eum in opere de Scriptoribus talis libri non meminisse. Nunc ex meo de Episcopis Hierosolymitenis tractatu num. 175. addo, eumdem Trithemium in libro de illustribus Viris Ordinis Carmelitarum, secundo quidem loco nominare *Joannem* 44. cujus extet *volumen insigne de principio & profectu Ordinis Carmelitarum* (utique ipsum de quo agimus librum) sed addire, quod *claruit temporibus Adriani Papæ I. anno Domini septingentesimo septuagesimo*. Quæ cum ille scripserit ex ipsarummet sui temporis Cermelitarum instructione, apparet quam etiam tunc fuerit Carmelitis incerta ætas illius prætensi scriptoris. Miræus in Bibliotheca pag. 51. relato Baronii & Bellarmini judicio, opponit judicium duorum Carmelitarum, quanti id faciat non definiens; pagine eutem 118. in gratiam Wastelii memoriam cœpti operis inserens Bibliothecæ, sic emico satisfecit, ut pro eo vadem non se præstaret, cum inquit, *quæ omnia ubi prodierint, eruditorum judicio discutienda relinquimus*. Magis favet Ferdinandus de Salazar, sub annum 1620. quo suum de immaculata conceptione opus edidit, Philippi IV. concionator, & summus Hispaniæ Inquisitor, priorem suam retractaos sententiam: quam ejus retrectationem Peternitas Tua præ omnibus vult velere num. 46. *Vidi*, inquit Ferdinandus iste, *& evolvi Monumenta non pauca; nihil tamen reperia quod non persuadeat, prædictum Joannem Carmelitam fuisse, & dictum de institutione Monachorum librum ab ipso conscriptum, atque adeo hanc sententiam libenter amplector, & gravissimo antiquissimoque Ordini, quæ sua sunt, libere restituo*. Digna sane viro cordato ingenuitas; sed qua nunc quoque movendum opinor si viveret, ut in primam suam opinionem rediret, expensis quæ hic expendimus singulis.

56 Sacri Apostolici Palatii Magister, Joannes Maria Brasichellensis, allegatur etiam a Raynaudo, atque ex tomo 1. Indicis librorum expurgandorum pag. 291. verba ejus recitentur in favorem sententiæ negativæ, quæ nostra est. Sed huic auctoritati sufficienter occurrere se putat Wastelius, in Vind. pag. 73. docens, quod Index ille ante an. 1612. *ob nonnullas justas causas suspensus fuit Romæ*, & reimpressio Belgice impedita. Sit ita sane: sed quoad Romanam impressionem videtur id esse relaxatum: siquidem in Indice anni 1683. solum prohibentur *Indices & Syllabi omnes particulares, extra Urbem absque auctoritate Sac. Ind. Congr. impressi &c.* Quidquid vero ea de re sit, aliud non volo (nec vellem, licet nihil tale accidisset) quam quod ultro concedit Wastelius, quod scilicet *index ille auctoritatem tenet privati scriptoris*. Non enim exiguæ notæ is fuit, sed *Magister S. Palatii*, cujus perspectæ ad ejusmodi discernende experientiæ curam demandaverat congregatio Indicem scribendi; quique (ut loquitur Pleitenbergius in Not. Congr. & Tribunalium Rom. p. 715.) *inter Consultores* duodecim istius Tribunalis *primarius* erat & *est*.

57 Suspendendi autem Indicis illius expurgatorii *justas causas* alias non oportet suspicari, quam quod (sicut ex post facto patuit, & sicut vidit Wastelius in præpareto ad novum prælum exemplo) quod, inquam, voluerit Congregatio, *ut omnibus probationibus cancellatis, tantum nudæ conclusiones imposterum vulgarentur*. Conclusio eutem in præsenti casu, quo a pag. 63. usque ed 297. indicentur expungenda in novem tomis Bibliothecæ Patrum, editæ a Margarino de la Bigne Parisiis an. 1583. hæc est. *Tomo 9. in Joanne Hierosolymitano Episcopo, Columna* 1241. *in inscriptione operis* (de Institutione Monachorum) *& deinceps in titulis paginarum, nomen Divi, præpositum Joanni 44. Hierosolymitano Episcopo auferatur*. Sequuntur rationes cur auferendum sit, ac deinde cur dictus liber non videatur posse credi esse Joannis prædicti. Has rationes non improbavit Congregatio, sed noluit eis sui nominis auctoritatem addere, ne & hic & alibi cogeretur pro iis respondere. Et hæc nunc est praxis Tribunalis istius, libros quidem sibi non probatos notantis, improbandi tamen rationes nullas reddentis. De tali praxi non est meum hic legere: satis est intelligere, bonum Wastelium ex ea nihil minus probare, quam quod censura Brasichellensis contra librum de Institutione fuerit reprobata.

58 Quod attinet novissimam Bibliothecæ Patrum editionem, Lugduni factam anno 1677. quam mibi objicis num. 44. in ea refertur liber iste cum titulo, non *Joannis* tantum, sed *S. Joannis*. Verum editionis curator, mirantibus non solum titulum, sed ipsummet librum editum inter seculi 4. Patres, respondit, nihil aliud sibi curæ fuisse, quam ut Coloniensem anni 1622. editionem fideliter sequeretur, additis quotquot eatenus ineditos potuit reperire. Colonienses autem istius impressionis curatores (licet & librum & nomen auctoris, nedum titulum *Divi*, Romæ censuratum, omisissent Parisienses in secunda ac tertia editione) eaidem in sua quarta restituerunt; sed additis omnibus ex Baronio & Bellarmino censuris, suoque ad eorum sen-

sententiam calcolo. Hoc si etiam Lugdunenses fecerunt, non habet Paternitas vestra, quod tali testimonio multum glorietur; apparet enim utrosque, suo illo judicio non obstante, librum recudi talem voluisse qualem acceperant, sollicitantibus verosimiliter iis, qui ex tali impressione aliquid sibi sperabant subsidii; plus licet merituri laudis, si sequerentur exemplum Benedictinorum, qui venerabilis Blosii opuscula duo, spiritualis vitæ documenta & speculum Monachorum complexa, sub nomine adoptivo *Dacryani*, id est, *Lacrymosi*, venerunt in editione 2. ac 3. recudi inter Patres octavi seculi, ad quos ipsum spectare censuerat Margarinus de la Bigne; & cum ipsum nihilominus recudissent Colonienses, caverunt ne idem denuo peccaretur Lugduni: nolentes scilicet venerabilis istius Abbatis lucubrationes dignissimas, auctoritatem emendicare ab antiquitate imaginaria.

59 Porro ut occasione novius libri, Joanni Hierosolymitano Patriarchæ per errorem nimiæque vetustatis amorem adscripti, appareat evidentius facilitas Carmelitarum, ad incertos vel anonymos libros certo alicui auctori citra certam probationem adscribendi, juvat Theophilum legere, præcitato Erotemate 10. sic progredientem: *Non est hujus loci pronuntiare de variis lucubrationibus, quas eidem Joanni Hierosolymitano supponit Wastelius bona parte voluminis: est enim res longioris operæ, & integrum volumen deposcentis, si omnia, quæ ille (conjectans plerumque & odora vi subolfaciens, ad aliquid aliis scriptoribus, præsertim Chrysostomo, abjudicandum; suo autem Joanni Nepoti adscribendum) profert, essent accurate examinanda: id quod alias fortasse præstabitur. Nunc attingo dumtaxat unum Wastelii fundamentum, ex usu solius Ecclesiæ Hierosolymitanæ proprio, legendi Evangelii inter Missarum solennia: unde quoties in aliqua homilia invenit tractatorem meminisse Evangelii tunc perlecti, colligit, homiliam istam esse alicujus Hierosolymitani: quæ illi, ad ditandum alienis plerisque lucubrationibus Joannem illum Nepotem, frequens est occasio. Etenim non fuisse unius Ecclesiæ Hierosolymitanæ morem legere Evangelium supra Sacrum, aperte liquet ex S. Asterio, ... S. Proclo ... S. Joanne Chrysostomo, ... S. Augustino ... Est igitur inane argumentum, quo Wastelius contendit homiliam esse alicujus Hierosolymitani tractatoris .... & hoc dato, unde habet Wastelius, homiliam alieni Hierosolymitano tractatori tribuendam, esse unius (Joannis Nepotis)? Nam ille solus sub Missa ad populum?* Est igitur grande istud Wastelii volumen, in quo ejus operis, quod unicum Joanni Hierosolymitano adscripsit antiquitas, apparet omnino nihil, totum (ut quam mitissime loquar) conjecturale, quod tamen totum vult demonstrativum censeri.

60 Quin & Philippum Labbe placeat audire super argumento jam tacto sic scribentem: *Monet idem Theophilus qui supra, eos qui Joanni Hierosolymitano adscribunt opus in Matthæum, Chrysostomo consertum, non probare quod dicunt: quod ad alia quoque quæ eidem tribuuntur, merito extendi debet: neque enim omnibus Vindiciæ* (Wastelii) *faciunt satis, quas strictiori aliorum censuræ permittimus. Suave porro est prorsusque mirandum illud argumentandi genus. Reperitur inter opera Chrysostomi alteriusve coætanei scriptoris hoc vel illud opusculum; quod viri docti abjudicant Chrysostomo, aut saltem dubitant, an genuinus sit illius auctor; ergo tribuendum est illud Joanni Episcopo Hierosolymitano, tamquam vero ac germano parenti. Quid vero si decem, si viginti, si triginta aut plura sint ejusmodi rejectanea, diverso stylo, tempore, locoque edita; omnia nihilominus Joanni Hierosolymitano, tamquam omnium orphanorum parenti ac curatori, adscribenda?*

61 Ita tamen casu nobis proposito factum videtur. Carmelita aliquis, nomine *Joannes*, ortu *Hierosolymitanus*, seculo 13. exeunte, cum jam aliquis litterarum cultus, & zelus illustrandæ originis Carmeliticæ, eatenus obscuræ, pullularet in Ordine, solicito quid responderet quærentibus, unde esset; *Joannes*, inquam, *Hierosolymitanus* aliquis, scripserit librum Latinum de *Institutione Monachorum*, secundum ideam non ita pridem formari cœptam: hunc suscipientes seculo 14. alii, deque ætate auctoris nihil notatum invenientes, antiquum autem esse ipsis dictante flagrante sua summæ antiquitatis cupidine, quæsiverunt, an inter antiquos scriptores inveniretur aliquis *Hierosolymitanus Joannes*, & reperientes ejus nominis Patriarcham primum, Episcopum vero post tres Cyrillos (qui revera solum unicus fuit) *quadragesimum quartum*, alias XLII. numerandum, asseruerunt ipsum libri istius esse auctorem; atque hoc ut facile susceptum fuit, quia honorificum videbatur & efficax intento fini, ita studiose mandatum est memoriæ posterorum, & nunc habetur pro certissima Ordinis traditione.

62 Hujus persuasionis in eaque fundatæ traditionis antiquiores testes adducis num. 30. Pater Rev. primo S. Albertum Legislatorem vestrum, ipso initio Regulæ sic præfantem: *Albertus Dei gratia Hierosolymitanus Patriarcha, dilectis in Christo Fratribus Brocardo & ceteris Eremitis, qui sub ejus obedientia juxta fontem in monte Carmeli morantur.* Verba novi, & sæpius legi, imo excudi feci aliquoties; sed non capio, quomodo ex iis (sicut Tu asseris) *evidenter pateat, ante Albertum habuisse Regulam aliquam & formulam vitæ religiosæ, quam a Joanne Patriarcha Hierosolymitano nimis prolixe præscriptam observarunt usque ad Alberti tempora.* An ego totus cæcus sum, qui istius evidentiæ nihil videam? Quæ obsecro consequentia hæc est? Vivebant sub obedientia Brocardi, ergo vivebant sub Regula a Joanne præscripta? Sanctimoniales illæ Africanæ, quas alloquens S. Augustinus in prooemio Regulæ sic enuntiat; *Non desiderabitis mutare Præpositam, quæ in monasterio illo per tam multos annos perseverante, & numero & ætate crevistis*; illæ, inquam, Sanctimoniales habebantne *aliquam formulam religiosæ vitæ*, antequam hanc eis scriberet S. Augustinus? Habebant omnino; sed usu & observantia institutam, non scriptam. Cur ergo evidens fit, scriptam eam habuisse Eremitas ad Fontem, prius quam suam scripsit Albertus? Et isti, quos successive ab Elia deductos per tot secula credisis, Carmelitæ, non potuerunt vixisse sub unius electi a se Præsidis obedientia, nisi Regulam ab Elia scriptam accepetint? Pudet hæc docere Professorem emeritum.

63 Secundus Tibi testis est S. Cyrillus, Brocardi successor, in Epistola, Regulæ Albertinæ præfixa. Sed hanc Epistolam scis a me non recipi

cur

cur autem non recipiam, dicendum erit §. 12. ubi propriam pro ea accusationem instituis: istic ergo responsum exspecta. Sequuntur *Joannes de Cimineto, qui floruit circa annum 1336. .... Armacanus, Hiberniæ Primas, circa an. 1341.,... Joannes de Vineta, mortuus an. 1363. .... Joannes de Malinis, qui floruit circa an. 1360.* omnes (si Armacanum excipias) Carmelitæ, an autem etiam lecti a Tua Paternitate, vehementer dubito. Armacanum certe non legisti, neque citare potuisses, nisi apud Thomam Waldensem citatum invenisses; qui titulo Episcopatus, & nomen noti sibi amici subticens, tibi tuisque omnibus divinandum reliquit, quis ille fuerit. Hanc igitur gratiam vobis faciam, & ex Joannis Waræi Equitis aurati Commentario de Præsulibus Hiberniæ, qui prodiit anno 1665. docebo Te, quod *Richardus, filius Radulfi, aliis Richardus Radulfus, ex S. T. Doctore Oxoniensi & ejus Universitatis Cancellario, a Clemente VI. provisus Archiepiscopus Armacanus, consecratus est Oxoniæ anno 1347. Theologus doctissimus, & in concionibus assiduus, partim Londini & alibi, partim Avenione per triennium, quo ibi hæsit citatus a Guardiano Minorum Ardmachæ, propter novem Conclusiones (ut loquitur in suo Defensorio Curatorum) quas Londini habuisse accusabatur contra Ordines Fratrum Mendicantium; Avenione autem decessit, priusquam tempestates istæ sedatæ fuerunt, 16. Kal. Decem. 1360. Ossa ejus a Stephano de Valle Midensi Episcopo circa annum 1370. Dundalkam (ubi natus est, & titulo S. Richardi de Dundalk innotuit) translata dicuntur. Tanta porro fuerunt illi virtutes, tantaque miracula ei adscripta, ut postea Bonifacius IX. ea examinari jusserit.*

64 Hæc Summa Waræi, addentis se habere Manuscriptum librum ipsarum concionum, in Anglia, Hibernia, Gallia pronuntiatarum, inter quas etiam fuerit sermo de Immaculata Conceptione, quem Waldensis allegat, ut habitum Avenione in Conventu Carmelitarum anno 1342. cum auctor solum Cancellarius Oxoniensis esset. Ibi ille dicit, quod Carmelitæ (uti tunc scilicet credi volebant, & Armacano examinare non erat propositum) a Joanne Hierosolymitano Patriarcha *regulam vivendi communiter, Sanctorum Paulini & Basilii susceperunt .... Græce scriptam*, & *pleniore sub Alberto, iisdem Patriarcha, forma digestam ... qui item Joannes tempore Arcadii & Honorii Imperatorum, ad Caprasium Monachum montis Carmeli, de peculiaribus gestis Carmelitarum (quod hactenus translatum in Latinum habetur) volumen descripsit; in quo secundum veritatem Historiæ ingentem confirmationem invenit Eliæ Prophetæ & Virginis sacræ Mariæ: quia virgo primus Elias inter mares, virgo prima Maria inter feminas.* Numquid non satis clare & fideliter expressi Armacani verba, ut allegantur a Waldensi? Cur autem? Ut appareat quam nihil velim dissimulare, & quam sim promptus, quoties meliora didicero retractare, si quid ante hac minus recte fuerim assecutus; Tibi, Rev. Pater, exemplum dans quod imiteris, retractando multas tuas contra me calumnias, sicuti teneris in conscientia facere.

65 Dico igitur, contra quam alias scripsi, quod librum de Institutione Monachorum, *primi quidem Carmelitæ nobis efferunt*, sed non *ex unius Philippi Ribotii fide*, sicut dixi 8. Apr. ad Vitam *Opuscul. Collect.* S. Alberti n. 50. quandoquidem sermo prædictus (in quo etiam bona pars capitis 41. describitur) habitus sit anno 1342. annis 28. antequam scriberet Ribotus. Nondum tamen video, quod præcipuum est & ibidem negaveram, dicens; *istum Joanni Hierosolymitano imputatum librum, fuisse in rerum natura cum Regulam suam dictaret Albertus, necdum idoneo ullo auctore probatum cognovimus.* Jam enim a data Regula anni plures quam 120. effluxerant, usque ad allegatos auctores; intra quod tempus a multis multa potuerunt fingi, & ut certa recipi a nihil certi habentibus quod de sua origine dicerent; sicuti hoc ipso seculo de ipso illo libro ejusque auctore (ut alia taceam) multa collegit falsa Wastelius, quæ ut certissima nunc propugnantur a posteris ejus Carmelitis, haud ferentibus illa in dubium vocari, præsertim a me, licet de plurimis dubitent passim eruditi, ut videre est in Raynaudo.

66 Non etiam video, quomodo ex Armacano probetur, quod liber iste, quocumque demum seculo scriptus, etiam diu ante Albertum, pro Regula fuerit qualibuscumque ante seculum 12. Carmelitis aut Syro-Græcis Monachis, cum alii omnes in Palæstina solam Basilii Regulam nossent. Quin potius contrarium inde probaveris: apparet enim, fuisse Armacano persuasum a suis instructoribus, quod Carmelitæ a Joanne prædicto *regulam vivendi communiter SS. Paulini, & Basilii susceperunt ... Græce scriptam*, eamque brevissimam; quandoquidem eadem, *sub Alberto forma pleniore digesta*, etiam sic perquam brevis apparet, & omnino diversa a libro prædicto, saltem in Armacani conceptu. Interim frustra nunc Carmelitas interrogaverim, quis sit iste S. Paulinus, toti antiquitati ignotus, a quo, æque ac Basilio scriptam *Regulam vivendi communiter*, sumpserit & tradiderit Carmelitis Joannes: donec tamen aliquod ejus ostenderint in antiquitate vestigium, adjicietur etiam ille Paulinus ad cumulum aliorum figmentorum. Nam S. Hieronymus, ab Antiocheno Episcopo Paulino Presbyter ordinatus, non omisisset ejus nomen referre inter Scriptores ecclesiasticos, si quid ab eo litteris mandatum cognovisset.

67 Denique, sicut in Alberto scripsi n. 54. capere animo nequeo, quomodo sibi persuadere possit aliquis, ejusmodi librum, non tantum scriptum fuisse a Joanne Hierosolymitano Patriarcha 44. sed etiam Carmelitis; id est (ut volunt ipsi) plerisque Palæstinæ & Syriæ Monachis, fuisse pro Regula usque ad tempora Aymerici Patriarchæ Antiocheni, qui de Græco Latinum fecerit; & simul credere, fieri potuisse, ut talis libri (cujus oporteret tot fere exemplaria Græca extitisse quot erant cellæ seu monasteria) nemo scriptorum anteriorum per secula septem & amplius meminerit, saltem in asceticis; & ejusdem nullum uspiam exemplum Græcum inventum sit, per secula sex sequentia, quibus ex Oriente in Occidentem cœperunt codices Græci transferri atque haberi in pretio; in Palæstina autem, propter summam Monachorum sub barbaris egestatem, parvo vendi & Europæis tradi, quorum celebriores Bibliothecæ iis nunc abundant, & viris eruditis transcribenda atque excudenda suppeditant quotidie, in Anglia præsertim & Francia.

68 Nunc quod putat Paternitas vestra, Bellarminum & Brasichellensem de libri antiquitate & Græ-

& Græca origine dubitanter locutos, quia pro sua mudestia verbo, *Videtur*, maluerunt uti, quam, *exufflare figmentum*, cum Baronio, parum sane consequenter loqueris; mihi quippe numquam indulgens omne meum *Videtur* interpretaris definitivam & absolutam assertionem. Baronium etiam frustra moliris ab hujus controversiæ cognitione excludere, quia *nullam facit istius libri mentionem, multo minus negat Joannem esse ejus legitimum auctorem; sed solum negat dictum Joannem fuisse Monachum Carmelitam*. Cum enim auctor libri manifeste se talem profiteatur, qui hoc novit (sicut non poterat ignorasse Baronius) & Joannem negat fuisse Carmelitam; negat Joannem fuisse auctorem libri, non nisi a Carmelita compositi.

69 Sed *Baronium non secus ac Bellarminum excusandum* existimas, *quia Ordinis Annales, cum omnibus suis monumentis, necdum tunc erant editi: secus Papebrochius, cum hæc omnia monumenta in Annalibus Lezanæ legeris. Unde, an non sit præsumendum, quod sciens ac volens, contra evidentem veritatem, ex quadam malevolentia effutias*, primos Carmelitas dictum Joannis librum offerre ex unius Philippi Riboti fide; *judicet*, inquis, *S. Sedes*. Jam Respondi Art. 3. n. 93. dicens, aliud esse librum quempiam evolvere quærendo loca de uno aliquo argumento, in quo quis laborat, ut ego tunc laborabam in requirendis probationibus Conventuum aliquorum in Europa ante annum 1237. aliud, totum & verbatim legere. Primum ad propositam quæstionem fecisse me fatebar, negabam secundum: nunc insuper addo, id ea causa solum fecisse me ac facere debuisse, in tomo 2. & 3. atque initio quarti Lezanæ. Primum vero tomum, qui est de rebus gestis ante Christum, neque tunc omnino, nec unquam alias nisi rarissime tractavi; de Joanne Patriarcha Hierosolymitano si quærere aliquid voluissem, quæsiturus illud eram in tomo secundo, ad seculum Christi quartum, quo vixit.

70 Apparatum ad Annales, ubi dicta monumenta contineri me doces haud invitum, numquam ad eum diem inspexi, sicuti nec attigi hactenus Apparatum Baronii ad Annales, suos, nisi forte aliquo me illuc remittente. Etenim satis superque occupatis in elucidandis Sanctorum Vitis, hactenus otium mihi non feci ad ea legenda, quæ & pluribus difficultatibus implexa scio, & parum facere ad meum propositum credo: si quid porro in veteris Testamenti historia discutiendum occurrat, habeo Salianum, Torniellum, & alios, quos securius consulam quam Lezanam, obtorto collo omnes utriusque Legis Sanctos Carmelo adnectentem. Ubi deinde me accusas *ex quadam malevolentia scripsisse contra veritatem* agnitam, an non sis ipse *factus* temerarius *judex cogitationum iniquarum* (ut loquitur S. Jacobus Apostolus) judicet Deus, cui soli nota sunt cordium arcana; & coram quo positum me licet conscientia non accuset, quod sciens ac volens scripserim aliquid veritati contrarium; quin potius perhibeat testimonium, quod nulla interposita mora retractaverim quidquid me errasse cognovi; non tamen in hoc justificabor apud eos, qui ex mala sua fide metiuntur alienam, & omnes ipsis similes esse opinantur. Sed de his plusquam satis; de quibus nuper Janningus sat multa dilucide disseruit in suo Postscripto, quod videre est ante Tom. 1. Junii, a n. 49.

§. VI. ACCUSATIO.

Papebrochius, cum Erasmo Roterodamensi, S. Augustini Regulam negat esse scriptam viris.

RESPONSIO.

71 NOn esse primum Erasmum, qui hoc de Regula Augustiniana cogitaverit, quod ipsiusmet originalis contextus lectio palam facit, nequeo evidentius demonstrare; quam rerum circa eam gestarum historiam repetendo nongentis abhinc annis, quando floruit Regulæ illius præcipuus ac forte primus in Europa nostra illustrator, S. Benedictus, Anianæ Abbas, omniumque monasteriorum per Francicum Imperium Magister quasi generalis sive Cœnobiarcha, mortuus anno 821. 12. Februarii, ubi ejus Vitam elucidavit Henschenius. Is Ludovico Pio Imperatori, sicut in Vita narratur, persuasit, ut missis ad omnia cœnobia delectis Monachis, *uniformem traderet cunctis, tam viris quam sanctimonialibus, vivendi secundum Regulam S. Benedicti incommutabilem morem*.

72 Hoc ut facilius obtineretur a quam plurimis, Regulæ prorsus diversæ assuetis, scripsit idem S. Benedictus *Concordiam Regularum*, non solum earum, quæ post S. Benedicti Patriarchæ ætatem conditæ fuerunt, sed etiam antiquiorum illo; præfatus, sanctum Fundatorem ex his sic assumpsisse suam, ut *in quibusdam locis verba sint eadem, in quibusdam idem sensus*; idemque accidisse aliis post illum Fundatoribus: quod ostendit citatis auctoribus circiter viginti sex. Et hunc librum habemus ab Ugone Menardo, Benedictino, ex duobus manuscriptis codicibus, Floriacensi & Vendocino, acceptum, operosique Commentariis illustratum, ac editum Parisiis anno 1638. Eum porro ut scriberet Benedictus iste Junior, omnes quotquot potuit, tam Orientalium quam Occidentalium Patrum Regulas, nec non aliquas ab utrisque ad instructionem Sanctimonialium concinnatas colligit codicem tripartitum; cujus antiquissimum exemplar ad S. Maximini prope Treviros asservari dicitur, & vetus etiam ecgraphum apud Canonicos Regulares Coloniæ inveniens circa annum 1640. Illustriss. Fabius Chisius, exemplum sibi describi fecit; ac factus Pontifex Alexander VII. vulgandum tradidit Lucæ Holstenio, Vaticanæ Bibliothecæ Præfecto.

73 Sub hujus manu opus dignissimum, collatum cum vetustissimo pariter Reginæ Sveciæ manuscripto, jamque impressum, hæsit (dum scilicet Commentarii Annotationesque parantur) usque ad eruditissimi illius mortem, quam inter meas atque P. Henschenii manus obiit an. 1661. postquam tribus tomis præfigendas dedicatorias formulas ex morientis ore ipsemet excepissem. Duo primi tomi, Regulas viris scriptas complexi, nec nomen quidem S. Augustini habent; tertius, pro Sanctimonialibus, omnium primam offert Augustini Regulam, cum sua ad illam Præfatione, prorsus tali, qualis reperitur inter opera ejus, tamquam epistolarum a Sancto scriptarum centesima nona, ad quam nihil annotatum ab Holstenio invenitur, quam hoc Bellarmini judicium: *Ex tribus Regulis*, S. Doctoris nomen præferentibus, *sola tertia est certa S. Augustini: sed*

femius

feminis data, non viris: habetur enim in Epistola 109: reliquæ duæ non videntur Augustini.

74 Ita scripserat Bellarminus, non ex auctoritate prædicti Codicis, qui necdum prodierat; neque ex sententia Erasmi, quem tanti forsitan non fecisset; sed ex rei ipsius evidentia, certo cognita & cognoscenda a quocumque, animum ad infra notanda reflectere volente. Id tamen cur per hæc tria vel quatuor ultima secula nemini inciderit cogitare ante Erasmum, facile intelliget, qui consideraverit, quod ante illum non habebantur passim in unum collectæ S. Augustini Epistolæ: quodque Religiosi Ordines omnes, illius Regulam profitentes, eam non haberent cum sua Præfatione, nec nisi aptatam viris per feminini generis in masculinum conversionem; omissis etiam quibusdam proprie ad feminas pertinentibus; nulla tamen re addita, quæ viris propria, feminis non conveniret: quod sane non omisisset facere sanctus Doctor, si ipsemet eam prius viris scripsisset vel mulieribus scriptam, postea viris aptasset.

75 Unde ergo sic aptam habemus? Casimirus Oudin, a me citatus n. 32. putat, a prælaudato S. Benedicto Anianensi, seu Juniore. Certe antiquiorem nullum scriptorem invenias, qui Augustinum in Regula sua viris loquentem induxerit, sicut ad eos quoque loquentes induxit SS. Cæsarium & Aurelianum, qui tamen non nisi *ad Virgines* scripserunt. Nempe Concordia ista dirigebatur ad viros, per quos & feminæ erant ad Benedictinæ Regulæ observantiam adducendæ, quamcumque sive hæ, sive illi antea tenuissent. In hac Concordia primum allegatur Regula Augustini, cap. 27. §. 14. ubi *de Præposito Monasterii*; & cap. 30. §. 19. ubi *de excommunicatione culparum*: tum c. 42. §. 8. *si quod debeant Monachi proprium habere*; & ponitur ipsum Regulæ Augustinianæ principium, (omissa quæ nunc passim additur præfatiuncula). *Hæc sunt quæ ut observetis præcipimus, in monasterio constituti*: ubi in originali epistola legitur *constitutæ*, & sic consequenter per reliqua Capita, sub eadem simplici mutatione generis.

76 Sed cap. 44. ubi *de infirmis Fratribus*, §. 16. & 17. transcribens ex Augustiniana quædam eo spectantia, omittit quod S. Augustinus præmiserat his verbis: *Lavacrum etiam corporum usufque balnearum non sit assiduus, sed eo quo solet intervallo temporis tribuatur; hoc est semel in mense.* Tum subdit, quæ de lavacris & balneis infirmorum in Regula viris aptata præscribuntur. Nempe Monachis benevalentibus numquam erant balneæ concedendæ; feminis autem stato tempore esse indulgendas, earum infirmitas sexusque requirebat in Africa, uti in Oriente toto, ubi feminis secularibus fere quotidianus erat usus balnearum.

77 Rursus cap. 51. *si debeat Monachus litteras, eulogias vel aliquid accipere*, §. 4. habet regulam, ex mente S. Augustini, spectantem ad custodiam pudicitiæ, & in Epistola sic dictatam: *Quæcumque in tantum progressa fuerit malum, ut occulte ab aliquo litteras vel quælibet munuscula suscipiat; si hoc ultro confitetur, parcatur illi, & oretur pro ea: si autem deprehenditur atque convincitur, secundum arbitrium Præpositæ vel Presbyteri, vel etiam Episcopi gravius emendetur.* Severum præceptum, sed proportionatum crimini quod corrigi jubetur, & periculo quod incurritur, cum Virgo Deo sacra convincitur clandestinum cum viro commercium per litteras & munuscula fovere. Neque crimini huic vel eminus comparari potest, si contra leges vel obedientiæ vel paupertatis vir religiosus, ab alio viro, vel religioso vel seculari, litteras aut munuscula clam accipit. Ut non omnino ex S. Augustini mente ea Regula ad viros traducta videatur; tunc demum quadratura, si illius transformator Monacho prohibuisset, non *ab aliquo*, sed *ab aliqua* accipere litteras & munuscula clanculum; hoc enim spectasset ad materiam castitatis. Et hoc notans Stellartius, de quo infra, omnino censet pa. 307. corrigendum, atque legendum, *Ab aliqua*, ut viris accommodatum sit, intra eamdem delicti speciem, contra quam data est feminis: quod non curans Auctor Concordiæ, ipsam locavit sub titulo ad utramvis peccati speciem indifferenti.

78 Aliquis porro inveniens in ista Regularum Concordia, pleraque Regulæ Augustinianæ capita sic transformata, & originalem Regulam nactus, viris aptare voluit totam, servato nativo ordine, & omissis quæ proprie spectabant feminas. Ac primo, pro longo exordio, quo sanctus Doctor explicat occasionem Regulæ præscribendæ Sanctimonialibus ejus monasterii, in quo concordiam obedientiamque restauratam cupiebat, cum pœnitentia de commissis, substituit Transformator breve exordium hoc: *Ante omnia, Fratres carissimi, diligatur Deus, deinde Proximus: quia præcepta sunt principaliter nobis data.* Deinde, absque ulla connexione, rursum velut a capite orditur: *Hæc igitur sunt quæ ut observetis præcipimus*, quæ sunt indubitatæ Regulæ Augustinianæ principium.

79 Postquam autem descripsit hanc Regulam; *Non sit notabilis habitus vester; nec affectetis vestibus placere, sed moribus*; omittit sequentia, ad solas spectantia feminas: *Nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ut retiola subtus appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria.* Et rursus post hanc; *Lites aut nullas habeatis, aut celerrime finiatis, ne ira crescat in odium ... sic enim legitur; Qui odit fratrem suum, homicida est*; omittit verba, quibus Augustinus ostendit, hanc feminis quoque dici, addens, *Sed sexu masculino, quem primum Deus fecit, etiam femineus sexus præceptum accepit.* Similiter post hanc Regulam; *Non carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio*; subjungit Augustinus, feminis scribens: *Nam quæ faciunt pudoris immemores etiam feminæ, jocando turpiter & ludendo, non solum a viduis & intactis ancillis Christi in sancto proposito constitutis, sed omnino nec a mulieribus nuptis, nec a virginibus sunt facienda nupturis*: quæ omnia Transformator omittere maluit, quam mutato genere ac sexu, fœdiora etiam cogitanda proponere. Sed nec ego ea hic attingere voluissem, nisi obstinate dubitare volenti, an omnino feminis, & quidem ex mente Augustini solis, scripta sit Regula, quasi per vim extorquendus fuisset assensus; de quo non fuit laborandum aliis ejusdem mecum sententiæ scriptoribus, & ideo satis habuerunt prætermissa omnia generalibus terminis indicare.

80 Sunt autem mecum stantes, post Bellarminum, Nicolaus Desnos Canonicus Regularis, scribens anno 1674. nemine ex suis contradicente, probantibus vero duobus e Sorbona Doctoribus, ad hoc a Facultate Theologica deputatis, cujus Auctoris verba legenda dedi Art. 9. num. 32. Illum multis annis præcessit,

Bellarminum allegans, Laurentius Landtmeter, S. Theologiæ Licentiatus Lovanii, & Lector in monasterio Tongerloensi, Ordinis Præmonstratensis anno 1621. in suo super S. Augustini Regulam Commentario. Hic objicientibus, quod *Augustinus Monachismum in Africa instituit, aut saltem Clericis suis, quibus intra domum suam monasterium erexerat, Regulam scripsit*; respondet cum Baronio, *Augustinum ex Italia in Africam Monachismum invexisse, non instituisse . . . Clericos* autem *S. Augustini fuisse Canonicos-Monachos*, qui *proinde qua Monachi habuerunt Regulam illam, quam simul cum Monachismo S. Augustinus ex Italia Africæ invexerat; qua Clerici habuerunt Regulam communem aliis Clericis, qui sub obedientia suorum Episcoporum in communi vivebant.*

81 Medius inter Nicolaum & Laurentium præfatos Prosper Stellartius, Ordinis Eremitarum S. Augustini, in libro cui titulus, *Fundamina & Regulæ omnium Ordinum* Cap. 23. Augustinianam proponit ut *Sanctimonialibus mandatam, Monachis commendatam*, sed diverso respectu: istas enim indicat Afras, Sancto subditas; hos in Europa quærit atque enumerat, incipiens a Præmonstratensibus. Objicienti vero, Latine expositam, adeoque potius convenire, ut viris scripta dicatur quam feminis; ostendit, eam linguam, quam ipsemet Augustinus ait se didicisse *inter blandimenta nutricum & joca arridentium puellarum*, fuisse omnibus iis communem, qui legibus Romanis vivebant in Provinciis Africæ, *si paucos agrestes rusticosque excipias. Neque absurdum est*, inquit, *Monasterium a D. Augustino conditum, sine peculiari scripta vivendi normula dirigi. Qua namque Regula olim in Ægypto & Palæstina Cœnobitæ simul & Eremitæ fuerunt usi, sub Antonio & Hilarione? quibus legibus dubditi Turonenses sub Martino; Mediolanenses sub Simpliciano & Ambrosio?* Tum ex seipso quærit Stellartius, *Nullane viris tam regularibus fuerit Regula?* & respondet: *Nulla (quod legatur) præter Apostolicos Actus & Evangelium.*

82 Denique Hugo Menardus Benedictinus, *in* prævia ad Concordiam Vita Auctoris, notat quod Junior Benedictus, ut Epistolam Sanctimonialibus scriptam *accommodaret suo proposito, nomina feminina in Masculina mutavit, ut fecit in Regula S. Cæsarii, cujusdam Patris, & Aureliani Episcopi, quæ a suis Auctoribus ad Sanctimonialium usum scriptæ sunt.* Objecturis autem sibi Hispania, ex S. Maximi Cæsaraugustani Chronica, (melius pseudo-Chronicam nominasset) quod *S. Donatus*, Sirvitani monasterii Abbas, ad annum 575. *Regulam Eremitarum S. Augustini, locupletiorem mitioremque primus in Hispaniam invexit*; censet ea esse *Additiunia*: eaque mox pluribus ex capitibus falsa esse ostendens, imprimis, *Nullam*, inquit, *S. Augustinus composuit Regulam Eremitarum, nec si composuisset, eam mitiorem fecisset S. Donatus: quia imo olim S. Donati discipuli in Hispania graviter impugnabantur, eo quod austerioris vitæ animum adjunxissent.* Addo ego, *nec locupletiorem* attulisse potuit Donatus, cum ea, qua utuntur hodiedum Eremitæ, contractior sit, ut supra vidimus, tribus quatuorve locis, auctior nusquam. Atqui præliminares istas Menardi ad Concordiam Regularum Notas legerunt, si quid legerunt, illi qui librum *Parisiis* approbarunt Doctores quatuor, quorum tertius signatus *Fr. Nicolaus le Maistre, Billeta*, id est Carmelita (sic enim Parisiis vocari Carmelitas docuit nos Hadrianus Valesius in Epistola allegata Art. 11. num. 21.) idemque *Parochus & Prior S. Medardi de Liziaca.*

83 Habes hic, Pater Rev. triplicis generis Augustinianos, & cum illis Carmelitam unum, Parisiensis Sorbonæ Doctorem, tresque ejus Collegas, anno 1636. 12. Decembris probantes librum Benedictini Menardi, in eoque nostram, antiquissimamque ac verissimam, de Regula Augustiniana sententiam: quibus Tu quidem ex Regula Heroica P. Valentini a S. Amando opponis judicium Facultatis Parisiensis, institutum anno 1539. ultima Januarii, *super difficultate orta contra censuram Erasmi, super tertiam Regulam Religiosorum S. Augustini*; & tandem decretum dicis, *esse erro-* „ *rem*, asserere *Regulam S. Augustini, solis femi-* „ *nis esse scriptam*, imo declaratur illa Erasmi „ censura esse *scandalosa*. „ Lego apud P. Valentinum pag. 167. Decretum integrum, legensque ac relegens, nec verbum quidem unum invenio de quæstione nostra, virisne an feminis scripta Regula sit. Nam ut ibi dicitur, ex Censura Erasmi in controversiam adducta, *dubitabatur a plerisque, an Religiosi vovebant tempore S. Augustini* (quod Erasmus negaverat), *& ad supplicationem Fratrum S. Victoris* (sunt hi Canonici Regulares) *qui petebant solutionem illius difficultatis, Facultas disputavit de materia illa, non solum per Deputatos; sed per totam Facultatem disputatum est diligenter. Et tandem, matura præcedente deliberatione, conclusum fuit, quod Religiosi S. Augustini & Monachi illius temporis, vovebant: & quod illa censura Erasmi non probatur, sed est scandalosa; & Apologia Magistri Cenomani, est recipienda & digna quæ imprimatur.*

84 Ast inquies, approbata est *Apologia Magistri Richardi Cenomani*. Hæc mihi modo ad manum non est, sed quod ex ea delibat P. Valentinus, satis me facit intelligere, quod, post multa, pro stabiliendo Augustinianorum voto scripta, alterum (quod Valentino placet *rei caput* appellare) velut levioris momenti brevissime excutiat Cenomanus, ita scribens: *Jam restat ostendere, Augustinum tradidisse Regulam viris, & prius viris quam feminis: quod non videtur magni negotii persuadere.* Ita quidem ille, sed ad persuasionem nihil adfert, quod dubitantem convincat. Neque enim unquam demonstrabitur, ipsum sanctum Augustinum in Sermone de communi vita Clericorum, agere de Regula a se peculiariter scripta, cum ait; *Noveram & novi, omnes qui mecum viverent, nosse propositum nostrum, nosse legem vitæ nostræ.* Neque plus arguit Possidius in Vita, dicens, quod Sanctus *indisciplinationes suorum & transgressiones a Regula arguebat & tolerabat, quantum decebat & oportebat*. Certe nihil tale, quale intendit, ex ejusmodi verbis aliisque intellexerunt Menardus & Stellartius; neque aliud intelligere debemus, quam Regulam Apostolicam in Evangeliis Actibusque expressam.

85 Porro cum invectivæ Cenomani in Erasmum, quibus Apologiam concludit, non tam spectent ultimam istam particulam, circa quæstionem in Sorbona nequaquam agitatam; sed potissimum spectent quæstionis caput de voto, ad quod firmandum omnia priora diriguntur; censeri debet Facultas ipsa, probando Apologiam Cenomani, id solum in ea voluisse positive approbare, quod solum fuerat disceptatum & definitum: reliqua parerga reliquisse ut invenerat, & sic excudi Apologiam per-

permisisse, sicut alia imprimi permittuntur, in quibus nihil invenitur contrarium fidei aut bonis moribus, ad quos parum facit virisne an feminis scripserit Regulam S. Augustinus, modo aliquam revera scripserit. Idem dixerim de Catalogo librorum expurgandorum, quem Valentinus a sancto Officio editum allegat, affirmans, quod *jussit deleri hoc figmentum Erasmi quasi novum & periculosum*: sed alibi tam largus Valentinus, neque annum exprimit quo editus Catalogus iste sit, neque verba Decreti; non præteriturus ea, si quæstionem nostram propius attigissent. Quid quod neque Lucas Holstenius, Bellarmini amplexus sententiam, potuit Romanæ Inquisitionis ignorasse judicium illi contrarium: neque si ignorasset ipse, tot annis Romæ versatus, ignorassent qui libros approbarunt O. Archiepiscopus Patracensis Vices-gerens Pontificis, aut Raymundus Capisuccus sacri Palatii magister, postea Cardinalis.

86 His expensis, transeo ad scriptores Societatis, quos P. Valentinus mihi objicit, Erasmicam censuram condemnantes, Ludovicum Cellotium, & Franciscum Suarez; quibus Tu, Pater Rev. adjungis Hieronymum Torrensem. Horum ultimus, sequitur simpliciter Cenomani sententiam. Idem facit Cellotius, & non aliis, quam Cenomanus, opinionem suam auctoritatibus firmat, contra *Erasmi* (ut appellat) *commentum*; miraturque *id omnibus non displicuisse evidenti ratione convictis. Quid enim*, inquit, *Regulam Sanctimonialibus scripsit Augustinus, & quidem (quod existimo) jam senior .... non scripsit Monachis, non Clericis?* Sed huic admirationi jam pridem satisfecerant Menardus & Stellartius: quos si legere curasset Cellotius, & in primis Codicem Benedicti Anianensis videre potuisset, nullam credo aliam Augustini Regulam agnovisset, quam quæ est scripta ad Sanctimoniales.

87 Idem dixerim de Francisco Suarez, qui solis eatenus notis libris nixus, acrius multo quam oportuit, in Tract. de varietate Religionum, edito sub an. 1626. lib.2.cap.8. insectatus est sententiam, Hispanis peregrinam, utpote magis solicite res theologicas quam historicas disquirentibus. Sic enim loquitur: *De hac Regula dubium est, an Augustinus pro Regularibus Canonicis vel pro Eremitis eam scripserit. Omitto enim censuram Erasmi, ab omnibus piis & doctis viris merito damnatam, qui negavit, Augustinum illam Regulam scripsisse pro viris religiosis; sed tantum illam, quæ virtute habetur in epistola 109. Augustini, quæ est ad feminas: sed sine dubio fuit pro viris scripta, & facile potuit ab eodem auctore ad feminas accommodari: & in hoc sensu communiter recepta est & citatur a D. Bernardo in libro de præcepto & dispensatione, & exposita est ab Ugone de S. Victore, ut notarunt Doctores Lovanienses in fine primi tomi Augustini* (an. 1577.) *tacite contempta censura Erasmi, quam Parisiensis Academia jam damnaverat.*

88 Equidem magni facio nomen & doctrinam Suaris; in Theologicis tamen eam pluris quam in Historicis æstimando; neque in his puto comparandum Suarem cum Bellarmino, cujus in libro de Scriptoribus locum si præ oculis ille habuisset, cavisset utique *ab omnibus piis & doctis viris*, doctissimi piissimique Cardinalis sententiam damnatam dicere.

89 Cum ergo prædicti Lovanienses tomo 1. inseruerint *Regulam*, veluti datam *ad Servos Dei*; simpliciter secuti videntur contextum, omnia in masculino efferentem, quem etiam secutus Erasmus est, in sua Tomi primi editione; cujus censuram merito illi contempserunt, utpote totam fere in eo positam, ut probet, neque Augustinum, neque eas, quas rexit personas, Monachismum professos: nam eatenus *scandalosam* eam esse, etiam ego assentior, & assentietur puto quivis pius & doctus. Ast non etiam dixerunt scandalosam esse primam censuræ Erasmicæ partem: quam satis reverenter Erasmus orditur ab his verbis: *Hæc regula & sententiis & dictionis figura refert Augustinum, quia & pia civilitate humanitateque præfert auctorem suam: quamquam probabile est, eam non Clericis, sed feminis esse scriptam, quæ in unum collectæ sub moderatione Sororis Augustini vivebant.*

* Opuscul. Collect.

90 S. Bernardus in Tractatu per Suarem citato cap. 2. simpliciter docens, a solis Prælatis dispensandum in iis, quæ necessario stabilia esse debent (*ut verbi gratia*, inquit, *Regulæ Sanctorum Basilii, Augustini, & Benedicti*) nihil facit ad solvendam quæstionem, etiamsi supponeret Regulam, ut viris accommodatam, qualis eo tempore habebatur, & fere sola cognoscebatur. Hugo quoque a S. Victore, Bernardo coævus & familiaris, ac in eamdem Regulam commentatus, nullam uspiam facit Sanctimonialium mentionem, eo quod non haberet Regulam originariam, soli illi assuetus sicut a suis Canonicis Regularibus legebatur. Idem consequenter dicendum de SS. Thoma, Antonino, Vincentio, Antonio Patavino; item de Gratiano, Cajetano Alano, similibusque medii ævi scriptoribus aut scholasticis, quibus nulli dedecori fuerit ignorasse aliquid sua ætate passim ignotum, & magno denique studio hisce ultimis seculis productum probatumque: ut tam frustra illorum nunc texantur Catalogi, quam frustra in meridiana luce quæruntur tenebræ a scriptoribus præjudicia præterita pertinacius sequentibus. Utrum nunc Tua, Pater Rev. *censura*, qua me condemnas velut Erasmi sequacem, & quidem unicum, ac illo magis *effrænatum*, non sit magis *fallax*, *imperita*, & *vana*, quam sententia mea, tanta ratione tantaque criticorum recentiorum versatiorumque, & Bellarmini imprimis auctoritate subnixa, judicet, quam appellas, Apostolica Sedes, & quicumque veri amans lector.

§. VII. ACCUSATIO.

Papebrochius iterum cum Erasmo abnegat S. Augustino librum de Fide vel de unitate Trinitatis contra Manichæos.

RESPONSIO.

91 QUi tam solicite congerere soles, Rev. Pater, quidquid ad invidiam mihi conflandam judicas opportunum; cur non, ad probandam accusationem tuam, verba ex libris meis aliqua producis, saltem truncata, vel aliter more tuo immutata, ac corrupta? Tantum remittis Lectorem ad Tom. 1. Maji, ubi ais *Henschenium* pag. 7. Librum, de quo quæstio est, *abnegare S. Augustino*; Papebrochium autem eam partem Tomi illius composuerit, & facultatem ab Henschenio habuerit mutandi quædam in Scriptis Henschenii, neque hoc mutaverit, debere censeri in eodem ipsi consensisse.

91 Respondeo, & antecedens aperte falsum esse, & etiamsi verum foret, non secuturum quod infertur. Aperte, inquam, falsum est, quod *Henschenius* librum de fide, sive de unitate Trinitatis *abneget S. Augustino*; tantum dicit, Philippum Labbe & Sirmondum, eum Augustino abnegare. Verba ejus sunt: *Mentio prædicti* Leucii (qui ibi allegatus fuerat, ut qui scripserit aliqua Apostolorum Acta, ac forte etiam S. Philippi quo de agitur) *mentio*, inquit Henschenius, *prædicti Leucii videtur fieri in Tractatu de Fide, sive de Unitate Trinitatis, qui tomo 6. operum S. Augustini continetur; verum non habetur in Retractationibus ejus, neque in Indiculo Possidii: asseritque Philippus Labbe de scriptoribus Ecclesiasticis, evicisse Sirmondum in Historia Prædestinatiana, ex fide manuscriptorum codicum, præcipue Corbejensis, quod sit Evodii Episcopi Uzalensis in Proconsulari Provincia Africa*. Quæro nunc ex Te, Reverende Pater, numquid Philippus Labbe asserit Sirmondum hoc evicisse? Labbeum id asserere certum est; sed nego, inquies, id eum recte asserere. Bene habet; sed cur non liceat mihi, & cur non licuerit Henschenio hic suspendere judicium, rectene, an perperam id asseruerit Philippus Labbe? *Præscindentium*, ut omnes fatentur, *non est mendacium*; & mera judicii suspensio, non est judicium. Ergo Henschenius, simpliciter dicens, id asserere Labbeum, non propterea abnegavit S. Augustino librum de Fide, seu de Unitate Trinitatis.

92 Si fide certum esset, Augustinum librum illum scripsisse, scandalosum videri posset, referre sententiam fidei contrariam, nec ei uspiam contradicere; sic enim forte existimari Henschenius posset, de hoc fidei puncto dubitare; *dubius autem in fide, infidelis est*, ut habet axioma apud Theologos receptissimum. Verum estne fide certum, vel fidei proximum, vel habetne ullam cum fide connexionem, quod hic liber S. Augustini sit? Præter eruditissimos Sirmondum & Labbeum jam citatos, audi Eminentissimum Cardinalem Bellarminum Lib. De Scriptoribus Eccles. pag. 192. *Liber de fide contra Manichæos non videtur esse S. Augustini; quia non fit ejus mentio in Retractationibus, nec in Indiculo Possidii, & quia utitur phrasibus insolitis Augustino, ut est illa cap. 18. Si Deus incorruptibilis est, vel omnis natura summi boni inviolabilis, immaculabilis, inadibilis, incoinquinabilis &c.* Bellarmino consentiunt Benedictini e Congregatione S. Mauri, in recentiori & accuratissima editione Parisiensi, qui Librum hunc ex Augustini operibus eliminantes, rejiciunt in Appendicem Tomi octavi. *Liber*, inquiunt, *de Fide contra Manichæos*, qui idem est de unitate Trinitatis, *Augustino in ante editis tribuitur; sed falso; uti probat Bellarminus, Vindingus, & alii. Non enim recensetur inter illius opuscula, nec in Retractationibus, nec in Possidii indice. Stylus quoque ab Augustiniano diversus est, ac debilior disputandi ratio*. Cur tot Auctores, tam illustre & probe Catholicos præteriens, solum memoras Erasmum?

93 Hoccine ignorantiæ, an criminandi libidini imputandum sit, alii statuant. Imponis quoque, dum sola styli diversitate niti, seu me seu Henschenium simulas. Aliæ præterea rationes & auctoritates jam allatæ sunt. Neque est cur argumentum, a diversitate styli desumptum, adeo contemnas, quantumcumque id Raynaudus vocet *Rubricam Erasmicam*. Ajo ego, esse peritorum Criticorum communem, nominatim Auctorum supra citatorum, ut vel ex allatis locis perspicitur. Est & ipsorum, quibus tantopere gloriaris, Theologorum Lovaniensium, qui Augustini opera collegerunt. Dum enim Tomo 4. referunt alium quemdam librum de Trinitate & unitate Dei, Augustino alias tributum, hanc ei præfigunt censuram: *Incerti Auctoris liber, in quo passim apparent fragmenta, quæ decerpsit ex Augustini libris. Stylus est facilior quam Augustini, interim vix bene latinus. Nam cap. 111. commisit manifestum solœcismum*. Hæc est universa tantorum virorum censura, cum fundamentis. Repete quod §. v. retulimus exemplum, ex Cardinali Bellarmino lib. de Scriptoribus Eccles. col. 75. ubi de Joanne Episcopo Hierosol. *Tribuitur eidem*, inquit, *Joanni liber ad Caprasium de institutione Monachi, qui habetur in Bibliotheca SS. Patrum Tom. 9. edit. 2. sed hic liber videtur scriptus ab aliquo longe posteriore, siquidem in eo libro dicit Auctor, se esse Ordinis Carmelitarum, & describit habitum Carmelitarum; at illis temporibus nomen Carmelitarum Religiosorum erat plane inauditum, ut etiam Card. Baronius affirmat To. 6. Annalium ad annum 444. Adde quod stylus est hominis lassini, & temporum posteriorum*. Habes hic Rubricam Cardinalitiam.

94 Denique quid pluribus opus, dum adest *argumentum*, ut vocant, *ad hominem?* Numquid præcipui vestri in Hispania Critici, nuper epistolam Cæsaream judicantes esse hæretici alicujus Belgæ, & quidem Janningi, id collegerunt ex stylo, quem in illa epistola sibi detexisse videbantur, plane similem ei, qui est in *Motivo juris* ejusque *Appendice*? Ita dixerunt & scripserunt ipsi. Fateor equidem, hanc, quam cum Raynaudo vocas *Rubricam fallacem*, tunc fallere, quando tam parum Latinitatis periti de stylo judicare præsumunt, ut inter stylum Epistolæ Cæsareæ, operum Janningi, & *Motivi juris* cum *Appendice*, quod utrumque est Paternitatis V. nullum, quantumvis tironibus, palpabile discrimen agnoscant. Alii forte ad veritatem magis, quam Critici vestri, accedunt, dicentes, tantum quodammodo inter se discrepare tres stylos, quantum inter se discrepant personæ, Augustissimi Cæsaris, Carmelitæ, & Jesuitæ. Hæc de *stylo* satis, in gratiam *Rubricæ*.

95 Nunc ad sequelam, de qua supra, respondeo, nullam hanc esse: Papebrochius partem aliquam in Tomo 1. Maji composuit; &, licet eam præcise partem, unde desumpta est accusatio, non composuerit, facultatem tamen ab Auctore habuit mutandi in ea quæ vellet. Atqui Papebrochius non mutavit sententiam Henschenii, abnegantem S. Augustino librum de Fide sive de unitate Trinitatis. Ergo Papebrochius librum eumdem *S. Augustino abnegat*. Respondeo, inquam, concessa majore, & dissimulata minore (cujus falsitatem circa suppositum, quasi Henschenius librum illum S. Augustino abjudicasset, superius ostendi) nego consequentiam. Non enim debet quilibet scriptoris socius in scriptis sui collegæ, multo minus discipulus in sciptis sui magistri, imo ne censor quidem in scriptis censuræ suæ oblatis; non, inquam, debet mutare quidlibet, opinioni suæ minus consonum; modo nihil sit fidei aut Christianis moribus adversum, aut cum aperta pugnans

veri-

veritate, licet ab Auctore expungendi vel aliter mutandi facultatem acceperit. Finge, Reverende Pater, te librorum censorem constitutum, & expungendi præditum potestate; offeratur dein tibi liber Thomistæ, qui juxta illius Scholæ principia defendat Prædeterminationem Physicam ad quosvis actus creaturæ; Tu, qui principiis oppositis, utpote Bonæspeianis imbutus, supponeris uti, expungesne quidquid habetur pro Prædeterminatione Physica? Non is certe censorum mos est, neque tolerabilis foret auctoribus, qui alienæ censuræ subjiciuntur. Sufficit eliminari improbabilia, & in fide aut moribus periculosa. Nunc igitur ex Te sciscitor, essetne hæc Theologo digna illatio; si dicerem; Ergo R.P. Sebastianus a S. Paulo abnegat sententiam Bonæspei de libertate, & tenet Prædeterminationes Physicas, quia non expunxit.

96 Ut denique videas nihil esse in tota accusatione tua dignum probo aut sapiente accusatore, nihil veritati & rationi consentaneum; ex jam demonstratis colligo, primo, neque Henschenium abnegare S. Augustino librum de Fide seu de unitate Trinitatis contra Manichæos: secundo, neque me eum *abnegare*, etiamsi *abnegasset* Henschenius: tertio, etiamsi eum *abnegassem* Augustino, non debuissem accusari, quasi eum *abnegassem* cum solo *Erasmo*, sed accusari simul debuissent Sirmondus, Labbeus, Benedictini S. Mauri, Cardinalis Bellarminus, & alii, non minus vitæ probitate & integritate fidei, quam eruditione clari. Unde colligo quarto, me, si librum istum Augustino abnegassem, non meriturum fuisse notam irreligionis aut temeritatis. Ad auctoritatem Lovaniensium & Raynaudi aliorumque, qui olim librum hunc S. Augustino tribuerunt tamquam *indubitatum*, respondent Benedictini novæ editionis, anteriores Scriptores sibi adversantes, non vidisse codices manuscriptos, præcipue Corbejensem; unde saltem dubitare liceat, an non sit Evodii Episcopi Uzalensis. Tu vero, Reverende Pater, cum tantam hic pro te certitudinem jactes, quot proferes hodiernos Historiæ & Critices peritos, qui tibi consentiant? Nullum equidem novi; aliquorum a te nomina & loca expectabo.

§. VIII. ACCUSATIO.

Papebrochius Sermonem S. Joannis Damasceni de Assumptione B. Virginis Mariæ suspectat.

RESPONSIO.

97 QUid sibi hic velit verbum *suspectat* non statim intellexi; dubitabam enim, an accusarer quasi sermonem de Assumptione Joanni Damasceno abjudicarem, an quasi aliquid in eo redarguerem velut suspectum in fide. Sed in decursu videris te explicare, dicendo: *Papebrochius illum* Sermonem, *tamquam suspectum & fictum, præfidenter traducit*, adeoque tamquam non scriptum a Damasceno, sed ei perperam attributum. Accusationem autem probaturus, ais, a me *dici Joannem Damascenum, in illa allegare, nescio quam Euthymianam, seu Euthymiacam historiam*. Post quod immediate subjungis: *Et ut eumdem sermonem* Papebrochius *amplius suspectet & infirmet*, *addit*: *Euthymium scriptorem nullum uspiam inveni*. Hoc universum est accusationis Tuæ fundamentum. Sed hactenus sequelam hanc non percipio: Ergo *Papebrochius illum* Sermonem, *tamquam suspectum & fictum, præfidenter traducit*. Quid enim si censeam, Damascenum, in citando Euthymio aliquo scriptore, falli potuisse, cum nullus ante ipsum vel ejus tempore scriptor Euthymius uspiam compareat, vel ab ullo præter Damascenum auctore memoretur? Sic Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 270. religioni sibi non duxit, de aliis quibusdam *narrationibus* Damasceno attributis pronuntiare, eas *falsas videri, & fabulis similiores quam Historia*: Addens: *Sed fieri potest, ut S. Joannes Damascenus, quamvis alioquin doctus & prudens, istis narrationibus facile fidem habuerit, neque de veritate earum investiganda solicitus fuerit.*

98 Ante Damascenum reperitur Abbas Euthymius, sed non scriptor, qui ab anno 411. ad 473. nonnullorum sanctæ eremi circa Jerusalem monasteriorum conditor, & plurium rector, nominatissimam etiam Lauram condidit, dictam ab eo S. Euthymii, in qua & obiit 20. Januarii, quando Vitam ejus, a S. Cyrillo Hierosolymitano scriptam, Henschenius illustravit. Hoc posito, quid in eo mali, si suspicarer ignotum aliquem istius vel Monasterii vel Lauræ scriptorem, Historiam illam aut scripsisse primum, aut ex Latino cujus Hieronymus meminit in Græcum transtulisse; atque a nomine loci desumptum nomen historiæ, cum aliud ignoraretur? Hinc modo, si potes, confice, quod sermonem Damasceni traducam tamquam *suspectum & fictum*. Imo fateris ipse, quod *dicam, Joannem Damascenum in illa allegare, nescio quam, Historiam Euthymiacam*, Adeoque, juxta Te, agnosco sermonem esse Joannis Damasceni; igitur, vel te judice, agnosco non esse *fictum*, atque hoc sensu non esse *suspectum*. Numquid hoc non est tibi ipsi implicite contradicere? Neque sermonem illum habeo tamquam *suspectum* in aliquo fidei divinæ articulo.

99 Si vero per *suspectum & fictum* intelligas, aliquid incertæ seu non plane probatæ veritatis in historia Euthymiana a Damasceno relata; non video quid piaculi committeret, qui sermonem Damasceni eatenus præcise haberet suspectum: verum id non est, sermonem Damasceni simpliciter & absolute *suspectum & fictum* pronuntiare. Quis, ambo, vir prudens non fateatur, extra scriptores Canonicos vix aut ne vix quidem reperiri ullum, cujus omnia tam in historicis, quæ aliorum fide refert, quam in dogmaticis adeo sint certa, ut nihil cuiquam liceat in dubium revocare? Ideone quilibet vir prudens accusandus est, quasi omnia Historicorum, Scholasticorum & sanctorum Patrum volumina *præfidenter traducat, tamquam suspecta & ficta*? Aliud scilicet est, librum vel sermonem aliquem *præfidenter traducere, tamquam suspectum & fictum*; aliud, dubitare de puncti alicujus veritate, quod bona fide, & ex alterius narratione, in libro vel sermone illo refertur.

100 Imo nec quidquam in sermone Damasceni vel re illic narrata suspectum esse contendi, locis a te accusatis. Tantum illic dico *nescire me*, quis sit ille liber, qui a Damasceno citatur, nomine *Euthymianæ Historiæ*, cum nusquam compareat, nec ab ullo alio citatus reperiatur. Deinde addo, me *nullum uspiam repertum*

scri-

scriptorem Euthymium, cujus fide a Damasceno referantur variæ circa Assumptionem B. Virginis circumstantiæ, quæ in nullo ante ipsum scriptore, quod sciam, leguntur. Rogavi te Art. x. num. 91. & hic iterum rogo, ut librum illum seu Historiam Euthymianam, si possis, proferas, vel saltem scriptorem illum Euthymium, in ullis Patrum vel Auctorum Ecclesiasticorum Catalogis exhibeas. Hic amplum mihi insultandi campum te nactum ratus, ad Possevinum me remittis. *Invenisset*, inquis, scriptorem Euthymium Papebrochius, *si suspexisset apparatum sacrum Possevini, & indicem Bibliothecæ maximæ veterum Patrum; unde iterum apparet Papebrochii temeritas, & crassa ignorantia. Quæ an sit toleranda, judicet S. Sedes, uti & varia alia Papebrochii dicta, quæ dictum sermonem S. Joannis Damasceni de fabulositate suspectum reddunt, & habentur Tomo 7. Maii p. 698. & iterum hic Articulo 10. §. 1.* Verum dic nobis, egregie Historicorum Critice, quis ille Euthymius scriptor est, quem exhibeat Possevinus: aliusne quam Zigabenus, Ordinis S. Basilii Monachus, qui floruit seculo 12. Atqui is trecentis annis Damasceno posterior, ab eo citari non potuit, nisi forte spiritu prophetico. Vide igitur, Rev. Pater, utrius sit ea quam objicis, *temeritas & crassa ignorantia*: meane, propterea quod *Euthymium scriptorem*, qui a Damasceno citari potuerit, *nullum uspiam reperiam*, an Patern. tuæ, quæ scriptorem mihi designat trecentis annis Damasceno posteriorem?

101 Si verba mea ita acceperis, quasi negem reperiri a me ullum omnino Euthymium scriptorem, etiam Damasceno posteriorem, & ad propositum seu institutum nostrum minime pertinentem, errasti. Credebam me viris intelligentibus scribere, qui norunt verba, secundum se indefinita, a mente loquentis, & apertis circumstantiis determinari ac limitari. Suppone post trecentos annos Carmelitam, rursus aliquem Epistolam Cæsaream, hoc anno 1696. ad Regem scriptam, pronuntiare hæreticam, & scriptam, non a Cæsare, sed ab aliquo Belga hæretico, neque alio quam Janningo Jesuita, auctore *Motivi juris & Appendicis* ob similitudinem styli, qui est duorum istorum opusculorum & Epistolæ Cæsareæ. Nonne merito negabunt Jesuitæ, se ullum uspiam Janningum aut Jesuitam nosse, *Motivi juris & Appendicis scriptorem*, cum constet utriusque auctorem esse & se profiteri R. Patrem Sebastianum a S. Paulo, Carmelitarum Provincialem? Suppone etiam aliquem post tria elapsa secula recentiorem Jesuitam, & forte Janningum nomine, sive alterius, sive ejusdem, cujus est Janningus hodiernus prosapiæ, *Motivum juris*, quin etiam *Appendicem*, ad aliam prorsus materiam spectantia, componere: quam ridiculum foret, si Carmelitæ Jesuitas, de controverso casu locutos, redarguerent *temeritatis & crassæ ignorantiæ*? Responderent facile Jesuitæ, circumstantias satis aperte declarasse, quod *Motivum juris*, hic a se negatum, non intelligatur qualecumque, nec qualiscumque *Appendix*, nec qualiscumque *Janningus* aut *Jesuita*; sed quod de solo agatur *Motivo juris* & *Appendice*, editis ante finem anni 1693. & consequenter sermo non sit de *Janningis* aliisve *Jesuitis* post seculum 19. secutis.

102 Quod ais *scandalosum esse & proxime ad hæresim accedens, negare B. Virginem Mariam cum corpore assumptam esse in cælum*, ad rem non pertinet; neque enim Assumptionem istam in dubium vocavi, quamvis forte aliquando tempus fuerit, cum non tam clara veritas omnibus Catholicis appareret mysterii istius simul & revelatio. Neque difficultatem moveo circa ullas Assumptionis circumstantias in horis Canonicis legi solitas, sive ex sermone Damasceni, sive aliunde; quamvis fatear, non omnes alias ejus Historiæ, quam Damascenus Euthymianam appellat, circumstantias æque irrefragabiles videri. Sane, non universa Euthymiana Historia, a Damasceno relata, assumitur ab Ecclesia aut inseritur Horis Canonicis. Quæ in his omissa, & minus certa mihi appareant, vide in Responsione ad Art. x. num. 8. Neque assequor, qua fide jactes *alia, Tomo 7. Maii*, a me dicta contra sermonem Damasceni? cur non profers, si absurda sint. Certo dum non nisi duo eaque valde innocua protulisti, quæ judicabas ad criminandum aptissima, quid censebimus de ceteris a te prætermissis? Denique quomodo, sine restrictione plus quam reali, dicere potes, te *varia alia Papebrochii dicta, quæ dictum sermonem S. Joannis Damasceni de fabulositate suspectum reddunt, ... habere Art. x. §. 1.* ubi cuilibet evidens est, nec vocem, nec litteram quidem ex me citari, quæ non citata sit in præsenti paragrapho, priusquam gloriareris, *varia alia esse Papebrochii dicta quæ habentur Art. x. §. 1.* Lassus sum tot ineptiis refellendis in Accusatione, in qua ne apex quidem est, qui non partim de calumnia, partim de vanitate convincatur.

§. IX. ACCUSATIO.

Papebrochius præfidenter negat, contra Ecclesiæ auctoritatem, Historiam de visione Sabae referri a S. Epiphanio.

RESPONSIO.

103 CArd. Baronius relatus Art. xi. num. 7. testatur *librum de vita & obitu Prophetarum* esse indignum Epiphanio, *propter sexcentas mendaciorum nugas, quibus refertus est*, Baronio consentiunt hodie eruditi passim. Judicet itaque quilibet æquus rerum æstimator, uter Epiphanii honori magis consulat, isne, qui, ex reverentia erga tam antiquum scriptorem & tam bene de Ecclesia meritum, cunctatur illi tale quid adscribere, aut etiam absolute mavult Pseudo-Epiphanii titulum usurpare: an is, qui cum Labbeo dicit de simili libro, ex iisdem fontibus hausto, & S. Isidoro adscripto, quod hic *nimis credulus, quæ ab aliis scripta reperit, minus discussa, non tam sua quam aliena protulit fide*? Idem Labbe, exposita Petavii interpretis de libro illo sententia (quis autem melius judicare potuit quam qui verbotenus Latinum fecit, & expendit per singula capita totum?) & nominatis auctoribus aliis eumdem repudiantibus, addit; *a multis excipi solere, non esse omnia veteribus Patribus subtrahenda, in quibus Thalmudica commenta & Hebraicæ δευτερώσεις* (repetitiones) *continentur*. De S. Isidoro autem, contra Baronium censet, vere illius fœtum esse, licet similem præmisso libro; eo quod *Braulio, in Præfatione ad opera S. Isidori, seu Prænotatione, librorum ejus catalogo subjuncta, hæc habeat. De ortu autem Patrum librum unum; in quo eorum*

gesta,

gesta, dignitatem quoque & mortem atque sepulturam, sententiali brevitate subnotavit. Non tamen ideo plus illi fidei tribuit ipse: sed *corruptum*, inquit, *ab aliquo interpolatore crediderim.*

104 Porro sive Sancti isti talia de Elia Propheta, qualia narrantur, scripserunt ex fide Thalmudistarum; sive alii sub ipsorum nomine; non adeo multum referre puto, ad veram de gestis S. Eliæ notitiam formandam. Certe neque e sacris Scripturis, neque ex idoneæ antiquitatis & fidei historico Hebræo, ea constat esse accepta, quæ prædicta visione continentur. Quod autem Auctores aliqui, non admodum curiosi in discernendis talibus, puta Metaphrastes aliique huic similes, a Lezana recensiti, & in his recentiores non pauci, etiam Jesuitæ, eadem in in scripta sua retulerint sine scrupulo; aliud nihil probat, quam quod ista non examinantibus visa sint haud prorsus incredibilia; eaque sub ista qualicumque fide, ut acceperunt, sic reddiderunt.

105 Ego de visione ista aliisque Eliam spectantibus, dixi quidem, quod *totum illud de Sabacha commentum non habet auctores sanctos Epiphanium & Dorotheum, sicut prætenditur, sed fabulatores quosdam, non admodum vetustos*, puta seculi 8. aut 9. si tamen hoc alicui displicet, dicat, prædictos Sanctos secutos commenta antiquiorum fabulatorum, bona & simplici fide. Cum vero in tanta fictionum farragine non possit quisquam prudenter definire, quid debeat aut possit verum censeri, sequitur, neminem esse cogendum, ad hoc vel istud præ reliquis credendum.

106 Tu, Rev. Pater, magnum certitudini visionis istius stabiliendæ præsidium haberi putas, eo quod in festo S. Eliæ permissa sit talis visio recitari, *ex libro S. Epiphanii de Vitis Prophetarum*: sed nego Tibi, quod Sacra Congregatio Rituum, quando illas Lectiones Carmelitis permisit recitandas, onus susceperit examinandi, verene is liber S. Epiphanii sit, uti communiter alias dicebatur; aut reprobet censuram, post diligens examen Baronii & aliorum quorumcumque, de illo ut supposititio loquentium. Id sane ipsa numquam fatebitur; & onus foret intolerabile in similibus casibus. Tenet ergo ipsa Regulam, quam in Breviarii correctione servatam testatur Gavantus, ut cum difficile aut etiam impossibile est, certum de veteri aliqua relatione judicium ferre; id quod reperitur in probato aliquo auctore (qualis haud dubie S. Epiphanius est, licet in historicis subinde lapsus) ut, inquam, sic inventum retineatur tantisper, donec demonstretur esse certo falsum, quod de visione controversa non posse demonstrari, ultro vobis concedo, solumque concedi mihi vicissim peto, librum de quo agitur esse talem, ut pluribus scateat mendaciis, non ipsius Auctoris, sed aliorum, puta Thalmudistarum: in quibus non esse etiam illud, de igneis fasciis & pultibus Eliæ, Sabachæ ejus patri per visum oblatis, quis securos nos præstabit?

107 Proverbio dicitur, id lucrari mendaces, ut fides ipsis non habeatur etiam cum verum dicunt, nisi ab iis qui id ignorant: sicut a plerisque ignoratur, de libro supradicto quid censeant ii, qui critico oculo & examine totum legerunt, perviderunt & excusserunt. Tale examen si adhibuissent ii, quos Lezana nominat, viri alias in suo genere docti, in suis ad Prophetarum acta vel scripta commentariis, Epiphanium non allegassent absque hæsitatione & cautela magna. Ne vero existimet aliquis propter sola circa Eliam mendacia, jam demonstrata, & propter visionem ignearum fasciarum atque pultium, reprobari librum, vel etiam id fieri ex præjudicio contra Carmelitas; dabo hic aliquod libri specimen, ab initio ad finem (nisi qua fundatur in Scripturis sacris) fabulosissimi.

108 Primus ibi *Nathan* Propheta est, qui adulterum Davidem corripuit, & pœnitentem suscepit. Hic fingitur oriundus *ex tribu Thoc*, tote Israelitico generi tam ignota, ut nec familia quidem aut persona privata ulla hujus nominis usquam appareat. Deinde additur: *Atque hic ille est, qui David legem Domini perdocuit, quem & in Bersabee peccasse cognovit: sed cum ad prohibendum Davidis flagitium a Gabath Hierosolymam properaret, obstitit Belial. Mortuum enim nudum in via jacentem reperit, cujus illic sepeliendi gratia constitit, ne a feris lanietur: eadem porro nocte Nathan comperit Davidem crimen illud perpetrasse.*

109 Placeat etiam audire, quid ii, quos Auctor libri descripsit, de Eliseo sint commenti, ne ejus nativitas minus mirabilis esset quam Eliæ. *Hic*, inquit cap. 6. Auctor noster, *Abelmuthe, quod Rubenitica tribus oppidum est*, sed alibi nusquam notum, *oriundus, cum in lucem ederetur, ejusmodi prodigium accidit: Bos enim aurea, quæ in Galgalis unt in Silo erat, tam acuta ac sonora voce mugiit, ut ea Hierosolymis exaudita sit. Tum Sacerdos, pectoralis lapidibus consultis; Hinc perspicuum est, uit, natum hodie Prophetam esse, qui sculptilia diruet, & fusilia simulacra conflabit.*

110 Eliseus, anno mundi quem Ordinis natalem Lezana statuit 3127. ante Christum 926. ab Elia in socium assumptus fuit, atque in Prophetam unctus, cum agrum coleret; jugis boum 12. sive totidem aratria superintendens; adeoque vir aut saltem juvenis curæ tali & labori par, sic ut eum annorum 25. aut 30. tunc fuisse possimus recte concipere, atque ita natus censebitur circa annum mundi 3100. Tunc autem in tribubus Juda & Benjamin (ad quam ultimam spectabant Silo & Galgala, loca veri Dei cultu nobilitata) regnabat Asa, pientissimus Rex, & omnis idololatriæ, sub patre ejus Abia introductæ, zelosissimus exstirpator. Sub hoc vaccam auream, in Silo prope Jerusalem, vel in Galgalis prope Jordanem stetisse, ad imitationem eorum vitulorum, quos Jeroboam erexerat, tam est incredibile, quam quod maxime. Nunc ergo te interrogo, Pater Rev. cur ad 14. Junii, quo apud vos S. Eliseus colitur, primas secundi nocturni Lectiones non æque ex libris Epiphanii & Isidori sumpsistis, atque eas inde sumpsistis pro 20. Julii in festo S. Eliæ? An iste *Bovis aureæ* mugitus, magis absurdus vobis est visus, quam fasciæ & pultes igneæ? Vos videritis: mihi satis est ostendisse, quam parum fidei talibus libris dandum sit; & in Eliseo manifeste mendaces, non esse magni faciendos in Elia. Plura qui volet, libros ipsos adeat; nam me piget plura describere.

111 Redeo ad Eliam, cujus si genus volebatis ex Epiphanio discere, cur pro certo & indubitabili hujus libro, incertum & tot eruditis improbatum arripuistis? Docuisset iste vos, hæresi 53. n. 3. quid vere ipsemet de eo invenerit, ita scribens. *Quod ad Eliam attinet, ejusmodi illius stemma ac prosapiam reperimus, quam ordine hunc in modum recenseo. Fuit Elias Thesbites Jodaæ Sacerdotis frater* (hunc esse docet Petavius *Joiadam*, Joas Regis socerum & Zachariæ Prophetæ patrem) *proin-*

de

pe ex Sacerdotali genere, filius Achimaam, Achimaamus Sadoci, Sadocus Achitabi, hic Amoriæ, Amorias Moriæ, Morias Zavæ; iste Aziæ, Azias Phineessi, Phineessus Eleazari; hic Aaronis Sacerdotis: Aaron Amram, hic Caathi, Caathus Levi, qui tertius Jacobi filius fuit: at Jacobus, Esau frater, Isaaci filius; Isaacus Abrahami. At in sacris litteris non omnino perspicue istorum origines indicantur. Huic tamen difficultati jam antea ipse Epiphanius occurrerat, dicens: *Quam multi sunt, quorum origines aperte non producuntur, puta Daniel, Sidrac, Misach, Abdenago, Elias Thesbites? quorum qui parentes fuerint nusquam in Scripturis commemoratum legimus.* Nusquam igitur legit Epiphanius in Scripturis sacris, quis pater Eliæ fuerit: legit alibi, ut vidimus, & prodit, patrem ejus fuisse *Achimaamum*: qui ergo ex eodem Epiphanio probas, patrem fuisse *Sabacham*? Quia sic legitur in libro, commentis pleno, sed Epiphanii supposito nomini, atque ad apocryphorum classem amandando, & a pluribus jam amandato: Imo ex eo quod liber iste *Sabacham* vocet Eliæ patrem, manifestum fit, non esse illum Epiphanii, nisi hunc arguere malis, aperte sibi contradicere.

112 Petavius noster, in suis ad Epiphanium Animadversionibus, pag. 219. locum prænotatum exponens, testem illius genealogiæ citat Rabbi David Kimchi; sed addit, quod *non omnes Hebræi veteres ita arbitrati sunt: siquidem ex eodem Davide constat, alios e tribu Gad, alios e tribu Benjamin Eliam oriundum putasse: ipse autem nihil affirmat.* Ego etiam Art. xi. num. 10. nominavi Tibi, Rev. Pater, Rabbi Haccados, qui patrem quidem *Sabacham* nominat, sed tribui *Gad* adscribit. Nihilo plus conveniunt Hebræi quoad cognomen *Thesbitæ*: hoc enim licet a *Thesbis* ductum appareat, tamen in Galilæa ponunt, unde Elias migraverit in Galaaditem; alii in ipsamet Galaadite, sic tamen ut eam negent Prophetæ fuisse patriam, solumque agnoscant locum commorationis diuturnioris; ex qua similiter alii multi, atque imprimis ipse Dominus noster Christus, cognomen acceperunt; hic Nazaræi; Herodes Ascalonitæ; alii alia. Interim non ideo repudiandum puto, quod *Thesbas in Arabia* collocet Auctor vester, cum Petavius ex Hieronymo doceat, *Arabiam olim latissime patuisse, ut non modo transamnanæ seu Peræa optimam partem, sed etiam Cælesyriam & Damascum complexa sit.* Hoc ergo dissimulandum putans, relinquo Patribus Carmelitis probandum, quod *Thesbæ*, ubicumque positæ, fuerint *Sacerdotum habitationi destinatæ*.

113 Porro mi liber ille, male attributus Epiphanio, qui sibi ipsi adeo patenter non contradixisset, nullam fidem conciliat visioni, hic vocatæ in controversiam; sic neque similia narrans Dorotheus; cui patria Tyrio, dignitate Diacono Antiocheno, & juxta Eusebium viro doctissimo, adscriptus est Latini cujusdam Auctoris *liber infantilis, cui titulus*, Synopsis de vita Prophetarum & discipulorum Domini, *scatens fabulosis narrationibus, ut Bellarminus libro de scriptoribus observavit.* Ita Theophilus Raynaudus Tom. xi. pag. 281. qui & subjungit: *Per magnam ergo oscitantiam, Dorotheus, vir egregie doctus, & sub Juliano Christi Martyr suæ ætatis anno 105. dehonestatus est, attributa ei admodum absona scriptione, cujus auctor in Menolog.o Græco 18. Kal. Maii dicitur, Romæ & Romana lingua eam exarasse.*

114 Tales tamen, dum sibi favent, ambabus, ut dicitur, ulnis amplexus Lezana, in alios, sibi contrarios, censuram stringit, ad annum mundi 3123. num. 5. eorumque Rabbinorum sententiam, qui Eliam fingunt esse Phinceessum, filium Eleazari, nepotem Aaronis, *inane recutitæ gentis figmentum* appellat, quod *communi applausu exploditur*; licet assertorem videatur habere Hieronymum, lib. 1. de locis Hebraicis; ipsumque operose defendat S. Petrus Damianus, Opusc. 16. de cœlibatu Sacerdotum ad Nicolaum Papam II. cap. 1. Nescio quid facturus Lezana fuerit prælaudato a nobis Rabbino Haccados, si eum quem requirimus librum habuisset: nam alium ejusdem Auctoris Romæ nactus apud Hippolytum Maraccium, in Fundatoribus Marianis, cap. 1. eumdem ad annum mundi 4037. n. 9. perquam honorifice nominat *Rabbinum, sanctitatis ac doctrinæ laude apud suos celebrem, Magistrum sanctum nuncupatum, qui* cupidus sciendi nomen & genus illius Prophetissæ, ad quam se ingressum Isaias dicit, ipsamque concepisse & peperisse filium, *cum quodam die ingressus esset Patrum speluncam, in qua sepulti sunt Adam, Eva, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Jacob atque Lia, ut illic adoraret; ibi invenit Eliam Prophetam, quem cum de hoc percunctatus esset, talia ab ipso accepit: Hæc Prophetissa est mater Regis Messiæ, quem Deus se missurum pollicitus est ad Israel.* &c.

115 Hæc & plurima, sane egregia, eodem spectantia, ex Scripturis & Prophetis, scribit Rabbinus iste sibi per Eliam revelata; *quæ etsi Rabbinica*, inquit Lezana, *nostro instituto inutilia nemo asseverabit.* Neque ego id faciam: sed rogabo Patern. Tuam, ut quando eumdem Rabbinum, tam sanctum, imo tam veracem Prophetam facis in iis quæ de Rege Messia ejusque matre scripsit, tanto prius quam nasceretur; ut, inquam, credere ipsi non detrectes in iis quæ scribit de genere & patria Eliæ, tanto propius cognita, & quæ fortassis nos docebunt alii ejus libri, sub titulo *Eliæ Majoris & Minoris*, in Vaticana reperti, cum fuerint Latine redditi; licet contraria illis, quæ tam obstinate nunc vultis pseudo-Epiphanio credi.

116 Quod attinet Polybium, Epiphaniana apocryphæ Vitæ prætensum scriptorem, cujus causa me accusas in fine hujus Paragraphi, eo quod in Appendice ad 14. Maii tomo 7. pag. 769. eum inter Prætermittendos referam, licet repertum in duplici manuscripto Taurinensi (addere potuissem etiam, in duplici Parisiensi) quodque dicam; *an in rerum natura fuerit, valde dubito.* Et; *Sic*, inquis, *Papebrochius pro suo sceptico captu, passim repudiat & explodit historias ecclesiasticas, easque hæreticorum exponit ludibrio*: atque hoc denique ominaris haud impune futurum. Ego nihil magis hinc metuo, quam inde quod de Enoch Hierosolymitano Patriarcha, prætenso scriptore Vitæ S. Angeli (quem ex duplici vestro Kalendario manuscripto ad 22. Augusti refert novum Speculum ante tomum 2. pag. VIII. nec non P. Philippus a Visitatione in Acie bene ordinata) quod, inquam, de tali Enoch non solum valde dubitem, an fuerit in rerum natura; sed constanter fuisse negem, idque demonstrem.

117 Sicut enim illius persona & nomen non aliunde habentur, quam ex prædicta S. Angeli Vita, tota apocrypha & commentitia: sic & istius Polybii nomen in dicta quatuor Synaxaria transiit ex Vita, quæ qualis sit discere potuisti, Pater R. ac debuisti, ex tomo 3. Maii pag. 37. ubi de illa moro-

morose examinata & exposita, sic dico: „ Vitam Epiphanii, jam olim conscriptam, in manuscriptis Vaticanis Græcis reperimus, unde eam Latine redditam primus edidit Lipomanus, deinde Surius, ac demique Petavius, ad calcem tomi 2. addito etiam contextu Græco, qualis in Mediceo Regis Franciæ manuscripto inveniebatur, quem & nos inde transcriptum accepimus. Ea testes & auctores præfert, duos ejus discipulos; primo *Joannem*, quasi hic inter ejus discipulos in monasterio unus, ac peregrinationum variarum comes individuus usque in Cyprum, scripserit ea quæ Sanctum viderat facientem miracula, usque in diem quo cœpit extremum ipsemet ægrotare: deinde *Polybium*, cui idem Joannes moriturus conscriptas a se chartas tradiderit, præcipiens ut quæ consequerentur mandaret litteris; promittensque adjiciendos ei annos vitæ, ut toto tempore permaneret apud Epiphanium: qui etiam Polybius, loco Joannis ab Epiphanio ordinatus Presbyter, cumque & Romam & bis Constantinopolim & aliorsum comitatus, mortuum revexerit in Cyprum; & quia corpore ejus adhuc insepulto, ex suprema ejus voluntate profectus in Thebaidem, ibi coactus fuerit subsistere, factus Rhinocoruris Episcopus, post annum unum aut amplius scripserit ad Epiphanii successorem Sabinum, ab eoque petierit de modo & tempore sepulturæ prædictæ per litteras instrui, atque ita cum Sabini responso finitur ea Vita.

118 „ Utinam ea sic, ut præferuntur, Acta essent ac scripta! non doleremus, in tali Vita nihil omnino esse, quod tuto credi possit; sed omni fide dignissima forent singula, neque facile uspiam aut ab ipsomet Epiphanio aut a coævorum auctorum aliorum scriptis invenirentur discrepare. Nunc vero *plurimis* Acta ea esse *conferta mendaciis*, ut ait Baronius ad an. 372. num. 108. & *in plerisque fabulæ quam historiæ propiorem* esse, ut scribit Petavius in Præfat. ad tom. 2. operum Epiphanii, judicet necesse est, quisquis eam contulerit cum infra proponendis censuris seu observationibus: nam ipsam, jam sæpius Latine, semel etiam Græce excusam, recudere, tantum ut refellatur, operæ pretium non est. Toleramus quidem Vitas in hoc opere multas, dum meliores non suppetunt, nævis quandoque gravibus aspersas: quarum auctores credimus, bona quamvia, nimium tamen simplici fide mandasse litteris, quæ plura post secula partim ex vetustioribus monumentis, partim ex popularium traditionibus compilarunt. Sed eas amplius ferre non possumus, quæ mala fide nominibus alienis suppositæ, tanto gravius offendunt ad veri falsique discrimen exercitatum lectorem, quanto turpius imponunt simplicioribus. Cum enim illis eatenus pia aptetur credulitas, quatenus nulla in contrarium obstat auctoritas certior vel ratio dubitandi prægnantior; istia nihil tuto creditur, nisi quod aliunde invenitur testimonio magis idoneo confirmatum. Itaque iis quæ dixi Actis omissis, ea colligere aggredior, quæ ipse de se pauca satis, plura quæ alii indubitati scriptores suggerent.

119 Hæc præfatus, promissa præsto Capitibus quinque: Capite autem 6. examino & expendo *Acta, quatenus a Joanne conscripta finguntur*; & Capite 7. *cetera, ut a Polybio obtruduntur*. Cum autem hæc sola sequantur Auctorea lectionis historicæ, Synaxariis insertæ, quid mirum si unus alterve talis libri scriptor, Polybii quoque nomen dignum censuerit inter Sanctos proximæ diei referri? Publica namque Constantinopolitanæ Ecclesiæ (unde fere habemus Synaxaria pleraque) factum id non esse, persuadet silentium tot aliorum, quæ plurima perlustravimus. Et vero qua ratione credam, publicum aliquem cultum apud Græcos meruisse *Polybium Rhinocorurorum in Ægypto Episcopum*, occasione aliqua, quæ certam nobis faciat ejus existentiam, puta per corporis translationem in Græciam, cujus nomen in paucissimis dumtaxat manuscriptis Græcis legitur; in Copticis vero sive Ægyptiis, unde cultus ad Græcos transisse debuisset, omnino nusquam; nec etiam in Hagiologio metrico Abissinorum; ex Fastis Copticis Alexandrinisque formato?

§. X. ACCUSATIO.

Ut Papebrochius S. Bertham ejusque conventum rapiat Benedictinis, negat, contra evidentem veritatem, S. Benedictum in sua Regula facere mentionem de molendino, intra monasterium construendo.

RESPONSIO.

120 UT vim habeat aliquam Accusatio, oportet, P.R. me fueris imaginatus sic argumentantem: S. Benedictus in sua Regula non facit mentionem de molendino intra monasterium construendo; in monasterio autem S. Berthæ constructum fuit molendinum: ergo Monasterium S. Berthæ, & hæc ejus fundatrix, non fuerunt Ordinis Benedictini. Hanc Dialecticam, sic undique claudicantem, tibi habeto R.P. Professor. Ego Benedictinis rapui nihil, solum dubito, an satis certo demonstrari possit, Sanctam ejusque monasterium, fuisse ipsorum, qui in eis sibi vindicandis inter opera suorum Sanctorum Acta nihil omnino operæ posuerunt. Dubitandi autem causam non sumo (ut mox apparebit) a molendino, quod nescio quo modo sanum tibi cerebrum videtur excussisse: sed solum quæro, primine scriptoris, an interpolatoris sit hæc parenthesis. *Sicut præcipit B. Benedictus*. Pollicebar quidem, *in Annotatis* ostensurum me *quam ineptum istud glossema sit*; idque conatus sum facere ad litteram O: sed cognito mox quo fueram seductus errore, non distuli ipsum corrigere in Appendice ad totum Majum, tomo 7. pag. 539. jubens, expuncta lineola, post prædictam Parenthesim ita legi: *Sed quis securos nos reddet, non esse hoc interpolatoris glossema, ejusdem farinæ, cujus sunt tot alia hic adnotanda?* Tum ipso loco unde exemeram, jussi restitui Parenthesim eamdem; & Annotatione priore abolita, hanc reponi: *Sitne hoc ex veteri textu, an ab interpolatione novitia, non definio*. Et pergo: *Regula 66.* de Ostiario monasterii *sic habet*: Monasterium autem, si fieri potest, ita debet construi, ut omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ, intra monasterium exerceantur. *Fateor ingenue Rubricas Regularum percurrenti mihi nunquam venisse in mentem, ut de Officinis aut Molendino monasterii quærens, quid S. Benedictus præscripserit, Regulam de Ostiario perlegerem, aut aliud nihil magis eo spectantes. De-*

buerat

buerat sane, pro articulo omnino novo atque diverso a præcedenti, nova & propria Rubrica fuisse posita. Sed hoc alii curent: ego, quod tali occasione erravi, libenter retracto. Parum interim ad rem facere puto, utrum en tali errore expuncta a me verba legantur vel non legantur in Actis, tam parum sinceris, tamque licenter interpolatis. Hæc ego ibi.

122 Quæ tibi, Pater R. lecta non fuisse, qui ex illa Appendice complures Accusationes sumpsisti, difficile est ut credam: sponte dissimulasse, ut accusare posses, durum quidem, sed loco non uno factum a te. Malo tamen memoriæ fluxæ adscribere, tibique condonare, ejus defectum, sicuti mihi condonari volo præcipitantiam in ferenda sententia, ex sola rubricarum seu titulorum lectione. Æquum tamen puto, ut, sicut ego prompte & candide retractavi erratum qualecumque; sic & tu retractes Accusationes tuas, quarum injustitiam tam manifeste demonstravi. Hoc si facere recuses, ignoscere quidem ego tibi possum & volo ex Christiana caritate; sed vereor, ut absque satisfactione publica, publicam injuriam proximo illatam condonaturus sit Deus, verique & æqui amans lector.

123 Quod de S. Berthæ Actis licentius ac recentius interpolatis dixi, evidens est Annotationes legenti, in quas rejeci plus quam dimidiam partem ejus Officii, quod impressum & per varia festa distractum habebam; ut ex iis, quæ aliquid historicæ substantiæ habere videbantur, unum ordinarem continuum textum; si non talem, qualem ab initio scripsit aut prudenter potuit scripsisse is, quem præ oculis habuit Flodoardus Remensis seculo 10. Scripsit autem illam, quantum investigando assequi potui, uno & amplius seculo post mortem Sanctæ, ex traditione & relatu Sanctimonialium ejus, tunc Regulam Benedictinam profitentium, ipsarum forte curator Benedictinus, cum ipsa Sancta fuerit a suis privignis occisa, ideoque Martyr dicta & culta, sub finem seculi 7. centum annis ante reformationem Francicorum monasteriorum, sub imperio Ludovici Pii & cura S. Benedicti Anianensis: qui quomodo diversitatem variarum per Galliam Regularum ad uniformem unius Benedictinæ observantiam reduxerit, dixi §. 6. præcedenti.

124 Duæ autem Regulæ tunc præ ceteris adhuc vigebant; Agaunensium scilicet, quorum erat *Laus perpetua*, id est continua diu noctuque psalmodia, divisis trifariam Monachis, sibique mutuo succedentibus (quam Regulam San-Dionysiani prope Parisios noluerunt dimittere, nisi post ceteros omnes ad normam Benedictinam adductos) & Regula S. Columbani Abbatis Scoti, valde aspera ac severa; quæ ut postponeretur Benedictinæ, longe leniori atque *discretione præcipuæ* (ut ait S. Gregorius) facile persuaderi hominibus non omnino pertinacibus potuit. Hinc factum, ut in plurimis ejusmodi monasteriorum diplomatis, illa vel vere dicantur fundata *sub Regula Sanctorum Patrum Benedicti & Columbani*; *vel* in iisdem rescribendis Monachi, jam facti Benedictini, nomen *Benedicti* adjungerent nomini *Columbani*.

125 Istis porro sic stantibus, difficile, imo impossibile est, statuere de singulis ante seculum nonum fundatis monasteriis, sub qua earum Regularum fuerint primitus condita. De Avennacensi autem S. Berthæ monasterio, in diœcesi Remensi fundato, dubitandi specialem rationem hanc adduco num. 8. quod *secundum Regulam S. Columbani instituta fuisse quædam vicina Remis monasteria, dubitare vix sinit Addo Dervensis Abbas, in Vita S. Basoli, dum ait, quod in Viriziacum adveniens, adjunxerit se numero duodecim Fratrum*, mores & Actus S. Columbani imitantium, sicut in Antiquariis reperisse *se ait*. Quod si definiri certo posset, sub qua disciplina S. Nivardus, Remensis Episcopus, ipsius S. Berthæ frater, fundaverit suum Altovillariense monasterium, magis firma foret conjectura, quæ Avennacense suaderet etiam sub eadem institutum fuisse.

126 Joannes Mabilio, in suis sex tomis seculorum Benedictinorum, Chronologico ordine texens Indicem Sanctorum ac Monasteriorum eo spectantium, nusquam meminit [t] S. Berthæ vel Avennacensis monasterii, aut S. Nivardi & monasterii Altovillariensis; haud obscure insinuans, quod neutrum audeat referre in censum Benedictinorum. Neutrius etiam Vitam credidit inserendam operi suo: solum in Indice Prætermissorum tomo 2. ponit *S. Bertham*, nulla reddita prætermissionis causa; & nomini præfigit asteriscum *, quo vult designari *eos, qui genuini Benedictini esse videntur*. Sed cur talis videatur S. Bertha, non indicat; neque ego teneor, ex tam levi conjectura, definire quidquam. Merito autem mihi persuadeo, non esse Carmelitas, qui me, citra ullum peculiare studium, extemporali conatu doceant id, quod Benedictini nesciunt definire post annos plures quam quinquaginta, illustrandis Ordinis Sanctis tam laudabiliter impensos. Horum antiquitas non eget defensoribus istis, qui si possent propriam tam clare docere, quam docent Benedictini suam, contra præjudicia Henschenii atque Cointii, sustinentium non nisi paucissima Benedictinæ Regulæ monasteria extra Italiam fundata fuisse, ante restaurationem Cassini a Longobardis destructi; & ante Regulæ diffusionem per Gallias Belgiumque, potissimum adscribendam prælaudato Benedicto Anianensi, haberent me sibi promptissime assentientem. Nunc, cum, versa in odium plus quam Vatinianum amicitia pristina, pro rationibus ferunt convitia, pro litteraria dissertatione lites instituunt delationesque ad tribunalia, historicarum controversiarum non valde perita; nihil apud eruditos lucrantur, quam præjudicium causæ desperatæ, utpote sua fere negligentes, dum in me accusant non sua.

§. XI. ACCUSATIO.

Papebrochius valde insolenter undiquaque impugnat & invadit Regulam S. Alberti, datam Carmelitis.

RESPONSIO.

127 Indubitanter credo, omnes & singulos Religiosorum Ordinum Legislatores, atque etiam S. Albertum, in conscribenda cujusque eorum Regula, aut etiam Constitutionibus, diviniori Spiritus sancti afflatu directos fuisse; neque puto, quod mihi vel somnianti contrarium acciderit cogitare, nedum dicere aut scribere. Itaque nihil est opus, ut dignitatem Regulæ Albertinæ, & perfectionem vere religiosi status ea definitam, coneris multis mihi explicare,

Pater

[t] At meminit tom. 1. Annal. Benedict. l. 15. n. 25.

P. R. ficati nihil opus etiam fuit, ut Fr. Valentinus a S. Amando scriberet librum, cui titulus *Heroica Carmeli Regula, a cujusdam Musfei Scriptoris vilipendiis vindicata*. Ait, quidem Paternitas vestra, quod *Papebrochius eam arguit & censurat, dicens esse nimis brevem, diminutam, nihilque in ea agi de subordinatione Prælatorum, nihil de regimine Monacharum, nihil de studiis, nihil de choro &c.* & hoc dicendo, affingis mihi terminos numquam scriptos, numquam cogitatos. *Nimis brevem & diminutam*. Exhibebo ergo ipsum locum, unde vobis placuit assumere accusationis tam crudæ, & in titulo præmisso crudioris, occasionem.

128 Tomo 1. Aprilis, ad diem 8. deducens Acta S. Alberti præfati, propono capite 5. fideliter atque ad verbum, *Regulam ab eo quibusdam in Carmelo Eremitis præscriptam*. Tum sequenti Capiti hunc titulum facio pag. 779. *Conditio & numerus eorum quibus Regula data, hæc vero unde sumpta sit, explicatur*: ipsum vero Caput sic exordior num. 45. „ Hæc ast *primaria* „ *seu primigenia Regula* Carmelitarum, *Ordinis anima & forma* a non nemine dicta; a Romanis Pontificibus postmodum probata, & varie mitigata. Quam conferens cum supra memorata S. Augustini Regula, scripta ad institutionem unius solius parthenonia, in quo ipsa sancti Doctoris soror Præposita fuerat, postea autem ad plura, etiam virorum, monasteria, usu approbante, deducta; prorsus in hoc simillimam, quod sicut Augustiniana, ex sui auctoris mente, longius se non extenderat, quam ad illas paucas Sanctimoniales quibus scribebatur (utpote quarum nulla esset cum aliis cœnobiis communio regiminis aut dependentiæ mutuæ) ita nec Albertina vel minimum indicium habeat, ex quo prudenter inferre possit aliquis, novellum sub Brocardo germen ultra Carmelum diffusum, cum hæc dictaret Albertus, aut alibi quam juxta fontem habitasse.

129 „ Propositum erat, vitam ereminticam sub obedientia ducere: hoc annorum aliquot usus, absque ullo forsitan voti arctioris vinculo continuatus, comprobaverat. Nulla adhuc certæ vitæ formula scripta erat, ad quam se obligarent: petita hæc ab Alberto est. Brevem is scripsit; nec enim humili tunc arbusto, & nihil minus promittenti quam secutam postmodum proceritatem, longa opus erat pertica, ut stare posset. Exteriorem vitæ formulam primum articulis undecim, aliis deinde quinque interiorem composuit: nihil de ministeriis erga proximum, nihil de studiis litterarum, nihil de Superiorum plurium inter se subordinatione, nihil de cura aut regimine Sanctimonialium, nihil de cantu aut choro præcipit: quod certum est argumentum, nihil adhuc tale inter Eremitas illos aut reipsa fuisse usu inductum, aut cogitatione designatum.

130 Tum ex Joanne Phocæ, Sacerdote pientissimo, propono locum, in his quoque Responsionibus Art. 2. num. 187. Græce Latineque exhibitum, quo primum Eliani Anachoreseos restauratorem describit, situmque loci ac numerum sociorum circiter decem: quibus intra annos, a Joannis istic accessu non multos, puta fortassis quindecim aut sedecim, usque ad petitam datamque Regulam, totidem aut duplo plures novi accesserint. His vero tantum abest uti *nimis brevem*, & *imminutam* Regulam fuisse dicam, itaque vituperem; ut e contrario laudem, atque Augustinianæ comparem, veluti numero, proposito, conditioni, & loco proportionatam, & quæ aptari posset omnibus & singulis per Terram-sanctam eremitoriis, si qua eamdem Regulam vellent accipere, prout postea accidit, manendo tamen semper intra modum & formam Ordinis Eremitici. Neque enim debuit Albertus prophetando præscribere quidquam de iis omnibus functionibus, quas Apostolicæ Sedis indulto in Europa erat suscepturus Ordo Carmeliticus, exemplo Ordinum Mendicantium aliorum.

131 Interim ut Albertus indecorum nihil, nihil imperfectum in circumstantiis istis præscripsit; sic ego, istud notans, vituperium Carmelitis nullum intuli; sicut non inferret Eremitis Augustinianis, qui diceret, illis tribus Congregationibus, ex quibus eorum Ordo coaluit seculo 13. scilicet Congregationi *Fratris Joannis Boni*, *Fratrum de Fabali*, & *Fratrum de Brictinis* sufficisse Regulam S. Augustini, sicut ea habebatur viris aptata; quoad usque illi per plures provincias multiplicati, & eremis dimissis habitantes in urbibus, cœperunt zelum suum per exercitia erga proximum exerere, vacare studiis, chorum habere, eaque omnia usurpare, quæ videbant ab aliis Mendicantibus, Dominicanis & Franciscanis, laudabiliter & fructuose tractari. Ita enim plerumque fieri observatur, ut homines, etiam in communitate viventes, si quid laudabiliter ab aliis aut utiliter agi conspiciunt, illud novo studio & æmulatione quadam sibi imitandum proponant; utinam non sæpe cum detrimento proprii Instituti, quod tales plerumque negligunt, dum alienum justo propius æmulantur! Sed ex illorum numero non fuerunt, de quibus loquimur, Augustiniani: qui tamen tunc, cum ex eremo ad civitates translati fuerunt, & non prius, necessaria habuerunt Statuta seu Constitutiones Regulæ superaddere, quibus istæc omnia dirigerentur atque ordinarentur.

132 Quid huc facit Societas nostra? quæ inter studia litterarum nata, ab ipso suo exordio omne genus spiritualium erga proximum functionum amplexa, excepta Sanctimonialium cura, non potuit congrue informari per aliquam probatarum antiquitus Regularum; sed necesse habuit instrui propriis, & ad omnes illas appositis Constitutionibus, in quibus a S. Ignatio morose compositis, & a Sede Apostolica confirmatis, *Dei digitum* agnoverunt magni quidam tam in Ecclesia quam in seculo Principes; ex istis vero postea sumptæ fuerunt Regulæ nostræ tum communes, tum particulares singulorum in Societate officiorum.

133 Porro insulsum prorsus est atque impertinens, quod assumit Paternitas Tua num. 94. & quidem *ut evidentius pateat, quam vana sint nova Papebrochii criteria, nulli ante ipsum mortalium nota & impertinentia, ut inde Religionis aut Regulæ alicujus arguatur imperfectio*. Audiamus. *Societas, nullam habens Regulam, vivit sub Constitutionibus suis, in quibus agitur quidem de communi refectorio, non tamen de communi oratorio, seu choro ad simul Deo laudes cantandas vel psallendum, nihil etiam de regimine Monialium seu Jesuitissarum, cum auctoritate Pontificis sint extinctæ; an ideo Societatis institutum arguendum vel censurandum?* Quam multæ tuæ, R. P. Pro-

fessor, in hisce paucis lineis ineptiæ! Egone Carmeliticam regulam uspiam arguo & censuro? Quin a contrario laudo, ut loco, tempori, ac proposito eorum quibus dabatur accommodatissimam, & plane sufficientem ad Eremitam, religiosum sive claustralem, interius exteriusque perficiendum.

134 Ex iis tamen, quæ ibi non attinguntur, nec tali proposito, loco, ac tempori necessaria, imo nec commoda erant, infero & arguo, ista non fuisse ex usu & instituto veterum Eremitarum, ab Alberto regulatorum; sicut ex Constitutionibus Societatis nostræ, nullam Chori aut Monialium mentionem facientibus, recte quis inferret, absque ullo illius vituperio, neutram curam pertinuisse ad primos Jesuitas; imo sanctum Fundatorem judicasse, utramque valde incommodaturam eorum hominum functionibus, qui veluti auctorati ad omnem occasionem milites, omnino certis ac diei hora expediti esse debebant, ad proximi auxilium spirituale, & quamcumque missionem summi Pontificis ac Superiorum mandato capessendam.

135 Multum interest, P. Professor, inter *deesse* & *non adesse*. Non habet equus cornua, neque bos jubas; neutri tamen illa alterutrius ornamenta desunt, quia non desiderantur, imo monstrum facerent. Non habet Carthusianus Ordo litterarum politiorum aut aliarum severiorum gymnasia; sed neque desiderat; ideoque non imputatur ei ad defectum; sic neque Albertinis Carmelitis ad defectum imputari potest, quod seculo 13. ineunte, in Syria, ubi vitam pure eremiticam ducebant, necdum habuerint omnia, quæ illorum successores nunc in urbibus laudabiliter exercent, a contemplativa vita ad mixtam translati cum approbatione & utilitate totius Ecclesiæ. Sed cum extendi Ordo cœpit ad plures extra Carmelum & Terram-sanctam, non solum Conventus, sed etiam Provincias, cum magna ac necessaria subordinatorum sibi invicem officialium varietate, opus habuit superaddendis Regulæ Statutis, pro rerum novarum accessu successive per Capitula generalia auctis, in quo nihil indecens, nihil probrosum, sed decora & convenientia omnia.

136 Quid autem iterum hic inducis in theatrum Jesuitissas? Non spectant eæ ad Jesuitas, nisi nomine tenus, quod ipsæ vel temere assumpserunt Societate invita, vel imposuit eis vulgi dicacitas. Eas quod extinxerit Pontifex, justis de causis fecit, & ipsa Societate annitente, cui, per se satis expositæ dicteriis populi, non solum hæretici, sed etiam Catholici non bene informati aut affecti, neutiquam conveniebat etiam ipsarum causa gravari. Hoc tamen dico, quod si eas voluisset institui, & ad suorum curam pertinere Ignatius, nec ipsarum ullam fecisset in suis Constitutionibus mentionem, imperfectas dedisset, quia intento a se fini non adæquatas. Idem dici posset de sanctis Augustino & Alberto, si Regulam suam scripsissent, hic pluribus quam paucis uno in loco & sub unius Prioris obe[illegible]nda Eremitis; iste pluribus quam unius cœno[illegible] Virginibus regendis, ab una Præposita unoque [illegible]esbytero, sub Episcopi sui obedientia viventibus, [illegible] nihil amplius ex Regula intelligitur, & longe [illegible] præscribi ac definiri debuissent, si ea, quæ non fuisse dicimus, ordinanda fuissent.

[illegible] Quando vestrum Ordinem petiistis ab A[illegible]lica Sede confirmari, objiciebaturque decretum Synodi Lateranensis, præcipiens, ut *quicumque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat*; responderunt majores vestri, suam esse approbatam ab Alberto Apostolicæ Sedis Legato, a quo & Regulam accepissent; & hoc responso denique impetrarunt, ut non cogerentur ad aliquam ex antiquis recipiendam, quamvis illa vestra esset tam nova & paucis ante Concilium annis dictata. Quid igitur Societati quasi exprobras, Reverende Pater, quod *absque Regula* (una scilicet antiquarum, ad quarum nullam Apostolica Sedes voluit nos obligari) *sub suis Constitutionibus vivit*. Nostra hæ sunt Regula sæpius ac plenissime confirmata: hac contenti sumus, neque ambimus non præscriptum in illa Chorum, vel Monialium (ut Tibi vocare placet) Jesuitissarum curam; quin potius has nobis invitis natas, non inviti vidimus extingui, illum enixe sumus aliquando deprecati, utpote Apostolico instituto nostro, quod expeditos semper in vinea Domini operarios exigit, minus conformia munia. Idem si fecissetis vos, primo vestro instituto Eremitico contenti, non se abdicasset suo Generalatu Nicolaus Gallicus, Regulæ in sua puritate servandæ zelator an. 1270. cum vidit suam *Sagittam igneam*, qua nitebatur solitudinis Carmeliticæ desiderium spiritumque resuscitare, frustra fuisse jactam: qua de re meretur legi vester Lezana ad annum prænotatum num. 7. ex eadem Sagitta, scintillas eliciens Elianas, prorsus & dignas, quæ suo effectu non omnino caruerint hac nostra ætate, qua videmus ejusmodi secessus laudabiliter restitutos pro iis, quos eo spiritus Eliæ ducit.

§. XII. ACCUSATIO.

Solus Papebrochius negat librum seu epistolam, de processu & variis Regulis Ordinis Carmelitarum, ad Eusebium Eremitam Montis Neroi, esse genuinum fœtum S. Cyrilli Constantinopolitani.

RESPONSIO.

138 Quicumque negant, librum de Institutione Monachorum esse Joannis XLIV, Archiepiscopi Hierosolymitani, sed ascrunt esse Auctoris alicujus, nec antiqui, nec Græci (hoc autem post Brasichellensem, sacri Palatii Magistrum, & Bellarminum, sentiunt omnes hujus temporis Critici eruditi, sicut vidimus supra §. 5.) dicendi sunt etiam negare, prædictam Epistolam esse S. Cyrilli, qui B. Brocardo regendis Carmelitis successit anno 1230. seu potius circa annum 1210. immediate post Regulam ab Alberto Patriarcha dictatam. Negando enim istud, consequenter negant, quod ipse *Joannes sodalibus suis, Religiosis montis Carmeli, librum* istum, *legendum & observandum tradidit anno Domini 412. Et ex tunc professores nostræ* (id est Carmeliticæ) *Religionis satagerant ad perfectionem & finem vitæ* solitariæ *tendere, secundum formam institutionis Prophetæ Eliæ, per dictum Joannem in præfato libro descriptæ* .... ut habet Epistolæ Caput 1. Negando quoque Auctorem libri Græcum esse, negant totum quod legitur Cap. 3. de Aymerico Antiocheno, quod scilicet *intelligens, quosdam eorum, qui ab Occidente supervenerant, spretis seniorum monitis, non recte* amba-

ambulare ad veritatem religiosæ vitæ eremiticæ, in prædicto Joannis libro descriptæ; & perpendens hoc ideo maxime contingere, quia Græcas litteras ignorantes, nesciebant codicem illum legere, fecit librum illum de Græco in Latinum transferri.

139 Porro nec Bellarminus, neque Labbeus, neque Oudinus, Ecclesiasticorum scriptorum Catalogos texentes, dignati sunt *Cyrilli Carmelitæ* nomen inter illos reponere: & qui hoc fecit Possevinus, fecit sub dubia sibi Trithemii fida, addens; *Si Trithemio hac in re credendum*: Nec plus fecisse dici potest Aubertus Miræus, qui persuasus a Wastelio, ut in Joanne Hierosolymitano mentionem paulo honestiorem faceret libri de Institutione Monachorum, quem dixerat pag. 51. *scriptum videri ab aliquo longe posteriori*; non ultra ei assensus est, quam ut diceret, se Wastelii pro eo Vindicias, *cum prodierint, eruditiorum judicio discutiendas relinquere*: quod quale tulerint Theophilus Raynaudus, Philippus Labbe, aliique, supra etiam vidimus. Quomodo autem illi, qui editoribus novæ ac veteris Bibliothecæ Patrum, olim Coloniæ, & nuper Lugduni, persuaserunt, ne inde auferrent librum Joanni præfato attributum, non etiam persuadere potuerint, ut inter Patres seculi 13. Cyrilli Carmelitæ libro sive Epistolæ illi locum darent, nolo hic divinare.

140 An vero (ut ejusdem Epistolæ plures ineptias taceam, historiam Carmeliticam concernentes, & ex Joannis Phocæ diversa prorsus narratione dijudicandas) an, inquam, ex Barratæ cappæ istic descriptæ forma, prorsus diversa a verosimili, non sequatur, illam esse confictam, postquam Barrata illa, in albam mutata, fere ex Carmelitarum memoria excideret, videndum nobis erit Art. 15. §. 17. ubi ex professo hunc lapidem versas, Pater Rev. ne bis cogar eadem dicere. Interim nullum neque Paternitas Tua, neque a te citati velut Epistolæ illius Vindices, PP. Daniel a Virgine Maria & Franciscus Bonæ-spei, allegatis vetustiorem Philippo Riboto, qui primus Carmelitanum Speculum compilavit, annis fere centum post mutationem Cappæ, factam anno 1287.

141 Ceterum, quocumque anno Cyrillus cœperit Carmeli Montis Eremitas Prior regere; quocumque etiam vivere desierit; ex hac ei attributa Epistola, si vera foret, sequeretur, quod, ipso Prioratum ineunte, Eremitæ Montis Nigri (*Montana nigra* scriptores Latini convenientius nominant) prope Antiochiam degentes, necdum aggregati erant Eremitis ad fontem Eliæ commorantibus, & sub unius a se Electi obedientia viventibus. Nam per eamdem Epistolam invitabantur ad unionem ejusdemque Regulæ observantiam, quam tenebant ii, quos *antea in antris atque cellulis distantes*, & *per montem Carmeli* sparsim *habitantes*, *ipse Dominus Albertus tunc*, id est post annum 1206. quo venit in Syriam, *congregavit, & in monasterio* per eam constructo ... *inclusit, ut ibidem conversarentur secundum Regulam eis per ipsum noviter scriptam; quam tibi sic in sua forma transmitto*, inquit auctor Epistolæ. Supponens scilicet, eam Regulam necdum apud Antiochiam haberi, & ipsos qui ibi erant, necdum Priori Carmeli fuisse subjectos. Si enim fuissent (uti finguntur) & ipsi, & omnes Terræ Sanctæ Eremitæ Latini, Priori Montis Carmeli subjecti, partem utique eorum Priores habuissent in electione Generalis; neque tam diu caruissent exemplo Regulæ Albertinæ, sed vel statim ab ejus promulgatione illud accepissent, vel a Capitulo Generali rediens Prior Eusebius ipsam attulisset; nec opus fuisset exemplum accipere per Epistolam a Cyrillo, & quidem tot annis post scriptam Regulam, quot ponentur inter hujus datam & Cyrilli scriptionem: talem autem consequentiam, non existimo facile a Carmelitis admittendam.

Opuscul. Collect.

§. XIII. ACCUSATIO.

Papebrochius ex falso principio negat, Enoch, Patriarcham Hierosolymitanum, descripsisse Vitam S. Angeli Carmelitæ.

RESPONSIO.

142 Neque *Principium* mihi, ad negandam thesim, fuit solum quod assumis, Pater Rev. (scilicet quod eo tempore quo Vitam illam scripsisset prætensus Enoch, non potuerit ipse fuisse Patriarcha Hierosolymitanus; & quidem Catholicus atque Sanctus) neque si fuisset, *falsum* esset *Principium*. Etenim ad diem 6. Maii in Appendice, prolixissimo Commentario, demonstravi cuicumque oculos habenti, (sicut jam dixi Art. 11. num. 104. & seqq. nec pigebit iterum hic repetere) fieri nulla ratione posse, ut eam Vitam scripserit auctor Græcus „ aut Syrus, qui Hierosolymis & in Palæstina, „ ineunte sæculo 13. vixerit cum S. Angelo; „ cum eodemque transierit in Italiam Siciliamque, „ & morientem viderit; ac denique reversus „ Hierosolymam, factus sit Patriarcha „ Verba mea ista sunt, in Anacephalæosi pag. 834. quæ deinde sic prosequor.

143 „ Quid enim? An talis vir potuit Græcorum „ rituum tam esse ignarus, ut pro iis identidem „ Latinos substituens, omnia aliter facta „ narraret quam fieri debuerunt? An potuit nescivisse, „ quo in statu Hierosolymam atque Alexandriam „ reliquerit, inde discedens? An potuit „ credidisse, quod Syro-Græci atque Latini „ promiscua inter se Sacrorum communione uterentur? „ An potuit vel somniando cogitasse, „ quod ex Carmelo Hierosolymam eunti transeundus „ esset Jordanes fluvius? An potuit Portum „ Romanum cum Centumcellensi, & hunc „ cum Urbe-Veteri confudisse? An potuit Honorium „ hic reperisse eo tempore, quo constat „ fuisse Romæ? An potuit erravisse in nominando „ Archiepiscopo Panormitano, hospite suo, „ vel eum non distinxisse a suo Vicario? An potuit „ denique characteres omnes temporum confudisse, „ ut Parasceven diceret celebratam xxiv. „ Martii, festum S. Marci componeret cum feria „ vi. aliaque similia iis annis, quibus id nec factum „ esse, nec fieri potuisse, dijudicare potest quantumvis „ tiro in chronologia? „ Talia ego ibi: moxque concludo dicens. „ Hæc si, non singula, sed „ simul omnia, dicas fieri potuisse; vel ostendas, „ ut Vita illa verificetur, non debuisse fieri; fatebor „ ego me vel caruisse oculis, vel plena in meridie „ densissimam noctem pati.

144 Principium ergo negandi, quod hæc Vita scripta sit ab aliquo Catholico vel Schismatico, Latino vel Græco, ejus de quo agitur tem-

poris Patriarcha, non est mihi simplex negatio, quod tunc fuerit aliquis Patriarcha Enoch (quamvis hoc quoque dico, & demonstrasse me puto) sed quod tota Vita ab initio ad finem mera sit fabula, de vero Sancto sic composita, ut nihil videri possit fabulosum magis, si historica crisis adhibeatur ad singula expendenda. Tua quidem Paternitas num. 103. sic argumentatur: *Si scriptor vulgatæ Vitæ S. Angeli, non sit Enoch Patriarcha Hierosolymitanus ,.. sed pseudo-Enochus aliquis, qui oculati testis personam fallaciter assumpsit, fatendum erit hunc hominem esse mendaciorum loquacissimum, & nequissimum*. De scriptoris intentione & consilio, fueritne nequitiæ an simplicitatis nimiæ, judicabit Deus. *Mendaciorum*, sive (ut vocabulo utar mitiori) figmentorum loquacissimum esse, libens assentior,

145 Atqui, sublimis, hoc *non est præsumendum, cum ille non scribat nisi quæ pietatem, modestiam & sanctimoniam spirent & sapiant*. Quasi vero aliud spirent ac sapiant apocrypha & supposititia multa, puta Periodi Theclæ & Pauli, per Presbyterum Pauli amatorem indiscretum; Joannis Apostoli & Evangelistæ, per pseudo-Prochorum; Simonis Petri per pseudo-Clementem, & innumera talia, de quibus ex Baronio egi Art. 4. num. 31. Graviter ista veræ officiunt pietati, cum falsitatis convicta, cetera quoqua adducunt in fictionis suspicionem, quorum non tam evidenter potest demonstrari veritas, sicut istorum evidenter demonstratur impostura; non tamen impia, scurrilia, & bonos mores depravantia sunt. Imo hos quoque possent salubribus monitis informare & esse innoxia, si aperta fronte prodeant, tamquam fabulæ ingeniose compositæ, ad recreationem pariter & instructionem, Sic nostri Patres Ludovicus Richeomus & Guillielmus Walhà, hic Christianum Herculem Godefridum Bullionum Latino idiomate, iste Gallico Peregrinum Lauretanum scripsit; alius Italice Rosalindam; ad excutiendum e manibus curiosæ juventutis perniciosos illos Romanos, sive Romancias, quæ, per amorum armorumque ludibria, castitatem corrumpunt, & vanitatem inspirant,

146 Si eadem, qua Tu uteris, argumentandi forma, Pater Reverende, opera Magni Dionysii (sic enim vocare solebat Petavius) vere esse Areopagitæ ex nostris aliqui a te citati n. 102, & 107. putaverunt evinci, quia cum illis circumferuntur Epistolæ aliquæ, mentientes auctorem Apostolici temporis; nihil eo permoventur alii, quin fidenter teneant, Epistolas istas vel totas confictas esse, vel interpolatas ab iis, quorum intererat Apostolici ævi credi præclara alias opera, sed ad suos quosdam fines, fortassis per se non malos, conducibilia, Ergo de Auctore Vitæ, de qua agimus, sentiat quisque ut volet: modo illam esse fabulosam agnoscat, neque inter veras historias reputandam.

147 Quod Enochum Patriarcham attinet ejusque decessores, Nicodemum, Onuphrium, & Joannem, nominatos in Vita, juxta quam sedisse debuissent illi ab anno 1185. ad 1220. & ultra ac citra; jam dixi, si tales revera fuerint Hierosolymis Patriarchæ, neque Catholicos fuisse, neque concipi posse pro Syro-Græcis ab Imperatore Constantinopolitano constitutos ante annum 1192. quousque sederunt Leontius & Dositheus, statim post expulsos Hierosolymis Latinos Patriarchas, Constantinopoli submissi, unus immediate post alterum ab anno 1187. quo toto tempore & prius etiam, atque ad annum usque 1203. debuisset sedisse Patriarcha Nicodemus, cui tunc successerit frater suus Onuphrius, non nisi sub annum 1219. locum sua morte facturus Joanni, fratri S. Angeli, quem denique exceperit Enoch. Hos autem omnes licet Catholicos, contra Schismaticos prænominatos sedisse Hierosolymis, ut credere me cogat Paternitas vestra, remittis me ad Lezanam ann. 1190. num. 4. sic scribentem.

148 *Ne quis in hujusmodi Nicomedo &c. ....., vel leviter offendat, sciendum, sanctæ Hierosolymorum civitatis & Terræ sanctæ hunc usum vetustum fuisse, ut cum in ea omnium nationum Christiani, ob loca illa sancta, Christi præsentia summe veneranda, mansiones habuissent; non solum Latini & Græci, sed etiam Syri vel Suriani illius patriæ incolæ, suos Episcopos suumque Patriarcham Hierosolymitanum etiam haberent*. Hoc cum de Græcis, post Hierosolymam a Turcis captam ibidem manantibus, probasset Lezana, (uti & ego probo, de Syris seu Syrianis ex Vitriaco, quod *habent proprios Episcopos Græcos*) subjungit in rem suam, *Cum autem Solymorum Episcopus Patriarcha nominetur, Patriarcham quoque Hierosolymitanum proprium habebant, si proprios habebant Episcopos*. Ac denique concludit idem Lezana, quod, pulsis Latinis & admissis Græcis in Sancta civitate, *cum veri Catholici Suriani eisdem Græcis, velut schismaticis, & male suspectis de aliquibus fidei Articulis .... subjici non paterentur, necesse fuit illos propriis & peculiaribus Patriarchis ejusdem patriæ & nationis subdi. Propterea ergo locus datur, prædictis piis, Catholicis, & Ecclesiæ Romanæ subjectis Patriarchis, de quibus in præfata Historia mentio habetur.*

149 Hæc prolixius, quam facis Pater Rev, placuit ex Lezana transcribere, ut clarius appareat, quam ille omni auctoritate destituatur ad asserendum, quod tenentibus Saracenis civitatem sanctam, ante annum 1099. quo illam Latini ceperunt, ibidem fuerint aliqui Latinæ unionis ac ritus Patriarchæ, quod ex nulla omnino Historia probabitur per tota decem secula. Neque vero illud consistit cum eo, quod mortuo apud Cyprum Simone, Hierosolymitano Patriarcha Græco, (homine, ut ex scriptis ejus in Appendice Tom. 7. demonstravi, pertinaciter schismatico, licet cum Latinis amicitiam simularet) adeo cunctanter processerint Principes, ad Patriarcham ejus loco ex Latinis substituendum. Quid enim deliberatione multa opus erat, si ibi jam aliquis Latinus habebatur re & nomine Patriarcha?

150 Similiter nequit ostendi per ullam auctoritatem, quod urbem jam tenentibus Latinis, permissus in ea fuerit aliquis seu Græcus seu Surianus in eadem usurpare aut titulum aut potestatem Patriarchæ. Imo de Græcis fatetur ipsa Lezana ex Baronio, Theodorum Balsamonem allegante, quod *Græci, Patriarchæ Hierosolymitani vocati, ante Hierosolymam expugnatam a Turcis an. 1187. in ea non admitterentur*; esto quod Constantinopoli aut alibi inter Græcos non desierint Imperatores (quod tamen certius mallem probatum legere) instituere & appellare Patriarchas Hierosolymitanos; eo scilicet modo, quo etiam post annos tam multos ab urbe sancta capta, ipsaque Accone, ultimo Latinorum

Pa-

Patriarcharum refugio, non desierint Pontifices Romani illum titulum, æque ac aliorum in Partibus (ut loquimur) Episcopatuum, conferre passim aliquibus Præsulibus Latinis, tum aliis, tum iis sæpe, quos Legatos aut Nuntios dirigunt ad Principes, vel in aliorum subsidium permittunt ordinari.

151 De talibus si qui forte fuerint, hic non agitur; sed agitur de residentibus in urbe sancta, quales cum sub Latinis nullos Græcos fateatur fuisse Lezana, & post captam urbem schismaticos fuisse omnes, restat quærendum, an fuerint ibidem utroque tempore Suriani Patriarchæ seu Catholici seu Schismatici? Ego utrumque nego, & quoad tempus Latinorum nequidem ausim affirmare, quod in iis urbibus, ubi erant Præsules Latini, simul etiam fuerint Episcopi aut Græci aut Suriani, Latino Patriarchæ vel Episcopo subjecti; etsi in aliis locis, parum aptis Latino Episcopo sustentando, permissi sint Syro-Græci Episcopi manere, sub jurisdictione tamen Patriarchæ Latini, sicut antea fuerant & postea fuerunt, sub jurisdictione solius Græci.

152 Quod autem præsumit Lezana, post excessum Latinorum remansisse ibidem Surianos, vere Catholicos ac pios, tam multos, ut propriæ nationis & unionis Catholicæ Episcopo eguerint, eumque reipsa habuerint, absque ullo præsumit fundamento. Cum in nullo historico ejus temporis inveniatur indicium vel minimum zeli, a Patriarchis & Episcopis Latinis exerciti ad conversionem Syro-Græcorum, quam videntur habuisse in desperatis. Omnes enim (sicut dixi in Reflexione historica ad Vitam S. Angeli n. 7.) erant non solum alieniori semper a Latinis animo, sed pertinaci plane schismate ab eisdem dissidebant; eoque magis, quo ferebant ægrius, suas ab ipsis ecclesias occupari, Reliquias distrahi, ritus negligi, se ipsos Censuris eorum gravari, imperium denique sacrorum fere totum obtineri.

153 Placeat de his audire Jacobum de Vitriaco, ipso quo S. Angelus martyrizatus dicitur anno scribentem. Hic, postquam cap. 70. & seqq. fuse explicasset vitia & peccata Latinorum, ex Europa in Palæstinam advectorum, vel ibidem genitorum, quibus Terræ sanctæ exterminium accelératum fuit; transit ad enarranda nihilo leviora delicta & crimina eorum, qui, *a diebus antiquis in terra commorantes, Suriani vocantur, aliis Syro-Græci sub Romanis, Græcis, Latinis, barbaris, Saracenis & Christianis, vicibus subalternis longo tempore jugum passi servitutis... homines magna ex parte infideles, duplices, & more Græcorum velut vulpes dolosi ... furtum & rapinam quasi pro nihilo reputantes, secreta Christianorum pro modico pretio Saracenis enuntiantes, inter quos nutriti sunt, quorum etiam lingua libentius utuntur quam alia, & mores perversos magna ex parte imitantur... Consuetudines autem & institutiones Græcorum in divinis Officiis & in aliis spiritualibus* (in quibus & littera & lingua utuntur Græca, etsi hanc plerique eorum non intelligant) *penitus observant; & Græcis tamquam Superioribus obediunt: Latinorum vero Prælatis, in quorum diœcesibus commorantur, non corde, sed ore tantum & superficialiter se dicunt obedire, timore scilicet secularium Dominorum.*

154 *Habent enim proprios Episcopos Græcos: nec Latinorum excommunicationes formidarent, nisi ab eorum communione, in contractibus & aliis necessariis, laici nostri se subtraherent. Dicunt enim inter se, quod Latini omnes excommunicati sint, ideoque non possunt excommunicare. Etenim tam Græci quam Suriani, occasione Symboli, quod in Nicæna Synodo composuerant sancti Patres, miserabiliter decepti, negant a Filio procedere Spiritum S..... Cum igitur omnes Latinos*, hoc asserentes, *excommunicatos reputent, altaria supra quæ Latini celebraverunt Divina, priusquam in ipsis celebrent, abluere consueverunt. Sacramentis etiam nostris nullam exhibent reverentiam, nec assurgere volunt, quando Corpus Domini ad infirmos nostri deferunt Sacerdotes ... Diem autem sabbati adeo solennem reputant, quod non licet alicui eorum in sabbata jejunare, excepto tantummodo sabbato sancto Paschæ. Solenniter autem, sicut in die Dominica, in sabbato Divina celebrant; & carnes in ea manducantes, more Judæorum, splendide epulantur.*

Opuscul. Collect.

155 Talia cum & in aliis scriptoribus legerem, & omnem fidem Vitriaco adhibendam putarem, circa mores & religionem gentium Terram-sanctam incolentium, quando illuc Latini appulerunt, victisque Saracenis Hierosolymitanum Regnum sibi constituerunt; non modo nullam me injuriam facere credidi sacerrimo Ordini Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, si primum eorum Priorem sociosque & successores ejus Latinos omnes fuisse dicerem; neque institutione aut propagatione habere quidquam commune cum tam detestanda schismaticorum colluvie, quæ sola, cum Saracenis & Jacobitis mixta, regionem obtinebat. Nam quos forte cogitare hic vellet aliquis Syro-Græcos, Catholica unione conjunctos cum Latinis, sub Episcopis Græcis eidem unioni adhærentibus (quales postmodum reperimus in urbibus quibusdam Græciæ, diu subjectis Genuensium ac Venetorum dominio, post Latinorum imperium Constantinopoli extinctum; & quales sunt etiam inter Ruthenos, Regi Polono subjectos) hos in Terra-sancta, saltem pro isto de quo agimus tempore, nulli noverunt Historici. Quod si aliqui eorum serio amplexi sunt Catholicam unionem, quando sub Latinorum dominatu erant; eos omnes aut plerosque credo rediisse ad vomitum, mox atque in Saracenorum potestatem redierunt. Sic enim de facto vidimus accidisse Hierosolymis; ubi mox atque urbs capta fuit, receptos diximus Patriarchas, a Græco schismatico Imperatore missos.

156 Atque hic obsecro cogitent *RR. PP. Carmelitæ*, quantam tum injuriam eorum majoribus, ab Alberto Regulam habentibus, tum *S. Angelo*, inter eos vitam religiosam professo, per ignorantiam ac temeritatem fecerit hujus Vitæ Auctor; in omnibus sic faciens communicare Carmelitas cum Schismaticis, ut Priorum Latinorum, quos vere Sanctos Carmelus habuit, nec nomina quidem curaverit discere.

157 Hæc, ex pridem impressis Tomo 2. Maji, pag. 816. placuit recudi, pro refutanda exceptione Lezanæ de Patriarchis Surianis, quos Pontifici Romano subjectos fuisse & mansisse, sibi imaginatur, etiam sub Turcis. Majori autem absurditate eosdem auctor Vitæ facit ritus Latinos observare in Sacris, quod vix in Italia faciunt, qui ibidem perseverant bene Catholici Monachi Basiliani.

158 Inter ritus autem pure Latinos est, quæ in

Præfatione describitur Canonizatio S. Angeli, facta *prope Hierosolymam*, in Synodo triginta sex Episcoporum, præsidente non eo, qui tunc fuisse asseritur, & præsidere debuisset, Joanne, fratre S. Angeli; sed *Athanasio de Claromonte, Patriarcha Alexandrino*: quare ibidem consequenter doceo, quales ea ætate Christianos Ægyptus, quales Episcopos habuerit. Non alios utique quam habet hodie, schismatis nota infames, & variæ hæreseos stigmate notabiles; quos passim vocant *Jacobitas*, ipsi se *Cophtitas* appellant. Agit de his consequenter Jacobus de Vitriaco cap. 75. aitque quod *a multis jam temporibus a Constantinopolitano Patriarcha excommunicati, & ab Ecclesia Græcorum sequestrati*, usque in Indiam & Æthiopiam diffunduntur; *omnes* quidem *Christiani, sed lamentabili errore longo tempore obtenebrati, parvulos suos in utroque sexu more Saracenorum ex magna parte circumcidentes . . . Alius autem & error eorum est, quod Confessiones peccatorum suorum non Sacerdotibus, sed soli Deo latenter faciunt, ponentes thus juxta se in igne, tamquam cum fumo peccata sua ascendant coram Domino.*

159 Atque hi, dum sub Saracenis Ægyptus fuit, soli fere potiebantur Ecclesiarum, aut divisas habebant cum Melchitis, Græcorum unioni & communioni adhærentibus: quorum alterutris Patriarcham obtigisse prædictum Athanasium de Claromonte, ex monasterio S. Mariæ della Grotta in Sicilia Monachum Basilianum, utique a Romano Pontifice submissum, quis sani sensus homo possit credere; aut sine teste concipere Alexandriæ Catholicos Ægyptios, Græcos vel Coptos, quibus ille præfuerit?

160 Denique, omissis plurimis aliis difficultatibus contra imaginariam istam Synodum Hierosolymitanam movendis, Reflexionem prænotatam conclusi paucis, quæ mihi petit demonstrari, punctis.

I Quod *Hierosolymis* & *Alexandriæ* fuerint an. MCCXXI. vel sequentibus Patriarchæ *Onuphrius* & *Athanasius*.

II Quod Patriarchæ isti, cum Episcopis sibi adjunctis ex toto Oriente, fuerint Catholicæ communionis.

III Quod ritus & forma Canonizationum, tunc apud Latinos cœptarum institui, in usu fuerit Græco-Syrorum.

IV Quod possibile fuerit tali loco ac tempore, & rebus politicis adeo turbatis, convenire Synodum XXXVI. Episcoporum, præter plurimos alios ex Clero seculari ac regulari, jus habentes sessionis suffragiique in Synodis.

Quæ si nequeant ulla ratione probari, restat ut interrogem, ecquid fidei mereatur Auctor, tam multa incompatibilia & impossibilia commentus, velut certissime sibi comperta, idque in prime introductione ad Vitam, cujus examen deinceps compendiosiori via procedere facio.

161 Præter hæc (ut alia multa dissimulem, observata in Annotatis) numquid non certissimum convincendæ imposturæ argumentum est, quod scriptor, qui vult videri, ut eum esse dicitis, Syro-Græcus, non potuerit, in tota hac Historia, pro Græcis ritibus ac ceremoniis substituisse Latinos, absque ullo uspiam Græci ritus indicio; cum supra viderimus Vitriacum, de Surianis tam distincte dicentem, quod *consuetudines & institutiones Græcorum, in divinis officiis & aliis spiritualibus, penitus observant*. Contra hos autem identidem impingit pseudo-Enochus, præsertim Capite I. ubi num. 9. inducit parentes S. Angeli, adhuc Judæos, in ecclesia Catholice Missam Patriarchæ audientes, *cum esset dies Jovis sancta*: addens quod, cum *is vellet (uti moris est) signum Crucis cum Eucharistia facere super calicem*, vidisse oculis propriis visibiliter Christum in forma humana.

162 Hic ego noto, Græcos nullo jejunii Quadragesimalis die, adeoque nec die Jovis sancto, seu Majoris hebdomadæ, Missam facere, nisi Præsanctificatorum; & cum hanc faciunt, uti faciunt Latini die Veneris Sancto, non facere Cruces cum Hostia (ut alias solet) supra calicem: sed, post Pater noster æque preces, *Sacerdos ad divina dona* (id est Eucharisticas species) *recta manum mittens, tangit vivificum panem*, communicaturos advocat, dicitque *Præsanctificata sancta sanctis*; *deinde detegens vivificum panem, perficit communionem divinorum donorum*. Nota etiam, quod Græcus Sacerdos, alio quovis anni tempore extra jejunia ante Communionem, *Dominicum corpus elevat* quidem, *non ita tamen ut conspiciatur*; populum autem, clausis post Consecrationem & Elevationem sacris portis, per quas tunc solum ad altare conspectus illi datus fuerat, a reliquæ liturgiæ adspectu prohiberi. Quis autem credat, ad sacrum altare permissos introire Judæos Angeli parentes, & sacra mysteria propius contemplari, quando id nulli laicorum Christianorum licebat? Atque hæc in præsentiarum sufficiant: cetera lege suo loco.

§. XIV. ACCUSATIO.

Papebrochius, ex falsa conjectura, negat Officium Venerabilis Sacramenti, quod in Ecclesia nunc recitatur, esse compositum a D. Thoma.

RESPONSIO.

163 PHilippus Labbe, sæpius mihi hoc Articulo nominatus, vir judicio totius Galliæ eruditissimus, & scriptis libris nomen promeritus immortale, in sua de scriptoribus Ecclesiasticis Dissertatione pag. 17. monuerat, *errasse non mediocriter Miræum, dum Apollinarem, cui sua Poemata Avitus inscripsit, arbitratus est fuisse fratrem ejus, Valentinum Episcopum; cum Apollinaris iste fuerit Sidonii Apollinaris, Arvernorum Episcopi, filius*. In quo errasse ipsum se deprehendens, lecto diligentius Turonensi, quo nitebatur, ad finem ejusdem libri pag. 834. sic loquitur, *sit, ipse vineta cædam mea: non Miræus, sed erravi ipsemet splendide; dum memoriæ nimium confisus, consulere locum neglexi*. Digna viro docto, ac veritatis præ omnibus amante, ingenuitas.

164 Ab hac quam longe absit Patern. Tua, quam prope ego ad camdem accedam, ut judicare lector possit, non gravabor ex Parte 2. Conatus mei ad Catalogos Pontificum transcribere Dissertationem XXIII. cui titulus, *De Officio, pro festo Corporis Christi, Urbani IV. jussu, per S. Thomam composito*: argumentum enim omnino dignum est, quod iterato imprimatur; idque meretur sacer Ordo Prædicatorum, qui prompte oblatam a me satisfactionem gratanter atque majori cum plausu excepit, quam Patern.

vestre

vestra vellet, illud præcipue hic etiam agens, ut quam maximam mihi apud Ordinem istum (uti alibi apud alios) confles invidiam! istum, inquam, qui ceteroquin libenter agnoscit ingentia nostra in Actis Sanctorum suorum eruendis illustrandisque beneficia. Quam ob rem accipe hic e conatu prædicto, qui non multis ad manum est, totum fere hac de re contentum.

165 Viderat Urbanus, cum Leodii Archidiaconus esset, maximas inter contradictionum procellas, institutam novam festivitatem Corporis Christi, ex revelatione facta B. Julianæ Corneliensi; allaborante Venerabili Eva, ad S. Martini ecclesiam Reclusa; & utrique haud parum in pio cœpto urgendo faverat: Officium etiam proprium, quod ex Julianæ directione Joannes ejus Clericus composuerat, vehementer probarat. Anno abinde decimo quinto & amplius labente, cum circiter quadriennium egisset in Romano Pontificatu; contigit ut *Sacerdos, veniens Bolsenam, quod est oppidum non longe distans ab Urbe-veteri, in qua Papa Urbanus quartus tunc cum Curia Romana residebat, dum celebraret Missam, inter verba Consecrationis dubius in fide, vidit carneis oculis Hostiam in forma Pietatis, & de ea sanguinem fluere in calice. Quo territus, dum conaretur occultare & cooperire de Corporali, apparuit mox forma Pietatis in singulis partibus Corporalis: & ita coactus est populo assistenti miraculum patefacere. Quod ubi populus comperit, ad Urbem-veterem properans, summo Pontifici mirabilia & stupenda quæ viderat, nuntiavit. Stupente autem Curia, per summum Pontificem (qui necdum oblivioni tradiderat, quæ in Leodio approbaverat, dum adhuc apud S. Lambertum resideret) interveniente consilio & assensu Dominorum Cardinalium, deliberatum est, quod festum Corporis Christi per universam Ecclesiam semel in anno solenniter, feria quinta post Octavas Pentecostes, in toto terrarum orbe celebraretur; & vocato B. Thoma de Aquino, qui tum præsens aderat, præceptum fuit, ut Officium de tali festo, secundum usum omnium Ecclesiarum, componeret.*

166 *Thomas autem, divinarum armarium Scripturarum, cujus mentem obedientia & omnium virtutum decor collustraverat, præceptum hoc libenter, breviter, atque insigniter complevit: in cujus rei testimonium, in foribus ecclesiæ Bolsenæ depictum est miraculum Sacerdotis celebrantis: depictus etiam est B. Thomas, sedens & scribens tamquam Doctor in cathedra, circumstante Curia: depictus est insuper Crucifixus alloquens S. Thomam, coram se super genua adorantem, & dicens; Bene scripsisti de me, Thoma.* Ita Joannes Diestemius Blærus, ad S. Jacobi Leodiensis Prior Ordinis S. Benedicti, art. 8. Commentarii de Institutione Corporis Christi, sub annum 1496. ab eo scripti; quæ, quoad Officium ex *Urbani IV.* præcepto per S. Thomam compositum, dicuntur confirmari ex funebri Oratione, quam ejus socius, Fr. Raynaldus de Piperno, post mortem Sancti habuit, quamque optarem nancisci; & ex Breviario precum Canonicarum, quod S. Ludovico Regi Franciæ in usu fuisse creditur, & ante primam Lectionem 2. Nocturni hæc verba habere, *Sermo Fr. Thomæ de Aquino*: consonantem quæ Guilielmus de Toco, annis post Sancti obitum quadraginta, scripsit in ejus Vita, atque alii plurimi.

167 His ita constitutis & compositis, non diu distulit Pontifex dilectam sibi Evam consolari nuntio optatissimo, per scriptum ad eam Breve, ubi post prolixam gratulationem de ipsius pio desiderio tandem completo, nihil quidem de S. Thoma dicit, de Officio tamen ipso sic scribit: *Quia quaternum, in quo ipsius festi habetur Officium, tibi sub Bulla nostra per latorem præsentium destinamus, volumus, & per Apostolica scripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipsum cum devotione recipias, & ejus copiam personis illum petentibus exhibeas liberaliter & libenter; & instes devotis supplicationibus apud illum, qui memoriale tam salutiferum de se ipso reliquit in terris, ut nobis ex alto tribuat gratiam, commissam nostro regimini Ecclesiam suam regendi utiliter, ad laudem & gloriam sui nominis, & salubriter gubernandi. Datum apud Urbem-veterem, sexto Idus Septembris Pontificatus nostri anno quarto,*

168 *Officium illud obviis ulnis excepit Ecclesia Leodiensis*, inquit noster Bartholomæus Fisen, in proprio hac de re libello cap. 66. *Martiniani tamen Canonici ..... ita dumtaxat admiserunt, ut ex Officio, quod S. Julianæ auspiciis conscriptum ostendimus, & apud ipsos ad id usque tempus in usu fuerat; in secundis (ut loquimur) Vesperis, totaque item Octava ad Benedictus & Magnificat, retinuerint Antiphonas: in Horis vero minoribus Hymnos etiam Orationesque. Existimarunt enim futurum id olim argumento, solenne prius apud se hoc festum habuisse, quam Officium S. Thomas scripsisset*. Putat idem Fisen, id eos non fecisse absque *impetrata Pontificis assensione*: sed nisi hanc petendam judicaverint propter annexas novo festo Indulgentias, quasi ad eas obtinendas necesse foret Thomæum Officium recitare; non video cur id supponi debeat pro ea ætate, qua Ecclesiæ singulæ arbitratu suo sua fingebant & refingebant Breviaria, quali libertate Gallicanæ Ecclesiæ etiam post Tridentinum Concilium adhuc utuntur, hoc ut summum caventes, ne inconsulta Apostolica Sede festum aliquod novum assumant.

169 Sic unum ex gemino Officium compositum habent haud dubie membranæ illæ, tam Directorii quam Antiphonarii Martiniani antiqui, unde exhibuimus eas omnes partes, quas huc pertinere, & tamen in Romano constat non inveniri. Neque vero pœnitet eas operosa R. P. Antonii Terilli indagine repertas fuisse, & in Appendice ad Acta B. Julianæ revocatas ad lucem; quin etiam in Supplemento Aprilis addemus Antiphonas, & alia quædam postmodum reperta. Illis tamen denuo consideratis, collatisque ad potiores partes Romani Officii, nec non expensis iis quæ jam deduxi, mutata cupio quæ istic, paulo quam par erat confidentius, dixi in favorem prioris Officii; quasi D. Thomas ex eo fere accepisset totum, quod Ecclesiæ obtulit universæ legendum, mutato dumtaxat partium quarumdam ordine, suppleto defectu Hymni unius ad Matutinum, rescissis superfluis, & expolito, ut sibi videbatur stylo: nam hæc omnia *ordinandi* verbo intelligi volui, certe debui voluisse. Movebant me auctoritates tum Codicis Ms. Rubeæ-vallis, tum Chapiavillæi Canonici & Vicarii Leodiensis aliorumque, asserentium, vetus Officium ipsorum ætate adhuc servari in nonnullis Tungrensis & Leodiensis

urbis

urbis ac pluribus aliis diœceseos ecclesiis: & licet Ms. Rubeæ-vallis aliam initialem Antiphonam nominaret; Directorium vero, quod habebam præ oculis, eamdem quam Romanum Breviarium, priori ista alio translata: hanc tamen solius ordinis mutationem tanti non credebam faciendam, ut propterea censeri illa Mss. non possent de uno eodemque loqui. Nunc vero, cum veterrimi illius ac prorsus invariati nullum uspiam potuerit inveniri exemplar, post multam a nostris ac Dominicanis Patribus adhibitam operam, vehementer dubito, an illi scriptores revera unquam aliud viderint, quam quod ex utroque, Romano scilicet & Leodiensi, conflatum diximus.

170 Ut ut est, quidquid in prænotata Appendice dixi, in Supplemento ex præfatis mutabitur. Quod autem attinet ad alteram partem quæstionis, quæ videri posset remanere; utrum scilicet S. Thomas, Officium istud, quod habemus, componens, antiquius istud Leodiense non habuerit præ oculis, eoque non multum usus fuerit; dicere posset fortassis aliquis, D. Thomam haud adeo fastidiosum alienorum scriptorum æstimatorem fuisse, ut inde dedignaretur subinde convertere in rem suam quidpiam. Contrarium certe patet ex libello de erroribus Græcorum, quem *ab Urbano Papa exhibitam* sibi profitetur, quodque *in eo quam plurima ad nostræ fidei assertionem utilia inveniens, considerans autem fructum ejus impediri posse, propter quædam in auctoritatibus Patrum dubia, proposuit primo dubia exponere, deinde ostendere quomodo ex eis veritas Catholicæ fidei doceatur & defendatur*. Sic ergo dicere posset aliquis, videri sibi verosimile, S. Thomam, si vetus istud Officium habuit, eo quadamtenus usum esse: attentis tamen circumstantiis loci, modi ac temporis, quibus is scripsit, fateor ne quidem mihi jam manere probabile, quod ipsum viderit habueritve præ oculis. Scripsit enim Urbe-veteri, procul Leodio, occasione inexpectati miraculi, animis omnium propter expectationem novæ festivitatis ita accensis, ut moras longiores non paterentur, quemadmodum ex Joannis Diestemii relatione colligitur. Sunt etiam qui dicant, idem muneris impositum S. Bonaventuræ fuisse, ut cujus duorum magis placuisset compositio, eligeretur; & hunc, visis Thomæ scriptis, lacerasse sua. Quis autem istis positis credat, *Urbanum*, annis jam duodecim absentem Leodio, ac prius Virdunensem in Lotharingia Episcopum, deinde Hierosolymitanum in Oriente Patriarcham, aut exemplar veteris Leodiensis Officii, si quod forte secum extulit, semper ita circumgestasse, ut ipsum tali occasione statim potuerit exhibere? aut illud, unde accersendum, fuisse expectaturum? quamvis sciret Leodiensis Ecclesiæ ritum diversissimum esse a Romano, & Sanctos Doctores duos haberet ad manum, qui absque Leodiensis Officii adminiculo possent totum novum citius meliusque componere, quam vetus ordinare & expolire; prout revera fecisse S. Thomam, docent utriusque Officii indubitabiles partes, inter se comparatæ.

171 *Collatio*, inquit Ambrosius in Epistolam 2. ad Timoth. cap. 2. *inter Dei servos esse debet, non altercatio*: ideoque R. P. Fr. Jacobus Quetif, ex ordine Prædicatorum vir doctissimus, idemque ex frequenti mearum lucubrationum lectione animum meum perspectissimum habens, uni veritati sic intentum, ut ea sibi proposita facillime soleat etiam contra prius asserta flecti; ostendit sibi displicuisse, quod Collega suus, adversus Appendicem præfatam scripturus quidpiam, odiosa Expostulationis, ad Generalem Societatis directæ, forma uti maluerit, quam placidæ Dissertationis mecum uno; quando res ea agebatur, quæ rationibus erat, non terroribus evincenda. Ego vero factum excusanti rescripsi, non eum esse me, quem titulus unus male lævigatus, aut stylus parum blandus moveat, jam pridem assuetum duriora pro veritate audire & ferre: rem ipsam inspecturum me propius, & quatenus probata mihi ex ratione solida fuerit, probaturum. Illi ergo Fratres, causæ suæ bonitate freti & hanc contenti semel exposuisse, nihil ultra moverunt, conquiescere parati, etiam usque in tempus sciendi post multos annos Supplementi. Et ecce citius & plus quam speraverunt ultro præsto, in eorumdem sententiam totus transiens, & paratus similem satisfactionem quibuscumque aliis dare, sicut jam pluribus casibus dedi, quando pro iis viderim veritatem stare. Contra hanc nihil nec possum, nec volo; hanc quisquis ad causam non attulerit, multiplicatis quantumvis libellis schedisque famosis efficiet nihil, nisi ut tacitus compatiar incassum se torquenti, & causam pro qua pugnat ex mala pejorem facienti.

172 Hæc ego, Reverende Pater, in ista Dissertatione; ex quibus quid Tibi ipsi possis ac debeas applicare, vides si velis. Nunc Accusationis tuæ titulum cum meo facto conferas licet: certe conferent, cum dicis absolute & illimitate, quod *Papebrochius negat Officium* istud *a D. Thoma compositum*. Hoc ego nusquam sic feci, sed reliqui ipsi id, quo in alio opusculo contra Errores Græcorum contentus, non indecorum sibi credidisset idem hic fateri, si idem fecisset. Falso etiam accusas nu. 119. dicens, quod *pro motivo retractationis* (cujus par fuerat etiam in titulo meminisse Te, ut primo statim intuitu sciret lector, errorem qualemcumque pridem retractatum, rursus a te vocari in judicium, mere ad conflandam mihi invidiam) falso, inquam, accusas dicens, quod *pro motivo retractationis non allegat Papebrochius aliqua fundamenta, quæ ante non legerat aut sciverat*.

173 Hæc tua, non solum *falsa conjectura*, sed maligna est fictio, quam nescio unde probaturum te speres; cum in ea quam accusas Appendice, solum ii nominentur Auctores, qui verbo *Ordinavit*, non, *Composuit*, usi, opinionem tunc meam confirmare potius videbantur; ex aliis vero hic indicatis testibus Officii, a S. Thoma, sicut nunc demonstro, compositi, nec unus quidem meminit Officii Leodiensis. Per hos autem, non per illos factum est, ut mihi amplius non appareat probabile, quod pene certum existimaveram. Conjecturis tunc nitebar, non quidem veris (ut postea apparuit) sed tamen minime levibus; quas etiam bene fundatas judicarunt Revisores Romani, quibus noster tunc Generalis Joannes Paulus Oliva, querenti de me Generali Prædicatorum satisfacturus, Appendicem istam recognoscendam dederat. Horum enim omnium judicium fuit, ipsam summa quidem cum reverentia erga sanctum Doctorem procedere; rem tamen proprio loco præteritam, pru-

dentius

dentius quoque omittendam in Appendice fuisse: quod idem non senserunt de meis circa res Carmeliticas in Aprili scriptis; quia noverant non nisi prius & acriter provocatum eo descendisse; & exhibitos sibi de S. Angelo ac Patriarchis Hierosolymitanis commentarios videbant esse tam convincentes, ut ipsum Generalem vestrum, ac totum per eum Ordinem, placare posse existimarent; ideoque exhibendos ipsi censerent: in quo tamen spe sua falsi fuere, devoluta etiam in ipsos invidia.

174 Si quæris, unde, quando, & quomodo acceperim fundamenta ad faciendam retractationem, tam honorificam Sancto, nec mihi erubescendam, fatebor libens, accepisse ea me omnia ex Dissertationibus *Natalis Alexandri* Historico-criticis, quarum una *Officium venerabilis Sacramenti S. Thomæ vindicatur, contra RR. PP. Henschenii & Papebrochii conjecturas, Parisiis anno* 1680. Hinc edoctus multa, quæ antea ignoravaram, eumdem Alexandrum multo cum honore æque istic, atque alibi laudassem nominatim, si ex instructione S. Ambrosii conferre mecum (cujus nullum acerbius verbum potuit accusare) de quæstione proposita maluisset, quam altercari. Nunc autem eum nomino tanto libentius, quanto certior sum, deposita pridem quacumque amaritudine, de meo candore edoctum satis, mitius quidem, sed non minus efficaciter scripturum fuisse, quam tunc scripsit. Utinam tam bonam contra me causam tuerетur Paternitas Tua cum suis Carmelitis! haberetis jam pridem, quam tot tamque indecoris mediis frustra quæritis retractationem, plenam integramque: neque enim fateri pudet hominem esse me, erroribus obnoxium. *Numquam*, inquit prælaudatus Labbe loco jam citato, *Addenda & Corrigenda* concludans; *Numquam ita quisquam bene subducta ratione libros adidit, quin res, ætas, usus, semper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut ea, quæ te scire credas, nescias; & quæ tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.*

175 Sed ad excusationem erroris retractati a me & inhumaniter exprobrati a Te, Pater Rev. plus quam satis est & opus erat, dictum hic arbitror, habens S. Augustini exemplum, quam si ob retractatos errores proprios, publica præsumeres accusare, unde laudare debueras, vereor, ne omnino videreris insanire, aut etiam furere. Ut tamen certius Te doceam, quam gratis præsumpseris, Prædicatores omnes retractationis prædictæ esse ac fuisse ignaros, adeoque haud difficulter concitari in me posse bilem illorum, ipsam illam Dissertationem invidiosius cavillando, testem eorum, quæ hic acta tunc sunt, produco eum, cujus sinceritatem, doctrinam, gravitatem nequeas in suspicionem collusionis vocare. Est is eximius Pater ac Magister Fr. Franciscus Janssens Elinga, sacræ Theologiæ in Academia Lovaniensi Doctor, ejusque in Ordine suo Professor emeritus, ac provinciæ Germaniæ inferioris & tunc & nunc iterum Provincialis. Ille enim, non ex lectione sola Tuæ Exhibitionis & hanc prægressi Libelli supplicis, judicium tulit, prout fecerunt alii ex eadem Academia Doctores nonnulli, qui tuas contra me invectivas probarunt, meaque nunquam sibi lecta damnarunt, *supposita citationum veritate*; sed dissertationem ipsam legit atque relegit accurata, reprobaturus libere siquidem displicuisset.

176 De hoc ergo certus ego, petii fidenter, ut testimonium veritati scriberes, inserendum Responsioni meæ: quod fecit per epistolam, sic ad me datam die 14. Decembris præteriti, id ipsum petens quod supra feci, producendo meam de hoc argumento Dissertationem.

Adm. Reverende Pater.

Litteris suis de die quinto currentis, quas die 13. primum recepi, requirit a me Paternitas Vestra, an, dum in lucem prodierat Conatus suus Chronico-historicus, id est, anno 1685. *dum altera vice gerebam Provincialatum hujus Provinciæ; an, inquam, verum non sit, quod lecta Dissertatione* 23. *ejusdem Conatus sui, de Officio pro festo Corporis Christi, gratam acceptamque habuerim sinceritatem tuam, & de ea laudabile testimonium coram aliis dederim, qua nimirum plene cordateque reparasses id, quod in Actis Sanctorum Aprilis, ad Vitam B. Julianæ Leodiensis, Angelico nostro Doctori detraxisse videbaris; tamquam non ille, sed alius quispiam Leodii, Corneliana domus Clericus, Officium Corporis Christi quod Ecclesia quot annis recitat, & in pretio habet, composuisset; ille autem non nisi ejusdem, quia nimis fusi & minus accommodi, ordinator & merus expositor fuisset.*

177 *Cum autem secundum meam epigraphen, requisitum pro manifestanda veritate nec me elinguem esse deceat,* nec bilinguem, *imo nec hoc ullatenus meo characteri conveniat; attente etiam, quod cæteroquin Adm. Rev. Paternitati vestræ, & in ea Societati, plurimum in hoc abstricti sumus, quod non minoribus impensis ac sumptibus, quam exantlatis laboribus studiisque (quæ & continuari pro residuis nostri Ordinis Sanctis summopere desideramus) laudabiliter adhibitis, jam nunc in prætcritorum mensium decursu tot intercurrentia nostrorum Sanctorum virorum Acta, numquam antea, vel non sic edita, illustraveris; ut justa molis Tomum in folio (prout vere in tuis ad me meministi) si cum tuis commentariis in unum colligerentur, facile complerent. Propterea, Pater Reverende, veritatem sensus dictique mei præfatis litteris tibi requirenti, sincero calamo respondeo, & candida mente notum facio ac declaro, me eo tempore, id est, lecta tua illa Dissertatione vigesima tertia, gratam acceptamque habuisse, ac etiamnum habere sinceritatem illam tuam: sed nec hoc solum, verum etiam plus vice simplici in consessu seu præsentia diversorum virorum præcipuorum, etiam Ordinis nostri, eamdem ingenue commendasse; eo quoque intuitu, quod sub finem præmemoratæ Dissertationis tuæ, ultro spontaneeque affirmasses, Te similem satisfactionem quibuscumque aliis dare paratum, quando videres veritatem pro eis stare, contra quam nec velles, nec posses.*

178 *Pace autem tua, Pater Rev., hoc addideo, ampliorem adhuc satisfactionem per te nobis adventuram, si non in solo Conatu tuo Chronico-historico, sed etiam in aliquo libello magis familiari, reparatio illa tua circa auctorem Officii pro festo Corporis Christi, id est, circa Doctorem nostrum Angelicum cum aliis, si quæ occurrent perspecta veritate haud dubie a te reparandis, prælo mandaretur, & obviam lucem videret. Hæc, Pater Reverende, pro responso, ad tuas gratanter accipe, & æqui bonique consule, dum me commendans precibus & sacrificiis, maneo*

Adm. Rev. Paternitatis Vestræ

Humilis in Domino servus,

Fr.

Fr. Franciscus Janssens Elinga, S. T. Doct. Provincialis Germaniæ inferioris Ordinis Prædicatorum, & Missionum ejusdem Ordinis per confœderatas Belgii Provincias Præfectus Apostolicus.

179 Hactenus vir ille, religiosissimus pariter & doctissimus, non solum in rebus theologicis, sed etiam in ecclesiasticis historiis, quarum judicium quam temere sibi arrogaverit Paternitas sua, nemo non novit qui nostra legerit. Quantum autem in iisdem excellat ille, patet ex insigni ejus opere anni 1690. cui titulus, *Summa totius doctrinæ, de Pontificis auctoritate & infallibilitate Articulis* XIII. *comprehensa*. Ibi ille, Art. 10. §. 2. exhibet *totius Antiquitatis acclamata summis Pontificibus superioritatis & infallibilitatis de ævo in ævum præconia, & decantata privilegia, intermissis veterum Pontificum Epistolis, ad Damasum vel Syricium usque, de quibus, saltem omnibus, non ita constat, suppositiias non esse*, quod a me quoque dici, cum Baronio & cunctis hujus temporis Criticis, tanto crimini mihi vertit Paternitas Tua.

180 Idem facit Cardinalis de Aguirre in suis Conciliorum Hispanicorum Tomis, identidem, uti mihi scribitur, laudans meum circa Epistolas illas & figmenta Dextrina judicium. Idem facit Archiepiscopus Valentinus Joannes Thomas de Rocaberti, nunc supremus per Hispaniam Inquisitor, in suo opere *de Infallibilitate Romani Pontificis, in definiendis rebus fidei extra Concilium*; ubi de Marcellini lapsu, & Sinuessanæ Synodi suppositione, eadem sentit quæ ego; & de S. Felicis Pontificatu agens tomo 1. pag. 839. sic loquitur; *Haud obscure id innuit eruditus Pater Daniel Papebrochius, in suo Conatu Chronico-historico de Felicis Pontificatu*. Et tom. 2. pag. 12. *De eodem Agathonis Pontificatu, non levi sed prolixiori cura, agit eruditione conspicuus P. Daniel Papebrochius, e Societate Jesu, in Propylæo ad Acta Sanctorum Maji Dissert.* 15. Alia similia plura toto illo tomo habere dicitur (ipsum enim necdum mihi videre contigit) quæ mihi persuadent, ut libenter credam, vere a Prædicatoribus Italicis dici, quod Excellentissimus ille nullam partem habuerit in ferali decreto, sub nomine Inquisitionis Toletanæ edito, & ab aliis quoque promulgato, quo censurantur mei quatuordecim tomi, ob aliquas eorumdem Propositiones delatas, quas ipse mecum tenet tam constanter.

181 Idem credere suadet benignitas illa, qua mihi, audiri postulanti contra easdem censuras, omnem favorem addixit; sciens quod fuerit decessoris sui de eodem opere nostro, ante quadriennium frustra delato, judicium honorabile; neque permissurus, si scivisset, ut sua ipsius sensa in meis libris sic damnarentur. Cœpit autem reipsa præstare quod promisit, tradi jubens, quas exhiberi postulabam Propositiones, mihi imputatas atque censuratas ut meas.

182 Dicta porro hæc sunto, non ad jactantiam, sed ad eorum instructionem, qui sententiam illam, tanto cum strepitu linguis & locis omnibus per Patres Carmelitas proclamatam, sic intuentur, acsi ad eam manutenendam obligetur totus Prædicatorum Ordo, quam Excellentissimus Dominus Inquisitor professus est; idque ob injurias, quas Paternitas vestra prætendit, ipsi & ejus præcipuo sideri S. Thomæ illatas. Affirmare certe possum cum veritate, quod statim ac ditum istud tonitru tota Europa personuit, ex omnibus religiosis Ordinibus perlatæ ad me sunt, Gallorum præsertim & Italorum epistolæ, indolentium & consolantium ac meliora sperare jubentium, mox atque Responsiones meæ ad libros Paternitatis Tuæ, adeoque & ad delationes Hispanicas inde sumptas, absolutæ haberentur: sed ex nullo Ordine plures cordatioresque ab eruditis venere, quam ex Prædicatorio. Hæc commemorando si RR. PP. Carmelis *factus* videor insipiens, respondebo cum Apostolo 2. Corinth. 12. *Vos me coegistis*.

183 Hinc transeo ad Mantissam positam in fine Paragraphi n. 120. ubi, velut a conglobatis & tumultuario, ne locum quidem accusatum indicando, me pergis odiosum reddere discipulis S. Thomæ, de quo tamen æque bene meritus ipsimet videor, quam de pluribus aliis Sanctis Ordinis. Quid autem accusas, Pater Reverende? Primo quidem, quod dicam, *Sanctum Doctorem fuisse imperitum linguæ Græcæ*. Locum, quem neglexisti notare, invenio to. 1. Aprilis pag. 781. n. 53. eumque relegens, judicavi, comparationem hominis, linguæ Græcæ imperiti, cum S. Thoma, neque Sancto honorificam, neque ibi necessariam; nonnihil etiam claudicare, ideoque melius abolendam totam: & jam nunc in eo exemplari, in quo notantur correctiones, posteris Aprilem recusuris servituræ, cancellavi novem ultimas lineas n. 53. quibus illa comparatio continetur. Hoc autem jam nunc indico eo libentius, quia eam comparationem displicuisse mihi indicavit idem, qui Epistolam præmissam scripsit, adm. R. P. Provincialis Elinga.

184 Jam quod ad Græcæ linguæ scientiam attinet, ejus defectus, agnitus in S. Thoma, videri non potest quidquam vituperii continere. Quid enim indecori in eo est, quod puer educatus in monasterio Cassinensi, ubi Græca minime tradebantur, eam linguam ignoraverit; inter graviora Philosophiæ ac Theologiæ studia minime nactus otium ad istius idiomatis peritiam acquirendam? Neque sane ita tunc erant tempora, ut ea scientia multum requireretur in viris etiam eruditissimis. Primus, quod sciam, Ambrosius Camaldulensis in Hetruria, linguæ istius gustum, pridem extinctum, Italis reparavit, duobus fere post S. Thomam seculis, mortuus anno 1470. nec scio an extra Basiliani Ordinis monasteria in Calabria, olim Magna Græcia dicta & etiamnunc Græco-barbara, cuiquam Latino Neapolitani Regni Monacho curæ fuerit studium istud.

185 Baronius, Soræ in vicina Romæ Campania, natus educatusque, præter Latinam linguam nullam excoluit, magno cum incommodo suo, tunc solum animadverso, cum Historiæ Ecclesiasticæ Annales cœpit condere, & Romanum Martyrologium augere ex Menologio, quod opella nimis tumultuaria Latinum ipsi fecerat Guilielmus Sirletus; unde non levia sphalmata illi obrepserunt; uti & ex Vitis Sanctorum Lipomanno curante Latine redditis, in quibus sæpe notavimus interpretes oscitanter versatos, eoque plus semel deceptum Baronium. Hoc tamen qui sciunt, facile ipsi ignoscunt, etiam pro eo seculo, quo proterva heterodoxorum scriolorum jactantia, Catholicos, præsertim Jesuitas induxerat, ad resuscitandum studium Græcarum litterarum.

186 Hoc bonum, ex Gymnasiis nostris profectum, libenter nobis acceptum referunt Catholici eruditi; obstrepentibus nequidquam iis, qui Græca contemnere malunt, quam discere aut docere; quod ita male habuit eximium P. Christianum Lupum, Godefridi Henschenii olim in illis discipulum, ut me audiente aliquando ipsi dixerit, quod suam in pueritia atque adolescentia negligentiam ejus rei, libenter redimeret unius etiam alteriusve digiti impendio, quatumvis senex. Ita sentire faciebant frequentes interpretum hallucinationes, in reddendis Latine Sanctorum Patrum operibus; ex quibus locum unum, qui diu ipsum torserat, mihi exhibens, gavisus est eum a me Catholico sensui redditum accipere, quem interpres dederat omnino hæreticum. Verum hæc ita de S. Thoma dicta velim, ut si contrarium quis me doceat, læanter transiturus sim in illius sententiam, & istam quoque laudem Sancto daturus.

187 Ecce, in quam longam dissertationem excurrere me fecerint paucæ mihi a Tua Paternitate objectæ lineæ: quod tamen credi velim magno meo erga Doctorem Angelicum affectui datum potius, quam tuæ importunitati. Quare nec volo tacitus præterire alia, simili levitate cursim hic congesta. Tale est, quod secundo loco arguis, quasi dixerim, S. Thomam, *levi dumtaxat oculo & mente præoccupata, legisse libros Joachimi Abbatis, dum illos reprobavit*. Ego vero, loco a Paternitate Tua accusato, id est, tomo 7. Maji pag. 341. Doctorem sanctum operose excuso, si quid forte humanitus passus sit, ex familiari conversatione cum Cisterciensibus, Joachimi memoriæ infestis. Quin etiam ex relatu in Vita illius facto sequi nego, quod librum a se lectum erroris damnavit; *cum lenius id possit accipi*, quam Guilielmus de Thoco accepit, ita ut Sanctus illa quorumdam locorum sublineatione *solum monere voluerit, ejusmodi loca cautius esse legenda, quia ipsis perperam intellectis abuti hæretici possent*; atque ita præjudicii vulgati defectum, si quis fuit in præoccupato, a S. Thoma declino in scriptorem Vitæ, durius factum interpretantem, quod lenius accipi poterat.

190 Quid? quod liber a D. Thoma recognitus, potuit non fuisse alius, quam quem meritissime damnavit Lateranense; quemque aut omnino non fuisse Joachimi, aut vitiatum ab æmulis, aut denique scriptum a juvene, a seniore retractatum, evidenter demonstro, post Joachimi Vitam & Miracula; & rursus breviter demonstravi hic, Art. 2. §. 18. Non fuit autem Sancti propositum discutere eam quæstionem, sed de ipsosmet libro vel libello judicare, utilisne ejus lectio, an damnosa foret. Tu vero, Rev. Pater, more tuo cuncta magis quam invenisti aggravans, ubi Guilielmus *librum* lectum & virgulatum scribit, *libros* indefinite legi jubes; ut simul omnes Joachimi libros eadem censura notatos, imo reprobatos, incautis persuadeas.

191 Tertio loco arguis, quod S. Thomam dixerim *secutum errorem vulgi, dum antiquas S. Gregorii approbat Indulgentias*. Hoc si error est, de quo sequenti Articulo videndum, non magis gravat sanctum Doctorem, quam quod dicam, prout etiam me dicere arguis, *illum ex vulgari opinione libros de Hierarchia adscripsisse Dionysio Areopagitæ*: quasi necesse fuerit D. Thomam dubitare de eo, quod ipsius tempore controvertebatur a nemine, merito tamen nunc dubitari, imo & negari a viris pietate & doctrina præstantibus, hoc ipso Articulo §. 1. diffusius probavi. Ne tamen frustra hic iterum memineris quæstionis, satis copiose jam ante tractatæ; minime otiosum fuerit hic animadvertere, quod Severiani hæretici (quibus anno 533. Areopagitica allegantibus, primum ea innotuere Catholicis, sub antiquissimi illius Dionysii nomine) sectatores fuerint cujusdam Severi, Antiochenæ Sedis usurpatoris, & unius in Christo naturæ contra Chalcedonense Concilium acerrimi propugnatoris.

192 Hic anno 519. ab Imperatore Justino damnatus ad ferendam blasphemæ linguæ suæ electionem, in Ægyptum profugit: cum antea, Anastasii Imperatoris potentia fultus omnes fere Antistites Orientis in suas partes traxisset. Inter hos verosimiliter censebitur coævus Severo fuisse *Joannes Episcopus Darensis* in Mesopotamia, primus fortassis aut secundus institutus ab Anastasio, qui humilem antea vicum ad dignitatem Sedis Episcopalis evexerat. Hic autem Joannes Darensis, non multis annis ante Collationem Constantinopolitanam cum Severianis, scripsit *Commentaria in Dionysium Areopagitam, quæ Abrahamus Echellensis manuscripta penes se habuit*, uti docet Faustus Naironus Maronita, in sua Euoplia fidei Catholico-Romanæ, an. 1694. Romæ edita. Hoc vero propterea ideo hic notaverim, ut appareat verisimile, Severianos hæreticos primos fuisse, qui libros illos credi voluerint Areopagitæ esse; & ut hoc persuaderent confinxerint Epistolas ac loca, Apostolorum ætati afferentia auctorem, fortassis & corruperint aliqua ad hæreseos suæ confirmationem: quæ omnia seculo 13. ignota, potuit Angelicus Doctor, sine justa cujusquam reprehensione aut vituperatione, ignoravisse; sicut cum Joanni Damasceno credidit, Trajani animam S. Gregorii Papæ precibus fuisse ab inferno liberatam. Non enim obligabatur facti veritatem inquirere; sed, eo simpliciter ut refertur supposito, discutere, quomodo id possit cum Catholica de damnatis doctrina subsistere, quod erat Theologi. Quomodo autem in rebus historicis prudenter quis sequatur communem sententiam, quamdiu nihil occurrit, quod eam vocet in suspicionem erroris; adeoque & S. Thomas in talibus non possit imprudentiæ argui, declaravi Art. 2. n. 140.

A R-

ARTICULUS XIV.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibentur ea quæ Papebrochius inter Acta Sanctorum habet contra Indulgentiarum antiquitatem.

RESPONSIO.

PAucis qui Titulum sequuntur versibus, non pauca, Reverende Pater, in me convitia congeris. Dicis, quod sim *Carmelitarum antiquitatis infensissimus adversarius & impugnator*: cum ego in Præfatione Apologetica ad querelas vestras, ante Vitam vestri B. Aloysii de Rabata 12. Maji, demonstraverim, quod omni modo cavere voluerim, nihilque non egerim, ne cogerer a Patre Bonæ-spei ingredi in disquisitionem antiquitatis vestræ; sic autem id egerim, ut aliud non intenderim, quam patefacere æqui verique amantibus, quales credebam vos plerosque esse, sinceri erga Ordinem vestrum amoris effectum fuisse silentium istud, quod nobis tenendum proposueramus.

2 Dicis deinde, ex animo tam adverso factum ut negaverim mordicus, ecclesiis vestris ullas datas ante seculum XI. Indulgentias; quod mordicus negare tam procul a me abest, ut semper paratum me dixerim, dicamque etiam nunc, & revera sim paratus admittere quantumcumque antiquas Ordinis vestri Indulgentias, quarum veritatem possitis rationabiliter propugnare per antiquitatis congruæ documenta.

3 Dicis tertio, quod, *ut hoc persuadere valeam, negem universaliter similes Indulgentias, ante seculum* XI. aut XII. *fuisse in usu*. Ast ego ostendi, istas, quas antiquitus vobis datas prætenditis, cum iis proponi circumstantiis, ut omnino debeant haberi supposititiæ, licet de aliarum, ab aliis prætensarum, veritate constaret inter omnes.

4 Dicis denique, ea omnia me facere *successu valde erubescendo*: quod sane non judicant extra Carmelum viri eruditi, atque ipsi in præeminenti dignitate constituti, etiam Romæ, qui primam responsionum harum partem legerunt: suntque inter ipsos Eminentissimos, qui exinde melius de me meisque scriptis judicant, quam ipsis persuasum cupit Patern. vestra per suam Exhibitionem: imo sunt, qui hanc nunc dicant, *Fatuum & ridiculum librum*, non merentem refutari tam operose. Sunt tamen etiam, qui eamdem Exhibitionem tuam *felicem* putent; sed eo fere modo, quo *Felix* canitur ab Ecclesia peccatum: quia nempe quodammodo causa fuit majoris boni, occasionem nobis præbendo & aliqualem imponendo necessitatem conscribendi hanc Responsionem, quæ sparsas per viginti tomos de Actis Sanctorum quæstiones historico-ecclesiasticas plurimas, publicæ utilitati elucidatas colligit in unum; atque e tenebris, quibus eas involvere, sed non amore veritatis, conata fuit Exhibitio, clariorem retrahit in lucem.

5 Quod præsentem de Indulgentiis quæstionem attinet, aliquas vetustis temporibus supponi potuisse ab iis, qui licitum putabant pro pietate fingere, non mirabitur, quisquis considerare voluerit, eadem peccari etiam post Tridentinum, a quo tam salubria circa hanc materiam statuta sunt edita; & post institutam specialem Congregationem Emin. DD. Cardinalium super Indulgentiis & Reliquiis, cujus *præcipua cura est, ut sublatis ambiguitatibus & fallaciis, ac ea quam multitudo parere solet confusione, unusquisque fidelium certis minimeque dubiis Indulgentiis perfruantur*, ut loquitur ipsius Congregationis Decretum, de quo infra. Dum ergo Historici Indulgentiarum antiquitus prætensarum ætatem & veritatem examinant, extremam definitionem Ecclesiæ relinquentes, non minus utilem operam illi navant, quam Theologi, quæstiones ad fidem spectantes discutiendo.

6 Porro quod etiam hac nostra post Tridentinum ætate subinde talia conficta sint, quæ reprobari mererentur, evidentissima demonstratur exemplis eorum, qui cum scandalo, non unius solum parochiæ oppidive, sed integri quandoque Ordinis ac Regni alicujus, talia ausi sunt malo tam late diffuso, ut qui talibus Indulgentiis ornatos se credunt, nec Pontificiis quidem decretis induci omnes possint ad eas dimittendas, verasque ac novas earum loco oblatas suscipiendas. Quare S. Congregatio, an. 1678. die 7. Martii, Decretum edidit cum hac præfatione.

7 *Delatæ sæpius fuere ad sacram Congregationem, Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositam, indulgentiæ quædam confictæ, & omnino falsæ, quæ per diversas orbis Christiani partes circumferuntur; aliæ vero examinandæ, quæ adhibito studio deprehensæ sint apocryphæ, vel a Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quod datum iis tempus præteriisset: quarum quidem plurimæ cum non facilem cognitionem habeant, Christi fideles, harum rerum minime peritos, falluut; qui spe indulgentiæ remissionisque suorum peccatorum consequendæ frustrantur. Quam ob rem eadem sacra Congregatio, vehementer cupiens huic malo, magis in dies serpenti, occurrere, animarumque profectus & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in Indicem referri curavit.*

8 Sub hac præfatione enumerantur & tales declarantur multæ; quarum syllabum hic recudi fortassis operæ pretium foret, nisi totum Decretum extaret apud Richardum Arsdekin in Theologia Tripartita & Georgium Gobat tract. de Indulgentiis, utrumque Societatis nostræ. Quamobrem hic suffecerit circa finem excerpere unum alterumve articulum, latius patentem: ubi dicitur quod „ Annumerandæ [*istis*] „ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus attributæ „ dicuntur, vel Coronæ seu Stellario Conce„ ptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duo„ decim globulis precatoriis constat; vel gra„ nis, crucibus, & coronis Aloysiæ ab Ascen„ sione, Hispanæ Monialis Ordinis S. Claræ; „ vel mensuræ altitudinis Jesu Christi Domini „ nostri; vel imagini aut mensuræ vulneris

„ lateri

„ lateri ejus inflicti; vel orationi, ut ajunt, in sepulcro Domini nostri repertæ; & Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ Sanctis Brigittæ, Mectildi & Elisabeth, vel B. Joannæ de Cruce; & concessæ, ut asserunt, granis, quæ attigerint aliquid ex tribus granis extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum observantiæ S. Francisci.

9 „ Omnes vero & singulas jam dictas Indulgentias sacra Congregatio partim esse confictas & plane falsas declarat, partim apocryphas vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt; easque in futurum ullo loco ut veras publicari, & lucrandas Christi fidelibus proponi vetat; foliaque & libros, ubi sic proponuntur seu asseruntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult alias, quas hoc decretum non continet, pro veris & legitimis taciteque probatis haberi. Porro Summaria Indulgentiarum, pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus sanctissimæ Trinitatis & Redemptionis captivorum, Nominis Jesu, Rosarii B. Mariæ de Mercede Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cincturæ S. Augustini & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

10 His animadversis solicite curandum puto Præpositis Sodalitiorum prædictorum, omnique ex parte laudabilium, ut cum ejusmodi Summaria typis mandantur, expresse addatur approbationis ipsius formula, annus, dies. Hac autem habita, non magni refert ad ædificationem usumque fidelium, scire, quis primus, & utrum tam antiquus quam prætenditur, tales Indulgentias sit largitus: cum quilibet Pontifex eas confirmans (ut dictum sæpius est Parte prima) eas faciat veras ac validas; manente scilicet primario fine ipsius confirmationis, adeoque non obstante errore facti alicujus particularis. Tanta autem hoc tempore est Sanctæ Sedis in iis liberalitas, ut mirum sit adhuc aliquos inveniri, qui veris certisque non contenti, identidem comminiscantur novi aliquid: de quo perlatæ Romam querelæ nuperum, quod subjicio, Decretum elicuerunt, *Feria* IV. *die* 23. *Maji* 1696. & est hujusmodi.

11 *Sacra Congregatio Eminentissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium, in tota republica Christiana Generalium Inquisitorum super Minervam, post examen Theologorum, specialiter ad hoc deputatorum, ac prævie relatis S. D. N. Innocentio Papæ XII. eorumdem Eminentissimorum votis & Theologorum censuris, de mandato Sanctitatis suæ prohibet & damnat infrascripta folia assertarum Indulgentiarum, in idiomate Hispanico impressarum*. Sequuntur autem mox in Decreto Tituli sex foliorum ejusmodi, quos non pigebit Latinos facere, ad justam eorum qui talia confinxerunt confusionem, piorum fidelium instructionem, & convictionem hæreticorum, Ecclesiam Romanam calumniantium, ut conniventem ejusmodi fraudibus.

12 *Folium cui Titulus* „ Solicita Sanctitas D. N. Innocentii Papæ XII. ut cordibus nostris infigat devotionem, quam omnes debemus gerere erga Reginam Angelorum, a Consolatione de la Sierra nuncupatam in regno

Opuscul. Collect.

Arragoniæ; & informata de magnis miraculis & prodigiis, quæ Dominus noster continuo operatur, mediante sua sanctissima Matre, erga omnes qui recurrunt ad supremam istam Dominam, petendo solatium in afflictionibus suis temporalibus ac spiritualibus; considerans etiam nostræ mortalitatis fragilitatem atque divini judicii districtionem, ex paterno amore & desiderio salvandarum animarum, concessit sequentes Indulgentias, ad instantiam Catholici Regis D. Caroli II. (quem Deus servet) publicari jussas per Commissarium Sanctæ Cruciatæ &c. Datum Romæ, sub anulo Piscatoris, 26. Aprilis 1681.

13 „ *Item folium cui Titulus*, Considerans Sanctitas nostri admodum sancti Patris Innocentii XI. necessitatem & sterilitatem, quam patitur regia Domus & magnum Hospitale gloriosi Apostoli Jacobi in Galicia, grandis Hispaniarum Patroni, propter multitudinem pauperum ex voto peregrinantium, eoque ab omnibus Christianitatis partibus venientium ad illam sanctam ædem visitandam, ex fide, stabilita decursu annorum plus quam octingentorum, quæ ordinarie erga istud sanctum templum servatur; tamquam Pater & Caput Ecclesiæ, accurrens ad remedium animarum fidelium Christianorum, concessit id quod sequitur, pro vivis & defunctis, qui de novo aggregabuntur in hanc regiam Confraternitatem & Congregationem. Datum Romæ ad S. Mariam majorem, sub anulo Piscatoris, 2. Januarii 1684.

14 „ *Item folium cui Titulus*. Noster admodum Sanctus Pater Innocentius XI. intellectis multis & infinitis miraculis, quæ operaretur gloriosus S. Lazarus de Palencia (Hospitalium caput) in gratiam devotorum suorum atque confratrum, terra marique, puta, dando visum cæcis, sanando paralyticos, scabiosos, aliisque pluribus morbis detentos; de his, inquam, omnibus informata Sanctitas sua, deque grandibus expensis quibus gravatur ista sancta Domus & Hospitalia, propter magnum numerum leprosorum, ex omnibus partibus Christianitatis eo accurrentium, ut a suis infirmitatibus curentur: quodque dicta sancta Domus & Hospitalia magnam necessitatem & pauperiem patiantur. De his, inquam, omnibus informata Sanctitas sua, concessit sequentes Indulgentias suis devotis, qui eleemosynis suis succurrent iisdem: jubenturque publicari per Commissarium sanctæ Cruciatæ. Datum Romæ ad S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris, octava Februarii.

15 „ *Item folium cui Titulus*, Innocentius Episcopus, Servus servorum Dei ad futuram rei memoriam, omnibus Christi fidelibus, præsentes visuris, salutem & Apostolicam benedictionem. Considerantes fragilitatem nostræ mortalitatis & districtionem divini judicii, & desiderantes ut unusquisque fidelium sibi prospiciat per bona opera & pias orationes, ut per ea ipsis condonentur peccata sua, & facilius obtineant gaudia æternæ beatitudinis; concedit noster admodum sanctus Pater Innocentius XI. gratias & indulgentias hujus sancti Jubilæi, ad petitionem D. Caroli II. Hispaniarum Regis, quem Deus custodiat &c.

„ Datum Romæ ad S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris S. Petri, 10. Martii, millesimo sexcentesimo octogesimo quinto anno.

16 „ *Item folium cui titulus*, Brevis summarium & compendium Iodulgentiarum ac Gratiarum, concessarum a multis summis Pontificibus; & novissime confirmatarum per nostrum adm. sanctum Patrem Innocentium XI. qui in præsentiarum regis & gubernas sanctam Ecclesiam Catholicam, Domui & Hospitali Innocentium Dominæ nostræ boni successus, quod est in citate Vallisoleti; quas concessit, motus zelo & caritate, cupidusque salutis animarum, & considerans graves sumptus, quotidie faciendos in ista sancta Domo & Hospitali, pro cura infirmorum & receptione peregrinorum, ex omni Christianitatis parte transeuntium versus S. Jacobum in Gallicia & Romam; atque ad conservandum cultum debitum iam miraculosæ imagini; quas lucrantur & quibus gaudeot Confratres, habeotes Bullam Sanctæ Cruciatæ &c. Datum Romæ ad S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris, 31. Januarii anno 1686,

17 „ *Item folium cui titulus*, Breve summarium multarum Gratiarum & Indulgeotiarum atque Remissionum, concessarum a multis summis Pontificibus, & confirmatarum per nostrum admodum sanctum Patrem Innocentium XII. omnibus fidelibus Christianis, totius Christianitatis incolis, qui fuerint Confratres, aut de novo inscribentur librit regiæ Confrateroitatis sanctissimi Christi, a Quinta-Angustia nuncupati, io oppido Zalamea; ubi Deus ac Dominus noster dignatur operari multa miracula & innumerabilia prodigia, suis devotis & Coofratribus, atque per eleemosynas suas juvantibus ad sustentandos multos pauperes infirmos, viatores ac peregrinos, ex multis partibus accurrentes ad istud devotum sanctuarium, ut in ejus Hospitali curentur. Sunt autem Gratiæ & Iodulgeotiæ quæ sequuntur, & jussæ sunt publicari per Dominum Commissarium generalem sanctæ Cruciatæ, per totum Hispaniæ regnum &c. Datum Romæ in sacro Palatio, 16. Martii anno 1691.

18 *Hæc itaque folia, sic probibita & damnata, per idem Decretum, eadem sacra Congregatio, de mandato ut supra, vetat, nequis, cujascumque sit status & conditionis, & quocumque idiomate & versione impressa vel imprimenda in quocumque loca, audeat ullo modo & sub quocumque prætextu imprimere, vel imprimi facere; neque impressa apud se retinere & legere licite valeat; sed ipsa Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim & cum effectu tradere & consignare teneatur, sub pœnis in Indice prohibitorum contentis.*

Loco † Sigilli.

Joseph Bartolus S. Rom. & universalis Inquis. Not. *Die prima Junii* 1696. *supradictum Decretum affixum & publicatum fuit, ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis, Palatii S. Officii, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi-Floræ, & in aliis locis solitis, per me Franciscum Perinum, SS. D. N. Papæ & SS. Inquisitionis Cursorem.* Romæ ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ. MDCXCVI.

19 Nunc si me, Pater Rev. propter Decretum istud, hic expositum, tum aliis multis de causis, tum etiam ut intelligatur quam facile pium vulgus specie pietatis persuaderi sibi non vera sinat, velis denuntiare Apostolicæ Sedi Responsiones hasce meas, ut *nationis Hispanicæ in particulari offensivas*; facies id eodem jure, sed non eodem (ut coofido) successu quo paucis in Hispania Qualificatoribus persuasisti, eo etiam titulo configenda Sanctorum Acta, quod detegeot pseudo-dextrinas aliasque similes fictiones.

20 Talibus nimiam fidem adhibuisse pientissimam gentem, indeque in nonnullas Ecclesias minus probatorum Sanctorum cultum, non sine quadam injuria veterum Patronorum, inductum esse, dolet Marchio Agropolitanus in suis Dissertatiooibus; nec non Nicolaus Antonii, per Cardinalem de Aguirre elucidatus, io sua Hispanica Bibliotheca, profitens, quod se *pudet absumere operam in convellendis a quorumdam hominum mentibus, his, quas magno famæ Hispanicæ dispendio admittunt, imo adorant, fabulis*. Inter hos autem, *quos numquam* (ut Plinius loquitur) *leviter aut cunctis credendi satietas capit*, primatum ambire videtur Paternitas vestra, cum pro Carmelitis sublestæ fidei scriptis, æque ac pro Dextrinis figmentis, certare contendit, quasi pro aris ac focis. Verum hæc partim jam vidimus Art, 10. §. 7. partim sumus visuri in sequentibus. Redeo itaque ad Indulgentias, quibus discutiendis præjudicium me facere Christianæ pietati arguis, & arguendo cogis in publicam notitiam adducere multa, quæ mallem solis eruditis cognoscenda scribere, Sed & hoc importunitati tuæ demus.

21 Nunc tibi probandam relinquo accusationem, qua falso dicis, *Papebrochium negare universaliter similes Indulgentias* (quæ nempe *locis aut personis* cooferuntur) *ante seculum undecimum fuisse in usu*. Ajo quidem non probari, quod ante tempus illud concessæ fuerint Carmelitis; sed an idem tibi est, non fuisse concessas absolute ulli mortalium, & non fuisse concessas PP. Carmelitis? Quisquis negaverit ullas Indulgentias concessas fuisse Patribus Societatis ante seculum 15. verum dicet: non autem recte arguetur asseruisse, quod nullæ cuiquam mortalium Indulgentiæ concessæ fuerint ante istud seculum. Reverende Pater, sicut non sequitur, nullus Carmelita fuit in Arca Noe, ergo nullus mortalium fuit in arca Noa; sic neque sequitur, nullæ Carmelitis datæ reperiuntur indulgentiæ ante seculum XI. utpote qui ante istud non videntur extitisse, ergo nulli hominum ante istud seculum indulgentiæ concessæ sunt.

22 Alius, Reverende Pater, error tuus est, nescio an non voluntarius; quod inter Indulgentias simpliciter alicui personæ concessas, & concessas piis locis, aut ea visitantibus, aut per eleemosynas juvantibus non distinguas. Certum est Indulgentiarum usum extitisse a primis Ecclesiæ temporibus; sed concessarum personis, ad earum preces aliorumque pro iis intercessiones. Piis autem locis ab initio affixas, aut omnibus ea visitantibus aut etiam per eleemosynas juvantibus concessas fuisse primis Ecclesiæ seculis, velim mihi legitimis testimoniis probari. Nolim tamen propterea in dubium revocari, quin ex subsequentibus seculis recte concessæ sint, cum omnes probi Catholici agnoscant, amplissimam a Christo Vicariis suis, circa peccatorum & pœnarum etiam temporalium remissionem,

con-

concessam esse potestatem. Usus vero potestatis illius varius esse potest pro temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum diversitate, & ex Ecclesiæ judicio mutari etiam potest.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius Leonis IV. Indulgentias, Carmelitarum ecclesias visitantibus concessas, & quæ tales a variis ejus successoribus confirmatas, temere arguit imposturæ.

RESPONSIO.

23 Quem finem & effectum habeat confirmatio Pontificum in favorem Indulgentiarum earum, quæ a decessoribus datæ prætenduntur; & quam nihil illa prosit ad quæstionem facti, qua disputatur, verone an falso fundamento nitatur ejusmodi prætensio; ita clare demonstravi Art. 3. §. 11. ut totam Accusationis præmissæ probationem, quatenus confirmatione successorum nititur, hic mihi liceat dissimulare, atque ad ipsum quæstionis caput immediate transire. Incipis ergo, Pater Reverende, assertum meum contrarium probare ex Anastasio, scriptore coævo, qui in principio Vitæ Leonis IV. ipsum laudat, quod erat *Amator Religiosorum hominum, Deoque in omnibus assidue famulantium*. Sed quo pacto inde sequitur, Leonem Indulgentias concessisse Carmelitis, aut hos amasse? Ut supponamus etiam; ipsos tunc fuisse in mundo; an nullos habebat Religiosos homines Deoque famulantes Urbs Romana ejusque propria diœcesis alios quam Carmelitas, quorum ne nomen quidem aut istic aut alibi possis pro seculo isto ostendere?

24 Ostendo illud, inquies, Florentiæ & Senis, in proxima Romano agro Hetruria, jam inde a seculo præcedenti. Id quam nulla dicatur verosimilitudine patebit infra. Hic solum dico, ex prolixissima Pontificis illius plus quam 25. paginarum Vita, qua minutim referuntur beneficia omnia, singulis ecclesiis, monasteriis, oratoriis, altaribus, oppidis ad Pontificiam jurisdictionem pertinentibus collata, numero pene infinita, nec minimam quidem umbram apparere alicujus Indulgentiæ, ipsa juvantibus, reparantibus, visitantibus, aut dedicationi præsentibus, petitæ vel concessæ: & tamen exemplis verarum Indulgentiarum a me pro seculo 11. ac 12. probatarum constat, primas post sacram Cruciatam inveniri institutas ad augendam celebritatem dedicationum & benedictionum ejusmodi; item ad honorandas Reliquiarum elevationes translationesque, quarum plurimas indicatur Leo IV. fecisse?

25 Quod si vera est conjectura Joannis Ciampini, Magistri Brevium gratiæ, nec non minoris Præsidentiæ Abbreviatoris, ac in utraque Signatura Referendarii, in Examine libri Pontificalis an. 1688. Romæ vulgato pag. 73. *ipse Leo gesta sua, ut a plurimis supremisque Principibus factitatum novimus, scripta annotaris; atque inde a Scriptore, prout se habebat, historiæ inserta fuerint*. Hoc autem posito, sicuti nulla potest haberi relatio accuratior & plenior notitia, quam ex illa Vita, accuratissima sane & plenissima; ita incredibile omnino fit, Religiosos homines, quorum Amator fuit Leo, intelligendos esse Carmelitas, quorum nominatim nulla ibi mentio; multoque minus credibile fit ipsorum ecclesiis, quas tunc fuisse nemo possit certo ostendere, factam gratiam, quam non meruerunt tot celebres ecclesiæ, oratoria, altaria, monasteria, quot narrantur a Leone intra & extra Urbem ædificata, restaurata, dotata, ornata, absque ullis indiciis Indulgentiarum, datarum populo confluenti ad ejusmodi actiones, vel manus adjutrices porrigentibus, nequidem in favorem Apostolicarum Basilicarum, quas a Saracenis deformatas, spoliatas, semiustas multipliciter idem Pontifex juvit.

26 Idem cum consummasset opus novæ civitatis, a suo nomine dictæ Leonianæ (nunc Burgum S. Petri dicitur) *ut perpetualiter firma ac roborata consisteret, jussit cum magna animi devotione cordisque lætitia, ut omnes cum eo Episcopi pariter ac Sacerdotes incolæ Urbis, & universi Ordines Clericorum S. R. Ecclesiæ, post Litanias & Psalterium decantatum, cum hymnis & canticis spiritualibus per totum murorum ambitum nudis pedibus, cinerem portantes in capita, circuirent, & inter cetera ab Episcopis Cardinalibus aquam fieri benedictam præcepit, ut inter Orationum officia, aquam ipsam transeuntes per murum, sanctificationis gratia, jactari omnimodis studuissent ... Ipse autem venerabilis Pontifex, ore suo, tres super eumdem murum orationes, multis cum lacrymis & suspiriis dedit .... in qua scilicet civitate .... magnam sive Romanis sive diversis nationibus, in summæ solemnitatis die, rogam distribuit*, idest magnam pecuniæ summam erogavit. *Deinde cum ceteris, ut præfatum est, Sacerdotibus, & omnibus Romanorum Proceribus, ad Ecclesiam B. Petri Apostoli, cum orationibus divinisque laudibus tendens, Missam, pro salute populi & civitatis incolumitate ac stabilitate perpetua, honorifice decantavit. His itaque sacris peractis officiis, cunctos Nobiles Romanos multiplicibus donis, non tantum in auro argentove, sed & sericis palliis honoravit atque ditavit. Fuitque die illa magna cunctis lætitia, videlicet die 27. mensis Junii, ante beatissimorum Petri & Pauli Vigilias, & per totam Romanam urbem infinita gaudia & exultationes innumeræ celebratæ sunt.*

27 Similiter cum Centumcellensium reliquiis, Saracenorum incursui quotidiano expositis, duodecim passuum millibus inde, Leopolim extrui fecisset Leo; eumdem *cum litaniis & orationibus, pedibus propriis circuivit; tribusque Orationibus, in modum Trinitatis, perpetualiter consecravit; Missarum, ut solitus erat, Officium rite persolvens, & aquam benedictam per muros jactari præcipiens, & non modicam manibus propriis, præ amoris magnitudine, universo populo rogam distribuit .... sed & in ecclesiis quas ibidem fecit, multa dona obtulit; in ecclesia scilicet S. Petri, gabathas ex argento fusiles majores minoresque septem &c.*

28 Ex eadem Vita discimus, quod quando *Octavam Assumptionis Beatæ Dei Genitricis diem, quæ minime Romæ antea colebatur, vigiliis sacris, Matutinisque cum omni Clero pernoctans laudibus, in basilica ejusdem Virginis Dominæ nostræ, quæ foris muros urbis juxta Basilicam B. Laurentii sita est, celebrari præcepit; magna populi multitudo convenerat, novæ festivitatis cupiens celebrare solemnitatem: quod ipse magnanimus cum videret Antistes, in omnes qui aderant hunc celebritatis*

plures argenteos erogavit. Immediate vero antea narraverat Anastasius, quomodo *hic beatissimus Papa .... Monasterium Corsarum, quod quorumdam malorum hominum, fuerat operibus desolatum, & ad secularem habitationem perductum .... perfectius restauravit; in quo etiam ancillarum Dei congregationem univit ... muneribus auxit, divitiis perornavit; & omnia quae exinde ablata fuerant sacris praeceptis instaurans, suis sanctis digitis plenius confirmavit.*

29 Denique, ut infinita præteream hujus generis alia, cum ex Sardinia profecti Saraceni Romano Portui occupando imminerent; & *Deus excitasset omnium Neapolitanorum, Amalphitanorum, Cajetanorumque corda, ut una cum Romanis contra eos insurgere ac dimicare fortiter debuissent .... pius Apostolicus mox ad Ostiam civitatem properavit; omnesque grandi atque eximia* [illegible] *suscepit: quia ut summum Præsulem* [illegible]*erunt, pedes ejus humo prostrati venera*[illegible] *... ut meliores de filiis Belial victo*[illegible]*rent, summopere deprecati sunt, ut de* [illegible] *manibus Corpus Dominicum percipere* [illegible] *quibus ore suo Missam in ecclesia B.* [illegible] *decantavit; atque universi ex illius (ut* [illegible] *est) manibus Communionem sumpserunt ...* [illegible] *vero altera a jam dicta civitate vene*[illegible] *est Præsul*, & contra mox superen[illegible] Saracenorum naves, inchoatum fuisse [illegible] nisi eo labore Christianos absolvisset Deus, immisso vehementiori vento, qui hostilem classem dissipavit ac perdidit.

30 Vides hic, Reverende Pater, omnes fere eas caulas & occasiones, quibus undecimi ac duodecimi seculi Pontifices, pro erogatione pecuniaria aliorumque munerum, cœperunt largiri Indulgentias ad animandos contra perfidam barbariem Cruce-signatos, juvandam locorum sacrorum in Terra sancta restaurationem, fundandas & dedicandas ecclesias, monasteria, civitates; quemadmodum postea Urbanus IV, instituens nuvum Venerabilis Sacramenti festum, *loco distributionum materialium .... stipendia spiritualia Apostolicæ largitione concessit*, sicut in ipso Officio testatur S. Thomas; dispendio utique Cameræ minori, sed fructu longe copiosiori, atque ad plures pertinante. Quis autem existimet, aut tam pium liberalemque Pontificem, quam fuit Leo, temporalibus muneribus non fuisse adjuncturum spiritualia Indulgentiarum dona, si talium aliquis tune usus fuisset; aut scriptorem, adeo minutim singula commemorantem, potiora fuisse præteriturum, si ista quoque largitate fuisset Pontifex usus?

31 Nunc prius quam transeam ad eas cavillationes, quibus prætensas Leonis IV. Indulgentias defendere molitur Paternitas Tua, ex prætenso similiter Mari Magno Indulgentiarum; videamus sub qua *verborum forma* easdem reperiri in ecclesiis vestri Ordinis Sixto IV. indicasse præsumitur Martignonus Generalis. *Leo Papa Quartus, omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias beatissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo hujusmodi, in festis Nativitatis Dominicæ, Paschæ, Apostolorum Petri & Pauli, Pentecostes, Assumptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis ejusdem beatæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ, S. Michaelis Archangeli, omnium Sanctorum, in duobus festis Sanctæ Crucis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani, in die Parasceves, & per Octavas dictarum festivitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis, devote visitaverint, & pias eleemosynas largiti fuerint, seu Domus confratlas ejusdem Ordinis refecerint, septem annos & duodecim Quadragenas*; subintellige, *Concessit*.

32 Hic ego nullam Pontificalis Bullæ aut etiam Brevis formam inveniens, sed solum attendens ita simpliciter eam vocari, die 8. Aprilis de S. Alberto n. 103. dixi, quod *convincendæ imposturæ sufficiunt tria prima verba*. LEO PAPA QUARTUS. Eatenus enim nullum inveneram Pontificem, qui nomini sui numerum usurparet in allocutione prævia, omnibus diu ante & post Leonem istum haud alia formula utentibus, quam hac, *N. Episcopus, Servus servorum Dei*. Neque etiam nunc dimoveor ab ea sententia, licet in Cherubini Bullario to. 1. Pag. 7. inveniatur una Pelagii II. data *Calendis Martii, Indictione quinta* (quæ annum Christi 587. indicant, non 589. sicut Cherubinus perperam notat) cui præfixa leguntur hæc, *Pelagius Papa secundus, dilectissimis Fratribus, universis Episcopis, qui illicita vocatione Joannis Constantinopolitani Episcopi, ad Synodum Constantinopolim convenerunt*.

33 Sed quid ad hanc Epistolam annotent Eruditi, lege in margine novissimæ collectionis Conciliorum to. 5. col. 948. *Neque hanc*, inquiunt, *a fabulosis Isidori mercibus fas est sejungere: vera periit, in cujus locum hæc confictа est, ut stylus aliaque*, ibidem in margine notata, *docent*. Quamquam ne talis quidem Epistola, uti apud Cherubinum legitur, novo caret vitio; quod enim Isidoriana collectio non habet, longe posterior alius adjecit, *Pelagius Papa Secundus*; ne scilicet ignoraretur cujus esset. Nam aliis ejusdem Pelagii Epistolis, fidelius ex Isidoro relatis, nil amplius prænotatur, quam *Pelagius Episcopus*, vel simpliciter *Pelagius*; idque post eorum ad quos scribebat nomen: propter quod & quædam alia, ad ejusdem Epistolam 9. similiter notatur, quod *ab Isidori stylo non discrepat*. Non debet ergo existimari, quod nomine ad caput salutationis relato, col. 953. fideliter legatur, *Pelagius Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis Episcopus, universis Germaniarum ac Galliarum regionum Episcopis*.

34 Apud Cherubinum porro, excepta supposititia illa quam dixi, nullam invenias seu Bullam seu Epistolam, cui nomen Papæ cum nominis numero ita simpliciter præfigatur, ante annum 1264. Urbani IV. primum, quatuor seculis post Leonem IV. Ita ut merito quærere potuerim; *Quis eo tempore sic exarsus est Pontifex?* scilicet ut salutem dicens iis quibus scribebat, prænotaret nomen suum cum nominis numero. Cavillatur autem quisquis mihi supinam ignorantiam objicit, remittitque ad Bullarium, ut discam plerarumque Bullarum & Epistolarum diversa esse principia; cum nemo ignoraret etiam hodie affectare Pontifices, ut initialia verba diversificent, propter Canonistas, solitos verbis illis uti pro distinctiva ipsarum Bullarum seu Decretorum nota, sicut etiam Juristæ in citandis Legibus.

35 Itaque frustra hic quoque mihi adducis, Pater, Rev. Rayoaudum, quasi hic propugnans vestrum Scapulare, parte 2. qu. 2. contra Launoyum dicat; *Miseratione potius quam confutatione dignum est, quod primum urget, de dissimili hujus* [Sabbatinæ] *& aliarum Bullarum initio: nam in volu-*

voluminibus Pontificiorum diplomatum, plurima sunt, quorum initia in nullo alio diplomate inveniuntur. Gregorius VII. ei constitutioni, qua Henricum IV. exauctoravit, illud initium ex abrupto præfixit. Beate Petre, Apostolorum Princeps, inclina quæsumus pias aures tuas nobis. *Cedo aliquod diploma Pontificium, in tam multis tamque spissis Cherubini voluminibus, cujus idem sit vel simile initium.*

36 Nihil opus est tale aliquod invenire, Pater Rev. &, si illa est ipsiusmet Raynaudi observatio (nam opusculum de Scapulari, ut alibi vidimus, ipsemet abdicat, & suum esse negat, quia in illud irruit Leo nescio quis, truncator & interpolator) si, inquam, Raynaudi est talis observatio, illum ego magis quam Launoyum commiseratione dignum censeo, qui exauctorationis sententiam, nemini inscriptam aut directam, sed coram altari S. Petri publice pronuntiatam, appellavit Constitutionem. Te quoque, Pater Rev. eadem miseratione dignor, ita præcipitanter & obiter Bullaria percurrentem, ut dicas nu. 51. eam esse *unicam* Gregorii VII. Bullam; cum similis styli iterata excommunicatio ejusdem Regis ibidem legatur, hoc principio: *B. Petre Princeps Apostolorum, & tu B. Paule Doctor gentium, dignanimi quæso aures vestras ad me inclinare, meque clementer exaudire*; exponentem scilicet Henrici crimina, & vestra auctoritate laturum sententiam in eumdem, quæ porro tota ad Sanctos illos dirigitur. Aliter autem procedit in duabus veri nominis Bullis, utrique sententiæ interpositis, & datis ad omnes in regno Teutonico Principes, sic exordiens, non Bullas ipsas, sed suam ad illos salutationem præviam: *Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, omnibus dilectis &c. omnium peccatorum absolutionem per Apostolicam benedictionem*, in prima; in secunda vero, *salutem & Apostolicam benedictionem*.

37 Jam vero dixi Art. 3. n. 85. quod in Paralipomenis meis ad Conatum jusserim primam illam a te accusatam censuræ meæ partem aboleri; *non quia illius me puderet; sed quia illud quod passim nominatis* Bullam Leonis IV. *quodque nullam habere formam Bullæ ostensum volebam contra Patrem Bonæ-spei, jam patoremini dici* Summarium; *adeoque cessaret totius censuræ fundamentum*. Lubet porro experiri, an posito etiam quod Leo Papa IV. dedisset aliquas Indulgentias Carmelitis, qui tamen sub eo nulli in Europa erant; in Syria autem si erant aliqui, erant Syro-Græci, a Romano Pontifice, etiam cum hujus communionem tenebant, non soliti petere Indulgentias: lubet, inquam, experiri, an posito quod vel ipse Leo IV. vel potius Lucius III. male in vestro mari magno dictus Lucius IV. dedisset Indulgentias aliquas Eremitis in Carmelo, Latinis & Catholicis verisque majoribus vestris, credi posset earum talem *Summarium* fidele esse illud, quod supra ex Mari Magno dedi, quodque in Præfatione Constitutionum vestrarum allegatur.

38 Fateor ego, etiam sub tali hypothesi, valde dubium id mihi videri: quia quæ illo tempore dabantur indulgentiæ, non dabantur nisi raris quibusdam occasionibus Dedicationum aut Canonizationum; idque pro uno aut pluribus talis actionis diebus; Carmeliticis vero ecclesiis dari in perpetuum supponuntur, & pro pluribus per annum diebus, non solum solennibus Christi Domini & Octavas habentibus, sed etiam pro festis Deiparæ, quibus cum Octava celebrandis initium dedit Leo IV. sicut supra vidimus; imo & profestis, minus solennibus, ut sunt quæ Duplicia minora dicuntur, puta SS. Fabiani & Sebastiani, quod in Sacramentario Gregoriano semiduplex, Pius V. transtulit ad Classem duplicium teste Gavanto, qui idem de Exaltatione S. Crucis in Septembri ait, quod Clemens VIII. *declaravit hoc esse festum Duplex majus*, & festum Inventionis mense Majo *inter festa secundæ Classis collocavit*.

39 Est autem perquam mirabile, quod tanti æmulatores originis Elianæ, numquam cogitaverint, ut pro festo S. Eliæ Prophetæ aliquam Indulgentiam impetrarent nisi admodum nuper; imo nec diem 20. Junii, quo illius raptum solennissime colit tota Palæstina, ipsi quoque solennem habendum sibi non sumpserint; sed in supplemento Martyrologii Usuardici, pro sui Ordinis usu ante annos ducentos cuso, eumdem collocaverint 14. Junii, infra Octavam sui discipuli Elisei, cujus ipsius quoque, licet etiam Patroni, in petendis Indulgentiis recordati non sunt. Tenuerunt autem diem 20. Junii, ut proprium S. Eliæ, usque ad reformationem Martyrologii Romani; quando huic ex Græcorum Menæis sanctus Propheta fuit insertus, & assumptum arbitrario diem didicerunt Carmelitæ commutare in Europa; quem in Palæstina pridem debuissent servasse, si aliquid cum Syro-Græcis commune habuissent.

40 Porro cum recordor, quod Honorius III. in solenni S. Laurentii Dublinensis Canonizatione an. 1222. solum largitus sit viginti *dies de injunctis pœnitentiis*; Gregorius IV. anno 1233. 34. & 35. in Canonizationibus SS. Antonii Patavini, & S. Dominici, Sanctæque Elisabeth, *annum unum & quadraginta dies*; ac demum Calixtus III. in Canonizatione S. Vincentii Ferrerii an. 1458. *septem dies & totidem quadragenas*; non immerito mihi suspecta sit etiam ex hoc capite prætensa Indulgentia, tanto largior, & tamen antiquior; atque suspicionem auget vox; *Quadragena* pro 40. dierum jejunio, haud facile ante annum 1000. invenienda, saltem ex Hierolexico Macri aut Glossario Cangii. Atque hæc sufficere puto circa adscriptas Leoni IV. Indulgentias, cum nihil hic novi præter jam diluta dicas, quod non dixeris Art. 3. §. 9. Pergo igitur ad sequentia.

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius cum hæreticis negat Indulgentias trium, quinque, septem vel plurium annorum, ante XI. vel XII. seculum, fuisse in usu.

RESPONSIO.

41 *INdulgentiarum concedendarum potestatem, non a Christo, sed homine promanare, oblaterant hæretici, dicentes illas ab homine noviter esse inventas.* Hoc tibi concedo, Rev. Pater. Ex adverso *Concilium Tridentinum declarat sess. 25. Indulgentiarum usum simpliciter & absolute fuisse*, ANTIQUISSIMIS ETIAM TEMPORIBUS. Nihil contradico; sed idem positive affirmo. Imo illis *etiam antiquissimis temporibus*, adeoque & *ante XI. vel XII. seculum, in usu fuisse*

Indulgentias trium, quinque, septem vel etiam plurium annorum, si non quod nomen *Indulgentiæ*, saltem quoad rem, tam certum mihi est, quam certo scio, jam inde ab initio ecclesiæ injungi solitas determinati temporis & certo annorum numero definitas pœnitentias; quæ cum relaxabantur per cujuscumque nominis, modi, ac formæ Indulgentiam (hoc autem extra casum necessitatis vel mortis articulum raro fiebat, fiebat tamen aliquando) dabatur utique tot annorum, puta trium vel plurium Indulgentia.

42 Quid ergo quærimus & disputamus? Utrum ea ab antiquissimis temporibus data fuerit, ipsa qua nunc datur forma, ecclesiam aliquam visitantibus: de hoc nihil curaverunt hæretici, nihil definierunt Tridentini Patres; sed neque ex professo disputaverunt Theologi; sed cum Autissiodorensi & S. Thoma, communi tunc de Stationariarum auctore Gregorio opinioni inhærentes, de earum valore & effectu discurrebant more Scholasticorum. Inter ceteros Card. Cajetanus, magnus utique Thomista, tract. 7. de Indulgentiis dicit, ad quæstionem, utrum Indulgentia extendat sese ultra pœnitentias injunctas, etiam ad eas quæ possent injungi, sic [illegible]untiat; *Licet Doctorum opinio, quam esse* [illegible] *se dicit Divus Thomas, magni facienda* [illegible] *hujus rei veritas ex facto pen*[illegible]*da consistit, & sacri Canones solam* [illegible] *mentionem ..., definita est In*[illegible] *remissio a pœna injuncta*. Huic [illegible] alterum Recentiorum defi[illegible]: *Indulgentia est absolutio a pœ*[illegible]*, a Sacerdote, aut a Canone injunctis*,

43 Verum, quamvis Indulgentia olim passim implorabatur & concedebatur occasione talium pœnitentiarum; eum eadem Indulgentia tamen non tantum pœnas a Sacerdote vel a Canone injunctas sed qualcumque etiam in purgatorio solvendas veraciter remittat; rectius ab aliis sic definiri censeo: *Indulgentia est remissio pœnæ temporalis, quæ post remissionem peccatorum luenda superest, extra Sacramentum facta ab eo, qui spiritualem jurisdictionem habet cœlestem Ecclesiæ Thesaurum dispensandi*. Hæc definitio, uti conformis est communi Ecclesiæ sensui, ita & a S. Thoma non modo asseritur, sed solide etiam probatur in 4. sententiarum dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. ubi sic pronuntias: *Quidam dicunt, quod Indulgentiæ non valent ad absolvendum a reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio secundum judicium Dei meretur; sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit Pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam ordinatur ex Canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera; prima quia est expresse contra privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret, & in cœlo remitteretur: unde remissio quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi Indulgentias dans, magis damnificaret, quam adjuvaret: quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, confessionem, & absolutionem, sive sit injuncta, sive non*.

44 Qua autem subinde forma, qua occasione, quibus personis, quo tempore concessæ Indulgentiæ fuerint, ad historiam magis quam Theologiam spectat, neque institutum proprie Angelici Doctoris fuit quæstiones Chronologicas & Historicas discutere, sed *tutissimis & incancussis dogmatibus* Ecclesiam illustrare. Quod vero de initio concedendi quinque vel septem annorum Indulgentias Theologi non disputaverint, ac ne historici quidem, simpliciterque adhæserint pauculis exemplis, facile (ut mox iterum ostendam) refutabilibus, ipse mihi largiris, P. Rev. num. 24. Etenim postquam ibi gloriose te jactasti, quod *curiosissime omnes pervolvisti auctores, tam Theologos quam Historicos, de Indulgentiarum antiquitate tractantes, quas in primariis bibliothecis ad manum habere potuisti, & inter omnes nequidem unum reperire potuisti*, qui id quod ego, diceret; post hæc, inquam, tam gloriose jactata, fateris n. 27. quod *pauci istorum* quos vidisti (dicere poteras, nulli) *de ejusmodi Indulgentiarum formula expresse & ex professo tractent*; singula scilicet quæ passim allegantur exempla curiosius trutinando. Id vero etiam negas mirum esse, *quia solus Papebrochius videtur formulas istas jam demum revocasse in dubium*,

45 Dixeram quidem, quod de iis mihi assentiebantur passim *eruditi in Curia Romana viri*, Sed quia eos nominatim non exprimebam, quibuscum ab anno 1660. mihi notitia fuit, nec illi suam sententiam editis libris declararunt, nullam qua id facerent, occasionem nacti; placuit Paternitati tuæ vereri, *ne Papebrochius astute illos finxerit, ut sic pro hac nova & inter probe Catholicos inaudita, nec non falsa opinione, apud emperitos aliquid conciliare valeat probabilitatis*. Sed quam hæc temeraria est suspicio, tam illa prior gloriatio vana. Nam anno 1685. Bruxellis, principe totius Belgii urbe, ubi scribebat & hæc componebat Paternitas tua, recusus est liber celeberrimus, & pridem Parisiis editus anno 1651. atque æstimatissimus Romæ inter eos quibuscum egi eruditos, quorum facile Principes Cardinales Barberini Franciscus & Antonius; Joannis inquam, Morini *Commentarius historicus, de disciplina in administratione pœnitentiæ, tredecim primis seculis, in Ecclesia Occidentali, & huc usque in Orientali observata*: quem minime exiguum libellum, sed grande in folio volumen, si tam curiose, ac videri vis, scrutatus omnes, requirere curavisses, in multis bibliothecis, Bruxellis, Lovanii, Antverpiæ, ac forsitan alibi invenisses, in eoque meam sententiam pluribus & operose confirmatam legisses,

46 Hic Auctor, intactum eatenus argumentum ex veteribus tam typo eusis quam manu exaratis scriptoribus, ab ovo (ut dicitur) exorsus discutere & explanare, quæstionem nostram, si non in terminis, saltem in substantia eruditissime tractat, l. 10. cap. 16. & sequentibus, usque ad 24. Quamquam enim non doceat distincte, quis Pontificum Romanorum cœperit trium, quinque vel septem annorum Indulgentias, ea qua nunc forma largiri (nam hæc verosimiliter cœpit seculo 14. ipse vero ultra 13. non progreditur) tamen Capite 23. cum *demonstrasset, multis exemplis, quam moderati ac parci fuerint Pontifices in concedendis Indulgentiis*, numerum 9. concludit, affirmans quod *difficillime indulgentiam unius anni largiebantur*. Certe antiquissima omnium, quas hactenus, certas & *Indulgentiæ*

gentiæ nominè dictas reperi, Alexandri II. pro anno 1070. nullum tempus definit: & Honorius II. pro anno, 1126. *unum* dumtaxat *annum*: de quibus ego in Conatu n. 8. ex Morino autem numero similiter 8. addi velim Honorium III. anni similiter unius largitorem, pro anno 1216. itemque *Indulgentiam unius anni & 40. dierum*, concessam a Gregorio IX. sub data annorum 1232. & 1238. atque ab Innocentio IV. sub data 1250.

47 *Omnium autem liberalissimus*, inquit Morinus, *Alexander IV. Dominicanis prædicantibus in Terra Sancta concessis Cruce-signatorum Indulgentias & privilegia*, sane pro tempore illo maxima; sed extra Terram sanctam adeo non trahenda, ut omnes, quas promovendo novo Venerabilis Sacramenti festo indulsit an. 1264. Urbanus IV. nihil omittens eorum, quæ poterat ad eum finem excogitare, constringantur intra definitum numerum, non annorum, sed dierum ut summum centum. Qui autem dicit seculo XI. ac XII. difficillime concessas anni unius tantum Indulgentias, a fortiori negat ante ista secula data largiores, trium, quinque, vel septem annorum.

48 Si Morini opus eruditissimum ac plane scientificum notum fuisset Paternitati Tuæ, quam ultra ex eo didicisses *nova*, *& inter a se visos Theologos atque Historicos*, *prebe* quidem *Catholicos*, sed non omnia perscrutatos, *inaudita*; non tamen *falsa*, sed irrefragabilibus auctoritatibus demonstrata. Didicisses Canonum Pœnitentialium formam atque rigorem, seculo primum nono laxari cœptum, & quod (sicut habet titulus capitis 16.) *prima relaxatæ pœnitentiæ occasio fuit pœnitentiæ canonicæ redemptio*, tunc paulatim inducta. De hac ibidem legisses ex Abbate Reginone, Burchardo Archiepiscopo Moguntino, Yvone Carnotensi, seculi XI. ac XII. auctoribus, quod *pro septem hebdomadibus, qui jejunare non poterat, jubebatur dare, si dives fuerit, solidos viginti; si non habuerit tantum, solidos decem, sive pro redemptione captivorum, sive pro Dei servis seu pauperibus in eleemosyna*; vel *pro uno mense, quo in pane & aqua pœnitere debet aliquis, Psalmos decantet mille ducentos genuflexe*, & cetera proportionate ad numerum annorum, mensium vel dierum injunctæ pœnitentiæ. Capite 19. *enarratur secunda imminuendæ canonicæ pœnitentiæ occasio, expeditio Hierosolymitana atque etiam Hispanica contra Paganos*, utique seculo XI. cœpta ac porro continuata, cum incredibili concursu ad visenda loca sancta.

49 Denique 20. Capite, exponitur *tertia minuendæ pœnitentiæ canonicæ occasio, pœnæ* scilicet *totalis vel partialis, ob donum temporale, spirituali bono applicatum, relaxatio, Indulgentia antonomastice dicta*, & in hoc differens a præcedenti, quod illa *opus hereicum & difficillimum pœnitentia commutat; hæc rem vulgarem & unicuique facile parabilem*; unde *commoda maxima temporalia premanant, & usui spirituali applicantur; cum cujus relaxationis concessione frequenti quia pœnitentia canonica vix potest consistere*, factum est, ut hæc denique vix ulla esset seculo 14. quo etiam maxime cœpit commendari ecclesiarum visitandarum & juvandarum frequentia, causa Indulgentiarum eo titulo concessarum. Eodem Capite idem Morinus examinat *nonnulla testimonia, quæ istarum relaxationum usum altius repetere videntur*; ipsa illa scilicet quæ & ego examino, ac propter quæ traducitur mea circa hoc doctrina, quasi moliatur *imbelles hæreticorum* contra Indulgentias *conatus juvare, asserendo ejusmodi formulam ante seculum XI. in Ecclesia non fuisse in usu*: quia P. Sebastiano *evidens videtur, quod ejusmodi Indulgentiarum formulis .... tamquam fictitiis semel explosis, aliæ quævis indulgentiarum formulæ facile explodentur*.

50 Si historiam istam ad nostra usque tempora deduxisset Morinus, agendo de Indulgentiis, egisset distinctius de annorum numero paulatim ampliato, præter mentem Innocentii III. anno 1215. in Lateranensi IV. Can. 62. sic statuentis. *Quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & Claves Ecclesiæ contemnuntur, & Pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo sive a pluribus Episcopis dedicetur, deinde in anniversario Dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hinc etiam quoque dierum numerum, Indulgentiarum litteras, quæ pro quibuslibet aliquoties conceduntur, præcipimus moderari: cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem habet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare*.

51 Hanc consuetudinem, etiam in summa illa Dedicationum solennitate, solitam a suis decessoribus observari, qua fronte allegasset Pontifex in conspectu Concilii generalis, totque ibi præsentium Episcoporum, quorum hic restringebatur male usurpata potestas, si illi objici potuisset seculorum immediate prægressorum contrarius usus! Neque dixeris, *indiscretas illas & superfluas Indulgentias*, quas quosdam Ecclesiarum Prælatos facere queritur Innocentius, suspicionem præbere, quod saltem in istis Ecclesiis talium fuerit longe antiquior usus sive abusus: quia nulla ratio, exemplum nullum, nulla auctoritas certa adducitur, quibus probatur quidquam hoc in genere a Prælatis ullis particularibus factum, prius quam exemplo, licet moderatissimo, Romani Pontifices præire cœpissent; proinde non debet, nec rationabiliter potest, dicti abusus initium ultra confinia seculi 13. & 14. removeri.

52 Porro si Morinus, sicut supra dixi, progressus ad nostra usque tempora fuisset, indicasset haud dubie, quomodo Indulgentiarum semel cœptarum procedente usu, & nova in dies atque velocia incrementa sumente, seculo 15. & 16. cœperint nominari, pro præcipuis aliquibus festivitatibus Indulgentiæ plenariæ, etiam in forma jubilæi & certis ecclesiis confraternitatibusque applicari ad promovendum usum Sacramentorum, aliarumque piarum exercitationum; quarum cum tanta invalesceret frequentia, ut nonnullis Pontificibus nimia videretur, instituta excessui moderando quam dixi Congregatio est. Interim ne per hoc quidquam decederet fidelium pietati fovendæ, cœperunt Pontifices copiose benedicere numismata ærea, argentea, aurea, *Medalias* vulgo dicimus, id est, *metalicas*; cruces item, precatoria serta, aliaque similia, quæ qui haberet (habere autem facile possunt omnes) ad omnia & singula fere

Chri-

Christianæ pietatis exercitia, posset lucrari aliquot dierum, annorum Indulgentias; quibus qui diligenter uteretur, opera sua ad eum finem dirigendo, magnum cito consequeretur satisfactionis thesaurum, & ultra id quo cuique opus esset. Ita sentiebat Alexander VII. qui cum Patri Henschenio ac mihi Roma regressuris extremum benediceret, & centenas aliquot ejusmodi benedictiones suo nomine distribuendas committeret, testatus est opinari se, quod pius aliquis Indulgentiarum æstimator, plus lucri aliquando faceret per solos dies 40. quam si lucraretur plenariam; nam ex diebus 40. aliquid posse abundare, purgantibus animabus applicabile, non posse ex Plenaria.

53 Auctores, quos Paternitas Tua a se lectos num. 25. turmatim mihi objicit, etiam ex nostra Societate, in iisque Cardinales Toletus, Ballerminus, Lugo, Pallavicinus, suos singuli libros elucubrarunt ediderunt que, antequam prodiret opus Morini; quod si legere prius potuissent, quin fuerint mutaturi sententiam, vix equidem dubito; quando elapsis jam quadraginta annis ab illa editione, nemo unus prodiit (quod ego quidem sciam) qui Morinum susceperit eo in puncto refutandum. Totum vero librum maximi faciunt Theologiæ Professores, quos facile nosse potes, Lovanienses, intra extraque Facultatem, exceptis forsassis vestris. Parisiis autem, in eo quod Indulgentias spectat. Morinum sequuntur Benedictini in suis Sanctorum Actis, prout patet ex judicio quod tulerunt de fictitia Suibertinæ Canonizationis epistola, citati a me Art. 1. §. 15.

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius Stationarias S. Gregorii Indulgentias, pacifica hactenus traditione receptas, & a Bonifacio VIII. approbatas, explodit tamquam fictitias.

RESPONSIO.

53 Contra evidentem veritatem, apud intellectum bene dispositum, in quæstionibus facti, nulla valet quantumvis longi temporis præscriptio; neque ex post inventis documentis convictam certo falsitatem alicujus narrationis, juvare potest auctoritatis quamvis magnæ attestatio; sed utraque excusatur humanarum mentium imbecillitate, erroribus obnoxia, in iis quæ bona fide accepta per vulgi traditionem, tamdiu prudenter tenentur vera, quamdiu non patet esse manifeste falsa. Lepram Constantini, Baptismo purgatam, merum esse figmentum latis superque demonstravi Parte 1. Hoc mecum qui tenent, (quot autem quantique præter me id teneant, non potest amplius ignorare Paternitas Tua) fictitiam habeant necesse est eam chartam, quæ S. Silvestrum sic loquentem inducit. *Dominus meus Jesus Christus, qui te mundavit a lepra, & purificavit te fonte baptismi, per suam misericordiam mundet & purificet omnes, huc venientes sine peccato mortali, & auctoritate Apostolorum Petri & Pauli, atque nostra, quocumque tempore anni.*

54 Nunc, quoniam eadem Tabula, post præfata & Silvestro male adscripta verba, immediate subjungit, quod *S. Gregorius, qui hanc Ecclesiam* (Lateranensem) *consecravit, post destructionem ejusdem factam per hæreticos, confirmavit Indulgentiam positam per B. Silvestrum Papam.* Quoniam, inquam, hæc ibi leguntur de Gregorio, Pater Rev. si vera esse tueri volebas ratiocinio Historico contra censuram meam, in ipsiusmet Ecclesiæ Lateranensis historia fundatam, debebas paulo ante S. Gregorii Magni Pontificatum invenire hæreticos, quibus ea destructio attribui possit; & in ipsiusmet S. Gregorii Vita, tam prolixe descripta, vel aliunde, monstrare indicium aliquod restaurationis assertæ. Tu vero, nihil de hoc solicitus, dilaberis ad Indulgentias Stationarias Gregorio asserendas, quas inter primo loco ponendas Lateranenses tibi assentior. Sed rursus nihil respondens ad argumenta mea, negativa illa quidem sed omnino prægnantia, recurris ad Auctores, superiori Paragrapho nominatos. Quibus omnibus ne eadem eisdem verbis reponam, exhibeo tibi Morinum lib. 10. cap. 20. num. 9. sic scribentem:

55 *Ex universi nostri sermonis consequentia, non abs re colliget aliquis, initium Indulgentiarum tertii generis, altius multo non esse repetendum, quam a tempore medii seculi 12. vix enim ante illam ætatem occurrunt ejusmodi Indulgentiarum argumenta. Tria posse opponi video. Primum S. Gregorii I. auctoritas, qui, teste Guilielmo Autissiodorensi, lib. 4. Summæ tract. 6. cap. 9.* „ instituit Romæ ejusmodi relaxationes: & si „ aliquis est Romæ per Quadragesimam & se„ quitur processiones, habet de relaxationibus „ plus quam quinquaginta annos. *Secundum sumitur ex Epistola S. Ludgeri, quæ attexitur Vitæ illius Sancti apud Surium ... Tertium ex quodam marmore, quod prostat Romæ in ecclesia S. Martini, & a Card. Baronio refertur ad annum. 847..... Testes boni magnique, dignissimi quibus vel injuratis, nisi vacillaret testimonium, fides adhibeatur.* Ultimum argumentum spectat ad §. sequentem. De Suibertinæ Canonizationis epistola fictitia actum est supra, & iterum forsitan dicetur aliquod, si de initio solemnium Canonizationum iterum mihi litem moveris infra, uti, Rev. Pater, cœperas facere Art. 2. §. 12. Ad primum, desumptum ex facto S. Gregorii, indicato ab Autissiodorensi, sic respondet Morinus:

56 *Refert Guilielmus, velut ex S. Gregorio, quæ exscripsimus; nonnullique post ipsum Scholastici celebres: sed apud S. Gregorium illa numquam occurrunt, nec quid aliud quod aliquatenus hoc confirmet. Mirum esset, morem (qui si est aliquis, debuit esse frequentissimus, propter sui commoditatem & utilitatem) apud Sanctum istum deprehendi, de quo nec eo tempore, nec multis ante & post seculis, ulla memoria, ullum vestigium, ulla umbra. At Guilielmus Autissiodorensis testatur, S. Gregorium ita statuisse; & celebres Scholastici, vel illius auctoritate fulti, vel eodem codice quo usus est, persuasi, idem affirmant. Quis nescit qua critica valerent, in antiquis operibus discernendis & dispungendis, plerique istorum seculorum Auctores? Num aliquando non imposuit ipsis titulus, libro ab impostore positus? Rem notissimam quid opus est pluribus prosequi?* Hactenus Morinus tacite refellens Bellarminum lib. 2. de Indulg. cap. 20. sic scribentem: *Quod aliquid verum sit, etiamsi a multis scriptum non sit, facile credi potest: at fal-*

falsum esse, quod a viris gravissimis ac fide dignissimis affirmatur, non facile dici debet. Non enim hoc dicitur; sed dicitur, viros etiam tales, ea qua isti vixerunt ætate, falso alicujus scripti suppositititi titulo decipi facile potuisse, & hic reipsa deceptos aliquos, *non facile*, sed vehementi argumento probatur, ex natura *Moris*, nequaquam per multa secula tenibilis, quin etiam pridam abolitus, nedum jugiter continuatus, prodat se pro prioribus seculis, quantumvis seræ posteritati.

57 Si is, qui Vitam S. Gregorii scripsit, qualis apud Anastasium extat, eadem diligentia, qua ipse Anastasius collegit gesta coævi sibi Leonis IV. sigillatim enumerando quæcumque ab hoc collata fuerunt in singulas Romanarum ecclesiarum beneficia; ab ejus silentio de Indulgentiis, nihilo levius peteretur argumentum contra Stationarias, de quibus hic agitur, quam petitum est contra Leonianas Indulgentias præsensas §. 1. Sed talem S. Gregorii Vitam nullam habemus, solumque extat ea, quam collegit Joannes Diaconus libris 4. ex Epistolis ipsius circa an. 880. Ex epistolis quoque S. Gregorii, quamvis plurimis, in libros 12. digestis, quod sumi posset argumentum, non esset prorsus efficax; quia respondere posset aliquis, Indulgentias non pertinere ad ea publicorum privatorumque negotiorum genera, de quibus in Gregorianis Epistolis: & ideo illas in Regestum ipsius non fuisse relatas, quemadmodum ne nunc quidem tales ordinarie referuntur in Bullarium, alioqui in molem nimiam augendum.

58 His expensis valeat exceptio contra silentium de Indulgentiis in Vita & Epistolis Gregorianis. Sed quid si præter illas reperiantur Codices Formularum, pro conscribendis in quocumque frequentioris usus argumento Brevibus, ordinatarum seculo 7. 8. 9. 10. plane ac nunc, quando similes omnes gratiæ ex formula dantur, mutatis mutandis fere semper eadem. Numquid ex talium codicum de Indulgentiis silentio, non efficacissime comprobabitur, earumdem nullum fuisse seculis istis usum? Inveniuntur autem in Bibliotheca Vaticana Codices ejusmodi plures, ut mihi scripsit Schelstratius ejus custos; cujus etiam annis ab hinc 40. decessor Holstenius, antiquissimum nobis exhibuit & prælo paratum, sed justis de causis tunc non editum, ex quo sumpsi argumentum Dissertationis 16. in meo Conatu, de Epistolis ante & post novi Pontificis electionem, ab Electorum collegio scribendis.

59 Ipsum ex transumpto Gallicano in lucem productum anno 1680. maximo quidem eruditorum plausu exceptum fuit, sed propter annotationes quasdam [1] Romæ displicuit, ac prohiberi meruit. Hoc tamen non obstante, & sepositis Notis, pergunt eruditi in Gallia uti thesauro tam diu desiderato, & ab Yvone Carnotensi, Anselmo Lucensi, Cardinali Deus-dedit atque Gratiano illis indicato: ususque haud dubie eo multum fuisset Morinus, si ipso scribente & vivente innotuisset. Ego, ut id securé facerem, prælaudatum consului Schelstratium, ecquid liceret interrogavi, & ab eo jussus abstinere ingratis Romæ nominibus Libri atque Commentatoris, cœpi eodem uti sub titulo Formularii, solitque formulis in eo contentis. Sub hac cautela composui Dissertationem 17. in dicto Conatu; ibique notavi, quod juxta ordinem a Commentatore introductum (nam in autographis ordo aut nullus aut varius est) Capitis 7. ejusdemque ultimi Titulus hic sit:

60 *Diversa Privilegia Apostolicæ auctoritatis, concessa Monasteriis, Diaconiis, & Xenodochiis*. Sunt vero formulæ diversæ 22. quarum penultima sic exorditur: *Dum magna nobis cura insistit, pro stabilitate omnium locorum sanctorum cogitare, ut eorum devotissimæ commoditatis proficiat integritas; convenit certe Nos pro ecclesia (Ill.) maximam gerere solicitudinem, ne minus illic luminariorum concinnatio habere videatur*. Ubi nota *Ill.* id est, *illa*, usurpari antiquitus ut nunc usurpatur, littera N. pro nomine quod non exprimitur, quia variari identidem debet, sicut debet cum formula communis alicui in particulari loco vel personæ applicatur. In formula porro sic inchoata confirmantur fundi ad lumina alenda constituti. Quod autem huc spectare etiam posset, & seculo xv. maxime in usu fuit; ut ad sarta tecta, luminaria, supellectilem, manus porrigentibus adjutrices Indulgentias aliquas largiretur Pontifex, quodque maxime ad intentum finem fecisset, si alicui eatenus venisset in mentem; ejus in farragine tanta nulla invenitur formula. Similiter Caput ibidem v. *De præceptis summi Pontificis ad Episcopos suæ ordinationis, de locis sacris atque reliquiis*, horum petitiones, & illius responsa continet, de dedicandis ecclesia, oratorio, altari, baptisterio; vel eisdem, cum post ruinam vel incendium restaurantur, deque recondendis vel transferendis Sanctorum corporibus vel reliquiis. Apparet autem, quod cum formulæ eo spectantes colligerentur, nulli Episcopo vel Abbati, aut alteri talis loci Rectori in mentem venerit, ad promovendum tam pium opus, vel ad augendum concursum fidelium pro tam solenni actione, Indulgentias postulare eas, aut Pontifici concedere; si enim in mentem venisset, fieri vix poterat, ut tali occasione non peterent & impetrarent; si autem hoc fieret, in ipsis formulis id haberetur, habetur autem ejusmodi nihil. Hoc argumentum sic deductum non potuisti non legisse, quando §. sequenti respondere conatus es ad immediate præcedens de silentio Anastasii; cur ergo, ad illud magis mutus quam pisceis, totum dissimulas?

61 De Anastasio, cur ejus auctoritatem, etiam negativam, putem hic valere, non obstantibus ejus quibusdam Chronologicis erroribus mox exponam. Nunc ad Tabulam Lateranensem redeo, in qua notantur Indulgentiæ, pro die Dedicationis concessæ, *Romanis quidem & circum adjacentibus, unius anni; ceteris mare non transeuntibus, duorum annorum, sed his qui maria transmeare noscuntur, septem annorum & septem*

[1] Est hic liber Diurnus Romanorum Pontificum ex antiquissimo Codice Ms. in lucem editus ab Joanne Garnerio S. J. viro pereruditο. Quod propter adnotationes Romanis tum temporis minimo gratas vetitorum librorum catalogo inscriptus sit, non alia de caussa, illud argumento est, quod eumdem librum Lucas Holstenius Romæ, tandem in lucem emiserit ex Vaticano Codice sine ullis animadversionibus; neque in indicem prohibitorum librorum relatus sit.

ptem quadragenarum. Atque hic primum noto mutatos, cauta quidem, sed male fida annorum numeros, quos notabat vetustior scriptura apud Onuphrium Panvinium, qui descripsit quales reperit suo tempore, id est ante annum 1570. quo suum de septem Basilicis opusculum edidit. Notabat enim ævi superioris tabella, ut legitur pag. 508. Indulgentias concessas *Romanis & finitimis annorum* M. *& Transpadanis* MM. *Transalpinis* MMM. *easque omnes confirmarunt & auxerunt* (ut ibidem legebatur) *Alexander IV. anno* 1260. *& Bonifacius VIII. anno* 1300. quod de utroque merito negabitur, attenta seculi 13. parcitate supra demonstrata, & excessu numeri tam enormis, ut hoc curiosiori seculo non tantum incredibilis visus sit, sed etiam futurus scandalo nisi minueretur; prout factum vides, & factum recte ad fructum publicæ ædificationis; sed non recta ad usum historicorum, inde admonendorum, quam nihil antiquæ rei credi possit ejusmodi tabulis, ad arbitrium ædilium, importune sciolorum, auctis & alteratis.

62 Basilicæ istius Historiam diligenter scripsit Julius Cæsar Rasponus ejusdem Basilicæ Canonicus: & cap. 4. recensens *ea, quæ ex antiquis monumentis, inscriptionibus & diplomatibus de dignitate hujus Basilicæ habentur*, non dignatur in iis recensere prædictam tabulam, in qua nihil videbat, quod ætatem SS. Silvestri aut Gregorii saperet. Idem autem cap. 14. agens *de Indulgentiis* ipsius Ecclesiæ, quam parum ipsi Tabulæ fidat ostendit, non nisi sub hac formula eam allegans; *Si quid fidei antiquissimo Codici ac Tabulæ, quam Magnam appellamus*. Antiquissima scilicet appellans, quomodo antiquissimum dicimus, quod centum annorum excedit ætatem, ita ut jam ignoretur, quo tempore scriptum sit, etiam quando ad oculum patet scripturam non excedere annos ducentos aut trecentos: sic libros eos antiquissimos dicimus, quos invenimus impressos primo artis typographicæ seculo, ante annum 1500. aut etiam 1550.

63 Conatur ille quidem nonnulla ejusdem Tabulæ errata per conjecturam excusare, Iconoclastas suggerendo, & substituendo Gregorium secundum loco primi, & cujus tempora a ministris Leonis Isaurici *ecclesias Romanas fuisse pollutas, & abolitas sacras imagines*, ait, acsi id tradat Anastasius. Verum cum nihil tale factum dicat Anastasius, quin imo testetur, quod opponentibus se Romanis, impiosque expellentibus, impeditum sacrilegium sit, fateri oportet, hic memoria lapsum Rasponum factum scripsisse, quod solum legerat fuisse mandatum. Scrupulus, quem hic moves, ne ex errore in ejusmodi factis moveatur dubium circa facta Jansenii, alias depulsus est, & pridem a variis ostensum, non esse meram facti quæstionem, an liber Jansenii contineat quinque hæreses; denique disparitates inter utramque quæstionem plurimæ sunt & patentissimæ, quas ad nauseam iterare non lubet: quia tamen cogis, iterabo aliquas vel invitus.

64 Si quæstio esset, an Jansenius librum composuerit, sicut quæstio est, an Gregorius Magnus Pontifex Indulgentias Stationum contulerit, non diffiteor fore paritatem; utrobique enim agitaretur quæstio puri facti. Verum istud non agitur a Jansenii defensoribus. Concedunt illi librum, cui titulus Augustinus Cornelii Jansenii, a Jansenio compositum esse; sed negant, sensum libri eum esse, quem præ se ferunt quinque damnatæ propositiones; negant, hæreticum aut erroneum esse, contendentes eum nihil continere, nisi sanum & Augustinianum. Estne autem juxta Te, Reverende P. Professor, quæstio facti, quid verba alicujus propositionis, epistolæ, vel libri significent? Estne apud Te quæstio facti, an sensus propositionis alicujus, vel epistolæ, vel libri, sit hæreticus? Quis sit sensus Testamenti, vel Codicilli, vel alterius scripti, esse quæstionem juris, consentiunt omnes Juris periti, si unum forte alterumque recentiorem de novitatibus suspectum, exceperis. Ita testatus est Dominus Nicolaus du Bois, in Jure plusquam 40. annis versatissimus.

65 Et certe quæstionis illius decisio pendet a notitia significationis vocum, institutionis earum, & consuetudinis, juxta quam illæ suscipiuntur. Atqui institutio lex quædam est, & jus fundat: consuetudo item obtinet vim legis. Estne autem, Reverende Pater, quæstio in casu nostro, quem aut qualem sensum faciant verba Gregorii Magni? Plures alias patentissimas disparitates ostendere paratus sum; sed quid his opus, cum Tu ne verbo quidem nitaris probare paritatem? Hoc equidem Te monitum volo, quod parum digna sit Theologiæ Professore emerito, & controversiarum hujus temporis perito, sententia, statuens paritatem inter quæstiones toto cælo dispares. An etiam paritatem hanc statuendo Paternitas Vestra non magis confirmet cavillationes, ab Alexandro VII. solis *iniquitatis filiis* attributas; quam ego, purum factum, cum Janseniana controversia minime connexum, negando; judicet quisquis controversiarum hujusmodi haud prorsus ignarus est: ego ad reliquas tuas de indulgentiis accusationes transeo.

§. IV. ACCUSATIO.

Papebrochius Indulgentias, Basilicæ SS. Silvestri & Martini a Sergio II. concessas, explodit tamquam fictitias.

RESPONSIO.

66 HÆ sunt, quas tertio loco, ex Baronio & aliis, ipsa sibi Morinus objicit l. 10. c. 20. & ego objicio mihi. Responsum vero priusquam cum illo dem, ipsum, quo probari eas putant, titulum, ex marmore istic posito, hic integrum lege. *Temporibus Domini Sergii Junioris Papæ, recondita sunt in hoc sacro altari corpora Sanctorum Silvestri & Martini Pontificum. Item corpora beatissimorum Fabiani, Stephani & Soteris, Martyrum ac Præsulum. Adsunt etiam corpora Asterii & sanctissimæ filiæ ejus; nec non corpora Sanctorum Ciriaci, Papiæ, Mauri, Largi, Smaragdi, & Sociorum: item corpora Sisinnii, Anastasii, & Innocentii Pontificum; una cum sanctis Episcopis Quirino & Leone; pariterque Artemio Sisiano, Pollione, Theodoro, Nicandro, Crescentianoque, Martyribus: cum quibus adhuc reposita fuerunt corpora Beatarum Soteris, Paulinæ, Mentiæ, Julianæ, Quirillæ, Theopistis ac Sophiæ, Virginum & Martyrum; nec non Beatæ Quiriacæ viduæ; Beatæque Justæ, cum aliis multis utriusque sexus, quorum nomina Deo soli sunt cognita; quorum corpora sacro altari, illud ipsis dedicans,*

collo-

collocavit. * *Sunt autem hæc Sanctorum corpora translata de cœmeterio Priscillæ, via Salaria: & dictus Pontifex concessit singulis, ad hanc ecclesiam venientibus, in festivitatibus illorum Sanctorum tres annos & tres quadragenas de vera indulgentia*.

67 De hac, sic relata inscriptione, ita loquitur & respondet Morinus: *Tertium antiquitatis argumentum nihil mihi prorsus videtur concludere. Sergius enim marmor istud sculpi non jussit; nec collocasse dicitur, nec collocationis aut inscriptionis ulla æra adnotatur: itaque ex æquo affirmari potest annis ducentis, trecentis & quadringentis &c. post Sergium II. Pontificem, & illo vivente, marmoream illam tabulam esse erectam. Hinc tantum colligitur, cum hoc factum est, ab eo qui fieri curavit, creditum fuisse, Sergium II. Pontificem ejusmodi indulgentias concessisse. Sæpius autem ecclesia illa ab eo tempore, ut & aliæ Romanæ, reparata & refecta est. Sane qui animo revolverit, quanta cum severitate seculis octavo, nono, decimo & undecimo Pontifices Pœnitentias canonicas coluerint & imposuerint, quarum exempla & decreta plurima toto libro septimo relata sunt; qui apud se perpenderit, quod Pontifices nusquam legantur in probatis auctoribus, aut scriptis propriis tantillum his Indulgentiis simile relaxasse, licet Romam ipsam ad Pœnitentiæ impositionem a criminum reis convenirentur; non puto in animam inducturum, Pontifices illis seculis Indulgentiarum tantam gratiam fecisse. Vix enim tantam pœnitentiarum canonicarum gratiam seculo duodecimo finiente in pari causa fecissent*.

68 Hæc Morinus: & huic ex parte consonans Schelstratius, per Epistolam ad me datam ann. 1683. Postquam enim mihi de forma & ætate characterum isti lapidi insculptorum ea disseruisset, quæ, Tu Pater Rev. ex meipso mihi objicis sequenti §. num. 57. postquam ea, inquam, disseruisset, quibus intendebat probare, non quidem (quod tu velles) sculpturam antiquissimam esse, sed tantum, non adeo recentem, ut hoc vel superiori seculo possit facta videri; subjunxit continuo etiam alia, per quæ *censuit* porro, *fieri posse, ut marmor illud sculptum sit ibique positum, saltem ex eo tempore, quo ecclesia, olim a Græcis Monachis possessa, & anno 1294. tradita RR. PP. Carmelitis, novum cultum recepit, horum studio innovata & restaurata. Pro majori antiquitate ejus quo judicaret, nullo quidem id fundamento facturum* ajebat Schelstratius, *ægre tamen convincendum falsitatis, propterea quod certum sit, ejusmodi characteres* (Latino-Gothicos) *etiam prius in usu fuisse*.

69 Quid esse dicam, Rev. Pater, quod relato ex me priorum Schelstratii verborum sensu, quatenus videbantur in tuam sententiam trahi posse, ob formam characterum a Sergii temporibus non alienam; omisisti cetera; quibus idem censet, potuisse illum lapidem sculptum fuisse & ibi positum, ab annis post Anastasii & Sergii obitum plusquam quadringentis? Addit ille quidem, verbis immediate post sequentibus, eum qui contra contenderet esse vetustiorem, *ægre convincendum falsitatis*; sed judicat *nullo id fundamento facturum*; adeoque etiam te nullum cum fundamento majorem isti lapidi antiquitatem prætendere.

70 Non deerant mihi judicia aliorum, annis plurimis inter antiqua Romanæ vetustatis marmora versatorum, præ Schelstratio, tunc admodum juvene & istic fere novitio, quæ judicia mihi indicaverat P. Petrus Possinus, anno ætatis suæ circiter 70. commorationis Romanæ plus quam 20. existimans cum illis, non posse inscriptionem eam ad vetustatem seculi 9. aspirare. Sed Schelstratio deferens quantum poteram, nolui argumentum petere a minori characterum istorum ætate: quippe cui satis erat, si eorum ætas posset ad seculum 14. referri, quando jam ibi Carmelitæ habitabant; apti sibi persuadere, Sergium II. non fecisse solennem istam tot Sanctorum corporum translationem, absque largitione talis Indulgentiæ, qualem videbant in usu Pontificum sui temporis esse ad ejusmodi actiones. Eos sane jam deprehendimus, procedere solitos mira cum facilitate, ad sua omnia facienda justo antiquiora, etiam Regulam ab Alberto datam, & Pontifici eam confirmaturo offerendam vel oblatam.

71 Ego interim, nullum prorsus dubium de characterum forma & ætate movens, sed recipiens utramque ut volebat Schelstratius, ante omnia notavi, Vitam istius Sergii II. qui ab anno 844. ad 847. sedit, fuisse eadem accuratione & prolixitate descriptam ab Anastasio Bibliothecario ejus coævo, qua idem scripsit Acta immediate sequentis Leonis IV. & ex eo sumptum totum prædicti marmoris argumentum, sed nonnihil cultiori quam qua passim ipse utitur phrasi, usque ad asteriscum *; sic incipiendo: *Igitur .... beatissimus Papa, pia devotione solicitus, pro desiderabili dilectione Sanctorum Silvestri & Martini, ecclesiam, quæ Sanctorum fuerat nomini consecrata ... in meliorem pulchrioremque statum a fundamentis perfecit ..... & ad honorem Omnipotentis Dei, ejusdem beatissimi Martyris Silvestri Præsidis corpus, cum beatissimo Fabiano atque Stephano & Sotere Martyribus ac Pontificibus, simulque Asterio Martyre &c. consecravit*. Eadem in pluribus manuscriptis simili fere tenore leguntur, nisi quod insignes quatuor Codices, initio longe contractiori procedant, in fine autem insuper habeant de eodem Sergio, quod *ibi multa obtulit dona post consecrationem ipsius ecclesiæ*: in quibus si etiam fuissent Indulgentiæ, in lapide notatæ, multo magis fuerunt ab Anastasio describendæ, quam sigillatim nominandi tot Sancti.

72 Hinc, transiens ad spuriæ additionis vitulamen, ostendi ex ipsomet Anastasio, plerosque ibi nominatorum Sanctorum, non *via Salaria*, sed longe inde fuisse sepultos, scilicet partim *via Appia in cœmeterio Callixti*, partim *via Nomentana in cœmeterio ad Nymphas*: Sanctos autem Silvestrum, tresque commilitones sacros, Ciriacum, Largum atque Smaragdum *via* quidem *Salaria* primitus sepultos dici, æque ac *Sancta Silvestri atque Stephani corpora*: sed noto, quod hæc uno fere seculo ante Sergium Paulus I. *ex cœmeteriis suburbanis per Longobardos funditus demolitis, assumpta inde, collocavit in ecclesia, quam noviter in eorum honorem & nomina construxerat*, teste supra laudato Anastasio. Quandonam autem eadem ecclesia cœpta sit etiam dici S. Martini, quia scriptum in nullo libro Pontificali invenitur, conjectare licet, in Chersonensi exilio mortui corpus, propter multa quæ operabatur miracula, vel ibi magno in honore perseverasse, vel Constantino-

tinopoli pro majori veneratione fuisse usque ad Iconomachorum tempora, & tunc demum a fugientibus persecutionem Monachis fuisse allatum Romam, sub Leone Isaurico, vel etiam sub Constantino Copronymo, aut Leone Armeno. Sergium vero ipsius & S. Silvestri corpora denuo extulisse, & collocasse sub altari, postquam iterum dirutam ecclesiam ipse instaurasset.

73 Quid ad hæc tam prægnantia argumenta imposturæ, Anastasiano textui appositæ, respondet Paternitas Tua? Nihil utique: solum, *ut evidenter pateat*, inquis, *quam debile & futile sit argumentum pure negativum, ab Anastasii silentio desumptum, notandum duntaxat, quod Papebrochius ubique fere Anastasium erroris arguit. Quin imo traducit tamquam fabulatorem & antiquarium valde errabundum & temerarium .... unde quoad Interpontificii tempus ab Anastasio notatum judicat esse recedendum, prout ipse pro suo placito recedit, ut Coronationem habeat in Dominica .... Denique dum advertit aliqua ab Anastasio omissa, supplet ipse defectum & excusat.* Ego vero nusquam tam injuriose Anastasium compello, sed laudo quod Pontificum Romanorum Vitas, a variis successive scriptas, prout eas accurate distinguit Ciampinus, pro styli diversitate diversos auctores notans, qui tamen omnes sub uno Anastasii nomine leguntur; laudo, inquam, quod eas Vitas ad sua usque tempora Anastasius continuaverit, supplens quod anterioribus scriptoribus deerat, & proprio marte componens Vitas ultimorum quorumdam, ætati suæ propinquiorum, præsertim coævorum.

74 In quibus sane maxima ei fides debetur, non eadem in aliis; sed semper cum proportione tanto minore, quanto ascendit altius aliunde transcriptum opus, & quanto plurium auctorum Codices (quoad numeros & nomina propria sæpe vitiatos) necesse habuit sequi. Tales autem numerorum ac nominum depravationes, non solum facile est excusare in manuscriptis Anastasio prioribus, sed etiam in ipsiusmet Anastasiani Codicis exemplis, per secula septem tam varie descriptis, ut non nisi ex multorum inter se collatione, elici verosimilior scriptio possit: hæc autem tunc demum ut certior comprobatur, quæ facilius aptatur principiis iis, secundum quæ ordinandam Chronologiam ex Leonis I. regula statui; id est, cum Ordinationem in Dominicam vel prægrediens sabbatum incidere facit.

75 Interpontificia non habebat Catalogus omnium vetustissimus, deductus usque ad conjunctum Liberii atque Felicis Pontificatum. Hos discernere volens aliquis, post duo vel tria secula secundi Catalogi interpolator vel etiam auctor, Felicis vitam seorsim scripsit, & Anastasio describendam tradidit, valde infeliciter. Idem ex suo calculo, sæpius erroneo, definivit interpontificia; & Anastasio tradidit nihilo felicius transcribenda. Denique quoties texitur Catalogus Martyrum, ab aliquo Pontifice translatorum (si prolixior is est, uti est eo de quo agimus loco) humanum videtur aliunde supplere, si quod nomen vel ipsimet Anastasio, vel eorum quos habemus codicum scriptoribus excidit.

76 Ideo sculptorem marmoris præfati nolui accusare, propter nomina *SS. Sisinnii* atque *Justæ*, apud illum inventa, & in hodierno Anastasio deficientia: cum sculptor prædictus exemplar aliud Anastasii habuisse potuerit, ac verosimiliter habuerit, ubi nomina illa legebantur; sicut ex pauculis supplentur nomina, *Sisinii*, *Pollionis*, atque *Theodori*, in plerisque manuscriptis omissa. Non tam facile præsumi debet aut potest, integram istam clausulam, quæ sequitur post *, in nullis omnino Codicibus lectam, marmori tamen adscriptam, fuisse assumptam ex aliquo seculi noni codice, tam multis quæ præsumptionem talem excludant argumentis obstantibus; sed potest, imo debet præsumi, nihil tale scripsisse Anastasium, qui nec semel quidem toto opere, ad sua usque tempora perducto, Indulgentiarum meminit.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius Indulgentias, Basilicæ S. Sebastiani a S. Silvestro concessas, explodit tamquam fictitias.

RESPONSIO.

78 UNde probas, Rev. Pater, Indulgentias Basilicæ S. Sebastiani *a S. Silvestro* concessas umquam fuisse, ut probare dein possis, me illas *explodere tamquam fictitias*? „ In „ Basilica, *inquis*, S. Sebastiani Romæ extra „ muros in lapide inveniuntur sequentes Indul„ gentiæ, his verbis expressæ: *In hoc loco, qui „ dicitur ad Catacumbas, Corpora SS. Apostolo„ rum Petri & Pauli aliquamdiu jacuerunt: „ ob quorum venerationem eadem singulis diebus „ concessa est Indulgentia, quam S. Silvester Pa„ pa in ecclesiis ipsorum Apostolorum est clargi„ tus: eamdemque successores ejus in festis du„ plicibus & in quadragesima duplicarunt.* Ita „ refert Papebrochius in Propyl. Maii, dissert. „ 8. fol. 49. n. 5. ubi lapidem istum, tamquam „ nullius fidei & *manifeste mendacem*, ex meris „ conjecturis repudiat. „ Ita Paternitas Vestra. Sed toto meo n. 5. quem citas, non habeo terminos, *manifeste mendacem*, nec uspiam illos tribuo lapidi, cui me tribuere, criminaris.

79 Sine fundamento autem fingitur, *Indulgentias Basilicæ S. Sebastiani a S. Silvestro concessas esse*; de qua Silvestri concessione altum silet lapis. Supponit quidem, dum asserit, lapis, *S. Silvestrum Papam in ecclesiis ipsorum Apostolorum elargitum* esse Indulgentiam; elargitum vero etiam esse in Basilica S. Sebastiani, nec asserit nec supponit, ut cuilibet, præmissam ipsius lapidis inscriptionem legenti, manifestum est. Unde & Accusatio tua tota, *tamquam fictitia, explodi* potest: neque attinet quidquam amplius ad eam responderi.

80 Verumtamen fingamus etiam, fictionem a dignitate personæ accusantis auctoritatem acquirere: concedamusque tantisper, in lapide legi, Indulgentias Basilicæ S. Sebastiani a S. Silvestro concessas [1] fuisse, ideone illæ vere ab ipso

[1] In quibusdam Fesulanæ diœceseos ecclesiis tabellas vidi, in quibus Indulgentiæ a S. Silvestro, Liberio, atque adeo ab ipso B. Petro eadem forma ac ritu, qui nunc in usu est, prædictis Ecclesiis concesse commemorantur. Quin etiam earum Catalogum in Riccardianæ Bibliothecæ codicibus Mss. Q. II. VII. & S. IV. XXI. legi monuit me eruditissimus P. Hieronymus Lagomarsinus. Quis tamen reapse concessas credat?

ipso concessæ sint? Didicisti ex me, *in lapide* illas inveniri expressas; & ideo probari putas vere concessas esse. Sed cur discere pariter indidem noluisti (quod continuo subnectebam) lapidem istum *positura atque sculptura recentis* esse, *nostramque ætatem non excedentis*. Sculpat nunc aliquis, aut sculpserit initio hujus seculi in simili lapide, Pythagoram Philosophum ex itinere Ægyptiaco Carmelum montem adivisse, ibique monachum Carmelitam induisse, figatque lapidem in summo Carmeli vertice; an propterea Pythagoras vere fuerit Carmelita? aut lapis tam novus, sine alio teste, probet homini sensato factum tam antiquum? Similiter discurre de lapide, in Basilica S. Sebastiani parieti fixo, *positura atque sculpturæ recentis*, *nostramque ætatem non excedentis*, & vide quam auctoritatem per se habeat lapis tam recens, ad probandum S. Silvestri factum, parum celebre, singulare, & mille trecentis ante annis gestum.

81 Anno 1570. nihil adbuc tale in ista ecclesia legebatur, sed solum juxta altare ad Catacumbas hic Titulus antiquus, teste Panvinio de Ecclesiis pag. 97. *Anno incarnationis Dominicæ* MCCXVIII. *dedicatum est hoc altare a Papa Honorio III. assistentibus sibi quam plurimis sanctæ Sedis Apostolicæ Prælatis, in honorem S. Sebastiani Martyris*. An absque Indulgentiis perpetuum duraturis? Ita videtur: id enim magis debuisset posterorum memoriæ per lapidem commendari, quam assistentia multorum Prælatorum, in talibus adhiberi a Pontificibus solita: non ita semper Indulgentiæ. Itaque præsumere licet, nullas tunc revera datas ab Honorio, nullas fuisse institutas. Quisquis autem ex ejus, adeoque etiam S. Silvestri successoribus, Basilicæ S. Sebastiani communicavit illas, quæ creduntur datæ Basilicis ipsorum Apostolorum, & quidem *pro diebus singulis*; quas alii deinde, puta seculo 15. vel 16. *in festis duplicibus & quadragesima duplicarunt*; nec hi nec illi quidquam fecerunt alienum a sua ætate, ac proinde nihil quod explodi mereretur.

82 Quia tamen videbatur Paternitas vestra istam *Duplicium* mentionem vendicare, veluti ipsis antiquioribus & S. Silvestro suppositis Indulgentiis coævam; obiter notavi, primum fuisse Bonifacium VII. apud quem habeatur notitia *festi duplicis*. Hoc vero sic a me notatum, Paternitas vestra explodis, tamquam contrarium ipsi Bonifacio, asserenti se imitari *nonnullos Prædecessorum, qui aliquorum festa Sanctorum sub duplici ordinaverunt Officio celebranda*. Ea verba cum egomet recitem ex ejus Decreto, puto satis patere, quod non intenderim facere Bonifacium illum auctorem distinguendorum festorum Simplicium ac Duplicium vel Semiduplicium; sed primum eorum, in quorum scriptis nunc invenitur ea distinctio; licet ipsa sit antiquior aliquanto, non tamen longe antiquior; utpote ignota jam multis, quos nominabam seculi XI. & XII. scriptoribus, circa Officia ecclesiastica laborantibus. Item cum horum scriptorum collectionem dico impressam *Coloniæ ante annos centum*, fingis hinc me probatum velle, quod lapis controversus, de quo supra, vix ante centum annos sit positus: quo nihil a mea cogitatione longius abfuit & abest: quippe qui judicium de lapidis prædicti ætate, ad oculorum arbitrium, non ad aliquod mentis ratiocinium refero.

83 Allegando Decretum Bonifacianum, mihi ipsi non contradixi. An enim si dicerem, primum fuisse Sixtum IV. qui Enochum Prophetam & Patriarcham, Carmeli incolis Eliæ & Eliseo accenfuit in utroque Mari magno, tam genuino quam alio, deberem redargui contradictionis, quia saltem ex genuino contextu constat, id Sixto suggestum fuisse a Marsignono Generali, & hunc verosimiliter id fecisse ex communi tunc suorum sensu, qui Pontifici prævenerint in sic nominando Enocho?

Opuscul. Collect.

84 Transeo ad Mabillonis Iter Italicum, unde aliquid elicere conaris num. 58. quo videatur altius efferri posse origo Indulgentiarum, eo de quo disputamus modo largiendarum; contra quam ipse Mabillo pridem senserat, refutans Acta Suibertinæ Canonizationis, etiam propter præmature usurpatum ibi Indulgentiarum nomen: itaque ipsum mihi objicis hic num. 58. Ad hanc objectionem prius quam respondeam, noto. Si librum illum, non magnum, totum legisti, non potuisti, saltem non debuisti occultare locum de Veronica, ex eodem a me hic citatum Art. & num. 11. unde movereris retractare aliquid eorum, quæ isto & 1. Articulo scripseras. Sed ea Te cura non tangebat scilicet, qui toties convictus, hactenus inducere animum non potuisti, ut vel unicam in me jactam calumniam retractando, boni viri famam amissam reparares.

85 Habeo interim gratias, quod mihi indicaveris locum, quem necdum annotaveram, eo quod Itinerarium istud, anno 1687. impressum, neque huc allatum nisi post editum totum Majum, hactenus non vacaverat perlegere, licet alias lectu dignissimum. Expendi autem omnino meretur, quod inde mihi objicis ex pag. 69. ubi vir ille curiosissimus, post nominatos rariores aliquos libros, Romæ in Vallicellana visos, interque eos, Ordinem Romanum seculo nono scriptum; „ *Antiquius*, inquit, *Sacramentarium Romanum, in quo hæc verba notanda*. Mense Junio, die XXII. Sanctorum Martyrum mille CCC·LVIII. quorum vigilia cum silentio & jejunio est celebranda, & concessum est pro illo uno die annum dimittere in pœnitentia. *Hoc antiquum concessæ indulgentiæ exemplum*.

86 Recipio locum incunctanter & reverenter: sed ante omnia noto, necdum ibi inveniri nomen *Indulgentiæ*, sed *dimissionis*; ejusque non concessæ a Romano Pontifice ecclesiam aliquam visitantibus, de quali hactenus mihi quæstio. Noto deinde, dimissionem illam peccatorum institutam a Prælato Monasterii cujusdam, ubi prædicta vigilia sic celebrabatur, idque a solis monachis, obligatis ad anni unius pœnitentiam ex ultronea devotione, qualem in quodam S. Dominico laudat Petrus Damiani, etiam centenos pœnitentiæ annos solito in se recipere, & flagellando corpus totum. redimere, de quo infra; vel ex monasterii lege damnatis ad simile unius anni pœnitentiam, ob delicta non semper gravissima. Silentium enim quod in vigilia prærequitur, nemo cum fundamento dixeris ad seculares homines pertinuisse.

87 Istis duobus punctis sic prænotatis, dico, Remissionem istam pertinuisse ad primum modum relaxandæ pœnitentiæ a Morino explicatum lib. 10. cap. 17. & seqq. *quam relaxationis speciem antiqui redemptionem vocabant*, ut ait ille num. 4. & cap. 18. n. 4. allegatur Petrus Damiani,

ni, sic loquens lib. 4. Epist. 8. *Laicis permittitur peccata sua eleemosynis redimere, & eo modo multorum annorum pœnitentias complere.* Idem *sane per flagellationem monachis indulgendum, qui per professionem quidem suam pecuniarum adminiculo carent*. Idem Morinus cap. 16. num. 6. ex Reginone lib. 2. cap. 44. explicat, quomodo & qua proportione seculares redimere peccata debeant, sic inchoando: *Si quis forte non potuerit jejunare, & habuerit unde possit redimere; si dives fuerit, pro septem hebdomadibus det solidos viginti; si non habuerit tantum unde dare possit, det solidos decem; si autem multum pauper fuerit, det solidos tres.... Pro uno mense, quod in pane & aqua pœnitere debet aliquis, Psalmos decantet mille ducentos genu flexo; &, si non genu flexo, mille sexcentos octoginta.... Pro uno die in autumno, hieme, vel verno, centum percussiones vel psalmos quinquaginta; in æstate psalterium unum vel percussiones centum.*

88 Sic Petrus Damiani, in libello de Vita SS. Rudolfi & Dominici cap. 7. & apud Morinum cap. 18. num. 2. *Cum tria scoparum* (id est percussionum scopis inflictarum) *millia unum pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant; decem autem Psalmorum modulatio, ut sæpe probatum est, mille scopas admittat; dum centum quinquaginta Psalmis constare Psalterium non ambigitur, quinque annorum pœnitentia, in unius Psalterii disciplina recte supputantibus invenitur.* Quam autem modus talis redemptionis apud varios varius esset, & aliis quam aliis discretus magis, ibidem lege; simulque intellige, cujusmodi pœnitentialis annus, in illo cui liber a Mabilione laudatus erat scriptus monasterio, remitti potuerit, per jejunium & silentium in dicta Vigilia observatum, idque de gratia speciali *pro illo uno die*. O quam facile est Tibi, Rev. Pater, paucis verbis multa innectere per ignorantiam, quæ eruditiores nequeant apte ad captum cujusque dissolvere per studium prolixum. Sed habenda mihi Tecum patientia, dum ita volunt ii, qui Societatis nostræ operisque putant interesse, ut Tua Exhibitio refutetur tota, aliis Tui similibus ad exemplum; ne post aliquot annos, in studiis Theologiæ vel Juris contritos, se putent idoneos ad quæcumque argumenta solide erudit eque tractanda. Progredior itaque, & prægredientem sequor ad alia.

89 Tam infelix in citando Mabilione, veniam tamen mereris facilem, quod ea ignoraveris, quæ nequaquam poteras facile scire, adeo parum versatus in isto argumento. Sed nescio, quomodo indulgeri tibi possit, quod etiam num. 60. Tomum 1. Conciliorum, Patribus Labbeo & Cossartio Jesuitis adlaborantibus recusorum, non animadverteris, illa columna 1180. quam allegas, non unum quidem esse alterutrius illorum verbum; sed a col. 1009. ad 1070. singulis paginis legi hunc titulum, *Ferdinandi Mendozæ ad Clementem VIII. liber* 1. 11. vel 111. *de confirmando Concilio Illiberitano*. Excusari similiter nequaquam poterit, quod ibi non legeris ipsam S. Cypriani Epistolam: intellexisses autem, si legisses, illam ibi agere de *Pace seu literis Pacificis*, quas futuri Martyres mortique adjudicati dabant, largius & facilius quam Cyprianus volebat, pro lapsis a fide ad idololatriam; quasque Presbyteri nonnulli sic recipiebant, ut *contra ipsorummet* Martyrum *honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam, offerre lapsis pacem, & Eucharistiam, id est sanctum Domini corpus profanare, auderent.*

90 Erat hæc sine dubio aliqua Indulgentiæ species, licet ita non nominaretur, primitivæ Ecclesiæ apud Afros usitata; sed diversissima ab ea, de qua nunc agimus, quamque autonomastice vocamus Indulgentiam: satis tamen erat ad probandum, quod ad hunc locum notat Mendoza, *non recentem (ut calumniantur hæretici) sed antiquissimum esse Indulgentiarum usum; nec ad tempora Gregorii I. ut nonnulli volunt, sed multo altius repetendam earum originem*. Sumendo scilicet nomen *Indulgentiæ* in sua generica notione, pro qualicumque & quomodocumque facta relaxatione pœnitentiæ, ab Ecclesia inflictæ vel infligendæ. Sic autem relaxabatur etiam pœna, aliàs infligenda post mortem ipsorum Martyrum, ut supra ex S. Thoma probatum est: quo sensu vetertimum esse usum Indulgentiarum, & ego dico, & sentiunt Catholici omnes, negantibus id hæreticis, talemque in Ecclesia vel Pontifice potestatem, divinitus concessam, agnoscere recusantibus.

91 Restat tertius ex similis ignorantiæ pera depromptus lapillus, & mutuo sumptus a Bartholomæo Chioccarello, in opere de Episcopis Neapolitanis; sicut eum ego allegavi ad Acta S. Pomponii 14. Maii, tom. 3. pag. 374. Oblitus ibi fui notare, qua pagina illud habeat Chioccarellus (nec enim habet id ad annum 525. sed alibi) ideoque diu frustra requisivi: sed quando nec Tibi quoque cura fuit eum requirere, & accuratius indicare, in hoc mihi credens, in quo me putas accusari posse, utar & ego venia mihi data, ut ipsum excusem sicut habeo in præcitato Tomo, postquam ex Joanne Diacono indicassem, extructam a S. Pomponio ecclesiam S. Mariæ Majoris, idque juxta Ughellum dedicante eam circa annum 525. Joanne I. Romano Pontifice. Sic ergo ibi legitur,

92 „ Hujus rei titulus, vulgari lingua positus, extat in atrio illius ecclesiæ, quemadmodum in Catalogo Episcoporum scribit Bartholomæus Chioccarellus: sed errat, cum *ex vetusto marmore* eum a se proferri putat. Quæ enim antiquitas esse potest lapidis, vulgari lingua ibi exarati; ubi non nisi sero Latina lingua, ne dicam Italica vulgaris, cœpit usurpari? cum antea Græce sacra ibi fierent, & populus Græce loqueretur. Adde quod ibi dicatur Pontifex dedisse *indulgentiam decies mille & sexcentorum dierum, quocumque die aliquis ante ipsum illud marmor Pater & Ave recitaret*. Antiquitatum & originum ecclesiasticarum valde imperitum esse oportet, qui nunc ignoret, ante XII. aut XIII. seculum nihil tale scribi potuisse: proinde meram esse fabulam, qua marmori isti antiquitas tanta tribuitur, ut fuerit ibi seculo VI. positum; cum verba in eo sculpta ætatem centum annorum non præferant, nihil ab hodierna phrasi discrepantia.

93 Quid de ejus marmoris ætate senserit Chioccarellus nihil attinet quærere: ad exiguam illius antiquitatem & veracitatem dijudicandam, omissis quæ plura dicere poteram, unum noto. Jubetur pro obtinenda 10600. dierum Indulgentia, *ante ipsum illud marmor* recitari *Pater & Ave*,

Ave. Jam ergo in usu vulgari erat Salutatio angelica, Dominicæ Orationi jungenda, idque jam inde a seculo 6. secundum vulgi traditionem. Hoc autem quam male fundatum sit, non volo mihi credant Neapolitani, sed Mabilioni, argumentum istud studiosissime perscrutato, in Præfatione ad seculum 5. Benedictinum, editum annis quinque post meum hic accusatum Tomum.

94 Ibi vir iste eruditissimus, notitias quascumque antiquas Salutationis prædictæ investigans, ejusque per partes incrementa expositurus, num. 119. *Prima*, inquit, *pars, quæ Angeli est, a Patribus commendata* (addo & secundam, quæ est Elisabethæ in Vita S. Hildeponsi pariter relatam, velut ex ore S. Eulaliæ ipsi apparentis) *in vulgari apud fideles usu non videtur fuisse ante seculum* XI. *In omnibus enim statutis, quæ cuique, quid sciendum aut docendum sit explicant, sola Oratio Dominica & Symbolum Apostolorum proponuntur* ....

95 *Odo Parisiensis Episcopus, Mauricii ab anno* 1196. *successor, inter primos statutum edidit in suis Constitutionibus communibus num.* 10. Exhortentur, *inquiens*, populum semper Presbyteri, ad dicendam Orationem Dominicam, & Credo in Deum, & Salutationem B. Mariæ. *Idem omnino totidem verbis anno* 1246. *præscribitur a Decanis Ecclesiæ Rotomagensis: & in Institutionibus Cisterciensium, seculo* 13. *collectis, præcipitur*, Ut nullus Conversus habeat librum, nec discat aliquid, nisi tantum Pater noster & Credo in Deum, Miserere, & Ave Maria .... *Eamdem* (salutationem) *hora ignitegii sub concubium ter recitari, Joannes XXII.* (sedere hic cœpit anno 1316.) *Indulgentiis datis, statuit. Admisit hoc decretum Synodus Senonensis anno* 1346.... *postea idem ritus inductus est ad matutinum tempus & medium diem* .... *& hunc morem a Gallia incepisse sub initium seculi* 16. *intelligitur ex Statutis Carthusianorum* .... *An tunc temporis jam addita esset precatio*, Sancta Maria *&c. merito dubitari potest: & quidem seculo* 15. *nondum addita fuerat*. Pluribus hoc auctoribus deinde probat Mabilio, quas apud eum legat qui volet.

96 Annis octo ante editum seculum quintum Benedictinum Mabilionis, & quatuor ante editum Tomum tertium Maji nostri, prodierat Romæ Hierolexicon Dominici Macri, sed serius allatum est Antverpiam, quam ut ex eo possem discere, ad verbum *Salutatio Angelica* pag. 539. quod *Gloriosus Patriarcha S. Dominicus, sive (ut alii existimant) S. Vincentius Ferrerius, salutationem Angelicam in principio prædicationis introduxit*; ... *sub annum* 1423. *ut de hoc refert* FR. MENDEZ SYLVA, adeoque annis 202. post obitum S. Dominici. Hoc ultimo posito, manet quod dixi in Aprili ad Vitam S. Alberti in Append. pagina 779. *salutationis istius usum Ecclesiæ non fuisse ignotum* tempore datæ ab eo Carmelitis Regulæ, id est circa annum 1210. quodque ea, *eodem fere tempore, per S. Dominicum ejusque sequaces inceperat vehementer in Europa celebrari*, inducto pro laicis, psalterium legere nescientibus, usu precatorii serti (*Rosarium* dicunt) decurrendi per totidem Angelicas salutationes interposita quinies ac decies oratione Dominica. Non tamen manet, nec umquam fiet verum, dixisse me, (sicuti mihi imponit P. Bonæspei, parte 2. Armamentarii num. 73.) *quod tempore S. Dominici Salutatio Angelica inceperit vehementer celebrari in Horis*.

97 Ipse quidem hoc sequi putat ex loco accusato, ad quem Appendix illa addi est jussa, post plures ab eo loco impresso menses, idque ex suggestione ultronea & observatione adm. R. D. Auberti vanden Eeden, Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis Canonici Archidiaconi, nec non Episcopalis Vicarii, & Censoris librorum nostrorum, postea etiam Episcopi, & scriptum nostrum denuo approbantis; putat, inquam, P. Bonæspei id sequi, quia priori loco *agitur de Horis*, & ego noto in Regula S. Alberti, non plus de salutatione Angelica præscribi, quam præscribatur in Regula S. Francisci, & non etiam indico Constitutiones S. Dominici, de quibus idem dicere potueram; atque universim de omnibus, ad Horas Canonicas, vel earum loco ad alias preces, obligatis. Sed illatio ista fallax est: quia præscindentium non est mendacium: & ego nec examinaveram, neque necessarium judicaram examinare, prælo currente & moras non ferente, an præter Carmelitas & Franciscanos, mihi notos, alii quoque nihil haberent sibi præscriptum de dicta Salutatione.

98 Interim Patri Bonæspei libenter acceptam refero notitiam decreti, a Patribus Prædicatoribus Capituli Trevirensis anno 1266. editi, quo declaratur; *Quod Fratres Conversi, quoties dicunt Pater noster in Horis, toties Ave Maria dicere teneatur*. Majores tamen eidem debiturus eram gratias, si pariter indicasset, quandonam idem constituerit Ordo suus: sed eadem justo majoris antiquitatis cupido, quæ Regulæ datam alteravit, quo certius crederetur illa Dominicano & Franciscano institutis Prior; fortassis etiam prohibuerit Patrem Bonæspei, ne in hoc quoque, sicut & in cultu S. Josephi alibi commemorato, viderentur alios Mendicantes imitati.

99 Quæres tamen, Pater Rev. si nec ego, nec D. Aubertus, volebamus intellectum, quod ipse S. Dominicus instituerit Angelicam salutationem, pro Horis recitandam, quid tandem illatum voluerimus, ex silentio Regulæ Albertinæ de illa? Respondeo, quod, cum tempore datæ non esset ignotus Ecclesiæ usus ipsius salutationis (sicuti hic patet ex Mabilione, & ego noveram in confuso) non inciderit Eremitis ad fontem sub Brocardo, eam quoque suggerere cum Horis recitandam, aut saltem ad singularem devotionem erga Deiparam verbo uno commendandam; si vere illi tunc dicebantur *speciali titulo*, neque ceteris communi privilegio, *Fratres S. Mariæ de Monte Carmelo*, sicut prætenditis eum vobis datum a temporibus ipsorummet Apostolorum, idque nitimini per verba Officii pro Commemoratione annua Patrocinii, vobis specialiter appromissi & præstiti, confirmare. Id an feceritis ex mente sacræ Congregationis summique Pontificis, optamus distinctius, non a vobis, sed ab ipsis doceri; hic satis est a D. Auberto didicisse, propriam vos præ aliis habuisse causam (si nominis ratio tam antiqua erat) ad signo aliquo expresso in Regula testificandum amorem Marianum, Ordini ab initio adnatum.

§. VI. ACCUSATIO.

Papebrochius antiquas Mediolanensium Indulgentias molitur reddere suspectas.

RESPONSIO.

100 DEdi 29. Maji Acta SS. Sisinnii, Martyrii & Alexandri, descripta a S. Vigilio Episcopo Tridentino, qui eorum a rusticis Paganis occisorum corpora collegerat, & Reliquias cum aliis sibi notis Episcopis, atque imprimis cum S. Ambrosio Mediolanensi communicaverat. Hujus successor Simplicianus, cum easdem in ecclesia, ab ipsomet postea S. Simpliciani dicta, collocasset; perseveravit earumdem ibi honor & cultus; cui augendo feruntur varii Romani Pontifices seculo 12. concessisse diversas Indulgentias, quas ego collectas ex Vita S. Simpliciani, a Placido Puccinello Italice edita ann. 1650. indicavi tomo 7. Maji pag. 49. n. 19. Nunc vero judico easdem hic recudendas, una cum ceteris eidem basilicæ ibidem attributis, ne quid dissimulem eorum, quæ P. Sebastianus in rem suam traxisset, si librum ipsum habuisset.

101 Volo autem omnia verbotenus reddere, ex Italico Latina; libentius tamen ea darem ipsa Pontificum originalia, si ea superessent. Sed non superesse indicat diligentia Puccinelli, a pag. 68. ad 72. exhibentis originalia eam ecclesiam spectantia, nec illa omissuri si habuisset. Præsumere ergo licet, eas Indulgentias (quarum ultima auctorem habet Gregorium XIII. pro anno 1581.) præsumere, inquam, licet eas Indulgentias, ex variis incerti temporis memoriis collectas seculo 16. ab ædilium aliquo, digestasque in Catalogum, quem nobis prædictus Puccinellus tradit; hoc modo.

102 *Urbanus II. anno 1099. concessit 30. annos Indulgentiæ omnibus hanc Basilicam visitaturis, diebus sabbatis & Dominicæ totius anni, & in aliis feriis, varias Indulgentias.*

Eugenius III. concessit diebus omnibus septem annos, & in festivitatibus Mariæ Virginis viginti quinque, atque hoc fecit an. 1147.

Adrianus IV. concessit, in solennitate Assumptionis Mariæ Virginis, S. Simpliciani, nec non in translatione sanctorum trium Martyrum, 50. annos, & infra Octavas 15. & hoc fecit anno 1157.

Alexander III. concessit quotidie 4. annos, & in Dominicis atque omni feria tertia & quinta annos 25. idque fecit an. 1170. Lucius III. confirmavit omnes prædictas Indulgentias an. 1182. & insuper concessit omnibus Sabbatis annos 24. ac ceteris feriis 7.

Cælestinus III. an. 1193. concessit in solennitate trium Martyrum 200. annos, & in eorum Octava 7. in feriis tertiis & quintis 14. atque in aliis feriis quarantenam.

Honorius III. concessit anno 1218. servantibus stationes ad lignum sanctæ Crucis, reclusum supra portam majorem, annos 7. pro singulis vicibus.

Innocentius IV. concessit an. 1250. ad quodlibet altare, diebus omnibus, annos 7. ad altaria vero Deiparæ & S. Simpliciani, 14.

Joannes XXI. concessit anno 1329. omnibus feriis, annos 7. exceptis tertiis & quintis, quando duplicatur annorum numerus.

Gregorius XIII. concessit anno 1581. Indulgentiam plenariam, in festis S. Benedicti, & trium Martyrum præfatorum.

103 *Rodoaldus*, & *Obertus Pirovanus, Archiepiscopi Mediolanenses, qui floruerunt circa annum 1140. concesserunt; unus 14. dies in omnibus feriis unus, & in solennitate trium Martyrum 30. dies, & in eorum Octava dies 15. alius vero 50. dies omnibus feriis; & similiter 39. dies concesserat eorum antecessor Jordanus Capitani, magnæ Mathildæ intimus. Otto vero Episcopus, volens illis sedere, etiam concessit aliquas Indulgentias. Bernardinus quoque Legatus a Latere Alexandri VI. ab hoc Cardinalis creatus annos 1495. Mediolano transiens, ex devotione accessit ad prædictorum trium Martyrum Basilicam, relinquens ibi Indulgentiam 7. annorum & septem quarantenarum, in festivitate ipsorum, & Nativitate B. Virginis Mariæ.*

104 De hisce postremis, per Archiepiscopos & Legatum concessis, nihil puto dubitandum: consonant enim decreto Innocentii II. quod allegavi §. 2. taxantis *indiscretas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati dare non verentur* (unde videtur colligi Ordinariorum discretioni eo tempore relictam Indulgentiarum largiendarum potestatem) simulque indicantis, quod *Romanus Pontifex, qui plenitudinem habet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare,* ut scilicet, *cum dedicatur basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum ... deinde in anniversario Dedicationis, quadraginta dies indulta remissio non excedat: quæ in quibuslibet causis, aliquoties concedendis præcipimus,* inquit Pontifex, *moderari.* Meritu igitur locum a Te accusatum, Pater Rev. concludo his verbis: *Quæ tamen ipsæ Indulgentiæ an seculo 12. fuerint, cum tam amplo annorum numero, concessæ, an vero postea a transcribentibus is sit auctus, majori simplicitate quam fide, haud satis mihi constat, consideranti tantam alibi, in gravioribus etiam causis, Apostolicæ tunc Sedis parcitatem, quantam in Conatu Chronologico proposuimus Dissert. 27. num. 8. &* Dissert. *20. num. 9.*

105 Hic Tua quidem Paternitas dicit, *plane insolenter impugnari Indulgentiarum antiquitatem, & Apostolicæ Sedis eas concedentis liberalitatem.* Sed gratis & sine fundamento impugnationem appellas, demonstrationem manifestæ veritatis, quæ vetustissimam in Ecclesia & Pontifice relaxandarum pœnitentiarum potestatem, nec unico quidem anno, facit ipso Christianismo recentiorem: neque hodiernam liberalitatem culpat, tam aptam præsenti utilitati fidelium, quam fuisset contraria disciplinæ priorum seculorum.

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

106 Quod autem præmissum hic Catalogum Indulgentiarum attinet; primas, Urbano II. adscriptas, tamdiu credam esse fictitias, licet nec annos nec dies definiant, quamdiu nullum aliud proferetur talis largitatis, alicui cis mare loco pio factæ, exemplum, cum scilicet Pontifex ille, totus intentus animandis tali spe Indulgentiarum fidelibus, ad transfretandum & contra infideles arma, pecunias, aliaque subsidia conferendum, præsumi non debeat tam

pio

pio ſanctoque & arduo operi ſubtrahere voluiſſe media illuc conferenda, concedendo Indulgentias eaſdem aut ſimiles, quantumcumque parvas, pro unius domeſticæ eccleſiæ viſitatione, ab unoquoque citra difficultatem obeunda. De aliis quinque Pontificibus, ab anno 1147. uſque ad 1215. Eccleſiam gubernantibus, & de Innocentio quarto, decretum Tertii poſt annos 35. ſecuto, vanum etiam ſit dubitare, an illorum prætenſa liberalitas conſiſtere poſſit, cum eo moderamine, quo Romanum Pontificem uti ſolitum idem Innocentius III. aſſerit. Itaque has quoque fictitias eſſe dico, vel earum collectores pro diebus annos ſubſtituiſſe, quod ſane tam facile fieri potuit, quam in Tabula Baſilicæ Lateranenſis exceſſivus numerus annorum, ſemel, bis, ter, quater mille, qui Panvinii tempore adhuc legebatur, mutari hoc ſeculo potuit, in annos duos, tres, vel quatuor.

207 Nec debent injuriam ſuam vel ignominiam reputare Mediolanenſes, quod, ante hos ultimos centum annos, aliquis apud eos hoc in genere fingere potuerit quidpiam; quandoquidem ubique locorum ac temporum fuerint etiam Romæ tales: quorum figmenta detegi & confutari non minus pertinet ad Eccleſiæ Catholicæ puritatem, quam alios quoſcumque abuſus cognoſci & emendandos ſuggeri. Interim, licet inveterati erroris diuturnitas non præſcribat veritati, dici tamen fortaſſis poteſt, quod conniventia & tolerantia Præſulum, in talium Indulgentiarum veritatem non inquirentium, vim habeat tacitæ approbationis (donec contrarium ſtatuatur) quæ faciat eas quoad effectum a fidelibus intentum validas; cum ſæpe contingat, ipſos qui eas poſſent & vellent confirmando validare, ſi de veritate primæ conceſſionis dubitarent, ad eaſdem ſtatis feſtivitatibus lucrandas perſonaliter accedere, ſicut magna cum ædificatione omnium, Romanas Baſilicas crebro viſitat ipſe Pontifex.

ARTICULUS XV.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibentur ea, quæ Papebrochius inter Acta Sanctorum habet contra Hiſtorias ſacras.

RESPONSIO.

Quis non crederet, lecto Articulo XI. de iis quæ arguebar habere *contra Sanctorum Acta*, per Paragraphos omnino triginta novem, defunctum me certamine iſto; neque iterum vel eadem, vel ſimilia retractanda? Nam quid porro ſacrarum Hiſtoriarum nomine poſſet venire, præter *ſacras Scripturas*, de quibus reſpondi Artic. VI. item *Miſſalia, Breviaria, Martyrologia, Kalendaria*, aliaque ſimilia? Etenim ad hæc ſigillatim pertrahendum me Articulo XVII. XVIII. XXI. & XXII. aliiſque, pollicetur *Synopſis omnium Articulorum & Paragraphorum*, Exhibitioni tuæ eo fine præfixa, *ut Sanctitati ſuæ primo intuitu ad oculum conſtare poſſit, in quibus & quantum a Judicio Sedis Apoſtolicæ & totius Eccleſiæ ſenſu, cum hæreticis aliiſque ſuſpectis, & Sedi Apoſtolicæ male affectis auctoribus, recedat Daniel Papebrochius*. Sed hoc quam fruſtra conata ſit Tua Paternitas, ut patuit in prioribus, ſic etiam patebit, ſpero, in hiſce poſterioribus.

2 Nunc hujus Articuli Paragraphos 32. percurrens, nullo ordine digeſtos, ſed tumultuarie projectos in medium, abſque ulla ad aliàs dicta aut impoſterum dicenda attentione; non video quomodo tibi poſſim reſpondere ad ſingula, niſi ipſemet facere velim chaos materiarum & quæſtionem inordinatarum. Excuſatum igitur velim me habeat Lector, quod aliàs ad prægreſſa vel ſubſequentia identidem remittendus, ſui meique temporis compendium quæſitum inveniet. Accedit quod plurium Paragraphorum argumentum colliment in unam Antiquitatem Carmelitanam, quam numquam ego intendi directe impugnare; ſed excuſſis dumtaxat figmentis, quibus ea gravatur magis quam juvatur, ipſis RR. Patribus dimittere traditionem ſuam, ea conditione, ut mihi liceat initia Sanctorum Carmelitarum, in opere noſtro adſcribendorum Ordini ipſorum, ſumere a ſeculo 12. quo certi indubitatique majores eorum cœperunt in Carmelo florere; de prioribus vero in Oriente Monachis ſanctis id ſolum dicere, quod habent eorum Acta, abſque ulla Eliæ vel Carmeli mentione, quæ in Actis eorum paulo antiquioribus invenitur omnino nulla.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius hiſtoriam Carmelitarum, de illorum ab Elia Propheta ſucceſſione a Sede Apoſtolica multoties approbatam & confirmatam, cum hæreticis, undequaque invadit & explodit.

RESPONSIO.

3 Neceſſarium non fuit, ſucceſſionem illam a Sede Apoſtolica *multoties* approbari, ut vera ſit: declaret modo vel ſemel Sedes iſta veridica, hiſtorice verum tenendumque eſſe, Patres Carmelitas, qui a quadringentis & ſexaginta circiter annis in Europa noti ſunt, ab Elia Propheta, priuſquam hominum conſpectui eriperetur, inſtitutos fuiſſe, ab eoque annis ante Chriſtum facile nongentis, perpetua ſucceſſione ad hæc uſque tempora deſcendere, quemadmodum Patres Dominicani & Franciſcani inſtituti fuerunt a Sancto Dominico & Franciſco, ab eiſque deſcendunt huc uſque perpetua atque demonſtrabili ſucceſſione (id enim ſincere fateor, cupere me quidem, verum eſſe; ſed capere non poſſe in ſilentio totius antiquitatis probatæ): Declaret, inquam, modo vel ſemel Apoſtolica Sedes, id hiſtorice verum tenendumque eſſe; ſancte polliceor, me primum fore, qui ambabus ulnis amplectar atque deoſculer Declarationem ejuſmodi. Id igitur curate fieri, ſi veritatem amatis; id rogate ſummum Eccleſiæ Moderatorem, ut Religioſos decet; eſſent tantiſ-

per querelæ accusantium, & simul accusato silentium imponi postulantium contra leges naturæ; condatur vagina sua gladius Eliæ, qui tantum in Lege veteri laudabiliter sæviit, ut ne, qui Sanctis æternum jungendus est in cælis, persequatur nunc Sanctos eorumque Acta in terris.

4 Jam vero, an & quatenus prætensa successio vestra probetur & confirmetur a Sede Apostolica, satis explicui in Appendice ad Art. 2. neque tua Paternitas hoc loco suscipit eam operosius probandam, vel novis rationibus confirmandam: solum summatim remittis me ad Pontificum bullas, historias, officia ecclesiastica, martyrologia & kalendaria, visiones & revelationes, atque ad auctores ævi recentioris, etiam Jesuitas, de quibus hic respondere, ultra quam factum est aut fiet alibi, nihil opus est. Ibidem etiam egi de hæreticis, quibuscum me dicis pugnare contra successionem illam. Restat ergo solum expendere loca, quæ præ aliis accusas invasionis & explosionis injuriosæ.

5 Primus desumitur ex tom. 1. Aprilis pag. 789. ubi cum ostendissem, quantis tenebris involuta sit Historia Eremitarum adunatorum, Latinorum & Orthodoxorum, in Carmelo, indeque in Europam traductorum, atque ad hanc quam gratulamur amplitudinem provectorum, sic loquor num. 84. *Hic, hic, inquam, non in veteri testamento usque ad Eliam, non in novo usque ad Christum .... sed hic in seculo Christi duodecimo, adeo nobis propinquo, tot scriptorum monumentis illustrato, hic Rhodus est, hic saltus, qui exigitur*; ut scilicet doceatur, qui, unde, quales, quando, quomodo fuerint, vixerint, obierint Albertus, Brocardus, Cyrillus, & Bertholdus (ut vultis) secundus, itaque rectificetur historia Ordinis, vel primum nascentis, vel (quod audire mavultis) renascentis: quam historiam, multis Thomæ Saraceni aliorumque præsertim vestrorum scriptis incertissimis, nullaque probata vetustate nixis, obscuratam, conatus sum restituere verisimilitudini alicui, etiam per conjecturas non infundatas, quando aliter non licebat.

6 Quod autem Saracenus ejusque adjutores aut sequaces *ex traditiunculis male consutis, levissimeque fundatis conjecturis* (qui quartus locus mihi objicitur) *commenti sint historias*, tum aliorum quorumdam alias certorum Sanctorum Ordinis, tum ipsius imprimis Legislatoris Alberti, *anachronismis & contradictionibus refertas*; quodque *eas qui nesciunt de falsitate habere suspectas, labyrintho inexplicabili se implicant*, ut dixi pag. 770. num. 9. adeo clare patet ex toto meo de S. Alberto Commentario, ut ulteriori probatione non egeat. Legatur tamen si lubet iterum Art. ix. §. 4. & Art. xi. §. 24. Quare de ejusdem Sancti morte dicturus, quam varia ac vana narrentur a Saraceno; cum invenirem ex iis qui Vercellense certissimum monumentum ignorabant, solum Alegretum aliquid de cæde intra ecclesiam patrata inaudisse, sed credidisse id factum Hierosolymis, unde pridem Latini exulabant; haud immerito dicere potui num. 30. ibidem, quod *Carmelitas sua in antiquis rebus commemorandis infelicitas, hic quoque impedivit, ne verum dicere possent absque falsi admixtione, & deinde ab eodem omnino deficerent*. Addere poteram, quod Lezana, lecta apud Ferrarium incontestabili Vita Alberti, eaque in suos Annales transcripta, frustra conatus sit, in narranda Sancti morte, ad rectum tramitem revocare suos: quippe qui in eo puncto noluerint a Saraceno recedere, quando nuper composuerunt lectiones, Breviario Ordinis inserendas, quas & approbari obtinuerunt.

7 Est ille, a Paternitate tua accusatus numero ibidem 9. locus quintus: cui subjungo locum apud te tertium num. tuo 17. ex Tomo 2. Maji mei pag. 815. litt. k. ubi, non ego, sed eruditissimus Cangius in sua ad me Epistola, dicit & miratur, *bonos illos Patres, adeo cervicose stare pro prætensa Ordinis antiquitate & tuendis auctoribus pure imaginariis atque ad placitum fabricatis*; scilicet libris & scriptis Joannis & Enoch Hierosolymitanorum, Josephi Antiocheni aliorumque similium, §. 1. examinatis. Claudat autem banc satyrarum mearum (ut eas Paternitati Tuæ appellare placet) exhibitionem, locus meus apud te num. 17. præteritus secundus, ex ea qua totum de Alberto Commentarium definio conclusione n. 142. *Habes, Lector, Historiam Ordinis, non e concavo lunæ lapsi, aut fungi instar una arte natle*. (Huc usque verba sunt vestri Patris Bonæspei in sua ad Armamentarii partem 1. Dedicatoria; quasi hoc intendant quotquot eo libro refutandos sumit Æmulos sive Amicos diffidentes) *sed Christianæ æræ secula* 52. *ex Eliæ Prophetæ revelatione, in Carmelo monte, aspirante Aymerici Antiocheni favore concepti, seculo autem* 13. *sub Alberto Hierosolymitano plane formati*. Gravius aliquid si dixissem, non omisisset Paternitas Tua, huc congerere. Ego vero illa, tali modo ac sensu scripta, etiam nuda, uti a te excerpta sunt, libenter subjicio cujuscumque lectoris arbitrio: quod si eidem etiam libeat integrum legere ipsorum, unde sumpta sunt, Commentariorum textum, nihil dubito quin omnia verissime esse dicta, judicaturus sit.

8 Conjecturis interim meris nititur quidquid ante seculum xii. dicitis de majoribus vestris usque ad Eliam; & prætensæ traditiones (sic enim libens appellabo, si durum vobis sit audire vocem *traditiuncula*) altius initium habere non possunt: cum sint traditiones Carmelitarum Latinorum, nullum cum schismaticis Græcis commercium habentium, qui etiam ipsi si prætendissent ab illis se habere aliquid de institutione sua Eliana, deque non interrupta tot seculorum successione, non reciperentur: quia rei tam antiquæ testimonia non possent sic fuisse servata, quin in Monachorum & Episcoporum Palæstinorum vitis scriptisque adeo multis, quot hactenus per primum sacri anni semestre illustravimus, aliqua illius mentio subinde reperiretur; uti & monachorum tunc cum ista scribebantur in Carmelo viventium jam inde a temporibus Prophetæ Eliæ, sicut prætenditur.

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra Summorum Pontificum Bullas, asserit Carmelitas ab Elia Propheta nihil aliud participare, præter solitudinis locum ab Elia inhabitatum.

RESPONSIO.

9 ALias plerumque accuratus, ad indicandum numerum Tomi, paginæ, capitis vel

vel Paragraphi, unde Accusationes Tuas desumis, licet non æque fidelis, ut semper exhibeas sensum integrum; cur hic deficis? An quia in omnibus meis circa res vestras Commentariis id passim est obvium? Tanto ergo facilius assignabilis tibi erat ex pluribus locis saltem unus, ubi Thesis illa legeretur. Ego sic alicubi me locutum non memini; imo existimo plus vice simplici agnovisse, ab Elia æque ac Joanne Baptista accepisse Carmelitas exemplum vitæ, in solitudine ducendæ; utique cum iis virtutibus & exercitiis piis, quibus convenit incumbere eum, qui talem vitam amplexus fuerit. Ab ejusmodi etiam exemplo factum dico, ut Elias vocari possit *Auctor*, *Institutor*, *Fundator Monachorum*, novi saltem Testamenti, æque ac Joannes Baptista, licet nec hic, nec ille sciantur fuisse votis religiosis adstricti; quemadmodum S. Paulus primus Eremita in Breviario vocatur *Eremitarum Auctor & Magister*, licet discipulos habuerit nullos, nulla vota nuncuparit, nullos a se institutos reliquerit. Similiter & S. Joannes de Deo, Fundator est Fratrum ministrantium infirmis, Ordinis nunc insigniter religiosi; ipso autem vivente & aliquamdiu post, nulla vota religiosa professi.

10 Quia tamen ipso accusationis initio allegas *Tomum* 1. *Aprilis*, *ad Vitam S. Alberti n.* 49. videamus, an ibi saltem aliquid inveneris, unde istud colligi posse merito putaveris. Lineas Patern. Tua duas excerpsit: ego integrum hic locum dabo; sic habet: *Ipsis porro quos dixi Carmelitis* (scilicet *Brocardo & ceteris Eremitis*, *qui sub ejus obedientia juxta fontem Eliæ morabantur*, sicut habet titulus Regulæ) *locum ab Elia habitatum tenentibus*; *quos solos Carmelitarum nomine*, *licet tunc necdum usurpato*, *intelligimus*: (Ergo non Syro-Græcos, ibidem fortassis antea commoratos, quorum in isto Commentario nullam volui rationem haberi) *illis*, inquam, *quos dixi* .... *Regulam sic dictavit Albertus*, *ut si vel sua sponte migrantes*, *vel aliena violentia expulsi*, *alium sibi locum habitandum proponerent*, *nihilominus quam in Carmelo usui esse posset*.

11 Poteramne clarius exprimere, quo de Ordine agerem? & quales Carmelitas intelligerem? Cur ergo solum exprimis verba immediate sequentia: *Nec plura de statu dicti Ordinis* (quam scilicet non in verbis immediate prægressis, sed toto illo capite 6. ostenderam qualis tunc fuerit,) *usque ad Regulæ descriptionem*, *vel ex hujus verbis vel ex idoneæ auctoritatis testimoniis*, *scire possumus*. Neque hic sisto: sed excipiens contra eos, quos præcipue mihi soletis opponere, ita prosequor: *Quæcumque ab his diversa aut illustriora narrantur a Lezana & aliis*, *sumpta sunt omnia ex auctoribus*, *vacillantes narratiunculas secutis*, (puta ex Palæonydoro, Saraceno &c.) *vel ex duobus pseudepigraphis scriptis* (adde, si vis, etiam tertium Josephi Antiocheni) *primo titulum Joannis XLIV. secundo Cyrilli Prioris III. nomen falso præferentibus*.

12 Tu quidem, Rev. Pater, in titulo mihi opponis summorum Pontificum Bullas, quasi plus aliquid quam locum, aut etiam (ut ego addo) exemplum eremiticæ conversationis vobis adscribentes, scilicet *hereditariam successionem*. Sed hanc iidem etiam ad Enochum extendunt: successio vero in locum & vitam eremiticam in genere, non obstante quocumque intervallo temporis, potest eodem jure vocari hereditaria successio, quo Carmelus ipse, vocari potest, *hereditas illius*, sui quondam incolæ ac semper patroni, qui etiam ipsum per revelationem immediate tradidit illi monacho Sacerdoti; de quo Joannes Phocas. Nec solum illi nominantur tanto vos tempore prægressi, & hoc respectu non nisi remoti decessores: sed alii sancti Patres Brocardus, Cyrillus, &c. quibus successistis absque ulla temporis intercapedine continuo ordine generationis spiritualis, quoad per Turcas licuit, ac deinde eremiticam vivendi normam, ut fuerat illis regulata, traduxistis in Europam. Nihil ergo debui eo loco dicere amplius, quam vel ibi vel alibi antea dixi. Interim vide Append. ad Artic. 2. ubi de successione a Pontificibus asserta mentem meam ipsamque veritatem ideo tam clare expressi, quia dubitabam, an otium vel voluntatem habiturus essem, ultra primos aliquot Articulos tuos progrediendi; cum pauci illi viderentur posse sufficere ad persuadendum, totam reliquam Exhibitionem tuam ejusdem fidei & valoris esse.

13 Cetera quæ hic congeris, non magis ad accusationem roborandam faciunt, quam vester Zegerus Pauli in Vita S. Telesphori, nominibus Patrum Bollandi & Henlebenii larvatus, ad fallendos eos, qui ignorant verum auctorem, & quomodo inducta ea Vita sit in Acta Sanctorum Januarii, quod fuse expositum videre licet Art. xi. §. 28. Quia tamen *idoneæ auctoritatis*, id est antiquitatis testem requirenti, allegas Eusebium, licet a Te rejectum, ut hæreticum & fidei nullius in baptismo Constantini, quem suis oculis vidisse potuit: age, quid ex eo in rem suam adducat Paternitas Tua, audiamus. Libro 2. Historiæ, inquis, cap. 3. dicit: *Apud Antiochiam florentissima congregatur Ecclesia*, *in qua erant etiam Prophetici Ordinis quamplurimi*; & nomen Ordinis accipi pro cœtu Religiosorum, diversa ab aliis regula viventium.

14 Sed pace tua dixerim, Pater Rev. aut non valens, aut non curans consulere textum Græcum, imo nec ejus saltem interpretes, Christophorsonum vel Valesium, erras in utroque. Græcus textus sic habet: Ἀνθούσης ἄρτι καὶ πληθυνούσης τῆς κατὰ Ἀντιόχειαν ἐκκλησίας . . . Ἄγαβος δὲ τῶν συνόντων αὐτοῖς προφητῶν περὶ τοῦ μέλλειν ἔσεσθαι λιμὸν θεσπίζει. *Cumque floreret & multiplicaretur apud Antiochiam Ecclesia* ..... *Agabus*, *unus ex iis qui cum ipsis* (Paulo & Barnaba) *erant Prophetis*, *de futura fame est vaticinatus*. Atqui hoc loco non intelligitur alius Propheta, quam qui ex speciali Spiritus sancti dono futura prædicit, secundum id quod Paulus dicit ad Ephes. iv. 11. *Dedit quosdam Apostolos*, *alios Prophetas*, *alios autem Pastores & Doctores*. Quamvis autem etiam voce Τάξις, id est *Ordo*, nomine a militia vel palatio aut curia sumpto, Eusebius uteretur; necdum tamen obtineres intentum, Pater Rev. Non enim quidquam causæ esset, ut crederetur istic significare magis *Ordinem*, ut nunc sumimus, Religiosum (quod alibi scitur fecisse nusquam) quam si nominaret *Ordinem Apostolorum*, *Ordinem Pastorum*, *Ordinem Martyrum*, *Ordinem Confessorum*.

15

15 Hoc etiam sensu, & non alio, censendus est Rufinus (quem similiter adducis, sed locum male iadicas, lib. 11. cap. 5.) S. Spiridionem fuisse *ex ordine Prophetarum*; quem Art. 10. n. 48. docui, nec Monachum quidem fuisse, sed ante Episcopatum, agricolam uxoratum, qui conjugem & filiam apud se habuit, quamdiu vixerunt; nec postea legitur aliter vixisse quam Episcopus, in medio populi sui. Quid quod nec apud Latinos quemquam facile invenies, voce *Ordinis* usum, quatenus ea nunc aptatur communitati Monasticæ, ante seculum 12.

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius ex quodam Joanne Phoca, scriptore hactenus incognito, temere asserit, Carmelitarum Ordinem seculo dumtaxat XII. *fuisse inchoatum, contra summorum Pontificum Bullas & celeberrimos etiam Societatis scriptores.*

RESPONSIO.

16 QUis Joannis Phocæ Itinerarium, Græce repertum in insula Chio, Romam attulerit, Latine reddiderit, Latino-Græce imprimendum miserit in Hollandiam, & quare illuc potius quam Parisios vel Coloniam; quis impressionis curam egerit; quam nemo hactenus ei contradixerit præter Carmelitas, nihil ei prorsus opponere habentes quam, quod esset excusum in Hollandia; dixi Art. 2. n. 186. & 194. ac rursum Art. 3. n. 124. & 134. ubi etiam docui, quam frivolis, imo nullis de causis eum nitatur P. Sebastianus, auctorem sibi ingratum, comparare cum Joanne quodam Boulesio, de Societatis initiis manifesta mendacia commento.

17 Quod pulcherrimum illud Joannis Phocæ, incognitum hactenus opusculum ætate nostra primum prodierit, infelicitas seculi superioris, nostri vero felicitas fuit: nec quidquam vel auctori vel libro detrahit, nisi forte eadem ratione negare velint Carmelitæ fidem Philippo Mazerio Cypri Cancellario, & Joanni Carmessono Ministro Provinciali Terræ-sanctæ, a quibus olim scripta fuit S. Petri Thomasii Carmelitæ Vita, sed hoc seculo ad medium vergente primum a nobis eruta e tenebris, atque impressa: quæ si prius prodiisset in lucem; non tam libere sua figmenta de eo protrusisset Saracenus: neque ex ejus fide coleretur ut Martyr, Alexandrino in foro telis confixus, quem Ordo suus antea coluerat ut Confessorem; quemque citati Scriptores, nullo vulnere læsum, imo solum ad solatium classis Christianæ, in ea valentem ac sanum reducunt in Cyprum. Similiter dixerim quod celeberrimi illi scriptores Societatis, quos allegas, Reverende Pater, & Cardinales quibus cognoscendas obtulistis vestras lectiones pro Commemoratione S. Mariæ de Monte Carmelo, maluissent, suasissentque a revelatione, tam certo scriptore tamque verosimiliter allata, inchoare Ordinis Carmelitici Historiam, quam a tot seculis, quibus Carmelitarum nomen semper fuit mansitque ignotum.

18 Quid autem ex Joanne Phocæ didici & asserui ego? quid eruditi Galli cum plausu & approbatione exceperunt, quid speravi etiam Carmelitis persuaderi posse? Aliud prorsus nihil, quam quis, unde, qua occasione, quo tempore in Carmelum ascenderit; quid ibi invenerit atque egerit; quot Socios collegerit; ex quo deinde fieri conjecturam jussi, non magno eorum numero, qui post annos a tali principio non multos, sub Brocardi obedientia viventes, Regulam ab Alberto acceperunt ineunte seculo 13. Nullum ibi ante plura secula fuisse monasterium, cujus rudera adhuc superfuerint aliqua seculo 12. adeo non nego ex Joanne Phocæ, ut cum eodem potius affirmem; negem tamen de illo tam certo potuisse constare Joanni, quam de numero inventorum istic Eremitarum, deque ejus qualitatibus cui tunc suberant. Attento autem quod ab ætate S. Hieronymi, usque ad seculum 12. nullum uspiam exiet vestigium commorantium in monte Carmelo Monachorum, credidi, scrupulum haud levem moveri posse super illis ruderibus, fuerintne revera monasterii alicujus, an alterius habitationis, quæ ibi extiterit tempore Vespasiani; nihil interim definiendo.

19 Etenim de ejus incolis, qui fuerint seculo 4. vel 5. nihil cum fundamento definite poteram dicere; nisi hoc solum, quod omnino gratis & ex auctoribus antiquitatis non satis idoneæ asserant Carmelitæ, se perpetuam & numquam interruptam ab Elia successionem, istic vel alibi, tenuisse. Dixi etiam, & adhuc dico, præsumi æque gratis, nec sine injuria regulatorum ab Alberto Eremitarum eorumque primi Prioris, quod eremitice vivendi formam ac regulam acceperint a Syro-græcis, & horum qualemcumque Ordinem prius fuerint professi, quam irent in Carmelum: quod tamen præsumi deberet, ut ascendatur ad Eliam per Syro-græcos, atque per omnes conjecturas vestras, quibus successio talis deberet concatenari. Hæ meæ consequentiæ sunt, quas ex Joannis Phocæ silentio, potius quam ex ejus positivo testimonio, duco: an autem verosimiles & rationabiles sint, judicet æquus lector.

20 Rationabiliores certe mihi videntur, quam suspicio tua, qua abducere lectorem conaris a fide Joanni isti habenda n. 56. sic arguens: *Si liber, in quo relatio ista habetur, non fuisset in variis fabulosus, apocryphus, & forte Catholicis perniciosus, impressor hæreticus non mutasset nomen Typographi Coloniensis Catholici.* Si omnia plane editionis primæ, a Nihusio curatæ, exemplaria interiissent; si nullum eorum Patres vestri, ac forte ipsamet Paternitas Tua, mutuo a me petitum acceptumque, undequaque versassent; si ego ipse Latinam Leonis Allatii versionem recudi non fecissem ante secundum Tomum Maji, contra librum non amplius jam extantem ejusque auctorem præsumi aliquid posset. Nunc vero quæ istic fingi animo possunt fabulosa, apocrypha, Catholicis noxia, quæ Typographus hæreticus notaverit, ob eaque Coloniensis Typographi nomen loco sui ipsius adhibuerit; non notaverit autem eadem interpres Allatius, vel Bartoldus Nihusius impressionis curator, ac ne vos quidem ipsi, nodum in scirpo tam studiose quærentes? Auderesne, P. Rev. ejusdem Allatii grande ac præclarissimum opus, de Consensione Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, talibus notis inurere; vel etiam Missalia ac Breviaria, aliosque Catholicorum libros ibidem Amstelodami cusos, ex solo illo fundamento, quod *Typographus hæreticus* mutuatus sit nomen Typographi Coloniensis Catho-

Catholici? Atqui mos hic Amstelodami fere in talibus obtinet, neque semper injustis de causis.

21 Libri Typographus fuit, ut multorum aliorum, Amplissimus Amstelodamensis urbis Senator, Joannes Blaeu (quem contemptim vocat Paternitas tua *Typographum hæreticum*, quasi indignum quem proprio nomine compelles) exteros quidem professione Acatholicus (ut sunt ibi multi, cetera viri per omnia laudatissimi) sed Catholicis ab insigni gravitate, modestia, æquitate passim perquam æstimatus. Nullos ille libellos famosos, ut quidam vicini sui, ad prælum recipiebat unquam, ac ne venales quidem sustinebat haberi in sua taberna. Favebat Catholicis ubicumque poterat, eorumque Presbyteros habebat honorifice: summum autem Pontificem, quem Calvinistæ pro Antichristo habent, sic coluit, ut cum suo Cosmographico & ubique notissimo tredecim tunc Tomorum Atlanti, regia prorsus magnificentia & ingentibus sumptibus excuso, addidisset, duobus prægrandibus speciosissimisque voluminibus, *Civitatum & admirandorum Italiæ Theatrum* anno 1663. *universum advolverit pedibus Beatissimi Patris* (sic sonat titulus Dedicatorius) *Alexandri septimi, Pontificis maximi*.

22 Taceo, quod sua decem præla, nulla re magis habebat occupata, quam imprimendis Missalibus ac Breviariis; quod Acta Sanctorum Aprilis cupidissime susceperit, cum nostrates sumptuoso operi humeros subtraherent, temporum difficultates causati; ipse vero gloriosum sibi duceret, terrestri (ut ajebat) Atlanti, cælestem jungere, simul habiturus duo maxima, quæ uspiam extabant aut unquam fortassis extitura essent, opera. Cum autem Deo placuit notam ipsius typographiam funesto anni 1673. incendio perdere, non deerant heterodoxi qui dicerent, hanc esse pœnam tot Papisticorum librorum, ad idololatriæ Missaticæ ministerium ejus typis excusorum, totoque orbe dispersorum. Et hunc virum, tam bene de universa re Catholica meritum, ac porro in filiis merentem, suspectum habeat Paternitas tua, quod Symmicta seu Miscellanea Allatiana (in quorum fronte nitet, velut gemma Orientalis, Joannis Phocæ libellus) alieno commendarit nomini, ideo quia sciebat, ut ais, hunc *in variis fabulosum, apocryphum, & forte Catholicis perniciosum esse?* Apage suspicionem tam temerariam ac manifestam. Quid enim rationis fingas, cur homo politice prudens, tali libro voluerit mutari nomen illius ejusdem Judoci Calcovii, sub quo tot jam annis imprimebat & porro impressurus erat omnis generis Missalia ac Breviaria? Cur autem sub nomine illius potissimum, quem constabat conditione tenuem, suscipere tanta omnino non posse? Scilicet, quo notior omnibus esset, qui sub eo latere elegerat nomine, maximarum opum Typographus verus.

23 Ab ista tamen præsumptione tam ridicula hujus Paragraphi accusationem ordiris, Pater Rev. & ne conclusio melior foret exordio, duplicem formas retorsionem, sic eam instituens: *Et ut evidentius appareat, quam inepte hic argutetur Papebrochius, argutiam ejus*, inquis, *in Societatem retorquebo*. Statimque sic primam jaculeris retorsionem: *Dum Jesuitæ ex Gallia, Venetiis aliisve e locis expulsi fuere (prout Carmelitæ ex monte Carmelo, non a Christianis Principibus, prout Jesuitæ, sed a tyrannis gentilibus, ob fidem & virtutes Christianas) si quis Sociorum ex revocatione S. Ignatii, facta jam reconciliatione cum Rege, in Galliam vel alio cum aliquot Sociis perrexisset, & Collegia diruta restaurare & inhabitare cœpisset, numquid inepte hinc quis inferret, tunc demum ibidem prima Societatis fuisse jacta fundamenta?* Hanc autem retorsionem corroboraturus, aliam resumis ex Joanne Boulese, S. Ignatii, ut ais, coævo, qui Gregorio XIII. exposuerit; *originem Sacerdotum Societatis Jesu fluxisse a Collegio Montis-acuti*, fundato Parisiis *a bono Patre Standonk; ubi & alia in vilipendium Societatis referuntur*. Boulesii istius qualitcumque imposturam exposui, & refutavi Art. 3. §. 14. illuc Te remitto, ut immane discrimen videas inter utrumque Joannem, unum paucis lineis pluries manifeste mentitum; alterum nec in minima quidem relatarum a se rerum circumstantia confusibilem.

24 Ad ipsam principalem retorsionem quod attinet, omitto calumniam, quam directe jacis in Societatem, & indirecte in summum Pontificem, cujus causa exulare illa Venetiis voluit. Dissimulo etiam Galliæ infelicem tunc statum, quando regnum Christianissimum, totum fere occupatum Calvinistis, periclitabatur de amittenda Catholica fide, nisi allaborantibus plurimum Jesuitis in sinum Ecclesiæ receptus fuisset Henricus IV. quare etiam publice in Parlamento perorans ipsemet, hoc gratanter agnovit, & causam nostram potenter evicit. Sed missa istæ facio omnia, quæ vel modice versati sciunt, tu vero, Pater Reverende, aut nescis, aut nescire simulas probro vertens, quæ nobis alius honori duceret. Respondeo autem ad propositam a Te sequelam, ineptissimam eam esse; tum vero paritatem fore, quando certum esset illum a Joanne Phocæ indicatum Monachum, & socios ejus, prius quam abirent in Syriam, Ordinem Carmelitanum in Europa fuisse professos, tam certo, quam certo & indubitato constat, Jesuitas ante fuisse, qui Parisiis & Venetiis in eas venerunt ædes, quas nunc occupant, eosdemque vel alios Jesuitas indidem fuisse egressos. Hoc utrobique notissimum est, infinitisque probaretur, si opus foret, publicis instrumentis rerum tunc transactarum: istud Vos de domibus vestris in æternum non probabitis; tantoque minus, quanto diutius in Carmelo prætenditis habitasse majores vestros, priusquam inde expellerentur; & alibi interim Sedes habuisse, in quibus institutum pristinum continuaverint, etiam in Europa, unde is venit de quo est quæstio; quemque sine idoneo teste prætendis antea Carmelitam fuisse.

25 Æque vana est retorsio tertia, his verbis a Tua Paternitate n. 63. assumpta: *Minoritæ in Regula tertii sui Ordinis, Flandrice impressa Bruxellis anno 1690. inter personas illius illustres ponunt S. Ignatium, Societatis fundatorem, eo quod Joannes Maria de Vernon asserat, nonnullos sustinere, S. Ignatium vitæ suæ perfectionem & sanctitatem hausisse ex tertia Regula S. Francisci, illiusque habitum suscepisse, professionem emisisse, & juxta illam aliquo tempore vixisse*. Post quæ sublumens; *Anne ideo*, inquis, *hæc & similia statim sint recipienda & approbanda contra receptam traditionem ac monumenta Societatis in contrarium? Prudenter id asseret nemo*.

nemo. Igitur nec prudenter recipis & opprobriis Papebrochius tam exotica de Ordine Carmelitarum.

26 Habeo librum, ex Gallico F. Reynerii Payez, Minoris Recollecti, ab alio ejusdem Ordinis Anonymo Flandrice redditum, & sub consueta Ordinis licentia Bruxellis vulgatum, ubi ad novitatem ejusmodi colorandam allegatur frustra Canonizationis Bulla: hujus enim verba, illuc spectare visa, solum dicunt, quod *Ignatius, curatis vulneribus, Christo deinceps militaturus, ad monasterium B. Mariæ de Monte-serrato, Ordinis S. Benedicti perrexit: ibique generali* Confessione *peracta, gladio & pugione in templo ejusdem monasterii suspensis, aspera talari tunica indutus, fune præcinctus, nudo capite baculum manu gestans, totam eam noctem .... inter preces & lacrymas vigilavit, seque penitus divino cultui, novum exinde militiæ genus secuturum addixit: Minoressam inde vicinum oppidum & ad hospitale S. Luciæ divertit: in eoque & quodam specu .... pauperem atque asperam vitam transegit, inter egenos & sordidos homines.*

27 Petrus Ribadineira, carissimus Sancti discipulus, & similia verosimiliter ex ejus ore doctus, in Vita lib. 1. cap. 3. unde desumpta suprascripta sunt, Confessarium illic inventum expressius ait, fuisse *Religiosum, natione Gallum, Joannem Chanonem, virum sanctitatis laude præstantem ac celebrem; apud quem tribus ipsis diebus totius anteactæ vitæ sordes eluit magna diligentia*, utique non apud peregrinum aliquem & illic forte præsentem Minoritam, sed ipsius monasterii inquilinum, unde nomen & laudem hominis, didicerunt nostri, sæpe illuc peregrinati. Ribadineiræ suppar ætate Nicolaus Orlandinus lib. 1. Hist. Societatis, *apud cœnobii ejus virum, virtute inclitum, Joannem Chanonum nomine, natione Gallum, per triduum e scripto* peccata expiasse dicit. Denique aliunde innotuit, ipsum antea fuisse Præpositum Ecclesiæ Mirapicensis.

28 Et tunc quidem aliud non cogitabat Ignatius, quam vitam in summa pœnitentia agendam, quod asper & vilis habitus assumptus indicabat: postea vero, Deo ad majora impellenti obsequens, seque ad ea comparaturus per studia litterarum, paulatim transiit ad habitum, Academicis & Clericis tunc usitatum, quod in sua deinceps Societate voluit observari; in suscepto semel sanctioris vitæ proposito tam constans, tamque alienus a mutanda Religione, ut omnibus auctor esset, in ea in qua quisque cœperat vocatione permanere.

29 Id autem adeo fixum animo ejus fuit, ut in Examine admitti postulantium Cap. 2. inter *casus, cum quorum aliquo nemo in Societatem admitti potest*, tertium statuerit esse, *Habitum sumpsisse alicujus Religionis Fratrum vel Clericorum, vitam aliquamdiu in obedientia cum eis agendo, sive emissa sive non emissa professione; vel Eremitam cum vestibus monachalibus fuisse.* Declaratur porro sufficere, ut hoc impedimentum quis incurrerit, *vel unum diem habitum Religionis gestasse ... eo animo ut sit Religiosus*, ipsumque esse ex iis, in quibus *nec generalis Præpositus, nec Societas universo dispensare possis*. Et hæc non sine multorum admiratione, nonnullorum etiam contradictione, statuenti Ignatio, & successoribus eadem declarantibus, per totos centum & amplius annos, objecisset nemo, ipsummet alterius Ordinis non tantum habitum gestasse, sed & professionem emisisse, & annis aliquot sub obedientia vixisse? Apage hoc in tanta historiæ luce relatorum innominatorum recens somnium, nihil commune habens cum relatione Joannis Phocæ, vita scribentis, nec ullum ejus temporis scriptorem adversarium habentis; sed cum assertis coævorum facile componibilis, in ceteris autem quæ scribit, ne suspectabilis quidem ex alio aliquo capite.

30 Nam eo tempore quo mare transiit ille, ab Elia electus ad Carmelum incolendum Monachus, *ex omni tribu & lingua* (ut ait Jacobus de Vitriaco cap. 51.) *odore sanctorum & venerabilium locorum tracti, devoti Deo peregrini & homines religiosi, ad terram sanctam confluebant*: inter quos etiam ille Monachus fuerit; de quo, & de collectis ibidem ab eo sociis, dixerit idem Jacobus cap. seq. quod *ad exemplum sancti viri & solitarii Eliæ Prophetæ in monte Carmelo ... juxta fontem qui fons Eliæ dicitur .... vitam solitariam agebant in alveariibus modicarum cellularum, & tamquam apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificabant*. Porro nihil distinctius de iisdem referente aut Jacobo prædicto, aut Joanne Phocæ; & Vitis primorum apud Carmelitas illos novos Priorum, perquam male confusis, sicut vidimus Art. xi. §. 29. & 30. apparet, frustra nunc quæri, ex quo, cujusve Ordinis Europæo monasterio, processerit Monachus ille, sacerdotio & canitie venerabilis; gratisque fingi Carmeliticum aliquod, quale tunc nullum in Europa erat; ex Syria autem in Europam venisse & deinde in Syriam rediisse ex revelatione Prophetæ, æque gratis præsumeretur; & multo magis, ipsum illud monasterium fuisse tale, quod a discipulis viventis inter homines Eliæ perpetuam successionem tenuerit in Carmelo.

31 Sed redeo ad fontem prænotatæ de Ignatio fabulæ; Vernonium, inquam, qui allegatur. Fuit hic Tertiarius Claustralis fuit Parisiis, ex iis quos vulgo *Picque-pus* appellant, habitu vix differentes a Capuccinis, annoque 1667. tribus tomulis in octavo Gallica condidit Historiam Generalem & Particularem tertii Ordinis; quorum tomulorum secundo, qui Domino Cancellario dedicatur, ac proinde is est quem indicat Regulæ illustrator, deducit Vitas ac nomina Personarum sanctitate aut virtute illustrium, qui tertiam Regulam tenuerunt seculo 14. 15. 16. & 17. eidemque tomo, & æque ac ceteris, præmittit prolixam tabulam Vitarum & Paragraphorum, sed nullibi facit *Ignatii* mentionem, ut ego ipse vidi; quam tamen ibi debuisset facere, si vere judicasset Ignatium quoque Tertiarium fuisse. Interea ab eo alicubi quidpiam dici affine isti asserto, malim aliis credere, quam ea causa totum librum verbotenus legere, post unam alteramve horam, in eo raptim pervolvendo frustra positam. Tu nobis, Rever. Pater, locum ipsum profer, aut indica in auctore suo, ut cognoscere liceat, quid & quomodo scribat de relatione tam nova; quam si ipse Joannes de Vernon approbaret, non tam sicce scriberes, quod ipse tantum dicat, *nonnullos sustinere*; non etiam dicere, se sustinere, quod asseris de S. Ignatio, quasi tertiam Regulam professus fuerit aliquando. Novam, dico, quia Auctor a Monasterio, minime parcus ad com-

compellendos quoscumque in numerum Beatorum Franciscanorum, ne quidem in secunda & auctiori Martyrologii sui editione, curata anno 1653. quidquam adhuc repererat tale. Si enim invenisset, non omisisset hanc arripere occasionem, ad ægre faciendum Bollando, quidpiam certioris probationis passim in ejus prima editione desideranti, ideoque mereri viso acrem nec satis religiosam in Præfatione sugillationem.

32 Amicus meus & studiorum particeps, R. P. Benignus Fremault, Recollectorum ad S. Nicolai in Wasia, Antverpiæ vicina, Vicarius, pluribus jam annis intentus est colligendis Sanctorum ac Dei famulorum Vitis, qui triplicem Ordinem S. Francisci virtute sua illustrarunt, quorum etiam Legendam generalem cœpit Flandrice evulgare, edito nuper Januario, porro pro singulis mensibus tomum unum daturus. Hic de eadem novitate interrogatus, per epistolam datam 10. Januarii nunc currentis anni, sic respondit: *S. Ignatium, Societatis Jesu fundatorem, tertii Ordinis Professionem emisisse, & juxta illam aliquo tempore vixisse, neminem habemus audivi aut legi qui teneret; & facilius credo dici quam probari posse. Ego mihi cavero similia referre in libros meos; edoctus quam modica & infirma veritatis sint aliqua recentiorum scripta & testimonia; inter quos numero aliquem, qui Gallice vocat se Solitarium, & duobus libris edidit Vitas Sanctorum ac Beatorum tertii Ordinis, in quibus multa habet merissima somnia ac figmenta, quæ nullibi extant in Auctoribus ab eo citatis.* Hoc saltem ultimum non poterit applicari Vernonio, qui (quantum quidem prima evolutione operis notare potui) non solet Auctores eos citare, ex quibus Vitas a se datas accipit. Vereor tamen, ut purus a multis figmentis sit, qui S. Birgittam aliosque plures Ordini suo adscribit, nihilo majori cum fundamento, quam quo innominati alii ei adscripserunt Ignatium, ex sola notitia funis, quo se præcinxit; quasi quilibet funis, etiam absque nodis, quibus Franciscana chordula specialiter distinguitur, characteristicum signum sit Tertiarii Franciscani, cum videamus rusticos & mendicos plures fune adstringere vestes.

§. IV. ACCUSATIO.

Papebrochius contra sanctos Patres negas, in veteri Lege fuisse votum aut etiam simplex propositum virginitatis perpetuæ.

RESPONSIO.

33 Locus, hic accusatus, invenitur in Ephemeride ante tomum 1. Maji pag. 11, unde eum, Pater Reverende, citas; sed more tuo, citas eum valde truncatum, ne competens accusationi responsio statim appareret, si desisses integrum. Talem ergo accipe, sicut habetur in Ephemeride Græco-Mosca ad diem XXI. Octobris, quando beatissima Virgo Maria a parentibus præsentata in templo fuit, ubi creditur perpetuæ virginitatis voto obstrinxisse se Deo, ibi circa hoc ejus votum sic pronuntio:

34 „ Virginitatis perpetuæ, non dico votum, „ sed vel propositum simplex quod attinet, quod„ que fuit usque adeo contrarium summo in „ Lege antiqua per filiorum propagationem spe„ rando bono; ejus, ut Judaismo ignoti, Chri„ stianismo frequentatissimi, magistram libenter „ faciam Virginem Mariam: * & in hoc pu„ tabo me sequi S. Joannem Chrysostomum, „ qui Homilia 79. in Matthæum, ad festum S. „ Cæciliæ in Breviario Romano transcripta, „ docet, ex eo debere æstimari, quam *natura* „ *sublimis res virginitas* sit, quod *in veteri Te-* „ *stamento a priscis illis sanctisque viris culta* „ *non fuit*. Eamdemque cælestem plane rem „ esse, affirmaturus Ambrosius lib. 1. de Vir„ ginibus, in eodem Breviario ad Officium Com„ mune de iisdem relatus; *Quis*, inquit, *neget* „ *hanc vitam fluxisse de cælo, quam non facile* „ *invenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc* „ *terreni corporis membra descendit*. Objiciens„ que sibi *Eliam, nullius corporei coitus cupidi-* „ *tatibus permixtum*, ut hunc sine teque lapsum ostendat, reponit prœmia singularia & unice „ ipsi reddita, qui *ideo curru raptus ad cælum*, „ *ideo cum Domino apparet in gloria, ideo Do-* „ *minici venturus est præcursor adventus*.

35 In hoc itaque consistit Accusationis Tuæ caput, quod me putes asserere, neminem omnino in veteri Lege habuisse votum, vel etiam propositum simplex virginitatis perpetuæ; idque colligis unice ex eo quod dixerim, votum illud & propositum simplex fuisse *ignotum judaismo*. Verum nego, illum esse aut debere esse assertionis meæ sensum. Tu, Reverende Pater, *judaismum* ab hominibus Judæis non distinguis; censeo ego distinguendum. Sicut enim Calvinismus significat proprie & in recto ipsam sectam seu doctrinam Calvinianam, non autem homines eam sequentes; ita *judaismus* proprie & in recto significat legem seu doctrinam Judaicam, non vero homines eam amplexos. Quis ita loqui solet, ut Titium vel Cajum, vel simul utrumque, vocet *Calvinismum* vel *judaismum*, quamvis rectissime vocentur Calvinistæ vel Judæi? Hic igitur proprius loci accusati sensus est, quod in lege & doctrina Judaica nullum legitur votum vel propositum simplex perpetuæ virginitatis, nullum ibi legitur de hoc consilium.

36 Prima eam docuisse videtur Maria his verbis: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* An aliquis virginitatem perpetuam ante Mariam voverit, incertum est. Dum autem tam magnifice in titulo more Tuo jactas, mihi adversari *Sanctos Patres*, solum cum aliqua verisimilitudine proferre potuisti S. Chrysostomum tomo 2. Hom. 4. de Epiphania dicentem: *Nazaræi secundum legem nuncupabantur, qui castitatem Deo insigni voto mancipabant*. Respondeo, Homiliam hanc esse inter 27. quæ in Græco non reperiuntur, & ob plures alias rationes a Criticis hodie Chrysostomo abjudicantur. Verumtamen supponamus etiam locum esse S. Chrysostomi; non is solus efficit turbam *Sanctorum Patrum*, neque sententiam reddit certam, quæ ab aliis controvertitur, & negatur a pluribus. Inter hos Beda in primum Lucæ de Virgine Maria inquit: *Prima feminarum tantæ se virtuti mancipare curavit*. Idem habent Bernardus, Ambrosius, Rupertus, aliique. Sed & S. Chrysostomum secum tibi conciliandum relinquo, cum loco superius iterum allegato ex Homil. 79. in Matthæum, quæ indubie Chrysostomi est, dicit, *virginitatem*

in

in Veteri Testamento a priscis illis sanctisque viris cultam non fuisse.

37 Aliud hic respondere non potes, quam ejusmodi Patrum locutiones indefinitas non esse accipiendas universaliter absolute; sed accommode: ut sensus sit, non multos, etiam inter sanctos, in veteri testamento virginitatem coluisse. Ad hoc ego: Si sensum hunc accommodum tribuas locis Patrum, cur non tribuis etiam meo, ubi dico perpetuæ virginitatis votum, vel propositum simplex, fuisse *ignotum judaismo*? Si per *judaismum* intelligi a me velis homines in Judaismo viventes, explicari non minus facile sententia mea poterit, ita ut significetur, Judæis non multis notum fuisse virginitatis seu votum, seu simplex propositum. Porro si vel inter Sanctos veteris Testamenti tam pauci fuerint virginitatis cultores, ut de eis Chrysostomus loquatur, tamquam si nulli quodammodo fuissent; ubinam, Reverende Pater, ante Christi adventum reperies Carmelitarum Ordinem, tribus substantialibus religiosorum votis instructum, in tot conventus & innumerabilem religiosorum turbam propagatum? Reliqui Veteres, quos pro te citas, aliud non dicunt, quam fuisse in Lege antiqua quosdam, qui virgines perpetuo permanserint; de voto autem ejus aut etiam proposito non meminerunt: quamquam facile credo aliquos, sed paucissimos, ex speciali instinctu divino, virginitatem perpetuam retinendam sibi proposuisse. Non inter sanctos Patres, sed superioris seculi scriptores est qui objicitur Trithemius, neque adeo magnæ est auctoritatis. Nolim tamen more tuo hic exprobrare, quod objicias Auctorem damnatum, quamvis id non minori jure possem quam Tu alias mihi. Nam Trithemius, teste Bellarmino libro de scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 1560. *scripsit Stenographiam, id est, occultam Scriptionem, quod opus prohibitum merito est, cum sit plenum perniciosis dogmatibus ad magiam pertinentibus, quod & ipse agnovit & confessus est.*

38 Solita fide Tua objicis etiam Suarezium, dicentem tomo 2. in 3. partem disput. 6. sect. 3. *quod Beata Virgo perfectum votum virginitatis emiserit, ad perfectionem ejus pertinet; quod vero ante ipsam nullus hoc fecerit, ad ejus commendationem non magnopere refert.* Et post pauca: *Deinde etiam dici potest prima, quæ proposita est tanquam dux & exemplar hujusmodi voti: & hunc existimo esse sensum sanctorum Patrum.* Sic nempe persuadere nobis vis, P. Suarezium existimare, quod sensus sanctorum Patrum, cum dicunt, quod Diva Virgo *prima* omnium voverit virginitatem, alius non sit, quam quod fuerit prima dignitate & perfectione; non etiam ordine temporis. Ad hoc de falsitate convincendum sufficiet referre, quæ ibidem ipse Suarezius habet, sententiæ vestræ directe opposita. *Primum enim*, inquit, *quod ad ordinem temporis attinet, licet multi ante virginem castitatem servaverint, nullus tamen ante illam creditur hoc votum emisisse. Ita sentit Bernardus homilia &c.* Bernardo jungit Suarez Rupertum, Bedam, Ambrosium, Hieronymum, Epiphanium, aliosque cum S. Thoma. Verbis autem a Paternitate Tua primo loco citatis immediate subjungit Suarez; *Illud vero certum est ex S. Scriptura, de nullo alio colligi posse ante Virginem hoc votum emisisse: & hoc sensu, ut minimum, erit etiam certum, ipsam esse primam in virginitate vovenda.* Tum addidit secundam explicationem, a Paternitate Tua allegatam: *Deinde etiam dici potest prima* &c. post quæ; *Addo tamen*, inquit, *fortasse etiam in re ipsa fuisse primam; quia omnia, quæ in contrarium proponuntur, facile expediri possunt. De illis enim Prophetis fatemur id esse incertum & nesciri: tamen quia id scriptum non est, & illis temporibus hoc non erat in usu, ideo verisimile existimatur, eos non vovisse.*

39 Dein pergit Suarez solvere objectiones reliquas: *Ad secundum*, inquit, *de Maria sorore Moysis; licet verum esset virginem permansisse; tamen non potest inde inferri, virginitatem vovisse. Deinde quod de virginitate ejus dicitur, incertum est .... Ad tertium de filia Jephte; illa nec vovit virginitatem, nec eam voluntarie servavit*, SED DEPLORANDO. *Ad quartum de Essenis; referuntur quidem castitatem servasse, non tamen vovisse, neque eam ut perpetuam & immobilem custodisse ... Idem dicitur de virginibus Vestalibus; nam post certum ætatis tempus nuptui dabantur.* Denique cum Pater Suarez loco supra citato tam diserte dicat, quod *ordine temporis nullus ante B. Virginem credatur votum castitatis emisisse*, atque *ita sentire Bernardum, Bedam, Ambrosium, Hieronymum, Epiphanium*, nullis allatis in contrarium; evidens est primo, non tantum Suarezium nobiscum sentire contra Paternitatem Tuam; sed hanc etiam nostram sententiam, teste eodem, esse sensum SS. Patrum. Evidens est secundo, istud juxta eumdem intelligendum, non modo de excellentia dignitatis & perfectionis, sed etiam de *ordine temporis*. In citando Suarez, Auctore domestico, tam prolixus non fuissem, nisi eum contra me iterato & tam confidenter protulisses: quod a Te factum tanto magis miror, quia omnia tam aperte contra Te facientia, & objectiones tuas per se destruentia, in eadem, quam bis citas sectione, de verbo ad verbum continentur.

40 Si forte magis placeat auctor externus, habe Bartholomæum de los Rios S. Theologiæ Doctorem ex Ordine S. Augustini, Hispanum atque Regii Principis & Cardinalis Ferdinandi Austriaci in Belgio nostro Confessarium. Hic in sua Hierarchia Mariana lib. 5. cap. 11. *Occurrit* (inquit) *admirabilis ista novi ordinis & status virginalis institutio, quem prima mortalium Deipara mundo invexit .... Puellulam rem moliri tam arduam, tam inauditam, tam abhorrentem a consuetudine, ut præter omnem totius mundi opinionem agnosceret, Deo gratam esse virginitatem, eam voto consecraret se æmulas habituram, quis non admiretur & obstupescat? ... Stupeant alii admirando rerum novarum inventores, venerentur primos regnorum fundatores, Cyros, Macedones, Cæsares &c. ego nihil tam novum, nihil tam arduum, nihil tam inexpectatum, nihil tam late propagatum invenio, quam hanc status virginalis fundationem, cujus se auctorem fecit Virgo Deipara. Novum fecit in terra, Domino vovendo castitatem: quare & Dominus in ipsa novum fecit super terram, quod novum neque terra caperet, neque cælum comprehenderet, ut femina circumdaret virum. Quod novum illud prima mortalium ipsa fecerit, ut statum virginitatis, nuncupato ad id peculiari voto, instrueret, sanctorum Augustini, Bernardi,*

Ruper-

Ruperti, & sexcentorum, tum Patrum, tum Doctorum irrefragabilis est sententia. Tum Patres longa serie enumerat plurimos, præter supra citatos.

41 Idem in suo Horizonte Mariano pag. 156. *Mare vastum* (inquit) *& invadabile erat virginitas. Hanc nemo unquam ingredi fuerat ausus ... Lex ipsa deterrebat, & opprobriorum tempestates, ac sterilitatis brevia minabatur, si quis ingrederetur. Contra, benedictionum fere semper prima erat fœcunditas. Quis auderet virginitatis viam eligere, cum ei oppositam, tot audit repletam benedictionibus? ipsam autem (ut apparet) periculosam & sterilem? Erat animus, Deo bonam populi sui partem insolita hac via deducere: volebat castitatis semitam frequentis viatore calcari: quæritur tantæ multitudinis dux, novi facinoris auctor requiritur. Ecce autem dux femina facta. Hodie Maria templum ingrediens, simul carpit iter virginitatis, seque Deo prima mortalium voto consecrat, in virginem perpetuam .... Miratur & merito rei insolentiam D. Bernardus, & Virginem rogat homil. 3. de B. Virgine: Ubi legeras, B. Virgo, de virginibus, quia cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest, & sequuntur Agnum quocumque ierit? Ubi legeras, laudatos esse qui se castraverunt propter regnum cælorum? Ubi legeras, in carne ambulantes, non secundum carnem militamus &c.? Nihil horum audiverat, & tamen gloriose se voto abstringit, viamque audacter ingreditur. Quæ res mihi tam ardua videtur, ut, nisi Patrum auctoritas simul & ratio eam prorsus factam esse persuaderet, ne quidem de Deipara affirmare auderem.* Post recensitum Patrum catalogum, Auctor idem subjungit: *Hoc mirari non desina, quod B. Maria est dux & mater omnium in virginitate viventium, quodque prima sine præcepto, consilio, vel exemplo virginitatis munus Deo obtulit, & virginitatis votum opprobrium virginitati abstulit, & eam in se consecravit, & eam in omnes Virgines per imitationem sui genuit, ut ait S. Bernardus.*

42 Audiamus nunc ipsum S. Bernardum Homil. 3. super Missus: *O Virgo prudens! o Virgo devota! quis te docuit, Deo placere virginitatem? quæ lex, quæ institutio, quæ pagina veteris Testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur, in carne non carnaliter vivere, & in terris Angelicam ducere vitam?* Pace tua, sancte & mellifluе Doctor, quid tantopere miraris virginitatem tamquam ante Mariæ tempora inauditam? Quid exclamas, quasi nullus eam in terris Beatam Virginem potuerit *docere*, tamquam *Deo placentem*? Nihilne igitur tibi onquam innotuit de Patribus Carmelitis, ab Eliæ tempore in hunc usque diem continuata serie & immensa multitudine propagatis? An nescis, eos ante B. Virginis conceptionem Religiosos, Provinciales, Priores, & Conventus plurimos habuisse? Eadem, mellifluе Doctor, qua ego, accusatione impliraris a Rev. Patre Sebastiano. Si enim crimen sit, dicere, quod perpetuæ virginitatis votum, vel etiam propositum simplex, fuerit *judaismo ignotum*, an non crimen erit asserere, quod Deiparam nemo *docere* potuerit *virginitatem Deo placere?*

43 Vides itaque, Rev. Pater Sebastiane, me hic nihil asserere contra Sanctos Patres; plerosque mihi aperte contra Te patrocinari, a Te autem non nisi unum incertum proferri potuisse. Hieronymus, inquis, in locum illum Isaiæ 56. ubi de Eunuchis fit mentio, sic commentatur: *In Eunuchis illi intelligendi sunt, qui se castraverunt propter regnum cælorum, quales erant Apostoli.* Respondeo: Prophetam Isaiam illic spiritu prophetico loqui de Eunuchis novi Testamenti, ut constat ex contextu, cujus sensus est, quod, licet in veteri Testamento Eunuchi essent infames & a sacris arcerentur; venturum tamen esset aliquando tempus, quo certi generis Eunuchi non forent a sacris repellendi. Videri de hoc possunt Cornelius a Lapide & ceteri passim Interpretes. Sed & ipse Hieronymus. Cur enim, si de Eunuchia veteris Testamenti ageretur, nullum ex lege veteri, sed nova totum adducit, nempe Apostolos.

44 Objicis præterea Anastasium Sinaitam, dicentem: *Eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum cælorum, hi sunt Apostoli & Monachi, Elias, Daniel, & alii multi.* Respondeo primo, obscurum esse, an Sinaita hic per Eunuchos non intelligat omnes, virginitatem propter regnum cælorum servantes, sive ex voto, sive saltem ex proposito & firmo animi decreto. Deinde cum dicit, ejusmodi Eunuchos esse *Apostolos, Monachos, Eliam, Danielem, & alios multos*, non exprimit, quod in veteri Testamento fuerint *alii multi*; sed propositio vera foret etiamsi præter Eliam & Danielem nullus fuisset in Lege veteri. Supponamus tamen, præter eos fuisse etiam quosdam alios, adeoque *multos* illos constari partim ex innumeris Sacerdotibus, qui nec Apostoli nec Monachi sunt, aliisque novi Testamenti viris, partim ex aliquibus veteris Legis; nihil inde sequitur contra me. Neque solus hic Anastasius, etiamsi supponeretur mihi adversari, quidquam posset contra torrentem *Patrum sexcentorum*. Frustra etiam mihi objicis Bellarminum, dicentem, quod Eunuchi nomen perspicue significet votum castitatis. Nam Bellarminus, loco a te citato & in tota illa controversia, qua virginitatis votum contra hæreticos nititur defendere, hæret in solo novo Testamento; in veteri ne unum exemplum videtur invenisse, & de solis Eunuchis agit, de quibus Evangelista Matthæus, cujus locum ex professo interpretatur.

45 Constringere etiam me vis auctoritate irrefragabili S. Scripturæ: ex illo nempe Psalmi 75. *Vovete & reddite Domino Deo, qui in circuitu ejus affertis munera*: unde subsumis; Atqui hæc *extendi possunt ad obedientiam, paupertatem, & castitatem*; ergo in veteri Lege reperitur consilium de vovenda castitate. Respondeo explicando locum Psalmi. *Vovete & reddite* bonum, non repugnans meliori, concedo; repugnans meliori, nego. Nam juxta omnes Theologos votum debet esse de meliori, minime vero potest meliori repugnare. Melius autem, ut sit materia voti, non sufficit esse melius absolute, sive in se; sed debet esse melius respective, id est, respectu sui subjecti, & in illis circumstantiis. Quare distinguo subsumptum. Extendi hæc possunt ad castitatem, si vel ex lege, vel aliunde constet, castitatem meliorem esse conjunctione carnali, concedo subsumptum; si id adeo non constet, ut potius credatur oppositum, nego subsumptum, & consequentiam. Nam summum bonum in veteri Testamento, tum respectu generis humani in communi, tum respe-

ctu cujustumque in particulari, erat generatio Messiæ, qui credebatur via ordinaria per conjunctionem maris & feminæ concipiendus. Nam licet scriptum haberemus Isaiæ 7. *Ecce virgo concipiet*; rarissimi tamen in veteri Lege fuerunt, qui id intelligerent de virgine, quæ in conceptu & post illum virgo permansura esset. Atque hoc mysterium non noverant nisi gratia & instinctu divino admodum speciali. Similiter non nisi paucissimis tempore Legis veteris, nec nisi ex speciali divina inspiratione innotescere potuit, virginitatem, etiam ante Messiæ adventum, meliorem hominibus esse quam complexum carnalem.

46 Hæc omnia clarissime eruuntur ex S. Thoma .... *Tempore Legis*, inquit, *quando cultus Dei etiam per carnalem actum propagandus erat, non erat omnino laudabile a commixtione carnis abstinere; unde nec tali proposito speciale præmium redderetur, nisi ex divino processisset instinctu, ut creditur de Jeremia, & Elia, quorum conjugia non leguntur*. Et in 4. Dist. 30. quæst. 2. Art. 1. *Respondeo*, inquit, *dicendum quod in Beata Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit. Virginitas autem, quamvis in se optima, tamen pro tempore illo ei matrimonium præferebatur, propter expectationem benedicti seminis per viam generationis ventri; & ideo Beata Virgo vovit virginitatem, tamquam optimum & sibi acceptissimum; non tamen simpliciter, sed sub conditione honestissima, hac scilicet, nisi Deus aliter ordinaret; nec istam conditionem apposuit, ut dubitaret, an vellet virgo permanere, sed an deberet; & hoc est quod Augustinus in littera dicit: quod proposuit, se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ordinaret*. Tum prosequitur Doctor Angelicus: *Ad primum ergo dicendum, quod Beata Virgo fuit confinium veteris & novæ Legis, sicut aurora diei & noctis: & ideo votum ejus sapuit novam Legem, in quantum virginitatem vovit; & veterem, in quantum conditionem apposuit. Ad secundum dicendum, quod perfectio consiliorum, quantum ad consummationem, incipere debuit a Christo; sed quantum ad aliquam inchoationem, convenienter a matre ejus incepit*. Plus etiam dicere videtur Distinctione 33. Quæst. 3. Art. 2. *Virginitas*, inquit, *quamvis sit in ultimo extremi, quantum ad id circa quod est, quia ab omni corrumpente delectatione abstinet; tamen est in medio, in quantum alias debitas circumstantias mediocriter servat, & superfluum esset si aliquis servare vellet virginitatem quando non deberet, sicut tempore legis Moysi*.

47 Hæccine, Rev. Pater, conciliari possunt cum tam multis, votum castitatis profitentibus, ut Religiosum Ordinem amplissimum Carmelitarum in Lege veteri constituerint? An non potius manifeste confirmatur nostra assertio, a te accusata? Consonat Suarez Tom. 3. de Religione lib. 3. cap. 1. in fine: *Fortassis fieri potuit, ut aliquis tria vota emiserit priscis illis temporibus; dico tamen, de nullo posse cum sufficienti fundamento affirmari, multoque minus de aliqua communitate, & ritu aliquo vivendi pro omnibus communi*. Sed, inquis n. 69. Sacra Inquisitio Hispaniæ an. 1639. approbavit Propositiones, quibus asseritur veteris Testamenti Monachatus, sub tribus votis religionis essentialibus, & inter illas etiam hanc. *In lege scripta fuit votum castitatis & virginitatis perpetuæ*. Miror tam fidenter hoc passim & ubique jactari, etiam ab iis, qui Decreti ipsius verba legenda dederunt integra. Nescire non potes, Rev. Pater, eamdem illam Propositionem cum aliis pluribus ab Inquisitione etiam censuratam & prohibitam fuisse; sed vobis præcipue agentibus, post aliquot annos permissam ab eadem Inquisitione, ut *curreret sicut antea*, id est cum tali verosimilitudine teneri posset, quali antea tenebatur. Hæc autem antea tanta non fuit, quin ad sacram Inquisitionem delata, ab eaque damnata fuerit; adeoque & deferri modo & damnari denuo possit ex iisdem, aut novis, vel noviter & mature expensis argumentis. Interea sic permissam currere propositionem, vobis sonat, approbatam esse ab Inquisitione: cujus quidem condemnatio circa illam, & permissio currendi sicut antea, extat; approbatio vero positiva, extat nulla.

48 Argumenta, contra Propositionem illam aliasque similes pridem allata, & novis aucta, collegit nuper & expendit Reverendissimus Pater Franciscus Gallianus Spuche, inclitæ Hieronymianæ Familiæ Generalis, tribus libris impressis Madriti anno 1696. quorum titulus, *Controversia dogmatica, pro veritate, spiritu, perfectione Legis gratiæ & aliis excellentiis, privative datis & concessis in statu præsenti Ecclesiæ, ex plenitudine gratiæ & meritis Christi præsentis & passi, & in adventu Spiritus sancti confirmatis; contra asserentes, quod in veteri Testamento fuit verus status Religionis, cum votis & consiliis, institutis in spiritu Legis gratiæ, substantialiter Evangelicis, & ejusdem rationis cum statu Religioso Christiano*. Dum in hoc opere refutando desudabunt Patres Carmelitæ, & tuendis propositionibus, quas ut sanæ fidei contrarias proponit Auctor, dijudicandas apud Apostolicam Sedem; licebit, credo, abstinere mihi a disputatione operosiori, ne scilicet actum agam.

49 Pene exciderat respondere ad mihi objectum S. Methodium, dicentem in Serm. de Purifit. *Tuæ etiam castitatis præscius atque imitator in spiritu Elias Propheta, vitæ illius significæ sibi redimivit coronam*. Fuerit hæc sane alicujus S. Methodii cogitatio, pia magis quam solide miscentis longe dissita. Cujus autem fuisse putas, Reverende Pater? Antiquissimi sine dubio, inquias, qui Martyr initio seculi 4. apud Tyrum obiit. Negat id tamen Casimirus Oudin, in Supplemento de scriptoribus Ecclesiasticis pag. 237. & merito censet, tum istum Sermonem, tum alios nonnullos, esse alterius, annis 500. junioris, qui obiit anno 847. Constantinopolitanus Patriarcha.

50 Certe indubitabile Senioris illius opus, quod inscribitur *Convivium Virginum*, & quod in Vaticana Græce repertum, Græco-Latine edendum typis Regiis Possinus noster Parisios misit, atque Alexandro Papæ VII. talium cimeliorum æstimatori scientissimo, dedicavit, de prætacta materia ita habet, Orat. 1. pag. 9. *Magna vere rei altissimæ demissione, usque a summis cælorum ad homines deportata planta virginitatis est*. Postquam autem disputavit, *quomodo humana vita, a conjugiis sororum, sensim per ætatum gradus profecerit*, in his etiam numerat illum gradum, quo *multas simul ab uno haberi uxores licere desiit*, eumque adscribit *Propheticis temporibus* nulla facta earum mentione,

qui

qui tunc ex voto castitatem coluerint. Hos vero quomodo prætermittere potuisset, si agnovisset eorumdem temporum Monachos & Monachas, quorum integra tunc cœnobia nobis obtrudit antiquitatis Carmeliticæ tenendæ cupiditas? E contrario, istia gradibus sic explicatis; *De virginitate*, inquit pag. 12. *dicendum restat. Hoc igitur quantum possumus agamus, & disquiramus quid causæ fuerit, cur, cum multi Prophetæ & Justi multa & præclara docuerint & fecerint, virginitatem qui vel laudaret vel eligeret, nemo repertus sit? Soli nempe Domino doctrinæ hujus promulgatio servabatur.*

51 Antiquissimo isti vero Methodio adde scilicet sesqui-seculo vetustiorem Origenem, in Caput 13. Matthæi sic scribentem: *Arbitror rationi consentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Jesum, muliebris fuisse Mariam.* Quin etiam opponere aliquid Paternitati tuæ liceat ex Vitis illis Apostolorum, quæ sub Abdiæ Babylonii nomine circumferuntur; non quasi magnæ auctoritatis sint, sed quia ex illis petitum argumentum mihi objicis §. 10. n. 164. Hic ergo liber, communi eruditorum judicio, ut istic dicetur, apocryphus totus, in qualicumque Vita sancti Bartholomæi, sic dicit de Maria beatissima: *Hæc Virgo, cum execraretur omnem virum, prima Deo omnipotenti vovit. Primam autem ideo dixi, quia ex quo homo factus est ab initio seculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc prima inter feminas constituit, ut in corde suo dixerit, Domine, offero tibi virginitatem meam.* Nescio autem, an vere antiquorum, id est septimo vel octavo seculo priorum aliquis cogitaverit de imaginaria illa exemplaritate, Eliæ per prophetiam cognita, ad quam nunc recurritis; postquam non licuit amplius vobis dicere, quod ipsa ad exemplum Prophetæ Eliæ virginitatem suam vovit Deo, sicuti asserebat Prophetica vestra historia, non sine scandalo aliquorum, ideoque olim, ut dixi, prohibita.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius contra auctoritatem sanctorum Patrum negat Eliam Prophetam fuisse Monachum seu Religiosum.

RESPONSIO.

52 Cum ex relatis superiore §. auctoritatibus & rationibus verosimile satis appareat, quod nullus in veteri Testamento ante B. Virginem perpetuæ virginitatis votum professus sit, nedum tria vota Religionis substantialia; satis in tuto posita est mea cunctatio in admittendo Elia in numerum Religiosorum, prout vocabulum hoc dic passim in Ecclesia usurpatur. Videamus tamen, numquid singularis argumenti in medium proferas. Locus quem accusas, hic est: *Quid ergo molesti nobis sunt, aliquos objiciendo Patres aliosve Scriptores, qui Eliam Prophetam, & Joannem Baptistam, ut Monasticæ professionis Duces, Principes, Auctores, Magistros, laudant? quasi hæc eis competere non possint absque Religiosorum nuncupatione votorum: neque solum vitæ solitariæ qualiscumque ab iis sumptum exemplum sufficiat ad ejusmodi encomia.* Decerptus hic locus est ex Tom. 1. Maji, cui alterum adjungis ex Tomo 3. ubi Monachos divido in *Monachos simplices, quales etiam hodie multi sunt, & nunc passim vocantur Eremitæ;* & in *Monachos Religiosos, quales nunc sunt soli claustrales, aut qui sub claustralis Superioris obedientia extra Cœnobium solitarie vivunt, iisdem quibus Cœnobitæ votis adstricti.* Ex his infert Paternitas vestra, me *nullatenus judicare, accensendum posterioribus esse Eliam, Eliseum, cæterosque filios Prophetarum.*

Opuscul. Collect.

53 Reverende Pater, non sequitur: Papebrochius negat, recte inferri, Eliam & Joannem Baptistam esse veros Religiosos, ex eo quod ab aliquibus Patribus aliisve Scriptoribus vocentur monasticæ professionis Duces, Principes, Auctores, Magistri; ergo Papebrochius nullatenus judicat, Eliam & Joannem Baptistam fuisse Religiosos. Hæc, inquam, conclusio non sequitur ex antecedente. Nam aliud est non judicare, quod veritas alicujus propositionis sequatur præcise ex tali præmissa, vel ex talibus præmissis; aliud est non judicare, quod propositio aliqua absolute & secundum se vera sit. Quam sæpe & merito Philosophi ac Theologi negant consequentiam, ubi tamen censent consequens esse verissimum?

54 Hunc tamen defectum accusationis, & argumentationis suæ vitium dissimulemus. Quid porro absoni sequetur ex eo, quod *nullatenus judicem, accensendum Monachis Religiosis esse Eliam, Eliseum, cæterosque filios Prophetarum?* Istud, inquis, quod in titulo proponitur: *Papebrochium negare, Eliam Prophetam verum fuisse Monachum seu Religiosum.* Neque id sequitur. Aliud enim est, *nullatenus judicare*, propositionem quampiam esse veram; aliud, eam negare. V. G. nullatenus judico, arenas maris esse pares; inde tamen non sequitur, quod negem esse pares; sed circa paritatem vel imparitatem suspendo judicium. Patere itaque, emerite Professor, te doceri, quod ex ejusmodi præmissis non consequatur quod intendis. Sed & hunc tibi in argumentando & accusando lapsum condonemus.

55 Supponamus, me negare, quod certa verbis a Paternitate tua excerptis non probas me negare formaliter, sed neque virtualiter, aut consecutive. Supponamus tamen, inquam, me negare, quod Elias Propheta fuerit Religiosus; cur ais, me negare, quod fuerit *Monachus seu Religiosus?* Quasi vero identificaverim, quæ tam expresse distinxi ipsis verbis a Te accusatis & supra propositis. Alios enim vocavi *Monachos simplices, quales etiam hodie multi sunt & nunc passim vocantur Eremitæ;* alios *Monachos Religiosos*. In mea itaque sententia nomina illa, *Monachus & Religiosus*, habent se sicut excedentia & excessa. Sicut enim non omnis Religiosus est Monachus, ita non omnis Monachus est Religiosus. Et certe nomina illa, ex prima sua institutione & origine, satis sunt diversa, *Μόναχος*, a *Μόνος solus*, & *ἄχος mæstitia* composita vox, neque apud Septuaginta veteris Testamenti Interpretes, neque in libris novi Testamenti, neque in ullo veterum scriptorum sive Christianorum sive Gentilium primis duobus seculis invenitur: nata autem tunc videtur, cum jam frequens esset Christianis usus, non solum persecutionis declinandæ causa, sed & pœnitentiæ severioris studio, recipere sese extra frequentiam populi, ut soli Deo viverent, suaque vel aliena plangerent peccata.

56 *Religiosus* nominatur aliquis a virtute

Religionis sive divini cultus observantia, & metaphorice eum respectu ad aliam quamcumque virtutem, puta veracitatis, fidelitatis &c. itaque eam usurpat Cicero. Hunc auctor versionis vulgatæ secutus est in illo Actorum a. ubi dicitur, quod *erant in Jerusalem habitantes Judæi viri religiosi*; Græce ἄνδρες εὐλαβεῖς; quod etiam reddi posset, viri *circumspecti*, *cauti*, *verecundi* seu *timorati*. Certe nihil minus hoc ibi significat, quam *Monachos Carmelitas*: sicuti videntur prætendere Lectiones in festo B. M. de monte Carmelo, nomine quidem eorum non expresso, sed per periphrasim satis indicato. Cangius in Glossario, Latinos omnes auctores scrutatus, neminem invenit ante Salvianum Massiliensem, seculi 5. scriptorem, qui vocibus *Religio* & *Religiosus* usus sit pro *vita monastica*, & homine *adstricto votis Religionis*, *ut vulgo loquimur*: eodemque seculo exeunte sculptum est, quod idem Cangius recitat, epitaphium *Severiani*, *qui Religionem devota mente suscepit*, & *obiit* ... *post Consulatum Longini bis & Fausti*, id est, anno 491.

57 Nunc age, Pater Rev. & (quoniam tam fidenter pronuntias, me *contra auctoritatem Sanctorum Patrum* negare aliquid de Elia) dic ubinam nego, solitariam vitam duxisse Eliam, atque adeo secundum vocis *Monachus* etymon, vere *Monachum* fuisse? Quid enim ad hanc quæstionem facit, quod negem fuisse eo sensu *Religiosum*, quo nunc ita dicitur aliquis, formaliter & in manibus alicujus Superioris tria vota essentialia Religionis professus? Secundum illam perfectionem, quam Elias professus est opere, (licet verbo, quod quidem sciatur, numquam professus sit, uti nec sciatur fecisse Joannes Baptista) ac rursum secundum ordinem temporis, quo primus ille sciatur, talem vitam duxisse; assero, recte illum vocari posse, non solum *Monachum*, sed & *Ducem*, *Patrem ac Magistrum Monachorum*; non solum primorum illorum (quos, nullis votis obstrictos, appello *simpliciter Monachos*, ut eos a *Religiosis claustralibus ac cœnobitis* distinguam) sed etiam horum: sicuti S. Paulus, propter exemplum vitæ anachoreticæ posteris relictum, nominatur ab Ecclesia *Eremitarum Auctor & Magister*.

58 Ridet Paternitas vestra, num. 86. distinctionem istam meam inter simplices seu Monachos seu Eremitas, atque inter Religiosos, velut *exoticam*; & dicis quod est *hactenus inaudita*, *etiam in vulgo*, *atque astute a me excogitata*, *ut verum Monachatum veteris Legis ac nascentis Ecclesiæ cum hæreticis eludere valeam*. At non ipsum vulgus, cujus sensum appellas, discernit inter simplices Eremitas, quales 1010 Belgio atque alibi plures, & inter Eremitas Montis Carmeli? item inter utrorumque Professionem, horum perpetuam & solennem, istorum, ut summum, simplicem & temporalem? Numquid non discernit inter simplices Tertiarios S. Francisci, in conjugio cum rerum proprietate viventes, atque inter Claustrales qualium sunt in variis Europæ provinciis complura tam virorum quam mulierum cœnobia? Si nemo Historicorum, Theologorum nemo, sic Monachos distinxit, quia nemo coegit subtilius dividere, ideoque rem ipsam una cum vocibus explodendam putas; quid facies in Scholis, ubi novæ quotidie quæstiones, novos cogunt invenire terminos, & doctrinam antiquam enucleare vocabulis ac distinctionibus in speciem novis? Neque ego magis teneor auctores proferre, qui pro Testamento veteri Monachum a non Religioso expresse distinxerint; quam Paternitas vestra teneatur proferre, qui Monachum & Religiosum expresse identificarint. Si auctores plurimos ad manum habueris, quare non unum saltem protulisti in medium?

59 Dicesne, videre nos oculis nostris identificari Monachum & Religiosum, in omnibus Monasteriis Benedictinorum, Cisterciensium &c? Respondeo, identificationem illam esse mere particularem, contingentem, & accidentalem, de qua non est quæstio; sed de universali, necessaria, & essentiali. Ita videmus, multos homines esse albos, adeoque prædicatum *albus* identificari subjecto, *Hic homo*, *iste Homo*, & sic de aliis plurimis. Sicut tamen nemo propterea dicet, rationem hominis, secundum se & essentialiter sumptam, involvere necessario rationem albi; ita nihil est cur ratio Monachi, secundum se formaliter & essentialiter sumpta, involvat necessario totam rationem Religiosi; sive, ut exemplo utar graviori, sicut nulli erant olim Cardinales Episcopi, nunc autem aliqui sunt Episcopi, & alii non; sic olim in veteri Testamento nulli Monachi erant Religiosi, in novo autem multi quidem Monachi sunt Religiosi, alii non sunt; nempe simplices Eremitæ; cum tamen ita nunc usus habeat, ut Religiosi vocentur Monachi: pro Eremitarum autem nomine, ad distinctionem congrue excogitato, nolo de voce contendere, modo de re constet.

60 Distinctionem autem Monachi a Religioso, ubi quæstio est de veteri Testamento, quæ sola hic controvertitur, esse receptissimam non modo apud vulgus, sed etiam apud Theologos & SS. Patres, patet ex eo, quod nemo difficultatem inveniat in appellando Eliam *Monachum*, saltem cum addito, vel subintellecto, *veteris Testamenti*; Eliam autem *Religiosum* esse, prout hic terminus importat tria vota perpetuæ paupertatis, castitatis & obedientiæ, negant omnes, qui ajunt B. Virginem inter mortales primam esse ordine temporis, quæ perpetuam Deo virginitatem voto consecraverit. Quantus ita sentientium sit numerus, colligere potes ex §. superiore, Singulos referre infinitum foret, teste Eximio P. Bartholomæo de los Rios Augustiniano, in Horizonte Mariano pag. 157. Postquam is verba, S. Bartholomæo Apostolo adscribi solita & adoptata a S. Bonaventura, nec non Origenis, Bedæ, & S. Bernardi ad longum retulit; *Sed quid opus*, inquit, *sententiarum struere catalogum*, *cum fere liceat integras epithetorum recensere Litanias*, *quibus SS. Patres*, *ob institutam Virginitatem appellant Deiparam*, *Ducem & Matrem omnium in castitate viventium?* Variorum Patrum verba clarissima & ineluctabilia dedi §. superiore, ex quo hoc tantum repeto, quod ait idem Doctor Augustinianus in Hierarchia-Mariana pag. 524. *Quod novum illud*, *prima mortalium ipsa fecerit*, *ut statum virginitatis*, *nuncupato ad id peculiari voto*, *institueret*, *Sanctorum Augustini*, *Bernardi*, *Ruperti*, *& sexcentorum tum Patrum*, *tum Doctorum*, *irrefragabilis est sententia*. Sumne ego adhuc inter Catholicos primus, Reverende Pater, qui distinctionem inter Monahum & Religiosum constituo?

61 Concedo itaque, esse Patrum & Theologorum complurium sententiam, quod Elias Mona-

chus

chus fuerit. Atqui jam pariter ostendi, indubitatam esse Patrum & Theologorum sententiam, Eliam non vovisse perpetuam castitatem, adeoque Religiosum non fuisse. Ergo & distinctionem esse inter Monachum, saltem veteris Testamenti, & religiosum. Quod non parum confirmatur ex P. Suarez in 3. partem Tomo 2. quæst. 28. Art. 4. Sect. 3. ubi non tantum dicit: *quod ad Ordinem temporis attinet, licet multi ante Virginem castitatem servaverint, nullus tamen ante illam creditur hoc votum emisisse; ita sentit Bernardus, Rupertus, Beda, Ambrosius, Hieronymus, Epiphanius, Abulensis, Carthusianus, Waldensis, D. Thomas:* hos, inquam, Suarez non modo citat, sed & designat locos singulorum. Qui vero tam prolixus esse solet in referendis utriusque partis oppositæ auctoribus, hic ne unum quidem reperit, quem citaret pro emisso castitatis voto antequam emitteretur a Deipara; licet putet, multos ante Deiparam castitatem servasse.

62 Vides itaque, Rev. P., tam insigni Patrum & Doctorum auctoritate nixam esse sententiam, negantem votum castitatis ab ullo mortalium, sive in veteri, sive in nova Lege, ordine temporis prius emissum fuisse, quam a Regina Virginum Maria: adeoque liquet, nullum fuisse Religiosum, antequam votum illud a Maria in orbem inveheretur. Atqui tamen fuerunt Monachi in veteri Lege, ut Paternitas tua recte probat, adducti Patrum testimoniis, neque ullus Patrum aut (quod sciam) etiam Theologorum id negat; ergo satis recepta SS. Patrum sententia est, Eliam fuisse Monachum, non Religiosum; ergo Paternitas vestra immerito, saltem pro veteri Testamento, illa confundit; quamvis pro novo confundatur passim, mutata nonnihil vocis *Monachus* significatione. Ergo manifeste falsum est quod ais, primo, significationem illam vocis *Monachus*, pro veteri Testamento, esse *excogitatam*; secundo, esse *præfidenter* a me isti *nomini affictam*; tertio, illam a me *esse astute excogitatam, ut veram Monachatum veteris Legis cum hæreticis eluderem*. Hæc, inquam, ne quid gravius dicam, manifeste falsa sunt, & de falsitate jam irrefragabiliter convicta. De Monachatu novæ Legis videbimus §. sequenti.

63 Refutata accusatione tua, superest discutiamus singula, quibus demonstrandum assumis, quod Elias verus fuerit Religiosus: id autem necesse est demonstres ex SS. Patribus, quos ipsa in Accusatione supponis ita docere. Initium probationum ducis a Decreto quodam Inquisitionis Hispanicæ. Nondum sunt illa Sancti Patres: & Decreto isto non probari, aut decerni, quod Elias, vel ullus alius fuerit in veteri Testamento Religiosus, ostendam sub finem hujus §. nunc enim nimis aveo audire illos tuos *SS. Patres*. Ab Inquisitione Hispanica gradum facis ad Bartholomæum Medinam. Sed neque is sanctus Pater est, neque verbis a te citatis mentionem facit ullius Religiosi aut voti pro veteri Testamento; sed tantum, quod aliqui illius temporis *consilia virginitatis, obedientiæ, atque etiam paupertatis, animo lubenti & forti, amplexi sint*. Aliud est virginitatem aliasque virtutes amplecti, aliud voto se ad eas obstringere.

64 Tandem argumentum conglomeras partim ex sacra Scriptura, partim ex sanctis Patribus. Sed prius Lector monendus est, ut ad capiendam argumenti tui subtilitatem, omnes ingenii sui vires intendat; nam ego quidem nihil capio.

„ Fuit (inquis) Elias Deo obedientissimus, „ nam ut dicitur 3. Reg. 19. *abiit quocumque eum ferebat voluntas Dei, & fecit juxta verbum Domini*. Vixitque in summa paupertate. Adeo „ ut attentis illis, quæ S. Scriptura habet de „ ejus paupertate, S. Chrysostomus Hom. 2. „ ad populum Antiochenum exclamet, *Quid, dic mihi, Elia pauperius?* Quod castitatem „ servaverit, patet ex 3. Regum 18. *Accinctisque lumbis currebat ante Achab*, per quæ castitas designatur, juxta S. Gregorium Hom. „ 13. in Evang. dicentem: *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*. Ita etiam Petrus Chrysologus, Cassianus, aliique Patres & Auctores celeberrimi: „ quorum verba producuntur 1. Part. Arm. „ in Synopsi, Punct. 1. Ex quo patet Eliam „ Prophetam fuisse verum Monachum seu Religiosum, consideratum præcise secundum tria „ Evangelica vota, Religionis essentialia. „

65 Respondeo ad singula. Eliam fuisse Deo obedientissimum, ultro agnosco; sed non fero, Rev. Pater, falsam & ineptissimam probationem tuam. Habetur quidem de Elia Lib. 3. Reg. cap. 19. *Abiit quocumque eum ferebat voluntas*; sed nihil præterea. Qua ergo auctoritate addidisti alteram sententiæ partem notabilem? ubi nullus de Deo sermo est, nullus de Dei voluntate, sed de voluntate hominis, quam transformas in voluntatem Dei? En locum Scripturæ integrum: *Nuntiavit autem Achab Jezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidisset universos Prophetas Baal gladio. Misitque Jezabel nuncium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant Dii & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis. Timuit ergo Elias, & surgens* ABIIT QUOCUMQUE EUM FEREBAT VOLUNTAS: *venitque in Bersabee Juda*. Ubinam hic, post *voluntas* habetur *Dei, & fecit juxta verbum Domini*!

66 Profecto si ejusmodi additiones permittantur, nihil est in Scriptura revelatum, quod non in alienum sensum quilibet facile detorserit. Apostolus ait, *fidem justificare*: Lutherus in nova Scripturæ editione poni jubet, *solam fidem justificare*. En dogma, novæ hæreseos fundamentum, ex Scriptura sacra, unius voculæ adjectione depravatæ stabilitum. Qui itaque, Rev. Pater, tibi venit in mentem tam absurdam corruptionem sacro Textui inspergere? Si unius tantum voculæ esset, vel non inverteret plane sensum, facilius credi posset per errorem irrepsisse; verum hic est & additio sex vocum continuata serie, & totius sensus in alienum transformatio. Hæc scilicet tam abominabilis corruptio necessaria Tibi erat, ut probares Eliam Obedientiæ perpetuæ voto se obstrinxisse; quomodo enim alioquin ex S. Scripturæ loco, si fideliter relatus fuisset, duci potuisset, sequela, quam per fas & nefas volebas elicitam? *Abiit* (Elias) *quocumque eum ferebat voluntas*; ergo Elias fuit Deo obedientissimus, & quidem obedientiæ voto, quod Religioni essentiale est, consecratus. Aliis risum, aliis indignationem moves tam absona & prorsus aliena Scripturæ interpretatione atque argumentatione, nullam rationis aut verisimilitudinis speciem præ se ferente. Usitata Flandris expressio est hominis, timore perculsi & ab insequente hoste fugientis; Currebat, inquiunt, quam longe eum ferebant pedes. Sic Scriptura de Elia, cui

imminebat certa mors, jam denuntiata jussu Jezabelis, dicit eum adeo territum fuisse, ut fugeret *quocumque eum ferebat voluntas*, timore agitata.

67 Hæc est unica litteralis & historici sensus interpretatio, quam invenire potui in Commentariis variorum quos studiose consului; inter quos Tostatus, Episcopus Abulensis, in librum 3. Reg. cap. 19. quæstione 2. in hunc locum sic commentatur: „ *Surgens abiit quocumque ferebat eum voluntas*. Scilicet discurrebat Elias per varia loca, & non consistebat in aliquo eorum, & istud erat secundum conditionem timentis se evadere posse in aliquo loco; & sic cum Elias esset in uno loco, timebat ibi, & ibat ad alium; & cum ibi manebat, rursus timebat, & sic incertus vagabatur, quocumque eum ferret voluntas „. In eumdem locum S. Chrysostomus, vel quisquis est auctor Homiliæ de Petro & Elia, quæ sub Chrysostomi nomine velut a Metaphraste tradita adducitur a Surio tom. 4. in Mense Augusto: *Deus*, inquit, *declarare voluit, miracula illa, quæ ostensa fuerant, non ab Elia, sed a sua ipsius potentia facta fuisse. Vide quid faciat. Quo tempore Deus ipse operabatur, Reges, Principes, & populi Eliæ succumbebant; cum vero Deus abscessisset, etiam mulier una Prophetæ illi terribilis visa est; abscessit Deus, & natura humana redarguta fuit*. Ibidem: *Vidistis, quemadmodum recedente gratia, redarguta est natura humana. Fugit enim Elias itinere quadraginta dierum. O timorem nimium! o formidinis vehementiam! Non uno aut altero, sed quadraginta diebus aufugit; & ad regionem omnino desertam se contulit; non nutrimentum, non cibum aliquem secum ferens; nam tanquam ebrius præ metu, cetera nihil curabat; sed desertas tantum regiones sequebatur*.

68 Age modo, Rev. Pater, infer hinc præclaram tuam conclusionem: Ergo Elias votum emisit perpetuæ obedientiæ. Sed quod ratione non poteras, sperabas fraude te persuasurum, quod ubi Scriptura inducit Eliam *abeuntem quocumque eum ferebat voluntas* (nempe propria, timore Jezabelis concitata) ibi habeatur; *Abiit, quocumque eum ferebat voluntas* Dei, et fecit juxta verbum Domini. Additio scilicet fraudulenta, *Dei & Domini*, non poterat non ex voluntate hominis facere voluntatem Dei: & sic, ubi nulla reipsa species erat obedientiæ, fingere obedientiam perpetuam, & quidem voto consecratam. Supponamus tamen verba omnia fuisse S. Scripturæ; non video quomodo votum perpetuum obedientiæ, ut est Religioso statui proprium & essentiale, illinc educere valeas. Aliud enim longe est, hominem in fuga aliqua ire quocumque eum fert Dei voluntas; aliud est, id facere ex voto, & quidem perpetuo, sive extendente se ad omnia, quæ imperari unquam continget ab homine, cui nos propter Deum submittimus. Nec enim is vovere censeretur Obedientiam religiosam, qui tantum vellet Deo, & non homini mancipari.

69 Hæc ad elidendum Paternitatis Vestræ pro obedientiæ Elianæ voto argumentum, plusquam satis. Videamus votum paupertatis. „ Vixit, inquis, in summa paupertate; adeo ut, attentis quæ S. Scriptura habet de ejus paupertate, S. Chrysostomus hom. 2. ad populum Antiochenum exclamet: *Quid, dic mihi, Elia pauperius?* „ inde infers Eliam vovisse perpetuam paupertatem. Sed quid si sanctus Pater aliquis dixisset. Quid Iro pauperius? quid pauperius iis, qui fame, siti, & nuditate pene conficiuntur? An ideo sequeretur, Irum & ceteros emisisse votum perpetuæ paupertatis? Scio Eliam pauperem fuisse, & quidem paupertatem lubenti ac forti animo sustinuisse: sed & ex mendicis confido etiam hodie multos esse, qui summam rerum omnium egestatem Christiana fortitudine tolerant, licet de faciendo voto numquam forte cogitaverint.

70 „ Quod castitatem (inquis) servaverit, patet ex 3. Reg. 18. *Accinctisque lumbis currebat ante Achab*, per quæ castitas designatur, juxta S. Greg. hom. 13. in Evang. dicentem, „ *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*. Respondeo, aliunde credi, quod Propheta Elias castitatem servaverit; sed non video, qua ratione dicas id *patere*, ex eo quod 3. Reg. 18. referatur accinctis lumbis cucurrisse ante Achab; cum ex omnibus, quos inveni Interpretibus, nullum videam id explicare de Eliæ castitate; sed omnes de reali seu materiali accinctione lumborum. Hunc sensum manifeste exigit Scripturæ illius contextus, sic habens: *Cæli contenebrati sunt, & nubes & ventus, & manus Domini facta est super Eliam; accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jesrabel*: in quæ sic Abulensis „ virtus Dei venit super eum, ad confortandum ipsum; scilicet, quia Elias erat debilis, eo quod tota illa die non comederat, & jam erat quasi vesper; & Achab currebat velociter in curru suo propter pluviam; & tamen Elias velocius currebat quam ipse, ita ut præcederet eum usque in Jesrabel ..... *Accinctis lumbis currebat ante Achab*. Elias præcinxerat se ad currendum velociter, sicut juvenis; & currebat plus quam Achab, licet esset in curru ipse Achab, *Donec veniret in Jesrabel*. Semper præcessit eum, usque quo venit ad urbem Jesrabel, in qua manebat pro tunc Achab. „ Cui, præterquam tibi, R. P. Sebastiane, & quibusdam tuis recentioribus Carmelitis, unquam venit in mentem ex hoc loco probare Eliæ castitatem perpetuam, voto obligatam?

71 Quod de homilia S. Gregorii dicis, ad rem non pertinet: non enim Gregorius illic commentatur in Libros Regum; sed in Evangelium Lucæ cap. 12. ubi Christus dicit, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*. Atqui, si quidquid allegorice dicitur in parabolis, qualis hæc est apud Lucam, eodem sensu allegorico & non litterali accipere velis in libris historicis, ut sunt libri Regum, infelicem Origenem erroribus multum superaveris. Nunquid se appellat Christus viam, ostium, pastorem &c.? quid autem magis absurdum foret, & a sensu Scripturarum alienum, quam quotiescumque in Scripturis, etiam Testamenti veteris, una aliqua earum vocum legitur, per eam Christum intelligere? Sed aliis exemplis opus non est, quam quod ipse suggeris. Quotiescumque de lumborum accinctione vel succinctione agitur, vis ut intelligatur castitas perpetua, & quidem voto Deo oblata. Quæro itaque quid censeas de illo Reg. 3. cap. 20. versu 32. *Accinxerunt saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad Regem Israel?* Qui lumbos suos accinxerant erant infideles Syri, servi Benadab, qui ex clade a Rege Israel illata, cum Rege suo mortem evaserant: erantne omnes illi virgines, aut perpetuæ castitatis ex voto cultores?

Pro-

Proverb. 31. laudatur mulier, quæ *accinxit fortitudine lumbos suos . . . surrexerunt filii ejus , & beatissimam prædicaverunt , vir ejus & laudavit eam* . Non hic intelligi virginem testatur Ecclesia, quando hæc tum in Horis canonicis, tum in Sacro , legi jubet festis mulierum non virginum: & circumstantiæ *viri* & *filiorum* ejus satis indicant, non agi de Virgine, aut de Monacha.

72 Denique etiamsi concederem , quod per accinctionem lumborum intelligatur castitas libro 3. Reg. 18. æque ac Lucæ 12. quod ostendi ne umbram quidem veritatis habere , nondum probaretur Eliæ castitatem fuisse perpetuam ; cum tantum dicatur *accinctis lumbis cucurrisse ante Achab*, *donec veniret in Iesrahel*; adeoque sensus foret Eliam servasse castitatem , quamdiu cucurrit ante currum Achab , *donec is veniret in Jesrabel* . Cur hanc Scripturæ limitationem omisisti , Reverende Pater ? nisi ut callide dissimulares, tantum agi illic , uti de cursu paucarum horarum , ita de accinctione lumborum haud longiore ? Sic qui superiorem Scripturæ locum media parte a te auctum dederas , posteriorem media parte mutilasti. Quid itaque tibi tandem non liceat ? Sed ejusmodi artificia , quamvis in aliis scriptoribus forent detestabilia , in Carmelitarum Provinciali veniam mereri videntur , quia pro tuenda imaginaria Carmelitani Ordinis antiquitate sunt necessaria ; verum quam efficacia sint , jam ostendi , & juverit ostendere etiam amplius.

73 Job 38. inducitur Deus , dicens Jobo, *Accinge sicut vir lumbos tuos* , *interrogabo te* , *& responde mihi* . Ubi per , *Accinge lumbos tuos* , aliud non significatur quam , Assume fortitudinem ; ut videre est apud a Lapide & alios Interpretes . Certe evidens est , non esse hortationem ad castitatem perpetuam ; quia hoc si fuisset Dei seu præceptum , seu consilium , non neglexisset Job sanctissimus ; atqui tamen constat , quod postea adhuc genuerit septem filios & tres filias . Quidquid sit , inquies , de filiis & filiabus , si Job *accinxerit lumbos* suos , necesse est voverit perpetuam castitatem , inde enim probamus votum perpetuum Eliæ. Sed quæso , Reverende Pater , locum da æquitati , neque eo te abripiat zelus immoderatus prosapiæ tuæ tuorumque evehendæ ad antiquitatem incredibilem , etiam cum infamia antiquissimæ & perillustris familiæ Job . Profecto si , *Dies* , *Cassia* , & *Cornustibii* , tres Jobi posteriores filiæ viverent , gravem tibi forte litem intentarent , quod tam inepta tua S. Scripturæ interpretatione in suspicionem vocarentur , quasi vel ex illegitimo , vel ex sacrilego concubitu forent progenitæ. Atque ecce familiam Job comitatur universa Judæorum Synagoga , adversus te expostulatura de onere sibi imposito , quod nec ipsi ferre possint , neque Patres eorum unquam agnoverint. Exodi 12. jubentur *renes accingere* ad comedendum Agnum paschalem ; præcipi autem illic votum perpetuæ castitatis , certum est neminem unquam intellexisse.

74 Tandem convenio doctissimum a Lapide , quem nemo negaverit esse inter S. Scripturæ Interpretes percelebrem & sincerum . Nihil apud eum , commentantem in libros Regum , invenio de voto Elianæ castitatis . Sed quia argumentis negativis contentus non es , addo quæ habet in Cap. Lucæ 4. ℣. 34. *B. Virgo prima omnium votum virginitatis emisit*: in corpore autem: *Rupertus Cant. cap. 3. censet* , *B. Virginem primam omnium virginitatis votum Deo vovisse . Sic & Abulensis in Exodi cap. 35. in fine capitis : Viros aliquos , inquit , ut Eliam , Jeremiam , Eliseum , & Essenos virginitatem coluisse , concedimus &c. primam autem virginitatis votum fecisse Deiparam , certissime novimus* . Poteſtne , Rev. P. aliquid contra Elianum castitatis votum dici expressius ?

75 Sed neque Paternitas vestra intelligit aut intelligere vult S. Gregorium ; dum enim is in Caput 12. dicit , nos *lumbos accingere* , *cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus* ; non dicit , omnem , qui lumbos accingit , carnis luxuriam per continentiam coarctare ; cum accinctio lumborum sæpe intelligi debeat mere in sensu materiali , litterali , historico : sed dicit , omnes qui carnis luxuriam per continentiam coarctant , posse dici lumbos accingere , in sensu morali & allegorico . Atqui libro 3. Reg. 18. tantum dicitur Elias accinxisse lumbos sensu materiali , litterali , & historico ; nihil igitur potes hinc inferre pro sensu morali , ne quidem juxta S. Gregorium . Deinde Gregorius non agit de solis iis , qui vovent castitatem , sed de omnibus , qui eam servant . Præterea non agit de sola castitate cœlibum aut viduarum , sed etiam de conjugali , quæ cum commixtione carnis consistit , modo matrimonii & honestatis finis non excedatur . Quomodo enim alioquin Gregorius ibidem diceret ; *Nec castitas ergo magna est sine bono opere , nec opus bonum est aliquid sine castitate?* Nam certum est , quod sit falsissimum & hæreticum , quod nullum opus bonum fiat ab iis , qui matrimonio utuntur ; sunt enim plurimi Sancti , in album Sanctorum relati , qui & usque ad mortem matrimonio copulati fuerunt , & in eo progenuere liberos . Hoc autem verum est , & hic solus potest esse Gregorii sensus , quod carnis luxuriam debeamus per continentiam coarctare , unusquisque pro diversitate sui status : cœlibes & viduæ , abstinendo ab omni delectatione carnali ; conjugati , servando fidem matrimonii , neque alteri se commiscendo reipsa aut desiderio : & sicut castitas ad vitam æternam conducere non potest , sine aliis bonis operibus ; ita nec alia opera esse salutifera , sine castitate illa generica , quamvis (ut ostendi) salutifera esse possint sine determinata specie castitatis , qualis est in Religiosis , aut aliis , cœlibem vitam agentibus .

76 Haud equidem possum te cum Eliana tua accinctione dimittere , nisi prius interrogavero , an ullum inter omnes Patres , Doctores , vel Interpretes , extra scholam vestram , inveneris , qui accinctionem lumborum , non parabolicam , sed realem (quæ memoratur Reg. 18. de Elia currente ante Achab) interpretatus sit de castitate , præsertim voto dicata ? Neminem ego quidem reperi , neminem te reperisse colligo ex eo , quod nullum attuleris , sed refugere debueris ad locum parabolicum novi Testamenti , ad propositum nihil prorsus pertinentem . Si vero nullus accinctionem Eliæ sic interpretetur , qua auctoritate sensum hunc Scripturæ affingis ? Hoccine est servare Leges , a Tridentino Interpretibus præscriptas ; quibus jubentur a novitatibus abstinere , & communi Patrum tramiti insistere ?

77 Vides itaque , Reverende Pater , quod neque pro obedientiæ , neque pro paupertatis , neque pro castitatis perpetuæ voto , ab Elia

(ut

(ut prætenditis) emisso, quidquam elicere valeas, neque ex Scriptura, neque ex Patribus. Et tamen confidenter concludis: *Ex quo patet, Eliam Prophetam fuisse verum Monachum seu Religiosum, consideratum præcise secundum tria Evangelica vota Religionis essentialia.* Hæc conclusio scilicet, non probabilis tibi, sed evidens est: patet enim. Ego vero rationabilius conclusi supra, nihil penitus sequi illorum omnium quæ intendis; addo, hoc maxime ex dictis tuis & meis patere, quam sis in referenda S. Scriptura infidelis, quam in explicanda exoticus, quam in argumentando dignus commiseratione, (alii dicent, risu) potius quam responso operosiore. Videamus tamen quid novi adferas ex S. Thoma.

78 „ Tria (inquis) Evangelica vota Religionis essentalia, Elias in primis, juxta mentem D. Thomæ, præsumitur emisisse. Nam cum S. Thomas in Cap. 17. Matth. dicat, *Elias omnibus Prophetis sanctior fuit*: & aliunde 2. 2. q. 186. Art. 6. ad 2. *Non aliter homo potest vitam totam Deo exhibere, nisi per voti obligationem*; ex quibus patet, opera ex voto facta Deo esse gratiora, & nobis magis meritoria; hinc omnino præsumendum & inferendum videtur, ex mente D. Thomæ, sanctissimum Dei Prophetam Eliam, vi voti seu per obligationem voti, servasse obedientiam, castitatem, & paupertatem. Respondeo: Quis vidit scopas unquam magis dissolutas? Si Paternitas Vestra ostendisset antea, quod alii Prophetæ emisissent tria vota Religiosorum essentialia, ac dein subsumpsisset: atqui *Elias omnibus Prophetis sanctior fuit*, forte ex utraque simul præmissa inferres, aliqua verisimilitudine etiam Eliam illa vota emisisse: quamquam nec hoc quidem argumentum præter inanem speciem quidquam haberet, ut mox demonstrabo. Cum itaque nullus aliorum Prophetarum deprehendatur tria vota Religiosorum essentialia emisisse; ad hoc ut Elias ceteris sanctior fuisse dicatur, sufficit, si in ipsis virtutum exercitiis, sine talibus quoque votis, credatur multum excelluisse. Sic inter SS. Patres non desunt, qui Abrahamum prædicent præ ceteris Patriarchis, Davidem præ ceteris Regibus; imo Actorum 13. vers. 22. dicitur; Deus *suscitavit illis David Regem, cui testimonium perhibens dixit, Inveni David, filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. Numquid testimonium illud majus encomium Davidis continet, quam illud S. Thomæ de Elia? Numquid & ipse testificans, infinities majoris auctoritatis est? Sicut tamen inde nemo sapiens inferendum duxerit, Ergo David vovit perpetuam castitatem, paupertatem & obedientiam (nam specimina voto castitatis opposita, & quidem in materia certe non parva, satis omnibus nota sunt) sic neque ex eo quod Elias dicatur *sanctior fuisse omnibus Prophetis*, sequitur ulla ratione, aut rationis umbra, Eliam tria vota Religionis habuisse.

79 Nunc ad subsumptum, quod facis verbis D. Thomæ: Atqui *non aliter homo potest vitam totam Deo exhiberi, nisi per voti obligationem*. Quam quæso habet hoc connexionem cum præmissa præcedenti, ut educere conclusionem ex utraque possis, solis tribus terminis constantem? Age ostende hic, quodnam sit medium, quod in antecedente bis poni debet, & cui tamquam tertio duo extrema identificentur, ut hac ratione ostendantur in conclusione identificari inter se. Admitto igitur verba S. Thomæ, & explico: *Non aliter* perfecte *potest homo vitam totam Deo exhibere, nisi per voti obligationem*, concedo: *Non aliter* modo aliquo inferiore, nego. Quod autem sensus Divi Thomæ non sit, Eliam tria ista vota emisisse, evidens apparet ex eo, quod habet 3. parte quæst. 28. art. 4. *Quia*, inquit, *tempore Legis oportebat generationi insistere, tam mulieres, quam viros (quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur) Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolute virginitatem vovisse; sed, licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio; postmodum vero, accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit. Ad primum ergo dicendum, quod, quia videbatur esse Lege prohibitum non dare operam ad relinquendum semen super terram; ideo non simpliciter virginitatem vovit Dei Genitrix; sed sub conditione, si Deo placeret: postquam autem innotuit hoc esse Deo acceptum, absolute vovit antequam ab Angelo annuntiaretur. Ad secundum, quod, sicut gratiæ plenitudo perfecte quidem fuit in Christo, & tamen aliqua ejus inchoatio præcessit in matre; ita etiam observatio consiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfecte quidem incepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine matre ejus*: ubi observatio consiliorum, præsertim cum voto, dicitur inchoata a D. Virgine, non autem ab ullo veteris Testamenti, adeoque non ab Elia. Deinde cur non simpliciter virginitatem ab initio vovisset Maria, sed tantum sub conditione, si Deo placeret? Quid opus erat ea conditione, si simpliciter Elias, & ab eo instituta plurimumque jam tum propagata Religio, simpliciter vovisset? Patres Carmelitæ (ut quidem scribitis) Mariæ perfamiliares erant; poterant proinde illam de modo vovendi absoluto edocere.

80 Deinde S. Thomas loco objecto non dicit, quod non possit esse aliquis multum Sanctus, *nisi per voti obligationem*; sed quod non possit dare se totum Deo, nisi det etiam libertatem; quam homo non potest sibi adimere & transferre totam in Deum, nisi per votum. Atqui D. Thomas non dicit, quod Elias se totum Deo dederit; sed tantum, quod sanctior fuit aliis Prophetis; ad quod verificandum sufficit, si eos, qui nullum votum Religionis habebant, in aliis superaverit. Sic fieri potest, ut Paternitas vestra omnibus suis sociis doctior sit, nec tamen habeat multum eruditionis Historicæ, quæ forte apud vestros non plurimum viget.

81 Præterea verbis illis utitur S. Thomas, ut respondeat objectioni, quæ indicabat promissionem per vota esse stultam & infidelem; quia monet Sapiens, Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; non possumus autem statim reddere, quidquid per vota Religionis promittimus, cum eorum materia successiva sit & perpetua. Ad quod sic respondet: *Ad secundum*, inquit, *dicendum, quod perfectio Religionis requirit, sicut Gregorius dicit, ut aliquis omne, quod vovit Deo, exhibeat: sed homo non potest totam vitam suam actu exhibere; quia non est tota simul, sed succes-*

successive agitur: unde aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem. Quare particula, *Non aliter*, tantum videtur excludere Exhibitionem, qua tota vita simul actu exhiberetur; non autem mens S. Thomæ est dicere, quod non possit tota vita nostra exhiberi Deo per propositum efficax sine voto; vel quod non possit tota vita nostra successive exhiberi & impendi Deo, etiam sine voto. Quis enim dubitet, quin SS. Patriarchæ, Abraham, Isaac, Jacob, & Joseph, vitam suam totam Deo exhibuerint, id est impenderint ejus cultui? quos tamen certum est, Religiosos non fuisse, sed matrimonio semper usos. An autem Elias, & filii Prophetarum, quos censes Religiosos fuisse, Patriarchis illis sanctiores fuerint, non definit Angelicus Doctor, nec credo quemquam alium facile definiturum. Si ergo conclusio hæc fatua foret, *David sanctior fuit ceteris Regibus; Abraham, Isaac, Jacob & Joseph sanctiores fuerunt aliis Patriarchis*; atqui *non aliter homo potest vitam totam Deo exhibere, nisi per voti obligationem*: Ergo *David, Abraham, Isaac, Jacob, & Joseph, fuerunt Religiosi quantum spectat ad tria vota Religionis essentialia*, Quid statues de conclusione hac, quoad omnia persimili? *Elias omnibus Prophetis sanctior fuit*: Atqui *non aliter homo potest vitam totam Deo exhibere, nisi per voti obligationem*: Ergo *habuit tria vota Religionis essentialia*.

82 Habesne, Reverende Pater, plura ejusmodi argumenta pro religiosis votis Eliæ? Imo, inquis, totum id *literis demonstratur ex eo, quod Elias, Eliseus, & filii Prophetarum a SS. Patribus & innumeris Doctoribus appellentur Monachi, & Monachorum Principes, Duces & exemplar*. Sed nondum video Religiosos vocatos: nondum video factam mentionem trium votorum Religiosis essentialium. Et quidem inter tres Patres, qui monachatus Eliani apud te meminerunt, unus est S. Hieronymus, qui in Vita S. Hilarionis minime obscure contra Paternitatem tuam sic testatur: *Necdum monasteria erant in Palæstina, nec quisquam Monachum ante S. Hilarionem in Syria noverat*. Et tamen, aut illic, aut nullibi fuere Carmelitarum monasteria fundata ab Elia, aliisque eum secutis Ordinis vestri Generalibus in Testamento veteri, & initio novi. Alter testis, quem citas, est Cassianus, famosus Collator, contra quem (utpote Semipelagianismo infectum) tam acriter scripsit S. Prosper librum de Dei Gratia. Tertius est Abbas Macarius, qui suos sic hortatur: *Fratres carissimi, Eliam & Eliseum ac filios Prophetarum, quos constat veraciter fuisse veteris Testamenti Monachos, imitari curate*. Particula hæc *veteris Testamenti* rectissime a Macario additur, tamquam limitatio vocis *Monachus*; ne scilicet putetur fuisse Monachus, quales plerique Testamenti novi, nempe tribus votis Religiosorum essentialibus adstrictus. Addis a S. Epiphanio, & Anastasio Sinaita vocari Eliam *verum Religiosum*. Ubi locum, Reverende Pater, designavesis, dispiciam an & quo sensu dictum id ab illis sit.

83 Ut videam Eliam appellatum a Patribus *exemplum Religiosorum*, remittis me ad Antonium a Spiritu sancto Carmelitam. Velim ipse potius locos sanctorum Patrum, si quos habet claros, ex eo describas, notato libro & capite, tum a me responsum expecta accuratissimum. Ad S. Hieronymum (si tamen locus Hieronymi sit) vocantem Eliam Principem Monachorum, Eliseum eorum Præpositum, filios Prophetarum Duces; respondeo merito sic vocari, qui primi Monachi fuerunt, quorum exemplum alii tum in veteri tum in novo Testamento secuti sint; ita tamen, ut hi in nova Lege castitatem, paupertatem & obedientiam, non modo servarint sicut priores; sed a Christo jam perfectiora edocti, ad virtutes illas in perpetuum servandas voto etiam se obstrinxerint. Habes hic paucis explicatum, quomodo Elias exemplum esse potuerit Monachis secuturis, & tamen quomodo novi Testamenti Monachi, ex sapientioris & vere divini magistri institutione, ad priorem Monachatum novi aliquid, idque perfectius adjunxerint.

84 Ais ex D. Thoma, exemplum & exemplar (utpote quod causa esse debet ejus quod juxta exemplum vel exemplar fit) debere esse perfectius, vel ut minimum, æque perfectum, quam sit istud, cui in exemplar proponitur: ergo si Monachi in nova Lege habeant vota Religionis, non potuerunt defuisse eadem etiam Eliæ. Respondeo admittendo sententiam S. Thomæ; sed nego suppositum, quod Elias in novo Testamento proponatur tamquam exemplar emittendi vota, sed agendi vitam solitariam; & in ea exercendi virtutes, etiam castitatis, paupertatis & obedientiæ, circa quas ex doctrina Christi nunc emittuntur vota, veteribus incognita. Et certe S. Macarius, a Paternitate Tua citatus, dum sic scribit ad Monachos: *Fratres carissimi, Eliam ac filios Prophetarum, quos constat veraciter fuisse veteris Testamenti Monachos, imitari curate*, non hortatur, ut imitentur Eliam in emittendis votis; jam enim ea emiserant; sed ut Eliam in virtutum, circa quas vota versantur, exercitio quam accuratissime sequi studeant. Sic castissima Susanna, certum potius mortis discrimen eligens quam castitatis jacturam; Joseph, gloriose superans blanditias pellicientis dominæ, exemplum castitatis proponitur, etiam Religiosis. Habent hi exemplum paupertatis, saltem parabolicum, in Lazaro, summam egestatem fortissime tolerante. Quis Religiosus ægre ferat, sibi proponi exemplum obedientiæ, Abrahamum & Isaacum ejus filium; quorum obedientia tanto præclarior fuit, quanto magis ardua, & promissionibus divinis in speciem repugnans? Et tamen neque Susanna, neque Joseph, neque Lazarus, neque Abraham, neque Isaac ullo Religionis voto astrictus fuisse perhibetur aut creditur.

85 Eatenus ergo debet exemplar perfectius esse, quatenus ut exemplar proponitur; non debet circa omnia alia eminere; quin & in aliis fieri potest ut habeat aliquid minus, ut patet in exemplis allatis, quibus vota desunt Religionis; &, si sacris liceat miscere profana, passim decantatus est hic Horatii versus,

Parvula nam exemplo est magni formica laboris. Imo & Prov. 6. Divina Sapientia pigrum hominem ad formicam remittit; *Vade ad formicam, piger*. Unde frivola est instantia de *Ludi-magistro*, quem dicis non posse statui *Principem, Ducem, aut Magistrum Philosophorum, Medicorum, Juristarum aut Theologorum, si non sit Philosophus, Medicus, Jurista aut Theologus*. Exemplum, scilicet, ponis, quod nihil habeat eorum quæ proponuntur imitanda: supponis enim Ludi-magistrum nihil habere scientiæ philosophicæ, nihil medicæ, &c. ideo exemplum esse non potest.

At

At Elias omnia Monachis propria habuit, in gradu perfectionis valde eminenti; licet quæ circa virtutes illas Christus ejusque Mater primum docuere, ignoraverit. Ut igitur paritas sit, & argumenti tui vanitas magis pateat, suppone Ludimagistrum, qui scientias, Philosophicam, Theologicam & Juris utriusque cum arte Medica perfecte possideat; & ubi necessitas aut caritas exigit, in proximi pauperis utilitatem sedulo & gratis impendat; sed Doctoris aut Licentiati gradum non habeat, nulli se juramento adstrinxerit, quod a Causidicis & Medicis exigi solet, imo & a Philosophis dum immatriculantur, & & a Theologis dum donantur aliquo gradu. An ejusmodi Ludimagister velut exemplar proponi non posset Doctoribus & Licentiatis, quia neque Doctor neque Licentiatus est? Sic Elias, etsi gradum Religiosi non sit consecutus, & vota Religiosorum essentialia (utpote suo tempore ignota) non susceperit; cetera tamen Religiosorum habuit in gradu admodum eminenti, neque inter illa castitatem, & paupertatem; obedientiam vero, quam Religiosus exercere debet erga hominem, cum Elias hominem non haberet cui se in omnibus convenienter submitteret, perfectam tamen erga Deum exercuit; cur is, inquam, sine ejusmodi votis, prædicari non possit tamquam præclarum Monachorum exemplar?

86 Tandem satis conspicata Paternitas vestra, omnia pro religiosis Eliæ votis allata, exigui momenti esse, remittit me ad Lezanam, quasi in rem solidissime conficiat. Sed cur argumentis ejus non uteris, si tam solida sint? Mirum est, a te excerpta fuisse sola debilia, & quæ, quamcumque vertantur in partem, præter inanem umbram vix quidpiam habere deprehenduntur. Deinde Lezana, tantum hesternus scriptor est: vellem saltem ex Carmelitis antiquioribus videre, qui Eliam Religiosum faciant. *Waldensis*, inquis, *sustines statum Monasticum cœpisse ante annum Christi 300.* De hoc, R. Pater, videbimus §. sequenti; hic ostendendum, quod Elias habuerit tria vota religionis essentialia. Interea quæ species consequentiæ, *Monachatus cœpit ante annum 300.* novi Testamenti, ergo Elias fuit Religiosus multis seculis ante novi Testamenti initium? Scio, juxta Waldensem vestrum Tomo 3. de Sacramentalibus cap. 89. *primam Virginem feminam Prophetæ* Eliæ *in virginitate perpetua vote successisse*; sed quod nimius antiquitatem Ordini suo conciliandi amor Auctorem, alioquin non malum, longius hic quam par est abripuerit, liquet ex eo, quod ibidem, non Deiparam Eliæ, sed Eliam Deiparæ exemplar constituerit; secutus, ut ait, Joannis Hierosolymitani librum de Institutione Monachorum, quem huic affictum esse, aliàs ostendi. Sic igitur enuntiat: *Ad montem Carmeli, id est ad hanc altam circumcisionis scientiam, Nubecula, scilicet Beata Maria, ideo quasi vestigium hominis ascendebat; quia non femina, sed homo, scilicet Elias, exemplum ascendendi ei præbebat, quem ipsa imitari satagebat.* Pudet vos quidem modo tantæ erga Reginam virginum irreverentiæ; iden illam, spiritu Prophetico ab Elia in Nubecula prævisam, Eliæ exemplar castitatis fuisse, mavultis prædicare: sed non sic vester Waldensis aut Pseudo-Joannes excusatur, nec stabilitur utriusque in hac materia auctoritas.

87 Et certe, dum dicitur prima inter feminas Maria virginitatem vovisse, omnes idem intelligunt etiam de viris. Unde S. Bonaventura Libro 1. Pharetræ cap. 5. S. Bartholomæo Apostolo, apud Pseudo-Abdiam (ut dixi) loquenti, consentiens, ita scribit: *Hæc prima inter feminas constituit in corde suo, ut diceret Deo; Domine, offero tibi virginitatem meam; cum hoc a nullo homine, nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem invitata fuisset.* Ubi itaque Elias exemplar Religiosorum quoad vota essentialia? Ex his disce, Reverende Pater, non tam altum clamare, neque adeo invehi in eos, qui ad tot usque secula ante Christum natum, non putant extendendum esse Carmelitarum Ordinem, aut etiam statum Religiosum quoad vota obedientiæ, paupertatis & castitatis perpetuæ. Ego ne videar prætensam Carmelitarum successionem ultionis spiritu impetere potius, quam me intra necessariæ defensionis limites continere; redeo ad diluendam criminationem, quasi temerarie & contra certam sanctorum Patrum sententiam in dubium revocaverim, fueritne Elias verus Religiosus. Ad superiores rationes & auctoritates, velut auctarii loco, addo sententiam Reverendissimi Herinx, ex Ordine Seraphico Iprensium Antistitis, parte 4. Theologiæ scholasticæ & moralis, disp. 49. n. 154. *Virginitatem*, inquit, *coluerunt Elias, Eliseus, Ieremias, Daniel cum sociis: quamquam, juxta Bedam, Bernardum, & alios Patres ac Doctores, Deipara omnium prima virginitatem vovisse ponatur; sic ut in hoc quoque verificetur, quod canit Ecclesia, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. Nimirum congruebat, tantam perfectionem primo obtingere Reginæ Virginum.* Similem fere rationem tradit R. P. Paulus a S. Catharina Discalceatus, non tamen Carmelita, sed Augustinianus, in Epiniciis Deiparæ Lib. 5. cap. 4. sect. 2. *Quam rem*, inquit, *raritas commendat; ideo Christus, filius Virginis, hanc virtutem excolendam hominibus proponere reservavit in tempus adventus sui, propter perfectionem legis Evangelicæ, cujus est præcipuum ornamentum.*

88 S. Chrysostomus in Hom. de Jejunio & temperantia: *Enimvero, magna est hujus rei, nempe virginitatis, dignitas, & admodum excelsus virtutis ager; atque hoc etiam illi manifestum faciunt, qui in veteri Testamento multa alioquin præclara gesserunt. Magnus enim ille Moyses, caput illud Prophetarum, familiaris Deo amicus &c..... ad hæc virginitatis certamina ne oculos quidem intendere potuit, sed conjugio ac ejus præsidio habuit opus; nec ausus est in virginitatis pelagus se dare, ejusdem fluctus veritus. Et Patriarcha ille, filii sacerdos (* Abraham *) crudelissimum illum in naturam affectum superare valuit, filiumque,* quantum in ipso erat, *occidere, sed ad virginitatis certamen se accingere non est ausus*: quod ipsum censet de Propheta Job. Eadem docet in homilia de Eleemosyna ac jejunio, & in secunda ad Olympiadem epistola, atque extendit etiam ad Isaac aliosque Patriarchas. Sed quidquid sit de motivo, quoad generationem impulsi sunt aliqui; quidquid de castitate aut etiam virginitate aliorum; istud mihi quidem videtur nullo solido fundamento adstrui, Eliam, Eliseum, aut ullum veteris Testamenti elicuisse votum perpetuæ castitatis.

89 Superest adhuc aliquid dicendum de Filiis Prophetarum, atque imprimis noto cum sacræ

Scri-

Scripturæ Interpretibus, in Populo Israelitico *Prophetas* dictos, non eos solum, quos futurorum prædictio & arcanorum scientia illustres faciebat, *Videntes* quoque dictos, priusquam gens illa suos Reges acciperet; sed etiam ex humano instituto; & prius forte quam in Terram Promissionis transiret, Cantores laudum divinarum, in synagogis & sabbatinis conventibus. Hos enim & *Prophetas* nominatos, & *Prophetare* dictum pro *Psallere*, apparet ex 1. Regum cap. 10. ubi Sauli Galgalis appropinquanti, *Cuneus Prophetarum obvium venit, & ipse prophetavit in medio eorum*, & rursus idem cap. 17. insiliente in eum spiritu, *prophetavit in medio domus suæ*. Talium Cantorum congruum fuit scholas & collegia quædam haberi, ubi juniores, inde dicti *Filii Prophetarum*, exercerentur; & unde bene exercitati distribuerentur per synagogas, veluti per parochias; quemadmodum, ex Concilii Tridentini voto, in singulis diœcesibus habentur Seminaria Clericorum, tantisper eodem tecto ac mensa utentium, ex collata ad id fundatione, & ad propria cuique domui instituta tenenda pro tempore obligatorum.

90 Porro sicut propterea nemo dixerit, ejusmodi Clericos profiteri monasticam, cum illic recipiuntur; aut ad Evangelica consilia ex voto adstrictos; sic absque ullo fundamento sustinetur, Filios Prophetarum, de quibus liber 4. Regum cap. 4. 5. 6. meminit, ut in Bethel, in Jericho, in monte Ephraim domicilium, & quasi cœnobia habentium, fuisse veri nominis cœnobitas, obstrictos voto perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ. Non etiam ex eo, quod ad ipsos divertere solebat Eliseus, & illi in suis necessitatibus ad ipsum recurrere, vel quod Jerichuntini dixerint, *Ecce locus in quo habitamus coram te, angustus est nobis*, utpote ad centenarium usque auctis; non, inquam, ex prædictis sequitur, quod illi haberent ipsum pro suo Generali, cui obedientiam omnes vovissent, in totabus vel ipsiusmet, vel immediatorum suorum Superiorum; licet his obedire tenerentur pro tempore, quo isto in convictu morabantur; scilicet ex contractu, non ex voto.

91 Tales tamen, quia pro illo tempore tenebant aliquam cœnobiticæ vitæ formam, idque in ordine ad specialem Dei cultum, nec alii in veteri Testamento erant, qui propius ad Monasticam Christianorum accederent; recte dici potuerunt *Duces Monachorum*, jam inde a temporibus ipsum quoque Eliam diu prægressis; cujus tamen longe excellentior anachoresis, conjuncta cum Prophetica gratia & dono miraculorum, tam considerabilem illum, etiam post Christum natum, Monachis quibuscumque fecit, ut ad ipsum, velut eo in genere primum, tum solitarii omnes Monachi, tum etiam claustrales sub Evangelicæ perfectionis norma vivere professi, referrent originem suam; licet nullis ab illo vel per illum regulis specialibus informati, nulla eidem successionis continuæ catena devincti.

92 Venio tandem ad id, unde Paragraphum incepisti, Pater Rev. sic scribens; *Quod in veteri Lege verus fuerit Monachatus & Religio, probatur ex Decreto supremæ S. Inquisitionis, quæ in judicio contradictorio contra Jesuitas, per sententiam definitivam, approbavit propositiones, asserentes in Lege veteri fuisse votum obedientiæ, castitatis & paupertatis, adeoque verum Monachatum.* Nescio quinam fuerint Jesuitæ isti, nec scire curo; judicium contradictorium non capio quale possit esse, ubi nec accusator ad replicandum accersitur, neque cum eodem communicatur lata in favorem rei sententia, ut cesset accusatio. Atqui neutrum factum videtur constare ex verbis P. Francisci de Salinas, sicuti ea allegantur a P. Francisco Bonæ-spei, parte 1. Armamentarii num. 1;4. Decretum enim ab hoc aliisque recentioribus profertur, ut editum anno 1639. die 9. Decembris; Salinas autem in cap. 2. Jonæ qu. 35. num. 307. ita scribit apud dictum Patrem Bonæ-spei,

93 *Ego quidem sententiam supremi Inquisitionis Senatus non vidi, quia in archivio Religionis reservatur: sed nec sanctum Inquisitionis tribunal, in sua sententia edixisse, quod, uti ipse asseruit* (scilicet Auctor Apologetici pro Historia Prophetica Carmelitarum, antea censurata ut scandalosa &c.) *ipse affirmat, certe certius est ex dictis supremi Senatus Censorum, qui mihi id affirmarunt. Etenim illud sacrum Tribunal, nihil aliud fecisse asseverarunt, quam absolvere ab instantia Domini Fiscalis sententiam Monachatus aut Voti. Premebatur enim prædicta sententia, quia semel damnata fuerat: postmodum ab igne libera constituitur: non vero inde fit, approbatam in sempiternum. Nam & iterum absoluta ab instantia, poterit in judicium vocari, nimirum nova probatione habita ejus mali, cujus accusabatur & rea tenebatur. Quapropter mihi & cuilibet alii licitum & laudabile erit, pro Virginis honore decertare, & damnandam opinionem asserere; & si ostendero argumenta & rationes, damnatione prædictæ sententiæ dignas, quis dubitat a S. Tribunali perpendendas, quin aliquid faciat, primæ absolutioni nec indignum, nec contrarium? Qui namque ab instantia absolvitur, iterum potest instari & teneri, quod frequentissimum est in sacro supremæ Inquisitionis tribunali: & adeo nihil habet auctoritatis illa absolutio ab instantia, qua toties instat in sua sententiæ favorem. Censores vero, quorum dictis ab instantia absoluta fuerit hæc sententia, potuerunt primo esse numero pauci, secundo potuerunt etiam moveri auctoritate S. Hieronymi, Isidori & illorum, quibus ipse utitur in suo Apologetico libro: quorum sententias expendimus, & vidimus eos neutiquam suæ sententiæ favere, sed nostræ; & crede eos, si hæc vidissent, sub eadem damnatione sententiam reliquissent: audivi enim multos, a quibus hæc accepi, quæ modo retuli.*

94 Huic relationi nihil omnino adversatur Decretum, cujus hic est tenor. *In urbe Madriti; die nona præsentis mensis Decembris 1639. assistente Illustriss. D. Archiepiscopo Inquisitore Generali, una cum Dominis Regii Consilii sanctæ Generalis Inquisitionis, viso & examinato Memoriali, quod præsentavit Religio Carmelitarum Discalceatorum, in defensionem quarumdam propositionum, contentarum in 1. Tomo Historiæ Propheticæ, compositæ per Fr. Franciscum a S. Maria, ejusdem Ordinis alumnum; ac simul visis, & examinatis qualificationibus, supra dictum Memoriale ex ejus mandato factis; dixerunt, quod primæ quinque propositiones . . . . dicti Defensorii, scilicet,*

Quod in Lege scripta fuit votum castitatis & virginitatis perpetuæ.

Quod mulieres fecerant votum virginitatis in Lege scripta.

Quod

Quod in Lege scripta fuit votum obedientiæ perpetuæ.

Quod in Lege scripta fuit votum paupertatis voluntariæ.

Quod in Lege scripta fuit verus Monachatus & Religio. Currant impressæ ut jacent, & de novo possint imprimi; dummodo declaretur, non fuisse Monachatum cum solemnitate & perfectione, & cum potestate clavium, sicut in Lege gratiæ.

95 Obsecro te, Pater Rev. illud Hispanicum, *Corren impressas en la forma que estan*, id est, *Currant impressæ in forma in qua sunt*; numquid non videtur simile ei, quod Angli vocant, *Habeas corpus*? quando scilicet reus, suspensis quibuscumque contra eum actis, liber abire sinitur, quoad propter novas in eadem causa instantias denuo advocetur in judicium? Quænam porro est ista limitatio, addita sententiæ provisionali (ut Fora loquuntur) in vestrum favorem latæ? *Dummodo declaretur &c.*? An ergo Jesuitæ (hos enim vis delatores fuisse) an, inquam, Jesuitæ per calumniam imposuerunt Auctori Historiæ Propheticæ, id docuisse quod nunquam somniavit, torquentes in sensum tam perversum verba illius, sicut queror & demonstro, torsisse Paternitatem Tuam verba mea? Non existimo: Non enim credo, acquieturos vos fuisse, quin sacrum Officium ipsosmet adversarios declararet pœna dignos (sicut anno 1653. fecit in causa P. Didaci de Diana, cujus meminit Libellus Supplex, pro me oblatus Regi a Societate Toletana, num. 12.) non credo, inquam, acquieturos tali casu fuisse vos, quin sacrum Officium declararet, pœna dignos *delatorem, conjuratores, æmulos ac falsos testes, minusque bene affectos ministros*; tantoque id magis, quanto graviorem passus injuriam erat Auctor vester, non solum accusatus falso, sed etiam damnatus. Atqui da calumnia questus est hactenus, quod sciam, nemo: satisque vobis fuit evasisse judicium.

96 Hic tamen me tenes, Reverende Pater, hic me reum agis apud Inquisitores Hispanos; *Nam*, inquis, *juxta Hieronymum Garciam, opinio de vero Monachatu Eliæ adeo est probabilis secundum definitivam S. Inquisitionis Hispanicæ sententiam, ut qui eam nunc diceret esse improbabilem, puniretur per S. Officium tamquam contumax, ut dicetur art. 16. num. 157.* Adeo articulum tuum & numerum designatum; illic autem citas hæc verba Garciæ truncata: *qui nunc diceret, eam improbabilem esse* sententiam, *puniretur per S. Officium, tamquam contumax ac rebellis ejus decretis ac mandatis*. Nullum citas Garciæ librum, nullum locum, forte ne possim examinare citationis fidelitatem ac sensum. Testaris, agi de vero Eliæ Monachatu. Sit ita. Verum Monachatum, præsertim veteris Testamenti, a Religioso statu satis prolixe, & (ut puto) accurate distinxi. Non acquiescis, neque desinis me ad Tribunal S. Inquisitionis Hispanicæ rapere, tamquam contumacem ac rebellem ejus decretis, quod nolim S. Eliam, Eliseum, ac filios Prophetarum, agnoscere veros Religiosos, saltem præditos tribus votis Religiosorum essentialibus; atque adeo nec agnoscere Carmelitas fuisse illo titulo.

97 Parce, amabo, Reverende Pater. An sententiam istam usquam improbabilem dixerim, non memini: nunc tantum dico, salvo meliori, non videri mihi veram: & (pace vestra liceat) addam candore Belgico, nec probabilem mihi quidem videri. Ita enim de probabilitate cum Lovaniensibus nostris censeo, ut nulla sententia cuipiam probabilis sit, quæ eidem appareat falsa aut minus verisimilis, quam opposita. Quomodo autem possit sententia vestra non apparere mihi vel falsa, vel minus verosimilis, adversus quam tot rationes militant, & auctoritates, quæ nullis aliunde eliduntur? Si tamen pergas quærere auctores, in quos, opinionem vestram ut improbabilem rejicientes, debaccheris, quosque propterea denunties Hispanicæ Inquisitioni; habes in primis Hispanum Eximium P. Bartholomæum de Los Rios, qui loco supra citato dicit, *Quod novum illud prima mortalium ipsa* Deipara *fecerit, ut statum virginitatis, nuncupato ad id peculiari voto, institueret, sanctorum Augustini, Bernardi, Ruperti & sexcentorum tum Patrum, tum Doctorum irrefragabilis est sententia.*

98 Nonne opinio apud Theologos sine scrupolo vocatur improbabilis, quæ sexcentorum Patrum & Doctorum sententiæ irrefragabili opponitur? Atqui tamen Eximius hic Hispanus & in Capella Burgundica Concionator Regius, librum suum dedicavit Philippo IV. Hispaniarum Monarchæ, sub cujus auspiciis Antverpiæ eum edidit anno 1641. id est biennio post Decretum a te memoratum. Et licet illud confirmatum ab eadem Inquisitione dicas anno 1673. non destiere tamen propterea Theologi palam & impune opinionem vestram rejicere, tamquam improbabilem. Exemplo sit Eximius P. Christianus Lupus, ex Ordine S. Augustini, in antiquitatibus non parum versatus, & illustratione Conciliorum etiam Romæ notissimus atque æstimatissimus. Sic igitur in suis Scholiis ad Tertullianum de præscriptionibus contra Hæreticos, pag. 46. postquam de Prophetis & Patriarchis dixit, quod *in Matrimonium non fuerint ex libidine lapsi, neque ex hac in istud ascenderint: sed divinæ legis compellente præcepto, ex plena castitatis virtute in conjugale commercium descenderint, uti ex plena temperantia Timotheus in vinum; quia tempe erat tunc tempus spargendi lapides, seu filios generandi.*

99 Nunc aures arrige, R. Pater, ut audias quid dicat de voto castitatis: *Interim*, inquit, *est longe certissimum, quod perpetua, præsertim per votum Deo professa virginitas, in antiquo Testamento nec prædicata fuerit, nec observata: & observari non poterat...... Hæc splendidissima ac eminentissima virtus, est gratia novi Testamenti, initiata per sacratissimam Virginem, quæ hominum prima dixit: Quoniam virum non cognosco. Quod omnium in toto humano genere prima perpetuam virginitatem voverit, est constans traditio Ecclesiæ.* Nunc tibi considerandum relinquo, an detur opinio probabilis contra sententiam *certissimam*, & contra *constantem Ecclesiæ traditionem*. Quam longa etiam hodie in conspectu Inquisitionis Hispanicæ Franc. Galianus, Generalis Hieronymianorum, a sententia vestra probabilitatem omnem arceat non est quod commemorem; liber ejus satis aperte loquitur. Nec ille tantum, quem jam in Belgio habemus Latine scriptum: sed etiam idem Hispanice redditus, ac verosimiliter auctior, & summo Pontifici dedicatus, nondum quidem hic visus, celebris tamen, propter molimina vestra contra eumdem exinanita omnia. Nam cum eum jam impressum, mediantibus Regiis quibusdam Se-

nato-

natoribus, suspendi fecissetis, ne palam exponi posset venalis, licet omni requisita facultate & approbatione munitus; tandem tamen die 13. Febr. nuper evicit plurium sententia sanior, ut emi ac legi recte possit; & jam palam de adversariis toto non solum Madrito, sed Hispania triumphat. Sed & Decretum tantopere a te jactatum quid aliud habet, quam quod permittatur sententiæ vestræ, ut *currat*. Jam supra dixi & iterum dico, me cursum ejus nolle impedire, modo veritas & certa Patrum traditio non detineatur vincta compedibus.

100 Interea *currant* propositiones vestræ, quantum volent: stabit semper immota veritas. Sed an a Sede Apostolica permittetur, ut currant etiam Propositiones septemdecim, a Reverendissimo Patre Generali Hieronymianorum, vobis imputatæ & denuntiatæ Cathedræ S. Petri, ut novæ, ab eaque dijudicandæ? Ad manum mihi non sunt libri, quibus Propositiones illæ contineri & defendi dicuntur. Juvat interim legendas hic exponere septem ultimas (nam priores decem spinosæ magis sunt, nec ita facile dijudicandæ quolibet) & Paternitati Tuæ occasionem præbere lævigandi novitatem doctrinæ, si vestra sit; aut, si falso vobis impingatur, calumniam diluendi. Sunt autem hæ.

101 XI. *Vocatio, qua vocavit Elias Eliseum, ad statum religiosum & substantialiter Evangelicum, fuit majoribus auxiliis & favoribus præventa, quam vocatio, qua Christus vocavit Apostolos ad suum discipulatum.*

XII *In prædicto statu religioso, revelata fuit omnibus monachis & Monialibus, & omnibus profitentibus in eo, exemplaritas Christi futuri, & voti virginitatis Deiparæ, ut vota emitterent ad exemplar vitæ Christi Domini, & voti B. Mariæ.*

XIII *In eodem statu revelabatur profitentibus præmium æternum, ut vota Evangelica emitterent propter regnum cælorum.*

XIV *Prædictus status religiosus ... ab Elia usque ad Christum Dominum, permansit in sua primitiva observantia, sine relaxatione aliqua & mitigatione sui primævi instituti.*

XV *Idem status, præter tria substantialia vota, fuit etiam in abstinentia, non solum carnium, sed piscium: & ex Regula Monachi & Moniales tantum herbis victitabant.*

XVI *In illo statu, per novena secula & amplius, ab Elia usque ad Christum, nullus a vocatione recessit: nullus in Monachis Elianis veteris Testamenti fuit lapsus.*

XXII *Ad illum statum Elianum Synagoga nullus recipiebatur impurus: quia impuritas, etiam mentis, revelabatur Prælatis, ut ostium impuris clauderent.*

102 O grandes Monachatus Judaici supra Christianum prærogativas! O feliciores tunc, quam nunc Carmelitas! Etenim traductus in Europam ex Syria, dimisit eremis suburbanis, penetravit in civitatum frequentiam, & vitæ contemplativæ studia quieta, activæ laboriosis exercitiis multipliciter interpolavit. Neque hoc tantum, sed diffluente singulis fere seculis disciplina, frequentes reformationes ultro subivit; divisus denique est in Calceatos, mitigata in nonnullis Regula utentes, & Discalceatos: eosdemque Calceatos vidimus nos juvenes insigniter reformari in Belgio, & gratulamur, nedum vitio vertimus; nam si collabi paulatim instituta etiam sanctissima humanæ est infirmitatis; divinæ potentiæ opus est collabentia restaurari.

103 Quantum autem hoc veteris Monachatus supra novum fuerit privilegium, quod crimen apostasiæ status ille prior exclusit, contra quam secundus Evangelicus, ipsomet Christo magistro utens! An hic isti, tam antiquo tamque singulari, eatenus inviolato privilegio renuntiaverat, cum permisit unum ex suis duodecim adeo graviter labi, ut magistrum ac dominum venderet triginta argenteis, & abiens laqueo se suspenderet? hunc autem secuti sunt tot alii infelices apostatæ Ordinum religiosorum quorumcumque, etiam Carmeliticí. Ast forte, præter unum Andream, S. Joannis Baptistæ discipulum, Carmelitæ non erant cæteri Apostoli, adeoque nec Judas. Vereor, ut hoc æquis auribus audiatur de illis, qui tanto propius Beatam Virginem ejusque virginitatem habebant præ oculis, quam alii (ut fertur) tunc viventes in Carmelo, Joannis prædicatione ad Messiæ cognitionem dispositi, & Spiritum sanctum in Pentecoste suscipere digni.

104 Dicatur tamen etiam hoc: quid ergo de Giezi famulo Elisei, post Naamani munera suscepta dilapso ad seculum uxoremque ducendam? Vel igitur hic Elisei ipsius famulus non fuerit Carmelita; vel Eliseum, in eo ad suum famulatum, adeoque & discipulatum asciscendo, destituit spiritus, Prælatis omnibus Carmeliticis postea proprius tamdiu. Ut porro nec Giezi fuerit Carmelita, quomodo id negare audebitis de Jona, quem vultis Sareptanæ viduæ filium atque Eliæ ipsius discipulum fuisse? nec desunt ex vestris qui faciant successorem Elisei in regimine generali totius Ordinis. Atqui etiam hic in apostasiam lapsus contra suum obedientiæ, quod adstruitis, votum, refractarius præcepto tam formali, quod ei Dominus fecerat de prædicando Ninivitis, fugit in Tharsis; utique non amplius rediturus ad monasteria sua, quod est ipsissimum apostasiæ monasticæ crimen committere. Sed de his mecum, Lector, suspende judicium, donec Apostolica Sedes judicaverit, an talia doceant Carmelitæ, & quatenus ea teneri possint vel debeant reprobari.

105 Ego quod mearum est partium historice egi, quando ostendi supra ex Hieronymo, usque ad Monachatum S. Hilarionis, ignotum fuisse in Syria & Palæstina nomen Monachi, nec ulla illic fuisse monasteria. Quid si autem pariter ostendam, ante Augustini Episcopatum, qui non fuit nisi seculo quinto, nullum in Italia, nullum in Africa, quæ præcipuæ fidei Catholicæ tunc erant regiones, fuisse seu virorum, seu mulierum cœnobium? Certe id asserit Christianus Lupus in suis ad Tertullianum Scholiis pag. 42. Opportune omnino. Nam objicis mihi hunc ipsum Tertullianum, qui & floruit seculo tertio, & librum scripsit *de velandis Virginibus*. Respondeo, nondum ex Tertulliano probari, quod Virgines illæ essent Religiosæ: nam & velum accipiunt hodiedum Begginæ: & castitatem in domo paterna profitentur multæ filiæ Deo devotæ, etiam perpetuam, quibus tamen desunt cetera ad Religionem requisita. Neque obest, quod virgines illæ *sacræ, sanctificatæ*, imo & *Sanctimoniales* vocarentur; de quibus sic S. Augustinus Sermone 23. de verbis Domini: *Illæ quæ propria & excellentiori sanctitate Virgines in Ecclesia nominantur, quas etiam usitatiori vocabulo Sanctimoniales appellare consuevimus.*

106 Ut autem de istius mei responsi soliditate mi-

minus dubites, opportune, ut diai, offert se responsalem pro me prælaudatus Eximius, loco supra indicato notans, quod Tertullianus *nequaquam de solis cœnobitis, sed & de castitatem professis, in paterna aut alia privata domo, Virginibus agit: etenim usque ad S. Augustini Episcopatum Africana Ecclesia & virorum & virginum cœnobia penitus ignoravit. Nam & ipse Augustinus, dum in Italia doceret Rhetoricam, ignoravit vocem Monasterium. Ista tamen Ecclesia sacris semper abundavit Virginibus: & ipsas semper appellatas fuisse Sanctimoniales, habemus item ex aliis Scriptoribus. Idem titulus viguit apud antiquos Longobardos, etenim apud eorum Leges, septimus & trigesimus secundi libri titulus est de* SANCTIMONIALIBUS: *& illic contentæ Leges istum titulum assidue donant etiam privatarum domorum virginibus.* Sic explicat Eximius hic Auctor Tertullianum, in quem ex professo commentatur, jungens mox etiam Toletanam I. Synodum, S. Athanasium &c. Atque adeo non ubicumque *velatas* aut *sacras virgines*, quin & *Sanctimoniales*, apud antiquos reperis, statim cœnobiticas aut religiosas Virgines te invenisse probaveris.

107 Objectionem de Eunuchis absolvi paucis §. superiore, nec enim putaveram multum te in eis præsidii ponere. Cum tamen cetera, etiam minutissima, tam studiose discusserim, vereor ne forte hic difficultatis aliquid me apprehendisse suspiceris, cujus metu potius quam contemptu, ad alia properaverim. Quare singulos etiam objectionis illius apices expendere est animus. Quoad votum castitatis, quod in Lege veteri fuerit, probatur, inquis, ,, ex Isa. 56. ubi de *Eunuchis*
,, fit mentio. In quem locum Hieron. lib. 15.
,, ait: *In Eunuchis illi intelligendi sunt, qui se*
,, *castraverunt propter Regnum cælorum, quales*
,, *erant Apostoli*. Et S. Anastasius Sinaita in qq.
,, super Script. quæst. 66. *Eunuchi qui se castra-*
,, *verunt propter Regnum cælorum, hi sunt*, in
,, Lege nova *Apostoli & Monachi*, in Lege ve-
,, teri, *Elias, Daniel & alii multi*. Idem fere
,, asserit S. Ephrem apud Salianum ad annum
,, 3173. Et S. Epiphanius lib. 2. hæresi 63. & 58.
Tum subsumis: Atqui ,, per illos qui se castrave-
,, runt propter Regnum cælorum non intelligun-
,, Eunuchi naturales, aut facti ab hominibus;
,, sed voluntarii, qui per votum castitatis ad vo-
,, luptates venereas se reddiderunt moraliter im-
,, potentes, uti diserte indicat Bellarminus Lib.
,, 2. de Monachis, dicens cap. 1. *Ipsa Eunucho-*
,, *rum appellatio perspicue votum indicat: non enim*
,, *est Eunuchus, qui solum continet se, sed qui con-*
,, *tinere se non potest* ,, (voluisti, dicere, *qui non*
potest non se continere) ,, & sic alii communiter,
,, numeratque S. Epiphanius hæresi 58. Aposto-
,, los, Monachos, & Eliam inter Eunuchos.
,, Hoc sensu Tertullianus Lib. de Monogamia
,, cap. 8. Eliam Prophetam vocat *Spadonem*.

108 Respondeo ad Isaiam, ejus locum referendo & explicando, Cap. 56. ℣. 4. *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbata mea & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum* (℣. 5.) *dabo eis in domo mea & in muris meis locum.* In hæc verba sic commentatur Cornelius a Lapide: *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbata mea, id est, qui Deum sancte coluerint, eruntque veri Dei cultores. Ad litteram loquitur* (*Propheta*) *de Eunuchis naturalibus & castratis; sed sub his symbolice intelligit Eunuchos spontaneos & spirituales* (*ad eos enim etiam assurgere, mox patebit*) *qui seipsos, proposito aut voto cælibatus, castraverunt propter Regnum cælorum, uti huc alludens Christus ait Matth. 19. ℣. 12. Talibus enim hic promittit Deus, in Ecclesia & in cælo, nomen gloriosius & diuturnius, quam possent habere a filiis suis. Ita explicant S. Hieronymus; Cyrillus; S. Augustinus Lib. de S. Virginitate cap. 24. & Lib. contra Faustum cap. ultimo; S. Basilius Lib. de vera Virginitate; Ambrosius Exhort. ad Virg. Gregorius 3. parte Pastor. cap. 29. Rupertus & alii.*

109 Audis, Reverende Pater, illos hic intelligi, tum ab Isaia, tum a Christo, juxta interpretationem Sanctorum Patrum, *Eunuchos spirituales, qui seipsos proposito aut voto cælibatus castraverunt propter Regnum cælorum?* Ergo, juxta sanctos Patres, non soli ab Isaia & Christo vocantur Eunuchi spirituales, qui votum cœlibatus emiserunt; sed etiam qui ex *proposito*, sine voto, se perpetuo continent. Ergo non ex eo præcise quod Elias, Daniel, & similes vocentur Eunuchi spirituales, sequitur, quod se perpetuo continuerint ex voto, cum ad eam appellationem, juxta SS. Patres, sufficiat perpetuæ continentiæ efficax *propositum*. Ergo coacervati a Paternitate vestra loci, ex Hieronymo, Anastasio Sinaita, S. Ephrem, S. Epiphanio, & Tertulliano, (ubi Elias, Daniel & alii vocantur Eunuchi vel Spadones) non probant, in eis absolute fuisse votum, sed tantum sub disjunctione, *aut votum, aut propositum*: atque hoc, locis Patrum a te objectis, confirmatur potius, quam enervetur.

110 Incipio ab Epiphanio, qui hæresi 58. contra Valesios agens, eos reprehendit, quod ex perversa Scripturæ interpretatione, seipsos aliosque etiam invitos castrarent, ut ajebant, propter Regnum cælorum; cum post castrationem nihil libidinis relinquerent intentatum. Co[illegible]
,, Sunt Eunuchi qui se castraverunt propter Re-
,, gnum cælorum. *Quinam illi esse possunt, [illegible] egregii illi, primum Apostoli, tum Monachi [illegible] reliqui virginitatis cultores? ... qualem in vet[eri] Testamento Eliam fuisse legimus ac deinde Paulum, qui dixit Cor. 7.* ,, Dico autem vi[duis] ,, & non nuptis, quoniam bonum est ipsis si sic ,, maneant, sicut & ego; quod si non se contin[ent] ,, nubant. *Quomodo igitur ipse permansit? Si enim [illegible] fectus est, & ad illius exemplum accommodati [illegible] runt, qui ei similes essent, ut eam consiliu[m ...] tem implorent, Sicut ego; fierine potuit, u[t ...] fectus quispiam, nisi continentiam servare [pos]set, uxorem duceret? Illud vero, Uxorem [illegible] cant & non urantur, nonne ad continentiam [illegible] tinere, non ad membrorum mutilationem, [illegible] advertis?*

112 Sic igitur argumentatur Epiphanius. Cuilibet servanda est continentia, statui suo pr[o]portionata: Apostoli, Monachi, & ante illos E[l]iasin vita cœlibe nullam in se admiserunt voluptatem, nullum actum carnalem; ita vivebat Paulus; ita, exemplo suo, ut viduæ & non nuptæ permanerent, hortabatur. Ergo vel in vita cœlibe (quod laudabilius) ab omni voluptate & actu carnali abstinendum est; vel, si ea sit quorumdam infirmitas, ut libidini succumbant, ineundum est matrimonium, atque eo ita utendum, ut in[tra] fidem matrimonii & honestatis limites con[tineantur]. Quem in finem adducitur illud Apostoli: *Quod si non se continent, nubant*: & illud: Uxor[illegible]

& non utantur. Atqui dum ejusmodi Eunuchos spirituales hortatur, ut sic permaneant; non hortatur ut solos qui voto perpetuæ castitatis obstricti fuerint; quomodo enim diceret, Quod si non se continent, nubant; uxores ducant & non utantur? Similiter etiam Epiphanii contra Valesios argumentum est. Agit Apostolus de talibus castratis, qui si non se continent, remedium habent in matrimonio; atqui materialiter castrati matrimonium inire non possunt, uti nec castrati spiritualiter; ergo [illegible] um Eunuchos spirituales hortatur Apostolus ut [illegible] sic permaneant, non agi de solis obstrictis voto [illegible] perpetuæ castitatis, sed etiam de iis qui ita castit[illegible] tem servant, ut matrimonio licite jungi possi[illegible] a, ejusque actum exercere.

[illegible] Similiter Hæresi 63. quæ est Origenianorum [illegible], multumque accedit ad hæresim præcedentem [illegible], sic loquitur Epiphanius: Abrahamum liberis operam dedisse, & amicum interim Deo fuisse, perinde atque Isaacum, & Jacobum, ac deinceps ceteros, qui neque semetipsos exsecrandis [illegible] gitiis ac fœdissimis usurpandis rebus inquinarunt, neque recte a Deo constitutæ liberorum procreationi refragati sunt. Neque porro, qui inter ipsos castimoniam ac virginitatem instituerant, certaminis leges violarunt, aut velut quibusdam præstigiis hanc virtutis exercitationem alio modo commutarunt. Atque Elias sine urbes ipsas propemodum ne ingrediebatur quidem, nec inter mulieres versabatur; sed in desertis locis assidue vivebat, quemadmodum Eliseus, & Joannes, ac ceteri omnes; qui ut præclare, ex Evangelico Domini mandato, insignem illam imitationis Angelicæ notam atque formam exprimerent, semet ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum. Juxta hunc Epiphanii locum castratio Eliæ in hoc consistebat, quod omnes libidinis occasiones studiosissime vitaret, ita ut urbes ipsas propemodum ne ingrederetur quidem, nec inter mulieres versaretur; sed in desertis locis assidue viveret. Atqui hic nulla, vel explicita, [illegible] implicita mentio voti est, uti & supra ad Valesios [illegible] e fuisset opportuna, quæ tamen ad Ori[illegible] lem non requiris. Ergo ad castrationem [illegible] it propositum efficax castitatis servandæ, sed [illegible] iorum ad eam servandam necessariorum, [illegible] onfirmatur ex eo, quod Epiphanius votum, sed [illegible] illam, in iis qui cælibem vitam ducunt, & adhibi[illegible] mandatum Domini: atqui non est manda[illegible] [illegible] de vovenda ab innuptis castitate, sed [illegible] servanda quando innupti sunt: ergo ad [illegible] lem castrationem non requirit Epiphanius [illegible] votum, sed ei sufficit propositum ca[illegible] & accurata ejus observatio.

[illegible] Clarius etiam nobis favet objectus Anasta[illegible] ita: nam loco citato ad illa Christi verba, [illegible] castraverunt propter Regnum cælorum, ad[illegible] nec Chrysostomi sententiam. Non mem[illegible] dum abscissionem Christus, absit; sed [illegible] cogitationum ablationem. Tu ergo [illegible] gratus, quod cum mercede & coronis [illegible] sustines; quæ sustinent absque omni [illegible] coactæ ab hominibus; neque in tota [illegible] tione quidquam est ad rem præsentem fa[illegible] quod id longum referatur locus S. E[illegible] supra explicatus. Atqui ablatio malarum [illegible] juxta Chrysostomum & Ana[illegible] potest consistere sine voto, ut est evidens.

[illegible] appelle[illegible] tum De[illegible] de ea [illegible] spiritua[illegible] necessa[illegible] stratio [illegible] 115 [illegible] fius Sin[illegible] Qui si [illegible] optat h[illegible] dorum [illegible] malorum [illegible] Deo ag[illegible] in illa [illegible] que [illegible] in quib[illegible] cum [illegible] quibus, [illegible] quasi id [illegible] cogitationum, quæ [illegible] Salvum, Sanctum est castratio propter Regnum [illegible] Opusc. Cath.

Ergo neque Chrysostomus, neque Anastasius Sinaita intelligit solum eum Eunuchum, qui votum Deo obtulit castitatis perpetuæ.

114 Ad locum Hieronymi non est opus respondere, cum aliud non habeat, quam: In Eunuchis nequaquam illi intelligendi sunt, quos ardens porta describens, ait &c. Sed illi, de quibus Dominus in Evangelio loquitur, qui se castraverunt propter Regnum cælorum, quales erant & Apostoli. Quomodo castratio fieri possit, etiam sine voto, jam ex Patribus ostensum est. Cur autem ubi habetur, Quales erant & Apostoli, tantum dixeris, Quales erant Apostoli, omittendo particulam &, nolo studiosius indagare, aut suspicari id a te factum ideo, ut persuaderes, solos Eunuchos spirituales dici, qui fuerint quales erant Apostoli; cum Apostoli tantum adferantur exempli causa, & possint esse alterius quoque speciei, & quidem ignobilioris, sub genere spiritualium Eunuchorum. De S. Ephrem quod ait, apud Salianum ad annum 3173. non reperitur, neque quidquam toto illo anno refertur, ad Eunuchos, vel Eliam, vel castitatem spectans, nec quidquam simile vel affine. Quod Tertullianus Eliam vocet Spadonem, non plus est quam quod alii vocent Eunuchum.

115 Bellarminus, cum agens de Eunuchis spiritualibus, de quibus Christus Matth. 19. dicit, locum illum debere intelligi de iis, qui se voto obstrinxerunt; loquitur (ut patet) in subjecta materia de solis Eunuchis novi Testamenti, qui modo speciali & perfectiori Eunuchi fuerint, quam qui fuere Testamenti veteris. Concedimus itaque Bellarmino, quod sine voto non intelligatur Eunuchus, modo perfectissimo & proprio novi Testamenti. Sed hoc non obest, quo minus in veteri Lege esse potuerit Eunuchus spiritualis modo imperfectiore, & statui illius Legis accommodato, quando solum propositum sufficeret, ex Scripturis, Interpretibus & Patribus demonstratum est supra ad locum Isaiæ. Sic dum Magister sententiarum & Hugo Victorinus, apud Cardinalem de Lugo de Sacr. disp. 1. sect. 1. definiunt, Sacramentum in genere, esse visibilem formam invisibilis gratiæ, cujus causa existat; certum est de solis id Sacramentis novæ Legis intelligi posse, quamvis loqui videantur universaliter de Sacramentis cujuscumque Legis. Ad rationem Bellarmini, quod non sint proprie Eunuchi, qui se continent tantum; sed requiritur, ut non possint non se continere; respondeo rursus, id verum esse de Eunuchis spiritualibus perfectissimo modo, non de iis qui tales sunt imperfectiore; quamquam & votum in rigore non tollit potentiam incontinentiæ physicam, sed moralem tantum; eamque non nisi secundum valde limitato; & quotidie videmus qui lubricant, impotentiam illam fallere votum gravissime delinqui. Sed & contra Patrum atque Sanctorum commonstrant, & Vitæ vitam adeo austeram in solitudine, in similibus, non minorem fuisse incontinentiæ professoribus impotentiam moralem, quam sit in plurimis voto obstrictis, qui tantam solicitudinem castitatis custodiam, in media hominum turba & rerum temporalium affluentia, non adhibent, & tamen Sacerdotes sunt, neque contra castitatem graviter peccant; atque ita revera veniunt nomine Eunuchorum.

§. VI. ACCUSATIO.

Papebrochius, cum Magdeburgensibus aliisque hæreticis, contra sanctos Patres ac communem Ecclesiæ sensum, negat Monachatum incœpisse ante annum CCC.

RESPONSIO.

116 POssinus noster, in lucem daturus Codicem Regularum (de quo egi Art. 13. n. 72.) sicut eum moriens reliquerat Lucas Holstenius, jam tum impressum & Alexandro VII. dedicatum, collegit ex schedis defuncti, velut tabulis ex naufragio raptis, succinctam Præfationem pro amplo, quem ille meditabatur, commentario: & primis duobus Capitibus de origine & progressu Monachismi sic disserit: *Frustra sunt, qui verum & perfectum Monachismum Christianismo vetustiorem faciunt. Ejus in veteri Testamento, figuræ magis quam formæ, præsagia potius quam exempla reperiuntur. Anachoresis Eliæ, hujus & Elisei discipulorum convictus, Nazaræorum & Rechabitarum instituta, tum si quæ occurrunt alia ejus generis, videri possunt quædam quasi rudimenta gratiæ, Monachos facere exordientis.*

117 Hæc ibi, satis conformia iis quæ supra dixi, per quæ tamen congrue licent solitariæ vitæ initium ponere in Elia: deinde vero sic progreditur: *Indicat Metaphrastes initio Vitæ S. Pauli Eremitæ, non defuisse primis duobus Ecclesiæ seculis, multos vitæ monasticæ professores .....Verum* (quidquid sit de eo, quod affirmanti scriptori seculi 10. non potest certo credi, absque certa probatione, in tanta vetustatis caligine) *ut alia multa ecclesiastica monumenta; sic memoria distinctior primævæ illius vitæ regularis, Diocletiani flammis, quibus Christiana tabularia conflagrarunt, ablata fuerit.* Hanc tu, Pater Reverende, quam frustra coneris ex Vitis Sanctorum, diu post rem actam scriptis & licentius interpolatis restaurare, patebit ex Responsione ad §. 13. ubi mihi objicis S. Frontonium, quasi hic circa annum 150. fuerit septuaginta Monachorum Abbas seu Pater: ibi enim commodum erit scopas hujusmodi dissolutas colligere. Nunc audiamus, quid porro dicat Possinus, ex Holstenii mente, aut fortassis etiam verbis, sic progrediens:

119 *Ex his quæ supersunt monumentis, ætati Constantini Magni vitæ Regularis initia imputanda sunt: tunc scilicet, per Ecclesiæ pacem, ea perpetuam sine interpellatione, dilatari sine obstaculo potuit. Auctores porro ejus primi, Paulus & Antonius fuere: quorum exemplis duo genera Monachorum informantur, alterum Eremitarum, seorsim sine arbitro degentium; Cœnobitarum alterum in domo communi convenientium: & miscebantur in illis principiis hæc duo genera plerumque, ut iidem ex eremo in cœnobium, ac vicissim e vita communi in solitariam transirent. Quamquam hæc cum multis experimentis esset deprehensa periculosior, cœpit præ illa cœnobitica celebrari disciplina, præsertim post editam a Pachomio Regulam, exceptam dictante Angelo, quam Latine Hieronymus transtulit.*

120 Idem autem Hieronymus viam ad ista sic scribenda monstravit ante Vitam S. Pauli præmemoratam; eos dimittens, qui initium Monachismi ad Eliam & Baptistam referunt, atque ad magis certum notumque principium transiens per hæc verba: *Alii autem (in quam etiam opinionem vulgus omne consentit) asserunt Antonium hujus propositi caput, quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes, quam ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas vero & Macarius, discipuli Antonii, quorum superior corpus magistri sepelivit, etiam nunc affirmant, Paulum quemdam Thebæum, principem istius rei fuisse, quod non tam nomine, quam opinione nos quoque probamus.* Decio scilicet Ecclesiam persequente, post annum 250. secessit Paulus admodum juvenis, magisque ac magis ad interiorem eremum penetrans, ibi tandem consedit, ubi primus solusque Antonius vivum reperit ac mortuum sepelivit.

121 Simili occasione & Dei impulsu, non autem ignoti sibi Pauli exemplo, alii & alii hinc inde, in locis, minus ab urbium frequentia remotis, cœperunt vivere solitarii; iis scilicet de quibus in Vita S. Antonii scribit S. Athanasius, quod *non longe a sua* quisque *villula separatim instituebantur.* Talis fuit *senex, in agello vicino* ejus unde S. Antonius erat civitatis, *vitam solitariam a prima sectatus ætate*, atque adeo ante ipsius Pauli secessum: nam S. Antonius illum, quem dixi, jam senem annorum fortassis 60. accessit circa annum 270. idemque Antonius adhuc juvenis, *ab universis Fratribus pari diligebatur affectu, & omnibus, ad quos studio discendi pergebat, obediens, proprias singulorum gratias hauriebat.* Erant ergo jam pridem in Ægypto Monachi non pauci, & fortassis multo plures ante tempora Decii, sed per atrocitatem persecutionis istius ferme extincti. Quales autem? Explicet id ipsemet S. Antonius in Vita S. Pachomii, a coævo scripta, & a me edita 14. Maji num. 76. discipulum Pachomii Zacchæum sic alloquens: *Quo ego primum tempore monachum cœpi agere, nullum uspiam extabat cœnobium, in quo aliorum salute cura aut metus cuiquam erat: sed quisque veterum Monachorum, persecutione jam finita, privatim exercebatur: postea vero Pater vester (Pachomius) tantum bonum Deo adjuvante effecit. Alius quidem ante, cui Aotæ nomen, voluit tale ministerium suscipere: verum quia non ex toto corde ei rei studuit, successu conatus ille caruit.*

122 Hæc verba mihi occasionem dederunt scribendi §. 3. ante illius Pachomii Vitam, sub hoc titulo; *Cœnobialis vitæ seu perfectioris monasticæ initium & exemplum an a S. Pachomio acceptum?* Respondeo autem affirmative. Dum vero prolixe atque ex proposito, ut loquimur, id probo, evidentem facio falsitatem accusationis hic mihi objectæ, quasi universim faciam Monachismum anno 300. posteriorem. Apparet enim quæstionem mihi esse & fuisse semper de cœnobitica seu monastica perfectiori, ad quam existimo non pervenisse ulla monasteria, vel in Ægypto vel alibi, ante Pachomium.

123 Hoc vero ste a me dictum ne perperam interpretaretur aliquis, ipse me explicui num. 23. ibidem, & nomen *Monachi* dupliciter accipi debere dixi. Primo id quod ipsum importat nomen, ut intelligatur Monachus esse, vitæ a mundano strepitu rerumque temporalium cura reductæ sectator, hujusmodi vitæ propositum seu votumque, a vulgari mundanoque discrepantis, singularitate professus. Secundo Monachus dicitur, & nunc fere solum intelligitur is, qui cum externarum abdicatione rerum propriæ etiam voluntatis arbitrium abdicavit, ut fiat membr ali

alicujus religiosi cœtus, sub obedientia viventis, cum obligationis perpetuæ vinculo, quantum re sua quidem ex parte, insolubili. Quoniam autem utrumque hoc Monachorum genus appellatione nominis non distinxerunt antiqui, infinita logomachiæ data nonnullis materia est: a qua qui subducere se volet, poterit primos vocare Monachos simplices, quales etiam hodie multi sunt, & nunc passim vocantur Eremitæ; secundos, Monachos Religiosos, quales nunc sunt soli Claustrales, aut qui sub claustrali Superioris obedientia extra cœnobium solitarie vivunt, iisdem quibus cœnobitæ votis adstricti. Primis haud dubie, non item secundis, sic accensebantur, non tantum S. Joannes Baptista, S. Paulus Eremita, & quotquot alii ante Antonium solitudinem incoluerunt, viventes in ea solitarii, nec cum uno alterove comite habitantes arbitratu proprio, a nemine publicam ad hoc potestatem habente, suscepti, nec cujusquam obedientiæ insolubili nexu obligati; sed etiam ipse S. Antonius, atque dum potestate ab Alexandrino Patriarcha tacite vel expresse accepta, ex discipulis a se institutis cœpit habere aliquos, sibi vel immediate vel mediate ut Superiori subjectos.

124 Sicut autem antiqui passim, ac fere etiam recentiores, indifferenter usurpaverunt nomen Monachi, sic etiam nomen Monasterii, dictum ἀπὸ τοῦ μονάζειν solus ago (unde & Μοναστήριον Græcis iidem qui Monachi) quemadmodum & nomen Cellæ, nunc passim sumi solitum pro unius vel Eremitæ vel Religiosi claustralis habitaculo, medio ævo usurpabatur pro cœnobio, unde plurima apud Italos Francosque quæ Abbatiæ, quæ Prioratus, ita hodiedum appellantur; puta, Cellanova, Cella-Dei, Vallis-cella, Cellæ S. Gisleni &c. Inter hæc distinguens ego, temporum ratione id exigente, cur tibi ridiculus magis videar, quam qui forte (ut aliquando non nemo ex vestra apud me) vellet excusare enormitatem numeri, in ecclesia Lovaniensi vestra expressi, dicendo: Quod istic, ubi Dux Saracenorum Humar Carmelitis paucis, e 7. millibus tamen re- ... superat gestamen vestis barratæ, Cœno- ... pro Monasteria, & hoc sæpe pro ... mutarunt, fuisse reliquos ex septem mil. ... orum monasteria Humar subvertens, interficiens.

125 ... est, appareret falso me accusari, ... Monachatum incepisse ante ... tam manifeste declarem, me agere de ... id est cœnobitico monachatu; ... qui non solum multos Monachos in ... diligebat monasterium, sed uni monaste- ... Abbati plurima alia subjiciebat ... quemadmodum nunc fit in ... dubio optima & perfectissima. ... vestra contrarium probare ... sed hi omnes intelligi possunt ... simplicibus loqui, eorumque cellas ... monasteria, ut ex prima vocum ... An autem isti, quos ante ... atque Antonium agnosco, ... nuncupata Religionis vota explicite ... (ut nunc omnes faciunt) & qua ... Professioni accesserit necessaria ... sic profitentem faciens ... privatim retinendi vel acquire- [illegible]

di, & matrimonii contrahendi, vellem alius mihi explicaret distinctius.

126 Tria vota formaliter & in terminis nuncupata jam inde a principio nascentis Ecclesiæ, non probat primorum, quos mihi objicis, credentium multitudo Hierosolymis, quorum nemo (teste Luca, in Actis Apostolorum) eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. Licet enim in istis aliquod cœnobiticæ vitæ exemplum præluxerit posteritati; ejus tamen perfectionem nec tenebat multitudo illa, nec tenere poterat. Etenim collatis in commune agrorum fundorumque pretiis, familiam nihilominus quisque suam cum uxoribus & liberis seorsim habebant, manibus laborantes & alia multa facientes, quæ cum vero Monachismo non conveniunt: imo nec illa ipsa in commune allatio, nec Ananiæ ac Saphiræ punitio, propter fraudatum agri Apostolis oblatu pretium, votum Religionis importat; dicente Petro, *Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate?* unde etiam intelligitur, multos quidem, non tamen omnes, neque omnia & ex voto, in commune contulisse quæ possidebant: qualiscumque autem, inter eos qui id fecerant, vitæ fuerit communis ratio, non duravit ultra secundam a passione Christi annum; quando, post lapidatum Stephanum, gravis contra novellam Hierosolymis Ecclesiam suscitata persecutio, omnes dissipavit, præter Apostolos.

127 Illud ipsum tamen fatia fuit Cassiano, ut diceret, Collat. 18. cap. 5. quod *Cœnobitarum disciplina a tempore Apostolicæ Prædicationis sumpsit exordium*. In quem sensum accipio alios plures quos hic allegas, ac nominatim, Synodi Meldensis, anno 845. in Francia celebratæ, Episcopos. Denique Liturgiæ SS. Jacobi & Marci, jubentes etiam pro Monachis orare, non plus probant quam ætas codicis ex quo sumptæ sunt: sicuti non plus probaret Missale Ambrosianum aliquod, ante pauca secula scriptum: cum constet, nullum veterum Liturgiarum esse, quæ non fuerit successive auctis aliis atque aliis precibus clausulisque; æque ac Missa Romana, quam a S. Petro fuisse ordinatam non dubitatur, sed puram, ut ille ordinavit, inveniendam, frustra quis speret: cum nequidem Gelasiana ac Gregoriana Sacramentaria, tanto posteriora, uspiam reperiantur absque interpolamentis. Sic in Missa S. Jacobi usurpatur verbum Ὁμοούσιον, millies in Niceno allegandum, si eo usus S. Jacobus fuisset.

128 Nihil etiam ad quæstionem nostram facit propositum seu votum castitatis, quod concipiebant jam inde a temporibus Apostolicis Virgines ac Viduæ, & quod easdem Deo consecrabat, ad eum fere modum quo nunc eidem dicantur dictæ vulgo Devotæ, aut etiam sub uno tecto commorantes Begginæ; sive illæ propriis se sustentarent bonis, sive ex proventibus Ecclesiarum, quarum ministeriis se addixerant. Quamvis enim Baronius ad an. 57. & 302. illarum collegia censeat vocari potuisse *monasteria* propter aliquam communis vitæ speciem; non tamen probat, his nostris illa fuisse in omnibus paria. Taceo interim, quod S. Ignatius Epistola ad Philippenses, ubi ille Apostolicæ ætatis Sanctus scripsisse creditur a Salutem Collegium Virginum & Viduarum, non sit ex septem illis Epistolis, quas omnes indubitanter tenent illius esse; sed ut summum secundi generis, earum scilicet, quas tales esse, possit verosimiliter teneri, præ reliquis tribus certo supposititiis, de qua Ignatianarum Epistolarum apud eruditos nunc receptissima

ma distinctione, Baronio non observata, videri potest Henschenius 1. Februarii in Comm. prævio ad Acta S. Ignatii Martyris §. 6.

129 Meldense supra citatum Concilium Carolo Calvo Imperatori commendans *Monasticum Ordinem, a Deo inspiratum, & ab ipsis Apostolis fundatum, seu a nominatissimis ac sanctissimis Patribus excultum*, non probat, quod ex Suare assumis, id rigidissime, etiam quoad Apostolos, intelligendum de illo, *in specifica sua proprietate accepto*; si quidem per hæc verba indicare velit Suarez, cœnobiticam Ordinis perfectionem, ut contradistincti ab Eremitico instituto. Non etiam id probant *septem Monachi Martyres* in Ægypto sub Maximino, in Romano Martyrologio memorati ad 19. Octobris, quorum occasione Baronius in Notis meminit plurimorum aliorum, sub eodem tyranno ibidem passorum, indeque ad Monachismi vetustatem laudandam dilabitur. Nam non sequitur, cœnobitas fuisse: & Maximinus iste primum cœpit anno 310. in Ægypto regnare, quando istic fuisse cœnobia agnosco: adeoque illi nihil faciunt ad vestrum ex Baronio intentum; uti nec libri de Hierarchia, male attributi Areopagitæ; nec denique Philo de Essenis, de quibus me accusat §. sequens.

130 Quid de origine Monachatus scripserint Magdeburgenses, nec curo, nec curavi unquam discere; neque ad me pertinet examinare, qua in re Calvinus posuerit dissimilitudinem inter primos & novissimos Monachos. Habeat eos magistros qui volet, ego eos abominor, & calumniam jam sæpe iteratam contemno. Cum tamen objicias Bellarminum, accipe ex eo (cap. 5. de Monachis) tum Magdeburgensium, tum Calvini de primis Monachis errores. Primo docent Magdeburgenses Centuria 4. Cap. 6. col. 464. *Cœpit*, inquiunt, *hoc sæculo* (quarto) *Monastice*. Ego admitto eam, fuisse vel a tempore Eliæ: sed minus perfecte. Secundo docent iidem Centuria 5. cap. 6. col. 700. *Cœpit Monachatus, partim ex obscuratione doctrinæ de justificatione & veris cultibus Dei, partim ex prava æmulatione Essenorum*. Ego & instinctui Spiritus sancti, & vitæ perfectioris desiderio Monachismi ortum adscribo: quamquam & aliquos, sive ut causa accessoria, sive ut principalis, urgere in solitudinem potuerit persecutio Tyrannorum. Tertio Calvinus lib. 4. Institut. cap. 13. §. 10. ait: *Fuisse quidem apud veteres quarti & quinti seculi aliquos Monachos; sed eos qui nunc sunt, nihil cum illis habere commune; & ideo vere dici posse, Monachatum qualis nunc est, rem novam & recentem esse*. Ego Monachos illos fuisse vere Religiosos & quoad omnia Religionis substantialia plane similes Monachis religiosis hujus temporis, constanter assero, atque adeo nihil cum Calvino vel Magdeburgensibus commune habeo.

§. VII. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra Sanctos Patres & universos scriptores Catholicos, negat, Essenos fuisse veros Monachos, asserens illos (fretus auctoritate solius Claudii Salmasii haeretici) fuisse hæreticos.

RESPONSIO.

131 Nisi verba quædam mea viderem, Rev. Pater, a Te allegata num. 132. &
134. dubitare poteram, an in eo, quem accusas, Tomo 3. Maji ipsemet legeris Parergon 2. insertum Historiæ Chronolog. Episcop. Hierosolym. Hujus igitur initium hic integrum placet ponere Lectori ob oculos, ut videat quam longe alios, minimeque suspectabiles auctores secutus sim, nihil meis, nihil Salmasii verbis definiens; sed fretus auctoritate Hegesippi scriptoris antiquissimi, utpote anno 150. florentis; & Eusebii, eumdem post duo secula allegantis, Historia Eccles. lib. 4. cap. 22. Ibi cum hic narrasset ex præfato Hegesippo, quomodo Hierosolymitanam Ecclesiam, eatenus (id est usque ad obitum Judæ, sive Justi Episcopi, circa annum CXI. defuncti) adhuc virginem, Thebuthis quidam aggressus esset vitiare, indigne ferens, se non esse creatum Episcopum; *Fuit hic*, inquit Eusebius, *e septem illis sectis, in Judaico populo proseminatis ... adversus tribum Judæ & adversus Christum*; quas idem Hegesippus recenset, nominans *Essæos, Galilæos, Hemero-baptistas, Masbothæos, Samaritas, Sadducæos, Pharisæos*.

132 Eusebio addere potuissem ætate proximum Epiphanium; sed nolui, tum quia iste senior videbatur sufficere, tum quia nolebam disputare, rectene Epiphanius distinxerit Essenos ab Ossinis, utrorumque errores aliquot notans, fortassis veris graviores. Sed frustra hæc cautela fui: dissimulasti enim Pater Rev. ipsum etiam, quem auctorem citavi, Eusebium, ex Hegesippo teste irrefragabili scribentem, & unde Parergon illud ordior, congrue ad Titulum, *de Essenis sive Essæis, per quos aliqui Monachismum ab Elia usque ad Christum continuatum volunt*. Post quem Titulum, & hic relata Eusebii verba, sic progredior. „ Videant ii, qui „ tanto strepitu Essenos, Josepho Solinoque de„ scriptos, laudant ut Monastici status ab E„ lia instituti propagatores conservatoresque in „ Lege nova, an eos satis verosimiliter ab Is„ *sæis* jam dictis secernere possint. Mihi Is„ *sæi* & Ἐσσαῖοι idem esse videtur, sicuti i„ dem est Ἐδεσσηνὸς & Ἐδεσσαῖος, *civis Edes*„ *sæ*, & alia hujusmodi infinita, invenienda „ apud Stephanum de Urbibus.]

133 Tu vero, P. R. omissis istis omnibus, veluti nihil facientibus ad rem, assumis verba mox sequentia; non tamen integra, sed ad asteriscos mutilata istic, ubi nitor Salmasium excusare quadamtenus, itaque progredior. „ Videri possunt, „ quæ de Essenis erudite commentatus est, in Pli„ nianis super Solinum Exercitationibus, Claudius „ Salmasius, duobus prægrandibus Tomis, Parisiis „ anno 1629. cum adhuc optime Catholicus esset, „ postea in transversum actus, non hæreticæ fa„ ctionis studio, sed tædio patriæ, ubi dolebat se „ frustratum supremo Divionensis Parlamenti „ Præsidatu jam certa spe prehenso, neque po„ stea sic a Catholica Religione alienus, quin „ fateretur cuipiam mihi noto, hac sola cogi„ tatione se retineri in Hollandia, quod bis mu„ tare partes turpe nimium esset viro erudito, „ cui facile esset, ut in forensibus causis, sic & „ in quæstionibus de fide partem utramlibet tue„ ri.] Pro quibus aliud nihil dixisti, Pater, quam Salmasium fugisse in Hollandiam, ibique permansisse, *eo quod bis mutare religionem turpe nimium esset viro erudito*. Ego, R. Pater, non temere præmissa scripseram, & postremum istud de cogitato ad Catholicos regressu, etiam nunc credo verissimum esse, tum fideli testimon-

P

P. Henschenii, sæpius hoc mihi referentis, tum auctoritate Serenissimæ Suecorum Reginæ, quæ eidem Henschento idem in nostro Museo retulit, Antverpia Romam transeunte, ut similiter sibi a Salmasio dictum, cum ad ipsam, de mutanda religione cogitantem, venisset in Sueciam.

134 Quod attinet [illegible] hominis sensum de fide, suos libros imprimen[illegible] is Parisiis anno 1629. eosque dedicantis Senatu[illegible] Veneto, a quo gloriatur grandis testimonii ho[illegible] more decoratum se, Reipublicæque obstrictum [illegible] & loci & patrocinii talia titulis acceptum me f[illegible] teor, ut existimarem, tunc adhuc optime Cathol[illegible] cum fuisse. Defecerat ille, ut nunc certius didici, adhuc juvenis, post mortem sui Catholici patris, a tutoribus h[illegible] reticis ad Calvinismum traductus, in quo inge[illegible] nii eruditionisque raræ titulo clarescens, fuit [illegible] b Hollandis, circa annum 1630. invitatus ad [illegible] historicas in Lugdunensi Academia prælectiones [illegible] pro defuncto Scaligero continuandas: ex quo [illegible] tempore varia commentatus, tandemque etiam duos illos in Solinum tomos, cum iisdem se Pari[illegible] sios contulit, eo pellectus a Cardinali Richelio impressionem adjuturo, qua de causa in illis stu[illegible] diose cavit, ne quid inspergeret Catholicis de[illegible] spliciturum.

135 Tum vero de mutanda religione deliberans, eo pronius quod etiam Præsidentiam Divionensem, tunc forte vacantem, sibi conferendam putares; cum hanc alteri collatam videres, seque tota Hollandia traduci audires, quasi certo regressum ad partes Catholicorum; pudore ac dolore actus in transversum, rediit in Hollandiam; ubi de Cardinali ulturus sese, infanum prorsus librum & Romanæ Ecclesiæ injuriosum scripsit, factaque sunt ejus novissima pejora prioribus; prout an. 1655. demonstravit noster Dionysius Petavius, per Miscellaneas contra eum Exercitationes, ex quibus mihi accepisse videtur Paternitas tua, quæ adfert n. 134. jam memorata dicta contra istam turbati ingenii perturbatissimam scriptionem, quam immerito applicata prioribus libris, animo sedatiori & a controversiis de religione alienissimo compositis; eoque etiam parte magis [illegible] s, quo majora sibi tunc apud Catholicos, qua[illegible] passim tunc Hollandos pollicebatur studiorum suorum [illegible] c non Tui redarguendi præmia.

136 Atque h[illegible] prædicta dissimulare causa, Pater Rev. (qua[illegible]) sed amore veritatis maluisti, quam examinare[illegible] ne interim quæ consequenter deducere hic volui. Man[illegible] si Commentatore parum referre scribo, „ In Sol[illegible] le multum vel parum solide Ca„ pito, quam [illegible], ubi de causa religionis non „ tholicos fueri[illegible] sola auctoris mente, cum aliis „ agitur, sed d[illegible] nda: juxta quam a Salmasio „ cuivis confer[illegible] accurate explicatos Essenos „ Lectione inven[illegible] atus, religionem, Græcanicis „ tam mores, [illegible] s permixtam; atque mirabitur, „ superstitionib[illegible] illa, quæ videntur cum Mona„ propter nom[illegible] ortis, habuisse communia, cum „ chis, postea fa[illegible] am benignissime lumpta, dignos „ eo fortior qu[illegible] Essenos istos], quo monastici „ esse visus [illegible] es aliqui vellent agnoscere pro „ flatus zelator[illegible] is. Hæc verba, omissis priori„ majoribus fu[illegible] co incipiens, objicis mihi nam„ 113. ut vix [illegible] elear contra Essenos definivisse „ aliquid, [illegible] ussamenti solius Salmasii; cum „ ego, examinati a quo cuius auctoribus antiquis„ tum, dicens, quod juxta mentem illorum, Ca[illegible] tholicos, Tu videris.

„ ctor inventurus ea sic explicata apud Salmasium, „ qua Tu arguis, velut ex illo solo accepta. Istos „ interim ejus Exercitationes in Solinum, nulla „ unquam censura notatas (nam opera ejusdem ea „ Decretum, res diversissimæ sunt) si videre voluisses, aut saltem indicem subjunctum percurrere Pater Rev., vidisses, non male meritum Auctorem de Essenis, quos in multis excusat, in nonnullis falso accusatos defendit, negatque solem pro Deo coluisse pag. 613. licet fateatur superstitione Græcanica non caruisse, eaetum solem & lucem venerabantur; aliquid etiam e Christiana doctrina hausisse, sed Christianos ea tamen non fuisse: & quoniam Essenos ab Ossenis distinguit Epiphanius; hos quidem putat fuisse recentiores, illos autem veteres, quorum doctrina & mores puriores fuerint.

137 Hæc apud Salmasium legenda indicans, dico, Essenos „ dignos esse visos, quos Mona„ stici status zelatores aliqui vellent agnoscere „ pro majoribus suis; tantum ne cogantur as„ sentiri Hieronymo, sic scribenti de S. Hila„ rione: Needum tunc monasteria erant in Pale„ stina, nec quisquam Monachum ante S. Hila„ rionem in Syria noverat. Ille fundator & in„ stitutor hujus conversationis & studii in hac „ Provincia primum fuit. Satis nota erat Hie„ ronymo Josephus, nec fugisse eum poterant „ quæ de Essenis habet: non tamen ipsi, vel „ per somnium, incidit cogitare, illos Mona„ chos fuisse. Quod sane si fuissent, non po„ tuissent illi non magnam præbuisse mate„ riam Eusebio, de Martyribus Palæstinæ scri„ benti; & tamen nec semel quidem unum vel „ Essenum vel Monachum Palæstinum in cer„ tamen adducit, toto quo persecutio, quam „ tractat, duravit decennio; cum de Ægyptiis „ Monachis illustrium aliquos Martyrum Pas„ siones extent, imprimis S. Cyri xxxi. Janua„ rii; cumque universim de omnibus testetur „ S. Athanasius, in Vita S. Antonii n. 61. „ tantam eorum fuisse alacritatem, una cum „ magistro suo palam se tyrannis objectantium, „ ut metus judex ob Antonii sociorumque constan„ tiam, prætereperit nullum penitus Monachorum „ aut observare judicium aut in civitate mane„ re; quo tamen non obstante, legimus in S. „ Petri Alexandrini Vita, Monachos quoque re„ ligiosos viros, cum suo Episcopo, in custodia „ carceris permanere voluisse.

138 „ Non equidem negaverim, horum di„ sciplinam, in suis quæ habuit sub S. Marco „ principiis, occasionem dedisse Philoni, ut „ quomodo Lucas narrat Hierosolymis credentes „ omnia habuisse communia, sic & ille Alexan„ driæ sub Marco fieri doctore cernens, quasi in „ laudem gentis suæ librum super eorum conver„ satione scripserit, quin & Essæos eosdem nun„ cupaverit. Sed hoc nomen in Ægypto fuisse, vel hos originem suam a præmemorata inter Judæos hæresi sumpsisse, neque dicit Philo, nec si diceret, posset probare: sed prætermi deberet eadem vanitate ipsos sic appellasse, propter quamdam institutionis similitudinem, qua voluit primos Alexandriæ Christianos, credi & appellari Judæos]. Hactenus meum illud Parergon, qua fide dicatur totius abjectum: quod Sancti Patres, & pene omnes scriptores Accusationis procedere Catholicos, Tu videris. Hegesippum, Eusebium, Epiphanium,

Epiphanium prætermittens, & paucos quosdam ex utrisque allegans; magnos illos quidem ac venerabiles, sed Hieronymum (qui tamen non asseric fuisse Monachos) simpliciter secutos, quæstionem vero ipsam nusquam ex professo tractasse compertos, Hanc primum discutere Salmasius studuit, & hunc omnino secutus Holstenius, sive ex illius schedis Possinus, in Præfat. ad Cod, Regularum, satis habuit dicere; quod *Esseni, quorum meminerunt Hebræi, uti & quos Philo libro proprio describit (quamquam hos S. Hieronymus fuisse Christianos putat) multis, ut palam est, differentiis a Monachorum instituto discrepabant.* Atque hoc vel solum sufficit ad Te convincendum de aperta calumnia, cum dicis, me fretum auctoritate ipsius Salmasii; cum & Hegesippum illic citatum habeas, & Eusebium, & Epiphanium: plures etiam mox dabo.

139 Opponis Hieronymum, sed observationes eorum quasi Monasticas tantum referentem, tacentem autem de eorumdem fide, Addis Chrysostomum, Hom. 44. in Acta Apostolorum, *Essenos vocare sanctos*, Atqui dum totam Homiliam lego & relego, ne verbum quidem de Essenis vel Monachis occurrit; nullos illic Chrysostomus vocat *Sanctos*; denique nihil simile vel affine habet ei, quod a Paternitate Vestra hic scribitur. An & qua ratione ab Eusebio Cæsareensi vocentur *viri sublimes*, & a Georgio Peccatore *Admirandi*, non est operæ pretium inquirere, cum periculo nihil inveniendi. In multis Esseni, sublimes & admirabiles esse potuerunt; & quæ in eorum instituto bona deprehenduntur, amplecti potuit Joannes Baptista, ut dicis vella Dominicum Soto; sed non inde sequitur, quod recte infertas, *patere Essenos, de quibus Philo & Josephus, fuisse Monachos orthodoxæ fidei & vitæ sanctissimæ*. Quod autem Esseni, ante & post Christum, per aliquot secula floruerint, & vitam duxerint vere monasticam & religiosam, probas ex P. Suarez, to. 4. de Religione Tr. 10. L. 1. cap. 9. n. 5. dicente; *Eusebius Lib. 9. de præparat. Evangel. Cap. 1. de Essenis loquens (quos Tr. 8. diximus cum Hieronymo, Epiphanio, & aliis in Ecclesia fuisse ex primis Religiosis, qui sub Marco Alexandriæ floruerunt) inter alias regulas institutis eorum in præsenti materia, hanc ait observasse* &c.

140 Tu vero, Reverende, ita Suarem citas, insigniter & fraudulenter mutilatum: *Essenos diximus Tract. 8. cum Hieronyma, Epiphanio & aliis, in Ecclesia fuisse ex primis Religiosis*, Prima fraus in hoc sita est, quod Suarem indefinite de Essenis loqui facias, ubi determinate agit de iis, qui sub Marco floruerint Alexandriæ, Secunda fraus est, quod cites Suarem, tamquam si censuisset, Essenos illos fuisse vere & proprie Religiosos; cum scias illum voce hac uti in significatione latiori, imo impropria. Tertia fraus est, quod altum taceas de distinctione Suarezii inter Essenos varios. Quarta fraus est, quod dissimules Suarezium expresse negare, de certo Essenorum genere, quod fint Religiosi. Quinta fraus & palmaris est, quod reticeas Suarezium asserere, genus istud Essenorum non fuisse orthodoxum. Sed adeundus est Tractatus 7. nam tractatu 8. nihil de Essenis reperio. Sic igitur Tr. 7. L. 6. C. 1. Suarezius pronuntiat: ,, Eusebius L. 9. de præpar. Evangelica Cap. 1. institutionem Essenorum referens ex Porphyrio, ,, inter alia, inquit, *qui in eam sectam veniunt* ,, *non statim* &c. *Antequam communi cum aliis versantur, jure-jurando confirmant primo, pios* ,, *se erga Deum futuros* &c. .., Diximus autem ,, supra ex eodem Eusebio Lib. 2. Hist. Cap. 16. ,, hos Essenos fuisse Monachos, qui in Alexandria sub Marco Christianam perfectionem ,, profitebantur, unde per illud jus-jurandum ,, religiosa professio significari videtur.

141 Hic locus est, ut patet, ad quem nos supra Suarezius remittebat, Audi nunc cetera: ,, Verum est, diversam videri narrationem Porphyrii, quam Eusebius priori loco refert, a ,, narratione Philonis, quam refert posteriori ,, loco. Unde licet Philo de Christianis loquatur ex Judæis conversis, Porphyrius autem ,, multa narrat, quæ ad Judaicos ritus ita pertinent, ut non possint commode Religiosis ,, Christianis attribui, Unde in superioribus ,, etiam advertimus, illud juramentum *non fuisse* ,, *de observandis propriis consiliis Evangelicis*, ,, sed de pietate erga Deum & similibus, quæ ,, per se ad honestatem servandam, vel vitandum peccatum necessaria sunt. Nihilominus ,, per se credibile est, Essenos Christianos, sicut ,, antiquorum mores ad perfectionem Christianam transtulerunt, & sublevarunt, ita altiorem modum professionis juxta Ecclesiasticum ,, morem observasse]. Quorum omnium hoc breve compendium conspicitur in margine: *Esseni non fuerunt proprie Religiosi professi*: ubi non tantum negatur solennis professio, qua carent etiam Scholastici Societatis; sed & negatur Essenis vera Religionis essentia, cum nec votum, nec juramentum haberant *de observandis propriis consiliis Evangelicis*, ut mox fiet manifestius.

142 Sed ubinam, inquies, sunt hic Esseni non orthodoxi, sive, ut Papebrochius loquitur, ubi est *Essenorum religio gentilicis superstitionibus permixta?* ubi nam ea sunt, propter quæ mirabile judicetur, *digni esse visos quos status Monastici zelatores aliqui vellent agnoscere pro Majoribus suis?* Respondeo ad hoc non esse opus adire alium Suarezii tractatum, tantummodo inspiciendum est, libri 3. caput 1. Dabo locum integrum, quantumvis prolixum, quia complura ictu digna, atque inter ea insignea pro sententia mea rationes auctoresque continet, Sic ergo habet. *Quamquam de Philone probabile sit loqui de Essenis Christianis, quia tractat de illis, qui novam perfectionis viam eo tempore profiteri cœperant. Josephus autem de Judæis videtur loqui; nam antiquiores inter Judæos illos esse significat, & a Pharisæis & Sadducæis illos distinguit*, & ,, quædam eorum dogmata refert quæ cum Christiana religione non ,, consonant. ,, *Unde Epiphanius hæresi 19. ponit Essenos Judæos, qui ante Christum fuerunt, & hæresi 9. & sequentibus, alios* ,, Essenos Samaritanos fuisse affirmat. *Cyrillus etiam, lib. 5. contra Julianum, ex Porphyrio eorum mentionem facit, dicitque in perscrutandis Prophetis fuisse diligentes, & ideo multi existimant non fuisse Christum persecutos, & ob eam causam non fieri eorum mentionem in Evangelio. Eorum etiam meminit Plinius lib. 5. Histor. cap. 17. & antiquissimos illos esse significat, & castitatem ac paupertatem dicit coluisse sine ulla femina, sine pecunia. B. Nilus in principio Asceticorum ait, illos habuisse mores* ,, similes nostris Religiosis, ,, non

„ non tamen credidisse in Christum. „ *Philastrius etiam contra Hæreses ait*, „ multos eorum „ in Judaismo permansisse. „ *Verisimile ergo est, & ante & post Christum fuisse, & multos ex illis ad fidem conversos* .... *De his ergo Essenis*, qui inter Judæos fuerunt, „ licet constet „ modum religiosæ vitæ tenuisse; tamen quod „ non veri Religiosi fuerint, ostendi potest: pri„ mo, quia etiam illo tempore non creduntur „ habuisse veram & sanam fidem, ut ex Josc„ pho colligitur, & ex Epiphanio; „ *sine vera autem fide, nec vera religio esse potest*. *Secundo ex Josepho libro* 18. *Antiquitatum cap.* 2, *& ex Philone* ... *nos non servasse veram paupertatem, habuisse divitias unde viverent*. *Tertio de observatione castitatis & obedientiæ nihil certo affirmare possumus, multoque magis incertum est, an vota emiserint, præsertim perpetua; nam de his omnibus, qui castitatem servabant in Lege veteri, certius creditur, irregulariter solum pro aliquo tempore illam servasse*,

143 Audis hic, præter alios ante a me memoratos, non tantum juxta P. Suarez, sed etiam juxta B. Nilum, juxta Philastrium, juxta Josephum, juxta S. Epiphanium; *Essenos, licet aliquem vitæ religiosæ modum tenuerint*, tamen *nec vere Religiosos fuisse, nec habuisse veram & sanam fidem*: &c. Hæc in gratiam objecti a te Suarezii, Quomodo hic malam fidem tuam excusabis, nisi dicendo, quod solum Tomum 4. inspexeris; non autem Tomum tertium? Sed vix credibile est te tuisque subsidiarios, tam avidos in percurrendis librorum saltem indicibus, non inspexisse indicem tomi tertii de re[illegible] verbo Esseni. Illic indicatur satis sen[illegible], & plora addantur de Essenis, ad [illegible]æstionis decisionem scitu maxime [illegible] Pergesne jactare quasi solus Salma[illegible] [illegible]nsentiat? Quo te recipies, nisi ab Auctoribus memoratis non ac[illegible] [illegible] prorsus omnes, me autem cum [illegible] contra Essenos *generaliter* ac [illegible] autem in verbis meis, vel ex [illegible] invenisti hanc *generaliter* [illegible]? [illegible] Propositio hæc Salmasii a [illegible] Essenorum religio fuit præ[illegible] permixta. Ergo [illegible]. Atqui Esseni [illegible] negando *generaliter* seu uni[illegible] consequentiam. [illegible] propositionibus [illegible] supponat semper necessariis subje[illegible] [illegible] propositionibus universaliter, [illegible] contingentibus [illegible], sed potius opposi[illegible] [illegible] accipiat propositionem hanc, ita ut æqui[illegible] est [illegible] animal; nemo [illegible] interpretabitur, Carmelitæ sunt [illegible] juniores, docti sint, [illegible] omnes [illegible] Quin imo propositio [illegible] eorum etiamsi numerus [illegible] Clericorum [illegible] non Patribus minus [illegible] multum cede[illegible] propositiones tuæ, qui [illegible] etiam Essenorum ver[illegible] vitam vere [illegible] &c. quæro [illegible] propositiones tuæ. An & hæ [illegible]

[illegible] Salmasio [illegible] Salmasio

144 E[illegible] Papebroch[illegible] [illegible]

bent sumi *generaliter*? Debent procul dubio, si idem sit *Indefinitum* & *Generale*, etiam in propositionibus contingentibus. Atqui jam ostendi Essenos, saltem multos, *non habuisse veram & sanam fidem*: ergo Paternitas vestra, *Essenos generaliter* numerans inter Majores suos, Ordini suo adscribit multos *non veræ & sanæ fidei*. Locis a te citatis non pronunciavi *hæreticos*, sed *græcanicis superstitionibus* afflatos. Superstitionis aliquid suboriri potest etiam simplicioribus subinde Catholicis, absque eo quod cum pertinacia tueantur errorem contra fidem.

145 Essenos cum Monachis Syrogræcis, qui illis posteriores erant, & Latinos per ludibrium vocabant *Azymitas*, non confundo; ideo, quod de Schismate ex me citas n. 135. ad rem non pertinet. Græcanicæ superstitiones, quibus Essenorum observationes quadantenus inquinatas censet Salmasius, ad Hellenismum seu Græcismum pertinent, eo sensu, quo passim in Scripturis utriusque Testamenti, *Hellenes*, id est Græci, sumuntur pro *Gentilibus* seu *Paganis*, quorum superstitiones, prævalente tandem Christianismo, in Syria & toto Romano Imperio omnino cessarunt. Syrogræcos autem Monachos appellamus, qui lingua Syriaca ritibus Græcis utebantur in Sacris, Græcisque Patriarchis Antiocheno & Hierosolymitano suberant. Tales in Palæstina nullos ante Hilarionem in Syria ac Palæstina nullos novimus; post illum plurimos; bene Catholicos omnes, primis saltem seculis, usque ad suborta schismata Græcorum a Latinis, & quantum si[illegible] irrepentes in monasteria hæreses, subinde etiam luctandum fuit [illegible] cum quibus multum Charitoni, [illegible] Sanctis Sabæ, Euthymio, omnes tamen orthodoxiæ Cœnobiarchis; defecisse seculo x. atque xi. atque in schisma fuisse prolapsos, Syrogræcos a recta fide tandem ut RR. PP. demonstro, ac proinde indignos, per quos Carmelitæ ab iis se velint processisse, [illegible] que ascendere ad Eliam.

146 Sic Moschi sive Rutheno-Græci, lingua patria, Græcis ritibus utuntur, diuque subfuerunt Constantinopolitanis Patriarchis, cum quibus etiam declinaverunt in schisma. Sic Copti sive Ægyptii Monachi (quales S. Antonius ac passim in Thebaide plerique) lingua utebantur Copticis, ritibus Græcis, Græcisque Patriarchis atque Episcopis suberant, quoad in Melchitas & Jacobitas divisi fuerunt, ac demum omnes & schismate & varia hæresi ab Ecclesia Romana Catholica sejuncti. Ad Syro-Græcos tamen non magis spectant observationes Græcanicæ, id est Ethnicismum sapientes, de quibus Salmasius tom. 1. Pag. 610. notans reverentiam eorum erga lucem solis, usque ad superstitionem effusam, adeo ut polluendam illam a se timerent, nisi corporis eluviem studiose occultarent; nefas etiam arbitrantes ante solis ortum dicere aut facere quidpiam sermonis operisve non sacri; aliaque hujusmodi: quæ (ut dicere cœpi) non magis spectant ad Monachos Syro-Græcos, quam ad Coptos sive Ægyptios Christianos spectabant illa idolorum probra, de quibus Poeta,

... *Quis nescit, qualia demens*
Ægyptus portenta colat? ...

147 Utrosque tamen, id est Essenos nondum Christianos (nam verisimile est ex his quoque non paucos, conversos ad Christum, avitas superstitiones dimisisse) & Monachos Syro-Græcos,

ctos, suppoois a me confundi, Rev. Pater; eodem jure quo Speculi novi editores, in pulchris suis aote tomum primum Prolegomenis, opinari voluerunt, quod tom. 1. Aprilis pag. 91. in margine iodicaverim, Legislatorem Ordinis sui S. Albertum *cultam apud Coptos*; unde interrogant, in meorum errorum Elencho, *An non scomma? An idoli habet loco? Infamia Ægyptii Copti colebant idola, canem, feliam, &c. Hoc vult?* Non hoc sane volo, Patres Reverendi; sed volo, id quod contextus, in eadem columna appositus, probat; S. Prochorum, unum ex septem Diaconis, non solum in Menæis & Synaxariis Græcorum, sed etiam in Martyrologiis atque Calendariis Coptorum (utique Christianorum, quorum & verba allego) suum cultum habere. Errore quidem typothetico factum est, ut marginalia verba, altius quam par erat elevata, videantur aptari S. Alberto, immediate præcedenti: sed si eidem vere applicari potuissent, non fuisset id ei magis injuriosum, quam S. Prochoro, quin potius honorificum.

§. VIII. ACCUSATIO.

Papebrochius historiam S. Emerentianæ, a gravibus auctoribus traditam, asserit esse scandalosam novitatem ac nugat.

RESPONSIO.

148 ADeo nota passim est S. Emerentiana, Virgo Martyr, S. Agnetis collactanea, & Breviariis ac Legendariis omnibus etiam antiquissimis inserta, ut qui solum hunc titulum legerit, aliam nullam Emerentianam repræsentaturus animo sit. Hoc ergo (ut cetera plura) subdole videtur egisse Paternitas tua, quo plus invidiæ & atrocitatis habeat prima fronte accusatio, multis risum motura, si addidisses, *quæ fuit mater S. Annæ, & proavia S. Joannis Baptistæ*, nati ex Elisabeth, filia Ismeriæ, quam eadem Emerentiana viro suo Stolano Bethleemitæ peperit; sic ut Maria Deipara & Elisabeth fuerint duarum sororum, ex Emerentiana & Stolano procreatarum filiæ, adeoque cognatæ germanæ inter se, atque harum filii Jesus & Joannes subgermani.

149 Auctorum gravium, contra quos me facere arguis, Pater Rev. primus censeri ab ætate debet Abbas Trithemius, in libro de scriptoribus, inter Cyrilli istius opera sexto loco numerans librum unum *de orta & laude S. Mariæ*. In alio autem, quem scripsit de laudibus S. Annæ idem Trithemius, cap. 6. sic loquitur: *S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, cultor quondam Montis & Ordinis Carmeli* (quam fabulam procul facessere Baronius jubet) *cum de orta sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, ad Cælestinum Papam scriberet, de vita & conversatione S. Annæ multa laudum præconia inseruit*. Ad Cælestinum Papam, cujus vice præsedebat in Ephesino Concilio, ubi contra Nestorium Deiparæ puritas definita fuit anno 618. ad Cælestinum, inquam, varias Epistolas quæ adhuc extant, scripsit Cyrillus: istius autem libri, de quo agimus, factum sibi a Trithemio indicium, adeo flocci fecerunt eruditi omnes, quotquot præcedenti ac præsenti seculo de scriptoribus ecclesiasticis egerunt, ut nec nominare cum quidem dignati sint, veluti aliquando extantem, & nunc desideratum.

150 Fuerit tamen libri auctor *cultor Montis & Ordinis Carmeli*; sed talis quales fuerunt Josephus Antiochenus, & Joannes Hierosolymitanus; quod puto facile ex ipso libro probatum iri, si aliquando in lucem redeat. Nunc sinamus pro eo stare Dorlandum Carthusianum & Palæonydorum Carmelitam, qui in declivio decimi quinti seculi floruerunt, quando absque ulla prorsus crisi recipiebatur ut genuinum, quidquid sub alicujus antiqui scriptoris nomine offerebatur; æque ac seculi sequentis initio, quando scribebat Trithemius, multo talium quisquiliarum furfure conspersus. Interim triumviros istos vestros contempsit Jacobus Polius, Minorita Belga, qui an. 1640. Exegeticon de S. Anna non ineruditum vulgavit, & cum Baronio Cardinali sequi maluit Græcos, in struenda Deiparæ Genealogia. Aliis plerisque S. Annæ encomiastis, laudandi argumentum quodcumque avidius arripientibus, quam tædioso & longo sæpe examine veritatem ejus inquirentibus, illuserit admiratio oraculi, ibidem adstructi, & speciosum nomen S. Cyrilli Alexandrini, quos inter etiam fuerit Guilielmus Pepinus a Te citatus, qui seculo superiori eamdem narrationem *ex quodam antiquo libro*, ut ais, Valencenis a se reperto ac lecto, deprompsit.

151 Ex isto ergo qualicumque antiquo libro (nec enim explicatur, fueritne impressus, an manuscriptus) Pepinus transcribit, nescio an verbotenus (differunt enim ab eo in nonnullis Dorlandus & Palæonydorus, nec non vetus Breviarium Carmelitanum anni 1465.) ex isto, inquam libro transcribit Pepinus, quæ ab eo mutuatur Lezana tom. 1. pag. 595. sic exordiens: *Anno circiter 78. ante Christi nativitatem*, fuit quædam virgo nobilis, *de genere & tribu Juda .... cui nomen erat Emerentiana .... quæ de licentia parentum visitavit quosdam Fratres commorantes in monte Carmeli .... cumque illa attigisset annos nubiles, parentes illam voluerunt dare cuidam honesto juveni in uxorem: illa tamen consentire nolait, eo quod in occulto promisisset Domino se servaturam virginitatem* ... Sed accepto oraculo a dictis Fratribus, divinitos instructis, de sibi destinata felici posteritate (quæ visio ejusque explicatio fuse narrantur) animum induxit ad nuptias; rejectisque sex viris qui offerebantur, *propter corruptam eorum intentionem; quam Spiritu sancto revelante illa præcognoscebat*; consensit in septimum, dictum *Stollanum* (Breviarium vetus *Isaacum* nominat) quia solum *suscitandæ prolis causa eam quærebat habere in sponsam ... Facto ergo honesto matrimonio, illa concepit filiam, quam Annam vocavit*. Hæc Pepinus apud Lezanam, nonnihil diversa ab iis, quæ feruntur ex fonte eodem accepisse Dorlandus & Palæonydorus: hic autem ipsam visionem non explicat, sed addit quæ supra notavit de Ismeria; atque, omnia referri in *libro*, quem *B. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus* scripsit *de orta Beatissimæ Mariæ Virginis*, misitque *post habitam concilium Ephesinum Cælestino Papæ primo*.

152 Quid interim Græci? Nihil illi scientes de tali libro Cyrilli (quem centies allegassent, si Græce, ut oporteret, scriptus fuisset, ipsisque notus) alia prorsus narrant, recepta fortassis jam inde a temporibus S. Sabæ, Sophronii aut Damasce-

mascani, qui divinorum Officiorum libros pro Terræ sanctæ monasteriis restaurarunt, quemadmodum iis nunc utuntur omnes Græcorum Ecclesiæ. Ea certe, quæ nunc habentur de hoc argumento, referuntur in omnium hactenus notorum Synaxariorum antiquissimo, quod ante septingentos hosce annos conscribi jussit Basilius Imperator Porphyrogenitus; estque credibile, eadem referri ex Syrorum traditione. Referuntur autem his verbis: *Anna venerabilis mater gloriosissimæ Dominæ nostræ Deiparæ semperque Virginis Mariæ, erat quidem ex tribu Levi, in Bethleem tamen Judæ nata, filia Mathan Sacerdotis, regnante Cleopatra, ante Regem Herodem Antipatri filium: ista vero habuit filias tres, Mariam, Sobam & Annam. Harum prima Bethleemi nupsit, & genuit Salomen obstetricem: secunda etiam nupsit Bethleemi, & genuit Elisabeth matrem Præcursoris; Anna autem nupsit in Galilæa, & genuit Mariam Deiparam: ita ut fuerint Salome, Elisabeth & Deipara, filiæ trium sororum...*

153 Offendet hic merito nomen Cleopatræ (sive Seniorem sive Juniorem accipias) non in Syria atque Judæa, verum in Ægypto regnantis: sed hujusmodi lapsus facile condonatur narrationibus ex traditione acceptis. Magis officit fidei adhibendæ, quod omnia videantur fere verbotenus sumpta ex libello de Apostolis & discipulis Domini, quem Hippolyto Martyri suppositum fuisse, omnes eruditi consentiunt; antiquum tamen agnoscant necesse est. Habemus autem libellum istum, saltem Græce scriptum, idque in Græcia vel etiam in Syria, unde aut ex vicina Arabia venisse Hippolytus Martyr dicitur. Malim tamen credere, verum scriptoris nomen esse alicujus longe junioris Hippolyti, qui seculo 7. vel 8. floruerit; istaque bona fide, ut a Judæis audicerat, scripserit. Sed si hic nulla vel exigua dignus est fide, quanto minus est ea dignus ... er, Cyrillo Patriarchæ Alexandrino, & tempori alieno apud Latinos suppositus? quod vel ... Fratrum in Carmelo religiose commorantium mentio probabilitatis ... hac existentibus, qui de Carmelitis, ... Baronio & Bellarmino, putant eum Cardinalis ... ex probatioribus certiorem notitiam ... auctoribus. Illa tamen unica causa est, ob quam Carmelitæ Cyrillum magis quam Hippolytum sequi velint.

154 Lezana pag. 497. relatis aliis variisque ... sententiis ... Evangelio n. 10. sic ratiocinatur: Cum ... Ecclesiæ traditione, aut alia canonica Scriptura ... de S. Annæ Parentibus habeatur, procul ... de ... eorumque ... nuptiis affirmare ... Proinde aliud nihil concludere ... eodem loco Lezana ... quam inter ... probabilia sustineri posse id ... revelatione adducis ... sed qua rationabilibus sumanebat, quod tam ... probabile ... mentis asseritur? nisi ... incibile de ... ipsum evidenter con... ... quam velit (ut Carmelitæ fa... ... multo pro... ... tenere, quo modo ... aliqui an... ... triplex S. Annæ matrimonio ... sorores Deiparæ natæ ... sint, in ... fratres & sorores Christi. ... brevi ad Ephem... ... ides Græ... annotatiuncula, ubi ... de Sancta

Anna, nihil mihi videor commisisse, dignum coram Sede Apostolica accusari, scribendo ex Baronii & plurium prudentiorum sententia hoc quod sequitur. *Quidquid sit de nominibus, placet Augustini & plurium Patrum sententia, Regiæ ac Sacerdotalis stirpis concursum in Deipara agnoscentium, adeoque S. Annam adscribentium Leviticæ tribui. Nec me movet liber de ortu Virginis, Cyrillo Episcopo Alexandrino imputatus a Trithemio, ex quo libro sumpsit Stolanus & Emerentianæ, de tribu Juda, Annam Ismeriamque genuerint, hanc Prodromi, illam Christi aviam. Quanticumque enim magni faciant librum, qui nuspiam nunc extat, quidam scriptores Carmelitani, puta meliori antiquiorique auctore opus esse, quam sit Trithemius, ad prudenter credendum, in tatius vetustatis silentio, talia a S. Cyrillo fuisse conscripta. Nec dubito, quin si liber extaret, haud mihi facile fores ostendere, opus esse scriptoris nec Græci, nec antiqui; quam id ostendatur de similis farinæ libro, sub nomine Joannis Patriarchæ Hierosolymitani ab iisdem scriptoribus Carmelitanis laudato. Non possum igitur Neopolitanos quosdam amicos probare, qui pro studio erga cultum S. Annæ nonnihil indiscreto, etiam conantur inducere in populo cultum aliquem anniversario S. Emerentianæ, omnibus Græcorum ac Latinorum sacris fastis ignotæ.* Ita ego, sub annum 1676. scribens: postea autem apparuit comnatum talem S. Annæ cultum ultra modum studentium, Romæ displicuisse; & deposita est penitus importunæ nec satis fundatæ devotionis promovendæ spes.

156 Ast gravius offendit Appendix, addita tomo 7. Maji pag. 519. ubi refero, quid mihi in eamdem rem scripserit Claudius Castellanus Canonicus Parisiensis, verbis ex Gallico sic Latine redditis. *Cum in S. Mederici ecclesia, in festo S. Annæ, sermonem concionator quidam, in Emerentiana Ismeriaque; pleintalisset de prædictis, fremitu testati sunt, rique auditorum subito quodam novitate; ita quod fuerint scandalizari se istiusmodi, nisi promisisset deinceps ipsi Cathedra interdicenda, in concione proferendis, ob ab ejusmodi nugis, stinere.* Non ignorabat quidem vir eruditissimus, cum ista anno 1684. scribebat, auctores, qui præmissa tradunt de S. Annæ parentela, seculo integro ante se floruisse: novitatem tamen appellavit, respectu plus quam mille & septingentorum annorum, de quibus agebatur, & de quibus, utpote ad Evangelicam historiam pertinentibus, nihil sustinet audire hoc tempore populus Parisiensis, quod non sit in sacris Scripturis vel Patribus probe fundatum. Hic illa in reformandia lectionibus hymnisque Breviarii Parisiensis anno 1680. recusi severitas, per quam nihil ambiguæ fidei in iis relictum fuisse putant: hinc illa nunc Patrum Carmelitarum de sua antiquitate in publicis congressibus & libris edendis apud Parisienses taciturnitas, quam prætergrediens thesium Biterrensium auctor an. 1681. de se & Ordine suo risum Parisiis totis fecit, qui Romam usque personuit, & prohibitorium decretum elicuit: & in hac tota apud nos Belgas controversia, tot ubique libellis per annos fere triginta volitantibus, nullum audio Carmelitam Gallum prodire ausum, qui successionem Eliæ, anno 1662. pleno volumine Gallico explicatam a P. Ludovico de S. Teresia, contra meas post allatas oppositiones protegeret.

157

157 Tu vero, Pater Rever. de judicio Parisiis communi securus, ac veluti nescius quis quantusque ibidem apud suum Archiepiscopum aliosque per Galliam Prælatos, pro eruditionis singularis fama, sit Cladius Castellanus, contemptim respondes, meque accusas num. 142. istæc protulisse, *absque ullo auctore, ex sola epistola, forte ficta, aut per passionem & exaggerationem scripta*. Quid dicam, Rev. Pater? Nullam vobis fuisse curam, ut saltem per vestros istic Patres inquireretis in personam & auctoritatem Dom. Castellani, ipsamque narratæ ab eo rei veritatem aut falsitatem? Ægre id possum credere, cum video quanto ambitu Florentiæ, Antverpiæ, & alibi frustra quæsita sint quærantурque testimonia contra me; adeo ut vester Provincialis Gallobelga, post editum Leodii anno 1683. famosum ad epistolam Regii Consiliarii responsum, sub nomine Antonii de Vyon Domini d'Herouval; intelligens nomen nequaquam confictum a me, sed esse personæ Parisiis honoratissimæ, illuc se contulerit, excusaturus factum, &, si posset, approbationem eliciturus. Sed conatu tam erubescendo, quam publicum fuit testimonium, quo protestatus est Dominus iste, se talis responsi neque auctorem, neque conscium ulla ratione fuisse. Ne tamen suspectam habeas meam in reddenda latine epistola sinceritatem; eccum tibi originalem contextum Gallicum, ipso in autographo apud me reperiendum, & collatis pluribus ejusdem manus atque characteris epistolis comprobandum: si vero interrogare auctorem libuerit, ipse a se scriptum paratus est confirmare quotidie. Verba epistolæ anno 1684. 12. Julii datæ hæc sunt.

159 *Il y a quelques années, qu'un Predicateur, le jour S. Anne, dans S. Merry à Paris, ayant parlé de cette S. Emerentiane & S. Ismerie, plusieurs des auditeurs, par une commotion subite, témoignerent qu'ils estoyent scandalisez de cette nouveaté: & la chaize luy eût esté interdite, s'il n'eût promis de ne plus prêcher doresenavant semblables fadaises*. De his rogatus a me auctor, numquid ultra meminisset, aut posset ad confirmationem adducere, ipso quo hæc scribebam Januario, contestem appellavit Dominum de Gauloy; sed quem exinde ad alias aliasque ædes transgressum pridem non viderit, mox autem ut convaluerit (pedibus enim laborans, domi detinebatur, eum respondebat) requisiturus sit. Aliis deinde literis circa medium mensis Martii datis significavit, vanum sibi cecidisse omnem in illo Domino requirendo laborem. Frustra etiam quæsitum a se eum, qui tum fuerat S. Mederici Parochus: hunc enim mortuum reperisse; successorem autem interrogatum, numquid ea de re sciat, respondere; audivisse quidem sese ita rem actam, ut sibi narratum dicebat D. Castellanus; sed audivisse tantum, certioris vero distinctiorisque notitiæ habere nihil. Itaque vestræ, non meæ negligentiæ imputa, Pater Rev. si plenius Tibi nequeo facere satis, tot jam annis decursis post Tomi VII. editionem, ubi ejus rei mentionem primam feci.

§. IX. ACCUSATIO.

Papebrochius, sola Ethnicorum ac Hæreticorum fretus auctoritate, historiam de primo sacello in honorem B. Virg. Mariæ in monte Carmelo, tempore Apostolorum a Carmelitis ædificato, explodit tamquam commentum & figmentum.

RESPONSIO.

159 SI ego, adm. Rev. Pater, meam ad prægressum tuum §. 7. Responsionem sic suissem exorsus: *P. Sebastianus, sola Ethnicorum* (Solini & Plinii) & *Judæorum* (Philonis & Josephi) *fretus auctoritate, Essenos*, ab Hegesippo, Eusebio, Epiphanio, scriptoribus Christianis, adnumeratos hæreticis, *voluit credi fuisse veros Carmelitas, tria substantialia vota religionis professos, ante & post Christum, statusque monastici per Syriam & Ægyptum propagatores*; rectene fecissem, si ea de causa Patern. Tuam detulissem ad Apostolicam Sedem; quasi Ethnicis & Judæis plus fidei tribuas, quam Christianis? Non existimo id recte facturum fuisse me, quia in rebus historicis non tam quæritur cujus religionis fuerit scriptor aliquis, sed potius quam verax sit, quamque certo scire potuerit, atque reipsa sciverit id, de quo scribit; nisi ex aliis capitibus convincatur suppositititius auctor, vel fœde corruptus interpolatusve, vel denique manifestus impostor fuisse. Hanc regulam nec volui, nec potui, contra Te agens, transgredi, eodem quo Tu contra me modo: sed ex auctoritate potiori negavi, Essenos, de quibus Ethnici isti Judæique agunt, fuisse veros Christianos, nedum perfectos Religiosos; licet nonnulli Christianos, a Philone descriptos, crediderint. Plinii etiam ac Solini loca expendi in Parergo 2. præcitato, tantum abest ut contemnandos mihi putaverim, quia Ethnici fuerunt.

160 Ferat ergo tua etiam Paternitas, ut credam Tacito, Carmelum describenti, qualis erat cum illuc accessit Vespasianus, *Carmeli Dei oracula* consulturus, dicentique, quod ibi tunc *nec simulacrum Deo aut templum* fuerit (*sic tradidere Majores*) *ara tantum ac reverentia*; quæ ara vel ejus vestigium etiamnum in summo monte ostenditur, propter memoriam sacrificii, istic ab Elia per ignem cælitus devocatum oblati, Saracenis ac Turcis etiamnum venerabilis. Ita scriptis suis tradidere, qui montem illum accurate inspectum etiam delinearunt. Hic tibi apud eruditos, scientes quæ fides utrique scriptori habeatur a Cæsareæ historiæ illustratoribus, parum proderit clamare (ut facis n. 151.) quod ratiocinari ex talium fide, *sibilis potius & risu, quam refutatione dignum videtur*. Interim, *gratis dato*, inquis, *& non concesso, quod Vespasianus in Carmeli monte per Gentilem Aruspicem exta consulerit; inde non sequitur, templum illud a Carmelitis tempore Apostolorum non fuisse ædificatum*. Non sequitur certe. Sed ubinam ego sic argumentor? Tenebras amas, Pater Rev. tuoque te atramento velut sepia occulis.

161 Duæ mihi vobiscum quæstiones erant: prima atque præcipua, verine Dei oraculum in Carmelo consuluerit Vespasianus, per inventum ibi sanctum (si Superis placeat) Basilidem,

Car-

Carmelitarum Christianorum ac Religiosorum ibidem commorantium Priorem sive Præsidem: altera, utrum id factum sit in eo, quod Carmelitæ extruxerant Sacello. Primam quæstionem resolvi ex Suetonio Tacitoque, describentibus Basilidem eumdem, ut Ægyptium magum, Sacerdotem Serapidis, Vespasiani castra comitatum, extaque & fortes solitum pro eo consulere ubicumque res ferret. An hoc transire pacitur Paternitas tua, mihique vis dare? Si das, finita quæstio est; si negas, lector discretus judicabit, utrum de Basilide magis credere debeam Palæonydoro ejusque sequacibus, licet adeo recentibus & sæpe fallentibus, tantum qua Christiani sunt; quam Tacito Suetonioque, tam vicinis rei gestæ, & in profana historia magnæ auctoritatis scriptoribus, quasi ipsi, quia Ethnici fuerunt, nusquam audiendi essent.

162 Alteram quæstionem resolvo ex Tacito, afferente, quod eo loci, ubi oraculum qualecumque & per quemcumque consuluit Vespasianus, nec simulacrum erat aut templum, sed ara tantum & reverentia, idque ab olim & ab omni retro memoria: sic enim majores tradidere, dicet, numquam ibi templum aliquod fuisse; quæ traditio videtur posse etiam altius attolli. Nisi perturbata mente, Pater Rev. accessisses, respondere potueras, locum sacrificii Eliani, Ara, di stare a veteri, quod nunc prope Eliæ speluncam ac fontem ostenditur, Deiparæ sacello, quinque ut minimum aut sex horarum spatio; sicuti testatur qui ultimus nobis locum in suo Hierosolymitano itinere descripsit, & totius monumenti memorabilia æneis tabulis insculpta dedit, Antonius Gonzales Minorita pag. 808. Dixisses ergo rationabile respondere scivisses) in tita distantia & testimoniorum discrepantia, ...are, quominus & in summo monte proraculum consuluerit Vespasianus, & in ...torio versus mare, haud procul a fonte sacellum habuerint Carmelitæ, ... sacrum primum cavisti facere, ne Basilidem ... secundum ubi nollem concessores, quorum tu auctoritatem ... ergo suppositionis convici, Jo... Antiochenum, atque Cyrillum Priorem; quorum imitatur quidquid vel in Lectio... vel in aliis, quantumcumque legitur; apparet ... sibilos ac risum continere; dissolveris. vos traditioni, quod istud ... Deiparæ toto orbe ... Antaradensium ... Syriæ olim Episcopi ... leucis circiter ... quos (sicut scribit ... Hildesheimensis ... peregrinatus anno 1... 18.) ... venerationis ... Antiochiam ... Ecclesia, quæ in honorem ... Virginis Mariæ fuerit ... cur hæc qualiscumque ... referri Carmelitanæ ... este cognita vel ... nominati. Equidem ...

... Stephanum ... Solymitanum ... Eliæ, ... Deiparæ ... extom... dere, ... magni ... Opusc. Colof.

radense istud sacellum, puto seculis multis antiquius esse, quam quod inter veterum ædium ruinas ædificavit primus vestes Latinus Prior, istic per revelationem Prophetæ exortus socios colligere: sed ægre credam, ipsum in individuo esse, quod ibi Apostoli ædificarunt; multoque minus quod illud dedicaverint Deiparæ, quæ ex communiori sententia tunc adhuc vivebat. Satis mihi videtur, quod eo loco, ubi Petrus olim oratorium dedicavit, nulli dedicatum Sancto, surrexerit quarto quintove seculo aliud, hactenus servatum, idque in honorem Deiparæ; quod tamen Apostolis ipsique Deiparæ adscribatur ex more communi, primorum conditorum tempora, & posteriorum adscitorum patronorum nomina confundente.

164 Dum ad hæc responsum molieris, Pater Rev. (si tamen moliturus es, post hunc secundum, parum honorabilem Tibi Tuisque, conatum tuum) collige obsecro nomina hæreticorum, quorum auctoritate fretus negaverim, tempore Apostolorum a Carmelitis ædificatum sacellum in honorem B. Virg. Mariæ. Nisi fateri malis, id tibi, jam consulto me comparare hæreticis, ex calamo fluxisse per inadvertantiam. Certe toto Paragrapho nullum omnino hæreticum nominas, quem ego secutus fuerim, vel comitem sequacemve habuerim. Quod si quis illorum universim negat, ecclesias & ædificatas in ante ætatem Constantini ahesim nominibus Sanctorum, quæstionem §. sequenti me trahis. variale id spectat, ad quam ab illo prætenso Dei-

165 Interim non possum quin ex Paternitate paræ sacello sic discedere, ipsum extructum Tua quæram, qua montis parte Auctore, vobis irrefragabili, de institutione Monachorum, dixeris, juxta fontem Eliæ, in situ illo in quo Elias orans viderat nubeculam illam, quasi vestigium hominis ascendere in Carmelum; occurrit, quod idem ille Auctor id conditum dicat anno incarnationis filii Dei 83. diu scilicet post mortem Deiparæ; cui tamen adhuc in vivis agenti, valtis dedicatum primum vestrum oratorium. Hic se torquet Lezana, & effugium invenire putat apud Poetam Mantuanum, fuse describentem, quomodo Propheta Agabus, frustratus concupito Mariæ matrimonio (uti prolixe idem Lezana ex ipso aliisque scribit tomo 1. ad annum mundi 4061. ante Christum 1.)

Incola Carmeli vixit; tandemque voluto Tempore, cum magno fidei mysteria Paulo Edidicit; Mariæ primus cum Patribus ædem Vertice Carmeli posuit, &c.

166 Hinc ergo Lezana duplex Sacellum comminiscitur; primum, fundatum in summo monte circa annum 36. quando Agabus, nascente Christo idoneus matrimonio, jam sexagenarius circiter erat, non facile ultra annum Christi 83. retinendus in vivis: alterum, sub annum modo dictum 83. constitutum in declivio montis ad fontem. Sed hæc tam gratis dicuntur omnia, quam cætera de eodem Agabo, quod vel dæmonem consuluerit super successu desiderii sui, acceptoque responso mœstus, solatium quæsierit inveneritque apud Carmelitas; vel quod unus eorum fuerit, qui cum Josepho virgam attulerunt, ea conditione, ut cujus virga floruisset, is sponsam haberet: quæ felix sors cum obtigisset Josepho, Agabus factus sit Monachus. Casus hic etiam hodie depictus cernitur in quadam ecclesiæ vestræ Parisiensis, ubi a genuflexis totam Pontifice

Tt

tifice Judaico sponsis & benedictionem ab eo accipientibus, conspicitur recedere indignabundus juvenis, virgamque suam super genu confringere, atque in Carmelum ibidem expressum se recipere. Ne autem dubitaret spectator, Agabum designari, faciebat uncialibus litteris expressa nominis epigraphe, nunc a pudibundis erasa, manente reliqua pictura ut erat, & sicut mihi inde missa est; ego vero vobis parco, ne hic producam, quod adhuc omnibus conspicuum habetur, adeoque a nemine poteris in dubium revocari quin ita sit.

§. X. & XII. ACCUSATIONES.

Papebrochius, cum hæreticis Magdeburgensibus fingit, ante Constantini tempora, in honorem aut memoriam Deiparæ, aut quorumvis aliorum Sanctorum, nulla fuisse extructa templa.

Papebrochius, pro suo mero placito negat, S. Petrum, ante Constantini tempora, habuisse Romæ ædem sacram sibi extructam.

RESPONSIO.

167 NEscio, Rev. Pater, cur duos Paragraphos, vix dignos unum simul facere, interposito undecimo dispescueris, nisi forte ut me cogeres eadem iterum iterumque retexere; Lectoribus autem, solos forte titulos percursuris, imponeres, tamquam nova & intacta adduxisses. Ego autem nec simul quidem intendo hic replicare, quæ præcurrendo coegisti dicere Art. 2. n. 11. & seqq. Illuc redi; & invenies solutionem theseos ipsius generalis: deinde recurre ad eos Articulos & Paragraphos, ubi me coegisti agere de auctoritate quarumdam Vitarum, unde hic producis exempla ecclesiarum, jam inde a primo secundoque ac tertio seculo, Sanctis dedicatarum. Sic n. 154. 155. & 176. uteris Actis Sanctorum trium Fratrum, unde plures Martyres Leontini sumuntur, quæ ego quam nullius sint fidei, integro demonstravi Commentario, & hic obiter Art. 11. §. 28. convici falsitatis, ex ipso Sanctorum Siculorum collectore Octavio Cajetano.

168 De Sanctorum Mariæ Magdalenæ, Marthæ & Lazari adventu in Galliam, quam incerta vacillet ibidem nunc fides, adeoque & traditio de ædificatis per eas ecclesiis, dixi Art. 3. §. 4. & Art. 11. §. 3. Similiter traditio Hispanorum, quoad ædem S. Mariæ de Columna, apud eos fundatam a Jacobo Apostolo Cæsaraugustæ, ubi apparuerit supra columnam, ipsis Hispanis modo non est ita certa, quin dubitent aliqui; licet, popularis invidiæ declinandæ causa, dissimulare sensum suum maliat. Inter exteros vero multo plures dubitant [r]; notumque Romæ fuit primis Urbani VIII. annis quanto molimine actum sit, ut ibi expungerentur ex Breviario anni 1629. tria verba, nationi illi ingrata; quibus solum dicebatur, quod, *Ecclesiarum illius Provinciæ traditio est*, S. Jacobum, *Hispanias adiisse ibique aliquos convertisse*: quæ non satis absolutam opinionis talis assertionem videbantur sonare zelotoribus patriarum suarum traditionum. Nunc eruditiores Hispani tam tenaces non sunt: & Franci, neminem habentes qui prohibeat libere sentire & scribere, in reformato apud se Breviario anni 1680. noluerunt pati professionem illam. Baronius quoque eam negavit, quia nullum tempus, quo facta esset, invenire potuit juxta suam Chronologiam; nec invenisset Henschenius, nisi Christi passionem affixisset anno vulgaris æræ 29. quod qui facere recusat, necesse erit cum Baronio neget, unquam in Hispania fuisse Jacobum, quamdiu vixit.

169 S. Maternum (quem mihi quoque objiciendum putas) Tungrorum, non Trevirensium Episcopum habitum antiquioribus fuisse, ostendit Henschenius in Diatriba sua reformata ante tomum 7. Maji n. 3. Eo certe tempore, quo ille Tongris Sedem habebat, Treviris fidem prædicabant S. Eucharius & Valerius Episcopi, ut his potius quam illi adscribi debeat prima Trevirensis ecclesia; nulla autem prædictorum trium Vitis authentica extante, frustra talis ecclesia prætenditur S. Petro, etiamnum viventi, ab eorum aliquo consecrata. Exceptionibus prædictis nihil opus erit semel bene concipienti, quam facile homines & civitates in suis traditionibus confundant tempora & nomina, quibus ab immemorabili assueverunt, componendo ea cum principiis, multorum sæpe seculorum intervallo dissita. Hoc cum Romæ contigisse ostendero, de ceteris haud difficulter persuasurum me confido.

170 Loquatur ergo Alphonsus Ciacconius, Ordinis Prædicatorum, ante hos centum annos in Romanæ urbis antiquitatibus sacris apprime versatus, qui Pontificum Vitis primus cœpit adjicere Vitas & notitias Cardinalium. Hic, post Pontificatum S. Hygini (qui sub medium secundi seculi Clerum Romanum dicitur composuisse, seu divisisse per septem Urbis Regiones, ab incendio Neroniano reliquas) agens de origine Cardinalium, inter alia ad rem nostram facientia docet, quod primis temporibus Ecclesiæ Christianæ, sicut septem Curatores aut Capita Regionum erant, ad civilia; ita totidem iisdem Romæ instituti Diaconi, ad spiritualia curanda; & ab attributa sibi quisque Regione nuncupabantur... Deinde affirmat idem Ciacconius, & confirmans qui ipsum recognitum supplevere, Victorellus, Ughellus, Waddingus, Oldoinus, quod *succedentibus aliis post Evaristum & Hyginum temporibus, factum est*, ut prædicti Diaconi, *non amplius a Regionibus, quibus præerant; sed passim ab ædificiis & patrimoniis, Ecclesiæ a piis viris & matronis potentioribus in subsidium Presbyterorum & Diaconorum legatis, discriminis causa se nuncuparent .... Hinc tituli orti, Equitii, Vestinæ, Pammachii, Lucinæ, Julii & Callisti &c..... Hujusmodi autem forma*, inquit, *tamdiu observata est, quamdiu Christiani intra cœmeteria & occulta loca se abdebant, Sacramenta administraturi Baptismi & Eucharistiæ, ob metum Principum & Sacerdotum gentilium, qui eos inquirebant, & morte etiam multabant. Postquam autem Ecclesia, sub Principibus Christianis, cœpit libertate frui, & templa publica in suis titulis seu domibus ædificare; tunc primum Cardinales Titulis, etiam sanctorum Martyrum Confessorumque nomina adjecerunt, ita subscribentes; Laurentius, Presbyter Cardinalis S. Silvestri in Esquiliis, titulo Equitii .... Petrus, Presbyter Cardinalis S. Mariæ in Transtiberim, titulo Julii & Callisti.*

171

[r] Aragonum traditionem de Cæsaraugustana Deiparæ imagine vide defendentem Cuperum tom. 6. Julii pag. 114. & 1619.

171 Cum ergo primo secundoque seculo tantillum quietis dabatur Christianis, ut a cœmeteriis prodire, & in privatis domibus, eum in finem Ecclesiæ donatis, habere conventus auderant; non aliunde ejusmodi loca nuncupabantur, quam a suis vel tunc vel olim possessoribus. Pulchre hoc confirmatur ex Actis SS. Prudentianæ & Praxedis, a teste oculato S. Pastore scriptis, quæ illustrata dedi 19. Maji: ubi ipso statim principio narrat auctor, quomodo S. Pudens Senator, Virginum pater, *a beato Pio domum suam, ecclesiam Christi consecrari cupiens, per ipsummet Pastorem id ad effectum perduxit; ubi & titulum*, inquit Pastor, *nomini nostro constituit ..... Eodem tempore Virgo Domini Praxedes, accepta potestate, rogavit beatum Pium Episcopum, ut thermas Novati, quæ jam tunc in usu non erant, ecclesiam consecraret ... quod & placuit sancto Pio Episcopo, Thermasque Novati dedicavit ecclesiam, sub nomine beatæ virginis Pudentianæ ... dedicavit autem & aliam sub nomine sanctæ virginis Praxedis.* Ubi nota, titulos *Beati* ac *Sanctæ*, Pio atque Praxedi adhuc viventibus tributos, non aliud quam venerationem Christianam sonare, uti nunc Pontifex vocatur *Sanctissimus*, Virgines autem Deo devotæ in Italia atque Hispania nominantur *beatæ*. Imo ne quidem post dictarum Virginum mortem alio sensu ipsæ earum ecclesiæ appellatæ fuerunt *Sanctarum Pudentianæ & Praxedis*; hæ enim mortuæ, suum non habebant cultum sacrum in ecclesiis illis, sed *in cœmeterio Priscillæ, via Salaria, juxta patrem suum Pudentem*, ubi ipse S. Pastor eas sepelivisse dicit, & *ubi*, inquit, *florent orationes eorum*, scilicet Pudentis, Pudentianæ atque Praxedis.

172 [illegible] Ecclesiæ autem pro eo tempore concipi [illegible], *quales in urbibus* acatholicorum pluri[illegible] *habent ab annis plusquam centum* [illegible] *per conniventiam Magistratuum*, Catholi[illegible] *quoad speciem externam, profanas*, intra do[illegible] *autem aptatas in formam magis religio*[illegible]. Talium autem ecclesiarum ornamenta & [illegible] *subinde tam pretiosa erant*, [illegible] *Gentilibus quoque moverent invi*[illegible] [illegible] *vero sacra erant nulla*; nisi forte [illegible] *successu contingeret*, *eas ipsas personas*, uti in casu præ[illegible] [illegible] *titulus institutus erat*. Post obitum [illegible] *Sanctas*. Erant porro ecclesiæ istæ [illegible] *valde magnæ, ne multitudo convenientium* [illegible] *incurreret in oculos Gentilium*: sed eædem [illegible] *temporibus Constantini & postea, eodem vel* [illegible] *in loco sub iisdem titulis instaurata* [illegible] *ficientur, variis ex causis variorum* [illegible] *nomina*, & qua *etiam* [illegible] *sanctorum receperunt*. Ita nomina illa ecclesia, quæ undoque [illegible] *successive diversa regione Transtiberina* erat in [illegible] *Julii & Calixti nuncupata, primum simpliciter* di[illegible] *Julii*, postea deinde [illegible] *urbem S. Mariæ Trans-tiberim*. [illegible] fuit; denique acce[illegible]

177 Quod Romæ factum explicui, [illegible] nec admitti ulli [illegible] quo[illegible] [illegible] nomen ante Constan[illegible] us ibi [illegible] priorum tempor[illegible] inum; [illegible] habes contrarium. N[illegible] m mo[illegible] [illegible] soluta Art. 2[illegible] m quæ [illegible] *Pariturum*, diu ant[illegible] n. 81. [illegible] Druidibus in [illegible] Chri[illegible] [illegible] sacram anchoram [illegible] Gallia, [illegible] Galli qui sapiu[illegible] consu[illegible]; nec magis id credunt, quam quod iidem sui Druides, æque ac Pythagoras cum suis in Græcia, fuerint Religiosi Carmelitæ, uti suadere conatur Auctor Thesium vestrarum Biterrensium, quibus pari jure potuisset adjungere Indorum Brachmanes, Regium ac Sacerdotale ibidem genus, de quibus Eusebius lib. 6. Præpar. Evang. Cap. 8. dicit, quod, *tam traditione Patrum, quam legibus, nec simulacra colunt, nec animantium quid comedunt, vinum aut cerevisiam non bibunt, ab omni dæmonum malignitate absunt, soli Deo attendunt*.

174 Hos quia Strabo dicit etiam Astronomiam exercere, Crombachius noster, in Hist. trium Magorum, vel hinc Indorum traditionem confirmat, quod unus e tribus Magis, passim Melchior dictus fuerit Rex Cranganoris, ex Brachmanum genere; & regressus ad suos tertio demum anno, assumpserit nomen *Cheriper* male, quod, *Ex tribus unus*, lingua istorum sonat. De hoc autem dicitur, quod *ædem extruxerit, quam Mariæ nomine consecravit; in qua Sanctissimæ Virginis imago, cum filio in ulnis, collocata fuit; sanxitque, ut quoties aditui nomen hoc inclamarent, toties omnes qui adessent in terram se prosternerent.* Quin & unus e primariis comitibus ejus, Calecuti fundator, *sacellum struxit Sanctissimæ Virgini; & exemplum patroni secutus, statuit ad nomen Mariæ omnes se in terram prosternerent*: quod sacellum ingressus Lusitanus Gama, teste Osorio in Vitis Regum Lusitaniæ, omnia sic repererit, ut dictum est, nisi quod imaginem intus non viderit, propter malignum aut nullum potius lumen loci.

175 Hinc n. 160. argumentum formas, Pater Rev. omnino futile. Nam tota ista Indorum traditio non magis certa est, quam qua Habessinorum natio amplissima in Africa, Reges suos ex Salomone & Regina Saba processisse gloriatur; cum interim tam certum sit, Sabæam, unde Regina illa venit, esse in Arabia felice, quam Magorum disciplinam ad Persas proprie spectare: & fabulam sapiat quidquid longius protenditur. Ut tamen Rex Cranganoris unus ex tribus Magis fuerit, ipseque & asseclæ ejus fundaverint templa prædicta vero Deo in suo quisque loco; num inde consequens statim est, ipsa a principio fuisse Deiparæ consecrata, simulque istic locatas ejusmodi statuas, & inductum Mariæ invocandi cultum? Quam multa longissime dissita, sæpissime confundit traditio popularis!

176 Novimus omnes, Lovanii haberi Castrum Cæsaris: id si a Julio Cæsare esse neges apud hominum vulgus, haud feres impune: vulgo tamen sapientior Joannes Baptista Grammay, Præpositus Arnhemensis, Principumque ac Provinciarum Belgicarum Historiographus in suo Lovanio, relatis septem nationum nominibus quæ successive, secundum aliquos, locum tenuerint, desertumque restaurarint, *Nolim, quis putet*, ait, *ita me stolidum esse, ut ista credam: sed sunt quibus placeat antiquitatis quomodolibet quæsita umbra*; videlicet in illa ipsa arce: *quam*, ut postea narrat, *vulgus Cæsaris opus esse credit*: ipse vero tribuit Arnulfo Imperatori, *quem tradunt historiæ, Lovanium pulsis Normannis munivisse*, sub annum scilicet 896.

177 Idem dixerim de nomenclatura templorum, Cranganora & Calecuti ante omnem hominum memoriam erectorum, & de ætate ac veneratione collocatarum in eis statuarum Marianarum. Longe scilicet posteriora esse omnia

Tt 2 ætate

ætate S. Thomæ Apostoli; cœpisse autem per Apostolicos Missionarios, ex Syria, ad restaurandam apud Indos Religionem collapsam, subinde missos; quales per ipsomet Indos non semel in Sinas usque transiisse, ac nominatim anno *636.* & *745.* testatur lapis, ibidem Sinicis & Syriacis characteribus exaratus ac positus anno 782. atque repertus an. 1624. qui lapis, qua Sinicus erat, ab omnibus gentis litteratis intellectus; qua Syriacus, explicatus fuit a Patribus nostris, ad summam admirationem nationis totius, & novorum Christianorum solatium; de quo obiter, ex Kircheri nostri China, egi tomo 7. Maji p. *698.*

178 Num. 558. objicitur etiam Antaradensium traditio, apud quos *S. Petrus Apostolus dedicavit sacellum Virgini Deiparæ, needum defunctæ, in quo primus ipse Apostolus Missæ sacrificium peregit, prout ex fideli incolarum traditione acceperunt illi, qui cum Godefrido Bullonio in memorabilem illam Terræ-sanctæ expeditionem profecti sunt*, teste, præter Marinum Sanutum an. 1321. scribentem, etiam Jacobo de Vitriaco, duobus seculis anteriore, qui est, inquis, *Auctor Papebrochio irrefragabilis*. Est sane irrefragabilis mihi & hic, & iste, quatenus testantur, talem suo tempore viguisse ab olim Antaradi traditionem: neuter autem, quoad traditionis ipsius veritatem, quæ, post elapsa undecim vel tredecim secula, non debet sine discretione recipi; simpliciterque ab illis refertur ea, qua audiverunt, fide, sicut alia plurima, quorum ipsi nec participes nec conscii modo certiori fuerunt.

179 Cur autem, allegatis duobus istis Auctoribus, omittis, Pater Rev. eum, quem suggerebam tom. 2. Aprilis pag. 783. n. 59. Willebrordum ab Oldenborg, Canonicum Hildesiensem, & anno 1211. Terræ-sanctæ peregrinum? Etiam hujus hæc verba sunt, tunc ex parte data, nunc integre proponenda. „ Civitatem Tortosi, „ Latini Taradensem appellant. Est in ea ecclesia parva maximæ venerationis, quam Beati Petrus & Paulus, cum Antiochiam properarent, ex Angelica ad monitione, propriis manibus ex incultis lapidibus, sanctæ Mariæ „ tunc primum composuerunt, acsi dicerent; „ *Flebile principium melior fortuna sequetur.* „ Hæc erat prima ecclesia, quæ in honorem Dominæ nostræ semperque virginis Mariæ fuit „ ædificata & dedicata, & est in ea hodie Sedes „ Episcopalis, ubi Domina nostra Dei genitrix „ semper virgo Maria, etiam ipsis infidelibus „ Saracenis multa præstat beneficia.

180 Hæc Willebrordus, nonnihil quam alii duo distinctius, sed non ideo certior testis rei tam antiquæ; cujus veritas utcumque salvabitur, si traditioni credas, eo loci, ubi Antiochiam tendens S. Petrus (nam de Paulo ejus tunc comite nihil habemus alibi) Missam celebraverit; post datam Ecclesiæ pacem, fuisse ædificatam publicam ædiculam, sub nomine Deiparæ, quam, transeunte illac, Petro in vivis fuisse, non facile quis demonstraverit, cum non desint revelationes quæ dicant, sitque verosimilius aliquibus, uno dumtaxat anno superfuisse Ascensioni filii sui in cælum: sed hoc tuum de tum vivente adhuc Deipara glossema est, non Vitriacensis, aut Sanuti: quo dissimulato, iterum quæro, cur nolueris citare Willebrordum istum, ut apud me lectum. An quia volebas persuasum Lectori, afferre te instantiam novam, mihique incognitam? an potius, quia nolebas ipsum apud me invenire hæc sequentia verba: *Quam vere hæc traderentur, non examino: hoc solum infero, non esse verosimile, quod similis de Carmelitano oratorio tunc viguerit traditio, aut tale quid de eo fuerit Willebrordo narratum in Palæstina.*

181 Interim pergis instare, & n. 564. ex Vitis Apostolorum apud Abdiam Babylonium narras, quomodo Ephesii baptizati *fregerunt omnia simulacra, & fabricaverunt Basilicam in nomine S. Joannis, ex qua ipse Apostolus assumptus postea est, hoc* (qui ibidem subjungitur) *ordine.* Sed, ut hic assumptionis ordo fabulam redolet, sic & nullius fidei totus est Auctor. [1] Quare neque hili fecerim, quod apud eumdem, in Vita S. Matthæi, mox ab hujus passione, ab Iphigenia Regis filia, collatis omnibus *quæ habere potuit in auro, argento & gemmis, dixit Sacerdotibus & omni Clero; Postquam dignam Apostolo Christi fabricaveritis Ecclesiam, quidquid superfuerit pauperibus erogabitis.* Audi, Pater Rev. quid de Vitis illis, ex communi Eruditorum sententia, scribat Labbe, libro de scriptoribus pag. 3. *Hasce quisquilias ab otioso fabulatore, qui merito nunc Pseudo-Abdias dicitur, confictas interpolatasve, nullius fidei atque auctoritatis esse apud Eruditos, docuerunt jam pridem Catholici tractatores, Sixtus Senensis, Joannes Molanus, Joannes Hesselius, Card. Baronius, Possevinus, Salmeron, Miræus, ... ipseque etiam Paulus IV. qui inter scripta a se damnata rejecit.* Et in Appendice tomi 1. pag. 677. rationem reddit, quia *recenset* Auctor *fabulas illas de SS. Thoma, Matthæo ceterisque, quas S. Augustinus .... aliique post eum affirmant a Manichæis confictas fuisse.*

182 Similis quoad historiam fidei, id est nullius, sunt libri Recognitionum, quos Paternitas Tua tam indulgenter adscribit *Clementi Romano Pontifici*, Petri scilicet discipulo & successori, quasi nescires, cuiquam dubios esse. Hi, si sunt ipsi quos Rufinus, Hieronymi æqualis, sub titulo *Periodorum Petri*, Latinos se fecisse dicit, & ab Ebionitarum hæreticorum fermento repurgasse speciose jactat, antiqui valde sunt; sed nec hoc certum est; & ut esset, non eximeret eos fictitiarum scriptionum catalogo, [2] quatenus & a Cle-

[1] Hac in re Papebrochio consentit universus Criticorum chorus, Pagius, Dupinius, Tillemontius, Oudinus, Dumesnilius, Calmetus &c. Consulendus in primis de Pseudo-Abdia Fabricius in Codice apocrypho N. Testamenti p. 389. ubi etiam adversus Vossium l. 2. de Histor. Græc. c. 9. probat, Abdiæ libros ab Augustino minime memorari in libro contra Adimantium. [2] Guilielmus Cave Hist. lit. t. 1. p. 14. Bardesani Syro Recognitionum opus tribuit, quod satis longum ejus fragmentum ex lib. de Fato iisdem, quibus apud Eusebium occurrit, verbis legatur nono Recognitionum libro. Sed Germonius in præclaro de *veteribus Hæreticis Ecclesiasticorum Codicum Corruptoribus* volumine l. 2. par. 2. c. 4. hosce libros olim a S. Clemente scriptos, ab Ebionitis primum, deinde etiam ab Arrianis fuisse corruptos multis argumentis confirmat. Non idem in Codicibus Recognitionum titulus. Vide Cotelerium in Apostolicorum Patrum collectione & Grabium Spicilegii tom. 1. p. 275. Exstant adhuc ex versione Rufini, primusque illas vulgavit Joannes Sichardus Basileæ an. 1526. Fuit, qui præeunte Anastasio Bibliothecario in Epist. ad Joannem Diaconum Romanum censeret, Recognitionum libros primum

Clemente omnium teste occulato, & ad Jacobum fratrem Domini finguntur compositi: essent enim ut summum Philosophi alicujus Christiani, qui Poetica omnino licentia commentus drama est ingeniolum, mirandis eventuum inopinatorum miraculorumque narrationibus contextum, & denique in laetissimos exitus desinens, eo fine, ut varietate ac delectabilitate fabulæ delinitus lector, disputationes de fide rebusque utilissimis, quas inter S. Petrum & Simonem Magum habitas comminiscitur, avidius legat: quemadmodum expono tom. 2. Junii, die xi. ubi ago de S. Barnaba, eidem lusui admixto.

183 *Sit tamen* Auctor qualiscumque; quid tandem ille habet quod hic pro te faciat? Libro 10. cap. ult. lego: quod totius civitatis populo ad Christi fidem converso & baptizato, *Theophilus, qui erat cunctis potentibus in civitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam Ecclesiæ nomine consecravit, in qua Petro Apostolo constituta est ab omni populo Cathedra.* Estne hoc (ut Tu interpretaris, Pater Rev.) dicere, quod *Theophilus domum suam & ecclesiam in honorem Apostoli viventis consecrari fecit?* Per quem, obsecro, nisi per ipsummet Petrum? Ergo, si Tibi credimus, idem Petrus in suum ipsiusmet nomen consecravit Ecclesiam; & quidem non qualemqualem, sed maximam totaque urbe conspicuam Basilicam; qualem ex sui temporis usu comminiscitur Auctor, verosimiliter alius ab auctore Periodorum: harum enim quæ supersunt hinc inde fragmenta, non inveniuntur in libris Recognitionum, ut hos illis multo etiam posteriores liceat credere: utiles tamen sunt, si intelligas, non historiam, sed piam comœdiam texi, sub nomine sancti & vetustissimi scriptoris.

Nihilo felicius quam Clementem, eodem adduci video Gelasium Papam, quasi hic [Con]cilio Romano testetur, *S. Marcum*, primum *Alexandriæ Episcopum, in eadem urbe ec-* *nomine S. Petri sui Magistri,* secundum *fundasse*. Gelasius enim agit, non de ædificatione materialis alicujus ecclesiæ, sed de fundatione & institutione, quam no- S. Petri, velut hujus Vicarius, eodem Concilio enim fusius narrasset Pontifex, Concilio Episcoporum 70. quomodo Romanos a S. Petro cooperante S. Paulo ... *Est ergo, inquit, prima B. Petri Sedes Romana Ecclesia: secunda autem apud Alexandriam B. Petri nomine, a* ... *discipulo & Evangelista consecrata* ... *a Petro Apostolo in Ægyptum* ... *veritatis prædicavit, & gloriosum* ... *tertia vero Sedes apud* ... *beatissimi Apostoli Petri* ... *habetur, eo quod illic, priusquam* ... *novellæ gentis exortum est,* & illic primum no- ... omnia S. Petrus non alio spectare quam trium Apostolicarum Primæ quidem ac tertiæ vero per discipulum, & tem, Marcum. Atque

hoc est quod S. Petrus Damiani, pariter a Tua Paternitate citatus, sed non bene lectus vel intellectus, disertissime docet Serm. 1. de S. Marco, dicens: *Episcopus factus, Alexandrinam fundavit Ecclesiam; eamque, postquam super petram, qui Christus est, insignus architectus erexit, glorioso magistri sui nomini fideliter dedicavit: unde factum est, ut eadem Ecclesia, non tam ex Marci, quam ex B. Petri vocabulo, Sedes Apostolica vocitetur, tamquam si Petrus ipse per se illic Episcopalem Cathedram tenuisset.* Atque in hunc sensum sequuntur alia, de trium Sedium inter se ordine, quæ brevitatis causa omitto.

186 Pater Reverende, si tam multa implicando paucis lineis, sicut hoc Paragrapho facis, citra ullam vel minimam applicationem animi ad auctores locosque citatos; si, inquam, hoc agebas, ut vel mihi voluntatem excuteres respondendi ad singula, vel me insigniter fatigares, atque ab Actis Sanctorum averteres, itaque ulciscereris dolorem, ex meis scriptis immerito conceptum; alterutrum profecto consecutus fuisses, nisi me denique pertraxisses ad Hispanicæ ac Romanæ Inquisitionis suprema tribunalia, quibus negare responsum non poteram; neque debebam dolere, eo nonnihil suspendi progressum operis de Sanctis, majorem ubique claritatem, utconde spetabas illud fido, consecuturi ex co ipso, unde sperabas illud omnibus contemptibile & odibile reddere. Pergam igitur, & veniam ad ultimum tuum atque palmare argumentum, toto §. 12. intortum, idque ex Baronio; *cujus*, inquis, *falsitas verba ad confutandum Papebrochium sufficiet hic producere*. Audiamus.

187 *Postquam Baronius* ad annum Christi 106. n. 2. *retulisset*, inquis, *ex Dione, Columnam Trajanam isto anno cœptam, & post septennium absolutam; subdit, Petri Apostoli ædem, etiam hac Trajani præcessisse tempora*. Tum verba profers, sed absque ulla mentione ædis, a S. Petro occupatæ, quod insignem vel cæcitatem vel socordiam arguit. Eccum ipsa, & quidem omnia Baronii. *Antequam Columna Trajani consurgeret, erant Petri trophæa Romæ conspicua; ejusdem namque memoria nobilis in Vaticano fulgebat. Anacletus enim (ut antiquæ ecclesiastica tabulæ habent) cum adhuc Presbyter esset, construxit atque composuit desuper ejus corpus, velut trophæa victoriæ, insignem claramque memoriam; quam quidem, (quod admirationem omnem superat) non valuit turbo persecutionis aliquo modo prosternere; majoribusque in dies accessionibus gloriæ auctam, affirmare videtur Cajus, antiquus Theologus, qui eodem seculo claruit, nempe Zephyrini Papæ temporibus; imo, non Petri tantum ecclesiam memoriam fuisse celebrem, sed & Pauli, tradit, easque Trophæa Apostolorum appellat, sic dicens; (apud Eusebium Hist. Eccl. l. 2. c. 24.)* „ Ego „ Apostolorum trophæa perspicue possum ostendere: nam, si lubet in Vaticanum proficisci, „ aut in viam, quæ Ostiensis dicitur, te conferre, trophæa Sanctorum, qui istam Ecclesiam sua sermone & virtute stabiliverunt, „ invenies. „ *Hæc Cajus. Quod igitur habet liber de Romanis Pontificibus in Anacleto.* „ Hic „ B. Pe-

primum Latine ab Auctore scriptos fuisse, deinde Græce versos, tum e Græco iterum Latinitate donatos ... scilicet de claris interpretibus p. 246. Sed hæc improbat, refelliique Fabri- ... N. T. p. 762. Codicem Recognitionum in celebri olim Pomposæ monasterio ... Epistola Henrici Clerici ad Stephanum, quam Mont-fauconius describit Diar. ... codicem membranaceum longe vetustissimum Bibl. Veron. MS. par. 1. p. 87. ... vetustissimi Veronensis Capituli Bibliotheca, in eoque *Historiam S. Clementis* inscribi-

„ B. Petri memoriam construxit atque composuit, *per memoriam non nisi ædificii structurum designari constat, quam olim antiquitus usitatius dicere ecclesiam consuevit: nam & Augustinus* „. Nos, *inquit*, Martyribus nostris, non „ templa, sicut diis; sed memorias, sicut ho„ minibus mortuis, quorum apud Deum vi„ vunt spiritus, fabricamus; *quas merito Cajus Trophæa appellat, quippe quæ victorias Sanctorum de subactis hostibus repræsentant*.

188 Non est nobis opus interprete Baronio, Græci sermonis ignaro, ut sciamus, quales memorias Trophæorum nomine designaverit Cajus iste, antiquus & initio seculi 3. vivens. Mentem hujus explicat Eusebius. Nam primum dicit, quod Petri & Pauli Romæ passorum historiam confirmet, *εἰς δεῦρο κρατήσασα ἐπὶ τῶν αὐτόθι κοιμητηρίων πρόσρησις, eorum usque hodie perseverans in iis quæ ibidem sunt cæmeteriis appellatio*: deinde inducit loquentem Cajum, *περὶ τῶν τόπων ἔνθαπερ τῶν εἰρημένων Ἀποστόλων τὰ ἱερὰ σκηνώματα κατατέθειται, de locis, in quibus dictorum Apostolorum tabernacula*, idest corpora, *sunt reposita*, scilicet subterraneis monumentis, quæ Augustinus recte *Memorias* appellat (nam a *monendo* quis ibi situs sit, *monumenta* sepulcralia dici, notum est) extructas illas quidem seu fabricatas splendidius, parvas tamen, obscuras, angustas, Sacerdotis atque paucorum ministrorum capaces; qui dum illic supra corpora ipsa Sanctorum tempore persecutionis sacrificabant, populus fidelis solitus erat congregari in amplis, quæ ibidem erant, cœmeteriis, veluti in ecclesiis; sic tamen, ut magis sacri quidam ibidem recessus, veluti adyta, conchæ, seu sacella interiora, sola nominarentur ab eorum, qui istic continebantur, sepulcris. *Memorias* ergo, idest *sepulcra* Sanctorum Petri & Pauli, quæ primum erant inordinata, Anacletus in formam decentiorem composuerit, alii marmoreis quoque tabulis, vel etiam auro argentoque ornaverint; quasi Trophæa de Tyrannis, occulta, solisque Christianis nota, nec passim referari solita, & subterranea tota.

189 Hæc quod Baronius Columnæ Trajani comparavit, non eo fecit sensu, ut intelligeretur, quod, sicut columna illa, cochleatim educta ad altitudinem 128. pedum, turris instar assurgebat medio in foro, toti Urbi spectabilis; sic etiam palam & supra terram, quasi Mausolea quædam, assurgerent, Apostolorum sepulcris superexstructæ fabricæ splendidi ædificii, Gentilibus insultaturæ. Non etiam eo sensu illa Cajus appellavit *Trophæa*, vel quia istud nomen passim ferebant, sicut in eadem Urbe *Trophæa Marii* hodiedum nuncupata, superstitibus adhuc ruderibus vetustæ atque amplæ olim molis; & quo modo etiam alibi conspiciebantur, in montibus aut viis publicis, *Trophæa Pompeji, Augusti, Drusi*; sed per similitudinem quamdam, ac propter elucentem in iis memoriam victoriæ longe gloriosioris, privatim tamen & clam habendæ, non publica celebritate ostentandæ. Primum id licuit sub Constantino, qui non solum permisit Christianis memorias Martyrum exornare & apertas habere; sed etiam super ipsas exstruere ecclesiarum atque Basilicarum conspicua palam ædificia, quæ eisdem, quibus ipsæ olim memoriæ vocata nominibus sint, ex quo potuerunt etiam nomina confundi, sumendo partem pro toto, vel totum pro parte.

190 Quod si Baronius, non satis videatur distinguere inter *memorias & ecclesias*, eademque nomina permiscere, etiam pro seculis Constantinum prægressis; ipsius perlevis hallucinatio non debet nobis esse pro regula, scientibus & demonstratum habentibus ex Vita SS. Praxedis & Pudentianæ aliisque paris antiquitatis & fidei Actis, terminos istos, pro tribus primis seculis, non esse convertibiles; cum dictarum Sanctarum memoriæ fuerint in iis, ubi corpora requiescebant, cœmeteriis; ecclesiarum autem ab ipsis titulatarum ac supra terram extantium, grandiores ædes majorisque populi capaces, alibi locorum starent, Deo, non ipsis consecratæ, eo ritu quem ista initia temporaque ferebant; persecutione autem fervente ut plurimum clausæ; utpote ipsis etiam Gentilibus notæ. Si quæras, ut soles, Pater Rev. quis ante me tam distincte docuerit *Memorias & Ecclesias* distinguere: respondeo, Quis ante Te Catholico scriptori lites coram Apostolica Sede movit tam male fundatas, movendoque coegit tales minutias enucleare operosius, & præter suscepti operis scopum?

§. XI. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra Sedis Apostolicæ auctoritatem, cum Wicleffo hæresiarcha, explodit antiquissimum Carmelitarum titulum, Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo.

RESPONSIO.

191 QUam merito JESU nomine nostra gloriatur SOCIETAS, tam ex animo gratulor Ordini Carmelitano titulum FRATRUM B. MARIÆ. Quid de eo Wicleff, quid hæretici alii garriverint aut garriant, nihil ad me puto pertinere. Solum cupio stabiliri Epocham, unde doctam istiusmodi appellationem cum solido possim credere fundamento. Tale esse non puto permissionem recitandi Officii, hoc seculo compositi, pro solenni apud Carmelitas Commemoratione ejusdem Virginis, nunc etiam ad omnes Catholici Regis ditiones extensi, in quo videtur ad Apostolica fere tempora istius nominis attolli principium, occasione sacelli, jam tunc, ut prætenditur, sub eo nomine extructi in Carmelo. Ista enim permissio nihil probat, si non supponatur historice probata talis sacelli veritas, quam ex prædictis non probari jam constat; uti nec probantur Indulgentiæ Leoni IV. ejusque successoribus suppositæ, ut ostensum est. De Fundatione Florentina, aliisque ante seculum 13. prætensis, agendum erit Articulo sequenti, quibus quam merito negem justo antiquiorem seculo 13. originem, istic dilucide apparebit.

192 Istis igitur omnibus sepositis, quibus innititur toto hoc Paragrapho Accusator, restat, ut sic appellatos credam RR. PP. Carmelitas, non a fictitio quodam sacello, quod nemo ullus cognovit eorum, qui ab ætate S. Hieronymi, usque ad Joannis Phocæ adventum in sanctum montem, sancta Palæstinæ loca adiverunt & descripserunt, per septem omnino secula. Puto autem appellationem tot titulis venerabilem, natam vel ab eo sacello, quod prædictus Joan-

Joannes illic recenter extructum reperit, anno secundum Latinos 1193. vel potius ab ampliore ecclesia, quam ibidem condiderunt Carmelitæ, mox a Regula accepta multiplicati valde: quæ ecclesia fuit per totam deinceps Syriam celeberrima; ejusque amplitudinem memini me alicubi legisse descriptam a quodam Terræ-sanctæ peregrino, qui, post expulsos inde Carmelitas, seculo 14. reliquias ingentes viderit.

193 Primum istud mihique indubitabile sacellum, fueritne Deiparæ Virginis, an Prophetæ Eliæ, aut alterius cujuslibet Sancti honori consecratum, non habeo unde definiam: hoc certum puto, eos qui Alberti Patriarchæ tempore illo utebantur Fratres, ab eodem necdum habuisse nomen; quandoquidem in suo ad dictum Patriarcham libello supplici (talem enim oblatum, pro certa vivendi formula impetranda, præsumi debet) non videntur alio titulo se nuncupasse, quam qui Regulæ consequenter datæ inscribitur, *Eremitarum juxta fontem in monte Carmeli*; quos vulgus, brevitati studens, maluerit dicere *Eremitas de monte Carmelo*: iis autem, jam in Europam transgressis, ibique in tres provincias partitis, anno 1347. scribentes Hugo tituli S. Sabinæ Presb. Card. & Fr. Willelmus Antaradensis Episcopus, inscribunt epistolam *Religiosis viris, Priori generali & Definitoribus Capituli generalis, Ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli*, prout scilicet ipsimet se nuncupaverant in libello supplici, pro definitione quorumdam dubiorum circa Regulam oblato. Hujus tamen prolixioris tituli amplitudine, nulli adhuc Concilio approbata, abstinens Pontifex, verba quidem prædictæ epistolæ inseruit suæ Bullæ, satis tamen habuit Bullam inscribere *Dilectis filiis, Priori & Fratribus Eremitis ... e Monte Carmeli*.

Hæc sunt quæ dixi hactenus, & quæ ... possim ac velim historice sustinere circa ... originem & usum tituli B. MARIÆ, nihil ... ipsius explodendo, secut facere dici... aliosque hæreticos, aut parum Catholicos. Quare tota, iam ... terminis concepta accusatio, huc de... revolvitur, quod prætensum in Carmelo ... Apostolorum sacellum vocaverim ... an injuria, discernat Apostolicæ Sedes. Hæc autem non commovebitur ... prætensa Prioris Brocardi, quasi is ... Regulam obtentam Constitutiones scrip... istius tituli fecerit mentionem ... mortem Fratribus valedicens, ... *nos Deus ad ordinem ... suorum fidelium: insuper ... ne post meum decessum hoc ...* appellatur ... *Fratres Beatæ Mariæ in vobis*.

195 Constitutiones ... Regulam scriptas a B. Brocardo ... neque ante, neque vero ... interpolatas me puto Art. 13. §. 3. Salvo ... Brocardus haberi, si quæ ... as post ... exempla antiquiora faciant ... necesse ... quidem indicent) ... profer... hoc etiam palam fit ... am em... di... privilegiorum ... ex alle... verba quod attinet ... primum ... dixerit, sive obitum ... , quæ ... Legislatoris, defuncti ... ic con... ... cti an-

no 1214. sive post eam anno 1230. potuit commemoratione talis Tituli, licet tunc recentissimi, adhortari Fratres, ut eo dignos se præstarent. Cur autem non dicis, unde hæc verba sumpseris, sed mihi imponis quærendi laborem? Quærens tamen, ut plenius valeam respondere, verba eadem pene reperio in Lectionibus novi Officii pro festo S. Brocardi 2. Septembris, *noviter concessi* a S. D. N. Clemente X. & post Breviarium anni 1672. impressi. Fontes autem nullos invenio antiquiores, quam seculi 15. exeuntis scriptores duos; Thomam Scropum, alias Brudley, ex Carmelo Norvicensi in Anglia, Episcopum Dromorensem in Hibernia, Orationis cujusdam parænetice auctorem, defunctum 1491. & Arnoldum Bostium, collectorem Speculi Historialis vestri, mortuum anno 1499. ante quos Viridarium texens Generalis Grossus, nihil tale habet; ex istis vero duobus acceperit Balæus, id quod de Brocardo scripsit ante suam ab Ordine vestro apostasiam. Priores duo vocant *Ordinem Eremitarum & Sacerdotum*; quasi ex primo instituto fuerint omnes aut plerique sacris Ordinibus initiati vel initiandi, quod ut credibile fiat, opus est majori certitudine, quam peti possit ex Regula, mandante, ut *hi qui litteras noverunt & legere Psalmos, per singulas Horas eos dicant..... qui vero litteras non noverunt, viginti vicibus dicant Pater-noster in nocturnis Vigiliis &c.*, inter illos autem, qui isto in principio legere noverant, forte vix unus alterve Sacerdos erat præter Priorem. Sarateni Menologium anni 1628. sic loqui Brocardum facit: *Vocavit vos Deus ad Prophetarum Ordinem, ad Eremitarum suorum numerum, glorioso hoc titulo decoratum, Fratres B. Mariæ Virginis de monte Carmeli. Videte, oro, ut post decessum meum, vobis hunc titulum inepte concreditum esse, reprehendamini*.

194 Non hæc ideo dico, quasi ad quæstionem magnopere faciat, utrum, paulo ante vel post mortem Brocardi, titulum istum cœperit usurpare Ordo; sed ut appareat, nec consona sibi omnia, nec antiqua probari, quæ de vita S. Brocardi habentur; adeoque prædicta verba tam facile ei potuisse post dico secula decursa tribui, quam alia quædam. Nam & huic commune est quod successori Cyrillo, & Legislatori Alberto itemque Simoni Stock, ut quorum nullæ scriptæ habebantur Vitæ, ex conjecturis potius quam certa scientia componerentur a posteris, parum de Orientali historia instructis; quædam tamen de unoquoque eorum afferentibus tam illustria, ut non potuerint ab eorumdem temporum scriptoribus coævis ignorari, si vera; nec prætermitti, si nota. Quæ ea sint, satis vidimus in Alberto, ut etiam quam male cohærentia de ipsomet deque Bertholdo primo Priore fuerint consarcinata: Brocardus vero dicitur Acconem, ad montis Carmeli radices, a Saracenis captam, Christianis restituisse precando; missusque Damascum ad Regem pro treuga cum eo componenda, eamdem impetravisse. Saladinum vocant Episcopus Dromorensis & Saracenus, qui Saphadinus dici debuerat; & uterque addit, curatum a lepra ac paralysi suum Mamalucum, ut vocat Episcopus; seu *Proregem Damasci*, ut asserit Saracenus.

195 De sancto quoque Cyrillo jam dixi Art. xi. §. 30. quæ ille Constantinopoli, Iconii, & Romæ, ac denique in Armenia egisse narrator, omnino grandia ac memoratu dignissima, citra ullam afferi verisimilitudinem. Hæc autem qui

utri-

utrique Sancto affinxerunt, facilius potuerunt comminisci verba extrema Brocardi morientis, si non vera, saltem similia veris, & ad titulum, tunc forte necdum institutum, aptata; sicuti verba Deiparæ ad S. Simonam Stock de habitu Ordinis, qui tunc fuisset Carpita sive Chlamys barrata, *Ordinis* (ut capitulum Londinense anni 1281. appellat) *insigne*, intelligitur & explicatur passim de *Scapulari*, postea primum inducto cum reliqui habitus mutatione, anno 1287. adeoque annis 12. post obitum Simonis.

§. XIII. ACCUSATIO.

Papebrochius, ex suo hæreticorum supposititio principio, impugnat Monachatum S. Frontonis Abbatis circa annum Christi 150.

RESPONSIO.

196 IMo Tu, Pater Rev. ex tuo me calumniandi injurioso principio, quod est, undecumque arripere ansam componendi me cum hæreticis, horum, quos numquam legi, principiis niti me fingis; cum tamen videris, Catholicos a me citari, eosque nec leves, nec paucos: quod nescio an tibi postbac condonaturi sint lectores æqui, licet ego libenter condonem. Meam itaque sententiam, de perfectioris monasticæ seu cœnobiticæ vitæ initio, ad S. Pachomium referendo, sumpsi ex hujus Actis per coævum scriptis; ubi de cœnobiis in genere testantem babui S. Antonium: de Nitriensibus vero in particulari, in eorumdem Actorum Prologo, Auctorem ipsum, allegantem S. Athanasii scripta, de Vita S. Antonii, *quibus*, inquit, *etiam scriptis, sancti Patris nostri Ammon conversationem complexus est (ejus videlicet qui primus fuit Fratrum, in monte Nitriæ solitarie viventium) uti & Theodori, quem vitæ suæ socium Ammon babuit*. Ad hunc ego locum, conscio & probante plurimum P. Henschenio, sic notavi & ipso etiamnum vivente publicavi.

197 „ Quomodo primus in Nitria *S. Ammon*, si (quod breviter insinuavimus ad 17. Januarii & 14. Aprilis) *S. Frontonius* Abbas fuerit septuaginta Fratrum in monte Nitriæ, anno circiter Christi 150. integro ante S. Antonium seculo; sanctus vero Ammon Antonio fuerit coævus? Uterque locus est Henschenii nostri, moti Appendicula post Vitam, qua dicitur: *Hæc sub Antonio* (alias *Antonino*) *Imperatore gesta sunt, tertio decimo anno Imperii ejus*: fatetur autem, numquam sine scrupulo ipsam a se lectam, multumque dubitatum in Aprili, an ea neglecta non esset referendus *Fronto* ad ætatem *Ammonis*: nunc vero, hoc loco considerato, quem nolit violenta interpretatione torqueri, in eamdem sententiam omnino transire, ac velle S. Frontonii Vitam ab iis qui recogituri Aprilem sunt, collocari post Passiones Martyrum, die 14. Aprilis occurrentium ante Vitam S. Abondii: in disquisitione autem prævia de ætate Sancti mutari numerum 2. & expunctis duabus lineis, quibus in principio dubium relinquit, *sive tunc mortuus fuerit S. Fronto, sive ab eo anno cibi ad eum cœpti sunt deferri quod usque ad mortem factum est*; vult pro duabus lineis ultimis ante num. 3. hæc substitui: *His ita consideratis, videretur S. Fronto floruisse seculo Christi secundo: sed quis jam tunc in Ægypto fuisse credat monachos tam numerosos, Sanctorum Pauli, Antonii, Pachomii Vitas legens, in cujus postremi Vita bonoratur S. Ammon titulo* Ἀρχιμανδρίζοντος τῶν ἐν τῷ ὄρει τῆς Νιτρίας ἀδελφῶν? Dixerim ego, aut Appendiculam istam, merum esse imperitumque glossema; aut potius, non integre transcriptam a librariis, misereque truncatam fuisse, & sic restituendam: *Hæc sub Ammone Nitriensium monasteriorum Præfecto ac primo institutore, & Constantio Imperatore gesta sunt, tertio decimo anno Imperii ejus*, qui esset Christianæ æræ annus CCCL. sive tunc mortuus fuerit *S. Fronto*, sive ab eo anno cibi ad eum cœpti sint deferri, quod usque ad mortem factum est; quam sic liceret etiam ad plures annos differre. Huic autem dilationi faverent eæ omnes collectiones, ex quibus librum primum de Vitis Patrum Rosweidus noster edidit, ubi inter postremos censetur *S. Frontonius*, & saltem post Paulum, Antonium, Hilarionem, Malchum.

198 Hæc sic relata tomo 3. Maji pag. 296. si Paternitas tua integre dignata fuisset transcribere, frustra clamavisses (ut facis num. 184.) quod *parum curans Papebrochius magistrorum suorum auctoritatem, ex meris argutiis nequit admittere, S. Frontonem floruisse seculo Christi secundo*. An rationes tam prægnantes, talique auctoritate fundatæ, sint meræ argutiæ, judicabit æquus lector, & decernet, utrum illæ sufficientes refutentur auctoritate unius alteriusve lineæ, a nescio quo appositæ ad Vitæ calcem, sicut crediderunt, rebus nondum plene examinatis Rosweidus & Bollandus, æque ac vester Lezana & quicumque alii, etiam ipse aliquando Henschenius, sed hic non sine scrupulo. Beda & Florus in suis genuinis Martyrologiis, quæ primus in lucem protuli ante 2. tomum Martii, Frontonis non meminerunt, quia ejus Vita necdum ad illorum notitiam pervenerat. Hanc nactus posterior aliquis, nomen inseruit suppleto a se Bedæ Martyrologio; quem continuo secuti Ado & Usuardus, ab hoc autem derivatus S. Fronto in hodiernum Martyrologium, laudatur quidem a sanctitate & miraculis, sed nusquam additur quod floruerit *sub Antonino Imperatore*. Quare frustra hic appellantur Martyrologia; & responsio recte a me absolvitur, salvis totis Actis; qualia primitus scripta fuisse & absque Appendicula ista, tam multa suadent credere.

199 Debitor tamen adhuc tibi sum, Rev. Pater, pro aliorum Sanctorum Vitis contra me adductis §. 6. atque in hunc locum dilatis, propter argumenti & scopi similitudinem. Prima est ex 1. die Martii, Passio S. Eudociæ, quæ prætenditur sub Trajano floruisse: ibi enim capite 9. legitur, quod *B. Germanus Monachus, babebat suo regimini subjectos Monachos septuaginta; & in asceterio, non longe inde remoto, Virgines triginta; inter quas admissa S. Eudocia .... præposita gynæceo est, in defunctæ locum*. Vitam, fateor, Bollandus prælo aptavit, & quidem ex vetustissimo codice plusquam mille annorum, Latine redditam a Possino nostro: sed fecit id Bollandus Henschenio subinvito, qui saltem censuræ aliquid additum maluisset; ego vero de talibus necdum aptus eram judicare. Ast Bollandus, nolens beneficium Possini aliqua sua nota (ut ajebat) obfuscari, dicebat ab ipsomet Possino censuratam satis, in epistola pariter sibi transmissa, & ante

Vitam

Vitam in Commentario impressa; unde apparebat, eam Vitam a nobis dari sicut accepimus, nihil magnæ fidei ei dando, sed solum ostendendo, ex quo fonte hausissent Græci, quæ de ista Sancta tradunt in Menæis aut Synaxariis, post seculum 9. cœptis formari ex Actis Sanctorum prolixioribus.

200 „ Profitebor, inquit in epistola Possinus, deprehendisse me ex styli genere, nequaquam esse Vitæ scriptorem, S. Eudociæ æqualem. Usurpat enim vocem Ὁμοούσιον, in Nicæna demum sancitam Synodo, nec ante usitatam. Prætorianorum Ducem *Comitem* appellat. Hæ res posteriorem Constantino ætatem sapiunt. Sic equidem crediderim, Acta Sanctæ Martyris, quæ in Phœnice vixerit ac passa sit, ibidem, Syro-phœnicum fortassis populari lingua, fuisse conscripta; quæ nactus hic noster, quisquis est, ea, circa Theodosiorum forsan tempora, Græcæ Ecclesiæ communicaverit. Sane dictio ipsa mihi, attentius exploranti, videbatur interdum aliquid olere peregrinitatis.

201 Hactenus Possinus, cujus judicium amplexus Bollandus est, etiam in eo quod ibi commemoratum Aurelianum, *βασιλέα*, non *Regem*, sed *Regulum* interpretari maluit. Ego vero eidem inhærens judicio, cogor hic, probata undequaque Sanctorum Acta secernere ab iis, quæ numquam a coævis scripta fuerunt, vel, loco priorum Diocletiani flammis absumptorum, pia posteritas licentius adornavit, multa addens pro loco ac tempore inconcinna, sicut dixi ex Baronio Art. 4. n. 31. & ex Ruinardo Art. 11. n. 74. Acta vero S. Eudociæ penitius inspiciens, post annos fere 30. in hoc studio actos, post multam item talis licentiæ, quinto sextoque seculis grassatæ, observationem, in eam venio opinionem, quod Eudociæ Imperatrici, Theodosii Junioris uxori, agenti in Palæstina, atque Palatii desiderium obeundis locis sacris monasteriisque visendis levanti, ab anno 450. ad 461. gratificaturus Monachorum aliquis, cognominis eidem Martyris memoriam, eatenus obscuram, illustrare voluerit, comminiscendo pium drama, cui auctoritatem conciliaret antiquitas martyrii gratis definita, & gratiam admirabilitas perplexorum concatenatorumque eventuum, ex ea quæ tunc obtinebat religionis forma aptatorum; non satis interim cavens, ut verosimilia (quod perdifficile est) fingeret omnia.

202 Etenim Eudociam, genere Samaritanam, professione meretricem, fingit fuisse tam opulentam, ut post baptismum totam suam substantiam in jus Ecclesiæ transcriptura, *vocatis dispensatoribus rei familiaris*, in medium proferri fecerit omnia. *Fuit autem summa prolatarum in medium rerum*, inquit auctor, *auri libræ plenæ, vicies mille; ornamentorum eximiorum diversæ speciei, pondus immensum; gemmarum exquisiti pretii & regiarum margaritarum, innumerabilis copia; capsæ vestis sericæ, quinque ac septuaginta supra ducentas; vestis lineæ pretiosæ, capsæ decem & quadringentæ; vestes auro clavatæ, capsæ centum sexaginta; vestes alterius, pretiosis lapillis arte phrygionica intextis ornatæ, capsæ duæ ac quinquaginta supra centum; vestis variæ gravis, arcæ majores centum viginti tres; auri signati, myriades viginti quinque sive quinquaginta supra ducenta aureorum millia; moschi, capsæ duodecim; Storacis Indici sinceri, capsæ tres & triginta; argenteorum vasorum diversæ formæ, octo millia pondo; essedum, gemmis distinctum, librarum quingentarum; vela serica auro clavata, pondus simul æquantia librarum duum & triginta supra centum; vela bombycina, librarum septuaginta; alias exequi materias minus nobiles, quæ acervatim sunt congestæ, infinitum sit. Habuit & præter hæc mobilia in solo prædia & latifundia, quæ annuos fructus redderent pretii nummorum octiagentorum & bis mille.*

203 Quid tibi videtur, Pater Rev. satisne magna hæc meretriculæ unius opulentia est, ut incredibilis videatur? Mihi sane æque credita difficilia sunt illa, quam quæ de magnis opibus Phrynes Thespiæ, Thaidis Atheniensis, Laidis Corinthiæ, & Rhodopes Æsopi conservæ scripserunt Athenæus, Propertius, Plinius: est vero ipsum incredibile magis, quod tam opulentæ domus fuerit adeo male materiata, ut in quo dormiebat Domina conclave, *uno nec crasso pariete divisum a contigua vicini* Christiani *domo*, commoditatem præberet vigilanti Eudociæ, non solum psallentium in hac Monachorum cantus confusim percipiendi, sed etiam distincte intelligendi *argumentum* ejus qui legebatur libri; *quod erat judicium extremum*, *eoque memorabatur, justos quidem splendori solaris æmulo fulgentes, omnium qui unquam erunt & fuerunt hominum oculis conspicuos, in præcellenti gloria futuros; peccatores contra, igni inextinguibili, sententia irrevocabili, addicendos in sempiterna secula, supplicia nec finem nec remissionem umquam ullam inventuro*: quibus auditis *commota* Eudocia, *in magno cogitationum æstu lucem expectavit*: atque hæc fuerit ei occasio ab accersito postridie Germano fidem Christi perdiscendi. Horum inter se colloquia, quinque Capitibus explicata, sequitur baptismus & ingressus in monasterium, in eoque profectus & præfectura; Philostrati, perditi juvenis, ad eam inde eliciendam irritus conatus, mors subitanea, vita reddita atque conversio; item *Aureliani Regis* seu Reguli, tunc *Imperium adepti*, & miraculo tanto moti conversio, nec non familiæ regiæ universæ; adventus Diogenis Præsidis, illataque ab eo Martyri tormenta; Præsidis ipsius lictorumque interitus, per ignem erumpentem ab Eucharistia, quam intra sinum Martyris repertam illi flammis dederant; puer draconis afflatu necatus, & ab Eudocia vitæ redditus, dracone extincto; martyrium denique jussu novi Præsidis Vincentii abscissione capitis consummatum.

204 Hæc omnia quam apte implerent scenam theatri, tam parum habent verosimilitudinis simul in unam personam collata; singula autem possent quamcumque Martyrem celeberrimam reddere; & tamen nullam in Eusebii historia, nullam in antiquissimo copiosissimoque Hieronymiano Martyrologio, ex Eusebii collectaneis (ut creditur) sumpto, locum invenit ista tam mirabilis Eudocia; sed primum innotuit ipsa ex Actis, tam sero & tam licenter scriptis, atque Constantinopolim missis: quæ inter palatinas mulieres, novarum & mirabilium rerum cupidas, earum maxime quæ pietatem videntur excitare, obviis excepta ulnis, an non nimis facile fidem inter Græcos repererint, Sedi Apostolicæ dijudicandum relinquo.

Ni-

Nihil equidem detractum volo Sanctæ isti, quam primus Latinorum excepit Molanus, ex eoque alii & ipsum etiam Romanum Martyrologium, sed solum persuasum cupio, ejus Acta non esse talia, ob quæ debeamus credere in Phœnice jam tunc fuisse cœnobiticam vitam, prorsus talem, qualem media Christianitatis ætate conciperemus; cum in proxima Palæstina, Hieronymo teste, adhuc Monachum nemo norat, ubi nonnisi ab Ægypto disciplinæ istius forma accepta credebatur.

205 Secundus porro objicitur mihi S. Nicon Martyr, prope Tauromenium in Sicilia, cum 199. Monachis sociis, post annos 42. in deserto quodam balneo, velut in suo monasterio, tranquille traductos: idque sub Præside Quintiano, ex Actis S. Agathæ noto: adeoque martyrium ad persecutionem Decii & annum Christi 251. refertur. Arguor autem, ejus Acta improbando, contraire Magistris meis Bollando & Henschenio, ipsa ad 23. Martii probantibus: quia in Notis ad Ephemerides Græcomoschas sic scripsi: *Hujus & sociorum 199. martyrium utinam nobis certius constaret, quam ex Actis, quæ dedimus sub nomine Chæromeni, eorum famuli atque discipuli. Severiori enim censura eguisse ea judicamus; & ipsis, quoad omnes circumstantias, tam fabulosis, * nolumus credere Monachatus initia Diocletiani ætate vetustiora*. Ego, Pater Rev. non autem prædicti, Acta illa ex Græco Latina feci, & in luto (ut dicitur) figlinam docendus, primum hoc specimen illis dedi meæ, non tam peritiæ, quam capacitatis alicujus ad peritiam rerum historicarum acquirendam; & postquam ipsa Latinitati donavi, Commentarium prævium ac notas addidi; illi vero omnia, non valde severe discussa, imprimi permiserunt. Non eram tamen adeo rudis tum, ut non viderem Acta, in quibus nominabatur *Constantinopolis*, uno fere seculo post Decii persecutionem condita, non posse sic scripta esse a famulo Sanctorum, discipuloque Chæromeno. Quia tamen num. 21. dicitur Sanctus oblatam sibi visionem indicasse *puero dicto Chæromino, qui ipsi ministrabat & vitam ipsius scripta tradidit*; putavi hæc Acta ei posse adscribi, ex cujus memoriis longe posteriorem alium ea præsumebam composuisse; necdum adhuc experiendo edoctus, quod toto deinde decennio didici, quam caute tractanda essent Acta, medio ævo composita. Ideo autem hæc cavebam minus, quia nec ipsos Magistros meos, in prægressis Januario ac Februario, severius morosiusque egisse in talibus videbam, eatenus dissimulantes multa, quæ notare poterant, nisi probe novissent, principia rerum arduarum timide tractanda esse.

206 Hæc ignota fuisse Tibi, Rev. Pater, nec queror nec miror: sed quod accusaturus me, ex præcitatis verbis sola ultima descripseris *Nolumus credere &c.* quasi mihi ad reprobandum quidlibet, sola staret pro ratione voluntas, solusque præproperus Monachatus in illis Actis displicuisset. Etenim immediate prius dixeram, ea Acta esse *quoad omnes circumstantias fabulosa*. Circumstantiæ, mihi olim vel dissimulatæ vel non animadversæ, nunc autem judicatæ fabulosæ, sunt hæ. Bellum circa annum 206. prope Neapolim, in quo militans Nicon, matre Christiana natus, invocarit illius Deum, & *confidenter protendens hasta obarmatam dexteram, ipsa hora quasi centum octoginta viros occidit*; tum dimissa militia, *sumptaque secum pecunia non exigua, ad partes Constantinopoleos navigavit*: appulso autem in Chium nocteque oranti apparens vir, *eo habitu incessuque, qui sacrum Dei ministrum deceret, & eum ad se vocans, dixit: Accipe baculum istum, in cujus summitate signum Crucis vides, ille te deducet*: atque mox additur, quod tali indicio agnitus a nautis, appulerit in Montem *qui Ganus dicitur*, toti quidem antiquitati solum sub nomine *Rhodopes* vel *Hæmi-montis* notus, primum autem inveniendus apud Suidam, Nicetam, Gregoram, medii ævi scriptores.

207 Ibi exceptus ab Episcopo Cyziceno Theodosio, simul & Abbate degentium ibidem Monachorum, ab eodemque monastico habitu donatus, & tres annos ibi commoratus, atque a morituro ordinatus Episcopus simul & Abbas, propter imminentem barbarorum incursionem, jussus fuerit trajicere in Siciliam; Neapolimque applicans cum 190. Monachis, sibi a defuncto Theodosio relictis, a matre, in portu obvia, ex habitu agnitus sit esse Monachus. Cum interim ex Thracia iuris in Siciliam nequaquam adeunda Neapolis sit, centum & amplius leucis ultra Tauromenium, quo jussus dicitur Sanctus tendere. Hic vero plantato juxta fluvium pomario hortisque consitis, in antiquo Hygiæ balneo cum habitasset annis 41. delatus ad Quintianum Præsidem, socios ipso in balneo decollatos cælo transcripsisse dicitur; cumque jumenta, quibus post variam torturam alligatus erat, immobilia consisterent, eisque Præses nervos succidi jussisset, *illa humana voce accepta; Deus, inquiebant, noster, in cælo & in terra, omnia quæcumque voluit fecit; & nos propter Niconem interficimur hodie*. Ipse interim Nicon capite minutus biduum jacuerit insepultus, donec illac transiens energumenus pastor liberatusque, corpus Sancti & corpora sociorum indicaverit Emesanorum Episcopo Theodosio (Messeniorum scribi debuerat) qui *assumpto secum Claro, cum cereis atque thuribulis* (quasi in plena Ecclesiæ pace) *sacras Reliquias requisivit & reperit*.

208 Hactenus tota illa tragœdia, postquam (ut num. 21. prædictum fuerat), Quintianus vitam finivit, excussus in flumen quod transibat; adeoque post passionem S. Agathæ, 5. Februarii consummatam diebus omnino 46. Et tamen in ejusdem S. Agathæ Actis Græcis, antiquioribus & hactenus multo verosimilioribus, dicitur, quod *Quintianus, audiens mortuam esse sanctam Dei Martyrem ad res ejus occupandas abiit: iter autem vix erat ingressus, cum eum* (in transitu Psimethi) *divinum judicium occupavit*: quæ eadem leguntur in Actis Metaphrasti adscriptis. An autem hæc S. Agathæ, quoad mortem Quintiani immediate secutam, debeamus rejicere vel torquere, interjectis diebus 46. inter illius & Niconis Martyrium, solum ut hujus Acta excusentur, & Cœnobiticæ vitæ sustineatur antiquitas major, quam nota erat SS. Antonio atque Hieronymo, judicet æquus lector; maxime post expensam epitomen præmissam; in qua evitari nullo modo potest, quin interpolata Acta fateamur, si non ficta, adeoque talia esse, ut ex iis certi nihil possit historice definiri. Licet autem in punctis singulis fortassis valere possit indulgentia, quam adhibui tiro, non potest ea quadrare simul omnibus; cum ipsa multorum sigillatim vix excusabilium collectio, univer-

niversam faciat rem inexcusabilem apud bene compositum intellectum.

209 Restant objecta mihi etiam Acta SS. Juliani & Basilissæ; sed quia pro his peculiarem mihi litem moveri video §. 28. eo Lectorem differens, ad Accusationes prosequendas transeo. Si omnes qui nostra Acta Sanctorum legunt, bene legissent Præfationem generalem P. Bollandi ante Januarium, intelligerent, non omnia quæ in nostro referuntur opere, in eodem haberi certitudinis aut verosimilitudinis gradu, sed diversissimo, pro diversa auctoritate eorum qui allegantur auctorum, ætateque rebus gestis propiori vel ab eisdem remotiori. Tum vero Commentarios ad singula Acta prævia expendenti appareret ea diversitas, quam Bollandus in Januario & Februario noluit expressis verbis notare, semidoctorum (qui plures sunt) offensam metuens, tenero & incipienti primum operi periculosam; satisque habuit sensum suum relinquere eruditis cognoscendum, ex natura rerum tractatarum; contra quam postea Henschenius faciendum censuit in bona parte Martii, totoque Aprili & Majo, quia ipsa docebat experientia, Bollandi cautelam pluries præjudicare veritati, non satis capiendæ, quando se vultu aperto non prodit Auctoris sententia. Atque hinc diversus ille Patrum Carmelitarum erga Januarium ac Februarium, Bollandi nomen præferentes, & tres sequentes tomos affectus, ad etiam ad contramitendum incitarint, quod ego, Bollando succedens, & nomen meum in Aprili ac Majo aperte professus in iis quæ meo marte composui, minori cum invidia viderer posse solus impeti, tamquam omnium quæ nunc displicent vel auctor vel suasor; venerabilibus autem Magistris meis, longe inferior auctoritate, doctrina, prudentia,

§. XIV. ACCUSATIO.

Papebrochius, pro suo mero beneplacito, contra Græcorum testimonium & traditionem, præfidenter asserit, numerum Innocentium Martyrum esse fabulosum.

RESPONSIO.

210 Cur non statim, ipso in Titulo, exprimis, Rev. Pater, *millia quatuordecim*? An metuebas, ne cuilibet, aliquantula consideratione utenti occurreret cogitare, id quod ego ad Ephemerides die 30. Decembris dixi, *Bethlehem oppidum parvum fuit, non multa plus quam duabus leucis ab Hierusalem dissitum; & fines, in quibus omnibus occisi pueri, non admodum magni possunt concipi*: cui ergo credibile fiat [1] istic numerari potuisse infantes masculos, a bimatu & infra, ad quatuordecim millia? Age tamen, & quam enormis ille numerus sit, demonstretur ad oculum.

211 Antverpia Belgicarum civitatum non est minima, imo inter magnas Europæ orbes solet numerari. In hac prætérito anno *1696.* ad baptismum delati fuere utriusque sexus infantes, calculo satis accurate per sex Parochias deducto (nam Mariana in duas dividitur) numero circiter 2650. quibus juncti 800. ex pomœrio suburbano, seu leuca bannali, vix creduntur impleturi numerum 3450. facturi intra biennium 8. millia infantum ut summum. Quantam hic putas partem vindicabit sibi femineus sexus, virilem solitus una quinta ut minimum superare? Restabunt ergo ut summum tria millia masculorum: ex his autem tertiam partem intra biennium mors abstulerit, ut solet cum lenissime sævit: itaque in tota Antverpia & finibus ejus, sub finem anni *1696.* infantes masculi a bimatu & infra, quos redivivus Herodes aliquis potuisset occidere, pauciores inventi fuissent quam bis mille; & tu, Rev. Pater, voles me credere, in ea civitatula (quæ passim censebatur *minima in principibus Juda*, & inter Jerusalem ac Thecue media non potuit nisi arctissimos fines habere, hinc unius, istinc mediæ circiter leucæ) fuisse ejusmodi masculos ad 14. millia? Fuerint illi ducenti vel trecenti, & numerum respective magnum haberi credendum erit.

212 Huc accedit, quod Infantes non fuerint subita militum irruptione necati, ut passim sibi imaginantur pictores; sed astu aliquo, ne vel unus evadere mortem posset, collecti sint, prætexente v.g. Heroda, quod una cum recens nato Judæorum Rege vellet omnes honorifice simul educandos curare, quos etiam Bethleemo abductos, ne quid pro iis molirentur parentes, ferali decreto forsitan intellecto, Thecuam abduci jusserit; si vera est Thecuitarum traditio; cujus testis S. Willibaldus Eystettensis Episcopus, sub medium fere seculi 8. illuc peregrinatus, in Hodœporico, per ejus cognatam Sanctimonialem descripto, inter antiquas Lectiones Canisii tomo 4. parte 2. pag. 501. dicitur, visitato Bethleam, venisse *in villam magnam, quæ vocatur Thequa, ad illum locum, ubi infantes quondam occisi fuerant ab Herode*, quod iterum, meo quidem judicio, non valde magnam multitudinem arguit. Quid quod tam occulte videatur res acta, ut ferme latuerit historicos, non solum exteros, sed etiam Judæos, qualis fuit Josephus; qui tam effusus in ennarrandis tyranni crudelitatibus, hujus in Innocentes commissæ nec verbo quidem meminit; etsi alias non alienus a Christo laudando.

213 Sed offendit te, nec tolerabile putas, quod præmissæ initio censuræ addiderim, *Itaque ad ceteras Græcorum fabulas istum quoque numerum* (14000.) *adjicias licet*. Audi ergo & intellige, Pater Rev. Pertæsi Græci seculo 10. sicuti & Latini seculo 14. longarum de Sanctis Legendarum, quæ si totæ inter Sacra recitarentur, & quidem una die subinde plures, intolerabiliter producebatur divinum Officium; si solum delibarentur, nulla habebatur forma historiæ; utrique incommodo provisuri, Latini quidem ex longis Actis contraxere Breviaria, Græci vero Synaxaria, in quibus per anni cursum descripta breviter Sanctorum historiæ, ordinatæque reperientur. Primum in hoc genere & antiquissimum est, quod diximus, Basilii Imperatoris Porphyrogennetæ (Latino Græce Porphyrogeniti, id est, in purpura, patre jam Imperatore, nati) quod omnium ut primum, ita & sincerissimum, quotidie unius Sancti alteriusve vel tertii ut summum proponit historiam, delectu & successu nequaquam erubescendo. Hic ad diem 29. Decembris (alii 30. diem notant) præscribitur recolenda Ἡ ἀναίρεσις τῶν ἐν τῇ Βηθλεὲμ ἁγίων νηπίων, *Cædes eorum*,

[1] Calmetus in Dictionario Biblico ait, hunc numerum fidem omnem exsuperare. Tillemontius & Bailletus in eamdem ivere sententiam.

rorum, qui in Bethleem erant, sanctorum puerorum; & subjungitur lectio, conformis historiæ Evangelicæ, nullo expresso cælorum numero, de quo nec apud sanctos Patres quidquam legitur.

214 Hoc an secuta sint omnia, quæ plurima deinde vidimus Synaxaria, in duplum vel etiam triplum & quadruplum variis locis ac temporibus aucta, nobis curæ non fuit observare: ubique certe eamdam & iisdem verbis historiam legimus, uti & in ipsis magnis Græcorum Menæis apud Venetos excusis anno 1595. sed mutatus ibi est titulus in hunc modum: *Μνήμη τῶν ἁγίων νηπίων, τῶν ὑπὸ Ἡρώδου ἀναιρεθέντων χιλιάδων δεκατεσσάρων*, *Memoria sanctorum puerorum, sub Herode interfectorum quatuordecim millium*. Volo libenter credere, Pater Reverende, quod si scivisses, nullam extare hactenus antiquiorem istius numeri notitiam, non ita *præfidenter* scripsisses, quod *talis fuerit constans Græcorum traditio, cum in communibus & solemnibus habeatur tabulis*, uti scribis num. 185. solo nixus Silveira Hispano scriptore recentissimo, simpliciter notante, quod *dicuntur fuisse tredecim aut quatuordecim millia*. Non etiam quæsivisses ab Apostolica Sede, ut facis num. 186. *An liceat Papebrochio, quasvis traditiones & antiquitates ecclesiasticas, sic pro suo placito ex meis conjecturis, omni sua spoliare probabilitate, & ablegare ad fabulas*.

215 Ego, P. Rev. aliud mihi licere nec puto nec volo, quam (sicut instituti operis ratio exigit) examinare opiniones quascumque de Sanctis, etiam prætenso nomine traditionis speciosas; quam antiquæ scilicet, quam solidæ probatæque sint. Credo autem, quod earum universim vindicandarum non magna cura Patribus Carmelitis esset, nisi tales multas etiam ipsi haberent, quas mallent clausis oculis suscipi. Quam autem non *ex* meo *placito merisque conjecturis*, quasdam Græcorum traditiones (si tamen hoc nomine digna sunt inanissima multa creduli nimis vulgi commenta, etiam in sacras Græcorum relata tabulas) optime scire poterat Paternitas tua, si legere attenta dignatus fuisses, quæ omnibus ac singulis fere diebus Aprilis atque Maii (mihi enim potissimum hæc cura incubuit annis fere 30.) commentatus sum, ad Acta & Nomina Sanctorum, e collectis undique Synaxariis acceptorum: in quibus, prælertim recentioribus, & in Menæa Veneta translatis, multas esse patentissimas fabulas, nemo ignorare potest, nisi qui numquam illa legit.

216 Specimen accipe ex 17. Decembris, quando a Græcis colitur S. Daniel cum tribus Pueris, quorum historia ibi traditur ex Scripturis, omnino bene, & sic finitur: *Sancti autem tres Pueri post incomprehensibilem suam ab igne salvationem, iis quibus antea præfecti erant negotiis incumbentes, & vitam reliquam magna in gloria transigentes in pace quieverunt cum Daniele*. Hactenus bene: sed vide quid sequatur in excusis Menæis, nescio unde sumptum:

Dicunt autem aliqui, quod post Nabuchodonosoris mortem, successorum Regum, qui Danielem cum tribus Pueris magno in honore habuerunt, surrexit Rex alius, nomine Atticus, qui Sanctos interrogans ab iisque reprehensus, jussit Misaelis caput abscindi, quod intra diffibulatum thoracem excipit Azarias, sicut etiam Ananias resectum caput Azariæ sibi impectoravit; sed Daniel thoracem suam explicans, excepit caput Ananiæ, atque postremus decollatus est etiam ipse. Dicunt autem, quod post decollationem, eorum corporibus agglutinata fuerent capita; quodque Angelus Dei ipsa corpora tollens, avexit in montem Gebal, in quo posita sub petra annis jacuerunt quadringentis; resurgente vero Domino nostro Jesu Christo resurrexerunt etiam ipsi, & rursum obdormiverunt. Festum eorum agitur in magna Ecclesia, quod accepimus a Patribus recolendum septimo die ante dominicam & divinam in carne apparitionem; ea (ut reor) de causa, quia ipsi quoque fuerunt de tribu Juda, ex qua Salvator omnium Christus etiam genus duxit.

217 Puto pluribus opus non esse, ut ipse mihi assentiaris, P. R. meram illam fabulam esse, etiamsi non advertas animum ad annos 400. quibus cædes illa præcessisset Christi resurrectionem; ubi debuissent ut minimum sexcenti numerari, cum miraculum fornacis Babylonicæ præcesserit ejusdem Christi nativitatem annis 598. Dico autem & affirmo, quod ista excusa Menæa, ex quibus solis notitia 13000. aut 14000. Innocentium occisorum potuit ad Silveiram pervenisse, maturo egeant examine, prælertim in historiis ibi dumtaxat relatis; ac nulli fere alteri rei servire, cum aliunde non confirmantur, quam ut testimonium dent præsentis inter Græcos cultus eorum, qui istic ut Sancti nominantur. Puto autem, quod quando fabulis quibusdam Græcorum, jam notatis aut adhuc notandis, annumerari permitto illum enormem Innocentium numerum, nihil detraham Græcorum melioribus & purioribus Synaxariis: quæ si sequi mallent Patres Carmelitæ, quam suum a solo Pepino ante annos forte 200. visum Pseudo-cyrillum de Ortu Virginis, non fecissent invalescere inter fideles æque speciosam fabulam de Emerentiana Deiparæ avia, Carmeliticum oraculum consulente, anno 70. ante Christum, de qua actum §. 8.

218 Est interim notatu dignum, tam varium quam incertum Patrum vestrorum judicium de scriptoribus Græcis. Cum ex itinerario Joannis Phocæ, in quo præter unicum de Carmelo ipsis ingratum locum hactenus verbum nullum potuerunt reperire quod carperent, exsibilatur fides Græca, nihilque ea vilius ipsis est; prout etiam apparebit Art. seq. §. 3. ubi non vereris ex fide Pseudo-Luitprandi, S. Elpidium sociosque Episcopos Apostolicos, facere Carmelitas & S. Jobi in Hispania socios, quos legisti in nostro Martio die 7. & in Patriarchis Hierosol. ante tom. 3. Maii pag. XV. in Chersone prædicasse, missos illuc ab Hermone Hierosolymitano Episcopo, qui floruit in confinio seculi 3. & 4. prout fuse refertur in prædictis Synaxariis & hinc locupletatis Menæis, absque ulla cujusquam fabulositatis umbra, quæ in tota de illis narratione possit notari. Vos autem mavultis, relatos inde in Romanum Martyrologium, sed absque nota temporis simpliciter adscriptos *Chersoneso*, a Chersoneso Taurica, ex Actis S. Clementis Martyris omnibus nota & hactenus intellecta, transferre ad nescio quam *Hispanicam Chersonesum*, nulli veterum Geographorum nominatam; sed solis Dextrinarum fabularum auctoribus notam.

§. XV.

§. XV. ACCUSATIO.

Papebrochius historiam de visione Sabae, a SS. Epiphanio, Isidoro Hispalensi & aliis traditam, & a Sede Apostolica approbatam, explodis tamquam commentum.

RESPONSIO.

219 Mire tibi places, Pater Reverende, in recoquendis identidem igneis istis, & Sabaco per visum (ut prætenditur) oblatis pultibus, credo, quia eas Eliæ puero videbantur ingerere *viri, niveum quemdam præferentes habitum*; per quos Carmelitas velletis credi designatos, quorum Ordinem mirabilis pusio esset instituturus. Sed fortassis nova aliqua nactus argumenta, quibus Epiphanio vindices libellum, in quo refertur visio illa, jam tertium repetis eamdem cantilenam. Nihil minus invenio. Ergo nec ego tibi quidquam novi respondeo, nec vetera bis dicta iterare volo tertia etiam vice; sed Te remitto ad legendum Art. 11. §. 1. & Art. 13. §. 9. Patres interim vestri viderint, quomodo sacræ Congregationi excusent, quod habentes induhitabile opus ejusdem S. Epiphanii, unde genealogiam Eliæ dare possent legendam (si tamen id erat operæ pretium, in tanta copia pulcherrimarum laudationum, quæ poterant ex aliis sanctis Patribus de Elia sumi) viderint, inquam, quomodo excusent, quod probandas obtulerint Lectiones, ex scripto ut minimum suspecto ac dubio; & quomodo, quod per ignorantiam simplicitatemque peccatum sit, oblatis certioribus magisque convenientibus corrigant.

220 Si oculos vestros sic pellexit *niveus* apparentium *habitus*, ut in eo non possitis aliud quam Carmelitas agnoscere; & ubicumque hos vobis imaginamini, nihil putetis posse nisi verissimum inveniri: cogitate, obsecro, quod alii minus præoccupati, qui forte fidem habere visioni illi vellent, in niveo habitu potius imaginaturi sibi sint infantis majores, omnes *vestitos Ephod lineo*; nam hunc fuisse communem habitum Sacerdotalem, apparet ex 1. Regum c. 22. ubi Saul, ex Nobe accersita tota Achimelechi summi Sacerdotis familia, una cum ipso *trucidavit in die illa octoginta quinque viros, vestitos* (sicut advenerant) *Ephod lineo*. An autem adeo certum existimas, Pat. Rev. vel Carmeliticum pallium, antequam Barrata ipsis cappa daretur, candidum fuisse; aut eo albo usum Eliam? Ego, si librum de Institutione monachorum & Epistolam Cyrillo suppositam non recipio, non video, unde mihi probare possitis alterutrum; imo contrarium longe existimo verosimilius. Nam melota Eliæ, quam ovinam pellem fuisse nomen ipsum persuadet, & candidam potius quam furvam extitisse, haud gravate concedam; non puto ipsi pro pallio fuisse, sed pro tunica, ut passim solet esse rusticis, melote utentibus. Pallium autem quo superinduebatur, potius ex lana contextum fuit, & quadratum æque ac cetera Judæorum pallia. Art. 16. §. 1. agetur de lite Basilianis mota super habitu Eliæ, quando iterum de ejus melote.

221 His in suo Deuteron. 22. præcipitur, *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris*; & noster a Lapide super Cap. 15. Numer. notat, etiam hodie perseverare apud Judæos appellationem, licet forma variaverit, qua vestem, in Synagogis solitam usurpari, nominant *Arba canphot*, id est *quadrangulam*. Et tale omnino erat Christi pallium, cujus fimbriam tangere, salutare ægris fuit, & ex quo *fecerunt* crucifixores ejus (Matth. 27.) *quatuor partes, unicuique militi partem*; sic enim apte dividebatur, non item tunica, quæ (præterquam quod inconsutilis esset) non poterat commode in quatuor scindi. Sic Joannes Baptista apud Græcos, in omnibus eorum picturis, repræsentatur indutus tunicam pilosam, quasi ex pelle cameli, cum pallio colorato ac laneo. Pallium igitur, quod raptus Elias discipulo suo Eliseo demisit, non erat ipsius Melotes qua induebatur, sed Chlamys qua operiebatur, eaque verosimiliter lanea: alba an nigra, definit nemo; & sicut alba non fuit in usu Christo aut Apostolis, juxta Orientalium traditionem, pictis semper in pallio colorato; sic nihil habemus in Scriptura, Patribus, aut Historicis antiquis, unde Prophetas credamus usos palliis albis.

222 Neque ea videtur fuisse mens Pontificis, qui barratas cappas seu chlamydes Carmelitarum jussit mutari in albas, ut ipsos ad formam Eliæ reduceret; sed ut aornm nomini, quo vocantur *Fratres beatæ Mariæ virginis*, etiam vestis exterior responderet; dum inferior, rufa seu subnigra, notaret pœnitentiam. An autem, ante acceptam Regulam cappamque barratam, pallio usi sint primi sub initium Carmelitæ, & cujus coloris, malo ignotum mihi dicere, quam temere divinare. Satis est hoc loco ostendisse, nihil ipsis nunc causæ esse, cur tantopere satagant pro manutenendo pseudo-Epiphanio contra verum, propter visionem præfatam, in qua (ut vera foret) nihil esset præsidii, ad eam statuendam in præsagium Ordinis, a puero prophetico excitandi.

§. XVI. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra antiquam Carmelitarum traditionem, absque ulla probatione negat, illos interfuisse Conciliis ab anno 448. & deinceps celebratis.

RESPONSIO.

223 Dum tu, P. R. *antiquam traditionem* mihi objicis, ejusque neminem testem profers, ne quidem Carmelitam, numquid hoc non est opiniones suas ea proponere confidentia, *quasi fidem extorquere debeat affirmandi temeritas, non probandi veri idonea auctoritas*? Hoc tamen quia de istis dixi, agens tomo 1. Aprilis de S. Alberto num. 60. ipsimet dignus dicor *temeritatis nota*. Exigis a me, ut probem eos, qui Conciliis, Constantinopoli anno 448. & an. 536. celebratis, interfuerunt, *Eusebius Archimandrita monasterii Eliæ, Silas Presbyter & prior monasterii Eliæ, Babylas Presbyter & Archimandrite monasterii nominati Sanctæ memoriæ Eliæ, Theodorus miseratione divina Diaconus & monachus novæ lauræ, pro omnibus monasteriis Eremi Jerosolymorum*; & in Concilio Nicæno II. anno 787. *Nicetas Hegumenus S. Eliæ, Theophylactus Hegumenus S. Eliæ*; Exigis, inquam, ut tibi probem, monasteria istæc & istos Abbates altari Ordini quam Carmelitico posse adscribi. Quasi vero affirmanti tibi, adscribi debere, non incumbat po-

tius onus probandi, quam mihi id neganti, & nominare valenti tot alios Ordines in Oriente, quot Regulas continet tomus primus Codicis Regularum atque imprimis S. Basilii, cujus Regulam ipsos vos olim tenuisse dicebatis, priusquam haberetis librum Joanni Episcopo Hierosolymitano 44. imputatum de institutione Monachorum; quem pariter pro Regula vobis fuisse dicitis.

224 Laura nova S. Euthymii erat, unde Constantinopolim unus pro omnibus Hierosolymitanæ eremi monasteriis venit, Theodorus præfatus. Hanc vero Euthymiacam lauram unde probabitis Carmelitani instituti fuisse potius quam ipsius Euthymii, etsi hic scriptam Regulam nullam reliquerit, & Basiliana istic observata fuerit, atque hodiedum observetur, absque ulla notitia Carmeliticæ. Lezana quidem vester ea monasteria Carmelo vult subjungere: sed ea ratione summum jus *Cœnobiarchæ*, in omnia prædicta monasteria datum S. Theodosio, cujus Vitam habes xi. Januarii, valde restringeretur, quia is, ex mente Lezanæ, tunc solum fuisset quasi Provincialis aliquis majori cuipiam Abbati seu Generali subjectus; nullo talis subjectionis vestigio elucente in tot præclaris Sanctorum istic Abbatum Vitis. Demus autem quod Bollandus, ad Vitam S. Jacobi, circa Carmelum solitarii ac pœnitentia seculo 6. ipsum & vicina quædam monasteria adscripserit Carmelitis (cujus contrarium ostendi Art. 11. §. 8.) unde probabis, obsecro, vel unum ex iis adfuisse Constantinopoli anno 448.? An hoc probat nudum *Eliæ* nomen?

225 Ego, accusato a te loco num. 60. tibi respondi quod „ in pluribus Constantinopolitani „ Imperii regionibus suas ecclesias ac monasteria S. „ Elias Propheta habuit; & præter ipsum varii „ sancti Eliæ fuere, monasteriaque & ecclesias „ a se nominatas reliquere, quorum octo aut „ decem possem vel ex nostris Catalogis nomi„ nare. Deinde in ipsa Constantinopolitana „ urbe, aut saltem ejus vicinia, quotannis 13. „ Januarii celebratur *Dedicatio sancti Prophetæ* „ *Eliæ in monasterio*, dicto Βαθυῤῥύακος, id est „ *Profundi lacus* ..... Quanto autem verosimi„ lius est, ex hoc monasterio fuisse, qui sub„ scripsere dictis Constantinopolitanis Conci„ liis, quam ex Terra-sancta? Inde enim nec „ unusquidem Episcopus interfuit, forte nec vo„ catus est ad Concilium anni 448. uti ex subscri„ ptionibus patet. In altero autem anni 536. A„ ctione 1. sub initium, cum Theodoro Tribuno „ ac Referendario & Mariano Præposito monaste„ rii S. Dalmatii atque Primate, dicuntur intras„ se *venerabiles Presbyteri & Archimandritæ urbis* „ *Regiæ* ultra quinquaginta, interque eos *Silas* „ *monasterii Eliæ*. Deinde enumerantur qui ad„ fuere *de sanctis Christi veri Dei nostri locis* ex „ Syria, absque mentione cujusquam e Carme„ lo aut Eliæ monasterio. Idem fit Actione 3. „ 4. 5. „ Vide insuper Constantinopolim Christianam Cangii l. 4. §. 4. de sacris ædibus Prophetarum. Ibi invenies *Eliæ Prophetæ templum in Petrio a Zenone Imperatore extructum, post reditum e Persica expeditione, universo exercitu ad illius structuram pecunias ultro conferente, quod dum in castris essent, iis apparuisset S. Elias*. Huic vero templo adjunctum aliquod monasterium fuisse, persuadet ingens Basilii Macedonis, qui ipsum restauravit seculo 9. devotio erga locum & Sanctum.

§. XVII. ACCUSATIO.

Papebrochius valde ignoranter, aut sciens & volens, contra veritatem, circa antiqua barrata Carmelitarum pallia, varias ridiculas effudit conjecturas & irreligiosas censuras.

RESPONSIO.

226 IGnosce, P. R. si tua tibi verba reponens dicam, quod in proposito argumento, *non ignoranter, sed sciens & volens* me calumnieris, *contra veritatem*. Cum enim Art. 13. §. 5. & 12. me accuses, quod *librum de institutione Monachorum negem conscriptum esse a Joanne Patriarcha 44. & Epistolam de Processu & variis Regulis Ordinis Carmelitarum, esse genuinum fœtum S. Cyrilli Constantinopolitani*, quomodo mihi potes imputare, quod vel duo ista scripta ignoraverim; atque illic de habitu vestro antiquo dicuntur contradicendo, vel sciens & volens impegerim contra agnitam veritatem? Quid enim aliud facere poteram, maxime cum argumentum, quo refuto Epistolam, hinc potissimum sumatur, quod tertius in Carmelo Prior usque ad annum 1233. ignorare non potuerint, vel quo nomine ipsa, quam gestabat, propria Carmelitarum vestis suo tempore vocaretur, vel cujus esset formæ. Quod autem plurimi scriptores Carmelitæ pseudepigrapham istam Epistolam secuti sint, tamquam constantem Ordinis traditionem, equidem non ignoravi, sed merito non curavi.

227 Priscum ac genuinum vestis controversæ nomen, & servatum in ordine quamdiu ejusdem vestis usus fuit, anno primum 1288. mutatus, indicat Capitulum Londinense anni 1281. sic statuens, simul & formam, qua debeat contexi, definiens: *Frater professus habeat unam Carpitam (quod est nostræ Religionis signum) non de petiis consutam, sed contextam, & habeat septem radios tantum, ut simus uniformes*. Quid autem Epistola? *Hoc pallium* (scilicet *Barratum*, ut ibi appellatur) *Professores hujus Religionis antiquitus appellabant Carpitam, postmodum consueverunt appellare Chlamydem sive Mantellum*. Poteratne auctor Epistolæ clarius indicare, jam antiquatum & exoletum fuisse nomen & usum Carpitæ, quando scribebat? adeoque se scribere annis minime paucis post illius mutationem, & seculo ut summum 14.? Quid ergo mirum, si ii quibus ignota erat talis Epistola, multoque minus nota ut Epistola Cyrilli, ipsa Carpita usi quoad vixit, tam varie (ut mox videbimus) senserint ac locuti sint de origine & forma talis habitus? Horum autem ego sententias colligens, cur dicor *varias & ridiculas conjecturas effutire*, quasi earum ego auctor sim, non ipsimet Carmelitæ, tam inter se discordes, quam ob Epistola illa diversi.

228 Ego, ut fundate procederem, primum docui ex Crusçano Florentinorum Vocabulario, *Carpitam* esse vocem Italicam, a verbo *carpire*, discriminare, lineis scilicet seu radiis: neque dubitabam quin in Terra-sancta (ubi, inter tot ex omni Europa collectos advenas, plurimus ac fere communis erat Italicæ linguæ usus, estque etiamnum) eodem solo nomine usi fuerint Carmelitæ, quamdiu ibi manserunt: quod ipsum inde transtulerint in Cyprum, Siciliam, Italiam,

An-

Pag. 507.



Angliam, ubi habitum fuit præfatum Capitulum. An etiam in Galliam? Vix equidem dubito; nam & ibi *Carpettes* dicuntur *panni quidam grossi & radiati, quorum usus in sarcinis conficiendis*. Ita Antonius Furetiere, in suo universali linguæ Francicæ vocum tam veterum quam hodiernarum Dictionario. Sed pannus vulgo tam vilis, & ad involvendas merces quam ad religiosos viros tegendos aptior, fortassis indignus erat, qui nomen daret Carmelitis, quorum pallia ex Syrico panno confecta fuisse dicit Bergomensis; *Syrico*, inquam, non *Serico*, ut male habet posterior ejus editio. Magis ergo placuit vocare *Pallia Barrata*, de quibus Menagius, infra pluribus laudandus, in suo Etymologico ad vocem *Barrez* ita scribit. „ Quando S. Ludovicus fecit venire Carmelitas in Franciam, utebantur cappis „ falciatim barratis (*Barrez en fasce*) albo & castaneo, atque hinc Parisiis *platea Barratorum*, „ nunc ab *Ave-Maria* nuncupata, ubi erat *Crux* „ *Barratorum* & *Porta Barratorum*. Conventus „ eorum erat extra istam portam, ubi in præsenti „ sunt Cælestini, qui ipsis successerunt anno 1319. „ Postquam autem migraverant inde ad forum „ Mauberti, ubi modo commorantur, & claustrum sui istic conventus curabant depingi, adeo obliti erant sui veteris habitus, ut in ea „ tabula, quæ repræsentat S. Ludovicum, ipsos „ e navi recipientem ad Portam S. Pauli, caprimantur, non fasciati, sed perpendiculariter virgati, *barrez en pal*. Francos imitati nostrates, quibus Carpitarum vocabulum peregrinum erat, tam in Gallo quam in Flandro-belgica, maluerunt etiam ipsi, a notiori sibi *Barra*, dicere *Cappas Barratas*, & *Fratres Barratos*: unde primus Valencenis conventus suburbanus ei, per quam illuc ibatur, portæ nomen dedit, quod hodiedum retinet, Portæ Barratorum, *Porte des Barrez*, id est Carmelitarum. Dispiciat porro curiosus lector, an non hinc duci possit verosimilis conjectura, quod eodem nomine utens Epistola, dimisso antiquo ac primo Carpitæ nomine, velut exoleto, seculo 14. fuerit in Francia aut Belgio primum composita.

229 Idem qui supra Furcterius, plusquam duodecim usus notat vocis *Barre*; non paucos etiam derivativorum, *Barreau*, *Barriere*, *Barricade*; & verborum, *Barrer* ac *Barricader*; omnes autem usus illi eo tendunt, ut appareat, quod *Barra* sit segmentum materiæ cujuscumque, longum ac latum, non erectum perpendiculariter, sed horizontaliter protensum; præterquam in arte Heraldica, ubi lineam notat transversim ductam, ab angulo supremo sinistro ad infimum angulum dexterum scuti tesserarii, qua bifariam ipsum totum dividitur. Nescio porro unde factum sit, ut mutato domicilio, mutaverint nomen, & pro *les Barrez*, dicti fuerint *les Billettes*, eodemque nomine ipsimet etiam hodie se distinguant a Discalceatis. Docet autem prælaudatus Furetierius, inter alias istius vocis significationes, etiam hanc esse, qua designatur *segmenta pannorum oblonga, quæ per intervalla assuuntur vestibus ad earum ornamentum*. Transiitque hinc usus ejusdem vocis ad rem Heraldicam, in componendis scutis; quorum inde aliqua dicuntur *Billettata*, quia billettis seu segmentis ejusmodi distincta sunt, licet multo brevioribus quam quarum usus in re vestiaria est, prout idem Furetierius annotat. Atque hinc cogitationem reflectens ad formam eorum scapularium, quæ suis Confratribus & Consororibus distribuunt Patres Carmelitæ, suntque ipsissimæ jam descriptæ *Billettæ*; non absurda videtur conjectura, quod abolito una cum barris *Barratorum* vocabulo, haud inviti susceperint novum a *Billettis* nomen, quod tamen ipsis porro definiendum relinquo, quia nolo ingratiis divinare.

230 Ad extremum idem Furetierius addit, *Barratos* in Francia Carmelitas, alibi & *radiatos* & *stragulatos* dictos, quia vestes stragulæ ad usum lectorum mensarumque, eatenus referunt Carpitas sæpe dictas, quatenus iis intexuntur similes radii, horizontaliter ducti. Hoc autem postremum didicisse Furetierius potuit ex Henrico Knichton, sub exitum seculi 14. Canonico Leycestrensi, lib. 3. de Eventibus Angliæ narrante, quomodo *Honorius IV. mutavit Cappas Fratrum de Carmelo* in purum album, quæ prius erant *stragulatæ*, *radiatæ*, *& birratæ*, id est *barratæ*. Quid porro Germani, quorum idiomati similiter peregrina sunt *Carpitæ* ac *Barræ*, imo & *Radii*, in eadem qua *barræ* significatione sumpti? Ex Germanica voce *Strich* lineam & virgam significante, & Latinobarbara, *petia*, pannum seu partem panni notante, fecerunt *Stripetias*, & his induros, *Fratres Stripetitios* nuncupaverunt, ut constat ex instrumentis quibusdam Coloniensibus, Art. sequ. producendis.

231 Ceterum quia *Syricus pannus* ex lana caprina, non molli sed rudi, cum ejusmodi radiis intexi solitus, quo amicti venerant Carmelitæ, non uniformis, vel advehebatur ex Syria, vel texebatur in Europa, aut etiam sic textus difficulter inveniebatur, cum tam largis virgis quam opus erat; contigit quandoque adhiberi pannum, pluribus minus largis, ideoque densioribus radiis intextum; vel etiam ex diverso panno tam largas quam opus erat petias consui; unde nasci debebat ea difformitas, cui Capitulum Londinense voluit occurrere; sed remedio ad octennium dumtaxat utili futuro, fortassis nec statim & ubique recepto, propter subsecutam mox coloris ac formæ mutationem. Hinc factum ut posteri, pristinum Ordinis habitum expressuri coloribus, ex confusa dumtaxat quam a majoribus retinebant memoria, tam varie eum expresserint, ut necesse sit dubitare de omnibus, an ulla eorum plane sit vera; prout dubitat vester Pater Daniel a Virgine Maria, idcoque conatus est novam suo marte dare; quam unam veram esse putat, ceteras licentia quasi poetica efformatas a pictoribus, quibus & Poetis

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

232 Placeat ergo in adjuncta tabula videre diversitatem illam, quam solo arbitrio pictorum expressam, nefas putem credere; cum ratio exigat, ut illi id egerint dirigentibus Patribus Carmelitis, in quorum ecclesiis atque conventibus tales picturæ usque modo servantur. Figura tertia in veteri Cathedrali Salmanticensi ornat majoris altaris tabulam, in qua repræsentatur Transfigurationis mysterium, coram Moyse & Elia, jam inde ab anno 1430. (ut traditur aut forsan appingitur) quando vetus illa ecclesia, translata abinde in novam ecclesiam Cathedra, potuit cessisse usui Carmelitarum, ea suburbio (ut passim tunc fiebat) in urbem sese recipientium, donec propriam aliam sibi novam struerent a fundamentis. Tali ergo vel

Opuscul. Collect. Vu 2 simili

simili occasione placuit ibi Eliam pingi velut in habitu Carmelitico veteri, cum sex circulis albis totidemque griseis, idque cum manicis, sorte veteri carpitæ propriis. Cetera facta sunt conformia habitui reformato, cum cappucio, epomida, ac scapulari, quorum trium nihil in veteri Carpita fuisse censuerunt, veluti ex traditione, auctores figuræ 2. 7. & 8.

233 Figura 2. sumpta est ex tabula ecclesiæ Carmeliticæ S. Catherinæ Lovanii, etiam cum manicis, & octo nigris, totidemque albis circulis, forma non tam chlamydem quam togam referente, sine cappucio aut scapulari. Quamquam autem ea tabula hujus seculi opus esse videatur, potest credi ad normam vetustioris expressa, quæ tamen veræ certæque historiæ conformior fuisset, si repræsentasset mutationem habitus, de barrato in album, ut seculo 13. factam coram Pontifice aut ejus Legato vel Episcopo aliquo, quam repræsentando priorem ab auctore intentam mutationem seculi 8. de albo in barratum, ut infra dicetur. Cum istis figuris apte hic componitur figura 1. Patriarcham Græcum in eo habitu repræsentans, cum quo extra sacrorum solennia solet procedere privatim ac publice: additur autem, ut videas ac notes, Pallium seu Mandion Patriarchale, sui similiter ornatum circulis, sed assutis, & ter duplicatis, quod observasse mox usui erit. Hanc porro circularem formam, genuinam esse structuram Radiorum, Carpitæ Carmeliticæ intexendorum, crediderunt ii, ex quorum vel ore vel scriptis eam hauserunt Philippus Bergomensis & S. Antoninus, describentes nobis *cappam, largis quibusdam virgis, scilicet albis ac griseis, circulatam*.

234 Ex istis autem figuris duabus, prima scilicet & secunda, inter se collatis, videor mihi recte intelligere, solum Capituli, *septem radios* definientis, procedere de septem radiis albi coloris, qui panno nigro vel griseo, quasi fundo intexti per paria intervalla, constituunt circulos alternis albos, griseosque vel nigros omnino quatuordecim, singulas circiter tres vel quatuor digitis latas; contra quam intellexit auctor Epistolæ, tres dumtaxat nigras, quatuor albas virgas numerans: sed quam parum apte mox videbimus. Ad formam tamen, in Epistola præscriptam, conatus est proxime accedere auctor earum picturarum, quibus Carmeli Coloniensis hospitalis camera, anno 1522. fuit ornata; unde sumptæ hic figuræ 6. & 9. exprimentes habitum transmigrantium in Europam Fratrum, plane similem ei, quem adhuc vidimus ipsos gestare ante annos 60. in Belgio, priusquam Ordo hic reformaretur, & sola variegatione coloris dissimilem. Et in hoc quidem potuit pictor perpendiculariter ducere radios (sicut Epistola præscribit) sed non potuit ita eos circumducere, ut solæ tres nigræ partes concipi possint sufficere in eo pallio, quod sive antrorsum sive retrorsum aspicias, semper tres nigras conspectui offert, adeoque concipi debet universim sex aut saltem quinque nigras per circuitum habere.

235 Vidit hanc difficultatem memoratus P. Daniel a Virgine Maria, in tractatu quem ei placuit contra me scribere, & novo speculo inferendum relinquere. Ibi Tomo 1. pag. 768. conatus est exprimere aliquem Fratrem, absque epomide & scapulari, in cujus pallio lateraliter aspecto (sicut vides in figura 4.) duæ dumtaxat nigræ & duæ albæ apparerent partes; cumque eo nec sibi nec aliis videret plene satisfieri, & opposuissem ego, nullam Barrarum aut Radiorum formam posse remanere, in tanta singularum partium latitudine, quanta opus erat, ut quinque paris mensuræ partes implerent circulum unius pallii, inferne sex vel septem ulnas patentis; conatus est expandere in apposita tabella ipsummet pallium ut vides fig. 5. Sed vel ego vehementer fallor, vel ipsi sartorum pueri judicabunt, ibi non exprimi pallium, plusquam media parte expansum, adeoque inter latentes sinus dissimulari veram partium singularum latitudinem, atque oculos intuentium haud parum sic decipi.

236 Alii ergo Antverpiæ & Parisiis, nihil curantes Epistolam istam, tot virgis Carpitam veterem interstinxerunt, dimisso cappucio & scapulari, quot capere poterat totius pallii amplitudo; & sic ex Conventus Antverpiensis hospitali camera, picturis similibus quibus Coloniensis ornata anno 1609. is qui assistit in pallio ante pectus deducto, spectabiles offert hinc quatuor, inde duas nigras; facile alias oblaturus conspectui, si tergum nobis obverteret: ejus vero in eadem pictura socius genuflexus, uno in latere monstrat nigras octo, quæ cum totidem latentibus in alio latere fierent sexdecim. Similibus, id est multiplicibus stristis palliis indutos Carmelitas pluries cerni in claustro Billettarum Parisiis, perscriptum inde mihi est.

237 Nunc cum *Radii* possint horizontaliter duci, licet etiam perpendiculariter tendi queant; cumque *Circuli* vestiarii Italorum, quos Franci appellant *Fascias*, non nisi horizontalem processum habeant; nec alio fere significatu dicantur *Barræ & Striche*; considerandum Lectori relinquo, utrum tenere malit ex duobus, vel ipsosmet Carmelitas, varios in eo puncto fuisse, aliosque circulatis seu fasciatis, alios virgatis seu palatis chlamydibus usos, vel iisdem usos omnes. Mea id nihil magnopere refert: nam ad falsi convincenda Epistolam, de qua supra, & cujus causa hæc disputantur, alia non minus prægnans ratio suppetit ex oppositione cum definitione Capituli. Nempe docet illud, unam ex proprietatibus veræ Carpitæ esse, ut sit, *non de petiis consuta, sed contexta*: Epistola autem auctorem sic loqui facit ad Eusebium Montis Neroi Priorem: *Pallium Barratum (sicut scis) ex septem partibus duplicis coloris, ab invicem distinctis, sed consutis, ipsum totaliter integrantibus, perpendiculariter a collo usque ad talos descendentibus, constat*.

238 Porro tam varii in describendo depingendoque veteri ac proprio quondam suæ Religionis insigni; nihil mirum quod similiter variaverint in ejus auctore atque causa. De hoc coæquisiti illi, post mutationem factam seculo 13. dicebant seculo 14. sequenti, se illud gestasse *more Eliæ Prophetæ, ut tradunt*, inquit Bergomensis; *& asserebant*, ut testatur Antoninus, illum *habitum fuisse Eliæ Prophetæ habitantis in monte Carmeli*. Neque hoc in Europa primum excogitaverunt: sed in ipsa pridem Syria idem gaudebant credi a Saracenis, eos idcirco veneranter habentibus, uti testatur Heroldus; non minus hic fidelis præsumendus, quam in historia belli sacri. Hic enim, cum narrasset, quomodo Albertus Eremitis, ad fontem Eliæ commorantibus *sive certa instituto, sive peculiari cultu, sive ceremoniis*, Regulam habitumque constituit, *Eliam ejusmodi cul-*

tu

tu ornatum *incessisse*, *Basiliam ea vivendi forma usam fuisse asseras* (uti scilicet referebant qoi ex Syria migrabant, & iu Europam veniebant Carmelitæ) continuo subjungit idem Heroldus, quod *erat sam gratus Propbeticus Pallii babitus, nou solum Cbristianis, sed etiam barbaris, ut magnis Sultani eleemosynis familia sata sustentaretur locupletareturque. Sed Pontifici Romano Honorio IV. non admodam probabatur, vel quod non Romano ingenio excogitatas aut confirmatus, vel qaod Religioni circulatus versicolorque babitus convenire non videretur. Igitur album illis palliam datum; ita ut sub eo camusiuati essent, uterque color retinere-tur: quod ubi factum rescsit Melecbsaites, tanta ira exarsit, ut coagregatis copiis cœnobium invaderet; expulsisque omnibus, incendio & fanum & cœnobiam destrueret.*

239 Hæc ille, tam verosimiliter apteque omnia, ut nihil cuiquam merito displicere possit, nisi quod is, unde ista sua Heroldus sumpsit, auctorem opinionis illius, quæ Eliam sic incessisse tenebat, faciat ipsummet Albertum; quem libentius a tali errore excusarem, cum aliæ suppetant rationes, ob quas diversi coloris cultum regulatis a se Eremitis præscripserit. Nonnibil etiam corrigendi boc loco Bergomensis & Antonious, eosdem jam antea auctores secuti, quatenus dicunt, ejusmodi pallium præscriptum *in Regula*, quod melius diceretur præscriptum cum Regula; nisi forte velimus suspicari, fuisse in Regula punctum unum de vestitu, sed illud mox post mutationem esse expunctum in antiquis, omissum io transcriptis deinde exemplaribus. Certe non facile ostendent Patres Carmelitæ ullum exemplar ipsa mutatione antiquius, quo certos nos reddant, nihil de vestitu in Regula scriptum primitus fuisse.

240 Ut ut est, non placuis omnibus seculi 14. Carmelitis ea de Eliæ vestitu versicolore persuasio; cum ipsis merito objiceretur, quod & objecit postea S. Antoninus, illud *neque in sacra, neque in autbentica scriptura reperiri*. Ergo Joannes Hildesheimensis Carmelita, qui anno 1370. florebat, in suo Defensorio excogitavit aliquid, quo cblamys Eliæ bicolor facta sit: scripsitque, quod Pallium, ab illo *demissum de curru igneo, tactum ab igne, fuit modicum denigratum, seu discoloratum in partibus extrinsecis, sed pristinum retinuit colorem in partibus involutis*. Atqui hic est ille Hildesheimensis, cui credere jubemur, quod S. Petro Tbomasio apparens in somnis Deipara, hæc verba dixerit: *Petre, ne timeas: quia durabit in finem Carmeli Religio: nam & pro ea supplicavit etiam filio meo primus Ordinis Patronus Elias in transfiguratione, & impetravit.*

241 Dices, Pater R. aliter credendum ei, qui narrat audita ex ejus, cui res contigit, ore; aliter eidem de rebus pridem gestis divinanti potius quam asserenti. Recte. Sed patere ut similiter distinguam aliquando, inter aliorum quorumdam a te allegatorum asserta diversimodæ conditionis; & onis quandoque eredam, ut ex scientia certa profectis; aliis, ut temere arreptis, diffidam. Noo est tameo cur Hildesheimensis dicatur ex suo cerebro finxisse assertionem eam, quam Lezana vester explodit, ut *puerilem & nullo fundamento nixam*: fundamentum enim dare ei potuerunt, qui ex Carmelo transmigrantes narraverant Europæis Fratribus suis, & bi successive suis posteris, ejusmodi pallium in Syria adhuc servari discoloratum, ostendique velut illud ipsum, quod raptus in Paradisum Elias dimisit.

242 Vos autem quod tandem habetis fundamentum, quo pallii bicoloris auctorem negetis fuisse Albertum Legislatorem? Aliud profecto oullum, quam librum de institutione Monachorum, dicentem, Eliæ posteris pallium fuisse totum album; & Epistolam de qua supra, io qua illud dicitur Eliani Ordinis professoribus injectum ab Humar tyranno, ne Carmelitæ pares viderentur Saracenorum Principibus, alba pallia gestare solitis. Ast cum illud utrumque scriptum esse supposititium demonstrem ac teneam, apparet oihil esse causæ, cur auctorem illius non credam Albertum; ante quem nemo docere potest, quemquam in Syria Monachum vel Eremitam, bicolori pallio usum fuisse: & Basiliani (quales erant in Syria omnes ante Latinorum adventum) unius coloris nigri seu fusci vestibus etiam nunc utantur.

243 Quod ad causam variegationis istius circularis præscribendæ attinet, si vera non est quam retuli ex Heroldo, uti reipsa puto veram non esse, quæ potest alia verosimilior concipi, quam quod regulatos a se Eremitas probatosque, Legislator voluerit sic discerni a ceteris omnibus Terræ sanctæ Solitariis aot Religiosis, qui plurimi erant. Per similem conjecturam, fundatam in usu Græcorum Patriarcbarum, liberandi monasteria quædam ab Ordinariorum jurisdictione, sibique servandi immediate subjecta (quod & Romanus Pontifex sæpe fecit ac facit) recte subintuli, Albertum Accone, non quidem ut in sede propria, sed ut in refugio stabili, residentem, voluisse, ut illud tam carum sibi Carmeli monasterium, non Acconensi Episcopo, sed uni sibi atque immediate subjaceret. In tali sane conjectura nihil nisi honorificum Carmelitis video; sicut nec in altera, qua censeo circulos istos honoris causa Majoribus ipsorum datos, ad aliquam imitationem eorum, quibus Patriarcbalia & Episcopalia Mandya seu Mantella ornabantur, nec sine mysterio, a me ex Græcis scriptoribus declarato: esto quod in Europa, illa visa sit nimis secularis, atque in Ordine religioso singularis, ideoque eam abrogaverit Honorius IV. ut *minus decentem & displicentem quam plurimis*. Interim non video hactenus a Tua Paternitate probatam, quam adeo fidenter mibi objicis num. 211. *crassam & affectatam ignorantiam*; an autem talis non probata sit Vestra, quoad Regulam & vestem acceptas ab Alberto, judicet Lector, jam doctus contumeliosas tuas insultationes parvi facere.

§. XVIII. ACCUSATIO.

Papebrocbius excusare molitur Ecclesiæ persecutionem, ab Humaro Arabiæ Rege incboatam anno 639. & ab ejus successoribus continuatam usque ad annum 1099.

RESPONSIO.

244 Eusebius Cæsariensis, quem primum Analium suorum auctorem agnoscit Ecclesia, & sequuntur quotquot nunc simili studio se applicant, decem omnino persecutiones distinguit, pro numero Imperatorum, qui Cbristianos publicis edictis vexabant esse tales, eosque per se, Præfectos Urbis, Provinciarum Præsides,

ſides, aliosque publicos Magiſtratus inquirendo, capiendo, mactando perſequebantur, ut omnes cogerent ſacrificare diis; ita tamen ut ſub eodem nomine cenſeretur continuata perſecutio, quando ſucceſſor deceſſoris decretis inſiſtens, pergebat ejus exemplo ſævire. Sic perſecutiones Decii, & Maximiani, nominantur etiam poſt mortem unius & poſt abdicationem alterius. Nunc quæro, an, quia primus perſecutorum fuit Nero, ideo recte quis dixerit, S. Sebaſtianum v. g. Diocletiani militem, paſſum in perſecutione Neronis? Haud equidem exiſtimo.

245 Sed demus id ita recte dici: quid hoc ad Humarum hujus nominis primum, quem Hieroſolymam occupaſſe anno 639. & eodem anno inchoatam perſecutionem dicit Paternitas veſtra? niſi probaverit, hunc revera tormentis & cædibus uſum in Chriſtianos, ut eos fide & religione ad ſuperſtitionem Mahometanam traduceret; aut ſaltem alio quocumque prætextu in eoſdem ſæviiſſe, per ſe alioſque, dato ab ipſo imperio vel poteſtate uſos. Hoc ſi non probaveris, quomodo perſecutionem, quam fortaſſis ordiri poteras ab Humaro II. ſeculo fere uno poſteriore, ordiris a primo? & quomodo non pateris duos iſtos diſtingui? ſed cum afficta S. Cyrillo veſtro Epiſtola, in unam perſonam conflas diverſiſſimos Humaros; eum, qui an. 639. Hierololymam occupaverit, tertius a Mahometo, & eum, cujus perſecutionem fugientes anno 743. prætenſi quidam Carmelitæ, in Tuſciam venerint.

246 Si diſcretionis aliquid adhibere potuiſſes in tam manifeſto Epiſtolæ illius errore, faſſus eſſes, lapſum quidem auctorem epiſtolæ, ſed errorem ejuſmodi Chronologicum videri excuſabilem in eo, qui ſcripſerit annis fere quingentis poſt utrumque Humarum, eoſque ex facili inter ſe confuderit. Sed maluiſti hoc diſſimulare, quia paratum ignorantiæ excuſabilis aſylum in prætenſo Cyrillo, claudebat æque prætenſus Thomas Florentinus Epiſcopus, eoſdem ſimiliter confundens anno 743. quando recentiſſima eſſe debebat memoria, & ſanctæ urbis captæ a primo, & perſecutionis cœptæ a ſecundo. Hujus autem perſecutionis continuatio uſque ad annum 1099. quam dicis moliturn me excuſare, rurſus malam tuæ accuſationis arguit fidem. Mihi vobiſcum, ſeu potius cum Patre Bonæ-ſpei, ſolum fuit quæſtio de annis illis paucis, qui fluxerunt inter Humari II. mortem, & fugam exulum veſtrorum in Tuſciam, id eſt de annis 22. de quibus nego me quidquam legiſſe, unde probetur continuata perſecutio, quæ Humaro II. etiam poſt mortem ſuam imputari poſſet.

247 Quid nunc eo faciunt tria integra ſecula uſque ad annum 1099.? Neceſſarii ſcilicet tibi erant, ut nihil dicens multa dixiſſe viderere; & in totum illud tempus, quod a me in controverſiam adductum fingis, extendere calumniam poſſes accuſationis injuſtiſſimæ, quaſi ignoraverim ærumnas Chriſtianorum, non ſolum in Palæſtina Aſiaque, ſed etiam tota fere Europa toleratas, per excurſiones Saracenorum, omnibus fere Romani Imperii provinciis infeſtorum. Ad populum phaleræ. Ego quidquid Pater Bonæ-ſpei parte 2. Armam. Pharetræ 2. Telo 3. dictis a me brevius, ideoque fortaſſis obſcurius, opponere potuit, expendi & refutavi in Hiſtoria Patr. Hieroſol. ante Tom. 3. Maii Parergo 8.: quod cur nec attingere quidem dignatus ſis toto hoc Paragrapho, facile intelliget, quiſquis ipſum relegerit relecturus forte ſi ipſum indicaſſes. Quia tamen liber ille non eſt omnibus ad manum, cogor iſtic dicta hic quadamtenus iterare, palam exprimendo nomen Patris Bonæ-ſpei, quod iſtic ſolis vobis intelligendum dederam ſub nomine *Triumphatoris*, quia hic titulus ei datur ab approbatorum ſuorum aliquo, relatam de me victoriam gratulante.

248 Placet autem ordiri a verbis S. Theophanis, ſcribentis Conſtantinopoli ſuam Chronographiam, perductam uſque ad annum Chriſti 812. ab anno autem Heraclii 31. Chriſti 635. narrare incipiente; quæ ſpectant calamitatem prædictam verba ejus, a te etiam citata ex parte, integra ſunt quæ ſequuntur. *Hoc anno Umarus in Palæſtina ſuſcepit expeditionem, & obſidione per annos duos ad ſanctam civitatem continuata, tandem fide data eam in poteſtatem accepit. Sophronius autem Hieroſolymorum Antiſtes, fidem ab eo pro totius Palæſtinæ incolumitate acceperat. Umarus itaque, ciliciniis camelorum veſtibus iiſque laceris & ſordidis opertus, & hypocriſim plane diabolicam pietatis velamine oſtentans, ſanctam civitatem ingreditur; & mox templum a Salomone conſtructum, in impietatis & blaſphemiæ oratorium illud converſurus, ſibi oſtendi poſtulavit. Hunc cum Sophronius vidiſſet: Hæc eſt vere, inquit, abominatio deſolationis, a Propheta Daniele prænuntiata, quæ modo ſtat in loco ſancto; multaque ſimul lacrymarum copia inſignis ille pietatis propugnator Chriſtianam gentem deflebat. Intra templi igitur ſepta dum ille moraretur, precibus apud eum agebat Patriarcha, ut acceptam a ſe ſindonem ac veſtem indueret: quam cum aſſumere detrectaſſet, Epiſcopus vix exoravit, ut iſta geſtaret, donec ſolita indumenta lavarentur; & propriis reſumptis ſtatim iſta Sophronio reſtituit.* .....

249 Poſt mortem Sophronii, & anno octavo poſt occupatam Urbem (ut ait idem Theophanes) *Umarus templum Hieroſolymis reſtaurare eſt aggreſſus: ædificium vero firmo fundamento ſtare non valuit, ſed in terram concidit. Cauſam ſciſcitanti reſponderunt Judæi; Niſi Crucem, in monte Olivarum elatam, ſuſtuleritis, nuſquam ædificium conſiſtet. Hujus gratia Crux inde dejecta eſt, atque ita eorum ædificatio firma ſtetit: & ob cauſam eamdem innumeras Cruces ſuis locis Chriſti hoſtes deturbarunt.* Quod diu impune non fuit: nam (ut docet idem Theophanes) anno ſecundo poſt, *Umarus ſuorum dolis occiſus fuit.* Super hoc fundamento (nec enim ullus Chriſtianorum ſcriptorum, quos quidem nunc habeamus, plus aliquid ab Umaro geſtum ait, aut fidelibus illatum moleſtiæ quidpiam) ego diſcurro Parergo 8. præcitato, num. 144. ut ſequitur:

250 Grave fuiſſe Chriſtianis Saracenorum jugum, æque ac hodie eſt Turcarum, nemo negaverit, cui humanus, nedum Chriſtianus ſit ſenſus: ſed totum tempus dominationis eorum unam continuam perſecutionem vocari, & ſingulos Principes perſecutores nominari, non fert hiſtoriæ communis ſtylus. Sicut enim primis tribus Religionis noſtræ ſeculis, varias diſtinguimus perſecutiones; Imperatoreſque gentiles eos tantum vocamus tyrannos, qui paſſim omnes ſuos ſubditos cogebant ad immolandum idolis Chriſtumque negandum; ſic inter Saracenos ii ſoli videntur hac infamia notandi, qui ſimili utebantur violentia. Et talem quidem inve-

ni

ni *Humarum* secundum, anno DCCXXI. regnare exorsum, atque post duos annos & menses quatuor ereptum e vivis, non vero primum. Arguebam autem, quod utrumque confudisse viderentur ii, qui Epistolam quamdam sub nomine Cyrilli, & Florentinam chartam sub nomine Thomæ composuerunt. Qui enim hic dicitur *Mahometi successor & discipulus*, ibi appellatur *discipulus perfidi Mahometi atque regni ejus successor tertius*: & qui in Florentina charta se *ab ejus iniquitate fugisse* protestantur, eum utique videntur formidavisse, de quo in Epistola dicitur, *alios ex Christianis necavisse, alios ad suam perfidiam traxisse*; qui etiam Barrati pallii auctor creditus, sub tabula Lovaniensi legitur, *Carmelitas, Christi & albæ quam gerebant chlamydis odio, trucidasse; igne, ferro eorum monasteria vastavisse; paucis e septem millibus cœnobiis residuis, si vivere vellent, barratas ex grisco chlamydes gestare coactis.*

251 Ego vero de primo *Humaro* aliud nihil lego, nec invenit P. Bonæ-spei quidquam gravius apud Theophanem, quam quod ingressus urbem, *cilicinis camelorum vestibus, iisque laceris & sordidis opertus .... templum, a Salomone constructum, in impietatis & blasphemiæ oratorium illud conversurus, sibi ostendi postulavit*. Ast hoc contra pacta conventa erat. Fuerit sane (quamvis non erat quod eo nomine graviter quererentur Christiani, si victor barbarus, omnia alia ipsis relinquens integra, unum solum locum suæ superstitioni petierit, & quidem tam humili specie) fuerit hoc, inquam, contra pacta; non tamen erat Christianos persequi, eosque vel ad negandum Christum vel ad patriam deserendam tormentorum ac mortis metu adigere. Concludens idem Theophanes scribit, Sophronium Patriarcham *in ea rerum calamitate ... defunctum esse*: scripserat autem paulo ante, quod videns Humarum euntem ad templum, ingemuerit dicens; *Hæc est vero abominatio desolationis, a Daniele prænuntiata, quæ modo stat in loco sancto; multaque simul lacrymarum copia insignis ille pietatis propugnator Christianam gentem deflebat*. Habuit sane quod fleret Sophronius fidelem populum, jugo infidelium subjectum, atque sub oculis suis Saracenicas superstitiones, vel in unico urbis sanctæ loco, publice exerceri: habuit quod gemeret, seque humiliaret sub manu Domini, peccata suorum sic castigantis, eamque calamitatem inducentis: sed non habuit quod quereretur de *Humaro*, tamquam victoria sua insolenter atque crudeliter uso. Numquid autem & humanum eum erga se est expertus, quando ægre exorari se passus a Patriarcha, *ut acceptam ab eo sindonem ac vestem indueret, eamque gestaret donec sua indumenta lavarentur*; deinde vero *resumptis propriis statim ea restituit*?

252 Audiamus nunc Georgium Elmacinum, qui Saracenorum historiam Arabice scripsit initio seculi XII. *Cum Omar cepisset Hierosolymam, scripsit civibus ejus libellum securitatis, cujus est hoc exemplum. In nomine Dei miseratoris. Ab Omare, filio Achittabi, populo urbis Æliæ conceditur securitas, tum personarum, tum liberorum, tum uxorum, tum facultatum, tum omnium templorum, ne destruantur aut otiosa sint. Ingressus autem in urbem sedit in medio penetralium templi Resurrectionis, dixitque Patriarchæ; Volo orare. Respondit Patriarcha: O fidelium Imperator, ora in loco tuo. At ille ait, Non. Et egressus e templo foras, oravit ad portam templi solus. Deinde sedens, dixit Patriarchæ: Si orassem in templo, cepissent id post me Muslimi, & dixissent, Hic oravit Omar: scripsitque ei privilegium, ne oraret Muslimorum quispiam ad gradum nisi solus, neque cogerentur in eo preces aut publicarentur super eo.* Ecce, invitatus ad locum Imperatori proprium in templo, non modo eum non occupat; sed ne libertati ecclesiæ tam sanctæ præjudicet in medio penetralium orando, ultro egreditur ad gradus templi ante fores: & hoc ipsum ne noceat, cavet, vetatque ne Saraceni audeant illuc turmatim accedere, sed singuli; ac ne prætextu quidem precum pro se indicendarum, voluit quidquam ibi fieri, quod Christianæ religioni præjudicaret. Quid autem postea?

253 *Hinc dixit Patriarchæ, Indica mihi locum in quo extruam delubrum. Unde Patriarcha ei dixit de lapide, ad quem locutus erat Deus cum Jacobo. Ut autem Omar ad eum venit, invenit super eo sordes multas, deque iis in vestem suam accepit. Cumque Muslimi viderent Omarem ferre sordes, non distulit unusquisque eorum ferre veste sua sordes, unde mundatus illico est lapis: jussitque Omar ut delubrum illic ædificaretur. Abiit & Bethleemum, atque ingressus templum ejus ad arcum, in quo natus est Dominus Christus; scripsitque privilegium, ne orarent in eo Muslimi, nisi singuli post singulos, neque preces ibi cogerentur aut publicarentur*. De anno quo capta Jerusalem fuit, turpe sit non credere auctori certo & antiquo, præ uno incerto, de cujus ætate & auctoritate disputatur; quique, licet fuisset ipse, qui dicitur, Cyrillus, fuisset Theophane totis sex seculis recentior. Non tamen vel in re tam levi cedere novit P. Bonæ-spei, neque voluit auctorem prætensum excusare (ut facile poterat & feceram ego) sed vult omnino recte ab eo scriptum, quod urbs sit capta anno 639. quia, inquit, *duravit per biennium obsidio urbis, & Græci annum incipiunt numerare a Septembri*. Quid ergo? an non potuit dici biennium durasse, quæ secundo anno primum finita est? Aut si biennium sumendum est integrum, numquid anno 635. ipso expeditionis initio cœpta, absolvi non potuit ante Septembrem anno 638. unde annum sequentem exorsuri erant Græci? Sed operæ pretium non est evasiunculas istas discutere.

254 Quod ad Principes seu Amerumnas attinet, Humarum secutos, æquum non erat, allegato semel Theophane, qui P. Bonæ-spei æque ad manum erat ac mihi, quærere (uti is quærit n. 467.) *unde successionem istam, annos, & nomina habeam*. Multo iniquius est, Theophani opponere Theatrum vitæ humanæ, a Laurentio Beyerlinck, hoc seculo compositum; aut Speculum Chronologicum Mathiæ Chesneuf Augustiniani, illo forte recentius, cum Genebrardi Chronico paulo antiquiori, aut denique Blondi Flavii Forliviensis Decades, seculo XV. scriptas. Quod autem eos non curaverim inspicere, ad discendam ab iis continuationem persecutionis usque ad annum 743. nullo meo merito visum est n. 477. *redolere meram vindictæ passionem, aut magnum litteraturæ defectum*. At saltem Christianos persecutus ast *Humar II.* persecutus est etiam successor *Izid*, imperii sui anno quarto & ultimo, Christianæ Æræ 724. cum eorum autem morte cessasse persecutionem, incumbit

mihi

mihi probare. Non magis certe, quam quod Christiani a morte Neronis usque ad annum Domitiani 15. nullam memorabilem persecutionem sint passi a quinque successoribus ejus ipsoque Domitiano. Habendus enim tam diu est unusquisque probus, donec ostendatur fuisse improbus (sicut identidem, sed loco non suo, clamat Pater Bonæ-spei) adeoque ad excusandos Saracenorum Principes satis esse debet, quod nulla eorum insignis crudelitas legatur apud antiquos scriptores; haudquaquam eam prætermissuros notare, sicut notarunt eam, quam in captivos, non vero promiscue in quosvis Christianos, exercuit *Isam* anno 740. regni sui 17. sicut narrat Theophanes: qui etiam non omiserat narrare, quomodo *Valid*, ante annos triginta, *Christianis eripuerit Damasci ecclesiam, ob apparatum illius & amplitudinem*, licet excusari hoc ipsum potuisset, & culpa in Christianos quadamtenus referri, qui *oblatos pro ea 40. mille aureos noluerint acceptare*, sicut scribit Elmacinus.

255 Juvat autem ex eodem Elmacino discere, quam non omnino factum hoc probarit idem ipse secundus *Humar*, quem inter tyrannos patimur nominari: sic autem habet. *Narrant Christianorum historiæ, ipsos instituisse querelam apud Omarem filium Abdulazizi, de templo S. Joannis, quod destruxerat Walid, & adjunxerat delubro Cathedrali Damasceno, & attulisse libellum Chalidi filii Walidis, & postulasse quod templa eorum neque destruerentur, neque otiosa forent. Sed obtulit iis Omar, quam obtulerat eis Walid pecuniam, quadraginta nempe aureorum millia. At illi noluerunt, & obtinuerunt per querelam, ut traderetur ei templum eorum in limitibus suis. Hoc cum ægre ferrent Muslimi, dixit filius Idrisi Hulvvanaus; Fœdus illud de templis eorum, alteram tantum Damasci partem, quæ pacifice capta erat, respicere; partis vero alterius, quæ gladio capta erat, templa omnia, tum in urbe tum extra urbem Damascenam, Muslimorum esse. Post multas tandem altercationes convenit inter eos, ut templum S. Joannis relinqueretur Muslimis, usque hi pretruderent aliquid in reliqua. Et scripsit Omar Christianis tabulas, ut nempe fecure possiderent omnia Damasci templa, tam partis illius quæ gladio capta erat, quam alterius, item & monasteria omnia & templa extra urbem, tum in viridario Gouta, tum in monte & alia, neque ea destruerentur vel otiosa essent, aut ulli Muslimo in ea foret potestas.* Idem Humar audita tyrannide, quam Præfectus Ægypti Asama exercebat in subditos præsertim Monachos, quorum omnium manus signari annulo jusserat, quemque sine eo signo deinceps conspexisset, manus amputatione puniri; *in Ægyptum misit & comprehendit eum, & collo ejus injecit torquem ferreum, manibus aut & pedibus compedes ligneas, atque ita cum portaretur sub tormento in via obiit.*

256 Quid deinde *Humarum* egerit in transversum, ut persequi inciperet Christianos, nescio: unum scio, cita morte impeditum, ne sævire pergeret, & hoc ipso terreri successores potuisse, ne similia auderent. Deinde cum *Isam*, anno 740. injuria aliqua Græcorum verosimiter provocatus, eorum captivos per omnes sui imperii urbes trucidari jussit; si quibusdam in Syria Monachis ea re tantum incusserit terrorem ut trans mare fugerint; non debuerunt illi dicere, uti prætenduntur dixisse Florentiæ, se fugisse ab *Humaro*, ante annos fere viginti mortuo, sed ab *Isamo* tunc regnante. Quando denique pro tuenda sententia sua placebat aliquid commiscere, tolerabilius dicere potuisset Pater Bonæ-spei, prætextos illos ex Carmelo fugitivos toto intermedio tempore erravisse vagos, priusquam venirent in Tusciam, ibique stabilem obtinerent sedem. Utatur ea excusatione qui voles: hoc dumtaxat ostendere nunc debui, quanta cum injuria arguantur primi illius ævi Saracenorum Principes passim omnes, tamquam crudelissimi & sanguinarii planeque fœdifragi; esto quod unus alterve aliquando designaverit quidpiam contra promissam Christianis libertatem, quæ non tota simul, sed paulatim pessumdata fuit a barbaris, rerum suarum successu & imperii magnitudine magis magisque insolescentibus; quo factum, ut plane intolerabiles evaderent Christianis, quemadmodum in progressu historiæ hujus Patriarchalis videbimus.

257 Elmacinus porro, is, cujus auctoritate hactenus usi sumus, etsi non Christianus, Christianæ tamen historiæ studiosus valde fuit, & Christianos auctores, ac forsan rebus ipsis coævos, secutus, ipsique Religioni nostræ non male affectus, & quod præcipuum est sincerus scriptor, magna cum libertate exponens singulorum Principum male ac bene gesta, præsertim circa Christianos. Hic autem de Isamo prænominato ait, quod succedens Izido, *qui Cruces fregerat & templa diruerat; cum Deum timeret, scripsit in Ægyptum, ut libertati suæ relinquerentur Christiani in ritibus suis & iis quæ habebant fœderibus; misitque in Ægyptum Abdallam, & commendavit ei Christianos ac subditos*: paulo tamen post *imperio eum dimovit, cum rescivisset, quod tyrannide etiam superans antecessorem* Alamam, *duplicavit tributum, & signavit Christianos nota quadam, figura scilicet leonis; ita ut quicumque invenirentur neque notam illam in manibus haberent, eorum manus amputarentur.* Tacet interim de captivorum cæde: quam videtur fama, atrocior vero, apud Græcos Constantinopoli auxisse supra modum. Adeo ut in his domestico scriptori, longe minores injurias Christianis factas exponere solito, major etiam haberi fides possit, quam externo Theophani (licet christiano ac Sancto, sed non tam accuratos auctores nacto in Græcia, quam inter Christianos Arabibus permixtos vivens Elmacinus potuit apud illos invenisse. Magno hic mihi usui fuit, quod libens fateor, in deducenda non solum Patriarcharum Hierosolymitanorum historia, sed etiam in simili Alexandrinorum jam prælo parata) utpote præ aliis ejusdem nationis scriptoribus accuratus in componendis Califarum Ægyptiorum & Imperatorum Græcorum annis, Hegiræ item apud Saracenos & Æræ Dioclètianæ apud Christianos usitatæ numeris: multaque ad ædificationem fideliumque correptionem præclara adnotans; puta, quomodo anno Diocletiani CCCCLXVI Christi DCCXLIX. Christianorum hostis Merwan, Ægyptum invadens, delusus est a Sanctimoniali quadam captiva, quæ ne violaretur, unguentum ei promisit adversus vim cujuscumque gladii, idque in suo collo experiri jussit, prout fecit; sed eo successu, qui monstraret, maluisse eam mori, quam pollui: ipse vero paulo post pœnas ultori Deo dedit, in eorumdem quos vexaverat Ægyptiorum manus incidens.

258 Hactenus meum istud Parergon, post quod aliis deinde atque aliis locis, prout historia Patriarchalis exigebat & permittebat, non prætermisi referre injurias a Principibus Saracenorum, ipsismet etiam Patriarchis, aut communiter Christianis illatas, nec apud auctores vulgo notos repertas; adeo nihil solicitus de excusandis earum auctoribus, ut diligentiæ modum & propositi scopum videar excessisse, minutissima quæque adnotando. Tu vero, Rev. Pater, qui totum illud Parergon, quasi tibi non lectum, hic dissimulasti; vide ut satisfacias conscientiæ tuæ, duplicem calumniam hic mihi impactam retractando; atque fatere, tuum Cyrillum (etiamsi vera esset illius unde me impugnas Epistola) nihil habere auctoritatis contra Theophanem & Elmacinum, tanto accuratiores, quam ipse, historicos; multo minus contra eosdem valere Palæonydorum, Bostium, Trithemium, Saracenum, Lexanam aliosque Carmelitas, sola illa fictitia Epistola nixos, unde etiam processit, quam jactas, *longæva traditio Carmelitarum*. Quid in Hispania ad an. 757. egerint crudeliores Saraceni, quid prædabundi in Italia an. 844. quid in ipsamet Syria & Cilicia an. 772. & 873. ac deinceps, nihil ad me pertinebat eo loco quærere.

259 Sed quid tandem ad Baronium, qui ad annum 713. claris terminis dicit. *Numquam majori ac diuturniori vexatam esse Ecclesiam persecutione, quam cum imperscrutabili Dei judicio permissa est conteri a perfidis Saracenis*. Respondeo, Baronium revera intelligere tempus illud, quo isti pene ubique prævalebant; incipiendo a capta Hierosolyma usque ad eamdem receptam; sed aliter sumere *persecutionis* vocabulum, ut quæ initio communis calamitas, ac fere politica fuerat, paulatim ingravata fit contra Ecclesiam ejusque ministros. Ingravata est autem illa præcipue contra Monachos, qui procul ab urbibus, procul a venturis alias in auxilium fidelibus, extraque conspectum ipsorum Principum Saracenorum, injuriam prohibiturorum, magis expositi erant libidini & crudelitati Arabum, sine legitima potestate, sine imperio excurrentium ad monasteria spolianda vel etiam incendenda.

260 Talium casuum graviores non prætereo in Actis Sanctorum, atque imprimis ad Acta Martyrum Sabaitarum, an. Martii anno 797. crudeliter enectorum: ubi in Commentario prævio (qui totus meus est, sicut & ipsa Latina versio) de ejusmodi insultibus haud indiligenter tractavi; neque cunctatus fuissem illis dare nomen *persecutionis Saracenicæ*, in eadem latiori qua Baronius utitur significatione, sed cavissem vocare *persecutionem Humari*, vel ejus qui tunc imperabat Aaronis, legationibus ad Carolum Magnum missis noti, aut successoris Abimelechi, omnino talium, ut non modo non emissuri fuerint latrunculos istos, sed verosimiliter etiam punituri si ad exercitum rediissent. Quam multa, istis etiam atrociora, quandoque inter ipsos Christianos patrat militaris licentia in populos innocentes, in ipsasque subinde ecclesias & personas sacras, præsertim procul a castris evagata, quod ipsi eorum Principes factum nolint, imo detestentur, puniantque cum possunt!

261 Denique n. 231. remittitur lector ad *P. Valentinum a S. Amando, qui in Heroica Carmeli Regula Art. 3. pro hac materia exacte Orientalem evolvit historiam, solicite perscrutatus Græcos, Latinos & Saracenicos Annales & Auctores; omniumque coacervatis testimoniis demonstrat, inchoatam ab anno 639. persecutionem continuatam usque ad annum 1099.* qui scilicet n. 23. meam *vel in historiis miratur infantiam, vel ultroneum dolet errorem*. Lego Articulum totum, & præter duos, Theophanem atque Elmacinum, quos ego in meo Parergo ipsi legendos dederam, tertiumque Zonaram scriptorem seculi 12. nullum ex Græcis Saracenisque invenio; ex Latinis autem Guilielmum Tyrium, Tilpini sive Turpini fabulis, de Gestis Caroli Magni in Syria, nimis facile credulum, uti iisdem passim credebatur medio isto ævo, quibus & Bostius aliique plures credidere.

262 Quid autem ex omnibus istis conficitur aliud, quam quod negat nemo, Arabes Humaro duce ingressos Syriam, eamdem tenuisse usque Latinorum adventum; molestos dominos, ut barbari solent, eoque molestiores quo alieniores a fide Christi; sed non propterea tales credendos, quorum Principes omnes vim facerent Christianis, ad ejurandum Christum, aut ut Monachos passim trucidari, fugarive, juberent vel paterentur: in hoc si convenimus Rev. Pater, non sit nobis quæstio de solo nomine *Persecutionis*. Interim miror, quomodo mihi criminoi vertatur lectus *Elmacinus*, laudi autem Patri Valentino; nisi res eadem Carmelitis pulchra, Jesuitis erubescenda sit. Injusta profecto ea conditio est.

§. XIX. ACCUSATIO.

Papebrochius antiquissima Carmelitarum Florentinorum Monumenta, meris conjecturis, cavillis & figmentis impugnat & antiquare molitur.

RESPONSIO.

263 NOn me solum hæc Accusatio petit, sed partim inscitiæ vix excusabilis, partim nugacitatis atque mendacitatis insimulat quotquot Florentiæ fuerunt aut sunt antiquitatum patriarum studium aliquando professi. Etenim S. Antoninus, uterque Villanius Matthæus & Joannes, Scipio Ammiratus, ac ipse denique Carmelita Petrus Lucius de Bruxellis (qui Florentiæ scripsit Compendium Historicum Carmelitanum, quale postea Italice redditum, & anno 1595. impressum habetur) nullorum istic Carmelitarum meminerunt ante seculum 13. Ex aliis hactenus non potuit, a multum quærentibus & operose solicitantibus inveniri vel unus, qui ferre suffragium suum vellet, pro manutenendo eorumdem illuc adventu circa medietatem seculi 8. quin potius profiteatur, monumenta ea, quibus ipsum probari volunt, hujus omnino seculi certissimum esse figmentum; eadem scilicet fiducia subornatum, qua auctor picturarum, quibus claustri ambitus ornatur, iis repræsentavit Christum ejusque discipulos, nec non Virginem matrem & Josephum nutritium cum Scapulari, in habitu ferme Carmelitico: de quibus interrogans Priorem loci Magnus Dux Cosmas III. an eæ picturæ forsitan sumptæ essent ex antiquioribus aliis; responsum accepit etiam illas post annos centum fore antiquas.

264 Et ego quidem Florentinos Carmelitas visens anno 1661. cum P. Henschenio, litterisque a Generali suo commendatitiis, quibus jubeba-

jubebamur benigne admitti ad quæcumque monumenta nostro instituto utilia, & Ordinis historiam spectantia; nec nominari quidem audivi prætensam pro anno 743. Thomæ Episcopi Florentini Attestationem, sed solam vidi inscriptionem finientem cum memoria concessarum ibidem a Gregorio 13. Indulgentiarum, sub nota anni 1585. ubi etiam legebamus, quod *idem Antistes* Thomas *donavit pedem S. Agnetis Virg. & Mart.*, *& caput S. Cordulæ itidem Virg. & Mart S. Ursulæ Sociæ, quæ sunt adhuc in eadem ecclesia.* Si tunc ad manus fuisset Crombachii nostri ingens de S. Ursula tomus, potuissemus statim falsitatis convincere inscriptionem, docendo, inter ejus socias censeri duas tantum Cordulas, quarum unius corpus primo detectum sit an. 1156. alterius anno 1278. prout ille narrat pag. 498 & 499. Satis interim habuimus ex anno datarum Indulgentiarum intelligere, quam non vetus, adeoque nec certa esset notitia tantæ antiquitatis, quanta nobis Romæ fuerat laudata, nemine quidquam amplius ostendente.

265 Cum ergo in Belgium regressus P. Henschenius, amicis suis Carmelitis dixit & scripsit, Florentiæ se vidisse ea, ad quæ remissus fuerat, Carmelitanæ antiquitatis monumenta; nihil minus indicatum voluit, quam quod in sua Theologia Carmelitana anni 1665. notavit Discalceatorum Generalis, Philippus a sanctissima Trinitate; vidisse scilicet Henschenium monumenta, quæ ut indubitabilia inspicienda ei commendaverat ipse, quæque si invenisset vera, promiserat idem Henschenius, *se non amplius dubitaturum de successione hereditaria ab Elia sine interruptione*. Sed Patres Florentini, jam pridem experti, quod ille, qui nos deducebat Illustrissimus Andreas Cavalcantius, aliique passim Florentiæ eruditi, nullam fidem haberent ei, quam antea liberaliter ostentaverunt, Attestationi Thomæ Episcopi Florentini, desierant illam aliis quam forte Carmelitis ostendere; & sic non meruimus ipsam videre, discessimusque; rati, præter inscriptionem jam dictam, nihil aliud haberi, quod ad rem faceret; & mansimus magis quam antea confirmati in nostra opinione.

266 Postquam autem illam Attestationem ex Theologia præfata legendam nobis dedit P. Franciscus Bonæ-spei anno 1669. parte 1. sui Armamentarii n. 145. ab ipso provocatus ad ferendum de ea judicium, licet id minime ambiguum esset, consideranti stylum nihil ab hodierno differentem, volui tamen explorare expressius Florentinorum ipsorum judicium. Hoc autem quale tulerint priusquam expono, ipsamet scriptura proponenda est tota, juxta ecgraphum Patris Bonæ-spei, profitentis, eam aliquoties lectam sibi, Romam profecto ad tria Capitula generalia.

267 *Nos Thomas, miseratione divina Florentiæ Episcopus, protestamur expresse, ad perpetuam rei memoriam & posteris futuram fidem, quod ad honorem Dei & B. Mariæ Virginis de monte Carmelo & omnium cælestium civium, in cælestibus triumphantium; præsentibus Mauritio, Ciconio, Cotterio, Ardinghio a S. Geminiano, & Gottifredo Cuffa, omnibus Ecclesiæ Florentinæ Presbyteris; nec non & præsentibus Eremitis ejusdem Carmeli montis, Genuesio, Basilide, Cyrillo, Enoc, Phronta, Honuphrio, & Elpidio, ex eodem sancto monte ab Arabiæ iniquo Rege, Machometis successore & discipulo Humar, fugientibus & in hanc provinciam decursis, hac præsenti die infrascripta, primum lapidem parvæ ecclesiæ, in remoto loco pro eisdem Eremitis Carmeli, ad totius Florentini populi placitum & concursum, propriis nostris manibus, Deo dante, posuimus, prope civitatem, juxta Pisanam viam & fluviam Arni. Acta sunt hæc Florentiæ, in Palatio Episcopali, testibus ad omnia vocatis, Joseph a S. Vrvaldo, Balduina Balduini de Colle vallis Elsæ, & Gualtario quodam Vicedomino Florentino, sub anno Domini 743. mense Maja, ejus vero dia prima, Indictione decima tertia &c. Ego Raynerius Simeonis a Signa, Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius Florentinus, rogatus manu mea confeci, & signum mei Tabellionatus apposui &c.* Locus † signi.

268 Primus quem mihi consulendum putavi, fuit Reverendiss. Abbas Ferdinandus Ughellus, jam inde ab anno circiter 1626. Romæ intentus Italiæ sacræ componendæ: nec enim in nihilo esse putabam, quod tomo suo 3. anno 1647. impresso, ex sola subscriptionum Concilii Romani fide (hanc ego Art. 5. §. 5. ostendo incertissimam esse) nomen Thomæ inter Episcopos Florentinos referens, ejusque tempori adscribens quidquid ab inde usque ad annum 800. gestum Florentiæ invenerat, licet alioqui incertum satis quoad nomen Episcopi; putabam, inquam, non esse de nihilo, quod loco tam apto nullam fecisset Attestationis prædictæ mentionem. Etenim cogitabam quod non potuisset ipsam ignorasse, si ficta fuisset ante illius Florentia discessum; notam autem non omisisset: quia sciebam, quod non erat tam alienus a diplomatis suppositiitis, quin iis aliquando uteretur. Certe colum 45. ejusdem tomi, proponit unum fictum pro anno circiter 370. & *hoc ego instrumentum*, inquit, *in medium adduxi, non quod (ut ex meo discursu colligo) verum illud arbitror, sed ut lectorum curiositatem expleam, qui inspicere delectantur aliquorum hominum artes, quibus vel ad suam illustrandam exornandamque patriam, vel ob alias utilitates aucupandas, fabulas non ineleganter adornant ac instruunt.* Verum hoc delicias nobis non facit; præcisa necessitas veri tuendi coegit proferre, quod charitas alioquin occultare suasisset.

269 Sed Ughellum, de re sibi tandem exhibita judicantem, attendamus, ex epistola, quam mihi scripsit venerabilis annorum jam 72. senex, die 18. Octobris præfato anno 1669. ea scilicet sinceritate, qua poterat & debebat is qui de proximo obitu cogitabat: *Attestationem Thomæ Episcopi pluribus de causis supposititiam existimo: neque enim ejusmodi ecclesiæ, tunc ædificatæ, ulla extat memoria in archivo ecclesiæ Florentinæ, quod olim diligentissime perscrutatus sum, & stylus ab antiquis monumentis diversissimus est. Numquam aliquis veterum Episcoporum a nomine, Nos, auspicatus est: majorem illi humilitatem præseferebant. Miseratione divina Episcopi quidem erant, phrasis tamen ipsa moderna est inter recentiores. Eo, quod prætenditur, tempore scripta instrumenta, si quando locum in quo condita notant, scribunt, Acta in atrio Episcopii S. Joannis: ipsique Episcopi, non se Florentinos, sed B. Joannis Episcopos dicebant, ut in pluribus eorum instrumentis observavi. Numquam etiam Florentinus ullus Notarius Apostolica & Imperiali auctoritate subscripsit, usque ad nostra tempora: sed bene; Ego N. Imperiali auctoritate Judex vel*

Nota-

Notarios. Denique ad totius Populi Flor. placitum & consensum, primus Carmelitica fundationis lapis positus dicitur, anno 743. quando Florentina civitas tota pene jacebat diruta, & populus omnis erat dispersus; donec post annos aliquot, id est circa finem istius seculi, Carolus Magnus hunc colligere, & istam reædificare cœpit; eundemque obtinuit, ut Populus Florentinus per judices Imperiales regeretur. Et hanc formam servarunt ceteri Imperatores usque ad Henricum, qui Florentinis vendidit libertatem, qua ad Medicæos usque Duces & Caroli V. tempora fruiti sunt. Hæc erant quæ raptim & primo intuitu observata scribere volui, & eximiæ Paternitatis tuæ eruditioni per omnia submittere.

270 Hactenus ille, quem si tu, Pater Rev. *meris conjecturis & cavillis* usum velis sustinere, consule librum eruditissimum Joannis Mabilionis de re diplomatica, vel etiam ipsummet adhuc Parisiis viventem: ejus enim judicio totam hanc controversiam libenter subjiciam, ne tempus teram confutandis operose futilibus ejusmodi exceptiunculis, quas ex Armamentarii parte 2. mutuatus es, & ego Parergo 9. ad Episcopos Hierosolym. totas excussi. In illis tamen transcribendis hoc uno cautior quam ille fuisti, Pater Rev. quod non præsumpseris sustinere, Thomam, si quis tunc fuit, vel Notarium ejus, signavisse annos a Christi nativitate per zyfras Arabicas, non ante seculum 13. notas [1] Europæ nostræ; ad publica autem instrumenta signanda vix ante hoc seculum usurpari cœptas a Notariis; quemadmodum evidentissime demonstravi ad Historiam Episcoporum præfatorum Parergo 12. Certus etiam in originali prætenso, litteras numerales Romanas nullas haberi, & formam characterum nihil sapere vetustatis, caute noluisti hanc producere æri incisam, quod nos ille fecerat sperare.

271 A Cisterciensi tantæ ætatis experientiæque & famæ Abbate (quem quid Tui Patres convenerint super epistola illa sua, & quale merebantur responsum tulerint, nullus dubito) transeo ad alterum, Florentiæ quam alibi notiorem, Tiberium Petraccium, Ordinis Vallumbrosani Historicum, ac deinde Abbatem Pistoriensem, cujus an ea esset epistola quam dedi, potuerunt vestri Patres ex præsente scire; neque nunc post tot annos jure potes in dubium revocare, ex tua mala fide meam longe dissimilem metiens. Accipe igitur illam Epistolam, ultima saltem sui parte recipi dignissimam, quia nihil in hac ex alieno relatu, sed de visu certaque scientia scribit circa ipsam Attestationem originalem.

272 *Diploma*, inquit, *sub nota anni 643. & Thomæ Episcopi nomine compositum, post multam operam & industriam ad id positam, tandem oculis propriis vidi, ac manibus contrectavi.* Deinde addit, quod *a viris emunctæ naris* (statim scilicet ac produci ad externorum conspectum cœpit) *facile observata impostura fuit; cum usque legendi, neque litterarum formæ eæ essent, quibus antiquitus assueverant Florentini: ideoque difficillimum est*, inquit, *originale illud apud Carmelitas conspicere, quod usque pridem de falsitate convictas pudeat ipsam amplius exhibere aliis, quam sui Ordinis opinionisque hominibus. Etenim omni ex parte novitatem redolet, ut optime notarunt Illustrissimus Senator Carolus Strozzi, & Capitaneus Cosmus della Rena.* Quia autem postulaveram ipsarum litterarum formam, pro certiori convictione æri incidendam, rescripsit, *videri superfluum fore laboris & pecuniæ impendium, cum illud Carmeliticum ante hac viderint complures; testarique possint, ipsum nec Romanis, nec Gothicis, nec Longobardicis litteris, sed prorsus barbaris esse exaratum.*

273 Præmemoratos Strozzium & Renam cognovimus ipsimet Florentiæ, expertique sumus rei antiquariæ peritissimos arbitros non ex vano haberi; meri tamen fungi fuerint, si Patrem Bonæ-spei audias, pro Attestatione prædicta disputantem. Quid vero Petraccius? Fuerit hic, secundum vos, vel impudentissimus calumniator in priori Epistolæ suæ parte, de causa & auctore fictionis; falso testatus, ex D. Antonio Contalberti ea se audivisse, quæ numquam hic ulli homini dixerit; vel fuerit in re tam gravi nimis facile credulus falsa narranti. Contalbertius denique si verum contra Petraccium tulit testimonium, tale tamen dedit, quod vobis parum admodum prodesse possit, ipsiusmet vero summam arguit fatuitatem, qui in conventu virorum gravium & de re seria deliberantium, aliud omnino, quam quod quærebatur & rogabatur, responderit. Ejus enim hujusmodi testimonium, Italice scriptum legitur apud Patrem Bonæspei parte 2 pag. 200. & sequenti pag. 301. Latine.

274 *Ego Antonius d'Alberto, ex Antonio de Comitibus Alberti, dico & confiteor, quod cum his annis præteritis essem in conversatione quorumdam, qui profitentur & ambiunt antiquitatis intelligentiam habere; sermoque fuisset institutus de memoria collocata in Claustris Ecclesiæ Carmelitarum Florentiæ, me dixisse, quod videram quemdam Patrem Polonum, qui Romam iter agens aliquamdiu in præfato Conventu steterat, Bullam in dicta memoria specificatam conscribentem; & hæc dixi, quia ipsum videram, dum dictam bullam scriberet, sicut etiam nunc me ipsum vidisse scribere, dico & affirmo. Verum non dixi, quod præfatus Pater Polonus dictam Bullam composuerit, quodque id factum fuerit, uti asserit is qui relationem facit ad auctorem Propylæi, dicens, quod lis erat inter Carmelitas Senarum & Florentiæ de primatu suorum Conventuum &c. & quod ob hanc rationem Florentini composuere Diploma; quia numquam audivi a dictis Patribus, quod cum Patribus Senensibus de dicto primatu litigarent; neque unquam vidi ullum processum, prædictum primatum concernentem; & sic non poteram dicere, sicuti nullo modo dixi, quod Patres Florentini dictam Bullam occasione præfatæ litis composuerint; & in fide veritatis ego Antonius d'Alberto, ex Antonio de Comitibus Alberti, ista omnia scripsi, & subscripsi, die sexta Februa-*

[1] Zifras hujusmodi ab Indis seculo X. Arabes, ab his Hispanos seculo XIII. accepisse scribit Kirkerus Arithmol. p. 1. c. 4. Mabillonius vero de re Diplomatica l. 2. c. 28. p. 215. ait nulla se ante XIV. sæculum deprehendisse, & anno 1375. illas Codici librorum Augustini in Psalmos Petrarcham adscripsisse, tum sæculo insequenti in designandis MSS. paginis adhiberi cœptas. In inscriptione Pisana visus est sibi videre Fontaninius [Eloqu. Ital. p. 112. pro Romano numero II. Arabicum numerum 7. anno 1244. positum; sed nisi vehementer fallor, altera unitas, quod fortassis locus illius inscribendæ non superesset in marmore, super alteram oblique sculpta Arabicum numerum 7. potuit non bene vigilanti exhibere.

Februarii, anni millesimi sexcentesimi septuagesimi quinti. Florentiæ manu propria Signatum. Jo. Antonio d' Alberto, d' Antonio de' Cont' Alberti. Vide, Pater Rev. an satis integre hoc contra Petraccium dederim testimonium; an subtraxerim aut mutaverim aliquid: si autem recte & fideliter omnia, ipse mihi coram Apostolica Sede ac mundo toto testis esto sinceritatis ejus, quam in procemio mearum responsionum promisi.

275 Ego neque Contalbertium istum, neque Petraccium anno 1661. Florentiæ vidi; hunc, quia tunc nimis invenis erat, quam ut aliquod haberet inter eruditos nomen; illum, quia vel non aderat, vel non magni æstimabatur ab iis, qui me circumducebant ad eorum ædes, a quibus aliquid utiliter docendum me eredebant. Certe ex ipso retractationis modo apparet ingeninm hominis, cui nibil magnæ rei credi potuerit; uterque vero nunc mortem obiit, ut pro se loqui amplius nequeant. Igitur, verene Contalbertius dixerit, quæ postea dixisse negavit; an Petraccius memoria lapsus, dixisse ipsum crediderit, quæ ab alio forte audiverat, mea non refert; modo verum maneat, id cujus contrarium nec leviter quidem probare conati sunt Patres Florentini, talem esse characterum formam, quam vidisse Petraccius asserit, & quam vidisse etiam debuit Contalbertius, si transcribi vidit, alias vobis non negaturus etiam testimonium vetustatis, quod apparet eum dare noluisse. Nam si character nequaquam novus est, sed antiquus, in promptu vobis est etiam nunc, omnes eos, qui se vidisse dixerunt & dicunt, arguere mendacii, exhibito palam originali, vel etiam ad externorum satisfactionem chalcographice proposito, prout pridem videtur pollicitus Pater Bonæ-spei; sed cum addito, *Forte*, an quia superfluum id essé credebat, in tam certa summæ antiquitatis (ut ipsi quidem videbatur) evidentia? an vero quia dubitabat, an expediret oculorum judicio talem rem subjici?

276 Ad litem inter Florentinos atque Senenses quod attinet; facile crediderim Provincialibus Carmelitis nullam fuisse hoc seculo litem, imo nec oppositionem aut controversiam, primas absque contradictione ulla tenente semper conventu Florentino supra Senensem, & nulla motæ super præcedentia quæstionis memoria extante in alterutrius conventus archivis. Hoc tamen non continuo eredere cogor de seculo superiori, propter solum scripturarum defectum. Quam enim multæ subinde accidunt, viris etiam religiosis controversiæ, quæ non referuntur in Acta, imo studiose subducuntur memoriæ posterorum? Mirabor certe, si apud Carmelitas, post annos centum, reperiatur distinctior notitia eorum, licet maxime publicorum, quæ nostra ætate Brugis & alibi gesta sunt occasione immutati apud Belgas regiminis, auctore potissimum Patre Bonæ-spei. Satis mihi ad causam principalem est, absque contradictione dici ac scribi potuisse & posse, id quod pro originali venditatur & jactatur instrumentum, neque externis ostenditur amplius, esse scripturæ recentioris, quam ut de re adeo antiqua facere testimonium indubitabile possit.

277 Nam etsi conciperetur hoc ipsum, quod imperite dicitur originale, solum ecgraphum esse ac forte sæpius renovatum antiquioris & pridem deperditi originalis, sicut dicitur de bulla Sabbatina; in eoque annum olim scriptum per literas numerales, DCCXXXXIII. transfusse in zyfras 743. manebit firma eruditorum sententia circa stylum; atque adeo vana est omnis tergiversatio, sumpta ex dubia fide, vel etiam certa falsitate eorum, quæ de occasione & auctore dicunt vel dixerunt aliqui; neque de his accusandus ego eram apud Apostolicam Sedem, sed committendi inter se Antonius Albertius atque Petraccius; & ab alterutro exigenda pœna, si quam commeruerant.

278 De conventus Florentini natalibus nihil uspiam dixi, quod sciam, nedum per meras conjecturas aliquid definivi: nam cum dixi, fieri potuisse, ut Romano Concilio interfuerit vere aliquis *Thomas*, non *Florentinus* sed *Ferentinus*, sicuti aliorum ibidem perperam nominatorum titulos corrigi posse censui; non id ea causa feci, ut Attestationi fictitiæ darem auctorem verosimiliorem, mansisset enim antiqua illa, sive eam Florentinus seu Ferentinus signasset anno 743. sed ut detegerem fontem nominis, Florentiam traducti. De ipsius autem Conventus primordiis licetne per vos alicui conjectare quidpiam? Cur autem non liceat? cum nequeant certa ulla concipi ante definitionem illius Capituli, quo post S. Cyrilli obitum fuit definitum, quod liceret extra Terram sanctam conventus habere. Suspicabor ergo, eorum, qui tunc in Tuscia fundati fuerunt conventuum, primum fuisse Florentinum, secundum Senensem; atque hinc, non autem ab aliquo vetustiori principio, sumptam rationem ordinis & præcedentiæ inter conventus istos hodiedum durantis.

279 Si quæ autem privata disceptatio inter utrumque fuit, hoc, vel superiori saculo; id dixerim ex eo processisse, quod Senensibus, originem suam a Carolo Magno repetentibus, ex causa inferius deducenda, sed male applicata Fratribus S. Mariæ de Monte Carmeli, Florentini opposuerint memoriam ecclesiolæ suburbanæ, quibusdam ex Oriente advectis eremitis quondam exstructæ. Vacans enim hæc, ut opinari licet, per mortem veterum inquilinorum, aptissima erat recipiendis novis, seculo 13. advectis ex Carmelo, quorum plerique conventus vetustiores initia sua habuerunt per eremitoria suburbana, ut notum & in confesso est.

280 Nihil etiam prohibet opinari, quod in eadem ecclesiola repertus sit aliquis titulus lapideus, cum nominibus *Genesii Basilidis, Enoch, Phronti, Honuphrii, & Elpidii*, Basilianorum ex Syria Monachorum, illuc a Saracenorum vexationibus profugorum; sive potius Solitariorum, quos Calogeros Græci nominant etiam hodie; & quibus pridem extinctis, ut contingit, Carmelitæ successerint; atque inde occasionem sumpserint horum posteri, comminiscendæ antiquitatis & attestationis, de qua nobis quæstio. Neutiquam tamen verosimile videtur, quod adventus primorum istorum seu Monachorum seu Solitariorum contigerit ante Carolum Magnum circa medium seculi 8. quando pleræque civitates Tusciæ jacebant eversæ, absque populo, & absque Episcopis; utpote ante tempora Caroli Magni, multo pejora passæ a Longobardis vel aliis, quam Christiani a Persis vel Saracenis in Syria. Hanc enim tunc fortunam istic fuisse, docent Fæsulæ, Pistorium, Clusium, Grossetum, Populonium, Suana, Volaterræ; quarum

Episco-

Episcopos, pro isto tempore, quo deserta jacuit Florentia omnium veluti centrum, frustra requiras apud Ughellum, qui nullos potuit reperire.

281 Quænam autem ipse, post absolutam Italiam suam sacram, repererit monumenta, ex quibus asseruit, Episcopum (si quis tunc inter reliquias urbis desolatæ fuisset) scripturum se fuisse *Episcopum S. Joannis*, non *Florentinum Episcopum*, equidem nescio: sed homini tam diuturnæ experientiæ multæque scientiæ, id asseveranti, puto me sine probro credere potuisse; licet non ignorarem etiam illo ipso seculo, æque ac præcedentibus & consequentibus passim aliis in usu fuisse, ut a suis civitatibus nominarentur. Et hoc ipsum satis noverat, totoque suo opere testatur Ughellus; patet autem ex ipsis subscriptionibus Romanæ Synodi sub Zacharia quantumcumque mendosis. Nec minus noveramus Ughellus & ego, quod stante adhuc civitate dicti fuerint, ut vere erant, Episcopi Florentini.

282 Mera proinde cavillatio est, quæ non tam mihi quam Ughello hic objicitur a Patre Bonæ-spei, & a Te, Rev. Pater, ex illo, n. 242. sicut & ceteræ eodem allatæ: puta, quod ea ætate Episcoporum nullus incepisset publicum instrumentum aliquod a potestativo pronomine *Nos*, præponendo ipsum nomini suo: ut ex antiquioribus omnibus Pontificum Bullis & Epistolis constat. Quid enim contra talem assertionem facit usus pluralis numeri? quid pronominis, *Nos*, absque nomine positi per decursum instrumenti vel sermonis? hunc tamen quam operose tam impertinenter probandum sibi sumit Pater Bonæ-spei. Usus ille notissimus est & passim obvius: sed quæritur & non invenitur exemplum, quo legatur hoc initium, *Nos Gregorius*, *Nos Bonifacius* pro seculo 8. aut alio præcedenti. Talia exempla cum inveneris, Pater Rev. & quidem obvia, tunc Ughellum argue, ut delirum senem; non prius, nisi velis ipse minus censeri sapiens, qui affirmas quod inveneris nuspiam.

283 Æque impertinens est, quod in Synodis Constantinopolitanis, post annum 869. celebratis, inveniantur subscripti Episcopi hoc modo; *Joannes* v. g. *Dei miseratione Episcopus Cæsariensis*. Isti enim omnes Græci sunt, & quidem seculo uno posteriores Thoma prætenso; a Græcis autem ad Latinos transiisse potuit laudabilis ille loquendi modus, seculo primum decimo, aut etiam serius. Denique valde impertinens est, quod mihi, notanti, eodem tempore de quo hic agimus, necdum fuisse usitatam phrasim, *ad perpetuam rei memoriam*; fatentique, nescire me, utrum vel ante seculum 12. probari phrasis ejusmodi possit; respondet Pater Bonæ-spei, in Cherubini Bullario, ex 30. quot ibi ante 12. seculum datæ notantur, omnino undecim haberi, in quibus legatur, *In perpetuum*, seu (ut ipse explicat) *In perpetuam rei memoriam*: nam ista duo ut sensu non differant, differunt tamen phrasi: ego autem de phrasi loquebar.

284 Porro non hic sistit tota responsionis ineptia, quod unam phrasim pro altera valere velit in hujusmodi quæstione de stylo: sed etiam ex eo, quod cum Cherubini Bullarium quatuor tantum Bullas habeat antiquiores, supponat, in tam paucis fundasse me negativum argumentum contra antiquitatem prænotatæ phrasis, cum istam absolute negandi fundamentum sumatur ex epistolarum Gregorianarum registro, tam prolixo, atque ex sex primis tomis Conciliorum Labbei, nec non ex novem tomis Ughelli: ex quibus omnibus habemus Bullas & epistolas Pontificum Episcoporumque fermè infinitas, nec tamen in earum ullis ante seculum 12. invenitur statutum factumque aliquod *ad perpetuam rei memoriam*. Quid quod illa alia paulo vetustior phrasis, *In perpetuum*, non inveniatur uspiam ante annum 1062. quo data invenitur prima ex undecim mihi objectis, quæ est Alexandri II. aliæ autem decem sunt ipsiusmet seculi 12. ante quod requirebam exempla, non in ipso vel post ipsum. Nisi forte Tibi aliter numerantur secula, quod sæpe faciunt stupidiores; & duodecimum seculum, inchoandum cum anno 1101. inchoari putes post annum 1200. quando incipimus 13. seculum numerare. De cognominibus familiarum, tunc etiam needum usitatis, actum est satis Art. 6. §. 4. de titulo autem *Fratrum B. Mariæ de monte Carmelo*, non tam antiquo ac velletis credi, §. 1. hic. Reliquas Bonæ-spei cavillationes, quas Tu, Rev. Pater, nec attingere quidem voluisti, nec ego hic attingo: sed lectori judicandum ex dictis relinquo, utri cavillis figmentisque nitantur, egone & Ughellus in objectis nostris contra Attestationem, Thomæ Florentino suppositam; an vos in vestris retorsionibus atque exceptionibus, nihil ad illud seculum, in quo versatur quæstio, pertinentibus.

285 Finio cum insigni loco duorum præstantissimorum quos Florentia habuit historicorum, Senioris ac Junioris Scipionis Ammirati, per modum unius supra num. 263. nominatorum; ubi Conventus Florentini exordium sic notatum invenio, ut, si res tota conficta non est, nihil prohibeat Carmelitas, paucis post suum adventum annis, aliquanto remotius ab urbe, ad ipsam de qua hactenus egimus ecclesiolam, tantisper fuisse hospitatos, donec amplior & civitati propinquior locus eis obtingeret: quod quomodo factum sit, illi indicant multo accuratius, quam Carmelitæ ipsi notarunt in claustro suo; in eo enim quod ibi legitur factum *Kalendis Julii*, erratum esse, scribendumque fuisse *pridie Kalendas*, patet ex concursu 30. *Junii* cum *sabbato*, quia hic concursus notat litteram Dominicalem G, qui habetur ipso anno 1268. Sic autem illi narrant: *Anno 1268. bonus Episcopus Joannes, die Sabbati 30. Junii, posuit primum lapidem ecclesiæ Carmelitarum, sub titulo S. B. V. Mariæ de monte Carmeli, quæ tunc erat extra civitatem, in angulo ejus viæ, per quam ibatur ad portam S. Frigidiani, estque hodie una ex pulchrioribus meliusque administratis totius civitatis: quod hujus ornamentum acceptum referri debet Cionio Tuffa, filio Ranerii Vernaccii; qui testamento legavit uxori suæ Agneti multam substantiam, pro Dei amore dispensandam. Quapropter eadem matrona donavit Fratribus & conventui Carmelitanis fundum, in quo ecclesia construeretur, & pecuniam ad opus incboandum; obligando Fratres ad conventum eidem ecclesiæ postea adjungendum, in eoque habitandum, & officia divina intra ecclesiam curandum*. Hæc omnia sic referuntur in editione anni 1647. signata commatis ,, in margine positis, ad notandum quod ea sit additio Junioris Ammirati: qui omnia civitatis archivia curiosissime scrutatus, nihil eorum quæ Senior scripserat edi per-

misit, nedum ipse addidit, nisi singulorum fontes originales inspexisset; & collecta ab utroque ad Florentinam historiam monumenta, servantur pro majori parte apud PP. Prædicatores ad S. Mariam Novellam, iisdem testamento legata; adeo ut moraliter certi esse possimus, ex eo, quod ad annum 743. nec unum quidem verbum legatur de Attestatione Thomæ, vel necdum eam compositam fuisse cum illa historia imprimebatur, vel ab utroque Auctore prorsus contemptam, si illa jam nota Florentiæ erat. Notum est autem civitati toti, quantæ auctoritatis apud omnes sint duo isti Historici.

§. XX. ACCUSATIO.

Papebrochius cum Launoyo, ab Ecclesia damnato, repudiat historiam S. Brunonis, quoad damnationem Doctoris Parisiensis.

RESPONSIO.

286 Quamquam in mense Martio, in quo minimam partem Bollandus piæ mem. & ego non valde magnam habeo, noluerit Henschenius usurpare distinctionem illam, quæ cœpta fuerit adhiberi in Februario, & deinde adhibita est in Aprili & Majo, nunc vero etiam solicitius adhibetur in Junio; indicarique per litteras, nominum nostrorum initiales, J. B. G. H. D. P. quis nostrum trium cujusque lucubrationis proprius Auctor fuerit; videns tamen in Propylæo Maji tam diserte meam, non quidem adhuc definitivam, sed quasi provisionalem sententiam, in favorem historiæ prænotatæ, non debebas, R. Pater, tam absolute accusasse me, propter notulam repertam in Martio, ante tot annos a quocumque demum scriptam. Nam dictam historiam, nostrum nemo (uti Paternitas Tua calumniatur) *repudiat*; sed solum aliquis indicat, quod illam *in Carthusia didicimus non approbari*, rem indecisam relinquendo, usque dum ejus tractandæ proprium tempus esset. Istud autem non ideo probatur universim falsum, quia post annos 25. aut plures a nostra istic præsentia, interrogati a Tua Paternitate Reverendiss. P. Generalis aliique in historia Ordinis versati, rescripserint, Historiam illam apud se numquam fuisse dubiam, sed habitam pro certa constansique traditione. Hoc enim ut verum sit, non impedit, quo minus unus aliquis (quem nos credebamus ex plurium istic sententia loqui) de illa, ut non satis certa, locutus sit; sicut quod aliquis ex Carmelitis, puta Jacobus a S. Ludovico confidenter dixerit, quidquid de vestris rebus narratur ante Legislatorem Albertum, esse fabulosum, non probat, de successione Eliana in Ordine Carmelitico dubitari.

287 Ad me quod attinet, ut appareat, quam non *frigide me conatus sim apud Carthusianos excusare*, sed aperte & plane asseruerim, Historiam istam apud illos *certam haberi*; juvat ab amica Expostulatione P. Janningi accipere excusationem, super eo puncto pridem impressam num. 21. seorsim, & 22. ante Junium. „Loco a Te citato ad vitam Dionysii Carthu„siani tomo 2. Martii pag. 255. a P. Hen„schenio piæ memoriæ illustratam, ubi mentio „fit prodigii prætacti; legisti hanc Notulam: „*De hac historia, quam ipsi in Carthusia didi„cimus non approbari, agendum erit 6. Octobris.* „Scribit illic Henschenius, quæ coram didicit „in ipsa magna Carthusia, ab ipso Reveren„dissimi P. Generalis Secretario, qui Patrem „illum & Papebrochium, ex itinere Romano„belgico anno 1662. die 12. Junii Carthusiam „ingressos, & summa caritate exceptos, jussu „Reverendissimi prædicti per omnia deduxit; „juvit; &, quæ supra citantur ab Henschenio, cum illa de re colloquium incide„rat, pronuntiavit. Quodnam hic peccatum „Henschenii, qui dictum Secretarii refert, „nihil ipse de quæstione proposita definiens, „sed ad 6. Octobris differens? Et tamen hoc „peccatum tam grave videtur Paternitati ve„stræ, ut non contenta illud in *Exhibitione* „*Errorum* per integrum Articulum exaggeral„se, idem etiam reproducat in *Motivo*. Qua „autem verecundia & conscientia, ipse judi„caveris & æquus Lector.

288 „Jam vero innocens Notula illa, scripta „fuit a P. Henschenio, illa qua vidimus aucto„ritate, in tomis Martii, qui prodierunt „omnium primi post reditum ejus in Belgium. „Septennio autem post, anno videlicet 1675. „in lucem editur typis Lugdunensibus tomus „P. Joannis Columbi Societatis nostræ, com„plexus Opuscula varia historica, & primo „loco Dissertationem de Carthusianorum ini„tiis, antiquitatem Historiæ prodigiolæ ex ve„tustioribus Mss. probantem. Ut vidit illa „Papebrochius, fere anticipa: Henschenii men„tem, ad 6. Octobris decisionem differentis; „& aperta favat sententiæ, a Columbo pro„batæ, in Conatu Chronico-historico, part. 1. „pag. 32. num. 16. & 17. his verbis: *Nec sa„ne, quia ex Lectionibus de S. Brunone, ad „instantiam Academiæ Parisiensis, expuncta est „occasio conversionis vulgo jactata, desinit reli„giosissimus Patrum Carthusianorum Ordo eam„dem adhuc ut veram tueri: & Joannes Co„lumbi noster, in capite suorum opusculorum, „ponere non dubitavit Dissertationem de eo ar„gumento; doctam sane.* Et post pauca, osten„dens vim *docti* ejus argumenti, anoumerat „annos, ætata Gersonis (qui diu putatus „fuit illud prodigium anno 1420. circiter „primus litteris prodidisse) longe anterio„res, a Columbo erutos ex Mss. inquiens, „*ipsum testes habere ab anno* 1391. 1383. „1313. *imo* 1298. & 1150. *sic ut ultimus „solum distet* 49. *annos a morte sancti Funda„toris, obita anno* 1101.

289 Hactenus Janningus, de me quidem, ut nihil dubitante de Historia ipsa, sed potius eam confirmante; de Henschenio vero, ut simpliciter referente quid ex Secretarii ore audiverimus. Hujus fortasse unius privatam sententiam, nobis familiarius quam expediebat indicatam, quod tali loco notaverit Henschenius, majori quidem sinceritate quam prudentia fecit; abunde tamen compensavit & excusavit factum (quod acceptis a Carthusia litteris intellexerat minus gratum accidisse) quando permisit, ut ego ea scriberem & imprimenda darem, quæ supra indicavit Janningus, quæque ego tanto libentius nunc confirmo, non solum quod sciam, Joannem Columbum ista quæ dixi demonstrasse; sed etiam, quod ex Paternitate tua n. 252. discam, biennio post editum Propylæum meum, id est anno 1687.

pro-

prodiisse Annales Ordinis, in quibus eadem Historia pluribus confirmetur [1].

290 Quæ noster Theophilus Raynaudus pro eadem Historia, obiter dumtaxat & ex aliena fide, scripsit, hactenus non legeram; reperiuntur autem in ejus Antemurali contra fortia ingenia, pro actis S. Benedictuli & pontis Avenionensis per eum fabricatione; ubi illam Historiam requirere in mentem mihi hactenus non venerat: uti neque occasionem habui, qua legere deberem dissertationem Launoyi de causa secessus S. Brunonis. Nunc tuo admonitu requiro locum Theophili, & eo inspecto pergo ignorare, æque ac Tu, Rev. Pater, quis sit ille, quando, & ubi impressus Polycarpus de la Riviere, allegans tabulas fundationis Carthusianæ signatas anno 1084. & Codicem Grandimontensem exaratum an. 1115.

291 Hæc duo testimonia si subsisterent, nihil video, quid ultra requiri possit ad summam certitudinem: sed silentium Columbi, triginta annis post Launoyum scribentis eumque refutantis, neque duo ista producentis, suspectam mihi facit Polycarpi fidem, & Theophili, si cum transcripsit, credulitatem. Igitur velim nolim cogor Launoyum inspicere, & pag. 135. lego, quod in allegata *charta ne unus quidem apex est de Doctore vel Canonico Parisiensi*, quod ipsum *ingenue professus est Prior Generalis requisitus*. Et pag. 137. *in Grandimontensi Chronico ad annum 1115. quo pagina vacabat, diverso charactere recentique manu, in loco non suo, scriptum est quod sequitur*. Parisius horribile factum contigit &c. *prout vidimus ipsi*. Hæc ille. Unde causa habetur, cur testimonia isthæc contempserit Columbus, Polycarpi malam fidem tacite agnoscens; & cur ego nihil de illo, nihil de Theophilo sciens, contentus fuerim tantisper iis, quibus utitur Columbus; donec tempus exigat ex professo tractare argumentum istud, & Launoyi ad testimonia reliqua responsiones examinare. Interim fortassis alii quam Polycarpus sinceriores, multo plura atque antiquiora, ipsique rei gestæ viciniora invenient, quam invenit Columbus, licet tota totius Ordinis diligentia adjutus, ut Launoyi contradictio (sicut optamus) penitus dissolvatur, & ex omnium animis aboleatur dubitatio de veritate istius Historiæ.

§. XXI. ACCUSATIO.

Papebrochius, ex crassa & affectata ignorantia, aut sciens & volens, contra evidentem veritatem negat, Carmelitas ex Terra-sancta transmigrasse in Europam ante seculum XIV.

RESPONSIO.

292 IMo ipsemet, Rev. Pater, ex cæca passione & tali qualem culpas ignorantia, istud

Opuscul. Collect.

mihi affingis, propter levem litteræ unius errorem, qui vel ex meo ita scribentis calamo, vel ex typothetæ mala legentis manibus elapsus, fugit oculos corrigentium; tuos autem fugere non potuit ejusdem correctio, dum mea mox proferebas verba, unde apparebat, tam in textu, ubi numerabilibus litteris utor, quam in margine, ubi cifras adhibeo, non XIII. 13. sed XIV. 14. poni & legi debuisse, eo quem accusabas loco. Etenim linea 6. post titulum tam injuriosum, ex tomo 2. Aprilis in Propylæo parte 2. n. 31. adducis hanc totius meæ disputationis clausulam; *Finio igitur; & rursum affirmo* (nota *et rursum*, relative scilicet ad locum accusatum, totumque discursum istic progressum) *Carmelitas ante annum* MCCXXXVIII. *nulla in Occidente habuisse monasteria*, quod coincidit cum eo quod prius scribere volui & debui, *ante seculum* XIII. & 13.

293 Agnosco hujusmodi sphalmata in Aprili ac media parte Maji sæpius excidisse mihi, necdum ea adjutoria quæ nunc habentis; quia dum aliud componitur, aliud imprimitur eodem tempore, minus subinde ad typos corrigendos attento esse licuit, quam essem, omni alia cura liber. Hoc si Tu ignoscere, Rev. Pater, non volebas, debebas saltem indicare, primi loci qualecumque mendum, fuisse in secundo correctum. Sed si hoc fecisses, frustra fuissent omnia quæ collegerat ad probandum, Carmelitas fuisse in Europa ante seculum 14. tota pagina 410. Quæ autem sequenti pagina 411. & toto reliquo §. congeris, incipiens a Florentinis, advectis anno (ut prætendis) 743. jam discussi; similiter discussurus Articulo sequenti 16. quoscumque alios in Europa prætensos conventus, ante datam ab Alberto Regulam. Nihil eorum prætereibo, de singulis agam proprio loco & Chronologico ordine; ne istic cogar iterum tractare, quæ hic præpropere accumulasti.

§. XXII. ACCUSATIO.

Papebrochius convincitur turpiter errasse, asserens nullos Carmelitas, tempore S. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani, habitasse extra montem Carmeli.

RESPONSIO.

294 TOta confidentia præsumptæ convictionis nititur Chronica Guilielmi de Sanvico, Sambuco vel Sammuco, quem Paternitas vestra vult S. Alberto coævum credi; ego vero non facile assentiar natum fuisse, cum Albertus obiit anno 1214. Etenim, Accone capta anno 1291. transgressus (ut ait ipsemet) in Europam, ætate verosimiliter adhuc vegeta, rerum ante obitum Alberti gestarum non potuit

[1] Hæc narratio variis subinde aucta circumstantiis, S. Antonino, ipsique Gersoni solidæ doctrinæ ac pietatis viro, probata, non mirum si bona fide a totius sacri Ordinis alumnis admissa & asserta sit, cui Cæsarius Heisterbacensis videtur præluxisse. At in contrarium viros doctos magnopere movet antiquorum auctorum silentium, qui de Cartusiensium origine scripserunt, in primis Petri venerabilis, qui cum de Miraculis, ostensisque sui temporis ex professo egit duobus libris, quorum in secundo Cartusiensium primordia, & instituta, accurate describit, ubi & cujusdam fratris Cartusiensis visum mirabile fuse commemorat, ne verbum quidem de recidivo illo Canonico agit. Hinc est, quod post diligens & accuratum doctorum virorum examen sensim adeo decrevit illius traditionis auctoritas, ut hæc narratio a Romano Breviario expuncta sit: quod nequaquam sacri Ordinis existimationi præjudicare debet. Hæc immortalis Mabillonius Annal. Bened. t. 5. l. 66. n. 63. ubi etiam notat alias omnino, cur Bruno Remis secesserit, causas ab ipsomet S. Brunone in Ep. ad Radulfum Viridem Præpositum Remensem, quam ex Calabria scripsit, & a Guiberto Abbate Nongentino in Brunonis vita, afferri. Pagius quoque & Dumesnilius iisdem momentis ducti hanc narrationem fabulis adnumerant, ille quidem Critic. tom. 4. ad an. 1086. n. 16. Vide etiam Abbatem Grandum, & Castel Controv. XL.

iam certus testis esse, quam Capituli in Carmelo celebrati anno 1238. super tunc exorta quæstione, *an liceret extra terram sanctam mansiones hujus Religionis construere*.

295 Equidem non ausim affirmare, Sanvicum tunc vel novitium fuisse; puto tamen præsumi posse, cum eorum nonnullis vixisse, qui interfuerant Capitulo isti. Tu autem, Pater Rev. fidem eidem abrogans circa punctum tam capitale, in quo ego fundo negationem conventuum Europæorum ante dictum Capitulum; vis me ipsi fidem habere circa ætatem eorum, quos Ordo in Terra-sancta habebat conventuum; & hos fuisse data Regula anteriore, eo quo ipse credi voluit sensu. Et tamen Regula inscribitur *Brocardo & ceteris Eremitis, qui sub ejus obedientia juxta fontem in monte Carmeli morabantur*. Hinc autem consequens esse puto, multa illa per Terram sanctam vicinasque provincias Eremitoria, quæ Sanvicus enumerat ut prius fundata, vere quidem prius extitisse; sed nulli Ordini, nulli Regulæ adstricta; prout cuique ex Europa venienti, & devotionis causa solitariam in Terra-sancta vitam ducere eligenti, visum fuerat capere & formare exercitationis Eremiticæ locum ac socios: quæ denique omnia Eremitoria, connitente Alberto, & aspirante Deo, Albertinam susceperint Regulam & vestem, Priorique Carmelitico se subjecerint. Hinc vero factum sit, ut facile illa credita fuerint a non satis distinguentibus tempora, fuisse Ordinis Carmelitani ab ipso suo exordio: quem errorem secutus sit etiam ipse Sanvicus.

296 Ego, ne, disceptantibus mecum super Sanvici auctoritate Carmelitis, dubius hæsitaret lector, sed ut possit ipsemet dijudicare, utri procedamus rationabilius, totam illius *Chronicam, de multiplicatione Religionis Carmelitarum per Provincias Syriæ & Europæ, & de perditione monasteriorum Terræ Sanctæ*, inserui Hist. Chronologiæ Patriarcharum Hierosolym. ante tomum 3. Maji, sub titulo Parergi 13. pag. LX. & seqq. cui Parergo subjeci Annotata quædam, ante omnia observans & demonstrans n. 257. *ex Vita S. Angeli, quod intra sesquisæculum potuerint aliqua fictiones in Ordine recipi*. Hinc porro intuli eodem numero 257. quod *cum Sanvicus parvi temporis intervallo abfuerit a Bertholdi initiis, circa annum* MCCC. *aut etiam serius scribens; nec mirum nec grave videri potest, quod Fratres, nihil certi scientes quod requirentibus de instituti sui Auctore responderent, Eliam Prophetam peculiari quadam ratione ad se pertinere voluerint; neque hoc tantum, sed etiam persuaserint sibi, ab ejus ad sua usque tempora, in Carmelo viguisse aliquam religiosioris vitæ formam: quæ qualis medio illo spatio fuisset, continuata an interpolata, non deberet exquiri scrupulosius*. Denique adjungitur p. LXV. *Apologia pro Sanvico, contra prætensam diffusionem in Europa, ante tempus ab eo notatum*.

297 Hæc Tu omnia, Pater Rev. sic præteris, ac si nusquam extarent; & simpliciter excerpis ea ipsa, quæ ego dico ex invalescente tum errore scripta, non autem ex vera scientia, quam ex Joanne Phocæ & titulo atque tenore Regulæ, certiorem puto haberi posse. Non convenit, nec lubet, totam illam Chronicam, cum suis Annotatis, hic recudendam dare; satis sit paucis exposuisse, quid & quatenus illi possit ac debeat omnino credi; maxime cum istic a me statuta, nec verbulo quidem Paternitas Tua attingere audeat toto hoc Paragrapho. Apologia vero mea pro Sanvico subserviet ad refutandum §. 32. ubi examinantur prætensæ vestræ in Germania antiquitates: quare hinc transitum ad alia facio.

§§. XXIII. & XXIV. ACCUSATIONES.

Papebrochius cum Natale Alexandro asserit, fabulosum Constantini baptismum, a S. Silvestro susceptum.

Papebrochius, cum hæreticis, donationem Constantini repudiat, tamquam fictitiam.

RESPONSIO.

298 ERgo, Pater Rev. nulla te unquam satietas capiet camdem cramben recoquendi, & Lectoribus ad nauseam ingerendi? Mihi non lubet in hoc te sequi, quando nec unicum quidem novum addis argumentum, quo confirmes aut defendas primos circa prædicta crassissimos errores, a me demonstratos, tum alibi sæpe, tum in priori parte Responsionum harum Art. 2. §. 2. 3. 4.

§. XXV. ACCUSATIO.

Papebrochius mavult suum Magistrum Bollandum traducere tamquam nugatorem & fabulatorem, quam cum ipso admittere, seculo sexto fuisse Carmelitas.

RESPONSIO.

299 PArergo 7. ad Historiam Patriarch. Hierosol. n. 131. declaravi, quomodo Venerabilis Magister meus Bollandus, Henschenii socii sui Commentarium de S. Jacobo Pœnitente, interpolarit prolixa & auctori parum grata digressione de Carmelitis, quæ digressio simul esset honesta retractatio nimiæ suæ facilitatis, in recipiendis initio Januarii Actis S. Telesphori, a Zegero Pauli compositis; & sugillatio Alegræi illum prætermittentis, quem certiori ratiocinio, quam tot alios, potuisset adscribere Carmelitis. Ibidem consequenter docui, ex ejusdem Bollandi hypothetica istic propositione, male inferri sententiam absolutam, ejusque intento plane contrariam. Idem hic demonstrari conveniebat ad Accusationem præsentem; sed hanc prævertens, ut sæpe alias, P. Tua, coegit Art. XI. §. 8. respondere, quæ hic dicere debebam. Istuc ergo recurre, hic vero solum audi, non ex ingenio meo, sed ex suggestione P. Henschenii, dici in eodem Parergo, quod Bollandus ea istic *joco potius quam serio collocavit: dicebat enim, non sine risu. Qui ceteros omnes sibi arrogent, non debent pœnitentem peccatorem excludere*.

299 Neque propterea *Nugator Joculator* a me aut ab Henschenio (cujus testimonio usus sum) dictus est Bollandus. Longe enim aliud est semel joci aliquid proferre, aliud *nugatorem & joculatorem* esse. Sic aliud est semel ludere, aliud esse lusorem; aliud semel currere vel semel quidpiam quantumvis exiguum scribere, aliud esse cursorem & scriptorem. Nugator, joculator, lusor, cursor, scriptor, habitum significant, qui non nisi ex frequentatis actibus nasci solet.

Nu-

Nugator, semper sonat vitium; neque ab illo liber est *joculator*, propter effusionem & excessum quem importat; unde utraque sunt prædicata, virum honestum gravem dedecentia. Nihil simile est in *joco* raro & moderato. Nemo vitio vertit Ciceroni, quod in quadam Epistola dicat: *jam cupio tecum coram jocari*. Multo minus propterea numeratur vir tam gravis & serius inter nugatores & joculatores.

300 Multum certe abfuit Laurentius Beyerlinck a vocando S. Francisco *nugatore & joculatore*, quamvis in Theatro Vitæ humanæ, titulo *Jocus*, inter jocos refert ex Navarro, quod *S. Franciscus, rogatus, qua perrexisset homicida, qui juxta eum transierat; manus per manicas amittens respondit, isthac non transivit: videlicet per manicas*. Saltem inter *nugatores & joculatores* non numerabit Paternitas Tua sanctissimum & maxime serium Patriarcham Isaac: atqui eum *jocatum* semel esse testatur Scriptura Gen. 26. 58. his verbis: *Cumque pertransissent dies & ibidem moraretur* Isaac, *prospiciens Abimelech Rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum jocantem cum Rebecca uxore sua*. Jocum nempe, juxta Aristotelem lib. 8. politic. Cap. 3. est quædam *relaxatio animi, & velut requies a labore*. Jocum autem dividit Cicero Lib. 1. Officiorum, in illiberalem, petulantem, flagitiosum, obscœnum: alterum elegantem, urbanum, ingeniosum, facetum. Similiter S. Ambrosius Lib. 1. Offic. cap. 20. jubet, jocos esse ingenuos & facetos, atque in iis evitari nimiam effusionem, quam non evitant *nugatores & joculatores*.

301 Vides itaque, Reverende Pater, & accusationem tuam frivolam esse, & argumentationem ineptam; dum ex eo quod Bollando jocum aliquem facetum & ingenuum tribuam, infers, me Bollandum facere *Nugatorem & joculatorem*.

302 Jocus, quo usum illum dicimus, conveniebat argumento, de quo agebatur; vobis quidem facerrimo, sed eruditis, inter se libere de eo conferentibus, haud solito tractari absque risu aliquo. Id autem fecit tam verecunde Bollandus, ut vos ipsos latuerit; quin etiam vobis in laudem verteritis propositionem hypotheticam sic prolatam, licet hypothesi non admissa, sed ut summum in medio relicta. Nicolaus Antonius, quoties in hisce meis Responsis fit fietque mentio Pseudo-Dexteri & sequacium, laudatus & laudandus, nec unquam satis, super iisdem scribens P. Bollando anno 1656. sic exorditur epistolam: „ In magni operis Prolego-
„ menis tuis ... tres quidem Syrtes evitare
„ te, ais, ... Harum tertiam Hispani quidam,
„ heri aut nudius tertius inventi ... conficiunt;
„ nec tamen *inter alia Flavii Dexteri hoc opus*
„ *esse, quod ejus nomen præsefert, vel asseverare*
„ *audes, vel contentiose pernegare; ne* (ut urba-
„ ne magis, ais, quam sincere) *gratia hujus scri-*
„ *ptoris, cum bellicosa gente in certamen descendas*.

303 Hæc ille scribens animadvertit, quomodo in ipso opere *aliud fere agere* Bollandus videatur, *quam acturum se receperat*. Et, *Hæc tua*, *ingenua*, inquit, *& judicii plena inconstantia, quam non sis erga hos scriptores animatus planissime ostendit*. Similia scripsisset credo, si visa ad diem 5. Januarii S. Telesphori Vita, nullo verbo approbationem sonante, producta, oculos conjecisset in alterum de Jacobo locum, occulte quidem, sed prudenti lectori intelligibiliter satis,

Opuscul. Collect.

dubitationis alicujus indicium dantem. Laudasset utique *judicii plenam* Bollandi circa argumentum istud *inconstantiam*: & sicuti non putavit se facere amico injuriam, dicendo, quod *urbane magis quam sincere* negaverit, velle se Dexteri causa cum bellicosa gente descendere in certamen; sic neque se fecisse crederet, si dixisset, *joco magis quam serio* concessisse Jacobum Carmelitis, ex ea quam dixi causa & tali modo. Tu, Pater Rev. qui Bollandum dicis a me fingi *nugatorem & joculatorem*, diceres consequenter, illum a D. Nicolao Antonio *simulatorem hypocritam*, ac datæ Hispanis *fidei violatorem* censeri: sed non crederet ipse, si viveret, Bollandus, læsum se; & uti de illius judicio gratulatus est sibi; sic neque de Henschenii dato sibi per me testimonio questus fuisset; videns non aliter excuti posse importunas consequentias, ex suis istis antecedentibus contra opus totum suamque intentionem deductas, nisi palam & aperte mentem suam aperiendo.

§. XXVI. ACCUSATIO.

Papebrochius S. Theodori, Ducis ac Martyris, miraculosam de dracone victoriam deliris accenset narratiunculis.

RESPONSIO.

304 NIsi multiplicare inutiliter titulos Accusationum voluisses, Rev. Pater, poteras Draconi S. Georgii, hunc S. Theodori conjunxisse Art. xt. §. 9. & commune utrique habuisses responsum. Mihi hic non vacat eadem repetere, solo dico, quod qui *Georgii aliorumque similium Passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ, in Romana Ecclesia non legi*, testatur, atque inter apocrypha refert Gelasius Papa in Concilio Romano 70. Episcoporum; potuisset simili ratione etiam rejecisse Passionem Sancti istius Theodori Ducis, a quocumque scriptam, si ea tunc nota fuisset. Non fuisse notam Latinis, suadet antiquorum omnium Martyrologorum Hieronymi, Bedæ, Flori, Usuardi &c. de illo silentium. Sed neque Græcorum quisquam ejus meminit ante seculum 10. Etenim huc usque solus notus erat *S. Theodorus*, *Tiro* cognominatus, sub Galerio Maximiano Martyr inclitus, Græcis fastis 17. Februarii, Latinis 9. Novembris inscriptus, cujus apud Gregorium Nyssenum laus, memoria apud Anastasium Synaitam, miracula a Nectario Constantinopolitano Archidiacono scripta, sepulcrum & cultus apud Euchaitas, tam notus, ut ipsa civitas inde dicta Theodoropolis sit; templum denique Constantinopoli in Sporacio adeo antiquum, ut ab Helena Augusta conditum feratur, teste Codino.

305 Huc tamen decimo circiter seculo allatum corpus, sub nomine S. Theodori Martyris, ejusdem vel alterius, cum non satis probaretur illius notissimi atque antiquitus celeberrimi esse, cujus corpus adhuc in sua urbe credebatur haberi; & cum in ore Amasenorum esset fabula de extincto per S. Theodorum dracone; placuit aliquibus hoc argumentum assumere ad exornanda nova Acta alterius Junioris Theodori, quem Ducem cognominabant; eaque edere sub nomine Augari Notarii, tamquam ipsimet passioni præsentis, qualia in compendium Græce

contracta, a Lipomano & Surio Latine edita sunt, Bollandus noster ea dedit; & qua licuit illustravit tomo 2. Februarii: nihil adferens quo majorem probet vetustatem, sed addens prolixiorum Actorum metaphrasim, quam composuit seculo XI. *Bonitus, Subdiaconus Ecclesiæ Neapoleos, quintum ætatis percurrens lustrum*.

306 Ad hanc metaphrasim præfatur Bonitus ille, quod ipsam composuit ex ea Passione, quæ *rustico Achivorum stylo* in dicta Ecclesia legebatur: & num. 22. credens etiam ipse, a teste oculato scriptam Passionem (quam enim crisio huc afferret juvenis Rhetor, & necdum annum 25. vitæ egressus) *idiotam & imperitum omnino fuisse* auctorem censet, qui Sancti *passionem tam inculto famina ac rusticissimo sermone digessit*: quomodo scilicet *quidam inertes* (sicut habet præfatio) *Sanctorum Martyrum passiones describentes, tanta eas absurditate faminum, tantaque obscuritate sensuum replevere, ut nec tempora passionum, agonumque constantia, vel contra impios eorum victoria intelligi queant*.

307 Hæc si tunc, cum Acta illa prælo parabat Bollandus, suomet ipsius senioris judicio tiro in opere, nec adhuc eam rerum experientiam animique firmitatem adeptus, quam longior ætas eorumdemque studiorum tractatio attulit spatio annorum sequentium 30. vix equidem dubito, quin agnovisset, præter antiquas de S. Theodoro Tirone notitias, nihil certi haberi de Theodoro Duce, ut distincto; ac proinde, multa huic fuisse attributa, mutuo accepta a priore (nam & tormenta conveniunt, & in utriusque Actis eadem memoratur matrona Eusebia) mutuo accepta a priore; & communis utriusque in Euchaitarum urbe sepultura: pugnam vero cum Dracone credo sumptam ex imaginibus, quomodo accidit S. Georgio, sicuti satis superque declaravi.

308 Henschenio diuturnior sua per Germaniam, Italiam, Galliam peregrinatio, & in eis multa cum eruditioribus ubique viris tractatio, hunc imprimis fructum attulit, quod ad veterum Martyrum passiones severiorem, quam Bollandus adhibuerat crisim, passim requiri cognoverit, ac deinceps adhibendam statuerit, ipsique Bollando persuaserit. Illo ergo adhortante, & vehementer probante, in S. Georgio cœpi experiri quid possem: deinde post annos ab inde non paucos, Ephemerides Græco-moschas Majo mensi præmissurus, eodem Henschenio approbante, ad 7. Febr. (tunc enim Ducem colunt Græci, quem 7. Latini) ita scripsi: *Acta dedimus, famula ejus Augaro adscripta, sed ut talia non magis nunc credimus recipienda, quam quæ S. Georgio similiter sub nomine Pasicratis famuli sunt afficta; quin & certamen utriusque cum dracone, utrobique æqualiter fabulosum credimus*. Quia autem in Aprili ad diem 23. pugnam istam S. Georgii *commentum plebejum & deliram narratiunculam* appellaveram, idem huc trahit accusator meus; neque magnopere refragabor quin faciat, modo meam de Georgiano dracone censuram recipiat, ut æquam ac justam. Ita nunc faceret Bollandus si viveret, extremis suis annis multo animatior ad severe cribrandas Sanctorum Vitas quam fuerat primis. Hoc ergo circa Theodorum Ducem faciendum expectet Lector in Supplemento ad Februarium, vel in Novembri ad Acta S. Theodori Tironis.

§. XXVII. ACCUSATIO.

Papebrochius impugnat historiam, sanctitatem, cultum S. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani.

RESPONSIO.

309 Historiam istius Sancti, quam in tabulario ecclesiæ Vercellensis repertam, ejusdem Episcopus Jo. Stephanus Ferrerius in lucem protulit; Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ, secutus est; Lezana, Carmeliticorum Annalium conditor, unice æstimavit; non impugno ego, sed contra novitias Saraceni & sequacium fictiones propugno. Sanctitatem ejusdem quo verbo factove impugnem, nequa tu dicis, Pater Rev. neque divinare possum, unde occasionem sumpseris de hoc me accusandi, qui non modo sancte obiisse eum teneo; sed cum Lezana, talem obiisse mortem dico, quæ Martyris cultum fundare possit, quandocumque Ecclesia hunc approbaverit; nec puto approbaret difficulter, si pro eo Carmelitæ instarent. Sed hoc illi cavebunt facere, ne patefaciant sacræ Congregationi, quam parum notus fuerit ipsis suus sanctus Legislator, quando petierunt sibi concedi ejus Officium proprium; de quo Officio vide dicta Art. 9. §. 4. sicut ob eamdem causam non audent resumere veterem ac legitimum cultum sui S. Petri Thomasii, ut Confessoris, ne patescant figmenta, quibus inducti crediderunt, obiisse Martyrem, cum tali titulo eumdem nunc colentes. Denique vehementer probavi cultum illum (exemplo forsitan ab Acconensi, in qua tumulatus fuerit, ecclesia sumpto, nisi elegerit tumulari in Carmelo, quod nusquam lego) vehementer, inquam, probavi cultum, quam ei suo in Ordine servandum statuerunt Carmelitæ, multis, quos expendo, titulis obligati; & miror Ecclesiam Vercellensem, cujus Episcopus fuerat, & Canonicos Regulares, quorum Regulam institutumque professus, adeo tardos fuisse in sequendo Carmelitarum exemplo, ut Vercellenses ne nunc quidem (nisi forte recentissime id cœperint facere) ipsum colant; Regulares vero, in nullis eorum Officiorum, quorum omnes mihi notas editiones enumeravi usque ad an. 1650.

310 Hoc agentem latebat libellus foliculorum quinque, Cæsenæ mihi datus ab Abbate Celso da Rosinis, Lycæi Lateranensis conditore, qui nec ipse libelli ejus habuerat notitiam cum suum librum ederet; ut mirum non sit, si Carmelitas quoque idem libellus latuerit. Est autem impressus Brixiæ an. 1536. ex libro, qui dicitur Epilogus Chronicarum, edito (nescio quando) *a doctissimo & celeberrimo viro Joanne de Nigra valle, Ordinis Præmonstratensis, & S. R. E. Bibliothecario integerrimo*. In hoc libello, cui titulus, *in laudem sacri Canonici Ordinis* fol. C 2, recitantur *nomina* plus quam 430. Sanctorum, *ex supradicto Ordine*, interque eos *S. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus, Confessor*.

311 Hanc ego notitiam, qualem reperio, libenter communico; aliis indagandum relinquens, unde eam ipse Joannes acceperit; sed simul moneo, Constantinum Ghinium Senensem. Canon. Regul. S. Salvii, qui anno 1621. Venetiis addidit *Natales Sanctorum Canonicorum*,

pag.

pag. 107. habere *memoriam Sanctorum, quos Jo. Nigravallis ponit, de quibus*, inquit, *nulla facta est a nobis recordatio, tum quia dies ignoramus, tum etiam eorum actus ut plurimum sunt ignoti*. Inter sic omissos, est atiam prædictus *S. Albertus*. Erat igitur bic ignotus Regularium Ordini, nequa sciebatur quo fundamento Joannes illum retulisset in oumerum Canonicorum Regularium, neque habebatur dies. Carmelitæ agendum de eo elegerant 8. Aprilis, aguntque, etiam postquam innotuit obiisse illum ex plaga inflicta 14. Septembria, quando eum refert Ferrarius in Catalogo, idque ex prædicto libro Ferrerii: qui cum editus fuerit an. 1602. poterat eum novisse jam pridem Gbinius, si unus homo omnia, quæ ad rem suam faciunt, oosse posset.

312 Hoc ideo noto, ut appareat quanto magis ignoscendum mibi fuerit, quod in Belgio scribens de S. Alberto, ignoraverim, Canonicos Lateraoenses Mediolani edidisse an. 1666. Officia propria nova, quibus inseruerint proprium de S. Alberto; maxime eum id ipsum ignoraret, eodem tempore Romæ Canonicorum Regularium, sed Congregationis Gallicanæ atque a Lataranensi diversæ, Procurator generalis: ab boc enim sumpta suis iosormatio quæ me decepit, fecitqua ut præfidentius quam pse erat negarem, in ordine Lateranensium coli S. Albertum. Plura vide Art. 9. §. 4. Ibi, si demonstravi, quam infeliciter ex Saraceni Menologio Carmelitano sumptæ sint de illo Sancto Lectiones, quas nec ipsi postea Carmelitæ probarunt, alias fabricati; si scrupulum etiam movi super Indulto Pii V. quasi ao concessæ fueeint Lateranensibus ipsis tales Lectiones, tot aonis post ipsius Pii mortem compositæ; ignoscaot mibi Lateranenses, criminum, mibi ea causa imputatorum, atrocitate constricto; ipsisque Carmelitis imputent incommodum, si quod præter voluntatem meam sibi obveniat a S. Congregatione Rituum, querelam forasse motura, pro mala informstione sibi facta, licet innocenter. Maneat interim purgata bona fides mea, per ignorantiam facti recentis & longinqui; nec noo per sinceram erroris confessionem, loco tam proprio conspicuoque factam; & confundaniur ora loqueotium perversa, contra me meosque libros, ex causa tam levi, imo nulla.

§. XXVIII. ACCUSATIO.

Papebrocbius, bistoriam SS. Juliani & Basilissæ, a coævis descriptam, & aliunde irrefragabiliter probatam, annumerat fabulis.

RESPONSIO.

313 COepit R. P. Joannes Bollandus, socium coactus R. P. Godefridum Henschenium anno 1635. Acta Sanctorum Januarii componere ferme simul & imprimere; intraque octo annos diversissimis aliis occupatiooibus, morbo atiam diuturno interpolatos, opus vastissimorum duorum tomorum, cui totam utriusqua vitam impensam fuisse quivis erederet, absolverunt ediderùntque anno 1643. Totum hoc cum ea omoi cautione factum esse, qusm uterque adhibiturus fuisset, aucta per continuam annorum 30. vel 40. exercitationem experientia & scientia, nescio quis sapienter credere possit: ipsi tantum de se numquam præsumpseeunt, sed procedente paulatim prælo & opere, ooo raro corrigebant aliquid ex iis, quæ antea citra hæsitationem definierant.

314 Sic cum ad hæc ipsa, de quibus nunc agendum, SS. Juliani & Basilissæ Acta credidissent num. 11. *eodem etiam tempore*, id est, *sub persecutione Diocletiani*, ad Mare rubrum extitisse monasteria cœnobitarum, idque probaturos se infra dixissent 14. Januarii *in Actis SS. Monachorum Martyrum in Sina Monte & in Raitbu*; ubi ad rem ventum est, de Martyribus quidem 43. in Raitbu ad mare rubrum per Blemmyas occisis, fatentur illorum se *ignorare ætatem*; eosque collocant folio 966. post Sinaitas, occisos seculo Christi quinto; non ausi scribere seculi 6. initio, quod potuissent, si voluissent Cedrenum sequi, cædem istam referentis ad annum 10. Anastasii Imperatoris, Christi 601. Noluerunt tamen, quia verebantur bistoriæ istius scriptorem Nilum, discipulum S. Joannis Chrysostomi anno 407. defuncti, non solum facere centenario majorem, sed etiam ad itinera vegetum. Prudenter sane: nec minus prudenter dubitassent pag. 936. de aliis, qui in eodem monte Sina occisi similiter a Saracenis fuerunt, *multis ante temporibus*, quam scilicet descripta a Nilo cædes patraretur; satisne potuerint horum Martyrium referre ad tempora Diocletiani & S. Petri Alexandrini, Martyris Episcopi, ex sola ac prorsus gratuita conjectura ejus, qui ipsorum memoriam in Menæa retulit.

315 Dubitassent autem illi vehementius, si tunc vidissent, quæ postea Henschenius mecum vidit, Synaxaria manuscripta vetustiora, io quorum plerisque nulla ast priorum Martyrum notitia, quæ unice pendet a Nilo scriptore, indefinite dumtaxat loquente, ac dicente id factum *multis ante temporibus* quam posteriores occiderentur. Occasio certe per quam occisi priores dicuntur in Menæis, mors Tribuni scilicet, cui tot ionocentium victimis parentaverint Saraceni, non exigebat, alicujus Romani persecutoris mentionem, nullam in ea crudelitate partem babentis. Si Bollando necesse tunc fuisset penitius scrutari initia Ægyptiaci Monachatus, & legere contigisset, quæ ego eruderavi, S. Pachomii irrefragabilia Acta, in iisque testimonium ipsiusmet S. Antonii, de paucitate Monachorum sua ætata, & cœnobiis a Pachomio primum institutis; non fuisset cunctatus deponere præjudicium, sicut deposuit Henschenius, lecto & probato Commentario meo. Hic ego, postquam disserui de vestibus Monachorum Tabennesiotarum, a S. Pachomio fundatorum, confirmo, quod antea demonstraveram de cœnobialis vitæ initio per Pachomium, & quod in Prologo ad vitam S. Serapionis asseruerat Hieronymus, *Pachomium* saltem *primum* fuisse, *qui per Thebaidem cœnobiorum fundamenta jecit*. Tum loco a Paternitate Tua accusato, scilicet num. 27. ante illius Sancti Vitam, tomo 3. Maii pag. 293. hæc subjungo, quæ malim repetere integra, quam mutila legenda dimittere in Exhibitiona Tua. Sic ergo loquor:

316 Hoc vitæ genus quo minus credatur, ex S. Antonii testimonio fuisse novum & antea ignotum, apud æquum rerum æstimatorem non efficient Acta SS. Juliani & Basilissæ ad 9. Januarii illustrata, & propter antiquissimorum scri-

scriptorum auctoritatem (erant enim in iis S. Aldelmus Sciréburnensis, & S. Ado Viennensis, Episcopi, qui ante mille annos floruerunt) vehementer laudata, eoque fidentius tunc recepta, quod in Prologo legerentur hæc verba: *Nos, quæ vidimus oculis nostris Sanctorum gesta scripsimus*. Cum enim S. Antonius Monachus factus sit circa annum ætatis suæ an. Christi 270. ignorare non potuisset *sancta monasteria* a prædictis excitata, si ea fuerunt tam numerosa, ut fuerit *Julianus, congregationis circiter decem millium Monachorum Pater*, quod ajunt Acta num. 10. qui omnes pro fide cremati dicuntur n. 19. & si *Basilissa* rexisset *eorum sanctarum Virginum, numero circiter mille*, ut habetur num. 15. sub sua obedientia regulariter viventium, quas omnes intra dimidii anni spatium felici morte præmiserit ad cælum, persequente Ecclesiam Diocletiano. Qui Januarium nostrum revocabunt ad incudem, alia haud dubie multa invenient, ob quæ non mereantur Acta ista censeri primæ fidei, idoneaque ut aliqua majoris consequentiæ assertio super ea fundetur.

317 Multum interim fecit Bollandus; primum, quod diligentissime collegit Auctores antiquos & Martyrologos omnes, qui tunc ad manum erant, de SS. Juliano & Basilissa locutos; ad confirmandum eorum veterem, saltem a seculo octavo notitiam, in eoque fundatam eorumdem annuam in multis Ecclesiis, etiam Mediolanensi, memoriam. Deinde, nullam inveniens in Ægypto Antiochiam, nullum Antiochum Regem, qui illam condiderit, nedum Metropolim Ægypti constituerit, conatus est suadere, fieri posse, ut nihilominus fuerit ibidem aliqua grandis Antiochia, cujus memoria omnis perierit: sicut in Africa reperiebatur quædam *Antiochi Solen*: sed id nemini persuaserit, cui notum sit quam accurate Ptolomæus & alii Ægyptum antiquam descripserint. Tertio, ex Hieronymiani Martyrologii vetustissimo plus quam mille annorum ecgrapho Epternacensi, notavit, ibi non legi *In Antiochia*, sed *in Antiô*, quæ abbreviatura possit extensius legi *Antinour*; esse autem Antinoum, urbem primariam Thebaidos in Ægypto; in qua *sub persecutione Diocletiani & Maximiani fidelium terræ Coptæ martyrio coronatos centum quadraginta quatuor millia, septingenta autem in exilium acta*, Scaligero scripsit Ignatius, Patriarcha Antiochenus in Syria. Fides penes auctorem.

318 Innumeros pene & passos & fugatos istic & alibi, equidem non dubito; definitio numeri tam distincta, in totius antiquitatis silentio, suspecta esse poterat, & vero debebat esse; fuissetque, si Januarium vivens recognovisset Bollandus. Cujus interim laudabilis iste pro tempore & facultate conatus, ipsimet nunc videretur conatus tironis. Allatis enim ex diversissimis regionibus, Italia, Gallia, Germaniaque Hieronymiani Martyrologii ecgraphis aliis tribus, quorum Corbejense unum erat, nihilo recentius primo Epternacensi, ad quæ ipsum exactum editumque fuit anno 1668. Lucæ in Hetruria, a Francisco Maria Florentinio, atque non nisi post Bollandi mortem allatum Antverpiam; ubique notavimus integre scriptum: *In Antiochia passio SS. Juliani & Basilissæ. In India Celsi Juliani.*

319 In his ultimis verbis, *non dubium a librarii oscitantia mendum* esse, minus confidenter Bollandus pronuntiasset, si consensum ceterorum vidisset; nec propter unius eorum ambiguam abbreviationem *Antiô*, substituisset pro *Antiochia Antinoum*, licet hæc etiam Ἀντινόεια dicatur Stephano de urbibus, in Ἀντιόχειαν facile convertibilis. Non etiam manuscriptis Actis, ubi legitur num. 17. *Antiochia, quæ est metropolis Syriæ*, prætulisset unum exemplar alterumve, ubi legitur *Metropolis Ægypti*; aut S. Aldelmi conjecturam, pro Antiochia substituendia, *municipium Alexandri, quæ est metropolis Ægypti*: licet enim hoc omnino sit fueritque *Alexandria*, nunc *Damiata*; ista tamen ab alio quoquam, de SS. Juliano & Basilissa scribente, non nominatur. Denique his omnibus consideratis, non tam absolute definivisset Bollandus, præter S. Julianum Cilicem (cujus antiquissimus est in Antiochia Syriæ cultus ab ipsomet probatus, num. 7. & 8.) apud Græcos relatum 21. Junii, apud Latinos 16. diversum esse a socio S. Basilissæ, supra relato ex Hieronymiani Martyrologii ecgraphis: qui Cilix ad 9. Januarii passus dicitur in Actis, quæ erant examinanda.

320 Sunt hæc (quantum ego quidem nunc possum dijudicare) merum commentum, seu pia parabola, ad commendandam virginitatem poetice composita ab aliquo scriptore Latino, seculo forsan septimo; indeque, propter inventionis elegantiam rerumque admirabilium varietatem magis quam veritatem, cupide a S. Aldelmo suscepta, in libro de laudibus virginitatis seculo octavo. Seculo autem sequenti nono, eadem Juliani & Basilissæ passio transiit in Martyrologia Wandelberti, Adonis, Usuardi, Notkeri, & Rabani, nec non hodiernum Romanum. Auctorem Latinum probat phrasis tota, nihil Græcismi redolens, ut solent ea, quæ habemus antiquitus e Græca versa in Latinum. Neque contrarium probat pars prior Actorum, ab Aloysio Lipomanno reperta Græca in Basilianorum monasterio, quod Crypta ferrata dicitur: istius enim monasterii codices, in Bibliothecam denique Vaticanam translatos, ibi excussimus, invenimusque multas earum Vitarum, quæ alibi non inveniuntur in collectionibus vulgo adscriptis Metaphrasti, ibidem fuisse ex Latino traductas in Græcum; quæ, vel alia similis translatio Græca (sicut Vitæ S. Alexii accidit) Constantinopolim delata, a Monachis hinc inde commeantibus, occasionem dederit Synaxariorum amplificatoribus post Basilium Porphyro-genitum (in cujus Synaxario nihil de Juliano & Basilissa legitur) horum quoque passionem commemorandi.

321 Ast controversæ hujus Legendæ Auctores sic præfantur: *Nos, quæ vidimus oculis nostris Sanctorum gesta scripsimus*; idem Pasicrates de scriptis a se Actis S. Georgii, idem Augarus de gestis S. Theodori Ducis, præfati sunt: an ideo minus fabulosa illa? Vide autem, an verosimile sit, in Ægypto aut Syria scriptum fuisse, quod num. 19. sic legitur: *In quo loco* (ubi scilicet concremata fuerat *multitudo Sacerdotum & Levitarum & omnium ministrorum ecclesiæ*, apud Julianum causa persecutionis collecta) *talis divina gratia collata est, ut usque in hodiernum diem omnes præterenntes tempore psallendi Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinos, Nocturnos, Matutinosque hymnos, ita audiant multitudinem psallentium, sicut in corpore manentium: & si*

quis

quis his temporibus æger adierit, quantacumque fuerit ægritudine oppressus, abscedit in nomine D. N. Jesu Christi sanus.

322 Hæc si Joanni Mabilioni, in rebus Liturgicis versatissimo, dijudicanda quis offerat, cujus ætatis sint, respondebit, ex suo de Liturgia Gallicana opere anni 1685. pag. 382. Siquidem agatur de Ægypto, quinto seculo posteriora videri: illo enim Monachi *duabus tantum vicibus in oratorium conveniebant, vesperi scilicet ac media nocte, aliis horis Psalmos in cellula sua inter laborandum recitare soliti ..... & idem fere obtinebat in Palæstina & Mesopotamiæ cœnobiis omnibus; nisi quod ad singulas horas solennes* (puta Dominicis & festis) *oratorium frequentabant, ut in publico conventu ternos Deo psalmos persolverent*, quod & Antiochiæ, & in Cathedralibus omnibus, ratione convenientium istuc fidelium, credo obtinuisse: atque hæc ille ex Cassiano, præcipua duo Cursus ecclesiastici genera distinguente, sicut ipsemet viderat observari, & secum in Galliam traduxit, *unum eorum qui in Ægypto & Mesopotamia; alterum eorum qui in Palæstina & Thebaide versabantur*. Noster vero, de quo agimus Auctor, hic, Nocturnos Matutinosque hymnos distinguit ex usu Ecclesiarum Occidentalium, atque imprimis Romanæ, quod ante S. Benedicti tempora usitatum ægre probabitur.

323 Porro quis Paganicarum superstitionum gnarus, sciensque quam insolens iis fuerit, plus quam unam divinitatem quolibet in templo venerari (nam Pantheon Agrippæ, Diis omnibus sacrum, ad alios usus factum erat, neque ab aliis Romani Imperii civitatibus sumptum inde exemplum scitur Pantheon extruendi) quis, inquam, gnarus Paganicarum superstitionum credet, Antinoi & Antiochiæ fuisse *templum cujus est consuetudo* (sicus habetur num. 54.) *semel in anno* [*natali Principum*] *patefieri, ubi dignoscuntur veneranda numina Jovis, Junonis & Minervæ, ex electro puro imagines constructæ; quibus suavissimus Cupido delectamenta ministrat*. Fidem porro superant quæ sequuntur, dum causam reddit Auctor tam insolitæ diuturnæque clausuræ; *Tale enim*, inquit, *erat opus fabricæ, ut non marmore, sed tabulis argenteis parietes & pavimentum stratum splenderent, auro purissimo & margaritis vel lapidibus crisparent cameræ ....* sed ad S. Juliani illuc ingressi preces, *omnia sculptilia ad nihilum redacta sunt; templum vero ita submersum est, ut quid fuerit non pareret. Nam & multitudo confusa Sacerdotum circiter mille cum templo perierunt, & alia multa pars Paganorum simul interiit: ignis vere eructuans est in eodem loco usque in hodiernum diem*. Atqui nec hoc absque certiori teste credibile est; & hæc iterum phrasis, *usque in hodiernum diem*, usitatissima iis Sanctorum passionibus, quæ veterum non exstantium loco seculis 7. & 8. supposita sunt, seculorum aliquot intervallum notare solet, non annos paucculos quot effluxerunt inter Diocletiani persecutionem & pacem Ecclesiæ partam a Constantino.

324 Rursus cum tandem capite plexus esset Martyr, dicitur quod *statim terræ motus factus est, ut prope pars tertia civitatis a fundamentis subverteretur; nec qualicumque permissum est stare, in quo idolum esse dignoscebatur. Fulgura & tonitrua & grando intolerabilis facta est, quæ maximam partem incredulam consumpsit*: quæ iterum ementiens superjectio est, & una ex characteristicis notis unde genuinæ Martyrum Passiones a suppositiis discernuntur. Recentius denique figmentum videtur, quod *nocte* Martyrum necem secuta, *venerunt populi Christiani & Sacerdotes, & præ multitudine cadaverum Reliquias Sanctorum non cognoscentes, positis genibus oraverunt; & oratione completa apparuerunt eis in specie virginum animæ Sanctorum, unaquæque supra corpoream thecam suam residens. Sic sanctæ Reliquiæ collectæ sunt, & Domini gratia ita ordinavit, ut Sanctorum sanguis, sicut panis lacteus, circa unumquemque eorum congelaretur, ut nec terra auderet os suum aperire, ad sanctum cruorem recipiendum, quæ scelerato sanguine fuerat satiata .... quorum sancta corpora auferentes Sacerdotes, sepelierunt in sancta matre ecclesia, sub sancto velamine altaris*: quale quid ante Constantini tempora factum, nusquam legimus: hic autem statim a cæde factum dicitur, uti & in aliis passim ejusdem generis, quæ vel inde probantur recentioris fabricæ esse.

325 His sic expositis non opus est prolixo commentario, ut persuadeam jam aliunde doctis, haud facile recipiendos ad testimonium eos, qui se præsentes dicunt fuisse rebus prorsus incredibilibus; cujusmodi plurima sunt totis hisce Actis sparsa: proinde nemo præter vestram Paternitatem ipsique similes post hac sentiet, credo, quod ex fide talium satis probetur, eo loco ac tempore insimul collecta fuisse in unum monasterium sub Juliano quidem 10. vel 12. millia Monachorum, sub Basilissa autem chorum sanctarum Virginum circiter mille. Merito proinde Theodoricus Ruinardus inter genuina ac certa Martyrum priscorum Acta, quorum non pauca ex nostro collegit opere, noluit istis, apud tot antiquos scriptores Martyrologosque indicatis, advertere animum; ex eorum genere esse judicans, de quibus loquentem audivimus Art. 21. n. 174. Equidem vix possum credere, in his aliisque per Januarium sparsis Actis, Bollandum numquam, vel non nisi leviter hæsitasse: sed in istis novi operis principiis crediderit, multa dissimulanda esse, ambigua de successu novi vastique conaminis, de quo sub initium docti pariter & indocti essent judicaturi; quorum hi (ut nunc etiam fit) nefas putarent dubitare de Legendis Sanctorum vulgo receptis. Judicavit, credo, vir sapiens, cavendum sibi solicitius esse, ne videretur plura improbare quam approbare: donec progressu temporis cresceret æstimatio operis apud omnes; sibique, paulatim etiam eruditiori & eruditorum judicia audituro, pariter etiam cresceret fiducia ad apertius declaranda sensa animi sui, & vulgi præjudicia minus minusque formidanda.

326 Adhæc autem Juliani ac Basilissæ Acta cunctantius recipienda, morosiusque expendenda, neque eos Antinoo vel cuivis alteri Ægypti loco adscribendos, vehementer quoque movendum fuisse credo, quando cognovisset, nullam eorum mentionem fieri in Martyrologio Coptico Collegii Maronitarum Romæ; unde sperabat nancisci Sanctorum Orientalis Ecclesiæ Vitas, juxta dies mensium XII. Copticorum descriptas, uti præfatur n. 21. Nos autem eas nunc inde habemus Latine redditas, sed brevissimas & absque Sanctis hic controversis. Quid autem de

solo

solo loquor Coptico illo Martyrologio? Nec Seldenus, in duplici aut triplici Kalendario, neque Habessini, Christianitatem a Coptis edocti, in suo metrico Hagiologio, nomina istæc noverunt; neque Eusebius Martyrum Palæstinorum & Ægyptiorum illustriora Acta ac nomina haud indiligenter prosecutus; nec ullus denique antiquorum Græcorum, talis, & tot miraculis revelationibusque intextæ passionis SS. Juliani ac Basilissæ & tot Sociorum, uspiam recordatur. Idem dixerim de vetustioribus Latinis, in quibus Beda (Aldelmo posterior, cujus & Vitam scripsit) & Florus Lugdunensis, quorum genuina Martyrologia, Bollando numquam visa, ego ipso mortuo erueravi ante tomum 2. Martii.

327 Hæc porro, plenius maturiusque expendenda in Supplemento, non ideo hic anticipato tractavi, ut Bollandiani operis laudatissimis apud omnes initiis quidquam detraham (merito enim universum orbem in stuporem rapuit conatus tam vastus, & spem cogitationemque unius hominis, quamvis eruditi & diligentis, excedere visus) sed ut appareat, quam impossibile sit, tali in opere sic progredi quempiam, ut progrediens non multa improbet, multaque aliter scripturus sit, post annos triginta aut quadraginta in eodem argumento collocatos. Qui parum novit, parum dubitat: *qui addit scientiam*, inquit Sapiens, *addit laborem* indagandi plura, quæ se ignorare deprehendit, eodem quo proficit ad doctrinam passu. Quod hic juniorem Bollandum cum ipsomet seniore comparaverim, excusabit præcisa necessitas, qua cogor demonstrare, neque jactantiæ, neque invidiæ adscribendum, si Magistrorum meorum, præsertim incipientium, errata vel defectus æque ac proprios sine fuco agnoscam, eosque studeam emendare & supplere; atque eorumdem ac propriis per annos sexaginta profectibus instructior, putem me tandem videre aliquid, quod ipsi primis studii hujus annis non viderant, viderent autem si nunc viverent, & super iisdem Vitis novum judicium ferre deberent.

328 Si porro jam ex me quærat aliquis, quid denique de Sanctis Juliano ac Basilissa opiner: dicam, quod (salvo ulteriori maturiorique posterorum examine) verosimillimum videatur, veros Sanctos esse *Julianum & Basilissam*, quorum *in Antiochia* passorum meminit Hieronymianum Martyrologium, atque hos ad Syriam pertinere: ad Indiam, *Celsum* ac *Julianum* alterum: & ab utroque diversum eum, qui refertur 21. Junii passus *Antiochiæ Syriæ*, cum Galgalo & aliis 879. quæ omnia in unius Passionis historiam contulerit auctor, Celsum faciens filium Præsidis Marciani & Marcionillæ, martyrio coronatum una cum matre, ad ipsius Marciani confusionem; iisdemque addens decem aut duodecim millia Monachorum Martyrum, cum plurimis Presbyteris & Clericis 20. militibus ac 7. fratribus, theatrum istud implentibus. An autem isti *Julianus & Basilissa* fuerint eodem an diversis diebus passi, sed propter corporum una in ecclesia depositionem, insimul ibi culti, & ideo simul relati in Martyrologium Hieronymianum, non conabur divinando definire; multoque minus, sub quo præcise Imperatore, & utrum inter se conjuges fuerint, aut etiam virgines, postquam nunc tam certo cognitam habeo totius illius Passionis fraudem, quæ adeo multos & tamdiu decepit, bona fide credentes, quæ legebant, & quæ nemo curaverat ad eruditæ criticæs examen vocare.

329 Proprius hic nostri operis scopus est, invidiæ quidem & molestiæ plenus, sed historiæ ecclesiasticæ, apocryphis incertisque repurgandæ, necessarius, totique proinde Ecclesiæ Catholicæ utilissimus; quidquid contra sentiant, qui nollent priorum seculorum errores detegi, quia id fieri nequit absque aliquo eorum nota, quorum culpa vel fraude, sub specie pietatis, inducta tam multa figmenta fuerunt. Interim intelligit Lector, quam multum exantlandi laboris supersit, non solum pro sex reliquis anni mensibus, ut prodeant perfectiores prioribus, sed etiam in his ipsis ad limam revocandis, & ad eum saltem gradum perducendis, ad quem successive pervenerunt jam editi; præcipuum autem studium restare pro Januario, omnium minime elimato, & additis quæ desunt plurimis ad quinque vel sex tomorum molem adducendo,

§. XXIX. ACCUSATIO.

Papebrochius, varia in Historia S. Ferdinandi explodit tamquam commenta & figmenta.

RESPONSIO.

330 POstquam communibus Catholici Regis atque Capituli Hispalensis studiis ac sumptibus, Sancto hujus Fundatori, illius Progenitori, concessus ab Apostolica Sede is honor est, qui pridem debebatur insignibus ejus in Ecclesiam meritis grandibusque miraculis; & nova publicæ lætitiæ solennitas festivissime celebrata fuit an. 1671. prima Reverendissimo isti Collegio cura fuit, ut ejusdem Sancti historia omnis, ipsismet Hispanis vix adhuc nota, Christianitati toti manifesta fieret. Omnia autem circumspectantibus nihil occurrit facta expeditius, quam ut mihi, quem sciebant sub manibus habere idem argumentum, cum Actis Sanctorum Maii publicandum, submitterent quæcumque recentioris memoriæ acta; de veteribus minus solliciti, quia jam intellexerant penes me esse omnia, aut etiam plura quam ipsi possent subministrare.

331 Verum cupiditate ipsorum lentius progrediebatur vastæ molis opus, publicis etiam calamitatibus meisque ac typographi morbis retardatum. Cum ergo viderunt anno 1680. primos tres mensis illius Tomos, alios autem superesse excudendos ut minimum tres (fuerunt autem quinque) quorum dumtaxat ultimus habiturus esset tantopere desiderata Sancti Regis Acta; non destiterunt opportune importuneque instare, ut peculiari volumine suisque sumptibus imprimendo, Acta illa præmitterem, sicut feci anno 1684. Ibi prævio de rebus in eo tractandis Commentario subjunxi breviorem Vitam, a Luca Tudensi Diacono & prolixiorem, a Roderico Archiepiscopo Toletano descriptam, ipso adhuc vivente Sancto: & quod præmortuis defuerat ad historiæ complementum, supplevi ex Hispanice scriptis antiquitus Legenda & Chronica. Deinde vero, sub titulo GLORIÆ POSTUMÆ, ex variis auctoribus ac monumentis certissimis, collegi quidquid potui de Sancti Miraculis, incorrupti corporis Translationibus, Processibus ad Canonizationem, ejusque tandem obtentæ celebrationem festivissimam.

332 Isti tam singulariter excusæ lucubrationi nequid deesset, quod facere ad Sancti gloriam posset, addita est Appendix DE CRUCE CARAVACANA, regnante S. Ferdinando divinitus concessa Hispanis. Omnia autem sic placuerunt Reverendissimo Decano atque Capitulo, ut tota ista impressione ad se evocata, librum sparserint commendaverintque, non solum per Hispaniam universam, sed etiam Catholicis ubique Principibus miserint: quorum duo, scilicet Augustissimus Cæsar Leopoldus & Serenissimus Rex Poloniæ Joannes, oblatum sibi munus literis tam honorificis prosecuti sunt, ut eas publici juris fieri voluerint Domini Capitulares, una cum aliis pluribus eo spectantibus. Exhinc otium mihi datum semel iterumque omnia revocandi ad incudem: ex illa enim anticipata impressione hæc emersit commoditas, quod dum omnia per manus meas alienasque transierunt sæpius, prius quam ad principalem inter ipsa Maii Acta impressionem veniretur, opus ipsum evaserit variis in locis politius ornatiusque, correctis etiam erratis nonnullis, quæ priorem diligentiam nostram fugerant; vel quæ nunc etiam manerent, nisi ea didicissem amica suggestione Hispanorum eruditorum, & propiori rerum, locorum, ac personarum notitia imbutorum.

333 Talium judicio censuraque doceri sicut sincere petii, sic æstimavi in partem felicitatis, ingenue profitens, non esse me ex eorum numero, qui gloriantur, quasi primo conatu omnia dederint perfectissima; & istud Pilati videntur assumpsisse pro tessera, *Quod scripsi, scripsi*. *Πάντα κατορθοῦν καὶ μηδὲν ἁμαρτάνειν θεῶν ἐστί: Omnia quam rectissime facere, & in nullo deficere, Deorum est*, inquiebat ille, *non hominum*. Et libentius illud alterius Sapientis usurpavero, *Γηράσκω ἀεὶ μανθάνων*.

Senesco discens non nihil quovis die.

Si autem *αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι*, ut vulgata inter Græcos parœmia dicitur, ad docendum, quod *secundæ* quoque *curæ sapientiores* prioribus sint: quanto magis tertiæ quartæque addent aliquid perfectionis operi cui fuerint impensæ?

334 Sic elimatum illud & innovatum varieque auctum prodiit anno 1688. implens bonam partem tomi 7. a pag. 145. ad p. 281. Totis deinde 15. annis versatum est per manus Hispanorum, Italorum, Germanorum, atque Gallorum cum tam singulari approbatione omnium, ut ipsimet Galli nihil mutatum vellent, quibus tamen potuisset placere minus, propter Sancti Regis jus in Castellam hereditarium prolixe vindicatum, contra prætensiones ipsorum; a quibusdam magni nominis Hispanis etiam approbatas, quasi Sancti sui Regis Ludovici mater Blanca jure potior fuerit, quam mater Ferdinandi Berengaria. Hoc enim ex publicis privatisque Actis & coævorum, etiam Gallorum scriptis, tam longe demonstravi abesse a vero, ut Berengaria, anno 1172. nata, mater esse per ætatem potuerit Blancæ, post annos abinde 17. in lucem editæ; atque anno ætatis 27. ex secundo sponso Alfonso Legionensi prius Mater Ferdinandi, quam Blanca adhuc virguncula nuberet Franciæ *Principi juveni Ludovico*; sicuti Ægidius Parisiensis scripsit, cum illa in itinere versus Galliam esset; ætate utrimque tam tenera, ut sponso suo primum parere liberos cœperit anno 5. sui felicis & fœcundi matrimonii.

335 His tamen omnibus nihil obstantibus, placuit P. Sebastiano etiam hisce Commentationibus meis, nullo Hispanorum, nullo Hispalensium quorum intererat in consilium adhibito, obelum figere, tamquam Sancto Regi, Hispalensi Ecclesiæ, Hispanicæ nationi injuriis; idque coram Sede Apostolica & Inquisitionis tribunali; & sequaces mox habuit Carmelitas suos. Quam multa autem, credis lector, in tam prolixo Commentario & Annotatis reperit quæ carperet, Hispalensibus & Hispanis omnibus oculatior, Accusator Belga? Pauca admodum: quinque scilicet vel sex puncta: de quibus si me legas, non invenias illa, quæ ipse sustinet defendenda, a me explodi ut commenta & figmenta; sed solum referri ut non valde certa, & ex defectu congruorum atque antiquorum testium dubitabilis, quod valde diversum est ab intento Accusatoris.

336 Primum locum, sicut in edito Commentario prævio n. 14. legitur, hic integrum accipe, sicut ipsum ex quodam Martino Culentino, scriptore (quantum ex cognomine divinare fas) Italo, incertæque ætatis, ducentis & amplius annis post rem gestam, acceperat Rudericus Sancius, & ego ex Sancio descripseram, his verbis: *Cum apud Toletum quidam Judæus, gratia ampliandi vineam suam, rupem communuisset; in medio saxi concavitas reperta est, ubi liber erat folia lignea habens, descriptus tribus linguis, Hebræis, Græcis, & Latinis; scriptura vero quasi unius psalterii videbatur. Hic liber de triplici mundo disserebat, ab Abraham usque ad Antichristum; Principium vero tertii libri ita incipiebat, a Christo sic exordiens, In tertio mundo filius Dei nascetur in mundo ex virgine Maria, patieturque pro salute hominum. Quod cum Judæus conspiceret, statim cum familia sua sacro fonte renatus est. In fine itaque libri dicebatur, quod tempore Fernandi Regis inveniri debebat* [*proprietates hominum uniuscujusque mundi exprimendo*.]

337 His sic relatis ego subjungo: *Eadem leguntur in Chronico Nicolai Triverti Dominicani, sub annum 1307. scripto in Anglia, insertoque Spicilegiis Acherianis tom. 8. quasi acciderint anno* MCCL. *& interseruntur verba inter uncos* [ ] *relata. Multum autem ab Hispanis recentioribus ista ponderantur, uti etiam in Summario Processuum num. 17. tamquam singulare opus providentiæ divinæ, famuli sui nomen, quinque minimum seculis prius quam nasceretur, revelantis ei, qui ipsum librum ibi abscondisse præsumitur sub ingressum Maurorum in Hispaniam. Verum, ut ingenue fatear, dum considero, in illo tam mirabiliter, ut prætenditur, invento libro, velut auctoris Christo prioris, nihil repertum ob quod mereretur ad notitiam posterorum transmitti, nisi istum de Messia nascituro locum, & notam temporis quo esset reperiendus; vehementer metuo, ne S. Ferdinandi ævo liber iste fuerit primum abditus, & mox erutus a Judæo, aliud quam par est lucrum per Baptismi susceptionem captante; atque ita tota res mera fabula sit.*

338 Hactenus ibi ego, verecunde ac timide; nihil definiendo, sed solum dubitando, an rem talem tuto possimus credere duobus externis, & seculo ut minimum uno posterioribus scriptoribus, Italo uni, Anglo alteri; cujus rei interim nulla mentio invenitur vel in Chronica vel in Legenda Sancti Regis, neque indicium tota Hispania ullum; abolito verosimiliter libro, siquis

ita

ita resossus fuit, ob eamdem, ut est credibile, causam, ob quam, Laminæ Granatenses, resossę an. 1588. & 1600. eatenus approbatæ, quatenus attestabantur Reliquias pariter inventis, tandem tamen anno 1641. prohibitæ sunt legi, ac denique 1682. absolutissime condemnatæ.


339 His quod comparaverim librum istum mysteriolum, magno mihi crimini vertitur. Itaque operæ pretium fuerit explicare, quomodo hæ repertæ, quanto Hispaniæ totius studio receptæ, quot judiciis probatæ, quam impigre defensæ, & tandem tamen de impostura convictæ sint omnes. Gratulabatur scilicet sibi Hispania de invento thesauro inæstimabili, sed non sine prudentiorum quorumdam contradictione, turpiter suæ nationi illudi existimantium atque dolentium. Sed frustra: tacere demum coacti sunt, & prævalente indiscreto reliquorum zelo, non defuerunt, qui libris editis propugnarent errorem, tanta eum auctoritate inductum ac stabilitum. Nam primo Licentiatus Franciscus de Bermudez de Pedraza, Regiorum Consiliorum Advocatus, editis de antiquitate & excellentia civitatis Granatensis libris tribus, anno 1607. adjunxit quartum de sancto Monte Illipulitano, quo putat dissolvisse se quascumque objectabiles difficultates, eoque certitudinis rem adduxisse, ut impossibile videatur subesse ei falsitatem.

340 Non cessantibus interim dissentientium querelis, Romamque non sine fructu delatis, Adamus Centurio, Estepæ Marchio, de eodem argumento librum vulgavit anno 1608. sub titulo Informationis, cujus novem puncta sic ordinantur. I. *De Reliquiis & prophetia, inventis in destructione veteris turris, dictæ quondam Turpianæ, apud ecclesiam majorem.* II. *Quomodo inventæ sunt Reliquiæ, laminæ & libri plumbei sub monte Illipulitano.* III. *Luces, splendores, apparitiones, somnia, inventionem progressa.* IV. *Miracula & prodigia, quibus manifestavit Deus veritatem reliquiarum, laminarum atque librorum.* V. *Stationes, processiones, devotio omnium generalis ad sacrum montem; & cruces in eo collocatæ.* VI. *Diligentia adhibita & comprobatio veræ antiquitatis prædictorum.* VII. *Quomodo Archiepiscopus rem totam detulerit ad Regem, Consilium, Nuntium, aliasque personas publicas; obtinuitque licentiam a sua Sanctitate, omniumque consensum & approbationem ad ferendam sententiam.* VIII. *Sententiæ datæ Archiepiscopo a gravibus personis, circa doctrinam dictis libris contentam.* IX. *Archiepiscopus cum suis suffraganeis, nemine discrepante, approbat Reliquias:* nam librorum approbationem Sedi Apostolicæ reservaverat, qui pro Reliquiis facultatem concesseras, Clemens VIII. quamquam, ut in sua sententia satis indicat Archiepiscopus, eadem & Reliquiarum & Laminarum causa erat. Nam si hæ deprehendebantur falsæ, impossibile erat illas positive verificari, quarum notitia tota ab iis pendebat.

341 His, tamen non obstantibus, damnatæ sunt omnes tam laminæ quam membranæ, sic, ut prædictum est, repertæ, tamquam *falso adscriptæ* (verba Decreti sunt) *Beatissimæ virginis Mariæ, & sancto Apostolo Jacobo Majori; aut ipso dictante, ejus discipulis Thesiphonti & Cæcilio; imo quæ sint pura figmenta humana, in perniciem Catholicæ fidei composita, & respective contineant hæreses atque errores, ab Ecclesia Catholica damnatos; ac adversentur litteræ sacræ Scripturæ, & expositioni sanctorum Patrum, & usui Ecclesiæ; quin etiam plura redoleant Mahometismum, nec parum inducere videantur fideles ad sectam Mahometi, e cujus Alcorano, & aliis Mahometanorum impurissimis libris, non modica illorum pars agnoscitur transcripta.* Juvat ex eodem Romanæ condemnationis Decreto, dare hic notitiam librorum, tam graviter censuratorum, quos repertæ sunt continere *laminæ ac membranæ prædictæ, ex Arabico in Latinum fideliter versæ*, sub hisce titulis:

Liber fundamentorum fidei.
Liber de essentia veneranda.
Liber ordinationis Missæ Jacobi Apostoli.
Oratio & defensivum Jacobi, filii Samechi Zebedæi, Apostoli, ad omnes adversitates.
Liber beatissimi Apostoli Jacobi, filii Samechi Zebedæi, de prædicatione Apostolorum.
Planctus Petri, Apostoli Vicarii.
Liber rerum præclare gestarum Domini nostri Jesu, & miraculorum ejus, & matris ejus Mariæ sanctæ Virginis.
Liber historiæ certificationis Evangelii.
Liber donorum præmii.
Liber mysteriorum magnorum.
Liber colloquii S. Mariæ Virginis.
Liber sententiarum circa fidem.
Liber historiæ sigilli Salomonis.
Liber assequibilium divinæ potentiæ.
De natura Angeli & ejus potentia.
Liber relationis doni domus pacis, & tormenti domus vindictæ.
Liber rerum præclare gestarum Jacobi Apostoli, & miraculorum ejus.
Pars secunda libri rerum præclare gestarum Jacobi Apostoli.

342 Horum primus hic dictus *Fundamentorum fidei*, reperiebatur in suo operculo sic inscriptus. *Liber fundamenti Ecclesiæ, Salomonis characteribus conscriptus*: a cujus tituli litteratura cum nihil aut vix differat plurium aliarum laminarum characterismus, non abs re fuerit ipsum hic spectandum dare, ut oculis pateat fatuitas auctoris, sperantis apud omnes effecturum se, ut antiquissima crederetur littera, & Apostolico ævo, Hispanis jam Latine loquentibus usitata, quando Latinas litteras, quam posset maxime deformasset. Eccum specimen.



343

343 Eadem fere erat causa Reliquiarum pariter inventarum, ac verosimiliter eo fine adjunctarum laminis & membranis præfatis, ut hic conciliarent æstimationem & fidem apud populum, de primorum Hispaniæ Apostolorum, Sanctorum scilicet Cæcilii, Ctesiphontis & Hischii, ut apud Granatam passorum ibidemque sepultorum, pignoribus tandem repertis mirifice exultaturum. Sed cum ab his, quantumcumque mala fraude suppositæ fuissent, nullum veris immineret fidei periculum, quia cultus Sanctis exhibitus, etiam in falsis Reliquiis, in ipsos redit; noluit circa illas tunc quidem aliquid pronuntiare Apostolica Sedes; sed media incedens via, populo pio permisit innoxiæ suæ devotionis objectum; simul & Archiepiscopalis judicii æstimationi consuluit, quo fuerant tam solenniter expositæ. Nam si certum erat, laminas & membranas esse falsas, non erat æque certum de Reliquiis; cum fieri potuerit ut impostores Mauri, inter ecclesiarum spolia veras nacti, falsis suis scripturis eas adjunxerint. Manet tamen eruditis viris justa formido, ne in unis mendaces, etiam mendaces fuerint in aliis.

344 Nunc mihi animum adverte, lector, & tecum ipse æstima, an nationi tam piæ, quam credulæ, & a semel assumpta credulitate tam difficulter flexibili, grandem faciat injuriam qui timet, ne ille, cujus causa hæc induximus, liber simili fraude fuerit ab aliquo Judæo tempore S. Ferdinandi defossus & refossus? Ita ob honorem, quem Regi facere videbatur, receptus liber, Italiæ quoque & Angliæ innotuerit, quoad punctum istud; cum interim Hispani, detecta demum impostura, illum abolevissent, ejusque nullam voluissent in scriptis suis extare memoriam. An forte sanctiores tunc erant Judæi Toletani, quam postea Mauri Granatenses? Aut Castellani, sub S. Ferdinando & seculo tam rudi, multo sagaciores ad fidem nationi perfidæ detrahendam, quam Granatenses sub Philippo II.? Et hi, non obstante diligentia atque consultatione tam diuturna, decipi potuerunt; illi non potuerint absque illis?

345 Ego vero propositum habens, ut loquor num. 4. Sancti Regis Ferdinandi Acta tradere, *eadem investiganda ac tenendæ antiquitatis cura, eadem methodo discutiendi ambigua & obscura illustrandi, eadem libertate ac sinceritate discernendi falsa a veris, dubia a certis*; potuine vel omnino reticere, quod nunc in ore tam multorum est; vel absque ulla cautione referre, quod videbam cum fundamento tam exiguo teneri? Non existimo; nec puto quemquam potuisse modestius efficaciusque ad propositum id facere, quam causam suspectandi fidem veterum Judæorum, corroborare recenti exemplo perfidiæ Mauricæ, in re prorsus simili. Mea autem intererat, animos optimi populi disponere ad excutiendum aliquando nimiæ credulitatis jugum, quod eorum humeris imposuere pauci quidam figuli fabularum, quodque adstringere magis magisque conantur nonnulli, credentes obsequium se præstare Deo, cum sine examine credunt & recipiunt quidlibet, quod quomodocumque videtur facere ad Dei Sanctorumque honorem.

346 Ceterum ut inventionem istius qualiscumque libri, numquam absolute dixi esse imposturam, commentum, & figmentum; sic neque cetera, quorum occasione hic accusor; quæque ut summum suspecta habens, nolui certiori historiæ ea admiscere; ne modicum fabulositatis suspectabilis fermentum sinceram reliquam messem corrumperet; præsertim apud sciolos quosdam cervicosiores, ex dissimulatione mea ansam sumpturos opinandi, quod eodem modo dissimulaverim in aliis. Hoc vero ne fieret, opus erat dubia secerni ab iis, de quibus nulla peculiaris causa dubitare suadebat. Exhibebo singulorum locorum textum integrum, ne opus sit excusatione prolixa.

347 Vitam Sancti Regis a Luca Tudensi coævo cœptam scribi, continuavi ex Legenda Hispanica veteri, cujus ætas quanta sit, nequimus divinare; miracula sub finem addita ad exitum seculi 15. pertinent. Ibi num. 53. de Sancti morte aliud nihil dicitur, quod, post ultima ad suos verba, & conditum testamentum, ac recitatas Litanias, *totum ibi præsentem Clerum præcepit canere, te Deum laudamus: sumptaque in manus Candela, & Cruce ante se posita, inclinavit caput, ac magna cum devotione animam tradidit Creatori in urbe Hispali die 30. Maii.* Ad hæc verba sic deinde noto: „*Rodericus Sancius Palentinus Episcopus*, defunctus an. 1471. parte 3. Historiæ Hispanicæ „cap. 40. *Habent*, inquit, *Hispanorum Annalia*„, (nescio quæ: certe non illa quibus Sancti filius Alfonsus, vel sui Patris gesta seorsum, vel sua suorumque decessorum omnium, sub titulo Chronicæ generalis, describi mandavit) „*Habent*, inquit „Sancius, *Hispanorum Annalia*, quod, *quo die* „*auditæ voces in cælo, En moritur justus, & nemo* „*considerat; Cuncti fideles ob ejus obitum ineffabi-* „*liter flebant, dicentes; Utinam talis Princeps aut* „*non nasceretur, aut non moreretur!*

349 Post ista sic relata, addo ego: *Hoc quidem a Gentilibus de Gentili Imperatore dictum tolerari poterat: [inter Christianos autem explicationis eget, ut commode intelligatur: alioqui enim certum est, nullum regioni alicui majus bonum posse divinitus obtingere, quam Regem sanctum; qui licet vel modico vivat tempore, suorum tamen Patronus perpetuus erit in cælis. Quod autem attinet ad voces auditas in cælo, tales occurrunt frequentes in Martyrum passionibus, loco verorum Actorum, aut numquam scriptorum, aut a tyrannis abolitarum, post multa secula scriptis, ideoque suspectis; in sincerioribus tamen & notarialiter exceptis, cum ipsi Martyres paterentur, eas numquam invenias.] Quis autem citra hæsitationem credat, habuisse Palentinum testes idoneæ antiquitatis & fidei ad rem tam insolitam asserendam, quam tacuit auctor Chronicæ, satis alias proclivis ad mirabilia narranda, ut nihil de auctore Legendæ dicam.*

350 Hunc locum ut carpas, assumis, P. Rev. primam ultimasque tres lineas, omissisque ceteris quæ uncis [ ] inclusi, insurgis hoc modo: *Sic passim meris conjecturis & cavillis, insolita Sanctorum miracula & gesta, molitur suspecta reddere* Papebrochius, *prout hic patet: nam quod Auctor Chronicæ istas voces tacet, frivola est argutiuncula negativa & omnino straminea; cum Chronologi non sit res tam accurate describere, prout ex professione facit Historicus; sed seculorum annorumque dumtaxat exactum reddere computum.* Si opus meum non vidisses, Pater Rev. in eoque quam voco *Chronicam S. Ferdinandi*, nihil minus quam Chronologice digestam (quod mihi denique faciendum non sine magno labore fuit) sed mere historice procedentem, excusabilis esset ignoranti Hispanicæ linguæ idiotismos cavillatio istæc tua. Nunc cum eam Chro-

nicam, *id est*, veram plenissimamque Historiam, totam apud me legeris, ex Hispanico justæ molis codice Latine redditam, & Capita omnino 18. explentem, quomodo ignorare potuisti, *Chronicam* dici quamcumque *Historiam*, quæ alicujus Regis gesta ab initio ad finem vitæ prosequitur; licet parva aut nulla ratione habita temporum per annos distinguendorum. Certe mortem sancti Regis, & quæ sub eam gesta sunt multa, prolixius exponit ejus Chronica, quam alius quispiam.

351 Brevior fuerat Chronica hæc circa ea, quæ contigerant infanti, utpote pridem elapsa memoriæ minusque celebria; ideoque eidem duo Parerga interposui, quorum primo narratur *pueri Ferdinandi miraculosa curatio apud Deiparam Oniensem, ab Alfonso, sancti Regis filio & successore, rhythmice celebrata*. In hac nihil pono difficultatis; sed cum notassem, quod duodennis tum Ferdinandus, *idoneus* fuerit *ad augendum insigniter, tali accepto beneficio, Deiparæ amorem, quem cum lacte materno hauserat*, prosequor ex Laureto, Italicæ vitæ anni 1680. scriptore, quæ sequuntur. *Cum eodem lacte etiam traxisse censeri potest, propensissimum ad pauperes juvandos affectum: de quo Laureus pag. 97. ait*, [*infantem adhuc inter materna brachia, solitum illis ubicumque conspectis projicere, etiam de fenestra, quidquid ex collo gerebat bullarum, quod ne faceret, solitam et matrem manum impleri nummulis sic dispertiendis. Sed id aliaque similia mallem apud antiquos scriptores legere; nec placeat nova, quamvis pia, de rebus antiquis, nulla teste allegato prolata. Tale imprimis est apud eumdem Lauretum lib. 2. pagina 99. quod* Sanctus *ann. 1242. secuturis post Regibus exemplum primus dederit lavandi duodecim pauperibus pedes in die Cœnæ Domini*]: *ubi admirationi imprimis mihi est annus, post tot secula primum proditus, nec tamen ullo teste firmatus, ab eo qui alibi non parce fontes citat unde aliquid hausit.*

352 Ita istic ego, nec scio vel nunc quomodo prudentius potuerim asserta recentis ac pene hesterni scriptoris proponere, ut nec ea omittens, aliquid, fortasse verum, Sancti laudibus detraherem; neque nude referens, ab instituto deficerem; quam optando, ut tam certo teste probari punctum utrumque posset, quam probatum habebam miraculum Deiparæ, in puero patratum. Tu autem, Pater Rev. ut speciem aliquam insolentis in conjectando licentiæ haberet locus, notam tibi ex me scriptoris novitatem dissimulare, primasque & ultimas lineas omittere maluisti, solas eas describens, quas unci [ ] includunt.

353 Parergo 5. quod p. 373. inserui Chronicæ, proponitur *Devotio S. Regis, durante obsidione Hispalensi, comprobata miraculo insigni*, idque occasione Lectionum anno 1690. approbatarum, in quibus dicitur *Rex, ad eam expeditionem a S. Isidoro Hispalensi Episcopo per visionem excitatus, quod scilicet sanctissimus Præsul suam Ecclesiam, tot seculis jam ab infidelibus profanatam, Christo restituendam curaret*. Noto autem quod prudenti cautione additur in dictis Lectionibus, *Ut refertur*; quo nempe intelligatur, id non constare ex certis auctorum coævorum monumentis, sed solum *constanti traditione receptum esse*: uti etiam, quod *pius Rex, tum alias, tum in eo bello, Deiparæ Virginis (cujus sacram venerandæ majestatis imaginem quocumque iret in exercitu secum ducebat, ac mira devotione & honore prosequebatur) præsentem opem non semel sensit.*

354 Huic traditioni confirmandæ, ex Paulo Spinosa, qui anno 1627. edidit Historiam, Antiquitates, & Magnalia civitatis Hispalensis, colligo quidquid ille huc spectans habet; satis accurate indicans fontes, unde ea hausit quæ refert desiderata in Chronicis; & *prudentiæ lectoris judicio æstimandum relinquo, quid fidei singulis dandum sit*. Imprimis autem ex allegata ab eo membrana veteri Ecclesiæ Hispalensis, & ex duobus auctoribus, a Zuniga allegatis, prolixe narro, quomodo *Deiparæ imaginem antiquam in urbe obsessa adoraris Rex sanctus, eodem ingressus in extasi; indeque regressus invenerit se inermem fuisse*. Tum vero adnoto id quod sequitur: *Triplicem hanc eruditæ illius peregrinationis narrationem, tam unam in substantia facti, quam in circumstantiis variam, ideo credo proposuisse Spinosam, ut pluralitate testium, non omnino recentium, ejusmodi de S. Rege credulitati faceret fidem traditionis, saltem popularis: quæ licet raro aliquid integrum invariatumque transmittat ad memoriam posteritatis, non sit tamen contemnenda, quamdiu nulla gravior ratio in contrarium obsistit.*

355 Prosequor deinde Annotationem prædictam; & *hujusmodi sunt, inquam, quæ idem Auctor adjungit: solitum Regem ter in hebdomade, quamdiu duravit obsidio, seipsum noctu flagellare usque ad copiosam sanguinis effusionem; cum autem pugnandum esset, cilicinam crucem, ferreis aculeis asperam, supra nudam carnem gestare, quæ pectus & brachia complectebatur: habuisse etiam in exercitu Sacerdotes, qui militibus pœnitentiam & virtutum exercitium prædicarent, in quibus præcipui fuerint beatus Fr. Dominicus, vir sanctissimus, discipulus & socius gloriosi Patriarchæ Dominici, Confessarius Regis; eique adjunctus socius, thaumaturgus Pater Fr. Petrus Gonzalez, quem asserit Christophorus Nunez, Capellæ Regiæ Sacellanus, in historia quadam a se scripta de singularibus rebus urbis Hispalensis, multa prædixisse sancto Regi obsidionis hujus tempore, quæ eventus vera demonstravit. Egimus XV. Aprilis de S. Petro Gonzalez, ubique notavimus ad num. 15. Vitæ litterâ D. hunc mortuum esse septem annis citius, quam obsidio inchoaretur; unde vero occurrit etiam alius error ejusdem Vitæ notandus, quo dicitur idem Petrus capta urbe comitatus Regem, ad urbem suam regiam regressum: neque enim amplius redivit in Castellam Ferdinandus, aut vivus aut mortuus. De Fr. Dominico, Petri Gonzalvii socio, nihilo minus dubitaverim, an unquam fuerit in Castella, nedum in Bætica.*

356 Ita ego soleo eas de Sanctis narrationes colligere, quas neque asserere absolute possum, quia idoneæ antiquitatis teste destitutas; neque negare volo, quia fortassis veras; imo verosimiles reddere eas conor qua licet, detersis maculis, per meram rerum temporumque ignorantiam aspersis narrationi, alias non certo falsæ: uti falsam esse judico præsentiam S. Petri Gonzalvii; qua si aliquando fruitus sanctus Rex est, fuerit hoc alio loco ac tempore, quando ei potuit aliquid revelasse Petrus de obsidenda aliquando & capienda Hispali. Hæc sunt quibus impletur Parergi præcitati §. 1. Secundus agit *de imaginibus Marianis*,

rianis, Hispalim inductis a sancto Rege: & in margine declarat, quid ibi tractetur, his paucis verbis: *Circumducere imaginem Deiparæ solitus* Ferdinandus, *eamdem triumphabundus induxit in urbem, multa per eam operatus miracula, ubi etiamnum in honore est*.

357 Porro collatis inter se omnibus, quæ de prædicta imagine, qualis nunc est, habent & narrant scriptores Hispani, præ externis majori circa talia fide digni, verosimile esse sentio, quod ab illis recedens Testis quidam Neapolitanus, in Processu pro Canonizatione auditus anno 1630. perquam confusa ejus memoria sit, quando dixit, quod *cum sancto Regi apparuisset imago quædam Deiparæ cum puerulo, promittens victoriam in conflictibus, ille similitudinem monstratam sibi imaginis factam volens, plures pictores accersiverit: quorum nemo cum voto ejus posset facere satis, secundum ea quæ memoria habebat impressa lineamenta; demum oblati sint duo, qui opus susceperunt, unamque in locum simul clausi absolverint intra dies aliquot: sed opere completo inventi amplius non sint, proinde crediti fuisse Angeli: & hanc, ait, devote servari sub altari in capella Regia: atque ita & vidisse se sæpius, & ex antiqua parentum traditione accepisse*.

358 Hæc narrantem Neapolitanum testem, memoria prorsus confusa usum, sic probo. *Non pictam, sed sculptam imaginem; non subtus, sed supra altare collocatam, extra controversiam videri debet. Video tamen, quid fefellerit hominem, Hispaniæ advenam, & bona (quod præsumendum est) fide visa audituque, ut meminerat, referentem. Est in eadem Hispalensi ecclesia imago alia supra memorata; non allata, sed inventa Hispali a sancto Rege, maximaque in veneratione habita; Antiquam vocant, estque (juxta Morgadam anno 1587. Hispalensis historiæ conditorem lib. 4. cap. 10.) depicta in pariete, statura sesqui major humana, forma speciosissima, ut miraculum sit, inter majores pictorem fuisse tantu arte præstantem: & quod ipso mirum magis est, in hanc usque diem & integra est, & vel formæ vel colorum nullum omnino passa damnum, quantumvis Mauri, quibus antiquiorem esse fama celebrat, eidem expungendæ, ligones & malleos adhibuerint*.

359 Ago deinde de hujus antiquæ imaginis translatione, facta anno 1578. prout eam narrat prælaudatus Morgadus, atque concludo dicens: *Hanc igitur imaginem bonus ille Neapolitanus testis, non distinxerit ab ea qua Regum dicitur; nec animadverterit haud esse in tabula, sed muro pictam. Ut vero ipsa statua, quæ vere est & dicitur Regum, credi possit Angelicis manibus fabricata, videtur opus esse plurium concordi testimonio, quod cum desit, deest quoque idoneum argumentum fidei miraculo adhibendæ*. Sic ibi ego: ex quibus clausulam hanc maligne assumis, P. R. probationibus omnibus, quæ antecesserant erroris manifesti [censuram] prætermissis: & quia declaro per conjecturam, unde Neapolitanus præfatus potuerit sic erravisse, contra me insurgis, quasi *ex meris conjecturis* arrodentem miracula S. Regis, cum tamen ex dictis appareat, conjecturam meam non eo spectasse, ut everiam miraculum Angelicæ operæ, ad effingendam Deiparæ imaginem collatæ (cujus miraculi veritatem, quacumque in imagine subsistentem, non præsumo vocare in controversiam) sed ut ostenderem,

cui potius ex duabus competere illud possit, si vere contigit, sicut iste audivit.

360 Cœperat autem urbs Hispalensis anno 1247. 15. Augusti, a sancto Rege obsideri tribus ex partibus cis Bætim: cum autem opus esset etiam trans flumen ad Occidentem castris locum capere, missus ad hoc fuit Magister Ordinis S. Jacobi, cum tam exiguis copiis, ut res incredibilis videri debeat, rem humana prudentia æstimantibus. Nam decimo sexto obsidionis mense, post deditionem 23. Novembris 1248. factam, ex Mauris qui remanere noluerunt, *egressi sunt*, bona parte remanente, *terrestri itinere trecenta hominum millia*. Quod ego non ita strictim prætereundum existimans, num. 131. sic scribo. *Obstupesco, cum num. 87. lego* hæc Regis verba, initio obsidionis prolata: *Non est æqua partitio inter nos & eos qui sunt trans flumen: hic enim sumus ad mille Equites, & illi trecentos non numerant*; ideoque mox addo; *Vereor ne quis existimet, fabulam id potius redolere quam veram historiam*.

361 Hic, quasi finem faciam, neque dubio moto occurrere satagam, vicissim num. 336. exclamas; *Obstupesco & ego, dum tam insolentem hic & passim, contra receptissimas historias, lego Papebrochii censuram, ex meris conjecturis absque auctore effutiri; an proinde hoc sit tolerandum, judicet Sancta Sedes*. Quid est apertis oculis plena meridie nihil videre, si hoc non est? aut deliberato consilio calumniari contra agnitam veritatem? An ego in ista admiratione sisto, & non continuo subdo hæc formalia verba? „ Dubio huic occurret Petrus d'Outremannus noster, „ in sua Constantinopoli Belgica p. 270. narrans „ quomodo Balduinus Imperator CP. copias e„ ducturus in hostem Murtzuphlum, Græcos „ omnes ad deficiendum sollicitantem, *Henricum* „ *fratrem cum centum lectissimis Equitibus præire* „ *jussit, qui oppidatim fidem & sacramentum a sin*„ *gulis Imperatoris nomine exceptarus discurreret*; „ uti & reapse fecit, partim minis, partim blan„ ditiis urbes etiam maximas in officio continens.

362 „ Talia autem cum narrasset d'Outreman„ nus: *Hic mihi*, inquit, *monendus lector videtur*, „ *at cum centum hastatos equites, sive cataphractos*, „ *ad tam arduas expeditiones mitti, aut eos justus* „ *profligare copias, atque urbes expugnare in hac* „ *narratione audierit; non continuo ibi animo fingat* „ *centum duntaxat ejusmodi virorum manipulum* „ *omni prorsus nudam præsidio educi, ac millibus ali*„ *quot hostium opponi. Verum sciendum est, ex an*„ *tiquo Gallorum instituto* (quod idem etiam Hi„ spanorum, Longobardorum, ac Germanorum „ fuisse non dubito) *singulis ejus generis Equitibus* „ *alios tum milites, inferioris illos notæ quidem, sed* „ *tamen ex equis pugnantes* (Chronica nostra num. „ 98. *Scutiferos* vocat, & ejusmodi unum Garciam „ Perez apponit num. 89.) *tum pedites adjungi* „ *solitos esse non pauculos, ut cum centum equestris* „ *Ordinis viros dicimus, sexcentorum aut non mul*„ *to secus capitum turma, ex consequentium ratio*„ *ne intelligenda veniat*.

363 Vides, Rev. P., futilitatem, aut potius malignitatem accusationum tuarum, cui tamen declarandæ noluissem in hoc §. tam esse prolixus, nisi operæ pretium existimassem, Lectori specimen dare mearum in S. Regis Acta Commentationum; quas Tu sursum deorsum versans, nihil invenisses quod carperes, nisi, dissimulatis antecedentibus & consequentibus, Annotata mea mutilata exhi-

buisses: cujus tuæ infidelitatis judicium si velit suscipere Apostolica Sedes, & talionis pœnam juxta Canones exigere, vereor ut unus sis satis in tot calumniarum vindictam; eademque infamia redundet in Ordinem tuum sanctissimum, & meritissime ornatum tot magnificis titulis, quot jactat Auctor captiosæ Collationis inter Elogia Pontificia & Antilogia Pseudo-Papebrochiana, in Parallelis ad Art. 2. appositis.

§. XXX. ACCUSATIO.

Papebrochius, valde insolenter & injuriose censurat historicos, referentes apparitionem S. Crucis Caravacanæ, cujus historiæ fidem molitur diminuere.

RESPONSIO.

364 Duas habet partes Accusatio hæc, quarum posterior mera calumnia est, ut mox apparebit; prior si respiciat Joannem de Robles, Canonicum Caravacensem, qui anno 1616. Hispanice impressit *Historiam & miracula illius sanctæ Crucis*, falsissima etiam est. Omnem, quæ fideli ac diligenti Historico dari potest, fidem ac laudem ei impendo; totum fere ex Hispanico Latine reddens, ejusdemque nomen inter auctores de ecclesiastica historia bene meritos celebre faciens. Solum doleo, quod communi, ejus quo scribebat temporis, Hispanis scriptoribus plerisque infelicitate, suffarcinari historiam eamdem passus sit figmentis Hieronymi Roman de la Higuera; nec animadverterit, quantum ea dissonent a veris & antiquis Caravacensis oppidi monumentis. In Higueram solum eas stringo censuras, quas strinxerunt ante me quicumque prudentiores Hispani, aversati pseudo-Dextrina figmenta, quorum ipse auctor esse demonstratur.

365 Graves sane censuræ sunt, sed si fabulatoris, toti Christianæ antiquitati, quam excogitatis studiose figmentis deturpat, perniciosissimum facinus consideres, nec insolentes, nec injuriosæ. Detecta enim & producta in lucem fuit universa fictionis portentosæ genesis, per eos in quorum manus hæc scripta pervenere; deprehensumque est, qua ratione primum composita, atque identidem aucta, mutata, alterata fuerit; adeoque nequaquam uno tractu descripta ex iis, quæ apud Fuldensem in Germania Abbatiam extitisse mentiebatur, originalibus. Itaque prævaluit tandem sapientissimum Joannis Marianæ & Petri Rabadineiræ judicium, eodem in Collegio Toletano, eodemque tempore Historiam Hispaniæ & Sanctorum Vitas scribentium, quo Higuera iste (*Ficulneam* Hispanis ea vox notat) ficus suas venenatas, malas, malas valde, dispertiebat per provincias, ubicumque noverat scribi quidpiam: sed tam parum caute, ut cum ex eodem fictitio auctore eumdem quandoque locum scriptoribus diversissimis communicaret, nihil pensi haberet alia & alia phrasi id facere, substantia quoque subinde non parum alterata. Fictionem universam non solum exteri multi, sed etiam illustres Hispani notaverunt, quos nominavi Art. 10. §. 7.

366 Primus, nominato citra ambages auctore, & quasi ex professo id fecit anno 1666. D. Gaspar Ibanez, Agropolitanus tunc solum Marchio, nunc etiam Comes de Mondexar, & plusquam uno titulo Hispaniæ Grandis, in Præfatione ad *Discursum historicum pro Patronatu S. Fructuosi, contra supposititiam Cathedram S. Hierothei apud Segoviam*; rursumque anno 1671. inter *Dissertationes ecclesiasticas pro honore antiquorum Tutelarium contra modernas fictiones*, parte 1. Dissertat. 3. a pag. 185. ad 287. totis sex capitibus. Hujus discursum an viderit nescio, certe necdum viderat ejus Dissertationes, sæpe mihi laudatus laudandusque Illustriss. D. Nicolaus Antonii, emunctæ vir naris & eruditionis solidæ, quem Regiorum in Curia Romana negotiorum Procuratorem generalem per annos viginti probavit Italia Hispaniaque. Hic Tomo 2. Bibliothecæ Hisp. edito Romæ an. 1672. p. 456. *Industriam*, inquit, *Hieronymi & diligentiam summis in cælum usque laudibus efferunt vulgo nostri homines, qui cum fallere nesciant, falli se ab aliis posse haud facile credunt; quia ditasse nos ille dicitur quibusdam veteribus Chronicis, atque aliis nusquam antea visis antiquitatum Hispanarum monumentis; quibus mirum valde est, quam obnoxii ac venerabundi hujus seculi homines, atque in iis non pauci ex nostratibus, nec non ex exteris, doctis sagacesque, assurrexerint: quæ tamen alii (exterorum nempe eruditissimus quisque, nostrorum hi qui ratione magis quam præjudicatis ducuntur opinionibus) fuisse conficta, atque iis quorum nomina præferunt supposita, luculentioribus indies argumentis convicti, liquido ipsi credunt; nec minus facile persuadere sperant se posse aliis, ad rem qui adduxerint mentem doceri cupidam.*

367 Ejusmodi fictionum evictiones toto nostro opere adeo multas inveniet lector, ut facile agnoscere possit nihil nobis opus fuisse alieno indicio, ad cavendas hominis illius imposturas, quas quotidie ipsas propriis palpamus manibus. Prius tamen quam retegere inciperem, quæ Higuera de *Cruce Caravacana* vel confinxit ipse, vel ab aliis conficta commodavit Roblesio, placuit hujus nimium facilis Hispani credulitati, hominis item Hispani judicium opponere. Nunc vero etiam amplius cogor movere camarinam istam; quæ iis quos dixi primum moventibus, nonnullisque domesticis rem promoventibus, ceteris quoque Jesuitis sic paulatim tamque universaliter displicuit, ut cum ante nonnulli ex nostris Higueram sequerentur, in tractandis novo conatu historiis ecclesiasticis (unde etiam processit laus ipsi attributa in nova Bibliotheca Societatis anno 1676. Romæ edita) hisce tamen ultimis viginti annis nemo eorum, quod quidem sciam, verbum pro Hieronymo facere dignatus sit ullum; vel quoquomodo deprecari, ne traducatur tamquam *inventor fabularum infinitarum, quibus ecclesiasticam historiam integro jam seculo inquinari dolere cogor*. Non autem ego solus id facio, *Rarus hodie criticus est*, inquit p. 11. Auctor Collyrii cæcutientibus Carmelitarum oculis nuper in Hispania applicati, *qui non censuerit ut scriptores nullius auctoritatis, suppositiuos, fabulosos, Dextrum, Luitprandum, Julianum, & Tamaii plurimas narrationes insertas Martyrologio Hispanico*, ex Higueræ lacunis derivata omnia. *Inter plurimos Em. Card. de Aguirre & D. Nicolaus Antonii in sua Biblioth.*

368 Hæc Auctor Collyrii, quem licet Jesuitam esse non putem, a Jesuitis tamen Hispanis Lusitanisque probari scio. Tale autem exemplum utinam aliquando imitentur RR. PP. Carmelitæ Ordinis utriusque, & oculis tandem apertis tam multiplici convictione falsarum

sua-

suarum antiquitatum, quibus successionem Elianam, diversam a vera omnibusque probanda, pertinaciter tuentur, agnoscere incipiant, quid vere ex Ordinis honore sit; velintque contemnere auctores tot fictionum, *quibus ipsorum historia scatet*, ut candide mihi scripsit unus ex paucis in eo Ordine Philalethis, qui clam mihi assentientes, palam non audent animi sensum prodere, propter metum Fratrum, diverso longe spiritu ductorum, ad me meosque libros per fas & nefas perdendos si possint. Nicolaum Antonii, quem citat Collyrium, hic & Art. 10. num. 40. loquentem audivimus, & porro audiemus alibi; multa etiam ex Eminentissimi Card. Aguirre ad ejusdem Bibliothecæ apparatum, ibidem legenda dedimus num. 37. directe contra ipsamet figmenta.

369 Neque novum hoc Eminentissimo illi, aut nuper formatum judicium fuit: nam & in eruditissimo illo opere, quo Auctoritas infallibilis & summa Cathedræ S. Petri extra supraque Concilia, quæ anno 1683. efficaciter vindicata, auctori libri Purpuram meruit pag. 116. hoc argumentum delibans; *Multis abhinc annis*, inquit, *re mature expensa, judicare licuit Adversaria, Epistolas, & Diptychon Luitprandi, asserta ab Hieronymo de la Higuera & Laurentio Ramirez de Prado, sublestæ fidei esse, & quæ apud nullum hominem eruditum ingenuumque fidem aliquam mererentur, quidquid aliter multi, non solum e vulgo, sed ex iis qui inter Quatuordecim sedere censentur, magnis clamoribus loquantur, quod ipsum de Chronicis Dextri, Maximi, Helecæ, Juliani, Auberti Hispalensis, & Liberati dictum esto. Quippe in iis omnibus plurimi insignes viri, apprime in rebus ad historiam & Chronologiam spectantibus versati, non in Gallia, Germania & Italia solum, sed & in nostra Hispania, tot paradoxa, antilogias, rapsodemata, perithemata, ectromata, & anacoluthias detexerunt, ut merito releganda videantur ad Utopiam Morboniamque insulam, cum libris Amedisii, Belianisii, Phœbei Equitis & similium, quos jam diu lepidissimus Michael Cervantes exulare fecit. Neque in hac censura stabilienda oportet quidquam temporis insumere, postquam id ipsum abunde demonstrarunt Matthæus Raderus, Cornelius a Lapide, Theophilus Raynaudus, Philippus Labbe, Joannes Bollandus & Godefridus Henschenius* (omnes ipsius Societatis scriptores, prius Auctori noti, quam me ipsos secutum legisset) *quibus adde Excellentissimum Principem Marchionem de Mondexar, qui ea Chronica & Adversaria multiplici nomine refellunt exsibilantque, tamquam notha, supposititia, & infideli manu exarata.*

370 Et tunc quidem ille cavit indicare, *quibus tribuendæ sint ejusmodi quisquiliæ, aut quo primum artifice in lucem prodierint, præsertim cum nullius in singulari mala fides satis explorata* ipsi adhuc esset: sed cum interea temporis tam manifeste patefactus esset Auctor, ut nullus ultra esset tergiversationi locus, non amplius putavit parcendum nomini, libereque ipsum traducere cœpit in tomis Conciliorum Hispaniæ; ex quorum secundo servo prolixum locum, ubi radicitus conatur extirpare persuasionem, necdum satis labefactatam. Hic mihi satis est, ex tomo primo pauca de multis loca indicare, ubi meum nominatim de Higuera judicium laudat vehementer. Et quidem Dissert. 9. in Apparatu pag. 261. sic scribit: *Quod Concilium aliquod in Hispania, anno Christi 57. aut circiter, a discipulis S. Jacobi Apostoli celebratum fuerit, incertum est, cum tantum nitatur testimonio Dextri, suspecto aut subdititia. Legendus ea de re Papebrochius, post Bollandum & Henschenium, plurimis locis invectus adversus Hieronymum Roman de la Higuera (quamvis Sodalem suum) tamquam fabulatorem & artificem infinitarum fictionum, quæ nomine Dextri, Maximi, Juliani &c. circumferuntur. Lege illum, præcipue tomo 7. Maii pag. 393. & 394.*

Opuscul. Collect.

371 Ecce Rev. Pater, ab Eminentissimo Viro laudatum hunc ipsum, quem nunc accusas, locum. Rursus eodem tomo idem Cardinalis pag. 301. & 302. *Circa annum*, inquit, 1590. *aut paulo post, illa pseudo-chronica & alia similia excogitata & evulgata fuerunt ab homine, inimico veritatis historicæ, & audacissimo siquis unquam fuit fabularum architecto. Ex eo fine delectu, nimia fide & crisi nulla, farragines & commenta plura de S. Melantia mutuantur recentiores Hispani ... quæ numquam in cogitationem hominum venerant, usque ad finem fere seculi præcedentis, & non absque rubore legunt eruditissimi quique Hispani, quibus honor nationis florentissimæ, & veritatis amor cordi est. Quin & Bollandus, Henschenius & Papebrochius* (*ceteri licet*) *passim dolent, in vastissimo & celeberrimo opere, cui Epigraphe, Acta Sanctorum; ac sæpe nominatim traducunt & reprehendunt P. Hieronymum Roman de la Higuera, quamvis Sodalem ejusdem instituti, veluti artificem omnium earum fictionum.* Et hic rursum allegat Eminentissimus Auctor præcitatum ex tomo 7. Maii locum; moxque ex pag. 344. laudat verba, quibus decerno inhærere Chronologico calculo *Joannis Zuritæ, qui priores decem suorum Annalium Aragonicorum libros edidit, longe prinsquam Higuera cogitaret de Historia Hispanica supposititiis suis antiquitatibus interpolanda.*

372 Præmissis addo ex præcitato tomo 1. (per reliquos enim si hoc modo procederem finis nullus foret) addo, inquam, quod idem Eminentissimus pag. 322. tum dixisset, de Flavio Eliberitano Episcopo nihil certi haberi, præter ea quæ Ferdinandus de Mendoza observat, sic progrediatur: *Quæ congerunt Puerta, Ordraza, Tamajus, desumpta sunt ex Pseudo-Luitprando, conficta pariter cum Pseudochronicis Dextri, Maximi, & Juliani Perez, a P. Hieronymo Roman de la Higuera, perniciosissimo corruptore Historiæ Hispanæ, præsertim ecclesiasticæ: cujus figmenta optime novit, & semper sprevit doctissimus Joannes Mariana, viginti annis convictor illius apud Toletum. Sane Bollandiani, potius curantes veritatem historiæ, quam timentes dedecus Sodalis Higuera, passim illum respuunt, veluti nugatorem fabulatoremque.* Ego infinitæ lectionis virum non aliter valeo excusare, quam dicendo, quod cum *multæ litteræ ad insaniam redegerunt*; atque optando, ut hoc citius patuisset, nullosque amentiæ suæ reliquisset heredes.

373 Tomo 2. Conciliorum totis quatuor paginis, a 64. idem Cardinalis hoc agit, ut gravissimorum virorum testimonia intra extraque Hispaniam, præsertim ex Societate Jesu, colligat; *ad revellendam*, inquit, *radicitus, si fieri possit, inanem credulitatem multorum, qui novis iis Chronicis quasi totidem oraculis fidem præstant: adeo enim apud nostrates experimento comprobatum illud eruditissimi Marianæ, lib. de Adv. S. Jacobi cap. 1. Ne-*

scio quo pacto fictis sæpe fabulis & præposteris mendaciorum nugis, populus magis quam veritate & sinceritate capitur. Denique post multa sic concludit Eminentissimus: *Atque hæc pauca e plurimis, quæ ad manum sunt, sufficiant, ad ea Chronica & commenta rejicienda, in quibus tot Concilia primis septem seculis celebrata finguntur in Hispania; tot ipsi Martyres, Episcopi, Confessores, Virgines & Scriptores tribuuntur, qui antea numquam iis classibus adscripti fuerunt, aut alibi terrarum nati sunt, & numquam Hispanas oras ingressi: quo quid perniciosius esse potest historiæ Hispanicæ, cultui ecclesiastico, & veritati rerum gestarum, imo & decori nobilissimæ nationis, tot veris titulis conspicuæ, ego non invenio. Utinam ii quorum interest, præsertim DD. Episcopi & regii Consiliarii Senatuum justitiæ & fidei, tam probrosas fictiones cum ipsis pseudochronicis exterminent, & similibus fabulatoribus frenum imponant.*

374 Atque hæc dicta sunto, ut vel invitis appareat vanitas earum fictionum, quarum refutatarum causa accusor; & ut nemo qui hæc legerit, valeat ignorare, ex quam lutulento fonte deprompta sint ea, quibus sanctæ Crucis Caravacanæ historiam hoc seculo obscurari cœptam queror. Ad hanc ipsam quod attinet, statim in principio illius mei Tractatus, seu Appendicis ad Vitam S. Ferdinandi Regis, censeo, *de substantia ipsius miraculi satis certo constare, per constantem Caravacensium civium traditionem, jam inde ab anno 1375. id est, a proximo post Sancti Regis ætatem seculo, publicis consignatam instrumentis, & continuis deinde prodigiis ad nostram usque ætatem hodiedum confirmatam.* Mox Capitis 1. hunc pono titulum, *Apparitio miraculosa sanctæ Crucis, descripta Caravacæ an. 1375. eique consona relatio Doctoris Oncala*, anno 1546. edita: *ex quibus verosimiliter dicetur, sub annum 1227. rem accidisse.* Ipsam historiam, ex dicto publico instrumento (omissis præambulis, fidem facientibus ecgrapho, ex membrana originali sumpto) hic attexo.

375 *Cum Rex Zeyt Abuzeyt, suo tempore potens Rex Carabacæ, haberet captivum Clericum quemdam Presbyterum, accidit scisciari ex eo Regem, quare Missam celebraret. Qui respondit: Scito, Rex, quod omnis Clericus ordinatus ad Missam, postquam sacris vestibus indutus est, & protulit sancta illa verba, quæ Christus dixit feria quinta in Cœna; hostia illa quam elevat, fiat caro; & vinum in calice, merus sanguis: & sic conficit Clericus corpus Dei, puri ac veri. Dixit Rex, quod hoc non crederet, nisi seipsum faceret id videre. Respondit Clericus: Domine, si mihi facis afferri omnem apparatum necessarium ad faciendam Missam, faciam te videre, quod cupis. Tum Rex mandavit, ut quidquid necessarium erat, referret in syllabum ad memoriam: & hoc fecit Clericus, nisi quod oblitus fuerit Crucis. Deinde misit Rex nuntium suum; quo reverso, die mane sequenti surrexit Clericus, & recitavit Horas suas; itaque cum Rege ingressus turrim castri, ubi vera Crux est, vestivit sese, fecit confessionem devote, & accedens ad altare veneraturus Crucem, nullam reperit: quapropter animo consternatus conversusque ad Regem, dixit: Deficit una ex rebus maxime necessariis ad Missam dicendam. Quærenti vero, Quæ? respondit, Crux, Domine. Tum Rex, aspiciens versus altare, visa ibi sancta ac vera Cruce, dixit: Estne ista, quæ stat supra altare? Acceptaque illam Clericus cum magna devotione, & cœpit Missam dicere. Et quando elevabat Hostiam, animadvertit Rex inter manus Clerici puerum candidum & formosum: ille autem missam absolvit. Eadem hora cognovit Rex Zeyt Abuzeyt, quod lex Christianorum erat res sancta: & liberavit Clericum, factusque est Christianus ipse, & subditi ejus quotquot voluerunt: & dedit terram suam Christianis: qui vicissim ei dederunt turrim circa Concham, quæ vocatur turris Abuzeyt, ut illic vitam duceret.*

376 Hactenus vetus instrumentum, absque notitia temporis: quam ut nancisceretur lector, deduxi ex Zurita, quomodo Rex Abuzeyt, in veteribus atque recentioribus Hispanorum historiis celebratissimus, ac primum Christianorum persecutor, post annum 1225. amissa Murcia, adhuc manserit Rex Valentiæ; anno autem 1229. etiam Valentia exclusus propter Christianismum, dictusque in baptismo Ferdinandus, obierit ante deditam Aragoniis Valentiam, idest ante annum 1238. cujus filio, sub annum 1263. etiam baptizato, & Vincentio dicto, Urbanus Papa IV. suam filiique & nepotum conversionem est gratulatus per litteras. Tum his producto, & mox subjungo Oncalæ narrationem, cui cap. 2. succedunt *Antiquiora miracula, & informatio sumpta anno* 1598. Cap. 3. *vetusta alia & probe testata*; Cap. 4. *Patrata sub præcedentis seculi finem & per decursum præsentis, etiam mediantibus Cruculis, veræ Cruci admotis*; omnia ex Historia Caravacana Roblesii, absque ulla sugillatione & multa cum laude collectoris; nisi quod Cap. 5. dolam, impegisse eum in *Higueræ figmenta, quibus sancta Crucis apparitio differtur in annum 1231. & historiæ veritas obscuratur.*

377 Postea doceo cap. 6. *quam nihilo meliori fide alius, repertos Caravacæ characteres fictitios, ut Arabicos explicans, notaverit annum Arabum 594. qui esset Christi 1198.* Denique num. 61. revertor ad commendandam virtutem Crucularum, primariæ Caravacanæ admotarum: sed moneo Lectorem, *ne eum illis credat pariter distribui facultatem lucrandi Indulgentias, quales obtinent Fideles tenentes numismata aliaque id genus, cum in finem a Romanis Pontificibus vel ex eorum speciali commissione benedicta. Fuerit hic aliquando error, in vulgus proseminatus ab hominibus, minime malis, sed nimium credulis; quorum circumferuntur Relationes, vario idiomate variisque locis & annis impressæ; cum addito ad calcem syllabo maximarum Indulgentiarum, quas ejusmodi Cruculas pie gestantibus Pius V. concessisset, confirmassent autem Gregorius XV. & Urbanus VIII. Nunc vero, postquam Decretum sacræ Inquisitionis Romanæ prodiit anno* MDCLVII. XVIII. *Maji, ubi inter alias plures supposititias, penultimo loco recensentur Indulgentiæ concessæ Crucibus de Caravaca, par est, neminem inveniri amplius, qui (nisi Decreti talis ignarus) vendere aut donare præsumat Caravacanas Cruculas, cum ejusmodi Indulgentiis prædicas.*

378 Nescio, an hæc tam utilis præcautio, Patri Sebastiano, melius forsitan quam ego scienti, quinam fuerint fictitiarum istarum Indulgentiarum propolæ per Belgium vicinasque provincias; nescio, inquam, an ista præcautio Patri Sebastiano stomachum moverit, ut, dissimulato puncto illo de Indulgentiis, crimen mihi affingeret ex rejectis Higueræ figmentis, unde gratiam laudemque apud alios meriti; & simplices Caravacensium civium animos concitaret

con-

contra me ac meos libros. Hoc scio, nihil commisisse me, ob quod accusari possim, voluisse ipsam miraculi sæpe dicti *substantiam suspectam* reddere, quodque adeo frustra contrarium sim protestatus n. 51. sic scribendo: *Prius tamen quam porro pergam examinare, iterum iterumque protestor, de veritate allatæ Caravacam S. Crucis, & miraculi quo allata sit, nullatenus me dubitare; solumque Historiam ejus expurgatam me cupere a novitiis additamentis circumstantiarum fabulosarum; sine quibus nisi res inveniretur antiquius sinceriusque testata, ipsam etiam miraculi substantiam merito quis haberet de fictione suspectam. Nec enim perniciosior ulla sacris historiis afferri labes potest, quam cum sic implicantur falsis circumstantiis rerum, temporum, ac personarum, ut his deprehensis statuere lector auditorve nequeat, quidnam demum eis veri subsit, nisi per conjecturam.*

379 Nihilominus necesse est, ut videar contra miraculi substantiam molitus aliquid: quia scilicet non recipio testimonium Fr. Joannis Ægidii Zamora, ab Higuera submissum, quasi rei gestæ coævi: sic enim is concludere suum testimonium fingitur. *Ego dum hæc scriberem, aliquoties allocutus sum, scilicet Azebuteum, vel Dominum Vincentium Belvisium*: ubi nota, quod Rex pater, in Baptismo dictus Ferdinandus, confunditur cum filio, dicto Vincentio. Ne quis autem dubitet certissimo comperta scribi, addit fictitius Fr. Ægidius: *Erat* Azebuteus *homo comis, humanus, prudens, justus, procero corpore, jure Regis, oculis pulcherrimis, facie decora, plena majestate, capillis dimissis in tegumento capitis serico, veste purpurea, semper multis famulis comitatus; filii eum sequuntur.* Simili autem fide, id est nulla, atque ex mera conjectura, idem ementitus auctor præmiserat, quod *Rex attollens oculos vidit duos Angelos, afferentes Crucem Patriarchalem, quam abstulerant ex collo sancti Roberti, tunc Patriarchæ Hierosolymitani, idque Angelis nuntiantibus scitum, & Carabacensibus misso nuntio est compertum.* Item, quod *hæc Crux erat ex sacro ligno Crucis ubi Christus pependit; & sunt qui dicant, Regem in Hostia vidisse puerum formosissimum* (prout etiam dicit antiquior relatio) & quod *Rex tantorum miraculorum magnitudine stupefactus (ut, quod Hierosolymis vulgo jactabatur, ante hanc Crucem disparuisse post annum 1184. invenit autem Patriarcha Dositheus), proponit se Christianum fieri. Vocatusque est Rex iste Dominus Vincentius, idque sub Rege Jacobo Aragonum Bellatore. Hoc miraculum accidit ipso die Inventionis sanctæ Crucis mense Majo.*

380 Equidem fateor, quod istorum pleraque convinco falsitatis & evidentis repugnantiæ cum certiori historia Regum Hispanorum & Patriarcharum Hierosolymitanorum. Regum quidem, quia eorum uni, Jacobo Aragonio, istic nominato loco S. Ferdinandi Castellani, neque Conchæ neque Caravacæ quidquam juris erat: Patriarcharum vero, quia Robertus Latinus Patriarcha primum nominatus ad eam Sedem fuit anno 1240. neque Hierosolymis, pridem amissis, sed Accone residebat; Dositheus autem Schismaticus Græcus, qui sub annum 1192. Constantinopolitano Patriarchatui inhians, Hierosolymitanum quoque amiserat, credi non potest vel ipse vel aliquis successorum ejus pariter schismaticorum, ad invisos sibi Latinos pignus istud transmisisse. Repugnat etiam Higueræ figmento ipsa Crucis forma, quam ad oculum patet nullum habere indicium encolpii, seu crucis aliquando pendulæ ex collo; sed potius Crucis Liturgicæ, qualibus Græci utuntur ad Missam, manu eas subinde tenendo.

381 His omnibus notatis & evidenter probatis, sic denique concludo cap. 5. *Unde Crux Caravacana allata sit, definire præsumat nemo, etiam cum fundamento asseveraverit, formatam esse ex ligno ejus Crucis, ex qua pependit Dominus; quando, non jam refutata commenta, nemini in mentem veniat illud asseverare; nisi forte eo trahatur, quod in antiquis miraculis hodiernoque usu identidem appelletur Sancta vera Crux, unde ad summum haberi potest vulgaris præsumptionis argumentum. Talis vero præsumptio quam difficulter convinceretur erroris, tam facile credetur esse incerta ac dubia, ab iis qui norunt, quam multis passim alicujus sacri ligni vel miraculosæ Crucis frustulis traditio popularis prærogativam eam tribuat, quod sint de ipsa Christi Cruce accepta. Caravacanam quod attinet, ad eam specialius venerandam abunde sufficit, quod Angelorum manibus credatur allata, sitque divinorum beneficiorum erga homines instrumentum præsentissimum.*

382 Aliud prorsus, quam ego, ex prædictis deducit Paternitas vestra; quod scilicet ex tota sanctæ Crucis historia, licet tam fuse supra ex antiquioribus certioribusque scripturis deductam probaverim, recipiam nihil, quam, *quod Angelorum manibus credatur allata, sitque divinorum beneficiorum erga homines instrumentum præsentissimum: quæ indubie*, inquis, *non parum fidelium erga sanctam Crucem Caravacanam imminuerent devotionem, nisi evidenter constaret, quod similia Papebrochius, ex meris dumtaxat conjecturis & argutiis stramineis, effutiat & garriat; exsibilatione proinde potius quam aliqua refutatione digna.* Neque contentus, Pater Rev. talia non minus injuste quam injuriose effutivisse & garrivisse (ignosce quod tua Tibi verba repono) *Insuper notandum*, inquis, *quod ne quidem indubitanter admittere & recipere videtur Papebrochius, dictam S. Crucem fuisse revera Angelorum manibus allatam: sed quod sic* CREDATUR ALLATA; *quasi id non nisi populari traditione & nuda fidelium fide, absque antiquis monumentis, sit firmatum & munitum.* Interim nullum Tu antiquum monumentum profers, sed solius Fr. Ægidii nuper confictі testimonium. Quamvis autem in ipsa relatione anni 1375. id assereretur, adhuc dici potuisset, *Ut creditur*, absque ullo præjudicio veritatis, humanitus indubitatæ; nisi suspicari qui Crucem vellet, illuc divino nutu immediate, citra ullius creaturæ ministerium, advectam; vel ipso in loco noviter creatam seu productam, quod utrumque præter Dei consuetudinem esse putatur.

383 Quando Ecclesia in Lectionibus de S. Ferdinando bis utitur tali phrasi, *Ut traditum est, Ut fertur*; an ipsa tunc jubet dubitare de substantia rei narratæ? Tu tuum, *evidenter constat*, usurpa ut voles; nemo Caravacensium prudenter credet, meam lucubrationem, quam æque ac Hispalenses magnifaciunt, eaque multum suam ecclesiam suamque sanctam Crucem illustratas existimant, ad populi devotionem

mi-

imminuendam spectare. Certe non ita sentiunt Conchæ, unde putatur venisse Clericus ille, pro cujus Missa Crux fuit allata, & cujus urbis Episcopo in spiritualibus Caravaca subjacet. Sensus autem Conchensium de me apparet ex Vita S. Juliani secundi Episcopi Conchensis, quam scripsit grandi volumine de mandato Illustriss. Alfonsi Antonii de S. Martino, itidem Conchensis Episcopi, & Madritensibus typis anno 1691. vulgavit Bartholomæus Alcazar. Hic enim Auctor libro 3. cap. 13. occasionem arripit totam hanc historiam strictim tractandi, propter prædictum Presbyterum, qui vulgo creditur dictus fuisse Genesius Perez, & ipsius S. Juliani discipulus, & Clericus Concheosis. Vixit enim Julianus iste, in ejus calculo, usque ad annum 1208. Auctor, omissis omnibus Higuerræ figmentis, sola recenset ex Roblesio testimonia, quæ ego probo; & pag. 126. Oncalæ verba Latina, in manuscriptis depravata, Hispanice reddit juxta meam correctionem: tum pag. 127. sequitur meum (ut appellat) *meliorem calculum* in notando anno 1227. quo Crux allata sit: ac denique pag. 129. in definiendo anno, quo obiit Abuzeyt (quem ego statui 1248.) mihi quoque inhæret, contra illos, qui usque ad 1264. eam mortem differunt; itaque facilius conciliat ætatem prædicti Sacerdotis Genesii, cum ætate S. Juliani, quo moriente iste potuerit fuisse quadragenarius, vel paulo major; minorque octogenario esse defunctus.

§. XXXI. ACCUSATIO.

Papebrochius antiquissimas fundationum, donationum ac privilegiorum litteras, fictionis ac suppositionis, totus gloriabundus, arguere audet ex meris conjecturis, quas, summa cum sui confusione, tamquam fictitias repudiat.

RESPONSIO.

384 Erras, Pater Rev. & vehementer erras, ubi totus gloriabundus arguere me audes sine ulla conjectura, viro ingenuo digna, quod *summa cum mei confusione* repudiem nonnulla, aliàs a me scripta: cum ego id mihi, ut veritatis amantem decet, laudabile & gloriosum existimem; optemque (quod sperare vix ausim) ut simili erratorum tuorum & fallarum accusationum repudio, veræ laudis & gloriæ particeps fias. Spectat Accusatio hæc præcipue Propylæum Antiquarium, Tomo II. Aprilis præstructum, ac potissimum partem ejus primam *de Diplomatis discernendis*. Huic occasionem dedit disputatio quædam, inter me ac P. Jacobum Masenium nostrum, restauratorem Annalium Trevirensium, a Christophoro Browero compositorum, & postquam impressi essent a suspicaci Principe suppressorum ac pene abolitorum: qui Pater, nihil non paratus credere quod Browerus quomodocumque probaverat, quantumvis communi doctorum judicio nunc improbatum; mordicus tueri nitebatur, S. Irminam, Horreensis apud Treviros Parthenonis fundatricem, fuisse filiam Dagoberti I. ex Nanthilde, quam P. Henschenius, in laudatissima apud Gallos Diatriba de tribus Dagobertis, demonstraverat, filiam potius fuisse secundi, in paternum Austrasiæ regnum postliminio restituti, & ingrata aonorum pena mille oblivione apud Historicos Francos sepulti, ouoe vero communi plausu accepti ab omnibus.

385 Nitebatur Masenius membrana quadam, quæ ut originalis ipsius Dagoberti I. monstrabatur apud Sanctimoniales illas, quam etiam nos videre fecit: sed adeo multas præferentem suæ fictionis notas, ut nullam ei fidem possemus adhibere, & miraremur, bonum virum in eo etiam tunc cæcutire. Postea veniens Luxemburgum, reperi San-Maximianensis monasterii Annales, a nostro item P. Alexandro Wilthemio diligentissime compilatos, ax pervetustis Imperialis illius Abbatiæ monumentis; qui Annales utinam non perierint injectis ante nuperam obsidionem ignibus, & aliquando possint lucem videre! Inter alia erat prædicti Dagoberti genuinum (ut mihi quidem ipsique videbatur) diploma, ad quod collatum Horreense prætensum, quasi cera liquescens ad faciem ignis, adeo facile dissolvebatur, ut crederemus ipsummet Masenium, quantumvis in præjudicio obfirmatum, posse mollescere.

386 Rem itaque aggressus, per exiguum quod imprimendus Aprilis dabat otium, & formulas formulis, characteres characteribus, sigillum sigillo, nomiois chirographum Monogrammaticum chirographo componens, sex omnino Capitibus eo rem adduxi, ut neque Masenius, nec Trevirensium eruditorum in Electorali Palatio quisquam, nec alius alibi hiscere auditus sit, per annos 20. pro Horreensi figmento manutenendo; licet ad primum refutationis meæ nuntium moti aliqui, strenuam defensionem pollicerentur. Neque mirum: quia oculis arbitris res dijudicanda proponebatur per laminas æneas, nec quidquam decidebatur per conjecturam, nisi in uno illo Capite, ubi quæritur, *quomodo Horreense Diploma fabricatum, & errores Chronologici accepti videantur ex Reginonis* Abbatis Prumiensis *Chronico*, tribus fere seculis post Dagobertum I. eadem in regione scripto. Quæ disquisitio cum nihil ad substantiam rei spectet (ubi enim de errore constat, parvi refert scire unde sumptus sit) nihil peccat conjectura, etiamsi ea minus postea placeat; neque si eam ego retractarem (quod ubi quis verosimiliora excogitaverit, paratus sum facere) quidquam afferre posset confusionis.

387 Ast illo successu animatus, cum viderem, a nemine adhuc quæsitam viam de aliis quibuscomque diplomatis judicandi; tentavi an ex notitiis, per illam Horreensem controversiam acquisitis, componi regula quædam certa posset, operi nostro deinceps servitura: ajusque rei cœpi facere experimentum in pluribus aliis ad examen reducendis, per Capita quatuor, sed successo valde dispari. Etenim illud ipsum San-Maximianense Dagoberti I. diploma (quod aliis seculi Dagoberti putabam posse servire pro regula) aliudque Carolinum, ac tertium Lotharianum, a Joanne Mabilione, in Francicorum monasteriorum archivis quotidie versante, penitius inspecta, apparuerunt etiam ipsa non esse sincera usquequaque, ac singulariter Dagobertinum.

388 Considerans porro idem Mabilio, quanti ad Historiam momenti res diplomatica sit, argumentum, a me exiguo tractatu delibatum non satis feliciter, proprio prolixoque opere tractandum sibi ab ovo sumpsit; annoque post editum Apri-

Aprilem sexto, Christi 1681. regiæ molis ac majestatis volumen edidit tabulisque grandibus & insignibus 70. instruxis; qno & causas exposuit vitiatorum sæpius Diplomatum, & certiores vias ipsa discernendi tradidit; ac denique lib. 3. cap. 1. ipsorum, ex quibus ego processeram, vitia, mihi inobservata, retexit; eoque rem adduxit, ut, præ gaudio & admiratione magna, inventæ ab amico ad quam ego frustra adspiraveram veritatis, nihil jam pensi facerem Horreensis figmenti falsitatem detectam feliciter a me fuisse; multaque observata & plenæ luci exposita, quæ ego solum ex parte videram, & certius confirmari merebantur. Quare mox ut librum perlegi, vehementerque probavi; nulla interposita mora, Amico scripsi gratulabundus. Et quoniam San-Dionysiani archivii dignitati ac fidei nonnihil videbar detraxisse, ipsas meas litteras communicari eruditis ejus sociis volui, ut per eos omnibus innotesceret, qoam minime cæcus essem mearum lucubrationom æstimator; quamqne nihil carius haberem veritate, etiam cum aliquo honoris mei dispendio monstrata.

389 Aberat ille tunc Parisiis, Ordinis sui per Germaniam archivia perlustrans, unde & cœptum sæculorum Benedictinorum opus locupletares, & alia rei litterariæ profutura colligeret: mox autem atque rediis, ac meas litteras legit suisque prælegit sociis, hunc in modum seteripsit anno 1683. 12. Novembris:

Nobis ex itinere Germanico reversis ceddita est Epistola tua, in qua quid de opere nostro Diplomatico sentias, sincere exponis. Ego vero satis mirari non possum tantam in insigni eruditione modestiam, cujus exemplum vix ullum illustrius reperire licet. Quotus enim quisque eruditorum est, qui in litterario conflictu victum se agnoscat, & agnita veritate priorem sententiam incunctanter deponat, atque id palam omnibus testatum velit? Tu vero facis ultro, & tam amice, ut, si aliunde te non nossem, statim intimo amore complecterer. Sic non tibi sufficit doctrinæ & eruditionis primas tenere, nisi etiam primas assequare modestia. Utramque tibi palmam deferimus, adm. Rev. Pater. Neque hæc mei solius sententia est, sed etiam eorum omnium, quibus litteras tuas tuo jussu ostendi. Alii nimirum tuam eximiam humanitatem, alii modestiam & humilitatem, omnes insignem eruditionem tuam deprædicabant. Sed vereor ne, dum hæc fusius persequor, mihi de tua confessione ingenuosissima ablandiri videar. Absit hæc a mente mea cogitatio, ut de tua modestia ego ipse superbiam. Imo vero id ita animo reputo, si quid in opere nostro dignum tua publicave æstimatione inveniatur, non tam ex ingenii nostri conatu, quam ex monumentorum copia & facultate æstimandum esse. Verum quidquid illud est, malim esse modestissimæ epistolæ auctor, quam cujusvis operis vani ostentator. Tu vero, vir piissime, Deum precare, ut qui tui in Actis Sanctorum illustrandis imitatores sumus, etiam in consectanda Christiana humilitate socii esse mereamur.

390 Hactenus vir ille religiosissimus, aliis longe quam Paternitas vestra oculis nostra legere & æstimare solitus; cujus ego epistolam numquam in lucem protulissem, nisi tam opportuna fuisses reprimendæ petulantiæ illi, qua sincerissimum animi mei in suo cuique tribuendo affectum, pessimis interpretationibus corrumpere nititur Paternitas Tua. Equidem ejus quam Parisios tunc misi epistolæ nullum ipse mihi servavi exemplum, [t] non solitus, propter nimiam talium multitudinem, id facere; sed haud absimilem reor fuisse protestationi illi, qua in mea ad Conatum Chronico-historicum de Pontificibus Præfatione part. 1. pag. 3. num. 12. usus sum, dicens: „ In hoc (scilicet in statuendis cuique Pontificatus terminis justis, juxta veteres Catalogos) „ in hoc, inquam, si scopum non attigero, alterque feliciori id faciens „ successu, meos errores corrigat, adeo non „ feram id ægre, ut cum animi gratulatione „ sincera cessurus ei palmam sim, eademque „ promptitudine illi assurrecturus, qua eruditissimi Patris Joannis Mabilionis opus de re „ diplomatica excepi, & postquam legeram „ approbavi; licet in non paucis contrarium „ iis quæ, in argumento eatenus intacto, optima quidem voluntate, sed impari ad rem tantam instrumenti necessarii copia, obiter delibavi, occasione Trevirensis cujusdam figmenti. Quamvis enim istud satis eversum sit *lucubratiuncula prædicta*, assentiente ipsomet Mabilione; *ad lucem* tamen *dignioris istius justique operis, illa sic mihi ipsi vilait, ut in ea nihil fere amplius inveniam quod placeat, quam quod ea dubiis istic a me fortuito motis, tam insignis Commentarias nasci potuerit, ab eo qui eam ex professo pertractavit.*

391 Has ultimas lineas speciali charactere hic notare placuit, ut Lector videas, Pater Rev. quomodo, omissis præcedentibus consequentibusque, soleas maligno ungue excerpere quædam, unde sinceritatem meam traducas. Reprehendis enim, quod istum meum Tractatum, utcumque operosum pro loco ac tempore, nec parum sumptuosum in laminis & ac figuris, appellaverim *lucubratiunculam*, & alibi, *tenuem conatum*. Nam quid aliud est ille, implens solum paginas 30. quam *lucubratiuncula* & *tenuis conatus*, habito ad grande istud paginarum fere 700. opus respectu? Quæ vero in hac proprii fœtus depressione astutia? Tu Tibi astutias Tuas habe, Pater Rev. Audi nihilominus, quid eodem loco progrediens dicam; *Equidem sic existimo, neminem turpiter vinci, ubi gloriosum fuit certare: si tamen certasse dici possim cum alio, quam cum ipsius argumenti obscu-*

[s] Literas has Papebrochii vulgavit Mabillonius initio Supplementi ad rem Diplomaticam, quod edidit anno 1704. De his autem literis hæc auctor Synopseos Vitæ Joannis Mabillonii, quæ legitur ante tomum primum Annalium Benedict. Lucen. edit. p. VII. *Plausit in primis vir doctissimus Daniel Papebrochius, omnemque respectum sincero, quo flagrabat, veri studio postponens, non tantum moleste tulit se a Mabillonio confutatum fuisse, nec præpropere conceptam opinionem vanis rationibus & cavillationibus tueri studuit, ut juvenculus quispiam tyro fecisset; sed scriptis ad Auctorem literis gratias egit, eique tropæum ipse ponere non detrectavit.* De controversiis, quæ deinde inter Germonium nostrum, & Mabillonium, hujusque propugnatores Ruinartium, Lazzarinium, Gattum, Fontaninium, aliosque occasione Mabillonianæ diplomaticæ artis efferbuerunt, nihil hic attinet dicere. Non omittam tamen Bælii hominis natura maledici in damnato suo Dictionario injoriosum in Societatem nostram mendacium; scribit nempe Germonium in Mabillonii diplomaticam artem calamum strinxisse Societatis consilio, quæ Papebrochium a Mabillonio confutatum expugnatumque doleret, tantamque injuriam ulcisci moliretur. Hæc sapiunt Montaltii commenta, aut potius deliramenta.

obscuritate originaliumque diplomatum defectu, nemine tum adhuc invento, qui speraret ullquam methodum inveniri posse, ad veri falsique discrimen faciendum, inter diplomata vetera, ubi constabat multa esse sublestæ fidei, saltem quoad historiam, pro qua sola satagebam. Addere possum, & pro qua multa utilia reperi, quæ ipsa multipliciter deinde confirmavit illustravitque Mabilio; & quibus non infeliciter usus sum in discutiendis Carmelitarum prætensis scripturis. Harum causa nihil adhuc oportuit retractare earum, ex quibus contra illas processi, regularum: licet id maxime voluerim, & adhuc velim, si possim, facere; haud minores a vobis laudes, quam a Benedictinis relaturus. Interim ego sic sermonem prosequebar.

392 „ Libenter restituo San-Dionysiano Archivio, quam læsisse incautius videor, reverentiam; sub ea quam Mabilio offert cautela, ut quædam istic inveniri non negentur, *vel omnino falsa vel interpolata, vel dubia, tam primæ tam secundæ stirpis*: quia *bonus ac simplex erat Doublerius*, (evulgans anno 1625. Historiam Abbatiæ præfatæ) *qui quodlibet incidit in manus, sine dolo malo in publicos oculos producit*.] Verba adducta sunt Mabilionis, Reverende Pater, lib. 3. cap. 2. n. 5. propter quæ aliave similia, *debacchari me*, inquis, *& aggredi Monachos Horreenses, San-Dionysianos, San-Maximianos & alios, ac si forem hominum meadaciorum loquacissimus*. Monachos nullos noverunt Treviri; sed Monachas, a primo fundationis initio hodiedum ibi manentes, invenimus. Harum simplicitati qui illuserit, fingendo Diploma quod ostentant, non divino. Quamquam autem Monachus is fuisset, non vertissem in Monachos omnes culpam unius; sicuti non verto in Carmelitas omnes culpam illius, qui Albertinæ Regulæ Pontifici offerendæ falsum Datæ annum primus adscripsit. San-Maximiani obligatissimos mihi se fatentur, quod eorum Diplomata, velut præ ceteris certa indubitabiliaque laudaverim: quare eorumdem tunc Abbas, Philippus de la Neuve-forge, prolixas mihi gratias agi jussit per P. Alexandrum Wilthemium. San-Dionysianorum de me sensum jam supra legisti. Utinam tam bona, quam horum, vestra quoque foret causa; & sicut hanc feliciter egit atque peregit Mabilio, simul & votum meum implevit; sic etiam facere potuisset Pater Bonæ-spei, per suum Armamentarium, aut P. Daniel a Virgine Mariæ cum adjutoribus, in suo novo Speculo Carmelitico! Sed nihil illi fecerunt aliud, quam malam causam facere patrocinando pejorem; meque invitissimum cogere (quod & Patern. Tua nunc facit) ad plurima in lucem proferenda fictionum in rebus vestris specimina, a quibus libentius manum abstinuissem, prout ex his meis Responsionibus patet.

393 Pergis nihilominus, & post illius ante Aprilem Propylæi partem primam invidiosissime traductam in titulo Accusationis hujus; ad secundam, tertiamque partem censurandam procedis. Est autem secunda, *De prætensa quorumdam Carmeliticorum Conventuum antiquitate*; tertia, *De Martyrologio Brixiensi, aucto ex Catalogis Ecclesiæ S. Afræ*. De istorum primo præcipuoque Florentino, ducto ex attestatione, Thomæ Episcopo falso imputata, jam egi sæpius, ac novissime hujus ipsius Articuli §. 19. de aliis autem §. 21. mox satisfacturus pro duobus, quos in ultimum hujus Articuli paragr. maluisti reservare; plures forsitan objecturus Articulo sequenti. De Martyribus Brixiensibus, & S. Afræ Catalogis, nihil responsi debeo amplius, præter jam pluries dicta in prima Parte.

394 Quia tamen iterum placet insultare mihi, quasi convicto circa cognomina hodierni usus, quibus nunc Italicæ illustres familiæ insigniuntur, & qualia asserui, in publicis tabulis primum comparere cœpisse seculo decimo; adi, quæso, prælaudati Mabilionis lib. 2. caput 7. ibi ex Sirmondo notata invenies quædam de Cognominum ratione apud Romanos; cujus doctissimi viri observationibus prioribus tribus obiter indicatis; *Quarta observatio*, inquit Mabilio, *maxime ad rem nostram facit; nempe, postremis Romanæ Reipublicæ temporibus, non certa & stata, ut olim, generis ac familiæ vocabula in usu fuisse, quæ & fratribus communia essent, & ad posteros transirent; sed omnia non cum occasu Reipublicæ mutari sensim ac labi cœpisse. Et quamquam initio, antiqui moris aliqua hæserint vestigia, in gentilitiis nominibus, quæ a nonnullis familiis retinebantur; postmodum tamen hoc ipsum neglectum fuisse, adeo ut nullum tandem familiæ, nullum gentis certum nomen fuerit; filii etiam a patribus, & fratribus inter se, omnibus sæpe nominibus discreparent .....*

395 *Tandem sub finem seculi x. & maxime seculo* XI. *ineunte cognominum usus frequentari cœpit; quandoque ab arte eorum quibus imponebantur, ut* „ Petrus Pistor, Robertus Coquus; *nonnumquam a scommate, dicterio seu faceto dicto, unde* „ Richardus insanus, Guilielmus Bastardus, Odo Mala-musca, Guarinus Sine-barba, Archembaldus Pejor-lupo *&c. Ad hæc derivata sunt cognomenta a Patribus, ut* „ Gradulfus filius Ilembardi, Paulus Warnefridi. *Quidam a matre id traxerunt, ut* „ Paganus filius Mariæ *in Chartario Dunensi, & in alio S. Martini a Campis* „ Herluinus filius matris „ suæ, *forsan quod inter nothos haberetur, patre ignoto. Denique (ut alia prætermittam) cognomina non rara desumpta sunt ex loco, urbe, ac regione ..... Itaque ex his omnibus aliisque capitibus orta sunt varia familiarum nomina, quæ primo incerta cum fuissent, postmodum fixa ac propria esse cœperunt*. Ita ille de cognominibus familiarum hodie usitatis; qualia cum sint ea omnia, quæ in fabulosa Cerreti Brixiensis Chronica Brixiensium Martyrum, ac porro in tabulis ecclesiæ S. Afræ reperiuntur, non potuerunt illa, nisi per summam rerum ac temporum ignorantiam, attribui Martyribus, sub Hadriano Imperatore passis Brixiæ.

396 Neque ab hac sententia vel hilum hactenus me dimovit Abbatis Onuphrii Stellæ frustraneus, ipsisque suis Italis non probatus conatus. Videor tamen tibi, Rev. Pater, vacillare, cum tomo 7. Maji pag. 793. dico, *Agnomina ex eventu aliquo, alicui in particulari addita, omni tempore in usu fuerunt*; adeoque falsum censere me credis, quod parte 2. Propylæi ante Aprilem n. 18. dixi, *Universaliter insolens seculo* VIII. *fuit aliqua usurpare cognomina*. Nil magis contrarium veritati dici poterat, Rev. Pater, quam quod tam inconsiderate scribis. Confirmo ego loco isto, quod deducere cœperam tomo 4. Maji pag. 18. de serius introducto nobilium

bilium cognominum usu; & ad istic enumeratos magni nominis auctores, in eam sententiam manibus pedibusque euntes, addo adhuc plures alios, tandemque concludo; ... *quæ in Gallia pro nono seculo P. Carolus Faber, in sua ad me epistola, addacit exempla, aut has non faciunt, aut diversi prorsus generis agnomina sunt, ex eventu aliquo alicui in particulari addita (qualia omni tempore in usu fuerunt, sed locum non habebant in Actis Notarialibus) aut sunt denique patronymica, quorum haud paulo antiquius exordium fuit; non autem cognomina familiarum ex hereditaria vel usufructuaria successione.*

397 Hæc sunt, Pater Rev. integra mea verba: quæ si legisti, nescio qua fronte mihi potueris vacillationem in priori sententia exprobare, ex eo ipso loco, ubi priorem validissime confirmo. Cum autem inter *cognomina familiarum* & *agnomina personarum singularium*, manifestissimum discrimen posuerim, non potui clarius malam Tuam fidem declarare, quam eeudendo, ut feci, locum quem sic temere accusasti. Cicero lib. 2. de Inventione 18. *Nomen*, inquit, *cum dicimus, Cognomen quoque & Agnomen intelligamus oportet*. Non utique *Cognomen* & *Agnomen* identificans, ut eum videtur intellexisse Nizolius; sed ut recte Beyerlinck, inter utrumque distinguens: quia a priscis Romanis *cognomen nemini subjiciebatur*, utique a familia sumptum ac stabile; *addebatur agnomen ab aliquo eventu*, ideoque cum ipsa persona cessabat, prout cessantibus ex toto cognominibus antiquis, semper fuerant & porro pergebant esse, non promiscue omnibus, sed aliquibus clarioribus agnomina adhærentia: prout apparet in historiis, dum dicitur *Pippinus Herstallius, Pippinus Rex; Ludovicus Pius, Transmarinus, Sanctus; Carolus Magnus, Calvus, Simplex*. Quin etiam posterioribus hisce seculis invaluit, ut ejusmodi aliqua, quæ patribus agnomina fuerant, transirent ad posteros fierentque cognomina: quod io plebejis sæpe usuvenire videmus, quibus nullum ab antenatis cognomen fuit, & nuper primum in militia, in famulatu, in mercatura assumptum eit aliquod.

§. XXXII. ACCUSATIO.

Papebrochius suis figmentis molitur evertere antiquam Carmelitarum Conventus Dinckelspulensis & Boppardiensis fundationem.

RESPONSIO.

398 Postquam in parte secunda Propylæi Antiquarii ante tomum 2. Aprilis pag. 37. æri incisum exhibui sepulcralem illum lapidem, qui instrumentum probandæ antiquitatis Boppardiensis unicum est, sicut eum a vestris ibi Patribus acceperam; eumdemque lapidem iterum accuratius delineatum in parte 2. Armamentarii exinde reproduxi ante tomum 3. Maji; & quidem eo fine, ut defenderem antiquissimum Carmeliticorum scriptorum Sanvicum, cujus ibi chronicam integram dederam; non putavi ad eumdem ipsum porro offensuros Carmelitas, eumque ulterius mihi objiciendum. Etenim ex Sanviei cap. 3. notaveram, Latinos in Carmelo Eremitas, mortuo sub annum 1234. Priore primo post Brocardum Cyrillo, electoque Bertholdo, passim credito hujus nominis secundo, respectu ejus qui putatur Brocardum antecessisse; notaveram, inquam, deliberatum fuisse, an liceret, sicut multi optabant, extra Terram sanctam habere Ordinis domicilia.

399 Id autem de quo dubitabatur an liceret, procul pubio supponi debet necdum factum: nam de præterito non datur deliberatio: &, si jam tum ac diu ante Ordo erat per Europam diffusus per varios (ut prætenditur) Conventus, imo & Provincias (de quibus infra Art. 16.) in tanta periculorum imminentium formidine, nihil dubitandum erat, quin saltem infirmiores Fratres ad eas dimitterentur regiones, in quibus domos habebat Ordo, Priori Carmeli Montis, ut Generali, subjectas: neque enim hactenus cuiquam in mentem venit Ordinem scindere, & inter duos Generales partiri ante Teresianorum exordium. Frustratus ista mea opinione sum: quia vobis, assumptæ semel persuasionis nimium tenacibus, visum est, Sanvicum interpretari de totius Ordinis generali translatione, tunc primum in deliberationem adducta; non vero utrum jam facere liceret, quod jam pridem factum fuisse, per colonias in Europam ductas, volebatis constare ex tot antiquioribus ibidem Conventibus.

400 Ut ergo appareat, an hæc tolerabilis interpretatio sit; & an Sanvicus ista scribens habuerit aliquam talium coventuum in Europa præexistentium notitiam, ipsummet denuo loquentem audiamus, præfato capite suo 3. *Cum Joannes Rex ultimus Hierosolymitanus, unicam filiam suam, dicti Regni heredem, dedisset, cum omni jure Regni ipsius, in uxorem Imperatori Romanorum Frederico II. mortuo dicto Joanne, Terra-sancta non habuit succursum consuetum a Sede Apostolica, impediente dictum succursum Imperatore Frederico II. qui adversus Romanam Ecclesiam grassabatur; & Concilium generale, quod Papa Gregorius nonus volebat inter cetera pro subsidio Terræ-sanctæ celebrare, conatus fuit modis omnibus impedire.*

401 *Quamobrem sæpenumero Pagani Terram-sanctam efficacius solito invadere, plerosque milites, & aliquos Nobiles, mulieresque alios Christianos, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo, prope Gazam interfecerunt & ceperunt. Propter quod aliqui infirmiores professores hujus Religionis conturbati, & perterriti de frequentibus incursibus Paganarum quos patiebantur, maxime in monasteriis quæ erant in eremis; optabant Terram-sanctam deserere, &, si fieri posset licite, ad regiones proprias, unde venerant, redire: desiderabant enim in suis regionibus monasteria hujus Religionis construere, in quibus possent secure Domino Deo, & ejus Matri Virgini Mariæ jugiter deservire. Super qua re, an licita, congregatum fuit Capitulum in monasterio montis Carmeli, & habitum concilium ibi. Et quamvis essent ex Fratribus qui dicerent, nullo modo illo tempore Terram-sanctam fore ab aliqua Fratre deserendam, neque extra eam mansiones hujus Religionis esse construendas; oppositum tamen horum esse licitum, fuit tunc in Concilio ostensum ..... Prior itaque monasterii montis Carmeli, attentis rationibus istis, & considerata persecutione quam in Terra-sancta Pagani inferebant huic Religioni assidue, admonitus a Christo & a beata Maria Virgine ejus genitrice in somnis, licentiam aliquibus Fratribus concessit Terram-*

san-

sanctam deferendi, & ad proprias regiones redeundi, illicque monasteria hujus Religionis ædificandi.

402 Hactenus Sanvicus, scriptorum vestrorum, ut dixi, vetustissimus: cujus, utpote tempore proximi, auctoritatem hic posse ac debere prævalere existimavi, & mecum existimabunt (credo) omnes æqui arbitri historiarum. Itaque contra prætendentes majorem antiquitatem in Europa, pro Sanvico scrisi Apologiam, in qua confirmavi dicta io Propylæo Aprilis, & reproduxi lapidem Boppardiensem, demonstrans (quod & antea feceram) neque in Epitaphio circumscripto, neque in lineamentis habitus quidquam esse quod Carmelitam probaret vel emiņus. Tu nibilominus, Pater Rev. nec verbum unum quidem ad rationes meas respondens; sed Lectorem remittens ad Patrem Bonæ-spei, a me expressissime refutatum in Majo pergis asseverare, quod Boppardensium vestrorum de sua antiquitate traditionis *indubium & irrefragabile testimonium perbibet Epitaphium, ac lapidis sepulcralis cum effigie primi Prioris inscriptio, qui obiisse dicitur anno 1113.*



403 Erat Tibi ad manum a Patre Bonæ-spei sculpi curata lamella ænea, in ejusque Armamentario expressa. Cur hanc, quæso Te, noluisti reproducere? Verebaris scio, ne quicumque vidisset, Te Tuumque decessorem rideret, tamquam id ibi videntes quod videret nemo, Priorem scilicet Carmelitam in sua Carpita seo habitu barrato: qualem utcumque conati sint vestri modis variis exprimere; nihil tamen hactenus excogitarunt, quod accederet ad lineamenta hic expressa. Ipsum ergo tertium hic adduco in omnium oculos: ac primo lapidem conferendum relinquo cum tabula Carpitarum supra posita.

404 Deinde ex Antiquitatibus Fuldensibus Broweri exhibeo habitum Fuldensium Mona-



chorum initio seculi 9. ut intelligat spectator, quanto propius vestis defuncti Henrici ad Cucullam Benedictinorum accedat; non quidem undequaque clausam, ut Fuldenses illi habent, sed paulo infra cubitos deorsim lateraliter apertam, pro commodiori exertione brachiorum, quod magis etiam altiusque, cubitorum scilicet tenus, fiebat apud Cluniacenses sub finem seculi decimi, auctore S. Majolo; sicut apparet in effigie, proposita in seculo Benedictino 5. n. 63. ex ipsius S. Majoli Cuculla, quam Silviniacenses in Lugdunensi Gallia sibi a moriente Sancto relictam ostendunt ac veoerantur. Talis Cuculla, sed minus alte quam apud Gallos fissa, ad Germanica quoque Monasteria ac prioratus traosisse potuit, atque ita seculo 12. adhuc haberi ad Rhenum ea forma, quam hic lapis videtur exprimere: & hoc facile mihi concedendum credo, quamdiu nullus alius invenitur Ordo, cujus vestitom veterem propius referat iste lapis.

405 Nihilo plus favet Carmelitis inscriptio, nullam faciens Carmeli meotionem. Io hac ne lector laboret, rursus eam reddo ordinate descriptam & consequenter, iocipiendo a capite, unde incipiendum esse monstrat eductum altius fastigium in formam Crucis. Alibi ad eumdem finem, id est ad initium indicandum, sæpe vidi expressam crucem †, aliquando etiam rosam vel simile quidpiam: ubi vero tale nihil est, exordium ducitur ab initio lineæ supremæ: ut videre licet io Romanorum Canonicorum Epitaphiis, quæ ego spectanda dedi in Paralipomenis ad Conatum pag. 96. omnibus eo loco sic incipientibus, HIC REQUIESCIT. Ast vester Zergerus Pauli, talis moris ignarus, exorsusque a media linea lateris dextri, ad verba ANNO MILLENO, (quamvis nullum appareret signum quod eo duceret) eosdem versus ordine perturbatissimo traosmisit Lezanæ, sicut hic eos Annalibus suis inseruit: idque secutus est auctor periphrasis elegantioris, quæ juxta lapidem ipsum sic legitur io tabula, ut dicatur, ultima Octobris rapuisse virum, quem

---------- rara virtute Priorem
Ordinis agnoscit sacri sententia, nomen
Qui sibi Carmeli divino munere poscit.

406 Sed hoc facile indulgeo, & ignosco nimio

mio stabiliendæ antiquitatis affectui; neque mala fraude factum credo, quod P. Daniel a Virgine Maria, in sua Vinea Carmeli, periphrasim istam pro genuino ac veteri Epitaphio dederit: cujus veram lectionem primo proposui, versibus secundum naturam rei sic ordinatis;

Floribus ornatum virtutum fac tibi gratum;
Rex pie, sic ratum facies ejus famulatum.
Henricus, dictus Prior Hein, non crimine victus.
Horrens conflictus fit, dum mitem necis ictus
Anno milleno cum viceno nonageno
Et trino pleno, prostravit corde sereno,
Octobris fine: talis memor esto ruinæ.

407 Equidem existimabam huic tam concinnæ lectioni nihil oppositum iri; noluit tamen acquiescere Pater Bonæ-spei; sed est sui que semper in omnibus suis obscurissimus, atque mysteria etiam istic sectari solitus, ubi aliis plana sunt omnia; sic etiam ænigmaticum sibi finxit verborum sepulcralium tum ordinem tum sensum, quem appositis in icone zifris necesse habuit indicare; atque exorsus sub finem sinistri lateris, neque metri neque rhythmi rationem ullam habens, sic invertit:

Henricus decennis Prior hibi, non certamine victus,
Horrens conflictus fuit, dum mitem necis ictus,
Anno milleno cum Boppardiis viceno, nonageno
Ætatis terno pleno, prostituit corde crucifixo:
Floribus ornatum virtutum fac tibi gratum,
Rex pie, Henrici Salvator, ratum facies ei famulatum:
Sereno Octobris fine, talis memor esto ruinæ.

408 Uter melius legerit, alius quam Carmelita discernat: ego hic paraphrasim prosaicam ex Aprili addam, haud paulo fideliorem illa, quam supra delibavi, quamque anno 1652. poni fecit Generalis Sylvius, quando prædictum *lapidem, in ambitu ad lævam ingressus ecclesiæ positum, e terra elevari, & in altum erigi fecit*: mirum quod etiam ossa refodi non jussit, & velut Sancti alicujus collocari in altari: in sua enim metaphrasi asserit, quod ipsum Henricum *urbs fausta colit sancto Boppardia*. Paraphrasis quam ego dedi, hæc est: *Rex pie, Christe Domine, fac ut appareat, gratum esse tibi virum hic sepultum, utpote ornatum floribus virtutum: sic famulatum, quo tibi servivit, facies, ei ratum & probatum manere. Quis autem hic? Utique Henricus, vulgo dictus Prior vel Pater Hein: qui non aliquo suo crimine, sed civili tumultu innoxius occubuit. Fuit enim horribilis conflictus hic Boppardiæ partium adversarum, quando, anno millesimo centesimo decimo tertio fere exacto, virum mitem & sereno ubilquo consciem corde inter nos versantem, necis immeritæ crudelis ictus prostravit; idque in fine mensis Octobris: quo recurrente, etiam tu, Viator, talis in hoc urbe ruinæ factæ memor esto, & pro defuncto precare.*

409 Commodiorem sensum si dederit alius, audiemus libenter, nec incunctanter probabimus; maxime circa initium versus tertii, in quo fatemur conjectura fuisse opus, eo quod obscuras & passim minus usitatas contractiones F̄R HIL contineat; & extremæ hæ ad angulum litteræ non appareant integræ. Litteras F̄R puto quidem aptius legendas PATER quam PRIOR; neque enim hoc, sed istud, frequens in abbreviationibus est: nolo tamen super hoc litem movere, cum credam fieri posse, ut ipse *Henricus* fuerit revera Prior Boppardiensis. Litteras quoquo HIL commode per HIC explices; cum possint extremi apices in C extriti esse in lapide. atque ita legetur, *pater hic*, id est *Boppardiæ*; Nempe *Henricus* iste ob sua in patriam merita vulgo *dictus* seu appellatus fuerit *Pater Boppardiæ*. Si hoc non placet, uti neque, quod Latino nomini *Henricus* additum sit nomen vulgare HEIN, & sensum placeat integrare per cognomen HIL, idest *Collis*; nec hoc recusabo: quia neque metri mensuram, neque rhythmi consonantiam hoc tollet, & æque apte componetur cum præcedenti voce, *dictus*. Minus placere potest Patris Bonæ-spei HIBI: & DECENNIS, factum ex litteris DEA, vel (ut mihi descriptum fuit; DES) plane videtur esse intollerabile, utpote quod simul & metrum & rhythmum aufert. Sed quid facias cum homine, vetustos characteres legere non assueto? Mihi altercari super unius litteræ forma non libet, ubi convenit de sensu; & quidem tali sensu, qui maxime ad meum argumentum facit, quod scilicet anno 1113. fuerit prælatus *Henricus*, vel *Prior* claustri, vel *Pater* oppidi Boppardiensis habitus: quodque ex vestitu defuncti, prout eum exprimunt lineamenta insculpta lapidi, ad oculum pateat non fuisse Carmelitam: unde sequitur evidenter, quod anno 1113. necdum habebant Carmelitæ claustrum istud, in quo nunc Boppardiæ habitant, sed alius aliquis Ordo.

410 Neque cogimur credere istum Henricum, alibi locorum Priorem fuisse, & Boppardiæ fortuito occisum, atque apud Carmelitas tumulatum: hoc enim nec loci traditio habet, neque ex ullis ibidem publicis privatisve scripturis probatur. Quomodo autem id probari posset pro anno 1113. quando nec ipse locus, licet satis antiquus, atque ex iis fortassis castellis unus, quibus utrumque Rheni ripam olim munivit Drusus Cæsar (sunt qui *Bodebricam* fuisse putent) nusquam tamen reperitur nominatus ante annum 1311. quo una cum vicina Wesalia transiit in jus Archiepiscopi Trevirensis, sub Antistite Balduino, huic a fratre Henrico VII. Imperatore oppignoratus: cui cum parere detrectarent incolæ, obedientiæque fidem præstare; idem *Balduinus anno 1319. auxilio Episcopi Moguntini, magna vi Boppardienses invasit; perruptisque portis & incensa oppidi parte cum suburbio, ipsos in ordinem redegit, ut gratiam ab eo postularent, & illi ejusque Ecclesiæ subjectionem & fidelitatem jurarent*, uti ex Trevirensium Annalibus refert Georgius Bruin, lib. 4. Theatri urbium fol. 24. & ex hoc Merianus aliique.

411 Hoc autem ideo noto, ut excusabiles appareant Patres Carmelitæ, si absumptis eo casu scripturis vetustioribus, docere nequeant, quandonam & cujus beneficio obtinuerint vetus istud cum ecclesia claustrum, quod nunc incolunt; & cujus vetustatem quam certo demonstrat Henrici præfati Epitaphium, tam verosimile facit Prioratum istic aliquem fuisse. Qualem vero potius, quam Benedictinorum, quorum habitum proxime referunt lineamenta, & quibus opportunus erat locus inter Treviros & Moguntiam medius? Quid quod, Bucellino teste, tomo 2. Germaniæ sacræ pag. 155. ibidem a tempore Gregorii VII. adeoque ab anno circiter 1080. erat *Virginum Benedictinarum celebre cœnobium, a familia equestri Beyerorum de Boppardia conditum, & Abbatis S. Eucharii Trevirensis inspectioni creditum*, quibus conveniebat adesse sui Ordinis Religio-

sos, ad ministerium Sacramentorum. Alium Ordinem si quis meliori cum fundamento suggerat, nihil morabor; modo fateatur, Carmelitas, tunc cum Henricus obiit, ex ipsorummet assertione adhuc Barratos, partem isto in lapide, quem ad suammet confusionem incauti ostentant, habere nullam.

412 Ubinam hic *figmenta* mea, Rev. Pater, quibus *molior evertere Boppardiensem fundationem?* Si in Propylæo Aprilis, vel per memoriæ lapsum, *Metz* pro *Memz* suggerentis, pro *Moguntiæ Trevirisque* scripsi *Metis Trevirisque*; vel per Typographi incuriam omissa fuerunt verba aliqua, quibus integre scriptis legendum fuerat, quod videantur Carmelitæ, veteribus claustri Boppardiensis incolis (nescio quam pridem exstinctis vel alio translatis) successisse, *postquam illi Metis Trevirisque*, [*Francofurti & Moguntiæ*] *suos jam constitutos Conventus habebant*: horum, inquam, alterum si evenit, ac verosimiliter primum, quomodo in Majo obrepsit *Saxonia* pro *Franconia*; tantane hic erat insultandi materia, etiam post agnitum correctumque qualemqualem errorem? Si commoditas oppidi, inter prædictorum locorum conventus medii, idonea Carmelitis causa non fuit capiendi apud Boppardiam Conventus, alia[m] finge aptiorem, mihi autem istam conjecturam relinque; &, si potes, doce conventibus istis antiquiorem Boppardiensem fuisse. Nihil repugnabo certiora docenti, tantum ne me coge, ob lapidem, nihil ad vos spectantem, Sanvico vestro fidem abrogare circa annum permissæ in Europam migrationis, de qua ad hicce eatenus dubitabatur.

413 *Dinckelspulensis Conventus* nomen, pro asserenda Carmelitarum in Europa antiquitate contra Sanvicum, nescio quis mihi primus objecit, neque in Indicibus auctorum Vineæ, Armamentarii, Speculi, ipsum reperio. Ignoravit illum locum etiam Lezana in Annalibus, tom. 4. pag. 16. recensens cœnobia seu eremitoria Ordinis, quæ credebat extitisse ante Bertholdum, quin potius scribit *ex relatione Bartholomæi Elsfelim Provincialis Germaniæ, ad Reverendiss. Theodorum Stratium Generalem*, quod *Dinkelspulense monasterium, diœcesis Augustanæ in Germania, sub anno 1292. acceptum sit*: cui Provinciali certiorem fidem habeodam, quam novæ majoris antiquitatis prætensioni, fallor si judicaturi non sint ipsimet Carmelitæ, si qui nunc apud eos sunt paulum moderatiores Patre Sebastiano & consortibus ejus. Equidem existimans vos ipsos non magnum in eo loco præsidium ponere, adeoque nihil opus esse disquisitione multa; consului raptim Matthæi Meriani Topographicum opus, ubi omnes Germaniæ civitates elegantissimo expressæ scalpro, accuratissima etiam descriptione Germanica explicantur: ibique *Dinckels-bubel* (id est *Speltæ-collem*, ab hujus frugis ibidem proventu copioso nominatum) sic expressum descriptumque reperi in Topographia Sueviæ excusa an. 1643. pag. 24. Tum lectis quæ ibi prolixe narrantur, scripsi breviter in Propylæo ad to. 2. Aprilis pag. 39. n. 29. ut sequitur: *Dinckelspulense prædium, quod Herbipolitanis Monachis, a S. Burchardo fundatis, ... opportunum præbebat hospitium, conversum primo in Prioratum est, deinde post varios casus in jus transiit Carmelitarum.*

414 Quamquam autem non poteram auctorem & annum postremæ mutationis indicare; satis tamen credebam in Sanvico præsidii esse, ut non cogerer credere, Conventum illic vestrum institutum fuisse ante annum 1282. quo Herbipolenses aliosque plures istis in partibus fundari cœptos, scribit ad istum annum Lezana. Si eo ubi puncta hic notavi loco ego scripsissem, *quoties in Sueviam*, vel *ad Augustanum S. Afræ monasterium eundum erat*; nihil habuisses quod carperes, Pater Rev. sed quia festinanti excidit pro veteri loci nomine, (ut sæpe fit) usurpare hodiernum, scribendo *Augustanam S. Udalrici Abbatiam*, visus Tibi es præclaram nactus occasionem mihi insultandi, eo quod Abbatia primum sic nominari cœpit anno 1012. post S. Udalrici obitum quadragesimo, cum ejus ibi sepulti corpus magnis miraculis claresceret, & quando jam pridem Dinckelspuli stabat non solum monasterium, sed etiam adnatum ei oppidum, mœnibus cinctum anno 928. multis scilicet annis ante obitum S. Udalrici; quem tamen nescio unde acceperis vixisse usque ad 1024. vel 28. quem apud Sigebertum in Chronico legere potuisti obiisse anno 976. seu potius 973. sicut notat Bernardus Hertfelder in descriptione Basilicæ Sanctorum Udalrici & Afræ pag. 56.

415 Hunc auctorem si vestrum aliquis consuluisset, legisset ibidem, quod ecclesia S. Afræ, olim Cathedralis, jam inde ab anno circiter 662. (imo forsitan ab ipso initio Augustani Episcopatus) adjunctum sibi habuerit claustrum Clericorum, cum suo Episcopo in commune viventium, de quo in Vita S. Magnoaldi seu Magni Abbatia, scripta ab ejus discipulo Theodoro, non diu post an. 770. cap. 25. legitur, quod S. Wicterpus, tempore Pippini Regis, illum, jam Patrem novi prope Augustam monasterii, adduxerit ad locum sanctæ Afræ, sibi & successoribus suis per eum Regem commeodatum, *dans ei potestatem, ut ibi, ad supplendas B. Mariæ excubias & S. Afræ* (utroque enim nomine tunc ecclesia dicebatur) *omnem ordinem*, [*secundum*] *Canonicam institueret vitam. Ex illo autem tempore*, inquit posterior aliquis interpolator Vitæ seculo 9. *ipse locus a beato viro Magno exordium sanctitatis accipiens, augmentatus autem & sublimatus a Pontificibus Augustensibus, Christi nomen usque hodie laudabiliter dilatare non desinit*; necdum scilicet priori Canonico Regulari ordine in monasticum Benedictinum mutato, quod factum esse anno 1012. asserit prælaudatus Bernardus Hertfelder.

416 Si tamen, propter diversitatem Ordinis, cuncteris credere, Pater Rev. Herbipolensibus Monachis multum commercii cum Augustanis illis fuisse; habes vicinum Augustæ S. Magni monasterium, ad quod aliaque ejusdem instituti in Suevia commeandum sæpius fuerit. Ego in istis nullam vim pono, sed in sola commeandi opportunitate, quam medium inter Franconiam & Sueviam Dinckelspulum habet. Quod autem prædium istud, *Herbipolitanis Monachis solitum præbere hospitium* fuerit, priusquam converteretur in monasterium; id ego, cur Tibi Pater Rev. *ex meo pollice sugere, & voluntarie fingere videor*, ut loqueris num. 360. aut cur non *legerim aliquid simile apud ullum scriptorem?* Causam reddis; quia *neminem cito*. Ast jam tibi dixi, neque ipsa apparet, voluisse me absolvere paucis, quod non nisi levissime & citra ullas probationes objicie-

objiciebatur; remque credebam vulgo notissimam esse in ista civitate.

417 Nunc tamen, quoniam Auctorem petis, accipe pro omnibus diligentissimum, & multos, qui mihi ad manum non sunt, allegantem; Merianum, inquam, prælaudatum, qui sic habet: *Civitas hæc nomen & originem suam sortita est a prædio, nominato der Dingelhoff, & a tribus collibus, Dinckelbuheln dictis, qui etiam nunc illi cum tribus super eis speltæ ceu farris spicis insignia faciunt, ad significandam loci originem ... Villicus autem prædium ipsum possidens, consueverat hospitio excipere Monachos Herbipolenses, illac iter habentes; atque ipsum tandem illis donavit, qui ibidem cœnobium extruxerunt: apud quod paulatim civitas accrevit*. Cœnobium illud intelligi non potest Abbatia fuisse, quæ proprii juris esset; cum numquam prætenderint Dinckelspulenses Abbatiam habuisse, sed (ut infra mox explicabo) Prioratus, a suo præcipuo Herbipolensi monasterio & Abbate pendens.

418 Accrevit autem oppidum, ex familiis ipsius Prioratus ministerio obnoxiis ad agrorum cultum aliaque servitia, uti plurimis aliis locis factum: quod *oppidum deinde ab Henrico primo sub annum 928. contra Hungarorum aut aliorum quorumcumque frequentes in Alemanniam incursiones, simplici muro cinctum; anno deinde 1126. munitum etiam fuit altero, præcipuæ structuræ turribus 24. ordinate interpolato, & fossa bene ampla circumdato .... Variavit postea conditio loci, ut modo Sueviæ, modo Franconiæ, adjudicaretur. donec anno 1351. idem oppidum a Cæsare oppigneratum est Dominis Ludovico & Friderico Comitibus Ottingensibus, pro summa septem mille & ducentarum librarum: quibus repræsentatis ipsi sese incolæ redemerunt*. Hinc adeptos credo jus liberæ Civitatis Imperialis; simul etiam excussisse penitus subjectionem erga Abbates Herbipolenses, siqua adhuc supererat ratione monasterii unde originem acceperat: & vel idem Abbas, vel ipsa civitas locum, prioribus incolis vacuum, Carmelitis cesserit: qui quod de suo ingressu neque ex privatis neque ex publicis scripturis quidquam certi docere nunc possint, imputari debet tristi incendio, quo (sicut scibit Merianus pag. 26.) *Claustrum Carmelitarum conflagravit ante ducentos annos* (id est ante an. 1440.) *una cum omnibus ibidem magnæ vetustatis monumentis & insigni bibliotheca*.

419 Ad hæc omnia citantur Auctores *Munsterus, Crusius, Renfnerus, Dresserus, Lepta, a Seinzheim, Besoldus, Auctor Præfecturarum Imperii, Acta publica, Relationes, D. Georgius Bernardus Abelinus, ac summarea hujus ipsius civitatis descriptio*; ut merito plus fidei debeatur Commentario, singula tam distincte referenti, quam nuperis quibusdam a Tua Paternitate allegatis litteris Senatus, scribentis quod *Carmelitarum monasterii origo, juxta tenorem antiquorum Chronicorum, ante omnem urbis conditionem & murorum extractionem sese extendit*. In his enim, sicut apparet, monasterii materialis prima fundatio, ab ingressu Carmelitarum in illud, non satis distinguitur; studio an casu quæsita obscuritate, definiat qui potest. Narrat etiam Merianus, quomodo Dinckenspulensium politicum regimen successive fuerit constitutum, sub forma duplicis Senatus, majoris minorisque; & quomodo in majorem seculo superiori sint inducti aliqui Augustanæ Confessionis professores, salvo Catholicis ac puro remanente minori Senatu toto; qui tamen coacti fuerunt, illis, jam duos ibi Prædicantes habentibus, cedere ecclesiam Hospitalis: sed inde *anno 1567. de mandato Maximiliani Imperatoris expulsi sunt, æque ac ex parochiali* (quam scilicet solita sua violentia cœperant vel totam vel ex parte usurpare) *atque ita totis undecim annis biduo minus, Evangelici caruerunt suæ religionis exercitio; donec, post nonnullam inter Senatores ac cives, bona tum parte Evangelicos, contentionem, res composita fuit anno 1578. per Dominum Ludovicum Georgium Comitem a Seinzheim, Franconici Circuli Archistrategum*.

420 Ex hac Meriani, hominis acatholici, sed scriptoris sinceri & diligentis, ingenua confessione, de statu pseudo-Evangelicorum in illa civitate, liquido apparet, & Magistratus & cives pro majori parte Catholicos esse: quod si horum auctoritas anno *1633.* occupantibus urbem Suecis, nonnihil passa sit: attamen, quod in tam multis aliis Germaniæ civitatibus, tunc pariter occupatis, nusquam evenisse scitur, ut omnes Religiosi, antiqui pariter ac novi, expellerentur, id Dinckelspuli actum fuisse ut fieret, ægre induci possum ut credam: & majori quam Tu de me jure, ego de Te ipso neminem citante vereri possem, ne *ex pollice tuo suxeris aut voluntarie finxeris* id, unde Accusationem exordiens dicis, quod vestram de sua istic antiquitate *traditionem, cives etiam Lutherani mordicus tenent; idque animis adeo obfirmatis, ut cum Sueci anno 1633. abdicato Catholico Magistratu expulsisque patribus Capuccinis, etiam Carmelitas expulsos vellent, quidam ex primariis in pleno ac publico Senatu obtestatus sit eorum proscriptioni, asserens, Carmelitis injuriam inferri, eo quod non a civitate illorum monasterium, sed a monasterio civitas incrementum haberet: cui reliqui Senatores, licet Lutherani, cum assentirentur, Carmelitæ suum retinuerunt monasterium in hunc diem*.

421 Nolo ego hic Tuam duritiem imitari, Rever. Pater; sed præsumere volo, iis ipsis terminis quibus uteris, nuper admodum post annos forte sexaginta ab illa irruptione, scriptam Tibi rem fuisse cum aliis circumstantiis, quam scripta fuerat Generali Stratio immediate post; quando aliud nihil invenitur eidem renuntiatum, quam quod per bella civilia, quasdam a fide Catholica defectiones civium, *depauperatum* quidem monasterium fuit; *non tamen Religiosi ex eo pulsi, quamvis civitas in potestatem Suecorum venerit*. Quidquid tamen scriptum postea fuisse credam, non idcirco consequens est ut credam, voluisse revera Suecos, ut Religiosi expellerentur. Potius credam, hæreticis civibus & Senatoribus quibusdam acatholicis postulantibus, exesse jussos Capuccinos; qui admodum nuper, id est anno *1612.* ut scribit Merianus, illuc inducti fuerant, auctoritate fortassis Cæsarea, & verosimiliter non sine multa hæreticorum repugnantia. Contra Carmelitas si petulantior aliquis idem ausus fuit proponere, merito fuit cum indignatione rejectus etiam ab hæreticis; tum quia ab eorum monasterio, licet non ab eorum Ordine, civitas suum exordium sumpserat; tum quia Carmelitæ, indigenæ plerique erant, non advenæ ut Capuccini, & optimorum honestiorumque civium Catholicorum filii, cum acatho-

licit semper pacifice versari; uti etiam nunc cum iisdem Francofurti & alibi pacifice versantur Carmelitæ sub Magistratu toto Lutherano, & neque ipsis, neque Dominicanis, neque Canonicis quidquam ibi molestiæ scimus illatum olim fuisse a Suecis, vel post horum discessum nunc inferri a civibus, illud unum caventibus, ne intercessione cujusquam concedatur habitatio apud se aliis recentioribus Religiosorum institutis.

422 Ceterum, quid quove sensu iste, quem adducitis anonymum, Carmelitarum Patronus, sive Catholicus sive Acatholicus, in Senatu tali occasione dixerit, parvi puto referre; dum is supponi potest, ut passim tales sunt, juris quam historiarum fuisse peritior; certiusque informatum Merianum, & eos quos auctores habuit, ex professo rem quam tractabant scrutatos. Proprium quodammodo Benedictinis fuit, ut ad ea, quæ vel liberali piorum donatione, vel emptione aut alio contractu obtinebant prædia, procul ab urbium frequentia matreque abbatia sejuncta, destinarent Religiosos aliquot, cum Priore & bono numero Conversorum: qui eircumquaque dilatantes fundum primo acquisitum, exscindendis silvis novalibusque parandis sic proficiebant, tantumque locupletabantur agrorum per eosdem Conversos cultorum proventibus, ut seculares multi illuc confluerent; sedem figentes circum ipsa monasteria, alliciente eos non tam commoditate divini apud Monachos servitii, segnius solita stimulare mortales curis temporalis implicitos, quam spe lucri faciendi & operæ utiliter collocandæ. Horum autem sic multiplicatis domiciliis, cum tandem etiam muri & politia quædam civilis accederet, & vicinorum fructuosa commercia, fiebat, ut loca, raro aut nullo antea colono habitata, fierent oppida & civitates, quemadmodum innumeris Prioratuum Benedictinorum exemplis doceri posset, & Dinckelspuli creditur contigisse. Talia certe in Belgio sunt longeque notissima Sanctorum Amandi, Gisleni, Huberti, Trudonis oppida, ex istorum Sanctorum monasteriis nata, & temporali etiam ipsorum Abbatum dominio, olim tota, nunc saltem ex parte quadam subdita.

423 Apud Cistercienses, Præmonstratenses, & Regulares Canonicos, utpote post annum millesimum exortos, cum regiones quondam desertæ, minus vacuæ essent ejusmodi fundationibus, rarius id contigit: apud Ordines vero Mendicantes, numquam; quippe qui in suis principiis nulla stabilia bona admittebant; sed quotidiano eleemosynarum quæstu vitam toleraturi, eligebant prope civitates, aut in ipsismet civitatibus habitare. Carmelitas certa non existimo ullum inventuros oppidum, quod a suo, prius fundato Eremitorio vel Conventu originem duxerit. Erat vero quædam ratio peculiaris, quæ Carmelitas, ex Palæstina in Europam traductos, prohibere videbatur, ne agros & latifundia sibi multiplicarent, more Benedictinorum; cum omnibus Terræ sanctæ, imo totius Orientis monasteriis (qualia etiamnum superfunt aliqua, Sanctorum Sabæ, Charitonis, Euthymii &c.) sanctum esset, ne quidem in communi possidere quidquam, præter locum ad habitationem, & hortum ad olera, unde tota ipsis pendebat sui victus ratio; cetera ministrantibus ipsorummet manibus, aut fortuita fidelium caritate. Nescio igitur qua ratione Carmelitæ Dinckelspulenses animum induxerint ad credendum, quod qui illic primi sedem fixerunt Religiosi seculo Christi octavo, Ordinis ipsorum fuerint; cum a talibus nihil temporalis commodi possent seculares sperare. Atque ita soluta manet duplex hæc, quam ultimum in locum reservaveras, Pater Rev. machina; & quidem citra conjecturas; nec enim his opus fuit, dum seipsis res loquuntur.

423 Ad Herbipolensis S. Burchardi monasterium quod attinet (ex cujus vetustissimi monumentis, si superessent, verosimiliter haberi potuissent complura documenta de illius antiquis in Dinckelspulense monasterium & oppidum juribus, caussisque emancipationis præsentis) intelligo monasticum ordinem in eo jam ab aliquot seculis desiisse; & ecclesiam factam esse Collegiatam, tenentibus illam nobilibus Ordinis equestris Canonicis, apud quos frustra nunc requiratur, quæ per veterum incolarum socordiam aliosve casus deperiere monumenta.

ARTICULUS XVI.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibetur brevis Carmelitarum Chronologia, in qua ex sacra Scriptura, Pontificum Bullis, Breviariis, Missalibus, Martyrologiis, Historiis ac Revelationibus a Sede Apostolica approbatis, aliisque monumentis, ostenditur, Carmelitarum Ordinem, a S. Elia Propheta in veteri Testamento institutum, & absque interruptione huc usque continuatum, contra Papebrochium, fingentem, illum dumtaxat seculo Christi XII. *esse institutum.*

RESPONSIO.

Apparet ex titulo, nihil Articulo hoc 16. expectandum esse, quam cramben, jam quidem coctam & recoctam sæpius, iterum tamen novo Chronologicæ deductionis sapore condiendam, ut recens videatur. Interim in ipsa Præfatione agnoscis, non exigere me, ut texas eatenus ab Elia ad Christum, a Christo ad tempora plene constituti in Palæstina Monachatus religiosi, numerisque omnibus absoluti, de quibus nolebam in Aprili disputare, sed nec volui in Majo. Agnoscis autem, me solum connexionem quærere inter istic prius viventes Monachos Syro-Græcos, & eos quos ex Joanne Phoca scimus convenisse ad Carmelum religiosius colendum, seculo Christi XII. adeo nobis propioquo, sub quodam ex Europa vene-

venerabilis canitiei atque presbyteralis dignitatis Monacho, per apparitionem S. Prophetæ Eliæ illuc progresso. Istam enim connexionem si probasses historica certitudine, finita erat mea vobiscum actenus lis: si probare non poteras, frustra disputabatur de tot seculis antegressis, nec aliter ad vos pertinentibus, quam quod mons Carmelus, idem qui fuerat tempore Eliæ, in confinio Palæstinæ atque Phœniciæ, nunc quoque ibidem consistat, & usque ad finem mundi stabit, idem omnino qui ab initio mundi fuit.

2 Talem connexionem nullam inventam esse hactenus, nec porro inveniendam, communis nunc est sensus in Gallis, ut de aliis regionibus taceam. Postquam enim Joannis Phocæ Itinerarium innotuit per viros istic æstimatissimos, Cangium, Herovallium, Menagium, aliosque; ibidem obstrepere illis præsumpsit nemo, præter auctorem Thesium Biterreosium, Parisiis explosum, Romæ fulguratum. Ego tres illos Francicæ litteraturæ primicerios, ideo præ ceteris nominavi, quia sensum suum palam aperuerunt; Cangius, in ea quam Herovallio scripsit Epistola; Herovallius in abdicando, quod sibi falso adscriptum fuerat, responso ad illam Epistolam. Menagius vero, *quem* (sicut in ejus Epitaphio legitur) *totus orbis eruditus & consuluit & suspexit, quique vetustatis lux ac nostri seculi decus fuit, posteritatis etiam exemplar futurus;* Menagius, inquam, vere talis qualis hic describitur, legendus est in laudatissimo Dictionario Etymologico linguæ Franciæ, ad verbum, CARMES; ubi totam paginam 161 impendit exhibendo rerum Carmeliticarum summario, atque inter alia descendens ad enumeranda certiora & antiquiora monumanta, quibus de Historia istius Ordinis informari possit lector, sic scribit:

3 *Antiquissimum, quod de Carmelitis invenitur, monumentum, est quoddam Terræ-sanctæ itinerarium, quod Joannes Phoca, in insula Pathmo se exercentis, locis sanctis visitatis anno* 1185. (Latini 1193. numerent) *in insula Chio reliquit, unde illud attulit Leo Allatius, & Latine redditum misit Bertholdo Nihusio Amstelodami imprimendum .... Secundum monumentum est primigenia Carmelitarum Regula, ordinata per Albertum, ex Canonico Regulari S. Crucis Mortariensis in Italia, Episcopum primo Vercellensem, tum Patriarcham Hierosolymitanum Latinum factum anno* 1206. *defunctum* 1214.... *Tertium est, Jacobi de Vitriaco Episcopi Acconensis, ad cujus diœcesim Carmelus spectabat, qui scribens anno* 1221. *post enumerata Latinorum Monasteria in Palæstina, quorum alia Regulam S. Benedicti, alia S. Augustini tenebant, hæc subjungit:*
„ Alii ad imitationem & exemplum sancti viri
„ & solitarii Eliæ Prophetæ, ... juxta fon-
„ tem, qui Eliæ dicitur .... vitam solitariam
„ agentes, in alvearibus modicarum cellula-
„ rum, tamquam apes Domini, dulcedinem
„ spiritualem mellificabant.

4 *Quartum, quintum, & sextum monumentum, sunt Bullæ Pontificum, Honorii III. anno* 1226. *Gregorii IX.* 1230. *Innocentii IV.* 1247. *datæ: sub cujus etiam tempus cœperunt aliqui Carmelitæ in Europam transire; primumque in Siciliam & Provinciam, ac porro in Angliam transierunt. Quidquid in modernis scriptoribus apparet, seu istis monumentis antiquius, confictum a Carmelitis est.* &c. Ita vir ille sapientissimus, cujus in omni scientiarum genere laudem invenire est, parte 3. Præfationis ad secundam editionem Dictionarii istius, curatam anno 1694. sicut ipse illud auctum recognitumque reliquerat biennio ante moriens, in ætate annorum octoginta; quod bene notandum, ne juvenili impetu quidquam scripsisse hic videatur, quod senior abolitum voluisset.

5 Similis eorum omnium in Hispania est sensus, qui bellum indixerunt Pseudo-dextrinis figmentis, quorum veritatem Carmelitæ frustra nituntur sustinere, magnum sibi in iis præsidium esse rati. Istorum varia loca dedi supra, plura daturus infra: hic juvat attexere apologum cujusdam ex ea natione, facetum sane, & aptum declarare, quam facile posset aliquis, istic ubi minime arbitreris, imaginari sibi antiquitatem summam, ad eum modum, quo suam deducunt & credi volunt Carmelitæ. Assumit ergo Auctor nomen & personam *Fr. Pauli a S. Sebastiano, Religiosi sacri Ordinis Hospitalitatis S. Joannis de Deo*, cum titulo *Definitoris & Infirmarii Majoris*, scribentis *ad* suum *Generalem*, *ex Hospitalitate Antiquariensi* (oppidum Bæticæ id est, vulgo *Antiguera*, cui synonymum aliud in Mexico) *die* 8. *Octobris* 1696. & pro themate assumentis hæc verba, *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur*. Scopus autem Epistolæ est, ostendere, eo quo Carmelitas jure ab Elia, Hospitalarios ab Abrahamo, tanto seniore, posse exordia sua accersere. Præludit autem ea Epistola majori operi, quod sub titulo *Historiæ Patriarchalis* meditari se ait, producturumque in lucem, *Historiæ* scilicet *Propheticæ* opponendum. Hoc quomodo successurum ei sit, judicabit ex tali præambulo lector; ego cogitationes ejus primas hic dabo, Latine ex Hispanico redditas; sic tamen ut eas nolim censeri approbasse, quas video in eadem fere omnia incongrua ferri, ob quæ Carmelitanam antiquitatem suscipere & approbare recuso. Ipse sic procedit:

6 *Ordo noster principium habuit a Patriarcha Abraham, Patre Credentium; cujus habitatio, juxta cap.* 17. *Geneseos, fuit in convalle Mambre; nobilissimum profecto solum, unde illum sanctus Pater noster Joannes de Deo Granatam transtulit. Ipse enim Abraham, sicut Joannes Chrysostomus ait* „ Cum a progenitoribus suis
„ nullum fidei semen accepisset, ex seipso ta-
„ men valde religiosus atque pius mentem ob-
„ tulit. *Quapropter* admiratus olim Deus, *teste Basilio Seleuciensi*, „ animum Abrahæ, religio-
„ nis ergo, mora compensat nobilitate *posteritatis, eidem concessa. Talis instituti veritati addens auctoritatem S. Ambrosius*, Merito, *inquit*, „ apparuit illi ad quercum Mambre, quia
„ fructum Hospitalitatis studiosissime require-
„ bat. *Nec refert quod non dicat*, „ religiosis-
„ sime requirebat, *quia recte animadvertit S. Petrus Chrysologus, quod in isto instituto nihil nisi pium sanctumque fuerit, dicens;* „ Hujus
„ humanitas sancta, sanctis est semper manibus
„ præparata, ut invitaret apud se Deum &
„ compelleret hospitari. Ille ad Abraham, ille
„ ad requiem pauperum, ille ad hospitum re-
„ ceptaculum venit, qui se in hospite paupere
„ receptum fatebitur in futuro.

7 *Quid hic apparet clarius, quam fundatio Hospitalitatis nostræ, approbatio Dei, sanctitas Instituti, meritum ac præmium sacri Ordinis nostri?*

Ideo haud dubie dixit Benedictus Fernandez, quod noster Patriarcha Abraham „ suas opes, suam „ domum, seque totum in obsequium pauperum „ dicarat; *vocante illum Deo ad Apostolicam perfectionem, quando ei dixit* (*Geneseos* 12.) „ Egredere de terra tua, & de cognatione tua, „ & de domo patris tui. *Quis porro negabit ejus Paupertatem, quis Obedientiam, quis Castitatem, qualem status suus patiebatur? Adeo ut sub mystica illa arbore, quæ figura erat Crucis Christi* (*nam quod dicitur*, „ stabat sub arbore, *Ambrosius interpretatur* „ ad Quercum) *Pater noster Abraham initium dederit sacro Ordini nostro; ejus perfectionis exemplum sumens ab arbore Crucis, & a Christo, ex sua familia nascituro, in eaque suspendendo.*

8 *Hujus trunci nos filii legitimi, per omnia exinde tempora ætatesque propagati, absque interruptione descendimus. Numquid enim istius Quercus ramus non fuit nostra in Pentapoli Hospitalitas, quam Patriarcha noster Loth, jam tunc ibidem habebat fundatam, ad exemplum fratris ac patrui sui Abraham? Hinc certe Procopius,* „ Vere sanguine junctus, *inquit*, Loth fuit „ Abraham, eamque propinquitatem compro„ bavit Hospitalitate. *Labani in Mesapotamia domus, quid aliud quam Hospitalitas nostra fuit, ad quam receptus fuit Jacob;* „ duxit enim eum „ in domum suam, *inquit textus sacer. Domus Tobiæ, Jobi, Viduæ in Sarepta Sidoniorum, alteriusque Sunamitidis in Sunam oppido tribus Issachar, quid aliud fuerunt quam nostri Conventus? Quid aliud Probatica Piscina in Jerusalem, & domus Rahab in Jericho? Generalis etiam Ægypti Joseph* fecit (*ut Lira & Carthusianus sentiunt*) „ Hospitalitatis domum, ad recipiendos „ peregrinos & pauperes transeuntes, *quod etiam Rabbini confirmant. Ipse autem Joseph numquid non fuit Religiosus Militaris nostri Ordinis.*

9 *Ut autem ab antiquioribus istis descendamus ad tempora novæ Legis, ubinam Apostoli receptus habebant suos, nisi in nostris Conventibus & Hospitalibus? Hinc Apostolus Paulus, in sua ad Romanos Epistola, commendat hoc institutum, & ex eo* „ Hospitalitatem sectantes. *Ubi notatu est dignum, quod* Hospitalitatem *dicat* sectam, *quia tunc temporis sic nominabantur Religiosi Ordines, puta Rechabitarum, Nazaræorum, & Carmelitarum: quas monens Apostolus ad Hebræos, ut meminerint veteris instituti nostri, concludit dicens;* „ Hospitalitatem ergo nolite oblivisci: *quasi connectendo tempora Legis naturæ, in quo ab Abrahamo instituta illa fuit, cum tempore Legis scriptæ, quo insigniter florebat; indeque transiens ad Legem gratiæ, sub qua tam grande incrementum locorum & perfectionis accepit, consecratum ab ipsomet Christo in cœnaculo, qui, ut ait Tertullianus;* „ Abraham filiorum pedes, ad pro„ bationem quod ipse esset, abluit; reddens in „ filiis jus hospitalitatis, quod illi aliquando „ fœnerabatur. *Ubinam Carmelitæ invenient magis expressam sui Ordinis confirmationem, quam sit illa facta a Christo confirmatio nostri instituti, quod ad hujus exemplum tanto antea tempore fuerat auspicatus magnus noster Pater Abraham? Ad extremum vero, quid, nomen Abraham vocari jubens (id est ex Magno Patre faciens Patrem multarum gentium) quid, nisi hieroglyphicum fecit Hospitalitatis, per omnia secula propaganda, ad ipsum usque limbum? nam & hic hospitalem domum excitavit primus Pater & Generalis totius nostri Ordinis Abraham, qua reciperetur innocentia parvulorum, sine originalis peccati remedio morientium.*

10 *Quæ cum ita sint, (ut sunt procul dubio) & si est noster Patriarcha Abraham, sicut est Carmelitarum Elias; si Ordo noster originem habuit in convalle Mambre, sicut ipsorum in monte Carmelo; si convallem istam ipse consecravit hospitaliti, sicuti montem jam dictum contemplationi dedicavit Propheta; si cunctis seculis fuimus propagati per Hospitalitates & Conventus, sicut ipsi per suos; si instituti nostri fuit vidua Sareptana, licet gentilis ex regione Sidoniorum, sicut Carmelitani fuerunt Basilides & Pythagoras, licet ethnici atque idolatræ; si sumus rami istius benedictæ quercus Mambre, sicut ipsi sunt flores Carmeli; si Christus institutum nostrum confirmavit in cœnaculo, sicut ipsorum in monte Thabor tempore gloriosæ suæ Transfigurationis; si habuimus Religiosos trium classium, monachorum atque monacharum, conjugatorum & cœlibum, ac denique militarium, sicut Carmelus habuit, quem-* [illegible] *modum in Historia mea probabo; si vota nuncupaverunt observaruntque majores nostri, æque ac majores ipsorum; si monstramus perpetuam a nostris Patriarchis successionem, sicuti suam a Prophetis ostendunt Carmelitæ; si pro Elia atque Eliseo Generalibus, ipsis possumus nominare Abraham, Loth, Laban, Tobiam, Duces nostros; si pro ipsorum Conventibus in Galaad, Carith, Horeb & Carmelo, habuimus conventus nostros in convalle Mambre, Pentapoli, Mesopotamia, Hierusalem, Hiericho, Sunam & Sareptæ, ac cetera, quibus mundus plenus semper fuit, Hospitalia; quo jure prætendunt illi esse antiquiores nobis? & qua veritate nobis se volunt anteponi? Si enim illi per suos istos Patres attollunt sese ad nongentos annos ante Christum cum Elia; nos ad alios nongentos annos ante Eliam extendimus principium nostrum cum Abrahamo Patre nostro.*

11 *Quid ad hæc dicere poterit P. Sebastianus a S. Paulo; vel objicere P. Daniel Papebrochius? An invenire poterunt per tot seculorum decursum Auctorem, qui contradixerit isti nostræ, licet hactenus peregrinæ, descendentiæ? Omnino nullum. Nos vero eis dabimus, qui illam confirment & testificentur pro millibus annorum & centenariis seculorum. Nam quis de hoc dubitaverit? quando jam allegavimus Chrysostomos, Chrysologos, Basilios Seleucienses, Tertullianos, Ambrosios, omnes magnæ & auctoritatis & antiquitatis Patres. Quin & modernos nostræque ætatis scriptores nominabo. In tomo, quem de Legis gratiæ Abrahamo, sancto, inquam, Joanne de Deo, composuit noster R. P. Fr. Joannes Sanctos, invenitur propositio confirmata & illustrata per plures doctissimos scriptores, qui apud exteros magnam fidem faciunt, P. Joannes Duque de Estrado, Societatis Jesu, P. Fr. Alfonsus Bastin, Dominicanus, in sermonis asserens, quod* „ Abraham „ fuit pater pauperum, & domus ejus hospita„ lia; *P. Fr. Joannes Baptista Sicardus, Augustinianus; P. Fr. Mencius Franciscus de Ulloa, Carmelita, licet non tam clare, dicit tamen quod* „ Carith fuit Hospitale Eliæ; *P. Fr. Manuel de Leon, Trinitarius, latissime; P. Martinus de Cabrera, Clericus Minor, his verbis* „ Abraham „ primus hominum, in mundo constituit & fun„ davit ministerium Hospitalitatis; *P. Fr.*

Joseph

Joseph ab Incarnatione, Augustinianus Discalceatus, in istud Gen. 21. „ Abraham plantavit nemus in Bersabee, *dicit, quod ibi fundavit Hospitalitatem; citatque Menochium ibidem cap. 21. Glossam, atque Hugonem a S. Caro ad cap. 18. Geneseos. Fr. Petrus a S. Teresia, Carmelita Discalceatus, confirmat nostram Hospitalitatem in Sunam; & P. Thomas de Salas, referens dictum Angeli Raphaelis ad S. Joannem de Deo,* „ Omnes sumus unius Ordinis; *nam & iste cum aliis duobus Angelis præsens fuit in Mambre.*

12 *Plures alios Auctores taceo, atque in proprium tempus reservo; solum quæro, quid præfati scriptores duo, Sebastianus & Daniel, opponere his possint, aut ubi reperturi sint Bullas vel Concilia in contrarium? Neque obstabis, si P. Fr. Franciscus a S. Maria respondeat, Abrahamum totum spectasse ad Legem naturæ, atque fuisse Hebræum; sicut de Moyse dicit, quod fuit Judæus; Elias autem plus habuit ex Christianismo, &c. Hoc enim absque fundamento dicitur, quia tam Christianus fuit Moyses quam Elias, & Abraham tam Christianus, quam illi ambo. Sanctitas enim antiquorum Patrum sumpta fuit ab Evangelio, veluti ab exemplo, sicuti auctor Apologiæ pro Historia prophetica confirmat ad singulas paginas, quomodo autem istam sic a Christo sumpsit Elias, ut indidem ipsam non sumpserint Moyses & Abraham Pater noster?*

13 Hactenus Apologus, *supposita citationum fidelitate* (uti loquitur Approbator quidam Exhibitionis errorum, quam pergimus refutare) haud adeo male procedens in assumpta similitudine; sed numquam inventurus, quomodo connectat suum S. Joannem de Deo, (primum hactenus creditum fundatorem ejus Hospitalitatis, quæ nostrum seculo superiori Ordinem distinguit ab aliis, in Ecclesia prioribus habitis) connectat cum aliis ubique hospitalibus, seculi ejusdem, ut illis mediantibus sursum ascendat ad Abrahamum. Vitam istius S. Joannis duplicem dedi 8. Martii, atque in prævio Comm. docui, *Ordinem Hospitalitatis* sic fuisse ab eo institutum, ut nec ipse ullis Religiosis adstrictus votis esset, neque moriens an. 1558. discipulos relinqueret, talia professos: hoc enim eis primus concessit Pius V. anno 1571. Ipse vero si saltem cum Ordine Hospitaliorum S. Joannis Hierosolymitani, nunc Equitum Melitensium, connecti potuisset, veluti qui in eo gradum tenuerit Servientis, quemadmodum tenuisse creditur B. Gerardus de Villa-Magna in Hetruria, de quo ego 13. Maji; potuisset per eos citra contradictionem ascendere ad alium B. Gerardum, Hospitalis Hierosolymitani Rectorem anno 1099. quando Urbs sancta obsidebatur & capta fuit a Christianis (unde mox ortus est nobilis Equitum istorum Ordo) & saltem ad unum seculum ultra Bertholdi primi tempora attolleretur Ordo Hospitalitatis; tantoque altius, quanto altius attolletur dicti Hospitalis fundatio; cujus initium ignoratur, & cujus primam institutricem posset quis opinari S. Helenam aut S. Melaniam fuisse; indeque ascendere ad tempora Apostolorum.

14 Sed, ut dixi, non probatur connexio: sicuti nec Tu, Rev. Pater, hactenus potuisti invenire, unde probares, quod, uti vester nunc Generalis, successive & absque interruptione, ascendendo per suos decessores, pertingit usque ad primum Latinum in Carmelo Priorem seculo XII. ita Prior iste per propagationem spiritualem descenderit immediate ab alio aliquo Carmelitarum vetustiorum in Terra sancta vel extra eam Generali sive Cœnobiarcha, qui eum habitu donarit, atque ad tria Religionis vota nuncupanda susceperit, itaque copulaverit cum iis qui prætenduntur (vere an falso nunc nihil interest) sursum ad Joannem Baptistam, indeque ad Eliam adduci posse. Quando tamen, R. P. tibi placet, connexionem ejusmodi non probare, sed ut certam minimeque controvertibilem supponere, secula ab Eliæ temporibus singula percurrendo; sequar vel invitus, ut videam quid allegare possis pro adducendis illuc Monachis Syro-Græcis, quos ante Latinos credi jubes in Carmelo fuisse; & quibus sese Bertholdus vester adjunxerit, sicut & alii omnes ex Europa Peregrini, *qui ab Occidente supervenerant* post cœptam Terræ sanctæ recuperationem.

15 Non es docendus a me, P. Rev. quid de principiis istius vestri primi Bertholdi ejusque sociis, legatur in Epistola, S. Cyrillo Priori tertio a vobis attributa: sed Lectori meo, minus in istis versato, operæ pretium fuerit hic exponere verbotenus. Narrat illa Epistola, quod *Aymericus*, Antiochenus Patriarcha, *intelligens quosdam eorum* (scilicet Peregrinorum, qui ex Europa supervenerant) *spretis seniorum monitis, non recte ambulare ad veritatem religiosæ vitæ, in Joannis Hierosolymitani libro descriptæ; & perpendens hoc ideo maxime contingere, quia Græcas litteras ignorantes, nesciebant codicem illum legere, fecit codicem illum de Græco in Latinum transferri. Et ut illorum improborum coerceretur audacia, tutaque apud eos esset seniorum Eremitarum hujus montis innocentia, ipsos omnes per obedientiæ vinculum colligavit: statuit enim, quod ex ipsis unus, qui diceretur Prior, deincept eis ita præesset, ut quilibet aliorum obedientiam ei devoveret. Quibus etiam antea licet semper unus ex eis præesset, quem Abba, lingua Syra, & Patrem, Latina appellabant, sub cujus regimine etiam tunc temporis manebant, & cui etiam tamquam Patri secundum institutionem obediebant; numquam tamen, ad obediendum alicui, se voto speciali prius obligaverant, donec prædictus Patriarcha Aymericus omnes primo ad hoc adstrinxit.*

16 Eatenus ergo nondum erat, secundum hunc qualemcumque Auctorem, formatus Ordo vester in proprie dictam Religionem, cui tam essentialis est trium votorum professio, ut absque hac Religio perfecta haberi nequeat, etiam secundum vos, vel ideo tam pertinaciter contendentes pro iisdem votis stabiliendis in Elia & Filiis Prophetarum, conatu (ut superiori Articulo demonstravimus) irrito. Verum istam qualemcumque cum Syro-græcis, Eremitis quidem, sed non Religiosis, & (quod pejus est) tum vel maxime Schismaticis, connexionem evertit demonstrata epistolæ illius suppositiciæ illegalitas, & Joannis Phocæ certius testimonium; Elianæ in Carmelo anachoreseos, post tot intermediæ desolationis secula, restauratorem illuc adducens ex Europa, jam Monachum & Sacerdotem, adeoque, Benedictinum, Cluniacensem vel Cisterciensem: qui cum non prætendant Eliam habere Fundatorem eo quo vos modo, & fuerint ab initio suæ institutionis perfecti sub tribus votis Religiosi, non potestis per

hus

hos invenire connexionem requisitam. Sed hanc, ut dixi, inveniendam desperantes dimittamus, & progrediamur ad processionem status Mnnastici qualiscumque ab Elia, cum votis vel absque illis, in vita solitaria successive continuandi, qui primnrum saltem Paragrapbnrum scopus est, & contra quem me cogitis venire vel invitum.

PARAGRAPHUS I.

Carmelitarum Ordo ab Elia Propbeta instituitur in monte Carmelo, & perseverat usque ad mortem Elisei Propbetæ.

RESPONSIO.

17 NE non tibi ubique similis esses, Pater Rev. exordiris a visinne jam inties decanrata, ex Pseudo-Epiphanin eique similibus, licet ex vern certoque Epipbanio manifeste refutatam; & dicis, quod *viri niveum quemdam frrentes babitum, pusionem salutabant; matrisque uberibus abstractum, in igne abluebant, quin & flammam ignis cibi loco ministrabant*. Tum subdis, quod a Te *Art.* 15. §. 15. *ostensum fuit, per visionem istam*, Snbacn pueri patri nblatam, *fuisse præsignatam Ordinis Eliani institutionem futuram*. De ipsa visione, cur eam recipere recusem ut certam, ratinne (ut putn) idonea istic declaravi: bic lubet mirari, quomodn ii qui in nativitate, parvuli apparuerint, futuri ejus filii esse putentur, eum nihil prnpius esset ordini naturæ quam npinari, qnod viri isti candidati atque igniferi, furrinr aut denotaverint ipsius pusionis majores, Mnysen, Aaronem, Eleaaarum, Phineen, zeln contra impios plane igneo serventes, eumdrmque zclum parvulo sun nepoti inspirantes. Ob hanc sane causam usque adeo delirarunt Rabbinornm aliqui, ut Phinressum & Eliam in unam eamdrmque conflarent persnnam, non obstante enormi qua eum oporteret vixisse ætate.

18 Quoniam autem Scriptura narrat Numerorum cap. 11. qualiter *septuaginta viri*, divinitus dignati participatione spiritus, qui antea in snlo Moyse fuerat, *propbetaverunt*; *nec ultra cessaverunt*; quod eorum prophetare, non aliud erat quam laudes Den canere; & quia tale institutum adbuc durabat tempore Samuelis atque Saulis, nnn videtur diversum ab eo concipiendum istud esse, quod tempore Elisei in suis quasi conventibus tenebant *filii Propbetarum*. Quæro igitur, cur hos ab Elia potius institutos dicitis, quam a Moyse? Quod si ad Mnysen usque evebere vobis liceat principia Ordinis Prophetici, & bic est idem qui Carmeliticus; quid ni etiam per ejusdem Moysis progenitores Levitici generis, ad Patriarcbas omnes ascendere vobis liceat usque ad Enns, nepotem Adami? De ipso enim legitur Gen. 4. quod *cæpit invocare nomen Domini*: & hoc passim Interpretes explicant de singulari quadam certisque ceremoniis & legibus adstricta ratione divini obsequii, puta per hymnos & cantica ad eum finem composita (nam sarrificium offerre Deo, novum non erat, sed ab ipso Adamo institutum) istud autem erat prophetare; & hnc incipiens Enos, poterat dici primus Ordinem Propheticum instituisse. In tali vero Ordine non magis vota requirentur, quam in Elia ejusque sequacibus: quos licet probare non possitis ulla vota nuncupasse; Monarhorum Duces dici patimur, quia ad vetus propbetandi institutum addiderunt prnfessinnem seu exercitium vitæ solitariæ. Atque ita Hospitalitatis Ordo, qui ab Abrabamn fingitur inchoatus, tam lnnge cedere cogetur Ordini Prophetico, & per cnnsequens Carmelitico, quantum senior Abrahamn fuit Enns, plus quam mille annis ipso prinr.

19 Rides, credn, Lector, genealogiam tam interminatam, atque in mera circa nomen Ordinis Prophetici logomachia fundatam: sed doleo egn huc nos deducí per istam humanarum vocum cnnfusionem; ex quarum institutinne & usu quotidiann cum passim snleamus Religinsos Ordines inter se distinguere, secundum varietatem Regularum & Constitutinnum, nnlunt Patres Carmelitæ sui Ordinis institutionem auspicari ab iis qui seculn XII. convenerunt in Carmelo peregrinis, atque a Regula quam eis dedit Patriarcha Albertus: sed vnlunt eum procedere a Mnnachis Syro-Græcis. Ast bi erant suis Hegumenis sive Abbatibus per obedientiæ votum obstricti, quo vntn isti Carmelitæ necdum adstringebantur, ut fateri dicitur ipse enrum tertius Generalis, aut sub hujus nomine Carmelita aliquis Epistolæ præcitatæ auctnr. Vnvebant autem Syrn-Græci sub professione Regnlæ Basilianæ, a qua non magis sumpta est ab Albertina, quam ab Augustiniana vel Brnedictina.

20 Putant quidem hndierni Carmrlitæ, magnam se videre inter Regulas Basilii & Alberti similitudinem; srd qui Carmelita nnn sit, neque præoccupatus, talem facile inveniet ejusdem Albertinæ Regulæ similitudinem cum Benedictina vel Augustiniana: nmnes enim Religiosnrum Ordinum Regulæ aliquid inter se commune habent, sicuti in sua Regularum Concordia apte docuit S. Benedictus Anianæ Abbas. Quandoquidem tamen per Carmelitas nnn licet eos distinguere a Syro-Græcis Basilianis (quorum aliquos in Carmeln fuisse a quinto seculo ad duodecimum nullo idonen teste probatnr) ascendamus porro ad Eliam, & videamus quomodn P. Sebastianus ab hnc ad Syro-Græcos descensurus sit, per seriem temporum nusquam interruptam, semperque inventurus Mnnachns in Carmelo, tria Religionis substantialia vota, sicut ipsi nunc profitentur, professns.

21 *Elias*, inquit, tam mirabiliter natus, postea *recessit in solitudinem Carith, ubi vitam solitariam & vere religiosam duxit, secundum divinam ordinationem, ut explicat verba Scripturæ* 3. *Reg.* 17. *Joannes Hierosolymitanus apud Lezanam. Unde variis binc inde successu temporis ad eum accedentibus, ob sanctitatem vitæ & mirabilia quæ faciebat, discipulis; cum eis Carmelum montem ascendens, Ordinem suum ibidem inchoavit & instituit; ubi regulariter permansit cum illis, qui ideo usque in hunc diem vocantur Carmelitæ*. Probat hoc P. Sebastianus ex Abulensi in 4. Regum 1. quod *postquam accepit ignem pro sacrificio & occidit ibi propbetas Baal, semper manere voluit in monte illo, religiose vivens*. Ex Cornelio autem a Lapide, in cap. 7. Canticorum, addit, quod in monte illo *Religiosam familiam virorum Deo servientium, qui in libris Regum Filii Propbetarum vocantur, instituit; unde ab hoc monte Religiosi Carmelitæ, quasi Eliæ posteri, nomen acceperunt*. Similia fere sunt verba Sanchez, in 3. Reg. 17. (*Gasparem Sanctium* nominare oportuerat) ex a Lapide porro,

porro, in ejusdem libri cap. 18. *Tempore*, inquit, *Eliæ & Elisei fuisse oratorium vel synagogam, ad quam festis diebus populus conveniret ... satis significatur lib. 4. cap. 4. idque ibidem docent Liranus & Abulensis & alii*. Hieronymus denique Guevarra, Societatis Jesu etiam ipse, ut priores duo, tomo 1. in Matthæum fol. 159. *Non abnuam*, inquit, *dicere*, *Eliam*, *qui prior Religiosorum parens & vitæ monasticæ fuit institutor*, *nonnullas scripsisse Regulas*, *quibus vivendi formam uniformem illis Religiosorum conventibus*, *qui in Carmelo erecti fuerunt*, *præscripsit*.

22 Expectabam ego, P. R. ut primam fundamentalemque conclusionem, de primo Carmelitarum conventu ab Elia fundato, probares, si non claris Scripturæ testimoniis, saltem communibus plurium Sanctorum Patrum suffragiis, quibus illud expressissime assereretur; ipsumque tam credibile redderes, ut citra temeritatem non posset in dubium revocari; & ecce nihil adfers præter Interpretum quorumdam, sic vestris placitis persuasorum, meras conjecturas, in re historica, & quidem ante annos 2500. gesta, parum valituras apud eruditos, ultra quam rationes probent quibus nituntur: nituntur autem illi omnes prætensa Carmelitarum traditione, quæ quam nullius hic ponderis sit, satis probat evictio suppositionis contra librum de institutione Monachorum, aliumque jam abolitum de militia primitivæ ecclesiæ, Joanni Hierosolymitano & Josepho Antiocheno, ut secundo quintoque seculo scribentibus, attributos. Videamus ergo quam parum fundamenti in Scripturis habeant conjecturæ præfatæ.

23 Vitam ab Elia *religiose* institutam, quatenus a virtute *Religionis* adverbium istud ducitur, & *religiosus* dicitur Dei cultor, nemo prudens dubitaverit: in significatione autem ejusdem vocis recentiori & secundaria, prout vitam significat votis tribus adstrictam, ostendi, veteri Testamento non congruere. Quod primum vivere solitarius Elias cœperit, postquam a Deo audivit 3. Reg. 17. *Recede hinc* (id est procul ab urbe regia Samaria, ubi residebat Rex Achab, cui superventuram siccitatem propter ejus peccata prædixerat) *& abscondere in torrente Carith*, *qui est contra Jordanem*: *& ibi de torrente bibes corvisque præcepi ut pascant te ibi*, quod, inquam, tunc primum cœperit vivere solitarius Elias, & quidem ut Religiosus, probari hic non video: nam quæ verba hic important vitam solitariam perpetuo ducendam? cum jam tum ætatem virilem ageret, & potuerit æque ac Joannes, usque ad diem apparitionis suæ vixisse solitarius, etiam in Carmelo; & hæc ei causa fuisse, cur certamen initurus cum prophetis Baal, pluviamque de cælo eliciturus, evocaverit eos in montem istum, longius positum a Samaria, in qua Rex degebat.

24 Quod autem idem Elias ad torrentem Carith tam occultus, ut eum oportuerit ibi pasci a corvis, quod metus esset, ne per homines ipsi ministrantes innotesceret ejus latebra offenso Regi: quod, inquam ibi cœperit colligere discipulos, Ordinemque instituere, ut vult Lezana, præter omnem verisimilitudinem est. Sed neque tam longa illi istic mora fuit, ut de re tali credendus sit cogitasse Propheta, tunc, cum naturæ suæ relinquebatur, pavidus valde. Abulensis (quem contra me citasti, Pater Rev. ea quam infra notabo fide) in 3. Reg. cap. 17. q. 21. quærit. *Elias quid egerit apud torrentem*, & respondet: *Non fuit illuc ire jussus*, *ut ibi aliquid faceret*, *sed ut ibi lateret*, *ne inveniret eum Achab*; *nihil ergo habebat agendum*, *nec tamen otiosus erat*; ... *& si dicat*, *Quid agebat? dicam*, *quod illud agebat*, *quod nunc agit in Paradiso terrestri*.

25 Porro *post dies* (non quidem valde paucos, non tamen tam multos, ut etiam menses implerent) inde dimissus Propheta in Sareptam Sidoniorum est, a vidua pascendus; apud quam mansit reliquo tempore siccitatis, quæ duos annos menses sex duravit; & nec ibi quidquam agere circa Ordinem fundandum potuit. Regressus autem, & in Carmelum ascendens cum Rege, non unum diem istic mansit, quin statim, mortem sibi a Jezabele intentatam fugiens, *abiit quocumque eum ferebat voluntas*; *venitque in Bersabee Juda & dimisit ibi puerum suum*, nescitur quando & ubi assumptum, unicum tamen quem ei debeamus socium dare, usque ad eum diem, quo Eliseum assumpsit in discipulum & consortem Prophetici muneris, qui & ipse puerum scitur habuisse Giezi, alium vero, qui quidem a Scriptura indicetur, neminem. Nam filii Prophetarum, in quorum conventibus seu seminariis subinde hospitabantur ambo, cum per eos iter erat, sicuti ante illos fuerant instituti, sic non probantur illorum nova ac speciali disciplina fuisse informati, aut ipsorum obedientiæ specialiter sese subjecisse.

26 Hunc cum ab hominibus auferendus Elias esset, filii Prophetarum obviam egredientes ex Bethel & Jericho, non dixerunt, *Nosti quia hodie Dominus tollet Dominum nostrum*, vel *Patrem nostrum a te*; sed *Dominum suum*, quia aliter Eliseus *suum* vocabat, aliter isti; ipse scilicet ut Magistrum, isti ut ætate & dignitate, non autem ut jurisdictione potiorem; nec enim plus importat honorifica appellatio *Patris*, qua passim a juvenibus seniores compellantur. Quidquid amplius intuleris, mera conjectura erit: uti etiam hæc, qua præsumi volunt Carmelitæ, quod isti filii Prophetarum vitam agerent solitariam, cum eorum domicilia in Galgalis, Bethel, Jericho, ac monte Ephraim fuerint, omnia in civitatibus, procul a Carmelo & solitudine quam Elias & Eliseus sectabantur. Sicut tamen agnoscimus in propheticis istis convictibus rudimenta quædam gratiæ Cœnobitas facere incipientis, ut eatenus etiam ipsi possint Monachorum Duces vocari, sic & in ipsis duobus prædictis Prophetis agnoscimus aliquid excellentiæ superioris, ob quod vocari possint Patres, Magistri & Institutores Monachorum, sicut Paulus Thebæus fuit Eremitarum, & S. Guilielmus Eremita apud Stabulum Rodis in Hetruria 10. Januarii colitur & dicitur Institutor ac Fundator Ordinis Guilielmitarum, ad suum sepulcrum collectorum; licet nec Religiosus ipse fuerit, nec ipsi unicum discipulum quoad vixit admiserit.

27 Ast, inquies, Elia rapto, & redeunte trans Jordanem Eliseo, filii Prophetarum *dixerunt*; *Requievit spiritus Eliæ super Eliseum*: *& venientes in occursum ejus*, *adoraverunt eum proni in terram*, quod explicans Abulensis asserit, *inter filios Prophetarum fuisse notorium*, *quod Eliseus succederet Eliæ quoad ipsorum regimen*. Quæro Abulensem, Rev. Pater, in 4. Reg. cap. 2. q. 28. (nam q. 11. quam citas, nil huc spectans invenitur) & sic lego: *Quando viderunt quod Eliseus*

lisens divisisset aquas Jordanis pallio Eliæ, cognoverunt quod spiritus Eliæ transisset in eo, scilicet quantum ad prophetiam & gratiam ad operationem miraculorum : & hoc cognoverunt per duo signa; primum erat, quia Eliseus portabat pallium Eliæ; & quod non dedisset ei Elias illud, nisi succederet ei in dignitate prophetandi & miraculorum. .... Postea autem explicans quomodo iidem Eliseum adoraverunt, inquit; *Humiliaverunt capita sua usque ad terram, incurvando se super illam*; & *illud pertinebat ad magnam reverentiam*. Hæccine, Pater Rev. significant agnitam in Eliseo successionem in regimen Ordinis alicujus?

28 Profecto vereri cogor, ne æque male intellexeris locum Abulensis prius a Te citatum: quamvis enim ibi legam, quod *Elias semper voluit manere in monte illo, religiose vivens*; video tamen consequenter hoc addi, *ut declaratum libro præcedenti*: ad cujus c. 21. q. 9. fuse id probatum invenio, sed de modo istic vivendi aliud nihil, quam quod *habuit devotionem manendi in eo; & semper ibi mansit usque ad tempus, quo raptus est in curru igneo*: unde intelligitur, quod religio vivendi in Carmelo, aliud ex mente Abulensis non fuit, quam simplex devotio erga locum, tanto miraculo illustratum, quantum erat ignis cælitus immissus sacrificio.

29 An autem vel oratorio, quod in Carmelo extruxerit Elias, favet Abulensis, uti supponit a Lapide, prout a Patern. Tua citatur? Consulo eum: & aliud non video in cap. 4. libri 4. q. 30. quam quod *in Sabbatis & Kalendis & aliis festivitatibus conveniebant Judæi ad Synagogam, vel ad loca in quibus essent viri eruditi, qui possent docere de Lege*, qualia haud dubie Eliseus erat, ad quem talibus diebus itare solebat mulier Sunamitis: sed de oratorio vel synagoga, quæ esset in ipsomet Carmelo, verbum facit Abulensis nullum. Quia autem dubitat, quin ad Eliam vel Eliseum, sedentes in spelunca ad fontem, ire potuerit sacræ lectionis vel doctrinæ causa, absque peculiari istic oratorio: nam synagogam, magnæ turbæ capacem, ab illis extructam, cogitare vetat studium solitudinis, cujus amore istic elegerant habitare. Quamvis autem credere possimus, saltem istam mulierem, post expleta officia quæ in synagoga obiri moris erat, idque in aliqua Carmelo vicina, solitam inde excurrere ad visitandum Prophetam, non sequitur id passim alios fecisse; nedum eo in monte fuisse monasterium discipulorum Eliæ.

30 Hunc vero, quod Guevarra dicat, *nonnullas illis scripsisse Regulas*, conatur ille quidem verosimile reddere, quia id *jugi tenore sacrarum familiarum fundatores, qui illius vestigium sunt secuti, inviolabiliter observarunt*: sed Tu, R. P. hoc rejicis, ut *communi & constanti Carmelitarum traditioni* contrarium; ideoque Trithemium allegas dicentem, quod, *quamvis Carmelitis Regulam scriptam non dederit, eis tamen exemplo conversationis, vivendi forma fuit, quibus post se & locum & habitum concessit*. Verum ejusmodi recentiorum scriptorum conjecturæ potius quam solidæ auctoritates, movere nos non possunt, ut in illis fundemus certam institutionis Carmeliticæ, qualis prætenditur, fidem. Itaque in toto hoc primo Paragrapho, quem certissimis oportuisset probationibus niti, nihil est, quod non possit tam facile negari, quam gratis asseritur.

31 Restat locus ille 4. Reg. cap. 6. quo *dixerunt Filii Prophetarum ad Eliseum; Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis*; unde sequi prætendis, P. R. quod inter eos, tamquam Superior in monasterio, habitarit Propheta. Sed cur non ut hospes in transitu? Nam sic etiam lib. 4. cap. 2. dicitur, quod *habitabat in Jericho*, & cap. 6. *in Dothan*, locis utique minime solitariis, sed civitatibus populosis; nec ita stabilis in Carmelo Eliseus fuit, sicut fuerat Elias, qui non nisi raro in civitatibus comparebat. Hic ego finem feceram, cum accepi Roma deductionem & exitum litis, quam anno 1670. super habitu Prophetæ, Basiliani moverunt Patres Carmelitæ, cujus deductionis visum est ecgraphum integrum proferre, quia docet, qua ratione soliti fuerint Basiliani Monachi (adeoque & ceteri tam Syri quam Græci, non soliti in talibus discrepare) consueverint S. Eliam exprimere, multo prius quam Carmelitæ acciperent suum hodiernum habitum, quem ei appingunt; imo prius quem ipsis initium daret apparitio Prophetæ, Monacho isti facta, de quo loquitur Joannes Phocas. Eccum historiam.

32 Rogerius Primus, Siciliæ magnus Comes, Normannus, anno circiter 1080. ecclesiam divo Eliæ Prophetæ, in loco a civitate Troyna, Messanensis in Sicilia diœcesis, quinque millibus passuum dissito, ubi ei in auxilium stricto gladio contra Saracenos apparuerat, in grati animi memoriam, pro parta insigni victoria, ædificari jussit, adjuncto Basilianorum Monachorum cœnobio. Hoc cum anno 1670. evidentem ædificiorum ruinam, ob frequentes proximi montis Ethnæ terræ motus, minaretur; obtentis Apostolico ac Regio assensibus, in ecclesiam, divo Silvestro, civi Traynensi ac Basiliano Monacho Confessori dicatam, contra muros ejus civitatis, transmigrare coacti sunt Monachi, adducta secum S. Eliæ, Tutelaris veteris ecclesiæ, imaginis copia, extracta ab originali imagine 600. annorum, vetustate jam consumpta: quam in nova divi Silvestri ecclesia in quadam capella reposuerunt. Depictus ibi cernebatur S. Elias, rubeo pallio obvolutus, veste pellicea usque ad genua protensa, nudis pedibus, manu sinistra gladium tenens, in cujus cuspide accensus ignis eminebat, cooperto capite birreto quodam cubeo, aureo velo circumvoluto.

33 Hanc cum vidissent imaginem Patres Carmelitæ, qui in conventu ejusdem civitatis Troynensis degebant, incredibile est quos strepitus ac clamores emiserint. Nam conquesti primum sunt cum Patribus Basilianis de injuria, quam suæ Religioni asserebant inferri, publice Fundatoris sui imaginem exprimendo, absque cappa alba & habitu Carmelitano. Deinde commoverunt populum suosque devotos, ut præfata imago penitus a loco dimoveretur. Sed cum nihil se proficere adverterent, recursum habuerunt ad Archiepiscopum Messanensem, tunc D. Josephum Cicolam; instantes enixe, ut præfatam imaginem, ad evitandum scandalum, quod ex ea, in præjudicium Carmelitanæ Religionis, oriebatur, removeri mandaret. E contra vero Basiliani Monachi asserebant, nihil per eos hac occasione innovatum fuisse, sed copiam pervetustæ imaginis, quæ in veteri S. Eliæ ecclesia, a sexcentis

tis & amplius annis, fidelium venerationi publice exstiterat exposita, in novam S. Silvestri ecclesiam simpliciter transtulisse; nec unquam assensuros, S. Eliæ imaginem, in habitu Carmelitano depictam, in sua Basilianorum ecclesia collocari. Quia præterquam quod grave præjudicium antiquitati ac prioritati Religionis S. Basilii ex tali pictura inferendum cognoscebant; falsi dogmatis ac periculosi erroris rudibus populis, juxta S. Concilii Tridentini decretum (*sess. 25. de Invocat. Sanctorum*) occasionem præbere poterat, falso putandi, S. Eliæ Regulam, veteri Legi conformem, adhuc sub Lege evangelica a Carmelitanis observari, si dictus Elias Propheta in habitu modernæ Religionis Carmelitanæ, tamquam Fundator ac Legislator ejusdem, depingi permitteretur.

34 His aliisque hinc inde adductis rationibus, cum nihilominus Carmelitani non acquiescerent, eorum instantia, tamquam frivola & insubsistens, ab Archiepiscopo ejusque Curia fuit tandem rejecta. Sed ipsi ad sacram Rituum Congregationem recursum habuerunt, eidemque supplicem libellum cum copia prædictæ imaginis, in charta depicta, porrexerunt, exponentes, nimium eorum Religionem offendi a Basilianis Monachis, qui S. Eliam, eorum Patriarcham & Institutorem, pallio ac birreto rubro, tamquam Bassam Turcarum depictum, in eorum ecclesia publicæ venerationi exponerent. Lecto in Congregatione libello, ac visa copia imaginis, audientes Eminentissimi Patres, quamvis nihil sacrorum Rituum decretis obstare cognovissent; cum prædictus S. Elias passim omnibus in locis (extra tamen ecclesias & conventus Carmelitarum) in tabulis, parietibus, ac sacræ Bibliæ libris, in habitu simplici Prophetarum exhibeatur; nihilominus Eminentissimi Patres, instantiis, supplicationibus, commendationibus, pro parte Carmelitarum suppliciter porrectis, commoti ac benigne inclinati, removeri mandarunt dictam S. Eliæ imaginem, aliamque reponi, absque tamen habitu Carmelitano, ut ita justæ ac rationabili Basilianorum instantiæ adhuc satisfacerent.

35 Sed hoc opus, hic labor fuit. Nam Carmelitani, etiam aliorum Conventuum, mutuo se adjuvantes, varias diversasque vestium formas excogitavere, quas, auctoritatibus scriptorum roboratas, in folio eidem sacræ Congregationi exhibuerunt. Sed omnibus (utpote ad Carmelitarum modernum habitum ac colorem accedentibus) rejectis, aliam, a Basilianis Patribus propositam, nempe S. Eliam veste pellicea ac consimili zona præcinctum, cum pallio crocei coloris, nudis pedibus ac brachiis, discooperto capite, sacra Congregatio approbavit, ac depingi & publice exponi concessit, mense Martio sub die 16. anno 1686. absque tamen speciali Decreto, justas ob causas sibi bene visas, sed oretenus, retenta copia in Actis ejusdem Congregationis, quæ videri potest. Hujus enim imaginis habitus conformior visus est Eliæ habitui, qui in sacra Scriptura, libro 4. Regum cap. 1. distincte describitur, ac cognitus fuit ab Ochozia; qui his verbis nuntios suos *interrogavit; Cujus figuræ & habitus est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? At illi dixerunt, Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est.* Adjunctum fuit & pallium, sed non album, de quo fit mentio in eodem l. 4. c. 2. cappam enim albam Carmelitæ ab Honorio Papa III. (*imo IV.*) acceperunt. Consimilis postea descriptæ S. Eliæ imagini, ab insigni pictore Maratta depicta cernitur inter alios Prophetas, in aula Regia ante capellam Pontificiam, in Palatio Apostolico montis Quirinalis.

36 Dantur hic denique adnexæ duæ copiæ



(*ego multo minori forma hic sculptas exhibeo*) una scilicet, ex antiquo exemplari, a sexcentis & amplius annis exposito in ecclesia veteri S. Eliæ civitatis Troynensis Monachorum S. Basilii, quod vetustate consumptum Romæ in collegio ejusdem Religionis adhuc asservatur; altera, ex jam approbato (ut dictum est) a Congregatione sacrorum Rituum, absque tamen habitu Carmelitano, quod videri potest in supradicta ecclesia S. Silvestri civitatis Troynensis in Sicilia, ut ex his documentis vanitas antiquitatis Ordinis Carmelitarum a S. Elia Propheta, ante divini Verbi Incarnationem, magis elucescat.

37 Hactenus Relatio, una cum aliis pluribus documentis, Basiliani Ordinis Sanctos spectantibus, nobis communicata a Reverendissimo Patre D. Petro Menniti, Abbate & Procuratore Generali dicti Ordinis Romæ. Ex hac autem Relatione non solum discimus, quo habitu passim soleat iste Ordo, ab immemorabili tempore, S. Eliam pingere; sed etiam quid idem totus sentiat de antiquitate & processione Carmelitana. Neque est quod rubrum colorem pallii miretur aliquis: is enim color in talibus communis est apud Græcos pictores, etiam pro S. Joanne Baptista; sicut possumus unicuique ostendere ex originalibus apud nos Diptychis, ex ritu Græco in Moscovia depictis, quorum ectypon dedimus ante tomum primum Maii pag. LXXI. Ex eadem Relatione deducitur, quam nihil præjudicatum voluerit S. Congregatio antiquitati & prioritati, a Basilianis ab iis supra Carmelitas prætensæ; atque adeo quam nihil certitudinis inesse crediderit horum ab Elia similiter prætensæ processioni, quamvis allegantium Lectiones sibi ab eademmet Congregatione permissas; tantum abest ut hinc putaverit moraliter & historice certum argumentum pro illa processione duci. Non est autem opus, ut moneam lectorem, advertere animum ad parum moderatum modum horum Religiosorum in suis opinionibus sustinendis, contra quoscumque sibi vel in minimo adversantes; cum affectuum talium impotentia tam manifeste tanto-

que

que cum strepitu eruperit, non contra me tantum meaque scripta; sed contra totam Societatem nostram, quam cogere modis omnibus volunt, ut me jubeat retractare quidquid ab ipsis provocatus, veritatis solius studio, tractare compulsus sui.

38 In habitu, Prophetis omnibus apud Basilianos communi, ut hi asserunt, Bassam Turcicum exprimi, nemo, præter Troynenses Carmelitas nuper, sibi imaginatus fuerat tot annis seculisque currentibus; calumniam esse, temere Basilianis impactam, sine ullo ad habitum Turcarum respectu, quibus & superior vestis laxioris tunicæ seu togæ formam habet, & capitis tegumen, proceribus usitatum, globosæ est formæ, vulgo *Turbant* dictum; pedes autem cautissime tecti: & hæc non possunt cuiquam esse ignota, qui Turcicos Bassas aliosve primores saltem pictos viderit: quis autem non vidit sæpius? Itaque missum istud facio: sed puto imprimis notatu dignum esse, quod S. Congregatio Melotam Eliæ jusserit ex vellere albo pingi, non subrufo seu castaneo nigricante, qualis est color Ordini utrique in tunicis communis. Quod autem omnino jusserit pelliceam appingi, utrorumque consentienti opinioni datum potius crediderim, quam pleno firmoque judicio. Certe non video, quomodo aliter *Vir pilosus* dicatur Elias, quam Esau Genes. 27. *Homo pilosus*, id est hirsutus; quod ad materiam habitus nihil facit, sed qualitatem corporis hirsuti capitisque intonsi ac bene barbati.

39 Multo minus video, cur nunc passim a Carmelitis pingi & sculpi curetur Elias, cum pellicea, non tunica, sed chlamyde; plane contra quam docet ille, in cujus verba jurant, Liber de Inst. Monachorum. Dicit enim cap. 3. quod *quia Melotæ gestatio succedentibus temporibus derisum potius quam ædificationem eam videntibus comparabat; ... Professores hujus* Carmeliticæ *Religionis .... loco ejus tunicam lanæ, non pretiosæ, sed mediocriter asperæ, ejusdem coloris, cujus existebat Melota, quam subtus scapulare gestant, assumpserunt*; ad quem locum P. Daniel a Virg. Maria annotat. *Erat autem Melota coloris cinerei-nigri, id-est castanei, estrini sive grisii, seu potius nigri naturalis non tincti*, qualis est nigrarum ovium. Capite autem quarto agit idem Liber de Pallio, quo desuper Elias usus fuerit & sui post eum, quod album fuisse dicit. Quamquam autem non addatur ex qua materia; res tamen ipsa loquitur, laneum illud Pallium concipi ab auctore. Nam si ipsum quoque pelliceum fuisse credidisset, non minus hic quam supra notasset mutationem illius in laneum. Quomodo igitur contrarium videmus in tot ubique per Belgium picturis & imaginibus impressis? Ego id hic notare debui, quia præcedenti Art. n. 220. asserui, quod Eliæ *Meloten non puto pro pallio fuisse*, uti scilicet passim pictum videbam, non uti describebatur in libro de Institutione: huc enim nondum reflexeram animum de ista re scribens, alioquin etiam ibi notaturus inductam ab ipsismet mutationem; quam si ego faciendam suasissem, nullis clamoribus parcere potuissent in me, tamquam ex meris conjecturis subvertentem antiquam suam de Melota Eliæ traditionem, tam diserte expressam a Joanne, Hierosolymitano Patriarcha, ut credi volunt, quadragesimo quarto. Nempe qui nihil indulgent aliis, omnia sibi licere volunt.

PARAGRAPHUS II.

Elianum institutum post mortem S. Elisei perseveravit usque ad Christi adventum.

RESPONSIO.

40 INitium Paragraphi hujus, Pater Rev. facit exhortatio valedictoria, quam Elias ante raptum habuit ad filios Prophetarum, qualem scilicet Salianus per meram conjecturam adinvenit: nec meliores video sequi probationes. Nam ad continuandam ex sacris Literis notitiam Ordinis, alias pro isto tempore ignotissimi, adducis *Rechabitas* ex Jeremiæ cap. 38. *ubi*, inquis, *describuntur eorum solitudo, abstinentia, obedientia, aliæque virtutes monasticæ*. Mirum profecto, quod nemo hactenus sanctorum Patrum inventus sit, qui easdem virtutes monasticas animadverterit in Rechabitis. Quod Jeremiæ 35. ipsi de se fatentur, hoc est: *Jonadab, filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filii vestri usque in sempiternum, & domum non ædificabitis, & sementem non seretis: in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris .... & obedivimus voci patris nostri.*

41 Video hic obedientiam erga præceptum patris, non ex religione erga Deum, sed ex reverentia filiali profectum; non etiam *propter regnum cælorum*, propter quod eam ex voto profitentur Religiosi; sed pro benedictione temporali, his verbis expressa, *ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini*: video & abstinentiam a vino, communem omnibus Nazaræis, qualis fuit Sampson, uxoratus tamen, æque ac ipsi Rechabitæ. Reliqua vitæ ratio eadem ipsis erat, quæ primis gentis illius Patriarchis, Abraham scilicet, Isaac, & Jacob, qui in tabernaculis habitabant, absque propriis fundis aut agrorum cultu; quos si Religiosos fuisse, sicut nunc ea appellatio sumitur, dixerit aliquis Fr. Paulus a S. Sebastiano; non patietur, credo, F. Sebastianus a S. Paulo. Nec aliter, quam ego & ceteri, præter Carmelitas, Abulensis in 4. Reg. 10. qu. 23. laudat prædictum Jonadab, filium Rechab, cum dicit quod *erat vir, religiosus valde inter Israelitas; & habens magnum zelum ad Deum: nam ipse invenit quemdam modum segregationis a vita communi inter Israelitas, scilicet quod jussit filiis suis, quod numquam biberent vinum ipsi & filii filiorum suorum, & uxores suæ, &c.*

42 Nunc judicet Lector, utrum hoc satis sit ad asserendum, ut facis Pater Rev. quod, *cum Jonadab institutum Elianum esset professus, & factus Elisei discipulus, & (ut aliqui volunt) ejus in regimine totius Prophetici Ordinis successor; hinc filii Prophetarum cœperunt promiscue vocari Rechabitæ, illudque nomen retinuerunt usque ad Christi & Apostolorum tempora*. Hæc ut credere cogar, remittor ad Lezanam in Apparatu Annalium cap. 7. *fuse & dilucide ex sacris Literis* ista probantem. Sed caput istud legens, solum ibi probatum invenio (idque tenuiter valde & ex solis Lirano & Boulduco, recentioribus scriptoribus) quod Rechabitæ processerint ex Cinæis, Cinæi autem ex Jethro, socero Moysis: Boulducus vero, mihi ignotus, insuper asserere dicitur, quod qui *filii Prophetarum nuncupati fuerant, deinceps Rechabitæ sunt appellati*. Mirum profecto:

nam

nam filios Prophetarum hactenus eredimus Israelitas ab origine fuisse; Cinæos autem constet habitasse inter Amalecitas gentiles; &, si velimus credere, quod ex Jethro ipsi processerint, credemus pariter oriundos ex Ægypto, proselytos autem factos sub Saule, Amalecitas exscindente.

43 Porro *nihil referre* putas, P. Rev. ad continuandam successionem, *quod ex sacris Literis non constet, quis in regimine Ordinis Prophetici successerit Eliseo*. An autem nec hoc ad historiam refert, quod neque ex aliis scriptoribus antiquis, aut iste Elisei successor doceri possit, aut alius quisquam usque ad Joannem Baptistam? Sed satis forsitan esse putas, quod Prophetas omnes aut fere omnes, quorum est in Scripturis notitia, velitis Carmelitas facere; atque præsumere, illos potissimum toti Ordini præfuisse (cum ea qua nunc Religiosarum Congregationum Generales titolo ac potestate) quorum successive habentur Prophetiæ, sive illi conjugati fuerint, sive non. Ast ego, neque nomen, neque officium *Generalis*, non modo non invenio inter qualescumque veteris Legis Monachos; sed nec inter Religiosos Monachos Legis novæ. Primus Pachomius, modum invenit regiminis Monarchici; uni primario sui Ordinis Tabennesiotarum monasterio Pabau, ejusque Abbati subjiciens cetera omnia ejusdem instituti ac regulæ monasteria. Sed hæc regiminis forma Ægyptum non videtur excessisse, nisi quod Hierosolymitani quidam Patriarchæ, pro commodiori Laurarum atque Cœnobiorum, in eremo Urbis sanctæ constitutorum ordinatione ac conservatione, unum subinde ex Hegumenis sive Archimandritis (Abbates vulgo dicimus) *Cœnobiarcham* creaverint, quemadmodum patet ex Vita S. Theodosii, seculo 5. tali munere functi, sicut illam Vitam P. Henschenius ad XI. Januarii illustravit.

44 Ast neque Antonianos, neque Basilianos Monachos scimus ullum in Oriente habuisse Abbatem Generalem; sed proprium Abbates singuli regebant monasterium, sub obedientia sui quisque Episcopi; vel, si exemptum illud erat, Patriarchæ. Eadem regiminis monastici forma diu etiam viguit in Occidente, nisi quod S. Benedictus Anianæ Abbas, ab Ludovico Pio Imperatore jussus fuerit, omnibus per Imperium Francicum monasteriis ordinandis, atque ad unam S. Benedicti Regulam adducendis incumbere; quodque in Conciliis quibusdam, cum Episcopis collecti coram Imperatore Abbates, decreta quædam ordinationesque formaverint, in omnibus ubique monasteriis observandas. A Cluniacensibus, seculo 10. in unam Congregationem adducentibus monasteria vetera quotquot in suam reformatam disciplinam adducere poterant, & nova ubique simili lege construentibus, pulcherrimum & utilissimum institutum processit; quod deinde imitati sunt Cistercienses, Florenses, Camaldulenses, Vallumbrosani, aliaque Benedictini Ordinis germina: qui Ordines licet a Cassinensi archimonasterio suam originem peterent, nulla tamen in re subjiciebantur Abbati Cassinensi, uti multa hodiedum monasteria sunt sui juris, soli Romano Pontifici immediate subjecta.

45 Frustra igitur laborant Patres Carmelitæ, ut excusent defectum ordinatæ per Generales successionis ab Elia vel a Joanne Baptista; hanc enim ab eis nemo requirit: sed ut doceant, in

Opuscul. Collect.

Carmelo singulis successive seculis fuisse Solitarios, saltem aliquos, per quos continuata successio fuerit usque ad seculum XII. & eos qui tunc ibi in unum convenerunt Latinos Eremitas, a prioribus ibidem Syro-Græcis (Catholicis, an schismaticis, nihil nunc interest) processisse. Ego ab obitu Elisei nullum in Carmelo Monachum invenio, toto veteris Legis tempore; neque invenit ullus Sanctorum Patrum, imo nec ullus veterum Rabbinorum quod sciam. Invenit tamen auctor libri de institutione Monachorum; ex quo, veluti scriptore certissimo & indubitabili, Lezana ad annum mundi 33. num. 30. transcribit caput 26. ut probet, *Dei benignissima providentia factum, ut Carmeli montis Eremitæ*, in illa universali decem Israeliticarum tribuum per Teglatphalasar facta in Assyriam traductione, *ab hac & aliis deinde Hebræorum captivitatibus præservati fuerint*.

46 In hanc rem, si veram esse, posset historice comprobari, ingeniose satis applicat Auctor locum Isaiæ cap. 32. *Et erit desertum in Chormel, & Charmel in desertum reputabitur: & habitabit in solitudine judicium, & Justitia in Charmel sedebit*. Item illud Michææ 7. *Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu: in medio Carmeli pascentur Basan & Galaad, juxta dies antiquos*. Quid est R. Pater, cur hæc argumenta, tam apta ad assumptum probandum, hic nolueris proferre? An quia neminem, non dico antiquorum Patrum, sed nec recentiorum Interpretum, nisi forte vestrum Ægidium Camerium, reperiebas, qui illa (licet manifeste spectantia ad tempora translati Israelis in Assyriam, & Judæ in Babylonem) intellexerit litteraliter dicta de materiali Carmelo, in eoque pacifice tunc habitaturis Carmelitis?

47 Ipse noster Cornelius a Lapide, quem tamen laudatis, ut approbatorem libri præfati, tamquam a Joanne Patriarcha compositi, super Isaiam scribens, atque incipiens a verbis immediate præcedentibus, *Donec effundatur super nos spiritus de excelso*, sic commentatur. *Qui hæc referunt ad captivitatem Babylonicam, sic exponunt. In Babylone erimus in carcere, quasi mortui, donec spiritum vitæ, id est libertatis, nobis restituat Deus; nosque quasi resuscitet, & in patriam reducat ... Verum referendo, cum S. Hieronymo, hæc ad excidium per Titum, his est sensus. Duratura est hæc vastitas eritque Judæa deserta, tum corporaliter (ut patet) tum spiritaliter .... donec Deus Spiritum sanctum mittat: tunc enim restituetur Jerusalem, non terrena, sed vera & spiritualis, scilicet Ecclesia Dei. Ita Cyrillus, Procopius, Theoderetus*. „ Et erit desertum in „ Carmel, *id est, Gentiles, hactenus deserti, in sortem & opes Israelis & populi Dei intrabunt; e contrario Judæi in desolationem & cæcitatem Gentibus succedent*. „ Et habitabit in solitudine; *quasi diceret; in gentilitate, quæ ante fuerat deserta & sterilis, habitabit judicium, cum solitudo hæc fuerit facta Charmel, id est frugifera & fertilis per fidem Christi*.

48 *Aliter Sanchez ex S. Thoma; Judæa, inquit, quæ tempore captivitatis Judæorum fuit inculta quasi saltus, post eorum reditum coletur, eritque fertilis instar Carmeli: ipse vero Carmelus, amœnus & fœcundus antea, post reditum tam erit amœnus & frugifer, ut, si prioris temporis speciem spectes, vidisse te putes desertum vel silvam*

hortidam. Aut potius quasi diceret: In Babylone Judæi divites & potentes, qui erant quasi Charmel, quique alios tenuiores opprimebant, ita atterentur, ut fiant quasi desertum; id est, animo æque ac paupertate & sorte, æquentur pauperibus; unde erit inter eos justitia, indeque pax, silentium, securitas & opes: hi enim sunt fructus afflictionis & paupertatis. Ita Sanchez. Verum prior sensus, angustior & germanior, nobis sequendus est. Hactenus a Lapide, non quæsiturus tam retrusa & abdita, si credere potuisset, omnia litteraliter intelligenda de Carmelitis, in monte Carmelo tranquille habitaturis, dum cetera circum omnia desolarentur; unde apparet quam non magni fecerit librum, quem tanti faciunt vestri Scriptores.

49 Similiter in Commentario supra Michæam, loco prænotato, inducit Prophetam supplicantem Deo, ut *populum suum, gregem hereditatis suæ*, id est Judæos, in media gentilitate *habitantes*, quasi *solos in saltu* immanium belluarum, *pascat* tam secure & largiter, ac si forent *in medio Carmeli*. Cui orationi respondentem Deum facit dicere, quod Judæi, tandem ad propria reversi ex Babylone, *pascentur*, sicut oves *in Basan & Galaad* pascuntur & pinguescunt: idque eis eveniet, *juxta dies antiquos, secundum dies egressionis de terra Ægypti*. Ita ibi a Lapide quoad substantiam, ex plurium Auctorum & Patrum sensu, quem satis habui in pauca contraxisse, ne Lectorem nimis diu retinerem in explicandis obscuris illis Prophetiis, futuris claris, si de Carmelitis (ut supra dixi) intelligi illæ potuissent ac debuissent; potuissent autem, si credibile fuisset, illos, toto populo transmigrante, in sedibus suis permansisse imperturbatos.

50 Sed, inquies, saltem cum Judæis a Babylonica captivitate reversis, reversi pariter Rechabitæ sunt; per hos autem vel alios Elianos iterum habitatum Carmelum, oratoriumque & monasterium restauratum, probat Pythagoræ Philosophi ibidem commoratio, annis ante Christum quingentis. De eo fuse tractat Lezana ad annum mundi 3515. 43. & 57. Jamblichum allegans, in ejus Vita narrantem, quomodo ille adhuc juvenis, ex Ægypto rediturus in Græciam, (ubi fuerat cum gentis illius Sacerdotibus conversatus, eorumque mysteria edoctus, & ideo, ut ipsi, circumcisus) *a nautis in littora, quæ subsunt Carmelo monti Phœniciæ transvectus fuit, ubi solus in templo ut plurimum degebat, homines autem loci illius datis dexteris eum benigne exceperunt, & siquid contulissent rerum, summam hominis æstimationem pretiumque prævidentes, libenter conferebant. Cæterum cum inter navigandum, se temperanter & honeste, imo vero congruenter convictus, in quem se dederat, disponeret; magis quidpiam pro humana natura in decoro pueri ornatu cernentes, recordati sunt, quemadmodum sibi continuo ad littus appellentibus, jam tum descendens a summis extremisque Carmeli collis jugis, visus fuerit.* Sic Latinus interpres Græcum ἐν τῷ ἱερῷ, in *sacro*, scilicet *monte* vel *loco*, vertit *in templo*, quod tamen ibi nullum fuisse, ex majorum traditione, reperit eodem accedens Vespasianus, ut supra dictum.

51 Divinane an potius diabolica virtute factum sit, ut Pythagoras ab appellentibus ad littora nautis, & necdum visus e navi excendere, visus sit ex vertice Carmeli descendere ad ipsos; & utrum istic in boni an mali spiritus convictum se dederit, solus cum eo plerumque agens, ex reliqua vita, ordinatisque per eum superstitionibus definire licebit. Lezana, quantamcumque morum institutorumque similitudinem invenire sibi videatur inter Pythagoræos & Eliæ discipulos; ea tamen refert de istorum Magistro, quæ probant superstitiosissimum fuisse. Ad præcitatum annum 3515. narrat ex Jamblicho, quomodo in Carmelo aliquamdiu moratus Pythagoras; etiam *cum Prophetis, qui a Mocho rerum naturalium conjectore oriundi erant, cumque aliis Phœniciæ Sacrificis est congressus, cunctisque sacris cum in Byblo urbe, tum in Syro, initiatus fuit; quæque in multis Syriæ partibus ex instituto ac hæresi sacra peragi solent, perfecit.* Ex quo clare apparet, nullum profanæ consecrationis genus prætermissum a Pythagora fuisse, cui non voluerit initiari. Jamblichus quidem excusat, *non superstitionis causa tam multa sustinuisse, sed multo potius amore ac desiderio commentationis ac reverentia Numinis ductum.* Sed frustra: quin potius in Pythagoram dici posse videtur, quod in Romam ethnicam dixit S. Leo; *Magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat* inanium sacrorum *falsitatem*. Quapropter denique ipse Lezana ad an. 3557. ita sustinet, *eum potuisse ab Essenis plura dogmata didicisse, quæ cum discipulis communicaret*, ut tamen fateatur, quod *ethnico more sd gesserit*.

52 Quantum igitur ad Lezanam attinet, manebat *Pythagoras* Ethnicus & superstitiosorum inter Ethnicos sacrorum institutor ac propagator notissimus; a Judæis æque ac Ægyptiis Phœnicibusque mutuatus multa, ut est egregia Dei simia diabolus; donec anno 1682. R. P. Philippus Tessiere, sacræ Theologiæ Doctor &c. Biterris in Provinciali sui Ordinis conventu, coram ejusdem urbis Episcopo ac Domino, D. Armando Joanne Rotundi de Biscaras, non dubitavit, inter alias *Historiæ Carmelitanæ Theologice propugnandæ Theses*, etiam hanc ponere, quod *valde sit probabile, Pythagoram Philosophum etiam fuisse Carmelitam ... sicque discipulos suos instituisse, ut victu, conversatione & vestitu Eliæ discipulos omnino referrent.* Parum autem Theologico isti Doctori fuit Pythagoram fecisse Carmelitam, qui saltem in Carmelo aliquando fuerat; nisi etiam veterum Gallorum *Druidas* ad suum traheret Ordinem, *quorum*, inquit, *si vivendi genus & observantias regulares serio discusseris, reperies veros fuisse Carmelitas*; pari jure in eocumdem classem compulsurus Indorum Gymnosophistas, Brachmanum hodiernorum progenitores.

53 Non longo opus fuit tempore, ut avidam novitatum Galliam pervaderet fama Thesium, ex ejusmodi paradoxis pluribus conflatarum: novellis autem primum Parisiensibus, deinde & Amstelodamensibus pervulgata, fecit ut mota curiositas plurium, tandem Biterris acceperit exemplum: quod cum iterato prælo subjecissent illi, & secunda hæc exempla rursum brevi defecissent, avide expetita distractaque; placuit Novorum litterariorum Collectori Gallo, durabiliori operi inserere totas, eodem fere tempore, quo Romæ sacræ Congregatio Indicis ipsas Theses, totum Carmelitarum Ordinem natas exponere hominum otiosorum parumque religiosorum dicteriis & cachinnis, prohibendas censuit per Decretum anni 1684. 25. Jan. ut proinde mihi laborandum non sit in refutandis figmentis,

quæ

quæ moderatiores Carmelitæ plerique abominantur. Oportuit tamen de Thesibus istis jam toties memoratis distinctius aliquid docere lectorem harum Responsionum. Cum enim cœpissent secundæ editionis exemplaria vulgari in Belgio, eodem ipso tempore quo vel maxime fervebat æstus libellorum certatim prodeuntium contra me meaque Sanctorum Acta, non defuerunt qui Antverpiæ audacter negarent, fieri potuisse, ut in suo Ordine ejusmodi Theses essent defensæ; & impudentis calumniæ reos affirmarent Jesuitas, qui eas Carmelitis affinxissent. Horum autem insulsissimis querelis compescendis aliter occurri non potuit, quam petito Biterris originali, quod etiamnum servatur, subsignatum a tribus non vulgaris meriti conditionisque viris, qui & disputationibus per triduum continuatis interfuerant, & partem in arguendo habuerant aliquam.

54 His obiter indicatis, occasione Pythagoræ Carmelitis male adscripti, redeo ad argumentum, ex ipsius in Carmelo præsentia petitum pro oratorio, quod istic etiam tunc fuisse prætenditur; & noto, quod locus, ex quo illa conspectus fuit tam miraculose, ut supra dictum, descendisse, si erat summus montis vertex, non fuit is, quem fere ad radicem montis prope fontem inhabitasse Elias creditur, & ubi Carmelitæ suum (de quo aliàs) fuisse oratorium volunt; sed erat ejusdem montis locus prorsus alius, ubi Propheta devocato cælitus igne sacrificium obtulit; cujus loci *nuda religio* Vespasianum allexit, ut ibi sortes extave consuleret. Quod autem eos attinet, qui, jam inde a tempore Teglatphasaris Israelitarumque translatione in Assyriam, montem illum incolebant, eos prudentius dixeris fuisse Syrophœnices gentiles, qui (sicuti & alii, in regionem Samariæ & sortem decem Tribuum habitandam traducti) profanis ac patriis superstitionibus suis miscuerint aliquid ex veri Dei cultu, & sic in veneratione qualicumque manserit Eliani sacrificii locus; sed hæc omnia optime intelligi possunt, absque eo quod istic concipias Religiosos Carmelitas & sinceros veri Dei cultores, qui tam benevole Pythagoram acceperint.

55 Nihil in juvene isto boni prævidissent veri filii Prophetarum, & prophetiæ spiritu prædìti etiam ipsi (si vera est prærogativa quam Eliæ discipulis omnibus arrogare dicitur Historia prophetica) neminem in suum cœtum recapturi, qui esset a fide aut religione futurus apostata, qualis esset factus Pythagoras, si unquam fuit religiosus Carmelita; & si ea, quæ discipulos suos in Græcia docuit, in Carmelo bene religioseque didicit, Deo usus magistro, & non ab ejus simia diabolo, instituta divinitus per Moysen sacra & ceremonias, traducturo ad suum cultum in Græciam, eodem Pythagora mediante. Vide de hoc Parergon meum primum ad Hist. Hierosolym. & quem istic sequor Marchionem Agropolitanum, in speciali de Deo Carmeli tractatu; ubi docetur mons ipse pro Deo habitus Gentilibus incolis accolisque fuisse, abolito qui ante fuerat veri Dei cultu; nec unquam postea (quod quidem sciatur) ante XI. seculum Christi, restitutio.

56 Tempus est veniendi ad Essenos, a quibus in Carmelo repartis multa didicisse Pythagoram, præsumit Patern. Tua. De his ego supra satis egi; hic tamen addo, neminem eorum, qui de ipsis egerunt scriptorum, illos in Carmelo collocare. Plinius, postquam lib. 5. cap. 16. de lacu Alphaltita, alias Mari-mortuo egisset, capitis mox sequentis initio, ad litus ejus Occidentale *Essenos* collocat; eosdem utique, quos Epiphanius hæresi 19. describens, *fertur*, inquit, *eos originem traxisse ex Nabathæa, Ituræa, Moabitide & Areilitide, quæ regiones ultra ... Mare-mortuum positæ sunt*: longe igitur a Carmelo. Quibus autem moribus & institutis? Olim, cum eos laudavit Philo, melioribus; sed *imperante Trajano*, inquit Epiphanius, *ad hos Elxai quidam se aggregavit: qui cum falso Prophetam se diceret, ... sectatores suos in transversum abduxit, ... quos etiam simulatores esse docuit; cum ullum negaret esse crimen, siquis persecutionis tempore idola veneretur, dummodo minime id ex animo faciat*.

57 Non tamen omnes sic abduxit impostor ille, quin multi ipsorum, contra quam ille præcipit, pergerent ex majorum instituto colere virginitatem & continentiam. Horum autem infelices reliquiæ adhuc supererant, cum seculo 13. jam staret Ordo Carmelitanus, sub Regula ab Alberto accepta: sic etiam Jacobus de Vitriaco cap. 82. scribit: *Sunt & aliæ miserabiles in partibus Orientis nationes; Deo odibiles & hominibus contemptibiles & abjecti: quorum quidam dicuntur Essæi, de genere Judæorum descendentes, quorum quidam vitam post mortem dogmatizant & recuperare sperant: matrimonia autem non contrahunt, ut caveant feminarum intemperantiam, quas nunquam uni viro fidem credunt servare: alii matrimonia contrahunt, & cum prægnantibus non concumbunt, ut ostendant, quia non sola causa voluptatis, sed causa procreandæ prolis uxoribus commiscentur; animarum autem post mortem vel supplicia denegant, vel honores: qui cum his fectis sinistre incedunt, laborem suum infatuati perdunt*. Quid decoris ex communi cum talibus origine lucrari possint Carmelitæ, non video. Paternitas tua quo eos honestet magis, asserit, quod Esseni tempore Machabæorum, passim dicti fuerint *Assidæi*, adeoque sub illo nomine Carmelitæ floruerint. Istorum *Assidæorum synagoga*, *fortis viribus ex Israel* (quod elogium Militibus magis quam Monachis quadrat) convenisse legitur (l. 1. c. 2.) ad Matathiam & filios ejus, armis tueri libertatem certos: unde lib. 2. cap. 14. Alcimus pseudo-Pontifex, interrogatus a Nicanora, quibus rebus & consiliis Judæi niterentur, respondit: *Ipsi qui dicuntur Assidæi Judæorum, quibus præest Judas Machabæus, bella nutriunt, & seditiones movent, nec patiuntur regnum esse quietum*. Secundum hunc textum judicat Lezana, ad annum mundi 3887. quod idem Judas fuerit *unus ex Assidæis seu Essenis*; *quos*, inquit, *ad Ordinem Propheticum*, id est Carmeliticum *spectasse*, *dicta sub annum 3545. & 3547. sufficienter persuadent. Imo*, inquit, *Judas erat Princeps, Caput, & veluti Generalis ipsorum*.

58 Interim idem ipse ad an. 3893. agnoscit, quod Judas uxorem duxit; ideoque se torquens, nodum solvere credit dicendo, Essenorum alios cœlibes, alios uxoratos vixisse; & nihilominus de utrisque asserit ex Saliano, quod ipsi erant *Religiosi illius temporis*. Cum autem ipse Judas intima amicitia junctus esset Nicanori, ejus consilio *nuptias fecit, quiete vixit; communiterque vivebant*, ipse scilicet & Nicanor, ut prosequitur Caput 14. libri 2. præcitati. Sed & hoc

Opuscul. Collect.

ad Assidæos torquens Lezana intelligit, quod Judas cum illis vitam in communi, id est cœnobiticam vixerit, *absque aliquo proprio usu facultatum, possessionum, & divitiarum, quemadmodum Essenorum institutum erat*. Verum quomodo talis paupertas, cum statu conjugali onereque sustentandæ suæ cujusque privatæ familiæ, subsistere possit, haud facile capio. Quia tamen Salianus dixit, *Assidæos fuisse Religiosos illius temporis*, satis hoc fuit, ut talis etiam censeretur eorum Dux Judas, & ut ipsi, iidem dicerentur cum Essenis.

59 Rectius Gaspar Sanctius, in libros Macbab. pag. 435. ab Essenis Assidæos distinguit: cumque ex historia, quam tractat, statuisset, fuisse *viros pios & præstantes robore*; *Addo*, inquit, *addictos sacramento aut sacræ militiæ, ita ut etiam non evocati arma capere deberent, & rem sacram aut publicam tueri, quod sunt nostra ætate militares Ordines*; & hinc sumptam fuisse putat idem Sanctius sæpe memoratam *custodiam Templi*, unde & Pilatus sumi permiserit custodes sepulcri Dominici, dicens Pontificibus pro eo solicitis, *Habetis custodiam*, vestro scilicet & templi obsequiis deputatam; *ite & custodite, sicut scitis* & vultis. Quod autem Sanctius ad id etiam dicit sacramento obstrictos, non innuit vota, Religiosum Monachum apta constituere; sed juramentum fidelitatis, summis Pontificibus aut Magistratibus Templi præstandæ, atque adeo mere politicum, licet cum aliquo ad Dei cultum respectu; quale sacramentum in Belgio concipiunt eæ sodalitates, quas vocamus *Gbildas*, quasi *Gbebilde* vel *Gbebulde*, id est fidelitatem juratos. Idem deinde Sanctius fuse probat, quantum discrepaverint ab Essenis, bello & armis ineptissima gente, Assidæi bellicosi & fortes robore.

60 Morerus, in magno suo Dictionario, docet ab Hebraico *Chasidim* quod interpretatur *Justi*, appellationem sumptam; opinaturque ab his deductos *Pharisæos*, severissimam Legis observantiam professos, & puritatis, etiam corporeæ, usque ad superstitionem cultores; qui (ut ait Epiphanius hæresi 16.) *præcipiebant ad decennium aut octennium aut quadriennium virginitatis suæ continentiam*; ut de ceteris eorum mortificationibus taceam. Propterea de iisdem fuse etiam agit Lezana ad annum mundi 3807. non vult tamen eos Carmelitas facere, quamvis ab iis mutuari potuisset sanctos Nicodemum & Paulum, quorum hic de se palam asserit, *Ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum* Act. 23. & ad Philipp. 3. *secundum Legem Pharisæus*; iste, Joan. 3. *erat homo ex Pharisæis princeps Judæorum, discipulus* autem Jesu *occultus*, Joan. 19. ad ejusque sepulturam officiosus, & S. Stephano Protomartyri consepultus; in quo ipsummet verosimiliter tumulaverat loco, tumulari etiam ipse volens.

61 Omnibus interea consideratis, tandem tamen ipse Lezana ad an. mundi 3977. cum notasset nihil Essenos contra Christum molitos legi, sicuti fecisse constat Pharisæos; *colligi*, inquit, *datur, quod sicut Esseni precursores fuerunt perfectorum Religiosorum Legis novæ, qui soli Deo vacantes sui instituti operibus assidue insistunt, sic Pharisæi imperfectorum, qui terrenis rebus & secularibus negotiis occupantur*. Recte, si de majori minorive perfectione agitur: nam si spectetur status religiosi essentia, non video, cur quædam bonorum terrenorum possessio & usus-fructus (qualem etiam obtinent Equites Melitenses, aliàs non minus quam Carmelitæ tria Religionis vota professi) non video, inquam, cur talis usus magis obfuerit Pharisæis, quo minus & ipsi fuerint Legis veteris Carmelitæ; quam Assidæis, quos talea sine scrupulo facitis, ad continuandam Ordinis successionem. Exspectamus, ut nos ex sacris vel profanis litteris doceas, eos, de quibus hactenus egimus, Filios prophetarum, Rechabitas, Essenos, Assidæos, Pharisæos, ab Elia & ex Carmelo provenisse; aut aliquando, nedum continuata mutuo sese sequentium successione, istic habitasse. Hoc quam diu facere non potestis, negabo, recte affirmari & dici Carmelitas, & ad vos aliqua ratione pertinere; nisi hac, qua vultis evidens haberi certoque teneri, successionem talem esse tam claram, ut probari non debeat, eo solo argumento, quod ea sit Ordinis vestri traditio, quam debeatis necessario tueri, & modis omnibus propugnare.

62 Misera profecto necessitas, quæ cogit homines, in aliis plerisque rebus sapientes & moderatos, undequaque arripere quidquid vel minimam speciem religiositatis alicujus habet, ut expleatur hiatus novem seculorum, quot ab Elia ad Christum effluxerunt. Hinc, exorsus ab insigni figmento, de viris, niveum habitum præferentibus, notumque Prophetam igni involventibus; desinis, Pater Rev. in alio, nihilo magis credibili, de Emerentiana Deiparæ avia, oraculum Carmeliticum consulente; cujus *historia*, inquis, *circiter septuaginta annis dumtaxat ante Christi nativitatem contigit; & ex qua patet, Eliæ ac Elisei imitatores & discipulos, in monte Carmelo floruisse*, usque ad illud tempus scilicet. Quidni etiam ex simili historia Agabi, ob desperatum Virginis connubium Carmelitis adjuncti, usque ad annum Christi nativitatem immediate prægressum, eadem dicatur patere successio? licet hanc adeo patentem veritatem nemo præter Te videat, P. Rev. Consideremus porro, an post Christum passum & resuscitatum, æque felix, clara, patens & indubitabilis futura processio sit.

PARAGRAPHUS III.

Notabiliora Carmelitarum gesta, tempore Christi & Apostolorum, usque ad annum Christi centesimum.

RESPONSIO.

63 QUam male, P. Rev. assumis S. Bernardi verba, in serm. ad Fratres de monte, dicentis, quod *Vita monastica est antiqua hereditas Ecclesiæ Dei, a tempore Prophetarum præmonstrata; jamque novæ gratiæ sole exorto, in Joanne Baptista instaurata & innovata!* Quod enim ille de vita solitaria in genere verissime dicit, id Tua Paternit. restringit (aliàs enim ageres nihil) ad eam, quæ trium votorum nuncupatione definita, hodie constituit perfectum statum cœnobiticæ vitæ: hæc autem votorum nuncupatio, si constitueret essentiam vitæ monasticæ, nec Elias, nec Joannes, licet Monachorum Duces atque Magistri, ex vero dici possent Monachi vel Eremitæ. Baptistam interim numquam probabis, vel in Carmelo fuisse, vel peculiarem curam gessisse Esseorum, ad Jordanem sic viventium, sicut Philo describit in libro *Quod omnis probus sit liber*, nedum amplexum

xum eorum instituta; apud eosdem delituisse, usque ad tempus ostensionis suæ ad Israel; atque ipsorum regimen generale assumpsisse.

64 Gratis quidem concedam libenter, ex istis Essenis ad Joaonis prædicationem baptismumque aceurrisse tanto plures, quaoto & loco viciniores & vita ac moribus aptiores erant ad eum audiendum. Sed quod vel hi, vel ex Carmeli accolis iocolisve alii, intelligantur ad primam Apostolorum concionem in die Peotecostes credidisse, & Spiritum sanctum accepisse, sicut habent Lectiones, quarum auctoritate præsumis, P. R. irrefragabiliter stabiliri antiquitatem vestram, numquam mihi persuadebis: cum tam distincte & expresse dicat S. Lucas Act. 2. quod isti qui tunc crediderunt, erant *in Jerusalem habitantes Judæi*, ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες, *viri religiosi*, ἄνδρες εὐλαβεῖς, *ex omni natione quæ sub cælo est*, Essæi autem, teste Philone, *circiter quatuor millia, vicatim habitabant; & urbes fugiebant, viventes ex agricultura & opificiis suis. Essæi dicti a sanctitate, quia summa religione Deo serviunt, non mactando victimas, sed suasmet ipsorum mentes componendo ad sanctimoniam.*

65 In ceteris eorum laudibus invenio quidem apud prædictum Philonem, eos ad morem primorum sub Apostolis Christianorum, aut etiam magis omnia habuisse communia; nihil tamen unde affirmes, sub iis, quorum causa hæc tractantur, votis vixisse. Nam etiam *castitatem in tota vita perpetuam* servari posse absque voto, palam est; servatam autem ab Essæis fuisse, mirum; non tamen negandum, quandoquidem ejus testes etiam sunt Plinius & Solinus; de mulieribus autem, inter eos degentibus, prorsus tacet Philo: ex quo de ipsorum instituto etiam addere placet, quod fuerint *benefici erga suos & proximos, nullam condentes pecuniam, nec parantes ampli reditus lautfundia, sed quotidianis necessitatibus quærentes remedium: nam pene soli hominum degunt sine prædiis, sine pecuniis; & propter vitæ institutum divites habentur magis, quam ob rerum copiam; frugalitatem, non ex vana æstimatione, ducentes quæstum maximum. Tela, jacula, galeas, gladios, thoraces, scuta, nemo fabricat, sicut nec arma cetera, nec machinas, nec aliud quidquam bello utile: imo ne ea quidem studia reperias ibi, quibus in pace facile abutuntur homines. Negotiatores, institores, naucleros ne in somnis quidem viderunt, subtrahendo materiam avaritiæ.*

66 Hæc eo protuli, ut appareat, quaotum ab Assidæis, viris fortibus ac bellicosis, de quibus supra, Essenorum discrepaverit institutum. Quam prope autem hi accesserint ad cœnobiticum, indicat idem Philo: *omnibus unum promptuarium, unde vestitus & mensa communis sumitur .... quidquid enim lucrantur e quotidianis operæ mercedibus, non sibi quisque servat, sed in medium conferendo cuicumque volenti fruendi potestatem faciunt; tum si qui valetudinarii nequeunt victum quærere, non negliguntur, paratum habentes e publico infirmitatis subsidium, quam secure sustentant ex communi copia.* Inter hæc tam multa bona, quæ miscuerint superstitiosa minusque laudaoda, maxime post cœptam promulgari perfectiooem Evangelicam, ad cujus claram lucem isti velut umbra defecerunt, novimus ex Epiphanio & dictis Art. 55. §. 7. quare nec Eusebio, Christi Martyres in Palæstina describenti, ullam dederunt sese vel nominandi occasionem.

67 Ab *Essæis activam vitam exercentibus*, quales in Judæa commorantes descripserat Philo, transit hic sequenti mox libro ad *eos, qui contemplativam sunt amplexi*. Ipse in titulo Ἱκέτας, id est, *orationi deditos* appellat: *vocantur autem*, inquit, *Therapentæ Therapeutridesque*, ἀπὸ τοῦ θεραπεύειν, id est curare, mederi, colere, *vel quia profiteantur medicinam præstantiorem vulgata*, animarum scilicet, non corporum infirmitatibus succurrentem; *vel quia didicerunt a natura & legibus, colere illud Ens, & bono verius, & vero sincerius, & unitate in generando antiquius*. Hi, inquit, *relictis facultatibus & avocamentis omnibus, fugiunt, sine respectu fratrum, liberorum, parentum, uxorumque, ipsas denique patrias in quibus geniti educatique sunt* .... atque *extra mœnia degunt, in hortis aut villis solitariis .... & hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, merito, ut absolutæ probitatis, receptum a Græcis & Barbaris; maxime tamen in Ægypto frequentatur per Præfecturas singulas, præsertim circa Alexandriam. Ex omnibus autem locis optimus quisque Therapeutarum, tamquam in hujus generis patriam, colonus mittitur, in locum quemdam aptissimum, situm ad stagnum Mariam*, alii *Maræotim* vocant.

68 Hos ao æque ac priores, *Esseos* quoque vocet Philo, non satis ex contextu liquet. Essæorum certe nomen nusquam usurpat, toto illo de vita cootemplativa libro: quamvis loqui videatur cum respectu ad ioterpretatiooem nominis in priori libro sumptam a *sanctitate*; veluti si haoc profitentes *Essæos*, id est, *Sanctos*, divideret in *Activos* & *Contemplativos*. Ut ut est, apparet institutis diversissimos describi, etiam in hoc, quod postremi ad suum consortium reciperent etiam feminas, atque cum his die septima ad communem orationem & refectionem coovenirent; per reliquam autem hebdomadem privatim unusquisque & unaquæque exerceretur in propria cella; quod vitæ genus multa habet affinia monastico illi statui, quem, jam fere extinctum, primus Pachomius perfectiorem reddidit, ex multis cœnobiis quemdam constituens Ordinem Tabennesiotarum, non solum monasticum, sed & monarchicum.

69 De votis, quibus Therapeotæ illi Therapeutridesque sese obstrinxerint, altum tacet Philo; quare recurrere cogeris, Pater Rever. ad Monachos, memoratos ab auctore librorum de Hierarchia, quasi is fuisset Dionysius Areopagita, quod constaoter Tibi nego, & rationes negandi justas, puto, dedi. Ego Therapeutas ac Therapeutrides præfatos, Christianos omnes extitisse, & a S. Marco institutos, teneo cum S. Hieronymo; alios vero, quos in aliis regionibus, ioter Græcos ac Barbaros, iodicat Philo aliorum quoque Apostolorum vel Apostolicorum virorum fuisse discipulos, nequaquam ambigo; & veros omoino *Monachos* (licet hoc nomen necdum usurparetur) id est *Solitarios* agnosco, longeque præferendos *Essenis*, perfecte nec Judæis nec Christianis. Censeo quoque Philoni ignosceodum, quod studio gentis suæ laudandæ videatur appellationem Essæorum confudisse, & Ægyptios quoque ipsos Judæos facere voluisse, aut omnes aut plurimos; in hoc affectans obscuritatem, ne palam Christiaoos laudaret.

70 Interim sicut nihil certæ auctoritatis adducis, Pater Rev. qua Essenos & Assidæos pertrahas in Carmelum, aut descendere facias ab Elia & Eli-

seo, per spiritualis generationis successionem, numquam ioterruptam; sic nequa profers pro Therapeutis Ordini vestro adscribendis certius aliquid: proinde hanc tibi successionem oego. Nego etiam *Viros religiosos*, Petri auditores in Pentecoste, vel Essenos, vel Carmelitas fuisse. Tu a cootrario affirmare id niteris, ipsius S. Petri verbis, auditores suos alloquentis atque dicentis, *Vos estis filii Prophetarum*. Palam enim est, omnes promiscue Israelitas hic dici *Filios* Prophetarum, eodem nempe sensu, quo junior Tobias sponsæ suæ Saræ dixit, *Filii Sanctorum sumus*; & Apostolus ad Eph. 2. ad omnes Christianos, quod sint *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Nihilo plus eodem faciunt Legis novæ *Prophetæ, ab Hierosolymis Antiochiam* venientes Act. xi. aut alii quicumque, ad probandum jam tunc fuisse Ordinem Carmelitarum.

71 Eusebios quoque, Hist. eccl. lib. 2. cap. 3. non dicit (ut asseris n. 29.) quod io florentissima Antiochena Ecclesia erant *Prophetici Ordinis viri quam plurimi*; sed *ἐν ταύτῃ τε ἐπιπαρόντων πλείστων ὅσων τότε ἀπὸ Ἱεροσολύμων προφητῶν, καὶ σὺν αὐτοῖς Βαρνάβα καὶ Παύλου*, dicit, inquam, Ecclesiam ibi floruisse, cum *permulti Prophetæ ab Hierosolymis profecti, illic eodem tempore versarentur, & cum iis Paulus & Barnabas*. Quamvis autem dixisset, fuisse *viros Prophetici Ordinis*, non intellexisset vocem *Ordinis*, eo quo ounc accipitur modo; sed quo tunc poterat usurpari, sicut si dixisset *viros Ordinis Apostolici*. Auctoritates Josephi Antiocheni, & Joannis Hierosolymitani supposititiæ, me hic non morantur magis, quam vestri Thomæ Waldensis, aut nescio quarum Romanarum Chronicarum: non etiam supposita Sigeberto Gemblacensi Hierosolymitana Historia, cujuscumque hæc auctoris sit; certe oon valde antiqui, cum Sigebertini Chronici veri continuatores usque ad 1225. nihil tale habeant.

72 Vita S. Telesphori in Januario nostro, Zegeri Pauli vestri opus est, oon Bollandi vel Henschenii; uti nec Vita Honorii IV. est Labbei vel Cossartii; sed Severini Binii Coloniensis, ante Conciliorum collectionem anoo 1608. & 1618. præfati, quod *reliquorum Pontificum* (post Anastasium & Luitprandum) *Vitas ex scriptoribus illorum temporum quibus vixerunt, summatim a se descriptas, suis locis inseruit*: ad quas Vitas cum nec levissimam quidem annotatiunculam uspiam addiderint isti oostri, editionis Parisinæ novissimi recognitores; apparet reliquisse, ut iovenerant, omnes illas Vitas fidei ipsius Binii; quæ hic non major est, quam in tam multis, propius ad Concilia & operis scopum spectantibus, uti fuit ab illis corrigendus, quantum brevitas temporis, a bibliopolis festinantissimis concessi, patiebatur. Antiquioribus & eruditioribus auctoribus, quam sit Binius, opus est, ut persuadeas, Pater Rev. quod *Carmelitarum Ordo ab ipsis Apostolorum temporibus in monte Carmelo inchoatus fuit*: sicut ille io dicta Vita ait, ita fortasse persuasus ab ipsis.

73 Igitur ad antiquiores quærendos Te accingis, & asseris n. 36. ex Luitprandi Ticinensis fragmentis, *S. Elpidium & reliquos Episcopos, quos traxerat S. Jacobus in Hispanias, fuisse de numero Carmelitarum; qui per Hispaniam & alias regiones Monachatum introduxerunt*: e quibus Elpidius *fundavit Toleti monasterium Virginum & Monachorum, ubi postea fuit monasterium Agaliense, quod fuerat B. Virgini sacrum, Monialium harum Matri*, uti legitur in dictis Fragmentis n. 101. Sic etiam o. 171. ibidem legitur, quod *magna pars eorum, qui dispersi sunt in persecutione S. Stephani, & ad varias partes transierunt, & ad Hispanias venerant, erant ex Monachis montis Carmeli*. Fragmenta illa, Luitprando supposita, mera figmeota Higueræ sunt, uti centies protestatur Cardinalis d'Aguirre, aliique sapientiores Hispani. Quare frustra ex illis conatur Lezana ad an. 731. ut ais, Carmelitarum in Hispania aotiquitatem, Maurorum adventu priorem probare; gratisque præsumit ecclesiam prædictam, Arabice cogoominatam de Alfizen, ipsis restitutam fuisse ab Rege, civitatis vindice, sub annum 1085.

74 Frustra etiam idem Lezana ad an. 578. n. 7. conatur præsumptionem firmare per *imaginem Deiparæ*, quam *cum quodam Fratre Ordinis Carmelitani genuflexo repertam*, asserit, Hispali, *inter rudera cœnobii, quod Carmelitæ hoc tempore possident*: de qua imagine tu, Pater Rev. n. 38. dicis quod *creditur picta ante invasionem Hispaniarum ab Arabibus*. Ast Lezana solum scribit, *factam*: & iosra o. 79. apparebit, statuam esse marmoream, non picturam. Hæ autem multum differunt, propter colorum diversitatem, quæ est propria picturis, non statuis: unde fit ut gratis supponatur statua Hispalensis repræsentare Monachum Ordinis Carmelitani. Ante irruptionem Maurorum in Hispaniam Monachos istic fuisse, testantur tum aliæ auctoritates irrefragabiles, tum eorumdem præclara sub Mauris martyria, a S. Eulogio, atque hinc in opere oostro sæpius relata. Eorum habitus qualis fuerit, necdum inveni aperte declaratum; similem fuisse huic vestro moderno, sine idoneo teste non credam; imo oce, talem apparere in statua illa, cujus ectypon non prodit in publicum.

75 Scimus enim promptissimos esse Carmelitas, ut antiquarum imaginum vestigia, aliquam speciem Monachalis vel Eremitici habitus præferentia, credant Carmelitam repræsentare. Exemplum habemus in lapide Boppardiensi; habemus & Huji ad Mosam io ecclesia Caoonicorum Regularium S. Augustini, fundatam a Petro Eremita, primo sub an. 1100. sacrarum in Terram-sanctam expeditionum promotore, sicuti sibi anno 1651. inde scriptum a quodam Carmelita, ait Lezana, ad an. 1061. *Est*, inquit, ibi *antiquissima imago Crucifixi, ad cujus pedem depictus Petrus Eremita est cum cappa alba & tunica subnigra, manicæ etiam subnigræ apparent; quæ quia est valde elevata & obscura propter antiquitatem, adhibitus fuit tubus opticus, & apparuit, ad modum quo hic descripsi* Carmelita iste. Nulla tameo hæc auctoritas est, quia multis annis post Petri illius mortem Cappa alba fuit Carmelitis data. Inferioris vestis color subniger, Eremitam proculdubio notat. Unde ei addita sit cappa alba, nolo hic divinare: satis est, eam pro tempore quo ille vixit, & picturam istam (ut creditur) faciendam curavit, nihil minus ootare potuisse, quam Carmelitam; qualis si fuisset Petrus, & jam tunc fuissent in Europa conventus istius Ordinis; huic potius, quam Augustinianis, monasterium Huji ille fundasset.

76 Hæc tibi ex Lezana collegeoti, Rev. Pater, miror quomodo ad eadem confirmanda non

occur-

occurrerit memoriæ Vita Venerabilis Matris Isabellæ de Jesu, Ordinis vestri Tertiariæ, quam ipsamet ex obedientia scripsisse dicitur; edita enim Madriti an. 1685. missa mox est vestro P. Jacobo a Passione Domini, ut inde augeret numerum Radiorum Elianorum, anno immediate præcedenti Belgica nostra lingua sub tuo primo Provincialatu editorum Bruxellis; quibus per editam seorsim Appendicem, mox accessit nova ista & vestra (ut Hispanis placet appellare) Beata. Obierat hæc anno 1682. 29. Junii, & veluti revelata sibi narraverat omnia, quæ de vestra antiquitate sibi a directoribus suis inculcata tenaci phantasiæ alte impresserat. Poteras ergo hunc §. insigniter inde augere: sed timuisti fortassis, ne Romanæ curiæ oculos offenderent tam miræ, nec facile probandæ revelationes. Ego certe, si eas mihi objecisses, remisissem te ad Parergon, interjectum primæ ac secundæ Vitæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ad xxv. Maji, *de Sanctorum extaticorum dictis vel factis ad historicarum quæstionum definitionem non trahendis*.

77 Ejusmodi inter alia est; quod *S. Leocadiam*, Virginem ac Martyrem Toletanam, sub Diocletiano x. Decembris passam, identidem sibi visam dicat Isabella in habitu Carmelitano, & (si Superis placet) cum Scapulari; auditamque asserere, quod suæ passionis tempore nihil tulerit molestius, quam illo privari; seque maxima injuria affectam a civibus Toletanis, quando in festo S. Ferdinandi recens canonizati, ipsam inter ceteros urbis Patronos speciose vestitos, repræsentarunt in habitu puellæ secularis, ne quidem relicto Scapulari: se enim omnino esse & fuisse Ordinis Carmelitani. Atque hoc est quod probatum volens is, qui Vitam illam apologeticis Annotationibus præmunivit, Manuel de Paredes; plurimum ponderat Annot. 21. quod *in Capella S. Leocadiæ subterranea, quæ hodie est in conventu RR. PP. Capuccinorum Toleti, invenitur imago Sanctæ, in habitu Religiosæ Carmelitanæ; cum ipsa imago sit sexcentis omnino annis antiquior. Est autem eadem imago*, inquit Paredes, *nunc restaurata in eodem habitu; quamvis non defuerit qui abolitum voluerit, ut hæc veritas obscuraretur: verum id Deus non permisit*. Quisquis anno 1685. ita præcisa imaginis illius ætatem definivit, videtur ad tempus respexisse, quo primum recepta civitas de Mauris fuit anno 1085. quasi inter prima restaurandorum sacrorum opera, curata fuerit illa imago. Si tunc diceretur capella ista subterranea fabricata, probatione indigeret assertum tale; & quidem tanto certiori, quanto major antiquitas prætenditur. Nunc autem cum agitur de imagine, quæ longo post conditam capellam tempore istic potuit fuisse collocata, credemusne eam istic fuisse a principio, sine argumento, sine teste, hac solum ratione, quia Capuccini, non adeo pridem illuc adducti, illam se invenisse testantur, & audivisse, antiquam valde esse.

78 Sit tamen quantumcumque voles antiqua; an putabat Manuel ille Paredes, neminem futurum tam curiosum, qui ipsius habitum propius vellet considerare, an vere Carmeliticus sit. Mihi quidem, licet longius posito, libuit & dubitare, & quærere. Rogavi ergo R. P. Antonium Pantoja, Rectorem nostri Toletani Collegii, locum adire, imaginem inspicere, mihique mittere dignaretur omnibus suis coloribus ad vivum expressam: quam ut accepi, ipsam continuo æri tradidi incidendam, sed ad usum piorum Toletanorum congruis ornatam parergis, qualem hic tibi repræsento; & indico, coronam & crucem inauratas, togæ item atque pallii oras pariter inauratas recentius esse, eorumdem cura qui cæruleo colore tinxerunt tunicam, antea pariter candidam.



Vetus hæc lapidea statua apud Capucinos Tolet.,
In subterranea sanctæ ædicula antea nativo colore, alba tota.
nuper infra chlamydem cæruleo tincta fuit, coronataque

79 Imagini hic propositæ addidit idem Rector epistolam, quid invenerit, viderit, audiveritque clarius explicantem his verbis: *Adivi ipse Capuccinos: atque cum uno ex Religiosis ac socio meo, ad subterraneam S. Leocadiæ capellam descendens, inveni imaginem Sanctæ, non pictam, ut supponis* (hoc autem supponebam, quia tam asseveranter scribitur inventa Sancta in habitu Carmelitano, qui colore potissimum distingui debebat (memini enim, me puero, nullam nisi coloris differentiam inter habitum Dominicanorum & Carmelitarum fuisse) *sed sculptam ex petra ad altitudinem sesqui ulnæ: quam statuam nonnulli eorum qui hodiedum in conventu vivunt Religiosorum, meminerunt se vidisse albam totam* (qui utique est color lapidis, & solus solet in statuis, præsertim antiquis, inveniri, absque alia ulla tinctura) *sed quidam, ipsi Sanctæ devotus, ante non multos annos colorem vesti interiori sub alba chlamyde cæruleum induxit; ut coloris hujus auctor videatur cælestem candidæ virginitatis decorem voluisse designare, quomodo in Deipara sæpe faciunt Pictores; aut si omnino Monachæ ea effigies dici debeat, potius Conceptionistam quam Carmelitanam voluerit assimilare Sanctam: cavit interim ne nigrum ei velum faceret, purumque reliquit, non tantum capitis tegumentum & pallium, sed & zonam sive cingulum* (de *Scapulari* taceri credo, quia nullum in statua tota appareat). *Porro nemo est Capuccinorum, qui de ætate ipsius imaginis quidquam ausit pos-*

sitive

sive testari ; quippe qui in hujus loci possessionem primum venerunt anno 61. hujus seculi . Nulla istic memoria Carmelitarum, quasi eam Capellam aliquando tenuerint; econtrario dicunt Capuccini, ecclesiam ibi Collegiatam fuisse, ideoque in ipso Metropolitano Capitulo hodiedum dignitatem esse sub titulo S. Leocadiæ, qui titulus ab ista Capella desumitur : quod vel inde confirmatur, quia quotannis in ejus Sanctæ festo prædictum Capitulum procedit ab ecclesia sua ad eamdem Capellam, solennem Missam apud Capuccinos cantaturum .

80 His ita compertis, non jam quæro, quod quærere alias voluissem, cur is qui prætenditur statuam reformasse, innovato qui jam pene exoleverat vestis interioris colore, non variegaverit etiam chlamydem inductis barris, cum quibus Religiosi isti, ætate S. Ferdinandi, in Europam transiverunt seculo XIII. quasque retinuerunt ubique usque ad annum 1287. Dum autem considero, quod nulla Carmelitarum, vel in Chronica S. Ferdinandi, vel filiorum ejus nepotumque Historia, fiat mentio ; (ubi tamen Minorum ac Prædicatorum, a Regibus illis in Hispania fundatorum, haud pauca ostentantur documenta) dum etiam appendo, quod Castellani eorumque vicini Reges, in expugnandis Mauris domesticis hostibus occupati, nullam in sacro trans mare bello partem habuerunt ; non miror quod inde Carmelitas non adduxerint, ut Angli, Franci, Germanique ac Siculi fecerunt ; vehementerque suspicor, eos ante depositionem barratarum non produxisse in Hispaniam fundationes suorum Conventuum.

81 Horum interim ibi origines hactenus tam sunt ipsismet ignotæ, ut Lezana, homo Hispanus, & in Hispania exorsus studium historiæ Carmelitanæ explicandæ, nihil fere de illis repererit, præter Higueriana figmenta. His autem vir ille bonus fidem credidit irrefragabilem esse ; eoque securus allegavit, tamquam a Luitprando Ticinensi seculo x. scripta hæc verba, in Fragmentis relata n. 100. *Sunt qui putent (quod & ego credo) S. Leocadiam fuisse Ordinis Carmelitani ; quem Ordinem Monachi Carmelitani, ad fidem Christi conversi, in Hispaniam intulerunt ; ex quibus fuit Elpidius, primus Toletanus Præsul a S. Jacobo institutus .* Ne autem putaretur is Ordo a Saracenis extinctus, succurrit Petrus Sancius, S. Toletanæ Ecclesiæ Portionarius, ab Higuera verosimiliter suffarcinatus, ut in sua Historia Morali & Philosophica apud eumdem Lezanam sic scriberet : *Anno 719. Mauris traditur Toletum, hoc pacto cum Christianis inito, quod designaturi erant septem ecclesias, in quibus libere possent celebrare & assistere divinis Officiis, quæ fuerunt sex Parochiales intra urbem, & quoddam monasterium Carmelitanum quod erat extra .* Suburbanum istud ab eodem Petro Sancio alibi vocatur monasterium SS. Servandi & Germani, ipsumque, sub tempus recuperatæ urbis, incolentibus Fratribus *Rex Alfonsus, qui Toletum liberavit, dedit ædem, appellatam S. Mariæ de Afizen, ubi permanserunt usque ad annum 1051.*

82 Ne autem de hoc dubitetur, ipsius Alfonsi testamentum, Æra 1133. Idibus Februarii signatum, quo, præter alia dicto monasterio concessa, *pro augmento conservationis monasterii, & pro hospitum receptione,* testari (id est donare) se dicit Rex *antiquam ecclesiam, quæ dicitur S. Mariæ de Alfizen, quæ numquam Christianitatis titulum perdidit, & quamvis sub potestate Paganorum, non desiit de Christianis incoli & venerari .* Ita scripsisse fingitur *Aldephonsus, Dei gratia Toletani Imperii Rex, & magnificus triumphator* ; ut, ad convictionem falsitatis, perito Antiquario opus non sit ex contextu reliquo eruere alia, quæ plura possent adduci argumenta . Intelliget enim numquam commisisse *Alfonsum*, ut omissis titulis antiquiorum ac potiorum regnorum, a Majoribus acceptorum, Castellæ, inquam, ac Legionis ; novissime iis adjunctum titulum *Toleti* solum præscriberet suis diplomatis : nec solum, ut *Regni*, (quod ejus successoribus satis fuit semper) sed, ut *Imperii*.

83 Interim certiorem fidem, quam mereatur supposititium istud instrumentum, eique consentiens Petrus Sancius, obtinebit Hispanicæ historiæ Parens Rudericus, Archiepiscopus Toletanus, cujus de occupato a Mauris Toleto, lib. 3. cap. 25. hæc sunt verba : *Cum Toletum Taric Maurus venisset, invenit eam fere habitatoribus destitutam : plures enim ad Amayam, alii Asturias, alii confugerant ad montana : Taric autem ex Arabibus quos secum duxerat, & ex Judæis quos Toleti invenerat, munivit Toletum .* Nulla hic pactarum a Christianis remanentibus conditionum mentio, ac ne Christianorum quidem, sed Judæorum dumtaxat ; ut qui in deserta a Christianis urbe soli remanserint, & soli cum Arabibus eam perrexerint habitare. Ad hos si postea Christiani etiam accesserint aliqui, desiderio patriæ diuturniorisque exilii tædio retracti, quos Musarabes posteritas nuncupavit ; carebant illi ecclesiis publicis, carebant Episcopis ; suaque sacra sic ubi frequentabant, clam illud & furtim faciebant, raris quibusdam Clericis Presbyterisque ministrantibus : unde in sinceris ejus temporis monumentis, nec unum quidem Episcopum nominatum invenias, earum quas Mauri possidebant civitatum, nisi in commentis Higuerianis . Lezanam istis credidisse, cum occum ita clare nota falsitas esset, haud equidem miror ; esse autem qui etiam hodie illa ideo tueantur, quia præjudicatis apud se opinionibus favent, toleraremus patienter, si liberum nobis esse sinerent non esse tam credulis.

84 Nunc quæso, priusquam a S. Leocadiæ imagine abeas, Lector simul & Spectator ; iterum iterumque considera, utrum in toto Sanctæ habitu, sania oculis sese offerat, quod referat Sanctimonialem Carmelitanam . Qui in re omnibus patenti ita sibi patiuntur imponi, ut talia approbent imprimique permittant ; quomodo non credemus fuisse delusos in tot visionibus, Isabellæ isti vel afflictis vel phantastice oblatis, quibus Carmelitanæ antiquitatis credulitas roboretur, quasi divinitus revelata . Ego ejus sanctitati nihil detractum volo ; Vita qua fide scripta sit, Apostolicæ Sedi dispiciendum relinquo : quæ uti nonnullas alias similes in Hispania, auctoribus suis (ita mihi videtur) suppositas, reprobavit ; istam quoque (si non desit qui accuset) fortassis reprobatura aliquando est .

86 Denique hoc Paragrapho objicitur mihi a Tua Patern. ex Joannis Grossi Viridario, Clavi t. sub finem, quod [*ut dicitur in Chronicis Romanis*] *tempore prædicationis Apostolorum, anno a passione Domini 47. regnante Imperio Romano, tempore Titi & Vespasiani, apud Jerusalem in Porta aurea, ubi Joachim & Anna, progeni-*

geaitores B. Mariæ sibi mutuo obviaverunt, religiose coafederuut Carmeliiæ, *& ibi ad hoaorem Virginis, ubi roncepta fuerat, ecclesiam fabricaveruat.* Annus iste esset Christi 77. post eversam suoditus civitatem sextus; quando portam illam pariter totam fuisse destructam, persuadet vicinia templi tanta, ut inter ipsam & haoc portam, Speciosam dictam in Actis Apostolorum, sola publica via intercederet, & per unam recta veniretur ad alteram. Atqui de templo prædixerat Christus, futurum ut non maneret lapis super lapidem, idem ergo judicari debet de Porta Aurea; cum in istud latus urbis ipsumque templum, maxima vis oppugnationis machinarumque incumberet. Cum autem Ælius Adriaous Imperator an. 132. novam urbem condidit, montem Calvarium complexam; restaurata quidem Porta illa fuit, perstatque etiam hodie, sed nullum ibi vel tuoc vel postea conditum fuisse mooasterium legitur, nec etiam prope illam habitasse putantur Joachim & Anna, quos traditio dumtaxat habet, istic *sibi mutuo occurrisse, de habenda prole lætos*, ut ait Adriebomius, auctor tam receos.

86 Docet hic etiam, sanctos Deiparæ genitores habitasse, Virginemque genuisse istic, ubi nuoc quoque est ecclesia S. Annæ, satis longe a templo, ad partem borealem civitatis: de qua Jacobus de Vitriaco sic loquitur: *Ejusdem* (Benedictioi) *Ordiuis & professionis est Abbatia S. Aanæ, genitricis Matris Domiai, juxta portam quæ dicitur Josaphat, juxta Probaticam piscinam sita; in quo loco beata Virgo nata fuisse perbibetur, in qua est Abbatissa cum Monialibus nigris.* Quid videtur tibi, Pater Rev. satisne certus hic testis est, ut eredas, & Grossum & ceteros omoes, in monasterio illo Carmelitis adscribendo, deceptos a pseudo-Enocho Vitæ S. Angeli Auctore? & hunc nequaquam esse quem fingit Hierosolymitanum Patriarcham? Qui sic errarunt in seculo 12. ac 13. quomodo possunt circa rem eamdem facere fidem, pro tempore Apostolico, atque pro eo anno, quo ipsemet locus dirutus desertusque jacebat?

PARAGRAPHUS IV.

Aatiqua Carmelitarum monumenta, quibus Elianum institutum ostenditur continuasse usque ad annum 200.

RESPONSIO.

87 SUnt hæc, liber de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ, Josepho Antiocheno adscriptus pro anno 130: Epistola cujusdam Balbini, ad Antoninum, ut præfertur, Imperatorem, pro anno 140: S. Telesphorus Papa, juxta Vitam editam a Bollando, compositam a Zegero Pauli: S. Frootonius Abbas io Ægypto: S. Eugenia, Virgo Martyr: *S. Serapion, ex Eremita & Aaachoreta Carmelitica Religionis, octavus Episcopus Antiochenus*, teste Palæonydoro: *quin imo omaes & singuli Monachi & Anachoretæ post Christum, ante Basilii præsertim institutum viveates*. De Josepho Antiocheno respondi, tum alibi, tum ex professo Art. 13. § 3. de Epistola Balbini, Art. 6. n. 16. de S. Frontonio, Art. 15. §. 13. de S. Telesphori Papæ Vita egi Art. 11. §. 8. & quomodo ille vobis sit coli permissus, explicui.

88 Pridem argumentum hoc delibaveram ad 26. Maji, agens de S. Quadrato, Apostolorum discipulo & Atheniensi Episcopo. Hunc enim cum Palæonydorus & Didacus de Coria Eliano seu Prophetico Ordini adscripsissent, eo quod antiquus scriptor Melchiades cootra Montanistas, apud Eusebium lib. 5. cap. 16. numeret illum inter novi Testameoti Prophetas; ibi notasti, quod Lezana ad an. 128. n. 2. Palæonydorum Coriamque transcribens, fateatur ea *non esse certa*, sed ab illo *pie præmeditata*. Notavi deinde, quod alii, non contenti pro pia meditatione istud habere, supramediratti pliseulum, consequentias inde deduxerunt concateoatas, per quas ad Telesphorum usque venirent.

89 In istis autem vester Philippus a Visitatione, in Manuscriptis Notis ad Aciem bene ordinatam Sanctorum ac Beatorum Ordinis; *Quadratus*, inquit, *ex Philosopho & Eliotarum Magistro, factus Atheniensis Episcopus, totam Ecclesiam firmavit cum S. Telesphoro, suo primum discipulo*. Ita in floccos nivium bene magnos coagmentantur delapsæ altius per inane guttulæ. *Telesphorus* factus Romanus Episcopus est *ex Anachoreta* (sic habet Catalogus Pontificius) ergo Carmelita. *Natione Græcus*; ergo *Atheniensis, Quadrati discipulus. Quadratus* ille *Propheta* fuit, ergo etiam *Carmelita*: omnes enim oumerati ab Eusebio dieuntur *Prophetæ*, inquit Zegerus Pauli, *non tam quia erant gratia prophetica præditi, quam quia erant Ordinis Prophetici sectatores*: hic autem erat Ordo Carmelitarum. Est ne in toto hoc progressu, Rev. Pater, vel unica propositio, quæ cum altera nexum congruum habeat? Si non est; quis nobis jure succenseat; quod, non speculantes phantasmata, sed antiquorom scriptorum colligentes testimonia, nec ultra quam hæc evincant asserentes quidpiam, cautius nobis progrediendum credamus, quoties ea nobis offeruntur, quæ vix per multas inconsequentes præmissas elici potuerunt a meditabundis Palæonydoro & Coria, & post hos ab aliis, prægressos sine discussione secutis, atque hoc solum agentibus, ut majorum qualecumque dictum aliqua verisimilitudine vestiant, quamdiu asseritur nemo qui contrarium positive dixerit: quasi scriptores veteres in terminis refutare potuerint, quod multis post seculis excogitaturi erant recentiores.

90 Restant ex objectis, Sancti Eugenia & Serapion. De hoc jam obiter egi Art. 10. n. 48. nec video quid addere hoc loco possim, cum in silentio totius antiquitatis de ejus aote Episcopatum monachatu, fidem nullam mereatur simplex unius Palæonydori assertio; etsi petentibus, ejus cultum sibi concedi, Carmelitis annuerit sacra Rituum Congregatio, non admodum solicita quam certo probarent illi, ipsum ad se pertinere. De S. Eugenia operæ pretium fuerit paulo prolixius agere. Hæc ut Carmelitana fuisse demonstretur, allegaotur Baronii verba, dicentis ad an. 188. quod *nuptias aversata, uaaque cum fidelibus eunuchis Proto & Hyacintho secedens, delituit inter Monachos, quos*, inquit, *Essenos a Philone dictos, demonstravimus*. Sed numquid etiam demonstraverat Baronius, aut vobis unquam assensus est, Essenos illos fuisse Carmelitas, ab Elia traductos? Contrarium me puto demonstrasse, & ipse processionem vestram satis crude explodit. Quod autem ad Acta S. Eugeniæ attinet, unde objectio

jectio petitur; ea quam sint exiguæ fidei agnoscit ipse Baronius, in Notis super Romano Martyrologio ad diem 25. Decembris.

91 *Acta*, inquit Baronius, *a Metaphraste descripta extant apud Lipomanum & Surium* (addo ego antiquiora & sinceriora Latina extare in Vitis Patrum, editis a Rosweydo). *Habent tamen aliqua, quæ censura indigeant: veluti quod ibi legitur de Philippo Eugeniæ patre, facta* (*ut ait Auctor*) *Episcopo Alexandrino: quod plane commentitium esse, tabulæ Episcoporum, quæ ab Eusebio in Chronica, & Nicephoro Episcopo Constantinopolitano & aliis describuntur, manifesto declarant*. Addere potuisset ex Originibus Ecclesiæ Alexandrinæ, ab hujus Patriarcha Eutychio descriptis (si eas ille habuisset, ut eas an. 1642. Arabice ac Latine vulgavit Seldenus) [1] nihil magis contrarium fingi potuisse proprio istius Ecclesiæ instituto, quam ut sic aliquis ibi advena, & ex persecutore neophytus, eveheretur ad Cathedram S. Marci Evangelistæ.

92 Marcus enim, teste Eutychio, *constituit Patriarcham Alexandriæ Ananiam*, (aliis Anianum) *& duodecim Presbyteros cum eo; adeo ut cum vacaret Patriarchatus, eligerent unum de illis, cujus capiti reliqui undecim manum imponerent, eumque benedicerent & Patriarcham crearent; & dein virum aliquem insignem eligerent, eumque Presbyterum secum constituerent, loco ejus qui sic factus est Patriarcha; ut ita semper extarent duodecim. Neque desiit Alexandriæ institutum hoc*, inquit idem Eutychius, *usque ad tempora Alexandri Patriarchæ, qui fuit ex numero illo trecentorum actodecim*, scilicet Episcoporum, sub Constantino Magno præsentium primo Nicæno Concilio. Si placuisset Baronio plura a se animadversa indicare, non dubito, quin inter ea etiam fuisset, quod ibidem cap. 4. apud Rosweydum dicitur *mos* fuisse *apud Ægyptios, ut quando circumeunt monasteria Episcopi, psallentium eos sequatur exercitus*; & sic *cum Heleno, Heliopoleos Episcopo*, ituro ad monasterium, ubi Eugenia occurrit, *erant amplius quam decem millia virorum psallentium*. Item quod Eugeniam *tertio conversionis anno*, adeoque ætatis 18. Fratres, inter quos ipsa sub habitu virili latebat, Abbatem constituerint; quodque eadem ad Præsidem patrem suum adducta, ab eoque una cum sociis damnata mortis, *Sacerdotes & Episcopi, cum multo populo Christiano, ante Amphitheatrum erant; ut, dum fuissent interfecti hi qui accusabantur, ab eisdem sepelirentur*.

93 Quam autem alienum erat a moribus Commodi Imperatoris, ut qui, Dione teste, tam facilis erat ad constitutos a se magistratus commutandos, *ut in annum viginti quinque Consules designaret*, alios aliis identidem sufficiens; Philippum tamen, S. Eugeniæ patrem præfatum, *non ut Præfectum, sed ut Regem Alexandriæ ordinaverit atque constituerit, ut dum in vita maneret successorem nullum susciperet?* Hoc tamen illi scribere fingitur, anno jam decimo Præfecturæ currente, filius & successor Commodi Severus; mandans, *ut diis omnipotentibus solitam culturam exhibeat; vel deposita dignitate etiam propriis facultatibus cedat*. Idque, non obstante eo, quod idem Severus paulo antea, accepta a Philippo jam converso relatione de Christianis, edoctus, *eos satis prodesse reipublicæ, ideoque debere absque persecutione aliqua in urbibus habitare*, petitioni annuerat; & sic *facta erat tota Alexandrina civitas quasi una Ecclesia; eratque omnibus civitatibus gaudium*.

94 Hæc omnia aliaque plura considerans, non solum cunctabitur ex fide Actorum talium credere præpropera illa & numerosa in Ægypto cœnobia, in Actis commemorata; sed etiam intelliget, tota Acta aliud non esse quam pium drama, ad ejusque ornatum gratis confictam Philippi profectionem cum filia in Ægyptum, hujus Monachatum, in eoque Prælaturam; Melanthiæ curationem, amorem, calumniam; confessionem Eugeniæ agnitionemque, & totius familiæ conversionem, atque Martyrium Philippi in Ægypto toleratum, ac denique reditum Romam Eugeniæ cum matre, fratribus atque eunuchis suis; ubi Claudia mater cœnobio viduarum, ipsa Virginibus præerat tempore S. Cornelii Papæ, id est annis fere 70. post Virginis ab Urbe Roma discessum. Quare cavebit credo, de his monitus jam lector aliud suscipere, quam quod (sicut ex genuino Bedæ Martyrologio aliisque antiquioribus indubitatum habemus) S. Eugenia, virgo nobilissima, Romæ Martyrium insigne peregerat, nec non Eunuchi ejus duo SS. Protus & Hyacinthus: de quibus agendum successoribus meis ex professo erit, ad diem 11. Septemb. & 25. Dec. Sane cum dicta martyria acciderint tempore Gallieni Imperatoris, vel sola temporis diuturnitas decursi ab anno 7. Commodi, qui fuerit Christi annus 186. ad initium solius Gallieni an. 250. sufficit ad convictionem imposturæ; atque ad suspicandum, Philippi Imperatoris vel conversionem vel magnum affectum erga fidem Christi, indulgentiamque erga Christianos ac necem, dedisse occasionem fabulæ; quæ cum esset bonæ ædificationis plena, eodem modo suscepta fuerit ab antiquis virginitatis laudatoribus, quos Baronius allegat, quo acta SS. Juliani & Basilissæ, de quibus actum Art. 15. §. 8.

PARAGRAPHUS V. VI. VII. VIII. IX.

Antiqua Carmelitarum monumenta, quibus Elianum institutum asseritur continuatum usque ad annum 300. 400. 500. 600. 700.

RESPONSIO.

95 FLoruit tertio seculo, qui primus nominatur a Tua Patern. *S. Dionysius Papa*, cujus nomini addit secundus apud Henschenium Catalogus, scriptus post annum 530. quod fuit assumptus ad Cathedram *ex Monacho, cujus generationem deprehendere non potuimus*. Expecto, Pater Rev. ut eum ex Carmelo processisse, nos doceas distinctius, quam seculo sexto, quo scriptus Catalogus ille est, docere quisquam potuit. Si divinandum sit; ex Ægypto, ubi solitariam vitam Monachus egerit, venisse Romam, sicut illi,

[1] Animadverto hic Papebrochium deceptum fuisse; *totam enim illam Eutychii traditiunculam falsam esse, & sine ordine, sine judicio tam imperite coagmentatam, ut his aliisque per suos annales sparsis, de Ecclesia Alexandrina pessime meritus dici absque scrupulo possit*, pronunciat, pluribusque post Echellensem probat Joan. Baptista Sollerius t. 5. Junii in hist. Patriarch. Alexandr. a n. 39. p. 8. Consulo etiam Eusebium Renaudotium in sua Patriarcharum Alexandr. historia.

illi, quos incipieos Antonius Monachos invenisse ic ait, indeque occasione aliqua missum Romam, ibique detentum, opinarer potius quam ex Palæstina, ubi aote Hilarionem ignotum erat ipsum quoque oomen Monachi.

96 *S. Spiridionem* Trimethuntia Episcopum in Cypro, quem objicis n. 53. Monachum numquam fuisse, nedum Carmelitam, ostensum est Art. 10. n. 48. Quando idem fuit ab Eusebio (Rufinum nominare debuisti) dictus *vir unus ex ordine Prapbetico*; nihil minus intellexisti quam quod nunc sonat nomeo *Ordinis*, acceptum pro Congregatione regulariter viventium, sub uno Capite uoaque Regula. *S. Hilarion* a S. Antonio sumpsit oormam solitoriæ vitæ, quam reversus io patriam alios suo docuit exemplo; adeoque per eum inepte probatur successio Eliana, qui in Palæstina non reperit fundatum, pridem Monachatum, sed eo intulit. Quod autem istorum cultus vobis indultus fuerit, hoc vel superiori seculo, quanti faciendum sit, ex dictis jam sæpius patet satis.

97 Seculo quarto, Coostaotini mater Helena, eum Crucem Dominicam reperisset, ædificavit S. Resurrectionis ecclesiam, & alia nonnulla loca pia, rite expurgata sacris ædificiis ornavit. In his an fuerit S. Annæ ecclesia ad probaticam piscinam, oon video, unde affirmari possit, vel efficaciter negari: sed bene, quod nulla struxerit ad Portam Auream, nedum quod eadem Carmelitis cesserit, post urbis destructionem: hoc enim cum omni ratiooe negatur, contra Pseudo-Enochum auctorem vitæ S. Aogeli. Non etiam negaverim, quod Nicephorus Callistus primus asseruit lib. 8. cap. 30. eamdem Helenam matrem, erexisse *ad sacrum Jordanem Joanni Baptistæ perpulcram ædem, aliamque ad acclivitatem montis Eliæ Thesbitæ*. Verum nescio, cur de Carmelo id intelligatur, potius quam de eo moote, ex quo in vicinum Jordonem profluit torrens Carith, ad quem sedisse & delituisse idem Elias dicitur 3. Reg. 17. Certe idem Nicephorus Reginæ iter, secundum Jordanis ripam a loco baptismi usque ad Tiberiadem videtur ducere, idque ex toto ejus contextu suadetur, & ex his mox sequentibus verbis: *Inde quatuor dierum itinere Tiberiadem venit*; quantum præcise est spatium a Carith illuc. A Tiberiade autem ivit in Thabor; atque hinc, flexo versus Occidentem itinere, ad Nazareth atque io Cana pervenit; unde io vicioum Carmelum ire cœpta vio potuisset, si hunc adire ei fuisset propositum; & non, eo præterito, maluisset flectere Hierosolymam. Hæc considerasse oportuerat, priusquam mihi objiceretur templum Eliæ exstructum ab Helena. Quin etiam considerasse debueras, Pater Rev. in ra tam aotiqua non magnam censeri posse istius Nicephori auctoritatem, seculo 14. scribentis, quæ apud oeminem priorum leguntur, & ob ipso sine teste referuotur, sicut & alia multa fidei valde incertæ.

98 Multo minus valere debet Hispanus Villegas, in Vitis Sanctorum an. 1591. editis Toleti, Venetiis autem Italice an. 1611. dum ex Petro de Natalibus edens Vitam S. Romani, Monachi & Martyris Antiocheni sub Maximiano, examinandam mense Novembris, de suo addit, quod fuit *Romanus* iste *Religiosus montis Carmeli*. Multoque minus id eredi debet fuisse *S. Macarius*, Antonii discipulos, cui vulgo adscribuntur 50. Sermones, qui an hujus alteriusve tam antiqui sint, merito dubitotur; cum teste Labbeo nostro iisdem *insertæ & deprebensæ sint aliquot alterum auctorum homiliæ*: ut taceam quod idem ait ibidem, *nonnulla admixta haberi, gravi censura digna*. Quidquid tamen sit de auctore Sermonum istorum, hæc a Tuo Patern. n. 59. allegata verba, ex eo qui ad Monachos inscribitur, *Eliam & Elisæum ac filios Prophetarum, quos constat veraciter veteris testamenti fuisse Monachos, imitari curate*: hæc, inquam verba, cujuscumque scriptoris & auctoritatis demum sint, non faciunt quidquam ad probandum, quod ii, ad quos sermo est Monachi, in Elio plus habuerint quam exemplum vitæ solitariæ, quale jam sæpe descripsimus; & monachatus talis, qualis capax erat status veteris Testamenti.

99 Seculo quinto egregie floruisse Monachismum, tam in Oriente quam Occidente, non erat operose probandum, Rev. Pater; sed quod omnes sint habendi Carmelitæ, ad eorumque pertineant Ordioem. Ad hoc autem probandum, nihil prodest liber de Institutione Monachorum, seculo quinto perperam adscriptus, ut dixi; nihil etiam *SS. Euphrasia & Euphrosyna* Sanctimoniales, licet cultus earum vobis permissus sit, ea ratione quam explicui Art. 11. §. 8. Idem intellige de *S. Cyrillo Alexandrino Episcope*, cujus monachatum adeo explodit Baronius. Ego affictum eidem de ortu Virginis librum, cum fictitia S. Annæ genealogia, refutavi Art. 15. §. 8. De *S. Jacobo Præmeato* juxta Carmelum, egi Art. 11. n. 40. *Eusebius Archimandrita monasterii Eliæ*, nec non *Silas Presbyter & Prior monasterii Eliæ*, atque *Babylas Presbyter & Archimandrita monasterii nominati sanctæ memoriæ Eliæ*, ostensi etiam sunt non venisse ex Carmelo ad Constantinopolitana concilia, annorum 448. & 536. sed ex ipsiusmet urbis regiæ monasterio aliquo; proinde non magis huc faciunt, quam pro seculo xi. in Sicilia faceret ecclesia & monasterium S. Eliæ prope Troynam, Monachis Basiliaois extructum a Rogerio Comite: Basilianorum vero institutum vetus, siquis cum Carmelitico hodierno comparaverit, multo rationabilius hoc ab illo processisse dicet, quam e converso; cum S. Basilii Regulam a suis in Syria majoribus ante Albertum fuisse observatam, ipsimet Carmelitæ scribant teneantque.

100 Porro si nu. 38. allegati a Patern. Tua *Palæonyderus & Bostius*, cum *Sanctio*, *Gelenio* atque *Silveyra*, considerari hic non merentur; multo minus locus hic dabitur, ad ferendum de antiquitate Carmelitana testimonium, Tractatui de Eremitoriis antiquis Hispaniæ, nuper fabricato sub nomine *Juliani Perez*, in quo fingitur Recaredus Princeps, circa annum 578. reparasse antiquissima Toleti templa, *quo venerant olim Monachi Carmelitæ*. Suppostitius iste Julianus est, æque ac Dexter, de quorum recenti fictione satis audivimus Eminentissimi Aguirre & aliorum Hispanorum prudentiorum judicio.

101 Quæ sequuntur §. 10. persecutiones, a Christianis, præsertim Monachis, toleratæ sub potestate Saracenorum, toti Terræ-sanctæ graviter incumbentium, potius ad Basilianos, quam Carmelitas spectare creduntur: quia illorum Regulo illuc recepta fuisse a seculis minimum octo, rationabilius præsumitur, Carmelitarum vero na

oomeo

nomen quidem uspiam apparet. Colunt interim *S. Anastasium Persam*, sub illa persecutione passum, utrique ut suum, dum neutris vult præjudicatum Apostolica Sedes, hujusmodi disceptationis non solita decidere definitive: quare nec Benedictinos, Trithemium, Vionem, Dorganium, Menardum damnat, eumdem S. Anastasium sibi quoque attrahentes, etsi non doceant jam tum in Palæstina fuisse aliqua Regulæ Benedictinæ cœnobia. Quin etiam toleratur Ghinius, ipsum quoque inscribens Natalibus Canonicorum Regularium.

102 Sed eccum insigne & irrefragabile antiquitatis Carmelitanæ monumentum, scilicet instrumentum pacis, conclusæ *in monasterio montis Carmeli prope montem Libani*, inter Mahometum utique & Christianos: *in quo* monasterio *originale concordatum repertum dicitur, & postea perlatum ad bibliothecam Regis Franciæ, cujus copiam ad longum producit Rigaut Anglus in sua historia, a Briot correcta, & Amstelodami* 1677. *impressa, lib.* 2. *cap.* 2. *fol.* 240. *subdens illud a fide dignis auctoribus recipi*. Hæc tu, Pater Rev. n. 84. allegas tam fidenter, quasi oblitus esses omnium, quæ contra Joannis Phocæ Itinerarium causantur Vestri, quia apud typographum acatholicum Amstelodami impressum fuit, licet Catholicis optimis curantibus; cum isti Rigaut & Briot quales sint, nequidem curaveris indagare. Mea quidem id parvi refert, qui non soleo fidem etiam acatholicorum hominum, in antiquis historiarum monumentis publice luci dandis, repudiare, sed potius laudare: Tibi, Pater Rev. imprimis curandum erat, ut quæreres quinam sint isti *fide digni auctores*, allegati a Rigaut, priusquam concluderes, uti concludis, dicens: *Ex quo patet quod probati auctores admittant, Carmelitas ibi circa illa tempora habuisse sua monasteria*. Hoc ego hactenus non magis credo, quam montem Carmelum ex omnium Geographorum sententia, totius Phœniciæ interjectu, & olim & nunc diremptum a Libano, per intervallum horarum circiter 40. seu 120. milliarium Italicorum, seculo Christi septimo quo vivebat Mahometh, stetisse *prope montem Libani*. *Numquid propter Te* (ut cum Baldad Suhite apud Jobum loquar) *derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco suo?* Sed neque credere possum, Rigautium vel Briotum, cujuscumque sint aut fuerint professionis, ad eum impudentiæ gradum ascendere potuisse, ut typis publicarent tale suum vel alterius cujuscumque somnium. Impostor aliquis, notam habens vestram credulitatem, nihil non recepturam, cui quomodocumque insereretur Carmeli mentio, commentus sit illa, Tibique fecerit, indicari, unde sibi aliisque risum de Carmelitis faceret, satis securus, quod non essetis ad Regiam bibliothecam recursuri pro veritate indaganda, quia nescireris dubitare in argumento tali.

103 Fecit hoc rogatu meo noster Joannes Harduinus, Orientalium linguarum & historiarum scientissimus, ac variis editis libris notissimus Parisiis, mihique rescripsit 23. Aprilis in hæc verba: *Est sane manuscriptum in bibliotheca Regia, est & editum Arabice ac Latine, & Latine quidem prius, anno* 1638. *Rostochii sub hoc titulo* „ Mahumedis Testamentum; sive „ pacta cum Christianis in Oriente inita .... „ edita a Joanne Fabritio Dantiscano: *sed de monte Carmelo ne littera quidem ibi unica. In bibliotheca Regia titulus hic est*: „ Testamentum & pactiones initæ inter Mahumadum, „ legatum Dei, & Christianæ fidei cultores. „ Mahumadus, a Deo missus, &c. *Prolixum sane instrumentum est, in cujus fine sic legitur*: „ Secretarius autem fuit Muavia Ben-Abi Sofian, Miles Nuntii Dei, die Lunæ ultima „ mensis quarti, anni quarti Hegiræ, in Me„ dina. *In Arabico plane idem est, nec quidquam aliud. An Medina, Arabiæ felicis civitas, ubi corpus pseudo-prophetæ habetur, vicina Carmelo? Imo distat pluribus quam ducentis leucis. An Medinæ simul & in Carmelo Mahumadus? An Hegiræ quarto anno? an omnino in vita sua Syriam vidit Mahumadus? Non sunt igitur* fide digni Auctores, *qui tam falsa & ridicula asserunt vel recipiunt*. Verumne, an supposititium sit Testamentum præfatum, & unde in bibliothecam Regiam allatum, non quæro, nec an omnino Medinæ scriptum: solum ex Elmacino noto, quod Mahometum, agentem Mechæ urbe sua natali, & suæ dominationis fundamenta ponentem per emissos alios pseudo-prophetas, *accesserunt Christiani, tum Arabes, tum alii; eosque in fidem suam recepit, scripto illis securitatis symbolo: ita & Judæi & Magi & Pagani, aliique qui fidelitatis ei juramentum præstiterunt, fidem ab eo liberam sunt consecuti, ea tamen lege, ut tributum & censum penderent .... approbavitque Evangelium & Legem Mosaicam*. Hæc ille, reliqua Mahometi gesta sic prosequens, ut eum extra Arabiam posuisse pedem, belli vel pacis causa, prorsus taceat.

104 Claudat hanc Responsionem parvulus Monachus, ut putatur, Carmelita, ad pedem Marianæ statuæ repertus, inter jacenda fundamenta Carmelitani apud Hispalim monasterii. Annum, quo illuc venerunt Carmelitæ, utcumque scire possumus ex lib. 5. cap. 13. Historiæ Hispalensis, ab Alfonso Morgado editæ an. 1587. Dicit enim, quod in archivio istius Conventus inveniantur scripturæ conditæ infra quadragesimum ab urbe recuperata annum, id est infra annum 1288. Ejusdemne ætatis sit monasterium cum ecclesia qua nunc utuntur Carmelitæ, atque adeo an tunc vel diu postea refossa imago prædicta sit, nolim scrutari. Nolim etiam præjudicium facere veræ ejusdem imaginis antiquitati, ex genio nationis, nimis facilis (ut vidimus) ad fidem habendam refossis in speciem antiquitatibus.

105 Posito tamen, quod imago, qualem describit Morgadus, *effecta* sit *ex solido alabastro, statura puellæ quindennis; quæ nunc collocata est supra altare majus Dominæ nostræ perquam bene sculpta, repertaque* (ut ait) *intra quamdam foveam, occasione fundandi monasterii reservatam*. Posito, inquam, quod hæc omnia vere sic acta sint & inventa, sicut narratur; qua ratione nobis persuadebit Morgadus, vel potius instructores ejus Carmelitæ, quod statunculus, ad illius pedem *ex eodem alabastro effectus, sit talis, ut ejus habitus aliaque insignia claro demonstrent Ordinem Carmeli?* Subdit autem his dictis Morgadus quod sequitur: *Quis illam imaginem istuc attulerit defoderitque, non satis certe definiri potest. Licet enim verum foret, quod Ordo sit antiquissimus, sicuti revera est* (nota, *sicuti revera est*, quasi postea adjectum, forte petentibus iis quorum intererat) *certe tamen*

constat

constat non fuisse ipsum in Hispania antequam ultimum recuperaretur Hispalis, id est ante annum 1248. *Dicitur autem per traditionem, fundatam in bona conjectura, quod quidam divini istius Ordinis devotus, volens tempore Gothorum in hac civitate fundare Conventum Fratrum Ordinis Dominæ nostræ de Carmelo, elaboravit imaginem istam devotissimam talem in finem; verum cum eodem tempore* (circa annum 713.) *supervenisset ruina & destructio Hispaniarum, fundator futurus defodit istam imaginem simul cum campana: ubi defossa mansit, quamdiu Hispalis fuit sub potestate Maurorum, tam splendida & formosa, sicut eam hodie cum admiratione videmus.*

106 Hactenus Morgadus, recte censens, traditionem præfatam in conjectura fundari: hæc vero soli illi poterit videri verosimilis, qui sibi potuerit persuadere, notum fuisse in Hispania Ordinem Carmelitarum, septingentis annis prius quam scitur illuc fuisse inductus. Scilicet necdum prodierant Hieronymi Higueræ figmenta ad fundandam ejusmodi traditionem: cui quam parum fideodum putaverint tum ipse Lezana, tum alii, qui ejusdem statuæ ex Morgardo meminerunt, apparet ex eorumdem de tali traditione silentio. Interim libenter assentior Morgado, *occulta Dei providentia factum esse, ut eodem loco conderetur Carmelitarum monasterium*, ubi Mariana effigies pridem defossa latebat. Optimi enim ominis fuit inventio ejus, undecumque vel quomodocumque istic depositæ; licet adgeniculatus eidem vel Monachus vel Clericus nihil pertinuerit ad Carmelitas; repræsentans, uti in similibus consuevit fieri, illum ipsum qui statuam fabricandam curavit, ut possem pluribus exemplis probare, si illa forent tam antiqua, quam sunt Gothorum Regum tempora. Talis tamen fortassis est pictura vetus, in subterranea Romæ ecclesia ad Thermas Trajani, ubi primum secundumque Romanum Concilium celebratum putatur a S. Silvestro, ejusque opus esse, expicta ibidem Deiparæ effigies, statura multo grandiori quam sit Pontificis, qui a Deipara benedictionem accipit, junctis manibus & genibus in terra flexis.

PARAGRAPHUS X. XI. XII.

Quædam Carmelitarum monumenta, & Conventuum fundationes in Europa post annum 700. quibus demonstratur eorum institutum monasticum Elianum continuasse usque ad annum 800. 900. 1000.

RESPONSIO.

107 LEgenti positum superius titulum Articuli totius, pollicentem documenta successionis Elianæ, demonstrata *ex sacra Scriptura, Pontificum Bullis, Breviariis, Missalibus, Martyrologiis, Historiis ac Revelationibus*, subibat animo istud Poetæ,

Quid dignum tanta dabit hic promissor hiatu?

Ecce autem, per septem prima æræ Christianæ secula, nihil tale produxisti hactenus, Rev. Pater: & vereor, ne æque sterilia & solidæ probationis vacua decurrant secula sequentia quatuor. Certe Italica monasteria, quæ fugientes Humari persecutionem Carmelitæ, hoc seculo condiderint Florentiæ, Senis, atque Pisis, attestatione Ægidii Gelenii & Lezanæ vestri nequeunt fulciri, quando illi aliud non proferunt quam Florentini Thomæ attestationem fictitiam, aliasque nihilo certiores probationes.

108 De Attestatione Thomæ jam actum est tertio: de Senensi fundatione etiam egi in Apologia pro Sanvico sæpe citata, ad n. 260. Patriarchalis historiæ, ubi dico, quod *Senensis Conventus probationem aliam pro se non allegat, quam transumptum quoddam Notariale, anno 1573. acceptum* „ ex quibusdam antiquis Chronicarum „ libris & codicibus, *qui tunc reperiebantur* „ penes & in manibus magnificorum virorum „ D. Francisci de Thomasiis, D. Orlandi de „ Malavoltis, D. Alexandri de Biringucciis, „ & D. Pyrrhi de Landucciis, nobilium civium „ Senensium, collectarum per se & eorum antenatos: *idque vulgari Italica lingua: in quibus, tamquam ex uno aliquo communi fonte, iisdem ubique Italicis verbis, nec nisi ætatem seculi 15. referentibus, scribitur, quod* „ anno „ 797. redierunt omnes Fratres S. Mariæ de „ monte Carmelo prima vice ad ecclesiam S. „ Nicolai, ubi antea habitaverant Eremitæ: *item, quomodo iidem* „ Fratres, anno 1187. „ Senis laborantes penuria aquæ, *puteum foderint eo successu, qui fuse narratur. Cum producti fuerint istorum temporum annorumque scriptores, ex quibus Magnifici isti Domini talia acceperunt, tum licebit examinare, an æque coævum, ipsos scriptores tales revera esse quales prætenduntur, quam certum est in Chronica Sanvici nihil inveniri, ob quod contrarium asserens debeat esse suspectus. Si vera suspectum eum non habent Carmelitæ, de illis non possunt non merito dubitare; cum palam sit pro illis non afferri testimonia seculum 16. excedentia; fieri autem facillime potuerit fiatque centies, ut cum locus aliquis inquilinos mutavit (ut nihil perpetuum est sub sole) traditio vulgi, qua nihil incertius, postremis notisque sibi incolis applicet, quæ olim contigerunt aliis alterius conditionis ordinisque.*

109 De Pisani Conventus antiquitate, prætensis Florentinæ ac Senensis fundationibus fere pari, transcribit Pat. Tua verba Lezanæ, ita conjectantis, quia vicinæ sunt civitates, eoque trahitur *memoria* quædam *sepulcralis, qua dicitur ibi jacere quemdam devotum Beatæ Virginis, qui anno* 800. *ex hac vita cesserat*. Addit Lezana, quod *eam* memoriam *habet Coria*; sed dum recitare eamdem ipse non audet, neque Tua Patern. eam profert, nescio quomodo Lectorem paulo morosiorem velit assentiri præmissis, adeo dubiis & incertis. Talis etiam ea est, quam Patern. Tua petit ex *Niceta & Theopylacto, Hegumenis S. Eliæ*, Nicæno II. subscribentibus; & quod in Art. 1. Constantinopolitani quinti *supplicavit & subscripsit, Theodorus, miseratione divina Diaconus & Monachus novæ Lauræ, pro omnibus monasteriis Eremi Hierosolymorum*. Nec enim hæc probantur, Carmelitas potius quam Basilianos spectare, ut supra vidimus; & ad prædictam Eremum nihil spectat Carmelus, procul inde remotus.

110 Nihilo plus ad intentam conclusionem facit imago Conventus Drepanitani in Sicilia, quæ in fimbria vestimenti dicitur inscriptum habere, *ex Chaldaicis litteris aureis Italice redditis*, lemma, sic Latine sonans: *Salutate Dominum &c. sculpta in Endibet Cypri, anno* 730. *mense Augusti, &c.* Quidquid enim de tali inscriptione

sit, quam consequentiam ex ea facere homo sensatus possit, sic argumentando: Drepani apud Carmelitas habetur imago sculpta in Cypro an. 730. ergo illi jam tunc Drepani Conventum habuerunt? An non potuit imago, vetustissima quamvis, a Fratribus, ex Terra-sancta in Cyprum seculo 13. appulsis, inde in Siciliam transportari? Itaque nolo tempus conterere circa examen litterarum Chaldaicarum in Italicas translatarum, annum Christi, aliaque similia.

111 Pro seculo nono allegatas Indulgentias Leonis IV. sic excussi, ut fidem amplius inventuras non credam; uti nec invenient apud eruditos, quæ Carolus Magnus fingitur gessisse in Terra-sancta, quam pedibus suis adivit numquam, sed eleemosynis juvit, ab Elia Patriarcha rogatus. Turpini fabulas nemo nunc recipit, licet iis multum delatum fuerit seculo 14. quando etiam viri docti, qualis Jacobus de Vitriaco, ab iisdem non abhorruerunt: nec tamen ibi quidquam de Carmelitis, diu post fabulas istas vulgatas nominari cœpitis.

112 Sergium II. scio restaurasse ecclesiam SS. Martini & Silvestri, hodie dictam in Montibus, & *juxta latus ipsius a fundamentis construxisse monasterium, in quo Monachorum Deo famulantium congregationem, pro quotidianis laudibus in prædicta ecclesia, die noctuque Domino Deo nostro deprecantes, constituit*, teste Anastasio Bibliothecario: sed quod illi fuerint Carmelitæ, nec dicit Anastasius, nec probat Lezana ex instrumento anni 1652. quo narratur, quomodo ab excavantibus terram sub altari ibidem majori, apparuit *lateritius paries, in cujus media erat forulus vacuus, & ad cujus latera utrimque conspiciebantur imagines duæ depictæ; quæ, etsi aliquatenus deletæ erant, satis tamen apparebat duos ibi Sanctos ex Ordine Carmelitarum repræsentari*; Patrum scilicet Carmelitarum hoc sibi imaginantium judicio, cujus ne rationem reddere certiorem cogerentur, prudenter caverunt ne ipsas effigies coloribus exciperent, aut ex ære spectandas darent, sicut alia ibidem inventa vulgaverunt, pura imaginem supramemoratam *S. Mariæ* cognominatæ *Gaudium Christianorum*, benedicentis Pontifici, coram se genuflexo, vere antiquam; imo & aliam recenter pictam indidem vulgaverunt, repræsentantem synodum Romanam I. licet a vera alienissimam.

113 Multo minus ad probationem sufficit trabs vetusta, in Conventu Leontino talibus litteris inscripta, DIE DECIMA QUINTA FEBRUARII, UNDECIMA INDICTIONE, quibus, nescio a quo vel quando, additæ zifræ 837. Zifrarum enim ut usus recentior est, & in talibus ægre reperiendus ante annos ducentos; sic arguitur imperitia scriptoris (siquidem eum annum putavit posse componi cum *indictione undecima*, quæ tunc numerabatur *decima quinta*) & nimia credulitas inde colligentium antiquitatem Conventus, quasi ea trabs non potuerit ibi fuisse collocata diu ante adventum Carmelitarum; sicuti in nostra professa domo Antverpiæ, multis annis prius quam hæc cederet Societati, sub scalis lapideis fuit sculpta nota anni 1539. quo necdum confirmata Societas erat. Rem deductam inveniet Lector, expensamque totius argumentationis vanitatem tom. 3. Maji pag. 841. Append. 2. ad Vitam S. Angeli, ubi *de quibusdam in Sicilia Conventibus, qui ante solemnem migrationem Ordinis ibidem extitisse dicuntur*.

114 Tu, Pater Rev. eam Appendicem totam sic dissimulas, acsi vidisses numquam, ne respondere cogereris; & fracta Patris Bonæ-spei tela incassum, more tuo colligis regerisque mihi. Quæ porro ex Baronio allegas num. 98. de Eliæ oratorio, Basilii versibus celebrato, deque ecclesia a Basilio Macedone restaurata, nihil ad Carmelum Carmelitasque spectare demonstravi Art. 6. n. 14. Ita me video expeditum, Rev. Pater. a Tuis, pro seculo nono, certissimis (ut opinaris) evictionibus; atque ad seculum decimum transeo: in quo magnopere laborandum mihi non erit. Ordiris enim ab Indulgentiis, Joanni XI. circa annum 913. Adriano II. & Stephano V. affictis & alibi satis excussis: horum vero nominibus nescio cur addas nomina Sixti IV. & Gregorii XIII. an etiam hi videntur tibi ad seculum 10. pertinere?

115 Dinckelspulensem quoque antiquitatem reducis in scenam, eique ex Lezana addis Perusini Conventus fundationem pro anno 950. pro quo ad alium locum transferendo, Benedictus IX. sub annum 1034. licentiam concesserit die 2. Augusti. Testes laudantur, Cæsar Crispolit & Ludovicus Jacobillus, hujus nostræ ætatis scriptores ambo: a quibus si Bullæ prætensæ ecgraphum obtinere potuisset Lezana, haud utique omisisset Annalibus suis inserere; sed apparuisset, credo, Eremitas eos, quibus alio migrandi facultas dabatur, istic non nominari Carmelitas; solum autem præsumi tales fuisse, quia hi ad ecclesiam suburbanam S. Mariæ de Valle, veterem istorum Eremitarum sedem, recepti fuerint post suam ex Palæstina migrationem, antequam & ipsi migrarent in civitatem, ad ecclesiam SS. Simonis & Judæ. Istic enim se primitus habitasse probant ipsimet ibi picti in habitu Barrato, digno qui sub oculos veniat æri incisus, sicut & alia imago Deiparæ quam ab antiquo adhuc servari ait, cum Fratribus ante se genuflexis: cui qui appinxit notam anni 1109. præsumi potest eadem libertate id fecisse, qua alius annum 1171. addidit Regulæ; neque ea de re dubitari poterit, si Lezana recte annum expressit per zifras, tunc necdum Europæ nostræ notas: imo si Fratres ibidem picti sint in habitu Carmelitico albo, certum enim erit nec ipsam picturam antiquiorem esse seculo 14.

116 De Benedicti V. Pontificatu, exilio, sepultura, peculiari dissertatione egi in Paralipomenis ad Conatum, multo quam alius quisquam accuratius; nec quidquam in tota ejus historia reperi, unde ansam arripiant Carmelitæ ipsum adscribendi suis; uti nec in eo Epitaphio quod Possevinus reperisse in Vaticano se ait; neque etiam, quo fundamento vel ipsi vel Benedicto XII. illud adscribant Carmelitæ: hic enim certissime fuit Cisterciensis, ille nec Religiosus quidem. Epitaphium vero nec antiquum esse, nec Romani Pontificis persuadet silentium Romani Canonici, seculo 12. colligentis antiquas omnes inscriptiones, quæ suo tempore extabant in Basilica Vaticana, & quomodocumque spectabant ad historiam Pontificiam. Recentioris ergo ætatis & personæ est hoc; *Hic jacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Casinus aluit, Vaticanus coronavit*. Quid trium istorum montium concursus hic significet, liberum est cuilibet divinare: mihi non displicet conjectura, qua intelligeretur Carmelita quispiam, Poetica vel alia libera-

liberalioris artis laurea donatus a Romano Pontifice, cum antea eodem merito donatus fuisset ad vitam annua pensione supra Cassinense monasterium. Sed hanc divinationem meam libenter cedam felici magis conjectori.

117 Interim nihil moveor auctoritate Prioris Antverpiensis, dicentis, se imaginem antiquam vidisse, *ubi idem Pontifex in habitu Carmelitano & gladio transfossus conspicitur*, quem constat *in pace quievisse Hamburgi* in exilio. Nihil etiam moveor auctoritate Gelenii, ipsum adscribentis vobis. Diligens hic quidem collector fuit, sed ad veri falsique discrimen parum perspicax, sicut fui coactus demonstrare ad 21. Maji, agens de B. Richeza Poloniæ Regina, ex monumentis ab eo eruderatis. Quam facile autem sibi persuaderi a Carmelitis sivit, Benedictum V. fuisse Ordinis ipsorum; tam facile eidem adjunxit *SS. Clementem & Silverium Pontifices, nec non Zachariam*. Primum rejicit ipsemet Lezana ad an. 102. n. 2. Secundum, quia abdicare Pontificia insignia, & cum habitu monastico mutare fuit coactus, libenter adscriberet monastico Ordini, adeoque & Carmelitico, nam *Trithemius expressis verbis fatetur, Benedictinum Ordinem non fuisse professum, quia ipsius institutione anterior fuit*. Ita Lezana ad an. 537. n. 2. Pulchra enimvero argumenta. Basiliani saltem ante Benedictum fuere. Quid vero de Zacharia? *Monachum Græcum*, inquit idem Lezana ad an. 742. eum fecit Onuphrius Panvinius; & Benedictinum non fecit Trithemius; ergo &c.

118 Quod n. 102. asseris, Rev. Pater, circa annum 986. floruisse S. Gerardum Episcopum Canadinensem in Hungaria, & Protomartyrem, verum esse potest; licet primum obierit, ab impiis de monte præcipitatus an. 1030. sed quod fuerit Carmelita, licet pro tali colendum eum petiveritis & impetraveritis, credi non potest. Hinc Melchior Inchoffer, in Annalibus Ecclesiasticis Hungariæ, Romæ impressis anno 1644. tali cultu non obstante, haud veritus est scribere pag. 357. *Gerardus Patricius Venetus, ex familia Sacredorum, Episcopus, Martyr, & Hungarorum Apostolus nominatus, & qui* „ primus patriam, *ut loquitur Romanum Martyrologium*, „ nobili Martyrio consecravit. *Hic, inquam, Gerardus, non Carmelitarum, sed S. Benedicti institutum professus est; non Hierosolymis, sed Venetiis, ad S. Georgii majoris, sub B. Mauroceno, primo ejusdem monasterii Abbate. Sed neque Hierosolymis unquam fuisse verosimilius est; quandoquidem Hierosolymam iturus, dum per Hungariam iter faceret, a Rege Stephano detentus, reliquum vitæ ibi transegit. Id adeo certum est apud cordatos & graves auctores, ut dubitare, nedum contrarium asserere, protervum videri possit.*

119 Torquet hic se omnem in partem Lezana vester, tertium suum Tomum anno 1657. editurus; & agnoscit, veteres sui Ordinis auctores, huic *S. Gerardum* adscribentes, eum facere *Episcopum* vel *Patriarcham Antiochenum*; utique in Syria, non Canadinensem in Hungaria; *in Hungaria* tamen martyrizatum; atque adeo duas in unam personam conflasse, quemadmodum is qui scripsit Fasciculum temporum ad an. 1004. Gerardum Venetum confudit cum synonymo Episcopo Cameracensi, *dum idem mortis genus ab Hungaris illatum suo Camera-*

Opuscul. Collect.

censi tribuit. Hinc exclamando subjungit: *O tenebræ historiarum hujus ævi!* (Addo ego) ab iis auctæ, qui ut suorum decessorum errores quomodocumque excusent, licitum sibi volunt inducere in historiam antiquam personas nemini notas, sicut hic fingitur alius *Gerardus, ex Carmelicola Patriarcha Antiochenus*, ad pallianda Palæonydori atque Saraceni figmenta, de aliis similibus pridem convictorum. Fuerunt & alii eodem nomine ac simili sanctitate viri, puta Hospitalariorum Hierosolymis fundator, & Templariorum quidam Minister, a Villa magna cognominatus in Tuscia; sed nihil hi pertinent vel ad seculum 10. vel ad Carmelitas: qui nescio quomodo sibi persuadere potuerint, hominem Latinum & Catholicum (ut nomen & sanctitas eidem attributa exigunt) Antiochiæ in Syria factum fuisse Patriarcham, tenentibus totam regionem Turcis, Syrisque nullos alios Patriarchas habentibus, quam quos ex barbarorum connivenita ipsis dabat Constantinopolitanus Imperator, schismaticus, scilicet schismaticos. Quisquis tamen fuit Antiochenus Patriarcha seculo 9. vel 10. ex Monachis assumptus recte dicetur, juxta communem Orientalium tunc usum; sed non ex Carmelitis, qui neque Venetiis adhuc ulli erant, neque in Syria, nisi forte schismatici.

PARAGRAPHUS XIII.

Quædam monasteriorum Carmelitarum fundationes & monumenta ab anno 1000. ad 1100. quibus demonstratur Carmelitas hoc seculo floruisse.

RESPONSIO.

120 Seculum XI. ordiris, ab Indulgentiis, quas vobis dederit Gregorius VII. anno 1073. factus Pontifex: sed ex eadem Sixti IV. bulla, ex qua obtruduntur æque fictitiæ aliæ, adscriptæ Honorio IX. & Honorio X. qui numquam in rerum natura fuerunt. Tum, ex Lezanæ conjectura, præsumitur S. Gerardus Hungariæ Apostolus (de quo §. præced.) suasisse S. Henrico Imperatori, ut in Germaniam Carmelitas advocaret; itaque Boppardiæ extructum Conventum, cujus Prior Carmelita obierit anno 1113. item per eumdem Gerardum adductos illos fuisse Venetias, teste Leonardo Priuli, Procuratore Carmelitarum, tum credo quando Lezana scribebat. Sed quam inutile pro tanta antiquitate asserenda est testimonium novi hominis, causam scientiæ nullam dantis; tam nihil ad rem facit (ut jam prolixe demonstratum est) Boppardiensis Prior Henricus. Jam dictis tamen etiam hoc addatur.

121 Anno 1690. mense Octobri, hic fuit Boppardiæ, causa videndi istius lapidis, totiusque loci considerandi, vir Clarissimus, D. Jacobus Baro le Roy, S. R. I. & S. Lamberti Dominus, eruditis circa Belgicas nostras vicinasque antiquitates libris nobilis. Huic loci Prior cum dolenter quereretur de nostro circa illius Conventus origines judicio in Actis Sanctorum, mirari imprimis sese ajebat, quomodo potuerimus opinari, locum illum aliquando Benedictinorum fuisse, in cujus ædificiis non minus paupertas quam antiquitas relucebat. Et paupertas quidem magna apparebat, collata cum

splendidis hujus temporis Abbatiarum præcipuarum structuris, non tamen major quam multorum veterum Prioratuum, quos Ordo ille aut possedit olim, aut etiam nunc possidet: fieri autem posse dicebat D. Baro, ut ædes istæ, utcumque nunc appareant veteres, ante annos non plures quam trecentos fuerint novæ, & substitutæ firmioribus aliis, quas casu aliquo flamma absumpserit; haud sane ex vano conjectans, id quod facit verosimillimum anni 1319. incendium supramemoratum. Prior certe, licet obfirmatus in sententia sua, antiquius ostendere nihil poterat, quam fenestram, quæ ingredienti occurrit prima ad sinistram, in eaque Carmelitas habitu fere hodierno. In ea fenestra, cum bonus ille Prior magnum probandæ vetustatis præsidium esse crederet, docere illum voluit Dominus Baro, ex forma gentilitiorum scutorum ibidem pariter expressorum, ad designandos illius fenestræ donatores, ipsam vix habere annorum 200. ætatem; cum ante id tempus ejusmodi scuta oblique inclinari solerent, istic autem erecta stent omnia. Sed homini, notissimæ alias inter nobiles rei prorsus ignaro, frustra istæc occinebantur.

122 Idem, credo, accidisset Huji, Leodiensis diœcesis ad Mosam oppido, si istic fuisset D. Baro prælaudatus, & videns pictam effigiem Petri Eremitæ (cujus hic iterum, velut Carmelitæ, meminit Patern. Tua) docere vestrum aliquem voluisset, nihil ibi Carmelitanum cerni. Non majori cum fundamento etiam hic asseris, quod sub finem seculi 11. Bertholdus Lemovicensis, primus Prior futurus Latinorum in Carmelo Eremitarum, comitem se junxerit eunti in Terram-sanctam Godefrido Bullonio: *ex quo* tamen concludit Paternitas Tua, *evidenter constare*, *Religionem Carmelitanam ante annum* 1100. *fuisse perfecte formatam*. Nulla extat Bertholdi illius Vita antiqua, & ipsa pseudo-Cyrilli epistola de processu Ordinis aliud non dicit, quam fuisse *Religiosum sanctumque Presbyterum*; tacet de modo & causa ascendendi in Carmelum. Verum tamen credamus esse, quod Bertholdus (uti scribit Palæonydorus l. 3. c. 1.) *Votum*, *quod in totius Christiani exercitus angustia vovit Antiochiæ*, *fideliter implevit*; *ascenditque montem Carmeli*, *& Religionis habitum*, *quem postulavit*, *digne suscepit*. An hinc continuo sequitur, ipsum invenisse Ordinem plene formatum? Quid si, ut verosimile est, habitum Eremiticum a Patriarcha Antiocheno simpliciter petiit & accepit, ut passim solent Eremitæ; tum vero *per revelationem Prophetæ* persuasus fuerit ascendere in Carmelum, adhuc desolatum; numquid tunc jecisse potuit ea Ordinis futuri principia, quæ describit Joannes Phocæ, absque eo quod ibi invenerit Religionem formatam?

123 Ad hoc idem seculum refert Paternitas Tua initia Conventus Burdegalensis in Aquitania, nulla habita ratione eorum, quibus prætensionis hujus vanitatem luculenter demonstraveram in Apologia pro Sanvico, ante tomum 3. Maji num. 265. & seqq. Patere igitur ut istic impressa hic recudi faciam, & addam, quæ postea sum commentatus, ad demonstrandam novitatem earum, quas, ut antiquissimas, ibidem ostentatis, inscriptionum. Res erit quidem paulo prolixior, sed propter rerum varietatem non ingrata futura (ut confido) lectori, antiquitatum etiam in linguis peregrinis amanti; quas tamen præterire poterit cui hactenus impressa sufficient, & ad sequentem Paragraphum progredi. Priora ego sic deduxeram.

124 Superest, ex quatuor locis Sanvico objectis, Burdegala: pro qua Lezana in Annalibus, *ex Archivis Conventus Burdegalensis Carmelitarum, nec non ex monumentis lapideis ecclesiæ dicti Conventus*, indicat *extracta* sequentia. *Conventus Burdegalensis Carmelitarum tribus vicibus constructus est, in diversis locis civitatis Burdegalensis, intra tamen ambitum ejusdem Parochiæ, quæ dicitur S. Eulaliæ Virginis & Martyris. Primo fundatus fuit anno Domini* 1100. *vi voti, facti in honorem B. M. Virginis de monte Carmelo, per Illustrem D. de la Lande, eo fine ut victoriam obtineret contra gigantem seu hominem proceræ staturæ, qui ex parte inimicorum Burdegalam obsidentium, ad singulare certamen cum aliquo Burdegalensi ineundum, destinatus erat, ut de summa belli disceptaret. Obtenta victoria ope Deiparæ*, Conventum Carmelitarum extruxit: *quem deinde alius ejusdem familiæ Gagliardus de la Lande reædificavit in alio loco, anno Domini* 1217. *Tandem tertio extructus fuit dictus Conventus anno Domini* 1497. *liberalitate D. Catherinæ de la Lande*. Postremæ fundationis tempus ea dictia monumentis probari efficaciter posse, facile credam, etsi ea non exhibeantur. Landensi quoque familiæ deberi principium istius conventus, admittam libenter. Potuit etiam Gagliardus de la Lande, ipso quo dicitur anno, sacellum aliquod intra urbem condidisse: cujus administratio successu temporis Fratribus Carmelitis cesserit, ad Missas ibidem fundatas, statis diebus temporibusque dicendas. Verum debellatus ille gigas, *ex vi voti*, *facti B. M. Virgini de monte Carmelo*, tanto prius quam hoc nomine nosci ac coli cœpit Deipara, cumque adhuc desolatus sine incola mons sacer squalebat, nec nisi *structurarum*, *quæ eo loci antiquitus fuerant*, *vestigia commonstraret*, ut scribit Joannes Phocæ: ille, inquam, ab Anonymo Landensi debellatus anno 1100. Gigas, si est ex Annalibus Burdegalensibus haustus, eodem Annales isti apud me loco sunt, quo Romani de Ænea & Turno, sive (ut aliquid notitiæ nostræ vicinius dicam) quo Clivenses illi, a Teschenmakero memorati, descripti autem a Theodorico Pauli in Chronico universali, ubi Ducum & Comitum istius ominis historia inchoatur hoc modo: *Elias de paradiso veniens, ut fertur, in navicula (trahente illam cygno, aurea catena navi connexa colloque cygni circumdata, per Rheni flumina sic ducente) ad castrum appulit Noviomagium, in quo virgo unigenita, Beatrix nomine, residebat; quam duxit in conjugem, & ex ea genuit tres filios &c.*

125 *Datur hæc venia antiquitati*, inquit Livius, Annales ab Urbe condita exorsurus, *ut miscendo humana divinis*, *primordia urbium augustiora faciant*. Eam licentiam Romani a Græcia, a Romanis provinciæ passim & civitates atque familiæ illustriores mutuatæ sic sunt, ut multas reperire sit, de quibus nonnulla traduntur *poeticis magis decora fabulis*, *quam incorruptis rerum gestarum monumentis*. Atque utinam id ipsum in rebus sacris, ad suas origines revocandis, non etiam sæpe locum haberet! Nobis ea, si affirmare jubeat nemo, refellere in animo plerumque non est; ne scilicet imperitæ multitudinis clamores, contra nos opusque nostrum, gratis suscitemus.

Sed

Sed cum viri, opinione hominum prudentes ac graves, temeritatis impietatisque nos arguunt, quia similibus non credimus, neque ea recipimus ut solidas Carmelitanæ antiquitatis probationes, uti facit auctor Armamentarii parte 1. nu. 160. quomodo possumus iis non respondere candide, patentemque fictionem vanitatis non redarguere? Quod igitur gigantomachiam prædictam attinet, nihilo veriorem ea, quæ nostræ Antverpiensi urbi nomenclaturam dedisse narratur; quæro, quæ sit illa urbis Burdegalensis obsidio, antiquis & modernis Francorum historicis ignota? ipsi etiam, qui Burdegalense Chronicon compilavit, Joanni Darnal, & historiæ Aquitanicæ scriptoribus ejusdem nominis Beslio & Bucheto? Tantis eo tempore, quo urbs sic dicitur fuisse obsessa, pollebat Aquitania viribus, ut (teste Oderico Vitale ad annum 1101.) *vexillum Guilielmi Ducis secuta ferantur trecenta armatorum millia*. Malmesburiensis lib. 4. cap. 2. *sexaginta millia militum*, id est equitum, *& multo plura peditum* numerat. Vetus auctor apud Urspergensem Abbatem pag. 237. *Aquitanos, quibus Guilielmus Pictaviensis præerat*, ait fuisse *præter vulgus ad triginta millia loricatos*. Nisi hic mea me vehementer fallit conjectura, fabulator aliquis, volens familiæ Landensis Romanciam verius quam Historiam texere, cum aliquid intellexisset de Normannica invasione, qua constat anno Dom. 848. captam concrematamque Burdegalam; similem aliam posteriorem commentus est, quæ fuerit a Landensis familiæ progenitore per miraculum coercita: quod quidem miraculum ideo retulerit ad B. M. Virginem de monte Carmelo, quoniam sciebat ab hujus familiæ Heroe aliquo, ex Terra-sancta regresso, fortassis anno Domini 1267. non anno 1217. adductos Burdegalam Carmelitas.

126 Hactenus ego ante tomum 3. Maji: ad cujus deinde supplementum colligenti plures notitias tomo 7. subjiciendas, in mentem venit recurrere ad librum Hieronymi Lopez, subinde acceptum, cui titulus *Ecclesia Metropolitana & Primatialis S. Andreæ Burdegalæ*. Ibi inveni parte 1. cap. 4. quod in quadam Ecclesiæ Lemovicensis Chronica dicatur, *anno 1205. obsessa a Rege Castellæ Burdegala*; haberi etiam vetus Breviarium, sedecim annis post istam obsidionem manuscriptum, ad usum ecclesiæ S. Columbæ Burdegalæ, ubi dicitur *Anno 1206. obsessa civitas Burdegala a Rege Hispano*. Huc facit, quod præcitatus Joannes Darnal, in supplemento Chronicæ Burdegalensis a Gabriele Lurbæo editæ, & ex Latina in Gallicam ab eo versæ p. 29. ex authentico instrumento docet, quod *anno 1208. Petrus Lamberti, Major civitatis Burdegalensis, Domini Jurati, & Communitas dictæ civitatis, dederunt Prioribus S. Jacobi, in compensationem quarumdam domuum destructarum occasione obsidionis Burdegalensis, minores fossas civitatis, a porta S. Jacobi usque ad portam Carfananam, sub certis conditionibus: quæ donatio fuit in devotione publicata in claustris S. Andreæ, coram universo populo*. Hactenus Burdegalensium ejus ævi monumenta, quorum circa annum concordia videtur præferenda recentium scriptorum Hispanicorum sententiæ, differentium expeditionem Aquitanicam Regis Castellæ Alphonsi usque ad annum 1203. quasi ei an. 1206. adhuc fuerit cum Sancio Vasconiæ Rege bellum, nec illa nisi post datas Mauris anno 1207. inducias quinquennales sit suscepta.

127 Istius ergo obsidionis tempore, factum sit a Laodensi Toparcha aliquid, quod ædificando sacello occasionem dederit, sed seculo 13. inchoato: & hoc sacellum postea cesserit Carmelitis, hodie clausum intra muros monasterii Annuntiatarum, sed nomen adhuc retinens *Carmelitarum veterum*. Verum sicuti in hunc locum male inducti dicuntur illi, uno & amplius seculo prius, quam ipsi condendo data occasio fuit; sic nihilo melius inde translati dicuntur ad hunc, quem modo possident a Gagliardo de Landis, multo citius quam par erat, & quam Sanctua docet ipsos migrare ex Palæstina cœpisse. Gabriel de Lurbe, qui (ut jam indicavi) Chronicam Burdegalensem Latine edidit anno 1589. Conventuum Religiosorum initia accurate suis quæque annis notans; *Anno*, inquit, 1264. *Carmelitarum monasterium ædificari cœptum Burdegalæ extra urbem, sicut & tunc temporis erant reliqua cœnobia, procurante Domino de la Lande & de Lisle; anno* deinde 1444. *Redeunte*, inquit, *Carolo Rege Franciæ ejus nominis Octavo, Neapoli, dum diversatur apud Astam Insubriæ urbem, certamen fuit inter duos milites, Zerbonem Genuensem & Landam Burdigalensem*.

128 Nolo ego excusare Lurbæum, quod ex usu sui temporis titulo *de la Lande* præmature adjunxerit titulum *de Lisle*: quæ duæ familiæ primum coaluisse dicuntur anno 1450. quamquam nihil vetet, unam olim familiam, partis postea toparchiis, bipartitam fuisse, ac rursus coaluisse seculo XV. Nolo etiam dubitare de veritate duelli, ad Burdegalam commissi seculo XIII. propter duellum, quod apud Insubres in Italia tanto diu commissum fuit: nihil enim vetat, utrumque factum diversis locis ac temporibus fuisse: & Fronto Ducæus Burdegalensis, Joanni Darnalio, Lurbæi Chronicon Gallice, ut dixi, recusuro sub an. *1619.* Notas quasdam misit; ubi *meminit vidisse in ecclesia Carmelitarum collare ferreum, appensum ad columnam, cum inscriptione, mentionem faciente duelli alicujus, cujus duelli scriptores & circumstantias optat diligentius examinari*. Fecit hoc noster P. Leonardus Frizon, variis, versu ac prosa editis, clarus; invenitque mentionem talis duelli factam a P. Joanne de la Lande, ejus nominis tertio, toparcha de Laubrede: qui anno 1460. & 62. ad asserendum jus asyli, addictum ab olim suæ cuidam domui, antiquæ possessionis testes septem produxit.

129 Privilegium istud datum fuisset, *in memoriam & recognitionem gratam, quod urbe a Comite Armeniaco, Hispani Regis partes tenente, obsessa, & fame ad deditionem cogenda, sed Comitis exercitu pari inopia laborante, proposita ab eo fuerit conditio duelli, urbem soluturi aut dedituri, quam quidam Dominus de la Lande susceperit, & urbem victor liberaverit*. Hoc autem posito, datur ansa suspicandi, quod iste qui nunc apud Carmelitas ex catena suspensus cernitur annulus ferreus prægrandis, in forma collaris, prædictæ domui appensus olim fuerit; eo modo, quo in porta oppidi S. Goaris ad Rhenum, talem unum videre est; cui transeuntes peregrini collum inserunt, eoque absolvi se credunt a periculo, quod illac prætereuntibus ac prænavigantibus certum imminere pu-

tanr, nisi ea cæremonia S. Goari se manciparint, libertatemque stipe data redemerint. Sic & moria luerit, ut qui asylum quærebat, in domo illa, millo isti ferreo collum immitteret, eoque se in clientela familiæ istius esse protestaretur: unde apud vulgus opinio invaluerit, collare istud grandius, & magno cuivis giganti idoneum, esse spolium vero giganti detractum.

130 Sed sive hoc, sive illud sit, neutiquam tamen ex eo probatur, monasterium Carmelitarum, vel a duellante illo fuisse fundatum primitus, vel ante annum 1264. Nam quod Fr. Michael de la Forcade, Carmelitarum per Vasconiam Provincialis, in dissertatiuncula contra Lurbæum scripta, ait, anno 1250. istic obiisse & sepultum esse, *B. Simonem Stok*, Generalem VI. Ordinia; id nec ipsi quidem Carmelitæ nunc credent, scientes illum obiisse anno 1265. verosimiliter tunc existentem Burdegalæ, propter fundandum conventum, superiori anno illuc adductum; sicuti paulo antea dicitur adfuisse Conventui, Tolosæ in eadem Aquitania fundando sub annum 1263. Neque etiam huc valet, quod Petrus de Æmiliano, Generalis IX. anno 1287. *Galiardum de Landis* agnovisse dicatur Carmeli Burdegalensis *reædificatorem*, & pro eo ut tali preces instituisse. Quomodocumque enim textus decreti se habeat (qui, nescio qua de causa, non profertur) aliud non probat, quam *Carmelitis* angustius cito fuisse primum illud quod invenerant sacellum; pro quo novam amplioremque eodem in loco Ecclesiam Galiardus iste ipsis extruxerit: eoque in statu iisdem res mansere, usque ad annum 1497. quando Catharina de la Lande, (uti ad annum 1099. n. 18. ait Lezana) *intra ambitum ejusdem Parochiæ S. Eulaliæ*, olim suburbanæ, sed tunc temporis, producto sub annum 1454. pomœrio, veteri urbi adjunctæ, novus alio in loco conventus surrexit.

131 Prætensæ ergo ab illis, & a me negatæ Chronologiæ fides tota pendet ex titulis, usque hodie legendis supra frontem pilæ unius lapideæ, sic insculptis, ut superius positus sit hujusmodi Octonarius, a Frontone Ducæo, ut supra vidimus, indicatus:

L'an de Grace environ mil & cent,
Funda premier un Seigneur de la Lande,
Au Carme viel, cett' Eglise & convent;
Pour ce qu'au bien obtint victoire grande,
Contre un Geant, qui conduisoit la bande
Des Espagnols, pour Bourdeaux assaillir.
Le dessus dit luy fit payer l'amande,
Car il luy fit la teste bas faillir.

Qui versus Latine redditi hunc sensum faciunt: *Anno gratiæ millesimo circiter & centesimo, quidam Toparcha Landensis, primum fundavit ad locum, veteris Carmeli nunc dictum, hanc ecclesiam & conventum: quia ipso in loco obtinuit grandem victoriam, contra Gigantem, qui ducebat agmen Hispanorum, ad obsidendam Burdegalam; cujus conatus pœnam fecit eum solvere prædictus Dominus, quia caput ejus fecit in humum desilire.*

132 Subtus, simili prorsus charactere, absque ulla quæquidem notari possit sculpturæ differentia, sic ut omnino judicari debeant eodem tempore eademque manu sculpta esse omnia, alius Octonarius sic decurrit.

L'an onze cent, avec six vins moins trois,
Messire Galliard, de la Lande Seigneur,
L'edifia pour la seconde fois
Tout de nouveau, fut reedificateur
En ce lieu-cy: outre il fut fondateur
De la Messe, qu'on dit de nostre Dame
Un chacun jour. Prions le Createur
Qu'il veuille avoir en Paradis son ame.

Quisquis intelligit Franciam linguam hodiernam, non dico Vasconicam seculi XI. & XII. facile mecum videt, compositionem, nec pervetustam esse, nec auctorum diversorum: sed primam cum secunda continuari hoc sensu:

133 *Anno undecies centeno, cum sexies vigesimo, minus terno; Dominus Galiardus, Landæ Toparcha, ipsum pro secunda vice ædificavit; fuitque ejus reædificator hoc loco. Præterea fuit fundator Missæ quotidianæ de nostra Domina. Oremus Creatorem, ut animam ejus velit habere in Paradiso.* Hæc ibi, *grandi ac veteri Gothica* (ut dicitur) *charactere sculpta ad instantiam adm. R. P. Angeli de S. Theresia Provincialis Vasconiæ, die tertia Aprilis anni 1632. viderunt, legerunt, examinarunt, & transcripserunt, Jacobus de S. Marco, & Menaldus Richards, cives & magistri scriptores jurati civitatis Burdegalensis; declarantes, notasse & agnovisse, pro ea quam regulæ artis ac professionis suæ suggerere sibi possunt certitudine, primum quidem octonarium scriptum esse circa initium seculi duodecimi; secundum vero, circa annum 25. seculi 13. id est, anno gratiæ præter propter 1225.* Rursum vero, *die 15. Aprilis iidem comparentes, coram Notario Regio Helfez, testibusque ad id vocatis, Ludovico Labe & Bernardo Couture, Clericis Burdegalæ habitantibus*, eadem juraruntque signaveruntque, ne qua ex parte minus authenticus & legalis Actus esset.

134 Hinc apparet, quod etiam alibi vidimus, nulli sumptui parcere Patres Carmelitas, quoties aliquid invenisse se putant, quod videatur opponere mihi posse; etsi sæpe aut nihil aut parum faciat eo quo oportet. Debeo ego eis magnas gratias pro diligentia tam singulari; hæc enim securum me reddit, nihil porro occultandum, quod non in lucem efferent, cum illud eredent profuturum sibi. Hic autem, quod permagni refert, ad ipsum prætensæ antiquitatis fontem me ducunt; & qui forte, absque illis originalibus versibus, poteram commoveri nudo juratorum Magistrorum scriptorum testimonio, rei substantiam aliis verbis referente; ac subvereri, ne plus minusve recipiendo, reprehensionem incurrerem Burdegalensium eruditorum, & ipsam, de qua agitur, rem sub oculis habentium; nunc fidenter contemnere audeo judicium hominum (ut apparet) ignorantissimorum, quales plerumque esse tales tota Gallia audio Alphabetarios istos pædotribas, præter prima litterarum elementa doctos & docentes nihil: ex quorum numero lecti quidam juramento adstringuntur, ad dijudicanda usus quotidiani chirographa, dum verum aliquod esse, ait vel negat quispiam; idque probare vel infirmare intendit, productis indubitabilibus aliis scriptis illius manus, quæ negatur vel affirmatur scripsisse. Eorumdem etiam est judicare, sitne scriptura aliqua rasa vel interpolata manu diversa, neque omnino quemquam talis professionis esse Burdegalæ, cujus scientia ulterius se extendat, fassus est an. 1686. primus inter illos prælaudato nostro P. Leonardo Frison; cui subscribens P. Claudius Menestrier, antiquarius peritissimus, negat haud satis mirari se posse eorum simplicitatem, qui tales judices dignoscendæ antiquitati adhibuerunt.

135

135 *Ne Sutor ultra crepidam* dicebar Apelles. Sed simplicirer ac bona fide asserenti aliquid sibi visum lectumque, eam soleo habere fidem, quam mihi in talibus dari volo; noo assuetus Sanctorum Acta Notariali fide munira poscere ex iis unde habenda sunt locis. Sed uti mihi, de antiquitate vel auctoritate scriptorum judicium dandi, non peto fidem cæcam, liberum unicuique relinquens examen rationum, quibus judicium tale nititur; ita prohiberi nolo, quo minus de re sub oculis posita judicem, veterisne, an hodierni, vel medii ævi sit, bona vel mala fide tradita ab eo, qui primus ipsam litteris prodidit. Ergo rem ipsam intueamur. Dico ego, versus istos, non diu ante finem seculi decimi sexti compositos sculptosque suisse: ac verosimilirer nondum extitisse cum Chronicam suam Lurbæus scriberet, sed solum vetus collare ferreum, quod cum crederetur esse monumentum duelli, ad Burdegalam commissi a Landensi Domino, sacelli suburbani conditore, voluerint Carmelitæ Burdegalenses distinctius explicare origines suas, istis, quos nunc legimus, versibus columnæ eidem, ex qua collare pendebat, insculptis; ipsosque opponere assertioni Lurbæi, vetusta urbis registra, quæ initio allegat, in ootandis Conventuum initiis verosimiliter secuti. Dum tamen ea registra non indicantur verbotenus, nolo quidquam ex tali præsumptione definire; sed producere malo genuina veteris, non solum Aquitanicæ linguæ, qua sola Burdegalæ omnia scribebantur; sed etiam cultioris Francicæ atque in Curia usitatæ monumenta; quæ doceant, quam longe alia utrobique tunc fuerit lingua.

136 Ac primum cum Menestrerio nostro noto styli novitatem, non solum in vocibus *Reedificateur* & *Amande* plane recentibus; sed etiam in appellatione Hispanorum *des Espagnols*. Divisis enim illis in plura regna, insolens omnino Francis suisse, ait ille, ut ea voce uterentur in exponendis rebus gestis; sed moris erat distinctim nominare *Castellanos*, *Arragones*, *Lusitanos*, vel *Navarræos*, propriis quosque auspiciis & Regibus belligerantes. Cave autem, ne te moveat, quod Magistri scriptores præfati asserunt, se legisse versus illos, *veteri Gothico charactere* sculptos. *Gothicum* enim *characterem* hoc tempore, non solum vulgus, ex quo illi; sed etiam Eruditiores, tota Gallia Hispaniaque, appellant eum, quo nos Belgæ hodieque utimur, vero nomine dicendum Teutonicum; [r] quique non solum imprimendis libris serviebat, fere usque ad finem superioris seculi in Gallia atque Hispania, ut probant ejus temporis impressa; sed etiam titulis & inscriptionibus publicis pingendis sculpendisve. Et tunc quidem vel litteras formabant mere Teutonicas, easque in magnam porrigebant altitudinem, latitudine exigua; vel, si rotundior magisque ad Latinam accedens placebat, ut plerumque Regibus Francorum placuit in cudenda moneta, litteras tamen *C. E. F. G. H. K. M. N.* &c. ad formam Teutonicam deflexas intermiscebant: qua forma primum exemplum subjungere libet: quamvis & typi Teutonici in forma litterarum discrepent nunc.

137 Mihi non est operæ pretium Carmeliticarum inscriptionum characteres Burdegala petere, incidendos æri, atque cum indubitatis seculi superioris Epitaphiis (quod facile alias foret) conferendi; rem enim totam certius definit idioma quo sunt conceptæ. Scito ergo, quisquis Aquitanicarum rerum ignarus, hæc leges, linguam, Aquitania tota usitatam usque ad hæc ultima fere secula, quando Francicæ linguæ usus cœpit inter honestiores prævalere, suisse publice ac privatim diversissimam ab ea, qua S. Ludovici ætate, de qua agimus, utebantur Franci; & ipsam Francicam istius temporis, multum absuisse ab hodierna lingua, qua versus isti sunt manifeste compositi. Exemplorum affatim suggerit Catelli Historia Occitaniæ, & ejusdem Historia Comitum Tolosanorum. Hinc aliqua delibentur. Primum prodest Raymundus de Castellaù, Poeta Vasco seculo 13. ante annos circiter 460. de Velaunorum Comitatu, posterioribus Velagia dicto, sic scribens, in Occitania prædicti Catellii pag. 311.

En Belais si fan toglar
Del soler de Ganelo.
Per co es dit, qu'en siguer
(Di quel proverbi despo)
Que nos sis es en Belay,
Ny en Clerque ny en Lay.

In Velagia faciunt ludicrum de Calceo Ganelonis, (fuit hic celebris illis partibus Capitaneus [a].

Pro-

[r] *Nella prefazione al corpo delle Antichità figurate diessi, che il carattere Gotico cominciasse nel secolo del mille, quando veramente ne' marmi il carattere, cui si diede il nome poi di Gotico, regnò nel secolo decimo quarto, e cominciò solamente verso la fine del precedente, donde si può intendere, quanta parte in esso avessero i Goti, e nacque dall' infastidirsi di seguitar sempre la forma usata, e dalla pretensione di far meglio, e dalla libidine di ornare, per lo che si cominciò a torcer le linee, e ad aggiungere alcuni tratti nell'estremità della lettera, che prolungati poi ed accresciuti transformaron tutto, come appunto per l'istessa ragione nell'architettura avvenne.* Hæc Cl. Maffejus Veron. Illust. l. 11. col. 335. quæ facile cum Papebrochiana sententia conciliari possunt. Teutonica porro hæc scribendi ratio (sic enim malo cum Papebrochio loqui) quid si Gothica dicta fuerit, quod a Teutonibus accepta a Majoribus nostris? Teutones scilicet sæpe sæpius in Italiam irruentes *Gothos* etiamnum *Vandalosque* nostratium plurimi appellant, illarum cladium memores, quas ex illis regionibus olim Italiam invadentes nobis intulere Gothi ac Vandali; quod plerique non animadvertentes vere Gothicam characterum illorum formam crediderunt. [a] Hunc illum Ganelonem crediderim in Turpini fabulis celeberrimum, quem Dantes in Inferno collocat Can. xxxii. canens.

Gianni del Soldanier credo, che sia
Più là con Ganelone, e Tribaldello,
Che aprì Faenza, quando si dormia.

Ad quæ Dantis carmina Petrus ejus filius adnotat in Ms. commentario: *Ganelonus de domo Magantiæ, proditor Karoli Magni & suæ Comitivæ.* Ferunt nempe in ipso Pyrenæi jugo Ganelonis fraudibus intercepta suisse, cæsaque a Marsilio Saracenorum rege fuisse Christianorum viginti millia. Vide quæ Bollandus adnotet ad c. 3. Vitæ Caroli Magni ab Eginardo scriptæ t. 2. Januarii ad diem 28. Quod Fontaninius Ital. Eloq. l. 1. c. 22. p. 65. a Friderico Frezzi Fulginate Pontifice Quadriregii cap. xvi. Ganelonem existimet nominatum legendumque ibi:

Quanti Gani son qui, e quanti Giudi!

non autem

Quanti Giani son qui, e quanti Giudi!

uti habet Fulginensis recens editio, probari potest; quamquam Joannem del Soldanier spectare potuit Frezzius, & *Giani* scribere altera litera *n.* orthographico mendo prætermissa.

Propterea dicitur, quod in partiendo, (sicut postea in proverbium abiit) numquam fides fuit in Velagia, neque in Clerico, neque in Laico.

138 Eodem seculo 13. valde provecto, obiit Amalricus II. Comes Narbonensis, cui insignes duo sui temporis Poetæ, Joannes Esteve & Giraldus Riquier, anno 1270. planctum composuerunt, reperiendum in præcitata Occitania pag. 610. & seqq. Giraldi planctus ita incipit:

Plus de tristos mairriis e doloiros,
Coment est planch, per lo dau remembrar,
E per lo dol que tard deu oblidar,
Que Narbones foste tan angoissos,
Per la greu mort del Senhoa de Narbona,
Del Vescumte Namalric mo Senhor,
Deu deu aver trabalh tota gens bona
E la sua, pus loug temps e major. Hoc est.

„ Plenus tristibus lamentis & luctibus incipit plan„ ctus, ad damnum rememorandum & propter „ dolorem, qui sero debet oblivioni dari, quod „ Narbonenses fuerunt tantum angustiati, per „ gravem mortem Domini Narbonæ, Vicecomitis Amalrici, Domini mei: unde debet mole„ stiam sentire omnis gens bona & sua, quando„ quidem dolor est longo tempore major.

139 Iisdem Poetis suppar tempore Bertrandus de Born, urbis Tolosanæ vicum quemdam, *le Peyrou* dictum, sic describit pag. 233.

A Tolosa part Montagut,
Fermeal Cams son gonfaino
Al prat Comtal castal Peyra,
Quand lay aura sam trap tendut,
Nos le peurem tot enviro,
Si que tres nueigs ly jayrem mut.

Id est

„ Tolosam discedit Montacutius: plantabit Comes „ suum vexillum in Prato Comitili prope Petro„ sum. Quando istic extenderit suum labarum, „ nos circum circa eum metabimur, ita ut tribus „ noctibus ibi non jaculemur.

140 Ad hæc specimina metrica præter propter Latine reddita (indulgendum enim aliquid conjecturæ fuit, in tanta linguæ obsoletæ scabritie) addamus aliqua lingua soluta. Primum suggeret vetus Chronicon Comitum Tolosanorum, in Philippo S. Ludovici Regis filio desinens, post Historiam Tolosanam a Catellio productum; ubi supra singulorum imagines, rudi penicillo seculi 13. depictas, singulorum initia finesque scribuntur; Philippi autem solus ingressus notatur, ut nihil dubites sub eo scriptum librum. Notatur autem sic: *Philippi, filh de Sant Loys Rey de Fransa, morta la Comtessa & Comte sans enfans, pres la senhoria de tot lo Contat, per vigor del testament del dit Ramon mort, la dis Rey intret a Tholoz al an* MCCLXXII. Id est. „ Philippus, filius Sancti Ludovici Regis Fran„ ciæ, mortua Comitissa & Comite sine libe„ ris, suscepit dominationem in toto Comi„ tatu, vigore testamenti dicti Raymundi mor„ tui. Dictus Rex ingrediebatur Tolosam an„ no MCCLXXII.

141 Ibidem Tolosæ, pag. 463. apud prædictum Catellium in Conventu sanctæ Crucis, intra capellam S. Orentii Auscensis Episcopi, translatarum illuc Reliquiarum ejus tale invenitur testimonium: *L' an mille tres cens cinquante quatre, & le dountesme Iuillet, son bailladas las reliquas de Sainct Orens, au conveu de sancta Crox a Tolose, & son baillados en la maniere que se conteng, & es ea cartameu deu monastori.* Id est. „ Anno 1354. & 12. Julii, „ fuerunt traditæ reliquiæ S. Orientii Conven„ tui sanctæ Crucis Tolosæ: fuerunt autem tradi„ tæ eo modo, qui continetur & extat in chartula„ rio monasterii. Hospitali quoque S. Jacobi in Burgo, aliunde illuc translato, supra portam capellæ, sub insignibus Abbatialibus, talis præfixus titulus legitur, a Catellio relatus pag. 270. *L'an* MCCCCXXI. *foc mudat aques Hospital de S. Jamme aici, de voler de Mosser Folc de Royera, de la diocese de Limotges, Abat de S. Serni.* Id est „ Anno 1421. fuit mutatum istud „ Hospitale S. Jacobi huc, ex voluntate Do„ mini Fulconis de Royera, Lemovicensis diœ„ sis, Abbatis S. Saturnini.

142 Abest ab urbe Tolosana Burdegala leucis Gallicanis circiter quadraginta, ob quam, licet non magnam distantiam, ne quis forte existimet valde diversum fuisse Burdegalensium idioma, accipiat ex supplemento Darnalii ad Chronicon Lurbæi pag. 16. memoriam renovati Magistratus anno 1402. ubi nominatis decem antiquis Juratis, id est Senatoribus, totidemque novis, ipsa renovationis ceremonia sic describitur, *Lou lendeman* XXIII. *deu dis mes* (Juillet) *lous dits Seignors salsrent de lor conclavi, lou sen sonat, aussi comme & tousieurs estat accostumat a far, sen aneren enver sainct Andrieu per publicar los Seignors Jurats nocts: & a qui me dis lo Clerc de la ville qui pourtave lou empast, ou los noms deu dits Seignors eren inclus, lo quau lera estat baillat à Saint Elegi, par los dits Seignors jurats aucient; oubris lau empastas; & aqui, deytas aucunes bonnes paraules, lo legit, & a quest publicet.* Quæ sic latine reddes. *Postero die, 23. dicti mensis* (Julii) *dicti Domini egressi sunt ex suo conclavi, signo cum campana sonante, itaque (sicut semper est solitum fieri) iverunt ad S. Andream, ad publicandum Dominos Juratos novos, & ibi in medio, Clericus civitatis, qui portabat Impastatum* (fasciculus chartaceus est, complicatus, & viridi cera undique obductus) *cui erant inclusa nomina dictorum Dominorum, quod erat ipsi traditum apud S. Eligium a dictis Dominis Juratis antiquis; aperuitque Impastatum, & dictis ibidem bonis aliquot verbis, legit & ipsum publicavit.*

143 Plura & vetustiora proferre liceret, si, quemadmodum pro Occitanis & Tolosatibus fecit Catellius, ita pro Burdegalensibus antiquitatibus illustrandis aliquis curavisset describere veteres prosa ac versu inscriptiones. Ego ad specimina Francicæ veteris linguæ transeo; ut appareat idioma, quo Carmelitæ Burdegalenses uti maluerunt, quando jam Francicæ linguæ major usus etiam Burdegalæ erat, ab illo veteri valde discrepare. Plura habet Catellius pagina 549. & seqq. ex Vita S. Guilielmi de Desertis, primi sub Carolo Magno Aquitaniæ Ducis, ubi liber, agens de occupatione Nemausi, tale sumit exordium:

Oies Seiguòr Dex vos croisse bontè,
'Li gloriaux, li Roys de majestè,
Bone chanson est vous à escouter,
Del meillor hom qui ains creust en Dè
C'est de Guillaume le Marquis à Cort-nès,
Comme il prius Nismes par le charroy montè,
Apres conquist Orange la citè.

Id est. Audiat, Domine Deus, vestra magna bonitas, o gloriose, o Rex majestatis: audienda est tibi bona cantio, de meliori viro, qui unquam in Deum credidit. Is est Guilielmus Mar-

Marchio, Curtinaris dictus, quomodo cepit Nemausum, per carrucas quas instruxit (*dolits milite fartis*) postquam conquisivit cavitatem Arausionensem.

144 Sed fortassis superat Romanciæ [1] istius antiquitas ætatem, qua prætenduntur conscripti versus Carmelitarum. Legatur ergo historia S. Ludovici, scripta prosatce ab expeditionum sacrarum comite, Campaniæ Mareschallo, Joanne, Joinvillæ Domino: legatur quoque eadem, versibus descripta, a Guilielmo Guiardo æque coævo; edita utraque, & doctissimis Commentariis illustrata ab eruditissimo Cangio. Mihi placet specimen accipere ex sermone, quem ipso quo Sanctus Rex obiit mense conscripsisse se ait, apud eumdem Cangium, Robertus quidam, Saineertax, sive a S. Cyriaco cognominatus; ubi post breve de morte exordium, & invectivam in ipsam, quæ, nullo discrimine personarum habito, etiam talem tamque bonum Regem de medio sustulit, ejusdem laudes sic prosequitur, Stropha sexta & deinceps:

145 *Mort, don siecle sevrastes le meillor chevalier,*
Le plus proudome Roi, & le plus droiturier.
Qui oncques fust sacrès; moult fu bien enriebiès,
Plains de toutes bontèt, n' & gure de pechiès.
De net euer amoit Dieu, doucement le servoit,
Tous ses commandemens moult volentiers faisoit,
La Crois prest il pour lui, durement l'ennoroit,
Es la povre gent volenters bien foisoit ......
Proudom estoit & larges, & plains de gransonor:
Moult ot on lui proesce, bone amour & douçor ...
Il n'est om, qui Dex croie, qui moult n'on soit dolent,
Qu' asses fesit ce bien s' il vesrbist longuement.
Sens, mesure, & resons en lui su berbergèe,
Petiti sejourna; sa gens en fut iride,
Et la bone Roine durement esmjèe:
Or li envoie Dex joie de sa bele maniee.

146 Injurius sancto Regi sim; & nil nisi Franciearn hodiernam scientibus, aut ne hanc quidem intelligentibus, ridiculas fecisse laudes ejus videar, nisi earum sensum Latine reddidero. Sic ergo Poeta iste canit, mortem alloquens: *Abstulisti, Mors, seculo optimum Equitem præclarissimumque Regem, quo nullus unquam consecratus est tenacior justitiæ. Multum bene fuit dotatus, plenus omnis bonitatis, & fere peccati expers: qui Deum puro amabat corde, mandata ejus omnia perquam libenter faciebat, pro quo & Crucem sumpsit & fortiter ipsum honoravit, ac pauperibus prompto animo bene faciebat. ..... Prudens erat & largus, & plenus magno honore: multa in eo discretio, amor, & dulcedo. Nullus homo est, qui in Deum credit, & de eo non multum dolet. Sensus, mensura, ratio in illo hospitabantur, sed parum diu perstiterunt: quare ejus populus indignatus fuit, & bona Regina graviter commota: sed Deus huic mittat lætitiam in sua pulchra sobole.*

147 Vereor ne hac exemplorum prolixitate fastidium creaverim, non modo non intelligentibus linguam, sed etiam intelligentibus. Verum quid agam? retundendam habens pertinaciam hominum, nihil dubitare volentium aut scientium, quoties proponitur ipsis aliquid, quo prætensa sua antiquitas videtur confirmari. Anni necdum triginta verosimiliter effluxerant, ex quo Burdegalenses Carmelitæ versus suos sculpi fecerant; cum eorum Provincialis asserit, Joannem de la Lande, ante annos 240. iis nixum fuisse (*sicut præsumere*, inquit, *licet*) in asserenda domus suæ prærogativa. Ipsi viderint, qui tot exemplis a me probati sunt, in gravissimos errores ista sua credulitate inducti fuisse: ego manum a tabula removeo; alii alias conclusiones hinc deducant.

148

[1] *Per Romano, o Romanzo intendevasi allora ogni linguaggio volgare corrotto dal Latino, onde Brunetto nel primo capo* (del suo Tesoro) *per distinguere il Francese lo chiama:* Romans selonc le pacoys de France. Pacoys *credo venisse dal Latino-barbaro* pagensis, *donde abbiamo noi* paese. Hæc ex Maffejo in Epist. ad cl. Zenum de Mss. codicibus Regiæ Taurinensis Bibliothecæ. Hinc S. Gerardus in vita S. Adalardi Corbejensis Abbatis: *qui si vulgari idest Romana lingua loqueretur, omnium aliarum putaretur inscius: si vero Teutonica* (Theotisca sæpius in aliis medii ævi chartis, librisque dicitur) *enitebat perfectius; si Latina, in nulla omnino absolutius.* Præcipue tamen Romana lingua *Gallica* intelligitur; qua de causa *Francigenæ*, Romani appellantur ab Abbate Urspergensi pluribus in locis. Aelnotus etiam in vita S. Canuti Regis Jul. tom. 3. p. 132. *Italicis vero terminis incognitus non erat, & ipsis Francigenis, qui & Romani dicuntur.* Negat quidem Meursius Francigenas *Romanos* umquam dictos fuisse, affirmatque *ubique legendum* Normani *literis leviter transversis*. Sed ut optime monet Joannes Baptista Sollerius ibid. pag. 134. *satis libere profecto; quasi non etiam alibi ita appellati sint, non solum Francigenæ, seu qui per connubia a Gallis orti sunt, sed Galli ipsi & Franci, unde & eorum lingua sortita sit nomen* Romanæ, *ut contradistinctæ a* Latina. *Quis ignorat famosas illas fabulosorum heroum historias inde* Romans *nuncupatas?* Itaque nimium a medii ævi receptissima consuetudine aberravit vir doctissimus Cuperus, dum tom. 1. Augusti ad locum illum vitæ S. VValtheni Abbatis inter annum 1207. & 1214. conscriptæ: *B. Benedicti Romane regulam eleganter exponeret*, ait: *Romane hic idem est, ni fallor, quod Latine.* Sed illorum temporum consuetudine missa, ipsa totius orationis series Cuperi interpretationem redarguit. Audi. *Erat nihilominus fœcundæ facundiæ, & præcipue peritus & eloquens, & disertus Gallicæ, & Anglicæ linguæ: unde* (nota verborum connexionem) *contigit, ut cum ex more B. Benedicti Romane regulam eleganter* (disertus scilicer erat Gallicæ linguę) *exponeret, audientibus magnam delectationem præberet.* Præterea ut ex Alcuini Epistola ad VVirenses 49. cujus fragmenta quædam recitant Annales Benedictini tom. 2. lib. 26. discimus: *Regula S. Benedicti in conventu fratrum Propria* (vulgari scilicet) *exponebatur lingua, ut intelligi posset ab omnibus.* VValthenus igitur dum *Romane* S. Benedicti Regulam exposuisse dicitur, *propria*, in qua erat disertus, quæque a fratribus intelligeretur, *lingua* exposuisse Regulam intelligendus est. Itaque aut Anglice, aut Gallice exposuerit. Porro cum nuspiam Anglicam linguam *Romanam* dictam reperiamus, illud superest, ut Gallice sanctam Regulam exposuerit. Sed antequam huic adnotationi finem imponam, audiendus iterum Maffejus loco antea appellato, ubi aliqua ex Brunetti Latini, qui tertiodecimo labente sæculo floruit, codice Taurinensi describit: ea enim ad Papebrochii sententiam de Carmelitica Burdegalensis epigraphes suppositione sententiam confirmandam maxime faciunt. *Vi trascriverò qualche verso del principio per saggio della lingua, che usa, la quale per essere antica fu creduta da più d'uno Provenzale.* Cist livres est appelle tresor, car siccome li sires, qui viant (*vogliono*) en petit leu ammasser choses de grandissime vaileance non pas por son delit solement so mais por accroiste son poeir, il met les plus chieres chozes, & les plus precious joyaus quil peut selonc la bone entencion, tout autresi est li cors de cest livres conpilles de sapience — *Questo libro &c.*

148 Pene mihi exciderat Anglia & Scotia, quarum Patern. Tua meminit num. 108. tamquam §. 6. aut 7. earum oblitus, & saltem hic persuasum cupiens, quod Carmelitæ fuerint ii Monachi, quos constat ante S. Augustini junioris adventum, istis in regionibus fuisse; imo & ante adventum Anglosaxonum, quorum nationibus convertendis ille a S. Gregorio missus est. Hoc enim *nervose ac luculenter probat*, inquis, *Clemens* Reynerus, in libro cui titulus *Apostolatus Benedictinus in Anglia, unde pauca excerpta referuntur in Vinea Carmeli num.* 479. Adeo Vineam, & allegatum in ea Apostolatum, anno 1626. impressum Duaci, ubi vivebat Auctor: & invenio, quod hic Monachismi primatum in Anglia & Scotia inter Britones ac Pictos, a Nigris, id est Benedictinis, apud Anglo-saxones Monachis, in observatione Paschatis & tonsuræ ratione diffidentes, cedat Carmelitis, contra Crusenium Augustinianum: *qui sine ullo prorsus fundamento*, inquit, *ubicumque invenit Eremitas, eos transformat in Augustinianos; ac si nulli alii fuissent Eremitæ præter eos, quibus multis post seculis post Augustinum, Regulam Augustini servandam Pontifices tradiderunt*.

149 Idem cum proportione poterat de Carmelitis dixisse; sed contentus, ab Augustinianis, quibuscum solis disputabat, veteres Britones removisse; pensi nihil habuit examinare, quam solido fundamento ipsimet Carmelitæ ad se trahere nitantur totum Ægypti Palæstinæque monachatum, atque hinc profectam Lerinensium & consequenter Britonum disciplinam. Cautius usurum eo libro fuisse, credo, Vineæ auctorem, P. Danielem a Virgine Maria, si considerasset, Reyneri argumentationem totam in eo consistere, quod *nullo modo potuerunt esse Augustiniani, qui tam longe ab Augustini mente & spiritu, in consensu cum orbe Christiano circa Paschatis observantiam, exorbitabant*. Sed vehementer errat, cum putat, schismaticam illam Paschatis observantiam ab Ægypto vel Palæstina illatam Britanniæ & Scotiæ; cum in hac omnino nata sit inter Monachos, pios magis quam peritos calculorum Paschalium, sicut ostendetur tomo 2. Junii ad Vitam S. Columbæ Abbatis. Interim non sequitur, Eremitas, qui nec Augustiniani, nec Benedictini fuerint, fuisse Carmelitas; uti ex Reynero, velut irrefragabilis auctoritatis scriptore, licet adeo recenti, prætendit Paternitas Vestra.

PARAGRAPHUS XIV.

Quædam monumenta, ab anno 1100. *ad* 1200. *convincentia, Ordinem Carmelitarum, ab Elia institutum, etiam hoc seculo floruisse.*

RESPONSIO.

150 Libenter Te sequor, Pater Rev. paulatim procedentem ad viciniora, nobisque notiora secula & tempus recuperatæ Terræ-sanctæ; cujus recuperationis Historiam tot illustres, rebusque agendis præsentes viri descripserunt iis in operibus, quæ continentur in duplici volumine, sub annum 1611. Hanoviæ impresso, cui titulus *Gesta Dei per Francos*, ut non potuerint istic invenisse Religiosos, dictos *Fratres S. Mariæ de monte Carmelo*, & nec semel quidem meminisse vel nomius eorum.

151 Expectandus nempe erat Jacobus de Vitriaco, qui Historiam Orientalem scribens sec. 13. non quidem, ut eos sic nominaret, sed tamen ut indicaret cap. 51. fuisse suo tempore peregrinos ex Europa nonnullos, qui *ad imitationem & exemplum sancti viri & solitarii Eliæ Prophetæ, in Monte Carmelo & maxime in parte illa quæ supereminet civitati Porphyriæ, quæ hodie Caypha appellatur, juxta fontem qui fons Eliæ dicitur, non longe a monasterio B. Margaritæ vitam solitariam agebant*, quando autem & quomodo illuc adducti, ita clare nos docet Joannes Phocæ, ut non nisi per quæsitas longe tenebras num. 124. videaris ex eo velle probare, quod istic invenerit Ordinem plene formatum, quem ille vix leviter inchoatum describit. Eodem astu n. 111. inceperas a verbis Jacobi de Vitriaco, quasi ad exordia seculi 12. referenda, quæ potius intelligenda erant de ejus fine, nec animadvertis, ex eo quod plane sileat de nomine Fratrum S. Mariæ, verosimiliter colligi, hoc nomen necdum fuisse, quando Jacobus agebat in Oriente.

152 Hoc animadverso, venio ad Tua, mihi hoc Paragrapho objecta monumenta, in quibus primum est, nominatum a Vitriaco monasterium S. Margaritæ, quod ex Latino *Margaritæ* nomine (nam Græci *Marinam* appellant) credimus a Latinis habitatum fuisse; sed cujus illi Ordinis fuerint non definio, neque quis illud primus fundarit; antiquis scriptoribus de eo tacentibus, ipsisque Carmelitis antiquioribus, excepto forsitan pseudo-Cyrillo, in cujus epistola, juxta editionem Venetam, illud quidem nominatur, sed in aliis exemplaribus legitur *S. Marinæ*. Hinc Lezana putat, monasterium istud utroque nomine dictum fuisse, & pro certo supponit, ipsum ab Aymerico tertio Patriarcha Antiocheno fundari cœptum pro Carmelitis, atque ab Alberto Legislatore perfectum. Nihil tale persuadent verba Vitriacensis: & cum Aymericus iste primum factus sit Patriarcha an. 1137. post urbem a Christianis captam 30. ipse *homo absque litteris & conversationis non satis honestæ* (ut eum describit Guilielmus Tyrius lib. 15. cap. 18.) mallem laudem fundati monasterii S. Margaritæ adscribere primo ejus urbis Latino Patriarchæ Bernardo, per annos 36. Sede illa maxima cum laude potito, interimque diversissimum monasterium credere ab eo, quod, aliquam multis post Bernardi obitum annis, ad fontem Eliæ exurgere tenuissimis initiis cœpit, sub Aymerico præfato. Malim etiam opinari, quod prædictum S. Margaritæ monasterium nomen ac primum suum Ordinem tenuerit usque ad tempora Vitriacensis, licet postea in jus transierit Carmelitarum, ipsum forte in quo habetur horum novus (ut vocant) Conventus; dimissis primis, quæ sub Brocardo habebantur, muro non magno cinctis cellulis, quarum adhuc vestigia supersunt, muri scilicet aulæ amplæ & oratorii ejus, cujus meminit Joannes Phocæ. Nihil tamen horum assero, satis habens ostendisse, de S. Margaritæ monasterio nihil habere Vitriacum, quod prætensionibus vestris faveat.

153 Ut autem gratis asseritur, Patriarcham Aymericum fundasse ipsum pro Carmelitis; ita multo inverosimilius ille fingitur, librum de institutione Monachorum de Græco in Latinum transtulisse, cum hunc ab auctore Latino, & quidem recentiori scriptum, eruditi consentiant,

&

& Aymericus fuerit *homo absque litteris*, adeoque Latinæ ferme linguæ, ac magis Græcæ ignarus. Joannes Wastelius, libri istius infelix vindex, in principio variarum lectionum ingenue fatetur, *non esse dissimile veri, quod Græcus quispiam, Gallice melius peritus quam Latine, librum verterit in sermonem Gallicum, & alius deinde in Latinum.* Quasi vero Aymerico Patriarchæ deesse isto tempore potuerit aliquis, Græca simul & Latine peritus satis, qui immediate verteret ex Græco in Latinum.

154 Exemplar illud Gallicum, quod Namurci manuscriptum inveniri, ait Wastelius; & idiotismi, Gallici potius quam Græci, quos ille in Latino textu deprehendere sibi visus est (unde enim alias verosimile fuisset librum ex Gallico factum Latinum?) juncti cum totali exemplarium Græcorum defectu, justam mihi creant suspicionem, quod liber ille ab aliquo Gallo-Belga, seu Walone primum fuerit compositus seculo 14. ac deinde ad aliarum quoque nationum usum traductus Latine; idque sub nomine *Joannis Hierosolymitani*, quale potuit auctori obtigisse, ex Gallo-belgis Cruciatis nato Hierosolymis, quod occasionem dederit majoris antiquitatis cupidis, addendi titulum *Patriarchæ*, quem deinde cum Trithemio aliqui attribuerunt seculo 8. sed sic aliis non satis antiquus visus, translatus est ad seculum 5. & S. Hieronymi ætatem.

155 Si voluisses, Rev. Pater, vacillantem historiæ vestræ chronologiam, qualis a Lezana traditur, vel stabilire contra me, vel ex meis inventis illustrare; ostendisses, Aymericum istum (cui, quatenus Antiochenus Patriarcha fuit, nihil juris erat in Carmelum, Acconensis diœcesis locum & Hierosolymitani Patriarchatus) vel fuisse revera Legatum Apostolicum pro tota Terra-sancta, uti asserit vester pseudo-Cyrillus, vel, si scriptores vestros mecum excusasses, tamquam similitudine nominum deceptos, neque satis in historia Orientali versatos, ut distinguerent Amalricum, Patriarcham Antiochenum, de Malasayda cognominatum, ab Aymerico de Samiliaco post annum 1120. Legato ibidem Apostolico. Hæc, inquam, si mecum excusasses, nec tamen fateri velles errasse tuos, quando præcipuum præstiti auxilii honorem dederunt Aymerico Antiocheno; poteras id facere ex Aprili meo, ubi nodum catenus insolutum vobis ita solvi ex Guilielmo Tyrio ad Vitam S. Alberti n. 66. ut putem haud displiciturum Lectori, Aprilem non habenti, istic deductam principii vestri ipsiusque Aymerici historiam, hic reproductam legere, quæ sic habet:

156 Narrat Tyrius, lib. 18. c. 1. quod *Aymericus* præfatus, anno 1154. intercessione Regis Hierosolymitani liberatus a custodia, in quam fuerat a Raynaldo Antiocheno Principe indignissime conjectus; receptisque quæ per violentiam amiserat bonis, insaniæ potentis adversarii cessit; & *Antiochenam deserens diœcesim, in Regnum se contulit Hierosolymitanum, ubi a Domino Rege*, Balduino III. *& ejus matre discretissima*, Domina Melisende, *& Regni universi Episcopis benigne habitus, per aliquot mansit annos*; & 1157. (quoniam *Amalricus* Hierosolymitanus Patriarcha, post Fulcherium *electus consecrationis munus nondum obtinuerat*)... *ascisscitur de mandato regio, ut & Reginæ* Theodoræ, *regiæ unctionis conferret gratiam, & conjugii usitata solennia celebraret*: nec videtur Antiochiam revertisse, nisi metu solutus per Raynaldi Principis captivitatem, quæ sub finem anni 1160. contigit. Igitur cum in Hierosolymitano Patriarchatu Aymericus Antiochenus, quamvis exul, maxima gratia & auctoritate apud Regem & Patriarcham valeret; prudentissime Bertholdus egit, quod ab Elia Propheta admonitus de habitando Carmelo, ad ipsum accesserit, consilii & auxilii causa, imo & necessariæ facultatis.

157 Suberat Carmelus, uti diximus, Acconensi Episcopo: erat autem is tunc Fredericus quidam, & fuit usque ad annum 1167. Ab hoc Aymericus perquam facile potuit impetrasse, ut inter quædam montis istius rudera habitare Bertholdus sineretur, & pauculos sodales colligere, qui usque ad annum 1193. ultra decem non excrevere. Idem vero Aymericus, cum esset opulentissimus, cur non credatur suppeditasse Bertholdo sumptus necessarios ad opus non magnum, primumque oratorium per seipsum consecrasse, Acconensi Episcopo id permittente? Denique, si credere volumus, novellum Eremitarum cœtum, ipsis statim principiis suis, ceterorum Religiosorum Ordinum more, jus obtinuisse Professionis; idque si concedi per ordinariam simplicis Episcopi auctoritatem non potuit, nec ab ipso Aymerico in aliena diœcesi sanciri, credemus, etiam jus illud per eum impetratum fuisse a Patriarcha Hierosolymitano Amalrico: atque ita uni Antiocheno Patriarchæ merito adscribetur tota laus fundati vel restituti Carmelitici Ordinis, absque eo quod eidem affingatur gratis potestas aliqua extraordinaria, qua fuerit in hoc negotio usus. Ceterum quod eodem Aymerico Antiocheno agente & procurante, omnia aut pleraque Terræ-sanctæ eremitoria Latina (hoc enim ut minimum prætendunt Carmelitæ) fuerint subjecta Bertholdo *Priori Generali*, nemo persuaserit: tum quia res illa maximi fuisset strepitus atque moliminis, & extra Episcoporum omnium Orientalium Synodum nequaquam solide constituenda, sic autem constituta a scriptoribus minime prætereunda; tum quia in Bullis Apostolicis, usque ad annum 1230. unicus dumtaxat locus Priori Carmelitico subjectus nominatur; tum denique quia Albertus Patriarcha, rogatus Regulam Carmelitis scribere, non tantum ipsam scripsit solis *Eremitis, juxta fontem in monte Carmeli morantibus*; sed talem scripsit, quæ in solo Carmelo subsistentibus, sufficiens; per plura autem diversarum diœceseon eremitoria sparso Ordini insufficiens & improportionata fuisset.

158 Hæc ego in Aprili docere tuos volui, R. P. pro seculo Christi 12. eoque primo Ordinis vestri, si cum Benedictinis aliisque passim Religiosis Ordinibus voluissetis a proprio illius principio numerare sacula, dimissis anterioribus omnibus, alio jure ad vos non spectantibus, quam quod Eliam, in ipsomet Carmeli monte Solitarium, ibidem imitandum sibi ex ejus revelatione sumpserint majores vestri. Sed his non contentus, etiam in Europa pergis perquirere fundationes conventuum antiquiores, si non ipso vestro in Terra-sancta principio, saltem migratione inde facta sequenti primum seculo.

159 Igitur n. 119. producis Dantiscanam fundationem, veluti factam anno 1236. quamvis Lezana vester ad annum 1348. n. 8. expresse ita scribat: *Monasterium nostrum Gedanense seu Dantiscanum .... pro hoc tempore vel annis sequentibus inchoatum fuisse, Alexander Koskiuski Pro-*

vin-

vincialis Paloniæ, in relatione monasteriorum ejus Provinciæ ad me transmissa, testatur: eo quod illud fundatum fuerit ab Henrico Rupera, Magistro Generali Crucigerorum, qui ad annum 1382. Generalatum illum gessit. Sic Lezana, sub aonum 1656. imprimens suum 4. tomum, ex ipsis verosimiliter fundationis primæ documentis. Nunc vero Patern. Tua dicit, *de* illo, ut *fundato sub annum 1136. per Sobeslaum, primum Pomeraniæ Ducem Christianum, constare ex authentico fundationis instrumento, quod anno demum 1677. ex Palonia accepimus, & ad longum exhibetur in Speculo Ordinis tomo 1. num.* 2919. Legi ego illud, mox ut Speculum prodiit, & in Apologia pro Sanvico num. 271. Chronologiæ Hierosol. notavi, ecgraphum, quod accepistis, dici *secundum verum originale privilegium, ex protacolla de verbo ad verbum transcriptum Stetini, anno 1556. die 26. Septembris*. Hic addo, id factum etiam dici subsignante Philippo Duce Pomeraniæ ejusque tribus Secretariis; *transumptum* vero *concordare cum vero suo originali Germanico, & fideliter ex Teutonica in Latinum sermonem translatum esse*, sub attestatione Notarii Regii; ipsum denique *Originale* servari *in arce Butboriensi, in registro in quo omnia Acta spiritualia continentur; & inde cum omnibus solennitatibus juris desumptum est apographum, Romamque & in Belgium missum.*

160 Laudo diligentiam, sed ooso ignorantiam, illud tam fidenter allegantium, neque animadvertentium, quod originale prædictum suam in fronte damnationem præfert, si fidele est vestrum apographum, & anni 1556. protocollon: istud enim, & consequenter protocollon, ipsumque anni 1187. originale præsumi debent habere annum ootatum per zifras, sicut notatum habet apographum. Zifræ autem pro seculo 12. sunt una e certioribus quæ possunt haberi suppositionis notis, sicuti integro Parergo 12. demoostravi. Sciunt enim omnes eruditi, quod zifras, id est numeros hodie usitatissimos, Arabes ab Indis acceperit anno 900. Christi, a Mauris deinde Saracenis Rex Castellæ Alphonsus, anoo an. 1240. tabulas suas Astronomicas componens: sic affirmantibus, quos ex Kircheri Arithmologia cito, quotquot hoc argumentum attigere. Quod autem publica instrumenta attinet, hactenus præter Carmelitas inveni neminem, qui nollet senioribus & versatioribus Notariis credere, easdem zifras longe serius recipi cœpisse in usum fori vel ecclesiastici vel secularis, ubi etiam hodie frequentior usus est litterarum numeralium Latinarum in annis diebusque notandis.

161 Parergon istud cum lectum a Patribus Carmelitis esset, fuerunt pauci aliqui satis ingenui, ut faterentur, neque Attestationem Thomæ Florentini, neque aliam scripturam posse recipi pro legitimo ac vero antiquioris ætatis, nedum seculi 8. aut 9. instrumento, quæ per zifras sales notata inveniretur. P. Franciscus Bonæ-spei confugit ad argumenta, viro gravi ac litterato indigna, quæ obiter refutata Lector inveniet tomo 2. Maji pag. 713. n. 20. Quid enim puerile magis, quam ex impressis hoc seculo libris argumentari ad usum primorum Ecclesiæ seculorum, quasi res vetustissimæ non possint & sæpe soleans notis recentissimis & nunc usitatioribus exprimi? P. Francisco succedens P. Valentinus a S. Amando, velut deficienti Atlanti, ad sustinendum antiquitatis Carmeliticæ cælum, suffectus Hercules; seipsum aliosque frustra fatigavit, ut inveniret antiquiora zifrarum ante seculum prægressum usitatarum vestigia. Profectus etiam in Germaniam Adrhenaoam ea causa, versavit & curiose abluit plurima vetera sepulcreta; unde reversus, cum consuluisset Ordinis sui amantissimum, eumdemq; antiquitatum patriarum scientissimum, Antverpiensis civitatis Secretarium Valckenisse, isque fateretur nihil se pro illo, sed contra, multa testari circa zifras posse; hastam in decessoris sui manu infeliciter confractam abjecit, & in tot libellis suo alienoque nomine, nunc vero, nunc fictitio contra me editis, numquam fuit ausus de usu zifrarum, verbum ullum facere.

162 Præsentire hoc visus P. Fraociscus, neque facile se, quod iotendebat, persuasurum ratus; *Forte*, inquit parte 2. n. 640. Armamentarii, *ostendam originales numerarias diplomatis Florentini Latinas, a nostro Lezana mutatas in zifras Arabicas.* Sed istud *Forte* numquam in factum transiit. Nemo etiam Carmelitarum Bononiensium, qui nobis scribi fecerant per Revereodiss. P. Mag. Ludovicum Torellum Ord. Eremitarum S. Augustini, ostensuros se suæ fundationis autographum pro anno 1201. nemo, inquam, eorum fuit qui illud examini auderet subjicere nobisque mittere; cum idem qui ipsum mihi pro genuino & indubitabili laudaverat Torellus, ingenue fateretur, vidisse se *numerum millesimi, non litteralem, sed arithmeticum esse*. Adeant nunc arcem Butborieosem Poloni Carmelitæ, rursumque inspiciant protocollon anni 1556. nosque certores faciant, litteris non arithmeticis, quibus apographum ipsorum utitur, sed numeralibus scripta esse omnia. Deinde quærant, an eo quod allegatur registro inveniantur plura seculi 12. instrumenta Germanica. His vero non repertis (ut credo nulla invienda, sed Latina omnia, vel saltem linguæ valde diversæ a Teutonico seculi 16) agnoscant non esse verum originale quod prætenditur, tandemque excusent mecum tres illos Philippi Ducis Secretarios, quod vitiatum apographum io anni numero, origioale esse affirmaverint.

163 Iidem etiam ostenderunt, se parum admodum in suæ patriæ historiis versatos, si pro anno 1136. agnoverunt aliquem Pomeraniæ *Ducem Subislaum*, eumque *primum Christianum*. Habemus nos Ducatus istius historiam, graodi volumine ab origine ductam, Germanica lingua, & Stetini impressam anno 1639. auctore Joanne Micrælio. Hic nos docet, jam inde a tempore Ottonis primi & annis 980. tota Pomerania receptam Christi fidem fuisse, quod etiam tradit Eilhardus Lubinus, in descriptione illius inserta Atlanti Blaviano: *sed cum*, inquit Eilhardus, *sæpius deficerent, atque anno 1066. occisis Christianis omnibus, redirent ad Paganismum; tandem ab Ottone Episcopo Bambergensi, flagitatione Boleslai Polaniæ Ducis & Danorum Regis, iterum Evangelium salutis in Pomerania prædicari cœptum eo successu, ut Julini viginti dua millia civium ab illo baptizata esse scribantur.*

164 Tum iocipit Eilhardus Ducum seriem texere, quorum caput censetur Suantiborus, in stemmate genealogico apud Micrælium, dictus filius Mestiborii apostatæ, annoque 1107. miserabiliter extincti; cujus nepotes ex prædicto Suantiboro Wartislaus & Casimirus, circa annum 1124. fuerunt baptizati. Wartislao succedens

cedens anno 1536. *Bugislaus I.* fundavit Episcopatum Julinensem 1575. Exinde ab eodem Eilardo successive nominantur reliqui omnes Pomeraniæ Duces, usque ad annum 1637. in iisque omnino quindecim *Bogislai*, nullus *Subislaus*. Ast apud Micrælium, in genealogica Arbore, etiam ad collaterales sese extendente, invenitur Bogislai primi filius alter *Subislaus*, qui inferiorem Pomeraniam, adeoque & Gedanum, forte habuerit, ab anno 1150. ad 1187. ejusque nepos Subislaus II. paulo post annum 1207. defunctus, nec istius nominis quisquam ibi occurrit alius. Hinc apparet, quam imperite & infeliciter confictum sit istud Carmeliticæ apud Gedanenses fundationis instrumentorum, quantoque certius credi possit asserenti, ipsam post annum 1348. primum factam esse.

165 Gedanensi figmento sic everso, succedat simile Viennense: cujus quidem instrumentorum nullum profertur, quin tamen fuerit aliquid pro initio seculi 12. in quo versamur, dubitari non vult Patern. Tua num. 113. quia pro eo *testatur Joannes Cuspinianus, vir secundum Papebrochium eruditus, asserens Carmelitas fundatos fuisse ab Henrico primo Duce Austriæ, qui obiit anno* 1172. *vel ut alii* 1177. Fuit pro sua ætate & ea, quæ tunc erat, penuria veterum monumentorum, necdum jam studiose eruderatorum & examinatorum, eruditus jure merito habitus Cuspinianus; eruditior certe, quam ut tecum, Pater Rev. diceret, initio seculi 12. factum esse, quod ipse adscribit tempori Henrici, primi Ducis, creati a Friderico Ænobarbo an. 1156. Quid autem scribit Cuspinianus? Quod *Fratres de monte Carmeli Henricus Divi Leopoldi filius fundavit, & suum eis Burgum donavit.* Leguntur hæc sub finem opusculi, quod Austriam nuncupavit, cujus historiam deducturum se, pollicitus erat, *e receptis annalibus, & vetustissimis antiquitatibus ac diplomatis, quæ oculata fide perspexit*: & eatenus summam fidem meretur. Ast non ex illis solis scripsit; sed ex aliis non ita firmis, *quibus*, inquit, *fidem lector habeat, quoad certiora intelliget; &, si frivola, quæ temeritate quadam nonnulli sibi usurpant scriptores, nulla auctoritate suffulti, attulerimus, id liberum sit cuique vel damnare vel rejicere.*

166 Utor ego ea, quam vir modestus, prudens, ac sincerus concedit, libertate: & certiorem migrationis Carmelitanæ ducem habens Sanvicum, inter *frivola & nulla auctoritate suffulta*, reputo contrariam illi assertionem Viennensium Carmelitarum: qui gratis & nullo idoneo instrumento producto affirmaverunt Cuspiniano, fuisse se ab Henrico I. fundatos: nec ullam me puto facere Cuspiniano injuriam. Habuerit Henricus iste *arcem suam in eo civitatis loco, ubi Fratres habitabant*, quando scribebat Cuspinianus circa an. 1527. sequiturne hinc, eosdem ibi tanto prius habitasse, quam extra Palæstinam id licere, definitum esset in Carmelo? Non credidisset hoc Cuspinianus, si ei ex veteri Riboti Speculo Sanvici chronicam legendam dedissent Patres Carmelitæ: neque credam ego; sed libentius fatebor nescire me, quisnam Henricianam arcem Carmelitis inhabitandam dederit; cetera Cuspiniani de illis asserta, nihilque rationabilis contradictionis patientia, libenter suscipiam: puta, quod circa ann. 1360. qua Collegium Canonicorum S. Stephani fundatum fuit, tanta floruerint gratia apud Rudolfum, tunc Ducem, primi Rudolfi pronepotem, ut voluerit eos *pari numero*, id est viginta quatuor, *in medio Canonicorum* chlamyde purpurea ornatorum *incedere, & gentilitium Austriæ scutum repræsentare, scutum scilicet rubeum cum albo inserto per medium.* Si quis vero his non contentus, velit omnino fundatorem Carmelitarum dictum fuisse *Henricum*, per me licet, accipiat ex Habspurgicis primum & unicum hujus nominis, qui ab anno 1303. usque ad annum 27. Ducatum Austriæ tenuit, teste jam sæpe dicto Cuspiniano. Tam facile enim in *Henricis* errare potuit Carmelitarum Viennensium memoria, quam in *Honoriis* Romanis Pontificibus erraruntt *multi, quando* mutationem cappæ barratæ in albam, *quæ sub Honorio IV. contigit, sub Honorio III. accidisse autumarunt* apud Lezanam ad an. 1216. n. 4.

PARAGRAPHUS XV.

Monumenta quædam ab anno 1200. *ad* 1300. *quibus monstratur Elianum institutum monasticum etiam hoc seculo floruisse.*

RESPONSIO.

167 FLoruisse insigniter hoc seculo Ordinem Carmelitanum, nemo Tibi non libens concesserit, Pater Rev. Sed hujus floris initium libentius deducet a Regula, intra primos 10. vel 12. annos hujus seculi ab Alberto tradita. Hanc Regulam quod majores vestri falsificaverint, anticipando datam multis annis prius, quam in Palæstinam veniret Albertus iste, primum eo appulsus an. 1206. condonabimus studio nimiæ antiquitatis super Minores ac Prædicatores usurpandæ; modo velitis agnoscere, simili studio alia quoque apud vos plura potuisse corrumpi, maxime circa annos fundationum antiquiorum.

168 Post Patriarchæ Alberti Regulam, quæ verum est & indubitabile hujus seculi 13. monumentum, allegat Patern. tua Epistolam Cyrillo 3. Priori adscriptam, quam nosti a me non recipiendam. Allegas deinde Sanvici Chronicam; sed cum ei fidem habere ipsemet recuses in tempore decretæ cœptæque migrationis, quod certius poterat cognovisse; cur exigis, ut ei credam de rebus ab ejus cognitione remotioribus. Pro istis igitur, contra me nihil probantibus, rursum Tibi produco Jacobum de Vitriaco Ordinis vestri in Oriente principia, post datam ab Alberto Regulam, suis oculis contemplatum, neque adhuc scientem nominare *Fratres S. Mariæ de monte Carmelo*, non nisi post ejus ex Terra-sancta discessum ita cœptos appellari.

169 Ejusdem de eisdem silentium in Historia Occidentali, scripta circa annum 1220. nihil minus efficax est, contra prætensos ante id tempus in Europa Conventus. Siquidem in Præfatione generali istorum suorum librorum, quam in editione Duacena desideratam, Henricus Canisius protulit t. 6. antiqu. Lectionum pag. 1313. Jacobus ipse sic loquitur: *In secundo libro modernam Occidentalium historiam sub compendio pertransiens, de his quæ Dominus in partibus Occidentis, diebus istis novissimis operatus est, & præcipue de diversis, tam regularium quam secularium Ordinibus, pertractavi.* Sunt autem illi, a c. 14. ad 28. deducti, omnino quatuordecim, tunc recentes plerique. Itaque in fine partis 2. Propylæi antiquarii, ante tomum 2. Aprilis pag. XL. non dubitavi assumere pro

irrefragibili argumento, quod sigillatim describens, *Cistercienses*, *Calatravenses*, *Valli-caulienses*, *Carthusienses*, *Grandimontenses*, *Tironenses*, *Præmonstratenses*, *Arroasienses*, *Sanvictorinos*, *Prædicatores*, *Minores*, *& alios quotquot noverat generum diversorum cœnobitas*, nullam facit mentionem eorum, quos in Oriente descripserat, *ad imitationem Eliæ in Carmelo solitariam vitam agentes*.

170 Ita tunc ego, nequaquam ratus me obligari ad titulos singulorum capitum verbotenus tradendos; & brevitati studens, pro titulo capitis 27. *de nova Religione & Prædicatione Bononiensium Canonicorum*, scripsi *Prædicatores*. Horum Ordinem isto capite describi non animadvertens Andreas Hoyus, in synopsi utriusque libri ad calcem impressa pag. 471. cum inter ceteros ejusdem temporis Ordines, ibi recensitos, etiam notasset, quod *Ordo Prædicatorum, inchoatus a B. Dominico, in Tolosatibus an. 1203. sub Innocentio III. confirmatus est ab Honorio III. an. 1216.* mox addit, *cujus nullam fieri mentionem ab Auctore synchrono, est cur miremur*. Hæc verba, tali loco a me non observata, neque correcta, magnos exciverunt clamores eorum, qui bonum Andream, in unius (ut ipse præfatur) *diecula opella* cæcutientem secuti, ipsimet sua passione excæcati toti, libellos famosos contra me impleverunt conviciis, *impostorem* & *falsarium* appellantes, qui finxerim, quod de *Prædicatoribus* egerit Vitriacus. Ego, Rev. Pater, sciens S. Dominicum fuisse Canonicum Uxamensem, & instituto a se Ordini tradidisse observandam Canonicorum, id est, S. Augustini Regulam; habitum quoque adeo illis similem, ut si videas imaginem S. Norberti, fundatoris Præmonstratensis, in eo, quem illi in Germania adhuc gestant, habitu; ipsum non nisi colore distinguas a S. Dominico, qualem exhibent imagines ejus paulo vetustiores (ut apparet ex imagine Coloniæ sculpta hoc ipsomet seculo, & polita tom. 1. Junii pag. 984.) hæc, inquam, sciens de S. Dominico & ejus Ordine; sciens insuper ipsum accepto Bononiæ Conventu, ab anno 1219. ad finem vitæ, id est annum 1221. constanter ibidem commoratum; nihil debui dubitare, [1] quin, *nova Religio & Prædicatio Bononiensium Canonicorum*, esset *Ordo Prædicatorum*.

171 Sane Honorius III. in prima Bulla sua, novi Ordinis confirmatoria, anni 1216. scribens *Dominico, Priori S. Romani Tolosanensis, ejusque Fratribus*, necdum eo nomine utitur; sed statuit, *ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum & B. Augustini Regulam in eadem* (S. Romani) *ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur*. Thomas Malvenda, Ordinis istius Annalista, ad annum prænotatum quærit, *unde illustre Prædicatorum nomen Ordini factum sit*; ac tandem, post varia undique accersita, concludit; *satis constare, in Honorii III. litteris anni 1219. & aliis sequentis temporis..... item multorum sequentium Pontificum, semper Prædicatorum Ordinem appellari*. Nobis autem indidem constat, ejusmodi appellationem necdum vulgarem fuisse cum Vitriacensis scripsit, & *Canonicos* appellavit, qui sub titulo Canonici instituti fuerant a Sede Apostolica confirmati. Existimo Religiosissimos illos Patres non dolituros, quod eos ego docuerim invenire Ordinis sui notitiam in coævo Vitriacensi, qui Concilio Lateranensi, adeoque & confirmationi illius interfuit, simulque ostenderim, honorificam Canonicorum appellationem ipsi prius tributam, quam vulgo invalesceret nomen *Prædicatorum*. An autem æque gratum futurum ipsis sit, quod eo titulo imposturæ arguar a Patribus Carmelitis, viderint hi, qui tantopere cupiunt me meosque libros Dominicanis reddere odiosos.

172 Ast contra loquentem Sanvicum, & tacentem Vitriacensem, objicitur fundatio Coloniensis, veluti ad finem præcedentis seculi referenda. Sed hoc ne fieri secure posset, videtur cavisse ipsemet Sanvicus, ultima capitis sui 6. clausula dicens, quod Fratres, a S. Ludovico Rege Parisiis fundati, (utique anno 1256.) *alios ad suam Religionem recipientes, in diversis Franciæ & Alemanniæ partibus monasteria sui Ordinis constituerunt*. Ad tempus etiam redeuntis ex Syria sancti Regis, Conventus sui originem videntur retulisse ipsimet Colonienses Patres, qui totam Historiæ Carmelitanæ seriem, novemdecim distichis in camera Hospitum descriptis intexuerunt, hoc modo concludentes poema:

Victores Asiæ, patriam plerique petentes,
E sacro secum monte tulere viros:
Miles, Agrippinam deductis, Bruno reversus
Atria fundavit, auspice, postea, Deo.
Sicque Palæstinis remeans Ludowichus ab oris,
Gallica postectes regna per usque locat.

173 Cur ultimum distichon omiserint omnes, qui priora duo ubique efferunt, non est difficile judicatu: credebant enim Brunonis istius & Ludovici tempora nimium enormiter distare ab invicem, neque ex re sua erat composita legi. Unde autem probatur tanto senior fuisse Bruno, Carmelitarum Coloniæ fundator? Ex quodam, inquiunt, libro Germanico, cujus initium Latine versum fol. 4. pag. 1. est hujusmodi: *Liber Provisorum pauperum domesticorum S. Jacobi, Originis Parochialis ecclesiæ S. Jacobi pariter & fundationum ac duorum monasteriorum conventuumque in ea situatorum*. Immediate autem post in eadem pagina sequitur: *In anno post Nativitatem Jesu Christi, cum in Romano regno inscriberetur*

[1] Echardus t. 1. Biblioth. Prædicat. p. 24. ex hoc Vitriaci capite contra opinionem Andreæ Hoii erudite demonstrat, Cardinalem Vitriacum hic de Ordine Prædicatorum egisse, & pag. sequente ratiocinium suum ita concludit: *Si eruditi Actorum sanctorum Editores hæc aliquando legerint, vos spero ausim emendaturos, quod tomo 3. Maii pag. LIV. in serie Episcoporum Hierosolymitanorum a Daniele Papebrochio, sola Andreæ Hoii supracitati fide innixo, ceu certum probatur, nullam a Vitriaco fieri Ordinis Prædicatorum mentionem*. Verum quod a Bollandianis Echardus hoc loco postulat jam ipse candidissimus Papebrochius hic præstitit, ut mirum sit, Echardo id latuisse; atque adeo art. 32. n. 32. uti videbimus, Papebrochius sibi, Dominicanorumque Ordini gratulatur, quod potuerit hoc articulo *Primus observare notitiam ejus apud Jacobum Vitriacensem sub honorifico* Canonicorum Bononiensium *titulo*. Sed Helyotus in historia Gallica Ordinum Religiosorum ac militarium part. 3. cap. 37. Papebrochium propter anamnesim suam carpit: Bononienses enim Canonicos, de quibus Vitriacus, fuisse Congregationem scholarium Bononiensium, non Ordinem Prædicatorum putat, contenditque. Papebrochio tamen priorem sententiam suam retractanti, & Echardo adhærendum satis efficacibus rationibus probat Cuperus tom. 1. Augusti pag. 450. n. 474. & 475.

tur sexentesimus quadragesimus primus, tempore Dagoberti Christianissimi Regis Franciæ & Austriæ, qui tunc temporis civitatem & Coloniensem districtum obtinebat. Tum eodem folio 4. pagina a. continetur hæc clausula: *Cum inscriberetur annus* 1220. *Carmelitarum Ordo, civium ope & cujusdam Equitis dicti Bonnerhoff, ædificavit domum unam Dei & cœnobium: ac Ordinis Fratres cœperunt in eodem variegatas, albas & nigras cappas aut pallia deferre: fueruntque nuncupati Variegati Fratres, B. V. Frawen-Bruder*.

174 Licetne videre librum ejusque auctoritatem ex antiquitate æstimare? Toto biennio post editum Aprilem, hoc egerunt Coloniensis urbis Notarii quidam ex senioribus, jam sæpe antea ab Apostolico Nuntio ad similia judicia in transumptis ejusmodi Romam mittendis adhibiti: sed quidquid per se aliosve egerint, orando, suadendo, numquam potuerunt ab iis, qui archivium istud servant, obtinere, ut librum exhiberent, aut etiam faterentur eum ibi esse. Habent ergo ipsi suspectam rem totam; censentque, ex grandi illo chronologico saltu ab anno 641. ad annum 1220. in eodem folio, verosimile reddi, quod alius iterum fiat in sequenti, annorum ducentorum aut trecentorum; nihilque dubitant, quin reliqua, quæ librum complent instrumenta ac documenta finem habeant post annum 1500. & tunc primum conscriptus sit liber. Sic enim argumentatur per epistolam is, qui illos pro me consuluit, talium etiam ipse probe peritus, dicens: *Erhardus Winheim, in suo Sacrario Agrippinæ, sacellum S. Jacobi erectum fuisse, ait, a S. Annone post annum* 1004. *Ut illud in ecclesiam Parochialem excresceret, quæ suos jam Provisores haberet, videtur fieri non potuisse, nisi multorum annorum decursu. Quam multa interim scriptu digna debuerunt occurrisse, quorum causa mutatum est sacellum in Parochiam, circa fundationem dotationemque illius & circa contractus varios, ea causa initos, legata, obligationes, anniversaria & similia alia? Qui igitur omnia ista paucis lineis decurrere potuit, ut veniret ad Carmelitanæ ecclesiæ fundationem nihil magnopere ad ecclesiam S. Jacobi pertinentem, profecto debuit scripsisse ea ætate, qua ista omnia, multas alioqui paginas impletura, abolita erant a memoria hominum. Fortasse nec mysterio vacat, quod cum aliorum extracta appareant apud auctorem Armamentarii in sua originali Italica lingua, non etiam hoc producatur in sua Germanica, unde facillimum fuisset de ætate scribentis judicium ferre. Recentioris enim elegantiæ est* τὸ Frawen-Bruder, *& superioribus seculis, quibus lingua nostra plurimum Westphalismi habebat, scriptum aliter fuisset*.

175 Hactenus vir, ut dixi, eruditus, insignis postea monasterii in eadem Archidiœcesi Coloniensi Prior, nunc pro reformandis quibusdam sui Ordinis cœnobiis in Poloniam missus. Scripsit autem ista, non ex suo tantum, sed senis etiam patris sui, expertissimi quoque in talibus viri, judicio: quibus addiderim, quod ipsismet Carmelitis testimonium illud, ex S. Jacobi libro petitum, adeo ignotum fuit ante annos quinquaginta, cum Admiranda Coloniæ suæ scriberet Ægidius Gelenius, ut eidem suggesserint, quod *Bruno de Bonnerhoff an.* 1198. *Religiosos, Carmelitani montis incolas, secum in Agrippinensem Coloniam deduxit*, quodque anno 1219. *temporibus S. Engelberti Archiepiscopi, extructa est eis ecclesia*. *Opuscul. Collect.*

Factum id fuerit tempore *Engelberti* alicujus, sed non *Sancti*, verum *Falkenbergici*, anno 1261. ordinati: & consueta infirmitas hominum, ex pluribus synonymis consuetorum ordinarie accipere famosiorem, quem plerumque solum noverunt, occasionem dederit opinioni, fundationem Carmeli Coloniensis justo antiquiorem faciendi. Sed quid agimus? *Frater Joannes de Leunia, Prior Generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, universis Prioribus & Fratribus ejusdem Ordinis in Provincia Alemanniæ existentibus .... longe lateque diffusis ...* pro *Fr. Brunone ejusdem Ordinis Professo, nec non & ejus uxore D. Jutta, Ordinis Matre & filia*, propter collata in Ordinem beneficia, indicit Collectam, *Deus qui caritatis dona*, quoad vivent; & post mortem, *Inclina, Domine*, aliasque preces & sacrificia, per litteras, datas *in Domo nostra Coloniensi, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo, in die Trinitatis*.

176 Est hic Bruno diversus a priori, sicuti ex proprio ejus scripto patet, in quo se appellat *Brunonem de Bunregassen*: sed nullo apposito anno, ut prætensi Vicarii Generalis epistola nequeat hinc vel confirmari vel infirmari. Objectioni tamen contra Sanvicum hinc sumptæ facilis datur solutio, ex illo communi scholarum effato, *Quod nimium probat, nihil probat*. Erat tempore Honorii Papæ III. ad Pontificatum Romanum evecti sub annum 1216. *ignotus Ordo in Europa, & ob id apud eum non pauci pro illius extinctione instabant*, uti legitur in Officio Commemorationis solennis B. Mariæ de monte Carmelo; in Officio, inquam reformato, cum antea legeretur nomen *Honorii quarti*, primum creati anno 1285. Nunc mihi animum adverte, Pater Rev. Tempore Innocentii Papæ IV. anno 1246. Carmelitarum e Syria transmigrantium adhuc *ro aspirabat affectio, ut per Apostolicæ pietatis auxilium statum consequi valeret*; sicut habet Bulla, ex ipsorummet supplicantium verbis de more formata atque ad hoc petita, ut haberent quod responderent Prælatis, dicentibus; *quod, cum hæc Religio esset eis ignota, gratiam postulatam Fratribus non concederent, donec super præmissis intentionem summi Pontificis scirent*: & Tu mihi dicis, fuisse eum *longe lateque diffusum, per Alemanniam*, divisum in *Provincias, Capitula Provincialia* celebrasse &c.? Nimium hoc esse, adeoque nihil, fatearis necesse est. Non est, mihi crede, nec potest esse ejusmodi epistola Joannis autographa, sed apographa, in qua *ducentesimus* annus pro *trecentesimo*, vel suppositus sit per fraudem, vel (quod malim) obrepserit per errorem.

177 Lassus sum, fateor, his aliisque, jam pridem pro Sanvico disputatis, iterum recoquendis; sed coegit Tua, R. P. (nescio quo mitissimo nomine appellem) dissimulatio, qua omnia istæ præteris, quasi numquam a me scripta editaque fuissent. Hoc autem §. laudans Sanvici Chronicon, quatenus ad tuum facere intentum videtur, nec verbum quidem dicis, de modo ac tempore descriptæ ab eo transmigrationis; sed a Regula data sub initium seculi, transilis ad finem, commemorando successum Capituli Montis-pessulani, *in quo, anno* 1287. *auctoritate Apostolica dimiserunt Carmelitæ pallia sua barrata*. Hæc autem scribis, de forma quidem eorum nihil solicitus, sed absque ulteriori probatione inculcans, quod ea (quorum auctorem S. Antoninus & alii fa-

ciunt S. Albertum Patriarcham, initio seculi 13. mortuum) gestaverant per annos 648.

178 Reduco igitur te vel invitum ad annum decretæ transmigrationis, quem Sanvicus numerat 1237. Tum vero progrediens hic auctor, inquit: *Anno ergo Domini, millesimo ducentesimo trigesimo octavo, aliqui eu dictis Fratribus, natione Cyprii, transfretaverunt; alii vero, natione Siculi, ad insulam Siciliæ navigaverunt: quidam autem, natione Provinciales, apud Massiliam civitatem Provinciæ applicuerunt. Qui omnes, & post eos alii, hac intentione Terram-sanctam deserebant, & ad illas ac varias regiones accedebant, ut Religionem istam in illis regionibus* ☞ *noviter plantarent. Igitur qui ad Cyprum transfretaverant, mansionem huic Religioni congruam in Eremo Frontaine construxerunt. Qui vero ad Siciliam navigaverant, habitationem huic Religioni commodam in suburbanis Messanæ erexerunt. Sed illi, qui apud Massiliam applicuerant, domum isti Religioni opportunam in Eremo Aqualatarum, distanti per unam leucam a Massilia, ædificaverunt. Denique anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo, Christianissimi milites Dominus Joannes Vesci, & Dominus Richardus Grey, natione Anglici, cum Richardo Comite Cornubiæ, Fratres Henrici Regis Angliæ, ad Terram-sanctam transfretaverant, post multos vere actus bellicos, in Palæstina contra infideles strenue peractos, de Terra-sancta ad Angliam remeantes, quosdam hujus Religionis Fratres Anglicos, de licentia Prioris monasterii montis Carmeli, secum cu devotione ad Angliam duxerunt. Quibus Fratribus Dominus Joannes Vesci in Silva de Holne juxta Alnewicum, & Dominus Richardus Grey apud Eylesfordiam in Cantiæ, mansiones huic Religioni commodas ædificaverunt.*

179 *Considerantes autem Fratres prædicti, regiones ad quas pervenerant, esse aptas & idoneas ad multiplicandum in ipsis sacram hanc Religionem, plures viros ad eam receperunt. Sed priusquam præsumerent eam quoad monasteria in dictis regionibus* ☞ *notabiliter multiplicare, prudente ducti consilio, ad summum Pontificem Innocentium quartum, tunc Lugduni commorantem, accesserunt: cui rationem fugæ eorum de transmarinis partibus, & causam adventus eorum ad prædictas varias regiones & remotas, exposuerunt: eique supplicaverunt, ut dignaretur eis impendere favorem, quo possent in dictis regionibus multiplicare suam Religionem. Pontifex autem prædictus, adversitatibus eorum compatiens, & de multiplicatione hujus Religionis per cunctas fidelium partes gaudens, litteras eis duodecimo Kalendas Julii anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto concessit, per quas universis Christi fidelibus scripsit, ut dictos Fratres benigne reciperent, & eis de opportunis locis, in quibus possent secure Domino famulari, liberaliter & caritative providerent.*

181 *Obtentis itaque a summo Pontifice Innocentio quarto litteris præmissis, cœperunt dicti Fratres per regiones ad quas pervenerant, juvantibus eos Christi fidelibus, loca Religioni eorum opportuna in diversis civitatibus & villis per incrementa temporum construere, in quibus possent Domino Deo & ejus Matri Virgini, sicut desiderabant, secure deservire. Qui enim ex eis ad Cyprum accesserant, in quibusdam civitatibus & locis Cypri monasteria huic Religioni commoda ædificaverunt. Qui vero ad Siciliam perrexerant, non solum per civitates Siciliæ hanc Religionem plantaverunt, sed inde per Apuliam, & per ceteras regiones Italiæ sensim in diversis civitatibus, & locis eam auxerunt. Qui autem ad Provinciam profecti fuerant, nedum per civitates & loca illius regionis, sed per Narbonensem provinciam & Aquitaniam atque Hispaniam, in diversis civitatibus & villis ac locis, Religionem istam paulatim multiplicaverunt. Illi vero qui ad Angliam secesserant, non tantum per insulam Angliæ, sed per Scotiam & per Hiberniam, in multis civitatibus villis ac locis, Religionem pedetentim dilataverunt.*

182 Habes hic, lector, sinceram & undequaque credibilem transmigrantis & in Europa multiplicari ac florere egregie incipientis, Ordinis Carmelitani historiam, præ qua merito contemnere possis quamcumque antiquiorum fundationum prætensionem. Nolim tamen negare, quin prædictorum Fratrum aliqui, pro sublevandis Christianorum in Syria angustiis, eleemosynisque conquirendis, sæpius trajecerint in Europam post mortem S. Brochardi, vivente adhuc S. Cyrillo. Hic vero quoniam prædixerat, fore ut, se mortuo, transmigrare Ordo inciperet; nihil est conceptu facilius, quam quod sic præmoniti, captaverint subinde occasionem acquirendi aliquid stabilis possessionis in Europa; quod ultro citroque commeantibus receptum præberet, & congruo tempore exordium daret perpetuandarum commorationum. Ita Valencennis in Belgio contigisse asserit R. P. Daniel a Virgine Maria, Parte 1. Speculi n. 1493. in Vita B. Simonis Stock: *Quantum*, inquiens, *ad Valencenensem Conventum, qui quidem, una cum ceteris Conventibus Flandriæ sub Provinciæ Franciæ unitus, in Capitulo Provinciali locum habuit post Iprensem, & Bingensem*, anno 1264. fundatos, *ejus tamen fundatio in vetustis urbis monumentis refertur ad ann. 1235. quo quidam per modum hospitii, nondum autem per modum formati Conventus, aut ut talis in Capitulo aliquo Provinciali acceptati, ibi esse cœperunt, & persliterunt usque post fundatos præfatos Conventus, qui ideo præcedentiam habuerunt.*

183 Sincerum undequaque & indubitabile ejus rei monumentum, primus legendum nobis dedit R. P. Gregorius a S. Martino, Gallo-Belgicæ Definitor: cui, ipsum in quadam Apologia objicienti, gaudeo me potuisse respondere verbo præmissis dicti Patris Danielis, itaque repressisse grandes illos de me triumphos, quos ad conspectum istius Apologiæ perstrepere fecerunt Carmelitæ hic nostri, variisque etiam libellis inseruerunt. Placet autem in tanta verorum instrumentorum seculo 13. confectorum raritate, istud exhibere, ut appareat nihil libentius facturum fuisse me, quam multa similia producere, etiam contra me ipsum; si aliqua suggerere potuissent Patres, adversarii & accusatores mei, quod esset fidei nequaquam sublestæ. Ipsum accipe, & simul specimen veteris Walonicæ linguæ, ad quod conferre possis post hac, si quod ex his nostris partibus offeratur, quod videatur facere pro majori antiquitate suadenda. Tenor hic est:

184 *L'an de l'Incarnation mil* CC. XXXV. *ou mois Marchè, Paske castans, les Friers, Picart del Corbie & son compeignon, del Ordene de Notre Deme dou Carme, avec manteaux berés, son vsans al presence d'Eskievin, & requiet & presiste li Eskievins, ke de leur boine volentè il voet, loet, & greet li premision, ke Medeme Ieure, li Contissse del Flaude & Hanaut, avoit donnet loaument a li dis*

li dis Friere, cy pooire de demeurer & faire un monnostere & eglize a Vallenchiennes, si li premision fu donnes laz nuit de l'Annontiacion. Onci li Friere Pierart si conoitre a lis dis Eskievins, ke un nomet Jokin Turpain li Beurgois avoiet donnet un liux & maisen, ki siet al Tannerie pour pooire faire eglize & monnoster, al bonneur del benoit Vierge Marie; li dis Eskievins on tout ei coze vœu & ay, & par apries portiet ensrunnement d'un li al l'autre. Ore est a savoir, ke lis Eskievins, par leur bonne volenté, on greet & loet cil permision, donnes par la Contiesse, ke li Frere Pierart del Cerbir, del Ordene dou Carme, fais pooire batire eglize & monnastere, pour demeurer en cil Vallenchiennes, as liux a chil donnet par li Joakin Tuepain. Tout chou fu fait ad present li dis Eskievins, en Avril le Samedis fuivan Paske, del an en grace mil CC. XXXV.

Tiemoin F. del Honi li Joeunnes.

185 Addo Latinam veteris Walonismi versionem:

Anno Incarnationis millesimo CC. XXXV. *mense Martio, intrante Paschate, Fratres Perardus de Cerbeia & Socius suus, Ordinis Dominæ nostræ de Carmelo, venerunt cum suis mantellis barratis, in præsentiam Scabinorum; requisiveruntque & persliterunt apud Scabinos, ut ex bona sua voluntate vellent, approbarent, & ratam haberent licentiam, quam Domina Joanna, Comitissa Flandriæ & Hannoniæ, legaliter dederat dicto Fratri, cum facultate manendi, & struere faciendi ecclesiam atque monasterium Valencenis. Licentia illa fuit data in Vigilia Annuntiationis. Præterea prædictus Fr. Perardus notum fecit, quod quidam, dictus Joachim Tuepain, dederat locum quemdam & domum, sitam in Vico Coriariorum, ut possit ibi facere ecclesiam & monasterium in honorem benedictæ Virginis Mariæ. Prædicti Scabini hæc omnia viderunt & audiverunt, atque exinde unus cum altero desuper inter se contulerunt. Itaque sciendum est, quod Scabini, ex bona sua voluntate, ratam habuerunt & approbaverunt permissionem datam per Comitissam, ut F. Perardus de Corbeia, Ordinis Carmeli, haberet potestatem ædificandi ecclesiam & monasterium, ad habitandum Valencenis, in loco sibi donato per Joachimum Tuepain. Totum hoc factum fuit in præsentia Scabinorum, in Aprili, die Sabbati post Pascha anni Gratiæ millesimi* CC. XXXV.

Testis F. del Honi Junior.

186 Tres hic habentur chronotacticæ notæ. Prima designat diem 24. Martii Vigiliam Annuntiationis, quæ anno 1235. sub cursu litteræ Dominicalis G. & circuli Paschalis ipsum referentis ad 8. Aprilis, fuit Sabbatum ante Dominicam Passionis; & hujus causa festum ipsum differendum fuit in 26. sequentem. Secunda nota est dies aliqua *intrantis Paschatis*, durante adhuc mense Martio, quo Fratres Magistratui supplicarunt; tertia dies probatæ licentiæ, *mense Aprilis & sabbato post Pascha*. Prima & ultima difficultatem nullam habent; habet aliquam secunda. Si enim Pascha definias vulgari nunc more a Dominica Palmarum ad Dominicam in albis, nullum in eo locum habebit mensis Martius, eo quod Dominica Palmarum fuerit prima Aprilis. Hinc aliquando subveritus fui, ne fraude aliqua vel casu extritis vel erasis tribus litteris ex numero VIII. notante annum 1238. quo Pascha fuit 4. Aprilis, remanserit V. annusque 1235.

187 Sed scrupulum deposui ex sententia Patris Henschenii, ad 21. Martii ante Vitam S. Benedicti, docentis, Paschale tempus censeri posse inchoatum, & primum Pascha dici ipsam Dominicam Passionis: eadem autem ratione, qua diviso bifariam mense prima pars dicitur *Mensis intrantis*, secunda *exeuntis*, videtur Paschale tempus posse dividi, sic ut dies Pascha præcedentes incipiendo a Dominica Passionis, dicantur *Paschatis intrantis*; sequentes, Paschatis *exeuntis*. Solutioni huic affinis illa est, quam suggerit Pignorius, Senator Parisiensis, in Notis ad Poema de anno Romano: ubi observato antiquo usu Gallorum & Belgarum incipiendi annum a Paschate; *Quia*, inquit, *neque dies neque mensis Paschalis fixus erat, uti nec hodie est, propter mobilem ejus sedem; atque de his quæ circa id tempus gesta vel contracta erant dubitari potuisset, quo anno gesta essent; in more positum erat, in omnibus quibuscumque Actis, sive publicis sive privatis, a* XXI. *Martii ad* XXVI. *Aprilis celebratis, hanc clausulam apponere,* ANTE PASCHA, *vel* POST PASCHA; *quam etiam Epocham Belgæ habuerunt usque ad annum* MDLXVII. Quibus verbis vir ille eruditissimus docere mihi videtur, quod inde a die XXI. Martii nominari incipiebat annus proximo Paschate inchoandus; atque ita prædicta verba *Anno* MCCXXXV. *mense Martio Paschale intrante*, idem valent, ac si scriberetur, *mense Martio ante Pascha, quo incipiemus annum* MCCXXXV. numerare. Poterunt hæc a peritis Valencennensium Actuariis, qui vetera registra sæpius volutarunt, confirmari exemplis, si opus sit: mihi satis est ostendisse, quod nihil causæ sit, ex parte chronologicorum principiorum, quæ suspectam alicui faciat sinceritatem instrumenti producti.

188 Tale quid si haberent Leodienses, qui anno 1229. suam fundationem nituntur adscribere, non dubito quin jampridem & magno cum strepitu istud fecissent: sed non æque facile rem suam potuissent cum Sanvico conciliare, nimis palam dicente, quod post digressum Friderici Imperatoris ex Syria, & Gregorii IX. conatus, pro subsidio Terræ-sanctæ accelerando, modis omnibus impeditos, primum sit tractari cœptum de construendis in Europa monasteriis. Iste enim reditus, illatumque Pontifici bellum, ad ipsum annum 1229. ac sequentem pertinet, ut nihil de S. Cyrillo dicam, tunc adhuc vivente. Ignoscant igitur mihi Patres Leodienses, quod Valencennensibus credens, ipsis credere recusem, etiam sub ea modificatione quam suggerit R. P. Daniel a Virgine Maria: donec æque certum ac illi protulerint suæ antiquitatis testimonium. In hoc autem proferendo laudans bonam fidem præfati P. Georgii a S. Martino, non possum non etiam laudare sinceritatem, qua sub finem libelli istius num. 90. nominavit nobis *P. Hyacinthum a S. Carolo, Carmeli Leodiensis Suppriorem*, ut auctorem Responsionis ad epistolam Consiliarii, quæ per indignissimam fictionem Gallice ac Latine circumfertur, sub nomine Clarissimi viri, Domini Vionis Herovallii, tamquam impressa & approbata Parisiis. Quamquam enim deprehensus Leodii primum clandestinus Bibliopegus, deinde & nocturnus Typographus, fassi essent, se conductos a Carmelitis; latere tamen volentem auctorem infamis facti, protrahendum in lucem non putavi invitum: nunc vero cogor credere ipsum id sibi gloriæ ducere, saltem inter suos, ideoque celandum diutius non esse.

189 Estne adhuc aliquid ad hoc 13. seculum, vestramque intra & ante illud antiquitatem pertinens, Rev. Pater? Est, inquis, quod *Georgius Colvenerius in Kalendario Mariano, pro die* 10. *Decembris, refert ex Panciroli, quod ædicula B. Virginis, quæ nunc est Laureti, per annos plus quam mille fuerit sub cura Carmelitarum in Galilæa, donec inde in Dalmatiam, & hinc in Italiam ... transportata est circa annum* 1291. Hæc quidem apud Colvenerium lego, virum (sicut adolescens Duaci ex fama & judicio communi eum novi) magis pium ac sedulum, quam eruditum & historico-criticum: simul etiam apud eumdem lego, ideo ipsis attributam illam esse ab Innocentio VIII. (factum id anno 1489.) eamdemque per multos annos tenuisse. Ultimum reperio apud Pancirolium, in thesauris absconditis Urbis Romæ pag. 171. aliquid etiam de primo: sed de *mille annis* verbum omnino nullum: solum autem *quod demonstraverint Papæ, se ipsam tenuisse quando adhuc erat Nazarethi*, scilicet seculo 13. Atqui etiam de hoc dubitari facit Sanvicus, qui enumerans *nobiliora monasteriorum* in Terra-sancta a Carmelitis, post acceptam Regulam, possessorum, tacet de Nazarethano: qui sane locus post Hierusalem & Bethleem omnium judicio nobilissimus, ubique ut talis a Vitriacensi laudatur, nec potuisset a Sanvico sine gravis negligentiæ nota prætermitti, si vere ad jus Carmelitarum unquam pertinuisset, nedum usque ad ipsorum discessum ex Palæstina.

190 Mantuanus vester, qui gloriatur, sua potissimum cura factum, ut Innocentius prædictus vobis concederet Lauretanam mansionem, in illius Domus historia, Cardinali de Rovere dicata, præfatur, quod ejus avunculus Sixtus IV. *audiens* multa de Carmelitani Ordinis antiquitate (quæ satis excussi & discussi) eosque *omnia fere loca Terræ-sanctæ (inter quæ fuit hujus sacræ Virginis domicilium), priusquam Dei judicio darentur Saracenis in prædam, tenuisse; operæ pretium existimavit ipsos in antiquam restitui possessionem*. Ubi quam gratis & citra probationem dictum Pontifici intelligitur, Carmelitas omnia fere loca Terræ-sanctæ tenuisse; tam etiam gratis præsumitur (solam enim præsumptionem notat parenthesis qua utitur Mantuanus) inter ea pauca loca, quæ ante suum ex Palæstina discessum tenuerunt Carmelitæ, Nazarethum fuisse. Etenim de omnibus cujusvis conditionis & Ordinis Religiosis ex Europa advectis, dicit Jacobus a Vitriaco, cap. 51. quod eorum multi *maluerunt inter turbas populorum corporaliter habitare, quam a sanctarum civitatum Hierusalem, Bethleem & Nazareth ... habitatione privari*: Eliæ vero & Elisei imitatores nusquam extra Carmelum notat. Idem variis locis de ipsa civitate Nazareth agens, nihil habet quod favere Carmelitis possit; tam multa autem loca specialiter assignat Canonicis Regularibus, Cisterciensibus, Præmonstratensibus, Benedictinis; ut lector facillime concludere possit, istam Carmelitarum apud Sixtum IV. & Innocentium VIII. gloriationem plus confidentiæ quam veritatis habuisse.

191 Concludis hunc Paragraphum, Rev. Pater, gravi ex ipsa Terra-sancta testimonio de anno 1282. ex quo *constat*, inquis, *Ordinem ibi tot seculis viguisse, ut illius initium ob antiquitatem assignari non potuerit*. Si supplementa, quæ Majum concernunt, parata pro tertio tomo illius, placuisset ad finem tomi 7. dare inter Appendices; jam haberet ibi Lector addendum aliis, post Eliæ, Patriarchæ Latini XXI. historiam Parergon novum, *de quibusdam litteris, ejus tempore Accone datis, & de commendatione Carmelitarum eisdem inserta*. Nunc ergo placet illud hic producere: continet enim haud inutilem doctrinam, unde intelligas non multis seculis opus esse, ut *aliquid factum dicatur a tempore, cujus non extat memoria*: teque imprimis, Pater Rev. tanto confutabit luculentius, quanto validiora habenda ubique contendis, qualiacumque Pontificum dicta vel scripta. Non enim quæstio est puri facti, sed ad jus referibilis, in quacumque materia possessionis immemorabilis, valiturum apud quoslibet judices, donec positive probetur, revera olim non fuisse, quod asseritur fuisse ab immemorabili. Audi igitur me nunc differentem ut sequitur.

192 Anno 1282. oportet Eliam, præmemoratum Patriarcham, quem anno 1276. creatum usque ad 1287. vixisse ostendimus, aut ægrum aut absentem fuisse; nam ante litteras, pro petendo Terræ-sanctæ subsidio datas *Accone, anno Domini* prædicto, *die vigesima tertia mensis Septembris*, post R. Nicostensem in Cypro Archiepiscopum, primus nomen suum ponit G. *Episcopus Ebroensis, Venerabilis Patris Domini Patriarchæ Hierosolymitani Vicarius*, deinde G. *Tyberiadensis Episcopus*: ubi nomina, pro usu istius seculi, per litteras initiales dumtaxat expressa, sic integrant aliqui, ut *R. Richardum*, *G. Gulielmum* legant. Similem omnino Epistolam quoad sensum, sed quoad tenorem verborum diversissimam, anno sequenti 1283. 12. *die mensis Julii*, indidem & eodem miserunt *Fr. Nicolaus Lorginus, Domus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Magister & pauperum Christi Custos; & Fr. Gulielmus de Bello-loco, pauperis Militiæ templi Magister humilis*. Prior, Episcoporum incipit: *Gustato frequenter amaritudinis calice super dilatatis oppressionibus Terræ-sanctæ*; posterior Magistrorum. *Sedentes super flumina Babylonis flere amare, proh dolor! compellimur*.

193 Epistolæ utrique, jam jam finiendæ, sic ut sola subscriptio Datæ requiri videatur, eodem utrobique tenore pene de verbo ad verbum, annectitur prolixa & nervosa commendatio *Carmelitarum*, querentium se, cum non exiguo Terræ-sanctæ incommodo, gravari, prætextu Constitutionis cujusdam in Lugdunensi Concilio editæ. Miranti mihi quomodo epistolarum duarum, quoad priorem partem tam diversarum, pars altera omnino ejusdem tenoris sit, varia in mentem veniunt, quæ hoc loco exponere nihil attinet: malo enim ipsismet Patribus *Carmelitis* relinquere curam verisimilis alicujus causæ comminiscendæ, qua contigerit, eumdem textum sic iterari; paratus ipse admittere quamcumque attulerint; modo vicissim excusatum me habeant, quod expertus infelicitatem Ordinis in primis ac præcipuis suis monumentis sincere ad posteros transmittendis, formidem ne hic etiam factum sit aliquid fide forte non satis bona; maxime cum fateatur Lezana, Romanum Pontificem (quem ex tempore Datæ oporteret fuisse *Martinum*, scilicet *Quartum*) a Riboto in Speculo Ordinis, atque a Waldensi contra Wicleffum, nominari *Bonifacium*, utique *Octavum*; *qui* (ut agnoscit Lezana) *primum assum-*

assumptus fuit anno 1294. *tribus annis post Acconem & totam Palæstinam eversam, & a Barbaris subjugatam*, quando etiam jam obierant Magistri prænominati: nam unus est mortuus anno 1282. alter 1291. in ipsa urbis Acconensis obsidione occisus. *Martinum* quidem legit Arnoldus Bostius, in Speculo Histor. lib. 3. cap. 1. sed quis me certum faciet, Arnoldum id ex fide originalium antiquiorum fecisse, & non ex consilio proprio; cauto illo quidem, sed parum fideli; quali jam sæpe deprehendimus scriptores illius Ordinis & alios jam olim, & etiam nunc uti. Accedit, quod argumentum postremæ totius partis, quæ utrique epistolæ communis est, ejusmodi sit, ut nihil vetet eam esse scriptam ad *Bonifacium*, per eos qui in Carmelo subjectisque ei eremitoriis remanserant, intenti juvandis miseris Christianorum sub barbarica servitute residuorum reliquiis per eleemosynas submissas ab aliis in Europam transgressis. Eo certe facit, quod Lezana, aliique post ipsum, supponunt, dictum *Bonifacium*, talium litterarum occasione esse interpretatum Concilii Lugdunensis decretum, cujus causa Ordo vexabatur: interpretatum autem, si non per Bullam, certe in suo sexto Decretalium, cum ait: *Ceterum Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium Generale præcessit, in solido*, seu *soluta*, vel *suo statu volumus permanere*. Clarius id apparebit, si totam posteriorem partem integram ob oculos hic ponamus.

195 Cum ergo utriusque epistolæ pars prima lamentabiliter exposuisset miserabilem statum Terræ-sanctæ, quam pene totam recuperaverant Barbari, auxilium festinum implorando, utrobique legitur formula quædam, partem alteram cum prima connectens, & in priori quidem Epistola hoc tenore: *Ad cujus auxilii consecutionem celerem & felicem, licet nova sint adhibenda studia; illorum tamen non sunt antiqua prætermittenda subsidia, quæ a priscis Patribus fuere approbata*. Formula hæc in posteriori Epistola fere eadem est. Deinde sic videtur Auctor in priori Epistola Pontificem alloqui: *Credimus enim vos non ignorare, Pater Sanctissime, qualiter Ordo Fratrum B. Mariæ de monte Carmeli, qui inter ceteras sacras Religiones, sacræ Sedi devotas, claret devotione conspicua; fuit in cismarinis partibus a tempore, cujus non extat memoria, a prædictis Patribus, in ejusdem Terræ-sanctæ solatium institutus: cujus alis, longe lateque postmodum epitulatione divina extensis, Fratres ejusdem Ordinis subventioni ejusdem Terræ-Sanctæ, devotione pene ineffabili, se devoventes; quæ manus pietatis subministrabat eisdem (tanti particula pro suis necessitatibus sustentandis retenta) Fratribus domorum suarum præmissarum partium ministrabant devotius, in sæpe dictæ Terræ subsidium convertenda.*

196 *Verum prætextu Constitutionis, in Lugdunensi Concilio editæ, Fratres in aliquo contingentis eosdem, in eorumdem horto occultæ persecutionis succrescentibus spinis, ac per ipsas solitæ caritatis evacuato humore, passim ipsorum gramina marescunt, in grave dispendium subsidii memorati. Quia, licet iidem Fratres libenter sibi agant, ut necessitatibus ejusdem Terræ abundent; nihilominus tamen extremæ necessitati, ne pereant, deesse non potuerunt, quæ nullius legis imperio est adstricta. Cum ergo pro firmo teneamus, quod in Apostolicæ Sedis desideriis, super aurum & topazion, hoc existit præcipuum, ut Terra præfata, multiplicatis subsidiis educta de servitutis Ægyptiacæ fœditate, & ipsa Christiana devotio votiva potiatur lætitia, quæ diu languit sub dolore; Sedis ejusdem gratiam & Sanctitatis vestræ misericordiam humiliter & instanter flagitamus, quatenus obtentu illius, qui (ut præmittitur) crucifixionis opprobria in prædicta Terra patientius toleravit, dictorum Fratrum, qui relictis omnibus sequuntur Dominum & obsequuntur, eorumdem inopiam relevantes, prædictam Constitutionem sic dignemini moderari, quod nota vacillationis, quæ adversus dictum Ordinem consurgit, eo ipso omnino sublata, idem Ordo robur prioris status resumat; & per consequens prædicti Fratres, ad pristinam devotionem populi restituti, dona uberius suscipiant solitæ caritatis, participanda denuo more solito subsidiis memoratis: communibus enim auxiliis sunt juvandi, qui publicum interesse laudabiliter prosequuntur*. Eadem (si paucula verba, brevitatis causa omissa, excipiat) inseruntur Epistolæ Magistrorum præfatorum, sub hac dumtaxat principii varietate: *Invenimus siquidem in nostræ memoriæ tabula exaratum, quod Ordo Fratrum B. Mariæ de monte Carmelo, in Cismarinis partibus, a tempore quo memoria non existit, a prædictis Patribus in ejusdem Terræ solatium extitit institutus, &c.*

197 Hæc sive seorsim, atque per modum libelli supplicis, ex parte Carmelitarum scripta, & oblata *Bonifacio* Papæ fuerint (quæ a Riboto post annos circiter octoginta, vel alio quopiam fuerint descripta, simul cum, & in epistolis Episcoporum & Magistrorum, sub levi aliqua ad faciendam connexionem mutatione, ac nomine Pontificis *Martini*, quem pro seculi more per initialem litteram M. ipsi Episcopi Magistrique scripsisse debuerunt, in *Bonifacium* converso, non considerando quam parum hujus tempora cum Data Epistolarum convenirent) Hæc inquam, sive seorsim atque per modum libelli supplicis ex parte Carmelitarum scripta & Bonifacio oblata fuerint; sive revera, suggerentibus ipsis id quod pro se scribi volebant; eadem sic fuerint una cum, & in ipsis litteris Accone ab Episcopis & Magistris scripta ad *Martinum*, ut vult Bostius, Lezana, aliique; non video quid conferre possint, ad bis mille & amplius annorum successionem stabiliendam. Etenim *antiqui illi Patres*, a quibus *Ordo* dicitur *in Terræ-sanctæ subsidium institutus*, non sunt alii, quam de quibus in formula transitionis legitur, quod ab iis sunt *approbata antiqua subsidia*, quæ judicantur *non prætermittenda*. Scilicet prisci Latinorum in Terra-sancta Episcopi, ante annos plusquam centum; sub quibus collecti a *Bertholdo* Eremitæ cœperunt, iisdem Episcopis approbantibus, ex suo numero mittere quotannis aliquem vel aliquos in Europam, eleemosynarum subsidia corrogaturos; maxime post acceptam ab *Alberto* Regulam.

198 Hac autem occasione etiam contingere potuit, ut eumdem in finem fundos nonnullos domosque acquirerent, si forte id probent emptionum locationumve instrumenta; quomodo Ecclesiis in Terra-sancta constitutis varias donationes factas esse in Europa, probari potest exemplo Ubaldi Pisani Archiepiscopi, anno 1186. donantis Ecclesiæ S. Mariæ in Bethleem

(reci-

(recipiente quidem ejusdem Ecclesiæ Subdiacono tunc Pisis præsente) *ecclesiam S. Martini prope civitatem Pisanam, in loco qui dicitur Vetula, cum suis bonis & rationibus, ut ipse Episcopus* Bethleemiticus *& ejus successores* (negotiorum scilicet & subsidiorum causa quandoque ex Syria in Europam transfretantes, sicuti etiam Carmelitæ postea facere inceperunt, *possint in eadem* S. Martini ecclesia *cum suis Clericis habitare, & ecclesiam illam & res ac bona ejus regere ac custodire, & ea & bonis atque rebus ejus, ad utilitatem ipsius Ecclesiæ de Bethleem, uti* &c. quemadmodum legere est in ipsius donationis instrumento apud Ughellum to. 3. col. 485.

199 Nibilo magis prodest Carmeliticæ antiquitati, quod in istis, sub Bonifacio VIII. vel (si mavis) Martino IV. scriptis, dicatur *Ordo institutus a tempore, cujus* (vel *que*) non extat *memoria*: cum Urbanus VIII. anno 1634. declaraverit, quod *longissimum tempus illiusve immemorabilis cursus*, debeat intelligi *tempus, centum annorum metam excedens*. Tale enim omnino haberet is, qui nobiscum volet primi in Carmelo Prioris, *Sancti*, inquam, *Bertholdi* initia ad annum 1155. figere: a quo tempore usque ad tempus scriptarum Epistolarum, facile potuit obliterari distinctior talium initiorum notitia, propter horribilem istam publicarum rerum turbationem, quæ, post amissas ab annis circiter centum Hierosolymas, Terram omnem sanctam involvit. Certe multo minus tempus effluxerat ab adventu *Alberti* Patriarchæ in Syriam, & anno datæ Carmelitis Regulæ, quando Chronicon suum, quod totum recudi feci, scripsit Sanvicus, & annum datæ Regulæ notavit 1199. a quo mox longius abierunt alii notantes annum 1171. Porro ex his sic deductis, adjunctaque consideratione perpetuæ in Terra-sancta confusionis inter fideles, mutuis inter se discordiis & Asiatico luxu magis quam viribus Saracenorum fractos; facile intelligit Lector, quam parum vel nihil scientiæ rerum, ante amissam Hierosolymam gestarum, vel paulo antiquiorum, fuerit penes Prælatos Orientales seculi 13. armis tractandis ad sui tuitionem, magis quam calamis ad posterorum instructionem attentos; qui nec illa quidem ipsa scripta ad manum habebant, ex quibus in Occidente compositis per eos qui redierant, conflatum est corpus Historicorum ejus temporis, nuncupatum *Gesta Dei per Francos*, in quibus, ante annum 1200. exaratis, nec minima quidem mentio fit, non dico Carmelitarum; sed nec Carmeli quidem.

200 Inanis igitur est, Rev. Pater, ex immemorabili tempore in epistolis notato, sic deducta consequentia: *Cum in Episcoporum & Ecclesiarum archivis nulla de Carmelitarum Ordinis institutione, tum* [id est anno 1282. quando Epistola a Prælatis Terræ-sanctæ data scribitur] *servaretur monumenta* [*qualia indubie fuissent, si Ordo demum post recuperatam Terram-sanctam, circa annum* 1100. *fuisset inchoatus per Aymericum, & per Albertum Patriarcham circa annum* 1205. *plene formatus, prout garrit Papebrochius*] *& aliunde, cum nequidem per aliquam traditionem, etiam popularem, constaret, Ordinem tunc fuisse inchoatum, & sub Alberto plene formatum, cum varii potuerint cum Alberto vixisse; omnino moraliter certum videtur, Ordinem Carmelitarum multis ante seculis ibi fuisse institutum & plene formatum*.

201 Expendamus, Rev. Pater, hanc prædictæ consequentiæ moralem certitudinem. Venit Albertus in Terram-sanctam provectæ vir ætatis, anno 1205. jam inde ab anno 1180. Mortariensis sui monasterii Prior, & obiit 1214. Tres Episcopi cum duobus Magistris, anno 1282. vel 1283. subscripti Epistolis præmissis, adhuc ætate florentes, & rebus in Syria gerendis idonei, si illuc advenerint anno circiter 1260. quomodo præsumuntur in Palæstina vixisse cum Alberto, ut essent rerum sub eo gestarum conscii, nedum sub Aymerico Antiocheno patratarum annis circiter 50. citius? Quæ vero tunc, cum Epistolæ scribebantur, & in potestate Christianorum sola fere remanserat Accon, quo tres illi Episcopi cum duobus Equestrium Ordinum Magistris se receperant, quæ, inquam, tunc erant *Episcoporum*, quænam *Ecclesiarum* jam prorsus desolatarum *archiva*? quæ denique necessitas paucis illis Prælatis, scrutandi chaos coarvatarum temere chartarum, si quæ fuerant Acconem subductæ, ad perquirendam Originem Carmelitarum, ut scriberetur officiosa una pro iis epistola? quæ denique in vulgo sic consternato, interque se intra eadem mœnia male concordi, traditio haberi poterat, de principio eorum hominum, qui ante annum datæ Regulæ incertum quamdiu, cœperunt habitare in Carmelo, soli fere cælo noto, non plures quam decem?

202 Profecto si tali tempore, ac tali loco, talesque Prælati scripsissent, Ordinem in Terræ-sanctæ subsidium esse natum *a tempore, cujus non extat memoria*; idque cum respectu ad ejus sub Alberto formationem aliquam, quando jam forte 30. aut paulo plures convenerant; nihil absonum a talibus circumstantiis scripsissent illi; quibus etiam præsumi possunt ipsimet Carmelitæ, jam tunc ignari originis suæ, & justo majorem antiquitatem affectantes, dictasse formulam commendationis pro se scribendæ, per libellum supplicem pro ea impetranda oblatum, sicut in talibus usuvenit, & contigit Sixto IV. permittenti scribi quod Carmelitæ essent *Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisæi & Enoch . . . hereditariam successionem tenentes*, quemadmodum ex tenore supplicum libellorum solet apostillarum narrativa formari. Quod autem ad archiva attinet, non debet ex hujus seculi diligentia, æstimari cura, quæ non nisi exigua fuit & esse potuit in Palæstina seculo 12. & 13. Talis etiam cura vix ulla concipi potest inter primos sub Alberto Carmelitas, homines maxima parte magis pios quam litteratos, qui præter Regulam non monstrantur secum vel unicam schedam attulisse in Europam, de suis in Syria rebus aut juribus: neque enim eis concedimus, genuina esse scripta, quæ sub Joannis Hierosolymitani & Cyrilli Prioris nominibus venditantur.

202 Ast si chartarum vel scribendarum ad posterorum memoriam, vel excidio monasteriorum subtrahendarum, cura aut facultas nulla fuit; fuit tamen, ut num. 132. dicis, *de Pallio Eliæ, quod Eliseo contigit, dum ille curru igneo raptus est in cælum, semperque instar magni thesauri .... usque ad annum circiter* 1291. *a Carmelitis in Carmelo reservatum, in captione urbis Accon incendio periisse, refert Joannes Hildeshemensis*. Hic scilicet idem, qui refert

(plane

(plane acsi pallium ipsam vidisset) quod illud, cum de curru igneo dimitteretur, *modicum denigratum fuit in partibus extrinsecis, sed retinuit colorem pristinum in partibus interiori*; & quod hac de causa assumpserint Carmelitæ cappas bicolores seu barratas. Gravis certe & egregius auctor, cui cum in hac re non credant ipsimet Carmelitæ, sed opinionem ejus explodant ut puerilem; alios tamen volunt credere, verum Eliæ pallium totis bis mille atque duecentis annis fuisse apud ipsos servatum. Ne tamen dubitemus, *constat*, inquis, *ex Sebastiano, Salmaticensi Episcopo vetustissimo, in sua historia, hujus Pallii partem in arca Ovetensi in Hispania, opera S. Fulgentii conservatam reservari*. Floruit Sebastianus iste seculo 9. quæ autem sub ejus nomine prodiit historia, an. 1615. interpolata fuit a Pelagio Episcopo Ovetensi seculo 12. sub cujus nomine, & titulo *Additionis*, sequitur prolixa enumeratio Reliquiarum in arca prædicta, tempore Chosroæ, ab Hierosolymis in Hispaniam translatarum, & sic finitur; *Huc usque Pelagius*. Inter illas Reliquias multæ sunt ex iis, quæ passim seculo 10. 11. 12. e Terra-sancta referebantur, majori cum devotionis simplicitate, quam veritatis certitudine, puta, *De pane quo satiavit Dominus quinque millia hominum: de pane cœnæ Domini: de manna quam pluit Dominus filiis Israel: una sex hydriarum: de capillis Innocentium: de capillis quibus Maria pedes Domini tersit: de pallio Eliæ: pars piscis assi & favi mellis, &c.* dequibus judicium Lectori relinquitur, simile formaturo de toto pallio quod Accone putatur periisse.

204 Ut ut est, libet quærere, cur pallium, quod illi æquæ ac vetustiores scriptores vestri laneum faciunt, supra melotem gestandum;



successores hoc seculo commutaverint in pelliceam, velintque melotem Eliæ censeri? Necdum in vestris libris legi, quod Congregatio Rituum, quæ noluit alicujus certæ Religionis habitu Prophetam indui, quando de hoc fuit mota quæstio, indulgeat vobis, ut contra ipsammet vestram traditionem immutetis omnia, & ubique nunc vestrum Patronum ac prætensum Fundatorem sculpatis ac pingatis, sicut eum habet Speculum vestrum novum pag. 50. atque deinceps eodem libro censias? Videat ergo Congregatio hic expressum ectypon, & quod voluerit statuat: mihi satis est id notasse; ut appareat, quam varii sitis in vestris circa res antiquas conceptibus, quando id vobis commodius est; sicuti est hoc, ut simplici popello persuadeatis, habitum nunc vestrum proxime accedere ad Elianum, nisi quod pro pelliceo pallio assumpseritis laneum; quam mutationem majores vestri non in pallio, sed in tunica factam dicebant; ideoque asserebant, fuisse melotem Eliæ ex furvis pellibus.

PARAGRAPHUS XVI. XVII. XVIII.

Monumenta quædam, ab anno 1300. ad 1400. 1500. 1600. quibus demonstratur, Carmelitarum Ordinem esse ab Elia Propheta institutam.

RESPONSIO.

205 OMnis, pro tribus hisce seculis, probatio petitur a revelationibus nonnullis, in Titulo prooemiali promissis; & a suffragiis scriptorum, partim domesticorum, partim externorum, bona fide sequentium vestigia priorum. Quia autem multa hisce Paragraphis in cumulum congeris, nusquam inhærando, & fare jam dicta iterando, ego quoque cursim respondebo Tibi.

206 Prima revelatio facta putatur an. 1316. Joanni XXII. cui (ut ipse scribere dicitur in Bulla Sabbatina) apparuit *Virgo Carmelitana*, quod sic intelligi vis, Pater Rev. acsi diceretur, *in habitu Carmelitano*. Nolim de hoc disputare, quia totam Bullam adeoque & contentam in revelationem, jam produxi expendique Art. 3. §. 15. Secunda revelatio, circa annum 1351. facta S. Petro Thomæ, & ex ejus ore descripta a Joanne Hildesio, fidelissime ab Henschenio relata est, inter Analecta ad Vitam editionis secundæ vobisque dedicatæ pag. 210. Solum ibi dicitur Sancto asseruisse Deipara, quod pro Carmelitanæ religionis conservatione, *primus Ordinis Patronus Elias supplicavit*. Qua autem fide verba Deiparæ mutaveritis, mutataque inserueritis Officio Sancti, ac legi volueritis, *Elias ejus Institutor*, viderit sacra Congregatio & Apostolica Sedes: mihi *Patronus* & *Institutor* diversum quid significant, & significabant Henschenio locum transcribenti & assumenti, sicut satis vobis compertum est, exinde suspectum habere incipientibus.

207 Richardus Armacanus, quem mihi nu. 136. objicis, transcripsit, (ut dixi Art. 13. n. 64.) Auctorem libri de institutione Monachorum, qualem a vestris accepit, proinde aliud nihil addit ad fidem, quam ipsi Auctori nullam deberi, satis ostensum est. Nihilo plus hic evin-

cunt

cunt Thomas Waldensis aliique Carmelitæ, dum nihil antiquioris testimonii afferunt. Quod in controversia vobis Oxonii mota an. 1374. deputati judices definiverunt (ut ais n. 138.) *Ordinem in jure civili ac speciali confirmatum, tituloque gloriosæ Virginis B. Mariæ Dei genitricis specialiter fore insignitum, ac Fratres dicti Ordinis imitatores ac successores esse sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei*, numquam ego negavi, neque negabo: sed solum successionem immediatam, & continuatam per annos bis mille, dixi & ostendi probari non posse; imitationem vero solitariæ vitæ, a vobis assumptam vehementer laudo, & gratulor auctam haberi ea, quam Christus induxit & docuit, ipsi vero ignorarunt, votorum Religiosorum Evangelica perfectione, cum obligatione servandi propter regnum cælorum suscepta. Atque hæc dicta sunto ad monumenta adducta pro seculo 14.

208 Bullæ Sixti IV. datæ anno 1476. & 1477. expensæ fuerunt Art. 3. §. 10. & ostensus vobis est ex utraque *sanctus Patriarcha Enoch*, Eliæ & Eliseo conjunctus; quod tamen nunc abominamini, tamquam Ordini vestro injuriosum. Posterioris quoque Bullæ vitia talia demonstravi, ut nulla secutorum Pontificum auctoritas verificare eam possit, quia nulla efficere potest, ut in rerum natura fuerint Pontifices qui fuerunt numquam; licet confirmando Indulgentias illis suppositas, validas esse fecerint, quæ ante confirmationem nullæ erant, Wernerus Rollevinck & Dorlandus Carthusiani, num. 141. & 143. testes adducti; eadem qua alii bona fide excusantur in iis, quæ vobis asserentibus crediderunt; uti & Trithemius Abbas, non magnæ quidem in historiis antiquioribus fidei, minoris tamen in Carmelitici Ordinis laude, quam Provinciali & Capitulo Coloniensi mittens, sicuti rogatus a duobus Carmelitis eam scripserat; *Si quid*, inquit, *emendatione dignum duxeritis, ut libet, corrigite; vel si placet, mihi emendandum demandate*; qua licentia quomodo usi illi sint, ex iis quæ libello suo facta queritur P. Theophilus Raynaudus, æstimare licet.

209 Omnia, quæ in Wicleffo damnavit Ecclesia seculo hoc 15. in Constantiensi Synodo congregata, æque ac Waldensis vester damno. Restitutam a Venerabili Generali vestro Joanne Soretho sub annum 1451. disciplinam, gratulor; Constitutionesque ab eo editas laudo: sed quod Præfationem antiquam retinuerit, ratus fortassis, a Brocardo esse atque veracem per omnia, ignosco affectui ejus erga prætensam antiquitatem: quem affectum Baptistæ Mantuano quoque, Poetæ quam Historico meliori, censeo condonandum: de ipsa autem illa Præfatione, cujus summarium hic texis num. 146. prolixius egi Art. 13. occasione Josephi Antiocheni istic allegati; & negavi ex ulla certa auctoritate constare, quod Constitutiones aliquas scripserit Brocardus, ante vel post acceptam Regulam, nedum cum tali Præfatione.

210 Denique, ab anno 1500. ad 1600. & deinceps, producis Pontificum ejus ætatis bullas & rescripta, approbationesque Officiorum, compositorum a vobis: quæ, legi quidem permissa, an & quatenus obligent ad fidem factis ibi narratis habendam, declaravi Art. 3. & Art. 4. ac passim definitur per decursum responsionum, non ex meo, sed ex communi Theologorum & Historicorum judicio. Quæ porro ex S. Theresiæ dictis scriptisve objicis, aut objicere similibus posses; satis omnia enervavi eo Parergo, quod interposui Vitia S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis; idque ex mente ipsiusmet vestri Lezanæ, in Apologetico pro immaculata Conceptione, refellentis objecta sibi S. Catherinæ Senensis verba quædam ad Deum Patrem; sic enim ille scribit; *Non ea, quæ in orationibus Sanctarum habentur, ipsis factas revelationes indicant; sed ea, quæ vel ipsæ credunt vel existimant ita esse. Quod idem de B. Catharina dici potest; nimirum, quod ab aliquibus edocta, Virginem Sanctissimam originalem maculam contraxisse existimaris*. Plura si opus est addere, fiet ad Art. 20. qui totus (ut video) de hoc argumento est.

211 Inquisitionis Hispanæ judicium contra Historiam Propheticam, an. 1639. retractatum; & prius prohibitas, dein currere permissas, non autem (ut falso jactatis) approbatas propositiones vestras, pro vero Legis veteris Monachatu, produxi Art. 15. n. 92. & seqq. & omnia ibi dicta valere volo etiam adversus ea, quæ *Hispali in Portugallia* [*in Bœtica*, credo scribere, voluisti] eodem anno acta dicis, *in duabus congregationibus, loco & tempore diversis, per Qualificatores ejusdem Tribunalis*. Tu his omnibus motum processisse te, ais, Rev. Pater, ad scribendum *Libellum S. D. N. Innocentio XI. supplicem* in specie, reipsa famosum contra me meaque scripta invectivam, calumniis scatentem; idque contra expressum, ut ipsemet profiteris, mandatum suæ Sanctitatis, vobis, qui nullum justæ defensionis modum multiplicandis infamibus libellis tenebatis, per Eminentiss. Cardinalem Cybo intimatum. Scriptum autem sic qualemcumque Libellum, ei cui inscribebatur oblatum numquam, in publicam lucem protrusisti, ut sub ementito Francofurtensis typographiæ nomine; quasi *Libelli supplicis* titulus jus daret ad quodlibet in vulgus spargendum, & sub specie appellandi Pontificis, nomen adversarii æstimationemque proscindendum, nulla juris forma servata; contra quam simili modo edidisti postea *Motivum juris*.

PARAGRAPHUS XIX.

Eximiorum virorum Academicorum, en diversis Universitatibus, approbationes & judicia, circa Libellum supplicem Carmelitarum, exhibitum SS. D. Innocentio XI. pro eorum ab Elia Propheta origine & successione, adversus Papebrochium Jesuitam, illam expledentem.

RESPONSIO.

212 Liber ille tuus, Rev. Pater, quem titulo *Libelli supplicis* scriptum scio, sed Innocentio XI. (quod hic falso prætendis) *exhibitum* numquam, affirmant ii qui scire debebant, intimi tunc ejus ministri; Liber, inquam anno 1683. Francofurtensis typographi nomen mutuatus, orditur quidem ab allocutione ad Pontificem, & eatenus primo suo folio speciem aliquam nominis præfert; deinceps vero per folia 25. prosequitur *Rationes, pro origine & antiquitate Ordinis Carmelitarum, adversus P. Papebrochium, Societatis Jesu*.

213 Has *rationes, cum responsionibus ad objectiones*

Bioues auctoris in titulo memorati, idem qui Majum nostrum approbaverat Censor Ordinarius Antverpiæ, post mnlram tergiversationem ex sua, & multam correctionem ex vestra parte, annuir *videri probabiles adeo, ut movere qaeant ad assensum prudentem ammorem veritatis qualemcumque*. Sed idem, visa deinde & accurate lecta *Brevi instructione*, quam noster Conradus Janningus opposuerat, adeo non perstitit in isto priori judicio, ut hoc tuum grandius opus noluerit ulla ratione probare, & oppositam ei mox familiarem ejusdem Janningi epistolam, una cum prædicta Instructione permiserit imprimi, velut quæ esset *modeste scripta pro justa defensione*. Sed nihil Tibi opus illo erar, in promptu habenti decem Doctores Lovaniensis Universitatis, qui eadem facilitate subscriberenr formulis sibi ad hoc præparatis, qua obsecuti fueranr Patern. vestræ, quinto post editum supplicem Libellum anno, eircumcursanti ad emendicandas approbationes eorum, qui nostra scripta (sicut postea ingenue fassi sunt) numquam legeranr, nedum accusata loca cum antegressis subsequentibusque expenderanr.

214 Malo equidem excusando levare, quam expostulando gravare conscienrias eorum, quos credo fide optima, licet prudentia non maxima, existimasse, sibi nihil dubitandum, an Auctor tam gravis [qualem conveniebat censeri Professorem S. Theologiæ emeritum & religiosissimi unius Ordinis Provinctalem, atque tam amplis suffragationibus præcipuorum in Provincia Theologorum subnixum] aliter quam sincere veracititerque processerit in causa tam gravi, quam est accusatio librorum adeo multorum ac grandium, passim ab eruditis laudatorum. Censores isti, cum ex hisce Responsionibus meis viderinr se fuisse deceptos, audeo ab omnium & singulorum æquitate sperare, quod ultro sint daturi testimonium veritati, & quos ex aliena fide damnaverant Commentarios, ex proprta certaque scientia absoluturi ab acribus illis injuriosisque censuris, quibus eos plus sibi quam mihi nocuisse, multi ex eadem Lovaniensi Uuiversitate existimant.

215 Uoiversitatum aliarum judicia, quæ initio hujus §. prætendis, Pater Rev. carenr nota temporis definiti; &, si bene considerantur, aur parum aut nihil pro te faciuot. Allegas illa ex tomo Consiliorum Francisci Cardinalis Zabarellæ, seculo 15. florentissimi & æstimarissimi, noo historicarum rerum tractatione & discussione studiosa, sed Pontificii Cæsareique juris peritia; quæ tuoc fere unice spectabatur, cum istæ vix attingerentur a quoquam, sed quidlibet quomodocumque traditum fine discrimine eredebatur verum. Quid est autem, Pater Rev. quod dicunt Collegia Academicorum, apud prædictum Zabarellam? Bononiense, ioquis, de antiquitate Monachatus consultum, respondit hoc modo: *Ordo monasticus est antiqaior ceteris*. Quibus tandem? Velim id mihi explices, R. P. Professor. An forre Ordinibus ecclesiasticis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum &c. Verum hi ab ioitio Ecclesiæ fueruor. Er his posteriorem esse monasticum Ordinem innuunt ipsi Bononienses, causam antiquitatis addentes, quia *Paulus, Antonius, Hilarion & alii multi habuerunt vitam monasticam*. Hi autem illis a Christo institutis posteriores sunt.

216 Addunt quidem etiam Bonodiensea Academici, quod prænominari Sancti habuerunt vitam illam (*at dicitar*) *ab Eliseo in veteri Testamento formatam*. Sed suam quoqoe instirutionem habuerunt Ordines ecclesiastici in veterr Testamento, a Deo & a Moyse, tamquam in figura; sicur perfectus Legis novæ Monacharus præfiguratus fuit in Eliseo. Quod si monasticum Ordinem voluerint Bononienses antiquiorem intelligi Ordinibus Fratrum Mendicantium, quorum, ut a Monachis distinctorum appellatio primum cœpit seculo 13. jam ipsimet Carmelitæ excluduntur, ab Ordine Monachorum qui illos recusant ut antiquiores agnoscere; sicut vidimus Basilianos vetustatis prærogativam ipsis non cedere, atque potiori jure Elianos haberi velle.

217 Utur hæc intelliganrur de Ordinis Monastici majori ceteris antiquitate, quo tandem fundamento nititur tota Booonienfium Consultorum definitio? Uno misero, *Ut dicitur*; qua phrasi si urar ego, dicar antiquum Legis veteris Monaebatum totum explodere. Ita eadem verba ex calamo meo aliud significare solent Patribus Carmelitis, aliud in scriptis eorum, quos in suas rrahere partes volunt. Eadem ferme phrasi utitur *Collegium Academiæ Ferrariensis*, ex eodem Zabarella allegarum, dum ait: *Cænobitæ sub Eliseo videntur exorti, & a Christo renovati*. Antea autem dixerat; *Legitur in historia Tripartita* (est hæc rrium primorum scriptorum Historiæ Ecclesiasticæ epitome, a Cassiodoro compilata) *Legitur*, inquiunt, *Monasticam vitam habuisse originem in veteri Testamento, ab Elia & Eliseo; & a Joanne Baptista, in novo*.

218 Numquid non clare apparet, Monasticæ vitæ nomine istic intelligi aliud nihil quam solitariam; cujus initium in Elia, velut exemplo, fundatum, in Joanne Baptista renovatum fuerit, absque successione continua, & absque votis, aut alia Ordinis Religiosi apparentia. Cur autem origo Cœnobiticæ vitæ, quæ altera Monasticæ species est, petitur istic ab Eliseo potius quam ab Elia? Credo, quia non hic, sed iste, legitur inter Filios Prophetarum commoratus, quando habitabat in aliqua civitate. Nec plus baberur ex resolutione Collegii Paduani, dicentis, quod *Antiquitas Monasticæ Religionis, etiam apud cænobitas, & in eodem monasterio sive cænobio habitante, ante adventum Christi ... fuisse adinvenitur*. Utique figurata & adumbrata in Filiis Prophetarum, quos neque rribus essentialibus Religionis votis adstrictos, neque tam veros perfectosque Monachos fuisse, quam nunc sint sub novo Testamento nostri, ostendimus supra.

219 Tribus istis Collegiis Academicis, ubi de Carmelitis nec cogitatum quidem fuisse puto, nedum definitum, eos esse *ceteris Ordinibus* monasticis *antiquiores* [quos tamen oisi respexerinr in vanum allegantur] tribus, inquam, istis io Italia Collegiis, addis, Rev. Pater, *Judiciam Universitatis Coloniensis*; & sub iam universali ac magnifico titulo aliud non profers, quam simplicem approbationem Libelli supplicis tui, velut continentis *Genealogiam Ordinis, juste ac Religiose defensam* [uti scilicet videbatur iis, qui partem contrariam non audierant] subsignatam vero a tribus Augustinianis, duobusque Pastoribus, sacræ Theologiæ in ea Universirate Doctoribus, nihil specialis auctoritatis habentibus, ad agendum nomine Universitatis, nedum illam totam repræsentaotibus: unde etiam

multi cum nostris, eadem in Universitate Doctoribus, ubi factum intellexere, indignati sunt, improbantes temeritatem scriptoris, arrogare sibi ausi *Universitatis Judicium*, cujus nemo ex supremis ejus capitibus conscius fuerit.

220 Si mihi luberet producere epistolas magnorum Prælatorum, & virorum toto orbe eruditorum judicia, ad me aliosque perscripta de Apologeticis Janningi opusculis, primum sigillatim emissis, deinde ante Junii initium collectis; nec non de Responsionibus hisce meis, ex quo prodire cœperunt; non solum unum alterumve folium implerent, Rev. Pater, sed librum integrum. Ast vobis, plurimorum, qui & Exhibitionem tuam & Responsiones meas legerunt, sensum satis notum habentibus [nec enim dissimulant illi, sed palam, etiam tibi ipsi, Rev. Pater, improbant contumeliarum & calumniarum tuarum evidentiam] vobis, inquam, talia scientibus & dolentibus, sensum illum explicare diffusius, parum foret urbanum ac modestum; nec defensioni huic meæ magnopere serviret; cum ex seipso quilibet dijudicare inter me ac te possit, cui modo sanum cerebrum sit, atque a præjudiciis & partium affectibus liberum. *Vino vendibili non est opus hedera.*

221 Porro Lovaniensium paucorum, pauciorum Coloniensium suffragiis sic collectis, ex Barcinonensi Universitate duos, totidem ex Cæsaraugustana producis, Libelli supplicis laudatores: quos eodem jure licet contemnere, quo alios plurimos longeque clariores: qui Dextrina figmenta atque horum vindicias a variis editas, Granatenses item laminas librosque, nec non Argaizii volumina, ac nuper insulsissimam Gaditanam historiam tantis exornaverunt encomiis, acsi certissima promerent temporis vetustissimi monumenta. Sed ut istis infamia satis magna est, suas ipsorum tam splendidas approbationes, ejusmodi operibus præfixas legi, licet ipsorum nomina alibi non exponantur contemnenda: sic neque convenire existimo, hic a me nominari ex Barcinonensi & Cæsaraugustana Universitatibus duos illos, quos videri cupis totum Academiæ sensum nomini suo inhærentem ferre: sed malo ab illis idem sperare quod a Lovaniensibus spero, postquam hæc legerint. Salmaticenses nullos fuisse rogatos, ut calculum quoque suum adderent, vix possum credere; hoc scio, eos si nunc rogarentur, recusaturos. Nam cum principio hujus anni Carmelitæ vestri ex more composuissent Theses, sub uno ex laureatis istius Academiæ Doctoribus propugnandas, contrarias autem quibusdam tum meis tum Reverendiss. Hieronimianorum Generalis propositionibus, successive rogati præcipui decem, exemplo post hominum memoriam ista in Universitate non audito, excusaverunt se omnes; uti inde mihi scriptum est 26. Januarii, additis singulorum nominibus, ordine, Cathedra, dignitate. Cur autem non etiam ex Sorbona Parisiensi approbationem quæsisti, Pater Rev. Nihil scilicet favoris inde poteras sperare, ubi modo nihil contemptibilius est antiquitate vestra. Notissima scribo. Experire, si placet: & libros suos, necdum Parisiis notos, ubi sunt notissimi mei, æstimandos committe Facultati isti eruditissimæ, non tantum in disciplinis altioribus, sed etiam in historiis discutiendis; & intelliges non esse sine causa, cur ibi nemo vestrum mutire audeas ab annis 35. cujus nomen meruerit per Te mihi objici.

ARTICULUS XVII.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibentur ea quæ Papebrochius, inter Acta Sanctorum, effutit contra Breviariorum & Missalium auctoritatem, reverentiam & observantiam.

RESPONSIO.

Quamquam, inquis, Pater Rev. *Art. 9. & alibi producta sint fere omnia .... aliquid tamen hic, breviter dumtaxat & remissive, dicam .... alia nonnulla superaddenda ... ut simul conjuncta, Sedi Apostolicæ exhibeantur.* Hinc Lector intelliges, non esse quod operose refutem eadem, quibus jam abunde respondi. Restat ergo solum, ut videam, numquid novi additum hic sit, in genere aut particulari. Et de Missalibus quidem titulum video; accusationem vero horum causa intentatam ne tenui quidem conatu probatam invenio. De Breviariis vero pauca loqueris, veluti de coloribus cæcus: atque in primis videris ignorare, quandonam, qua forma, qua auctoritate, ea primum haberi ac nominari cœperint; quando cœptæ pariter cum iis per anni cursum describi breves de Sanctis Lectiones, de quibus soli Tecum mihi quæstio est.

2 Interim in genere duo a Te video accusari. Primum, in Conatu parte 2. fol. 52. dici a me, quod *ætate Urbani IV.* id est circa an. 1161. *Ecclesiæ singulæ arbitratu suo fingebant & refingebant Breviaria*; alterum, quod dixerim tomo 5. Maji fol. 354. *Breviaria non dare fidem historiis antiquis, sed ab his accipere; atque ad has recurrendum esse, statuere volenti, quo in gradu aut certitudinis aut verosimilitudinis collocari quodque debeat.* Utrumque dico etiam nunc, nec video quid contra dici possit, nisi per summam imperitiam. Nam, ut ab ultimo incipiam, [1] quid Breviarii Lectionibus,

[1] Didacus del Corro Dissertationem Theologico-Criticam Hispali edidit anno 1739. *de vi argumenti ex Breviario Romano petiti*, in qua Papebrochii sententia confirmatur. Vide Stiltingium tom 5. Augusti pag. 99. a n. 247. Lubet autem alibi promissa Marchionis Maffeii viri Cl. verba hac super re hic describere ex tom. 5. Obser. literar. art. 2. pag. 107. *Non si dee per certo temerariamente, e senza motivi gravi rigettare la sua autorità, ma per altro ne' fatti istorici non si ha obbligo d'accettare quanto si narra. Il Card. Orsini, ch' è poi stato Benedetto XIII. trattando della traslatione a Roma delle Reliquie di S. Bortolomeo, scrisse:* „ Maximæ quidem auctoritatis esse Breviarium Roma-

bus, hoc vel superiori seculo concinnatis, aliud debemus aut possumus credere, quam iis, a quibus Lectiones concinnatæ sunt, probabiles vel etiam certas visas esse antiquiores, unde ipsas decerpsere, historias? Hæ autem an revera tales sint, non ex Breviariis, sed ex ipsismet discerni debet, atque ex auctorum rebus gestis propriorum consensu vel dissensu. Aliud tamen est fides, factis narratis adhibenda; aliud auctoritas, qua quid factum traditur. Hæc enim Breviariis, quoad obligationem iis utendi, tanto major est, quanto is qui usum præcipit eminentior: fides historiis vix major debetur, quam circumstantiæ illæ exigunt, circa quarum considerationem exercet se critica.

3 Ad hanc quod attinet, si carpere velis, Rev. Pater, quod dixerim, singulas Ecclesias *arbitratu sua* sua sibi formasse ac reformasse Breviaria, da mihi vel unum, etiam Romanum ante Pium V. cui addatur Romani Pontificis auctoritas; ego ostendam, absque illa plurima & ante & post Pium excusa, sub nomine & auctoritate diœcesanorum Episcoporum, imo & solius unius Capituli. Ita seculo superiori ad usum *insignis Ecclesiæ collegiatæ Divæ Gudulæ oppidi Bruxellensis, Cameracensis diœcesis*, solus *Decanus Canonicique* auctoritatem præstant, *Clero suo saltem* apprecantes, sub hac forma: *Eccum diu desideratum, & quotidianis ferme conviciis efflagitatum, usus nostri, Sacerdotes venerandi, Breviarium, diligenter ordinatum, & non negligenter impressum &c.* Si displicent verba *fingendi, refingendique*, quibus istic utor, ubi uti potueram, sicut hic utor, verbis *formandi, reformandique*; adi Apparatum Latinæ locutionis, a Mario Nizolio ex Ciceronis operibus colligi cœptum sub medium seculi 16. sub finem vero ejusdem absolutum ab Alexandro Schotto, excusumque Lugduni in Gallia anno 1596. ubi Nizolius verbum FINGO explicat per verba, *Forma, Informa, Creo*. Schottus autem addit: *Significat hoc verbum, non* MENTIOR, *ut putant multi, sed ingeniose aliquid excogita & forma, ut recte annotavit Schotus.* Ita Cicero ait, Alexandrum Magnum noluisse nisi *ab Apelle pingi, a Lysippo fingi*; &, quod *apum examina fingunt favos*.

4 Igitur aut ignorantia aut malevolentia peccas, Pater Rev. cum verba, ex natura sua aut bonum aut indifferentem sensum facientia (quomodo ab ipso verbo *fingo*, derivantur *figulus*, & *figura*) trahis in partem pessimam, de qua numquam cogitaveram; neque nu. 3. accusas *de antiquis particularium Ecclesiarum Breviariis sic loqui, acsi non nisi mera continerent commenta & figmenta*. Ubinam ego sic indefinite loquor de Breviariis, etiam quando aliquid in illis contentum fictionis aut fabulositatis arguo? Aliud est *figmenta* aliqua contineri in illorum quopiam, aliud *non nisi mera figmenta*. Fictionis culpa si qua est, eam non soleo in talis Breviarii Collectorem vel Approbatorem conjicere. Absit; sed in primum auctorem, unde bona fide uterque id exceperit, de quo necdum fuerat eorum mentibus injecta dubitatio.

5 His præmissis addo, nomen Breviarii, eo quo Ecclesia ipsum sumit sensu, antiquissimum non esse; quatenus vero eodem continentur Lectiones de Sanctis pro Officio nocturno, multo etiam recentius: adeo ut a grandi Breviariorum antiquitate, nequeat pro vetustissimi alicujus facti veritate grande præjudicium formari. Etenim omnium, hactenus sub eo titulo repertorum, antiquissimum, seculo XI. scriptum, Casino Parisios attulit Joannes Mabilio; apud quem illud vidit Cangius, ejusque mentionem faciens in Glossario, sic inscribi ait; *Incipit Breviarium sive Ordo divinorum Officiorum per totam anni decursionem*. Et addit Cangius, *Quod quidem Breviarium totius ecclesiastici Officii rubricas ritus etiam & ceremonias continet, tam Officii recitandi quam Missæ celebrandæ, nec non peculiares præcipuarum solemnitatum observationes*. Ex quo satis colligitur ejusmodi Breviaria, pro describentium voluntate aut commoditate, pluribus aut paucioribus partibus constitisse. In illo autem vetustimo Casinensi nullæ apparent (sicut Mabilio mihi scripsit) Lectiones, pro nocturno Officio sive de Tempore sive de Sanctis. Nam ad Lectiones recitandas habebantur codices chorales grandes, generali appellatione dicti *Legendæ*, seu *Legendaria*; unde, quid quovis die legendum esset, Præfectus chori designabat, & signo dato finem imponebat cuilibet Lectioni, sive de Scripturæ sacræ libris, sive de passionibus Martyrum Vitisque Sanctorum, sive de Patrum Homiliis, unde & *Passionalia* & *Homiliaria* etiam nuncupata.

6 Tales libri cum non haberentur nisi in Collegiatis vel Abbatialibus ecclesiis, nihil de illis extra ipsas recitabatur, usque ad seculum 14. quando accuratiores nonnulli, volentes certum definitumque aliquid etiam privatim de istis habere, ac nominatim de Sanctis, cœperunt ex ipsis sæpe prolixissimis Legendis decerpere paucula, modo tam vario, ut qui pertractare hoc argumentum vellet, collatis inter se peculiaribus cujusque diœcesis vel Ordinis Breviariis, libro integro opus haberet. Hæc autem varietas major facta est per commoditatem typographicæ artis, seculo 15. inventæ; qua usæ singulæ, non solum diœceses, sed pene etiam ecclesiæ in Francia, Germania, Belgio, propria sibi Breviaria cuderunt.

7 *Gesta Sanctorum Martyrum* (inquit S. Gelasius Papa in decreto anni 494. & idem intelligendum de Vitis aliorum Sanctorum) *secundum antiquam consuetudinem, singulari cautela in Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur*. Quia tamen non prohibuit eadem Ecclesia talium lectionem, multæ ejusmodi Passiones & Vitæ remanserunt, & multæ novæ prioribus accesserunt, in usu aliarum Ecclesiarum: quarum saltem unaquæque habere curabat sibi privatim propriorum Sanctorum Legendas. Et harum quidem variæ & valde antiquæ collectiones inveniuntur; per ordinem tamen anni digestæ nullæ, ante seculum 10. aut etiam 12. quando Canonici Regulares

„ manum in iis, quæ per se ad cultum ecclesiasticum attinent, minoris tamen ponderis esse in pri-„ vatis factis, aut gestis, quæ in vita Sanctorum ex occasione referuntur. *Per tacer d' altro, falsa è per certa la caduta di S. Marcellino Papa, e fittizia il Concilio di Sinuessa, che nelle lezioni si mentova*. Similia his habet tom. 6. p. 196. ubi & illud addit: *Nelle lezioni del Breviario si ebbe riguardo alla purità del culto, non a esaminar criticamente quanto spetta all' erudizione e all' Istoria; il che tanto più è da dire negli Uffizj conceduti alle istanze di chiese particolari.*

& Cistercienses Monachi, in suis quique ecclesiis & Abbatiis, ejusmodi Legendaria pluribus ac grandibus tomis cœperunt describere, etiam Romæ; ut colligitur ex iis quæ adhuc inveniuntur in Lateranensis Basilicæ, olim a Regularibus possessæ archivo, & mos talis etiam ad metropolitanas aliasque nonnullas nobiliores ecclesias transiit. Atque ex hoc tempore credi potest, ceteras quoque Romanas Basilicas idem fuisse imitatas, ac denique Pontificii Sacelli Præfectos pro ejusdem sacelli Clero instituisse, ut ad pauca quædam ipsi propria festa breves Lectiones historicæ componerentur, vel ab aliis compositæ reciperentur: quarum numerus paulatim crevit, pro numero crescentium festorum, bona semper (ut dixi) fide, etsi rerum præteritarum scientia discernendique facultate non semper pari. Defectu autem isto identidem animadverso, cordi esse cœpit Pio V. & aliis aliarum Ecclesiarum Prælatis, Breviariorum correctio, ista etiam in parte; atque resumpta est deinde aliquoties, & pro modo crescentis indies magis magisque scientiæ sæpius resumenda credi potest.

§. I. II. III. ACCUSATIONES.

I. *Papebrochius invadit ac dilacerat Gallorum, Hispanorum, Venetorum, ac Leodiensium Breviaria.*

II. *Sacras Breviariorum historias tam audacter passim repudiat, & tamquam fabulas explodit, acsi inter Æsopi fabulas dumtaxat referrentur.*

III. *Non pluris facit auctoritatem Missalis, etiam Romani, quam Breviarii.*

RESPONSIO.

9 SI quis Te diceret, Rev. Pater, *Sanctorum Acta*, saltem ut habentur meis Commentariis atque Annotationibus aucta, indefinite omnia *invadere ac dilacerare*, nihil a vero alienum diceret: cum hoc propositum unice Tibi fuisse, non solum testetur generalis libri titulus, sed singulæ ferme paginæ, & clausulæ omnium Paragraphorum Apostolicam Sedem appellantes. Sed qua conscientia ac veritate scribere potuisti de me [qui prædicta Breviaria infinities laudo ac sequor] quod illa *invadam* atque *dilacerem*? An id merebar propter pauca, quæ in eorum aliquibus minus probo, aut etiam manifestæ fictionis convinco? An numquam hoc facit in suis Annalibus Baronius, & quotquot ante vel post eum examinaverunt Acta Sanctorum, quorum epitomæ extant in Breviariis?

10 Ex Gallorum Breviariis nec unicum quidem exemplum notas, reprobatum a me; solum arguis, quod verbis hisce; *Ætate* Urbani IV. *Ecclesiæ singulæ arbitratu suo sua fingebant*, id est formabant & reformabant, *Breviaria* [de quo dubitare nequit, qui aliquando viderit impressa seculo 15. & 16.] arguis, inquam, quod istis verbis continuo subjungam, *Quali libertate Gallicanæ Ecclesiæ, etiam post Tridentinum Concilium, adhuc utuntur*. Si dubitas, Rev. Pater, ipsosmet tuos Carmelitas Gallos consule, & respondebunt tibi, Romanum Breviarium plerisque in Ecclesiis necdum esse receptum a Clero seculari; ac singulas fere Diœceses semel iterumque aut tertio reimprimenda curasse vetera sua, ante Tridentinum usurpata Breviaria, auctoritate Episcopi sui absque ullo ad Sedem Romanam recursu; additis suo loco Officiis recentiorum Sanctorum, sed alio sæpe ritu ac forma, quam Roma servari ab iis voluit qui ad recitationem Romani Breviarii tenentur.

11 Exemplo sit novissimum Parisiense, anni 1680. idemque diversissimum ab antiquo; in quo sic præfatur Archiepiscopus. *Cum in Breviarium Parisiense postremis temporibus nonnulla irrepsissent, & ea quidem Regulis ab Ecclesia constitutis non bene convenientia; omni cura & qua oportuit prudentia effectum est, ut quæ forent Ecclesiæ splendori, aut dignitati Religionis minus consona; quæ in Homiliis Patrum spuria vel supposititia; quæ in Actis Sanctorum falsa aut incerta, in omnibus denum quæ pietati essent minus consentanea, ad legem & regulam componerentur: atque adeo necesse visum est quædam omnino expungere, nonnulla pridem omissa adjicere, ordine convenientiori multa disponere, Hymnos meliori stylo elaboratos in rudiorum locum substituere, pleraque obsoleta nec accurata satis instaurare.* Numquid hoc non est, Rev. Pater, *arbitratu suo fingere & refingere Breviarium*? Sed eo quo Cicero loqueretur sensu; non, quem tua mihi affingit Accusatio. Etenim Breviarium istud sic laudo, ut putem aliis omnibus Ecclesiis, posse pro exemplo esse integræ accuratissimæque correctionis.

12 Multa Hispaniæ Breviaria nova agnosco & doleo plurimum surfuris attraxisse, ex figmentis Destrinis, seu potius Higueræ, Tamaji & Argaizii commentis; idque per nimiam Superiorum facilitatem ad recipiendas novitates, specioso antiquitatis pallio obtectas, atque censum patriorum Sanctorum undequaque augendum. Idem merito queritur Cardinalis de Aguirre, & prudentiores Hispani alii; quorum consortium mihi non puto erubescendum; quidquid erroris semel inducti propugnatores pertinaces contra clamitent. Attamen verum non est, quod ais num. 4. quod *propter unum futile* VEREOR, *præfidenter audet Papebrochius Breviaria figmenti insimulare*.

13 De S. Orientio Episcopo Ausciorum in Novempopulania, Galliæ provincia, acturus Henschenius 1. Maji pag. 61. & gemina ejus Acta ex antiquis manuscriptis & Breviariis daturus; *tertia*, inquit in margine, *omittuntur ut fabulosa*, utpote consarcinata a Tamajo allegante Flavium Dextrum, Julianum Petri, atque Oscense Breviarium, *cujus*, inquit Henschenius num. 6. *auctoritatem multo potiorem duceremus, si ex similibus fabulosis auctoribus deprompta non fuerint Lectiones*. Nempe hoc dijudicare non poterat, qui non habebat ipsum Oscense Breviarium, vel Lectionum inde transcriptarum fidele ecgraphum, unde sciret quid inde, & quid ex aliis acceperit Tamajus. Interim optabat certius probari [1] assertam istic S. Orientii cum S. Laurentio, ex iisdem parentibus germanitatem, ipsiusque corporis ab Ausciorum civitate in Oscanam transla-

[1] Quamobrem cum ab anno 1680. quo hæc optabat Henschenius, ad annum 1733. quo vita S. Laurentii tom. 2. Augusti ab Joanne Pinio edita est, certiora hæc argumenta ab eruditis Hispanis minime suppeditata fuerint, merito & ipse Pinius in Magistri, prædecessoris sui Henschenii sententiam abiit pag. 503. n. 8).

translationem. Ego vero in Append. post tomum 7. addidi; *Vereor profecto ne sola affinitas nominum inter Oscam & Anscium, tum isti commente occasionem Hispanis dederit*. Numquid non merito? Sed an id verenr propter solam nominum affinitatem, & non propter certissimo compertam fabulositatem Tamaji & eorum quos allegat sequiturque auctorum? Conjecturæ ejusmodi non præcedunt nostrum de talibus judicium, sed eidem jam formato stabilitoque subduntur, pro cujusque arbitrio tenendæ vel rejiciendæ.

14 Venetorum Breviarium nullum novi. In eorum diœcesi, & ecclesia S. Laurentii coli S. Barbarum scio, Lectionibus sumptis ex Petro de Natalibus: de quo Petro Henschenius quidem asserit, tom. 3. Maji p. 286. ipsum *optime assequi potuisse, quæ in basilica S. Laurentii de S. Barbaro aliisque Martyribus asservabantur monumenta, eaque edidisse*: sed non asserit, quod ea Acta, quæ Petrus assecutus edidit, certa debeant atque indubitata haberi; quin potius ea ipse Henschenius appellavit *Apocrypha*, suumque de iis judicium addita prolixa censura probavit. Ego vero censuræ isti inhærens tomo 7. pag. 769. ajo, quod dicti Officii *Lectiones sola phrasi cultiori* (utpote recentius compositæ) *differunt a contextu fabuloso Petri de Natalibus*, prout conferenti est evidens. Addo etiam, contra clausulam novo Officio additam, de miraculis, quibus clarum sit corpus Sancti, illuc Methone ex Peloponneso allatum an. 1204. *nullum scriptum aut memoria traditum narrari*; scilicet quod proprium fuerit S. Barbati; neque in hoc mihimet contradico, cum immediate post narro unum, de Sacerdote cæco illuminato, sed SS. Ligorio Barbaroque commune post corporum conjunctionem, uti legenti patet.

15 Nullum similiter novi Leontinorum Breviarium. Officia quædam propria, ex apocrypha trium Sanctorum Fratrum Acta sumpta sunt: de quorum fabulositate, non obstante dictorum Officiorum approbatione sibi nota, cum ipse Sanctorum Siculorum collector Cajetanus non dubitet sententiam ferre; istorumque, de quibus Officia illa agunt Sanctorum, nullum aliunde proferatur indicium, non ecclesiæ veteres vel altaria, non reliquiæ, non scriptor aliquis; nihil me puto peccasse, cum scripsi tom. 2. Maji pag. 503. quod ejusmodi Officia, *si nunc primum offerrentur approbanda, haud ita facile suscipienda, credo*. Idem enim mecum procul dubio credent omnes, *nota jam Actorum incertitudine*, quam erat cum primum offerebantur Officia prædicta. Sed neque dubitari posse existimo, quin ejusmodi Officiorum Approbatio, si illam obtineri contingat (ut in casibus præmissis & S. Venantio contigit) *magnum præjudicium veritati causent in vulgo*, existimante nihil nisi undequaque certissimum contineri in Officiis talibus, præsertim approbatis Romæ. Hæc enim causa est, cur Episcopi passim, atque imprimis Romani, tam solicite curaverint aliquoties recognosci Breviariorum Lectiones, multa corrigentes, quædam dissimulantes, donec veritas aut falsitas certius appareat; ad quod nostra circa res tales studia unice dirigenda putamus; non autem (ut videris exigere) ad mordaciter tenenda etiam ea, quæ saniori ratione vel auctoritate fuerint falsa comperta.

16 Restabat ut aliis Breviariis, a me (sicut *Opuscul. Collect.* censes) laceratis, saltem Carmelitanum adjungeres; sed maluisti ipsum reservare ad sequentem §. verificandum, itaque purgandam calumniosam Breviariorum comparationem, a Te excogitatam, cum *fabulis Æsopi*, quam ex verbis meis elicies numquam. Aliud est enim, simpliciter narrationi vel historiæ non credere; aliud explodere acsi in fabulis Æsopi referretur; alioquin eadem accusatio in Baronium caderet, qui multo planioribus minusque levigatis terminis S. Cyrilli Alexandrini Monachatum, vestramque repudiat antiquitatem, ut de aliis multis, eamdem & nunc & olim non probantibus, taceam. Rationes, cur ipsam probare ego nequeam, satis multis deduxi. Acta etiam S. Silvestri, Marcellini lapsum, & Visionem parenti Eliæ affictam ostendi, suo cujusque loco, haud sine gravibus argumentis rejici: quemadmodum etiam deduxi rationes, ob quas censeo, verosimiliter teneri posse, quod Symbolum QUICUMQUE, non sit S. Athanasii, licet sub ejus nomine soleat ex Breviario ad Primam recitari. Cur enim id intolerabilius videatur, quam quod nonnullæ Homiliæ, eidem Breviario insertæ, habeantur sub aliorum Patrum, quam qui eas vere composuere, nominibus.

17 Si aliud nihil hoc Paragrapho exhibendum habebas, P. Rev. non erat quod chartam & operam perderes; nedum unde me iterum argueres de *Pontificiæ Majestatis, atque adeo divinæ humanæque contemptu*; ac denique exclamares: *Capere non possum, quomodo ejusmodi effutire potuerit Papebrochius, absque violatione atque transgressione sui juramenti*; ejus scilicet, qua tomo 1. Aprilis in Præfatione una cum Henschenio me obstrinxi, dicens: *Cælites omnes Deumque ipsum testamur, nos Sanctam Sedem ut veritatis Magistram revereri, neque ab ejus scitis justisque vel latum unguem declinare velle*. Calumniam mihi hinc impactam efficaciter repuli Art. 2. §. 14. ostendique, Veritatis Magistram illam a me etiam tunc agnosci, cum in meri facti quæstionibus erratum aliquid fuisse demonstro, eadem qua Baronius aliique critici submissione ac reverentia, conjuncta cum libertate veri tuendi.

18 Missalia eodem loco, quo Breviaria, habeo, etiam Romanum, sed utrisque puto subinde obrepsisse & obrepere adhuc posse, quod corrigi debeat. Quia tamen ad historiam illa faciunt perparum, ipsis rarius utor, nisi ad plenius dilucidandum veterum quorumdam Sanctorum cultum, subinde notabiliter auctum variatumque in vetustis Sacramentariis; hoc enim ad eruditionem antiquariam facit. Illis autem Sacramentariis non puto adnumerandum Missale Mediolanense, ex ritu quidem Ambrosiano excusum seculo superiori, sed multimodis auctum immutatumque præ eo quod S. Ambrosius tradidit, & quod nusquam genuinum invenitur. Itaque tam mihi licuit, cum eruditis aliis multis, de Veronica dubitare, an fuerit in rerum natura; quam S. Carolo Borromæo licuit Missam de eadem ex prædicto Missali, sua cura reformato, expungere; uti etiam ejus nomen, propter eamdem causam, e Romano Martyrologio Baronius sustulit.

19 Sequentiam de S. Simone Stock, in ejus Missa legi a vobis solitam, nusquam attigisse me memini; sed neque eamdem legi hactenus, qui ve-

vestrum proprium Missale vidi numquam, neque scivi in eo contineri aliquid ad historiam faciens, quod non contineatur in Breviario. Ipse certe P. Daniel a Virgine Maria tanti eam Sequentiam non fecit, ut eam ante vel post Vitam Sancti in novo Speculo excudi faceret. Sequentia ad Missam de Nomine Jesu nusquam in Actis meis nominata, nedum contempta vel reprobata, gratis huc adducitur; palamque facit, quam nihil habeas, unde justifices Accusationem de Missalium contemptu in titulo propositam; nisi forte culpæ mihi vertendum putas, quod ubi censui Christo *parum apte* tribui illuminationem cæci Tobiæ, non cogitaverim fore, ut aliquid ex illa sequentia mihi objiceres. Hoc quam inepte feceris, ostendi Art. 6. num. 71. ubi etiam dixi, sequentiam istam a Metropolitana Mechliniensi, nuper admodum traductam fuisse ad usum Antverpiensis diœcesis. Quomodo autem dicas, quod *Missali Romano* fuerit *authentico inserta*, equidem non capio. An quia hic Antverpiæ, ad nostri Cleri usum impressæ Missæ propriæ, religari solent a bibliopegis post Missale Romanum?

20 De Romano Missali quid cavilleris, non satis capio. *In hujus Canone habetur nomen Cletus, non autem Anacletus*. Ita est: sed non capio, quomodo hoc *realem denotat distinctionem Cleti ab Anacleto*: imo quomodo non potius eorumdem denotat identitatem, quæ etiam ex S. Irenæo, Eusebio, Augustino, aliisque, alterutro dumtaxat nomine utentibus, stabilitur. Ast distinxerunt illos Catalogi veteres, ideoque ut distinctos colere maluit Ecclesia. Idem maluit in Aprili Henschenius, [1] idem secutus sum in meo ad prædictos Catalogos Conatu: non tamen debui aut potui dissimulare, quo in statu ea quæstio nunc esset apud eruditos, & quam commode historiæ Pontificiæ Chronologia absque illa distinctione ordinari possit, solutis quæ pro hac stare videntur argomentis. Itaque ad finem partis 1. pag. 217. posui propriam pro recentiori sententia Dissertationem sub titulo *Anamnesis*, id est recogitationis seu considerationis, *de Cleto & Anacleto, in multorum sententia eodem; & de tertio post S. Petrum loco, dando S. Clementi*. Quid autem intenderim, facile intelligetur ex synopsi marginali, quam eo fine hic subjiciam: sic enim procedit:

21 *Receptior hodie in Gallia opinio, unam personam duobus istis nominibus intelligens, Clementem facit tertium a Petro: quod ita videtur posse cum veteri historia conciliari, ut Lino successerit Cletus: qui anno 73. cum Philosophis coactus exulare, se abdicarit Pontificatu: hunc Clemens susceperit, gesseritque usque ad annum 83. quando, cæso Flavio Sabino iterum Consule designato, patruo SS. Clementis & Domitillæ, ipse Clemens compulsus fugere, etiam se abdicarit, & Sedem resumpserit Cletus, jam Anacletus* (id est, iterum Cletus) *Martyr primum factus initia persecutionis excitatæ a Domitiano an. 95. Ordinato autem Evaristo, Clemens (jam non amplius Pontifex, sed solum Episcopus Apostolicus Pontificisque Evaristi adjutor) iterum Roma sit pulsus ob velatam Domitillam, tandemque Martyr in Chersoneso obierit sub Trajano anno 107. Solvuntur porro objectiones pro distinctione Cleti & Anacleti, sumptæ ex Epistolis S. Ignatii, ex auctore Carminum contra Marcionem, ex diversimode nominatis in secunda Catalogo patre ac patria, atque etiam ex diversa sepulturæ die apud Anastasium.*

22 His, non absolute assertis, sed pro probatiore nunc in Gallia sententia verosimiliter deductis; contra communem, Henscheniique sententiam, verosimilem etiam ipsam, sed verosimilem dumtaxat, ac minime certam; Chronologicam synopsim, isti quoque sententiæ aptam, sic trado: *Reformatis juxta prædicta elogiis, fuissent, Cletus ab an. 67. ad 73. Romanus Episcopus, annos 6. menses 2. dies 7. Clemens ab anno 73. ad 83. annos 9. m. 2. d. 12. iterum Cletus jam Anacletus, ab anno 83. ad 96. ac denique Evaristus ab anno 96. ad 108.* Posteà concludens dico, quod *ad ista sic mutanda, & quatenus verosimiliora videbuntur etiam probanda, magis poterit moveri lector, si consideret, vetustissima optimaque Acta S. Alexandri Papæ, in quibus passus sub Trajano dicitur, adeoque ante mensem Augustum anni 117. qua is obiit: videbit enim, per assignata eidem Alexandro & Evaristo decessori tempora, ascendi usque ad annos novissimos Domitiani; ac proinde nullatenus fieri posse, ut Clemens in summo Pontificatu perseveraverit usque ad tempora Trajani.* Atque hinc porro infero, quod in ista sententia, seu potius hypothesi (quam ego non assero, sed ulteriori examini expono) *Abdicatio Clementis non ponitur gratis, ad salvandam Cleti & Anacleti distinctionem; sed est aliunde omnimodis necessaria*. Sicut in margine per compendium legitur.

23 Sed quid tota ea quæstio faciat ad Missale (contra cujus Canonem peccare me arguis) cum in eo solus *Cletus* nominetur? Quid etiam facit spatium vacantis post Cletum Sedis, quod ego pono dierum 12. in Bullario autem notatur fuisse dierum 20. Tantumne studii in ordinanda Chronologia Pontificia posuit Cherubinus Laertius, Bullarii collector; aut Pontificalis quam transcripsit liber tantæ est auctoritatis, ut eos non sequens censeatur peccare *contra communem Ecclesiæ sensum*, uti me facere accusas n. 19.? Apage cum cavillationibus tam ineruditis Pater Rev. vel potius accusa Baronium, Schelstratium, Pagium, aliosque Chronologiæ Pontificiæ studiosos, qui istas interpontificiorum antiquorum determinationes, in veteribus Catalogis repertas, cum testificare non possent, contempserunt: ego vero pleras-

[1] Idem deinde docuit Joannes Baptista Sollerius tom. 3. Julii ad diem XIII. Sed quamvis Papebrochii sententiæ de Cleto iterum Pontifice, eaque de caussa *Anacleto* dicto subscribere nequeam Tillemontio duce, tamen receptissimam apud Gallos de uno eodemque Cleto & Anacleto sententiam plura mihi persuadent, quæ videsis apud Pearsonium, Tillemontium, Natalem Alexandrum, Baratesium. Præterea Catalogos a Mabillonio descriptos tom. 3. Veterum Analectorum, qui unius Cleti meminere, alium item antiquissimum ex vetustissimo codice Laudunensi, qui in Gregorio I. desinit, profert idem Mabilio in appendice ad tom. 1. Annal. Benedict. n. 37. in quo unus Cletus legitur. Blanchinius ad Parietinas Lateranenses provocat; sed probandum illarum Auctori non præivisse Scriptorem Catalogi Liberiani; si enim ex hoc fonte illæ processerint, non majori dignæ sunt fide, quam ille Catalogus, ejusque Scriptor, cujus auctoritatem in multis labare pridem ostenderunt doctissimi viri.

plerisque ... sic servavi, ut partim ex varia lectione codicum eas assumerem, quæ essent ad rem aptiores; partim levi mutatione adhibita per conjecturam, corrigerem defectum, alias immedicabilem; aaque ratiooe, haud male, ut puto, de Chronologia meritus fui.

ARTICULUS XVIII.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibentur ea, quæ Papebrochius Actis Sanctorum inseruit contra Martyrologia & Kalendaria.

RESPONSIO.

VIdeo, Rev. Pater familiare tibi esse, ut Accosationes Tuas ordiaris ab insigni alicujus gravis scriptoris loco, qui affinitatem nonnullam habere videatur cum titulo, reipsa nihil faciat ad quæstionem tractaodam. Theophilus Rayoaudus, probaturus ex Romano Martyrologio, vero ac saoo quodam sensu Martyres appellari, qui mortem oppetuot in ministerio peste laborantiom, ex charitate suscepto, quia de iis ad 28. Febr. legitur, quod eos *velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit*: hoc, inquam, probaturus inde Theophilus, multis extollit auctoritatem ecclesiasticarum Tabularum; quas dicit, *eo ipso quod Ecclesiasticæ sunt, hoc est communiter in Ecclesia usurpatæ atque receptæ, ipsa Ecclesiæ auctoritate, quæ homini Catholico summa est, perfundi.*

2 Lego locum Tom. 18. pag. 479. & mox addi video: *Nolo eas cujusvis omnino mendi immunes præstare: quis enim adeo rerum sacrarum rudis est, ut ignoret, quoad loca vel mortis obitæ annum, aut eos per quos mors irrogata, pecari interdum quædam in sacris Tabulis, & salva Ecclesiæ auctoritate corrigi in eis nonnulla in dies.* Cur hisce ultimis verbis omissis, priora dumtaxat allegasti, Pater Rev.? Accusationem scilicet totam, quam struere volebas, eversura hæc erant, & pro me respoosura Tibi, non ferenti quod ejusmodi vel menda vel labeculas, *in dies*, prout res fert, notara noo prætermiserim, idque profitear locis a te iovidiose accusatis. Idem Theophilus multis eorum speciminis causa indicatis; *Has*, ioquit, *& si quæ sunt aliæ sacrarum Tabularum labeculæ, ita non suficior irrepere potuisse; ut tamen* (& hic resumis verba Theophili, Tuo falleodi proposito aptiora) *quod ad earumdem Tabularum veluti substantiam attinet, itemque quo ad doctrinam iis quandoque admixtam, non patiar earum certitudinem & puritatem in dubium verti quoquo modo.*

3 Equidem haud magnopere curaodum mihi puto, quid patiatur vel non patiatur Theophilus, in suis sensis proferendis nec tam moderatus, nec tam certus semper, ut aliis pro regula esse debeat; & quædam ex his, quæ ipse hic censet substantialia atque io dubiom vocari vetat, ea eum disputari patitur Romana Ecclesia, ut sæpe ostendi, propter ipsius censuram, non desineot inter eruditos veotilari. Sed missum hoc facio, & quæro, quonam tandem spectet ista tantopere exaggerata sacrarum (ut appellas) Tabularum auctoritas? Ipse Theophilus indicat scopum suum hoc ioscriptione Parag. 7. *Titulus Martyrum, datus Sanctis Alexandrinis, spectat ad substantialia Sacrarum Tabularum.* Quid autem ad doctrinam? *Quod mors, in eo ministerio obita, sufficiat ad martyrium.* Quales porro siot Tabulæ, pro quibus tam obfirmate stara vult Theophilus, ipsemet explicat, dicens §. 6. *Ago de solis Romanis Tabulis; quia reliquas Latinas bene multas, quas Joannes Molanus tractatione de Martyrologiis late excutit, ut Bedæ, Waudelberti, Adonis, Usuardi, aliasque, non est animus, indemnes, & ab omni labe puras, etiam quoad substantialia, præstare.*

4 Tu, Pater Rev. si pro antiquis illis, quarum usus publicus aliquando io ecclesiis variis fuit, esses solicitus, & earum auctoritatem tuendam hoc nomine susciperes, tolerabile foret: nunc vero de illis oihil curans, post breves pro Romano Martyrologio querelas, quarum iojustitiam mox excutiam, litem mihi moves, pro Gallicano Saussayi, Brixieosi Fayoi, Franciscaoo Arturi a monasterio, vocatis quidem *Martyrologiis*; sed valde improprie, & in sensu valde alieoo ab eo quem coocipiuot fideles, cum audiunt citari *Tabulas Martyrologiorum sacrorum*; ea scilicet sola Martyrologia intelligentes, quæ sola aote hoc sæculum 17. oota eraot, quorum scilicet vel olim fuit, vel nunc est publicus inter divina Officia usus, adeoque & auctoritas ecclesiastica aliqua. Talis autem tribus istis supra nominatis omnino nulla est, nequidem apud eos quorum hooori illa scripta sunt, privata dumtaxat auctoritate. Cur autem non etiam suscepisti hic causam Martyrologii Hispanici? Est quidem hæc causa præ ceteris desperata & pessima: sed quid noo possit Paternitas Tua defendendum suscipere coram Apostolica Sede eadem illa fiducia, qua soles sustioere, quidquid Tibi undecumque offertur a me accusatum vel quomodolibet reprehensum.

5 Martyrologiis junguntur in titulo Tuo *Kalendaria*, ad solam (ut apparet) pompam iovidiamque augendam; cum in toto deinceps contextu nullum, in genere aut individuo, nomines; ne verbo quidem *Kalendarii* utaris vel semel. Quid autem Martyrologio commune cum Kalendario sit, non capio. Nam si de Ecclesiastico Kalendario agitur, quo totius anni notantur festa, & quo quodque ritu faciendum sit, solet hoc cum Breviario imprimi, ioter prolegomena; nec usquam scio illud a me verbo ullo taxatum. Vulgaria autem & singulis annis renovanda, quæ vulgo *Almanach* nuncupantur, præter Sanctorum nomina, cuique diei singula aut bina pro arbitrio collectoris adscripta, notant etiam phases luoares & solis ingressus io signa Zodiaci, aliaque similia, quæ cur corrigere ego vellem nulla causa fuit, nedum (ut persuadere niteris) lacerare. In primo, nec mihi nec alteri cuiquam mutare quidquam licet, de eo v. g. Sancto ritu simplici faciendo, cui honorem Duplicis impendi præ-

cepit Pontifex. Ego certe Kalendarium sequi religiosissime soleo, & ad ejus præscriptum recitare Canonicas horas, idemque ab omnibus eo obligatis censeo faciendum.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius dilacerat & undiquaque suspectum reddere molitur Martyrologium Romanum.

RESPONSIO.

6 POstquam Romana Ecclesia, inter sacra Missarum solemnia, uti desiit codice illo, quem Martyrologii Hieronymiani nomine [1] indigitamus; & quem S. Gregorius in Epistola ad Eulogium Alexandrinum patenter describit, ut in quo *per dies singulos, non quis qualiter passus sit indicatur; sed tantummodo nomen, locus, & dies passionis ponitur*; succrevit aliud Martyrologii genus, in quo selectiores pauci, cum brevi eorum, quorum passiones descriptæ habebantur, elogio, celebrantur. Tale primus cum incboasset Beda, & sicut illud ante tom. 2. Martii edidi (nam quod antea habebatur, supposititium erat) imperfectum dimisisset, Florus autem Lugdunensis aliquatenus supplevisset vacantes in eo complures dies, varii quidem diversimode conati sunt anni circulum complere; sed nemini id felicius cessit quam Usuardo, Benedictino ad S. Germani de Pratis apud Parisios Monacho; cujus sub annum 875. [ut Bollandus demonstrat] editum Martyrologium, Caroloque, non Magno, sed Calvo dedicatum, ita placuit, delectu, claritate ac brevitate, ut in omnibus passim Benedictinorum monasteriis reciperetur recitandum in choro ad Primam ante Versiculum *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*: ad hunc enim locum a Canone transierat [nescitur præcise quando] Martyrologii recitatio.

7 Porro a Benedictinis ad omnea fere Ecclesias alias hic usus transiit, etiam Romanas: sic ut ad finem seculi 15. aliud jam nullum quam Usuardi Martyrologium legeretur: cui in novissima ejus editione anni 1498. *secundum morem Romanæ Curiæ* Venetiis curata per Mag. Bellinum de Padua Ordinis Eremitarum S. Augustini, testimonium dans Pontificii Sacelli ex eodem Ordine Præfectus, ita præfatur: *Usuardi Opus magis habetur in usu apud multas Ecclesias, quæ etiam creduntur aliqua ejus Operi in locis variis addidisse, præcipue de Sanctis & festis pertinentibus ad easdem. Et hujus est Martyrologium scriptum, quod nos pro majori parte duximus eligendum, & præ aliis tenendum*. Bellino autem Bernardinus Scardeonius lib. 2. Antiqu. Patavinarum classe 7. præcipuæ laudi dat editionem & correctionem Martyrologii: *quod olim*, inquit, *cum pro sua raritate in choro tantum & in conventibus publicis legeretur, nunc ejus opera factum fuit, ut ab omnibus legatur*. Quidquid igitur de hodiernis Romani Martyrologii tabulis dicit Theophilus, etiam Usuardi Martyrologio quadrat: neque enim hujus per tot secula minor fuit olim, quam illius, nunc sit auctoritas: & tamen hoc a Maurolyco, Galesinio, Molano multipliciter corrigi tulit Ecclesia, ac denique penitus abrogavit totum, alio substituto, quod a Baronio aliisque nonnullis eruditis Romanæ Curiæ Ministris, jussu Gregorii XIII. curatum editumque anno 1584. mox anno 1598. visum fuit variæ correctionis egere; quam porro sub Urbano VIII. adhibitam novimus, nec deesse multa quæ adhuc corrigi possint, [2] notavit eruditissimus Lucas Holstenius in epistola, mox infra ad hujus Articuli calcem producenda.

8 Tale autem, ex Bollandi instituto nostroque proposito, hactenus & passim laudato, opus nostrum est, ut præcipua parte aliud censeri non debeat, quam perpetuus in hodiernum illud Martyrologium Commentarius, pleraque istic asserta validissimis auctoritatibus confirmans, plurima illustrans & explanans, infinita suggerens quæ possint addi ad complementum novi, siquando condendum videbitur, Martyrologii; quædam autem [ubi res exigit] corrigenda notans. Hæc ut multa sint seorsim numerata, pauca tamen videri & dici debeat respectu multitudinis incomparabiliter majoris eorum, quæ laudamus & confirmamus, multo diligentius & operosius, quam facere Baronius potuit in Notis, per menses forsitan pauciores elucubratis, quam annos uni Januario impendit Bollandus; quod de aliis consequenter mensibus sine jactantia dici a me posse, nemo, quamvis invidus, negare ausit.

9 Interim tu, Pater Rev. me, Bollandi Henscheniique vestigiis insistentem in Martio, Aprili ac Majo, tomis omnino quatuordecim, accusas & dicis, quod *moliar dilacerare & undequaque suspectum reddere Martyrologium Romanum*. Tam atrox, & per particulam *Undequaque* tam universalis criminatio, ut saltem in speciem probari videretur, oportebat a Te adferri dies aliquot consequenter, ex uno v. g. Majo; & demonstrari, quod de omnibus istic nominatis Sanctis, aut saltem de plerisque, dubitari fecerim, an revera fuerint in rerum natura, an jure & ab antiquo Sanctis annumerati, an iis quæ indicantur locis, modis, temporibus passi; imo quod mediis omnibus id egerim, ut Romano Martyrologio nulla fides esset, etiam in iis rebus, quibus subesse errorem, non cogimur aliunde vereri. Tale quid ne conatus quidem, Pater Rev. falsa quædam aut levicula, paucaque objicis, quæ si vere omnia accusasses, necdum vel cminus probatum maneret, quod Romanum Martyrologium *undequaque moliar dilacerare atque suspectum reddere*.

10 *Tabulas Brixienses*, inquis, *citat sæpe Baronius in notis: at Papebrochius dicit esse fabulosas, & Baronium in Notis suis sæpius errasse pronuntiat, imprimis tomo 1. Maji pag.* 228. *num.* 265. Miram paucis in verbis multamque hic

[1] Hic plura a Papebrochio dicuntur, quæ non satis firma sunt. Vide de tota Martyrologiorum genesi laudatissimam Sollerii Præfationem ad Martyrologium Usuardi, quæque habet Martenius in præfat. ad tom. 6. suæ amplissimæ Collectionis, ubi de Martyrologiis a se ibi editis, & Cl. Dominicus Georgius in nupera Adonis editione. [2] *Anche di questo* (Martirologio) *più correzioni ordinarono i Papi, nè la Sede Apostolica tiene d' infallibil verità, quanto in esso si contiene, nè vieta, che si ricorr... qualch' altra emendazione suggerendo, siccome appunto anche della collezion de' canoni fatta da Graziano può dirsi*. Maffeius tom. 5. observ. liter. p. 108. P. Politus Scholarum Piarum vir Eruditissimus novam Romani Martyrologii correctionem Benedicti XIV. jussu aggressus est.

hic vides confusionem. Cita tua enim a Tua Paternitate, locus de Martyribus, non Brixiensibus in Italia, sed Alexandrinis in Ægypto agit; idque, non inter Notas, sed in ipso contextu. Quomodo autem ibi dico *sæpius* errasse Baronium? Unicum duntaxat errorem noto *circa genus supplicii*, quod gladio illatum dicitur; cum S. Athanasius, unde tota illorum notitia habetur, id non dicat, sed diversa alia. Dico etiam mensi Aprili potius adscribendum Martyrium istud; quia tamen Romanum Martyrologium de eo agit 26. Martii; ibi quoque nos de eodem egisse. Tanta scilicet nobis est fuitque reverentia erga ipsum, in eo quem præscribit dierum ordine observando, licet is non semper aptissimus sit; quia liberum Ecclesiæ esse scio commemorandis Sanctis, quos voluerit dies eligere. Si me accusare volebas ex eo, quod Tabulas ecclesiæ S. Afræ fabulosas esse demonstraverim, non debebas dicere, quod eas sæpe citat Baronius, qui illarum notitiam nullam habuit, nec vel unius Martyria inde arcti meminit 48. annis prius mortuus, quam Bernardinus Faynus suum Brixiense Martyrologium ex Tabulis illis augeret. Denique multum differunt Martyrologium Romanum a Notis in ipsum: quas sicut Baronius ipse paulo ante mortem paravit, pro secunda earum editione anno demum 1630. ex defuncti schedis curata; sic pluribus aliis locis castigasset ultro vir candidissimus, si diutior ei vita obtigisset, multaque videre potuisset tunc adhuc latentia.

11 Eumdem *Baronium & alios passim circa tempus vitæ Pontificum turpiter errasse*, nusquam dico; erravisse fateor & demonstro; non sua culpa, sed ipsa rei, infinitis difficultatibus implexæ, obscuritate. Itaque tuum istud *Turpiter*, tibi serva, R. P. ne quis Te dicat *turpiter calumniari*. Neque cum dico, nos *fere quotidie complures Roman Martyrologii errores observare*, dico, illud *scatere erroribus*: contemptum sonat verbum hoc, istud non item. Quid autem ad Martyrologium facit, recte an secus tempora Pontificum subduxerit Baronius? An quia Pontifices sancti in martyrologio referuntur iis diebus, quibus depositos illos dicit Anastasius, non autem semper iis, quibus obiisse existimo? Nihil hoc ad Martyrologii auctoritatem suspectam reddendam facis, quia nobis illud indicat, tali saltem die cujusque anniversarium solitum in Vaticana vel Lateranensi celebrari. De quibusdam Leontinis Martyribus, non valde feliciter in Fastos Romanos illatis, prius quam Actorum unde accepti sunt fabulositas detegeretur, temporum illorum infelicitas fuit, non eorum culpanda facilitas, quibus nulla offerebatur causa dubitandi.

12 Denique male arguor num. 7. in fine, *Concilium Nicænum & Martyrologium Romanum* FICTIONIS *insimulare*; & quidem vocabulum *fictionis* speciali charactere, tamquam meum foret, signas. Nec enim fictionis insimulatur, vel Concilium, recitans aliquid ex Actis S. Procopii, vel Martyrologium, ibidem relatos Sanctos *Nicostratum & Antiochum Tribunos* referens pro die quo istic passi leguntur: sed Actorum ipsorum Auctor. *Nullum esse Januarii ac Februarii diem . . . ubi non unus aut plures ejusdem Martyrologii errores arguantur, tacito tamen sæpius illius nomine*, dixi ego in Conatu parte 1. fol. 135. quia id sæpius ex ore Henschenii audivi, qui scire optime poterat: nec tamen video quod inde mendax reddatur Bollandus in Præf. generali folio 36. dicens, *nullas esse hoc in opere Vitas, quas omnino commentitias esse, possit quis vel levissime suspicari*: ipse enim mox explicat quid vocet *omnino commentitias*, cum dicti sui causam addit, inquiens, Vitas Sanctorum nullas a se referri, nisi *aliquo semper attestante Martyrologio aliave certa auctoritate*, unde constet, ipsos revera suum in Ecclesia Catholica cultum habuisse, adeoque creditos in rerum natura fuisse; licet eæ quæ de ipsis habentur Vitæ (qualis v. g. est Passio S. Procopii) commentitiæ sint, quoad circumstantias, quibus adornatæ prodeunt. Nam Cæsareæ in Palæstina vere passum esse S. Procopium, constat ex Eusebio & Hieronymiano Martyrologio, Christianos sub & a Juliano Apostata fidei causa, licet alio titulo, interfectos, vere ac recte Martyres haberi ac dici, ostendi Art. 11. §. 17. adeoque frustra hic me calumniaris, P. R. ut contrarium Romano Martyrologio.

§. II. III. IV. ACCUSATIONES.

II. *Papebrochius molitur convellere Martyrologium Gallicanum Andreæ Saussayi.*

III. *Martyrologium Brixiense, auctum ex Tabulis ecclesiæ S. Afræ, funditus evertere molitur.*

IV. *Undique invadit & funditus evertere molitur Martyrologium Franciscanum Arturi du Monstier.*

RESPONSIO.

13 Credo, Rev. Pater, lectores cordatos, qui jam assueverint phrasi isti tuæ, qua *funditus* me dicis *evertere* Auctores eos, quibus aliquid correctionis adhibeo, maxime si frequentiores illæ sint, uti necesse est fieri in iis qui per Kalendarii ordinem, quem & nos sequimur, conantur tractare de omnibus alicujus regni, civitatis, vel Ordinis Sanctis; Credo, inquam, phrasi isti jam assuetos lectores, doctos etiam quomodo idem me dixeris facere Romano Martyrologio, non multum movendos hac tua triplici accusatione: item satis intelligere, quantum intersit inter propria dicta Martyrologia, & hæc privati dumtaxat usus opera; licet specioso ac late patenti titulo præfulgentia.

14 Andreæ Saussayi Gallicanum Martyrologium, ut primum lucem vidit an. 1637. magno cum plausu exceptum ubique fuit. Joannes Launoyus (quem hic a me nominari, credo, non invitus feres, P. Reverende) scripta ad Auctorem Epistola, ante Apparatum impressa; *Non tam vidimus, quam mirati sumus*, inquit, *opus tuum quod unius seculi studio & diligentia videbatur egere. Tu vero paucis abhinc annis immensum absolvisti. Qui hoc profecto ita brevi temporis intercapedine conficeret, unum Te novi, præterea neminem . . ., Ecquid porro usspiam est in rerum natura dives & pretiosum, sive in auro, sive in gemmis numeretur, quod operi tuo componatur? Omnia sunt infra quamlibet similitudinem posita: nemo sit homo qui vel tantisper addubitet*. Eodem tempore quo ista de juniore adhuc Saussayo, ejusque Martyrologio Parisiis scribebat Launoyus, junior etiam ipse; utique suppar Theophilus Raynaudus, ejusdem operis visi admiratione captus, scripsit in suo adversus fortia ingenia Antemurali, nunc legendo tom. 8. operum ejus pag. 143. quod ipsius Auctori

Gallia

Gallia opes Sanctarum suorum, pari nitore, eruditione, & diligentia expositas dedit. Bollandus quoque noster, jam ultra quintum diem versantis sub prælo Januarii progressus, cum opus e Gallia nactus est, in Præfat. Gener. pag. 1111. *illustre & magnificum* appellat; *quo plurimum usus sum*, inquit, *utarque, ut spero, deinceps.*

15 Nulla quidem toto opere apparebat prolixiorum de quolibet Sancto elogiorum comprobatio, unde de fide, eruditione, & accuratione Auctoris certum ferri judicium posset, aut sciri quibus fundamentis niterentur singula, tam floride, tamque fidenter deducta, nusquam hæsitante stylo, nusquam pendente judicio, sed fere omnia asseverantissime definiente Auctore. Quis tamen ei cunctaretur credere, ad calcem Elenchi prævii legens hæc formalia verba? COMMENTARII APODICTICI, *qui Martyrologium hoc Gallicanum undequaque dilucidabunt ac fulcient, in tomos quatuor digesti, quorum unusquisque tres anni menses decurrit, tam rara quam diversa ecclesiasticæ antiquitatis supellectile instructi, mox e typis publicum in conspectum Christo auspice, progressuri sunt.*

16 Hæc tam magnifica, nullamque moram (ut jactabatur) passura pollicitatio, quasi ipsi tomi jam fere impressi haberentur, tam facilem quam vidimus, tamque speciosam approbationem elicuit etiam a Launoyo, Raynaudo & Bollando. Verum cum menses & anni laberentur, & nullæ amicorum preces, curiosorum querelæ, æmulorum irrisiones, extorquerent illam splendide promissam *ecclesiasticæ antiquitatis supellectilem*, unde solverentur quæstiones innumeræ undequaque allatæ; cœpta fuerunt mutari judicia, Sanctorum historiæ in Martyrologio delibatæ, & laudes absque veteri teste cumulatæ, curiosius expendi; & quod admirationi fuerat, sic passim contemni, præsertim Parisiis, ut inter eruditos appellaretur, *Plaustrum mendaciorum*; quemadmodum mihi scribit, de hoc nuperrime interrogatus, Claudius Castellanus, addens, *Angelum tamen videri Saussayum præ Tamayo, qui ejus ineptias infinitis parasangis in suo Hispanico Martyrologio superavit.* Etenim Apodicticos Commentarios, quos ille promiserat temere, caute suppresserat; Hispanis suis æque ac Gallis legendos Tamayus promens, palam omnibus aliquem eruditionis sensum habentibus fecit, totam illam sex tomorum machinam (nam & in hoc superare Saussayum voluit) meris nisi commentis figmentisque, quoad Sanctos antea Hispaniæ ignotos, & alia multa antiquorum Patronorum memoriæ afficta.

17 Ad Saussayum quod attinet, postquam cognosci penitius Parisiis cœpit, non est inventus quisquam ex tot claris in Gallia scriptoribus, qui Martyrologii Gallicani auctoritate suam fulciret sententiam; non Launoyus atque Raynaudus, in tot postea editis suis libris libellisque. Nullus etiam fuit inventus typographus, qui recuderet opus, intra annos sexaginta sæpius recudendum, si primam commendationem secuta fuisset constantior approbatio. Atqui Richelii Cardinalis, omnia tunc moderantis in Gallia, patrocinium potens; & ipsius auctoris, ad Tullensem in Lotharingia Episcopatum promoti, major quam Parochi Parisiensis dignitas, persuadere illud facile potuissent, si operæ pretium visum fuisset.

18 Nempe dissipato primarum gratulationum aut etiam adulationum fumo, videntem Saussayum, se imparem fore præstandæ probationi undique postulatæ, & quam esset sibi curta supellex monumentorum solidorum certiorumque, pœnituit temerariæ scriptionis pollicitationisque; & ad graviora certioraque scribenda appulit animum; quibus & minutam ex juvenili illo fœtu repararet famam, ac nomen inter eruditos retineret aliquod. Et primum quidem haud ægre obtinuit, satis habentibus Parisinis abstinere libro sibi non probato, quod & Mabilio cum sociis Benedictinis fecit, inter Sanctorum Benedictinorum Vitas illustrandas infinities Saussayum nominaturus, si cum honore id facere potuisset: posterius autem non obtinuit ab auctoribus Historici Dictionarii, jam lexica recusi, & omnium fere hujus ætatis eruditorum defunctorum nomina complexi, in quibus & præcitati Launoyus, Raynaudus, atque Bollandus.

19 Hic vero ultimus, nescio quam caute usus Saussayo sit inter Acta Sanctorum Januarii, quæ non vacat hac de causa scrutari operosius: ast in Actis Februarii reperio manifeste, quod eum suspectum habuerit. Nam primo die, cum pag. 93. indicasset Martyrologiorum discripantiam, circa S. Paulum Episcopum, Trecensisne, an Tricastinus fuerit; *Saussayus*, inquit, *duos Paulos Episcopos facit; opportune quidem ad litem hanc dirimendam, si veteribus niteretur testimoniis.* In utroque interim erratum aliquid ab illo indicat. Henschenius vero, qui Saussayi in asseverando temeritatem atque exiguam fidem jam cœperat penitius inspicere, & Bollando detegere, agens eodem 1. die de S. Sigeberto Austrasiorum Francorum Rege, deque Monasteriis ab eo fundatis fol. 235. *duodecim* ea fuisse refert ex Auctore Vitæ; Saussayum vero, ad *viginti* ea multiplicantem, nec nominare quidem dignatur.

20 Interim tam ipse quam Bollandus utuntur eo illis in rebus, quorum recentior notitia ac memoria videbatur ipsi credi posse, quando nulla in contrarium occurreret dissentiendi vel dubitandi occasio: quamquam ne tunc quidem secure illi credi, apparuerit ex variis erroribus ejus circa ecclesias & res Parisienses, quas sub oculis habentem mirum est potuisse sic errare. Id mihi sæpe questum Henschenium memini, & ipsum me scio observasse aliquoties, sed otium deest loca ipsa perquirendi, ultro se oblatura prosequenti impressionem Junii. Laudavit tamen in Saussayo Bollandus, & ego laudo, quod charactere & titulis distinxerit Sanctos atque Beatos, quibus jus esse ad eam appellationem putabat; ab aliis, cum minime vulgari sanctitatis opinione mortuis, quos minori charactere laudatos ad finem cujusque diei, appellavit Pios. Denique magno nobis usui fuit ille, multos suggerendo Sanctos, quos in vetustis nonnullis Martyrologiis, nobis ignotis, reperit, puta in Codice Monasterii S. Savini de Levitania, aliisque ad calcem integre productis documentis, in quibus ipsi non credere, tamquam a Benedictinis istius monasterii decepto, nefas duxerim.

21 Quid vero pro Saussayo tantopere zelaris, Pater Rev.? Præsens adfui, & fortassis adhuc vivit qui pariter præsens aderat anno 1665.

Con-

Conventus Antverpiensis Prior, quando Patet Henschenius, Post exequias Bollando a vobis celebratas, religioso exceptus epulo, legit R. P. Danieli a Virgine Maria, quem prælo paraverat de vestro S. Bertholdo commentariolum; in quo de ejus ætate ac cultu agens distinctius, res vero gestas, utpote non satis certas, perstringens paucis, & dissimulans Saraceni aliorumque vestrorum circa ipsum errores antiquos, modeste corrigebat novos aliquot, nimiumque patentes, veteribus superadditos a Saussayo. Precati autem vestri sunt, quod & impetraverunt facile, Saussayi locus totus expungeretur; ne ille errores suos videretur ex vestris scriptoribus hausisse, & hi per illius latus peti. Adeo parva ipsis erat cura de Saussayo: quem cum dicis n. 17. ideo *me insolenter clamare suspectum . . . quia conformiter ad receptas in Ecclesia traditiones varia scribat de S. Dionysio Areopagita*: fingis *insolenter*. Majores gravioresque scriptores eadem sentiunt, nec ideo mihi suspecti habentur; & si in ceteris quæ promisit fidem suam liberasset Saussayus, fideoterque asserta fideliter probare potuisset; nullus esset tota Gallia scriptor magis commodus operi nostro, & (quod consequens ast) sæpius impensiusque laudandus. Laudatur tamen vel sic identidem, quoties aliquid suggerit aliunde etiam verosimile; & quoties ab eo moniti de quopiam Sancto, nobis haud satis noto, ad ejus suggestionem scrutati certiora, ex ipso quem indicat loco, non raro accipimus ea monumenta, quæ in Commentariis apodicticis proferre ipse voluisset, si habuisset ea, ipsosque commentarios edere ausus fuisset.

22 Brixiense Martyrologium antiquum, si quod est vel fuit, & quod solum citasse & laudasse Baronius potuit, veneror æque ac cetera exempla Usuardi, propriis cujusque diœceseos Sanctis aucta. Novum a Bernardino Fayno compilatum, nec recepit Ecclesia Brixiensis inter sacra legendum; nec, si reciperet, majorem auctoritatem haberet quam Romanum, erroribus (ut Romani ipsimet agnoscunt) obnoxium. Ago ego contra illud novum, quod habemus anno 1665. editum, neque recipiendum (ut par est credere) nisi severe recognitum, expurgatumque ab additamentis novitiis, in illud derivatis ex fide tabularum ecclesiæ S. Afræ: quibus, quatenus ex Cerreti vel alia simili chronica sumptæ sunt, nullam fidem dandam, irrefragabiliter demonstravi. Vide Art. 3. §. 8. & Art. 11. §. 11. &c. Eatenus igitur voluisse me fidem novo isti Martyrologio detrahere, fateor; & confido a me effectum, ut error bona fide susceptus, non agat radices altiores, & a simplici privati scriptoris taliumque Tabularum auctoritate, non conitatur ascendere ad gradum altiorem, ut ab Ecclesia Brixiensi approbatus censeri velit.

23 De Franciscani Arturi du Monstier Martyrologio, non ego primus questus sum: queri cœpit, prius quam ego Acta Sanctorum nominare scirem, P. Bollandus in Præfat. ad Januarium, anno 1643. editum, pag. LXII. sic scribens: *Cum jam prior Januarii tomus esset excusus, prodiit Martyrologium Franciscanum, cum amplis Commentariis, cura ac labore Arturi a Monasterio; sed illud in eo opere haud probo, quod nullus inter eos, quibus ab Ecclesia olim decreti permissive sacri honores sunt; & ceteros, sola adhuc hominum opinione, nullo Ecclesiæ judicio confirmata, claros, differentia statuatur: quo fit, ut his quidem honoris nihil accedat, de illorum autem veneratione plurimum detrahatur, dum uno omnes gradu habentur.* Nec vero ullam istius Martyrologii habendam sibi rationem, putavit Bollandus, aut sequenti tomo 2. aut tribus tomis proximi Februarii; ne contra expressissimum Urbani VIII. decretum peccaret, si quos Arturus *Beatos* aut *Martyres* vocat, cum ejusmodi titulo nuncuparet, aut pariter eum omnibus detrahendo, inscius offenderet alios, quibus id forte competeret jure bono.

24 Erat Arturus, quemadmodum ex post secutis apparuit, & nobis etiam retulerunt qui viventem noverunt familiarius, minus patiens alieni consilii. Itaque modestum monitum velut injuriam accipiens, ante ejusdem sui Martyrologii edititionem secundam anni 1653. nec nisi jam fere impresso Februario huc delatam, inventos est scripsisse Art. 2. §. 11. *Redeat ad se Joannes Bollandus, iterumque abstergat calamum velociter scribentis, haud sibi probatum esse, quod nullam posuerim differentiam inter Beatos nostros Minoritas. Utique illi dixissem eam apud Salvatorem similitudinem; Medice, cura teipsum. Legat, si velit, Annotationes nostras, & clare certo sue fiet, quo titulo, quave de causa quisque apud Martyrologium Franciscanum Beati nomen jure sit adeptus, licet diverso gradu, varioque modo id evenerit.*

25 His lectis obligatum se credidit Bollandus cap. 6. suæ ad Februarium Præfationis, quæ sola tunc imprimenda restabat, dicteriis tam insulsis modeste pro se respondere, quam sincera id mente candidaque scripsisset ipse, in eodem qui carpebatur Januario optime meritus de Ordine Franciscano; atque post alia; *Annotationes*, inquit, *omnes legimus, sed & auctores citatos accurate pervolvimus . . . . ac præcipue Lucam Waddingum, quibus locis agunt de Sanctis quos Arturus commemorat; neque ex illis Auctoribus illiusve Annotationibus intelligere potuimus, Martyrologio illi insertos esse* diverso gradu varioque *modo, ut jam videtur profiteri: denique, quod tibi scripsimus, scimus pluribus probari . . . .* Antea autem dixerat Bollandus quod ipse Arturus in hac 2. editione Art. 22. *differentiam constituere videtur, sed verbis sane implexis atque obscuris, at nihil tale indicarat in prima editione.* Exculabat tamen Bollandus, quod videretur Arturus ipsummet Januarium non vidisse, sed solum ab aliis intellexisse quid improbaret Bollandus; si enim legisset, non omisisset exinde locupletare suum Gynæceum sacrum, interim compositum editumque an. 1657. nisi forte noluit videri quidpiam ex Bullando didicisse.

26 Annis paucis post, Romam mecum Henschenius adiit, atque (sicut scribit, tomo 1. Martii pag. 4.) *Romæ in Ara-cæli & alibi, ab ipsis Franciscanis moniti sumus, ne Auctori isti nimium fideremus.* Intelleximus tamen, & Ordini rem gratam, & operi nostro haud inutilem facturos nos, si eorum quorum legitimum ac verum cultum necdum haberemus probatum, rationem vellemus inter Prætermissos cujusque diei habere; quod libenter in se suscepit Henschenius, atque pro totis Martio, Aprili, Majo, imo & Junio (sicuti in necdum impressis monstrare possum) omnes ac singulos inscripsit; subinde monens, *solius Arturi auctoritate* appellari *Beatos*, quia tali titulo aliorum de iis scripto-

tum

rum nullus usus sit, aut quia ipsi intra proximos ab Urbani Bulla annos centum obierunt, quos nefas est, citra expressam sanctæ Sedis licentiam, sacro aliquo cultu prosequi.

27 Itaque in tota illa per quatuor menses serie prætermissorum Franciscanorum, omnino nihil meum est. Id autem quod est Henschenii, adeo nemini improbatum fuit (quod sciam) aut ulli creditum videri conjunctum cum aliqua injuria Ordinis, ut eamdem gratiam suis quoque, non absolute dicendis Beatis, fieri petierint alii nonnulli; ac nominatim is qui anno 1676. Valencenis edidit *Aciem bene ordinatam plurium Sanctorum ac Beatorum utriusque sexus Ordinis Carmelitarum*; sua ipse manu, primo ante titulum vacanti folio, sic inscribens: *Rogatur R. P. Daniel Papebrochius, ut dignetur assumere aliquos Sanctos aut Beatos ex illa Acie bene ordinata, & saltem adscribere inter ipsos* INTERMISSOS *aut* PRÆTERITOS *suorum Actorum. Sic toti Carmelo placebit, & favebit singulariter P. Philippe Visitantino, istius Ordinis Historiographo.* Quod autem tam enixe *rogatus*, imo *rogitatus* fui, amanter ac fideliter præstiti & præstare pergam, nihil pensi habens, quomodo id nunc interpretatura sit Patern. Tua.

28 Qui porro leget tom. 2. Maii p. 834. & 835. n. 9. a me scripta: Nicolaus Auximanus, per cujus *ignita verba corde compunctus* Dominicus Leonessus ad 20. Aprilis relatus, *seculo valedixit & Minorum subivit institutum*; mirabitur, quomodo Patern. Tua n. 31. dicat: *Præterire non possum, quod in derisum Arturi effutit Papebrochius*: hoc enim legebas non a me, sed a Waddingo dictum. Totum ergo relege locum, & vide quomodo non obstante illa ejus, quam nequeo probare, licentia, diligentiam hominis & operam etiam mihi utilem laudem, sic scribens: *Nicolaus, cujus concionibus motus fuit Dominicus ad ineundam Religionem, vir sane & a scriptis & a prædicandi fervore laudatissimus, Romæ in Ara-cæli sepultus jacet, absque ullo vel minimo venerationis publicæ signo. Vitam ejus inter Vitas Sanctorum atque Illustrium Auximatium dudum a se ultimo loco promittit Joannes Baldi, ipsius Nicolai ex sorore Bernardina de Romanis pronepos: sed abstinet titulo, qui cultum ecclesiasticum denotet. Nescimus igitur quo jure a Waddingo vocetur Beatus, nedum quo fundamenta eum Arturus ad 23. Februarii inscripserit suo Martyrologio Franciscano; quod etiam fecit de Juliano Fabrianensi ad 26. Julii, & de Venantio itidem Fabrianensi ad 6. Maji; ob hanc licentiam distribuendorum arbitratu suo per fastos nominum, quibus aliquam virtutis laudem aut sanctæ mortis commendationem additam apud Auctores inveniebat, dictus a Waddingo, haud inepte jocante, Magnus Ordinis Minoritici Papa.*

29 *Utilis tamen nobis, quod citatis diligenter auctoribus, materiam præbeat & occasionem indagandi de multis, & indagando inveniendi de variis; qui, licet non inveniantur Sanctorum adscripti catalogis, nihilominus obtinent cultum ecclesiasticum aliquem publicum, nullis sanctæ Sedis decretis vel abrogatum vel contrarium ob quem eis locum in nostro opere concedere debeamus. Idem faciemus de pluribus aliis, quos solius Arturi testimonio non audemus aggregare Beatis, vel diei per ipsum designato adscribere, quosque ideo nunc inter Prætermissos referimus; si vel ultro mittantur nobis requisita instructionis præsidia, vel petentibus respondeatur aliquid, quo nobis lectoribusque nostris putemus fieri satis; sicut hic in Dominico fecimus, contenti tamen titulo Venerabilis, quo & contentus Waddingus fuit: cum neque Gonzaga dixerit absolute* „ Beatum *sed* „ Beatum Patrem; *quod vix aliud sonat quam quomodo passim dicimus* „ Beatæ memoriæ, *de quibusvis pia, ut confidimus, morte in Domino defunctis.*

30 Sic etiam in Junio aliquoties eumdem Arturum laudo; quin opto, ut illius opus extra reprehensionem ponat aliquis, mutato leviter ordine: ipsum bifariam dividendo, ita ut prima pars ex forma Hagiologici kalendarii, digesta habeat eorum elogia, quorum certus dies vel mortis vel cultus habetur; altera, ordine Alphabetico ceteros, eo quo Saussayus fecit modo in Appendice ad Martyrologium Gallicanum tomo 2. a pag. 1217. ad 1244. tantum utrobique caveatur observantiæ Urbanianæ Constitutionis, distinguendo Sanctos Beatosque proprie dictos, ab aliis quibus ejus appellationis honorem necdum indulget Ecclesia Romana. Eis porro quibus ipsa illum honorem indulget, cum vago per totum annum cultu; deest autem certæ diei definitio; defectum hunc puto facile suppleri posse, a Ministris Capitulisve Generalibus aut Provincialibus, cum licentia Ordinariorum, curando aliquam sacrorum corporum in novas arcas translationem, cujus actionis deinde anniversaria servetur memoria; vel etiam simpliciter approbando diem ab Arturo delectum; ut, quod privata unius hominis auctoritate factum toleratur hactenus, id tandem publica Ordinis approbatione firmetur. Hoc vero si fiat, adeo non sum reprehensurus, ut jam aliquoties ipsam Ordinis tolerantiam, vim approbationis habere interpretatus, de talibus egerim; ac specialiter tomo 4. Maji pag. 43. ubi de B. Francisco Dyrrachino diffusius tracto, quam omnes simul Ordinis Auctores, parce de eo locuti, idque ex Oratione Q. Marii Corradi, ad Archiepiscopum Brundusinum & Populum Uretanum, pro restaurando veteri illius cultu.

31 Commentarium istum num. 15. sic finio: *Cum de antiquo & sufficienti ad Beati appellationem cultu constet, ex præmissis (puta, de corpore supra terram ad venerationem aspectabili, & processionaliter pro siccitate avertenda circumlato) credimus nos posse exemplum sequi privatæ quamvis auctoritatis.* (in tenendo die XVII. quem Arturus designavit) *donec aliunde constiterit de alio magis proprio die; de quo doceri cupientes, scripsimus Collegii nostri Tarentini, Uretano oppido vicinioris, Rectori.* Et hic quidem, diem nullum definitum etiamnum haberi, accepit; misit tamen pro Supplemento materiam, unde facerem, addendum duobus istius Commentarii Capitibus, Caput tertium. *De præsenti cultu B. Francisci recentioribusque miraculis*: quod Caput legere potuisti, Pater Rev. tom. 7. Maii pag. 803. & liquido cognoscere, quantum faveam, non solum ipsi Ordini in eruderandis undecumque Sanctorum ac Beatorum Franciscanorum memoriis, multo quam Arturus ipseque Waddingus diligentior; sed illius ipsiusmet Martyrologio; quod tantum abest ut laceratum aut abolitum velim, ut perfectum cupiam ex culpatumque videre.

32

32 Hujus mei studii in eadem arena mecum desudantes testes simul ac laudatores habeo, Romæ quidem Franciscum Haroldum, Waddingi continuatorem; Florentiæ vero & in Belgio, Antonium Terrincam & Benignum Fremaut, qui non cessant pro eo mihi gratias agere, & auxilium ferre qua possunt, ac vicissim accipere. Quod si aliquos Minoritas, nonax lectione librorum nostrorum, sed novi Ismaelis similiumque quisquiliarum a Carmelitis sibi obtrusarum, vel Exhibitionis tuæ, exasperari quandoque contingat, & de me queri; id ferendum puto patienter, donec ipsismet veritas innotescat. Mihi nihil facilius esset, quam inter Prætermissos, non meminisse eorum, quos sola sua auctoritate Martyrologio Franciscano adscripsit Arturus, si ita Ordini placere intelligerem ex ejus Superioribus: quamdiu autem istam illis gratiam facere permittor, æquum est ut eodem modo eademque libertate de ipsis agere sinar atque de aliis aliorum Ordinum, similiter Prætermissis; scilicet indicando causas cur ita faciam, atsque eunctor locum honoratiorem dare in opere nostro, donec certius pleniusqua edoctus fuero de cultu vel cultus die.

33 Porro commiserationem mihi moves, R. P. Professor, cum, veluti resumpturus, in meque retorsurus male Bollando impactum ab Arturo proverbium, *Medice cura te ipsum*, me vocas *ineptam Ordinis Jesuitici Papam*, quia ante tomum 7. Maii, finiens Vitam Magistri mei Godefridi Hanschenii, dico, quod mihi sociisque *oranda sit benedicta illius anima, ut coram Deo Sanctisque assistens* (quod scilicet futurum aliquando, confidere suadet caritas Christiana de omnibus, post vitam laudabilem pie defunctis) *virtutum internarum* (quarum notitiam Deo Confessarioque relinquebam) *partem aliquam consequi faciat successores suos, simulque gratiam impetret non indigne gerendi, quod nobis decedens reliquit onus*. Hoc si Tibi est, R. P. *Beatificare & Beatum vocare*, quomodo Beati censentur dici, quotquot Fastis Sanctorum ac Beatorum inscribuntur, per me licet ut me etiam voces *Ordinis Carmelitici Papam*; quia alicubi optavi *animæ RR. PP. Francisci Bonæspei & Danielis a Virgine Maria mihi apud Deum propitiae esse*.

34 *Josephum Anchietam Neirembergius*, inquis, *non tantum Sanctum vocat, sed etiam Sanctissimum; & Bollandus, Canisium*. Fallis, aut falleris, P. R. Canisius a Bollando non dicitur aut scribitur absolute *Sanctus*, aut *Sanctissimus* (quod tamen superlativum etiam vivis tribuitur) sed *Sanctissimus vir Petrus Canisius*, quomodo & de Anchieta loqui puto Nierembergium: sed cavissent illi, in aliquo Jesuitarum, nedum in Beatorum Catalogo scribere *B. Petrus Canisius*, sicuti scripsissent *S. Ignatius de Loyola*; & sicuti ubique Beatos suos scribit Arturus. Interest modi, interest loci: & sic excusari potest quod dicis num. 23. *Nihil scriptoribus communius quam illos vocare Beatos, qui cum odore sanctitatis vixerunt & obierunt, vel ob virtutem aliquam Christianam ab hæreticis occisos, aut etiam post mortem miraculis claros, licet a Sede Apostolica necdum sint beatificati*. Hoc autem scientes nos, hujusmodi titulum, ab aliquo scriptore simpliciter usurpatum, maxime ante Urbani VIII. constitutiones, non censemus sufficere, ad cujusquam nomen vel Acta operi nostro inserenda, si non accesserint aliqua alia venerationis ecclesiasticæ, publicitus indultæ vel toleratæ, indicia, Hagiologis tamen & obligatis vere ac proprie *Beatos* manifestius distinguere ab aliis, ut obligabatur Arturus, puto non tam facile id ignoscendum, quantumvis initio operis protesteatur, se Urbanianis Decretis morem gestum velle, nec aliter intelligi, quam id permittat illis debita observantia. An autem in hoc tam religiosi ac scrupulosi sint Carmelitæ, quam Jesuitæ, Apostolica Sedes dijudicare poterit, si res rebus, & scriptores scriptoribus conferat. Ego manum ab hic tabula retraho, certus multos aliorum Ordinum in hoc opere referri, quorum non ita publicus & conspicuus, permittente expressius eadem sancta Sede, cultus est fueritve, quam est *Venerabilis Petri Canisii, Friburgi in Helvetia Patroni appellati*; aliorumque ex nostra Societate plurium, qui suo quique loco Patroni habentur & honorantur; de quorum interim causa deque publicando latius ac solennius cultu, agitur secundum leges Pontificias in Rota Romana: malumus enim indulgentiæ ergo externos, morositatis erga domesticos accusari, quam e contrario argui.

35 Atque hæc satis sint pro iis, quæ *dilacerare* mequereris, Martyrologiis. Ut autem magis appareat, quam non imprudanter tacueris de Hispanico, dabo hic loca quædam Cardinalis de Aguirre, sicut ea ex primo Hispanicorum Conciliorum Tomo raptim excerpsit amicus ipsius ac meus; ad hoc servitura, ut & tu, Rev. Pater, intelligas, quo modo ipse sentiat, non solum de aliis jam sæpe nominatis Higueræ figmentis, sed etiam de istis quæ Argaizius Benedictinus protraxit in lucem. Ignoravit illa quidem Lezana, quia eo vivente & scribente necdum prodierant: sed P. Bonæ-spei, aliique post eum, ambabus, ut dicitur, ulnis amplexi eadem sunt; quia scilicet istic reperiebant, jam inde a primo atque secundo seculo, honoratum Ordinem titulis *Carmelitarum* & *Fratrum B. Mariæ de monte Carmelo*; Hispaniam vero impletam eorumdem Monasteriis atque Eremitoriis, plurium utriusque sexus Sanctorum feracibus, unde insigniter augeri posthac possint Carmelitici Fasti, & nova multa Officia condi, si sacræ Rituum Congregationi valeatis persuadere, verum ac genuinum ac fide dignum esse *Chronicon*, quod nuper sub nomine *Huberti Hispalensis* protrusit præfatus Gregorius de Argaix, operosissimeque propugnandum suscepit. Aguirrium audiamus, pag. 154. sic loquentem.

36 *Plurima alia, spectantia ad Prædicationem S. Jacobi & Discipulorum, præsertim Toleti, & ad conversionem Hebræorum ejus nobilissimæ urbis, prætermitto, per otium legenda apud Chronica & Adversaria, a centum annis usque modo evulgata, nomine Dextri, Maximi, Heleca, Luitprandi, Juliani Perez, & Huberti Hispalensis; atque apud illorum defensores, Hieronymum Higuera, Laurentium Ramirez de Prado, Rodericum Caro, Thomam Tamajum, Franciscum Bivarium, Joannem Tamajum toto fere Martyrologio Hispano, Antonium Quintanadueñas, Gregorium Argaiz, & alios similes. Nobis, patriæ ac nationis florentissimæ amor, cum ipso lacte haustus, non magis cordi est aut esse debet, quam studium veritatis, cujus*

jus leges vetant dubia pro certis, aut spuria pro germanis obtrudere aut venditare.

37 Tum pag. 301. & 302. scribit eodem in Tomo idem D. Card. de Aguirre. *Mira sunt & speciosa, quæ de Melantio Præsule Toletano, subscribente Elibertana Synodo, leguntur in Pseudo-chronicis Dextri, ad annum 286. Juliani, ad 281. & 288. Luitprandi fragmento IX. & XII. ad annos 302. 305. ac 310. a nullo prorsus veterum memorata vel audita, quotquot scripserunt de rebus Hispaniæ vel magnæ Ecclesiæ Toletanæ, usque ad annum millesimum quingentesimum nonagesimum. Inde quippe, aut paullo post, illa Pseudo-chronica & alia similia, excogitata fuerunt & evulgata, ab homine inimica veritatis historicæ, & audacissimo, siquis unquam fuit, fabularum architecto. Ex eo, sine delectu, nimia fide, & crisi nulla, farragines & commenta plura de Melantio mutuarunt plerique recentiores Hispani, ac præsertim Quintanaduennas lib. 2. Urbis Toletanæ seculo VI. pag. 227. & seqq. Jo. Tamayus in Martyrologio Hispano, Tom. V. ad diem 22. Octobris, confundentes illum cum S. Melanio Episcopo Rothomagensi, qui in Martyrologio Romano ea die colitur; & plurima alia addentes, quæ numquam in cogitationem hominum venerant, usque ad finem fere seculi præcedentis, & non absque rubore legunt eruditissimi quique Hispani, quibus honor nationis florentissimæ & veritatis amor cordi est.*

38 Postea ad pag. 213. idem suum judicium confirmans: *Hæc fuit origo*, inquit, *tot fictionum & fabulosissimarum narrationum, quibus pleni sunt plerique libri Historiæ Hispanicæ, ab initio fere hujus seculi, scripti: præsertim sex vasta volumina Martyrologii Hispani, edita a Jo. Tamayo de Salazar, qui commentis Higueræ plurima alia, eaque insulsissima addidit, & ubique sparsit; magno quidem vulgarium & semidoctorum hominum plausu; sed ingenti dolore ac rubore eruditissimorum quorumlibet, intra & extra Hispaniam. Itaque pariter fabulosa sunt quæ ii scribunt de Flavio Episcopo Eliberitano.* Sic insignis ille & eruditissimus Purpuratus tractat, ac vere meritoque dilacerat Hispanicum Tamayi Martyrologium, non paucis illis locis tantum, sed aliis plurimis quoties occasio sese dat, nullo habito confratria sui Argaizii respectu. Prolixius autem idem facit eodem tomo pag. 323. & seqq. quare unus iste locus, pro centum aliis futurus, meretur hic legi.

39 *Ex iis*, inquit, *turbidis & faeculentis lacunis Joannes Tamayus de Salazar, nimia credulitate, & crisi nulla, delibavit, aut potius coacervavit figmenta innumera, iisque implevit sex illos tomos sui Martyrologii Hispani, a vulgo & semidoctis receptos cum ingenti plausu; sed stomachum ac bilem moventes eruditissimis quibusque Hispanis & ceteris. Nec contentus Tamayus aliena commenta suis scriptis inserere, adjecit de suo plurima tertio quoque verbo, ac præsertim carmina insulsissima, & nec Grammatices, nec Poeseos leges servantia, tamquam olim a Maximo, aliisque viris gravissimis scripta; quæ tamen partim ab ipso Tamyao: partim ab aliis conjectaribus ejus, in domo illustrissimi D. Didaci de Arce-Reynosa. Inquisitoris Generalis Hispaniarum, absque ullo genio aut sale composita fuerunt.*

40 *Verum inter omnia absurda ab Higuera, Tamayo, & aliis similis farinæ hominibus inducta, illud imprimis intolerandum est, quod sanctitatis titulo donare ausi fuerint, sive in numero Sanctorum Hispaniæ, vel ad Hispanias spectantium recensere, ac certis illarum Ecclesiis, Urbibus, vel Populis assignare plurimos homines (idemque est de feminis) quos nec Ecclesia universalis, nec ulla particularis venerata fuerat seu cognoverat, usque ad annum circiter 1593. quo Higuera cœpit vulgare ea figmenta. Inveniuntur quidem in Martyrologiis, aut Menologiis, Sancti plurimi ejusdem nominis, cujus fuerunt alii innumeri non Sancti. Immanis vero ausus eorum veteratorum fuit, ubi inveniebant in Conciliis vel aliis monumentis exploratis Hispaniæ, quosdam Episcopos, Presbyteros, Diaconos, vel alterius conditionis homines, confundere illos cum aliis Sanctis viris aut mulieribus ejusdem nominis, extantibus in Martyrologiis, Menologiisve; aut cum iis, qui peculiari traditione cujuspiam provinciæ vel urbis, censentur & coluntur ut Sancti. Qua fictione quænam alia in rebus adeo sacris perniciosior esse possit, ego non video.*

41 *Et hoc ipsum plane accidit circa Patres illos, sive Episcopos, sive Presbyteros, sive Diaconos, qui intervenerunt præsenti (Illiberitano) Concilio. Felix enim Episcopus Accitanus, qui subscribit primo loco, ponitur ab iis veteratoribus inter Sanctos, & confunditur cum Felice illo Episcopo, qui in Martyrologio Romano memoratur ex Usuardo 18. Maii, & fuit Episcopus Spoletinus in Italia, aut Spalatensis in Dalmatia, ut habet Petrus de Natal. in Catalogo Lib. 5. Cap. 13. Similiter Melantius, Præsul Toletanus, septimo loco subscribens, nova metamorphosi mutatur in S. Melanium Episcopum Rothomagensem, cujus festum ponitur ad diem 22. Octobris in Martyrol. Romano. Patricius quoque Episcopus Malacitanus, decimo loco subscribens, transformatur in S. Patricium Hiberniæ Apostolum & Primatem, qui colitur 17. Martii. Hæc omnia supra indicavimus suis locis, & rejecimus, omittentes plura alia similis farinæ seu potius furfuris.*

42 *Sed & hoc ipso loco similes fabulæ eorumdem Higueræ & Tameyi occurrunt, circa alios huic Concilio intervenientes, veluti Luxurium de Drona, & Camerinum; quos Martyribus accensent ad diem 21. Augusti in Martyrologio Hispano, eo quod illorum eadem die in Romano fiat commemoratio. Sed nulla vel levissima umbra fundamenti est, non dico ad censendum, sed ne ad suspicandum quidem, Luxurium Presbyterum hoc loco memoratum, esse illum Luxorium (ita nominatur, non autem Luxurius) Martyrem, qui colitur ab Ecclesia universali die 21. Augusti. Quin vero ii duo Pseudo historici legerunt ibidem Camerinum Luxorio adjungi comitem martyrii, ne dolus detegeretur, sive potius, ut dolus duplicaretur, addiderunt, Camerinum Episcopum Tuccitanum, qui huic Concilio subscribit quarto loco, esse ipsissimum illum Camerinum, qui comes Luxorii in martyrio fuit apud Sardiniam: cum tamen neuter eorum reipsa fuerit Presbyter aut Episcopus, nec id memoretur a Mombritio tomo 2. de Vitis sanctorum, vel a S. Gregorio Papa libro 7. Registri in Epist. ad Januarium Calaritanum, unde eorum commemoratio in Martyrologium Romanum emanavit. Immo & Mombritii Acta testantur, Camerinum illum apud Sardiniam passum fuisse ac coronatum martyrio cum*

pueru-

puerulus esset, adeo ut verba nesciret accommodare Præsidi. Quomodo ergo is tenera ætate occisus, potuit esse postea Episcopus Tuccitanus, ac tandem (quod novum figmentum est) Toletanus. Tot hæc commenta circa Camerinum adeo aperta & proprosa sunt, ut postquam ad diem 21. Augusti pagina 529. ea Tamayus protulerat litera I. postea quasi religione perculsus pagina 541. agnoverit, narrationes, Juliani nomine editas, in ea parte erroribus scatere: sed melius diceret, plenas fabulis & probrosis mendaciis ubique fere esse.

44 *Porro ex iis, aliisque plurimis, inter alia damna, id malum secutum vereor, ut in multis Ecclesiis & Populis Hispaniæ, nimia simplicitate ac credulitate delusis, celebrentur plura festa eorum Sanctorum, qui nullo prorsus titulo ad illas spectant, nisi fictitio; immo & eorum, qui Hispani quidem fuerunt, verum nunquam ab Ecclesia inter Sanctos relati. Dignum censeo supremâ illa Hispaniarum Inquisitione, immo & hac Sancta Sede, in ea omnia inquirere; & gravissimis quibusdam lectissimisque viris injungere omni examinanda, omni studio atque ingenuitate, sex illa volumina Martyrologii Hispani; & resecandi innumeras fabulas similes, quibus scatent in materia adeo gravi & sacra. Iterum præterea, ut radix tanti mali extirpetur, nec illud postea revocetur ex orco; oportet idem examen adhiberi omnium Pseudo-Chronicorum, Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, ac Juliani nomine evulgatorum a P. Higuera, eorumdem architecto, & propterea irriso semper ab ipsius doctissimo contubernali Jo. Mariana, ac totics gravissime reprehenso, nominatim a Bollandianis ejusdem instituti. Pleraque enim figmenta in eo Martyrologio sparsa, ex iis Higueræ fabulis desumpta sunt; licet Tamayus multa alia de suo addiderit, & ex magisterio illius in arte mentiendi aut fingendi profecerit.*

44 *Id ipsum moneo circa Pseudo-Aubertum Hispalensem, obtrusum post medium hujus seculi labentis ab Antonio Lupiano Zapata, in quo similes fictiones occurrunt, præsertim circa Sanctos, Ecclesias, & alias res sacras Hispaniæ. Eas omnes fere tuendas recepit, immo & vindicandas vastis voluminibus, Gregorius Argaiz, præsertim ex testimoniis illorum Pseudo-Chronicorum, quasi ea essent exploratæ fidei. Majori simplicitate quam judicio scribens, id solum obtinere potuit, ne prudens & sciens mentiri censeretur, dum tot aliorum fabulas, non tam mala fide, quam nimia tuebatur. Cum eo, dum viveret inter nostrates, perinde fere me gessi, ac Jo. Mariana cum sodali Higuera; ægre ferens tot bonas horas ab illo in tam mala causa defendenda collocari. Verum is, ut erat præjudiciis occupatus, & jam plurimos annos assuetus iis nævis credendis ac protegendis, nihil moratus opinionem meam, & plurium doctorum ac prudentium virorum, perstitit immotus: &, quemadmodum tenet insanabile multos scribendi cacoethes, sic in eo prævaluit inveteratus scripturiendi genius, & tuendi commenta illa a Lupiano intrusa.*

45 *Quapropter jam a multis annis censui, & quotidie in ea sententia confirmor, e re boni publici & Ecclesiæ, præsertim Hispanicæ esse, ut, quemadmodum libri illi de Monte Granatensi, & laminis ac reliquiis in eo repertis, accurate examinati fuerunt & postea prohibiti; ita etiam omnes libri supra indicati, & subinde scripta quæque*

in eorum defensionem edita, accuratissime examinentur. Quod si inventa fuerint fabulosa, & præsertim in rebus adeo sacris (ut mecum sentiunt gravissimi & eruditissimi viri intra & extra Hispaniam) supremus Fidei in ea Senatus, aut hæc Sedes Apostolica, decernat opportunum tanti mali remedium. Hæc citra invidiam aut præjudicium ullum, vel studium partium ab utraque parte decertantium, mihi semel hoc loco, & occasione data, consuluisse liceret. Unde quoties in decursu prolixi hujus operis quisquiliæ ejusmodi occurrerint, aut illas silentio obvolvam, veluti memoratu indignas; aut levi manu rejiciam, ne quis impudens, vel nimium credulus, ullam iis accommodet fidem.

A P P E N D I X.

Judicium Illustriss. Lucæ Holstenii, Canonici & Bibliothecarii Vaticani, de correctionibus Romano Martyrologio adhibendis, uti cœperat Joannes Bollandus inter Acta Sanctorum Januarii.

46 EXorsus Articulum hunc ab ipsa, ut ita loquar, Martyrologiorum genesi, dixi, Martyrologium, quod Hieronymianum appellamus, unice in usu Romanæ Ecclesiæ fuisse, usque ad Usuardicum in ea receptum, id est usque ad secul. 9. Erat istud vere ac propriissime merumque Martyrologium, utpote aliud non continens quoque die, quam qui & quo loco Martyres facti essent. Quia autem inter manus librariorum, sæpe ineruditorum atque oscitantium, nihil facilius corrumpitur variaturque quam ordo ac forma nominum propriorum, nude atque extra contextum Historiæ positorum, sicut illa istic ponuntur; fieri non potuit, quin tali in Martyrologio, sæpius descripto atque rescripto, obreperent menda fere innumera, quæ non possint ad veram lectionem adduci, nisi ex collatione plurium veterum exemplarium. Interim Usuardus quotidie aliquos inde sumpserat Sanctos Martyres: Baronius vero, cum suis ad hodiernum Martyrologium formandum collegis, servato qua poterat Usuardi contextu, non tam huic corrigendo, nullis ad hoc instructus subsidiis, quam undique augendo intendit.

47 Et sic necesse fuit remanere etiam in hodierno novoque Martyrologio antiquos, siqui obrepserant Usuardo, errores; deinde & novos obrepere in iis, qui novi adderentur, Sanctis; quia hi sumendi erant, partim ex Menologio Græcorum, levi valde manu per Guilielmum Sirletum Latine reddito, partim ex Joannis Molani ad Usuardum Additionibus, partim ex aliis undequaq; submissis, adminiculis recentioribus; quæ sigillatim omnia examinare & corrigere, majoris longe molitionis erat, quam confici posset brevi illo tempore, quod permittebatur a cupidis quam primum videndi Martyrologii novi, quo deinceps Ecclesia uteretur, veteris pertæsa, ob vulgo jactatam illius imperfectionem. Atqui primum ac vetustissimum illud Hieronymianum, quod pro fundamento esse debuerat, Romæ nec habebatur, neque sciebatur extare uspiam. Primus illud ex Monasterio Epternacensi S. Willebrordi, illuc ab ipso Sancto ex Anglia allatum, ejusque propria manu hinc inde notatum, extraxit Bollandus: quo cum in Januario uti cœpisset, is qui

tunc præcipua eruditinnis laude florebat Romæ Lucas Holstenius, in spem venit videndi tandem expurgatum residuis adhuc erroribus non paucis Romanum Martyrologium; maxime si plura reperirentur exempla, ex mutua inter se collatione datura & acceptura lucem fortassis tantam quantam quoad veteres integra Martyrologii reformatio postulat.

48 Tale ergo unum esse Lucæ intelligens, virumque ibi eruditissimum, Franciscum Mariam Florentinium eidem elucidando incumbere, officii sui esse duxit, eumdem conicium facere thesauri Antverpiæ latentia, prous fecit anno 1658. ea Epistola, cujus memini num. 7. supra. Hac ille animatus, ac primo a nobis nactus ecgraphum codicis Epternacensis, tum aliud codicis Corbeiensis ex Gallia, tertiumque Baronis Blumii ex Germania, tandem anno 1668. vulgavit, Italiæ toti desideratissimum opus, sub hoc titulo: *Vetustius Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium, D. Hieronymo a Cassiodoro*, [1] *Beda, Walefrido, Notkero, aliisque Scriptoribus tributum, quod nuncupandum esse Romanum, a Magno Gregorio descriptum, ab Adone laudatum, proximioribus seculis prateritum & expetitum, non leviora argumenta suadens*; quodqua *Franciscus Maria Florentinius; Nobilis Lucensis, ex suo præsertim, ac patrio majoris Ecclesiæ, pluribusque aliis probata fidei codicibus, qua Notis, qua Exercitationibus explicatum, integre vulgavit.* Huic præclaro ac grandi operi, inter Admonitiones prævias pag. 4. præmittitur supra dicta Holstenii Epistola, cujus partem aliquam hic recudi operæ pretium fuerit, ne post hæc ego tibi magis quam iste videar *auctoritatem Ecclesiæ convellere & hæreticorum ludibrio exponere* scribendo, quod *fere quotidie observamus complures Romani Martyrologii errores.*

49 Ergo a laude Bollandiani operis, cujus solum adhuc viderat Januarium, exorsus Holstenius, moxque ad codicem Epternacensem transgressus (Trevisensem ille vocat, quia ad diœcesim Trevirensem pertinet Epternacum) *Fidem*, inquit, *hujus Martyrologii unum præ ceteris illustre exemplar mihi comprobavit. Ad v. Idus Januarias Martyrologium Baronianum commemorat in Africa* „ Natalem SS. Martyrum Epicteti, Jucundi, „ Secundi, Vitalis, Felicis, & aliorum septem. *Vetustissimum S. Hieronymi apud Bollandum Tom. 1. p. 567.* „ In Africa, Epicteti, Quinti, Secundi, „ Jocundi, Saturnini, Vitalis, Quincti, Vincentii, „ & Felicitatis. Item Quincti, Felicis, Artaxia, „ Fortunati, Rustici, Silli, Quincti & aliorum sex.

50 *Baronius in Notis*, „ Epictetum *amesignanum*, „ Assuritanum Episcopum, *ex sola nominis similitudine, quod apud* Cyprianum *extat*, ☞ *conjicit, adeoque sub Decio passum. Sed mihi, Hieronymiani illius Martyrologii beneficio, certo constat, Martyres hosce Severi persecutione periisse, quæ anno Christi 205. ponitur. Nam Acta passionis SS. Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, quæ Tertullianus libro de Paradiso laudat ..... hosce Martyres in visione Paradisi (ut ille vocat) ita commemorant:* „ Quatuor illi Angeli, qui gestabant nos, „ deposuerant nos; & pedibus nostris transivimus „ stadium via lata, ubi invenimus Jocundum & „ Saturninum & Artaxium, qui eadem perse„ cutione vivi arserant; & Quinctum, qui & „ ipse Martyr in carcere exierat. *Sic Acta vetustissima. Itaque eadem persecutione, Jocundus cum sociis, mense Januario; & Perpetua atque Felicitas, cum Revocato, Saturnino, Secundulo & Saturo sociis, Nonis Martii passi fuerunt. Et quia priores illos vivicomburio periisse constat, rectius de ipsis accipi puto verba Tertulliani Apolog. cap. 50. quæ Baronius aliis minus certis tribuit ad diem 6. Januarii. Hilarianus enim, qui hanc persecutionem exercuit, primus exeruit gladium in Christianos Afros, teste Tertulliano ad Scapulam. Sed multa minus recte a Baronio scripta, Actorum istorum fide corrigi posse, alibi ostendam....*

51 *Qui in Martyrologio, quo nunc utimur, concinnando, varias diversorum codicum lectiones non satis accurate dispexerunt; pro veris* ☞ *falsos, & pro uno plures Sanctos* ☞ *effinxerunt. Exemplum in ipso limine offendes. Qui enim die 2. Januarii tamquam diversi ponuntur,* „ B. Isido„ rus Episcopus, *& paulo post* „ S. Spiridon Epi„ scopus; *pro uno vero duo falsi substituuntur, vitio ambo creati ex vera lectionis ignoratione, ut ex vetustissimis manuscriptis deprehendi, in quibus semel simpliciterque legitur;* „ Antiochiæ. Syro„ Doni Episcopi ejusdem loci; *unde & veram lectionem & erroris originem facile perspexi. Quis enim non vides, legendum* „ Antiochiæ Syriæ. „ Domni Episcopi ejusdem loci. *Atque ita, vero illius loci possessore in integrum restituta, duos hypobolimæos expungendos.....*

52 *Simili errore ad diem 7. Januarii, invitis omnibus antiquorum Martyrologiorum exemplaribus, inseritur:* „ in Dacia. S. Nicetæ Episcopi, qui „ feras ac barbaras gentes &c. *cum eumdem alibi suo loco, hoc est 22. Junii, & Romanum ipsum & alia probatæ fidei Martyrologia commemorent. Quo loco Baronius neque ipsius Nicetæ, neque civitatis Episcopalis verum nomen perspexit: unde ex uno eodemque Niceta duos constituit. Fuit autem* Nicetas, Romitianæ Episcopus, *olim S. Paulini Nolani hospitio & carminibus celeberrimus: ideoque, cum de certo exitus ejus die non constaret, Ecclesia ejus commemorationem cum S. Paulini memoria conjunxit, quod Romano Martyrologio consuetum esse nemo ignorat: neque aliam ob causam Joannes Neapolitanus Episcopus, itidem Paulino, eodem 22. Junii die subjungitur, quam quod idem Paulinus eum ad cælestia regna vocavit. Itaque Baronius gemino errore hic* ☞ *hariolatur, dum* Nicæam *Nicetæ præfert; & Sedem ejus ex* Dacia *ad Aquilejam transfert. Fuit enim* Romatiana *Daciæ mediterranea civitas sub metropoli Sardicensi, inter Naissum, Constantini Magni patriam, & ipsam Sardicam posita; & Antonini Itinerario*, Remisiana; *Hierocli & Constantino Porphyrogenito*, Remigiana; *Tabula autem Augustana*, Romesiana dicitur. ...... *Hæc non eo animo ad te scribo, ut magni viri* ☞ *hallucinationes sugillem; sed ut te commoneam quantum referat, veram genuinam antiquitatem non interpolari, sed religiose produci ad veterum*

[1] Non dubito, quin Cassiodorium scripsisset Papebrochius, si dissertationem Cl. Marchionis Maffeii de Cassiodorio videre potuisset tom. 2. observ. lit. p. 318. aut ejusdem Præfationem ad Complexiones Cassiodorii. Nollem tamen piaculo duci, siquis *Cassiodorum* hodieque scriberet, atsi Cassiodorium scribi malim, quam Cassiodorum ob Veronensis Codicis, unde *Cassiodorii* nomen erutum est, antiquitatem, aliasque Maffei sane solidas rationes.

rum librorum fidem ; ita sibi & Lucensi Ecclesiæ laudem , & gratiam conciliabis upud eos , qui eu merito sacra ista cimelia æstimant.

53 Ita ad Florentinium Lucas Holstenius, non solum totius Romanæ Curiæ ipsiusque imprimis Alexandri VII. Papæ judicio eruditissimus; sed etiam omnium, qui cum eo agere ac loqui meruetnor , testimonio modestissimus , de suo in Bibliothecæ Vaticanæ Præfectura decessore Baronio, deque elucidato per eum Romano Martyrologio, nullam se vel illi contumeliam dicere, vel sibi immodestiæ notam inducere credens , cum eum dicit, in illo *conjicere* quidpiam (quod facete in rebus ambiguis subinde me , maximo crimini ducit Patern. Tua) vel etiam *bariolari* (quod minus commode accipi potest) sed etiam conjiciendo & bariolando , *hallucinari* , atque *pro veris falsos* Sanctos *effingere*. Non tam delicatæ sunt aures eruditorum & criticorum, ut ad ejusmodi minus blandas & minus scrupulose cribratas voces commoveantur; sed considerant solummodo, quam vere solideque notatus error judicetur. Quibus autem verbis Holstenius in fine Epistolæ utitur, ne insultare Baronio videatur; iis nos uti crede, quoties eum corrigimus , postquam de eo ejusque operibus præfati ea sumus , quæ Act. 8. §. 2. iterum legenda dedi.

54 Porro quam digna fuit Holstenii Epistola quæ hic delibaretur, & ad propositam criminationem diluendam apta; tam efficacia etiam sunt, quæ habet ipse Florentinius variis locis Admonitionum præviatum, ex quatum undecima pag. 51. juvat delibare hæc pauca: *Notissimus in Romano Martyrologio error fuit ad diem 24. Januarii , Antiochiæ nova Martyr Xynorides , quæ tam in editione anno 1580. quam in prima etiam a Baronio emendato , ac notis illustrato irrepsit, & non nisi gravissimorum est virorum monitis expunctu , quod nimis supine pro proprio Martyris nomine inductum appellativum fuerit . Dolent pariter aliqui inter Galliæ scriptores , quod ex duplici in antiquis Martyrologiis memoria Dionysii, nempe Parisini VII. Idus Octobris, & Atheniensis V. Nonas Octobris, Galesinus unum conflaverit , Parisinum simul & Atheniensem, minus fincera Hilduini Areopagitica secutus; & nuper Henricus Valesius , in dissertatione de Martyrologio Romano, animadvertit, ad diem 2. Novembris Theodosium Laodiceum Episcopum memorari , qui post Nicænum Concilium Arianorum sectator , in Eustathium Catholicum Episcopum Antiochenum conspiraverit , ut testis est Theodoretus lib. 2. Hist. cap. 14. quamvis id ex Usuardo & Adone videatur desumptum . Nec Cambefisius, in Notis ad Anonymum de Actis Nicæni Concilii , Baronio acquiescit , quod ad diem 12. Septembris Paphnutium Ægyptium addiderit, Meletianum illum quidem non spernendis rationibus astruens, cujus Epiphanius & Athanasius meminerint .*

55 *Probarunt quidem Pontifices sapientissimi Romanum Martyrologium, & de eorum , qui emendationi præerant , prudentia & eruditione confisi, quam emendatum prodire satrgerunt; sed adhuc nævos aliquos irrepsisse, sunt qui conquerantur. Ferrarius ad calcem novæ Topographiæ Romani Martyrologii aliqua emendanda in subjuncto indice proponit , præsertim quantum attinet ad Historiam, Quæ sane (addit Saussayut in apparatu ad Gallicanum Martyrologium cap. 18.) dignissima notatu sunt & propera vindicatio*ne. *Novo-vetera quotidie ex cimeliis proferuntur, quæ anteactis seculis lucem non minimam afferre possint. Equidem si Baronius oculatissimus, Martyrologium Adonis præfixum, & a se toties expetitum vidisset, ditasset utique Romanas Tabulas Martyribus plurimis, & obscuris adhuc atque incertis lucem doctissimus intulisset. Sed dies erit , cum in lucem prolatis, quæ de Martyrologiis Bollandus ejusque Socii meditantur , sapientissimus alius Pontifex iterum Romanum Martyrologium emendari & locupletari mandabit; cui si aliquid conferre Martyrologium nostrum contigerit , de maximo in me Dei beneficio, in idipsum me laturum confido. Non equidem Gregorius decimus tertius , multa laude alioquin dignus , postremam Ecclesiasticis Tabulis emendationem decrevit: sed quantum potuit , emendatas prodire curavit; nec omnem exhaurire potuit , quam habet Romana Sedes examinandis Ecclesiasticis libris auctoritatem.*

56 Talia cum Florentinius sentiebat atque scribebat de Actis Sanctorum , soli Januarius Februariusque prodierant : ad hos autem præluxerat Bollando Henschenioque Hieronymiani Martyrologii unicum dumtaxat ecgraphum , vetustius quidem Corbejense , Lucensi , ac Blumiano , sed tamen mendosius . Genuinum Bedæ Martyrologium, cum Flori Supplementis (nam quod sub ejus nomine impressum circumferebatur , & a Baronio allegatur identidem , primum seculo 14. aut 15. collectum ex Adone fuit) genuinum, inquam, Bedæ ac Flori Martyrologium, quod ante tom. 2. Martii primus protuli, necdum erat inventum . Quamquam autem Usuardum habebamus, a Molano & Rosweydo cum variis tam nostris quam alienis manuscriptis collatum; alia tamen fere centum, cum quibus ipsum in Italia Galliaque contulimus, necdum Bollando attuleramus. Quoad Græcos vero codices, necdum aliud habebat ille, quam Menologium a Sirleto perquam defectuose traductum ; & Venetiis an. 1595. excusa Menæa ; quorum infinitos errores defectusque postea corrigere atque supplere nobis contigit, ex codicibus inventis descriptisque Romæ, Florentiæ, Mediolani, Parisiis. Adde, post editos primos duos Menses, iisdem aliisque in locis reperta Sanctorum illoc spectantium Acta, jam editis antiquiora sincerioraque ; item Vitas memoriasque antea nobis penitus ignotorum; nec non eruditorum lucubrationes interea vulgatas longe plurimas, unde & notitia rerum major nobis accessit, ad Menses secuturos plenius accuratiusq; pertractandos; & supellex ecclesiasticæ antiquitatis, huic operi tam necessaria, vehementer aucta fuit.

57 Igitur Florentinius, qui tam magnifice sentiebat de primis (ut sic loquar) rudimentis operis;. quanti, putas, illud æstimaturus fuisset, quamque ad universalem Martyrologii Romani correctionem instituendam utile judicaturus ; si illud cognoscere licuisset ex Martio , Aprili , Majo, successive perfectioribus, & (ut speramus) perficiendis tanto magis, quanto longius procedet annus sacer; & quando hic denique totus novo studio recognitus fuerit , semper seipso perfectior, post centum aut centum quinquaginta annos, quam fuerat, anno 1630. inchoatus. Et Tu, Rev. Pater, hunc tam felicem, & toti eruditorum nationi tam probatum progressum, ut sistat Romanus Pontifex , supplicare præsumis; quia desperas fieri posse, ut in eo probata

aliquando inveniatur vestra tot figmentis fulta sententia?

58 Deus & Sancti avertant malum; atque utinam in tuum caput non vertant, quod machinatus es, meo tot annorum silentio inductus in spem fiduciamque impune calumniandi quæcumque libuisset: apud eos scilicet, qui de tua, hominis Religiosi, totque titulis ornati fide securi, solam tuam Exhibitionem lecturi essent, vel obiter cum meis voluminibus collaturi accusata a te loca, quia non satis vel otii vel patientiæ haberent ad antegressa consequentiaque expendenda. Equidem de horum etiam æquitate confido, quod has Responsiones similiter legere dignabuntur; facile deposituri quæcumque suscepta præjudicia, si Exhibitionem tuam ad ipsas articulatim conferant: simul etiam cognituri, quam non conveniat dissimulari errores, tolerantiæ quantumcumque diuturnæ publicæque favore subnixos, præsertim in rebus & historiis sacris; sed liberrime discuti excutique, non coram vulgo, sed coram eruditis, quorum dumtaxat oculis subjiciuntur & manibus versantur Commentarii nostri. Hos vero passim ac populariter accusando, quid aliud efficitis, quam ut ipsum quoque rude vulgus cognoscere faciatis, quæ sint prudentiorum sententiæ de opinionibus vestris, tanta cum acrimonia vehementiaque inculcatis, quasi tota salus vestris Ordinis in eo versetur, si de illis nemo vel tacitus dubitet.

ARTICULUS XIX.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibentur ea, quæ Papebrochius, inter Acta Sanctorum, habet contra receptas in Ecclesia Traditiones.

RESPONSIO.

Lecto titulo, R.P. timebam, ne percurrens sigillatim Traditiones populares quascumque, ad Historiam vel ecclesiasticam vel secularem pertinentes, Iliadem mihi texeres Accusationum, propter singulas earum, quas ego vel obiter attingere minorisque facere visus sum totis meis 14. tomis: quibus ego si responderem, sicuti sigillatim respondi Art. xi. & xv. de Vitis Sanctorum & Historiis sacris, in grandius multo, quam expectat Lector, opus excresceret. Sed metum posui, cum lectis Paragraphorum tuorum quatuor titulis, omnem conatum tuum eo tendere vidi, ut persuadens, hinc quidem me nihil credi velle, nisi quod inveniatur coævorum auctorum scriptis affirmatum; inde, traditiones vestras esse tales, quibus aliud nihil ad fidem deesse possit quam ejusmodi testimonia, ut eas recipere cogantur omnes.

2 Ante omnia tamen, ut judicio quasi domestico convictum me teneas, tum Præambulo 4. tum Articulo hoc toto, varia loca colligis ex Hercule Commodiano nostri Theophili Raynaudi, veluti in Joannem Launoyum quadrantia: de quo credi vis, quod mihi dux & auctor fuerit ejus sententiæ, quæ nec mihi neque ipsi unquam venit in mentem; imo quam positive refutavi. Hoc autem feci Dissertat. 5. parte 1. Conatus pag. 29. & 30. & Patern. Tua ex eadem Dissertatione assumit materiam accusationum suarum. Quamvis enim ibi solum intendam ostendere, quantam vim habeat argumentum istud contra prætensum a Coloniensibus S. Cyriacum Papam, Ursulanæ Societatis comitem; Tua tamen conscientia tibi dictabat, ipsum parem vim habere contra prætensum a vobis Elianæ successionis modum. Quod ut hic quoque intelligat Lector, describo ex margine Dissertationis prædictæ synopsim primæ partis, sic deductam.

3 *Ex revelationibus, B. Elisabethæ Schonaugiensi attributis, sub annum 1156. innotuit S. Cyriacus, ut Pontiani Papæ successor, & fuit passim receptus a scriptoribus 12. & 13. seculi, ac tandem a Glossa Ordinaria in 6. Decretalium, Scholisque omnibus, nec non in Breviariis etiam Romanis; sed ab his deinde expunctus fuit, relicta sola commemoratione S. Ursulæ & Sociarum; expunctus denique etiam ex Glossa nec ipsismet Coloniensibus omnibus creditus.* Sic & prætensa successio vestra, sub nomine *Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo*, primum audiri cœpit seculo 13. passim deinde & magno studio recepta a plerisque, non vestris tantum, sed etiam externis, seculo 14. 15. 16. dubitantibus tamen semper aliquibus; tandemque Breviariis Carmeliticis ac pene etiam Romanis inserta, an autem numquam expungenda, quis dicet? Inter utramque tamen traditionem est discrimen notabile, quod contenti Colonienses primo Ursulanæ Historiæ figmento, de quo vulgus nescit dubitare, eidem confirmando non addiderunt successive alia multa; neque velut grandi affecti injuria insurgunt in aliter sentientes, neque eos ad judicia ac tribunalia trahunt, tamquam ecclesiæ suæ inimicos juratos, & invidos decorum ejus, atque sacrarum reliquiarum contemptores; sed pergunt simpliciter colere S. Cyriacum Papam, ut apud se occisum; ejusque caput, Pontificia tiara coronatum ostentant, nemine magnopere obsistente; sicuti nec Carmelitas quisquam curaret a sua opinione abducere, si ferre possent aliter sentientes.

4 Est tamen operæ pretium videre quomodo contra tam antiquam seculorum quinque Coloniensium possessionem, tantoque olim assensu firmatam traditionem, argumento negativo utatur Baronius; & quomodo, & quando ego atque Launoyus doceamus, ipsum usui esse posse contra plures similes; longe scilicet aliter, nec tam universaliter quam nos facere arguit Patern. Tua. Ego ibi sic dissero: Baronius, licet in sua chronotaxi, citra Consulare filum ducta, *Pontiani* mortem differat usque in annum 237. *Cyriacum* tamen velut monstrum eliminat ab Historia Ecclesiastica, hisce verbis: *Non audiendi penitus recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quemdam Pontificem, cujus nulla prorsus extat mentio in serie Romanorum Pontificum, vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum,*

num, vel Crescunium, aliosve Iudices Vaticanos; nec apud Græcos, ut Eusebium, Nicephorum, vel alios; adeo ut ne digna quidem sit, quæ pluribus confutetur, sententia; quippe quæ nulla penitus nitatur ratione vel testimonio antiquorum. (Hoc modo cum aliis infinitis locis argumentetur eruditissimus Annalium parens,) velim scire quibus oculis ista legerint, qui quoties eo ratiocinationis genere cominus urgeri se sentiunt, difficultatem omnem se devorasse putant, si per contemptum dixerint, *Argumenta* istæc *negativa* esse, quibus concludatur nihil, *straminea, sagittas parvulorum*, idque sine delectu, sine discrimine, quocumque casu præripiendo eruditis hominibus (certissimum quod haberi potest ratiocinium, ad veritatem secernendam a falsitate in rebus antiquis, ubi de facto vel traditione quæritur.)

5 Stramineus ergo secundum istos argumentator Baronius, infantes Patres, Concilia, Doctores, quotquot, etiam in causis fidei, nedum in historicis quæstionibus, sic fuerunt ratiocinati. Specimen ex infinitis unum detur alterumve. Gregorius Nyssenus Orat. 1. contra Eunomium: *Unde hanc affirmandi audaciam quis habet ut dicat, ipsum Dominum, qui est omnis creaturæ opifex & conditor, non esse increatum? Ex qua divinitus inspirata voce? Quis Apostolus, quis Evangelista talem emisit vocem? Quis Propheta, quis Legislator, vel Patriarcha, vel quis alius eorum qui a Spiritu sancto afflati & instructi fuerunt?* Catholici Præsules, in Collatione cum Severianis & Acephalis, Constantinopoli habita anno 532. oppositos sibi ab illis Dionysii Areopagitæ nomine codices hoc repudiant argumento: *Illa testimonia, quæ vos Dionysii Areopagitæ dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini? Si enim ejus erant, non potuissent latere B. Cyrillum. Quid autem de B. Cyrillo dicimus? quando & B. Athanasius, si pro certo scivisset ejus fuisse, ante omnia in Nicæno Concilio de consubstantiali Trinitate, eadem testimonia protulisset adversus Arii diversæ substantiæ blasphemiam? Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, unde nunc potestis ostendere, quia illius sint, nescimus.*

6 Plura exempla qui volet collecta videre, adeat Joannis Launoyi Parisiensis Theologi Dissertationem *de vi negantis argumenti*; si tamen Dissertatio dici debet, in qua nihil disputatur, concluditur nihil, nisi quod ex sola coacervatione scriptorum omnis generis, in quæstionibus fidei vel historiæ ecclesiasticæ sic ratiocinantium, ultro fluat id, quod in Dedicatoria præfatus erat, *Eos qui sine ullo discrimine rejiciunt abnutivum omne argumentum, tamquam si nihil difficultatis in eo possit esse, non intelligere quomodo intelligendus sit canon ille. qua ex negativis nihil concludi statuitur.* Id quod adeo certum atque evidens est iensato cuivis, ut is qui istam Launoyi scriptiunculam excutiendam suscepit magistellus Carnotensis, ipso statim initio & ante omnia observet, *rejiciendas non esse qualibet argumentationes negativas; neque temere, cum aliqua opponitur, exclamandum, ex negativis nihil concludi: quia Scriptores sacros, ipsa Concilia, & Ecclesiæ Doctores bene multos, qua antiquioris, qua recentioris ætatis, inficialibus argumentis usos fuisse, satis superque compertum habemus, cum ea præsertim res agitantur, quæ in facto, usu, & traditione consistunt.* Itaque Cyriaci Pontificatum etiam ipse inter fabulas reputat, juxta regulam quam statuit sibi his verbis: *Tunc in rebus historicis alicujus erit momenti negativa ratio, cum ex generali gravium, litteratorum, diligentiumque scriptorum, qui ingenii severitati quamdam prudentiam adjunxerint & ad eligendum & ad judicandum, quique sese invicem per multa secula (si de rebus valde antiquis agatur) subsecuti sunt, reticentia formatur.* Et alibi: *Tunc in materia fidei firmissimum est inficiale argumentum, quando ex generali Scripturæ sacræ, Divinæ aut Apostolicæ traditionis, sacrorum Conciliorum & Ecclesiæ Doctorum silentio depromitur.* Non existimo hominem, haud satis alioqui constantem sibi, nec raro contrarium, adeo excidisse mente, ut voluerit negativo argumento plus roboris in quæstione fidei quam historiæ inesse. Nihil ergo in hoc discrepat a Launoyo, mentem suam breviur illo, nec minus clare sic explicantem in Dedicatoria: *Ut res ex seipsa spectetur, nec admittenda, nec rejicienda est quævis abnutiva ratiocinatio: in iis autem quæ ex conditione facti, ex usu & traditione pendent, si quadret in omnem penitus subjectam materiam, firmissima judicari debet; si non quadret (quia potest magis & minus quadrare) aliquando probabilitatis habet aliquid, aliquando nihil, idque sæpius: quo in discrimine regula nulla possit certa constitui, sed quidquid est totum viri sapientis & æquanimi judicio relinquatur, ex quo recte & apposite ratiocinandi leges omnes manarunt.*

7 (Quamvis enim in rigore dialectico non sequatur: *Non est scriptum vel dictum, ergo non est factum*: (nec enim minus fuisset a Christo suscitatus Lazarus, licet hoc Joannes æque ac alii tres Evangelistæ tacuissent, tacuissent etiam Apostolorum discipuli, & his ætate proximi omnes). recte tamen sequitur: *Hoc vel illud caret congruæ antiquitatis & auctoritatis testimonio, ergo factum esse non est prudenter credibile*; sicut non esset credibilis resuscitatio Lazari in universali omnium eorum silentio, qui rei gestæ vel interfuissent ipsi, vel ex præsentibus accepissent, post septingentos aut mille annos simpliciter asserta), tunc enim locum habet illud effatum Baronii: *Quod a recentiori auctore de rebus antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.* (Tanto autem fit certior & evidentior ex argumento negativo demonstratio; quanto notitia facti, de cujus credibilitate controvertitur, ad plures pertingere & a pluribus scripto consignari debuisset, propter insignem sui claritatem): qualis est Romani Pontificatus assumptio, resignatio, vel mutatio, ut est in casu nostro, ubi & scriptor habetur, ipso quo *Pontianus* discinctus est *Anterusque* ordinatus anno, Catalogum ab alio collectum prosequi incipiens pro proximis quadraginta annis; eumque secuti tot alii; quos non est credibile nihil rescituros de *Cyriaco* fuisse, etiam illo tacente, si unquam in rerum natura extitisset. Accedit, quod qui eum primi extulerunt in lucem, eas junxerint circumstantias, quæ faciendæ fidei adeo nihil prosunt, ut potius obsint vehementer.

8 Hactenus istic ego, ubi pluribus deinde expono adjunctas fictitio isti Cyriaco circumstantias, quæ vel solæ possent fictionem prodere. Præmissa autem opus fuit integre huc transcribere, ut paucula illa quæ sola placuit Paternitati Tuæ, inde excerpere, quæque ideo inclusi [ ] prægressis sequentibusque connexa, appareant innocentissime dicta, nullam justam occasionem præbere, me sic (uti facis) criminandi. Semel

autem hoc, quod istic clarissime dico, bene intellecto; quod scilicet, neque semper, neque numquam premat argumentum negativum, sæpe etiam magis ac minus, pro materia subjecta & circumstantia temporum ac personarum, quibus silentium tale animadvertitur; evanescunt accusationes omnes sequentes, ut mox apparebit.

9 Apparet etiam ex jam reproductis, quam nihil ad quæstionem faciant plura ex Baronio allata loca, quibus ille rejicit negativum argumentum: & quod sensum Baronii, de argumenti ejusdem usu, expressum verbis num. 7. hic a me relatis, ad tuam phantasiam gratia restringas, cum num. 20. tuo dicis, quod *Baronius intelligendus est loqui de illis, quæ recentiores, omni legitima traditione ac fide dignis auctoribus destituti, ex meris conjecturis ac proprio suo ex cerebro, audent effutire & asserere*. Nam si *recentiores* intelligis, solos hujus superiorisve seculi scriptores, vehementer falleris; cum ii Cyriacum Ursulanum commenti sint, qui seculo 12. vixerunt, fortassis etiam alios paulo vetustiores secuti, & tamen ipsum argumento negativo explodit Baronius: quamvis 500. annorum traditione, & hodiedum usitata capitis ostensione, veterum quoque Breviariorum & Glossæ ordinariæ testimoniis confirmatum. Sed videamus in verbis meis a te excerptis fundatas Accusationes tuas.

§. I. II. III. IV. ACCUSATIONES.

I. *Traditiones omnes, non tantum Divinæ & Apostolicæ, verum etiam inferiores, a synchronis vel coævis non scriptæ, omnino admittendæ sunt.*

II. *Papebrochius cum hæreticis molitur evertere omnes traditiones Ecclesiasticas, a synchronis & coævis non descriptas.*

III. *Papebrochius receptissimam traditionem de Carmelitarum ab Elia Propheta origine, & quasi hereditaria successione, ob defectum coævorum scriptorum, repudiat.*

IV. *Papebrochius traditiones & historias omnes, a coævis non scriptas, cum Launoyo ablegat ad fabulas, adeoque, non secus ac ipse Launoyus, egregiam videtur navasse operam Calvino, ad omnes traditiones non scriptas excutiendas Catholicis.*

RESPONSIO.

10 JAm dixi, neque nullas, neque omnes, recipiendas aut rejiciendas: argumentum autem negativum quandoque nullam, quandoque mediocrem, sæpe maximam vim habere: quam definitive discernere Critici eruditi officium est; postquam, non obiter ac levi manu, sed ex professo cuncta expenderit, quod non debent credi ordinarie fecisse Theologi, Concionatores, ac similes alterius professionis auctores. Contingit etiam sæpe traditionis substantiam talem esse, ut licet non nisi temere possit in dubium revocari, etiam coævorum testimoniis destituta; puta quod aliqua S. Ursula, cum plurima turba Sociarum, a Barbaris fuerit ante urbis Coloniensis ab iis obsessæ muros interfecta &c. quod S. Dionysius Episcopus, Roma missus in Galliam, Parisiis fidem prædicaverit, & suo sanguine consignarit, aliaque similia: contingit, inquam, sæpe, ut ea, quæ primæ traditionis substantiæ postea accesserunt, tamquam ex traditione aut revelatione (ut factum per compositiones Legendarum, puta, Legendæ Dionysianæ seculo 9. Ursulanæ seculo 11.) merito rejiciantur, ut recentiorum somnia commentaque, toti retro antiquitati ignota: recentiorum, inquam, non respective ad nos hodie viventes, sed respective ad rem, ipsos seculis multis prægressam.

11 Quod num. 5. assumis ac dicis, eamdem fore conditionem traditionum etiam Divinarum & Apostolicarum, quæ aliarum Humanarum; respondeo, tam has temere, quam illas impie rejici, si ideo solum rejiciantur, quod unæ in Scripturis sacris, aliæ in coævo auctore non reperiantur. Sed, quemadmodum nihil pro Divina & Apostolica traditione recipitur, quod ex Sanctis Patribus non probatur ipsorum ætate fuisse observatum in Ecclesia universali, tamquam ab initio sic traditum; ita nec humanas, prætensas ut tales, prudenter admittimus, quæ vel cum certioribus auctoritatibus pugnant, vel nequivissent ab antiquioribus non attingi aliquando, si veræ forent.

12 Addis, quod ea ratione *poterunt omnes fere Reliquiæ, quæ sola traditione absque scripturis ejusdem ævi se tuentur, omni prorsus honore privari, imo ad sterquilinium damnari*. Non video qualiter sit consequens, ubi nulla adest justa ac positiva causa dubitandi de earum veritate. In hac autem materia potius quam alibi procedendum magis ex piæ credulitatis affectu, quam ex notitia certa eorum, per quorum manus transierunt illæ: & Episcopi, qui ex prudenti judicio procedere jubentur a Tridentino in illis recognoscendis & publico exponendis, acquiescere debent, cum scripta vel oculata fide eis probatur, Reliquiam aliquam bona fide acceptam a loco, ubi fuerat in honore; vel cum verosimilibus antiqui cultus indiciis repertam alicubi, velut talis vel talis Sancti; licet ejusmodi probatio & fallere possit, & fallat sæpe. Æquum enim est, ut ibi subsistat humanæ inquisitionis diligentia, ubi ulterior labor esset frustraneus; & a superstitionis periculo tuta sit Reliquias venerantium religio, quatenus ea tendit in primarium suum objectum, id est Sanctorum honorem, etsi fortassis eorum ipsæ non essent, quæ ut tales proponuntur.

13 Conscribentibus gesta ab origine mundi (nam ad hos me provocas num. 12.) ante diluvium quidem nulla fides debetur, si quid ultra præsumpserint nobis narrare, quam quod in Genesi scriptum legitur, aut in illa fundatur: quia non apparet qua de talibus potuerit extra Scripturam haberi post diluvium scientia, nisi per revelationem, quæ præsumi non debet. *Josepho Hebræo*, quem mihi objicis eodem num. 12. *scribenti priorum ætatum historias ac gesta a Moyse prætermissa*, neque magna neque nulla fides datur. Non datur nulla; quando aliunde apparet nihil, quod rem ab eo narratam incredibilem videri faciat, aut ægre conciliabilem cum relatis a Moyse; cum variæ notitiæ potuerint inter Hebræos traditione simplici conservari: non datur magna; quia genos illa infinitis scatet fabulis mendaciisque, & ipse Josephus in historia primi ante & post Christum seculi sæpe errat tam turpiter & evidenter, ut Critici omnes vitiatum in multis, quidam etiam ex toto supposititium esse censeant. Eadem est ratio de traditionibus popularibus, sacris vel profanis: quibus plerumque verita-

tia

tis aliquid quoad substantiam subest, sed moltum furfuris successive aspersum, a quo difficile sit eas sic repurgari, ut hominis prudentia intellectus iis, tamquam eatenus certis, citra formidinem acquiescas.

14 Launoyi, quam lando, Dissertatio de argumento negativo prodiit quidem prima vice anno 1650. sed editione 2. in duplum *auctior & correctior* anno 1662. quando eam nec videre nec refutare potuit Theophilus Raynaudus, paucis post mensibus mortuus, nemo autem eamdem postea improbavit, quod sciam. Scripsit quidem Raynaudus, consueta sibi acrimonia, contra Launoyum vehementem Satyram, sub titulo Herculis Commodiani: sed non puto obligatum me ad illam legendam, ut sciam an prima Launoyi Dissertatio ibi refutetur: cum possim de Tua diligentia, Pater Rev. præsumere, quod tam multas spinas ex illa Herculea arena colligens, non fueris omissurus, si vel unum locum invenisses, isti Dissertationi sigillatim oppositum: ego vero nolo pro Launoyo contra Raynaudum certare, ultra quam illo usus sum. Interim ex secunda, quam habeo & laudo, editione, puto me posse dicere, neminem prudenter judicaturum, quod Launoyus dicta Dissertatione intenderit omnes ecclesiasticas traditiones eum hæreticis evertere.

15 Spero etiam fore, ut qui volumina nostra quatuordecim legerit, animo a calumniis non præoccupato, & innumeras Sanctorum Vitas, memorias, revelationes, miracula nullis coævorum testimoniis roborari invenerit (hæc enim in multis rebus requirere stultum foret) sed referri sub nuda notitia ætatis, qua quisque scriptor vixerit, etiamsi longius ab re gesta, judicabit, non esse me passim tam severum censorem, quam videri me vis, Pater Rev. solumque distinguere varios verosimilitudinis, atque adeo fidei illis tribuendæ gradus. Ipsas autem Traditiones licet nudas, nitor modis omnibus, etiam per conjecturas verosimiles, stabilire, cum possim; multas etiam, prima fronte absonas, ita sæpe dilucido, ut lævigata scabritie illa, receptibiles denique videantur, seclusis additamentis manifeste falsis. Vide sis Paralipomena mea ad Constum pag. 38. ubi *quærentibus de Ursulano martyrio quid sentiam*, respondeo, idque feliciter satis & conformiter ad Historiam (ut multis videtur); *placere annum*, quo cædes patrata sit, 385, *Hunnica irruptione notum, sub Maximo tyranno & Siricio Papa* ... Hunni autem Tartaris similes *omnino fuerunt, feminas & virgines captivas abducere ad quæstum, non stuprare soliti: qui earum* XI. *millia facile collegerint, Alemanniam Belgicamque populantes; & instante post recedentium terga Maximo, prope Coloniam trucidarint, quas fugæ accelerandæ sentiebant esse impedimento, idque (ut solent barbari) ex odio fidei.* Ad vulgarem porro Legendam propius accedere cupientem, doceo, quomodo intelligi possint omnes libenter excepisse mortem, intuitu castitatis, quam non ignorabant in Hunniam perductis & venumdatis periclitaturam. Addo etiam, quod *potest S. Ursula vere Reguli alicujus Britanni fuisse filia, Romamque cum paucis puellis peregrinata, in reditu incidisse in Hunnos, ingens agmen captivarum secum trahentes, simulque cum iis, bene ad martyrium ab ipsa animatis, fuisse occisa prope Coloniam, cum barbari illas secum trahere ultra non possent, instante, ut dixi, propius Maximo*. Ita fere synopsis marginalis hic descripta, Lectore curioso ad totam illam Dissertationem remisso: quem porro, facile inducendum propria experientia confido, ut judicet totum opus nostrum eo tendere, ut illibatus Sanctorum cultus undequaque maneat illustratus, fabulis figmentisqua rejectis.

16 Exemplum, quo n. 7. hic utor, de resuscitatione Lazari, & ex quo potissimum processit quarti Paragraphi accusatio; tamquam evidenter demonstrativo mei hæreticis faventis spiritus, eatenus adducitur ut ostendam, minime in rigore dialectico sequi: *Non est scriptum, ergo factum non est*. Narratur a Joanne miraculum istud cum tot illustribus circumstantiis, ut appareat, intendisse Christum illo, velut omnium miraculorum suorum evidentissimo atque incontestabili signaculo, probare Judæis etiam obstinatissimis divinitatem suam: quare si ipsum Evangelistæ simul omnes tacuissent, & post septingentos aut mille annos primum narrasset aliquis, plurésque cæco impetu suscepissent, fidem nunc apud prudentes non obtineret, ut puto: sicut non obtinent miracula, infantiæ Christi Domini attributa in quibusdam scriptis, ideo apocryphis ab Ecclesia judicatis: & sicut nunc etiam repudiatur id quod *referunt Hispanorum historiæ*, ab Higuera scilicet & Argaizio productæ, *pro maximo S. Jacobi miraculo, quod Granatæ suscitaverit Judæum, non quatriduanum, sicuti Christus Lazarum, sed quasi sexcentorum annorum: tot enim effluxerant a transmigratione illorum sub Nabuchodonosore, cujus occasione ille cum ceteris in Hispaniam venit*. Ita narrat & pro indubitabili traditione in prædictis historiis consignatum haberi vult, vester Fr. Hieronymus a Conceptione, in Orbis, id est, urbis Gaditanæ Emporio, de quo egi in Append. ad Art. 2. Parallelo 5.

17 *Carmelitarum ab Elia Propheta originem & quasi hereditariam successionem*, quomodo majores eorum ipsis potuerint tradidisse, in substantia veram, posteri vero cito alterasse, satis etiam declaravi. Hic iterum dico, quod primus fuit Elias Propheta, qui vitæ solitariæ exemplum in Carmelo posuit, ideoque merito dictus est Dux & Institutor Monachorum, etiam novi Testamenti, licet nulla vota religiosa professus, nullos præter Eliseum sibi sciatur adlegisse ejusdem vitæ socios, nedum perpetuos successores instituisse, & data vitæ regula habituque speciali formasse. Primam autem propositionis hujus partem certius probari posse censeo, non ex traditione vestra, sed ex generali silentio Scripturarum, de aliis qui ante Eliam in dicto Carmelo solitarii vixerint, idest ex argumento negativo: & eum qui diceret Enochum quoque ibi sic vixisse ante Diluvium, ideoque in Sixti IV. Bulla adjunctum Eliæ atque Eliseo, vos quoque & merito explodetis, atque iis indignabimini qui nomen istud Pontifici suggesserunt, sicut Lezana indignatur iis qui falsam Datam appoxerunt Regulæ.

18 Altero deinde ac magis proprio vobis titulo teneo & probo ex Joanne Phocæ (auctore principiis vestris coævo, & quo verosimiliora hactenus de illis scripsit nemo) altero, inquam, magisque proprio titulo teneo Carmelitarum ab Elia

Elia originem; quia primo eorum istic futuro Priori apparens, dux & auctor eidem fuit sacrum montem incolendi, eo ipso in loco, ubi *Fons & Spelunca*, quam Elias aliquando incoluit, monstrantur, ibique socios colligendi, conservaturos acceptam eo modo possessionem, quasi hereditariæ successionis jure. Vestræ quoque traditioni citra difficultatem credo, Aymericum Patriarcham Antiochenum non parum contulisse, ad qualiacumque ibi Ordinis principia, sub invocatione & imitatione Eliæ & Elisei Prophetarum, licet de primo istic Latino Priore tam multa incongrua finxerit in sua Epistola Pseudo-cyrillus. Credo etiam eidem traditioni, Albertum Hierosolymitanum, post datam Regulam, Eremitis ad fontem sub Brocardo multum favisse; ac denique pro primo seculi 12. sacello, grandiorem excitatam ecclesiam sub titulo B. Mariæ Virginis, unde vobis nomen tunc natum; licet horum nihil scripserint tot illustres ejus temporis Auctores; quia res erant initiis istis parum considerabiles, & absque magno molimine gestæ. Tales vero e contrario cum non sint conversio Soldani Iconiensis, & Armeniæ totius ad Romanæ Ecclesiæ unionem reductio, nec omnium mox ora & calamos volitaturæ, si veræ fuissent, non possum ea credere vera esse, efficacia negativi argumenti rationabiliter prohibitus.

19 Cetera quæ ad prætensæ altioris magisque continuæ successionis traditionem confirmandam adducitis, toto Artic. 16. sic expendi, ut ipsosmet vos, si verum fateri velitis, convicisse opiner, traditionem istam, secula omnino sex & viginti complexam (licet nunc inter vos *receptissima* sit) commonstrari non posse ex auctore ullo fide digno, qui seculis abhinc quatuor aut quinque scripserit, tunc vel *receptam* fuisse, vel omnino fuisse ullam. Imo affer, si possis, fide dignum auctorem, etiam qui postea vixerit, aut nunc vivat, probantem seculo Christi duodecimo viguisse traditionem ullam inter vos de prætensa Ordinis institutione & aliis per secula viginti gestis, qualem nunc vigere dicitis receptissimam. Nostin', eadem propemodum accidere traditionibus ejusmodi popularibus, atque Famæ? Fama, principio plerumque minimo & sæpe non vero orta,

Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Parva metu primo, mox sese attolit in auras;
Ingrediturque solo & caput inter nubila condit.

Eodem fere modo se habet traditio popularis. Principio ejus plerumque est factum aliquod memorabile, vel quod re ipsa contigit aliquando; sed cursu temporis talibus ornamentis atque additamentis induitur, ut se ipsum postea miretur & vix agnoscat: vel quod ab otioso ingenio, priscas rerum origines in sui suorumve commendationem indagantis, fingitur contigisse; & a levi vulgo, avide quod optat credente, adoptatur pro vero & colitur pro tali, per multa sæpe secula. Exempla tam in sacra quam profana Historia occurrunt.

20 Receptissima traditio est apud vulgus Antverpiæ, nescio cujus scriptoris levitate nata, quod nominis sui originem celeberrima civitas nacta sit per quemdam generosum militem, Brabonem dictum, qui homini giganteæ molis (Antigonum vocant) vectigal a prænavigantibus extorquere solito, manum absciderit, eamque projecerit quanto potuit conatu in præterlabentem Scaldim, & eo usque locum appellaverit *Hantwverpen*, videlicet ab *hant*, quod ast manus, & *wverpen*, quod est projicere. Hujus traditionis plenissimam olim in mentibus civium firmitatem demonstrat tesserarium civitatis scutum, a quinque vel sex seculis ita semper effictum, ut supra castri seu burgi simulacrum emineant manus præcisæ duæ: quales etiam super hastilia deferuntur in amburbalibus festis, ante ipsius Gigantis immanem statuam, adeo excelsam, ut si in pedes erigeretur, domuum æquaret fastigia: quin & Brabonis, manum in Scaldim projicientis, marmorea effigies, quæ superiori seculo stabat in frontispicio Curiæ, inde amota, ut locum tutelari Deiparæ faceret; etiamnum stat supra portam burgi ad ripam Scaldis: & nomen urbis per H scribere, adeo religiosum fuit medio ævo majoribus nostris, ut contra orthographiam graviter peccasse censeretur qui aliter scriberet: nunc vero ipsimet ferme pueri istæc omnia rident. Quam tenax & receptissima fuit traditio, S. Dionysium Areopagitam Gallis Evangelium prædicasse, & Parisiis Martyrem occubuisse; ex quo Hilduinus Abbas seculo 9. id scripto consignavit, nunc vero id rejicitur passim ab ipsis Gallis ut fictitium.

21 An ulla traditionum vestrarum, Pater Rev. tam certo, tam docto, & tam antiquo scriptore nititur, atque traditio illa Dionysiana? Paterisne delibari de istis quidpiam? Dic, amabo, traditio vestra etiam quoad substantiam, de habito Eliæ; item de cappa barrata, quæ receptissimæ vobis sunt, a quo tempore esse cœperunt? qua firmitate duraverunt huc usque? & quam unanimi vestrorum consensu? Tunicam Eliæ melotem fuisse ex ovina vel caprina pelle, coloris furvi, tenebatis olim cum Basilianis. At hoc nostro & superiori seculo, quotquot in templis vestris passim & alibi spectamus imagines Melotem eidem pro pallio dant, eamque ex pelle candida, ne dissimiles ipsis nunc sitis. Quæ omnia videre licet Art. 16. num. 36. & 304. De cappa vestra barrata ejusque initio ea legimus apud Bergomensem & S. Antoninum, ut seculo 15. a vestris tradi solita, quæ nunc vos ipsi exploditis. Illis tamen ex simili traditione aliquid, magis absonum Hildesheimensis vester præmiserat, eadem opera confirmans, suo seculo, id est 14. viguisse traditionem, quod pallium Barratum gestaveritis *more Eliæ Prophetæ*. Ad Barrati autem pallii substantiam (si non fallor) pertinet ipsarum barrarum forma, perpendiculariterne an circulariter ducerentur; paucæne an multo numero. In hoc autem quantum variaverit traditio vestra, quis non intelligit ex imagine, posita Art. 15. §. 17. Interim ad veram traditionem probandam imprimis requiritur, ut ea continuata aliquot seculis, constans & invariata perseveraverit. Plura nihil attinet exempla congerere. Unum mirari non satis possum, quomodo putes, eodem modo traditiones Societatis nostræ, de ejus ortu, aliisque adjunctis, pessumdari posse, quo doles pessumdari vestras. Has quidem nolim ego totas pessumdari: ut tamen discrimen inter utrasque clare videas, tantummodo consideres, oportet, discrimen grande inter secula 26. traditionum vestrarum, sine scriptore idoneo; & traditiones, si quæ sunt, Societatis, vix totidem lustrorum.

ARTI-

ARTICULUS XX.

ACCUSATIO PROOEMIALIS.

Exhibentur ea, quæ Papebrochius habet contra receptas in Ecclesia revelationes, visiones, apparitiones &c.

RESPONSIO.


QUia præcedentis Articuli Accosationes fundatæ omnes ferme erans in Dissertatione quadam mea, circa S. Cyriacum, eum titulo Romani Pontificis insertum Martyrio Ursulano; quasi is, dimisso Pontificatu, Coloniam usque Ursulam secutus, ideoque ex Catalogo Pontificum Romanorum expunctus fuerit (quod totum esse merum figmentum sustinebam eum Baronio, eaque occasione docebam vim & usum argumenti negativi, pari omnino modo contra pretiosas Carmelitarum traditiones militantis). Hinc ad retundendas criminationes ex illa Dissertatione sumptas, bona ejus pars istic fuit utiliter reproducta ad Procemium. Idem quoque hic faciendum suadet Accusatio sexta præsentis Articuli; quam si solam, Pater Rev. produxisses (uti debueras, nihil novi habens, quod antea non produxeras iterum ac tertio) ridicula apparuisset criminatio tam generalibus concepta terminis, & hic ad unicum crimen reducta.

Generalitatem tamen istam poteras excusare, si Parergon, interpositum geminæ Vitæ S. Mariæ de Pazzis, quam sexta Accusatio spectat, vel totum proposuisses Lectori, vel saltem istius Titulum, qui Tom. 6. Maji pag. 246. talis est: *De Sanctarum ecstaticarum, secundum species naturaliter præhabitas durante raptu quandoque motarum, dictis factisque ad Historicarum quæstionum decisiones non transferendis.* Sed callide cavisti, Rev. Pater, ne alterutrum faceres. Si enim vel Titulum protulisses; primum quidem lector intellexisset, id quod n. 10. in margine, *non magni faciendum*, dico, sumendum dumtaxat cum respectu ad quæstiones Historicas, & sic injustitiam indefinitæ accusationis agnovisset. Deinde motus curiositate argumenti, ab asceticis quidem scriptoribus, & imprimis a nostro P. Nicolao Lancicio, sed theologice ac speculative dumtaxat, tractati, quod speraret practice atque historice a me deductum invenire, voluisset fortassis totum contextum legere. Hunc igitur ne cogatur in magno opere requirere, utque minori impendio faciat curiositati suæ satis, simul & doctrinæ istic meæ innocentiam intelligat distinctius, totum hic reproduco; & quidem servatis iisdem numeris, quibus in Majo distinguitur, ut hinc illuc, & contra, facilior sit recursus.

1 Modus, quo se habuit sancta Maria Magdalena de Pazzis, circa crucifixionis formam, expressam in raptu viginti sex horarum, juxta narrata *n.* 184. Vitæ primæ, quam est conformis nostri ævi picturis, tam est contrarius illis, quæ, velut a Deipara divæ Birgittæ revelata, leguntur in libris Revelationum ejus, totius Ecclesiæ judicio approbatis, post severum examen gravissimorum Theologorum. Explicandum igitur hoc loco mihi existimo, quomodo raptus utriusque Sanctæ, vere supernaturales ac divini in substantia fuerint; & tamen, secundum species naturaliter præhabitas in suis circumstantiis regulati, potuerint involvisse, non solum incertitudinis aliquid, sed etiam erroris; quem amoliri quoniam nihil intererat finis a Spiritu sancto intenti, siverit Sanctas sic agi & agere, sicut extra raptum per se actæ fuissent: hoc enim facturum me promisi die xx. Maji, ad Vitam B. Columbæ Reatinæ, cui adhuc decenni legitur n. 11. apparuisse, *cum leone S. Hieronymus, & leo, qui cum S. Hieronymo fuerat, apud ipsam tota nocte mansisse.* Concludam ergo hoc Parergo, in talibus nihil esse præsidii ad quæstiones pure Historicas, seu sacræ illæ seu profanæ sint, prudenter dirimendas: proinde nihil ipsis Sanctis detrahi, cum talium veritas, citra ullum ad ipsas respectum, vocatur in controversiam, aliunde probanda vel infirmanda.

2 Tales autem quæstiones procul dubio sunt eæ, quibus inter Auctores disceptatur, crucemne jam ante humi fixam probeque firmatam ascenderit Christus, ut ei affigeretur; an eidem super humum stratæ affixus prius, pariter deinde cum ipsa fuerit a militibus elevatus: item, uno clavo pes simul uterque, an seorsim singuli singulis clavis confixi fuerint; aliaque similia, quæ libens prætereo, ut non egrediar circumstantias, in præfato Sanctæ nostræ raptu notandas; ubi clare dicitur, quod ipsa *se extendit in terra, & brachia sic porrexit, ut appareret quod se aptaret supra crucem; & quod configeretur ei pes uterque: deinde sinistra, ac denique dextera; & sic postea mirabiliter erecta, velut crucifixa, ad parietem stetit.* De pedibus autem, quod insimul clavo uno figi eos sibi fuerit in eodem raptu imaginata, clarius apparet ex alio raptu, relato in Vita, per Ceparium scripta, num. 219. ubi Christi plagas, totidem ait esse fornaces; & pedum plagam (tamquam unicam, quia unico clavo factam) primam appellat; secundam, sinistræ manus; tertiam, dexteræ; & quartam, sacri lateris.

3 In eamdem sententiam placet spectandum dare cor illud admirabile B. Claræ a Cruce, sive notiori nunc vocabulo a Monte Falconis,



Cum Clara pectus explicat.
Fulget Crucis mysterium.

mortuæ

mortuæ anno 1308. id est annis pluribus quam sexaginta ante S. Birgittam: nam in ejus corde dilectissimo sic apparuerunt expressa Dominicæ Passionis instrumenta (divino, procul dubio, miraculo) ut solum numerentur tres clavi: & huic repræsentationi expressius consonat id quod B. Baptista Verana (cujus revelationes explicavimus 31. Maji) ex Christi sibi loquentis ore n. 58. sic exprimit: *Fui confixus tribus clavis in cruce; ut tu etiam totidem crucifigereris, videlicet paupertate, obedientia, & castitate.* Et B. Gerardeschæ Pisanæ, cujus Vitam dedi 29. Maji, num. 56. spectandi exhibentur pedes Christi, unico clavo perforati.

4 Interim ex lib. 4. Revelationum S. Birgittæ cap. 70. audi verba Deiparæ, passionem filii exponentis per ordinem, crucifixionem autem hoc tenore: *Ecce malleus & quatuor clavi acuti in promptu sunt .... erat autem crux fixa, & brachia ejus elevata, ita ut nodus crucis inter scapulas esset; nec ullum capiti reclinatorium crux præbebat, & tabula tituli utrique brachio super caput eminenti affixa erat. Ad crucem igitur jussus dorsum vertit; & manum postulatus, primo dexteram extendit; & inde alia manus, ad reliquum cornu non attingens, distenditur; & pedes similiter ad foramina sua distenduntur; cancellatique & quasi infra a tibiis districti, duobus clavis ad crucis stipitem, per solidum os, sicut & manus erant, configuntur.*

5 Libro autem 7. c. 15. de visione passionis Domini, quam vidit in Jerusalem, in ecclesia sancti sepulcri, in capella Montis Calvariæ; *Dominus*, inquit Sancta, *ad me conversus, dixit: Attende tu, quia in isto foramine petræ infixus fuit pes Crucis meæ, tempore passionis. Et statim vidi, qualiter ibi crux ejus a Judæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine petræ montis cum lignis, confixis cum malleo validissime circumquaque, ut crux solidius staret. Cum igitur crux ita solide confirmata esset ibidem, statim adaptabantur tabulæ ligneæ in circuitu stipitis crucis, per modum graduum, usque ad locum ubi pedes ejus crucifigi debebant; ut possent per illos gradus tabularum, tam ipse quam crucifixores, ascendere, & super tabulas illas aptiori modo stare ad crucifigendum eum. Post hoc autem ascenderunt illi per illos gradus, ducentes eum cum irrisione & vituperio maximo. Qui gratanter ascendens ..... cum esset jam super tabulas illas, non coactus, sed statim voluntarie, extendit brachium suum, & aperta sua dextra manu posuit eam in cruce; quam illi sævi tortores immaniter crucifixerunt, perforantes eam clavo per illam partem qua os solidius erat. Tunc etiam trahentes cum fune vehementer manum ejus sinistram, cruci affixerunt eam simili modo. Deinde extenso corpore ultra modum, junctos pedes affixerunt in cruce duobus clavis: & in tantum extenderunt illa gloriosa membra in cruce tamque vehementer, quod quasi omnes venæ & nervi ejus rumpebantur.*

6 His consonant quæ habentur, ut a Deipara dicta S. Birgittæ, lib. 1. cap. 10. in quem locum Consalvus Durantus, Episcopus Ferentanus, erudite probat, quatuor omnino clavis crucifixum Dominum fuisse: quam sententiam pluribus expendit Jacobus Bosius in opere de Triumphanti Cruce lib. 1. cap. 15. sed de tibiarum vel pedum supra se invicem decussatione superius asserta, fatetur rem sibi perquam difficilem esse conceptu. De modo, quo crucifixus est Dominus, nullum alteruter verbum habet, quo confirmet Birgittæ sententiam; secundum se quidem & seclusis vulgaris opinionis præjudicio perquam verosimilem, eo tamen mirandam magis, quod a nemine tam distincte antea traditus, non videatur Sanctæ fuisse objectus per præhabitas communiter species. Idem dixerim de forma crucis, non quadrata ✠ (id enim ex perpetua Ecclesiæ traditione videtur constare) non etiam simpliciter commissa, ut T; sed furcata, ut Y; quod licet commodum sit pro affigenda superne tabula longa atque ut minimum quadrupedali, quali an inscriptus fuerit titulus, sciri potest ex eo quod Romæ superest illius fragmento; nemini tamen catenus in mentem venerat talem affirmare, neque ullus postea sequi voluit.

7 Ego in istis omnibus nullam partem probare aut reprobare præ aliis intendo: unum dico, si utraque fuerint acta, dicta, visa in vera ac supernaturali extasi (uti absque alterutrius partis gravi injuria nequit dubitari) profecto jam constat, ex ipsa sententiarum tam contrariarum incompatibilitate, quod etiam talibus multum interveniat a natura, divinitus non impedita quo minus secundum præhabitas species agat. Et hoc Virgilius Ceparius noster, in Vita a se scripta n. 48. distincte sic exponit: *Excessus amoris*, in quibus talia acta per Sanctam ipse dixerat, *perquam diversi erant ab extasibus naturalibus. In his enim manebat quieta & immobilis, nihil videns, nihil sentiens ..... sed quando loquebatur aut respondebat in raptu, signum erat animam non esse totam retroactam; & quod concurrentibus speciebus præhabitis movebatur phantasia, per quam sic loquebatur & discurrebat: phantasia enim est quæ linguam ad loquendum movet. Amor etiam divinus cor ejus inflammans, & accensos spiritus ad caput mittens, faciebat ipsam habere eas vires, quibus velut bene robusta ac sana surgebat de lecto, discurrebat per cellam, aliasque actiones faciebat, ad quas ejusmodi vires requiruntur; licet nec tunc quidem, cum movebatur & loquebatur, sentiebat & respondebat, distraheretur a suo dilecto amare.*

8 Et hæc cum quadam proportione applicari debent etiam illi miraculosæ efformationi instrumentorum passionis Christi in corde S. Claræ; de qua Cornelius Curtius Augustinianus, in libello de Clavis Dominicis (quatuor autem fuisse, & rationibus, & auctoritatibus, & imaginibus multis probat.) *Illa*, inquit, *Passionis totius imago, ex pio sanctæ Virginis phantasmate generata est; ita ut in corde, quasi tabula, venis quasi lineamentis, omnia hæc simulacra cogitatio artificiosa deduceret; & sanguine pro colorum requisita varietate temperato, hoc miraculum depingeret.* Tum subjungit qui suis oculis omnia inspexisse testatur, ejusdem, cujus Clara Ordinis, scriptor præfatus: *An, quia Diva illa talem de Crucifixo meditationem instituit, statuis talem quoque crucifixionem fuisse? Non arbitror, si sensu tantum communi non cares. Hæc instrumenta, non ad Christi Passionem demonstrandam, sed ad ferventem Claræ amorem posteris declarandum celata sunt.* Cur autem illa Claræ phantasmata, idem qui iis ad miraculum uti dignatus est Deus, non etiam curavit aptare & corrigere

ad

ad normam sibi notæ veritatis? Credo, quia id nihil ad spiritualem fructum, miraculo illo irritum, faciebat. Quinimo in Vita S. Coletæ 6. Martii n. 68. observasse memini, Deum, humanæ curiositatis inutilia scrutinia declinantem, quandoque nolle natos ex eis errores tollere, orsi quatenus forte incommodant potiori, quod a sic errantibus requirit, bono. Cum enim illa eorum qui virginitatem coluerant Sanctorum amantior, S. Annam Deiparæ matrem vix aut numquam invocaret, quod pluribus successive viris nupsisse crederet; talem opinionem non modo non exemit Deus; sed permittendo ut illi appareret S. Anna in glorioso comitatu earum, quas ex priori marito filias fuisse, multi præsertim ex Franciscanis docebant; satis habuit, eam ad ipsius, quam coli volebat venerationem, incitare ejusmodi visione; etsi id Coleta aliter posset accipere, sicut de facto accepit; dedocta quidem errorem suum, quatenus devotioni oberat; in eodem tamen, quatenus ad bonum animæ erat indifferens, potius confirmata. Simili modo *S. Hieronymus*, B. Columbæ, ut supra dixi, non nisi *cum leone* adstitit; licet hic acceptus sit a S. Gerasimo, propter aliquam nominis affinitatem. Adeo enim invaluit vulgaris iste error, ut S. Hieronymus jam non aliter pingi consueverit; opusque habeat eidem se aptare Sanctus, si velit absque alio sui indicio ex habitu comitatuque cognosci. Et credo quod S. Jacobus, Hispaniarum Patronus, sine peregrinationis manto, burdone, cucurbita, conchiliisque per visionem conspectus alicui, non agnosceretur citra novam revelationem. Nec tamen sic apparentes Sancti dicendi sunt approbare errorem ejus, qui sibi persuaderet, vel Hieronymum cum viveret, sic comitatum, vel Jacobum sic indutum processisse. Gratis autem se torqueret, qui inveterato isti, licet in errore fundato, usui reformando vellet importune insistere, dum citra noxam pietatis tolerari potest: sed præstat explicationem aliquam non incongruam comminisci, quæ, quod alias per errorem est cœptum, faciat cum veritate consistere: uti fit cum dicimus, S. Hieronymo Leonem appingi, quia tamquam Leo contra hæresicos rugiat in scriptis suis; S. Jacobo, sua conchilia &c. ut intelligatur is, qui in Callaico littore, istis frequenti, colitur peregrinatione celeberrima, ceteris adjunctis indicata.

9 Majoris momenti, & in re, quæ fidei proxima nunc esse pie creditur, præjudicii haud levis, est famosa illa Appendicula, inter Orationes, sub nomine S. Catharinæ Senensis editas, subjuncta Orationi 16: quam Appendiculam licet magna argumenta suadeant ipsius Sanctæ non esse, præ reverentia tamen religiosissimorum virorum ea pro legitima sustinentium, ita recipiunt alii, ut negent quidquam ea affici posse contra fidem immaculatæ Conceptionis. Inter hos Joannes Baptista de Lezana, Carmeliticorum auctorum ex recentioribus facile primus, in Apologetico ejusdem mysterii cap. 14. sic loquitur: *Non ea, quæ in orationibus Sanctarum habentur, ipsis factas revelationes indicant; sed ea quæ vel ipsæ credunt, vel existimant ita esse: quod idem de B. Catharina dici potest: nimirum, quod ab aliquibus edocta, Virginem sanctissimam originalem labem contraxisse existimaret.* Illuminatissimus autem circa ejusmodi P. Nicolaus Lancicius noster, planius respondet, Tom. 2. Opusculorum suorum pag. 49. *Si vere oratio illa fuit facta a S. Catharina, id eam dixisse, non Deo revelante, sed ex proprio spiritu & sensu, tamquam quæ fuit filia spiritualis Patrum Dominicanorum, a quibus hanc sententiam edocta fuerat. Sciendum autem est*, inquit, *quando personæ aliquæ piæ, abstractæ a sensibus, aliquid loquuntur, sæpe eas loqui ex proprio sensu, & aliquando hallucinari. Hoc nimis certum est, & sciunt talium rerum periti, & constat ex historiis ecclesiasticis authenticis; & ego possem nominare quasdam, ex Sedis Apostolicæ decretis relatas in numerum Sanctarum, quarum dicta & scripta in raptibus & ex raptibus derivata legi, magnis hallucinationibus respersa, ideoque non permissa imprimi.* Exempla deinde idem auctor ponit ex ipsis jam impressis S. Catharinæ prædictæ Orationibus variis, quæ videri apud ipsum possunt. Certe non aliud desperatam ferme hoc seculo Romæ fecit causam Venerab. Joannæ a Cruce, cujus inter Prætermissas meminimus 3. Maji, quam quod severioribus quibusdam Theologis omnino improbentur aliqua, in iis scriptis notata, quæ tamen habentur excepta ab ejus discipula quadam, ad hoc ipsum officium litteras edocta divinitus, cum eas aliàs ignoraret.

10 In iis quæ ex S. Mariæ Magdalenæ revelationibus Puccinus edidit, nihil hactenus notatum scio, quod displiceret Theologis: historicis tamen consultum hic oportuit, ne quis eos cogere velit, ut pari certitudine ac illa quæ mores & fidem spectant, suntque omni acceptione dignissima, etiam alia amplectantur, quomodocumque istic invenienda, & certioria probationis egentia, quam sit persuasio & apprehensio vehemens quarumdam præjudicatarum opinionum. Tale est, quod dicitur Magdalena in Vigilia S. Augustini, rapta cum esset, sic allocuta Verbum æternum: *Tuus servus & meus advocatus Augustinus te vocat antiquam & novam Veritatem. Id ipse dicit de te: sed ita dicam de ipsa .... mea sancta Regula. Est quippe mihi Veritas, quia præscribis mihi modum perveniendi ad te, veritatem infallibilem. Est Antiqua, quia fuit facta & ordinata sub lege antiqua ante tuam incarnationem: & quamvis nondum veneras in mundum, nihilominus isti antiqui Patres vivebant in magna perfectione, illam magna cum exactitudine servantes. Id faciebant in tuo lumine, o Verbum, expectantes cum ardentissimo desiderio tuum adventum in carne. Etiam est Nova, quia post tuum adventum fuit observata cum perfectione & rigore, & adhuc in hoc seculo reperiuntur, qui eam magna cum rectitudine & simplicitate custodiunt.*

11 Libenter præsumpsero, hæc, apud Puccinum aliosque hactenus a me visos Vitæ scriptores non exstantia, uti afferuntur, ita legi in magnis illis quatuor voluminibus, quibus plerique raptus Sanctæ describuntur, & ex Italico Latine reddita fideliter esse; quamvis ejusmodi præsumptioni non multum faveat illa libertas, qua Zelatores ardentiores prætensæ antiquitatis usos dolemus in principalioribus quibusdam sui Ordinis monumentis; quæ jam aliàs docuimus, nec prorsus diffiteri defensores eorum possunt, nonnullis locis studiose alterata interpolataque fuisse, si non integre supposita aliqua.

aliqua. Sed nolo exceptione istiusmodi uti; nolo quærere, cur auctores Vitæ, satis solicite colligentes loca, quibus suam Religiosi status æstimationem explicuit Sancta, istum adeo opportunum notare prætermiserint; nolo denique suspicari, loqui Sanctam de Regula scripta. Error is quidem fuisset crassus & patens nobis, quibus constat hanc ab Alberto datam seculo 13. sed qui æque facile cadere in Magdalenam potuit, seniorum suarum traditione qualicumque sic informatam, quasi ipse Elias talem Regulam discipulis suis dictaverit; quam potuit Carmelitis Italis persuaderi tempore S. Antonini, eoque senioris Philippi Bergomensis, *cappa ex Syrico, cum quibusdam largis virgis, scilicet albis & griseis, circulatam* ab ipsis gestatam fuisse, *more Eliæ Prophetæ*. Fuerit Magdalena (quando sic vis) imaginata sibi antiquissimam Regulam aliquam, non scripto, sed simplici institutione vel exemplo traditam, quæ ab Elia ad Christum, & inde usque ad tempora Alberti jugiter perseverans in Carmelo, ac demum in compendium scripto redacta sit. Numquam tamen, apud prudentem historicum, talis imaginatio personæ quantumcumque sanctæ, præsertim muliebris & historiarum ignaræ, efficere potuerit, ut ista credat esse revelata divinitus; magis quam quæ de maculata Deiparæ Conceptione elocuta fertur æque sancta, Catharina Senensis: quamvis hæc verbis suis dicatur pondus addidisse hac clausula, *Tu scis, Domine, quia hæc est veritas*; cum Magdalena simpliciter in suo locuta sit sensu, nihil addens quod sublimioris notitiæ fidem exigat.

12 Nihilo plus apud peritos rerum æstimatores valebit, sicubi forte sancta Mater Teresia suos hortatur, *semper oculos conjicere in stirpem & propaginem Sanctorum illorum Prophetarum* vel *Patrum*, *a qua* vel *a quibus descendisse* Carmelitas, antiqua ipsorum persuasio fuit, propriorem verioremque originem ignotam habentium; & de eo ipso, a quo Regulam acceperant, incertis sententiis ad hoc usque seculum fluctuantium, suusne, an extraneus; Bethleemitanusne Episcopus, an Hierosolymitanus Patriarcha; Gallus, an Italus fuerit; seculo 12. an 13. floruerit; sicca, an cruenta morte obierit; sicut alibi ostensum est, & ex parte agnoscit ipsemet Generalis Stratius in sua ad Aubertum Miræum epistola. Frustra quærunt illi, in suis quibusdam Antverpiæ defensis Thesibus, *cur dilectus Teresiæ Sponsus, cujus toties visionibus ei licuit frui, & a quo tot divinis illustrationibus meruit honorari, velum ab ejus oculis non amovit?* aut, *numquid infelix foret, quæ fabulosam successionem hereditariam suis inculcaret?* Ad veram felicitatem infelicitatemve cujusquam ista non facit, seu vera seu falsa; sicuti nec ad majorem minoremve sanctitatem Ordinis, cujus solius apud Deum Sanctosque in cælis æstimatio est, fuerintne Elias ejus Institutor atque Fundator, tot seculis ante Christum, eo modo quo Sancti Dominicus & Franciscus suorum Ordinum Institutores ac Fundatores adbuc in terris viventes fuerunt; an solum 13. seculo Christianæ æræ, per revelationem factam cuidam Monacho Calabro, jusso in montem Carmelum se conferre; ibique in sancto illo Propheticæ habitationis loco socios quosdam colligere aggresso; sicuti ob similem revelationem Deipara Virgo Ordinis Servitarum Institutrix atque Fundatrix sola agnoscitur. Quod autem in causa immaculatæ Conceptionis responderent Patres Carmelitæ, de duobus Christo Virgini dilectissimis Sanctis, Bernardo Clara-vallensi & Catharina Senensi, illius veritatem numquam clare edoctis, id sibi de S. Teresia responsum accipiant, absque ulla vel minima ejus injuria, circa Ordinis originem.

13 *Habeatis hoc pro conclusione verissima, Pater mi* (inquiebat Confessario suo Senensis in Vita num. 84.) *quod nihil, quod pertinet ad viam salutis, docuit me unquam aliquis homo vel mulier; sed præcise ipse Dominus & Magister, Sponsus pretiosus & superdulcissimus animæ meæ, Dominus Jesus Christus, vel per suam inspirationem, vel per claram apparitionem loquens mihi, sicut ego modo loquor vobiscum.* Non sic præcise loqui potuerunt Sanctæ Teresia ac Magdalena: contra libenter professæ sunt, quantum anima sua deberet magisterio nostræ minimæ Societatis, ex qua designati eisdem divinitus Patres, cur non fuerint moti vel suopte ingenio vel superiori instinctu ut scrupulum eis suscitarent, circa creditam vulgo antiquitatem Ordinis, non magis rationabiliter a me quæsieris; quam alius tibi, de Magistro Raymundo Capuano ejusque spirituali filia S. Catharina Senensi, similem moveret quæstionem. Quod si homini licet ad divini secreta consilii per conjecturam eniti; optima cum ratione possumus suspicari, Deum prædictas Sanctas in suis illis undecumque acceptis opinionibus voluisse relinqui, quia contraria iis scientia, clam quidem habita, profuisset nihil; palam autem enuntiata, gravissime conturbasset utrumque Ordinem; unde plurimum impeditus fuisset fructus spiritualis, quem per ipsas Deus faciebat ac porro facere intendebat.

14 Turpiter quidem is Prædicator adularetur imperitæ plebeculæ, qui, ad captandam illius gratiam, magnifice pro concione extolleret & studiose inculcaret vulgares quasdam traditiunculas de antiquitatibus patriis, profanis aut sacris, quibus nec ipsemet fidem revera haberet, nec haberi a viris cordatis & eruditis sciret. Meo tamen judicio longe ineptior deque majori indiscretione notandus foret, qui a Virginibus Sanctimonialibus, sive Carmelitanis sive aliis, invitatus, ad earum vel confessiones audiendas vel panegyres sermone exornandas, inciperet iis movere quæstiones litigiosas & ingratas, de receptis in Ordine suo opinionibus, apud alios non ita probatis; ex importuno ejusmodi zelo nullum alium fructum relaturus, quam alienationem animorum a se, conturbationem conventus religiosi, & quandoque integræ civitatis scandalum; improbaturis factum etiam illis, qui alioqui vera dicere & sentire crederent. Multa non solum innoxie, sed etiam utiliter disputantur in scholis aut ventilantur in libris, quæ non convenit coram mulieribus agitari, aut venditari popello, ad talia nimia facile scandalizabili.

§. I.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius visionem Snbacb, a Sede Apostolica iterato npprobntam, & a S. Epipbanio & aliis traditam, explodit tamquam commentum.

RESPONSIO.

15 JAm sæpius de hac visione respoadi, eam nec vere a S. Epipbanio tradiiam, sed iadubitabili ejus scripto contrariam esse; neque aliter approbatam, quam quod eam vobis liceat recitare, fide penes auctorem manente: quæ quam nulla ei debeatur, demoastravi Art. xi. num. 7. & Art. xiii. §. 9.

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius apparitionem S. Simonis Stock (in qua S. Scnpulnre accepit a D. Virgine) a Sede Apostolica approbatnm, ex opnsculn Joannis Lannoyi nb Ecclesia dnmnatn, molitur reddere suspectam.

RESPONSIO.

16 QUam longe a vero absit hæc accusatio, ostendi Art. 10. §. 3. nec enim idem est, rem aliquam babere suspectam, & dicere, Launoyo suspectam esse. Ultimum dixi, & vere, nec sine cansa dixi; primum nequaquam: quin imo paratus sum & fui eam visioaem contra Launoynm tueri, si per vos licuisset, & quando licebit pleniorem de S. Simone iractatum edere, cum ea qua soleo in aliis libertate, certum ab incerto discernendo. *Appnruit mibi* (inquit ille, Swaningiono oblatam sibi visionem narrans) *tenendo babitum Ordinis*. Hic habitus, quoad vixii Simon, mortuus an. 1265. necdum erat Scapulare; sed usque ad aa. 1287. Carmelitanæ *Religionis signum* adbuc erat *Carpita*; quomodo autem, mutato priori babiiu, Privilegium Simoni appromissum transtuleritis a Carpita ad Scapulare, vos videritis. Videritis etiam, qua fide obtuleritis in Officio solennis Commemorationis recitanda hæc verba: *Insigne snori Senpularis B. Simoni Anglico præbuit* (Deipara); *ut cælesti bac vestn Ordn illo fater dignosceretur*: & in Proprio ipsius Sancti; *tenens pra manibus Scapulnre Ordinis*. Subreptitiumne hoc sit, an alio nomine appellandum, judicet Sedea sancta: doleo ego, quod in quamcumque vestræ Historiæ pariem manus adjicio, semper offendam aliquod fidei non bonæ argumentum.

17 Scapulare, una cum reliquo bodierni usus babiiu, vobis ab Apostolica Sede coacessum anao 1287. vrneror, ut par est: sed non video, quomodo per illud, commune omnibus fere Monachis indumentum, vobisque ad imitaiionem aliorum datum, Ordo vester discerni possit ab aliis, quam ab Eremitis Augustinianis & Minoribus Franciscanis, qui eo non utnniur: quique cum suis Tertiariis gestandum darent Cingulum vel Cordulam, iamquam sui Ordinia insigne, elegistis vos quoque vestris Tertiariis commendare Scapulare parvum, ad snrmam Billettarum (ita Franci nominant segmenta panni quadraia & oblonga, ut supra diai) aique inde nomen vobis, non discalceatis, etiam nunc in communi usu manet Parisiis.

18 Porro ut demonstrem clarius, quam eam visionem minime suspectam aunc habeam, nec habuissem unquam, si ab initio fateri voluissetis, Vitam B. Simonis, a Swaniagton scripiam (ut tunc prætendebaiur) exiare nullam; sed tantum simplicem illius visionis narraiionem in arcbivo Burdegalensi servari; non gravaboe ejus coniextum hic legendum dare, qualem ex originali transcripsisse se, ait Joannes Cheroa, non ita pridem Conventus Burdegalensis Prior, in Vindiciis Scapularis p. 156. & sequeniibus:

19 *Beatus Simnn, grandæva senectute gravatus & rigorosa pœnitentin fractus, omnium Fratrum dolores in corde suo sustinendn, nssidue pernoctabnt in nrntione usque ad auroram. Dum autem sic oraret, venit ei consolntio de calo, quam nobis insimul congregatis narrnbnt sic: Frntrns carissimi, benedictus Deus, qui non dereliquit sperantes in se, & non sprevit preces servorum suorum: benedicta in idipsum sanctissima Mater Domini nostri Jesu Christi, quæ memor dierum antiquorum, & tribulationum (qnæ mnltns vestrum invenerunt nimis, non nttendentes, quod omnes qui pie volunt vivere in Cbristo Jesu persecutiones patientur) mittit vobis verbum, quod snscipietis cum gaudio Spiritus sancti: ipse me regat, ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui.*

20 *Cum effunderem nnimnm meam in conspectu Domini, qunmvis sim pnlvis & cinis; & in omni fiducia Dominnm menm Virginem Mariam deprecnrer, quod sicut volebat nos appellnri Fratres suos, monstrares se mstrem, eripiendo nos de casu tentationnm, & nliquo signo gratiæ nos commendnndn erga ipsos, qui nos persequebatur, dicendo illi cum suspiriis;*

Flos Carmeli, vitis florigera,
Splendor celi, virgn pnerpera
Singularis:
Mnter mitis, sed viri nescia,
Carmelitis da privilegia;
Stelln maris.

Apparuit mibi cum grnndi comitatu, & tenendo babitum Ordinis, dixit: Hoc erit tibi & cunctis Carmelitis privilegnum: in boc moriens æternum non patietur incendium. Et qnia sua glnriosa præsentin me lætificnbnt ultra captum, nec ego miser mnjestatem ejus sustinere poternm, disparendn dixit; quod mitterem ad Dominum Innocentium, benedicti Filii sui Vicarium, qui de gravaminibus remedium præstaret.

21 *Fratres, conservando verbnm istud in cordibus vestris, satagite electionem vestram certnm fncere per bonn opera, & numquam deficere. Vigilate in grntiarum actione pro tanta misericordin, ornntes sine intermissione, ut sermn mibi factus clnrificetur ad laudem sanctissimæ Trinitatis, Patris, Jesu Christi, Spiritus sancti, & Virginis Mariæ semper benedictæ. Idem verbum mittebam ad Frntres, qui ernnt in aliis locis vnlde tristes, per consolatoriam, quam ego immeritus, bomine Dei dictante, scribebam, ut similiter grntins agerent, orando & perseverando. Cantabrigiæ in crastinum Divisionis Apostolorum* MCCLI. *decimo septimo Kalendas Augusti.*

22 *Dum prædictus B. Simon pergeret Wintoniam, me itineris comite, ad impetrandum formatas pro D. Innocentio IV. Pontifice a D. Præ-*

sule Wintoniensi, qui Religioni nostræ favorabilis erat; occurrit nobis celeri vectura D. Petrus, de Lhyntonia, Decanus ecclesiæ S. Helenæ Wintoniæ, obsecrando beatum Patrem, ut festinaret adjuvare germanum suum, qui moriebatur desperatus. Erat ille, Walterus nomine, homo inverecundus ad ausus improbos, rixosus & magicis sacrilegiis deditus, Sacramentorum contemptor & vicinorum fatigator: qui rixando cum alio nobili, fuerat letaliter vulneratus ab illo, & videndo se citari ad divinum judicium, diabolo commissa crimina ante oculos ponente, nolebat audire loqui de Deo, nec de Sacramentis, sed blasphemando, quamdiu potuit loqui, vociferabat, Sum damnatus. Diabole, vindica me de interfectore meo.

23 *Venientes in domum, invenimus hominem, spumosum, stridentem dentibus, & rotantem oculos, tamquam canem rabiosum. Cumque videretur mori, nec haberet usum sensuum corporis sui; beatus Pater Simon, facto Crucis signo, & subjecto habitu super languentem, elevatis oculis petebat reduci a Deo, ut pretium Christi non esset præda diaboli. Et repente ægrotus, qui moriebatur, resumptis viribus, bono sensu & loquela, signando se signo salutari, objurgabat dæmones; & cum questu lacrymabili dicebat: Heu me miserum! quantus mihi tremor damnationis æternæ! Iniquitates meæ creverunt super numerum arenæ maris. Miserere mei Deus, cujus misericordia superexaltat justitiam. Pater adjuva me: volo confiteri.*

24 *Recedente me in angulo domus, narrabat mihi dictus D. Petrus Decanus, quod videndo impœnitens cor fratris, orabat solitarius in cubiculo, & facta erat ad eum vox: Surge Petre, quære dilectum servum meum Simonem, qui est in via ut veniat in hunc locum. Et circumspiciendo ubi esset qui hæc verba effunderet, secundo & tertio eadem vox insonuit. Quare prudenter credens quod celeste oraculum erat, festinans ascenderat equum, ut venerandum Patrem interciperet itinere, & agebat gratias quod tam opportunum inveniret. Post confessionem Walterus ille publice renuntiavit diabolicis pactis, & recepit Sacramenta Ecclesiæ, edendo signa magna pœnitentiæ: fecit Testamentum, & accepta juratoria cautione fratris sui Decani, ordinavit restitui male ablata, & reparari injurias quas fecerat: & circa horam octavam noctis pacifice exhalavit animam: quæ fratri suo, hæsitanti de salute ejus, apparuit, significando bene secum agi; & quod per potentissimam Reginam Angelorum, per habitum beati viri, tamquam per clypeum, evaserat insidias dæmonum.*

25 *Fama istius facti volavit per totam urbem. Dictus D. Petrus de Lhyntonia confestim venerabili Episcopo Wintoniensi cuncta per ordinem scripto insinuans, ejus in re tam insolita sententiam expectabat. Domino vero Episcopo stupente super hoc, & habente tractatum cum suis, judicatum est, B. Simonem debere interrogari de virtute habitus. Qui coram Domino Episcopo comparens, & mandatis ejus obtemperando nihil celavit, Domino Episcopo mandante cuncta scribi sub sigillo authentico. Et prædictus D. Petrus Decanus, propter miraculum sibi per gloriosam Virginem Mariam in fratre suo ostensum, Fratres Wintoniæ fundavit; dando eis locum, & ædificando monasterium nostræ religioni, valde commodum & amplum. Sermone vero per Angliam & extra currente, multæ civitates offerebant nobis loca ad inhabitandum; & multi Proceres petebant affiliari huic sacræ Religioni, pro participio gratiarum desiderantes mori in habitu sancto Ordinis, ut per merita gloriosæ Virginis Mariæ haberent exitum vitæ bonum. Atque ita paulatim Religio Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmelo cœpit, præstante Domino nostro Jesu Christo & Maria matre ejus, in partibus Occidentalibus multiplicari in multas provincias, provinciaque in domos, domus in personas sufficientes & idoneas, quæ multum fructum afferunt ad augmentum fidei Catholicæ.*

26 Hactenus Swaningtonus, *Socius & Secretarius Sancti* a Carmelitis nuncupatus, cujus verba transcribens in Viridario Joannes Grossus, sub annum 1400. Generalis Ordinis, primus (quem quidem noverim) præsumpsit hoc loco uni verbo *Scapulare*, Swaningtoni contextum hoc modo prosequens: *Ratione ergo hujus magni Privilegii, diversi Proceres regni Angliæ, utpote Eduardus Rex Angliæ secundus post conquestum, qui fratres prædictos fundavit Oxonii, dans ipsis proprium palatium pro conventu; similiter D. Henricus Dux Lancastriæ, qui miraculis multis dicitur claruisse; & alii Nobiles illius regni prædicti, Scapulare Ordinis clam portaverunt, in quo postea obierunt.* Regnavit Eduardus iste ab anno 1273. ad 1307. atque adeo post habitus barrati depositionem gestasse potuit Scapulare; potuit & Henricus, Dux Lancastriæ, Eduardi prædicti, non frater, sed ex fratre Edmundo Lancastriæ Duce nepos; ita nominatus ab altero suo patruo, & Eduardi Regis fratre, Henrico Cornubiæ Comite, quem Wido Monfortii Comes occidit Viterbii, anno 1271. uti videre est in principum Christianorum Stemmatis, ab Antonio Albizio Florentino compositi, eoque mortuo editis Argentorati anno 1627.

27 Longius aberravit Grossus, si voluit, uti eum intellexit Zegerus Pauli, scapularis gestatoribus adnumerare S. Ludovicum Francorum Regem: hic enim obiit an. 1270. ante mutationem habitus annis 17. Sed neque de priori Ordinis habitu, scilicet Carpita, verificari potest quod huc trahit Grossus, cum ait, quod *sacro illo habitu indutum* Regem *deridens quidam, miraculose punitus est*. Nihil enim de Carpita, & multo minus de Scapulari legitur in Vita Ludovici apud Surium n. 20. sed blasphemi hominis hæc formalia verba; *Vidi miserum illum papillardum Regem, ad scapulas capitium gestantem*, more scilicet Monachorum. Invitus sane hæc Carmeliticorum scriptorum errata noto; sed debeo subinde id facere, quo monstrem, quam non agam irrationabiliter (licet ita præsumar agere) quod nihil ipsis citra examen credam. Imo hæc ipsa Swaningtoni relatio non caret aliqua difficultate, dum B. Simonem inducit *grandæva senectute gravatum* tempore Innocentii IV. qui anno 1243. creatus, vivere desiit anno 1254. quando plenus adhuc vigore Sanctus, primum (ut ego calculos subduco) electus fuerat ordinis Generalis. Scribit quidem Balæus, *quod fere octogenarius* fuerit Simon, *quando Carmelitarum Societati se adjunxit*; sed quod vitam protraxerit, prout consequens foret & passim censent scripto-

ſcriptores Carmelitæ, ultra annum centeſimum, ægre me patiuntur credere longinquæ & crebræ illius peregrinationes & diſcurſus, pro ordinandis provinciis & conventibus erigendis, uſque ad mortem, anno 1265. Burdegalæ obitam.

28 Quod ad Deiparæ verba attinet, de qualicumque Ordinis habitu, *in quo moriens æternum non patietur incendium*, ego in illis nullam video difficultatem. Ea enim Patres Carmelitæ tam commode exponunt, ut facile evadant omnem juſtam raprehenſionem; neque nata ſint (ſicut calumniantur nonnulli) ſtolidam fiduciam ingerere peccantibus adipiſcendæ ſalutis, quomodocumque ducatur vita. Improbus porro ſit qui neget, multis Romanorum Pontificum gratiis ac privilagiis ornatam, multis etiam divinis beneficiis comprobatam fuiſſe, iſtam Scapularis Mariani devote geſtandi religionem; ſed non minus importunus eſt, qui mihi vitio vertendum putat, quod de B. Simone breviter agens in Majo, maluerim tacere de Scapulari. Scilicet judicabam, ipſum a Simone neque unquam geſtatum, neque Confratribus & Conſororibus traditum fuiſſe, & hoc volebam ſilentio involvere. Importuniſſimus porro eſt, quiſquis putat, debuiſſe me late excurrere in commendationem prædictæ devotionis, cum id alienum ſit ab operis noſtri inſtituto, a quo Deiparæ Virginis miracula, par aliud opus requiſitura, cenſuimus excludenda, æque ac ea quæ Venerabilem Euchariſtiam aut Crucis Dominicæ particulas concernunt, ne opus in molem excreſcat infinitam.

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius apparitionem B. Virginis Mariæ, factam Joanni XXII. ac hujus Bullam, cui eſt inſerta, ac proprio motu & ex certa ſcientia ab ejus ſucceſſoribus confirmata, repudiat tamquam nullius fidei.

RESPONSIO.

29 EGo nec nominare quidem Bullam Sabbatinam volui, in Conatu agens de iſtius Joannis Pontificatu, ſed diſſimulanter & tacito nomine ſcripſi, quod qui *Bullarum ejus vel paucas legerit, ſcriptas eo ſtylo, qui eruditiſſimum Pontificem decebat, gravi, concinno, & magis ferme, quam ea tempora ferebant, Latino; nequaquam hæſitabit in repudiandis quibuſdam barbaræ omnino ſtribliginis ſcriptis, quæ magno cum ſtrepitu jactantur defenſanturque a certis hominibus, promovendæ pietatis zelo motis fortaſſe, nonnihil tamen etiam ſpectantibus, ut quaſdam præjudicatas apud ſe opiniones ſublimioris cujuſdam auctoritatis teſtimonio fulciant.* Amplius porro dicturus non eram, niſi tu, Pater Rev. ad Apoſtolicæ Sedis judicium me traxiſſes; cui fuiſſem inexcuſabilis, niſi hæſitationis meæ, imo & diſſenſionis abſolutæ cauſas, palam exponerem, ſicuti feci Art. 3. §. 15. Huc vero Lectorem remitto.

§. IV. ACCUSATIO.

Papebrochius revelationem, S. Petro Thomæ factam, de inſtitutione Ordinis Carmelitarum per Eliam Prophetam, hactenus omnino indubitatam, & a Sede Apoſtolica iterato approbatam, explodit tamquam commentum.

RESPONSIO.

30 VIſionem iſtam, ſicut ab Patribus veſtris accepit, a Joanne Hildeshemienſi ſocio Sancti ſcriptam, fide optima dedit imprimendam Henſchenius; ejuſdem autem jam impreſſæ verba & ſenſum vos, fide non pari, mutata voluiſtis, & pro voce *Patronus* ſubſtituere *Fundator*, quod ille non permiſit. Ego inſuper dolui, quod ſcriptoris nimiam credulitatem, in aſſerendo, quod variegationem veſtræ antiquæ veſtis induxerit variegatio ipſiuſmet pallii Eliani, in raptu per ignem modice ad partes exteriores aduſti; dixi tamen ſuperius, aliter credendum homini religioſo, dicenti, ſe aliquid propriis auribus accepiſſe ab ejus ore, cui res contigit; quam referenti quidpiam ex vulgi rumore. Eum vero rumorem, tunc pro certa traditione a veſtris habitum fuiſſe, tanto debetis incunctantius credere, quanto firmiorem ei vultis fidem haberi in iis, quæ ex ore S. Petri habuiſſe ſe ſcripſit.

31 Sed nihil iſtic de *Inſtitutione Ordinis*; ſolum dicitur Propheta pro illo, aliquando ſcilicet ſub ejus tutela excitando, Chriſtum oraviſſe, tamquam futurus illius *primus Patronus*; quod non debet a Propheta alienum cenſeri. Fidem ergo tuam hic requiro, & requiro eamdem in illis, qui in Officio proprio, loco *Patronus*, ſubſtituerunt *Inſtitutor*: ad quam corruptionem advertens animum inter ſcribendum de S. Alberto, num. 135. ipſumque Hildeshemienſem de ſuo illo quondam magiſtro dicere, quod *in expugnatione Alexandriæ Paganorum telis vulneratus, & ad Cyprum eductus, interiit*; tam merito cœpi ſuſpectum habere, quam certus eram nihil corporalis vulneris relatum inde a Sancto fuiſſe, ſed dolorem tantum ex glorioſiſſimi cœpti infeliciſſimo exitu.

32 Igitur reprobaturus ridiculam illius temporis de variegato pallio traditionem, ſcripſi, quod auctor eſſet *tam in hoc verax, quam in aſſerto S. Petri Thomæ martyrio*: quod autem addidi, *& neſcio qua illius viſione*, eo ſolum ſpectare volui, ut intelligeretur, etiam huic a tali relatore plus decedere quam accedere fidei. Sane ſi ſcriptoris iſtius levitatem melius cognitam habuiſſet S. Congregatio, & ſimul veſtram ad mutandum quidlibet facilitatem, credo, non ita prompte probaturam fuiſſe oblatas ſibi Lectiones, una cum titulo Martyrii, contra priorem ac meliorem Ordinis ipſius uſum. Ex iſto tamen quem citavi loco libenter expungi jubebo verba, *& neſcio qua illius viſione*, ne hanc videar in eodem, quo fictitium martyrium, gradu collocare; & puto quod vobis hoc debeat, ad ſiſtendam ſuper ea querelam, ſufficere.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius molitur suspectas reddere revelationes & apparitiones, factas S. Angelo Carmelitæ.

RESPONSIO.

33 TAcere de Vita S. Angeli volens, prout ea a Thoma Bellorosio descripta habetur, & tandem multa vestrorum Patrum provocatione coactus eamdem pene verbatim expendere, nec ullam ejus partem a figmentis patentissimis puram inveniens, non potui non habere suspectas revelationes & apparitiones, eadem Vita contentas, donec aliunde de iis certior reddar, quam ex Lectionibus inde formatis. Quanto autem id jure fecerim, si non satis liquet ex dictis Art. 11. §. 3. legantur prolixissimæ meæ Annotationes ad Vitam istam tom. 1. Maji in Appendice.

§. VI. ACCUSATIO.

Papebrochius asserit non magni faciendum esse, quod S. Maria Magdalena de Pazzis in raptu dixit de antiqua Carmelitarum regula, aut etiam S. Mater Teresia.

RESPONSIO.

34 QUid & quatenus asseruerim, *non magni faciendum*, & quidem ex ipsiusmet vestri Lezanæ judicio, patet ex Dissertatione mea ad hunc Articulum procemiali, neque quidquam responsi tui hic video ad istic solide atque evidenter demonstrata. Solum dicis, sed parum apte, quod *omnia quæ asserunt Sanctæ se in raptu a Deo didicisse, facile in dubium quivis poterit, imo & ludibrio exponere, dicendo, illa dumtaxat asseri, secundum species erraneas antea præhabitas; atque imprimis illud quod Vita Sanctæ illius refert tom. 6. Maji pag.* 214. *illam in raptum a Deo didicisse, & coram adstantibus proclamasse, quantam Aloysius Gonzaga, S. Ignatii filius, in cælo obtineret gloriam; & quanto in terris Dei flagraverit amore; & juxta allatum Papebrochii principium poterit quis replicare, similia Magdalenam proclamasse in raptu, ex speciebus relictis ex discursu antea cum Patribus Societatis aut aliis habito de cælesti Aloysii gloria ejusque in Deum affectu & amore.*

35 Responde hæc, Rev. Pater, Lezanæ tuo, eadem quæ ego censenti & scribenti; & vide an tibi responsurus non sit, quod respondi ego; nihil ad quietem, profectum solatiumque S. Catharinæ Senensis spirituale attinuisse, dedoceri errorem suum circa Deiparæ conceptionem: & hoc responsum transfer ad Magdalenam circa Regulæ vetustatem: imo multum utriqua obfuturum fuisse. At vero de Sanctorum gloria easdem veraciter informari, non solum attinebat ad augendos in eis multos pios affectus, sed etiam ad Canonizationum causas vehementer promovendas. Sic ad causam Venerabilis Patris Ignatii Azebedii, [1] cum 40. sociis in mari Indico ab hæreticis Calvinistis occisi, magnopere creditum est pertinere, quod Didacus de Yepez, Archiepiscopus Tarraconensis & Philippi II. Confessarius, in Vita S. Teresiæ lib. 13. cap. 17. scripsit his verbis: *Scimus etiam mortem quadraginta Patrum ac Fratrum Societatis Jesu, euntium in Brasiliam, quos hæretici occiderunt. Ibat inter eos unus consanguineus sanctæ Matris: quæ statim ab ipsa eorum nece dixit Patri Balthasari Alvarez suo Confessario, se illos vidisse cum coronis Martyrum in cælo. Venit postea Hispaniam nuntius martyrii & sortis felicis istorum Religiosorum.*

36 Ast quod prædicta S. Maria Magdalena de Pazzis, conata ipsamet manu sua vivis coloribus exprimere vultum & habitum B. Aloysii, qualem in ista visione conspexerat (extat hodiedum prototypon ipsum Romæ apud Moniales Sanctæ, cujus ectypon, ibidem depingi curatum, inde secum attulit Janningus noster) quod, inquam, pinxerit ipsa capillitium Aloysii totum flavum; id non potest referri ad colorem qui viventis fuerit; cum ex picturis Castilione & alibi ad vivum expressis, certo sciamus, comam et castanei coloris fuisse; sed præsumimus eum tali capillitio Beatum apparuisse ad designandam auream ejus caritatem, per quam omnes cogitationes ejus, per capillos in Cantico Canticorum notatæ, ferebantur in Deum. Talem igitur comam Aloysii permisit, aut etiam voluit, Magdalenæ repræsentari Deus, qualem intelligi volebat Beati adolescentis mentem fuisse; permittens vero loqui eam de Regula, velut etiam in veteri Testamento nota, intendebat sub nomine Regulæ magnificari vitæ solitariæ examplum ab Elia sumptum, quod antiquis solitariis, sive ante, sive post Christum, pro Regula fuit; cum aliam nullam Propheta sanctus tradidisse sciatur suis posteris, sub novo Testamento vitam solitariam amplexuris.

§. VII. ACCUSATIO.

Papebrochius annullas alias receptas revelationes & visiones explodit.

RESPONSIO.

37 ECquas tandem? „ Dum in Vita S. Hoberti, a Pisone Monacho descripta „ narrantur visiones Angelicæ ipsi factæ, sic „ illas explodit tom. 7. Maji fol. 272. num. „ 7. dicens: *De Angelicis visionibus suspicabimur, quod ea possint ad internas suspirationes* „ ce-

[1] Benedictus XIV. P. O. M. 21. Sept. anni 1742. Apostolico decreto *declaravit in causa Venerabilium Dei Servorum Ignatii de Azevedo ac triginta novem Sociorum ejus Martyrium & martyrii causam ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora.* Extat hocce Societati nostræ desideratissimum tanti Pontificis decretum ad calcem libri Romæ editi a. 1743. hoc titulo: *Relazione della Vita e Martirio del Ven. Padre Ignazio de Azevedo ec.* a P. Julio Cæsare Cordara, quod Trivultiani Patres ajunt in Ephemerid. Maii an. 1743. seu potius a P. Philippo Phœbæo, quod iidem Trivultiani scribunt in Ephem. Maii an. 1744. ar. 38. Ejusdem Ven. P. Azebedi sociorumque vitam a P. Beauvais Parisiis eo anno vulgatam referunt. Quod ad illam S. Theresiæ revelationem spectat, Romanus nuper appellati libri auctor ait p. 174. *La medesima rivelazione esaminata poi nella sacra Rota Romana, fu anch' essa approvata per dichiarare, ch' ella godeva il dono di Profezia, per cui vedeva quasi presenti le cose lontane.*

„ *reduci salva historiæ substantia : fatendum est eum, amplificatione plusquam rhetorica ac ferme* „ *puerili usum Auctorem*. Si dubitas, Pater Rev. lege ipsammet Vitam, & judica tum quam merito dicatur, *licentius amplificata*. Quid enim aliud præstare poterat seculi 16. scriptor, de Sancto ad seculi 7. & 8. confinia spectante, cujus monasterium desertum squalebat, solo Divi corpore ipsum utcumque sustentante, ne ex memoria hominum prorsus effluerei? nihil autem habens quam breves, nec valde antiquas Lectiones, easque in longam orationem extendere volens?

38 Mabilio indignam judicavit, quam Actis Sanctorum Benedictinorum insereret; sed breviter solum de loco Bretiniacensi ejusque Patrono dicturus; *Legi*, inquit, *quæ de illo quotannis recitantur in ecclesiastico ipsius officio; legi & Epistolam quamdam sat prolixam de ejusdem Sancti gestis, ... a Fr. Benedicto Pisone Theologo scriptam anno 1539. e Calmensi monasterio. In utraque narratione nihil fere certum aut memoria dignum.* Ita de Benedictini Sancti Vita, quam Tu excusatam velles, scriptor Benedictinus: & tu, Rev. Pater, me vis credere, apparitiones, allocutionesque Angelicas tam varias, per intervallum tot seculorum, certo fatia relatu ad Pisonem istum fuisse perlatas? ipsasque preces Deo supplicantis, *ut quisquis nominis ejus patrocinium implorasset, continuo* Deus *ab eo rabiem vesanam averteret*. Atqui prærogativa & laus specialis curandi rabidos vel a rabidis canibus admorsos, est S. Huberti, primi Leodiensis Episcopi apud Arduennates; unde translata ea fuit, propter similitudinem nominis, ad istum simplicem Monachum, una cum titulo Episcopali; rusticis scilicet accolis utrumque in unam personam confiantibus. Hanc ego confusionem discussi; & ipsam qualemcumque Vitam utcumque correxi atque illustravi, bene de Sancto ejusque laudatore & loco meritus, & plusquam Mabilio pro utroque conatus.

39 Idem dictum intellige de Vita S. Canionis, unde tertiam & ultimam, priorique similem instantiam sumis: & adde quæ dixi Art. 11. §. 38. Si putas, nulla ejusmodi Acta debere in opere nostro collocari, sed Mabilionis exemplo relinquenda in tenebris, modum omnem sollis de talibus Sanctis quidquam rationabiliter conjectandi. Hoc enim fieri non potest, nisi viso conjecturæ productæ fundamento: neque eadem nostra, quæ Mabilionis conditio est scribendi. Nobis non est liberum prætermittere quemquam, qui modo probetur cultum publicum habere; & profitemur, dare omnia, ipsis qualiumcumque scriptorum verbis ac phrasi; quod Mabilioni, in solis antiquis scriptis ferme sistenti, non est æque utile. Intellige ergo, in opere nostro dari Vitas, primo quidem ac præcipuo studio eas, quas synchroni coævique scripserunt; his vero deficientibus, alias mediæ & ætatis & auctoritatis; ac denique, si etiam hæ deficiant, postremæ notæ atque fidei qualiscumque; sed cum eo quod prævii Commentarii notant discrimine, expensis circumquaque omnibus, tam contentis in Vita, quam alibi repertis congruentiis, pro suo cujusque gradu.

40 Secunda instantia, quam sumis ex Analectis de S. Ferdinando Rege, suam pridem solutionem accepit Art. 15. §. 29. nititur autem fide externorum duorum scriptorum, narrantium rem Hispanis paulo antiquioribus ignotam, & nunc demum assumi ac ponderari cœptam ab iis, quibus major cura fuit prætermittere nihil, quam certiora ad suadendam canonizationem producere; cum essent homines ad criticam minime exercitati, idonei tamen ad fideliter referendum quæ audierant noverantque, quod solum ab ipsis exigebatur. Ipsis vero talium testimoniorum exceptoribus atque judicibus ab Apostolica Sede designatis, non semper suppetit omnis illa rerum antiquarum scientia, quam subinde exigerent incidentia quædam ex vetustis producta scriptoribus, quos ætas major videtur extra aleam examinis subeundi ponere.

ARTICULUS XXI.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibentur, quam leviter & proterve Papebrochius invadat antiqua Monumenta, Historias, & Traditiones Regnorum & Civitatum.

RESPONSIO.

Malæ causæ signum evidens dat Patronus, qui a rationibus frivolis, apud judices expertos causasque ventilare gnaros parum efficacibus, confugit ad tumultum ciendum in populo, multa incondite vociferando. Ita & tu, Pater Rev. totum si possis mundum in me concitare niteris, bono ad hoc magistro usus, infrunito scilicet Anonymo illo, cui placuit me traducere sub titulo Novi Ismaelis, *cujus* scilicet *manus contra omnes & omnium contra eum*. Sed mirum, quomodo id primi senserint agnoverintque Carmelitæ, Regnis, Regionibus ac Civitatibus, quarum jura & decora a me proterve violata queritaris, tanto suo periculo damnoque indormiscentibus, quoad ipsi suscitarent torpentes. Videamus, quo successu.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius Donationem Constantinianam, aliaque Romanorum Monumenta, Historias factas, & receptas Traditiones valde insolenter repudiat & explodit.

RESPONSIO.

a Hic iterum prodeunt Baptismus & Donatio Constantini, Columna Christi, Scalæ sanctæ, corpora Sanctorum Stephani & Monicæ; ac denique resumitur quæstio de S. Alexio, Romanæ veteris an novæ alumnus fuerit; sicut in Januario Bollandus & Henschenius demonstraverant, S. Joannem Cabylitam,

novæ Romæ, id est Constantinopolis civem fuisse; corpore autem in Veterem ex Nova translato, per vulgi errorem credi obiisse istic ubi nunc colitur. Cur autem ultimum hoc mihi imputas, Pater Rev.? Non enim ignoras, eam esse meorum Magistrorum sententiam, annis jam quinquaginta Romæ lectam sine cujusquam querela; primum vere nequaquam definiri a me, sed solummodo considerandum eruditis proponi, an verosimile sit. Atque in his hæret tota tam atrox accusatio, nec unum quidem punctum addens ad alibi dicta & refutata: dum in titulo plebem Romanam suscitas, quasi ad portas staret Annibal, vel Brennus scanderet Capitolium, vel mœnia teneret hostis barbarus.

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius antiqua invadit Hispanorum Monumenta, Historias sacras, & Traditiones; eorum Hagiologos vocat mendaces, fabulatores, fatuos, aliisque scurrilibus infestat probris; nec non Sanctos illorum de cælo dejicit, & tollit e rerum natura.

RESPONSIO.

3 SI pro nomine meo, Tibi execrato, supponas nomen Cardinalis Aguirrii, cum omnibus, quos ipse secum facientes allegat, prudrotioribus Hispanis; & palam nomines Dextri, Maximi, Luitprandi, Hauberti, aliorumque similium pseudochronica; apparebit Lectori, quo jure horum sequaces ego reprehenderim, & quanto mitius clementiusque eos tractem quam ille. Multa equidem ex ejus tomo 1. jam produxi Art. 15. n. 370. & n. 373. etiam delibo ex tomo 2. quæ ille collegit pag. 64. & seqq. *ad revellendum*, ut ait, *radicitus inanem credulitatem multorum, qui novis istis chronicis, quasi totidem oraculis fidem præstant*. Hic vero dabo quæ in hunc locum reservaveram, & dicta ab Eminentissimo invenio, sub hac prævia Excursus vel. Synopsi: *Defrasores eorumdem pseudochronicorum admoneantur & dedrceantur testimoniis virorum gravissimorum, & intra & extra Hispaniam, præsertim e Societate Jesu, qui detexerunt eorum fabulosam inventionem, commenta, fictiones, parachronismos, & absurditates, ut proinde nulla iis fides adhibenda sit, neque circa Concilia Hispaniæ, neque circa innumera alia paradoxa, nisi aliunde certo aliquo testimonio antiquorum, aut veteri & recepta traditione confirmentur*. Sub hac rerum, eo Excursu deducendarum, Synopsi, sic ad materiam assumptam ingreditur Cardinalis.

4 *Quamvis plura de his præmiserimus, præsertim Excursu I. & II. oportet ut nonnulla alia superaddamus. .... Ut plurimis hominibus, magis credulis quam eruditis, adhuc magnos clamores edentibus in defensionem Pseudo-Dextri Higueriani, tamquam e Fuldensi Bibliotheca deloti in Hispaniam, mutis esse liceat; placet hoc loco exscribere nonnulla ex testimoniis gravium ac doctissimorum Virorum, immo & celebriorum Scriptorum Societatis, præter illa, quæ supra indicavi aut protuli. Ex iis palam constabit, quali & quam probrosa fictione invectum fuerit ab Higuerra, Dextri nomine, illud pseudo-chronicon, in quo tot inaudita Concilia, & tam innumeræ fabulæ obtruduntur. Servabo autem plus minus ordinem temporis quo floruerunt, & indicabo solum ipsorum verba, latius exscripta ab Excellentissimo Marchione Mondexarensi in suis Dissertationibus Ecclesiasticis III. & IV. quarum hoc loco, brevitatis causa, solas paginas designabo.*

5 *Vix Higuerra anno 1594. mussitare cœpit, & vulgare quædam paradoxa & folia novitatum plena, veluti desumpta ex Dextro Fuldensi; cum V. Cl. Jo. Baptista Perez, tunc Canonicus & Bibliothecarius Toletanus, postea Episcopus Segobricensis, emunctiori quo pollebat naso, odoratus fuit suppositionem & fictionem earum farraginum, easque sibilo excepit. Id ipsum contigit duobus Societatis celebribus viris atque insignibus scriptoribus, Joanni Marianæ, ac Petro de Ribadeneyra, qui Toleti tunc cum eodem Higuera intra idem Collegium habitabant. Rem totam enarrat & confirmat Thomas de Leone, pariter Jesuita, in doctissima Epistola ad laudatum Marchionem, scripta anno 1668. Ideoque nec prior in toto eximio opere* De rebus Hispaniæ, *aut in Libro* De prædicatione S. Jacobi in Hispania; *nec posterior in* Vita ejusdem Apostoli, *uti voluit testimonio aliquo ex pluribus, quæ tunc circa id nomine Dextri circumferebantur. Quin & Dux de Alcalà testatus fuit, se ab ore ipsius Marianæ audivisse*, ejusmodi Libros fuisse confictos, suppositios, & nullius fidei. *Pag.* 239. & 240.

6 *Prudentius de Sandoval Benedictinus, Episcopus Pampelonensis, tot Historiæ voluminibus ubique notus, & valde versatus in evolvendis ac discernendis manuscriptis veteribus, agens* De rebus Silonis Hispaniæ Regis, *pag.* 107. *& de quadam Epistola (numquam eatenus visa, neque unquam detecto ejus originali quam vulgaverat P. Higuera circa S. Thyrsum Martyrem, quasi Toleti inventam; refert controversias & discordias variorum excitatas circa auctoritatem aut suppositionem ejus Epistolæ, & concludit:* „ Plerique „ censuerunt, illam fictam fuisse a quodam Pa„ tre Societatis, studioso antiquitatum, & ami„ co meo. *Imo quia illum amiet abunde dignabatur, peperest tunc ejus nomini. Verum illud aliis locis detexit: veluti in Libro* Antiquitatum Tudensium, *pag.* 11. *& præterea in Notis ad scripta quinque Episcoporum fol.* 190. *ubi impugnans D. Maurum Castela-Ferrer, ob quamdam opinionem, fundamento carentem, ait de illo:* „ Allegat „ quemdam auctorem, qui Dexter nomina„ tur. Verum hujus fides parum juvat in re „ adeo gravi: nec de ejus scriptis aliud sci„ mus, quam quod voluit dicere Higuera. *Qua phrasi satis expressis Sandovallius, nullam fidem iis scriptis adhibendam.*

7 *Petrus Salazar de Mendoza, Canonicus Toletanus, & accuratissimus vestigator monumentorum veterum ejus gravissimæ Ecclesiæ atque Urbis, sub idem tempus elaborabat scripta sua eadem re, quorum partem prælo commisit. Quamvis vero sciret ac videret vulgari quotidie ea folia figi, & ubique fere recipi cum plausu, & admiratione plurium; nullam eorum rationem habuit, veluti subleſtæ fidei & fictionis manifestæ. Pag.* 250. *Cornelius a Lapide, in Chronotaxi ad Acta Apostolorum, non solum censet nullius fidei Chronicon, Dextri nomine vulgatum, sed etiam testatur Librum illum Fuldæ nullatenus inveniri.* „ Nonnulli tamen erudiri (*inquit*) quibus acris „ est crisis, spurium censent, vel certe aliorum „ laci-

„ laciniis assutum & vittatum, tum quia stylus „ subrudior Dextri stylum non æquat: tum quia „ paradoxis & parachronismis inspersum videtur: tum quia ubi, & quando, & a quo post „ tot secula repertum sit, ignoratur. Sane illud „ Fuldæ studiose perquisivi, & non inveni.

8 *Lambertus Stravius Rector Societatis in Collegio Fuldensi, sæpius requisitus, an liber Dextri evulgatus ab Higuera esset in Bibliotheca monasterii Fuldensis, prout ipse asserebat, respondit literis exstantibus apud P. Inchofer scriptorem Societatis ejusdem Cap. 44.* „ De scriptis Flavii Dextri sæpius a me quæritur per literas. Idem „ respondere omnibus cogor, in hac Bibliotheca non superesse auctorem, sed neque constare, fueritne aliquando: multo minus an Toletum in Hispania missus sit. *Addit Stravius, se consuluisse ea de re Christophorum Brouwerum scriptorem* Antiquitatum Fuldensium, *quas edidit Antverpiæ anno 1612. & pariter hunc respondisse, de tali Libro nullam sibi unquam fuisse notitiam. Quin & ipse Brouwerus eum testetur, a tempore Caroli Magni (qui fingitur dono dedisse Chronicon illud Monasterio) totum id vastissimum ædificium ter conflagrasse, & monumenta quæque, ac libros, & ipsa Diplomata Pontificum atque Imperatorum, flammis absumpta fuisse, debuit consequenter negare, Librum ejusmodi Fuldæ conservatum fuisse, adhuc supposita donatione Caroli Magni. Vide Mondexarensem pag. 266. & seqq. P. Paulus de Rajas, quem D. Thomas Tamayo citat inter defensores Dextri, potius illum rejicit. Consultus enim ea de re a P. Thoma de Leone supra laudato, ipsi dixit;* „ sibi semper Librum illum „ visum fuisse intrusum & subdititium, præsertim postquam fuit apud Belgium cum Marchione de „ Aytena Gubernatore illorum Statuum. Facta enim exquisita diligentia, inventum fuit, „ fabulosam exstitisse missionem ejus Libri e Bibliotheca Fuldensi. *Ita Thomas ipse testatur in Epistola anni 1668. Mondexar. p. 262.*

9 *Sed & cum Higuera, pressus variorum objectionibus, quibus detegebatur commentum inventionis Dextri apud Fuldam, dixisset, sibi missum fuisse a P. Thoma Torralva, ex Wormatia Germaniæ Urbe, exemplar quoddam ejusdem Dextri; inquisivit P. Melchior Inchofer a P. Joanno Geleno Wormatiensis Collegii Rectore, an ita esset. It vero respondit:* „ Sperabam nos certo aliquid de „ Chronicis manuscriptis Flavii Lucii Dextri, „ & Marci Maximi, quæ a P. Thoma Torralva ad Wormacia missa dicuntur, & illius rogatu ad P. Hieronymum de la Higuera transmissa, cognituros. Quæsivimus ubi potuimus: „ sed nihil invenimus, neque P. Thomæ, neque „ Chronici memoriam. Fuit hic Prædicantis „ Wormaciensis filius, antiquitatis studiosissimus, qui nunc alio migravit. Tamen egimus, „ ut ex eo aliquid intelligeremus, sed negat, se „ unquam quidquam audivisse. (*Mondexar. pag. 265. Itaque tam procul a veritate fuit dicere, exemplar ejusipsam Chronici fuisse a Patre Torralva missum, quam e Fuldensi Bibliotheca erutum. P. Matthæus Raderus S. J. in* Præfatione ad Analecta sua *in Martialem, loquens de Chronico eodem, Dextri nomine inscripto, liberrime ait:* „ Hoc „ Chronicon nihil aliud est, quam farrago fabularum, partim recenter excogitatarum, „ partim famæ aliquot seculis continuatæ mendacio comprobatarum. *Aubertus Miræus in Scholiis ad Librum S. Hieronymi* „ de scriptoribus „ Ecclesiast. *pariter inquit:* „ Eruditis hæc fragmenta videntur similis farinæ cum Beroso Annii Viterbiensis, *qui porro quot fabulis plenus sit, omnes norunt.*

10 *Philippus Labbe S. J. in Dissertatione amplissima & eruditissima de scriptoribus Eccles. Tom. 2. pag. 36. generatim de omnibus Chronicis, Fragmentis, & Adversariis editis, aut consarcinatis ab Higuera, nomine diversorum, ait:* „ Verum, „ ut dicam quod res est, quodque omnes „ per Europam eruditione ac judicio eximii censeni: omnia illa Luitprandorum, Dextrorum, „ Maximorum, Helecarum, Julianorumque, Hispano-Gothica Chronica, cum quisquiliis „ Jo. Viterbiensis, & fabulis anilibus, aut Amadisiorum nugis, sunt in Utopiam Morboniamque insulam releganda. *Ac præterea miratur, homines notæ eruditionis, Franciscum Bivarium, Thomam Tamayum, ac Laurentium Ramirez de Prado, in animum induxisse, ut ea Pseudo chronica tuerentur; ac subdit;* „ Quæ obiter dicta „ velim: ne imperitæ multitudini fucum facere „ pergant homines, aut opipare creduli, aut „ certe (quod avertat Deus) plus mendacis cujusdam gloriolæ, quam ingenuæ veritatis amantes. *Quod ipsum fere antea censuerat de eisdem Bivario ac Ramirez David Blondellus in* Genealogia Francica, *Tomo 11. pag. 438. loquens de Luitprando pariter Higuerino:* „ Quid ad nos, „ si Adversaria Luitprandi (mali corvi Bivarii „ malum ovum, cui fovendo bonas horas male collocavit Laurentius Ramirez de Prado) „ exsculpere? *Quin & pagina præcedenti 437. pariter invectus fuerat contra politissimum D. Didacum Saavedram, quod Coronam suam Gotthicam fœdasset multis ejusmodi quisquiliis.* „ Didaci „ Saavedra (*inquit*) non stipulis, quibus (ceu „ radiis stramineis) discriminaretur, sed putri „ limo, exhalantibusque mephitim Francisci „ Bivarii, Hieronymi Higueræ, & consimilium „ fabulatorum foliis Coronam suam deturpare „ auli judicium probare nequaquam possumus.

11 *Præter tam multos scriptores hactenus laudatos tota Dissertatione, allegat Marchio Mondexarensis ubi supra, præsertim pag. 274. (& fidelior quidem, quantum mihi examinare licuit, neque aliter de tanto viro & eximio principe cogitari poterat) plurimos alios, pariter rejicientes illa* Chronica, Adversaria, *&* Fragmenta, *veluti subdititia, notha, ac ficta. Nimirum Petrum de Marca Archiepiscopum Parisiensem, P. Isidorum Aliagam Inquisitorem Generalem Hispaniæ, & Archiepiscopum Valentinum, Joannem Briz Martinez Abbatem Pinnatensem, Martinum Carrillo Abbatem Montis-Aragonii, Joannem de la Puente, Alphonsum Maldonado, Martinum de Anaya Maldonado, Franciscum de Rioxa Abumada, Joannem de Arruego, Lupum de la Casa, Gabrielem Pennottum, Ludovicum Nonium, Lucam Holstenium, Leonem Allatium, Jacobum Usserium, Rocchum Pyrrhum, Ferdinandum Ughellum, Joannem Zuerium Boxhornium, Arnaldum Oihenart, Franciscum Matiam Florentinum, Gasparem Estazum, Antonium Brandaon; & ex Societate Jesu Ferdinandum Quirinum de Salazar, nominatum ad Archiepiscopatum Charquensem in Peruvia, Heribertum Rosvveydum, Dionysium Petavium, Theophilum Raynaudum, Jacobum Tirinum, ac Joannem Baptistam Pozam.*

12

12 *Quibus si adjungas plures alios Episcopos, Historicos, & scriptores celebres, tam ab ipso Excellentissimo Marchione, quam a nobis decursu totius Dissertationis in eumdem scopum laudates; invenies profecto, commune judicium eruditorum cujuslibet nationis, & ordinis, & gradus, quotquot ea* Chronica, Adversaria, *& Fragmenta examinarunt, in eo convenire, ut a centum circiter annis excogitata fuerint Toleti, partim ex verosimilibus conjecturis eorum, qua olim contingere potuerunt; partim ex fabulosis narrationibus, aut aereis traditionibus: partim ex libidine fingendi plura in decus nationis, patriæ, aut hujus vel illius Ecclesiæ, cui architectus earum farraginum adulatur; partim ex cenodoxia, sive pruritu captanda alicujus gloriolæ apud præsentes & posteros. Quod ipsum de inventeribus fabulosorum Hauberti Hispalensis, Liberati, &c. dictum accipe. Unde Antonius Macedo, in* Lusitania Purpurata *pag. 11. dixit:* „ Viri docti, Itali, Germani, „ Galli, Hispani, Lusitani, Belgæ, Flavii „ Dextri Chronicon integræ fidei esse negant: „ utpote quod ab aliis auctoribus Dextri nomine obtento conscriptum sit: qui, ut dictis fidem conciliarent, illud sibi affinxerunt: ac „ proinde parvi momenti est quodcumque illud „ sit desumptum a Dextro testimonium.

13 *Nec locus est excipiendi adversus laudates scriptores, quasi nonnulli eorum, æmulatione aliqua aut præpostero affectu, vel circa decus Hispaniæ, vel erga Hieronymum Roman de la Higuera, stylum contra nova* Chronica *exacuerint & strinxerint. Nam, præter plura alia, ut exceptionibus præcludendis satis superque est, quod non modo omnes fere exteri eruditiores, sed & præstantissimi quique inter Hispanos, & nationis suæ amantissimi, illa rejecerint ab initio usque modo; potius rationem veritatis habentes, quam amoris patrii: præsertim cum Hispania, tot titulis certis & exploratis longe ac late splendidissima, non egeat ejusmedi quisquiliis & fabulosis laudibus. Similiter nec tot scriptores insignes Societatis olim & nunc ea commenta sibilo excipere, aut nominatim Higueram traducere censendi sunt, iniquo erga illum affectu; sed potius obstricti veritatis amore, qui in quolibet homine ingenuo ac gravi præponderare debet cuilibet utilitati privatæ, aut famæ unius vel alterius scriptoris. Denique, ut late ostendit Marchio Mendexarensis locis allegatis, commenta iis Libris prolata, sunt adeo probrosa, ut vel ipsis eorum defensoribus, præsertim Roderico Caro & Thoma Tamayo, tandem ut minimum interpolata & suspecta apparuerint, ob ineluctabilia argumenta quæ postea occurrerunt.*

14 *Credo equidem, Higueram facile adductum fuisse nimio affectu rerum Hispaniæ, aut Toleti, aut nominis sibi faciendi ex tot paradoxis inventis, ut obtruderet pseudo-chronica illa. Fortassis etiam non duxit religioni fingere nonnulla, modo in nationis aut patriæ decorem cederent, quod aliqui errones licere putarunt: ut patet ex Bodino in* Methodo Histor. Cap. 4. *& Cicarello in Libello supplice edito a Leone Allatio ..... Undecumque vero insederit animis ipsorum tam absurda cogitatio, & infelix conatus, id certum est, & invictis argumentis comprobatum ab insignibus viris omnium nationum superius laudatis, contineri in iis pseudo-Chronicis, non solum innumera paradoxa, sed subdititia, intrusa, falsa, conficta, & ut Græci loquuntur,* ἄτοπα, ὑποβολιμαῖα, & *ἀο·κεντα; ac proinde nullam fidem mereri quidquam in iis contentam, quatenus ibidem habetur. Nam si in scriptis probatis & exploratis veterum, vel in traditionibus antiquis & venerandis, sufficiens aliunde fundamentum habeat narratio aliqua, non propterea rejicienda erit, quod etiam in iis pseudo-chronicis legatur.* His ita deductis, concludit suam istam evictionem Eminentissimus Cardinalis verbis supra legendis Art. 15. num. 373. *Atque hæc pauca de plurimis* &c. finitque cum obtestatione ad fidei ac status Consiliarios regios, ut glisceenti malo opponant remedium, eodem fere modo quo Tomo 1. similem locum finitum dedi Art. 18. num. 46. Ego vero omnia ista transcripta huc contuli, non tam tibi tuisque ab errore deducendis, Pater Rev. (nimium enim amatis talia, & cariora habetis, quam ut a me dedoceri ipsa velitis, tametsi fabulosissima falsissimaque esse meridiana luce clarius ostendero) quam bonis illis in Hispania Censoribus, qui libros nostros, non nisi in tua Exhibitione lectos, vel saltem non nisi ex illa intellectos, crediderunt nationi Hispanicæ universim & intolerabiliter esse injurios. Facio quod est officii mei, veras & certas de Sanctis notitias discernendo a falsis atque incertis: hoc autem fieri nequit nisi passim & ubique, dum se dat occasio, refutando Hispanicum Tamayi Martyrologium, quod non ad augendum decus, sed ad infamiam catholicissimæ ac laudatissimæ genti apud exteros conflandam esse consarcinatum, tam eruditus Cardinalis, totque alii eruditissimi prudentissimique Hispani sentiunt.

15 Et ille quidem istis in locis figmenta imprimis Huigueriana prosequitur, alibi (ut vidimus) minime parcit Argaizio suo, propter Pseudo-chronicon Huberti Hispalensis, cujus germanissimus frater Gregorius æque suppostitius Episcopus Granatensis, ab eodem Argaizio ex eadem figlina Lupiani Zapatæ productus est, non alio fere fine, quam ut copiosiori Sanctorum novorum & nemini antea notorum proventu ditarentur tum alii Religiosi, tum maxime Carmelitæ, qui in Dextro & sociis nimis parce nominati videbantur, cum prætenderent omnium istic primi fuisse, jam inde a temporibus non solum Apostolorum, sed etiam Nabuchodonosoris. Unde bonus noster P. Joseph Andres, persuasus, ut vel componeret ipse, vel *a* vobis compositum adoptaret librum qui *Decor Carmeli* inscriptus, anno 166. ex Cæsaraugustana editione in Belgio quidem (ut certa produnt indicia) recusus, Coloniæ tamen titulum præfert; pag. 130. omnes Anachoretas & Monachos quatuor primorum seculorum Carmelo adscribit. Ibidemque additur *nova & ulterior confirmatio ex Gregorio Episcopo Granatensi & ex Hauberto Benedictino*, quos scilicet Argaiz evulgavit; *de tota equidem Hispania*, ut P. Andrez sentit, *præsertim tamen de Carmelitano Ordine optime meritus .... Ibi enim cum antiquissimis hisce Chronologis, quotquot ex utriusque sexus Monachismo, aut sanctitatis splendore aut martyrii laurea conspicui per Hispaniæ Provincias floruere, revocat ad Elianum institutum, utpote in ea tempestate in Ecclesia solum, ut tertio quoque verbo supponit.* Synopsim inde eorum profert, quam & P. Bonæspei transtulit in part. 2. Armamentarii sui, talem, ut aliud in ea desiderari nil possit, quam definitio diei Natalis quo quisque debeat fastis

Car-

Carmelitica inseri, quod quare a fabulatore Eupiano curatum non sit, aliis divinandum relinquo; dum quod de ipso ejusque defensoribus sentiat Eminentiss. Aguirre repræsento ex ejus Tomo 1. pag. 16n. ubi post refutata quædam de Illiberitano Concilio figmenta, delibata superius Art. 18. num. 42. sic procedit:

16 Eadem suspicione laborant plura alia Concilia secundi ac tertii seculi in Dextri Pseudo-Chronico, aliisque similibus Marci Maximi, Heleca, Luitprandi, ac Juliani Perez indicata, & recentius adhuc sub nomine Hauberti Hispalensis, id est, novæ alterius Chimaræ, quadringinta circiter retro annis orta e cerebro cujusdam Antonii Lupian de Zapata (ita appellari amabat) insignis (ut multi scriptores eruditi sibi persuadent) veteratoris, quem anno 1653. vidi, & sæpius allocutus fuit in regio meo monasterio S. Æmiliani, tota Hispania celeberrimo, ubi tunc ille ad tempus morabatur, evolvens pretiosam illam manuscriptorum antiquissimorum supellectilem, & utinam non corrumpens mangonio aliquo. Neque audiendi sunt quicumque recentiorum, credulitate nimia, aut crisi non exacta, aut cæco patriæ amore, aut pruritu novitatum abducti, in illas male feriatorum hominum quisquilias in se recepere tuendas, multis & vastis voluminibus. Et licet plurima vera in iis legantur, quæ alias in scriptoribus probatæ auctoritatis habentur; adeo tamen figmentis variis mista & interpolata sunt, ut nullam mereantur fidem, nisi quatenus inventa fuerint alioqui solidis fundamentis innixa. Tertium Concilium refertur Hispalense juxta Pseudo-Chronicon Hauberti ad annum Christi CLIX. *hisce verbis*: „ Hispali Synodus contractus est XXXVI. „ Episcoporum, qui in agro congregati, in „ puteo profundo necati sunt. Animæ sanctæ „ eorum evolare ad cælos visæ sunt a circum„ stantibus. Corpora eorum a Christianis..... „ sunt. *Penultimam dictionem non expressit Antonius Lupian, ejus farraginis architectus, sed punctis implevit, ut suaderet antiquitatem manuscripti autographi, quasi literæ longissimo temporis cursu detritæ essent. Sed enim recentiora erant omnia, uti postea constitit, deprehensis schedis & mangonio detecto. Sane Hauberti defensorem satis notum, dum viveret, sæpe voce & scripto monui, ne fideret veteratori illi, nec illineret tot paginas illius figmentis. Verum is, nihil moratus judicium meum, & plurium doctissimorum hominum, veras Hispaniæ laudes amantium & respuentium fabulosas, perstitit in antiqua præjudicio.*

17 Hactenus Aguirrius, Lupianum palam redargueos, cujus alia plura hoc in genere flagitia, contestata lite publicam in lucem protraxerunt Religiosi Ordinis S. Mariæ de mercede redemptionis captivorum, Sanctos suos varios aliaque decora in alterum similia fere propositi Ordinem per ejus figmenta traduci querentes, de quibus & mihi forsitan agendum erit in Supplemento Januarii ad Vitam S. Petri Nolasci. Ad defensorem Lupiani quod attinet, eum præcitatis Notis innominatum transilit Cardinalis: sed immo a. pag. 57. eamdem iterum chordam tangens, nomen denique ejus sic prodit: *Cum juxta vetus dictum, experimentumque commune, nulla sit fatuitas absque patrono; inventus fuit in Hispania, qui Pseudo-Haubertum protegeret, ac multis & grandibus voluminibus tuendum atque illustrandum reciperet: nimirum Gregorius Argaiz, Professione Benedictinus. Quod ipsum, licet videatur non nimis decorum dilectissimæ Religioni meæ, cui tot nominibus obstrictus sum; censui minime dissimulandum hoc loco, ne quis existimet me sinistro quopiam genio, aut præpostero affectu abductum, strinxisse calamum adversus Hisnoram, alterius instituti hominem. Ingenuus veritatis & utilitatis publicæ amor, qui compulit Bollandum, Henschenium, Papebrochium, & tot alios Societatis claros scriptores, supra indicatos, ad traducendum nominatim illum, quamvis suum sodalem; impulit etiam me ad ferendum palam judicium de ipso, & pariter de Lupiano, & Argaizio: verum mitius de hoc, quod non mala fide, dolo, aut fraude, sed ab eo seductus, per nimiam simplicitatem peccaverit.*

18 Ac rursum pag. 6n.: *Sicuti non defuere Pseudo-chronicis Higueræ Commentatores, qui in ejus gratiam verosimilia pro veris, possibilia pro factis, & notha pro germanis haberi vellent, nimia potius, quam mala fide: ita nec Lupiano hyperaspistes. Illum diu ac multum scripturientem, & libros edentem pro Hauberto (mediocri Historiæ notitia, verum majori simplicitate aut pervicacia) monuimus multis, ut iis nœniis vacaret, aut operam luderet. Reverendissimus Magister Jo. de la Riba, Catholicæ Majestatis Theologus & Concionator (qui antea fuerat Generalis Benedictinæ Congregationis Hispanicæ) vir sane doctus, justitiæ ac veritatis amantissimus, illum nonnumquam propterea increpavit, & mihi idipsum exequendum injunxit. Sed nec ipsius monita, nec mea, nec clarissimi viri & celeberrimi scriptoris D. Emmanuelis Gonzalez Tellez, qui in eadem sententia jam tandem nobiscum erat, nec aliorum plurium, quidquam profecerunt. Novaturienti enim genio præditus, & præoccupatus insanabili illa cacoethe scripturiendi mira ac rara, undecumque ea accepisset, numquam sibi temperavit in ea porte. Denique editis quatuordecim plus minus voluminibus, avidissime receptis, & tantum non præ auro caris apud minus peritos, atque ingenti pretio venditis in America; tandem plenus triumphis, ut sibi videbatur, reportatis ex Pellizerio & aliis viris eruditis, a quibus refellebatur, in extrema senectute diem Matriti obiit, anno circiter 1683.*

19 Hactenus Cardinalis, viris eruditis illis, de quibus triumphare sibi visus est Argaizius haud dubie adnumeratum volens Fr. Hermenegildum a S. Paulo, Apologiæ Hieronymianæ anno 1672. Hispanice vulgatæ auctorem, cujus primus titulus appellatur *Impugnatio Hauberti, Dextri, Maximi & ceterorum*. Præcedit eum titulum prolixa Epistola Doctoris Petri Ferdinandi de Pulgar, Canonici Pœnitentiarii ecclesiæ Palentinæ & in Archiepiscopatu Burgensi Visitatoris, responsoria ad prædictum Hermenegildum, quæ totam Haubertini Chronici texturam, sibi propriis oculis manibusque comperiam, retexuit, impressa cum manuscriptis conferendo, & quid hinc inde prælo currente omissum, additum, mutatum ab auctore vel editore sit, minutim proponendo. Quod ideo hic notatum volui, quia Delationis Hispanicæ contra me auctores, hinc quoque causam meam aggravatam voluerunt, quod prædictus Fr. Hermenegildus, in iis quæ contra Carmelitas postea scripsit & hactenus ego nondum vidi, Aprili nostro usus videatur. Libri enim ejus, prævalente Argai-

zii

zii factione & Dextrinorum partiariorum, confixi in sacra Inquisitione dicuntur; aliquando (ut fas est sperare) restituendi in integrum, cum, ex voto prælaudati Cardinalis totque eruditorum Hispanorum, palam omnibus ipsique sacræ Inquisitioni innotuerit, mala fides dictorum Pseudo-chronicorum, & eorum quibus Carmelitana antiquitas nititur figmentorum, in quorum gratiam eruditi scriptoris libri haud multo mitius tractati fuerunt quam mei. Sed istos præproperos de Hieronymianis triumphos tandem repressit eorum nunc Reverendiss. Generalis Franciscus Gallianus, per suum de Legis veteris Monachatu librum, laudatum Art. 15. num. 99. & magis etiam per ejusdem Latini libri Apologiam Hispanicam, quam intelligo ubique cum plausu legi. Det porro Deus, ut communem mecum causam istic evincat, & Hermenegildi sui libros a nota illis inusta liberet.

20 Sic interfatus pro Fr. Hermenegildo, redeo ad Aguirrium, quem nequeo dimittere, quin unam adhuc clausulam apposuero, quæ talis est: *Quarto loco succedit Bracarense Concilium, cum aliis multis & frequentibus Hispaniæ, apud pseudo-chronicon, Iuliani Perez nomine vulgatum, nothum quidem, sed germanum fratrem aliorum similium ab uno Higuera editorum: in quo ad annum* CCLII. *num.* 105. *dicitur:* „In causa Novati habentur in Hispania crebra Concilia: „scilicet, Bracaræ, Emeritæ, Tarracone, Hispali, & alibi. *Voluit artifex earum farraginum demereri omnes Hispaniæ Ecclesias, & Urbes, ac Sodalitates Regularium veterum: ideoque nulli earum non dedit aliquid eximium, veluti Concilia, Sanctos, Præsules, Martyres, &c. Sic etiam Argaizius se gessit postea in suo Hauberto illustrando: ut propterea Magister Gregorius Quintanilla, pariter Benedictinus & in Salmanticensi Universitate Primarius linguæ sacræ Professor, libro edito in Tabernaculum Fœderis, facete illum incusaverit, quod se gessisset in suis libris evulgandis instar Mahometi in Alchorano diffundendo. Ut enim id plausibile ubique redderet, cuilibet Religioni vere aut falso aliquid contulit nebulo ille. Fidem aliquam exhibuit, partim doctrinæ Mosaicæ, partim Ethnicæ, partim Nestorianæ: ut ex omni conditione hominum sectatores haberet innumeros, & laudatores. Nemo enim facile id reprehendit aut respuit, in quo aliquid honoris aut gratiæ sibi concedi agnoscit.* Hoc scilicet, hoc ipsum est, quod P. Danieli a Virgine Maria commendabile fecit ac fide dignissimum, Itinerarium, nomini S. Antonini Martyris Placentini suppositum, licet ipsi verosimiliter numquam visum, sed ex locis, ab alio communicatis, dumtaxat notum. Si enim vidisset integrum legissetque, sicut ipsum legendum ex manuscripto dedi ante tomum 2. Maii, & vero Joannis Phocæ Itinerario opposui; cavisset, credo, ipsum allegare, pro ut illud postea allegare caverunt quotquot ex vestris contra me scripserunt ab anno 1680. & prout cavit Paternitas tua, licet tam generosa sit ad scripta supposititia defendenda; adeo nempe patens adeoque absurda fictio tota est.

21 Volo autem credere, quod si contigisset, Pulgarii epistolam citius prodire cum libro Fr. Hermenegildi, quam P. Josephus Andres prodire sivit librum suum præfatum; expuncturus hic fuerit totum illum ex Argaizii Hauberto articulum, quem tam studiose recudi fecit P. Bonæspei. Etenim, opere jam excuso, pauca quædam, ut moris est, cum Lectore tractaturus P. Andres, ad extremum significat, quod *prodiit nuper Apologeticus liber, magna contentione evincens Gregorii Granatensis Episcopi Martyrologium, & Hauberti Benedictini Chronicon, apocrypha, atque adeo omni auctoritate destituta, monstrare:* cui licet speret ab Argaizio faciendum satis; tamen, inquit, *si demum, re utrimque accurate discussa, Martyrologium & Chronicon auctoritatis reperiantur expertia; facile, ac si excusa non essent, prateribis.* Simili candore, paulo ante medium, sic protestatus erat: *Sicubi in hac opella quod non eveniet nullibi, Eliam Monachorum vocavi Principem; Monachos, illius alumnos; Religionemve, ab ipso collectum Prophetarum cœtum; & Ordinem, institutum; aut id genus alia effenderis; amabo, mi Lector, ne excandescas. Neque enim veram Religionem in Lege scripta extitisse contendo .... omnes vero citra veram tunc Religionem verumque Monachatum intelligo.*

22 His adde ex Nicolai Antonii sæpe laudati Bibliotheca, de Luitprando & Hauberto sequentia lib. 6. cap. 16.: *Luitprandus, Diaconus Ticinensis Ecclesiæ, & qui postea fuit Cremonensis in Italia Episcopus, unus ex illis est, quorum auctoritatis & nominis velamento usus Proteus multiformis Toletanus, fictitiam historiam nostræ gentis, sinceræ ac veræ locum occupaturam, conficere se posse in animum induxit. Sed cum ex divino proloquio, ante oculos pennatorum frustra rete jaciatur, quantumvis bonæ fidei nonnullis, & patriæ amantibus lenociniogue rerum allectis, dolosum aucupium, non sine quadam Hispanæ gravitatis jactura, quondam imposuerit; accenso jam hoc tempore defæcati judicii lumine, proposito ac spe sua cadere cœpit; monitique tensarum insidiarum prudentiores, avertunt se alio; & Sirenarum illi (sic dicam) cantus, veritatis malo alligati, surda aure prætereunt.* De Hauberto autem sic prosequitur idem D. Nicolaus: *Altera fabula est Luitprandianæ simillima, quam lusit ætate nostra, famæ gentis suæ Hispanæ sibique nimiens homo. Atque ea quidem digna visa est, cujus inventionem & promulgationem solicite atque adeo plene referamus, simulque falsitatis documenta aliqua (siquidem omnia velle, Augiæ esset stabulum purgatum velle) in medio producamus.*

23 Vides, Lector, prolixiorem fore convictionem reliquam: quare satis fuerit locum hic indicasse, dum librum ipsum legere vacet; tantum hic animadverte *Auctorem Hispanum, patriæ amantissimum, eruditione toti Romæ notissimum, per manus Eminentissimi Aguirre, æque Hispani, prodire in lucem, sub auspiciis Innocentii XII. nec quemquam esse qui sibi audeat imaginari, alterutrum, tam qui scripsit, quam qui Pontifici offert, & publice legendum exhibet, eversas patrias traditiones velle, aut bellum indictum Hispanæ gloriæ: quin potius judicant quotquot legunt, quod D. Nicolaus Antonii viriliter decertaverit, & ut vere sapiens, calamo suo tamquam acuta falce discrete usus, in tam spissa historicorum silva, intacta reliquerit folia quibus vestitur fructus veritatis, & solummodo decusserit otiosas frondes, aliam nullam utilitatem ferentes, quam quod oblectent sub apparentia veritatis.* Ita Auctor Hispanicæ pro Veritate Apologiæ sub finem operis, de quo infra.

24

24 Interim (ut eo redeat oratio unde diverterat) vide, P. R. an velis Cardinalem Aguirrium & tot illustres qua Hispanos qua exteros, eum in damnandis Higuerianis Lupianinisque figmentis prægressos, accusare Apostolicæ Sedi, veluti convictum *antiqua invadere Hispanorum Monumenta, Historias sacras & Traditiones; eorumque Hagiologos vocare Mendaces, Fabulatores, Fatuos; nec non Sanctos eorumdem cælo dejicere & tollere e rerum natura*. Tamayum, ut talia vocetur, commeritum dico: Auctorem tamen Hagiologii Lusitani Georgium Cardosum excusatum cupio, ut qui de suo nihil finxerit sicut Tamayus, sed una cum infinitis aliis, minime malis hominibus, credidit vera esse, quæ ut talia acceperat, & Lusitaniæ suis honorifica esse videbantur; alias haud impigre solitus ab illis recedere; in eoque demonstrans humanum affectum, quo discrimen istud facit, potius quam ex solidæ rationis critica. Talis autem mea de Hagiologio Lusitano sententia adeo non displicuit eruditis in ea natione viris, ut cum Inquisitor apud eos Generalis, ex Ordine Carmelitarum, motus atrocitate Toletani contra libros meos Decreti, ipsos sequestrari tantisper jussisset, donec causam cognovisset; rite examinatos innocentesque censoribus visos, restitui dominis suis jusserit, definitivum de iis judicium Apostolicæ Sedi, ut par erat, reservans.

25 Ab ista generali accusatione operis mei pro Hispanis instituta, descensurus ad quædam particularia, Pater Rev. revolvit lapidem de sancti Regis Ferdinandi Actis & Cruce Caravacana: in quibus quam utiliter, & tam huic quam illi honorifice laboraverim, nihilque minus quam, quod mihi impingis commiserim, ostendi Art. 25. §. 29. & 30. Eo redeat lector; si quid dubitet; & ignoscat Accusatori, titulis augere librum volenti, cum rebus non potest.

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius antiqua Mediolanensium invadit Monumenta, Historias, ipsosque Historicos, ac Nobilium antiquitatem.

RESPONSIO.

26 Occasione S. Dionysii, Mediolanensis Episcopi, cujus Acta & tempora illustraveram 25. Maii, placuit in lucem producere veteres Episcoporum & Archiepiscoporum illius Sedis Catalogos, sicut eos ex manuscriptis Ambrosianæ Bibliothecæ transcripserat Henschenius. Habebam enim hujus ecgrapha ex fide originalium membranarum recognita atque suppleta, benevolentia ac diligentia Præfectorum istius Bibliothecæ, Petri Pauli Boscæ, Nicolai Rubini, & Andreæ Pusterlæ, insignia doctrinæ merito ad id munus successive assumptorum ex Sodalitio Sacerdotum Oblatorum SS. Ambrosii atque Caroli. Primus horum nunc Modoetiensis Archidiaconus; alter, prædictorum Sacerdotum Præpositus Generalis postea factus est: tertius, eruditionis suæ fructus aliquos publico dedit, nec quidquam fere prius curavit quam ut eos mecum communicaret: omnes autem meam, ad Catalogos istos inter se cum aliis monumentis conferendos, collatam operam gratissimam & probatissimam habuerunt, neque vel minimam querelam hactenus contra me intulerunt.

27 Primus anno 1695. *Martyrologium Mediolanensis Ecclesiæ, cum Notationibus* prolixis, vulgavit, Bernardinum Faynum in Brixiensi, & Aloysium de Tatiis in Comensi æmulatus, perquam felici successu. Hoc obiter pervolvens, nusquam adhuc reperi positæ a me Chronologiæ contrarium. In epistola autem ad me data ipsis kal. Decembris; *Operæ pretium*, inquit, *me facturum putavi, si illius exemplum ad te mitterem.... ut, cum ad manus tuas pervenerit, pretium aliquod inde accipias*: plura transcribere erubescit calamus, ne virum gravissimum adulari judicer, haud patienter ea lecturus, quæ Patern. Tuæ confusionem parerent, tam diversa de me meisque rebus judicanti.

28 Iste autem Reverendissimus Archipresbyter, mentem suam in Præfatione explicans lectori, nequis fortassis arguat, corrigere præsumentem Acta Mediolanensis Ecclesiæ, a S. Carolo Borromæo edita; *Tabulam*, inquit, *Archiepiscoporum Mediolanensium, in iis contentam, non esse scriptam ab eodem sancto Antistite; sed ab alio quopiam auctore, viri docti arbitrantur; eamque tribuunt Petro Galesinio*. Hic si fuit superiori seculo (ut num. 21. dicit Patern. Tua) *Mediolanensibus fere pro oraculo habitus*; pro tali eum nunc illi non habent, cum ab ejus sensis libere discedunt. Ego multæ lectionis ac scriptionis virum, in iis quæ conatus est laudo; non tamen pro oraculo habendum mihi puto, neque pro tali habuit Apostolica Sedes, quæ *Martyrologium* ejus, quod anno 1588. ediderat, *Romanæ Ecclesiæ usui in singulos anni dies accommodatum*, cum viris Romæ eruditis examinandum tradidisset, recipiendum non censuit; Baronius vero multos ejus errores merito & graviter castigavit, ut in hujus ad Romanum Notis videre est.

29 Porro non solum Tabulam Episcopalem, a Galesinio compositam, a S. Carolo Borromæo non improbatam, sequendam sibi semper non putavit Modoetiensis Archipresbyter prælaudatus, sed in ipsis etiam primorum Episcoporum antiquissimis Actis agnoscit perturbatum temporis atque successionis ordinem. Nam 18. Septembris agens de S. Eustorgio primo, quem illa postponunt SS. Materno, Mirocleti & Protasio, ipsum statuit Materno quidem posteriorem, Mirocleti vero atque Protasio priorem; idque *Chronologiæ causa*, ut putat, sic exigente. In hac quoque quod ego judico, habendam rationem, si possit, Dominicæ, tamquam diei Ordinationibus Episcopalibus præfixæ, Mediolanensium nemini adhuc scio displicuisse. De nonnullis vero a Puricello Mediolanensi relatis Indulgentiis, cur non omnes subsistere crediderim & credam, hic mihi iterum non est danda ratio, cum hanc reddere me jam pridem supra coegeris Art. 14 §. 6.

30 Quæ de nobilium familiarum cognominibus hodiernis serius institutis dixi, ea recte me dixisse, satis in prima parte Responsionum demonstravi. Sed neque ex mea solius sententia ea dixi, neque adversus Mediolanenses unice faciunt: quare non debebat ista quæstio huc reduci, nec potuit illis specialiter displicuisse. Sed merito displiceret, si verum foret, unde hunc §. exordiris, quod *molitur Papebrochius argutiis negativis negare, Mediolani olim fuisse corpora Sanctorum Magorum*. Hoc negare, ne per somnium

nium quidem mihi venit in mentem : unde enim ea habentur Coloniæ, ſi Mediolani antea non fuerunt? Quid ergo? De translatione illorum ex Oriente Conſtantinopolim, atque hinc Mediolanum ad eccleſiam S. Euſtorgii, nihil dicentibus congruæ antiquitatis ſcriptoribus, variis autem recentioribus varia comminiſcentibus, quæ nequeant cum hiſtoria veteri certiorique conciliari; conor per veroſimiliorem conjecturam, de modo ac tempore atque auctoribus prædictarum duarum translationum ſtatuere aliquid, cui acquieſcere poſſit animus, ſalva traditionis antiquæ ſubſtantia, in eo ſita, quod ea corpora ablata Conſtantinopoli Mediolanum revera translata fuerint : quam tamen conjecturam meam libenter cedam alteri certiora docturo. Interim cenſeo, *tolerabiliori figmento* adſcribi translationem iſtam Euſtorgio II. Euſtorgianæ Baſilicæ conditori, quam Euſtorgio I. quia non potuerunt in dicta eccleſia fuiſſe antequam conderetur, non poſſunt autem ſine teſte credi fuiſſe Mediolani alio quocumque loco ante S. Ambroſium, qui nuſquam eorum inter ſuæ civitatis Patronos meminit, in ſuis ad populum ſermonibus vel aliis ſcriptis.

§. IV. V. VI. ACCUSATIONES.

IV. *Papebrochius impugnat varia totius Franciæ diplomata, monumenta, hiſtorias ſacras, ac laudabiliſſimum Andreæ Sauſſayi Martyrologium.*

V. *Papebrochius impugnat antiquum Capituli Antverpienſis monumentum, de Præputio Chriſti Domini, olim Antverpiæ quieſcente.*

VI. *Papebrochius explodit antiqua Neapolitanorum monumenta.*

RESPONSIO.

31 Nulla ego novi, nulla novit Mabilio, rem hanc ſpeciali opere ex profeſſo tractans, *totius Franciæ diplomata*; neque capere poſſum, quo vero ſenſu aliqua ſic nominarentur, niſi forte publicis Regni totius comitiis (*Parlamentum* nos dicimus, antiqui *Placitum* aut *Synodum* vocabant) expedita & omnium communi auctoritate roborata. Hujuſmodi ſi qua ſint, cum viderim numquam, impugnare non potui. Si dixiſſes, impugnare me *omnia totius Franciæ diplomata*, id eſt, quotquot tota Francia privatim aut publice ſervantur inveniunturve, mendacium quidem patentiſſimum id foret; cum dumtaxat aliqua, eccleſiis vel monaſteriis quibuſdam privatis data, dubiæ veritatis aut ſinceritatis eſſe, conatus fuerim oſtendere; dixiſſes tamen aliquid communi auditui intelligibile. Quod autem, inter multa vera atque ſincera, habeantur quoque non pauca aut ſuppoſititia tota aut depravata vel interpolata, non negat Mabilio, ſed oſtendit, quomodo talia ſæpe in locum verorum, ſed amiſſorum, ſcribi potuerint, ac reipſa ſcripta ſint permiſſu Principum, nemini ad culpam imputabilia, licet ad Hiſtoricam veritatem non ſatis exacta, mendoſaque. Quod ſi non omnia ea principia ſum aſſecutus, ad diſcernendum vera a falſis, ſincera ab interpolatis, quæ ille felicius adinvenit, & hinc aliquibus, in Propylæo ad tom. 2. Aprilis, intuli cenſuram juſto graviorem; id abunde compenſavi in conatu Chronico-hiſt. ad Catal. Pontiff. ſicut oſtendi Art. 4. §. 3. & Art. 15. §. 3. ubi & San-Dionyſianis (pro quibus n. 30. hic queritur Accuſator) ſatisfactum fuiſſe declarat, quam num. 389. recito, Mabillonis epiſtola.

32 Quod *de eccleſiis Gallicanis ſic garrit Papebrochius quaſi ſua Breviaria replerent fabulis & figmentis*, ipſemet, R. P. Sebaſtiane, garris more tuo, ſicut oſtendi Art. 17. §. 8. Fruuntur Eccleſiæ Gallicanæ antiqua libertate, *ſuo arbitratu fingendi ac refingendi*, id eſt, formandi ac reformandi *Breviaria ſua*: quod ita fecit Pariſienſis, ut ea de ſacris hiſtoriis expunxerit omnia, pro quibus me, veluti Francis injurium, num. 29. tuum citas; videlicet de S. Dionyſio, S. Magdalena, S. Martha, S. Clemente, aliiſque, ut ſuis locis notavi. Idem antea & poſtea plures Eccleſiæ aliæ in Gallia fecerunt, neſcio an libertate non ſubinde nimia; dum aliquæ, Religioſorum Ordinum quorumdem Fundatores, quos Romana Eccleſia Officii Duplicis honore dignatur, aut prætermiſerunt omnino, aut ad infimum Officii ſimplicis gradum demiſerunt. Denique *Sauſſaji Martyrologium* non cenſeri Pariſiis nunc *laudatiſſimum*, quantumcumque initio plauſum habuerit, declaravi Art. 18. §. 2. Tranſeo igitur ad Accuſationem §. V.

33 Capituli Antverpienſis monumentum ſeu teſtimonium de ſacro Præputio, quamvis in ſubſtantia veriſſimum ſit; in nomine tamen vel titulo donatoris exprimendo memoria lapſum eſſe auctorem ex ſola traditione ſeniorum poſt annos 300. ea de re aliquid ſcribentem, non ego primus, ſed annis ab hinc 60. notavit R. P. Bollandus; idque ipſo operis ſui initio ad Kalendas Januarii p. 6. c. 1. ſub finem, cum ad verba, quibus dicitur *Henricus Naeſe ... deinde Hieroſolymorum factus Epiſcopus*, poſuit in margine, *Non conſentit hoc cum hiſtoria belli ſacri*. Hanc diſſonantiam dum ego per veroſimilem conjecturam nitor componere, & ſuadeo *Epiſcopum Vicarium* intelligere, quam in Hiſtoria belli ſacri nuſquam nominari, mirum non ſit, optime de ſe ſuiſque majoribus mereri me cenſent Domini Capitulares; ad quos iterum te provoco, ut probes vel retractes impactam mihi calumniam, quaſi de ipſa ſacri Præputii apud illos olim exiſtentia unquam dubitaverim, qui e contrario aſſerui, eam haberi *indubitabilem*; tantum abeſt, ut quæ ſunt de ea litteræ, propter ſphalma unum memoriale vel obſcuram vocem, *juxta Papebrochianam Dialecticam* fiant *de ſuppoſitione ſuſpectæ, cum omnibus, quæ de ſacroſancto Chriſti Præputio Antverpiam tranſmiſſa referunt*, uti places Paternitati tuæ in fine §. hujus arguitari, per veræ dialecticæ ignorantiam, vel potius oblivionem.

34 De Neapolitano marmore, inſcriptiſque ei Indulgentiis, veluti a Joanne I. Papa conceſſis, (quæ eſt ſexta tua contra me hic illata Accuſatio) rationem dedi Art. 14. n. 91. Nulla autem extante S. Pomponii Vita vel alio quopiam veteri monumento, ſed ſola conſuetudine quorumdam ad eccleſiam ab illo conſtructam ludorum, (Perculæ vocant, ajuntque inſtitutos in memoriam pulſi inde Mariana ope apri, qui aram illam infeſtabat) quid aliud dicere

potui

potui, aut debui, quam quod dixi, *popularem esse traditionem*, de qua liberum cuique sit sentire quod volet? Mihi operæ pretium non videtur tam levi de causa huc rem totam transcribere ex tomo 3. Maii pag. 373. ubi eam qui fuerit curiosus reperiet.

35 Si tomo 1. Maii ad Ephemer. prævias pag. 35. dixi, quod *non possum probare quosdam Neapolitanos amicos* (atnot hi unus alterve ex nostris, quos nihil attinet nominare, postea satis graviter ea causa afflictos) *qui præ studio erga cultum S. Annæ, nonnihil indiscreto, etiam conantur inducere in populo cultum aliquem annuum S. Emerentianæ*; pessime facis, Rev. Pater. quod indiscretionem paucorum fingis a me adscribi cunctis, accusans me, quasi indefinite scripserim, *Neapolitanos* id *conari*. Istorum autem paucorum studium, quale judicatum Romæ fuerit, patuit ex successu, hic non manifestando; judicium autem suum de Emerentiana, quod ego alienis verbis simpliciter exposui tom. 7. pag. 519. satis tuebuntur Parisienses, si a Te fuerint propterea accusati apud Apostolicam Sedem.

§. VII. ACCUSATIO.

Papebrochius impugnat fere omnium nationum ac regionum totius Orbis christiani Monumenta, Historias sacras ac Traditiones.

RESPONSIO.

36 Mirum est, si possit tota alicubi consistere Papabrochius, aut ejus libri usquam tolerari, quibus sibi tantum tamque universale Christianorum passim odium concitavit. Secutus tamen ille adhuc agit, infinitam adversariorum in se concitatorum multitudinem, in tuo unius cerebro tumultuari, intelligens. Ecqua enim, ex omnibus illis quas nominas nationibus, (nominas autem paucas,) publico vel privato nomine sic questa est de Papebrochio vel voce vel scripto? ecqua gens libros ejus proscripsit, nisi nuper, ex paucorum judicio, Hispanica: cujus reformationem eum me sperare jubeat sacri istius Tribunalis æquitas, si ad objecta crimina congrue satisfecero; sperare audeo fore, ut eam satisfactionem accipiat in hac mea Responsione. Huic si quod desit, propter novas quasdam accusationes, post Exhibitionem errorum hic refutatam allatas; id etiam confido ita me suppleturum, ut libri mei in libertatem restituendi, & doctrina declaranda sit pura a maculis, eidem, te præcipuo auctore, Pater Reverende, per calumniam meram invidiamque aspersis.

37 In quibus dolet repudiari a me Dextrina figmenta, propterea quod non sinantur pacifice frui tot novis & antea incognitis Sanctis, annos jam fere centum toleratis, ulciscantur sa de fuismet Hispanis, atque imprimis de Cardinali Aguirrio, cujus tam multa loca contra fabulosas novitates tamque nervosa, superius legenda jam dedi. Unum hic addiderim, etiam P. Bollandum, in Præfatione ad Februarium cap. 5. sub finem (optat ibi, ut Tamajus & Cardolus amici sui, *minus adhæsissent Chronicis, quæ Dextri, Maximi, Luitprandi, Juliani dicuntur*) observare, quod Cardolus undecima Februarii pag. 327. fateatur, Dextrum & Luitprandum *invicem* quandoque *pugnantia tradere, propterea quod manuscripta Opuscul. Collect.* *exemplaria, priusquam prælo committerentur, per variorum manus iere; & quisque quod ad patriæ suæ honorem facere videbatur, inseruit.* Quibus ex Cardolo sic relatis, merito addit Bollandus; *Miramur, virum doctissimum velle unquam Auctorum istorum testimoniis stare. Unde enim constat, non etiam, ubi minime diffident, esse adulteratos? Nihil sane ad enervandam eorum auctoritatem afferri efficacius potest.*

38 Sed missos oportet Hispanos faciam, hoc loco mihi non objectos, transeamque ad nominatos a Te, *Brixienses, Leoncinos, Fossanenses, Calaritanos*. Mirus Geographus es, P. Sebastiana. Nationes ac Regiones pollicitus in titulo, pro iis supponis civitates quatuor *Brixiam, Leontinam* (vulgo *Lentini* dictam) *Fossanum & Calarim*. Brixiensibus civibus, circa reliquias in S. Afræ ultimo refossas, indeque auctum Fayni Martyrologium, nihil habeo quod ultra dicam. Leontinis subtraxi nihil, quod non detraxerit Cajetanus Siculus, quando Sanctorum trium Fratrum Acta fabulosa esse demonstravit, multo prius quam ego de illis agerem; neque hic additum quidquam velim, nisi ut redeat lector ad Art. 11. §. 18.

39 De sancti alicujus Juvenalis Reliquiis apud Fossanum, creditis esse S. Juvenalis Episcopi Narniensis, sic egi ad diem 3. Maii, & hic Art. 11. §. 22. ut modis omnibus conatus sim excusare bonam fidem, in qua eatenus fuerunt; quam tamen utrum deposituri sint, postquam viderint contraria Narniansium ac pene demonstrativa argumenta, neque scio, nihil inde responsi accipiens; neque magnopere curo indagare; cum intelligam, ægre passim homines, etiam pios, avelli ab insolitis quibusdam opinionibus, quibus venerationem conciliat aliqua religionis species, quomodocumque fundata.

40 Calaritanos sub communi Sardorum nomine Bollandus comprehendit, in præcitata ad Februarium Præfat. eodem cap. 5. agens *de sepulcris ac lipsanis, nuper in Sardinia inventis*, & quærens, *an omnia Sanctorum sint*; atque respondens & demonstrans evidenter, non esse, ex ipsa Epitaphiorum lectione erronea errores manifestos notans, qui illorum vindici Bonfanto obrepserunt; concludens autem hisce verbis: *Præcipuum apud nos momentum, ne Sardoa illa scripta sequeremur, habuit Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini, sapientissimi humanissimique Principis, auctoritas; qui moneri nos jussit, quorum Sardi recens exuvias reperissent venditarentque ut Sanctos, eos ne temere in opus nostrum referamus, donec constet quæ Ecclesiæ Romanæ de his sententia sit, aut nisi eorum martyrium publicaque ob antiquo veneratio satis sit aliunde explorata.* Hanc ergo regulam dum mihi, Bollandi opus continuanti, sequendam statuo, erroresque ex contraria præsumptione natos subinde detego, non minus bene de Calaritanis mereri me sentio, atque de Brixiensibus; licet eis forsitan ægre faciat, natus ex pudore dolor: qui dolor, modo ad veritatem tenendam, falsitatem eliminandam ducat, bonus erit; sin minus, utcumque gravis sit, justus videri non debebit.

41 Quam differentiam Paternitas Tua concipiat inter *Sicilianos scriptores*, pro quibus me accusas num. 42. (licet eo nomine nusquam usus sim, nec ullum ante hac aliquem noverim) & *Siculos*, quorum, veluti a prioribus diversorum

causa mihi irasceris num. 48. equidem nescio: gentem, quocumque nomine eam dicere velis, amo & veneror, ut pietatis non minus quam artium bonarum cultricem; nec puto dedecori ei vertendum, quod dixerim tom. 2. Maii pag. 506. n. 57. *Siciliam, ut frugum, sic & poeticorum ingeniorum fuisse feracem.* Sed neque puto, injuriam me illi facere, frequenti doctum experimento, ex tractatione Vitarum, licentius in Sicilia amplificatarum, cum addo, videri *persuasum fuisse nonnullis* ibidem, *ad Religionem Sanctorumque cultum facere, si, cum aliis, per armorum amorumque ludibria contextis fabulis, instillant animis exempla præceptaque, moribus non tam formandis quam deformandis accommodata, eo nocentius, quo delectabilius, ipsi Sanctorum celebriorum Vitas, similis concatenatorum inter se eventuum mirabilium amœnitate variegarent, ad inculcanda virtutum præcepta & vitiorum remedia.* Nihil in hoc magnopere peccatum video, quod etiam hodiedum cum laude usurpari, exempla satis obvia docent. Sed optandum fuerat, ut simplices sinceræque Sanctorum Vitæ, quæ compositionibus illis fundamentum dabant, non periissent; sic enim possemus id quod historicum est, ab eo quod poetica inventio addidit, discernere citra difficultatem; illis autem nunc deficientibus, & solis remanentibus postremis, cogimur ad aliquam certiorem veri similitudinem conjectando, & quasi palpando conniti, quod in talibus (quas nec paucas nec breves nominare possum, & ex parte nominavi loco jam allegato) cogitur etiam facere Octavius Cajetanus, uti ex ipsius ad Acta trium Fratrum notis demonstro, & ex Actis S. Angeli vestri sic consarcinatis tam evidens est, ut exemplis longe petitis opus non sit.

42 Cur autem me arguis dixisse, cum res ita ferebat, ut mihi in Actis Joachimi Abbatis agendum esset de Siciliæ Regina Constantia, Henrici Imperatoris uxore, quod *plurima de illa mentiti sunt Siculi*? Ecce enim Baronius, eadem operose refutans, falsissimaque ostendens esse, quæ de ejusdem monachatu & senectute grandi ab illis dicuntur, contra certissimam veterum historicorum totiusque Chronologiæ fidem. Habentur Messanæ Epitaphia utriusque, utique non ab aliis quam a Siculis efformata, in quorum altero dicitur, quod Henricus *Monacham sacris uxorem duxit ab aris*, *Pontificis scriptis* id facere permissus; in altero, quod *Undeno lustro*, id est anno ætatis 55. Constantia *Plateæ* (urbs Siciliæ est) *rugosa sacerdos* (id est, Monialis vetula,) *fœtu dedit partu Fredericum Augusta secundum*. Oportebat te, P. R. prius quærere in mendacii a me notati evidentiam, quam accusares censuram, veluti iniquam & Siculis universim injuriam. Nam ubi res evidens est, quis injuriam dixerit esse si ligonem ligonem vocem, schapham, scapham? Quis vero etiam ab Historico exigat, ut in breviculа aliqua notatione ejusmodi falsitatis, operosa circumlocutione caveat propriis uti vocabulis, quæ gravius accipi possint seorsim sumpta a circumstantiis ea justificantibus?

43 Hibernos, quos tantis Bollandus beneficiis obstrinxit sibi, ut mortuo apud Minores suos Lovanii parentare voluerint, etiam contra me niteris suscitare, quia non omnem fidem adhibeo Vitis per ipsos traditis. Scias ergo, quod P. Bollandus, de nimia erga tales indulgentia ab eruditis amicis monitus post Januarii editionem, necesse habuerit de ea se purgare in Februario, prout fecit cap. 3. Præfationis, explicans, *Sanctorum Hibernorum & Scotorum Vitæ quatenus relatæ* sint a se, ac porro referendæ. Ibi, inducta earum Vitarum mentione, quas Joannes Colganus Minorita Hibernus, pro Januario, Februario ac Martio edidit, post explicatam aliquam etiam istarum utilitatem, ita loquitur Bollandus: *Transcribimus ex eo opere in nostrum quandoque Vitas aliquas; sed eorum dumtaxat Sanctorum, quorum in aliis Vitis, vulgo notis minimeque suspectæ fidei, mentio fit: quorum vero incomperta alibi memoria, eorum non temere Acta, ab eo* (Colgano) *licet vulgata, proferimus ..... Ea autem sollicitius ab iis calamum abstinemus, quod fere contextæ sint ex portentosis miraculis, quæ vere fortassis olim acciderunt, ob sinceram piissimæ gentis simplicitatem; tamen ita imperite nonnumquam congesta sunt, omissis iis quæ ad virtutum officia spectabant, ut risum potius movere lectoribus queant, quam Sanctos illos venerandi imitandique affectum. Neque queri quisquam merito potest, nos Sanctis illis injuriam facere; si .... ea quæ de ipsis in solis illius gentis monumentis extare dicuntur, atque eorum non pauca, Scotica aliave barbara lingua conscripta, operi nostro non inseramus.*

44 Ego tam scrupulosus non fui, quam se futurum proposuerat Bollandus; sed ex imperio Henschenii assumens Acta Sanctorum Hibernicorum illustranda, ut proprium mihi pensum, ejusdem suasu non solum S. Patricii Hiberniæ Apostoli Vitam dedi, qualem ex istiusmodi vel scriptis vel traditionibus Jocelinus collegit (hanc enim etiam dedisset Bollandus, de ejus vera existentia, prædicatione & cultu ac miraculorum magnitudine aliunde certus) sed etiam plurium aliorum, de quibus non ita certo constabat; ratus, me posse credere notitiæ ex solis Hibernicis Martyrologiis acceptæ; simulque, per verosimilem saltem conjecturam ipsa gesta reducere ad quamdam Chronologicam rationem. Cum ea tamen cautela & libertate id faciendum putavi, ut de singulis indicarem sensum meum, fundatum in circumstantiis istic observatis; nec parcerem notis aut censuris, congruis ad vitandum operis nostri contemptum, aliàs apud eruditos incurrendum.

45 Venerabilis Beda, excusans schismaticam Paschatis non satis canonice celebrandi apud Scotos & Pictos formam (suo autem Bedæ, Scoti & Hiberni iidem) *Sciebant*, inquit, *ut Christiani, resurrectionem Dominicam, quæ prima Sabbati facta est, prima Sabbati semper celebrandam; sed, ut barbari & rustici, quando eadem prima Sabbati, quæ nunc Dominica dies dicitur, veniret, minime didicerant.* Digna vero lectu sunt quæ de poetarum ea in gente multitudine, auctoritate, & quidlibet asseverandi præfidentia scribit Magnus Odonellus Tyrconalliæ Princeps, & descripta invenientur tom. 2. Martii ante Acta S. Patricii pag. 517. col. 1. Ea, tamen omnia non impediunt, quo minus gens illa, non solum Sanctos, sed etiam doctos viros habuerit & habeat multos: sed hi de repurganda patriæ suæ historia videntur desperasse pridem, & adhuc ferme desperare, adeo vel nulli vel pauci aliquid studii eo contulerunt; & Colgani successores desistunt ab opere prosequendo, haud sane levi cum damno reipublicæ litterariæ, nostrique hujus operis incommodo, cui multa utilia inde suggerebantur.

46 Sed quid? An Itali, Angli, Germani,

Belgæ,

Belgæ, ioter homioum natiooes non censentur; ideoque noo quæris aut invenis, P. R. in quo eos læserit Papebrochius? Respondebis, credo, quod eos quidem bic non nomines; sed qui num. 49. quereris, *taxare* Papebrochium *omnes fere totius Europæ illustres familias*, omoium haud dubie *notiorum* susceperis tuendam causam. Id si ita est, susceptam misere depoois Patronus infidelis; cum aliud non proferas quam verba mea, quibus dicitur in Propylæo ad tom. 2. Aprilis parte 3. n. 54. quod *notum apud omnes est* (qui scilicet aliquem talium usum habent, & vera malunt quam placentia dicere) *vix ullam esse illustrem familiam*, quales Regum ac Principum supremorum sunt, *cujus primordia, vero antiquiora & angustiora, non fecerit adulatio; heroes fingendo, qui numquam fuerint; facinora comminiscendo, quæ nemo viderit; quin etiam hujusmodi fictionibus scatere vulgatas urbium quarumcumque Chronicas, ante duo vel tria secula scriptas*. Si aliud de me nihil habeant queri Itali, Angli, Germani, Belgæ; non est quod ipsis me purgare laborem, apud singulos inveoturus sat multos qui me tueantur, & verum dicere, libere proouotiant.

47 Falleris interim, P. R. si putas hac objectione cogendum me, ad id, quod notissimum eruditis est, exemplis undecumque petitis confirmandum. Iotegrum ea volumen implerent, invidiæ multum, utilitatis nihil habiturum. Satis est aliud agenti excidisse Antverpienses origioes nostras, & Clivensium ab Elia vestro deductam propaginem. Adde tameo, si vis, iofinitos fere populos, olim saltem gloriatos, alios quidem verosimiliter, plerosque falso, se ex Trojanæ urbis cineribus progressos; Venetos, ab Antenore; ab Ænea, Latinos; ab Ulysse, Ulyssipponenses in Lusitania & Ulissinganos in Zelandia. Adde etiam Forestarios Flandriæ, theatris tragicis, non historicis natos; & Brabantiæ Duces, Lovanii Comitibus antiquiores; aliaque sexcenta.

48 Sed heus! pene exciderat id, unde §. hunc 7. ordiris: dum enim fateor; *quod erant primis Ecclesiæ seculis Christiani, qui fingere & mentiri pro religione pium crederent; qui multos libros, magnis veterum nominibus a se suppositos, sparserunt*: tua tibi Dialectica, R. P. Professor, consequens videri facit, quod *omnes imprimis pias Ecclesiæ historias universaliter moliar de fabulositate reddere suspectas*. Hoc mea me non docuit Dialectica consequens esse. Tu vide ubi tuam didiceris, & hinc recurre ad Art. 2. num. 29. Si istic productis credere nolis; dic, qua alia ratione, non quidem excusabiles, sed tamen minus culpabiles videri possint illi tam multi, qui pro tuenda imaginaria quadam vestri Ordinis prærogativa, finxerunt libros sæpe dictos, falsificarunt bullas, commenti sunt historias seculis prioribus inauditas. Mitte etiam manum tuam io sinum tuum (hunc, inquam, Exhibitionis tuæ librum) & vide, an eam inde prolaturus noo sis leprosam instar nivis, totamque (ut sic loquar) iosarioatam meodaciis, non qualibuscumque nec *pro religione* (qualia illi sibi licere falso arbitrabantur) sed uodequaque perniciosissimis, unde excusare Te nemo possit ab onere retractationis tam publicæ, quam est diffamatio publica; nisi forte ab isto onere Te liberet communis vox & fama, quod illis omnibus jam patenter convictis, nemo amplius eia fidem adhibeat; adeoque cesset malum, cui mederi tenebaris, etiam per tui ipsius diffamationem publicam.

§. VIII. ACCUSATIO.

Papebrochius historiam de nece Caroli Boni Comitis Flandriæ, & constantem civitatis Brugensis in Flandria traditionem, præfidenter clamat, esse fabellam; & Brugenses traducit, tamquam comicos & publicos histriones.

RESPONSIO.

49 NImio & immerito honore me afficis, P. R. quando me auctorem facis præclarissimi, & ab Eruditis Brugensibus æstimatissimi, toto Martio Commentarii, de B. Carolo, Comite Flandriæ, ad secundum illius mensis diem. In hoc die, uti & in aliis tribus sequentibus, nullam ego nec minimam partem habeo, exortus figlinam discere in luto (ut fert adagium) in Sanctis Cadroe Metensi Abbate, Oldegario Archiepiscopo Tarraconensi, Coleta Reformatrice Clarissarum, ad diem sextum pertinentibus; unde progressus ad diem octavum; collegi Acta S. Joannis de Deo, quæ ad illius nuper factam canonizationem haud parvo adjumento fuerunt, Aliud, quod quidem momenti cujusquam sit, toto illo tomo habeo nihil, præter Vitam Magistri nostri Bollandi, cujus istic sunt Commentarii de Sanctis Eudocia Martyre, Casimiro Confessore, Suiberto Episcopo. Cetera omnia adscribenda erant nomini P. Henscheoii, nisi hujus modestia illud occultari maluisset, ne obfuscaret nomen Bollaodi, minimam eo io mense partem habentis.

50 Interim, sicut ægre ferre ooo possum, quod Patern. Tua, nullum notatum discrimen inveniens Henschenio Bollandoque adscripserit, quando commodum videbatur, lucubrationes, mei unius studio digestas, ut ex ille de S. Josepho, cujus facta mentio Art. 10. §. 5. sic, quando reprehendere aliquid vis, libenter patiar vice magistri, quamcumque inferre voles, contumeliam. Itaque respondeo, Brugas me socium ivisse Henschenio, quando Commentarium suum, jamjam prælo adducendum, illuc detulit, omoia subjecturus judicio Illustrissimi tunc istic Episcopi, & historiarum præ cunctis Belgii Antistitibus scientissimi, Caroli van den Bosch: qui mox ut legere cœpit, adeo captus est eruditione rara atque multiplici illustratione rerum ad suam diœcesim spectantium, ut professus nobis sit, noctibus continuis tribus vix se potuisse iodulgere somno, quin totum perlegeret, atque expenderet; omnia autem & singula, authenticis probata actis atque instrumentis publicis, vehementissime sibi probari. Idem judicium erat D. Officialis Cortewile, & aliorum nonnullorum Caoonicorum ac Jurisperitorum (quorum notare nomina non curavimus) qui eumdem Commentarium, ab Illustrissimo sibi laudatum, similiter legerunt.

51 Nec alius esse poterat Brugensis Nobilitatis sensus, si requisitus fuisset. Quomodo enim illi non placuisset, illustriorem unam apud se Straceolium quondam Toparcharum familiam, cujus adbuc aliqua posteritas superest, ab aspersa per vulgi ignorantiam iosamia necis, optimo Principi illatæ, declarari liberam; totamque facinoris nefandi invidiam derivari in fæcem servilis conditionis? Hæc siquidem per avi sui Erembaldi adulterium, Castellanique Brugensis Domini sui cædem, ad tantas evecta opes, ut non timeret

nomen sibi facere ex nobilium vicinorum vexatione injusta; ideoque a Comite, non minus justo quam bono, punita demolitione cujusdam munitæ domus, quam habebant in Stratis, & unde in ipsas Dominorum Stratensium villas crebro incurrebant; versa in judicem suum ira, conspirationem conflavit, qua totius posteritatis execrationem commeruit, quotannis solenniter innovandam. Hæc autem omnia patebant irrefragabili concordique relatione duorum coævorum atque in plurimis oculatorum testium; quorum Commentarios, eatenus obscuratos, in lucem producebat Henschenius.

52 Et primum quidem proferebatur vitæ mortisque Historia, jussu B. Joannis, tunc Morinorum sive Teruanensium Episcopi, scripta ab ejus Archidiacono Gualterio: qui tertio ante Comitis mortem die cum eo loquens, intellexerat, quanto ferretur desiderio mortis pro Deo & justitia obeundæ. Quia tamen Brugis non adfuerat, cum cædes patraretur, Gualterius iste, *Deum testatur*, n. 45. *se quæ de morte Comitis & miraculis retulit, viri religiosi Domini Heliæ Brugensis Decani, Fromoldi Furnensis Præpositi, & aliorum Clericorum & Laicorum, qui se ea vidisse affirmabant, cognovisse testimonio*: scripsisse autem ea, *quæ infra duos fere post mortem Comitis menses consummata sunt*; ut verosimile sit, scriptioni isti finem posuisse proximo ab inde Majo.

53 Alter Scriptor isque multo copiosior, & ulterius progressus *per distinctiones dierum & gestorum, quæ in ipsis facta sunt diebus, usque ad vindictam*, de parricidis divinitus & humanitus sumptam, id est usque ad Augustum anni sequentis 1128. alter, inquam, Scriptor, exhibebatur Galbertus, ipsius suæ Urbis publicus Notarius (primæ tunc dignitatis & auctoritatis officium id erat) quem summa cum accuratione coram omnia observasse apparet ex n. 59. ubi ait: *inter tot noctium pericula & tot dierum certamina, cum locum scribendi ego Galbertus non haberem, summam rerum in tabulis notavi, donec aliqua noctis vel diei expectata pace, ordinarem secundum rerum eventum descriptionem præsentem; & sic, secundum quod vidctis & legitis, in arcto positus, fidelibus transcripsi: neque quid singuli agerent, præ confusione & infinitatione, notavi; sed hoc solum intenta mente notavi, quod in obsidione* (ecclesiæ S. Donatiani, ubi cædes facta erat, & unde parricidæ veluti ex arce se tuebantur) *communi edicto & facto, ad pugnam & ejus caussam congestum est: atque ad hoc quasi me invitum, ut scripturæ commendarem, coegi*.

54 Non credo, quod in totis Sanctorum Actis ulla sit aut erit certior aliqua invenienda historia, (quæ quidem non sit ipsiusmet Sancti manu conscripta) quam sit illa Boni Comitis, sic a duobus illis edita, ut unus de altero sciret nihil, Gualterio Teruanæ & Brugis cuncta examinante, interim dum Galbertus partim in ecclesia, partim domi suæ continebatur, singulis pene horis de vita periclitans. Sed illis ista clam scribentibus, populus, amissi Domini dolore, & præsentium turbarum sensu fere actus in rabiem, non minus quam auctores cædis abominabatur eos, quorum causa irritati illi cædem patrarant; neque satis distinguens Stratenses toparchas, ab iis qui domum in Stratis habuerant, licet genere ignobiles, communi utrosque invidiæ involvebat; ita ut abiret in proverbium, necdum abolitum e memoria, ut quoties mali grandioris aliquid patratum volunt significare Brugenses, dicant; *Hoc vel istud illi de Stratis fecerunt*.

55 Crevit autem magis invidia popularis contra Stratenses, quando abdicato Guilielmo Normanno, receptus a civibus in urbem fuit Theodoricus Alsatius, & contra hunc illosque stabant Toparchæ Stratenses; ex quibus denique Brugas captivus adductus est *Walterus, nepos Thancmari, per quem occasio & causa seditionis & pugnæ originem habuit inter Borsiardum* (Erembaldi ex filio, Bertholdi vero Præpositi ex fratre nepotem) *Comitis Caroli traditorem*. Tunc scilicet, ut Galbertus ait num. 174. *Brugenses manus præ gaudio complosas conferebant, quod captus esset Walterus, qui caput & principium fuit totius mali terræ nostræ, pro cujus dolis Carolus Consul traditus est; non quod ipse tradidisset, sed hostes suos Borsiardum & suos ad tradendum compulisset*. Ita Galbertus; atque mox addit: *Hæc quoque dico secundum sensum vulgi, & secundum furorem animi illorum, qui modo captivum Walterum præfatum suspendissent, aut novo & inaudito mortis fine dissipassent, si Comes* (Theodoricus) *permisisset*.

56 Ab animis, sic commotis & turbatis, ecqua verax distinctaque rerum gestarum cognitio manare ad posteros potuit, etiam post amnistiam promulgatam? Cum ergo historia genuina lateret cives, Stratensibus exinde numquam benevolos, propter altius jam radicatum odium quam ut facile aboleri totum posset; quid mirum, si non nisi confusa notitia rerum ac personarum fuerit per os vulgi ad posteros tradita, ac denique etiam scripto mandata? Factum hoc fuerit post annos centum vel ducentos, aut etiam serius, cum sacra sancti Comitis ossa, novis forte miraculis clarescentia, transferrentur ab ecclesia media in portatilem arcam, annuæ commemorationis die super altari exponendam. Tunc ad consuetam cornuum inflationem, pro parricidarum execratione ab olim institutam, placuerit addere narrationem aliquam rei gestæ, & composita sit ea quam Henschenius appellat fabellam, cujus nec caput nec cauda (ut dicitur) cohæret, vera falsis commiscens & vivos mortuis, plenaque anachronismis & contradictionibus. Prolixe hoc ostendit Henschenius, & proponit fabulæ synopsim §. 2. & 3. sicut ea in vernaculis Flandriæ Annalibus, & hinc in posteriorum scriptorum historiis inseritur, conformis ipsi proclamationi. Hujus & ego authenticam copiam Brugis nactus, possem ex Flandrico Latinam dare, nisi scirem id, ipsis etiam qui illam improbant, displiciturum. Est autem talis, ut non absurde conjectaverit Henschenius, initium habuisse ab aliqua de hoc argumento tragicomœdia; ita initio ludicra sunt omnia, quæ deinde in tristem vertuntur catastrophen, & majora veris reorum supplicia; quorum aliqui, istic quasi in scena necati, inveniuntur adhuc postea in honore fuisse, & acta publicia subscripsisse.

57 Optabat prælaudatus Carolus Antistes, formulam proclamationis istius, cui ipsummet cum suis Canonicis oportebat ex fundatione intervenire, si non aboleri totam, saltem ad normam veritatis, & absque nominis Stratensis traductione injusta, reformari. Sed cum ejus rei arbitrium penderet a Cameræ Feudalis magistratu, cujus impensis & sacrum de Trinitate, & prædicta cornuum inflatio proclamatioque curatur, ex quodam ad id apud ipsum constituto reditu;

non

non placuit Capitulo commovere homines, aliis prorsus curis & negotiis quam historiis intentos, fortassis nec commode satis laturos consuetudines suas a Claro censurari; sed potius expectare, donec ipse illa Magistratus, lecto forsitan probatoque ab eorum aliquibus Henschenii Commentario, ultro commoverentur id facere. Sed ut pauci grandia nostra volumina legunt; pauciores, quæ legerint, integre apteque referunt, paucissimi curant aboleri errores sibi minime graves; & quia Stratenses, jam ferme extinctos, leviter urgebat nota tam vetus, quam a se removebant, dicentes, ex alio Stratensium ramo sese procedere; quin etiam metus suberat ne illa contradictione commota plebs in novas effervesceret iras; omnia hactenus manent ut erant; neque de mutatione cogitatum est amplius, maxime postquam Episcopus Carolus a Brugensi ad Gandensem Cathedram fuit translatus.

58 Si ultimis annis, suscitati a Te Patres Carmelitæ ad conflandam mihi undequaque invidiam, quiritari inter sibi devotos cœperunt, ut quiritaris in titulo, factum id est cum exiguo vel nullo civium Brugensium motu; ut patet ex eo, quod tali causa nullus privatim aut publice adhuc a nostris auditus est queri, vel retractationem aliquam postulare. Ego tamen censui, officii mei esse, non omnino negligere jactam in me, vel potius in Henschenium calumniam; & eorum, quos nunc quoque credebam aliqua istic doctrinæ æstimatione pollere, curavi denuo exquirenda judicia, mox infra proferenda. Interim noto quam plane res similis vobis contigerit cum vestro S. Petro Thomasio.

59 Dederat Henschenius (ut dictum Art. 11. §. 34.) Vitam ejus, eatenus Ordini ignotam, prout eamdem scripserat individuus itinerum comes ac morti præsens, Philippus Mazerius Cancellarius Cypri; & ego, annis 53. post, Vitam alteram, inter ejusdem Philippi codices ipsiusmet manu scriptos repertam, addideram, auctore Joanne Carmessonio, Minorum Terræ-sanctæ Ministro, commode in Cyprum advecto, ad panegyrim defuncto dicendam, formandumque de ejus virtutibus miraculisque processum. His duobus tam certis testibus concurrentibus, & Carmelitas certos reddentibus, quod Sancto isti viro, neque Alexandriæ, neque in itinere quidpiam læsionis corporeæ fuerit illatum; numquid par non erat dimitti Martyrii titulum, temere ex Hildesiensi & Saraceno assumptum? Numquid non conveniebat fateri, quam facile in vestro Ordine fieri potuerit, ut veris etiam Sanctis vestris affingerentur falsæ Legendæ? Pergitis nihilominus more vestro, mihique indignamini, quia idem accidisse queror in Vita S. Angeli; hoc etiam infelicioris (si qua Sanctis in cælo beatissimis possit adscribi infelicitas) quod non solum non habuerit vitæ martyriique auctorem coævum; sed hunc etiam titulum arrogaverit sibi alius, de infinitis imposturis, velitis nolitis, convictissimus.

60 Cardinalis Baronius, ultimo suorum Annalium Tomo ad annum 1177. inter duas diversissimas relationes de Alexandri Papæ III. & Friderici Imperatoris apud Venetos congressu, *tamquam in bivio* constitutus: *Nos*, inquit, *illud divinæ Scripturæ imprimis mente versamus, ita monente Deo, Jerem. 6.* „ State super vias, „ & videte, & interrogate de semitis antiquis, „ quæ sit via bona, & ambulate in ea. *Et illi utique interrogandi, qui viam triverint ambulando, non autem inexperti, qui tantum audita retulerint, eademque fucata coloribus pictura monstrasse, satis esse ad probationem existimant, non considerantes, quod*

„ ...... Pictoribus atque Poetis
„ Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

61 *Quamobrem nos non aliunde, quam ab auctoribus ejus temporis, & iisdem plane ipsis, qui rebus tunc gestis interfueruntque, videruntque, atque præsentes manibus contrectarunt, cuncta descripturi sumus. Addamus insuper, ad confirmationem eorum, quæ ex dictis auctoribus narraturi sumus, cum plures ipsius Alexandri Papæ tunc ad diversos Venetiis scriptas epistolas, de iis quæ ibidem in eadem causa fieri contigerunt: adeo ut nulla de his vel levis dubitatio reliqua esse possit, trahique necesse sit summa potentia veritatis in ejus consensum, non dubitantes tantum, sed ipsos, si quos esse contigerit, obstinatos & refractarios; qui ei, quam semel imbiberunt opinionem, inhærent immobiles, persistunt stabiles firmique, nec pati possunt ab eadem quavis ratione divelli.*

62 *Accidit in iis (quod vitari posse perdifficile esse discimus experimento) ut quo præclarior de rebus præclarissime gestis sit historia conscribenda, sæpe irrepat in auctorem, quod sine auctore vulgatum fertur, quidpiam fabulosum, quod ipse scriptor prætermittere expavescat, ne contradicentium grandine densa pulsetur: sicque fiat, ut falsa admixta veris eodem decore tituloque gloriæ fulgeant; atque mendacium veritatis, ut gemma vitrum, nomen obtineat, & pari pretio æstimetur, atque cupientibus distrahatur; & quo nomine semel acceptum, eodem ad posteros, tamquam paterna hereditas, transmittatur; tenaciusque possessum non libenter admittat, quod fuco veritatis admoto veritati contrarium deforme esse mendacium arguatur. Quorum occasione, ut delectu habito (quod muneris nostri est) segregaremus pretiosum a vili, falsum a vero, immensi sunt nobis parti labores: feliciter actum, nisi ex more pareret odium veritas, ut secundum divinum oraculum Isaiæ 30.* „ dicant videntibus; „ Nolite videre: & aspicientibus; Nolite aspicere nobis ea quæ sunt recta: loquimini nobis placentia; videte nobis errores. „

63 Ita Purpuratus ille, nec minus canis quam crebris de falsitate expugnata laureis coronatus historiographus; expectans, *ut inclinata in vesperam die* (sicut in peroratione finali loquitur) *mercedem accipiat a Patre-familias denarium diurnum .... Ab hora namque prima*, inquit, *conductus, indefesso studio laboravi, ut puteos illos, quos antiquiores patres nostri fodere, impii vero Palæstini abstruxerunt implentes humo, exhaurirem, purgaremque ab immensa super injecta mendaciorum congerie; ipsosque purissimos interceptos latices revocarem ad usum pristinum avium atque pastorum.* Hæc ille se scribere, ait, *pulsante jam ostium morte*, in fine ejus tomi, quem Paulo Papæ V. obtulit anno 1607. *nono Kal. Junii*, uno tunc solum anno minor me, nunc septuagenario; atque haud ex vano præsagiens ultimam imminere horam. Hinc exeunte eodem Junio obiit, propter ea quæ alias summa fide scripserat, tomi sui sexti vivi comburium passus; quid autem passurus fuerit, ob

ea quæ de Ordinia Carmelitaoi initio scripsit, cito didicisset, si longior sibi vita fuisset.

64 Non potuit neque voluit hoc dissimulare Lezana vester; vir alioquio optimus; sed post annos 25. Leonem mortuum allatrans, occasione aorum; quibus ille S. Cyrilli Carmelitanum monachatum explo.erat aliquaoto acerbius; reposuit tomo suo 3. amaram unius a suis satyram, cujus supra memini Art. 8. n. 28. Conatur quidem istic suadere Lezaoa; Barooium se voluisse super boc exculatum Ordini; sed cum fatetur; ooluisse quidquam; io aliquo post edendorum tomorum retractandum polliceri; satis iodicat eum, ad summum exculasse (ut ooonumquam alias) quamdam acerbitatem phtaleos, io senteotia tamen perstitisse. Hoc vero etiam demonstravit in supra laudato ultimo tomo, ea de Ordinis origine sub Alexandro III. scribens; quæ quia in Martio simpliciter traoscripsit Heoschenius, ad declarandum tempus; quo videbatur in Carmelum veoisse primus ibi creditus Prior Bertboldus, tota hæc tempestas lo ipsum meque est coocitata, quæ plus furoris quam rationis babens, diu dissimulaotem me taceotemque; ad has demum Responsiones elucubraodas coegit. Quaoto felicior illo fuit Baronii continuator post aonos 30. Odoricus Raynaldus; cui absque litigio suum cessit silentium de rebus Carmeliticis; usqua ad Pontificiam coofirmationem Ordini datam & ultra; atque ita tacere ei licuit de Regula Albertina; primisque Prioribus & transmigratione io Europam; de adventu S. Angeli & Martyrio; de Simonis Stockii ætate, visione, scapulari; de Bulla Sabbatina, aliisque omnibus utcumque controversis; adeo ut fateri pussit de historia Carmelitica, quod io alia causa Barooius, *Refugit animus tam densum spinetum adire, quod borret vel e longe spectare.* Idem ut nobis liceret; quid noo egi?

65 Sed redeo Brugas, quæsiturus quis istic hodie sit de Henscheniano Commentario seolus; aorum saltem qui legeruot; & quam parum *ad me evidentis falsitatis convincendum* faciat; *quod* (ut objicis o. 53.) *singulis annis usque ad bunc diem, solitæ Proclamationes Brugis factæ fuerint: a quibus*, ioquis, *indubie abstinuissent & abstinerent Brugenses, si ea quæ in ista annua Proclamatione circa S. Caroli necem ejusque causam & conspiratores leguntur; judicassent fabulosa & familiæ Stratianæ injuriosa, prout illis Papebrochius molitur imponere.* Unde? nisi ex digito tuo sugis, Pater Rev. in Camera feudali (ad cujus obligationes; ut dixi; Proclamatio illa pertinet) quæstionem illam propositam unquam; nedum decisam fuisse? aut alicui Dominorum causis ibi agendis intervenientium, cognitum; nedum lectum, accurateque expensum fuisse prædictum Commentarium? An quia Fratres tui (qui nec ipsi videotur legisse quidpiam) nonnullis civibus, eatenus omnium ignaris aliud insusurrarunt, obmurmuraotes, quod eos traduxerimus *tamquam comicos & publicos bistriones* (quibus verbis nusquam est usus Henschenius.) idque illi cum indignatiooe audierint; succensere nobis putas etiam prudentiores meliusque informatos?

66 Inter hos eum esset rogatu meo instituta consultatio, omnes facile conveoiebaot, seque id ex Aldeoburgensibus aliisque monumentis demonstraturos dicebant, distinguendas omnino familias duas; prænobilem uoam, Stratensium Dominorum; alteram, plebejam: quarum hæc, oon illa, rea fuisset: sed quod hæc plebeja nuoquam cognominata fuerit vao ter straten, id est *de stratis* (qua via videbatur utcumque excusari posse usus ambas confundeodi) probari non æque poterat iis qui sciebant, plebejis eo seculo nulla fuisse stata cognomioa, sive (ut tuoe loquabaotur) supranomina: contrarium enim apparebat ex ipsis Bertulfi Præpositi fratribus, *Lamberto Nappin*, *Desiderio Haket*, *Wulfrico Knop*, aliis alio cognomioe dictis. Quin etiam Duoensis Abbas monstrabat Privilegium anoi 1139. & 12. post cædem, quo *Theodoricus Flandriæ Comes, Furnis constituens*, dedit *Fratribus S. Mariæ de Dunis terram, quam Bertulfus Præpositus Brugensis in parochia de Ramscappel possedit, cum terra Erembaldi Cromminck ultra & citra fossatum*. Idem eodem verborum tenore coofirmantibus, Samplooe Remorum Archiepiscopo, & Milone Motinorum Episcopo: quorum siogularia diplomata, sub nota anoi 1153. monstrabat idem Abbas, ex iis docens, prædictorum fratrum ipsiusque Bertulfi parenti Erembaldo cogoomen personale ac proprium, non vero gentilitium, oeque ad posteros transitutum, fuisse *Cromminck*.

67 Erant ergo qui non probant, Erembaldi istius posteros ab Henschenio dici *Erembaldinos*, quasi commune familiæ parricidalis supranomen, a progenitore sumptum derivatumque ad posteros, fuisset Erembauts, toti Brugensi civitati ignotum. Sed in promptu responsio erat, id ab Henschenio fieri, oon adstruendi talis cognominis causa, sed solius distiootionis gratia, ut apparet ex nu. 13. ubi ait, *Homicidas bosce, quos Erembaldinos appellamus, scribit coævus Abbas Sugerius fuisse genere bumiles, & de fæce conditionis servilis:* quio & haoc *primam fuisse visam interfectionis causam*, ait Galbertus, quod, cum constaret, illos *secundum lineas cognationis suæ de servili conditione fuisse . . . Comes ipsos suæ servituti vendicabat, cui illi se modis omnibus subtrabere nitebantur*.

68 Hinc veniebatur ad quæstionem, an esset abolenda vel corrigenda Proclamationis formula: atque io hoc vel maxime variabant sententiæ; aliis dicentibus, tam certis rerum gestarum testibus omoino inhærendum, liberaodosque infamia Stratenses; aliis e contra nihil movendum sustinentibus, atque Erembaldi posteros credi posse, a commorationis loco Stratenses dici voluisse, adeoque non male sic compellari ab historicis recentioribus atque in ipsa Proclamatione, de qua reformanda ipsimet Stratenses non laborent: reliquos vero qui ceteræ oarrationi irrepsissent errores, dissimulandos potius fuisse, quam excutiendos scrupulosius. Tales enim, inquiebaot, vulgi errores nulla non civitas habet, quibus omnibus se velle opponere omnesque corrigere, infioitus ac ferme frustraneus sit labor. His aliisque rationibus, imprimis autem quia cum Feudali curia difficile apparebat negotium, ceterique quoque inducti sunt, ut censerent movendum esse oihil: plerique tamen ab injustis Carmelitarum querelis, sparsaque in populum invidiosa fama exemptum volebant haberi Henschenium; cum quippe solis eruditis scripsisse, quæ nulla possint ratiooe coovelli; male autem facturum fuisse, si duos tam præstantes historiæ celeberrimæ scriptores (quorum ootitia fere

cmais

omnis Burgensibus exciderat, & unius dumtaxat ecgraphum unicum idque recentius & non integrum diuque quæsitum nunc erat repertum) invidisset posteris, & tenebris æternis damnasset. Ex horum ultimorum, numero rationeque prævalentium sententia, præcipuus eorumdem unus Abbas Dunensis, officii sui esse putavit, hoc veritatis testimonium dare.

69 *Rogatus meum qualecumque judicium proferre, circa ea quæ typis evulgavit R. P. Godefridus Henschenius S. J. Historiographus in Actis Sanctorum, ad diem 2. Martii, de vita & nece B. Caroli Comitis Flandriæ: censeo, Auctorem hunc præclaram, succinctam, & laudabilem operam præstitisse in Historiæ veteris elucidatione, qua sustinet, Erembaldi posteros, tum consilio, tum facto interfectores fuisse pii Comitis Caroli. Moveor vel maxime, quod neglectis neotericorum fabellis, suam hanc opinionem stabiliat, productis, qui latebant, scriptoribus synchronis; qui asserunt, se historiam hanc tradere, secundum ea, quæ ipsimet præsentes, vel viderunt, vel audierunt a viris fide dignis. Et quamvis scriptores moderni indistincte velint, auctores necis prædictæ fuisse Stratenses; si tamen historiæ veritas funditus examinetur, recedendum non est a P. Henschenii opinione, dum culpam omnem perpetrati facinoris conjicit in Erembaldinos: esto & hi non incongrue Stratenses appellari possint. Nam non solum Gualterius & Galbertus scriptores coævi, sed & moderni ferme omnes tradunt, quemdam Erembaldum, ex infima fæce populi procreatum, ad Castellaniam Brugensem vectum esse; a quo filii quinque generati sunt. Inter hos Lambertus secundo-genitus prolem masculam procreavit, nomine Borsiardum; qui possessiunculam sibi comparavit in Straten (nempe in dominio Nobilium Stratianorum, sito Brugas inter & monasterium S. Andreæ) atque in ea domum construxit. Cumque eo sæpius confluerent istius Erembaldi posteri, divitiis suis injuste conquisitis jam facti præpotentes, & Nobilibus Stratianis aliisque valde formidabiles, a vulgo sæpius inde vexato appellati etiam ipsi sunt Stratenses; sed male, & per abusum; cum ipsi non essent de nobili familia Stratianorum oriundi, sed potius Erembaldini vocandi, a suo progenitore Erembaldo.*

70 *Hinc cum Hagiographus memoratus, primus distinxerit Erembaldinos, abusive dictos Stratenses, a prænobilibus Stratianis, qui semper fideles fuerunt Comiti suo Carolo, ejusque, tum in vita, tum post mortem strenui defensores; non est cur doctissimus, & historiarum peritissimus hic Auctor sibilum vel censuram mereatur, cum id solum intenderit, ut prænobilis familia de Stratis parricidii nota liberaretur. Nec me commovet Proclamatio annua, quæ in Burgo Brugensi contra Stratenses, per sonitum cornuum postmodum instituta est a Flandriæ Comitibus, Caroli pii successoribus, utique in detestationem facinoris prætacti; cum hæc sit simplex enarratio facti, perpetrati a Borsiardo, cæterisque Erembaldi posteris: qui propter domum, quam, ut dixi, habebant in dominio tot Straten, instar arcis munitam, & a pio Comite propter causas justas eversam, Stratenses quoque dicti, facti sunt jurati inimici, tum Comitis, tum familiæ Stratianæ. Quapropter præsentibus fidem facio, nihil unquam hic Brugis commotionis aut scandali subortum esse ex Henschenii opinione: quod idem plures viri graves, desuper a me consulti, mecum asserere parati sunt. Dabam Brugis Flandrorum 2. Maji 1697.*

MARTINUS ABBAS DUNENSIS.

71 Eodem mense die 15. dignatus etiam est suam super his sententiam mihi scribere Ampliss. D. J. de Baillencourt, Brugensis Archidiaconus, vir nihilo minoris, quam prælaudatus Abbas eruditionis & lectionis, præsertim historicæ & antiquariæ. Tenor epistolæ ejus hic est.

REVERENDE IN CHRISTO PATER.

72 *NUllis umquam encomiis satis laudari poterit ingens animi magnitudo Patris Bollandi, Acta Sanctorum tam operose illustrare aggressi; Patris Henschenii, tam vastæ molis operi humeros substituentis; & demum vestræ Paternitatis, tam difficilis provinciæ onus excipientis: vigebitque apud litteratos omnes numquam interitura tam amplæ eruditionis virorum memoria. Sane P. Henschenium, de Flandria nostra & civitate Brugensi optime meritum censeo, qui vitam & necis Caroli Comitis, filii S. Canuti Regis, ab auctoribus synchronis conscriptam evulgavit. Quamvis enim laudatus Pater in quibusdam recedat a Proclamatione historica, quæ quotannis in Burgo Brugensi ad valvas ecclesiæ cathedralis, diebus Veneris in mense Martio, circa vesperam, e Fredatorio quodam legi solet; & præsertim in eo, quod Stratianos neget cædem præfati Comitis patrasse; nullam hæc in civitate inde turbam obortam intellexi, nec timendam fuisse autumo; cum adhæreat scriptoribus coævis, qui res quas ipsi viderunt, aut publice notas, recentissimeque factas, chartis commiserunt. Scribit Gualterius, archidiaconus Morinensis, valde judiciose & sincere vitæ & mortis seriem Caroli sancti Comitis, ad sanctum Præsulem, ipsiusque Comitis amicissimum & familiarissimum, Joannem Episcopum Morinensem, dum adhuc tota Flandria ardebat in vindictam facinoris tam immanis: scribit de mandato ipsius Episcopi ad posterorum instructionem, & rei peractæ memoriam: scribit tam ea quæ ipse vidit, quibusque præsens adfuit, quam quæ audivit ab iis, qui viderunt, rebus factis interfuerunt, iisque primariis, selectis, & fide dignissimis. Narrat Galbertus, Notarius Brugensis, vir, ut ex scriptis patet, candidus & ingenuus, quæ dietim contingunt tempore perpetratæ cædis, quæque ipse propriis oculis curiosus inspectat, visaque a se successive in tabulas refert, nec ulla parricidarum flagitia, aut familiæ dedecora dissimulat. Quis non potius adhæreat ejusmodi testibus, quam male consutæ narrationi, quæ posterius ævum ubique redolet, erroresque palpabiles contra fidem historiæ complectitur?*

73 *In antiquis diplomatibus, quæ veritatis historicæ lapis lydius sunt, nullibi confunduntur ii, qui se de Stratis inscribunt, cum Erembaldo Castellano aut ejus progenie, quorum nemo Stratianorum nomen assumpsisse deprehenditur: imo frequentiores sunt inter utramque familiam, ob prædiorum viciniam obortæ, aliæque plures circumstantiæ satis innuunt, nullo eas inter se necessitudinis aut consanguinitatis vinculo junctas fuisse. Qui autem postmodum satis inepte Proclamationem illam concinnarunt, quibuslibet personis gentilitia supernomina (ut infirmæ Latinitatis voce utar) studiose assignantes, etiam ipsi Carolo*

rolo

volo Comiti, quem Lauvvardam indigitant; familiæ parricidalis nomen non invenientes (quod seculo isto rariora adhuc essent, quæ ad posteros transmitterentur, & quæ demum seculo decimo tertio passim invaluere); perspicientes etiam neminem liberorum Erembaldi eodem supernomine appellatum; ipsosque proinde, nec Erembaldinos a patre, nomine videlicet personæ non gentis (cum & eodem tempore viverent aliarum familiarum etiam Erembaldi) nec Hakettios, Cnoppicos, vel Nappinios, utpote diversis nominibus, quæ isti fratres sigillatim sibi unius appropriaverunt, totam familiam indigitari posse; arbitrati sunt fortassis, nullum aptius ei assignari posse, quam a loco de Stratis, in quo domicilium aut saltem domum suburbanam non ignobilem Borsiardus, ex eadem stirpe parricidarum antesignanus, possidebat, a quibus domibus solebant ista ætate sæpius primores nomina desumere. Addi potest, quod populus, tantum non in furorem ob necem amantissimi Principis actus, proclivisque ad funestos flagrantis iracundiæ impetus effundendos in quemlibet, quomodocumque sceleris participem, ipsos Stratenses infamis patibuli supplicio addixerint, eo quod caput & principium totius mali habuerint, ob vias cum Erembaldi progenie exortas, indeque animum Comitis exacerbatum; nec, nisi furori populi modeste se subducentes, mortem evasissent. Ex dissidiis ergo cum Stratensibus, populique in eos exasperatione; ex domicilio & prædiis Borsiardi in Stratis, unde non minima malorum materia profluxerat, & quod hujus familiæ nomen aliud non esset, proinum fuit, casuum permixtione & vulgari errore, parricidas quoque appellare Stratenses.

74 Quando vero Proclamatio illa cœperit, non satis compertum est. Non crediderim illam a tempore Guilielmi Normanni decretam: nec enim Gualbertus, qui usque ad mortem ejusdem Comitis minuta quæque, præsertim quæ Brugis contigere, descripsit, rem ita notabilem, & quæ defuncti Caroli memoriæ non parum decoris adfert, tam alto silentio pressisset. Si mihi conjicere liceret, in hoc propenderem; Proclamationem istam, quæ ut præ se fert, a Comitibus successoribus imperata est, tum primam editam esse, cum frequentiores seditiones in Flandria excitari cœpissent. Populus enim tumultum suscitans, audaciores sæpe profert, qui in caput Principum conjurant, & ad perpetranda quæque flagitia fæcem plebejam stimulant, propositis majorum ejusmodi ausis. Igitur ne, quod in Carolum Comitem immane facinus, ac in Flandria hactenus inauditum patratum fuerat, perniciosum præberet exemplum; atque ut perdisceret posteritas, neminem impune Principibus necem machinari, non improbabile forte videbitur, quod terroris incutiendi nomine Proclamatio illa, quæ ex vulgaribus traditionibus non satis expensis compilata fuit, enarratque supplicia sceleratis illata, (non juxta rei peractæ seriem, sed criminis admissi meritum adinventa) jussa fuerit publicari.

75 Verum, ut dixi, mera conjectura hæc mea est, quam verosimiliori libens submitto. Regesta enim Capituli nostri quæ supersunt, ad ætatem istam non perveniunt: unde, quantum mihi videre licuit, aliud nihil reperi, quam quod 6. Junii anni 1403. occasione devotionis quarumdam honorabilium personarum erga Capellam SS. Trinitatis, in templi solario ab ipsis nuper exstructam, duæ Capellaniæ cum Custodia illic fundantur, assignatis quibusdam redditibus, nulla omnino Caroli Comitis coram isto altari mactati facta mentione. Anno vero 1606. die 23. Februarii, dictam Capellam, deturpatam forte a tumultibus ob religionem seculo superiori exortis, atque nondum restitutam reperio, præsente Reverendiss. Domini Caroli de Rodoan, Episcopi Brugensis id procurante, eundemque 1. Martii 1610. effecisse, ut Missa annua, quæ ad ista usque tempora de Requiem pro dicto Comite cantari consueverat, imposterum in ejusdem memoriam celebraretur de SS. Trinitate. Elevationem sacrorum ossium factam jam a pluribus seculis non dubito; determinatum vero tempus me latet; ac præter Gualteri Archidiaconi narrationem, in membranis exaratam veteri charactere & structura, & Galberti Notarii, recenter tamen & temporibus nostris scriptam, nihil apud nos scio de Caroli Boni Actis asservari.

76 Optarem tam indefesso Paternitatis Vestræ studio majorem elucidationem subministrasse, quod fieri forsitan potuisset, nisi aut decessorum incuria obstitisset, aut tempus rerum & imprimis chartarum edax, documenta subtraxisset: non impediet tamen quin perenni venerationis cultu subscribar. Brugis 25. Maji 1697.

Reverende admodum Pater,

Paternitatis vestræ humillimus & devotissimus famulus,

I. DE BAILLENCOURT.

Archidiaconus Brugensis.

77 Ex hac epistola intelligitur, auctorem existimare, quod Proclamatio sæpe dicta, neque tam vetusta sit, ut possit a primis post S. Carolum Comitibus instituta credi; neque tam nova, ut ad hujus seculi initium vel superioris dimidium referatur. Sed medio aliquo tempore, cum civiles motus in Flandria frequentes, ipsis quoque Comitibus exitiales futuri formidarentur. Talis conjectura, verosimilis sane, reducit mihi memoriam Comitem Ludovicum Cresciacum, qui anno 1323. tertia Flandrorum rebellione, ab ipsis captus, Brugique carceri mancipatus, indigna multa in se suisque pertulit; unde liberatus, & an. 1327. victoria de quartum rebellantibus potitus, sequenti mox anno, memorabili plusquam quingentorum reorum supplicio aliisque populo impositis mulctis, eumdem compescuit; quare non absurde cogitare quis possit, inter alia ad terrorem instituta, etiam fuisse Proclamationem aliquam.

78 Supra hanc tamen sapuit vir Brugis Consularis D. Nicolaus d'Espars, cujus in nostri Collegii Bibliotheca extat Chronica Gallica, minutissimo ac difficillimo charactere autographa. Hic enim, fortassis ex sibi lecta Galberti vel Gualterii historia, narrat præmemorati Erembaldi cum Domina sua impudicum commercium, quo mediante Dominum suum Boldrannium Castellanum necavit, & ipsam adulteram uxorem habuit una cum Castellania: cujus etiam filius Lambertus, ob campestrem suam domum in Stratis obtinuerit supranomen van der straten. sed cum ipse hoc nomine non inveniatur uspiam usus, verosimilius est, non ipsum, sed filium Borsiardum cognomen tale, non tam arripuisse vulgari errore inditum, quam una cum suis tenuisse, sic tamen ut eo in publicis Actis numquam uteren-

uterentur; an autem eo usi sint ex posteris aliqui, unde divinabimus?

79 Interim defensus undequaque manet Commentarius Henschenianus, & ego eum eo Brugensibus purgatus ab impacta calumnia: quam tamen sic non possum dimittere, quin Lectori indicem, quod hanc exorsus fuerit Accusator ab insigni mendacio n. 50. allegans Gualterium & Galbertum, quasi in narranda causa necis consentientes Chronicis & Proclamationi vulgatæ; sic enim concludit. *Certum igitur videtur, inordinatam nonnullorum divitum ac prepotentum, sive mercatorum sive nobilium, cupiditatem & avaritiam (quam piissimus Comes illa famelica tempestate conabatur coercere ac refrenare) conspirationis in necem Caroli fuisse causam & originem.* Ambo quidem illi, Gualterius scilicet n. 18. & Galbertus n. 115. describunt famem & inediam, quæ duobus ante necem Caroli annis grassabatur in Flandria; commendantque illius singularem erga pauperes liberalitatem, providasque ordinationes pro laxanda annonæ angustia; sed neuter meminit ullius ex ea causa querelæ, inter mercatores vel nobiles, aut quemquam avaritiæ vel monopolii reum facit, qui fuerit a Comite coercendus.

80 Imo Galbertus, qui de fame illa egerat cap. 1. nonnisi post prolixe narratam recusationem Romani Imperii Regnique Hierosolymitani, accedit cap. 3. ad occasionem odii in ipsum concitati n. 11. sic scribens; *Postquam igitur clementia Dei flagella subtraxerat . . . volens Comes pius iterum revocare honestatem Regni, perquisivit qui fuissent de pertinentia sui proprii, qui liberi in regno . . . & quos de pertinentia sua perquirere poterat, sibi vendicare laborabat. Unus autem Præpositus Bertulfus Brugensis, & frater ejus Castellanus in Brugis, cum nepotibus suis Borsiardo, Roberto, & Alberto, & ceteris de illa cognatione præcipuis, elaborabat omni astutia & ingenio, quomodo a servitute & pertinentia Comitis sese absentaret & subterfugeret: nam & ipsi de Comitis pertinentia erant conditione servili.* Ecce solam & unicam originem & occasionem mali, multis deinde causis ex parte Stratianorum nobilium, a Comite vindicatorum & defensorum, auctam, Et tu, P. Sebastiane, audes allegare Gualterium & Galbertum, ut testes causæ prorsus diversæ, & a neutro uspiam vel leviter indicatæ?

81 Quomodo autem etiam non vidisti in Commentario Henscheniano n. 14. quam inepte inducantur a fabulatoribus refutandis, Bertulfus Præpositus ejusque frater Lambertus, ab Hanseaticis sive Osterlinganis mercatoribus frumenta navibus e septentrione advecta coementes, decimas item omnes vicinorum monasteriorum comparantes, & inde horrea sua complentes, quod scilicet frumentum Comes auferri justo pretio, & pauperibus distribui jusserit? Atqui jam debueras legisse n. 12. Hanseaticam Osterlingorum Societatem primum coaluisse circa an. 1270. sesqui seculo post mortem Boni Comitis; Brugenses vero in eamdem Societatem convenisse (teste Sandero lib. 1, rerum Brugen. c. 2.) anno 1393. cum scilicet jam cœpissent Brugæ excrescere in Emporium totius Flandriæ, quod antea non sciatur sic fuisse.

82 Hinc porro primum quidem apparet infulsitas male consutæ fabellæ, tempora tam diversa connectentis; inde vero Chronicarum & Proclamationis istius ætas, tam exigua, ut ægre possint conscriptæ credi ante an. 1300. aut forte etiam 1400. Posset etiam ineptia Proclamationis probari ex cognomento *Lauvvardi*, Bono Comiti addito, ut notavit D. Archidiaconus. Hujus enim figmenti occasio inde sumpta videtur, quod ille fuerit filius S. Canuti, Regis Daniæ ac Martyris; hujus autem ex Erico fratre, dicto Bono, nepos Canutus alius, etiam Sanctus & Rex Obotritorum atque Dux Slesvicensium, cujus Acta habentur 7. Februarii; qui cum personali cognomento diceretur *Lauvvardus*, id est *Legum custos*, (sicuti Ericus parens simili cognomento a suis Bonus vocabatur) confusis in unum duobus Canutis patre ac patruele B. Caroli, videntur hunc aliqui fecisse filium *Canuti Lauvvardi*; quod fabulatores acceperint, acsi Lanward fuisset cognomentum gentilitium regii in Dania stemmatis. Id vero hic addere placuit ad roborandum argumentum D. Archidiaconi.

83 Sic refutata prima calumnia, unde huic Paragrapho initium dederas, Pater Rev. venio denique ad eam, qua ipsum concludis n. 53. & cujus non meminit Titulus præmissus. Sumitur autem hæc ex eo, quod *alumnus Societatis, quæ tot tantaque beneficia a civitate Brugensi accepit, (prout sumptuosum templum & solenne collegium, Brugensium liberalitate extructum, testatur) . . . , de sanctissimo Cruore Domini, pretioso isto thesauro, miraculis claro, & populi devotione undequaque confluentis celeberrimo, ne vel verbum scribo, sed lectorem pro eo remitto ad scriptores Brugenses; quasi non mereatur in istis crassis voluminibus locum habere, sicut alia quævis antiqua ecclesiæ monumenta & miracula, ad perpetuam rei memoriam.* Pro responso sit, Pater Rev. Monitum 5. quod post Notitias breves triplicis Sinus, una cum Martio editas, sic legitur in Notitia 4. Operis reliqui & auxilii ad illud postulati: *Ad Deiparam Virginem Mariam quod attinet, & miracula per eam ejusque imagines, per Dominicæ Crucis similiumque Reliquiarum particulas, toto orbe patrata; item ad Christi servatoris nostri icones, vel Eucharisticas species, prodigiis extraordinariis famosas (quæ, simili quo opus hoc texitur modo, collecta, digesta, illustrata, multis magnisque voluminibus conficiendis sola sufficerent) ea nunc prætermittantur omnia, ne in immensum opus excrescat.*

84 Est quidem locus, quem accusas Rev. Pater, non meus, sed Patris Henschenii, qui ad usque Junium inclusive seriem Prætermissorum ordinavit; non tamen queror eum mihi imputatum; sed quod non considerasti, quam multa alia istiusmodi tertia die Maii, occasione repertæ tunc Crucis, potuissemus proponere, nihilo minus illustria quam sacer Cruor apud Brugenses (puta Clavus unus, fræno Constantiniano insertus ab Helena, quem ipsimet vidimus Mediolani circumgestari a Cardinali Archiepiscopo, ubi non solum Collegium habet Societas, sed & Domum professam & Domum probationis) queror, inquam, quod istud non considerasti; simulque non cognovisti, specialis omnino erga Brugenses affectus fuisse verba pauca, ibi, præter consuetudinem, toto opere priori servatam, atque adeo Tibi non ignorabilem, sic posita: *Memoria sacri Sanguinis Christi colitur*

tur

tur Brugis in Flandria. De hac solemnitate videri possunt Molanus in Natalibus Belgii, & scriptores de rebus Brugensibus & Flandricis.

85 Studione an casu abstinueris a nominando Molano, nescio. Si eum legisti, vidisti etiam, de Cruore illo non multa folia, imo nec dimidium unum impleri potuisse. Vidisti pariter ex ea quam ibidem Molanus subdit Annotatione, tamquam doctrina a S. Thoma tradita, & ab omnibus veris Catholicis indubitanter tenenda, magna discretione usos nos, quod prætermiserimus quæstionem ab eo iactam, minimeque gratam futuram Brugensibus, nisi eam potuissemus decidere contra recepissimam Theologorum sententiam ipsiusque D. Thomæ. Hoc autem an Tu auderes facere, P. Professor emerite, vehementer dubito; nam in quamcumque partem te verteres, incurreres vel in plebis offensam, vel in Scholasticorum invidiam, quod utrumque non aliter quam silendo cavetur.

ARTICULUS XXII.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibentur ea, quæ Papebrochius, inter Acta Sanctorum, effutit contra omnium fere Ordinum historias, traditiones, monumenta, Sanctos & Scriptores.

RESPONSIO.

SI in Titulo posuisses, *Nonnullos*, tuo saltem constitui, Rev. Pater, utcumque is respondisset; nominas enim sequentibus septem Paragraphis, ex omnibus Ordinibus (quos Silvester Maurolycus, in Oceano Religionum, plures quam octoginta recenset) ut summum decem, & inter hos, aliquos omnino gratis. Sed novum Tibi non est, imo ordinarium, grandi & indefinito ac pene universali termino uti in Titulis, brevissimo numero coarctandis, cum ad rem venietur. Nunc vero quid aliud probas de paucis illis, quam quod eorum paucula quædam, vel suspecta habuerim, vel erronea demonstraverim? Paucula, inquam, respectu infinitorum quæ laudo, probo, & magnifice illustro, ultra quam ipsimet Ordinum eorumdem scriptores unquam fecerunt, aut etiam facere tentaverunt.

2 Et quis demum est Ordo, qui præsumere ausit, in historiis, traditionibus, monumentis, Sanctis ac Scriptoribus suis, omnino non aliquid inveniendum, quod eruditiores ipsorum nunc non censeant aut confictum ex toto, aut licenter & ignoranter interpolatum, aut saltem de alterutro vitio suspectum? Hoc vero quomodo dissimulabit & intactum præteribit is, cui ex professo incumbit tractare de singulis; nec tantum ea indicare, quæ observaverint ipsimet, sed quidquid etiam observaverunt alii (nam in propriis multa non videri philautia facit) & quæ denique, discussis expensisque omnibus, notavit ipse post ceteros omnes? *Horum* quidem *occasione immensi* (ut expertus in se, Baronius loquitur) *sunt parti labores*, in quibus tamen *feliciter actum censeri deberet, nisi ex more pareret odium veritas.*

3 Hanc scilicet omnes, stantem ad ostium alienum, laudant & amant; a suo longius abesse cupiunt. Acta Sanctorum Januarii ac Februarii, in quibus eadem veritas plurium pulsabat ostia, Carmelitarum vero vix eminus aspiciebat, extollebant hi laudibus propemodum infinitis; emenda, legenda commendabant omnibus: dicebant cum Patre Bonæ-spei, parte 1. Armament. n. 767. *opus futurum, super omnia alia hominum opera, quasi gigas inter pigmæos commendatissimum.* Quid vero P. Daniel a Virgine Maria? Auctores Prolegomenorum satyricorum ad Speculum ejus novum, eum inducunt, gaudentem ac jubilantem, quia videbat

Sanctorum decus, acta sanctitatis
Auferri tineis malisque blattis.

Quin & plaudere auctoribus ipsum sic faciunt:

Felices calami, laborque felix!
Beati calami, laborque sanctus!
Felix Henschenius, comesque felix!

4 Ast quam cito versa istæc omnia! Ubi singula videbantur aurea, viluerunt ut stercora, imo visa sunt carcinomata, igne ferroque curanda. Ac primum quidem, propter tria verba, ex Baronii sensu prolata ab Henschenio, & propter ejus constans de prætensa antiquitate silentium, (cui tamen acquiescere Ordinem toties protestatus fuerat idem P. Daniel) digni sumus visi, contra quos, (æque ac contra Baronium, Suarezium, & ceteros apertius locutos) bonam sui Armamentarii partem instrueret P. Bonæ-spei; quo nos, nominatim provocati, manifestaremus palam sententiam nostram, solis ipsis eatenus cognitam. Quo facto tota mox in nos effusa est Armamentarii pars secunda; quam quasi denuntiato palam bello, secuti sunt famosi libelli plurimi, nullo modo ordineque servato. Omnibus denique palmam præripere voluisti in hac tua Exhibitione, Pater Rev. ita opus accusans ipsimet Apostolicæ Sedi, quasi totum, ex quo ei nomen meum accessit, diversum ab eo quod ante fuerat, aliud jam non foret quam farrago merissimarum ineptiarum, ipsissimumque Augiæ stabulum, flammis exurendum potius quam flumine eluendum. Pater autem Daniel, cui Januarius ac Februarius innocentes toti, videbantur

Favere omnibus, invidere nulli,
Adesse omnibus, nocere nulli;

aliis repente oculis aspicere incipiens Martium & Aprilem, licet simili studio nec impari successu secernentes pretiosum a vili, verum a falso, certum a dubio,

Ipsos rodere vidit ille Sanctos,
Et vidit titulos negare Sanctis,
Et Pseudi titulo vocare Sanctos;
Et dixit: Studium laborque pseudus,
Vindictæ labor est, & invidentis.

5 Optandum est quidem, sed neutiquam sperandum, ut omnes & singuli tam simus in propriis, quam in alienis defectibus lyncei; optandum item, ut quod ipsi non videmus in nobis primi, id ab aliis animadversum accipiamus,

si non

si non gratanter (ut soleo ego) patienter saltem. Optandum denique, ut omnes Religiosi Ordines, ab ipsis suis initiis tam fuerint & sint memoriarum veterum scribendarum servandarumque studiosi, quam sunt aliqui: quos inter numerari mereatur nostra minima Societas, inter ipsas litteras nata, educata & adulta. Tunc enimvero plures eorum, neque tam multa haberent incerta, & nonnumquam falsa; neque res ipsorum tractantibus tantum laboris invidiæque suceresceret. Sed neque sic præsumere deberent, non aliquando futurum, ut in aliquo possint ac debeant corrigi, proprio vel alieno admonitu.

6 Etenim, ut in nostra Societate exemplum ponam, quid in hac, post S. Ignatium Fundatorem, illustrius est quam S. Franciscus Xaverius, Indiarum Japoniæque Apostolus? Et tamen non admodum multis post ejus obitum annis, certe non dimidio seculo integro, obrepsit in nostras historias error circa annum ejus in mundo natalem; quo factum est ut qui fuit omnium Sociorum Ignatii ferme natu minimus, creditus sit pene senior omnibus ad Societatem venisse, quasi natus fuisset anno 1497. Et hæc opinio tenuit apud nos usque ad annum 1677., quando primus eum errorem animadvertit, Historiæ nostræ post Orlandinum & Sacchinum continuator, Petrus Possinus; scriptaque, adm. Rev. P. Generali Oliva approbante, propria de eo argumento Dissertatione docuit, *ex Jassi patris, & Azpilcuetæ fratris majoris arcanis scriptis, in unam assertionem conspirantibus*, luce meridiana clarius, quod sit *natus S. Franciscus Xaverius die septimo Aprilis anni millesimi quingentesimi sexti*.

7 Ea Dissertatio, per Provincias sparsa, varios (ut in re nova fit) judiciorum excitavit fluctus; aliis evidenti demonstrationi manus mox dentibus, aliis ægre deponentibus inveteratum præjudicium, multoque ægrius persuaderi se patientibus, quod primos accuratissimosque alioquin historicos nostros, ipsumque Vitæ scriptorem Tursellinum, latuisset vera ætas viri talis. Tandem tamen omnes (ut quibus præ quovis affectu respectuque est veritas, proprius nostræ Societatis character, quod etiam ex refutatis P. Higueræ scriptis apparet) manus Possino gratanter dederunt; permiseruntque ut eadem Dissertatio, quæ primum Tolosæ in Gallia prodierat, quamvis Romæ etiam a sacri Palatii Magistro probata, biennio post recuderetur Romæ, auctior & novis argumentis robustior, post Vitam & mortem P. Ignatii Axevedii & Sociorum ejus, libris quatuor ab eodem Possino explicatam, quod mox secutus est Parisiis noster Dominicus Bouhours, novissimus Vitæ Xaverianæ scriptor.

8 Hæc ideo hic dixerim, ne quis nobis succenseat, quod vel necessitate coacti ab ultro provocantibus, vel rerum ac temporum ordine id exigente, conemur ad veritatem historiæ reducere quæcumque inde exerrantia de Sanctis monumenta; atque non mirentur in iis quæ ad ipsos pertinent, neque tam certis auctoribus fidisque habentur, multis post res actas seculis, hac curiosiori & ad criticam instructiori exercitatorique ætate, deprehendi errores; quando talis aliquis obrepere potuit nostris, ex tempore tam propinquo tamque certa materiæ præparatione scribentibus. De me non est opus præfari, quam promptius sim ad errata, si qua obrepserint, agnoscenda corrigendaque; cum illa ipsa promptitudo constituat Accusationem 5. & 6. Articuli 23. Itaque sigillatim incipio satisfacere paucis illis, quos in me conaris frustra suscitare, Ordinibus: & quanto nostro labore ac sumptu eosdem nobis habeamus obstrictos demonstrare: non quasi gloriando vel exprobrando tamquam ingratis, quorum erga nos summam experimur benevolentiam; sed ad instructionem aliorum, qui quid cuique præstiterimus nesciunt, & tuis Accusationibus induci possunt ad credendum, non tam laudabiliter a nobis actum cum Religiosis Ordinibus, quin merito nobis possint succensere propter nonnulla, quæ non æque omnes vellent scripta fuisse, & putant potuisse prætermitti.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius impugnat undequaque Antiquitatem Carmelitarum.

RESPONSIO.

9 NEgo assumptum, Rev. Pater Professor: neque enim *impugnat undequaque*, qui bonam illius partem tuetur & illustrat, sicut tueor & illustro veras & antiquas Vitas SS. Alberti Legislatoris vestri & Petri Thomasii, quas omnino reor ad vestram antiquitatem pertinere, potius quam aliorum de ipsis recentiora figmenta. Cujusnam vero antiquitatis partem *impugnat Papebrochius?* Veræne, & a seculo 12. inchoatæ? Hanc adeo ego non impugno, ut firmem ac stabiliam undequaque, abstersis iis quibus fuerat obscurata figmentis; & ex auctore synchrono ac teste oculato docens, cujus conditionis fuerit, quando vixerit, qua occasione venerit in Carmelum, qui primos istic Majores vestros collegit. Simul etiam detego fundamentum totius traditionis, quæ primum simpliciter docebat, Ordinem esse ab Elia Propheta institutum, ipso quo dixi seculo 12. qua vera omnibusque credibili institutione & a nemine vobis neganda, si velitis esse contenti, cessabit omnis cum Basilianis, Hieronymianis, Benedictinis & aliis quibuscumque Ordinibus religiosis altercatio; & optata tantopere quies, tamque necessaria vitæ solitariæ atque contemplativæ, quam affectare vos jactatis, redibit Carmelitici toto orbe conventibus; qui toti & ubique nunc frustra se commovent, pro tuenda chimerica quadam antiquitate & indeficienti successione, per annos plusquam bis mille ante verum initium, Ordini seculo Christi duodecimo datum per Eliam.

10 Quid? quod ne hanc quidem tam incredibilem successionem impugnaverim nisi coactus? primum quidem in Aprili, ad justificandum Magistri mei de illa silentium, rationes longe alias efficacioresque reddens, quam sibi imaginatus fuerat in 1. parte Armam. Pater Bonæ-spei, gratis nos annumerans, primum ÆMULIS quibus reddebat HOSTIMENTUM, deinde blandiori titulo AMICIS DISSIDENTIBUS. Hoc tamen ne fieret unis alterisve litteris suppliciter deprecabar P. Danielem vestrum; qui parum amica easdem litteras adversario tradidit, jam certo pugnare, & causam dumtaxat occasionemque

que captando illas ipsas convertendi in tela & sagittas, quibus nos diceret prætensam antiquitatem impugnasse. Sed de talibus meis justissimis querelis erit fortasse alibi locus dicendi plus cula.

11 Ad Accusationem porro, cum nullo illam particulari argumento probes, nihil est quod respondeam aliud quam responsum est. Interim tamen dum sic provocatus ac lacessitus fui, & dum nunc accusor impugnare Ordinem, conatum me fuisse de sic mecum agentibus mereri bene, ostendit prolixus ille de cultu & translationibus atque miraculis S. Angeli vestri, aliusque minor de B. Aloysio Rabata Commentarii, implentes folia circiter quinquaginta; & duplex Vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, a duobus Confessariis Italice scripta, magnoque meo labore reddita Latine, cum undique collecta Gloria posthuma, per folia plusquam 170, sic ut justum & huic meo parem tomum factura sint utraque, seorsim a tomis Maii excusa; futurum etiam majorem, si addantur, quæ dedit Henschenius, S. Petri Thomasii, S. Avertani, & S. Andreæ Fesulani Acta. An & hoc impugnare est Ordinem vestrum?

12 Quid refers gratiæ tota hac tua Exhibitione? Nempe ut cum his ipsis, quæ de Sanctis vestris dedimus, præclaris monumentis, pessumdes tota Sanctorum Acta; quia non potes refellere scripta mea de ortu vestri Ordinis; tanto vobis displicentia magis, quanto magis placentia Historiarum peritis. Quorsum enim moves innumeras fere quæstiones, excogitatas quidem in interitum librorum nostrorum, ad vestram vero antiquitatem stabiliendam aut propugnandam facientes nihil? Scilicet de paupertate, meritis, ætate, præputio, columna, sudario Christi, de Petri Pontificatu & Pauli Episcopatu Romano; de Constantini Baptismo, Silvestri atque Marcelli Actis, plurium Sanctorum historiis & scriptis, nationum, ordinumque singulorum contra me querelis imaginariis, aliisque sexcentis, impertinentibus ad defensorem aut defensionem Carmelitanæ antiquitatis, quæ nihil inde certior firmiorque redditur.

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius, valde insolenter, & successu plane erubescendo, antiqua variorum Monachorum invadit diplomata & monumenta.

RESPONSIO.

13 Sola phrasi differt hæc Accusatio ab ea quæ ponitur Articulo 15. §. 35. neque hoc dissimulas, Pater Rev. cum illuc Lectorem remittas, ut videat, *quæ*, inquis, *puderet referre, nisi ipse Papebrochius omnia retractasset*. Quid ergo ea reproducere attinebat, si retractata sunt omnia? An non acquiescerent Patres Carmelitæ, si quæ de ipsis in Aprili & Majo scripsi, retractassem omnia? Frustra igitur disputamus. Ast profecto circa diploma Horreense, a quo hic ordiris, quodque unicus & præcipuus scopus fuit eorum omnium quæ ante tomum 2. Aprilis de diplomatis disputavi, ego omnino retractavi nihil; sed judicio ipsiusmet P. Mabillonis, nonnulla mea, non insolenter, sed erudite refutantis, confirmatus in sententia fui, qua reprobavi diploma illud, uti contrarium receptissimæ nunc tota Gallia doctrinæ, de epocha annorum Dagobertinorum, certissimoque suppositititium ex multis capitibus, quæ Patern. Tua nec attingere quidem audet, nedom valet excusare. Non fuit ergo mihi erubescendus conatus, quo manifeste evici, quod primario intendebam; docere scilicet, S. Irminam, Horreensis apud Treviros monasterii Fundatricem, Dagoberti, non primi, sed secundi, ab Henschenio e tenebris oblivionis educti, filiam fuisse, quod mihi erat, pro tuenda Magistri sententia, demonstrandum, collatis undique rationibus.

14 Simili modo pleraque eorum diplomatum, quæ sigilla im suscepi expendenda, non jam ex ibi positis principiis meis, haud ubique solidis, sed ex principiis prælaudati Mabilionis, paratus sum, quando opus erit, corruptionis vel suppositionis arguere. Quare ergo fassus sum, quod in eo tractatu *nihil fere amplius inveniam quod placeat*, quam natam inde occasionem scribendi tam insignis operis quale est Mabilionis de re diplomatica? Tantum scilicet oblectabar opere jam consummato, quod ego solum delibaveram; ut quamvis non admodum multa retractata vellem, plurima tamen fuerim aliter tractaturus, si illud opus antea prodiisset; imo ultra Horreensis diplomatis discussionem non progressurus. Aliud, Rev. Pater, est, non amplius fere invenire quod placeat, tamquam undequaque perfectum: aliud, totum reprobare, ut falsum temereque consutum. Hoc facere, salva conscientia & veritate, non potui; istud ut vere sentirem, fecit animus philautia vacuus, atque in seipsum magis quam in alios severus censor.

15 Werthinensia de S. Suiberto figmenta, non soli Baronius & Mabilio damnant, æque ac ego; sed quicumque Criticam nunc exercent: & qui Ursulanam historiam, sicuti circumfertur atque Elisabethæ Schonaugiensi revelata fingitur, jure maximo reprobant, non possunt Tuitiensium Monachorum studia, in iisdem dilatandis, probare. Eorum utrimque posteri si excusare majores suos velint, quasi eorum nemo partem in fictione habuerit, vereor ne frustra laborent: cum præsumptio soleat stare contra eos, qui figmentum aliquod studiosius sparserunt, & carius amplexi sunt, donec alius inveniatur suspicioni propior.

16 Amandinos & Lobienses Monachos sic obstrictos sibi habet P. Henschenius (primos quidem, præclarissimo de rebus S. Amandi tractatu, ad diem 6. Februarii; posteriores vero, ob Sanctos Ursmarum & Erminum Abbates suos, tomo 2. ac 3. Aprilis insigniter illustratos) ut propter unius alteriusve diplomatis detecta vitia, non sint illius reprobaturi sententiam, cui ego inhæsi. Idem San-Maximinianensium de me sensus est, ut pro honore, monumentis suis a me habito, obstrictissimos mihi se fateantur. San-Dionysianos adeo non habeo mihi infensos, ut etiam conciliaverim valde; neque enim volunt sustinere omnia quæ ipsi servant diplomata, esse paris firmitatis. Quod Præmonstratenses Canonicos adnumeres hic Monachis, nescio quam gratum habituri illi sint; hoc scio, risisse illos Antverpiæ cum suo Abbate, quando legerunt moneri se a Patern. Tua n. 18. ut sibi a me caveant, contra ipsos aliquid moliente; eo quod cœpissem alicubi dicere, ipsos *in principio suo distinctos fuisse a secularibus Canonicis solo colore*; hoc enim & ipsi libenter recipiunt, & quam cer-

certum id sit, ex eorum constitutionibus atque aliunde docui ad Acta S. Norberti Tomo 1. Junii pag. 861. quæ Acta, ut a me illustrata nunc sunt, quantum eis placeant, nec vos ipsi quidem ignoratis, quorum aliqui primæ notæ id audire potuerunt ex ore Abbatis.

17 Casinensibus non debeo me excusare, propter primum sui Bullarii instrumentum, fictitiis annumeratum; nisi enim tale habuisset ipse eorum Abbas, Romæ nobis familiariter notus, D. Angelus de Nuce, non potuisset ejus non meminisse in Notis ad n. 2. & n. 394. Vitæ S. Benedicti, ante Chronicon Casinense, sua opera insigniter illustratum, ubi ipsemet S. Gregorius, dicens quid & quomodo de Sancto scripseris, ejusque Regulam valde laudans, omnino videbatur exigere, ut sua Bulla, si quam super istis duobus punctis dedisset, non negligenter adnotaretur. Idem Abbas in Præfatione ad Chronicon prædictum, de ejus secundo editore sic conqueritur: *Matthæus Lauretus, Abbas S. Salvatoris de Castellis, hospes olim sacri cœnobii Casinensis (rogatune Casinensium, an sua sponte, obscurum) hanc ipsam Historiam Neapoli edendam curavit an. 1616. sed ita, ut omnia se fidelissime ex archetypis expressisse testaretur; illudque jactaret, vindicatam ab sese a probris & repurgatam fuisse, ad fidem originalis, Venetam editionem anni 1513.*

18 Tum pergit Angelus hoc tenore verborum, longe graviorum quam ego unquam protuli in quemquam, textus alicujus vitiati reum: *Est hic sane, lector, quod plus satis mireris, Nemo suam fidem plus venditat, quam qui fide sublesta est & infirma. Qua fronte scilicet homo iste fuit, ut de suæ editionis fide tam impudenter ementiretur? Quam sæpe ab eo, quam multarum rerum ordo perturbatus! annorum ac temporum quam depravata ratio! quam temere infarta & inculcata multa e sua! Quid quod Matthæi nomen præteriit & auctoritatem Leonis & Petri* (auctorum ipsius Chronici) *æqua his tribuit, quæ ipsis dicere unquam venit in mentem? Alicubi securim, alicubi spongiam, ubique scilicet temere ac ineptissima, adhibet. Multis narrationem periodis multisque capitibus diminutam & decurtatam ac mancam exhibet, & in extremo integram Historiam proscribit. Verba innumera, quæ minus intelligit, non putat irreligiosum esse immutare; multarumque proinde rerum & eruditionum notitiam lectoribus invidet, subducit, ac detrahit. Quid verbis opus? Vix unum sine flagitio mendoque versum deprehendas; ut non tam Leonis Historiam, quam errorum Odysseam edidisse videatur. Et tamen, quasi Fides & Veritati thura quotidie adoleret, nihil magnificentius quam illarum lucem ac vibrantes radios loquitur. Ita plane falsitas non deciperet, nisi sub larva fidei & veritatis delitesceret.*

19 Hactenus de Coabbate suo Laureto Abbas Casinensis Angelus (1), quibus nolim addere, quæ de ejusdem Laureti fide, in allegandis circa aliud argumentum Bullis, sentiunt Benedictini Galli, contrarias eorumdemmet Pontificum, quorum ille, Bullas habere se prætendentes. Nolo etiam suspicari, quod de Lupiano suspicatur Aguirrius, ipsamet originalia quædam ejus *alique mangonia* corrupta fuisse. Satis mihi est ostendisse, etiam in illo Ordine deprehensos nonnullos, tali usos fraude, quæ nonnisi sero sit deprehensa, postquam multos seduxisset: quod annotasse mihi vitio verti non debet magis, quam Mabilioni vel Angelo de Nuce. Cur enim mihi id non liceat in externos etiam cum aliquanto majori libertate, quod ipsis licet in domesticos, sine justa cujusquam querela. Quod si præfidentius aliquid dictum eo loco, ubi animos sciebat apparentis certæ veritatis; cur id non condonetur Historico-critico, non obligato ad periodos singulas præfari honorem, quem semper vult delatum censeri iis quibuscum disputat; & professo promptitudinem ad suscipiendam instructionem, si quis eam bene fundatam attulerit in contrarium?

Opuscul. Collect.

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius, contra Ordinem Sancti Augustini impugnat illius Regulam & libros, nec non Reliquias S. Monicæ.

RESPONSIO.

20 AD utrumque in titulo propositum caput nihil ultra responsi debeo; satis id dedi plusquam uno loco, ac præcipue circa Regulam & libros Art. 9. n. 33. atque Art. 13. §. 6. & 7. circa Reliquias vero S. Monicæ Art. 3. §. 7. Ne tamen nihil novi dicere videaris, addis aliquid de S. Maxima Forojuliensi in Gallia; pro qua ego, hic me appellandum haud prævidens, anticipate videor respondisse, occasione S. Angelæ Sciacensis in Sicilia, cum Bohema quadam, vera aut ficta, confusæ a vestris pari licentia, qua nuper contigit Maximam illam, confundi a Forojuliensibus Augustinianis cum quadam Maxima Afra. Hanc enim exilium quidem pertulisse scimus a Wandalis; in Galliam venisse vel vivam vel mortuam, nemo probatur vel somniasse, antequam ejus corpus cum ecclesia Augustiniana obtingeret; quos ipsos aliunde accitos, sustinebo libenter judices in hac causa, contra Forojulienses.

21 Multo minus illi improbare poterunt, quod ego, non habens Vitam B. Gregorii Verucculensis, nisi ex defectuosissimo originali descriptam, ne lectori fastidium intolerabile parerem tomo 1. Maii fol. 534. cum n. 4. sic legeretur .... *ubi sciebat adesse concursus per vestigia pauperis beatissimi Francisci vestigia sequi*: cum, inquam, sic legeretur sensu nullo, eumdem conatus sui verbo uno mutato, & verbis quibusdam, sed intra hæc signa [ ] additis, integrare sic: *ubi sciebat adesse Conventum* [*Fratrum, quos fama erat*] *per vestigia pauperis* [*Christi*] *beatissimi Francisci vestigia sequi.* Ut autem certius sciret lector, neque putaret ex alio forsan manuscripto suppleta quæ sic inclusa videret; expresse cavi Annotatione *b* dicens, habere *Ecgraphum nostrum* concursus: *quod correxi, & quæ deesse censebam hic & deinde, verba supplevi*: nempe sin-

[1] Hinc doctissimus Monachus D. Erasmus Gattula, qui historiam Abbatiæ Cassinensis anno 1733. & ad eam accessiones 1734. Venetiis edidit, multa diplomata omisit, quæ Criticis sublestæ fidei videri poterant, prudenti sane consilio, quod a Maffejo commendatur tom. 6. Observ. liter. art. 7. pag. 341.

gulas correctiones & suppletiones accurate & fideliter notando; primo, ut si quid alteri commodius occurreret, id libere substituere posset; deinde ut, si aliud inveniretur exemplum, genuinam inde correctionem accipere mererer. Poteramne fidelius & prudentius casu tali agere, & tædio lectoris interim consulere quam feci? Tu interim summæ infidelitatis ac temeritatis me arguis, quasi ausum Vitam illam *propria auctoritate alterare, addendo quæ placet*.

22 An simili fide me accuses, quod *Eximium P. Mag. Lupum temeritatis ac præfidentiæ arguam* tom. 7. Maii pag. 70. non possum divinare, quia tali tomo ac pagina nusquam nominatur aut etiam nominari potuit P. Lupus. Ergo, si respondere me vis, melius locum designes oportet. Interim expecto quid responsurus sis ad tot loca, quot tibi ex ejusdem Patris scriptis pro me objeci. Vereor profecto ut iis lectis, eum tam reverenter tractes quam tracto ego, esto alicubi aliquid in eo notaverim non satis considerate dictum factumve. Quis enim ea est prudentia vel scientia, ut numquam erret, *Πάντα κατορθοῦν, καὶ μηδὲν ἁμαρτεῖν, θεῶν ἐστι*, inquiebat ille. *Omnia recte agere, & peccare nihil, deorum est*, non hominum.

23 Quoniam autem B. Gregorii Augustiniani incidit mentio, hic addiderim, ipsum Ordini illi raptum ab Arturo; Martyrologii Franciscani auctore, eidem a me ex authenticis instrumentis restitutum, producta etiam Vitæ Epitome & Miraculis ex Notariali ecgrapho: restitutum quoque ex iisdem Beato verum suum annum mortis, qui scriptores Ordinis, tali præsidio destitutos, hactenus latuerat. Sic eisdem in Martio dedi die 21. B. Ugolinum Cortonensem, & die 23. B. Petrum Eugubinum, extra loca sui cultus vix notos Ordini. Sic in Aprili illustravi Beatos ejusdem Ordinis, pariter vix notos; Simonem Tudertinum, ex manuscriptis Processibus eatenus latentibus, 20. die; nec non diebus aliis Beatos Andream de Monteregali, Clementem Ordinis Generalem, & Antonium in Hetruria honoratum. Dedi etiam duplicem Vitam B. Helenæ Utinensis, ipsius Ordinis Tertiariæ; & primam quidem ex Italico ejus, qui ipsam scripserat intra primum ab obitu sanctæ viduæ annum, magno molimine per nostros Goritiæ Patres quæsitam inventamque.

24 In Majo, præter Gregorium prænominatum, per me idem Ordo habet Beatos Philippum Placentinum & Guilielmum Tolosanum ex antiquissimo impresso; inprimis autem B. Augustini Novelli Generalis præclaram Vitam, ex manuscriptis vetustis: item ex antiquis manuscriptis duplicem Vitam, Magdalenæ Albriciæ, cum Analectis ex Vita Italica, Beatæque Prudentiæ, ambarum extra Comum patriam suam ægre notarum, ac B. Ritæ de Cascia. In eo autem qui sub prælo versatur Junii tomo 2. quique jam editus haberetur (nisi necessitas harum Responsionum deproperandarum obvenisset) invenient Augustiniani non solum Beatum Bonaventuram S. R. E. Cardinalem, Romæ ab impiis sagitta trajectum; sed etiam suum nuper canonizatum S. Joannem de Sahagum, sive a S. Facundo; cujus antiquam Vitam, ad Albanum Ducem ab utriusque familiari Joanne Hispalensi scriptam, legendam ex Hispanico dabo; tum prolixiorem aliam ex scriptoribus posterioribus, antiquioribus ac recentioribus, Hispanis & Italis, luculenter collectam, cum omnibus, quæ ad posthumam ejus gloriam usque in hunc diem gesta novimus, deducta foliis circiter 50. Quapropter confido non facile futurum, ut Ordo, tam insigniter per me honoratus, queri velit aut merito possit de me; qui nec propter Acta S. Guilielmi, ad cujus apud Stabulum Rodis in Hetruria sepulcrum originem suam habuit Ordo Guilielmitarum, aliter quam sui Historici ea tractant, deducta in Februario, questi unquam fuerunt de Bollando & Henschenio, licet in horum sententiam necdum plene cesserint.

§. IV. ACCUSATIO.

Papebrochius contra Ordinem Prædicatorum, irreverenter ac temere, in variis arguere audet Doctorem Angelicum S. Thomam Aquinatem.

RESPONSIO.

25 NEscio candorine an hypocrisi adscribam verba, quibus Tua Patern. hunc Paragraphum sic incipit: *Hactenus non deprehendi Papebrochium aliquid notatu dignum effutivisse circa historiam Prædicatorum, nisi quod* reprehendat aliquid in eorum *caputio, tamquam degenerante a forma primævi Instituti:* & addis nonnulla de D. Thoma Angelico Doctore, non magni momenti, quæ sæpius jam objecisti & responsum suum habent in præcedentibus, quibus æqui Arbitri ipsorum Prædicatorum acquiescunt. Interea dum fateris, me nihil notatu dignum circa historiam Ordinis peccasse, instituis præmissam in titulo Accusationem, quæ, si quid ego latine intelligo, sonat gravem eidem historiæ & quidem multiplicem illatam injuriam. Quid enim? An nihil ad historiam Prædicatorum pertinet S. Thomas? Multo certe magis eo pertinet, quam caputium, quod hodie laxius esse quam fuerit, monstrant omnes imagines S. Dominici paulo antiquiores, & exemplo suo docent eorumdem quos vocant Observantiæ strictioris professores; quod a me obiter & sine reprehensione simpliciter, ut ferebat occasio, indicatum, non omnia sugillare. Pertinet, inquam, S. Thomas ad Historiam Prædicatoriam vel maxime: & ideo satis studiose Henschenius, tomo 1. Martii, ex meris & numquam impressis manuscriptis (quod fieri potuisse merito mirantur omnes, qui zelum Ordinis pro Sancto suo Doctore noverunt) ex meris, inquam, nec unquam editis manuscriptis, iisque ipsis unde posteri omnes scriptores tamquam ex fontibus Sancti vitam laudesque hauserunt, dedit Acta primigenia, Vitæ, Canonizationis, Translationis, Miraculorum, quibus ego, cum grata Ordinis approbatione, addidi minime contemnenda Analecta: itaque implevimus folia ferme centum, id est partem nonam istius Tomi.

26 Ast, eumdem Sanctum *in variis arguo*, & quidem *irreverenter ac temere*. ARGUO apud Ciceronem, teste Nizolio, idem est quod, *Accuso, Insimulo, Incuso*; nec unquam ab isto Latinitatis patre usurpatur istud verbum nisi cum de culpa, crimine, scelere alicujus agit, uti probant omnia quæ Nizolius citat loca. Igitur ostende P. R. ubi ego S. Thomam culpæ, criminis, aut sceleris arguerim, non dico *irreverenter ac temere*, sed vel modestissime optimaque cum ratio-

ratione. Si tale quid ostendere nequeas (ut certe nequis) verbum, hoc loco iam incongruum, muta, atque aliud melioris notionis substitue, tum hic tum alibi: nimis enim frequens, & fere semper injuriosus mihi, hujus verbi tibi usus est. Nec minus molestum verecundis auribus accidit illud, Tibi ad singulos fere Titulos, crebriusque per contextum, profluens ex calamo, verbum EFFUTIO; semper quidem grave, quia semper connotat loquentis levitatem ac garrulitatem; gravius tamen intelligentibus originem ejus a verbo prorsus obscœno ductam.

27 Sed hæc Tibi, emerito Theologiæ Professori, & jam pridem Grammaticalibus Scholis egresso, liceat ignorasse. Dimissis verbis eorumque significatione nativa, benignius interpretemur mentem accusantis me, veluti significatum volentis, non quod criminis aliquid sancto Doctori impegerim, verum quod aliquando in eo notaverim alicujus rei inscitiam; sed talis, quam ignorasse turpe non sit ei, qui non profitetur ejusmodi scientiam, sed longe diversissimam; item, quasi dixerim, in aliqua facti quæstione, abductum ex communi sui temporis opinione, aliquid supposuisse potius quam asseruisse. Numquid Cajetanus, Canus, aliique magni nominis Dominicani, cum in talia incidunt, id citra irreverentiam libere agnoscunt? Ecquod igitur hic dignum reperisti, quod Apostolicæ Sedi judicandum puniendumque proponatur?

28 Libellum Bernardi Guyard S. T. Doctoris Parisiis, quem mihi indicas num. 30. fateor nunc primum mihi innotescere per Te. Quando is mihi in manum venerit, videbo quam ille *graphice ostendat D. Thomam linguæ Græcæ non imperitum* fuisse: & siquidem tam graphice, quam Tua Patern. ais, id ostenderit; prius meum non temere dictum, sed magna cum ratione, majori & certiori ratione ductus retractabo; sicut retractavi scrupulum circa Officium Venerabilis in Aprili jactum, de quo & aliis, hic mihi objectis, vide art. 13. §. 12. & simul quam magnifice hujus Provinciæ Flandrobelgicæ Patres de nostris erga Ordinem suum meritis sentiant. Plura istiusmodi gravissimorum Virorum ac Magistrorum, etiam S. R. E. Cardinalium testimonia exhibere tibi possem, ex eorumdem ad me ab Italia, Germania, Gallia frequentibus & perquam honorificis litteris, sed nolo abuti officiosa humanitate eorum, ad eliciendum ab aliis elogia meritis meis majora; maloque simpliciter ac paucis, quid Ordini præstiterim ac porro præstare velim, declarare iis, qui opus hoc nostrum titulo tenus dumtaxat noverunt, quales & istic & alibi plures sunt, præsertim studiis diversi intenti.

29 De Januario tamen ac Februario nihil dicam, licet in eis magnam partem occupent Sancti, Raymundus de Pennafort, Gonzalvus Amaranthus, Jordanus successor S. Dominici, Henricus Suso, Margarita Hungarica. Nullam ego in his partem habeo, magnam P. Henschenius; qui tamen mecum a Carmelitis accusatur, quatenus in reliquis mensibus, ea quæ culpant, vel scripsit ipse, vel a me scripta approbavit. Mei laboris sunt, post D. Thomam Henschenio adscriptum, omnes istius Ordinis Sancti Sanctæque, quorum deinde Acta tractanda fuerunt. Nam, ut hoc semel obiter dicam, Henschenio veteres Sanctos potissimum curante, jussus ego eram recentiores post seculum 12. illustrare; pro quibus eruditionis minus, laboris amplius requiritur, propter prolixitatem actorum, & idioma sæpe diversum a Latino, mihique notius ex frequentiori vernacularum linguarum tractatione.

30 Sic in Martio dedi Patribus Prædicatoribus Acta Beatorum Ambrosii Senensis, ex manuscriptis Latinis & impressis Italicis, per folia 70. Mauritii Hungari & Sibyllinæ Papiensis ex manuscriptis, cum notitia pariter Beatorum Thomaselli Perusini, Nicolai de Juvenatio, Petri Hieremiæ; nec non, ex manuscripto auctoris coævi Vitam B. Andreæ de Galeranis, qui Senis fuit fundator Societatis, dictæ a Misericordia, & a Dominicanis in communionem admissæ, apud quos ideo ille habet sepulturam & cultum. In Aprili SS. Petrus Martyr & Vincentius Ferrerius, cum Beatis Petro Gonzalvio, Antonio Pavone, Bartholomæo de Cervariis; Sanctæ item Catharina Senensis & Agnes de Monte-politiano, cum Margarita Tifernate & Clara Pisana, dimidium fere tomum constituerent, ex tribus, in quos ille mensis dividitur: & tamen pleraque istic deducta, aut primum ex manuscriptis a me sunt edita, aut Latinitati ex impressis donata.

31 De Majo quid dicam? Hic eisdem expandit Henschenius Pium V. sanctissimum Papam, per folia 100.; ego Analecta adjunxi: deinde Ægidium & Bernardum Lusitanos, Andream de Pischeria Italum; & Jacobum Venetum Foroliyii quiescentem. Illustriores autem ejusdem Ordinis & mensis Sanctæ ac Beatæ, Elisabetha Regis Hungariæ filia in Helvetia, & Columba Reatina, cum Æmilia Bicheria Vercellensi, Maria Bagnesia Florentina, Beatrice Leytoa Lusitana, simul plura quam 100. folia sibi vendicant. Infanta vero Lusitaniæ Joanna, ex Ms. Portugallico familiaris sociæ, latine legi cœpta Romæ, inter Appendices post tomum 7. ita placuit, accedentibus quæ veterem ejus cultum probabant argumentis, & iis quibus istius Vitæ stabiliebatur auctoritas; ut ea re maxime promotam Canonizationem, de qua vix antea cogitabatur, nostris asseruerit S. D. N. Innocentii XII. Confessarius, ex ipso Ordine, cui ea causa fuerat commendata. Non eguit hujusmodi auxilio Osanna Mantuana, Joannæ associata in prædicto honore; haud parum tamen lucis accipiet in Junio, ex gemina Vita, ab ejus familiarissimis duobus prolixe conscripta. Nec parum placebit Patribus Dominicanis, una cum aliis nonnullis, eodem in Junio mox proferendus, B. Joannes Dominici, Archiepiscopus Ragusinus S. R. E. Cardinalis & Legatus Apostolicus in Hungaria, ubi abolitum sub Turcis, Budam tenentibus, cultum, utinam revelatis ejus ossibus instauret Deus! sicut Vitam ejus Florentiæ descriptam, licet prolixam valde, ego lubens dedi.

32 Denique mihi Ordinique gratulor, quod potuerim Art. 16. n. 170. primus observare notitiam ejus apud Jacobum Vitriacensem, sub honorifico Canonicorum Bononiensium titulo, prius usurpato quam ipsa Prædicatorum appellatio Pontificis Romani nutu stabiliretur. Hoc autem ne gratis videar asseruisse, licet fundatum in ipsis Pontificum Bullis, ab Ordinis Annalista productis; eccum tibi ipsum Vitriacensis contextum, ubi post consequenter descriptos c. 21. *Canonicos Regulares sub Regula S. Augustini viventes*; tum speciatim Præmonstratenses, Aroasienses, S. Victoris, S. Trinitatis, atque de Spatha; Caput 27.

put 27. proponit sub hoc titulo, *De nova Religione & prædicatione Canonicorum Bononiensium*, quod sic exequitur:

33 *Est alia Regularium Canonicorum, Deo grata & hominibus gratiosa Congregatio, extra civitatem Bononiæ non longè ab ea, in castris æterni Regis militantium, & eidem sub unius Majoris obedientia, in fervore spiritus & mentis excessu tam devote quam humiliter servientium. Hi siquidem adeo expedite post Dominum currunt & nudi nudum sequuntur, quod omnem exteriorum curam & temporalium possessionem a se penitus rejecerunt, omnia transitoria tamquam stercora reputantes, ut Christum lucrifaciant. Sapienter enim pensantes & prudenter attendentes, quod sufficit diei malitia sua, in tantum de crastino non cogitant, quod eleemosynas aliquas a fidelibus non recipiunt, nisi quantum sobriæ vitæ suæ ad arctam necessitatem possit sufficere. Tribus in hebdomade diebus carnes, si eis apponantur, non recusant; in refectorio manducantes, & in dormitorio quiescentes, & Horas canonicas, secundum B. Augustini Regulam, pariter in ecclesia, in voce exultationis & confessionis, Domino concinentes, immolantes Deo sacrificium laudis & reddentes Altissimo vota sua.*

34 *Ipsi autem ex numero Scholarium, Bononiæ causa studii commorantium, in unum Domino inspirante congregati, divinarum scripturarum lectiones, uno eorum docente, singulis diebus audiunt: quæ autem diligenter audierint, summi Pontificis auctoritate, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ institutione, Christi fideles in diebus festis in prædicationis & doctrinæ gratia decorantes,* (fortasse *declarantes* legendum) *& Prædicatorum ordinem Canonicorum ordini conjungentes. Hæc igitur dulcis mixtura bonorum multos ad imitandum allicit, provocat & accendit; & diebus singulis sancta & honesta Christi Scholarium Congregatio & numero ampliatur & charitate dilatatur. Attendentes enim sapienter fortes athletæ Jesu Christi, quod nullum sacrificium magis placitum sit Deo quam zelus & salus animarum, & quod anima, quæ impinguat, impinguabitur; sumentes in vasis suis de optimis terræ fructibus, & ferentes viro munera, aquas suas in plateis dividunt, & fontes eorum derivantur foras; in agro Domini, fructum centesimum recepturi, unanimiter laborantes; ut animas peccatorum de faucibus Leviathan extrahentes, postquam ad scientiam erudierint multos, fulgeant tamquam stellæ in perpetuas æternitates.*

35 Ita Jacobus, more suo crebra ad sacras Scripturas allusione texens elogium, rhetoricum magis quam historicum; sicuti & in prægressis fecerat; ideoque facilius postea lasuit illa legentes, *Prædicatorum Ordinem*, vix semel obiter nominatum, istic intelligi, ubi nec *Dominicus* institutor, nec *Albigenses* in Gallia, nec omnino *hæretici* nominantur, unde distinctius cognosci potuissent. Et hinc quidem mihi mirum non est, id quasi ænigma visum externis, qui libros Vitriaci obiter percurrentes, de illius solutione & explicatione quærenda non fuerunt soliciti, nec ipse librorum commentator Hojus; sed mirum valde est, quod Bononiensium scriptorum nemo huc adverterit animum, ante Iustum Faleonium Canonicum Lateranensem; qui in Memoriis Historicis suæ patriæ, editis an. 1649. pag. 201. locum quidem ex Vitriaco allegat, & ex conjectura refert ad ætatem Gerardi Areosti Episcopi ab an. 1199. ad 1240. sed fatetur, Canonicorum tantopere laudatorum adeo *incertam* esse *memoriam*, *ut neque locus, in quo habitaverint; neque Pontifex, qui institutum probaverit; aut quem denique finem habuerint, referre potuerit, quantumcumque laborem eo ipse contulerit.*

36 Malvenda ad annum 1218. ex antiquis Ordinis historiis scribit, quod eo anno, missis illuc a S. Dominico quatuor Fratribus, *datus fuit ad inhabitandum locus ad ædem D. Mariæ cognomento Mascarellæ, ubi præter labores, in summa egestate, magna sunt incommoda passi: nondum enim erat mos inductus mendicandi victum.* Bene hoc cum dictis Vitriaci convenit: sed scrupulus aliunde nascitur, quod ecclesia prædicta sit intra civitatem, a porta Mascarellæ uno sagittæ jactu distans, ubi & mensam ostendi Faleonius ait, in qua S. Dominicus Angelum hospitem excepit, Jacobus autem *extra civitatem* collocat Canonicos istos suos. Ex eo tamen quod frequentissime contigit, ut suburbanæ ecclesiæ per bella vel alios casus destructæ, sub eodem titulo locoque vicino translatæ fuerint receptæque intra muros, facilis datur dubio isti solutio; nisi credere quis malit, quod nihilo minus frequenter accidit, muros hodiernos cum portis ætatis esse recentioris, majorisque circuitus quam fuerint ætate S. Dominici, & eo quo Vitriacensis Historiam suam Occidentalem scribebat tempore circa an. 1219. aut 1220.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius contra Ordinem Franciscanum varia molitur.

RESPONSIO.

37 FRigidam præter solitum accusationem frigidior sequitur probatio criminis; videlicet, quod *si omnes & singulos hic referres*, P. R. *quos Papebrochius sacro Franciscanorum Ordini rapere, & titulo* Beati ac Sancti *spoliare molitur, tomus integer vix sufficeret*. Tantum ego non requiro; sed opto, ut vel unum proferas, vero ac certo Franciscanum probatum, quem alio transtulerim; aliquos deinde, ex tanto numero Beatorum, quos hoc titulo indiscriminatim appellat Arturus, ostendi mihi velim, quorum ab Henschenio prætermissorum (nam hic Prætermissos ordinavit) cultus publicus ab Ecclesia Romana probatus vel toleratus sit. Quod autem Arturus inter hos, & alios cum aliqua opinione sanctitatis defunctos, ideoque a nonnullis ante Urbani VIII. decreta dictos Beatos, non distinxerit; non ego primus, sed Bollandus multo prius quam Acta Sanctorum nominare ego scirem, improbavit; questus insuper tum Henschenio sum, quod idem Arturus, quampluribus, quorum nullum certum vel mortis vel cultus diem inveniebat, arbitrio suo & auctoritate privata, aliquem elegisse; in utroque etiam redargutus a Vener. P. Luca Waddingo & successoribus. Interim opus laudo, eoque utor quoties cum honore possum, & ex syllabo nominatorum ab eo, a nobis autem prætermissorum, hunc fructum colligo; quod ea admonitione excitati quidam subinde nos doceant, aliquorum ex iis verum

rum cultum aut diem, quos diligenter servamus notatos pro Supplemento.

38 Quam eo titulo nobis non indignentur illi Patres, qui aliquam operis nostri notitiam sibi compararunt legendo, appares ex singulari studio, quo præ ceteris Ordinibus omnibus nituntur labores nostros juvare, promptius quam alii passim suggerentes quas ab iis requirimus notitias. Quod autem minime approbaverint se quoque in scenam novi Ismaelis inductos; & quod improbent violentum vestrum contra me agendi modum, ipsimet experimini, quoties apud ipsos Lovanii, Bruxellis, Antverpiæ, & alibi vestros de me triumphos jactatis. Sciunt enim quantus Ordini suo honor ex opere nostro proveniat, per quod sui Sancti Beatique, vix una in regione aut civitate noti, innotescunt orbi Christiano toti; & Acta, vel tineis blattisque damnata, vel intra angustias unius provincialis linguæ constricta, in lucem publicam linguamque Latinam traducuntur. Hæc quoniam mea solius cura fuerunt, ita volentibus Magistris meis, ex solis Martio, Aprili, Majo nominabo Franciscani Ordinis alumnos, quorum a me illustrata Acta, in unum collecta tomum, plus quam 900. folia numerarent; accedentibus autem ex Junio S. Antonii Patavini Actis, copiosissimisque in vita atque post mortem Miraculis, hactenus fere ineditis, & iis quæ ad Januarium Februariumque pertinentia decessores mei antea ediderunt, non caperet omnia tomi unius, quamvis spissi mensura.

39 Sunt ergo a me pluribus foliis descripti in Martio B. Joannes Parmensis, Generalis ante S. Bonaventuram; Petrus Regalatus Aquileriæ in Hispania, & Salvator de Horta Calari in Sardinia: quibus ex muliebri sexu accedunt Agnes Bohemica, Catharina Bononiensis, atque Coleta Clarissarum reformatrix, cum Venerabili Maria Mallencensi, præter nonnullos alios. In Aprili prodeunt S. Ægidius, S. Francisci socius; Jacobus de Bitectis; Luchesius, primus Ordinis Tertiarius, ex ejusque sequacibus Guilielmus Cuffitella in Sardinia. In Majo Bernardinus Senensis, Paschalis Baylon, Ladislaus Polonus, Franciscus Dyrrachinus, Joannes Bonvisius: quibus adde Humilianam Florentinam viduam, & nobilissimam Virginem Camerinensem Baptistam de Varanis; ac denique B. Felicem Cappuccinum, cujus solius Acta & Miracula, pleraque ex manuscriptis Italicis, fere 100. folia æquarent. Nec multo pauciora sunt quibus continentur Acta & Miracula S. Yvonis Presbyteri, quem inter suos Tertiarios Ordo Seraphicus impensius colit; omnia fere collecta ex Processibus pro canonizatione formatis. Quorum vero breviora & paucorum foliorum Acta dictis tribus mensibus edita habentur, ac porro habebuntur in Junio, parata prælo, multo majori numero sunt. In iis tamen, cultus publici celebritate, præcellunt, Guido Cortonensis, Andreas Hispellas, & Benvenutos Eugubinus; inter feminas vero, Angelina Spoletina, & Martia de Nazaræis, Virgines; Michelina Pisaurensis & Castora Eugubina, Viduæ.

40 Hi omnes aliique ex primo nostro semestri noscendi, licet quinquagenarium non excedant, adeoque vix tertio aut quarto quoque die unum vel alterum Franciscani Ordinis Sanctum aut Beatum ex suo numero suggerant, quos diebus singulis complures Arturus nominat; tanto tamen satisfaciunt magis, nostrum illiusque scopum discernentibus, quanto illis gloriosius est in eorum censeri Catalogo, quos certus probatusque cultus conspicuos reddit; quam quasi obscurari in turba illa confusa plurium aliorum, ordinis & sanctitatis longe inferioris, quibus eos Arturus immiscuit. Sed cur pro nullo omnium, quos Arturus collegit nosque dimittimus, litem mihi in particulari moves, Rev. Pater? cur de nullo saltum probas, ipsum ab immemorabili tempore venerationem publicam & cultum ecclesiasticum apud Minoritas obtinuisse? Illud cum Arturus non probet; tuum erat ostendere, antequam nos neglecti officii erga sacrum Ordinem Franciscanum accusares. Imo cur saltem non transcribis ex Arturo nuda aliquorum nomina: quod utique facillimum tibi, ingens mihi attulisset negotium ad singula respondendi? Verum talis responsio mea, tanto cum dedecore tuo, quanto cum tædio lectoris conjuncta fuisset, cum identidem Te vidisset vel erroris vel malæ fidei convictum.

41 Exemplo sit unus S. Mirus, quem ideo solum nominasse videris, quia ipsimet Arturo ignotus fuit. Sed cum neque tibi notus fuerit nisi ex mea de ipso lucubratiuncula, undenam, quæso, accepisti fiduciam scribendi num. 34. quod, *contra Franciscanorum traditionem ac monumenta, ipsis eum rapere audeo?* Quis eam traditionem te docuit? Quis tibi monumenta monstravit? Si nemo: ipse ea tibi vigilansne an somnians finxeris, nescio; finxisse fatearis necesse est. Quando natus vel denatus Sanctus iste fuerit, nulla hominum memoria prodit: corpus anno 1452. inventum est sub altari, ad quod ab immemorabili tempore ipsum venerabantur Suricenses, lacus Comensis accolæ: latuit autem denuo corpus illud sacrum, una cum instrumento dictæ inventionis, usque ad annum 1637. Interim fuit ex vulgi traditione Vita quædam istic, tum Italice scripta, qualem Latine dedi; tum picturis expressa, cum epigraphis etiam Italicis, sed talibus, ut ætatem uno vel sesqui seculo majorem non sapiant, nusquam vero appareat indicium aliquod Tertiarii Franciscani.

42 Talem primus ante hos 60. annos sibi finxit Andreas Ferrarius, Vitam novam componens, Tertiarius ipse; sed hujus levissimam conjecturam omnino sibi contemnendam putavit, eadem in Lombardia, decimo post Andream anno, Legendarium tertii Ordinis Italice texens, Adm. R. P. Fr. Hieronymus Comboni Salodiensis, Prædicator & Theologus Ordinis Minorum Observantium provinciæ Brixiensis, olim in Lateranensi Basilica Urbani VIII. Pœnitentiarius; & suum istud Legendarium imprimens an. 1648. Bergomi, quæ urbs vix septem horis Como, & octo distat Surico; ut neque ignorasse Auctor S. Mirum potuerit, neque Vitam adeo recenter editam a Ferrario. Ego quidem Legendarium istud vel nondum habebam, quando Commentarium de isto S. Miro composui, primam ejus notitiam nactus ex Aloysii de Tattis Comensi Martyrologio; vel memoriæ non satis tenaciter impresseram, ut ipsum consulerem; satis tamen argumentorum me habere credebam, ut a recenti auctore de re antiqua sine teste assertum pro nihilo ducerem.

43 Volui tamen quærere, unde scriptori illi talis cogitatio venisset in mentem; & epigraphas picturarum, de quibus supra, sic concludens, *Supra ipsum etiam vetus altare pictus in fornice S. Mirus conspiciebatur radiato capite*; adjunxi quæ sequuntur, quæque in argumentum accusationis trahit Paternitas Tua. *Conspiciebatur, inquam, in habitu procul dubio coloris rufi aut cinerei, ut passim eremitæ & peregrini solent: & hinc sumpsisse Andream Ferrarium credo, quod eumdem Tertii sui Ordinis Professum asseveranter adscripserit, uti de aliis similibus multis fecit Franciscani Martyrologii auctor Arturus, qui pro consueta sibi in hoc genere levitate non omisisset B. Mirum, si Ferrarii libellus venisset in ejus notitiam. Ego vero non tantum existimo nulli certo Ordini adscribendum Beatum illum, sed vehementer etiam suspicor, seniorem esse quam ut nosse potuerit tertium Ordinem, quem anno primum 1221. instituit S. Franciscus.*

44 Hic tu, Rev. Pater, ut ista me scripsisse persuadeas *per meram & quidem levem ac infundatam conjecturam, contra Franciscanorum traditionem & monumenta*, nusquam visa, nusquam videnda, abrumpis contextum meum; quem si prosequi voluisses, statim habuisses conjecturæ meæ fundamentum non leve, his verbis deductum: *Etenim considero, quod instrumentum inventionis, conditum anno 1452. & ab Episcopo Carafino anno 1653. protractum in lucem, dicat, quod*, „jam multo tempore elapso, corpus beatissimi Miri in tumulo requievit, unde multissimis claruit miraculis, & claret in partibus istis; nunc vero Deus, sua pietate & misericordia, ostendere thesaurum absconditum dignatus est. *Sane hic loquendi modus non exiguum temporis spatium, & plus quam unius alteriusve seculi videtur requirere, quod a morte Sancti usque ad elevationem corporis repositionemque sub altari, & ab hac ad inventionem, intercesserit.* Hactenus conjectura mea, sed conjectura tantum; quam dum indico velut conjecturam proponi, simul cum aliquo licet non certo fundamento, apparet, non inde concludere me, quod Mirus non fuerit Ordinis Franciscani; sed cuique libertatem relinquere sic ipsam conjecturam reprobandi, ut tamen certum manere velim, professionem Sancti Franciscanam nullo argumento probari; atque adeo gratis confictum censeri posse, etiamsi fieri possit, ut revera, siquidem ætas id tulerit, tertio Ordinem fuerit sectatus. Quis autem me in hoc juste possit reprehendere, non video.

§. VI. ACCUSATIO.

Papebrochius nonnullorum aliorum Ordinum impugnat Historias.

RESPONSIO.

45 Amphora, inquit Horatius, *cœpit institui, currente rota cur urceus exit?* Pollicitus *omnes fere Ordines* mihi opponere, post quinque obiter adductos incassum, recidis ad *nonnullos*, & satis habes tres alios addere, campoque excedere, miles gloriosus. Ac primum Carthusienses objicis, hactenus mihi constanter amicos; eoque magis, quod dubiolum in ipsa majori Carthusia injectum P. Henschenio, ego ejus socius, ipsomet approbante, penitus deterserim in Conatu; nunc autem & calumniam inde mihi a Tua Patern. constructam Art. 15. §. 20. funditus everti. Gaudeo tamen hic mihi occasionem datam indicandi, quid primum Magister meus Henschenius, quid deinde ego pro illis fecerimus; gratissimosque vicissim eosdem repertos pergo mihi demereri in Junio, ubi ad diem XI. reperient suam S. Roselinam, prolixo satis Commentario illustratam; quam utrum multi eorum noverint, nescio: in Belgio certe, Germania, Italia atque Hispania noverunt eam vel nulli vel pauci admodum. Nec magis notus plerisque est Joannes Hispanus in Sabaudia, cujus Vitam, corporis elevationem, & miracula paravi in diem ejusdem vigesimum quintum.

46 S. Odonis Taliacurtii, in Gallia quiescentis, vita & miracula in Januario dederat Bollandus; Henschenius in Martio addidit Venerabilem Dionysium, Ruremundæ in Belgio reverenter elevatum. Si Aprilis solum Hugonem Gratianopolitanum dedit, cum Vita a Guigone Carthusiæ majoris Priore scripta, plures dedit fœcundior Majus; scilicet Nicolaum Albergatum, S. R. E. Cardinalem & Bononiensem Episcopum, recusa duplici ac prolixa ejus Vita, quarum alteram coævus & amicus Jacobus Zenus, alteram Carolus Sigonius ex antiquis monumentis collegerat. Ego Petrum Petronium ex Italico addidi, optavique nancisci antiquiorem Latinam, quam B. Joannes Columbinus Jesuatorum Fundator scripsisse legitur. Plures haud dubie sequerentur, nisi Ordo ille, quam amans solitudinis, tam alienus esset a concursatione, quam solent adducere crebra ad corpora Sanctorum miracula, & hæc quæ alii optant apud se multa fieri, deprecaretur a Deo ut fiant pauca. Quidquid tamen nancisci poterimus tanto dabimus libentius, quanto minus id Ordo iste affectat, Deo sanctitatis suæ teste contentus.

47 A Carthusianis transis Patern. Tua ad Minimos. Hi quid de nostro in suum Ordinem affectu sentiant, non meis verbis credas, velim; sed adm. Rev. P. Francisci Giry Provincialis Franciæ, qui de ætate Sancti mecum disputaturus, sic exorditur: *Prodiere nuper, opera ac studio Godefridi Henschenii & Danielis Papebrochii, eruditissimorum e Societate Jesu scriptorum, Acta Sanctorum Aprilis, tribus tomis distributa. In primo tomo, qui decem ejusdem mensis dies complectitur, occurrit ad secundam diem Vita & Historia S. Patris Francisci de Paula, Ordinis Minimorum Institutoris, ab uno ex illis, videlicet Daniele Papebrochio, qui sibi hanc provinciam (partito inter utrumque immensi illo opere seu onere) assumpserat, digesta & concinnata. Nihil omisit studiosissimus Collector quod ad rem propositam conferre posset. Neque enim ex omnia solummodo Acta collegit, quæ ad præfatam historiam pertinere videbantur, ut sunt, Philippi Comminei testimonium de Sancto quod lib. 6. Commentariorum ejus cap. 8. reperitur; Vita ipsius Sancti, a quodam ex ejus discipulis, eo adhuc vivente composita, quæ nondum edita erat; & tres ad ipsius Canonizationem processus, Consentinus videlicet, Turonensis & Calabricus, ubi innumera de ejusdem miraculis testium depositiones continentur: quæ etiam omnia, sibi a nostris communicata, Notis litteralibus, historicis, geographicis, & chronologicis doctissime,*

sime, pro more, *illustravit : verum speciali quo in Sanctum Patriarcham ferebatur affectu, ex eisdem Actis novam Vitam seu Historiam composuit, per annos secundum ordinem Chronologicum, singulari labore deductam ; pro quo non possumus quin vere religiosissime & imprimis erudito tota mente gratulemur.*

48 Labor sane integri anni fuit, manu mea propria descriptus totus, adeoque vastus, ut ipso in libro impleat folia 130. quem ipsi quoque Sancto gratum fuisse duplici comprobasse videor argumento, cum sub illo P. Godefridum Henschenium, ad mortem ægrum & capitis intolerabili dolore cruciatum, supposito miraculorum libro, nobis salvavit; ipsumque illum Commentarium totum mirabiliter præservavit ab incendio, quo arsit an. 1673. typographia Blaviana, in qua jam imprimendus periisset cum aliis secundæ diei Actis, eodem infortunio consumptis, sed facilius reparatis. Fuit tamen in eodem aliquid, quod non placerat omnibus: quæstio videlicet mota super Sancti ætate, quem nonagenario majorem obiisse creditum hactenus fuerat; ego vero viginti annos inde detrahendos censebam, motus tum aliis argumentis multis, in speciem convincentibus; tum maxime auctoritate Philippi Comminei, qui *jam nuper ante duos menses* cum eo locutus erat, quando scribebat elogium ejus, asserens, quod *in ætate annorum duodecim rupem quamdam subivit, ibique manserat usque ad ætatem annorum circiter quadraginta trium, usque ad eam videlicet horam, qua Rex* (Ludovicus XI. is erat) *eum accersivit*, id est usque ad annum 1481. Hoc anno si ille agebat solum ætatis annum 43. moriens anno 1507. (de quo dubitat nemo) potuit tantum vixisse annis 71. quem tamen in Officio proprio ad 91. pervenisse legimus.

49 Scribebat Commineus anno 1498. quem toto vicennio aberrasse in definienda ætate hominis, adeo recenter sibi visi, ægre apparebat credibile: quis enim non continuo distinguat sexagenarium ab octogenario? Sed nihilo facilius creditu erat, Cardinalem Simonetam, anno 1518. coram Pontifice referentem de illo, fuisse ab instructoribus causæ, qui & ipsi Sancto convixerant, adeo male informatum, ut ad 20. annos exerraret? Quia tamen in totis Processibus nulla fiebat anni natalis mentio, neque ætatis quam habuit, quando ex Calabria in Franciam venit Sanctus; & quia alia multa accedebant argumenta, minorem ætatem suadentia; elegi tunc hanc partem, velut ordinandæ Chronologiæ aptiorem. Pater autem Gery, alteram partem sustinere aggressus, plerisque fundamentis a me adductis satisfecit tam commode, ut in hujus denique sententiam, id est in communem redire me posse crediderim, saltem ut magis verisimilem. Interim, sicuti non puto me arguendum temeritatis, in eo quod prius statui; sic nec levitatis in eo quod postea elegi; in utroque autem functum officio scriptoris sinceri, nulloque affectu in hanc vel illam sententiam ducti, sed solius veritatis amore. Nempe ex tali amore etiam non dissimulavi errorem primorum nostræ Societatis Scriptorum, in definienda ætate S. Francisci Xaverii: qui sane non minus mirabilis est in hominibus tam accuratis simul & litteratis, quam ille fuisset in Patribus Minimis, iisque Francis, nec valde senibus, adeoque facilius excusabilibus.

50 Nulla interim inde orta est Ordinis conturbatio contra nos, nemo injuriam sibi aut sancto Fundatori factam voce aut scripto questus est per annos quinque post editum Aprilem. Sed neque post editam Dissertationem prælaudatam auditæ sunt insultationes immodice triumphantium; quin potius expectabant, quid ego illa lecta decreturus essem; nihil de meo erga se affectu dubii, & in sua ista de me fiducia nequaquam falsi. Vix enim Dissertationem ipsam anno 1680. quo prima pars Maji edita fuit, accepi, legi, & expendi, cum inclinavi mox animum in illorum sententiam; & circumspicere cœpi, quo potissimum loco id testari possem; & de hoc mox etiam certiores feci Patres Antverpienses. Quin & ad eruditissimum Dissertationis illius auctorem litteras idem significantes dedi anno 1681. ad quas humanissimum, ut par erat, responsum accepi, die 10. Junii sic exaratum:

51 *Sæpius proposueram mittere ad tuam Reverentiam Dissertationem nostram, de ætate qua vixit B. Franciscus de Paula, Institutor noster; sed modo hoc, modo illo promittente se laturum, aut fideliter directurum, subinde vero variis in causis impedito, hactenus res incassum abiit. Interim gaudeo maxime, quod in manus V. Reverentiæ pervenerit: neque enim eo modo composita est, ut ejus conspectum erubescere debuerit: sed amice omnino, & cum ea reverentia quæ tanto viro, tantumque de Ecclesia, de Sanctorum societate, & de omnibus veritatis amatoribus bene merito, debebatur. Jucundissimum vero fuit, nostram & antiquam de illa ætate sententiam tuo jam calculo, tuoque judicio roborari. Nec enim quisquam est, cujus judicium, in hoc maxime genere, pluris æstimari debeat: sed neque teipsum unquam ut judicem detractavi. Novi enim, & ex frequenti operum tuorum lectione comperi, tantum tibi inesse veritatis amorem, ut ea sive proprio studio, sive per alterius disputationem illucescente, præconceptas opiniones deserere, & alias amplecti sis paratus: unde non parum securum esse puto apud Te, contra teipsum, causam agere. Rem vero mihi totique Ordini nostro pergratam facies, si in quarto Maji volumine, quamprimum, ut arbitror, edendo, occasione aliunde arrepta, significes, Te in veterem Ordinis sententiam jam inclinare, quemadmodum in tuis litteris promittere dignatus es.*

52 Hæc & alia plura, quæ modestiæ causa prætereo, Dissertator, non minus placidus quam eruditus; idemque haud ex vano jactans frequentem operum nostrorum lectionem, quippe cui sub manu erant Vitæ Sanctorum, Gallica lingua recudendæ; ad quod per eamdem epistolam petebat auxilio consilioque juvari, quando ei non licebat præstolari exitum Mensium nostrorum reliquorum. Sed non æque liberum mihi erat multorum operæ istuc conferre, perficiendo Majo intendenti, cujus secundam partem, in tres ut primam tomos divisam, simili modo edere properabam. Et jam locum opportunum designaveram retractationi promissæ, in ea scilicet disputatione, quam inter Appendices Maji daturus eram circa ætatem S. Gregorii Nazianzeni: nam & in hac definienda videbar mihi defecisse, quantum excesserant alii; volebamque inire mediam viam.

Tali

Tuli ergo *occasione*, sicuti in Synopsi ultimi Tomi legitur, *satisfeci* etiam *iis*, *qui rationabiliter vovisse videntur*, *S. Francisci Paulani ætatem non esse necessario minorem statuendam, quam usque ad Aprilem nostrum fuerat credita*. Nec minus feci quam pollicitus eram: &, licet varia corporum temporumque incommoda, nobis typographoque oblata, sæpius interruperint progressum operis, vix demum anno 1688. finiti; toto tamen illo tempore nulla a Patribus Minimis audita querela est, vel moræ impatientia; ut omnino nesciam, Pater Rev. qua spe consilio fueris, etiam post impletum promissum, solicitare quiescentes. Ea scilicet bonæ causæ fiducia est; inquies vero & violentia, quali vos utimini, certissimum malæ causæ indicium.

53 Æque securi sunt Patres Crucigeri. Quod si eis possent Fundatorem dare S. Cletum Papam, vel S. Cyriacum, Dominicæ Crucis quondam inventorem, sicuti habet fabulosa illius Legenda, non essem ipsis hos negaturus: sed satis persuasi de nostro affectu, nihil isto, quem Patern. Tua excitat strepitu, commoventur, perguntque nobiscum solere amicitiam; hoc solum solliciti, ut congrue instruant, de S. Odilia, Ordinis sui Patrona & Tutrice in Belgio, in primaria eorum domo Huyensi quiescentis; & de B. Theodorico Cellesio, quem vocant Ordinis restitutorem, impetrata ejus confirmatione anno 1215. & Huyi sepultum anno 1236. Quod eorum desiderium æque prompte implebimus, atque alteri ejusdem tituli Congregationi, non adeo pridem extinctæ in Italia, dedimus Beatos, in Martio Mauricium Picenum, in Aprili Venturam Hispellatem (cum Bollandus in Januario egisset de B. Raynaldo etiam Piceno) nusquam soliciti de altiori eorumdem origine perquirenda. Etenim de hac scripturus Sabellicus Æneade 9. libro 6. *Sunt*, inquit, *Crucigeri Lateranensi conventu probati, supremo Innocentii anno qui fuit 1215. salutis humanæ, ... sed res multa antiquior est, si vera sunt quæ homines ejusdem Religionis ad me, primordia requirentem, longiore sermone scripserunt*. Ea interim sic strictim indicat, ut eis, nulla cogente necessitate, noluerit operosius se opponere. Sic & nos satis habemus indicasse, ad tantas antiquitates credendas, & quidem nulla visibili ac nota successione mediante, validiori & antiquiori opus esse assertione, quam sint nonnullæ Pontificum Bullæ, eas non affirmantium, sed simpliciter testantium, ita Crucigeros ipsos prætendere, sicut & alia alii narrant in fide ea referentium.

§ VII. ACCUSATIO.

Papebrochius contra suam Societatem, passim repudiat & exauctorizare molitur suos Magistros Bollandum & Henschenium, aliosque suæ Societatis viros insigniores.

RESPONSIO.

54 VEllem credere, Societatis nostræ prudentiam, & sedulam vigilantiam pro conservatione boni nominis sui, ad fructum in vinea Domini faciendum necessarii, notiorem passim esse, quam ut persuadere possis hominibus, communis sensus aliquid habentibus, adeo ipsam circa me meosque libros fuisse socordem, ut annis jam triginta legens Vitam venerabilis Magistri P. Bollandi, a me compositam, totque deinde elapsos annos, non animadverterit, illum quidem exauctorizari & velut *imperitum* atque *inexpertum* traduci, sua vero privilegia juraque, Pontificiis firmata Bullis labefactari posse eadem via, qua nonnullæ a vobis prætensæ ab annis 800. Indulgentiæ sub certis formulis tunc minime usitatis, similesque aliæ antiquitates vestræ, in dubium revocantur. Vide ergo Art. 2. n. 103. & Art. 3. n. 21. Sed neque credere quisquam poterit, Societatis incolumitatem & honorem Tibi magis curæ esse quam ipsi sit, ut quod ipsa non viderit, id videat Patern. Tua, suis erga ipsam tam benevolis oculis, quam scripta factaque Tua & Tuorum indicant.

55 In quæstionibus ab Ecclesia non definitis, sed liberæ disputantium ventilationi permissis, non solet suos habere Societas

Unius obstrictos jurare in verba Magistri.

In Scholasticis tamen paucas aliquas excipit, justas ob causas; in historicis vero nihil simile statuit, sciens quod facti quæstiones pendeant a documentis allegatis & allegandis; nec putat alteri facere injuriam, qui novis certioribusque repertis, prius verosimilia habita putat sustineri ulterius non debere. Nemo apud nos dixerit, a Bellarmino, Raynaudo, Labbeo aliisque, tenentibus, librum de institutione Monachorum esse supposititium, Latinique & recentioris scriptoris, exauctorizari Salianum, Suaresium, Cornelium a Lapide, aliosque nonnullos insignes Societatis nostræ auctores, qui eum ut legitimum, sicut a vobis asserebatur, exceperunt cum bona parte vestræ antiquitatis: cur igitur *in* eadem causa ego id facere arguor? Cur propter alios nonnullos ex nostris, figmenta Higueriana secutos, viros alioqui doctos ac graves, calumniam patiar, tamquam Societati toti injurius?

56 Mallet hæc quidem pacis causa ab iis controversiis, licet mere historicis, abstineri, unde prospicit plus contentionis quam ædificationis proventurum, qualis est Antiquitas vestra: quam nisi multipliciter provocatus Henschenius, numquam mihi discutiendam commisisset, nec ego suscepissem. Idem, de honore Bollandi sui si quis alius solicitus, ad unum jota probavit omnia, quæ usque ad annum 1680. in eo mutavi, pleraque ex ipsiusmet instructione, etiam in ultima parte Maji, licet post mortem ejus impressa. Nec illa tantum quæ subinde in Bollandi Commentariis notavi, sed etiam quæ notavi in suis; ingenue agnoscens, non omnia simul & semel penetrari posse, & novis quandoque monumentis prolatis, nova formari judicia.

57 Memini illum mihi sæpe narrare, quantopere gavisus Bollandus fuerit, quod discipulus & socius suus in ordinanda Francica Dagobertorum Regum Chronologia, novam invenisset & iniisset rationem, de qua ipse cogitaverat numquam; atque ea ejus judicio multa mutaris in Januario; & plura mutaturum fuisse, præsertim in primis diebus, si integra adhuc res fuisset. Hinc tam libere idem Henschenius postea reprobavit in Aprili Vitam S. Telesphori, de qua mihi hic præcipue litem renovas, satis discussam Art. 11. § 8. Sicut autem idem Bollandus Henschenio deinde commisit Sanctos, cum Francica historia connexos, in qua nullum peculiare studium ipse posuerat (quis enim unus possit omnia?) sic idem mihi auctor fuit,

ut a

ut a Vita S. Patricii exordirer, quæsiturus certiora, quam quæ sibi aliis distento occurrerant, Chronologiæ Hiberniæ, ab illa Vita fere pendentis, fundamenta: & specimen sibi ostensum probavit.

58 Incredibile autem est, quanto ipse Henschenius exultaret gaudio, quoties ego inveneram aliquid, a se vel Bollando needum repertum; vel obiter dumtaxat delibatum, fundius excusseram. Quid autem criminaris sub unctam Tomo 7. Maii grandem illam pro prægressis tomis Appendicem, quasi in ea voluerim ostentare majorem præ magistris meis vel scientiam vel diligentiam? Hæc quam maligna sit interpretatio, satis intelliget, qui illam Appendicem evolverit. Inveniet enim pleraque esse ex monumentis & libris, partim ipso mortuo primo allatis, partim a me recentius detectis: sunt autem Acta integra ac bene longa, ut Vitæ B. Æmiliæ & Joannæ Ordinis Prædicatorum, B. Juttæ solitariæ in Prussia, B. Zachariæ Ordinis Minorum, B. Stanislai Canonici Regularis in Polonia, libri tres de miraculis S. Gibriani Remis, & alia aliorum, eatenus intacta. Cetera vero non sunt nisi additamenta vel correctiones ad meas ipsius lucubrationes, paucæ admodum ad Henschenianas, quarum nullam Tu arguis aut arguere potes temere factam. Quid igitur in genere tam alium clamas, quasi Appendix illa tota spectaret Henschenium? Additiones istic factæ, sunt fructus annorum duodecim, quibus sub prælo sudavit mensis iste; correctiones, affectus sinceritatis meæ, nolentis dissimulare quidquam magis in me ipso quam in alio; aut successoribus emendandam relinquere, quod ante mortem corrigere ipse possem.

ARTICULUS XXIII.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibentur conjectura, argutiæ negativæ, sutelæ, errores, fallaces protestationes, nec non injuriosa satyra, quibus Papebrochius passim invadit & dilacerat Acta Sanctorum.

RESPONSIO.

Titulum hunc, sola terminorum atrocitate differentem a Titulis Articulorum undecimi & decimi quinti, facile mihi esset, Rev. Pater, applicare huic tuæ Exhibitioni, indifferenter & passim invadenti omnes meos Commentarios & Annotationes in Acta Sanctorum. Sed nolo tempus terere. Cum autem te video in hunc Articulum colligere velle quidquid toto libro sparsim in me conjecisti injuriarum atque calumniarum; volo e contrario quam manifestissime possim ostendere, nihil ferme hic a Te dici, quod in prægressis non plene confutaverim. Quamquam etiam hoc superfluum videri posset, nisi proposuissem vestigiis Tuis presse insistere ad extremum; & suspicarer hinc inde latere fraudes, alibi needum tam clare proditas.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius, passim Sanctorum Acta non nisi meris conjecturis invadit & dilacerat.

RESPONSIO.

2 Videamus quæ. *Librum de institutione Monachorum*, inquis; *Græce conscriptum circa annum 412. præcipuum Carmelitarum monumentum* (monumenta nulla habet pro antiquitate sua Carmelus, si non alia habet) *per meram conjecturam invadit, adscribens illum* alicui *Franco aut Walloni*. Hincne ego vestram impugno opinionem de libri illius præsumpto auctore, & non potius ex eruditorum plerorumque consensu? Si non id satis in Aprili feci; vide id factum hic copiosius Art. 13. §. 5. Postquam autem satis probavi non fuisse librum Græce scriptum; conjectanti Wastelio vestro, prius inventum esse Gallice quam Latine loquentem, non invitus assentior; & qualem ipse vult fuisse interpretem, talem patior videri auctorem, donec aliunde certius innotescat cujus ille fuerit. Sed unde liber iste, primus hic nominatur inter Acta Sanctorum? Tu videris. Ut autem hoc semel in genere dicam, in quo continuo laberis, falsus aut fallens: aliud est, ostendere solidis rationibus quidpiam non fuisse sæculo 5. v. g. in rerum natura, aut non fuisse ab eo, cui adscribitur, auctore; & per conjecturam deinde quærere, vel etiam tantisper statuere, quis, qualis, & cujus ævi auctor fuerit: aliud, per conjecturam talem, ipsammet illius prætensam antiquitatem vel auctoritatem impugnare. Primum feci, neque etiam nunc pudet, nisi vos Wastelii pudeat, in cujus conjectura fundatur mea: secundum numquam facere intendi, neque recte fieri posse censeo.

3 Conjectura prolata ut conjectura, nemini vertitur vitio vel culpæ, nisi ea aliunde demonstretur omnino puerilis esse; sicut fuit illa vestri Hildeshemii de Pallio Eliæ, in partibus extrinsecis decolorato ex tactu ignei currus: estque ea conjectura tanto minus toleranda, quod ipse id non dicat quasi per conjecturam, sed simpliciter affirmet. Cavet hoc sæpius Lezana vester, & ideo pluris tunc a me fit, salva tamen libertate, ejus conjecturas reprobandi. Sic quærenti tomo 4. pag. 80. unde factum sit, ut majores vestri dubitaverint, utrum Albertus, Regulæ vestræ auctor, fuerit Episcopus Bethleemiticus prius, quam Patriarcha Hierosolymitanus; & suspicanti id inde factum, quia Bethleemiticum crediderint dixerintque vestrum aliqui, fuisse antea Carmelitam; indignatur nemo, quia fatetur eam rem valde incertam esse. Nemo etiam indignatur eidem, pag. 84. quærenti, unde dicant aliqui, ab Alexandro Papa III. confirmatum Ordinem vestrum, in Synodo anni 1179. & sic conjectanti: *Si dicamus cum nonnullis, Albertum Bethleemitanum Antistitem, ex nostris Eremitis primum fuisse . . . . id solum satis esse posset,*

posset, ut institutum nostrum Papa approbasset, quod ab Episcopo, qui id genus vitæ experimento noverat, commendatum viderat.

4 Infinita hujusmodi habet Lezana, sed habet ut conjecturas: sic autem habentem, an recte ego nominarem *Historicum conjecturalem*? Cur ergo hunc titulum, pro singulari affectu tuo, appingis mihi? Scrutare Baronium, scrutare alios quoscumque Historicos, & invenies passim conjecturas, alias magis, alias minus fundatas. Quam multa passim occurrunt Criticis, quæ ipsis quidem facillimum est evidentis falsitatis convincere; quid autem sub ipsis falsis veri lateat discernere, difficillimum, aut etiam penitus impossibile, nisi per conjecturas, eatenus dumtaxat valituras, quoad meliores verosimilioresque occurrant. Ita actum a me circa eos, quos mihi hic objicis, ac toties objecisti, Martyres Brixienses, acceptos ex Chronica Cerreti; & Leontinos, ex gestis Trium fratrum.

5 De Tiara Papali, ad modum Pilei formata, adeoque libertatis a Constantino datæ symbolum habere mihi visa, fateor, me per conjecturam statuisse, primum in ea usurpanda fuisse S. Silvestrum: [1] hoc enim suadet usque huc perseverans Romanorum traditio, in pingendis suis Pontificibus omnibus, usque ad Silvestrum, nudo capite; primum autem Silvestrum, tecto. Quamquam autem non inveniebam aliquod usus tam antiqui testimonium, dubitare tamen non potui, quin is multo esset antiquior seculo 8. quandoquidem tunc compositum donationis Constantinianæ instrumentum indulgeat ipsi quasi privilegium *Phrygium, id est Mitram*, quo nomine intelligo Pileum auro-phrygiatum, sive tiaram diademate præcinctam. Quid est porro quod in ea conjectura reprehendas, R. P. Profer tu meliorem si potes. Ego vero etiam nunc ad ejus confirmationem, ex vestris ad SS. Silvestri & Martini monumentis, libenter adderem imaginem Virginis, in operis musivi tabula, benedicentis flexo coram se Pontifici, si certus essem ibi Silvestrum repræsentari, potius quam Hadrianum I. vel Sergium II. ejusdem ecclesiæ restauratores sub annum 772. & 844. De hoc siquidem



dubitare me facit rasa, ad morem Carolinæ ætatis barba, quam usque ad S. Gregorium & ultra videntur Pontifices honeste promissam aluisse, exemplo S. Petri. Est autem, cur Sergii potius esse opiner, quam Hadriani. Fortassis interim non erit ingratum, istam, cujuscumque ætatis & Pontificis imaginem, hic expressam videre.

6 Num. 6. accusatur Papebrochius & quidem allegatis expresse ex Conatu *pars.* 1. *fol.* 118. *n.* 6. quod *fidenter asseruit, Cletum & Anacletum unam eamdemque fuisse personam*, ac deinde arguitur inconstantis conjecturæ, cum dicat in Paralipomenis pag. 135. quod *nolit pro ejusmodi conjectura pertinaciter contendere*. Primum, falsissimum est: solum enim ostendo, quomodo, posita probatiori nunc multis sententia, unum eumdemque statuente Cletum & Anacletum, commode possit Chronologia Pontificia ordinari; nihil ipse in alterutram partem definio, cum pars utraque auctores graves, antiquos, & sanctos habeat. Secundum, male a Te intellectum est, quod enim in hypothesi ego dico de nomine, quasi primo scriptum simpliciter *Cletus*, post restitutionem cœperit dici & scribi *Anacletus*, hoc est pro quo pugnare nolim; displicere enim videbam ipsis illis, qui unam eamdemque personam sic asserunt Cletum & Anacletum, ut malint ab initio utroque modo indifferenter & dictum & scriptum nomen fuisse. Quamvis autem pro conjectura mea nolim pertinaciter contendere, necdum tamen illa mihi displicet.

7 De Juda-Quiriaco sive Cyriaco, Crucis Dominicæ indice, constanter firmiterque asserui semper, & adhuc assero, eum esse fictitium totum; neque de eo dubium me indicat capitis 4. hic titulus, *Verosimilior de Episcopatu, ætate, & martyrio S. Judæ Quiriaci conjectura*. Hæc non spectat fictitium istum, sed omnino alium verum Judam, Hierosolymorum Episcopum ex circumcisione ultimum: de quo hanc accipe ex margine Synopsim. *Hierosolymorum Episcopus 15. Judae, præsumi potest a Christianis nominatus Cyriacus, & dicitur Martyr obiisse sub Hadriano; credi autem is potest a rebellium Judæorum duce Carebocheba, multos Christianos necante, necatus etiam ipse anno* 134. Hæc conjectura eo magis placuit, quod Anconitanos, aliquem S. Cyriacum Hierosolymorum Episcopum venerantes Patronum, eximere possit ea solicitudine, quam ipsis merito ingerere potest demonstrata evidenter fictio ejus, cujus se corpus habere credebant. Huc enim semper connitor, ut Ecclesiarum traditiones, si usquequaque salvari non possim, ostendam non omni carere fundamento; sed habere quod sufficiat, ad inductum semel alicujus Sancti cultum continuandum.

8 Nihilo levior est hallucinatio tua ac immodestia, num. 10. sic loquentis: *Non possum ridiculam quamdam, & exsibilatione dignissimam, præterire conjecturam, ex qua infert Papebrochius, Sanctos Basilium & Emmeliam conjuges, tres habuisse filias virgines; nimirum ex eo quod habuerint tres filios Episcopos, dicens tomo 7. Maii pag.* 243. *num.* 4. „ Felix ille numerus, „ meo quidem judicio, ternarius est: quare sicut invenio tres Episcopos, Basilium Cæsareæ, Gregorium Nyssæ, & Petrum Sebasteæ; „ sic etiam existimo, censeri debere tres Virgines, licet nomen solius primogenitæ Macri-
„ næ

[1] Neque id displicet Bonanno tom. 1. Numism. Pontif. Rom. p. 119.

„ næ nobis cognitum sit, duabus fortassis in „ flore ætatis mortuis. *Quis enim nisi mente captus, aut merus fabulator infert, conjuges aliquos habuisse tres filias virgines, ex eo quod habuerint tres filios Episcopos?* Non ego inde id infero, Pater Professor, ne quidem conjectando: sed inferre me fingis, ut conjecturam meam facias *ridiculam & exsibilatione dignissimam; meque mente captum & merum fabulatorem*. Nonne ego scripsi, nonne tu legisti & citasti hæc mea verba, *Felix ille numerus?* An ego illa scripsi otiose, aut tu legisti sine intellectu? Produxeram, loco a te indicato, Sermonem Gregorii Nazianzeni in funere Basilii Magni, notissimi ipsi ac familiarissimi; quo postquam parentum ejus Basilii atque Emmeliæ & felicis ipsorum matrimonii plura bona alia exposuisset; *Mihi*, inquit, *maximum & clarissimum esse videtur, felicitas in liberis. Nam qui simul & multos, & probos atque honestos filios habuerint, in fabulis fortasse reperias; hos autem res ipsa nobis exhibuit, ut qui tales quidem ipsi fuerint, ut, etiamsi talium liberorum parentes haudquaquam extitissent, sibi ipsis tamen ad nominis claritatem sufficere potuissent; rursus autem ejusmodi filios in lucem extulerint, ut, etiamsi ipsi non tanta virtute fuissent, omnes tamen sobolis felicitate superaturi erant. Nam cum unus aut duo cum laude vivunt, id tale est, ut naturæ adscribi queat; at undique perfecta & ad summum provecta omnium virtus, iis plane, a quibus editi & educati sunt, assignari debet. Quod quidem liquido demonstrat ille felicitatis nomine prædicandus Sacerdotum ac Virginum numerus, eorumque qui in matrimonio eam vim sibi adhibuerunt, ut matrimonium nihil ipsis nocumenti afferret, quo minus ad parem virtutis gloriam aspirarent.*

9 Ad hunc Nazianzeni locum, de statu vitæ, quem liberi, a Basilio & Emmelia procreati, amplexi sint, illustrandum, suppono ex Gregorio Nysseno filiorum uno, universim ipsos genuisse decem, ex iisque Naucratium, juvenem obiisse. Tum hic reflectens oculos in *illum felicitatis nomine prædicandum Sacerdotum ac Virginum numerum*, continuo subjungo, *Felix ille numerus*, & reliqua a te jam allegata: putoque etiam nunc, felicem illum numerum rectissime resolvi in ternarium, tum ob alias alibi a Patribus adductas causas, tum præcipue hic: quia hic resolvi necessario in ternarium debet quoad numerum Sacerdotum, quos ternos fuisse constat. Si igitur numerus Virginum paris felicitatis est cum numero Sacerdotum, ut innuit Nazianzenus, cur non & ipsæ censeantur ternæ? Cumque eodem ex capite merito inferas, eos quoque, qui matrimonium inierunt, ternos fuisse, exurgit numerus liberorum, præter Naucratium, qui ad statum non pervenit, ter ternarius, utique felicissimus. Si interea tibi, R. P. conjectura displicet, quia mea est, tu alium numerum, aliamque conjecturam magis plausibilem, argumentoque proposito aptiorem suggere. Certe in sanctis Patribus multa invenies circa numeros dicta, non tam congrue apteque ad captum cujuscumque.

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius argumentis negativis, seu ob defectum testimonii coævorum auctorum, cum Joanne Launoyo, passim impugnat historias ac traditiones communiter receptas.

RESPONSIO.

10 LAunoyi librum de Argumento negativo nulla hactenus censura perstrinxit, refutavit nemo, præter quemdam Jo. Baptistam Thiers, cujus Exercitationem Dissertationi Launoyanæ oppositam nusquam reperi, sed secum ipsam magis quam Launoyo pugnare hic monstrare conatur, in Appendice post Dissertationem impressa. Ego parte altera inaudita nil judico: fateor tamen non videre me, quomodo aut censurari aut refutari possit liber, qui meris constat locis Scripturarum, Patrum, Theologorum, & Historicorum sacrorum centum & quinquaginta: quorum sic argumentatorum exemplo probatur, *argumentum negativum in quæstionibus ex facto, usu, & traditione pendentibus, multum habere roboris*, ut legitur ipso Dissertationis titulo: quem in Dedicatoria epistola dum explicare nititur, & ostendere quod in omni fere materia *quæstio semper de novitate vel antiquitate rei movetur. Tum*, inquit, *in quolibet ferme genere, si antiquitas desit abnutiva in medium producuntur: Sed rectene semper, an secus producantur, hic Rhodus, hic saltus.* Est autem operæ pretium legere suam de re tota sententiam paucis sic proponentem.

11 *Sunt tamen qui difficultatem in abnutivis nullam esse volunt; eamque, dum cominus urgentem sentiunt, devorare se putent, si per contemptum dixerint, Negativa sunt argumenta* [1], *quibus nihil concluditur. Sed, ut verum fatear, illud sine ullo discrimine vel delectu qui faciunt, eos esse in Dialectica mediocriter institutos, quotidie experimur. Neque enim canonem illum, quo ex negativis nihil concludi statuitur, aliter quam de memoria recitant, neque quo intelligendus sit modo usquam attenderunt. At enim, ut res spectetur ex seipsa, nec admittenda, nec rejicienda est quævis abnutiva ratiocinatio. In iis autem quæ ex conditione facti, ex usu & traditione pendent, si quadret in omnem penitus subjectam materiam, firmissima judicari debet; si non quadret, quia potest magis aut minus quadrare, aliquando probabilitatis habet aliquid, aliquando nihil, idque sæpius. Quo in discrimine regula nulla potest certa constitui, sed quidquid est totum viri sapientis & æquanimis judicio relinquitur, ex quo recte & apposite ratiocinandi leges manarunt.*

12 Hoc ego, nec amplius ex Launoyo teneo; laudo referentem *Scripturæ loca*, atque ex ordine distribuentem *suffragia Patrum, qui diversis vixerunt temporibus, Conciliorum, & quorumdam illustrium e Schola Doctorum.* Ad hæc, quæ neque tu velis aut possis negare, non ad aliqua ipsi Launoyo propria exempla, lectorem meum remitto, accusato a te loco Conatus mei parte 1. pag. 28. Illis bene an male usus Launoyus, [2] in hoc vel illo casu sit, ad me non pertinet respondere: an iisdem aliter quam prudenter usus sim ego, circa historiam vestram, sive circa Sanctorum Vitas, statuet lector ex præmissis Responsionibus meis; quas nihil

[1] Consule Benedicti XIV. Immortalia de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione volumina nuper Patavii elegantibus typis recusa: epistolam quoque Em. Angeli Mariæ Quirini Cardinalis amplissimi ad Reverendiss. P. D. Cyprianum Benagliam, quæ inter decem Vaticanas Sexta est.

[2] Certe male usus est, dum Angelici Doctoris Summam Bellovacensi Vincentio adjudicavit, quod Clemens VI. in Catalogo operum S. Thomæ illam non memoret; ut enim post Echardum in Biblioth. Ord. Prædic. animadvertit Benedictus XIV. tom. 3. de Beatific. Sanct. Clemens VI. revera illius meminit inter cætera Aquinatis Doctoris volumina.

nihil hic opus est sigillatim revolvere, cum suis locis singula hic a te indicata capita prætensorum errorum fuerint ex professo tractata & discussa.

§. III. ET IV. ACCUSATIONES.

Papebrochius techuis, sutelis, & cavillis passim Sanctarum Acta impugnat.

Papebrochius auctores synchronos & coævos, quos passim requirit, dum offeruntur, futiliter rejicit.

RESPONSIO.

13 SYnonymane Tibi sint vocabula, P. R. *Techna*, *Sutela*, *Cavilli*, nescio: ex iis quæ adfers exemplis tribus aut quatuor, nullam possum notare significationis differentiam, ac ne hoc quidem satis distincte intelligo, quid velis significatum omnibus simul tribus: dum autem expecto, juxta titulum, Sanctorum Acta, nihil invenio nisi generales querelas, pro Carmelitana successione, historia, indulgentiis, cum iterata mentione Martyrum Brixiensium ac Leontinorum: quibus omnibus abunde respondi. Quod autem primo loco, veluti palmare specimen technarum mearum, assumis n. 22. quasi *in Dedicatoria Aprilis astute Clementi X. imponat Papebrochius, se Carmelitorum exordium deducere ex scriptorum vetustissimorum fide, ubi tandem convincitur ne vel unum in tribus tomis ejusdem mensis produxisse: imo nec postea*, nescio qua fronte potueris scribere. Numquid non ex Joanne Phocæ oculato teste deduxi, qua occasione, tempore, numero cœperit a majoribus vestris habitari Carmelus, antea seculis saltem sex continuis, si non & quatuordecim, desolatus, quemadmodum per singulas ætates discurrendo monstravi ex auctoribus, unoquoque seculo in Syria peregrinatis? Numquid non docui ex Regula Albertina, quis tunc fuerit Ordinis adhuc teneri & modici status? Ex Sanwico, qualiter & quando transferri cœptus sit Ordo in Europam? Ex Pontificum bullis, quomodo & quando mutatus habitus? Et ex ipsis Capituli Londinensis ante mutationem Actis, Barrarum in habitu veteri definitum numerum? formam vero, ex ipsamet vestrorum hominum apud S. Antoninum traditione monstravi, aliaque similia?

14 Quinam porro sunt *Auctores coævi, quos passim expetis* (ut dicis §. 4.) & *dum offeruntur, futiliter rejicit Papebrochius?* Sanvicus, inquis, *auctor S. Alberto coævus, enumerans monasteria, quæ Carmelitæ extra Carmelum tempore dicti Alberti habebant.* Verum Albertus obiit an. 1214. Sanvicus an. 1292. transgressus in Europam, verosimiliter necdum decrepitus; si natus fuerit Alberto moriente, agebat annum ætatis 78. & potuit ex iis, qui interfuerant decernendæ anno 1237. migrationi, ejus modum ac tempus certius cognovisse, quam statum Ordinis ante acceptam Regulam; atque ita in eremitoriis, quæ, citra dependentiam a Carmeli Priore, fuerant ante Albertum erecta, & eodem agente illi subjuncta, æque facile potuit errasse, existimando quod ipsa a sui exordio fuerint Ordinis Carmelitici, quam erravit in anno fundasi per eundem Albertum in Carmelo novi monasterii, dicendo fuisse 1199. cum tamen constet prædictum Albertum non ante 1206. appulisse in Syriam, multumque fore si fundare monasterium illud cœperit anno 1209.

15 Joannes Phocæ, qui mihi secundo loco objicitur, vidit primas Carmelitarum intra rudera istic reperta cellulas, parvumque oratorium, & numerum incolarum: de his ergo certissimus testis est: cujusnam autem & qualis ædificii fuerint ea rudera, de quibus loquitur, tanto minus discernere potuit, quanto ruina loci antiquior fuit, & fortassis a tempore S. Hieronymi: atque ita per meram, vel suam vel ipsorum Carmelicolarum, a quibus informabatur, conjecturam, scripsit, *Fabricarum vestigia* istic reperta fuisse *magni antiquitus monasterii*. Demus enim civitatem Romanam sex septemve seculis sic jacuisse desolatam, ut nec a peregrinis quidem fuerit visitata; quis illius ruinas nunc intuens discernere valeat, quæ profana, quæ sacra ædificia fuerint? Ego tamen non absolute nego fuisse vestigia alicujus monasterii, eum id fuisse potuerint; sed solum dico, de hoc posse dubitari: & quamvis non dubitaretur, ex istis nequaquam posse probari continuationem religionis in Monte Carmelo, nullo grandiori spatio temporis interruptam, ab Elia usque ad Bertholdum vel Brocardum.

16 Swaningtoni testimonium de visione S. Simonis Stock numquam rejeci, sed semper statui retinendum; solum noto, parum fideliter citari ejus textum, dum pro nomine *Habitus*, quem barratum gestabat Sanctus, substituitur nomen *Scapularis*, eo mortuo primum assumpti. *Enochum*, S. Angeli Carmelitæ comitem; *Visbinum*, S. Dionysii Areopagitæ discipulum; *Faustum*, S. Mauri socium; Christianos, SS. Basilissæ & Juliani concives; & Monachus, S. Frontonio coævos; qui testes oculati Vitas illorum Sanctorum scripserint, nullos agnosco nisi fictitios: quam autem minime *futiliter* eos rejiciam, proprio cujusque loco demonstravi.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius proprio motu retractat ultra bis mille errores, quos ipse inter Acta Sanctorum ex ignorantia commiserat.

RESPONSIO.

17 MIrus es Protheus, P. Sebastiane. *Appendicem Addendorum, Mutandorum, Corrigendorum, ad omnes Tomos Maii*, tomo 7. additam, cum tibi commodum est, calumniaris ut P. Henschenio injuriosam, cujus jam mortui defectus adeo multi, tam prolixa foliorum omnino 350. accessione, debuerint suppleri & corrigi, acsi omnia & singula istic deducta Acta, ipsius forent, cum ea initialibus nominum nostrorum litteris distinguantur: nunc vero mihi soli omnia totius Maii Acta imputas, & dedecori vertis. Numerum porro, quomodo ipse inveris, nescio. Nam si ubicumque reperis, *Adde*, *Muta*, *Lege*, *Dele*, ibi supponis errorum fuisse; gravissime erras ipsemet. Appendix illa, ut aliæ ad alios tomos ac menses, eo a me studiosius, quam a Bollando in Januario ac Februario, confecta fuit, quod præviderem necessitatem totius operis recudendi, fortasse prius, quam alterum semestre posset inchoari. Primi enim duo menses vix amplius habentur in bibliopoliis venales novi, sed solum veteres ex auctionibus. Martius & Aprilis, valde rarescunt, & intra paucos annos toti deficient etiam ipsi. Majo & Junio nunc quidem obsistunt iniqua commerciis librariis tempora, sed his per pacem (ut speramus) mutatis, illi quoque tanto

to celerius distrahentur, quanto celebriores illos faciunt quiritationes & calumniæ vestræ, solide, ut puto, refutatæ.

18 Quidquid tamen de eo erit, malui recenti adhuc memoria facere Maii totius Supplementum, quam differre in Supplementum generale priorum quatuor mensium, nescio quando absolvendum; quandoquidem solus Januarius, nunc in duos tantum divisus tomos, si recudatur cum omni, quæ postea supervenit, materie, quatuor vel quinq; tomos implebit. Moles autem Appendicis istius maxima parte conflatur ex Addendis, quæ ut commode inseri possint suis singula locis, plerumque est necessaria mutatio verborum aut linearum aliquot præcedentium & sequentium; quandoque etiam plusculæ lineæ eumdem in finem deleri jubentur, cum scilicet pro brevius dictis, vel delibatis dumtaxat, substituendus datur longe prolixior embolismus, plurium quandoque foliorum. Contigit etiam aliquando, ut Vita aliqua impressa ex uno solo, quod ad manus erat, manuscripto, aliunde alia allata sint apographa, aut etiam meliora, ex quibus operæ pretium esset dari variantes lectiones, diligentiæ, non ignorantiæ adscribendas, quæ Tibi visæ sint totidem errores.

19 Inter hæc tam multa laudabiliter Addenda, ac proinde in antegressis subsequentibusque Mutanda, etiam varia mutari jubentur, præsertim in Commentariis meis, non quia errorem contineant aliquem, aut saltem notabilem valde; sed quia sensus minus commodus, vel clarus, vel etiam non satis perfectus, uno alterove verbo mutato, addito vel sublato, commodior clariorque futurus videbatur. Equidem sic a natura comparatus sum, præter quem alii multi (quibus istud Pilati, *Quid scripsi, scripsi*, pro tessera esse videtur) ut si centies meam unam compositionem legam, centies inventurus sim aliquid, quod magis possit perfici, mutatione, additione, omissione: quantoque plus accedit per ætatem experientiæ scientiæque, tanto major succrescit earumdem copia, juxta illud Ecclesiastæ 1. *Qui addit scientiam, addit & laborem*. Laudent hoc alii, alii improbent; talis ego sum, neque hoc pudet fateri: quin etiam opto, ut mei post me Socii tales sint in meis, qualem me in suis æque ac meis esse gaudebat P. Henschenius.

20 Eodem iterandæ aliquando impressionis respectu, solicitius notavi errata typographica; quæ in Majo frequentiora quam in Martio atque Aprili obrepsere, ob debiliorem visum, mihi ex morbo anni 1678. relictum, Typographi distractam ad plura solicitudinem, Sociorumque mutationes aut mortes. Atque utinam ejusmodi errata solum essent in litteris male locatis, quas facile sibi quisque corrigeret, & non etiam sæpe in numeris atque nominibus propriis, quæ multum adferunt turbationis nisi corrigantur! Sed neque excusare velim, quin vel memoriæ lapsus, vel hallucinatus in calculis subducendis, vel ex rei alicujus ignorantia, in veros errores aliquos subinde lapsus sim, quos alii fortassis occultarent excusarentque studiosius; ego vero animadversos neque volo neque possum dissimulare.

21 Non tamen, quod mihi exprobres, P. R. integri multi prolixique tractatus sunt, quos abolitos velim. In Propylæo Antiquario ante Aprilem, pars ejus prima, quatenus tentat Regulas universales dare discernendis Diplomatis, mihi quidem displicere cœpit, cum vidi rem eamdem multo uberius solidiusque tractatam a Mabilione; non tamen sic, ut in primis, quæ Horreense diploma spectant capitibus, aliquid retractandum censeam; sed potius glorier evicisse totum, quod intendebam; & in ceteris quæ censuravi Diplomatis, plurima recte censurata esse. In secunda vero parte, quæ Carmelitas spectat, quam nihil retractare debuerim ad substantiam pertinens, docebit sequens Paragraphus: in tertia de Brixiensi Martyrio, per Caretum descripto, nihil est quod mutatum velim, quam lineas duas, cavillationi obnoxias.

22 Conatus meus Chronico-historicus in Catalogos Romanorum Pontificum, quem alii vocant Propylæum Maii, tractat rem, Baronio aliisque hactenus desperatam, quoad ingressus exitusque singulorum Pontificatuum, atque adeo ipsa Interpontificiorum spatia; procedit autem ex principiis, satis solide a me probatis, de initio a die, non electionis, sed ordinationis sumendo, eaque Dominica; cui ex more ecclesiastico adnecti posse præcedens Sabbatum, velut unum cum ipsa diem ecclesiasticum constituens, postea didici ex S. Leone, Regulam a me positam irrefragabiliter confirmante, sicut ostendi Art. 2. §. 15. Annorum, mensium, ac dierum numeros suggerebant ipsi veteres Catalogi, quibus subinde variantibus, eum elegi numerum, qui Chronologiæ, juxta principia prædicta ordinandæ, commodior videbatur; adeo ut appareat (quod etiam ubique profiteor) totum istum Conatum non nisi ex parte demonstrativum esse, ex alia vero parte conjecturalem; ideoque rem adhuc imperfectam, Conatum vocare malui, quam Chronologiam, utpote non nisi longo sæpiusque iterato examine & collatis plurium eruditorum studiis perficiendam, quæ tamen valere interim possit.

23 Cum autem Chronologia sit veluti catena, cujus si unum annulum loco moveas, moveri vicinos utrimque necesse est; hinc contigit, ut mihi, subinde meliora certioraque observanti, in iis quæ ex sola conjectura pendebant, necesse fuerit sic mutare aliquid etiam in proximis. Et quia postmodum prodierunt iidem Catalogi, ex antiquissimis scriptoribus & Mss. Codicibus, accuratius quam eos ego habui inter se collatis, ab Illustriss. Schelstratio, post ejus opus Chronologicum Romæ editum anno 1692. Critica vero Antonii Pagii ad Annales Baronianos edita anno 1689. non pauca suggerunt consideratione digna, & forte efficaciter probature, quod non æque felix ubique fuerim; existimo fore, ut in altera ordinatiorique ejusdem Conatus (si Superis & Superioribus placet) editione, cui Paralipomena omnia suis quæque locis inserentur; denuo mihi se offerant non pauca, quibus Conatus meus magis promoveatur ad desideratam perfectionem.

24 Hoc cum fiet, necesse erit, ut Kalendarium seu Festi Pontificales, Indicesque eorum tam Chronologicus quam Alphabeticus, tot, imo his totidem subeant mutationes singuli, quoties vel leviter in uno aliquo Pontifice mutari debet numerus aliquis, eo quod ejusdem Pontificis nomen idemque numerus, in singulis seriebus bis terve occurrat. Atque hoc est quod dictum volui, ante correctionem Kalendarii in Paralipom. pag. 158. his verbis: *Correctiones & Mutationes*,

nes, in bisce Paralipomenis digestæ, non solum totidem correctiones hic, id est in Kalendario, *exigunt, sed etiam dupla plures.* Ego hic non sisto, verum clare rem explico, sequentibus verbis; *Dum punctum, ab una in alteram diem transferendum, hic adscribi, istic expungi debet.* Hæc verba si addidisses, Pater Rev. nihil miri dixisses rem bene intelligenti; nec mutationum aut correctionum numerum fecisses pene infinitum videri toto in opere; cum ibi solum agatur de pauculis illis paginis corrigendis, quibus constat prædictum Kalendarium, cum iis, quos dixi, Chronologico & Alphabetico nominum Pontificalium Indicibus.

25 Lubet porro hic quærere, qua ratione potuerim ego paucorum annorum spatio in propriis scriptis, proprio motu, tot, quot dicis, etsi male numeraveris, errores observare (solent autem homines in propriis defectibus non valde esse lyncei impediente plerosque Philautia, a qua me vacuum penitus esse vellem equidem, sed jactare non ausim) quæro, inquam, qua ratione ego potuerim decennii spatio observare tam multos meos errores; Tu vero, Pater Rever. (quem ex nimio erga me amore in iisdem cæcutivisse nemo facile credat) nec unum quidem alicujus momenti verum errorem, qui quidem consideratione viri honesti & accusatoris ingenui dignus esset, potueris observare simili spatio annorum decem, quot tuæ Exhibitioni librisque meis excutiendis impendisti, sed necesse habueris tot imaginarios errores producere coram Apostolica Sede? An forte inter utrumque nostrum eadem est differentia, quæ fuit olim inter Israelitas & Ægyptios, ut mihi quidem, in unicam veritatem intendenti, facile appareant quicumque nævi mei; Tibi vero densissimis septo tenebris, ex studio vindictæ capiendæ offusis, non appareant nisi figuræ tristes atque terrificæ, eæque prorsus imaginariæ?

§. VI. ACCUSATIO.

Papebrochius nonnullos retractat errores, quos ex crassa ignorantia commiserat in historia Carmelitana.

RESPONSIO.

26 Quanto plures magisque erubescendi erunt errores, quos ex ignorantia crassa, imo crassissima, commissos retractaverim; tanto evidentiora proferes, Pater Rev. testimonia sinceritatis meæ & promptitudinis ad corrigendum quidquid quacumque ex causa peccavi. O si omnia & singula, quæcumque vobis in opere nostro displicent, sic potuissem retractare! quam alta in pace, & quanto cum vestri Ordinis totius applausu procederent cetera! quam cito evanescerent tam multi hic objecti errores! Iterum dicerentur Acta Sanctorum, ab Henschenio & Papebrochio illustrata (sicut dicebantur cum Bollandi & Henschenii titulum præferebant) Opus sanctum, Opus incomparabile, Opus Ecclesiæ toti utilissimum, imo necessarium; omnibus regnis, ordinibus, statibus perquam honorificum, grave nemini.

27 Ut quid ergo tantam felicitatem mihi, tantam approbationem operi eunctor acquirere? Utique respondebunt omnes, qui aliquid humani sensus habent; Veritas patens ac manifesta, quæ fecit ista circa historiam Carmeliticam tam prompte tamque candide retractari, non est inventa in aliis ejusdem historiæ punctis, hactenus controversis; imo per hæc Responsa demonstrata est palpabilis falsitas, & calumnia evidens in ceteris omnibus accusationibus. Ego certe hisce componendis eousque profeci, ut de insufficientia, ne quid gravius dicam, probationum vestrarum convictissimus, spem omnem amiserim melioris probationis majorisque satisfactionis aliquando accipiendæ; licet semper paratissimus eam recipere quandocumque offeretur, & tam ardenti vestro desiderio facere quam plenissime satis. Sed videamus, quænam sint illa, & quam parum ad substantiam historiæ vestræ nostræque controversiæ pertinentia, quæ ego retractavi; quam etiam male ex illis inferat Pater n. Tua n. 36. *merito videri præsumendum, quod errores nonnullos sciens & volens contra veritatem evidentem effuderim, ad explodendum Carmelitarum ab Elia Propheta originem & successionem.*

28 Num. 37. ais, quod Papebrochius *debacchatur in Carmelitas, quia tres Lectiones & Orationem proprias de S. Alberto, a Pio V. approbatas & concessos Canonicis Regularibus, sacra Rituum Congregatio approbavit pro Carmelitis id supplicantibus:* quodque deinde *a veritate convictus, quam injuriose & calumniose Carmelitas aggressus fuerit* in Hist. Patr. Hierosol. *injuriam reparatam omni modo cupit ... & in prædicto Commentario expunctam vel mutatam bonam partem numeri* 58. Quid æquius, quam reparare injuriam, quodmodocumque illatam, mox ubi agnoveris? quid etiam rectæ rationi congruum magis, quam præsumere, nec scienter nec volenter illatam, quæ tam prompte ac plene reparatur? Obierat Pius anno 1572. Canonicorum Regularium ab illo probata Officia sexies aut decies recusa habebantur usque ad annum 1650. & ultra, nullam autem ea faciebant Alberti mentionem; quorundam ex ipsis Generalis Procurator Romæ, interrogatus 1667. aliquoties, numquid de talis Officii per Pium V. approbatione sciret, nec nomen quidem Sancti agnoscit. Quis hic cogitaret Lateranenses usurpare Romæ Officia alia, Mediolani excusa, inconsulta Rituum Congregatione, anno 1660. velut approbata a Pio V. & in his Lectiones aliquas de S. Alberto? Profecto quam temerarium fuisset factum suspicari, quod prima fronte videri debebat omnino incredibile; tam inculpabiliter ignorabatur ab aliquo Antverpiæ constituto, & ut sciret operam aliquam, sed frustra dante.

29 Postquam tamen constitit, ita reipsa actum esse & agi a Lateranensibus, adeoque eatenus vacare culpa qui id Congregationi proposuerant; numquid plene eis fiebat satis, ipsos excusando, Lateranensibus autem relinquendo onus Romæ probandi factum suum? Cum vero jam appareat, petitas a Carmelitis, & a Congregatione concessas Lectiones, ab illis non usurpari, sed elias, de quarum approbatione nihil uspiam legitur; numquid non iterum redit suspicio fraudis & subreptionis alicujus, ab eo commissæ, qui petiit illas sibi concedi, quas sciebat aut scire debebat multis esse erroribus inquinatas; sed sciri id nolebat, quia ipsi errores erant ex Saraceno Carmelita accepti? Quid vero ista qualiscumque probatio, petitio & concessio tam sero facta faciebat ad meum argumentum? Nam ibi Carmelitas laudabam, quod S. Alberto multis titulis obstri-

obstricti jam pridem, cum inter sui Ordinis Sanctos colendum susceperint, quando de ejus cultu neque Canonici Regulares, quorum fuerat institutum professus; neque Ecclesia Vercellensis, cujus fuerat Episcopus, adhuc cœperant cogitare, Numquid non hoc totum manebat verissimum, & cum Carmelitarum laude conjunctum, licet Regulares tanto postea (quod tamen inculpabiliter ignorabam) colendum illum susceperint, & licet Ecclesia Vercellensis (quod necdum probatur) idem nunc faceret? Et liber de Institutione Monachorum, cujus in prædictis Lectionibus fit mentio, veluti a Joanne 44. compositi, an propter ipsas Lectiones, modis tam perplexis obtentas, censebitur certius eruditis probatus, ac deinceps probandus, quam fuerat antea? Igitur retractatio mea, qua conatus sui Carmelitas a culpa liberare, cujus ipsos prudenter videbar convictos tenere: nihil omnino facit ad originem successionemque prætensam stabiliendam; sicuti ipsa culpa, quæ credebatur commissa, si vera foret, nihil conduceret illi infirmandæ; sed solum probasset nimiam Carmelitarum facilitatem, ad quælibet sibi faventia citra discussionem recipienda. Hæc autem aliunde tot exempla habetur demonstrata, ut ad eam probandam culpa ista non faceret amplius, quam granum unum ad magnum cumulum. Pergamus ad alia.

30 Num. 39. dicit Patern. tua, quod tomo 2. Aprilis pag. 789. num. 84. *signanter & expresse* assero, *Carmelitarum Ordinem sumpsisse initium, non ab Elia in veteri Testamento, sed in novo, & quidem seculo* 12. Falsum est, Rev. Pater. Ego istud ibi nec dico, nec nego: sed affirmo, quod ut hoc dici possit, *oporteat* ostendere, quod *Eliæ & Elisei successores* Syro-Græci in Carmelo, *fuerint Brocardo & sociis* Latinis *saltem instructores & magistri. Hic*, inquiebam (*non in veteri Testamento usque ad Eliam, non in novo usque ad Christum .... sed in seculo* 12. *adeo nobis propinquo, tot scriptorum monumentis illustrato*) *hic Rhodus est, hic saltus*, ut scilicet Latini Carmelitæ, quos tunc fuisse scimus ex Jacobo Vitriacensi, connectantur Syro-Græcis, quos tunc aliquos ibi fuisse, probari petebam, & peto etiam nunc; de anterioribus illis (si tamen fuisse probarentur) vobiscum non disputaturus, an & quales fuerint ab Elia instituti. Sed neque nunc voluissem de iis disputare, nisi toties provocatum coegisses tandem respondere, de omnibus in Palæstina per secula 12. prægressa Monachis, an & quomodo ab Elia processerint. Aliud ergo cum istic egerim dixerimque, nihil etiam retractavi, cum t. 2. Aprilis in Propylæo parte 2. n. 1. dixi, quod priori loco *professus sum iterumque protestor, nolle me prætensam Ordinis ab Elia Propheta successionem attingere, nedum impugnare*. Quid ergo? Poteras addidisse quod sequitur: *Abundent ut volent in isto suo sensu Carmelitæ; tantum ne patiantur, pro ea confirmanda imponi sibi figmenta recentia, antiquitatis pallio velata*.

31 Leoni IV. affictam Indulgentiarum bullam reprobavi, & constanter reprobo, ut suppostitiam: neque sufficientes hactenus, ut ab illa sententia discedam, rationes allatæ sunt ullæ. Nihil igitur ad substantiam rei & controversiæ facit, quod, ipsis ubi de illa egi locis, aliquid mutari vel deleri postea jusserim, ad præscindendum cavillos, propterea motos aut movendos, & præcipuam quæstionem obscuraturos.

32 Boppardiam ad Rhenum medio esse loco inter Moguntiam ac Treviros, semper scivi: exerrante tamen calamo, aut potius alio distracta mente, pro *Moguntia*, Menis, obrepserant *Metæ*, Mets; rursumque in adhibita alibi correctione, *Saxonia* pro *Franconia*, quod mihi per ignorantiam locorum obvenisse, nec ipse quidem tu ausis, puto, asserere; cum scias me ipsis in locis fuisse. Ponamus tamen ignorasse me, quo loco sita Boppardia sit; an propterea retractavi quidquam circa historiam Carmelitanam, cujus controversum punctum erat, an ibi sepultus anno 1113. Henricus Prior, Carmelita fuerit; vobis asserentibus, negante me? Simile est quod in Epitaphio Venerabilis Yolandis, filiæ Comitis Viscensis & fundatricis parthenonis sui in Arduenna, notatam animulam supra caput defunctæ, quam incensantes Angeli in cælum efferunt, crediderim esse signum sanctitatis singularis, & opinionis de ea in vulgus fusæ; postea didici ejusmodi animulas angelosque frequentes in Francicis Epitaphiis conspici, idque indicavi tom. 7. Maii pag. 705. eoque retractavi præjudicium ex talis signi defectu sumptum, contra interpretationem eorum, qui scripserant, præfatum Henricum coli a Boppardiensibus ut Sanctum. Sed talis retractatio, quæ probat meam sinceritatem, tam inutilis est probandæ sanctitati prætensæ; quæ cum nullum vel ex epitaphio, vel in alio quocumque testimonio veteri habeat fundamentum, gratis præsumitur ex sola epitaphii, vulgaribus speciosioris, positione. Ad historiam autem Carmelitanam omnino facit nihil, Sanctusne creditus vulgo fuerit, an non, is de quo agitur, quamdiu ille manifeste ostenditur, non fuisse Carmelita.

33 In eodem 2. Tomo Aprilis, contra existentiam Carmelitarum in Europa ante annum onctæ migrationis, putavi irrefragabile argumentum duci ex silentio Vitriacensis, in historia Occidentali describentis omnes sui temporis Religiosos, etiam *Prædicatores*; idque recte ac merito putavi, sicut hic ostendi Art. 16. n. 170. & 22. n. 33. Cum autem in eo dicerer falsificasse auctorem, nominando Prædicatores, quos ille asseverabatur omnino non nominare; animadverti Andream Hojum, in suis ad illam Historiam notis pag. 471. *breviter notare tempora, quibus religiosorum Ordines, quorum meminit Auctor, vel exorti sunt vel floruerunt*; ipsumque Hojum istic nominare quidem *Prædicatores*, sed pagina versa mirari, hujus *Ordinis nullam ab Auctore synchrono fieri mentionem*; atque hoc animadverso, citra novum recursum ad textum Vitriacensis, neque suspicans ipsummet Hojum hallucinari, credidi Vitriacensem revera nusquam meminisse Prædicatorum, neque processisse ex ultima pagellæ linea, non procedendo ad primam pagellæ sequentis: ideoque in Hist. Patr. n. 258. infelicem dixi fuisse casum, quod ibi hæserim: *nam si*, inquiebam, *tantillum ultra legissem, totum eum paragraphum abolevissem*.

34 Ita est. Sed eum errorem, qui nullus erat, Accusatores tamen mei pro certo notaverant, retractatum volens, incidi in errorem verum, damnans meipsum, ubi non debebam; ut patet ex dictis. Sed cum hoc ipsum indicet promptitudinem meam ad retractandum, etiam nimiam; ipse hic excessus mihi pro excusatione est, apertequa demonstrat, quam longa a pertinacia absim, qui in retractando facilis usque ad excessum, nunc

cogor ipsam retractationem retractare; ne ea Prædicatoribus noceat, revera a Vitriacensi laudatis, sicuti initio dixeram; sed cur dixissem, non recordabar, cum ejus dicti reddenda ratio & probatio erat. Homo sum; &, inter varia ac multa studia, non semper omnium & singulorum recordor, quibus ad hoc vel illud scribendum adductus fui. Id hic mihi accidisse si quis vitio vertat, opto ut ipsummet nunquam memoria sua destituat, in aliis majoris momenti rebus: & hoc tibi, Rev. Pater, sæpius obvenisse præsumere volo, ut in multis possim Te habere excusatum, quem ex animo cuperem excusabilem videri omnibus & in omnibus.

35 Talis etiam fuit lapsus calami mei ex errantia vel typothetæ hallucinantis, per quem in præcitato Propylæo Aprilis parte 2. n. 1. legitur, *nemini in mentem venisse*, *ut ante sec.* XIV. *translatos in Europam Carmelitas diceret*, cum ibidem in margine legatur, eos *sec.* 14. *primum migrasse*. Quis enim non videat ex Inn. Papæ, mox ad probationem allegatis litteris, ut an. MCCXLVI. datis, poni istic debuisse & legi debere, *sec.* XIII. & 13.? Idem probat deinde allegatus Sanwicus, tamquam eodem seculo 13. vivens; & mox infra n. 3. agitur de Conventibus circiter triginta, de quibus Lezana, velut fundatis ante annum MCCXXXVIII. & ex quibus nec unum quidem reperiam, cujus probationem esset difficile manifestæ vanitatis aut etiam falsitatis convincere. Nam etiam is, qui ex Doutremanni Historia Valenceoensi nominabatur, veluti fundari cœptus an. 1135. absque ullo certo documento, eo magis suspectus erat, quod eodem Doutremanno teste, primus ei loco Prior datus fuerit anno 1245. & nominato ante hunc Vicario, solum dabatur biennium regiminis, quod proinde poterat cœptum videri an. 1243. Postquam vero prolatum fuit instrumentum anni 1235. de quo egi Art. 16. num. 184. neque causa magna apparebat cur haberi suspectum deberet. Nolens ego litem pro duorum triumve annorum differentia sustinere, mutari unum verbum jussi, n. 204. & deinde ad n. 271. quo ostenderam ex iis quæ antea fuisse dicuntur Conventibus nullius antiquitatem probari, jussi prolixiorem additiunculam hanc apponi:

36 *Ex hactenus dictis apparet, annum 1238. tamquam annum cœptæ in Europam migrationis, eatenus solum a me defendi, quatenus nullus fide dignior Sanvvico auctor profertur, aut rei gestæ vicinior, & prolata in contrarium exempla satis commode refutantur. Alias, cum S. Cyrillus faciendam migrationem prædixerit ante obitum suum, qui juxta meum calculum contigit 6. Martii 1233. congruentius videtur futurum fuisse, si ea res tractata sit ipso eo anno, congregatis ad novi Prioris electionem Fratribus; & sic nullam difficultatem faciet Valencenensis in Belgio fundationis tractatio, de qua dicuntur fidelia satis instrumenta haberi pro anno* 1235. *mense Martio. Neque gravis hic error fuerit in Sanvico, annis 70. aut pluribus post rem factam scribente.* In hoc loco supprimendo Tune magis *astute* egeris, ut cavillaris de me n. 46. an ego in scribendo, æstimet æquus lector: qui notans Art. 16. num. 182. P. Danielis a Virgine Maria sententiam de vera Conventus Valencenensis origine, ut multis annis posteriore, cujus solummodo præludium quoddam fuerit donatio Carmelitis facta an. 1235. hospitium aliquod tunc ibi nactis, non fixum domicilium, judicabit rursus, me nimis promptum ad retractandum fuisse, qui salva Sanwici & mea auctoritate, ipsum ab errore etiam levissimo excusare poteram, & me ab onere retractationis liberare. Sed, ut dixi, malo liberalis nimia quam tenax judicari, præsertim in causis Carmelitarum, aliunde tam profligatis, ut exiguo lenimento nequeant sublevari.

37 De *Cognominibus* familiarum oobilium, stabilibus & hereditariis, nihil vel retractavi vel retractandum habui; sed notavi hallucinationem eorum, qui Agnomina personalia, nec altius ducta, nec ad posteros transitura, cum prioribus confundentes, ex posterioribus me putabant argui manifesti erroris, errantes ipsimet manifestissime, sicut & Paternitas Tua eos secuta. Denique quod locum de Discalceatorum Gallobelgarum Provinciali, tamquam in rebus fidei non satis sano, licet verum & publicis instrumentis demonstrabile sit, opts verim abolitum, veluti minime necessarium, quantumvis opportunum causæ, non debebat mihi hic & alibi exprobrari a Tua Patern. nisi velles inquietari mortuum, meque cogere ad reddendam dicti mei rationem, sicuti invitissimus feci Art. 4. n. 36.

§. VII. VIII. IX. ACCUSATIONES.

Papebrochius promissiones suas, protestationes, & juramentum non servat.

Papebrochius, non rationibus vel auctoritatibus, sed injuriosis satyris, sarcasmis, opprobriis & convitiis passim sacras impugnat historias.

Papebrochius astute Auctorum textus falsificat, alterat; & profusis conjecturis, contra evidentem veritatem, sic citat vitiatos.

RESPONSIO.

38 HÆc tam gravia crimina, tumultuario in chartam conjiciens, Rev. Pater, neque ad ea probanda quidquam allegans, nisi nuoc refutata, cogis me brevitatis causa in unam omnia conferre Responsionem. Nam promissam, juratam & debitam Sedi Apostolicæ obedientiam ac reverentiam, nihil a me imminutam demonstravi toto Art. 2. De nominato semel iterumque Natale Alexandro in ultimis tomis Maii, contra quam sciendum propolueram in Conatu, rationem & excusationem dedi Art. 3. n. 50. Præcitato quoque Art. 2. §. 14. probavi, Apostolicam Sedem esse & reipsa haberi *Veritatis Magistram*, etiam tunc, cum ostenditur Pontifex aliquis, referendo quidpiam ex alieno relatu vel communi sui temporis opinione, erravisse quoad factum quodpiam particulare, non revelatum; quia ille in talibus non plus fidei exigit, quam auctoritas id referentis vel vulgi sic opinantis probare possit.

39 Hæc tantummodo dicens ego, quantum dicto ab Alphonso Tostato, Episcopo Abulensi! Quin tamen is agnoverit Apostolicam Sedem pro *Veritatis Magistra*, non auderes, credo, dubitare Tu, Pater Professor. Quod ego de puri facti quæstionibus dico, extendit ille etiam ad Juris Canonici decisiones, & super cap. 8. libri 2. Regum, a quæst. 184. ad 202. quærit, *an probationes & argumenta Innocentii III. in cap. Gaudemus de verbis Gen.*,, Propter hoc relinquet homo patrem

„ patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, „ & erunt duo in carne una; *probent unitatem uxoris in matrimonio semper fuisse necessariam .... & quid veritatis ac falsitatis contineant octo dicta seu rationes præfatæ suæ Decretalis*. Cumque multis eas impugnasset, tandem sic instituit quæstionem 20a. *Quid est respondendum ad auctoritatem tanti viri, sicut fuit Innocentius, qui fuit Papa & Doctor summus?* & suscipit ostendendum, *quod assertiani Papæ, circa veritatem quamlibet, non tenemur stare; quia potest Papa decipi & errare, & alius verius ipsa intelligere; & hoc est quod communiter dicitur, Statuta Pontificum tenenda sunt, non assertationes*. Scio quam hæc sint cum grano salis, & quidem bene multi, intelligenda; allego tamen, ut ostendam, Catholicissimorum etiam Doctorum sensa in hac materia, quandoque multo erudius exprimi, quam ego expresserim mea, cautissime ea circumcidens & limitans; & quod ipsos tamen propterea nemo accusat quasi suspectos de hæresi.

40 Idem Tostatus, in Defensorio cap. 75. docet, *quod non solum de pertinentibus ad fidem Concilium judicat de Papa, sed etiam in pertinentibus ad mores & crimina*. Hujusmodi propositionem aliquando censuratam fuisse, non scio; nolim tamen eam tenere, quia rationibus ibi allatis non convincor ad assentiendum Tostato; & exempla Sanctorum Damasi atque Symmachi aliorumque Pontificum, in causa adulterii ac similium criminum, judicio Concilii sese subjicientium, existimo fuisse argumentum animi, de sua sibi innocentia conscii, ideoque ultro sese istuc demittentis; non vero juris alicujus, quod, extra casum erroris in fide, Concilium supra Pontificem habeat. Magis ad rem meam, quæ historica est, facit, quod idem Tostatus, cum istic cap. 16. posuisset, *quod Christus non sit mortuus 25. Martii, sed 3. Aprilis, & quod possibile non erat Christum passum fuisse die illo, nisi viveret 175. annis*, rejicit totam hac in parte auctoritatem Kalendariorum & Martyrologiorum, negatque ex iis constare de sensu universalis Ecclesiæ. Objicientibus autem etiam sibi Augustinum, cujus libri sunt ab Ecclesia approbati, cap. 81. *inducit multas rationes evidentes, ad probandum, quod cum Ecclesia approbat aliquem librum, non facit quod detur fides ei necessaria, velut si contenta in eo, forent definitiones Ecclesiæ*; imo nec quidem sic, ut summa ei debeatur deferentia in linea auctoritatis humanæ, quod in Præambulo tuo 1. Pater Rev. tantopere urges. Hanc enim, in quæstione prædicta de die mortis Christi, Augustino, ab Ecclesia probato, non defert Tostatus; sed libere ac fortiter contradicit omnibus argumentis, quæ non solum ex parte S. Augustini aliorumque nonnullorum Patrum, sed ex parte Ecclesiæ totius, in eam sententiam olim ferme concedere visæ, objiciebantur; usque adeo, ut putet demonstrare se, quod impossibile sit, eam esse veram. Et tamen habet ille Ecclesiam, æque ac ego, pro Magistra veritatis; nec solum qua scriptor vel Jesuita, ut ego; sed qua Episcopus, juraverat ei obedientiam specialem.

41 Expostulatio §. 7. pro Historiis sacris, tam indigne (ut præfert titulus) a me tractatis, cum ad probationem venitur, tandem resolvitur in Acta S. Silvestri, Donationis Constantinianæ, aliaque ejusmodi figmenta, ac denique in Martyrologii Hispanici contemptum, ejusque auctorem Tamayum ac præcentorem Higueram; cum quibus multo mitius agi a me quam meruerint, docebunt Eminentiss. Card. Aguirrii contra eosdem invectivæ acerbæ, ad quas lectorem remitto; ubi etiam cognoscendum dedi, quis de ipso Tamayi Martyrologio sensus sit Clarissimi Auctoris Bibliothecæ Hispanicæ, quem hic, parte sua 2. multo prius edita de Tamayo juvat loquentem audire; minus acerbe quidem, sed non minus efficaciter ad omnem fidem ei abrogandam. *Joannes*, inquit ille, *Tamayus de Salazar .... nomen suum variis scriptis operibus, piis quidem omnibus & multiplici eruditione ornatis, posteritati commendavit; de Historia vero Hispanica non optime meritus fuit; utpote Pseudodextri & similium spuriorum historicorum assecla & propugnator: ex quorum fere scriniis parum feliciter compilavit* Martyrologium Hispanum &c. *Protulit in lucem ex manuscripto codice, ut jactat antiquo Gothico* Auli Hali, civis Burdigalensis, Poetæ Toletani, carmen heroicum de adventu D. Jacobi in Hispaniam, notis illustratum Madriti an. 1648. *Hoc autem magna ex parte, nescio cujus damnanda opera, ex Alvari Gomezii, Poetæ seculo superiore celebris, Talichristia male consutum esse, nos docebimus alicubi ex proposito* (prout factum intelligo in nunc demum edita, sed necdum huc perlata parte 1. ejusdem Hispanicæ Bibliothecæ) *incautosque lectores hujus absurditatis & fallendi impotentiæ monebimus*. Atque hæc ideo addo, quia prænotati Martyrologii præcipua fere lumina (si placet Superis) ex ejusdem Auli Hali Epigrammatis, eadem fraude confictis, sumuntur; quæ ipsa, ut merentur, sæpe cogor explodere.

42 Quod ad falsificatos, alteratos & vitiatos Auctores attinet, primus allegatur §. 8. Jacobus de Vitriaco. Quam vero nihil ei temere addiderim; sed ejus de Prædicatoribus locum, nemini hactenus bene intellectum primus explicaverim, ad ipsius Ordinis laudem minime vulgarem, ex antedictis patet. De Sixtina Bulla, apud Lezanam primum a me frustra quæsita, deinde ejus reperta apud eumdem mentione, Art. 3. §. 10. reddidi rationem; nihil autem illi, ut sincera credatur, profuturus fueram sive illius mentionem in Lezana statim repperissem, sive non; mansisset enim verum, quod non fuerit ausus ipsam Bullam proferre; sed satis habuit de ea dixisse, quod confirmet antiquas omnes priorum Pontificum, etiam Leonis IV. Indulgentias; conscius verosimiliter sibi, inveniendos illic Honorios Pontifices nonum & decimum, qui numquam in rerum natura fuerunt, aliaque similia, naris emunctæ lectorem statim monitura, ne tali Bullæ temere crederet quidquam.

43 Nicæno Concilio nihil a me fuisse affictum, sicuti iterum hic mihi impingitur, ostendi Art. 5. §. 7. In Basilide vero non contradixi Magistris meis Bollando atque Henschenio (quod ultimo loco mihi exprobras, Rev. Pater) quando gentilem Aruspicem reliqui, qualem apud Tacitum Suetoniumque repereram: ac mirum est hoc tam fidenter & toties assumi a Patribus Carmelitis, qui omnes sciunt, Vitam S.

Telesphori 5. Januarii non esse opus P. Bollandi, sed vestri Zegeri Pauli; per nimiam, nec satis prudentem, Henschenioque improbatam indulgentiam istic admissam; quæque sublata inde fuisset, si eo tempore id fieri commode potuisset, absque certa totius vestri Ordinis offensione.

§. X. ACCUSATIO.

Papebrochius, haud sibi constans, in multis varias habet contradictiones.

RESPONSIO.

44 Libros scribentium primum votum esse debet, ut ubique teneant veritatem; proximum, ut, sicubi ab ea deviaverint, quam primum illuc revertantur: stultus autem sui amator sit, qui præsumeret, cavere se posse (præsertim in longo annorum 37. & voluminum 14. opere) ne erret unquam; superbus & pervicax, qui agnoscere cum erraverit & corrigere nolit. Tu, Pater Rev. elige quorum in numero censeri velis: jam enim ipsum Te convictum credo multiplicis in tua Exhibitione, non solum erroris, sed etiam peccati, nec a retractatione præstanda excusabilis. Me non pudet discere quotidie, quod antea ignorabam; multaque nunc intelligere melius in re historica, quam intelligebam cum manus primum admovi operi; imo quod tunc sciebam, quasi nihilum fuisse præ eo quod nunc scio; & tamen in his ipsis quæ scire me puto, multa credo esse mihi adhuc ignota, quæ possint vel a me ipso, vita comite, vel a successoribus plurimum perfici, atque etiam emendari. Videamus interim quæ illa sint, in quibus varians mihi ipse contradixerim.

45 Prima quam allegas contradictio (quasi in Aprili absolute negaverim aliquam Ordinis processionem ab Elia; deinde vero agnoverim) ostensa est hic paulo superius n. 30. mere esse imaginaria. Commentariolos de SS. Cyrillo & Bertholdo (hunc primum, illum tertium numerata inter Priores vestros) 6. & 29. Martii, nosti non esse meos, sed P. Henschenii, tunc necdum ingressi in examen vestrarum historiarum; sed solum soliciti, ut breviter de singulis diceret aliquid, quo nec displiceret vobis, nec traheretur in odiosam de vestra antiquitate contentionem. Quid autem ille de Bertholdo dixisset, necdum lecto Joanne Phocæ, certiori auctore, ipsum ex Calabria in Carmelum adducente? Utique non poterat dicere aliud, quam quod dicebant omnes vestri, licet cum plurium errorum admixtione, fuisse patria Lemovicensem. Quomodo vero, nulla ad id necessitate cogente, negasset ei cultum & titulum Sancti, atque adeo extitisse ipsum in rerum natura, quem omnes vestri auctores nominabant, & totus Ordo colebat ut Sanctum?

46 Sed nec ego absolute dixi, dubitari posse, an umquam in rerum natura fuerit. Hoc mihi affingis, Rev. Pater. Dixi, & iterum dico, tam inconcinna & male compaginata esse quæ de isto Bertholdo narrant vester Saracenus & alii, ut, si ea solum extarent, nec aliquid hic dandum putarem Ordini traditioni, quoad nomina successionemque primorum in Carmelo Priorum, dubitare possem an unquam extiterit. Nunc etiam in hisce Responsis addidi, dubitari posse, an, sicuti a vobis unicus tantum S. Bertholdus colitur, cui nonnulla tribuuntur aptius intelligenda de auctore vestræ transmigrationis; ita satis certum sit, revera fuisse Bertholdos duos; unum, qui S. Cyrillo successit, & de quo certa extant documenta; alium, qui Brocardum præcesserit, possetque videri gratis assumptus, ad explendum quod desiderabatur annorum spatium.

47 De historia damnati Doctoris Parisiensis, fuisse in Carthusia qui dubitaret anno 1665. notavit Henschenius, necdum allato qui rem certius probat P. Columbi libro: ego ex hoc persuasus veram esse, id satis diserte, & cum plena illius Ordinis satisfactione, declaravi loco a Te citato. Quæ hic, obsecro, contradictio, si quod uno anno dubium alicui videbatur, productis post plures annos probationibus, extra dubium collocetur?

48 Dixi, ut objicis num. 65. certissimum quod haberi potest *ratiocinium, ad veritatem secernendam a falsitate, in rebus antiquis*, esse silentium synchronorum ac coævorum scriptorum. *Illud tamen*, inquis, *argumentum passim spernit aut non curat Papebrochius, dum ubique centenas Sanctorum Vitas, tamquam fide dignissimas, refert & approbas, nullam de synchronis auctoribus faciendo mentionem.* Male me intellexisti, Pater Rev. Ut melius intelligas, redi ad dicta de usu & efficacia argumenti negativi, Art. 2. n. 19. Art. 3. n. 155. & hoc ipso Art. §. 2. atque ex Melchiore Cano disce, tum maxime silentium istud valere, cum est universale plurium qui ista ætate scripserunt, *non omissuri si scivissent; scituri autem, si fuisset*; alias valere parum, alias & sæpius omnino nihil, quod prudenti judicio sit æstimandum.

49 Nullam in eo esse contradictionem, ut sub Juliano Apostata multi veri Martyres facti sint, & tanquam tales colantur, quamvis *nullum extet indicium apud Catholicos scriptores crudelitatis a Juliano palam exercitæ in Christianos*, præcise ut tales, ostendi Art. 11. §. 17. neque hoc evertitur, ut putas n. 66. exemplo *S. Eupsychii, Martyris Cæsareæ in Cappadocia sub Juliano*, de quo Henschenius ad 9. Aprilis. Hujus Commentariolum si legere totum non vacabat, legisses synopsim marginalem, sic deductam: *Julianus Imperator Cæsaream venit: ob delubra Deorum diruta iratus, ecclesiarum opes diripit. Clericos migrare cogit; Christianos tributo gravat; S. Eupsychium Patricium, qui fanum Fortunæ dejecerat, morte mulctat.* Vides vexatos Christianos, præcipuum inter eos unum morte mulctatum. Si spectes animum Juliani, factum dices odio Christianæ religionis & zelo ulciscendæ injuriæ diis illatæ: sed utrumque affectus palliabatur studio justitiæ, contra publicos (ut ipse censebat) grassatores: quasi jus non esset civitati, totæ jam ferme Catholicæ, utendi libertate sibi a Magno Constantino concessa, ad idolorum fana, a majoribus extructa, vel destruenda, vel in suos usus convertenda. Accedit, ad titulum Martyri magis commendandum, quod S. Theodorus Studita, in hymno ad S. Eupsychii laudem composito, & ipsius Natali solito decantari, expendat oblatam ei vitæ gratiam, si voluisset a religione deficere; quod tamen non oblat, quo minus voluerit Julianus credi,

mor-

mortem eum commeruisse propter Fortunæ favorum eversum.

50 Quo loco habeam *eruditissimum Annalium ecclesiasticorum parentem Baronium*, io quo me mihi vis contradicere n. 67. etiam cum cogor calculos ab ejus calculo diversos ponere, æque ac Pagius Auctor Criticorum in illius Annales, ostendi Art. 8. §. 2. Bollandi in Acta Sanctorum labores, non minoris quam Henschenius facio; sed cum eodem censeo, non potuisse ab eo omnia tam perfecta dari, quin subinde locum reliquerit correctioni; io aliquibus etiam recipiendis, veluti fide dignis, quæ talia nno esse nunc deprehenduntur, erraverit aliquando; quod etiam mihi ipsi evenisse in aliquibus, omnino credo; neque ægre feram si successores id observent & emendent; proficientes exemplo meo, & ultra atque ultra connitentes ad vera discernenda a falsis: imo puto quod, quantumcumque id sæpe fiat, nunquam desinet abundare materia eorum quæ corrigenda & castiganda supersint. *In multa sapientia, multa est indignatio*, inquit Ecclesiastes. Cum enim sapientia (dicam ego, scientia historica) versetur in multa prætensarum rerum investigatinne, longe a præsentis temporis usu oculisque remotarum; mens, veri studiosa, quntidie aut fallaci relatu auctorum, vulgi famam temere sectutorum, vel certo consilio mentientium, hallucinatur; aut inani verosimilitudinis umbra deluditur; deprehensia autem postliminio errorius, indignatur, quod videat in historiis humanis tantum inesse caliginis; nec partem ullam capere quietis potest, donec sive in se sive in aliis agnitam falsitatem, quodeumque meliori potest modo, correxerit.

51 Ad extremum contradicere me mihi fingis, Pater Rev. in eo, quod Anastasium Bibliothecarium laudans ac sequens sæpissime, sæpe nihilominus corrigo & desero. Hoc si vitium est, ooo minus Baronii omniumque ecclesiasticorum scriptorum est vitium; qui eodem, quo ego, modo utuntur Vitis Pontificum, ab illo collectis, incipiendo a Petro. Nec eoim ipse unus omnium tam Auctorum quam codicum errores & discrepantias corrigere & conciliare sic potuit, ut noo sæpe erraret vel erravisse videatur. Ast in postremis Pontificibus quorum ipse vidit & prolixissime descripsit Acta, & in quibus ipsius de Indulgentiis silentium adduco in argumentum, nemo negaverit summam ei fidem deberi.

52 Eodem num. 50. etiam dixeras, quod *Luitprandum Ticinensem Diacoeem, postea Cremonensem Episcopum laudat, & citat Papebrochius, quasi scriptorem insignem & fide dignissimum, dum aliquid habet quod ipsi placet: dum vero asserit Carmelitas fuisse in primitiva Ecclesia, aut alia ejusmodi, vituperat tamquam fide indignum, ejusque fragmenta, a Bollando & Henschenio in Januarii Prolegomenis pag. 31. laudata, asserit esse mendaciorem farraginem*, Egone Te credam, Rev. Pater, tuis oculis legisse quos citas auctores? Certe pag. 31. præcitata lego Bollandum sic laudare editum sub nomine dicti Luitprandi *Chronicon & Adversaria, cum eruditis Notis Laurentii Ramirii de Prado, & Hieronymi de la Higuera*, necdum ita sibi tunc ut postea examinatis; ut tamen addat: *Audio, dubitare viros doctos, an Luitprandi esse videantur, quamque mereantur fidem. Ego id examinare nolui*. Hoc tamen coactus io progressu facere, & ante Februarium pag. 18. col. 2. in margine, *Luitprandi historia probari* sibi dicit, *non Chronicon aut Adversaria*: & prolixe ostendit, quod io his alia omnia de se ipso scribere fingatur Luitprandus, quam scripsit in sua certa neminique dubitata historia: ac tandem concludit, rationem se reddidisse Lectori, *cur testimonia, ex eo Chronico Adversariisque deprompta, arbitremur ejusmodi non esse, ut necessario iis acquiescere debeamus*.

53 Ita tunc ille, quam potuit modestissime sese excusans, ab usu eorum, quæ probare nec volebat nec poterat; quando scilicet adhuc multum reverebatur eos, quorum auctoritate figmenta ista prodierant & defendabantur; & timebat totam fere natinnem Hispanicam, quæ pro iis stare videbatur, contra se opusque suum concitare, eadem repudiando confidentius ut absolute spuria; sicut postea fieri passus est, imo voluit, ipseque fecit in Martio; jam scilicet certius, contra ineruditam & falli gaudentem turbam, stare prudentiores quosque & sapientiores atque doctiores Hispanos, quemadmodum ex Cardinali Aguirrio docui. Si Bollaodum in reprobando primum timidissime, deiode subtimide, ac denique confidenter Pseudo-Luitprando, velis arguere inconstantiæ, respondebit pro eo Nicolaus Antonii, *laudabilem* istam *inconstantiam* esse. Meam circa prædicta inconstantiam, Tu nec laudabilem, oec vituperabilem, poteris invenire; nisi ostenderis, quod circa ista aliquando hæsitaverim, vel dubitaverim, an supposititia essent tota, atque indigna quæ tam illustre nomen præferrent; sed oeque vel verbo uno conaris probare, eumdem ipsum qui Historiam scripsit, mihi omnibusque eruditis probatam, etiam scripsisse Chronicon & Adversaria, easque immerito ut fictitia rejici. Vis verbo absolvam? Duo diversissimi scriptores sunt, Luitprandus & Pseudo-Luitprandus. Primus, omni fide dignissimus, seculo 10. vixit & scripsit; alter hoc seculo 17. ineunte primum in lucem prodiit, exeunte superiori fabricatus, totus futilis ineptissimusque.

54 Sic Venerabilis Bedæ genuinum Martyrologium, a multis pridem quæsitum, a oemine ioventum usque ad annum 1668. a me vero tunc erutum ex octo antiquis manuscriptis, & productum cum tomo 2. Martii, Henschenius & ego in Aprili ac Majo passim laudamus; aliud vero, quod sub ejusdem Bedæ nomine fuit Plantinianis typis excusum Antverpiæ an. 1564. minoris longe facimus, quia ostendi io Præfatione ad genuinum n. 14. illud fuisse ex Adonis Martyrologio non ita pridem compilatum, additis ex Rabani Martyrologio Sanctis quibusdam recentioribus. Vocamus quidem ipsum etiam nunc *Martyrologium Bedæ*, sed cum addito *supposititium*; nec enim liberum erat omittere nomen Bedæ, licet falsum, quia in Notis ad Romanum & alibi passim sic invenitur citatum. Post hoc discrimen, tali tamque coospicuo loco tam clare positum, quis crederet futurum, ut aliquis accusaret, incoolenquenter oos loqui in uno tomorum Maji, dum Martyrologium Bedæ, nunc allegamus ut maxima fide dignum (quod tamen non solemus facere oisi eum addito titulo *Genuini*) nunc postpooimus aliis, ut *Supposititium*?

55 An ergo obligantur scriptores tomorum, qui jam 20. numerantur, per annos 70. successive elaboratorum, rem in uno aliquo tomo suo operose explicatam & demonstratam, toties recantare, quoties vocibus semel recte institutis utuntur? Sit profundus Theologus, sit peritus Canonista, sit linguarum, non solum Latinæ, sed & Græcæ alterumque peritus, sit denique in historiis novis antiquisque versatus Censor aliquis; quid ille potest, si non sit imbutus propria operis totius notitia, judicare de duobus ita sibi objectis, & in speciem contrariis, uti prima ipsi fronte videbitur, locis? Et hac ego conditione cogor a Te, Pater Rev. coram judicibus, per iniquam Exhibitionem tuam præoccupatis, nec alia operis mei notitia antecedente instructis, reum ipsum, accusantibus vestris, & ex parte etiam suffragium ferentibus, reo inaudito, tam graviter censuratum. *Absit* tamen (cum justo Job loquor) *Absit*, inquam, *a me, ut justum hoc esse judicem. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea: justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*, qui omne quod scripsi, bona fide scripserim, semper paratus, recte scriptorum reddere rationem, minus recta corrigere, & veritatem undecumque oblatam amplecti.

§. XI. ACCUSATIO.

Papebrochius injuste conqueritur de Carmelitis.

RESPONSIO.

56 Querelas feminis, convitia plebi dimitto: neutris utor loco a Te accusato, tomo 7. Maji pag. 540. litt. c. Tu vero quantum ab utroque vitio stes, Exhibitionis tuæ lectores judicabunt. Si queri vellem, aut conviciis convitia reddere, copiosam illa materiam & continuas occasiones præberet. *Animadverto* ego illo loco, & merito noto *protervam hominum nonnullorum insolentiam, qui Majum nostrum necdum sibi lectum esse simulant, ne cogantur aut suas convictiones, aut meas, ubi opus sit, retractationes agnoscere*. Retractaveram scilicet pagina illa Annotationem quamdam ad Vitam S. Berthæ, prout eadem hic iterum proponitur retractata Art. 13. §. 10. quia autem notaveram, in aliquibus famosorum plurium libellorum, post editos primos tres tomos Maji expositorum sub nullo vel ementito auctorum nomine, quædam mihi exprobari errata, vel quasi errata in Aprili, de Contalberto Florentino, deque Officio S. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani; plane ac si dicti primi tres tomi Maji non exstarent; novam Annotationem istam adjeci. Operæ tamen pretium tunc visum non fuit, libellos, quorum ipsos suos auctores pudebat, distinctius indicare: nunc vero, post annos ab ea Annotatione impressa novem elapsos, distinctior eorumdem memoria mihi effluxit; neque lubet hac causa excutere totam illam famosarum scriptionum farraginem, ut ipsos inveniam.

57 Quod ii, quos mihi n. 7. indicas, auctores Libelli supplicis, Prodromi Carmelitici, Regulæ Heroicæ, Appendicis consultatoriæ, *Majum legerint*, ipsis illum citantibus nemo credere cunctabitur, qui omnes in uno Te sa credet videre & audire; quia ut id recte æstimet aliquis, opus non est ipsos legisse aut legere: quibus enim oculis Majum legerint, in hac Tua Exhibitione velut in speculo intuebitur. Nemo etiam testari poterit, *quam solide & quanta cum confusione Papebrochius sit ab illis refutatus*, ut jactas n. 72. quia si quid solidi in iis foret, id Tua Patern. illis ipsis adjutoribus usa, haud dubie in hunc tuum extremum contra me conatum explicuisset. Eum non Tui unius, neque paucorum, sed collato Ordinis totius studio coaluisse, dicunt ex vestris aliqui; sed ægre impetrabunt apud me fidem, toti Ordini injuriosam futuram; esto librum tuum plerique approbarint approbentque, ex sua bonitate tuam metientes fidem accusationum tuarum: in qua sua de Te bona opinione, quam fuerint decepti, tunc incipient nosse, cum legerint hasce Responsiones, si tamen legere unquam velint, præoccupati; aut possint, prohibiti.

58 Quod *omnes librorum meorum angulos* excusseritis, nusquam queror: sed quod excutientes, non abstuleritis, sed intuleritis pulverem multum, quo obtenebrati ipsi patentem ubique veritatem non cerneretis, sed falsa ac fœda omnia, vobis compatior: istud enim faciendo, necessitatem mihi imposuistis pulverem ipsum colligendi ac regerendi in auctores, utinam inde salubriter confundendos. Ad justam certe confusionem non Tuam tantum, sed omnium etiam adjutorum Tuorum facere puto; primum, quod deflectentes ad alia tam multiplicia, & a mea vobiscum controversia aliena argumenta, signum detis certum animi causæ propriæ diffidentis; secundo, quod fatearis totum id fieri, ut *fides & auctoritas mea funditus evertatur*. Bona enim causa, mea fide stante, non corruet; nec mala consurget, fide mea labente, nisi apud imperitos fortassis. Quid fides & auctoritas mea addat dematve argumentis, aliorum auctoritate ac testimonio probatis validaque ratione stabilitis? Argumenta istæc enervanda tibi sunt, non evertenda per fas & nefas mea fides; quæ sic cum argumentis meis connexa est, ut illis dissolutis, deficere ipsa debeat sponte sua; illis vero non dissolutis, firma maneat. Cum autem eamdem nitimini evertere accusationibus tam injustis, quas jam excussimus fere omnes, manifestum facitis, mero vindictæ studio vos divertere ad subruenda aliena, quando desperatis tueri vestra. Ego nullam historiæ vestræ partem attigi, ad quam a vobis, ipsam contra me allegantibus, non fueram provocatus: quæ autem vobis objeci numquam, neque cum vestra antiquitate prætensa connexionem habebant ullam, meo quidem judicio melius prætermisissetis omnia; neque vos obnoxios fecissetis reddendæ tam multiplici rationi, unde ad vos poterat fructus provenire nullus, plurimus autem ad me ex tam multiplici Exhibitione errorum tuorum.

ART.

ARTICULUS XXIV.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Exhibetur Elenchus Ethnicorum, Saracenorum, Judæorum, Heresiarcharum, Hereticorum, aliorumque ab Ecclesia damnatorum Auctorum, quos Papebrochius Jesuita, in refutandis Historiis sacris, a Sede Apostolica approbatis, vel communiter receptis, pro se citat, sequitur, aut laudat.

RESPONSIO.

Ultimus hic Paragraphus pulchre respondet primo libri totius titulo, quo promittitur *Exhibitio errorum, quos Daniel Papebrochius Societatis Jesu commisit, contra Christi Domini Paupertatem, ætatem, &c. . . , cum Ethnicis, Heresiarchis, Hæreticis, aliisque auctoribus ab Ecclesia damnatis*. Dignum scilicet patella operculum, & cauda conformis capiti. Ex istis autem fontibus quid aliud expectes, quam Propositiones, quales per calumniam impositæ mihi multæ sunt, meritoque (si meæ revera forent, a suprema Inquisitione in Hispania damnatæ) *erroneas, hæreticas, sapientes hæresim, periculosas in fide, scandalosas, impias, piarum aurium offensivas, schismaticas, seditiosas, temerarias, audaces, præsumptuosas*, &c. Sed an vel unam talem hactenus probare potuisti, Rev. P. meam esse? An unam, quam reproborum auctorum istorum aliquis ita teneat, ut eamdem non teneant graves ac probe Catholici scriptores? Inanis est ergo gloriatio tua.

2 In hoc tamen ultimo Articulo tuo istud mihi imprimis mirabile accidit, quod titulum scribens non recordatus fueris spurcissimi & impiissimi Mahometi, quem a me contra historiam vestram citatum testem, reperire nusquam potuisti; Tu vero ipsum Art. 16. n. 84. adducis antiquitatis vestræ assertorem, utpote qui cum Christianis pacem inire coactus, ei subscripserit *in monasterio Religiosorum montis Carmeli, prope montem Libani*. Atque utinam istic vere Concordatum suum dictasset is, quantumvis abominabilis pseudo-propheta! utinam vel in ejus Alcorano possetis citra fictionem ostendere, si non in ipso Carmelo, saltem prope montem Libani, vel alibi uspiam, *Religiosorum montis Carmeli monasterium aliquod*! Quid enim? An potuisset ille, quantumvis mendax, quantumvis sathanico dictatu scribens, *Religiosos montis Carmeli* comminisci, tamquam seculo 7. existentes, si nulli sic dicti tunc extitissent, & solum ita dici seculo 13. cœpissent? Evinceret profecto causam vestram, apud æquos æstimatores, etiam talis testis, contra silentium universale omnium per sex deinde secula scribentium auctorum; sed non evinceret, nisi tam certo constaret, illum istud scripsisse, quam certo constat, non scripsisse alios; & quam certo constat, istam clausulam, quæ Edicto Mahometico adjecta dicitur, abesse ab eo, quod allegatur, originali; imo alium omnino locum, Mahometi præsentia execrabilem, subnotari; Medinam scilicet, Arabiæ felicis civitatem, Meccæ propinquam, sicut ostendi eodem Art. 16. n. 103. Sed venio ad Auctores mihi objectos.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius, sola Ethnicorum, Saracenorum, ac Judæorum fretus auctoritate, antiquas repudiat Ecclesiæ historias, etiamsi a Sede Apostolica sint approbatæ.

RESPONSIO.

3 Ethnici procul dubio fuerunt *Tacitus, Suetonius, Dion, Elmacinus*, Saracenus, Judæus, *Joseph*. Sed quis Baronius, vel alius quisquam Catholicus scriptor, nisi forte Carmelita, qualis est *Zegerus Pauli apud Bollandum* in Januario (sic enim citasse auctorem oportuerat, non nude *Bollandum*, nedum & *Henschenium*) quis, inquam, Catholicus scriptor ipsis fidem negat, in iis quæ soli sic scripserunt, ut nemo coævorum, nemo etiam veterum, vel Christianorum vel Ethnicorum, eis contradicat, aut ex locorum temporumve pugnantibus inter se circumstantiis, dubii suspective notantur in eo, de quo an vere acciderit, quæritur. Quid Baronius, Salianus, Tirinus, Spondanus, Torniellus, & alii recentiores Annalium ecclesiasticorum auctores, crebrius in talibus citant, quam istos, quos Tu mihi objicis? Imo ipse vester Annalista Lezana, quomodo non nititur Philone Judæo, Solino & Plinio, ipsoque Josepho, cum de Essenis est quæstio, etiam contra sanctos Patres, qui hæreticos omnino fuisse docent? Quin etiam illi ipsi gloriantur Josephi testimoniis de Christo; & S. Basilius, in Homilia habita tempore famis & siccitatis, allegat *Historiam Judaicam, a Josepho gravi auctore conscriptam* ἣν Ἰώσηπος ἡμῖν ὁ σπουδαῖος συνεγράψατο.

4 Ast Josephum, digerentem Herodis Magni tempora, flocci facit Pussinus noster, omnesque illi qui tenent, institutam a Dionysio Exiguo Æram, & usitatam tot seculis, recte procedere; imo in hanc sententiam, dimissa Henscheniana, dimissis etiam Josepho ac Dione, ego quoque nunc propendeo magis, idque in Conatu palam declaravi. Ita est. Vis amplius? Harduinus noster, olim æque ac Natalis Alexander, Henschenianæ sententiæ assecla, nunc agnoscit, Josephum, non solum locis aliquot vitiatum interpolatumve, sed contendit prorsus esse supposititium, cui propositum fuerit, Herodem, veluti in scena tragica, per varios prosperos atque infaustos casus ad horrendam totius familiæ catastrophen perducere, fictis in eam rem uxorum, filiorum, fratrum nominibus; quamvis ille tam antiquus sit, ut nullus veterum Patrum de eo dubitaverit. Ego vero ipse, acturus ad 24. Junii de tempore, loco, causa & auctore cædis S. Joanni Baptistæ illa-

tæ,

tæ, adhuc dubius hæreo, quid de Josepho statuere debeam, Evangelicæ veritati haud leviter contrario; quemque facilius possim abjicere totum, quam reducere in viam.

5 Hæc omnia aliaque plura scio posse Josepho opponi, ideoque delibero de ipso delerendo, & redeundo in antiquam sententiam de anno crucifixionis, trigesimo tertio; & consequenter de tenendo die, quem tenet Tostatus, & plerique nunc Galli. Verum, sicut prædictorum nihil me, Josepho accedentem, contrarium fecit alicui ab Ecclesia probatæ historiæ; ita nec ab illo recedentem huic me admovebit: quia de quæstione hactenus controversissima nusquam aliquid Ecclesia definivit. Similiter a Josepho recedens, vel ad eum accedens, nihil conferam Historiæ Carmeliticæ; accedendo tamen prodessem magis, quia sic ei relinquam, quæ ille de Essenis tam laudabiliter scribit, ut mirum sit ipsum mihi a Tua Patern. objici. Eadem ratione Tacitus & Svetonius, describentes Basilidem ut Aruspicem Gentilem, nulli ab Ecclesia probatæ vel receptæ historiæ contradicunt; quæ nullam historiam pro Basilide Christianis vindicando recepit; neque magnopere adversatur Carmelitanæ, si Vespasiano Gentili, in Carmelo sortes petenti, eas consuluerit magus aliquis; si modo istic eodem tempore, sed diversa forsitan montis parte, probari possunt fuisse alii veri Dei cultores, juxta fontem Eliæ, ad quos possitis genealogizando ascendere.

6 Epistola S. Cyrillo adscripta de vario statu ac Regulis Ordinis Carmelitani, quatenus asserit, Humarum fuisse in Monachos crudelissimum, posset dubiam reddere Elmacini Saraceni fidem, de ejusdem erga Christianos mansuetudine; si tam certo constaret, eam esse vere seculo 13. scriptam a Cyrillo, quam constat Elmacinum historiam suam Saracenicam scripsisse seculo 12. sed cum eadem epistola aliunde convincatur esse supposititia, & tam contraria sit S. Theophani, scribenti seculo 9. ineunte, quam hic bene convenit cum Elmacino, antiquiores scriptores Christianos sequi professo, nec Saracenorum contra eos injurias dissimulare solito; merito præfertur auctoritas, contraria auctoritati tam vacillanti: maxime cum huic innitens fundationis Florentinę instrumentum, tot tamque evidentibus argumentis probetur esse fictitium totum.

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius cum Wicleffo, Abailardo, Calvino, Luthero, aliisque hæresiarchis & hæreticis, varias Ecclesiæ historias & monumenta impugnat.

RESPONSIO.

7 NOmina eorum, quibuscum me comparas, hæreticorum novi (quis enim ignoret?) libros nunquam legi, plerosque nec vidi quidem unquam: sed neque quæ mihi fingis cum eis communia, ipsorum verbis usquam citata reperi, ut insistere illorum vestigiis sciens volensque potuerim. Quæ dixi de Christi paupertate & mendicitate, de fictitio Donationis Constantinianæ instrumento, de matrona Veronica, de primis ecclesiis sub titulo Sanctorum erectis, de veterum Pontificum ante Siricium Decretalibus suppositis, attributis S. Lucæ picturis, supremo S. Petri primatu, Pauli Apostolatu, Evangelici Monachismi initio & progressu, Dionysii Parisiensis ætate ac missione, adscriptis Atheniensi libris, Indulgentiarum quarumdam ætate & formulis, Silvestri Actis, Marcelli lapsu commentitio, & æque commentitiis Actis Synodi Sinuessanæ, Eliæ & Joannis Baptistæ vestitu, & si qua alia hoc Paragrapho quam invidiosissime a te congesta; suis quæque locis sic explicui singula, ut appareat, quantum ab erroribus Hæresiarcharum prædictorum, plerumque gravioribus quam eos facis, alienus sim; neque cum illis me docuisse quidpiam (si quid cum illis docui) quod mihi non sit cum multis insignibusque doctoribus & scriptoribus Catholicis commune; ex illis autem didicisse nihil.

8 Frustra etiam hic allegas eorum nomina, qui Hæresiarchas prædictos aut secuti sunt aut supergressi, Melanthonis, Chytræi, & Magdeburgensium. An Petrus Romæ sederit, dubitavi numquam. Quid ergo mihi objicis Guilielmum quemdam, eo usque insanientem? Quod Patres vestri, saltem 13. seculo, habuerint ecclesiam, S. Mariæ dedicatam in Carmelo, unde acceperint nomen Fratrum B. Mariæ, indubitatum quoque habeo, & ipsum nomen (ut par est) veneror. Si illud pro ridiculo habuit Wicleffus, & habeant moderni hæretici, merito de iis queriminí. De ætate illius ecclesiæ curam fuisse Wicleffo, apud Waldensem vestrum non invenio; nihil denique vel ibi vel alibi, quod me cum prænominatis conjungat, ubique Catholice & cum optimis Catholicis sentientem, loquentem, ac scribentem, prout porro me sensurum semper, locuturum ac scripturum confido.

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius citat, sequitur & laudat Joannem Heroldum, hæreticum ac infestissimum Sedis Apostolicæ hostem, cum Machiavello, Luthero, aliisque primæ classis damnatis hæreticis.

RESPONSIO.

9 UNde tibi, R. Pater, tam certo constat, quam asseveranter id dicis, Joannem Heroldum fuisse *hæreticum*, imo *infestissimum hostem Apostolicæ Sedis*? Ubinam in suis libris tale odium indicat? quem auctorem aut testem habes accusationis tam fœdæ? Vide, dum nullum nominas, credere me, quod eam ex tuo suxisti pollice? sicuti passim solent nonnulli quoscumque sibi non faventes conviciis onerare; & sicut vester Joannes Gerbrandus de Leydis, vir & scriptor alioquin minime malus, inter alia reperitur scripsisse *librum contra mendacia Antonini*, id est, contra S. Florentinum Episcopum, Ordinis Prædicatorum decus, de initiis Carmelitarum eadem narrantem, quæ antea Villanius & postea distinctius aliquanto Heroldus.

Nominatur, inquies, in Indice prohibitorum a Tridentino, & quidem inter prohibitos *primæ classis*. Fateor; sed nominatur cum cognomento *Acropolitæ*, quod Continuatio Belli sacri, qua sola utor, nusquam præfert; & in hac cognominatur *Hochstettensis*, a patria Hochstetten, quod Græce quidem verti potest *Acropolis*; apparet tamen eum solum libellum esse censuratum, quem solum sub titulo *Acropolitæ* nobis indicat

dicat Bibliotheca Gesneri primæ editionis, factę anno 1545. id est quatuor annis prius quam vulgaretur Continuatio sub titulo *Hoochstettensis*. Et sane relati in primam classem libri, censentur ex professo scripti in defensionem hæreseos vel laudem hæreticorum: talisque omnino videtur esse, quem solum ibidem Gesnerus nominat, *Philopseudes sive Declamatio pro Erasmo Roterdamo, contra Dialogum famosum anonymi cujusdam Medici, in quo omnem vitam Erasmi absolutissime describit*. Non est Oedipo opus, ut quis intelligat, quid tantopere hic peccasse potuerit *Joannes Herold Acropolita*, ut sic prohiberetur: nec tamen inde consequens est, tunc *hæreticum* fuisse illum, nedum *Sedis Apostolicæ infestissimum hostem*.

10 Sub nomine *Heroldi Hoochstettensis* edita opera nullis Ecclesiæ censuris vel levissime perstricta sunt: quod tu, R. P. vel nescivisti, vel non curavisti distinguere, quia in universum Heroldi nomen cæco impetu rapiebaris. Quæ usque ad annum 1541. enumerat Gesnerianæ Bibliothecæ locupletator Josias Semlerus (cetera enim, si qua postea scripsit, me latent) nihil nisi Historicum vel Philologicum continent, nihil quod possis in suspicionem hæresis trahere. Ne tamen quidquam dissimulem eorum, quæ in his quoque obiter lustrandis notavi, non te celabo, Rever. Pater, quod ex Præfatione ad libros sex Continuationis belli sacri, inscripta *Philippo Pio Pontifici ceterisque ad ædes magnæ Matris Mariæ apud Basileam Rauracorum Flaminibus*, liceat colligere, laborasse etiam ipsum communi tunc litteratulis omnibus fastidio vocabulorum ecclesiasticorum, quæ aureæ Latinitatis saporem non haberent; ut sunt *Episcopus*, *Presbyter*, *Monachus*, *Ordo*, *Religio*, *Monialis*, *Prior* &c. quibus frequenter substituit alia ex antiquitate Romana, magis Latina, sed non æqualiter nunc probanda, *Pontificis*, *Flaminis*, *Vestalis*, *Collegii*, *Factionis*, *Sectæ* &c.

11 Colligo etiam ex eadem Præfatione seu Dedicatoria, quod in materia Religionis sive Sacramentorum usu, nonnihil diversum sentiebat ab ipsis quos colebat Mecænatibus. His enim quos dixi libros suos offerens, id *a bonorum nemine reprehendendum* præsumit, *quamquam non defuturi sint, qui, quod hunc laborem*, inquit, *Tibi, Philippe Pie, Collegioque tuo Canonicorum Basileensium ceterisque clarissimis, probatissimis, inque republica primariis aliquot ac probatissimis viris dedicaverim ..... assentationis & arrogantiæ condemnabunt. Seduxit enim nonnullos superstitio quædam, ex levicula ceremoniarum diversarum persuasiuncula concepta, ut melius arbitrentur, omnem amicitiam, omnem societatem humanam abolere, quam accipere aut referre beneficium inter eos, quibuscum opinionibus variis certatur. Quapropter semper illud, tamquam ex tripode profectum oraculum deosculari soleo:*

Non eadem sentire bonos de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper amicitia.

12 Sic animo comparatus pergit dedicare libros suos; Secundum quidem, *Joanni Rudolfo Tranquillo, Marbacensis ac Lutrensis Collegiorum Abbati*; Tertium, *Joanni Lanstenio Frugis Murbacensi, Collegii Primori*; Quartum, *Materno Bybero Abstemio, Decurioni, ceterisque Luttenbacensis Collegii Sodalibus*; Quintum, *Casparo Comi, ad fanum D. Blasii in silva Hercinia Abbati*; Sextum denique, *Bonaventuræ Fausto, Insulæ inter Rheni catarrhactas, quam Rhinau vocant, Abbati*. Libri hi simul omnes Basileæ prodierunt anno 1519. *cura & diligentia Philiberti Poyssenoti, ad Fanum D. Morantii sacris Præpositi*, & in dicta Præfatione impense laudati; ut solos fere Catholicos Antistites ipse, qualiscumque demum Religionis, coluisse & patronos habuisse videatur. Nam etiam tales sunt, quibus Appendiculas ejusdem Historiæ tres inscribit; scilicet librum Monachi Florentini, Acconensis Episcopi, & postea Hierosolymitani Patriarchæ, de recuperata anno 1191. Ptolemaide, inscribit *Conrodo Wescher Hospitali, sacrarum ædium in Benwiler Curatori*; Epistolam Alphonsi VIII. de bello inter Hispanos & Saracenos; & aliam de Albigensium hæresi anno 1213. extincta, *Joanni Fabri Sollicito, Philippo Pio Episcopo Basileensi a sacris & cubiculo*.

13 In hac autem dedicatoria manifestissime declarat, quam non sit a Catholicorum miraculis & Religiosorum Ordinibus alieno animo. Num ultra relata a Rege Alfonso, *Unum hoc addam*, inquit: *Ferunt hoc in prælio Alfonso Crucem, quemadmodum olim Constantino, e cælo apparuisse*. Deinde ad extinguendas Humilium & Pauperum de Lugduno perniciosissimas sectas, *sacros duos Ordines* exortos docet, Prædicatorum Minorumque; quorum *Prædicatores, litteris se excolerent, concionibus edocerent (alios), jus alienum minime usurparent*: & *Dominicus*, inquit, *auctor extitit, & doctus, & sanctus vir, & acerrimus hæresum insectator. Minores Fratres, conditore Ordinis Divo Francisco, paupertatem professi sunt*. De Carmelitis autem agens lib. 5. cap. 3. nihil per contemptum scribit. Eccum tibi ipsa ejus verba:

14 *Anno 1285. Carmelitarum familia Syria expellitur a Melechsaita levissimam ob causam, si spectes venerationem, qua antea eam factionem coluerat barbarus. Est Carmelus mons in Syria, mora tam aliquorum prophetarum, quam Eliæ & Elisei, nobilis. Hunc locum sub Almerico Hierosolymitano Patriarcha insederant Anachoretæ; ac cum sparsim circa montem agitarent, tandem coivere ad fontem, qui Eliæ dicitur, in cacumine montis, & phanum & cœnobium construxerunt, uni qui honesta præcipiebat, humiliter parendo, sine tamen certo instituto, sine peculiari cultu, sine ceremoniis. Albertus postea, Hierosolymitanus sub Innocentio tertio Patriarcha & Legatus, certas observationum regulas illis præscripsit; addidit & vestitui normam, pallium scilicet versicolorem, ex albo & cannusino circulatum, Eliam ejusmodi cultu ornatum incessisse, Basilium ea vivendi forma usum fuisse, asserens. Erat tam gratus propheticus pallii habitus, non solum Christianis, sed etiam barbaris, ut magnis Sultani eleemosynis familia tota sustentaretur locupletareturque. Sed Pontifici Romano Honorio quarto non admodum probabatur, vel quod non Romane ingenio excogitatus aut confirmatus, vel quod Religioni circulatus versicolorque habitus, convenire non videretur. Igitur album illis pallium datum, ita ut sub eo cannusiati essent, uterque color illis retineretur. Quod ubi factum rescivit Melechsaites, ira tanta exarsit, ut congregatis copiis cœnobium invaderet, expulsisque omnibus, incendio & phanum & cœnobium destrueret*. Hactenus Heroldus, & graviter quidem omnia, licet vobis aliter videatur. Jam vero Romanorum Pontificum

Epi-

Episcoporumque Latinorum, qui aliquid auxilii consiliiva ad bella istæc sacra contulerunt, per totam Continuationem invenies laudatum zelum, liberalitatem, fortitudinem, æqua ac in Tyrio: nec apparet in quo cedere illi debeat, nisi quoad ætatem & locum, quibus non fuit vestrarum rerum proximus aut præsens testis, ut ille. Non tamen profiteor ego, Continuationem prædictam a me verbo tenus lectam totam. Tu si melius ipsum legisti, P. R. indica libros & capita; quibus probes dictum tuum.

15 Ast in Elencho Auctorum, plus quam centum, operi præfixo, enumerantur non tantum Catholici, sed & Gentiles, imo & hæretici, *Lutherus*, *Munsterus*, *Machiavellus*, aliique in Indicem primæ classis relati. Fateor, sed relati in eum plerique sunt post Concilium Tridentinum; quod futurum, non potuit divinare Heroldus, tamdiu antea scribens. An si Exhibitio Tua, R. P., tamquam calumniosa & mendax, (ut certissimo est) a Romana vel Hispana Inquisitione aliquando damnetur, criminari recte vertetur, & quidem coram Apostolica Sede, Carmelitis, ea nunc bona fide utentibus eamque defendentibus, quod de sua fide nesciant aut nolint dubitare.

16 Deinde posuerit in elencho auctorum etiam hæreticos istos; hoccina est *amare*, quod ais, & *sequi* hæreticos? Numquam inde monstraveris, Heroldum illorum doctrinam secutum potius esse quam reprobasse? Certe quivis bene Catholicus, hæreticos refutans, debet non raro eorum doctrinam referre in scriptis suis; & si auctorum, ex quibus sua deprompsit, catalogum attexere velit; nonne pariter hæreticorum atque Catholicorum nomina inserere ei debebit? Quam maxime, inquies; at per illud factum ex scriptore Catholico aut fide digno fiet hæreticus aut fide indignus. Ita Tu quidem argumentari debes, siquid concludere velis contra auctoritatem Heroldi; sed quam irrationabiliter, nemo non videt.

17 Habes hic fere, Pater Rev. quæ pro vel contra Haroldum dici possunt. Carpis tamen insuper eum n. 71 quod illos, quorum tam magnifice præfixit Catalogum, de Carmelitis agens, ideo *callide non audet nominare, & multo minus illorum textum citare, quia ne vel unus quidem illorum vel mu vel gry habet, in sua respective libro, de Carmelitarum initio*. Hoc enimvero contra Te potius, quam ipsum facit: probat enim, non ex illis, quos exprobras, sed ex aliis (& quidni ex ipsismet Carmelitis? sicut Villanius & S. Antoninus) accepisse, quæ de illis scripsit. Mirum autem est, Te exigere ut fecerit in Carmelitis, quod in tota historia fecit nusquam; quodque nec vestri, nec alii ulli passim faciunt, qui historias stylo proprio & continuo scribunt: non enim nisi rarissime auctorum & monumentorum, quæ præ oculis habuerunt, textus verbatim exprimunt, aut citato libro ac capite indicant. Hujus nostri ævi hæc diligentia est, auctore imprimis Baronio: qui non tam historiam scribens, quam Annales colligens, similia opera post se facturos docuit invariatos textus referre, & implere marginea citationibus: optimo quidem exemplo, sed cui adstringendos se non omnes putant historiarum sacrarum profanarumque conditores.

18 Exemplum, nonnihil ad Carmelitas pertinens, accipe ex veteri Chronica Mechliniensi, quam antiquitus & successive continuatam, ab honoratissimis heredibus adm. R. D. Jo: Baptistæ Soyers apud S. Rumoldum Canonici, commodatam habui; vulgari quidem lingua descriptam totam, sed ita ut post explicatum initium Begginagiorum, velut an. 1207. apud nos cœptorum, de Mendicantium initiis intexatur Latine brevis hæc notitia: *Instituitur Ordo Prædicatorum per S. Dominicum, anno 1210. confirmatur vero anno 1216. Ordo Minorum per S. Franciscum, anno 1209. confirmatur vero anno 1223. Moritur S. Dominicus 1221. S. Franciscus 1226. Ordo Carmelitarum in Syria apud montem Carmelum, ab Alberto Episcopo Jerusalem, sub Regula certa & Habitu Eliæ, sub Innocentio III. circa annum Domini 1210. postea per Honorium III. approbatur Regula, circa annum 1220. mutatur habitus in albam chlamydem, in S. Mariæ honorem, circa annum 1290.*

19 Hæc tam minutim descripta in loco, ubi primus Brabanticorum Conventuum fundatus fuit, credibile faciunt, hujusmodi schedam Auctori Chronicæ ab ipsismet Carmelitis commodatam fuisse: de quibus post alia, juxta annorum seriem, lingua patria additur; *Fratres Beatæ Mariæ, a Saracenis ex monte Carmelo fugati, venerunt in hasce partes anno 1254.* obtento suburbano ad Neckerspuliam portam eremitorio; & *anno 1303. Fratres isti monasterium construxerunt Mechliniæ*, id est intra civitatem, *per consensum & per litteras sigillatas Joannis Berthaut, Domini Mechliniæ*. Placet hic mihi annus datæ Regulæ, idem fere quem ego pridem definivi per conjecturam, non valens credere id factum primo statim Alberti ingressu in Syriam. Placet etiam, quod quæcumque ante Regulam principia, veluti insomnia, pro nihilo habeantur. Tibi Pater Rev. hoc displicebit, scio: sed maxime displicebit *Habitus Eliæ*, id est Barratus, ab eodem Alberto datus. Sed enim quid agas? Ita antiquitus tradebatur etiam a multis vestrum, necdum per pseudo epistolam Cyrilli deceptis.

20 Quod autem demum inculcas n. 26. velut patens Heroldi mendacium, & confutatione non egens; *Albertum Carmelicolis præscripsisse cappas barratas, cum nec mu nec gry de illis in eorum Regula habeatur*, parum me commovet; quamdiu docere nequis, articulum illum de cappis barratis post harum mutationem non fuisse expunctum, manente nihilominus memoria earum, ut aliquando in Regula præscriptarum. Deinde parvus hic error fuerit vacillantis traditionis de illis, tamquam in Regula præscriptis, quæ solum cum Regula datæ fuerint. Interim vero, quod earum antea nullus usus fuerit, confirmari potest ex silentio Joannis Phocæ, de istiusmodi novitate habitus, toti Orientali Monachatui sub Sancti Basilii Regula tunc agenti peregrini, qui non potuisset non in oculos incurrisse, & visus fuisse memoratu dignus imprimis describenti novos in Carmelo repertos a se incolas.

§. IV.

§. IV. ACCUSATIO.

Papebrochius citat, sequitur, & laudat, Claudium Salmasium, infamissimum hæreticum.

RESPONSIO.

21 CAji Julii Solini scriptoris ethnici Polyhistora, non solum Servius & Priscianus, Grammatici veteres, sed etiam Sancti Patres Hieronymus, Ambrosius, Augustinus laudant; laudant etiam eoque libenter utuntur Patres Carmelitæ. Editiones ejus variæ extant, quarum optima censetur ab Auctore magni Dictionarii historici Morerio ea, quam Parisiis curavit prænominatus Claudius Salmasius an. 1629. tunc (ut alibi dixi) de suscipienda Catholica religione deliberans, & Senatus Veneti gratiam demereri satagens, adeoque sat cautus ne quid Pliniania suis super Solinum Exercitationibus infereret, quod Catholicos offenderet. Harum Exercitationum tomos grandes duos, sine quibus adhuc incultus & tenebris obsitus Solinus maneret, Museo nostro emit extremo vitæ suæ anno Heribertus Rosweydus, talium Commentationum studiosissimus collector, eisque sine scrupulo usi sunt decessores mei Bollandus atque Henschenius; neque ipsos ulla censura unquam notavit Roma, ubi tamen passim extabant in celebrioribus bibliothecis, & (nisi fallor) extant etiamnum. Extant certe in Barberina, quam eruditorum omnium æstimator Franciscus Card. Barberinus, eruditissimus etiam ipse, studio impendioque maximo instruxit familiæ suæ, ut patet ex tomo 2. Indicis ejus, impressi anno 1681. ubi pag. 337. integram occupat copiosus elenchus Salmasianarum lucubrationum, quas inter eminent Exercitationes prædictæ, opus omnium ab eo editorum fortassis eruditissimum, saltem operosissimum, quo nemo carere possit, cui necesse sit Solino uti.

22 Regulæ Indicis & Instructio Clementis VIII. ad easdem, nonnulla continent in usum deducta numquam. Promittunt enim illæ *Expurgatorium Codicem*, quo omnium & singulorum auctorum undecumque suspectorum libri castigarentur, & sic castigati typo vel manu, tractari a quolibet libere possent, *addita in principio libri, tum veteris prohibitionis, tum recentis emendationis ac permissionis mentione: exempli gratia. Bibliotheca, a Conrado Gesnero Tigurino, damnato auctore olim edita ac prohibita, nunc jussu Superiorum expurgata ac permissa*. Hæc sunt ultima Clementinæ Instructionis verba, manifeste indicantia, Bibliothecam Gesneri, licet sit primæ classis prohibitorum, propter elogia tam hæresiarchis data, unam esse ex primis, quos Clemens optavit voluitque expurgatos, propter summam ejus inter scriptores utilitatem ac pene necessitatem.

23 *Expurgatorius* tamen ille *Codex* prodiit numquam, imo cum ederetur *Fr. Jo: Mariæ Brasichellensis, sacri Palatii Apostolici Magistri, ejusdem Codicis sive Indicis, in gratiam studiosorum confecti Tomus primus, in quo quinquaginta Auctorum libri, præ ceteris desiderati, emendantur* (erat in his etiam liber de institutione Monachorum, acrius quam Carmelitæ voluissent censuratus) eum inquam talis Indicis Tomus primus prodiisset *Romæ, ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ* 1607. *Superiorum permissu*, suppressus modeste fuit & recudi prohibitus: nec porro processum in opere reliquo, quod mox apparuit futurum seminarium litium infinitarum, quibus sustinendis nec unus nec plures forent pares, quantavis auctoritate subnixi; ut de labore nihil dicam numquam finiendo, licet omnes curiæ Romanæ magistri fuissent Brasichellensi pares, eruditione, solertia, assiduitate, & fastidiosissimi studii tolerantia. Interim sicut illi 50. Auctores manserunt inexpurgati, & nihilominus versantur passim in manibus omnium; sic etiam ceteri, extra materiam Religionis quocumque auctore & loco impressi, ab Episcopis, in Germania, Gallia, Belgio Inquisitorum personam sustinentibus & per institutos a se librorum Censores exercentibus, nullo discrimine tolerantur, passimque inferuntur & exponuntur venales. In quo ipso tamen, ne quod periculum sit incurrendæ cujuscumque censuræ, solent bibliophili timorati petere & facile obtinere prænotatam libros prohibitos legendi licentiam.

Opuscul. Collect.

24 Ad Salmasium quod attinet, agnosco eum in Dissertatione, quam *de Episcopis, & Presbyteris, sub nomine Walonis Messalini*, scripsit, aliisque nonnullis ad praxim mercatoriam periculosis, præter errores graves, etiam hæreses incurrisse, quas Petavius in libro de Hierarchia ad tredecim capita reducit; & ob quas si non singula, saltem simul omnia ejus opera meruerint suspendi. Agnosco, propter prædictas hæreses, ad Hierarchiæ ecclesiasticæ subversionem & Presbyterianismi in Anglia confirmationem tendentes gravissimaque censura dignissimas, esse *hæreticum infamissimum*; non tamen insulsissimum Solini commentatorem. Ostendi quoque Art. 55. §. 7. Essenis (quorum causa potissimum Salmasio irascitur Patern. Tua) adeo non injuriosum fuisse, ut eos etiam excuset a gravioribus, ex S. Epiphanio erroribus.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius citat, sequitur, & laudat Joannem Marshamum, & Gerardum Vossium, hæreticos.

RESPONSIO.

25 JOannes Marshamus, quem primum mihi hic objicis, laudatur a me, non quidem ut *heterodoxus, sed ut a Monachis reque monastica minime alienus*. P. R. quid hic in me aut illo carpis? Veram laudem esse, probat totum Propylæum, ab ipso præfixum Monastico Anglicano, quo nescio an ullum opus, etiam florentissima sub Regibus Normannis religione, apud Anglos prodiit Statui monastico utilius ac gloriosius. Hic ille *miratur triginta Reges & Reginas Anglosaxones, intra ducentos annos, contemptis mundi illecebris, religiosam obiisse solitudinem, & magnificam in condendis monasteriis profusionem suspicit*. Et infra; *In Anglia*, inquit (sic Insulam appellans ex quo in illa cœperunt Anglo-saxones dominari, nam de Britannia, susceptæque in ea Religionis initiis atque progressibus antea egerat) *In Anglia* ergo sic intellecta, *idem*, inquit Marshamus, *fuit Monachismi atque Christianismi initium, idem incrementum. Augustinus, monasterii legibus eruditus, ex præscripto Gregorii, instituit conversationem, quæ ini-*

tio nascentis Ecclesiæ suis patribus nostris, quibus omnia erant communia. Monasterium fecit non longe a Doroverniensi civitate. Sicut Augustinus Cantianos, ita Aidanus Northanhumbros instituit, & in Lindisfarnensi insula cœnobium habuit: ille e Romana, hic ex schola Columbani: ille Austrum, hic Septemtrionem sua doctrina imbuit.

26 Hinc aggreditur recensere *tres celebres* apud Anglos *Monachismi veteris reformationes*; deinde illius usque ad 10. seculum indivisi, in varios Ordines scissionem a Cluniacensibus cœptam explicat; ac denique bene graviterque expendit, quanti ad Historiam ecclesiasticam gentis Anglicanæ sit veterum cœnobiorum notitia, illam negans præ dignitate digeri posse absque monasteriologia. *Monachatus enim*, inquit, *olim maxima pars fuit gentis ecclesiasticæ; & parietes cœnobiales, diu sanctitatis & melioris litteraturæ fuerunt sepes. Ex illo seminario prodierunt ingentia illa Christiani orbis lumina, Beda, Alcuinus, Willibrordus, Bonifacius, alii, ob doctrinam & propagatam fidem impense colendi.* Potestne Romano-catholicis quispiam de monasteriis magnificentius loqui?

27 Vide autem quid de eorumdem eversione sentiat: *Jam dudum*, inquit, *diem fatalem obierunt monasteria nostra, nec præter semirutos parietes & deploranda rudera, supersunt nobis avitæ pietatis indicia . . . . Videmus nos, heu! videmus augustissima templa, & stupenda æterno Deo dicata monumenta (quibus nihil hodie spoliatius) sub specioso eruendæ superstitionis obtentu, sordidissimo conspurcari vituperio, extremamque manere internecionem. Ad altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossæ reliquiæ. Sunt quidam zelatores, adeo religiose delirantes, ut religiosos veterum Ordines ex abyssi puteo prognatos ajant: ita licenter sibi indulget præconcepta passio.* Quin & Monasteriorum monumentis antiquis ac veris summam habens reverentiam Marshamus; *de Monachorum*, inquit, *fide non est quod ambigamus, cum illi res tantum suas tractent sibique notissimas; nisi forsitan uni aut alteri vitio demus, illos in illustrandis monasteriorum suorum natalibus, antiquitati plus quam veritati incubuisse. Verum hoc illis facile condonemus, cum præstantissimos populos subobscuras rerum origines etiam a diis suis deduxisse videamus.*

28 Quid tibi videtur, Pater Rev. an non satis Philomonachus est Marshamus, ut eum legisse, citasse, laudasse, non debeat mihi vitio verti? Laudat in Monachis quæ laudanda sunt, excusat quæ laudari non possunt. Idem cur mihi in Carmelitico Monachatu, ad veras suas origines deducendo, non liceat? Cur omnia æqualiter laudari & probari volentes, cogitis sigillatim reddere rationem, cur hoc illudve Historiæ vestræ caput, alitius quam par est assumptum, non recipiam? *Mirum est*, inquis, *quod* Papebrochius, Marshami judicium, circa vetustas aliquas Anglorum Monachorum chartas, ante Bedæ ætatem non recipiendas, vehementer laudans, *non æque vehementer laudet vetustissimum ex Bibliotheca Cottoniana depromptum scriptum, in quo Monachatus initia ab Elia, veterisque Testamenti filiis Prophetarum deducuntur, & approbantur, quod ibidem subdit Marshamus.*

29 Legistin' bene scriptum illud, Rev. Pater? Non credo. Si enim legisses bene; legisses sub finem allegari *Januensem, in libro quæstionum de Antichristo*, qui Januensis, scilicet Jacobus de Voragine, non ante annum 1292. *Januensis* cœpit ab Episcopatu illo suo vocari. Non est ergo *antiquissimum* scriptum istud, forte nec antiquum, cum de ejus ætate aliunde nihil constet. Auctor certe non valde severa Critica usus est, qui potuit persuaderi, verum esse quod *Abbas Carioth*, ex perfectissima Essæorum ante Christum secta, *unus erat eorum, qui cum Christo surrexerunt: quo mortuo, quidam Monachi, mortem ejus inconsolabiliter lugentes, mortui sunt, & adhuc compaginati videntur.* Sed & hic quam parum sententiæ tuæ faveat, meæque consentiat, disce ex mox sequentibus verbis. *Quia de origine Monachatus, & quemadmodum ejus typus in Patribus veteris Testamenti præcesserit, ostensum est; qualiter in Patribus novi Testamenti, quod in antiquis præfiguratum est, compleatur, restat ut pariter videamus.* Numquid hoc est, quod ex Holstenii Præfatione dixi, quodque Holstenii dici non pateris? *Frustra sunt, qui verum & perfectum Monachismum Christianismo vetustiorem faciunt. Ejus in veteri Testamento figura magis quam forma, præsagia potius quam exempla reperiuntur. Anachoresis Eliæ, hujus & Elisæi discipulorum convictus, Nazaræorum & Recabitarum instituta, tum si quæ occurrunt alia ejus generis, videri possunt quædam quasi rudimenta gratiæ, Monachos facere exordientis. Esseni quoque, quorum Hebræi meminerunt, uti & quos Philo libro proprio descripsit, multis (ut palam est) differentiis a Monachorum instituto discrepabant.*

30 Nunc quoniam ad Cottonianam Bibliothecam me provocasti, Pater Rev. perge porro ad eamdem, & consequenter in ipso Marshami Propylæo lege immediate sequens scriptum aliud, ætatis nequaquam dubiæ, ut est istud prius; auctoris vero æque ac illud Anonymi, sed certo Benedictini, & in hoc intenti, ut Monachos in Ecclesia Dei priores esse ostendat omnibus tum Clericorum tum Mendicantium Ordinibus; quorum aliorum pro majori antiquitate prætensionibus refutatis, & laudatis Franciscanis, qui *cautius incedentes, aliorum Fratrum mendacia prudenter devitant, de prioritate nequaquam certantes*, sic progreditur: *Superest ut Carmelitis respondeamus, qui se ab Elia Propheta jactitant institutos. Quod si ita est, dicant utrum Elias verus zelator Legis Judaicæ erat, an non? Si verus sectator veteris Testamenti fuit, quod negare non possunt; quomodo dicunt, eum Ordinem instituisse mendicantem, qui in Lege præceptum habuit*, Non sines quemquam de genere tuo publicæ mendicitati subjacere? *Quiescant ergo Carmelitæ mendacia inflectere in virum justum, qui nihil dilexisse cognoscitur nisi justum.*

31 Pergit porro idem Monachus Benedictinus anonymus, sub finem seculi 13. aut initio seculi 14. scribens, originem Carmelitici Ordinis sic expendere, ut si quid forte peccet in aliquo, id non tam ipsi debeat imputari, quam rei obscuritati. Etenim apparet vel hinc, quod etiam primo illo Ordinis novi seculo talis ea fuerit, in illa transmigrantium confusione, ut non nisi perturbate scribi quidquam potuerit; dum vestri, de summa dumtaxat antiquitate soliciti, negligebant sibi comparare & alia communicare distinctam notitiam actorum seculo 12, ac 13. Sic ergo scribit Benedictinus Anonymus,

Et

Et ut legentes lateat origo Fratrum, de quibus nunc agitur, dicamus a quo tempore vel sumpserunt exordium, vel nomen & habitum mutaverunt. Anno siquidem Christi MXLV. (evidens, non auctoris, sed librarii iphalma, puto corrigendum, & MCCV. substituendum) *Albertus Patriarcha fecit Regulam Fratribus, qui Stragulati, Radiati, vel Birrati vocabantur. Et ex post, anno* MCC. *septuagesimo nono, Martinus Papa ad instantiam dictorum Fratrum, & nomen eorum mutavit & habitum, convertens vestes stragulatas in capas albas, dans eis nomen novum, vocans eos videlicet Carmelitas. Et hæc ita tarde gesta sunt, ut plures adhuc supersint, qui viderint eos & Birratis ati vestibus, & Birratos Fratres ab omnibus appellatos.*


32 Vide, Pater, ed quam egregia antiquitatis vestræ documenta me remiseris; & quid responsurus sis quærenti, cur *non æque vehementer* postremum hoc scriptum, ex eadem sumptum Bibliotheca, laudes ac primum. Mihi modo non vacat corrigere errores, si qui ultimo obrepserunt, uti obrepsit in anno Martini Papæ, qui primum creatus fuit 1285. & 1285. successorem eccepit Honorium IV. mutati habitus auctorem præcipuum: qui etiam an vetuerit diei *Birratos* seu *Barratos*, solumque *Carmelitas* vocari jusserit, vos videritis. Etenim revocas me, P. R. a longiori digressione, de Marshami erga Monachos effectu, ed hoc ejus de antiquis chartis axioma, quo me niti vis, *tanto minus eis adhibendum fidei, quanto plus præferunt antiquitatis*. Ita Tu quidem, P. R. Marshamo imponis atque etiam mihi. Non enim ille mensuram incredibilitatis ipsam facit esse entiquitatem; sed hanc, cum prætenditur, vult esse mensurem cautelæ sapientis & discretæ. Cum enim chartis aliquibus, in speciem vetustissimis, ex evidenter demonstrata falsitate vel corruptela, justam intulisset censuram, cui nec Mabilio nec alius quisquam prudens antiquarius contradixerit, subjungit effatum, quod & ego laudo & sequendum propono: *Caute itaque suscipiendæ sunt istiusmodi cartæ, quæ fidem habeat eo minorem*, id est, apud peritos & fraudes sæpe expertos fidem eo inveniunt difficilius, *quo majorem præseferunt antiquitatem*.

33 Ita plane etiam in re nummaria usuvenit, ut ibi numquam requiritur circumspectio major, profundior eruditio, & tractatio solicitior, quam cum nummi offeruntur, tam rari vel tam antiqui, ut vix uspiam similes inveniantur, eus ne vix quidem. Quanto enim illis pretium majus facit summa entiquitas simul & raritas; tanto magis inceditur mangonum & pseudo-antiquariorum avara industria, ad falsos nummos supponendos pro veris: ad quod etiam multum sæpe confert fœcunda mendaciis edulatio, qua nobilium familiarum captatur gratia. Contigit hoc sancto Legislatori vestro, cujus patriam genusque ignorari eum turpe videretor, cogitaverint aliqui, qua ratione possent persuadere, ipsum (qui e nonnullis creditus fuit Ambianensis; fuit autem Parmensis diœcesis) fuisse Petri Eremitæ pronepotem, ejus qui Urbano II. belli sacri auctor fuit, & Huii ed Mosam sepultus requiescit. Hoc vero crediderunt obtenturos se, si possent exhibere eliquem istius temporis nummum, velut a peregrinis e terra Sancta redeuntibus allatum: & fortassis revera moris eras tales ibi cudi atque distribui, futurum testimonium civibus suis expleti voti.

Opuscul. Collect.

34 Nummum porro illum sic cudendum putarunt, ut eltera sui facie inscriberetur ✠ HIEROS. A. SARA. CAP. SED. ACC. TRAN. NUMUS PEREGRINOR. id est, *Hierosolyma a Saracenis capta, Sede Acconem translata, nummus Peregrinorum;* quæ potest vera alicujus posteriorum Alberto Patriarcharum, Sede jam reipsa Acconem translata, inscriptio fuisse, Alberti temporibus minime quadrans, ut mox videbimus. Nihilominus in alia nummi facie expresserunt dictæ Eremitanæ gentis insignia, Hierosolymitani regni insignibus aucta, & circum legi curarunt ✠ ALBERTUS: PATRIA: HIEROSO. Iidem porro sic fabricatum fecerint inferri in Bibliotheceam Philippi II. Hispaniarum Regis, vel saltem, ut inde allatum, venire in manus Auberti Miræi, tunc incipientis clarescere libris edendis: quem Sarecenus dicit eo mox usum, atque sub Alberti effigie, inter Belli sacri Duces expressa, composuisse elogium, quod ipse recitat, plenum erroribus, ab aliquo, magis cupido laudari quoque modo Albertum, quam gestorum ejus perito, suggestis, quibus etiam fingitur fuisse ante Patriarchatum *Bethleemicus atque Ascalonitanus Episcopus*.

35 Miræus certe nummi istius, velut pridem a se possessi, tandemque donati R. P. Thomæ a Jesu, Carmelitarum Discalceatorum per Belgium Præfecto, mentionem facit in Fastis Belgicis atque Burgundicis, Antverpiæ excusis an. 1609. pag. 692. ipsumque numisma prædictus Saracenus missum sibi Bononiam ait, atque Martyrologio suo Carmelitico pag. 264. inseruit ectypon, quale hic vides.



36 Studiosi rei tesserariæ (Armorialem vocant nostri) habent hic abunde quo probent, in re nummaria medii ævi, æque ac in tesseraria (quæ suum initium primum accepit seculo XI.) eo majori opus esse cautela, majusque periculum fraudis subesse, quo quid antiquius esse dicitur. Hic certe fictionis plena sunt omnia. Nam parmularum nobilium ornamenta, Mitræ, Coronæ, Galeæ, Tenentes (qui hic sunt decussatæ Cruces, Legati Apostolici & Patriarchæ dignitatem notantes) seculo 14. primum addi cœpisse, docet noster Claudius Menestrier, rei tesserariæ originem & progressum e fundo scrutatus.

37 Seculi 13. & 14. insignia perquam simplicia fuere, neque composita ex tam variis partibus; vetustiora autem seculi XI. quo vixit Petrus Eremita, non fuere stata, uti postea esse cœperunt; & prædictis quatuor seculis non solebant illis uti Patriarchæ, Episcopi, aliive Ecclesiastici. Inter Romanos Pontifices primus, Martinus V. invenitur gentis suæ Columna in scuto usus. Constat etiam, nullum zyfrerum usum seculo 13. Christianis fuisse; & eas in ejusmodi publica monumenta vix ante seculum 16. rece-

pias fuisse. Et tamen ex Miræi judicio invenitur sic expressa nota AN. 1206. qui fuit Alberti in Syriam venientis primus. Ego in ipso sigillo nihil minus video, quam, quod Miræus istic se videre credidit AN. 1206. sed hinc quidem clare intueor A. M., ad dextrum scuti cornu; ad sinistrum vero, confusum quid, & a sculptore, quo Saracenus est usus, imperfecte expressum: de quo si conjectare licet, ex intentione illorum, qui Albertum patria Ambianensem constanter opinati sunt, dixerim, sculptum aut sculpendum fuisse BIAN; ut utraque pars conjuncta, sit AMBIAN; atque collectio tota formet hunc sensum: *Albertus Patriarcha Hierosolymitanus, Ambianensis;* itaque habetur nova audacis figmenti convictio, dum constat ex Vita, in monumentis Ecclesiæ reperta, & edita ab Episcopo Ferterio, indeque transcripta apud Lezanam, fuisse Albertum *de Castro Gualteris Parmensis diœcesis.*

38 Interim accipe ex Ughelli Italia sacra tomo 4. col. 1100. verum Alberti sigillum, quali omnes decessores sui tam Latini quam Græci usi fuerant; & quali etiamnum Græcos Hierosolymis Patriarchas uti, vidi an. 1680. sub litteris ipsorum patentibus. Diploma, cui sigillum istud Alberti, cum alio sigillo Acconensis Episcopi appenditur, loco præcitato legi potest, hunc



præferens titulum: *Albertus, Dei gratia Patriarcha Jerosolymitanus; Gualterius, Episcopus Acconensis; & Andreas, Vicecomes Venetorum, in perpetuum.* Finitur: *Ut autem hæc perpetuæ memoriæ obtineant firmamentum, Nos, Patriarcha & Episcopus, huic paginæ fecimus nostras plumbeas bullas apponi; & ego Andreas Vicecomes eamdem sigillo meo ceræ impresso munivi.* Deinde locus & tempus subscribuntur hoc modo: *Datum Accon in Palatio Episcopali, anno Incarnationis Domini* MCCXII. III. *Idus Aprilis, Indictione* XV. Ubi vides per Latinas numerales litteras notari omnia, nihil per Arabicas zyfras.

39 Porro rem actam dici *in Palatio*, non *Patriarchali*, sed *Episcopali*, in memoriam mihi revocat tempus, quo primum Acconensis Ecclesia, proprio carere cœpit Episcopo, & Patriarchæ, eatenus apud Acconem velut in hospitio, non autem domi suæ versanti, commissa est. Factum id tandem fuit anno 1263. quo videlicet *Urbanus Papa IV.* (prout Nicolaus etiam IV. post 15. annos testatur) *de Fratrum suorum consilio Ecclesiam Acconensem . . tunc vacantem, Patriarchæ Hierosolymitano, qui erit pro tempore, decrevit committendam, & ab eo una cum dicta Hierosolymitana Ecclesia, tamdiu in spiritualibus & temporalibus gubernandam, donec eadem Hierosolymitana Ecclesia, bonis suis recuperatis, possessionem habuerit eorumdem.* Atque hinc novo argumento convincitur prioris figmenti impostura, quia non potest nummus, *Sede translata* cusus, pertinuisse ad tempus Alberti, quadraginta annis prius mortui, quam illa translatio per Romanum Pontificem fieret. Quare, si verum aliquod talis nummi exemplum expressit fictitii istius sulor, spectaverit is ad tempus unius ex postremis, qui usque ad Acconem amissam, id est usque ad annum 1291. ibidem sederunt.

40 Atque hæc dicta sunto, occasione Moniti, a Marshamo dati, a me laudati. Marshamo Accusator jungit Gerardum Vossium, acatholicum etiam ipsum: quia ego eum in quæstione de auctore Martyrii S. Andreæ Chii, tom. 7. Maii pag. 184. n. 2. laudo, ut *idoneum judicem* inter scripta Georgii Trapezuntii, hisne annumerandum sit Martyrium istud, sicut habebat titulus ejus manuscripti, unde ipsum edidit Surius, an non; scrupulum contra moventibus Curatoribus secundæ editionis Surianæ, eo quod nullus eorum, qui scripta Trapezuntii recensent, Martyrii talis ab eo scripti meminerit. Quasi vero mirum sit Trapezuntium, virum multiplicis lucubrationis, cujus opera multa ac magna habentur, epistolam unam scripsisse, quæ passim latuerit, numquam antea impressa, & Surio ab Urbe missa: nec enim epistolę modum excedit narratio, apud nos non plures quam quinque columnas implens, & apud Surium paginas duas. Poteram addidisse, Curatores Surianæ editionis postremæ, factæ anno 1618., annis decem prius quam Vossius scriberet, eumdem scrupulum deposuisse; adhuc scilicet ipsum autographum, vel ejus fidele ecgraphum, quo Surius usus fuerat, habentes præ oculis, in eoque scriptum Auctoris nomen. Sed mihi præ omnibus placuit adducere judicium Vossii; quia de eo solo probare poteram, ipsum aliquid operæ posuisse in legendis & æstimandis Trapezuntii scriptis; non poteram id probare, de Carthusianis Coloniensibus, qui scrupulum removerant, & alia Trapezuntii scripta nulla fortassis unquam viderant. Ecqua hic, obsecro, injuria Revisoribus Surianis illata, quæ meruit apud Sedem Apostolicam accusari?

41 Eruditionis philologicæ laudem tribuere homini, etiam hæretico, qui totius vitæ studia eo intenderit, non repugnat Clementinæ instructioni vel Regulis Indicis, ut probari potest infinitis exemplis Catholicorum, omnis generis & conditionis. Imo Gerardi Joannis Vossii libri, de Historicis Latinis & Græcis tanti sunt usus apud eruditos, ut nullus non iis utatur plurimum, quoties de alicujus antiqui ætate ac temporis quæstio est. Idem Vossius alia plurima in lucem dedit, quorum nihil hactenus censuram vel levissimam tulit, præter Dissertationem ejus *de tribus symbolis, Apostolico, Athanasiano & Constantinopolitano. Item Theses quasdam Theologicas & historicas, Nec non Harmoniam Evangelicam de passione, morte, resurrectione, & ascensione Jesu Christi Domini nostri.* Ast, inquies, non laudatur solum Vossius ut *acutus ad talia*, id est ad vera a supposititiis discernenda, sed etiam ut *sincerus*. Ita est: & sinceritatem ejus probat, quod cum Vitam S. Antonii, a S. Athanasio scriptam aliquando suspectam habuisset, ex suorum scilicet gregalium præjudicio, propter adeo crebro inculcatam virtutem Crucis; lecto Henschenii de Vita illa Commentario, non solum deposuerit qualecumque dubium, sed etiam ultro promiserit eo, quod sub manibus habebat

de

de Historicis Græcis scripto, palam facturum se, quam indubitanter nunc crederet, Athanasium Vitæ illius auctorem verum esse; quod & fecit, nihil moratus sectariorum suorum latratus, ea causa sibi paratos.

42 Idem etiam de Actis Sanctorum, ut ea Bollandus colligere atque illustrare cœperat, censuit, sic demum placitura ipsismet heterodoxis, quæ antea ignoranter contemnebant; nec paucas promovendo operi Vitas suggessit, ex antiquis codicibus a se descriptas; quin & membraneum codicem unum alterumque talibus plenum donavit, quod iis utens Bollandus gratanter agnoscit. Catholicæ Religionis professio, quæ nos ab heterodoxis in Ecclesia separat, non facit homines inhumanos; neque ingratos obliviososque beneficiorum acceptorum; quin potius tanto promptiores reddit ad istiusmodi officia, quanto hæc magis serviunt leniendis animis, præparandisque ad veritatem, æternæ salutis conciliatricem, citius agnoscendam, agnitamque tenendam, detersa priore alienatione animi ab Ecclesia Romana.

§. VI. VII. VIII. ACCUSATIONES.

Papebrochius presse insistit vestigiis Erasmi Roterodamensis, in censurandis libris.

Papebrochius sequitur Marcum Antonium de Dominis, fœdum & relapsum apostatam.

Papebrochius citat, sequitur & laudat opuscula Petri de Marca, ab Ecclesia damnata.

RESPONSIO.

43 FAlsum est primum. Nam prius quam nossem sensum Erasmi, de Areopagiticis & Regula S. Augustini, eidemque vulgo adscriptum librum de unitate Trinitatis contra Manichæos, didiceram ex Catholicis scriptoribus, quos criminari nemo ausit, quid mihi esset sentiendum. Vide Art. 13. §. 2. 6. & 7. Secundum, fœda calumnia est, ad quam detestandam satis est legere verba mea, Apostatæ istius blasphemiis a diametro opposita: sicut demonstravi Art. 7. §. 1. & 5. Tertium denique, sub universali titulo *opusculorum* acceptum, falsum est. Nam præter grande opus *de concordia Sacerdotii & Imperii*, tam laudatum Gallia, quam ingratum Romanis, & nescio quam, eodem fortassis spectantem epistolam, *D. Hyacintho Mesades, Archidiacono Emporitano Ecclesiæ Gerundensis* inscriptam; haud facile, puto, invenies aliud quodpiam, Rev. Pater, *Petri de Marca* scriptum, quod sit Apostolicæ Sedis judicio reprobatum: ipsum vero opusculum, quod sequi & laudare arguor, scilicet *de singulari Primatu Petri*, contra bicipitis Ecclesiæ inventores, eidem sanctæ Sedi vehementer probatum fuisse, demonstravi eodem Art. 7. §. 5. sub finem: similemque laudem merentur alia posthuma opuscula illius, edita a Baluzio an. 1681. quorum unum, *de theca Reliquiarum S. Joannis Baptistæ, quæ servatur Perpiniani*, usui magno mihi erit 24. Junii. Sed cur mihi identidem objicis, ut hoc semel dicam, quod utar Auctoribus ab Ecclesia damnatis (sic honoras passim, quorum vel unus tantum liber censuram passus est, licet scripserint plures) si non utar damnatis eorum libris, aut si non utar nisi contra Auctores suos, in bonum Ecclesiæ & utilitatem Religionis Catholicæ? Nonne quotidie conceditur viris eruditis facultas legendi vel ipsos etiam hæresiarcharum libros, ex professo de Religione contra veram Ecclesiam scriptos, iisque utendi in hujus defensionem?

§. IX. ACCUSATIO.

Papebrochius in multis adeo presse sequitur & imitatur Joannem Launoyum, cujus omnia fere opuscula sunt ab Ecclesia damnata, ut ei in variis sit similis sicut ovum ovo.

RESPONSIO.

44 JOannes Launoyus, Doctor Theologus Parisiensis, opera & opuscula circiter 70. elucubravit, criticus ubique acer, & multis invisus, quorum traditiones opinionesque labefactavit; ut sunt illi, qui S. Dionysii Parisiensis & aliorum sex Episcoporum in Gallias missionem, non patiuntur differri ad Decii tempora, ex SS. Gregorii Turonensis & Severi Sulpitii sententia. Joannes Morerius, Doctor item Parisiensis, in magno suo Dictionario historico, præcipuas illius lucubrationes enumerat, & asserit, quod *ad criticam plurimum profecit ex familiari conversatione cum P. Sirmondo*, qui idem cum illo de prædicta missione sentiebat, consummatæ eruditionis senex. Sirmundo longe mavelim quam Launoyo assimilari, huic in multis contrarius, ac nominatim circa visionem B. Simonis Stock, quam omnino retinendam puto. Quod autem de Bulla Sabbatina scribere me invitissimum coegisti, sicut ex ejus auctoritate non didici, sic nec dimittam propter damnationem ejus libelli, quem super eo argumento scripsit.

45 Obiit ille an. 1678. & sequenti mox anno meruit censurari in opusculo suo de *Explicata*, ut prætendebat an. 1672. *traditione Ecclesiæ circa Canonem, Omnis utriusque sexus*. Huic vulneri, non sanando, sed exasperando grande post paucos annos momentum attulit Antonius Reiserius Augustanus, Launoyi sensa circa præcepta Ecclesiæ, quo totus ille Canon spectat, æque ac Tu, Pater Rev. mea trahens in favorem hæreseos suæ, omnia Ecclesiæ præcepta abjicientis; & librum scripsit sub hoc titulo, *Joannes Launoyus, testis & confessor veritatis Evangelico-Catholicæ, in potioribus fidei capitibus controversis, adversus Robertum Bellarminum &c.* Editum anno 1685. pestilentissimum librum mox sacra Congregatio damnavit anno sequenti; sed Decreti sui promulgatione non sic potuit Launoyum vindicare ab impacta per Reiserium calumnia, quin titulus libri ejus damnati ingereret etiam præjudicium contra Launoyum, quasi revera hæreticis faverit in prædamnato Opusculo, circa materiam eamdem infeliciter scripto. Præjudicium istud auxerunt, similiter damnata anno 1687. Dissertatio, *de Nicæni Canonis 6. ut a Rufino explicatur, vera intelligentia*; nec non Epistolæ ejus, in octo partes distributæ; item anno 1688. Opuscula duo, alterum *de Regia in matrimonium potestate, sive de jure secularium Principum Christianorum in sanciendis impedimentis, matrimonium dirimentibus*. Alterum similiter de matrimonio agit & Ecclesiastica in illud potestate.

46 Ex hinc, quasi signo dato, erexere se confertim, qui aliquid justæ querelæ contra

Launoyum habere se putabant ; iisdemque agentibus damnata, suspensa ac respective prohibita sunt, anno 1690 decretis tribus, alia ejus opuscula omnino octodecim ; universim opuscula eticiter 25. ac tertia fere pars ea 70. quæ scripsisse dicitur ; tantum abest, ut *fere omnia* sint damnata ab ecclesia, sicut Patern. Tua, suo more ad multiplicandas damnationes liberalis, effatur. Eorum vix quintam partem vidi hactenus, paucos obiter pervolvi, perlegi nullum ; solum libellum de negativi argumenti quibusdam in casibus efficacia laudavi, nulla hactenus censura perstrictum ; quem tamen pro duce numquam mihi habendum statui ; imo, sicut Launoyum in Stocbiana visione refutare decrevi, sic forsitan etiam refutabo in aliis multis scrupulis, quos contra varios Sanctos ac Religiosos movis.

Nullius addictus jurare in verba Magistri, nedum talis totiesque fulminati. Nihil mihi cum eo commune, quod non pariter aliis, optime Catholicis, commune esse, docuerim.

47 Quomodo igitur eum tam presse sequi & imitari dicor ? quomodo *in variis ipsi tam similis* esse, *quam ovum ovo* ? Ego, Pater Rev. neminem invenio, cui Te comparem, præter teipsum ; & dico de hujus tuæ Exhibitionis partibus omnibus, quod eis sit

------- Facies non omnibus una,
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.

Aliæ apertius, aliæ tectius calumniantur, criminantur omnes: quo in genere nescio, an parem habueris aliquando, aut habiturus sis unquam. Hanc tibi laudem libens cedo.

§. X. ACCUSATIO.

Papebrochius citat, sequitur & laudat Natalem Alexandrum, Paschalem Quenellium, Joachimum Abbatem, Gregorium de Lauro, Æneam Silvium &c.

RESPONSIO.

48 Recte facis, Pater Rev. quod maledicendo lassus, reliquos mihi objiciendos in unum colligas Paragraphum ; ego fatigatus magis, gaudeo quod paucioribus etiam absolvere possim Responsiones hasce. Nam S. Joachimi certa & indubitata opera, quæ sola laudo, satis defendi Art. 5. §. 21. Dialogos Æneæ Silvii, quos senior & Papatui proximus scripsit, calumniæ exemi Art. 3. §. 6. Paradoxam Natalis Alexandri sententiam a me repuli Art. 1, §. 2. De ceteris, quæ cum ipso, sed non ex ipso doceo, si non satisfeci plene, satisfaciet ipse fortassis plenius, in altera ampliori operis sui editione: quam audio esse sub prælo, utinam feliciori quam prior exitu ! Ecce autem, dum hoc folium venit a prælo emendandum, adest amicus, indicans causam, cur tantopere in Natalem Alexandrum exarcebati sint Patres Carmelitæ: illum nempe in Parte 2. seculi 13, & 14. habere totam originis vestri Historiam simili prorsus modo deductam, quo ego illam censui deducendam, incipiendo ab iis, quæ viderat Joannes Phocæ. Hoc enim vero peccatum ejus originale est. Quenellii suspicionem de non recta ubique fide ejus, qui libros Areopagitæ adscriptos composuit, eo ipso quo accusor loco, rejeci ; & pro Symbolo QUICUMQUE eam reddidi rationem, quam delerere non debeam, sive damnetur, sive absolvatur Quenellius ; in iis ubi peccasse dicitur, a me refutatus Art. 5. §. 8. Art. 23. §. 5.

49 Ex Gregorio de Lauro, leviter dumtaxat perstricto donec corrigatur, in iis solum usus sum, quibus cultus B. Joachimi probari & archicœnobii Florensis Historia debebat illustrari, alibi non inveniendis ; idque cum ea, quam Te quoque habere puto, libros prohibitos legendi facultate. In vindicandis autem prophetiis, Joachimo passim adscriptis, non sine illustrium aliquot familiarum injuria, adeo illi non consensi, ut omnes suppositititias esse manifeste demonstraverim, atque ita deleverim notam Pseudo prophetæ, sancto viro nimis temere ab aliquibus magni nominis scriptoribus impactam. Prædictis Tu quidem Joannem Phocæ libenter adjungeres, sed hactenus nihil potuisti reperire, quo vel levissime suspectum faceres, ut ostendi Art. 3. §. 14. Atque adeo, si non Tibi, æquo tamen Lectori spero me fecisse satis quoad Exhibitionem errorum, mihi a Te tam temere, quam præfidenter imputatorum. Deo gratias.

ARTICULUS XXV.

Alii Errores ex Appendice P. Sebastiani.

ACCUSATIO PROŒMIALIS.

Vix unquam P. Papebrochii Notas ad Acta Sanctorum attente revolvere possum, quin semper propositiones exoticas aliquas & peregrinas deprehendam.

RESPONSIO.

Quam parum *attente* mea legeris, Rev. Pater, & quo animo, satis ea antedictis patet. Quia tamen Appendici tuæ ad Motivum Juris (quo frustra conatus es, contra familiarem P. Janningi Epistolam earulare ineptias Exhibitionis tuæ) novam addidisti Appendiculam, ac velut racemationem, post adeo copiosam vindemiam, a n. 240, per alios 15, numeros deductam ; visum est nonnullis etiam huic respondendum aliquid. Etenim in illa tanguntur puncta quædam, apta haud parvam concitare populi fidelis admirationem, imo & indignationem, quæ puncta P. Janningus, neque in justa Expostulatione, Motivo opposita ; neque in Post-scripto ad Appendicem dato, attigit. Igitur non removebo ab hac tabula Re-

sponsio-

sponsionum mearum manum, quin saltem ad præcipua quædam fecerim satis; cetera servaturus tertiæ Parti, qua forsitan opus erit, ut satisfaciam libro Delationum Hispanicarum, ea quæ male digesseras, recoquenti coram sacræ Inquisitionis Tribunali anno 1693. postquam scilicet, visa Exhibitione Tua, Hispani vestri, qui anno 1691. solum Propylæum, sed frustra, accusaverant, mortuo deinde, qui librum intactum remiserat, Inquisitore Generali, spem conceperunt eliciendi Decretum contra omnes pariter meos libros.

§. I. ACCUSATIO.

Papebrochius videtur sustinere velle, cum Calvino & Magdeburgensibus, quod SS. Maria & Joseph contraxerint matrimonium cum animo illud consummandi.

RESPONSIO.

2 INcipio ab ultima dicti loci Accusatione tua: quia hæc toti Hispaniæ, ac deinde etiam aliis gentibus, horrorem incussit, non minorem quam mihimet ipsi: illi quidem, propter gravitatem delicti, si verum foret; mihi, propter gravitatem calumniæ, quæ vera est. Postquam enim ex mea de S. Josepho Deiparæ Sponso lucubratione ad 19. Martii (quam alias adscriptam P. Henschenio, cum tibi probabatur; nunc accusaturus, mihi relinquis, pro affectu varius) postquam, dico, aliqua loca mea alia, ad invidiam ciendam aptata, proposuisses, tandem n. 112. ita loqueris: *Quorsum hac omnia effutiat Papebrochius, assequi non possum, nisi ut B. Virginem Mariam & S. Josephum indicet habuisse animum, saltem tacitum (quod absit) ad copulam matrimonialem: quod Calvinus cap. 2. in Lucam, & Centuriatores Centuria 1. lib. 1. cap. 10. docent, dicentes*, „ B. Virginem cum „ Joseph conjugium contraxisse animo consum„ mandi matrimonium. *An autem id ipsum etiam non intenderit Papebrochius, Sedi Apostolicæ relinquo* Tibi vero ego relinquo considerandum, qua fronte mihi exprobraveris usum aliquot suspectorum vel prohibitorum auctorum, in rebus nihil ad religionem spectantibus; dum contra me uteris libris hæresiarcharum, idque in rebus quam maxime sacris.

3 Porro legenti vel solam synopsim marginalem accusati a Te Paragraphi 7. apparet quam longe absim a cogitatione istiusmodi, sic enim ibi habetur: *Joseph & Maria, ante nuptias virgines, idque ex voto: quod quidem, per necessitatem ineundi matrimonii poterat solutum videri, vel dubitari an obligaret, cum præjudicio juris alieni; sed in hoc dispensante Deo, votum fuerit renovatum. Quid S. Birgitta fuerit de hoc revelatum, deque Josephi perplexitate discussa, & utriusque sponsi honestissimo convictu.* Sat in' attente hæc legeris, judices æquus Lector; &, si pleniorem velint satisfactionem, consulat ipsum qui accusatur contextum: nam vere Parthenophilis Hispanis, quorum varias pro me Apologias legere potuisti, Pater Rev. sic placet iste meus de S. Joseph Commentarius, ut Auctor, nescio quis, qui Thesibus, anno superiori Hispali pro Defensione publice impressis contra me, sed ab Inquisitione mox prohibitis defendi, opposuit *veras Papebrochii Assertiones*: sic, inquam, placet istic Commentarius meus de S. Josepho, ut Auctor iste non dubitaverit scribere, quod, *amandatis procul inanibus glossematis, nemo hactenus honorificentius, religiosius nemo, de B. Mariæ virginitatis voto locutus est, quam P. Papebrochius, Tom. 3. Martii pag. 14. an. 24. & in Propylæo Maji pag. 31. a n. 20. ut graviter & perspicue demonstrat apologetica Doctoris Ignatii Jordi, Canonici Perpinianensis, Epistola.*

4 Veræ istæ Assertiones meæ fuerunt oppositæ, ut dixi, quibusdam Thesibus, Hispali excusis, *& propugnandis in Collegio Majori D. Thomæ Aquinatis Hispalensi, die 19. Octobris, anno Domini 1696.* Scribo *Propugnandis*, quia pro more aliud non lego impressum, quam *Propugnabuntur*: qui autem ipsas Theses fecerunt recudi Lovanii, die 30. Januarii 1697. scripseruntque, *Propugnatæ*, præpropere cecinerunt triumphum ante pugnam. Intercedente enim mandato sacræ Inquisitionis, monitæ de calumniis ibidem coacervatis, *Propugnatæ* illæ fuerunt numquam; sparsæ nihilominus, ex Lovaniensi prælo, per totum Belgium Germaniamque non tamen æquali omnium probatione. Ego, nisi has Responsiones absolvere festinarem, totum illum 7. §. de S. Josepho hic reproducerem, cum ampla discussione calumniarum in eo fundatarum; sed hoc commodius forsitan fiet alia occasione: nunc satis fuerit Latine reddere partem huc spectantem, ex præcitata Doctoris Jordi Epistola, Hispanice ad quemdam Barcinonensem Canonicum scripta, contra famosum libellum, cui titulus VOX VERITATIS. Cum enim huic respondisset Auctor §. 1. circa punctum de Paupertate Christi; conclusissetque, *Vocem* istam, *sub larva Veritatis, formam habere veri splendidique mendacii*, secundum Paragraphum sic instituit:

5 Non minus mentitur, quando accusat Papebrocochium, velut injuriosum puritati Deiparæ, hisce verbis: *An censura dignum non est, quod Papebrochius dicat, sanctissimam Dei Matrem ejusque sanctissimum sponsum Josephum iniisse matrimonium, cum animo procreandi & habendi liberos? quod dicat, Mariam sanctissimam sanctissimumque ejus sponsum peccaturos fuisse gravissime, nisi conjungi voluissent cum animo consummandi matrimonii? quod dicat, Mariam sanctissimam & sanctissimam sponsam ex mutuo convictu subiisse periculum incontinentiæ; & propterea ipsis fuisse difficile observatu votum virginitatis; & rationabiliter judicari, quod Maria & Joseph non intenderint eatenus obligare se, quando votum nuncupabant?* Magnæ molis videtur esse accusatio hæc, sed mera bulla est. Id quod Papebrochius dicit pag. 10. n. 25. ita formaliter sonat: *Qui* (Josephus) *non nisi duplici necessitate & officio, tum obedientiæ, tum caritatis, vim attulit quamdam concepto prius, ac religione voti firmato, proposito virginitatis, ad extremum spiritum non solum servandæ, sed etiam profitendæ; eatenus scilicet, ut Virginem in domum suam sustineret accipere, sponsaliaque & nuptias cum ea celebrare; sed* (uti se explicans addit) *ad conjunctionem carnalem, nisi expressius juberet Deus numquam processurus.* Cur autem hoc? *Ob simile B. Virginis votum* (nota bene *ob simile votum*, scilicet *servandæ virginitatis usque ad ultimum spiritum*) *eidem fortassis divinitus revelatum.* Porro his non contentus Papebrochius infert, quod

quod *eadem ratio*, necessitas scilicet matrimonii contrahendi e Lege inducta, *majorem Josephi eatenus cælibis ætatem, ab omni creditam antiquitate, ponit extra suspicionem quamcumque incontinentiæ*. Hoc est quod sentit & dicit Papebrochius isto num. 25. de puritate & voto Mariæ sanctissimæ ejusque sanctissimi Sponsi, expressissime contrarium ei, de quo accusatur. O quam longe extendit se calumniæ sphære!

6 Si dicit Papebrochius, quod etiam ad consensum matrimonialem & ad parendum divino præcepto, opus Josepho fuit violentia quadam sibi ipsi inferenda, contra animi repugnantiam; si dicit Papebrochius, quod etiam cognito præcepto, ad statum matrimonii ineundum obligante, se non statim credidit obligari ad ipsum consummandum; imo eumdem non iniit, nisi cum firmo proposito semper abstinendi ab usu conjugali, nisi eum expressius mandaret Deus; si dicit Papebrochius, quod votum a castissimis sponsis emissum, erat de virginitate, non solum servanda, sed etiam profitenda usque ad ultimum spiritum; ubi est illud, quod *non intenderunt eatenus obligare se, quando votum nuncupabant?* Si dicit Papebrochius, quod ineuntibus illis matrimonium, sicut soiverunt, non sua, sed Dei voluntate, cessabat suspicio & periculum incontinentiæ; ubinam dicit, quod *ex mutuo convictu subibant periculum incontinentiæ?* Potestne manifestius mentiri quisquam? Dixitne de puritate Mariæ amplius aliquid S. Leocadia, vel S. Hildephonsus? Cui igitur bono tantæ exclamationes, Hispaniam, imo Ecclesiam totam personantes? Profecto cum Cassiano lib. 7. de Incarn. cap. 24. mihi majori jure exclamare licet: *O stulta amentia; quæ dum ipsa non videt quid sequi debeat; etiam illud non sapuit, quid legi possit! Quasi vero, quia auferebat sibi intelligentiam, auferre posset omnibus lectionem; aut ideo perdituri omnes ad legendum oculos, quia ipsa jam mentis oculos perdidisset*, &c.

7 Progreditur exhinc Papebrochius, & ait: *Dici certe nihil plausibilius potest ad conjugium tali voto posterius, quam ut, ex tempore emissi voti, necessitas occurrerit improvisa conjugii ineundi, quæ ex æquo utrumque obstringeret.* Hæc definitio tria supponit, Primo, quod Maria Josepho nupsit, aliquo præcepto ad id obstricta. Secundo, quod ejusmodi obligatio non fuerit ab eis prævisa, quando votum nuncuparunt. Tertio, quod istud præceptum eos excusabat a culpa, quam ineundo post tale votum conjugio poterant incurrere. Nihil tamen horum explicat Papebrochius, quia id modo non intendebat, sed reservabat id numero 45. & duobus sequentibus, quos ipsa Vox citat. Ibi scilicet explicat Papebrochius, quibus in casibus Lex vetus obligabat ad nuptias contrahendas, his verbis: *Credebatur æstimatione communi, in Legem & publicam honestatem peccaturum graviter, qui vel mortuo fratri suscitare semen, vidua illius ducta; vel heredem parentibus unicam agnatus proximus ducere noluisset uxorem; vicissimque talis vel vidua vel puella, si qua noluisset ejusmodi nuptiis consentire, vel nuptiis sic legitime contractis uti ad liberos ex se gignendos*. Ratio dicti hujus additur: *Propter spem certam nascituri ex ea gente Messiæ, & maximum bonum quod unusquisque ex eo sibi eventurum consideret, si per procreatos ex se liberos, quantum fieri posset, immediatius eidem jungeretur.*

8 Hoc solum dixit num. 45. P. Papebrochius, totum bene fundatum in sacris Scripturis, ac sigillatim Deuteronomii 25. ℣. 5. & Numer. 36. ℣. 6. uti norunt Interpretes; non dixit autem tantum, quantum Angelicus Doctor S. Thomas, 3. parte, quæst. 28. art. 4. in corpore: *Tempore Legis oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros; quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur*. Clarius vero idem præceptum explicat sanctus Doctor, eodem Articulo ad primum; ubi cum sibi objecisset ex Deuteronomii septimo hæc verba; *Non erit apud te sterilis utriusque sexus*; respondet: *Videbatur esse Lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum semen*. Loquitur Sanctus universaliter, absque Tribus ullius distinctione, de toto populo Israelitico: Papebrochius autem restringit obligationem illam ad viduam sine liberis a marito relictam, de qua est casus capitis 25. Deuteron. & de puella, quæ sit unice suorum parentum heres, de qua Numeror. 36. Si ergo S. Thomæ doctrina suscipitur ab omnibus, idque jure merito, velut Angelica; quare propositio Papebrochiana, subalterna Thomisticæ, & tamquam particularis contenta in sua universali, debebit censurari ut temeraria?

9 Sed dimittamus argumenta, ut vocant, *ad hominem*, & transeamus ad propositum casum, Num. 45. quem solum Vox citat, nec unum quidem verbum habet Papebrochius de Maria: solum enim proponit universaliter obligationem, qua aliqui in Lege veteri *tenebantur, æstimatione communi*, matrimonium inire & procreare liberos, propter spem Messiæ. Si autem non loquitur ibi de Maria Papebrochius, quo clamores isti? Dices, propter ea quæ porro scripsit. Videamus, Num. 46. expresse dicit Papebrochius, quod Maria erat una earum puellarum, quæ communi æstimatione credebantur Lege ista teneri. Respondeo, non prævidit hujusmodi obligationem sibi obventuram Mariæ, quando votum Virginitatis nuncupavit, sicut expresse asserit Papebrochius num. 25. & recta. Quamvis enim supponamus, ut supponimus, Mariam superasse Cherubinos scientia, & Prophetas omnes intelligentia; non tamen prævidere debuit obligationem, a multis futuris contingentibus pendentem. Ut enim hæc in ipsam caderet, oportebat ipsam esse *parentibus unicam & heredem*. Cum autem voto prædicto se obstrinxerit, secundum communiorem opinionem, a prima infantia, superstitibus adhuc parentibus, si illis præmoreretur, numquam erat futura ipsorum heres. Poterat etiam contingere, sicut Annæ Samuelis matri contigit, ut ipsius quoque mater Anna, post istum benedictionis fructum plures conciperet pareretque, & sic non erat futura unica. Nullo autem fundamento asseverabitur, ejusmodi futura contingentia cognovisse Mariam: atque ita facta duodennis vel quatuordennis, potuit inveniri adstricta, secundum æstimationem communem, duabus obligationibus improvisis, nubendi & liberos gignendi, propter spem Messiæ,

10 Quomodo porro eadem obligatio ipsam Virginem tangeret propius, quam alias puellas, ad nubendum Josepho agnato suo proximo, explicat Papebrochius hisce verbis: *Hæc omnia* (obligationes scilicet jam indicatæ) *in Joseph atque Maria tanto fuerunt majora, quanto propius illi per rectam tam naturæ quam Legis regulam ad illam spem* (Messiæ ex se nascituri) *admovebantur*; sicuti Paragraphis 4. 5. & 6. prægressis demonstratum fuit. Sed videor mihi audire exclamantem Vocem; Quæ consequentia! Quæ consequentia! Quam absurda! *Ergo Maria sanctissima & ejus sanctissimus Sponsus gravissime peccavissent, nisi conjungi voluissent cum animo consummandi matrimonii*, (Ubinam Papebrochius tam inverecundam format consequentiam?) Nam quid, inquis, respondebit ad hunc syllogismum? *Communiter credebatur quod puella orphana & unica heres parentum suorum gravissime peccaret, nisi nuberet proximo suo agnato: sed sic est quod Maria erat puela orphana & unica heres suorum parentum; & sanctissimus ejus Sponsus erat ipsius proximus agnatus: Ergo*. Quid, inquis, respondebit Papebrochius, quando præmissas admiserit?

11 Primo audiamus quid dicant alii, & ante omnes audiamus S. Thomam, 3. p. qu. 28. a. 4. c. ponentem & admittentem easdem præmissas, atque dicentem: *Quia tempore Legis oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros. .... Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolute virginitatem vovisse; sed, licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio*. Veniat nunc Vox, & arguat S. Thomam: *Omnes mulieres antiquæ Legis oportebat generationi insistere: sed sic est quod Maria sanctissima erat mulier antiquæ Legis: ergo Maria sanctissima debuit contrahere nuptias cum animo insistendi generationi*. Mala consecutio: quæ tamen sequitur ex admissione præmissarum. Audi vero. Ex præmissis istis, ut summum sequitur obligatio ad copulam, non item consensus in eamdem. Sed neque certo sequitur obligatio; quia obligatio sobolis procreandæ, secundum communem Theologorum sententiam, solum admitti debet juxta legem communem, præscindendo a particulari privilegio & dispensatione. Quia autem in beatissima Virgine, præsertim quoad punctum puritatis, dispensatum fuit in lege ordinaria tam gratiæ quam naturæ, alia consequentia nulla ex præmissis istis deducenda est ab ea quam docit S. Thomas: *Sed, licet virginitatem in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio*. Sciat ergo Vox, & sciant omnes per eam decepti, quod hæc & non alia est consequentia Papebrochii.

12 Audiant porro etiam, quam pie ac religiose prosequatur suam istam consequentiam. *Cur ego*, inquit, *his verear cogitationem quamdam meam, utriusque honori haud parum forsitan conducturam, aperire?* Cogitatio illa tendit ad demonstrandum, quomodo possint excusari Joseph & Maria, contrahendo post votum absolutum virginitatis perpetuæ. Iterum dico, audiant quanta cum moderatione ipse se explicet, fatendo, *suspicari se*, *rebus sic constitutis*, *revera & ex ipsa natura obligationis*, *simul cum tali voto vix aut ne vix quidem consistentis*, *potiorique debito prævalente*, *solutum fuisse ea religione utrumque*, *aut saltem merito dubitasse num adhuc obligarentur*. Primam conjecturam fundat in natura ipsiusmet obligationis, hoc modo: *Dixi*, *ex ipsa natura obligationis*. *Quia adimplendæ legis a Deo latæ necessitas*, *in quam aliquis nulla sua voluntate inducitur*, *quacumque arbitraria* (*qualis est voti*) *potior est antiquiorque*: *concipi autem ea vix potest sic*, *ut ad solas nuptias contrahendas*, *non item ad consummandas haberet obnoxios*: *cum finis legis*, *secundum naturæ ordinarium cursum*, *non potuerit absque corporum commixtione obtineri*. *Et quamvis non nisi ad contractum nuptialem obligasset*: *hoc ipso propter periculum incontinentiæ*, *quod* (nota bene) *subesse ordinarie solet in tam familiari*, *quam iste contractus afferebat*, *usu*, *prioris voti observatio tam difficilis reddebatur*, *ut merito censeri possit*, *ad ejusmodi casum nemo voluisse se obstringere*, *cum simpliciter castitatem vovebat*.

13 Hic iterum Vox insultabunda assurgit: *Ergo insimul viventes Maria sanctissima ejusque sanctissimus sponsus sustinebant periculum incontinentiæ*. *Ergo erat difficilis propterea custodia virginitatis*. *Ergo noluissent obligare se ad eam servandam*, *quando fecerunt votum*. His ego merito possem reponere, Tace, Tace, Tace, Vox. Mensuram excedis. An tibi idem esse videtur discurrere generaliter de obligationibus in communi, cum præcisione scholastica, solum spectata *ipsa obligationis utriusque natura*, & (ut Scholæ dicunt) *per se loquendo*; atque ratiocinari de ipsis in casu particulari & extraordinario, ubi epiikiæ & dispensationi locus datur? Quod ergo Papebrochius dicit cum tanta præcisione & abstractione, loquendo de obligationibus, secundum suam naturam spectatis, *in genere*; qua impudentia id tu audes applicare sanctissimæ Virgini, in qua, quantum quidem ad puritatem attinet, plus per dispensationem divinam quam ex legibus actum est? Quis unquam dubitavit, quin regulariter periclitetur virginitas, in tam familiari usu quam conjugium permittit? Quis unquam potuit in controversiam adducere, quin difficilius conjugatis sit virginitatem servare, quam liberis? Quid aliud probant exaggeratæ laudes, quas Ecclesia & Mundus tribuunt Sanctis, in conjugali statu virginitatem servasse compertis; nisi quod, cum ratione status periculosior ipsis esset conflictus, multo magis fuit gloriosa victoria? Hoc vero, nec aliud, est quod ait Papebrochius, *Propter periculum incontinentiæ*, *quod ordinarie subesse solet*. Quis in aliquo, aut etiam multis particularibus casibus, per extraordinariam gratiam vincens communem fragilitatem, inter conjugatos castitatem servat, absque ullo vel minimo periculo aut periculi umbra, exemplo plane Angelico?

14 His tamen omnibus ita positis, exclamet Vox, Papebrochium, ipsis illis verbis suis, maximas proferre blasphemias? Audacia enimvero mentientis effrons! Id quod ex illis verbis inferri potest, hoc dumtaxat est, *quod votum absolutum virginitatis*, *quo se obstringebat Maria sanctissima*, *non se extendebat ad casum matrimonii*, *etiam quando Lex*, *ipsam obligans ad contractum*, *non etiam obligasset ad consummationem*. Hæc est legitima consequentia, atque tam vera quam digna ea, quæ ipsos Seraphinos præcellens puritate, creaturas omnes præcedebat humilitate. Quomodo enim voluisset obligare se

ad

ad servandam virginitatem in conjugio, quæ de se ipsa tam humiliter sentiebat; & , ut cauta , fugiebat occasiones? seiros quod tali in statu ordinario periclitetur voti observantia, specialiter cum tunc adhuc ignoraret, qualem sponsum esset habitura. Quam igitur censuram commeruit Papebrochius, dicendo , quod votum virginitatis non extendebatur ad casum matrimonii? Numquid non idem dicit S. Thomas? Imo amplius dicit, 3. p. q. 28. art. 4. corp. quod illue non poterat se extendere: neque hoc tantum , sed etiam quod Maria non potuit absolutum virginitatis votum concipere ante nuptias; *postmodum vero, accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit*. Obmutesce igitur & sile , o Vox, nisi malis per scholas omnes vapulare.

15 Papebrochius autem mox exorditur in n. 47. sic scribens: *Præterea , ut expedito sibi per ejusmodi dispensationem utendi matrimonii jure sponsi nostri cedere & vellent & possent , quantum quidem erat ex parte sua; non tamen videntur absque gravi scelere potuisse majores suos incomparabili illa & inæstimabili fraudare gloria , quam erant æternum inter Beatos consecuturi, si repromissionis series per ipsos esset propagata*. Quomodo autem hoc colligit Papebrochius? Sicut ait; *ex ipsa obligationis utriusque natura*, & spectato ordinario ac communi more quo solent leges obligare . Atque hinc infertur secunda conjectura; *Vel saltem merito dubitusse, num adhuc obligarentur*; & utrum Dominus ille, solitus dispensare in Maria gratias , communibus legibus majores , dispensaret etiam cum ipsa in lege procreandi sobolem, ad dandum locum voto, per cujus obligationem puritas ejus magis exaltaretur. Atque hanc conjecturam corroborat Papebrochius his immediate sequentibus verbis. *Nec tamen eadem ratio, quæ illos ad contrahendas obligabat nuptias, continuo obligare debebat ad illas carnali copula consummandas : quia, sicut protoplasti parentes , accepto de propaganda prole mandato , virgines tamen permanserunt in Paradiso , expectantes quomodo & in quale tempus , vellet Deus impleri mandatum; ita illi poterant tantisper dubitare , num qui prioris obligationem voti , improvisa illa necessitate injecta , videbatur solvisse Deus; hanc quoque , qua suis majoribus obstringebantur, obligationem non esset soluturus , eosque sineret arbitratu suo castimoniam colere*.

16 Dic, amabo, Lector, utrum in omni ista periodo, ad quam ita graviter Vox impegit, sit vel una vocula, quæ indicet in Maria sanctissima ejusque sanctissimo sponso animum vel intentionem, quæ supremam puritatem dedeceat. Audiamus ergo, etiam verba ultima, quibus cogitationis suæ expositionem concludit Papebrochius: *Cumque interim moram non ferret consuetudo jam insolita, & honestatis publicæ ratio , hoc quoque addiderim , non tantum domum deductam fuisse a Josepho Virginem; sed in amicorum consanguineorumque conventu , celebratum per verba de præsenti contractum, ea mente, ut ipso illius usu tantisper abstinerent , donec , propitiato per bona opera ac preces Deo, certius aliquod divinæ voluntatis judicium obtinere mererentur*. Potestne efformari mente cogitatio magis casta , in materia tam ancipiti, ubi ex una parte videbantur conjuges lege procreationis teneri , & ex altera stabat votum virginitatis? Num in clausulam aut verbum ullum impegit Papebrochius, minus condecens puritati Josephi & Mariæ sanctissimæ? Observa, Lector, suspensionem, præcisionem , abstractionem , & verecundiam , quibus ubique explicat animum ac mentem contrahentium sponsorum castissimorum.

17 Quid diceret Vox, si audiret Papam Eugenium 24. qu. 2. *cap. Beata*, dicentem? *Committens ergo virginitatem suam divinæ dispositioni , consensit in carnalem copulam, non illam appetendo , sed divinæ inspirationi in utroque obediendo*. An ideo diceret, quod Maria & Joseph contraxerunt cum intentione consummandi matrimonium? An vero, diceret cum S. Thoma 3. p. q. 28. a. 2. *Uterque consensit in copulam conjugalem , non autem expresse in copulam carnalem , nisi sub conditione , si Deo placeret*? Hoc utique diceret Vox, si pie loqui sciret. Quid vero de Papebrochio , qui nec tantillum quidem ausus fuit scribere , & nusquam meminit talis consensus, dicam ego? Solum dicam, esse infelicem quia scripsit sponsos castissimos contraxisse matrimonium *ea mente, ut ipso illius usu tantisper abstinerent , dum propitiato per bona opera & preces Deo, certius aliquod divinæ voluntatis judicium mererentur accipere*.

18 Et adhuc dicitur ille puritatem Mariæ commaculare? Numquid illud ipsum est quod dixit S. Thomas 3. p. q. 28. a. 2. c. *Super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio*? Numquid hoc totum idem est, quod jam jam dixit Eugenius Papa . *Committens ergo virginitatem suam divinæ dispositioni*? Porro quod in S. Thoma habetur pro sententia maxime plausibili; in Eugenio Papa pro decisione canonica; non tolerabitur in Papebrochio , id ipsum , imo etiam minus aliquid, proferente per meram conjecturam *suspicor*? aut proponente *cogitationem quamdam* suam per modum simplicis suggestionis? Id vero non solum ei interdicetur ; sed audebit etiam Vox (non propter alias clausulas quam nunc transcripsi) censuram illi tam acrem infligere , qualis vix infligeretur *Martino Luthero* , *Bucero* , *Bezæ* , *aliisque Hæresiarchis*? Talis-ne & tam solennis impostura , tot mendaciis farta , permittetur ac tolerabitur in Ecclesia Dei ? Crede, Lector , Veritati , sed non crede Voci .

19 Hactenus egregius ille Doctor ac subtilis Theologus , assertiones meas earumque fundamenta & munimina, quæ ego meo, id est , historico stylo deduxeram, more scholastico distinguens atque evolvens, clarius longe quam nunc facere possim ? Idem multoque prolixius integro libro faciet, *Apologia Veritatis* , cum reddita Latine fuerit, *contra varias imposturas & accusationes publicas* , *composita per P. Antonium Xaramillum , e Societate Jesu , Cathedraticum Theologiæ , & in præsentiarum Procuratorem generalem Provinciarum Indicarum*, eumdem qui Supplicem libellum composuit, a P. Antonio Beltran , Procuratore generali Provinciæ Toletanæ , oblatum Regi contra silentium, quod Patres Carmelitæ mihi volebant imponi. Est autem apologia ista *dedicata supremo sacræ Inquisitionis generalis Concilio*: Dedicationem autem sequitur *Approbatio, quam ex Commissione D. Licentiati Alfonsi Portilii & Cardos , Dignitatis & Canonici insignis ecclesiæ Collegiatæ Talaveranæ , Inquisitoris ordinarii , Vicariique Madritensis , dedit adm. R. P. F. Raphael a S. Joanne , antehac Magister Generalis Ordinis Discalceatorum sanctissimæ Trinitatis de*

Re-

Redemptione captivorum 24. *Ianuarii* 1697. ubi apte adfertur istud S. Hilarii lib. 7. de Trinit. *Magna est veritatis vis, quæ cum per se intelligi non possit, per ea tamen quæ ei adversantur elucet, ut in natura immobilis maneat, firmitatem naturæ suæ quotidie, dum atteritur, acquirat.* Huic autem amplissimæ approbationi subjungitur postridie signata *Licentia* ejusdem *Ordinarii*.

20 Similiter præfigitur Apologiæ eidem *Approbatio Doctoris Don Petri Fernandez del Pulgar, Canonici Pœnitentiarii sanctæ Ecclesiæ Palentinæ, Examinatoris & Judicis Synodalis dicti Palentini Episcopatus, ejusdemque Visitatoris generalis, sicut & antea fuerat in Archiepiscopatu Burgensi, nec non Chronologi majoris Indiarum &c.* Est vir hic, amplissimus simul ac eruditissimus, tota Hispania æstimatus inter vere litteratos, atque inter pseudo-dextrinarum fabularum expugnatores hoc tempore nominatissimus, cui munus ipsam Apologiam recognoscendi fuerat a Senatu status regii consignatum, per decretum 22. *Aprilis* 1697. & executioni mandatum 26. ejusdem: jussio enim Regis urgebat: consensus tamen regius in ipsius jam excusi libri publicationem, non fuit ante 20. *Maii* expeditus. Stimulos autem admovebat necessitas occurrendi tot infamibus libellis & chartis, quæ sine numero, ex parte Carmelitarum, nullo aut ficto auctore vulgabantur, non sine ipsiusmet Regiæ ac Pontificiæ personæ injuria, dum per summum scelus eis affingebantur litteræ tantis Majestatibus indignissimæ.

21 Declarat autem Censor iste Regius, quod *omni cum solicitudine legit ipsam Apologiam, utpote continentem varias materias Theologicas, Dogmaticas, Scholasticas, & ad ecclesiasticam historiam spectantes; cumque hæ adeo graves ac difficiles sint, nihil tamen in ea reperi* (inquit) *quod repugnet nostræ sanctæ Catholicæ fidei, aut bonis moribus, vel sanctæ ac generalis Inquisitionis decretis: quamvis autem stylus apologeticus sit, non excedit religiosam modestiam; solumque hoc agit, ut defendat P. Danielem Papebrochium a delationibus & contradictionibus, factis contra libros ejus, opponendo verba Papebrochii verbis adversariorum, aut negando quæ ipsi adscribuntur, donec ea demonstraverint; aut satisfaciendo ipsorum argumentis, aut comparando ea sententiis Doctorum classicorum, idem cum Papebrochio sentientium, & liberorum ab ea collatione, sub qua ipsum adversarii accusant, faciuntque complicem hæreticorum contra Romanos Pontifices. Atque hoc unicum est argumentum hujus Apologiæ, quæ suum propositum insequitur magna cum modestia; quia non ad vincendum, sed ad defendendum intenta; assequitur autem, quia (sicut dixit Tertullianus)* „ quod tanto „ impendio absconditur, etiam solummodo de„ monstrasse, destruere est.

22 *Cedit hæc Apologia ad gloriam D. N. Jesu Christi ejusque sanctissimæ Matris; quandoquidem in ea declaratur paupertas unius Evangelica, & illustratur genealogia; alterius vero puritas, in virginali cum Josepho conjugio, efficaciter defenditur, & in voto virginitatis nuncupando præeminentia, plane ex mente & doctrinis prædicti Papebrochii. Servit etiam hæc Apologia ad penetrandas & declarandas quæstiones varias ad Ecclesiæ Catholicæ gloriam conducentes. Et licet solum utilis foret Danieli Papebrochio liberando ab accusationibus & delationibus, publicatis contra auctorem, qui studuit & studet utilitati Ecclesiæ, quemadmodum hæc Apologia demonstrat; deberet in publicam lucem emitti, ad restituendam ei auctoritatem quam habebat ante delationes & accusationes, denigrativas famæ ejus atque laboris in obsequium Ecclesiæ suscepti. Ejusdem non ignoro, quod licet adversarios minime lædat hæc Apologia, dolorem tamen ipsis adferet: verum hæc est veritatis energia & consequentia inevitabilis, ideoque Tertullianus in Scorpiaco dixit:* „ Nec quia tantum modo contristat, recu„ sabitur; sed quia necessario contristat, ad„ hibebitur. Horrorem operis, fructus excu„ sat. Ululans ille, & gemens, & mugiens in„ ter manus medici, postmodum easdem mer„ cede cumulabit, & artifices optimas prædi„ cabit, & sævas jam negabit. *Ita præsumo eventurum delatoribus & adversariis Papebrochii, quia existimo esse cupidos veritatis, quam in Apologia agnoscent.*

23 Utinam ita omnes saperent, qui me persequuntur, oculosque post multorum annorum luctam aperiant tandem veritati, non euntes qua præcedit P. Sebastianus a S. Paulo; sed qua eundum est & qua præcessit adm. R. P. Fr. Josephus Ignatius a S. Antonio Carmelita Discalceatus, ex illustrissima familia Toparcharum de Robec oriundus laudatusque in Præfatione ad t. 2. Spicilegii Acheriani, velut *longe eruditissimus & antiquarum rerum peritissimus*. Is, dum vivebat, amicus mihi fidelis, sed clam, & gnavus in suppeditandis veteribus monumentis adjutor, nunc demum, cum vita functus eo transiit, ubi non amplius debet sibi timere a persecutionibus, libere & palam nominandus: is, inquam, est istius Epistolæ auctor, quam sine nomine tunc adhuc viventis dedi tom. 2. Maii pagina 712. quamque hic denuo libenter producam, plus efficaciæ fortassis nunc habituram apud eos, qui æquioribus oculis legerint hasce Responsiones. Est autem epistola data anno 1675. post quædam alio spectantia tenore continuo sic progrediens:

24 *Quid sentiam de iis, quæ in Aprili suo scripsit Rever. vestra de nostro Ordine, latius aperiam occasione commodiori. Dicam interim, quod in plurimis non recedo a vestris assertis; eoque minus, quo plus studii & laboris per multos jam annos insumpsi in iis ad fundum disquirendis. Veritatem amo, non commenta, quibus undique repleta est historia Ordinis: a quibus utinam semel bene repurgetur! Saraceni in Menologio absurditates sæpius demiratus sum: tentavi aliqua conciliare: sed frustra, præsertim in Alberto Legislatore. De aliis nunc taceo. Meam mentem circa illas materias sæpe discretioribus quibusdam e nostris aperui: & plura, de quibus agit Rev. V. antequam illa vidissem, jam olim judicavi: unde non difficile erit excusare Rev. V. (quod etiam præstiti, & quantum prudentia patietur præstare pergam) quasi ad hæc scribenda aliena aggressione impulsam. Utinam ille Armamentarii Auctor tacuisset, nec vobis occasionem dedisset discedendi a proposito olim facto! Utinam & imposterum taceat! quod vix crediderim. Sed de his modo satis, alias data opportunitate pluribus. Interim . . . . . apprecor felicia Rever. vestræ festa Pentecostalia, rogoque Dominum, ut ipsam divinis sancti Spiritus charismatibus replere dignetur, ut Ecclesiam* do-

doctissimis suis lucubrationibus declare festinet. Hoc voveo; hoc opto.

§. II. ACCUSATIO.

Papebrochius, in ordinanda Christi Genealogia, Evangelistas fallaces, Patres temerarios, facere præsumit.

RESPONSIO.

25 Quia non lubuit Tibi, Pat. R. Appendiculam istam dividere in Paragraphos, & cuique Paragrapho Titulum ponere, ipso qui subjicitur textu atrociorem, ut facis in Exhibitione; cogor, quam proxime ad mentem Tuam, formare Titulum, ut uniformi passu etiam hic in fine procedat opus. Si quod minus scripsi quam voluisti, monitus corrigam: sed existimo, quod hisce lectis multum de supercilio isto censorio depones, & mitius potius quam acerbius voles fuisse locutus. Substantia accusationis hujus continetur n. 151. 152. 153. ex quibus hasce Positiones collegit infelix Thesista Hispalensis. Thesis 26. *Messiam ex Abrahami stirpe descensurum, nota erat passim & ubique prædictio; sed quomodo subsisteret veritas, tunc maxime obscurum fecerunt Evangelista Matthæus & Lucas, cum expansa generationum serie & quasi tabularum fide, eamdem videbantur clare demonstratam voluisse.* „ Hoc assertum „ Hæreticum est. 27. *Ex modo, quo sacri Evangelistæ Christi genealogiam descripserunt, occasionem præberi adversariis veritatis, aut Evangelistas mendacii, aut fidem nostram falsitatis arguendi;* „ Hæreticum est. 28. *Plerique sanctorum Patrum, temere Africanum secuti, nec rationi nec Scripturis satis convenienter, videntur adscripsisse Matthæo, ejus quæ secundum carnem est generationis seriem. Lucæ vero alterius quæ secundum Legem successionis.* „ Hoc dictum „ blasphemum, impium, ac erroneum est. 29. *Nec dicere audemus omnino, neutrum Evangelistam carnalem Christi genealogiam texuisse; non Matthæum, sæpius ab illa deflectentem; non Lucam, quia hic in contrario nobis sensu statim ab ipso principio exerrat, generum substituens loco filii.* „ Et hoc erroneum est.

26 Qua auctoritate Thesista illa assumpserit sibi potestatem Inquisitionis generalis, aut unde acceperit censuras istiusmodi salvo sacri istius Tribunalis secreto, viderint illi quorum interest. Nunc præmissis oppono Assertiones, menti meæ ac veritati consentaneas magis, quæ hujusmodi sunt. Thesis 26. *Nullus, nisi plane Scripturarum indoctus, dubitare potest, quin uterque Evangelista, Matthæus & Lucas, ex diversa quam prosecuti sunt generationum serie, maxime obscuram reddiderint genealogiam Christi. Quod si quis hujus rei experimentum capere velit, inveniet, post doctissimas sanctorum Patrum lucubrationes, copiosam adhuc restare difficultatum messem. 27. Hæreticos tam ex genealogia Christi, quam ex aliis Scripturæ locis, occasionem arripuisse blaterandi multa contra infallibilitatem Scripturarum, demonstrabit, ut ceteros prætercam, S. Augustini Concordia: nisi forte & huic hæresim affingere libet. 28. Deducere, ad augendam ejus opinionis difficultatem, plerosque Patres temere Africanum secutos, seu, quod idem est, in Africani sententiam conspirantes, non satis conformiter rationi aut Scripturis fuisse locutos, nec blasphemum, neque impium aut erroneum est: aut easdem omnino censuras merentur Scholastici omnes, quotquot gravissimas absurditates ex contrariis opinionibus deducere solent. 29. Etsi non tantum erroneum, sed etiam impium & blasphemum esset, negare, alterutrum Evangelistarum carnalem Christi genealogiam texuisse; ab his solum hæc absurditas devoranda erit, qui statuere volunt, Joachimum, patrem beatæ Virginis, eumdem esse cum Heli, ut recte argumentatur Papebrochius Tomo 3. Martii pag. 78. §. 2. num. 8.*

27 His præmissis, tamquam præambulis, exhibeo distinctiorem discussionem prætitulatæ Accusationis, ex epistola Doctoris Jordi, Vocem, non Veritatis, sed Mendacitatis sic redarguente: Accusat Vox illa Papebrochium, ut injurium Evangelistis, sic clamans: *Numquid censura dignum est, quod Papebrochius dicat, Sanctos Evangelistas Matthæum & Lucam confudisse, veluti ignorantes, in suo Evangelio genealogiam Christi; quodque ab ipso principio erraverint in eadem exponenda?* In margine autem citat tomum 3. Martii pag. 9. colum. 2. & Vitam S. Joachimi pag. 78. n. 8. Verum, ad diluendam calumniam hanc, sufficit adducere ipsamet Papebrochii verba, pag. 9. col. 2. ubi de Evangelistis loquitur num. 22. sic exordiens: *Spiritus sancti œconomia est, inspergere res credendas dubitandi causis, ut trans obtentum velum nitens penetransque credulitas, non ignava victoria præmium auferat.* Hanc tam universalem & catholicam propositionem exemplo illustrans idem Papebrochius, mox adjungit; *Id cum in loco ac tempore nati ex divina promissione Messiæ, tum maxime in ejus genealogia licet cernere: quem quidem ex Abrahami semine, & Davidis stirpe descensurum, nota erat passim & ubique prædictio; sed hunc quomodo sua subsisteret veritas, tum maxime obscurum* (hic animum adverta) *fecerunt Evangelistæ Lucas atque Matthæus, cum expensa generationum serie & quasi tabularum fide, eamdem* (& hic attentus esto) *videbantur clare demonstratam voluisse.*

28 Hic sine dubio conspirare Vocem necesse erat, adscribendo ignorantiæ Evangelistarum, id quod erat mysterium. Dicit Papebrochius, quod *Evangelista Lucas & Matthæus obscuram fecerunt genealogiam Christi*: & idem dicunt de Spiritu sancto, qui eos dirigebat, quotquot Catholici scriptores agunt de obscuritate sacrarum Scripturarum, contra Lutheranos & Calvinistas, qui pro sua a Theologis scholasticis aversione asserunt, Scripturam esse tam claram, ut ad ejus intellectum nullo studio opus sit. Legatur S. Thomas 2. p. q. 1. art. 9. ad 2. & inter alias rationes invenientur deductæ duæ, quod scilicet talis obscuritas conducat, ad *exercitium studiosorum, & contra irrisiones infidelium*. S. Gregorius hom. 10. in Ezech. *Plerumque*, inquit, *in sacro eloquio obscure aliquid dicitur, ut, dispensante multipliciter Deo, multipliciter exponatur.* Relegatur attente prima clausula Papebrochii: & intelligetur, quanta cum ratione potuerint Evangelistæ, dirigente ipsos Spiritu sancto, ad majorem gloriam nostræ sanctæ fidei, obscuram reddere genealogiam Christi, *ut trans obtentum velum nitens*

tens penetransque credulitas, non ignava victoria præmium auferas. In quo igitur culpatur Papebrochius? In hoc dicet Vox, quod affirmet, Evangelistas *tum maxime obscuram fecisse genealogiam Christi, cum eamdem videbantur clare demonstratam voluisse.* Hoccine est dicere, quod *eam confuderunt veluti ignorantes?* Aliquam rem declaratam velle, & illam confundere, verissima ignorantia est: ast hoc non dicit Papebrochius: non dicit quod ipsam *voluerunt declaratam*; sed quod *tum maxime obscuram fecerunt, cum eam videbantur clare demonstratam voluisse.* Meliori cum fundamento dicam ego, Vocem alloquens, quod confundere velle id quod clarum est, malitia sit. Ex illis Papebrochii verbis non colligitur ignorantia Evangelistarum, sed aliæ duæ res longa diversæ: prima, exiguitas nostri intellectus, qui sinit se decipi eo, quod prima fronte apparet esse; secunda, eaque momenti majoris, sacræ Scripturæ profunditas, non tam facile penetrabilis. Atque hinc apparet, quomodo Vox ista exerret, etiam in cantu faciliori.

29 Exorbitat autem eadem Vox turpissime in numero 8. quem allegat pag. 78. Defendit istic Papebrochius communem Interpretum sententiam, quæ negat, quod Heli, quem Lucas nominat patrem Josephi cap. 3. ℣. 23. dicendo, *Josephi qui fuit Heli*, sit eadem persona cum Joachimo, quem traditio Ecclesiastica facit patrem Mariæ; eamque sententiam probat *ex inconvenienti*: quia sic nullus Evangelistarum referret integre generationem Christi naturalem; *non Matthæus, sæpius ab ipsa deficiens, non etiam Lucas, quia in contraria nobis sensu* (nota bene) *statim ab ipso limine* (nota etiam hoc) *exerraret, generum substituens loco filii.* Ubinam hic est enormis ista blasphemia, quod *Evangelistæ erraruns jam inde a principio describenda genealogiam Christi?* Ast numquid in textu Papebrochii legitur vox *exerraret*? Legitur omnino: non tamen vox *erravit*. Idem est, inquies, *exerrare*, & *errare*; nec aliter intelligit Papebrochius. Id quidem verum non est, sed utitur ea voce pro *Deficere*; transeat tamen istud. Dicere quod Evangelistæ *erraverint*, si istud fuisset, de quo an fuerit quæritur, ad probandum istud non fuisse, estne dicere quod reipsa *erraverunt*? Dicere, quod *Lucas erraverit ab ipso limine*, si vera esset sententia quæ impugnatur, estne fateri quod sic *erravit*? Istud vero, nec amplius, dicit Papebrochius; *In contrario nobis sensu statim ab ipso limine exerraret.* Hoccine forsan tibi est *velle corrigere id quod dictavit Spiritus sanctus? Quid est, quod dixisti infelix astutia?* (sit mihi fas uti verbis Augustini in Psalm. 65. alloquendo Vocem) *vere tu ipsa obdormisti, quæ scrutando talia, defecisti.* Scito Lector, quod Vox ista non solum nihil habet de substantia Veritatis, sed neque de apparentia.

30 Nihilo justior est accusatio, quæ formatur contra Papebrochium, velut injuriosum sanctis Patribus, cum quæritur: *Numquid non est censura dignum, quod dicat Papebrochius, sanctos Patres esse quosdam temerarios, absque fundamento in ratione aut Scriptura firmato, quando solutioni dubia, in Christi genealogia occurrentia, sequuntur Julium Africanum?* Citatur in margine ejusdem t. 3. Martii pag. 10. n. 29. Ibi sic scribit Papebrochius: *Alter hic nodus est, etiam Possinus nostro Opuscul. Collect. non infeliciter solutus: cui quidem plurimi sanctorum Patrum præivere, dicentes, ab Evangelistarum altero carnalis generationis servari ordinem; ab altero legalis successionis rationem haberi. Sed plerique eorum, temere* (nota verbum, in quod tota vi Accusatores incumbunt) *temere*, inquam, *Africanum secuti* (*a quo alioquin in utrinsque lineæ conjunctione desciscunt*) *nec rationi nec Scripturis* (huc quoque animum advertat Lector) *satis conformiter videntur adscripsisse, Matthæo ejus, quæ secundum carnem est, generationis seriem, Lucæ vero alterius, quæ secundum Legem, successionis.* Hic est locus, quem accusandum suscipit Vox: sed, amabo lector, numeremus mendacia inter accusandum admissa.

31 Hic non loquitur tantum Papebrochius *de Sanctis Patribus*, tam indifferenter, quin simul etiam intelligat Patres interpretesque non sanctos, quales fuerunt Eusebius Cæsareensis, Nicephorus, aliique. Insuper non loquitur *de omnibus sanctis Ecclesiæ Patribus*, sed solum de *plerisque eorum*: & hos quoque non dicit, esse *sine fundamento ex ratione aut scriptura*, uti supponit Accusatio; sed quod eorum sententia videatur *nec rationi nec Scripturæ satis conformiter* procedere. Non etiam loquitur de omnibus dubiis, quæ circa genealogiam prædictam moveri possunt; sed de uno solo, quomodo videlicet demonstrari possit, uter duorum Evangelistarum, Matthæus an Lucas, tenuerit seriem naturalem. An ergo dicere ex occasione, quod sententia aliquorum Patrum, in quæstione particulari, problematica, & accessoria ad aliam principalem, in qua ipsimet inter se discrepant, videatur non satis conformis rationi & Scripturæ, censuram meretur? Quid autem, si Papebrochius istud non dixerit absolute, sed maxima cum moderatione usus est verbo *Videntur*? Ita tamen loquitur, *Nec rationi, nec Scripturæ satis conformiter videntur adscripsisse.* Poteratne sensum suum explicare modestius? Ubi est ergo præsumpta *temeritas?*

31 In adverbio Temere, dicet Vox; dum Papebrochius asserit, Sanctos Patres *temere Africanum secutos*. Ecqua major magisque formidabilis possit excogitari præsumptio? Numquid enim hoc non est dicere, quod *sancti Patres Ecclesiæ sunt quidam temerarii?* Hic primum invenio laudem, quam solam Voci reddere possit Papebrochius, scilicet quod auctor ejus sit *male coctus Grammaticus*. Ita profecto. Latinitas ejus adhuc cruda est. Poterat legisse quod de Adverbio Temere scribit Laurentius Valla, Elegantiarum linguæ latinæ lib. 2. cap. 49. *Pro* Fere *accipitur* Temere, *apud omnes post Ciceronem natos.* Similiter Nicolaus Perottus, in Cornucopiæ linguæ latinæ, col. 651. Temere, *omnes qui post Ciceronem fuere, pro* Fere *usi sunt.* In hac significatione usurpatunt illud Quintilianus lib. 4. institut. cap. 4. Plinius lib. 16. cap. 421. Suetonius, in Augusto cap. 16. aliique præcipui Latinitatis magistri. Nescio, an Vox legerit istos auctores, quando accusavit Papebrochium; cum autem Vox intendat agere Grammaticum, suam hoc in genere fateatur insufficientiam oportet. Intelligat ergo. Quando Papebrochius dixit de aliquibus sanctis Patribus, quod *temere Africanum secuti* sunt; non dixit, quod eum sint secuti *temerario*, sed quod fere omnes aut major eorum pars secuti sint.

32 Hoc ego colligo, non solum ex magna

Papebrochii Latinitate, sed ex ipso ejus contexto, & ex contrapositione hujus clausulæ cum sequenti parenthesi, *Plerique eorum temere Africanum secuti sunt (a quo aliquis in utriusque lineæ conjunctione desciscunt)* ubi adverbium *Aliquis*, idem significans quod *Præter hic*, est particula exceptiva aut limitiva ejus quod antea dictum fuerat: itaque non opponitur nisi iis adverbiis, quæ significant pluralitatem aut extensionem. Cum ergo certum sit, quod TEMERE solum significet pluralitatem, quando sumitur pro FERE; adverbio idem significante quod significat *ut plurimum*; & non significet pluralitatem, quando accipitur pro *Audacter*, *Sine causa*, *Facile*, *Fortuito*; hinc fit, ut adverbium istud, quamvis secundum se & ex sua natura æquivocum foret aut male sonans, tamen non retineat suam æquivocationem aut malesonantiam ratione contextus, cui insertum legitur. Taceat igitur Vox, & priusquam discedat, audiat veritatem, quam dixit Vigilius Papa lib. 4. contra Eutychen in defensionem S. Leonis. *Quæ cum ita sint, inhoneste uteris officio, religiosis callide insidians, ut superiora demendo, & sequentia non addendo, ita media erigas, ut verba sententiis exuens, de eorum nuditate pro arbitrio ludas.* Audiat eadem Vox etiam consilium, quod ipsi idem Vigilius dat. *Redde igitur suis omnia locis, & propria sententiis indumenta restituas, & noli insidiosis fraudibus calumniari.*] Hactenus Doctor Jordi, cui per omnia consonat P. Xaramilius, qui cap. 6. Apologiæ (quod totum a num. 241. ad 341. est de Christi Genealogia) antequam ad punctum principale veniat, de quo mox, in Accusatione hac secunda, detegit imposturas Delatorum & P. Sebastiani omnino decem, partim ex verbis male truncatis, partim ex aliis perperam Hispanice redditis procedentes, quas convictiones alias licebit Latine expositas dare.

§. III. ACCUSATIO.

Papebrochius improbabilem plane, & cunctis retro seculis inauditam opinionem secutus, scripsit S. Josephum Deiparæ patruum fuisse, Lucamque Josephi naturales, Matthæum legales progenitores recensuisse.

RESPONSIO.

34 Quam illa opinio non plane nova sit, sed fundata in Scriptura & Patribus: quodque illa pro eo quod naturalem Josephi patrem a Luca, non a Matthæo nominatum attinet, habeat auctorem S. Ambrosium; pro altero, quod attinet gradum consanguinitatis inter Mariam & Joseph a me propositum, firmissimis nitatur rationibus, nolo meis verbis declarare, sed patiar pro me loqui P. Xaramilium, ut hic accipiat Lector specimen supra laudatæ Apologiæ, donec integram vacet Latine reddere. Interim ne quis erret, existimans eam sententiam, in specie tam novam, reipsa tam veterem, a me primo expositam publicæ luci & eruditorum examini; iterum profiteor, quod & in Martio & in Apparatu ad Conatum, & quidem distinctius in Apparatu, professus sum; illustrationem difficillimæ & implicatissimæ per tot secula quæstionis deberi Joanni Bessono, Gallo, in Academia Tholosana per annos sex sacrarum Litterarum Professori, qui ipsam inseruit lucubrationibus suis super Canticum Canticorum, ad versum 13. capitis 1. Hujus meditationes latius deinde deduxit discipulus ejus, & in eadem Cathedra successor, Petrus Possinus, multis & ipse libris Tholosæ ac Romæ editis clarus, in Dialectico Theogenealogico, quod anno 1646. vulgavit. Hunc mox secutus fuit Joannes Baptista Cancellottus, Alexandri Papæ VII. Confessarius, in suo ad Annales Marianos Apparatu; quorum Annalium primus Tomus Romæ prodiit an. 1661. summa cum approbatione exceptus. Aliud ego illuc non contuli, quam brevitatem; quæ si non satisfaciebat omnibus, non debebat sic sugillari mea synopsis, quin ad fontem rediret is, qui penitius excutere Possini lucubrationem voluisset; maxime cum intelligeret, omnes fere ex nostra Societate, qui argumentum hoc postea attigerunt, in Possini sententiam concedere; homines utique minime fungos, & qui saltem tam sedulo feliciterque incumbunt studio sacræ Scripturæ, quam ipsi, qui nunc sibi gloriæ ducunt, iis in aliquo contradicere. Sed Xaramilium audiamus, num. 307. & deinceps respondentem libro Delationum Hispanicarum anni 1691. hactenus a me non tactarum, quia ipsas nolui cum Exhibitione miscere; sic] loquitur.

35 Sustinet Papebrochius, Evangelistam Matthæum describere genealogiam legalem, Lucam naturalem Christi. *Hoc*, inquiunt Delatores fol. 14. *est contra totum id quod sentit Ecclesia*: ergo Papebrochius Ecclesiæ se opponit. Respondeo, Patres Delatores nimis præcipitasse sententiam: neque tam facile credi debuisse, quod Papebrochius vel alius quicumque Catholicus, sentiat *contra totum id quod sentit Ecclesia*. Scire autem convenit, hanc quæstionem in eo potissimum versari, uter Evangelistarum nominaverit naturalem Josephi genitorem, sicut ostendit Abulensis qu. 27. in cap. 1. Matthæi. Videamus igitur causam ipsam, & notemus, quam despotice arguatur Papebrochius sustinere aliquid, *contra totum id quod sentit Ecclesia*. S. Ambrosius, unus ex quatuor Ecclesiæ Doctoribus, lib. 3. in Lucam: *Heli*, inquit, *fratre sine liberis decedente, copulatus est fratris uxori, & generavit filium Joseph, qui juxta legem filius Jacobi dicitur*. Non potuit clarius Sanctus exprimere, quod Heli fuerit naturalis pater S. Josephi: cujus etiam patrem S. Lucas nominat Heli, & sic sursum ascendit usque ad Adam: nec est in iis vel unum assignare, qui pertineat ad lineam legalem: ergo, secundum hunc, Lucas exponit lineam naturalem. Quæro nunc, utrum sententia S. Ambrosii damnata sit? utrum sanctus Doctor *sentiat contra totum id quod sentit Ecclesia*? Quæro ulterius, an S. Ambrosius non habuerit notitiam ejus Epistolæ, quam super eo argumento scripsit Aristidi Africanus? & tamen tenet sententiam ei oppositam.

36 P. Adamus Contzem, non solum in Scripturis interpretandis, sed etiam in controversiis de fide quæstionibus exercitatissimus, multumque ab hæreticis passus, in Matthæum qu. 1. §. 4. *Nondum convenit*, inquit, inter Expositores, *an Joseph vir Mariæ sit Jacobi filius naturalis, Heli legalis; an contrarie: utrique enim sententiæ sunt auctores. Verum plures & præstantiores in* Mat-

Matthæo, naturæ; in Luca, Legis rationem habitam asserunt. Atqui in eo quod tota Ecclesia universim sentit, non est varietas opinionum; & omnes, tam plures quam pauciores, tam præstantiores quam minus præstantes, ad eamdem pertinent: ergo in hac quæstione, illi qui numero & celebritate inferiores sunt, non sentiunt *contra totum id quod sentit Ecclesia*. Canus lib. 11. c. 5. *Catholici quidam*, inquit, *omni vi & ratione contendunt, id quod de duobus patribus Joseph, naturali & legali, refertur, commentum, portentum, monstrum, somnium esse*. Et Auctor quæstionum novi ac veteris Testamenti, ab eodem Cano allegatus, dicit, illam *ad nullam rem proficere*. Non probo talis censuræ rigorem: quia tamen Catholicorum est, ipsam refero, ut appareat, talis censuræ auctores non existimare, quod ea sententia sit concordi Ecclesiæ sensu recepta, quemadmodum Delatores volunt receptam esse sententiam Africani.

37 Doctissimus Barradas censura quidem omni abstinet, modeste tamen discedit ab historia Africani, dicens; *Aliter quoque per Patres sanctissimos licebit nobis argumentum illud, quod initio quæstionis propositum est, facile solvere: si enim viverent, hanc diluendi rationem etiam, ipsi probarent: illam enim alteram* (quam scilicet ex Africano sumpserunt) *ut verosimilem, non ut omnino certam, secuti sunt*. Citat autem contra Africanum Barradas Galatinum, Lucidum, Canum, Annium, Sotum, Jansenium, Genebrardum & Canisium. Non possum ego hic prætermittere, quin ex præfato Cano, in Resp. ad arg. c. 3. describam sequentia: *Illud fortasse movere potest, quod in tertia conclusione Capitis superioris disseruimus, communem scriptorum omnium traditionem, certo, nedum probabiliter, pro vera historia habendam esse: huic autem Africani traditioni Historici omnes Ecclesiastici testimonium perhibent. Igitur non modo probabilis, sed certa illa doctrina erit, quæ duos patres Joseph, legalem & naturalem, infert. Minime vera: multum enim refert, res gestas qua Historici asseveratione narrent. Si enim is ipse, qui primus auctor historiæ fuit, rem, non ut visam ac certam, sed ut auditam & incertam, scripserit; tunc qui simili temperamento rem ceu probabilem referunt, quamvis consentiant omnes, non faciunt tamen historiæ firmitudinem. Africanus, unde ceteri historiam hanc acceperunt, nihil præter auditum habuit, nec referentibus certam habuit fidem. Nam postquam rem, perinde ut a Judæis acceperat, ad Aristidem retulisset, ejusmodi verba, Musculo interprete, adjecit. Sive itaque ad hunc modum, sive aliter habet res illa, non poterit quisquam meo judicio clariorem, illius scilicet quæ objecta erat, Evangelistarum discrepantiæ, expositionem reperire. Quisquis autem æquo animo præditus est, idem quod nos curabit, etiamsi certum desit testimonium; ob id videlicet, quod meliorem ac veriorem expositionem preferre non poterit. Evangelium sane per omnia, quæ vera sunt, tradit. Hactenus Africanus*.

38 Eximius Doctor Suarez, tomo 2. in 3. p. disp. 2. sect. 3. dicit, *illam Patrum interpretationem esse quidem probabilem, non tamen certam, nec ab iis simpliciter affirmari. Itaque non sunt fundati in certa aliqua historia vel traditione. Imo historia, quam Eusebius & Damascenus referunt, non consonat cum Evangelio Lucæ: ipsi enim dicunt, Melchi genuisse Heli. Lucas vero, inter Melchi & Heli, ponit Levi & Mathat, ita ut Melchi genuerit Levi, Levi Mathat: ergo illa historia stare non potest. Imo in codice Damasceni alius est apertus error: ibi enim Melchi dicitur filius Levi, cum tamen Lucas e contrario dicat, Levi esse filium Melchi ... Redditur autem dubia & incerta, tum quia probabile est oportuisse fratres esse germanos, & ejusdem patris, familiæ ac hereditatis, ut unus posset alteri semen suscitare, ut recte ponderat Cornelius Jansenius: tum etiam, quia ipsimet illius defensores inter se non consentiunt. Nam præter dicta, plures Josephum faciunt naturalem filium Jacob, legalem autem Heli: Ambrosius vero e contrario facit illum naturalem filium Heli, & legalem Jacob. Hieronymus rem, ut dubiam & controversam, reliquit. Solum ergo videtur illa responsio probabiliter tradita. Nihil autem obstat, ut aliqua expositio a posterioribus tradita, si facilior & expeditior appareat, teneatur*.

39 Videamus nunc, quid potuerit movisse Papebrochium, ut non adhæreret firmiter Africano, sed adscriberet naturalem genealogiam Lucæ; atque ut existimares, Sanctos Joachimum & Josephum fratres faciendo, facilius se dissoluturum difficultates hic occurrentes. Prima ratio est. Quia, sicut Evangelium de Josepho dicit, *Qui fuit Heli*, ita tertio & septuagies utitur eadem phrasi, *Qui fuit*, ab Heli usque ad Adam; quasi unis ab aliis successive procedentibus. Atqui in his septuaginta tribus vicibus, terminus *Qui fuit*, semper significat generationem proprie dictam, seu processionem veram filiorum a patribus. Ergo istud *Qui fuit*, eodem modo debet accipi, quando dicitur de Josepho, *Qui fuit Heli*. De Adamo etiam dicit Evangelista, *Qui fuit Dei*: ubi licet τὸ *Fuit* non significet ejusdem modi generationem, cujus fuerunt priores septuaginta tres, significat tamen processionem physicam & realem, per quam Deus, tamquam creator, dedit Adamo primum esse. Atque hoc modo inter septuaginta quinque vices, quibus notatur vox *Fuit*, invenimus septuaginta tribus vicibus notari descensum naturalem filiorum a patribus; septuagesima autem quarta vice, originem physicam & realem per viam creationis. Quid ergo inconveniens vel absurdi, vel quæ definitio Ecclesiæ prohibet, quo minus eodem modo intelligatur, quod *Josepho fuit Heli*, quomodo intelligitur ab Heli usque ad Adam, id est proprie filius; quando etiam in Adamo respectu Dei vox eadem significat causalitatem physicam & immediatam?

40 Secundo, cum essent tam multæ rationes, propter quas Christus poterat dici filius Josephi, putavit Evangelista, cautissime procedendum sibi esse; ideoque non est usus eo quem toties iteraturus erat sermino *Qui fuit*, sed valde alia phrasi scripsit, *filius, ut putabatur, Joseph, qui fuit &c.* plane acsi expresse dixisset, quod *Christus non fuit filius naturalis Josephi, quemadmodum vulgo credebatur*. Et quia talis conceptus non aliunde nascebatur, quam ex eo quod homines sibi imaginabantur, Christum habere talem originem, qualem ceteri habent a parentibus suis; & quia hic conceptus erat plane falsus, noluit uti verbo *fuit*, sed alio prorsus opposito, *ut putabatur*, quo verum intellectum a falsa imaginatione discerneret.

41 Tertio. Si Lucas secutus fuisset ordinem legalem, certum est quod nominaturus etiam fuisset patres legales, quando perveniebat ad eas personas, quæ tales habuerunt: hoc autem vide-

mus eum fecisse numquam: ergo propositum ei fuit naturalem, non legalem ordinem sequi. Hujus syllogismi minor probatur. Booz conjugem accepit Ruth, viduam Mahalonis, ut defuncti nomen in sua familia & hereditate suscitaret: ex hoc matrimonio natus est Obed, secundum legem adscribendus Mahaloni, tamquam patri legali: & tamen Lucas non dicit, *Obed qui fuit Mahalonis*; sed, *Obed qui fuit Booz*, a quo revera genitus erat. Ergo Lucas non intendit in genealogia notare patres legales, supposito quod naturalibus relinquat filios ab iis genitos.

42 Quarto. Patres naturales, quos habemus ex scripturis alibi, ab Adam usque ad Abraham, & ii quos ab hoc usque ad David numerat S. Matthæus sub termino *Genuit*, referuntur etiam a Luca sub termino *Fuit*, absque ulla uspiam discrepantia: ergo absque argumento prorsus convincenti non debet verbo *Fuit*, propter respectum Heli ad Joseph, auferri significatio generationis, proprie & in rigore sumptæ, quam habet in ceteris ejusdem genealogiæ capitibus; multoque minus debet ea significatio accusari, velut contraria ex toto ei quod sentit Ecclesia: undenam autem habebitur tale argumentum?

43 Quinto S. Matthæus scripsit suum Evangelium Judæis, omnia sua ordinantibus ex præscripto Legis: & quia benedictiones atque prosperitates, ipsis a Deo promissæ, fundabantur in Abrahamo & Davide, tamquam capitibus atque principibus, orditur genealogiam suam Matthæus ab his verbis, *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham*, nec ultra hunc Patriarcham progreditur; sed ostendit quod eisdem postea numquam defuerit successor legitimus, qui tam insignes patres repræsentaret, tamquam promissionum divinarum heres. Lucas vero, scribens Gentilibus, qui dispositionis Legis Judaicæ parum curabant, non contentus ad David & Abraham venisse, pergit porro usque ad Adam, & hinc ad Deum; ut doceat, quomodo tam illustris series progenitorum Christi in mundo esse & numerari cœperit.

44 Sexto. Papebrochius, faciendo fratres S. Josephum atque S. Joachimum, & veros ac naturales filios Heli, format genealogicam lineam, prorsus rectam & continuam, avorum ac proavorum usque ad Adamum; nec opus habet ullo uspiam collaterali. Si enim Heli fuit pater naturalis Josephi & Joachimi, fuit idem Heli avus Mariæ, & consequenter proavus Christi, itaque ex ordine continuantur ceteri, absque eo quod in genealogia tota opus quis habeat aliquo solum legali patre Christi. Cum autem tota difficultas consistat in probando, per lineam rectam progenitorum Josephi, genealogiam Christi, difficultas ista vehementer lævigatur per istam Papebrochii opinionem.

45 Septimo. Alius quilcumque gradus consanguinitatis inter Dominam nostram & Iosephum, si illa non fuerit hujus neptis ex fratre, & Joseph non fuerit filius naturalis Heli, necessario subinducet in genealogiam Christi unam aut plures personas, nihil ad Christum pertinentes, id est quæ non fuerint avi vel proavi ejus, quod multum detraheret perfectioni ipsius genealogiæ: quæ perfectio ex adverso summa erit, si per Josephum ascendendo recta, nullus inveniatur in tota linea, qui etiam non fuerit ex avia proaviisque Mariæ, atque adeo ipsius Christi. Itaque Evangelistæ manebunt liberi ab illo grandi defectu, quem alioqui videntur incurrisse inserendo Josephum in genealogia Messiæ, si illum Matthæus per naturalem, Lucas per legalem seriem deduxerunt: sicut in schemate genealogico Possinus & Papebrochius monstrant. Partem ergo ejus vide hic deductam.

D A V I D

Salomon — Nathan

Ex hinc Reges 12 medii usque ad — *Ex hinc alii 18 medii usque ad*

Jechonias — Neri

Salathiel

Zorobabel

Abiud — Resas

Atque post alios 8 — *Atque post alios 16*

Jacob — Heli

JOSEPH, Joachim

MARIA

JESUS

filius (ut putabatur) Josephi.

46 Octavo. Cum videatur absonum, dicere, quod neuter Evangelistarum scripserit genealogiam Christi integre naturalem, videtur necessario dicendum, quod hanc scripserit eorum alteruter. Non S. Matthæus, qui aliquando sequitur dispositionem legis, deficiente ordine naturæ, ut mox videbimus: ergo S. Lucas, in quo usque ad Adamum, nec semel quidem notatus invenitur aliquis pater legalis.

47 Nono. In toto modo opinandi hactenus relato, nihil invenitur adversum ei, quod fide docemur. Per ipsum autem verificatur, quod Christus fuerit *filius David*, quia per rectam lineam venitur ad Nathan fratrem Salomonis, ambos filios naturales Davidis. Verificatur etiam, quod Christus fuerit de Tribu Juda, & quod in ipso fuerit completa promissio facta Abrahamo: prout clarissime monstrat generationum series, expansa apud Lucam. Ubinam est igitur assertum aliquid *contra totum id quod sentit Ecclesia*?

48 Decimo. Præter istum tam commodum modum conciliandi inter se sanctos Matthæum & Lucam, iidem Evangelistæ conciliantur etiam cum Jeremia Propheta, per quem cap. 22. ℣. 30. fulminavit Deus terribilem istam comminationem contra Jechoniam: *Scribe virum istum sterilem, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda*. Si autem Matthæus, dicens quod *Jechonias genuit Salathiel*, loquebatur de generatione naturali, & non de filio dumtaxat legali; quomodocumque Salathiel genuerit Zorobabelem, qui populum Dei rexit per iter ex Babylone in patriam, & per quem reædificata fuit civitas cum templo, habuerit procul dubio Jechonias nepotem, gloriosum auctoritate & potentia, in regimine publico. Quomodo igitur verificabitur in tali

casu

asu comminatio veracissimi Dei, per quam affirmat, non futurum ex Jechonia, qui habeat hujusmodi potestatem? Neque dixeris, Zorobabelem non fuisse Regem, atque completas in eo minas Jeremiæ. Non enim solum dixit, quod nullus de semine Jechoniæ *sedebit super solium David*, id est, quod Rex erit; sed neque *qui potestatem habeat ultra in Juda*. Quamvis autem Zorobabel non fuit Rex, fuit tamen Dux, & cum tali potestate gubernavit Judæos notabili tempore: igitur catenus non fuerit sufficienter impleta prophetia.

49 Sed & respectu Christi, quem Matthæus in serie sua facit descendere ex Jechonia, difficultas tam grandis est, ut eam Ambrosius appellaverat *Veritatis naufragium*; nec aliam invenerit solutionem, quam ut diceret, Christum non fuisse Regem temporalem, quo sensu loquatur Jeremias; sed spiritualem dumtaxat, itaque etiam quoad Christum completam fuisse Prophetiam, quamvis ex Jechonia Christus processerit. Verum hujusmodi difficultas solum offertur iis, qui sustinent, in Jechonia defecisse stirpem Salomonis. Sicut enim Mariæ per Angelum promisit absolute Deus, quod filio ejus *dabit sedem David Patris ejus*; sic absolute comminatus est Jechoniæ, quod nemo foret ex semine ejus, *qui sedeat super solium David*. Quare, si in primo casu non loquitur Scriptura de sede temporali, videtur quod nec in secundo loquatur de sede temporali, Tali sententiæ multum favet totus Psalmus LXXXVIII. ubi promissiones de Messia aliter afficiunt Davidem, aliter filios ejus. In iis enim quæ spectant ipsiusmet Davidis personam, utitur particula, *In æternum*, aliisque similibus, & ipsas proponit velut absolutas & irrevocabiles; *Juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen suum*, ℣. 5. & ℣. 29. *In æternum servabo illi misericordiam meam*, &c. quando autem loquitur de posteris ejus, loquitur sub conditione; neque uni eorum alicubi absolute & sigillatim appromittit descensurum ex ipso Messiam: sed ℣. 3. *Si autem dereliquerint*, inquit, *filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint; si justitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.*

50 Hic vero bene notandum est, nequaquam dici, *non dispergam ab eis*, sed, *ab eo*, idque per particulam adversativam *Autem*. Per quæ omnia Deus voluit indicatum, non acturum se cum Davide, sicuti cum quocumque alio filiorum ejus; scilicet, futurum semper ut ex Davide naleatur Messias; non tamen ut per hunc vel istum ejus filium determinate continuetur felix illa descendentia. Pergit autem Psalmista, & exponens dicteria atque irrisiones Gentilium contra Judæos, palam exprobrantium, quod, mortuo Jechonia cum eoque extincta Salomonidarum stirpe, nullum amplius haberent expectandum Messiam, subinfert mentionem de commutando Christo; dicitque; *Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium; quod exprobraverunt inimici tui, Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui*. Quænam est illa commutatio, quam fecit Deus? quænam illa translatio Christi ejus? An forte de domo in domum, de David in personam aliam? Non, Manebit, & erit Christus *de domo & familia David*: sed intra hanc manendo, transibit ab una linea ad aliam, a Salomonidis culpa sua rejectis, ad Nathanitas quos Lucas enumerat. *Nec facile*, inquit Possinus, *reperiant Interpretes aliam commodam istius Commutationis Christi expositionem*; certe nullam magis litteralem.

51 Porro Delatores fol. 16. non solum sequuntur historiam Africani, sed etiam volunt quod Heli fuerit idem qui Joachim, pater Dominæ nostræ: unde gravia incommoda multa, & intolerabiles sequuntur absurditates. Etenim historia Africani asserit, quod Jacob & Heli fuerint fratres, & quod Jacob, mortuo Heli, duxerit ejus viduam, unde genuit Josephum. Si ergo Heli & Joachim sunt una eademque persona, sequitur quod Jacob duxerit S. Annam viduam Heli-Joachim: & porro si, uti ex S. Anna Heli-Joachim genuit Virginem, sic eadem, isto mortuo, peperit Jacobo Josephum, fratres uterini fuerint Maria & Joseph; imo sequitur, quod Domina nostra, nata ex priori S. Annæ matrimonio, grandior natu fuerit quam Joseph, natus ex secundo: quod totum a nemine potest admitti. Ad hoc evitandum si dicere velint, fuisse duos viros, nominatos Heli, quorum unus fuerit frater Jacobi, alius pater Deiparæ; fuerit hæc conjectura mere gratuita, nec absque fide dignis historiis recipienda.

52 Papebrochius opinionem suam stabilit super capite 36. Numerorum, Sanctosque Patres & Doctores præcitatos, qui dicunt, quod Domina nostra Josepho nupsit ex necessitate per legem inducta, velut proximo agnato: rursumque eamdem stabilit super Evangelio, & dicit; Posito quod genealogia Christi describatur per patres, avos, proavos; quodque ea sit ducenda per lineam rectam exclusis collateralibus; illa proxima agnatio vel consanguinitas non potest alia concipi, quam patrui & neptis: sic enim pater Josephi fuerit avus Mariæ, & proavus Christi, atque ita porro usque ad Adam. Si hoc Papebrochius colligit ex sacra Scriptura, Interpretibus & Patribus, quid hoc faciunt toties inculcati Lutherus & Brencius? Ubi ille contemptus Patrum, & Evangelicæ doctrinæ neglectus, quos in Papebrochio culpant Delatores?

53 Ast Evangelista Matthæus utitur voce *Genuit*, quæ significat generationem naturalem: ergo describit genealogiam naturalem, & Lucas legalem, posito quod usus sit voce, naturalem non significante. Ad hanc objectionem priusquam respondeam, suppono, ad hoc ut aliquis Evangelista dicatur referre genealogiam legalem, non requiri ut omnes ab eo relati solum sint patres legales; sic enim neque Matthæus neque Lucas ejusmodi genealogiam haberent, posito quod a David usque ad Abraham iidem Evangelistæ concurrant in eosdem patres naturales; in Luca vero, ut jam indicavi, non est facile invenire vel unicum, qui naturalis non sit, sed solum legalis.

54 Porro difficultas præcipua est circa patrem S. Josephi, sicuti notavit Abulensis; quanquam Fr. Didacus Stella, Ordinis S. Francisci, enarrans caput 3. Lucæ, non multum sit solicitus, ut difficultatem eam discutiat; quandoquidem negans quod S. Joseph fuerit filius naturalis Heli, Lucæ tamen adscribit genealogiam naturalem Christi. Dicit enim fol. 278. *Adverte, quod Lucas scribit generationem Christi natu-*

ralem, per viam Nathan: & paulo post; *Nec oportet dicere, quod Lucas filios posuit legales & adoptivos, ut multi falso dixerunt.* In principio autem ibidem dixerat: *Lucas ergo Evangelista prosequitur generationes omnes, juxta naturam procedentes, directe secundum lineam Nathan.* His interim non obstantibus, ad finem Capitis, Josephum dumtaxat facit generum Heli. Itaque consentit Papebrochio in tota prima parte, adscribens ordinem naturalem Lucæ; non item in secunda, licet nullum ostendat fundamentum, quare ceteræ generationes naturales sint, non item illa qua dicitur, quod Joseph *fuit Heli*, idque sub eadem phrasi, subnixa judicio S. Ambrosii.

55 Isto supposito, quod scilicet, ut ordo habeatur legalis, necesse non sit patres omnes esse legales; respondeo ad quæstionem propositam, quod S. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 3. eamdem tractet ac solvat difficultatem. Nam primo sententiam illam, quæ per verbum *Genuit* in Matthæo vult generationem naturalem intelligi, solum dicit esse magis probabilem, ipsique Latino vocabulo magis aptam: *Quem probabilius*, inquit, *intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum, qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus filium esse narrabat? Commodius enim filius ejus dictus est &c.* Ubi animum adverte ad moderationem Augustini, utentis adverbiis *Probabilius* & *Commodius*. Pergit autem, & ait: *Quamquam, si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quam ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantem patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur, non carne, sed caritate genuisse, quem filium sibi adoptaverit.* Tum varia loca ex SS. Paulo, Joanne, & Jacobo citat, atque ex omnibus hanc tandem elicit consequentiam; *Non ergo alienum esset a veritate, etiamsi Lucas, ab illo esse Joseph genitum diceret, a quo fuerat adoptatus: etiam sic quippe genuit eum, non ut homo esset, sed ut filius esset.*

56 Mira profecto verba, quibus Augustinus clarissime docet, vocem *Genuit* per seipsam non probare generationem naturalem, nisi aliæ circumstantiæ idem suadeant; itaque concludit: *Sed plane si hoc verbo etiam Lucas uteretur, omni modo esset ambiguum, quis eorum adoptantem, quis ex propria carne gignentem patrem commemorasset: quomodo, etsi neuter eorum diceret, Genuit; sed & si ille illius diceret, nihilominus esset ambiguum, quis eorum illum de quo natus, quis illum a quo adoptatus erat, commemorasset. Nunc vero cum alter dicat, Jacob genuit Joseph; alter, Joseph qui fuit filius Heli, etiam ipsa verborum differentia, quod singuli susceperint, eleganter intimaverunt. Sed hoc facile, ut dixi, posset occurrere homini religioso, qui quidlibet aliud quærendum potius judicaret, quam Evangelistam crederet esse mentitum.*

57 In toto hoc contextu apparet, quod S. Augustinus, ex una quidem parte tenet Jacob esse patrem naturalem Josephi; ex altera vero, quod verbum *Genuit*, indifferens sit ad significandum, quod is qui genuisse dicitur, possit non esse pater naturalis, qui dederit ut homo esset; modo acquisiverit sibi filium cum jure successionis: eo quod ipsa vox *Genuit* ambigua sit & dubia ad significationes ejusmodi, quando fundamenta nulla suppetunt, ad unam earum determinandam. Ex hac igitur doctrina, & propter rationes jam allegatas, atque auctoritatem S. Ambrosii, non solum dicentis quod, *Heli generavit filium Joseph*; sed quod hic idem *secundum Legem filius Jacob dicitur*; procedit Papebrochius, ut vocem *Genuit* apud Matthæum non accipiat in toto suo rigore pro generatione naturali, respectu omnium eorum quos nominat; sed aliter respectu quorumdam de quibus cum Augustino dicit: *Sic quippe genuit eum, non ut homo esset, sed ut filius esset*, subinducendo collaterales in jus alicui succedendi; & de talibus dicendo, quod fuerint geniti, quantum ad participandum jus hereditatis, non autem naturam humanitatis, per lineam rectam & physicam descendentiam.

58 Hac ratione lib. 1. Paralip. cap. 3. ℣. 16. dicitur, *De Joachim natus est Jechonias & Sedecias*; ubi Hebraicus textus & Septuaginta legunt: *Et filii Joachim, Jechonias filius ejus, Sedecias filius ejus*; ubi particula ejus refertur ad immediate præcedentem, quemadmodum fit in toto catalogo Regum Juda, mediorum inter Davidem & Jechoniam; unde Septuaginta Interpretes dicunt, *Et filii Salamon, Roboam filius ejus, Abia filius ejus, Asa filius ejus, Josaphat filius ejus, &c.* Secundum istum ergo loquendi modum, in præcitato capite Paralipomenorum, quod totum genealogicum est, nominatur Sedecias filius Jechoniæ, eodem stylo quo alii nati ex patribus suis: & tamen Sedecias non fuit filius naturalis Jechoniæ, sed patruus ejus, quemadmodum constat ex lib. 4. Regum cap. 24. ℣. 17. ubi dicitur: *Et constituit Mathaniam patruum ejus pro eo, imposuitque nomen ei Sedecias:* idemque legitur lib. 2. Paralip. cap. 36. ℣. 10. Patet autem ex hactenus deductis, quod qui in historia est patruus Jechoniæ, in arbore genealogica ponatur ut ejus filius, non quia ab ipso accepit esse, sed quia ipsi successit in officio ac jure. Hoc ipsum est, quod Papebrochius dicit aliquibus in casibus usuvenisse Matthæo, insistens fundamentis ac rationibus jam expensis, ad tribuendam Lucæ genealogiam naturalem.

59 Restat nunc ut Delatores ostendant, unde relata hactenus fiant improbabilia omnia, & prorsus destituta rationibus atque auctoritatibus; ostendant, inquam, quod sancti Patres pro certo affirment, quod ipsemet Africanus dumtaxat tamquam dubium retulit: quod non liceat sequi S. Ambrosium, qui Josephum facit filium naturalem Heli; quod termini, quibuscum ipse Sanctus aliique supra relati appendunt obscuritatem genealogiæ Christi, a veritate dissonent; ac denique, quod conjugia patruorum cum neptibus in veteri Lege fuerint illicita, adeo ut non licuerit S. Josepho ducere Dominam nostram, neptem suam, etiam posito quod Scriptura nullum ejusmodi matrimonium referret. Quamdiu dictorum nihil demonstrare poterunt esse destitutum auctoritate ac ratione videant, qua ratione possint probabilitatem omnem detrahere opinioni Papebrochianæ. Videtur enim quod, juxta Sanctos aliosque Auctores, nequeat dubitari, quin genealogia Christi sit punctum perquam obscurum. Sacris autem libris scribendis nemo manum apposuit

posuit nisi Deus, tamquam principalia eorum auctor; Evangelistæ, quorum scribentium manus regebat, fuerunt ejus instrumenta. Si *obscurum facere*, idem est quod *errare* (sicuti vult P. Sebastianus a S. Paulo) videat quid debeat dicere, & utrum sit æquius, eum, qui obscuritatem induxit, accusare erroris; an eum, qui talem obscuritatem, errorem appellavit.

§. IV. ACCUSATIO.

Papebrochius contra Sanctos Patres, & legem, decernentem nefarium esse patruorum cum neptibus matrimonium, SS. Mariam & Josephum incestui alligat.

RESPONSIO.

60 Elicitur hæc accusatio ex Appendiculæ num. 147. & verbis cujusdam Theseos Lovanii defensæ, ubi tale *matrimonium nefarium* esse dicitur, *juxta Hieronymum, Ambrosium, aliosque, nullo (quod scimus) Sanctorum Patrum eis repugnante:* unde fidenter asserit Pater Sebastianus, quod *Papebrochius in his aliisque turpiter erravit*. Mallem ipsa Sanctorum Patrum, qui allegantur, verba legere. Interim pro me, imo pro se suoque Magistro respondeat Possinus ex cujus cap. 57. & 60. describo eam partem, qua *conjugia inter patruos & fratrum filias, Judæis usitata demonstrantur exemplis*. Sic ille loquitur:

61 Occurrendum hic semel admirationi Lectorum, ex receptis hodie moribus res tam antiquas æstimantium; quos fortassis offendat conjugii mentio inter patruum & fratris filiam. Et quidem hodieque apud Judæos, sine ulla religione aut scrupulo, frequentari conjugia ejusmodi tradunt, qui res eorum exploratas habent, & de suis temporibus testatum reliquerunt, Lyranus, Paulus Burgensis, Arboreus, Cajetanus: iidemque censent, nihil eos in hoc contra naturale jus audere; sed ex fideli traditione, instituta majorum, magnis exemplis & divinis institutionibus comprobata, inculpatis in hoc quidem usurpare moribus.] Sic Possinus, cujus verbis interponere liceat, quod hac 2. Julii, dum hoc folium adsertur a mendis expurgandum, veniens ad me D. Baro le Roy asserat, adesse se ab insigni Rabino, qui desuper consultus asseveret, nihil hodieque inter ipsos esse usitatius; quin etiam addebat D. Baro, semet Amstelodami aliquoties intersuisse nonnullorum nuptiis, tali in gradu conjunctorum, idque sine ulla dispensatione, qua ad easdem opus est Catholicis. Nunc pergat Possinus.

62 Sane magna opinio est doctissimorum hominum, Abrahamum, illum credentium patrem, non fidei solum, sed etiam religionis omnis ac sanctimoniæ absolutissimum exemplum, fratris sui Arani filiam, in matrimonio habuisse; Jescham nimirum, quæ alio nomine Sarai aliquamdiu dicta est, ad extremum Sara. Ita docent Josephus lib. 1. Antiqu. cap. 7. Hieronymus in quæst. Hebr. Augustinus lib. 16. de civ. Dei cap. 12. & ex iis plerique recentiorum Chronographorum atque Interpretum. His ut potius assentiar quam aliis, qui censent Sarai fuisse veram Abrahami sororem, ex ipso ejus patre Thare, sed ex alia uxore genitam quam quæ Abrahamum peperit, suadet Scripturæ locus Gen. xi. 27. ubi census familiæ Thare describitur in hunc modum: *Hæ sunt generationes Thare. Thare genuit Abram, Nachor & Aran. Porro Aran genuit Loth, mortuusque est Aran ante Thare patrem suum in Ur Chaldæorum. Duxerunt autem Abraham & Nachor uxores. Nomen uxoris Nachor, Melcha, filia Aran patris Melchæ & patris Jeschæ.*

63 In his verbis videor mihi animadvertere indicia idonea, quæ adstruant, Jescham & Sarai eamdem unam mulierem binomiam fuisse. Cur enim, si Sarai ex alio genere fuit, non id ipsum exprimendum putavit Moyses, diligentissimus in talibus? Et si ista Jescha non fuit Sarai, quid tandem causæ est, cur deinde Jescha quid factum sit, cuique nupserit, altissimo silentio fuerit obrutum? Sed & cum dicuntur duxisse, Abraham & Nachor uxores, videtur indicari, communi consilio similique exemplo duxisse. Atqui de Nachore dubium nullum est, quin Melcham, Arani fratris filiam, duxerit, Jeschæ sororem. Ergo similiter Abraham, Arani ejusdem fratris quoque sui filiam, in matrimonio habuerit, Jescham scilicet, quæ & Sarai: non enim quomodolibet uxorem duxisse; sed cum Nachore, eodem, inquam, ex genere eodemque consanguinitatis gradu contingentem sese, uxorem duxisse dicitur: atque ita fraterna utriusque providentia, patrisque Tharæi fortassis imperio, desolatæ Arani familiæ consuluisse, pupillis ab eo relictis filiabus ducendis; simulque cavisse, ne elocandis iis earumve altera, in externos, domus Tharææ hereditas carperetur.

64 Et videmus passim in Historia sacra, id egisse summa cura Tharæi posteros, ne connubiorum causa domo egrederentur, sed consanguinitatem affinitatis necessitudine arctius stringerent, & surculos e stirpe dimanantes in truncum recolligerent communione nuptiarum: quæ videtur quasi Salica lex familiæ istius fuisse. Unde sunt illæ adjurationes, tam seriæ tamque solicitæ, vel Abrahami Gen. 24. vel Isaaci, 28. Denique hujus sententiæ quamdam emphasim in illis quoque verbis sentio, ex cap. 12. Gen. ℣. 5. *Tulitque* (Abraham) *Sarai uxorem suam, & Lot filium fratris sui*; utrumque videlicet pari consanguinitatis sibi admotum gradu, tametsi in altera, neptis appellationem, conjugis familiarius nomen obrueris.

65 Manifestum enimvero est, inquies, ex Tharæi domo fuisse Sarai, Abrahamique cognatam; sed interiori conjunctione quam dicis: fuit enim ejus soror, ex patre dumtaxat. Id ipse, qui optime scire potuit, testatur Abraham Gen. 20. his verbis de Sarai loquens: *Alias autem & vere soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem*. Respondeo: res ita se habuit. Tharæus duas habuit uxores, ex quarum altera Aranum, ex altera Abram suscepit. Aran, procreato Loto filio, & duabus puellis Melcha & Jescha sive Sarai, mature decessit. Iis curandis educandisque, in patris immediati curam ac locum, avus (ut fit) successit, ex quo ejus filiæ dici potuerunt peculiari jure. Sic Jochabed, mater Moysi, Numeror. 26. ℣. 59. Levi Patriarchæ filia dicitur: quæ tamen cum dicatur Exodi 6. ℣. 20. Amrami filis

Caath

Coath *patruelis*; *filia fratris patris ejus*, necessario debuit alicujus filiorum Levi filia fuisse; avo tamen peculiari adoptione dicata, propter præmaturam fortassis patri mortem.

66 Absolvam quod agere cœpi, reddamque alterum adversariorum argumentum, quod ipsi palmare putant, contra hanc nostram de Sara Arani filia sententiam. Sic enim inquiunt. Gen. 17. annus ætatis Abrahami centesimus, cum nonagesimo Saræ componitur, ex quo constat decennio fuisse illum uxore sua Sara seniorem. Rursus Gen. 11. dum scribitur vixisse Thare septuaginta annis, & genuisse Abram, Nachor, & Aran, indicatur Abrahamus Arano senior. Ergo cum decennis Abrahamus erat, quo tempore Saram natam oportuit, vix novennis esse Aranus potuit; qua ætatula quis putet filiam generare potuisse? Hæc illi: quibus sic occuro. Aliis quoque indictis intelligi, nuper allato Genesis loco, non temporis, sed dignitatis, aut alterius rationis ordinem inter Tharæi liberos poni; adeo ut Aranus revera primogenitus, tamen, vel quod cito mortuus nihil magnopere historia dignum habuerit, vel quod ignobiliori matre natus, Nachori Abrahamoque postponatur. Quod ne pluribus persequamur hoc loco, institutæ disputationis cogitatio revocat, a qua jam licentius evagati sumus. Sed recipimus nos, hunc digressionis fructum ad causam reportantes, ut nuptiarum patruum inter ac fratris filiam, Abrhamus ipse Hebræis auctor atque exemplum fuerit, sicuti & frater ejus Nachor.

67 Atque hoc ne quis ante promulgatam Legem factum excipiat, repetat memoria, quod Judicum cap. 1. traditur; Calebum, divinæ legis utique observantem virum, sine ulla aut dubitatione sua aut reprehensione cujusquam, filiam suam Axam, fratri suo minori Othonieli in matrimonio collocasse; manifesto argumento, id conjunctionis genus licitum per divinam Legem semper fuisse visum. Naturalem vero, gentibus communem omnibus (utcumque positiva & privata quarumdam jura sanxerint) nihil contra istæc connubia præscriptum habuisse, intelligi ex eo potest, quod apud gentes plurimas usitata memorantur: ut minus ex eo causæ Tacitus habuerit Judæos infamandi, quasi conjugiis inter se miscendis nihil illicitum haberent: cum tamen nihil ultra hunc gradum in hoc genere progressos, satis constat.

68 In qua eadem probanda frequentandaque conjugii specie, similes ipsis fuerunt Phæaces, ex Homero Odyss. 7. Æthiopes, ex Ovidio Metam. lib. 5. Tyrii, ex Justino lib. 2. 8. Macedones, ex Diodoro lib. 16. Lacedæmoniique, ex Herodoto lib. 5. Siculi, ex Plutarcho & Æmilio Probo in Dionis vita. Quin etiam, licet essent hæ nuptiæ prohibitæ Romanis legibus, quarum prima ejus argumenti Nervam Augustum auctorem habuit, ex Dione; tamen Claudium Augustum habuisse in matrimonio fratris filiam, Suetonius & Tacitus narrant: de quo etsi a Seneca aliisque reprehensus est (more jam tum invalescente abominandi hasce nuptias, quem deinde Lex Nervæ sancivit) antiquissimum tamen ejus facti exemplum Claudius habuit in Servio Tullio, Romanorum Rege alioqui laudato, qui duas filias nuptui tradidit fratribus matris earum, ut Dionysius Halicarnassæus lib. 4. Livius, aliique Romanarum rerum scriptores docent.

69 Porro (ut de Judæis pertexam, quod orsus sum) posset ex Lege eorum objici, ad probandum apud eos licitas non fuisse has, quas diximus, nuptias, illa verba ex Levitici cap. 18. ℣. 14. *Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus*. Verum solis viris hæc præcipiuntur: nec unquam (ut opinor) revelare turpitudinem viri mulier dicitur. Vetatur igitur isto loco, ne quis uxorem patrui sui, etiam postquam is obierit, ducat; ut recte intellexit Augustinus quæst. 60. in Levit. ubi hunc locum sic exponit, ut turpitudinem patrui non aliam intelligendam putet, quam turpitudinem uxoris patrui; adeo ut conjunctio *Nec*, expositive usurpanda hoc loco sit, ut significet, *Id est, Non accedes &c.* quæ certissima est omnium fere Interpretum expositio.

70 Quod siquis pergas quærere, cur ex eodem Levitici Capite ℣. 12. & 13. nec amitæ, nec materteræ liceat filio fratris aut sororis mariti sui nubere, cum patruus aut avunculus filiam fratris sui aut sororis ducere possit? Primum, licebit dicere, arbitrii divini rem esse; locumque hic habere quod dici solet, parum valere, in juribus ac voluntatibus Regum, argumentum a simili. Deinde non improbabile discrimen Cajetanus ad eum locum adfert: Quod enim, inquit, naturali jure uxor subesse viro debeat, indecens est, amitam aut materteram ei subjici, in quem auctoritatem quasi maternam habuerit: quæ ratio in filia fratris, respectu patrui, nulla est .....

71 Porro ea attenta meditatione Scripturarum, & persecutione antiquæ politiæ Judaicæ populi, comperisse mihi videor, fuisse in usu Hebræorum genus quoddam tutelæ legitimæ aut adoptionis conjugalis, qua, vinculo officii cujusdam, æstimatione communi constituti, adstringebatur quisque patruus, pupillam neptem, præmatura morte fratris orbam relictam, domum suam ducere sibique despondere, interim dum adulta postmodum ætate celebrari possent nuptiæ. Longe repeti moris hujus exempla poterant, inde usque ab Abrahamo Hebræorum generis auctore, fratreque ejus Nachore, qui pupillas virgines, a fratre eorum Arano relictas, curandas susceperint: verum habemus recentius efficaciusque argumentum instituti hujus, libro Estheris perscriptum cap. 2. his verbis: *Erat vir Judæus in Susan civitate, vocabulo Mardochæus ..... qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther, & utrumque parentem amiserat, pulchra nimis & decora facie. Mortuisque patre ejus ac matre Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.* Estque valde notandum scholion Rabbinorum in eum locum, de quo audiendus Rabbi Jarchi: *Magistri nostri*, inquit, *interpretantur quod dictum est, Estherem a Mardochæo sumptam in filiam, ut ducta domum ab eo & desponsata, ipsi in uxorem sit*. Desponsata, inquam, non autem in uxorem adhuc per verba de præsenti ducta: non enim, si hoc esset, ea deinde potuisset Assuero nubere. Nec quemquam moveat, quod filiæ nomen longe abest a conjuge: potest enim facile intelligi similitudinis nota, quæ sæpe latet in Hebræis, & e Lectore supplenda relinquitur; ut jam sensus sit,

cura-

curatam & educatam Estherem a Mardochęo sicut filiam, in conjugii tameo spem. Sic enim 2. Reg. 12. Bethsabea, Uriæ viro fuisse dicitur *ficut filia, & de pane illius comedens, & de calice ejus bibens*.

72 Videre videor renueotes aliquos, & ad Rabbinicarum nugarum quisquilias haoe interpretationem amandantes. Sed repriment, sat scio, præjudicata ex iovidia Rabbinicæ levitatis, at hoc quidem loco injuste delicata fastidia; eum acceperint, LXXII. Ioterpretes, veoerabilis ac sacrosanctæ auctoritatis, expositionis hujus plane auctores sese ferre ac profiteri. Sic eoim locum illum reddunt, *ἐν δὲ τῷ μεταλλάξαι αὐτῆς (τῆς Ἐσθὴρ) τοὺς γονεῖς, ἐπαίδευσεν (ὁ Μαρδοχαῖος) αὐτὴν ἑαυτῷ εἰς γυναῖκα*. Hoc est, *Defunctis autem ejus* (Estheris) *parentibus, erudivit* (Mardochæus) *eam sibi in uxorem*. Ex quibus obiter potest intelligi, quam eximia & singulari ratione fuerit Esther figura B. Mariæ, Mardochæus Josephi. Sed hæc exsequenda ornandaque aliis relinquimus, collegisse hinc contenti, Josephum non nisi duplici necessitate atque officio, tum obedientiæ, tum caritatis adductum, vim attulisse quamdam coocepto prius ac religione voti firmato, proposito virginitatis ad extremum spiritum, non servandæ solum, sed etiam profitendæ: vim autem attulisse eatenus tantum, ut Virginem in domum suam susfineret accipere, sponsaliaque cum ea celebrare, numquam ad nuptias processura.

73 Nec est quod quisquam, ex modo adducta Historia Estheris, contra ea quæ superius constituimus excipiar, non videri obstrictos patruos ad ducendas pupillas fratrum filias; oam alioqui peccasset Mardochæus, cum Estherem Assuero dari uxorem voluit: nec vero in eo ipsa Esther culpa immunis esset, siquidem & ipsam reciproca obligatio cogebat se servare Mardochæo. Respondeo enim, in casu tam singulari, tantoque in periculo servieotis uoiversi populi, ac necessitate regii favoris, quem spes esset istia nuptiis conciliari posse, interpretatum esse Mardochæum, nec se, nec neptem suam teneri tunc ista lege: id quod etiam fortassis occulto divini Spiritus instinctu intellexit, Estherique dixit: quæ ut c. 2. dicitur, quidquid ille præcepisset, observabat. Equidem & alia in eadem Historia video, quæ vix aliter licita fuisse videri possunt, quam Deo, pro suo somma potestate rerum omnium, legis sux facieote gratiam, privilegio singulari. An non enim, ut alia taceam, Deuteronomii 7. severe cautum erat, ne puellæ Israelitides viris alienigenis & ethnicis nubereot, qualis sine dubio Assuerus fuit? Nupsit tamen ei Esther, patruo volente; &, ut sine culpa nupsit, ita sine præjudicio ullo adversus Legem, semel hic dumtaxat relaxatam, ceterum sicut eateous antea, sic deinceps in pleno robore futuram: quæ si ad casum qooque nostrum applicentur, nihil difficultatis superfuerit.

74 Hacteous Possinus, eruditissimum suum Diallacticoo Theogenealogicum de translata a Salomonidis ad Nathanitas Christi nasciturigratia finiens pulcherrima illa ex libro Estheris figura eorum, quæ in Maria & Josepho futura erant in ordine ad redemptionem humani generis. Verbotenus autem transcribere ea volui, ut ipso in fonte agnoscat lector, non mea sed Possini esse verba, quæ Accusatores mei satis habuerunt obiter legisse redacta in compendium, nihil de ipsomet auctore legendo & agnoscendo soliciti: quod si fecisset Theleos Lovaniensis auctor, oon ita contemptim locutus fuisset de sententia, ad honorem utriusque castissimi Sponsi, & Evaogelicę Historiæ claritatem tantopere conduceote. Ego ex isto transcribendi ultimi loci labore hunc oovum fructum capio, quod distinctius mihi cognoscere ounc videar summam Evangelistæ Matthæi accurationem in exponenda divinæ circa Christum œconomiæ mysteria per hæc verba: *Cum autem desponsata esset mater Jesu Maria Joseph antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*.

75 Hieronymus, quem sequitur Erasmus, *convenirent* intelligit de consummatione matrimonii. Locum enim eum explicans addit: *Non sequitur, quod postea couvenerint, sed Scriptura quod factum non sit ostendit*: ad quem sensum si referas ejusdem sequentia verba de Josepho, quod *futuræ uxoris omnia noverat*; videbitur appellationem uxoris restrinxisse ad eam, qua cum initum matrimonium ipso ejus usu consummatum jam sit. Sed aliter accipit Evangelista eodem cap. 1. ℣. 20. dicente Angelo, *Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam*; id est, ut ego quidem interpretor, eam, quam tibi virginem desponsasti per verba de futuro, adhuc virginem, licet divinitus prægnantem, accipere conjugem per verba de præseoti, & per consuetas Judæis in contrahendo matrimonio ceremonias; eoque sic cootracto filium tuum legalem, cum pleno successionis hereditariæ jure, facere, *quod in ea uatum est de Spiritu sancto*. Atque ita *Exurgens Joseph fecit sicut præcepit ei Angelus & accepit conjugem suam*.

76 Hoc autem totum factum esse videtur, cum a domo Zachariæ reversa esset Maria, tertio jam elapso meose post divini Verbi incarnationem, cumque ab eo qui toto trimestri ipsam non viderat, facile notari potuit exterior habitudo corporis a priori diversa, concepti fœtus indicium præbente tumore uteri. Moram illam in domo Zachariæ absque ulla mentione Josephi describit Lucas, nec minori accuratione quam Matthæus utrumque Virginis statum, primo sponsæ, deinde uxoris videtur distinguere, quando cap. 1. missum ait Gabrielem Angelum *ad Virginem desponsatam viro*: deinde c. 2. Josephum ait in Bethleem profectum, cum *Maria desponsata sibi uxore prægnante*, ut scilicet quod ex ea nasciturum erat describi faceret in libros census, tamquam suum, sicuti revera erat; non quidem oatura, secundum quam Christus erat sine patre, sed legali adoptione, secundum quam Messias erat Judæis promissus. Atqoe ita patet quam necessario fuerit texenda genealogia per Josephum, non per Joachimum: qui licet fuerit carnalis pater Mariæ & avus Christi, ad hujus tamen genealogiam texendam nihil omnino spectabat, quia in tali serie nulla solet haberi ratio avorum aut proavorum maternorum: ex quibus si aliqui ante Heli forsitan non fuissent de domo & familia David, vel etiam tribu Juda, non ideo minus fuisset Christus per Mariam & Joseph filios David, saltem legalis, id quod unice incumbebat Matthæo demonstrandum.

§. V.

§. V. ACCUSATIO.

Papebrochius affirmat, quod Joseph erga Christum, solius Mariæ filium, sese habuerit sicut vitricus ad privignum.

RESPONSIO.

77 EX longiori contextu meo, omissis prægressis & sequentibus, paucula excipiens verba, & (sicut Vigilius Papa in Eutyche sugillat) *verba sententiis evuens, ut de earum nuditate pro arbitrio ludas;* cogis me, R. Pater, producere locum integrum a te accusatum, ex meo ad diem S. Josephi Commentario, Tomo 3. Martii. Ibi enim num. 22. quæro, *Quid est hoc quod* Evangelistæ, polliciti explicare genealogiam Christi, *genus nobis Josephi explicent?* quæstionis autem & admirationis causam addo hanc; *Cum Josephus abstrahendo a Lege* (nota bene) *& præcise spectatus ut Sponsus Mariæ, erga Christum, solius Mariæ filium, habuerit se sicut vitricus ad privignum.* Quid est calumniari si hoc non est? quid imponere Lectori, nihil nisi absolutam propositionem in te agnituro, ubi ego solum hypotheticam posui, *abstrahendo a lege*, & spectato Josepho *præcise* ut sponso Mariæ? Nam quo spectat, quæso, totus ille meus §. 4. quam ut ostendat, alio longe modo considerari debere Josephum; aliterque ad Christi genealogiam pertinere; quam sub illa præcisione? Doceo certe illic, non posse Genealogiam Christi haberi perfectam & claram, nisi ratio inveniatur, qua iidem omnes Christi majores fuerint, qui fuerunt Josephi; nec hujus aliqui, qui non & illius; nec alium excogitari posse consanguinitatis gradum (qualem tamen inter Josephum & Mariam fuisse, omnes Patres supponunt) quam qui est inter patruum & neptem. Ut tamen evidentius, & impostura Tua, Rev. Pater, & mea sinceritas pateat, non gravabor etiam hic integre transcribere locum Possini, ad conclusionem, toto opere illo suo intentam cap. 57. sic progredientis.

78 *Ut genealogia Josephi sit vere ac proprie genealogia Christi, necesse est eam esse vere ac proprie genealogiam Mariæ. Quia cum Maria mater Christi, sine patre concepti, virgo fuerit, una utriusque parentis vim ac vicem præstans; consanguinitas cum Davide non potuit aliunde Christo communicari, quam a Maria sola. Ergo, si genealogia utraque* (apud Matthæum & Lucam) *quod pollicetur efficit, pro certo atque indubitato tenendum est, omnes illos, qui in utraque serie progenitores recensentur, ex æquo Mariam ac Josephum respicere; & tam illam quam hunc pari jure ab omnibus pendere. Alioqui manifestum est, si qui essent in utravis serie, a quibus Josephus solum, non autem Maria propagaretur, eos falso inter Christi progenitores numeratum iri. Cum enim Josephus (id quod non semel dixi) erga Christum se habuerit ut vitricus ad privignum, quam evidens est, avos proavosque vitricorum nullo prorsus modo ad genealogiam privignorum pertinere, tam certum atque extra omnem aleam dubitationis esse debet, eos, qui vel a Luca vel a Matthæo numerantur, Josephi solius, non etiam Mariæ progenitores, ad propositum Evangelistarum facturos nihilodum nihil, atque adeo tales nullos esse: tam fides & sanctitas Auctorum, quos divinitus instructos accessisse ad opus, divinitus quoque in eo perficiendo adjutos fuisse constat, non patiatur nos suspicari de ipsis, ut vel imprudentes aberraverint, vel scientes fefellerint; &, cum periculo æstimationis suæ, cum pernicie credulitatis nostræ, Christi genealogiam polliciti, otiosam seriem nominum, nihil ad Christum pertinentium, induxerint.*

79 Ostendit deinde sigillatim Possinus, in aliis quibuscumque sententiis, alios plus, alios minus, omnes in aliquo deficere; atque adeo rectam & perfectam utrimque lineam non haberi, nisi in hac sententia: in qua, inquit c. 58. *R. P. Joannes Bessonus, in suis eruditissimis, quæ nunc* (an. 1649.) *eduntur, lucubrationibus ad Canticum Canticorum, Josephum Mariæ fuisse patruum primus (quod sciam) affirmavit. Sed unus ille instar mille mihi sit, hoc præsertim loco, ubi argumenti Theologici necessitas, ex præmissis revelatis evidenti consequentia concludentis, fateri nos cogit, verum esse, quod ille, qua vales mentis acie, suspicatus ante omnes est.* Quinam secuti illum ejusque discipulum Possinum sint, jam supra dixi; qui illis contradixerit inventus est nemo per annos 20. quibus utriusque opera per Gallias lecta probataque fuerunt, certe quoad controversum nunc punctum. Sed neque in Italia Germaniaque contradixit aliquis, donec in Belgio cœperunt quidpiam carpere Patres Carmelitæ; non quia sperabant posse se melius aliquid certiusque adducere, sed quia extinctum cupiebant exiguum illud lumen, quod Mario ac deinde Majo dare videbatur aliena doctrina, citra cujusquam injuriam apte illic inserta.

80 Nec esset tamen vel in hoc, quod quererer; si nude & candide prolata & oppugnata fuisset illa, sive aliena, sive mea sententia; nisi etiam in pravum sensum detortæ forent singulæ partes, seu potius singula verba. Quod hic Pater. Tua fecit ad verbum *Vitricus*, jam ab anno 1691. fecerant Hispani Delatores, quorum hanc tertiam imposturam notat P. Xaramilius pag. 199. dum pag. 14. fingunt, quod nominaverim Josephum Christi vitricum; contraque opponunt, quod *non invenietur unus aliquis sanctus Pater vel Expositor Catholicus, qui S. Josepho dederit titulum vitrici respectu Christi.* Hic porro dissimulantes statum præcisionis, a me hypothetice positæ, & quidem solum similitudinarie, prout indicat comparativum adverbium *Sicut;* pergunt Chartam consumere probando, quod Maria, virgo fuerit, adeoque non habuerit priorem maritum, ex quo ante secundas nuptias natus filius Josephum appellaret Vitricum; rursumque ex Augustino, quod Josephus possit appellari pater Christi, meliori jure, quam si eum carnaliter genuisset. Mihi non vacat tricari de vocibus: quæro a Te, P. R. Si Josephus non habuisset communes cum Maria progenitores, sed plane alterius non solum familiæ, verum etiam tribus, imo nationis fuisset; dareturne ei patris titulus ex solo cum Virgine matrimonio, sic ut is aliquid conferre potuisset ad declarandam genealogiam Christi, juxta intentum Evangelistarum?

81 Interim Delatores ipsos merito perstrinxit Xaramilius n. 261. & seqq. notatque, eosdem Latina mea verba non recte intellexisse. Evidentius autem id apparet ex Impostura quarta, ubi quod ego scripsi relative ad antecedentia,

dicen-

dicendo, *Quam certum est autem*, idque in modo conjunctivo; id referunt ipsi absolute quasi novam periodum, *Quam certum est*, absque conjunctione, idque in præsenti indicativo; quod, sicut Vitrici nihil faciunt ad genealogiam privignorum, sic progenitores, quos enumerassent Lucas & Matthæus, *sunt solum* (sono solamente) *progenitores S. Josephi*, *non Mariæ*: ubi oportuerat scripsisse *essent* (serian solamente). Eadem nempe opera sese ostendunt & interpretes imperitos, si non infideles, & malos grammaticos, etiam in sua Castellana lingua. Scribentes enim, *aquellos progenitores que fuissen nombrados*, non poterant apte continuare periodum, nisi per verbum conjunctivi modi & temporis præteriti saltem imperfecti, *serian*. Deinde verba hæc, *Solius Josephi*, *non etiam Mariæ genitores*, ponunt Delatores post verbum *Sunt*, quasi tales aliquos revera enumeratos dixerim; qui solum dixi, quod tales si fuissent ab Evangelistis numerati, ad Christi genealogiam certissimo non spectarent, ut clarum est.

82 Notabilior est Impostura quinta, ab eodem Xaramilio notata, & in hoc consistens, quod ubi ego solum hypothetica dico; nisi iidem omnes doceantur fuisse Mariæ & Josephi progenitores, non explicari difficultatem & obscuritatem occurrentem in Christi genealogia; *adeoque occasionem præberi adversariis veritatis*, *aut Evangelistas mendacii*, *aut Fidem nostram falsitatis arguendi*, prout constat Julianum Apostatam aliosque fecisse; ibi Delatores, in sua Hispanica traductione, me faciunt dicere absolute, quod *sequendo communem explicationem*, *quæ datur Evangelistis*, *datur etiam occasio inimicis veritatis*, *aut Evangelistas mendacii*, *aut fidem nostram falsitatis arguendi*. Ad hanc traductionem merito stomachatur Xaramilius; &, Si hac ratione liceat accusare, inquit, nemo in mundo securus a calumnia erit. Pergit deinde varias accusationis hujus imposturas detegere; quod agensem operæ pretium fuerit transcribere, licet paulo prolixior futura oratio sit.

83 Gravissima, inquit, ea materia est; & sicut Papebrochius quamcumque pœnam meruisset, si dixisset id quod ei imponunt Delatores sui; sic merito potest exclamare, contra perversores sui Latini contextus, tamquam contra falsos testes. In toto enim tractatu de genealogia Christi non invenietur vestigium, nedum propositio absoluta, qua dicat aliquis Jesuita, quod sequendo communem explicationem, quæ solet Evangelistis aptari, detur occasio ipsos mendacii, aut fidem falsitatis accusandi. Occasionem illam ponit Papebrochius tantummodo in casu conditionato, si Progenitores ab Evangelistis nominati, fuissent solum progenitores Josephi, non autem & Mariæ. An forte communis explicatio, quæ Evangelistis aptatur, est, quod progenitores ab iis nominati solius Josephi sunt, non etiam Mariæ? Profecto, non. Omnino nullus Catholicus hoc dicit. Quo ergo vel Grammatico, vel Scholastico stylo (secundum quem, ut vulgo dicitur, *conditio nihil ponit in esse*) ac denique qua fiducia, Hispanice dicitur id, quod Papebrochius non scripsit Latine?

84 Interim triumphant Delatores, & chartam implent exaggerando, quod, *S. Josephum esse vitricum Christi*; *Progenitores Josephi nihil facere ad genealogiam Christi*; *Evangelistas non satisfacere obligationi suæ*; *Dari occasionem adversariis veritatis Evangelistas mendacii & fidem nostram falsitatis arguendi*; *propositiones sunt*, *necessario consequentes ex singulari opinione Papebrochii*, quod scilicet S. Josephus fuerit patruus Mariæ. Sunt ista formalia Delatorum verba, & omnia negantur. Negatur de vitrico; negatur de progenitoribus: quia cum ponitur Josephus patruus Virginis, omnes ejus progenitores asseruntur esse avi proavique Mariæ & Christi. Negatur horribilis illa blasphemia, quod Evangelistæ non compleverint officium suum: eos enim defendit Papebrochius, tam in eo quod dixerunt, quam quod tacuerunt, dirigente ipsorum scribentium calamos Spiritu sancto. Ac denique negatur, eosdem Evangelistas, quantum ex sua parte fuit, dare occasionem se arguendi de mendacio aut falsitate. Si propter conditionem positam a Papebrochio, ad melius proponendam & mox enodandam difficultatem; sive, quia dicit quod occasio talis improperii daretur, si Evangelistæ enumerassent progenitores solius Josephi & non etiam Mariæ; judicant Delatores, quod Papebrochius absolute affirmet, id eos fecisse, & propterea mereatur tamquam hæreticus accusari, vehementer falluntur. Quia autem causa tanti momenti agitur, non debent Patres Delatores indignari, quod sibi respondeatur, oblitos ipsos videri interrogationum & conditionum, quas Sancti Patres Interpretesque, tam in hoc ipso quam aliis Scripturæ locis, solent usurpare.

85 Canus lib. 2. de locis Theol. *Quid ergo facturi sumus*, inquit, *qui*, *ut in proverbio est*, *lupum utraque aure tenemus? Si enim veteris instrumenti versionem qua Ecclesia utitur*, *asserere & vindicare nitimur; arguimus non solum septuaginta Interpretes commenti frigidissimi*, *sed apertissimi etiam erroris Evangelistam: sin Lucam defendere tuerique volumus*, *versionem Scripturæ sacræ*, *Ecclesiæ usu decretisque probatam*, *improbamus*.

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charibdim. S. Ambrosius in cap. 3. Lucæ, occasione Jechoniæ, ex cujus semine neminem regnaturum comminatus erat Deus, & tamen processisse Christum plerique volunt; *Quomodo*, inquit, *regnare promittitur* ab Angelo ad Mariam loquente, *nec ostenditur? aut quomodo ex semine Jechoniæ nullus regnaturus dicitur per Prophetam?* Hæc est Ambrosii interrogatio. Videamus conditionem sub qua exaggerat difficultatem, ita sermonem prosequens: *Si autem Christus regnavit*, *ex semine autem Jechoniæ Christus est; Propheta mentitus est*, *mentita sunt & Oracula*. Et paulo post: *Numquid ergo & ipse mentitus est*, *qui regnare se dixit*, *quia non regnavit in terris? Quomodo est Scriptura*, *quæ & regnare eum dicit*, *& adstruit non regnare?* Hic, inquit, *in abruptum disputationis venimus*, *hæremus in vada*, *& quodam veritatis naufragio fluctuamus*.

86 Augustinus lib. 2. de Consen. Evang. c. 5. ubi de miraculo duplici panum multiplicatorum; *Si aliquis eorum*, inquit, *id dixisset* (de septem) *qui de illis quinque panibus non dixisset*, *contrarius ceteris putaretur. Quis enim non existimaret*, *unum idemque factum esse; non autem integre & veraciter*, *sive ab illo*, *sive ab aliis*, *sicut ab omnibus fuisse narratum: sed aut illum pro quinque panibus septem*, *dum falleretur*, *commemorasse; aut illos pro septem quinque; aut utros-*

que

que mentitor, vel oblivione deceptus? Hoc & de duodecim cophinis & de septem sportis, opinaretur quasi contrarium: hoc de quinque millibus & quatuor millibus eorum qui pascerentur. Deinde vero solvit difficultatem, destruendo hypothesim, & respondendo, esse diversos duos casus. Venerabilis Beda lib. 4. c. 49. in 2. Lucæ: *Sed, si caro Verbi Dei, secundum carnem nascentis, a carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter, qui eam portasset, ubera quæ lactassent, beatificarentur.* Conditio ista adeo longe abest ad probandum errorem in Beda, ut e contrario erroris convincat Eutychem. Excellentiss. D. Thomas de Rocaberti, nunc Generalis Inquisitor, tom. 2. lib. 4. Apologiæ n. 711. agens contra quosdam, ex Scripturis conantes Christo dominium temporale adimere: *Id adeo verum est*, inquit, scilicet Christum tale dominium habuisse, *ut jure optimo dicere valeamus, negare Christi dominium in temporalibus, esse contra sacram Scripturam, mendacesque reddere tot Prophetas, Angelum & Apostolos, imo & ipsum Dominum, qui tamen veritas est & vita, id apertissime testantes.*

87 Verum quid me fatigo, referendis similibus conditionatis particularium Doctorum propositionibus; cum ipsas toties reperiamus in sacris Scripturis? Hinc nempe proponitur difficultas, & ratio dubitandi, cum ea omni qua potest energia; inde solutio ejus sive inconvenientia, quæ inde ducitur, atque ita efficacius probatur intentum. E. G. Intendit Evangelista Joannes, Epist. 1. cap. 1. persuadere nobis, ut credamus peccatores nos esse, & ait: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et mox infra: *Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum* (Deum) *& verbum ejus non est in nobis.* Et ipse Christus Joannis 8. *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nulla est.* Et infra: *Si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis, mendax.*

87 Estne porro aliquis tam amens, ut ausit S. Ambrosium, S. Augustinum, Interpretes fere omnes, & S. Joannem Evangelistam, imo Christum ipsum arguere, dum transeunt ad sensum absolutum ab eo quod solum sub conditione dixerunt? Minime vero. Atqui hic est casus Papebrochii, & solum in sensu sic conditionato loquitur. Quando enim dicit, quod progenitores relati ab Evangelistis, si fuissent solius Josephi & non etiam Mariæ, nihil facerent ad genealogiam Christi, dareturque occasio arguendi Evangelistas falsitatis, magnam unam veritatem pronuntiat, quam nemo Catholicus unquam negaverit. Quia autem iidem progenitores sunt consanguinei Josephi & Mariæ, & in sententia Papebrochii tam arcte utrique junguntur, quantum deducitur ex necessitudine patrui atque neptis inter sponsos, de quibus agitur; genealogia Christi per genealogiam Josephi manet solidissime comprobata, nec minori cum efficacia, quam id præstet opinio, quæ illos inter se facit cognatos patrueles; conditio autem atque difficultas, quæ in verificanda genealogia prædicta afferebatur, omnino evanescit.

88 Atque hic notandum est gratiosum quid; videlicet, quod cum Papebrochius, loquens de inconvenienti, quod sequeretur, & de occasione quæ daretur, si verum foret id, quod ibidem sub conditione præmiserat; dicens, *Adeoque occasionem præberi*; ipsum *Adeoque*, in linguam Castellanam sic traducunt: *Et sequenda communem explicationem, quæ datur Evangelistis.* Hæc enimvero transferentium licentia maxima est: quia conjunctio *Adeoque*, deberet exponi Hispanice, *y consiguiente* (*& consequenter*) vel *y con esto* (*& cum hoc*), atque in tali significatione refertur ad aliquid immediate præcedens. Cum autem id, quod apud Papebrochium immediate præcedit, non sit *communis explicatio, quæ datur Evangelistis* (de hac enim nullum omnino fit verbum) sed sola conditio, si fuissent progenitores solius Josephi & non etiam Mariæ; hinc fit, ut Papebrochius inde ductam inconvenientiam atque occasionem non referat ad explicationem communiter solitam Evangelistis dari, sed ad solam conditionem, quæ numquam fuit completa, & qua dumtaxat usus fuit ad imitationem ipsius Christi, Joannis Evangelistæ, aliorumque supra relatorum Auctorum, ad probandum id quod dicunt Evangelistæ. Ostendant nunc porro Delatores, qua facultate usi sint ad Latinum Papebrochii contextum sic Hispanice reddendum; & unde didicerint particulam *Adeoque*, significare *communem explicationem, quæ datur Evangelistis.*

90 Insuper ad verba, *Occasionem præberi &c.* Hispanice reddenda, utuntur Delatores hac constructione, *Datur etiam occasio inimicis &c.* Non hoc dicit Papebrochius, sed quod *daretur etiam occasio &c.* Dicere, *Datur occasio*, est dicere id quod actu fit, transeat. Sed dicere, *Daretur occasio*, est solum dicere id quod fieret, si conditio impleretur, sub qua quid ponitur. Ergo si Papebrochius loquitur sub conditione prædicta, utiturque præterito conjunctivi imperfecto, quo modo dicit *Numerarentur*; &, si oratio ejus Latina sic disposita sit, ut exigat infinitivum *Præberi*; per quam regulam Grammaticæ sic construunt traductionem, ut dicant *Datur*, & non *Daretur*? Cum tali interpretationis genere, saliendo a conditionato ad absolutum; & ponendo Hispanicas voces, quibus Latina nulla respondeat; neque sancti Doctores, neque ipsamet Scriptura sacra manebit ab accusationibus secura. Judicet igitur Lector, an æquum sit, ut alienos contra Grammaticam errores luat Papebrochius, cum suæ circa fidem famæ dispendio.

91 Nova quoque impostura præmissis accedit fol. 15. ubi Delatores contra Papebrochium adstruunt, quod *præsumit dicere, per istam Responsionem, quod Joseph & Maria erant ejusdem Tribus, adeoque sufficiat genealogia unius, ut utriusque genealogia intelligatur, nihil effecerunt sancti Patres.* Tum accusationem suam prosequendo dicunt, quod sola Grammatices Poeticesque scientia instructus absque Theologia, nihil *omnino curavit discere, quid senserint Evangelistæ, Apostoli & sancti Patres: sed omnibus illis contemptis, suum unius sensum certiorem esse duxit, depravando sententias.* Neque hoc contenti Delatores, etiam in caput Papebrochii jactant, quod *Sancti Patres omnes unanimes, omnes idem sentientes, omnes iisdem verbis usi, nihil effecere: nullaque eorum habita ratione ipse eos deserit, eorumque doctrinam impugnat, & conatur fundare contrariam, atque inducere nos, ut sequamur omnes errorem unum particularem, dimissis sanctis*

Patri-

Patribus. Concludunt denique: *Itaque poterit quivis dicere, quod Papebrochius sic scribendo, procedat cum periculo salvationis æternæ, secundum morem sacrilegum hæreticorum & schismaticorum*. Non potest vehementius intorqueri accusatio, neque horribiliora crimina concipi, quam sint ea, quorum reus agitur Papebrochius, propter hæc ejus verba, ab antecedentibus consequentibusque revulsa, *Nihil hac responsione sancti Patres effecere*.

92 Respondeo hanc esse unam ex solenioribus imposturis, quæ contra scriptorem Catholicum fuerunt unquam fabricatæ. Mutilatur Papebrochii oratio membris suis omnibus, de medio præscinduntur verba paucula, & horum tota significatio sic pervertitur, ut ubi ille sequitur doctrinam & expositionem sanctorum Patrum, per ipsos solvendo difficultatem propositam, eorumque doctrinam quam maxime illustrando; ibi fingatur prorsus contrarium facere, quam hactenus facere eum vidimus. Ipsum audiamus. Tom. 3. Martii fol. 9. & in Apparatu ad Conatum fol. 31. utrobique numer. 22. incipit tractare de genealogia Christi; appendit obscuritatem, sub qua Spiritus sanctus eam tradi voluit, ad gloriam suam nostramque utilitatem: exponit, sicut omnes Interpretes faciunt, difficultatem in eo sitam, quod Evangelistæ nobis tradant genealogiam Josephi, cujus naturalis filius Christus non fuit. Difficultatem exaggerat per hanc conditionatam, quod, si progenitores Josephi non fuerunt etiam progenitores Mariæ, nihil illi faciant ad declarandam genealogiam Christi; quemadmodum genealogia vitrici nihil facit ad genealogiam privigni; quodque tali casu daretur occasio arguendi Evangelistas. Hæc est difficultas, quam proponit Papebrochius; tum vero ad ejus solutionem sic procedit loco præcitato.

93 *Occurrere quidem sanctos Patres, una fere oratione omnes; ex eadem Tribu Mariam cum Josepho fuisse, indeque constare communem esse genealogiam amborum: a justitia enim laudari Josephum, quam minime tenuisset, si, contra præceptum Legis, aliunde quam e Tribu patris sui uxorem duxisset. Hic autem non alia lex potest afferri, quam quæ occasione filiarum Salphaad lata, intelligenda est de solis puellis, hereditatem paternam in solidum cernentibus; & reciproce ad eos solos viros se intendit, qui talibus puellis proxima agnatione jungebantur, ut Scripturarum historiis pluribus manifestum est*. Hinc porro sequitur accusationis argumentum, eoque majori attentione opus est ad ea quæ præcessere; Papebrochio discursum suum sic prosequente: *Quare nihil ea responsione sancti Patres effecere, nisi velut res ex veteri traditione certa haberetur; casum legis prædictæ in B. Maria contigisse, quæ unica Joachimi proles atque heres, debita fuerit Josepho, agnato tam propinquo, ut idem omnino esset, & esse intelligeretur, Mariæ vel Josephi genealogiam texere*.

94 Nunc quæro. Is qui sic loquitur, impugnatne sanctos Patres, an sequitur? Qui dicit, quod sancti Patres per suam responsionem fecerunt, ut antiqua traditio esse existimetur, habeaturque res certa, quod in matrimonio Josephi cum Maria observatum perfecte fuerit id quod mandavit Deus; contradicitne sanctis Patribus, an vero eosdem interpretatur, illustrat, & defendit? Sancti Patres ponunt difficultatem in deducenda genealogia Josephi: ponit etiam Papebrochius. Sancti Patres illam solvunt: solvit etiam Papebrochius. Modus quo eam solvunt sancti Patres est dicere, quod Joseph & Maria fuerint ejusdem Tribus: idem dicit Papebrochius; atque intra eamdem Tribum transit ad eamdem utriusque familiam, per quod consanguinitas vehementer crescit. Ad hoc etiam probandum, citat legem latam Numerorum 36. & dicit, quod vi legis hujus Domina nostra, quia erat unica filia & heres sui patris, obligabatur nubere Josepho, tamquam proximo agnato; & quidem in tali gradu, ut referre genealogiam ejus sit referre genealogiam Mariæ, & consequenter ipsius Christi. Totum hoc Papebrochii est: & nihilominus eum, qui tantum dicit in favorem sanctorum Patrum atque Evangelii, volunt Delatores sui loqui contemptim de sanctis Patribus atque Evangelistis, more hæreticorum & schismaticorum.

95 Dicunt etiam de illo, quod *depravat sententias;* cum tamen tota hæc accusatio non aliunde procedat, quam ex Papebrochiana per ipsos truncata sententia. Vere deprehensi tenemur necessitate præcisa, ponendi ob oculos industriam Delatorum. Verba Papebrochii sunt quæ retulimus supra: *Quare nihil ea responsione effecerunt sancti Patres, nisi velut res ex veteri traditione certa haberetur, casum legis prædictæ in Beata Maria contigisse &c.* Quid hic agent Delatores, ut aliquid accusent? Non aliud, quam ut referant primam lineam verborum Papebrochii, & quatuor lineas sequentes omittant. Referunt solam hanc vocem *Nihil*, quæ tamen est connexa particulæ *Nisi*, tam per se, quam per adjuncta cetera in reliquo contextu, determinante significationem istius *Nihil;* sic ut per ipsum aliud non dicatur, quam quod dixerunt sancti Patres; Delatores autem sustulerunt ista omnia, adhæseruntque soli *Nihil*.

96 Si talis accusandi ratio tolerabilis est, nullius unquam innocentia ponetur extra periculum calumniæ. Major est auctoritas unius Evangelistæ, quam sit omnium sanctorum Patrum: & tamen S. Augustinus lib. 2. de consensu c. 6. dicit: *Lucas autem, nisi illud de parvulo, quem constituit ante discipulos imitandum, cum sua magnitudine cogitarent, nihil hoc ordine servato commemorat*. His verbis non contemnit Lucam Augustinus, neque dicit quod efficiat nihil: nemo interim hunc stylum Augustini carpsit. Numquid tamen dicit, *Nihil commemorat?* Maxime. Sed addidit particulam *Nisi*, per eamque id explicat, quod Evangelista narravit. Applicetur hæc solutio Papebrochianis *Nihil* & *Nisi:* nec unum adducatur sine altero.

97 Idem Augustinus ubi supra c. 3. ad verbum *Gignere*, sic loquitur: *Quo verbo Apostolus sæpe uti non ad aliud intelligitur, nisi ad discernendum unigenitum ante omnem creaturam*. Si auferatur hinc istud *Nisi* cum verbis sequentibus, imputabitur Sancto absurdissima sententia, respectu ejus quod immediate præcessit. Apostolus 1. Cor. 8. ait; *Nullus est Deus, nisi unus*. Si Apostolo tollas impietas suum *Nisi unus*, imponeretur ei gravissima hæresis, negans Deum esse. Hujus formæ possem ex Scripturis & sanctis Patribus exempla adducere infinita, & periodos integras, ubi voces *Nihil* & *Nisi* faciunt verissimum

sensum, falsissimum si separentur. Considerent igitur Delatores, quisnam depravet sententias, & scribat cum summo animæ suæ periculo; & & utrum Papebrochius, qui Latine conjungit *Nihil* & *Nisi*; dum tali conjunctione, adeo usitata in Scripturis & Patribus, utitur, insistat vestigiis hæreticorum & schismaticorum.

98 Legatur Photius Codice 225. & invenietur, quomodo Sancti Eulogius Alexandrinus & Basilius exclament contra Severianos, Tritheitas, Valentinum atque Nestorium, propter ejusmodi formam accusandi per sententias mutilas. Legatur Origenes lib. 2. contra Celsum, qui accusaverat ipsiusmet Christi verba, non simul, sed divisim accepta. Legatur S. Hilarius paulo post initium libri de Synodis, ubi queritur, accusatum se ex solo suæ orationis principio, absque respectu ad reliquam dictionem. Legatur denique Apologia Apuleji sub finem fol. 432. ubi accusatorem suum & mutilatorem suarum sententiarum sic aggreditur: *Si litteræ, ita ut passim vocales dicuntur, etiam propriam vocem usurparent; si verba, ita ut Poetæ ajunt, pennis apta vulgo volarent; nonne tum primam epistolam illam Ruffinus mala fide excipiens, pauca legeret, multa & meliora sciens reticeret, nonne tunc ceteræ litteræ, scelesta se detineri, proclamassent? Totum forum tumultu complessent: se quoque a Pudentilla missas, sibi etiam quæ dicerent mandata. Improbo ac nefario homini, per alienas litteras falsum facere tentanti, ne auscultarent; sibi potius audirent, Apulejum magicæ, non accusante Pudentilla, sed accusante Ruffino, absolutum.*

99 Iidem Delatores fol. 16. verso, expendunt hæc Papebrochii verba, *Etsi id nemo explicaverit*; accusantque eum arrogantiæ, qua Luthero assimiletur: & fol. 17. ei adscribunt, quod dixerit *Sanctorum Patrum neminem istam Christi genealogiam explicuisse*. Respondeo, hanc esse alteram imposturam, continuativam priorum. Diversas res duas tractat Papebrochius. Prima est, quod genealogia Josephi eadem sit quæ Mariæ, idque probatum relinquit ex Lege in libro Numerorum, ex justitia Josephi, & ex eo quod auctoritate Sanctorum atque vetusta traditione pro certo teneatur, matrimonium fuisse contractum in eadem Tribu inter proximos agnatos. Secunda, in quo consanguinitatis gradu idem sit, genealogiam unius atque alterius retulisse. *Qua autem ratione idem?* & respondet, præcitato sæpius n. 25. quod *hoc, tamquam vulgo notum, in populari conscientia relinquentes, scriptis suis intexere divinitus prohibiti Evangelistæ sunt, in qua scrutanda posterorum conflictaretur diligentia, fides exerceretur credenda*. Tum subjungit diversitatem opinionum; ex omnibus autem eam sibi maxime arridere profitetur, quæ omnes progenitores Josephi tenet etiam esse progenitores Mariæ: quia sic declaratur, quam legitime Patres intulerint genealogiam Mariæ, & per consequens Christi, ex genealogia Josephi. Hinc procedit Papebrochius, & ait, non potuisse eosdem esse omnes utriusque progenitores, nisi virginea sponsi fuerint inter se, vel germani frater ac soror (quod dici nequit) vel patruus & neptis: aliàs enim in genealogiam essent inducendæ personæ, ad Christum secundum carnem ex sola Virgine Maria natum nihil pertinentes: ac denique concludens, *Ex quo*, inquit, *justissime eliciti Possinus, Sanctos Patres, ea quam dicimus responsione, sibi præivisse ad dicendum, B. Mariam ex Josephi fratre natam esse, etsi id nemo explicaverit*: id est, etsi eorum nemo individualiter expresserit istum consanguinitatis gradum.

100 Hæc sunt formalissima Papebrochii verba. Ubinam vero arrogantia Lutheri? ubi illud, *Nemo Patrum explicuit Christi genealogiam*? Tantum dicere quod parentela patrui ac neptis non inveniatur ab aliquo Sanctorum Patrum expresse signata, sed quod ex eorumdem doctrina & forma concludendi id sequatur, est ne hoc contemnere illos, & parvi facere quidquid super Evangelio commentati sunt? Neutiquam profecto: sed ita accusare, est torquere & pro arbitrio applicare expositioni Evangelii absolute, quod Papebrochius limitat & restringit ad omissam specificationem determinati gradus, probando *ex Josephi fratre natam esse Mariam, etsi id nemo explicaverit*. Dicere, ut dicunt Patres, Josephum & Mariam fuisse ex eadem Tribu & ideo unius genealogiam esse genealogiam alterius, est loqui sub aliqua generalitate terminorum. Ex ista universalitate educere gradum consanguinitatis determinatum & singularem, cujus causa habeatur, quod patrui & neptis eadem sit genealogia, non est destruere vel contemnere terminum universalem; sed hoc uti ad determinandam singularem qui defenditur. Hoc facit Papebrochius: & hoc volunt Delatores esse crimen Lutheri?

101 Hactenus P. Xaramilius, qui porro pergit excutere accusationem temeritatis, a me (ut volunt) sanctis Patribus impactæ, aliaque jam satis ex epistola Doctoris Jordi refutata §. 2. neque hic iteranda a me, qui nec hic quidem voluissem transcribere evictionem tot imposturarum, in uno alterove Delatorum folliculo circa unum punctum inductarum, nisi hoc exemplo debuissem patefacere, quanto volumine opus foret, si necesse mihi esset, vel Tuas, Rev. Pater, coram Apostolica Sede Accusationes contra me illatas, vel Hispanorum tuorum Delationes coram S. Inquisitionis tribunali expositas minutim excutere singulas. Simul etiam ostendere volui, non esse de libris, Latine scriptis, audiendos Delatores, alia quam Latina lingua loquentes; nimis enim quam facile talibus contingere, ut pro suo criminandi studio aliud pro alio, vel aliter quam originaliter scriptum est, efferant; & Qualificatoribus Judicibusque, etiam non imperitis neque parum attentis, imponant, culpantes quæ fuerant imprimis laudanda. Utinam sacri istius Tribunalis Præsides persuaderi sibi patiantur, ut his exemplis compertam habentes Accusationis totius vanitatem, ne dicam malignitatem; atroci quod illa elicuit Decreto, si non abolito, saltem suspenso, libros nostros restitui jubeant, atque tantisper versari inter eruditorum manus (vulgo enim indiscreto & facile scandalizabili impressi non sunt) donec omnia fuerint discussa maturius, & cum ea temporis atque judicii mora, quam meretur causæ gravitas, librorum magnitudo, eorumque hactenus toto Christiano orbe æstimata utilitas, atque ipsimet nunc summo Inquisitori D. Roccaberti, in sua Apologia pro auctoritate Pontificis, sæpe probata.

§. VI.

§. VI. ACCUSATIO.

Papebrochius multa alia contra communem Ecclesiæ sensum, & Evangelicam historiam, absque ulla veri specie aut apparentia, pro suo captu, asseveranter asserit: ac primo, baptizatum Christum anno 30. ætatis completo.

RESPONSIO.

102 Accusationis titulum sumo ex verbis, sparsis per primos quinque numeros Appendiculæ; quos equidem utpote momenti levioris proposueram differre in aliam occasionem, a postremis gravioribusque refutandis exorsus; ne tamen me inter Reliquatarios scribas, placet dimittere nihil a Te accusatum, Rev. Pater, sed quantumvis obiter indicata, breviter saltem refutare.

103 Primum quod hic accusas est, me in *Epistola consultatoria ad Pessinum*, in Apparatu ad Conatum num. 2. dicere, quod *baptisma Christi contigerit anno ætatis ejus trigesimo expleto:* cui assertioni repugnet Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 128. dicens, *Annorum quidem fere triginta baptizatum esse, retinemus auctoritate Evangelica*. Epistola illa tota (ut præfert Titulus) consultatoria est, nec definit quidquam, sed solum considerandum proponit; sicut etiam probant hæc synopsis marginalis verba: *Quæritur, an sustineri nequeat, Christi annum 30. fuisse completum, cum baptizaretur, textu Græco Lucæ id non vetante, sed potius suadente*. Tum ordior ab eo Lucæ loco, *qui solus, vel nullus* (ut ibi loquor) *definire poterat*, id de quo dubitabam. *Et ipse Jesus* (cujus baptismum jam retulerat Evangelista) *erat incipiens quasi annorum triginta*, Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος: ubi id, quod Evangelista dixerat ὡσεὶ, vulgata reddit *Quasi*, & Augustinus reddidit per adverbium *Fere*. Habesne aliquid amplius, R. Pater, ex Patribus vel Scriptura? Omnino nihil. Audi ergo, & disce aliquid supra Grammaticæ tirones sapere. Docebit hoc Te Henschenius, minime Tibi erubescendus Magister, utpote a puero etiam supra Magistros suos Græca intelligens, ex disciplina Bollandi, primi sui institutoris antequam Societati nomen daret.

104 Is jam quinque annis septuagenario major, ante Tomum 1. Aprilis pag. 38. agens de die & anno mortis S. Ambrosii, quem Paulinus in ejus Vita ait, post Theodosii Imperatoris obitum, *fere triennium* supervixisse; ostendit, quod particula Latina FERE, & Græca ὡσεὶ, passim apud omnes istius temporis scriptores idem significat, quod *Circiter* & *Quasi*; adeoque indifferens est, æque ad excessum, quam ad defectum definiti temporis significandum. *Hoc ut probetur*, inquit, *evidenter*, vel unicus sufficit, qui tum vivebat, S. Hieronymus (Augustino senior) scilicet in translatione Evangelii S. Lucæ & Actuum Apostolorum ex Græco in Latinum, ubi indifferenter particulam ὡσεὶ reddidit, „ Fere, Quasi, Circiter. *Lucæ* 3. Jesus erat in„ cipiens QUASI annorum triginta. *Lucæ* 9. *saturati sunt panibus* „ viri FERE quinque millia. *Lucæ* 23. *in passione Christi* „ erat hora FERE „ sexta, & tenebræ factæ sunt. *Actorum* 2. *post acceptum Spiritum sanctum & sermonem Petri*, *discipulis sunt* „ appositæ animæ CIRCITER tria „ millia. *Act.* 5. *consensit Theodæ* „ numerus „ virorum CIRCITER quadringentorum. *Act.* 19. *a Paulo baptizati sunt Ephesi*, „ omnes vi„ ri FERE duodecim. *Omittimus plura recensere, cum hinc satis liqueat, eamdem particulam Græcam* ὡσεὶ, *pro libitu a S. Hieronymo Latine redditam*, „ Quasi, Fere, Circiter: *quod idem est ac si alia phrasi diceretur*, Plus minus, *aut* Præter propter.

105 Nolim equidem eam significationem sic ampliare, ut, in proposito de Christi ætate casu, extendere se possit ad tres quatuorve annos ultra trigesimum, sicut fecit Natalis Alexander, in sua, quam paradoxam censui censeoque sententia. Quin tamen ad menses pauculos extendi τὸ ὡσεὶ possit, quando ita melius procederet Chronologia, nullus dubito. Ego hac de re nihil adhuc certi definivi, neque forte definiam etiam tunc cum Conatum meum recudendum dabo. Accusatores Hispani hic non hæserunt, quando in primo Delationum suarum libro (quem, licet anno 1691. excusum & Inquisitioni oblatum, Paternitati Tuæ, anno 1694. istam Appendiculam edenti, necdum visum fuisse, vel hinc intelligo) veluti errorem hæreticum vel hæresi proximum traducunt, a fol. 6. & deinceps, quod ad prædicta verba Lucæ, *Erat Jesus incipiens quasi annorum triginta*, illos annos dicam respicere initium prædicationis. Ad hoc autem pridem respondit P. Xaramilius prælaudatus num. 32. libelli supplicis, quem Regi Catholico oblatum a P. Antonio Beltran Provinciæ Procuratore dixi, ubi sic discurris:

106 *Id tantum videtur illis piaculum, ut asserant, Papebrochium non admittere Evangelium S. Lucæ, prout legi solet ab Ecclesia; nec esse textum, versionem, vel sanctorum Patrum aliquem, qui placeat Papebrochio. Multum falluntur Delatores isti, & eadem qua quidlibet asserunt, facilitate, convincuntur de falsitate. Fr. Ferdinandus Orius, Ordinis Mercenariorum Divæ Virginis, de Tertulliano c. 5. discursu 17. §. 3. fol. 72. textum interpretatur eodem modo quo Papebrochius*: „ Jesus (*inquit*) erat incipiens, hoc est, ope„ rari & docere & Ecclesiam congregare, quasi „ annorum triginta, *citatque eamdem in rem Calixtum Placentinum. Cardinalis Toletus hæc habet*: „ In hujus loci intelligentia magna est con„ troversia inter antiquos etiam Patres. *Et in margine*: „ Patres (*inquit*) diversis modis supe„ riorem sententiam legunt. *Et Annotatione* 54. *agens de eodem illo participio* Incipiens, *dicit*: „ Varii igitur sunt Doctores in connectendo „ hoc participio atque interpretando. Quidam „ separant ab annorum numero in hunc sen„ sum: Jesus erat incipiens, cum esset quasi „ triginta annorum. *Et cum Origene, Clemente Alexandrino, Justino & Euthymio dictus Cardinalis sequitur hanc sententiam*: „ Mihi (*inquit*) „ in hac parte accommodatior & verior visa „ est sententia, si participium dividatur ab an„ nis, sensusque sit juxta Vulgatam is, quem „ in Commentario explicuimus. *Sensus autem, quem in Commentario explicuit, is est, quod Christus manifestare se cœperit mundo*, „ incipiens, „ id est, suam manifestationem exorsus est, *citatis in hujus suæ sententiæ confirmationem duobus sacræ Scripturæ textibus, atque textu Græco. Addit in eadem Annotatione 54. Toletus, quod*,

si ὡ Incipiens *intelligatur uecti cum annis* (*pro-ut volunt Delatores*) „ incongrua nimis sit lo-„ cutio. Incipiebas esse quasi 30. annorum: „ superfluit enim particula QUASI.

107 Hæc Xaramilius: ego insuper notaveram, nec Græce nec Latine dici *ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος Incipiens annorum triginta*, pro eo qui *est incipiens* sive *incipit agere annum ætatis trigesimum;* proinde Hieronymo, utriusque linguæ scientissimo, non videri imputandum, quod vel tam incongrue Lucam intellexerit, vel ejus verba tam barbare transtulerit. Contra hanc observationem frustra invehuntur Delatores: licet enim interpreti, ex una in aliam linguam vertenti, multum debeat indulgeri, non est tamen in ipsum originarium textum recipiendus solœcismus, ubi absque eo potest haberi clarus & liquidus sensus, sicut haberi potest in casu. Vehementer etiam invehuntur in licentiam, quam in ordine ad propositam quæstionem petebam tantisper a Possino, quem consulebam, his verbis; *Hoc mihi si concesseris, & ὡ incipiens permiseris tantisper* (nota bene) *seponi a textu, velut ad nostram quæstionem impertinens*. Ubi nota; quod quæstio nobis fuerat, utrum pro manutenenda Æra vulgari, sic ut is annus, quem a nativitate Christi primum numeramus, etiam reipsa primus fuerit vitæ ejus, & sic anno 33. tam Æræ quam ætatis mortuus sit Christus, uti defendit Possinus contra Henschenium, docentem ex Augustino aliisque Patribus multis, mortuum fuisse Christum *duobus Geminis Consulibus*, id est anno 29. Æræ vulgaris. Isto autem posito, quærebatur porro, utrum cum Possini & communi sententia subsistere non possit, quod cœperit prædicare Christus anno 31. inchoato.

108 Ex talibus præmissis quis non intelligat, peti licentiam separationis puræ mentalis, & tantisper faciendam, donec & mentem Evangelistæ & meam clarius exposuero; quod fieri toties ab Interpretibus sacræ Scripturæ necesse est, quoties contextus verborum obscurior potest illustrari per aliquam verborum separationem vel transpositionem. Nihil hic Tridentini decretis, nihil sanctionibus sacræ Congregationis contrarium. Solum enim vetant, in libris Scripturæ, ut nunc ex vulgata versione habentur, dum imprimentur, quidquam mutationis facere vel in minimo apice, quantumcumque verosimili clarioris expositionis prætextu. Sic in illo Joannis 1. ℣. 34. *Sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat;* nemo ausit pro commate inducere punctum, vel aliter distinguere Versus, ut imprimi Evangelium Joannis sic fariat: *Sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat.* vel sic, *sine ipso factum est nihil.* " *Quod factum est in ipso vita erat*. Noluit enim alterutrum fieri Ecclesia; sed maluit interpunctionis veteris, licet ambiguæ, formam retinere; quia noluit alterutri sic vel sic exponentium sententiæ præjudicare: quo tamen non obstante, quilibet Sacerdos Missam celebrans, non solum mentaliter sibi proponit eam quam magis probat interpunctionem, sed etiam pronuntiando exprimit.

109 Rursum Geneseos 13. ℣. 10. *Vidit* (Lot) *omnem circum regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam Dominus subverteret Sodomam & Gomorrham, sicut Paradisus Domini & sicut Ægyptus venientibus in Segor*. In hunc autem locum scribens noster Cornelius a Lapide, dimissa obvia & communiori acceptione, quasi dicatur regio Jordanis irrigari, *sicut ea pars Ægypti qua itur in Segor;* aliam valde diversam affert & præfert, velut *magis aptam ac genuinam*, qua ὡ *venientibus in Segor* referatur, non ad ὡ *sicut Ægyptus*, sed superius ad ὡ *regionem Jordanis*, quasi sic porro legeretur, *quæ universa irrigabatur venientibus in Segor*, mente scilicet transferendo verba istæc ultima ad priorem ipsius versus partem, & separando ab iis, quibus aliàs videretur cohærere. *Quasi dicatur*, inquit ille, totum versum paraphrastice exponens, *Tota Pentapolis ante subversionem, maxime a loco in quo tunc erat Abraham, eundo versus Segor, irrigua erat & fertilissima; sicut Paradisus & sicut Ægyptus, quam Nilus fœcundat*. Et ne talis expositio singularis ipsiusque Cornelii propria videatur, citantur, *S. Augustinus, Cajetanus, Pererius*.

110 Ad illam opus fuisse novo commate, saltem mente concepto, post nomen *Ægypti*, palam est: an autem propterea quisquam velit Cornelium, cum suo Augustino aliisque, comparare hæreticis, reumque sistere Tribunalibus sacris, ut corruptorem Scripturarum; qualiter me comparant & sistunt Delatores? Tu quidem hic brevior mitiorque, Pater Rev. satis habes concludendo scribere, quod *Papebrochius reprehendit Evangelistam, dicens; Mihi nec Latine sic loqui placeret, nedum scribere, Incipiens annorum triginta*. Non reprehendo, sed defendo Evangelistam Græca, & Interpretem Latine sic loquentes, ut neutra in lingua agnosci debeat solœcismus, si bene comprehendatur verborum textura; quæ in alio sensu non tam commoda, & prorsus barbara est. Quare Xaramilius præcitatum discursum suum merito claudit his verbis, quæ & Tu Tibi applices velim, Rev. Pater.

111 *Videant nunc Delatores, qua ratione affirment tamquam certum id, quod omnino dubium est & controversum. Quomodo negent textum Græcum, qui revera exstat, quemque citant alii. Quomodo graves adeo Doctores tamdem sequantur divisionem, eumdemque interpretandi modum, quam & quem sequitur Papebrochius. Hunc ergo dum accusant quod non insistat Evangelio S. Lucæ, prout Ecclesia solet; cur non pariter ejusdem delicti reos faciunt reliquos, atque inter eos præfatum Ortum? Vel illi erant accusandi, vel non accusandus Papebrochius: quia zelus pro fide non est acceptor personarum. Aut si, dum accusabant Papebrochium, nondum viderant legerantve præfatos Auctores, cur adeo in divulgandis propositionibus tam criminatricibus fuere præcipites?*

§. VII. ACCUSATIO.

Papebrochius contra Evangelium & communem, negat Josephum & Mariam fuisse pauperes.

RESPONSIO.

112 NUm. 164. Appendicis arguor, in Consultatoria ad nostrum P. Possinum, dixisse, quod *non persuadeo mihi, tam pauperem fuisse Mariam, ut passim concionatores meditantur;* opponunturque mihi S. Bonaventura & Cardinalis Toletus, quorum hic dicat, quod causa, cur B. Virgo ad stabulum duceretur, fuit ipsius paupertas, *non habentis hospitii pretium;* iste;

iste, *quia pauperes erant .... hospitium inveniro non potuerunt*. Lucas simpliciter dicit, *quia non erat eis locus in diversorio*, causam cuique pro suo affectu considerandam relinquens; quam libenter cum plerisque retulero in tenuitatem oppiduli, multitudinemque hospitium potentiorum ac ditiorum, qui domos præoccupaverant; maxime autem divinæ dispositioni, ita providentis, ut quam pauperrime filius suus nasceretur, jam inde a prima nativitatis suæ hora daturus exemplum contemnendi commoditates, in rem sibi forte tunc propositam. De iis autem, quæ pii Catholicique scriptores, imo ipsimet sancti Patres, subinde per conjecturam dixerunt, (uti fecerunt objecti mihi Bonaventura & Toletus) liberum cuique puto tantum recipere, quantum expensis aliis circumstantiis, quas illi non semper præsumi debent expendisse omnes, verosimilius & consequentiæ Evngelicæ aptius judicaverit, modo conjecturæ rationabilis lineam non excedat. Nam si singulorum pias meditationes omnes oporteret recipere, impingeremus in contradictorias propositiones & consequentias sæpe absurdissimas.

113 Joannes Silveira Carmelita apud Xaramilium nu. 24. tom. 1. lib. 2. qu. 15. num. 58. *Amplam*, inquit, *Virgo ex suis parentibus hereditatem habuit*. Ea certe ex libro de ortu Virginis sub nomine Hieronymi, aut historia ejusdem ab Epiphanio allegata apud Canisium infra citandum, & aliis passim, dicitur fuisse tanta, ut tertia redditnum & fructuum parte sustentare familiam honestam potuerint, aliam distribuerint in pauperes, aliam in usus templi erogarint. Sed & hoc piæ meditationis potius quam certæ eclesiasticæque traditionis, vel auctoritatis bene fundatæ esse puto: quare ab utroque extremo recedens, quam moderatissime hac de re sentio, & lectorem rogo in Apparatu fol. 27. n. 7. ut ei *non absonum videatur, quod familiæ Christi facultatulas aliquas (licet non magnas, nec summo generi pares) præsumam fuisse*. Nemo certe Virginem in mendicitate natam & educatam dixit. Illud autem quantumcumque, quod ei ex parentibus obvenit, non debet præsumi ipsis mortuis totum amisisse, vel aliena fraude vel infortunio aliquo; multo minus ipsam (quæ necdum sui juris erat, cum eam sibi desponsavit Josephus, imo ex communi sententia quindecim dumtaxat annorum puella cum Christum peperit) omnibus divenditis, cuncta in pauperes distribuisse, sicut eam fecisse puto, filio ejus Evangelicam paupertatem prædicare & commendare exorso. Ut autem ipsa id facere ante legitimam ætatem voluisset, non poterat id permisisse Josephus, tutor, sponsus, & maritus illius; neque hoc tantum, sed etiam filii ex ea nati pater legalis. Quin & ipse Josephus, coheres fratri Joachimo, in ercisciscunda hereditate ab Heli communi utriusque patre relicta, & heres Jacobi patris sui legalis, non potest concipi adeo tenuis fortunæ fuisse, ut nec ipse saltem Nazarethi domum aliquam possideret cum supellectili modica: unde Capisuccus apud Xaramilium o. 15. dicit de Christo, quod *ante baptismum vixit ex bonis parentum*.

114 S. P. N. Ignatius, in libello Exercitiorum (quem libellum, *quod omnia & singula in iis contenta*, post vere rigidissimum examen, ut probatur ex bulla censurisque Cardinalium, Paulus Papa III. approbavit) in Exerc. de Nativ. præludio 1. *ex Historia* jubet mentis oculis objici, *quomodo* B. Virgo, *jam nono mense gravida, & insidens asinæ (ut pie meditari licet) ac Joseph comes, cum ancillula & bove, profecti sunt Bethleem*. Ad quæ verba Suarez noster Tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 5. dub. 8. *ubi aliqua in specie apocrypha complanantur*, notat, in eo libello *interdum aliquid addi Historiæ Evangelicæ, vel ex pia consideratione, vel ex observatione sacrorum locorum, nunquam tamen sine sufficienti auctoritate*. Cumque pro asina & bove aliquos auctores, minime tamen antiquos, congruentiasque nonnullas adduxisset, non aliter quam in verosimili conjectura fundatas omnes; *de ancillula*, inquit, *nullo alio in loco legisse me recolo*; ideoque operosius contendit probare, quam congruum fuerit S. Josephum, qui ne Nazarethi quidem præsumi debeat Virginem habuisse absque obsequio tali, tum ad necessitatem, tum ad honestatem, absque eodem illam non commisisse itineri, jam proximam partui; in quo partu qualiter eadem habitura se esset, ipse præsumitur nescivisse; esto S. Chrysostomus, vel quisquis est auctor Homiliæ de Nativitate Tomo 2. operum ejus, dicat, quod *Joseph* & *Maria mater Domini, non habentes servulum, non ancillam, non jumentum, de Galilæa, de Nazareth soli veniunt, ipsi domini & famuli*. Pergit autem Suarez, inter causas cur istis verbis non admodum cogi se putet, hanc secundam reddere; quia *ille famulatus non excedit statum & paupertatem Josephi, ut ex munere etiam ejus* (fabrili) *conjectare possumus, & ex his quæ de statu illius & parentum Virginis tractat Canisius lib. 1. de B. Virgine cap.* 4.

115 Hic, contra Lutherum disputans, qui miseram prorsus atque infimam fuisse conditionem Virginis contendebat, agnoscit quidem, quod *Mater & filius Vitam minime lautam & opulentam, sed plebejam potius traduxerunt*, citra egestatem tamen; nisi quod in stabulo passi sunt aliquam, nihil ibi præter præsepe habentes in quo infantem reclinarent, eamque divinæ adscribit dispositioni. De fortuna autem, in qua nata ipsa Virgo est, ac porro vixit, idem Canisius, ita loquitur: *Quid quod Eusebius, sive ille sit Emissenus, sive alius, manifeste tradit nobilissimos parentes, Mariam filiam heredem instituisse; quæ cum nullos fratres haberet, in bonis parentum unice successerit, suamque possederit hereditatem; præsertim cum lege cautum esset, ut parentum possessiones ad alienos non transferrentur, sed in eadem familia heredibus proximis obvenirent. Meminit præterea Nicephorus, Josephi & Mariæ in Nazareth, non domicilium modo, sed & substantiam & possessionem propriam fuisse, & quoniam utroque loco, apud Bethleemitas & Nazaræos, proventum aliquem habuerint, utrobique eos habitasse. Neque tacet Epiphanius, cum adversus Nazaræos disputat, Joseph Mariæ sponso fuisse domum in Nazareth civitate, in qua a Bethleem digressus habitavit: in eaque domo Christum puerum a Joseph educatum esse. Id quod Evangelicæ Historiæ non male respondet*. Ita Canisius.

116 Viden' quam longe hæc absint a Lutheri & sequacium opinamentis; cum quibus tamen me facere vis, Rev. Pater? Erat quidem locus ille, in quo annuntiante Angelo Dei filium

Virgo concepit, parvus & humilis, qualis hodiedum Laureti conspicitur, illuc translata ædicula ab Angelis: sed quis hanc totam Josephi domum fuisse dixerit, in qua & suam ille officinam habuerit, & cubiculum a Virginis ancillulæque cubiculis diversum, & culinam, & cetera necessaria omnia? quantoque & decori & rationi verosimilius cogitabimus, illam quasi appendicem majoris domus, sive (ut vulgo loquimur) ædes domus posteriores, ubi (more gentis, solitæ mulierum habitationem seorsim habere) Virgo degeret, orationi, contemplationi, ac muliebri operi vacans, procul a strepitu officinæ & concurrentis illuc multitudinis, prandiumque ac cœnam Josepho & filio præpararet?

117 Nihil horum considerare voluisti, Rev. Pater: sed *debet*, inquis, *Papebrochius admittere, D. Virginem fuisse revera pauperem ... vel (quod absit) fuisse hypocritam, & finxisse se pauperem, ut in Purificatione offerret hostiam pauperum*. Scio in Lege fuisse præscriptum, ut offerretur agnus cum columba seu turture; *quod si non invenerit manus* puerperæ, *nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum*; sed ex verbis Lucæ, ultimam dumtaxat Legis partem allegantis, videor mihi posse colligere, usu ac more obtinuisse ætate illa, ut prædicta impotentia latissime sumeretur, & taliter omnes eas matres comprehenderet, quæ plebejæ minimeque opulentæ conditionis censebantur; ita ut singularis videri debuisset Virgo, si agnum obtulisset, quem soli primores potentioresque offerebant; si tamen hunc offerebant etiam hi, consuetudine jam obtinente, ut sola turturum oblatio sufficeret. Contrariam praxim nullis hactenus exemplis probatam legi; cessantibus autem una cum templo sacrificiis, non est facile, de ritu apud Judæos jam exolito definire aliquid certius, pro eo tempore quo Christus est natus.

118 Abulensis in Levitici caput 12. qu. 29. *Sciendum*, inquit, *quod Domina nostra in Purificatione sua, quando obtulit Redemptorem in templo, obtulit par turturum, ut habetur Lucæ 2. Hoc autem factum dicitur a Doctoribus sanctis, quia Domina nostra erat pauper, & non habebat unde offerret agnum anniculum. Sed hoc non videtur stare*. O quomodo vapularet Papebrochius, si hoc scriberet contra Doctorum sanctorum communem sententiam! Æstimare id licet ex iis, quæ Delatores congerunt pag. 9. contra me tamquam adversarium Evangelicæ paupertatis, & partiarium hæreticorum. Cur autem *hoc non videtur stare* Abulensi? *Nam*, inquit, *etsi B. Virgo propter paupertatem fecerat, non est dicendum, quod fecerat pro paupertate, tamquam ad istam oblationem impotens esset; sed fecit propter paupertatem, id est, ut demonstraret se diligere paupertatem &c. nam quod ipsa potuerit offerre agnum anniculum satis constat, quia dedit quinque siclos in redemptionem pro Salvatore nostro, sicut pro aliis primogenitis dabatur*.

119 Melchior Canus ex Ordine Prædicatorum, lib. 11. de locis cap. 5. supponens cum communi ac vulgata opinione, Magos venisse, & sua munera obtulisse, decimo tertio a Christi nativitate die; & agens de oblatis in Purificatione turturibus; *Quidam*, inquit, *liberalitatem ac beneficentiam Virginis animadvertunt, quæ brevi aurum acceptum in pauperes erogorit; alii prudentiam, quod viaticum paraverit in Ægyptum ... Sunt qui modestiam advertant. Atque hæc ratio mihi videtur sanctissime & prudentissime constituta. Non decebat enim, ut, quæ pauper erat, ea divitum oblationem subito inferret. Ab omni fastu & ostentatione erat Virgo aliena, nec mutare conditionem illi erat animus, quam sciebat Dei filio placuisse*. *Eat nunc Anonymus*, inquit Xaramilius n. 53. *& stentorea, quantum potest, voce populum concitet, contra Silveiram, Abulensem, Canum, aliosque, qui plures citari possent; dicatque illos negare præsepe, & paleas, & oblationem columbarum. Hoc si non audeat, dicatque, auctores istos non ita diserte affirmare, quod Virgo potuerit sibi comparare agnum; interroget conscientiam suam, quomodo id fuerit ausus contra Papebrochium, qui præsepe & paleas expressissime agnoscit, de columbis autem nec verbum quidem facit uspiam*.

120 Quid autem Delatores? Fol. 8. col. 4. ajunt, Papebrochium *nauseare & fastidire paupertatem Jesu, Mariæ & Joseph*. Fol. 9. col. 4. prætendere eum, quod si *hospitium pretio quocumque* (costasse lo que costasse) *haberi potuisset, non defuisse Josepho copiosos nummos, quibus ipsum compararet*. Folio autem 11. col. 2. allegatis sanctis Patribus, qui Jesum dicunt fabrilem artem exercuisse, ne argueretur parentum paupertatem non sublevare cum posset, *non potest*, inquiunt, *Papebrochius tantam in Josepho, Maria ac Jesu paupertatem tolerare; sed modis omnibus, omnique possibili violentia conatur illam subvertere, inducendo in familiam istam divitias, Domino nostro indignas*. Omnia hæc scilicet meruit audire Papebrochius, qua illi familiæ concessit *facultatulas aliquas*.

121 Nec levior turbo concitatus fuerat fol. 10. ubi inducitur Papebrochius fingere parvulum, adorantibus ipsum Magis, *oblectantem se tractando auro nummosque joculariter jactando cum matre* (jugetooes con el oro) *quin etiam hilariter ac blande, tamquam aurum amans, illi arridendo*: atque hoc totum, quia Papebrochius, probaturus Christum, ex opinione apud Græcos communiori, fuisse fere bimulum cum adorabatur a Magis, ex eorumdem Menæis expressim



dedit

dedit imaginem mysterii, fol. 27. in Apparatu, (quomodo etiam Romana Ecclesia solet ad majores festivitates imaginem mysterii apponere Officio atque Missæ) in qua imagine, uti vides, exprimitur Jesus, non jam pannis involutus infantulus, sed tunicella indutus puerulus, *in gremio matris ludens, adeoque pro captu illius ætatulæ aptus ad hospites blando risu excipiendos, oblataque munera, parvularum manuum injectu jucunde palpanda*. Si Græcos ferre non possunt Delatores, quia sic mysterium istud exprimunt, ad significandum internum affectum gratitudinis, quo, sicut olim Deus *respexit ad Abel & munera ejus*, sic & ad Magos respexerit parvulus Jesus (miror autem si nec in Hispania sæpe viderint picturas ejusmodi) veniant Antverpiam, & ostendemus eis non una in ecclesia idem mysterium, sic pictum, ut infantis adhuc nudi aut pannis involuti, & supra præsepium elevati, tenellam manum arripiens mater, immittat eam auro acceptando, ipsa blande, sed graviter, Magos intuens, & quasi gratias agens pro honore, quem filio habent: & hoc, quia ætas dierum tredecim, qua mysterium peractum nostri concipiunt, non patiebatur aliter exprimi, quem pictura exprimere jubebatur, affectum.

121 Arguunt præterea fol. 9. col. 1. quod, si Papebrochii sententia vera esset, *sequeretur, nullo modo laudabilem fore consiliorum Evangelicorum observantiam ante annum ætatis trigesimum ..... & quod amplectentes ea anno ætatis decimo sexto, ut minimum perfectiores in istis virtutibus fuerint, quam Christus suaque sanctissima Mater*. Respondet Xaramilius nu. 33. & deinceps: Non crederem sic argumentatos fuisse Reverendissimos Patres Magistros, nisi impressa verba meis oculis legerem. Opera Dei, Patres Reverendissimi, non tantum sunt in seipsis admirabilia, sed etiam in tempore, quo illa exequitur. Hinc Paulus animadvertit, quod Deus non nisi *quando venit plenitudo temporis, misit filium suum &c.* An autem, antequam veniret plenitudo illa, ignorabat Deus quanti esset momenti istud divinissimum opus? non cognoscebat mala, quibus involvebatur & unde redimendum erat genus humanum? Certum est, quod & hæc cognoscebat, & istud non ignorabat. An ergo deficiebat illum amor atque voluntas, ad largiendum nobis bonum tantum? Neque in cælo, neque in terra invenietur, qui ipsum hoc ausit interrogare. Nostri officii est venerari divitias, & investigabiles vias sapientiæ ejus, quemadmodum nos docet Apostolus.

122 Nunc ego interrogo, quare Christus hortatur nos, ut simus perfecti, sicut & Pater noster perfectus est, benefaciendo nobis mutuo? Si hinc inferret aliquis, quod, oblata occasione grande aliquod obsequium Deo vel beneficium proximo faciendi citra rigorosam obligationem id complendi statim, is, qui statim id faceret ne minima quidem interposita mora, non sit futurus laude dignus, ideo tantum quia Deus tot seculis distulit Incarnationem filii sui, clarum est nullam hanc fore consequentiam. Idem ergo dico de ea, quæ objicitur.

123 Filius Dei post suam Incarnationem definitos habebat annos, menses, dies exequendis operibus sibi a Patre commissis; & quamvis a primo suæ conceptionis instanti paratissimus fuerit ad ea continuo exequenda, & patiendum quidquid deinde passus est pro gloria Patris sui æterni nostraque salute; tamen unicuique operi suum erat destinatum tempus. Mutaturus aquam in vinum ad nuptias; *Nondum*, inquit, *venit hora mea*: & facturus miraculorum omnium maximum, in sui corporis ac sanguinis Sacramento, *Desiderio desideravi*, de passione vero sua, *Baptismo habeo baptizari; & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Denique interrogatio & auditio Doctorum, exterior interiorque vocatio hominum ad pœnitentiam vel statum perfectionis, aliaque opera ejus omnia, definito tempori affixa fuerunt.]

124 Hactenus Xaramilius, qui mox assumit aliud Delatorum contra me argumentum, hoc modo: Catholicus aliquis sic poterit argutari. Petrus, annorum dumtaxat quatuordecim adolescens, quacumque oblata occasione non desinit publice atque privatim exhortari homines ad virtutem, in aliis jurandi consuetudinem corrigit, alios educit ex cœno luxuriæ, multis persuadet Religionem ingredi; ac denique, quia caritas nulla major est quam ut animam quis det pro proximo suo, in ætate tam tenera iisque circumstantiis, quibus non obligabatur exponere vitam suam, addicit se ministerio peste infectorum; atque ita natus annos quindecim, postquam plurimas animas perduxit ad cælum, ipsemet obit victima caritatis. Talis tamque juvenis Petrus, in istarum virtutum exercitio fuerit Christo major, qui illas usque ad trigesimum vitæ annum occultas habuis & distulit mundo publicare. Pessima enimvero (respondet Xaramilius) consequentia, & in fide erronea, atque ejusdem omnino formæ syllogismo confecta, quo paulo ante impugnatus fuit Papebrochius. Exterioribus operibus sua perfectio & meritum venit ab actibus internis, illaque auget dignitas, quam coram oculis divinæ majestatis habet persona operans. Cum igitur quovis tempore interior status Christi ejusque dignitas ea fuerit, qualem numquam assecuti sunt, assequentur vel assequi poterunt ceteri homines, quantumvis Sancti, & quantumcumque mature ingressi stadium virtutum, nullus poterit perfectionem virtutum ejus, etiam extrema dumtaxat vita exercitatum, æquare, nedum superare.

§. VIII. ACCUSATIO.

Papebrochius citra ullam veri speciem aut apparentiam, negat Magos incomitatos dimissos ab Herode, aut per iram occisos infantes, utrumque contra Evangelium.

RESPONSIO.

125 UBinam ego nego iratum Herodem, quem lego *iratum valde* fuisse, cum se elusum vidit a Magis? Omnino nusquam. Publica & militari irruptione occisos infantes, nego, & nitor traditione vicinorum Thecuitarum, apud se Bethleemiticos infantes occisos dicentium: dico, astu aliquo, ne quis elaberetur, collectos in unum, necatosque non tantum eos, qui erant in Bethleem, sed & in omnibus finibus ejus. Adeone parum Tibi nota est, Pater Rev. Herodis Magni (uti eum Politici appellant) vita omnis, qualis a Josepho descri-

describitur, tota consuta ex fraudibus & machinationibus occultis, in cruentas denique cædes etiam domesticorum prorumpentibus? Si dubitas, vel ipsum Evangelium consule, & leges quam simulate cum Magis egerit, mittens eos in Bethleem, & jubens diligenter quærere de puero, *Ut & ego veniens*, inquit, *adorem eum*. Quid autem prius debebat cogitare versutus Rex, quam (quod in tali casu cogitaret simplicissimus quisque unius oppiduli gubernator) euntium gressus & actiones explorare, neque vel promittentibus reditum Magis confidere rem, tanti ad suam securitatem momenti?

126 Quod ad iram attinet; quæro, an Joab Abnerem propter fratrem necatum, Absalon Ammonem propter sororem violatam, occiderint irati? Affirmabis utique: & tamen dissimulavit uterque, imo amicitiam & injuriæ oblivionem finxit, hic convivium regium fratri instruens, ille in dolo revocans abeuntem ut loqueretur ei: quin & tu, Pater Rev. quando simulasti te pacem mecum atque cum Societate velle, modo faterer ego, licere vobis professionem ab Elia velut probabilem tenere, quod ego numquam prohibere volui, modo liceret mihi eamdem non tenere; numquid non habebas jam pridem impressam Exhibitionem tuam, mittendamque in Hispaniam confecturis inde posteriores Delationum libros, sequenti anno 1694. oblatos Inquisitioni, postquam de tuo ictu jam certus, hic publicaras illam, & tota Europa divulgaras, paucis mensibus post insidiosum istud Fr. Isidori vestri coram nostro tunc Provinciali Philippo Regaus colloquium, de quo Janningus eccum expostulavit? Utinam politicus ille spiritus, cujus insigne magisterium in Herode infanticida posteritas habuit, in solis Regum palatiis dominaretur!

127 Ast saltem contra Evangelium est dicere, honoris & ducatus præbendi specie comites ab Herode additos Magis, quos constat ducem stellam habuisse. An ut Bethleem eundum sibi esse scirent? Nequaquam; hoc enim jam Hierosolymis didicerant, & ipse Herodes eos in Bethleem mittebat, veluti locum, in quo nasciturus Rex novus certo sciebatur. Quo igitur stella? Primum, ut anxios, ex iis quæ Hierosolymis & in palatio experti erant, consolaretur, certosque redderet inveniendi pueri; deinde ut ostenderet, quam designare Herodes non potuerat, *domum, in qua erat puer*. Qui juxta vulgarem opinionem, cum S. Vincentio Ferrerio, persuadent sibi, tertio decimo post nativitatem die venisse, & Herode eluso abiisse Magos, horum discessui & interfectioni infantium integrum mensem interjiciant oportet, propter Purificationem in templo, non nisi 40. die peractam; nec animadvertunt, inde in Nazareth itum, teste Luca, ubi puerum nec quæsivit, nec quæsiturus Herodes erat, ut propterea non debuerit abduci in Ægyptum.

128 De Evangelii utriusque a Matthæo & Luca descriptis Capitibus primis nemo dubitat, quin unus sit supplendus ex altero, ut ex iis inter se collatis consequens una Historia habeatur; nec injucundum erit legere, quo modo eam conceperit supra laudatus S. Vincentius Serm. de Innoc. *Ter proposuit Herodes occidere puerum, sed Deus impedivit. Primo in ejus nativitate, quando auditis miraculis de claritate noctis, de pastoribus, de animalibus, & de Angelis in aere cantantibus, cogitavit ipsum occidere; sed non fuit ausus, timens insultum, quia erat* * *novus, Secundo in adventu Regum Orientis, quærentium & dicentium; ubi est qui natus est Rex Judæorum? tunc etiam proposuit eum occidere; sed non potuit, quia* * *filii sui insurrexerunt contra eum, & in illis occupatus &c. Tertio, quando fuit quadragesimo die præsentatus in templo in Hierusalem, ubi erat Herodes, & S. Simeon & Anna prophetissa omnibus prophetabant, quod ille erat Rex Messias. Cogitate, quod illa verba venerunt ad aures Herodis; & tunc Herodes voluit illum occidere; sed Angelus apparuit in somnis Joseph dicens; Accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Tunc alii pueri fuerunt occisi, & Christus evasit per fugam.* Ita meditabatur Vincentius, pie magis quam erudite: nec enim Rex *novus* erat Herodes, qui ex Epiphanii calculo jam annum 35. agebat in regno: filii autem ejus Alexander & Aristobulus pridem necati erant, & Antipater vel necdum suspectus erat, vel ex suis litteris convictus & conjectus in vincula, timeri desierat; uti ex Historia Josephi discimus. Verum quam illa facile condonantur, non Historico, sed concionatori Sancto, tam probant, non juste reprehendi eos, qui circumstantiis per Evangelistas non expressis addunt quas ipsi, ad eos inter se conciliandos, bona fide excogitant ut verosimiles, atque ut tales proponunt.

129 Plus etiam meditationi suæ ille idem Sanctus indulget, describendo modum, quo processerit Herodes in scelere patrando, formans sibi affectus & verba personarum, locorum &c. prout etiam S. P. N. Ignatius meditantem instruit. *Dicatur*, inquit, *practice, secundum quod rationabiliter potest cogitari, quomodo factum fit: hoc scilicet modo. Herodes vocavit gentes armorum, quas tenebat, quia nondum reputabat se securum; dicens eis: Jam audistis de isto puero nato, & murmuratur quod est Rex Israel: timeo quod una die populus insurget contra me, & contra vos &c. Malus Rex & mali ministri dicunt; Ergo moriatur puer iste. Dixit Herodes: Non possum scire ubi est; bene tamen scio quod est in Bethleem natus: ideo ibi est, vel in locis vicinis: ideo cogitavi ut omnes pueri illius patriæ interficiantur. Et ministri; Bonum est. Sed quomodo fiet, ne populus se aviset, ne abscondant pueros filios? Dixit Herodes; Modo oportet quod hoc sit secretum; & ordinavit taliter, quod eodem die & hora interficerentur. Cogitate quod sub aliquo colore. Et dixit Herodes: Non invenio alium modum, nisi quod, sicut Octavianus Imperator mandavit describi omnes masculos, ut solverent unum denarium de argento; sic & ego ordinabo, quasi volens scire quot pueri sunt in terra, nolens quod aliquid solvant, ne forte abscondantur: imo dicetur, quod dabo eis strenas. Et sic fuit ordinatum. Ita fuit præconizatum in terra Bethleem, quod tali die & tali hora omnes pueri fuissent congregati in platea: & ita fuit: & homines armorum posuerunt se in angulis platearum, ne aliquis pater aut mater cum filiis posset fugere: vel, si vellent se defendere, quod interficerentur. Et quælibet mater læta portabat, vel mittebat per nutricem suum filium, sperans strenas habere, etiam forte clenodia. Dicatur de crudeli strage & occisione innocentum. Dicebant*

aliquæ;

aliquæ; Non est filius, sed filia, volentes filium servare a morte: aliæ abscondebant, ne etiam perderent. Deinde perquirebant per domos, si invenirent per thecas, & interficiebant pueros. Tot innocentes occiderunt, quod innumerabiles quasi fuerunt. Parentes vero, videntes tot gentes armorum, non poterant resistere. Aliqui volentes defendere filios, mortui fuerunt una cum ipsis.

130 Huic Meditationi S. Vincentii, tot annis citra cujusquam offensionem vel scandalum lectæ, & olim maximo cum fructu, ut cetera ejus omnia, prædicatæ, licet viris eruditis nunc parum probandæ, cur non possit opponere aliquis scriptor aliud, atque ad hujus seculi genium aptius; & Evangelico textui magis conformiter ordinare historiam, quod autem meditando conceperit publice dijudicandum exponere? Feci id ego prolixe in Apparatu, faciam hic breviter, nihil veluti certum definiens, & paratus majorem verisimilitudinem sequi, undecumque ea mihi afferatur. Ut autem melius intelligatur res tota, exordiar ab ipsa Incarnatione.

131 Die 25. Martii incipit apparere nova stella in Oriente, & a Magis astronomice observari, postquam eodem die missus Angelus ad Mariam, virgunculam quindennem & patruo Josepho desponsatam, annunciasset filium, ex Spiritu sancto concipiendum, atque de cognata Elisabetha indicasset, eam sexto mense ea uterum ferre. Primum occultum habet humilis Virgo; secundum Josepho indicat, eumque exorat ut pariter proficisci sibi Hierosolymam liceat ad proximum Pascha; indeque excurrere per montana ad Zachariæ domum. Peracto festo redit cum aliis Galilæis Nazarethum Joseph, denuo venturus ad Pentecosten, & tunc aditurus etiam ipse domum Zachariæ, ut sponsam reducat in Galilæam. It illa cum ancillula comite, salutat Elisabetham, & ut mater Dei resalutatur; ancilla quidem audiente, sed non capiente mysterium: quod deinde sanctæ illæ cognatæ secretum habent. Venit post Pentecosten Joseph, cum ceteris cognatis gratulaturus Elisabethæ, celebrant circumcisionem Baptistæ: intelligit ex ancilla, quomodo illuc veniens Maria fuerit resalutata ab Elisabeth. Hinc in rem attentior Josephus, & ipsam quoque uterum ferre cognoscens, cogitat occulte eam istic dimittere: sed in somno monitus ab Angelo, in eadem forsitan Zachariæ domo, ducit uxorem, nuptias celebrat coram collectis ibi consanguineis, & Nazarethum cum illa lætus revertitur, nasciturum ex eadem filium habiturus pro suo.

132 Exit edictum a Cæsare Augusto, solos fortasse viros obstringens, divino tamen monitu etiam uxor prægnans in Bethleem ducitur; aditur diversorium, proximum portæ, sub quo erat spelunca usum stabuli præbens; & quia in eo, hospitibus tumultuantibus pleno, non erat locus, puerperio jam jam instanti aptus, itur in prædictam speluncam, quæ hodiedum superest, non autem in male materiatum tuguriolum, ita ut vento imbribusque excludendis opus habuerit Josephus fabrili sua arte uti, sicut concipiunt aliqui. Ibi parit Virgo; & pannis quos attulerat involutum infantem reclinat in præsepi. Adsunt summo mane, nocturno Angelorum monitu, excitati pastores; quæ viderant & audiverant nuntiant accurrentibus; recipitur in alicujus consanguinei domum cum puerpera Josephus, ubi circumciditur octavo die infans, quadragesimo purificatur Maria Hierosolymis in templo, Simeon & Anna prophetant, reditur in Nazareth juxta Lucam. Compositis ibi rebus migrat in Bethleem familiola sancta, rata istic educandum puerum, ubi nasci eum Deus voluerat, & Templo essent futuri propinquiores.

133 Dant se in viam Magi, cum nullo aut modico comitatu; Hierosolymam perveniunt; & interrogantibus illis ubique, ubi esset qui natus erat Rex Judæorum, turbatur Herodes, qui gesta in nativitate & purificatione vel ignoraverat, vel contempserat ut deliria; & turbatur omnis Hierosolyma cum illo. Accersuntur Magi, interrogantur curiose; consuluntur Sacerdotes omnes & Scribæ populi (quibus agendis facile potuerunt dies aliquot insumi) tandem dimittuntur ab Herode in Bethleem; quod qui aliter quam adjunctis quocumque prætextu exploratoribus factum putant, næ illi parum politici sunt, & Herodem zelantissimum potentiæ suæ, in hoc tam prægnanti negotio, incurium sui fuisse credunt. Sed non est consilium contra Dominum. Urbe egressis apparuit stella, quam viderant in Oriente, & Magos præcedens stat supra ubi erat puer. Ingrediuntur illi, agnoscunt, adorant, munera offerunt, ad hospitium aliquod se recipiunt: & moniti eadem nocte per aliam viam revertuntur in regionem suam. Orto autem sole, deprehendi ab Herodianis insecuturis metuentes, recipiunt se in sacrum istud, quod hodiedum insigni monasterio ornatur, spelæum. Exurgunt pariter Herodiani; Magos disparuisse inveniunt; insequuntur ea, quam institisse dixerant, via; & ultra spelæum provecti ubi illi latebant, neminemque reperientes, vacui revertuntur ad Herodem. Magis post actum in spelæo diem, resumentibus iter.

134 Herodes Bethleemi quæri puerum jubet, in ea, ubi ipsum Magi adoraverant domo; sed & hic Angelico monitu, proxima post Magorum discessum nocte ablatus fuerat in Ægyptum, insciis etiam consanguineis; ubi Joseph auro a Magis opportune allato & manuum suarum labore, inter infideles sustentat se ac suos usque ad obitum tyranni. Hac iterum spe frustratus Herodes, infanticidium decernit, iratus plus quam antea, sed iram pariter atque consilium occulit. Infantes Bethleemitici oppidi atque districtus, a bimatu & infra, secundum tempus exortæ primum stellæ quod docuerant Magi, specioso prætextu aliquo & parentibus grato, conscribuntur primum, tum colligi jubentur ac Thecuam abduci, nihil dubitante Herode, quin inter eos lateret is, quem unice requirebat, puer. Ibique jubentur clam omnes interfici, uno que in loco sepeliri: & eodem, vel sequentium proxime annorum aliquo, moritur Herodes, die 25. Novembris, uti ex volumine Judaicorum Jejuniorum nos docet Schelstratius.

135 Succedit in Judæa sola Archelaus: reliquum regnum in tetrarchias dividitur a Romanis. Monitus de reditu Josephus, & intelligens Archelaum regnare in Judæa, timuit redire in Bethleem (ubi jam habebat domum & supellectilem aliquam, divinæ providentiæ derelictam) abiitque Nazarethum, ad alteram suam ibi domum; unde tamen mortuo Archelao, & Judæa in Præfecturam redacta atque Præsidibus commissa, veniebat statis diebus ad Templum, cum

uxore

uxore & puero: qui anno ætatis suæ duodecimo istic manens, sollicitudinem incussit parentibus, & primum inter Doctores edidit sui specimen; post triduum autem repertus a quærentibus, cum iisque reversus Nazarethum, privatam in opificio fabrili vitam duxit, etiam post mortem Josephi, cum matre manens usque in diem ostensionis suæ, post baptismum, Joannis ministerio susceptum.

136 Quid videtur, Pater Rev. estne in tota hac meditatione aliquid (neque enim aliter ipsam propono) quod contrarietur Evangelio, & non potius apte conciliet utrumque scriptorem sacrum, ita ut nous nulquam impingat in alterum? Si ideo contemnenda, quia mea; quanto potius Vincentiana de qua supra, tot incommodis implicita, & circumstantiis, pene dixerim puerilibus ornata? Quomodo Bethleemi a pueri matre excepti sint Magi, qui istic sermones habiti, nolui divinare, quia hi ad continuationem narrandæ rei faciebant nihil: si eos ex S. Vincentio serm. 1. de Epiphania describerem ego, suppresso auctoris nomine, vereor valde, ne me probris omnibus Carmelitæ onerarent, velut sacrorum mysteriorum irrisorem; ita diversa sunt pro affectu judicia. Dices fortitan, ut hæc omnia recte se habere videantur, non potest non displicere nova & a communi prorsus aliena sententia, de tardantibus usque ad annum Christi secundum Magis, quorum adventum Græci antiquitus agebant ipsa, qua natum & baptizatum credebant illi, die 6. Januarii. Scito ergo, non novam, nec meam, sed antiquissimi Epiphanii esse sententiam; neque solum in transitu perstrictam, uti est in Panario, Hæresi 30. n. 29. pag. 154. in editione Petavii, sed expressissima Hær. 51. n. 9. pag. 430. deductam & probatam.

137 Hic ille, convicturus Porphyrium, Celsum & Philosabbatium Judæos, qui mentiri Evangelistas blasphemabant, quasi eodem die natum, adoratum, & in Ægyptum abductum Matthæus diceret, quem Lucas octavo die circumcisum asserit, & quadragesimo ostendit in templo; sic eis respondet: *Unicuique Evangelistarum concessum est, ut quæ singulis & temporibus & opportunitatibus gesta erant, verissime perscriberet. Itaque Matthæus, cum id unum exposuisset, de Spiritu sancto susceptum illum ac genitum, de circumcisione tacuit: nec ullam earum rerum attingit, quæ ante biennium acciderunt; sed Magorum demum enarravit adventum, quemadmodum verissimus Dei serme testatur, cum scilicet* tempus a Magis exquisivit Herodes, *ac de stella quæ apparuerat accurate sciscitatus est. Ad hæc Magorum commemorata responsio, de duobus annis & infra, ut diversum ab eo tempus esse constet, quod Lucas narratione sua complexus est. Hic enim, quæ ante biennium istud gesta sint, exponit. At Matthæus e nativitate statim ad secundum annum se contulit, & quæ post biennium acciderint declarat. Quod Herodes animo reputans, postquam Magi alia via discesserunt, in illa infantium turba deprehendi puerulum illum atque interfici posse crediderat; Infantes enim omnes, quotquot in agro Bethleemitico forent, a bimatu & infra, jussit occidi, ad illum usque diem quo apud se Magi fuissent. Ex quo quis non videat, tum cum Magi venerunt, bimulum fuisse puerum? Siquidem ea rei gestæ narratio veritatem ipsam accuratissime demonstrat.*

138 Etenim Lucas puerum, simul ac natus est, fasciis involutum esse scribit, & in præsepi ac spelunca jacuisse, quod nullus in diversorio locus esset. Tum enim census habebatur: & qui bellorum temporibus, quæ sub Machabæis extiterant, dispersi fuerant, quovis terrarum pervaserant; adeo ut pauci omnino Bethleemi remanerent. Quare in quodam Evangelistarum exemplari Davidis urbs dicitur, in alio vero vicus appellatur, quod agrum haberet angustissimum. Cum igitur Augusti Imperatoris edictum esset allatum, qui huc illucque dissipati erant, cum familiis suis ad illum locum censendi gratia venire coacti, facile eum compleverant, ut propter hominum frequentiam nihil esset in diversorio loci relictum. Post censum vero unusquisque eo, ubi domum suam collocarat, reversus est; unde laxius ad habitandum spatium fuit.

139 Itaque priore jam anno finito, & altero insuper; ob eorum, quæ gesta illic erant, memoriam, eo se parentes Nazaretho, velut ad eamdem celebritatem, contulerunt: quo tempore Magorum adventus, ejusmodi quadam opportunitate, contigit: tametsi non in eodem illo fortassis diversorio versabantur, in quo Mariam ac Josephum descriptionis tempore mansisse, Lucas testatus est. Neque enim Mariam in spelunca, ubi pepererat, repererunt; sed, ut Evangelium narrat, stella illos ad eum locum perduxit; ubi erat puer; & intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria, *non in præsepi, vel in spelunca, sed in domo scilicet; ut accurata rei veritas ac biennii intervallum exprimeretur, quod ab ejus natali ad Magorum adventum effluxerat. Eadem vero illa nocte, duobus a nativitate annis elapsis, Angelus apparuit, ac puerum cum matre in terram Ægypti jussit abducere. Idcirco non jam Nazarethum Josephus regreditur, sed cum puero ac matre fugit in Ægyptum, ubi biennio altero commoratus est: atque ita rursum post Herodis obitum, Angelus eumdem, ut in Judæam rediret, admonuit. Quippe* XXXIII. *Herodis anno natus est Dominus, ejusdemque anno* XXXV. *Magi venerunt; deinde* XXXVII. *imperii anno moritur Herodes, cui successit Archelaus, ut alio a me dictum loco meminit. Quare cum de Archelao accepisset, recessit Josephus, ac se Nazarethum habitandi causa contulit; unde quotannis Hierosolymam proficisci consueverat. Vides quanta sit in sacris Evangeliis cujuslibet rei enarrandæ, quamque accurata diligentia?*

140 Hactenus Epiphanius; ex professo, quod Patres alii nulli fecerunt, & propinquo loco ac tempore scrutatus Judæorum de Herode historias atque traditiones, ac verosimiliter etiam ex Josepho, qui tamen Herodi annos 40. adscribit. Porro ante hujus mortem non facile est invenire quadriennium, nisi cum antiquissimo Catalogo Pontificio, S. Augustino ac Patribus plerisque (quorum sententiam nuper resuscitavit Henschenius) mortuum Christum statuas *duobus Geminis Consulibus*, qui notant annum 29. nostræ vulgaris æræ. Quia tamen plures nunc eruditi, rebus denuo examinatis, non obstante antiquitatis pene totius consensu, communem hodie calculum retinendum putant, ob eas rationes quæ me quoque illuc trahunt, conatus sum ortum stellæ retro trahere ad diem incar-

incarnati in utero Virgineo Verbi; ut possem, inter Magorum adventum & obitum Herodis, novem saltem menses invenire, quibus ille, morborum agmine circumseptus, inter horribiles cruciatus inchoavit pœnas sceleribus suis debitas, jusso ante mortem interfici etiam filio Antipatro, quem sibi destinaverat successorem; nisi hic fuisset compertus regnum paternum præripere potius quam expectare voluisse; & ex vinculis quoque, cum animam agere Regem audisset, nova molitus fuisset contra fratres, quos tres solum reliquos per machinationes & accusationes suas fecerat.

141 Porro *Herodis Regis*, Græce Βασιλέως, toties hic repetita mentio, memoriam mihi renovat ingentis strepitus, aliquando contra me moti, nescio quibus suggerentibus, propter titulum Βασιλεὺς, quem Interpres noster in Actis S. Meletii Latine reddiderat per vocem *Imperator*. Cum enim ego Acta illa examinans, & ut apocrypha, imo ut fabulosa tota rejiciens, etiam hoc assumpsissem, quod multa, quæ Antonino Imperatori convenire non poterant, de ipso ibi dicerentur; imo quod ei dabatur successor Leo, tutti Cæsareæ historiæ ignotus: quorum hic tamen, solum *Princeps*; iste, *Rex* dumtaxat in Græca nominabantur, adeoque diversissimus esse poterat ab Antonino Imperatore; arguebar ego ut falsus interpres, aut interpretationem falsam secutus, in re tanti momenti, quanti videbatur esse martyrium Meletii, ipsi Romano Martyrologio cum sociis adscripti die 25. Maii. Gravitas & dignitas amicorum, ea denuntiatione conturbatorum, ipsisque suis oculis videntium in Græco revera titulum Βασιλέως, non Αὐτοκράτορος, quo nunc passim solent Imperatores a Regibus distingui, permoverunt me, ut illico deproperarem aliquid, quo suspicio infidelitatis tantæ extingueretur, quod hic publicum facere non gravabor.

142 Actorum præfatorum hoc est principium. Κατ' ἐκεῖνον καιρὸν ἐδιώκοντο οἱ χριστιανοὶ ὑπὸ τοῦ βασιλέως Ἀντωνίνου, ἐθνικοῦ ὑπάρχοντος, διὰ Μαξίμου τοῦ Δουκὸς Αἰγύπτου, ἀποσταλέντος ὑπὸ τοῦ Βασιλέως Ἀντωνίνου ἐν τῇ τῶν Γαλατῶν χώρᾳ ..... ἐξεπέμφθη δὲ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ βασιλέως εἰς τὴν Ταβιανῶν μητρόπολιν. Quæ sic verbotenus redduntur Latine. *Circa illud tempus* (quæ sonant relationem ad aliquod exordium præcedens) *persecutionem patiebantur Christiani sub Antonino Rege, qui Ethnicus erat, a Maximo Duce Ægypti, misso ab Antonino Rege in Galatarum regionem, ... emissus est autem hic a Rege in Tabianensium metropolim*, scilicet metropolim Galatiæ primæ.

143 Interpres Daniel Cardon Societatis Jesu, meus olim in hoc labore collega, cujus mortui anno 1678. elogium dedimus ante Tomum a. Maji pag. XXXIII. maluit sensum auctoris quam verba reddere; & dissimulato prologi defectu, sic absolute inchoare versionem, his verbis: *Quibus temporibus Romanum Imperium administrabatur ab Antonino Principe, adhuc Gentili, magnam in Christianos persecutionis procellam excitavit Maximus Ægypti Præfectus, ab eodem Antonino in Galatarum regionem ... immissus ... Metropolim Tabiensium etiam, mandato Imperatoris, ferox persecutor est ingressus*. Accusabatur versio hæc ut infidelis, idque eo confidentius, quod in Græco nusquam nominabatur *Romanum Imperium*.

144 Respondi nihilominus & adhuc respondeo, fidelissimam esse. Primo. Quia pag. 440. num. 11. lin. 4. Maximus dicit se accepisse litteras τοῦ Αὐτοκράτορος Ἀντωνίνου, *Imperatoris Antonini*; & num. 13. lin. 6. idem appellatur ὁ βασιλεὺς ὁ κατέχων τὴν οἰκουμένην, *Rex orbem universum sua continens potestate*: & in ipso principio dicitur, Ducem Ægypti in Galatiam misisse, ad persequendos Christianos; quæ potestas nemini convenire potest quam Imperatori Romano, Ægyptum & Asiam possidenti. Denique quia τὸ βασιλεὺς, sine addito, pro seculo 2. 3. 4. & sequentibus, fere semper dicitur de solo Romano Imperatore, cui loquentes dicunt, ἡ βασιλεία σου, *Imperialis tua majestas*; nec anni aliter numerantur, quam τῆς βασιλείας, *Imperii*, numquam αὐτοκρατορίας; & plurima Sanctorum Acta, quorum indicem habet Leo Allatius, in Diatriba de Simeonum scriptis, sic incipiunt: Βασιλευόντων Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ, *Imperantibus Diocletiano & Maximiano*, vel ἐν τοῖς καιροῖς Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ τῶν ἀσεβεστάτων βασιλέων, *Temporibus Diocletiani & Maximiani impiissimorum Imperatorum*, vel ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ, *sub imperio Diocletiani & Maximiani*.

145 Porro apud Auctores Græcos, post primum seculum, millies invenies βασιλεὺς, βασιλεία, βασιλεύειν, ab interpretibus Latine redditum, *Imperator*; *imperium*, *imperare*. Quia licet Octavianus Augustus, sciens quam odiosum Romanis esset nomen *Regis*, noluerit aliter appellari quam *Imperator*, titulo omnibus exercituum Romanorum Ducibus communi; usu tamen supremæ in Republica potestatis illi appellationi sic conjuncto, cœpit Imperatoris titulus multo dignior censeri quam Regis. Græci autem perseverarunt βασιλεῖς appellare ipsos *Imperatores*: & hoc usu ubique obtinente, volentes ab iis distinguere barbararum nationum *Reges*, puta Francorum, Gothorum &c. assumpserunt pro iis mutuatum a lingua Latina nomen Ῥῆξ & Ῥῆγας dixere. Hoc ipsum egregio exemplo confirmat Maimbourgius in Historia Iconoclastarum, sub finem, sic scribens: *Episcopus* (legatus Nicephori Imp. Græci ad Carolum magnum) *panegyricam orationem Græce recitavit in laudem hujus magni Principis: semper appellans* Αὔγουστον & βασιλεύς, *eo scilicet nomine, quo nunc solent appellare suum Imperatorem ad exclusionem omnium Regum, quos solo nomine* Ῥῆξ, *a Latinis mutuato, indigitant*.

146 Nomen Αὐτοκράτωρ Eusebius quidem in sua Historia usurpat frequentius: Αὐτοκρατορία tamen numquam, sed Βασιλεία: veniens autem ad Constantinum, in 4. Libris de Vita ipsius, nullo fere alio titulo eum appellat quam Βασιλεύς: ut appareat, eumdem qui Imperii Sedem in Græciam transtulit, apud Græcos maluisse digniori titulo Βασιλέα quam Αὐτοκράτορα dici: atque ideo ipsam Constantinopolim numquam aliter dictam invenias quam τὴν Βασιλίδα, vel Βασιλεύουσαν πόλιν, *Regiam civitatem*. Imo adjectivum nullum habent Græci, quod respondeat Latino *Imperialis*, quam Βασιλικός. Supra n. 138. vidimus etiam ex Epiphanio, *Augusti Imperatoris edictum* allatum fuisse in Palæstinam: quomodo id expressit ipse lingua sibi vernacula? Κέλευσμα τοῦ Βασιλέως Αὐγούστου. Similia habet alibi.

147 Porro quod Antoninum Imperatorem attinet, cum non constat quidquam mandasse contra Christianos; nedum emisisse Duces aut Præfectos in Provincias ad eos persequendos; imo semel aut iterum pro iis non inquietandis rescripsit: ita ut martyria sub eo facta Præfectorum privatæ crudelitati, priorum Imperatorum edictis inhærenti, adscribi debeant. Obiit idem Antoninus (teste in Vita ejus Capitolino) Lorii, in villa sua natali in Tuscia, 12. M. P. ab urbe Roma, & in mole Hadriani sepultus est ad Tiberim. Acta vero nu. 81. dicunt, quod *κατελθοῦσα ἡ νεφέλη πυρὰ ἔκαυσεν τὸν βασιλέα Ἀντωνῖνον ἐν τῇ Αἰγύπτῳ. Descendens nubes ignea combussit Imperatorem Antoninum in Ægypto.* Sunt igitur etiam ex eo capite (ut alia multa præteream) fabulosa acta illa.

148 Quod ad *Leonem Principem*, Græce Ἄρχοντα, attinet, de quo in Actis Meletii n. 82 dubitari posset, utrum is fingatur successisse Antonino in Imperio, vel solum Maximo in Galatia ad persequendum Christianos. Primum sequi videtur ex eo, quod idem Leo, Christianus (ut fingitur) effectus, cœpit Gentiles persequi. *Τότε ἐδιώκοντο οἱ Ἕλληνες ὑπὸ Λέοντος τοῦ Ἄρχοντος, δικαιοτάτου ὄντος. Tunc Gentiles persecutionem patiebantur sub Leone Principe, qui justissimus erat*: quod sub Imperatore adhuc Gentili & Christianorum persecutore, Præsidum Provincialium nullus ausus fuisset, aut permisisset fieri. Adeo ut auctor impingat in totam Historiam Cæsaream, annumerando Imperatoribus Leonem: vel agat contra omnem crisim, si simplici Præfecto dederit potestatem, & fiduciam in Gentiles sæviendi, quod nec Constantinus quidem Magnus fecit, neque Christianis permisit. Sunt ergo hæc Acta merissima fabula: & ut fabula deberent æstimari, etiamsi prædicta non essent certa, ut sunt certissima. Etenim jam patens est per totum decursum fictio, ut appareat Auctorem accusationis præmissæ ultra primas lineas nihil legisse; an autem ultra primas litteras aliquid Græce noverit, merito dubitatur. S. Dicasium Episcopum Tabianensem Concilio Nicæno interfuisse, non ideo notavi, ut inde probarem acta fabulosa esse; sed ut eorumdem fabulositate jam probata, intelligeret Lector, unde sumptum esset nomen *Dicasii*, sicut fabulatores solent vera nomina Principum Præsulumque admiscere figmentis suis, sed semper alieno vel loco vel tempore.

§. IX. ACCUSATIO.

Papebrochius historiam de virga S. Josephi florescente habet pro fabula.

RESPONSIO.

149 Postquam sufficienter probavi, & (nisi fallor) evici, primo, perfectam Christi genealogiam haberi non posse per Josephum, nisi iidem omnes, qui Josephi, etiam Mariæ fuerint progenitores, nullo extraneo aliunde adducto: secundo, genealogiam talem non haberi, nisi ille patruus, hæc neptis ejus fuerit: tertio, ejusmodi matrimonia Judæis ab origine gentis usque modo usitata fuisse; imo in casu unigenitæ orphanæ necessaria: postquam, dico, tria ista probavi, superfluum videbatur velle probare, quod neque Sacerdotibus, Virginis templo oblatæ curam habentibus, neque ipsimet Virgini liberum fuerit, alium quam proximiorem (nisi hic abnueret) etiam ex eadem familia & tribu, virum eligere; sicut constat exemplo Booz, a Mahalonis vidua Ruth acceptanda se excusantis, donec proximior ad illam hereditatem alius fuisset requisitus, suoque jure cessisset. Hoc autem posito non erat ad sortes aut oracula recurrendum, ut unus aliquis eligeretur de multis, qui Virginis matrimonium narrantur ambiisse, quod nescio an satis congrue dicatur de virgine extra virorum conspectum educata in templo, & fortassis ante pubertatis annos in domo patrui sui Joseph recepta, parentibus mortuis.

150 Itaque post ipsius S. Josephi Vitam, ex Evangelistis collectam, in iisdemque fundatas illius excellentias, sic exordior num. 8. *Porro ut hæc omnia ex Evangeliis deducta certissima sunt, sic incertissima prorsus æstimari debent, quæcumque præter jam dicta habent nonnulli, ex apocryphis Orientalium scriptis. Talia autem si Sanctorum Patrum aliqui visi sunt non omnino rejicere, non propterea fuerunt a me referenda, maxime cum Evangelico textui non usquequaque sint conformia. Quale est illud de S. Josephi virga, præ ceterorum omnium cognatorum virgis, instar Aaronicæ illius, frondente, quo prodigio cognoverint Sacerdotes templi, Virginis beatissimæ conjugio ipsum esse præ omnibus divinitus destinatum.* Equidem existimo, Josephum, adeo non solum corpore, sed etiam mente, & quidem voto perpetuæ castitatis firmata virginem fuisse, ut, si liberum ei fuisset etiam Mariam recusare alterique cedere, facturus id fuerit. Sed non ita religiosi fuerunt Delatores mei, anni 1694. a P. Sebastiano instructi: quia toti in accusationem intenti, non consideraverunt, quanto id esset gloriosius Josepho, quam qualecumque miraculum; atque hoc, ut me criminarentur, sustinere voluerunt, velut certam receptissimamque in Ecclesia traditionem; & quidem talem, qualem in Præambulo 3. laudat Origenes, in 2. ad Titum cap. 5. & quam qui neget *hæreticum pronuntiare non dubitet.*

151 Respondet ad hanc Accusationem Xaramilius pag. 118. n. 146. & deinceps, quod tantum peccat qui nimium, quam qui minus absolute affirmat. In veritatibus fidei, sicut nec apex unus tolli potest, ita nec addi ei, quod Ecclesia credendum proponit. Unum alterumque vetat Joannes, Apocalyps. 22. Quod autem ad historiam Virgæ pertinet, primum probatos audiamus scriptores, tum inspiciamus rationem. D. Joannes Molanus, sacræ Theologiæ Doctor Lovanii & Pontificius atque Regius librorum censor, lib. 2. cap. 29. *de historia sacra imaginum & picturarum, pro vero earum usu contra abusus*, sic loquitur: *Aliquando in picturis corrigenda sunt, non ipsæ picturæ, sed earum significatio. Sic quod S. Josephus pingatur, cum virente ramusculo in manu, sumpserunt pictores ex tractatu de nativitate B. Mariæ, qui est in operibus Hieronymi, ex quo & alia quædam habent. Sed cum docti sciant, fabulosum esse hunc tractatum, & Hieronymo indignum (prout Scriptores quidam eruditissimi annotarunt, & res ipsa loquitur) dici potest, per hunc ramusculum non esse intelligendum id, quod pictores ex prædicta fabula intendunt; sed referendum eum esse, ut significet virginitatem*

rem

tem Joseph. Nam ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur, etiam ipsum Joseph semper virginem fuisse, verisimile est, de quo beatissimus Hieronymus contra Helvidium. Neque ego unquam aliter intellexi hunc ramum, juxta illud quod de S. Brigida scribit Beda.

152 P. Theophilus Raynaudus tomo 7. parte 1. puncto 4. tractat de Magnalibus S. Josephi, & a fol. 46. incipit crisim, qua falsa a veris discernat, impugnans quidquid solidum fundamentum non habet, licet teneat speciem pietatis; ac folio 49. hunc titulum proponit, *Electio in sponsum per virgam floridam, eique incubantem columbam.* Postquam autem retulit historiam totam, quam PP. Carmelitæ volunt pro certa & ecclesiastica traditione haberi; *Nihil ex his*, inquit, *quæ Auctor libri de nativitate Virginis retulit, est impossibile: reipsa tamen contigisse, quæ refert, ægre persuadetur, in tanto Scripturarum & Patrum silentio; & quia auctor aliqua admiscet figmentum sapientia, quæ toti narrationi fidem abrogent eamque succutiant. Imprimis ..... quod dicat, palam votum suum enuntiasse Deiparam, & inde ad rem, insoliti in ea gente moris, miracula fuisse exquirenda. Sensus certe Judæorum de Christo Mariæ filio ex Josepho fabro non videtur ferre, quod beata Virgo illius sacrilegii infamia apud eos flagraverit. Interpretatio autem loci Isaiæ, de virga Josephi florente, & requiescente super eam Spiritu Domini, in columbæ specie, temeritate non vacat; cum torrens Sanctorum sit in contrarium; & nemine dissentiente, locus ille ad Christum, vel ad Deiparam ratione Christi, pertineat. Adducit in eam rem plerosque Patres Leo Castrius Isaiæ XI. Quod autem virga Josephi, primum refractarii, postea vero divinitus revicti floruerit, imitatio est narrationis de virga Aaron florulenta; sicut descensus Spiritus sancti super eam virgam specie columbæ imitatio est apparitionis Spiritus sancti in baptismo Christi. Nihil tamen eorum fundamentum habet vel in Scriptura, vel in traditione Ecclesiæ, aut unanimi Patrum assertione. Itaque qua facilitate invehitur, eadem negari potest.* Pientissimus ac sapientissimus Evangeliorum commentator P. Sebastianus Barradas tom. 1. lib. 6. cap. 7. eamdem historiam refert, deque relatis universim dicit, *Quæ non habent magnum auctoritatis pondus.*

153 Atque hic Reverendissimos Delatores convenit animadvertere quædam. Primo, quod traditiones Apostolicas, & in rigore ecclesiasticas, receptasque ut tales consensu Ecclesiæ totius, nemo Catholicus negat, vel etiam in dubium vocat: atqui traditionem de Virge negant scriptores Catholici doctissimique, citra ullam vel Papæ vel sacri ullius Tribunalis indignationem contra libros, alioqui prohibendos aut castigandos, expunctis ejusmodi clausulis; ergo traditionem istam negare vel affirmare non est causa pertinens ad fidem Catholicam. Cum vero Delatores dicant, citato Præambulo 3. traditionem prædictam esse talem, ut qui eam neget, debeat *pronuntiari hæreticus*; quando iidem dicunt, quod Papebrochius, per negationem præfatæ virgæ, Evangelium neget, & occasionem præbeat Ecclesiam blasphemandi, exigunt & affirmant nimium, adeoque excedunt limites Christianæ moderationis. Secundo, prædicti Auctores non tantum negant historiam istam, sed unus dicit, non habere pondus magnæ auctoritatis; alius licentiæ pictoriæ adscribit, ac fabulam appellat eum tractatum, unde sumpta est: denique alius dicit, interpolamentum id esse, æque facile negatu atque affirmatu. Talium terminorum nullo unquam utuntur scriptores Catholici, ubi agitur de Apostolica vel universalis Ecclesiæ traditione. Ergo dum sic loquuntur de Virga sæpe dicta, manifeste declarant, se de ea nullam agnoscere traditionem in ea forma, quam Delatores & P. Sebastianus requirunt.

154 Tertio, nullus præfatorum Auctorum negat, possibilem fuisse casum, ut virga frondesceret; nec quisquam dubitat de meritis Josephi & Mariæ, quin tali miraculo multoque majoribus digni fuerint: sed bene distinguunt in historiis, id quod solum est piæ meditationis, nec verum nisi in sensu figurativo, ab eo quod reipsa vere atque actu fuit, aut est: ultimum in casu præmisso negant, admittunt primum. Igitur negantes historiem quasi realiter veram, est negare eam habere fundamentum solidum aliquod in libris. Quarto, Auctor historiæ non solum dicit refloruisse virgam, sed etiam super eam requievisse columbam: hoc vero aut verum est, aut falsum. Si falsum, cur Delatores hæreticum faciunt eum, qui negat? si verum, cur non faciunt mentionem columbæ? aut cur non potero ego ipsosmet in quæstionem adducere propter illam circumstantiam columbæ, pari jure, quo ipsi reum faciunt Papebrochium propter florem negatum? Quid eis nocuit Spiritus sanctus supra virgam in specie columbæ, ut eum illic negent? si autem non negent, cur columbam in facto Josephi non exprimunt? & quare statuarii atque pictores utuntur flore, & omittunt columbam? Aliud certe nihil occurrit quam istud Horatii,

...... Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

157 Quinto, Delatores citent Theophilum Raynaudum, ubi Launoyum: traditiones aliquas negantem, impugnat eo quod multæ veritates ad fidem spectantes scriptæ non sint: in quem sensum possent citare omnes scriptores Catholicos. Verum hi, ubi discrimen faciendum est inter ea, quæ habentur scripta de S. Josepho cum aut sine fundamento bono, ponunt Historiam Virgæ inter alienas a veritate. Sexto, Auctor Historiæ dicit, quod secundum ratiocinium Isaiæ, *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Secundum hoc vaticinium, inquit, Pontifex jussit convenire omnes quotquot cœlibes erant & matrimonio apti in domo & familia David, qui cum suas virgas ad altare tulissent, ut aliqua earum florente, & requiescente super eam spiritu, cognosceretur sponsus, Mariæ divinitus destinatus; sed quia suam eo non tulerat etiam Joseph, floruisse nullam. Cumque Pontifex iterum consuleret Deum, oraculo accepisse, quod esset electus a Deo is, qui virgam suam ad altare non tulerat; jussum ergo adesse Josephum, & contigisse quod petebatur miraculum. Veniat ergo Theophilus & dicat, quod *interpretatio loci Isaiæ de Virga Josephi .... temeritate non vacat.* Hoc autem dicit ille, quia id est niti contra torrentem sanctorum Patrum in explicando loco uno Scripturæ: & videri vobis potest, Reverendiss. Patres, quod negare veritatem libro alicui apocrypho, aliter ipsum interpretando ex eorum-

dem Patrum mente, sit dare occasionem blasphemandi Ecclesiam, negare Evangelium, contemnere traditiones, hæresim incurrere? Prob Deum immortalem! quantum valet imperium præoccupatæ voluntatis!

156 Audivisti, Lector, quomodo Patres Carmelitæ accusent aliquos scriptores Catholicos, cum sex super easdem accusationes observationibus: quibus licet videamur inde satisfecisse ex ratione, oportet tamen, ut distinctius respondeamus quærentibus, ecquæ sint illa, de quibus hoc loco Papebrochius dicit, quod *Evangelico textui non usquequaque conformia* videantur. Delatores anni 1694. sic loquuntur: *Fatemur ignorantiam nostram, neque possumus comprehendere, quomodo opponatur Evangelio veritas miraculi, in virga florente ostensi.* Petunt ergo, ut sacrum Officium definiat, utrum talis aliqua contradictio istic reperiatur, an non; & supplices accidunt S. Josepho, ut suam censoriam virgam stringat in Papebrochium, ipsam deflorare nitentem. Idem poterant Delatores petere contra Auctores supra relatos, quamvis S. Josepho devotissimos, prout etiam est Papebrochius; & contra S. Bonaventuram aliosque Doctores gravissimos, qui tractatum de historia Virgæ apocryphum reputant. Nolo hic animadvertere, quod P. Sebastianus Hispanice reddidit, n. 77. Latina verba Papebrochii, *Non usquequaque conformia Evangelico textui*, faciat Hispanice dicere, *contraria Evangelio*; pro eodem habens contrarietatem per totum, cum non maxima conformitate.

157 Dico igitur, istam non conformitatem ex sequentibus capitibus verosimilem reddi. Primo quod videatur non parum favere monachatui, & votis absolutis castitatis atque virginitatis perpetuæ, quæ Patres Carmelitæ nituntur in veteri Lege stabilire; sic tamen illis ea faves, ut in modo narrandi eidem moveat difficultatem non levem. Etenim Historia virgæ illius dicit, quod Maria sanctissima publice manifestavit votum suum servandæ virginitatis, id quod Pontifici omnibusque Primatibus Hierosolymæ ac vicinorum locorum, pro novitate magnam attulit admirationem; qui propterea edixerunt publicas supplicationes ad Deum, pro impetrando lumine in casu tam ancipiti. Verum, si in veteri Lege ante Christum erat spiritus Christianus, & ante Evangelium perfectio evangelica, cum qua venit S. Joannes in spiritu Eliæ, sicut legitur; si Evangelico isto spiritu pleni erant Conventus Religiosorum, utriusque sexus Carmelitarum, sub voto castitatis, utquid dubitabat Pontifex, aliique in consilium vocati?

158 Admiratio est filia novitatis. Ergo si mirabantur votum virginitatis, ideo mirabantur, quia res nova erat & tempore isto ignota mundo. Si autem idem passim faciebant virgines aliæ, addictæ ministerio templi, quomodo id in nulla reperitur historia? Quod si in similibus casibus ejusmodi consultationem instituebat Pontifex; necesse fuerit, ut ad resolvendum dubium instrueretur ille vicibus singulis peculiari revelatione aut miraculo, quo indicaret Deus, velle se ut talis vel talis virgo collocaretur in monasterio aliquo; vel in parentum domo servaret castitatem voto promissam, vel ipso voto non obstante nuptui daretur. Adeone facile videtur Paternitatibus vestris credibilia reddere tot oracula divina, solum per conjecturam asserta? Profecto admiratio viri, in lege tam instructi, qualis erat Pontifex, probare videtur, quod Virgo vel prima fuit, non minus tempore quam dignitate, quæ tale votum vere Evangelicum concepit; aut quod admiratio ipsa nullum habuerit fundamentum, dum votum de quo agitur nullam habebat novitatem.

159 Alterum, quod ista ex historia quæro, est, qua ratione concipiant RR. PP. Delatores, egisse Pontificem, audito tali voto, in desponsatione Virginis cum Josepho? Si dicant, Pontificem tradidisse Josepho Virginem, sub eadem intentione, sub qua sponsas alias suis sponsis tradebat, mendaces faciunt historias Nicephori lib. 1. cap. 7. Gregorii Nysseni Orat. de nativit. ex arcana historia, & S. Joannis Damasceni Orat. 1. de Dormit. Virg. in quibus dicitur, quod Virginem Josepho tradiderunt, tamquam custodituro ejus virginitatem, absque ulla mentione miraculi aut virgæ. Si dicent, ideo solum tradidisse, ut esset perpetuus testis virginitatis ejus, sequitur exigua conformitas cum Evangelio, in quo nobis dicit Deus, filium suum habitum fuisse pro filio Josephi; quia talis opinio non poterat subsistere cum voto & miraculo tam publice notis. Sequeretur præterea, quod Deus non satis providerit bonæ famæ ipsius Virginis & filii ejus, quando totus Israel existimasset, Mariam infractricem voti, & Christum natum ex sacrilegio, sanctum quoque Josephum cum fama parum decora se vocare illius patrem.

160 Ratio horum omnium inconvenientium non tantum est gravissima, sed etiam clara: quia paulo post miraculum patratum & matrimonium initum, palam apparuerunt signa fœcunditatis in Virgine, & voto existente tam publico & notorio, necesse omnino erat nasci ejusmodi suspiciones. Quin etiam debuisset Sacerdos castigare sponsos pro voto infracto; nisi forte dixeris, ipsi Pontifici revelatum fuisse Incarnationis mysterium, quod, inquit Barradas, non est verosimile. Neque hoc sufficeret, sed extendenda esset istiusmodi revelatio ad infinitam populi multitudinem, voti consciam & miraculi: quo casu, quomodo verificabitur istud Evangelii, *Nonne hic est filius fabri?* Lucæ 4. & cap. 3. *putabatur filius Joseph?* Videnturne vobis, Reverendiss. Patres, incongrua hæc omnia, procedentia ex historia de ortu Virginis, valde conformia Evangelio?

161 Tertio, Evangelium laudat S. Josephum, quod fuerit Justus; & hinc passim probant sancti Patres & Interpretes fere innumerabiles, quod Joseph & Maria fuerint ex eadem tribu & familia; quin etiam multi ex illis positive affirmant, initum fuisse matrimonium Lege cogente, tamquam inter proximos agnatos; & quidem in gradu tam propinquo, ut Abulensis in caput 1. Matthæi quæst. 28. dicat: *si erat Joseph de familia vel domo David, necesse erat Mariam esse de illa. Imo si esset sub familia David alia domus magis particularis, & esset de illa Joseph, esset quoque de illa Maria.* Ratio autem tam necessariæ consequentiæ non est alia, quam quod ita melius probetur genealogia Christi; concedendo Mariæ matri ejus tantum de domo & familia David & de tribu Iuda, quantum istorum conceditur Josepho, per cujus descendentia Evangelistæ descripserunt genealogiam Christi, sicuti bene expendit

dit Abulensis. Quare, cum ex una parte consanguinitas proxima inter Mariam & Josephum tam erat publice nota ex archivis publicis; ex altera vero nota obligatio Legis ad matrimonium ineundum; poteraotne dubitara Sacerdotes, cujusnam futura virgo erat, si Lex ipsa rescindebat dubium? Quid opus arat manifestare multis per miraculum, quod erat per se notorium? Hanc proximitatem sanguinis, necessitatemque inductam a Lege, multi siqua gravissimi Doctoras usurpant, tamquam certissimum argumentum, in favorem genealogiæ Christi, ductæ ab Evangelista per Josephum: & omnes illos contrarios sibi habet historia Virgæ, quia nec debenc affirmare miraculum citra necessitatem; neque arbitrium sorti dara in casu, quo præscribebat Lex, quid esset agendum.

162 Quarto atqua ultimo, cum decisuoi ab Evangelio habeatur, quod Christus reputatua fuerit filius Josephi; conforma etiam Evangelio est, ut detur S. Josepho ætas, verosimiliter apta liberis procreandis; alioqui oon fuisset Christus reputatus ejus filius, & periclitabatur fama tam filii quam matris. Præterea non potuisset Josephus par esse laboribus & oneribus sacræ istiua familiæ; quin potius huic gravis fuisset & impedimentum ingens; contra quam credere suadet Evangelium, ex mandatia cælitus ai datis de situ & reditu ad & ex Ægypto, post iter Bethlaemiticum ad Edictum Cæsaris. Omnia hæc officia requirebant ætatem minime decrepitam: *contrarium* autem, inquit Abulensis qu. 32. in cap. 1. Math. fuisset *valde irrationabile*, ... *quia hoc modo esset male consultam Virgini, & detorias Christo per Deum*. Interea historia Virgæ repræsentat nobis Josephum valde annosum, adeoque etiam ex hoc capite non videtur valde conformis Evangelio historia illa.

163 Viderit hic Patern Tua, quid allegare Papebrochius possit pro illis suis verbis, *Evangelico textui non asquequaque conformia*. Quanto illi conformior est opinio, quæ S. Josepho tempore initi matrimonii dat annos circiter quinquaginta, uti dat Papebrochius fol. 7. num. 10. dicens, *Ætas, quinquagenaria major aliquantulum, in eo qui cælibem semper vitam duxerit, & continuatia ac sobrietate vires corporis ad quosvis labores, per annos plures adhuc tolerandos servaris, nihil habet incommodi*. Concludo igitur atque dico, quod Virgam sæpe dictam recipit Papebrochius, veluti picturam mysticam, & significativam candoris virginalis, qui numquam maculatus, sed magis proficiens quotidie, floruit semper in animo Joseph: quodqua ex hoc modo loquendi & pingendi *data est occasio locutionem figuratam pro re facta accipiendi*.

164 Nunc argo necesse est, ut Patres Carmelitæ, tamquam viri Historici & Theologi, tractatum unde refertur historia Virgæ, liberent a nota apocryphiæ, aamque probent tanta nisi soliditate, quantam requirunt veritates spectantes ad fidem, ad hoc nt Præambulum 3. quo nos remittunt Delatores, & ubi loquuntur de traditionibus tam certis quam sunt articuli fidei, aliquid faciat ad prædictam historiam comprobandam. Alioqui casus valde periculosus est, & legitimorum Judicum animadversione dignus, quod tres vel quatuor Patres Carmelitæ, cum chartis impressis sparsisqua per mundum, prædicent nobis, velut traditionem quæ spectet ad fidem, & velut occasionem blasphamiæ contra Ecclesiam, historiam unam, quam ipsa Ecclesia oon habet pro articulo fidei, & quæ multa apocrypha habet admixta.

§. X. ACCUSATIO.

Papebrochius conatur sustinere, Christum esse mortuum 3. die Aprilis, contra communem Ecclesiæ sensum ac sanctos Patres, unanimiter asserentes Christum mortuum esse 25. Martii.

RESPONSIO.

165 ALlegatur *Propyl. Maii, p. 1. Conatus, fol. 7. num. 3. in marg.* Videamus qua fide. Acturus de singulari Natalis Alexandri sententia, Christo adscribente annos vitæ 37. quam in Paralipomenis fol. 17. col. 1. appello *Paradoxon* (tantum abest ut eam probem) Synopsim marginalem Dissertationis istic primæ sic deduco. *Non obstantibus Henschenianis argumentis*, fundatis in Augustini aliorumque Patrum auctoritate, pro anticipanda Christi morte, adeoque & nativitate ad annos quatuor; *pergunt homines eruditi plures sustinere, passum esse Christum anno 33. æra vulgaris 3. Aprilis.* Quis dixerit me hoc ita referendo quidpiam asserere? Quid autem ad num. 3. *Utramque sententiam nititur quidam conciliare* (scilicet Natalis Alexander) *asserendo, natum quidem quadriennio ante æram vulgarem Christum, sed anno 33. mortuum 3. Aprilis*, in Parasceva Paschæ, *quæ Parasceva proxime sequenti anno fuerit* celebrata ab Apostolis 23. *Martii, pro quo alii assumpserint 25. ejusdem*. Soles quidem, Rav. Pater, libenter me componere cum Natali Alaxandro; sed necdum tibi in mentem venerat, ut ejus personam confunderes cum mea: hæc metamorphosis debebatur Appendiculæ tuæ, cui si plures similes habeas resarvatas in tempus recoquendæ, ut minaris, crambes, poteris cum Ovidio certare de præmio.

166 Interim non potes dicere, ad excusationem aliquam peccati tam patentis, festinanti Tibi, nec satis ad locum, quem accusabas attento, accidisse, ut sic errares; & quæ Natalis Alexandri sunt, putares esse mea. Etenim immediate post sequens n. 4. sic incipit: *Ceterum non fuit mens Henschenii (nec porro mea est) in hanc quæstionum multiplicium perplexitatem altius se inferere: satis habuit magnam primi Catalogi* Pontificii, sub Antero Papa verosimiliter scribi cœpti, *auctoritatem & antiquitatem lectoribus suis proponere, & ostendere quam apte sibi ipsi cohæreat proposita istic Chronologia; quæ si forte a vero deviet in primo anno Petri, per Consules Geminos proximos designando, non potuerit tamen errasse in ultimo, aliunde certius demonstrabili*. His sub annum 1683. impressis, contigit post biennium (mutata operis præconcepti forma, quod secundum primam ideam debebat bifariam dividi ante 4. aa 5. tomos Maii) contigit, inquam, meo Conatui in Catalogos Pontificum Romanorum, eidem seorsim habendo accedere Apparatum prævium, eique inseri Epistolas Possini, communem æram sustinentis ut veram.

167 Vehementer me moverant Epistolæ illæ, & vacillare fecerant circa sententiam Henschenii.

Opuscul. Collect. Nnn 2

ni. Prius ergo quam sic auctum Propylæum mitteretur in lucem, feci recudi 5. folium Conatus prædicti (de quo folio alias mihi litem movit Patern. Tua, volens dolo malo id factum fuisse) & in Elogio Christi Domini, quod ex sola Henschenii sententia procedebat, addidi sequentia: *Alii volunt, immediate ante communem æram natum* (Christum) *ipso autem ætatis suæ anno 33. per tres menses inchoato mortuum tertio Aprilis . . . . quod pro priori veterum plurium sententia, nobis quoque verosimilius est*: non tamen pro certo & absolute definitum, sed ulteriori disquisitioni relictum.

168 Alii isti, Auctores sententiæ nunc communissimæ, quos non potuisti ignorare, Rev. Pater, lectis Henschenii ante Aprilem prolegomenis & meis in Apparatu epistolis ultra citroque datis; alii, inquam, Auctores erant, post Alphonsum Tostatum Abulensem Episcopum, omnes fere eruditi in Gallia, quorum nemo inducere animum potuit, ut transiret in sententiam, Deckerii nostri, communem æram prævenientis, ne tunc quidem, cum eam Henschenius mirifice illustratam dedit, in eumque totum traxit Schelstratium cum Italis nonnullis. Neque istos a præconcepta opinione absterrebat, quod inter quinque conclusiones Episcopi Abulensis, de mandato Papæ damnatas, prima hæc erat, *Dominum Jesum passum anno ætatis trigesimo tertio currente*; secunda, *nequaquam vigesimo quinto Martii, sed tertio Aprilis mortuum*. Nempe præ manibus habebatur Apologeticum Abulensis, quod ultimum est operum ejus in tomos 12. divisorum; sciebatur etiam, virum illum doctissimum totaque non modo Hispania, sed Europa celeberrimum, diu a sui defensione quam offerebat, prohibitum, vocem extulisse in eum clamorem, qui Romam usque pervenit ad aures Eugenii IV. cumque mandasset Sanctitas sua, ut ipse Abulensis publice in curia Apostolica suas antea confixas propositiones defenderet, velut earum auctor; fecisse hoc ea eruditione & efficacia tanta, ut illas ab omni censura liberas victor retulerit, ad insignem suorum æmulorum confusionem.

169 Non poterant scilicet isti, quos dixi, Auctores persuadere sibi (uti apparet ex utraque Possini Epistola) Lucam Evangelistam, quando Christi Baptismum signavit *anno decimo quinto Imperii Tiberii Cæsaris*, usum esse alia annorum Tiberii Epocha, quam ea, quæ ab Augusti morte initium sumit, atque apud omnes tam Latinos quam Græcos notata invenitur; pro eaque cunctis intelligenda, secutum aliam, obscuram hactenus & nulli, quem sciamus, antiquorum notam, sumptam ab eo tempore, quo adhuc vivens Augustus communicavit cum Tiberio regimen Provinciarum. Quod autem ad 25. Martii attinet, videbant eum diem, secundum astronomicos calculos, teneri non posse: nam ipso anno communis æræ 20. quem in Fastis signant Gemini Consules, passim ab antiquis nominati, debebat *Pascha Judaicum, sive 15. mensis Hebraici Nisan, quale oportuit pati Christum ex Evangeliis, fuisse dies 16. mensis Romani Aprilis; feria autem non sexta, sed septima hoc est sabbatum*.

170 Dicere autem (ut dicunt omnes, quos duces vel asseclas Henschenius habet) Judæos illo tempore cyclo lunari depravato usos, non satisfacit donec etiam pro Christi ætate probetur: non probatur autem ex eo, quod hoc Agnum comedente vespere feriæ 5. Judæi id facturi erant feria 6. cum hujus diversitatis alii aliam reddant rationem, sed optimam is de quo infra P. Harduinus: & confusio, quam S. Epiphanius atque antea Imperator Constantinus Judæis exprobrasse videntur, sed videntur tantum, non debet censeri excidio Hierosolymitano antiquior: hanc vero confusionem ipsimet paulatim correxerunt, improbo studio scrutati antiquissimorum Rabbinorum suorum libros, ita ut nunc cyclos optime habeant ordinatos; quales Philo & Josephus laudant. Henschenii argumentis omnibus satis apte respondet Possinus Epistola sua secunda: ostenti autem variis locis Josephi & Dionis, juxta quæ non potuisset natus fuisse Christus *in diebus Herodis Regis*, nisi id accidisset aliquot annis citius quam vulgo tenemus, respondebant æræ communis assertores, Josephum & Dionem, in ejusdem Regis chronologia sic vacillare, ut merito dici posset, quod eis credi res tanta non debeat contra calculum Dionysii Exigui, toti deinceps Christianitati probatum, & Evangelico textui patenter tonsonum, juxta usitatam verborum acceptionem intellecto; imo ex ipsomet Josepho conficit Possinus, Herodis mortem anno Juliano 46. accidisse, quam Christi ortus sub anni Juliani 45. exitum præcesserit.

171 Talibus ego motus, non quidem ab Henschenii sententia recessi penitus, fassus sum tamen, contrariam mihi verosimiliorem videri. Et hoc nunc quoque mihi magis videtur, postquam noster Joannes Harduinus scripsit de supremo Christi Domini Paschate, & solvit nodum (quem nemo hactenus videtur solvisse) in eo positum, quod Christus suum Pascha inchoarit agnumque comederit vespere Feriæ quintæ, quando Judæi id facturi erant vespere Feriæ sextæ. Siquidem Judæorum monumenta & Machabæorum libros diligentissime scrutatus Harduinus prælaudatus, reperit Regulam BADU, secundum quam Pascha tunc celebratum fuerit, diu ante Herodis tempora inductam; cum jam scilicet a captivitate Babylonica regressi Judæi simul & Israelitæ, in unam conspirabant religionem; nec ministri templi una die satisfacere possent omnibus, Hierosolymam undique confluentibus, ad festum Paschatis 15. Nisan celebrandum.

172 Tunc scilicet, invenit Harduinus, ordinatum fuisse, ut proxima dies adjungeretur priori, & simul ambæ pro uno festo acciperentur; ea tamen conditione, ut *si in Feriam secundam, quartam vel sextam Pascha incideret sive XV. dies Nisan, tunc priore loco Israelitæ Pascha peragerent, postridie Judæi; si in ceteras quatuor Ferias, tunc illis ipsis Judæi Paschate desungerentur, Galilæi postera die*. Hac autem ratione factum esse ostendit, ut cum anno 32. Judæi priores Agnum mactassent in Sabbato vespere diei 12. Aprilis, & Galilæi Feria 1. vespere diei 13. sequenti anno 33. priores Galilæi id facerent, quomodo fecit Christus cum Apostolis suis, tamquam Galilæus cum Galilæis, Feria 5. Judæis Feria 6. idem facientibus; sicque Christus moreretur in cruce, quando Hierosolymitani Judæi Pascha suum comedere debebant. Et quia talis concursus Feriæ 5. pro Galilæis & Feriæ 6. pro Judæis non evenerat anno 29. duobus Geminis Consulibus, nec item anno 31. sed præcise cecidit in annum

33.

33. quando eædem Feriæ cadebant in 2. & 3. Aprilis; consequens videbatur, ut isto anno, & non alio quocumque ex proxime prioribus vel posterioribus Christus fuerit crucifixus.

173 Interim adhuc definio nihil, nulladum eo cogente necessitate, nisi eam ad 24. Junii faciat Joannes Baptista, quod non puto. An autem de anno, quo mortuus est Herodes Infanticida, aliquid reperturus sim, quod cogat Joannis Christique nativitatem uno saltem anno anticipare, ac proinde Christum mortuum dicere anno ætatis 33. expleto, & 34. inchoato (sicuti mihi aliquando visum verosimilius) poterit denuo examinari: neque illud ad aliorum Sanctorum, etiam Apostolorum Acta magnopere facit; & si id ex uno alterove Josephi loco sequi videtur, refutatur ex alio, ut supra notavi. Quamvis autem absolute constituissem, imo jam pridem definivissem, crucifixum Christum 3. Aprilis: eratne ea definitio Sedi Apostolicæ deferenda, tamquam inventum meum & periculosum in fide, quod tam multi ante ac post me tenuerunt; in Abulensi autem prædamnatum eadem Apostolica Sedes absolvit ante annos 260? Historiam vestram Propheticam, quam semel damnatam magnis multisque protestationibus, quod solum probabilem haberi velletis, victa Inquisitio, post novem annos tandem *currere* seu legi permisit: illam, inquam, Historiam Propheticam nunc vultis Vos, eo ipso ita censeri approbatam, ut si quis denuo tentet demonstrare subsistere non posse cum veritate, sacro Officio debeat videri injuriosus; & sententia, solemnissimo Apostolicæ Sedis judicio post publicam hodieque extantem desensionem absoluta, manebit tam periculosa, ut eam tenere, imo vel propendere in illam, crimen sit? Non probo tam iniquam bilancem; nec puto quod probaturus sit aliquis, quem præconcepta passio non excæcaverit.

174 Instas tamen, & imaginarium crimen aggravas, quia in Apparatu fol. 29. n. 16. dixi. *Quod sancti Patres nusquam ex professo in curam explicandæ Chronologiæ intenti, solumque, ut casus ferebat, oblata Evangelii loca, ut poterant, sed perfunctorio prorsus ratiocinio, conciliantes, in ejusmodi cogitationes, quales protuli, numquam venerunt*. Hoc, inquis, est *contemnere sanctos Patres*. Contemptum ego nullum hic video: quam multa enim nunc tractantur & elucidantur, de quibus explicandis numquam solliciti fuerunt sancti Patres, quod quidem ex eorum scriptis appareat? Africanum audisti, exposita sicut a Judæis acceperat Josephi cognatione cum Maria, expedientem se, dicendo, *sive itaque ad hunc modum, sive aliter habeat res, non poterit quisquam meo judicio .... clariorem .... expositionem reperire:* quasi dicat; clariorem si quis attulerit, eam se recepturum. Hieronymus ubi de Zacharia filio Barachiæ quærit quis fuerit; variorum varias refert sententias, & nullam determinate tenet. Eusebius & Epiphanius plus ceteris studii collocarunt in digerendis temporibus, atque imprimis Eusebius, uti & Prosper Aquitanus, qui etiam Chronica scripserunt: sed raro admodum nodos Chronologicos proponunt, multo minus solvunt, ad alia attentiores. Tu vero ut jure hic me argueres, numquid ostendere deberes eorum complures super quæstionibus Chronologicis tractatus? *Opuscul. Collect.*

§. XI. ACCUSATIO.

Papebrochius destruit & prosternit Sacramenta Ecclesiæ.

RESPONSIO.

175 ITa Vos, falso Veritatis dicta fol. 2. quod cum aliquis mihi scripsisset, prius quam ipsum famosum libellum vacaret perlegere, exhorrui fateor, & cogitare cœpi, num forte alicubi scripsissem quidpiam, non quidem contra substantiam Sacramentorum, sed contra aliquas ceremonias, arbitrario forassis alicubi adjectas, quas Carmelitæ velint communi Ecclesiæ usu receptas haberi. Nam contra ipsa Sacramenta, quomodo possum, inquiebam mihi, vel suspectus esse moliri aliquid, quin simul suspectus reddar, quod everiam velim totam Christi Ecclesiam? siquidem de ea accipitur istud Prov. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit in ea columnas septem*, Sacramenta scilicet totidem, ut in Officio Venerabili intellexit D. Thomas. Sic fluctuanti offertur indicium gravis & inexpectatæ Accusationis, qua arguebar ad Vitam B. Gerardeschæ Pisanæ tomo 7. Maji, de ipso omnium sacerrimo venerabilis Eucharistiæ sacramento finxisse, ejus adhuc in cælo perseverantem usum; quod Sacramenti, qua talis, naturæ repugnat; cum ipsum sit, *Signum visibile invisibilis gratiæ, ad nostram sanctificationem divinitus institutum*. Atqui nec gratia nova acquiritur in cælo, nec sanctificatur amplius is, qui definitæ sibi beatitudinis statum jam habet.

176 Ergo dimissa tantisper Voce, a qua nihil nisi vanum clamorem expectare poteram, converti me ad cognoscendum accusationis talis occasionem, & amico qui monuerat petebatque illustrationis aliquid, in hæc verba rescripsi. Ego ante Vitam istam die 29. fol. 164. in Commentario prævio num. 5. sic notavi. *Vita ista, sic abundat revelationibus extaticisque visionibus, subinde talibus, ut, attento seculi hujus malignioris genio, dubitaverim an expediret plures earum efferre in lucem; eas potissimum, in quibus situs & forma cælestis Hierusalem, ejusque arces, montes, palatia, plateæ, fluvii, ornatus, festa, & gaudia exprimuntur, tam materialiter, ut delicatæ quorumdam aures offendendæ videantur potius, quam ad supernarum rerum desiderium salubriter excitandæ. Sed cum S. Joannis Evangelistæ, cujus hic frequentissima mentio, Apocalypsim considero, divinis haud dubie plenam mysteriis, simili tamen stylo ac modo explicatam; futurum existimo, ut in vera humilitate fundatæ animæ, deque Sanctorum atque Sanctarum dictis factisque sentire solitæ in bonitate ac spiritus simplicitate, ædificentur fideliter. Velim tamen in istis legendis meminisse lectorem ejus Parergi, quod Vitis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis interposui: quia eo satis præmuniendum credo lectorem, quantumvis criticum & fastidiosum.*

177 Parergon istud habetur Tomo 6. Maji pag. 246. sub hoc titulo: „ De Sanctarum ex„ taticarum, secundum species naturaliter præ„ habitas durante raptu quandoque motarum, „ dictis factisque, ad Historicarum quæstionum

„ decisiones non transferendis. Hoc solum scilicet ibi spectabatur, aliàs de visis & auditis similis institui posset dissertatio. Interim conor aliquid ad Vitam B. Gerardescæ, ubi pag. 271. n. 34. sic legitur: *Dominicis diebus B. Joanne Missæ mysteria celebrante, omnibus sanctis Clericis in unoquoque ordine adstantibus Officiis Missæ, B. Maria Virgo Eucharistiam Domini pro peccatoribus omnibus septem vicibus sumit; & miro modo, cum Dominus vobiscum, & Pax semper vobiscum, dicitur, reverenter, unanimiter, atque uniformiter ab omnibus respondetur. Nullusque audet ibi canere Missam, nisi B. Joannes: nec aliquis communicare est ausus, nisi beata Virgo: quod utique fit tantum in festo Natalis Domini, in Epiphania, in Resurrectione, in Ascensione, in Pentecoste, in Annuntiatione, & Assumptione B. Mariæ.*

178 Ad hunc Vitæ textum, de Missa a S. Joanne dicta, & Communione Deiparæ, subjungo pag. 272. litt. c. Annotationem prolixam, in qua cum Amicus ille nonnulla notet, veluti non satis fundata, abhorrentia a sensu communi, & ex parte contraria D. Thomæ, hic ipsam judico proscrendam denuo, speciali charactere exprimendo verba, quæ Amico videntur sub censuram cadere. Sic habet. „ Cum nullus, quod sciam, Sanctorum Patrum, vel horum doctrinæ innitentium Scholasticorum Theologorum, affirmet, Missæ sacrificium, vel a Christo, vel a Sacerdotibus Sanctis, ejus vice fungentibus, continuari & continuandum in cælo; *nolim ego sustinere, quod ea, quæ hic de Joanne sacrificante & & Deipara communicante dicuntur, litteraliter sint intelligenda: puto tamen eum, qui hoc opinaretur, nihil opinaturum Scripturæ sacræ vel statui beato Sanctorum repugnans*. Nam Christum post resurrectionem suam, glorificato jam corpore, & comedisse cum Apostolis legimus, & in Emaus Eucharistiam præbuisse discipulis, communior sententia est. Sicut autem infra num. 57. *dicitur in ecclesia S. Savini conspectus a Sancta Missam celebrare*; ita in aliorum quoque Sanctorum Vitis, visum subinde idem facere, invenimus.

179 „ *Tali vero opinione admissa, non esset difficile intelligere, quomodo in cœna Apostolis suis dixerit, Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei; & magis ad litteram impleretur quod, dicitur, Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*. Quia vero Deipara creditur corpore jam glorificato esse in cælis, cur in eo nequiret Eucharistiæ participare; non quidem eodem prorsus modo quo nos, sed simili fere, & eo quo Christus post resurrectionem comedebat; *quomodo etiam post resurrectionem corporum ad litteram impleri poterit promissum Christi, ut edamus & bibamus super mensam ejus in regno ejus. Etenim cum ceteri omnes corporei sensus in beatitudine fruituri sint deliciis sibi congruis, cur non etiam gustus, mira, sed vera, nobisque haud satis intelligibili ratione?*

180 „ Ad Joannem Evangelistam quod attinet, eum post mortem assumptum quoque cum corpore in cælum, nihil prohibet opinari; quandoquidem multorum est sententia, eorum omnium Sanctorum corpora, quæ moriente Christo surrexisse dicuntur, numquam ad suos tumulos rediisse, sed cum Christo pariter assumpta in cælos. Legimus quoque ad 19. Maji in Supplemento Vitæ S. Petri Cælestini n. 17. *S. Joannem Evangelistam* conspectum in visione celebrare Missam de Dedicatione, cum ecclesiam S. Spiritus de Magella a Petro constructam, Christus ipse esset consecraturus. Sed quid in ea sententia tenebitur, quam ad caput 25. de Vita B. Andreæ Sali, 28. Maji diximus, multorum veterum atque omnium fere Orientalium esse, necdum scilicet mortuum esse Joannem, sed cum Elia & Enoch secundum Christi adventum & Antichristi persecutionem præstolari? An dicetur, quod, sicut Christi corpus in transfiguratione glorificatum ad tempus, postea rediit in statum passibilitatis prioris; ita & ipse nunc quidem corpore glorificato cælesti fruatur beatitudine, postmodum ad exiguum tempus priori humanitatis communis statui restituendus sit, ac in eo demum moriturus? Nihil equidem affirmo: sed si affirmaret aliquis, puto quod idem posset de Elia & Enoch cum proportione affirmare: itaque cessaret ei multiplex quæstio, de statu illorum in Paradiso; qui sine scrupulo tunc diceretur esse, non terrestris ille in quo conditus est Adam, quemque etiam nunc superesse, nulla verosimili ratione creditur a nonnullis; sed cælestis, qualis & in Apocalypsi & variis in Vitis Sanctorum, præsertim S. Lidwinæ describitur, quatenus quidem humanis verbis describi potest. Multo forsitan verosimiliora hæc fuerint, quam quæ de eodem Elia miratus est orbis, in Biterrensibus quibusdam Thesibus an. 1682. mensa Aprilis coram Episcopo loci publice per triduum propugnatis, & quidem ut Theologice demonstrabilia, imo tamquam proxime accedentia ad fidem.

181 Hic non puto reprehendi prima verba, *Nolim ego sustinere*; sed secundam partem, *Puto tamen*. Verum quis non videt ex ipso verbo *puto*, nolle me quidquam vel opinando asserere, sed sapientioribus æstimandum relinquere, & discere velle qua optima ratione explicari & salvari possint, quæ in Vita narrantur. Poterat tamen mens ista mea clarius explicata fuisse his sequentibus verbis. *Perpendat interim prudens lector, utrum is, qui hæc opinaretur, aliquomodo litteraliter intelligi posse, cum proportione ad statum corporis beati, opinaturus esset aliquid sacræ Scripturæ omnino repugnans, Nam &c.* Sed quod ibi requiri potest, ut addatur, *cum proportione ad statum corporis beati*, satis videtur contineri in sequentibus verbis de perceptione Eucharistiæ in Cælo, *Non quidem eodem prorsus modo quo nos*, (qui sumimus Christum sub speciebus panis & vini, per Consecrationem transsubstantiatorum, quæ panis & vinum fuerunt scilicet, & non amplius sunt; post sumptionem autem corruptis speciebus, vera fruimur substantia eadem reproducta vel alia simili de novo producta, qua in nostram substantiam per digestionem transeunte nutrimur &c.) *Non*; inquam, *eodem prorsus modo quo nos, sed simili fere modo, & eo quo Christus comedebat post resurrectionem*, introsumens quidem cibum & potum, eum tamen non digerens, neque in sui alimentum convertens,

sed

fed vel annihilans, vel iofenfibili hominibus modo n le dimittens.

182 Quia autem fupponitur in cælo nec panem oec vinum fore (hæc enim vel de terra traosferri deberent, vel in cælo creari, quorum neutrum commode diceretur) videat lector ille, an poffit in prædicata hypothefi, Confecratio fic facienda concipi, ut præexiftente iftic aliqua panis ac vini apparentia, in fubftantia aeris cæleftis, Chrifti corpus incipiat effe fub fpeciebus, per confecrationem fpoliatis ea, cui inhærebant panis & vini apparentium fubftantia; & eodem modo afficiat fenfus Beati, quo afficerent verus panis & verum vinum: quod cum definit fieri, ceffabunt panis ac vini fpecies, nec tamen fuccedet aliqua fubftantia nutritiva, fed idem qui antea, aer cæleftis. Non puto tam minutim hæc explicanda in libro hiftorico, quin potius arbitrio cujufque id fuftinere volentis relinquendam libertatem conjectandi, in re prorfus incerta & captum noftrum excedente.

183 Quod notat Amicus, primo, ea quæ dicuntur de qualicumque Miffa, variis locis ac temporibus per Chriftum celebrari vifa, non effe *fatis fundata*, durius eft quam hiftorico conveniat, eftque omnem talibus vifionibus abrogare fidem; quare magis convenit eas commodo aliquo fenfu explicari. Secundo, *effe abhorrentia a communi opinione*. Refpondeo tales cafus & hypothefes, non fuiffe communi opinione expenfas, adeoque fruftra quæri quid pro iis habeat communis opinio. Tertio, quod *ultimum* de deliciis guftus, dicatur effe contra D. Thomam, non videtur effe verum; præfertim fi addatur limitatio a me addita, *mira, fed vera, nobifque non fatis intelligibili ratione*. Index operum D. Thomæ, verbo GUSTUS, hæc habet: *Guftus in actu proprie erit in Beatis poft refurrectionem: & judicat de faporibus per immutationem fpiritualem ab objecto exteriori: nifi forte dicatur, quod erit ibi guftus in actu, per immutationem linguæ ab aliqua humiditate adjuncta, ut eft fenfus aliment*, 4. d. 44. q. 2. art. 1. q. 3. e fin. q. 4. c. fin. 2. Qui ultimus modus guftandi, indicatus a S. Thoma, proxime videtur accedere ad id, quod lectori ifti difplicet, excufaodum. Quid? Quod in iis, quæ S. Thomas ex proprio ratiocinio & conjecturando tradit, non debent omnibus effe regula univerfalis.

184 Si tamen omnino difplicet Annotatio tota, fic ut abolenda videatur, nolim ego pro ea tenenda contendere; patiarque, ut ejus loco fubftituatur hæc: *Cum nullus, quod fciam, Sanctorum Patrum, vel horum doctrinæ innitentium Scholafticorum Theologorum, affirmet Miffæ Sacrificium vel a Chrifto, vel a Sacerdotibus fanctis, ejus vice fungentibus, continuari & continuandum in cælis; nolim ego fuftinere, ac ne quidem problematice difputare, an, quæ hic de Joanne facrificante & Deipara communicante referuntur, poffint quadamtenus fuftineri; fic ut extaticæ illæ vifiones credantur, non fuiffe diabolicæ aut phantafticæ illufiones; fed divinæ vel angelicæ fuggeftiones, quibus per fpecies corporales repræfentatur litteraliter id, quod vere, fed myftice, agitur in cælis, nec tamen aliter quam per phrafes nobis ufitatas poteft explicari. Ego fimpliciter refero, quod fcriptum antiquitus reperi; quid veritatis relationi huic & fimilibus multis fubfit, judicent alii, ad quos proprius fpectat*. Talis modus aliquid corrigendi fatis frequens nobis eft in tanto & tam prolixo opere de Actis Sanctorum; nihilque derogat illius æftimationi, fed potius eam auget, etiam tum, cum ex aliena fuggeftione correctio fit.

185 O quam vellem, ut lector quifcumque, Tomorum noftrorum aliquem perluftrans, non crederet, tametfi optimus Theologus fit, fuum effe de punctis fingulis ferre fententiam ex proprio fuo vel communi fenfu; imo nec definire quid probabilius fit; fed utrum in iftis facti controverfiis aliquid contineatur fidei aut bonis moribus contrarium, propter quod debeat liber aliquis reprobari: fibique perfuadeat, eos, qui tota vita per annos jam 60. aliud nihil egerunt, quam Acta Sanctorum & Hiftorias ecclefiafticas expendere, melius & folidius proceffiffe, quam poffit procedere is, licet cetera doctus, qui unum aliquem Tomum fibi fumit perluftrandum, nefcient quæ fundamenta io aliis Tomis jam pofita fint, vel quæ explicatio in fequentibus adhibeatur. Aliàs major pars operum Baronii damnanda effet, præfertim tomus primus, ubi ponit Chronologiam, qualem ante ipfum nemo, nemo poft ipfum.

186 Hactenus illa mea refponfio, quam ex occafione hic cenfui proponendam. Redeo ad Vocem, non Veritatis, fed falfitatis appellandam; hic vero falfiffimam, dum fic loquitur: *Verum quid multum queror, quod Papebrochius per fuam doctrinam deftruat magnalia Hifpaniæ, fi per eamdem deftruit & profternit Sacramenta Ecclefiæ, quorum multa fundantur in traditionibus Apoftolicis & Ecclefiafticis, quas ille in fuis operibus negat*. R. P. Antonius Xaramillius ad ea verba, inftituit Apologiæ cap. XI. & ait: *Ad fingulos paffus præceps magis Anonymus* (ita appellat auctorem Vocis, quæ nullum vultum habens, noluit etiam nomen habere) *ad graviores impofturas fertur: neque quidquam curans earum convinci, indicat duritiem frontis fuæ, non recipientis figillum verecundiæ. Qui audet Catholico fcriptori affingere, quod neget Sacramenta, refponfo eft indignus. Infulfiffimum vero eft dicere, quod aliquis deftruat Sacramenta, quia in hiftoria Crucis Caravacanæ, folidis cum rationibus negat puncta quædam Higueræ vel Lunæ*.

187 *Sacramentorum veritas infallibilis eft, divina eft, inconcuffa eft; neque pendet a relationibus, quas ifti duo Auctores accumulant: fed effe meriffima fomnia affirmant adeo multi, aliàs parati pro defenfione Sacramentorum fanguinem vitamque profundere. Quem ergo conceptum fibi format Anonymus de Hiftoriis divinis & humanis? aut quid difcriminis ponit inter traditiones & traditiones? inter eas quæ derivantur a Chrifto atque Apoftolis; & alias, conceptas in cerebro iftorum duorum Hifpanorum? Neget aliquis Amaryllim fuiffe Reginam Hifpanarum, & in Italia fundaffe civitates multas, prius quam Romulus Romam conderet. Neget alius, inter captivos Judæos, tranflatos in Hifpaniam, fuiffe filium Uriæ Prophetæ, quem multos poft annos S. Jacobus fufcitaverit a mortuis, baptizatumque & Petrum dictum ordinarit Epifcopum. Eft qui recufet recipere mulierem Gaditanam, infertam genealogiæ Chrifti, atque ita etiam Chrifti Domini progenitricem. Eft cui ridiculum videatur affirmare, quod Magi per na-*

ves

ves Gaditanas pervecti fuerint in Judæam, per easdemque revecti in patriam.

188 *Hæc & alia hujus generis innumera negantur a multis: hi ergo multi, destruuntne Sacramenta Ecclesiæ & magnalia Hispaniæ? Ridicula profecto consequentia. Numquid tamen Fr. Hieronymus a Conceptione Carmelita, in sua Historia Gaditana, hausit ista omnia ex Dextero, Juliano, & Auberto? Fatetur id ipse: nec dubito quin ex lectoribus ejus historiæ multi eadem crediderint & narrarint aliis; alii contempserint, ex aliorum meliorum scriptorum monumentis certi de falsitate & vanitate figmentorum istorum; inter utrosque autem extiterint contentiones ac disputationes. Verum nullum credo inventum, donec Vox veritatis insonuit, qui ausus sit affirmare, quasi per legitimam consequentiam, eos qui talia negant, subvertere Sacramenta, & fidei divinæ traditiones.* Hactenus P. Xeramilius cap. xi. præcitato: qui deinde ex Nicolao Antonii, Philippo Labbe, atque Joanne Bollando producit breves sententias contra prædictorum pseudo-chronicorum auctores, nec omittit notare, quomodo ipsa Vox virum istum laudet fol. 3. & Delatio anni 1691. part. 2. fol. 1. primis statim verbis, ut *scriptorem venerabilem atque illustrem, & totius Ecclesiæ per omnia secula veneratione dignissimum.*

189 Ego, dimissis mortuis, unum alterumve locum hic addam ex etiamnum viventis Card. Aguirre, tomo 2. Conciliorum. Primum folio 63. ubi occasione Melantii Toletani, novis Hispaniarum Patronis liberaliter adscripti: *Mitto*, inquit, *plurima alia, non minus decretoria adversus id figmentum; & solum addo, pariter nutare fidem verborum illorum, quibus Melantius Præsul Toletanus decoratur elogio* ,, sanctissimi Confessoris. *Licet enim nullatenus dubitem, sed potius pie credam, Melantium eo felici seculo fuisse virum pium, & bonum Præsulem, instar aliorum qui intervenerant Synodo Eliberitanæ cum ipso; nullum tamen fundamentum invenio in SS. Isidoro, Ildefonso, aut aliis antiquis scriptoribus, vel in aliqua veteri traditione, ut Melantius habeatur aut computetur inter Sanctos, qualiter illum collocant Dexter ad annum 286. Julianus ad 281. & 288. Luitprandus in Fragmentis ad annos 302. & 305. invicem se munientes, ut assolent, ad quamlibet fabulam stabiliendam, & confundentes Melantium hunc cum S. Melania Episcopo Rhotomagensi, qui in Martyrologio Romano laudatur ad diem 22. Octobris. Plura de hac fictione præmisi Tomo 1. pag. 301. in Notis ad subscriptionem Melantii apud Concilium Eliberitanum, & monui quam temere Tamayus illum Martyrologio Hispano inseruerit Tomo v. ad eamdem diem.*

190 *Nimirum hæc & alia commenta similia, quæ notavi ibidem pag. 303. & 312. & 322. circa Patritium, Flavium, & Camerinum, quos pariter Tamayus intrusit Martyrologio Hispano (sicut & alios plures sine ullo solido fundamento, in toto illo vastissimo opere) nullo in pretio esse debent, & doctissimorum hominum judicio merentur indignationem omnium eorum, qui verum decorem Hispaniæ, ima & Ecclesiæ amant; inanem autem, seu pro libito fictum, detestantur. Præsertim quoniam perniciosum est & execrandum, quod quispiam male feriati homines audeant donare Regno alicui, Ecclesiæ, Urbi, aut Populo, Sanctos aliquos, numquam Fastis Divorum adscriptos, nec antiquissima veneratione certis locis usque adhuc cultos, aut non natos vel versatos ibidem, sed longe alibi. Atque hoc ipsum jam diu exhorrui, tam in illis pseudochronicis, quam in eo Martyrologio, magna sui parte iis farraginibus constante. Unde ortum fuisse vereor, ut in aliquibus Ecclesiis, & Populis celebrentur, tamquam Sancti proprii & ipsarum Episcopi, qui aut nec Sancti nec Episcopi fuerunt; aut, si Sancti & Episcopi, certe in aliis Ecclesiis & Populis exterarum nationum orti sunt, aut Sedes suas habuerunt.*

191 *Sed parum proderit hæc animadversio ac lamentatio mea & aliorum, impense amantium verum Hispaniæ decorem, si Domini Episcopi, quorum id maxime interest, non exquisierint omni zelo veritatis, ac religionis solidæ studio, examinare novitates ejusmodi, a centum circiter annis introductas in ipsorum diœcesibus, occasione eorum pseudochronicorum, & Martyrologii Hispani, præsertim circa cultum Sanctorum. Si autem invenerint solum innixas ejusmodi fundamento, plane aereo, nec alteri solidiori & securo, poterunt, ac debebunt ejusmodi vanitates, immo & superstitiones, omnino abscindere, cum magna sui nominis laude, & Ecclesiarum fructu.* Nihilo minus energiæ habet locus alius ejusdem Tomi 2. fol. 419. & 420. in uno male Sanctis adscripto Maximo Cæsaraugustano multas nobis imposturas detegens hoc modo:

192 *Ab eo tempore, quo pseudochronica illa famosa Toleti excogitata fuerunt, sub finem seculi præcedentis, Ficulneo auctore (qui Hispanice Higuera cognominabatur) prodigiosa mendacia de hoc Maximo scripta & ubique divulgata sunt, in Chronico illo edito sub nomine* Marci Maximi, Episcopi Cæsaraugustani. *Et licet Bivarius, in Commentariis illius longe postea editis, exeruerit omnes ingenii atque eruditionis minime vulgaris nervos, ad illud tuendum & explanandum; nullatenus obtinere potuit ab eruditissimis viris, intra aut extra Hispaniam, ne irriderent Chronicon ipsum, veluti meram congeriem farraginum & fictionum; qualia pariter fuisse censent, & invictis rationibus demonstrant illa alia nomine Dextri, Luitprandi, Helecæ, ac Juliani Perez, ab eodem fabularum architecto obtrusa, quibus fœdavit apud imperitos Historiam, antea germanam & puram, rerum Hispaniæ.*

193 *Sane quod Ficulneus Maximo huic præponeret nomen Marci, ipsumque complexe* Marcum-Maximum *diceret, in causa fuit, quod legisset verba Isidori de Maximo Episcopo Cæsaraugustano;* Multa versu prosaque componere dicitur. *Cumque aliunde nosset, eodem circiter tempora floruisse Marcum quemdam discipulum S. P. Benedicti, Poetam apud multos celebrem, qui res gestas Patriarchæ & Magistri sui versibus enarrasset; voluit ex duobus hominibus unum eumdemque facere, quasi primum fuisset Monachus Benedictinus, deinde vero Episcopus Cæsaraugustæ; ac proinde complexa appellatione illum* Marcum-Maximum *denominavit. Sed enim, quemadmodum hippo-centaurus & hirco-cervus censentur chimæræ; quoniam, licet extrema cujusque seorsum considerata, sint vera, complexio tamen sive unio substantialis utriusque extremi est fabulosa & ficta; ita similiter in Historia* Marcus

Maxi-

Maximus *chimæra est. Quamvis enim eodem circiter tempore floruerint in Italia Marcus Monachus Casinensis, qui vitam & res gestas S. Benedicti versibus edidit, atque in Hispania Maximus Episcopus Cæsaraugustanus, qui versus composuisse dicitur, & Concilio Barcinonensi interfuit; chimæra Higueriana est, prædictos Marcum, & Maximum, conflare in unum eumdemque hominem.*

194 *Nimirum, ut alia taceam, nemo veterum dixit, nemo somniavit usque ad tempus Higueræ, Marcum illum, S. P. Benedicti discipulum, venisse in Hispaniam, aut fuisse Episcopum, aut habuisse præterea nomen Maximi. Constat id ex Paullo Diacono Lib.* 1. De gestis Longobardorum *Cap.* 26. *cujus verba exscribit Adrevaldus Lib.* 1. De Miraculis P. Benedicti *Cap.* 4. *Petro Diacono in Libello De Viris Illustribus Cassinensibus Cap.* 3. *Leone Marsicano, sive Hostiensis Lib.* 3. Historiæ Casinensis *Cap.* 21. *& Aimonio Floriacensi in Sermone quodam* De S. Benedicto, *laudantibus carmen prædicti Marci; ut mittam plures alios recentiores, de eodem Marco loquentes; quorum tamen, licet Benedictinorum, nemo vel leviter indicavit, illum venisse postea in Hispaniam, aut Cæsaraugustæ Episcopum fuisse. Nec Joannes Bosco in* Bibliotheca Floriacensi, *aut Prosper Martinengus in suo Tomo* 3. *nec Illustrissimus Angelus a Nuce in* Commentariis ad Chronicon Casinense, *exscribentes Carmen illud Marci de S. P. Benedicto, quidquam de illius Episcopatu Cæsaraugustano insinuarunt. Unde solus Higuera Marcum, post mille circiter annos ab obitu, Episcopum fecit.*

195 *Aliunde quoque fabula est, quod Maximus Episcopus Cæsaraugustanus dictæ huic Synodo subscribens, fuisset antea Monachus: nemo enim veterum id dixisse invenitur. Imprimis altum siluit de tali Monachatu S. Isidorus ipsius Maximi coætaneus in ejus elogio; cum tamen loquens de aliis Episcopis, assumptis e statu Monastico, semper istud expresserit: ut patet quando loquitur de S. Leandro fratre suo, Martino Dumiensi seu Bracarensi, Joanne Biclarensi, & Eutropio. Ipsum imitatione Isidori præstitit postea S. Ildephonsus ipsius discipulus, loquens de Donato, Joanne Cæsaraugustano Maximi fratre & decessore, Helladio, Justo, & duobus Eugeniis Præsulibus Toletanis, ac Nonnito Gerundensi. Dum igitur nec Isidorus, nec Ildephonsus, scribentes de Maximo, nec alius quispiam eorum, qui vixere eodem seculo, ac sequentibus usque ad tempus Higueræ, Monachatum ipsi tribuerit; reputandum id omnino est inter merces Higuerianas, nullum apud quoslibet solide eruditos pretium habentes, nequidem apud Bollandianos, quamvis ejusdem instituti socios . . .*

196 *Denique ejusdem pseudo-chronici inventor, non satis habuit Maximum binominem facere, & Monachum fingere; nisi & adderet,* Benedictinum; *fortasse ut demereretur professores ejusdem instituti, ut aliàs sæpissime fecit, etiam cum Augustinianis & Carmelitanis. Ad assequendam enim earum trium gravissimarum Religionum gratiam (quæ certe non egent fabulosis laudibus, nec fœtibus suppositis virorum sanctitate & doctrina illustrium) singulis earum sæpe tribuit præstantissimos filios, quos non genuerunt; aut si genuerunt, id aliunde, quam ex iis pseudo-chronicis certum habent. Id ipsum fere præstitit cum Ecclesiis Hispaniæ, præsertim Cathedralibus, & cum Urbibus, aut Oppidis ipsius, tribuens iis Episcopos, aut Sanctos utriusque sexus, qui vel numquam in rerum natura fuerunt, vel alibi omnino habuerunt sedem suam, sive originem.*

197 Ita eruditissimus ille & pro Hispanæ nationis honore zelosissimus Cardinalis, de pseudo-chronicis sæpe dictis, deque fundato in iis Tamayi Martyrologio, frequentius inter nostra Sanctorum Acta sugillato, totiesque sugillando, quoties operis nostri una cum Anno sacro procedentis, ordo nos deducet ad eos, quorum veras laudes obscurant afficta eisdem encomia peregrina. Utinam omnia, quam plene satisfactura eruditis, de impostura totum seculum impune dominata persuasissimis, tam efficacia sint etiam aliis, hactenus ex illo erroris poculo sic alienatis a sana mente, ut etiam pro sacrilegio habeant fraudes detegi tam vulgo gratas, quia speciosa multiplicandorum Patronorum colore fucatas. Utinam malo remedium ferant qui soli possunt, atque ita votorum suorum compos fiat ipse, cum multis aliis, Eminentissimus, quem citavi, Cardinalis.

198 Huic voto proximum, ac magis privatum votum, meum plurimorumque historiæ ecclesiasticæ amantium, est, ut hæ Responsiones ita satisfaciant omnibus, aliquo præjudicio occupatis contra nostra sanctorum Acta, tot hactenus impendiis vigiliisque collecta, digesta, illustrata per integrum fere seculum, ut eadem porro liceat cursu numquam amplius interrumpendo, colligere, digerere atque illustrare; idque secernendo eadem qua prius libertate, verum a falso, verosimile ab inverosimili, juxta notitias, magis magisque usu quotidiano depurandas. Libenter enim cum S. Augustino Epist. 111. ad Fortunatum, loquor ac dico: *Neminem, velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in his in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi* (dico ego feci & faciam Appendices ac Supplementa) *ut nec meipsum in omnibus me secutum demonstrem; sed proficienter me* (meosque decessores, quorum similiter retractavi aut retractabo conatus, posterisque retractandos cum meis commendabo) *proficienter*, inquam, *me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione cœpisse: quandoquidem arrogantius loquor quam verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendo, jam in ista* (annorum 70.) *ætate venisse.* Verbum cum Apostolo addo & finio, *sive vivimus, sive morimur, Domini sumus;* illi gloria in secula seculorum. Amen.

C O N C L U S I O.

Ad R. P. Sebastianum a S. Paulo.

199 HActenus, R. Pater, pro me & libris meis, eo quo vidimus modo a Te accusatis. Ego, si modo convertere stylum vellem contra librum tuum, uti contra meos tuo tu stylo abusus es; necesse mihi foret alios duos tomos scribere, hisce quos nunc absolvo, pares. Tunc sane demonstrarem (si forte nondum satis ex hisce pateat) librum tuum jure meritissimo præferre titulum, *Exhibitio errorum*, non meorum, ut prætendis; sed suorum: neque deberem Propositiones tuas (qualiter Tu cum meis egisti) truncatas, aut dimidiatas, aut in pravum sensum subdole detortas exhibere. Vis periculu-

riculum in una faci. m? Capiamus, quæ occurret prima. Sic Exhibitionis tuæ errores ordiris, Art. 1. §. 1. versu 1. voce 1. *Fide divina certum est, ut patet ex ipso Evangelio, Christum, non in palatio, sed vilissimo in stabulo fuisse natum*. Ita ordiris, Pater Professor; jam ausim dicere, non modo non bonus Historicus, sed neque bonus Theologus. Quid? An talem utpiam ex totis meis scriptis, quantumvis multiplicibus, proferre potuisti propositionem, tam temerariam, tam audacem, quam hæc tua est, principio Artic. 1. primique Paragraphi effutita (utor verbo tibi familiari) veluti id sit *certum fide divina*, idque *pateat ex Evangelio ipso?*

200 Dic age, Pater Professor, quo in loco docet Evangelium, natum fuisse Christum *in stabulo*, idque *vilissimo*? Totis Evangeliis non legitur τὸ *stabulum*, nisi semel; videlicet Lucæ 10. ubi Samaritanus hominem, ab Jerusalem in Jericho descendentem, & a latronibus vulneratum, *duxit in stabulum*, & stabulario curam ejus imposuit. Sed etiam hic *stabulum*, Cornelio interprete, ex eo quod græce Πανδοχεῖον legatur, intelligitur *diversorium sive hospitium*, quo homines consueverunt divertere. Unde ergo Tu stabulum ex Evangelio eruis? Totum quod de loco nativitatis narrat Evangelium, est, quod Joseph cum Maria profectus *in Bethleem*, *ibi peperit* filium suum, & reclinavit eum *in præsepio*, quia non erat eis locus *in diversorio*: ergo neque in stabulo, secundum sensum allegatum. Dic porro, unde ostensurus jam sis ex Evangelio, natum esse Christum in stabulo *vilissimo*? Sane quod fide divina universaliter præscribitur credendum, tale debet esse, ut nulla ejus pars non sit credenda fide divina; & quod fide divina certum est ex ipso Evangelio, tale debet esse, ut nulla ejus pars non contineatur in Evangelio, aut Theologice non deducatur inde. Ubi igitur illic legitis, aut unde Theologice deduces *stabulum* nativitatis Christi, idque *vilissimum*? Si Apostolica Sedes id definivisset ex Cathedra, submitterem lubens totum intellectum meum in obsequium fidei: nunc vero quid faciam, definiente Te, quod ipsa non definivit? Cum initio libri tui Tibi assumpseris auctoritatem Apostolicam & infallibilem, cur in reliquo libro me citas ad Sedem Apostolicam Romanam; & non ipse potius ex cathedra tua pronuntias, omnium illorum, quorum accusas, reum me esse. Tunc certe tam reus ero, quam definita a Te propositio est fide divina ex Evangelio certa.

201 Si tale venenum in capite libri tui ponis, quale in cauda invenietur? Ego tibi, quantum quidem ad me attinent, dimitto omnia; sed pro aliis vadem me præstare nequeo. Tu videris, quomodo Patres atque alios bene Catholicos, quos contra fidem peccasse arguis definitione tua, Tibi reconcilies, atque imprimis Cornelium a Lapide cum illis, quos citat Patribus, in illud Lucæ, *Et reclinavit eum in præsepio*, sic differentem: *Nota, locum nativitatis Christi proprie non fuisse stabulum domus rusticanæ, ut S. Cyprianus . . . tractatu de Operibus Cardinal. & alii imaginantur; sed fuisse speluncam excisam in rupe, ad extremum & Orientalem partem urbis Bethleem, uti docent oculati testes, S. Hieronymus Epist. 18. ad Marcellam; Brochardus, Adrichomius & alii, ac Beda de locis Sanctis cap. 8. An spelunca hæc sita fuerit in urbe, an foris ad muros urbis, variant auctores. Audi S. Hieronymum: Ecce in hoc parvo terræ foramine, cælorum conditor natus est, hic involutus pannis &c. Addit Beda, e petra hujus speluncæ per miraculum, ob Christum in ea natum, perennem scaturire fontem, illumque ad sua tempora perdurare, atque totam speluncam a Christianis marmore incrustatam esse, ac grandi ecclesia desuper ædificata ornatam*. Hactenus a Lapide.

202 Quod jam intelligis Tu, Rev. P. Professor, *stabulum*, in quo natus sit Christus? An stabulum domus rusticanæ, cum S. Cypriano & aliis? Ergo reliqui omnes, qui in spelunca natum asserunt Christum, deficiunt a fide per te definita. Si per *stabulum* velis intelligere minus recte speluncam ipsam; ergo damnas Cyprianum, quia cum suis peccavit contra eamdem tuam fidem. Quid vero facies ad reconciliandum tibi & fidei tuæ Catholicæ SS. Petrum Chrysologum atque Gregorium, apud Drexelium dicentes, illum quidem, quod Christus *in via nasci voluit, ab omnibus inveniendus*; hunc vero; *Non in parentum domo, sed in via nascitur*. Papæ! quantum discriminis est inter stabulum qualecumque & publicam viam, minus tamen quam inter Fidem Patern. Vestræ ab Ecclesia Romana, saltem in præsenti puncto.

ADMONITIO.

ROgo etiam hic, quod soleo in aliis operibus meis, benevolum atque eruditum Lectorem; ut quæ observaverit, aut porro observaturus sit, errata in hisce meis Responsionibus (semper enim ut homo, id est errori obnoxius, scribo; &, ut veri rectique amans, libenti animo ac grato correctiones rationabiles admitto) suggerere benevole velit, suo tempore in Parte tertia Responsionum, quod hic non licet, corrigenda. Simul gratiam inibit a R. P. Sebastiano; cui inde licebit augere numerum bis mille & amplius (uti quidem accusare ipsum vidimus Art. 33. §. 5. sed & respondimus) errorum meorum. Ne tamen, amabo te Lector, ne propterea silentio premas quos notaveris in me errores. Quod enim sine culpa mea errando peccavi; propter Accusationes tales non differam, imo gloriæ mihi ducam emendare, quocumque demum errorem dedocente. Chronologice definiturus aliquid certo annorum spatio contigisse post excessum Eliæ, parum ibi sollicitus, sive is omnino e vivis, sive tantum e consortio hominum excesserit, cum neutrum altero plus ad Chronologiam faciat, scripsi, more in talibus consueto, contigisse illud *annos mille post Eliæ mortem*. Quo cum graviter scandalizentur pusillanimes quidam; muta τὸ *mortem--in--raptum*.

SY.

SYNOPSIS
QUÆSTIONUM CURIOSARUM, HISTORICO-THEOLOGICARUM,

Tractatarum in Responsione ad Exhibitionem Errorum.

P. Danieli Papebrochio S. J. imputatorum.

PRÆFATIO.

Contra Acta Sanctorum, ad Martium, Aprilem ac Majum spectantium, seu potius contra Notas & Commentaria, super ipsa elucubrata, & nomen meum *Danielis Papebrochii*, non quidem solius, solius tamen accusati, præferentia, anno 1683. intentata fuit Actio, sub titulo *Libelli supplicis*, Innocentio Papæ XI. inscripti, ab adm. R. P. *Sebastiano a S. Paulo*, Veterum Carmelitarum tunc primum Provinciali in Belgio. Sed eadem Actione, numquam rite ad Judicem appellatum deducta, libellus, quantumvis studiose dispersus per manus, contemptus fuit ab accusato, de judiciis eruditorum suosque libros legentium securo, totis decem annis; cœptumque de Actis Sanctorum Maii opus ad finem sine perturbatione processit; donec præfatus P. Sebastianus, altera vice Provincialis, Actionis coram S. D. N. Innocentio XII. resumendæ consilium sumpsit, edito ad ejus instructionem majori libro, quo non jam contra solam Ordinis Carmelitani historiam, de qua eatenus solum fuerat controversia, sed in aliis quoque infinitis capitibus gravissime & inexcusabiliter peccasse prætenditur reus.

Libro titulus est *Exhibitio Errorum*: & hi adeo late parent, ut universam fere Ecclesiasticam Historiam, cum seculis septemdecim Christi nativitatem prægressis, complecti videantur. Etenim pollicetur Actor demonstrative exhibere Errores, quos ego commiserim, *Contra Christi Domini paupertatem, ætatem, &c. Summorum Pontificum acta & gesta, bullas, brevia & decreta; Concilia; sacram Scripturam; Ecclesiæ Capitis primatum & unitatem; S. R. E. Cardinalium dignitatem & auctoritatem; Sanctos ipsos, eorumque cultum, reliquias, acta, & scripta; Indulgentiarum antiquitatem; Historias sacras, Breviaria, Missalia, Martyrologia, Kalendaria, receptasque in Ecclesia Traditiones; antiqua monumenta Regionum, Regnorum, Civitatum, omnium fere Ordinum; idque non nisi ex meris conjecturis, argutiis negativis, insolentibus censuris, satyris ac sarcasmis; cum ethnicis, hæresiarchis, hæreticis, aliisque auctoribus ab Ecclesia damnatis.*

Vides, credo, Lector, vel ex solo Titulo, quod liber, tam atrociter tamque universaliter accusans prægrandes quatuordecim Tomos, quibus elucubrandis cœpi ego Daniel Papebrochius adhibere operam ab anno 1660. nequiverit refutari paucis articulatim & totus, sicut æqui & iniqui in me fieri postulabant, procedendo per singula Tituli tam verbosi capita. Imo vides, in refutandis uoiversis haud paulo prolixiori opus fuisse discursu, quam fuerit ipsius Accusatoris, brevibus verbis graves sæpe materias delibantis, pro quarum pleniori cognitione non conveniebat dimittere ad volumina accusata, omnes eos, qui vel ipsa non habent, vel oon habent facultatem aut voluntatem comparandi perlegendique opus fere immensum. Quid? quod sæpe poscat rationem de rebus, vix a me obiter & ex occasione tactis inter Notas, ad alia prorsus argumenta; in quibus ut nihil peccatum ostenderem illarum inexpertis, fuit opus id, de quo postulabat, explicare distinctius. Ita sub manibus mihi crevit justum opus Responsionum, quarum Synopsim multi expetunt, sive ad eorum quæ legerint memoriam commodius recolendam, sive ad ea quæ lecturi sunt aptius intelligenda.

Hoc ergo nunc præsto paucia folia, post Dedicatoriam Epistolam ante Articul. 1. ponendis, vel seorsim tenendis ei qui, libros jam religatos habet. Quamvis autem ipsum opus procedat per *Accusationes* atque *Responsiones*, utor hoc titulo *Quæstionum*, sub iisdem quibus illæ numeris procedentium, ut ab hac Synopsi ad illas facilis sit recursus. Causa cur id faciam est, quod animadvertam, disputationem de Origine & Antiquitate Carmelitarum, quarum vindiciis præcipue incendit Actor, mihi presse sequendus, adeo viluisse apud eruditos, ut dignam non credant, cui multum operæ chartæque impendatur. Quapropter omnino videtur expediens, ut etiam isti intelligant, ex occasione talis controversiæ, quam plurimas pertractari quæstiones, antea vel numquam vel non sic discussas: quod facio, *Responsionum* indice converso in elenchum *Quæstionum*, quibus subinde etiam addo aliquid elucidationis majoris, necdum antea datæ.

Plus aliquid quam ego hic faciam, cœpit jam inde a mense Junio anni 1696. & perrexit ac pergit quot mensibus facere, Mutinæ in Italia, eruditissimus P. Benedictus Bacchinua, Serenissimi Ducis Bibliothecarius auctor Italici eruditorum Diarii, ubi solius primi Articuli Synopsis, in pag. 150. prædicti anni, quatuor paginas implet, sic exordiens: *Tantum ubique murmur excitavit Decretum, in Hispania publicatum in præjudicium præclari operis de Actis Sanctorum, ac nominatim contra illius quatuordecim Tomos; adeoque publicæ sunt acerbæ censuræ, Patri Papebrochio per P. Sebastianum a S. Paulo impactæ, & ad has illius Responsiones ejusmodi; ut merito accusarer, nisi earumdem debitam notitiam insererem meis hisce foliis. Etenim Responsio, cujus hic proposui Titulum, in justum volumen deducta, tam multa eruditionis ecclesiasticæ puncta sub compendio*

colli-

colligit, ut operæ pretium existimaverim illius argumentum dividere per Diaria, quot mensibus prodituræ, quo melius satisfaciam litterariæ Reipublicæ. Itaque in præsentiarum referam Responsiones P. Papebrochii ad objectiones primæ classis, concernentes historiam vitæ Christi.

Hoc ille facit clare ac brevi stylo, &, quod caput est, in solam veritatem intento, absque alio quocumque respectu, nec ullis meis præventus officiis, qui ex folio isto primum cœpi novisse hominem, professione Benedictinum, & qui (si P. Sebastiani accusationes valuissent aliquid) credere debuisset, alieno me a sua Religione animo, pessime de ea meritum. Quanto autem cum sensu Adversariorum meorum istiusmodi folia legantur jam pridem per omnes Italiæ civitates, quantamque operi nostro commendationem, declarationem innocentiæ, verecundiam accusatoribus ubique pariant, facile is intelligit, qui novit quanto cupidius ab hominibus, curiosis simul & occupatis, legantur istiusmodi breves Synopses, quam Dissertationes prolixiores; & quanto libentius Itali, etiam eruditi, sua lingua legant ac discant aliquid, quam Latina, minus inter ipsos familiari.

Sic igitur in breves pagellas quatuor contractus Articulus meus primus, cui ego viginti quatuor paginas impenderam, incredibilem cupiditatem reliquorum excitavit, fecitque ut Auctor sub eorum prosecutione non siverit se abduci, quantiscumque solicitationibus, expostulationibus, ac minis tentatus a cœpto desistere. Tam laudabili constantiæ diligentiæque rependant Sancti, quam inde sua Acta accipiunt, claritatem, aliis quoque nationibus ad exemplum. Meo in hac Synopsi proposito sufficit, quam paucissimis lineis cognoscenda dedisse capita quæstionum, sicuti rogatus sui; quæ notitia in recudendo alias libro valeat pro eo, quem Parti 2. antehac subjeci Elencho Paragraphorum; opponatur autem illi Indici, quem P. Sebastianus præfixit Accusationum suarum libro, atque per suos copiosius spargi curavit, eo fine seorsim multiplicatum.

ARTICULUS I. ET XXV.

Circa Historiam Christi Domini.

QUÆSTIO I. Quomodo Christus pauperrime natus, pauperemque degens vitam, non tamen mendicam, nec absque aliquo temporali dominio & ejus libero usu degens secundum Theologos, dici possit, Evangelicam paupertatem tunc solum opere externo professus, quando eam verbo prædicabat. Ejus essentia in quo consistat docetur, & in quo sita hæresis Wicleffi, mendicitatem religiosam condemnantis; ubi etiam obiter agitur de paupertate Scholarium Societatis Jesu, rerum suarum dominium, sed impeditum, retinentium ad tempus.

II. In quam diversas sententias abeant sancti Patres & Historici circa numerum annorum vitæ Christi; aliis infra annos 33. aliis supra definientibus illum; S. Irenæo etiam credito ultra 40. annos excurrere, & saltem ad 37. procedente Natali Alexandro; cujus tamen sententiam, ut paradoxam, rejicit Papebrochius. Ut tamen de annis præcise 33. communior sensus Ecclesiæ esset, an ideo in eum qui dubitaret, recte jaciatur illud Augustini, de praxi, non de speculatione loquentis? *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia . . . quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est:* item illud Scoti: *Periculosum est errare circa illa, quæ non tantum ab Apostolis descendunt perscripta, sed etiam quæ per consuetudinem universalis Ecclesiæ tenenda sunt.*

III. Utrum dicere, quod *pia credulitas* fidelium adscribat S. Lucæ, tamquam pictori, imagines quasdam Christi ac Deiparæ, sit earum veritatem impugnare. Item, an omnis Credulitas, temeraria & erronea sit; aut culpabilis omnis Dubitatio, circa opiniones, vulgi credulitate diuturna stantes.

IV. Idemne sit, dubitare, an Christi facies vere fuerit impressa in sudario, quod inde dictum sit *Veronica*, quasi *Vera icon;* & dubitare, imo negare, cum Baronio aliisque, utrum revera fuerit istius nominis matrona aliqua, eaque Sancta? Alterutrum certe de pluribus aliis impune & prudenter controvertitur.

V. Quomodo, & an Romæ Columna (Christi dicta, eo quod ex ea concionatus putaretur) & quædam similia, remota ab ecclesiis sint; remanente ea, ad quam Salvator creditur flagellatus; & Scala, per quam ascendit ad Lithostroton Pilati.

VI. An censens, *parum apte*, id est, *in sensu minus communi & obvio*, dici Christum ea fecisse, quæ ex prævisis illius meritis facta sunt ante incarnationem; puta, quod Christus illuminavit Tobiam, sit impugnare eadem merita. Ubi de loco ex Epistola Judæ Apostoli, & veteri sequentia de Nomine Jesu, in nonnullis non magis apte composita, quam compositum est Responsorium Carmelitarum, quo dicitur, quod Deiparam

Proceres comitantur heriles,
Per quos Orbis, ovans Christo sub Principe, pollet.

VII. An quæ leguntur ex Breviario in Inventione S. Crucis, aliquid fidei conferant *novellæ* illi (ut Gelasius Papa vocat) *Relationi*, sive Legendæ, quæ in multis manuscriptis refertur; ita ut nefas sit Apocrypham appellare, ejusque multiplicem fabulositatem enucleatim demonstrare; nihil dubitando de iis quæ habet Breviarium pro isto festo.

VIII. Quomodo Præputium Domini, Antverpiæ olim asservatum, credi possit huc fuisse missum seculo 12. ab Hierosolymitano postea Episcopo, Henrico Noesen, licet nullus eo nomine fuerit istius Ecclesiæ Patriarcha.

His septem Quæstionibus, Articulo primo deductis, apte subjicientur, quæ habentur deductæ Articulo XXV. ad finem autem libri fuerunt relatæ, quia primum ab Actore ejusque partiariis motæ, post editam Exhibitionem; spectant vero omnes ad Christum vel Parentes ejus; fueruntque vel maxime a Delatoribus Hispania, coram S. Inquisitione, accusatæ. Scilicet hæ.

I. An SS. Joseph & Maria, voto perpetuæ castitatis obstricti, superveniente ex usu & Lege Judæorum necessitate improvisa contrahendi matrimonii; &, quod consequens erat, ob spem proventuri inde Messiæ, etiam consummandi; potuerint dubitare, num suo voto adhuc obligarentur; contraxerint tamen cum animo non consummandi, donec suam circa hoc voluntatem Deus specialius declararet: denique an hoc

dice-

dicere idem ſit, quod aſſerere, contraxiſſe illos cum animo conſummandi. Certe abſolutum votum utriuſque ante nuptias, & poſito dubio poſt nuptias ſub conditione ratificatum, magis favet eximiæ eorum caſtitati, quam votum ab initio conditionatum, niſi aliter Deus diſponeret, quale ponunt S. Thomas & Eugenius Papa. Et qui in genere dicit Judæos, in caſu Legis, creditos vulgo fuiſſe graviter peccaturos in publicam honeſtatem, ſi ſic contracto matrimonio non uterentur, privarent majores ſuos ſucceſſione tam illis optata, non adſtruit obligationem in conſcientia; & patitur exceptionem in aliquo ſingulari caſu, qualis fuit beatiſſimæ Virginis Mariæ, tot modis privilegiatæ. Fuſius hæc aliaque ſequentia probat Apologia Hiſpanica P. Antonii Xaramilii, a Regio Senatu & Cenſore ordinario legitime probata.

II. Quo fine a Spiritu ſancto duplex Chriſti per Joſephum Genealogia ita ſit dictata Evangeliſtis, ut obſcurata potius quam explicata, magnam Interpretibus faceſſat moleſtiam; & Evangeliorum fides non ſatis ſalvetur per diſtinctionem duplicis Lineæ, Naturalis ac Legalis, qua communiter uſi Patres & Interpretes; niſi utramque talem facias, ut eoſdem majores omnes quos Joſepho, Chriſto quoque adſcribat, nullo abundante, nullo deficiente. Notatur autem hallucinatio Actoris circa adverbium *Temere*, quaſi hoc ſemper *Temeritatem* notaret, contra quam docet Grammaticorum optimorum uſus.

III. Quam incertis ſententiis varient Patres ac Theologi circa genitores Joſephi, Heli & Jacob, uter eorum legalis, uter naturalis fuerit, & quantis rationibus ſuadeatur Jacob legalem, Heli fuiſſe naturalem, ab hoc ad Adam aſcendendo juxta Sanctum Ambroſium; & verbum *Genuit*, quo utitur Matthæus, indifferenter accipiendo, juxta Auguſtinum; prout ex Scriptura probatur faciendum, loco plus quam uno, legalem ſucceſſionem pro naturali ſupponente. Proinde falſo dicitur, tota Eccleſia contrarium ſentire, & Matthæo lineam naturalem adſcribere, Lucæ legalem. Illud autem prius vel ideo potius eſt tenendum: quia ſic, & non alias, redditur ratio, cur in Genealogia, potius quam Joachim, ponatur Joſeph, a ſuo legali patre nactus jus regni Davidici, quod in Chriſtum, ſuum quoque filium legalem, transfunderet: & cur Lucas uſque ad Adam aſcendat ab Abraham. Explicatur etiam clarius prophetia, de *commutatione Chriſti*, id eſt, translatione promiſſi Meſſiæ, a Salomonidis ad Nathanitas, indicata Pſalmo 118. quam tempore captivitatis Judæis exprobrabant Gentiles, propter Jechoniam, Salomonidarum ultimum, ſine liberis extinctum.

IV. An alio in gradu conſanguinitatis, quam patrui & neptis, poſſit haberi perfecta Chriſti Genealogia: & qua lege matrimonia inter tales præſcripta, atque jam inde ab Abraham & Sara cœpta, uſque hodie inter Judæos frequententur; licet prohibita inter aviam & nepotem. Sic Caleb Othonieli fratri ſuo filiam Axam uxorem dedit; & fratris ſui filiam Eſther educabat ſibi Mardochæus in conjugem futuram; unde intelligitur quædam tutelæ legalis & adoptionis ſpecies, per matrimonium inter tales firmatum, citra ullam inceſtus notam.

V. An abſtrahendo a Lege (juxta quam contractum Joſephum inter & Mariam conjugium, bujus alioqui unius filium naturalem Jeſum) fecerit filium legalem Joſephi, hic aliam relationem haberet ad ipſum Chriſtum, quam vitrici ad privignum. Ubi ex occaſione deteguntur plures calumniæ, ex truncatis aut male intellectis Papebrochii verbis deductæ; quæ accuſandi ratio ſi toleretur, nihil in Scripturis aut Patribus ſincerum fore, per exempla docetur.

VI. Quomodo intelligenda verba Lucæ, dicentis, quod *erat Jeſus incipiens quaſi annorum triginta*. Probatur ſcilicet ambiguus eſſe ſenſus particulæ *Quaſi*, & ad exceſſum defectumque indifferens: vocem autem, *Incipiens* eo loco aptius referri ad Jeſum, incipientem docere, quam ad annum trigeſimum, juxta Card. Toletum & alios. Ubi ſi mente concipias Comma, aut verba ſic ordines, *Incipiens Jeſus*, *erat quaſi annorum triginta*, nihil facies ab Interpretum conſuetudine alienum, uti exemplis a Scriptura petitis oſtenditur.

VII. Fueritne Joſeph & Maria infimæ nulliuſque fortunæ, ut vult Lutherus; an ſolum tenuis pro ſua nobili conditione; ita ut facultatulas nonnullas habuerint, ex quibus ſimul & manuum labore Chriſtus vixerit uſque ad annum 30. Recte tamen Virgo, in Purificatione ſua, non obtulit Agnum; & Chriſtus uſque ad virilem ætatem bona cum ratione diſtulerit paupertatis Evangelicæ exemplum dare.

VIII. An Magi ab Herode incomitati dimiſſi Bethlemum ſint, & mox infantes fuerint per ſubitam militum irruptionem occiſi: vel potius hi per dolum comprehenſi, unumque in locum juxta Thecue deducti, ut clam mactarentur. Hac occaſione primum ex S. Vincentio Ferrerio, tum ex S. Epiphanio deducuntur tempora geſtaque, ab ortu Stellæ uſque ad cædem infantium reditumque ex Ægypto; ita ut Chriſtus fuerit die 40. præſentatus in templo delatuſque in Nazareth, inde relatus Bethlemum, ubi exeunte ſecundo poſt ortum Stellæ anno adoratus fuerit a Magis, non in ſpelunca ſua natali, ſed in domo propria vel conducta; & inde mox deportatus in Ægyptum, vivente etiamnum Herode. Declaratur etiam quomodo ejus ætate titulus quidem *Regis* βασιλέων inferior erat titulo *Imperatoris* Αὐτοκράτορος; medio tamen ævo (quo ſcripta Acta S. Meletii) ſoli *Imperatores* dicebantur βασιλεῖς; aſt *Reges*, Ῥῆγες: idque, ad diluendam calumniam Interpreti Actorum S. Meletii, ut falſario, ignoranter impactam.

IX. Utrum ſatis conformiter veritati & Evangelio, ſcriptores aliqui frondentem virgam, in manibus S. Joſephi pingi ſolitam, referant ad miraculum, quo ille (prorſus ut olim Aaron) divinitus declaratus ſit ſponſus Mariæ; & non potius referri debeat virga illa ad allegoriam; ipſum vero miraculum ad fabulas, ad quas ipſum referunt Joannes Molanus & Theophilus Raynaudus, utpote conjunctum cum circumſtantiis plane ineptiſſimis.

X. Quare Abulenſis, multique recentiores Chronologi poſt eum, tenentes Chriſtum revera crucifixum fuiſſe anno 33. vulgaris æræ, id factum unanimiter dicant die 3. Aprilis. Hoc ipſum quidam novo argumento confirmat, ſumpto ex Regula, juxta quam Galilæi tunc Paſcha immolaverint die Jovis; Judæis Feria 6. id facientibus; cum nullo ex proxime prægreſſis aut ſecutis annis, Galilæi Judæos in celebran-

do Paschata præcesserint, sed secuti sint. Patres quidem antiqui (quos secutus Henschenius, eam mortem retulerunt ad *Consulatum duorum geminorum*, id est annum vulgaris æræ 29. (unde sequeretur quadriennio, ante ejusdem Æræ initium, natum fuisse Christum, & ita propius accesserunt ad diem 25. Martii, passim notatum in Martyrologiis) sed cum ea chronotaxis nitatur inusitata quadam Epocha annorum Tiberii Cæsaris, quos omnes numerant ab obitu Augusti, illa autem inchoaret a communicato Provinciarum regimine, quasi tunc cœperit nominari Imperium ejus; Patres autem videantur annum baptismi cum anno mortis confudisse, huic adscribendo istius anni Consules, merito videmur ab illis hic recedere, quia sic salvatur usitatus noster modus numerandi annos Christi. Quod autem ad Josephum Historicum attinet, secundum quem prius obiisset Herodes quam Christus natus vulgo dicatur; ostenditur ille in Chronologia totaque Herodis tragœdia contrarius sibi ipsi, si non suppositicius totus. Dies 25. Martii concurrens cum feria 6. Parasceves, qua Crucifixus sit Christus, in nulla omnino sententia salvari potest, quocumque anno is mortuus sit.

xi. An possit aliqua commoda ratione verificari, quod Christus aut Joannes Evangelista, a nonnullis Sanctis ac nominatim B. Gerardesca Pisana, dicantur visi in cœlo aut in terra Missam facere, & Deipara communicare. Ita quidem magis ad litteram intelligi possunt verba quædam Christi, qui manet Sacerdos in æternum, de reali, licet magis mystico sacrificio, solam rationem memorialis, non etiam sacramenti habituro: nihil tamen horum asserit, Papebrochius. Rejiciens autem novellas quasdam de Cruce Caravacana, sub Missam cælitus allata, relationes, a Hieronymo Roman da la Higuera pro vetustis suppositas, non infirmat sacramentorum veritatem, sed abominatur falsitatem auctoris, circa quem sibi habet assentientem Cardinalem d'Aguirre, prolixa detestatione Hieronymi illius imposturas.

xii. An satis Catholica sit propositio, unde P. Sebastianus Exhibitionem orditur: *Fide divina certum est, ut patet ex ipso Evangelio, Christum virginis in stabulo natum esse*. Nam Evangelium nusquam meminit *Stabuli*; & cum ea voce utitur, intelligit *Diversorium*. Patres autem de loco nativitatis diverse loquuntur; omnium vero optime & maxime conformiter ad traditionem usque hodie durantem, qui natum esse dicunt in ea spelunca, supra quam Helena, remoto Adonidis simulacro, basilicam extruxit. Ast in *Præsepio* locatus & inventus narratur infans, ideoque communiter dicitur *natus in stabulo*, latius scilicet sumpto nomine, pro loco quocumque stabulandis jumentis apto. Sit ita sane, minus propria tamen ea locutio est. Fortassis autem amplius aliquid indicant Angeli, cum infantem dicunt reperiendum in *Præsepio*. Nec enim videtur vagum aliquod & rusticanæ cuicumque domui applicabile indicium Pastoribus dari; sed designari certus locus ipsisque notissimus, proprio nomine *Præsepe* dictus. Tali intellectui favet etiam ratio reclinati in præsepio infantis ab Evangelio reddita; non quia deerat in diversorio vas aliquod idoneum reponendo infanti, aut nullum illuc inferri commode poterat in casu tam urgentis necessitatis; sed quia *non erat eis locus in diversorio*, satis secretus, & a strepitu atque a turba vacuus, ubi vel partum virgo ederet, vel jam editum (nam & hoc indefinitum relinquit Evangelistæ brevitas) pannisque involutum, reclinaret ad quietem. Hoc autem posito, credibile fieret, Speluncam illam nomen Præsepii accepisse a forma loculi, ibidem in petra excavati, qualem etiam nunc quoque istic videri narrant devotes inde peregrini. Fieri tamen etiam potest, ut S. Helena, ad distinctiorem memoriam ejus quod ibidem acciderat, in altari ipsius speluncæ collocari jusserit ligneum atque portabile præsepe, quale sæpe videmus in diversoriis, quod Romam deinde translatum sit. Interim nihil horum, præter id quod Evangelium affirmat, recte & Catholice dicetur *Fide divina certum*. Accusator vero, ausus impingere hæreses innocenti, arguitur, primo quem figit passu, lapsus in foveam quam alteri parabat: pluries sic deprehendendus fortassis, si liberet ejus verba singula revocare ad libellam Theologici examinis, præjudiciis Carmeliticis fideliorem.

ARTICULUS II.

Circa summos Pontifices.

QUÆSTIO I. Quandoquidem nunc constet, S. Petrum Romæ crucifixum fuisse anno 65. juxta vulgarem calculum; & cum 25. annis, Romanæ Cathedræ attribui solitis, consistere nequeant ejusdem antea acta in Syria; quæritur, an tempus illud, non melius restringatur ad 15. vel etiam 13. annos cum Firmiano Lactantio. Interim ostenditur ad Petri injuriam non facere, quod negetur ante ætatem Constantini habuisse ecclesias suo nomini dicatas, aut quod dicatur Paulo ut Coepiscopo & Vicario usus, etiam juxta Matthiam Corona Carmelitam. Ubi obiter de Ordinationibus mense Decembri faciendis, & Episcopalibus in Dominica.

ii. Quam nullius fidei sint Acta vulgata S. Silvestri, tamquam ex libris Eusebii, nihil tale habentibus, accepta ab auctore, multa quæ is non scripsit indicante, & veros ejus libros ignorante.

iii. Utrum ex talium Actorum recentiorumque medii ævi auctorum fide, satis credibilis reddatur baptismus, Magno Constantino Romæ collatus per S. Silvestrum; contra Eusebium, describentem quomodo is celebratus sit apud Antiochiam sub extremo vitæ illius, cui antiquiores Græci Latinique consentiunt. Hos autem frustra nituntur conciliare cum prioribus aliqui, asserendo ab Arianis rebaptizatum sanctum Imperatorem. Ubi de Vita Constantini per Eusebium diu occulta, deque facilitate quorumdam veterum ad fabulosa scripta comminiscenda, etiam primis seculis.

iv. Diploma Donationis Constantinianæ, quam nullius apud omnes eruditos sit fidei; licet eorum nemo dubitet, quin primus ille Christianus Imperator erga Ecclesiam, præsertim Romanam, liberalissimus fuerit. Illam Baronius figmentum esse dicit Joannis Diaconi seculo 12.

v. Quomodo jus eligendi Regis Romanorum, futurique Imperatoris, a Pontifice Romano fluxerit in Principes Germaniæ, ipsismet id agnoscentibus; licet nesciatur præcise, in quo, & utrum id factum sit per Bullam, quæ nulla nunc extat.

extat. Quomodo hic citatus Natalis Alexander, ejusque nunc prohibiti libri quidam.

vi. An Nicolao Papæ V. Acta Sinuessanæ Synodi, pro suæ ætatis simplicitate alleganti, injuriam faciat, qui eadem, cum S. Augustino multisque nunc eruditis, etiam post Baronii titubationem, rejiciens, negaret S. Marcellinum Papam thurificasse idolis; & Pontificem, cujus prima Sedes dicitur a nemine judicari, in aliquo tamen casu, puta deviationis a fide (qualis iste Marcellini fuisset) subjiceret Ecclesiæ judicio, ex Canonico jure.

vii. An Amadeus Sabaudus, dictus in schismate Felix V., salva conscientia potuerit admittere Pontificatum, sibi a concilio Basiliensi impositum, vivente Eugenio IV., ipsumque ut Antipapam execrante, sed benignius postea locuto: quem Amadeum etiam Nicolaus V. impense laudavit; & pro quo editam Apologiam, sub titulo *Amadei Pacifici*, citat Bzovius, probatamque attexit suis Annalibus Ecclesiasticis, Romæ excusis.

viii. An sigillum Græcum, cum nomine CEPΓIOT, non potius adscribi debeat Patriarchæ Constantinopolitano Sergio hæretico, quam Romano ejusdem nominis Pontifici, cujus Latinum diversissimumque Sigillum, & aliis ejus ætatis conforme, habetur.

ix. Epistola Formosi Papæ ad Episcopos Angliæ, cur supposititia, vel saltem interpolata censeri debeat.

x. An Pontifici injuriam faciat Historicus, existimans se non obligari ad habendum pro vero aut falso, in puri facti quæstione, quidquid Romæ quomodocumque probatur aut improbatur; puta circa Cyriacum Papam Ursulanum, Anastasin Canonici Parisiensis, &c. Item qui sic relata ex aliena fide, negat inde plus acquirere certitudinis, quam habebant ex auctoritate primorum relatorum, v. g. S. Cletum fuisse fundatorem Cruciferorum, S. Silvestrum quasdam Indulgentias instituisse, in Basilicis a se consecratis, uti referunt Gregorius XIV. & Bonifacius VIII.: nam in talibus decipi posse & quandoque deceptos Pontifices, constat ipsorummet assertionibus; & infallibilitas ipsorum solum spectat quæstiones fidei ac morum; ad quas reducitur Sanctorum Canonizatio & approbatio Ordinum Religiosorum.

xi. An Clemens X. prudenter non egerit, Indulgentias sibi oblatas confirmando, citra operosam discussionem; itaque supplendo defectum, qui subesse poterat earum prætensæ antiquitati.

xii. Utrum Pontificiæ auctoritati detrahat, asserens, quod Alexander VII. non fuerit allegaturus epistolam de Canonizatione S. Suiberti, neque Nicolaus V. Acta Sinuessana; si ea tunc, ut nunc, examinata fuissent, & demonstrata supposititia.

xiii. An turpe sit scriptori allegasse aliquando Prophetias de Pontificibus, S. Malachiæ adscriptas, quas postea deprehenderit & demonstret esse fictitias.

xiv. An qui asserit posse Pontifices falli in quæstionibus puri facti, & quandoque falsos, imponat Apostolicæ Sedi, protestando quod eam agnoscat Magistram veritatis, ejus judicio stare paratus. Multum autem differunt, nullius fidei esse, & aliquando errare circa rem, quam quis inculpabiliter ignorat; nec censura injuriosa est dicere, id quod jure negari a te credit, falsum esse, fabulam, imposturam; salva ejus reverentia, qui bona fide rem refert, ut accepit ab alio.

xv. An vetus consuetudo ordinandi Episcopos in Dominica, olim tam rigide observata, ut Leo V. negaverit ei *sui status firmitatem constare, qui tali die non fuerit ordinatus*, sit traditionis Apostolicæ, eaque recte sumatur pro Regula Pontificiæ Chronologiæ. Legem eam probat etiam Card. Norisius Histor. Pelagianæ lib. 2. cap. 24.

xvi. An dicere quod Romanus Pontifex, in ferendo de præteritis testimonio, non prætendat auctoritatem humana majorem, sed tantum proportionatam scientiæ de iis habitæ, sit injuriosum.

xvii. An referre, quid de magnis Canonizationum sumptibus senserit Adrianus VI. privato tamen judicio suo, relato per ejus secretarium Ortizium, sit eosdem sumptus improbare.

xviii. Utrum Innocentius III. & Honorius III. reprobantes libellum sub nomine S. Joachimi Abbatis damnatum in Lateranensi (in quo calumniam passum fidenter asserit Theophilus Raynaudus) præjudicarint aliis ejus certis nec uspiam damnatis operibus, ac nominatim Psalterio catholicissime scripto; & quantum ejus causa discrepet a causa Jansenii Iprensis, quem nemo dubitat auctorem fuisse prætensi Augustini.

Ad hunc de Pontificibus Articulum, apte refertur *captiosa Collatio*, inter elogia ab ipsis Ordini Carmelitano data, & scommata, quibus eumdem dehonestasse fingitur Papebrochius, invidiosissimis parallelis 10. exposita & publicata, verisque Papebrochii sensis comparata, sub titulo Appendicis, ubi imprimis explicatur, quo sensu Sixtus IV. vere potuerit scribere, Carmelitas *Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisæi & Enoch, nec non aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successione hereditatem*, vel, *successionem hæreditariam tenere*.

ARTICULUS III.

De summorum Pontificum Bullis ac Litteris.

QUÆSTIO I. Utrum hæresim sapiat, quasdam ante Siricium Papam Decretales, diu habitas pro veris, judicare confictas seculo 9. cum Baronio aliisque eruditis; idque sit sentire cum Wicleffo, omnes universim Decretales contemnente. Quid in iis examinandis præstiterit David Blondellus Calvinista; cur fraudem diu agnoverit nemo.

ii. Quid probabilitatis historiis conferat, quod in Pontificum Bullis, vel Lectionibus in ecclesia recitandis, referantur: & an eadem propterea sit omnium certitudo; v. g. quod S. Franc. Xaverius fuerit Jesuita, & S. Cletus Fundator Cruciferorum.

iii. An ex prædictis aliisque similibus, vel ex suppressione Jesuitissarum per ipsosmet procurata, debeant sibi timere Jesuitæ, ne confirmatio Societatis ipsorum, aliaque pro illis Apostolica Privilegia, in dubium revocentur.

iv. An Bulla Sixti IV. mentionem faciens ecclesiæ Avenionensis, velut a S. Martha fundatæ, certam faciat ejusmodi traditionem, potius quam aliam de fundatore Pontis Avenionensis

nensis S. Benedictulo, tanto viciniorem nobis, similiaque testimonia habentem.

v. An Eugenio IV. sub annum 1438. asserenti, quod S. R. E. Cardinales præcedere debeant Episcopos, repugnet dicere, quod Romani Pontificia suffraganei septem, ante an. 1118. necdum Cardinales, gradu tamen & auctoritate potiores censebantur; cum id de omnibus universim Episcopis pro eo tempore doceant eruditi, & ex Conciliorum Actis probetur.

vi. An recte dicatur Æneas Silvius, factus Papa Pius II. reprobasse suos omnes Dialogos, de argumento quocumque, etiam scriptos a jam Episcopo ac sene; quia reprobavit quosdam suos juveniles Dialogos, auctoritati Papæ supremæ contrarios?

vii. An Canonicis Aroasiensibus in Belgio, jam inde ab anno 1162. colentibus Translationem S. Monicæ ab Ostia ad eorum monasterium, unde primum cœptus est & propagatus illius ut Sanctæ cultus; nefas sit dubitare, utrum illius verum sit corpus, quod ab Ostiensi uno fene indicatum fuit, & inventum sine alia probatione; ideo quia id credidit Gregorius XIII. de Aroasiensium antiquiori possessione nihil sciens aut cogitans.

viii. An credibile sit, corpora quædam, superiori seculo inventa Brixiæ, & ut SS. Martyrum transferri ac coli permissa, inventa fuisse cum nominibus & cognominibus recentioris usus, qualia iis ponit Guerini Cereti Chronica, ipsorummet Brixiensium confessione fabulosissima. Ubi de origine ejusmodi nominum & cognominum, antiquioribus ignotorum, & irrito conatu Abbatis Stellæ, pro eorumdem vetustate manutenenda, ab eruditioribus Italis improbato.

ix. An ante seculum xi. monstrari possit nomini Pontificio additus in brevibus nominis numerus, puta *Alexander* III. VII. VIII. Ubi & de titulo, *Servus servorum Dei*.

x. Utrum credi possit genuina Sixti IV. Bulla esse, in qua nominantur Pontifices *Honorius IX*, ac *X*., & *Lucius IV*., qui nulli fuerunt: & quomodo eam Bullam contigerit in Annalibus Leganæ, obiter tantum & alia de causa pervolutis, non inveniri.

xi. An Pontificem arguat imprudentiæ, qui dicit, quod confirmando Indulgentias, & defectus supplendo, non intendat affirmare vere datas olim fuisse; sed solum certos reddere fideles, quod ponendo actionem præscriptam, eas vere lucrari deinceps possint. Ubi ex occasione ostenditur, quam benevole Patres Carmelitæ tractent quoscumque sibi contradicentes.

xii. Utrum approbatio Officiorum ecclesiasticorum, obligans ad eorum usum, etiam imponat obligationem credendi facta iis narrata: & quo sensu dicatur *Conjunctorum idem esse judicium*; quomodo etiam patiatur Ecclesia examinari & disputari talium factorum veritatem.

xiii. An merito fides negetur *Joanni Phocæ*, in descriptione Terræ sanctæ, qualem vidit exeunte 12. seculo, circa initia Ordinis Carmelitici, ex revelatione Eliæ Prophetæ facta cuidam seni Monacho Sacerdoti, ex Calabria aut saltem trans-mare illuc advecto; idque quia Græcus est auctor, impressus apud typographum Acatholicum Amstelodami, sub nomine Catholici Coloniensis: cujus rei melior ratio redditur, quam cur Carmelita, historiæ Gaditanæ fabulosissimæ auctor, hanc fecerit ibidem a Judæis excudi, quibus ea historia mire favet. Ostenditur etiam in pronomine *Quidam*, quo utitur Joannes, Germanicum Monachi illius nomen memoria non recolens, nullum latere contemptum.

xiv. An Auctor iste, nihil alibi deprehensus scribere non pium & consentaneum veritati, comparari possit cum quodam *Joannis Boulese* Parisiensis scripto, de Societatis Jesu origine a fugitivis Standonkanis Collegii Montis-acuti, ducenda, per evidentissimam & in singulis verbis patentem imposturam.

xv. An Bulla Sabbatina, Scriptoribus Carmelitis ad annum usque 1400. ignota, & *Joanni XXII.* stylo ac forma reclamantibus adscripta, vera credi debeat, propter confirmationem nescio cujus ex quinque *Alexandris*, quorum nulli talis confirmatio convenit, quidquid ad excusandum obtendat Theophilus in Scapulari Stockiano: si tamen opus illius est, de quo, fidei Carmelitarum commisso, ipse in Syntagmate de libris suis queritur, quod in id *irruit Leo* (sunt qui suspicentur *Fr. Leonem Redonensem*, libris editis & edendis tunc notum) *a quo misere deformatum, ne dicam, discerptum dilaceratumque est*, recisis additisque & mutatis ipso inconsulto multis. Et ille quidam paulo pacatior promiserat amico suo, tunc ordinis Generali, vel ipsum primæ suæ formæ reddere, vel novum de eodem argumento tractatum cudere; sed cum id præstare non potuisset cæcitate & morte præventus, maluit Societas nostra libellum illum, nulla littera variata, recudere inter ejus opera, deinde simul edita, tomo 7. quam eo ut spurio prætermisso, talis omissionis invidiam in se trahere: mens tamen defuncti innotuit per Apopompæum, Societate ignorante, & cum rescivit dolente, editum, unde descriptum locum mihi submisit P. Claudius Menestrier, vir etiam ipse tota Gallia concionando scribendoque notissimus, & adhuc vivens.

ARTICULUS IV.

Circa summorum Pontificum Decreta.

QUÆSTIO I. Quomodo, & ad quid obliget Instructio Clementis VIII. ad Regulas Indicis librorum prohibitorum. Quid sit Propositio hæresim sapiens; qualis si esset omnis ea quæ fidelium communiori & vulgatæ opinioni aut sententiæ contradicit; deberet ea nota inuri etiam ipsis, quas censurari Sedes Apostolica vetat.

ii. An contra eamdem Instructionem peccent epitheta eruditionis, diligentiæ aut fidelitatis, extra materiam fidei data scriptoribus hæreticis, eadem promeritis.

iii. An injuriam Religiosis Ordinibus aut aliis Communitatibus vel Ecclesiæ faciat, qui cum Mabilione agnoscit, in antiquis diplomatis; vel cum Baronio, in Actis Sanctorum, multa esse sublestæ fidei, aut etiam plane fictitia; quique genuina nititur a suppositiis secernere, sincera ab interpolatis, vera & probabilia a falsis & improbabilibus.

iv. An famæ alienæ detrahat, qui in casu justæ defensionis narrat defectus aliorum, publica fama aut sententia notos, eoque peccet in dictam Instructionem.

v. Utrum

v. Utrum annus impressionis, quem eadem Instructio jubet initio & fine librorum poni, non possit aliquando ex justa causa poni alio ac magis conspicuo loco & modo, saltem in aliquibus exemplaribus; uti factum in Propylæo Maji, post tres priores illius tomos imprimi cœpto, & completo post omnes septem excusos.

xi. An in Actis Sanctorum Papebrochianis afferta sint multa, nequaquam toleranda, & Alexandri VII. decreto contraria.

vii. An capitale sit, habenti veniam legendi libros prohibitos, suam veram sententiam ex illis confirmare, cum aliqua auctoris laude & prohibitionis reverentia.

viii. An errores historicos scriptorum alias probatorum notare inscitiæ, hallucinationis &c. sit contra Decretum Innocentii XI. prohibentis ne Theologi mutuas sententias afficiant aliqua censura scholastica.

ARTICULUS V.

Circa sacra Concilia.

UBi imprimis monetur Lector, facta cum dogmatibus non confundere, alias optimos quosque Auctores vocaturus in suspicionem hæresis, cum Bordono, hanc notam impingente cuicumque, sustinenti propositionem negativе oppositam factis relatis ab aliquo Concilio vel Breviario.

Quæstio i. ii. iii. An hæresim sapiat rejicere Concilium Sinuessanum, quo asseritur thurificatio Marcellini; eique acclamatum dicitur, *primam Sedem a nemine judicari.*

iv. An quia Natalis Alexandri selecta Historiæ capita prohibita sunt, peccent qui cum illo tenet, Acta S. Sivestri esse apocrypha.

v. An Romanæ ac Viennensi Synodis repugnet dicere, quod de institutione Electorum Imperialium in Germania non extet Bulla Pontificia.

vi. An Romano sub Zacharia Concilio repugnet, cum Baronio fateri, quod appendicula Subscriptionum, Canonibus addita, sit valde mendosa in nominibus exprimendis.

vii. An Concilio Nicæno falsum adscribat Canonem, qui eum lumit ex interpretatione Rufini.

viii. An Concilio Romano, aliisque allegantibus libros de Hierarchia, contradicat is, qui negat hos esse Dionysii Areopagitæ, cum Petavio, Morino, Launoyo, idque propter evidentia minoris ætatis argumenta.

ix. An Concilium Florentinum, afferendo quod Romanus Pontifex sit successor S. Petri, neget, quod sit etiam S. Pauli, quod eum esse docet Bellarminus.

x. An Nicænum II. pro cultu imaginum allegans Acta S. Procopii intenderit, non solum ex iis probare talis cultus antiquum usum in Ecclesia; sed etiam ipsa confirmare ut certam historiam.

xi. An contra Tridentinum peccet, qui requisitum ab eo annum impressionis non ponit præcise in fronte libri; & qui Approbationem operis, in plura volumina divisi non præponit libris singulis, sed soli primo; & qui locum Pauli de *Melotis & pellibus caprinis*, non intelligit ad mentem Carmelitarum de Monachis primi seculi.

Opuscul. Collect.

ARTICULUS VI.

Circa sacras Scripturas.

QUæstio i. An iis repugnet dicere, cum S. Antonino, primorum Carmelitarum capam Barratam fuisse ex textura lanæ caprinæ, & utrum hoc sit affingere Eliæ vestitum mollem & delicatum, qualem Chytræus affinxit Baptistæ ex Camelotto.

ii. An quia ex Scripturis constat, aliquos in Carmelum ivisse ad Eliam & Elisæum causa devotionis, teneri debeat, montem eumdem a primis Christianis atque deinceps semper solitum similiter visitari, licet in nullo Hodœporicorum sacrorum scriptore, usque ad seculum ix. reperiatur nominatus inter loca sancta. Ubi de Epistola Balbini ad Antoninum, pro seculo a. allegata ab unico auctore seculi 14. neque hactenus inventa.

iii. An qui negat titulum Doctoris, positum pro titulo promotionis Academicæ, usitatum fuisse primis seculis, uti usurpat fabulosus Auctor Martyrii Brixiensis, repugnet Paulo, *Doctores* in Ecclesia agnoscenti.

iv. An scripturis, nomina & cognomina habentibus, adversetur qui negat, primis seculis in usu fuisse ea, quæ nunc vigent apud Italos, nobilium familiarum cognomina: ubi ex occasione agitur de uxoribus Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ex horum titulo olim nuncupatis.

ARTICULUS VII.

Circa Primatum & unitatem Capitis Ecclesiæ.

UBi prævie ostenditur, ex principiis, quibus abutuntur subinde hæretici, licite deduci consequentias Catholicas.

Quæstio i. An contra communem Ecclesiæ sensum dicatur Paulus quoque fuisse Episcopus Romanus, sicut dixerunt SS. Irenæus, Epiphanius, Gregorius, Bernardus, Goffredus Abbas, Bellarminus, Raynaudus &c. Et an id negent Doctores ac Theologi, qui solum Petrum dicunt fuisse Caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi.

ii. An Romani Pontifices, cum se dicunt aliquid facere ex *auctoritate SS. Apostolorum Petri & Pauli*, agnoscant se in ea, quatenus Episcopalis est, utrique, licet non eodem modo, successisse; sicut docet in peculiari & Romæ probatissimo opusculo Petrus de Marca Archiep. Parisien. Et an talis doctrina sternat viam schismati, per limitationem hactenus inauditam.

iii. An hæreticum sit dicere, Primatum Ecclesiæ, cum prærogativa supremi Capitis, annexum Apostolatui, id est, Apostolicæ auctoritati Petri, ab hoc in successores Pontifices Romanos fluere, idque ex jure divino; potius quam in Romanam Cathedram, quatenus ea accipitur simpliciter pro Episcopatu Romano. Interim ostenditur Primatum istum non annecti Apostolatui Petri ut Apostolatus est, quæ ratio fuit omnibus Apostolis communis, sed ut auctoritas Apostolica, cum jure eam in successores transferendi, quæ Petro soli data est a Christo.

IV. An ex Canone Nicæno, prohibente plures fieri unius civitatis Episcopos, & ex Episcopis Ephesinis, quos plures simul alloquitur Paulus, atque ex tribus pro Urbe Roma ordinatis a S. Petro, non possit saltem verosimiliter inferri, ante Nicænum aliquando sic plures unius loci fuisse Sacerdotes, non solum secundi ordinis, id est Presbyteros; sed etiam primi, id est Episcopos.

V. An qui admittit communem Petro & Paulo Episcopalem auctoritatem, sed subordinatam, conveniat cum hæresi Marci Antonii de Dominis, negantis suprematum Petri supra ceteros Apostolos, vel bicipitem Ecclesiam faciat cum eo, quem Petrus a Marca non sequitur, sed refutat.

ARTICULUS VIII.

Circa Eminentiss. S. R. E. Cardinales.

QUÆSTIO I. Quid utilitatis capi possit ex historiis Interpontificiorum atque Conclavium, & cur eas vulgari nunc minus probetur, Narrare autem quid passa in iis aliquando sit Ecclesia per vim potestatis secularis, partem in Electione aliquando habentis, vel sibi arrogantis (puta in promotione Benedicti IX, adhuc pueri & undequaque indignissimi) non detrahit aliquid Cardinalibus paucis illis, qui tunc fuere, & sic electum toleravere, gravius ex schismate malum prospicientes.

II. An in tractanda Romanorum Pontificum Chronologia, & cum præfatione reverentiæ Cardinali Baronio semper habendæ, recedere ab eo & refutare errores, in quos per rerum obscuritatem est lapsus, sit eumdem irridere ac ludibrio exponere; & non potius illius bene cœpta promovere ac perficere.

III. An honori Card. Bellarmini, contra hæreticos pro Indulgentiis disputantis, detrahat, qui dicit, eum leviter erravisse in assignando initio earumdem, in favorem piorum locorum largiendarum, de quo non erat ei cum hæreticis quæstio; sed de potestate Ecclesiæ ad remittendas peccatorum pœnas, quam illi negant.

IV. An dignitati Cardinalium deroget, quod, cum nondum in suo ordine Episcopos haberent, dicantur inferiores fuisse gradu & auctoritate Episcopis 7. suffraganeis Pontificis, Electioni solitis præsidere, & ante Cardinales subscribere in Conciliis, prout Bellarminus & alii Doctores agnoscunt.

ARTICULUS IX.

Circa sacras Congregationes Cardinalium.

UBi notandum Romæ numerari viginti quinque ejusmodi Congregationes; hic vero unam fere solam, quæ est de Ritibus, attingi ab Adversario, post titulum tam universalem.

QUÆSTIO I. An S. Congregationi Rituum non imposuerint, petentes communicari sibi usum quarumdam Lectionum de S. Alberto Patriarcha Hierosol. impressarum Mediolani an. 1666. tamquam concessarum a Pio V. ante annos 80. eo titulo, quod hic, antequam Congregatio ista institueretur, generaliter permiserit Canonicis Regularibus facere Officium de sanctis sui Ordinis, eisque proprias Lectiones componere; quando ipsimet necdum sciebant Albertum istum sui Ordinis fuisse. Quid quod supplicantes illi, obtenta licentia utendi, pro illis, quas fabulosas esse sciebant, alias suo arbitratu composuerint?

II. An Curia Romana nolit examinari ab historicis veritatem Lectionum, nus in Breviario existentium, aut aliarum aliter legi permissarum a S. Congregatione Rituum. Hactenus certe non prohibuit de Actis sanctorum Dionysii, Magdalenæ &c. disputare.

III. Quid olim Gavantus, unus ex Breviarii Clementino-Urbaniani recognitoribus, quid Card. Ursinus, nuper invento (ut putat) Beneventi corpore S. Bartholomæi Apostoli, quod Romam transtulisse credebatur Otho Imp. fateantur de reformabilitate Lectionum Breviarii, & quatenus illæ probatæ censeri debeant.

IV. An Lectiones de sanctis Carmelitanis adeo rigorose fuerint a S. Congregatione examinatæ, & quidem in judicio contradictorio, atque illi prætendunt; ac nominatim Lectiones de S. Alberto Patr. deque solenni Commemoratione B. Mariæ de monte Carmelo.

V. Quomodo S. Congregatio prohibuerit usum Missarum, ut vulgo dicunt, Gregorianarum; eæque adhuc ab aliquibus suscipiantur curandæ.

VI. An dubium, motum circa prætensas ex Leonis IV. supposititia Bulla Indulgentias, & quasdam Brixiensium Martyrum, ac S. Monicæ Reliquias, deroget auctoritati S. Congregationis, utrisque intendentis.

ARTICULUS X.

Circa cultum Sanctorum.

QUÆSTIO I. An dubius de veritate Historiæ cujusdam Euthymiacæ, a S. Joanne Damasceno allegatæ, dubiam faciat communem fidelium opinionem de corporea Assumptione Deiparæ, quando ne illi quidem censentur dubitare, qui agnoscunt, talem Assumptionem fuisse ab Antiquioribus, puta SS. Hieronymo, Hildephonso, &c. non firmiter assertam. Ubi obiter de die & anno quo obiit Deipara; deque institutione festi quod 15. Augusti agitur.

II. An cultui Deiparæ detrahat, qui piæ fidelium credulitati adscribit venerationem quarumdam ejus imaginum, velut a S. Luca pictarum. Quis enim dixerit hoc esse de fide?

III. An scapulare Carmelitanum impugnet, qui dicit Launoyum dubitare de visione, qua ipsum Deipara tradiderit B. Simoni Stoek; magisquam qui diceret, Confessionem auricularem negari a Wicleffo; licet se paratum ostendat illam contra Launoyum tueri. Ubi addi posset, videri Carmelitas, propter ipsam visionem Scapulare illud, quo antea non utebantur, assumpsisse, paulo prius quam ex præcepto Honorii IV. pallia alba pro barratis assumerent.

IV. An cum hæreticis faciat, eorumque errores sequatur, quisquis fatetur primis tribus seculis publicas nullas ædes Sanctis dicatas extitisse.

V. An cultum S. Josephi deterat, qui ratus aliquando, ipsum in Europam traductum a Carmelitis, post rem melius discussam fatetur, hos in eo non primos, sed posteriores Dominicanis & Franciscanis fuisse; Cultum vero illum multo

prius

prius in Orientali, quam Occidentali Ecclesia viguisse docet.

vi. Quidnam merito dubitari debeat circa quorumdam Brixiensium corpora, Martyrum esse nunc credita.

vii. An merito dubitetur de S. Veronicæ matronæ existentia; martyrio S. Secundi Abulensis Episcopi, nuper primum asserti ex figmentis Dextrinis; sanctitate Millebadi Sagiensis Episcopi, hactenus ignota; & S. Evellii, ex solis fabulosis Actis S. Torpetis noti; de Dominicæ Crucis indicio, Helenæ per Judæum quemdam dato, aliisque similibus. Ubi iterum prolixe exponitur sententia Card. Aguirre, pluriumque eruditiorum ac prudentiorum Hispanorum de Pseudo-chronicis, in Hispania confictis, & legitimo sanctorum cultui totique Historiæ Hispanicæ damnosissimis.

viii. An credibile non sit, sanctos Spiridionem Cyprium, & Serapionem Antiochenum, quos scimus nec Monachos quidem fuisse; & sanctas Euphraxiam atque Euphrosynam, sanctimoniales in Ægypto; ideo cœptos a Carmelitis coli, quia eorum Reliquias in Syria seu Cypro acquisierint; sicut Canonici Regulares aliquamdiu coluerunt plures, quorum antiquas ecclesias possidebant, S. Congregatione Rituum id permittente.

ARTICULUS XI.

Circa Sanctorum Acta, subinde incerta.

Quæstio i. An de Eliæ Prophetæ Actis credi debeat plus, quam quod refertur in Scripturis; ejusque Genealogia & nativitatis miracula, a Pseudo-Epiphanio relata, contraria autem relatis a vero, ideo debeant incunctanter recipi, quia permittuntur a Carmelitis recitari. Ubi obiter de voto Castitatis, quo ipse se obstrinxisse non potuit, qui, juxta Rabbi Haccados, fratrem habebat conjugatum sine prole.

ii. Quam diversa a vulgato de S. Veronica matrona sensu, in Gallias scripserit Urbanus IV. mittens eo ectypon Romani sudarii, quo tunc credebatur Christus in horto usus ad sudorem tergendum, *Veronica* dicto.

iii. Cur ex novo Parisiensis Ecclesiæ Breviario expuncta sint, quæ de SS. Lazari, Marthæ & Magdalenæ in Galliam transitu legebantur, & adhuc leguntur in Romano.

iv. Quomodo & quanto jure de Parisiensi Apostolatu S. Dionysii Areopagitæ dubitent eruditiores Franci, antiquioribus duos Dionysios, imo & tres, Atheniensem, Corinthium atque Parisiensem distinguentibus, tam die cultus, quam genere mortis: ubi producitur Hadriani Valesii hac de quæstione erudita epistola. Accedit ipsiusmet Ecclesiæ Parisiensis judicium non solum in suo anni 1680. reformato Breviario expungens, ad diem 6. Octobris, quidquid Areopagitam Parisios adducebat; sed etiam anno 1697. ipsi peculiare Officium ac Missam ordinans, cum expressa mentione Capitis, *quod paulo* ante annum 1206. *a Balduino, primo Constantinopoli e Latinis Imperatore, Gallis datum, ad Longipontanum Cisterciensis Ordinis monasterium in diœcesi Suessionensi deportatum fuerat*; corpore jam olim Ratisbonam ex Græcia in Germania translato. Exemplum autem Parisiensis Ecclesiæ, in simili suorum Breviariorum reformatione, secutæ sunt aliæ per Gallias Ecclesiæ plures; dum interim Sandionysianum monasterium, Parisiensis Episcopi & corpus & caput habet: corpus item Dionysii Corinthii, ab Innocentio III. illuc missum, ac si illud esset Areopagitæ, cum ea ætate nemo istum tertium ab Areopagita & Parisiensi sciret distinguere.

v. An Dionysius Parisiensis alia ex causa pingatur cum capite in manibus, quam ex qua sic pinguntur & sculpuntur in Gallia, passim omnes capite truncati Martyres; licet id vulgus intelligat de reali capitis gestatione post mortem; cujus tamen gestationis nulla sit mentio in vetustiori Legenda istius Sancti: quare etiam illa expuncta ex novo Breviario Pariensi fuit.

vi. An sit verosimile, Basilidem, cujus Tacitus & Suetonius in Vespasiano conditiones exprimunt, tamquam Aruspicis, Magi, & Sacerdotis Serapidis, fuisse Christianum, veri Dei Sacerdotem, Ordinisque Generalem in Carmelo: & cur in talibus major fides detur antiquis, licet ethnicis, quam recentis ævi scriptoribus Christianis, de re antiqua sine veteri teste non audiendis.

vii. An nefas sit dicere, S. Silvestri Acta esse fabulosa.

viii. Quomodo Vitam S. Telesphori Papæ, a Zegero Pauli Carmelita recens compositam, permiserit Bollandus, adhuc tiro in opere, imprimi ad 5. Januarii: & quomodo idem Bollandus Ordinis prætensam antiquitatem, ab auctore isto operose assertam, perquam dubiam sibi esse declaraverit, in tomo 2. licet Henschenius maluisset eam quæstionem non tangi.

ix. An S. Georgii pugna cum Dracone, melius de vero, quam metaphorico, id est diabolo seu idololatria, intelligatur; quomodo intellexit Constantinus Imp. suis in statuis draconem habens pedibus substratum.

x. An non honorificum magis Sedi Romanæ sit, Marcellini Papæ lapsum a Donatistis confictum credere cum S. Augustino; quam eumdem sustinere, ex fictitiis Siouessani Concilii Actis.

xi. Quam fabulose confinxerit Guerrinus Ceretus, Notarius Brixiensis, suam Martyrum Brixiensium Chronicam; & utrum ex ejus fide credibile fiat, Christianos Brixienses, seculo 2. pro fide sua sumsisse arma contra Gentiles, & prælia cruenta commisisse; eorumque 3260. uno loco & die trucidatos atque combustos; eorumdemque sanguine olim tinctam arenam, corsm aliquo Urbano Papa conversam in schedas, nominibus singulorum inscriptas; solita item mutari Christiania antiquis nomina in baptismo; aliaque similia, legenda ante Tomum 2. Aprilis, cum areuraia singulorum refutatione; ut hic de familiis modernis taceam, quibus omnes & singuli isti prætensi Martyres adscribuntur.

xii. An sicuti multi Sancti in Martyrologio adscribuntur locis, non iis quibus vixere, sed ubi translatis corporibus coluntur; atque imprimis S. Joannes Calybita, Constantinopoli ad finem vitæ commoratus; sic non potuerit dubitari de S. Alexio, quem veteri Romæ sua Legenda, id est diu post composita, adscribit, an ad Novam, id est Constantinopolim ipse non spectet.

spectet. Omnibus tamen denuo consideratis, solvuntur rationes, quæ olim suaserant, rem, veluti dubiam, discutiendam proponere eruditis Romanis.

XIII. Quo fundamento Abulenses in Hispania suum S. Secundum, quem anno 1594. adhuc colebant ut Confessorem, credere cœperint fuisse Martyrem.

XIV. Quam manifestis figmentis, certissimæque Cæsarum historiæ contrariis, scateat Passio S. Catharinæ, sicut Argentorati fuit integre impressa, alibi mutila; nihilque ei prosit *Maximinus* pro *Maxentio* positus in Breviario. Quid de ea Baronius & Molanus conjectent. Quod si conjecturis agendum sit, an non melius cogitaretur, Alexandrina Virgo, Romæ passa sub Maxentio, ab Arabibus Christianis transvecta & sepulta in monte Sinai, ubi inventum seculo 9. corpus, propter miracula frequentari cœpit; & nomen Martyris, toti aliàs antiquitati ignotæ, per Orientem & Occidentem celebrari. Ubi quæritur in Latinum Legendæ auctorem; & Baptistæ Mantuani poema, æque fabulosum delibatur. Eadem fere ratio est S. Barbaræ, cujus passio primum, post translatum Constantinopolim corpus, innotuit seculo 8, & cujus turris videri posset ex fabula Danaes mutuo sumpta, sicut S. Georgii draco ex fabula Andromedæ & Persei.

XV. Quomodo & quanto jure Bollandus refutaverit Acta S. Suiberti, primi Episcopi Ecclesiæ Mimigardifordensis, nunc Monasteriensis: ejusque judicium probet Jo. Mabilio Benedictinus, nihil Benedictinos Werthinanies, auctores & assertores, moratus.

XVI. Quibus argumentis & auctoribus evincatur S. Felix II. non fuisse capite plexus, sed morte naturali in suo prædiolo defunctus, post abdicationem; merito tamen eum coli cum titulo Martyris, æque ac alios plures, multa pro fide passos. Ubi detegitur inconstantias fabulosæ de eo narrationis in libro Pontificali, referente tamen ex coævo vera illius gesta, permixta gestis S. Liberii, in cujus misere lapsi locum receptus ille fuerat, & a posteris quoque inter veros Pontifices semper numeratus est.

XVII. Juliani Apostatæ persecutio, quam fuerit a præcedentibus diversa; non ideo tamen dubitatur, quin vere Martyres fuerint, qui alio prætextu quam religionis, ab illo & sub illo, occidi jussi aut permissi sunt.

XVIII. Quam fabulosa sint Acta S. Barbari Metone ex Peloponneso Venetias allati, relata a Petro de Natalibus.

XIX. Item Acta S. Quiriaci, qui fingitur Crucem Dominicam S. Helenæ indicasse, & Episcopus Hierosolymitanus factus, atque a Juliano Apostata crudeliter excarnificatus, occasione verosimiliter sumpta ex vero martyrio S. Judæ-Quiriaci, ultimi ex Judæis Episcopi, cujus, non illius corpus illatum Anconam in Italia sit.

XX. Quid de Passione S. Flaminæ Virg. Mart. in Gallia, ex Actis S. Julianæ Nicomediensis mutuo sumpta, teneri per verosimiliorem conjecturam possit.

XXI. An S. Athanasius, apud Treviros ab Arianis tutissimus, sub Constantino juniore Imp. Catholico, ibidem in cisterna latuerit; quod ipse Trevirensium Annalium conditor Browerus, aliàs minime severus censor traditionum vulgarium, credidit sibi refutandum omnino esse.

XXII. Quanto jure negetur S. Juvenalis, Fossanensium in Pedemontio Patronus, cujus corpus apud eos est, fuisse Episcopus Narniensis in Umbria; ubi hujus corpus, adhuc recentius inventum & translatum, & certissimis documentis probatum habetur.

XXIII. An Acta SS. Alexandri & Antoninæ, non sint ex eorum genere, quæ multa, ex traditione diu post scripta & licentius exornata, habentur; sicut post Baronium docet Theodoricus Ruinart, genuina veterum Martyrum Acta uno, non magno, volumine complexus.

XXIV. Qualis fuerit Bos æneus, in quo obiit S. Pelagia V. M. quam fingitur Diocletiani filius (qualem nullum is habuit) adamasse, eaque a patre damnata mortem sibi conscivisse. Ubi de duplici Bova æneo Constantinopoli fabricato, scilicet ingenti fornace, præfixum sibi caput taurinum, atque inde nomen habente, quorum unum conflavit Imp. Heraclius in stipendia militum.

XXV. Macarius Episcopus, cujus corpus Burdegalæ, in veteri Martyrologio dictus Episcopus Lugdunensis, & S. Martini discipulus creditus, rectiusne censeatur ad Lugdunum Convenarum, vulgo *Cominges*, Aquitaniæ proximum, quam ad multo remotiorem recentioremque in Francia Laudunensem Episcopatum pertinere, quod ii putant, qui credunt Lugdunum Segusianorum, vulgo *Lyons* pro *Laons*, Lugduno Clavato antiquis dicto, obrepsisse.

XXVI. Rectene censuerit Philippus Ferrarius, multa censura egere Passionem S. Innocentii, Cajetæ compositam, velut Martyris sub Licinio, personis, locis, temporibusque confusis; quem verosimilius sit, ex Africa a Wandalis relegatum istuc appulisse & obiisse, ideoque censeri Martyrem.

XXVII. An non potuerit S. Geruntio, sub Agathone Papa Ficorlensi Episcopo, relinqui titulus Martyris; licet a grassatoribus, prædæ, non fidei causa, occisus sit, cum Romam tenderet; non autem ab hæreticis, qui nulli tunc in Italia erant. Ubi de Legenda ejus, insulse consarcinata.

XXVIII. Quam fabulosa sint prolixissima Acta SS. Martyrum Leontinorum, Alphii, Cyrini, & Philadelphi, ab ipsomet Octavio Cajetano, Acta Sanctorum Sicolorum colligente, meritissime censurata; & utrum ex talium fide recte colantur apud Leontinos plures alii, in iisdem Actis commemorati, atque ad illorum instantiam relati in Romanum Martyrologium, absque alia de iis notitia; neque exhibitis originalibus Actis: quæ si exhibita fuissent, potuissent vel prima lectione movere suspicionem fictionis, & dubitationem de vera eorum existentia, salva fide de existentia ipsorum trium, aliunde probatorum. Ubi & de Topographia Sanctorum, cujus auctor Joannes Episcopus Cabillonensis seculo 15. sed quia nomen ejus scriptum erat per initialem ejus litteram I, visum Maurolyco est notare *Primum*: & quanis illa Topographia scateat mendis. Item de ordinatione Episcopali, per Angelos (ut fertur) collata S. Amphilochio Iconiensi, sed ex apocrypha hujus Vita.

XXIX. An relata de S. Bertholdo, primo credito Carmelitarum Priore, tam male cohæreant, ut

ui merito dubitari possit, utrum in rerum natura vere fuerit eo nomine aliquis, prior Brocardo, cui fuerit data Regula; verusque & unicus Bertholdus, non fuerit tertius a Brocardo; is scilicet, sub quo cœpit Ordo migrare in Europam: ubi indicantur plures alii, simili antiquitatis majoris affectatione, ex una in duas personas distracti. Agitur etiam de aliqua S. Ignatii Vita per Nirembergium, correcto leviter titulo Romæ approbata, de qua ut penitus reprobata, Apologeticorum contra Jesuitas Auctor, incredibilia comminiscitur reprobatus ipsemet.

xxx. Quam merito Henschenius optare potuerit, ut ab antiquioribus confirmata habeantur, quæ de Brocardi successore Cyrillo narrant Paleonydorus & Bostius; tam memorabilia, ut si vere accidissent a coævis taceri non potuerint; adde, & tam contraria illius temporis certiori historiæ. Ubi expenditur falsum adversarii Axioma, *Quod semel placuit, postea displicere non potest*, Ordinis ipsius praxi in tradenda Theologia contrarium, & ostenditur iniquitas silentii indicendi reo, qui injuste damnatus defensionem offert; quam etiam diabolo, si se judicio sisteret, non negandam, jura clamant. Contingit autem facile, ut, novo aliquo certoque monumento prodeunte, mutetur judicium de re quapiam; sicuti post editum librum Lactantii de mortibus persecutorum mutanda judicavi quædam ante statuta, de tempore quo passus S. Georgius, laudabili apud eruditos viros inconstantia, apud quos vituperabilis esset pertinacia in tuendis semel assertis.

xxxi. An ullo pacto sustineri possit, alterutram ex duabus Vitis S. Angeli Carmelitæ, scriptam fuisse ab itineris socio, martyrii teste, canonizationis in Hierosolymitana Synodo procuratore, ac deinde Patriarcha Enocho, qui demonstratur eo seculo nullus fuisse inter Latinos aut Græcos, Catholicos aut schismaticos; & si fuisset aliquis, non potuissat omnia contraria veritati, certiorique rerum, temporum ac personarum notitiæ, scribera. Item an ad Vitæ talis probationem conferat aliquid, quod unius exemplum reperiatur in Bibliotheca Vaticana, quodque inde sumptæ Lectiones fuerint Ordini permissæ, postquam scilicet de veritate martyrii & miraculorum Sancti, Leocatæ in Sicilia mortui, abundantissime constitit aliunde, quam ex Vita illa, de cujus sinceritata necdum dubitabatur, quia necdum contradictorie erat excussa.

xxxii. An expectans requisitam ex originali auctoris coævi manuscripto Vitam B. Simonis Stock, quæ dicebatur Burdegalæ servari, interimque differens agere de Scapulari ipsi per Deiparam commendato, alterutri detrahat quidpiam.

xxxiii. Utrum indubitanter recipi debeat Vita cujusdam prætensæ S. Angelæ Bohemæ, Bohemis ignotæ, ut filiæ æque ignoti ipsorum Regis Raymundi; neque ab hac distingui possit B. Angela Schiattensis in Sicilia, ibidem dumtaxat nec alibi culta: sicut distinguitur S. Maxima Solitaria Forojuliensis in Gallia, ab ea quam scimus ex Africa pulsam a Wandalis, postea factam plurium virginum matrem, verosimiliter in ipsa quo reversa sit Africa.

xxxiv. An ii qui Vitas SS. Alberti Patriarchæ Legislatoris, & Petri Thomasii Confessoris Carmelitarum, scriptas a præcipuæ auctoritatis coævis, præferunt novellis Petri Saraceni in Menologio Carmelitico commentis, ipsas dubias reddunt; dum probant ex illis Petrum minus recte ut Martyrem coli, idque potius Alberto convenire; qui ob ignoratum antea mortis genus, adhuc colitur ut Confessor. In hoc autem Sancto, figmentis obscurando, intelligo Belgas quosdam voluisse palmam præripere Saraceno & Alegræo, comminiscendo, ipsum esse Petrum Eremitam, primum illum sacri Belli buccinatorem: qui suis in sancta Terra vindicanda frustratus conatibus, & ibi factus Carmelita, mutato nomine dictus sit Albertus; & ex Carmelo promotus ad Patriarchatum, Brocardo & sociis Regulam scripserit: quem Albertum interim constat Accone obiisse anno 1214. nec ante an. 1206. vidisse Terram-sanctam, Petrum vero seculo xi. sæpius eo profectum, interfuisse capiendæ Jerusalem, Hujumque reversum obiisse 1115. centum annis ante Albertum: qua duarum personarum celebrium in unam conflatione, quid potest fingi portentosum magis?

xxxv. An vita S. Marci Atheniensis, similis Vitæ S. Pauli primi Eremitæ, sed pluribus paradoxis scatens, & ab ignotis relata, nec nisi in unico manuscripto reperta, non possit merito haberi de fictione suspecta tota, ideoque optari ut non fuerit, absque congrua censura, inserta Actis Sanctorum Martii.

xxxvi. An Acta S. Posthumii, sive Pachomii Junioris, inter Vitas Patrum a Rosweido relata, majorem fidem mereantur, quam ibidem relata Vita S. Macarii Romani, qui inventus sit apud Paradisum: ubi etiam merito displicet numerus quinquaginta millium Monachorum, quibus Pachomius iste præfuerit, a Lezana gratis mutatus in quinquaginta; & ratio redditur, cur ejusmodi apocrypha (ut sunt etiam SS. Eleutherii & Anthiæ) inter Acta sanctorum referantur, sed censurata; & Suarezii Benedictini judicium de opere Bollandiano profertur.

xxxvii. Quam merito Mabilio Benedictinus, æque ac Papebrochius, agnoscat Acta SS. Mauri & Placidi esse talia, ut prima quidem nequeant credi, sic a Fausto coævo scripta, atque a Bonifacio III. approbata fuisse; & secunda, ut habentur a Joanne Diacono Cassinensi edita, sub nomine Gordiani socii, censenda sint esse conficta aut interpolata.

xxxviii. An Erasmo Rotterodamio imputatam a Theophilo Raynaudo Dialecticam sequatur, qui quædam S. Canionis prorsus futilia Acta, ex stylo judicat recentioris esse figmenti, & sarcasmus iste non magis quadret in delatorem Epistolæ Cæsareæ, suspicantem ex stylo (qui scilicet similis sit stylo quo scriptum quoddam Motivum juris ejusque Appendix, Sebastiani a S. Paulo titulum præferentia) suspicantem inquam, esse non Sebastiani Carmelitæ, quod ipsum valde insulsum foret, sed Conradi Janningi, Jesuitæ & hæretici.

xxxix. Qualis censenda sit SS. Valentini & Damiani Passio sub Juliano, sic deducta, ac si hic aperte, & eodem plana quo Diocletianus modo, Christianos fuisset prosecutus, edictis & judiciis; & *Zappinam* in Latio *civitatem magnam* fingens, toti veteri ac novæ Geographiæ ignotam.

A R-

ARTICULUS XII.

Circa Sanctorum miracula & reliquias.

AN culpandus Historicus, magis quam Gemmarius, ut hic in gemmis, sic iste in historiis probandis attentus.

QUÆSTIO I. An citra calumniam accusetur aliquis, fabulosam censere inventionem S. Stephani, quam annue colit universa Ecclesia, eo quod fabulosam cum Baronio aliisque esse judicet aliam, istam priorem; in qua Sancti corpus, cum circumstantiis prorsus alystatis, Constantinopoli dicitur translatum Romam, ubi solum brachium esse prætenditur, & testimoniis irrefragabilibus probatur.

II. & III. Quæstiones, de corpore S. Monicæ & Martyribus Brixiensibus, solutionem ex præmissis habent.

IV. An Romanis apud Teresanas Viennenses Reliquiis quidquam detrahat, aut aliis alibi, qui dubitat, an ea omnia nomina, sub quibus coluntur, vere eorumdem sint, quorum sunt corpora; certus aliunde, eorum quæ nunc ex cryptis extrahuntur, plersque sine nominibus inveniri, & ad extrahentium vel accipientium arbitrium baptizari, ut loquuntur. Utrum etiam fiat universim ambiguus Reliquiarum cultus, ad veros Sanctos relatus, quia aliquando deprehenditur iis subesse error: & contrarium ostenditur argumento a simili, quo Comes de Souches, antea Lutheranus, ad cultum istum probandum fidemque Catholicam adductus fuit. Digna lectu est, & huc spectat *Epistola Eusebii Romani, ad Theophilum Gallum, de cultu Sanctorum ignotorum*, dissimulato Auctoris nomine edita Parisiis, initio hujus 1698.

ARTICULUS XIII.

Circa scripta & libros Sanctorum.

QUÆSTIO I. An mereatur hæreticis comparari, qui libros Dionysii negat esse Areopagitæ, quia seculo 5. primum prodierunt, cum variis notis ætatis haud multo antiquioris.

II. An qui eosdem libros laudat, ut *spiritu divino scriptos*, & suspicionem hæreseos ipsis ab alio impactam amolitur, non satis reverenter eos habeat.

III. An Josephi cujusdam Antiocheni libellus *de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ*, allegatus a Philippo Riboto in speculo Carmelitano, & in Præfatione ante Ordinis Constitutiones impressa; omnibus vero ante saculum 14. ignotus; credi debeat ad seculum 2. pertinere, quia Possevinus Jesuita, alicubi invenit Josephi nomini adscriptum annum 130. pro 1300. Ubi quæritur de auctoritate & antiquitate Præfationis istius, quæ, quin sit saltem interpolata, negari nequit; attribuitur autem gratis Brocardo Priori, ex fide Balæi apostatæ Carmelitæ; cum ne quidem aliqua ratione probetur, quod Brocardus ullas omnino Constitutiones scripserit; licet conceperit puncta quædam, unde Albertus Patriarcha formaret Regulam, a Fratribus, ad fontem Eliæ sub illius obedientia viventibus, observandam. Ubi iterum aliquid de Vita Telesphori, Bollando & Henschenio improbata, post editum Januarium.

IV. Cur viris, eruditis & gravibus, nunc videatur symbolum, *Quicumque vult*, ignotum ante Hincmari Remensis tempora, non esse S. Athanasii Alexandrini, sed alterius multo junioris, ac forte Sisebuti Monachi Benedictini, cui in nonnullis Mss. tribuitur; vel Vigilii Episcopi Tapsensis, suorum de Trinitate librorum synopsim exhibentis. Nam symbolum S. Athanasii, quod in aliquo Augustodunensi temporis incerti canone Clericis edilcendum præscribitur, una cum symbolo Apostolorum, debet intelligi esse symbolum Nicænum, Athanasio scribente compositum. Quæritur etiam, an censura, merito lata contra Dissertationes Quenellii in opera Leonis, propter præjudicium S. Leoni, in favorem S. Hilarii, ab eo factum, attigerit sententiam ejus de symbolo *Quicumque*; ubi aliquid de controversia inter Leonem, ex una parte; & Hilarium, non usquequaque excusabilem, ex altera.

V. An Athanasii sit tractatus de Virginitate, stylo valde diverso a reliquis operibus scriptus: & an contemni semper possit ductum a stylo argumentum. Ubi etiam attingitur liber de Unitate & Trinitate Dei, Augustino a Lovaniensibus propter stylum abjudicatus.

VI. Quare liber Joannis Hierosolymitani *de Institutione Monachorum*, Bellarmino, Baronio, Brasichellensi sacri Palatii Magistro, Raynaudo, Labbeo, aliisque visus sit esse auctoris Latini & recentioris, non autem Joannis Patriarchæ, S. Hieronymo de hæresi suspecti, cui ejus infelix defensor Wastelius tam frustra conatus est ipsum vindicare, quam plurimos sermones S. Joanni Chrysostomo variisque Patribus subtractos, ex levissimis conjecturis. Ubi de nonnullis Carmelitis, eo libro paulo ante Ribotum usis, & Richardo Radulfi, Primate Armachano, in concione quadam, Lugduni apud Carmelitas habita, partem aliquam inde accipiente; ac nescio quam Paulini Regulam allegante, quam cum Basiliana observaverint olim Carmelitæ; nec non de Bibliotheca Patrum, cui ut talis liber ille inseritur æque temere, atque seculo 8. ibidem adscribitur Dacyanus, qui est Ven. Ludovici Blosii, nomen istud sibi hoc seculo assumentis, utilissimus liber.

VII. An S. Augustinus Regulam suam viris scripserit, aut solum paucis illis virginibus, quæ Hippone sub unius Presbyteri Præpositæque regimine vivebant; sicut, præter Bellarminum, Holsteinium, aliosque, censent triplicis generis Augustiniani, ipsaque Regula clare demonstrat, multa mulieribus, nihil solis viris proprium habens. Neque hanc sententiam in Erasmo damnavit Sorbona; sed quod negaret institutos a S. Augustino Clericos vel Monachos, sub votis religiosis vixisse. Ubi de Codice, & de Concordia Regularum S. Benedicti Anianensis, qui primus Augustinianam Regulam viris aptavit, genere feminino in masculinum mutato, & quibusdam omissis. Item de Apologia Mag. Richardi Cœnomanni pro eadem Regula, evulgari permissa; & de loco S. Bernardi, male allegato contra præfatorum sententiam.

VIII. An S. Augustini sit liber *de unitate Trinitatis contra Manichæos*, de quo dubitare Labbeum, & Evodio cuidam æque vetusto adscribere, Henschenius dicit, nihil ipse affirmans. Interim Augustini esse negant Bellarminus, Sirmun-

mundus, Benedictini S. Mauri Parisiis. Ubi iterum de censura Cælarcæ epistolæ ex stylo; & de obligatione censoris librorum, ne alienas a sua sententia reprobet, si aliunde probabiles sint.

IX. Utrum sermo Damasceni suspectus reddatur, ne alterius sit, quia dubitatur quæ sit Euthymiaca historia istic allegata; & utrum, hac non recepta, propter circumstantias Assumptioni Marianæ affictas, reddatur dubia ipsa Assumptio.

X. An faciat injuriam S. Epiphanio, qui rejicit librum *de vita & obitu Prophetarum*, quem indignum ipso judicat Baronius, *propter sexcentas mendaciorum nugas*. Harum specimina aliquot putidissima adducuntur, ex elogiis Nathanis & Elisei; & locus de Eliæ genealogia comparatur cum alio prorsus diverso ex Panario, quem locum Petavius explicat: item de simili Pseudo-Dorothei libro, alioque S. Isidori, priores nimis facile secuti; denique de patria Eliæ, antiquis etiam Rabbinis, dubia; deque ipsius Epiphanii vita apocrypha, Polybio fictitio adscripta.

XI. An consequens sit, S. Bertham cum suis professam Regulam Benedictinam, quia Monialibus superinducti Monachi Benedictini, in ejus Vita fecerunt mentionem Regulæ suæ. Hac occasione excusatur hallucinatio quædam nostra, circa eamdem Regulam, obiter nimis & titulatim dumtaxat lustratam; & ex Mabilionis de Sancta ipsa silentio arguitur, eam alterius Professionis fuisse; ac verosimiliter S. Columbani, non invitis Benedictinis.

XII. An Regulam, a S. Alberto Carmelitis datam, contemnat is, qui dicit ipsam, licet perbrevem, sufficientem fuisse eorum quibus scribebatur conditioni & numero; & ex ipsa colligit functiones, plures quam ea attingit, non fuisse tunc in Ordine isto usitatas: sicuti ex Constitutionibus Societati scriptis a S. Ignatio, intelliguntur propria ei munia, & concluditur neque Chorum neque sanctimonialium curam ad ipsam spectara ex ejus instituto. Ubi iterum de Jesuitissis.

XIII. An credibile sit Epistolam, sub nomine S. Cyrilli alicubi præfixam Regulæ Albertinæ, illius esse; dum in eo asseritur Joanni Patriarchæ liber de institutione Monachorum; & supponitur Regula necdum ab omnibus Carmelitis recepta, cum epistola scribebatur; ultro autem conceditur auctori Epistolæ, primos illos nullius obedientiæ adstrictos, antea vixisse vagos circa montem, adeoque nec Religiosos fuisse.

XIV. Jurene querantur Carmelitæ, S. Angeli sui Vitam non recipi ab Actorum collectoribus, ut scriptam a socio & coævo omnium que teste oculato Enocho, postea Patriarcha: maxime postquam illi ipsam articulatim examinatam in Appendice ad Tomum 2. Maii, non quomodocumque reprobarunt, sed addita conditione, quod si Carmelitæ e contrario possent eamdem sic articulatim justificare, suscipeeentur quæcumque eorum prætensiones; ad quam conditionem hactenus nihil ipsi dederunt; solumque contra evidens Jacobi de Vitriaco testimonium, de fide Syro-Græcorum Episcoporum in schismate pertinacium, præsumi volunt, etiam post amissam Hierosolymam totamque fere Syriam, fuisse illis Syro-Græcis Episcopos Romano-Catholicos (quorum unus fuerit Patriarcha Enoch) apud quos omnia Latino ritu agerentur: quorum neutrum vel per umbram probatur; uti nec infinita alia istius vitæ mendacia, certiori historiæ e diametro contraria. Ubi nonnulla de schismaticorum eodem tempore Patriarcharum successione, post quos, non autem viventa Angelo, forte sederint Nicodemus, Joanoes, Enoch, alieno tempori, ritui, & communioni perperam adscripti.

XV. Utrum citra calumniam dici quis possit Officium de Venerabili detrahere S. Thomæ, qui aliquando opinatus in isto esse quædam ex priori Leodiensis Ecclesiæ Officio transcripta, integro commentariolo id ipsum retractat, cum summa prædicatorum ipsorum satisfactione, literis Provincialis eorumdam testata. Tum, an Doctori sancto nota aliqua inuratur, negando peritum fuisse Græcæ linguæ, eo tempora, quo illius studium in Italia prorsus jacebat. Ubi aliquid de Baronio, æque imperito illius linguæ; de Abbatis Joachimi libro, seu vero seu suppositio, per S. Thomam notato; de quibusdam ab eodem ex vulgari opinione creditis, deque Joanoe hæretico Severiano, qui primus in Dionysii libros, recenter repertos, commentaria scripsisse invenitur.

ARTICULUS XIV.

Circa Indulgentiarum antiquitatem.

Ubi prævie exhibentur Decreta anni 1678. contra Indulgentias complures, fictas aut incertas; & anni 1696. contra alias recenter in Hispania suppositas Innocentio XI. & XII. Exhibentur autem illa, ne scandalizetur quis, audiens de nonnullarum longe antiquiorum veritate dubitari, atque universim sustineri, usum concadendi aliquas in favorem locorum piorum, post seculum X. incepisse, adeoque fictas esse, quæcumque prius datæ dicuntur: quæ tamen decursu tempotis & tacito consensu Prælatorum, scientium nec contradicentium, factæ sint validæ, quoad usum & auxilium fidelium.

QUÆSTIO I. An credibile sit, Leonem IV. Papam, seculo 9. Carmelitarum ecclesias visitantibus aliquas statuisse Indulgentias: qui sua ipsius gesta, ut apud Anastasium Bibliothecarium leguntur, prolixissime describens, & quidquid unicuique Romanarum ecclesiarum contulit minutissime enumerans, tum etiam quæcumque fecit in urbis Leoninæ, & Centumcellensis, atque aliarum nonnullarum ecclesiarum dedicationibus, effusus ad augendam quoquomodo solemnitatem, nullius uspiam Indulgentiæ meminit; ac ne quidem tunc impertitus est aliquam Christianis copiis, cum illis contra Saracenos pugnaturis benediceret. Tum Sixtinæ Bullæ, qua Carmeliticæ illæ confirmari dicuntur, suppositio demonstratur; & quidquid in defensionem adfert Exhibitor, refutatur. Ubi attingitur etiam Epistola quædam, Pelagio II. ex judicio eruditorum supposita; item excommunicatio, a Gregorio VII. contra Henricum fulminata; incuria Carmelitarum, in solicitandis olim pro S. Eliæ festo Indulgentiis, Pontificum denique seculo 13. parcitas in iis, quibus Canonizationes a se factas commendarunt.

II. Quid sit Indulgentia, juxta D. Thomam. An eadem semper forma dari solita. Quando & quam parce ea uti Pontifices cœperint in favorem piorum locorum. Ubi de Joannis Morini

rim opere circa disciplinam in administratione pœnitentiæ 11. primis seculis servatam; & distinguuntur gradus remissionis triplicis, per quos pœnitentialium Canonum rigor fuit successive laxatus, seculo 11. 12. & 13.

III. An S. Gregorius, quando Stationes Romæ ordinavit, eisdem adjunxerit Indulgentias, quales sec. 14. invenit Bonifacius VIII. sicut passim Scholastici crediderunt: & expenduntur auctoritates, ab iis adduci solitæ, qui putant talium indulgentiarum initium multo altius evehi posse: demonstrataque illarum insufficientia, declaratur vis argumenti negativi, ex eo sumpti, quod non solum in 101 Epistolis S. Gregorii ejusque prolixissima Vita, nulla appareat earum mentio, sed nec nomen quidem Indulgentiæ, in toto Anastasio Bibliothecario, & Pontificis Diurnis per 10. prima secula. Denique excutitur magna Tabula Lateranensis, ejusque exigua vetustas.

IV. An Sergius II. transferens ad Ecclesiam SS. Silvestri & Martini in Montibus eas Reliquias, quas Anastasius in Vita ejus recenset, addiderit Indulgentias, insuper designatas in lapide istic posito, & Anastasii textum multimodis vitiante, quoad nomina Sanctorum & loca unde sumptæ reliquiæ.

V. An S. Silvester in ecclesia S. Sebastiani dederit Indulgentias, notatas in lapide recentis scripturæ ac posituræ. Ubi de specie quadam Indulgentiæ monasticæ, pœnitentiarumque remissione per psalmos & scopas: item de recentiori quodam Neapolitano marmore, proponente velut antiquissimas Indulgentias 1060. dierum recitantibus Pater & Ave, licet ipse Salutationis Angelicæ ad orationem Dominicam jungendæ usus antiquus non sint, uti docet Mabilio, initia & incrementa ipsius Salutationis historice explicans.

VI. Utrum Indiculus quarumdam Indulgentiarum Mediolani, collectus post an. 1581. tantam mereatur fidem, ut credi debeant Romani Pontifices, in ipsa sua Urbe tam parce, istic longe ampliores concessisse seculo XI. & deinceps.

ARTICULUS XV.

Circa Historias sacras.

QUÆSTIO I. Utrum Carmelitarum ab Elia processionem, qualem prætendunt, Apostolica Sedes multoties approbaverit & confirmaverit.

II. Utrum ex Pontificum Bullis probari possit, Carmelitas plus participasse ab Elia quam locum solitudinis ab eo inhabitatæ; aut is ipsis Regulam aliquam scripto vel voce dederit.

III. An ex Joannis Phocæ Itinerario, sub an. 1193. scripto, congrue probetur Ordo Carmelitarum in Syria inchoatus seculo 12. & contra ipsum recte excipiatur, quia Amstelodami impressum fuit apud Joannem Blaeu, sub titulo Kalkoviii Coloniensis. Ubi enervatur retorsio contra institutam a S. Ignatio Societatem, & exploditur nuperum figmentum de eodem Sancto, quod initio conversionis, habitu Franciscano usus ac tertiam Regulam sit professus.

IV. Utrum sancti Patres asserant, in Lege veteri fuisse votum aut etiam simplex propositum virginitatis perpetuæ; ex eorumque communi sententia, prima non fuerit Virgo Maria, non solum dignitate, sed etiam tempore, auctor talis voti. Ubi exploditur exemplaritas, quam secutus sit Elias & ceteri post ipsum Legis veteris Monachi, propter nubeculam, quam ipse vidit ascendentem ex mari, quæ creditur figura Deiparæ fuisse. Expenditur etiam sententia Suarezii, male in contrarium ipsi sensum detorta. Anastasii item Sinaitæ, & S. Methodii, quorum hic in antiquo ac vero suo opere, negat ante Christum notum fuisse virginitatis pretium.

V. An sancti Patres, qui Eliam aliosque veteris Legis Monachos agnoscunt, intelligant tria vota Religiosa professos fuisse; & an frivola hoc loco distinctio sit inter simplices Solitarios & religiosos. Hujusmodi fuisse Eliam, negant qui Deiparæ tribuunt prærogativam, etiam temporis, in vovenda virginitate; neque probat accinctio lumborum currentis ante Achab; ubi nec obedientiæ votum, voluntas (utique sua propria, non Domini sub obedientia mandantis) quæ quaecumque fugientem ferebat. Ubi de Lumborum præcinctione, in Evangelio commendata, juxta S. Gregorium; non plus huc faciente, quam quod Jobum jubeat Deus lumbos præcingere, & Israelitas comesturos Pascha. Solvuntur deinde argumenta ex D. Thoma, ad perfectam traditionem sui Deo faciendam vota requirentis; & ex ratione exemplaris, quale pro novi Testamenti Monachis ponitur Elias: rursumque stabilitur primatus Virginitatis Marianæ. Hinc transitur ad filios Prophetarum, neque primum institutorum ab Elia, neque magis religiosorum quam sint Clerici, in Seminariis diœcesanis tantisper cohabitantes, & communi mensa tectoque sub obedientia sui Præsidis utentes. Hinc venitur ad 5. Propositiones de hoc argumento, a sacra Inquisitione prius prohibitas, deinde permissas currere; & ad novas 17. a Rev. Galiano Hieronymianorum Generali Apostolicæ Sedi delatas, in quibus incredibiles prærogativæ supra novæ Legis Monachismum tribuuntur Veteri: circa quem librum notandum venit, eum, una cum Apologia ipsius Hispanica, prohiberi donec examinetur, per decretum Madriti publicatum 17. Junii 1697. Quid de hoc modo libros prohibendi, nulla reddita causa, judicaturus sit mundus, ego nescio. Errant qui putant, prohibitis, uti prohibentur, pari modo & eodem Decreto libris P. Sebastiani, absolutos se ab onere justificandi aut retractandi censuras, contra Acta Sanctorum latas. Denique in hoc Paragrapho etiam agitur de Eunuchis apud Isaiam 56. & apud Matthæum 19. nihil facientibus ad probandum religiosum Legis veteris Monachismum, juxta S. Epiphanium fuse explicatum, aliosque Patres & Theologos.

VI. An perfectus, id est cœnobiticus Monachatus, in Lege nova viguerit ante S. Pachomium, a S. Antonio ex eo laudatum, quod ipse primus eum instituerit, quando (juxta S. Hieronymum) Palæstina nec Monachos nec Monasteria adhuc noverat. Ubi de etymo vocis *Monachus*, & ea quæ inter primos Christianos Hierosolymis erat communione, Virginumque sacrarum primis collegiis.

VII. Quid de Essenis Palæstinis apud Solinum scripserit Claudius Salmasius, reditum ad Catholicos cogitans, & an veri fuerint Religiosi. Quid de Therapeutis Ægyptiis, Philo. Hos

Chri-

Christianos fuisse, a S. Marco institutos, non tamen in terminis tria vota professos, verosimilius videtur. Alios, adhuc seculo 12. perseverantes, nec Judæos quidem perfectos, multo minus Christianos ac Religiosos fuisse credimus: quos autem veros Religiosos, usque ad 12. seculum, Syria habuit, in schismate prolapsos in eoque pertinacissimos, indignos putamus, per quos Carmelitæ, a Latinis & orthodoxis deducti, nitantur ad Eliam ascendere.

VIII. An aliquid fidei mereatur relatio de Emerentiana, matre S. Annæ, ex consilio oraculi Carmelitici nupta Stolano, sicut ex libro S. Cyrilli, ut prætenditur, de ortu Virginis, Carmelitæ sustinent. Item quam longe aliam Deiparæ genealogiam texant Syro-Græci in Menæis; quæ tamen ipsa etiam futilis est: ideoque Parisiis reprehensus fuit concionator, talia proferre ausus.

IX. An verosimile sit Deiparæ adhuc viventi ædificatum in Carmelo sacellum, & alterum mortuæ anno 83. ubi Agabus Propheta, optatis Mariæ nuptiis frustratus, Monachum induerit, & Vespasianus oraculum consuluerit; licet ibi nec simulacrum, nec templum, sed nudam loci religionem extitisse, Tacitus Suetoniusque affirment.

X. An ante tempora Constantini fuerint ædificata Deiparæ templa, Cæsaraugustæ, ad Columnam; Romæ, Trans-tiberim, in Gallia, apud Druides; Crangsnore & Calecuti, ab uno ex tribus Magis ejusque Comite; Antaradi in Syria, a SS. Petro & Paulo: eum potius credi possit, tam antiquæ nuncupationis persuasio fundari in posterius mutata nomenclatura.

XI. An S. Petro adhuc vivente, & paulo post mortem, fuerint dedicatæ ecclesiæ, Treviris a S. Materno, Antiochiæ a Theophilo civitatis Principe, Alexandriæ a S. Marco. Quæ ejus & Pauli Trophæa Romæ, ex Eusebio. Quales primi Ecclesiarum Romanarum seu Oratoriorum Tituli.

XII. An titulus Fratrum S. Mariæ de monte Carmelo fuerit a tempore Apostolorum; an saltem ante datam ab Alberto Regulam, vel obitum Prioris Brocardi, cui illa data fuit.

XIII. An S. Fronto, in monte Nitriæ Solitarius, probetur circa an. 150. fuisse Pater 70. Fratrum, aut saltem ante S. Ammonem, Antonii coætaneum; idque ex fide appendiculæ cujusdam ad Vitam, undequaque vacillantis. Ubi de Vita S. Eudociæ, multis figmentis asperla, aut etiam graecis conficta tota, in gratiam Eudociæ Imperatricis; & de divitiis omnino regiis meretriculæ illi adscriptis, ejusque conversæ perfecto monachismo, pro ætate Trajani Imperatoris asserto.

XIV. An numerus 14. millium masculorum infantium, a bimatu & infra, apud Bethleem occisorum sub Herode, credibilis sit ex fide Menæorum, sub finem prioris seculi collectorum & Venetiis excusorum; licet in omnibus manuscriptis antiquis desit, & enormiter excedat numerum talium, in maxima aliqua civitate, puta Antverpiæ, inveniendorum. Ubi etiam exhibetur specimen fabulositatis neotericæ Græcorum, ex iisdem Menæis, de Danielis & sociorum martyrio atque anastasi.

XV. An viri candidati, qui finguntur Eliam infantem igne involvere & pascere visi, ut vera foret ejusmodi visio, intelligi debeant præsignasse instituendos ab illo Carmelitas, potius quam ejus progenitores generis Sacerdotalis: ubi de Sacerdotum Judaicorum veteris legis Ephod lineo; & Judæorum, qualis fuit Elias, quadratis, non rotundis palliis, qualibus induuntur Carmelitæ.

XVI. An Abbates monasteriorum, Eliæ dictorum, in Conciliis Constantinopolitanis, quibus nulli vel unus pro omnibus ex Terra-sancta adfuerunt, debeant censeri Carmelitæ fuisse: cum talis appellationis monasteria complura fuerint apud Græcos, & quidem Ordinis Basiliani varii etiam Sancti, sic appellati.

XVII. An ridiculum sit dicere cum S. Antonino, CARPITAS, id est antiqua pallia Carmelitarum, ex albo griseoque barrata, fuisse circulata, non autem virgata perpendiculariter. Ubi quæritur etymon vocum *Carpita*, *Barrata*, *Stripettia*, *Stragulata*: & ex antiquis ipsorummet Conventuum Carmeliticorum picturis ostenditur, quam diversam ejusmodi palliorum ideam sibi ipsis formaverint, veteris formæ obliti, nec non in assignando illius auctore & causa sic variegati coloris, verosimiliter a Mandyis seu Chlamydibus Episcopalibus sumpti. An autem, sicut veteres Carmelitæ Parisiis dicuntur *Billettæ*, verosimiliter a Scapularibus parvis quæ distribuebant; sic Lendii vocentur *Cannæ*, ab arundinibus insulare eorum monasterium cingentibus, ipsismet definiendum relinquitur.

XVIII. An pressura, quam in Asia atque Europa passa est a Saracenis Ecclesia, usque ad annum 1099. recte vocetur *persecutio Humari*, ejus qui sanctam civitatem ac reliquam deinde Syriam anno 637. occupavit, & qui cum Christianis benigne valde agit, imo etiam reverenter, sicut S. Theophanes testatur, & post eum Elmacenus Arabs, non dissimulans Principum suorum contra Christianos delicta. Ubi etiam de Humaro II. haud impune contra eosdem commoto, & de Monachis quibusdam, per prædones vexatis aut trucidatis: qui non valde multi numerantur, & longe absunt ab incredibili illo centum ac decem millium numero, quos ex Carmelitis intra tempus illud passos, ad 14. Novembris commemorandos, ex Ordinis speculo proponit Corolla florum Carmeliticorum, ad usum menstruæ patronorum sortitionis edita Antverpiæ an. 1685. eadem scilicet fide, qua ab Humaro in Syria dicuntur ferro & flamma vastata ejusdem Ordinis monasteriorum septem millia quingenta, in iisque numerati Monachi ad 180. millia apud Heroldum Hogstettensem l. 5. Continuationis belli sacri cap. 3.

XIX. An, contra communem Florentinorum eruditorum sensum, credibile sit, Attestationem quamdam de veteri sacello, fugitivis ab Humari persecutione Carmelitis ædificato, sub annum 743. & quidem notatam per zyfras, vere scriptam a Thoma Episcopo Florentino; eoque, an ullus urbi tunc desolatæ fuerit, dubitabili. Ubi expenditur auctoritas Abbatis Ferdinandi Ughelli, & utriusque Ammirati, in historiis patriæ suæ versatissimorum, & agitur de potestativo pronomine *Nos*, & de formula *In perpetuum*, initio diplomatum insolitis ea ætate, ac vitiosissimis subscriptionibus Romani Concilii, coram Zacharia Papa celebrati.

XX. Quomodo Canonici damnati resuscitatio coram S. Brunone, antehac in dubium revocata, antiquioribus & Sancti ætati proximis testimoniis nunc habeatur confirmata.

xxi. An contra Sanvicum, Carmeliticorum historicorum antiquissimum, asserentem, quod anno 1437. adhue dubitabatur, liceretne Ordini extra terram sanctam habere conventus, probabile fieri possit, ex multo recentioribus, Carmelitas diu antea in Europa fuisse, non solum per Conventus, sed etiam per Provincias multiplicatos.

xxii. An ex Regula, soli *Brocardo & Fratribus ad fontem* inscripta, non recte inferatur, unicum, tunc cum ipsa dabatur, id est circa 1210. fuisse Ordinis conventum in Syria; & antiquiora illic eremitoria postea eidem se aggregasse ac subjecisse, eadem Regula vesteque barrata assumptis.

xxiii. & xxiv. Quæstiones de Baptismo & Donatione Constantini, non merentur iterum nominari.

xxv. Licueritne Bollando, Carmelitis, veteres omnes toto Oriente Monachos suo Ordini adscribentibus, in tali hypothesi, quam eruditis valde dubiam esse fatetur, adjungere S. Jacobum pœnitentem, & quædam juxta Carmelum monasteria; & is, qui modeste jocatum ea in re asserit, ipsum dedecoret ut *Joculatorem*, potius quam Nicolaus Antonii, eruditissimus auctor Bibliothecæ Hispanæ, tale quid circa Chronica Dextrina ab eodem Bollando factum, vocans *laudabilem inconstantiam joco magis quam serio* præfati ad Januarium, se nolle in certamen cum bellicosa gente venire, eorum auctorum causa, quos tamen aperte ac pluries, in suorum librorum progressu, refutat.

xxvi. An Theodori Ducis ac Martyris pugna cum materiali Dracone verosimilior sit, quam Georgiana: ipse an satis certum sit, talem Sanctum esse admittendum, diversum ab antiquitus noto Tirone, propter Acta jam manifeste apocrypha, cum Actis Tironis ferme convenientia, quoad personas & loca.

xxvii. An cultum S. Alberti, Patriarchæ Hierosolym. impugnet, qui ostendit Carmelitas, ipsi pluribus titulis obligatos, in eo cultu assumendo primos fuisse: quique eumdem Martyrem obiisse fatetur cum Lezana, juxta veram ejus Vitam; licet alii Carmelitæ, Vita hac diu ignorata, colant ut Confessorem. Ubi de Constantino Ghinio, Albertum inter Sanctos Canonicos Regulares numerante 124. annis prius, quam horum Congregatio Lateranensis ejus Officium sibi asciscerel, fabulis inquinatum.

xxviii. An Acta SS. Juliani & Basilissæ credi possint a testibus oculatis scripta, in quibus adeo multa sunt, prorsus cum verosimilitudine omni pugnantia, ut merito timendum sit, ne res sota, (quamvis S. Aldelmo aliisque multis probata) aliud non sint quam pium drama, Antiochiæ Syriæ, non Antinoo Ægypti affictum, sub nominibus verorum olim Martyrum, quos conjuges fuisse, affirmari certo nequeat, nedum in conjugio virgines; & hanc Virginum 1000. Matrem, istum patrem 10. vel 12. mille Monachorum sub Diocletiano. Esto ea Acta admiserit Bollandus 9. Januarii, inter principia operis. Ubi obiter de Horarum Canonicarum partitione varia, ex Mabilione: quia inde patet, Auctoris Latini, non Græci aut Syri, figmentum istud esse.

xxix. An laudem & historiam S. Ferdinandi Regis obfuscent, qui ultra genuina, antiqua, & prolixissima ac certissima Acta undique collecta, examinant posteriorum scriptorum additamenta quædam, minus certa. Ubi de libro, futili & ab Hispanis contempto, quem fama ad exteros detulit, sancti Regis tempore a Judæo quodam agrum fodiente repertum, cum prophetia, de ipso tunc reperiendo & Christo ex virgine nascituro; qua occasione etiam agitur de libris ac laminis Granatensibus, prius magno molimina defensis & probatis, tamquam Apostolici temporis monumentis; Romæ autem postea examinatis & damnatis, ut quæ ad Mahometanam impietatem stabiliendam composita fuerint, ac fraude recentiori defossa.

Quæritur etiam, quænam sit imago Mariana, quam S. Ferdinandus Rex, Hispalim obsidens, in extasi visitavit; & alia, quam triumphabundus invexit; ac tertia, Regum dicta: item de numero exiguo Militum, id est, Equitum, quos habebat initio obsidionis; & de cælesti voce, in ejus obitu (*ut fertur*) audita.

xxx. An allatæ per miraculum Crucis Caravacanæ fidem elevet, qui rei gestæ historiam ex antiquioribus sumens, refutat neotericorum falsi nominis commenta, circa tempus & Regem Caravacæ, sub quo Crux ab Angelis allata fuerit. Ubi exponitur prudentiorum Hispanorum, præsertim Card. Aguirrii, judicium, de pseudo chronicorum & monumentorum suppositiiorum consarcinatore infelici, Hieronymo Roman da la Higuera, per eumque decepto Roblesio, auctore novissimo recentioris Caravacanæ historiæ; majorem tamen fidem merito, in miraculis recentioris memoriæ referendis.

xxxi. Quanti ad historiam momenti sit severum diplomatum veterum examen; quamque utiliter Mabilio laboraverit, tenuiorem ac primum Papebrochii in re eatenus intentata conatum insigni volumine corrigens & perficiens. Quam etiam ingenue hoc Papebrochius agnoverit, & quanta cum satisfactione Benedictinorum, & eorum qui videri poterant aliqualiter læsi. Ubi de suppositio quodam Dagoberti diplomate, quod isti disquisitioni occasionem dedit, communi utriusque sententia confixo. Iterumque agitur de cognominibus, medio ævo cœptis usurpari, ex Sirmondo.

xxxii. An monumentum Boppardiense Henrici Prioris, anno 1213. occisi, aliqua Carmelitani antiqui habitus, & non potius Benedictini lineamenta referat; & utrum verosimile non sit, ipsum conventum, ante incendium anni 1359. Benedictinorum fuisse, illuc Treviris adductorum ad ministerium nobilis Parthenonis, ibidem sub an. 1080. fundati. Ubi epitaphium Henrici Chronico-rhythmicum, gratis in favorem Carmeliticæ antiquitatis distortum, nativo suo sensu exponitur.

Item an non sit potius credendum Provinciali Carmelitæ, Romam scribenti, Ordinem suum Dinckelspulæ, in confiniis Sveciæ Franconiæque admissum fuisse an. 1292. teste Lezana, & scriptoribus Germanicis apud Merianum, concorditer scribentibus, veterem istic conventum, ad quem paulatim accrevit oppidum, nunc civitas Imperialis, initium suum debere Monachis Herbipolitanis, Dinkelspula Augustam ad S. Afræ solitis commeare; an, inquam, istis credendum non sit potius, quam hodiernis Carmelitis, persuasis locum ab initio suum fuisse, per imperitiam, & monumentorum incendio consumptorum de-

defectum. Ubi & redditur ratio, cur Abbatiæ & Prioratus veteres Benedictinorum potius in oppida creverint, quam aliorum, solitudinem magis ex professo sectantium, prælertim Carmelitarum, eremitoria & cœnobia.

ARTICULUS XVI.

Circa Chronologiam Carmelitarum.

De hujus principio, ad 12. seculum referendo, quid sentiant eruditiores Franci, Cangius, Menagius, aliique; dum aliter facientes ridet facetus Apologus de Ordine Hospitalitatis, æque facile eodemque modo, quo Carmelitæ adscendunt ad Eliam, adducibili ad Abrahamum Patriarcham; modo inveniatur connexio inter illius institutorem verum Joannem de Deo, & Equestrem Ordinem Hospitaliorum S. Joannis; sicut nihilo minus quæritur, nec invenitur, connexio inter Bertholdum seu Brocardum, primum Latinorum Eremitarum in Carmelo Priorem, & Monachos Syro-Græcos, qui gratis supponuntur, antea ibidem fuisse, & ab Elia ad usque seculum 12. continuari. Hac autem continuatione posita, & quod idem fuerit Carmeliticus qui Propheticus Ordo; non apparet cur idem inchoandus sit ab Elia, potius quam a Moyse, aut etiam a Patriarcha Enoch ante diluvium.

Quæstio 1. Utrum Elias in monte Carmelo instituerit aliquem Ordinem religiosum; idque probetur, primo ex viris nivei habitus, patri ejus per visum oblatis, qui potius majores ejus generis Sacerdotalis notassent. Secundo non probatur illud, ex modici temporis commoratione solitaria Eliæ ad torrentem Carith: quia ibi hominibus occultissimus, non potuit discipulos collegisse, indeque in Carmelum duxisse, a Carith immediate missus in Sareptam Sidoniorum. Non probatur id etiam ex filiis Prophetarum, vocantibus eum Dominum aut Patrem Elisei, ipsum vero Eliseum, tamquam Senem & Prophetam, nominantibus Patrem, & ut talem adorantibus. Non denique probatur assumptum, ex Sunamitidis in Neomeniis & Sabbatis excursione ad Carmelum. Additur hic deductio litis, inter Carmelitas & Basilianos agitatæ, super habitu & veteri pictura Eliæ, coram Archiepiscopo Messanensi, qui pro Basilianis sententiam tulit; & coram sacra Congregatione Rituum, quæ medium quid tenens, rubrum quidem pallium cum ejusdem coloris tiara abstulit; sed pelliceam tunicam rufam mutavit in albam, addita zona pellicea, & pallio flavo, nudis brachiis capiteque; nulli Ordini scilicet adscribendum Eliam censens, adeoque in ipsa radice socidens prætensam ab Elia successionem.

II. An Jonadab, filius Rechab, ac ceteri Rechabitæ, in disciplinam Elisei sint transgressi, itaque continuaverint Ordinem usque ad ætatem Jeremiæ Prophetæ, sic ut ipse Jonadab fuerit Ordinis Generalis, Officio ac titulo ignoto, non solum veteri Legi, sed etiam novæ, usque ad originem Cluniacensium, qui Monarchici regiminis formam induxerunt, pluribus Abbatiis ac Prioratibus sub obedientiam Cluniaci adductis. Utrum deinde ex loco Isaiæ 32. quem Interpretes de reditu Judæorum ex Babylonica captivitate intelligunt, probetur Carmelum, tempore captivitatis, constanter habitatum fuisse a Monachis veteris Testamenti; idque confirmari possit ex mora, quam in Carmelo fecit Pythagoras, agens ibi cum Spiritu. Sed quo? An non eo, qui ipsum docuit ritus & ceremonias idololatricas, per eumdem in Græcia constituendas. Non hoc fatebitur Auctor thesium, Biterris theologice propugnatarum, sed tota Gallia explosarum & Romæ prohibitarum. Agitur etiam de Essenis, & ab his multum diversis Assidæis, templi custodibus & bellatoribus, quorum duces Judas & Jonathas Machabæi, conjugati ambo, non virginitatem professi, uti nec Pharisæi, aliàs religiosiores Judæis reliquis, & Carmelitis apti dare Sanctos Nicodemum & Paulum.

III. An *viri* illi, ἄνδρες εὐλαβεῖς, *religiosi*, *discreti*, *honesti*, qui ex omni natione collecti Petrum in Pentecoste audierunt, quosque alloquens ait, *Vos estis filii Prophetarum*, & qui in Actis dicuntur, *Prophetæ*, *ab Hierosolymis* Antiochiam missi, fuerint Esseni aut Assidæi, adeoque Carmelitæ, magis quam Ephesii, quos Apostolus salutans dicit, quod sint *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Ubi de perperam intellecto Eusebio, quasi dicat fuisse Antiochiæ *multos Prophetici Ordinis*; & quasi *Ordo* tunc diceretur pro communitate religiosa. Denique an primi in Hispania Episcopi fuerint Carmelitæ, illuc S. Jacobum secuti; & illorum istic potius quam aliorum Monachorum ibidem antiquitatem probet monachalis statunculus, effossus Hispali; aut eadem faciat S. Leocadia V. M. Matri Isabellæ de Jesu cum Scapulari apparens, ac dolens absque eo se propositam inter Patronos urbis, quod eadem scilicet fide asseritur, qua ejus vetus statua lapidea fingitur sculpta inveniri cum habitu Carmelitico; cujus ibi nec minimum apparet indicium. Ubi obiter etiam de Petro Eremita Hoji, apud Regulares ab eo fundatos, expresso in alba chlamyde: item de Toletanæ urbis, a Christianis desertæ, a Mauris occupatæ; incolis residuis, Judæis, non Carmelitis, ac de monasterio S. Annæ in Jerusalem, quod non fuit Carmelitanarum Monialium, sed Nigrarum seu Benedictinarum juxta Vitriacum, quæ tamen omnia ad se trahunt Carmelitæ.

IV. An pro seculo 2. ipsis asserendo, faciat liber Josephi Antiocheni, S. Quadratus Apostolorum discipulus, Episcopus Atheniensis, S. Eugenia, V. M. Romana, cujus fabulosa Acta ipsam fingunt in Ægypto sexum mentitam, factam Monachorum Abbatem; & coram Philippo patre, Provinciæ istius Præside perpetuo, fidem confessa, ipsum dicitur convertisse; qui factus mox Episcopus Alexandriæ, contra istius Episcopatus diversissimam institutionem, ibidem Martyr obierit, filia cum matre sua Eunuchisque, Proto & Hyacintho, Romam regressa, ibique facta Matre sacrarum multarum Virginum.

V. An pro 3. seculo, recte adducatur S. Dionysius Papa *ex Monacho*, S. Spiridion, Episcopus Trimethuntis, *ex Ordine Prophetico* apud Rufinum; ac denique S. Hilarion, primus in Palæstina Monachus.

VI. An pro seculo 4. quidquam faciant loca sancta, per S. Helenam ecclesiis ornata; quædam etiam in honorem Eliæ, sed nullum in Carmelo. An S. Romanus, Monachus & Martyr Antiochenus, ex Petro de Natalibus, fuerit Car-

melita. An ſermo quidam S. Macario. Antonii diſcipulo perperam adſcriptus, probet prætenſam ſucceſſionem.

VII. An pro ſeculo 5. Liber de Inſtitutione Monachorum, nec non ſanctæ Monachæ Euphraſia & Euphroſyna, S. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, vel Abbates monaſteriorum Eliæ in Synodo Conſtantinopolitana, aliquid eo faciant.

VIII. An pro ſeculo 6. S. Jacobus Pœnitens juxta Carmelum, aut Archimandritæ Monſterii Eliæ Conſtantinopoli, aut liber de Eremitoriis antiquis Hiſpaniæ, Juliano Petri affictus, teſtimonium idoneum ferant pro Carmelitis.

IX. An S. Anaſtaſius Perſa fuerit Carmelita: & in Monſterio Carmeli *juxta Libanum* (ſic enim fingitur) Mahomet, qui ex Arabia numquam extulit pedem, ſcripſerit pactum immunitatis pro Chriſtianis, quod cum Medinæ urbe ſua natali feciſſe, habet teſtamentum ejus, ut conſtat ex originali Ms. Regis Chriſtianiſſimi, & ecgraphis impreſſis, nullam Carmeli facientibus mentionem, ut mirum ſit, quis tam patens mendacium auſus ſit proferre. Denique rurſus agitur ex Morgado de Mariana ſtatua, Hiſpali refoſſa inter jaciendum fundamenta eccleſiæ Carmeliticæ, deque ejus prætenſa antiquitate; quæ, ut vera eſſet, nihil probaret pro Carmelitis.

X. An probetur, ex congruæ antiquitatis manuſcriptis, Carmelitas fuiſſe Senis in Hetruria an. 797. Piſis autem an. 800. ex ſepultura viri cujuſdam pii & Deiparæ devoti; aut Drepani an. 730. ex ſtatua Mariana: illuc allata ex Cypro, & adſcriptas habente notas illius anni, ſed per zyfram, adeoque multis ſeculis poſtea additas.

XI. An pro ſeculo 9. Carmelitis aſſerendo, faciat antiqua apud Leontinos in Sicilia eccleſiæ Carmeliticę trabs, cum notis anni 837. etiam in zyfra, & Indictionis XI. male compoſitis inter ſe: item picti Romæ in eccleſia SS. Silveſtri & Martini in Montibus Monachi, aut Indulgentiæ affictæ Leoni IV. Neutrum credidit Joannes Antonius Philippini, Prior Carmelitarum ibidem, in Reſtricto Hiſtorico rerum ad eccleſiam illam pertinentium, edito ſub annum 1609. nam in ipſa ad lectorem Præfatione pro magna antiquitate ponit, quod *illius eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit Ordo ab annis pluribus quam* 330. id eſt ab anno circiter 1300. & Cap. 13. agit de Leone, qui eccleſiam iſtam, a Sergio II. reſtaurari cœptam, abſolvit.

Atque pia totam pictura ornavit honeſte.
Cœnobiumque ſacrum ſtatuit, Monachoſq; locavit.
Qui Domino aſſiduas valeant perſolvere laudes;

ut habent antiqui verſus, illic hodiedum ſuperſtites. Addit & alia Philippinius quarti Leonis in iſtam eccleſiam beneficia; ſed de Carmelitis aut Indulgentiis nihil; unde colligitur etiam illum lapidem, qui Sergii II. Indulgentias inſcriptas habens tam ſtudioſe nunc monſtratur, ipſi quoque ſuſpectum fuiſſe.

XII. An Peroſinum Eremitorium credi poſſit ab anno 950. fuiſſe Carmelitarum, quia illius incolis anno 1034. permiſſum eſt alio migrare: & in antiqua illorum ædicula inveniuntur picti ipſi in habitu barrato. Item an Benedictus Papa V. fuerit Carmelita; & quidem Martyr, quia ſic fuit hoc ſeculo Antverpiæ ſculptus; aut ad ipſum, Hamburgi in exilio defunctum vel aliquem omnino Pontificem Benedictum, ſpectet Epitaphium incerti temporis, in Vaticano repertum & a Poſſevino ſic relatum: *Hic jacet Benedictus, quem Carmelus genuit, Caſſinus aluit, Vaticanus coronavit*, veroſimiliter referibila ad aliquem ex Carmelitis laureatum Poetam, cum penſione a Caſſinenſibus ei ad vitam ſolvenda, vel alia ſimili cauſa. Denique an Carmelita & Patriarcha Antiochenus fuerit S. Gerardus Sagredus, Venetus, Hungariæ Apoſtolus, & Epiſcopus Canadenſis ac Martyr, qui numquam probabitur Europa egreſſus.

XIII. An idem S. Gerardus ſeculo XI. in Germania fuerit, ibique perſuaſerit S. Henrico Imp. illuc advocare Carmelitas. An S. Bertholdus, eorum primus Prior futurus in Syria, eo comitatus ſit Godefridum Bullonium; eodemque tempore floruerint ipſorum conventus Boppardiæ ad Rhenum, & Burdegalæ in Aquitania: ubi inſcriptionum quarumdam prætenſa antiquitas cogit exemplis nonnullis docere, quantum diſcrepet hodierna lingua Francica a veteri, multoque magis ab Aquitanica talis ſeculi; atque adeo quam inepti ſint verſus iſtic recentius ſculpti, & imperite habiti pro antiquis, ad probandum ætatem Carmeli Burdegalenſis: eſto hujus fundatores fuerint ex familia Landenſi; a qua ſacellum olim fundatum ſit, occaſione duelli commiſſi pro liberanda civitate anno 1206. non 1100. & anno 1107. alio translatum, ac denique Carmelitis ceſſum ſub generalatu B. Simonis Stock. Ubi de Gigantomachia, familiæ Landenſi eadem occaſione affictа, & ferreo collari in memoriam rei geſtæ appenſo apud Carmelitas; nec non de plurium nobilium vanitate, ab inſigni aliqua fabula claritatem originis ducente, ſicuti Comites, nunc Duces Clivenſes, finguntur proceſſiſſe ab Elia Neomagum appulſo, ubi puellæ cuidam Beatrici conjunctus, præclaram illam ſtirpem reliquerit. Quæritur denique, an primi inter Britones & Scotos Monachi, quis Benedictinis priores, credendi ſint fuiſſe Carmelitæ.

XIV. Quomodo Latinum S. Margaretæ monaſterium in Carmelo, ceſſerit Fratribus, ſeculo 12. præcedenti ibi colligi cœptis auxilio Aymerici, Patriarchæ Antiocheni, exuli & Accone commorantis, non tamen Legati Apoſtolici, neque proprium jus aliquod ibi habentis; ſed magnam in Hieroſolymitano Patriarchatu, cui Amalricus præerat, auctoritatem.

Item an Dantiſcanus conventus, juxta Lezanam acceptus circa an. 1348. efferri poſſit ad an. 1136. vi Inſtrumenti cujuſdam Germanici, quod Subislaus, primus Pomeraniæ Dux Chriſtianus, tunc ſignaverit; quodque Philippi Ducis Secretarii tres, ut ſincerum laudaverunt anno 1656. cum nullus illo tempore fuerit Dux Subislaus, ipſique Pomerani diu ante fuerint ad fidem converſi, ut ex ipſius gentis hiſtoricis melioribus probatur.

Quæritur denique, an Viennenſis conventus exordium recte adſcribatur Henrico primo, Duci Auſtriæ facto ſub an. 1156. quia in ejus palatio conditus ille fuit; an potius Henrico, Rudolphi Habſpurgici pronepoti, qui anno 1303. Majoribus ſuccedens, palatium iſtud Carmelitis conceſſeſit; ubi laudatur ſinceritas Cuſpiniani, corrigi petentis, ſi quid *ex inſtructione minus fida* (cujus & illud eſt) ipſe ſcripſerit an. 1527.

XV.

xv. An Jacobus de Vitriaco, in libro Historiæ Occidentalis sub an. 1220. scripto, enumerans omnes istius temporis in Europa Religiosos, absque ulla mentione Carmelitarum, quorum in Historia Orientali meminerat; nullam etiam fecerit mentionem Prædicatorum, quorum tamen, ut ab illo laudatorum, meminit Papebrochius, ideoque ut impostor traducitur. Ostenditur autem totum caput 27. *de nova Religione & Prædicatione Bononiensium Canonicorum*, ad illos spectare; qui necdum vulgo noti sub nomine *Prædicatorum*, sed confirmati ab Honorio III. anno 1216. sub titulo *Canonici instituti*, a S. Dominico Bononiam recens adducti, vocabantur in Italia *novi Canonici Bononienses*; & a Vitriaco dicuntur *Prædicatorum Ordinem*, *Ordini Canonicorum conjunxisse*, quatenus ad propriam sibi prædicationem adjungebant obligationem Chori, in quo Canonicorum obligatio consistit.

Item an conventus Coloniensis, ad tempora S. Ludovici, ex Syria redeuntia an. 1256. recta originem suam referens, credi debeat fundatus 1220. ex quadam vulgari Chronica, quæ requisita inveniri negatur, & fuit scripta post annum 1500. non sine figmentis evidentibus. Nec plus evincit Instrumentum, absque data scriptum cum Ordo in Alemannia proprios suos Provinciales haberet, adeoque Engelbertus ibi nominatus fuerit, Falkenburgius, qui an. 1261. sedere cœpit, vel Markanus an. 1364. creatus, non autem Sanctus, ad 1219. pertinens.

Producitur etiam integer textus Sanwici de transmigratione ex Europa in Syriam, quam licitam fore decretum sit anno 1237. Nec obstat sacellum ac domus Ordini concessa Valencenis, anno 1235. juxta sincerum satis nec justa suspectabile Privilegium: quia agnoscit P. Daniel a Virgine Maria, domum istam solum receptam per modum hospitii, ad usum venientium pro colligendis in Terræ-sanctæ subsidium eleemosynis: quomodo etiam Episcopo Bethleemitico donata quædam inveniuntur in diœcesi Pisana jam inde ab anno 1186. Manet interim quod Valencenensis Conventus Iprensi & Brugensi, anno 1264. fundatis, posterior sit. Occasione vero Privilegii prænotati, illustrantur notæ aliquæ chronotacticæ circa tempus Paschale festumque Incarnationis subinde anticipandum: & prætensa Leodiensium pro anno 1129. antiquitas diluitur. Quæritur etiam, an Carmelitæ an. 1480. prætendere potuerint Lauretanæ domus in Italia administrationem, quasi ipsam majores sui possederint in Syria: & agitur de litteris anno 1282. & 3. Accone datis, in favorem Carmelitarum ad Papam (qui male nominatur Martinus, pro Bonifacio) dolentium se in Concilio Lugdunensi anni 1274. non fuisse approbatos. Et quia in litteris illis dicitur eorum Ordo *in Terræ-sanctæ subsidium institutus a tempore cujus non extat memoria*; indicatur quod Urbanus VIII. declaravit id esse tempus 100. annorum, quod solum recte dici potuisse, breviter ac chronologice demonstratur. Quæri ibidem etiam potuisset, quomodo de confirmando Ordine dubitaverit Concilium Lugdunense, non dubitaverit autem de Ordinibus SS. Dominici & Francisci, adeo tunc recentibus; si Carmeliticus, tanto antiquior, tot habebat conventus in Europa longe prius quam illi, sicut Lezana *Opuscul. Collect.* aliique superius refutati prætendunt. Denique, quia capta a Turcis Accone Pallium Eliæ anno 1291. periisse dicitur, cujus nihilominus pars in Hispaniam jam olim delata fuerit; rogantur Patres Carmelitæ docere, cur Pallium Prophetæ, quod ab ipsis pridem credebatur fuisse laneum, gestandum supra pelliceam tunicam griseam vel nigram; ipsi nunc converterint in albam Meloten, contra quam facit liber de institutione Monachorum.

xvi. Pro seculo 14. quæritur, qua fide in Bulla Sabbatina dicatur apparuisse Joanni Papæ Deipara *Virgo Carmelitana*, idque intelligatur *in habitu Carmelitano*; & cur eadem, S. Petro Thomasio apparens, atque Eliam vocans *primum Ordinis Patronum*, fingatur eum nominasse *Institutorem*. An etiam multum ad rem faciat decretum Universitatis Oxoniensis anni 1374. Carmelitas vocantis *imitatores ac successores Eliæ*, quod sano sensu negaverit nemo. De libro Trithemii, ipsorum voluntati permisso, verosimiliter præsumitur, id factum eodem successu, quem habuit liber Theophili Raynaudi sic illis permissus. Quæritur etiam, an damnatio Wicleffi in Constantiensi Concilio quidquam huc faciat, & Sorethi opinio in Constitutionibus anni 1454. ubi Brocardo adscribit earum Præfationem.

xvii. Rursum quæritur de fide Bullæ Sixto IV. adscriptæ, quatenus Enochum annumerat Eliæ & Eliseo: nec non de testimoniis Werneri Rollevink, Dorlandi Carthusiani, Abbatis Trithemii, & Baptistæ Mantuani, seculo 15. scribentium.

xviii. Pro seculo 16. attinguntur Officia quædam tunc concessa Ordini, & Sanctarum Teresiæ atque Magdalenæ de Pazzis testimonia. Pro seculo autem 17. expenditur Edictum Inquisitionis, anno 1639. quasdam assertiones Carmelitarum coercere permittentis.

xix. Qua fide oblatus sit Innocentio XI. libellus supplex P. Sebastiani anno 1683. & quomodo Doctores quidam Lovanienses, Colonienses, & Cæsaraugustani Libellum istum probaverint, supposita citationum veritate, id est citra cognitionem causæ. Et hac occasione expenduntur sententiæ Academicorum Collegii Bononiensis, Ferrariensis, & Paduani pro vetustate Ordinis monastici. Cur autem non sint rogati Salmanticenses & Parisienses, ratio haud difficilis redditur.

ARTICULUS XVII.

Circa Breviaria & Missalia.

PRæmittitur aliquid de veteri particularium Ecclesiarum jure formandi & reformandi sibi Breviaria sua, quo jure etiamnum uti pergunt Ecclesiæ Gallicanæ: & ostenditur, quod Breviaria, vetustiora seculo 10. vel 11. nullas habuerint Sanctorum Historias seu Lectiones: hæ enim usque ad seculum 14. recitabantur ex grandibus Legendariis, per Cistercienses & Regulares Canonicos, juxta anni cursum digeri cœptis.

QUÆSTIO I. Quo jure & quanta cum prudentia Parisiensis Ecclesia reformaverit Breviarium suum, anno 1680. iterumque (ut nunc discimus) anno 1697. Quid in Hispanicis

quibusdam, pseudo-Chronica secutis, desideretur, nominatim circa S. Orientium, creditum patrem S. Laurentii: & in Veneto, quoad S. Barbarum, ob hujus Legendam fabulosam, sumptam ex Petro de Natalibus; ac deoique in Leontino, aucto ex similiter fabulosa Legenda SS. Alphii, Cyrini & Philadelphi.

II. An qui in talibus aliquid fabulositatis irrepsisse notat, recte dicatur, relatas in iis historias passim referre ad fabulas Æsopi.

III. An Missalibus æque ac Breviariis non potuerit irrepere aliquid correctione dignum, Ubi obiter de Ambrosiano hodierno; de Sequentiis nonnullis; & nomine *Cleti*, posito in Canone, non item *Anacleti*; quem eruditiores Franci putant a Cleto non esse distingueodum, contra aliorum communiorem sententiam, sed an ideo certiorem?

ARTICULUS XVIII,

Circa Martyrologia & Kalendaria,

UBi prævie discutitur locus Theophili Raynaudi, ills sic commendantis, ut non asserat mendis vacare; solumque velit agere causam eorum, qui in obsequio peste afflatorum vitam posuerunt, quosque Martyres censeri a fidelibus Martyrologium dicit: item quid inter Martyrologia & Kalendaria intersit.

QUÆSTIO I. Quid de Romani Martyrologii correctione, ex Hieronymiano aliisque similibus & Bollandianis Actis speranda, scoserit Holstenius, in epistola ad Florentinium, Hieronymiani illustratorem: quæ epistola tota ponitur ad finem Articuli, sub titulo Appendicis, & varios primo statim dic errores indicat, ex illis emendandos. Ubi de Baronio, tabulas ecclesiæ Brixiensis in suis ad Romanum Notis allegante, veteres, non novas; & Pontificalem Chronologiam in Lectionibus Breviarii, non semper feliciter, corrigente,

II. Quam exiguæ auctoritatis apud Francos nunc sit Gallicanum Martyrologium Saussaji, Theophilo Raynaudo & aliis, prius quam nossent, valde laudatum: pro quo rogatus auctor reddere rationem, numquam ausus est; & in quo notatos circa Carmelitarum historiam errores, cum excusare ipsi non possent, dissimulari petierunt Patres illi, ne ipsi per Saussaji latus peti viderentur: quod etiam ab Henschenio obtinuerunt, sed absque speratæ pacis fructu.

III. Quid tenendum de Brixiensi Martyrologio Fayni, quatenus ipsum auctum est ex Catalogo Martyrum ecclesiæ S. Afræ.

IV. Quid Bollandus in principio operis sui requisiverit in Martyrologio Franciscano Arturi a Monasterio, titulum BEATI quibuslibet utcumque laudatis addentis, eosque per anni dies pro suo beneplacito distribuentis; auctoris alioqui diligentis, & sæpe occasionem præbentis ad quærendam, & nonnumquam feliciter inveniendam veritatem, Ubi declaratur, quam indulgentes in hoc genere erga alios Ordines sint Auctores Actorum; severi autem, erga illustres Societatis Jesu viros, etiam habentes inchoatum aliquem in suis locis cultum, ut sunt Petrus Canisius, Josephus Anchieta, Bernardinus Realinus &c. quos aliàs dignos commemorari, prætermittunt omnes, donec Ecclesia de illis definitive pronuntiarit. Et quia de Martyrologio Hispanico Tamaji de Salazar tacuit Actator; de hoc, quam futile sit totum, docetur verbis Card. Aguirrii, operose ineptias ejus redarguentis.

ARTICULUS XIX,

Circa receptas Ecclesiæ Traditiones,

QUanta vis sit argumenti negativi, in quæstionibus facti, etiam seculorum aliquos traditione nixi, ostenditur ex Baronio, Cyriacum Papam, Ursulanas secutum, exsufflante, contra Traditionem Coloniensium, Legendam S. Ursulæ vulgatam sustinentium ut veram.

QUÆSTIO I. An sicut Traditiones divinæ & Apostolicæ recipiuntur citra controversiam; ita admittendæ sint omnes aliæ, nec subinde merito requiratur coævi Auctoris testimonium, & quando. Ubi expenditur liber Joan. Launoy hac de re, hactenus nullam censuram passus uspiam.

II. An cum hæreticis faciat is, qui ex justa ratione dubitat de aliqua Traditione,

III. An Carmelitarum de sua ab Elia successione Traditio talis sit, ut nefas sit dubitare de ejus veritate.

IV. Quomodo populares quædam Traditiones, seculorum aliquot tolerantia cooſirmatæ, hoc eruditiori seculo prudenter rejiciantur; puta Antverpiensium de suo gigante, qui a jactia in Scaldim manibus, oon soluto telonio prætervagantium, nomen loco fecerit, Vandwerpen,

ARTICULUS XX,

Circa Revelationes, Visiones, & Apparitiones,

ACcusationibus circa has productis congrue refutandis, recenditur Parergon, tomo 3, Maji interpositum Actis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, sub hoc titulo. *De Sanctarum extaticarum, secundum species naturaliter prabebitas durante raptu quandoque motarum, dictis factisque, ad historicarum quæstionum definitionem non transferendis*. Ubi ex ipsarum mutuo sibi contradicentium dissensu, in oumero clavorum, & modo quibus cruci affixus est Christus; item annorum quibus filio supervixit Maria, & de immaculata Conceptione, contra quædam verba, S. Catharinæ Senensi imputata, aliisque similibus exemplis variis, demonstratur necessitas eam regulam statuendi.

QUÆSTIO I. Cur visio Sabachi, de igneis pulsibus & falciis infantis Eliæ, non mereatur recipi.

II. Quomodo visio B. Simonis Stock, de habitu Ordinis ipsi oblato per Deiparam, possit contra Launoyum prudenter defendi, ex attestatione socii Swaningtoni, licet insigne Ordinis tunc adhuc esset Carpita seu Pallium barratum; itaque sustineri privilegium Scapularis, vulgo prædicari solitum, & sano sensu explicatum: maxime si præsumere liceat, ex hoc principio assumptum fuisse Scapulare a Carmelitis gestandum, etiam sub Carpita, quo illi antea omnino carebant,

III. An visio, Joanni Papæ XX. adscripta, in favorem gestantium Scapulare ejusque leges ser-

servantium, majorem fidem mereatur quam Bulla Sabbatina, cum qua traditur.

IV. An Visio S. Petri Thomasii, in qua perpetuitas Ordinis Carmelitici dicitur Eliæ appromissa a Christo in monte Thabor, asserta a Petri socio Joanne Hildesiensi, non sit credibilior; quam quod idem scribit, variegata pallia fuisse assumpta a discipulis Eliæ, eo quod hujus pallium, dum raperetur per ignem dimissum, complicatum ut erat, ustulatum fuerit exterius, interius album manserit.

V. An visiones S. Angeli Martyris Carmelitæ, certiores sint quam ejus Vita, Enocho socio per patentem imposturam imputata.

VI. Quid dicendum de verbis SS. Teresiæ & Magdalenæ de Pazzis, antiquitatem Ordinis commendantibus.

VII. Quid de vocibus Angelicis, relatis in S. Huberti Monachi, & S. Canionis Solitarii Vitis, nullius vel parvæ ætatis ac auctoritatis.

ARTICULUS XXI.

Circa antiqua Regnorum ac Civitatum monumenta.

QUÆSTIO I. An traditio Romanorum, de baptizato apud se Constantino, sit irrefragabilis.

II. Quam merito explodantur Chronica illa, quæ sub antiquorum scriptorum nominibus produxit Higuerra, plurimique ex Hispanis temere amplexi ut genuina, eruditorum passim omnium risui sese exposuerunt, cultumque Sanctorum multimodis confuderunt. Dolent super hoc Cardinalis Aguirrius, Nicolaus Antonii, Marchio Agropolitanus, & Hermenegildus a S. Paulo (multa idcirco passus, sed eo maxime quia Carmelitis adversabatur) Philippus Labbe, aliique: ex quibus Cardinalis instanter etiam remedium efficax postulat a sanctæ fidei Quæsitoribus.

III. An Tractatus de Episcopis Mediolanensibus, ex antiquioribus eorum Catalogis deductus ante 7. tomum Maji, ipsorum splendori ac nobilitati quidquam detrahat, in eo quod rejiciat cognomina ipsis recenti figmento adscripta, nonnullasque prorsus fabulosas scripturas, de trium sanctorum Magorum corporibus, illuc Constantinopoli allatis ab Eustorgio I. quod potius Eustorgio II. tribueretur.

IV. An Francis gravem injuriam faciat, qui cum ipsismet diplomatum veritatem explorat, nec omnia putat indiscriminatim recipienda.

V. An Capitulo Ecclesiæ Antverpiensis præjudicet, qui in illius litteris de Præputio Christi aliquid invenit congruæ explicationis indigum, ut veræ sint; eamque primus profert.

VI. An injuriosum Neapolitanis sit, quod aliquis fateatur, nonnullas Indulgentias dubias apud eos, æqua ac apud alios, haberi; quosdam etiam, in ejus quam S. Annæ matrem fuisse credunt, solicitando cultu, paulo minus discretos fuisse.

VII. An peccaverit Bollandus, optando ut Tamajus in Hispanico Martyrologio, & Cardosus in Hagiologio Lusitano, minus inhæserint figmentis Dextrinis; vel disputando de Reliquiis Brixiensibus & Calatitanis, de Siculorum in fabulas comminiscandas propensione, de Hibernorum nimia credulitate; qui, æque ac studiorum successores & socii, omnes & singulas nationes illustrarunt, producendis Sanctorum ad ipsas spectantium illustrissimis Actis.

VIII. Utrum Henschenius, daturus præclarissima & hactenus inedita S. Caroli Comitis Flandriæ Acta, a duobus coævis & plurium oculatis testibus scripta, injuriam Brugensibus eum colentibus fecerit, ex fide eorundem Auctorum docendo, contra vulgares quasdam fabellas, prænobilem apud ipsos Stratianorum familiam, nullatenus ream fuisse indignissimæ necis, Bono Comiti illatæ, a posteris præpotentis cujusdam Erembaldi, ex fæce servilis conditionis prognati, & Stratianorum æmulis. Contrarium certe nunc plerique ea in urbe prudentiores & doctiores credunt; ut probant litteræ Abbatia Dunensis & D. Archidiaconi. Quæritur etiam an peccaverit Henschenius, professus abstinere suo in opere a tractandis Christi atque Deiparæ Reliquiis ac Miraculis, quando prætermisit prolixius agere de sacro Cruore, Brugis servato in ecclesia S. Basilii.

ARTICULUS XXII.

Circa Ordinum Religiosorum Sanctos atque scriptores.

QUam magnifice de opere Bollandiano senserint scripserintque Patres Carmelitæ, antequam cœperunt desperare, quod ejus prosecutores induci possent ad probandas prætensiones eorum, qui alio studio aguntur quam veritatis; contra ac facit Societas Jesu, quæ non doluit, sed gratulata est Petro Possino detegenti hallucinationem priorum scriptorum suorum circa ætatem S. Francisci Xaverii, decennio majorem creditam, quam nunc probant Xaverianæ domus monumenta, recens eruta; & quædam Chronologicæ rationes, antehac non animadversæ.

QUÆSTIO I. An Carmelitæ, professis Vitas genuinas duas sui S. Petri Thomasii, ab Henschenio erutas, esse *beneficium æterna Ordinis gratitudine dignum*, nec minus obligati Papebrochio, pro duplicibus Actis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Translatione & Miraculis S. Angeli Martyris, Vita B. Aloysii Rabata, aliisque; imo etiam pro studio historiæ ipsorum a fabulis repurgandæ, congruas eis rependerint gratias, in tot famosis suis libellis, contra eumdem Papebrochium, atque in hac novissima Exhibitione errorum.

II. Quomodo iidem Auctores meriti sint de Monachorum omnium antiquorum Ordinibus, esto subinde coacti refutare figmenta nonnulla; quemadmodum liberrime fecit Angelus de Nuce, Cassinensis Abbas, in Notis ad Chronicon Casinense, detestans sui Laureti malam fidem in eodem procudendo.

III. An Augustinianis facta sit injuria, disputando de Regula, quibusnam scripta sit; & de corpore S. Monicæ, ubinam habeatur: enumerantur autem Eremitarum Augustinianorum Sancti illic illustrati. Addi potuerant longe plures Canonicorum Regularium, Augustinianam Regulam profitentium, in tam variis lateque diffusis Congregationibus; qui Sancti simul omnes (nec enim Præmonstratenses ab eis

eis leparandi funt, cum fuo S. Norberto) integrum soli tomum conficerent. Cur autem horum nullam habuit rationem Exhibitor hoc §. 3. An dubitabat, num fatis fecure poffet etiam illos Auguftiniano Ordini accenfare? Atqui nemo ignorat, illos cum Eremitis de prioritate contendere, & potiores haberi velle.

IV. Quam nihil irreverenter de S. Thoma fcribatur in Actis, ubi tam multa de eo, imo omnia primigenia, nec antea unquam impreffa: quam ample in iifdem Actis agatur de Sanctis ejufdem Ordinis, de quo infignis locus Jacobi de Vitriaco hic reproducitur & defenditur.

V. Quam multi Francifcani Sancti, quantaque diligentia in Actis producantur, efto Martyrologium Arturi fequendum fibi Auctores non putent.

VI. Quantum obligatos fe fateantur Patres Carthufiani, Minimi, & Crucigeri; Minimi autem maxime, pro tam operofis S. Francifci Paulani Actis, qualia ipforum nemo produxerat, idque ex originalibus hactenus reconditis: quam item plene fatisfactum fibi agnofcant circa ætatem fui Fundatoris, poft aliquam, fed amicam, ac reverentiæ plenam, fuper eadem difceptationem.

VII. An Bollando Henfchenius, & utrique injuriofus fit Papebrochius, decefforum defectus fupplendo, vel etiam errata corrigendo, æque libere ac propria: qualem libertatem ut in Papebrochio amabat & fovebat Henfchenius, fic etiam ifte intendit teneri a fuccefforibus; libenter cum Magiftris fuis agnofcens, opus fe tractare, cui femper aliquid addi poffit quod perfectius fit; imo etiam dubia aut falfa demonftrari, quæ olim pro veris certifque habuerunt. Ubi de prolixioribus ad omnes tomos Maji Appendicibus, poft mortem Henfchenii collectis colligendifque,

ARTICULUS XXIII.

De variis gravibufque Papebrochio impactis criminibus,

QUÆSTIO I. An is *Sanctorum Acta paffim per conjecturas invadat ac dilaceret*; qui, dum veritas certa latet, conjecturas verofimiles ut conjecturas proponit, paratus cedere melioribus, a quocumque adductis. Ubi de Tiaræ Pontificiæ origine: de quadam veteri pictura potius Sergii II. imo Leonis IV. quam S. Silveftri: *de numero, felicitatis nomina prædicando*, Sacerdotum ac Virginum inter liberos Sanctorum Bafilii & Emmeliæ, alteroque ternario eorum, quibus matrimonium nihil obfuit ad perfectionem, juvenis autem præmortuus Naucratius, denarium omnibus novum complevit, fic ut ea definitio, non tam conjecturalis, quam demonftrativa haberi debeat.

II. Quid ex Launoyo teneat Papebrochius circa argumenti negativi vim, non femper eamdem, fæpe magnam, aliquando fummam, fæpiffime nullam, pro varietate cafuum quibus adhibetur.

III. An Papebrochius technis, futelis, & cavillis oppugnet Sanctorum Acta; imponatque Clementi X. pollicitus *Carmelitarum hiftoriam dare ex Auctoribus* refpective *coævis*; puta ex Joannis Phocæ Itinerario, Alberti Patriarchæ Regula, Vitriaci Hiftoria, Swaningtoni fcriptis, Sanwici chronica, Pontificum primis pro Ordine Bullis, &c.

IV. Utrum Papebrochius, paffim requirens auctores coævos, eofdem dum adferuntur a Carmelitis rejiciat, quando rejicit fcripta, Jofepho Antiocheno pro feculo 2. Joanni XXIV. & Enocho Patriarchis pro feculo 4. & 13. Cyrillo Priori 3. aliifque fimilibus imputata.

V. An vitio verti fcriptori religiofo & fincero poffit, quod propriis inventis præferat aliena, cum ea invenit meliora; item cum errata, fi quæ commifit, retractat, ac fupplet defectus ex poft allatis monumentis; ficuti exemplo Baronii & aliorum fecit Papebrochius, tum alibi, tum maxime in 7. Tomis Maji hujufque Propylæo, intra annos 12. quibus illi fub prælo fuerunt fucceffive editi; ac denique in Tomo ultimo copiofe fuppleti. Ubi ratio redditur Appendicum & correctionum quarumdam, ab Accufatore enormiter exaggeratarum,

VI. An inter tam multa (ut fingitur) correcta & retractata, aliquid alicujus confequentiæ fit, fpectans hiftoriam Carmelitanam, & quidem *ex craffa ignorantia, erratum*.

VII. An Papebrochius *promiffiones, proteftationes, & juramenta* fua violaverit, quibus Apoftolicæ Sedis judicio fe fuaque fubjicit: ubi de Alfonfo Toftato Abulenfi Epifcopo, Defenforium earum propofitionum fcribente, quas Romæ cenfuratas libere & laudabiliter vindicavit, non ideo dictus inobediens Pontifici, fed ab eo probatus.

VIII. An facras hiftorias impugnet Papebrochius, & quidem non rationibus & auctoritatibus, fed injuriofis fatyris, farcafmis, opprobriis & conviciis; & utrum talis accufatio non magis conveniat Auctori Exhibitionis, per omnes Articulos & Paragraphos falfæ, & fæpe etiam calumniofæ.

IX. An Papebrochius Auctorum a fe citatorum textus, nominatim Vitriacenfis, ubi de Prædicatoribus agere eum dicit, *falfificet alteretque*, ut eos torqueat ad fuas conjecturas, *contra evidentem veritatem*, firmandas.

X. An fibi ipfi in multis turpiter contradicat, dum meliora ac veriora reperiens prioribus ea fubftitui jubet; femper paratus non magis docere quam difcere,

XI. An & quid de Carmelitis ille queratur.

ARTICULUS XXIV.

Circa Elenchum auctorum Ethnicorum, Saracenorum, Judæorum, Herefiarcharum, Hæreticorum, aliorumque ab Ecclefia damnatorum, quos laudare & fequi arguitur Papebrochius.

QUÆSTIO I. Utrum nefas fit Tacitum, Suetonium, Dionem, in hiftoria Cæfarea; Jofephum, in Judaica; Elmacinum, in Saracenica confulere, & præferre contrariis recentiorum atque exterorum figmentis. Ubi de Jofephi libris, Joanni Harduino fictionis fufpectis, aut faltem ex judicio plurium interpolatis, circa Herodianæ familiæ hiftoriam, Evangelicæ haud fatis congruenter deductam.

II.

II. An qui libros Abaillardi, Vicleffi, Lutheri, Calvini, aliorumque similium nusquam citavit, imo nec legit, si aliquid forte verum dicat, quod illi etiam diaerunt, possit citra calumniam accusari tamquam eos secutus.

III. An Joannes Heroldus Hochstettensis, continuator belli sacri, cujus Continuationis singulos libros Catholicis Prælatis dedicavit, semper cum laude etiam de religiosis mendicantibus locutus, sed in solis Carmelitis axplodens enormem, quem fingebant sese in Syria habuisse, monasteriorum ac Fratrum numerum; an, inquam, Heroldus iste indignus sit qui citetur, samquam *infestissimus Sedis Apostolicæ hostis*: esto juvenis, sub nomine Heroldi Acropolitani, scripserit Apologiam pro Erasmo, inter prohibitos ralatam. Ubi obiter iodicatur, quid vetus Chronica Mechliniensis habeat de initiis Carmelitarum.

IV. An capitale sit laudare & citare Claudii Salmasii Exercitationes Plinianas in Solinum; eæque comprehendantur censura, in alios ejus tractatus varios merito lata. Ubi de Indice corrigendorum, quem promisit Clemens VIII. Brasichellansis sacri Palatii Magister inchoavit, sacra Congregatio Indicis recudi ac porro continuari noluit; non prohibens interim, quo minus utamur hæreticorum libris, extra materiam fidei de argumento indifferenti scriptis.

V. Utrum Joannis Marshami Præfatio in laudem monastici status & monasteriorum, ante Monasticum Anglicaoum posita, vituperari mereatur, quia ab Acatholico scripta, & non potius ideo pluris æstimari. An ex eodem Monastico sumptum pro Carmelitis scriptum, recte allegetur ut vetustissimum, in quo citatur Januensis seculi 14. scriptor; & contemni debeat Benedictinus Anonymus, illo antiquior, ibidem ex eadem Cottoniana biblintheca scribens de Carmelitis quædam, minus eis grata. Ubi expenditur Marshami prædicti prudens monitum, in rebus antiquis probandis tanto majorem cautelam requirentis, quanto majorem præferunt antiquitatem; æque ac in nummis, in quibus multi adulterini. Exemplo datur is quem Miræus describit, Carmelitisque commodavis ut genuinum Alberti Patriarchæ, & faciens eum patria Ambianensem ac pronepotam Petri Eremitæ; utrumque falso; prout etiam falsa sunt reliquæ tesseraræ in scuto isto notæ, seculo 13. pro majori parte necdum usitatæ; universim autem necdum cœptæ Ecclesiasticis aptari, quod primus invenitur fecisse Martinus V. Ubi proponitur ex Ughello verius sigillum Hierosolymitani Alberti, quali etiam nunc isti Patriarchæ utuntur. Expenditur denique Gerardi Vossii in scriptoribus antiquis dijudicandis auctoritas, licet Acatholici, & in nonnullis suis opusculis censurati; sinceri tamen, ut probat ingenua ejus de Vita S. Antonii retractatio.

VI. An Papebrochius presse insistat vestigiis Erasmi Roterodamii.

VI. An sequatur Marcum Antonium de Dominis, fœdum & relapsum Apostatam.

VII. An laudet ac sequatur opus Illustriss. Petri de Marca, ab Ecclesia damnatum, quia laudat ejus tractatum *de Primatu Petri*, Innocentio X. acceptissimum.

VIII. An omnia fere Joannis Launoyi opuscula recte dicantur ab Ecclesia damnata, quando tertia eorum pars dumtaxat censuram meruit; idque post mortem auctoris, satagentibus ferme Carmelitis, quorum incurreras odium, Bullæ sabbatinæ & Stockianæ visionis veritatem examinans.

IX. An recte objiciantur Papebrochio Natalis Alexander, Paschalis Quenellius, Joachimus Abbas, licet Sanctus, & hujus defensor Gregorius de Lauro, Æneas Silvius, postea Pius II. aliique.

C O N C L U S I O.

HAbes, Lector, instructas contra me Accusationes omnes & singulas, in formam Quæstionum conversas, quas an merito vocaverim CURIOSAS, tunc melius judicabis, cum integras meas Responsiones legeris, quarum hic solum brevem Synopsim dare conatus sum. Quod si etiam ad manum tibi est ipsa EXHIBITIO quam refuto, & articulatim conferre singula singulis libuerit, sicut fecisse scio primos aliquos tam sacri quam civilis ordinis viros; testari cum illis poteris, nihil nec magnum nec parvum a me præteritum vel dissimulatum fuisse; quare iidem optabant & Accusationes & Responsiones, columnatim mutuo respicientes, imprimi, quod tunc quidem non est visum operæ pretium fore. Eo sane animo ad scribendum accesseram, ut sicubi merito me reprehensum agnovissem, id statim & candide retractarem. In Præfatione tamen congruum censui, *non morari* Te, Lector, *longis Præambulis*, sicut fecerat Pater Sebastianus, *novam forsassis criminandi ausam præbiturus; sed mox in materiam ingredi*.

Adde quod Præambula illa etiam præfixa fuerint Expostulationi Hispanicæ, ad sacram Inquisitionem contra me delatæ, ideoque videbantur differri posse in illud tempus, quo Hispanis responderetur.

Ne tamen glorietur P. Sebastianus, quasi ista totius sui libri fundamenta inconcussa manserint, quia seorsim non fuerint ex professo & directe tractata; novus mihi nuper additus socius, P. Nicolaus Rayæus, sacræ Theologiæ antahac Professor, dictorum PRÆAMBULORUM EXAMEN JURIDICO-THEOLOGICUM alucubravit, sub iisdem quibus P. Sebastianus usus est titulis.

P R Æ A M B U L U M I.

SUmmorum Pontificum Bullis, aliisque Litteris Apostolicis, summa debetur a Catholicis deferentia, fides & observantia humana.

II. Piis Ecclesiæ historiis, divino Officio seu Breviario insertis, ab universis Catholicis debetur summa reverentia & fides humana.

III. Qui sacras historias a Sede Apostolica prævio examine approbatas explodit tamquam fabulas, injuriam eidem irrogat.

IV. Antiquæ historiæ, & traditiones communiter receptæ, non sunt impugnandæ argumentis negativis, sive ob defectum scriptorum coævorum.

V. Regulæ aliquot observandæ in colligendis & describendis Sanctorum actis & gestis.

Atque hæc, SYNOPSIS scilicet & EXAMEN, seorsim nunc edita, ut parti primæ Responsionum præmittenda, in nova ipsarum editione; nunc subjunguntur earumdem Parti tertiæ, cujus hæc est Idea.

ELU-

ELUCIDATIO HISTORICA.

Actorum in controversia, super origine, successione, & historiis sacri Ord. B. M. de Monte Carmeli, inter quosdam illius & Societatis Jesu scriptores: quæ est pars tertia Responsionis ad Exhibitionem errorum, Danieli Papebrochio S. I. T. imputatorum ab A. R. P. Sebastiano a S. Paulo Veterum Carmelitarum in Flandrobelgica bis Provinciali.

INTRODUCTIO.

De occasiona & necessitata hujus Elucidationis, nata ex Libello supplici admodum R. P. Sebastiani a S. Paulo, Carmelitæ, ad Innocentium PP. XI. fel. mem. invidiam scandalorum, a suis partiariis editorum & edendorum, detorquente in Scriptores Actorum.

Caput I. Quomodo circa caput totius Controversiæ, ab anno 1635. se gesserint Patres Bollandus & Henschenius, ac denique ab anno 1660. cum illis Papebrochius; usque ad editum anno 1669. Armamentarium Carmeliticum, quo illi nominatim provocabantur, ad rationem reddendam sui, studiosa (ut dicebatur) affectati, de dicta controversia silentii vel obscuræ brevitatis.

II. Quomodo Papabrochius in Aprili, ad Acta S. Alberti Legislatoris, nihil ultimate definiens, sed solum ostendens, quam parum solidis meritoque suspectis fundamentis hactenus nitantur asserta RR. PP. Carmelitarum, conatus sit pro se suisque Magistris satisfacere, ad rectæ Rationis & Lectoris æqui tribunal, anno 1675.

III. Quam religiosis & honestis modis, ex una parte, apud solos eruditos & rerum historicarum peritos; quam vere turbulentis & indecoris, ex altera, apud imperitum vulgus, actum sit in processu controversiæ, catenus dumtaxat litterariæ, & versantis circa quæstionem puri facti, nihil ad fidem aut mores spectantis.

IV. Papebrochius, in prima parte Maii, edita anno 1680. tuetur scripta sua in Aprili, contra auctorem secundi Armamentarii, vulgati anno 1677. & tunc & nunc paratus admittere successionem ab Elia, qualem Carmelitæ prætendunt, si ea possit aliunde probari vera, quam ex jam refutatis.

V. Post editam a Papebrochio primam partem Maii, varii variis locis Carmelitæ, causam ex mala pejorem faciunt, & ex concertationa litteraria actionem injuriarum, multiplicando libellus famosos, quorum conditiones, religiosis scriptoribus parum dignæ, expenduntur.

VI. De epistola Gallica eruditissimi Cangii, latentis sub titulo Regii Consiliarii, & libellos quidem improbantis, silentium vero ad eosdem suadentis, inscripta amico suo D. Ant. Herouvallio, paris claritatis viro; deque publice convictis imposturis Carmelitarum Leodiensium, Herouvallii nomine, velut qui nusquam extaret, abusorum, contra eamdem Epistolam.

VII. RR. PP. Carmelitæ, jussi ex voluntate Romani Pontificis, sibi per circulares suorum Generalium declarata, cessare a libellis, pergunt, aliis nullo aut falso nomine editis, insultare Papebrochiano silentio.

VIII. Absoluto septem Tomis Majo sub annum 1688. (quorum septem Tomorum posteriores quatuor controversiam, satis ut videbatur ventilatam, non attingunt, & discrete tacent de libellis) collato plurium studio præparatur Exhibitio Errorum, colligenda ex totis 14. voluminibus, præferentibus Papebrochii nomen, non quidem solius, solius tamen accusandi: eaque prodit anno 1693. auctore eodem Adm. R. P. Sebastiano a S. Paulo, inscripta S. D. Innocentio Papæ XII. Anno autem 1695. clandestina machinatione inducitur Hispanica Inquisitio ad inexpectatam Tomorum 14. proscriptionem.

IX. Papebrochii Delatores conantur Decretum contra Acta Sanctorum, totius Christiani orbis stupore exceptum, variis & nihilo minus injuriosis modis palliare.

X. Epistolæ Augustissimi Imperatoris Leopoldi, in favorem Actorum, ad Romanum Pontificem & Catholicum Regem, variorumque Principum ac Præsulum, de publica operis utilitata, exploduntur, ut suppostitiæ atque nullius ponderis: una etiam Cæsaris denuntiatur sacro Officio, ut hæretica & schismatica; alteri opponitur rescriptum, Pontificio nomini suppositum.

XI. Tandem cogitur Papebrochius anno 1696. publica Apologia edita, sua & Henschenii scripta, articulatim defendere, contra Exhibitorem. Defendens autem censuratos libros suos, Latine per se, Hispanice per alios, neutro idiomate recipitur in sacro Officio, prætextu Decreti cujusdam veteris, anno 1634. lati, contra libros & schedas quibus Religiosi quidam mutuo se insectabantur, quod Decretum in illum finem renovatur; jubeturque Papebrochius Censuras, operi suo inflictas, purgare Apologia secreta Hispanica: quod facere exorsus an. 1697. mense Martio, nullum toto anno responsum refert.

XII. Veteres injurias nova graviori obtegere nituntur RR. PP. Carmelita, supplicantes Regē Catholico, aliisque Principibus ac Prælatis, ut a Romano Pontifice postulent rigorosum præceptum perpetui silentii, imponendum omnibus, ipsorum ab Elia successionem minus probantibus; idque ante absolutionem librorum tam injuriose accusatorum, & abolitionem Censuræ Hispanicæ. Supplicationi isti occursum est supplicationa contraria; ubique probata, & sæpe ac variis linguis recusa. Interim quæritur, quale silentium Patres isti petant. An forte simile ei, ad quod obstringuntur quicumque non firmiter credunt beatissimam Dei genitricem Mariam esse sina labe originali conceptam, sic ut sustinere contrarium publice aut privatim ipsis non liceat; Immaculata vero Conceptio passim & ubique possit ut certo vera prædicari?

Elucidatio Historica, seu Pars tertia Responsionis ad Exhibitionem Errorum &c. posita est primo loco pag. 1. & seqq. hujus Collectionis.

APOLOGIA
PRO VERITATE

Contra varias imposturas & accusationes publicas,

Hispanice vulgatas adversus personam & libros

P. DANIELIS PAPEBROCHII

Ipsumque Societatis Jesu institutum.

AUCTORE P. ANTONIO XARAMILIO

Olim Sacræ Theologiæ Cathedratico, tunc Procuratore generali Provinciarum Indicarum, & nunc S. Officii Qualificatore; imprimi permissa a Regio Status Senatu, & ab Ordinario Inquisitore Madritensi,

Dedicata

SUPREMO S. INQUISITIONIS GENERALIS CONSILIO,

Latine autem reddita a P. Petro Cant, omnibus præfata Societatis Jesu Theologis.

SUPREMO CONSILIO

S. GENERALIS INQUISITIONIS.

AD conspectum errorum enormium, quos P. Danieli Papebrochio adscribunt chartæ Auctorum, partim publice nominatorum, partim anonymorum, perculsa Societas Jesu, in hisce Hispaniarum regnis, ingenti torquebatur dolore, non tam quia videbat filiorum suorum unum accusatum; quam quia accusatio erat circa speciales casus ad fidem Catholicam pertinentes, neque habebat libros Papebrochii, ad conferendum cum ipsis propositiones in crimen adductas. Accedebat ad incrementum solicitudinis, quod cum criminationes illæ specialiter tangerent Christi Domini nostri historiam, sanctissimæ Matris ejus sanctique Josephi matrimonium, Ecclesiæ Sacramenta, Evangelistas divinitus inspiratos, aliaque præcipua quædam capita, interrogationibus identidem repetitis fatigabatur, etiam ab iis, qui sibi non poterant persuadere, tam horribilia dictu audituque potuisse a Papebrochio dimanare. Sic afflictæ Societati remedium providit Celsitudo vestra, quando ipsi, prohibitos libros inspiciendos petenti, eosdem indulsit benignitas & justitia vestra. Beneficium hoc fuit & est ejusmodi, ut eo sese in perpetuum obstrictam Celsitudini vestræ gratanter agnoscat Religio mea. Cum autem ex obedientia P. Thyrso Gonzalez Societatis Præposito Generali, atque Provinciali & Viceprovinciali hujus Toletanæ Provinciæ debita, mihi demandatum fuerit Apologiam texere; etiam me credidi indispensabiliter obligatum ad eamdem vestræ Celsitudini consecrandam; ut beneficium, cum humili confessione & recognitione agnitum, redeat in fontem unde profluxit, dum bonorum acceptorum torrens naturam imitatur aquarum, de quibus Scriptura dicit (Eccles. 1.7.) *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur*. Itaque si in hac Apologia subinde ostendatur P. Papebrochius non dixisse, quod illi imputatur, aliàs plane contrarium pronuntiasse, quandoque truncatas exhiberi ejus clausulas cum præjudicio notabili sensus; aut denique gravissimorum catholicissimorumque Doctorum sententias esse secutus, quæ in solo ipso accusantur, atque exhinc illi proveniat restauratio aliqua æstimationis ablatæ, totum id erit beneficium Celsitudinis vestræ, consequens ad restitutionem Tomorum quatuordecim, huic Imperiali Collegio ablatorum: quia alias fuisset impossibile verificare ea puncta, de quibus tam multi cupiunt discere veritatem. Recurrit igitur Defensio hæc ad Celsitudinem Vestram, veluti rivulus ad immensum mare, unde processit; & quia loco supra citato animadverti jubet Spiritus sanctus, flumina redire ad mare, *ut iterum fluant*; vivit Societas cum spe bona, infundendam se novorum beneficiorum torrente, quando allata fuerit quæ expectatur plenior accuratiorque Responsio Papebrochii, ac præsentata Celsitudini vestræ; cui Catholici omnes vovemus a Deo felicitatem diuturnam, ut fidei puritas conservetur impendio vigiliarum vestrarum.

L E-

LECTORI

DANIEL PAPEBROCHIUS S. I. T.

QUam religiose, solide, legitimeque composita & impressa Apologia hæc fuerit, servatis omnibus juris utriusque apicibus, si non satis videor declarasse, Articulo XXV. num. 19. meæ Responsionis ad Exhibitionem errorum male prætensorum, productis Censorum, Ecclesiastici atque Civilis, Approbationibus; expressius id feci in Elucidatione Actorum circa Controversiam Carmeliticam num. 416. neque hic dissimulavi, quo astu & prætextu intercepta sint centena aliquot ejusdem Apologiæ exemplaria, prius quam eis adderentur Prolegomena, Madriti, ubi proditurus liber erat, excusa. Non etiam tacui, quomodo ipse Auctor initio malis verbis exceptus, atque Collegium pro custodia habere jussus; sed mox Inquisitori supremo purgatus, non solum libertati restitutus sit, sed etiam honorifico titulo Qualificatoris ornatus. Hac enim ratione (ut mihi scribit insignis quidam sancti istius Tribunalis minister, ex longa multorum annorum scientia) hac, inquam, ratione solet Inquisitio restituere in integrum eos, quibus aliqua occasione nocuit; & tantumdem etiam me sperare jubent, qui stylum norunt, cum fuerit causa librorum meorum legitime recognita.

Quod autem pro his impressa Apologia præsens, æque ac meæ pro iisdem Responsiones, maneant ad illud usque tempus sequestratæ in Hispania, non idem fit, quia in iis deprehensum sit aliquid dignum censura (necdum enim examen ullum ibidem subierunt, fortassis nec delectæ eo a quoquam sunt) sed quia placuerat summo Inquisitori, die XI. immediate præcedentis Junii, publicare Edictum, quo *omnes tomi, libri, & chartæ, qui & quæ pertinent ad controversias pendentes inter Ordines Carmelitarum & Societatis Jesu, atque ex tali motivo publicati aut publicandi* .... declarantur *suspensi dumtaxat, donec post morosam cognitionem causæ ea sumatur resolutio, quæ maxime congrua erit & conformis justitia*. Hoc Edictum si novit adm. Rev. P. Sebastianus a S. Paulo (quomodo autem potuit illud ignorasse, in quo sui omnes libri sigillatim ac nominatim suspenduntur, tam hic Latine, quam ibi Hispanice impressi contra me) Si, inquam, novit ejusmodi Edictum, qua conscientia potuit me criminari apud suos, quos audio illud in vulgus spargere, quasi utens libro P. Xaramilli, *caute silnerim, librum istum a sacra Inquisitione damnatum?* An ergo idem ipsi est *damnari* librum, id est censura aliqua Theologica notari, ideoque prohiberi; & simpliciter *suspendi, donec causa cognoscatur?* & si, propter generalem illam complexionem, quam dixi, damnatus censeri debet liber Xaramilli, & damnabilis ego quia libro usus sim, nullibi nominatim prohibito; quanto magis censeri debebunt damnati ipsiusmet libri, præfato Edicto sigillatim prohibiti in Hispania; ipseque damnabilior, in eorumdem defensionem, pridem promissam, sub titulo *Memorialis pro sacrosancta Sede Apostolica*, grande (ut ab anno præcedenti jactator) volumen habens, jam tum excusum, sed causis quibusdam necdum propalandis suppressum hactenus?

Ego de eo quod nescio, pronuntio nihil; nihil contra ipsum polliceor; merito tamen suspicor, aliud non futurum quam recoctam centies crambem: & si quid in mysterioso illo libro habet ex Hispanicis Delationibus atque ex falso dicta *Veritatis voce* compilatum, id prius quam in lucem prodeat suffocandum confido, per hanc Apologiam, eo fine Latine redditam. Utinam audeam etiam sperare, in seipsum regressurum auctorem, ut salubriter compunctus desinat cum pertinacia tueri imposturas & calumnias suas, neque novis additis eas velit palliare, ut faciunt ii, de quibus vulgo dicitur, quod *convincere eos, facile; convertere, difficillimum sit*. Habet enim professio historica suos etiam (absit verbo invidia) quasi hæreticos, nullis quantumvis evidentibus convictionibus cessuros; sed quidlibet facturos potius, quam ut fateantur, in suis quibus se niti dicunt traditionibus aliquid irrepsisse erroris, quod sapientior posteritas merito possit atque debeat abdicare. Hoc autem vitio non solus laborat ipse; sed ii passim omnes, qui pro Eliana, qualem sibi imaginantur, ab annis bis mille septingentis successione, existimant, veluti pro aris ac focis, pugnandum esse; quandoque etiam contra suam ipsorum, quam non audent profiteri, sententiam. Pertinaciæ talis recens satis, & anno 1673. posterius, exemplum dat nobis Mag. Raymundus Lumbier, prolixe audiendus cap. 19. hujus Apologiæ num. 187. & seqq. Hic cum de suo Magistro Arana dixisset, quod *Legis antiquæ Religiosa vota*, per Decretum sanctæ Inquisitionis proscripta, paulo ante vel postquam ille obiit, *numquam admisisset, etiamsi vita ponenda ideirco fuisset; & summum quod ab eo poterat obtineri fuerit, ut saltem taceret*; non audens ipse Fr. Raymundus Decreto adhuc vigenti contraire; volens tamen primatum Eliæ, in votis talibus nuncupandis, quacumque ratione tenere; nomine Aranæ, in Indice primæ partis Summulæ Moralis ab illo relictæ, excogitavit Professionem, ab Elia tempore novæ Legis emissam in monte Thabor vel in Paradiso. Quam insulsissimam fictionem agnitamque ut talem, isto postea metu respectuque solutus, per Decretum anni 1673. quo sententia de istis votis, sub quadam modificatione, denuo permittitur currere, retractat in grandiori sua duorum Tomorum Summa Morali, nescio quo præcise anno edita, ne is, cui ipsam affinxerat Arana, vacillasse unquam videatur, & interposito etiam bis juramento, profitetur suum unius id fuisse inventum, præter Auctoris mentem insertum Indici: non quia existimaverit Eliam revera in monte Thabor, vel in Paradiso vota Religiosa professum; sed quia crediderit unicum id esse ac plausibile remedium, quo Eliæ primatus supra ceteros homines in ejusmodi votis (Deiparam excipit) saltem sub Lege nova sustineri posse, casu quo pergeret Inquisitio ea vota Legi veteri denegare.

L T.

LECTORI BENEVOLO
INTERPRES.

Patere ut in ipso hujus opellæ limine licentiam a Te impetrem quatuor in rebus, pro Tuo majori commodo discedendi a forma impressionis Hispanicæ.

I. *Ut Latinos Auctorum citandorum locos, quos, more nunc Hispanice scribentibus usitatiori, in margines Xaramillus retulit, ad ipsum versionis meæ contextum reducam, mutata tum opus fuerit leviter Castellana phrasi, ut commoda sit eorumdem & adscititiarum auctoritatum connexio.*

II. *Ut ea libri hujus loca transiliam, quæ P. Daniel Papebrochius, hinc arrepta Latine transtulit in secundam suæ Responsionis Partem (hæc enim dum componebatur simul & imprimebatur, allatus liber Antverpiam est) vel etiam in Elucidationem Actorum circa Carmeliticam controversiam; ubi de eodem hoc libro agitur Capite XI. post medium.*

III. *Ut dum id facio, aut aliud quidpiam Versioni huic, apud nos in Belgio imprimendæ, ut minus necessarium transilio; ne id ignorans amittas filum concinnandi operis, permittas nonnumquam interloqui me, verbis, sub nota* INT. *id est* INTERPRES, *distinguendis a contextu Auctoris. Ne autem difficilis cuiquam reddatur alterutrius idiomatis citatio, si sub numeris, propter omissiones prædictas diversis, versio decurrat; iidem qui in Hispanico etiam in Latino servabuntur; prosiliendo v. g. a num. 16. Prolegomenorum ad num. 29. propter intermedios alio traductos, neque hic frustra repetendos.*

IV. *Denique ut attentio legentis distrahatur quam minime potest; breviarias notas Librorum, Capitum, Paragraphorum &c. quas una cum ipsis Latinis Auctorum verbis in marginem rejicit Xaramillus, quasque ab his jam in textum relatis separari non convenit in præsenti editione, margines puros requirente inclusi ipsas hisce signis (. . .) & charactere Italico, ut vocant distinguam.*

E. C. Augustinus (*lib. 3. de civ. cap. 4.*) sic in rem nostram ratiocinatur: *Quisquis me &c.*

De quatuor istis punctis præmonitus Lector, scito, quod præmissam Dedicatoriam, *sequitur Facultas* Societatis, *signata a Provinciæ Toletanæ Vice-provinciali,* Francisco de Morejon, *ex judicio gravium atque eruditorum in illa Patrum, Madriti 25. Januarii 1697. Facultati isti succedit*

APPROBATIO

Quam ex commissione D. Licentiati Don Alfonsi Portillo & Cardos, Cantoris insignis Collegiatæ Talaveranæ, Inquisitoris ordinarii, Vicarii civitatis Madritensis & districtus illius, scripsit R. P. Fr. Raphael a S. Joanne, Magister Generalis Ordinis Discalceatorum sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum.

,, De mandato Dominationis vestræ vidi &
,, legi hunc librum, inscriptum APOLOGIA PRO
,, VERITATE &c. positaque in ejus lectione o-
,, mni ea attentione, quam exigebant argumen-
,, ti gravitas & circumstantiæ temporis, nihil
,, inveni in eo, quod aliqua ratione contrarie-
,, tur sanctæ fidei Catholicæ, aut bonis sanctis-
,, que moribus quos illa docet; nihil etiam
,, contra Decreta sanctæ ac generalis Inquisitio-
,, nis; quin potius multa reperio in ipso Au-
,, ctore admiratione digna. Ostendit enim sese
,, hoc in opere consummatum Theologum, per-
,, quam versatum in sacris Scripturis, in lectio-
,, ne & doctrina Sanctorum Patrum, in notitia
,, historiarum ecclesiasticarum; quodque veluti
,, Magister perfectus comprehendat delationes &
,, contradictiones, oppositas libris & doctrinæ
,, Reverendissimi P. Danielis Papebrochii, scri-
,, ptoris ex eadem Societate Jesu: respondent eis
,, eum tanta evidentia & claritate, quantam in-
,, veniet quisquis librum hunc leget pacato ani-
,, mo, cupidoque cognoscendæ veritatis; quæ
,, contradictiones non metuit, sed timet occul-
,, tari: quia occultata non spirat; revelata au-
,, tem vitam & spiritum aufert mendacio. *Con-*
,, *gruit etiam veritati videri, quia lætatur; de*
,, *æmulis suis lædere, quia secura est,* ut loqui-
,, tur Tertullianus (*contra Valentinianos cap. 6.*)
,, nam, *Magna,* inquit (*lib. 7. de Trinitate*)
,, S. Hilarius *Veritatis vis est, quæ cum per se in-*
,, *telligi non possit, per ea tantum quæ ei adversan-*
,, *tur elucet; ut in natura immobilis manens, firmi-*
,, *tatem naturæ suæ quotidie acquirat, dum atteri-*
,, *tur,* odoriferis scilicet herbis in hoc similis.

,, Stylus gravis ac modestus est; & quantum
,, materia patitur, temperatus; quia sancti Pa-
,, tris & doctoris Augustini sententia (*lib. 5. civ.*
,, *Dei c. 15.* jubet ut *tegmina & acceptoria dealba-*
,, *tiones auferantur a cubili, & sincero inspiciantur*
,, *examine,* quo *res cum re,* sicut idem (*lib. de uti-*
,, *litate credendi c. 1.*) loquitur, *ratio cum ratio-*
,, *ne confligat.* Si ad hanc S. Augustini instru-
,, ctionem componerentur omnia scripta & libri
,, auctorum, tam nominatorum quam anonymo-
,, rum, qui in rempublicam Christianam indu-
,, cuntur vulganturque, nihil opus esset apolo-
,, giis atque defensoriis. Sed quia multiplex in
,, hoc defectus est, multi etiam se inveniunt o-
,, bligatos, ad tuitionem veritatis scripto expo-
,, nendam, sive sua propria, sive suorum causa:
,, quemadmodum hujus operis Auctor obligatum
,, se sensit, nisi id faceret ipsemet culpa non ca-
,, riturus. Nam, sicut (*Cap. non in inferenda*
,, *23. q. 3.*) dicitur: *Non in inferenda, sed in*
,, *depellenda injuria, lex virtutis est: qui enim*
,, *non repellit a socio injuriam, si potest, tam est*
,, *in vitio, quam ille qui facit.* Quapropter ju-
,, dico, quod Tua Dominatio secure possit da-
,, re licentiam & facultatem, quam petit hujus
,, operis Auctor, ut prælo detur prodeatque in
,, lucem liber suus, ad errorem multorum au-
,, ferendum, quotquot in præjudicium veritatis,
,, hoc libro declaratæ, contraria abstraxit per-
,, suasio. Ita sentio, salvo &c. in hoc Conven-
,, tu Discalceatorum sanctissimæ Trinitatis civi-
,, tatis Madritensis, Redemptionis captivorum,
,, die 24. Januarii 1697.

INT. *Sequitur Licentia Ordinarii, tali judicio innixa, & signata die 25. Januarii, subscribente* Licentiato D. Alfonso Portyllo y Cardos, *& paulo inferius,* de mandato illius, *subsignante,* Dominico de Garcia. *Præmissæ Approbationi similis est alia Doctoris Pulgarii, a Regio Consilio ad ejusdem libri examen deputati, cujus contextum vide sis in Papebrochiana Responsione Art. 25. n. 21. & 22. Deinde* REX *consueta altis formula & conditionibus,* Madriti 12. mensis Maii 1697. *impressionem permittit,* LOCO REGIS *subsignante,* de mandato Regis Domini nostri, D. Francisco Nicolao de Castro. ERRATA *corrigenda indicante* Licentiato D. Simone Josepho de Olivares y Balcaza. TAXA *definita* Madriti 5. Maii 1697. *per* Don Didacum Guerra de Noriega, Secretarium regium & Scribam in Camera Consilii, *quæ omnia hujus loci non sunt. Pergo igitur ad Prolegomena, in quibus primum est hoc valde notabile*

Opuscul. Collect.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

1 VOlant per Hispaniam totam, imo per universum mundum, variæ chartæ typis excusæ, contra P. Danielem Papebrochium,

eo fine, ut infatigabilis ille Scriptor, cum sociis suis atque Societate tota, referant ea laborum suorum stipendia, quæ ad communem horrorem ciendum conferri solent in reos certo convictos abominabilium delictorum.

2 Intentio hæc specialtier elucet in scripto quodam, cui titulus, *Vox veritatis, in quam hæc, repressa diu & suppressa religioso silentio, erumpit ex desiderio eructandi sensum suum in animos Catholicos simpliciter.*

3 Auctoribus hujus similiumque scriptorum debet prudentia & commiseratio Christiana officium expendendi tria, haud ita facile conciliabilia inter se. Primum est confidentia illorum, secundum timiditas, tertium securitas. Animositatem notare est, in eo quod dicit Auctor, & in modo quo id dicit; timiditatem, in celando nomine ne cognoscatur, quasi semet ipsum suspectum habeat, sui sibi commissi conscius; ac denique securitatem, qua suæ illudit conscientiæ, quasi in eo agendi modo non periclitaretur æternitas.

4 Confidentia quidlibet asserendi, sive (ut magis proprie loquar) fingendi, ea est, ut Papebrochius & Societas de hoc aliisque suis adversariis possint dicere, quod S. Thomas (*Opusc. 19. c. 22.*) ait. *Non sunt contenti qualibet mala confingere, sed gravissima, quibus eos suspectos reddant, & hominum societate indignos, & omnibus odiosos; & ut eos sua detractione plenius opprimant, eis imponunt mala illa, quæ in Ecclesia pessima inveniri possunt.* Grande solatium Societati, quod iisdem, quibus Magni S. Dominici navicula olim, concutiatur turbinibus. Isto modo fingit Anonymus, negari a Papebrochio paupertatem Christi usque ad annum trigesimum, auferri & destrui Ecclesiæ Sacramenta; Evangelistas accusari ignorantiæ, ut qui circa Christi genealogiam erraverint; Virginis Dominæ nostræ atque castissimi ejus sponsi Josephi puritatem dubiam blasphemando reddi; ipsumque appellando Scriptorem *audacem, blasphemum, Hollandum, inverecundum*, traducit eum velut quemdam Lutherum, Calvinum, aut pessimum pro omnia hæreticum quemlibet.

5 Huic præfidentiæ in fingendo accedunt aliæ perquam notabiles circumstantiæ, atque imprimis exclamationes, quantum potest validæ, & concitandis contra Papebrochium Hispanis efficaces. Sed *bene habet*, inquit (*lib. 1. adversus Ruffinum*) Hieronymus, *quod malitia non habet tantas vires quantos conatus & perierat innocentia, si semper nequitiæ juncta esset potentia, & totum quidquid cupit calumnia, prævaleret.* Clamat Anonymus; &, quoniam Vocis officium assumpsit, vociferatur stentorie, atque aerem concutit suis lamentis: quæ ad hoc solum servierunt, ut innumerabiles viri docti, prudentes, & timorati, intra extraque Religiosorum claustra, existiment non esse possibile, ut Papebrochius scripserit tales, quales ei imputantur blasphemias; & qui legerunt, rapiantur in stuporem quasi extaticum, capere non valentes, qua ratione homo Christianus potuerit prælo subjicere testificationes tam falsas, idque circa puncta tam gravia.

6 Alia circumstantia, qua præfidentiam corroborat Anonymus, apparet fol. 11. ubi intrepide mundum totum evocans ad judicandum de Papebrochio; *Convertere*, inquit, *ad legendas Propositiones Papebrochianas, quas hunc in finem expresse transcripsi:* atque mox prosequens; *Nec mihi credas*, inquit: *scrutare Propositiones ipsius Papebrochii, invenies que verificatos errores etiam longe plures, quam ego hic exponam.* Agite: sequamur hoc consilium, videamusque utrum Anonymus suo se hic laqueo non irretiverit, itaque infatuaverit Achitophelis consilium Deus; & utrum ipsimet dictamen suum morale non fuerit id, quod Goliatho gladius suus, & Amano patibulum. Cujus autem tunc erunt, qui monstrabuntur, errores? in quem recident declamationes? quis erit adversarius Jonathæ, cujus sagitta nunquam rediit retrorsum?

7 A Papebrochio transit præfidentia ad Societatem, & instructa armis Clementis Scoti apostatæ, (*fol. 12. verso & 13.*) asserit illius statutum unum esse, & reapse in praxim deduci, *inimicos suos declarare Papam, aliosque Principes Ecclesiasticos & seculares;* atque secundum aliud Statutum, etiam suum, *Machinari mortem etiam ipsismet sociis, æque ac extraneis, non approbantibus quæ in ipsa fiunt, vel contra receptas in ipsa opiniones scribentibus.*

8 Nec minus admirabile est, quod idem Anonymus affirmat, mox a publicato contra Papebrochium Decreto, convocasse Societatem in hoc Collegium Imperiale *Lusitanos, Catalanos, Aragonios, Valentinenses, Bæticos, & quotquot alios in Hispania habet secreti sui regiminis conscios, ad declarandam illis suam publicam oppositionem contra illud; atque omni possibili modo curandum dejectionem ac destructionem ejus, quam sacrum fidei Tribunal habet, auctoritatis; intendende contra ejus Judices atque Ministros vires suas omnes, & intentando injurias, itaque implendo Statutum octavum ac decimum nonum:* quæ ipse ait Clementem Scotum Societati asserere. Tam lamentabilis cæcitas nullum a nobis amplius responsum in præsentiarum meretur, nisi ut ipsi æque ac isti Clementi dicamus cum S. Thoma, (*Opusc. pro Relig. in fine*) quod eos *divino judicio reservamus, cum eorum nequitia possit omnibus esse manifesta, ex his quæ corde suo nequissima protulerunt.* Postea ex Eminentissimo Pallavicino & Theophilo Raynaudo discet Anonymus, quia fuerit iste Scotus; multique ex sanctis Viris ac Patribus eumdem docebunt, ipsius confusionem & Societatis gloriam esse, insultum quem isti in ipsam fecerunt.

9 Induitur etiam Anonymus armis Petri Aurelii, ad impetendos aliquos ex Societate, usque eo ut dicat, scripsisse contra *Credo* seu fidei Symbolum: quod æque certum est, ac verum est Societatis esse Statuta, quorum meminit Scotus præfatus. Petrus Aurelius, fictum est nomen & larva, sub qua latuit Joannes Vergerius. Hic qualis sit, si velit Anonymus etiam sub nomine Petri Aurelii discere, legat Epistolam 4. Balsaci pag. 2. legat variis partibus Theophilum Raynaudum, legat litteras encyclicas Prælatorum Parisiensium diversorum, contra omnes contumelias quas Aurelius jacit in Societatem; legat Decretum, quo Romæ damnatum est ejus opus; denique legat Propositiones infra referendas, quibus Aurelius impugnat Religiosos Ordines, excludendo eos ab ecclesiastica hierarchia. Cumque ista omnia legerit, consideret, quam vim habere possint citata ex talibus Auctoribus loca.

10 Quis

10 Quis scit, an ex prædictorum conscientia non processerit timiditas, quæ calamum Anonymi in diversa egit? Verum timiditas illa non debuisset suadere, ut nomen suum occultaret; sed ne ea publicaret quorum verecundaretur auctor haberi. Et siquidem ei non placebat agnosci, saltem usus fuisset ea veracitate, modestia, & soliditate rationum, quæ facerent solum ad propositum impugnandi Papebrochium, non quidem absque ea energia quam patitur & requirit apologeticus stylus; absque eo tamen excessu passionum, qui posset præsumi esse causa motiva nominis occultandi.

11 Solvat hanc difficultatem Anonymus. Numquid non convocat in sua Charta omnes fideles ad defendendum, virtutem Christi, Evangelium ejus & Sacramenta, puritatem Deiparæ sponsique ejus? Certum est quod id faciat. An poterat justior aliqua esse causa manifestandi sui, majorque necessitas procurrendi imo provolandi ad martyrium, & justitiam causæ suo sanguine purpurandi? Non poterat omnino justior esse ulla. Igitur si hoc intendit Anonymus, vultque ut alii sa declarent, cur ipse se occultat? Cogitet in suo isto latibulo, ne forte ipsum comprehendat divinum istud Christi oraculum, *qui male agit, odit lucem*. Audiat etiam istud S. Gregorii (*lib. 5. Epist. 30.*) dicentis. *Quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare: oportet ut publice exeat; & quæcumque in contestatione sua loqui præsumpsit, ostendat*. Nihil horum facit Anonymus, quemadmodum hæc Apologia monstrabit; sed absque fundamento attribuit tam Papebrochio, quam Societati horrenda probra. Quid ergo nos vult de se præsumere? Ipse in chartæ suæ titulo indicat, Vocis suæ propositum esse, *in animos Catholicos atque simplices eructare* seu *evomere*.

INT. *Utrumque istud & hoc ultimum potius, id est* stomachum gravatum levare per *significat vox Hispanica*, Desahogar. *Quid autem eructabit illa, seu evomet istæc falsi nominis Veritas? nisi bilem qua turget, & maledicta cruda ac fœtida in animos & aures simpliciorum Catholicorum, quod in simili causa haud inepte Papebrochius dixit*, evomere spumam suæ rabiei.

Verum sicuti difficulter fieri potest, ut Catholici omnes solum sint simplices uti columbæ, & non etiam aliqui prudentes ut serpentes; qui non credant certa mala ex incerto ignotorum testium dicto; ita ægre potest contingere, ut aliquis dum fatetur, quod solum se cupiat vomendo seu ructando exonerare, velit publice sciri esse auctor pudendi vomitus sive eructationis. Verba ipsius Anonymi sunt; sola retorsio, mea; sumpta scilicet ex propria ejus confessione. Nec sane justum est, ut ipsi, quia se abscondit, liceat sine fine conviciari Societati, & non liceat ejusdem Societatis filio, ex ipsis conviciis sumere occasionem redarguendi convitiantem; quemadmodum fecerunt innumerabiles Sancti, ac nominatim SS. Thomas & Bonaventura, in suorum quisque Ordinum defensionem.

12 Interim profiteor, non ideo solum me scribere, ut Anonymum redarguam atque erroris convincam; sed etiam ut experiar, utrum convictus & ratione & rerum gestarum evidentia, possit apprehendere periculum suum, & digne apprehensum vitare. Impugnabo eum, non quomodo meretur Satyricus ejus stylus, & satuus fervor: sed, quemadmodum docet S. Hieronymus (*lib. 3. contra Ruff.*) considerando, *Non quid mereatur, sed quid me deceat*. Quod si Anonymus inter hæc subinde putet convitium sibi dictum, id ego non dixerim, sed ratio: tali enim casu, ut ait (*in Præfat. ad tom. 1. Annal.*) Card. Baronius, *humanissime tecum agimus; ut plane rem tibi potius, ipsam inquam veritatem, tibi intelligas adversari, quam hominem*.

13 Itaque cum Charta, sæpe dicta & dicenda, appellari se velit *Vocem Veritatis*; intendo Apologiam hanc sic disponere, ut varias alias Propositiones Anonymi impugnando, pariter demonstrem, quod in *Voce Veritatis* solummodo *Vox*, non *Veritas* legatur, circa omnia crimina & errores, quos P. Papebrochio Societatique imponit. Hoc autem ut palam fiat commodius ordinatiusque, in duas classes partiar imposturas Anonymi. In prima ponentur Propositiones, Papebrochio temere imputatæ, & quas ipse revera scribit; ut, quemadmodum S. Basilius ad Cæsarienses (*Epist. 75.* scribit) *ex collatione eorum, quæ ab utrisque partibus dicuntur, veritas elucescat*. Hac occasione cogar aliquando declinare ad Accusationes impressas adm. RR. Patrum Magistrorum Carmeli Calceati & Discalceati, quorum in ipsis nomina exprimuntur, eadem quæ P. Beltran expressit in Memoriali seu Libello supplici, quem Regi Domino nostro obtulit 6. Aprilis 1696. Id autem faciam cum eo omni respectu & honore, qui debetur ipsorum personis, & clarissimis quas profitentur Religionibus. Manifestus est eorum error, qui existimant disputationes Christianorum cogere ad dicteria injuriasque; quodque, dum intellectus in suo discursu discrepant, rumpenda sit unio & vinculum voluntatum.

14 In secunda Classe digeremus ea quæ Anonymus imputat Societati, sive ex suo solius arbitrio, sive ea auctoritate associatorum sint Petri Aurelii & Clementis Scoti; eumque convincam, ista omnia dici dumtaxat, non probari: quodque, cum sit materia tam gravis, & Anonymi judicio repugnent tam multi viri docti, nullaque passione acti & Deum timentes, quos causa Papebrochii nullatenus tangit, necessario debeat aliquando in seipsum converti, si salvus esse velit.

15 Verumtamen prius quam ingrediar in propositam materiam, protestor, quod & in his jam dictis, & in post dicendis, non intendam defendere, nedum cum obstinatione sustinere quidquam eorum, quæ sacrum Tribunal condemnaverit in operibus P. Papebrochii; vel negare, quod in vasta illa mole tot voluminum de Actis Sanctorum, ipse, tamquam homo, parum quid vel multum erraverit, in punctis quibusdam particularibus, quæ sacri Officii edictum individualiter non exprimit. Solum probare volo, quod in punctis ab Anonymo specificatis, nihil eorum reperiatur, quæ ipse imputat Papebrochio; submittendo totum hoc scriptum, sententiam, & personam meam correctioni sanctæ Matris Ecclesiæ.

16 INTERP. *Hic finem præfandi facturus erat Auctor; cum prodierunt Edicta Sacri Officii duo, quorum causa necessarium judicavit reddere rationem, cur hanc Apologiam contra Anonymum publicare volue-*

fuerit, etiam postquam illius Vox *prohibita est audiri: quam* Animadversionem (*sic eam Auctor appellat*) *totam inseruit Papebrochius Capiti XI. Elucidationis historicæ Actorum in controversia Carmelitica a num. 420. usque ad num. 429. Quapropter, dimissis istis, transeo ad alia quædam, ipsi Animadversioni subjuncta, & digna visa quæ ante omnia cognoscerentur. Sunt autem Litteræ* Provinciales, Revelatio supposititia contra Societatem Jesu, Theatrum Jesuiticum, & quod contra hoc Theatrum fecit dixitque Illustrissimus D. Episcopus Malacensis; atque Edictum Excellentiss. D. Inquisitoris Generalis: *de quibus post numeros 13. hic prætermissos, sic scribit Auctor*.

17 Denique quemadmodum hic in Hispania prohibita est *Vox Veritatis*, sic Alexander Papa VII. anno 1657. prohibuerat Litteras, Provinciales dictas, contra Societatem Jesu, quæ etiam Aquis-sextiis in Gallia carnificis manu publice fuerant combustæ. Prohibuerat autem illas Litteras prænominatus Pontifex legi, quacumque lingua eæ vel jam extarent traductæ, vel imposterum traducerentur. Tali tamen prohibitione non obstante, ab adversariis Societatis curatum est, ut in idioma Hispanicum verterentur: unde necessarium fuit, ut ipsas sub die 9. Junii 1693. denuo condemnaret sacra Inquisitio Madriti; declarando, quod in iis contineretur doctrina hæretica, seditiosa, erronea, scandalosa &c. Obligavit tamen traductio illa Societatem Hispanicam, ut Litteris illis, quamvis damnatis, responderet, detegendo insignes falsitates & errores ipsis inspersos. Cur igitur nefas idem facere contra *Vocem Veritatis*, licet prohibitam in Hispania?

18 Præterea bene nota est prohibitio, per quam Illustriss. D. Don Didacus Arce-Reynoso, prohibuit librum, cui titulus *Theatrum Jesuiticum*: fuit nihilominus qui auderet vulgare contra Societatem Chartam volantem, prætexens esse revelationem S. Hildegardis, monensque lectorem, quod ipsam acceperit ex prædicto *Theatro Jesuitico*: & quia, in suis supra ipsam glossis, voluit Auctor istius Chartæ, maledicentiæ suæ implicare Illustriss. D. Episcopum Balbastrensem, D. Fr. Hieronymum de la Nuza Ordinis S. Dominici, noluit id pati ejusdem sancti Patriarchæ filius adm. R. P. Mag. Fr. Hieronymus Fuser, Confessarius ipsius D. Episcopi; sed in hujus a se scripta Vita (*lib. 3. c. 13. num. 10.*) postquam explicuisset, quam devote sua Illustrissima Dominatio affecta fuerit erga S. Ignatium de Loyola, S. Franciscum Xaverium, & S. Franciscum de Borgia, veluti suos speciales Patronos, addit sequentia.

19 *Non dimittam occasionem, quam mihi præbet id, quod jam referam, ad eximendum errori eos, quos per manifestam Apostolici hujus viri contumeliam, conati sunt ei adoptare quamdam, non minus fatuam, quam malignam interpretationem, quæ clam discurrit per manus, velut aptata prophetiæ S. Hildegardis, Abbatissæ Monacharum Benedictinarum in quodam Germaniæ superioris monasterio; estque procul dubio excogitata his temporibus contra sacram Societatis Jesu Religionem: quandoquidem ex ipsamet constet de ejus falsitate, & de impietate, per quam Auctor talis tamque fraudalosæ præsumptionis eamdem voluit applicare illustri isti Religioni. Etenim in tomo 15. Bibliothecæ veterum Patrum impressionis Coloniensis, ubi reservantur istius Sanctæ Revelationes, illa non invenitur; neque hæ ullam styli similitudinem habent, cum ista quæ sub illius Sanctæ titulo, & sub nomine tam gravis Interpretis, qualis fuit Episcopus Balbastrensis, ausa est prodire in publicam lucem. Sed neque revelatio noviter inventa, quam adfert Bzovius in prosecutione Annalium Baronii* (tomo 15. pag. 109. editionis Coloniensis) *potest ullo modo aptari Societati Jesu: quanto minus illa, cujus Auctor addendo clausulas sibi placitas, & pro genuino textu dando suam malignam paraphrasim, eidem voluit conciliare auctoritatem, præfixo nomine tam docti ac venerabilis Scriptoris. Igitur ut huic calumniæ respondeam, neque ignoretur qualem de eximia Societatis Jesu sanctitate opinionem habuerit iste Dei servus; omissis multis quibus uti poteram argumentis, tamquam domesticus testis; respondebo id tantum, quod sufficiet ad confusionem ejus, qui tam falsum testimonium dedit; & ad instructionem eorum, qui ipsum necdum sciunt cognoscere ut talem.*

20 *Tomo 4. Homiliarum, in ea quæ est 44. de conversione boni Latronis, super hæc verba ex Cap. 7. Sapientiæ*, „ Contra malum, bonum „ est; & contra mortem, vita: & sic intuere „ in omni opere Altissimi, unum contra unum, „ & unum contra duo; *ostendens Orator, quod non patiatur Dei Sapientia vinci se per malitiam Satanæ; postquam id probavit multis mirisque eventis, in Ecclesia Dei per omnia secula successive notatis, sic loquitur. Ad eumdem modum notat Genebrardus, quod anno 1521. quando sacrilegus Lutherus in Dieta Wormatiensi cœpit declarare perfidas suas hæreses, contra Ecclesiam Catholicam, contra usum Sacramentorum, ac specialiter contra Sedem Apostolicam potestatemque Romani Pontificis, Christi vicem in terra gerentis & successoris Apostoli Petri, præordinavit Deus gloriosum sanctum Patrem Ignatium de Loyola; qui eodem ipso anno, præventus visione gloriosi Apostoli Petri, & aliis ex ordine apparitionibus supremæ Cælorum Reginæ dignatus, dimissa mundana militia, Christo se militem consecravit. Tunc scilicet cœpit in eo Dominus excitare viva desideria servitii sui, unde processit fundatio sacri Ordinis Societatis Jesu: qui est una florentiorum Religionum, quas habuit vel habet Ecclesia, cum singulari cura promovendi usum Sacramentorum, & defendendi auctoritatem Apostolicæ Sedis atque Romani Pontificis. Videtur autem, quod eodem ipso tempore timere sibimet Sathanas cœpit, quandoquidem momento illo, quo iste personam suam ad Christi militiam obtulit, auditus est fragor tota domo, ubi erat, tantus acsi funditus subverteretur; & cubiculum, in quo orabat, tam horrendum tremuit, ut vitrea fenestra ejus in frustra abierit. Atque ex his puto satis refutatam manere calumniam interpretationis malignæ, quam persuadere nituntur esse fœtum Episcopi nostri Balbastrensis.*

21 Hæc omnia habet Historicus prælaudatus, cujus verba serviunt, non solum expugnandæ Chartæ illi, qua prædicta revelatio continetur; sed etiam, ut nos doceat locum dare Veritati, ut in publicum prodire possit contra imposturas ex libris prohibitis sumptas.

22 Verum his non fuit contenta pervicacia, neque satis habuit Chartæ famosæ auctor referre prædicta, ut revelationem S. Hildegardis; sed animadvertere lectorem jubet, quod eam acceperit, non solum ex Theatro Jesuitico, verum

etiam

etiam ex quodam Capitulo Generali Ordinis S. Dominici: unde apparet, ejus, qui tales chartas sparsit, intentum fuisse, ut duas sacras Religiones contra se mutuo concitaret. Verum Societas Jesu curavit eximere mundo ejusmodi errorem, qualibet occasione protestando, credere se id esse falsissimum mendatium, ac prorsus indignum maturitate, zelo, ac spiritu tam gravis Senatus, qualem in Ecclesia Dei repræsentat Capitulum Generale Ordinis adeo illustris: quodque impostura tam horribilis solum posuit processisse ab animo inquieto ac studioso seminandorum aiaaoiorum: quem Deus in hoc mundo castigavit contemptu, quo ambæ Religiones & quicumque viri prudentes aspexerunt illam chimæram, quem deinde in altera vita manet severior pœna, nisi hanc præveniat rite pœnitendo.

23 Voluit etiam impostoria nequitia idem Theatrum Jesuiticum ostentare ut fœtum Illustrissimi D. Alphonsi de S. Thoma, Episcopi Malatensis: qui ad ejus conspectum exhorrescens, prælo dedit *Querimoniam Catholicam*, eamque Innocentio XI. dedicavit, supplicans, ut dignetur flammis addicere, tam scripta illa contra Societatem, quam eorum auctores; & quasi in transitu dissolvit innumeras calumnias, quibus ista Religio undique impetitur. Et hoc etiam probat, quod ipsa debeat per filios suos satagere, pro sua incolumitate, tam graviter periclitante.

INTERP. *Finiturus hæc Prolegomena Auctor noster, loquitur de Decreto, quo præsens Generalis Inquisitor renovavit, anno 1696. die 19. Octobris, duo suorum Decessorum Decreta, prohibentia omnes chartas & libros, quibus mutuum honorem aliqui Religiosi olim proscindebant; ostenditque, Decretis illis insistentem sese texere præsentem Apologiam; quam non licitam dumtaxat esse, sed necessariam demonstrat, iis verbis quæ ipse Papebrochius Latine reddidit præfato Cap. XI. num. 445. atque deinceps, usque ad 451. quæ istic legi possunt.*

CLASSIS PRIMA

VARIARUM IMPOSTURARUM.

In hoc opere convincendarum,

Impostura contra P. Danielem Papebrochium.

CAPUT PRIMUM.

De paupertate Christi Domini nostri.

ANonymus pag. 2. ait: quod asserat Papebrochius, *Christum redemptorem nostrum, non exercuisse virtutem paupertatis usque ad annum trigesimum*: & immediate post, statim insultat illi hoc modo: *Quid igitur stramiuula præsepis? quid aatvitas in stabulo? quid pulli columbarum, quos Maria ut pauper defectu agni in sua Purificatione obtulit pro sanctissimo suo filio?*

Ista propositio nullibi extat in aliquo opere P. Papebrochii. Mera fictio est & impostura; qua Anonymus truncatis illius verbis, & omissis aliquot valde substantialibus lineis, subvertit totum sensum, ut odium illi pariat.

2 In Propylæo namque (*pag. 40. num. 51.*) sic habet Papebrochius. *Itaque divino potius consilio quam parentum paupertate natus in stabulo Christus, receptum non aliqua in domo reperit, ubi inveniretur a Magis; dicique potest, ipsummet Christum Evangelicam paupertatem tum primum professum opere, quando eam cœpit docere verbo; & a vocatis ad suum discipulatum exigere, ut venderent qua habebant, darentque pauperibus: quod consilium mox amplexa Deipara sit, oblatis ultro eleemosynis deinceps victura cum filio.*

3 Ex his verbis perspicuum fit, non agere Papebrochium de qualicumque paupertate, sed de Evangelica, quæ ab aliis multum distinguitur. Anonymus suffuratur illi hanc vocem *Evangelica*, aitque, solum agere de paupertate; quod omnino falsum est.

4 Agens Papebrochius de sola paupertate Evangelica, agit, sicut omnes orthodoxi, de paupertate, quæ ut minimum excludat liberum usum alicujus rei. Anonymus autem, agens solum de paupertate nullo addito, agit de paupertate, quæ, quantumvis extrema, admittat usum ejusmodi. Et hæc quoque in accusando falsa est dissimulatio.

5 Papebrochius utens hac voce, *Evangelica*, addensque ut possessa vendantur, dentur pauperibus, vivaturque ex eleemosynis, quas alii voluntarie dederint; loquitur de ista Evangelica paupertate, quæ non solum excludat liberum usum eorum, quæ percipiuntur; verum etiam, quando solennis est, dominium proprietatis in particulari. Idcirco Papebrochius usus est verbis, *Profiteri*, *Professus*: atque in eo inducit Christum, tamquam institutorem practicum istius, quod verbo docebat; istius nempe status, quem per solennem professionem amplexuri erant pauperes Evangelici, qui neque in particulari rem habent propriam, nec heredes in particulari possunt institui. Anonymus tollit iterum Papebrochio vocabulum *Professus*; &, omissis reliquis circumstantiis, solum loquitur de quadam paupertate, quæ talis dominii & juris hereditarii capax sit. Et hæc in accusando cavillatio est, & perversa falsitas.

6 Dicit aliquis, Fratres Reformationis Theresianæ non sunt Carmelitæ Calceati. Occurrit alter, & suppressa voce, *Calceati*, accusat illum, quod Discalceatos neget esse Carmelitas: clamabunt universi, accusationem istam esse maligne furacem, quoad dimidiatam formulam. Ad rem præsentem applicet sibi Anonymus sententiam, dum Papebrochio suffuratur vocem *Evangelica*, illique relinquit solum vocabulum *Paupertas*. Restituat ablatum: & videbit illico, Papebrochio competere thesaurum Evangelii, sibi vero inopiam & paupertatem veritatis.

7 Papebrochius, tametsi in allegato textu agat de paupertate Evangelica, quam in adulta ætate Christus exercuit: hunc tamen adhuc existentem in sua pueritia depingit paupertatis amantem adeo, ut, quod natus sit in derelicto stabulo, non id consideret velut effectum principalem, a paupertate S. Josephi & Mariæ provenientem; sed velut consilium, providentiam & electionem ipsius Christi; *divino potius consilio, quam parentum paupertate natus in stabulo Christus*. Anonymua (quasi nihil horum dixisset Papebrochius, imo quasi ea negasset) arguit illum super stabulo & paleis, quas tamen expresse profitetur idem Papebrochius. Hinc apparet, Anonymum neque videre, neque legere, quæ extant in Papebrochio; at in imaginatione solum sua ea legere, quæ optat accusare. Utinam, cum aliæ paleæ excæcent oculos, hujus sacrati præsepis paleæ illuminent oculos Anonymi; atque excutiatur inde crassa trabs, qua impeditus ipse, vel non videt, quæ expresse & formaliter dicit Papebrochius; vel, si videt, data opera supprimit, & imponit illi contrarium sensum.

8 A præsepi & paleis digreditur ad columbas, quas pro Filio suo in die Purificationis obtulit Virgo, & sic ait: *Hoc totum falsum est in sensu Papebrochii*. Non esse falsum saltem id, quod attinet ad præsepe vel stabulum, vidimus jam. Quod oblationem columbarum, & non agni, spectat, multa possem afferre ex interpretibus: sed ut evidentius calumnia pateat, audiat Anonymua.

9 Nullibi agit Papebrochiua de die Purificationis, nec tractat quæstionem de oblatione, quam eo die fecerit Beata Virgo; nullibi saltem ego potui deprehendere. Et cum ea quæstio proprie pertineat ad diem 2. Februarii, a P. Godefrido Henschenio solita eruditione pridem tractata, nihil, quod adderet, habuit Papebrochius. Quomodo igitur, cum Papebrochiua eam rem ne verbo quidem attigerit, audet dicere Anonymus, in sententia Papebrochii falsum esse, quod Virgn obtulerit columbas?

10 Et quamvis Papebrochius tractasset hoc punctum, dixissetque, quod B. Virgo poterat emisse agnum, si voluisset; non ideo debebat illi Anonymus imponere falsitatem, quam illi tribuit, quasi negaret oblationem columbarum. Abulensis in (*in Lev. cap. 12. q. 29.*) sic ait: *Sciendum autem, quod Domina nostra in Purificatione sua, quando obtulit Redemptorem in templo, obtulit par turturum, ut habetur Luc. 2. Hoc autem factum dicitur a Doctoribus sanctis, quia Domina nostra erat pauper, & non habebat unde offerret agnum anniculum. Sed hoc non valde videtur stare; nam etsi B. Virgo propter paupertatem, fecerat, non quidem est dicendum, quod fecerat pro paupertate, tamquam ad istam oblationem impotens esset; sed fecit propter paupertatem, id est, ut demonstraret se diligere paupertatem &c. Nam quod ipsa potuerit offerre agnum anniculum, satis constat, quia dedit quinque siclos in redemptionem pro Salvatore nostro, sicut pro aliis primogenitis dabatur.*

11 Silveira Carmelita (*tom. 1. lib. 2. q. 14. nu. 57.*) dicit, beatam Virginem in die Purificationis *elegisse pauperum oblationem*: quod autem electio est, nnn est absoluta necessitas, quæ impotentem redderet, quo minus posset agnum emere; dicente præsertim eodem Carmelita: *Virgo amplam ex suis parentibus hereditatem habuit* ibidem (*qu. 15. num. 58.*) Et, dum idem Auctor advertit, B. Virginem munera a Magis oblata distribuisse pauperibus, non advertit, similiter distribuisse bona sibi a parentibus suis relicta; adeoque videtur ille sentire, quod haberet B. Virgo, unde sibi posset agnum comparare.

12 Canus (*lib. 11. de locis cap. 5.*) agens de donis, quæ Magi obtulerunt, ait: *Quidam liberalitatem ac beneficentiam Virginis animadvertunt, quæ brevi aurum acceptum in pauperes erogarit: alii prudentiam, quod viaticum paraverit in Ægyptum: sunt qui modestiam advertant: atque hæc ratio videtur mihi sanctissime & providentissime constituta. Non decebat enim, ut, quæ pauper erat, ea divitum oblationem subito sufferret. Ab omni fastu & ostentatione erat Virgo aliena, nec mutare conditionem illi erat animus, quam sciebat Dei filio placuisse*. Hic manifeste supponit judiciosus auctor ille, non absoluta necessitate factum esse, quod B. Virgo non nbtulerit agnum, sed factum per illius prudentiam, modestiam, humilitatem, & amorem paupertatis. Idem approbat Lorinua (*in Caput 12. Levitici versu 8.*)

13 Vociferetur nunc Anonymus, & conciteţ populum adversus Abulensem, Silveiram Carmelitam, Canum, Lorinum, & alios qui citari possent; & clamet, illos negare præsepe, paleas, & oblationem columbarum. Hoc si non ausit facere (uti procul dubio non audebit, cum Auctores illi tam dilucide dicant vel supponant, B. Virginem potuisse agnum comparare) suam ipse conscientiam consulat, interrogetque, qua fiducia ausus sit id exequi contra Papebrochium, qui clare agnoscit præsepe & stramina; de columbarum vero oblatione ne verbo quidem facit mentionem.

14 Quod Christus Dominus noster, antequam a discipulis suis exigeret paupertatem proprie Evangelicam, habuerit aliquarum rerum proprium dominium, & usum liberum, probat Illustrissimus D. Caramuel (*Theol. Regul. lib. 3. disp. 19. art. 3. n. 228.*) sic scribens; *Assero primo, Christum Dominum aliquo tempore habuisse proprium aliquarum rerum dominium, etiam in particulari: decebat enim, ut Christus, qui commune omnium erat exemplar & doctor, omnibus exemplum præberet, & his qui perfectam, & his qui minus rigidam profiterentur paupertatem. Et si a nobis inquiras, quodnam hoc fuerit tempus, quo Christus proprium rerum dominium habuit: respondeo, fuisse tempus immediate baptismum subsequens: illo enim nullos habuit discipulos, quibuscum in communi viveret: & dum aliquos cœpit habere, non statim ita ei a principio adhæserunt, ut efficerent unum quasi corpus politicum, quod capax esset dominii communis: ac subinde Christus, quæ sibi donabantur ad victum & vestitum, revera possidebat, & proprium eorum habebat dominium, liberumque eorum usum; neque id est contra perfectionem Christi, qui pro temporis opportunitate non debuit aut potuit alium vivendi modum observare.*

15 Hoc idem sentit eximius doctor P. Franc. Suarez (*tom. 2. q. 40. disp. 28. Sect. 2. art. 3.*) citatque Papam Joannem XXII. Subscribit Tannerus (*tom. 4. disp. 2. de Myst. Vitæ Christ. q. 2. dub. 4. num. 105.*) Eminentissimus Capisuccus

(Con-

(*Controv.* 19. §. 6.) sic ait: *Ante baptismum vixit* (Christus) *ex bonis parentum, & quamvis bonorum immobilium videatur non habuisse dominium; mobilium tamen habuisse, probatur est.*

16 Excellentiss. Dominus F. Joannes Thomas de Rocaberti, Inquisitor Generalis (*de Rom. Pont. in fide constantia lib.* 4. *Apolog. cap.* 4. §. 11. *per totum*) probat non posse Christo denegari dominium proprietatis & liberum usum aliquarum rerum; & tali dominio ac usui non obstare unionem cum natura divina; nec dominium infusum, quod omnium rerum habuit ab instanti suæ conceptionis; nec paupertatem, quam ipse Christus exercuit; nec abdicationem, quam circa dominium suum fecerit; *nec tandem ratione alicujus paupertatis & abdicationis dominii*; nec votum paupertatis, citato ad hoc S. Antonino Florentino, qui fatetur Christum tunc nondum emisisse tale votum. Denique dicit idem Rocaberti, ad denegandum ejusmodi dominium, non esse recurrendum ad S. Josephum, qui tamquam pater adoptivus habuisset dominium eorum quæ Christo dabantur: quia non fuit ille pater adoptivus Christi ea forma, qua jura loquuntur de adoptante & adoptato. Eminentissimus Cajetanus, (*super Matthæi cap.* 5.) dicit de Christo: *nihil habuit proprium, præter vestes, ex quo cœpit prædicare.* Hoc ipsum dicit Papebrochius, & quidem sine ea exceptione, quam fecit Cajetanus. Nihilominus, post concessum Christo ejusmodi dominium proprietatis & liberum aliquarum rerum usum, nec Papa Joannes XXII. nec Card. Capisuccus, nec Dominus Inquisitor supremus, nec illustrissimus Caramuel, nec sapientissimus Suarez, nec Theologus & Controversista Tannerus, nec celebris Cajetanus, Christo denegant paupertatem; aut solitudinem præsepis aut paleas, aut columbarum oblationem, quam velut pauper facit B. Virgo. Dicat nunc ergo Anonymus, qua ratione imponit Papebrochio, quod omnia ista neget, dum sentit & dicit idem, quod tuentur tot Theologi altioris classis.

17 Si tunc ille non legerit ad accusandum, accusationem illius comitatur cæcitas, quæ petit, ut aperiantur oculi. Si legerit autem & intellexerit, jam constabit, accusationem maligne cusam esse imposturam & calumniam. Si legerit, sed non intellexerit, nec perceperit notabile discrimen, quod est inter paupertatem absolute dictam sine addito, & paupertatem rigide Evangelicam, statuat æquus judex, an justum sit, ut Anonymus præmium ferat suæ non intelligentiæ, Papebrochius autem luat pœnam.

18 Quodvis trium horum extremorum, *cæcitas, malitia, non intelligentia* molestum accidit Anonymo, & quod videtur minus molestum (nempe *non intelligentia* vel inadvertentia) curam illi relinquit dispiciendi, an hæc fuerit ea, quam Theologi vocant vincibilem, quia cum hac consistit imaginatio, qua quis credit, obsequium Deo se præstare in eo, quo vel maxime illum offendit.

19 Ceterum Anonymus videtur circa dicta sua velle quamvis dubitationem removeri, & omnibus persuadere, ut tamquam certum habeant, quod ipse contra Papebrochium allegat: nam verso folio 11. hæc effutit: *Nolite mihi credere; clamate, quærite Propositiones Papebrochii, & verificatas invenietis illius errores, plures etiam quam quos ego exhibeo: oculis ipsi vestris illos suspicite, examinate vestris discursibus: nec clamoribus credite, quibus defensores queruntur, dictiones suas esse truncatas. Decipiunt; fideliter namque ex ipsius tomis extractæ sunt Propositiones alicujus momenti; ut enim breviter proponantur, non est exscribendus totus Papebrochius.* Anonymi voto satisfactum jam est; jam Societas Jesu clamavit pro recuperandis libris; jam illos concessit Sacrum Tribunal; jam in illis quæsitæ sunt Propositiones, quas Anonymus accusat: & hujus verbis cum verbis Papebrochii collatis, invenimus in solis illis duobus, *paupertas Evangelica*, sensum mutilatum esse, omissa voce *Evangelica*; invenimus, omissum esse *ei professus*; invenimus, omissam esse sesquilineam, qua Papebrochius vim exhibet amoris, quo erga paupertatem afficiebatur Christus, eligens nasci in stabulo; invenimus, pro pauculis istis tamque brevibus terminis, & in causa accusationis adeo substantialibus, minime opus fuisse transcribere totum Papebrochium; invenimus, per pauculas istas omissas voces, in fumum abire accusationem totam, & doctores gravissimos sentire cum Papebrochio; invenimus, quod Anonymus, dum asserit, *fideliter extractas esse Propositiones alicujus momenti*, palam faciat, omissa voce *Evangelica*, nullum notabile discrimen se facere inter *paupertatem Evangelicam* & *paupertatem* solitarie sumptam; invenimus denique, dum dicit, *Nolite mihi credere*, nullum illi creditum dandum esse in eo, quod hic in particulari accusat: nam verborum utriusque, (id est, accusantis & accusati) inter se collatorum ineluctabilis tenor evidenter convincit, Anonymum esse truncatorem.

20 Quale vero nefas sit, accusationis causa, alterius verba detruncare, audire potest ex Vigilio Papa (*lib.* 4. *contra Eutychetem*) sic monente: *Inhonesto uteris officio: Religiosis callido insidiaris, ut superiora demendo & sequentia non addendo, ita media eligas, ut verba sententiis exuens, de eorum nuditate pro arbitrio ludas. Redde igitur suis omnia locis, & propria sententiis indumenta restituas; & noli insidiosis fraudibus calumnias innectere: & quod ad demonstrationem utrarumque dictum est Naturarum, ad dualitatem non referas Personarum.*

21 Anonymus etiam Cassianum (*contra Nestorium lib.* 7. *de Incarn. cap.* 13.) audiat: *Cum id truncatum poneret, quod integrum scriptum est, non vidit, reserata sacri voluminis serie, redargui imprudens atque apertum posse mendacium. O stulta blasphemi amentia! quæ dum ipsa non videt quid sequi debeat, etiam illud non sapuit, quid legi possit. Quasi vero quia sibi auferebat intelligentiam, auferre posset omnibus lectionem; aut ideo perdituri omnes ad lectionem oculos capitis sui essent, quia ipse jam mentis oculos perdidisset. Audi ergo, quod furatus es; audi plena & integra, quæ debilia ac truncata posuisti.* Doctrinam hanc cum debita proportione applicet Anonymus terminis Papebrochii, a se partim truncatis, partim omissis; invenietque, quod harum vocum veritas probet, suam *vocem* non esse *Veritatis*.

CAP.

CAPUT II.

Digressio ad Delationes.

22 REv. PP. Magistri Carmelitæ, Fr. Sebastianus a S. Paulo, Fr. Joannes Gomez Barrientos, Fr. Joseph de Jesu Maria, & Fr. Didacus de Jesu; primus in Exhibitione errorum (*artic.* 11. §. 1.) & alii in Delatione impressa 14. Febr. 1691. (*a fol.* 8. §. 2. *per totum*) accusant Papebrochium super illo eodem puncto paupertatis Christi, & res sane mira est, quod, cum sæpius agant absolute de paupertate, mentionem numquam faciant de libero usu & dominio proprietatis, quocum consistit paupertas etiam extrema, absque eo quod sit rigide Evangelica, ut jam vidimus. Atque adeo ad omnes, quotquot contra Papebrochium allagant auctoritates, respondetur per ea, quæ allegata sunt ab auctoritate Papæ Joannis XXII. S. Antonini de Florentia, & aliorum Auctorum supra citatorum. Majorem etiam admirationem movent Propositiones, quas in dicta Delatione tribuunt Papebrochio, uti & certi quidam modi easdem impugnandi.

Impostura prima.

23 VErso fol. 8. col. 2. affirmant, quod scribat Papebrochius, *totus dedignatus super paupertate Jesu, Mariæ & Joseph*. Respondeo, qua facilitate id asseritur, eodem negari. Asseratur vel unum saltem leve indicium, unde deprehendatur iste Jesuita fastidire vel dedignari talem paupertatem. Nihil aliud id est, quam pingere pro lubitu: inter pictum autem & verum interest multum.

Impostura II.

24 VErso fol. 9. (*col.* 2.) sic ajunt, *Prætendit Papebrochius, Mariæ & Josepho nentiquam defuturum diversorium, si vacasset aliquod; ad illud namque solvendum, quantocumque etiam pretio, satis illis superque nummorum fuisse.*

Nullam talem propositionem habet Papebrochius, nec ullibi affatim pecuniarum tribuit cælestibus illis *sponsis*, nedum pro *quantocumque pretio*. Ostendant, si possint, locum, ubi Papebrochius id dicat: id enim oneris incumbit accusantibus, sub pœna, si non ostenderint, amittendi fidem. Quod ille dicit in apparatu suo ad Chronologiam Pontificum fol. 27. est id quod sequitur: *Neque absonum videatur, quod familiæ Christi facultatulas aliquas (licet non magnas, nec tanta generi pares) præsumam fuisse*. Ubi est hic illud, *satis superque nummorum* ad solvendum? ubi illud, *quantocumque etiam pretio*? Magis ad rem pro tali solutione faciebat *ampla hereditas*, ut habet Silveira Carmelita, citatus n. 53. Hoc tamen non obstante nec PP. Delatoribus, nec ulli alteri occurrit imaginari, quod Silveira tali familiæ tribuerit satis superque pecuniarum, ad emendum quantocumque pretio.

Impostura III.

25 FOl. 11. (*col.* 2.) ajunt de Papebrochio, *Tantam paupertatem in Jesu, Maria & Joseph non potest ferre; conaturque omni arte & omni via possibili eam ab illis amovere, introducens divitias indignas familia Jesu*. Clausulæ istæ, & singulæ seorsim, & omnes simul sumptæ, negantur, absque ullo periculo, ne vel unica sola reperiatur in Papebrochio. In quo tomo illius legitur illud, *Non posse ferre*? in quo illud, *Omni arte & omni via*: non qualitercumque, sed *qua potest*, contra paupertatem Christi ejusque parentem? *Facultates aliquas* dixit Papebrochius: hoccine tantam vociferationum procellam meretur? Laudat ille admirabilem ortem divini consilii, quo unigenitus æterni Patris filius in stabulo nasci decrevit, & in præsepi collocari: hoccine vim est facere & omni arte impugnare eam paupertatem, quam laudat?

26 Sanctissima, & Jesu admodum proxima fuit familia SS. Joachimi & Annæ parentum Mariæ. Heroica & nobilissima sanctitas regnavit in illa pluribus titulis. Auctores sunt gravissimi, qui asserunt, ex tribus reddituum suorum portionibus duas dedisse Templo & Pauperibus, tertia sibi retenta. Nunc ad rem nostram. Summam bonorum, quorum redditus poterant in tres portiones dividi, nonne talis erit, ut mereantur plus quam *Facultatula* vocari? Sic omnino videtur. Totius redditunm istorum summæ numquid heres fuit Maria sanctissima, filia parentum suorum unica? Quis negabit? Et unde, vel ex qua Definitione, Concilio, Historia, vel Ecclesiæ Doctore constat, ante Christi baptismum B. Virginem bonis istis suis ita evangelice renuntiasse, ut nullum eorum haberet liberum usum & dominium proprium? Mihi quidem (fateor) non constat id ex ullo allatorum titulo: & juxta variorum circa istos reditus auctorum opinionem, videtur necessarium, ut (cum ex una parte certissime constet, B. Virginem illorum heredem fuisse, & ex altera non constet de dicta renuntiatione) concedantur B. Virgini eadem illa bona, quæ parentes sui possidebant. Nam, dum hi absque injuria suæ filiæ sanctissimæ duas partes erogabant in eleemosynas, pro familia sua reservantes tertiam; cur de B. Virgine (dum de ipsius renuntiatione proprie Evangelica non constat) dici non poterit, quod non solum sequans, sed superans etiam sanctissimorum parentum suorum exemplum, tales tantasque eleemosynas dederit, ut sibi suæque familiæ solum reservaverit eam tenuitatem, quam significant duo illa vocabula *Facultatulas aliquas*, quas solum illi tribuit Papebrochius.

27 Doctissimus Canus, notans, quod post Purificationem adverit Sanctus Lucas, S. Josephum & Mariam rediisse in civitatem suam Nazareth, *lib.* 11. *de loc. cap.* 5. dicit. *Non ait, in Betlehem, sed in Nazareth. Cur autem autem Betlehem reverterentur, ubi adeo nihil habebant supellectilis, ut Virgini, ad reclinandum infantem, non alius, quam præsepe, locus fuerit in diversorio?* ubi manifesta sensit Auctor ille, quod in Nazareth Maria & Josephus non tam pauperes essent in exteriori, sicut erant in Betlehem; & quod in Nazareth haberent aliquid proprium, quo commodius infanti assisterent.

28 Pero nunc, rectene faceret, qui auditis his Cani verbis (*cur reverterentur in Betlehem, ubi nihil possidebant, nec præter præsepe invenerant quidquam?*) clamaret contra Canum; eique imponeret, quod in illius sententia Jesu, Maria & Joseph iverint in Nazareth, fugientes mortificatio-

sionem, humilitatem, & paupertatem præsepis Betleemitici? Æquumne foret, Auctorem istum accusare, quod in tam sacra familia ferre non posset contemptum & abnegationem bonorum temporalium? Et, dum ibidem non necessitati paupertatis, sed Virginis modestiæ adscribit, quod non agnum, sed solum columbas obtulerit, gratumne Deo foret, de doctissimo illo Dominicano, atque etiam de Abulensi & aliis asserere, quod *omni arte & omni via possibili* virtutem paupertatis conentur a dignissima illa familia removere? Certum est quod non. Quomodo igitur rectum, æquum, & Deo gratum erit, similia seu eadem tam absolute pronuntiari de Papebrochio?

Impostura XV.

29 FOlio 50. agentes de Jesu & Maria in oblatione Magorum, ajunt, quod Papebrochius *illos faciat esse amantes, gratiosos, & ludibundos circa aurum*. Et paulo ante, quod *infans Jesus, in brachiis Mariæ, aurum, quod Magi offerebant, valde suavibus ocellis intueretur; & extensa tenellula manu festive luderet cum pecunia & divitiis*. O quantum potest animus, accusandi pruritu semel præoccupatus! Quod de Deo infante scribit Papebrochius, est id quod sequitur: *In gremio Matris ludens, adeoque pro captu illius ætatulæ aptus ad hospites peregrinos blando risu excipiendos, oblataque munera parvularum manuum injectu jucunde palpanda*. Formalia sunt illa verba Papebrochii (*ad Chron. Rem. fol. 27. n. 9.*)

30 Ubinam hic est indigna illa phrasis, qua accusatur ille, Jesum & Mariam vocare *ludiones seu ludibundos circa aurum*: Quod Jesus in tenera illa ætate, & in sinu matris moveret manulas suas cum ea gratia & lepore, quo solent istius ætatis infantes alii, secretissima divinæ providentiæ fuit dispensatio, qua voluit in illa etiam occasione se gerere more aliorum infantium, quod absque ulla imperfectione potuit facere. Hæc hilaritas pueris adeo innata, & in devotissimis picturis adeo vivis coloribus passim repræsentata, fierine potest, ut tribus gravibus Carmelitis ansam dederit, interpretandi Jesum & Mariam ut *ludiones?* Papebrochius solum tangit hilaritatem infantis: Delatores transiliunt ad Mariam, eumque imaginantur ut ludicram? Papebrochius loquitur de donis Magorum in genere, nec ea specificat: Delatores solum & determinate loquuntur de auro. Papebrochius nullum verbum Latinum habet quod Hispanice significet pecuniam: Delatores eum accusant, quod Jesum introducat ludentem cum pecunia. Non dicit Papebrochius universaliter, quod infans Deus tetigerit omnia oblata munera, sed solum oblata munera. Atqui hoc sufficientissime verificaretur, tangendo solum Thus & Myrrham. Nunc quando pietas doctorum Contemplantium exigeret, ut hac occasione manus istius Infantis Dei contemplarentur positas super Myrrham, quam distillabant illius labores (*manus meæ distillaverunt Myrrham*) & positas super Thus, quod symbolum est orationum Sanctorum, quorum animæ in parvulis istis manibus erant (*justorum animæ in manu Dei sunt*) ecce longe diversa nobis offertur contemplatio; accusatio scilicet, qua Jesum & Mariam interpretantur pro ludiis seu ludionibus circa pecuniam. Hujus erroris culpam quis habet? Non textus Papebrochii, qui hoc non dicit; ergo culpanda solum est glossa accusatorum, id ita maligne fingentium. Pergamus ulterius.

31 Dato etiam, quod Papebrochius in particulari & determinate dixisset, infantem Deum hilariter oblatum aurum aspexisse, & vero contrectasse, quid Delatores ista sua accusatione prætendunt? An forte, quod Deus infans non æstimaverit charitatem & munificentiam, qua oblatis suis muneribus Magi, suam ei servitutem exhibebant cum adoratione? Nequaquam: quia non cadit id in viros tam sapientes. An prætenduns, quod, supposita jam infantis æstimatione, non debuerit hæc demonstrari cum gaudio? Neque hoc. Si namque, juxta divum Paulum, Deus amat eum qui dat, & offert hilariter, quamvis sit aurum (*hilarem enim datorem diligit Deus*) cur non hilarem se exhibeat ille amor, & gaudeat de obsequiis sibi delatis per illa munera? Nonne sacer textus ait: *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus?* Gen. 4. vers. 4. Si namque Dei oculi non sunt minus puri nec minus grati, quam sint suæ manus; cur hæ non recipiant attrectentque, eadem qua illi hilaritate? Dimidium chlamydis S. Martinus Christo dedit in paupere; nonne intuitus est ipsum, & attrectavit hilariter idem Christus jam gloriosus? Ita est omnino: nam nocte sequenti apparuit illi Christus, eo vestitus, & his utens verbis; *Martinus Catechumenus hac me veste contexit*. Et fuit hæc vox instar tubæ, qua Dei Filius mundo palam faceret, satisfactionem suam & gaudium, quod ei attulerat istud obsequium.

32 Quid igitur, Patres Reverendissimi? Quod in his & aliis innumeris casibus referri posset ex S. Scriptura & historiis fecisse Deus, cur, dum infans factus est, facere non potuisset in casu adeo admirando & tantæ teneritudinis, quantæ fuit Magorum adoratio? Quid igitur est quod hic accusatis? Non sane æstimationem obsequii; non etiam demonstrationem hilarioris vultus, non attrectationem munerum. Quid ergo accusatis? & quo vergit illud, quod Jesum & Mariam nomine Papebrochii describitis velut ridiculos seu ludiones in auro? Ego certe non capio. Verba, quibus Latine Papebrochius utitur, sunt, *ludens in gremio Matris*. Atqui id ipsum de se ait divina Sapientia intuitu suarum creaturarum, *ludens in orbe terrarum*. Hoc ipsum etiam universalis Ecclesia applicat Matri Dei: nullus tamen hactenus inventus est Interpres, qui Hispanice ausus sit sive divinæ Sapientiæ, sive sanctissimæ Virgini epithetum dare *jugnetona*, id est ridicule ludentis. Solum hoc invenire est apud Delatores Papebrochii. Hujus ergo clausulas alias quibus coloribus depingant illi, pronum est suspicari, proinde caute legendæ sunt eorumdem accusationes, earumque formulæ diligenter excutiendæ.

Argumentum notabile.

33 VErso fol. 9. (*col. 1.*) arguunt, quod, si vera foret sententia Papebrochii, *sequeretur etiam, neminem laudabiliter facturum, qui ante ætatis annum trigesimum eligeret observantiam Consiliorum evangelicorum .... Et eos, qui ea amplectuntur ad annum 16. esse, in eis saltem virtutibus, Christo hujusque Matre perfectiores*. Ejusmodi arguendi modum non crederem potuisse viro docto incidere, nisi impressum viderem. Reverendiss. Patres Magistri, opera Dei mirabilia sunt, non solum quoad semetipsa, verum etiam

etiam quoad tempus, quo Deus illa exequitur. Sic quoad Incarnationem advertit Apostolus Paulus, primo venisse plenitudinem temporis, ex æterno concilio destinati: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, &c. Antequam ea plenitudo temporis adveniret, an ignorabat Deus, quanti momenti esset divinissimum illud opus? an non noverat, quantis malis involutus, & a quibus liberandus erat mundus? Horum nihil latebat Deum. An forte amor illi defuit & desiderium conferendi nobis tale beneficium? Nefas sit hoc dicere. Cur igitur non citius illud executus est? Auctoritas nec in cælo nec in terra satis ampla est, qua liceat talem interrogationem Deo proponere. Nobis satis esse debet, venerari altitudinem divitiarum sapientiæ ejus, & investigabiles vias ejus, ut Apostolus monet.

34 Quæro nunc. Quia exhortatur nos Christus, ut perfecti simus, sicut Pater suus perfectus est, benefaciendo invicem; an hinc recte inferretur, quod is, qui oblata occasione obsequium præstandi Deo & benefaciendi proximo (licet ad id stricte non obligetur) statim sine mora in ipso temporis instanti rem exequitur; an is, inquam, non laudabiliter faciet, ideo solum, quia Deus Pater per tot secula distulit Incarnationem? Id nemo dixerit. Idem ego dico, de eo quod arguitur in delatione.

35 Similiter post Incarnationem Filii Dei, operibus ejusdem Dei hominis destinata erat plenitudo temporis, quoad annum, mensem, diem, horam & instans. Et quamvis ab ipso primo purissimæ suæ conceptionis instanti paratissimus erat agere jam tum & pati, quidquid deinde egit & passus est pro æterni Patris sui gloria & salute nostra; habuit nihilominus unumquodque illius opus designatam sibi horam & tempus, quo in actum prodiret. Ad miraculum nuptiarum dixit, quod nondum venisset hora sua. Ad miraculum miraculorum, de transubstantiatione panis in corpus suum, dixit, quod illud desiderio desideraverit; de ineffabili sua passione, qua nos redemit, dixit, quod haberet baptizari baptismo, & coarctaretur, donec veniret hora patiendi. Aliæ quoque Christi actiones, ut sunt, quando audivit Doctores in templo, eosque interrogavit; quando homines signis externis & sensibilibus vocavit, alios ad pœnitentiam suorum peccatorum, alios ad statum perfectiorem, & sic de innumeris aliis suis actionibus, an non habebant illæ omnes statutum sibi certumque tempus?

Redargutio supradicti argumenti.

36 AD eum modum poterit Catholicus quispiam sic recte arguere: Petrus ver. gr. adolescens annorum non nisi quatuordecim, nullam negligit occasionem exhortandi homines ad omnem virtutem; alios a lascivia suis consiliis abducit; persuadet aliis ut fiant Religiosi; denique, dum major charitas non est, quam ut quis animam suam ponat pro proximis suis, in ea teneriori ætate, nullo quamvis titulo obstrictus, obtulit & dedit se in obsequium peste infectorum, nec voluit ab eis divelli, solum ut cum vitæ suæ dispendio facilius illi salvarentur: & eodem fervore properavit ad martyrium liber volensque, clara voce fidem suam protestatus, etiam non rogatus, nec ulla tormenti quæstione adactus; atque ita ad annum ætatis suæ decimum quintum animas quam plurimas Deo lucratus, animam suam pro eis posuit. Ergo Petrus in his virtutibus, adeo mature exercitus, perfectior fuit Christo; utpote qui anno ætatis suæ solum trigesimo, tamquam Magister, publice cœpit eas manifestare mundo. Pessima sane consequentia, & in fide detestabilis; attamen ex modo & forma, qua Delatores arguunt Papebrochium, recte illata.

37 In opera externa profluit omnis sua perfectio & meritum ab actibus internis, & a dignitate quam coram Deo habet is, qui ea exequitur. Cum vero quovis & omni tempore interioritas Christi ejusque dignitas fuerit talis, qualem numquam habuerunt, habent, aut habebunt, aut habere possunt homines, quantumvis mature cœperint esse tales; hinc est, quod nullo casu possit aliquis in perfectione cum Christo comparari.

38 Rev. P. F. Sebastianus a S. Paulo, loco jam citato, arguit Papebrochium ea ratione, qua Waldensis Wiclefistas, & Canisius Erasmum aliosque Sectarios, objecta omnibus istis hæreticis, paupertate præsepis. Respondeo, admodum male applicari hoc argumentum contra eum, qui laudat Redemptoris nostri amorem erga paupertatem, electo pro meliori cuna præsepi; uti laudat Papebrochius. Error vigesimus tertius Wiclefi circa paupertatem extat in Concilio Constantiensi expressus his verbis: *Religiosi teneantur victum quærere labore manuum suarum, & non mendicando*. Et hic decimus nonus; *Qui Religiosis dat eleemosynam, eo ipso quo dat, manet excommunicatus*. Dicebat etiam Lutherus apud a Castro (*l.* 10. *adversus hæreses verbo Mendicitas*;) mendicationem esse lege prohibitam. An horum aliquid dicit Papebrochius? Minime sane, laudat potius ac multis locis exaggerat contrarium. Quorsum ergo objicitur illi tale argumentum?

39 Non est hic omittenda quædam reflexio. Ipse P. Fr. Sebastianus (*ubi supra num.* 16.) allegat Canisium, sic arguentem adversus Erasmum: *Theologum hic debuerat ostendere se Erasmus, & non attribuere casui, sed dispositioni divini consilii, quod pauper venerit Messias, & in laboribus a juventute sua*. Papebrochius autem quid dicit? *Divino potius consilio, quam parentum paupertate, natus in stabulo Christus*. Tantumdem ac si diceret: Pauperes fuerunt Maria & Joseph; & multo indigentiores circa humana media, quando peregrinabantur, & quando erant in Betlehem, quam quando morabantur in domo sua Nazarena. Verum etiam est, quod diversorium quæsierint & non invenerint; & quamvis (humanitus loquendo) casualitas videatur fuisse, quod cum partu concurrerit edictum Imperatoris, cujus occasione cælestes sponsi moti se dederint in viam, quæsierint domum, & non inventa compulsi sint confugere ad stabulum, ubi Redemptor natus est; nihil horum (inquit Papebrochius) volo attribuere casui, sed *divino potius consilio*. Theologum igitur se hic ostendit Papebrochius cum Canisio; & tum hic tum ille per illud *divino consilio* evertit Erasmi errorem.

40 Loco citato videtur Rev. P. Fr. Sebastianus velle, quod Christus mendicaverit. De hoc puncto nihil in particulari aut asserit aut

negat

negat Papebrochius; sed id absolute negant Cajetanus (*in Matth. cap. 5.*) Medina (*in 3. part. D. Thomæ q. 40. art. 3.*) Castro (*loco jam citato*) & Caramuel, sententiam oppositam vocant probabilem: tenet etiam pro probabili, quod mendicaverit numquam (*Theol. reg. disp. 19. art. 3. num. 231.*) Omisso igitur Papebrochio, Rev. P. Sebastianus convertat suam accusationem contra duos doctos illos Dominicanos, contra Franciscanum, insignem illum hæreticorum impugnatorem, & contra eruditissimum illum Præsulem. Advertat interim, quod mendicatio non excludat absolute proprietatem & usum liberum eorum, quæ quia mendicando percepit, uti excludit paupertas stricte Evangelica.

C A P U T III.

De matrimonio S. Josephi & B. Mariæ Virginis.

41 FOl. 2. sic ait Anonymus: *Nonne Censura dignum est, quod Papebrochius dicit Tomo 3. Martii, scilicet, Mariam Dei genitricem & sponsum suum Josephum inter se contraxisse matrimonium animo procreandi & gignendi proles? item Mariam sanctissimam suumque sanctissimum sponsum gravissime peccaturos, nisi contraherent animo consummandi matrimonium? item, Mariam sanctissimam & suum sanctissimum sponsum simul cohabitantes incursuros periculum incontinentiæ; ideoque difficilem illis fuisse observantiam voti Virginitatis; atque adeo merito posse judicari, quod Maria & Josephus, quando votum emiserunt, noluerint ad illud se constringere.*

42 In horrida hac accusatione non est verbum, quod salva veritate adscribatur Papebrochio. Et, nisi persuasum haberem, animum passione semel præoccupatum tenebras pati inter ipsa lumina quæ agnoscit, mereretur Anonymus responsum audire ea energia ac vivacitate rationis, qua D. Augustinus (*lib. 2.*) Juliano respondit in hæc verba: *Heccine monstra cogitationum ascendunt in cor tuum, & non elidunt frontem tuam?* & (*lib. 4.*) contra eumdem, *Frons eorum non est frons.*

Frontem omnino videtur hic exuisse Anonymus, nec illi sufficit animus, dum talia effutiit contra Papebrochium: ideo libello suo præfigit hunc titulum, *Vox veritatis*, cum verius sit *Vox calumniarum & falsitatum*. Et est hoc proprie, quod dixit Hilarius Diaconus (*in 1. Cor. 14.*) apud Ambrosium: *Omnis impostura tenebras petit, & falsa pro veris ostendit.* Addit ibidem Hilarius: *Ideo apud nos nihil abdite, nihil sub velamine, sed simpliciter laudatur Deus.*

43 Si Anonymus noster sanctam illam simplicitatem sectaretur dumtaxat, in tuenda & extollenda puritate Josephi & Mariæ, adversus eum, quem putat eamdem negare, vel extenuare, vel aliqua in parte lædere; securissimus poterat apertam frontem ostendere, cujusvis oculis videndam. At quia Papebrochius extollit perpetuam & virginalem puritatem; quam duo illi divini Sponsi Deo cum voto consecrarunt ante & post matrimonium; insuperque proponit sub dubio singularem quamdam oblationem ad majorem ipsorum honorem; quis dubitat, quin Anonymo quærenda fuerint velamina, latibula, & tenebræ, pro monstrosis enormitatibus, quas Papebrochio affingit?

44 Pergamus igitur & videamus tomum 3. Martii, conferamusque verba cum verbis; ut orbi palam fiat, uter hominis Christiani officio defuerit; Papebrochiusne, dum divinorum Sponsorum puritatem extollit? an Anonymus, dum turpes adeo illi errores imponit?

45 Ait igitur Anonymus, Papebrochium affirmare contra puritatem Josephi & Mariæ id quod relatum est num. 41.

46 Papebrochius (*tom. 3. Martii fol. 10. n. 25.*) sic ait: *qui non nisi duplici necessitate atque officio, tum obedientiæ, tum caritatis adductus, vim attulit quamdam concepto prius ac religione voti firmato proposito, virginitatis ad extremum spiritum non solum servandæ, sed etiam profitendæ; eatenus scilicet, ut Virginem in domum suam sustineret accipere, sponsaliaque & nuptias cum ea celebrare; ad conjunctionem carnalem, nisi expressius juberet Deus, numquam processurus, ob simile B. Virginis votum, eidem fortasse divinitus revelatum.* Hæc sunt Papebrochii formalia verba; quæ quamquam per se sola imposturæ convincant Anonymum, non tamen prætereunda sunt sine aliqua reflexione.

47 I. Cum duplex sit modus Virginitatis, corporis unus, alter animæ, uterque æstimabilis; multoque magis secundus quam primus; unum & alterum adscribit Papebrochius S. Josepho, quem scilicet vocat Virginem, quæ nomenclatio ut minimum importat Virginitatem corporalem: animum deinde illius statuit obfirmatissimum in proposito abstinendi etiam ab eo quod aliis causa matrimonii foret licitum.

48 II. Quia Virginitas offerri Deo & servari potest pro tempore solum limitato, absque animo sic perseverandi ad vitæ finem; Papebrochius exprimit in S. Josepho animum, propositum, imo votum *Virginitatis servandæ ad extremum spiritum*, quo anima a corpore separatur; atque adeo facit illum Virginem perpetuum quoad corpus & animam. Iterumque (*fol. 14. n. 44.*) pergit idem inculcare his verbis; *Virginem autem non quomodocumque, sed deliberato animi in vitam omnem consequentem proposito, voti religione firmato.* Et ante (*fol. 6. n. 10.*) dixerat: *Placet autem imprimis illud de Virginitate assertum, Latinorum Patrum totiusque Ecclesiæ Occidentalis sensui accommodum.* Illud autem assertum erat de Virginitate S. Josephi. Et, quia Græci aliqui dixerunt, quod, antequam contraheret cum B. Virgine, aliam uxorem habuisset & ex ea filios, dicit ibidem; *Ratio refugit, ne non omnino puras manus Virgineo Christi corpori tractando attulerit.* Apage, exclamat Papebrochius; horret Christianus animus vel cogitare, manus, non ex toto puras, fuisse destinatas ad contrectandum virgineum Christi corpus: ubi Papebrochius S. Josepho, putativo Christi patre, indignam judicat, non solum qualemcumque voluptatem illicitam; sed ne illam quidem, quæ ratione matrimonii alteri cuivis conjugato licita fuisset, adeoque nec consensum in illam. Ecce quæ species istius animi, quem cælesti Mariæ desponsationi imponit Anonymus, quando id vel audire intuitu alterius mulieris exhorrescit Papebrochius.

49 III. Notanda sunt illa verba, *Non solum servandæ, sed etiam profitendæ*; & illa, *Vim attulit quamdam*. Animus Josephi erat, ait Pa-

pebro-

pebrochius, non servandi solum, sed etiam profitendi perpetuam Virginitatem. Et vel eo ipso, quo distinctionem facit inter *servare & profiteri*, majori energia ad altiorem gradum evehit puritatem S. Josephi, hoc est, ad quamdam animi irrevocabilem stabilitatem, a qua ex obligatione electi status, nec vellet, nec licite posset recedere, & quamvis, ut legi morem gereret, contraxerit, in eo ipso tamen vim quamdam passus est, *Vim attulit quamdam*, ut verificari possit de S. Josepho, quod Abulensis (*in Matth. c. 1. q. 3.*) dixit de B. Virgine, *Si ipsa permitteretur libertati suæ, numquam contraxisset.*

50 iv. Cum matrimonium non contrahatur nisi volendo, illud velle S. Josephi explicat Papebrochius per quoddam velle, quod non fuit solum velle, sed sufferre, & quodammodo habere patientiam cum statu matrimonii, *Sustineret accipere*, ob id quod matrimonium per se sonat; & ob potestatem ac dominium, quod consorti communicat, qui antecedenter Deo se consecraverat per votum perpetuæ Virginitatis: id autem totum indicat animum valde remotum & aversum ab usu matrimonii.

51 v. Ut magis erubescat Anonymus, ubique clarius innotescat ejus calumnia, attentam aurem meretur Papebrochius ad ea verba, quibus S. Josephum, eo tempore, quo se B. Virgini tradebat in sponsum, eamque in sponsam suam recipiebat vicissim, tam Virginem facit & corpore & anima, ut firmus illi semper steterit animus servandi virginalem puritatem, dum Deus manifesto præcepto contrarium non mandaret. Verba illius sunt; *Sponsaliaque & nuptias cum ea celebrare, ad conjunctionem carnalem, nisi expressius juberet Deus, numquam processurus.* Doctor Angelicus (*3. p. q. 28. art. 4. ad 1.*) dicit, votum Virginitatis in B. Virgine non fuisse absolutum, sed sub hac conditione, *Si Deo placeret*. Terminus *Placeret* minus significat, quam terminus *Juberet*: ille per se significat solum Dei beneplacitum, præscindendo a præcepto, quod obliget; hic vero præceptum significat. Illo usus est D. Thomas, agens de B. Virgine; hoc utitur Papebrochius, de S. Josepho agens: illo usus est D. Thomas ad explicandam voti, quod emisit B. Virgo, qualitatem; Papebrochius, supposito jam S. Josephi voto absoluto, utitur voce *præcepti*, ad explicandum modum, quo celebravit contractum matrimonialem: nec contentus voce præcepti vel mandati, addit vocem, *expressius*, volens per eam significare, quod divina contra suum votum dispositio deberet S. Josepho constare, non taliter qualiter, sed per præceptum, quod, utpote expressum, dubitationem non admitteret de Dei in illo casu ordinatione.

52 Redeat nunc Anonymus in se, dispiciatque, qua fretus conscientia audeat mundo persuadere animum, quem nomine Papebrochii attribuit S. Josepho; cum, quod D. Thomas deducit in laudem virginalis puritatis Mariæ, id applicet Papebrochius S. Josepho, & terminis quidem latinis tanto rigidioribus, quantum differt inter τὸ *Si Deo placeret*, & τὸ *Nisi expressius juberet Deus*; & in circumstantiis temporis tam differentibus, quantum tempus vovendi differebat a tempore contrahendi matrimonium. Non eo hæc dixi, quo mihi imaginer, nedum persuadeam, Papebrochium extulisse aut melius explicuisse puritatem S. Josephi, quam D. Thomas explicuerit puritatem B. Virginis; sed ut ad solem Angelici Doctoris clarius elucescat cavillatio & calumnia nostri Anonymi: dum enim per votum conditionatum D. Thomæ nec minimus quidem imperfectionis nævus cadat in puritatem B. Virginis, non potest quoque cadere per votum absolutum Papebrochii; & per expressum præceptum, unde S. Josephus tempore nuptias celebrandi pendebat, nisi expressius juberet Deus. Sed nec Papebrochius, nec quis alius admiretur, inventum esse Anonymum, qui odium illi & horrorem nitatur conciliare, cum non defuerint recentiores aliqui, qui teste Eminentissimo Capisucco (*controv. 4. §. 6.*) formidarent Angelicam illius amplecti doctrinam, quam in hac materia tenet: *Nimis* (inquit doctus Cardinalis) *formidant recentiores aliqui hanc Divi Thomæ sententiam amplecti.*

53 vi. Papebrochius (*eodem tom. 3. Martii fol. 15. §. 8.*) sic ait: *Nunc ad se nos vocat virginalis conjugii obses annulus.* Notentur hæc verba: *Virginale conjugium*, quibus innuit, quod, sicut in aliis conjugiis per usum corporis ac carnis, mutuumque in id consensum, procurant conjuges hanc ipsam unionem; ita, in hoc cælesti conjugio, unum eumdemque spiritum Virginitatis firmaverunt Josephus & Maria, per unionem animorum in eo consentientium, ut victimæ puritatis perseverarent, donec viverent. Atque ita (*fol. 5. num. 4.*) duodecim honores S. Josephi enumerans Papebrochius, ait quartum esse, qui significatur his verbis: *Sponsa igitur erat & Virgo, & consentiente sponso perpetuæ Virginitatis propositum observabat.* Si in eo consentiebat Josephus, quomodo consentiret, animumve haberet in eo, quod Anonymus affingit per calumniam Papebrochio?

54 Ne autem replicet Anonymus, verba pro quarto illo honore citata esse Magistri Petri Juliani, vel Petri de Alliaco Protepiscopi Cameracensis; audiat, quid post enumeratos omnes 12. honores (*numeris 4. 5. 6. & 7.*) dicat Papebrochius super octavo. *Porro, ut omnia, quæ sunt ex Evangeliis in principio deducta, certissima sunt; ita & quæ subjunximus ex Alliaco consona, extra omnem falsitatis suspicionem manent.* Iterumque (*num. 7. ex jam citatis*) dicit: *Qui omnes S. Josephi honores cum fructus fuerint Virginalis conjugii*, &c. Cum igitur quartus fuerit, quod Maria Dei mater suam servaverit virginalem puritatem consentiente S. Josepho; hujus Sancti, quando contraxit, animus fuerit juxta Papebrochium, in se & in sua Sponsa Maria perpetuo servare corporis & animi illibatam Virginitatem.

55 Dicat nunc Anonymus, cum hactenus dicta sint ea quæ sensit Papebrochius, atque hic insuper se opponat manifeste, non solum qualicumque culpæ contra puritatem, verum etiam qualicumque matrimoniali licentiæ, quæ opponatur virginali integritati; quomodo absque periculo naufragii sui spiritualis ausus est diffamare Papebrochium per ea, quæ ipsius nomine impressit; scilicet S. Josephi animum fuisse, consummare matrimonium, aliàs graviter peccaturum fuisse? Cum autem quæ in favorem perpetuæ Virginitatis allata sunt, sint ipsius ipsissimi Papebrochii, & in illius tomo 3. Martii legenda extent, qua fronte, qua conscientia, qua divinæ legis reverentia, quo timore vio-

landi

landi octavum Decalogi præceptum, audet lectorem remittare ad eumdam illum tomum tertium Martii, ubi omnia inveniuntur iis opposita, quæ Anonymus fingit?

56 Quia igitur non legitur in Papebrochio, id quod Anonymus bucciaat sua prætensæ veritatis voce; ob oculos illi ponam, quod in D. Gregorio, (*lib.* 23. *in cap.* 33. *Job.*) legitur: *Helia, dum eum austeritate studuit increpare quæ dicta sunt, mentiens addidit quæ non sunt. Qui enim semper increpare appetunt, & numquam favere, multa plerumque increpando mentiuntur. Num ut arguere docte videantur, fingunt nonnumquam, quæ redarguant.* Videat hic Anonymus, an in suum accusandi pruritum recte cadat, quod magnus ille Pontifex dixit de Heliu, in mendacium lapso ex nimia Jobum accusandi libidine. Atque videat etiam, an, eum sua verba adeo contraria sint verbis Papebrochii, sitque sua accusatio adeo acerba; videat, inquam, an non inciderit in boc malum, quod exaggerat S. Gregorius. Si inciderit autem, oculos aperiat; ut videat aliquanto longius; non enim est circa materiam levem fictio illa: & si per illam prætendit concitare populos adversus Papebrochium, prius illi considerandum est, an non contra se concitabit furorem Dei.

37 A S. Josepbo transeamus ad B. Virginem, ac videamus, quid de ea dicat Papebrochius (*eodem tom.* 3. *Martii fol.* 14. *num.* 44.) Præter jam allata babet bæc verba: *de Maria, quia similis voti vinculo ipsam se obstrinxerit, nemo nunc dubitat, nisi qui pariter & Ecclesiæ Catholicæ & castitatis hostem se profiteatur. Quo enim alio illa spectat plena admirationis interrogatio? Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ubi, cum utriusque votum, id est, Josephi & Mariæ, adeo utrobique simile sibi sit, servata debita sanctitatis proportione, affirmat Papebrochius idem de sponso, quod de sponsa addens; nisi quis bostis sit & castitatis & Ecclesiæ Catholicæ, non posse Mariæ adscribi indignum animum utendi matrimonio, quem illi nomine Papebrochii affingit Anonymus.

58 Cum eorum, quæ allata sunt, certitudo pateat ad oculum manifeste, non capit se Christianus animus, nec satis admirari potest Anonymi cæcitatem, circa ea, quæ dixit de Papebrochio. Putaverit ille procul dubio, sacrum Tribunal tomos non redditurum ad justam defensionem; &, cum passim nos invitaret, ad legendum 3. tomum Martii, pro facienda fide suis illis impietatibus quas finxit, crediderit, nullam fore viam aut modum tomum illum assequendi, adeoque nec legendi pro examinanda veritate. At mirum quantum deceptus est! Non enim æquitas sancti Officii regi se patitur illis principiis, quæ cæco impetu sequitur ille in sua accusatione. Et cum ea, quæ somniat, adeo sint opposita iis, quæ scribit Papebrochius, ut Catholicus, extollendo perpetuam atque virginalem Mariæ puritatem; providebit indubie Deus, ut adhuc in hac vita, pro tolerantia tam enormium falsorumque testimoniorum, suo fruatur præmio Papebrochius; Anonymus autem (si non publice, privatim saltem in seipso) salutarem patiatur conscientiæ suæ confusionem, agnoscatque se impostorem, atque ea emendet, quæ per orbem divulgavit.

CAPUT QUARTUM.

Digressio ad alia diversa scripta.

59 Anonymus nullo utitur argumento, quo probet id, quod Papebrochio attribuit contra puritatem Josephi & Mariæ, utitur solum generalibus terminis, quibus lectorem remittit ad tom. 3. Martii. Respondebo nihilominus ad omnia argumenta, quæ allegantur a RR. PP. Carmelitis, Fr. Joanne Gomez Barrientos, Fr. Josepho de Jesu Maria, Fr. Didaco de Jesu, & Fr. Sebastiano a S. Paulo; tres quidem primi in Delatione 14. Febr. 1671. impressa (*parte* 2. *a fol.* 4.) ultimus vero in Appendice sua *ad Motivum Juris* Hispanice traductum, uti & in *Exhibitione errorum* (*a fol.* 44.) Utrumque scriptum passim volitat, traductum & impressum Hispali, sub nomine D. Danielis a S. Petro.

Argumentum 1.

60 Fol. 4. verso tres primi Delatores dicunt, quod *Papebrochius, agens de Josepho & Maria, dicat, dubitare se, an votum emiserint ante nuptias; & uti, propositionem istam puram decorum videri admirabili Virginis Sanctissimæ puritati; id namque perinde est*, inquit, *ac dicere, nec B. Virginem, nec S. Josephum ante nuptias ea virtute fuisse ornatos in gradu heroico, in quo votum illum instituit* &c. Hæc omnia sunt Delatorum formalia verba.

61 Respondeo, ea omnia falso imponi Papebrochio, & in eis videri Delatores imperiose magis quam rationabiliter arguere. Suimet suarumque accusationum ipsi obliviscuntur; contradicunt etiam Rev. P. Fr. Sebastiano a S. Paulo: atque ita solemne & authenticum dant testimonium, quod non videantur ante oculos habere præsentia, quæ tamen suis ipsi oculis legunt. Appello hic universum orbem, ut hujus veritatis sit ipse quoque & testis & judex.

62 Suimet illi obliviscuntur: nam (*fol.* 4. & 5.) in citato loco accusant Papebrochium, quasi dubitat, an prædictum Virginitatis votum, quod contractum ex necessitate matrimonium præcessit, non invalidaretur per dictam necessitatem, quæ subsecuta est: talis autem Papebrochii dubitatio & Delatorum accusatio evidentar supponit, votum antecedenter extitisse, de cujus valore dubitaretur postea.

63 Contradicunt etiam Rever. P. Sebastiano a S. Paulo, qui (*fol.* 43. *num* 80.) de Papebrochio sic ait: *Agens de contracta conjugali S. Josephi cum B. Virgine Maria, disputansque, quomodo potuerint contrahere matrimonium, cum tenerentur absoluto voto Virginitatis* &c. Et paueis post lineis fatetur repetitis vicibus, ac Papebrochio concedit ipsemet votum absolutum ante matrimonium.

64 Apertum denique dant testimonium Delatores coram universis, non videre se, quæ oculis ipsi suis usurpant leguntque, quia iis ipsis locis, quæ citant, (*id est f.* 10. *n.* 25.) Papebrochius sic scribit: *Conjugium tali voto posterius.* Et in Margine: *Non obstante castitatis voto, nuptiæ fuerunt utrimque necessariæ. Et* (*f.* 14. *num.* 44.) dicit, quod, Josephum fuisse in proposito præconcepto Virginitatis servandæ voti religione firmatum, *sit perquam credibile ex*

illo tam constanti tot annorum cœlibatu. Est autem perspicuum, quod, si cœlibatus præcesserit matrimonium, præcesserit etiam votum ex ipso cœlibatu inferendum. In margine *Joseph & Maria ante nuptias virgines ex voto* fuerunt. Et (*fol.* 15. *num.* 46.) *dubitasse* dicuntur sanctissimi Joseph & Maria tempore contrahendi, *num adhuc obligarentur*, voto scilicet præterito, quod (ut est in margine) tali casu *potest solutum videri*. Denique num. 47. *Nullus dubito, quin prius emissum votum uterque renovarint*.

65 Hic universis patentes fiunt septem Papebrochii clausulæ, quibus ille expresse & formaliter toties affirmat, votum fuisse ante matrimonium, atque hoc fuisse posterius: nec est Latina phrasis, qua non utatur, ut semper idem affirmet. Et quamvis hi termini, *Posterius*, *Ante*, & *Prius*, adeo sint expressivi; Delatores tamen publicis typis quaquaversum sparsis asserunt, Papebrochium dubitare, an votum fuerit ante matrimonium, ac resolvere, quod Josephus & Maria Virgines fuerint sine Voto. Quis hic non horreat enormitatem ejusmodi calumniarum? Res hæc jam non dependet a discursu, sed ab ipso facto, & a verborum cum verbis collatione: ea namque via convincuntur evidentissime Delatores, quod Hispanice reddant verba in oppositum prorsus sensum, quam quo Latine ea scribit Papebrochius; voluntque id, quod prius est, esse posterius, &, quod est ante, esse postea.

66 Quis non agnoscat hic secretum aliquem divinæ providentiæ tractum, qua, dum Delatores nituntur in Papebrochio errores retegere ac manifestare, rem longe diversam retegit ac manifestat Deus? Et, si in libellis per orbem sparsis, quorum auctores cogniti sunt, adeo hallucinatur prætensa Veritas, quanto magis in illis hallucinabitur, quorum auctores sine nomine latitant, ut veritatem oppugnent tutius. Delatoribus igitur per ipsa sua verba de falsitate convictis, lectori merito libebit hic exclamare cum S. Augustino, & præsenti casui applicare ipsius sententiæ energiam (*lib.* 11. *contra Faustum cap.* 2.) *Sic manifesta veritate isti præfocantur, ut obsessi dilucidis verbis... exitum in eis fallaciæ suæ reperire non possint*. Dilucida nempe sunt Papebrochii verba, quibus fatetur agnoscitque, virgines cum voto fuisse Josephum & Mariam, & illud Virginitatis votum fuisse ante matrimonium; cum oppositum illi imponant Delatores.

67 Si, quæ relata sunt hactenus, admirationem movebunt, majorem etiam movebit occasio, quam Delatores videntur arripuisse, ad dictum voti dubium Papebrochio adscribendum. Audiamus hunc (*fol.* 54. *num.* 44.) sic scribentem: *unum non æque inter Catholicos Scriptores convenit; posteriusne nuptiis votum istud, an prius fuerit. Nec potest in alterutram partem dici quidquam, a revelatione divina abstrahendo, nisi per conjecturam aliquali congruentia nixam, quæ ferr ex cujusque genio & ingenio pendet. Immerito tamen verentur nonnulli, ne forte non substiterit matrimonialis contractus, tam contrariam usui suo obligationem subsequens: quasi conjugum in mutua corpora potestas non possit separari ab usu istius potestatis; cum pecuniarum dominium videamus in iis etiam Religiosis subsistere, qui earum usu sibi per votum paupertatis interdixere, eoque non obstante illud ab iisdem etiam de novo acquiri*.

68 Ex his aperte patet, Papebrochium referre dubia, quæ controvertuntur inter Catholicos super præcedentia voti; hac tamen non moveri, quo minus eodem voto non obstante potuisset postea contrahi matrimonium. Si, quia quis præcise aliorum refert dubia, non possit se illorum sententiis opponere, idem Delatores dicant de Suaresio (*tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 28. *art.* 4. *sect.* 2.) de Abulensi (*in cap.* 1. *Matt. q.* 30.), & de aliis multis, qui aliorum sententias referunt. Accusent Suaresium, quod citet Sotum, qui negat, votum fuisse anterius; atque Durandum, qui id relinquit in dubio. Accusent Abulensem, quod alleget Auctores alios, ejusdem cum Soto sententiæ: videantque an etiam accusari vel notari mereatur Evangelista S. Lucas, quando Act. 17. recenset varias Areopagensium opiniones super resurrectione mortuorum. *Quidam quidem* (inquit) *irridebant; quidam vero dixerunt, Audiemus te de hoc iterum . . . quidam vero viri adhærentes ei crediderunt*. Certum est fore, ut horum neminem audeant accusare, propter aliorum dubia & opiniones, quas illi referunt: solum id audent in Papebrochium; imponentes velut suum, quod ex aliis refert, quamvis ipsum impugnet. Optio potius videtur ea esse accusantium, quam culpa accusati.

Argumentum 11.

69 CUm dixerit Papebrochius, necessitatem fuisse ex lege ortam, qua Josephus & Maria obligarentur inire matrimonium, ajunt Delatores verso folio 4. *Hæc est necessitas a Papebrochio conficta, & suffulta a Luthero, qui in suo Epithalamio dicit: Moyses omnibus Judæis imposuit præceptum nubendi, sic ut in veteri Testamento nullo modo cuipiam licitum fuerit carere sponsa*. Et fol. 5. sic prosequuntur: *Et, uti diximus, præceptum istud invenit Martinus Lutherus, licet postea dixerit, illud non invenisse se in sacris litteris; uti notat idem Cardinalis* (Bellarminus) *sed solum hausisse ex deliriis Rabbinorum*.

70 Respondeo, quod PP. Delatores parum distincte procedant in hoc argumento; & vera lege omissa, recurrant ad eam, quam finxit Lutherus, ut Papebrochium scilicet adducant in majorem invidiam. Quod in suo Epithalamio Lutherus dicit, est, *quod Moyses legem tulerit, non uti alicui aut pluribus, sed omnibus omnino Judæis ducendi uxorem; ita ut in veteri Testamento contrarium nunquam esset licitum. Moyses* (referunt PP. Delatores) *præcepit omnibus Judæis matrimonium, ita ut nulla modo licuerit in veteri Testamento carere uxore*. Notetur illud *Omnibus*, &, *Nullo modo*. Assignent nunc Delatores librum, folium & numerum, ubi Papebrochius habeat istam Propositionem: fietque perspicuum, in omnibus his subesse duas imposturas; quarum una est, fictio Lutheri; altera, qua Papebrochius accusatur idem dixisse.

71 Præterquam, quod multi iique graves auctores tueantur præceptum matrimonii in Lege veteri, uti postea videbimus in tractatu de voto Virginitatis in eadem lege; horum tamen nullus ait, *nulla modo licitum fuisse carere Uxore*, quia in illa communi lege dispensavit Deus cum aliquibus. Jeremiæ sane mandavit his verbis, *Non accipies uxorem* (cap. 16. ℣. 2.) Eliæ & aliis

qui-

quibuſdam inſpiravit amorem Virginitatis. Et vero, uti in quinto Decalogi præcepto, *Non occides*, excipiuntur caſus aliquot particulares, in quibus Deus, ſupremus vitæ noſtræ dominus, inſpiravit vel etiam mandavit oppoſitum (uti patet in Abrahamo reſpectu filii ſui Iſaaci, pro cujus ſacrificio enſem jam jam vibrabat; & in S. Apollonia, quæ divino ſpiritu acta conjecit ipſa ſe in ardentem rogum) ſic etiam in Auctorum illorum ſententia non obſtat commune illius temporis præceptum & lex, quo minus caſus aliqui particulares excipiantur: nullus tamen eſt, qui ea de cauſa illos vocaverit Lutheranos, vel deliros Rabbinos. Sed admiratione majori dignum eſt, quod Papebrochius pro aſſumpto ſuo probando nec indigeat communi illo præcepto, nec illa Auctorum opinione: ſufficit illi lex alia ex ſacro codice deprompta.

72 Lex igitur, ad quam Papebrochius (*fol.* 10. *num.* 22.) alludit, ea eſt, quam ex occaſione filiarum Salphaad impoſuit Deus, promulgavitque Moyſes *Cap.* 36. quod in libro Numerorum ultimum eſt. Audiant, ſimulque videant Patres Delatores, non eſſe unum idemque, quod talem legem non invenerint legerintve, & quod ea in ſacris litteris non extet: advertant quoque, ſolidioribus fundamentis opus ſibi fuiſſe, ut Auctorem apprime Catholicum collocarent in claſſe Lutheranorum & fatuorum Rabbinorum.

73 Ex occaſione, qua dictæ filiæ Salphaad Moyſi propoſuerunt, ne poſſeſſiones ſuæ confunderentur, ſtatuit Deus hanc legem ſpecialem. *Omnes viri ducent uxores de Tribu & cognatione ſua, & cunctæ feminæ de eadem Tribu maritos accipient, ut hereditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur Tribus; ſed ita maneant, ut a Domino ſeparatæ ſunt.* Et licet (*verſ.* 6. *ejuſdem ultimi capitis Numerorum*) videatur lex illa ſolis filiabus Salphaad impoſita fuiſſe; non tamen ita eſt; ſed ex illarum occaſione lata lex eſt, & in illas & in univerſum populum Iſrael, prout advertere eſt in ultimo verſu ejuſdem capitis, qui ſic habet. *Hæc ſunt mandata, quæ mandavit Dominus per manum Moyſi ad filios Iſrael.* Non eſt Interpres, qui de impoſitione iſtius legis dubitet.

74 Quod hac ipſa lege obligati matrimonium contraxerint Maria & Joſephus, non eſt (quod ſciam) auctor Catholicus qui neget. Abulenſis (*in hoc Caput q.* 6.) ait, feminas, ſive heredes eſſent, ſive non eſſent, fuiſſe hac lege obſtrictas, quæ ſimilem quoque obligationem refundebat in viros: *& ſic* (inquit) *neceſſe eſt dici*: quia hic opinandi modus, licet ad litteram multum legi congruat, congruit etiam multo magis modo, quo Orthodoxi explicant illud S. Matthæi, *Joſeph virum Mariæ*.

75 Lira (*in Matth.*) dicit. *Beata autem Virgo Maria fuit unica Joachim Patri: & ideo ex lege cogebatur viro ſuæ Tribus nubere.* Notetur τὸ *Cogebatur*, quod ſignificat neceſſitatem; item τὸ *Ex lege*, quod indicat, eam neceſſitatem ex lege fuiſſe natam:

76 Eſtius (*in Cap.* 1. *Matt. verſ.* 16.) *debuit* (inquis) *Maria, quia fratres non habebat, nubere viro, non ſolum ex eadem Tribu, ſed etiam cognatione; ne poſſeſſio nimium diſtraberetur, idque ſecundum Legem Numerorum ultimo.* Idem Lira, ubi ſupra; idem quoque ſentit Menochius (*in* 1. *Matth.*)

77 Maldonatus (*in cap.* 1. *Matth. verſ.* 16.) ait, quo melius explicentur verba Evangelii, adverendum eſſe (quod tamen multi interpretes non faciunt, contenti ſolum Joſephum & Mariam adſcribere eidem Tribui, ſuppreſſa mentione de eadem familia) quod, quando Evangelium ſuum ſcripſit S. Matthæus, adeo vulgariter notum fuerit, utrumque ſponſum ejuſdem familiæ fuiſſe, ut minime neceſſe fuerit id in Evangelio exprimere. Concludit denique his verbis. *Illud etiam addo, exiſtimare me, beatam Virginem Joſeph, tamquam omnium maxime propinquo, non ſolum ſponte, verum etiam neceſſitate legis traditam fuiſſe. Credo enim, legem illam Numerorum* 36. ℣. 7. *non ſolum de eadem Tribu, ſed etiam de eadem familia intelligi debere, ut cum mulier aliqua paternæ hereditatis ſola heres eſſet, non poſſet niſi ejuſdem familiæ viro, & quidem propinquiſſimo nubere. Adducor autem ratione legis, quæ propterea prohibebat extra propriam Tribum nubere, ne hereditates, quæ Dei arbitrio inter eas Tribus æqualiter fuerant diſtributæ* (*Joſ.* 19.) *perturbarentur. At eadem ratio in ſingulis familiis locum habebat, quæ in eadem quoque Tribu æquales terræ portiones acceperant; hoc enim eſt, quod tam ſæpe dicitur Joſue* 10. Per cognationes ſuas. *Certe Hilarius in Matth.* 1. *Mariam ex Lege Joſeph nupſiſſe, affirmat. Et Euther. q.* 2. *in Matt. & Theophyl. & Euthym. in comm. Legem non de eadem tantum familia interpretantur. Sed quid opus eſt conjecturis aut textibus, cum Scriptura ipſa utrumque doceat? Sic enim eſt Hebraice: Omnis filia heres hereditatis ex Tribubus filiorum Iſrael, uni ex familia Tribus patris ſui erit in uxorem, ut poſſideant filii Iſrael unuſquiſque hereditatem Patrum ſuorum.* Hactenus Maldonatus.

78 Hujus ejuſdem ſententiæ ſunt, apud Lorinum (*in c. Num.* 36. *a verſ.* 6.) Hugo, Burgenſis, Cajetanus, Petrus Vincentius de Marcilla, Oleaſter, Vatablus, Cornelius, Mariana, Sa, Barradius, Vincentius Regius, Salianus, Toletus, Suarez, Serarius, Petrus Morales, Bellarminus, Gretſerus, Caniſius, Magillanes, & Canus, qui omnes aſſerunt, ex neceſſitate dictæ legis nupſiſſe Mariam; & ex illis aliqui intelligunt de tali lege, quæ agit de ſponſo recipiendo, non ex eadem ſolum Tribu, ſed etiam ex eadem familia.

79 Redeo nunc ad RR. PP. Delatores, quæroque ex illis, an illa nubendi neceſſitas, in dicto Numerorum capite adeo dilucide expreſſa, & quam Auctores adeo graves applicant B. Virgini; an, inquam, ſit neceſſitas a Papebrochio conficta? Iterumque quæro, an mutuata ſit a Luthero, aut a deliriis Rabbinorum? Si ajunt, fateantur id publice cum individuis ſuis circumſtantiis, probentque, cur reliquos Auctores a cenſura dimittant ut Catholicos, & ſolum accuſent Papebrochium. Si negant autem, uti non poſſunt non negare, quid facient ſeu potius quid facere debebunt de Papebrochio, quem publicis ſuis Delatioribus denigrarunt tamquam Lutheri ſequacem, aut hominem, qui non alio nixus fundamento quam Rabbinorum delirio, aſſerat, B. Virginem nupſiſſe Joſepho ex neceſſitate legis?

80 At, ſi Papebrochium parum curabunt, quid facient de P. Mag. F. Ambroſio Spiera Carmelitano, qui in Flore Sapientiæ (*Ser.* 32. *cen-*

sit. 2. concl. 1. vers. 1. fol. 221.) idem sit, quod Papebrochius? Ejus formalia verba sunt hæc. *Respondent Theologi ut Damascenus, Hugo, & alii, quod cogebatur ex Lege Virgo unum ex Tribu sua virum accipere: unde Lex volebat, quod, quando vir discederet sine masculis, relictis filiabus, ne hereditas in aliam Tribum descenderet, quod unus ex eadem Tribu unam illarum uxorem acciperet. Cum ergo Joachim Pater Virginis, & Anna ejus gloriosa Mater, alium filium vel filiam non haberent; ad Virginem tota transibit hereditas, & quia Joseph erat de eadem Tribu proximior Virgini, quodammodo coactus est eam accipere in uxorem.* Videant nunc Patres Delatores, an S. Joannes Damascenus, Hugo, suus ille Carmelita, aliique quos citat, Scripturas stulte interpretentur cum Rabbinis, & hæretice cum Luthero.

Argumentum III.

81 REv. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo, Hispanice traductus per D. Danielem a S. Petro, (*fol. versa 23. a num. 80.*) impugnat sententiam, quæ tenet, B. Virginem S. Josepho nupsisse ex necessitate legis: atque inter cetera argumenta (quibus postea satisfaciam) utitur sequenti: *In sententia* (inquit) *Patrum, Theologorum, & Expositorum non est invenire, quod in lege scripta extaret obligatio contrahendi matrimonium, nisi casum exceperis, quem exprimit caput 25. Deuteronomii. Is casus est, quod, quando, qui conjugatus fuerat, absque liberis mortuus fuerit, obligaretur is, qui cognatione proximus erat, viduam ducere in uxorem. Atque casus hic admodum diversus est ab eo, quem fingit Papebrochius, uti cap. 23. Exodi, & 7. Deuteronomii, ubi dicitur: Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Cum autem Sanctiss. Virgo non nupserit alteri sponso, qui frater fuisset S. Josephi, quo mortuo hic obligaretur in uxorem ducere eamdem B. Virginem, & tali supposito viduam; hinc est, quod, cum matrimonium illud non fuerit initum ex vi & necessitate prædictæ legis, non extiterit alia lex nisi quam fingit Papebrochius.

82 O vere notabile argumentum! cui modo non respondeo, pro Papebrochio ab illi imposita fictione vindicando; sed respondeo, pro vindicanda S. Scripturæ veritate, pro sana doctrina ac pietate Patrum & Expositorum, quos Rev. P. Fr. Sebastianus videtur rejicere sine fundamento. Quid sibi vult tam rotunda & generalis assertio, quod nec Patres, nec Theologi, nec Expositores legem aliam in lege scripta inveniant aut obligationem ducendi uxorem, nisi eam quæ exhibetur cap. 25. Deuter. ubi frater defuncti obligatur ducere viduam? Nonne igitur Deus citato jam cap. 36. Numerorum, per Moysen clare clamat his vocibus: *Omnes viri ducent uxores de Tribu & cognatione sua; & cunctæ feminæ de eadem Tribu maritos accipient?* Res est certissima. Mandatum hoc nonne Deus Legem vocat, per seipsum promulgatam filiabus Salphaadi: *Hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est?* Nemo Catholicus dubitaverit. A filiabus Salphaadi nonne Deus ibidem eamdem legem extendit ad populum Israeliticum? *Hæc sunt mandata atque judicia, quæ mandavit Deus per manum Moysi ad filios Israel?* Non est qui neget. Quomodo igitur Rev. P. Fr. Sebastianus fronte tam aperta audet negare, quod expresse Deus affirmat? Vel agnoscit ille pro lege divina, quam Deus ut talem promulgat, vel non agnoscit. Si non agnoscit, Deo non credit: si agnoscit, dicat igitur, cur ea lex, divina cum sit, ad matrimonium non obligaret in ea forma, quam ut talis intimabat. Nonne res est stupenda, quod, ut affricetur Papebrochio id quod non dicit, opus fuerit negare id, quod dicit sacra Scriptura? Quis hic ille est qui fingit? Papebrochius-ne, qui veram Scripturam allegat, an Rev. Pat. Fr. Sebastianus, qui eamdem negat extare?

83 Quæro desuper: lex citata cap. 25. Deuteron. nonne determinate obligabat ducere viduam, & talem viduam, quæ non haberet prolem? Indubitata res est: quia determinate alloquitur fratrem sponsi qui decesserit sine liberis: *Quando habitaverint* (inquit textus vers. 5.) *fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui.* Lex autem Num. 36. agitne determinate de viduis & talibus viduis? Nullo modo. Igitur in lege scripta, lex una valde distincta est ab alia. Ulterius urgeo. Uti in illa lege Deuteronomii dicitur; *Accipiet eam frater ejus*, numquid etiam in altera Numerorum dicitur, *Ducent uxores? Maritos accipient?* Sic habetur in uno & in altero capite. Explicet hic igitur R. P. Fr. Sebastianus, qua ratione in uno casu τὸ *accipiet* sit lex, quæ in conscientia obliget ad matrimonium; in altero vero τὸ *accipient* lex non sit, quæ ad idem obliget? Væ Papebrochio! quantum vapularet, si ex ejus calamo tantumdem effluxisset!

84 Animadversione quoque dignum est, quod, cum dicta lex Deuteronomii determinate agat de fratre mariti defuncti, Rev. P. Fr. Sebastianus, in Hispanica versione, non attingat umquam vocabulum *Frater*, sed pro eo substituat semper *vicinior parens* seu cognatus, qui teneretur ducere viduam. Vox *frater* parentelam significat limitatam, qualis est fratrum, quorum unusquisque, deficiente natu majore qui se præcesserat, tenebatur viduam defuncti fratris ducere in uxorem. Vox autem *vicinior parens* universalior est, extenditurque ad varios gradus consanguinitatis, non adeo strictos ut est gradus fratris: atque adeo deficiente fratre primo-genito vicinior parens erat secundo-genitus; hoc est reliquis deficientibus fratribus, vicinior parens erat nepos, hoc sublato cognatus germanus &c. Hinc videtur inferri, quod, si defuncto nullus superesset frater, superesset tamen nepos, cognatus germanus, vel alter aliquis consanguineus masculus; horum aliquis, juxta R. P. Sebastianum, vi legis eamdem habuisset obligationem accipiendi viduam, quam haberet defuncti frater, si is extaret. Consequentia hæc est legitima, sed ejus doctrina admodum periculosa: inducit enim obligationem conscientiæ ad matrimonia legis antiquæ in iis casibus, quos ipsa lex non exprimit.

85 Præterea, Calvinus in hunc locum, per vocabulum *fratris* intelligit cognatos defuncti, prout refert & impugnat Cornelius a Lapide (*in hunc eumdem locum Deuteronomii cap. 25.*) Et quamvis Calvinus erraverit opinando, in ea lege vocabulo *fratris* non intelligi propria fratrem qua talem; error tamen illius non solum

ſum in eo fuit quod negavit, verum in eo quod per τὸ *fratrem* interpretatus ſit defuncti cognatos. Subintrat hie Cornelius, aitque loco citato. *Hic cognati nulla ſit mentio; ſemperque ingeminatur nomen Fratris: biac Abulenſis, Cajet. & alis paſſim, fratrem hic proprie dictum accipiunt; itaque interpretati ſunt Hebræi priſci, (ut patet Matth. 22. 25. Mar. 12. 20. Gen. 38. 8, & 11. ...) Hinc ſequitur, legem hanc tantum obligare fratres defuncti, non cognatos.*

86 Et paullo poſt addit idem Cornelius: *Reliqui ergo cognati quique Ordine ſuo poſt fratres, jus quidem propinquitatis habebant ad uxorem defuncti, & conſequenter ad ejus hereditatem; ſed ſi nollent eam ducere, vellentque cedere hereditate, non notabantur infamia hujus legis, uti patet Ruth. 46. uxor vero defuncti tenebatur nubere non alteri quam fratri aut cognato mariti ſui defuncti, ſi is eam ducere vellet. Ita Abulenſis.* Hactenus Cornelius.

87 Inde formatur hoc argumentum: Si frater defuncti mariti nolebat viduam dueere, prout in Deuterononio mandabat Deus, poterat juxta legem dicta vidua illum exuere calceo, & in faciem ſpuere, dicendo (Deuter. 25. ℣. 9.) *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui: & vocabitur nomen illius in Iſrael Domus diſcalceati:* ubi notabatur infamia dignus, propter infractam legem, quæ mandabat talem viduam ducara. An forte vicinior cognatus, qui defuncti frater non eſſet, merebatur iſtam infamiam, ſi viduam nollet ducere, ſed mallet jus illud aam ducendi alteri cedere? Minime eerte; talem neqnaquam merebatur pœnam. Sic Ruth. cap. 4. legitur, quod, cum maritus Ruth Moabitidis mortuus eſſet, vieinior defuncti eognatus noluerit illam ducera; ſed jura, quod rationa engnationia habebat, ceſſerit Boozo, locumque dederit illam dueendi. *Tu*, inquiens, *meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor*. Non tamen legitur ulla pœna vel infamia notatus propter eeſſionem ſuam fuiſſe; nec ullibi lex aut obligatio ducendi viduam legitur, proptee quam ea eeſſio illieita foret. Quando igitue vi legis Dauter. 25. expraſſæ, Rev. P. Fr. Sebaſtianus a S. Paulo per defuncti fratrem intelligit parantem proximiorem ejuſdem defuncti, inducit legem, quam Deus non tulit: eamdem namque obligationem eonſcientiæ ad matrimonium, quam ſtatuit reſpectu fratris, extendit etiam ad proximinrem cognatum, qui frater non ſit; omneſque objicit eidem opprobrio & infamiæ; quod falſiſſimum eſt.

88 Videat nune Rev. P. Sebaſtianus, uter ſacræ Scripturæ adverſetur magis, ideoque magis mereatur ſolitas ſuas axelamationes.

89 Ab illa tranſeamus ad Patres, Theologos, & Expoſitores, in quorum ſenſu ait ipſo Rev. P. Fr. Sebaſtianus: *In Lege ſcripta non reperietue obligatio ad matrimonium, niſi caſu, qui exprimitue Deuter.* 25. Quonam eogitatione ſua abreptus erat Rev. Patar, quando aam Propoſitionem impreſſam edidit ſparſitqua per orbem? Theologus eerte & Expoſitor bene illuſtris aſt P. Lorinus. Is (*in cap.* 36. *Numerorum a verſu 6. uſque ad* 10.) agit de lege, quæ (ut ſupra dixi) ex occaſione filiarum Salphaadi lata eſt populo Iſrael; ubi ſic ait: *Oritur quæſtio, an de omnibus feminis ſeu intelligenda ſit, at oportueris omnes nubere viris Tribus ſuæ, viciſſimque viros ducere dumtaxat feminas ex ſuamet Tribu. Affirmat Lyranus & Abulenſis, excipientes Levitas, vel ob dignitatem Tribus Levi; vel quia non habebant in Chanaan, quæ ad alias Tribus diſtrahi poſſet per connubia. Videntur idem ſentire Græci, ut Origenes, Severus, citati in catena Græca; Theodoretus, Procopius, Iſidorus Peluſiota. Idem aſſerunt non pauci, qui ex Genealogia viri, uxoris quoque genus cognoſci dicunt; ac proinde Mariæ ex Genealogia Joſephi: quod nempe uxor ex aliena Tribu duci non poſſet. Ad hunc modum in Matth. c. 1. philoſophantur Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Hilarius, Hieronymus; prætorea Epiphanius, Euſebius, Nicephorus, Damaſcenus, Ambroſius & Beda; rurſum Eucherius, Auſelmus, Beda, Druthmarus; item Gratianus cum Gloſſa. Adhæc Joannes Boniſacius noſter, citans Emiſſenum: & innuere videtur Pineda; & hoc loco apertius Seraphinus Capponius; Sigonius etiam in librum 1. Hiſtoriæ Sulpicii; Feuardentius.*

90 immediate poſt eitat idam Lorinus alios 23. Auctoras, funtqua ii, quos ſupra citavimus n. 78. qui conſiderantes legem in quantum agit de feminis, eam non intelligunt abſolute da omnibus, at de illis ſolum feminis, quæ ob defectum fratris ſuccedebant in hereditatem ſuorum patrum: de talibus autem feminis ajunt, quod per legem obligabantur nubere viris ſuæ Tribus. Ita ut laudati Auctores omnes in hoc conſentientes, quod lex mandaret matrimonium, in eo ſolum differant, quod velint alii, legem generaliter inelligi de feminis, ſive heredes illæ eſſent, ſive non eſſent; alii vero obligationem nubendi limitent ad ſolas eaa, quæ heredes eſſent,

Animadverſio.

91 SI in ſolo uno Interpteta Lorino, & ſub eodem paragrapho inveniuntur Auctores ultra quinquaginta, qui in Cap. 36. agnoſcant legem, qua Deus præſcribebat nuptias, nulla facta mentione de viduis aut ſponſorum defunctorum fratribus; & inter doctos Auctores, præter ſanctos Doctores Eccleſiæ, Chryſoſtomum, Hilarium, Hieronymum, Epiphanium, Damaſcenum, Ambroſium & Anſelmum, inveniantur atiam alii graviſſimi ſapientiſſimique Patres, Theologi & Expoſitores; non capio, quomodo quova nixus fundamento dicat Rev. P. Fr. Sebaſtianus a S. Paulo, quod *in ſenſu Patrum, Theologorum, & Expoſitorum in Lege ſcripta non reperietur obligatia ad matrimonium, niſi caſu qui exprimetur Deut.* 25. Id enim perinde videtur eſſe, ae velle nobia omnibus oculos aruere, ne videamus; ex ſuppoſito quod præfatos Auctores non poſſit ille non eomprehendere ſub claſſe Patrum, Theologorum, & Expoſitorum.

92 Et quamvis ſua Paternitas ex graviſſimis Doctoribus jam audierit, B. Virginem a S. Joſepho ductam fuiſſe in virtuta dictæ legis; audiat id quoque ex præfato Lorino, id ſic aſſerente. *Mariam Joſeph duxit legis neceſſitate.* Iterumque audiat ex Card. Toleto, qui de Maria agans ait. *Erat igitur* (B. Virgo) *heres domus ac poſſeſſionis, eaque de cauſa tradenda erat juxta præceptum Domini viro ejuſdem Tribus, nempe Juda.*

93 Atque iterum audiat eximium Doctorem Suarez (*To. 2. in 3. p. dis. 2. sect. 3.*) ubi cum communi Patrum sic loquitur. *Quia explicata origine Joseph, consequenter constabat, Virginem esse ex eadem Tribu, quia lege lata Num. ultimo, feminas necessarium erat, viris ex eadem Tribu in matrimonium dari. Ita Chrysost. Hom. 2. in Matth. Hieron. Anselmus, Theophyl. Euthym. & alii in cap. 1. Matth.* Et exempla quædam in contrarium adducta dissolvit idem Suarez, cum communi multorum Auctorum, sentientium, dictam legem intelligendam esse de filiabus heredibus respectu virorum suæ familiæ; concluditque, S. Josephum fuisse de familia B. Virginis parentem proximiorem. At Abulensis argumentis respondet alia via, supponens, in casibus quibusdam particularibus suppetiisse causas, in quibus & propter quas isti legi non contraveniretur. Et (*quæst. 8. supra dictam legem*) clare enuntiat, Judæos illam semper, uti leges alias, servasse. Hactenus adductis coronidem denique imponat Auctoritas Hieronymi, qui, ut in exponenda Scriptura sacra Doctor Maximus est, de S. Joseph (*In cap. 1. Matth.*) ita scribit. *Ex lege eam accipere cogebatur.*

94 Reverendissime Pater, an S. Hieronymus, reliquique Doctores hanc legem, & ex hac ortam necessitatem matrimonii hauserunt ex ineptis Rabbinorum somniis, aut ex hæresi Lutherana? Negabis, scio: fateatur igitur eruditus Carmelita, cum tam facile deceptus fuerit, ratus scilicet, non extare talem legem quæ revera exstat; ratus item, non esse Patrem, Theologum, Expositorem qui eam agnoscat, dum tot tantique jam sunt recensiti; ratus etiam, legem Deuteronomii extendendam esse ad parentem proximiorem, dum Deus exprimit dumtaxat defuncti fratrem, non item cognatos alios; fateatur, inquam, sua Paternitas, non fore magnopere mirum, dum in hoc puncto errorem tam gravem passus est, si similem quoque passus fuerit in tot aliis, de quibus accusat Papebrochium.

Argumentum IV.

95 REv. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo loco citato (*fol. 44. num. 85.*) sic arguit: *B. Virgo vel prævidit istam nubendi necessitatem, vel non. Si prævidit: non igitur fuit illa improvisa, uti vult Papebrochius, dicens:* Necessitas inciderit improvisa. *Si non prævidit; facit Papebrochius Virginem ignorantem circa id quod lex mandabat, aut saltem inadvertentem quoad tempus emittendi votum; quod totum est absurdum.*

96 Respondeo retorquendo argumentum in P. Sebastianum. Vel Virgo sciebat vota, quæ consistebant cum lege antiqua, vel non: si ait, nescivisse; facit ergo Virginem similiter ignorantem: si ait, scivisse; fit iterum hoc enthymema: Cum antiqua lege vel erant compatibilia vota castitatis, vel non: si non; nemo ergo in illa lege fecit votum castitatis absolutum: si erant autem compatibilia, ideoque tot personæ tam unius quam alterius sexus tamquam Religiosi & Religiosæ emisere castitatis absolutum votum; cur B. Virgini non concedit Fr. Sebastianus a principio votum Virginitatis absolutum, sed solum conditionatum cum S. Thoma aliisque multis? Quandoquidem vero affirmant Delatores (*verso fol. 9. in delatione anni 1691.*) tot adolescentes virginesque teneras, etiam ante ætatis annum 16. absolute amplexatos fuisse consilia Evangelica; fierine potest, ut sola B. Virgo non amplecteretur absolutum votum Castitatis?

97 Hoc ego claritatis causa explicatius urgeo. Status Religiosus non subsistit cum votis solum condionatis, sed absoluta requirit, Paupertatis, Obedientiæ & Castitatis: & in Lege antiqua Rev. P. Fr. Sebastianus vult multos Religiosos Religiosasque extitisse. Hic nascitur difficultas: In Lege antiqua, & eo tempore, quo florebant tot Religiosæ, vel poterant absque legis infractione virgines illæ offerre Deo absolutum votum Castitatis, vel non poterant: si non poterant; qua ratione igitur tale votum emittebant? Necessario videtur hic respondendum, vel imprudens fuisse votum, vel ad illud emittendum aliquam virginibus istis affulsisse specialem notitiam aut Dei revelationem: quam quis capiat concessam fuisse a principio tot millibus virginum; uni autem soli, quæ omnibus illis simul sumptis longe antecellebat, fuisse denegatam? Si respondetur, quod res esset notoria, ideoque tale votum absolutum licite emitterent: cur igitur B. Virgo non emiserit a principio & cum tali notitia simile votum absolutum? Num, quia, juxta D. Thomam (ut postea dicetur) dubitabat, an in statu virginitatis esset permansura? Quod tot aliæ Religiosæ constantere indubitate sciebant, legem scilicet absoluto voto non obstare, id sola ignoraret ea Virgo, quæ omnibus illis longe sanctior, sapientior, in sacris Scripturis versatior, & a Deo illustratior erat? Si autem non ignorabat, cur virginibus aliis ad absolutum castitatis votum se determinantibus, non ad idem se determinaverit fons ipse puritatis? Si vero ignorabat; ergo B. Virgini tribuitur aliqua ignorantia, qua non laboraverint ceteræ Religiosæ; ac proinde casus foret & novitas illi improvisa: scire nempe, quod, quando aliæ a tenera sua pueritia votum castitatis absolutum emiserant in lege antiqua, id sibi quoque licitum esset. Videat nunc R. P. Fr. Sebastianus, an hoc totum sit absurdum.

98 Respondeo igitur ad argumentum, & dico; B. Virginem prævidisse legem, quam retulimus ex libro Numerorum: & eo non obstante, non prævidisse absolutam necessitatem nubendi: quia poterat Deus illam celare, num sanctissimis suis parentibus prolem masculam vel filium aliquem concederet, qui deinde ex eadem Tribu ducta uxore, stabiliret in eadem familia hereditatem, prout in dicta lege Deus mandabat. Poterat item celare, num ipsa vivens perveniret ad annos nubiles. Eo autem casu, quo extaret vir masculus, & ipsa vivens non attingeret nubilitatis annos, uti nulla esset absoluta nubendi necessitas, sic potuit B. Virgo prævidisse legem, non prævisa tali necessitate. Potuit ergo tali casu votum castitatis absolutum fuisse; nec enim obstat conditio voventi intrinsecus imbita, quin vovens ad Dei voluntatem semper paratus sit; ut communiter Doctores docent.

99 Insuper respondeo, quod Deus ipse legis auctor, respectu filiarum, quæ unicæ & hæredes essent, inspiraverit efficacissime B. Virgini, ut non obstante communi lege, votum

Virgi-

Virginitatis faceret absolutum; quo facto, juxta S. Anselmum (*lib. de Excell. Virg. cap. 4.*) ipsam *legem superavit*. Ita tamen potuit Deus intellectum B. Virginis illuminare, ut, dum illa cognosceret non obesse legem, quo minus in talibus circumstantiis emitteret votum, non intelligeret etiam, an Deo placitum esset, ut postea aliud faceret. Et quidem hic modus, quo Deus internum sanctissimæ suæ Matris regebat spiritum, admodum conformis est humilitati ac merito ejusdem B. Virginis, atque doctrinæ S. Augustini, S. Bonaventuræ, S. Thomæ, Arnoldi Carnotensis, & Cardin. Capisucchi, quos citabimus postea in responsiona ad aliud argumentum.

100 Juxta dicta, nulla est difficultas in eo, quod Virgo prævisa lege votum emiserit, quamvis non prævideret actualem necessitatem nubendi postea, dictæque legi se subdendi. Deinde votum Virginitatis, quod D. Thomas aliique statuunt conditionatum, tale non fuit, quasi statim ac emissum fuit, non obligaret; aut quasi B. Virgo conditionis adimpletionem expectaret, priusquam obligationem suam agnosceret; sed tale, ut illico intelligeret, esse se obstrictam dicta obligatione, quam Deus illi inspiraverat, donec ipse non significaret contrarium. Sic Doctorem Angelicum explicant multi Interpretes, & inter eos P. Suarez (*to. 2. in 3. part. disp. 6. sect. 2.*) Juxta hanc doctrinam perspicuum est, quod currente statim voti obligatione, nondum sciret B. Virgo, quid Deus deinceps de ea disponeret: & eo non obstante erat illi firmus & absolutus animus servandi virginitatem, donec illi revelaret Deus, quod tunc voluerat illam latere. Ergo, sicut ex hoc nullum sequitur inconveniens, sic nec ex eo quod dicit Papebrochius.

Argumentum v.

101 REv. PP. Delatores (*sua Delationis parte 2. fol. 2.*) & Fr. Sebastianus a S. Paulo (*fol. 46. num. 96.*) quoad substantiam sic arguunt. Papebrochius ait, quod propter improvisam necessitatem legis, vi cujus Maria & Josephus contraxerunt matrimonium, potuerint dubitare, an obligatione voti, quod emiserant prius, deinceps liberi essent, nec ne. Atqui hoc inter Catholicos doceri non potest; alias namque dici etiam posset, quod parens in Regiæ domus successione proximior, licet castitatis voto ligatus esset, uxorem posset ducere, ne successio deficeret, absque alia dispensatione vel causa, quam quod defectum successionis non prævidisset, dum votum emittebat. Atqui hoc docet in terminis Papebrochius: ergo illius doctrina non est apud Catholicos tolerabilis. Ad hæc si Maria & Josephus in dictis circumstantiis dubitassent de sui voti validitate, accurrissent ad summum Sacerdotem pro dubii sui decisione.

102 Respondeo 1. Papebrochius nec ait, nec negat id, quod Delatores illi imponunt circa istas dubitationes: quia aliud est, quod ille asserit & tenet, ut sententiam propriam; aliud, quod proponit, ut meram suspicionem. Quod ut sententiam propriam tenet, id ipsum est, quod tenet etiam integra cohors sapientissimorum Patrum ac Doctorum, quod nempe Josephus & Maria ante matrimonium emiserint absolutum votum Castitatis; quod uterque per revelationem divinam mutua ista vota cognoverit; & quod, contrahentes matrimonium, reciproce sibi tradiderint potestatem & dominium, sed impeditum pro usu matrimonii, quem dicta potestas ex se respicit; quod etiam contractum matrimonialem dicta vota antecesserint in præfata forma, non esse impedimentum, quod dictum contractum invalidet. Et quamvis dicat, necessitatem fuisse improvisam; explicans tamen id quod ut sententiam suam tuetur, nullo verbo facit mentionem istius dubii; uti videre est in illius tomo 3. Martii (*fol. 10. num. 25. & fol. 14. num. 44.*)

103 Ubinam, quæso, de dubitationibus istic loquitur Papebrochius? Videbit id lector n. 45. ubi sic habet. *Cur ego verear cogitationem quamdam meam, utriusque honori non parum forte conducturam aperire, faterique, suspicari me, rebus sic constitutis, revera & ex ipsa natura obligationis, simul cum tali voto vix aut ne vix quidem consistentis, potiorique debito prævalente, solutum fuisse ea religione utrumque; aut saltem merito dubitasse, num adhuc obligarentur*. Sunt hæc Papebrochii formalia verba. Super his quæro ex Delatoribus, quid significet hic terminus, *Fateor, suspicari me?* Theologi sunt Delatores; atque adeo, uti noverint magnum discrimen, quod intercedit inter alicujus rei affirmationem & ejusdem negationem, sic etiam noverint, non idem esse *Suspicari*, atque *Enuntiare* rem aliquam, seu absolute affirmare. Tò *suspicari* præcise non includit in se judicium, quo quis absolute seu affirmet, seu neget id, quod suspicatur; sed solum indicat vacillationem quamdam intellectus, num res, quam suspicatur, sic se habeat, nec ne. *Enuntiare* autem, sive affirmative sive negative, importat positivum & absolutum rei alicujus assensum vel dissensum. Igitur, cum Papebrochius (ut jam vidimus) non utatur alio termino nisi *suspicari* se, apertissime patet, quod RR. PP. Delatores pro firma asseveratione id illi imposuerint, quod, (utpote tantum mera suspicio) neque est affirmatio, neque negatio. Proinde, loquendo in rigore scholastico, ruit hoc illorum argumentum, officitque veritati: quia scilicet Delatores nixi sunt magis in eo, quod ipsi non notarunt, nec distinxerunt, quam in eo, quod Papebrochius exprimit per solam suspicionem. Confirmatur. Quia, cum num. 46. cœpisset solam suam suspicionem manifestare, concludit num. 47. dicens: *Quæ si ita fuerint* &c. Stylus hic conditionatus, non est absolute proferentis sententiam suam, sed solum dubitationem suam exhibentis, aliis relicta decisione. Hinc apparet insufficientia argumenti.

104 Respondeo 2. Bene facerent RR. PP. Accusatores, si consideratius loquerentur, nec adeo præcipitanter de classe Catholicorum excluderent eum, qui, intuitu præfatæ legis ac necessitatis nubendi, dixit, potuisse Josephum & Mariam de voti sui valore dubitare. Audiant igitur pro intemperantiæ remedio illustres Expositores Doctoresque, quibus qua talibus veneratio debetur.

105 Abulensis (*in c. 1. Matth. quæst. 30.*) ait. *Considerandum ulterius, quod, dato quod vovisset determinate Domina nostra Virginitatem ante desponsationem, non tenebat simpliciter illud votum; quia quocumque die constaret patri suo de illo, poterat irritare illud, si ipso die vellet*

irri-

irritare. Et qua ratione irritaret illud S. Joachimus? Respondet idem Abulensis: *Si pater suus jubebat* filiam suam nubere, Iterumque dicit: *Domina nostra ex mandato parentum non solum erat absoluta a voto, sed etiam tenebatur contrahere*. Et inferius sic pergit dicens. *Manifestum est, quod votum irritatum est, etiamsi esset simpliciter factum, cum parentes tradiderint eam viro ... licet ipsa teneret semper propositum suum, scilicet quod illud servaret quantum posset, nisi cum Deus aliter videretur disponere*.

106 Quæro nunc ex RR. Patribus. Si S. Joachimus, dum B. Virgini mandasset ut nuberet, irritasset illius votum cum auctoritate legis; cur B. Virgo, dum idem mandabat illi Deus, *a divina revelatione abstrahendo*, ut advertit Papebrochius (*n. 44. & n. 46.*) spectata præcise natura voti & legis in se; cur, inquam, B. Virgo non poterat dubitare, an tali voto obligaretur? An forte certior erat auctoritas nuptias imperantis S. Joachimi ad votum irritandum, quam easdem imperantis Dei, ad dubitandum, saltem num Deo placeret?

107 Abulensis (*in citata qu.*) resolvit expresse, quod solum sub dubio proponit Papebrochius & suspicaciter. Posito igitur quod Josephus & Maria contraxerint cum mutui voti revelatione, sic ait, ubi supra. *Ad salvandum istam positionem dicere possemus; quod fuit certificata Virgo, quod Joseph habebat simile propositum, & numquam peteret ab ea debitum; & tamen, quia non fuit certificata, an Deo placeret, quod aliquo tempore carnaliter convenirent, vel semper sic manerent, potuit dubitare, quando dixit ei Angelus, quod conciperet*. En tibi votum absolutum; en matrimonium absque voti impedimento contractum, propter divinam mutui voti revelationem; en reciprocam de perpetua sua securitate certitudinem, quæ alteri de alterius animo constabat: his non obstantibus, quia celaverat illos Deus, quid posset determinare, dubitabant, an præfatum votum relinqueret illis Deus liberum. Quare ergo in iis circumstantiis, in quibus loquitur Papebrochius, spectata solum voti & Legis natura & nulla mediante revelatione, non poterant dubitare, num lex superior cui suberant & vero subesse debebant, eos liberaret ab obligatione istius legis, quam ipsi sibi pro arbitratu per votum imposuerant? Simili dubitatione posita, nihil opus est concipere, quasi in his cælestibus sponsis ex sua parte vacillaret animus servandi id, quod obtulerant: sed quod dubitarent, num forte Deus per aliam providentiam disponeret de contrario. Hoc negaverit nemo; multo minus erit qui accusaverit. Juxta hæc ergo quid accusatur in Papebrochio?

108 Audierunt Abulensem RR. PP. Accusatores; audiant etiam Arnoldum Carnotensem (*de laudibus Mariæ*,) In magna Bibliotheca antiquorum Patrum impressa Coloniæ Agrippinæ anno 1618. (*Tom. 12. par. 2. fol. 436. col. 2. litt. G.*) sic loquitur venerabilis ille Pater. *Inventa est Virgo ab Angelo in Nazareth solitaria, seorsum a turbis, vacans procul dubio meditationibus sanctis; credo, secum pertractans, quomodo sine offensione legis maneret in proposito Castitatis; quia hanc elegerat, hanc devoverat, & integritatem carnis & spiritus apud se Domino consecrarat. Stabat in adverso lex, urgebat ad conjugium Moyses, qui maledictum intentans sterilibus, semen & sobolem a filiis Israel exigebat. Nullum de Virginibus a Domino datum erat præceptum; sed nec erat Apostolus, qui daret consilium. Acceperat tamen hoc ipsum a Deo per Spiritum sanctum familiare mandatum, non ex responso Angelico, sed ex inspiratione secreta, qua ei & affectum Virginitatis intimaverat, & usque ad necessitatem voti purum desiderium alligaverat; quis tamen rei exitus futurus esset, nondum erat intimatum divinitus; sed hujusmodi accessionibus gradatim sibi officinam purgatissimam aptabat Spiritus sanctus. Ob hoc eam æstimo elegisse solitudinem segregatam, ut diebus & noctibus in hujus controversiæ angustiis congruis se rationibus muniret, quibus & staret sibi posset optata virginitas, nec tamen quasi in contemptum sui legis indignaretur auctoritas. Hoc enim (ut diximus) id est conjugium, ad propagandum populum Dei, ita lex ab omnibus indifferenter exigebat, ut nec summos Sacerdotes pateretur immunes: quia necesse erat, filium patri defuncto statim substitui, nec alium quemquam in ordinem Pontificalem assumi. Ideoque propter successoris necessitatem oportebat eos misceri conjugibus, ut essent parati filii, statim cum pater obiisset, consecratione patrata, ad continuationis incensum accedere; & intra Sancta, mane & vespere, secundum ritum Legis, omni die inferre: tantaque erat hujus rei necessitas, ut, cum immundis & contaminatis concubitu, ex aliarum Tribuum cujuscumque officii personis, nullus ad Sancta pateret accessus; solam Summi Pontificis personam, propter hanc impossibilitatem, ab hoc ministerio lex non excluderet: licet & a quibusdam ita accipiatur, ut noctibus propter incensum matutinum uxores non tangerent; & ab illa hora, si hoc egissent, usque ad vesperam manerent immundi: qua hora purificati, lege non temerata, ex ordine ministrarent. His difficultatibus vallata, quia humani consilii ratio non occurrebat, quo & decretum & votum pariter convenirent, causam suam Domino commendabat; & meditationibus & sanctis orationibus vacans, de cælo expectabat consilium, ubi spiritu & mente conversationem sibi parabat, ubi cælestis animæ medullitus inhærebat*. Huc usque doctissimus ille Pater.

109 Cujus clausulis non omnibus indiget Papebrochius pro re præsenti; sed in earum plerisque videre est, admodum ad vivum expressas dubitationes & luctam, quæ divina dispositione exercebant sanctissimam Virginem; conflictum, quem suum votum & Moyses excitabant; recursum ad Deum, quo B. Virgo se roborabat; venerationem erga legem, quæ faciebat illam solicitam; propensionem, desiderium, amorem & firmissimum propositum servandi perpetuam Virginitatem; ac divinum denique oraculum, quo Deus causam istam decidit. Quid hic invenitur, quod sit contra fidem Catholicam? Quis vel atomus aut nævus deprehenditur adversus candorem & puritatem Mariæ? Quis hactenus prodiit, qui in Arnoldo Carnotensi doctrinam hanc nausearet? Omnino nemo: solum in Papebrochio nauseant illam RR. PP. Accusatores; sed veniet fortassis dies, quo disponat aliquando Deus, ut, ubi fornax officium suum peregerit, appareat, scoriam & paleas non hæsisse, in eo quod Papebrochius scripsit de Josepho & Maria; sed in illo, qui falsis imposturis illum turpiter deturpavit.

110 Illas ipſas dubitantis Virginis anxietates, & Dei ſe coram illa occultantis ſubtractionem ſupponunt, S. Auguſtinus, citatus a Magiſtro ſententiarum (*in 4. d. 30.* (S. Thomas (*3. p. qu. 28. art. 4.*) S. Bonaventura *in 4. ſent. diſt. 28. quaeſt. 6.*) Hugo Victorinus (*de Mariæ Virginitate perpetua c. 1.*) Card. Capiſucchus (*controv. 14. §. 6. in fine*) aliique Auctores multi; quorum alii ſub conditione, niſi Deus aliud juberet; alii cum expreſſione totam ſe committendi arbitrio voluntatis divinæ, eadem vel æquivalentia dubia movent, quæ Papebrochius: nec tamen aut hic aut iſti dubitant unquam de firmitate animi, qua ſibi B. Virgo conſtabat, ut ſic ſemper permaneret.

111 Audiamus & Card. Capiſucchum, qui (*loco citato*) ſic ait. *Et licet B. Virgo, ex ſpeciali inſpiratione Spiritus ſancti, antequam deſponſaretur, propoſitum de ſervanda Virginitate conceperit; non ideo tamen ei debita fuit revelatio, quod Deus vellet ejus Virginitatem conſervare; & propoſitum Virginitatis ſervandæ, deo gratum fore. Congruebat enim maximæ perfectioni ejus, quæ in Matrem Dei electa fuerat, ut in virtute humilitatis, quæ reliquarum virtutum fundamentum eſt, ſuaviter a Spiritu ſancto conſervaretur, & indies augeretur; quod optime fiebat, cum ejus mens, de divina voluntate ſolicita, quoad conſervandam uſque ad extremum vitæ virginitatem, a Deo non ſtatim edoceretur. Sic enim humiliter Deo ſubjecta, & totaliter e Dei voluntate pendens, & ad Deum continua ſuſpiria & preces fundens, ſuaviter in perfecta humilitate ſervabatur, cum prompta ad obediendum in omnibus Deo voluntate. Et quia B. Virgo ex divina inſpiratione propoſitum Virginitatis aſſumpſerat, & ſpecialiſſimam Spiritus ſancti curam de ſua vita & operibus continuo fuerat experta; ſibi polliceri facile poterat, eodem Spiritu ſancto duce, inſpirationem de Virginitate ſervanda, & Divinam voluntatem ei aliquando circa hoc manifeſtandam.*

112 An idcirco dicet fortaſſis aliquis Eminentiſſimum Capiſucchum ignorantiam tribuere B. Virgini, quia non ſtatim ſciverit, quid de illa Deus diſponeret? Abſit: nam illud non ſcire non eſt ignorantia, quæ ſonet imperfectionem; ſed effectus ex eo natus, quod Deus, propter ſupremum ſuum Dominium & altiſſimos fines, voluerit illud latere. Atque hoc ipſum nec aliud vult Papebrochius, quando nubendi neceſſitatem vocat improviſam.

113 Quod attinet ad caſum in hoc quinto argumento adductum ſupra, de ſucceſſione domus Regiæ; reſpondeo abſolute negando ſequelam: quia hactenus non conſtat de expreſſa Dei lege, qua jubeat, ut proximus defuncti Regis parens uxorem ducat, etſi caſtitatis voto obſtrictus ſit. Cum autem talis lex nulla exſtet, qua ratione vel via excuſabitur votum? Afferat Rev. P. Fr. Sebaſtianus expreſſam Dei legem, quæ ejuſmodi conjugia mandet; tali caſu concedam ego, votum, futura contrahendi neceſſitate non præviſa, non ſubſiſtere: quia Lex univerſalis a Superiore lata, qualis Deus eſt, prævalet particulari, qualem per votum talis parens impoſuit ipſe ſibi. An hoc negabit Fr. Sebaſtianus? Aperiat ergo ſuum ſenſum ſuper Caſtitatis voto, quod in antiqua Lege feciſſet aliquis non præviſa morte fratris ſui, qui ſine liberis reliquiſſet uxorem ſuam; quæ vi legis cap. 25. Deuteronomii latæ in maritum poſtularet ejus fratrem. Si dixerit, eo caſu legem non prævalere voto; ergo negat jam obligationem legis, contra id quod aſſerit (*fol. 55. num. 82.*). Si dixerit, obligare legem; ergo votum erat invalidum.

114 Audiat Rev. ſua Paternitas caſum in ſacra Scriptura expreſſum, & ſuper eo Abulenſem. Jurarunt filii Iſrael (*Judic. cap. 21. & ultimo*) non ſe daturos in ſponſas filias ſuas filiis Beniamin; his nihilominus nupſerunt quadringentæ virgines. Quæritur hic, an peccaverint contra ſuum juramentum? Huic difficultati duas præter alias dat ſolutiones Abulenſis (*in cap. 36. Numer. quæſt. 8.*) Prima eſt, quod *ſupervenerat neceſſitas magna, propter quam diſpenſandum eſſet in lege &c.* Neceſſitas erat propter periculum, ne extingueretur Tribus Beniamin, ob plurimos, qui ex ea in bello occubuerant.

115 Altera ſolutio magis adhuc facit ad rem noſtram. Quæritur enim, an, quando jurarunt, hunc caſum præviderint, necne? Si non præviderint, erat (inquit) *certiſſime* juramentum illud diſpenſabile: *ſecus autem, ſi juraviſſent multo tempore ante, non attendentes ad iſtum caſum; nam tunc certiſſime crederem, quod eſſet diſpenſabile.* Non minus obligat votum quam juramentum: ſi igitur pro juramento datur neceſſitas, quæ non præviſa, ſed poſtmodum ſuperveniens, illud ſolvat certiſſime; cur non dubitabitur, ſaltem reſpectu voti, facti in ſimili neceſſitate?

116 Quod urget idem argumentum; quare B. Virgo, ſi dubitabat, non conſuluerit ſummum Sacerdotem, qui ut legitimus judex dubium decideret? Reſpondeo, B. Virgini opus non fuiſſe iſto recurſu ad Pontificem; quia non dubitavit, an in illis circumſtantiis nubendum ſibi eſſet necne; nec dubitavit in ſuo ſponſo de animo illius ſervandi Virginitatem; nec vel in minimo ſpes ipſius defecit, quin firmiſſime crederet fore ut Deus ſibi concederet, quod magis illi placitum eſſet. Hoc argumentum poterat Rev. P. Fr. Sebaſtianus etiam objeciſſe S. Thomæ aliiſque, qui concedunt dumtaxat votum conditionatum, quod ex una parte erat obligatorium, ex altera conſiſtebat cum dubio, an Deo gratum eſſet ſi ſtatum ſervaret Virginitatis.

117 Præterea, dato etiam caſu, quod Virgo conſuluiſſet Sacerdotem: ſi hic reſponderet, ſervandum eſſe votum, non tantum non utendo matrimonio, ſed etiam nec nubendo; eſſet illud reſponſum admodum difforme diſpoſitioni, quam Deus ob altiſſimos fines circa tale matrimonium ſtatuerat. Si reſponderet, votum non obligare, atque adeo debere nubere, non ideo tamen Maria & Joſephus dimitterent animum ſervandi Virginitatem, utpote cujus votum alter alteri jam ante communicaverat. Si reſolveret, ut contraherent quidem, ſed matrimonio non uterentur; aliud occurrebat inconveniens, ſcilicet, quod Sacerdos & populus, videntes poſtea manifeſtam Virginis fœcunditatem, haberent illam pro voti prævaricatrice, cum Matris & Filii infamia; quorum honori proſpexit Deus, hominibus paſſim opinantibus, eſſe filium legitimum & naturalem Joſephi; quia noluit Deus ante definitum tempus omni paſſim populo revelare myſterium admirandæ ſuæ Incarnationis. Hinc intelliget Rev. ſua Paternitas, ſatisfactum eſſe quæſtioni, quam (*fol. 45. num. 93.*) movet ſuper fundamento, quo nixus

Pape-

Papebrochius suspicionem proponit super istis dubiis; & quamvis sua Paternitas dicat, nullo niti; fallitur tamen; quia, quod dicit, non probat.

118 Et notanda hic est singularis quædam Theologia, quæ an tuta sit, judicabunt alii. Ait nempe Rev. sua Paternitas, dubitare de valore ea forma qua jam dictum est, *est contra naturam voti Castitatis perpetuæ*. Reverendissime Pater, intrinseca voti constitutio & essentia manet semper eadem, sive pro eo tempore quo fit ipsum votum; sive pro eo quod post factum sequitur; estque semper talis, ut obliget, nisi altior potestas occurrens impediat: & quando ea occurrit, votum subinde suspenditur; subinde vero annullatur; nec votum dabitur, in cujus essentia id intrinsece non sit imbibitum. Sed an obstar fortassis, quo minus votum fuerit absolutum & castitatis perpetuæ, quia oblato deinceps casu obnoxium erat periculo, ne Lex superior illud irritaret? Non assignabitur Theologus, qui sic loquatur: id enim perinde foret, ac ipsi Deo tollere suam potestatem; qui per Legatum suum potest efficere, ut quis statum eligat contrarium isti, quem per votum perpetuitatis obtulerat. Contrarium tenere, foret evertere doctrinam Patrum, & Theologorum, quos supra adduximus, aliorumque plurium, qui (concesso B. Virgini, etiam ante matrimonium, voto Castitatis absoluto) eidem nihilominus concedunt locum dubitandi, num forte Deus aliud deinceps disponeret. Contrarium, perinde foret ac negare, quod in veteri Testamento posset illa virgo, sub patria potestate constituta, facere votum Castitatis perpetuæ; quia obnoxia erat periculo, ne id resciens pater suus ex auctoritate Legis illud irritaret, si irritare vellet ipso die, quo rescivit.

119 Pater reverendissime. Qui vovet castitatem perpetuam, solum ad hoc astringitur, ut ne (quantum in se est) velit obligationem istius voti a se removere, nec voluntarie facti voti ipsum pœniteat, sed promissum constanter nitatur servare: impedimenta tamen extrinseca (quæ in sua non sunt potestate, & ob altiorem auctoritatem impediunt voti executionem) nihil obstant, quo minus votum, quando emissum fuit, esset perpetuum quoad illius animum, qui tali voto voluit se obligare. Audi Card. Capisuccbum, (*Contr.* 15. §. 6.) & in eo auctores reliquos; *Perfectio autem voti* (inquit) *tota consistit in hoc, quod est voventem perpetuo se obligare ad aliquid, quoad ipsum attinet; hac enim ratione votum habet firmare ac obligare voventem: non enim vovens tenetur extrinseca impedimenta removere, quæ executionem voti possunt impedire, & in voventis potestate non manent.* Hæc est doctrina communis; & quæ huic opposita est, voto detrahit nomen virtutis, illudque collocat inter vitia: quia tali casu, votum esset firmus animus exequendi id quod vovit, quamvis etiam Deus mandaret contrarium; quod sane virtus non esset, sed positiva & aperta inobedientia, excutiendo scilicet jugum quod legitimus Superior imponit.

Argumentum VI.

120 Rev. P. Sebastianus (*num.* 97.) imponit capiti P. Papebrochii hæc verba, tamquam sua. *Quia inter conjugatos propter familiarem usum ordinarie subest periculum incontinentiæ, idcirco adeo difficilis reddebatur observantia voti Castitatis, ut merito judicari possit, Mariam & Josephum noluisse in ejusmodi casu se obstringere ad servandam Virginitatem, quando illam vovebant.* Refert deinde Latina verba Papebrochii, concluditque per miras exclamationes in hunc modum. *In hunc usque diem nemo Catholicus dixit umquam, quod in Maria Sanctissima, propter familiarem usum, fuerit periculum incontinentiæ. Quid? Periculum impuritatis in fonte ipsius puritatis? Periculum in conversatione Reginæ cæli, quale solet subesse in aliis hujus seculi mulieribus! Solus hoc excogitavit Papebrochius.*

121 Respondeo, solos esse duos, Rev. P. Fr. Sebastianum a S. Paulo scilicet & Anonymum in sua *Voce præiensæ Veritatis*, qui involarint in famam Papebrochii super hoc casu particulari; vitiantes ipsius clausulas dupliciter; primo, truncando illius verba; deinde, doctrinam generalem transferendo ad casum particularem, quem ipse excipit.

122 Coram omnibus pateant huc translata omnia illius verba, ut simul pateant vitia, quorum Accusatores sunt rei. Tomo 3. Martii (*fol.* 15. *circa medium numeri* 46. & *ex parte n.* 47.) cum egisset de dubio, quod circa votum poterat esse, attenta solum voti & legis natura, sic ait. *Dixi*, Ex ipsa utriusque obligationis natura: *quia adimplendæ legis a Deo latæ necessitas, in quam aliquis nulla sua voluntate inducitur, quacumque arbitraria, qualis est voti, obligatione potior est antiquiorque: concipi autem ea vix potest, sic ut ad solas nuptias contrahendas, non item ad consummandas, haberet obnoxios: cum finis legis* (is erat, conservare & promovere hereditatem in familiis, eo modo quo Deus disposuerat) *secundum naturæ ordinarium cursum non potuerit absque corporum commixtione obtineri. Et quamvis non nisi ad contractum nuptialem obligasset, hoc ipso, propter periculum incontinentiæ, quod subesse ordinarie solet in tam familiari, quem iste contractus affert, usu, prioris voti observatio tam difficilis reddebatur, ut merito censeri possit ad ejusmodi casum nemo se voluisse obstringere, cum simpliciter Castitatem vovebat.*

123 An in his verbis clausula est aliqua, ex qua aliam possis quam generalem doctrinam elicere? Omnino nulla. Imo sunt nonnullæ, quæ generalitatem istam manifeste probent; ut sunt ꝏ *Aliquis*, ꝏ *Nemo*, ꝏ *Secundum naturæ ordinarium cursum*, denique ꝏ *Subesse ordinarie solet*. In his omnibus agitne forte Papebrochius determinate de Maria & Josepho, prout accusatur a Fr. Sebastiano, & ab Anonymo? Minime. An in præfatis verbis vestigium latet aliquod, unde Papebrochius arguatur dictum incontinentiæ periculum aptasse non jam dico, determinate Josepho & Mariæ, sed vel ulli alteri determinate personæ? Nequaquam; quia agit solum de eo, quod ordinarie solet contingere. Ulterius quæro, an in citato textu nullas habeat clausulas Papebrochius, quibus ab ordinario isto periculo, & se continendi difficultate, eximat Mariam & Josephum? Habet omnino; & dilucidas quidem. Habetne etiam verba, ex quibus de aliis, generaliter loquendo, præsumi possit, non fuisse illorum animos, ut in casu tam duro se per votum obstringerent? Habetne, inquam, verba, quibus contrarium afferat de cœlestibus nostris sponsis? Habet enimvero, & quidem meridie clariora; nec ipse in culpa est,

est, cur ea noluerint Accusatores videre. Immediate namque, nulla facta interruptione, post citata verba sic prosequitur (*num.* 47.) Papebrochius: *Præterea ut expedito sibi per ejusmodi dispensationem utendi matrimonii jure Sponsi nostri cedere & vellent & possent, quantum quidem erat ex parte sua*. Et immediate ante citatam jam doctrinam generalem circa naturam Voti & Legis, (*num.* 46.) dixerat, *Celebratum* (inter Josephum & Mariam) *per verba de præsenti contractum, ea mente, ut ipso illius usu tantisper abstinerent, dum propitiato per bona opera ac preces Deo, certius aliquod divinæ voluntatis indicium obtinere mererentur*.

124 Ex dictis nonne Rev. P. Fr. Sebastianus & Anonymus agnoscunt adhuc animum Divinorum istorum Sponsorum; propositumque firmissimum permanendi in sua Virginitate? Item quod Papebrochius periculum incontinentiæ & difficultatem servandæ castitatis statuat solum in eo, quod inter conjuges ordinarie contingit, propter tantam familiaritatem, quantam secum trahit status conjugalis? Quod per τὸ *Vellent cedere* suo jure, quantum erat ex parte sua, idque ex amore Castitatis, significet Papebrochius animum servandi votum, quod ante fecerant? Nonne vident, quod per τὸ, *Et possent cedere*, explicet facilitatem per specialissimas Dei gratias servandi id, quod aliis ob earum defectum difficile esset? Nonne vident, quomodo non solum potuerint & voluerint, sed de facto contractum matrimonialem celebraverint purissimo animo, ac determinato ad sic semper perseverandum, donec aliud Deus disponeret?

125 Quis igitur, Reverendissime Pater, tuus est ille Papebrochium accusandi modus? Qua conscientia id illi adscribis, quod non dicit? & qua fide, quod dicit, taces? Applicas commune particulari? & id, quod de ordinarie contingentibus est, casui adeo singulariter speciali? qua denique fiducia periculum incontinentiæ a vasis fragilibus transfers in eam, quam Deus nobis proposuit in exemplum & normam Virginum & Conjugatarum, inauditum superaddens miraculum, quo eadem femina, & Virgo & Sponsa esset, eadem mater & Virgo? Dicat nunc Reverendissimus Pater, uter in mundi theatro majorem mereatur admirationem? Papebrochiusne, qui, quando opinatur, Josepho & Mariæ ante nuptias concedit absolutum perpetuæ Castitatis votum; & hoc non obstare matrimonio, quo celebrato steterit adhuc eadem voti obligatio, nisi Deus expresse jubeat contrarium? Papebrochiusne (iterum dico) qui, quando suspicatur solum de irritatione voti, sponsis tamen istis eumdem concedit Virginalem animum, absque ulla circa ejusdem custodiam hallucinatione, & absque umbra alicujus vel levissimi periculi? an Rev. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo admirationem istam merebitur, qui calcatis omnibus, intrepide per orbem buccinat, quod juxta Papebrochium noluerint Maria & Josephus obstringere se servando voto, si casus eveniret de improvisa Matrimonii necessitate: & quod in familiari cum B. Virgine conversatione subesset periculum incontinentiæ? Quomodo periculum tale in talibus personis potest agnoscere is, qui de iisdem (*Tom.* 3. *Martii fol.* 5. *n.* 4.) sic ait: *Sponsa igitur erat & Virgo; & consentiente Sponso perpetuæ Virginitatis propositum observabat*. Qua ratione potuit tale periculum Papebrochius concedere, cum eam ipsam observantiam & perpetuæ Virginitatis honorem, habeat pro fructu Virginalis istius matrimonii, cum ait, quod *omnes S. Josephi honores, fructus fuerint Virginalis Conjugii?* Quomodo denique Papebrochius concedat tale periculum, aut vel minimam suspicionem, qui asserit, quod, *extra omnem falsitatis suspicionem manent*, scilicet Maria & Josephus?

126 Reverendissime Pater, materia hac nec est gravior, nec sacratior alia. Si execrabile scandalum foret, in Papebrochio similes propositiones extare; adverto scandalum non minus detestabile esse, quod unus Provincialis Carmelita eas illi affingat. Illud *Væ*, quod Christus intentavit adversus scandala, non intentavit in eum, qui calumnias & falsas imposturas patitur; sed in eum, qui dum horridas fœditates imponit alteri, populos commovet, & mundum implet turbulento strepitu. *Væ mundo a scandalis: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit*.

127 Detur hoc Reverendissimo Patri, quod gens rustica & illitterata persuasa fuerit, Papebrochium adversus Mariam & Josephum tam horrida scripsisse; detur etiam, idem genti mediocriter litteratæ fuisse persuasum; at ubi, discussa nebula erumpens lux veritatis, sole clarius manifestaverit, non esse Papebrochii eas propositiones, quæ ipsi imputantur, quantum tunc tandem mirabitur, imo stupebit Orbis? Quas non ab imo pectore exclamationes depromene viri docti, sapientes, veritatis amantes; viri denique, qui divina luce instructi norunt penetrare atque pro merito exaggerare enormitatem, quam in tali materia secum trahunt publicæ imposturæ? Expendat hoc, perpendatque attente Reverendissimus Pater in spirituali suo recessu; & non negabit, me vera loqui.

128 Idem rogatum velim Anonymum nostrum; ac præterea, cum glorietur, esse se Præconem & Vocem veritatis, ut sibi præsentem statuat Papebrochium, & verbis Augustini, cum justa acrimonia, dicentem sibi id, quod olim sanctissimus Doctor dixit Juliano (*lib.* 4. *c.* 8.). *Tu autem*, Anonyme, *vir honestus & verax* (Vox veritatis) *abstulisti verba quæ dixi, & dixisti quod ipse finxisti: redde verba mea, & evanescet calumnia tua*.

Argumentum VII.

129 IDem Rev. P. Fr. Sebastianus (*fol.* 45. *n.* 94.) arguit in hunc modum: *De lege, quæ obligat ad nuptias, ait Papebrochius, vix posse concipi, obligasse ad matrimonium dumtaxat, & non ad usum ejusdem; nam juxta ordinarium naturæ cursum, non poterat Legis finis obtineri absque dicto usu: atqui Mariam & Josephum subdit Papebrochius obligationi contrahendi matrimonium: ergo subdit eosdem obligationi illud consummandi*. Vix crederem, esse hoc argumentum Rev. P. Sebastiani, nisi publicis typis editum viderem.

130 Respondeo 1. Hoc argumentum non militat contra assertionem & sententiam Papebrochii; hic namque, cum aliis sanctis Patribus Doctoribusque, verbo respondet, quod, cum in matrimonio res admodum distinctæ & separabiles sint, usus & potestas seu jus ad usum, in hanc ultimam solum Maria & Josephus consenserint, tradentes sibi invicem dictam potestatem radicalem; non qualemcumque, sed impeditam per antecedens utriusque votum absolutum Virginitatis, idque cum usus ipsius dis-

pli-

plicentia positiva, ac tanta, ut, nisi expresse divinum præceptum accederet, io illum nequaquam consentiret.

131 Respondeo a. Etiam in eo, quod suspicatur Papebrochius, oblitus est Rev. P. Sebastianus terminorom, quos in proprio suo argumento inclodit, & quibus argumentum dissolvitur. Oblitus est namque termini *ô Vix*, iterumque alterius termioi *ni Secundum ordinarium naturæ cursum*, Et cum horum non meminerit, non mumioit etiam, quod contra illud *Vix*, & contra, *Ipsum naturæ cursum*, poterat excipere & triumphare imperium superioris gratiæ & providentia extraordioaria, qua matrimonium istud Deus disponebat, Quemadmodum autem istius providentiæ para una erat, ut Christua nasceretur ex nupta Maria Virgine, io quo victua succubuit naturæ cursus: similiter disposuit, ut etiam, casu quo dubia esset obligatio voti, constans firmissimusque sibi constaret animua idem, quo votum emiserant. Atque hæc est singularia cœlestium Sponsorum gloria, quod quoad animum æqualiter manerent Virgines, sive quando votum illos obligabat, sive quando lex videri poterat valorem voti sustulisse. Atque adeo dum Judæi reliqui ouptiaa avide expetebant, si forte per naturalem suum fructum propius accederent ad Messiam; e contrario Maria & Josephua adeo erant puritati dediti, adeo anxii de Virginitate sua perpetua, ut hujus amore, dato etiam casu quod votum suum noo subsisteret, propiori isti ad Messiam accessui renuntiaverint. Atque in tam inauditæ Virginitatia hujus præmium (inquit Papebrochius) constituit illis Deus eam ipsam, cui renuntiabant, dare gloriam; quippe legitimum ac verum Mariæ filium & putativum Josephi, concessit esse Messiam.

132 Reverendissime Pater, totum hoc habet Papebrochius dicto suo (*tom. 3. fol. 15. n. 46. & 47.*) Ibi videre est animum, quo contraxerunt, uti jam supra retulimus num. 123. hujus nostræ Apologiæ. Ibi videre est cessionem juria, quod contractua per se tribuit. Ibi videre est orationea & preces, quibus explorabant voluntatem divinam. Ibi videre est, quomodo Deua manifestarit, quid sibi placeret, Ibi videre est, quomodo in virtute hujus manifestationis antiquum votum renovaverint. Ibi deoique palam fiet, quomodo juxta Papebrochium, ante, in, & post nuptiaa, non aliud occurrerit vel intercesserit nisi votum Virginitatia, animua Virgioitatia, & renovatio ejusdem voti; quamvis etiam per ejusmodi Virginitatem spoliarent se privilegio, citius in familiam ac domum suam introducendi Messiam. Specialis Papebrochii laus est, quod, juxta ideam suam de S. Josepho, cum proportione dici possit, quod dicitur de ejusdem Sponsa; *Quomodo fiet istud, quoniam mulierem non cognosco?* Et post hæc omnia tam ardens est ad accusandum Papebrochium quorumdam prurigo, & Anonymi cujusdam tam arrogans audacia, ut illi imponere non horruerina tam scandalosa dogmata! *Væ homini illi* (ait Christus) *per quem scandalum venit.*

Argumentum VIII.

133 IDem Rev. P. Fr. Sebastianua a S. Paulo (*fol. 44. n. 90.*) refert hæc Latina verba Papebrochii. *Credebatur æstimatione communi, in legem & publicam honestatem peccaturus gravissime, qui vel mortuo fratri suscitare semen, vidua illius ducta; vel heredem parentibus unicam agnatus proximus ducere noluisset uxorem; vicissimque talis vel puella vel vidua, quæ noluisset ejusmodi nuptiis consentire, vel nuptiis sic legitime contractis uti ad liberos ex se gignendos.* Quam versionem Hispaoicam (putas lector) dabit verbis illia Latinis Rev. noster Fr. Sebastianus, traductua per D. Daoielem a S. Petro? Noo aliam certe, quam qua Lutheranum vult facere Papebrochius. Audiamus Reverendissimum. *Erat*, inquit, *dictamen apud illum populum commune, quod gravissime peccaret contra leges & bonum publicum* (Nota) *qui non contraheret matrimonium, sive vir ille foret sive mulier, & post contractum eo non uteretur ad gignendos filios: ergo Elias, Eliseus, Jeremias non contrahendo, uti non contraxerunt, peccarunt gravissime in sententia Papebrochii. Judicetur hic, an in eo conveniat cum sententia Lutheri.* Hactenus doctus Carmelita.

134 Respondeo. Ruit hoc argumentum & imposturæ convincitur, sola fideli versione duplicis clausulæ Latinæ in Hispaoicam. Peccatum statuit Papebrochiua io duobua solum determinatis casibus; quorum uous est io defuncti fratre, qui viduam noluerit in uxorem ducere, & *mortuo fratri suscitare semen*: alter io *agnato proximo*, qui *heredem parentibus unicam ducere noluisset uxorem*: atque idem est de tali vidua, & tali herede respectu virorum, quos lex designat. Atqui, cum sub isto genere personarum determioatarum non omnea reliquæ comprehendantur (quis enim dixerit, viros omnes fuisse defunctorum fratres, aut omnes femioas fuisse heredes parentibus unicas?) quid fecit hic Rev. P. Fr. Sebastianus? Id oempe, quod sensum habet dumtaxat particularem & restringentem, traduxit ad sensum universalem & illimitatum. Talem traducendi modum ars nulla docet; talem accusandi & publice denigrandi artem nulla permittit Theologia, multoque minus ea quæ rigidior & tutior vocatur.

Argumentum IX.

PAtrea Delatores (*in delatione citata jam fol. 6.*) arguunt per errorem, aliqoatenus præcedenti similem, dixisse Papebrochium, quod, quamvis Josephus & Maria, quaotum erat ex parte Virginalis utriusque animi, possent & vellent cedere (uti cesserunt de facto) jure utendi Matrimonio; *non tamen videantur absque gravi scelere potuisse Majores suos (eos saltem, quibus alia nulla esset posteritas, quales Joachimus & probabiliter etiam Heli fuerunt, fortasse etiam multo plures) incomparabili illa & inæstimabili fraudare gloria, quam erant æternam inter Beatos consecuturi, si repromissionis semen per ipsos esset propagata.* Duas Notas faciunt RR. Patres isti Carmelitæ super dicta clausula Latina Papebrochii.

136 Prima Nota est, quod suo nomine absolute dicat, *commississent gravissimum scelus*, fraudando Majorea suos dicta gloria. Respondeo, istud gravissimum scelus, quod Hispanice Accusatorea ajunt assertive dici, Latine noo inveniri in Papebrochio. Hic non dicit, quod *committerent peccatum*, sed quod videbantur commissuri. *Non tamen videntur absque gravi scelere potuisse*. Atqui inter *existere* rem aliquam absolute, & *videri existere*, magnum intercedit discrimen. Super veritatibus Catholicæ fidei in-

nume-

numeras Quæstiones instituit D. Thomas, incipitque dicens, *Videtur quod non*. Quæro; an recte faceret, qui diceret, quod Doctor Angelicus in principio dictarum Quæstionum respondeat, negando absolute tales veritates; postea vero easdem retractet, per *τὸ Sed contra*, vel *τὸ Respondeo dicendum*, tenens sententiam contrariam? Certe non faceret recte: quia post Quæstionis propositionem, infra hæc verba, *Videtur quod non*, ponit quidquid apparenter adversus tales veritates objici potest, vel difficultatem pati. Idem prorsus accidit Papebrochio in præsenti casu, ubi exaggerat expenditque difficultates, quæ contra subsistentiam voti possent objici.

137 Agnoscent hoc clarius RR. Patres in his D. Thomæ verbis (3. *par. qu.* 28. *art.* 4.) *Videbatur*, inquit, *esse lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum semen super terram; ideo non simpliciter Virginitatem vovit Dei Genitrix, sed sub conditione, si Deo placeret*. Hæc sancti Doctoris verba, Patres mei, quomodo vertenda sunt? An asserendo absolute prohibitum fuisse, nuptias non celebrare? an vero non plus affirmando, quam quod videbatur id esse prohibitum? Si primum; hac sola clausula eversus jacet totus antiquæ Legis Monachatus: si posterius; omnino cum Suarezio in locum citatum dicendum erit; *Nihil simpliciter affirmat, sed dicit ita apparere potuisse* &c. Et, ut verum fateamur, non erat profecto apparentia ista tam levis, ut talis intellectus (qualis erat Mariæ) in lege versatissimus, non comprimeret fervorem voluntatis, ne illico prorumperet in Virginitatis votum absolutum, sufficiente solum conditionato; quantumvis Reverendissimi Patres absolutum concedant tot feminis, quot eo tempore volunt fuisse Religiosas. Hanc ipsam igitur interpretationem, cum dent sancto Thomæ, energiam seu vim, quam hujusmodi clausulæ, *τὸ Videbatur*, tribuunt respectu Mariæ, tribuant quoque clausulæ Papebrochii, *τὸ Videntur*, qua nec quidquam affirmat, nec opinatur, sed solum suspicatur.

138 Altera Nota, quam faciunt super præfata Papebrochii clausula, est; quod, *si verum foret, quod in ea dicit, & de gloria essentiali ageret, sequeretur, omnes Christi Progenitores, quos S. Lucas & S. Matthæus referunt, salvos fuisse, quod falsum est*. Respondeo, non agere Papebrochium de tali gloria essentiali; nam, ut Theologus, novit, in quo illa consistat. Facit solum mentionem æternæ gloriæ, cujus nomen etiam accidentali potest applicari; cujus ipse Deus per obsequia nostra capax est, & Apostoli per conversionem infidelium, atque Religionum Fundatores per filios, quos Deo pariunt sanctitate doctrinaque illustres.

139 Nec etiam agit Papebrochius de omnibus Christi Progenitoribus, per propositionem universalem, sed solum per indefinitam; & hanc quidem restringit ad eos, quibus alia nulla esset posteritas, assignans *S. Joachimum & probabiliter etiam Heli*, & sub particula dubitantis *multa plures*. Quod totum in præfata suorum verborum clausula Papebrochius includit parenthesi: at Patres Accusatores in sua Delatione omiserunt parenthesim istam integram, uti videre est folio 6. & usi sunt termino universali *τὸ Omnes*, quo Papebrochius non utitur.

Argumentum x.

140 Idem P. Carmelitæ fol. 4. præfatæ Delationis, sic arguunt: Papebrochius Tomo 3. Martii (*fol.* 14. *col.* 1. §. 7.) ponit hunc titulum: *Sanctorum Christi parentum desponsatio & continentiæ votum*. Qui utitur illo termino *Continentiæ* ad explicandam Virginalem Mariæ puritatem, tribuit B. Virgini virtutem admodum accisam, vel quiddam quod virtute minus sit: ergo Papebrochius non loquitur ut Theologus: & verso folio concludunt, terminum, *Continentiæ votum*, non casu fuisse positum in titulo dicti Paragraphi, sed cum multo artificio nota digno.

141 Respondeo, divinam Providentiam permisisse hunc arguendi modum; quo scilicet orbi clarius innotescat modus accusandi Papebrochium, dum huic attribuunt artes & versutias contra Dei Matrem ejusque puritatem. Hugo Victorinus, loco supra citato (*n.* 110.) sic interrogat. *Quare nubere voluit, postquam continentiam voverat*: & statim in cursu totius capitis, votum istud Continentiæ, vocat modo votum virginitatis, modo propositum ejusdem. S. Augustinus (*Epist.* 143.) dicit, *De ipsa continentia Virginali*, in qua continentiam Virginalem vocat Virginitatem, quam virgo Demetrias Deo consecrarat. Card. Capisucchus (*Controv.* 16. *q. unica ante* §. 1.) ait: *Virgo sanctissima significat* (Angelo) *impedimentum se habere, quo minus filium concipere & parere possit; impedimentum autem illud aliud esse non potuit, quam votum Continentiæ*. Venerabilis Petrus Cluniacensis, exhortans neptes suas ad perseverandum in felici statu Virginitatis, quam voverant, sic ait: *Vos estis, quæ vovetis & redditis Domino Deo vestro vota perpetuæ continentiæ*. Spiritus sanctus per os Salomonis (*Sap.* 8. *v.* 21.) ait: *Non possem esse continens, nisi Deus det*. Cornelius hic interpretatur dicens; *Continens idem est quod castus*; citatque Glossam, Dionysium, Holcot, Hugonem Etherianum, & Tertullianum. Lorinus ait, juxta communem Latinorum sensum, per *Continentem* intelligi hoc loco *Castum*.

142 Reverendissimi PP. Delatores, citati Interpretes, & præcipue sanctus Spiritus, suntne juxta vos locuti ut parum Theologi? S. Augustinus, aliique Doctores, parumne honorifice de B. Virgine Maria locuti sunt, dum de ea scribentes usi sunt vocabulo *Continentiæ*? Fuitne illud eorumdem inventum, aut versutum artificium, nota dignum? Ibitis inficias; scio. Cur ergo id asseritis de Papebrochio? Si nomen *Continentiæ* terminus est generiens, cujus significatum possit contrahi ad virtutem castitatis, iterumque sub hac limitari possit ad solam castitatem conjugalem, & ad solam quoque virginalem; unde divinastis, RR. Patres, Papebrochium non intellexisse continentiam in hoc ultimo sensu, dum loquitur de Josepho & Maria? Sanctus Augustinus certe, (*libro de continentia cap.* 1.) sensum illum applicat & uni & alteri castitati, citans textum Sapientiæ supra allegatum. Sed invenitur solutio apud ipsos Delatores; *Quamquam* (inquiunt) *appareat, quid velit dicere P. Papebrochius*. Videtis ergo, Patres mei, & prævidetis, quid ille velit dicere: nec negare potestis, quod in toto Paragrapho isto semper utatur termino, *Votum virginitatis*; nihilominus accusatis illum, contra id ipsum quod fatemini vos videre: & dum intelligitis, quid velit dicere, defi-

nitis in eo ipso versutiam esse & insigne artificium nota dignum, Nescio, an boc non sit id, quod notavit S. Bernardus in altero, cui dixit: *Noli, quod intelligis, in aliud vertere.*

Argumentum XI.

143 REv. P. Fr. Sebastianus (*fol. 42. n. 76. & 7.*) Fr. Joannes Gomez Barrientos, Fr. Petrus a Conceptione, & Fr. Angelus a Purificatione (*in Delatione Madriti impressa anno 1694. fol. 13.*) agunt de Virga S. Josephi; & quia Papebrochius ait, ex quorumdam Orientalium scriptis apocryphis haustum esse, quod vulgo narratur de virga in aliarum præsentia florescente; nec id intelligit de facto & materialiter, uti bistoria sonat, sed in sensu solum mystico & significativo; mira quædam in illum congerunt: quem nempe describunt ut auctorem, cujus causa Ecclesiasticorum rituum amantissimus quisque possit Ecclesiam ipsam irridere atque contemnere, utpote quæ publicæ venerationi exponat apocrypba & ficta prodigia.

144 Progrediuntur ulterius (*in dicta delatione anni 1694.*) sic dicentes; *In 3. Præambulo vidimus venerationem traditionibus sacris debitam, & fidem quam eædem merentur: vellemus autem scire, quibus Auctor iste utatur fundamentis, ut traditionem tamopere celebratam rejiciat ut apocrypbam.* At si dictum Præambulum attendatur totum, non agit de traditionibus aliis, quam quas Divus Basilius vult baberi tamquam vivum Evangelium; quarum vel unam negare, juxta Hosium Episcopum, perinde est ac negare Evangelium totum; de iis, inquam, traditionibus, quas negare secundum Originem, hæreticum est: & inter alios citant Theophilum Raynaudum, qui contra Joannem Launoyum ait, Calvinistarum esse axioma, negare traditiones, ideo solum, quia non sunt scriptæ.

145 Ex his omnibus infertur, juxta RR. PP. Delatores, bistoriam & traditionem de Virga S. Josephi adeo esse certam, ut in dubium revocari non possit, nisi simul abnegetur Catbolica fides, & occasio detur Ecclesiam irridendi; & juxta Rev. P. Fr. Sebastianum, nisi oppugnetur ac vulneretur ipsa Ecclesia.

146 In affirmationibus adeo absolutis lentiori pede procedendum erat; quia tantum peccat, qui nimium affirmat absolute, quam qui minus. In Veritatibus fidei, sicut nec apex unux tolli potest, ita nec addi ei, quod Ecclesia credendum proponit. Unum & alterum vetat Joannes Apoc. 22. vers. 18. & 19. Quod autem ad historiam Virgæ pertinet, primum probatos audiamus auctores, tum inspiciamus rationes.

INTERP. *Hic porro pergit Auctor producere optimorum Scriptorum, tam Theologorum quam Historicorum sententias, rejicientium ut fabulam miraculum virgæ, & ipsam unde bausta scripturam inter apocryphas rejecentium: quæ omnia cum Latine reddita legantur §. 9. Articulo 25. in Responsione, istic require & transiliendo numeros 19. intermedios mecum procede ad sequens.*

Argumentum XII. & ultimum.

167 PAter Fr. Sebastianus a S. Paulo (*fol. 45. num. 89.*) & PP Delatores (*anno 1691. fol. 4.*) referunt banc Propositionem Papebrochii (*tom. 3. Martii fol. 14. num. 45.*) *Quia tamen consecrata Deo per votum Virginitas, res fuit ante Christum tam insolita, ut nulla lege vel exemplo cujusquam quidquam inter Judæos circa ipsam videamus fuisse constitutum.* Eorum primus P. Sebastianus ait, talem propositionem idem fere esse, quod dixit Lutherus, scilicet: *In veteri Testamento nullo modo licitum fuisse, carere uxore;* arguitque cum Bellarmino: *si ita est, quomodo Elias, Elisæus, Jeremias & Joannes Baptista caruerunt uxoribus?* Mirabilia sunt Dei profundissimaque judicia, quibus permittitur, ut tamquam Lutheranus traducatur vir apprime Catholicus; idque intendatur probari per argumenta vere debilia pro uno assumpto, licet robusta sint pro altero. Arguit rectissime Bellarminus; quia, qui negat, in veteri Testamento fuisse licitum carere uxore, convincitur exemplis eorum, qui in eodem non duxerunt uxoret. Sed qui agit de Virginitate cum voto, quis hactenus eum impugnavit hac forma? *Petrus, Franciscus, Antonius non babuerunt uxores proprias; Ergo fuerunt Virgines cum voto.* Dialecticus quisque mediocris negabit promptissime consequentiam: etenim (etiam in Lege gratiæ, ubi habemus consilia Evangelica & millena exempla Virginum ex voto) plurimi obierunt cœlibes & numquam conjugati; non ideo tamen certo asserimus, fuisse Virgines, nedum ex voto: quia cœlibatus non infert Virginitatem, multo minus Virginitatem ex voto: de bac autem, Rev. Pater, agit Papebrochius: ergo argumentum tuum, quod præcise respicie carentiam sponsæ, nec est contra Papebrochium, nec probat Virginitatem istorum Sanctorum, quæ per alia solidiora principia probari debet, & votum illorum magis convincentia.

168 Instant pariter omnes & P. Sebastianus & PP. Delatores, ajuntque, præfatam Papebrochii Propositionem militare adversus antiquum Monachatum; & Sacrum Tribunal, Decreto anni 1639. qualificare & approbare, quod in Lege scripta extiterint vota Castitatis & Virginitatis perpetuæ & verus Monachatus.

169 Respondeo, Quod (postquam idem Tribunal condemnavit anno 1636. Historiam propheticam, RR. PP. Carmelitæ Discalceati sostituerunt de novo suam supplicationem ac defensionem super eo, quod in Lege scripta extiterint vota virginalis Castitatis, Obedientiæ perpetuæ & voluntariæ Paupertatis, ac verus Monachatus) Domini Inquisitores circa has Propositiones dixerint, *Currant impressæ in forma sicuti sunt, & imprimi possint de novo.* Sunt formalia verba Decreti, quod sacrum Tribunal expedivit 9. Decembris anni 1639.

170 Salva pace vestra, RR. Patres, quæro; quid hisce verbis mandat sacrum Officium? Respondebunt omnes, unum hic mandari, permitti alterum: Permittitur, ut possint imprimi & impressæ currere; mandatur autem, saltem per consequentiam, ut nemo illas audeat censurare censuris spectantibus ad sacrum Officium: sed non mandatur, aut probibetur, ne quis sequatur opinionem contrariam; non item, ne quis illam impugnet; non etiam, ne impugnatio ista scripto fiat: non mandatur populo Christiano, ut positive velut rem certam affirmet, in Lege veteri Monacbatum cum talibus votis extitisse. Horum nibil mandatur; ac consequenter, considerata sacri Officii decretis aliis, non prohibetur, quo minus quis contrariam opinionem sequatur, modo non censuret alteram.

171 Ad hoc probandum affatim suppetunt exempla. Primum sit, habita Romæ celebris illa controversia eorum, qui contra Scientiam mediam tuebantur Prædeterminationem physicam. Res hinc & inde fortissime ventilata est: & mandavit tandem Papa, ut utraque opinio posset currere ac defendi, tamquam probabilis; ea tamen lege, ne pars alterutra alteram censuraret. Quæro, an vi istius mandati seu decreti tenerentur PP. Dominicani sequi Scientiam mediam, aut PP. Societatis Prædeterminationem physicam? Minime. Estne fidelibus integrum, utramvis ex duabus illis opinionem sequi? Maxime. Peccabitne in Papale decretum, qui alterutrius opinionem impugnaverit, abstinendo tamen a censuris? Nequaquam. Eccur ergo PP. Delatores tamquam condemnari dignum accusant eum, qui sequitur, & tuetur contrarium ejus, quod sacrum Tribunal dumtaxat permisit currere? Quis dixit, solam unam permissionem inducere obligationem sequendi id quod permittitur? Quodque plus est, quis dixit, alicujus opinionis meram permissionem idem esse atque condemnationem contrariæ?

172 Ad hoc primum exemplum posset alterum addi de P. Stephano Fagundez; cujus quamdam Propositionem Domini Inquisitores condemnaverant primum, deinde, audita defensione, absolverunt permiseruntque currere; & sic de multis propositionibus aliis aliorum Auctorum, de quibus idem dici potest. Si autem non ita id intelligendum volunt PP. Carmelitæ, sed eo ipso, quo propositio vel opinio aliqua accusata liberatur a censura, manere prohibitam vel damnatam illi oppositam, non graventur notare inconvenientia seu incommoda, quæ inde sequuntur, & sequenti Capite distinctius explicantur.

CAPUT QUINTUM.

Proponuntur inconvenientia exinde sequentia, quod simplex alicujus opinionis permissio censeatur contrariæ condemnatio.

INCONVENIENS I.

173 QUi tenent votum Virginitatis in Lege veteri, consequenter tenent ac tuentur, ante Dei Matrem fuisse, qui cum præcedentis temporis conceperint dictum Virginitatis votum. Hoc autem negant Sancti & Doctores pene innumeri. Solus P. Sherlogus Societatis Jesu in Cantica (*Vestigat.* 20. *sec.* 2.) enumerat ultra septuaginta Auctores nobilissimos, sapientissimos, & pientissimos; atque inter eos S. Epiphanium, S. Augustinum, S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Joannem Damascenum, S. Bernardum, & S. Ildephonsum. De S. Thoma mentionem faciemus seorsim.

174 Non omnium hic possum verba referre; referam tamen quædam quorumdam insigniter sanctorum; ut per transennam pateat, qua specie veri in Delationibus suis dicant PP. Carmelitæ de Patribus Ecclesiæ, *fere omnes in eo conspirare*, nempe, quod *votum Virginitatis in veteri Testamento extiterit*.

175 S. Bernardus (*Homilia 3. super Missus est*) sic ait: *o Virgo prudens, o Virgo devota, quis te docuit, Deo placere Virginitatem? Quæ lex? quæ justitia? quæ pagina veteris Testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, & in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras, laudatos esse qui se castraverunt propter regnum cælorum?* & paulo post. *Tu vero, non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum* &c. Sed dic age, gloriose Sancte, numquid ergo præcessit justitia, id est, virtus tot tantorumque Religiosorum utriusque sexus in suis conventibus; & adeo quidem laudatorum, eo quod per votum Virginitatis, propter regnum cœlorum Deo oblatæ, superaverint ipsam Legem? Non, inquis idem Sanctus. Invenio quidem in veteri Lege viros feminasque sanctitate præfulgentes, qui possint in exemplum statui, & magnis encomiis præbere materiem; at qui in exemplum adducatur pro offerendo voto Virginitatis, neque in Lege invenio, neque in homine, neque in monasteriis. Hoc privilegium reservabatur soli Mariæ.

176 S. Joannes Chrysostomus in hac materia extendit se admodum fuse. Homilia 9. de Pœnitentia explicat defectum voti seu professionis Virginitatis per hoc, quod huic non posset se quispiam voto illigare. *Talis enim* (inquit) *virginitas est, ut eam potuerit nemo veterum conservare . . . Gravis enim erat virginitatis professio, ut has nemo se religaret . . . . Nemo igitur veterum poterat virginitatem tenere*. Idem Sanctus (*libro de virginitate qui reperitur, modo in tom. 5. modo in 6.*) *Judæi* (inquit) *virginitatis laudem aspernantur . . . Contra vero Gentes admiratione virginitatis obstupescunt, quam tamen sola colit Ecclesia*. Idem iterum (*c. 13.*) *Virginitas in veteri Testamento res perspicua non erat: nec enim solum reliqua multitudo, sed & Levitæ & Sacerdotes, atque adeo summus ille Pontifex magni nuptias æstimabant*. Hujus Doctoris terminis in unum collectis expensisque, quis negabit, in ejusdem sententia hujus voti primatum, non quoad dignitatem solum, sed etiam quoad tempus deberi B. Mariæ Virgini?

157 S. Albertus Magnus (*in Mariali pag. 9.*) dicit: *usque ad Mariam Virginem Virginitas maledicta fuit: hæc autem* (Maria) *opprobrium Virginitatis abstulit*.

178 Iterum S. Bernardus, agens de voce turturis, tamquam præcone Castitatis (*Serm. 59. in Cant.*) Tunc, ait, *voci illi tempus fuisse tunc dicas, cum sub maledicto omnis jacebat sterilis in Israel; cum Patriarchæ ipsi simul plures haberent uxores; cum frater fratris sine liberis defuncti semen suscitare ex lege compellebatur? At ubi insonuit ex ore cœlestis Turturis commendatio illa Spadonum, qui se castraverunt propter regnum Dei: & iterum alterius cujusdam castissimi Turturis consilium de virginibus ubique invaluit, tunc primum dici veraciter potuit, quia vox Turturis audita est in terra nostra*. Idem sentiunt S. Ambrosius (*Serm. 6. in Psal. 118. & in libr. de Isaac c. 4.*) S. Augustinus (*homil. 33.*) S. Hieron. (*lib. contra Jovin.*). Ex his clare patet, Virginitatem Deo oblatam, in Israel agnitam non fuisse, nedum voto firmatam; & fuisse reservatam Legi gratiæ.

179 Abulensis (*in l. 4. Reg. c. 18. q. 29.*) sic habet. *Non fuit aliqua, quæ emisisset votum Virginitatis propter Deum, ante Dominam nostram*. Legatur Canisius (*lib. 2. de Deipara c. 14.*) ubi ait: *Consentientes atque constanter judicant Patres Ecclesiæ, adeoque ex ipsis Evangelii verbis demonstrant, Mariam ex voto Virginem, adeoque voventium primam extitisse*. Legatur quoque doctissimus Carta-

gena (*tom. 1. p. 1. hom. 5. de arcan. Deip.*) qui idem, quod Canisius, dicit; refertque nominatim Patres & Ecclesiæ Doctores, qui Deiparæ concedunt Virginitatis ex voto primatum, etiam quoad præcedentiam temporis.

Animadversio.

180 EX dictis oritur notatu dignissima Consideratio; nempe, quod, si, quia Sacrum Tribunal permisit defendi, in veteri Lege extitisse votum Virginitatis, velint Delatores inde concludere, damnatam esse opinionem, distinctissime concedentium Deiparæ quoad dignitatem & tempus primatum hujus voti; volent tandem etiam deleri, non jam solas Propositiones, verum Tractatus integros tot Sanctorum Patrum ac Doctorum illustrium, expurgarique & corrigi eorum libros, ideo solum, quia ardentissima devotione & solidissimis argumentis propugnant singularem istam Mariæ gloriam. Atque idem volent fieri de libris innumeris sapientissimorum Doctorum, qui in unaquaque Religione tuentur & illustrant eumdem primatum voti Virginitatis in Maria quoad tempus. Hoc autem non videntur Delatores posse prætendere. Conquiescant igitur, sinantque, ut suam quisque opinionem absque censura amplectatur, solidis nixam fundamentis, neque mereatur Papebrochius id, quod merita non est illustrissima Doctorum, idem quod ille, negantium legio.

INCONVENIENS II.

181 PAter Fr. Sebastianus a S. Paulo (*fol. 44. n. 86.*) ait; circa votum Virginitatis in Deipara certum esse, non fuisse illud nisi conditionatum; cum tamen aliunde dicant PP. Carmelitæ, illud fuisse in exemplum aliis Virginibus, quæ in Lege veteri faciebant votum Virginitatis. Hinc alia nascitur difficultas. Nam supposito, quod B. Virgo a principio votum emiserit dumtaxat conditionatum, post matrimonium autem initum converterit illud in absolutum; quæritur, utrum ex duobus illis votis Deus proposuerit in exemplum Virginibus voventibus in Lege veteri? Si dixerint, quod votum dumtaxat conditionatum: quomodo potuit illud in exemplum proponi pro tot absolutis votis? Si dixerint, quod absolutum: cur non idem ipsi Deiparæ proposuit Deus, ut quæ futura esset Mater Messiæ, faceret simile votum absolutum, & a principio offerret absolute istud sui sacrificium? Si autem unum & alterum votum proponebatur filiabus Israel, ut Virgines essent ex voto majoris perfectionis; cur non & id ipsum proponebatur B. Virgini? Responsum non dabit sive P. Sebastianus, sive quis alius Carmelita, quod non retorqueatur, probando, B. Virginem vel ab initio fecisse votum Virginitatis absolutum; vel Virginitatis vota, si quæ fuerint in antiquo Testamento, fuisse conditionata. Non enim apparet, unde fiat, ut aliis personis (quantumvis sanctis, attamen B. Virgini in sanctitate longe inferioribus) absolutum votum non fuerit difficile; fuerit autem B. Virgini, quæ ceteras omnes in omni virtutum genere facilitate superabat in immensum. Vi hujus & similium discursuum victi Auctores varii negant antiqua illa vota; nec tamen accusantur tamquam refractarii adversus decreta S. Officii. Cur igitur non idem concedatur Papebrochio?

INCONVENIENS III.

Circa Doctrinam Divi Thomæ.

182 NOn consideremus votum conditionatum, quod juxta D. Thomam ab initio fecit B. Virgo; sed rationem, ob quam Sanctus ille censuit non fuisse votum absolutum. Hic (*in 3. par. q. 28. art. 4.*) sic ait; *Quia tempore Legis oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros (quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur) Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolute Virginitatem vovisse; sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio.*

183 Et in responsione ad 1. Argumentum sic iterum ait ibid. *Ad primum dicendum, quod videbatur lege probitum, non dare operam ad relinquendum semen super terram; ideo non simpliciter Virginitatem vovit Dei genitrix, sed sub conditione, si Deo placeret.* Sed quid ais, o Doctor, puritate tua vere Angelice? Fierine potest, ut ratio, quæ sapit adeo carnem & sanguinem, atque per se tantopere adversatur virginitati, prout indicant tua illa verba (*quia oportebat generationi insistere, & quia videbatur lege esse prohibitum, non dare operam ad relinquendum semen super terram*) fierine potest, inquam, ut talis tamque carnalis ratio ei, quæ virginali puritate excedebat ipsos Angelos, fuerit causa motiva non emittendi votum istius puritatis absolutum? An ea ratio, cujus objectum virginalis animus semper refugit, animum Mariæ potuit suspendere, quo minus id absolute voveret, quod habebat in desiderio? fierine potest, ut antiqua Lex tam ab omnibus Virginibus sub absoluto voto destituta esset, ut etiam diceres videri in ea prohibitum esse non accipere conjuges, & post acceptos non dare operam procreandis filiis? Præterea an hoc ipsum intelligebat Maria, eratque ejusdem opinionis; & propterea abstinebat ab emittendo voto absoluto?

184 Sed dic, quæso, sapientissime Doctor; an non in Lege veteri extabant monasteria Religiosorum utriusque sexus, iique omnes obstricti erant absoluto voto Castitatis, & quamplurimi etiam Virginitatis? Non hoc ait sanctus Doctor; nec dicit invenisse se alicubi talia absoluti voti Virginalis exempla; potius tam multa dicit in contrarium, ut Virginitas eo tempore videri possit prohibita. Hoc est quod invenit in sacris Litteris; & volentem in Deipara sustinere virginalem puritatem, non qualemcumque sed voto firmatam, absterruit, quod antiqua Lex non ferret virtutem illam sub absoluto voto. Invenit præterea, adeo tunc temporis stabilita fuisse connubia, ut ipsa Mater Dei non potuerit se determinare ad vovendum absolute Virginitatem; quia non habebat clare perspectum, an ipse Deus (qui per fructum aliorum connubiorum suum propagabat cultum) idem de se disponeret.

185 Alter nunc, D. Thoma major, prodeat Theologus; prodeat alter Deipara Virgine perspicacior, meliusque intelligens Legis antiquæ, quoad qualitatem ac statum votorum sub eadem Lege; quin etiam, si ad divinas revelationes recurrere lubet, prodeat persona altera, quæ Maria fuerit illustratior. Non prodibit certe, qui possit illi in his præferri, imo nec æquipara-

ri,

ri. Dixit nihilominus ea, quæ jam vidimus, Doctor Angelicus: juxta quem, propter conditionem illius temporis & propter Legem, Mater Dei non coocepit a principio absolutum Virginitatis votum, nec ad hoc habuit revelationem. Et, quod minus non est, idem Doctor (*in 4. Sent. dist. 3. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1.*) sic ait. *Ad primum dicendum, quod Beata Virgo fuit confinium veteris & novæ Legis, sicut aurora diei & noctis; & ideo votum ejus sapuit novam Legem in quantum Virginitatem vovit, & Veterem in quantum conditionem apposuit*. En tibi, quis modus persuadendi, quod hic Doctor in veteri Lege non unam aut alteram personam agnoverit, quæ ex speciali revelatione Virginitatem potuerit vovisse; sed agnoverit etiam integra monasteria, quorum subditi ex eadem revelatione tale votum & talem vitæ statum professi fuissent?

186 Jure tam gravi tantique momenti tria nobis ob oculos ponenda sunt. 1. Revelatio, quam habuere veteres. 11. Cur, cum illis ea concessa fuerit, non etiam B. Virgini eamdem concesserit Deus, ut ipsius votum a principio absolutum fuisset? 111. Quomodo, cum status castitatis & virginitatis, quæ in tot monasteriis ex voto colebatur, omnino publicus esset, Diva Virgo nihilominus dubitarit, juxta S. Thomam, num sibi divinitus prohibitum esset, non dare operam ad augendum Dei cultum per carnalem propagationem? *Non dare operam ad relinquendum semen super terram?* præsertim cum fidus Legis interpres sit communis usus, qui in tot monasteriis vigebat, etiam apud personas sanctitate non minus quam doctrina conspicuas?

187 Si Scholam S. P. Dominici lubet perambulare, inveniemus non paucos ex illa Scholares, ita sentire. Imprimis Rev. P. Fr. Joannes a Ponte (*in Convenientia ambarum Monarchiarum l. 4. c. 8. §. 7.*) super verbo VIDEBATUR, quo utitur D. Thomas, ad significandum, videri prohibitam Virginitatem, sic ait. *Non utitur Angelicus Doctor verbo* VIDEBATUR, *quasi dubitasset de doctrina (præcepti scilicet) quam tradebat; sed loquitur more suo ex modestia & humilitate animi, qua res hujusmodi agere solebat*. Et (*lib. 2. c. 23. §. 1.*) eruditissime probat, in Lege veteri, juxta D. Thomam, præceptum extitisse matrimonii, & per hoc procreandi liberos.

188 Eminentissimus Cajetanus (*in 3. par. q. 28. art. 4. ad 1.*) sic habet. *B. Virgo ante desponsationem, non simpliciter, sed sub conditione Virginitatem vovit. Probatur: Quia Virginitas tunc erat prohibita a Lege, & desiderata a persona B. Virginis: & quia prohibita, non simpliciter vovit; & quia desiderata, vovit sub conditione, si Deo placeret*. Cajetanum sequuntur S. Antoninus, Palacios, Medina, Paludanus, & Capreolus; qui omnes cum Patribus Suarez, Vasquez, Canisio, alitsque multis sentiunt, ex mente D. Thomæ, præceptum fuisse matrimonii.

189 Pro eodem matrimonii præcepto in illa Lege citat etiam Sberlogus (*tom. 2. in Canticum Anteloq. 7. sect. 12. subject. 1.*) Richardum de Mediavilla, Thomam Argentinensem, Durandum, Gabrielem, Henricum a Gandavo. Favet expresse S. Bonaventura (*in 4. dist. 33. q. 2.*) sic dicens: *Secundum tempus Legis status Continentiæ conjugalis omnino præfertur, & status Virginitatis prohibetur; & sterilis maledictur & in contumelia habetur: secundum statum Gratiæ, ubi non requiritur fœcunditas ventris, sed sanctitas & incorruptio & puritas mentis, Virginitas præfertur Continentiæ conjugali*.

Opuscul. Collect.

190 Papa Sixtus III. agens de matrimoniis Israelitarum (*lib. de Castitate*) sic ait; *Tam illi contemptores tunc temporis fuissent, quam nos, si continentes volumus nuptias expetere*. Videtur ergo sanctus ille Pontifex parem culpam tribuere utrique, & ei, qui in lege Gratiæ sub statu continentiæ Sacerdotalis vellet uxorem ducere; & qui in Lege veteri nollet: quod in illa Lege arguit manifeste præceptum matrimonii.

191 S. Augustinus (*tom. 6. lib. de sancta Virginitate cap. 4.*) agens de voto Virginitatis Deiparæ, ait: *Hoc Israelitarum mores adhuc recusabant*. Quousque autem votum hoc recusabant? Id etiam idem explicat [*ibidem cap. 9.*] dicens *venturo in carnem Christo ipsum genus carnis in ampla quadam & prophetica gente* [non tantum conveniens, sed] *necessarium fuit*, ad usum matrimonii; idque non tantum apud vulgus, verum etiam apud *Prophetas* necessarium fuit, propter adventum Christi quem exspectabant: & eo quidem rigore necessarium fuit, ut Guilielmus Parvus [*in Cantic. cap. 3. ℣. 6.*] dicat. *Da mihi unam vel unum illius temporis, qui titulo Virginitatis effulserit. Denique Hieremias de servanda virginitate præceptum Dei habuit .... atque hinc præsumitur, quod, si qui alii eo tempore Virginitatem servaverunt, præceptum Domini super hoc similiter habuerunt*. Hinc magna nascitur difficultas pro astruendis in tanto numero tot Virginibus, Deo per votum desponsis, totque Religiosarum in illa Lege monasteriis.

192 Eminentissimus Cajetanus [*Cap. 7. Epist. 1. ad Cor.*] ait. *Apposuit hac* [Apostolus Paulus] *quoniam adversus veteris Legis morem, consilium erat prolaturus: in veteri si quidem Lege omnes debebant contrahere*. Idem dixit Arnoldus Carnotensis supra citatus [*num. 108.*] ubi vidimus, quod Lex ne summos quidem Sacerdotes liberaret a matrimonio. Soncinas loquens de B. Virgine [*in 4. dist. 30. concl. 3.*] sic ait. *Quod autem erat prohibitum pro tunc, noluit vovere simpliciter, sed sub conditione, dubitans an deberet*. Magister Michael Palacios, magni nominis Theologus [*Tom. 1. in 4. sent. dist. 30. disp. 1.*] sic habet: *Siquidem non latebat Virginem, a Deo esse mandatum, Non erit sterilis inter vos omnis sexus. Quorsum ergo se obstrinxisset voto sterilitatis, quale est votum Virginitatis*.

193 Fundamenta, quibus præfati Auctores nixi tuentur præceptum matrimonii pro Lege antiqua, hic in synopsim contracta aut potius insinuata, sunt sequentia. Primum est cap. 7. ℣. 14. Deut. ubi Deus dicit. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis*. Quamvis animalia bruta præcepti essent incapacia; quia horum intuitu erat quasi sola benedictio, illorum vero erat præceptum. Explicantque sic auctores illi per varios loquendi modos ac textus sacræ Scripturæ; absque eo tamen, quod propter generalem phrasim, qua [*Gen. 3. ℣. 20.*] Eva vocatur *Mater cunctorum viventium*, etiam mater sit brutorum; uti nec his etiam annuntiandum sit Evangelium, eo quod Marci ultimo [*℣. 15.*] dicatur, *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Nec etiam obstat, quod sterilitas non sit res

Ju[s]; solius quippe Dei est, conjugatis filios concedere & negare: at vero res libera erat sterilitas, nolendo contrahere. Quemadmodum autem hominibus liberum erat, alia Dei præcepta vel observare vel transgredi; sic quoque libera erat hoc modo sterilitas.

194 Alterum fundamentum est Exodi caput 23. (℣. 26.) *Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua*. Septuaginta habent: *Non erit qui non generet, nec sterilis super terra tua*. Cum autem id intelligi non possit de generatione illicita, evidens est, 70. Interpretes agere de matrimonio. Certe Auctores sunt isti bene classici. Nec valet effugium, rem tamquam certam affirmando, solum esse promissionem: quia S. Augustinus (*lib. 4. contra Faustum cap. 3.*) S. Hieronymus (*Epist. 22. ad Eustochium de custodia virginitatis in cap. 14. & 46. Isajæ, contra Helvidium circa finem, & libro 2. contra Jovin.*) cum aliis Patribus citant ista verba, tamquam a Moyse dicta: *quia dixit Moyses: Maledictus qui non suscitaverit filios in Israel*: ubi per modum proverbii usitati in Israel, alludunt ad binos textus Exodi & Deuteronomii jam citatos.

195 Tertium & fortissimum argumentum deducunt ex necessitate multiplicandi humanum genus, non qualitercumque, sed Dei cultum propagandi per generationem carnalem. Atque, quemadmodum in Lege naturali, nondum satis multiplicato mundo, obtinebat præceptum matrimonii; ita quoque in Lege scripta, nondum sufficienter propagato cultu divino. Unum & alterum tenet sanctus Thomas (*in 4. dist. 33. qu. 3. art. 2. ad 2.*). Quæro nunc: Quis securos vel certos nos faciet, cultum illum usque in adventum Christi ita fuisse propagatum, prout Deus volebat? Sane nemo. Etenim ipsa Dei Mater, juxta D. Thomam, determinari non potuit ad faciendum votum Virginitatis absolutum, sed solum sub conditione; quia ante Messiam natum erat conveniens, vel necessarium, insistere generationi carnali ad augendum Dei cultum. Verba S. Thomæ citata sunt supra n. 182.

196 Quartum fundamentum nititur polygamia seu uxorum pluralitate, in Lege veteri dispensative permissa, ad augendum divinum cultum. Sic sentiunt S. Bonaventura (*4. dist. 33. art. 1. q. 2. est 3.*) Cornejus Carmelita (*tom. 2. in 3. par. tract. 6. de Matrimonio disp. 1. dub. 4.*) & Joannes Bacon, princeps Scholasticorum Carmelitarum (*in 4. qu. 27. art. 3.*) Quæro nunc, si tempore Moysis, Davidis, Salomonis, Eliæ, filiorumque Prophetarum sufficienter propagatus fuisset Dei cultus, an non inveheretur Deus in polygamiam æque ac in alia via solebat invehi per Prophetarum aliquem? Videtur certum: quia cessante illa causa (ut notant Theologi omnes vel pene omnes, *in 4. dist. 33.*) cessare debebat polygamia, & una sola uxore quisque contentus esse. Vide Sotum (*ibi q. 2. art. 2. §. Secundo ad id.*) Et si Deus, propagato tunc temporis sufficienter tali cultu, dispensabat nihilominus in pluralitate mulierum, quomodo eodem tempore conventibus integris inspiraret Virginitatem?

197 Quintum fundamentum eruitur ex S. Joanne Chrysostomo (*Tom. 5. de Virginitate*) Theodorico (*in Epitome Divin. Decret. lib. 5. tit. de Matrim.*) Abulensi (*q. 4. in 30. Numer.*) Arnoldo, aliisque jam citatis pro matrimonii Lege, quæ nec Levitas ab illo excipiebat, nec Prophetas, imo nec summos Sacerdotes. Si quos Deus per votum Virginitatis sibi vindicatos vellet potius quam eos, qui sibi deserviebant in Altari, loco utique qui majorem deposcit puritatem; si voluit Deus, ut in Israel innumeri viri & mulieres in monasteriis gloriarentur non solum de castitate, sed de virginitate quoque; qui fieri posset, ut juxta præfatos Doctores non inveniremus frequentissima, publica & certissima ejusdem virginitatis exempla in populi saltem Primatibus, Deoque proximioribus ac magis immediatis?

198 Denique arguentes magis contra votum virginitatis, quam faventes præcepto matrimonii, docent, votum semper esse & esse debere *de meliori bono*; &, quamvis Virginitas in se spectata sit indubitanter excellentior Matrimonio; attamen in Lege veteri Matrimonium præferri Virginitati, prout expresse docent S. Thomas & S. Bonaventura: Prior [*in 4. dist. 30. q. 2. art. 1.*] sic ait: *Virginitas, quamvis in se optima, tamen pro tempore illo ei Matrimonium præferebatur, propter expectationem benedicti seminis, per viam generationis venturi*. Alter [*in 4. dist. 33. q. 2. art. 2.*] sic: *Secundum Legis statum continentiæ conjugalis omnino præfertur, & status virginitatis prohibetur*. Quæ omnia sonant præceptum Matrimonii; & probant, quod difficile fuerit votum Virginitatis: quia, quod in se melius est, non erat melius spectatis circumstantiis temporis.

199 His omnibus præmissis, quæro demum, RR. Patres Delatores; an, quia a sacro Tribunali obtinuistis permissionem sustinendi votum Virginitatis pro tempore antiquæ Legis; an, inquam, ideirco intentabitis, aut prætendetis, ut in S. Thoma, S. Antonino, S. Bonaventura, S. Sixto Papa, S. Augustino, aliisque nobilissimis Interpretibus corrigantur aut radantur ea omnia, quæ ex illis jam allata sunt; & habeantur pro doctrina jam nunc damnata? Absit, inquietis, ut quid tale cogitemus, nedum intentemus. Sinite ergo Papebrochium, ut ipse quoque defendat sequaturque, non dico jam, præceptum illud generale contrahendi matrimonium, idque in ea latitudine & rigore, quem vidimus in citatis Auctoribus, sed Legem Numerorum cap. 36. expressam. Nec est, cur prætendatis ejusdem condemnationem, ideirco solum, quod dicat, Virginitatem ex voto fuisse rem ante Christum adeo insolitam, ut nec a Lege, nec ab exemplo Judæorum probari possit. Notate autem, quod hoc ipsum dicat sub termino *Videamus*; quasi dicat, non erat Virginitas ex voto in veteri Testamento res tam conspicua, ut sunt ea, quæ oculis conspicimus ipsi nostris. Nec est, cur illum velitis tantopere reum facere in eo, quod dicat, Virginitatem in illo tempore parvi æstimatam fuisse: nam in allatis supra, aliisque quamplurimis textibus, qui afferri possent ex sanctis Patribus ac Doctoribus, vidimus, omni sterili in Israel inuri notam maledictionis.

INCONVENIENS IV.

200 Quemadmodum sacrum Tribunal permisit, ut votum Virginitatis tempore Legis veteris defenderetur; sic permisit etiam defendi Monachatum cum votis substantialibus

Pauper-

Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, quamquam non eum ea lolennitate, perfectione & potestate Clavium, qua nune in Lege Gratiæ. Hoc non obstante, Eminentissimus Cupisucchus [*contr. 6. §. 2.*] contrarium tuetur cum S. Thoma, Bellarmino, Valentia, Matthæo Galenio, Basilio a Leone, Soto, Medina, Caninio, Suarez, Vasquez, & illustrissimo Araujo; aitque esse communem Theologorum.

201 Sapientissimus P. Fr. Franciscus Bivarius, Ordinis Cistereiensis [*Tom. 2. de antiquo Monachatu, impresso anno 1662. per tota quindecim capita libri 2.*] assumptum hoe tractat cum magna rerum notitia & eruditione. Et examine per otium instituto super bis, quæ dicuntur de Elia & Eliseo, de Rechabitis, Essenis, Pharisæis, Scribis, Nazaræis & Natinæis, concludit [*cap. 15.*] nullo modo aut via in antiquo Testamento extitisse perfectionem Status Monastiei; additque, dicens: *Et quamquam gratis omnino Eliæ & Eliseo concederemus, quod castitatem suam & vita monastica institutum voto firmavissent, adbuc tamen iis votis minime Religiosi status vera membra forent reputandi.* Ait præterea, quod in lege Moysis nulla esset potestas promulgandi statum Religiosum ante Christum. De Prophetis, de illorum filiis, Rechabitis, aliisque, dicit ibidem hæe verba: *Illis status Religiosi perseverantia, & votorum emissio deerat.* Vide eaput 15.

202 Æquumne foret, ut ratione solius præfatæ permissionis, a sancto Officio datæ, dicceremus, in eitatis Auctoribus omnibus suam esse damnatam opinionem, esse quoque damnatam in aliis pæne innumeris, tum Ecclesiæ Patribus, cum Interpretibus, qui clarissimis & formalibus terminis asserunt, Religiosum statum eum votis Paupertatis, Castitatis & Obdientiæ primum cœptum esse cum Lege gratiæ, & non ante? Certe non foret æquum. Abundet igitur in suo quisque sensu juxta monitum S. Pauli; deturque loeus, ut, salva Christiana pace, Doctores suam, quam habent pro vera, tueantur opinionem; dum eam, quam permittit S. Officium, non censurant.

INCONVENIENS V.

Ex sacris litteris & sanctis Patribus.

203 QUi Monachatum in Lege veteri eum votis substantialibus Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ tuentur, ajunt, eos, qui votis illis se obstringebant, illustratos a Deo fuisse, anticipate prævidentes venturum Messiam pauperem, virginem, & obedientem; & tamquam Institutorem illius status, in quo dictæ virtutes per votum Deo offeruntur. Et juxta doctrinam bane, qua nititur totus antiquus ille Monachatus, neeessario dicendum est, Judæos [generaliter loquendo & cum universali illa extensione, quam arguunt publica Religiosorum & Religiosarum monasteria] expectasse Messiam, non ut temporalem Regem, eum fastu & magnificentia; sed ut spiritualem Regem, eum contemptu rerum apparentium; intelligendo medullam & interiorem spiritum latere sub eortice & sub littera sacræ Scripturæ.

204 Verum necesse est, ut exhibeantur, si non multi, pauci saltem Interpretes, qui affirment probenique solide, Judæos expectasse Christum pauperem. S. Hieronymus (*in cap. 60. Isaiæ*) ob mentionem divitiarum, inundationem Camelorum, Magorum prostrationem ad pedes Messiæ, & ingentis splendoris apparatum, ait, Judæos non percepisse spiritum, sub verborum istorum magnificentia latentem. Insignis Carmelita Fr. Antonius Marianus, post multos allegatos textus (*de Consonantia Scripturæ & Prophetarum lib. 2. §. vaticinia &c.*) sie ait: *Existimaverunt Judæi, Regem & cætera, quæ ventura esse prædixerunt Prophetæ per Christum, carnalia ac terrena, non spiritualia ac cœlestia fore; mordicus tenentes Scripturarum intelligentiam ad corticem Litteræ.* Ne longior sim, supersedeo a eitandis textibus variorum Patrum, qui asseruot, quod Judæi, Pontifices, Saeerdotes, Levitæ & Seribæ de Christi primo adventu intellexerint, quod intellexere Prophetæ de secundo, qui plenus erit Majestate.

205 Si de Discipulis, qui immediate ipsum audiebant Christum, ait Lucas eap. 24. *Nos autem sperabamus, quia ipse* (Christus) *erat redempturus Israel*, intelligentes non redemptionem totius mundi, quam jam de facto per mortem suam secerat; sed imaginantes sibi redemptionem a servitute & jugo Romanorum, prout explieant varii Patres & Expositores; si ipsi Apostoli Act. 1. quærunt a Christo, *Domine, si in tempore boc restituet regnum Israel?* id intelligentes de regno temporali, & quidem (ut notat S. Chrysostomus) postquam a Christo edocti essent, esse se Filium Dei; fore ut tertia die resurgeret a mortuis; fore ut inde venturus esset judicare vivos & mortuos, & ipsi quoque secum judiees essent: si hæc omnia (inquam) contigerunt ipsis Discipulis atque Apostolis, qui cum Christo vivebant, convescebanturque, audiebant verba illius, & erant singulariter ab ipso electi in amieos & filios Sponsi, atque in columnas & firmamentum Ecclesiæ in Lege nova; nec tamen tune capiebant, quæ docebantur a Christo: quid putabimus in Lege veteri eontigisse generaliter Judæis? Attamen, hisce non obstantibus, nec attentis, volunt absolute Delatores, ut omni rejecto dubio, & contrarium opinandi sublata libertate, firmiter eredamus, Judæos rem bunc intellexisse melius; utque innumeros viros mulieresque per vota Religionis illieo conseeutos esse, quod non nisi tarde consequi meruerunt Apostoli; & velum Moysis, quod per statum istius Legis communiter omnibus obtegebat frontes, ex speciali Dei privilegio retectum tunc fuisse in tot millibus; mansisse autem expansum, ita ut erat, ob oculos eorum, qui in ipsa persona Christi habebant præ se Evangelium.

206 S. Augustinus (*lib. 17. de Civit. c. 18.*) sic ait: *Judæi autem Christum, quem sperant, moriturum esse non sperant; ideo quem Lex & Prophetæ annuntiaverunt, nostrum* (intellige, Christianorum) *esse non putant.* Et vero ait Evangelium, quod illi sic clamarent: *Nos audivimus ex Lege, quod Christus manet in æternum.* Hi & innumeri textus alii, qui allegari possent, a Judæis earnaliter intellecti, non arguunt sensum & spiritum Evangelieum ante ipsum Evangelium; sed arguunt potius caliginem mentis, velo Moysis obnubilatæ: nam, ut (2. *Cor.* 3. *v.* 15.) ait Apostolus, *usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Et res est mirabilis, quod inter tot mo-

naste-

nasteria Religiosorum utriusque sexus, præsertim virorum, quibus aptius convenit docendi munus, Judæi seculares, temporali fun decepti intelligentia, non agnoscerent verum Christi Regnum, a quo intelligendo tam erant alieni. Et si id edocebantur quidem, sed edocti non admittebant nisi tamquam falsum dogma in sua lege; mirum (inquam) est, quod doctorum illud genus non curaverint penitus extingui, propter falsam sectam, quam ex erronea imaginatione credebant introduci.

207 Propter hactenus dicta defendunt probantque ex sacra Scriptura ac sanctis Patribus quamplurimi, in antiqua Lege non extitisse alia vota, quæ prævia, intellecta, & ad imitationem assumpta fuissent, ex eo quod Christus Dominus erat ea docturus. Voluntne ergo PP. Delatores, propter dictam permissionem sacri Tribunalis, damnatam esse talem opinionem & citatos textus S. Hieronymi, S. Augustini, Fr. Antonii Romani Carmelitæ, aliorumque, nec legi posse, nec citari, nec aliter intelligi Monachatus patroni? Hoc velle, foret sane multum. Satis sit igitur, suam quemque sequi opinionem bene fundatam, dummodo a censuris abstineat in alios ferendis, donec de contrario disponat legitima auctoritas.

INCONVENIENS VI.

Ex eo, quod aliqui Carmelitæ docent.

208 Rev. admodum P. Fr. Franciscus de S. Maria, Carmelita Discalceatus, & Ordinis sui Historicus Generalis (*in Chronica sua Tomo 2. Madriti impresso an. 1655. lib. 7. cap. 46.*) ventilat dubia, quæ in conventu Madriti agitata fuere, inter RR. PP. Provincialem & definitores super qualitate Breviarii; volentibus unis, ut omisso antiquo Ordinis Carmelitani Breviario assumeretur Romanum; contrarium vero volentibus aliis: vicerunt autem primi. Rationem reddit domesticus ille Historicus sequentibus verbis.

209 *Primo* (inquit) *Generales Ordinis adeo faciles fuerant in permittendo cuique impressionem novi Breviarii, ut magnam in Officio recitando introduxerint confusionem, magnamque Rubricarum cum Rubricis oppositionem. Testis sum ego, quod, cum Vallisoleti illo anno Novitius essem, viderim Breviaria quædam, ab aliis adeo diversa, ut in Choro non esset possibile, servare unius ad alterum consonantiam. Confusione sane quæ considerari facile potest. Secundo: quia hinc factum est, ut obliterata fuerit memoria seu notitia veri Breviarii Hierosolymitani, quod venerabantur antiqui: & hinc Defensores Carmelitani defendebant id quod ignorabant, nec sciebant, quod aut quale esset. Tertio. Quia Ecclesia Romana in Concilio Tridentino (attenta magna Breviaria, Missalium & Martyrologiorum varietate per Ecclesiam diffusa, cum non exigua Historicæ veritatis jactura) ordinavit, ut reducerentur omnia ad unum sub antiquo nomine seu titulo Romani: æquum sane erat, ut Ordo, velut Ecclesiæ Romanæ tot titulis alumnus, illi se conformaret, dimitteretque apparentias Antiquitatis; quæ nullæ sunt cum eas confuderint extinxerintque ipsimet Ordinis Generales.*

210 Liber hic vagatur per omnium manus. Auctor illius, Historicam professus, fatetur quæ vidimus, scilicet, periisse Breviarium Hierosolymitanum; confusionem ex varietate rubricarum ortam in Choro; consequentias, quas eliciebant Religiosi aliqui, tuendo id quod ignorabant; antiquitatem, quam tuebantur, vere non esse talem, sed meram umbram sine corpore, & sine subsistentia ulla; ipsos Ordinis Generales illam extinxisse. Quæro nunc: si liber iste impressus est anno 1655. quis Historicorum ex tunc huc usque, vel ex quo Auctor Vallisoleti Novitius fuit, subsistentiam illam resuscitavit jam extinctam? Quænam sunt monumenta, quorum virtute novam vitam ac spiritum recuperaverit? quænam illa antiquitas, quam Auctor fatetur esse meram umbram sine corpore, & quæ exinde in hunc diem receperit extincti corporis subsistentiam? Si igitur Auctor aliquis, & domesticus quidem, permittitur sic sentire, sic scribere, & prælo divulgare hoc suum de Antiquitate judicium; quidni permittantur & alii (licet non sub similibus terminis) negare illam eamdem antiquitatem?

211 Rev. P. Fr. Ludovicus a S. Jacobo (*apud Papebrochium, ante vitam S. Ludovici de Rabata*) Patri Henschenio (n. 14. & 15.) sic loquitur: *Ut intelligas, quam longe alterius mentis sim; en, Bibliotheca Carmelitana, opus jam fere paratum prælo, quod ab Alberto Legislatore nostro exordior: quæcumque ille & Bertoldo primo Priore antiquiora esse prætenduntur, non sunt nisi somnia nostrorum.* Hic facile est intelligere, duos illos Auctores, uti fratres germani sunt quoad Ordinem, ita quoque fuisse non solum quoad mentem, verum etiam quoad phrases, quibus eam explicant, unus vocabulo *Somniorum*, alter *Apparentiarum*. Illorum tamen neuter (quod quidem sciamus) accusatur, neutrius opinio habetur pro condemnata. Et primo quidem, post permissionem a Sacro Tribunali datam anno 1639. fecit Ordo potestatem dictas apparentias post 16. annorum decursum mandandi prælo, solum Papebrochium volunt infausto sidere natum esse.

212 Rev. P. Coria Carmelita. (*Elucidarii sui lib. 1. cap. 10.*) sic loquitur. *Et sine dubio ita res se habebat: sancti enim Prophetæ a teneris annis ingrediebantur Religionem Propheticam, ut Deo inservirent; vel cum ætatem habebant, ut adimplerent vota Nazaræorum. Cum ... hi sancti Prophetæ nulla vota emitterent perpetuæ Religionis, ... in confesso est apud omnes scriptores, omnes Religiosos Essenos, qui ipsissimi sunt, votum emittere conditionatum solitos: illud autem erat, se, quamdiu in Religione degerent, servaturos Superiorum jussa & regulam: quare cum tempus votorum implevissent, qui vitam Religiosam in perpetuum non promittebant, & qui nec in ea se victuros vovebant, e Religione ad seculum redibant, & uxores ducebant, pro solo suæ voluntatis arbitrio & ductu.* En tibi, juxta doctum illum Carmelitam, egregium specimen Religionis, ex qua *pro solo suæ voluntatis arbitrio & ductu* libere ad seculum redibant quæsituri mulieres, quas in uxores ducerent! Si hoc dicit Magister Ordinis; cur alii rigidum illum & substantialem Monachatum, cum absolutis suis votis, atque inter hæc perpetuæ castitatis, negare non potuerunt?

213 Idem Magister Coria [*citato libro cap. 7.*] agens de Eliæ tempore & votis Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, præter dicta addit. *Quæ an ipsi tunc voverent necne, nec colligitur quidem ex divinis Litteris.*

214

214 Insignis ille Thomas Waldensis (*Tom. 1. l. 3. art. 2. cap. 17.*) agens de Elia & S. Joanne Baptista, sic ait: *Quamvis non vovebant vocaliter aliquam Regulam charitatis, habebant tamen Dei instinctum, qui immobiles faciebat eorum affectus conversos in Deum, & illa æquivalet voto.* Religio rigide substantialis & externe visibilis, non solum sine voto externo, sed absque ullo voto, & solus instinctus, qui voto æquivaleat, non est persuasu facilis, quia si Religio habebat statum visibilem, & Lex non prohibebat, per votum sensibiliter manifestatum sequi regulam aliquam Caritatis, cur sapientissimus ille Carmelita non audet sanctissimo suo Patri Eliæ tale votum concedere? Idem Auctor (*ibid. cap. 1.*) sic habet. *Tria vota in omni Religiosa perfecta moderno, scilicet, Obedientiam, Paupertatem & Castitatem, quæ quamvis sint jam essentialiter requisita in omni Religione perfecta, non sic tamen antiquitus, cum Religio infans erat.* Hic satis clare patet, quod Auctor iste infantiam Religionis antiquæ opponat Religionibus modernis in statu Gratiæ; quia in his talia vota sunt de essentia, non erant autem in illa: atque adeo videtur Monachatum antiquum sub votis substantialibus hujus temporis, omnino negare.

215 Cyrillus, Monachus Carmelita (*citatus a Cartagena lib. 18. Hom. 2. object. 7.*) dicit, quod Prælato suo tamquam Patri obedirent Monachi; *non tamen*, inquit, *se alicui voto speciali obligarant, donec prædictus Patriarcha Aymericus omnes prima ad hoc adstrinxit.* Si ad id usque temporis in Carmelitis non erat votum obedientiæ, quanto minus in Lege antiqua? Tanti roboris est hæc ratio apud Cartagenam cum Baronio, ut concludat, verum esse hujus Cardinalis sententiam, opinantis, Religionem Carmeliticam ortum suum cepisse primum tempore Aymerici, id est, anno 1181.

Interp. *Negat quidem Papebrochius* Cyrillum *hic citatum eum esse, qui proximus a S. Brocardo Ordinem in Carmelo rexit, fere usque ad initium cœptæ migrationis in Europam: imo demonstrat, auctoris esse, qui vixerit aliquamdiu post habitus mutationem, an. 1287. inductam. Dubitat etiam idem Papebrochius, sitne genuinus fœtus Joannis de Cartagena Homilia illa, seu potius prolixus ac bipartitus Tractatus de laudibus Carmelitarum, an solummodo adoptivus; qualis est Præfatio ante Origines Terrsanarum, Miræo adscripta, eo quod & stylus & forma & mensura enormiter discrepent a certis indubitabilis Cartagenæ Homiliis, quæ non nisi paucas paginas implent singulæ. Quidquid tamen istorum sit, ex dictis apparet, utriusque scripti Auctores nondum in hanc quæ nunc obtruditur adductos fuisse sententiam; atque etiam multos Carmelitas ad initium nostri seculi (primus enim Cartagenæ tomus Romæ prodiit anno 1611. & alii successive usque ad 1617. quando Neapoli obiit) apparet, inquam, Carmelitas, tam Epistolæ Auctorem seculo 14. quam eos qui adeo nuper vel composuerunt opus illud, Carthagenæ commodandum; vel ipsimet compositurο materiam suggesserunt, uti Armacano atque Trithemio fecere, in ea tunc fuisse opinione, quæ nunc in Papebrochio tam præfidenter impugnatur, & pene ut hæretica traducitur. Interim cum Papebrochio sentiunt plures alii eruditi Carmelitæ mox referendi; & librum Joanni Hierosolymitano suppositum, quo præcipue nititur opinio illa, libere repudiant, ut supposititium.*

216 Beauxamus, doctissimus Carmelita (*Tomo 1. Harmon. Evang. de Annunt. facta per Gabrielem*) dicit cum Petro Gallatino: *Causa, quare Messias non magis acceleravit adventus sui tempus, fuit consetentiarum virginum Judæarum corruptio; quæ omnes fere vel per conjuges, vel per alios deflorari cupiebant. At sola Virgo Maria inter ceteras omnes Virginitatem perpetua se servaturam proposuit.* His verbis, una eademque opera, Auctor ille Carmelita, & primatum Virginitatis quoad tempus concedit Deiparæ, & consequenter videtur monasteria negare, ubi Virgines in antiqua Lege virtutem istam vovissent.

217 Poeta celeber & Carmelita Fr. Joannes Baptista Mantuanus, de diebus sacris, ait, quod virgines Judææ, ubi ad ætatem pervenissent aptam matrimonio, ex templo ducerentur ad domum suorum parentum ad nubendum; perinde ac mercimonia, quæ ad emporium aliquod, portum vel forum mittuntur, ut vendantur. Sic enim canit Poeta ille.

.... *Ubi nubendi accesserat ætas,*
Sicut ad emporium merces, ad tecta parentum
Ducebantur, ubi fierent connubia more
Legitimo; genus unde novum, nova surgeret ætas.

Et id quidem properanter prout ille in sua Parthenica Mariana describit his versibus.

Mox ubi vestitum prima lanugine tempus
Venerat, in thalamos ibant, hymenæaque tecta:
Conjunctæque viris proli indulgere solebant.

Nec vel unum versum est reperire, quo Auctor ille faciat mentionem de virgioitate ex voto.

218 P. Mag. Fr. Berdinandus Suarez (*in Historia Antoniana*) statuit annum 1200. pro principio Ordinis Carmelitici.

219 P. Fr. Hieronymus a S. Josepho, in Historia Carmelitica (*Tom. 1. num. 4. Proœmii*) sic ait: *Ubicumque agentes de Lege antiqua usi fuerimus vocabulo* Religionis *vel* status Religiosi, *volumus intelligi statum aliquem Religionis absolute perfectæ, quæ tunc extiterit.* Deinde (*Cap. 3.*) Ab exordio mundi assignat aliquos, qui se vocaverint *Religiosos*, non propter vota, sed propter singularia obsequia, uti erant Seth, Caynan, Enoch, Noe, Heber, Abraham & Isaac, Nazaræi & Cinæi, usque ad Josue & Samuelem. (*Cap. 2.*) Eliam vocat Fundatorem & Reformatorem Religionis, sed absque votis. Denique (*Cap. 3.*) solum Christum facit Auctorem cum votis. Cum qua doctrina difficulter componitur Monachatus cum votis substantialibus Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ.

220 P. Fr. Josephus a Jesu Maria (*de excellentia Castitatis Tom. 1. cap. 2. per totum*) in gyrum percurso mundi globo, monasteria quærens castorum sive virorum sive mulierum; & eorum facta mentione, quæ in omnibus ferme nationibus observaverat circa virtutem istam, ne verbo quidem meminit monasteriorum, in quibus viri aut mulieres virtutem illam antiquitus profiterentur ex voto. Et lib. 3. (*Cap. 1. num. 3.*) sic ait: *Virginitas in veteri Lege parum nota fuit.* Additque hanc rationem, *quia* (inquit) *necessa erat, ut per matrimonium multiplicarentur homines, essentque qui Deum adorarent illique servirent.* Et paulo post *virtus ista tempore antiquæ Legis nondum descenderat in terram.* Et iterum (*l. 2. c. 9. n. 3.*) *Deus* (inquit) *virtutem illam per tot secula occultam habuit coram hominibus, ut eam mundo omnium prima manifestaret sua Mater.* Si tot Monasteria publica extitissent, ubi viguisset virtutis istius professio: Deusque revelasset quod post tot secula sua sanctissima Mater datura erat illius exemplum; parum cum vero qua-

dra-

draret, quidquid Discalceatus hic Carmelita narrando refert.

221 Denique notatu digna sunt verba, quibus sancta Mater Theresia Monialibus suis specificat dies Communionis Regulæ suæ capite 1. prout refert P. Fr. Hieronymus l. 4. c. 8. *Communio* (inquit sancta Fundatrix) *erit singulis diebus Dominicis & Festis, & in festivitatibus D. N. Jesu Christi ac B. Mariæ Virginis, item Patris nostri S. Alberti, S. Josephi, & aliis diebus, quibus Confessario visum fuerit juxta devotionem ac spiritum Sororum, cum facultate Matris Priorissæ*. Mirum videri possit, pro discretione & prudentia tam illustris Sanctimonialis, quod in diebus tam specialibus (quales pro sua quaque religione sunt dies Communionis ex Regula) mirum, inquam, quod non meminerit sancti Prophetæ Eliæ, dum hoc eodem loco S. Alberto tribuit titulum & nomen PATRIS. Sed, ut redeamus ad citatos auctores Carmelitas, videtur negari non posse, aut dubitari, quin eorum dicta militent adversus antiquum Monachatum cum votis substantialibus. Nullam tamen querelam contra illos instituunt PP. Carmelitæ, nec eorumdem propositiones habent pro damnatis, aut damnari vel eradi dignis. Privilegio igitur, quo contra Carmelum suum fruuntur Carmelitæ Auctores ad sic opinandum & ad sic scribendum, fruatur quoque Papebrochius quamvis Jesuita.

INCONVENIENS VII.

Circa librum Joannis Hierosolymitani.

222 NEgari non potest, quin antiquo Monachatui magnam difficultatem, imo serum bellum moveant ii, qui affirmant, librum *de Institutione Monachorum ad Caprasium* non esse Joannis Hierosolymitani, & solido carere fundamento, quidquid ibi de Carmelitis dicitur. Audiamus super hoc auctores non vulgares.

223 Emin. Card. Baronius Tom. 6. An. 444. has illi dat proprietates, sic scribens. *Sane quidem respuimus, atque exsufflamus figmentum illud incerto auctore proditum, Chronicon nimirum, quod extasse fingunt apud quemdam Franciæ Regem, quo tradunt eumdem S. Cyrillum Alexandrinum Episcopum Monachum fuisse montis Carmeli: cui quidem assertioni Trithemius leviter nimis fidem præstitit. Unde hæc, quæso, incerto auctori, si qui certi atque probati sunt auctores ejusdem Cyrilli æquales, ejusdemque res gestas quam diligenter prosecuti, hæc nescientes, obruta silentio reliquerunt? vel quæ apud ejus temporis Scriptores mentio de culto Carmelo a vitæ monasticæ Professoribus? Etenim cum apud Hieronymum, Palladium, Evagrium, Cassianum, Theodoretum, Cyrillum Monachum, & alios seculi hujus scriptores mentio sit de Monachis in Palæstino degentibus, nusquam penitus apud eos de Monachis Carmelitis. Facessat igitur ejusmodi de Monachismo Cyrilli in Carmelo fabella; sicut illa huic haud impar, qua traditur & Joannes Hierosolymorum Episcopus, Origenista, fuisse etiam Monachus Carmelita: sicut enim hæc leviter effinguntur, ita facile refelluntur. Flagrans quidem cupido nobilitatis avitæ cogit interdum homines delirare*. Hæc Baronius.

224 Emin. Cardinalis Bona in Elencho & Crisi quam facit de auctoribus fol. 25. suffragatur Baronio dicens *Joanni Episcopo Hierosolymorum adscriptus liber* DE INSTITUTIONE MONACHORUM *ab aliquo Carmelita confictus, ut censet Baronius ad annum* 444. Et idem Cardinalis f. 25. ait de Trithemio: *Joannes Trithemius, vir doctus & pius auctor, sed in historia non satis accuratus*.

225 Card. Bellarminus sic scribit. *Tribuitur Joanni Hierosolymitano liber ad Caprasium* DE INSTITUTIONE MONACHI; *sed hic liber scriptus videtur ab aliquo longe posteriori; siquidem eo in libro dicit auctor, se esse Ordinis Carmelitani, & describit habitum Carmelitarum; at illis temporibus nomen Carmelitarum Religiosorum erat plane inauditum .... Adde, quod stylus est hominis latini & temporum posteriorum*.

226 Card. Capisucchus sentit cum Baronio & Bellarmino; ac dicit, non esse librum auctoritatis, nec eum admittit pro vero Monachatu, sed pro improprio tantum, in quantum absque votis degebant in aliqua solitudine.

227 Rev. P. Fr. Joannes Maria Brasichellensis, ex ordine S. Dominici & Magister Sacri Palatii, (*Tomo 1. Indicis expurgatorii*) sic habet; *liber ipse vacillare deprehenditur, cum multa de Monachis Carmelitis primis Ecclesiæ temporibus jam vigentibus, prodat. Denique stylus ipse totus Latinus; multa, sine majorum auctoritate & fide ambigua huic operi inserta, satis arguunt alium Auctorem quam Joannem, & quidem recentiorem*. Et concludit illi non deberi sinceram atque integram fidem.

228 Eruditissimus Philippus Labbeus idem sentit, quod præcedentes auctores. Quia vero consideratis tot libris (quorum auctores latent, & interim inveniuntur operibus aliorum coævorum, sicut attribuitur liber ad Caprasium Joanni Jerosolymitano) Labbeus (*de scrip. Eccles. Tom. 1.*) sic concludit: *Quid vero, si decem, si viginti, si triginta sint aut plura ejusmodi rejecta diverso stylo, tempore locoque edita, omnia nihilominus Joanni Hierosolymitano, tamquam omnium orphanorum parenti, aut curatori adscribenda? Adeo plerumque occæcat homines sui suorumque nimias amor, aut scribendi ingentia librorum volumina non satis moderatum cacoethes*.

229 Ludovicus Morerius, Presbyter & Theologiæ Doctor in Dictionario suo Historico Gallice impresso anno 1697. tomo 2. agens de operibus, quæ Fr. Petrus Wastelius Carmelita fecit imprimi Tomis duobus sub nomine Joannis Patriarchæ Hierosolymitani XLIV. *Primus eorum librorum* est, inquit, *liber* de *Institutione primorum Monachorum veteris testamenti, de quo rident docti, uti & de eo quod ibi dicatur idem Joannes fuisse Religiosus Carmelita*: citatque Baronium, Bellarminum & alios multos. Pater Joannes Mabillon, Ordinis S. Benedicti de Congregatione S. Mauri, celeber Scriptor, tractatu de studiis Monasticis editione 2. impresso Bruxellis anno 1692. in catalogo Scriptorum sic ait. *Omitto hic Pseudo-Joannis Hierosolymitani opera*.

230 Cum hac censura multum consonant Tomi 1. & 5. Bibliothecæ Maximæ, quæ impressa est anno 1677. Tomus 1. sic habet: *Quem quidem librum putat se Joanni Hierosolymitano vindicasse Petrus Wastelius Ordinis Carmelitarum; sed extra suum Ordinem plures probationum suarum nactus est adversarios, quam suffragatores*. Tomus 5. ponit censuram Brasichellensis num. 227. verbotenus relatam.

231 Rev. P. M. Fr. Franciscus Bivarius, (*de Monachatu veteri lib. 1. cap. 15. num. 5.*) sic habet. *Cum liber is* (qui tribuitur Joanni Hierosolymi-

lymitano) *a multis flocci habeatur, cogor ejus doctrinis neque inniti, neque affici. quid autem de ipso sentiam, operæ pretium tibi, lector, aperire duxi. Persuasum habeo, minime Joannis illius opus esse, sed auctoris multo recentioris.* Atque id probat iis argumentis, quæ breviter solum hic insinuabo. *Primum* est, quod perpetuo utatur Vulgata; Joannes autem Hierosolymitanus, cum scripserit Græce, numquam ea sit usus; uti nec ulli alii, qui ea lingua scripsere: solumque usus est 70. Interpretibus. S. Hieronymus Epist. 62. innuit, quod solum sequeretur Codices Hebraicos; & pro verbis illis sancti Judæ Apostoli, dicentis: *vinculis æternis sub caligine reservavit*, citat Joannem Jerosolymitanum sic vertentem, *vinculis æternis in tenebris custodivit.*

232 *Secundum.* Octingentis annis post mortem Joannis, id est, usque ad annum Christi 1200. nemo antiquorum istius libri meminit: &, dum S. Hieronymus Epist. 89. dicit præfatum Joannem scripsisse in caput 2. Epistolæ ad Galatas, ne verbo quidem mentionem facit istius libri.

233 *Tertium.* Joannes Hierosolymitanus cap. 29. Regulæ, septem lineas scribit super Elia, Eliseo, Joanne & Elizabetha, quæ formalissime reperiuntur in Epistola 82. S. Ambrosii ad Vercellenses. Hanc Epistolam Baronius Tomo 4. probat scriptam fuisse a S. Ambrosio anno 383. Joannem vero Jerosolymitanum adiisse suum Episcopatum anno dumtaxat 387. ubi id etiam idem probat.

Inter. *Papebrochius* (in Hist. Chronol. Epp. Hieros.) *initium istius Joannis differt usque ad an.* 389.

234 *Quartum.* Joannes Hierosolymitanus *usque ad nauseam* (sic loquitur Bivarius) utitur hac phrasi: *Hujus nostræ Religionis.* Modus ille loquendi non erat in usu, nisi multo tempore post præfatum Joannem; prout in Commentariis ad Chronicon Marci Maximi ipse probat.

Inter. *Apocryphis illis quidem, æque ac Chronica Dextri, &c. sed apud Carmelitas auctoritatis maximæ, dum ipsis favent.*

235 *Quintum.* Joannes Hierosolymitanus hanc vocem *Carith* interpretatur *Charitatem*: hoc autem probat, auctorem libri esse Latinum; quia Græcus (qualis erat Joannes) probe noverat, quod vox *Dilectio*, significet gratiam; vox autem *Carith* Hebraice sonat *Concisionem* vel *Exterminationem*.

236 *Ultimum* est, quod idem P. Magister Bivarius notet, in præfato libro multa esse apocrypha, & quædam etiam sacræ Scripturæ opposita; item Auctorem parum eruditum esse, & in rebus Prophetarum parum versatum; tum etiam quædam verba, in Matrem Dei parum reverenter ab eodem prolata.

237 Denique longum esset referre, quæ S. Antoninus de Florentia, Petrus Matarus, Sabellicus, Volaterranus, Gordonus, Hieronymus Roman, Illescas, aliique innumeri dicunt de exordio Ordinis Carmelitani, libro Joannis Jerosolymitani penitus opposita.

238 Nihilominus Sacrum Inquisitionis Tribunal, quibus Patribus Carmelitis suam permittit defendere antiquitatem, neminem præfatorum Auctorum condemnat, aut mandat expurgari, aut ex eorum libris deleri ea, quæ sunt ejusdem Tribunalis permissioni contraria, quia sola & nuda permissio, non infert ex se obligationem ea sequendi, quæ permittuntur. Non ergo Papebrochius tam acrem, qualem PP. Carmelitæ ei imponunt, meretur accusationem, ideirco quod præcise sequatur contrarium; multoque minus meretur hoc solo titulo tam indebite comparari Hæreticis. An forte Catholici non sunt supra nominati Cardinales & Auctores? Si Catholici sunt, & non pauci quidem ex illis Hæreticorum mallei, ignorare non poterant, quanta Pontificibus horumque Bullis deberetur reverentia; probe noverant robur & vim traditionum, auctoritatem Historiarum, quas Breviarium continet, & quis antiquis Auctoribus deberetur honor: scripserunt tamen ea, quæ jam vidimus circa antiquitatem Ordinis Carmelitani; nec in eo signum offensionis dedit unquam Ecclesia. Quorsum igitur tantus armorum apparatus dirigitur in unum solum Papebrochium? quorsum tot impressi sine nomine sparsique libelli, atque passim importune intrusi in aliorum domos ac familias, in conventus, monasteria, vicos, pagos atque civitates; idque in eum finem, ut Papebrochius passim haberetur pro Hæretico, atque Societas Jesu pro Religione, quæ illius hæresi patrocinetur?

239 Nihil opus habet Carmelitana Religio suorum affectibus aut passionibus defendi per talia media; præsertim quando defensio solum concernit tempus, quo fundatur Antiquitas. Audiant Anonymi Rev. P. M. Fr. Valerium Ximenez de Embun Carmelitam, qui non de qualicumque, sed de excessiva defensione, qualis est, de qua hic agitur (*parte* 1. *de stimulo Devotionis cum Ordine Carmelitano cap.* 1. §. 3. *tit.* 4.) sic ait: *Materia est admodum odiosa & parum proficua; multumque dedecet Professionem Monasticam; nec recordantur istius sententiæ Domini;* Novissimi erunt primi, & primi novissimi. *Considero, quod Dei servos non conveniat altercari de tempore; suspicionem de se movet, quod parvam curam gerit pro æternitate, qui se fatigat pro tempore.*

240 Admirabilis est hæc sententia, dignaque quæ illustretur sequenti exemplo. Apud universalem Ecclesiam incomparabiliter pluris est ineffabile istud & sacro-Sanctum mysterium Incarnationis Filii Dei, quam antiquitas Ordinis Carmelitani. Quis Catholicus hoc inficiabitur? Nihilominus, dum in hoc mysterio ejusque fide omnimes essent Catholici, multum tamen inter se alii ab aliis discrepabant circa annos, qui a creatione Mundi effluxerant ad ipsam usque Incarnationem; aliis plures, pauciores aliis assignantibus; & consequenter majorem alii, alii minorem antiquitatem adscribebant mysterii executioni, respectu habito ad primum orbis conditi diem. Quæro: an, qui majorem tribuebant, tamquam impios aut temerarios accusabant eos, qui dabant minorem, adeoque a prioribus dissentiebant? Aliquisne inventus est Anonymus, qui eo titulo spargeret libellos diffamatorios? Non sane. Nihil horum quisquam vidit unquam; solus Papebrochius immersum se vidit oppressumque similibus libellis. Quare autem? Non alia de causa, quam, quia ingentem Auctorum classem secutus, non tot antiquitatis annos adscribit Ordini Carmelitarum, quot hi vellent. Justissima sunt & rectissima judicia Dei; qui solus novit, cur talia permittat, & inter ea abominabilem istam fœditatem, qua Anonymus quidam finxit,

im-

impressitque Breve, nomine Summi Pontificis, contra Papebrochium hujusque Religionem. Facti enormitas superat omnem eloquentiam; proinde satius est, admirationem Christianam omnem reponere in spem divinæ Providentiæ.

CAPUT SEXTUM.

De Genealogia Christi, quam referunt S. Lucas & S. Matthæus.

241 NOn desinet sæpe sæpius Lectori occurrere materies admirationis, propter facilitatem, qua non desinunt Accusatores miras imposturas fabricare in tergum & famam Papebrochii. Vidimus jam, quas & quales in illum cuderint adversus Paupertatem Christi, & adversus puritatem S. Josephi ac B.V. Mariæ; & hoc quidem adeo inverecunde, ut non dubitaverint accusationem suam provehere, dicentes, Legem & necessitatem illam, quam cum sacra Scriptura & sanctis Ecclesiæ Patribus pro cælesti illo matrimonio allegat Papebrochius, esse confictam a Luthero & delirantibus Rabbinis. Videamus modo, quid illi imputent adversus Evangelistas.

Impostura 1.

242 ANonymus in sua *Voce* prætensæ *Veritatis fol.* 2. sic ait: *An non censura dignum est, quod dicat Papebrochius, Sanctos Evangelistas Matthæum & Lucam, velut ignorantes, in Evangelia confudisse Genealogiam Christi? quod dicat, errasse ab ipso principio in ea referenda?* Respondeo, Anonymus fingit, imponit, & impressit id, quod Papebrochius non dixit. Evolvantur omnes ejus & singuli Tomi; non invenies clausulam vel unam, ubi extet infernalis illa blasphemia, qua Sancti Evangelistæ qualificentur *velut ignorantes*, vel dicantur *erravisse in Christi Genealogia*. Et si forte convinceretur sic deliquisse Papebrochius, non censuram dumtaxat, sed rogum & flammas mereretur Inquisitionis. Videat Anonymus, quid ergo merebitur ipse, qui in caput probi Catholici cudit fingitque tales blasphemias?

243 Instat Rev. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo Hispanice traductus (*fol.* 43. *n.* 77.) sic arguens, Papebrochius affirmat, S. Lucam & S. Matthæum obscurissimam reddidisse Christi Genealogiam: atqui obscurissimam reddere, unum idemque est, atque illam confundere, & in illa errare: ergo qui fatetur in ea obscuritatem, fatetur etiam confusionem & errorem. Proferantur ipsius P. Fr. Sebastiani formalia verba: alioquin argumentum vix haberetur pro suo. Citato itaque loco admirabilem hanc clausulam tribuit Papebrochio, dicens: *Addis, quod veritatem hanc tam notam reddiderint obscurissimam, imo confuderint, & erraverint (nam sunt ista Synonyma) SS. Evangelista Lucas & Matthæus (in Propyl. fol.* 32. *n.* 22. *& tom.* 3. *Martii fol.* 9. *n.* 66.)

244 Respondeo. Verum est, affirmare Papebrochium, quod illi duo Evangelistæ Genealogiam Christi *maxime obscuram fecerunt*: sed omnino nego, in Sacris Litteris idem esse *Obscurare*, atque *Confundere & Errare*. Magnus sane casus, in quo versamur! Singularis certe confessio qua mundus intelligat, eum, qui ambit ac gloriatur errores Papebrochii manifestare, palam fateri, erroneum esse, quod obscuritas adscribatur Scriptoribus Canonicis, & quod in his obscuritas idem sit, quod error. Scrutemur tantisper labyrinthum, qua se ista involvit vix evolvenda accusatio.

245 *Daniel*, inquit Deus, *Tu autem claude sermones, & signa librum usque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.* (*Dan. cap.* 12. *vers.* 4.) Et vere obscurum adeo erat, quod Daniel scripserat signaveratque, ut ipse Propheta rogaret Angelum: *Usquequo finis horum mirabilium*, & quod inter alia respondit Angelus, hoc fuit: *erit in tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Quæ omnia verba sunt obscurissima.

246 S. Joannes Evangelista, (*Apoc.* 5.) Ostendit nobis librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem, & adeo sibi suoque intellectui obscurum, ut fleret Sanctus Apostolus; quoniam nemo poterat, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum, nedum characteres legere qui foris extabant. Angelus quidem ea libri obscuritate adeo exultabat, ut exclamaret: *Quis est dignus aperire librum & solvere signacula ejus?* Et vero Apocalypsis tota adeo est profunda atque obscura, ut S. Hieronymus dicat: *Tot habet sacramenta, quot verba .... in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ*. Hujus & aliorum sacræ Scripturæ locorum obscuritatem altius explicat Salmeron (*Prolegom.* 2.) *Audeo profecto asserere, nullum extare librum, humana diligentia & industria elaboratum, etiam si ipse Heraclitus producatur, cujus librum judicavit Socrates Delio natatore indigere propter difficultatem: etiamsi ipse proferatur Aristoteles, qui propter affectatam obscuritatem omnium ingeniorum carnifex est judicatus, qui cum sacris Litteris, in his quæ profunditatem faciunt, merito conferri possit.*

247 Christus (*Luc.* 2. *vers.* 49.) ad Josephum & Mariam; *Quid est* (inquiebat) *quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Sunt ista clarissima verba; &, quamvis ea clarissime quoque audierunt Josephus & Maria, ait nihilominus Evangelista: *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos*. Idipsum etiam accidit Apostolis, de quibus dicit S. Lucas (*cap.* 18. *℣.* 34.) quod ea, quæ ex ore Christi audiebant, non intelligerent: *Nihil horum* (inquit) *intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis*. Alias clamabant ad Jesum, dicentes: *Domine, edissere nobis hanc parabolam*. Et S. Matthæus (*c.* 13. *vers.* 35.) dicit, quod obscurum & absconditum esset, quod Dei Filius loquebatur in parabolis. *Aperiam in parabolis os meum; eructabo abscondita a constitutione mundi.*

248 S. Petrus (*Epist.* 2. *cap. ult.*) dicit, in Epistolis S. Pauli, sapientissime quamvis scriptis, quædam tamen inveniri, *difficilia intellectu*. Hæc autem difficultas nascitur ex magna obscuritate, qua quibusdam in locis, dirigente Spiritu sancto, Divus Paulus utitur.

249 Res foret sine fine, si sanctorum Patrum, Doctorumque Ecclesiæ adduceretur huc clausulæ & phrases, quibus explicant & divinarum Litterarum obscuritatem, & rationes cur Deus eas voluerit obscuras esse. Divus Augustinus (11. *Civ. c.* 19.) sic ait: *Divini sermonis obscuritas ad hoc utilis est, quod plures sententias veritatis parit*. Iterumque (*in Ps.* 74.) *Quia sic se habet obscuritas Scriptu-*

pturarum, difficile est, ut unum pariant intellectum. Rursus (*Epist.* 59.) ad Paulinum. *Utile est, ut de obscuritatibus divinarum Scripturarum, quas exercitationis nostræ causa Deus esse voluit, multæ inveniantur Sententiæ*. Et S. Gregorius (*in 3. Ezech.*) *Plerumque* (inquit) *in sacro eloquio aliquid obscure dicitur, ut, dispensante mirabiliter Deo, multipliciter exponatur*. Idem ait D. Thomas (1. *p. q.* 1. *art.* 9. *ad* 2.) Denique tot exortæ controversiæ unorum eum aliis, S. Cypriani eum Cornelio Papa, Origenis cum Afrieano, S. Joannis Chrysostomi cum Theophilo Alexandrioo, S. Epiphanii cum S. Hieronymo, hujus cum S. Augustino, & hujus quoque cum Simpliciano, Prospero, Hilario, Gregorii cum Eutyehio Episcopo Constantinopolitano, aliæque plurimorum controversiæ, unde exortæ sunt, oisi occasione obscuritatis, propter quam unis eisdemque varbis, rem unam uni, alii aliam intelligebant?

250 Hoc ipsum contingit circamodum, quo loquuntur de Genealogia Christi. De ea tractans S. Ambrosius (*in* 3. *Lucæ*) eloquenter pro more suo, *in abruptum* (inquit) *disputationis venimus; hæremus in vado, & quodam veritatis naufragio fluctuamus*. O miserum Papebrochium! si illis terminis fuisset usus, quibus utitur S. Ambrosius, solum propter difficultatem & obseuritatem, quam Jechonias affert in genealogia Christi, quæ tanta est, ut terminis adbuc fortioribus explicationis eausa utatur sanctus Doctor, ut postea videbimus.

251 Canus (*de loc. lib.* 2.) ob solam obseuritatem, quam nomeo *Caynan* apud Interpretes peperit, a S. Luca in Genealogiam suam insertum, declarandi difficultatem explicat notabili hac periphrasi. *Quid ergo*, inquiens, *facturi sumus, qui (ut in proverbio est) Lupum utraque aure tenemus? Si enim veteris Instrumenti versionem, qua Ecclesia utitur, asserere & vindicare nitimur; arguimus non solum 70. Interpretes commenti frigidissimi, sed apertissimi etiam erroris Evangelistam: sin Lucam defendere tuerique volumus, versionem Scripturæ sacræ, Ecclesiæ usu decretoque probatam, improbamus*.

Incidis in Scyllam cupiens vitare Charybdim. An P. Fr. Sebastiano obscuritas non videtur esse in Genealogia Christi ea difficultas, quæ similibus proponitur terminis?

252 Quid autem dicam de Generationibus, quæ in præfata Genealogia prætermittuntur? Quid de diversitate viarum, quas Ioterpretes inierunt ad solvendam illam difficultatem? Quid de varietate nominum, quæ uni eidemque personæ tribuerunt alii, alii noluerunt admittere? Quid de multiplici sententiam suam defendendi modo, apud eos etiam, qui quoad eumdem sensum alias inter se conveniuot?

253 Hoc omne est, quod Papebrochius obscuritatem vocat, oec qualemeumque, sed a Spiritu sancto directam. Audiamus ejus verba, ut calumnia obmutescat Tom. 3. Martii (*fol.* 9. §. 4. *num.* 22. *Et Propyl. fol.* 31. *num.* 22.) sie ait: *Spiritus sancti œconomia est, inspergere res credendas dubitandi causis, ut trans obtentum velum nitens penetransque credulitas, non ignava victoria præmium auferat. Id cum in loco & tempore nati ex divina promissione Messiæ, tum maxime in ejus Genealogia licet cernere*. Et ibid. num. 23. *Hoc vero, tamquam vulgo tunc notum, in popu-*

lari conscientia tunc relinquentes, scriptis suis intexere divinitus probibiti sunt Evangelistæ; ut quo scrutando posterorum conflictaretur diligentia, fides exerceretur. Hactenus iisdem verbis loquitur Papebrochius, quibus S. Augustinus, S. Gregorius, S. Ambrosius, S. Thomas, aliique Sancti ponderant obscuritatem sacræ Scripturæ. Qui, si non errarunt, illam agnoscentes, nec idcirco errasse dixerunt Evangelicos scriptores; agnoscat Rev. P. Fr. Sebastianus, errorem in illo esse, qui eumdem imputat Papebrochio.

254 Sciendum autem est, non stetisse Papebrochium in obscuritate, quam recognoscit in Genealogia Christi: ultra progreditur, & dicit (*ibid. fol.* 12. *num.* 38.) de S. Matthæo Evangelista hæc formalia verba. *Talium ergo tabularum fide probaturus Matthæus, Christum, qui se Messiam dixisset probassetque tanta signorum evidentia, id ipsum habere, quod illi potissimum expectabant & requirebant, veram ac legitimam a Davide successionem; id quod intendebat, est perfectissimo assecutus, omnes Judaici juris apices spiritu dirigente observans*.

255 De Evangelista Luca dicit (*num.* 28.) illum in Christi Genealogia secutum esse ordinem naturalem; in Josepho vero solum servasse ordinem legalem: *nec potest alius ullus gradus assignari, in quo Legis, non Naturæ rationem habuerit Lucas*. Etenim, eum Joseph realiter non esset pater Christi, nati solum ex Maria per virtutem Spiritus sancti, fieri omnino non poterat, ut io hoc gradu servaretur naturæ ordo, ut fit in aliis, qui nascuntur ex viro & muliere.

256 His omnibus perspectis, quis non agnoscat, revereaturque singularem Dei providentiam, io eo quod ultro fatetur Papebrochius, & in eo qnod huic affingit accusatio publica? Hæc eum per orbem passim buccinat tamquam scriptorem, qui asserat, Evangelistas fuisse ignorantes; Papebrochius e contra dicit, eorum calamos a Spiritu sancto fuisse directos. Accusatio illi imputat, quod in Genealogia erraverint Evangelistæ; Papebrochius vero scribit, S. Matthæum *perfectissimo* assecutum esse suum intentum, ne apicem quidem omisso; S. Lucam autem (cui ordinem naturalem attribuit) eumdem servasse non interrupte ad usque Adamum; solum ab hoc ordine excludit, velut Catholicus, S. Josephum, utpote qui non erat Christi Pater naturalis, illumque relinquit in ordine legali. Et post hæc omnia, omni conatu contendunt Adversarii inducere populos, ut credant, Evangelistas, io sententia Papebrochii, errasse, velut ignorantes. O judiciorum Dei abyssus multa! & quam investigabiles sunt viæ ejus!

Impostura 11.

257 INstant P. Fr. Sebastianus (*fol.* 43. *n.* 77.) & PP. Delatores (*fol.* 16.) boc argumento. Papebrochius supponit, Evangelistas voluisse & vero conatos esse Genealogiam Christi declarare: Atqui dicere, quod volendo non potuerint illam explanare, blasphemia est contra Spiritum sanctum: Ergo, si potuerint id quod voluerunt, non obscurarunt Genealogiam; nisi *solus Papebrochius declaraverit id, quod Spiritui sancto non incidit dictare*.

258 Respondeo, instantiam hanc esse novam

imposturam, ortam ex vitiosa traductione linguæ Hispanicæ, non correspondente Latinæ phrasi Papebrochii. Nullibi namque dicit ille, Evangelistas obscuravisse idipsum, quod voluerunt clare demonstrare, sed quod videbantur velle facere. En ipsa ejus verba formalia: *Tum maxime* (inquit) *obscurum fecerunt Evangelistæ Lucas atque Matthæus, cum expensa generationum serie, & quasi tabularum fide, eamdem videbantur clare demonstratam voluisse proponere*. Quod uni alicui videatur alter rem aliquam velle & intendere, non est idem, atque quod hic alter eam velit & intendat. Ad primum sufficit quævis apparentia, qua, qui eam percipit, præsumat de alterius intento. Ad secundum autem requiritur, ut vere, reipsa, & de facto intentum existat.

259 *Et ipse finxit se longius ire* (*Luc.* 24. ℣. 28.) Solum unum Christi signum discipulis euntibus in Emmaus satis fuit, ut illis Christus videratur velle longius discedere ultra castellum; non ideo tamen habuit Christus intentum & voluntatem discedendi. Idem Dominus noster hominibus videbatur verus & naturalis filius esse Josephi, *putabatur*, non tamen is erat, qui videbatur. S. Augustinus (*lib.* 2. *de Cons. Ev.*) dicit: *Sancto Matthæo videtur repugnare quod ait Lucas*. Sed nec est repugnantia, quæ esse videtur, nec per τὸ *videtur* affirmat illam D. Augustinus. Sic in casu nostro: dum enim videmus, S. Matthæum per tot generationes ascendere usque ad Abraham, S. Lucam etiam usque ad Adamum, unus & alter per tam numerosam seriem poterat nobis videri Genealogiam Christi, non tantum voluisse probare, verum etiam evidenter demonstrare: & hoc est illud Papebrochii, *Videbantur clare demonstratam voluisse proponere*. Sed contra id, quod in exteriori cortice juxta litteram potuit nobis videri, calamos Evangelistarum direxit Deus, ut adeo, pro demonstrationibus ac evidentiis, profundissimas difficultates invenerint Interpretes. Hæc est illa obscuritas atque necessitas orandi Deum pro lumine, quam sancti Patres exaggerant, absque eo, quod in Evangelistis fuerit voluntas vel intentum clare demonstrandi, cujus tamen fuit apparentia. Si RR. PP. Accusatores judicant, τὸ *videri velle* idem esse, quod *velle* absolute; & si, quando construunt duas illas voces Latinas, *videbantur voluisse*, Hispanice vertunt *voluerunt*, culpam imputant vitiosæ versioni Hispanicæ, non autem Latino sermoni Papebrochii. Hic loquendi modus est apud sanctos Patres & Expositores usitatissimus, ad explicandas difficultates S. Scripturæ, & ostendendum discrimen, quod est inter solum *videri*, & reipsa vere *esse*.

Impostura III.

260 DElatores (*fol.* 14. *parte* 1. *delationis suæ anno* 1691.) sic ajunt, *non invenietur unus aliquis Sanctus Pater vel Expositor Catholicus, qui S. Josepho dederit titulum Vitrici respectu Christi*. Et super hoc titulo magnas prosequuntur accusationes ac exaggerationes.

261 Respondeo, hanc quoque imposturam natam esse ex mala versione Latini textus Papebrochii in Hispanicum. Hic, expensa communi difficultate explicandi Genealogiam Christi per Josephum, (*tom.* 3. *Martii fol.* 9. §. 4. *n.* 11.) sic ait. *Quid est hoc, quod genus Josephi nobis explicent? Cum Josephus, abstrahendo a lege, & præcise spectatus ut Mariæ Sponsus, erga Christum, solius Mariæ filium, habuerit sese sicut Vitricus ad Privignum*. Non dicit Papebrochius, fuisse *Vitricum*, sed *sicut Vitricum*. Nec comparationem hanc instituit absolute; sed solo casu, præscindendo a lege, quo S. Josephus non consideraretur, ut consanguineus Mariæ, sed solum ut ejus Sponsus absque ulla cognatione. Sub hac autem hypothesi seu conditione certum est, quod, sicut illius genealogia, qui respectu alterius est solum vitricus, nihil facit ad probandam genealogiam privigni, sic etiam, si S. Josephus nullam haberet cognationem cum B. Virgine Maria, ratione cujus lex illum compulisset ad matrimonium; tali (inquam) casu certum est, quod solum referre genealogiam Josephi ad probandum Christum, perinde foret ac referre genealogiam vitrici ad probandum privignum suum. Hoc est, quod ait Papebrochius, & hæc est comparatio, qua utitur ad proponendam difficultatem, & illico dissolvendam, uti ipsam ibidem dissolvit, S. Josephum constituens consanguineum B. Virgini valde vicinum, simulque probans, illud esse efficacissimum medium, ad Christi Genealogiam declarandam per Josephum.

262 Si Delatores in accusatione sua omittunt particulam *sicut*, in qua consistit comparatio, si omittunt hanc quoque clausulam *abstrahendo a lege*, quod in hoc casu idem est, atque abstrahere ab omni cognatione: insuper si ignaros se simulant axiomatis, quo vulgo dicitur, *omnis comparatio claudicat*, si nesciunt, comparationem quoad aliquid, non egere omnimoda paritate quoad omnia extrema; imo hoc ipso, quo comparatio est, nec debere nec posse proprie identificari cum extremo comparato; quam, quæso, culpam habet Papebrochius, quod contra se formentur accusationes, dum contrarium supponit? quam culpam habet, quod, dum B. Virginem constituit neptem S. Josephi, accusent illum Delatores, quasi cognationem omnem negaret; & quasi absoluta affirmaret, S. Josephum fuisse solum Vitricum Christi? Quæ denique culpa residet in Papebrochio, quod ipsius rationem dubitandi accusent, tamquam si foret opinio & sententia propria? His omnibus vitiis laborat Delatio citato loco.

Impostura IV.

263 HÆc impostura fœda, imo horribilis est, tum propter infidam traductionem textus Papebrochiani, tum propter inversum ejusdem sensum. Papebrochius sic habet, ubi supra, *Quam autem certum est, Avos, Proavosque Vitricorum nullo prorsus modo ad Genealogias Privignorum pertinere; tam certum esse debet eos, qui vel a Luca vel a Matthæo numerarentur solius Josephi, non etiam Mariæ Progenitores, ad id quod ipse titulo Matthæus manifeste, Lucas implicite totius operis instituto promittit, Generationem videlicet Jesu Christi, facturos omnino nihil*. Hæc verba Papebrochii Hispanice sic vertunt Delatores: *Quam certum est, Avos & Proavos Vitricorum nullo modo pertinere ad Genealogiam Privignorum vel Filiastrorum; tam certum debet esse, quod illi Progenitores, qui fuissent nominati per S. Lucam, vel per S. Matthæum, sunt solum Progenitores sancti Josephi & non Mariæ. Quod nihil faceret ad describendam Genealogiam Christi, quod erat institutum manifestum S. Matthæi, & implicitum S. Lucæ*.

264 Notentur illa verba *sunt solum Progenitores S. Josephi & non Mariæ*. Non est in textu Papebrochii vox Latina, cui correspondeant illa verba Traductoria. Delatores imponunt ei affirmativam absolutam, ubi loquitur ille solum sub conditione. Deinde imponunt illi orationem perfectam & finitam, interpungentes illam per rotundum punctum; ubi, ad finiendam illam, absque ista interpunctione sequuntur apud Papebrochium adhuc aliquot lineæ. Deinde Hispanice ponunt verbum in præsenti (ut Grammatici vocant) Indicativi modi, quod Papebrochius habet in præterito imperfecto Subjunctivi. Ponunt denique τὸ *sunt* in præsenti, cui correspondens verbum nullum extat in textu Papebrochii. Ut verbo absolvam, quod ille dicit, est, quod ii, quos S. Lucas & S. Matthæus numerarent, et Progenitores solius Josephi, & non etiam Mariæ, nihil ad rem facerent pro Genealogia Christi. Est autem hæc certissima veritas. Dicere, *quos numerarent*, non est dicere, *quos numerant*. Et dicere, *quos S. Lucas & S. Matthæus numerarent, ut Progenitores solius Josephi, & non etiam Mariæ*, non est affirmare, *quod sint tantum Progenitores Josephi & non Mariæ*. Si igitur accusatio incurrit in omnia hæc vitia, atque insuper pro conclusione Papebrochii accipit rationem dubitandi, quam mox dissolvit, quid criminis subesse potest in accusato? Clarius id apparebit in sequenti impostura.

INTERP. *Hæc cum gravissima sit (imponit enim Papebrochio, quod asseruerit, quod* sequendo communem explicationem, quæ datur Evangelistis, datur etiam occasio inimicis veritatis, vel redarguendi Evangelistas ut mendaces, vel fidem nostram, ut falsam; *placuit accusato totam illius evictionem transferre in §. 5. Art. 25. a num. 83. cui etiam a num. 91. adjungit hinc sumptam redargutionem Imposturæ 6 quasi dixerit* Sanctos Patres *in explicanda Genealogia Christi*, nihil effecisse. *Ac rursum a num. 93. Imposturam 7. expendit verbis Xaramilii usque ad num. 101. qua accusatur cum Luthero dixisse*, quod Sanctorum Patrum nemo Genealogiam Christi explicuit. *Itaque his omissis transeo ad sequentem.*

Impostura VIII.

294 ANonymus fol. 2. sic habet: *Censuræ dignum est, quod Papebrochius dicat, sanctos Ecclesiæ Patres esse quosdam temerarios ... sequendo Julium Africanum?* Respondeo, censura dignissimum fore, siquid tale diceret; sed nihil ejusmodi contra sanctos Patres scripsit Papebrochius; ac proinde redire temeritas ista poterit in caput talem calumniam imponentis.

295 Instant RR. PP. Fr. Joannes Gomez Barrientos Carmelita Calceatus, Fr. Petrus a Conceptione & Fr. Angelus a Purificatione Carmelitæ Discalceati (*verso fol. 19. suæ Delationis, quam contra Propylæum impresserunt Madriti anno 1692.*) & ajunt, Papebrochius dixit, *Plerique eorum temere Africanum secuti*. Atqui hoc est, Sanctos Patres & Interpretes vocare temerarios: ergo Papebrochius censura dignus est.

296 Respondeo, verum esse, quod Papebrochius habeat propositionem hanc Latinam: *Plerique eorum temere Africanum secuti*: per illud *temere* intelligendo *frequenter*, *passim*, *fere in omnibus*, *facile*. Nam si Dictionaria consulimus, inveniemus, quod τὸ *temere* recipiat diversas significationes. Vide Calepinum octo linguarum, illustratum per Joannem Passeratium; & inter alia invenies idem significare ac *fere*, *facile*. Leganturtur Laurentius Valla (*de lingua lat. Eleg. lib. 2. cap. 49.*) Nicolaus Perottus (*in Cornucop. ling. lat. col. 651.*) Livius, Quintilianus, Svetonius, aliique multi; & deprehendes, quod id, quod Hispani in sua lingua volunt exprimere per hanc vocem *quasi*, exprimant in sua Latini æqualiter & eleganter per τὸ *fere* & per *temere*. Et adeo verum id est, ut citati Valla & Perottus affirment, *pro* FERE *accipi* TEMERE *apud omnes post Ciceronem natos*.

297 Subintrat nunc ratiocinium admodum efficax. Papebrochius non utitur nomine adjectivo *Temerarii*, nec etiam adverbio *Temerarie*: solum utitur voce *Temere*, quæ admittit significationes jam dictas in sensu sano, vero, favorabili, nec sanctis Patribus ulla ratione injurioso: unde nunc Delatores conficient sensum, in quo Papebrochius illo utitur, non alium esse quam sinistrum & malum? Ecce obtestatur hic, ad æquos judices conversus Papebrochius, in hunc modum: Quando jura sunt dubia vel obscura, ajunt leges, esse favendum reo. Casus in quo nunc versor, satis superque liquidus est: stant a me auctores Latini, iique elegantissimi. Qui dicit, plerosque Patrum fere in omnibus auctorem aliquem secutos esse super certo aliquo puncto; eo ipso, quo dicit, *Fere in omnibus*, excipit aliquid, in quo illum secuti non sunt: exceptio hæc verbis meis exprimitur formaliter, quibus adverto, non fuisse secutos Africanum in unione duarum linearum præfatæ Genealogiæ: *Temere Africanum secuti, a quo alioqui in utriusque lineæ conjunctione deficiunt*. Particula *Alioqui* est exceptiva; denotatque id, quod eximitur a τὸ *fere in omnibus*, in quibus illum secuti sunt: ergo, nisi accusaverint Latinos omnes post Ciceronem huc usque natos, nulla causa est, cur me accusent, quod illos imiter: & si pro illis τὸ *Temere* admittitur in sensu jam dicto; cur non & pro me admittitur qui Latine scribo; & eo quidem scribo stylo, quem ipsi Delatores (*fol. 15. verso*) qualificant tamquam *compositum, comptum, phrasibus adornatum, & velut Magistri qui alios eundem docuerit*?

298 Rem elucidabant S. Augustinus, & S. Hieronymus. Latinum verbum *Persequor* vulgo & proprie significat eam persecutionem, qua dæmon persequitur hominem, qua hostis hostem: significat quoque ire in sequelam alterius; & metaphorice, allegare & citare textus unos post alios. S. Augustinus, postquam Cresconium Grammaticum variis sacræ Scripturæ textibus convicisset, (*lib. 2. cap. 32. contra Cresc.*) sic concludit. *Et alia multa divina testimonia, quæ persequi longum est: si tamen non mihi propter hoc verbum calumniaris, ut quoniam dixi* * PERSEQUI LONGUM EST, *persecutorem me divinorum testimoniorum esse crimineris*. Hoc sanctus Doctor suspicabatur, ne suus accusator verba sua verteret in deteriorem sensum. Et hoc est, quod in præsenti casu evenit Papebrochio. Sed neque S. Augustinus persecutor fuit sacrorum Textuum; neque Papebrochius sanctos Patres vocat *Temerarios*.

299 S. Hieronymus (*Epist. 89. ad S. Augustinum*) ait se respondere, *non maturitate scribentis, sed dictantis temeritate*. Eo non obstante ostendit ibi idem Sanctus, quam bene se ad respondendum præmunierit. *Nostra armatura* (inquit)

Christus est, & Apostoli Pauli institutio ... Induti loricam justitiæ ... galeam salutis ... & gladium Spiritus. Sed dic, Doctor Maxime, quid *Temeritas* habet commune cum Christo, cum Apostolo suo, cum justitia, cum fide, cum gladio Spiritus? Arma Dei sunt ista, quæ destruunt vitia, & inter hæc ipsam temeritatem, quæ sane vitiosissima est; & ideo censetur eorum telorum unum, quod dæmonium subministrat; quomodo ergo respondes, te scribere *Temeritate dictantis*?

300 Fuit S. Hieronymus purissime Latinus, noveratque probe significata *Temeritatis*: quamvis enim significet audaciam quamdam, qua quis aliquid ultra vires vel ultra decorum intentet aggredi, significat insuper *Facilitatem, defectum considerationis seu examinis*, & alia ejusmodi. Non in primo significato usus est illa voce *Temeritas* S. Hieronymus, sed in secundo; innuens, quam scriberet festinanter, ob epistolæ suæ latorem, qui *pene in procinctu* stabat ad discessum; ideoque cogebatur tumultuario respondere sermone, nullo satis sibi relicto otio ad responsionis suæ examen. *Temeritatem* igitur hic opponit Sanctus tranquillæ considerationi, quam maturitas solet impendere rebus, antequam scribantur, expendendis. *Non maturitate scribentis, sed dictantis temeritate*. Quod autem dicitur de substantivo *Temeritas*, dicatur idem de adverbio *Temere*, quod utique inde derivatur. Præter Auctores citatos consulatur Lexicon R. P. M. Fr. Didaci Ximenez ex Ordine S. Dominici: adnotetur etiam, quod Julius Africanus fateatur ipse, se dubitare (uti postea videbimus) num certum *id* sit, quod super Genealogia scripsit ad Aristidem. Et dum ipse rem non satis examinavit, quid mirum est, idem dici de aliis, qui illum in historia circa punctum aliquod particulare sunt secuti? &, ut *idem* dicat Papebrochius, quid mirum, quod utatur stylo S. Hieronymi & aliorum? Non semper Latinæ voces eodem sensu accipiendæ sunt, quo Hispanæ; alioquin nullum inter utramque linguam discrimen intercederet, nec liber ullus foret tutus.

Impostura IX.

301 REv. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo, non contentus accusasse Papebrochium, quasi Sanctos Patres vocaret *Temerarios*; altius etiam in accusando assurgit, affirmans (*fol.* 45.) dixisse Papebrochium, *quod omnes præter unum se essent quidam temerarii*. Sed hoc qui probas, mi P. Sebastiane? Non alio argumento, quam jam allato & refutato ob illa illius verba: *plerique eorum temere Africanum secuti*, ubi hic legitur universalis illa vox *Omnis*? Nullibi. Ubi illud *Præter se*? Nullibi. Quænam ista est fingendi libertas? Eadem quoque libertate (qua adverbium *Temere* restringis ad unum solum sensum, eumque deteriorem) hujus censuræ malignitatem extendis ad *omnes*. Vide, num talis accusatio partus sit rationis, an meri arbitrii, ut stet pro solo ratione voluntas.

Impostura X.

302 IN Delatione anni 1691. (*f.* 17. *v.*) sic ajunt: *P. Papebrochius videt Sanctos Patres, quod in hoc puncto Genealogiæ locuti sint absque ratione, & Scripturis sacris nullo modo conformes fuerint*. Eadem accusatio habetur in Delatione anni 1692. (*fol.* 11.) & apud P. Fr. Sebastianum (fol. 45.)

303 Respondeo, omnes hasce accusationes esse manifestas imposturas. Solum ait Papebrochius, quod, *qui S. Matthæo adscribunt ordinem naturalem, S. Lucæ vero legalem, nec rationi, nec Scripturis sacris satis conformiter videantur adscripsisse* cum ipsis. Qui dicit, *non videntur*, non dicit absolute; & qui dicit, *non satis conformiter*, supponit, aliquam subesse conformitatem, licet non eam omnem quam optaret. Hoc & nihil plus est, quod dicit Papebrochius, & quod silentio involvunt Delatores. Probent nunc, si possunt, hoc esse censura dignum; & id, quod apud Latinos solum est, *non videri satis conforme rationi & Scripturis*, apud Hispanos idem esse, atque rationi & Scripturis absolute adversari, & nullam subesse conformitatem. Salomonem & Heli æternum salvos esse, & S. Joannem Evangelistam etiamnum vivere, Sanctorum Patrum alii ajunt, negant alii, atque tam illi quam isti sententiam quique suam stabiliunt variis sacræ Scripturæ textibus; idemque fit in aliis punctis, quæ non sunt de fide, pene innumeris. Si quæramus ex unis Auctoribus, cur sequantur Patres ajentes: respondebunt utrique, quia sibi videntur rationi & Scripturis esse conformiores, quam alii quos non sequuntur, & in quibus non inveniunt tam sufficientem conformitatem. Atqui *hanc non tam sufficientem conformitatem* nemo accusat, tamquam nullam, aut tamquam alienam a ratione. Cur ergo solus Papebrochius rapitur ad infamiam censuræ?

304 De quadam interpretatione, in Caput 3. Canticorum dat ingens Doctorum numerus, ait Gislerius, *eam sibi nullo pacto probandam videri*. Sane plus est dicere, *Nullo pacto*, quam *Non satis conformiter*: illud nullam admittit conformitatem, hoc vero ut minimum aliquam. Nulla conformitas Gislerii non movet nec offendit nostros Delatores; aliqua (quamvis non tam sufficiens visa sit Papebrochio) impellit eosdem Delatores ad accusandum, quasi accusato visa fuisset nulla conformitas. Patientia.

Impostura XI.

Contra Baronium.

305 ANtequam transeam ad ultimam accusationem super Christi Genealogia, referam alteram miram constructionem Hispanicam, ut appareat, quod quanta vis in præcedentibus illata fuit Latino stylo Papebrochii adversus Sanctos, non minor fueris eidem illata adversus Emin. Baronium. In Delatione anni 1691. (*fol.* 21.) citant hæc verba Papebrochii super quodam Chronologiæ puncto. *Cum jam inter eruditos satis ubique conveniret de insufficientia Baronianæ sententiæ*. Quomodo hoc Latinum putes Delatores traducere? Audiamus. *Quando jam* (inquiunt) *satis constabat de insufficientia Baronii*. Super hac insufficientia fabricant accusationem terribilem; sed quæ ex sola veritate Grammaticali evanescat. Papebrochius non agit de *insufficientia Baronii*, sed dumtaxat *Baronianæ sententiæ*. Prima insufficientia est ipsius personæ, altera solum suæ opinionis. Prima Auctorem deprimit, eumque collocat in classe nihil vel parum intelligentium: altera, personam relinquens in sua supremæ æstimationis sphæra, solum dicit, quod illius argumenta, in tali particulari casu, apud eruditos non satis probare credantur intentum: neque per hoc infertur Auctori injuria. Idipsum

quippe

quippe inter Auctores summæ venerationis videmus contingere frequentissime, ut in quibusdam casibus particularibus deseratur eorum opinio, utpote firmis argumentis minus fundata.

306 Quis tam insolens, tam vecors est, ut audeat dicere, *insufficientem* fuisse S. Augustinum? certe nemo, nemo. Edidit tamen Sanctus ille duos libros Retractationum; non titulo solum humilitatis, sed ipsissimæ veritatis, qua sibi persuadebat, sufficiente soliditate caruisse rationes, quæ olim se moverant. De his porro retractatis rationibus vere dici potest, quod insufficientes essent ad probandum tunc sibi propositum intentum; nec tamen quispiam tam amens erit, qui ipsum Augustinum indigitet *Insufficientem*. Nolo hic ejusdem sancti Doctoris aliorumque casus & auctoritates allegare; quia res ipsa, quam dico, per se loquitur. Iidem Delatores (*fol.* 21.) fatentur, nil mirum fore, si Baronius *quandoque pateretur aliquem lapsum calami*. Sed eo casu dato, quæro, an Delatores illius rationem sequerentur, tamquam sufficientem in eo, in quo judicant errasse calamum ejus? an sufficientiam ejus agnoscant in eo, quod ad annum 444. scripsit de libro Joannis Jerosolymitani, ut supra retulimus (*num.* 223.)? quod item ad annum 1181. Tomo 12. scripsit de principio Sacratæ Religionis Carmelitanæ? Si ajunt; non mirentur ergo, quod alii quoque, ejus sufficientia freti, ipsum sequantur; & eadem opera vitabuntur incommoda non pauca. Si negant autem: videant, cui insufficientiam istam adscriptam velint; ipsine Baronio, an soli illius sententiæ? Hoc ultimum dicent indubie. Idem ergo dicant etiam Papebrochio: & ex semetipsis discant illum tractare benignius, atque leges Latinæ traductionis servare fidelius; nec ipsi personæ adscribere, quod dicitur dumtaxat de una aliqua sententia particulari.

Accusatio ultima.

Super Genealogia Christi.

INTERP. *Etiam hic locus usque ad num. 341. jam totus Latine legitur in Responsione ad Articul. 25. §. 3. a numero istic 35. usque ad finem & num. 69.*

CAPUT SEPTIMUM.

Super Breviariis & Martyrologiis Romanis.

341 ANonymus [*fol.* 2.] *An non censura dignum est, quod Papebrochius dicit, in Breviariis & Martyrologiis Romanis occurrere passim errores ac falsitates, ideoque nullum illis deberi creditum?*

342 Respondeo, Papebrochium, siquam talem propositionem protulisset, fore reum temeritatis: Anonymus autem nec citat tomum, nec folium, nec locum, ubi quid tale proferat; proinde negatur, quod ille imputat Papebrochio. Dum Latina hujus verba non produxerit Anonymus, sciat, sibi inustam adhærere notam Impostoris. Tueri quædam puncta, illis quæ Breviarium continet opposita, putat fortassis Anonymus idem esse, atque Breviarium contemnere, auctoritatem illi detrahere, & omni prorsus fide indignum censere. Atque idem intelligo de Martyrologiis Romanis. At fallitur vehementer; & vel nesciens sua se accusatione extendit ultra quam vellet. Attendat ad mox dicenda, & ad animadversionem, quæ super iis omnibus dabitur sub finem.

343 In antiquis impressionibus Romani Martyrologii, 26. Septembris, legitur Eusebius fuisse Papa sex annis, uno mense & tribus diebus. Evicit contrarium Baronius [*A.* 311. *num.* 40.] ejus Pontificatus concedens solum duos annos, & menses aliquot, non amplius. Atque ita in sequentibus impressionibus sublati sunt anni illi superflui.

344 Idem Martyrologium, prima Julii, mentionem faciebat sancti Proculi Episcopi Bononiensis. At Baronius [*ad annum* 303. *n.* 122.] probat, dumtaxat fuisse martyrem; & per errorem in Romanum Martyrologium irrepsisse nomen episcopi.

345 Idem Martyrologium 2. Julii dicit, S. Photinum ejusque socios passos esse Martyrium tempore Antonini & Lucii Veri. Sed Theophilus Raynaudus [*Tract. de Martyr. Lugdunensibus Prolegom.* 3.] probat, pridem ante martyrium istorum Sanctorum mortuum fuisse fuisse Lucium.

346 Idem iterum 9. Decembris Martyrem vocat sanctum Restitutum, Episcopum Carthaginensem. Quo probetur, non fuisse Martyrem, allegatur cum Possidio S. Augustinus; qui in Sermone, quem habuit super eodem Sancto, nullam de illius martyrio fecerit mentionem. Et Pontius Diaconus in Vita S. Cypriani affirmat, ante hunc eumdem S. Cyprianum, nullum Episcopum Carthaginensem fuisse Martyrem; cum certum vel probabilissimum sit, S. Restitutum fuisse ante annum trecentesimum; & usque in id tempus post sanctum Cyprianum nullos extitisse Episcopos Carthaginenses, nisi Lucianum & Mensurium. Si quis autem dixerit, S. Restitutum fuisse Martyrem, prius tempore quam S. Cyprianum, opponit se Baronius (*Tom.* 2. *ad annum* 303. *num.* 73.) dicens, quod nomen Martyris in S. Restituto non aliud significet, quam tormenta passum fuisse propter Christum, non autem profudisse vitam, prout profudit S. Cyprianus: *Sic vocatum esse Martyrem* (inquit Baronius citato loco) *ut de multis aliis accidit, quod Christi nominis causa tormenta passus sit; non autem, quod martyrio vitam finierit, ut S. Cyprianus, qui percussus gladio martyrium consummavit.*

347 In Nativitate Christi Martyrologium Romanum sequitur Chronologiam 70. Interpretum; quam tamen deseruerunt auctores eruditissimi & ipse cum illis.

348 S. Saturninum, Apostolum Tolosanum, collocat inter Martyres tempore Decii: & hoc patitur difficultates aliquas; quia in suismet Actis dicitur, fuisse discipulus S. Petri, adeoque non potuisset pervenire ad tempora Decii. Vide Petrum de Alloix in notis ad vitam S. Dionysii cap. 10. & pro similibus aliis casibus Philippum Ferrarium, & Rev. P. Mag. Franciscum Combefis ex Ordine S. Dominici (*in Notis ad Acta Anonymi apud Nicæam num.* 6.).

349 Breviarium Romanum 26. Aprilis dicit, sanctum Marcellinum Papam deorum simulacris thus adolevisse, & mox in Concilio Sinuessano egisse pœnitentiam, & publicam sceleris sui confessionem fecisse. Huic facto multum repugnat Papebrochius; nec satis capit, quod unus Papa peccaverit contra fidem, vel solo signo

exteriori: denegat quoque auctoritatem Concilio Sinuessano, quod proinde vocat fictitium. Ob hanc causam quid credet Lector adversus illum opponi a Delatoribus suis? RR. PP. Fr. Joannes Gomez Barrientos, Fr. Petrus a Conceptione, & Fr. Angelus a Purificatione (*in sua Delatione Madriti impressa anno 1692. pag. 24.*) accusant illum, quod in eo sequatur hæreticos Magdeburgenses & novatores quosdam Allemaniæ; quod hæresim redoleat, quicumque auctoritatem derogaverit Concilio ab Ecclesia approbato; denique quod nihil esse possit arrogantius, nihil temerarium magis, quam fabulosa vocare Acta, quibus utitur Ecclesia in Breviarii Lectionibus.

350 Pro refutatione dictarum accusationum non opus est citare multos auctores. Instar multorum sit Excellentiss. Dominus Inquisitor hodie Generalis, Fr. Joannes Thomas de Rocaberti: præter alios quos ipse citat (*tractatu de Rom. Pont. infra. const. lib. 2. Apol. cap. 14.*) Quo minus S. Marcellinus tale nefas commiserit, citat ipse pro sua sententia Eusebium Cæsareensem, Theodoretum, Nicephorum, S. Augustinum; qui Marcellini lapsum adscribit calumniæ & fictioni hæreticorum Donatistarum; præterea Eminent. Cardinales Bellarminum, Lauream, Aguirre & Perronium; item Christianum Lupum & Theophilum Raynaudum; qui omnes historiam illam, ex illo Concilio deductam, habent pro fabula. Et quidem notandum est, quod Bellarminus, qui prius sentiebat cum eo, quod habet Breviarium, postea sententiam suam retractaverit. Pagius quoque ex Ordine S. Francisci, doctus ac celeber horum temporum Chronologus, Acta dicti Concilii reponit inter fabulas: atque, ex multis argumentis, quæ id probent, non nisi valde pauca adduci a Baronio; & his quidem paucis non responderi, nisi *languide satis & parum efficaciter*.

351 Argumenta sunt fortissima: ea constringam in compendium. Primum sit. Nullus Historiographus, sive ecclesiasticus, sive profanus, ullibi meminit civitatis Sinuessanæ nec Cryptæ Olecponensis, ubi Concilium istud dicitur fuisse celebratum. Ad hoc autem respondere, mutata esse nomina & loca, perinde id est, juxta dictum Dom. Inquisitorem Generalem (*num. 2801.*) ac similem videri aruspici divinatori.

352 Alterum; S. Augustinus improperabat Donatistis, similem lapsum ab ipsis esse confictum; inque faciem clamabat, id eos non posse probare, *nec tenuiter* quidem. Si autem tale Concilium, talis lapsus, talis pœnitentia publica extitisset unquam, nonne ipsi Donatistæ S. Augustino allegassent pro illis testimonia irrefragabilia?

353 Tertium. De judicio Concilii admissus est adversus Marcellinum testis quidam, notæ tam infimæ, qualis est notorius adulter. Hoc certe dissonantissimum est, quam maxime alienum a stylo reliquorum Conciliorum, & ab Ecclesiæ praxi: nec adversus supremam ac sacrosanctam dignitatem Papæ videtur posse locum habere talis testis, nisi in fictione id ita narrantium.

354 Quartum. Qua specie veri dicitur, quod coram Concilio sanctus Papa obstinate delictum vellet negare, quod dicitur commisisse coram universa civitate & innumero populo, qui in talibus circumstantiis dicitur confluxisse?

355 Quintum. Concilium dicit, quod in templo Deæ Vestæ sacrificaverit Herculi, Jovi, & Saturno; cum tamen, juxta antiquarios omnes, cuique Deo in suo cujusque templo sacrificia offerrentur.

356 Sextum. Dicit Concilium, Diocletianum in Persia rescivisse pœnitentiam Marcellini: cum Diocletianus (ex concessione etiam Baronii) in Persia non fuerit.

357 Septimum. Una ex terribilioribus persecutionibus adversus Ecclesiam fuit ea, quam instituit Diocletianus, exquisitissime ubivis locorum perquiri jussis Christianis, ut vel Christo renuntiarent, vel morerentur. Qui ergo fieri potuit, ut tam turbulento tempore clanculum convenissent trecenti Episcopi cum suo quisque Socio; & in tanto numero personarum omnes evasissent eorum manus, qui turmatim & summa rabie se perquirebant? Constantinus Imperator omni suo conatu & auctoritate ægre junxit Episcopos paulo plures pro Concilio Nicæno, quod tantopere expetiverat. Et quæ, quæso, crypta vel subterranea specus tam est capax, quæ capiat trecentos Episcopos in forma Concilii? Tribus primis sæculis Ecclesiæ ajunt Historiographi non fuisse coactum Concilium generale, propter persecutionum impedimenta; atque adeo non videtur credibile, quod Sinuessano Concilio locum reliquerit persecutio Diocletiani, quæ fuit una ex crudelioribus.

358 Octavum. Concilium totum una voce clamavit, ut Marcellinus suo se ore, non Concilii judicio judicaret; nam primam Sedem a nemine judicari: aderant tamen septuaginta & duo testes, qui Papam de delicto suo convincerent. Quorsum autem testibus indigebat Concilium, quod nec vellet nec posset judex esse, sed ipsius accusati judicio debebat se conformare?

359 Nonum. Ait Concilium, ad templum magnam confluxisse Christianorum multitudinem; ut, cum Marcellinum sacrificantem vidissent, facti testes postmodum essent. Sed nec persecutio permittebat tam publicum tot Christianorum concursum; nec his licitum erat sacrificio Idololatrarum interesse; prout exaggerat Tertullianus (*lib. de Spectaculis cap. 13.*)

360 Decimum. Istius Concilii Episcopi sunt incogniti; & ignoratur, quarum partium vel locorum fuerint Episcopi: quod certe alienum est a stylo Conciliorum & a Decretis Actorum suorum.

361 Hisce argumentis & auctoritate Doctorum supra citatorum fretus præfatus Dominus Inquisitor Generalis affirmat, Concilii Sinuessani Acta esse conficta: &, quod ad Breviarium, ac Martyrologium Romana, quin & ad Pontificale S. Damasi attinet, respondet (*num. 2932.*) in hæc verba. *Respondeo tamen primo: esto, Breviarii, Martyrologiique auctoritas in cujuslibet facti censura ac sententia magna gravisque sit; necesse tamen esse, ut animadvertamus, nullatenus Ecclesiam nobis historias factaque in illis enarrata, ut tamquam Evangelio credamus, proponere: solum ergo Ecclesia a nobis exigit, ut hujusce historiis fidem adhibeamus ea ratione, qua fides hujusmodi factis adhibenda sit.* Hanc in rem citat Baronium; & vult ut intelligamus, illas nobis ab Ecclesia

proponi

proponi juxta Gelasium Papam tamquam dignas examinari, appendiqua io illa bilance Apostolica, *Omnia probate; quod bonum est, tenete.*

363 Idem D. Inquisitor Generalis iterum (*sequens num.* 1933.) sic prosequitur. *Ecclesiam in Sanctorum factis Historialibus, sicut & in his, quæ ad illorum attinent cultum, sequi quod communiter receptum est, quodque ad probabilem opinionem gravissimorum auctorum nnimam judicio suffecit; quin hinc deducatur, non posse nos oppositum probabiliter opinari: cum Ecclesia ea, quæ in Sanctorum Actis continentur, tamquam fide certa & infallibili actu credenda (ut cum Baronio diximus) non proponat.* Exemplum eam in rem adducit ex die 19. Septembris, quo Ecclesia in suis Lectionibus utitur commentario S. Hilarii, ubi Nicolaum vocat falsum Prophetam: *Et falsi Prophetæ erunt* (inquit) *ut Nicolaus, unus ex septem Diaconibus, fuit.* Contrarium sentiunt S. Ignatius Martyr, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Theodoretus, S. Victorianus Episcopus & Martyr, & Baronius; qui citat Hippolytum tum & Dorotheum. Eadem ratione allegari posset clausula, quam Ecclesia sustulit 30. die Aprilis; qua S. Catharina Senensis dicebatur nata ex nobilissima familia Benincasia & Burgensi; cujus clausulæ loco legitur nunc, *piis orta parentibus*.

Animadversio.

363 VElim nunc vos interrogare, Reverendi Patres, & te quoque Fr. Sebastiane a S. Paulo; quem hic conceptum formatis de Eminentissimis Cardinalibus, de Domino Inquisitore Generali, aliisque supra citatis Auctoribus? An juxta vos secuti sunt hæreticos Magdeburgenses? an Novatores Allemaniæ? an illorum doctrina redolet hæresim? suntne Breviarii & Martyrologii contemptores; in opinione sua arrogantes ac temerarii? Admodum superflua (scio) est interrogatio mea; siquidem certum est, in summa apud vos veneratione ac æstimatione hujusmodi Auctores eorumque doctrinam haberi. Cur ergo Papebrochium, qui idem, quod illi, iisdemque nixus quibus illi, fundamentis sentit; cur (inquam) tam acerbis illum insectamini infamiæ notis? Res vere ad stuporem mira est, quod una eademque sententia iisdem fulta rationibus, suscipiatur, probetur, laudeturque ab eruditione & doctrina in uno Auctoribus; in alio vero velitis, vos Delatores, eamdem redolere hæresim, arrogantiam & temeritatem. Libramentum istud est humani arbitrii, cui subesse solet pondus & pondus, abominabila coram Deo, cujus pondus unum solum est.

364 Quæro insuper; antequam dictæ correctiones fierent, an Breviarium & Martyrologium non erant apud Romanos ejusdem auctoritatis & æstimationis? Erant omnino. An, quando Ecclesia illa correxit, ideo contempsit? Absit. An, antequam correctio mandaretur executioni, Baronius aliique non senserunt scripseruntque contrarium ejus, quod scriptum erat; absque diminutione tamen honoris Ecclesiæ debiti? Maxime. An forte definitum est, correctionem jam factam fuisse omnino postremam; nec futuram deinceps alteram, quia jam nec minimus apex amplius inveniatur, qui corrigi possit? Nequaquam. Quorsum ergo tot clamores strepitusque de Novatoribus ac Hæreticis contra Papebrochium? An quia cum talibus tantisque Auctoribus hinc inde recedit ab aliquo puncto historiali, quod continetur in Breviario & Martyrologio? Certe jure longe majori potest clamare Papebrochius, & obstupescere mundus, super sequentibus in hac eadem materia imposturis.

Impostura 1.

365 AJunt Delatores (*fol.* 14. *delationis anni* 1692.) Papebrochium, ad neganda Acta Concilii Sinuessani, uti ratione schismatica, hac scilicet: *quia in illis falso dicitur, nullo casu posse Papam judicari ab aliquo.* Adversus hanc Propositionem varie & mire exclamat P. Fr. Sebastianus a S. Paulo, sive Latine, sive traductus Hispanice; & dicit, eam esse contra Pontifices, Silvestrum, Gelasium, Nicolaum I. & contra communem Fidelium.

366 Respondeo. Imo contra Pontifices, contra communem Fidelium, & contra justitiam, quam universa Ecclesia Catholica nobis inculcat, est; quod quis præsumat truncare atque adulterare, in suis clausulis Auctores, quo eos accuset, & tamquam abominabiles inducat in omnium odium. Hic agitur in præsenti casu, ubi pernicioso ausu suffurantur Papebrochio sua verba; & pro doctrina, quam ille tenet approbatam a Pontificibus, Conciliis, & a jure Canonico, obtrudunt, in caput ejus aliam admodum odiosam; quæ ratecta non alium magis feriet, quam fictionis suæ artificem.

367 Papebrochius (*in Conat. Chronic. hist. pag.* 43. *num.* 8.) sic habet. „ Ego Romanæ „ Ecclesiæ prærogativis additum potius aliquid, si possit, quam detractum velim; illam tamen, qua hic prætenditur prima Sedes non judicari a quoquam, eo acceptam „ sensu, quasi personam Pontificis, qua homo „ singularis est, nullius judicio subjiceret, non „ modo falsa est, sed ab ipsamet Ecclesia positive rejecta in Canone, *Si Papa* (*Dist.*40.) „ sumpto ex verbis S. Bonifacii Moguntini „ Archiepiscopi & Martyris: ubi statuitur, „ ut Papa judicetur a nemine, *nisi fuerit a „ fide devius*. Hinc manifeste patet Propositionem Papebrochii non esse *falso dicitur, nullo casu Papam posse judicari ab aliquo*; sed hanc, *Jus statuit, ut Papa judicetur a nemine, nisi fuerit a fide devius*. Hæc doctrina non solum extat in citatis Canone & distinctione; sed etiam in Concilio quinto sub Symmacho, in Concilio Octavo Generali (*Act.* 7.) item in Sermone secundo Innocentii III. de consecratione Pontificis. Et quoniam P. Fr. Sebastianus alia occasione contra Papebrochium utitur Epistola 3. Anacleti, & 2. Eusebii, in illis ipsis inveniet approbatam hanc eamdem doctrinam.

368 Igitur juxta dicta, Delatores omnes Papebrochio suffurati sunt unicum casum, qui apud ipsum suo & aliis citatis locis excipitur; illumque traducunt velut Auctorem, qui Summum Pontificem generaliter subjiciat alieno judicio, nulla prorsus alterius rei mentione vel distinctione facta. Atqui intelligat sciatque universus orbis, falsum id esse: & Papebrochium, dum agit de Pontifice (qua singularis homo est, & solo casu quo deficeret a Fide) sentire cum Conciliis, nec nisi ipsum cum jure Canonico, & citatis Papis, posse subjacere

alia

alicujus judicio; Delatores autem, dum totum hoc silent, non fideliter illius verba retulisse: sed dirigente P. Fr. Sebastiano hæc alia substituisse: *In Actis Synodi plane fabulosis falso asseritur, nullo casu Papam a quoquam judicandum:* quæ verba in contextu Papebrochii non extant. Quæ sane in accusando & in pervertendis accusati clausulis licentia plus nimia est, imputando illi, quod generaliter vel indefinite dicat, quod solum dicit de uno solo casu particulari.

369 Dicant nunc Delatores, estne schismaticum, estne sentire contra Pontifices & contra communem Fidelium id, quod cum Papis & Conciliis in jure Canonico docet ipsa Ecclesia? Certum est, quod non. Atqui hoc solum affirmat Papebrochius. Tenentur ergo respondere Delatores, qua ratione tamquam schismaticam censurent sententiam Papebrochii, non autem sacrosanctos ipsos fontes, unde eam hausit. Atque interim, dum responsionem quæsierint, videant, an non sibi cum accusatione sua suoque argumento contingat, quod doctissimus Carmelite Waldensis (*tom. 1. lib. 1. cap. 28.*) exaggerat; *Instantur cum accusatione & argumento suo, sicut Jacob cum Angelo; quousque emarcuerit nervus argumenti in accusatione, & sua ipsorum jactura succumbant.*

Impostura II.

370 SUper casu S. Marcellini Delatores contra Papebrochium (*eodem fol. 24.*) ajunt: *Detur, Domine, sententiam, quam tenet iste Auctor, esse utcumque probabilem; sed nonne summa istius ingenii infelicitas est, quod semper magis illi placeant dogmata hæreticorum, quam Patrum ac Doctorum Ecclesiæ, præsertim in materia tam sacrosancta?*

371 Notat Christianus Deumque timens lector illud adverbium, *Semper*. Non semel iterumve, sed *Semper* magis placere &c. At illud *Semper* quomodo probant Delatores? Non allegat (inquiunt) Papebrochius argumenta alia, quam quæ quondam allegabat Natalis Alexander, Auctor ab Ecclesia damnatus. Siccine probatur illud horribile *Semper?* Ergone Natalis Alexander hæreticus ab Ecclesia declaratus est? An damnare opus aliquod, forte idem est, atque damnare ejusdem Auctorem? Certe non. Doctrina Jansenii damnata est in quinque Propositionibus; non tamen personam Auctoris damnavit Ecclesia. Ad libros damnandos sufficiunt errores in fide Materiales, absque eo quod, qui illos committit, erret in ea formaliter. Quomodo RR. Patres tractatis hunc P. Magistrum Natalem Alexandrum ut hæreticum? quomodo, dum de hæreticis agitis, hujus Auctoris facitis mentionem; & eo quidem modo; ut, qui minus adverterit animum, credat illum recenseri in classe hæreticorum?

372 Forsan quia pro insufficientia Baronii, ut supra vidimus (*num. 305.*) reputastis insufficientiam cujusdam sententiæ ipsius vel fundamenti particularis, ideo reputatis etiam pro condemnatione Auctoris, condemnationem ipsius operis: & sic illustrissimum quoque Archiepiscopum Parisiensem Petrum a Marca numeratis inter Auctores condemnatos, & repetitis quidem vicibus. Præterea Papebrochius, [*a pagina 42. per decem numeros*] allegat gravissimas rationes contra subsistentiam illius Sinuessani Concilii: fatetur autem [*num. 11.*] quod, postquam usque ad annum 1678. insudasset scrutandis commentariis super S. Marcellino, ad manus suas pervenerint tandem opera Natalis Alexandri: & certum est, quod jam ante scripserat, quidquid substantiale scripsit contra Acta illius Concilii: deinde ex dicto Natali adjecit aliquas circumstantias, prius a se dissimulatas. Ergo antecedenter & independenter a Natali Alexandro invenit rationes & argumenta ad impugnanda Acta jam dicta.

373 Sed, ut revertamur ad illud *Semper*; fierine potest, ut Papebrochio magis *Semper* placeant sententiæ hæreticorum, quam Patrum Doctorumque Ecclesiæ, quia contra Acta Concilii Sinuessani allegat rationes Natalis Alexandri? An Papebrochius non sequitur S. Augustinum, Ecclesiæ magnum lumen & malleum hæreticorum? An non eamdem sequuntur sententiam Bellarminus, Laurea, Aguirre, Peronius, aliique, atque cum his Dominus Inquisitor Generalis? Inter hos omnes nonne distributus cernitur idem rationum argumentorumque cumulus, ac ferme totus collectus in uno jam laudato Inquisitore Generali? Est hoc certum. Quænam igitur ista tanta libertas, tanta audacia est, ut Accusatores Accusatum hæreticis accenseant, propter eam sententiam eaque fundamenta, quam & quæ sequuntur tales tantique viri? Si non tam cæco impetu procederent Accusatores, adverterent, non Papebrochium feriri solum, sed gravissimos insuper Auctores, quos citavimus, & quos illi minime ferire vellent: adverterent, rationem semper per se stare unam eamdemque, & suum secum pretium semper circumferre. Sed dicite, RR. PP. Delatores, qui vobis dixit, quod, quando prohibita fuerunt opera Natalis Alexandri, damnata fuerint singularia ejusdem argumenta contra Acta Concilii Sinuessani? Omnino nemo. Quomodo igitur censuratis illa ut schismatica? Quomodo non advertitis, præcipue hanc vestram accusationem formari super truncata & adulterata formula, quam jam notavimus? Et post hæc omnia præso publico divulgatis contra Papebrochium, quod illi magis *Semper* placeant sententiæ hæreticorum, quam Patrum & Ecclesiæ Doctorum? An modus ille accusandi, eodemque simul tempore publice censurandi, licitus & tolerabilis sit, judicent alii.

374 Non omittam hic, unde colligatur, quid de Papebrochio sentiat Inquisitor Generalis. Dum hujus scopus in tribus suis tomis erat, propugnare Auctoritatem Sedis Apostolicæ & fidei puritatem, quam summi Pontifices constanter tenuere; citat ille repetitis vicibus, in omnibus illis tomis, *Papebrochium*, quem sæpius etiam appellat *virum eruditum*, confirmando per illum suas sententias. Non bene componitur hoc cum eo, quod Delatores volunt, Papebrochio magis *Semper* placere sententias hæreticorum, quam Patrum Doctorumque Ecclesiæ: componitur autem optime cum eo, quod sciatur esse mera calumnia & licentiosa personarum exceptio; qua fit, ut in unius ejusdemque opinionis defensione Auctores sui, vel laudentur, vel saltem non accusentur, dum solus accusatur Papebrochius.

Impo-

Impostura III.

375 Citato loco immediate præcedenti sic prosequuntur Delatores. *Et jterum* (Papebrochius) *quod nebulas istas jam dissipassent Binius & Baronius, horum rationes dissimulat, quasi ignarus.*

376 Error est manifestus: Numeris 4. & 13. meminit argumenti Baroniani, illudque solvit, satisfaciens objectis de Breviario, Nicolao Papa I. Concilio Romano, & causa Policronii, hominis imaginarii, qui numquam fuerit in hoc mundo, ipso judice Baronio.

377 Præterea quid sibi vult, *Nebularum* nomen eorum opinioni, quam tuentur S. Augustinus & gravissimi Auctores alii? Ulterius: dicere, quod *nebulas istas jam dissipassent Binius & Baronius*, est innuere singularia quædam & nova lumina inauditæ super hoc puncto doctrinæ, quorum beneficio hæc adeo serenata fuerit, ut jam nemo de ea posset dubitare. Sed hoc quoque falsum est: nam Dominus Inquisitor Generalis suo tomo primo, edito Anno 1691. sequitur eamdem contra Binium & Baronium opinionem, quam Papebrochius tenet. Nec erit factu facile, ut ex duobus illis Auctoribus afferatur argumentum, cui solide non respondeatur ex iis, quæ scribit Papebrochius, omissa mentione Natalis. Si lubet experiri, prodeat sale argumentum.

378 Quin Binius, in suis Notis ad Sinuessanum Concilium, laudat potius Auctores contrariæ sententiæ, sic dicens: *Quamquam virorum doctissimorum plurimi hæc Acta* (Concilii Sinuessani) *spuria & nullius ponderis esse, validis sane argumentis probare conati sunt.* Si sic loquitur Binius de Auctoribus suæ opinioni contrariis, multum abest, ut eorum argumenta haberet pro *nebulis* vel tenebris, eorumque Auctores pro suspectis de hæresi. Ad binas Notas ejusdem Binii & Baronii respondet Inquisitor Generalis (*Numeris* 2801. & 2804.) breviter his voculis. *Divinare videtur, Libere dicetur:* & ad reliquas satisfacit respondetque in forma. Ubinam sunt ergo illæ nebulæ, quæ (quamquam dissipatæ) tantopere offuscent Papebrochium, ejusque auctoritatem totam evanescere faciant.

CAPUT OCTAVUM.

De Accusationibus in genere.

379 Anonymus fol. 2. sic blaterat. *Dignumne censura non est, quod Papebrochius de sanctissimis Religionibus, fere omnibus, multa absurda & falsa dicat, unas explodenda & deprimendo alias, ac si Claviculæ cymbali organici forent; transponendo Sanctas, corpora dividendo, tollendo & statuendo Reliquiis suam venerationem, prout præsumptæ ipsius auctoritati lubet; quasi ipse solus auctoritatem haberet æterni Patris in cœlis, contra sanctum Patrem in terris?*

380 Anonymus hic oblitus est sui, & ejus quod vero fol. 11. dicit his verbis; *Mea vox . . . non est vox, quæ loquatur confuse*, vel in genere. Aliud tamen non agit in tota hac accusatione, nisi loqui confuse & aerem verberare. Nihil specificat, individuum casum proponit nullum, nullum citat locum; ac proinde, quanta libertate effutit omnia, tanta facilitate omnia negantur. Quare nec merentur laborem, qui nos fatiget inquirendo, aut divinando potius, quid individualiter accusatum velit Anonymus, qui (ut propriis ejus vocibus utar) contra se & contra Delatores claviculas movet, & angitur non raro in voluntariis transpositionibus; deprimendo Papebrochium, quia opinionem sequitur Auctorum, quos ipsimet attollunt; errorem imaginarium transferendo in solum Papebrochium, dum non errant alii eamdem opinionem sequentes, & cetera hujusmodi.

CAPUT NONUM.

De imagine Mariana Hispali, Regum dicta.

381 Prosequitur Anonymus fol. 2. *Dignumne censura non est, quod dicat Papebrochius, sanctam imaginem Dominæ Nostræ, Regum dictam (quæ colitur Hispali, apparuitque sancto Regi Domino Ferdinando, cum traditione quod manibus Angelorum sit facta) non esse æstimandam, uti nec traditiones alias; proinde non esse fidem adhibendam id narrantibus?*

382 Ei, qui ficte accusat, & omnem metum posuit, ne aperte mendax deprehendatur, nulla fides debetur. Papebrochius (*Tomo* 7. *Maii fol.* 355. *n.* 123.) notat æquivocationem quinti testis, qui in processu Neapolitano vocat imaginem pictam, quæ tamen est sculpta; eamque collocat sub Altare, cum sit supra illud; & (*numero sequenti*) monet, æquivocationem forsan ortam esse ex altera miraculosa imagine, quæ in ultimo sacello ad latus dexterum picta cernitur, non in tabula, sed in pariete. Idem (*num.* 124. *immediate*) prosequitur in hæc verba: *ut vera ipsa statua, quæ vera est & dicitur Regum, credi possit Angelicis manibus fabricata, videtur opus esse plurium concordi testimonio; quod cum desit, deest quoque idoneum argumentum fidei miraculo adhibendæ.*

383 Sic habet Papebrochius, tamquam vir intelligens, qui in Historicis noverit distinguere pietatem a rigida veritate. Habuit ille materialia Hispali, Neapoli, & aliunde ad se transmissa. Attente pervolvit omnia, & omnibus usus est tam accurate, ut non facile reperiendus sit Annalista, qui accuratius, extensius, magis ad rem & meliori methodo, quoad Actorum digestionem, Chronologiam, Genealogiam, Auctores antiquos & modernos; qui (inquam) melius & copiosius describat nobilitatem, potentiam, magnificentiam, pugnas, victorias, debellatos hostes, subactas provincias, miracula, & præsertim istius sancti Regis singularia erga B. Virginem obsequia, ac B. Virginis vicissim erga sanctum suum famulum specialissimos favores; additis etiam iconibus, quo altius legentium animis imprimerentur heroica sancti Regis facta. Et quoniam adeo celebres sunt imagines Virginis, tam ea quæ Regum dicitur, quam aliæ antiquæ in Patriarchali Ecclesia Hispalensi, eas quoque in iconibus curavit exprimi.

384 Dicat nunc Anonymus: Si inter antiquitatis monumenta, reliquaque instrumenta aliunde ad se transmissa, non invenit concors illud plurium testimonium, ut antiquo miraculo plena fides adhibeatur, quam in eo culpam habet Papebrochius? Qui (*a folio* 280. *usque ad* 414.) tam copiose, tamque pie excurrit in prodigia hujus sancti Regis, & in miracula.

qui-

quibus eumdam B. Virgo nobilitavit; cur taceret de Angelorum fabrica quoad ajus imaginem? Non aam absolute negat; sed sijbuno *videtur* axplicat suum saolum de plurium conrordi testimonio. Hoc non defuisse, sed a Papebrorhio scientar volenterque occultatum fuisse, si efficaciter Anonymus probavarir, tunc agnoscam accusationis justitiam, & iotquam Papebrochii malignitatem fatebor.

385 Dicat insuper Anonymus; ubinam in Papebrochio, dum agit de imagine Dominæ nostræ Regum, dictæ iovaniuntur illæ phrases, *nou esse æstimandam, uis nec alias traditianes*; quibus in sua ille utitur accusatione? Ne verbum quidem Latinum istiusmodi extat in accusato: solum Hispanice sic effert fictionas istas *Vox præsenlæ veritatis*, ut innocanti conciliet magis odium apud Hispanos, præsertim apud Hispalenses, Parthenophilos si qui alii. Videamus imposturam alteram.

CAPUT DECIMUM.
Super Cruce Caravacana.

386 PRosequitur *fol.* 2. Anonymus: *Dignumne uau est censura, quod Papebrochius dicat; quidquid Hispam narrant de Sancta Cruce Caravacana, falsum, apocryphum, fabulosum esse; idque eum tot Nationis nostræ sujmtis, ut non sint ad unmcrum facile reducenda. Legatur Tamus ejus septimus Maii pag.* 392.

387 Vere prodigii genus est, tam cæca in accusando libido, & taota in arcusanic famæ propriæ prodigalitas, ut omoi exutus pudore æneam frontem videatur induisse Anonymus; quippe qui scire po erat, de falsitata publica sa infallibiliter convictum iri. Attendat lector ad sequentia.

388 Primo. Eo ipso loco, quem Anonymus citat, voaat Papebrochius celeberrimum illud miraculum, quo Deus per Sanctam Crucem Caravacanam illustravit Hispamam: *Illud in Hispania tota celeberrimum miraculum, qua allata fuisse creditur Crux Caravicana.* Et eodem loco sic prosequitur: *Decrevi in fine libri argumentum istud prolixius extendere, traductis in linguam Latinam miraculis, quibus Crucem istam Sanctam, non Hispanis dumtaxat, sed omnibus toto orbe Catholicis voluit commendatam Deus.*

389 Serundo. Par totum caput I. (*a fol.* 393.) agit de miraculosa apparisione, diciique eam contigisse anno 1227. atque adeo sanctæ Crucis antiquitati tribuit 150. annos plures; quam cum suis sequarihus tribuat auctor Higuera, qui volunt eam apparitionam contigissa anno 1377.

390 Tertio. Capp. 2. 3. & 4. (*a fol.* 396. *usque ad fol.* 405.) refert stupenda miracula; quibus Crux Caravacana sanavit infirmos, subvenit periclitantibus, liberavit captivos, mortuos revoravit ad vitam, claudis reddidit gressum, luxatis usum manuum, cæcis visum, opportuna monita desolatis, pluviam tempore siccitatis, aliaqua hujusmodi prodigia.

391 Quarto. Hæc omnia refert Papebrochius ex auctoribus Hispanis, quales sunr Oncala & Robles; & ax testibus, Notariis ac Judiribus Hispanis, quorum mandato sumptæ sunt informationes & axpedita testimonia. Agit quoque cap. 4. de aliis minorihus Crucibus, quæ, ex solo eum præcipua Caravacana aontactu, per Christiauum orbem patravere mirabilia.

392 Et post hæc omnia inventus sit Anonymus, qui effronter ausus sit dicere, Papebrochium *habere pro falsa, apocrypho & fabuloso, quidquid Hispani narraus de Sancta Cruce Caravacaua!* Qui palpabilibus adeo fictionibus intentaverit concitara populos contra hunc Jesuitam, quasi hic certissime omnem fidem denagarat istius miraculosæ Crucis magnitudini & patratis per eam prodigiis; quique his non contentus ambiat, ut præconium suarum falsitatum rausteat habeaturque *pro voce Veritatis*! Quid ni axclamam hic cum S. Augustino (*lib.* a. *contra Faust. capite* a) io hæc verba: *O vocem a veritate fugacem, in amentia pertinacem! usque adeo invicta sunt* (testimonia) *quæ adversus vos de divinis codicibus proferuntur, ut uau sit aliud quod dicatis, nisi ea esse falsata.*

393 Quod historias Hieronymi Roman da la Higuera & Michaelis de Luna dicat Papebrochius immixtas essa multis fabulis, pœnitensque revocet quod Higueram prius fuerit secutus, nullam in eo facit injuriam Sanctæ Cruci Caravacanæ; quandoquidem miracula per eam obtenta laudat, extollit, illustrat; imo ad majorem ejusdem Crucis venerationem atque Hispaniarum gloriam tribuit illi antiquitatis annos centum & quinquaginta plures, quos Higuera tollit; quem ille, ex Chronologiro suo aonorum computu & eruditissimis auctoribus, urger adao stringitque, ut non facila ostendi possit, esse falsa, quæ runtra illum notat Papebrochius. Michaeli quoque de Luna fidem non adhibet quoad traductionem characterum Arabicorum ob plures rationes, quas ibi allegat, & ob duo decreta Inquisitionis Romanæ edita contra laminas Granatenses, traductas per eumdem.

394 Sciat Anonymus, io Evangeliis, ab Ecclesia damnatis velut apocryphis, fieri mentionem Christi, B. Mariæ, miraculorum utriusque &c. non ideo tamen damnatum esse id, quod de eodem Christo, eadem B. Virgine, eorumque miraculis narrant nobis quatuor vera Evangelia; sad illa prohibitione potius factum esse, ut a humanio scoria, falsum separeretur a vero. Eodem modo procedit (debita proportione ser- vata) humanum judicium sub certa crisi, qua Historiographi unas historias magni æstimant, alias non magni: & quamvis in illis, quas non æstimant, mantio fit personarum aliquarum & certorum quorumdam easuum, ad hos tamen & illas non extanditur ista non æstimatio, sed ad aa dumtaaat, quæ in dictis historiis narrantur absque fundamanto. Atqui hoc ipsum ast, quod farit in Higuera & Luna censurandis Papebrochius, aliud nihil.

395 Hinc manifesta patet, accusationem Anonymi continere duas falsitates perquam fœdas: *Prima* est, qua dicit, Papebrochium pro falso habere, quidquid Hispani narrant de sancta Cruce Caravacana: nam ex Oncala, Roblesio, & Hispanorum testimoniis habet ille, quæ circa S. Crurem ajusque miracula encomiastice laudat & extollit. *Altera*, qua dicitur, injuriam inferre nationi Hispanæ: est enim & hor falsissimum. Nam minor æstimatio duarum historiarum particularium, quas duo auctores individui adiderunt, non affirit totam eorum nationem, nec huic injuriam farit ullam. Et vero prudentior ast Hispana natio, quam ut famam suam & fidem credat dependere ab uno Higuera aut altero de

to de Luna. Fuit iste Higuera coætaneus Marianæ Hispano; qui, eum accuratissimus fuerit, pro bistoria sua concinnanda, indagator auctorum & archivorum, nullibi tamen illum eitat, ne quidem nomine tenus. Hispani quoque sunt, & eruditissimi quidem, Excellentiss. D. Marchio Agropolensis, & D. Nicolaus Antonius; sed illos præstat adire & videre, quid de Higuera dicant, quam bic referre, Ibi quoque videbitur, quid sentiant de Juliano, Luitprando, Maximo, & aliis; de quibus eruditorum judicium referam postea. Certe res Hispanicas magni faciunt: & huic earum æstimationi neutiquam opponitur iodagatio & assecutio veritatie.

CAPUT UNDECIMUM.

De Ecclesiæ Sacramentis.

INT. *Primos bujus Capitis numeros usque ad 401. reperiet Lector redditos Latine, sub eodem fere titulo in Responsione Papebrochii Art. 25. §. 11. numer. 186. 187. & 188. cum quæsivisset, an eruditissimi, quos citaverat, Cardinales, item Nicolaus Antonii & Joannes Bollandus laudatus a Delatoribus, negent Ecclesiæ Sacramenta, quia Chronica Maximi, Luitprandi, Hauberti non recipiunt*, Spectatum admissi risum teneatis amiei, *inquit: & post citata num. 402. verba Philippi Labbe de Luitprando, sic progreditur Xaramilius noster.*

403 Plures etiam possem hie allegare; sed, ut oon est mea mens suadere, ut talia Chronica quis sequatut vel rejiciat, at probare, noo solum Papebrochium illa impugoare, citandis illis superledeo. Satis mihi est, ex Anonymo id uoum quærere, cut putet, solum Papebrochium, quia illos non recipit, invadendum & accusandum esse velut destructorem Sacrameotorum? Alterum tamen non tacebo (quandoquidem Auberti jam mentio facta est) magni namque documenti res est, ut clarius imelligatut, quousque pertingat nimius accusandi ardor, & inflexibilis rigor, quo Delatores oppressum vellent Papebrochium.

404 Admodum RR. PP. Fr. Joannes Gomez Barrientos, Fr. Didacus a Jesu, & Fr. Joannes a Jesu Maria (*in sua Delatione Madrits impressa an. 1691. part. 2. fol. 41.*) sie ajunt: *Aubertus Miræus Hispalensis est auctor Hispanus, Monachus Benedictinus, & summæ auctoritatis, inter Historicos Hispaniæ apprime notus*, Persequuntur deinde Papebrochium, voeirantes Gallum; mox, tamquam dicti Auberti Miræi impugnatorem, aecusant illum proseinduntque iis terminis, quos justa causa vetat bue transferri. Qui boc legerit in Delatione, adeo authenticata atque subscripta a tribus viris sapientibus, inter quos est Historiographus Generalis; putabit indubie, dictum Aubertum esse eum, quem ibi describunt; & ea fiducia facile narrabit aliis atque aliis; atque ita natum est fieri, ut citetur quoque in aliorum scriptis eadem forma, qua citatur ibi in Delatione. Sed eo tibi detectus error.

405 Aubertus Miræus non est Hispalensis, sed Belga; non est Mooachus Beoedictinus, sed Proto-notarius Romanæ Ecclesiæ; non Religiosus, sed Decanus Antverpiæ. Aubertus Monachus Benedictinus, quem nobis proponit Magister Argaiz (si fuit uaquam in rerum natura) floruit, juxta cumdem anno 877. tempore Regis Alphonsi tertii. Aubertus Miræus concinnavit suam Bibliothecam tempore Regis Philippi Quarti, eamque dedicavit Comiti-Duci. Aubertus Monachus, quem defendit Argaiz, scripsit suum Chronicum in duas dumtaxat divisum partes. Aubertus Miræus, præter Bibliothecam, composuit multos Tomos. Si tam manifestue error, qualis hic est, potuit in tales viros eadere, ut æquivocatione decepti confuderint Auctorum duorum personas, scripta, status & ætates; si (inquam) fieri potest, ut tam manifestus error fidem ioveniat apud multos lectores, qui percurrendo legunt sine examine; si dein data fide, lectores iidem falsitatem ejusmodi allegent, tamquam puram veritatem; ae denique ex tali errore, veluti paeifica temporis transeursi possessione muoito, excitarentur disputationes io partem utramque; cur, quæso, idem aut simile quid non potuit contingere auctoribus istis, Higueræ, Lunæ, Juliano, Dextro, Luitprando, adversus quos allegant alii & Auctores doctissimos, & robustissima argumenta? Hoe autem semel posito, deberetne post aliquot seculorum lapsum, per quæ adolevisset bujus erroris robur fidesque, objici illum impugnanti, quod destruat Hispaniæ traditiones, & in bis Sacramenta Ecclesiæ?

406 Quod nomine Galli baptizetur Papebrochius, nibili facio, ideoque negligo respondete. Alio loco, qui postea eitabitur, *Vox veritatis* vocat eum *effrontem Hollandum*. Fieri potest, ut alio die aliam regionem pro patria assignet ipsi Anonymus, prout sua sibi dictaverit intemperies. Interim tali eive gaudet Antverpia, vera sua patria; dum ipse ad alteram adspirat beatiorem, quæ est Patria Sanctorum; quos pro virili conatut illustrare, & quorum intereessione præmium expectat vigiliarum laborumque, per vitam ferme totam illis impensorum,

CAPUT DUODECIMUM.

Super Sanctis Ordinum S. Francisci & S. Augustini.

407 PRosequitur Anonymus fol. 2. dicens: *De Sacratissima Religione S. Francisci ait, ejus Martyrologia esse apocrypha, & aliquet, qui in ea coluntur, Sanctos suppositities esse.* Hoe est garrire ut garriatur; & accusationes in aere formare. Si in iis, quæ Anonymus profert, *Vox suæ veritatis* toties convicta fuit de gravibus ae enormibus imposturis; quomodo sperat invenire fidem, quando nihil specificando *Vox* ejus dumtaxat est generica & confusa? Citet determinate locum, cum auctoris verbis formalibus, & tunc io eadem forma dabitur illi responsum. Idem dico de altera accusatione, sic intorta, *De ordine S. Augustini ait* (Papebrochius) *quod ex magna levitate tribuat cultum quibusdam Sanctis; movetque illi litem circa reliquias Sanctæ Monicæ.*

408 Hujus accusationis generitum contemoitur, quia generitum est, & oalcitur ex *Voce*, quæ *Veritatem* hactenus assecuta numquam est; cujus tamen titulo prætendit gloriari. Transeamus ad eam, quæ sola nominatim adducitur ad probationem plurium, estque Divi Augustini mater.

De

De Sancta Monica.

409 ANonymus hic ulus est proculdubio accusatione P. Sebastiani a S. Paulo, cum magno artificio & criticandi pruritu, posito in Exhibitione (*Art.* 3. §. 7. & *Art.* 12. §. 5.) Quarta Maii Tomo 1. hujusdem mensis, & in Appendice sua (*pag.* 792. & 793.) item Tomo 7. Maii (*pag.* 580. & 581.) mentionem facit Papebrochius de Sancta Monica, & duabus sacrati ejus corporis translationibus: una, quæ Ostia dicitur ad Aroasiense Belgii monasterium facta fuisse, anno 1162. altera, quæ ab eadem Ostia Romam, anno 1430. *Primam* describit idem qui eam fecit, estque Walterus Prior Canonicorum Regularium, scribens, non ea quæ ex aliis audivit, sed quæ ipse vidit, manibus contrectavit, & executus est. Præter hoc habet hæc historia tres alias insuper notabiles circumstantias. Una est, quod cum ea concordet Martyrologium Ecclesiæ Aroasiensis, ubi sic habetur: *Decimotertio Kalendas Maii. Translatio Corporis Sanctissimæ Monicæ ab Ostia Tiberina in hanc Dei & S. Nicolai Ecclesiam, manu Domini Walteri Prioris Arroasiæ, anno Domini* 1162.

410 Altera circumstantia hujus Historiæ Aroasiensis est, quod a multis annis illa legatur Romæ, nec inter tot eruditos criticosque viros, qui ibidem florent, nullus umquam illam accusaverit vel etiam qualificaverit illam, tamquam vel fabulosam, vel exiguæ auctoritatis. Tertia circumstantia est, quod ne ipse quidem P. Fr. Sebastianus a S. Paulo ausus est vel verbo mutire adversus dictam Historiam & antiquum Martyrologium Aroasiæ; cum illud ipsius accusationi prorsus contrarium sit. *Ab hac prima Translatione*, inquit (*Comment. præv. num.* 3.) Papebrochius, *initium sumpsit totus S. Monicæ cultus, ignotus antiquioribus Martyrologiis omnibus; & ab Aroasiensibus ad ceteros Regulares Canonicos per Belgium, Galliam, & Germaniam; inde etiam ad Eremitas Augustinianos, ac deinque ad Ecclesiam universam transfusus est.*

411 Secunda translatio S. Monicæ, & ab eadem Ostia Romam, facta est 9. Aprilis anno 1430., sicut habet Romanum Martyrologium: ejusque meminerunt Martinus V. & Gregorius XIII. Destructa jacebat tunc temporis Ostia (prout refert idem Martinus V.) & adeo destituta a rerum notitia, ut solus vir quidam senex eam habuerit, a suo antecessore acceptam tali conditione, ut successori suo indicaret locum, ubi credebatur servari sacrum Corpus. Notandum est autem, tantam veteris temporis confusionem ab annis 268. ibi invaluisse, ut, quando Ostiam pervenit Walterus, *S. Monicæ* tribueretur quoque nomen *Sanctæ Primæ*, uti advertit Historia Aroasiensis; corpus autem Sanctæ Primæ fuit illud (prout opinatur Papebrochius) quod Anno 1260. inventum est Ostiæ, atque intra eamdem Ostiam translatum ad templum sanctæ Aureæ, sub cujus arca depositum fuit: & in hoc ipso loco ait Martinus V. inventum fuisse Corpus Sanctæ Monicæ, quod Ostia translatum est Romam anno 1430.

412 Itaque, temporum ordine resumpto, anno 1162. Walterus Ostiam venit; adjunctaque nota, quod S. Monicam confunderent cum nomine *Sanctæ Primæ*, thesaurum quæsivit, invenit, & secum ipse transtulit Aroasiam; ubi colitur ut verum corpus *Sanctæ Monicæ*, & ut tale celebrabatur in Ecclesiis Belgicis Ordinis Canonici.

413 Nonaginta & octo post annis (tot scilicet ab anno 1162. usque ad 1260. numerantur intermedii) Ostiæ inventum est corpus cujusdam Sanctæ, quod tamquam corpus S. Monicæ collocatum erat sub arca sanctæ Aureæ. Huc subintrat Papebrochius, dicens, illud corpus videri *Sanctæ Primæ*; si *Sanctæ Monicæ* corpus jam pridem ab annis 98. quiescebat colebaturque Aroasiæ: quod autem ab Ostiensibus tunc vocaretur Monica, factum fuisse ex antiquo abusu, quo Prima & Monica credebantur esse duo unius personæ nomina, Græcum unum, Latinum alterum.

414 Post annos 160. (qui intercedunt ab anno 1260. usque ad 1430.) Petrus Episcopus Alectensis, & Papæ Confessarius, nomine Reverendissimi Generalis suique Ordinis, a Martino V. petiit facultatem, corpus S. Monicæ (quod adhuc putabatur esse Ostiæ) transferendi Romam; & obtinuit. Igitur de sub Arca Sanctæ Aureæ extractum est sanctum quod ibi erat corpus, translatumque Romam. Si hac facultate audita, obviam ivisset vel opposuisset se Aroasia, imo Belgium totum, sub hac supplicatione; *Sanctissime Pater, verum sanctæ Monicæ corpus Belgarum est Thesaurus, ab annis jam ducentis sexaginta & octo; quod Walterus Aroasiæ Prior quæsivit & invenit Ostiæ, curavitque distingui a corpore sanctæ Primæ; & cum facultate Sedis Apostolicæ tota hæc Ecclesia Translationem istam tamquam Monicæ celebrat.* Si (inquam) talia vel similis denuntiatio tunc oblata fuisset Vicario Christi; nonne mandasset hic novum examen institui, & diligentissime in rem inquiri, pro quæstionis decisione? Videtur indubitabile quod id mandasset. Sed non legitur similis denuntiatio ad suam Sanctitatem fuisse delata; sive quia Aroasiensibus tam procul positis nihil innotuit de supplicatione Petri Episcopi, eo tempore quo facta illa fuit; sive quia, dum gaudebant pacifica tanti boni possessione, maluerunt a litigatione desistere.

415 Certum est interim, Romam gloriari corpore S. Monicæ; certum est etiam ecclesiam Aroasiensem eamdem quoque sibi gloriam vindicare. Utrimque loquuntur Martyrologia de Translatione S. Monicæ, tamquam de re sibi propria. Ambas Translationes refert & veneratur Papebrochius; quamvis magis faveat Aroasiensi propter allata jam fundamenta, innumeros in eo secutus auctores; qui 268. annis prius, quam Petrus Episcopus fecit Translationem Romanam, celebrabant jam factam in Belgium; aliique multi, qui idem sentiunt sentientque, dum Ecclesia contrarium non declaraverit. In his omnibus quid, quæso, criminis latet vel detegitur? quis reverentiæ defectus erga Sedem Apostolicam, & quis venerationis erga sanctam illam Reliquiam?

Qualitas hujus accusationis.

416 EX dictis facile quilibet deprehendet, quam exigua cautela proponat accusationem Rev. P. Sebastianus. Inducit Papebrochium, facta mentione Martini V. Gregorii XIII. & Martyrologii Romani, a quibus celebratur sanctæ Monicæ Translatio Romam; de historia autem Walteri, & antiqua per tot annos possessione Aroasiensium, verbum nullum. Num-

quid

quid tamen eam Papebrochius refert? Ita est. Ipsidem historiæ adductæ circumstantiæ nonne sunt gravissimi ponderis? Ita videtur. Attamen, ut Papebrochius habeatur pro auctore, qui parvi faciat Pontifices eorumque Bullas; & qui Ordini S. Augustini litem moveat super Reliquiis S. Monicæ; videbat P. Fr. Sebastianus, multum ad intentum suum facere, si non unam alteramve accusati clausulam truncaret, sed integram etiam historiam silentio premeret; remque eo colore pingeret, quem Lector abominaretur. Sed sufferat tacitus per Papebrochius, & patientiam nitatur imitari eorum Sanctorum, quos pie ac sancte voluit illustrare; dabit Deus his quoque finem.

Impostura.

417 NOn etiam sufficit Rev. P. Fr. Sebastiano, id tacuisse, quod Papebrochius dicit; ulterius progreditur, & imponit illi quod non dixit. Nam (*Art.* 3. §. 7. *citata num.* 41.) Littera cursiva, quasi textus esset Papebrochii, sic ait: *Papebrochius, juxta aliquod novum criterium, neque Henschenio neque ulli priorum animadversum, absque ulla prorsus ratione & fundamento* &c. „ non habet pro re „ certa, corpus esse S. Monicæ illud, quod Ro„ mam translatum est. Novam illam criterii speciem attribuere Papebrochio, & quidem cum distinctione cursivi characteris, idem est, atque hominem jactabundum depingere, qui glorietur, nemini id unquam oblatum fuisse, quod sibi. Sed talia verba non est invenire in Papebrochio. Deinde falsum est, quod procedat absque ulla prorsus ratione & fundamento; siquidem pro se habet Historiam, Ecclesiam, Martyrologium & communem sensum Arovasiensium, hactenus non censurata omnia.

418 Satis nota est controversia inter Italiam & Galliam super corpore Sancti Benedicti. Unum regnum & alterum sibi thesaurum istum vendicat, gloriaturque apud se depositum honorari: utrimque allegantur pro eodem Bullæ, & urgentissimæ quidem. An ideo alterutra pars accusabit alteram, tamquam Paparum contemptricem, tacitis fundamentis, quibus pars unaquæque nititur? Non sane. Alias namque allegarentur, simulque pateret accusationis subdola fraudulentia. Rev. P. Fr. Sebastianus maturius suam expendat accusationem, silentiumque fundamentorum. Papebrochii: sic forte fiet, ut mutet sententiam, & cum illo manere malit medius inter utrosque.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Super S. Secundo Episcopo Abulensi.

419 PRosequitur Anonymus (*fol.* 2.) & ait contra Papebrochium: *quod Ecclesia Abulensis non habeat fundamentum, nec rationem aliquam colendi Sanctum Secundum tamquam Martyrem.* Horum verborum formalitatem non invenio in Papebrochio: hic dicit, neminem antiquorum Sanctum Secundum vocasse Martyrem; & dixisse solum, quod *Abulæ quievit.* Historiam super illius inventione, quæ contigit anno 1519. refert fidelissime (*Tom.* 1. *Maii a pagina* 170.) & in tota illa apparent indicia multa Episcopi, at nullum Martyris. Citat etiam (*pag.* 172.) Bullam Leonis X. qua ad suam Sanctitatem dicuntur Episcopus & Canonici scripsisse: *quod corpus Sancti Secundi Episcopi & Confessoris .... in quodam antiquissimo tumulo ... cum iisdem, quibus ibidem sepultum extiterat, nuper repertum fuerit vestimentis.* Post Translationem: *Tota octiduo Missa & Officium ex usu Romanæ Ecclesiæ recitabantur, sicut de Pontifice Confessore.* Ita recitari mandarat Pontifex; quod non fecisset, si Episcopus Abulensis cum suo Capitulo, vestigium aliquod martyrii adhibuisset.

420 Quod autem aut quale fundamentum, vel novam notitiam repræsentaverint Supplicantes pro obtinendo Officio de Martyre, hoc ignorat Papebrochius: & quia eo tempore cœpit vigere Chronicum sub nomine Luitprandi, ibique Martyr vocatur, suspicatur Papebrochius, quod eo solo titulo facta sit supplicatio. Si autem ita fuerit, necesse est, ut eadem suspicio, quæ militat contra Luitprandum, militet quoque contra illum titulum; & eum asserentibus onus incumbet producendi & justificandi aliud aliquod vetus instrumentum, unde postmodum constiterit de martyrio; cujus nullam antea notitiam habuerint sive Episcopus sive Canonici.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

De SS. Martyribus Cæsaraugustanis.

421 EOdem folio immediate contra Papebrochium prosequitur Anonymus, dicens: *Tantumdem dicis de Sanctis Martyribus civitatis Cæsaraugustanæ;* scilicet, quod hæc quoque nullum habeat fundamentum illos colendi tamquam Martyres. Sed hæc accusatio non specificat casum aliquem particularem; proinde neque nos laborabimus (cum Anonymus non nisi generice accuset, ejusque *Vox* solum sonet in aere) quærendo per quatuordecim Tomos, vel per modum Arioli divinando, quid tandem illud sit, quod intendit accusare. Sufficiat modo scire, quod ei, qui in specificatis suis accusationibus convincitur a veritate recedere, non accrescat auctoritas, qua in genericis ac indeterminatis criminationibus suis fidem sibi conciliet, in judicio contradictorio acceptabilem.

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Super libris S. Dionysii Areopagitæ.

422 ITerum (*eodem fol.* 2.) sic prosequitur Anonymus: *De S. Dionysio ais, fabulosum esse credere, suos esse libros, quos scripsit* DE COELESTI HIERARCHIA *&c. Sed non glorietur Papebrochius, quasi ipse sit omnium primus, qui id dixerit: ante illum namque dixerunt idem prius Erasmus, Lutherus, & heretici omnes; & eodem quidem dixerunt animo, quo dicit Papebrochius; is fuit & est, ut impugnetur antiquitas Monachorum. Videat Bellarminum, & clare cognoscet, quinam sui sint Magistri.*

423 O quam clare cognoscitur Anonymus scribere ad concitandum populum! Multa fingit; perverse judicat de intentione proximi; atque opponit se non sine gravi irreverentia gravissimo cœtui, plurimorum & Catholicissimorum scriptorum, non absque magna contra illum irreverentia.

Opuscul. Collect. Vuu *Impo-*

Impostura I.

424 FIngit primo, Papebrochium dicere, quod fabulosum sit credere, libros istos esse S. Dionysii. Quod (*Tom.* 3. *Maii die* 14.) dicit in marginali nota, est, quod Areopagita non sit eorum auctor: *Dionysius de Hierarchia non est Areopagita*. Hoc solum dicere, non est dicere, fabulosam esse opinionem contrariam.

Impostura II.

425 FIngit 2. vel supponit, Papebrochium gloriari, quod oppositam sententiam vocarit fabulosam. In Papebrochio nullum extat vestigium ejusmodi gloriationis, nec ulla clausula, quæ eam redoleat. Si extat autem, proferatur.

Impostura III.

426 FIngit Hæreticos omnes negavisse, dictos libros esse Dionysii Areopagitæ. Hoc est falsissimum. Hæretici siquidem, & insigniter Hæretici fuere Severiani; hi autem asserebant, esse Dionysii; & allegantes ex ejusdem Sancti libris varios textos, contestabantur adversus Catholicos: prout videre est in Collatione cum illis habita anno 533. quæ refertur Tomo 4. Conciliorum a Labbeo illustratorum (*columna* 1763.) & Tom. 11. Editionis Regiæ (*Parisiis pag.* 142.): ubi etiam videre est, unum ex argumentis, quibus in ea Collatione refutabantur ac concludebantur Hæretici, fuisse, quo negabantur tales libri esse S. Dionysii. Atque adeo Patres istius cœtus Anonymus vocat (licet incogitanter) Hæreticos, ne parcas scilicet Papebrochio. Quid non potest cæca criminandi passio!

Impostura IV.

427 FIngit, Hæreticos & Papebrochium sub eadem intentione negavisse, dictos libros esse S. Dionysii. Falsum est. Hæretici negant, quia abominantur Hierarchiam Ecclesiasticam, nec ferunt comparari cœlesti: Papebrochius veneratur unam & alteram, & illustrat utramque Hierarchiam; fateturque, loco & Tomo Maii citatis, *divino spiritu scriptos* esse dictos libros. Verumtamen, tamquam Catholicus Historiographus, satagit veritatis; nititurque indagare tempus, quo sint illi scripti. Hæretici e contra libros istos, & quidquid in illis continetur in favorem Religiosi status, exsecrantur adeo, ut Lutherus & Wicleffus aperte enuntiaverint suum sensum his verbis. *Credimus, Religiones omnes ad unam in Ecclesia a Diabolo fuisse introductas*. Tale tamque blasphemum delirium non legitur in Papebrochio. Quin potius convellit & omnino prosternit hic deliros illos hæreticos; quando sanctos Religionum Fundatores, eorumque præclaros alumnos magnopere laudat illustratque; & adorat divinam providentiam, qua factum est, ut in subsidium & ornamentum Ecclesiæ tales prodirent Religiones. Quid ergo somniabat Anonymus, dum similia scribebat?

Impostura V.

428 FIngit 5. Papebrochium, ut negaret S. Dionysium auctorem esse dictorum librorum, non alios habuisse magistros quam Hæreticos. Valde rotunda & audax est ista criminatio; nec alteri propria quam ei qui garrit, nec lectis, nec visis auctoribus, dum nec ipse se videri sinit. Magistri Papebrochii fuere Origenes, Eusebius Cæsareensis, S. Hieronymus, & Gennadius, non loquendo sed tacendo; qui cum adeo exacti fuerint in celebranda scriptorum Ecclesiasticorum memoria, ne verbo quidem mentionem faciunt istorum librorum, dum tamen faciunt aliorum Auctorum minoris momenti, expressis eorum nominibus.

429 Card. Bellarminus, libro de scriptoribus Ecclesiasticis, quamvis libros illos adscribat isti Sancto; fatetur tamen, quod *ante S. Gregorium Romanum, nemo horum operum, nomine S. Dionysii Areopagitæ, meminerit*. Inter duos illos Sanctos non pauciora transierunt quam quatuor secula. Posset igitur hic jure merito Papebrochius allegare pro se, quod Canus (*lib.* 11. *de loc. cap.* 5.) pro Cardinale Cajetano, qui simili argumento negativo negat lepram Constantini: *Habet his scriptores omnes veteres ejus ætatis qui tacuerunt; non omissuri, si scivissent; scituri omnino rem, si fuisset*. Ego vero sic sentio, posse Papebrochium dicere similiter: *Silentium quatuor seculorum & celebrium omnium scriptorum, qui eo tempore extiterunt, habeo pro me: nam si scivissent, S. Dionysium auctorem fuisse istorum librorum, non id tacuissent; scivissent autem, si vere auctor fuisset*.

430 Tantam vim habet hoc argumentum, ut in Collatione (*num.* 426.) jam citata, surrexerit quidam Episcopus nomine Hypatius, & hæreticos Severianos arguerit hac forma: *Illa testimonia, quæ vos Dionysii Areopagitæ esse dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini? Si enim ejus erant, non potuissent latere B. Cyrillum. Quid enim de B. Cyrillo dico? quando & B. Athanasius, si pro certo scivisset ejus fuisse, ante omnia in Nicæno Concilio de consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset, adversus Arii diversæ substantiæ blasphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, unde scitis, quia sunt ejus?* Ad alia argumenta conati sunt respondere Severiani; ad hoc autem tacentes prorsus obmutuerunt. Et contemnet deinceps Anonymus argumenta negativa Papebrochii? Præscribat igitur nobis regulam, qua dignoscamus, quandonam urgeant, & quando non: & post quam diu multumque illi quærendæ insudaverit, deprehendet tandem, quod in rebus historialibus multum polleat silentium Auctorum gravium, diligentium, eruditorum, & coævorum, aut vicinorum saltem ei tempori, de quo agitur.

431 Advertat etiam Anonymus, quod, quamvis argumentum, quo Episcopus iste Catholicus usus est, sit negativum, illo tamen usus sit coram reliquis Catholicis, in quorum præsentia & quorum causam defendebat; atque adeo quod Papebrochius pro se Auctores habeat Catholicos eosque gravissimos, qui scilicet digni habiti sunt adversus hæreticos publica disputatione fidem tueri, & positive asserebant, non esse libros S. Dionysii Areopagitæ. Advertat insuper, quod sub finem istius Collationis (*in dicto Tomo* 11. *editionis Parisiensis pag.* 159.) ponatur Nota; qua dicitur, in ea contra Severianos Collatione, propter allegata effectum esse, *ut omnes Sacerdotes Orientis cum Romana Ecclesia unirentur: quod factum est hac Collatione Catholicorum cum Severianis in Oriente habita*. Est autem plusquam certum, talem unionem non sequi ex dogmatibus hæreticorum, sed divisio-

nes

nes potius & schismata contra inconsutilem Christi tunicam. Aperiat hic oculos Anonymus, discatque, Scriptoris Catholici magistros posse esse eos, qui hæreticos convincunt, atque erraticas oves reducunt ad ovile Romanum.

432 Philippus Labbeus *de Scriptor. Eccl. & in Appendice*) ait Scriptores, sive Catholicos sive Acatholicos, nunc suppeditare copiosam materiam disputandi, an dicti libri sint S. Dionysii Areopagitæ, necne; & an eorum auctor vixerit ante, an post Concilium Chalcedonense. Inter illos autem, qui negant, dubitant vel innuunt, non esse Areopagitæ, citat Aubertinum, Antonium Faventinum, Theodorum Gaza, Laurentium Valla, Cælium Rhodiginum, Roffensem, Card. Cajetanum, Sixtum Senensem, Sirmondum, Petavium, doctissimum ac Illustriss. Isaacum Habertum Episcopum Vabrensem: quibus addi possunt Guilialmus Grocinus, Andreas Rosende, & Christianus Lupus, qui negant; Fratres item Sammarthani, Franciscus Combefis Dominicanus; Labbeus & Brietius, qui dubitant; prout refert Excellentiss. Dominus Marchio de Mondajar (*Dissert. 4. pag. 450.*) Negat quoque dubius in Bibliotheca sua Ecclesiastica, & sapientissimus Joannes Morinus ex Congregatione Oratorii (*cap. 5. & 6.*) probatque late & erudite, non posse libros istos attribui S. Dionysio Areopagitæ.

433 Rationes, quibus dicti Auctores nituntur, sunt plures; at mens mihi modo non est illos sequi, vel impugnare, sed ostendere dumtaxat, Papebrochium in eo, quod dicit, non procedere leviter, sed suffultum auctoribus & rationibus; quæ videri possunt apud illos, ac præsertim apud Sirmondum, Labbaum & Morinum: non omittam tamen aliquas insinuare ex Chronologia deductas. Ex hac nituntur probare, mortuum fuisse Timotheum, cui, dum viveret, ajunt eosdem libros dedicatos esse. Allegant ad hoc Epistolam S. Ignatii Martyris, ad Romanos scriptam circa annum undecimum Trajani, qui annus est 108. Christi; & scriptores veteres fere omnes tuentur, S. Dionysium Areopagitam diem suum obiisse tempore Domitiani. Dicta opera impugnant Millenariorum errorem, qui tempore illius S. Dionysii nondum innotuerat. Ait auctor, præsentem se astitisse morienti B. Virgini; opponunt alii, quod nondum conversus esset. Citat Apocalypsim, tamquam Scripturam certo Canonicam; ait autem S. Hieronymus (*Epist. 129. ad Dardanum*) tunc temporis, ut talem, nondum fuisse receptam a Græcis, occasione Chiliastarum, qui libri tam sacri sensum torquentes, nitebantur ejus adminiculo errorem suum defendere.

434 Valde apposite tractat etiam de baptismo puerorum, tamquam de re, cui nulla subsit dubitatio; non exigua tamen illa extitit juxta Tertullianum & S. Cyprianum, donec rem definivit Concilium Carthaginense anno 258. Denique super eodem baptismo sic loquitur: *Circa hoc punctum dicimus id, quod nostri Sancti Pontifices, ex antiqua traditione mystice edocti ad nos usque transmiserunt.* Quinam isti fuerunt Pontifices? Quænam traditio super baptismo per Christum instituto potuit antiqua esse respectu Apostolorum, quibus S. Dionysius Areopagita fuit contemporaneus? Et quinam fuerunt antiqui illi, qui ex una parte præcesserunt Areopagitam, fueruntque instructi ab aliis anterioribus; & ex altera fuerint tam antiqui, ut antiquitas ista verificari potuerit, non solum respectu S. Dionysii Areopagitæ, sed respectu quoque dictorum Pontificum? Hoc sonat ut minimum aliquot secula; quod non bene componitur cum eo, quod S. Dionysius iste coævus fuerit Apostolis, sicut certo fuit.

435 Auctores allati & factæ super iis reflexiones sint pro responso ad accusationem Delationis anni 1691. (*2. parte fol. 50.*) Et eadem opera facile advertet prudens Lector, quid causæ sit, cur RR. Patres Accusatores solum citent Vallam, Scaligerum, Erasmum, Lutherum & Calvinum pro opinione Papebrochii; & non etiam citent insignes Auctores alios jam allatos; & cur nullam faciant mentionem istius Collationis, in qua Catholici Severianos oppugnarunt conviceruntque. Advertet etiam pro Christiana sua prudentia, quisquis est veritatis amans, non esse perinde, quod opinio vel dictamen aliquod sit ejus qui est hæreticus; ac quod ipse ejus opinio sit etiam necessario hæretica, nec possit in eodem sensu cum Catholicis convenire. Hæresis in eo consistit, quod opponatur fidei; at non in eo, in quo eidem non opponitur. Sic in multis punctis Philosophicis, Moralibus, Theologicis, & Historiis sacris conveniunt Catholici & Hæretici; nec vitio vertitur illis, quod hi in similibus punctis idem cum illis sentiant. Heterodoxi sane plurimi credunt, dari divinarum Personarum Trinitatem; earum unam assumpsisse naturam humanam; dari prædestinationem; peccata, horumque remissionem; & sic in punctis aliis. An Orthodoxis non licebit, idem quod hæretici credere? Imo credendi incumbit sæpe indispensabilis obligatio. Discrimen in eo versatur, quod Hæretici non credunt fide divina, quæ credunt Catholici: illi dilabuntur in plures errores, quibus adhærent cum pertinacia; nec iis credendis subdere se volunt, quæ credenda proponit nostra Mater Ecclesia; uti in omnibus ei se subdunt Catholici.

436 Quod autem omnibus Orthodoxis, in rebus etiam fidei, permittitur sine nota; cur id sine reprehensione non permittatur Papebrochio in rebus etiamnum controversis? Ubinam enim definitum est, vel quod irrefragabile adducitur fundamentum, ut tamquam articulus fidei credatur, S. Dionysium Areopagitam auctorem esse istorum librorum? Neutrum probant Delatores: horum tamen accusatio intrepide involvit Papebrochium, associatque cum Calvino & Luthero, & sub eadem quidem intentione. O rem periculi plenam! Attendite vobis, PP. Delatores. Non est ille accusandi modus, qui in partem vestram trahat sententiam divini judicii.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

Super Ecclesia bicipite, Baptismo Constantini, & Actis S. Sylvestri.

437 PRosequitur Anonymus (*fol. n.*) dicens: *Omitte Ecclesiam bicipitem, baptismum Constantini, & Acta S. Sylvestri, quæ Papebrochius negat cum insigni Ecclesiæ injuria: illud dissimulanter jam tetigit in suo Memoriali Antonius Beltran, arreptis tamen dumtaxat qua parte non nocebat.*

438 Cespitabit hic quilibet, & incidet in quamdam inconsequentiam, deficientem Anonymi memoriam, & quamdam dubitationem.

Anonymi inconsequentia.

439 HÆc in eo vertitur; quod, si Memoriale tribus illis, & quidem gravissimis punctis omnino non satisfaciat, Anonymus non afferat aliquid, quo accusationem suam magis justificet, roboretve; dum in aliis punctis, quæ nec ad rem, nec ad causam Papebrochii faciunt, adeo late se diffundit, ut filum discursus sui amittat, & extra assumptum et causam procul evagetur. Fol. 5. dicit, quod Memoriale non tangat doctrinas Papebrochii, nisi *earum speciem quamdam venialem*. Speciesne venialis est, in Ecclesia agnosci duo capita? Papebrochium se opponere sacræ Scripturæ? negare Evangelium S. Lucæ, traditiones Ecclesiæ, & Inventionem S. Crucis? Nonne præter alia habentur hæc etiam puncta in Memoriali? Habentur omnino, Nonne acriter accusata sunt a Delatoribus? Certum est, quod acerrime. Qui fit igitur, ut, quæ tam gravia visa sunt in accusationibus, post data ad illas responsa, facta sint solum venialia? Peregrina & sane periculosa Theologia videtur, qua unus idemque error a culpa gravi transfertur ad levem, Error doctrinalis manet in seipso semper idem & invariabilis.

Memoria deficiens in Anonymo.

440 DEficientia ista patet manifeste ex eo, quod cum Anonymus eodem folio promisisset his claris terminis, parenthesi inclusis (*uti postea videbimus*) se nobis exhibiturum species quasdam veniales dicti Memorialis; ipse (an ex fragilitate, an sua electione, nescio) sui penitus oblitus est: nam in libello suo toto, ne verbo quidem respondet vel ad unum punctum ex promissis. Attendat Lector, et vel inde investiget, quo quis scribat animo.

441 Memoriale Domino nostro Regi supplicat, ut ne, post condemnatos in Hispania tomos Papebrochii, imponatur ei silentium, quod RR. PP. Generales Carmeli tum Calceati tum Discalceati petierunt. Hanc in rem allegat jus naturale, ac jus rigidum justitiæ, quæ ambo petunt, ut accusatus audiatur pro sui defensione, ac danda quam poterit satisfactione: rem enim esse admodum sensibilem, in re doctrinali notaci censuris datis 14. Novembris anni 1695. Ostendit insuper, hanc supplicationem non esse iniquam, aut vitiosam, sed ipsius justitiæ praxi prorsus conformem. Quid ad hæc *Vox Veritatis?* An ad ea respondet, impugnat, refutat? Ne per umbram quidem.

442 Idem Memoriale allegat casus & textus varios ex historiis sancti Officii atque juris Canonici, in quibus sententiæ sunt revocatæ; innocentes declarati, qui fuerant ante condemnati; libri, qui prohibiti fuerant, in integrum restituti & permissi currere: inter alia allegat Historiam Propheticam, ab Inquisitione damnatam anno 1636. RR. PP. Carmelitæ non approbarunt in causa silentium, quod petebant imponi Papebrochio, arguentes justitiæ disparitatem. An ad hoc respondet *Vox Veritatis?* Nec verbo hiscit.

443 Allegat insuper dictum Memoriale, ad Societatem Jesu minime spectare, quid in suis scriptis opinetur Papebrochius; neque an in iis erraverit necne; nec etiam ad illam spectare, descendatne Ordo Carmelitanus, an non descendat a S. Propheta Elia: quod ad Societatem possit spectare, illud esse, ut procuret pro subdito suo ordinem servari justitiæ: Papebrochium ad imitationem quorumdam Sanctorum paratum esse retractare, quin & vulcano vorandum tradere, quidquid non potuerit ad satisfactionem probare, An ad hoc saltem respondet *Vox veritatis*, vel probat hunc allegandi modum esse vitiosum? De his non curat Anonymus: assumptum suum deserit: Papebrochium tractat ut hæreticum, & Societatem ferit imposturis, quas referemus in secunda Classe hujus Apologiæ. Unde, a quo Sancto, vel ex quo sacræ Scripturæ libro didicit Anonymus istum modum respondendi per silentium?

444 Exponit idem Memoriale, quomodo RR. PP. Carmelitæ attribuant errores, non solum materiales, sed etiam formales contra fidem, asserentes, quod eadem intentio idemque spiritus Lutheri rexerit Papebrochii calamum, *in omnibus quæcumque scripsit; & quod sciens volensque scripserit contra Deum & contra animam suam; & quod vix sit reperire doctrinam moderni heretici, quam non fulciat, tametsi sciat ab Ecclesia esse damnatam*, Super hoc insinuat Memoriale, quærens qua salutis securitate sic tractetur Scriptor Catholicus. Exponit etiam, talem loquendi modum dissimulari non posse, quia sic loquentes cogantur ad probationem eorum quæ dicunt; vel si non probaverint, ad retractationem. Deinde statuit, post tales tantasque imposturas indispensabiliter cogi Papebrochium ad sui defensionem, & reddendum coram universo mundo doctrinæ suæ rationem. An ad hoc respondet *Vox veritatis?* Nullo modo.

445 Propylæum Papebrochii accusant Delatores, quod impressum illis visum sit absque debita licentia, cum tamen secundæ Parti præmissa legatur licentia cum omnibus requisitis. Hanc ipsam accusationem cum suis exaggerationibus verius retorquet Memoriale in ipsorum Delationes, absque licentia impressas, At *Vox veritatis* surdam se simulat, nec ad hoc verbo respondet.

446 Recitat Memoriale sententias & dicta variorum celebrium Auctorum, idem dicentium quod Papebrochius de antiquitate Ordinis Carmelitani; qui tamen propterea non fuerunt accusati, nec male habiti; & dicit, nescire se unde procedat inæqualitas, Ad hanc justificandam illa *Vox Veritatis* nullam allegat rationem.

447 Insistit & exhibet Memoriale varios auctores Societatis, qui faverunt desiderio Carmelitarum, & quorum multi super votis antiquæ Religionis substantialibus digni sunt legi, & citantur in Memoriali (*fol.* 19.): atque post varias ponderationes inculcat, nec dictam Antiquitatem, nec opinionem Papebrochii aliorumve idem sentientium, spectare ad Societatem: interim *Vox Veritatis* loquitur, ac si contrarium usurparet Societas. Hoc autem est novum assumptum fingere quod impugnet, & alio divertere ut evadat.

448 Arguit Memoriale, silentium a RR. Generalibus Carmelitis petitum, petendique motivum, nullo modo quadrare cum eo, quod in Hispania aliisque Regnis eodem tempore publicarentur Delationes impressæ; nec cum eo, quod Edictum S. Officii in Belgio Religiosi Carmelitæ imprimerent quatuor linguis: quia hoc

est

est velle, ut Papebrochius accuseiur, non privatim solum coram S. Officio, verum etiam publice coram universo mundo; atque, dum Carmelitæ adminiculo talium libellorum ac foliorum incessanter Actores sunt aguntque rem suam, exigere, ne Reus verbo mutiat, sed obmutescat, cum summa sua infamia. Silentium profecto admodum alienum ab omni justitiæ regula, a praxi Ecclesiæ, & a cunctis Tribunalibus. *Vox Veritatis* horum argumentorum robori se subducit, quæritque per aliam viam effugium.

449 Refert denique Memoriale acres accusationes, quas Delatores instituunt super Magis, super textum Lucæ, loco baptismi Constantini Magni, Inventione S. Crucis, Ecclesia bicipite, super concurrentia in eodem die Epiphaniæ, Baptismi Christi, & Nuptiarum in Cana. Exprimit imposturas Papebrochio affictas; auctores quoque eidem faventes; & verba ejus ab Accusatoribus truncata. Ad hæc omnia quid respondet *Vox Veritatis?* Nihil omnino. Hisce punctis non immiscet se Anonymus, nec laborat ostendere, num vera sint an falsa, contentus generice solum dicere, esse species veniales; nec videt, in eo se contradicere Delatoribus, qui easdem accusant tamquam gravissima. Istam venialitatem promittit se ostensurum, at mox obliviscitur: ac tandem his omnibus omissis, recurrit ad Carmeli antiquitatem, quam Memoriale non impugnat; quæritque subsidium in Petro-Aurelio & Clemente Scoto: & dicit alia quædam, quæ, præterquam quod falsa sunt, sunt etiam valde aliena a causa petiti silentii, & per Memoriale refutati.

450 Contra Anonymum merito hic dixero, quod S. Augustinus (*lib.3. contra Maximinum*) ait: *Quid tibi visum est tam multa dicere; & pro causa, quæ inter nos agitur, nihil dicere? quasi hoc sit respondere posse, quod tacere non posse?*

Dubium super eo quod dicit Anonymus.

451 DUbium in eo consistit, quod, cum Anonymus utatur comparatione titionis, non assignet partem qua titio urat; quando in dictis tribus punctis dicit de P. Antonio Beltran, quod titionem acceperit, qua parte non urebat. Super hoc discurramus breviter.

Ecclesia biceps.

452 QUod ad Ecclesiam bicipitem attinet, dubitari non potest, quin Delatores truncaverint & ex media constructione subduxerint illa verba Papebrochii; *Et hoc quidem jure divino penes unum solum necessario statui, Catholicorum omnium est consensus.* Quibus verbis fatetur Papebrochius, Catholicum non esse, quisquis statuit duo capita; & ad ea statuenda nullam in terris dari potestatem contra jus divinum. Clausulam istam, pro quæstione Ecclesiæ bicipitis adeo substantialem, & quæ hæreticos eam tenentes prorsus evertit, sustulerunt PP. Delatores. An hac parte forte urit titio?

453 Non dixit Papebrochius, Paulum *proprie*, sed *recte* dici posse Episcopum Romanum. Inter utrumque illud adverbium magna est differentia; quippe pro verificatione istius *Recte*, sufficit gravissimorum Doctorum sensus, quo S. Paulum passim vocant Romanum Episcopum, S. Petro subordinatum, qui solus fuit Ecclesiæ caput. At significatio adverbii *Proprie* sensum adstringit arctius, ut scilicet intelligatur Episcopus Romanus absque subordinatione ad alterum, prout nemini subordinatur summus Pontifex: atque hoc est, quod negat Papebrochius, nempe Paulum *proprie* dici posse Romanum Episcopum; & contra sentientium opinionem habet pro *somnia & blasphemia*. *Recte* dicitur Christus *Ovis*, *Leo*, *Petra*, *Vitis* &c. quia ad hoc sufficit comparatio & similitudo: at dicere, ista omnia Christo convenire *proprie*, error foret intolerabilis; quia sic illi attribueretur natura modo insensibilis, modo irrationalis. Quid hic egit Rev. P.F. Sebastianus a S. Paulo (*Exhibit. err. art. 7. §. 5. num. 40.*)? Ut accusationi suæ plus roboris daret, fingit, quod Papebrochius dicat, *Paulum* RECTE *seu* PROPRIE *dici posse Episcopum Romanum cum Petro fuisse*. Τὸ *Recte* est Papebrochii, τὸ *Proprie* additamentum est Fr. Sebastiani. An hac parte urit titio?

454 Sapientissimus Dominicus Soto ex Ordine S. Dominici (*lib. 10. de Just. & Jur. q. 3. Art. 1. post med.*) citans Theodoretum & S. Epiphanium, sic ait de S. Petro: *Quia necessarium erat illi, ut velut Apostolus per varias Ecclesias discurreret, substituit sibi seu suo loco reliquit Episcopum Romanum, non qui Papa esset, sed auxiliaris ejus Vicarius.* En tibi titulus Episcopi Romani concessus ei, qui non erat Papa, uti S. Petrus, sed ejus dumtaxat Vicarius. Nemo tamen accusavit propterea Sotum, aut verborum ejus sensum contorsit, ut accusari dignum faceret.

455 Rev. P. M. Fr. Mathias Corona Carmelita (*lib. de potest. infall. S. Petri cap. 3. §. 15. pag. 12.*) in illa verba S. Epiphanii, *Romæ fuerunt primi Petrus & Paulus Apostoli, iidem ac Episcopi*: Hæresi 27. sic ait: *Non significant* [illa verba] *Petrum & Paulum fuisse non tantum Apostolos, sed etiam Episcopos Romæ, hac particula sumpta in genitivo possessionis; sed sumpta pro* IN ROMA: *quia certum est, Paulum commoratum fuisse Romæ, & fuisse Episcopum dum ibi existeret, non illius Civitatis, sed alterius. Vel dici potest, etiam priori sensu, Paulum fuisse Episcopum Romæ; quia commune fuit Apostolis, ut totius Orbis Episcopi & Pastores dici possent habitualiter & in actu primo, non in actu secundo seu exercito; vel dici possunt Episcopi & Pastores cum subordinatione ad Petrum, ut primarium Pastorem & Episcopum.* Hoc ultimum est, quod dicit Papebrochius, relinquens soli Petro prærogativam supremi Capitis, Paulo subordinationem; & contra sentientibus adscribens *somnium*, *blasphemiam*, *infractionem juris divini*, & *oppositionem contra unanimem omnium Catholicorum consensum*. An hic urit titio?

456 Gregorius VII. in Concilio Romano vocat Romam specialem Ecclesiam Petri & Pauli, eorumque Sedem vocat Thronum: *Ad vestram specialem Ecclesiam redii .... in Throno vestro valde indignus sum collocatus.* S. Leo Papa [*Serm. de natal. Apost.*] vocat illos non solum Patres, sed & Pastores Romæ. *Hi sunt Patres tui, Roma, verique Pastores.* Adrianus I. [*Epist. ad Constantin. & Irenem*] vocat Sedes Petri & Pauli, Sedem Romanam, *Sedes illorum*. Idipsum dicunt S. Gregorius Papa [*ante lib. 1. moral.*] S. Bernardus [*Epist. 242.*] Card. Godefredus [*lib. 1. Epist. 7.*] Bellar-

minus [*lib. 3. da Ram. Pantif. cap. 2.*] alrique multi (quos brevitatis caula omitto) concedenies semper Petro, quod concedit Papebrochius. Nullus ex int Papis, Sanctis & Cardinalibus notatus est: notandus est solus Papebrochius. Ao hic urit titio?

457 Rev. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo (*art. 7. §. 6. num. 38. & 39.*) concedit sensum, quo possit vocari *Paulus Episcopus Romanus*; videns scilicet auctores innumeros, qui rejecto duplici Ecclesiæ capite velut somnio, utuntur isto stylo. Quæro, rectusne sit ille sensus, an non? Si non, ergo teneri non potest: si autem rectus, ille est, quem habet Papebrochius. Cur igitur in hoc, & non io illo urit titio?

458 Historia Prophetica, impressa anno 1641. (*cap. 38. n. 4.*) præterquam quod Eliam faciat *Summum Pontificem decem Tribuum*, hæc addit verba: *Persuasum habeo, eumdem ipsum rediturum in mundum; quia præter temporum correspondentiam divini istius Viri, Summus Romanus Pontifex in angulo delitescet adeo, & persecutiones patietur, ut necesse futurum sit, illi dare tam magnum Substitutum.* Notabila sane dictum pro Primatu solius Petri & unitate Capitis Ecclesiæ! Eliam facit in Lege veteri *Summum Pontificem decem Tribuum*; persuasum habet, idem fore in Lege gratiæ, quando sanctus Propheta redibit in mundum; quare ergo, ipsum se corrigens, ait, futurum Substitutum Romani Pontificis? Ex duobus his dictis utrum credemus? Si in utraque Lege idem est futurus: ergo, cum dicat, in Lege veteri fuisse, non Substitutum, sed *summum Pontificem decem Tribuum*; similiter in Lega gratiæ erit, non Substitutus, sed summus Pontifex; idque Romano vivente, licet delitescente in angulorum aliquo; adeoque erunt duo Capita. Si non est futurus summus Pontifex; ergo non erit idem in Lege gratiæ, quod fuit in Lege veteri.

459 Pergamus porro. Ibidem (*numero 7.*) concedit Eliæ *judicaturam universalem omnium temporum, cujus sententiæ arum, declarare puram & bonam Religionem, eamque distinguere a falsa; approbare veras traditiones; investigare quænam sint Scripturæ legitimæ; canonizare eos, qui vere Sancti sunt & Deo fruuntur.*

460 Juxta hæc ergo adscribitur S. Prophetæ Eliæ auctoritas judicis infallibilis super sacra Scriptura, potestas declarandi articulos fidei, definiendi qui libri sint admittendi pro Canonicis, & canonizandi Sanctos; & hæc quidem vivente summo Pontifice Romano. Hæc autem omnia nonne proprie spectant ad Petrum, ejus Sedem & successores? Sic fides nos docet, & sic credimus. At juxta Historiam Propheticam, quo tempore latebit in angulo summus Pontifex, non ita proprie spectabunt ea ad solum Petrum ejusque Sedem, ut non eadem agat Elias. Tali vero casu quid faciemus de argumentis omnibus & decretis, pro & contra Ecclesiam bicipitem agitatis? Num forte sub finem mundi naturam suam mutabit Ecclesia Christi? Nonne Apostolus Paulus (*Eph. 4.*) monet, hujus corporis mystici compositionem duraturam usque ad consummationem mundi? Volunt nihilominus, Eliam absque ullo bicipitis periculo exerciturum prædicta omnia. An tale quid Papebrochio unquam incidit cogitare? Ao hic urit titio?

461 Præterea quænam providentia, quæ cura Deo relinquitur circa principale Ecclesiæ suæ membrum, quod est caput; dum illud adeo timidum delitescit, suumque officium inerter adeo deserit; tunc (quando maxime erit opus) maneos absque exercitio propriarum functionum ad se pertinentium, sic ut omnia per alium cogendus sit exequi; & ipsas fidei veritates definire debeat Elias immediate, noo jam ut persona vel Sanctus particularis, sed ut auctoritatem habens tamquam Vicarius & Substitutus, qui repræsentet Vicarium ipsius Christi? Non terrebitur, nec retrocedet Elias propter persecutionem; Fideles reliqui attentam aurem dabunt & fidem definitionibus Eliæ; atque hoc totum fiet in virtute robusti Spiritus, quem Deus diffuodet per reliqua Ecclesiæ suæ membra: solum latebit visibile ejusdem caput, absconditum in angulo, & quasi factum invisibile; dum solus reget Elias, & per se definiet omnia! Supee hoc dicat, quidquid voluerit Historia Prophetica, non est illa liber Canonicus, in cujus obsequium captivandus sit intellectus, ut, quidquid illa dicit, firmiter & absque hæsitatione credatur.

462 Nullum adducetur argumentum contra Papebrochii opinionem, qua Paulum vocat Episcopum Romanum Petro subjectum, quod ex Pontificibus, Sanctis Cardinalibus, aliisque auctoribus classicis illico non solvatur retorqueaturque in Delatores, ac illos convincat; & adminiculo quidem illorum dumtaxat verborum, quæ Accusatores truncarunt, & textui Papebrochiano suffurati sunt. Quid igitur fiet per illa auctoris verba, quibus disertissima asserit unitatem & Primatum S. Petri? Tantum abest ille, ut Paulum cum Petro parem faciat, ac utrique eamdem potestatem & jurisdictionem tribuat; ut eos, qui sic sentiunt, delire somniantes vocet, aut potius blasphemantes.

Baptismus Constantini.

463 ANonymus dicit, *Papebrochium negare baptismum Constantini & Acta S. Silvestri*. Baptismum non negat, imo supponit ut certum; disputat solum de baptismi loco, quem negat fuisse Romam, in eo secutus Sanctos Hieronymum, Ambrosium, Athanasium, trecentos Episcopos Catholicos Concilii Ariminensis, Eusebium Episcopum Cæsareensem io Palæstina, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Gelasium Cyzicenum Episcopum item Cæsareensem, & Collectorem Concilii Nicæni, Cardioalem Perronium, Cuspinianum, Lambecium, Pagium, Valesium, & Petavium. Hic asserit, idem sentira atque tueri plerosque aotiquos, quibus consonant alii recentiores.

464 Non igitur extravagans videatur Anonymo ea opinio, quæ insistit vestigiis trium Ecclesiæ Doctorum, & bos intee Doctoris maximi S. Hieronymi; ea, quam deinde tot celeberrimi Auctores illustrarunt, non solum eruditione Theologica, verum atiam Historica, Chronologica & Dogmatica. Discat etiam Anonymus eo modo accusationem suam & iis verbis instituere, quæ incautum Lectorem non inducant in errorem; ut id, quod da baptismi loco sub dubio controvertitur, intelligat controverti de ipso baptismo; atque adeo tenere Papebrochium, Constantinum non fuisse baptizatum. Cicero pro Archia refert, quæ conteotio

tentio extiterit inter varias nationes super patria celeberrimi Homeri. *Homerum* (inquit) *Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Smyrnæi vero suum esse confirmant*. Unaquæque harum nationum Homeri patriam sibi vendicabat, denegabat alteri: nulla negabat, Homerum extitisse, sed existentia personæ supposita, contendebat de ejusdem patria. Hoc idem facit Papebrochius circa baptismum Constantini: baptismum supponit, de baptismi loco disputat; & post historiarum diligens examen, computationem temporum, expensasque rationes varias, sequitur opinionem, quæ tenet, baptismi locum fuisse Nicomediam vel circa eam, non autem Romam, cum auctoribus jam citatis.

Impostura.

465 REv. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo [*Exhib. err. art.* 2. §. 3.] dicit duo: primum est, Papebrochium fabulosum vocare baptismum Constantini, collatum a S. Silvestro; alterum, non solum vocare, sed etiam *explodere tamquam fabulam*. Horum terminorum nullus reperitur in Papebrochio: & magnum intervallum est, inter opinionem aliquam non sequi, & eam vocare fabulam atque ut talem contemnere. Sed de Papebrochio loquens Accusator, parum curat advertere animum ad id quod loquitur,

Acta S. Silvestri.

466 LOco citato dicit Anonymus, *Papebrochium dicta Acta negare, cum gravissima Ecclesiæ injuria*. Quod illorum auctoritati non fidat, conceditur: quod id faciat cum injuria Ecclesiæ, negatur, propter sequentia fundamenta.

Fundamentum 1. ab auctoritate.

467 NEc etiam fidunt istis Actis eruditissimi Scriptores varii; ut sunt, Pagius in sua crisi super Annalibus Baronii [*ad Ann.* 315. *num.* 5. *& Ann.* 324. *num.* 4.] Cangius [*in notis ad Zonar. pag.* 28. *num.* 2.] Canus [*lib.* 11. *cap.* 5. *fol.* 348.] sic loquens: *Lepra Constantinum laborasse, apud idoneos Auctores nusquam legi, sed ejus nominis alium cognomento Copronymum: unde fortassis ambiguitate vocis error inductus. Nisi rumor iste de lepra ortus videre possit, quod Byzantio ad aquas calidas valetudinis gratia eum egressum ferunt ... quamvis, ut dixi, lepræ Constantinianæ testis gravis & probatus ex veteribus nemo est. Itaque si negemus, nec Pontificum, nec Historicorum auctoritatem labefacimus.*

468 Eminentiss. Cajetanus [*in* 3. *p. q.* 69. *art.* 8.] negat quoque illud, quod de lepra fertur; aitque, *nullius auctoritate constare*; & historiam, qua illa narratur, *non esse assertive probandam*: & contra lepram citat S. Ambrosium.

469 Negant itidem Ludovicus Vives, & Andreas Alciatus citati a Cano, ubi supra. Platina, in Vita Marci Papæ, sic ait: *Quod vero in lepram inciderit* [*ut vulgo dicitur*] *baptismoque mundatus sit, conficta prius de sanguine infantum nescio qua fabula, nullo modo credo.*

470 Eminentiss. Baronius [*ad annum* 325. *n.* 17.] de Actis S. Silvestri dicit: *non in omnibus vera esse, quæ hodie extant, nimirum deturpata compluribus* [*ut vidimus*] *quæ aliunde irrepserunt, mendaciis*. Fatetur ergo Cardinalis ille, istis actis subesse non solum *mendacia*, sed etiam *complura*. At hæc fuisse intrusa, non autem genuina & ipsis Actis propria atque annata, magnam patitur difficultatem; tum quia in antiquissimis manuscriptis exemplaribus omnibus inveniuntur eadem mendacia, prout Papebrochius notat; tum quia pro tali assertione probanda, necesse erat, unum aliquod saltem exhibere exemplum certum atque indubitatum, quo verum discernatur a falso. Tale autem exemplum ubi est? quis exhibet?

471 Goffridus Viterbiensis [*Chronic. part.* 16.] qui floruit seculo duodecimo, sic habet. *Quod autem de lepra legitur, videtur apocryphum; quia in nullis libris authenticis, neque in Chronicis legitur.*

472 Illustriss. Carolus Felix de Mata Episcopus S. Severi, Tomo de Sanctorum Canonizatione Romæ impresso anno 1678. [*par.* 3. *cap.* 24. *nu.* 43.] respondet ad id, quod Breviarium dicit de baptismo Imperatoris Constantini, citatque genericis terminis Auctores, qui sentiunt oppositum: & doctrinæ suæ rationem numero sequenti affert his formalibus verbis. *Quia, utcumque sit, certum est, quod Romana Ecclesia hujusmodi Historias, licet ex his Lectiones Breviarii antiquitus desumptæ fuerint, non tamquam inconcusse veras, & quasi de fide credendas canonizat; ut patet ex reformatione Breviarii sub Clemente VIII. in qua secundæ Lectiones, quas nunc habemus ex historiis Sanctorum, recognitæ fuerunt a doctissimis & omni virtute præditis Cardinalibus Bellarmino & Baronio, qui rejecerunt ea omnia, quæ jure merito revocari poterant in dubium* &c.

473 Papebrochius [*part.* 1. *Conat. Chron. Hist. pag.* 212.] ponit formalia verba, quæ ad se scripsit Claudius Castellanus, Vir eruditissimus & Canonicus Metropolitanæ Parisiensis, referens judicium Cardinalis Bonæ; *Si Cardinalis Bona* [inquit] *vixisset, jam forte haberemus Breviarium Romanum in multis reformatum; hoc enim maxime cordi habebat, & aliquando mecum deambulans per hortum monasterii S. Bernardi ad Thermas dixit, insupportabiles sibi esse Lectiones pro festo S. Silvestri. Cumque reponerem: Si Constantinus Romæ baptizatus non est, cur appellatur communiter Baptisterium Constantini? Respondit: Quia ipsum construi fecit; quemadmodum ob eamdem causam Basilica Lateranensis Constantiniana dicitur.*

Impostura.

474 REv. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo [*Exhibit. err. art.* 2. §. 2. *num.* 17.] accusat Papebrochium, quod *audeat insuper blasphemare*; atque imponit illi dictum Eminentissimi Card. Bona, scilicet *insupportabiles esse Lectiones pro festo S. Silvestri*. Non hoc dixit Papebrochius, sed simpliciter retulit; non auctor est, sed merus relator ejus, quod dixit Cardinalis. Si hoc non est, quid tandem erit imponere? Si hanc non licet imposturam vocare, dicat P. Fr. Sebastianus quidquid dixerit, a quavis censura liber evadet, hac solum ratione, quia ipse dixit. Videat præterea Fr. Sebastianus, an Cardinalis tam doctus, tamque pius, sit blasphemus? o quot & quantos viros incogitanter etiam perstringit cæca accusatio, modo accusetur & censuretur Papebrochius!

475 S. Cyrillus Alexandrinus [*lib.* 7. *contra Julianum*) refert, quod dictus Julianus Apostata Christianis in faciem irrisorie exprobraret, dicens:

dicens : *& leprosi quidem lepram non adimit* (baptismus) .... *adulteria vero , & rapinas , & omnia omnino peccata eximet ?* Ad hoc argumentum quid respondit Sanctus Fidei defensor ? An forte reposuit id, quod narratur de Constantino, per baptismum a lepra mundato ? Nihil minus. Constantinus erat Juliani Socer : miraculum, si quod accidit, erat admodum recens; nam anni dumtaxat 26. effluxerunt a Constantino usque ad obitum Juliani, & aliquanto pauciores usque ad irrisoriam illam exprobrationem. Miraculum præter dicta oportebat cum omnibus suis circumstantiis universim notissimum esse, propter personam Imperatoria, propter sanguineum infantium balneum jam destinatum; propter congratulationes denique innumerorum, quæ tali casu non poterant non fieri; propter liberatos a cultro filios & a luctu parentes.

476 Quis autem his positis hæreat ambiguus circa duo ? Primum quod Julianus (quamvis Apostata) ausus esset negare miraculum adeo manifestum, & omnium oculis patentissimum; & tunc temporis præsertim negare, quando quæstionem istam agitabat; cum periculo, ne & ipse deprehenderetur ut mendax, & Christiani confirmarentur magis in baptismi veritate, quam ille impugnabat: vidissent namque in Constantino completum esse, quod Apostata negabat. Alterum, quod S. Cyrillus non redargueret illum perquam fortiter, sua illi in faciem objecta cæcitate, dicendo; *Juliane, serve nequam & obstinate Apostata; ex ore tuo te judice; tuis te verbis convinco: memento Soceri tui Constantini, cujus cineres etiamnum calent. Imperator hic fuit infectus lepra, quam baptismus sustulit: ergo, si in eo consistit virtus tollendi lepram corporalem, virtutem tollendi spiritualem quoque culparum lepram, eidem baptismo ne detraxeris, cum miraculum teneas intra tuos ipse domesticos lares.* Per hanc S. Cyrilli correctionem, quantus pudor, quantus dolor subiisset animum Juliani; & quantum gaudium Catholicorum, quantusque triumphus Fidei!

477 Saltem Venerabilis Beda (*lib.* 3. *Comment. in Marci* xi.) impugnans Gentiles (qui asserebant, in Ecclesia non inveniri perfectam fidem, cum Catholicorum nemo ex uno loco in alium transtulisset montem aliquem, juxta Christi promissionem) refutat illos adducto exemplo montis, quem de loco suo transtulit S. Gregorius Thaumaturgus, ac jussit ad tantum spatium retrocedere, quantum sufficit ad ædificandum ibidem templum. Concludens autem Beda ait; id, quod tunc contigit, potuisse sæpe & nunc posse contingere, si id aliqua occasio exigeret : quia idem semper manet meritum fidei, eademque Dei potentia. Ad convincendum tamen Julianum S. Cyrillus non allegat miraculum mundatæ lepræ in Constantino; solum ait, baptismum potuisse quoque mundare lepram, si Deus voluisset, aut in istum finem instituisset illum Christus. Silentium igitur talis tamque sancti Auctoris, & tali casu, auctoritas est & argumentum (licet negativum) admodum tamen favens pro eo, quod dicit Papebrochius.

Animadversio.

478 DE Eminentissimis Card. Cajetano, Bona; de Pagio, Cangio, Cano, Vives, Alciato, Platina, Goffrido negari non potest, quin viri fuerint doctissimi; quin item in oculos incurrisset illico miraculum Constantini, ad obstruendum os Juliani, quo tamen S. Cyrillus usus non est. Nec in hunc Sanctum cadere potuit ignorantia casus, adeo rari ac celebris; nec ipsum voluntas deficere, referendi simile miraculum, quod Julianus negabat. Non etiam potest dici, citatos Auctores suis scriptis impetere voluisse auctoritatem Ecclesiæ; nec Baronium injurium illi fuisse, dum notat, Acta S. Silvestri compluribus deturpata esse mendaciis. Quod igitur ad auctoritatem extrinsecam attinet, illam in citatis Auctoribus habet abunde pro se Papebrochius, ad illam dictis Actis denegandam, desumpta ex Baronio nota mendaciorum, ne iisdem fideret; accedente præsertim S. Ambrosio, qui lepram illam rotunde negat. Ostendat nunc Anonymus, quomodo, inter tot ac tantos viros, reus sit & accusatione dignus solus Papebrochius?

Fundamentum II. *a ratione.*

479 AJunt dicta Acta, Constantinum prius Christianum fuisse, quam fuerit sua mater Helena. Hoc falsum est: quia curavit illa Constantinum filium suum a teneris annis educare in omni pietate. Et S. Paulinus in epistola ad Severum ait : quod *Princeps esse Principibus Christianis, non magis sua, quam matris Helenæ fide meruerit.* Et quomodo Gentilis esset illa mater, quæ tunc domi habebat neptem suam Constantiam, quæ & ipsa imbuta erat pietate Christiana?

480 Ajunt eadem Acta, Helenam anno 315. fuisse in Oriente cum Constantio & Constante jam Imperatoribus; quod Baronius ad eumdem annum (*n.* 13.) vocat *deforme mendacium*: quoniam Constantius fuit declaratus Cæsar decem post annis, & Constans viginti.

481 Isacharem, vel (ut alii volunt) Isacum, vocant dicta Acta summum Judææ Pontificem; cum post destructionem Hierosolymorum tempore Titi, nullus deinceps fuerit creatus Pontifex; ut late & erudite probat S. Epiphanius (*Hær.* 30.).

482 In dictorum Actorum præfatione dicitur illorum auctor fuisse Eusebius : atqui hoc repugnat Gelasio Papæ, qui in Decreto suo dicit auctorem ignorari.

483 Ajunt quoque, S. Silvestrum sustulisse jejunium Sabbathinum. Ad hoc Baronius (*ibid. num.* 15.) exclamat. *Quid enim hoc mendacius effingi potest?* &c. ratione observantiæ, quam hac in parte Summi Pontifices contra Græcos semper tenuere.

484 Ajunt etiam instituisse S. Silvestrum, ut prima hebdomadæ dies vocaretur Dominica; cum tamen nomen illud in usu esset jam tum tempore Apostolorum : ideoque Baronius (*sequenti numero* 16.) vocat illud *portentosum mendacium*.

485 Videatur denique Labbeus To. I. Concil. (*Col.* 1491.) ubi recolit alia mendacia varia, quæ brevitatis ergo hic omittuntur. Transeamus ad argumenta R. P. Provincialis Flandrici.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Respondetur ad argumenta Rev. P. Fr. Sebastiani a S. Paulo.

Argumentum I.

486 IN sua Exhibitione (*art.* 2. §. 2.) adfert auctoritatem Adriani I. qui dictis Actis favet.

favet. Respondeo primo, ipsum illum Adrianum I. in Epistola quam scripsit ad Carolum Magnum dicere, nullius esse fidei Concilium Romanum, quod agit de Actis S. Silvestri; uti videri potest apud Labbeum (*Tomo 7. col. 939.*) Respondeo 2. Cum Gelasium inter & Adrianum I. intercesserint anni fere trecenti, & certum sit aliunde, dicta Acta esse vitiata; ex duobus quæ proponuntur extremis, eligat Rev. P. Fr. Sebastianus, quod maluerit.

487 Vel erant vitiata, quando Gelasius eorum meminit in Decreto, ubi agitur de libris authenticis & apocryphis; vel vitiata non erant. Si primum; uti tractatus alios ibi rejicit tamquam apocryphos & *novellas relationes*; ita quoque sub eodem titulo rejecerit prædicta Acta; & vere totus Decreti contextus, in rigore etiam Grammaticali sumptus, æque sonat contra tractatus alios rejectos. Nec mirum; nam si vitiata conceduntur, non merentur fidem. Si alterum, id est, si vitiata non erant, sed valde pura: quomodo vel quo argumento probabitur, sub illorum puritate comprehendi baptismum Constantini? nam Gelasius ne verbo quidem facit illius mentionem: ex alia vero parte Baronius cum aliis multis notat Acta ista, tamquam mendaciis vitiata post tempora ipsius Gelasii. Hunc secutus est ferme post annos 300. Adrianus, qui & ipse Acta citat, nec facit tamen illa melioris conditionis esse, quam modo sunt. Quia igitur securos nos reddat de tempore, quo pura fuere? deque puritatis eorumdem contento? quandonam illa cœperint obscurescere ac vitiari mendaciis; & qualia hæc fuerint? Dum de hoc clare & certo non constiterit, & aliunde constat, præclaros Scriptores convenire de nota variorum mendaciorum; quid mirum est, animum non acquiescere talibus Actis, eorumve auctoritati, velut rei tantopere vacillanti?

Argumentum II.

488 EOdem citato loco allegat R. P. F. Sebastianus Epistolam Nicolai I. datam ad Imperatorem Michaelem, quæ dictorum Actorum facit mentionem. Respondeo, in eadem Epistola mentionem quoque fieri cujusdam Concilii Romani; quod celebratum est tempore Sixti III. in causa Policronii Episcopi Hierosolymitani. Acta hujus Concilii Baronius habet pro spuriis. De Policronio dicit, nec tempus nec locum inveniri pro tali Episcopatu; & ne pro persona quidem quæ in eo tempore vocata sit tali nomine. Additque tantas in hoc occurrere difficultates, ut fateatur, se non videre earum solutionem. *Unde autem* (inquit ad annum 433. & 434.) *ejusmodi solvi possint nodi, & ea Acta probari, non invenimus .... licet enim plurimum laboris in his insumpserim; nihil præterea sum consecutus, nisi ut impossibile esse repererim, ad veritatis lineam revocari aliquo modo posse.*

489 Si sic loquitur Baronius de Actis citatis a Nicolao I. & a S. Petro Damiano; cur Papebrochio non licebit dicere minus, minusque vivacibus terminis, de Actis (ut vocant) S. Silvestri, citatis in eadem Epistola? Et cur ea Acta deserere non poterit propter ea, quæ in illis Baronius vocat *deformia mendacia*; & propter cetera vitia, quæ in eisdem notant Auctores alii? An cuilibet non licet solidiora ac veraciora fundamenta sequi?

Argumentum III.

490 GElasius I. in Concilio Romano, celebrato anno 494. de dictis Actis ait, *quod Romæ multi Catholici illa legerent, & ad eorum imitationem idem quoque facerent aliæ plures Ecclesiæ.* Respondeo: hoc non negat Papebrochius. Cum autem decretum Gelasii sit super libris apocryphis & authenticis; dicatque de omnibus, qui ibi referuntur: *hos suscipi non prohibet* (subaudi, Romana Ecclesia) inter illos libros & scripta meminit etiam dictorum Actorum: atque concludit monens, ut, quando quid istorum librorum ad manus Catholicorum pervenerit, legant caute examinentque, atque eligant quod bonum fuerit, juxta illud Paulinum: *Omnia probate; quod bonum est, tenete.*

491 Quæro: Super quid cadet examen illud? an super id, quod est de fide? super traditiones Apostolicas? super id, in quod universaliter consentit Ecclesia Catholica? Absit: id namque totum creditur, ut certissime verum, absque hæsitatione, num verum sit necne. Quænam igitur scripta, qui libri sunt examinandi? Videtur ipse Papa rem declarare in suo decreto. Inter alia dicit, suspectum esse & cautelam petere, si ignoretur nomen auctoris: *quia* (inquit) *& eorum, qui conscripsere, nomina ignorantur.* Quid autem dicit de Actis S. Silvestri? *Ejus* (inquit) *qui conscripsit* (Acta) *nomen ignoratur.* Ad hæc particula *Item*, qua Papa texit Catalogum librorum apocryphorum, requiritque cautelam in eorumdem lectione, adnectit etiam præfatis Actis. Atque adeo R. P. Fr. Sebastianus ostendere necessario debet, in illo Decreto Acta ista esse approbata, minime vero referri inter ea scripta, quæ examine indigent. Hoc nisi fecerit, Decretum Gelasii vertitur Papebrochio in argumentum admodum favorabile.

Argumentum IV.

492 EOdem citato loco (*num. 12.*) allegat Fr. Sebastianus locum quemdam ex Baronio, ubi alludens ad præfatum Gelasii Decretum & Acta S. Silvestri sic ait. *Quis tam exploratæ antiquitatis exactissimus ac severissimus censor, ea omnia spernenda esse atque rejicienda decernat, nisi qui tumido fastu neget (quod est in divinis Scripturis) in antiquis sapientiam; & superbe super alios se extollens, Davidicum illud usurpet:* SUPER SENES INTELLEXI? Hoc perinde foret atque opponere se divinis documentis. Atqui hoc est, quod Papebrochius videtur facere. Consideretur ergo, an illi non quadret censura doctissimi istius Cardinalis.

493 Respondeo. Censuram & exclamationem suam Baronius dirigit adversus eos, qui negant, non unum, aut alterum, aut aliqua ex illis, sed omnia: sic enim habent illius verba; *Ea omnia spernenda esse atque rejicienda decernat.* Horum terminorum, *ea omnia*, non obliviscatur Accusator. Propositio universalis illa Baronii applicatur Decreto Gelasii, & omnibus quæ in illo continentur: continentur autem varia: videlicet mentio de Conciliis Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino ac Chalcedonensi; de opusculis S. Cypriani, S. Gregorii Nazianzeni, de vitis Martyrum, de quodam Quirico & Julita, S. Georgio, Paulo, Antonio, Hilarione, Actis S. Silvestri, de quadam Historia Inventionis Crucis, & de Inventione Capitis S. Joannis Baptistæ. Qui totum hoc foliorum aut libro-

librorum complexum, & *omnia* quæ in eis continentur negaret, delirus foret & fastuose tumidus. At quis Catholicus *ea omnia* negat? Bene nullus: nec vel somniant in tale delirium incidit Papebrochius.

494 Insuper: Ipse Gelasius aliquos ex libris & scriptis ibi relatis vocat *apocryphos & novellas relationes*, absque contemptu earum veritatum, quæ in talibus libris inveniuntur. Ergo, sicut sibi Papa non contradicit; non contradicet etiam tali Decreto, qui cum illo senserit, atque juxta ejusdem monitum non admiserit velut certum, quod post diligens examen deprehenderit esse falsum, vel non admodum firmum: *Omnia probate; quod bonum est, tenete.*

495 Si eadem illa Baronii propositio universalis, *ea omnia*, applicetur Actis S. Silvestri, ut sensus sit, esse superbum illum & arrogantem, qui aliquid ex iis, quæ in Actis continentur, negaverit: respondetur, non eo sensu intelligi posse Baronium, dum ipsemet Acta illa vocat *deturpata compluribus & portentosis mendaciis*, ut vidimus supra num. 470. Constat autem, non esse Baronium, qui mendacium æstimet, aut qui loquatur tam inconsequenter. Ergo, sicut Cardinalis iste ex præfatis Actis quædam amplectitur, rejicit alia; cur Papebrochio non idem licebit, auctoribus & rationibus nixo? Reipublicæ literariæ magnum beneficium præstiterit Rev. P. Fr. Sebastianus, si ediderit in lucem aliquid, quo discernatur in illis Actis genuinum ab adulterato; quo tempora distinguantur; tempus scilicet quo fuerint illa pura, & tempus quo vitiata. Tunc autem auctorat certis fulti fundamentis aliam inibunt discurrendi viam.

Argumentum v.

496 IN libro, cui titulus *Motivum juris*, num. 25. allegat P. Fr. Sebastianus Concilium quoddam Romanum, habitum tempore S. Silvestri; ubi ait, ab eo approbari baptismum Romanum Constantini. Respondetur. Labbeus refert illud Concilium (*Tom.1.Concil.col.* 1545.) & 20. ejusdem Canones, quorum unus agit de baptismo isto: & in margine notat, Canones haberi pro supposititiis ab *Hincmaro* Archiepiscopo Rhemensi, & a *plerisque eruditis* scriptoribus: & ita quoque sentiunt idem Labbeus, M. Christianus Lupus ex ordine S. Augustini, Antonius Pagius ex S. Francisci, & Schelstratius.

497 Hunc ultimum audiamus instar omnium, in dissertatione super isto Concilio ejusque Canonibus pag. 484. ubi illos non admittit: *Quia non solum* (inquit) *Dionysius Canones hos omisit; sed etiam hoc Concilium, tum ex dictis, tum ex falsa Consulum citatione, tum ex Helenæ subscriptione, contra omnium sæculorum praxim, quæ mulieres ab Episcoporum Conciliis, & multo magis ab eorum subscriptionibus excludit; tum demum ex numerosissimo Græcorum Episcoporum Catalogo aliisque, suppositionis arguitur; facile assentior Hincmaro Metropolitæ Rhemensi; Parisiensium Archiepiscopo de Marca, Christiano Lupo, Philippo Labbeo, ac plerisque viris eruditis, tacite ab eo citatis, brevem epilogum, & Canones 20. de hoc Concilio restantes, esse suppositos.* Exhibeat nobis P. Fr. Sebastianus auctores, qui hisce temporibus eruditiores fuerint, & dedita opera accuratius evolverint antiquitatis monumenta, quam Schelstratius aliique quos ipse citat; nec, quos exhibeat, inveniet facile; dicit nihilominus, indubitatum esse testimonium, quod ex dicto Concilio eruitur; at, quamvis ita dicat, non respondet tamen argumentis quæ sunt in contrarium; sed satis habet actorem agere & accusare, prætereaque nihil.

Argumentum vi.

498 ALlegat *Breviarium Romanum, cui ait præcipua S. Silvestri Acta & gesta esse inserta.* Ad hoc respondebit Papebrochius, debita proportione servata, id quod Exc. Inquisitor Generalis respondet, quando negat S. Marcellini lapsum in eodem Breviario expressum; applicando ad Acta S. Silvestri quod retulimus supra numeris 361. & 365. sunt namque pro eo auctores celeberrimi, & non contemnenda argumenta.

Impostura horrenda.

499 VI argumentorum allatorum, præterquam quod P. Fr. Sebastianus dicat, quod Papebrochius *blasphemat*; dicit insuper, quod *omnem Sedis Apostolicæ & Breviarii Romani spernit auctoritatem.* Hunc stylum scilicet adhibet humilis ille, qui præfatur nolle se prævenire judicium Apostolicum, & solum velle se accusare cum submissione. Quid autem posset atrocius dicere, si de tripode fulminaret sententiam? Et cur non idem dicit de Eminentissimis Baronio, Ursino, Cajetano, Inquisitore Generali, & gravissimis Auctoribus aliis; dum non sequuntur aliquid, quod dicit Breviarium? Non sequi, non idem est ac spernere: multo igitur minus erit idem, *non sequi aliquid, ac spernere omnia.* Sed vult Accusator, unum & idem esse; quia non posset alias accusationem suam concludere cum emphatico illo strepitu, quo Papebrochius dicatur esse blasphemus, & auctor qui *omnem Sedis Apostolicæ & Breviarii spernit auctoritatem.* Et hoc, quamvis verum non est, sonat tamen multum: &, cum verum non sit, ac valde noxium, ad quid obligat?

CAPUT XVIII.

Super Decretis Lusitanico, Belgico, & Romano.

500 ANonymus verso folio 2. dicit in Portugallia *condemnata & prohibita esse omnia illa Papebrochii opera.* Respondetur, in illo Regno hactenus nullam definitive censuram adversus dicta opera esse datam: solum fuisse mandatum, ut ea traderentur sancto Officio; & ne legerentur a quopiam, donec post eorumdem revisionem Inquisitio declararet suam mentem: & actualiter nunc revisuntur. Hoc autem præcise non est condemnare, sed adhibere cautionem; atque adeo in edicto Portugalliæ non exprimitur supra doctrina qualitas ulla per modum sententiæ.

501 Fol. 3. ait, *in Belgia coactum fuisse Concilium venerabilium Episcoporum, qui prohibuerunt & condemnarunt omnia opera Papebrochii, unanimi consensu destinantes illa Vulcano.* Somniat Anonymus, & pro vero successu narrat, quod numquam contigit, nec nisi fœtus est vehementis suæ imaginationis. Solœcismus hic est familiaris illis, qui in re quapiam examinanda voluntatem potius, quam intellectum adhibent, creduntque cuivis, quem audierit, rumori.

502 Fierine potest, ut Anonymo non inciderit saltem cogitare, fore ut Concilium venerabilium

bilium Episcoporum, in tali præsertim causa & post talem sententiam non diu lateret, quin in publicum erumperet ejusdem rei notitia? Non cogitaverit, casu quo rumor iste verus esset, fore facile ut ex ea regione afferrentur ad nos litteræ, quæ rem nuntiarent? fore insuper, ut, qui hic in Hispania hærebamus dubii, indagaremus in rei veritatem: &, ubi *Vox ejus prætensæ Veritatis* audiretur in Belgio, si falsa deprehenderetur; fore, ut ipsa illa *Vox* adversus Auctorem suum Anonymum clamaret pro Papebrochio? Nonne apud omnes legitima consequentia argueretur is, qui minime curaret tam fœde mendax inveniri, nil minus in libello suo proferre quam *Veritatem*, cujus titulo gloriatur? An hæc aut similia inciderint Anonymo, nescio; hoc unum satis superque scio, quod, ubi primum *Vox Veritatis* prætensæ in Belgio audita est, ingens illico risus simul & fletus eodem tempore obortus sit. *Risus* quidem, ob insignem *capitositatem*, capitis duritiem ac raram sui satisfactionem, qua vult Anonymus ipsis Vener. Episcopis omnino persuadere, illos celebrasse Concilium, cum tale nullum habuerint; qua etiam vult, ut Belgæ attentas arrigant aures ad suam *Vocem Veritatis*; dum illorum oculis objicitur tam numquam visa, tamque patens chimæra.

503 *Fletus* etiam non defuit: quia ad impugnandum errorem Papebrochii, præsertim in Fide, Anonymo & alteri cuilibet debebat sufficisse, ipsius verba referre, errorem probare a ratione, ab auctoritate, vel ab utraque; atque interim a conviciis ac calumniis abstinere. Hoc Catholicorum proprium est, nec de eo quisquam potest rationabiliter conqueri. Verum ubi compererunt, quod (præter perfidiam, qua in materia gravi varia dicta imponunt Papebrochio, quæ tamen numquam dixit, truncatque illius clausulas) fingant etiam Concilium Episcoporum; varias insuper Epistolas, unam tamquam datam a supremo illorum Capite, a Papa scilicet; alteram nomine Regis ac Domini nostri Caroli II. quem Deus diu servet incolumem: alteras item duas nomine duorum Societatis Jesu cum reliquis, quæ referentur postea: ubi hæc (inquam) compererunt Belgæ, præ pio zelo non debuerunt se tenere, quin gemerent, imo flerent super tam obstinato odio & tali accusandi modo, qualem ista media indicant. Miseratione tanguntur erga Auctorem vel Auctores ejusmodi libellorum: nam, quamvis absconditi se subducant humanis oculis, atque ita in fictionibus suis effugiant eorumdem correctionem aut censuram; nihil id eis proderit coram Deo, qui omnia intuetur, omnia novit, & omnia potest.

504 Ast ne qui putent ex imperita plebe, verum esse quod Anonymus de Concilio Belgico & data sententia refert, exponam hic ad verbum testimonia sigillata subscriptaque manu duorum illustrissimorum Belgii Præsulum, atque per eorumdem Secretarios registrata.

Interp. *Ponerem hic ego etiam ipsa, nisi eu jam retulisset Papebrochius in Elucidatione Actorum num. 363. & 364. attestantia*, nullum e Tomis Papebrochii vel prohibuisse se, vel uspiam in Belgio prohibitum scire; *& addit Antverpiensis*, a plurimis eruditissimis piisque viris eos laudari, imo non modicum ex censura contra eos lata ortum fuisse scandalum, tam Catholicis quam Acatholicis. *His verbotenus productis pergit Xaramillus, & ait:*

507 Dicat nunc Anonymus, cui credat adhibendam esse fidem? duobusne tam illustribus tantæque auctoritatis Præsulibus, qui tot signis de Veritate nos certiores faciunt; an ei, qui, dum se vocat *Vocem Veritatis*, hanc offendit quam maxime, dum populos falsitatibus conatur intoxicare? Frigidus remansit Anonymus apud Vulcanum Belgicum seu rogum illum, qui non ambussit, imo nec tetigit opera Papebrochii: at timeat ne flatus irati Dei accendat ignem multo horribiliorem, torrendis iis, qui tam libere suis detractionibus invadunt lacerantque famam proximi.

Gazula confictu.

508 Parum visum fuerat, dictum Concilium & Sententiam Belgicam finxisse; fingit proinde alter Anonymus Gazulam quamdam novellariam, quæ trivialiter vagata est, videturque (quantum sonat) impressa Romæ. In ea sic buccinatur: *Die Lunæ præterito die 9. currentis mensis, Sacra Indicis Congregatio hanc Curiam replevit gaudio; quando promulgavit optatum prohibitionem Papebrochii, cui titulus est:* Propylæum ad Acta Sanctorum Maji, *Achilles totius Operis Papebrochiani, & smaragdus totius Jesuiticæ spei.*

509 Dico breviter, Romæ talem prohibitionem hactenus non esse promulgatam. Adhæc admirationem non modicam parit in illa Romana Curia libertas, qua per Hispaniam in ea materia spargitur tam palpabilis impostura, & prætenditur factum jam esse, quod nondum evenit. Materiam etiam risui subministrat, quod dicitur Propylæum *Smaragdus* esse *totius Jesuiticæ spei*, Esmeralda de todas las esperanças dela Compania.

510 R. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo Hispanice traductus, (*fol. 44. num.* 88.) non solum ait, Propylæum esse Romæ damnatum in totum; sed addit: *quamvis intercesserit mundus, ut corrigeretur, & correctum curreret; tum esse perversam ejus doctrinam, ut Ecclesia non permiserit currere ne unum quidem ejusdem folium.* Sed deceptus est P. Fr. Sebastianus: nam, quando hoc imprimitur initio anni 1697. Roma permittit illud currere per totum. Historias, quas in illo refert Papebrochius circa inter-Pontificia (monito prius Lectore quod sint acceptæ ex Anonymis) retractavit tamen, tamquam historias nullius auctoritatis. Atque ita sperat Auctor fore, ut tam hic suus Tomus quam reliqui permittantur currere ea forma, quam legitimis judicibus visum fuerit disponere.

Animadversio.

511 Quisquis animo pacatus, timens Deum, & indole tam honestus est, ut eum naturaliter puderet, actionem aliquam indecoram committere, præsertim si actio ista in publicum erumperet; habebit profecto, quod seorsim apud se expendat mireturque intrepidam illam animositatem, qua præfati auctores passim per orbem evulgant buccinantque Concilia Episcoporum, eorumdem sententias, & Romanorum Pontificum Decreta, quæ contra Papebrochium non prodierunt, nec fuerunt in rerum natura. Videntur Auctores isti (quantum quidem ipsa facta manifeste evincunt) pluris æstimare, si in aliquorum opinione tantisper

pa-

patiatur Papebrochius, quam si brevi post stupentibus universis pateseant suæ imposturæ. In simili casu S. Basilius lib. 2. dixit ad Eunomium. *Sicut in somniorum foro, vel ebriorum caucione, ubi nullus audiat aut intelligat quæ dicuntur; ita sufficere putas pro omni probatione, quod ipse dixeris.* Advertatur insuper: si veritas conculcatur in causa, cujus eventum, vel nolentibus adversariis, debet docere dies (uti de facto docuit, falsum esse, quod sparsum fuit de Belgio atque Roma) quid erit de punctis aliis, quæ non tam facile indagari, nedum verificari possunt? Quanta cautela opus erit in audienda quacumque contra Papebrochium accusatione? Si facta publica ac solennia, quæ numquam fuere, finguntur tamquam præterita, narrantur ut indubitata, ac referuntur ab auctore, quasi eorum testis ipse fuisset oculatus; colligat lector, qua fide quave sinceritate tot publici libelli contra Papebrochium sparsi retulerint ejus verba; & qua benignitate fuerint interpretati, quæ forte obscuriuscula videri poterant.

CAPUT XIX.

Contra comparationem, quam Accusatores instituunt inter Papebrochium & Hæreticos.

512 REverendissimi PP. Delatores, 2. parte suæ Accusationis anni 1691. (*ante folium* 1.) & auctor Vocis prætensæ veritatis (*fol.* 8.) videntur omnes vires exeruisse, ut probarent, Papebrochium accensendum esse Hæreticis. Paginas suorum foliorum dividunt in duas columnas: hinc in una verba ponunt, quæ ajunt, esse Summorum Pontificum; inde ex opposito in altera, verba, quæ iidem ajunt esse Papebrochii. Hæc autem associantes citationibus hæreticorum, insinuant his illum consentire, atque eadem opera dissentire definitionibus Apostolicis.

513 Ejusmodi dispositis forma eo tendit, ut Papebrochium coram mundo odiosum & abominabilem faciant. Rectene, an falso, decident legitimi judices. Respondebo ad verba formalia dictæ comparationis; atque argumenta nominabo ea singula, quæ ipsi allegant. Antequam tamen ea aggrediar, operæ pretium fuerit animum advertat lector ad sequentem animadversionem.

Animadversio.

514 REverendiss. PP. Fr. Joannes Gomez Barrientos, Fr. Josephus a Jesu Maria, & F. Didacus a Jesu, post finitam dictam comparationem sic ajunt. *Eadem ratione possemus plures Papebrochii Propositiones conferre, alias cum articulis Fidei, alias cum sacris Scripturis, alias cum Traditionibus, alias cum doctrina SS. Patrum. Et omnes profecto viderentur esse suspectæ, pleræque etiam fundatæ in execrabili auctoritate hæreticorum.* Possemus, inquiunt, eamdem collationem instituere cum veritatibus Fidei. Atqui oppositio ad has, & ad sacras Scripturas, ac Traditiones Catholicas, medium sane maxime aptum erat ad eum, qui accusatur, in classem hæreticorum transcribendum; uti & bene fundata ejusdem oppositionis apparentia, maxime apta est eumdem de hæresi suspectum reddere. Videmus tamen quod RR. Patres id omne omiserint, inhærentes solum hereditariæ successioni sancti Prophetæ Eliæ, aliisque punctis illam concernentibus: negant vero illam innumeri quoque Auctores Catholici celeberrimi, & orbe toto æstimatissimi. Quis igitur hinc quoque non facile dignoscat obstinatum Accusantium animum, exigatque, ut sine fuco respondeatur ad eorum argumenta. Ad hæc ergo pergamus.

ARGUMENTUM I.

Summi Pontifices.

515 QUindecim Summi Pontifices in Bullis asserunt, Carmelitas esse hereditarios successores SS. Prophetarum Eliæ & Elisæi. Ita Gregorius XIII. & alii 14.

Afficta Papebrochio.

PApebrochius dicit, Carmelitas, qui asserunt esse se hereditarios successores SS. Prophetarum Eliæ & Elisæi, esse Fabulatores, Falsarios & Impostores. Ita Wiclef & Heroldus hæretici & Sabellicus Rhapsodiator.

Responsio prima.

516 IN nullo ex tomis Papebrochii extat Propositio, quam Accusatores illi imponunt. Notare quandoque tractatum aliquem velut suppositium, & in eo punctum aliquod habere pro fabula, non est dicere, Fabulatorem, Falsarium, Impostorem esse eum, qui tractatum illum vel punctum sequitur. Baronius sæpe sæpius fert simile judicium de scriptionibus variis. Et jam vidimus, quod Acta, quæ curcunt sub nomine S. Silvestri, absque ambage censuerit deturpata multis mendaciis. Eodem modo Auctores alii super aliis libris mentem suam explicant: & in quovis disputandi genere nihil frequentius audimus, quam ut dicant uni, falsas esse Propositiones, quas alii sustinent esse veras. An ex eo præcise argues aliquis, quod ii, qui tales libros, scripta, propositiones negant, Assertores tractent ut Falsarios, Mendaces, Fabulatores? Nullo modo. Idem ergo dicatur de Papebrochio, nec a materiis transferatur crisis ad personas.

Responsio II.

517 REtorqueo argumentum. Successionem istam hereditariam, cum substantialibus Religionis votis, a temporibus Eliæ ad usque Legem gratiæ, negant Cardinales Bellarminus, Baronius, Bona, Capisucchus; Matthæus quoque Galenius, Basilius a Leone, Sotus, Medina, Canisius, Suarez, Vasquez, Illustrissimus Araujo; omnes denique quotquot tuentur præceptum nubendi in Lege antiqua; & quotquot primatum voti virginalis quoad tempus attribuunt B. Virgini; qui in quovis statu & quavis Religione tam sunt multi, ut vix numerum patiantur. Omnes ergo illi opponunt se quindecim Papis, qui præsertim post eorum tempora scripserunt, & conspirant cum hæreticis Wicleffo ac Heroldo? Certum est non fore, ut id concedant RR. PP. Delatores; multo minus, ut publico prælo similia parallela instituant adversus prædictos Auctores. Afferant ergo rationem disparitatis, cur ea fecerint contra Papebrochium, & cur plus roboris habeat tale argumentum contra solum illum, quam contra tot alios. Dum rationem tantæ disparitatis non adduxerint, nihil probat hoc illorum argumentum; transitque in dubiam quæstionem, quam resolvent alii,

Re-

Responsio III.

518 DUbitari non potest, quin anno 1636. Sacra Inquisitio condemnaverit Propositionem, quæ in antiqua Lege asserebat Monachatum cum votis substantialibus, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ. Non potest etiam dubitari de pietate, sapientia, & submissa erga decisiones Pontificias reverentia illorum, qui intra Ecclesiæ gremium existentes negant talem Monachatum. Si igitur a quindecim Papis decisum esset, quod Delatores prætendunt; quomodo aut unde Sancto Tribunali potuisset in mentem cadere, ut id tunc condemnaret; ac tot Catholicis doctissimisque Scriptoribus, ut idem impugnarent? Fierine potest, ut inter tot Pontifices nullus rem istam clarissimis verbis explicuerit; vel (si explicuit) ut nec Sanctum Officium, nec inter tot Auctores ullus id potuerit assequi? Hoc qui concesserit, dementer temerarius sit. Ergo pro dicta successiona hereditaria tot citare Pontifices; &, qui illam negavarit, conferre cum hæreticis; res est profecto, quæ multos respicit, & amplam discursibus præbeat materiem.

Responsio IV.

519 AUthentica nulla Bulla ostenditur, ubi (præter partem illam, quæ narrativa vocatur) legatur decisio, qua Summorum Pontificum aliquis declaret successionem illam hereditariam, ab Eliæ tempore usque modo non interruptam, & multo minus successionem status substantialiter religiosi cum tribus votis. Ostendatur vel una, ubi talis decisio habeatur: & tunc per Sedem Apostolicam evanescat, quidquid quoad hoc punctum contra scripserit, non jam dico Papebrochius, aut aliorum Ordinum non vulgares Auctores; sed quod expresse scriptum reliquerunt (*de divers. lib. tit.* 10. *cap.* 5.) S. Antoninus Florentinus. *De monte Carmelo, unde Carmelitæ dicuntur, non quod ab Elia habuerint initium*. S. Bonaventura (*lib.* 4. *dist.* 28. *q.* 6.) dum ait: *Nullus* (in antiqua Lege) *fuerat ausus hoc* (Virginitatem) *vovere*: denique quidquid de Sanctia aliis retulimus supra (*a num.* 173. *usque ad* 240.)

Responsio V.

520 IN Bullis, quæ allegantur, distinguenda est pars (ut vocant) narrativa, quam iisdem vel æquivalentibus verbis, quibus ipsa supplicatio porrecta est, solent summi Pontifices Bullis suis interere; distinguenda (inquam) est pars narrativa ab ea parte, quam vocamus decisivam, declarativam, vel concessivam. Successio autem hereditaria, de qua Delatores agunt, reperitur solum in quarumdam Bullarum narrativa, quæ per se solam non facit plenam probationem.

521 Est hic communis Doctorum sensus, approbante etiam Lezana Carmelita (*num.* 4. *super Mare magnum Carmelitarum*); & allegatum, in praximque reductum hodiedum videmus publice, in quadam petitione, 17. Octobris hujus anni 1696. facta, ac subscripta a Licentisso Domino Mathis de Cartea & Ybarra, super fundatione quadam in dominatu Biscajæ; estque ea petitio oblata nomine adm. Rev. P. Fr. Petri a Conceptione, Procuratoris Generalis Carmelitarum Discalceatorum; ubi leguntur verba sequentia. *Et quia sic etiam pars contraria pro se allegat Bullam Innocentii XI. ubi dicitur*
Opuscul. Collect.
specialis mentio fieri Carmelitarum Discalceatorum; patitur eumdem defectum, quod narrativa sit incerta, quæ facta est sua Sanctitati; & quod actu fraudulento composita fuerit, quasi Carmelitæ Discalceati specialiter comprehensi fuerint in prædictis Brevibus Clementis VIII. & Alexandri VII. Dum autem incerta est ista hypothesis, non potest contrariæ prætensioni favere.

522 Juxta hoc ergo in quibusdam casibus ausi sunt aliqui ad Sedem Apostolicam referre informationes, non incertas solum, sed astute ac fraudulenter compositas; ob quas præfatus Procurator Carmelitanus opponit se prætensioni, quam in prædictis Brevibus Pontificiis fundat firmatque adversa pars. Hoc posito, an fortassis recte faceret talis adversa pars, instituendo parallelum, quo verba Rev. P. Procuratoris opponeret verbis Pontificum; venerationem Papalibus rescriptis debitam, fraudulento astui quem Procurator allegat? Quando autem hoc fecisset, an etiam recte faceret, si ulterius pars illa progressa, citaret Rev. P. Procuratorem, velut conspirantem cum hostibus Ecclesiæ, in quorum opinione Bullæ Pontificiæ non sunt nisi figmenta artificiosæ seu fraudulentæ astutiæ? Certum est, non recte, imo facturum pessime, ob rationes consideranti cuique accursuras. Regnet igitur ubique, & apud omnes vim suam obtineat justitia; permittatur etiam Papebrochius narrativam distinguere a decisiva; Paparum verba propria secernere ab alienis, quæ in medium ipsi proferunt; &, quando adigitur a veritate, sinatur dicere: Non est firmum, Non est certum id quod narrativa refert, præsertim dum nullibi gratias ac privilegia, a veris Bullis concessa negat, quin fateatur potius, esse certissima merita, quibus tam illustris Ordo ad ea possit adspirare.

Ultima responsio.

523 REspondeat denique doctissimus ac RR. P. M. Fr. Franciscus Bordonus, Provincialis & Definitor S. Officii, qui Tom. 5. de Professione Regularium (*Cap.* 1. *pag.* 248. *a n.* 54.) agit de antiquitate Carmeli, & hereditaria successione, quam Carmelitæ ab ipso Elia prætendunt; & respondens ad ea, quæ Anonymus quidam obiicit de Bullis Pontificiis quæ allegantur, deque variis punctis S. Alberti, negat dictam antiquitatem; dicitque non posse Carmelitas descendere ab Elia per generationem moralem, id est, per generationem quæ innitatur professioni, regulis & statui religioso, quæ a sancto Propheta acceperint; & ab illo descendere solum per denominationem ac imitationem, in quantum imitantur illum austeritate, continentia, aliisque exercitiis spiritualibus. Addit insuper, in eum sensum intelligendos esse Patres, Doctores & Pontifices, quorum verbis intentant probare dictam successionem.

524 Sententiam suam illustrat dictus Bordonus variis textibus, citatis ex S. Scriptura, ex Breviario Ecclesiæ, S. Thoma, aliisque præclaris Doctoribus. Tantumque abest, ut per hoc putet accedere se ad doctrinam Hæreticorum, ut etiam addat hæc notabilia verba: *Hujusmodi successionem aliter intelligere non potuerunt, nisi secundum denominationem & imitationem, non autem de generativa secundum religiosam propagationem; ne videantur negare exordium en-*

juslibet Religionis, vere & proprie acceptæ, esse a Christo Domino (quod hæresis esset) contra Magdeburgenses, negantes, statum Religiosum in primitiva Ecclesia prodeuntem a Christo, & asserentes esse inventum hominum, quam hæresim Bellarminus Cap. 5. de Monach. confutat.

525 Negat item Auctor, ante Christum potuisse quempiam dici Christianum *in re*, quod probat ex sacra Scriptura; & postquam adversarium suum redarguisset circa varia puncta, quibus videbatur subesse error, concludit, & ait. *Nos non cupida avitæ nobilitatis tenet; sed hæc referre veritas ipsa cogit*. Deinde statuens unicam ac primam Regulam Carmelitarum fuisse & esse eam, quam a S. Alberto acceperunt, post annum 1204. confirmatam postmodum ab Honorio sub annum 1226. sic denique pergit: *Hæc conclusio omnino certa probatur ex hactenus dictis*.

526 Tomus, quo dicta hæc omnia continentur, impressus est anno 1665. Nemo tamen illum accusat, nemo defert; nemo criminatur Auctorem, tamquam qui recedat a Pontificibus & ad Hæreticos accedat. Hic Mundum appello arbitrum, ut discutiat unusquisque, qua ratione, qua æquitate Papebrochius, qui eadem quæ ille dicit, traducatur, ut talis auctor, qui parallele mereatur conferri cum oppugnatoribus Fidei, & pessimis quibusque Hæreticis.

ARGUMENTUM II.

Summi Pontifices.

527 QUindecim summi Pontifices approbant & confirmant Summarium Indulgentiarum, quod incipit, *Leo Papa IV.* &c. Sic Clemens X. aliique duodecim.

Afficta Papebrochio.

S*Ummarium Indulgentiarum, quod incipit*, Leo Papa IV. *&c. est apocryphum & confictum ab aliquo Pseudo Leone. Colligitur ex Wicleffo, Luthero & Heroldo Lubecano.*

Responsio.

528 REspondetur, Papebrochium non negare Indulgentias, quas Pontifices Leone posteriores concessere; quia facile se mutuo compatiuntur ista duo, & quod hi veras concedant, quin & confirment eas, quæ prius ferebantur sub nomine Leonis IV. intendendo supplere qualemcumque defectum; & quod aliunde gravia subsint fundamenta, cur Summarium præfati Leonis habeatur pro apocrypho.

Fundamentum I.

529 LEo IV. rexit Ecclesiam ab anno 847. ad 855. Nunc quæritur: ubi terrarum vel in qua mundi parte extabant ecclesiæ Carmelitarum aut conventus, in quorum favorem concessæ fuerint istæ Indulgentiæ? Non in Europa: nam si pro fundatione conventus Florentini recurratur ad annum 723. negant hanc eruditi istius ejusdem civitatis Scriptores ad unum omnes, ita ut nullus contrarium sentiat. Hoc apud quemlibet multum ponderis habere debet, cum ii sint Scriptores, penes quos fere sunt monumenta & archiva perinsignis illius civitatis. Recurrere ad alias in Europa ecclesias, non nisi arbitrarium videtur. Tom. 1. Apr. (*pag. 792. num. 104.*) offert Papebrochius hoc ipsum demonstrare; videri autem poterit demonstratio, quam reapse facit Cap. 2. Tractatus præliminaris ante Tomum 2. Aprilis.

530 Non etiam in Asia extabant tempore istius Leonis, similes Carmelitarum conventus: nam loco citato ait Papebrochius, quod nec ipsi Carmelitæ negabunt, monasteria, quæ tunc erant in Asia, inhabitata fuisse ab aliis, qui tum temporis frequenter erant Schismatici, dependebantque a suis Patriarchis & Episcopis. Hi vero, cum vix ferrent, ut ad Cathedram S. Petri accurreretur pro gravissimis fidei negotiis, qui ferrent id fieri pro consequendis Indulgentiis?

Fundamentum II.

531 ANastasius Bibliothecarius, contemporaneus fuit Leonis IV. cujus vitam scripsit copiose. In illa minutim notavit ea beneficia, quæ Pontifex ille concessit; personas quoque & loca, quibus concessit: nihilominus nec in hac, nec in alia Prædecessorum illius, imo nec in quinque vel quatuor, qui Leoni IV. immediate successerunt, historia, fit ullius Indulgentiæ vel minimæ mentio? & (quod plus est) ne in antiquis quidem Formulariis (quæ asservantur in Vaticano) reperire est ejusmodi mentionem. Hinc quis neget legitime inferri, cum omni eo tempore nulla legatur alicui Ecclesiæ Romanæ concessa Indulgentia, non esse præsumendum, quod concessa fuerit Carmelitis, quorum nullam tunc mentionem fecerit scriptor aliquis Europæus?

Fundamentum III.

532 IN supra dicto Summario Leonis IV. conceduntur 7. anni & 12. quadragenæ omnibus, dicti Ordinis ecclesias visitantibus, conferentibus eleemosynas, vel domos restaurantibus. Lezana tamen ad annum Christi 1245. num. 7. meminit cujusdam Bullæ Innocentii IV. qua omnibus vere contritis & confessis, iis qui opera caritatis præstiterint Carmelitis, misericorditer concedit relaxationis, pœnæ correspondentis, decem dies.

533 Notat hic Papebrochius (*Tom. 1. Apr. pag. 792. num. 102.*) & ait: *Videat nunc Lector, utrum hæc parvitas cum ea conveniat largitate, quæ uni eidemque Pontifici in eadem causa supra tribuitur . . . . . Quid enim Carmelitis opus erat solicitare Pontificem pro parvis decem dierum Indulgentia, cum onere Confessionis præmittendæ; si certi erant de obtentis ante annos circiter quadringentos, pro eadem causa & absque tali onere, Indulgentiis annorum septem & duodecim quadragenarum?*

Fundamentum IV.

534 DIctum Summarium incipit ab his verbis, *Leo Papa IV.* atqui ad id temporis usque, nullus unquam Pontifex sic Bullas suas ordiebatur; sed his verbis: *N. Episcopus servus Servorum Dei*. Vide, quotquot Bullas noni seculi aut huic vicinas adfert Ughellus. Hac autem ordiendi formula creduntur omnes post S. Gregorium Magnum probabiliter usi fuisse; qui ad comprimendam arrogantiam Joannis Constantinopolitani, assumentis sibi titulum Patriarchæ Universalis, cœpit per summam animi demissionem humillimum hunc sibi titulum assumere, *Servus Servorum Dei*. Et videtur in simili istius Bullæ exordio singulariter eluxisse illius providentia; qua scilicet

per

per illud, veræ & omnino certæ discernerentur ab aliis, quæ tales non sunt.

Fundamentum v.

535 SIxtus IV. anno 1476. expedivit diploma, quod a Carmelitis partim vocatur *Mare Magnum*. Inseruntur ibi magna & multa privilegia, iisque annexæ suæ Bullæ de verbo ad verbum, diligenter prius examinatæ in Cancellaria. Omnes illæ Bullæ sunt Pontificum, non noteriorum Innocentio IV. qui quatuor fere seculis posterior fuit Leone IV. de cujus Summario non fit ibi mentio. Ergo dictum Summarium patitur suspicionem.

536 Verum quidem est, quod ipse M. Fr. Emmanuel Rodriguez, qui dictam Bullam Sixti IV. refert, adducat etiam ejusdem Diploma alterum, in quo fit mentio Bullæ Leonis IV. at stylo admodum diverso. Aliorum namque Pontificum Bullas ponit integras, non item Bullam Leonis IV. solum vult, ut habeatur pro inserta, acsi de verbo ad verbum exprimeretur, idque in fide & verbo Generalis Martignoni, sic affirmantis. At hoc ipsum suscitat & auget dubitationem. Si namque aliorum Pontificum Bullæ, sive originales, sive authenticæ earum copiæ, fuerunt præsentatæ, cur non præsentata fuit & illa Leonis IV. ut eam cum reliquis in eadem Cancellaria discussam Sixtus IV. insereret suæ? Cur Lezana in suis Annalibus (ad quem de mandato sui Generalis in illum finem transmissa sunt instrumenta & archiva omnia totius Ordinis sui) non exponit integra tot Bullarum exemplaria, quæ citantur in Bulla Sixti, præsertim cum conducant ad probandam prætensam Antiquitatem? Fierine potest, ut tempore Martignoni omnes illæ invenirentur in Ordinis conventibus, ad eas mox Sixto IV. sic exhibendas, & exinde usque huc omnes evanuerint aut irrecuperabiliter perierint?

Fundamentum vi.

537 QUando Lezana anno 1648. Romæ impressit Tomum 5. de Summa quæstionum Regularium, non ausus est in illo imprimere istam secundam Bullam Sixti IV. ubi fit mentio de Bulla Leonis IV. Nec etiam decem post annis inseruit illam Annalium suorum Tomo primo; sed aliquam solum ejus mentionem fecit, ubi pervenit ad annum 847. fretus auctoritate Mantuani. Agens autem Tomo 4. de Pontificatu Sixti, ubi nata erat occasio loquendi de secunda ista illius Bulla, rigidum servat super ea silentium; & loquitur solum de prima, in qua referuntur Bullæ Pontificum, Innocentio IV. posteriorum, qui Carmelitas in Europa tempore suo fore subsecuti. Profecto Bullam Leonis IV. si firmam ac constantem habuisset Lezana, retulisset eam indubie, ut quam maxime & præcipue facientem ad intentum Antiquitatis probandæ.

Fundamentum vii. *& ultimum*.

538 POst obitum S. Alberti celebratum est Generale Concilium Lateranense anno 1215. occasione vero cujusdam ejus Decreti de non admittendis novis Religionibus, motæ sunt adversus Carmelitas nonnullæ molestiæ; quæ in causa fuerunt, ut ad Sedem Apostolicam Prior Carmeli, cum Fratribus suis, recurrerint pro remedio. Ad hoc porro obtinendum, non leguntur ullibi allegasse Ordinis Antiquitatem, nec innumera puncta alia, quæ Lezana super dicta antiquitate profert. Non etiam leguntur pro Regula allegasse librum Joannis Hierosolymitani ad Capralium; nec allegarunt Regulam S. Basilii, Oriente toto notissimam probatissimamque; quæ tamen admodum efficax fuisset ad persuadendum, esse se de numero Religionum antiquarum, non autem novarum, quas induci Concilium nolebat.

539 Quid igitur allegarunt? Declarat hoc Honorius III. in Bulla, data 18. Febr. 1226. sequentibus verbis: *Honorius Episcopus, servus Servorum Dei: Dilectis Filiis Priori & Fratribus Eremitolis Montis Carmeli, salutem & Apostolicam Benedictionem. Ut vos & successores vestri deinceps observetis, quantum per Dei gratiam fieri poterit, vivendi normam regulariter stabilitam per Patriarcham Hierasolymitanum P. M. quam dicitis, quod humiliter receperitis ante Concilium Generale, eam vobis imponimus pro remissione vestrorum peccatorum.* Hæc omnium prima Bulla est, quæ cum firmitudine legatur esse concessa Carmelitis; qui in tanto discrimine (quantum erat quod agitaretur de eorumdem extinctione) unice quærebant approbationem Pontificiam; nihil soliciti de alleganda antiquitate sua ab Elia usque ad Christum, nec a Christo usque ad Honorium, neque etiam de Bulla Leonis IV. Atque adeo nihil mirum est, illam a Papebrochio haberi pro apocrypha.

540 Quod attinet ad Wicleffi, Lutheri & Heroldi Lutherani comparationem, quam RR. PP. Delatores faciunt, pro responso exigo, ut Delatores locum assignent, ubi dicti Hæretici agant de Summario Leonis IV. satisfaciant insuper rationi, cur Papebrochium dicant sententiam suam probare ex Hæreticis, & non potius ex solidis argumentis, Auctoribusque in responsione ad primum argumentum, aliisque sparsim in hac Apologia citatis, atque citandis multo pluribus, si animus vel intentio foret dictam antiquitatem impugnandi. Præterea Delatoribus ex necessitate incumbit probare, cur solum Papebrochium, & non item celeberrimos Auctores alios, qui illi in opinione sua præluxerunt, associent hæreticis.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Summi Pontifices.

541 QUindecim summi Pontifices approbant & confirmant constantem & perpetuam traditionam Ordinis Carmelitarum, extensi a mari usque ad mare, per suam antiquitatem. Sic Sixtus IV. & alii quatuordecim.

Afficta Papebrochio.

P*apebrochius ait, talem traditionem non fundari nisi in levissimis conjecturis ac rumusculis male combinatis. Sic Heroldus Lutheranus, & Centuriatores, per consequentiam eorum, quæ ipsi dicunt.*

Responsio.

542 REspondeo, Sixtum IV. meminisse, non solum Eliæ & Elisæi, sed etiam Enochi, qui sexcentis annis & quinquaginta ante Diluvium universale fuerat translatus; atque adeo præfata antiquitas cum lucro excurret ad annos bis mille plures, quam prætenditur.

543 Dicere autem, quod iste Enoch non fuerit ille Propheta veteris Testamenti, cujus meminit liber Geneseos; sed alius quidam Enoch

ab Amathim, disèipulus Christi & S. Marci socius, us vult Palæonydorus Carmelita; videtur longe quæsitum & arbitrarium effugium, nec antiquis & fide dignis Historiia nixum; imo pugnare videsur contra contextum ipsius Bullæ Grammaticalem, ubl, facta Propbetarum mentione, nominantur Elias, Elisæus & Enoch.

544 Lezana Carmelita Tomo 2. a fol. 115. agit de Enoch ab Amathim, dicitque mortuum eum esse 7. Julii anno Domini 64. fuisse unum ex 72. discipulis Christi; in electionis ordine septimum; & Episcopum Nicopoleos fuisse creatum, par tres annos. Hoc totum Lezana fundat in Palæonydoro Carmelita; quamvis hujus auctoritati videatur non multum fidere dicens. *Si verum est, quod Joannes Palæonyderus lib. 2. cap. 2. asseruit; videlicet, Enocb de Amathim Carmeli Fratrum Rectorem & Præpositum circa boc tempus fuisse*, id est, circa annum Cbristi 36, Si auctor domesticos ac ralis, qualis Lezana reputatur, dubitar, verumne sis, quod Palæonydorus narrat de isto Enoch; cur oculos suos reliqui debeant aperire, ut solummodo legans, & mox claudere ut credant; nec possint dubitare, suumque expromere sensum?

545 Sed hoc etiam seposito, sit hoc enthymema: Carmelitæ, ut stabiliant id, quod de tali Enoch fertur, vel habens fide dignum Auctorem, Palæonydoro antiquiorem, & dicto Enocho contemporaneum, aut certa valde vicinum; vel non habent: si habens, cur non producunr? prodesses id enim & Ordini singulariter, & communiter aliis, pro elucidandis multis historiis. St non habent; judicet Lector, & judicet Orbis, quæ & quanta auctorisas queat esse unius Palæonydori, ut in historiam invehat hominem, cujus nemo anterius maminit ab annis jam ferme mille quingentis? Enoch ab Amatbim dicitur Carmeli Prior fuisse anno Christi 36. Palæonydorus scripsit hanc historiam anno 1495. & hæc impressa est prima vice Moguntiæ anno 1497. unde usque ad annum Christi 36. numerantur anni 1471. Hac tanti temporis intercapedine descripserunt Historici, Annalistæ & Cbronologi, quæ suo cujusque tempore contigere; nullam tamen vel minimam mentionem fecerunt de tali Enoch ab Amathim. Unda igitur exsuxis eum Palæonydorus? Posset hujus Auctoris ingenium graeillissima fila nendo ducere, & artes adinvenira; at non per ætates singulas introducere viros, qui historiis materiem idoneam subministrent. Hæc & his similia, nisi vel sensibus percipiantur, vel testimoniis, auctoritate, aut traditione fide dignia probentur, merito negantur ac rejiciunsur us apocrypha. Qui namque post multa decursa secula primus fuerit in similibus referendus, examinandus atque interrogandus est, quo nixus fundamento id faciat.

546 Adhæc: Sixtus IV. (cujus Bulla nominas Eliam, Eliseum, & Enochum) Pontifex creatus est anno 1471. & 1477. expedivit præfatam Bullam, viginti annia antequam Palæonydorus suam evulgaret Historiam. Igitur, si ante ejus evulgationem nondum in mundo notus eras Enocb ab Amatbim, nec ullus auctor catenus illius memineras, non poruit Papa ad illum respicere, at solummodo ad Enoch veteris Testamenti, qui tunc solus cognitus erat.

547 Auctores denique, qui post Palæonydorum & ante Papebrochium impugnant ralem antiquitatem, non formidant eam, uti & Enochum ab Amathim negare, nec Palæonydoro dant victas manus, mulio minus repugnant Pontificibus, nec sequuntur Lutheranos aut Centuriatores. Dicant ergo Delatores, cur solum Papebrochium constituant reum. Interim reproducant hic iterum id omne, quod responsum est ad primum argumentum.

ARGUMENTUM QUARTUM.

Summi Pontifices.

548 ANnis ante Alexandrum III. trecentis, Leo Papa IV. concessit Indulgentiam visitantibus Ecclesias B. Virginis de Monte Carmelo. Ita Clemens X. aliique duodecim.

Afficta Papebrochio.

ORdo Carmelitarum non fuit ante Alexandrum III. nec ante Aymericum Patriarcham Antiochenum, qui vixit istius Pontificis tempore. Colligitur ex Wiclef & Heroldo Lutherano.

Responsio prima.

549 SIcuti Accolatores unam eamdemque rem variata phrasi repetunt, ut Papebrochius hæreticorum sequax audiat & habeatur; ita nos convenit illos imitari, vel dicta repetendo, vel ad ea remittendo. Sit igitur pro prima ad hoc argumentum responsione, quidquid responsum fuir ad secundum; ubi actum fuis de Summario Leonis IV. & de ceteris, quæ a principio Collationis, inter Papebrochium & hæreticos institutæ, ponderata suns, rationihus atque Auctoribus adductis, dum egimos de voto virginitaris, de talis voti primatu quem B. Virgo quoad rempus habuis, de votis antiquæ Legis, & de libro Joannis Hierosolymitani.

Responsio II.

550 NEc Baronius, nec Torniellus, nec Spondanus, nec Bordonus, nec alii multi Scriptores eruditissimi, ignorarunt Bullas illas, quas allegat hoc quartum Argumentum: negans nibilominus id, quod Carmelitæ prætendunt, nec tamen sequuntur in eo errores Wicleffi vel alterius cujusvis hæretici. Audiant Baronium, qui Tomo 12. (*ad annum 1181. fol. 747.*) sic habes. *Antequam ab Alexandro ad ejus successorem convertamur orationem, constantior videtur illa assertio, quod Ordo Religiosorum Carmelitarum, qui in Palæstina in ipso Carmelo Monte finere sedes, sub eodem Alexandro Romano Pontifice sumpsit originem; quoto autem anno ejus Pontificatus, babetur incertum. Horum autem promotor, propagator & custos fuit ille, qui fungebatur in Oriente legatione Apostolicæ Sedis, Aymericus Patriarcha Antiocbenus.*

551 Habent hic PP. Delatores formalissima verba, quibus utuntur in quarto suo Argumento. In eorum ergo opinione Baronius, quique hunc sequuntur illustres Auctores, sectarii sunt Wicleffi ac Lutheranorum. Consequentia (si illorum arguendi modum spectas) recte infertur; attamen certo persuasum habeo, illam eos negaturos: nec enim tantopere delirabuos, ut ausins talem ac tantum Purpuratum maculare, aut eorum etiam, qui illum sequuntur, pietatem doctrinamque offuscare. Dicant igitur RR. PP. Delatores, cur tali arguendi modo utan-

utantur adversus solum Papebrochium? Vel hunc ab accusatione liberum dimittant, vel eadem involvant Baronium aliosque Auctores, quorum [si fuerit opus] pro eadem opinione Catalogus formabitur. Quod aliter fit, vocatur acceptio personarum; quæ cuivis accusatori numquam licita est: hoc enim perinde est ac velle, ut una eademque opinio laudabilis sit in unis, in aliis vero vituperabilis: est denique velle, ut mensura delicti sumatur, non a ratione, non etiam a judicantium æquitate, sed a sola opinantis persona. Talis accusandi modus juxta S. Augustinum non proficiscitur a ratione, nec a regula sacræ Scripturæ, sed a propria voluntate cum admixtione fraudulenti astus.

552 Ad id, quod de Clemente X. aliisque Pontificibus dicitur, respondet cum aliis auctoribus multis Papebrochius, perquam bene subsistere; ut Indulgentiæ sint concessæ vel confirmatæ ob certa quædam cujuspiam Religionis merita, & interim suæ integritati relinquantur antiquæ relationes aliæ.

ARGUMENTUM QUINTUM.

Summi Pontifices.

553 CArmelitæ, qui dicunt suum Patrem esse Eliam, florent magno numero Religiosorum eruditorum & illustris doctrinæ. Ita Joannes XXII. Paulus V. Sixtus IV. & Clemens VIII.

Afficta Papebrochio.

CArmelitæ, qui asserunt esse Eliam suum Patrem, sunt ignorantes, indocti, garruli, fabularum novarum fabricatores. Colligitur ex Wiclef, aliisque Hæreticis.

Responsio I.

554 IN Papebrochio nullibi invenietur propositio, quam hoc argumentum illi attribuit; sed multa potius elogia ac laudes totius Ordinis & Carmelitarum in communi. Hæc est quæstio facti; &, nisi citentur tomus, folium, & numerus, cum ipsis Papebrochii verbis Latinis, dicimus imposturam esse id quod hic illi imputatur. Animadvertendum est autem, quod [casu quo Papebrochius unum alterumve in particulari Carmelitam impugnasset, & similia verba contra dictos particulares proferrentur] æquum tamen non esset, nec rationi consentaneum, eadem illius nomine universaliter & indefinite transferre in Ordinem totum, seu communiter in omnes ejusdem Ordinis Religiosos.

Responsio II.

555 ACcusatio hæc, præterquem quod loquatur de suo Ordine in communi, nullam distinguit materiam; quod tantumdem est, ac si dicat, Papebrochium auctorem esse turbulentum & arrogantem; qui per intolerabilem passionem, RR. Patribus Carmelitis sapientiam & doctrinam deroget, in quovis litterarum sive humanarum sive divinarum genere: atqui hoc est falsissimum; nec locus exhibebitur, ubi simile quid scribat.

556 In puncto quidem antiquitatis notat Auctores aliquos, qui illam tuentur, tamquam non admodum in Historico-criticis versatos; idque propter validissimas rationes ac celeberrimos Auctores, illis Auctoribus adversantes, quos ipsi pro prætensa sua antiquitate allegant.

557 Jam vidimus, quid circa librum Joannis Hierosolymitani sentiant Eminentissimi Cardinales Baronius, Bellarminus, Bona, Capisuccbus, aliique eruditissimi Scriptores. Vidimus etiam, quomodo dictam antiquitatem, quoad quædam puncta, Rev. P. Fr. Franciscus a S. Maria vocaverit *umbram sine re*; item *somnia* Rev. P. Fr. Ludovicus a S. Jacobo, ambo Carmelitæ. Ughellus, singulari ingenio & modestia vir, quædam, quæ in vita S. Alberti scripsere Carmelitæ aliqui, quoad punctum antiquitatis, velut minime verosimilia improbavit adeo, ut [*in sacra Italia sua tom. 4. col.* 1096.] non dubitaverit dicere, *quod portentosas de Alberto narrationes instituerunt*. R. P. Fr. Ludovicus a S. Theresia, Carmelita discalceatus, ac primarius Provinciæ Franciæ Definitor, tanti fecit ea, quæ præfatus Ughellus refert in vita S. Alberti, ut [quamvis in Ordine communiter eidem contradicatur] non hæsitaverit tamen dubius, quin solam illam transferret in linguam Gallicam, reliquis historiis omnibus omissis.

558 Tributum hoc veritati pendere debet, quisquis historicam profitetur; nec in lucem edere, nisi quod ut genuinum ejusdem esse partum judicaverit. Dum autem scriptionis qualitas requirit judicium super se institui; quemadmodum auctor sequi debet id quod judicat esse verum, sic etiam pro publico debet formare crisim, qua dicat, quid habeat pro dubio, quid pro improbabili, quid pro fabuloso. Nec potest de eo quisquam rationabiliter conqueri; dummodo judicium quod formatur, & censura quæ datur, non excedant terminos, quos veritas pro sui elucidatione exigit. At ubi judicium criticum illos non excesserit, non erit rationi consonum, ut crisis habeatur pro injuria, aut offendantur illi, qui eos sequuntur libros, super quos crisis cadit.

559 Eminentissimus Bona, Tomo 2. de divina Psalmodia, per paginas 48. omnium Auctorum, quos citat, crisim facit, notans in unis excellentias, defectus in aliis. Baronius in Præfatione primi Tomi suorum Annalium, ac pluribus aliis locis, deflet nimiam credulitatem, qua quidam se dederunt scribendis historiis; ac facilitatem, qua crediderunt aliis; explicatque suum sensum terminis admodum significativis; hactenus tamen nemo super eo questus est, quasi injuriam passus. Audiamus illum in uno alterove loco, ut clarius appareat insubsistentia, non solum hujus quarti Argumenti, sed ceterorum etiam, quæ Delatores parallelo suo, inter Papebrochium & Hæreticos facto, includunt.

560 Dictæ Præfationis folio 1. ostensurus, quam male quædam historiæ fundatæ sint, sic ait: *At major ex aliis atque ex nostris ipsis, qui in eo scribendi genere versati sunt, quam ex Hæreticis (nostra quidem sententia) superest labor: cum (liceat ingenue fateri) nulla res in Ecclesia ita hactenus negligi visa sit, ac rerum Ecclesiasticarum gestarum vera, certa, atque exacta diligentia perquisita narratio.* Et quousque (putamus) excreverit major ille labor, vel quos effectus produxerit illa, quam Baronius ponderat, negligentia? Idem ibidem id explicat signanter his verbis. *Quod si posteriores rerum Ecclesiasticarum historicos consulas, magnam pro-*

fectio eorum esse classem intelliges, qui absque delectu, quacumque vel ab aliis scripta ad manus eorum venerint, vel levi auditu perceperint, conscripserunt; & absque aliqua altiori veritatis indagine sæpe aniles fabulas, senum deliramenta, vulgi rumores, non sine magno cæterarum rerum solida firmitate subsistentium præjudicio intexuerunt.

561 Arguant nunc RR. PP. Delatores Baronium; & propter censuram [qua historias quasdam notas esse permixtas fabulis & deliriis, quibusque defuerit altior veritatis indago] accusent illum, quod eos, qui illa sequuntur, qualificet velut *ignorantes, indoctos, garrulos, fabularum & novorum fabricatores; & quod hoc totum colligatur ex Wiclef aliisque Hæreticis*. Si hanc Baronii cum hæreticis collationem non faciunt nec facient, licet etiam non fuisset Cardinalis, cur eam faciunt respectu Papebrochii? Nam Purpuram nondum induerat, quando [*Tomo 6, ad annum* 444.] super puncto Antiquitatis Carmelitica, terminis profecto usus est, quibus clariores ad explanandum suum sensum laboraret quilibet invenire. Et quamquam illum impugnaverit Alegræus Carmelita in suo Paradiso, non desinit & hic esse prohibitus, & laudari Baronius; nec ejus impugnatio obtinuit, ut idem Baronius cum Wicleffo aliisque hæreticis conferretur. Si reponitur, quod Baronius nemini injurius fuerit, quia scripsit animo dumtaxat sequendi & poblicandi id quod judicabat esse verum; is ipse fuit animus & intentum Papebrochii.

562 Baronius in apparatu 1. Tomi (*pag.* 24. *num.* 69.) super quodam puncto; sic dixit: *Inviti adhuc disquirenda trahimur, nec aliqua perciti altercandi libidine; sed quod ex ratione instituti, pro veritate elucidanda, adversus quoscumque obniti oportet, necessitate quadam invenimur adstricti*. Hoc ipsum dicit Papebrochius innumeris Tomorum suorum locis, præsertim ubi occurrit de punctis antiquitatem Carmeli concernentibus agere, uti videre est in vita S. Alberti. Ibi num. 10. profitetur de Sancto se scribere, partim ut præteritis querelis satisfiat, exortis a silentio, quod servaverat causa pacis ad evitandas contentiones; partim ut certiorum Historiarum veritatem sartam tectamque proferret in medium. Num. 42. fatetur, non obstitisse sibi contradictiones, quas continuata ab Elia successio videbatur involvere, quo minus de ea ageret; rogat etiam, ut ne quoad hoc punctum citaretur suum nomen: unam solum gratiam sibi fieri postulat a PP. Carmelitis, ut patienter scilicet ferant, quod ex illorum Ordine, quos illustrat, quibusdam non adscribat titulum Sanctorum, donec de veritate certius sibi constiterit.

563 Num. 43. dicit, Regulam S. Alberti oportere lapidem Lydium esse, unde agnoscatur, num se ad scribendum impulerit veritatis desiderium, an affectus aliquis inordinatus; tum addit: *Deus, qui sincerissima Veritas est & absolutissima Caritas, stylum dirigat, ut nihil a Veritate dissonum, nihil Caritati contrarium scribam. Idem faciat, ut ii, quorum causa laborem hunc sumo, diu ac sæpe declinatum, sic deinceps in suo abundent sensu, ut veteribus novisque fictionibus repudiatis (quarum justa accusatio multo magis ipsorum causæ officit, quam alia quæcumque adversantium argumenta) felicitori, si fieri potest, via progrediantur ad conciliandam veresimilitudinem traditionibus suis*. Idem fere, verbis valde modestis, repetit num. 143. in fine.

564 Denique num. 142. postquam retulisset Regulam S. Alberti, & variorum Pontificum super ea approbationem; & Antiquitatis punctum tractasset erudite sane & fuse, sic concludit Papebrochius num. 142. *Eam historiam, quod ex coævorum scriptorum monumentis maluerim petere, quam ex diu post compositis Auctorum supposititiorum narrationibus, inter se atque cum veritate pugnantibus, nemo reprehendet, qui lucem diliget & veritatem, si supposititios dixi, coegit eorum falsitas evidenter cognita neque ulterius dissimulanda, nisi pro aliena gloria invido traduci me vellem, qui possim & nolim Eliana successionis certitudinem meo suffragio stabilire. Non ipsam oppugnatum veni, sed quæsitum firmiora documenta, quam quibus alii innixi toties & tam turpiter, ut ostensum est, corruerunt. Quod nulla invenerim, infelicitati meæ, & eorum, quibus operam hanc impensam volui, imputetur potius, quam caritas violetur. In iis saltem, quæ temporum nostrorum cognitioni propius adjacent, non frustra videor laborasse. Si alius felicier uspiam habet servatque idonea pro seculis Bertholdum prægressis successionis quæsitæ testimonia, succurrat nobis & sanctissimo Ordini, antiquioris Originis probandæ cupientissimo. Interim, dum prodit nemo, nec proditurum quemquam persuadet irritus hactenus scrutantium labor & in scrutinio deficientium; faciamus Historiæ Carmelitanæ initium in Bertholdo & Brocardo, in quibus indubitabilis de ea cognitionis invenitur principium; neque intendamus (sicut monet Apostolus) genealogiis interminatis, quæ quæstiones magis præstant quam ædificationem Dei.*

565 Quia ex his, aliisque multis (quæ possent adferri) clausulis non advertas repugnantiam, qua ægra adeo aggressus est tractatum de antiquitate Carmeli Papebrochius? Quis non videat, uti invitum Baronium ad illud aliud punctum traxit necessitas, ita ad hoc invitum quoque tractum fuisse Papebrochium? Quis uni & alteri denegabit amorem veritatis, & hujus manifestandæ firmissimum animum? Quis præter hæc non considerabit silentium, quod Papebrochius imposuerat ipse sibi, conatus pacis causa ab hac controversia declinare ad evitandas offensiones? Hoc cum ita sit, & cum in circumstantiis hujus particularis puncti Papebrochius assimiletur adeo Baronio; quæritur, cur eadem, quæ prius Baronius, & post hunc dixit Papebrochius, nempe de libro Joannis Hierosolymitani, de Cyrilli Monachatu, de inhabitatione Carmeli, de ejusdem denique antiquitate; cur, inquam, eadem placeant in Baronio, & in Papebrochio displiceant, præsertim cum hic plures addat auctores & plura instrumenta? Quis veritatem pro Baronio constituit supremam dominam, ut sensum suum libere explicaret; ancillam autem & vile mancipium pro Papebrochio, ut ex servili & indigno metu contra scriberet quam sentiret?

566 Adhæc: Quis congruum argumentum afferet quo probet, dum unum idemque circa hoc particulare punctum dicunt Baronius & Papebrochius; illum esse optime Catholicum,

hunc

hunc vero ſequacem Hæreticorum? Inſuper. Qui fieri poteſt, ut, dum Papebrochius ea dicit, quæ clare, expreſſe & formaliter dicunt tot Cardinales aliique præclariſſimi Doctores, ſuper antiquitate Carmeli, Veteri Monachatu, atque aliis punctis eo ſpectantibus; non ſufficiat illi ut promereatur nomen Catholici, dicatarque cum tot Catbolicis Catbolice ſentire; ſufficiat autem, negare, quod & iſti iidem negant, ut trudatur in inſame ergaſtulum Lutheri, Wicleffi, aliorumque hæreticorum? idque ea da cauſa, quia RR. PP. Delatores dicunt, ita colligi ex iis, quæ docent illi hoſtes noſtræ ſanctæ Fidei. Juxta hoc, plus roboris apud PP. Delatores habent quædam illationes, quas ſibi videntur ex iſtis elicere, ut Papebrochius adſcribatur hæreticis; quam omnimoda illius cum auctoribus Catholicis conſenſio, in ſacris Litteris, ſanctis Patribus, & Hiſtoriis Eccleſiaſticis fundata.

567 Si jam dicta matura perpendantur, a ratione non admodum alienum videtur, dicere, quod PP. Delatores eo tendant, ut veterem Monachatum cum tribus Religionis ſubſtantialibus votis, ſucceſſionem ab Elia huc uſque continuatam, atque adeo Carmeli Antiquitatem conſtituant, non jam in gradu opinionis, quæ Catholice poſſit impugnari inſtar aliarum; at in altiſſimo tam ſolidæ, tam firmæ, tum undique munitæ atque inconcuſſæ veritatis, ut nemo poſſit eam impugnare, quin ſimul deſinat eſſe Catholicus; vel patiatur ſaltem accuſationes publicas, parallela, & invidioſas cum hæreticis collationes, quemadmodum jam accidit Papebrochio.

568 An hoc in Eccleſia Dei ſit tolerabile, aliorum judicium eſto. Conſtare ſaltem videtur, accuſationem eo vergere, ut per latus Papebrochii feriat eos, qui ſubſiſtentiam negant Bullæ Joannis XXII. factis ſuper ea notis quavis conſideratione digniſſimis; bullam Summarii Leonis IV. ſecundam item jam citatam Sixti IV. eos quoque feriat, qui B. Mariæ de monte Carmelo primatum quoad tempus tribuunt voti virginitatis; omnes illos, qui ſuſtinent, ſtatum vere & ſubſtantialiter religioſum, a nato Chriſto Domino huc uſque ſuum initium ſumpſiſſe: item eo vergit, ut textus omnes Sanctorum Patrum jam allati ſuper antiquæ Legis votis, citari prohibeantur: denique (ut verbo abſolvam) eo vergit ut peſſima nota, quæ Papebrochio affricatur, extendatur ad innumeros Scriptores alios, ac de Eccleſia bene meritiſſimos Cardinales: nec enim intelligi facile poteſt, quomodo propter unas eaſdemque propoſitiones, quoad hoc particulare aſſumptum, ſolus Papebrochius in materia doctrinali conſtituatur reus, & Carmelitis injurius, ceteri vero omnes culpa vacare cenſeantur.

ARGUMENTUM SEXTUM.

Summi Pontifices.

569 CArmelitæ eminent ſpeciali caritate, & ſunt imitatores Patris ſui ſancti Prophetæ Eliæ. Sic Sixtus IV. Gregorius XIII. Paulus V. Clemens VIII. & Alexander VII.

Afficta Papebrochio.

CArmelitæ cæcutiunt præ paſſione, ſunt furibundi Poetæ, & rabiei ſuæ ſpumam evomunt. Colligitur ex Wiclef, Calvino, & aliis Hæreticis.

Reſponſio.

570 PApebrochius nullibi in ulla Tomorum ſuorum parte Carmelitas univerſaliter, vel indefinite, vel communiter vocat *Poetas*, nedum *Poetas furioſos*, ſicut allegat accuſatio. Quod de tam ſacra Religione in communi dicit, ſunt multa encomia, hinc inde per omnes ejus Tomos ſparſa, ubi agit de Sanctis ejuſdem Ordinis. Tomo 1. Aprilis (*pag.* 777. *num.* 41.) ſic habet, *Valuit profecto in Eremiticis, quotquot nunc florent, Ordinibus, ſi valuit uſpiam, & nominatim in Carmelitano, quod dixit Salvator: Simile eſt regnum cælorum grano Sinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo, & minimum quidem eſt omnibus ſeminibus; cum autem crevit, eſt majus omnibus oleribus, & fit arbor.*

571 Idem (*Pag.* 800. *num.* 137.) dicens, *colorem Capparum album electum fuiſſe ob honorem Virginis Mariæ*; addit, *Quod ſane veroſimillimum eſt, cum ab ea jam haberet nomen Ordo, ejuſque imitationem ac reverentiam ſingulariter in omnibus & ubique ſpectaret*. Sufficiunt hæc elogia modo pro Ordine in communi. Quæro, porro, an quod arguitur de *Poetis furioſis, & præ paſſione cæcis*, proportionatum ſit medium ad imitandam Virginem Mariam, ejuſque honorem promovendum, non in una, ſed *in omnibus* rebus; non in uno alterove loco, ſed *ubique*; & hoc quidem cum ea perfectione, ut Salvatoris ſententia nominatim valeat pro Ordine Carmelitano? Reſpondebit ſine mora, non eſſe proportionatum, ſed oppoſitum potius medium pro conſequendo tam nobili fine. Atqui hunc ipſum tam nobilem finem aſſerit Papebrochius duobus jam citatis textibus, impreſſiſque anno 1675. illuſtrem Carmeli Religionem conſecutam eſſe: & quia hoc ejus teſtimonium negari non poteſt, omnino negandum eſt, quod illi ab Argumento 6. imponitur; & Accuſatores omnino urgendi, ut locum exhibeant & verba, quibus de tam ſacro Ordine dicat id Papebrochius, quod illi impingitur.

572 Si hæc reſponſio ſufficit Argumento propoſito diſſolvendo, non minus ſufficiet diſſolvendo ſequenti. Tom. 2. Maji (*pag.* 714. & 715. *num.* 25.) refert Papebrochius verſus aliquot ſatyricos, quibus & ipſum, & Societatem, & Sanctum Ignatium proſcindit Anonymus quidam, arma ad injurias iſtas mutuatus ex altero libello famoſo. Adverſus Poetam hunc ſic ait citato loco; *Omitto ſequentia diſticha tria, ubi furioſus Poeta rabiei ſuæ exundantem ſpumam conjicit in Societatem noſtram, ejuſque Inſtitutorem Ignatium, calumniam ſæpe refutatam arripiens ex famoſo quodam libello de locis nonnullis, quæ olim Benedictini Ordinis fuere, ad nos translatis, accuſante Pontifices ſummos, & Auguſtiſſimos Imperatores; quorum diſpoſitione, & publici majoris boni cauſa, id factum eſſe dignoſcitur; exemplo tam noto, uſitato, & vel in ipſis Carmelitarum Annalibus reperiendo, ut mirum ſit, potuiſſe inveniri homines adeo obcæcatos invidia, qui culpæ verterint Societati, quod alii ſibi ducunt honori.*

573 Sunt hæc Papebrochii formalia verba, quibus particularem quemdam Anonymum vocat Poetam furiosum; & hunc pariter atque auctorem libelli famosi dicit obcæcatos esse præ invidia. Quæro ex RR. PP. Delatoribus, qui Hæreticos inter & Papebrochium comparationem instituunt: an particularis unus Poeta, & ille quidem Anonymus, Societati ac S. Ignatio Fundatori illudens, componat solus ipse totum omnium PP. Carmelitarum corpus? Ridiculum foret id asserere. Si igitur Papebrochius loquitur solum de singulari isto Poeta, qua veri specie adornatur talis accusatio? qua juris æquitate, qua animi pacifici moderatione notatur Papebrochius, tamquam Wicleffi, Calvini & aliorum Hæreticorum sectarius; nec alia de causa, nisi quia Poetæ furiosi nomen tribuit ei, qui S. Ignatium ejusque Religionem injuriosis lacerabat vertibus?

574 Ridiculum quoque foret, asserere, quod dictus Poeta, junctus saltem cum auctore alterius famosi libelli, repræsentet Ordinem totum. Si igitur Papebrochius de duobus his dumtaxat Auctoribus dixit, obcæcatos eos præ invidia fuisse; cur hoc illi adscribunt tamquam dictum contra Ordinem totum in communi? Imo, quamvis etiam Anonymi isti duo, Carmelitæ fuissent; quis illos constituit velut Carmeli Adamum, ut eorumdem delictum & pœna originaliter transfundantur in omnes & singulos ejus Religiosos? O vere mirabilem Deum, & profunda judicia ejus, quibus Papebrochium tractari permittit tamquam Calvinum & Lutherum, quia furias & cæcitatem vocavit injurias canonizato Sancto ejusque Religioni illatas?

575 Suspicatur Papebrochius (*eodem n. 25.*) satyricorum illorum versuum auctorem fuisse, juniorem quempiam Religiosum, vel suum, vel suorum discipulorum quondam discipulum. Ratione postmodum in contrarium occurrente, priorem suspicionem retractavit, ut videre est Tomo 1. Maji in Appendice (*quem ad diem ejus undecimum facit super num. 25.*) ubi de eo, quem habet ut verum istius Poematis auctorem, sic ait: *Ipsum tamen nolim gravare ultra, quam fateri de se volet, libenter ignoraturus nomen adversarii latere volentis.*

576 Si, ne junior Religiosus (licet nominatus solum in genere) notam vel suspicionem patiatur, quasi ipse istius Satyræ esset auctor, priorem suam suspicionem retractat Papebrochius; quis prudenter judicabit, animum illi fuisse conviciandi Religionem totam? Fugiens ille controversiam ejus antiquitatis, aut quasi prævidens vel esse illi assentiendum, vel sibi patiendum, occasione data dixit, formidare se punctum illud, tamquam *asperum aculeis senticetum*. Et hoc quoque dictum assumptum est pro injuria, digna visa quæ deferretur ad Generalem Societatis; nec hoc contenti, effecerunt variis suis tractatibus, ut, quos prædixerat, spinarum aculeos experiretur. Ubi ad hoc punctum (*loco citato num. 26.*) pervenit Papebrochius, sic ait: *mandans, ut quæcumque acerbius responsa vel dicta censuerint, molliant, mutent, expungant liberrime. Absit enim, ut pro hoc illove verbo, gravius, quam ipse intendi, accepto, litigium mihi sit cum viris Religiosis.* Qui sic scribit, nonne satis clare significat, scribere se solum pro eo quod judicat esse verum, remotum interim ab omni injuria?

577 Cur autem pro injuria reputetur, quod Papebrochius declinet a controversia, quam prævidet, adeoque formidat aggredi, tamquam spinis undique obsitam? Nonne dicti sui veritatem probavit eventus? Nonne Baronius quoque, cum ad annum 664 (*num. 24.*) pervenisset ad controversiam quamdam Italos inter & Gallos Benedictinos exortam, perpensis utrorumque fundamentis, borrescens dixit: *Refugit animus tam densum controversiæ hujus spinetum adire, quod horret vel a longe spectare?* Habent hic in Baronio RR. PP. Delatores eamdem phrasim, qua postea usus est Papebrochius. In Baronio non reputatur id pro injuria, reputatur autem in Papebrochio: in Baronio stylus iste arguit prudentiam & veritatis amorem, in Papebrochio vero animum lædendi accusatione dignum. Quod Baronius dicat, non obstantibus diplomatis Pontificiis aliisque fundamentis, hinc & inde ab utraque parte exhibitis, velle se (*prætermissis omnibus his, ac si non starent, perplexitatum ambagibus*) dicere, quod sibi verosimilius videbatur, non fuit ea Baronii libertas RR. PP. Benedictinis offensioni; dum idem facit Papebrochius, post longum silentium compulsus respondere ad opposita argumenta, & suum aperire sensum circa id quod verum judicabat, prout aperuit, RR. PP. Carmelitis tali fuit offensioni, qualem videt & experitur Orbis.

578 O inextricabilem labyrinthum! Si super antiquitate pergat tacere Papebrochius, silentium suum constituit illum reum cum obligatione loquendi; si loquitur autem, vel concedere debet antiquitatem; vel si contra iverit, damnari debet tamquam summorum Pontificum contemptor, irrisor PP. Carmelitarum, & Hæreticorum sectarius. Sed (ut id semel & simul sciamus) cur sic ille, quæso, damnandus erit? An propter sensum suum, aut propter modum illud sensum explicandi? Si propter sensum; permittat denuo (molesta quamvis importunitate) quæstionem repetere: cur tot ac tanti nominis scriptores, & inter hos Canonizati aliquot, qui idem sentiunt, eadem non involvantur damnatione, eodemque cum hæreticis parallelo? si propter modum, quo sensum suum explicat, facile est remedium; quippe (dummodo de sententiæ substantia, quam ab aliis Auctoribus accepit, nihil immutetur aut depereat), cum explicabit ipse Papebrochius verbis aliis, quæ fuerint ad rem vita aptiora, & conformiora stylo, quo pro formando judicio utuntur ii, a quibus offenditur nemo ullus.

579 Ad rem, quam agimus, oppositum est, quod Baronius Tomo 6. (*ad annum 494. pag. 504.*) ait de Trithemio, adscribente Sanctos aliquot Ordini S. Benedicti: sic enim habet. *At vero, cum innumerorum pæne sanctissimorum atque etiam doctissimorum Patrum Patriarcha Benedictus fuerit fœcundissimus propagator, perperam mea sententia illi faciunt, qui ei, quos non genuit, alienos partus supponunt: qui, inquam, nimio ejus Ordinis, sub quo profitentur, amore, nonnullos fama illustres viros, qui etiam ante S. Benedicti tempora floruerunt, ejusdem fuisse Regulæ Professores, inprudenter & inconsulte*

sulte

fulte nimis affirmant. Etenim non fœcundis, sed sterilibus supponi aliena soboles consuevit. Præstitis hoc inter alios Trithemius, auctorque ceteris posterioribus fuit, idipsum faciendi. Quid rogo, cum S. Benedicto S. Cæsarius Arelatensis Episcopus, qui, antequam nasceretur ille, erat Antistes, ut superius demonstratum est? Quid ad eumdem pertinet Faustus Regiensis Episcopus, qui eodem cum S. Cæsario vixit tempore? Quid insuper ad S. Benedictum Eugippius Abbas, qui, antequam ipse S. Benedictus sumeret monasticum habitum, jam S. Severini Discipulus & Monachus erat, ut ipse de se testatur.

580 Prosequitur ibidem Baronius; & postquam similes ponderationes fecisset super Cassiodoro, Anastasio Persa, variis Orientalibus, & Damasceno, sic concludit. *Dolui, fateor, considerans veritatis candorem non illustrari, sed obscurari ab his, qui nullum habentes delectum, quoscumque repererunt doctrina vel sanctitate claros, vitæ monasticæ alumnos, eosdem sub S. Benedicti Regula constituunt professores; cum tamen jam ante tempora S. Benedicti constet etiam in omnibus Occidentalis Ecclesiæ Provinciis viguisse diversa genera Monachorum, & quæ sæpe superius dicta sunt, certissimam fidem faciunt. Non est nostrum, modo de singulis agere, quos prudentissimus indagator, adhibita temporis ratione, alterius potius Instituti, quam S. Benedicti Monachos fuisse, cognoscet.* Hæc Baronius, qui deinde admiranda exponit incrementa, quibus in dies nobilissima planta Religionis Benedictinæ ampliabatur.

581 Nequaquam meum est, crisim instituere inter ea, quæ Baronius & Trithemius hic disputant: suo quisque tum pietatis tum doctrinæ fruatur merito, quo Ecclesiæ conati sunt præstare obsequium. Unum hic non possum omittere quin animadvertam, & est quod sequitur ...

Animadversio.

582 BAronius viros, quos ibi nominavit, non solum vocavit doctrina & pietate illustres, sed eos positive exclusit ab Ordine S. Benedicti: variorum Sanctorum Carmeli Acta illustravit Papebrochius; tacens pro tunc ejus antiquitatem, & mox adactus loqui, suum super ea sensum exposuit. Baronius, temporum ratione & aliis argumentis nixus, exclusionem illam determinavit facere; Papebrochius eadem chronologia aliisque non levis momenti auctoritatibus ac rationum ponderibus fultus, suam tandem sententiam proposuit. De Baronio (humanitus loquendo) questi fuerint aliqui ex Trithemii sequacibus: de Papebrochio queruntur RR. PP. Delatores. Contra Baronium ex ordine S. Benedicti insurrexit nemo, nemo dixit esse convitiatorem, nemo cum Hæreticis illum contulit. Quæro ego: illustrare veritatem, & eamdem obscurare; scribere cum eruditione insignique fructu rei historicæ, & scribere sine delectu aut sine debito examine, ista inter se nonne satis opponuntur? Opponi nemo dubitat. Religiosissimi Patres S. Benedicti, numquid multas habent Bullas, quibus summi Pontifices præcellentias sui Ordinis, suorumque Auctorum in scribendo eruditionem exornant? Habent enimvero. Cur igitur nullum parallelum prodiit, in duas distinctum columellas, in quarum una statuantur dicta Pontificum; in adversa altera scripta Baronii, adjectis infra citationibus Hæreticorum aliquot, supremo Capiti adversantium? Id ego quidem nescio; nec aliud occurrit quod respondeam, nisi Papebrochio opus esse insigni patientia, dum in punctis opinabilibus videt, de media Catholicissimorum Auctorum turba rapi se solum ad publicam accusationem, velut hæreticorum sequacem, imo omnibus illis insimul collectis pejorem.

ARGUMENTUM SEPTIMUM.

Summi Pontifices.

583 CArmelitæ excellunt in virtutibus & vitæ sinceritate. Sic Sixtus IV. & alii Pontifices multi.

Affictа Papebrochio.

CArmelitæ sunt Impostores, qui Bullas finxerunt, & falsificarunt Apostolica diplomata. Colligitur ex Hæreticis.

Responsio.

584 REspondetur primo: quod, qui dicit, Carmelitas in omnibus & ubique Dei Matrem imitari, non negat eis virtutes, quas Pontifices ponderant: atqui Papebrochius (ut vidimus in Argumento præcedenti) concedit RR. PP. Carmelitis dictam Dei Matris imitationem; ergo tales virtutes non negat.

585 Respondetur 2. Citentur Tomus, folium, numerus, & verba, quibus similia vitia Carmelitis imputet Papebrochius. Si locus extat, ubi quid tale dicat, admodum æquum est ut emendetur: sin autem, erit quoque justum, ut hæc accusatio transeat habeaturque pro impostura.

. 586 Lezana Carmelita ad annum 1171. non habuit intentionem in Bullam quamdam Innocentii Papæ IV. introducendi diem datæ Regulæ S. Alberti, cum ipse Lezana probet, Regulam originalem non habuisse subscriptum diem, quo fuerit illa data. Propter delictum istud, sane non leve, exclamat idem Lezana & ait: *Qui Innocentii IV. Bullam cum Regulæ data subscribunt, nedum corrigendi, sed & puniendi sunt; cum, quod in Registro non extat, in exemplari apponere non verentur.* Suspicantur nonnulli, istius dati introductionem in Bullam Pontificis (nam facta agnoscitur) ideo factam fuisse, ut Carmeli Ordo quadraginta annis videretur antiquior esse Ordinibus S. Dominici & S. Francisci. Quis istius intrusi diei (quod tantopere Lezana improbat) fuerit auctor, mihi non liquet; at quisquis ille fuit, occasionem præbuit, ut dictæ Bullæ exemplaria, quæ Sedi Apostolicæ multoties fuere oblata, offerrentur simul cum istius notæ falsificatione.

587 Lectu dignus est Rev. P. M. Fr. Raymundus Lumbier Carmelita, (*in sua summa Moral. P. 1.*) in Indice Magistri Aranæ etiam Carmelitæ, (*a fol. 223. verbo* RELIGIO) ubi sic habet. *Ad evitandum lapidem offensionis, quam in Elia propter ista vota parere potest imperfectio veteris Legis; dicamus, quod in nova ea fecerit, sive in Paradiso post sanctissimam Virginem, cujus notitiam habuerit per specialem revelationem ..... sive quod Elias ea fecerit in Thabor.* Juxta hoc tollit jam Magister Lumbier antiquitati Monachatus cum votis, annos quasi nongentos.

588 Quod autem notatu non minus dignum videtur, est, quod postquam suggessit vota, quæ in nova Lege fecerit Elias, sive in Paradiso seu in Thabor, Magister Lumbier dicat hæc formalia verba. *Nullum, quam hoc, est medium aptius: sic namque, veteri Lege imperfectioni suæ relicta, in suo rigore persistunt tot auctoritates Pontificum, & Breviarii, 14. Decembris, 29. Januarii, 20. Julii, multorumque SS. Patrum ac Doctorum.* Secundum hoc, opinatur Magister Lumbier, illum, qui negat Religiosa vota extitisse in antiqua Lege, non opponere se Papis, Breviario, SS. Patribus, & sententiis denique Doctorum; supponit quippe omnes illas salvari, ista vota ab antiqua ad Legem novam transferendo.

589 At (inquiet aliquis) quorsum hæc ad præsens argumentum? Iterum, quæso, audiat ille Magistrum Lumbier, & mox respondebo. Loco jam citato (*fol. 489. n. 158.*) retractat idem auctor præfatam suam doctrinam; idque solennius etiam facit Tomo 2. Summarii (*fol. 693. fragmento 3. §. 1. a num. 875.*) Sic ille scribit Hispanica lingua, ut conamur quam fidelissime in Latinam traducere.

590 *Quod ad Eliæ vota in Lege veteri attinet, non ea abnegasset Magister Arana, ne quidem si vitæ ponendæ idcirco fuisset; tum quia propter ingenii vivacitatem erat sui sensus tenacissimus, & summum quod poteramus abstinere, erat ut saltem taceret; tum etiam quia rebus Eliani fortissime se obstrinxerat, quemadmodum ennotuit Sancto Tribunali Lucroniensi, quod vel jam illum minaciter advocavit; licet inde liber recesserit, nec dixerit quidquam, quod Sanctum Tribunal postmodum decreto suo non approbaverit. Præterea non erat, cur Magister Arana, dum viveret, non constaret sibi firmus in tuendis antiquæ Legis votis; jam enim e vita decesserat, vel decessit paulo post quam prodiit Sancti Tribunalis Decretum. Solus ego tunc fui, qui (dum videbam libros esse probibitos, veritusque, ne per multos annos probibiti manerent, aut prodirent male notati) desiderio conservandi Eliæ, quoad Religionis vota Primatum, respectu ceterorum omnium hominum, banc discurrendi viam aggressus sum. At, quia tunc non ferebat occasio eam alicui meo libro inserendi; insuperque judicabam indecorum mihi fore, si, postquam tanto tempore Cathedram rexissem, prælum ab aliis libris inchoarem quam a Scholastica Theologia; hoc assumptum intrusi ego in Indicem, & applicui Magistro Aranæ.* Teatoa Deum, *bano esse ipsam veritatem; nec Magistrum Aranam, nec alium quempiam ex Ordine meo, sed solum me, in hoc facto habuisse partem.*

591 Paulo post sic prosequitur. *Video, objici mihi posse, cur in Summa & in impressis Sermonibus hunc sensum non declaraverim, dum durabat librorum prohibitio? Respondeo non ausum me fuisse, istius meminisse. Non audendi ratio fuit, quia, cum P. Lector Josephus Andres scripsisset illum librum, cui titulus est* Decor Carmeli, *quo tam egregie elucidavit ac compilavit titulos gloriæ Carmelitanæ; atque Romam is liber pervenisset; Patribus nostri Ordinis gravioribus sic displicuit, ut corde tenus indoluerint* (sintieron cordialmente) *quamdam clausulam, qua mentio fit de libris, quos in Hispania Sacra Inquisitio colligi jusserat, ratione votorum antiquæ Legis; qui sic divulgabatur apud exteras nationes id, quod ipsæ ignorabant. Atque hæc ratio motiva mihi fuit, cur non sim ausus istius rei mentionem facere. At hoc omne, quod dixi, verum est; quod attestor* coram Deo et Christo Jesu. *Et, ne quis prudens hinc sumat argumentum ad aliud quidpiam inferendum,* (puta quod Arana ante mortem mutarit sententiam) *nec S. Augustini exemplo utatur in iis, quæ Sanctus dixit at postea expresse retractavit; idem ego dico, & palinodiam cano circa talem opinionem; protestans, quod, licet illam verbo aut scripto protulerim, aliter tamen senserim in animo; idque ad plantandum eo saltem modo primatum Eliæ, quoad nuncupationem religiosorum votorum, casu quo Sacrum Tribunal decerneret non approbare vota antiquæ Legis, cui interim obedire me oportebat.*

592 Ex dictis habemus retractationem, qua Magister Lumbier sub repetito juramento affirmat, Magistrum Aranam non fuisse auctorem votorum Eliæ in Paradiso vel Thabor; sed se fuisse qui clausulas istas intrusit, imposuitque præfato Magistro Aranæ. Et cum aliunde videamus, intrusionem illam sat diu viguisse absque retractatione; & juxta doctissimum Lezanam fictionem esse, diem datæ subscriptum Regulæ S. Alberti, ac Bullæ Innocentii IV. contra omne fas intrusum; quid mirum est, Papebrochium subinde dubitasse, num suppositittum aut fictum esset instrumentum aliquod, cujus auctoritati non fidebat, ut assecuretur circa omnia, quæ pro Carmeli antiquitate afferebant alii? Ut autem appareat, Papebrochii dubitationem a via non omnino aberrare, adduat hactenus dicta; non autem, ut illum defendam, casu quo exhibeantur locus & verba, quibus de PP. Carmelitis universaliter in communi dicat, quod fingant Bullas: tale namque dictum (ut iterum dicam) dignum foret correctione & abolitione.

Animadversio.

593 IN obsequium veritatis non possum hic non animadvertere notabile quid. Vidimus, ut Magister Lumbier protestetur, quod, quamvis thesim de votis, ab Elia tempore novæ Legis factis in Paradiso vel in Thabor, proposuerit, id non ex absoluta animi sententia fecerit, at solum in scripto: item, quod sua sic scribendi motiva ratio fuerit, ut eo modo Primatum Eliæ firmaret, casu quo S. Tribunal libros prohibitos non permisisset iterum currere. Juxta hoc ergo calamus scribentis non consonabat menti aliud cogitantis; &, quod ipse Lumberius absolute non credebat dum scriberet, volebat absolute crederent alii, dum scriptum vel impressum legerent. Hinc patet, quid non possit, quid non audeat irretitus semel animus! Sed qui fieri poterat, ut, quod in mente non erat Auctoris, intendentis Primatum istum plantare, id eruditorum animos induceret ad credendum quæ legerent? Fundamenta rationis intrinsece semper manent eadem, nec unquam variantur, estque discursus semper in se tanti, quanti valet. Eja ergo; si nunc post permissivum inquisitionis Decretum modus ille opinandi non sequendus, sed potius retractandus est; quam, quæso, vim haberet ad fundandum, sive (ut Hispanica voce Lumberii utar)

ad

ad plantandum dictum Primatum, dato quod præfatum Decretum non prodiisse? Si per talem discursum, qui valorem suum intrinsecum etiamnum retinet, in tuto locabantur tot Pontificum assertiones, totque auctoritates aliæ, cavendo a Religionis votis in Lege veteri concedendis; quomodo, aut qua ratione, qui ea nunc negant, censentur tantum delinquere, ut censeri debeant contradicere Papis, Breviariis, Sanctis; ideoque parallele mereantur cum hæreticis comparari?

594 Denique si verecundia publicatæ in Hispania condemnationis, & dolor ob hujus notitiam ad exteros perlatam cum libris P. Josephi Andrea, cordetenus affecit graviores istos Romæ Patres; idque Lumberio causa fuit comminiscendi quidpiam, quod sensum istum quadamtenus leniret, & verecundiam minueret apud vulgus, non solitum tam accurate discernere quæ audit; non potest id aliter excusari quam Baroniana phrasi dicendo, quod vehemens antiquitatis & prioritatis amor aliquos fecerit delirare. Quid enim a lira, id est, recta linea magis deficit, quam chartæ illinere, & credi ab aliis velle, id quod ipsemet non credas; aut dolere quod veritas innotescat?

EMBOLISMUS D. P.

De votis Religiosis antiquæ Legis, ab Inquisitione Hispanica bis probibitis, cum damnatione plurium ea sustinentium librorum; bis sub aliqua limitatione permissis currere, sed absque præjudicio Thomisticæ & communioris sententiæ, talia vota negantis.

1 FRater Joannes Anastasius de Arana, Pampelonensis Carmelita, & S. Theologiæ Doctor in Universitate Cæsaraugustana, ibidem 19. Maii immatura morte excessisse legitur, in Hispanica Nicolai Antonii Bibliotheca, anno 1663. & reliquisse *Summulas morales*, partibus duabus distinctas, quæ typis editæ prodierunt anno 1667, obstetricante (ut ex dictis apparet) Indicesque ut voluit interpolante, Fr. Raymundo. Ex hoc intelligitur, quod paulo ante vel post mortem prædicti Aranæ emanaverit Decretum aliquod sacræ Inquisitionis, quod duraverit ultra annum 1669. quo *P. Josephus Andres*, Theologus nostræ Societatis, edidit *Decorem Carmeli*; in prævia ad ipsum Protestatione, libro jam excuso adjuncta, propter Decreti illius Reverentiam, ita scribens. *Sicubi in hac opella (quod non evenit nullibi) Eliam, Monachorum vocari Principem; ac Monachos, ipsius alumnos; Religionemque, ab eo collectum Prophetarum cœtum; aut id genus alia offenderis; amabo, mi Lector, ne excandescas; neque enim veram Religionem in Lege veteri extitisse contendo.*

2 Ita legitur in ea editione, quæ sub ementito Petri Alstorf bibliopolæ Coloniensis nomine, revera autem Bruxellensibus typis, apud nos integro post primam decennio prodiit; sed neque in hac protestatione, in cujus aliis punctis ratio protestandi additur; neque alibi, ubi locus videri possit, invenitur clausula, *qua mentio fit de libris, quos in Hispania sacra inquisitio colligi jussit, ratione votorum antiquæ Legis*; quæ clausula Romanis Carmelitis incussit tam cordialem dolorem; *quia sic divulgabatur apud exteras nationes id quod ipsæ ignorabant*. Nescio, an P. Josephus Andres (qui anno 1675. quousque nova Societatis Bibliotheca extenditur, adhuc vivebat in Cæsaraugustano Collegio *primariæ Cathedræ moderator & sacræ Inquisitioni a censuris*) superfuerit anno 1679. ut libri sui truncationem Bruxellis factam cognoscere & dolere potuerit; sicut cognovit & doluit Theophilus Raynaudus factum suo Scapulari Stockiano. Fuerit autem operæ pretium Bruxellensem cum Cæsaraugustana originali editione conferre; neque fidere titulo, quo *juxta exemplar impressum Cæsar-Augustæ* curata editio nostra dicitur.

3 Profecto nisi P. Sebastianus, vel alius pro eo, clausulam istam, a Fr. Raymundo ex originali indicatam, invenerit & ostenderit in editione Belgica, in mutilatorem istius textus ejusque complices recident omnia convitia, in me conjecta ab iis, qui Prædicatorum Ordinem non reperientes in Historia Occidentali Jacobi de Vitriaco, ubi ego cum nunc ostendi, me tamquam falsarium oneraverunt, rati nomen ejus a me intrusum textui: non enim minus est falsarius, qui demit, quod adest; quam qui addit, quod abest Auctoribus a se citatis. Interim ex eodem Raymundo, in Patribus Carmelitis noto studium obliterandi & extinguendi quidquid sibi putant utcumque adversari; idque sine ullo (uti apparet) scrupulo etiam ii curant, qui primi in Ordine cum sint, deberent primam fidem apud omnes tenere; nisi evidentia infidelitatis indicia cogerent etiam ipsis habere suspectos: quod nunc infelix Ordinis illius est fatum.

4 Interim Decretum (cujus notitiam certiorem ex Decore Carmelitico, parum decore mutilato, habere non possumus) reperio in Discursu apologetico pro Controversia de monachatu veteris Testamenti, nunc quidem suspenso per idem Decretum, quo libri P. Sebastiani & hæc Xaramiliana Apologia suspenduntur; sed similibus omnibus quibus hæc facultatibus approbationibusque munito, ubi ipsum pag. 114. originali sua lingua producitur, pro anno 1663. sic Latine reddendum.

5 „ Nos Inquisitores contra hæreticam pravitatem & apostasiam, in Civitate, Regno & „ Archiepiscopatu Toletano, &c. (*sicut in Decreto librorum novorum probibitivo n. 307. Elucidationis.*) „ Omnibus & singulis . . . salutem in „ Domino nostro Jesu Christo, qui vera est salus; & mandatis nostris, quæ vere Apostolica „ effata sunt, firmiter obedire eaque complere.

6 „ Scitote quod ad notitiam nostram venit „ liber cui titulus, *Historia generalis Prophetica Ordinis Dominæ nostræ de Carmelo, auctore* „ *Fr. Francisco de S. Maria, Carmelita Excalceato*, tomus 1. impressus Madriti per Franciscum Martinez an. 1630. Alius liber impressus ejusdem Auctoris, sub eodem titulo, „ *Historia generalis Prophetica Ordinis Dominæ nostræ de Carmelo, tomus 1. correctus & emendatus in hac secunda editione*, cum Privilegio, „ Madriti, per Didacum Diaz de la Carrera „ an. 1641. *Defensorium & Apologia*, per eumdem Auctorem, in defensionem prædicti libri, impressa Valentiæ an. 1643. per Bernardum Noguès.

7 „ Quatuor prædicti libri (Historia utriusque editionis) Apologia, & Defensorium,

„ in

in quantum tractant, *de Monachatu Eliæ, & perfecta Religione Legis antiquæ, continent multas propositiones falsas, temerarias, scandalosas, erroneas & injuriosas Sancto Evangelio & Legi gratiæ, atque institutioni, quam primus Christus Dominus noster in illa fecit.* Item in iisdem reperiuntur linguæ vulgaris libri integri sacræ Scripturæ, multaque alia sic imprimi prohibita, & contra Actus Consilii suæ Majestatis Inquisitionis Generalis, annorum 1636. & 1639.

8 „ Alius item liber, cui titulus, *Epistola & exhortatio spiritualis ad Religiosos & Religiosas Dominæ nostræ de Carmelo primitivæ observantiæ, per Fr. Didacum a Præsentatione ejus Generalem.* Madriti in quarto, per Didacum Diaz de la Carrera, Typographum Regni an. 1647. cum facultate Superiorum.

9 „ Item alius liber, cui titulus, *Propugnaculum Eliæ & Propaginis Carmelitanæ, opera Rev. P. Fr. Michaelis Munnez, Bætici, Carmelitæ Cordubensis*, &c. impressus Romæ, Typis Ludovici Grignani an. 1636. cum quibusdam Conclusionibus habitis in Universitate Salmanticensi, 10. die mensis Septembris an. 1636. per Fr. Alfonsum Alverez de Observantia Carmelitana, Præside Mag. Fr. Didaco Lopez ejusdem Ordinis, quorum titulus, *Quodlibeticæ quæstiones pro Laurea Licentiatus Salmantina, in sacra Theologia comparanda*, reductæ ad decem Quæstiones, totidemque Responsiones, quarum prima est, *Utrum sub Lege veteri verus adoleverit Monachatus*; ultimaque & decima Responsio, dicit; *Carmeliticus Ordo decor est Deiparæ, ut Isaiæ 35. cap. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli.*

10 „ Item charta impressa duobus quaternis Auctore Fr. Salvatore de Malea, Ordinis Calceati Sanctissimæ Trinitatis, cui titulus; *Origo Religionum, earumque successus, continuatio per diversos Reformatores, confirmatio Regularum, & nomine Institutorum ab Adamo usque ad nostra tempora per diversas ætates, divisas per Leges naturæ, scripturæ, & gratiæ, quæ incipit: Certum est quod in Lege naturæ extiterit Religio:* & finit: *Aliæ multæ Religiones produci possunt, tam Regularium quam Militarium, sed quæ decursu temporis sunt consumptæ. Laus Deo.* Cum licentia impressa Granatæ, in Typographia Regia per Franciscum Sanchez in via Elvirensi an. 1652. Quos omnes libros & chartas jubemus recolligi, & prohibemus in totum.

11 „ Item ut simul recolligantur, donec fuerint expurgati, libri sequentes; unus cui titulus, *Disputationes Theologicæ, auctore Rev. P. Philippo a sanctissima Trinitate, Carmelita Discalceato, Provinciæ S. Teresiæ, in 2. 2. Divi Thomæ*, tomus tertius, impressus Lugduni, anno 1655. quia continet eamdem Doctrinam quam Historia Prophetica utriusque editionis, contraveniendo prædictis Actibus Consilii Inquisitionis.

12 „ Alius liber est *Paradisus Carmelitici Decoris*, auctore Rev. P. Fr. Marco Antonio Alegre de Casanate, Carmelita Hispano, Celtibero Turielonensi, S. Theologiæ Doctore &c. impressus Lugduni, sumptibus Jacobi & Petri Prost, anno 1639. propter eamdem rationem; & alii qualescumque libri, Latina & vulgari lingua, qui loquuntur de Monachatu Eliæ, affirmando quod fuerit status publicus, tam pro viris quam pro mulieribus, cum tribus votis substantialibus & professione religiosa, sub approbatione istius Ecclesiæ: cui prædictus Auctor Historiæ Propheticæ ad hoc tribuit potestatem, ejusque continuatio, & aliæ res diversæ usque ad tempus præsens, secundum & prout loquitur Historia Prophetica.

13 „ Mandatur etiam, ut in tomo libri, cui titulus, *Reformatio Discalceatorum Dominæ nostræ de Carmelo primitivæ observantiæ, facta per S. Theresiam de Jesu, fundata per magnum Prophetam Eliam*, scripta per Fr. Franciscum de S. Maria, ejus Generalem Historiographum, natu Granatensem, impressa Madriti per Didacum Diaz de la Carrera an. 1644. Libro cap. 1. num. 2. & 3. eradantur integre numeri 2. & 3. & numero 5. pag. 4. auferantur hæc verba; *Loquendo de S. Pachomio, uno ex præcipuis filiis Eliæ.* Et n. 6. sequenti col. 2. auferantur hæc verba, *Fuit quidam filius Eliæ.* Item ex tom. 2. ejusdem Auctoris, unde jam supra relatus est titulus, in tomo primo, similiter impresso Madriti per Didacum Diaz de la Carrera Typographum Regium an. 1655. auferatur Prologus ad dictam Historiam, implens paginas 31. & incipiens ab his verbis: *Utilitas & æstimatio universalis, cum quibus exceptus est tomus primus Historiæ Reformationis Dominæ &c.* finitur autem in his: *sententia, justitia, patientia, tolerantia, consilio gravius.* Quatenus tamen in d. Prologo loquitur Auctor de vita, bono exemplo & virtutibus præd. Fr. Francisci de S. Maria, qui fuit Auctor Historiæ Propheticæ, declaratur, quod per prædicta non intendat sacrum Officium præjudicare vitæ & moribus d. Fr. Francisci de S. Maria.

14 „ Mandatur etiam, ut ex prædictis duobus Chronicarum tomis auferantur imagines illis insertæ, tum propter seipsas, tum propter titulos. Item ut colligatur, donec expurgetur, liber cui titulus: *Collegii Salmanticensis Fratrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmelo primitivæ observantiæ Cursus Theologicus, tomus 4.* impressus Lugduni an. 1658. quia continet disputationem quamdem de Conceptione Dominæ nostræ.

15 „ Itaque, volentes prævenire damnum, quod ex talium librorum lectione obvenire Christianæ Religioni posset; præsentium tenore exhortamur, requirimus, & si necessum est præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & quinquaginta ducatorum ad extraordinarias expensas sacri Officii; ut ex die quo hæc charta lecta fuerit & publicata, vel quocumque alio modo ad notitiam vestram pervenerit, intra sex dies immediate sequentes, quos damus & assignamus pro tribus terminis, ultimum vero pro peremptorio, adferatis, exhibeatis, & præsentetis, coram Nobis aut Commissariis hujus sancti Officii, residentibus per loca nostræ jurisdictionis; quatenus ad Nos remittant dictos omnes libros, supra declaratos, quos habueritis; ac manifestetis eos, quos alii quicumque habuerint, occultaverint vel acceperint; contrarium autem facientes, dicto termino elapso, cense-

„ bi-

„ bimus rebelles & contumaces, quia non fe„ ceritis supradicta.

16 „ Factis autem & repetitis dictis Cano„ nicis monitionibus ex jure præmissis, Nos ex „ nunc pro tunc, & exinde pro nunc, ponimus „ & promulgamus contra vos & personas præ„ dictas d. sententiam excommunicationis ma„ joris ; & censemus incidisse & incurrisse in „ censuras prædictas & pœnas ; atque mone„ mus quod ad executionem præmissorum pro„ cedamus, quemadmodum ex jure conveniens „ judicabimus. Sub eodem etiam præcepto „ mandamus, ut nullus omnino legat aut ven„ dat dictos libros, vel aliquem eorum, ma„ nuscriptum aut impressum quomodocumque, „ vel de novo imprimat prædicta Chronica, „ usque ad expurgationem, illis qui ejus capa„ ces suot locis factam. In quorum fidem man„ damus, hanc chartam nostris nominibus fi„ gnatam, & sigillo S. Officii Inquisitionis „ munitam, per unum ex hujus Officii Secre„ tariis legi, in ipsius Officii aula. Toleti, „ quarto die Februarii, 1661.

17 Hactenus Decretum, circa quod, omissis Observationibus variis, quas in rem meam multas facere possem ; unum noto, libros ita nominatos non fuisse prohibitos quia fomentum præbebant dissidiis Religiosorum inter se: alias enim oportuisset alterius quoque partis scripta & libros, de quibus nulla hic mentio, prohibitos pariter fuisse; sicut per Decretum anni 1696. suspensi fuerunt omnes spectantes ad controversias, pendentes inter Ordinem Carmelitarum & quosdam Societatis Jesu scriptores, boni æque ac mali, editi & edendi, citra ullam alicujus eorum censuram. Quæ igitur fuit prohibitionis causa? Nulla profecto alia, quam quæ in ipso Decreto exprimitur, ut motivum unicum ; ea scilicet præcise, quis sustinebant vera perfectæ Religionis monasticæ vota in veteri Testamento, quorum mentionem nullam tunc tolerare poterant aut volebant ii quoniam tunc judicus vel auctoritate sacrum istud Tribunal movebatur ; quemadmodum patuit ex contrario ac mox proferendo anni 1673. Decreto.

18 Si tunc temporis in Hispaniam perlati fuissent, & Inquisitioni denuntiati libri omnes, quos annis ab hinc quadraginta usque nunc ediderunt Patres Carmelitæ, Bonæ-Spei, a Virgine Maria, a S. Amando, a S. Paolo, aliique, ac totum eorumdem novum Speculum, (in quibus omnibus dicta vota mordicus propugnantur) fuissent haud dubie eodem persusi lixivio condemnatique, multo verius, quam P. Sebastianus fingit condemnatam Apologiam Xaramilii, cui simili jure potuisset addere librum Galiani, similiter a me etiam post suspensionem laudati.

19 Sed videamus quomodo Judaicorum votorum fortuna variaverit in Hispanica Inquisitione, non minus quam fortuna Aristotelis in Academia Parisiensi. De fortuna Aristotelis insignem tractatum scripsit quidam: & talis longeque major scribi facile posset de fortuna antiquitatis Carmeliticæ; cujus varietatem si prosequi voluisset Lezana in Annalibus, melius fuisset functus officio Historiographi, æque adversa ac prospera scribere obligati ; nec solum quæ recte, sed etiam quæ perperam gesta, conducunt ad instruendam posteritatem, quomodo hæc ca-

Opuscul. Collect.

veri, ista possint promoveri. Etenim nullo non seculo contradictiones suas passa est Eliana propagatio præsenia ; quoties scilicet Ordo ille, insignem aliquam reformationem suscepit. Nam cum studio virtutum etiam studiis litterarum restauratis, inter plurima bona semina, in agro repastinato uberius fructificantia, inimico homine supersemiante zizania, prodierunt semper aliqui zelatores indiscreti prætcoiæ vetustatis ; per quos revocabantur animi a quietæ contemplationis otio, ad occupationem pessimam finiendæ numquam disceptationis; & (si verum fateri volumus) plus de nomine quam de re habentis, nisi quatenus facti est. Hoc autem factum dum Carmelitæ definiri volent juxta ideas, quas vocibus, *Monachus*, *Religio*, *Prophena*, aliisque similibus substare dicunt illi ; alii autem definient ex auctoribus eorum temporum pro quibus nunc obtruduntur, finis nullus erit.

20 Sed hoc per transennam dictum sit ; veniamus ad rem ; & bonos afflictosque Carmelitas eatenus restituamus in integrum, prolato alio sacri Officii Decreto, quatenus, absque cujusquam diversum sentientis injuria, restitui possunt. Nullam nos cum eis altercationem habe0remus, si contenti eo quem non invidemus statu, non præsumerent aspirare ad eum certitudinis gradum, qui vel proximus fidei est, vel in Historia summus haberi potest; adeoque talis, ut nemo rationabiliter ausit ab ipsis dissentire, quin ecclesiastica censura dignus & compescendus æstimetur, cogaturque apud suprema tribunalia se suosque libros tueri, contumeliis & calumnis, nihil ad quæstionem spectantibus, gravatus. Decretum quod promisi, & cujus nullam distinctam invenio apud adversarios meos mentionem, quia tueri se malunt Decreto anni 1639. accipe ex prælaudata Reverendiss. Galisni Apologia pag. 118.

21 „ In civitate Madritensi, die 23. Fe„ bruarii 1673. coram Excellentissimo Domino „ Episcopo Placentino, Inquisitore Generali. *Erat hic D. Didacus Sarmiento de Valladares, Ovetanus simul & Placentinus Episcopus, Inquisitor nominatus an. 1669. & defunctus 1695. idem, qui finis censuras, occulta adversariorum machinatione, in nostrum Propylæum Maji intentas, aut fortassis decretas etiam ; dicens, nullum se in Hispania nosse idoneum talis operis judicem: quique satis intelligebat, in Historia Carmelitana, æque ac reliqua tota ecclesiastica, multa controversi, quæ sui fori judiciique non essent; nec apte dijudicari possent a plerisque eorum, qui ibi vocantur Qualificatores, in gravioribus studiis multum fortassis, sed in Historico-criticis non valde versati plerique.*

22 „ Coram Episcopo Placentino, inquam, „ ut Inquisitore Generali & Dominis Consilii „ suæ Majestatis sanctæ & generalis Inquisi„ tionis, viso Decreto, quod emanavit a Con„ silio die 2. Decembris 1639. per quod mandabatur, quod propositiones delatæ (*imo & condemnatæ, licet anni ac diei notitiam occultent iidem, qui revocatorium prioris censuræ decretum solum nobis ostentant*) „ spectantesque ad Mo„ nachatum & religionem, quales fuissent sub „ Lege scripta, in libro cui titulus. Historia „ Generalis Prophetica Ordinis Dominæ no„ stræ de monte Carmelo, auctore Fr. Fran-

cisco de S. Maria, Carmelita Discalceato tomo 1. per auctorem correcto & emendato in secunda editione, cum privilegio facta Madriti, apud Didacum Diaz de la Carrera an. 1641. possent currere in ea forma in qua recusæ erant, atque de novo imprimi, modo declararetur, quod non fuerit Monachatus in Lege scripta, cum solennitate, & perfectione, ac potestate clavium, cujus auctor & institutor fuit Redemptor noster Dominus Jesus Christus; ejus qui in Lege scripta extiterit Monachatus causa exemplaris & meritoria, quemadmodum prolixius constat ex Actu prædicto.

23 Viso etiam Decreto anni 1641. sub die 27. Septembris, quo mandatur ut dictus liber currat in forma, qua erat impressus. Actu quoque anni 1661. sub die 12. Decembris, quo jubetur dictus liber prohiberi, simul cum sua Apologia excusa Valentiæ an. 1643. apud Bernardum Nogues; sicut & tomus 1. libri cui titulus Reformatio Discalceatorum Dominæ nostræ de Carmelo primitivæ Observantiæ, facta per S. Teresiam de Jesu, in antiquissima Religione, instituta per magnum Prophetam Eliam, scripta per P. Fr. Franciscum de S. Maria, generalem Historiographum ejus, natu Granatensem, impressa Madriti anno 1644. nec non tomo 2. ejusdem auctoris & tituli per Didacum Diaz de la Carrera typographum regni, anno 1645. Madriti.

24 „ Visis denique & examinatis petitione & defensorio, oblatis ex parte dictæ Religionis, nec non censuris, per Junctas latis super ejusmodi libris; dixerunt confirmare, & per præsens decretum confirmarunt actum Consilii de anno 1639. 9. Decembris, & 1641. 27. Septembris, in omnibus & per omnia, sicut in dictis Decretis continentur; ea conditione, ut in Historia Prophetica num. 8. deleantur sequentia verba: *Fundator totus per speciale mandatum Dei*; & pag. 150. sequentia, *Expresso Dei mandato*, pro quibus scribatur, *Per inspirationem divinam*; & pag. 212. n. 4. sequentia. *Et hoc est opus proprium dæmonis, in quo si non requirat auxilium alterius hominis, ideo fit, ut ipsi massæ nihil adhæreat humanitatis, eoque fiat infecta tota*. Et pag. 229. n. 3. quinque lineis ante finem, ubi legitur, *quod debet partiri Ecclesia*, loco *Partiri*, scribatur *Parere*; videturque error esse impressionis: & pag. 260. n. 4. ubi dicitur, *Nemo se potest præferre Eliæ*, deleatur vocabulum *Potest*; & syllaba *Re*; legaturque, *Nemo se præfert Eliæ*; & pag. 782. n. 10. ubi dicitur, *Non Synagogæ veteris, sed renovatæ in Christo*; addatur vox *Ecclesiæ*, legaturque, *Non Synagogæ veteris, sed Ecclesiæ renovatæ in Christo*.

25 „ Item ut in tomo 1. Chronicæ (*lib. 1. pag. 2. n. 2. lin. 2.*) expungantur verba sequentia; *Per expressum Dei mandatum*, reponaturque *Per inspirationem Dei*: & ut in dicto tom. 1. aboleatur Prologus prædictæ Historiæ, continens paginas 31. & sic incipiens; *Utilitas & æstimatio universalis, cum quibus fuit receptus tomus primus sacræ nostræ Reformationis &c.* ac finit: *Sententia, justitia, patientia, tolerantia, consilio gravius*, tamquam injuriosus. Quantum autem in d. Prologo, Auctor tractat de vita, exemplo & virtutibus d. F. Francisci de S. Maria, auctoris d. Historiæ Propheticæ, declaratur intentionis non esse præjudicium ullum facere vitæ ac moribus d. Francisci de S. Maria.

26 „ decernitur autem ut sic emendati & correcti libri prædicti currant simul cum suis figuris, quas antea habebant, possintque denuo imprimi: simul etiam currat præd. Apologia sicut est impressa. Mandatur etiam, ut Tribunalia S. Officii Inquisitionis reddant d. Religioni omnia exempla d. Historiæ Propheticæ, Chronicas, & Apologias, quibus constabit adhibitam correctionem & emendationem prænotatam in forma prædicta. Ut autem effectum sortiatur hic Actus, ejus authentica copia tradatur d. Religioni, scribaturque dictis Tribunalibus idem ut faciant. Ita constituerunt, mandarunt, & signaverunt sua Excellentia, & Domini, Episcopus Pacis-augustæ, Eques Villegas, Ayala, Valensuela, Tellez, *& subscriptum erat*. Licentiatus Don Didacus Bodalcaba, Secretarius Consilii.

27 Hactenus Decretum novissimum: quod conferens lector cum Decreto anni 1661. & causam ac terminos considerans, cum quibus & ob quas prænotati libri videntur prohiberi; ægre sibi poterit persuadere, quod priores censores, vel aliam tam severæ prohibitionis causam non habuerint, quam indicant verba paucula hic corrigi mandata; vel processerint melius informati, quam qui anno 1695. prohibenda censuerunt nostra Sanctorum Acta, si hi quoque alias causas non habuerunt, quam quæ sunt in Delationibus Hispanice publicatis. Sed hæc altiori considerationi relinquens, redeo ad Apologiam Reverendissimi Galiani.

28 In hac super prædictis sequitur Animadversio Auctoris, quam apponere non erit incongruum „ In hisce, inquit, Decretis videre est, quod Monachatus Synagogæ, fundatus ab Elia, fuerit bis prohibitus a S. Officio, & quod semper inde exiverit cum correctione, a S. Tribunali facta: & quod ista novitas semper opus habuerit excusatione, sanctique Officii emendatione circa hujusmodi scriptores: & quod triumphi omnes, quibus se Eliani jactant, sit gloria meræ permissionis, per quam asserere possint fuisse Monachatum, & imprimere quod fuerint vota obedientiæ, paupertatis & castitatis, absque perfectione tamen Legis Evangelicæ.

29 „ Ubi nunc est prohibitio & condemnatio ejus sententiæ, quam tueor ego? Monachatus Judaicus solum obtinet permissionem meram, eamque multis limitationibus circumscriptam: pro mea sententia facit, quod contra eam nullus Doctor impegerit, sed eam probent & sequantur fere omnes, neque tribunal ullum ipsam unquam censuraverit. Si autem consideraretur Monachatus Eliæ, habet quidem pro se probabilitatem aliquam permissivam, sed negativam potius quam positivam: institutio autem veri status religiosi in Lege gratiæ cum votis in Evangelio, habet pro se ipsummet Evangelium, secundum doctrinam sanctorum Pa-

„ trum

trum in Ecclesia receptam. Quomodo igitur potest vulgus decipi, prædicando imposturam tam manifestam, quam est dicere, quod omnia, quæ dixi in libro meo, condemnata sint a S. Officio, & per Bullas Pontificum omnino quindecim, quos dicunt in favorem suum protulisse sententiam? cum nullus Pontifex adhuc dixerit, in veteri Testamento fuisse perfectum Monachatum Evangelicum, cum votis propriis Legi gratiæ, in quibus cardo controversiæ nostræ versatur. Impostura hæc non solum est contra librum meum, sed contra summos Pontifices, & S. Inquisitionis in Hispania Tribunal, prohibitum & condemnatum ab iis prædicans id, quod per sua Decreta nec condemnarunt, nec prohibuerunt.

30 ,, Videamus tamen quinam isti sint, qui S. Tribunali se opponunt. Permittit ipsis S. Officium scribere & dicere, quod in veteri Lege fuerit Monachatus, absque perfectione Legis gratiæ; & dicunt, quod fuerit verus Monachatus evangelicus, in veritate & spiritu Legis gratiæ institutus ab Elia; quibus terminis necessario involvitur perfectio Evangelica; quia absque hac perfectione non potest esse Monachatus substantialiter evangelicus: vel erit dicendum, quod fuerit status essentialiter evangelicus, absque perfectione essentiali & præcipua Legis gratiæ. Addunt autem Patres Salmanticenses, quod fuerit ejusdem essentiæ & rationis, cujus est Monachatus Christianus. In hunc sensum, & cum istis, diffundunt se tomo 8. (*disp.* 20. *tract. ult.*). Atqui Monachatus Christianus essentialiter & intrinsece includit perfectionem Legis gratiæ; absque hac enim non esset Monachatus Christianus: ergo Carmelitæ post ipsa Decreta renovant doctrinam, prohibitam per Decreta S. Officii, & condemnatam a S. Inquisitione.

31 ,, Quamquam enim caute frequentent, & identidem inculcent hanc clausulam, *absque perfectione Legis gratiæ*, (*tom.* 8. *disp.* 3. *dub.* 6.) per meram tamen fraudem hoc faciunt: quia eorum omnia argumenta pro Monachatu Eliæ eamdem perfectionem includunt & inferunt. Supponunt enim Salmanticenses (*tom.* 3. *disp.* 3. *dub.* 7. §. 3. *num.* 86.): quod causa exemplaris ut minimum debeat esse æqualis perfectionis cum exemplato, & dicunt: Elias secundum multos Patres fuit exemplum Monachorum Legis gratiæ: ergo fuit verus Monachus. Quis autem non videat, ex hypothesi quod causa exemplaris debeat esse æqualis perfectionis cum exemplato, ut minimum consequi, perfectionem Legis gratiæ contineri in Monachatu Eliæ: talique argumento illusoriam reddi prohibitionem S. Officii?

32 ,, Nec minori pertinacia utuntur circa institutionem religiosi status in Judaismo, per expressum Dei mandatum. Cum enim sacrum Tribunal mandet, ut solum dicant S. Eliam ipsum fundasse ex inspiratione divina; dicunt Salmanticenses (*ubi supra dub.* 4. *n.* 56. *& alibi*) quod Elias vocavit Eliseum de præcepto Dei expresso. Si autem institutio cœpit ab Eliseo, & quod hic vocatus est ex mandato Dei expresso ad Religionem, quam Elias in ipso inchoavit; continuo formatur manifestus circulus contra Decretum, in hoc rediens, ut institutio Eliana facta sit per expressum Dei mandatum.

33 ,, Non solum autem recidunt Salmanticenses illi, post Decretum anni 1683. in propositiones jam dictas vetitasque; sed in omnes, aut fere omnes, quas S. Tribunal corrigi mandavit in prima impressione Historiæ Propheticæ. Constat id ex Conclusionibus, defensis Abulæ anno 1688. in Capitulo Provinciali Calceatorum, cujus Dedicatoriam hic juvat exponere, ut tam in pictura S. Eliæ Prophetæ, cui illæ dedicantur, quam in elogiis ipsi istic attributis manifeste appareat auctorum intentio. Pingunt Sanctum Prophetam in habitu Carmelitico: &, quemadmodum S. Paulus dicit (1. *ad Corinth. cap.* 11. ℣. 3.) quod *Caput Christi Deus* est: ita super caput Eliæ scribunt hæc verba: *Elias iste est Deus*, & addunt rotulum circumeuntem quo dicitur, *Primus qui vivit, & ultimus qui moritur*. Secundum litteram falsum hoc est, solique Christo quadrare potest; qui fuit primus viventium auctor vitæ, & morte sua mortem ipsam destruxit, ac vitam resurgendo reparavit.

34 ,, Prohibitum Carmelitis fuit commentum istud, quod in fine mundi unit Ecclesiam cum Synagoga: pingunt tamen Eliam medium hanc inter & illam, faciuntque dexteras jungere, seque unire in Elia; & mox subintrat Dedicatoria cum hoc textu Ecclesiastici: *Ecce Sacerdos magnus*: ad denotandum quod ut talis apparebit, quando sub finem mundi ipse, veluti angularis lapis faciens utraque unum, conjunget Ecclesiam Synagogæ. In iisdemque Conclusionibus dicitur, quod futurus ipse sit nexus utriusque Testamenti: & sequitur, quod Apostoli ipsi exhibuerint Eliæ reverentiam, secundum Propositiones, quas in Compendio sui operis retulerunt §. 1. Cælum & elementa præstiterunt ei obedientiam. Monachus & Pater fuit Monachorum, qui post se reliquit Prophetas Religiosos, mancipatos suo instituto, successores in monte Carmelo, tenentes successionem suæ vere monasticæ Religionis; quia hæc est approbata a summis Pontificibus atque Ecclesia, & confirmata multis revelationibus sanctissimæ Dominæ nostræ Mariæ. Tandem legitur ibidem etiam hæc quinta Conclusio: *Quod Elias sit Fundator veri Monachatus, quem instituit in vero, essentiali, & substantiali monastico statu, credi potest Fide Divina Theologica, aut ut minimum Fide, communiter dicta Divina, cum assensu supranaturali & infallibili, cui falsitas subesse non possit*. Ad hunc gradum recentiores Eliani attollunt statum Judaicum Elianum, etiam post ultimum Decretum S. Officii, quo solum ipsis permittitur, ut possint eum sustinere cum tot limitationibus, quæ nos docent, quod status monasticus ante Christum non possit dici verus veritate evangelica, nec substantialiter evangelicus, Sub ista autem fraude dicunt, totum quod habeo in meo libro prohibitum & damnatum esse a S. Officio.

35 Propositiones ipsorum fuerunt prohibitæ & condemnatæ a S. Tribunali; & nunc easdem resumunt male dissimulatas, & cum nihilo minoribus incongruentiis: quia non emergunt ex suo labyrintho, dicentes, quod status ille religiosus evangelicus, quem fundavit Elias in Synagoga, fuit *substantialiter perfectus*, sed non *consummate perfectus*, sicuti noviter loquuntur Salmanticenses; aut *plene perfectus*, sicuti habet præcitata Conclusio quinta; hæc enim coincidunt cum antiquorum Pseudoapostolorum errore, contra quem scripsit S. Paulus. Vide Controversiam meam dogmaticam (*parte* 2. *Disc.* 5. §. 6. *num.* 133. *&* 134.) quia dicebant „ Pseudoapostoli isti, quod status Legis veteris erat bonus & perfectus, sicut Legis gratiæ. Isti autem Eliani concedunt Synagogæ statum determinatum, substantialiter evangelicum ac visibilem, secundum usum Religionis Christianorum quoad exteriora; qui fuerit ejusdem rationis & essentiæ, cujus est Christianus; sed non consummate perfectus, sicut est evangelicus Christianus.

36 „ Hoc vero dicentes, evidenter componunt Synagogam cum Ecclesia Christi, & res Evangelicas cum Legalibus, id ipsum scilicet quod impugnat S. Paulus, secundum D. Thomam, (*in* 2. *ad Corinth. cap.* 3. *lect.* 2.) sic scribentem: *Possent Pseudoapostoli dicere, quod, licet majus ministerium sit novi Testamenti, quam ministerium veteris Testamenti; non tamen est multum majus: & ideo bonum est quod isti ministerio & isti intendamus: quod & faciebant, quia simul observabant Legalia cum Evangelio*. Atqui etiam Carmelitæ, spiritum atque veritatem Legis gratiæ ponunt in Synagoga, per istum statum religiosum Elianum, sicuti recenter describitur atque depingitur: & secundum tales fuissent in Synagoga sacrificia cruenta boum atque ovium, & vota paupertatis, caro & sanguis in holocaustis, & vota virginitatis; lactucæ agrestes, & spiritus Legis gratiæ; agnus assus, & veritas evangelica in perfectissimo holocausto professionis Apostolicæ. Mira enimvero idea Ecclesiæ & Synagogæ!

37 „ Majoris explicationis causa dicam, quid fateantur Eliani moderni Christum Redemptorem nostrum in suo Evangelio dedisse statui religioso, & quid affirment Eliam dedisse Synagogæ. Secundum D. Thomam, Religiosus status essentialiter & substantialiter constituitur per tria vota paupertatis, obedientiæ & castitatis; habet etiam accidentia quædam, videlicet specialia instituta, quæ Sanctus appellat accidentalia, & per quæ distinguuntur inter se religiosi Ordines, per quæ etiam cognoscitur cujusque major minorve perfectio in suo statu specifico. Secundum Elianos, Christus non dederit ei statui substantiam in votis, nec solemnitatem aliquam: quia Salmanticenses, contra S. Thomam ejusque Scholam, (*tom.* 4. *disp.* 1. *dub.* 4. §. 3.) dicunt, quod tota solemnitas status religiosi sit a Jure ecclesiastico, postmodum ab Ecclesia excogitato, nulla autem est ex Jure divino. Dicunt (*tota disputatione* 3.) quod Elias dederit ipsi statui substantiam in votis, perfectionem substantialem Evangelii, spiritum & veritatem Legis gratiæ, rationem & essentiam Christiani.

38 „ Quid ergo contulit Christus per passionem & mortem suam? Non substantiam: hanc enim cum votis Elias dedit in Synagoga. Non solemnitatem: hanc enim instituit Ecclesia post Christi ascensionem. Non accidentia particularium institutorum: hæc enim sunt inventa Fundatorum. Ergo Christus redemptor noster nihil externæ rei dedit in suo Evangelio, ad constituendum in isto statu membrum visibile corporis mystici Ecclesiæ suæ, quæ ipsum constitueret in ratione status specialis in illa: & necessario debent coincidere cum doctrina earum propositionum, quas notavimus ex §. 8. Compendii; ubi dicunt, quod Christus summo cum gaudio amplexus est statum religiosum, quem Elias fundaverat in Synagoga, in qua huic ille dederat quidquid spectabat ad excellentiam, substantiam & perfectionem: atque ita quidquid eminentiæ habet status ille, habet ab Elia; a Christo vero solam complacentiam, cum qua hic ipsum est amplexus; & ab Ecclesia atque Patriarchis Ordinum singulorum, accidentia, quæ pro ratione temporum mutari possunt & alterari.

38 „ Hanc novam doctrinam inpugno ego in mea Controversia, dans Christo institutionem excellentis illius status in Ecclesia quoad substantiam & essentiam: quia omnia Ecclesiæ officia, & status, sunt participatio plenitudinis gratiæ Christi, juxta S. Thomam (2. 2. *q.* 184. *art.*) quæ ab ipso tamquam a capite diffunditur per omnia ejus membra, propter merita passionis ejus & sanguinis. Quemadmodum autem, prius quam sanguis ejus effunderetur, non erat plenitudo gratiæ, neque instrumenta visibilia, quæ ipsam darent, neque media ad consequendam perfectionem perfectiva ex se ipsis, aut per Legem, cujus consilia erant; non potuit extitisse status substantialiter evangelicus, neque ejus vera ratio & essentia Monachatus Christiani, antequam Christus per suæ gratiæ plenitudinem instituisset vota Christianæ Religionis, juxta D. Thomam (3. *q.* 63. *art.* 3.)

39 „ Considerans interim, quod supra relata S. Officii Decreta non prohibent neque condemnant tam expressam sententiam S. Thomæ: quia S. Tribunal optime novit, quod ipsamet sancta mater Ecclesia, etiam in eo casu, quo videtur tota inclinari in sententiam sententiæ D. Thomæ oppositam, tanta tamen reverentia prosequitur istum Angelicum Doctorem, ut illam vetet censurari; quomodo non permittet, ut doctrina, quam ego defendo, quæque est communis omnium Sanctorum Patrum, sustineatur; atque etiam declarabit sustineri eam posse, propter suam in Ecclesia vetustatem? Non volet sacra Inquisitio confundi veritatem coram vulgo, præoccupato dicteriis, imposturis & satyris, quibus actum est, ut detraheretur fides doctrinæ jam firmiter radicatæ in judiciis & affectibus sanctorum Patrum. Si dolent Eliani auferri sibi possessionem Carmeli sub Synagoga, & institutoram Eliam cum votis Religiosis; magis sentimus Religiosi ceteri, quod nos velint deturbare

„ de

„ de possessione Calvarii, & eripere matrem Dei
„ genitricem, in qua expresse dicit S. Thomas,
„ (*in 4. dist. 50. qu. 1. art. 1. ad 2. item 3. p. qu.*
„ 28. *art. 4. ad 4.*) cœpisse observantiam con-
„ siliorum: possumusque citra injuriam Ordinis
„ Carmelitani prætendere meliorem Montem,
„ & majorem Matrem, quam sit Carmelus,
„ & ipsorum Pater Elias.

40 „ Hoc supposito, cum omni veneratione
„ & subjectione erga S. Tribunal, transibo ad
„ aliquas observationes, circa Propositiones,
„ in quibus fundant istum statum monasticum
„ cum votis in Synagoga; relinquendo propo-
„ sitionibus currere permissis probabilitatem
„ suam. Fecit hoc in eodem casu Dominus E-
„ piscopus Araujo, Cathedraticus primæ lectio-
„ nis in Universitate Salmanticensi, Magister
„ in Ordine S. Dominici (*tom. 1. in 2. 2. qu. 99.*
„ *disp. 4. sect. 3.*) qui post primum permissivum
„ Decretum, impugnavit Propositiones prædi-
„ ctas, ut contrarias doctrinæ S. Thomæ.

41 Hactenus Reverendiss. Galianus, assumptum argumentum solide ac graviter prosequens, cujus ultimo hic relata verba velim in animos descendere quorumdam Dominicanorum in Hispania & alibi, qui ad insectandos libros meos obligatos se putant, eo solum, quod Decretum illos condemnans prodierit sub ejus, qui suus quondam Generalis fuit, ingressum ad munus supremi Inquisitoris; ideoque auxiliatrices manus porrigendas Carmelitis, in sustinendo vero Legis antiquæ Monachatu. Tales si non movet ipsiusmet Excellentiss. Domini Inquisitoris respectus, toties mea auctoritate utentis, & ad tuendam Apostolicæ Sedis innocentiam in Marcellino & aliis eas mecum tenentis sententias, quas ut hæreticas aut schismaticas accusant Eliani; si, inquam, D. Inquisitoris respectus eos non movet, moveat saltem respectus sui Angelici Doctoris, cujus opinioni ex diametro opponitur illorum assertio de Synagogæ Judaicæ Monachatu; esto eum, intra 60. annos jam bis damnatum, iterum currere permiserit S. Tribunal; proximo fortassis seculo priora judicia resuscitaturum, cum vacaverit legere atque expendere libros Reverendiss. Galiani, nunc ad tempus sequestratos.

42 Hi si non tam cito restituantur publicæ luci, quam merentur & quam eis deberi Ordinarii a Rege & Inquisitione deputati Censores statuerunt ex judicio gravissimorum Theologorum; vix possum dubitare, quin alii alibi, ex paucis quæ foras abierunt exemplaribus unum nacti, recudi faciant primum Latinum opus, cui titulus: CONTROVERSIA DOGMATICA, *pro veritate, spiritu, perfectione Legis gratiæ & aliis excellentiis, privative datis & concessis in statu præsenti Ecclesiæ, ex plenitudine gratiæ & meritis Christi præsentis & passi, & in adventu Spiritus sancti confirmatis; contra asserentes, quod in veteri Testamento fuit verus status Religiosus, cum Votis & Consiliis, institutus in spiritu Legis gratiæ, substantialiter Evangelicus, & ejusdem rationis cum statu Religioso Christiano.* Nec deerit fortassis qui ex Hispanico Latinum faciat opus ejus alterum, similiter in Hispania probatum, sed prætextu sopiendarum contentionum etiam suppressum, cui titulus; APOLOGIA *pro Controversia dogmatica, & spiritu atque perfectione Legis gratiæ, contra verum statum Religiosum evangelicum veteris Testamenti, manifestatum in singularitate opinionum, cum quibus ipsum defendunt asserteres Monachatus Eliani in Synagoga.* Gratam sane rem faciet reliquis in Italia, Germania, Gallia, ac Belgio Philomonachis, quisquis hanc operam publicæ navabit utilitati.

43 Ego dimissis istis, redeo ad Xaramilium nostrum, qui non putavit operæ pretium notare, quod plerique libri *Antipapebrochiorum* (quo nomine Eliani, ante hos circiter viginti annos, designabant suos contra me fautores, ac nominatim nostrum P. Josephum Andres, cujus initio memini) fuerit, inquam, operæ pretium notare, quod plerique contra me libri, Bruxellis ferme vel etiam Antverpiæ excusi, peregrina atque ementita nomina præferant, Coloniæ, Francofurti, Augustæ, Salisburgi &c. sæpe nec consultis quidem iis qui adscribuntur Typographis. Cur ita fecerint, rationem reddant qui fecerunt; ipsi interim summo mihi crimini vertunt, in aliquibus exemplaribus Chronologici mei Conatus, qui septem Maji tomis Propylæum facere debebat, omissum in fronte libri, atque in medio ejus positum esse annum editionis. Hic, ad dicti illius mei confirmationem placet adducere testimonium authenticum & recentissimum viri eruditissimi, & illustrata Æthiopum historia celeberrimi, ejusdemque a Consiliis sacræ Cæsareæ Majestatis, sic expressum.

44 „ Ad rogationem R. P. Danielis Papebro-
„ chii a Societate Jesu, diligens habita fuit in-
„ quisitio, num Tractatus, sub titulo, *Libel-*
„ *lus supplex, S. D. N. Innocentio XI. pro origi-*
„ *ne & antiquitate Ordinis Carmelitarum ....*
„ *exhibitus per P. Sebastianum a S. Paulo in 4.*
„ *Francofurti, anno 1683. apud Viduam Zubrod,*
„ impressus apud eam vel venum expositus fue-
„ rit. Illa, quæ nunc in matrimonio Benkardi
„ bibliopolæ vivit, præsente marito interroga-
„ ta, respondit, se numquam librum illum vi-
„ disse, multo minus vendidisse, aut vendendi
„ mandatum aliis dedisse: sæpe autem sibi acci-
„ disse, quod mariti prioris defuncti suoque no-
„ mine, libri, in Belgio vel alibi, excusi &
„ venditi fuerint; idque se admodum indigne
„ tulisse, nec ob ignorantiam falsarii vindicare
„ potuisse. Idem præsens ejus maritus suprano-
„ minatus serio affirmavit. Idem etiam cum e-
„ go infrascriptus ipse auribus meis audiverim,
„ studio veritatis, bona fide, sancte attestari
„ volui. Actum Francofurti ad Mœnum die
„ x. Maji, anno Domini 1698.

✠ *Locus sigilli.*

JOBUS LUDOLFUS.
Sacræ Cæs. Majest. Consiliarius.

ARGUMENTUM 8. 9. & 10.

Summi Pontifices.

595 CArmelitæ sunt Religionis speculum & exemplum. Ita Sixtus IV. Gregorius XIII. & alii.

Afficta Papebrochio.

CArmelitæ amiserunt jus Religionis ac Religiosi nomen. Nullus Hæreticus tam audacter est locutus.

596 Carmelitæ eminentes sunt in morum sanctitate, & propaganda fide Catholica. Ita Sixtus IV. & Clemens VIII.

Carmelitæ sunt alii in moribus, alii in fide; ut sunt Hæretici.

597 Carmelitæ per fructuosa sua ministeria, & quasi innumera pietatis opera, in agro militantis Ecclesiæ utiliter uberes producunt fructus. Ita Sixtus IV. Sixtus V. Paulus V. & Clemens VIII.

Carmelitæ propter Schisma fuerunt resciffi ab Ecclesiæ viridario, velut rami inutiles, cum suo trunco; scilicet Elia Propheta, sicut sunt Schismatici.

Responsio.

598 PApebrochius in nulla operum suorum parte dicit contra RR. PP. Carmelitas horribilia ista parerga, quæ imponit ei accusatio. Cur PP. Accusatores verba formalia, & locum, ubi ea habentur, non citant? Errores tam enormes, nisi ad oculum clare pateant, de Papebrochio non creduntur: creduntur potius esse Delatorum imposturæ. Extant in sacris litteris de S. Propheta Elia repetitæ toties ejus laudes & encomia, quæ minime ignoraverit Papebrochius. Hunc ergo quis credet potuisse dicere, quod ille ipse sanctissimus Propheta fuerit schismaticus, & ut talis tamquam ramus inutilis sit ab Ecclesiæ arbore formosissima resciffus? Quis credet, id ei suam Matrem Societatem Jesu permisisse, connivisse Antverpiam, nedum tolerasse Ecclesiam?

599 Si in suo Belgio ob oculos Papebrochio versantur PP. Carmelitarum templa, ubi Sacrificia videt celebrari; Sacramenta recipi & administrari; audit prædicari Dei verbum quo fideles Catholici pascantur: si hoc ipsum aliunde novit ex variis mundi regionibus, sive etiam ex librorum lectione, aut aliorum relatione; sive magis ac præcipue ex iis quæ ipsemet scribit, illustrando Sanctos Religionis Carmelitanæ; quomodo incidet illi vel cogitare, nedum dicere, Carmelitas esse schismaticos, & reliqua, quæ ei imponuntur?

600 Non solum non prolabitur glisecens Papebrochii calamus in tam chimærica portentorum monstra; sed econtra S. Bertholdum suosque Socios (qui, sua quidem sententia, initium dedere sacratæ Carmeli Religioni) eximit ab illa contagione Pseudo-Monachorum Syro-Græcorum, quæ in Palæstina grassabatur; & qui erant Schismatici, a Papebrochio indicati.

601 Quod autem dicti Pseudo-Monachi Syro-Græci essent Schismatici, non finit dubitare Jacobus a Vitriaco; qui a Capite 70. & sequentibus fuse explicat vitia & peccata Latinorum, ex Europa in Palæstinam advectorum vel ibidem genitorum. A Latinis autem mox transit ad Syro-Græcos, quos indigitat, ut sequitur. *Homines* (inquit) *magna ex parte infideles, duplices, & more Græcorum velut vulpes dolosi... furtum & rapinam quasi pro nihilo reputantes; secreta Christianorum pro modico pretio Saracenis enuntiantes, inter quos nutriti sunt; quorum etiam lingua libentius utuntur quam alia, & mores perversos magna ex parte imitantur. Consuetudines autem & institutiones Græcorum in divinis Officiis & in aliis Spiritualibus penitus observant, & Græcis tamquam Superioribus obediunt .... Dicunt, quod Latini omnes excommunicati sint, ideoque non possint excommunicare: negant a Filio procedere Spiritum Sanctum. Altaria, super quæ Latini celebraverunt Divina, priusquam in ipsis celebrent, abluere consueverunt. Sacramentis etiam nostris nullam exhibent reverentiam; nec assurgere volunt, quando Corpus Domini ad infirmos nostri deferunt Sacerdotes .... Diem autem Sabbathi adeo solennem reputant, quod non licet alicui eorum in Sabbatho jejunare, excepto tantummodo Sabbatho Sancto Paschæ.* Hactenus verba sunt formalia Jacobi de Vitriaco, Auctoris ac Testis fide digni, quæ Papebrochius refert (*Tom. 2. Maii pag.* 806. *num.* 7.)

602 Ab hoc autem Schismate ait Papebrochius Tomo 1. Aprilis (*pag.* 777. *num.* 41.) Deum præservasse Socios S. Bertholdi, quos insuper ait vocari posse instituti Eliani propagatores. Ut adeo rami inutiles intelligantur esse dicti Syro-Græci; rami virides ac fructuosi sanctus Bertholdus ejusque Socii: vetusta arbor & truncus, qui cum ramis radicitus recisus est, status fuit Monasticus Orientalis, quem perverterunt & funditus everterunt Syro-Græci: a qua perversione per Dei gratiam exempti fuere S. Bertholdus ejusque Socii. De iisdem Syro-Græcis dicit Papebrochius, eos amisisse jus omne, quo ultra vocentur veri Monachi, & sancti Eliæ posteri; jus autem illud & illam ab Eliꝗ descendentiam, eo modo quo ipse ea intelligit, in Bertholdo ejusque sociis fuisse conservata.

603 In his, quæ hactenus dicta sunt, quid est, quod Papebrochio improperetur? Nihil sane; imo multum est, de quo ei gratias agant. Quot præclaras Christianitates plantarunt Apostoli & illustrissimi alii Sancti? Quot etiam ex illis vel perierunt, vel fere sunt extinctæ? Dum diu multumque floridæ steterunt, dici de iis poterat, quod essent vetustus truncus seu arbor, in qua persistebat satoris sui virtus: at, postquam illæ, irrepentibus hæresi, schismate vel delictis aliis, desierunt esse bonæ, paucis exceptis quos Deus sibi reservarat ut ex iis Christianus spiritus renasceretur; dici vere poterat de unaquaque earum, quæ perversæ fuerant, & de illo statu in communi, quod velut rami inutiles fuerint cum suo trunco recisæ a præcipua radice; amiseruntque & jus & nomen veri Monachatus; cujus semen servabatur in paucis illis, tamquam in vera & hereditaria Satoris posteritate.

604 Atqui hoc ipsum dici patitur Papebrochius (*tom.* 1. *Apr. pag.* 777. *num.* 42.) nolens pro tunc impedire quo minus Monasticus in Oriente status concipiatur velut *annosa arbor, quæ ab Elia* (inquit) *quondam plantata fuerit, & Legis grana per Apostolos inserta, feliciusque revirescens Orientem impleverit Monachis; quorum successores ac posteri Elianum Institutum propagarint; donec inutiles rami ab Ecclesiæ agro una cum suo trunco per Schisma excisi, nominis tanti jus amisere: quod tamen conservatum sit in semine, in illis (inquam) pauculis sub Bertholdo Eremitis, qui licet lingua, ritu, fide, moribusque diversi ab iis, in quorum locum successisse præsumuntur, possunt tamen dici etiam ipsi Instituti Eliani propago.* Hactenus Papebrochius.

605 Quæro nunc ex Delatoribus, in quo consistit delictum Papebrochii? Non in eo, quod Syro-Græcos vocet Schismaticos; quia tales revera fuisse, clamant historiæ, & testatur Vitriacensis, S. Angelo Carmelitæ contemporaneus. Non, quod tueatur Bertholdi ejusque Sociorum sanctitatem: non, quod eosdem dici patiatur Eliæ propaginem; non, quod eos a Schismaticis distinctos separet. Igitur in solo Papebro-

thio

chio residet jus æquissimum querelæ, quam vertat in suos Delatores; quod scilicet, dum de S. Bertholdo Sociisque dicit, non lingua solum ac moribus, sed ritu quoque & fide illos a Schismaticis fuisse diversos; hoc suum dictum a Delatoribus invertatur in contrarium sensum; quasi Eliæ atque Carmelitis fidem, ritus Christianos, morumque honestatem denegaret.

606 Pius lector expendat, quam bene vel male conveniat hæc accusatio, cum iis quæ in vita S. Bertholdi de Carmelitis scribit idem Papebrochius, ut quidem accusatur, licet revera is commentarius sit Henschenii. Ibi nampe, post totius Terræsanctæ, a perfidis Mahometanis exeunte seculo 13. occupatæ, deploratam jacturam, addit Auctor (*tom. 3. Mar. 791. num. 1.*) quod sequitur: *In hoc communi omnium Christianorum mærore, cujus vel nuda repræsentatio etiamnum animos affligit, illustre solamen divina bonitas præstitit; dum Ordinem S. Mariæ de Monte Carmelo cum aliis superstitibus Heroibus voluit ex Terra sancta in hasce ditiones transferri, & ubique per orbem Christianum dilatari, atque in plures etiam Congregationes distingui. Id, quanto totius Christianismi fructu factum fuerit, novit orbis universus, agnoscunt quoque summi Pontifices in plurimis huic Ordini concessis litteris Bullisque Apostolicis; & nos etiam in hoc opere conabimur confirmare, dum Acta quam plurimorum Sanctorum hujus Ordinis singulis mensibus referemus.* Ad hæc quid Accusatores? Num forte habet Papebrochius Schisma pro illustri solamine adversus Mahometem? An pro singulari Dei beneficio, quod huc venerint Schismatici? Totiusne Christianismi fructus est in illius opinione, quod fides pereat; & fructus quidem, quem summi Pontifices in Bullis suis Apostolicis agnoscant extollantque? Illustratne denique pro Ecclesiæ & Carmeli Sanctis eos, qui nec fidem, nec morum honestatem, nec ritus habuere Christianos? Hæc qui ausit affirmare, delirus sit & amens. Ergo necessaria consequentia manifeste falsum est, quod hic ab accusatione imponitur. Muniat se Papebrochius armis tolerantiæ, non solum Christianæ, sed & Religiosæ; cujus præmium a Deo debeat expectare. Attendat interim ad alias accusationes & imposturas novas; quarum demonstratione dabit finem prima hujus Apologiæ Classis.

CAPUT XX. ET ULTIMUM.

Deteguntur novæ imposturæ aliæ. Impostura 1. super S. Bertholdo.

607 ANonymus verso fol. 3. *Vocis prætensæ Veritatis* suæ ait, quod *in Vita S. Bertholdi Henschenius & Papebrochius cœperint malignam suam intentionem .... animumque quem hactenus occultaverant, depravatum atque occæcatum aperire.*

608 Respondeo. Martii Tomo tertio pag. 791. hujus Sancti Vita illustratur per quinque numeros. In ipso Vitæ titulo vocatur ille, Sanctus, ac primus Prior Generalis Ordinis. Num. 1. de Religione dicuntur, quæ jam ante retulimus. Num. 2. refertur celebritas, qua illum colit suus Ordo; Oratio, qua sui utuntur in ejus Officio, quod sumitur ex communi Sanctorum; indicatur luctus ob ejus Acta deperdita vel a Saracenis dissipata, citanturque Molanus & Lezana. Num. 3. Citantur varii Auctores alii, omnes in laudem & honorem Sancti. Num. 4. citantur Baronius & Bellarminus: fitque animarum mentio, quas idem Sanctus viderit ascendentes in cælum; earum quoque qui occubuerunt in odium fidei, eaque roborantur auctoritate Joannis Grossi Carmelitarum Prioris Generalis. Num. 5. Ponitur ejusdem Sancti insigne elogium, perstringens miracula paralyticorum, quos sanavit; cæcorum, quos illuminavit; claudorum, quibus gressum restituit.

609 Hæc sunt, quæ de S. Bertholdo scribit Henschenius vel Papebrochius. Si Anonymus id vocat malignam intentionem, quam is denique vocabit benignam? Si hoc est scribere animo pravo & occæcato; quid tandem erit scribere animo recto & cupido honorandi Deum in Sanctis suis? Circa dicta afferatur verbum vel unum, quod sapiat redoleatve perversam intentionem, cæcitatem animi & passionem. Si Anonymo placuit hæc sua censura, quia num. 4. citantur Baronius & Bellarminus, qui non admodum favent antiquitati Carmeliticæ, prout optat obstat Anonymus; id erit perinde ac velle, dictos Cardinales alioqui, qui idem sentiunt, annumerari malevolis, sinistre intentionatis, & occæcatis. Atqui talis voluntas, non videtur tolerabilis.

Impostura 2. super ætate Christi.

610 REv. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo (*in Exhibit. Error. Art. 1. §. 2.*) & Delatores in (*Delatione anni 1692. fol. 12.*) accusant Papebrochium, tamquam qui sustineat cum Natali Alexandro, Christum vixisse 37. annos. Primus insimulat illum dementiæ & gravis periculi; ultimi, consequenter etiam falsificati Evangelii.

611 Tota hæc accusatio ludit in aere respectu Papebrochii, qui sustinet, Christum vixisse 33. annos ac tres menses. Sic ait in Propylæo (pag. 25.) *Baptismus Christi contigerit anno ætatis ejus trigesimo expleto; mors vero ætatis ejusdem trigesimo quarta per tres menses inchoato.* Idipsum etiam defendit ac multis rationibus stabilit Tomo 7. Maii (*in Paralip. pag. 149.*) in Epistola quam scripsit ad Eruditissimum Emmanuelem Schelstratium: & (*paginis 19. & 20.*) sententiam Natalis Alexandri vocat *paradoxam*. In Conatu Chronico-Hist. (*pag. 7. num. 3.*) vocat: *Novam & nemini auditam hactenus sententiam*; & satis premit Alexandrum. Eodem Tomo, in Notis marginalibus ad secundas litteras Patris Possini, dicit, eam sententiam esse contra Canonem Neocæsareensem, & contra sensum totius Ecclesiæ antiquæ. Adsit hic testis Deus! Cum Papebrochius exprimat 33. annos ac 3. menses, quos vitæ Christi assignat; & adeo se opponat 37. annis, quos ei assignat Natalis Alexander, atque hunc tam apposite impugnet; qui fit, ut Accusatores illum legant, citent, atque deferant, sensu in omnibus inverso & in opposito prorsus contrario?

612 Instat P. Fr. Sebastianus. Papebrochius in suo Propylæo (*pag. 16.*) ante secundas Possini litteras sic scribit: *Non potui non favere prædicto Alexandro, contra eamdem communem sustinenti, citius natum esse Christum, adeoque diutius vixisse inter mortales, quam annis 33. Non potuit non favere dicto Alexandro, qui contra communem sen-*

sententiam sic tuetur Christi Nativitatem, ut faciat illum pluribus vixisse quam 33. annis.

613 Respondeo 1. Papebrochius Alexandro favet ea dumtaxat parte, qua sustinet Christum vixisse *diutius quam annis* 33. nam super hos addit tres menses; at non ea parte, qua vult vixisse annos 37. supposito quod mors contigerit anno solum 34. per tres menses inchoato. Quod ad reliquum attinet, jam vidimus, quantopere eum impugnet: atque adeo hoc illi attribuere, manifesta est impostura.

614 Respondeo 2. Præter imposturam attexitur artificium, quo scilicet eadem cursiva littera, qua P. Fr. Sebastianus citat verba Papebrochii, annectit insuper hæc: *Christus mortuus est anno ætatis suæ trigesimo septimo inchoato*. Hoc additamentum est solius Accusatoris, quo facilius inducatur incautus Lector ut credat accusationi; habeatque pro textu Papebrochii, etiam id, quod alterius est additamentum.

615 Respondeo 3. Tametsi Papebrochius tenuisset aliquando sententiam Natalis Alexandri (quod tamen falsum est, nec probari id potest ex ejus Chronologia) inibi dat solutionem; adeo namque feriit illum ea novitas, ut diceret, velle se super ea consulere Possinum: *Placuit igitur super hac nova opinione ejusdem Possini sententiam exquirere*. Exquisivit, responsum habuit; & post hæc impugnat Natalis opinionem eo modo, quem jam retulimus. Ubinam ergo hic est illa dementia, ubi contradictio vel falsificatio Evangelii, ubi recessus ille a communi Ecclesiæ sensu? Adeone Accusatoribus licitum est, passim & ubique eo modo & ea libertate tractare Papebrochium? nec nobis licebit illos interrogare, per quam Ecclesiæ doctrinam, per quem Evangelii textum, & per quam prudentiæ regulam imponant tamquam sententiam Papebrochio propriam, eam ipsam quam impugnat, tamque vivide repellit, ut vidimus?

Impostura 3. Super Assumptione B. Mariæ Virginis.

616 REv. P. Fr. Sebastianus (*Exhib. err. Artic. 10. num. 1.*) sic arguit. *Contra omnium Sanctorum Reginam bellum suum exorditur Papebrochius*. Et §. 1. num. 2. *Papebrochius suspectam reddere molitur historiam Assumptionis B. Virginis Mariæ*. Et num. 3. *Et de facto non parum reddit suspectam*.

617 Declamatorius hujus accusationis strepitus est sane grandis: at quo nitatur fundamento, videamus. Agens Papebrochius de sermone S. Joannis Damasceni, ait: *S. Joannes allegat nescio quam historiam Euthymianam vel Euthymiacam, ex qua refert historiam de Dormitione sive de obitu B. Virginis. Auctorem non reperio, qui nominetur Euthymius*. Quia, qui citatur communiter, floroit seculo duodecimo; & cum S. Joannes Damascenus scripserit seculo octavo, annis quadringentis prius, non potest is esse, quem Sanctus allegat. Hoc est fundamentum (quia scilicet Papebrochius dicit, non invenire se auctorem qui vocetur Euthymius) quo nixus P. Fr. Sebastianus dicit, Papebrochium bellum exordiri contra Reginam Angelorum, & ejus Assumptionem reddere suspectam. Declaret nobis Rev. P. Accusator, quis octavo isto seculo fuerit Euthymius: quæ & qualia illius scripta: ubi asservantur: quæ fuerit ejusdem patria, vel cujus fuerit nationis, & cujus status. Si ista novit, cur non allegat in sua accusatione, id beneficii præstando, non Papebrochio dumtaxat, sed & toti reipublicæ litterariæ? Si autem non novit; cum Papebrochio fateatur necesse est, nec se quoque invenire auctorem istius nominis. Ergo tali casu movebit & ipse bellum contra Dei Matrem, ejusque sacratissimam Assumptionem. Consequentia est legitima, & quæ bellum Accusatori moveat, dum non invenit Scriptorem istius nominis in seculo octavo.

618 Quis hunc feret argumentandi modum? Qui dubitat vel suspicatur, quis sit auctor alicujus libri, suspicatur etiam vel dubitat de iis, quæ talis liber continet: atqui Petrus suspicatur vel dubitat, quis sit auctor cujusdam libri; qui mentionem facit de Deo, de infinitis ejus perfectionibus, aliisque fidei articulis: ergo Petrus intendit dubium reddere, an sit Deus, an sint Fidei articuli. Exsibilanda sane consequentia! Nemo non negabit hujus Syllogismi Majorem: multum alioqui laborarent Baronius, Bellarminus, & celeberrimi Doctores alii, qui de Auctoribus variorum operum passim dubitant, absque eo quod dubitent de veritatibus Catholicis, aliisve optime fundatis, quas opera illa continent. Quid sentiendum foret de sexta Synodo, ubi reprobatus est liber, dictus *Itinerarium Sanctorum Apostolorum*? Quid de Gelasio Papa, & Romana Synodo, qui & ipsi reprobarunt librum, cui sub nomine S. Melithonis titulus erat, *de transitu B. Mariæ Virginis*? juxta Rev. P. F. Sebastianum videtur inferri, Papam & Concilium suspectam quoque reddere veram mortem B. Virginis.

619 Denique, si cum Lezana Carmelita dixit, quod is qui Regulam S. Alberti proposuit subscriptam cum Data anni (ut jam vidimus num. 586.) correctione ac pœna sit dignus; tunc aliquis interrogasset, quis Datam apposuerit, & ipse respondisset, se nescire; an propter hanc inscientiam diceretur Lezana suspicari vel dubitare, an S. Alberti Regula extiterit? Numquid R. P. Fr. Sebastianus, cum Delatoribus Hispanis, & omnibus universim Patribus Carmelitis, incunctanter responderet; Lezanam non dubitare de Regula, aliunde admodum certificata, sed solum de Auctore qui fingit subscriptam anni Datam? Papebrochius minime dubitat de Assumptione Virginis, quam narrat Historia Euthymiana; tam venerando namque mysterio firmiter fidem adhibet, ac omnem venerationem quam Ecclesia concedit: solummodo dicit, non invenire se in octavo seculo Scriptorem, qui vocetur Euthymius.

620 Anonymus Gazulæ inventor, cum ficta subscriptione, *Romæ 15. Julii*, plus ausus est effutire in Papebrochium hoc horrido scommatismo: *Proximum est* (inquit de illo) *ut neget realem Christi præsentiam in Eucharistia: & (si bene reflectitur) de facto jam negat corporalem Mariæ præsentiam in Cælo*. Reflectionem, quam hic Anonymus requirit, adhibeat ipse super animam suam; atque consideret, quod, quamvis verba leviter volent, non leve tamen damnum post se trahant eorumdem consequentiæ. Id omne, quod hic affirmat, nihil est nisi monstrosa chimæra: Assumptionem siquidem B. Virginis in cælum, quoad corpus & animam, tantum abest ut neget Papebrochius, ut ne leviter quidem suspectam reddat. Quod, si nihil plus habeat fundamenti (uti vere non habet) ad hoc illi imponendum, quam habuerit Rev. P. Fr. Sebastia-

bastia-

baſtianus a S. Paulo; nec illud ſufficiat, ad imputandam illi ſuſpicionem; quanto ſufficiet minus ad imponendam negationem?

621 Quantum ad illud. *Proximum eſt, ut neget realem Chriſti in Eucharistia præſentiam*; haud aliud meretur reſponſum quam dicere, non adeo lynceos & acutos nobis oculos eſſe, ut proximitatem iſtam videant; neque e contra eſſe tam obtuſos, ut enormitatem non videant talis ſic impreſſæ Gazulæ, quæ fingitur veniſſe Roma. Hujus auctor debuiſſes aciem oculorum ſuorum eo uſque ſaltem extendere, ut videret turpitudinem ſeu infamiam, quam tali fictione erat incurſurus, & quam jam expeodimus ſupra num. 511. Confide interim futurum nunquam ut oculis ſuis videat Papebrochium adeo turpiter lapſum; quoniam vero profundiſſima Dei judicia ſunt, caveat ipſe Anonymus ſibi a ſimili lapſu. *Qui ſtat, videat ne cadat*, inquit, Apoſtolus. Videat etiam Anonymus & intelligat, quod, qui ſimiles Gazulas finxit, in eiſque tales errores impoſuit Papebrochio, jam de facto ceciderit lapſuſque ſit in vitium, quod opponitur veritati; & quod primi lapſus diſponant pedes debilitatos ad alios lapſus graviores.

Impoſtura 4. Super Natione Papebrochii.

622 Auctor *Vocis* prætenſæ *Veritatis* folio 9. facit Papebrochium in Hollandia natum eſſe, eumque vocat *Hollandum linguæ effrænis*. Hollandum quoque facit auctor fictæ Gazulæ Romanæ. Unus & alter gaudent eo titulo uti, ut eo veriſimiliores faciant errores, quos illi contra fidem attribuunt. Fictus Gazetarius ait: *Patiatur Hollandus Papebrochius, qui Fidem ipſam tantopere offendit; Diocletiano ſua calamo paſſim dilacerans Nationes, Religioſos Ordines, Breviaria, Martyrologia, Synodos, Pontifices, ac SS. Patres; quos eodem paſſu deprimit, quo laudat extolliique doctrinas eorum, qui inter hæreticos ſunt peſſimi.* Et paulo poſtquam finxiſſet, Papebrochium negare corporalem B. Mariæ Virginis in cælo exiſtentiam, in ipſum ludit ironicis his verbis. *Solatio ſit Papebrochio, quod illum nemo dedignabitur agnoſcere in ſua patria, non obſtante univerſali illa exceptione; Nemo Propheta acceptus eſt in Patria ſua.*

623 Facile animadvertet Lector, quanta ſit in iſto loquendi modo temperantia; quanta item reverentia erga Chriſti ſententiam, quæ in ficta Gazula & mendaciis ſcatente profertur; animo nocendi Papebrochio, idque ſuper falſitate, Nationem concernente!

624 RR. PP. Delatores (2. *part. Delationis anni 1691. fol. 41.*) bis Papebrochium vocant *Francum* ſeu *Gallum*; & quidem non qualemcumque, ſed *hypotheticatum, ut contra Hiſpaniam ſcribat, dextrorſum ſiniſtrorſum, ſus deque, ſine juſtitia, ratione & veritate*. Verba ſunt formalia Delatorum eodem loco, ubi *Aubertum Miræum faciunt eſſe Hiſpalenſem, Auctorem Hiſpanum & Monachum Benedictinum*. Sed ut in hoc gravem adeo paſſi ſunt æquivocationem (ut ſupra vidimus num. 405.) ita quoque in altero fraudem ſunt paſſi, dum Papebrochium oriundum faciunt ex Gallia.

625 Rev. P. Fr. Sebaſtianus, traductus per Dominum Danielem a S. Petro (*fol. 46. num. 96.*) aliud quiddam inſinuat; nam impugnando Papebrochium dicit: *Sed multis ex Belgio & ex Germania non bene ſonat viſibile Eccleſiæ oraculum*; ubi videtur dubitare, Belgane ſit an Germanus. Juxta hoc ergo in arenam jam prodeunt Germania, Hollandia, Belgium & Gallia. Harum regionum quænam erit patria Papebrochii? Quænam harum eligetur velut efficacior ad probandum, utrum in ſuis Propoſitionibus erraverit Papebrochius vel non erraverit?

626 Interim dum quæſtionem iſtam ventilant, & inter ſe decidunt qui eam moverunt, audiat Lector ex Nathanaele Sotuello, qui poſt Philippum Alegambe, an. 1675. Bibliothecam Societatis auctiorem edidit, duas veritates. Hic (*pag. 165.*) ſic ait: *Daniel Papebrochius, natione Belga, Patria Antverpienſis, duodeviginti annos natus Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1646. & votorum quatuor Sacramenta ſe adſtrinxit. Quinquennio docuit humaniores diſciplinas, tum Philoſophiam. Exinde ſocius adjunctus Joanni Bollando & Godefrido Henſchenio ad edendas Sanctorum vitas; cum ſecundo peragravit magnam partem Italiæ, Galliæ & Germaniæ ad conquirenda Sanctorum Acta; & jam, collata cum eodem opera, mandavit typis Acta Sanctorum menſis Martii tribus grandibus voluminibus in folio* &c.

627 Ex hoc teſtimonio, quod extractum eſt e libro, ubi ad ingreſſum in Societatem Jeſu inſcribitur, cujuſque nomen & patria, conſtat, Papebrochium nec Gallum, nec Germanum, multo minus Hollandum eſſe, ſed Belgam, natum Antverpiæ nobiliſſima civitate, ſeminario ingeniorum feraci ac producere ſolito ſcriptores celeberrimos. Atque ita, ſi allegabatur Hollandus eſſe in eum finem, ut ne quis in Papebrochio errorem ullum quantumvis gravem admiraretur (non enim, in Hollandia errare, rarum eſt) non etiam admiretur, quod ii, qui in cauſa doctrinali de tot impoſturis, quibus illum accuſarunt convicti, convicti quoque maneant in hac hiſtoriali minoris momenti materia, dum illi Nationem & Patriam attribuunt diverſam ab ea, quam dedit illi Deus.

628 Alteram etiam veritatem audiat Lector prima longe pretioſiorem. Berengarius abavus Petri Aurelii (quo tamquam inexpugnabili ſcuto ſe munit auctor, *Vocis Veritatis*) graviter diſſidebat cum Venerabili Humberto Cardinale, & aliquando Eccleſiæ columna; cumque crederet fore, ut ipſum male torqueret objectum nationis nomen, irriſoriæ vocavit eum Burgundum. Lanfrancus, rei indignitatem non ferens, Humbertum defendendum ſuſcipit, & lib. de Euchariſtia ſub initium, Berengarium ſic alloquitur: *Etiamſi Burgundus eſſet, inſipienter tamen arrogantia tua, nomen ſuæ gentis pro infamia ſibi adſcriberet; cum Spiritus Domini, ubi vult, ſpiret; & quem vult, adſpiret; & Domini ſit terra & univerſi qui habitant in ea: & Princeps Apoſtolorum dicat: In veritate comperi, quia non eſt acceptor perſonarum Deus; ſed in omni gente, qui timet eum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. Item Doctor gentium ad Galatas: Deus perſonam hominum non accipit.* Et circa libri medium: *Venerabilis Humbertus*, inquit, *quem exprobrando Burgundum nominas, quaſi non poſſet Deus in Burgundia habere ſervos ſuos.*

629 Solida profecto eſt hæc doctrina, pia, veriſſima, ſacris litteris ſuffulta. At volatilo cudere folium, ſimulque fingere, quaſi prodiret ex prælo Cameræ Apoſtolicæ; atque præter impoſturam, qua Papebrochius per modum opprobrii

bri dicitur Hollandus, abuti etiam divinis Christi verbis; quid dicam hoc esse? Ex verbis Lanfranci sibi deligant ea quæ voluerint ambo Anonymi; & de patria Papebrochii credant quod placuerit: illam ei velut propriam adscribere, quæ propria non est, nota falsitas est: propriam exprobrare, insipienter, juxta Lanfrancum, *Insipienter*.

630 Quid Michaeli Molinos profuit, quod in Catholicissima nostra Hispania habuerit suum ortum, in ordine ad errores, in quos incidit? & quid Hollandia inquilinis suis obfuit, qui hodie coronati triumphant in cælis? Solidius aliud medium quærant Anonymi ad impugnandum, si quid non dignum esse judicaverint: hoc namque (de quo nunc agitur) futile est; nec vim facit contra Papebrochium, & de solœcismo arguit eum quisquis illo pro disputatione utitur.

Impostura 5. Super Auctoribus, quibus Papebrochius utitur.

631 AUctor *Vocis veritatis* non satis habuit, Papebrochium vocasse Hollandum effrænis oris: ultra progreditur, & fol. 11. doctrinam illius (o quam temperanter!) sic qualificat: *Fundatur* (inquit) *omnis ejus doctrina in axiomatis vel dictis Rabbinorum, seu, quod idem est, eorum qui Magistri vocantur Hebræorum ac Judæorum, hostium fidei nostræ; ab illis mutuatur eas consequentias, quæ vos percellunt primo ipso aspectu; videbiturque, quam obnubilatam relinquat puritatem Dominæ Nostræ.* Semper magis me movet miseranda hujus Anonymi cæcitas, & periculum, in quod voluntarie se conjicit. Notet Lector particulam illam universalissimam: *Omnis ejus doctrina:* non dicit, *Aliquam*, sed *omnem* Papebrochii doctrinam fundari in Rabbinis, Hebræis & Judæis, fidei nostræ scilicet hostibus. Anonymus ad sequentem quæstionem arrigat aures; &, cum nos hortetur ad eliciendas consequentias, attendat ad unam alteramve ex innumeris, quas intemperies ejus offert.

632 Loquiturne Anonymus de *omni* doctrina, quæ solum concernit Matrem Dei, & non alia; an vero de omni omnino, sparsa per 14. tomos in qualicumque materia? *Si primum:* Papebrochius ex Evangelio probat perpetuam Mariæ sanctissimæ Virginitatem, hujusque votum; atque Ecclesiæ & Castitatis hostem vocat, qui tale votum negaverit. Ex sanctis Patribus Hieronymo, Hilario, Epiphanio, Chrysostomo, aliisque sanctis Doctoribus & Scriptoribus, & (quod plus est) ex libro Canonico Numerorum probat Legem, quæ B. Virginem compulit ad nubendum; & sic in materiis reliquis. *Si secundum:* Estne Ecclesiæ Doctor, sanctus Pater, Pontifex, Interpres, eruditus Cardinalis, Concilium Generale aliquod, quod & quem non citet Papebrochius? Utitur etiam Jure Canonico, Historiographis omnium Ordinum, multis quoque auctoribus Carmelitis, revelationibus probatissimis, innumeris stupendisque miraculis; per quæ illustrat præcellentias Catholicæ Fidei, confundit hæresim, extollit valorem caritatis erga Deum & proximum, exaggerat virtutem sperandi in Deum; excitat ad harum atque aliarum virtutum exercitium, & ad Sanctorum venerationem, per quos Deus tot ac tanta prodigia operatus est.

633 Quid autem? Si juxta Anonymum, *Vocis Veritatis* auctorem, Papebrochius non aliam doctrinam habet, præter eam quam hausit ex Rabbinis, Hebræis, & Judæis, hostibus Fidei nostræ, quid ad hoc dicemus? Auctores Canonicos, Synodos Generales, Jura Ecclesiastica, Ecclesiæ Doctores, aliosque viros omni veneratione dignissimos, esse..? Sed non audeo totum dicere; quamvis, quod dicendum superērat, non alio tendebat, quam ad reprimendam audaciam Anonymi, cujus choleræ satius habeo verba denegare, ut succedat venerabundum silentium.

634 Quod Papebrochius quandoque utatur auctoribus profanis, citetque leges aliquas & mores Hebræorum, mirum non videatur; in eo quippe imitatur Sanctos & Auctores celebres, nec sine fructu: sic namque facit, ut istarum, quas eruit ex Antiquitate, notitiarum scientia serviat Ecclesiæ ac veritati, ut dominæ suæ servire solet ancilla; de porcorum pedibus subtrahit margaritas, quæ suo pretio ditent thesaurum publicum: Ægyptiis suffuratur æstimatiorem supellectilem; & quis scit, an non eveniet aliquando casus, quo obtruncet Goliathi caput suo ipsius gladio? Belle dixit Petrus Blesensis Epist. 1. *Si causa publicæ eruditionis aliqua de libris Gentilium fuerint interserta, vobis in fastidium non vertatur. Nam & David de diademate Melchom, idoli Ammonitarum, sibi diadema composuit; & Paulus Apostolus, ad improperium Galatarum, quandoque versus Homericos eleganter aptavit.*

635 Si Papebrochius talibus solum auctoribus nixus desereret veritatem sacræ Scripturæ, esset execrabilis, & quavis etiam gravissima pœna dignissimus: si propter solos illos flocci faceret doctrinam Sanctorum Patrum, temerarius esset, & dignus quem mundus abominaretur; sed non scio, in tantam illum amentiam incidisse. Quod autem eorum Historiis ac Chronologiis quandoque utatur, ad fulciendum idipsum, quod aliunde intra ipsam Ecclesiam habet firma fundamenta sua; id videtur conducere ad lucrandas animas inimicorum, a quibus vix aliquid boni, & multum mali poterit expectare.

636 Hinc patet etiam responsum ad strepitosum illum titulum Exhibitionis Errorum, quos Rev. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo dicit commisisse Papebrochium, *contra Christi Domini paupertatem, ætatem, &c. Summorum Pontificum Acta & gesta; Bullas, Brevia & Decreta; Concilia; S. Scripturam; Ecclesiæ Capitis Primatum & Unitatem; S. R. E. Cardinalium dignitatem & auctoritatem; Sanctos ipsos, eorum cultum, & Reliquias &c. Historias Sacras; Breviaria, Missalia, Martyrologia* &c.

637 Si rogatur autem Accusator, quibus fundamentis nixus Papebrochius contra prædicta puncta sic se opponat; respondet intrepide in eodem titulo, seu libri sui frontispicio: Non alio nititur fundamento, nisi quod sibi fodit, ex *meris conjecturis, argutiis negativis, insolentibus censuris ac sarcasmis, cum Ethnicis, Hæresiarchis, Hæreticis, aliisque auctoribus ab Ecclesia damnatis.*

Animadversio.

638 QUis hic poterit ex vero dicere, tali exorbitantiæ, qualis hæc est, tantæque in censurando facilitati, quantam hic ostendit Rev. P. Fr. Sebastianus, fidem & venerationem deberi, ideo solum, quia ipse dixit? Quid monstri hoc est, audiri in Ecclesia Dei,

quod,

quod, aliquarum recularum usum & proprietatis domiorum Christo concedera, antequam vocaret suos Discipulos; eidem Christo annos ætatis tribuere 33. & tres menses; negare lapsum S. Marcellini Papæ, Acta Concilii Sinuessani; dubitare, an talis vel talis Bullla expedita fuerit a summo Pontifice; opiniones tueri, quas docuere Sancti, Cardinales, & aruditissimi Auctores alii, absque eo quod in bunc usque diem fuerint probibitæ; negare, in antiqua Lege extitisse votum Religionis; & consequenter tamquam rem probabilem sustinere, nnic Christum non fuisse statum substantialiter Religiosum; quid (inquam, ut repetito dicam) hoc monstri est, quod, bæc dicta & similia puncta tueri, audeat in Ecclesia Dei privatus & singularis bomo in suo libro qualificare tamquam meras satyras, argutias negativas, insolentes censuras, & sarcasmos, insuper velut sententias Etbnicorum, Hæresiarcbarum, Hæreticorum, & Auctorum ab Ecclesia damnatorum?

639 Ista sua censura Rev. P. Sebastianus n S. Paulo cum magnopere sibi obstrinxerit illos Auctores, quos allegavimus capite 1. hujus Apologiæ, alioique huc usque subinde citatos, ac fundamenta, quibus illi iidem nituntur, vereri potest, ne illorum quilibet (ubi tam male ab ipsius calamo iotellexerit se tractari) sibi exprobret, quod S. Hieronymus Grunnioni Epist. 75. *Tibi soli licet de cunctis & Græcis & Latinis tractatoribus ferre sententiam; & quasi censoria virga alios ejicere de Bibliotbeca, alios recipere; & cum tibi placuerit, me vel Catbolicum vel Hæreticum pronunsiare*. Nec hoc solum; sed attenta præcipitantia, qua Grunnionis calamus effundebat lituras, quibus Scriptorum famam maculabat; eumdem in Epistola ad Rufinum data iis depingit coloribus, quos bic referre non est necesse. Judicabat Sanctus, qui tanta facilitate carpebat diffamabatque aliorum scripta, esset isto impugnationis genere corrigendus.

640 Potest etiam idem Rev. P. Accusator sibi persuadere futurum, ut dictorum auctorum unusquisque eum S. Gregorio (10. *Mor. Cap.* 23.) sibi inculcet hoc salutare monitum: *Notandum videa, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites esse debeamus; ne temere indiscussa judicemus; ne qualibet mala nos moveant; ne passim dicta sine probatione credamus*. Ab iisdem quoque eum Alphonso de Castro (*lib.* 1. *contra Heref. cap.* 7.) sibi dictum putet Rev. P. Sebastianus. *Si forte quempiam viderint, qui vel digito transverso ab eorum sententia discedat (oculatus testis loquor) hæresim statim inclamant*. Et paullo post addit. *Quo fit, ut ii, qui tam leviter de hæresi pronunciant, non expendentes de qua re loquantur, sæpe sua ipsorum feriantur sagitta, incidantque in eam foveam quam aliis parabant*.

641 Hæc & his similia cogitet P. Accusator sibi responderi a tot tamque gravibus Doctoribus, quos hactenus citavimus, & quos ille indebita castigat; verbis jam allatis insinuans, eorum rationes & argumenta in eo, in quo cum iisdem sentiat Papebrochius, esse meras satyras & insolentes censuras, non aliunde conquisitas, quam ab Hæreticis & Hæresiarchis. Tale tamque rotundum pronuntiatum Rev. P. Fr. Sebastiani nimis forte est, quam ut ejus voces velut surdi non audiamus, aut tamquam muti non respondeamus. Non enim in eo jam vertitur causa solius Papebrochii; nec solus ille, sed magna pars Ecclesiæ læditur; quapropter tacere non licet. Cum autem fieri non possit, ut eadem Propositio, vel Thesis, a decem, viginti, triginta, vel pluribus etiam Auctoribus propugnata, error vel bæresis sit in uno, non item in aliis; & Cyrillus Alexandrinus in Apologia sua vult, vel nullum, vel omnes in isto criminandi modo comprehendi: *Atque ita simul* (inquit) *cum aliis vel culpa liberarent recte sentientes ac loquentes, vel justæ condemnationi subjicerent*.

642 Nec debet Rev. P. Fr. Sebastianus a S. Paulo sententiam hanc in malam partem sumere; negare namque non potest rationis istius veritatem, quando plures sunt unius ejusdemque opinionis. Nec etiam potest negare, quin res sit admodum dura, in materiis tam seriis tamque sacris, aliud Papebrocbio concedere nolle, quam quod illius rationes ac fundamenta satyræ sint ab Hæreticis baustæ. Tandem negare non potest, quin ex numerosissima Auctorum Papebrochio faventium classe quam plurimi sint sibi non inferiores, sive in virtute, sive dignitate, sive in litteris. Qua igitur ratione licebit Rev. P. Accusatori in re, quæ tot tamque illustres Auctores tangit, eosdem ita impune lædere, ut nemo sit qui permittatur contra hiscere? Vel unde tam potens est illius arbitrium, ut jaculum, quod reipsa calamus ejus jacit in omnes illos, solum unum feriat Papebrochium? Cur boc ponderari non debeat, quando arguitur dumtaxat a ratione sola, sine læsione personæ?

643 Insuper, si bene reflectitur ad citata jam verba dicti P. Fr. Sebastiani, dum *argutias negativas* argumenta quædam negativa, quæ in certis materiis sunt revera efficacissima, videtur eo tendere, ut ne ista talia argumenta vim obtineant pro neganda vel sequenda aliqua opinione; & ut pro omni solutione contemnantur, tamquam futiles argutiæ, absque ulla rationis soliditate. Hoc quoque reflexione dignum est, quod videatur, sub nomine argutiarum absque substantia, enervare velle fundamenta, quibus nixi Baronius, Bellarminus, aliique præclari scriptores negant Antiquitatem, quam RR. PP. Carmelitæ prætendunt. Audiatur S. Augustinus (15. *de civit. cap.* 23.) *Omittamus* (inquit) *earum scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur; eo quod earum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum, certissima & notissima successione pervenit. In bis autem Apocryphis, etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est Canonica auctoritas. Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch, illum septimum ab Adam, negare non possumus, cum boc in Epistola Canonica Judas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo Canone Scripturarum, qui servabatur in templo Hebræi populi, succedentium diligentia Sacerdotum. Cur autem boc, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt? nec utrum bæc esset, quæ ille scripsisset, poterat inveniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur rite servasse. Unde illa, quæ sub ejus nomine proferuntur, & continent istas de Gigantibus*

tibus fabulas, quod non habuerint homines patres, recte a prudentibus judicantur non ipsis credenda.

644 Quid toto hoc textu aliud agit Sanctus Augustinus, nisi quod arguit ab eo, quod Patribus non innotuerit origo talis libri, nec illius mentio ab iisdem facta sit? Allegat Sacerdotum vigilantiam, quæ reliquos libros in templo servabat, cur non etiam servarent istum? cur ab his Sacerdotibus ad alios, qui successerunt, non fuerit talis libri devoluta notitia? Hinc concludit idem S. Augustinus, antiquitatem libri, cujus origo nota non est, prudenter negari. Hæc eadem ratiocinatio cum debita proportione applicetur iis rationibus, quas cum Baronio, Bellarmino, aliisque affert Papebrochius contra librum Joannis Hierosolymitani, contra antiquitatem, quam illi non admittunt, & contra Enoch ab Amathim, quem negant. Videamus quoque, an ille argumentandi modus, in S. Augustino ac aliis, quos causa brevitatis omitto, solum sit futilis & contemnenda arguitia, non autem efficax argumentum? Si arguitia non sit, sed solida ratiocinatio contra librum, quem allegabant, antiqui illius Enoch; cur non etiam erit contra historiam Enochi novi de Vita S. Angeli, & contra alia quædam puncta?

CONCLUSIO CLASSIS I.

645 IN omnibus hactenus hic relatis expensisque viderit Lector multas easque præcipuas Propositiones, quas *Vox veritatis*, aliaque in publicum sparsa folia attribuunt Papebrochio, illum passim proclamando tamquam Scriptorem, qui inter alia denegat Matri nostræ Ecclesiæ sua Sacramenta; Mariæ & sponso suo Josepho virginalem puritatem; veritatem Evangelistis; Christo domino nostro paupertatis amorem: & hæc quidem omnia attribuunt illi, non qualitercumque aut per errorem intellectus, sed per voluntatis pertinaciam, quasi scriberet in omnibus tamquam alter Lutherus, *contra Deum & animam suam*. Sed simul viderit idem Lector, quod objecta illa non aliter probent Adversarii, quam partim per imposturas; partim per infidam clausularum truncationem; partim per deviantem a Latino versionem Hispanicam; partim denique per privilegium, a nemine hactenus agnitum, cujus vi, respectu unius ejusdemque sententiæ, reliqui auctores sint viri eruditi, venerandi ac Catholici; at solus unus Papebrochius sit ignorans, blasphemus, ac Hæreticorum & Hæresiarcharum sequax.

646 Ad plures alias Propositiones Papebrochio impositas responderem; sed supersedeo, sperans fore, ut lucem publicam brevi aspiciat ipsiusmet integra responsio ad RR. PP. Fr. Sebastianum, Delatores, & alia folia; qua id unum curabit, ut ostendat se alienum esse ab impositis sibi erroribus; vel certe agnoscet retractabitque ut Catholicus, sicubi suus calamus per fragilitatem a veritate deflexerit: præsertim de Historicis dicente S. Augustino Epist. 131. ad Memorium; *Historia sane, cujus scriptores fidem se perspicue narrationibus suis habere profitentur, fortassis habeat aliquid cognitione dignum liberis, cum sive bona sive mala hominum, tamen vera narrantur. Quamvis in eis cognoscendis, qui Spiritu sancto non adjuti sunt, rumoresque colligere humanæ fragilitatis infirmitate compulsi sunt, quemadmodum non fallerentur in plurimis, omnino non video. Est tamen ars aliqua propinquitas libertatis, si voluntatem mentiendi non habent; nec homines fallunt, nisi cum ab hominibus humana infirmitate falluntur.*

647 Eminentissimus Bona (*Tom. 2. pag. 1.*) de Crisi, quam facit inter auctores quos citat, sic ait. *Sæpe decipimur, sæpe dormitamus: ut autem ipsi veteres, ita nos posteri castigabunt, hoc summam habente æquitatem, juxta sententiam Jurisconsulti (ff. quod quisque juris l. 1.) ut idem jus nobis dicatur, quod ipsi aliis diximus.*

648 Mire pretiosa sunt hæc verba sapientissimi Augustini & pientissimi pariter Cardinalis; quibus valorem & facultatem concedunt dicendi, quod quisque sentit, dum occasio id ita requirit; horrorem etiam innuunt & aversionem, quam a mendacio debet habere, quisquis historias scribit; facilitatem quoque errandi, cui (non obstante vera scribendi proposito) quilibet homo expositus est. Et qua mente putamus Papebrochium, describendis Historiis & Actis Sanctorum, quæ illustrat, voluisse tantopere insudare, & quorsum? Id ipse declarat (*Tom. 2. Maji pag. 799. num. 3.*) agens de Sancto Angelo Carmelita; *Tacere possim* (inquit), *mentiri non volo*. Et de facto tacuit sæpe, suspicatus, vel ex prævisio veritus orituras offensiones, quas silendo malebat evitare.

649 Attamen compulsus postmodum ad reddendam silentii sui rationem, nullo modo mentiri voluit: esset autem mentitus, si scriberet contra quam sentiret. Si in hoc suo sensu deceptus est, non est hic rea voluntas; sed est intellectus humani fragilitas, decidentis id, quod in idea sibi sistebatur præsens, dum catenus post diligens examen non potuisset solidius invenire fundamentum. Animus dicendi verum, in iis præsertim quæ spectant ad facta, non semper habet in promptu instrumenta, quæ verum demonstrent; dependet res sæpe ab occasione, a circumstantiis temporis, quæ non semper sunt eædem: & solet subinde veritatis amor postmodum invenire, quod antea diligenter quæsitum reperire non poterat.

650 Tali casu, post tam felicem veritatis adeptionem, alterantur circumstantiæ, mutatur dictamen & opinio, sola veritatis specie alternatur cum ipsa ejusdem realitate: & hæc ipsa mutatio probat immotum animum sequendi semper id, quod judicatur esse verum. Conspicitur hoc in quovis Tribunali, quando judices mutant sententiam; in personis etiam particularibus, & quando prius suum votum corrigunt: estque id manifestum signum dilectæ sibi justitiæ, in jure & ab Auctoribus tantopere laudatæ, quin & ab ipsis summis Pontificibus, circa causas judiciales, in praxim reductæ.

651 Quando Accusatoribus publicis occurrit aliquid, quod circa puncta quædam Historialia displiceat in Papebrochio; adsuntque instrumenta seu nova seu vetera catenus non visa, quæ evincant oppositum, remedium est facile, eadem scilicet communicando. Sic factum est apud Illustrissimos Ordines S. P. Dominici, & S. P. Francisci de Paula: quorum primus subministravit notitias circa Officium, quod de sanctissimo Sacramento composuit Angelicus Doctor S. Thomas; alter eas quoque, quæ ætatem concernunt gloriosissimi sui Patriarchæ. Unas & alteras amplexus est Papebrochius,

atque

atque priorem suam revocavit opinionem, in qua deceptus fuerat sine culpa; & vero in sua retractatione ostendit candorem animi ac veritatis amorem, expertus nimirum & imitatus id, quod S. Augustinus & docuit & fecit.

652 Qui in his aliisque punctis sic se habuit, idem faciet indubitanter in istis, quæ in præsentiarum tantopere displicent Accusatoribus; dummodo ostendant hi, illum cum reliquis, quos sequitur, deceptum esse. Dum id non ostenderint, poterit Papebrochius cum S. Hieronymo dicere: *Patere me, quæso, errare cum talibus*. Si errorem esse dicitis id, quod circa antiquitatem & vota antiquæ Legis sentio; patiamini me, quæso, errare cum tot sanctis Patribus & Ecclesiæ Doctoribus, qui Dei Matri, non solum quoad dignitatem, sed etiam quoad tempus primatum tribuunt Voti Virginitatis: finite me errare cum Bellarminis, Baroniis, Capisucchis & aliis, quorum eruditionem pariter & pietatem Christianus orbis veneratur: finite errare me cum plurimis, qui librum Joannis Hierosolymitani velut genuinum partum non agnoscunt; cum innumeris denique, qui Luitprando, Flavio, Juliano &c. non fidunt; & inter eos cum ipso Joanne Bollando, vel in vestra accusatione laudatissimo.

653 Si ob hæc aliaque puncta, in quibus Papebrochius idem sentit quod alii plurimi, ipse solus electus tamquam scopus fuerit, in quem velut in Lutherum, Calvinum, Wicleffum, & ejusmodi farinæ hæreticos dirigantur publicorum foliorum jacula; si post detectas jam Accusantium imposturas, & relatas in hac operis prima parte responsiones, Papebrochius cogatur nihilominus eadem vel similia pati; solatio sit illi S. Hieronymus, propter opera sua plurimum & ipse passus, uti videre est initio Vitæ S. Hilarionis, Epistola ad Pammachium, & alibi sæpe, ubi se defendit contra Jovinianum. Solatio sit S. Augustinus, multum similiter passus & ipse, etiam a Catholicis, vocantibus illum per ludibrium *Prædestinatianum*, & novæ hæresis inventorem. Consule, quod in suam defensionem ille scribit in libris de Gratia & libero arbitrio, de Correptione & gratia, de Prædestinatione Sanctorum, de dono perseverantiæ. Vide etiam, quod in ejus favorem scripsit S. Prosper.

654 Solatio sit denique, consideratio Dei, similes procellas permittentis, non ad certum naufragium, sed ad solum experimentum; ut per similes accusationes exerceat Scriptoris patientiam, ut mox (ubi procellam omnem deterserit) in præmium collaturus illi nova beneficia. Hoc videtur voluisse innuere Zozimus Papa Epist. 3. his verbis: *Etiam magnorum virorum cum ipsis Auctoribus nonnumquam scripta periclitantur, interpretantis arbitrio*. Notetur hic terminus *interpretantis arbitrio*, quasi diceret Papa: Periculum, quod viri, etiam magni, propter sua scripta incurrunt, non nascitur, ex originali eorumdem textu, sed ex aliena interpretatione, & quidem non aliter fundata quam mero Accusantis arbitrio, dum imponit vel contorquet auctoris accusati sensum. Interim autem, dum ejusmodi arbitrium apud credulos locum rationis obtinet; quis dubitat, quin Scriptores alii in fama sua naufragati sint, alii eidem periculo sint expositi?

655 Infinitos modos ac vias novit Deus, quibus possit & resarcire quod perditum est, & quod imminet periculum avertere: nec parvi pendendum est, quando rem ita disponit idem Deus, ut ii ipsi, qui arbitrariam Accusantis interpretationem ut veritatis oraculum susceperant, postmodum in Accusati textu deprehendant oppositum. In sinu sibi plaudat Papebrochius, quod suus textus hactenus allegatus, inque publicam lucem datus, non deneget Christo paupertatem, non veritatem Evangeliis, non SS. Josepho & Mariæ puritatem, non Sacramenta Matri Ecclesiæ; nec ullibi in suo textu inveniantur meræ hæreticorum argutiæ, quæ solæ sint fundamenta eorum quæ scribit ille; nec alia jam relata, in quibus Accusatores illum velut monstrum proponunt contra Deum & Ecclesiam.

656 Finem impono huic primæ Classi; & quam illius initio num. 15. præfixi Protestationem, hic renovatam cupio; monens iterum, abfuisse procul a me mentem offendendi Communitatem quampiam, nedum pungendi personas aliquas in particulari; sed impugnandi dumtaxat eorum argumenta & dicteria; qua super re (in materia præsertim adeo gravi) non est qui merito possit conqueri. His non obstantibus, sicubi videbor excessisse limitem rationis, libenter me subdam, non illis tantummodo, qui ratione officii sui mihi præsunt; verum etiam particulari cuilibet, quem propter doctrinam suam pacatumque judicium, ut talem in tali gradu debeo revereri.

657 Verum, siquid alicui, vel aliquibus in particulari displicuerit, solus ei dolor meus seu animi displicuit ægritudo, quam in quibusdam casibus naturaliter parere solet ipsa ratio. Poterit illi vel illis esse levamini id, quod corrivali suo dixit Petrus Blesensis, Epist. 531. *Coxi* (inquit) *pulmentum tibi: si vero colocynthidas sapiet exhortatio minus blanda, farinam patientiæ & devotionis Eliseus apponat*. Hoc Blesensis petit, dum carpit & exhortatur. Atque idem quoque videtur posse petere, quisquis sola ratione ductus suisque nixus Auctoribus (absque digressione personali, ad quempiam in individuo, nedum in communi pungendum) amarissimas retundit imposturas, eo collimantes, ut viris, quoad doctrinam ac mores integerrimis, famam affricent hæreticorum.

658 Econtra facere, perinde foret, ac suum tribus quatuorve non bene affectis viris desiderium concedere, optantibus silentium patienter servari, etiam in illis punctis, contra quæ, non minus quam leones, rugierunt ipsi Sancti; aversantibus quamvis defensionem, quam tamen suis Apologiis iidem Sancti nos docuerunt. Hoc autem perinde foret, ac suscitare memoriam sancti Prophetæ, eumque citare ad eradendos de populo Dei, quicumque pro ejusdem tempore substantialia Religionis vota non admiserint, uti nec perpetuam ab eo usque modo successionem. Perinde foret idem ac velle, ut ne (dum ipsi dictum Prophetam citant) citent etiam alii, ad ostendendum, se quoque, tamquam veros Israelitas esse de populo Dei. At quidquid id est; omnes, sive ii qui asserunt, sive qui negant substantialia ista vota & successionem, recurrunt ad Sanctissimum Prophetam Eliseum, invocantque ejusdem patrocinium ad devotionem: *Farinam patientiæ & devotionis Eliseus apponat*.

Intepr. Hic primam Calumniarum Classem, earum scilicet quibus Papebrochii fama laceratur, & doctrina traducitur, absolverat Auctor noster; transiturusque erat ad secundam Classem, Societatis nomini vindicando destinatam; quando Superioribus, ejusdem Societatis visum est posteriores illas, ut minime novas, sæpiusque & a variis per varias regiones falsitatis convictas, minus egere accelerato remedio, quam priores, quarum atrocitate mirum quantum turbabatur Hispania tota. Prodiit ergo prima Classis anno 1696. secunda autem necdum comparuit, obstante eodem illo Decreto, cujus prætextu exempla primæ interceperunt suppriminintque Ministri S. Officii.

Concludens ergo Auctor Primam Apologiæ partem, pauca monitum lectorem dimittit; ac primo, quod licet Exhibitio errorum Latine prodierit, eam tamen præcipue refutet quatenus habetur Hispanice: tum cavet, ne sibi fraudi sit allegasse genuina auctorum a se citatorum verba, si forte in iis contineantur termini, censuram a legitima potestate ferendam importantes; *Præscindo*, inquit, *a tali censura, nec illam allego ad ejusdem persuasionem; sed solummodo ad referendum dictamen Auctorum suorum in ea forma, qua nobis scriptam illi reliquere, permittitque currere Ecclesia*. Ac denique, occasione Bibliothecæ Hispanicæ recens Matritum perlatæ sic scribit:

662 Vix finis impressioni hujus Apologiæ impositus erat, cum in manus pervenere Tomus 1. & 2. Hispanicæ Bibliothecæ, Domini Nicolai Antonii, Romæ impressus anno 1696. In primo Tomo (*lib. 6. cap. 16. num. 363.*) sic ait: *Luitprandus. Diaconus Ecclesiæ Ticinensis, qui postea fuit Cremonensis in Italia Episcopus, unus ex illis est, quorum auctoritatis & nominis velamento usus Proteus multiformis Toletanus, fictitiam historiam nostræ gentis, sinceræ ac veræ locum occupaturam, conficere se posse, in animum induxit. Sed cum, juxta divinum Proverbium, frustra rete jacitur ante oculos pennatorum; quantumvis bonæ fidei nonnullis & patriæ amantibus, lenocinioque rerum allectis, dolosum aucupium, non sine quadam Hispanæ gravitatis jactura, quondam imposuerit; accenso jam hoc tempore defæcati judicii lumine, proposito ac spe sua cadere cœpit; monitique tensarum insidiarum prudentiores, avertunt se alio; hosque Syrenarum cantus (ut sic dicam) veritatis malo alligati, surda aure prætereunt.*

663 Per extensum deinde prosequitur, describitque, quis & qualis fuerit præfatus Luitprandus, faciens illum natione Italum, professione Historiographum seculi decimi, non autem rerum spectantium ad Hispaniam; nec vult, illum Toleti fuisse Subdiaconum; impugnatque Higueram ejus editorem; ac binas ejus Epistolas ad Chronicon Luitprandi præliminares refutat, velut erroribus & mendaciis scatentes: manifestat etiam quæ dicto Chronico abstulerit ille, quænam mutaverit, addiderit, interpolarit; eumdemque Higueram de vitiis aliis, quam plurimis notat.

664 Idem Nicolaus Antonii, (*eodem libro cap. 22. num. 454.*) agens de Auberto Hispalensi, sic ait. *Altera fabula est Luitprandianæ similis; quam lusit ætate nostra famæ gentis suæ Hispanæ, sibique ipsi æque inimicus homo. Atque ea quidem indigna visa est, cujus inventionem & promulgationem solicite atque adeo plene referamus, simulque falsitatis documenta aliqua (siquidem omnia Augiæ esset stabulum purgatum velle) in medium producamus*. Consule etiam in ejusdem Indice, quid dicat de Chronicis Dextri, Maximi, & Juliani; quid item de eorumdem fabulis vitiisque, quæ notat.

Animadversio.

665 Qui scribit eo stylo, quem ex parte vidimus, & qui per totum videri latius potest in ejus Tomis, Hispanus est, suæ nationis amans, doctissimus, & in quovis Historiarum genere versatissimus, nec minori plausu ubique acceptus: atque adeo (*pag. 37.*) in præliminaribus ad Tomum 1. (*num. 2.*) Encomiastes quidam breviter sic de illo testatur. *Auctor hujus antiquæ Bibliothecæ Hispanæ alius non est, nec esse facile potest, nisi eximius ille vir, eruditionis inexhaustæ & quasi infinitæ lectionis, Dominus Nicolaus Antonii, inter omnes cujusvis nationis & instituti Doctores celeber.*

666 Quis locus est, ubi id testatur & prælo publico divulgat quaquaversus? Roma, Orbis & Urbis caput. Cui opus dedicatur? Ipsi S. P. N. Innocentio XII. Quis edit in lucem? Eminentissimus Dominus Cardinalis Aguirre, Hispanus natione, eruditione notissimus hoc seculo.

667 Igitur, dum coram Christi Vicario, Collegio Apostolico, tot clarissimis viris, qui Romæ sunt ornamenta, Eminentissimus Cardinalis in lucem profert hanc Bibliothecam; quis tam amens sit, ut vel per levissimam umbram audeat suspicari, quod per illam convellantur veræ traditiones, nedum negentur Sacramenta, aut gloriosæ Hispanorum Nationi bellum indicatur? Intelligentium judicium est, quod D. Nicolaus viriliter potius pro ea pugnaverit, aciemque sui calami tamquam vere sapiens, strinxerit pro veritatis defensione, in odium fabularum ac falsarum historiarum, a falsis veras discernens. Vide approbationem, quam de mandato Rev. P. Magistri Sacri Palatii dedit Pater d. Joannes Baptista Miro, Monachus Cassinensis; atque versus, quibus Hispanis congratulatur, quod purgatam a fabulis tandem historiam suam videant.

Interim non terreatur Papebrochius, imo bene animetur potius ob ea, quæ *Vox prætensæ Veritatis*, ac RR. PP. Delatores, citatis jam locis, adversus illum divulgant, reum condemnantes, quia Luitprando & Hauberto Hispalensi non fidit. In sinum se conjiciat divinæ Providentiæ, quæ mala novit in bona convertere; & quidem (si secundum hominem loqui licet) gaudens fruatur nobilissimo illo partu rationis, per quam fieri nequit, ut auctor quispiam in eodem sensu eodemque se explicandi modo vituperium mereatur, alii vero in eodem ipso puncto laudem ferant & famam illustrium Criticorum pariter & Historiographorum.

Omnia sub correctione S. Matris Ecclesiæ.

EXAMEN DIVINITATIS

QUAM IN CARMELO VESPASIANUS CONSULUIT.

SIVE

C. SUETONII TRANQUILLI LOCUS DE DEO CARMELO.

Hispanice Explicatus per Excellentiss. Dominum

D. GASPAREM DE MENDOZA,

Ibanes de Segovia & Peralta, Equitem Ordinis de Alcantara, Marchionem Mondexarii, Comitem Tendiliæ, & utroque titulo Magnatem Hispaniæ, nec non Marchionem Valhermosi & Agropolis, Dominum Provinciæ Almogueræ, &c.

Interprete Daniele Papebrochio S. I. T. eadem ex causa calumniam passo.

LECTORI

Marchio Mondexarii & Comes Tendiliæ.

BRevi discursui non est opus prolixa præfatione: ne tamen in illum, quasi ex abrupto, impingat Lector, nihil præmonitus; & ut mos geratur receptæ passim inter scriptores consuetudini; satisfaciam scrupulo, ab iis forte movendo, qui hic desiderarent notitias plurium rerum, passim apud alios inveniendarum, & hujus Dissertationis scopo primario utcumque contrariarum. Cum enim ii, qui uno abhinc seculo, supposititios in Hispaniam Scriptores introducendo, omnibus placere sunt conati, id præcipuo egerint studio, ut conciliarent sibi eorum suffragia, quorum honori figmenta istæc servari videbantur; vix invenias aliquod tam absurdum commentum, illorum publicationem prægressum, quin ipsis inveniatur confirmatum amplificatumque. Verum quia nulla formari potest tam evidens convictio falsitatis, quæ possit ad veritatem contrariam amplectendam inducere animos, in illius defensionem stulta præoccupatione obfirmatos; decrevi inutilibus in præsentiarum contentionibus non implicare me; atque adeo ea, quæ sic dicuntur, nec refutandi quidem causa attingere. Satis erit te scire, Lector, omitti talia, non per ignorantiam, sed de industria; ne argumenti ineptitudo obscuret propositi thematis gravitatem, & detrahat aliquid decori ipsius scribentis, liberi ab omni alio affectu, quam qui veritatem spectat, cuicumque appellenti animum ad commentandum unice spectandam. Vale.

PRÆFATIO INTERPRETIS D.P.

COnsutatis quæ me meosque libros impetebant accusationibus, proximum est, ut causam quoque Amici agam, quem eidem mecum damnationi implicitum voluere Delatores anni 1691. dum parte 1. pag. 41. sacro Tribunali mecum sistere reum læsæ nationis Hispanicæ, quia mecum facit contra Haubertum Hispalensem, grande scilicet, ut ipsi volunt, gentis suæ decus; ut prudentiores Hispani censent, probrum ingens. Pugnare istic illi me dicunt *gladio Marchionis Agropolitani. Neque scimus*, inquiunt, *utrum major sit audacia, quod homo Francus* (qualem me fingunt) *eo stylo utatur contra scriptores Hispanos, quam quod Agropolitanus Marchio, homo mere laicus, scriptis suis ignorantia plenis, patriæ honorem prodat, favens auctori Franco, quem novit conductum ut scribat contra Hispaniam .... quod grave Marchionis illius delictum est, perduellionis etiam crimine exaggeratum, adeoque facit eum sacro Tribunali delatabilem, sicut eum delatamus in præsentiarum, una cum Papebrochio, ut eorumdem peccatorum complicem.* Excellentia personæ sic delatæ fecerit fortasse, ut nomini ejus præclaro parcitum fuerit in delationibus postea renovatis, quæ clandestinam operum meorum condemnationem extorserunt: eo tamen silentio non potest satis purgata censeri contumeliosa calumnia, publicis typis sparsa. Verum quando in eo aliud nil specificant Delatores, quam fidem Hauberto Hispalensi similibusque larvatis scriptoribus negatam, nolo ad alias Excellentissimi Scriptoris lucubrationes commendandas discurrere. Unum solum produco opusculum, & communi eruditis ubique lingua, ubique notum facere intendo. Etenim sicuti Delatores, dum aliud doleat, queruntur aliud; & unice contra me commoti propter revocatam in dubium Ordinis sui antiquitatem, prætexunt zelum Hispanæ gloriæ, quasi eam ego coner obscurare: sic eodem astu contra Marchionem mihi consentientem procedunt, eamdem quidem prætendentes causam, reapse vero stomachantes, quod suum Laurentium Angelum Espin, conatum Carmelo vindicare pro ætate Vespasiani decorem indebitum, fecerit obmutescere. Quod ut toti innotescat mundo, illum ipsum tractatum legendum sisto: ut vel sic cognoscatur, non tam quod ego fecerim recte talis viri sententiæ inhærendo circa istud argumentum, quam impudentia Delatorum, qui adeo eruditum Nobilem ausi sint accusare profundæ ignorantiæ, tantum quia mere laicus est: quasi scientiarum, et-

jam historicarum, clavis penes ſolum ordinem Eccleſiaſticum ſit: qui utinam ſic eſſet contenrus ſeveriorum diſoiplinarum ſtudita, ut plerumque non deſpiceret politioris litteraturæ curam, ſane nobilibus natalibus congruam; in quibus quantum Marchio profecerit ſupra mulios ingenere ſuo, etiam Eccleſiaſticos, ex hoc ſpecimine diſce, Lector erudite.

EXAMEN DIVINITATIS

Quam in Carmelo Veſpaſianus conſuluit.

§. I. *Occaſio hujus Diſcurſus.*

PRodiit Cæſaraugustæ liber, ſub nomine P. Mag. Fr. Laurentii Angeli Eſpin, Calceati Carmelitæ, viri venerabilis propter magnam ejus doctrinam, atque gradum quem tenet inter primores Arragonicæ Provinciæ. Inſcriptus libro titulus, *Ruina idoli Carmelitici, quod ſomniavit Reverendiſſ. P. Fr. Hermenigildus a S. Paulo;* quem ut legi, adeo graviter me perculit inſolentia epigraphes, ut non potuerim ultra progredi patienter, offenſus magis publico ejuſmodi ſcandalo, quam propter injuriam, amico illi meo illatam; quamquam ea alias nequaquam videbatur homini convenire, ſive propter virtutem paſſim notam, ſive propter publicam ejus æſtimationem apud omnes, qui eruditionem ejuſdem & munera in Ordine ſuo geſta cognoſcunt. Verum hæc omnia deſpexit Auctoris præſumptio, abutens ea facultate, quæ ſcriptoribus datur, ad docendum, non vero ad ſcandalizandum; ad veritatem tuendam, non lædendam; fovendo odia illis ipſis mediis, quibus ſopiri debuerant; & ſtylum cruentando conviitiis, jam inde a titulo initium ſumentibus; idque cum calumnia tam patente. Omittere proinde non poſſum, quin palam convitiantem redarguam, ut vel ſic reſtringatur indulgentia nimia, per quam talia permittuntur prodira; delinquentibus in hoc præcipue Reviſoribus, quibus committitur, ut caveant, ne ſcriptores, ſententiarum invicem diſſentientium diſcrepantias convertant in obſtinatam alienationem voluntatum; & diſcurſuum reciprocorum argumenta, in reſponſiones offenſivas indecentis odii. Licitum cunctis eſt ſua ſenſa expromere, & aliena oppoſita impugnare; ſed moderate; ita ut prævaleat ratio, pro quacumque parte ſteterit; nec vincat præſidentia ejus, qui maxime fuerit inſrunitus. Et enim ſcripta ejuſmodi, injurioſa & effrænia, uti nullam poſſunt utilitatem parere, ita ſuo vel auctori vel lectori pariunt neceſſario ſcandalum; maxime quando jam is, qui illa format, quam contra quem formantur, ex conditione ſui ſtatus deberent exempti eſſe a tam vitioſis impreſſionibus, & ſua profeſſione indigniſſimis.

§. II. *Intentio qua formatur hic Diſcurſus.*

QUi nititur inducere alterum in ſententiam ſuam, quantumcumque hæc notior & certa ſit; numquam tuum quod ſperat aſſequetur intentum, ſi non ſatisfaciat ejus intellectui; ſed jus ſibi eſſe putet ſupra libertatem alienam, & hanc captivare velit in obſequium judicii ſui. Neque enim omnes cedunt imperio rationis: & quod dumtaxat ex principiis naturalibus deducitur, numquam eam vim habet, ut evitare paſſim poſſit exceptiones omnes, quas objicient alii, aut quia ipſa principia non intelligunt; aut quia iiſdem intelligendis non applicant animum. Quamquam autem hypotheſis iſta magis valere videatur in facultatibus aliis quam in hiſtorica, nequaquam a diſcurſibus ſed a facto pendente; ideoque magis conſiſtentem auctoritate quam ratione; illius tamen principii obſervatio magni etiam hic momenti eſt, ut ſervetur moderatio, omnibus in genere profeſſionibus conveniens, ſive ad oppugnandam, ſive ad tuendam alteram contrariarum opinionum, quales non minus reperiuntur frequentes circa res antiquas, quam circa ſpeculationes metaphyſicas, quia eas ſæpe confudit longinquitas temporis, & exigua referentium diligentia, atque eorum, qui propter utilitatem aliquam ſuam ipſas ſuſtinent, nimia animoſitas. Accidit hoc in ea quam tractandam ſuſcepimus quæſtione; ipſam tamen ſic tractare intendimus, ut lædere nequaquam velimus eos, qui confuſionem iſtam induxerunt, nihil minus curantes quam ut ſecuros nos reddant de ſuæ opinionis evidentia tali, cui cedere debeant quicumque contrarium ante ſenſerant. Equidem deſidero veritatem attingere ac manifeſtam reddere; agnoſco tamen, quod nequa omnes eam quærant a proprii commodi reſpectu liberi; neque eamdem dum ſibi contrariam vident, ut veritatem recipere velint. Itaque ſufficiet mihi judicium eorum, qui neutri addicti parti diſcurſum hunc legent; & a talibus gratanter feram corrigi, atque ingenua confitebor quidquid me feceris a ſcopo intento deflectere.

§. III. *Totius Diſcurſus argumentum.*

INſolentia tituli, quo prænotatur liber Patris Eſpin, prohibuit me, uti jam dixi, ne ultra pergerem ad cognoſcenda reliqua, quæ promittit tam manifeſta præſumptio. Ut autem intelligatur, quam male fundata procedat ejus calumnia, ſatis habebo continere me intra ipſam Auctoris hypotheſin, in titulo notatam, non excedendo limites verborum trium, quibus ipſe ſe axpliear, nequa ad ulteriores quæſtiones procedendo. Primum verbum, RUINA, anticipate canit triumphum de ſuo adverſario, & notat gratis præſumptam evidentiam, in qua fundatur Auctoris ſecuritas, convincendi falſitatis opiniones ſuæ contrariss, cum ſui ipſius complacentia tam irregulari, quam incongrua eſt religioſæ modeſtiæ. Nec enim ſtylum exercet contra hæreticum aliquem, quo in caſu Catholici animi zelus, & certitudo fidei quam quis defendit, excuſare poſſet fervorem ſcribentis. Secunda pars tituli DE IDOLO CARMELI, detegit motam auctori bilem, quia P. Mag. Fr. Hermenigildus, caſum in quo RR. Patres Carmelitæ fundant continuationem Eliani ſui inſtituti, habeat pro ſuperſtitioſo & profano: eodemque tempore oſtendit, quod calamum ſuum moveat paſſio, non veritas; ipſumque dirigat reſpectus proprii intereſ-

tereſ-

teresse, non alieni profectus. Tertia clausula, quæ simul calumniam & præsumptionem complectitur, dicit, *quod ipsum somniavit Reverendiss. P. Fr. Hermenegildus a S. Paulo*: quæ propositio, præterquam quod dedeceat statum utriusque, manifeste est falsa. Non enim primus fuit Mag. Hermenigildus, qui sensum illum, quem Epiphius improbat, dedit verbis Suetonii Tacitique, ad quos reducitur omnis notitia, circa quam versatur disputatio. Nec sine temeritate potest appellari Somnium id, in quo consentiunt eruditiores quique in Europa: & qui literaliter infertur ex verbis, quibus ambo isti scriptores utuntur, uti mox videbimus. Cum ergo tota hæc controversia versetur circa genuinum & proprium illorum intellectum, & hunc ego examinaverim multo prius quam dictus liber veniret in manus meas; merito miratus sum appellari Somnium, quod omnes ii tenent quorum interest nihil; & quod illud, velut proprium Hermenigildo, prætexatur insultui contra illum tam irregulariter faciendo; cum priusquam ille, tam multi quot infra videbimus, idem ipsum senserint. Notoriam ergo Tituli falsitatem evanescere faciam, sistendo in ipsis dictorum Scriptorum verbis, & demonstrando, quod celeberrimi quique illorum interpretes non aliter ea intellexerint, quam intellexit Hermenigildus; absque ulla mentione ejus sensus, quem ipsis subesse prætendunt Patres Carmelitæ.

§. IV. *Verba Suetonii & Taciti.*

TOtius disputationis summa, atque hujus discursus argumentum reducitur ad intelligentiam loci unius, legendi apud Suetonium Tranquillum, in Vespasiano cap. 5. quem Ludovicus Vives (*a*) commendat ut diligentissimum maximeque severum inter Historicos Græcos ac Latinos. Hic solita sua brevitate, quam notat Flavius Vopiscus (*b*) agens de variis præsagiis oblatis Vespasiano, sub cujus imperio illum natum observat Gerardus Vossius (c) & Martinus Hankius (*d*); agens, inquam, Suetonius de variis præsagiis, quibus Vespasianus ad spem imperii adipiscendi adductus fuit, ita scribit. *Apud Judæam, Carmeli Dei oraculum consulentem, ita confirmavere sortes, ut quidquid cogitaret volveretque animo, quantumlibet magnum, id esse eventurum polliceretur.* Sub hac præcisione refert Suetonius casum, qui est materia hujus discursus: movendo dubium in sui intelligentia, quale consueto sibi stylo etiam alibi movet. Ita Joannes Baptista Pius (*e*) dicit, quod proprium *Suetonio Tranquillo fuit amare brevitatem, quæ res multos in plerisque suspensos reddidit & ambiguos.* Eumdem casum magis specifice refert Cornelius Tacitus (*f*), similiter commemorans præsagia, spes Principis istius confirmantia, cum ita fatur. *Est Judæam inter Syriamque Carmelus, ita vocant Montem Deumque. Nec simulacrum Deo, nec templum: ita tradidere majores aram tantum & reverentiam. Illic sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, Basilides Sacerdos, inspectis identidem extis; Quidquid est, inquit, Vespasiane, quod paras; seu domum extruere, seu prolatare agros, sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum.* Quia tamen idem, licet cum majori expressione, dicit, quod majori sub brevitate Suetonius; singula hujus verba expendemus, tamquam scriptoris vetustioris; conferendo illa, cum sibi correspondentibus verbis Taciti, ut simul & semel intelligatur utriusque sensus, & uniformiter stabiliatur quod ambo scripserunt.

(a) *lib. de traden. disciplinis.* (b) *in Firmico cap.* 1. (c) *lib.* 1. *de Historicis Lat. cap.* 51. (d) *de Scriptoribus Rom. cap.* 17. *art.* 1. (e) *Annotat. posteriar. cap.* 24. (f) *lib.* 2. *Hist. cap.* 79. *Opuscul. Collect.*

§. V. *Casus, cujus Suetonius & Tacitus meminerunt, superstitiosus & profanus est.*

ANtequam ordiamur scriptorum istorum collationem instituere, ad eos certius securiusque intelligendos, suppono & probo, utrumque agere de facto ex se superstitioso ac profano, & nihil commune habente, sive cum Judaismo, sive cum Lege gratiæ. Nam, Balaam (*a*) loquens Balac Regi Moabitarum, *Non est augurium*, inquit, *in Jacob, nec divinatio in Israel*: pertinet autem ad classem auguriorum & divinationum id, de quo loquimur; & hoc probant illi iidem, qui ipsum narrant. Suetonius enim (*b*) prævenit dicens: *Post Neronem Galbamque, Othone atque Vitellio de Principatu contendentibus, in spem Imperii venit* (Vespasianus), *jam pridem sibi per hæc ostenta conceptam.* Expressius etiam dixit Dio Cassius (*c*), quod *Vespasiano, longo tempore ante, regnum multis prodigiis somniisque significatum est.* Magis tamen ad nostrum intentum Tacitus (*d*); *Occulta*, inquit, *lege fati, & ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus Imperium, post fortunam, credidimus.* Quin etiam, prius quam lauro caput cingeret, hanc obventuram vulgaverat fama, testante eodem Tacito (*e*), quod *post Muciani orationem*, suadentis assumere Purpuram, *ceteri Milites cœperunt audentius circumsistere, hortari, responsa vatum ac siderum motus referre. Nec erat*, inquit, *intactus tali superstitione, ut qui mox rerum Dominus* &c. Adeo ut negari nequeat, quin prædictio, de qua illi loquebantur, in ipsorummet eam referentium sensu, reponeretur in classe superstitiosarum, non solum propter id quod continebat, & qualitatem auctorum ejus memoriam conservantium; sed etiam propter personam de qua agitur, æque idololatra ac gentili ut illi. Proinde aliud inde non potest elici, nisi contrarium evidentissime pateat ex Auctoribus æqualis fidei & antiquitatis: tales autem non sunt dubii quidam, incerti & apocryphi, quos nec nominare quidem possumus absque injuria veritatis.

(a) *Numer.* 15. ℣. 23. (b) *in Vespas. cap.* 4. (c) *in Epitap. pag.* 317. (d) *lib.* 2. (e) *lib.* 2. *Hist. cap.* 74.

§. VI. *Tres Carmeli in Palæstina: quis eorum a Suetonio indicetur.*

STabilita jam satis præmissa hypothesi, pergo verbatim explicare Suetonii locum, cujus initium: APUD JUDÆAM: per quam specificationem cavetur æquivocatio, ex eo alias nascitura, quod in Palæstina fuerint hujus nominis loca tria, omnia sic dicta ab eximia fertilitate & abundantia soli: unde fit, ut idem nomen etiam in Scripturis usurpetur pro quocumque loco amœno ac fertili; quemadmodum notare

est [1] apud Isaiam (*a*) & Jeremiam (*b*), prophetantes contra Moab, secundum Interpretes post S. Hieronymum, qui (*c*) id primus observavit. Quia in tribu Juda civitas una erat, *Carmel* nuncupata; sic enim vocem istam Hebræi efferunt in libro Josue (*d*): & hæc civitas, ipsius S. Hieronymi ætate, dicebatur *Carmulis*, [2] atque Romano tenebatur præsidio, ut idem asserit (*e*): quamvis Wolfgangus Wassenburgius (*f*) prætendat ipsam a Septuaginta Interpretibus distinguendam nomine *Cheirmel*; quod merito repudiat Andreas Masius (*g*), pro *Chiermel* substituens *Chermel*, quemadmodum scribitur in editionibus Vatabli, Morini & Ariæ Montani. Idem nomen insuper conservatur in duobus Montibus; quorum primus est situs in Judæa, in parte Australi Montis Seir, juxta Chebron in deserto Maon, ubi greges suos pascebat impius ac stultus [3] Nabal (*h*). Alius autem sub nomine *Carmel*, notissimus etiam est, cujus meminerunt Scylax Caryandensis (*i*), Strabo (*k*), Ptolomæus (*l*), Hermolaus Byzantinus (*m*), & Plinius (*n*): qui mons a Syris & Arabibus hodie dicitur *Cirmel*, uti demonstrat Jacobus Golius (*o*); ipsumque describit Joannes Phocæ (*p*) dicens; *Jagatar mons, ab ipsa maris situ, qui circa Ptolomaidem & Caipham incurvatur, initium ducens & ad Galilææ fines perveniens*, ideoque ad ipsum distinguendum ab illo, cujus supra meminimus (*q*), cognominatur *Carmel Hajammah*, id est, *Carmelus ad mare*: apud Septuaginta vero est Καρμῆλος κατὰ θάλασσαν; & in nostra vulgata *Carmelus Maris*. De hoc autem loqui Suetonium distinctius intelligitur ex Tacito, dicente, *est Judæam inter Syriamque Carmelus*: quamvis enim junctus esset Judææ, cujus provinciæ ipsam prior attribuit; situs tamen erat extra hanc, sicut animadvertit Theodorus Marcilius (*r*), signanter dicens, quod esset *apud Judæam potius quam in Judæa*; & differentiam probans ex verbis Taciti; sicut etiam observat Marcellus Donatus in eumdem locum Suetonii.

(a) *Cap.* 16. ℣. 10. (b) *cap.* 48. ℣. 73. (c) *super cap.* 16. *Isaiæ* (d) *cap.* 15. ℣. 55. (e) *de locis Hebraicis* (f) *in Descript. Terræ-sanctæ* (g) *in Annot. ad textum gr. Josue pag.* 144. (h) *l.* 1. *Reg cap.* 25. ℣. 12. (i) *in Periplo pag.* 40. (k) *lib.* 16. *pag.* 758. (l) *lib.* 15. *c.* 15. (m) *de Urbibus pag.* 559. (n) *lib.* 5. *c.* 19. (o) *in Notis ad Alferganum pag.* 130. (p) *de locis inter Antioch. & Jeras. cap.* 31. (q) *Josue* 19. ℣. 26. (r) *in Suetm. pag.* 29.

§. VII. *Quod mons Carmelus, pro Deo cultus fuerit.*

CErti de situ loci cujus meminit Suetonius, transimus ad ejus verba immediate sequentia, quæ sunt, CARMELI DEI. Deum verum, qui adorabatur in Carmelo, hic notari, omnino volunt Carmelitæ, & verba Taciti in eum sensum nituntur violenter trahere. Dum autem hic volunt Deum verum intelligi, se fundant in eo, quod Carmeli nomine etiam ipse verus Deus significetur apud Prophetas Isaiam (*a*) & Micheam (*b*); ubi opponitur secura Hebraismi religio & mystica circumcisio confusæ cæcitati in Gentilismo, secundum Hieronymum (*c*). Veruntamen Deus Carmelus, superstitiosus ac falsus, cultus a Gentilibus sub proprio ipsius montis nomine, hic expressissime agnoscitur a Tacito, dicente; *Ita vocant Montem Deumque*: unde constat, quod Gentiles, inter alias suas vanissimas Deitates, numerabant *Deum Carmelum*, ut infra videbimus; & quod ad hunc accurrerit Vespasianus sacrificaturus. Atque hoc sensu nomen istud usurpat Theodorus Marcilius (*d*), ubi civitatis memoriam faciens, ab ea distinguit *Carmeli Dei commentum paganicum*: uti etiam Lylius Giraldus (*e*), Guillielmus Stuchius (*f*), Philippus Beroaldus (*g*), Joannes Seldenus (*h*), Gerardus Vossius (*i*), Joannes Petrus Crescentius (*k*), & Andreas Bejerus (*l*): adeo ut negari non possit, quin hic sit communis omnium eruditorum in Europa sensus. Unde cognoscitur evidenter, non fuisse primum Hermenigildum, qui ipsum introduxit; & quod nulla certior calumnia fingi queat, quam quæ id appellat ipsius Somnium, utendo voce tam indecente, ad significandam opinionem adeo receptam, impugnatamque ut talem ab ipsismet Carmelitis, qualis est Fr. Franciscus Bonæ-spei (n. 858. Armamentarii) respondens præcitato Crescentio, qui primus argumentum formavit ab Hermenigildo resumptum.

(a) *Cap.* 32. ℣. 15. (b) *cap.* 7. ℣. 14. (c) *in istos textus* (d) *in Suetm.* (e) *in Hist. Deorum Syntagm.* 1. *pag.* 61. (f) *de Sacrif. gentil. fol.* 25. (g) *in Suetom.* (h) *de Diis Syris Synt.* 2. *cap.* 5. *pag.* 165. (i) *lib.* 2. *de Idolol. cap.* 62. (k) *Præsidii Rom. lib.* 1. *narrat.* 14. (l) *Supplem. Seldeni pag.* 91.

§. VIII. *Gentilitas assueta Jovi Montes consecrare.*

QUod Carmelus fuerit pro Deo habitus, confirmat cæcæ Gentilitatis facilitas ad hujus appellationis honorem rei cuicumque tribuendum: & eam expressam volens Prudentius noster (*a*) ita canit:

Quidquid humus, quidquid pelagus mirabile gignit
Induxere Deos: colles, freta, flumina, flammas.

Hinc nihil profanos apud Auctores notius, quam honores divini Montibus tributi: eoque alludit Rabbi Moyses Maimonides, (*b*) cum scribit, quod *Gentiles venerantur Montes*: & Scylax (*c*) Montem Tyro proximum vocat Ὄρος θεοῦ πρόσωπον, *Mons Dei facies*. Talis autem superstitio adeo fuit usitata & communis, ut observata inveniatur etiam apud maxime incultas ac barbaras nationes. Atque ita loquens Strabo de Getis (*d*), deque eorum Deo Zamolxi, quem dicunt in asperrimo monte reductum vixisse: *Montem quoque putaverunt*, inquit, *sacrum: itaque appellabatur nomen ei, ut & flumini præterlabenti cognomen daret*. Quin & simplices nudique Americani eamdem consuetudinem tenent, sicut affirmat Josephus Acosta, apud Dionysium Vossium (*e*), dicens: *Ejus opinionis reliquias*

[1] Audi Bonfrerium in notis ad B. Hieronymi librum de locis Hebraicis. *Sitne tertius aliquis locus trans Jordanem Carmelus dictus, vel in Moabitide regione, merito revocari potest in dubium, & Isaiæ c.* 16. *v.* 10. *& Hierem c.* 48. *v.* 33. *ubi hi prophetæ vaticinantes adversum Moab dicant*: Aufertur, vel ablata est lætitia & exultatio de Carmelo. *Nihilominus ego malim iis locis eam vocem esse appellativam, & significare quemlibet locum apud Moabitas ubertate insignem.* [2] In editione Bonfrerii, *Carmelia*. [3] Bonfrerius aliique censent in hoc monte illam ipsam fuisse Carmeliam urbem in tribu Juda, de qua 1. Reg. 25. ut in eodem monte fuerit nomen montis & urbis.

liquias arguunt Americanorum mores, quos Acosta ait (f) ipsos Montes, & quidquid communem naturæ ordinem egreditur, venerari solitos. Non tamen vagus fuit istiusmodi cultus, sed ad Jovem determinatus, sicut sentit Maximus Tyrius (g) dicens; *Nec Jovem quidem immunem honoris hujus primi habuere mortalium; culmina montium illius sunt, Olympi & Idæ, aut siquis præterea montium cælo proximus est.* Et consequenter ad hanc superstitionem Herodotus respiciens (h), scribit de Persis, *Solent, editissimis montium conscensis, Jovi hostias immolare* [1]. Ex quibus cum adeo clare constet, quod montes venerabantur Ethinici, veluti consecratos Jovi; verosimillimum fit, idem evenisse Carmelo.

(a) *Lib. 1. contra Symmach. ℣. 297.* (b) *in Zopher Kam cap. 8. §. 1.* (c) *in Periplo cap. 40.* (d) *lib. 7. pag. 298.* (e) *In Notis ad Maimon. de Idol. cap. 1. §. 2.* (f) *de procuranda Indorum salute lib. 5. cap. 9.* (g) *Dissert. 38. pag. 378.* (h) *lib. 1. cap. 131.*

§. IX. *Quod Carmelus fuerit Jovi sacer.*

EXplicationem Suetonio datam, quod scilicet mons Carmelus fuerit Jovi sacer, confirmavit, multo prius quam ille scriberet, Scylax Caryandensis, secundus inter hujus nominis scriptores, qui floruit tempore Darii Nothi Persarum Regis, annis quingentis ante Christum; idemque citatus ab Aristotele, sicut observat antiquus illius Græcus Scholiastes Apollonius Rhodius; & magna cum accuratione notat Gerardus Joannes Vossius (a): unde eum meritissime antiquum vocant Strabo (b), & Stephanus de Urbibus (c). Iste in descriptione Terræ (*pag. 40.*) consueta sibi brevitate, maritima prosequens littora, ab Ægypto in Palæstinam, Καρμῆλος, inquit, Ὄρος ἱερὸν Διός. *Carmelus mons delubrum Jovis*; significans fuisse Jovi consecratum: & juxta hunc sensum Aristophanes in Pluto (*d*) dicit de Peninsula quadam, Ἱερὸν ἐστὶ τῷ Πλούτῳ πάλαι, *Plutoni ab olim sacrum est*: unde Græcus illius Scholiastes (*pag. 92.*), Ἱερὸν λέγουσι πᾶν ἀνατεθειμένον τοῖς θεοῖς: *Hieron dicitur omne quod Diis est consecratum*: sic ut ipsimet Divinitati pro templo mons esse censeretur. Ea propter Maximus Tyrius (*e*) inquit, *Mons Cappadocibus, & Deus, & jusjurandum, & statua*: & Vossius (*f*) in explicatione Scylacis dicit: *Significat Montem & Deum esse nullum enim in eo templum, ut Tacitus indicat; sed mons Carmelus quasi templum erat numinis, imo & corpus ejus: nam Carmelus Deus constabat genio loci & vasto montis corpore*; ita ut nequeat clarius exprimi superstitiosus situs loci, quem Vespasianus adiit, confirmaturus spes suas; nec potest certius confirmari idololatria ibidem solita exerceri.

(a) *De Hist. Græcis lib. 1. cap. 19.* (b) *lib. 25.* (c) *verbo Karyanda.* (d) *Act. 4. scen. 3.* (e) *Dissert. 38. pag. 358.* (f) *de Idolol. lib. 2. cap. 29.*

§. X. *Defectus simulacri non probat cultum veri Dei.*

QUi veritatem divini in Carmelo oraculi nituntur sustinere, utuntur circumstantia, quam addidit Tacitus, omisit Suetonius; notans quod ibi *nec simulacrum* erat *Deo, aut templum: & sic tradidere majores aram tantum & reverentiam*: unde inferunt, quod ibidem usque ad Vespasiani ætatem servabatur continuata successio discipulorum Eliæ, retinentium veri Dei cultum. Sed hoc conjunctum invenitur cum absurditate notabili, & grandi ignorantia antiquorum scriptorum, qui certos nos faciunt, quod Gentilium templa diu caruerint simulacris. Itaque licet Herodotus (*a*) dicat, Ægyptios *primos diis aras & simulacra & delubra statuisse*; notat tamen Lucianus (*de Dea Syria*) quod *antiquitus quidem, etiam apud Ægyptios, templa sine simulacris erant*: quia, sicut Tertullianus (*b*) scribit, [2] *Idolum aliquando retro non erat: priusquam hujus monstri artifices ebullissent, sola templa & vacuæ ædes erant*: & hoc ipsum eadem convincenti ratione probat Eusebius Cæsareensis (*c*) dicens, *Primos illos quidem & vetustissimos homines, nihil vel in templis extruendis, vel in erigendis simulacris operæ ac studii posuisse; cum necdum sic pingendi, cælandi, statuas efficiendi, ac ne domos quidem tectaque ædificandi artes inventæ ac constitutæ essent.* Hinc factum, ut multæ nationes con-

[1] De Persis idem, quod Herodotus, scribit Origenes; *Putant Persæ Jovi sacrificia facere, ubi celsissimam montis speculam conscenderint, cæli circulum Jovem appellando.* Præterea ab Hesychio memoratur Ἐπάκριος Ζεὺς montanus Jupiter, seu in montibus cultus ab ἐπί & ἄκρον. Tarquinium Priscum Jovi templum erexisse in summo Capitolini collis notum est. Longe notissimum in Alpibus Apenninis templum Jovis, quem ea de caussa tabula Itineraria Antonino tributa, & Sponii inscriptio a Muratorio tom. 1. thesauri Classe 1. p. 6. recusa, *Penninum* vocant; *Apeninum* vero Eugubina inscriptio tom. 7. Opuscul. P. Calogerà accuratius appellat, ut de Sponianæ Epigraphes veritate dubitari merito possit. Audi Claudianum de VI. Honorii Consulatu.

Dispiciturque vagus prærupta valle Metaurus,
Qua mons arte patens vivo se perforat arcu,
Admittitque viam sectæ per viscera rupis
Exsuperat delubra Jovis, saxoque minantes
Apenninigeris cultas pastoribus aras.

Unde autem Apenninis Alpibus nomen, disputant Scriptores. Sponius a *Pen* ducit, quod Celtica lingua rei cujusque summitatem & caput significat; Cl. vero Passerius I. C. Pisaurensis Roncaliensium Epistolar. Ep. XIV. tom. 26. opusculorum nuper laudatorum P. Calogerà p. 373. ab Hebræo *Panim*, quo item rerum Summitas denotatur. Sed addamus & alium montem prope agrum Pistoriensem, ubi Summanum, sive is Juppiter fuerit, sive Pluto, sive ignotus quispiam Deus, de quo consule P. Martio Benedictinum in libro inscripto: *Explication de divers monumens* p. 432. & seqq. divinis honoribus cultum fuisse probat antiquitus, quod mons ille hodieque retinet Summani nomen.

[2] Idem Tertullianus Apolog. c. 25. *Nam etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris, aut templis res divina apud Romanos constabat.* Quorum similia scribit Clemens Alexandr. l. 1. Strom. de Numa loquens; *Prohibuit Romanis, ne homini aut animali similem Dei facerent imaginem ..... Igitur qui templa ædificavere per centum & septuaginta annos, simulacrum nullum fecere neque effictum neque depictum.*

conservarent primævam consuetudinem, non admittendi simulacra, nec templa: idemque S. Augustinus (*d*) confirmat testimonio Varronis, ut qui *dicit, etiam antiquos Romanos, plusquam annos centum & septuaginta, Deos sine simulacro coluisse*: & Tertullianus (*e*) consequenter ait; *Etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat*. Bardesanes Babylonius, qui florebat tempore Alexandri Severi (sicut refert Porphyrius de abstinentia animalium, verbis ab Eusebio transcriptis) [*f*] Bardesanes, inquam, Babylonius asserit, quod *apud Seras lex est, qua cædes, scortatio, furtum, & simulacrorum cultus omnis prohibetur*: & de Brachmanibus similiter ait, quod *tam majorum quam legum traditione, ab omni cæde cultuque simulacrorum abstinent*. Inde lux affulget hisce Taciti verbis; *sic tradidere majores*, significantibus venerationem Dei Carmeli constitisse sine templo & simulacro: quodque ea ibi recepta non fuerint eadem ex causa, ex qua ipsa nec Seres nec Brachmaoes receperunt, videlicet *majorum traditione*. Quin & de Germanis [*g*] dicit idem Tacitus, quod *nec cohiberi parietibus Deos, nec in ullam humani oris speciem assimilari ex magnitudine cælestium arbitrabantur*: quod etiam observatum fuit in celebri templo nostri Herculis Gaditaoi, teste Silio Italico per hosce versus (*h*).

Sed nulla effigies simulacraque nota Deorum,
Majestate locum & sacro implevere timore.

[a] *Lib.* 2. *cap.* 4. [b] *de Idolol. cap.* 5. [c] *de Præpar. Evang. lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 29. [d] *de Civit. Dei lib.* 4. *cap.* 31. [e] *in Apolog. cap.* 25. [f] *de Præp. lib.* 6. *cap.* 10. *pag.* 274. [g] *in Vita Agricolæ cap.* 9. [h] *lib.* 3.

§. XI. *Ara in Carmelo prohibet, ne istic credatur fuisse cultus veri Dei.*

INter alia veteris Legis præcepta etiam hoc fuit, ne professores ejus sibi erigerent Titulos, altaria vel Aras, ut patet ex Levitici xxvi. ℣. 1. *Non facietis vobis idolum, & sculptile, neque Titulos erigetis*. Quamquam enim vox Hebræa *Mazzebah* magis proprie significet *Statuam* (quomodo vocem illam Deuteronomii xvi. ℣. 22. traducit vulgata; utrobique Septuaginta reddunt *εἰκών*, prout etiam Geneseos xix. ℣. 16. uxor Loth facta dicitur *στήλη ἁλός*, *Statua salis*, non *columna*) communis tamen Hebræorum est sensus, sub ea prohibitione contineri quamcumque *Aram* vel *Altare*. Ita Moyses Maimonides [*a*]: *Interdictum in Lege erat opus ideo constructum, ut publicus ad illud fieret conventus, idque etiam si fuerit veri Numinis cultus gratia*: quod etiam confirmant Levi-ben-Gerson [*b*], Moyses Malchmonides Gerundensis [*c*], & Sepher Siphra [*d*]; sequentibus eos Interpretibus nostris, cum quibus Joannes Seldenus [*e*], explicans utrumque Scripturæ supracitatæ locum: *Neque, dum* Statuam *vertitur*, inquit, *id quod vulgo* Statua *denotat, id est figuram humanam significat; sed, ut volunt Magistri, qualecumque opus; velut etiam Altare, seu id genus aliud, ideo constructum erectumque (ultro scilicet, neque ex mandatis de Tabernaculo aut Templo erigendo ornandoque) & conventus publicos ad sacra illic peragenda qualiacumque, etiamsi vero Deo fierent*. Atque ex tali hypothesi facile intelligitur locus ille 3. Regum [*f*], qui tantum Interpretes torsit, explicare nitentium, in quo situm esset peccatum Salomonis, qui *Dilexit Dominum, & ambulavit in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat & accendebat thymiamata*. Quia vox Hebræa *Bamoth*, per quam istic notatur sacrificii locus, æquivalet vocibus *Ara*, *Altare*; itaque refertur Numer. xxxiii. ℣. 51. ubi Deus mandat Moysi, ut dicat populo: *Quando transieritis Jordanem intrantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores terræ illius, confringite titulos, & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate*; ubi pro Græco *εἰκών*, Hebraice legitur *Mischeitam*, quasi diceret *Picturas eorum*; unde consequitur non admittendas *Aras* vel *Altaria*. In eodem autem sensu vox eadem sumitur 3. Regum xi. ℣. 7. ubi in textu Hebraico legitur; *Tunc ædificavit Salomon excelsum ipsi Chamos, abominationi Moab*: (Vulgata, *Idolo Moab* vertit) & Septuaginta reddunt *ὑψηλόν*, *Excelsum*. Voci tamen *Bamath* magis proprie respondet vox *Altare*, in quo sensu Hebræam vocem sumi etiam animadvertit Franciscus Vatablus [*g*]. *In excelso. Sic vocat Scriptura locos eminentes & nemorosos, quos diis suis consecrabant idololatræ*. Neque illos tantum, sed quemadmodum affirmat Stephanus Menochius [*h*]: *Primo in montibus extra cœpta sunt excelsa, & inde nomen habuerunt: postea vero porrecta est vocabuli significatio, ut etiam ea templa vel fana significaret, in quibus eo ritu quo in excelsis sacrificaretur*. Id autem probat ex illo Hieremiæ vii. ℣. 32. *Ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filiorum Ennon*. Atque ex his omnibus deducitur, peccatum Salomonis in eo situm fuisse, quod sacrificaret in Ara profana atque prohibita: ideoque laudi vertitur Ezechiæ Regi [*i*] quod *ipse dissipavit excelsa*, & similiter [*k*] de Josia dicitur, quod *Aruspices* ab eo deletos, *posuerant Reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda in circuitu Jerusalem*. Ita porro illustratur difficillimus alias locus Ecclesiastici xlix. ℣. 5. *Præter David & Ezechiam & Josiam omnes peccatum commiserunt*; peccatum videlicet idololatriæ, quæ per antonomasiam in sacris litteris appellatur peccatum, secundum Hieremiam & Oseam [*l*]: unde mox eodem Ecclesiastici loco sequitur; *Nam reliquerunt Legem Altissimi, & contempserunt timorem Dei*. Ex eoque ipso loco intelligitur evidenter, per *Excelsa* denotari *Aras*, prout etiam Gaspar Sanchez observat [*m*], dicens: *in excelsis autem non solum montes intelligo, & editum locum; sed etiam Altaria: quæ, juxta sui nominis notionem, aliquid significant altum; sicut vox Græca βωμός, collem significat & altare*. Cum igitur hujusmodi excelsorum altaria prohibita essent, etiam ad sacrificandum vero Deo; manet evidenter demonstratum assumptum, quod dixi, Aram illam, quam in Carmelo Vespasianus reperit, excludere ab eo loco veram religionem, & eam, quæ istic exercebatur, superstitiosam atque idololatricam fuisse. Neque solum Hebræis erant tales Aræ prohibitæ, sed etiam Christianis, sicut constat ex quadam lege Valentiniani Imperatoris, ad Hypatium Italiæ Præfectum data anno CCCLXXVII.

[*n*]:

[*n*]: *Christianorum, ad aras & templa migrantium, negata testandi licentia, vindicamus admissum*: quæ lex consonat legi præcedenti Theodosii Magni, directæ eodem anno ad Postumium Præfectum Prætorii in Oriente, contra eos *qui Christiani & Catechumeni, tantum venerabili religione neglecta, ad Aras & templa transierint*. Ad quem locum notat Gotofredus [*o*]: *Ad aras & templa transire hac lege & lege proxima, dicitur pro, Ad superstitionem gentilitiam transire. Nempe duo hæc præcipua superstitionis gentilitiæ symbola & sacramenta fuerunt*. [*p*].

[a] *In Halach Albedazara cap.* 6. [b] *in Levit, cap.* 26. ℣. 1. [c] *In Deuteron. cap.* 16. ℣. 22. [d] *col,* 121. [e] *de jure natur, lib.* 2. *cap.* 2. [f] 3. *Regum*, 3. ℣. 3. [g] *Numer, cap.* 22. ℣. 41. [h] *lib.* 2. *Rep. Hebr. cap.* 7. [i] 4. *Reg.* 18. ℣. 4. [k] *cap.* 23. ℣. 5. [l] *cap.* 1. ℣. 8. *& cap.* 8. ℣. 11. [m] 3. *Reg. cap.* 3. *n.* 20. [n] *Cod. Theodos. lib.* 16. *tit.* 7. *de Apostatis l.* 3. [o] *tom.* 6. *pag.* 204.

[*p*] Interp. Objiciet huic doctrinæ aliquis, quod Elias 3. Reg. 18. ℣. 30. eliciturus ignem de cælo in Carmelo *curavit altare Domini, quod destructum fuerat*; & mox, *ædificavit de lapidibus* 12. *altare in nomine Domini*. Noster autem Cornelius a Lapide censet, primi æque ac secundi altaris in Carmelo auctorem fuisse Eliam, ut saltem ibi populum colligeret ad cultum exhibendum Deo vero, dum ille scilicet prohibebatur a Regibus suis adscendere in Hierusalem, secundum Dei præceptum. Sed dum considero locum, in quo Elias habitavit, sex omnino leucis distare a supercilio montis, in quo utraque ara stetit; cogor credere, alio fine erectam fuisse utramque; & primam quidem ut esset simplex memoriale divini cultus (sicut illa quam Josue XXII. erexerunt sibi in ripa Jordanis filii Ruben & Gad cum dimidia tribu Manasse) secundam, ad unicum & nunquam ante vel post exercitum ibi actum offerendi sacrificii, illa cum Sacerdotibus Baal conflictatione: quæ ipsa tamen ara, mortuis Elia & Eliseo Israelitisque in captivitatem traductis, initium & occasio fuerit gentilibus, in eorum locum substitutis, cultus ac venerationis idololatricæ & usque ad Vespasianum durantis, de qua infra §. 15.

§. XII. *Apollonii Collatii supposititia antiquitas, & futilitas consequentiæ in eo fundatæ*.

Methodus quam tenemus, reducit nos ad Suetonium ejusque verba, immediate sequentia, Oraculum consulentem: quibus ad suum intentum utens Daniel a Virgine Maria [*a*] *Casaubonus*, inquit, *in Animadversionibus ad lib.* 8. *Suetonii, adducto veteri Poeta Christiano, Petro Apollonio Collatio, in secunda Excidii Hierosolymitani, instruat, lectorem Christianum, Christiano illa intellectu accipere debere. Verba autem ipsius sunt:*

Vulsa solo frondesque novas inducta cypressus,
Nunc habet illa fidem, Matathiademque locutum
Vera sibi Vatem, & Carmeli oracula, disces.

ubi Basilidem vocare videtur Vatem Matathiadem, *velut habentem Matathiæ, principis ac Sacerdotis Judæorum, civis etiam apud Modin ad pedem Montis Carmeli, fidem & zelum, atque insuper donum prophetiæ*. Verba P. Danielis volui proferre integra, ut constet de exigua cum qua procedit fide, dum Casaubono attribuit id, quod hic non dixit, neque dicere potuit absque notabili absurditate; quandoquidem ad locum Suetonii, quem explicamus, solum addit pag. 210. nudos versus Collatii, non specificando quis ille sit, sed solum transcribendo, secundum editiones omnes verba hæc,

—— *& Corneli oracula disces*:

atque monendo, legendum videri,

—— *& Carmeli oracula disces*.

Desinat ergo P. Daniel jactare se auctoritate Casauboni, affingendo ei quod non dicit; & emendationem, quam in textu Collatii adhibet, usurpare pro certo illius Poetæ testimonio: quandoquidem nomen *Corneli*, & non *Carmeli*, inveniatur, non solum in prima Collatii editione, [1] quam Parisiis curavit Joannes Gagneus an. 1516. Sed etiam in correctiore Plantiniana, quæ brevibus Adriani vander Bruch Notis prodiit, quæque ipsa eadem inserta est magnæ Bibliothecæ Patrum Margarini Bignii. Quantum ad tertiam P. Danielis hypothesin attinet, qua præsumitur Collatius, tamquam antiquus & Christianus, intellexisse oraculum veri Dei; necessarium est transcribere Gasparis Baertii, toties contrarium evincentis propria verba, mire ad nostrum institutum facientia [*b*]. *Illa*, inquit, *nimis Ethnica sunt, neque ita scripsisset vetus quispiam Christianus Vates*:

Nostra fides alios populos atque altera regna
Invenies, ritusque novo meliora dabuntur
Thura focis, aliis melius celebrabimus aris.

Potius Christus Patrem tot Oraculorum admonere dicendus erat, quibus, rapta populo improbo & refractario, Evangelii annuntiatio gentibus sponderetur: quorum vel princeps est Isaias. Invenient, *palantis & incerti est*: Meliora, &, Ritu novo, *prorsus sunt absona*: Thura *vero sermoni filii Dei plane adversa; cum & contra fidem Christianam idola colere*, Thurificare, *dixerint veteres*: Aræ *vero novo fœdere prorsus sublatæ sunt*. Atque hinc constat levitas argumenti inde sumpti, & quam contrarium illud sit stylo Auctoris, ea quam sibi arrogat licentia manifestantis, longe posteriorem se esse iis quæ ipsi assignantur temporibus. Hoc tamen sentientes recentiores aliquos cum allegasset Baertius; *Tales*, inquit, *nobis antiquum Poetam ex recentioris memoriæ laudando citandoque facere voluerunt; suo quidem pro se quisque errore non excusabiles*. Gerardus autem Vossius [*c*]; *Amplius dico*, [2] inquit, *putare me, vixisse eum* (Apollonium Collatium) *anno* 1490. *ac deinceps. Aliud enim mihi persuadere non possum, quam esse hunc eumdem, ac illo Factorum* con-

[1] Revera neque Gagneus anno 1516. eam Collatii editionem curavit, sed anno 1540. neque Gagnei editio prima est, sed secunda; prima enim est Mediolanensis anni 1481. quam memorat Fabritius tom. 2. Bibl. Latinæ l. 4. c. 2. n. 4. pag. 257. Ven. edit. & Orlandus in origin. Typograph. p. 105. in eo tamen lapsus, quod Matthæi nomen Collatio tribuat. [2] Imo vero Mediolanensis prima editio lucem adspexit edente *ipso* Petro Apollonio Collatio, qui tum temporis vivebat, & Novariæ in territorio Mediolanensi Presbyterum agebat. Vide Fabritium loco antea appellato, & Bælium in Lexico verbo *Collatius*.

conditoe, de quo Cæsae Scaliger lib. 6. Poetices ita loquitur : „ Apollonius Collatius Fastos „ edidit, in quibus pietatem laudes: frigidiusculus tamen Poeta est, & cum discedit ab „ Elegia, etiam infelix „. *Agit autem de Apollonio inter eos, qui vixere non multa ante vel post annum millesimum quingentesimum.* [d]

[a] *Vinea Carmeli part. 3. cap. 16. num. 358.* [b] *Adverf. lib. 25.. cap. 27.* [c] *de Hist. Lat. lib. 3. pag. 811.*

[d] INTERP. *Hic notaverim, eumdem P. Danielem a Virgine Maria, in præcit. Vinea Carmeli pag. 771. & 772. proferre excerpta ex fabulosissimo illo Itinerario, quod ego ante tom. 2. Maji proposui, cum alio Joannis Phocæ comparandum; ipse vero acceptos tamquam scriptum a S. Antonino Martyre Placentino, tempore Diocletiani, de quo Molanus ad 13. Novembris? cum sit figmentum recens, eoque posterius tempore, quo extrema ultra Romam Italia cæpit* Regnum *appellari. Sic bono illi viro satis fuit aliquid aliunde arripere, quantumcumque alias suppositiium, quod ab imperitis crederetur antiquum, dummoda contineret quidpiam pro se faciens.*

§. XIII. *Non convenit Collatio intellectus, quem ei Carmelitæ dant.*

EX falsis antecedentibus oon potest educi secura consequentia; neque demonstrari, quod qui argumentum Christianum tractat tamquam Gentilis, explicet tamquam Christianus aliud ex natura sua Gentilitium; admittendo veluti securam correctionem Calauboni. Nequaquam tamen admittit illam Petrus Crescentius [a], sed ipsum locum Svetonii ex Collatio corrigens, apud illum legi jubet, *Cornelii Dei*, non *Carmeli Dei*: [b] variat quoque Crescentius in nomine Vatis, *Amathaidem* legens pro *Mathatiadem*. Sed recipiatur Casauboni fanteotia, & corrigatur ex Suetonio Collatius; quid inde ducit P. Daniel, quo probet a Poeta designari Basilidem, ut Sacerdotem istius oraculi? Quæ enim ioter utrumque oomen convenientia est, non dicn vocis, sed vel significationis? Unum Hebraicum est, significans *a Deo datum*; Græcum alterum, *Regium* quid connotans; sicut animadvertit Suidas & observat Scapula. Quapropter ex natura rei aptius fuisset Basilidem concipera Sacerdotem Græcum, oisi aliunde constaret fuisse Ægyptium, uti apparebit infra; utravis autem gente extraneus ille fuerit a statu veri Religiosi Eliaoi (cui innectere ipsum Carmelitæ volunt) sicut evidenter convincitur ex idololattica ejus & magica professione.

[a] *In Præsidio Rom. lib. 1. narrat. 4. n. 33.*
[b] INTERP. *Displicet merito hæc Petri Crescentii conjectura, nullius antiqui scriptoris, qui* Cornelii Dei *meminerit, auctoritati innixa; cum e converso tot alii persuadeant*, Carmelum Deum *dictum fuisse.*

§. XIV. *Explicantur verba Apollonii Collatii.*

INtroducit Petrus Apollonius Collatius varios, qui Vespasianum acclamaverunt Imperatorem: inter quos Cerealis quinti Ordinis Præfectus, ejusque in Judaico bello minister. Idem ipse hic est, cujus meminit Hegesippus (*a*), estque in Romana historia celebratissimus cum prænomine *Petilii Cerealis*, ad distinctionem viri alterius Consularis *Anicii Cerealis*. Prioris etiam meminit Tacitus (*b*), eumque Joannes Glandorpius (*c*) dicit fuisse Vespasiani consanguineum: sæpius autem recurrit io eodem met Tacito (*d*), nec non apud Josephum (*e*) illius mentio. Hunc ergo Cerealem ita loqui facit ad Vespasianum Collatius (*f*).

.... Privato nomine non jam
Appellande mihi. Quid justa munera fertis
Dissimulas, Cæsar? Dominum te maximus orbis
Et tua te poscit probitas, conspectaque virtus,
Ac summo laudata Jovi. Petit illa jugales
In sua templa toes, Tarpejaque limina pandit.
Vulsa solo, frondesque novas inducta cypressus
Nunc habet illa fidem: Matathiademque locutum
Vera tibi vatem, & Carmeli oracula, disces.

Coosiderans igitur, quod hæc sit oratio hominis idololatræ, undenam elicies, ipsam non respondere ejus qui eamdem pronuntiat religioni? Cum enim Vespasiano dixisset, quod non debeat occultare Majestatem Imperialem, ad quam invitabatur a Jove; discursum comprobat tribus felicibus præsagiis; videlicet cypressi in quodam illius prædio repente siccatæ atque excisæ, & deinde reflorescentis; prout referuot Suetonius (*g*) & Tacitus (*h*), licet cum aliqua varietate, quam indicat Collatius utrosque colligens ac dicens.

Vulsa solo, frondesque novas inducta Cypressus
Nunc habet illa fidem.

Alterum præsagium sumptum erat ex Josepho Judæo, quem cum captivom haberet Vespasianus, huic ille ejusque liberis prædixit Imperium; sicut scribit, oon solum ipsemet [*i*], sed etiam Suetonius [*k*] & Xyphilinus; & cujus etiam Collatius meminerat lib. 2. dicens:

.... Nec me tibi vana referre,
Crede, meus. Calet hic divino spiritus igne,
Instinctuque Dei loquitur. Capitolia scandes
Victor, & augustum nomen sedemque tenebis.
Post varios rerum motus, ter Curia Regni
Mutatura gradum, tantum te Cæsare sidet;
Pace fruens; natusque patris succedet habenis.

Josephum autem fuisse Mathatiæ filium, cum asserat variis locis ipse, & confirmet S. Hieronymus [*m*]; nemini dubium esse potest, quin hic sit a Collatio indicatus *Matathiades*, Vespasieno *vera locutus Vates*. Atque ita solum testant *Carmeli oracula*, secundum Casauboni correctionem, accepta ex Suetonio, ad quæ Collatius alluserit, ipsamet illius formalia verba transcribens; quibus proinde alius sensus subesse nequit, quam quo ea scripsit Suetonius. Neque huc quidquam facit, quod Christianus sit auctor, qui ea facit a Gentili proferri, alloquente ducem æque idololatram: *inde enim exurgit animadversio Patris* Cousereau [*n*], cujus ex Tacito verba Gallica Latine reddam. *Post hanc orationem* (Muciani) *circumstantes omnes, conjectis in Vespasianum oculis, compulerunt eum acceptare Imperium, commemorando ei oracula aspectusque astrorum, promittentes ipsi illius possessionem. Et habebat Vespasianus animum superstitiosum, qui se patiebatur ejusmodi vanitatibus vinci.*

(a) *De Excid. Hierasol. lib. 3. cap. 14.* (b) *lib. 16. Annal. cap. 17.* (c) *in Onomast. Rom. pag. 672.* (d) *lib. 4. Ann. cap. 32. & 33.*

item

item lib. 3. Hist. cap. 59. 78. 79. & lib. 4. cap. 68. ac 71. & in Vita Agric. cap. 8. atque 17. (e) *de bello Jud. lib. 7. cap. 23. pag. 975.* (f) *lib. 3. de bello Hierosol.* (g) *In Vesp. cap. 2.* (h) *Ann. lib. 2. cap. 28.* (i) *de bello lib. 3. cap. 24.* (k) *ubi supra* (l) *in Vespas.* (m) *de Script. eccles. cap. 13.* (n) *Hist. Rom. lib. 6. pag. 158.*

§. XV. *Origo superstitiosæ venerationis, Carmelo delatæ.*

NUlla inter eruditos omnium seculorum scriptores certior & receptior thesis est, quam quod Gentiles perverterint notitias, ex libris Canonicis acceptas, transferendo eas ad falsas suas deitates. Id autem clare deducitur ex libro 1. Machabæorum (*a*), ubi dicitur de Judæis, quod *expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorum*. In quam sententiam fuse discurrunt Joannes Drusius & Cornelius a Lapide; ceteris autem brevius distinctiusque Eduardus Dichinsonus, in Diatriba cui titulus *Delphi Phœnicizantes* cap. 6. apte ad nostrum intentum sic scribens: *Hinc enim ad Deorum suorum cultum, nomina, religione ac antiquitate sacrata, desumpserunt: hinc dies festos, ritus, ceremonias, nec non res gestas plerasque delibarunt.* Non igitur cuiquam videatur peregrinum, si dicamus, quod veneratio licita, qua montem Carmelum prosequebantur fideles Israelitæ tempore Eliæ & Elisei, propter eorum in ipso commorationem, & miracula istic per ipsos facta, transieris in superstitiosum cultum, quo Gentiles eumdem montem profanarunt. Ita Theodorus Marcilius (*b*); *Carmeli*, inquit, *Dei commentum paganicum, natum inde, quod in Carmelo sedes olim Eliæ & Eliseo & filiis Prophetarum fuit, ut patet in litteris sacris.* Joannes Vossius (*c*) expressius etiam istud docet; *Verosimile*, inquiens, *est hanc opinionem* (de loci scilicet divinitate) *paulatim irrepsisse ex eo, quod Elias Thesbites hic habitaris*. Postea vero, relatis eventibus eo loci memorabilibus ex Scriptura, hæc addit: *Quia igitur tanti viri hunc locum elegerunt ad incolendum, sacraque præstanda; eo diu ille pro sacro habitas, gratioremque in eo fore Numini cultum* crediderunt. Ad hujus autem rei probationem adducit idem Vossius exemplum *Elagabali*, notæ apud Emesam in Syria Apamæa deitatis, de qua antea egerat (*d*): & post varios super nominis ratione discursus; *Sed præterea*, inquit, *Gebel Arabicum nomen Montem notat; ut Elagabalus signet Deum Montem, sive Deum Montis, in quo ædes illius foret: unde & symbolum ejus erat lapis ingens, montis in modum fastigiatim assurgens. Nempe uti nomine Dei Carmeli, Suetonio in Vespasiano cap. 5. non montem intellige, sed numen, cujus in monte eo delubrum foret.* Ubi quamvis auctor videatur se opponere Tacito, quatenus hic negat in Carmelo fuisse aut simulacrum aut templum, sed dicit quod ipse mons colebatur pro Deo; non id tamen Vossius intendit, sed simpliciter intendit notare originem venerationis; itaque subjungit, quod, hac temporis decursu perversa, *tandem tamen ipse Carmelus habitus pro Deo* sit. Simile exemplum nobis offertur in *Beelfegor*, in eadem Palæstinæ provincia, deitate æque superstitiosa, observata a Joanne Seldeno cum ait; *Mons in regione Moabitarum Peher erat, ubi Baal (nisi fallor) & delubro & sacris honorabatur: sic enim dicitur Numer. cap. xv. Moses*, Et assumpsit Balac Balaam in summitate montis Peor (sive Phegor) qui respicit faciem deserti Jesimon. *Montium summitates ante alia loca divinis rebus olim destinatas, non est cur adjungerem: id pueri sciunt. Hinc etiam dictum Beelphegor vult Theodoretus ad Psalmum* CV. *aliique: & Suidas ad verbum* Beelphegor: *Beel est Saturnus, Phegor in quo colebatur, unde Belphegor.* Eadem fere habet in vocabulis Beel & Phegor; moxque concludit ad nostrum intentum Seldenus; *Ut enim Jupiter Olympius, Mercurius Syrenus, & Deus ille sertium Carmelus apud Suetonium in Vespasiano, a montibus appellati; ita Baal seu Belus noster, quem Jovem Belum Phegorium licet vocare*; ac si diceret, quod eodem modo posset nominari, *Jupiter Carmelus*; quia (ut jam vidimus) sub eo nomine colebatur, quandoquidem montes omnes ipsi censebantur sacri; ac nominatim iste, postquam veneratio religiosa, quam ipsi conciliaverant miracula ibidem per Eliam & Eliseum patrata, abierat in superstitionem idololatricam. (*f*).

(a) *Cap. 2. ℣. 48.* (b) *in Exposit. ejusdem loci Sueton.* (c) *lib. 2. de idolol. cap. 62.* (d) *cap. 5. ejusd. libri* (e) *Syntagm. 1. de Diis Syris cap. 4.*

(f) Interp. *Superstitioni autem tali (ut supra ad §. xi. notavi) occasionem dederit ipsa Ara, ex 12. lapidibus istic erecta ab Elia, ibidemque remanserit post Israelitarum transmigrationem: quæ quidem Ara adhuc stetisse potuit tempore Vespasiani. Nec est cur iidem lapides, a Christianis demoliti, dispersique circa ipsam in quo aram composuerant locum, non possit ibidem perstitisse usque in hodiernum diem. Nam Antonius Gonzales Minorita Belga, qui anno 1665. Terram-sanctam lustravit, & lingua nostra prolixe descripsit; in loco sacrificii Eliani, ad quem difficillimus ascensus est, adhuc monstrari scribit 12. lapides, quibusdam Hebraicis characteribus inscriptos, ex quibus vulgus credit aram Eliæ constitisse.*

§. XVI. *Tempore Pythagoræ colebatur superstitiose Carmelus.*

JAm supra docuimus, ex Scylace Caryandensi, annis quadringentis ante Christum florente, Carmelum Jovi consecratum: & hoc respectu illic hæsisse Pythagoram, intelligitur ex Jamblicho (*a*), cujus verba Græca ita vertit Joannes Arcerius; *Porro negligenter parumque feliciter, ab Ægyptiis quibusdam nautis, opportunissime in littora, quæ subsunt Carmelo Phœniciæ monti, appellentibus, transvectus fuit Pythagoras; ubi solus in templo plerumque degebat.* Videbitur hic Jamblichus supponere Templum aliquod ibi fuisse, contra quam affirmat Tacitus. Sed errorem potius notaverim interpretis, κατὰ τὸ ἱερὸν vertentis, *in templo*; cum reddi potuisset ac debuisset, *in loco sacro*. Similem æquivocationem pertulit textus Joannis Phocæ (*b*), quem de Carmelo loquentem Leo Allatius sic Latine reddidit: *Erat eo loci antiquitus Monasterium magnum, ut structurarum vestigia ad hæc usque tempora commonstrant*: quia vox Græca

Μονὴ,

Μονὴ, quam *Monasterium* vertit Allatius, generice significat quamvis *Mansionem*. Hoc observans Daniel Papebrochius (*c*), *Cogor*, inquit, *vehementer dubitare, utrum rudera ista ἀ μονῆς, de quibus loquitur Joannes Phoca, vere alicujus monasterii fuerint, & non potius reliquiæ habitationis illius (utrumque enim significat vox Μονὴ, ducta a Verbo*, Μένω *Maneo) quæ occasione profani Oraculi, quod istic Vespasianiævo consulebatur, olim fuerit excitata*. Suspicatur ergo Papebrochius, eo loci (id est juxta fontem Eliæ, in declivio ejus montis, in cujus vertice sex inde leucis remoto stabat vel steterat ara Eliæ) suspicatur, inquam, Papebrochius, eo loci fuisse habitationem Sacerdotum, per quos oraculum consulebatur, vel diversorium responsi petendi causa illuc tendentium; positum, ut loquitur Joannes, *in extrema parte jugi, quæ mare respicit*. Nam quod locus ille habitatus fuerit tempore Pythagoræ, apparet ex Jamblicho, verbis præmissis immediate subjungente hæc; *Homines autem loci illius benigne ipsum, datis dexteris, exceperunt*. Unde rursus intelligitur de hoc loco intellectum verbum κατὰ τὸ ἱερὸν, non debere necessario reddi *templum*, sed conditionem loci sacri, in quo Pythagoras ἐμόναζε τὰ πολλὰ, *ut plurimum morabatur solitarius*. Hæc enim circumstantia solitudinis non facile verificari potest de templo, a Sacerdotibus & accurrentibus frequentato. Itaque judico, locum a Jamblicho designatum per verba κατὰ τὸ ἱερὸν, sic intelligi debere, uti ipsemet Carmelus fuerit sacer, imo Deus habitus tempore Pythagoræ, qui floruit Olympiade XLVIII. ante Christi nativitatem annis DXLIII.; ex hoc enim cœpit celebrari Pythagoras, ut qui tunc concurrerit ad ludos Olympicos: sicut observat Diogenes Laertius, (*d*) nixus testimonio Phavorini, Eratostenem allegantis. Sententiam porro nostram confirmat, quod sciamus Pythagoram fuisse celeberrimum Magum, sicut refert Plutarchus (*e*); idemque cognoscitur ex Timone Satyrico Græco, per Laertium allegato, & sic Latine reddito: *Pythagoramque ex magia inclitum*. Etenim, eruditus vir Janus Jacobus Boilardus (*f*), de eodem Pythagora loquens, affirmat, quod *Magi, qui cultui Deorum vacant, preces illis & sacrificia offerunt, & a se solis exaudiri persuasum habent; quos etiam ignem, terram, & aquam esse arbitrantur: statuas & simulacra aversantur: improbant eos, qui stulte Deos mares ac feminas dicunt*. Neque absurdum fuerit cogitare, quod ipse Pythagoras, ex hypothesi quod Carmelus esset Jovi sacer, auctor fuerit superstitionis ibi exercendæ. Nam, teste S. Epiphanio, (*g*) istic ubi de hoc Philosopho ejusque dogmatibus agit, *Deum esse corporeum asserit, videlicet cœlum*: & Herodotus (*h*) dicit, quod Persæ moris habent, *editissimis quibusque conscensis montibus Jovi hostias immolare, omnem gyrum cœli Jovem appellantes*. Magis autem ad nostrum intentum Strabo (*i*), quasi montem Carmelum describeret; *Persæ*, inquit, *nec statuas, nec aras erigunt, sacrificant in loco excelso: cœlum Jovem putant*. Quin autem hujusmodi ritum a Persis didicisse Pythagoras potuerit, dubitaverit nemo, qui largas ejus peregrinationes, superstitiosum ingenium, professionem magicam consideraverit, Diogene Laertio in ejus vita disertius asserente, quod *omnibus sacris tum Græcis, tum Barbaris est initiatus*.

(a) *In Vita Pythag. cap.* 3. (b) *de locis sanctis a Jerusalem usque Antiochiam cap.* 32. (c) *de Actis SS. tom.* 2. *April. pag.* 782. (d) *lib.* 8. *in Pythag.* (e) *lib.* 24. *cap.* 27. & *lib.* 30. *cap.* 1. (f) *de Divin. & Mag. præstigiis pag.* 296. (g) *lib.* 1. *adv. hæreses, hær.* 5. *pag.* 14. (h) *in Clio, id est lib.* 1. *c.* 31. (i) *lib.* 15. *Geograph. pag.* 732.

§. XVII. *Pythagoras fuit ex superstitiosioribus, quos habuit Gentilismus.*

Ex eo quod Jamblichus narret in Carmelo fuisse Pythagoram, quamvis absque definitione temporis, quo ille istic permansit, prætendunt aliqui confirmare successionem vitæ solitariæ, illic ab Elia institutæ, numerando Pythagoram inter personas illustriores sui Ordinis: ad quod eis viam stravisse videtur Clemens Alexandrinus (*a*) affirmando ipsum circumcisum fuisse; & S. Ambrosius (*b*), originem illi a Judæis tribuens. Hinc nebulæ existunt, nisi dissipentur obscuraturæ totum nostrum discursum: Ut igitur hic locus illustretur quantum potest, scito, Ambrosium dumtaxat dicere, quod *ex populo Judæorum (ut plerique arbitrantur) genus deduxerit Pythagoras*: ubi videtur eos respicere, qui origine Tyrium aut Phœnicem fuisse dicunt, sicut ex testimonio Neantis Cyziceni asserit Clemens Alexandrinus (*c*), & Theodoretus (*d*), atque Cleanthes Stoicus, apud Porphyrium (*e*). Quamquam enim Lucas Holstenius (*f*) dubitet, sintne unus vel duo *Neantes* & *Cleanthes*, propter nominum similitudinem: distinguit tamen eos Vossius (*g*). Est autem adeo certus apud omnes situs Tyri in Phœnicia, ut Græci, nomine istius provinciæ, inhærentes Interpretibus LXX. complexi fuerint Chananæam a Judæis inhabitatam. Absque tali autem notitia impossibile est, verificare aliquatenus sententiam ab Ambrosio relatam, & conciliare cum tot aliorum veterum consensu, allegato in vitis Pythagoræ per Laertium & Porphyrium, quorum ultimus scribit sic; *Ipsum porro Pythagoram, & Aristoxenus, & Aristarchus & Theopompus Tyrrhenum ajunt fuisse: at Neanthes Tyrium eum vocat*. Lucius Pythagoricus Tyrrhenum fuisse contendit, ex auctoritate Theonis Grammatici apud Plutarchum (*h*): apud Lucianum vero (*i*) percunctanti Mercurio cujas esset, *Ex Samo* respondet Pythagoras: quo respiciens Ovidius

Vir fuit hic, inquit, *ortu Samius*.

Porro secundum hos Cæsareensis Eusebius, agens de Philosophis Græcis eorumque origine & antiquitate (*l*); *Horum Princeps*, inquit, *Pythagoras, Pherecydis ante discipulus, Samius, ut nonnulli volunt; vel, ut aliis placet* [*s*], *Tuscus erat; nec desunt qui Tyrium fuisse dicant*. Per hæc omnia fit, ut non solum dubia saltem sit origo Pythagoræ Hebraica; sed, etiamsi certa foret, parum admodum conduceret ad religionem illius comprobandam: quandoquidem tam manifeste constet de gravissimis ejus erroribus; explicandis, mox atque expediverimus nos ab ejus circumcisione, ex Clemente Alexandrino asserta, ut induci possit in Elianam familiam:

noo

[*s*] Hos inter numerandus doctissimus Marchio Maffejus in dissertatione de Italis primitivis p. 212. & tom. 4. Observ. literar. ubi & hanc sententiam pluribus probat.

non animadvertentibus iis, qui id conantur suadere, quod circumcisionem susceperit, ut capacem se redderet percipiendis Ægyptiorum mysteriis, qui omnes circumcidebantur, teste Herodoto (*m*), quod etiam notat Origenes (*n*). Audiamus Clementem Alexandrinum; *Thales*, inquit, *cum esset Phœnix genere, etiam Ægyptiorum prophetis congressus esse dicitur; sicut etiam Pythagoras cum iis ipsis, propter quos etiam fuit circumcisus, ut adyta ingrediens, Ægyptiorum mysticam disceret Philosophiam*. Atqui hoc ipsum est, quod testimonio Antonii Diogenis, Alexandri Magni tempore florentis (*o*) ait Porphyrius (*p*); *Pythagoras*, inquiens, *ad Ægyptios quoque & Arabes, Chaldæos & Hebræos accessit: apud quos & somniorum interpretandorum scientiæ accuratissime operam dedit; tum divinatione quæ fit thure, primus ipse usus est: & in Ægypto quidem cum Sacerdotibus vixit, & sapientiam ac linguam Ægyptiorum perdidicit*. Cum nationibus autem tam variis versatus Pythagoras, omnium vanissimas superstitiones collegit, ac studiose proseminavit. Itaque de eo loquens Isocrates (*q*), *cum in Ægyptum*, inquit, *profectus illorum disciplinæ se tradidisset; tum reliquam philosophiam primus in Græciam intulit, tum sacrificiorum & consecrationum in templis magis quam ceteri studium habuit*. Hinc porro processerunt ipsius multi magnique errores, ex iisque pœnitentia Augustini, quod ipsum laudasset (*r*); adeo ut id sibi necessario putarit retractandum (*s*) his verbis: *Nec illud placet, quod Pythagoræ Philosopho tantum laudis dedi, ut qui hanc legit, vel audit, possit putare, me credidisse, nullos errores in Pythagorica esse doctrina; cum sint plures, iidemque capitales*. Præcipuus unus maximeque ridiculus, ideoque tantopere explosus a Luciano (*t*), est transmigratio animarum in alia corpora, etiam diversarum specierum, quam Græci Μετεμψύχωσιν & Μετενσωμάτωσιν, & Παλιγγενεσίαν appellant, quod ultimum *Regenerationem* sonat. Huc allidens Tertullianus (*u*), illam nominat *Recidivatum animæ*, eamdemque his verbis condemnat: *Si vera Samius Sophista Platoni auctor est de animarum recidivatu, volubili semper, ex alterna mortuorum atque vivorum suffectione; certe iste Pythagoras, etsi bonus cetera, tamen ut hanc sententiam adstrueret, non turpi modo, verumtamen temerario mendacio incubuit*. Quia vero longum nimis foret adducere loca omnia Sanctorum Patrum, exaggeratis terminis eam amentiam detestantium explodentiumve; placet suavius ex more jocantem Ovidium audire.

Omnia mutantur: nihil interit: errat, & illinc
Huc venit, hinc illinc; & quoslibet occupat artus
Spiritus; eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster; nec tempore deperit ullo.
Utque novis facilis signatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem;
Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eamdem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.

Pro ceteris ad alios me refero, ex quibus præcipue nominandi occurrunt, inter Græcos, Tatianus (*x*), S. Irenæus (*y*), Clemens Alexandrinus (*z*), Origenes (*α*), Chrysostomus (*β*), Cyrillus (*γ*), Theodoretus (*δ*); inter Latinos Tertullianus (*ι*), Lactantius Firmianus (*ε*), Ambrosius (*ζ*), Hieronymus (*η*), Augustinus (*θ*): quorum admonitu docti Carmelitæ nollent, credo, posthac inter suos numerare tantum Idololatram, ad comprobandum veri Dei cultum in Carmelo, Monte diabolici Jovis venerationi consecrato a cæca gentilitate.

(a) *Opuscul. Collect.*

(a) *1. Strom. pag.* 302. (b) *lib.* 1. *Epistolarum Ep.* 6. (c) *1. Stromat. pag.* 11. (d) *Therapenticon lib.* 1. *pag.* 7. & 11. (e) *in Vita Pythag. pag.* 1. (f) *in Observat. ad Porph. pag.* 95. (g) *lib.* 5. *de Histor. Gr. c.* 15. *pag.* 99. (h) *lib.* 8. *Sympos. qu.* 7. & 8. *pag.* 717. (i) *in Dial. cui titulus Auctio Vitarum pag.* 188. (k) *l.* 5. *Metamorph.* ℣. 60. (l) *lib.* 10. *de Præpar. Evang. cap.* 4. *pag.* 470. (m) *in Euterpe seu lib.* 2. *cap.* 36. & 104. (n) *lib.* 2. *Comm. in Ep. Pauli ad Rom.* (o) *apud Photium Cod.* 166. *pag.* 365. (p) *pag.* 8. (q) *in Busir. pag.* 227. (r) *lib.* 2. *de Ordine* (s) *lib.* 1. *retractat.* (t) *in Somnio seu Gallo per totum* (u) *lib. de resurrect. carnis c.* 1. 18. & 30. & *lib. de Anima cap.* 14. *vel* 48. (u) *lib.* 5. *Metamorph.* ℣. 165. (x) *Orat. adv. gentes* (y) *lib.* 1. *c.* 20. & 24. (z) *lib.* 4. *Strom.* (α) *contra Celsum l.* 1. (β) *Hom.* 1. *in Joan.* (γ) *lib.* 7. *contra Julian.* (δ) *In compend. fabul. hæret.* & *in Epit. Decret. divin.* (ι) *de Anima c.* 28. 31. & 32. & *in Apologet. cap.* 28. & *de Resurrect. carnis cap.* 1. (ε) *lib.* 3. *cap.* 18. & 19. & *lib.* 7. *cap.* 22. (ζ) *de bono mortis cap.* 10. (η) *adv. Rufinum* (θ) *lib.* 10. *de civ. Dei cap.* 30.

XVIII. *Quid apud Suetonium significent Sortes.*

UNica quæ dubium in Suetonio movere potest clausula, hæc est: ITA CONFIRMAVERE SORTES: quia visa est aliquibus, verosimiliter minus versatis in notitia antiquitatis, contradicere Tacito, oraculum datum dicenti, INSPECTIS IDENTIDEM EXTIS, ejus scilicet quod immolatum fuerat animalis; cum ipsorum judicio *Aruspicina* multum differat a *Sortilegio*. Itaque ad dispungendum hunc scrupulum, quo tam irrationabiliter prætendunt utrique scriptori fidem derogare suam, quoad circumstantias ab utroque signatas, quia putant diversas divinationis species eas esse, quæ de uno ab illis descripto casu simul nequeant verificari: ad hunc, inquam scrupulum removendum, diligentius excusienda est sententia Suetonii, ut appareat ei non contradicere Tacitum; primum comprobando quod præcipui Commentatores illius verba intellexerunt prout sonant. Agmen ducat Philippus Beroaldus (*a*) dicens, *In Carmelo monte a Carmelo Deo, Sortes datas esse, testis est Orosius, qui ait; Sortes Carmeli prætendisse, exortos a Judæa, rerum potituros*: ad quod videtur alludere Seldenus (*b*), quando agens de falsis diis, quibus Gentilitas eadem dedit quæ montibus erant nomina, ceteris Carmelum accenset his verbis (*c*); *Et Deus ille Sortium Carmelus, apud Suetonium in Vespasiano*. Similiter locutus Theodorus Marcilius (*d*), explicando originem oraculi, de quo sermo est, addit: *Hinc itaque introductum Carmeli Dei oraculum, & Sortes in monte Carmelo, de quibus Suetonius & Paulus Orosius*.

(a) *In Suet. pag.* 854. (b) *de Diis Syris Synt.* 1. *cap.* 5. *pag.* 163. (c) *in Sueton. pag.* 29.

§. XIX. *Locus quidam Orosii explicatur.*

DEclaraturus Paulus Orosius (*a*) causas, excidium Hierosolymitanum prægressas; *Judæi*,

dæi, inquit, *post Passionem Christi, destituti in totum gratia Dei, cum omnibus undique malis circumvenirentur, quibusdam in Carmelo monte seducti Sortibus, quæ portenderent, exortos a Judæa Duces rerum potituros fore, prædictumque ad se trahentes, in rebellionem exarserunt; extinctisque Romanis præsidiis, Legatum quoque, subsidium Syriæ ferentem, capta aquila & cæsis copiis fugaverunt*. Locum hunc integre transcribere volui, ut certius constaret Orosium alludere ad verba Suetonii, atque confundere cum alio diverso casu consultationem oraculi in Carmelo, & referre ad Judæos, quod erat intelligendum de Vespasiano. Dixerat autem antea Suetonius (*b*): *Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea patuit, prædictum, Judæi ad se trahentes, rebellarunt, cæso quoque præposito. Legatum insuper Syriæ Consularem, suppetias ferentem, rapta aquila, fugaverunt*. Hinc constat diversissimum hoc esse oraculum ab eo responso, quod postea accepit Vespasianus in Carmelo, quodque majori cum expressione ita enuntiat Cornelius Tacitus (*c*): *Pluribus persuasio inerat, antiquis litteris Sacerdotum contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur*. Hoc vero ut omnes cognoscant magis fuisse antiquum, & ut tale desceiptum in ecclesiasticis Sacerdotum Hebræorum libris, quos Josephus per abusum appellat sacros, ipsum audiamus. Exponit is motivas causas rebellionis Judaicæ (*d*), *&, quod maxime eos ad bellum extimaverat*, inquit, *responsum erat ambiguum, itidem in sacris litteris inventum; quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus, orbis habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt*. Sed, quod nihil tale haberetur in Canonicis libris, neque ad eos ulla ratione pertineret oraculum illud, satis clare significavit Hegesippus (*e*), referens ipsos Josephi terminos, eo quo intelligendi sunt sensu, hoc modo: *Inter quæ illud præcellentissimum, quod in litteris æque vetustis, quas sacras vocabant, manebat impressum; quod secundum illud tempus futurus esset vir, qui de regione eorum imperium assumeret in orbem terrarum. Quæ res eos in tantum furere posuit, ut sibi non solum libertatem, sed etiam regnum pollicerentur*. Atque hinc constat, quam diversum fuerit istud oraculum, ab eo quod Vespasianus in Carmelo accepit: & quoniam ea confudit Orosius, auctoritas ejus servire nequit ad certo intelligendum, quem investigamus Suetonii sensum.

(a) *Lib.* 7. *cap.* 9. (b) *Sueton. cap.* 4. (c) *lib.* 5. *annal. cap.* 15. (d) *lib.* 7. *de bello cap.* 14. (e) *de excid. Jeros. lib.* 5. *cap.* 44.

§. XX. *Sensus Oraculi, quod cum Carmelitico Orosius confudit.*

NOtitia ejus de quo loquimur Vaticinii, quamvis reducatur ad auctoritatem Josephi, ex quo ipsam sumpsisse poruerunt Tacitus & Suetonius, tamquam inter Orientales constanter ac publice receptam, fuit veluti certa a Christianis Scriptoribus assumpta, qui illud intellexerunt, non de Judæis (ut visum est Josepho) sed de Christo Domino nostro, nato in Judæa, & universi Rege. Hoc testatur & profert Eusebius Cæsareensis (*a*), post relata Josephi verba sic progrediens: *Verum Vespasianus non totum orbem terrarum, sed Romanum dumtaxat imperium obtinuit. Rectius ergo id referatur ad Christum, cui dictum est a Patre, Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; & per cujus Apostolos, circa idem tempus, in omnem terram exierat sonus, & ad fines orbis terrarum verba pervenerant*. Ab Eusebio rem eamdem sumpsit, qui sub nomine Hegesippi scripsit historiam belli Judaici & desolationem civitatis Jerusalem. Quamvis enim Trithemius (*b*), & Ludovicus Vives (*c*) crediderint ipsum eumdem esse, cujus meminerunt Eusebius (*d*), Hieronymus, (*e*), & Photius (*f*); constat tamen auctorem istius historiæ floruisse post tempora Constantini Magni, quandoquidem meminit (*g*) urbis Constantinopolitanæ. Idcirco ipsum librum S. Ambrosio adscribunt post alios Fridericus Gronovius (*h*) & Philippus Labbe (*i*). Indubitabile autem est, quin sit Josepho posterior, ut qui eum presse sequitur, sicut Durantius Casellius (*k*) observavit. Ille autem, (*l*) post recitatum de quo egimus oraculum, sic loquitur: *Id alii ad Vespasianum referendum putarunt; prudentiores, ad Dominum Jesum, qui de regione eorum* (nempe Judæa) *in terris secundum carnem genitus ex Maria, regnum suum per universa terrarum spatia diffudit*. Joannes Zonaras, qui historiam suam finit in anno MCXVIII. cum morte Alexii Comneni Imperatoris, cujus tempore florebat, notat, quod ejusdem oraculi mentionem faciat Appianus Alexandrinus: ipse vero Zonaras eamdem expositionem alibi (*m*) explicat, sic scribens: *Josephus enim, ut ipse narrat, cum in sacris litteris oraculum reperisset, fore ut quidam ex Judæa orbi terrarum imperaret; id oraculum ob Romanorum seditiones & Imperatorum frequentes mutationes ad Vespasianum retulit, eique vaticinatus est Imperium. Ejus oraculi meminit etiam Appianus historiæ Romanæ lib.* XXII. *Rectius autem ac verissime id oraculum de Servatore humani generis Domino Jesu Christo intelligitur. Neque enim toti terrarum orbi Vespasianus imperavit, sed Romanis provinciis dumtaxat, extra quas multæ aliæ regiones fuerunt: at Dominus toti orbi dominatus est, cui a Patre dictum, est, Pete a me* &c. Eadem habet, verbotenus fere describens Eusebium, licet eum non citet, Joannes Sarisberiensis (*n*), qui Episcopus Carnotensis in Francia obiit anno MCLXXVII. nam, ipso sub auctoritate Josephi relato, addit: *Idem Historiographus Vespasianum declarare suspicatur. Sed Vespasianus non aliis quam illis solis gentibus, quæ Romano Imperio videbantur subjectæ, dominatus est. Unde justius ad Christum hæc responsio, ad quem dixit Pater, Pete a me &c.* Ex quibus omnibus sequitur, verum oraculum, quod male intellectum Judæos decepit, non solum esse distinctum a superstitioso edito in Carmelo, quod Vespasianus consuluit, sed etiam antiquius; licet utrumque male confundat Orosius, sicut Theodorus Marcilius animadvertens (*o*); *Fallitur*, inquit, *Paulus Orosius, qui hunc ex Car-*

meli

meli montis Sortibus rumorem ortum putaris; ea re deceptus, quod de Vespasiani felicitate Sortes Carmeli montis prædixere. Sic autem demonstrata æquivocatione, ad quam impegit Orosius, recidunt omnia in auctoritatem Suetonii, a qua nobis fas non erit recedere, nisi Taciti verba aliam magis regularem expositionem exigant; quod pergimus indagare.

(a) *Lib. 3. Hist. eccl. c. 8.* (b) *de Script. eccl.* (c) *lib. de trad. discipl.* (d) *lib. 2. hist. eccl. cap. 22. & postea passim* (e) *in Catal. Script. c. 52.* (f) *in Biblioth. Cod. 232.* (g) *lib. 3. cap. 5.* (h) *in Monobiblo* (i) *Differt. Script. eccl. pag. 420.* (k) *lib. 1. var. lect. c. 15.* (l) *l. 5. c. 4. col. 47.* (m) *tom. 1. Annal. pag. 193.* (n) *lib. 2. de nugis curial. cap. 4.* (o) *in Sueton. pag. 19.*

XXI. *Suetonius in expressione oraculi vocabulo Sortium usus est.*

INter superstitiones varias quibus Gentilismum infatuavit dæmon, non minima fuit celebritas Sortium, per quas ambigua & fallacia responsa dabat, quemadmodum fatetur Cicero, de earumdem origine sic loquens (*a*). *Quid enim*, inquit, *Sors est? Idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras, quibus temeritas & casus, non ratio nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem.* Exponit deinde originem Sortium Prænestinarum in templo Fortunæ, de quibus Valerius Maximus (*b*) narrat, quod *Luctatius, qui primum Punicum bellum confecit, a Senatu prohibitus est, Sortes Fortunæ Prænestinæ adire: auspiciis enim patriis, non alienigenis, rempublicam administrari oportere, judicabant.* In eumdem sensum Propertius (*c*), Cynthiæ persuasurus ne Roma egrederetur,

Nam quid Prænestæ dubias, o Cynthia, Sortes;
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?

Earumdem Sortium meminit Suetonius (*d*) in Tiberio & Domitiano; rursumque in Tiberio (*e*) meminit Sortium Patavinarum in templo Geryonis, quas Imperator consuluit priusquam in Illyricum transiret; quarum a nemine alio invenitur facta memoria, sicut animadvertunt Beroaldus, Torrentius, Casaubonus in Suetonium. Usus autem hic sine dubio est ubique Sortium nomine, ad significandum responsum ab oraculo redditum: idemque facit loquens de templo Fortunæ in civitate Antii, cujus meminit hisce verbis Macrobius (*f*): *Videmus apud Antium promoveri simulacra Fortunarum ad danda responsa.* Falsa enim istius Deitatis responsa Suetonius appellavit *Sortes*, ut notat Levinus Torrentius (*g*): & adductis præcitatis Macrobii verbis, *Quæ responsa*, inquit, *Sortes Antiatinas vocat Suetonius in Cajo cap. 57.* Eodemque respicere Martialem censent Interpretes sui, cum (*h*) Domitiano adulans dicit;

Seu tua veridicæ discunt responsa Sorores:

Sic dictæ, quia tam Antii, quam Præneste duæ Fortunæ colebantur, quod & Statius (*i*) observavit. Cum igitur Suetonius dixit, quod Vespasianum *confirmavere Sortes*, nihil aliud intelligit, quam Dei Carmeli oraculum quod ille consuluerat. In eamdem significationem vox eadem reperitur apud alios quoque Scriptores: quos inter celeberrimum locum offert Valerius Maximus (*k*), agens de extrema capiendi Vejos desperatione apud Romanos; & narrans, quomodo, *ejus rei explorandæ gratia, legati ad Delphicum oraculum missi, retulerunt, præcipi Sortibus, ut aquam lacus ejus emissam per agros diffunderent:* ubi nullum est dubium, quin Sortium nomine intelligatur responsum oraculi; sicut nec dubitavit intelligere Livius (*l*) cum dixit: *Jam Romani, desperata ope humana, fata & deos spectabant; cum legati ab Delphis venerunt, Sortem oraculi afferentes, congruentem responso captivi Vatis.* Sicut & Tibullus (*m*), ex judicio Scaligeri intellexit eo nomine Sibyllinos libros, ita canens;

Quodque Albuna sacras Tiberis per flumina, Sortes
Portarit, sicco pertuleritque sinu.

Similiter & Euripides (*n*) usus est voce Græca Κλῆρος, ad significandum libros tabulasque, quibus auguria inscribebantur; apud quem Latine redditum sic loquitur Tiresias;

Sortesque mihi serva virginea manu,
Quas accepi scrutatus avium auguria,
Sacratis in Thacis, ubi vaticinari soleo.

Et Statius, cum ait (*o*):

Quod ni templa darent alias Tirynthia Sortes,
Et Prænestinæ poterant migrare Sorores.

Gevartius & Bernartius prætendunt ex hoc loco probare Prænestinas Sortes fuisse Tibur ad templum Herculis Tirynthii translatas, ubi Sibyllæ Tiburtinæ oraculum: quod licet rejiciat novissimus Statii commentator Emericus Crucejus, *per* SORTES tamen χρησμοὺς, inquit, & *vaticinia Albunæ, cum Subellico exponere non dubitem.* Nemo autem aptius dubium omne tollit, & Tacitum cum Suetonio conciliat, quam Tibullus (*p*) hisce versibus:

Tu procul eventura vides, tibi deditus augur
Scit bene quid fati conscia portet avis;
Tuque regis Sortes: per te præsentit Aruspex,
Lubrica signavit cum Deus exta notis.

Id ipsum scilicet indicans, quod apud Suetonium dicitur, *inspectis identidem extis*: quare Achilles Statius in Tibullum sine hæsitatione definit, quod *Sortes oracula* sunt. Ex quibus omnibus convincitur, Suetonium, explicantem sese per vocem *Sortes*, quodcumque & quomodocumque elicitum responsum significare volentem, nihil repugnare Tacito, magis specifice notantem exta. Hoc vero animadvertens Petrus Crescentius, (*q*) post relatam ex eodem Suetonio consultationem Vespasiani, factam Alexandriæ in templo Serapidis; *Ecce*, inquit, *ubique idola, superstitiones, falsa oracula quæ consulebat Vespasianus; etiam quando Suetonius nomine Sortium simpliciter oraculum intellexisset; sicuti Valerius Maximus, cum dixit quod oraculum petens Appius Romanus, Antistitem Delphicæ Cortinæ in intimam sacri specus partem coegit, unde certæ consulentibus petuntur Sortes*: & Silius Italicus;

Heu frustra reditum Sortes tibi sæpe locutus,
Mentitumque Jovem.

Quibus duobus locis hic uti volui, ne Crescentium sua frustrarer diligentia: quamquam Valerii testimonium tantam habeat energiam, quantam important verba immediate sequentia (*r*); *Igitur impulsu concepti numinis instincta virgo, horrendo sono vocis, Appio inter obscuras ambages fata cecinit.*

(a) *Lib. 2. de divinat. cap. 40.* (b) *lib. 1. cap. 3.* (c) *lib. 2. Eleg. 32.* (d) *cap. 63. & 15.* (e) *cap. 14.* (f) *lib. 3. Saturnal. cap. 23.* (g) *in Horat. lib. 1. ode 35.* (h) *lib. 5. Epige.* (i) *lib. 1. Silv.* (k) *lib. 1. cap. 6. num. 3.* (l) *lib. 1. c. 16.* (m) *lib. 2. El. 5.* (n) *in Phœnissis Act. 3.* (o) *lib. 5. Silv. in Tiburt.* [p] *ubi supra* [q] *Præsid. Rom. lib. 1. narrat. 4. num. 33.* [r] *lib. 1. cap. 6. num. 10.*

§. XXII. *Quis fuerit Basilides, qui pro Vespasiano victimam in Carmelo obtulit.*

Licet Suetonius non explicet nomen ministri, quo mediante Vespasianus in Carmelo confirmavit spes suas; ipsum tamen supplet Tacitus hisce verbis: *Basilides Sacerdos, inspectis identidem extis, Quidquid est, inquit, &c.* qua notitia prælucente, ipsum faciunt Carmelitæ, Presbyterum & Generalem sui Ordinis. Ita Franciscus Bonæ-spei, [*a*] allegans notam quamdam ad Vitam S. Telesphori [*b*]. *Agunt de Basilide, Vespasiani coætaneo, Presbytero & Ordinis hujus Rectore, seu Abbate Montis Carmeli, inter alios Didacus de Caria* [*c*], *& fuse Petrus Thomas de Sarraceniis* [*d*]; nihil scilicet ab isto suo conceptu dimoti, quod Tacitus [*e*] illum describit, ut Ægyptium & idolorum Sacerdotem. Hic de Vespasiano & Basilide sic loquitur: *Arceri templo cunctos jubet; atque ingressus intentusque numini, respexit pone tergum ex primoribus Ægyptiorum, nomine Basilidem, quem procul Alexandria plurium dierum itinere, & ægro corpore detineri, haud ignorabat.* Ut autem comprobet phantasticam eam apparitionem fuisse, mox addit: *Percunctatur Sacerdotes, num illo die Basilides in templum iniisset? percunctatur alios, num in urbe visus sit, denique missis equitibus explorat, illo temporis momento octaginta millibus passuum abfuisse.* Ex quibus verbis Philippus Beroaldus, Justus Lipsius, Theodorus Marcilius, & Isaacus Casaubonus duo inferunt. Primum, quod iste Sacerdos Basilides idem fuerit, qui sacrificium obtulit in Carmelo: alterum, quod per oscitantiam librariorum inducta in Suetonium vox *libertus*, in omnibus quæ hodie reperiuntur exemplaribus, cum idem eventus ita legitur: *Hic* [Vespasianus] *cum de firmitate Imperii capturus auspicium, ædes Serapidis summotis omnibus solus intrasset, ac propitiato multum Deo tandem se convertisset; verbenas, coronasque & panificia (ut istic assolet) Basilides libertus obtulisse est visus: quem neque admissum a quoquam, & jam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longeque abesse constabat.* In hujus explicationem sufficiet transcribere verba Levini Torrentii, eadem fere quoad substantiam, quibus alii præcitati utuntur; *Atqui Tacitus Basilidem hunc ex Primoribus Ægyptiorum, & quidem Sacerdotem fuisse narrat, Et alioqui, non nomine tantum, quod Regale est, sed in specie ipsa ac functione Sacerdotis, imperii omen est. Accedit quoque, quod Carmeli, sive Montis sive Dei, (de quo ante) Sacerdotem, Basilidem vocet; eumdem nimirum qui in Serapidis templo apparuit; siquidem tunc longe eum abfuisse narrat Suetonius; quibus adductus rationibus, dictionem* LIBERTUS, *a grammatico aliquo pari imperitia atque impudentia adscriptam, amovendum censeo.* Tertium quoque ex dictis intelligitur, quam scilicet alienus idem Basilides fuerit ab instituto Religionis Carmeliticæ, tum sua origine, tum professione Sacerdotii idololatrici in templo Serapidis; absque eo quod aliquid huc faciat titulus *Liberti*, contra Suetonii mentem perperam intrusus ejus textui (*f*).

(a) *Armam. Carm. parte 1. num. 796.*

(b) INTERP. *Zegeri Pauli, cujus in Vita & Notæ sunt, perperam allegata tamquam essent Bollandi, eo quod hic illas permiserit inseri principio sui operis, necdum satis cognitu auctoris levitate ad quidlibet in sui Ordinis favorem ista occasione consarcinandum, nobisque supponendum, nisi cautiores fuissemus exinde.*

(c) *Lib. 7. cap. 3. per totum* (d) *in Menolog. parte 1. fol. 77. usque ad 82.* (e) *lib. 4. Hist. cap. 82.*

(f) INTERP. *Equidem existimo non intrusam hanc vocem, sed corruptam a librariis unius litteræ mutatione, legique posse* liberius; *adeo ut admirationi fuerit Vespasiano, non solum quod istic appareret Basilides; sed etiam quod videretur* liberius *res eo spectantes* obtulisse ei, *quam dignitas Romani Ducis, per se agere istic omnia volentis, pati videbatur.* Ceterum quod ex Ægyptiorum Primoribus *dicatur fuisse Basilides, scio non multum movebit Carmelitas, suetos magis cruda digerere, & fabulas fabulis palliare. Quis enim prohibebit eos dicere, eos ibi Ægyptios intelligi, quos S. Marcus Essenos reperit, in Ægypto natos atque ex veteri instituto Monachos, fecitque Christianos, præficiens illis ex suis discipulis unum,* Enoch ab Amathim, *alio nomine dictum* Basilidem; *quem pro tudo quædam* Callatis *manuscripta, Crescentio visu excitius appellaverint* Amathiadem *a patria ad Jordanem sita, aliis* Amatha; *quam* Mathatiadem, *Machabeæ gentis in Modin protopatre. Sed gratis conficta, gratis etiam explodentur.*

§. XXIII. *Responsum Carmelitici oraculi confirmavit cetera superstitiosa præsagia, quæ Vespasianum stimulabant.*

Nullius Romani Principis tot supersunt superstitiosæ memoriæ, ante vel post Imperium, quam Vespasiani, toto animo intenti observationi auguriorum, & inspectioni extorum ex Aruspicum disciplina; nec non fortuitorum casuum considerationi & somniorum sortiumque consultationi; volvendo & conferendo inter se varia atque ambigua Sortium responsa, prout colligitur ex relatis a Suetonio, Tacito, Dione Cassio; ideoque merito scripsit Nicolaus Coeffeteau, quod *Vespasianus habebat animum superstitiosum, & facilem vinci per istiusmodi vanitates*, aliis super alias confirmantibus spem majoris semper majorisque fortunæ, ipsoque successu hanc probante; & accedente ad extremum oraculo, *Ut quidquid cogitaret volveretque animo, quamtumcumque magnum, id esse perventurum polliceretur.* Nec alio spectabant tot tamque operosæ consultationes, etiam in Carmelo; ubi Basilides ei dixit: *Quidquid est, Vespasiane, quod paras, seu domum extruere, seu prolatare agros, sive ampliare servitia; datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum.* Quod responsum solum servivit confirmandis prioribus, quas vel superstitiosa ejus levitas observarat, vel ambitio subornaverat; omnes autem cæcæ gentilitati tam proprias, quam alienas a quacumque vera religione. Proinde nulla potest

con-

concipi propositio magis absurda, & Christianis auribus peregrina, quam quæ affirmat, verum istud fuisse oraculum, elicitum a Sacerdote Christiano (quales illa supponit Vespasiani ætate fuisse in Carmelo) atque divinitus suggestum in favorem impii atque sacrilegi idololatræ, ad confirmandum tot imposturas, quot ipsum sibi pertinaciter obstrictum tenebat dæmon. Nec enim ex ulla parte considerari res illa potest, quin in oculos currant circumstantiæ superstitiosæ, ipsam profanam esse arguentes, sic ut merito mirandum sit, inventos Catholicos, qui tam notoriam absurditatem sustinerent; nisi excuset inadvertentia ejus, qui citra considerationem omnium præmissorum primus illam excogitavit & credidit.

§. XXIV. *Termini quibus responsum exprimitur vix possunt magis superstitiosi concipi.*

QUamvis non esset tam efficax hactenus deductum argumentum, quam est impossibile probari & confirmari a Deo fraudulentas dæmonum versutias; termini tamen ipsi, quibus rem actam exprimunt Suetonius Tacitusque, convincunt illicitam fuisse actionem. Ac primo supponit illa cruentum sacrificium; rem, in lege quidem naturæ atque in Mosaica carnalibus adhuc nimium hominibus permissam; in nova tamen lege Gratiæ, sub qua factam esse oportet, omnino vetitam; imo ex natura sua adeo absonam visam nonnullis, ut Pythagoras eam plane prohibuerit, & Porphyrius, æque gentilis sed multo posterior Philosophus (*a*) de ea sic scripserit. *Quod vero non diis, sed malis geniis cruentas adhibuerint victimas, intelligunt ii, qui in universo duas naturas agnoscunt, quod est valde confirmatum*: & ideo Constantinus Imperator ipsas absolute prohibens anno CCCXLI. lege ad Maldavium Vice-Præfecto Prætorii data (*b*), *Insaniam* merito appellavit; *Cesset superstitio, sacrificiorum aboleatur insania*. Quid autem insanum magis, quam quod id factum sit, ut factum dicit Tacitus, *inspectis identidem extis*. Superstitio hæc, quam Græci Ἡπατοσκοπίαν nominabant, & *abusus idololatricus*, sicut eam appellat Steuchius (*c*), & minutim describunt Seneca (*d*) atque Lucanus (*e*), frequentissima Romanis fuit, & varias sortiebatur denominationes, secundum varietatem signorum notatorum in extis animalium mactatorum, priusquam vitales spiritus omnino deficerent, dum Aruspex, sicut solita sibi energia verborum scribit Arnobius (*f*) contrectaret *ex residuo spiritu exhalantia adhuc corda, tremebundasque palpitantes in visceribus venas*; atque juxta Silium Italicum (*g*).

Fugientem animam properatis consulit extis.

sive ut Virgilius cecinit; (*h*).

------- pecudumque reclusis

Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.

Ea quæ ad nostrum intentum spectant, Latini nuncupabant *Exta regalia*; Festo (*i*) docente, quod *Regalia exta appellantur, quæ potentibus* (nec enim *petentibus* legendum puto) *insperatum honorem pollicentur*, qualis fuit quem isto medio ambiebat Vespasianus. Hæc quin fuerint per Legem scriptam ab initio prohibita, nemo dubitabit, qui recordabitur in Deuteronomio caveri; (k) *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam suam ducens per ignem; aut qui Ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria; nec sit Maleficus, nec Incantator, nec qui Pythones consulat nec Divinos, aut quærat a mortuis veritatem: omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter hujusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Hinc colligitur, quod si inter ceteras abominationes, propter quas Chananæos disperdidit, etiam fuit Aruspicina; impossibile sit, ut eam Deus approbaverit in gratiam Vespasiani. Ideo Theodosius Magnus, in celebri illa Constantinopoli promulgata lege, cujus meminit Baronius, (*l*) & in Codicem relata (*m*) severe vetuit, *Nequis mortalium faciendi sacrificii ita sumat audaciam, ut inspectione jecoris extorumque præsagio, vanæ spem promissionis accipiat; vel, quod deterius est, futura sub execrabili consultatione cognoscat.*

(a) *Lib. de Abstin. pag.* 219. *quæ auctoritas ut commodius atque ad mentem D. Marchionis aptius inducatur, priores duas lineas extendi in plures, cum ille simpliciter scripsisset*, sacrificium cruentum *esse* rem, a vera divinitate alienam, sicut inter gentiles agnovit Pythagoras. (b) *Cod. Theodos. lib.* 16. *tit.* 10. *de Pagan. sacrificiis l.* 2. (c) *de Sacrif. gentil. fol.* 118. (d) *in Oedipo* ℣. 305. (e) *lib.* 1. (f) *lib.* 7. (g) *lib.* 1. (h) *lib.* 4. ℣. 63. (i) *pag.* 204. (k) *cap.* 16. ℣. 9. (l) *an.* 585. *num.* 57. (m) *lib.* 16. *tit.* 10. *lib.* 9.

§. XXV. *Quam irregulare sit supponere verum oraculum in favorem Vespasiani editum.*

NIhilo minor inconvenientia est in qualitate personæ, cui prætenditur datum oraculi veri, liciti, ac certi responsum, ex tot adjunctis probatæ hactenus superstitiosæ; quam personam David præsignatam reliquit abominabili nomine *Apri de Silva*, cum ultimam populi ruinam sic prædixit (*a*): *Exterminavit eam aper de Silva, & singularis ferus depastus est illam*. P. Fr. Thomas de Malvenda (*b*) *per Aprum*, inquit, *Vespasianum, per singularem ferum Titum ejus filium Romanos Imperatores S. Augustinus, Cassiodorus, Strabo, Petrus Lombardus & alii intellexere*: & alibi (*c*) addit, quod fuerit *uterque typus Antichristi*. Potest ergo idem Vespasianus existimari apud Danielem (*d*) *Bestia quarta terribilis*, juxta sensum Hebræorum, de qua Cornelius a Lapide. *Hanc*, inquit, *bestiam volunt fuisse Aprum illum Psal.* 79. *quo prædici putant excidium Judææ per Romanos sub Vespasiano; ut ipse sit Aper, Silva autem sit Roma, quam ante conversionem ad Christum recte S. Leo* (*e*) *vocat silvam frementium bestiarum*. Alii ipsum volunt fuisse *Abominationem desolationis*, intentatam a Daniele Propheta (*f*), qua de prolixe differit Cornelius a Lapide, & cujus meminit Christus apud Matthæum, Marcum & Lucam (*g*). Quamvis enim Titus Hierosolymam destruxerit, id fecit tamen de mandato patris sui Vespasiani, qui in Sibyllinis versibus (*h*) nuncupatur *Cæsar piorum*. Cum enim ibi dictum esset, quod

------- tres Reges alterna cæde peribunt;

(scilicet Galba, Otto & Vitellius) additur:

Hinc veniet quidam magnus, cæsorque piorum,

Quem nota perspicue decies septena docebit;

signando nomen ejus ænigmatice per numerum, sicut signatur nomen Antichristi (*i*) in Apocalypsi. Quamquam autem Sibyllinos libros, non esse antiquos illos, quorum veteres meminerunt, sed suppositos post ea quæ narrant facta, teneat Casaubonus (*k*) cum ait: *Si tamen illa vaticinia sunt, & non magis, post exortos eos Imperatores, ut est verosimile, conscripta*; affirmant tamen & confirmant impietatem Vespasiani, quemadmodum observat Malvenda (*l*), & execrationem illius apud antiquos Christianos, quibus opus istud adscribitur, quandoquidem eum designarint nomine *Cæsaris piorum*, veluti alludentes ad textum S. Marci (*m*), *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet*. Hanc enim completam fuisse secundo anno Vespasiani notavit Eusebius Cæsarcensis (*n*) relatis Evangelistæ verbis subjungens: *Et hæc quidem anno secundo Principatus Vespasiani Augusti ad hunc modum gesta sunt, juxta Servatoris nostri vaticinium*. Atque ita eumdem locum etiam intelligunt S. Joannes Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, S. Thomas (*o*), S. Augustinus (*p*), Victor Antiochenus (*q*), Nicephorus Calixtus (*r*), & alii recentiores multi, inter quos videri potest Baronius (*s*); itaque scribit Malvenda (*t*) *Tribulationem hanc, seu pressuram, sive afflictionem magnam, illam intelligi a Domino, quam in excidio Hierosolymitano per Vespasianum & Titum Principes Judæi pertulerunt, non pauci existimant*. Talis ergo fuit Imperator, in cujus favorem Deus confirmasset spem adipiscendi Imperii, diabolicis fraudibus ingestam & nutritam. Atqui vel hoc solum posset rem incredibilem facere, independenter ab ipsa natura responsi, tot modis profani & illiciti, quod tam fidenter nituntur aliqui venditare pro religioso atque sancto; enim interim si animum reflectas ad personam ejus, qui ipsum dari curavit, vix aliud invenias vel inter ipsos Gentiles magis de superstitione notatum. Si porro ad argumentum consultationis respicias; invenies totum reduci ad ambitiosum desiderium dilatandi temporale dominium hominis Ecclesiæ inimici. Si deinde ad modum quo procuratum fuit attendas; intelliges præcise directum ad confirmationem tot profanorum auguriorum, somniorum scelestorum, divinationum falsarum, diabolicorum extispiciorum, quæ præcesserunt. Si inspicias locum in quo datum fuit oraculum; agnosces, illum quidem olim sanctum fuisse & religiosum; sed tunc profanum & sacrilego Jovis Carmeli cultu execrabilem. Denique ipsi termini, quibus illud conceptum legitur apud antiquos scriptores, qui ejus notitiam posteritati consignarunt, idololatricos omnes esse agnosces. Ex quo igitur capite desinet talis actio censeri illicita? Discutiat hoc apud se quantacumque passione abreptus quis: nam qui animo ad capiendam veritatem, undecumque ea steterit, magis indifferenti sunt, eos credo plene convincendos, expensis hypothesibus quibus nitimur: interim ad eos examinandas transeo, quibus contra nitentes stari volunt.

(a) *Psal.* 79. ℣. 13. (b) *lib.* 5. *de Antichr. cap.* 24. ( ) *lib.* 9. *cap.* 32. (d) *Cap.* 7. ℣. 7. (e) *Serm. de S. Petro*. (f) *Cap.* 9. ℣. 27. (g) *cap.* 24. ℣. 15. *Cap.* 13. ℣. 14. *Cap.* 21. ℣. 20. (h) *lib.* 5. *pag.* 302. (i) *Apocal.* 13. ℣. 17. (k) *in Exercit. sacris num.* 10. *pag.* 51. (l) *lib.* 9. *de Antichr. cap.* 25. (m) *cap.* 24. ℣. 21. (n) *lib.* 3. *Hist. eccl. cap.* 7. (o) *Comm. in eumdem locum* (p) *Ep.* 80. *ad Hesych.* (q) *in Marcum cap.* 13. ℣. 12. (r) *Niceph. Calixtus lib.* 3. *Hist. eccl. cap.* 8. (s) *an.* 73. (t) *ubi supra lib.* 9. *cap.* 6.

§. XXVI. *Hypotheses in quibus nonnulli nituntur fundare veritatem oraculi Carmelitani.*

EQuidem non ignoro, haud fuisse qui veritatem prætensam voluerint haberi certam minimeque suspectabilem de vitio pravæ religionis. Ast hoc fecerunt absque ulla hypothesi, cui cum aliqua verosimilitudine inniti possit opinio, tam contraria ei, quam ipsi illius scriptores ingerunt. Quia tamen intentum meum non est discutere omnia istæc litigiosa principia, quæ ponunt Carmelitæ ad stabiliendam suam ab Elia successionem, usque ad ea in quibus versamur tempora numquam interruptam (quo tota tendis illorum præsumptio) mihi in præsentiarum sufficiet, *vulgatæ, mendacio probabili, opinioni accommodare fidem*; juxta sententiam Aceiæ Valeriani Pythagoriei, relatam a Livio; & quæ nobis adversantur dissolvere mediis magis suavibus. Omisso igitur examine testimoniorum, quæ allegat P. Daniel a Virgine Maria, num. 356. solum dico, omnia esse Palæonydoro posteriora: & quod nemo eum sequatur, majori nixus fundamento, quam illius conjectura, ducta ex principiis tam incertis, & tam solido ratiocinio per alios eversis. Producam tamen verba Marcelli Donati, quia ipsis P. Daniel usus non est, licet multum ad rem ejus facerent. Iste igitur in suis supra Tacitum Scholiis perveniens ad locum quo de agimus, colligis quidquid in Scripturis legitur de Carmelo, atque mox addit: *Ex his mihi conjici posse videtur, Deum, quem Carmeli dicit Tacitus, fuisse Deum, qui sine fine vivit & regnat, cui Hebræi illo in monte sacrificium offerebant; cumque ibidem venerabantur, aram & reverentiam habentes, minime vero templum: hoc enim solum in Hierusalem, Innominatum vero: quia non erat illi particulare nomen, ut ceteris diis gentium: Basilidem autem Sacerdotem eum, de quo paulo post Tacitus, Hebræum fuisse conjicio: quia Suetonius ea de re verba faciens meminit Josephi cujusdam captivi Hebræi, Vespasiano ea felicia vaticinati, & ob id vinculis soluti*. Hactenus Donatus: cujus conjecturo quam longe absit a verisimilitudine ut appareat clarius, verba ejus in tres partes dividam.

§. XXVII. *Non erat Hebræis licitum extra Templum offerre sacrificia.*

JAm vidimus illicitum Hebræis fuisse erigere aras & altaria, quacumque in regione, etiam respectu veri Dei: nunc apparebit, quod ratio Deum movens ad id prohibendum fuerit ipsamet, ob quam prohibuit alterum extra Tabernaculum, cujus loco postea Templum successit; idque sub pœna non leviori quam mortis. Constat hoc ex libris Levitici (*a*), & Deuteronomii (*b*), in quorum postremo dicitur. *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus ut habitet nomen ejus*. Hoc autem præceptum non limitari ad Phase, sed comprehendere

quod

quodcumque aliud sacrificii genus concors est sententia Interpretum, tam Hebræorum quam Christianorum. Hinc Joannes Stephanus Menochius [c] *Licebat ergo*, inquit, *tantummodo sacrificia offerre in loco quem elegisset Deus, & in quo Tabernaculum suum, & Sanctuarium aut Templum esse voluisset*. Atque ad hujus definitionis comprobationem allegat Rabbinos in suis præceptis negativis, quorum in ordine centesimum octogesimum septimum sit: *Non esse mactanda vel sacrificanda sacra extra atrium*. In collectione Rabbi Levi Barcellonitæ, quam publicavit Joannes Henricus Hottingerus (*d*) eadem forma qua ipsa allegat Genebrardus (*e*), ipsemet Rabbi Levi præcepti istius hanc reddit rationem: *Quia Deus benedictus Israelitis certum assignavit locum, ut illic sacrificia sua offerrent, & corda sua ad ipsum disponerent. Et quia beneficio fixi loci, majestatis & reverentiæ, qua cor hominibus imbuitur, anima bona redditur, corda molliuntur, & humiliantur, ad recipiendum ibi regnum cæleste perfectum: interdixit propterea Deus benedictus nobis, ne sacrificiorum opus alibi faciamus, quam illo in loco, ut ita expiatio perfecta reddatur*. Quibus verbis evidenter dissolvitur hypothesis contraria, quæ præsumit, Hebræis licitum fuisse habere aras ad sacrificandum. Hanc vero prohibitionem non dissolvit id, quod præoccupando istam objectionem assumit Donatus de Saule, qui *primo libro Regum parta victoria de Amalec, veniens in Carmelum erexit sibi fornicem triumphalem, & obtulit holocaustum Domino, de initiis prædarum quas attulerunt ex Amalec*. Nam, præterquam quod Deus actum illum condemnavit, dicens Samueli (*f*); *Pœnitet quod constituerim Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit*; oblatio holocausti non fuit facta in Carmelo, sed in Galgalis; constatque apud omnes interpretes id quod ait Jacobus Bonfrerius (*g*), *extra hunc locum, omnino immolare nefas tunc fuisse absque Dei peculiari dispensatione*. Quid quod ea hypothesis etiam ex altero latere claudicet, quatenus prætenditur, post abolitionem veteris Legis licitum fuisse cruentum sacrificium: hoc enim nisi supponas, ruit tota Donati conjectura. Quamvis enim ejusmodi consuetudo initio sui fuisset licita; superstitiosa tamen & profana erat, quando in Palæstinam venit Vespasianus: neque justificare illam potest celebritas loci, vel exemplum Eliani sacrificii (*h*), oblati, sicut Abulensis notat, *ex dispensatione divina*. (*i*)

(a) *Cap.* 17. ℣. 3. (b) *Cap.* 12. ℣. 5. & 6. & *Cap.* 26. ℣. 5. (c) *lib.* 2. *de rep. Hebr. cap.* 7. (d) *pag.* 274. (e) *pag.* 89. & 90. *Cathalogi*. (f) *Reg. cap.* 15. ℣. 11. (g) *in caput* 17. *Deuteron.* ℣. 8. (h) 3. *Reg.* 18.

(i) INTERP. *Ejusmodi dispensatio manifestius etiam apparet in facto Samuelis, Davidem Regem uncturi, Reg.* 16. ℣. 2. *ibi enim expresse illi imperat Deus*, Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices *Bethleemitis, interrogaturis ad quid venires?* ad immolandum Domino veni: & vocabis Isai ad victimam. *Plura exempla colligere pronum est: potius hic observaverim a vastata Amalecitide redeunti Sauli in terram Juda, transeundum fuisse* Carmelum, *non illum Eliæ, quam longa est Terra sancta inde dissitum; sed Nabalis, unde porro itum in Galgala, in confiniis Judæ & Benjamin: adeo ut vehementer errent, qui primam Eliæ aram volunt Sauli adscribere*.

§. XXVIII. *Non deerat Carmelo Deo nomen; neque si defuisset, ideo probaretur esse Deus verus*.

ALterum hoc Donati assumptum æque est ruinosum, & prima sui parte refutatur ex Tacito, ad nomen Carmeli addente, *ita vocant Montem Deumque*. Non igitur censeri potest inter 'Αγνώστους, quos Latini *Ignotos Innominatosque* dixissent, & quorum cultui initium dedisse fertur Epimenides Cretensis, erecta ipsis Athenis Ara, cujus in Actis meminit Paulus. Athanasius Kircherus (*a*) Ludovicum Vives secutus (b), vult ipsas esse aras, quas Diogenes Laertius vocat *βωμὸς ἀνωνύμους*, *Aras Anonymas*, de quibus & Pausanias (*c*], post descriptam Athenis Aram Jovis Olympii; *Prope ipsam est*, inquit, *ignotorum Deorum altare*, Πρὸς αὐτῷ δέ ἐστιν ἀγνώστων θεῶν βωμός; Huc vero respiciens etiam Philostratus, [*d*], inducit Apollonium sic loquentem: *Præclarum est & modestiæ majoris indicium de diis bene loqui, Athenis præsertim, ubi etiam ignotis diis aræ sunt constitutæ*, quod annuit Hieronymus [*e*] dicens: *Inscriptio autem aræ non ita erat, ut Paulus asseruit, Ignoto Deo; sed ita*, Diis Asiæ & Europæ & Africæ, Diis ignotis & peregrinis. *Verum quia Paulus non pluribus Diis indigebat ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in Aræ titulo prænotassent; & recte eum scientes colere debere, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant*. Concludo igitur, quod ignoratio nominis, non abolet suspicionem superstitionis, quam vel inde infert Tertullianus [*f*] dicens. *Invenio plane ignotis Diis Aras prostitutas: sed Attica Idololatria est*: idque confirmatur ex Herodoto [*g*] cum ait, *Nulli Deorum nomen aut cognomen imponebant* [Pelasgi] *quippe quod nondum audissent*. Strabo quoque asserit [*h*] *Celtiberos & qui ad Septentrionem eorum sunt vicini, innominatum quemdam Deum, noctu in plenilunio ante portas, cum totis familiis choreas ducendo, totamque noctem festam agendo, venerari*. Tam igitur inconsultum est ex defectu nominis arguere veram divinitatem; quam est certum ex Suetonio Tacitoque, eum quem consuluit Vespasianus, nominatum fuisse *Carmelum*.

(a) *Syntagm. de orig. idololol. in Ægypto cap.* 2. (b) *Comm. ad Augustini* 7. *de civit. cap.* 17. (c) *lib.* 1. *Eliac. pag.* 314. (d) *lib.* 6. *cap.* 2. *de Vita Apollonii*. (e) *in Ep. ad Tit. fol.* 155. *col.* 2. (f) *contra Marcion. cap.* 9. (g] *Euterp. seu lib.* 2. *cap.* 52. [h] *lib.* 3. *pag.* 264.

§. XXIX. *Sacerdos Basilides erat natione Ægyptius, & nomen ejus Græcum*.

TErtius & ultimus hic scopulus est, in quem Donatus impegit, cum ait: *Basilidem autem Sacerdotem, eum de quo paulo post Tacitus, Hebræum fuisse conjicio, quia Suetonius ea de re verba faciens, meminit Josephi cujusdam captivi Hebræi, Vespasiano ea felicia nuntiantis, ob id vinculis soluti*. Verba Suetonii, ad quæ respicit Donatus, hæc sunt. *Et unus ex nobilibus captivis Josephus, cum conjiceretur in vincula, constantissime asseveravit, fore ut ab eo brevi solveretur*,

vetur, verùm jam Imperatore: Ubi neque de libertate tunc data loquitur, neque ea data est immediate post prænuntiationem istam, sicut innuere videtur Donatus: nam ipsemet Josephus (a) ait, quod, *hisce dictis Vespasianus statim quidem fidem non habere videbatur; eaque Josephum existimabat salutis gratia comminisci*. Certum est autem quod hic captivus mansit plusquam duobus annis: ceperant enim illum Romani mox ut Jotapata, quam Josephus strenue propugnaverat, obtenta fuit 1. Julii; imperante Nerone anno XIII. qui fuit Christi LXVII. & Josephus vinculis dumtaxat solutus est, postquam Vespasianus esset acclamatus Imperator, biennio post III. Julii anni nostri LXIX. Tunc siquidem *recordatus* Vespasianus (sicut ipsemet Josephus narrat) *signa alia (multa enim sibi contigerant Imperium præmonstrantia) & Josephi dicta, quibus eum Nerone vivo ausus fuerat appellare Imperatorem, admirabatur virum, qui adhuc habebatur in vinculis; advocatoque Muciano, cum amicis & rectoribus aliis, primum quam strenuus fuisset Josephus, quantumque in Jataputenis expugnandis propter eum laborasset, exponit; deinde vaticinationes ejus, quas ipse quidem timoris causa suspicaretur esse figmenta, tempus autem divinas fuisse, & rerum exitus probavisset. Tuncque, inhonestum esse ait, ut qui sibi augurasset Imperium, vocisque Dei minister ac nuntius extitisset, adhuc captivi loco haberetur, fortunamque sustineret adversam; vocatumque ad se Josephum solvi jubet*. Locum hunc, licet prolixum, descripsi integrum, ut clarius intelligatur, quam male formatas hypotheses sequatur Donatus, nihilo felicior in consecutionibus inde deductis. Nam ut Hebræum faciat Basilidem Sacerdotem, prætendit ipsum fuisse Josephum. Verum, sive unum ab altero pendeat, sive non; constat ex Tacito, Sacerdotem, de quo agitur, fuisse *e Primoribus Ægyptiorum nomine Basilidem*, & quidem Sacerdotem Serapidis, uti Interpretes conficiunt, ex immediate sequenti clausula; *Percunctatus Sacerdotes, num illo die Basilides in templum ivisset*. Tam notoriæ circumstantiæ etiam hoc contra Donatum accedit, quod Princeps *tunc divinam speciem ac vim ex nomine Basilidis interpretatus est*: sicut enim Vincentius Lupanus animadvertit: *Is mos erat veterum, ut quoties aliquid ex sententia proveniret, se omen accipere dicerent; ut hic Vespasianus ex nomine Basilidis, se futurum Imperatorem*: nam *Basilides* idem Græce est, quod Latine *Regalis*. Eapropter Beroaldus (b) *Nomen hoc omen regni & principatus fecit Vespasiano: Βασιλεὺς cum* Rex *significatur; unde* Basilidis *nomen pro omine Imperii Vespasianus accepit*. Quibus omnibus ex causis tandem concluditur, impossibile esse, ut minister responsi in Carmelo accepti fuerit Hebræus, repugnante nomine, quia Græcum est; & nativitate, cujus locus, Ægyptus & Metropolis Alexandria, ubi vulgaris erat linguæ Græcæ usus; ac denique professione, per quam erat Sacerdotio Serapidis adstrictus, & ut talis se obtulit Vespasiano, *multiplici omine* (ut notat Marcilius in Suetonium) *primum ipso Basilidis nomine, dein quia Sacerdos Dei Carmeli, cujus Sortibus confirmatum jam Vespasiano imperium: præterea quia divinitus offert*. Omnia autem per ministrum idololatram acta, excludunt apparentiam qualemcumque sanioris religionis.

(a) *Lib. 3. belli Jud. cap. 14. pag. 854.*
(b) *in Svet. lib. 8. cap. 7. Pag. 850.*

§. XXX. *Falsitas aut veritas oraculi in Carmelo, neque præjudicat, neque favet prætensioni Carmelitarum.*

QUemadmodum solent, qui multum desiderant aliquid confirmare, citra cunctationem admittere, tamquam res certas, quascumque ad probationem visas conducere; unde iis accidit implicare se multis ut vera sustinendis, quæ potius quam confirment, infirmant assumptum, dum illi existimant, præcipuum suum, quodque eos maxime angit, assumptum impugnari, quoties impugnatur una ex male assumptis probationibus. Et hinc contingit sæpe, fidem, quæ aliàs ei esset ut probabili danda, in periculum adduci propter infirmitatem probationis. Cum igitur scopus meus non fuerit examinare probabilitatem, quam habet Monachatus antiquus in Carmelo, jam inde ab Elia cœptus; satis habuero demonstrasse, quod in tali quæstione nihil præjudicet falsitas & superstitio oraculi Carmelitici, in superioribus manifestata; sicuti neque ejus veritas si subsisteret, firmaret, quod jam tum fuerit verus in Carmelo Monachatus. Quod autem oraculum revera diabolicum fuerit, ita summatim probatur. Ingressus est Palæstinam Vespasianus, de mandato Neronis anno Imperii ejus XII. qui respondet LXXII. Æræ Christianæ; quo tempore jam desierat licita esse religio Judaica, adeoque & cessabant vera ejus oracula: nam sicuti scribit Paulus Orosius (a) *Judæi post Passionem Christi* erant *destituti in totum Gratia Dei*: Christianis autem prohibita erant omnia genera sacrificiorum cruentorum, quale fuit istud, sub quo Basilides *inspectis identidem extis*, sicut specialiter notat Tacitus, suam Vespasiano felicitatem prædixit: quare nec potuit administrari per religiosos veros, neque ad Carmelitas Elianos, si qui fuerint, ejusmodi actio pertinere. Quod autem ejusdem oraculi supposita pietas, tum loci, tum ministri nihil facit ad hunc & illud Carmelitis adscribendum, videtur agnoscere præcitatus Donatus. Licet enim sine scrupulo Basilidem fecerit Sacerdotem Hebræum, non dubitavit tamen dicere, quod *Deiparam virginem de Monte Carmelo colunt Carmelitani Monachi, quorum primus institutor fuit Angelus, nobilibus Hierosolymitanis ortus parentibus, qui temporibus S. Francisci & Dominici floruit, illius, Seraphici Ordinis, hujus, Prædicatorum primi Institutoris* (b). Hoc autem dicendo, manifeste declarat, quod istud oraculum, licet verum fuisset, non credebat ad Ordinem talem pertinere. Prætensam autem Ordinis illius antiquitatem non infirmari demonstrata oraculi istius superstitiositate, manifestum reddit continuata notitia grandium civitatum, minorum locorum, solitariorumque recessuum in ipso Carmelo monte, & circum illum, in quibus eodem tempore servatæ fuerunt religiones diversæ, veræ ac falsæ; sic ut per existentiam unius; non possit comprobari exclusio alte-

rius

rius pro eodem tempore. Constat enim, quod tempore Philonis & Josephi, ad quod spectat successus, de quo controvertitur, & multo post usque ad Theodosium magnum, servabatur Judaismus, non solum Romæ trans Tiberim, ubi Judæos vivere permisit Augustus, sed etiam inter Parthos, Medos, Elamitas & Mesopotanios; in Cappadocia quoque, Ponto, Asia, Phrygia, Pamphilia, Arabia, Ægypto, Libya, Cyrenaica & Creta, ubi Gentilibus permixti degebant Judæi sub illorum dominatu, sicut asserit Philo (c). Similiter autem, post Evangelium a Christo promulgatum, vigebat toto in orbe plus minusve permissa lex Christiana, ab Apostolis prædicata; *in omnem* enim *terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, sicuti prophetaverat David (d), & Paulus explicuit (e); confirmata glorioso tot Martyrum sanguine, primo Christi seculo per omnes Romani Imperii provincias effuso, inter persecutiones inimicorum idololatrarum; quorum superstitio usque ad Theodosium Magnum sic perstitit, ut plerisque in locis tres simul religiones exercerentur; vera nostra, sed eum variis per tempora hæreseon erroribus conflictata jam inde a suo principio; Gentilica, eaque communior; atque Judaica. Adeo ut, sicut dixi, non possit ullum formari argumentum pro una earum, ut præ reliquis atque ad aliarum exclusionem exercita in aliquo peculiari loco. Hinc autem fit necessario consequens, ut possibile fuerit eodem in monte Carmelo a Gentilibus numen habere credito, fuisse Jovi dedicatam Aram pro iisdem Gentilibus, sub nomine ipsius montis, cujus oraculum ab illis frequentebatur & Vespasianus consuluerit; & nihilominus in ea spelunca, quæ hodiedum nomen Eliæ retinet, exstitisse ejus ibidem aliquos successores veri Dei cultores. Hæc conclusio, si, quam est certa pro parte prima, tam etiam certo probari posset pro secunda; ii quorum interest hanc sustinere, nihil egerent illo quem examinavimus successu, ad ipsam stabiliendam; quandoquidem is nullo ex capite præjudicare possit principali ipsorum intento. Etenim in locis, multo minus extensis, quam extendebatur Mons ille, necesse erat mixtim habitare diversarum religionum homines, idque per plures consequenter ætates; sicut hodiedum permixtæ manent vera ac falsa, in Europa, Asia, Africa atque America; absque eo quod notitia unius, una quavis in parte mundi existentis, impediat, quo minus istic vigere credatur etiam alia. Hic igitur concludemus Discursum præsentem, contenti demonstrasse quam universim recepta ubique inter eruditos opinio sit, quod Oraculum, a Vespasiano consultum, fuerit profanum & idololatricum, absque eo quod alia opinio possit erui ex Suetonio Tacitoque, a quibus unis antiquitus accepimus rei istius notitiam. Item quod horum sententiam secutus Fr. Hermenigildus a S. Paulo, non potest absque impostura & contumelia dici, *somniasse* primus *idolum Carmeli*, loquendo cum tam multis scriptoribus ipsum antegressis. Iterum autem iterumque protestor, quod in hoc tractatu nemini voluerim injuriam facere; aut opinioni meæ plus certitudinis arrogare, quam evincant probationes hactenus deductæ.

(a) *Lib. 7. cap. 2. pag. 529.*

(b) Interp. *Fuit* Marcellus Donatus, *origine Florentinus*, Ponzani Comes, ex Ord. Equestri S. Stephani, *vir pius & eruditus, sub initium hujus seculi defunctus, cujus* in Latinos Romanæ Historiæ scriptores Scholia *jam prælo subjici cœpta, vulganda dedit an. 1603. Venetiis, consanguineus ejus* Federicus Donatus: *quem fuisse Carmelitis ignotum, quo minus eo in rem suam uterentur, quam Casaubono Calvinistæ simplici in Collatium conjectura*, Carmeli *nomen pro* Cornelii *suggerente, quis credat? Sed qui mihi magno probro ducunt Tacito Suetonioque cum turba eruditorum credere, contra Palæonydorum suum ejusque sequaces, Donatum, quia in hac ultima clausula sibi non placet, supprimere malunt, quam istic ubi favet eo uti. Ego hallucinationes Donati non probo: sed ex his ipsis disco in rem meam, quam parum constans fides fuerit antiquitatis Carmeliticæ. Interim eadem incuria, qua duo oracula in unum conflavit Donatus, & Josephum confudit cum Basilide, etiam S. Angelum Martyrem, vulgo creditum Hierosolymis natum, confundit cum* S. Alberto, Patriarcha *quidem* Hierosolymitano, *sed in Lombardia nato, a variis autem credito Institutore Carmelitarum, quia primam eis Regulam scripsit, cum qua transierunt in Europam, paulo post mortem S. Angeli, obitum in Sicilia.*

(c) In Legat. ad Cajum. (d) *Ps.* 18. ℣. 5.

(e) *Ad Rom.* 10. ℣. 18.

I N T E R P R E S.

PRotestante, ut vidimus Excellentissimo scriptore, ego quoque protestor, nolle me ultra mentem auctoris hunc discursum extendi, sicut & protestatus jam pridem sum, quando eo uti cœpi, in Parergo I. ad Episcoporum Hierosolymitanorum historiam, rursumque in Responsione ad art. 15. num. 161. Hac vero illius discursus interpretatione nihil aliud intendi (præter refutationem erroris, mihi sæpius obtrusi pro solido Carmelitanæ antiquitatis documento) quam abolere notam ignorantiæ, Excellentissimo auctori impactæ ab hominibus, ignorantissimis rerum, quarum ipsi Judices esse prætendunt tam arroganter; ut etiam jus sibi esse velint ad sacrum Inquisitionis tribunal deferendi eos, quos sibi non inveniunt consentientes indignissime ferunt. Quin & perduellionis crimen incurrisse volunt, siquis Hispanus non cæco impetu arripiat figmenta quævis, ad gentis honorem facere eis visa. Aliam longe Marchionis mentem, verarum, aut saltim verosimilium patriæ laudum studiosissimam, ostendit Tractatus, quarto post præcedentem anno editus Cæsaraugustæ, 1682. sub hoc titulo. Prædicatio S. Jacobi in Hispania, confirmata contra scrupulos P. Christiani Lupi, & propugnata contra argumenta P. Natalis Alexandri. *Hic ille non utitur auctoritatibus pseudo-Chronicorum Higuerianorum, quas Dissertationum ecclesiasticarum Tomo integro feliciter expunxerat an. 1671. eadem opera vindicans antiquiorum Hispaniæ Tutelarium honorem contra figmenta novitia, discursu præambulo anni 1666. explosa: sed ostendit talibus nequaquam egere constantissimam Ecclesiarum Hispanicarum de ea Prædicatione traditionem. Et quia huic in dubium revocandæ occasionem dedit Relatio quædam Actorum in Concilio*

lio Lateranensi anno MCB. *inter Rudericum Toletanum & Bracarensem Archiepiscopos, super Primatu concurrentium, sumpta ex quodam Ecclesiæ Toletanæ manuscripto, & edita a Garcia Loaisa inter Concilia Hispaniæ pag.* 287. *tam solide probat illius Relationis, innumeris erroribus scatentis & undequaque chimaricæ* [1] *suppositionem, ut consummatissimam auctoris eruditionem probare vel eo solo possint etiam illi, quibus forte in aliis minus fuerit factum satis. Est ergo de patria optime meritus, funditus auferendo illo tam gravi offendiculo, subtractoque omni positivo argumento, quo aliàs probaretur, dubium istud non admodum recens esse inter eruditos; sed antiquum inter ipsomet Hispanos ab annis ad minimum quingentis. Utinam pulcherrima istæc opera Latinitate donata, ab ipsomet auctore vel ab alio, exteris quoque nationibus aliquando communia fiant, meliores de eruditione Hispanorum sensus inspiratura; quam movent ii, qui dum Gentis historiam commentis suis ornare se putant, ridiculam aliis reddunt simulque nationem suam. Excellentissimus Auctor, factus duplici titulo Grandis Hispaniæ, infra dignitatem suam esse putavit, lucubrationibus prædictis duabus apponere Censoris Ecclesiastici Regiique judicia, quæ si requisivisset, aut habita apponere voluisset, legeremus ea haud minus præclara, quam quæ sunt præfixa Dissertationibus ecclesiasticis. Ego hic finio, & volentibus cum ipso vel mecum disputare posthac, dico, quod S. Augustinus Gaudentio sub finem libri contra eum scripti:* Si respondere cogitas, noli causam relinquere, ac in supervacaneis evagari. Ea quæ dicta sunt intuere; ad ea que dicta sunt, non fallaciter eludendo, sed rationabiliter disceptando, responde,

[1] Etiam Cuperus tom. 6. julii part. 2. Comm. prævii de S. Jacobi prædicatione in Hispaniis §. XVI. Marchionem Mondexariensem pluribus laudat, & ad ostendendam illius relationis suppositionem ejus quoque argumentis utitur.

VERA

VERA ORIGO

ET CONTINUATA PHYSICE NEC UNQUAM INTERRUPTA

SUCCESSIO

SACRI ORDINIS CARMELITANI,

Historice demonstrata

PER DANIELEM PAPEBROCHIUM

Societatis Jesu Theologum.

QUatuor sunt, quæ impense desiderant PP. Carmelitæ, circa Institutionem sacri Ordinis sui. Primum, ipsum institutum esse a sanctissimo Propheta Elia. Alterum, institutum esse in monte Carmelo. Tertium, institutum esse a prædicto Propheta, adhuc inter mortales versante, seculo ante Christi nativitatem nono, vel decimo; eo modo, quo seculo, post Christum decimo tertio, a SS. Dominico & Francisco inter mortales adhuc versantibus, instituti fuerunt Ordines Prædicatorum & Minorum. Quartum, ab illa ante Christum institutione, Ordinem ad hæc usque tempora per annos omnino bis mille & septingentos, continuatam physice, nec unquam interruptam reipsa Successionem habere.

Prima duo, quod institutus sit Ordo ab Elia, & institutus sit in monte Carmelo; nescio, an ullus Historicorum, qui antiquissimæ ante Christum Institutioni refragrati sunt plurimi, admiserit. Admittunt utrumque, & solide probant Hagiographi, qui Acta Sanctorum illustrant; eatenus profecto bene meriti de Ordine Carmelitano, qui nihil potius habet quam illa duo.

Tertium, de Institutione Ordinis ante Christum; & Quartum, de Successione ejus, inde continuata physice, & numquam interrupta; candide fatentur iidem Hagiographi, se conciliare cum veritate historica non posse; admissuri tamen etiam Successionem physice continuatam, & numquam interruptam a vera institutione, si illi, quemadmodum verum Auctorem, S. Eliam; & verum locum, montem Carmelum; ita etiam verum tempus, seculum Christi duodecimum liceat assignare.

Licere id sibi putavit Annalistarum Princeps Baronius, ad annum 1181., quem Historici extra Ordinem Carmelitanum passim nunc sequuntur, docentes, Sacrum Ordinem illum institutum quidem esse a Propheta Elia, & in monte Carmelo; sed seculo Christi duodecimo, per Revelationem, qua jussit, illic Ordini principium dari; unde & ipse Elias merito appelletur Carmelitarum Pater, Dux, Auctor, Institutor, & Fundator: quemadmodum Sanctissima Virgo Maria, per similem Revelationem, postea instituit sacros Ordines duos, Servorum & de Mercede; & eorumque propterea, etiam in Officiis Ecclesiasticis, appellatur Mater, Dux, Auctor, Institutrix, & Fundatrix.

Quod autem Ordo Carmelitanus seculo Christi duodecimo institutus sit, historice demonstrari potest. Primo ex Itinerario, quod inter omnia ejus ætatis ac generis elegantissimum scripsit *Joannes, Sacerdos pientissimi Phocæ, filius Matthæi Monachi in Patmo insula se exercentis: qui* (Joannes) *vidit loca Sancta, anno* 1185. secundum Græcos; secundum Latinos, 1193. quod Itinerarium Leo Allatius ex Græco Latinum fecit, laudavit, & græco-latine imprimendum curavit. Joannes ergo iste seculo Christi duodecimo exeunte, etiam in montem Carmelum peregrinatus, accurate si quis alius, describit, quæ illic auribus suis audivit, & oculis suis vidit; nempe inventum a se in Carmelo fuisse *hominem* (S. Bertholdum vocant, & primum Priorem suum Generalem fatentur esse PP. Carmelitæ) *professione Monachum, dignitate Sacerdotem, capillitio canum, e Calabria oriundum; qui sanctum Montem illum ante aliquot annos ex Revelatione Prophetæ adierat, & excitato humili vallo ac turri, erectaque ædicula, & collectis quasi decem Fratribus, etiam tunc ibi habitabat.*

Demonstratur secundo ex S. Alberto, Legato Apostolico, Patriarcha Hierosolymitano, & Legislatore Ordinis Carmelitani, qui sub annum Christi 1206. in Palæstinam venit, & Accone obiit anno 1214. aliquo autem intercurrentium annorum, puta 1210. plus minusve, Fratrum numero jam auctiori Regulam dedit, inscribens illam, *Dilectis in Christo Filiis, Brocardo* (faciunt hunc Secundum Priorem suum Carmelitæ) *& ceteris Eremitis, qui sub ejus obedientia juxta fontem in monte Carmeli morantur*. Hæc cum tota Regula videre est Tomo 1. Bullarii in Constit. 8. Honorii Tertii, qui Regulam primus approbavit, & Carmelitarum mentionem primus, quod scitur, fecit, ex omnibus Pontificibus Romanis; idque sub appellatione *Fratrum juxta fontem in Monte Carmeli*; juxta quem scilicet fontem congregari cœperant, & per quam appellationem distinguebantur ab aliis Eremitis, qui sub illud tem-

tempus venerant ex Europa plures, variisque in locis babitabant.

Demonstratur tertio ex ipsa Constitutione Honorii Papæ Tertii jam citata; qua Pontifex Regulam prædictam approbans, *Reate tertio Kalendas Februarii; Anno Pontificatus sui decimo, Christi* 1226. *scribit*; *Dilectis filiis, Priori, & Fratribus Eremitis de Monte Carmelo*. Ubi nota dici, *de Monte*, non autem, *in Monte Carmelo juxta fontem*, quomodo Albertus sedecim circiter ab inde annis scripserat: sic ut colligere liceat, congregationem illam *juxta Fontem in Monte*, post acceptam Regulam extra Montem se effudisse, aut alia extra illum posita Eremitoria, sub eadem Regula, sibi aggregasse. Celebrato autem interea Romæ anno 1215. Concilio Lateranensi, quod *firmiter prohibuerat, ne quis de cetera novam Religionem inveniret*; aut Domum, seu Congregationem Religiosam *fundaret de novo, nisi Regulam & Institutionem acciperet de approbatis* a Romano Pontifice, qualis non erat Carmelitarum Regula, paulo ante Concilium data; hinc illam sibi petunt approbari; nullam antiquioris Regulæ, aut Instituti, aut Fundationis ante Christum, aut Confirmationis Pontificiæ, mentionem facientes: quod utique facturi fuissent, ad obtinendam facilius approbationem prætensam, si quid illorum ante habuissent. Rescriptum Pontificis ad Carmelitarum petitionem (quæ, qualis fuerit, ex illo manifeste colligitur) sic habet: *Ut vivendi normam regulariter, a bonæ mem. Hierosolymitano Patriarcha Alberto editam, quam ante Generale Concilium vos dicitis humiliter suscepisse, imposterum vos, & successores vestri, quantum cum Dei adjutorio poteritis, observetis, in remissionem vobis injungimus peccatorum*.

Demonstratur quarto ex Jacobo de Vitriaco, S. R. E. Cardinali & Episcopo Tusculano, qui etiam ipse in Terra-Sancta & in Monte Carmelo præsens adfuit circa hæc tempora, scribens pariter quæ audivit, ac vidit. Is cap. 53. Hist. Orientalis laudat Eremitas *in monte Carmelo juxta fontem* (Carmelitas nempe, alio nomine nondum cognitos, & illo ab aliis Eremitis distinctos) quod, *ad exemplum sancti viri & solitarii Eliæ Prophetæ, vitam solitariam agebant in alvearibus modicarum cellularum; & tamquam apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificabant*. Quæ verba collectionem quamdam Eremitarum, non valde amplam indicant; ac manifeste docent, illos Eliam, inter homines versantem, non aliter respexisse, quam ut *Exemplum vitæ solitariæ*, in illo eodem loco, ubi ipse olim solitarius vixerat. Qui locus propterea, imo Mons totus, non incongrue vocari potest *Hereditas Eliæ*; eo magis, quod Elias per revelationem, de qua supra, jubens Sanctum Bertholdum locum illum adire, incolere, & Socios ibidem congregare, ipsum in ejus possessionem quodammodo induxerit, *hereditaria successione* (ut loquuntur recentiores Pontificum Bullæ) tenendam a posteris: non quod ipse Bertholdus talem successionem physice continuatam illic invenerit; sed quod illam in posteros physice continuandam ab Elia acceperit; locumque, habitatione ejus nobilem, veluti hereditatem ejus incoluerit; atque ad exemplum ejusdem, uti & Elisei & Enoch, solitarie vixerit, segregatus a turbis, ac rerum cælestium contemplationi deditus.

Demonstratur quinto ex *Successione hereditaria*, quam Bullæ Pontificum posteriorum ab anno 1476. Carmelitis tribuunt; quæ successio hereditaria si, prout Carmelitæ interpretantur, prædicant, docent, ac scribunt, est continuata physice, *nec umquam interrupta* ab Elia usque modo, altius repeti omnino non potest, quam ab Elia, ut instituente Ordinem per S. Bertholdum seculo Christi 12. sive (ut scribentem vidimus Joannem Phocæ) *aliquot annis* ante annum Christi 1193. Nam ab illo tantum tempore reperitur notitia Ordinis Carmelitani, & hinc primum incipiunt argumenta, quibus institutio ejus tunc facta esse demonstrari potest, ut mox videbitur. Videbitur etiam sub finem, quid successio hereditaria in Bullis Pontificum sibi velit. Interim Propositio præmissa

Demonstratur sexto ex Constitutione Gregorii Papæ IX. *data Perusii VIII. Idus Aprilis, anno III. Pontificatus*, Christi 1230. & inscripta *Dilectis filiis, Priori & Fratribus Eremi Montis Carmeli*. In illa, postquam prohibuit Pontifex, *ne in proprietatem de cetero Eremi suæ, loca, vel possessiones, seu domos, aut reditus alios reciperent ullo modo, aut præsumerent habere*, præter ibi explicata, sic subjungit, Regulam ab Honorio III. approbatam confirmans: *Ad hæc etiam Regulam, approbatam a bonæ Memoriæ Honorio Papa prædecessore nostro, & ab eo vobis traditam, in remissionem peccatorum observandam, auctoritate Apostolica confirmamus, & in eodem loco perpetuis temporibus præcipimus observari*. Hæc prima confirmatio est Regulæ, nuper primum approbatæ ab Honorio Papa, & viginti circiter ante annos primum datæ ab Alberto Patriarcha: nec aliam norunt Regulam aut Pontifices isti, illam approbans alter, alter confirmans; aut Carmelitæ, tam approbari ipsam, quam confirmari petentes. Ostendit etiam Gregorius, Regulam *solis Fratribus in Eremo Montis Carmeli*, non extra illam habitantibus, datam, & ad illos solos hanc Constitutionem directam esse, non ad alios alibi extra Montem nondum notos sub tali Regula; quam ideo etiam præcipit *in eodem loco perpetuis temporibus observandam*.

Idem Pontifex Gregorius triennio post eosdem Fratres, laudabiliter Deo servientes, & propterea fortassis aliorum invidiam expertos, novo beneficio cumulans; *Personas vestras*, inquit, & *locum* (non vero loca) *in quo divino mancipati estis obsequio, sub beatorum Petri & Pauli, & nostra protectione suscipimus, & hujus ipsius scripti patrocinio communimus*.

Post annos quindecim, Eremitis, propter Barbarorum incursiones, ex monte Carmelo, & Palæstina jam egressis, & in Cyprum, Siciliam, atque Angliam insulas præcipue transvectis, Innocentius IV. anno 1248. Regulam Albertinam, petentibus ipsis, *correxit, declaravit, ac mitigavit*: nempe quæ Eremitis non multis, uno in loco cohabitantibus, data primitus fuerat Regula, multiplicatis jam Fratribus, & ex uno Monte in plures Provincias dispersis, ab Eremitica etiam vita ad Cœnobiticam, a contemplativa juxta exemplum Eliæ, Elisei, & Enoch, ad activam, juxta

exem-

eaemplum Franeifcanorum & Dominicanorum tranfgreffis, neceffario mutari debuit in multis. Atque ea his primis (priores enim nullæ inveniuntur) Pontificum Bullis, intras annos non admodum multos Ordini Carmelitarum benigne conceffis, ejufque teneritudinem & incrementa aliqua indicantibus feculo 13. facile ftatui poteft, initia ejus ante feculum 12. quærenda non effe.

Eadem Inftitutio, & inde continuata phyfice, nec umquam interrupta Succeffio demonftrari feptimo poteft ex aliis fubfequentium Pontificum Bullis; 8. ex tranfmigratione generali Ordinis in Europam: 9. ex gloriofo titulo *Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo*: 10. ex Fundationibus Conventuum: 11. ex divifionibus Provinciarum: 12. ex tabulis Civitatum publicis: 13. ea Capitulis generalibus: 14. ex feria & fucceffione Priorum generalium: 15. ex Indulgentiis Ordini conceffis: 16. ea Subditorum ejus præclaris in Ecclefia geftis: 17. ex libris Hiftoricorum, etiam Carmelitarum, de prædictis per fingula fecula fcribentium: 18. ea confenfu, de inftitutione Ordinis feculo 12. omnium fere Eruditorum nunc exiftentium communi, Carmelitis plerifque hic exceptis.

Quam folide hinc probatur, Ordinem Carmelitarum continuatam phyfice, & numquam interruptam fucceffionem tenere a feculo 12. atque adeo feculo illo extitiffe: tam folide pariter probatur, eumdem Ordinem illo feculo primum cœpiffe; ex eo, quod prædictorum omnium ante feculum iftud duodecimum, nullum certæ fidei, nullum idoneæ probationis argumentum allatum fit hactenus, aut afferatur.

Nullus quippe antea invenitur Ordinis illius Religiofus Scriptor, nullus Legislator, nulla Confirmatio, nulla Pontificis alicujus, aut Patriarchæ, aut Epifcopi; nulla feries Generalium, aut Provincialium, aut Priorum; nulla Capitula; nullæ divifiones Provinciarum; nullæ Fundationes Conventuum; nullæ Tabulæ Civitatum publicæ aut privatæ; nullæ Indulgentiæ; nulla præclare gefta; nulli denique veri nominis Carmelitæ Religiofi: uti ex Refponfione ad Exhibitionem errorum Articulo XVI. toto, & alibi, patet.

Nam quæ paffim circumferuntur a PP. Carmelitis, aut extitiffe gratis dicuntur, veluti ante feculum 12. fcripta, fub nominibus Joannis 44. Patriarchæ Hierofolymitani de inftitutione Monachorum, & Jofephi Antiocheni de militia primitivæ Ecclefiæ: item Bulla Leonis IV. aut potius compendium ejus, veluti feculo nono datæ; & tamen Indulgentias tunc concedentes fub illis formulis, quæ tribus aut quatuor poft feculis primum adhiberi a Pontificibus cœperunt: Epiftola quoque Cyrillo Conftantinopolitano, tertio Ordinis Generali Priori, attributa: uti & Vita S. Angeli, veluti ab individuo itinerum ejus comite defcripta; & fi quæ funt alia ejufmodi, ut Apocrypha, & fuppofititia rejiciuntur ab Hiftorico-criticis, exemplo Baronii, Bellarmini, Brafichellenfis, Raynaudi, Labbei, Oudini, verfatiffimorum in difcernendis ejufmodi fucatis mercibus, a puris atque finceris: & admittenda non effe oftenditur in Refponfione ad Exhibitionem Art. 2. Num. 184. & art. 8. numero locifque ibi citatis.

Demonftratur itaque validiffima, quod Ordo ille prius non extiterit, quam feculo Chrifti duodecimo ex perpetuo filentio Auctorum omnium, qui a raptu Eliæ aut Enochi, ufque ad feculum illud, vere extiterunt, & vere fcripferunt aliquid. Nemo quippe unus illorum meminit de Religione Carmelitarum; id quod fine fumma ingratitudine in Matrem fuam Religionem prædictam prætermittere non potuerint faltem illi, Doctrina, Religione, & Sanctitate confpicui viri, quos Carmelitæ paffim in Annalibus Lezanæ, & alibi fuis annumerant, Chryfoftomi, Bafilii, Nazianzeni, & innumerabiles alii, fi vera eft opinio Carmelitarum, & narrationes Lezanæ.

Neque enim ex eo, quod in fcriptis fuis Doctores ifti meminerint Montis Carmeli, aut alios fuiffe referant; ipfi aut ab ipfis fic relati, continuo fiunt Carmelitæ Religiofi, magis quam fiunt Religiofi Olivetani, qui Montem Oliveti defcripferint, luftraverint, aut incoluerint aliquando.

Neque etiam ex eo, quod Ecclefia permittat Sanctos illos Doctores, aliofque plures, in Ordine Carmelitano, coli Officiis Ecclefiafticis, continuo cenfendi funt Carmelitæ Religiofi fuiffe; magis quam Carmelita Religiofus fuerit S. Cardinalis Carolus Borromæus, quem pariter Ecclefia permittit fimili Officio folenniffime coli in eodem Ordine.

Neque vero ex eo, quod Carmelitæ in Bullis recentiorum Pontificum dicantur *Eliæ Prophetæ fucceffionem hereditariam*, aut, *fucceffione hereditatem tenere*, vere inftituti fuerunt ab Elia ante Chriftum; magis, quam ab Enoch ante Diluvium. Utrobique enim eft eadem ratio, & idem loquendi modus Bullarum, fimpliciter dicentium Carmelitas, *Prophetarum Eliæ, Elifei, & Enoch hereditariam fucceffionem tenere*.

Neque porro ex eo, quod pofteriorum temporum fcriptores Carmelitæ, aut ipforum exemplo alii, antiquorum temporum Sanctos, fine antiquo tefte, afferant fuiffe Religiofos Carmelitas, magis ipfos faciant vere tales, quam eofdem facturus fit Religiofos Crucigeros Ordo Crucigerorum, ex eo quod afferant fcriptores ejus, aut alii fine tefte antiquo, Sanctos veteres quos colit, Crucigeros fuiffe. Conftat enim Ordinem Crucigerorum, eodem quo Carmelitarum, feculo duodecimo in Terra-Sancta, dominantibus ibi Latinis, principium fuum habuiffe; licet ipfi quoque nimia cupidine antiquitatis flagrantes, illud referre ad Sanctum Cletum, Petri Apoftoli Difcipulum, & in Pontificatu Romano fucceflorem, variis modis conati fint.

Verum quid de Traditione Carmelitana? Illa, illa præcipue eft, quæ antiqua aliorum gefta facit fua; & Eliam, fuum facit, in veteri lege, Inftitutorem: cum ipfa tamen Traditio illa minime fit antiqua, vix trium aut quatuor feculorum, ex feptem & viginti poft Eliam lapfis, ætatem habens: cum fit domeftica tantum, extra Ordinem non recepta, nec facile recipienda; cum nulla, nifi recentium Scriptorum fuffulciatur auctoritate, &, quod caput eft, plurima tradat incredibilia. Pugnat quippe fæpius cum certis antiquorum monumentis; facit Sanctos, qui tales non funt, quippe ne monftrari quidem poffunt fuiffe in rerum natura;

docet Eliam baptizatum ab Enocho fuisse in Paradiso; & ibidem a Christo Domino fuisse ordinatum Sacerdotem novæ Legis; transformat Basilidem, Vespasiani Imperatoris Aruspicem, de quo Tacitus ac Svetonius, in Sacerdotem veri Dei, Religiosum Carmelitam, & Sanctum; admittit Pythagoram, notum inter Gentiles Philosophum, in numerum suorum Religiosorum. Neque hæc nuda Traditio est, sed suffulta recentiorum scriptorum auctoritate, Palæonydori, Bostii, WaStelii, Thesium Biterrensium, atque ipsorum Lezanæ Annalium, & Kalendariorum sacrorum.

His positis pro vera Institutione Ordinis Carmelitani seculo post Christum duodecimo, contra prætensam antiquiorem, suaderi potest, sententiam eamdem etiam a PP. Carmelitis amplectendam esse.

Primo, quia sic obtinebunt per se, sine discrimine famæ alienæ, quod in nupero Memoriali suo a sua Sanctitate per Præceptum silendi omnibus imponendum, petierunt; videlicet otium majus applicandi se studiis utilioribus, quam sit defensio antiquitatis, justo altius repetitæ. Omnes quippe Historici tunc gratulabuntur Carmelitis solidum Originis sui principium; sepositis utrimque calamis, & disputationibus abruptis.

2 Illa sententia liberabit Ordinem turpi ignorantiæ nota, qua nunc contemptum ac vituperium incurrit apud Historiæ Ecclesiasticæ intelligentes.

3 Illa ostendet, Ordinem quamdiu in mundo fuit, ab initio Institutionis suæ, digna se opera, ad perfectionem propriam, ad salutem proximorum, ad defensionem Ecclesiæ, ad gloriam Dei, operatum perpetuo esse. Atqui hæc sunt, proprie loquendo, vita Religiosa, quæ, æque ac Fides nostra, sine operibus mortua est: nec laudari quis potest a vita longæva, qui diu ita vixit, ut nesciatur vixisse. Non enim laudantur in Christianis, multo minus in Religiosis, anni conversionis, sed operationis.

4 Illa sententia eripiet Hæreticis arma, quibus per latus Carmelitarum identidem impugnant Ecclesiam Catholicam; ejusque Traditiones, & sacras Historias deridere noscuntur. Quasi vero Ecclesia Romana nimiam Antiquitatem Carmelitarum sibi vendicandam sumeret; aut Traditiones qualescumque unius Ordinis Religiosi, cum Traditionibus Ecclesiæ universalis comparari merito possint.

At, inquiunt, Summi Pontifices antiquitatem illam, & hereditariam successionem, atque adeo Traditiones Carmelitarum suis Bullis, ut ipsi, Catholici Religiosi, docent, approbarunt, confirmaruntque. Verum alii, æque Catholici ac Religiosi, & quidem longe maxima pars, efficacius docent, & luce clarius demonstrant, Bullas Pontificum veras, imo & supposititias, nullam Carmelitis antiquitatem seculo Christi duodecimo altiorem; nullam illo seculo successionem, ex parte ante hereditariam, sed tantummodo hereditariam ex parte post concedere aut confirmare.

5 Illa sententia, modo non minori cum decore Ordinis Carmelitani, quam Ecclesiæ Catholicæ sic illustrata, posthac ut verosimilior tenenatur, timendum non erit, quod alias timendum suggessit Ill. D. Archiep. Sebasteanus, per suas ad Pontificem datas 19. Dec. 1695. timendum, inquam, non erit, *ne heterodoxi, quos eo in puncto probatus eandem & eruditis Orthodoxorum meliora & propiora saluti cogebat sentire, novo fastidio Catholicam Religionem aversentur, longiusque animos ab ea avertant*; sicut facerent sententia illa rejecta.

ELUCIDATIO SUCCESSIONIS HEREDITARIÆ.

Quæ ab anno 1476. in aliquot Bullis Pontif. cum asseritur Patribus Carmelitis.

Huc reducuntur Bullæ omnes, quod dicant, Carmelitas *Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisei & Enoch; nec non aliorum Sanctorum Patrum, qui montem Sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hereditariam tenere.*

Pro hujus autem textus elucidatione noto sequentia. I. *Succedere* est, in locum alterius venire, aut venire post alium: quemadmodum *Antecedere* est, ante alium venire: neutro tempus notante, quanto ante vel post veniatur. Hine *Successor* est, qui venit in locum alterius, vel post alium: & *Successio*, actio ipsa succedendi, seu veniendi in locum alterius, aut post alium.

II. *Successio* ut sic præscindit a præterito & futuro; potestque sumi tam passive, ut afficiat eum qui succedit; quam active, ut afficiat illum cui succeditur. E. G. in Bullis memoratis *Successio Prophetarum Eliæ, Elisei & Enoch*, quam tenere dicuntur Carmelitæ, est passiva Prophetarum, quibus succeditur. Est autem eadem successio etiam Carmelitarum, sed activa, quia per illam Carmelitæ succedunt Prophetis istis. Potest autem eamdem quoque personam afficere utraque successio. E. G. Successio Joannis Baptistæ, in ratione vivendi solitarie, est activa respectu Prophetarum Eliæ, Elisei & Enoch, quibus ipse successerit; est vero passiva, respectu S. Bertholdi & sequentium Carmelitarum, qui Joanni in eadem vivendi ratione succedunt. Similiter successio S. Bertholdi & Sociorum ejus in monte Carmeli seculo 12. est activa, quatenus respicit prædictos Prophetas & Joannem Baptistam: est vero passiva, quatenus respicit hujus seculi Carmelitas, a quibus succeditur Bertholdo & sociis ejus.

III. *Successio* considerari potest & accipi sub diversa ratione. E. G. *Successio Prophetarum Eliæ, Elisei & Enoch*, quam tenere dicuntur Carmelitæ, potest accipi ratione loci, qui est mons Carmelus & Fons Eliæ, in quem venerunt ipsi post Eliam. Item ratione vitæ solitariæ, quam post Prophetas illos tres duxerunt. Item ratione virtutum, in quas exemplo Prophetarum incubuerunt præcipue. Quæ omnes considerationes successionem continuatam non inferunt. Non potest autem accipi successio ratione doni Prophetiæ; hoc enim donum non acceperunt.

IV. *Hereditarium* similiter indifferens est, ut connotet præteritum tempus, & majores; atque ut connotet tempus futurum, & posteros. E. G. Hereditas S. Bertholdi tam significat hereditatem, quam ipse relinquit posteris, quam hereditatem quam accipit ipse a majoribus: & hereditaria successio ejusdem Bertholdi, æque illa

illa est, quam habent posteri ab ipso, quam illa, quam ipse a majoribus tenet.

v. Considerari debent Carmelitæ in triplici differentia temporis. Primum in Elia & seculis viginti & uno sequentibus. Deinde in S. Bertholdo & Sociis ejus seculo Christi duodecimo. Denique in Generali ipsorum Martignono, qui seculo 15. impetravit a Sixto IV. primam Bullam, ubi successionis hereditariæ mentio fit.

In his Bullis dicuntur Carmelitæ *successionem hereditariam tenere*, tunc, cum Bullæ concedebantur: quod est verissimum: non autem dicuntur illa *tenuisse*. Item dicuntur *successionem hereditariam tenere Patrum, qui montem Carmeli juxta fontem Eliæ inhabitarunt*, Bertholdi scilicet & Sociorum ejus: quod iterum est verissimum; & constat aliunde: imo & continuatam & numquam interruptam successionem inde habere dicantur; item *Prophetarum Eliæ, Elisei & Enoch successionem hereditariam tenere*: quod distingui potest. 1. tenere ipsos successionem, quæ sit hereditaria Bertholdo passive in ordine ad posteros, concedo: quæ sit hereditaria Bertholdo active, quasi talem ipse acceperit, nego. Item tenent Successionem Prophetarum E. G. Bertholdus & socii Carmelitæ, quæ sit continuata ab Elia ante Christum, aut ab Enoch ante diluvium ad Bertholdum usque, nego; talis enim successio nusquam probari potest: tenent Successionem a Prophetis, venientes in eorum locum, & in rationem solitarie vivendi, & venientes post ipsos, multis jam seculis elapsis, concedo. Atque aliud afferunt Bullæ nihil, nec aliter verificari possunt, nec alia successio aliunde potest probari.

NON VERA ORIGO ATQUE SUCCESSIO

SACRI ORDINIS CARMELITANI,

In confirmationem Veræ Originis atque successionis ejusdem Historico-chronologice demonstrata, per Danielem Papebrochium Societatis Jesu Theologum.

§. I. *Occasio hujus scriptiunculæ contra Chronologiam Antiquitatis Carmelitanæ.*

QUI numquam nisi publice provocatus, ac variis modis compulsus, primum a R. P. Francisco Bonæspei, deinde ab aliis aliisque RR. Patribus sacri Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli, animum aut manum applicui ad scribendum aliquid de institutione & antiquitate ejusdem Ordinis, silentium non necessariis disputationibus præferens; (ut alibi dixi & dicam denuo in Protestatione iterata, his addenda) quique nihilominus non desinebam accusari & exagitari indignis modis, propter illa ipsa scripta de antiquitate Ordinis, in tomis majoribus, quasi latentia & paucis nota; tandem judicavi, compendium inde mihi concinnandum esse, quod facile lectu, declararet omnibus doctrinam meam ac tueri innocentiam posset; idque reipsa impressi sub titulo; *Vera Origo atque successio sacri Ordinis Carmelitani*. Interea sciebam supplicari a PP. Carmelitis Sanctiss. D. N. Innocentio XII. pro obtinendo silentio circa antiquitatem suam, mihi semper magis optato, quam ipsis; neque futurum credebam, ut nova mihi super illo argumento molestia post petitum silentium crearetur. Cum ecce nuntiatur mihi recens editio tum aliorum aliquot contra me libellorum, tum unius prægrandis tomi, auctore Reverendiss. P. Joanne Feyxoo de Villalobos, Nolæ editi: de quibus dicam mox paucula in Protestatione, de qua supra: postquam hic & nunc doctrinam meam de Origine & successione prædictis, tam contra novos illos, quam veteres Accusatorum meorum libros, confirmavero.

2 Demonstrabam in Vera Origine Ordinis, institutionem ejus primam, & successionem altius repeti, quam a seculo Christi XII. non posse: utpote de quibus ante annum 1193. nulla inveniatur uspiam apta ad id suadendum memoria: tum vero incipiunt inveniri memoriæ plures, quæ illo seculo etiam incepisse Ordinem, non modo suadeant, sed omnino persuadeant. Et prima quidem invenitur prædicto anno 1193. apud synchronum Auctorem & oculatum testem, primordia Ordinis accurate describentem in Itinerario suo, Joannem Phocæ.

3 Paulo post, sub annum 1210. invenitur memoria ejus in Regula, novellæ Eremitarum Congregationi, a S. Alberto, Hierosolymorum Patriarcha illo tempore præscripta, & hodiedum in Ordine laudabiliter servata.

4 Iterum invenitur in Historia Orientali Jacobi de Vitriaco, oculati etiam testis, qui sub annum 1216. in Palæstinam profectus, Ptolemaide Episcopus ac deinde S. R. E. Cardinalis fuit.

5 Invenitur an. 1226. in Constitutione Honorii Papæ III. Regulam ab Alberto Ordini datam approbantis auctoritate sua Apostolica.

6 Invenitur anno 1230. in Constitutione Gregorii Papæ IX. eamdem Regulam confirmantis.

7 Invenitur anno 1233. in alia ejusdem Gregorii Constitutione, qua confirmatum a se Ordinem in suam & Sedis Apostolicæ protectionem suscipit.

8 Invenitur pro anno 1238. in Guilielmo de Sanvico, qui primus est omnium Carmelitanæ familiæ Scriptorum, vere talium, quod sciam; quique illi anno 1238. affigit generalem Ordinis, quam videre potuerit, e monte Carmelo & Palæstina in Europam transmigrationem.

9 Invenitur anno 1248. in Constitutione Innocentii Papæ IV. prædictam Regulam *corrigentis*, *declarantis*, & *mitigantis*; qui etiam ad varia Carmelitarum dubia ibidem respondens, indicat,

dicar, inter alia dubitatum eatenus fuisse, an Castitas & Paupertas, ex Regulæ præscripto observandæ quidem, etiam ex promissione & voto observandæ essent; quemadmodum promitti, & observari debebat obedientia, non tantum ex Regula, sed etiam ex voto: idque declaraturus Pontifex, adjungit hisce Regulæ verbis; *Priori obedientiam* PROMITTAT *quilibet aliorum*, & PROMISSAM *studeat operis veritate servare*; adjungit, inquam, nova hæc *cum Castitate & abdicatione proprietatis*. Quæ adjunctio sane supervacanea foret, nisi Castitatem & Paupertatem, quas jam antea ex vi Regulæ observare debebant, hic præscriberet *promittendas* & ex *promissione* observandas, uti promittebant & observabant obedientiam etiam ex voto. Et multo magis supervacanea foret adjunctio illa, si jam olim a temporibus Eliæ & Elisei, sine interruptione, talia vota in usu ipsis fuissent.

10 Hinc est quod ego principium Ordinis seculo Christi XII. affigam, & inde per veram certamque Chronologiam, successionem ejus, numquam apud idoneos auctores interruptam, solide demonstrem: ante illud seculum frustra apud idoneos auctores quærens veri nominis Institutorem, Legislatorem, Approbatorem, Confirmatorem, Generalem, Provincialem, Priorem; imo nomen ipsum Ordinis Carmelitani; uti cognoscere licet ex Resp. mea ad Exhib. Art. 16. toto & alibi.

11 Contra hæc venit P. Sebastianus in Exhibitione sua Art. 16. & recentius Reverendiss. P. de Villalobos in Brevi Chronologia Religionis perfectæ, superadditæ vulgari; nec non in sua Historico-sacra & Theologico-dogmatica Dissertatione de Vera Origine & progressu Ordinis, nuperrime in lucem edita. Uterque auctor Ordinis sui, ab Eliæ temporibus repetitam, ejusque perpetuæ successionis Chronologiam texere videri volunt. Qualem autem? Non annos singulos, aut singulos decem aut viginti, aut quinquaginta distinguentes; sed secula integra atque integra lustra majori facilitate, quam probi Chronologi annum unum, transilientes. Totum quippe spatium temporis ab Elia usque ad Christum, quod est fere annorum mille, ita decorrunt uterque chronologica, ut toti monstrare intenti, fuisse *Filios Prophetarum*, *Rechabitas*, *Essenos*, *Assidæos*, & nescio quas aliorum sectas, per quos ab Elia ad Joannem Bapt. successio Ordinis transmissa sit, nullum apte distinguant tempus, quo alii illorum aliis successerint, quo cœperint, quo finierint: neque explicant quo casu Filii Prophetarum, Rechabitæ, Esseni, qui diversa inter se instituta sectati fuerunt, in unam coaluerint Religionem Carmelitanam.

12 Chronologia, recte ordinata atque distincta, jure suo appellari potest anima Historiæ, & mensura veritatis ejus: si vero recte ordinata distinctaque non est, non animat Historiam, sed exanimat potius; neque ejus metitur veritatem, sed falsitatem detegit, ipsamque incredibiliorem reddit. Quisquis me chronologice docere vult continuatam nec umquam interruptam successionem Religionis Catholicæ Romanæ, a Christo Domino huc usque; frustra est, si distinctius definire tempora ejus & gesta non possit, quam per secula aut lustra integra; si Pontifices Romanos integris seculis non possit ulli certo tempori alligare; si non possit illorum decessores successoresque ullos indicare; si in Ecclesia usum fuisse præcipuorum mysteriorum, aut Sacramentorum, puta Baptismi, Eucharistiæ, Sacrificii Missæ, Sacrorum Ordinum, non possit certo monstrare. Si vero etiam non possit nominare pro seculis integris Pontificem Romanum, Patriarcham, Episcopum ullum, neque ullum omnino Catholicum hominem nominatim proferre, ecclesiasticum aut laicum; sanctum aut impium; principem aut plebejum, virum aut feminam; quis tamen Chronologum credat chronologiam texuisse bonam, aptamque persuadere, continuatam tot seculis fuisse Ecclesiam Romanam?

13 Habes hic, Lector, veluti in schemate adumbratam Chronologiam Ordinis Carmelitani, ab Elia usque ad S. Bertholdum, per secula omnino viginti duo. Secula ibi tantum distinguuntur inter se post Christum; ante Christum ne distinguuntur quidem; sed decem integra transiliuntur per modum unius, summa cum facilitate. Nullus ibi sufficienter monstratur, certo tempore, imo nec omnino monstratur, in Religione sua ante Christum emisisse vota religiosa; aut Obedientiam, Castitatem, ac Paupertatem (sine quibus Religio, qualem hic intelligimus, nulla est) ex voto observasse; ne Institutor quidem ejus Elias, aut unicus, qui nominatim producitur, in regimine successor Eliseus; altum de votis istiusmodi tacentibus sacris Litteris sanctisque Patribus; & fidem in horum silentio non merentibus, qui frustra citantur, aliis, tametsi subtilibus horum temporum Theologis. Quæ facta sunt inquirimus hic; non quæ fieri potuerint fortassis.

14 Nullus in tota Chronologia ista, post Eliam atque Eliseum, nominatur Moderator Ordinis supremus, seu Generalis seu Provincialis, sive Prior, nisi forte Joannes Baptista: multo minus recensentur eorum decessores successoresve; principium aut finis regiminis; præclara, aut ulla gesta. Nullæ tota Chronologia allegantur bullæ aliæve litteræ Summorum Pontificum seu veteris seu novi Testamenti, aut Patriarcharum, aut Episcoporum; aut Regum Principumque secularium, quibus Ordo approbetur, confirmetur, admittatur in possessionem alicujus loci, donetur fundis, laudetur a gestis aut vituperetur. Nullus denique tota Chronologia nominatur veri nominis Carmelita Religiosus: imo vix ullus homo ex prædictis sectis ibi innotescit nomine suo, nisi forte Jonadab inter Rechabitas, & Judas Machabæus inter Assidæos.

15 Hisce ita suppositis, manifestissimum est, nullam ex talibus Chronologiam posse concinnari, aptam ad probandam successionem unius ejusdemque seu Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, sive Religionis Carmeliticæ, continuatam a principio utriusque suo. Eadem Chronologia ineptior etiam foret, si quis Catholicus Romanus vero continuatam Ecclesiæ suæ, aut Carmelita Religiosus vere continuatam Ordinis sui successionem porro vellet ostendere per varias hominum congregationes, quæ toto, quod supponitur aut præsumitur, tempore successionis, extiterint quidem, una post aliam; sed tam inter se ex doctrina vel instituto cuique proprio diversæ, quam ab Ecclesia Catholica Romana vel ab Ordine Religioso Carmelitarum alienæ. E. G. Si Catholicus Romanus pro successione chronologica Ecclesiæ suæ evincenda monstraret, extitisse certis

:tis successive temporibus alias atque alias sectas, Gnosticorum, Donatistarum, Arianorum, Nestorianorum, Monothelitarum, Albigensium, Hussitarum, Lutheranorum, quas totum tempus, quo vera Romana Ecclesia extitit atque duravit, successive unam post aliam implevisse hic supponamus; numquid is Ecclesiæ Catholico-Romanæ, cujus una semper eademque fuit ac esse necessario debet doctrina fidei, successionem & chronologiam egregie probaret? per sectas nempe, quæ tametsi non pauca habuerint communia cum vera Ecclesia, in punctis tamen essentialibus nonnullis ab illa discrepabant & extra Ecclesiam factæ sunt? Similis est probatio, quam afferunt PP. Carmelitæ pro Ordine suo vere religioso; quando successionem ejus repetentes a temporibus Eliæ, inserunt Chronologiæ suæ Filios Prophetarum, Rechabitas, Essenos, Assidæos; quorum sectæ tam sunt diversæ inter se, & magis diversæ ab Ordine Carmelitano vere religioso; quam præmissæ hæreticorum sectæ sunt diversæ tum inter se, tum ab Ecclesia vere Catholico-Romana.

§. II. *Varia auctoritas Scriptorum ad fidem faciendam.*

QUisquis hue æquus Lector accesserit, de probitate & antiquitate Chronologiæ Carmelitanæ ex testimoniis scriptorum, non antiquorum, judicaturus, velim Historicum esse vel tantisper fieri, non considerantem quam numerosa auctorum, idem forte oune sentientium, turba proferatur (solet eorum numerus major aut minor majorem plerumque probabilitatem afferre quæstionibus speculativis ac theologicis, non item historicorum factis antiquis) sed quam prope abfuerint Scriptores a tempore & loco, quibus res, de qua disputatur, gesta sit; quos ipsi (si recentes sunt) duces habuerint; quam antiquos, quam prudentes, quam fideles: an omnes unum, ut sæpissime fit, secuti sint: hoc enim casu obtinebit effatum Melchioris Cani, omnes simul in factis historicis majorem non facturos fidem, quam illum unum quem secuti sunt: ab illo siquidem totum habent quod habent, & nil amplius habent.

17 Si quæritur E. C. an possibilis fuerit in Lege veteri status vere religiosus; disputent Theologi, etiam hodierni; accedentes ad alterutram oppositarum sententiarum, singuli aliquam ei probabilitatem afferent majorem judicio suo. Si vero quæritur, an reipsa fuerit in Lege veteri status vere religiosus, id est, an fuerit Congregatio aliqua, quæ se obstrinxerit Deo per vota Castitatis, Paupertatis, atque Obedientiæ perpetuæ, cum id ad factum pertineat, nunc sciri sine testimonio divino aut humano non magis potest, quam sciatur, an stellæ cœli, aut arenæ, quæ sunt in littore maris, sint determinate pares, an determinate impares.

18 Testimonium porro scribentis aut asserentis, aliquid factum esse, tanto est credibilius, ceteris paribus, quanto propius abest a tempore, quo factum sit, is qui testatur. Sic scriptor rei gestæ contemporaneus, siquidem vir probus sit, summam meretur fidem: si seculo uno re gesta posterior vixerit, merebitur minorem: si duobus, tribus, & sic porro, seculis inde removeatur, minorem ac minorem semper pro gradu remotionis obtinebit. Si a mille, aut bis mille annis aliquid factum fuisse asseruerit ipse primus, sine teste multo antiquiore, non putem ullum tam cæce credulum esse, ut ei fidem adhibeat.

19 Quippe qui tempore remotior est, si non habet fide dignum scriptorem quem sequatur, aliunde non potest asserta sua confirmare, quam ex fama & traditione hominum: quæ si ad spatium centum, ducentorum, trecentorumve annorum aliquid veritatis retineat sine scripto testimonio; ita paulatim variari solet, pro affectu rem narrantium ac posteris tradentium, ut dissimilis omnino sibi tandem evadat, ac non raro a diversis familiis nationibusve (quolibet quod sibi suisque gloriosius videtur, quodam naturæ impulsu concipiente) res eadem contrario plane modo referatur, imo & scribatur tandem. Exempla hujusmodi, multis post rem gestam annis ex diversa traditione conscriptæ, passim obvia sunt in Historiis & Sanctorum vitis. Unde patet, quam exiguam aut potius nullam mereatur fidem scriptor, aut plures etiam simul, hujus aut priorum trium seculorum, in iis, quæ ab Elia decimo ante Christum seculo gesta esse asserunt, nescio ex qua traditione Ordinis; quæ ipsa traditio nusquam a majoribus cognita, nusquam scripto relicta esse, ostenditur.

20 Dic mihi nunc, amabo te, cum per annos bis mille nec divino nec humano testimonio ullo constiterit, Eliseum Prophetam fuisse raptum curru igneo in cœlum, uti constat, raptum fuisse Eliam; si post annos bis mille Scriptor aliquis id primum asseruisset E. G. seculo Christi 13. aut nunc assereret, teste nullo antiquiore allegato aut invento; an tu hoc asserenti de Eliseo adhiberes fidem? Si deinde istius unius & primi, raptum Elisei asserentis, exemplo & auctoritate alii post ipsum plurimi seculo 14. & sequentibus idem assererent; an horum asserta pluris facienda essent quam dictum primi: aut primi dictum, ideo, quod plures idem postea ex ipso referant, amplius valeret aliquid ad fidem faciendam?

21 Si porro tot recentioribus scriptis, sæpe lectis vel auditis, præoccupatus aliquis nunc juraret, se raptum Elisei constanti traditione a majoribus accepisse; quantum fidei apud viros prudentes merituram putes traditionem illam, facti tam singularis, & per se vix credibilis, tot seculis sine testimonio scripto transacti; & a solis recentioribus, unum non antiquum sentientibus, asserti? Ego, uti raptum talem sine antiquiori testimonio prudenter credi nullum posse autumarem; ita neque admitti prudenter posse existimarem, tam antiquam esse de tali raptu traditionem, ut propterea credi sine hæsitatione deberet aut posset, nisi ipsa traditio comprobaretur, apto testimonio aut alio argumento, vere antiqua esse.

22 Quod si factum transiens, & exigui temporis, & uno tantum loco gestum, paucisque visum, quale fuisset raptus Elisei, post bis mille, aut mille tantum, aut pauciores etiam annos prudenter credibile non sit; nisi intra illud spatium sufficienti auctoritate testatum fuerit; quanto minus credibilis erit res permanens, & multis seculis continuata, & in totius mundi conspectu variis locis gesta; si de illa, quingentis, mille, aut bis mille annis elapsis, ne-

mo scriptis suis mentionem fecerit? Talis autem fuisset institutio Ordinis religiosi, sub tribus votis paupertatis, castitatis & obedientiæ continuati per secula viginti & amplius; qui per varias orbis plagas & collegia dispersus fuerit; qui sanctimonia vitæ & exemplis virtutum ubique præluxerit aliis, qui præcipuos quosque Heroes ac Prophetas, inter suos numeraverit; qui una fuerit & sola religiosa familia in mundo seculis pluribus. Quod si talis Ordo ignoratus fuerit omnibus ubique, viginti seculis, quibus continuasse dicitur: gravissima profecto argumenta afferat oportet, qui post tam diuturnam ejus ignorationem, ipsum credibilem aut cognitum reddere præsumit. Mox videbimus, qualia argumenta sint, quibus talis Ordo adstruatur atque fundetur; postquam sectas proposuerimus, per quas Ordo continuatus sit; ac inspexerimus, an, & quibus Elias ipsum instituerit.

§. III. *Per quos Chronologia Ordinis Carmelitani continuata sit.*

PRæcipuæ variorum sectæ, quæ Carmelitis religiosæ professionis sunt, atque Ordinem ipsorum propagarunt ab Elia usque ad Christum, enumerantur, *Filii Prophetarum*, *Rechabitæ*, *Esseni*, *Pythagorici*, *& Assidæi*. De singulis, & singulorum institutis dicenda sunt pauca.

24 *Filii Prophetarum*, qui & *Prophetæ & Prophetarum Cunei*, ut fatetur Lezana, jam inde a Samuele Propheta instituti fuerunt, annis fere 300. ante Eliam; ut certis in Collegiis seu Seminariis (uti fere nunc etiam fieri videmus in Ecclesiis Cathedralibus) educati doctique, suis temporibus canerent psallerentque divinas laudes, quod ex sacris litteris certissimum est. Hi certam regulam servaverint in Collegiis istis suis, ut par est credere, & uni Præsidi obedierint: sed obedivisse ex voto, aut castitatem paupertatemve vovisse, quis credat? præsertim cum etiam constet ex 4. Reg. c. 4. ℣. 1. ipsos habuisse uxores suas.

25 *Rechabitæ*, anno circiter 800. ante Christum, a Jonadab (quem discipulum Elisei facit Lezana, sed non probat) orti, & a patre ejus Rechab denominati, una domus fuerunt, tenaces instituti sui: id quod ipsi post sesqui seculum ita describunt Jeremiæ 35. *Jonadab, filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens. Non bibetis vinum vos & filii vestri, usque in sempiternum; & domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ in qua vos peregrinamini. Obedivimus ergo voci Jonadab, filii Rechab, patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis; ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris, nos & mulieres nostræ, filii & filiæ nostræ . . . Cum autem ascendisset Nabuchodonosor Rex Babylonis ad terram nostram, diximus; Venite & ingrediamur Jerusalem a facie exercitus Chaldæorum, & a facie exercitus Syriæ; & mansimus in Jerusalem.* Nihil ego hic invenio Rechabitis commune cum Carmelitis: neque enim castitatem paupertatemve servare potuerunt, cohabitantes uxoribus & familiam alentes; neque obedierunt ex voto, sed ex præcepto patris sui: nisi forte commune fuerit quod utrique extra populi frequentiam in montibus aut rure instituti, contra institutum suum civitates postea inhabitare cœperint, fugientes exercitus hostiles, illi quidem Chaldæorum, isti vero Saracenorum; & recipientes se in civitates, ibi commodius, quam rure aut in montibus, manserunt.

26 Interea reflectere lubet, Rechabitas istos non minus differre a filiis Prophetarum prædictis, qui primum antiquitatis Carmelitanæ fulcrum sunt, quam differunt ab ipsis Carmelitis; qui tamen utrosque, id est, tam Rechabitas quam Filios Prophetarum, ob singularem aliquam religionis aut rigoris speciem, faciunt Ordinis Prophetici, ut facere possint Ordinis Carmelitani. Filii enim Prophetarum ab obitu Elisei desinunt nominari in veteri Lege, eatenus superstites: Rechabitæ vero, annos circiter ante ejusdem obitum quinquaginta, jam *erant clari in Israel*, teste Lezana ad annum mundi 3159. Filii Prophetarum, eorumque Collegia & Cunei, jam instituti erant, uti dictum est, fatente etiam Lezana, a temporibus Prophetæ Samuelis: Rechabitæ, autem alium institutorem, quam patrem suum Jonadab filium Rechab, annis 300. Samuele posteriorem, non agnoscunt: habebantque *mulieres* (sive *uxores*, ut Vatablus legit) & *filios & filias suas* vere carnales; uti Jonadab ipse vere carnalis filius erat Rechab: neque aliud quidquam connexionis habuerunt cum Filiis Prophetarum Rechabitæ isti; quam nunc habeat Ordo Carmelitarum cum Dominicanis aut Franciscanis; quibuscum scilicet uti Carmelitæ conveniunt in eo quod Ordo religiosus sint a vulgo discreti, & tria vota profiteantur, sub aliis tamen atque aliis Legibus ac Institutoribus vivant; Ordines unde etiam diversi sunt inter se: ita Filii Prophetarum cum Rechabitis illud commune habuerunt, quod singularis observantiæ, & severioris cujusdam disciplinæ institutum supra vulgus sectarentur; sub diversis tamen institutoribus, sub diversis legibus, diversis in locis, diversis etiam temporibus. Illi enim in urbibus domibusque ad psallendum Deo pridem educabantur: hi postea extra urbes sub tabernaculis ruri habitabant ex instituto suo. Filiis Prophetarum non legitur vetitus fuisse vini usus; legitur fuisse vetitus Rechabitis. Illi colebant castitatem (ut quidem docent Carmelitæ, contrarium licet suadente Regum Historia lib. 4. c. 4. ℣. 1.) hi utebantur uxoribus suis, & propagabant per se domum suam Rechabitarum per filios & filias, uti dictum est ex Jeremiæ c. 35.

27 Nunc ad Essenos, quos sub annum 300. ante Christi nativitatem successisse Rechabitis cupit monstrare Lezana; licet non minus a Rechabitis, quam Rechabitæ a Filiis Prophetarum, diversos. Horum *Essenorum* origo, auctor, institutum, & reliqua usque ad Christum, incertissima sunt; nullam ipsorum mentionem faciente sacra Scriptura, & Baronio nullos agnoscente nisi paulo ante adventum Christi, idque acriter probante. Illud tamen satis certum videtur ex Josepho Hebræo, aliisque quod matrimonio abstinuerint perpetuo: sed æque certum ex eodem est, non abstinuisse ex motivo religionis in Deum, aut ex voto servandæ castitatis, sed ex eo quod *cavendam putarent intemperantiam feminarum*; credentes, *nullam earum uni viro fidem servare*. Eadem Essenorum secta

cta perseveravit diutius post Christum usque ad seculum 13., quando Jacobus de Vitriaco appulit in Terram sanctam, ipsosque describit, ut supra Josephus, & vocat *Deo odibiles, & hominibus contemptibiles*.

28 Longe ab illis diversi sunt Esseni, quos describit Philo; quosque etiam sancti Patres inter primos Christianos, circum Alexandriam sub S. Marco institutos, referunt. Si jam PP. Carmelitæ hosce Essenos, Philoni laudatos, pro Carmelitis, quamvis longe a Carmelo dissiti fuerint, adoptent; videant, quo pacto suppleant hiatum in Chronologia quingentorum fere annorum, quot inter Rechabitas & Philonis Essenos intercedunt. Si vero malint continuare successionem suam per Essenos antiquiores, de quibus Plinius & Josephus, considerent, quæso, an decorum sibi futurum sit, admittere inter suos gentem, *Deo odibilem & hominibus contemptibilem*. Considerent etiam, an facere possint Religiosos, ex voto castos, illos qualescumque castitatis cultores, qui ob solam feminarum intemperantiam & infidelitatem matrimonio abstinebant. Considerent insuper, quo argumento docere possint, antequam afferant, eosdem illos paupertatem atque obedientiam ex professione religiosa & voto coluisse. Non putem, scriptores Gentiles & Judæos, qui fere soli de Essenis antiquioribus agunt, tale argumentum subministrare. Certe Josephus apud Lezanam ad annum mundi 3545. n. 53. enumerans multa juramenta (quæ Lezana pro votis computat) ab Essenis, priusquam associarentur, præstanda; nihil omnino habes de paupertate, castitate, aut obedientia, simili juramento firmata aut firmanda. Considerari denique potest (ut de situ illorum Essenorum, quos Plinius remotissimos a monte Carmelo, ad mare mortuum & ultra collocandos putat, nihil dicam) an ulla ratio alia sit ipsos faciendi Carmelitas, religiosa vota professos, atque attollendi ad annum 500. ante Christum, consentiente nemine & Baronio contradicente; quam ut per ipsos suppleatur in successione (quæ utique interrumpi non debet) defectus quingentorum annorum.

29 *Pythagorici*, ut inquit Lezana in Indice tomi 1. Annalium, fuerunt *similes Essenis, in aliquorum castitate, in paupertatis amore, vita communi, obedientia, Numinis cultu, silentio, tironum instructione, albarum vestium usu, cœnobiali vita, in feminis ejusdem formæ vivendi*. Imo ad annum 3545. num. 32. idem Lezana, cum & ex Bolduco docet, Pythagoræos atque Essenos *ejusdem instituti fuisse*; idque probat, tum *ex pluribus, in quibus illi* inter sese *conveniebant*, tum *ex Herodoto, Strabone, Laertio, & Josepho*. Nunc ego capere mihi videor illorum doctrinam, qui Pythagoram pridem fecerunt Carmelitam. Si enim Pythagoræi, & a fortiori Pythagoras eorum magister, *ejusdem instituti sunt* cum Essenis, Esseni vero sint instituti Prophetici sive Carmelitani; consecutio manifestissima evincit, Pythagoræos & Pythagoram fuisse etiam instituti Prophetici seu Carmelitani: imo fuerint tales in gradu perfecto, sub professione votorum religiosorum. Nam Esseni professi fuerunt tria vota paupertatis, castitatis & obedientiæ (horum siquidem votorum professio præcipue constituebat Essenos in perfectiori vitæ gradu & statu religioso); Pythagorici autem & Pythagoras *ejusdem instituti fuere* cum Essenis; ergo etiam professi fuerunt tria paupertatis, castitatis & obedientiæ vota; & fuerunt in statu religioso tam perfecto, quam fuerunt Esseni ipsi.

30 Hinc porro conficietur aptior successio Carmelitana, & firmior nexus chronologicus Rechabitarum cum Essenis; qui omnino haberi non potest, nisi per Pythagoricos prædictos. Absque his enim nescitur, quando orti sint Esseni, interponentibus nonnullis, inter ipsos & Rechabitas, secula aliquot integra. Nescitur, quis Essenis leges suas præscripserit. Nescitur, ubinam terrarum primas sedes habuerint. At Pythagorici sciuntur institutorem suum habuisse Pythagoram, & hunc fuisse in monte Carmelo, & seculo ante Christum sexto, quando adhuc supererant Rechabitæ: quos, si dixero, ipsum in Carmelo excepisse, & ritibus scientiaque sui instituti imbuisse, non existimo id negaturos Carmelitas. Cur tamen Pythagoram cum suis plerumque non proponant in Chronologia Ordinis (quamvis & in partem ejus illos referat Lezana) rationem ipsi reddant.

31 *Assidæi* annis 160. circiter ante Christum innotescunt ex libro 1. Machabæorum; cumque Lezana ad annum mundi 3545. num. 8. & 9. ex Josepho probatum patet, Essenos atque Assidæos eosdem fuisse; nihil est, cur Essenorum principium multo altius repetamus, nedum cur ad annum 500. attollamus ante Christum. Appellantur Assidæi illi libro citato, *Synagoga Judæorum, fortis viribus ex Israel*; dicunturque *bella nutrire & seditiones movere, nec pati regnum esse quietum*. Præficitur ipsis Judas Machabæus, *Prophetici*, sive Carmelitici, *Ordinis alumnus; utpote Essenus vel Assidæus*, ut ait Lezana ad annum mundi 3889. num. 6. Neque vero alius est ab Eliseo usque ad Joannem Baptistam, qui æque celebratur inter Carmelitas ac Judas ille. Ego interim vota ejus religiosa requiro, & invenio copulatum uxori: requiro exercitia monachalia, & invenio militaria præcipue. Lego enim 1. Machab. 2. ac 3. quod *præesset Assidæis Judæorum*, qui *bella nutriunt*; quodque *dilatavit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in præliis, & protegebat castra gladio suo*.

32 Hæc aliaque hujusmodi plura ibidem lego, generose quidem & bellicose gesta a Juda Assidæisque ipsius, sed non satis apta monasticam professis. Equidem non capio, quomodo illos conciliare quis possit cum decessoribus suis in ordine Prophetico Rechabitis. Hi certe minime militares erant, malueruntque transgredi præceptum & institutum patris sui Jonadab, relinquendo tabernacula & fugiendo rure in urbem, quam bellicis immisceri tumultibus: Assidæi vero cum suo Duce militiam sequuntur sua sponte, & quasi ex instituto sibi proprio. Nisi forte Propheticus atque adeo Carmeliticus Ordo, qui in Rechabitis erat contemplativus & solitarius, in Assidæis factus sit militaris, manseritque nihilominus Ordo idem; aut eadem Regula, quam Elias instituto a se Ordini reliquisse creditur ab aliquibus, tam diversa fuerit, quam fuerunt diversæ ipsiusmet actiones atque vicissitudines vitæ, modo solitarie in monte aut spelunca sedentis latentisve, modo belligerantis & Prophetas Baalis virosve quinquagenarios occidentis. Si autem actiones tam diversæ pro diversis etiam Regulis

fue-

fuerint posteris ejus; tot Ordines diversos instituerit Propheta, quot sectæ inveniuntur in veteri Lege, quæ actiones ipsius aliquas præ aliis sibi in exemplum proposuerint elegerintque imitandas. Neque poterunt Carmelitæ Ordinem suum per tot sectas, inter se moribus & instituto diversas, magis continuare ab Elia; quam Jesuitæ suum per Minoritas, Norbertinos, ac Cistercienses, possint continuare a S. Benedicto.

33 Nihilominus, ut hæc sunt, prædicti omnes, Assidæi, Esseni, Rechabitæ, Filii Prophetarum, tametsi inter se vita, moribus, disciplina, exercitiis fuerint diversissimi, unus fiunt Ordo Propheticus, ut omnes & singuli eorum fiant Carmelitæ: non tamen illi qui ante Eliam Ordinis Prophetici fuerunt, sed qui postea. Docent enim, Ordinem Propheticum antiquissimum, diu ante Samuelem in Prophetis Job, Moyse, Jacob, aliisque cœpisse; deinde magis formatum a Samuele, & in collegia quædam distributum cœpisse, quibus ipse præfuit, ideoque *Princeps Prophetarum* passim appellatur, teste Lezana; tandem vero sub Elia eumdem Ordinem Propheticum factum esse religiosum, *cum tribus Obedientiæ, Paupertatis & Castitatis etiam perpetuæ votis*, ut docet idem Lezana ad annum mundi 3127. n. 15.

§. IV. *An Elias potissimum mutaverit Ordinem Propheticum in Religiosum; quibuscum; & quot successores habuerit.*

CUr autem sub & ab Elia potissimum hic Ordo factus est religiosus? Ut verum fatear, inspectis argumentis, quæ ex unico Joannis Hierosolymitani libro, mille quadringentis, ut Carmelitæ fatentur; ut vero communis mecum tenet sententia, bis mille quadringentis post Eliam annis scripto (priorum enim scriptorum aut temporum habentur nulla) præcipue affert Lezana, aliud non invenio efficacius, quam beneplacitum atque præoccupatam in illud voluntatem Carmelitarum. Quid enim probat, quod Dominus Eliæ dixit 3. Reg. 17. *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem: & ibi de torrente bibes, corvisque præcepi ut pascant te ibi?* Quo pacto hinc inferas, Eliam hic, obediendo præcepto Domini, emisisse vota tria, aut etiam unum solum, aut instituisse Ordinem religiosum? Imo qui potuit ibi ordinem instituisse, ubi omnino solus homo fuit, nisi eum instituerit cum corvis altoribus suis?

35 Dic, amabo te, quid amplius illa evincant pro institutione ordinis Religiosi aut emissione votorum; quam ista, quibus idem Dominus pridem præceperat Abraham: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam ego monstravero tibi: faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum; erisque benedictus?* Hæc sane propius quam illa, absunt ab Evangelico textu, ubi Apostoli a Christo vocati Matth. 4. *relictis retibus & patre secuti sunt eum:* & ab illo Matth. 19. ubi omni, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut agros* propter Deum, *centuplum* promittitur & *vita æterna*. Reliquit enim plura Abraham, nec minus prompte quam Elias; & promissionem, mercedis ampliorem accepit a Domino.

36 Dic porro, quinam, quot, & unde noti, quibuscum Religionem suam inchoavit Propheta. In Carith enim fuit solus, ut dixi, homo cum corvis. In Carmelo nullos lego ipsum congregasse, nisi Prophetas Baal: quibuscum si Ordinem suum ibi instituit, eodem pene momento ipsum extinxit cum iisdem Prophetis. Si quis mihi afferat filios Prophetarum aut alios, quibuscum Ordinem inchoaverit, is prius in Carmelum illos adducere debet ad Eliam, via aliqua reperibili, quam prætendat, ibi simul cum ipso Ordinem inchoasse. Scriptura sane, nominans Filiorum Prophetarum Collegia in Bethel, Galgala, Jericho, nusquam ullos adducit in Carmelum sub Elia. Imo ne nominat quidem prius *Filios Prophetarum*, quam cum Elias rapiendus erat curru igneo; & tunc per ipsos transiens, neminem eorum verbo allocutus, aut alio signo dignatus fuit; nedum Discipulos suos aut Monachos agnovit: sed neque ipsi quidquam Eliæ locuti sunt, aut signum aliquod subjectionis dederunt. Solum leguntur, transeuntibus illac Elia & Eliseo, egressi esse *Filii Prophetarum, qui erant in Bethel & in Jericho ad Eliseum, & dixisse ei* (Eliseo): *Numquid nosti, quia hodie Dominus tollet Dominum tuum a te?* Quod si discipuli aut Monachi Eliæ tunc fuerint filii Prophetarum, uti dicitur tunc fuisse Eliseus: cur appellant Eliam dominum *tuum* Elisei; & non potius *nostrum*, uti appellare debuissent, si etiam suus ipsorum fuisset Dominus?

37 Dic etiam, quis Eliæ terris erepto successit in regimine novi Ordinis religiosi Superior? Eliseus, inquies. Sed unde probas? Cum enim unxit, jussus a Domino, Eliseum *Prophetam post se;* aliud ei non contulit, quam quod jubebatur conferre, donum prædicendi absentia & virtutem operandi mirabilia: quæ nullam per se habent connexionem cum superioritate in regimine Ordinis monastici religiosi. De eodem nihilo facilius, quam de Elia, monstraveris, ubi, quando, quomodo, vota religiosa professus fuerit; aut quos religiosos, talia vota professos, rexerit. Præfuerit Eliseus filiis Prophetarum & collegia eorum visitaverit: id non magis probat, ipsum fuisse Religiosum, aut Religiosis sub trium votorum obligatione viventibus præfuisse; quam probet, Samuelem, & quibus ipse præfuit, Cuneos Prophetarum, fuisse vere tales Religiosos. Subesse enim & visitari ab alio, etiam in commune viventes, nullum infert ligamen votorum religiosorum, nequidem in Lege nova, nedum in veteri, sive in eo qui præest visitatque, sive in iis qui subsunt & visitantur, uti patentissime patet.

38 Longe etiam difficilius est invenire Superiorem tertium (de quarto enim, quinto, & ceteris usque ad Joannem Baptistam inveniendis, pridem desperatum est) qui mortuo Eliseo successerit. Varias hic itur in conjecturas; aliis Abdiam, aliis Jonadab, aliis Jonam Prophetam Eliseo subrogantibus. Ultimum Lezanæ, ad annum mundi 3204. n. 9. *probabilius* videtur, sed *non certum; Cum neque in sacra Pagina*, inquit, *neque in nostris historiis aliquid de hoc reperiatur:* imo etiam si reperiretur in historiis Carmelitanis, recentiores illæ sunt omnes, quam ut fidem per se faciant in re tam antiqua. Utinam autem Lezana sacram Pagi-

nam

nam in hujusmodi semper consuluisset, ac velut regulam in antiquissimis factis asserendis ubique adhibuisset; non tam multa asseruisset, quæ æque facile & potiori jure negantur quam asserta sunt; & negata, probari non possunt!

39 P. Sebastianus multo facilius hic sese expedit quam Lezana, existimans Art. 16. §. 2. n. 17. nihil magnopere sibi de successore Elisei primo, aut aliis deinceps per annos amplius 800. laborandum esse; imo neque laborandum sibi, ut ostendat singulis seculis fuisse subditos vere Religiosos, multo minus ut explicet ullorum gesta, virtutes, professionem votorum, aliave in particulari; ratus, se texuisse chronologiam Ordinis bonam, & successionem nullo tempore interruptam, dummodo *demonstret Elianum institutum perseverasse usque ad tempora Christi*, ex eo (ut putat Art. 16. §. 3. n. 24.) quod *in Actis Apostolorum fiat mentio de Prophetis & Filiis Prophetarum; per quos interpretes intelligunt*, inquit, *Eliæ & Elisei discipulos, qui tempore Eliæ ac Elisei sic appellabantur; licet postea variis de causis etiam variis nominibus fuerint appellati*.

40 Magnus profecto & generosus saltus chronologicus, ab Elia & Eliseo ad Christum usque! Vellem interea scire, quinam sint Interpretes illi, & cujus auctoritatis, qui locum istum Actorum sic explicant, uti optat P. Sebastianus, nullum citans. Locus Actorum indicatus habetur cap. 3. ubi curato claudo ad Portam speciosam, *accurrit omnis populus stupentes*, quos Petrus pro concione mox alloquens, sic orditur: *Viri Israelitæ, quid miramini?* eosque postea excitans ad credendum in Christum, ait: *Vos estis Filii Prophetarum & Testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham, Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ &c.* Nonne meridiana luce clarius est, ibi appellare Apostolum *filios Prophetarum*, quos ante appellaverat *Viros Israelitas*, id est totam multitudinem suorum auditorum? Vel igitur terminus ille, *Filii Prophetarum*, probat, omnes illic congregatos fuisse Religiosos Carmelitas, vel non probat ullum talem illic fuisse. Videamus modo, quibus fundamentis hæc doctrina, & principium inde ducens Chronologia, nitantur.

§. V. *Fundamenta, quibus antiquitas & successio Ordinis Carmelitani chronologica inædificata sit.*

PRæcipua sunt, auctoritas trium Scriptorum, a tribus civitatibus Patriarchalibus, Antiochia, Hierosolymis, & Constantinopoli denominatorum. Deinde Traditio Ordinis ipsius. Tertium, Breviaria, tum Romanum, tum Carmelitanum, a S. Congregatione Rituum legi in Ordine permissum. Quartum denique Bullæ aliquot Pontificiæ. Hic de tribus, quæ dixi, scriptis & scriptoribus agendum: postea de aliis sigillatim.

42 Primum scriptum, quod PP. Carmelitæ post Ribotum suum citant, est *Speculum perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ*. Auctorem ejus vocant Josephum Antiochenum, & credi volunt, seculo Christi secundo vixisse.

43 Alterum est liber *de Institutione monachorum, in veteri Lege exortorum & in Lege nova perseverantium*. Auctorem ejus faciunt Joannem Hierosolymorum Patriarcham 44. qui S. Hieronymi coævus atque æmulus vixit sub annum 400. & initio seculi quinti.

44 Tertium est Epistola *de Processu & variis Regulis Ordinis Carmelitarum*, a S. Cyrillo Constantinopolitano, tertio Ordinis Generali, ut ajunt, missa ad Eusebium Eremitam montis Neroi anno 1230.

45 Notandum hic primo, & sedulo, quod horum trium Scriptorum nulla ulpiam memoria aut vestigium reperiatur ante seculum 14. nullo ante Ribotum, qui locum ex eo unicum, nescio unde, ubi repertum, descripsit eodem seculo ad finem vergente, sub annum 1370. vel 80.

Notandum secundo, & æque sedulo, quod Historici, non Carmelitæ, passim omnes eadem scripta vel allegare dedignentur vel repudient ut apocrypha, ut dixi & ostendi in mea ad Artic. 13. Responsione; de Josepho quidem §. 3. de Joanne vero §. 5. de Cyrillo denique §. 12.

46 Notandum tertio, quod Bellarminus & ceteri post eum, scriptorum ecclesiasticorum catalogum texentes, Josephi atque Cyrilli, etsi in Speculo Riboti lecta nomina, prætericrint: Joannis autem Jerosolymitani sic meminit Bellarminus, ut nomen quidem ejus referat, librum tamen ei de Institutione Monachorum splendide abjudicet, tamquam *scriptum ab aliquo longe posteriori*; & hoc probat, sic prosequens: *Siquidem in eo libro dicit Auctor, se esse Ordinis Carmelitarum, & describit habitum Carmelitarum. At illis temporibus nomen Carmelitarum Religiosorum erat plane inauditum, ut etiam Cardinalis Baronius affirmat tomo 6. Annalium ad annum 444. Adde, quod stylus est bonus Latinus, & temporum posteriorum.*

47 Hæc Bellarmini & aliorum, judicia talium ex professo & longo usu tractantium, nulloque partium studio hic saltem distractorum, cuivis potiora esse debent, quam Riboti Carmelitæ, ejusque sequacium, quantumvis multorum, placita. Illorum judicia contra prætensam libri antiquitatem ego pluribus stabilio in Resp. Artic. 13. §. 5. ut dixi, & Janningus in suo Post-scripto, ante primum Junii tomum num. 49. uti & in Apologia ejus inveniendo.

48 Nihilominus post tot vindicias, integris voluminibus a PP. Carmelitis pro asserendo libro illo Joanni Patriarchæ prædicto conscriptas, uti & pro asserendis Cyrillo Constantinopolitano & Josepho Antiocheno suis; novas concinnavit Reverendissimus Pater de Villalobos, in sua Historico-Sacra & Theologico dogmatica Dissertatione; easque prolixissimas ac dimidium fere tomum implentes (sic mihi scribitur) utpote a pag. 316. ad pag. 706. scripta illa cum auctoribus suis defendens, qua tamen prolixitate non aliud existimatur egisse, quam ut minus credibile factum sit, quod tam operose defendi debuit, ad confundendum potius multitudine lectorem, quam ad persuadendum rationibus verum. Veritas enim in historicis, se per seipsam & per præsentes circumstantias, temporum præsertim & locorum, ita plerumque manifestat, ut adminiculis tam longe quæsitis non indigeat.

49 Illa jubente, videor hunc ipsum de quo agimus, librum, Joanni Patriarchæ studiose aut ignoranter attributum, loquentem audire: Quis me novis seculo quinto ex contemporaneis tunc scriptoribus plurimis? Quis me novit seculo sexto? quis septimo, octavo, nono? quis

quis decimo, undacimo, duodecimo, decimo tertio? Interea, manibus plurimorum quotidia terebar, & non noverunt me? Legebar pro Regula & formabam mores iofinitorum Ordinia Carmelitani Religiosorum; & ipsi ma informam, sine nomine, sine gloria sepelierunt ingrati? Ego per annos omnino octingentos consarvavi voa, cari Patres, in Regula, uniformes in vero Eliæ Instituto, quodque in eo continuatam tot secula successionem babeatis, meo beneficio habetia: & vos sine gratiis, ma maique memoriam, accepta ab Alberto Regula alia, sic abolevistis, ut videamini omnia ax singulia undique Conventibus ac cellis conquisita exemplaria flammis dedisse, ut ne vel unum ex millenis ad posteritatem transmissum sit. Alberti Regulam continuo variia Pontificum litteria, aliorum quidem approhandam, aliorum vero confirmandam, aliorum mitigandam & corrigendam intra annos 40. curastis: ma autam totis octingentit annis nulli Romann Pontifici, nulli Patriarchæ Hiarosolymitano aut Antiocheno, nulli omnino hominum extra Ordinem vestrum innotescere passi estis. Regula Albetti est quidem Patriarchæ; sed & ego Patriarcha fui; qui illam condidit, ast Sanctus; sed eum quoque qui me condidit, vos ipsi in cælum tollitis, quantumvis (ignoscite, jubente veritate loquor) a gravissimis & contemporaneis Patribus, Hieronymo, atque Cyrillo Alexandrino, da hæresi suspectus reputetur & arguatur.

50 Scio, postremum vindicem meum Reverendissimum Patrem de Villalobos præsumere, me S. Hieronymo contemporaneum, imo priorem essa, idque alria similiter persuasum cupientem, allegare varios ex ma textus; qui fere iidem, aut non multum dissimiles apud Hieronymum inveniuntur, quasi hic ex ma illos transcripsisset. Verum tantus Doctor, tanta ingenii ubertate donatus a Deo, tot operum scriptor, tam recte Catholicus, qui Joannem Hierosolymitanum propter doctrinam pro hæretico habebat, & scriptis suis quæ supersunt, insectabatur, voluerit ex ejusdem Joannis libris textus aliquot emendicare, ipsiusque doctrinam facere suam? Si tanti fuerit ista liber Hieronymo, cur post illum nemo alius scriptor, annorum mille curriculo, aliquid ex ipso mutuatus est, aut librum vel nominare dignatus fuit? Quanto æquius est diceta, ea, quæ in Joanne & Hieronymo similia reperiuntur, ex Hieronymo potius in Joannem ab anonymo aliquo, rebus suis sic consulere volente, quam ex Joanne in Hieronymo, & quidem ab ipso Hieronymo, transcripta esse? Me quoque pudet, supponi me cœpisse Auctori, suspecto de hæresi non itpria dem: prius enim aliis, bene Catholicis, attribuebar. Quamvis enim non omnibus probentur omnia, quæ dico, ut vera, non tamen reprobantur ut hæretica.

51 In subsidium istius libri Joanni Patriarchæ suppositi, accersunt Epistolam, siva ejusdem auctoris, sive alterius, attributam Cyrillo Constantinopolitano, uti vocant, tertio Ordinis sui sub annum 1230. Generali. Sed hæc tam manifeste ast apocrypha, & numquam a Cyrillo isto scripta, quam est manifestum, prædictum librum Joanni 44. esse suppositum, & non fuisse scriptum græce, nec ante ætatem ipsius Cyrilli. Cum enim Epistola hæc mentionem faciat libri prædicti, & liber iste aliunde probari non possis ante seculum 14. extitisse, nec ab ullo visus, lectus, aut citatus sciatur antea fuisse; multaque indicia & testimonia virorum, in talibus versatissimorum, afferri possint quæ postea scriptum esse suadeant; illa omnia æqualiter probant, Epistolam Cyrillo adscriptam esse ipsius non posse, sed essa temporis posterioris. Nec quidquam congruentius dici potest, quam quod utrumque istud scriptum sub illa ipsa tempora natum sit, quibus cœpit primum citari.

52 Idem judicium esto de qualicumque libro, sub nomine Josephi Antiocheni citato a Riboto seculo 14. atque ita citato, ut descriptis inde ab eodem aliquot versibus, libar ipsa videri desierit, nec ullus postea quidquam inde citaverit, quam quod apud Ribotum extat. Cur libar iste Josephi infortunatior fuit, quam liber Riboti? Extabat tunc, etiam extiterat (uti quidam optant ac etiam tenere volunt Carmelitæ) annos circiter milla ducentos quinquaginta, quando scribebat Ribotus, cur non ad posteros transmisit eadem cura illud ac suum opus? Cur sibi elabi a manibus sivit librum, tantæ antiquitatia vindicem, is qui unice intendebat libro suo novo antiquitatem Ordini suo vindicare? Ra nulla profecto id poterat efficacius præstare, quam proferendo librum tam antiquum. Qualia autem sunt, quæ inde citantur? Quod Carmelitæ, *Apostolarum Christi coadjutores strenuissimi* fuerunt; *qui de monte Carmeli descendentes, per Galilæam, Samariam, & Judæam fidem Christi constantissime sparserunt: quique in Virginis Mariæ*, adhuc viventis (ut ait P. Sebastianus) *honorem, in Montis Carmeli declivio, fabricantes oratorium, Salvatoris matri specialissime servierunt*. Quæ omnia quam parum credibilia sint, & non potuerint scribi ab aliquo, qui seculo Christi secundo vixerit; tam ex *Vera*, quam hac *Non vera origine Ordinis* Carmelitani, manifestum est.

§. VI. *Alterum antiquitatis chronologica fundamentum, Traditio Ordinis.*

DE Traditionibus, mere historicis & ab Ecclesia Catholica universaliter non admissis, hic agimus, & egi pluribus in Responsione mea tota Art. 19. quo Lectorem remitto; requirens num. 21. ad veram traditionem historicam, quæ probet factum vere fuisse, quod fuisse tradit, ut continua sit aliquot seculorum; imo ut tempus, quo res traditur contigisse, prope attingat; deinde, ut constans sit ac invariata. Addo etiam, quod, si remotissima tempora & res, ab annis mille, bis mille aut amplius gestas, respicit, debeat per intervalla testimoniis scriptorum fida dignis fulciri. Absque his enim traditio erit mera popularis, ac similis Famæ, quæ

Mobilitate viget, viresque acquirit eundo;
Parva metu primo, mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.

54 Ego veræ traditionis, ad aliquid probandum idoneæ, nihil invenio in Ordine Carmelitano circa antiquitatem ejus, ante seculum 14. aut certe non ante 13. nec invenio totis viginti duobus seculis prioribus testimonium ullius idonei scriptoris, aut vestigium quodvis aliud,

aliud, quo suffulciatur aut nitatur traditio. Et sane, cum disputatur, an Carmelitæ fuerint ante seculum Christi 12. in mundo; negeturque passim ab Historicis cum Baronio: nimium præsumere videbitur, qui Carmelitarum qualemcumque de instituto ab Elia ordine religioso, de trium votorum in eo professione, de successione nunquam interrupta, traditionem, ab initio *semper huc usque constantem* (ut ipsam appellat P. Sebastianus Art. 16. num. 4.) certamque, ante certam eorumdem Carmelitarum existentiam, tot seculis jam fuisse, absque probatione alia, & absque hæsitatione, ausit pronuntiare.

55 Apostolica vix ulla traditio ab Ecclesia proponitur credenda fidelibus, quæ non habeat, per singula fere post Apostolos secula, aliquod existentiæ suæ indicium in Patrum scriptis: & traditio Eliano-carmelitana, a solis fere & non omnibus Carmelitis credita, quæ tanto altius ascendit quam Apostolica, debebit credi etiam a non Carmelitis, sine ullo per duo & viginti secula indicio? Afferant quidem Carmelitæ, pro fulcimento traditionis suæ præcipuo, librum Joannis Patriarchæ 44. sed cum hic seculo 14. antiquior non sit, quemadmodum supra ducuimus, nullum est fulcimentum istud; nec poterit fulcire antiquitatem traditionis, quasi hæc ab Elia *semper huc usque constans* fuerit.

56 Fateor quidem, facilius conservari traditionem & manere constantem in contubernii virorum moderatorum atque religiosorum, quam in levi vulgo; & hoc etiam ex capite traditiones Ecclesiæ Catholicæ plurimum auctoritatis acquirunt, quotquot circa res, in aut ab Ecclesia gestas, versantur. Attamen nullius auctoritatis foret traditio cujuscumque contubernii aut religiosæ familiæ, aut ipsius etiam Ecclesiæ, si qua in ipsa esse, aut proponi ab ipsa posset, quæ versaretur circa ipsam talia religiosæ familiæ aut Ecclesiæ existentiam, prinsquam extiterint. E. G. si traderet Ecclesia Catholico-Romana a Christo instituta, se vere extitisse a temporibus Eliæ, & huc usque eamdem perseverasse; quilibet Catholicus novit, ejusmodi traditionem locum habere in Ecclesia non posse; & merito mirabitur, locum ei ac fidem prudentum virorum in religiosa familia dari. Prius enim est existere, quam agere aut tradere aliquid. Neque fieri potest, ut existentia alicujus contubernii prima, ex propria ejusdem contubernii traditione probetur, nisi saltem ipsa traditio aliunde probetur ab initio extitisse. Neque traditio Ordinis Carmelitani (ut concedatur etiam, ab anno Christi 1200. huc usque extitisse) quidquam probabit amplius per solam, pro existentia Ordinis a temporibus Eliæ, quam probet pro existentia sui ipsius ab ejusdem temporibus. Cum autem hæc traditio, ab anno 1200. continuata, non probet, traditionem ab Eliæ temporibus fuisse de existentia Ordinis; ita neque probare per se potest ipsam existentiam Ordinis ab inde deductam.

§. VII. *Tertium fundamentum, Breviaria tum Romanum, tum alia Carmelitis legi permissa.*

BReviaria, ad laudandum Deum primitus & præcipue inducta in Ecclesiam, posterioribus longe temporibus laudatores Dei etiam ad imitationem Sanctorum excitatura, addi sibi atque inseri viderunt Lectiones historicas, quibus gesta & exempla Sanctorum ob oculos ponuntur, & lecta animum disponunt atque incendunt ad imitationem sui. Atque hic est istiusmodi Lectionum historicarum finis principalis; qui & obtineri potest non tantum quando singula, prout illic narrantur, facta sunt; verum etiam quando aliter sunt facta; dummodo laudabiliter imitabilia sint quæ narrantur: ideoque etiam diligentia illorum, quibus tales Lectiones committuntur examinandæ & approbandæ, principaliter versari debet circa prædictam imitationis utilitatem, minus principaliter circa rerum propositarum veritatem; quæ sæpe omnimoda haberi non potest, quantumvis magna adhibeatur accuratio, etiam a pluribus ad id deputatis, ut videre est in variis hodierni Breviarii Lectionibus, & fatetur Gavantus Sect. 5. cap. 12. commentarii sui in Rubricas, a me citatus Art. 9. §. 3. num. 27.

58 Lectionibus sic rite recognitis ab aliquo S. R. E. Cardinalium ac proinde a S. Congregatione approbatis, quid porro confert auctoritas Apostolicæ Sedis? Aliud, opinor, nihil, quam ipsa conferre vult, sub hac aut simili formula *mandans* (aut concedens) ut Lectiones cum reliquo Officio, E. G. de S. Cajetano, *in Breviario Romano* (aut alio) *apponantur; & ab omnibus* (aut aliquibus) *utriusque sexus Christi fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, de præcepto* (aut ad libitum) *recitentur die N.* Id totum est, quod conferre in similibus solet Pontifex, quia totum est quod solet rogari; nusquam intendens mandato vel concessione sua, vera aut veriora reddere singula, quæ illic narrantur facta; quam tunc sunt, juxta prudens examinatorum & approbatorum judicium. Hoc autem judicium, ut sæpe aliud fuisse compertum est, quam res sit in se; ita potest de cetero evenire; præsertim ubi de rebus antiquis incertisque, aut in utramque partem probabilibus, judicatur.

59 Hinc doceo Art. 17. num. 2. aliud esse fidem, quæ factis in Officio Ecclesiastico narratis adhibetur, non præcipitur; aliud esse observantiam quoad usum Officii: quæ tanto major esse debet, quanto major est auctoritas præcipientis. Hinc etiam Emin. Card. Ursinus, in sua de Reliquiis S. Bartholomæi Dissertatione anno 1693. edita, negat, eas umquam Benevento fuisse translatas Romam, licet in Breviario Romano talis translatio legatur: dicitque ad Auctoritatem Breviarii, objectam sibi Art. 6. Illud *maxima quidem auctoritatis esse in iis, quæ per se ad cultum ecclesiasticum attinent: minoris tamen esse ponderis in privatis factis aut gestis, quæ in Vitis Sanctorum ex occasione referuntur; ita ut efficax argumentum inde peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur;* uti fere fit in omnibus, quæ antiquissima esse docet non antiqua traditio Carmelitarum. Adversantur enim pleritque ad Carmelitanam antiquitatem spectantibus historiis, quas ex traditione sua quomodocumque permissi sunt Breviario Ordinis inserre, monumenta antiquiora, Imo & deficiunt ipsis plerumque monumenta propria, quæ magis quam traditio, idonea sint ad probandum.

60 Jam vero compendia historica, quæ Breviariis

viariis inseruntur, a monumentis, non semper æque probatis accepta (qualia sunt nonnullæ Sanctorum vitæ olim conscriptæ) majorem auctoritatem, intrinsecam saltem & per se, habere non possunt, quam habeant monumenta ipsa. Extrinseca quidem auctoritas aliqua compendiis accedat ex judicio ipsa legentis, examinantis, atque approbantis: verum hæc magna esse non potest, nisi idem monumenta quoque antiqua diligenter examinaverit. Neque enim metienda auctoritas illa est ex dignitate personæ, quantovis sublimi gradu positæ (quantum quidem attinet ad veritatem historicam factorum, de qua loquor) sed ex majori minorive prudentia, experientia, & facultate discernendi verum a falso, longo aut minus longo usu acquisita; præcipue vero ex notitia illorum, quæ historiis adjuncta sunt, loci, temporis, auctorum, aliarumque personarum, ut verosimiliter sciatur, ubi, quando, a quibus, quam prudentibus res acta, ex qualibus monumentis collecta conscriptaque sit: quæ cum ex compendiis Breviario insertis cognosci non possint, non potest ex iis absolutum judicium de veritate historica ferri. Autographa apographis, antiqua minus antiquis, integra compendiatis præstant, imo necessaria sunt ad ferendam prudenter de veritate, aut verisimilitudine facti historici cujusvis non revelati sententiam.

61 Interea, licet fides singulis Historiarum factis, in Breviario relatis, non debeatur; doceo tamen observantiam quoad usum Officii præscripti adhibendam esse tantam, quanta debetur auctoritati Pontificis summi, illum præcipientis, aut permittentis. Et hanc ego observantiam adhibui semper per gratiam Dei, & adhibeo, persolvendo quotidie pensum canonicum, etiam illud, quod festo solemnis Commemorationis B. Mariæ de monte Carmelo, in ditionibus Regi Hispaniarum subjectis, recitandum nobis præscribitur; licet in illo, ac alibi, varia, certiori historiæ minus conformia, deprehendam non raro. Quando autem talia a me deprehensa indico etiam aliis inter scribendum, id facio plerumque majoris utilitatis, aliquando necessitatis causa, semper amore veritatis. Sic utilitas quidem & major gloria (ut ego quidem existimo) Ecclesiæ Catholicæ stimulavit me, ut Marcellinum, Pontificem Romanum Sanctumque Martyrem, labe turpissima Idololatriæ, qua illum a tot seculis invidia hæreticorum asperserat, purgarem: accedente ad reliqua, quibus id præsto argumenta, æquissimo, ut mihi videtur, judicio, dictante, minus credibile esse, quod Romanus Pontifex & sanctus Christi Vicarius Idolis publice thus adoleverit, cum summo totius Ecclesiæ scandalo; quam quod ii, qui Lectiones Breviarii primum collegerunt, quique postea recognoverunt, secuti opinionem tunc (quæstione nondum ut modo ventilata) magis receptam, judicaverint Lectiones de S. Marcello, ut erant, relinquendas esse, easque cum ceteris, præcepto universali legendas, mandaverit Pontifex.

62 Necessitas vero me meaque defendendi contra importunas P. Sebastiani & Sociorum ejus accusationes, sæpius me coegit refutare plura, quæ ipsi, præter aut contra fidem veterum historiarum, novis Breviarii sui Lectionibus intulerunt; & simul oblata S. Congregationi Rituum, approbata retulerunt legique permissa.

63 Nunc velim illi, qui me Breviariorum temeratorem faciunt, atque *historias iisdem authentice insertas, tamquam fabulas, commenta, somnia, & mendacia explodere accusant;* quique Lectionibus Breviariorum, a S. Congregatione Rituum recognitorum & approbatorum, tantam ex ejusmodi approbatione auctoritatem accedere docent, ut falsum amplius subesse iis non possit; nunc velim, inquam, illi mihi dicant, an id doceant, ut bene mereantur, an ut mereantur male de Ecclesia Romana? Nolim ego suspicari viros Religiosos id velle docere, ut mereantur male de Ecclesia matre sua: absit. At vellem mihi monstraret quispiam, non merituros male re ipsa. Damnat quippe Ecclesiam doctrina illa erroris, jam commissi in iis ipsis, ubi ista docet errare eam non posse. Nam si nunc subesse falsum non possit Lectionibus Breviarii a Pontifice approbatis; neque potuit similiter a Pontifice probatis subesse falsum seculo superiore.

64 Ergo quidquid Clemens VIII. in Breviariis, eorumque Lectionibus historicis, a Pio V. beato Pontifice approbatis, correxit; quidquid in iisdem ita correctis denuo emendavit Urbanus VIII. correctione aut emendatione nulla eguit. Ergo quidquid in illis, ut minus verum mutari, aut ut falsum deleri jusserunt, per errorem uterque jusserunt, decepti ipsi. Ergo necessario vel subfuit falsum, aut minus verum Breviario post approbationem Pii; vel subfuit post correctionem & approbationem Clementis & Urbani: talia enim nonnulla correcta & omissorum loco substituta sunt, quæ simul vera esse non possint.

65 Ergo omnis probus Catholicus, qui honorem Romanorum Pontificum contra hæreticos eorumque dicteria tueri cupit; liberando E. G. Marcellinum Papam, ut modo dixi, turpissima idololatriæ macula, quam ei hæretici, teste S. Augustino, asperserunt; id prohibetur facere per Breviarium Romanum: quia hodiedum in illo legitur Marcellinus in persecutione Diocletiani, *terrore perterritus, deorum simulacris thus adhibuisse*. Quid gravius est, & Ecclesiæ Catholicæ magis probrosum, Romanum Pontificem adolere diis, an Romanum revisorem correctoremque non correxisse omnia facta historica, quæ in Breviario leguntur minus vera: aut Pontificem Breviario, quanta potuit humana diligentia castigato, apponere in fide Revisorum approbationem suam?

66 Quæro igitur, an Clemens & Urbanus Pontifices prædicti laudabiliter correxerint Breviarium Romanum, a decessore suo Pio V. beato Pontifice approbatum. Negare, Catholicus si es, non audebis. Ergo & laudabiliter egerunt, qui Pontificibus in ea re cooperati sunt, quique hodiedum studia sua & lucubrationes eodem dirigunt; notando quæ sibi minus vera, quæ apocrypha, quæ etiam falsa videntur; relinquentes interim judicio atque arbitrio eorum, ad quos spectat, mutationem & correctionem, quomodo, quando, & ubi voluerint faciendam, aut non faciendam. Sane si nemo privatus in scriptis suis similia notando præluxisset pridem, Concilii Tridentini Patribus Pontifici-

tificibusque Romanis; vehementer dubito, an castigatius modo breviarium haberemus quam fuit ante tempora Pii V. Similia notavit sæpe Baronius, similia Mabilio, similia Pagius, Cardinalis Ursinus, & quotquot fere historiam Ecclesiasticam tractant, æque privati scriptores atque ego sum. Cur id in me ab aliquibus, subesse Breviario approbato falsum posse negantibus, grave crimen existimatur, quod aliis plerumque laudi ducitur, equidem penetrare nequeo; præsertim cum materia, quam ego tracto; veritas, quam investigo; decor Ecclesiæ, cui studeo; reprehensiones hæreticorum, quas amolior; exempla Catholicorum, quæ sequor; id exigere aut suadere videantur. Si opera mea, quam cupio utiliter in talibus navare, minus utilis videbitur, etiam iis, quibus me meaque scripta, ut debeo, lubens submitto; breviori tempore, ac studio impendioque minore imprimentur Acta Sanctorum, ut jacent, *compluribus deturpata mendaciis*, quemadmodum de Actis S. Silvestri Papæ loquitur Baronius ad annum 315. num. 17.

§. VII. *Quartum antiquitatis chronologicæ fundamentum, Bullæ aliquot Pontificiæ, quas inter Sabbatina Joannis XXII.*

DE Bullis Brevibusque Pontificiis, & quanta factis historicis ibi relatis debeatur fides, dixi jam in Responsione mea Artic. 3. fere toto. Posse in illis decipi summos Pontifices atque errare, docuerunt Clementem X. Patres Carmelitæ per relationem falsam; qua, testatur Pontifex ille, decessori suo Clementi IX. impositum ab ipsis fuisse, indeque errorem & falsum influxisse in litteras ejus Apostolicas, pro Carmelitis ad Ordinarium loci de Bilbao datas. Breve Clementis X. quo isthæc testatur ac declarat, invenire est in Appendice Bullarii num. 34. uti & nonnulla eodem spectantia in Resp. mea Artic. 2. num. 99. & alibi. Nihilominus contendunt iidem Patres Carmelitæ, certo credi cupiunt, Pontifices errare non posse in factis historicis, saltem ubi res suæ & antiquitas Ordinis confirmari quoquo modo videntur.

68 Hunc in finem duas referunt præcipui momenti Bullas, quas optant in omnibus & ab omnibus infallibiles haberi; alteram, *Sacratissimo uti culmine*, quam vocant *Sabbatinam*, Joanni XXII. alteram, *Dum attenta meditatione*, Sixto IV. attributas. Prima, de qua hic, data dicitur Avenione anno 6. Pontificatus Joannis, qui fuit Christi 1322. & confirmata ab Alexandro V. anno Pontificatus 1. Christi 1409. In ista Bulla dicitur B. V. Maria apparuisse Joanni Pontifici, eique Ordinem suum Carmelitarum singulariter commendasse, asseverans, *suum in cœlis filium* Christum Dominum *ordinasse ac statuisse, quod qui sanctum intrabit Ordinem* Carmelitarum *salvabitur: &, si alii devotionis causa in Sanctam ingrediantur Religionem*, id est Ordinis Confraternitatem; *sancti habitus signum*, seu Scapulare, *ferentes, appellantes se Confratres & Consorores Ordinis; liberentur & absolvantur tertia eorum peccatorum portione*. Præterea pollicetur beatissima Virgo, *se gratiose descensuram sabbato post eorum obitum; & quos invenerit in purgatorio liberaturam, &*
Opuscul. Collect.

eos in montem sanctum vitæ æternæ reducturam. Istam autem *sanctam Indulgentiam* Joannes XXII. *acceptat, roborat, & in terris confirmat: sicut propter merita Virginis Matris, gratiose Jesus Christus concessit in cœlis.*

69 Quod vero ad nos hic præcipue spectat, & in confirmationem antiquitatis adducitur, est, quod ibidem beatissima Virgo postulet a Joanne, ut *amplam suo sancto & devoto Carmelitarum Ordini*, PER ELIAM ET ELISEUM IN MONTE CARMELI INCHOATO, *confirmationem præconcedat*: cujus *Regulam* mox dicit, *a suo servo Alberto Patriarcha ordinatam*, & *per suum dilectum filium Innocentium approbatam* fuisse. Hoc ultimum (ut obiter dicam) non puto, debuisse beatissimam Virginem discere ab Auctore Bullæ, *Dum attenta*, Sixto IV. attributæ, aut potius suppositæ, ut paulo post videbimus; qui Auctor etiam ipse Innocentium approbatorem Regulæ Albertinæ facit; cum tamen ante ipsum illam pridem approbaverit Honorius Papa III. anno 1226. uti ejusdem Honorii Bulla, ea de re data, nos docet.

70 Observari etiam meretur, quod beatissima Virgo ante Albertum Patriarcham non agnoscat alium, qui Regulam Ordini suo dederit; licet Carmelitæ prætendant antiquiorem sibi Regulam a Joanne Patriarcha 44. datam fuisse, annis ante Albertum 800.

71 Nunc, quod Ordo ille ibidem dicatur *per Eliam & Eliseum in monte Carmeli inchoatus fuisse*, commodissime intelligi & explicari potest de eremitica vita, quam in monte illo Elias & Eliseus primi vixerint: quorum exempla diu post ibidem imitati sunt alii, a monte ipso Carmelitæ dicti, ut propterea admitti non debeat Ordo ab Eliæ temporibus vere Religiosus, cum professione trium votorum, & successorum serie numquam interrupta. Ostendi nihilominus in Respons. Art. 3. §. 15. prædictam Bullam, Joanni XXII. & Confirmationem ejus, Alexandro V. Pontificibus suppositam esse; tum aliis usus argumentis, tum validissimo illic loci negativo, ut vocant, desumpto ex silentio Scriptorum Ordinis Carmelitani plurium, in meo loco citato enumeratorum; qui eisdem cum Joanne atque Alexandro seculis vixerunt, plerique Priores Generales, aut Provinciales Ordinis; ac proinde si talis Bulla, tam extraordinaria, tam excellens, tam utilis & gloriosa, sibi data a Joanne, aut confirmata ab Alexandro fuisset, ignorare id non potuissent: non ignorantes autem, debuissent Scriptores illi, ratione argumenti quod tractabant, ac voluissent pro gloria & commendatione sui Ordinis, istiusmodi Bullæ mentionem in operibus suis facere. Quod cum non fecerint, utique notitiam Bullæ non habuerunt; habituri autem fuissent, si Bulla extitisset.

72 Adde nunc etiam, quod Sixtus IV. in Bulla sua, *Dum attenta meditatione*, prima, in qua reproducit Bullas decessorum suorum fere quinquaginta integras, plurima privilegia Ordinis Carmelitani complexas, ac tres, inter illas, a Joanne XXII. concessas: quodque in secunda ejusdem principii Bulla sua, qua datas eidem Ordini a tribus & viginti Pontificibus, nominatim expressis, recenset per compendium Indulgentias, nullam noverit Bullam, *Sacratissimo uti culmine* Sabbatinam, aut ei si-

milem; nullam item ooveriti indulgcotiam, a beatissima Virgine Maria concessam; aut animam liberandam purgatorio ab ipsa primo post obitum sabbato; tamersi de Joanne, & datis ab eo Ordini Indulgentiis, plura referantur in Bulla Sixti secunda his verbis.

73 *Item Joannes XXII. omnes Indulgentias & peccatorum remissiones, a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis dicto Ordini Carmelitano concessas, confirmavit; & quadraginta annos & totidem quadragenas de injunctis poenitentiis universis Christi fidelibus, dicti Ordinis Ecclesias in qualibet solemnitate quatuor festivitatum beatae Dei genitricis Mariae, videlicet Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis, visitantibus & confessis in Domino, pia largitione concessit*. Nihil hic de contentis in Bulla Sabbatina; nihil videlicet de certa salute Ordinem Carmelitanum intrantium; nihil de Indulgentiis Coofratrum habitum Ordinis gestantium; nihil de descensu Virginis Matris in purgatorium Sabbato: nihil de liberatione animarum ea eodem: nihil etiam hic, aut in prima Sixti Bulla, de confirmatione Bullae Sabbatinae per Alexandrum V. sexaginta dumtaxat annos ante pontificatum Sixti facta.

§. VIII. *Quintum Chronologia Ordinis fundamentum, Bulla Sixti IV. de successione ejus hereditaria.*

ALtera Bulla, de qua loqui superiori paragrapho coepimus, attributa Sixto Papae IV. momenti majoris est. Refertur ab Emmanuele Rodrico in oova Collectione Privilegiorum Regularium, inter Sixtinas trigesima octava. Ex hac Bulla duo afferut pro se & antiquitate sua Carmelitae. Primum, quod Ordo suus, *Sanctorum Prophetarum Eliae & Elisei & Enoch, nec non & aliorum Sanctorum Patrum, qui montem Carmeli juxta Eliae fontem inhabitarunt, successionem hereditariam teneat*. Secundum, quod Indulgentias habuerit idem Ordo a Leone Papa IV. qui anno 850. Ecclesiae praefuit, aliisque seculi ejusdem & sequentium Pontificibus, sibi concessas. Ad primum quod spectat, admitto verba, si minus vi Bullae hujus mihi admodum suspectae, propter dicta in Resp. Art. 2. a num. 171. atque Art. 3. §. 10. & 11. & hic dicenda: admitto tamen, quia referuntur eadem in certiore alia ejusdem Sixti Bulla & posteriorum Pontificum. Secundum non admitto; neque potest ex Bullis aut aliunde probari, verum esse: potest autem probari esse falsum, argumento non uno; & probabitur sequenti paragrapho.

75 Hic ad primum interrogo, quid intelligi debeat per *successionem hereditariam*, quam exprimit Bulla? Respondent Carmelitae, intelligi debere successionem, vere & physice continuatam, nec omquam interruptam, ab Elia & seculo ante Christum decimo hue usque; nullo tempore deficientibus, qui vota paupertatis, castitatis & obedientiae religiosa, idemque institutum in monte Carmelo post Eliam professi fuerint, Subditis ac Superioribus.

76 Respondeo ego, interpretationem istam conciliari cum veritate rei non posse, adeoque nec debere per successionem hereditariam intelligi physice continuatam a temporibus Eliae & numquam interruptam: posse autem intelligi successionem aliquam hereditariam virtutum atque exercitationum eremiticarum, quarum exempla reliquit Elias illo in loco, ubi postea primi resederunt Carmelitae; relictaque ab ipso exempla imitari & in se exprimere propoerunt, virtutum ejus quodammodo heredes facti. Potest etiam hereditaria intelligi successio, ex eo quod in montem Carmeli & quidem ad Eliae fontem, tamquam in hereditatem ab ipso possessam & posteris relictam, successerint Carmelitae primi, & quidem jussu Prophetae. Potest denique hereditaria successio explicari quoque per vere physicam & realem, non quaenus successio referretur ad primam sententiae Pontificiae partem, sive ad *Prophetas Eliam & Eliseum & Enoch*; sed quatenus referretur ad partem secundam sibique viciniorem, sive ad *alios sanctos Patres, qui montem Carmeli juxta Eliae fontem inhabitarunt*. Hunc enim ipsum locum primi Carmelitae Sancti Bertholdus, Brocardus & Cyrillus cum suis vere inhabitarunt, ab usque hodiernis Carmelitae continuam nec umquam interruptam vere tenent successionem.

77 Sed nemo aptius respondere potest, quam Pontifices ipsi, qui Bullam dederunt. Interrogentur hi, quomodo intelligant successionem hereditariam Carmelitarum ab Elia & Eliseo. Respondebunt se intelligere talem, qualem tenent iidem ab Enoch, qui plurimis ante Eliam & ante diluvium seculis vixit, aeque ac Elias raptus a Deo. Dicunt quippe Pontifices, Sixtus IV. qui primus successionis istiusmodi meminit anno 1477., & alii post ipsum multi, qui eadem descripserunt: dicunt, inquam, isti Pontifices clarissimis verbis, Carmelitas *Sanctorum Prophetarum, Eliae, & Elisei, & Enoch successionem hereditariam tenere*. Si ergo tenent ab uno, tenent ab omnibus; & eouem modo ab omnibus quo ab uno; quin eodem modo Pontifices referunt successionem ad omnes. Sed non potest proprie intelligi successio cotinuata & numquam interrupta ab Enoch (neque volunt eam intelligi Carmelitae); ergo neque potest proprie intelligi talis successio ab Elia & Eliseo (neque velle debent Carmelitae eam potius intelligi quam Enochianam); ergo successio potest ac debet tantum referri ad *alios sanctos Patres*, qui multo post tempore montem Carmelum scribuntur inhabitasse; ad sanctos nempe Bertholdum, Brocardum & Cyrillum, primos Ordinis Generales. Et haec successio ut etiam physica sit, semper inde continuata nec umquam interrupta huc usque, per me licet.

78 Sed aliud responsum nuper attulit ad idem argumentum, a Janningo ex verbis Pontificiis deductum, P. Sebastianus a S. Paulo, non sine hirmacho opinatus in Motivo-Juris; *contra evidentem veritatem, fraudulenter, in derisum Ordinis Carmelitarum*, a Janningo acceptum esse Enoch, de quo Bullae, pro Enoch veteris Testamenti Propheta: *cum evidenter constet*, ait, *ibi agi de Enoche de Amathim novi Testamenti*. Sed quis, amabo, Enoch ille de Amathim novi Testamenti? Antiquiorem non habet interpretem Bullae Sixtinae P. Sebastianus, aut inventorem alium Enochi de Amathim, quam Paleonydorum: qui primus ipsum induxit in Mundum anno 1497. atque ita describit: *Fuit Enoch, sanctissimus puer, qui velut alter Samuel, a parentibus in montem Carmeli addu-*

adductus, virgo permansit; qui illic postea *Fratrum Rector & Præpositus fuit constitutus; qui locum Fratrum suorum circa Jordanem visitans, audivit S. Joannem dicentem* de Christo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* qui tunc *cum quibusdam Fratribus fuit deinceps Christo junctus est, ab eo septimus in numerum Discipulorum* LXXII. *ordinatus;* idque *non sine mysterio factum creditur. Nam primus Enoch, fuit septimus ab Adam, significans septimam ætatem, in qua beatus Enoch Carmelita beatam & eremiticam vitam peregit.* Qui *inde post ascensionem Christi ab Apostolis Nicopoli Episcopus ordinatus, vocatis quibusdam de Fratribus, monasterium ibi constituit; sed tribus tantum annis illi ecclesiæ præsidens, beato Marco adhæsit.*

79 Hæc Palæonydorus, tam multa, tam antiqua, tam singularia, tam distincte describens de uno Enocho de Amathim, annis mille quingentis ignoto omnibus, auctoritate propria, nullum citans pro hactenus dictis testem. Pro sequentibus tamen testem citans, nomine tenus; sic pergit: *Unde Philo: Itaque Marcus, assumpto Enoch Eremita montis Carmeli, cum Evangelio quod ipse confecerat, perrexit in Ægyptum; ubi constructis monasteriis & Fratribus religiose institutis, Enoch ad Terram-sanctam post martyrium S. Marci reversus, in monte Carmeli contemplationi & orationibus vacans, die 7. mensis Julii, diem clausit extremum, ubi anno Domini 64. a Fratribus digne cum honore traditus est sepulturæ.*

80 Si hæc testaretur Philo, a Palæonydoro citatus, quantum præsidii accederet antiquitati Carmelitanæ! quanto esset etiam fidei melioris Palæonydorus, quam nunc reputabitur; volens historica facta, a se primum conficta, & ex omni parte incredibilia reddere credibilia sub nomine contemporanei scriptoris & fide dignissimi, citando Philonem, & allegando verba ac si Philonis essent; quæ tamen is nulla habet, seu in toto, seu in parte. Plura de his qui volet, adeat Janningi Amicam Expostulationem, a num. 93. atque Post-scriptum ejus a n. 30. ubi etiam videbit, non posse hunc Enochum de Amathim intelligi per Enoch, de quo Bullæ Pontificiæ, ut Propheta veteris Testamenti. Enoch enim de Amathim non fuit Propheta; Pontifices autem nominant Enoch Prophetam. Enoch de Amathim non fuit notus Mundo, cum suam dedit Bullam Sixtus IV. quomodo ergo ipsum conjunxerit cum notissimis Prophetis Elia & Eliseo? Tædet plura hujusmodi hic recoquere.

81 Sed, nominatur a Pontificibus Enoch ultimo loco. Quid tum? Sit Elias præcipuus & post ipsum Eliseus, quorum imitando virtutes in vita solitaria, hereditariam successionem teneant Carmelitæ: fuit etiam Enoch religiosissimus, fuit *Propheta, ambulavit cum Deo*, qui & *tulit ipsum*, uti postea Eliam: potuitque adeo, æque ille ac iste cum Deo ambulans, ac eoque raptus in paradisum, reputari a Pontificibus exemplum virtutum, quod imitarentur Carmelitæ. Si Pontifices Romani, Carmelitas excalceatos laudando, dicerent ipsos hereditariam successionem tenere SS. Theresiæ & Eliæ & Elisei: an non recte ponerent primo loco Theresiam, & postea Eliam & Eliseum; licet hi tempore fuerint priores, illa posterior? Existimo sane: quia primus locus non respicit in talibus ordinem temporis, sed personam, magis connexam cum re, quam fecisse, aut Congregatione, quam instituisse dicitur. Theresia autem majorem connexionem habet cum PP. Carmelitis excalceatis, quos a Calceatis discrevit, reformavit, novis præceptis legibusque munivit, ac spiritu suo animavit; quam cum illis habeant Elias aut Eliseus, nihil ejusmodi respectu eorum operati. Similiter Elias majorem connexionem existimatus fuerit habere cum PP. Carmelitis, ratione loci, quem post ipsum, & ab ipso quodammodo sacratum, incoluerunt, ibique successionem habuerunt; quam Enoch, qui non scitur quidem vixisse in Carmelo, ambulans tamen cum Deo, quærentibus in solitudine Deum imitabilia exempla virtutum non pauca reliquisse censendus est; & merito in exemplum, uti Elias & Eliseus, proponi potuit Eremitis.

82 Nunc sane non capio, cur P. Sebastiano stomachum moveat sententia Janningi, docentis, Ordini Carmelitarum a Pontificiis Bullis tribui successionem hereditariam *Prophetarum Eliæ & Elisei & Enoch* veteris Testamenti: cum verba Bullarum id clare indicent; cum illic requiratur *Enoch Propheta;* cum Enoch de Amathim Mundo notus non fuerit sub Sixto IV.; cum Ordo ipse Carmelitanus Enochum veteris Testamenti suum agnoscat, & inter Sanctos suos etiam reponat. Reverendissimus totius Ordinis Generalis Prior, Joannes de Villalobos, in Brevi Chronologia Religionis perfectæ n. 8. (ut mihi scribit, cujus id interest) explicans illud, quod Enoch *ambulavit cum Deo: Idest*, inquit, *tota mentis intentione ferebatur in Deum, Religiosos nostros figurans; & Patronus eorum existens*. Quid amplius dicit Janningus? quid aliud Pontificiæ Bullæ? An Patres Carmelitæ nihil in Patrono suo inveniunt, quod laudabiliter imitandum proponi potuerit? Idem Reverendissimus in Dissertatione sua Historico-sacra & Theologico-dogmatica pag. 76. num. 114. agnoscit, eumdem Enoch Prophetam *Religiosum perfectum* fuisse; licet non æque perfectum ac Eliam. Sed nec *alii Sancti Patres*, qui montem Carmelum inhabitarunt, tam perfecti fuerunt quam Elias; & tamen reponuntur a Pontificibus inter illos, quorum successionem hereditariam tenent Carmelitæ: cur igitur non æque teneant ab Enocho isto? Denique, idem qui supra Reverendissimus in fine tomi, docet ex Thesibus P. Hieronymi Wayner, Prophetam *Enoch adumbrasse veram Religionem*, seu Statum Religiosum, *Samuelem delineasse, Eliam inchoasse & fundasse, Christum perfecisse.*

83 Cur igitur P. Sebastianus adeo indignetur huic Enoch, ut ne locum quidem mereri clamitet cum Elia & Eliseo in Bullis Pontificum, ipsumque inde exrasum velit, propter Enochum, nescio quem, de Amathim? Imo mavult etiam e numero Sanctorum Carmelitarum ipsum eradere, quam relinquere in Bullis prædictis. Fuit enim Enoch Propheta (& nescire id non potuit P. Sebastianus) pridem inter Sanctos Ordinis numeratus & adscriptus: de quo, præter alios recentiores libros, *Catalogus Sanctorum vetusti codicis MS. Carmeli Mechliniensis*, festum ejus 20. Maii ponens, sic loquitur; die 20. *Maii Enoch Prophetæ Carmelitæ*. Et ut scias de Propheta antiqui Testamenti sermonem esse, suum etiam assignat festum *Enocho* de A-

Opuscul. Collect. Cccc 2 ma-

mathim *Episcope*, 7. *Julii*. Nunc de indulgentiis in Bulla relatis.

§. IX. *Bulla Sixti IV. de Indulgentiis quale fundamentum præbeant antiquitati Carmelitanæ*,

NOtandum ante omnia est, duas apud Emmanuelem Rodericum Bullas extare pro Carmelitis, alteram plurima omnis generis privilegia, alteram varias Indulgentias, tamquam a summis Pontificibus Ordini eorum concessas, confirmantem, utramque rogatam ab eodem P. Christophoro Martignono, Carmelitarum Generali; datamque ab eodem summo Pontifice Sixto IV. sub eodem principio & exordio toto, sub eadem etiam clausula, & eodem fere tempore, videlicet anno 1476. 28. Novembris, ac 1477. 1. Aprilis. Prior amplissima est, paginarum triginta in folio; altera, paginarum solummodo duarum. Illa, ut prænotat Rodericus, *habetur authentica in Conventu S. Francisci Salmanticensi per Dominum Joannem de Castella, Salmanticensis Cathedralis Episcopum*: hæc nullo indicio docet, aut docetur, unde accepta sit: illa fere quinquaginta Bullas Romanorum Pontificum, Sixti IV. prædecessorum, sibi de verbo ad verbum habet insertas: hæc nullam habet Bullam, sed nuda Pontificum nomina, qui Bullas dederint.

85 Post utriusque simile, ut dixi, exordium, sic progreditur Sixtus Pontifex in prima quidem: *Dudum siquidem a Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris emanarunt litteræ, quas in cancellaria nostra diligenter inspici, quarumque tenorem de verbo ad verbum, præsentibus inseri fecimus, cum incipiant vetustate consumi; & quos & quarum tenores innovamus, confirmamus & approbamus &c.* Tum integras producit decessorum suorum Bullas fere quinquaginta, ut dixi. Post exordium vero secundæ, sic loquitur: *Sane sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Christophori Martignoni, Magistri Generalis, petitio continebat; Licet multi Romani Pontifices, prædecessores nostri, ob reverentiam gloriosissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli . . . diversas Indulgentias & peccatorum remissiones ac privilegia & indulta Ordini Carmelitarum & istius domibus concesserint; quæ in iisdem domibus sunt recepta; & quorum continentia*, sive compendium aut Synopsis, *publicis scripturis, in dicti Ordinis ecclesiis aptissime reperiuntur, sub hac videlicet verborum forma.*

86 *Leo Papa IV. omnibus Christifidelibus, qui ecclesias beatissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli, hujusmodi in festis, Nativitatis Dominicæ, Pascha*, & aliis, quæ enumerantur omnino sedecim, & quidem cum suis octavis, *devote visitaverint & pias eleemosynas largiti fuerint, seu domos confractas ejusdem Ordinis refecerint, septem annos & duodecim quadragenas concessit*. Atque hæc est continentia sive synopsis Bullæ, quæ Leoni IV. tribuitur: post quam recensentur nominatim, cum suis Continentiis, alii Pontifices, numero viginti tres; expressis etiam Indulgentiis, quas, quales, quibus, & cur, singuli concesserint: dicunturque Pontifices etiam illi, qui anno Christi 816. 868. 912. & 931. sederunt, *tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxasse*, & relaxasse iis quoque, qui *Confratriam Ordinis Carmelitarum assumerent & eam intrarent*. Ultimus Pontificum nominatur Nicolaus V. qui omnes Indulgentias, a decessoribus datas, *motu proprio duplicanda confirmavit*; mortuus anno 1455. sedecim non amplius annis ante creationem Sixti.

87 Finita Continentia a Martignono allata, progreditur Sixtus ex ejusdem adhuc Martignoni narratione: *Tamen, quia (sicut præfati Christophori Generalis relatione nuper accepimus, pro eo quod propter singularitatem privilegiorum, originales litteræ ad manus Generalis prædicti non pervenerunt, nec de illis aliter, quam ut præfertur, doceri potest) circa litteras & privilegia hujusmodi, earumque vim & efficaciam, nonnulla dubia sunt exorta; aliaque indies suboriri formidantur, nisi per nostræ providentiæ studium super hoc provideatur opportune . . . Cupientes itaque ut Indulgentiæ & singulæ Prædecessorum nostrorum litteræ, dicto Ordini ac ejus domibus & ecclesiis concessæ, sublatis quibuscumque hæsitationum obstaculis, inviolabiliter observentur, eisque, prout concessæ dicuntur, indubia fides adhibeatur, devotioque populi etiam augeatur, atque dicti Ordinis ecclesiæ, domus ac conventus conserventur, ædificentur, amplientur . . . . motu proprio non ad ipsius Martignoni*, aliorumve *instantiam; sed de nostra mera voluntate ac deliberatione, & ex certa nostra scientia, singulas Indulgentias ac alias spirituales & temporales gratias, a prædictis, seu aliis quibuscumque Romanis Pontificibus dicto Ordini ac* ejus *personis in genere vel specie quomodolibet concessas . . . auctoritate Apostolica tenore præsentium in suo robore suaque firmitate confirmamus, approbamus & innovamus, ac de novo concedimus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan quoquomodo intervenerint in eisdem.*

88 Hactenus Bulla: quæ ut nunc concedatur vere data fuisse a Sixto IV. quod difficile persuasu erit, propter nonnulla, jam indicata & porro indicanda; quia scilicet tam ipsa quam præcedens prolixa Bulla Sixti, intra menses quinque datæ, sub eodem principio atque exordio toto (quod plane insolitum est) & sub eadem clausula extant: quia licet cetera dissimillimæ sint inter se, dicuntur tamen ambæ ab eodem Martignono Generali rogatæ, & ab eodem Pontifice concessæ: quia nullus indicatur locus, unde posterior Bulla sit extracta; aut ubi originale ejus vel legitimum exemplar inveniatur aut inventum sit; quemadmodum indicatur de Bulla priore apud Rodericum. Maxime autem difficile reddit creditu, Bullam posteriorem, Sixti esse, quod tot nominatorum in Continentia Pontificum nulla Bulla afferri potuerit a Martignono Generali, ex totius Ordinis Carmelitani archivis; quodque Cancellaria Apostolica *diligenter inspici* & excudi curata a Sixto, totque inventis aliorum Ordinis Carmelitani privilegiorum litteris Pontificiis, quot videre est impressas in prima Bulla, etiam ab Innocentio IV. & Alexandro IV. amplius ducentis ante Sixtum annis datas, quarum aliquæ jam cœperant *vetustate consumi*; non prodierit vel una sola illarum omnium, quæ in prædicta Continentia asseruntur a tribus & viginti Pontificibus, variis successive temporibus, datæ; quod denique nulla ibi sit reperta Bulla saltem alicujus Indulgentiæ Carmelitis concessæ ab aliquo eorum Pontificum, qui propius ad ætatem Sixti accedunt, puta Joannis XXII. Urbani V. & Nicolai

colai V. quorum ultimus annis non amplius sedecim Pontificatum Sixti IV. præcessit.

89 Ut tamen hisce aliisque nihil obstantibus, vere data fuerit Bulla etiam ista a Sixto IV. quid, quæso, per illam Sixtus concedit? An testatur, Leonem IV. ceterosve enumeratos Pontifices, indulgentias, ipsis illic attributas, vere concessisse; aut litteras eorumdem, de quibus in Continentia, vere extitisse aliquando? Minime vero. Cum enim aliunde Sixto nihil constaret de ejusmodi litteris, aut Indulgentiis; ac Martignonus ipse fateatur, *originales litteras ad manus suas non pervenisse*, ne quidem illas, quas Nicolaus V. ante annos solummodo viginti dedisset: *neque de illis aliter, quam ut præfertur in Continentia, doceri potuerit* Pontifex; consequens est, quod Continentia illa aliud non sit, quam compendium, ut dixi, aut synopsis prætensarum Bullarum, relata ad faciliorem fidelium usum in publicas tabellas, quæ in Ordinis ecclesiis appensæ *reperiebantur*: quemadmodum etiam nunc obtinet in variis ecclesiis. Scientibus porro nobis hujusmodi tabellas, alibi quidem exhibere Indulgentias certas, alibi minus certas, alibi vero plana falsas, & numquam a Pontificibus, quibus tribuuntur datas; ut invictissime demonstrari potest; quid, quæso superest, ex quo Sixtus scire aut prudenter testari potuit, quod dicitur de existentia Bullarum ipsorum & concessione Indulgentiarum? Nihilominus, ipsum non solum ita testari, sed *ex certa* testari *scientia*, sustinere pergunt Carmelitæ.

90 Ego dico, nihil hujusmodi testari Pontificem, quia nihil hujusmodi testari poterat prudenter, ut patet ex dictis; nedum poterat ex certa scientia testari. Totum quod intendit Pontifex per Bullam suam est *dubia* & contentiones, *circa litteras* & Indulgentias, quæ in Continentia a Leone IV. & successoribus ejus dicuntur datæ fuisse; ac præcipue *circa earumdem vim & efficaciam* ortas, tollere, &, ne in posterum orirentur providere: id autem obtenturum se putat, declarando, Indulgentias, ibi relatas, aut fuisse jam certas; aut certas nunc a se reddi, sive datæ fuerint a Pontificibus, in Continentia relatis, sive a *quibuscumque* aliis; parum scilicet curans, a quo datæ aut non datæ fuerint; sed solum curans, ut certæ sint aut fiant ad spiritualem fidelium consolationem; ideoque non vult litteris prædictis *fidem indubiam adhiberi, prout concessæ* fuerunt in se; sed *prout concessæ dicuntur* a Martignono, quo ad effectum Indulgentiarum obtinendum. Ac tandem *motu proprio* atque ex *certa sua scientia, auctoritate Apostolica confirmat, approbat, & innovat, ac de novo concedit*; Quid? Non litteras, tamquam a tali vel tali datas; sed *singulas Indulgentias ac alias spirituales & temporales gratias, a prædictis, seu aliis quibuscumque Romanis Pontificibus*, Ordini Carmelitarum ac ejus *personis, in genere aut specie, quomodolibet concessas*.

91 Ex hactenus dictis patet 1., incertissimum esse, an Sixtus hanc Bullam dederit umquam. Patet 2., nullam ipsum Bullam agnovisse, nedum confirmasse, tamquam vere datam a Pontificibus, quibus illæ in Continentia adscribuntur. Patet 3., ipsum tantummodo confirmasse, aut potius pro incertis quorumcumque demum Pontificum, certas ex plenitudine potestatis suæ con-

cessisse Indulgentias, ut tolleret *dubia circa vim & efficaciam* earum, jam tum orta atque oritura deinceps: præterea, ut sic *augeret devotionem populi*, parum curantis, a quo concessæ fuerint Indulgentiæ, dummodo certæ sint, quas lucrari intendit; eumque per illas animaret ad Ordinis Carmelitani *ecclesias, domos & conventus conservandos, ædificandos, restaurandos*.

§. X. *Indulgentiæ, in prædicta Bulla relatæ, apocryphæ; uti & ipsa Bulla.*

PAtebit nunc quarto, ipsam Continentiam sive synopsim Indulgentiarum, in prædicta Sixti Bulla relatam, mendacem esse totam; numquam Sixto visam, numquam visam Martignono: & horum tempore nequaquam potuisse *receptam fuisse in domibus Carmelitarum*, aut *publicis scripturis* prostitisse *in ecclesiis Ordinis*. Ex quo sequatur, non fuisse ipsam a Martignono oblatam Sixto, aut ab hoc confirmatam; sed posteriori tempore ab aliquo, Indulgentiarum, quas in Mari magno, seu prima Sixti Bulla, paucas inveniebat, & antiquitatis cupido, sub utriusque nomine priorisque Bullæ principio & clausula confictam esse.

93 Primo enim, si recepta fuit Continentia ista in Domibus & prostitit in ecclesiis Carmelitarum, quando ipsam obtulisse dicitur Martignonus Pontifici Sixto; debet cœpisse illic recipi & prostrare intra viginti circiter annos ante pontificatum Sixti; quia in illa fit mentio litterarum & Indulgentiarum, a Nicolao V. concessarum. Nicolaus autem obiit anno 1455. ut diximus, annos sedecim ante pontificatum Sixti, anno 1471. creati. Nunc quæro, an is, qui Continentiam prædictam intra illud spatium temporis concinnavit, habuerit Bullam seu litteras Nicolai & decessorum ejus Pontificum, in Continentia nominatorum; an non habuerit. Si non habuit; quam fidem merebitur Continentia, non nisi ex mendaciis vani alicujus cerebri consuta tota? Si vero habuit litteras; quomodo aut quo fato (cum aliquæ illarum jam tum extitisse debuerint annis 500. & 600.) tam exiguo annorum viginti aut sedecim aut pauciorum spatio, interciderunt omnes, ut nulla prorsus inveniri aut a Martignono Generali, aut a Sixto Pontifice potuerit?

94 An vero etiam, tum is, qui Continentiam contraxit ex Bullis; tum alii, qui cum ipso vixerunt, & Bullas saltem aliquas viderint, aut per alios aliquam earum notitiam acquisiverint; intra viginti annos mortui sint omnes; ut de illis quod aliquando extiterint, nemo testari potuerit; ne quidem ipse Martignonus, qui saltem adhuc supererat, atque ut minimum viginti annis in Religione sua vixerat, jam Generalis? Et tamen testari non potuit se ullam nominatarum Bullarum vidisse, aut ab aliquo visam esse intellexisse. Sane *aliter se de illis doceri non potuisse*, ait Pontifex, *quam ut præfertur* ex vaga relatione nihil affirmantis Martignoni, & porrigentis Continentiam, nihil per se docentem de Bullis, an aliquando extiterint, an extiterint numquam: imo nihil docentem de se ipsa quando facta sit, aut a quo; nisi quod circumstantiæ jam consideratæ & porro considerandæ palam indicent, ante Pontificatum Sixti IV. & generalatum Martignoni factam

non fuisse, sed sub utriusque nomine postea esse fabricatam.

95 Atque hæc circa Nicolai, ultimo in Continentia relati Pontificis, literas & Indulgentias; quæ, si minus extiterunt aut datæ fuerunt umquam, potuerunt tamen existere ac dari: at primorum ibidem relatorum literæ atque indulgentiæ tantum abest, ut extiterint vel datæ fuerint aliquando, ut ne potuerint quidem existere aut dari suo temporis sub tali forma ac modo, sub quali dicuntur extitisse ac datæ fuisse. Continentia quippe quatenus exhibet literas Leonis IV. ait, ipsum concessisse Indulgentias, qui aliunde non scitur ullas umquam Indulgentias concessisse: concessisse autem *septem annorum & duodecim quadragenarum*, qui modus concedendi, & concedendi tam largas, vix tribus post seculis obtinere cœpit in Ecclesia: concessisse porro *visitantibus ecclesias beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli*; licet seculo decimo tertio titulus, *B. Virginis Mariæ de Monte Carmeli*, primum innotuerit Mundo, per Pontificem Innocentium IV. in publicis Pontificum, imo & privatis aliorum scriptis; concessisse prætera in talibus aliquot festis eorumque Octavis; quæ tempore Leonis, saltem cum Octavis, sciuntur instituta non fuisse: concessisse etiam pro talibus festis, quæ nihil commune habent cum Ordine Carmelitano, ut sunt SS. Fabiani & Sebastiani, SS. Petri & Pauli, Inventionis & Exaltationis sanctæ Crucis: concessisse denique indulgentias prædictas *omnibus* ecclesiis Carmelitani Ordinis in festis titulorum suorum; cum tamen neque ecclesia ulla Carmelitana, neque ullus titulus, qui tempore Leonis aut tribus post seculis fuerit, proferri possit. Neque id mirum; cum ne quidem ullus proferri possit pro illo tempore Carmelita Religiosus; & nullum fuisse, doceant omnia, quæ hic & in Vera origine ac alibi disputavimus: contra quæ, hæc supposita Leoni bulla evincere nihil quidquam valebit apud sanum intellectum.

96 Non scitur Leo IV. ulli umquam Indulgentias concessisse, sive altari, sive ecclesiæ, sive monasterio, seu festo dedicationis, seu publica necessitate, multo minus festis aliquibus diebus per annum nedum tam multis ut enumerat Continentia. Quia apud Anastasium, Leoni contemporaneum ac Romæ præsentem, ejusque Vitæ prolixissimæ simul & accuratissimæ scriptorem: in qua minutissime quævis ipsius actiones piæ, ac beneficia templis, sacellis, altaribus, monasteriis, Religiosis collata, recensentur propemodum infinita, nullos omnino uspiam ulli legitur indulgentias concessisse Leo, nedum tali concessisse modo & tam largas; uti prætenditur concessisse ecclesiis B. Mariæ de Monte Carmeli & Carmelitarum, quorum aut nomen, aut templum, aut indicium nullum invenire est in prædicta Leonis Vita, aut alibi, ex quo suspicari quis possit, tunc fuisse in Mundo Carmelitas.

97 Eadem Continentia Indulgentiarum, Leoni IV. attributarum, illas concedit, ut dixi, *visitantibus ecclesias beatissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli*. Constat autem, ante seculum 13. nulli hominum in mentem venisse, templa, congregationes aut personas ullas insignire titulo, *Beatæ Mariæ de monte Carmeli*, tunc demum inducto in Mundum, quando Latinis seculo 12. Terram-sanctam possidentibus, confluentes eo devotionis aut voti causa ex tota Europa peregrini, variis ibidem locis, a Vitriaco indicatis, eremiticam vivere vitam cœperunt, etiam in Carmelo. Hi autem, qui in Carmelum concesserant, propositis sibi ad imitandum Eliæ Prophetæ virtutibus, eodem in loco, ubi ipse olim moratus fuisse creditur, ad *Fontem Eliæ* dicto, præ ceteris fama religiosæ observantiæ & numero personarum aucti, sub initium seculi 13. petierunt sibi aliquam vivendi Regulam ab Hierosolymorum Patriarcha Alberto, & acceperunt, inscriptam *Fratribus juxta Fontem in monte Carmeli morantibus*; utpote sub alio nomine nondum notis.

98 Sub eodem nomine ac titulo, & non alio, paucis post annis Carmelitas in monte Carmeli describit Vitriacus in sua Historia orientali, oculatus testis; ipsumque eorum locum *juxta Fontem*, certiori aliquo indicio designaturus, ait; situm esse *non longe a monasterio Beatæ Virginis Margaritæ*. Ex quibus conjicere licet (ut hoc obiter observem) Fratres illos tunc nondum habuisse templum proprium, aut aliud ædificium, vulgo notius, quam erat ipse locus ad Fontem; latentes scilicet adhuc *in alvearibus modicarum cellularum* suarum, ubi *tamquam apes Domini dulcedinem spiritualem mellificabant*, ut ait idem Vitriacus, qui etiam satis indicat, Fratres illos ecclesiam tunc sub nomine B. Mariæ Virginis nondum habuisse, quia enumerans multas, variis locis ei dicatas; puta, S. Mariæ Monialium, S. Mariæ in Bethlem, S. Mariæ in Latina, prope sepulchrum Domini, S. Mariæ Teutonicorum in Jerusalem, nullam novit S. Mariæ in Carmelo; utique illam expressurus potius quam *beatæ Virginis Margaretæ*, si quam prope Fontem tunc habuissent Eremitæ illi.

99 Post hæc tempora superior istorum Eremitarum cœpit *Prior* vocari; Honorius enim Papa III. Regulam Alberti anno 1226. approbans, Constitutionem suam inscribit *Dilectis filiis Priori & Fratribus Eremitis de monte Carmelo*. Similiter Gregorius IX. confirmans anno 1230. eamdem Regulam, agnoscit *Priorem & Fratres eremi montis Carmeli*. Nondum tamen novit Priorem *Generalem*, aut Fratres *B. Mariæ de Monte Carmeli*. Utrumque inscriptionis augmentum primus, quod sciam, addidit literis suis Innocentius IV. scribens, anno quidem 1245. *Dilectis Filiis, Priori & Fratribus Eremitis B. Mariæ de monte Carmeli*: anno autem 1246. *Dilectis filiis, Priori Generali* & Fratribus *Ordinis gloriosissimæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli*. Atque hunc inscriptionis modum perpetuo fere secuti sunt deinceps summi Pontifices, appellantes Priorem *Generalem*, & Ordinem *gloriosissimæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ de monte Carmeli*. Alii subinde, amplificato magis Ordine, addiderunt inscriptioni etiam *Provinciales ceterosque Priores*. Natus igitur sub Innocentio IV. quatuor seculis post Leonem IV. sedente, titulus Ordinis *B. Mariæ de monte Carmelo*, quo pacto adhiberi potuit ab eodem Leone?

100 Inter festa, quibus Indulgentiæ concessæ fuerint a Leone, enumerantur aliqua, de quibus aliunde non constat in Ecclesia universali tunc celebrari solita fuisse; multo minus quod celebrata fuerint cum suis Octavis, cum quibus ne nunc quidem celebrantur; qualia sunt festa An-

Annuntiationis & Purificationis B. V. Mariæ, ſanctæ Crucis, S. Michaelis Archangeli & alia. Enumerantur etiam feſta Sanctorum, qui nullam ſingularem connexionem cum Ordine Carmelitarum, ut ſupra vidimus, umquam habuerunt aut habent; præ innumeris aliis, quos nunc prætendunt Ordinis ſui olim fuiſſe & pro talibus nunc habent. Hujuſmodi ſunt SS. Teleſphorus ac Dionyſius, Romani Pontifices; SS. Joannes Chryſoſtomus, Baſilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Eccleſiæ Doctores; S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus &c. Quanto convenientius Eccleſiis Carmelitarum conceſſæ fuiſſent indulgentiæ pro talibus ipſorum feſtis, quam pro feſtis alienis, S. Michaelis, SS. Fabiani & Sebaſtiani, Inventionis & exaltationis ſanctæ Crucis &c.?

101 Denique quomodo eccleſiis Carmelitarum, quæ nullæ erant tempore Leonis, ut ſatis jam declaravimus, concedi ab ipſo potuerint Indulgentiæ? Ignoti uſque ad ſeculum 12. fuerunt Carmelitæ ipſi; quomodo notæ fuerint ſeculo 9. Carmelitarum eccleſiæ? Anno 1216. invenit Vitriacus Carmelitas adhuc in cellulis ſuis juxta Fontem in Carmelo: alibi non invenit. Meminit multarum eccleſiarum Virgini Mariæ Sanctiſque aliis ſacratarum; non meminit ullius eccleſiæ Carmelitanæ, aut Virginis Mariæ de monte Carmelo. Multo minus meminit trecentis ante annis, aut novit ejuſmodi eccleſias Leo IV. aut Anaſtaſius in vita ejus: & tamen tam multis earum, imo omnibus, in feſtis Titulorum conceſſit indulgentias. Ex conſideratis hactenus circumſtantiis facile cuivis erit intellectu, apocryphas eſſe litteras atque Indulgentias, quæ ultimo & primo loco relatæ in Continentia Pontificibus, Nicolao V. & Leoni IV. ſupponuntur. Quid modo de intermediis?

102 Ut miſſos faciam nominatos illic Honorios IX. & X. qui numquam fuerunt, alioſque, ſolummodo notare volo, quod ibi Pontifices plures ſeculi 9. ac 10. dicantur Indulgentias tribuiſſe *aſſumentibus & intrantibus Confratriam Ordinis Carmelitarum*. Quam, quæſo, Confratriam tunc habuit ordo? An ſcapularis? Sed illa a S. Simone Stochio ſeculo 13. initium habuit. Aliam mihi aſſignent oportet, qui credi volunt, Ordinem, antequam ipſe creditur fuiſſe in mundo, habuiſſe Confratriam. Quas autem & quantas Indulgentias Confratribus illis concedunt dicti Pontifices? *Tertiam partem relaxant omnium peccatorum*. Et ante ipſos Leo IV. elargitus fuerat, ut vidimus, indulgentias *annorum ſeptem & quadragenarum triginta*. Confer hanc largitatem Indulgentiarum pro ſeculo 9. cum aliis, quæ datæ fuerunt ſeculo 12. ac 13. vix ullibi tam amplas hic reperias. Certe Innocentius IV. anno 1245. apud Lezanam ad hunc annum (& has puto, primas fuiſſe indulgentias Carmelitis, recenter in Europam tranſgreſſis, vere conceſſas) opera caritatis (qualis fere etiam a prædictis requiruntur) facientibus *de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxat dies* dumtaxat *decem*; requirens inſuper ad obtinendam relaxationem tam parcam, ut *vere pœnitentes & confeſſi* antea fuerint, quod alii Pontifices non præſcribebant. Seculo igitur 13. requiritur, præter cetera, ad obtinendas Indulgentias, vere pœnitentis confeſſio, ut decem dies de injuncta pœnitentia relaxentur, qui eſt uſitatiſſimus illorum temporum in ſimilibus conceſſionibus loquendi modus: & dudum ante, ſeptem anni & triginta quadragenæ; nec non tertia pars peccatorum omnium relaxata fuerit ſine pœnitentia & confeſſione?

103 Adde etiam, quod inter quinquaginta Bullas plurimorum Pontificum, priori Sixtinæ inſertas, nulla inveniatur antiquior Pontificatu Alexandri IV. & Innocentii IV. qui ab an. 1243. uſque ad 1261. Eccleſiam rexerunt. Horum autem duorum Bullæ inveniuntur illic omnino decem, tres Innocentii, & ſeptem Alexandri. Quid hoc? Inter tot litteras & privilegia Carmelitis conceſſa tam liberaliter a Pontificibus Romanis, nulla omnino invenerit Sixtus in Cancellaria, aut alius quivis alibi, ante ſeculum 13. data? Nulla. Unde conficias licet, privilegia Indulgentiarum, quæ in Continentia Sixtinæ ſecundæ inſerta referuntur, tamquam ſeculo decimo a Joanne X. atque XI. & a Sergio III. ſeculo nono a Stephano V. Adriano II. & Leone IV. data, omnino nulla eſſe, & fuiſſe ſemper. Imo ex eo, quod nemo datam Carmelitis ante ſeculum 13. invenerit Bullam Pontificiam hactenus; datas autem ſeculo 13. & ſequentibus protulerit Sixtus aliique plurimas; colligi datur Carmelitarum Ordinem religioſum, ante ſeculum 13. aut nondum fuiſſe, aut Pontificibus nondum innotuiſſe, ſeu quod longinquitate loci remotior fuerit, ſeu quod nihil memorabile geſſeris quo innoteſceret; ſeu utroque ex capite.

104 Quid enim? Si ſeculo 10. 11. 12. & præcedentibus Ordo Carmelitanus jam fuit in Mundo, & notus fuit Pontificibus Romanis, quam fuit ſeculo 13. & ſequentibus: cur Pontifices non æque duodecimo ſeculo, quam decimo tertio, ipſi Bullas ſaltem aliquas conceſſerunt? Si reſpondere auſis, intercidiſſe omnes ſeculo 13. priores; nullus credet hoc reſpondenti, niſi extitiſſe prius monſtraveris indicio aliquo: prius quippe eſt eſſe, quam intercidere: & qui aſſerit intercidiſſe, aſſerit reipſa fuiſſe: id quod probandum eſt. Quid eſt autem, cur potius interciderint Bullæ, ante initium ſeculi 13. quam paulo poſt illud datæ? Certe tam conſervatæ ſunt, quæ ante initium ſeculi 14. datæ fuerunt, quam quæ fuerunt datæ paulo poſt. Aliud igitur nihil rationabilis reſponſi afferendum exiſtimo, quam quod tam ante quam poſt initium ſeculi 14. uti etiam poſt initium ſeculi 13. fuerit Ordo in Mundo, & fuerit præclare geſtis Pontificibus notus: ante initium vero ſeculi 13. vel non fuerit adhuc in Mundo, vel non fuerit adhuc notus Pontificibus.

105 Jam nulli mirabile videbitur, *circa litteras* Apoſtolicas atque Indulgentias, in Continentia memoratas, *earumque vim & efficaciam, nonnulla dubia fuiſſe orta*, tempore Martignoni, ac timendum fuiſſe, *ne alia in dies ſuborirentur*; quando tot dubitandi & Continentiam reprobandi cauſas ipſa Continentia continebat; & cuivis, non plane ſtipiti, ponebat ob oculos: ſi tamen dubitari tempore Martignoni potuit circa vim & efficaciam litterarum Apoſtolicarum, quas ne in Continentia quidem tunc extitiſſe, credibilius eſt ex jam dictis. Ergo nullas Carmelitæ habent Indulgentias, de quibus in Continentia? Habent enimvero: non quidem in litterarum Leonis IV. & aliorum illic nominatorum, quæ nullæ umquam fuerunt; neque vi ipſius Continentiæ, quæ nullas per ſe Indulgentias conferre potuit: neque

etiam

etiam vi Bullæ Sixtinæ, cui Continentia inseritur, si Bulla ista Sixto supposita fuit: sed vi Bullarum, quibus successores ejus, Romani Pontifices, eamdem Bullam, a Sixto, ut relatum fuerat, datam, nova sua & vere Apostolica Bulla confirmarunt, approbarunt, & innovarunt id, quod in Sixtina concessum dicebatur, ac de novo concesserunt, supplentes omnes & singulos defectus, si qui fortan quoquomodo intervenerint in Sixtina & in illic relatis.

§. XI. *Chronologia Ordinis Carmelitani a Propheta Elia usque ad Christum.*

Diximus in præmissis, plurima tradi a PP. Carmelitis circa originem & successionem, justo antiquiorem, sacri Ordinis sui, quæ incertissima sunt, & negata probari non possunt. Diximus etiam, quod res, quæ esse potuerunt in Mundo, sint plurimæ ac numero infinitæ, quæ autem fuerunt de facto, esse respectu illarum paucas. Ex quo sequitur, quod is, qui interrogatus, an aliquid fuerit, de quo dubitat, prudentius neget quam affirmet. Quia illorum, quæ non fuerunt, numerus longe major est, quam quæ fuerunt; atque adeo dubitanti credibilius esse debet, non fuisse quam fuisse; & possessio stat pro primo, quamdiu non probatur secundum. Hæc autem probatio incumbit affirmanti aliquid fuisse; & in casu præsenti incumbit PP. Carmelitis, innumerabilia de origine & successione Ordinis sui affirmantibus, de quibus merito dubitatur ab aliis, an fuerint. Porro negantibus aliquid fuisse, succensere non debent affirmantes, quamdiu rationes non attulerint, quæ movere virum prudentem possint ad assensum. Eæ vero rationes in quæstionibus puri facti non tam peti debent a subtilibus Theologorum ratiociniis, quam a proborum historicorum testimoniis, tanto certius aut minus certo probaturis aliquid, ceteris paribus, quanto minus magisve tempore & loco remotus fuerit qui testatur a re testata. His positis, procedamus ad Chronologiam.

107 Seculo igitur ante Christi nativitatem decimo, sive ab anno 1000. usque ad annum 900. vixit, floruit, multaque mirabilia operatus, tandem raptus est curru igneo Elias e conspectu hominum: uti legitur in Libris Regum. Sed nihil ibi de instituto per Eliam Ordine religioso; nihil de votis paupertatis, castitatis, obedientiæ, & sive ab ipso, sive ab aliis coram ipso emissis; nihil de successore ejus in regimine religiosi Ordinis; nihil de regula, habitu, aut tessera, quibus uniformiter inter se viverent subditi Religiosi, & distinguerentur ab aliis. Hæc eadem porro cum ne somniaverit quidem ullus, ab Elia usque ad Christum; nec admiserit aliquis Sanctorum Patrum aliorumve scriptorum, a Christo usque ad seculum 14. nec aliunde ratione vel auctoritate idonea (horum enim duorum triumve postremorum seculorum auctoritates, quantumvis multæ, ad probandum facta historica tam antiqua, & silentio constanti bis mille ducentorum & amplius annorum, idoneæ non sunt) ostenderit aliquis; ignoscite mihi, Reverendi Patres, quod credere nondum possim, fuisse, quæ vos tantopere optatis, quæque ego vellem (ita me Superi adjuvent) posse credibilia facere. Sed hoc non est in potestate voluntatis meæ; uti assentiri, non est in potestate intellectus, nisi prælucentibus idoneis rationibus.

108 Seculo ante Christum nono, sive ab anno 900. usque ad 800. floruit Eliseus, ab Elia unctus Propheta post ipsum, nusquam ab eo institutus Ordinis religiosi Generalis, mortuus anno 849. Vota etiam hic requiro religiosa, an, ubi, quando, quomodo, cum quibus illa professus fuerit: quos Religiosos, talia vota professos, rexerit. Filii quippe & cunei Prophetarum, a Samuele jam tum in collegia distributi, nihilominus Religiosi per tria vota non erant; neque facti sunt tales, ulli ex ipsis, decursu trium seculorum sequentium: sub Elia vero & Eliseo nihil amplius indicat Scriptura, ex quo conficiatur, eorum aliquos, nedum omnes, tum potius quam antea evasisse Religiosos, aut vota aliqua professos esse. Quamobrem, ignoscite mihi iterum, Reverendi Patres, quod neque hic cogere intellectum possim, ut vobis assentiatur, testimonia solummodo posteriorum temporum afferentibus, aut alia ad id suadendum non idonea.

109 Neque magis idonea afferentur ad suadendum, Rechabitas, hoc seculo Filiis Prophetarum succedentes, magis quam istos, sese obstrinxisse tribus Religiosorum votis. Habebant ipsi præcepta Jonadab Patris sui, sibi propria, quæ perfectissime observabant, viventes cum uxoribus, filiis ac filiabus suis, minime obstricti colere castitatem, paupertatem, aut obedientiam ex voto. Non ostenditur quis ipsis præfuerit post Jonadab, eodem tempore, quo Eliseus præfuerit Filiis Prophetarum, viventem. Nescitur quis Rechabitas & Filios Prophetarum, dissimilium inter se institutorum, in unam congregationem associaverit; eamque Elianam aut Propheticam potius, quam Rechabiticam putaverit appellandam: cum tamen ipsi Rechabitæ, post annos ab institutione sua facile centum & quinquaginta, apud Jeremiam nullum agnoscant alium seu Institutorem, seu Patrem, sive Ducem, quam Jonadab, filium Rechab; nec usquam ad Eliam, aut Eliseum, aut Filios Prophetarum referant sese.

110 Seculo ante Christum octavo, sive ab anno 800. usque ad 700. nulli indicantur amplius Filii Prophetarum in sacris Litteris ante Christum. Perseverant autem Rechabitæ: sed nullus invenitur se votis obstrinxisse religiosis inter illos, seu pater, seu mater, sive filius, sive filia: nullus etiam innotescit ipsorum Superior.

111 Seculo ante Christum septimo, sive ab anno 700. usque ad 600. Rechabitæ, hactenus ruri sub tabernaculis, juxta institutum suum, morati, propter bellum, a Nabuchodonosore illatum, recipiunt se in civitatem Jerusalem: nihilo tamen magis fiunt Religiosi aut vota profitentur, quam prius. Igitur vel interrupta fuerit successio Ordinis Eliano-religiosi; vel monstrandi sunt, qui illum per vota religiosa continuaverint.

112 Seculo ante Christum sexto, sive ab anno 600. usque ad 500. idem fatum est Ordinis Eliani, quod supra: defecisse enim successio ejus censebitur, nisi aliunde ostendatur continuata esse.

113 Seculo ante Christum quinto, sive ab anno 500. usque ad 400. deficientibus Rechabitis substituuntur Esseni, potius, ut non inter-

terrumpatur successio, quam quod probetur, ipsos hoc tempore cœpisse aut in mundo fuisse. Sunt interim moribus legibusque, quantum sciri potest, tam dissimiles Rechabitis, quam sunt similes Pythagoræis, ut supra vidimus: ac nihil fere certius de iis constat, quam quod vota religiosa non fecerint; certe nusquam ostendi poterunt ea fecisse. Loquor de Essenis antiquioribus, de quibus Plinius: Esseni enim, de quibus Philo, ab illis diversissimi, hæc tempora non attingunt. Requiro etiam institutorem eorum, & nullum invenio, nisi forte Pythagoram, de quo supra.

114 Hoc eodem seculo ab aliquibus in subsidium successionis advocantur sectæ Scribarum & Assidæorum; eorumque *Princeps & Restaurator & Caput* Esdras, *vir eximius & clarissimus*, & *Prophetici Ordinis assecla*, uti scribit Lezana ad annum mundi 3595. n. 2. quia nempe appellatur in Scripturis *Propheta & Scriba*. Imo, inquit, *cum de ipso non referatur uxorem vel filios habuisse, conjici datur, cælibem fuisse; ac per consequens, propius & intimius ad idem Prophetarum*, quod est Carmelitarum veteris Legis, *institutum pertinuisse; quam alios, qui cælibes non fuerunt*. Sed hæc omnia nullam professionem votorum religiosorum indicant. Quapropter tam diu negabimus, Esdram cum suis Scribis atque Assidæis Religiosum fuisse, quamdiu aliunde non probatur fuisse. Interim uti mihi liceat eadem argumentandi forma ad ostendendum, Esdram non fuisse Carmelitam, qua utitur Lezana, ut eum faciat talem. Cum de Esdra *non referatur* emisisse vota religiosa, *conjici datur* non fuisse Religiosum; & per consequens ad Carmelitarum institutum religiosum neutiquam pertinuisse.

115 Seculo ante Christum quarto, sive ab anno 400. usque ad 300. continuaverint Ordinem Eliano-religiosum quotquot ex Pythagoræis, vel Essenis, vel Assidæis, vel Scribis, probati fuerint vitam religiosam cum obligatione trium votorum duxisse: sed prius probandum erit talem vitam duxisse aliquos eorum, quod modo negabam.

116 Seculo ante Christum tertio, sive ab anno 300. usque ad 200., primum adducit P. Sebastianus Assidæos, de quibus supra Lezana: ego ad seculum sequens referendos puto. Sed militares hi fuerunt; atque adeo nisi Ordo Elianus etiam militaris sit factus cum ipsis, non capio, qui continuaverit in ipsis successionem suam; si vero factus sit militaris; non capio, qui manserit ordo idem, qui fuerat: ut nihil de votis Assidæorum requiram.

117 Seculo ante Christum secundo, sive ab anno 200. usque ad 100., innotescentibus nunc primum, ut ego quidem arbitror, & successionem Carmelitarum in se propagantibus Assidæis, præficitur Judas Machabæus, in paucis laudatissimus Lezanæ, *Prophetici Ordinis alumnus*, imo potius Dux & Imperator, uti patet ex libris Machabæorum. Ego ubi tria eum vota emisisse doctus fuero, quod fortassis facere potuerit ante matrimonium, quo copulatus fuit, agnoscam Religiosum veteris Testamenti fuisse.

118 Seculo ante Christum primo, sive ab anno 100. usque ad salutarem ejus Nativitatem, summo in pretio est Patribus Carmelitis Emerentiana quædam, Christi Domini nostri proavia, avia sanctissimæ Virginis Mariæ, & mater S. Annæ; quæ, dubia, an virginitatem Deo voveret, an vero ex voluntate parentum viro nuberet, in Carmelum concesserit, ibique consuluerit Religiosos *Carmelitas*, quid sibi secundum Deum eligendum foret; ab iisque divinitus edoctis intellexerit, se viro jungendam, nomine Stolano. P. Sebastianus etiam *sanctam* facit Emerentianam illam, licet nullis Græcorum Latinorumve fastis adscriptam. Ego saltem prius quam ipsam canonizarem, certius edoceri vellem, in mundo fuisse, quam ex auctoribus, prædicta referentibus quidem, sed non ante finem seculi post Christum decimi quinti. Vellem etiam prius aliunde edoceri, an & quales tunc, tam sanctæ famæ viri Carmelum incoluerint; priusquam credere cogar fama illa excitatam Emerentianam eo se contulisse teneram virginem. Imo singulis seculis Chronologiæ ab Elia huc usque, & porro usque ad seculum Christi 12. interrogare debuissem; & nunc interrogo, quinam & quales pro singulis Carmelum incoluerint post Eliseum. Profecto si post Christi nativitatem, non plures illic successive monstrari possint incolæ, vulgo religiosiores quam illic incoluerint ex supra nominatis sectis Rechabitarum, Essenorum, Assidæorum (de Pythagoricis non loquor, quorum institutor saltem vidisse Carmelum & aliquamdiu ibidem moratus esse, scitur aliunde) paucissimi monstrari poterunt, qui ex monte Carmelo ad Chronologiam Carmelitanam continuandam traducantur.

§. XII. *Chronologia a Christi Domini nativitate usque ad seculum 12.*

CHristus Dominus, ingressurus mundum, eique allaturus majorem spiritualium donorum abundantiam, & sublimiores hominibus ad salutem perfectionemque monstraturus vias, adjutoresque sibi collecturus ac ministros ad conversionem universi, mirum videri possit, cur non maluerit nasci in monte Carmelo, inter viros Religiosos, tot seculis prælectos & primarios in prædicatione fidei adjutores futuros, quam quovis alio in loco: & magis mirum videri possit, quod montem istum numquam visere per se suosve, imo ne nominare quidem toto Testamento novo dignatus sit. Cumque nec aliunde monstrari possit, diu ante & post Nativitatem Christi montem Carmelum incoluisse viros religiosos, tria substantialia professos vota, quærere ipsos alibi debet, qui cupit Carmeli Ordinis invenire successionem non interruptam.

120 Pro seculo igitur post Christi nativitatem primo, quærunt sibi PP. Carmelitæ annis abhinc tantum quadringentis, non prius, imo præcipue ab annis ducentis tantum, post Palæonydorum suum; & invenisse credunt veros Ordinis sui Religiosos, sed extra Carmelum, 1. In Joanne Baptista ad Jordanem, quasi fuerit is Essenus, & Essenorum restaurator & rector atque adeo Carmelita. Sed nemo Sanctorum Patrum pro tali eum admittit aut agnoscit. 2. In *viris religiosis*, qui, Actorum 2., *habitabant in Jerusalem Judæi*; quasi vox *religiosus*, ibi hominem denotet votis religiosis adstrictum, magis quam vox *honestus*, *discretus*, *timoratus*, græce εὐλαβεῖς. 3. In *Prophetis & Viris Prophetici Ordinis* Antiochiæ, ex Actis Apost. & Eusebio, male intellectis. Quod si hic etiam

scri-

scripsisset, *τάξις Ordo*; non potuisset tamen vox illa tunc sumi pro Communitate religiosa, ut nunc sæpe. 4. In S. Elpidio aliisque primis Hispaniæ Episcopis, eo S. Jacobum comitatis; & in S. Leocadia: quos Luitprandus in Fragmentis suis faciat Carmelitas. Sed exsufflantur fragmenta illa recentia. 5. In Basilide, olim Gentili aruspice, apud Tacitum & Suetonium; quem in Monte Carmelo Vespasianus Imperator, Hierosolyma obsessurus, sortes consulere jussit de belli exitu. Sed is ideo potissimum nunc factus est Carmelita religiosus & Sacerdos veri Dei; ne nullus toto primo Christi seculo Carmelita in Carmelo fuerit.

121 Inveniendi sunt saltem Carmelitæ in *Sacello*, quod ipsi tempore Apostolorum in Carmelo construxerunt *in honorem B. Virginis Mariæ, cum adhuc viveret; ad quod sæpe quotidie conveniebant ad ei laudes decantandas; quamobrem passim ab omnibus appellari cœperunt, Fratres B. Mariæ de monte Carmelo*. Ita P. Sebastianus Art. 16. n. 39. ex *traditione Carmelitana*. Sed aut impii fuerint Carmelitæ isti, qui viventi adhuc homini Cælitum honores præstiterunt, ædificando ei sacellum; aut ignorantes quam maxime, qui id sibi licere auctoritate sua arbitrati sunt: & alterutrum competit hodiedum illis, qui talibus decessorum suorum gestis gloriantur. Sacellum interim illud evanescit cum fundatoribus suis ceterisque hic prætensis, eo ipso quod intra 12. secula nihil de illis ab idoneo auctore scriptum aut creditum fuisse ostenditur. Hæc porro & si quid præterea affertur pro Carmelitis hoc seculo afferendis, vide pluribus refutata in Resp. mea Art. 16. §. 3.

122 Pro seculo Christi 2. fiunt Carmelitæ. 1. S. Telesphorus Pontifex Romanus; quia nempe ante Pontificatum fuit Anachoreta. 2. S. Fronto, quia legitur alicubi, fuisse Monachus. 3. S. Eugenia, quia habitu virili induta inter monachos vixerit. 4. S. Serapion, Episcopus Antiochenus, licet nesciatur quidem Anachoreta fuisse ante vel post Episcopatum. Sed hæc ex apocryphia aut recentiorum tantummodo scriptis desumpta, ut Art. 16. §. 4. ostendi, fidem non obtinent: uti nec scripta Josephi Antiocheni, aut Balbini, quasi hoc seculo composita; sed nusquam per annos 1200. ulli visa & a Ribosо Carmelita seculo 14. primum citata, adductis inde paucis versibus, ita subito disparuerunt, ut nusquam comparuerint amplius. Vide Art. meum 16. citato §.

123 Pro seculo Christi 3. referuntur inter Carmelitas, 1. S. Dionysius Papa, ex Monacho quidem assumptus; sed *cujus generationem deprehendere non potuit* Auctor Catalogi Pontificum seculo 6. scribens. At quod ille tunc deprehendere non potuit, potuerunt annis mille post ipsum Carmelitæ, facientes suum. 2. Spiridion Episcopus Trimethuntis in Cypro: sed hic ante Episcopatum agricolam agens, uxorem & filiam apud se habuit quoad vixerunt, nusquam Monachus factus, nedum Carmelita. 3. S. Hilarion. Sed is ex Ægypto disciplinam monachalis instituti, a S. Antonio Magno acceptam, primus in Palæstinam invexit; nihil ab Elianis didicit. Nihil de horum monachatu Carmelitano novit antiquitas; nihil Lectiones Breviarii Romani, licet cultus eorum Carmelitis specialiter indultus sit a S. Congregatione Rituum.

124 Pro seculo Christi 4. conscripturus Carmelitas P. Sebastianus Art. 16. §. 6. ita orditur: " Ildefonsus Villegas, clari nominis auctor, in " Vita S. Romani Martyris, Antiochiæ passi circa annum 310. Italice Venetiis edita anno 1512. " sic habet fol. 53. *Patres Carmelitani numerant " inter Fratres sui Ordinis S. Romanum, qui sine " dubio est hic, meo judicio; quia tempore quo " floruit* (scilicet an. 310.) *non erant Alexandriæ, " Antiochiæ, aut in tota Syria alii Monachi quam " hujus Sancti instituti*. Ex quo patet, plurimos " hujus seculi Sanctos ad Elianum Ordinem spectare." Nempe quia ita scribit unus seculi 16. Auctor, Ildefonsus Villegas, & quidem Italice. Si testis unus tam recens in re tam antiqua, scribens, quod Carmelitæ optant, tanti est Carmelitis, ut inde patere debeat omnibus, Sanctos seculi 4. plurimos ad Eliano-Carmelitanum Ordinem spectare; quanti debent esse non Carmelitis, veritatem præ gloria sua quærentibus, tantus scriptorum numerus, qui totis mille annis scripserunt, & non sciverunt quod scivit Ildefonsus iste; neque illo seculo 4. S. Romanum, neque seculis præcedentibus aut octo sequentibus ullum alium Carmelitanum agnoscentibus.

125 Ejusdem tibi cum Ildefonso isto auctoritatis hic esto noster Cornelius a Lapide, si scripserit, quod ei imponit P. Sebastianus, sic ibidem num. 58. loquens: " Montis Carmeli " sacellum, ad quod tempore Eliæ & Elisei diebus festis conveniebat populus, tum orationis gratia, tum ut Eliam & Eliseum & similes concionatores audirent, mutavit S. Helena in templum, prout asserit a Lapide in " cap. 18. lib. 3. Reg. dicens: *Nicephorus libro 8. cap. 3. asserit, Helenam, Magni Constantini matrem in Carmelo templum ædificasse " Eliæ Prophetæ*." Ut nihil hic ego dicam, quam ridicule supponat P. Sebastianus ex more hodierno, Eliam & Eliseum diebus festis solitum fuisse in certo loco ad populum pro concione dicere, & quidem in monte Carmelo ejusque sacello; doceat me obsecro, unde sciat, Helenam sacellum illud in templum mutasse, & quomodo id suum dictum firmare potuerit auctoritate Cornelii loco citato. Cornelius illic simpliciter citat Nicephorum ejusque verba (prout hic eadem citat P. Sebastianus) nihil addens de suo. Verba autem Nicephori nihil meminerunt de sacello Eliæ, aut in quo Elias diebus festis ad populum dixerit: solum sonant, *Helenam in Carmelo templum ædificasse Eliæ Prophetæ*. An Carmelus tam parvus sit, ut templum in eo ædificari non potuerit, nisi sacellum, si alicubi fuerit, in illud mutari debueris? Ex his atque similibus, uti nihil pro Carmelitis concludi rationabiliter potest, ita neque potest confici apta Ordinis Carmelitani Chronologia.

126 Sed quid ego PP. Carmelitis negem relatos huc usque Sanctos? quandoquidem *omnes & singuli Anachoretæ & Monachi* (ita pronuntiatore P. Sebastiano Art. 16. n. 50.) *post Christum, in quatuor primis seculis, ante Basilii præsertim institutionem viventes, spectent ad Propheticum & Elianum Institutum*: ideoque merito Lezana Carmelitis adscribat, *quotquot primis istis seculis reperit Monachos*. Sed miror, quod nullum invenerit totis quatuor istis seculis Carmelitam in ipso Carmelo.

127 Pro feculo Chrifti 5. quis modo adoptabitur Carmelita ex Monachis, inftituto jam in Oriente Monachatu S. Bafilii, cum celebri ejufdem Regula vivendi? Eatur in Occidentem. Ibi hactenus nullum Ordinis fui invenerunt Carmelitæ in Anglia, Scotia & Hibernia. Nunc ei omnes Monachos concedit, qui illic fuerunt ante adventum S. Auguftini Anglorum Apoftoli, Clemens Reynerus Benedictinus; & ipfi ambabus ulnis omnes amplectuntur in fide Clementis prædicti. Probatur tamen etiam in Oriente adhuc viguiffe inftitutum Carmelitano-elianum, ex SS. Hieronymo, Macario, Joanne Caffiano, Sozomeno; quorum adducuntur verba, Eliæ quidem mentionem facientia, fed nihilo amplius ad intentum facientia quam hæc Hieronymi: *Nofter Princeps Elias, nofter Elifeus, noftri Duces Filii Prophetarum*. In quo autem Princeps & Duces? An in ftricto monachatu aut profeffione trium Religionis votorum? Nihil de illis Hieronymus. Sed rationem addit: *qui habitabant* (& in eo duces noftri funt) *in agris, & folitudinibus, & faciebant fibi tabernacula juxta fluenta Jordanis*. Indicaverit hic Hieronymus, Elianum inftitutum tunc floruiffe, uti tempore Eliæ & Elifei, per habitantes in agris, in folitudinibus, in tabernaculis; quomodo inde fequitur, eofdem tunc vere Religiofos fuiffe per votorum profeffionem magis quam fuerint tempore ipforum Eliæ & Elifei?

128 Carmelitis hujus feculi adfcribuntur, S. Cyrillus Epifcopus Alexandrinus; S. Euphrofyna, & S. Euphrafia. Sed hos partim exfufflat Baronius ad annum 444 partim id non probant recentia aut apocrypha fcripta. Neque etiam Carmelitam facit Eufebium, neque alios poft ipfum, quod fe aliquo Concilio fubfcripferint *Archimandritas Monafterii Eliæ*. Plura inveniuntur Monafteria, etiam hoc tempore, Eliæ appellatione nota; quæ Carmelitis vindicare fine injuria Bafilianorum non poteris. Præcipuum tamen ftabilimentum Ordinis hujus & præcedentium omnium feculorum fuit Joannes Patriarcha Hierofolymitanus 44. non tam ipfe (fufpectus enim de hærefi eft) quam liber, ei attributus, de inftitutione Monachorum, qui lapis angularis eft totius antiquitatis; fed e loco fuo evulfus jam per fuperius dicta.

129 Pro feculo Chrifti 6. duos tantum Carmelitas nominatim affert P. Sebaftianus, Anaftafiam quamdam, quia poft obitum mariti fecefferit in Palæftinam, ibique in monte Oliveti folitaria vixerit: & Jacobum Porphyrionitam, montis Carmeli Eremitam. Bene habet, quod tandem Carmelita in Carmelo inveniatur; fi tamen Ordinis Carmelitani Religiofus. Pro utroque afferto antiquiora defideramus teftimonia: uti & pro eo, quod Carmelitæ hoc feculo perfecutionem paffi funt fub Cofroe Perfarum Rege cum martyrio multorum e fuis: Palæonydori enim fine alio tefte non admittitur teftimonium.

130 Pro feculo Chrifti 7. nullum nominat P. Sebaftianus fui Ordinis Sanctum, præter Anaftafium Perfam, ut talem a Carmelitis coli permiffum. Verum & Bafiliani eum colunt ut fuum: fuum etiam faciunt Benedictini, Trithemius, Dorganus, Wion, Menardus: quin Ghinius ipfum adfcribit Canonicis Regularibus. Manebit igitur Monachus per nos Anaftafius, etiamfi non maneat Carmelita. Invenimus enim pro illo tempore Regulam, quam fequi potuit, in Oriente Bafilianam; non invenimus Carmelitanam. Quod autem Carmelitæ hoc etiam feculo perfecutionem paffi fint ab Humar Saracenorum Principe; a quo & pallium eorum album in barratum mutatum fit, aliud fundamentum non habet, quam Epiftolam Cyrilli Conftantinopolitani, fuppofititiam. Alia quædam fictitia, quæ ad hoc feptimum & quatuor præcedentia fecula referuntur, videri poffunt in Refp. mea Art. 16. §. 5. &c.

131 Pro feculo Chrifti 8. nullus comparet fanctus Carmelita. Incipiunt autem comparere Carmelitæ ipfi in Italia, fi verum eft, quod eis hoc feculo fundati fint conventus Senis, Florentiæ, Pifis, ut ipfi quidem afferunt; ego vero & conventus illos & talia afferta fine fundamento effe, oftendi Art. 16. §. 10.

132 Pro feculo Chrifti 9. nullus Sanctus adducitur Carmelita: fed adducuntur aliæ fundationes conventuum, Leontini in Sicilia, & SS. Silveftri & Martini in Montibus Romæ: item Indulgentiæ, tamquam a Leone IV. Adriano II. & Stephano V. Ordini Carmelitano conceffæ. Verum Indulgentiæ iftæ ex formulis ipfis, fub quibus datæ fuerint, fefe deftruunt: & ego nullas effe oftendi Art. 2. n. 17. ac feqq. & Art. 3. §. 9. 10. 11. Conventus autem iftos pro eo feculo vindicari non poffe, dixi Art. 16. n. 112. & 113. Mire etiam hoc feculo refloruiffe prætenditur Ordo in Palæftina, ex præfentia illic Caroli Magni Imperatoris; qui certo fcitur Palæftinam oculis fuis ufurpaffe numquam.

133 Pro feculo Chrifti 10. oftenditur fuiffe Ordo Carmelitanus ex Indulgentiis, ei conceffis a Sergio III. & Joanne XI. fed nihilo valentioribus, quam fint prædictæ. Conventus etiam ædificatus ei præfumitur Dinkelfpulæ; fed nihilo melioribus fundamentis, quam prænominatis. Benedictum V. Pontificem, qui Carmelitam facere vult, aliter id probare debet, quam probatum eft hactenus. Ego de illo egi pluribus in Conatu Chronologico meo ad ejus Pontificatum, & in Refp. Art. 16. n. 116. Additur his Sanctus unus, Canadinenfis Epifcopus Martyr; Patricius Venetus & Hungarorum Apoftolus. Sed hic tam manifefte fuit Benedictinus, ut capere non poffim, qua fronte eum quis aufit Carmelitam dicere. Vide Art. citatum num. 118.

134 Pro feculo Chrifti 11. nihil eft quod Ordinem vindicet quam Indulgentiæ & fundationes aliquot Conventuum præfertim Boppardiæ, Venetiis, Burdigalæ. Sed hæc omnia infia æque ac Indulgentias prædictorum feculorum, vana effe videre licet in mea Ref. Art. fæpius citato 16. §. 13.

135 Atque ita pervenimus ad feculum Chrifti 12. fub cujus medium apparuiffe Prophetam Eliam S. Bertholdo, & ordinem inchoandum præcepiffe; eumque reipfa fic inchoatum effe doceo ego. Deinde vero ipfum paulatim auctum, Regula munitum, auctoritate Pontificia approbatum, confirmatum, mitigatumque vidimus in Vera Origine.. Videmus nunc etiam toto hoc Opufculo demonftratum, quod in Vera Origine afferebam, nullum inveniri ante feculum Chrifti duodecimum Ordinis Carmelitani Religiofum Scriptorem, nullum Legiflatorem,

nul-

nullam Confirmationem ; nullam Bullam Pontificis alicujus aut Patriarchæ aut Epiſcopi ; nullam ſeriem Generalium, aut Provincialium, aut Priorum ; nulla Capitula, nullas diviſiones Provinciarum ; nullas Fundationes Conventuum, nulla tabulas civitatum, publicas vel privatas ; nullas Indulgentias ; nulla præclare geſta, nullos denique veri nominis Carmelitas Religioſos.

136 Jam vero a ſeculo 12. formari porro Chronologia Ordinis poteſt apta & illuſtris, non modo per ſecula integra, ſeu etiam ſingulos per annos; invenienturque deinceps omnia, quæ modo negabam inveniri ante ſeculum iſtud 12. uſpiam poſſe. Nihil opus erit male fundatarum pejuſque cohærentium conjecturarum catena tam longa, quanta aſſumitur ad connectendum Eliam cum Bertholdo. Plana omnia & clara erunt Hiſtoriam Carmelitanam ſcripturis: ſi tamen vel hinc ſatis habeant, veroſimilia pro veroſimilibus, conjecturas pro conjecturis tradere, ſicubi certum haberi ac monſtrari non poſſit. Verum alius eſt hominum iſtorum genius; ferre non poſſunt ſic procedentem me, & *Conjecturalem Hiſtoricum* petulanter explodunt; ſoliti ipſi ea, quæ nec ſciunt, nec ſcire citra revelationem poſſunt, citra hæſitationem aſſeverare, iiſque ſic aſſertis tam firmiter adhærere, ut P. Franciſcus Bonæ-Spei, in Præfatione ad ſuum Armamentarium audacter pronuntiet, *Carmelitanam hiſtoriam, tot & tantis communitam ſcutis, ut ſubſiſtere debeat, aut nulla*; & Theſiſta Abulenſis anni 1688. de quo emboliſmus ad Apologiam pro veritate num. 34. *Quod Elias ſit Fundator veri monaſtici ſtatus, quem inſtituit in vero & eſſentiali monaſtico ſtatu, credi poteſt fide divina theologica, aut ut minimum fide communiter dicta divina, cum aſſenſu ſupranaturali & infallibili, cui falſitas ſubeſſe non poſſit*; vel ſaltem cum Atrebatenſi nupero Concionatore, ut habetur in Elucidatione Actorum num. 454. puncto 2. *Hiſtoria B. Simonis Stock* (& idem de alia quavis ſuæ Chronologiæ parte iiſdem quibus iſta prætenſarum Bullarum vel approbationum Apoſtolicarum ſcutis communita videntur deducere PP. Sebaſtianus & Villalobos) *provecta eſt ad eum certitudinis gradum, qui propinquior eſt certitudini fidei, neque poteſt in dubium revocari ſine ſpecie aliqua infidelitatis.*

137 Atque hæc ſufficient pro defenſione Veræ Originis, aliorumque ſcriptorum meorum circa Ordinem Carmelitanum, contra Theſes P. Agathangeli, novum Memoriale P. Sebaſtiani a S. Paulo, Diſſertationem Hiſtorico-ſacram Reverendiſſ. Patris de Villalobos, ejuſdemque Brevem Chronologiam, libros, poſt petitum nuper a Patribus illis Pontificium ſilendi de antiquitate ſua præceptum, aut editos omnes, aut ad notitiam meam primum delatos. Supereſt modo, ut propter prædictos libros alioſque forte ſecuturos, publicam iteratam Proteſtationem de ſilentio circa antiquitatem Carmelitanam inviolabiliter tenendo, quocumque demum modo ipſi me denuo ad loquendum laceſſiverint. Hanc igitur accipe, quiſquis ſilentium amas.

DANIELIS PAPEBROCHII

PROTESTATIO ITERATA

DE SILENTIO,

Circa primævam ſacri Ordinis Carmelitani inſtitutionem & antiquitatem,

Semper ſibi optato, nunc demum inviolabiliter tenendo.

§. I. *Occaſio & neceſſitas, novæ Proteſtationis ex novis PP. Carmelitarum libris nuper editis.*

EX quo illuſtrandis Sanctorum Actis anno 59. labentis ſeculi operam dare juſſu Moderatorum meorum cœpi, pacis amans in animum induxeram, perpetuum ſilere de inſtitutione primæva & antiquitate, juſto majore, ſacri Ordinis Carmelitani; & reipſa ſilui decennio integro, donec anno 1669. P. Franciſcus Bonæ-Spei, Theologus melior quam Hiſtoricus, edendo Armamentarium ſuum Carmelitarum, indeque multa in me atque Henſchenium ejaculando tela, ambos nominatim & publice provocavit ad loquendum, & quod amplius eſt, ad reddendam ſilentii noſtri rationem. Quæ & alia pluribus deduxi in Elucidatione hiſtorica Actorum inter me & RR. PP. Carmelitas, invenienda in Parte 3. Reſponſionum mearum.

a Ego quidem ſemper exiſtimavi, nihil ſilentio innocentius eſſe, ubi prævides diſpliciturum amico, ſi elocutus fueris quod ſentis; Veritatis amicus potior, quam minus vera ſcribi cupientibus. Et Henſchenius dicere ſolebat: *Silere poſſumus, ac ſæpe licet; mentiri non licet unquam.* Voluimus igitur facere quod potuimus licite per conſcientiam, id eſt tacere: ſed non licuit per RR. PP. Carmelitas. Horum igitur provocationi publicæ reſpondimus tandem, (neque enim pruriebant ad talia ſcribendum manus) poſt integrum ſexennium tomo 1. Aprilis, anno 1675. impreſſo, ad Vitam S. Alberti, Apoſtolici in Terra-ſancta Legati, Patriarchæ Hieroſolymitani,

& Ordinis Carmelitani Legislatoris; reddentes ibi rationem silentii nostri, sub hac cautione ac Protestatione num. 42. & 43.

3 *Patitur quidem traditio Carmelitana de Elia & Elianis, primum usque ad Christum, deinde a Christo usque ad Bertholdum, contradictiones non leves virorum eruditorum, requirentium pro re tanta totque seculis (ut prætenditur) credita, probationem solidiorem, quam sit nuda traditio; eorum præsertim, quorum assertiones in rebus aliis, non tam longe ab ætate nostra recedentibus, quam recedunt Eliæ & Christi tempora, in seculo, inquam, 12. ac 13. multipliciter inter se variant, & frequentibus evidentissimisque erroribus, deprehenduntur obnoxiæ. Nos tamen istis contradictionibus non permovemur, ut in eo argumento, ubi major de nomine, quam de re videtur esse disceptatio, permittamus immisceri nomen nostrum. Neque volumus improbare, nedum obstare, quo minus Carmeliticus Ordo eos omnes Sanctos habeat pro suis, qui in Palæstina vel Syria eremiticam aut monasticam professionem suarum virtutum splendore illustrarunt. Tantum petimus vicissim gratiam unam, ut patienter ferant, nos abstinere ab Ordinis sui titulo, eisdem Sanctis adscribendo, donec certius nobis constiterit de talis tituli veritate.*

4 *Sub hac Protestatione, quod scilicet processionem Ordinis Carmelitici ab Elia, silentio nostro* non *velimus reprobare; &, quod dicenda de Eremitis, Albertina Regula instructis, ad processionis prætensæ eversionem trahi nolimus; imo nihil magis exoptemus quam invenire solidas ad illam stabiliendam probationes. Sub hac, inquam, protestatione conabor explicare historiam Carmeliticæ eremi, pro eo statu, quem cœpit habere sub tribus suis primis inter Latinos Prioribus, Bertholdo, Brocardo atque Cyrillo; quatenus is cognosci poterit, tum ex auctoribus eorum & vicinorum temporum, tum ex ipsamet Regula, tenero novelloque germini ad suæ exiguitatis mensuram congrue applicata a B. Alberto Patriarcha. Hoc vero ut ordinate ac dilucide fiat, proponendus Lectori ante omnia est prædictæ Regulæ invariatus tenor; ad quem velut ad Lydium lapidem explorari potest, utrum majorem verisimilitudinem, an affectum animi, ad negativam propensioris, secutus in hoc Commentario sim. Deus, qui sincera veritas est & absoluta caritas, stylum dirigat, ut nihil a veritate dissonum, nihil caritati contrarium scribam. Idem Deus faciat, ut ii, quorum causa laborem hunc sumo, diu ac sæpe declinatum, sic deinceps in suo abundent sensu, ut veteribus novisque fictionibus repudiatis, solidiori, si fieri potest, via progrediantur ad conciliandam verisimilitudinem traditionibus suis.*

5 Sub hac Protestatione ac religioso voto, primum tandem responsum dedimus ac rationem silentii, idque non seorsim libello aliquo, qui statim per omnium volasset manus; sed in grandioribus Tomis, qui a solis fere Eruditis & aliunde de vera Carmelitarum origine satis instructis leguntur, ut nihil detrimenti pateretur qualisqualis de origine illa vulgi credulitas, quæ etiam deinceps perseverasset, si modo PP. Carmelitæ, vel tum silere, atque ob ulteriori scriptione ac provocatione abstinere voluissent. Sed aliter ipsis visum est. Non multo enim post iterum provocant per alterum ejusdem Auctoris Armamentarium, quod & loqui nos denuo coegit in prima Parte Maii, anno 1680. Hinc porro per alios atque alios libellos, quorum facile viginti enumerat Janningus in Amica Expostulatione, non tantum provocati ad loquendum, verum etiam lacessiti, nihilominus silere perreximus annis omnino 13. quando tandem prodiit R. P. Sebastiani a S. Paulo Achilles, Exhibitio errorum, mihi quidem imputatorum, ab ipso autem verius commissorum in Accusationibus suis.

6 Hic liber, Sanctiss. D. N. Innocentio PP. XII. inscriptus, coegit nos tertio silentium rumpere, primum per opuscula Janningi, totius libri specimen in paucis exemplis & ignorantiam Auctoris historicam demonstrantia: deinde cum aliorum quoque ignorantia similia, tantam eidem libro auctoritatem tribuere, quantam nostris Sanctorum Actis detrahere videbatur, ipsum ego refutandum suscepi articulatim a capite ad calcem. Tali operi cum per tertiam Responsionis Partem nuper finem imposui, in prævia ejus partis *Protestatione* palam dixi, me de antiquitate Carmelitana tacere imposterum velle, eo magis, quod nuntiabatur Roma, ipsos Patres Carmelitas, qui me silere non fuerant passi; silere autem ipsi, etiam post Innocentii Papæ XI. præceptum, noluerant; nunc ultro per Reverendiss. suum Generalem, P. Fr. Joannem Feyxoo de Villalobos, nomine totius Ordinis, oblatis iteratisque libellis supplicibus instare apud Sanctiss. Dominum Nostrum & sacram Congregationem Concilii, ut omnibus omnino per Breve Apostolicum circa antiquitatem suam imponatur silentium.

7 Et censuit sacra Congregatio die 8. Martii, silentium imponendum esse, *juxta modum præscribendum*: qui modus re ipsa tandem præscriptus fuit ab eadem sacra Congregatione die 28. Aprilis, concepto Decreto quo censuit, per Breve Apostolicum *imponi posse ac debere perpetuum silentium* super quæstione *de primæva institutione & successione Ordinis Carmelitarum a Prophetis Elia & Eliseo*. Quod *silentium perpetuo servandum* sit *a defensoribus utriusque sententiæ, nec non ab omnibus & quibuscumque aliis cujuslibet gradus; tum in scriptis, dissertationibus, & libris, imposterum typis edendis; tum in publicis disputationibus ac thesibus*; idque *sub pœna excommunicationis latæ sententiæ a transgressoribus ipso facto incurrenda*.

8 Opinabar his intellectis quieturos illos, qui mecum & cum Provinciali meo, P. Philippo Regaus, anno 1692. egerant de restauranda concordia & silentio utrimque tenendo. Sed nempe illos ipso tempore, quo jam impressam habebant Exhibitionem suam errorum meorum, & luci paratam quem etiam mox publicarunt; cum nollent Lovanienses nostri Professores Theologiæ dare testimonium, quod Carmelitæ ut necessarium ad pacem ineundam requirebant, de probabilitate sententiæ, docentia, Ordinem ipsorum, ab Elia decimo ante Christum seculo institutum, sine intermissione ulla perpetuo perseverasse. Fictio scilicet mera id erat aliud nihil sub specie pacis instaurandæ visa intendere, quam ut nostrorum Theologorum de probabilitate antiquitatis suæ testimonium prædictæ Exhibitioni suæ præfigerent. Majorem nempe vim id habiturum putabant contra me, quam exterorum Theologorum de eadem Exhibitione, panegyri-

cas Approbationes, Lovanii præcipue & in Hispania emendicatas, nullo in totis Galliis Approbatore invenio. Ut ut erat, opinabar ego, illos qui mecum & cum provinciali meo ficta egerunt anno 1692. de restauranda concordia & servando utrimque silentio; nunc saltem sincere ac serio egisse cum S. D. N. Innocentio, Christi in terris Vicario, & cum Eminentiss. S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, qui *prævia diligenti examine ac re mature perpensa*, Decretum rogatu Carmelitarum tandem fecerunt, sanctissimo D. N. approbandum & publicandum.

9 Ecce autem post petitum tot votis a PP. Carmelitis; post factum diligenti ac maturo cum examine ab Eminentiss. Cardinalibus; post præsentatum a summo Pontifice Decretum, prohibens *scripta, dissertationes, libros aut theses de primæva institutione & successione* Carmelitarum ab Elia, *imposterum typis edi*; uno quasi impetu ac tempore Rev. Patres Carmelitæ, edunt contra me in materia prædicta (utique & in contemptum Decreti & S. Congregationis Concilii, & summi Pontificis) scripta plura & grandiora, quam umquam ante Decretum simul ediderunt, auctorum suorum nominibus, etiam ipsius Generalis de Villalobos insignita, Nolæ, Antverpiæ, Lovanii.

§. II. *Specimen duarum Scripturarum Lovanii atque Antverpiæ editorum.*

ET Lovanii quidem 27. Maii nuperi, quando facti Romæ Decreti notitia haberi potuit (habuerunt certe alii Carmelitæ in Belgio, inde mihi ac universæ Societati nostræ ominati nescio quam calamitatem) publicatæ ac defensæ sunt a Carmelitis Discalceatis Theses cum Appendice R. P. Agathangeli, in qua Agathangelus jactat, antiquam Ordinis sui ab Elia successionem, *a solis superciliosis, invidis, historiarum ignaris impugnatam esse*: neque gloriatur, tot ac talibus ab Inquisitione Hispana censuris notatum, *ut vix hæreticum pluribus condemnatum censores invenire queas*: & ut censuras illas mihi graviores faciat, fingit Janningum nostrum de Inquisitione Hispana scripsisse, quod scripsit de Romana; ipsam *neminem nisi nocentem punientem, de librorum nisi noxiorum proscriptionem*. Hisce Thesibus & earum Auctori aliud ego nolim respondere, quam quæ sunt responsa toties, causa ad Sedis Apostolicæ judicium protracta, ibique suscepta.

11 Antverpiæ sub idem tempus, videlicet die 24. Maii, publicatum fuit ab iisdem, qui paulo ante petierant a summo Pontifice, nil ejusmodi publicari imposterum, *Memoriale pro sacrosancta Sede Apostolica ex parte Fr. Sebastiani a S. Paula*. Sed huic auctori plura jam respondi ad Exhibitionem Errorum, quam ejus immodestia meretur. Orditur autem hoc Memoriale a *Præambula*, quo *demonstret*, aut saltem putet demonstrare se, primum offensionis atque discordiæ inter nos lapidem, non positum esse (quæ enim aliunde repetit, plane ad rem non faciunt) anno 1669. a P. Francisco Bonæ-spei per editionem Armamentarii & provocationem publicam de reddenda ratione Silentii nostri circa originem & antiquitatem Ordinis Carmelitani: sed me jam inde in Actis Sanctorum Martii, anno uno ante Armamentarium editis, offensionis causam dedisse aliter quam silendo. Ut probet autem, aliud affert nihil (quod est admodum mirabile) quam ipsum meum silere. Quia nempe in Martio Ordini Carmelitano *non adscribo* S. Syncleticam Abbatissam: *nec adscribo* illi S. Saram iisdem Abbatissam: in Notis vero ad vitam S. Euphrasiæ *nullam facio mentionem* de instituto Eliano seu Carmelitico; *cujus ipsa* (ut quidem ait Accusator), *erat Monialis, cum in Ægypto nullum aliud tunc esset institutum monasticum, præter Elianum*. Ad hæc, quia loquor de primis Prioribus Generalibus Ordinis *sine addita*, Latinorum seu ex Latinis, quod addere solet Lezana. Item, quia in Vita S. Cyrilli Carmelitæ *nullam facio mentionem* libri ab eo scripti. Sed dic, amabo te, quid hic aliud quam silentium meum carpis? *Non adscribere, non facere mentionem, non addere*; quid aliud sonat, quam *non loqui?* non loqui autem, quid est aliud quam *tacere?*

12 Nihilominus universaliter concludit Accusator num. 12. quod Papebrochius *omnes Monachos & Moniales, seculo 12. anteriores, de quibus in Martio tractat, neget fuisse Ordinis Carmelitarum* (id falsum est), *vel saltem illi non adscribit* (id silere est). Quod si Accusatori meo & Carmelitis illud, *non adscribere*, sit *virtualiter seu implicite negare*: omnia ego censendus sum inter illustrandum Acta Sanctorum, virtualiter seu implicite negare, quorum expressam mentionem non facio, imo & illa quæ ignoro: qui sane novus negandi modus est, & ante hunc diem inauditus. Habeat suum sibi *virtualiter & implicite* Accusator Theologus: Historici asserunt negantque simpliciter, esse vel non esse.

13 At, *generalem facit professionem Papebrochius, omnia & singula Sanctorum Acta & gesta describendi ac illustrandi*. Concedo. Ergo debet Papebrochius memorare omnia, quæ Acta singula, & singulas eorum partes circumstant; licet ad eam nihil faciant, licet omnibus passim nota sint, licet scandalo imbecillis esse possint, licet Patribus Carmelitis displicitura prævideantur? Nemo bonus Theologus ex præmissa concessione mea talem conclusionem deduxerit, præter meum Accusatorem: qui tamen pertaxans telam suam, dicit, quod sane debeat Papebrochius, Sanctos, *quos novit, Carmelitas suo adscribere Ordini; vel tamquam tales Sedis Apostolicæ auctoritate Officio canonico colere*; etiam ipse adscribere eidem Ordini. Quid autem, si Papebrochius noverit, eumdem Sanctum a Carmelitis adscribi Ordini suo, a Basilianis autem suo, & ab utrisque pro suo coli Officio ecclesiastico approbato: eumdem insuper adscribi ordini suo a Benedictinis, & a Canonicis Regularibus adscribi suo, uti fit in S. Anastasio Persa, quem omnes illi Ordines Religiosi sibi vendicant, quamvis nulli adscriptus legatur in Martyrologio aut Breviario Romano? Quid agat hic Papebrochius, si æquus esse arbiter velit? An Carmelitas audiat potissimum, & sequatur? Ut vellet pro suo in Ordinem affectu, ratio prohiberet. Jus quippe & æquum decidere ejusmodi lites debet, non affectus.

14 Novit quoque Papebrochius, Carmelitas Ordini suo adscribere S. Ennchum de Amathim, S. Marci Evangelistæ comitem in itineribus atque adjutorem in laboribus Apostolicis, licet ipsum ostendere non possint in rerum natura fuisse,

se, ut Janningus demonstrat in Amica Expostulatione sua & Post-scripto: ergo & Papebrochius illum debet canonizare pro sancto Carmelita, priusquam id faciat Ecclesia, aut constet, ipsum extitisse in rerum natura? Novit Papebrochius, aliquos vere Sanctos a S. Congregatione Rituum, ex relatione & rogatu Carmelitarum, permissos esse ab ipsis coli Officio Canonico, *tamquam* Ordinis sui, quia similem illorum instituto vitam in eremo aut aliter duxerunt: ergo Papebrochius vere Carmelitas facere potest ac debet, quos S. Congregatio solummodo *tamquam* tales ex aliqua similitudine aut favore permittit coli? Novit Papebrochius, Carmelitas variis Sanctis, non suis, suum habitum religiosum appingere, puta, S. Joanni Baptistæ, Deiparæ Virgini Mariæ, & ipsi Jesulo, contra Bullam Urbani VIII. talia prohibentem: ergo & Papebrochius, proxime illustraturus Acta S. Joannis Baptistæ, probare talia contra Bullam Apostolicam debet, aut ipsum etiam Carmelitam facere, quia Carmelitis sic placet?

15 Redeo ad Præambulum, sub cujus finem Auctor compendio repetit suum Libellum Supplicem ad Innocentium Papam XI. licet ab Inquisitore Status Veneti perpetuis tenebris damnatus sit; & ad Exhibitionem suam errorum, nondum scilicet erubescere doctus ex Responsionibus meis. Tum appellat num. 34. ad *brevem Carmelitarum Chronologiam*, per totum Articulum 16. Exhibitionis extensam, in qua *clare ostenditur*, ait, *Ordinem a S. Propheta Elia in veteri Testamento esse institutum, & ubsque interruptione huc usque continuatum*. Imo tam clare id ibi ostenditur, ut Ostensor cum suis, aut allatis a se probationibus diffidens, aut aliter sentientium argumentis respondere impotens, *speret* collaboretque, ut *desuper Papebrochio ceterisque adversoriis perpetuum a Sancta Sede imponatur silentium; non obstante quod P. Janningus hoc modo omnibus astute impedire molitur*. Non molitur impedire astute, qui palam loquitur quod ratio & veritas dictat. Astute molitur opprimere alium, qui Judici persuasum cupit, in gratia, quam ipse petit, alterius nihil interesse, cum intersit quam maxime; & præterea postulans ipsum perpetuo silentio a Judice damnari, postulat id fieri *quam secretissime, nemine citato, nemine audito*. Interea hinc patet, Præambulum istud, Memoriali recentius, non anno superiore, ut fingitur, sed nuperrime impressum esse: cum speret obtinere silentium nuperrime tantum peti cœptum. Oppono autem ego Præambulo isti Elucidationem meam Historicam: de Memoriali ipso, quia non directe pro antiquitate Ordinis pugnat, suo tempore videbitur. Quamvis enim hic mihi silentium ipse ultro præscribam circa antiquitatem Ordinis: in aliis tamen nihil debere volo Carmelitis: quibus quamdiu lubebit accusare me meaque scripta; tamdiu mihi me meaque defendere & lubebit & licebit. Nunc ad tertium scriptum, Nolæ, aut potius Neapoli, nuper impressum.

§. III. *Duo alii libri, a Reverendissimo Patre de Villalobos, totius Sacri Ordinis Carmelitani Priore Generali Romæ, extra Romam impressi.*

Titulus uni est, *Historico-sacra & Theologico-dogmatica Dissertatio de vera Origine & progressu Monastices, ejusdemque primo cultore, magno Propheta Elia, Carmelitarum parente, sub tribus, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis votis &c.* Auctor operi inscribitur *Reverendiss. P. M. Joannes Feyxoo de Villalobos, totius Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli* (ut catenam aliorum ejus titulorum omittam) *Prior Generalis*: Editor autem *Illustriss. ac Reverendiss. Dominus D. Fr. Daniel Scoppa, de Carmeli Cœtu ad Nolanam Infulam assumptus*.

17 Locus & annus impressionis notantur *Nolæ* MDCXCVII. quod nescio, qui conciliari possit cum tempore, quo Approbationes & Facultas imprimendi datæ fuerunt, pleræque eodem anno ac mense Decembri. Et is quidem, cui a Regio Collaterali Consilio liber censurandus, antequam imprimi possit, ut fieri assolet, commissus fuerat, *Fr. Benedictus de Noriega*, non ante diem 12. *Decembris 1697. Neapoli ex suo Franciscano S. Mariæ Novæ Conventu*, retulit librum *typis dari posse*, nisi aliud Regio Consilio Collaterali videretur. Hoc autem Consilium, *visa supradicta Relatione*, respondit die 19. ejusdem Decembris: *Imprimatur & in publicatione servetur Regia Pragmatica*. Hæc autem Pragmatica an servata sit, videant illi, qui propterea jam nescio quid patiuntur Neapoli: imprimi certe liber ante illud tempus legitime non potuit: adeoque nec absolvi ante finem anni ac mensis istius.

18 Videat etiam Illustrissimus Præsul Nolanus, quomodo ante diem 11. ejusdem Decembris, supplicans Excellentissimo Proregi, ut librum sibi in suo Episcopali palatio imprimere liceret, pro motivo alleget, ipsum *a Regio ejus collaterali Consilio jam approbatum esse*: quam approbationem constat tantum esse datam die 19. ejusdem mensis. Videant præterea illi, quorum res agitur, quo modo ibidem petere per eumdem Illustrissimum, uti paulo ante per Onufrium Paci, potuerint facultatem *recudendi* seu *reimprimendi* librum suum, quem constat antea numquam cusum aut impressum fuisse, nisi forte quatenus complectitur Theses in Hispania propugnatas, earumque compendium; quæ simul sumpta vigesimam libri partem vix conficiunt.

19 Reliqua autem numquam impressa fuisse, constat primo ex ejusdem Illustrissimi Allocutione ad Ordinem suum, dicentis, se *Theses illas, quas paucis abhinc annis* sub præsidio Reverendissimi P. de Villalobos propugnatas vidit Hispania, *novis elucubrationibus ab eodem auctas, publici juris facere*. Constat 2. ex Onufrio Paci, jam memorato, qui fatetur Thesibus *additamenta notarum & explicationum*, sane prolixissima, ab eodem auctore adjecta esse. Constat 3. ex eo, quod passim toto libro refutandi sumantur auctores aliter sentientes, qui recenter & aliqui eorum vix a biennio sua ediderunt: quos inter ego scribor venire, sub nomine *Commentatoris* aut *Commentatoris moderni*, cum Responsionum mearum Parte priore; mitius tamen ali-

quanto nunc tractatus ab Auctore libri (ut quidem mihi scribitur) quam cum anno 1695. idem liber, licet ex Responsionibus meis tunc nondum auctus, Reverendissimo sacri & Apostolici Palatii Magistro pro approbatione & impressione facienda Romæ, oblatus fuit manuscriptus. Ex quo denuo constat, librum, cum manuscriptus Magistro S. Palatii oblatus sit, antea impressum non fuisse, atque adeo nec debuisse nec potuisse sine dispendio sinceritatis a Prorege peti *recudendum* seu *reimprimendum*.

20 Porro oblatum fuisse librum Romæ, ubi Auctor morabatur, pro approbatione & imprimendi facultate obtinenda Reverendissimo P. Magistro S. Palatii, ut aliunde nesciretur, constat ex *Approbatione adm. R. P. Magistri Joseph de Sarabia Ordinis Prædicatorum*, libro præfixa, quæ incipit: *Ex commissione Reverendissimi Patris Magistri Sacri & Apostolici Palatii, vidi hunc librum, intitulatum, Historico-Sacra & Theologico-dogmatica Dissertatio*, Non tamen probatum fuisse eidem Reverendiss. Patri Magistro aut librum, aut impressionem ejus, colligitur (quamquam & aliunde sciatur) tum ex eo quod Romæ, ut cupiebat Auctor, permissus non sit imprimi: tum ex eo, quod extra Romam, cum Auctor Romæ actu morabatur, impressus sit absque facultate necessaria ejusdem Reverendissimi S. Palatii Magistri.

21 In hoc ipso libro *Lectorem benevolum* alloquens *Fr. Andreas Mastelonus, humilis Carmelita, Provincialis Scotiæ*, inter alia *ingenii decora*, a Reverendiss. Patre de Villalobos *Religioni relicta*, enumerat *Brevem Chronologiam Religionis perfectæ: superadditæ vulgari: in qua*, inquit, *Eliani Ordinis pervetusta origo defenditur, & jus omnium Carmelicolarum ejus solitudine custoditur. Hujus Auctoris* (Joannis Feyxno de Villalobos) *nomen jam intra severioris silentii claustra detentum, in publicam lucem laudemque prodire fas & jura sinunt*. Nescio profecto, an sinant: certe non expedit in lucem prodire nomen Auctoris, quamdiu liber ipse perambulat in tenebris. Dudum ille quæsitus mihi frustra fuit, etiam Romæ. Hinc tamen his ipsis diebus nuntiat mihi quispiam, tandem sibi visum esse librum, secreto acceptum per tertiam & amicam manum: ipsum *ope totius Carmelitici Instituti Sanctiss. D. N. Innocentio divina providentia Papæ* XII. prætendi *oblatum*; impressum *Lugduni* 1696, *in Officina typographica Joannis Baptistæ de Vello cum permissu*. Cujus autem permissu? Neque enim nomen Auctoris, aut Inquisitionis, aut Censoris, aut Approbatoris, aut ullum approbationis vestigium apparet uspiam toto libro. Continet *Brevis* hæc *Chronologia* paginas 170. in folio; cui subjungitur *Elenchus* brevior paginarum 17. & ipse *oblatus*, ut prætenditur, *Sanctiss. D. N. Innocentio* XII. *per modum libelli supplicis*, sine approbatione pariter ulla: quasi sub tali prætextu & Pontificio nomine imprimere quidquid libuerit illis liceat, qui me solenniter accusant in Exhibitione sua Art. 4. §. 5. quamvis falso, quod *in Propylæo Maji omiserim annum impressionis, contra Clementis VIII. Instructionem*. Scilicet omissio anni impressionis reddit librum accusabilem ac damnabilem juxta Carmelitas; non reddit talem omissio Approbationis ac Censuræ Ordinarii, quæ non tantum per Clementis VIII. Instructionem necessaria est, absolute requiritur per Indicem Concilii Tridentini.

22 Hisce ego libris, quantumvis voluminosis, aliud reponendum non existimo, præter Responsiones meas jam editas & Decretum sanctiss. D. N. Urbani VIII. Tomo 5. Bullarii, numero 51. relatum, quo die 18. Septembris 1625. *statuit ac decernit, ut impressor nemo in statu, Sedi Apostolicæ mediate vel immediate subjecto, degens, cujusvis conditionis, gradus, ordinis & dignitatis existat, libros de quavis materia tractantes, & ubicumque compositos, audeat alio deferre vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimi & Reverendiss. D. Card. S. D. N. Vicarii, & Magistri sacrii Palatii, si in Urbe; si vero extra Urbem existat, sine Ordinarii & Inquisitoris loci illius, sive ab iis Deputatorum, facultate & licentia operi præfigenda*,

Libris autem, quos contra præsentis Decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas, arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declinatione ex nunc probibet, & pro expresse probibitis baberi vult & mandat: contrariis quibuscumque non obstantibus &c.

23 Opponi etiam potest, non tantum duobus ultimis, sed etiam aliis, prius recensitis libris, *Vera Origo sacri Ordinis Carmelitani* a me nuper, ut declarationem doctrinæ meæ, tot persecutionum, accusationum & censurarum, quas patior, causam primariam, S. D. N. Innocentio Papæ XII. supremo Judici, ac toti mundo exhiberem, *historice demonstrata*. Libri quippe omnes prædicti eo tendunt, ut repetitam ab Elia Propheta decimo ante Christum natum seculo institutionem Ordinis sui vere Religiosi, & continuatam perpetuo nec umquam interruptam successionem ejus huc usque, persuadeant etiam eruditis peritisque historiarum,

§. IV. *Protestatio tenendi post hac de antiquitate Carmelitana silentii ejusque causa.*

24 Intelligo identidem, alios minoris momenti Libellos alibi, præsertim per regnum Neapolitanum, volitare; quorum hactenus exemplar nancisci non potui. Sed neque valde me solicitum illi habent, similibus jam assuefactum longa tolerantia: & prævideo plures etiam ac plures imposterum edendos; qui quidem calumniis me novis onerare poterunt; non tamen efficient, ut ego sibi amplius aliquid respondeam circa antiquitatem, Chronologiam & successionem ab Elia numquam interruptam; quam respondi jam in Vera Origine Ordinis Carmelitani; & in Non vera Origine ejusdem Ordinis; sed omnino de iis silere, uti semper optavi, ita nunc firmissime statuo; quia video illud nunc tandem toti mundo probandum; postquam ipsi Patres Carmelitæ monstrarunt, se illud optare, atque instantissime nuper a S. D. N. Innoc. XII. (quem Deus diu Ecclesiæ suæ ad pacem publicam conservet) petierunt, petitumque, per sacram congregationem Concilii Tridentini reipsa obtinuerunt, nisi forte petitionis ipsos suæ mox pœnituerit. Præceptum enim quod mihi hic Antverpiæ minati nuper Patres illi fuerunt, jam quadrimestri facile spatio æquani-

mus

mus expecto, sic comparatus, ut illud beneficii loco excepturus, atque exosculaturus, & ad amussim observaturus sim.

25 Cum tamen nusquam compareat, deprecantibus, ut intelligo, qui ante petierant, ejus publicationem; & interea ego novis eorumdem libris ad loquendum lacessar; accipe Lector, cum Protestatione mea de cetero silendi rationes, quæ me ad silendum movent, ac movere quemvis debent.

26 Prima ratio est, Desiderium (ut de proprio nihil nunc dicam, quod semper animo meo insedit) quo PP. Carmelitæ silentinm nuper a S. D. Nostro, ut modo dicebam, enixe petierunt, ut in supplicibus libellis, ea super re Pontifici & sacræ Congregationi porrectis, mox leges. Altera ratio mihi est, vel solus S. D. Nostri nutus, quo, remittendo Libellum Supplicem ex voto PP. Carmelitarum ad S. Congregationem Concilii, quod petebatur silentium visus est & ipse approbare. Tertia ratio & præcipua est, ipsum Decretum, quod prædicta sacra Congregatio post maturam discussionem sapientissime concepit, suis post Libellos Supplices, Lectori exhibendum verbis. Hoc est, quod meum silendi propositum defendet contra obtrectatorum atque adversariorum sinistras interpretationes, conaturorum fortassis persuadedere aliquibus, ideo me ad silentium confugere, quia respondere non possum. Decretum illud, etiam non publicatum tanti mihi est, ut præ illius reverentia omnium obtrectatorum dicteria prorsus contemnam.

27 Non tamen opinetur P. Sebastianus, aut Rev. P. de Villalobos, aut P. Agathangelus, aut alius quivis, me protestantem de silentio a me tenendo circa antiquitatem Ordinis, continuo etiam silentium in aliis materiis, illue non spectantibus servaturum: sed sciant potius, quoties in talibus accusare me lubitum ipsis fuerit; toties mihi lubiturum atque etiam liciturum innocentiam meam tueri.

LIBELLUS SUPPLEX PP. CARMELITARUM,

S. D. Nostro oblatus, ab eoque remissus ad S. Congregationem Concilii, ubi die 22. Februarii 1698. lectus fuit originali suo Italico tenore, cui ex opposito addo Latinam ejus versionem.

BEATISSIME PATER.

28 ORdo humillimus Dominæ nostræ de Monte Carmelo, profundissime ad sanctissimos Sanctitatis Vest. pedes prostratus, reverenter exponit; qualiter, non obstante eo quod, tam multis seculis jam decursis, per Bullas & Litteras Apostolicas; per Officia divina & Martyrologia Sedis Apostolicæ judicio approbata, (quorum in adjuncta charta sub litteris indiculus datur) per revelationes etiam factas personis sanctis Deique famulis; per assertionem & traditionem quasi numero infinitorum Scriptorum classicorum & veridicorum, tam regularium quam secularium; publica voce, & fama ac credulitate universali, semper fuerit pro re certa reputatum existimatumque, quod Fundatores & primi institutores præfati Ordinis fuerint sancti Prophetæ Elias & Eliseus, cum continuata & numquam interrupta successione; absque eo quod sancta Sedes ejusmodi assertionem & traditionem unquam in dubium revocaverit, aut prohibuerit, quin potius eamdem semper admiserit in præallegatis Pontificiis Bullis, divinis Officiis, Martyrologiis, aliisque publice impressis documentis, nihilominus quidam Scriptores moderni, sive ex incidenti, sive ex professo, ex solo proprii arbitrii motu ingeniique ostentandi pruritu, potius quam ex necessitate aliqua vel occasione ipsis data, siverint ex calamo suo ea profluere, quæ prædictæ antiquæ & approbatæ traditioni, Bullis Apostolicis & auctoritati fidem derogant, in detrimentum ipsiusmet Ordinis, disceptando de hoc argumento; vel quia non viderunt præfata Apostolica & antiqua monumenta, vel quia eorum veritatem affectu minime benevolo inspexerunt consideraveruntque.

29 Ne igitur cogantur dicti Ordinis Religiosi similibus sibi oppositis dissertationibus, respondere, divertique ab aliis suis melioribus, atque

BEATISSIMO PADRE.

L'Umilissimo Ordine di Nostra Signora del Carmine, profondissimamente prostrato à i santissimi Piedi di vostra Santità, riverentemente espone, come, non ostante che in tanti secoli trascorsi, e per Bolle, e Lettere Apostoliche, e per Officii divini, e Martirologj approvati dalla Sede Apostolica (de i quali se ne da nota injunta segnata lettera A) per revelationi havute da Santi e servi di Dio, per assertioni e traditioni di numero quasi infinite di classici, e veridici Scrittori si regolari, come secolari, e per pubblica voce e fama, & universal credenza, si sia sempre tenuto per costante, che gli Fondatori e Primi Institutori dell' istesso Ordine, siano stati li Santi Profeti Elia & Eliseo, con continuata e mai interrotta successione, senza che la S. Sede habbia già mai posta in dubbio, a proibita, anzi sempre ammessa tal asfertione e traditione nelle dette Bolle Pontificie, Officii Divini, Martirologj, e nelle publiche stampe: tuttavia tal uni Scrittori moderni, a sia incidenter, o ex professo, più per mero capriccio & esercitio d'ingegno, che per necessità, e occasione, che se le sia data, si sono lasciati uscire dalla pena cose tali, che ridondano in discredito di detta antica, & approvata traditione delle Bolle, & autorità Apostolica, & in deriso dell' Ordine medesimo; discettando sovra questa materia, o sia per non haver visto gli sudetti antichi & Apostolichi monumenti, e pure visti e rimirati con poca affettione la loro verità.

Onde per non necessitare è Religiosi di detta Ordine à rispondere à simili oppositioni e disertationi, con divertirsi da altri loro studii, più

utili, e proficui alla Religione Cattolica, & alienarsi dall' osservanza da essi professata, e per non dar occasione ad ulteriori dispute, repliche, & altercationi, e di deriso alli heretici e scandalo al mondo, vedendo modernamente controversa una opinione e credenza, communemente nel corso di tanti secoli tenata e seguitata, con approvatione della Sede Apostolica. Il medeme Ordine perciò supplica umilmente V. Beatitudine, à fargli gratia di suo moto proprio, imporre fine à questa controversia & altercatione, con ordinare con sua Bolla, a Breve particolare, che di questa materia, non impugnata, anzi ammessa tante volte, & in tante occasioni dalla Sede Apostolica, non se ne tratti, non se ne scrivi, e non se ne stampi più; ma si lasci stare nel suo stato, e termine, che al presente si trova; essendosi così praticato più volte in casi simili dalla medema S. Sede Apostolica, come dell' essenza de quali se ne dà nota annessa, segnata lettera B. con deguarsi V. Santità di commettere a chi le pare, che con tutta segretezza, e senza chiamare ne sentire alcuno per non dare nuova causa à maggiori strepiti, & altercationi riconosca la verità di questo fatto, con tutte le sue giustificationi e verificationi; per referirlo à V. Santità, e provedere poi opportunamente alla fede, e credenza delle suddette Bolle Pontificie, e de' Divini Officii, Martirologj & indennità e quiete e laceratione del credito dell' Oratore, e per evitare ancora scandali; proibendo espressamente, che in avvenire non sia lecito ad alcuno di disputare, trattare, e criticare di questa materia; tanto più, che non s' apporta pregiuditio ad alcuno, non pretendendo per questo, il medesimo Oratore, d' acquistare prerogativa maggiore di quella gode al presente; ma simplicemente, che se gli preservi il suo antichissimo, e continuato quasi possesso, in cui si trova nel corso di più secoli, & Deus &c.

Catholicæ Religioni utilioribus studiis, & deflectere ab obsevantia, quam profitentur, itaque occasionem præbere ulterioribus disputationibus, & replicatis altercationibus, cum hæreticorum risu & populorum scandalo, videntium quod nunc primum in controversiam adducatur opinio & credulitas, tot seculorum decursu successive recepta, & approbata per Apostolicam Sedem; idem Ordo humiliter supplicat Beatitudini vestræ, ut gratiose sibi inclinata dignetur imponere finem huic controversiæ & altercationi; mandando per suam Bullam vel Breve particulare, ut de opinione illa, numquam impugnata, sed toties tamque variis occasionibus admissa per Apostolicam Sedem, non tractetur, non scribatur, non imprimatur amplius quidquam; sed permittatur ipsa manere in eo statu & terminis, in quibus modo reperitur: quemadmodum factum sæpius in similibus casibus, ab ipsa Apostolica Sede, de quorum casuum realitate specialis notitia datur in annexa charta sub littera B. Ita scilicet ut sua Sanctitas dignetur committere cui magis placuerit, ut quam secretissime, & nemine citato audisoque (ne nova occasio detur majoribus altercationibus atque rumoribus) cognoscat de veritate hujus facti cum suis omnibus justificationibus & verificationibus; ut ex eo informata Sanctitas Vestra possit deinde opportune providere fidei & auctoritati prædictarum Bullarum Pontificiarum, divinorum Officiorum & Martyrologiorum; nec non indemnitati & quieti ac fidei ipsius Oratoris dilaceratæ, ad evitanda insuper futura deinceps scandala, prohibendo expresse, ne cui posthac licitum sit disputare, tractare, crisicare super hoc argumento; idque eo magis, quod id futurum sit absque ullius præjudicio: cum idem Orator non prætendat hinc acquirere majorem ullam prærogativam, ea qua modo fruitur; sed tantum ut sibi conservetur antiquissima sua & quasi continuata possessio, quam nunc obtinet plurium seculorum. Et Deus &c.

SACRÆ CONGREGATIONI CONCIL.

Eminentiss. & Rever. Domini.

30 CUm Dominus noster remiserit huic sacræ Congregationi annexum Memoriale causa suffragii: ideo Religio Carmelitana humillime supplicat Eminentiis Vestris, dignetur favorabile suffragium dare, ad eum qui spectatur finem: quia non intendit eo facto præjudicare cuiquam, aut tollere aliquid tertiæ cuivis personæ; imo nec acquirere prærogativas aut privilegia majora, quam quibus in præsentiarum fruitur, & semper fruita est præterito tempore; solum autem prætendit, ut sibi provideatur; imponaturque silentium rigorosum linguis & calamis detractoriis & laceratoriis instituti atque honoris sui; utque finis imponatur inutilibus & scandalosis disputationibus, cavillationibus & altercationibus, redundantibus in vilipendium & opprobrium, non solum ipsius Religionis, sed etiam Apostolicæ Sedis & traditionum ejus, quemadmodum diffusius demonstratur in prædicto Memoriali, per folia his adnexa, ad quæ &c. Et Deus &c.

Eminentiss. e Reverend. Signori.

HAvendo nostro Signore rimesso à questa Sacra Congregatione l' annessa Memoriale per il voto; perciò la Religione Carmelitana supplica humillimente l'Eminentie Vostre per il suo voto favorevole, all' istanza che si fa, poichè in in questa non pretende pregiudicare, ne togliere cosa alcuna al terzo, ne tampoco di acquistare ne prerogative ne privilegi maggiori di quelli che gode presentemente, ed hà goduto sempre per il passato; ma solamente, che venga proveduto, e sia imposto perpetuo e rigoroso silentio alle lingue e penne detrattrici, e laceratrici del suo instituto ed honore, ed alle inutili e scandalose dispute, e ritacazioni, ed altercationi, ridondanti in disprezzo ed opprobrio non meno della stessa Religione, che della Santa Sede Apostolica, e delle sue traditioni, come più ampiamente si mostra nel detto Memoriale, à fogli in esso annessi: quali &c. Et Deus &c.

DECRETUM CONGREGATIONIS CONCILII.

CUm sanctissimus Dominus noster, non sine gravi animi sui molestia, naper intellexerit, acres obortas fuisse disputationes super primæva Institutione Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, illiusque Successione a Prophetis Elia & Eliseo, cum magno Christi fidelium scandalo, ob hujusmodi minus necessarias contentiones, præsertim inter Viros Religiosos, de rebus alioquin minime ad fidei veritatem, aut merum disciplinam pertinentibus, atque ob quamplures libros ac libellos, acerbiori stylo hinc inde desuper conscriptos: adeoque serio perpendens, in quantam malorum segetem hujusmodi dissidiorum zizania succrescere possint, nisi solicite ex agro Dominico evellantur; volensque opportunum remedium desuper adhibere, debitaque cum maturitate in hujusmodi negotio procedere, illius examen Sacræ Congregationi Concilii sedulo discutiendum remisit.

33 *Quocirca eadem Sacra Congregatio, die 8. Martii 1698. prævia diligenti negotii discussione, ac re matura perpensa, censuit, si eidem Sanctissimo D. N. placuerit, per ejus litteras Apostolicas in forma Brevis, motu proprio, & ex certa scientia expediendas, & de more in locis solitis promulgandas, imponi posse ac debere perpetuum silentium super præfata quæstione, de primæva institutione, ac successione Ordinis Carmelitarum a Prophetis Elia & Eliseo; ac hujusmodi silentium perpetuo servandum esse a defensoribus utriusque sententiæ, nec non ab omnibus & quibuscumque aliis, cujuslibet gradus, status, conditionis, ordinis, societatis, & instituti, etiam speciali & individuali nota digni, tam in scriptis, dissertationibus, & libris in posterum typis edendis, tum in publicis disputationibus, ac Thesibus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, a transgressoribus ipso facto incurrendæ.*

34 *Rursus censuit, libros, Theses, seu Scripta quæcumque, contra formam præfatarum litterarum Apostolicarum in posterum edenda, eo ipso, & absque alia declaratione, & fore & esse prohibita, sub eisdem pœnis contentis in regulis Indicis librorum prohibitorum; ea tamen adjecta declaratione, ut per hujusmodi silentii impositionem, nullum majus pondus accedat uni vel alteri ex dictis sibi adversantibus opinionibus; sed maneat utraque in statu, ac terminis quibus modo reperitur, donec aliter Sedi Apostolicæ visum fuerit determinare.*

35 His ita statutis, na quid ex parte mea dasit, quominus scandala tollantur, quæ ex parte mea posita non fuerunt, putant PP. Carmelitæ præcepto silendi de antiquitata sua omnibus imposito scandala continuo tollanda essa. Bene habet. Attamen si alios pridem silera permisissent, aut ipsi voluissent silere, nulla scandala nunc forent tollanda, quia nulla venissent. Ego interea existimo silentium, quod impedire olim potuisset, quo minus venissent scandala, nunc quantumvis rigorose servetur, illa per se non sublaturum. Natei scandala præcipue cœperunt, ex quo PP. Carmelitæ in Belgio suis in Capitulis statuerunt, amplius non convenire ad publicas Societatis nostræ disputationes in Scholis, aut Sanctorum solennitates præcipuas in ecclesiis, uti moris est inter Religiosos: & ipsa ab illis abstinuerunt Calceati jam annos viginti & amplius; quantumvis sub initium absentiæ suæ semper a nostris ad exercitationes Scholesticas more solito invitati. Variis deinde modis solicitati ad istiusmodi mutua Religiosorum officia accipienda atque reddenda, aliam absentiæ suæ & errorum inde scandalorum causam non raddiderunt, quam scripta Papebrochii, a quo prius satisfactum sibi volabant illorum retrectationa, quam Disputationes nostrorum præsentia sua honorarent; nequidquam contendantibus nostris, controversiam historicam de origine Ordinis nihil habere cum Thesibus philosophicis aut Theologicis commune.

36 Displicuisse ac displicera Superioribus utriusque Ordinis Carmeliterum, ipsisque imprimis Reverendissimis Generalibus, modum agendi suorum Balgarum, tam parum religiosum, & scandalosum in vulgus, manifestum fit ex mandatis & axemplis eorumdem illa super radatis. Nam Reverendissimus P. Philippus a S. Nicolao, Excalceatorum Generalis, cum anno 1696. ineunta, Belgium obiret, religiosa suorum domicilia visitans; ubi venit Lovanium, ipsique Fratres sui solennem mense Februario instituerant Disputationem Scholasticam, jussit atiam invitari Patres Societatis Jesu, eo quod ubique ab ipsis, maxime in Belgio, fuisset humanissime exceptus. Invitati comparuerunt Professores nostri; & omnia pacifice peracta sunt. At ubi iidem Professores nostri ad proximas disputationes suas vicissim invitarent PP. Carmalitas prædictos: tantum abest, ut vicem reddere, ac invitati accedera ad nos dignati sint, ut paulo post invidiosis thesibus, motore & auctore præcipuo Fr. Agathangelo, de quo supra, nostros ibidem lacessivarint, ac novarum contentionum flammam suscitavarint, quæ hodiedum sopita non fores, nisi noster Professor, P. Joannes Baptista Arents, conspicatus, nimium exardescere adversarii sui animum; rarus etiam, sat multa se pro dafensione varitatis scripsisse ipsam agnoscere volentibus; nec non intelligens, Romæ Decretum assa conditum, quo omnibus interdicatur disputatio da antiquitatibus Carmelitanis (talia enim in theses thaologicas jam irrepserunt) maluisset primus cedere, quam qualia merebantur ultimum ab adversario objecta, respondere.

37 Displicere etiam Revarendissimo P. Barbarit Calceatorum Genereli, magis quam Decessori suo, præservido antiquitatis justo majoris patrono, Patrum Carmelitarum in Belgio procedendi modum, docat ejusdem religiosissimum axemplum, quo cum præcipuis Ordinis sui Superioribus, Romæ præsentibus (ut nobis inde nuntiatum fuit) festa S. Ignatii luce ad ecclasiam nostram domus professæ convanire dignatus fuit, exaaptusque humanissime ab adm. Rev. Patra nostro Ganerali, Thyrso Gonzalez, & Sacerdotalibus vestibus decore indutus, atque ad sacra S. Ignatii lipsana deductus, ibidem sacris operatus ast. Similiter fecit Reverendissimus P. Slabata Procurator Generalis Excalcaatorum, etiam nomine Raverendissimi sui Generalis, qui aberat ab Urbe.

38 Sperabant Romæ Patres nostri (fortassis & optabant Raverendissimi Generales utriusque Ordinis prædicti) aliquid simile eodem festo factum fuisse in Balgio a Patribus Calceatis. Sed tantum absuit, ut id consolationis renuntiatc

tiare potuerim Romanis; ut potius ipsorum dolorem augere debuerim, significando quod per Octavam solennis Commemorationis B. Mariæ de monte Carmeli, non uno per Belgium loco, acerbius quam umquam alias, pro concione invecti fuerint, non solum in me, sed etiam Societatem universam, ejusque institutum, illa quoque insectando & contra dicendo, quibus sine excommunicatione istæ sententiæ contra dici non potest. Credidisses, vicinam (ut hic quidem putabatur) præcepti Pontificii, de silentio imposterum servando, publicationem, omnium ora solvisse; & quidquid hactenus verecundia prohibuerat dici, metum ne sibi numquam ea dicere liceret stimulasse, tunc simul evomere voluisse. Præcipuam inter Declamatores istos laudem, sed apud suos tantum, tulisse videri potest, qui Dominica solennis Commemorationis, 20. Julii, pridie natalis S. Eliæ Prophetæ, Brugis in celeberrima comitatus Flandriæ civitate, pro concione dicturus assumpsit hoc thema, *Ave Maria* conatus probare verba illa non ab Angelo primum, sed ab Elia fuisse pronuntiata, quando hic eminus ascendentem nubeculam aspexit, in eaque didicit omnes Deiparæ Virginis virtutes, ad quarum exemplum *ex tunc* (teste Palæonydoro) instituit Ordinem Carmelitanum, eo modo ut ipsa quoque Deipara dici possit *ex tunc* ordinem eumdem instituisse, atque ita ejus etiam fundatrix sit cum Elia.

39 In altera suæ dictionis parte invectus est contra invidos, qui seculo Christi duodecimo natum ordinem contendunt, debacchatusque mirabiliter contra libellum, *Vera orige . . . Sacri Ordinis Carmelitani*; ipsum dicebat mendacissimum & scandalosissimum esse; suam in auctoris nomine damnationem proferre: excerptum quippe ex libris Papebrochii, utique damnatissimis in Hispania, non posse non ipsum quoque damnatissimum esse. Et hic concionem interrupit prælegitque auditoribus suis Decretum Inquisitionis Toletanæ contra 14. tomos de Actis Sanctorum; factus ex concionatore lector, atque ex panegyrista Magnæ Virginis, præco improbatæ passim alibi sententiæ; ac tandem conclusit, dignum esse libellum istum, qui publice in foro ac pegmate manu carnificis flammis detur. Sequenti die nihilo mitius declamavit concionator contra institutum Societatis, multa carpens in votis simplicibus Scholasticorum ejus, seque vinculo excommunicationis per hoc ipsum illigasse putatur. Tantæne animis religiosis iræ! tantane aliis nocere voluptas, ut tibi ipse non parcas!

40 Non hæc via est tollendi scandala, quæ tollere rogatur Pontifex Romanus. Si hæc deinceps (ut confido) tollantur animis publice reconciliatis; unum præterea opto ac jure postulo, ut pax quoque libris meis sit, quantum nunc quidem a vobis pendet: ac desinant aliqui, Romæ circumeuntes persuasionibus, magis speciosis, quam veris, interitum illis machinari. Ab apertis accusationibus libris meis non metuo, metuo autem ab occultis ac dolosis; sæpe sub specie veritatis, aut per iniquam interpretationem, aut verbi alicujus omissionem vel additionem, aut per ignorationem præcedentium vel sequentium, sæpe fallunt & occupant animos, minus cautos, aut curis gravioribus distractos. Quale enim est illud, quod contra libros circumfertur ex Apostolo, *Pietas ad omnia utilis est:* libri autem Papebrochiani tollunt pietatem? Quam sancta est harum propositionum prima, recte intellecta; tam est falsa & injuriosa & scandalosa, secunda. *Pietas*, inquit S. Augustinus Ep. 52. *est verax veri Dei cultus; unde omnia recte vivendi ducuntur officia*. Et Christus Dominus, qui vel ab ipsis Pharisæis apud Matthæum 22. scitur *verax esse, & viam Dei in veritate docere;* docet apud Joannem 4. quod *eos, qui adorant Deum, in veritate oporteat adorare*. Quia nempe vera Pietas fide nititur, & fides veritate. Atque hæc pietas *ad omnia utilis est*, quia inde *omnia recte vivendi ducuntur officia*, quod ait Augustinus. Et hanc pietatem tantum abest, ut tollant libri mei, ut eam adstruant ubique, & tanquam unicum sibi scopum propositum habeant, præcipue intendentes, *veracem veri Dei cultum*, & *viam Dei* per exempla Sanctorum *in veritate docere*.

41 Procul ab hac pietate, vere christiana, est pietas (si tamen hoc nomine appellari ipsam liceat) vulgi & fere muliercularum, quæ in falsa objecta, & sæpe cum superstitione aliqua conjuncta, tendit: quam dedocere homines omni tempore conati sunt Ecclesiæ Pontifices, Concilia, Episcopi, Concionatores & scriptores Catholici; falsitas objectorum talium laudabiliter plerumque ab omnibus detegitur, & ab aliquibus, qui curam animarum habent, detegi etiam necessario debet, quotiescumque talium notitiam ipsi acquisiverunt. Rescivit Innocentius Sanctæ Memoriæ Papa XI. ossa cujusdam Joannis Cala tamquam Sancti, in regno Neapolitano alicubi, publicæ venerationi exposita, non esse Sancti, & continuo officii sui esse putavit, mandare, ut ossa prædicta, simul cum pietate vulgi, illa venerantis, in loco profano conderentur, & altaria sacellaque dicto Joanni erecta, & imagines ejus, cum radiis depictæ, abolerentur. Simile quid nuperrime factum audimus Romæ, postquam falsa miracula, & consecuta inde falsa pietas populi, annis jam duodecim omnium oculos illuserant. Quantam vulgi pietatem sustulit idem Innocentius XI. per Decretum suum, quo anno 1678. declaravit, plurimas Indulgentias, circa quas multorum pietas versabatur, apocryphas & nullas esse? Quisquis certo resciverit, hostiam, publicæ adorationi expositam, consecratam non esse, an is laudabiliter non possit monere populum, Christum se illic adorare opinantem, erroris sui? Omitto plura circa Indulgentias, Reliquias, aliaque popularis pietatis objecta, non subsistentia, passim apud Ecclesiasticos scriptores legenda.

42 Verum, inquiunt, non est cujusvis circa talia judicium ferre, sed Summi Pontificis, quia Deuteronomii 17. jubet Deus, causas dubias inter lepram & lepram ad Sacerdotes referri, & eorum judicio stari; stare autem, & obedire, eorum imperio nolentes, morte affici. Bene habet. Sed vult Deus ibi tantum recurri ad Sacerdotes in causis dubiis magni momenti, quæ ab aliis judicibus jam disceptatæ determinari non potuerunt, *quæque* (teste Cornelio in versum 9.) *ex lege divina decidi debent:* non item, quæ ex Lege humana aut ex factis pendent. *Legis enim divinæ interpretatio*, inquit, *pertinebat ad Sacerdotes & maxime ad Pontificem*. Et po-

sthea

ſtea ſic enuntiat: *Dico ergo, ſancit hic Deus, ut minores Judices in cauſis dubiis, non tam facti, quam juris & Legis divinæ, recurrant ad Sacerdotes & ad Pontificem, qui Legis ſententiam & mentem explicantes, ſecundum eam, cauſam decidant. Leges enim . . . a Deo erant præſcriptæ & Sacris libris conſignatæ; quarum proinde explicatio ad Sacerdotes pertinebat. Secus erat in cauſis & dubiis facti, aut mere civilibus, puta talibus, quæ non ex Lege Dei, ſed ex jure vel naturæ, vel poſitivo humano & rationali reſolvi debebant. In his enim non opus erat conſulere Sacerdotes: ſed vel ſapientes vel judices & Principes ſeculares.* Jam vero quæ cauſæ deciduntur in Actis Sanctorum & hiſtoriis humanis, quæ ſint Legis divinæ? Si quid deciditur, fere in factis conſiſtit, & deciditur ex ratiocinio humano. Neque ſcio cur meum judicium privati hominis in talibus factis amplius aliquid valeat, aut magis reprehenſioni obnoxium ſit, quam cujuſvis alterius privati Hiſtorici. Quorſum vero Proteſtationes meæ juxta mentem & Conſtitutiones Urbani VIII. ſingulis tomis præmiſſæ, quibus omnia judicio Apoſtolicæ Sedis ſubjeci, & nunc ſubjicio?

43 Redeo ad locum Deuteronomii objectum, ex quo validiſſime probari quidem poteſt in quæſtionibus gravioribus, ad fidem ac mores ſpectantibus, recurri debere etiam nunc ad judicium Summi Romanæ Eccleſiæ Pontificis, non item in aliis quibuſvis levibuſque, aut ad factum hiſtoriæ humanæ pertinentibus. Sic loquitur Deus citato c. 16. ℣. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari; ſurge & aſcende ad locum, quem elegit Dominus Deus tuus: veniſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem; & facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus; ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille.* Ita illic Deus; cujus verba omnia, ut jacent, licet pluſcula, referre lubuit; ut appareat, quam aliter ipſa ſonent in fonte ſuo lecta, quam dum leguntur excerpta paucula, & ſæpe detorta in ſenſum a vero alienum, quem affectus illa excerpentis ſibi format.

44 Requiritur illic in ipſo principio, ut res, quæ defeтatur ad Sacerdotes vel Pontificem, ſit *difficilis* & *ambigua*, & tam gravis momenti, ut verſetur circa dubium homicidium, dubiamque ejus cauſam, aut circa dubiam lepram; circa quam varia præcepta & leges condiderat Deus, Levitici 13. & requiritur, ut res ejuſmodi jam ante ventilata fuerit a judicibus loci; atque ibi decidi propter gravitatem aut ambiguitatem non potuerit. Tunc demum ſurges atque aſcendes ad locum Apoſtolicæ Sedis; quæ judicabit tibi judicii veritatem, decidens quod dubium erat, ac docens quid ſequendum ſit. Si vero ſuperbieris, ac deciſionibus præceptiſque tam gravibus Apoſtolicæ Sedis obedire nolueris in eo quod deciſum eſt, & quatenus præcipitur, morte morieris æterna, factus Eccleſiæ atque Deo rebellis. Hæc tamen locum habere non exiſtimo in iis dubiis, quæ paſſim occurrunt in Geſtis Sanctorum, circa illorum ortum, obitum, ætatem, tempus vitæ, loca habitationis, exercitia pietatis, munia publica, genus mortis, translationes, reliquiarum veritatem, conſcriptorum de iis Actorum aliaque infinita; quamvis etiam in Breviariis aut Martyrologiis aliquid de iis determinate legatur; uti legitur in Breviario Carmelitano, S. Petrum Thomam, Martyrem ex cruenta morte obiiſſe; atteſtantibus licet duobus vitæ ipſius ſcriptoribus coævis, graviſſimis viris, defunctum eſſe ex morbo, morte naturali. Legitur in Officiis propriis Sanctorum Ordinis Benedictini, ex fide unius Tamay de Salazar, S. Rudeſindum, ex Epiſcopo Dumienſi factum fuiſſe Mindonienſem, reclamantibus licet Vita ejus & Epiſcopis, qui vivente Rudiſindo Mindonii præfuerunt. Leguntur etiam in aliquorum Breviariis contraria iis, quæ in Breviariis aliorum leguntur, ac ſimul vera eſſe non poſſunt. Sed nolim ulterius me bis ingerere, quam neceſſitas defenſionis poſtulat.

45 Aliud quod circumferri contra me audio, quamvis credere non poſſim, eſt, quod ſcriptoribus hæreticis utar ad impugnandam Eccleſiam Romanam; quia ſæpe, nullo nominatim citato auctore, dico; *ita viri eruditi*, aut quid ſimile: Compertum eſt enim, inquiunt, eſt ab aliquibus, nodum ſcilicet in ſcirpo quærentibus, ſub iſto loquendi modo latere hæreticos, quos quia nominare non audeam tali elogio ſignem. Cur enim, inquiunt, ſi Catholicos pro ſe haberet Papebrochius, illos non nominaret? Dicam. Poſſum non nominaſſe, vel quia plures eſſent; vel quia paſſim eſſent noti, vel quia ex ante dictis poterant dignoſci, vel denique quia adhuc vivebant. Potui certe multos tales nominare etiam Romæ notiſſimos, quibuſcum mihi litterarum commercium longo tempore interceſſit, Riccios, Favoritos, Gradios, Schelſtratios, quorum modeſtia aut aliæ rationes non permittebant, illos tunc aliter citari, quam ſub terminis generalibus. Iſtos ego ſæpiſſime per *viros eruditos* intelligo: an iſti autem hæretici ſint? Tum vero termini iſti mei, *Ita Viri eruditi*, nonne æqualiter ſignificant Catholicos atque Acatholicos? Cum autem a ſcriptore Catholico adhibeantur, niger homo ſit oportet, qui illud de hæreticis, cum ignominia & injuria Scriptoris, interpretetur potius, quam de Catholicis. Quid porro faciunt ad rem vel mille hæretici, qui idem fortaſſe docuerint, dummodo doctrina quam ego trado ſit Catholica?

46 Denique quale eſſe dicam, quod nonnulli ſive ex ſuo genio, ſive ab aliis ſubornati, eo evadant licentiæ, ut aliis, quibus cura revidendi meos libros forte commiſſa fuit, ſuadeant, ut communem ſequantur torrentem ac ſententiam ſuam contra libros ferant; ajentes, in Hiſpania illos jam eſſe prohibitos; poſſe publico judicio privatum hominem, ſine multa inquiſitione, conformare ſuum. Deus bone! Non poſtulatur a vobis, cari ac reverendi Patres, id quod tamen æquum foret, ut incendium, zelo maliſque artibus ſuſcitatum Romæ atque Madriti, extinguatis ipſi, declarando libros meos poſthac habendos veſtro quoque judicio innocentes: ſed ut ne aquam afferentibus impedimento ſitis. Tribus annis prius quam ego utrobique non dico audirer, ſed etiam audiri po-

ſtu-

stularem, fuerunt illi sub examine, aliis deinde tribus examen illud Romæ tenuit, teneique etiam nunc, nec adhuc vel unica exhibita inde mihi propositio est quamvis identidem postulata, quæ hæretica sit, vel hæresim sapiat. Hispanica Inquisitio, postquam postulanti exhibuit censuras suas, suscepit quam exigebat Apologiam secretam; speraturque jam melius informata mitius judicatura. Dum autem pendente adhuc lite, ita Sanctorum Acta pergunt Romæ sub oculis Pontificiis liberum habere cursum, imo & plausum eruditorum, nemini potest alicubi gentium vitio verti, quod putet illa a se posse impune legi. Hispani, quos Decreti quomodocumque lati reverentia prohibet eorumdem resumere lectionem, possideant in patientia animas suas, confidantque futurum serius ocyus, ut apud se quoque caput efferat innocentia victrix.

VINDICIÆ BREVES

PRO HISPANICA S. JACOBI PRÆDICATIONE

Contra R. P. Michaelem a Sancta Maria, sacræ Theologiæ Magistrum, ex Ordine FF. Eremitarum S. Augustini.

AUCTORE GUILIELMO CUPERO S. J.

§. I. *Resuscitatæ hujus controversiæ origo, progressus, ac materia explicantur.*

POst Liturgiam Mozarabicam, præcedenti tomo VI. Julii præfixam, curioso lectori indicavi, qua occasione ex illustrissimo ac excellentissimo D. Didaco de Mendoça Corte Real audiverim, quæstionem de adventu *S. Jacobi* in Hispaniam inter ipsos Lusitanos & Hispanos agitari cœpisse. Deinde ex litteris doctissimi D. Emmanuelis Pereira da Sylva Leal ampliorem hujus controversiæ notitiam nactus sum, quam eruditis lectoribus libenter communicabo. Itaque clarissimus ille juris utriusque Doctor, qui etiam lucubrationibus historicis in orbe litterario notus est, Ulyssippone ad me die XVIII. Junii anno 1729. post alia humanitatis officia de hac re sic scripsit: *Quæstio de adventu S. Jacobi Apostoli in has regiones, magna animorum contentione agitata fuit apud nos, confestim post erectam institutamque a serenissimo potentissimoque Rege nostro Academiam, alumnis ejus in utramque sententiam divisis; & cum videam te cupidum sciendi, quidquid apud eruditissimos commilitones meos circa illam huc usque actum, ab initio repetenda res est, & breviter omnia, quæ ad illam pertinent, enarranda.*

2 *Simul ac Academiæ socii in unum convenere, illico unicuique peculiare munus ministeriumque excellentissimi censores destinarunt, inter quos P. Michaeli de sancta Maria Ordinis eremitarum S. Augustini, viro non vulgari eruditione prædito, obtigit non exigua sane provincia, scribendi scilicet de disciplina & ritibus nostrarum regionum peculiaribus; & P. Hieronymo Contador de Argote, viro pariter sapientissimo, clerico regulari Theatino, parandi commentaria & monumenta in nostra lingua vernacula, ex quibus postea Latina historia primatialis ecclesiæ Bracarensis formanda est. Primus, suorum studiorum progressus coram Academicis exponens, disciplinæ rituumque ecclesiasticorum institutionem in nostris provinciis, sicut & fidei promulgationem, Paulo gentium Apostolo ejusque discipulis vindicavit; absolute negans, S. Jacobum ad illas pervenisse. Secundus e contrario Bracarensem ecclesiam institutam fundatamque a magno tonitrui Filio asseruit, dum in Gallæcia totaque Hispania verbum Dei disseminavit. Hinc natæ duæ dissertationes, una Latina P. Michaelis, altera Lusitana P. Hieronymi pro tuendo utroque asserto.*

3 Dein laudatus D. Emmanuel recenset quosdam Castellanos & Aragones, qui ad defendendam *S. Jacobi* prædicationem in Hispania varias lucubrationes typis vulgarunt. Inter alios mihi notus R. D. Joannes de Ferreras, vir eruditus, tunc Matriti edidit Latine Dissertationem apologeticam, qua adventum *S. Jacobi* in Hispaniam contra argumenta R. P. Michaelis tuetur. Ceteri autem Jacobei adventus vindices camdem R. P. Michaelis Dissertationem Latinam vernaculo idiomate passim impugnarunt. Porro de istis Hispanorum lucubrationibus judicium ferre nequeo: jam enim ab anno & amplius frustra Matritum scripsi, ut Hispanica & Latina bujus controversiæ opuscula oblato pretio obtinerem; sed ne responsum quidem ullum recepi, licet aliunde certo sciam, litteras meas eo pervenisse. At parum interest, me iis opusculis carere, cum sine eorum ope adversarius sat facile refutari possit. Nunc narrationem nostram prosequamur.

4 His omnibus adversariis R. P. Michael acriter respondit edita Dissertatione Lusitanica, cui titulus est *Voz da verdade*, id est *vox veritatis*, & qua priorem suam opinionem confirmare conatur. Cum ita utrimque ferveret disputatio, R. P. Michael e vivis excessit, ut eximius D. Pereira da Sylva Leal testatur in iisdem litteris, ubi simul prudentissimum Academiæ Regiæ consilium exponit his verbis: *Anno* MDCCXXVIII. *in fine Aprilis obiit P. Michael; & ne quæstio tanti momenti indecisa remaneret, Academiæ censores collegæ suo reverendissimo P. Emmanueli Cajetano de Sousa, clerico pariter regulari injunxerunt illam ad examen revocare, sensum suum circa ipsam aperire, & quid sibi probabilius videretur, dissertatione Latina exponere. Id impigre præstitit idem censor, ac socius Academicus laboriosissimus duobus magnæ molis voluminibus in folio, in quibus, ut audio, quidquid pro sen-*

sententia, S. Jacobi prædicationem asserente, cumulari potest, affatim invenitur congestum. Primus tomus jam typis excusus est; secundus jam pene absolutus, breviter typis mandabitur: eos, simul ac in publicum prodierint, ad te transmittam, sicut omnia jam relata commentaria transmisi. Denique ibidem eruditissimus iste Academiæ Regiæ socius meminit de suis lucubrationibus, quas deinde cum duplici R. P. Michaelis Dissertatione liberaliter ad me transmisit.

5 Sic anno 1728. sese ea disceptatio habebat, dum ego eodem tempore harum omnium rerum ignarus, ad diem xxv. Julii occurrentia *S. Jacobi Majoris* Acta more nostro illustravi, adventum illius in Hispaniam asserui, atque ita insciens me huic liti immiscui. Absoluto commentario meo, venit ad Museum nostrum Antverpiense ex Batavia redux excellentissimus D. Didacus Mendoça Corte Real, qui me de hac ignota Lusitanorum Hispanorumque concertatione certiorem reddidit, ut tomo præcedente monui, & cui promisi eandidam sententiæ meæ retractationem, vel aliquam adversarii refutationem, si Dissertationes R. P. Michaelis tempestive ad nos mitterentur, antequam tomus vi. Julii in lucem prodiret. Sed illæ una cum aliis Academiæ Regiæ operibus post editum tomum nostrum serius (nescio quo casu) ad manus meas pervenerunt.

6 Interim misi in Lusitaniam duplex commentarii mei exemplar, quod defensoribus Jacobeæ prædicationis non displicuisse intelligo ex altera epistola eximii D. Emmanuelis Pereira da Sylva Leal, qui eodem anno 1729. die xx. Octobris ad me post alia sinceri affectus indicia sic scribit: *Reverendus Pater D. Emmanuel Cajetanus de Sousa ingentis molis commentarium de adventu S. Jacobi ad has provincias, in duos tomos distributum, usque ad finem decurrentis anni vel sequentis initium, Deo dante, evulgabit. Illud confestim tibi trasmittam: in eo namque invenies, quidquid fere scripsisti in tuo; & certe P. Sousam pluries audivi, post illud a me sibi traditum & perlectum, magni facientem, quod in omnibus sententiam tuam, suæ, typis jam mandatæ, consonam repererit.* Id ipsum etiam intelligo ex impresso Academiæ Regiæ congressu, qui mense Aprilis anni 1730. habitus est, ubi R. P. Emmanuel Cajetanus de Sousa accuratam studiorum suorum rationem reddit, & commentarium meum nimiis laudibus extollit. Quid tamen de illo adversarii prædicationis Jacobeæ judicent, ignoro, ac parum curo.

7 Tandem post elapsos aliquot menses ab edito tomo vi. Julii cum aliis litteralis Academiæ Regiæ monumentis accepi duas R. P. Michaelis Dissertationes, quarum prima Latine, altera Lusitanice scripta est. Prior hunc titulum habet: *Dissertatio historica de primo, potius unico, Evangelii prædicatore in Lusitania nostra, totaque Hispania.* His verbis indicare voluit, solum S. Paulum Apostolum in Hispania prædicasse, ut ex decursu operis patet. Alteri præfigitur magnificentior & clarior titulus, quem ex lingua Lusitanica sic Latinum reddo: *Vox veritatis, quæ prolata ore antiquissimorum & sanctissimorum Pontificum Romanorum, sanctorum & vetustissimorum Patrum Ecclesiæ, Martyrologiorum utriusque ecclesiæ, Latinæ & Græcæ, recentiorum, sed sapientissimorum theologorum ac interpretum, partim expresse, partim per evidentis ratiocinia clamat, quod non fuerit Apostolus Jacobus Major, sed S. Paulus, Apostolus major Jacobo, & unus e duobus principibus Apostolorum, qui Hispaniam primus Evangelii radiis illustravit. Proponit ac tuetur duas istas veritates contra recentissimos earum impugnatores F. Michael a sancta Maria ex Ordine eremitarum S. Augustini, Magister sacræ theologiæ, socius Academiæ Regiæ, quæ historiam sacram & profanam Lusitaniæ examinat, designatus ad scribendum de disciplina ecclesiastica & ritibus, & ad dissolvenda dubia theologica, quæ in aliis negotiis academicis occurrunt.*

8 Lecto hoc solo titulo, facile quispiam crederet, plane de opinione nostra actum esse: si enim summi Pontifices Romani, antiquissimi Ecclesiæ Patres, Martyrologi Latini & Græci, sapientissimi theologi ac sacræ Scripturæ interpretes una voce clamant, sanctum Apostolum Paulum, excluso *S. Jacobo Majore*, in Hispania primos Evangelii radios sparsisse, nihil aliud nobis restat, nisi sententiam nostram retractare. Si magnificis librorum titulis terrerer, is certe metum mihi incussisset. Sed post perlectam & attente expensam utramque Dissertationem comperi, quod promissor ille nihil tanto hiatu dignum protulerit. Quare non dubito, quin R. P. Emmanuel Cajetanus de Sousa, qui has Dissertationes ex professo refellit, in Latina majoris molis apologia solide ostenderit, reliquum R. P. Michaelis opus huic splendido titulo non respondere.

9 At quid opus est tua brevi responsione, inquiet nonnemo, si R. P. Emmanuel Cajetanus de Sousa Dissertationes R. P. Michaelis Latino ingentis molis commentario refutaverit? Equidem fateor, responsionem meam non esse necessariam; attamen duæ potissimum rationes me impulerunt, ut saltem breviter responderem. Prima est, quod excellentissimo D. Didaco Mendoça Corte Real palinodiam aut apologiam promiserim, sicut tomo præcedente monui, si sat temporis superesset, ut tomo vi. Julii sententiam mutarem, vel argumenta R. P. Michaelis dissolverem. Ne quis igitur silentium meum pro tacita retractatione forsan accipiat, opinionem R. P. Michaelis paucis refellendam esse existimavi. Altera ratio est, quod in lectione primæ Dissertationis observaverim, chronologiam nostram ab adversario non intelligi, quamvis eam contemptim rejiciat, & imperite impugnet, quemadmodum infra demonstrabo, postquam hic nonnulla præmonuero.

10 Imprimis R. P. Michael in dissertatione Latina cap. 1. populares suos de cæco erga patriam amore accusat his verbis: *Secunda, eaque nobilis opinio, docet, sanctum Jacobum, Zebedæi filium, & Joannis Theologi germanum fratrem, primum ante Paulum, & quemcumque alium Evangelii disseminatorem obiisse Hispaniam, eamque evangelica luce lustrasse. Hanc indubiam esse volunt omnes fere Hispani scriptores: cum tamen patriæ studium interdum non tam de investiganda veritate, quam de ornanda patria immodice laboret, suspicari quis haud temere poterit, tot, tamque strenuas Hispanorum in hanc curam vigilias patriæ potius, quam veritatis amore impensas.* Similia in Dissertatione Lusitanica & alibi sæpius repetit. Sed id de me suspicari non poterat, qui Antverpiæ in Belgio natus atque educatus sum,

sum, & cujus nihil interest, sive S. Paulus Apostolus, sive *S. Jacobus Major*, sive neuter, sive uterque Hispaniam prima Evangelicæ veritatis luce illuminaverit. Omitto alios exteros, qui prædicationem S. Jacobi in Hispania passim admittunt, & quorum aliquos in Commentario meo part. 2. §. 10. assignavi.

11 Quod autem ait de Hispanis, qui hanc sententiam nostram *indubiam esse volunt*, nihil spectat ad me, qui prædicationem *S. Jacobi* in Hispania, non ut omnino certam, sed tamquam verisimiliorem defendo. Neque consentio iis sententiæ nostræ defensoribus, quos adversarius in Dissertatione Lusitanica §. 15. acriter refellit, & qui adventum S. Pauli in Hispaniam negant, ut prædicationem *S. Jacobi* in eadem provincia facilius tueantur: nam in Commentario meo de Actis *S. Jacobi* Majoris ad diem xxv. Julii probavi, recte intellectam utriusque istius Apostoli prædicationem in Hispania inter se non pugnare. Nolo etiam contendere de quibusdam recentioribus, quos R. P. Michael inter suos commilitones perperam numerat; nam si recentiores utriusque partis fautores computandi sint, adversarios numero longe superamus, quod ipsosmet non negaturos esse opinor.

12 At eruditum lectorem præmonitum velim circa veteres Ecclesiæ Patres, aliosque auctores, quos adversarius pro sua opinione tam confidenter allegat. Nemo sibi persuadeat, prædicationem *S. Jacobi* in Hispania ab his antiquis scriptoribus explicite negari, etiamsi fallax Dissertationis Lusitanicæ titulus id innuere videatur; sed prudens lector sciat, hanc prædicationis Jacobeæ negationem ex silentio veterum aut ambiguis illorum textibus per varia ratiocinia (an ea legitima sint, mox videbimus) ab ipso R. P. Michaele dumtaxat inferri. Hoc ipsemet adversarius fateri cogitur, dum cap. 1. Dissertationis Latinæ opinionem suam ita proponit: *Tertia denique sententia asserit, sanctum Jacobum Apostolum prædictum numquam in Hispaniam contendisse, proindeque inibi Evangelium numquam disseminasse, primumque statuit fidei præconem Paulum Apostolum, Doctoremque gentium, per quem lux veritatis Hispaniæ affulsit.*

13 *Hujus asserti, non modo prout sanctum Paulum Hispaniæ apostolum asseverat, sed etiam quatenus negat Jacobi profectionem in nostram Hispaniam, auctores & patroni sunt antiquissimi & sanctissimi Ecclesiæ Patres, Hippolytus martyr, Trajeas & Apollonius quoque martyres, Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius Papa I. venerabilis Beda, Gregorius Papa VII. Ado Viennensis, Isidorus, necnon Clemens Alexandrinus, Theodoretus, Nicetas Paphlago, Menologium Græcorum, Martyrologium Romanum, Hieronymus Seripandus eremita Augustinianus S. R. E. presbyter Cardinalis, & sacri concilii Tridentini præses, in epistolam ad Romanos cap. 15. quos præclarissimos quidem non ideo defensoribus hujus sententiæ accensendos esse judico, quia ipsi prædicationem Hispanicam sancto Jacobo expresse, & conceptis, ut ajunt, verbis abjudicent, sed quia Paulinam sic asserunt, ut Jacobeam ab eis exclusam consequenter, nec obscure, nec inefficaciter, probari possit, quæ omnia in sequentibus ostendenda sunt.*

14 Ex his patet, speciosam illam antiquorum Patrum seriem, & totam ipsorum in hac quæstione auctoritatem niti consequentiis, quas R. P. Michael ex eorum verbis, sensui suo accommodatis, deducit. Libenter singulas adversarii ratiocinationes discuterem, & non difficulter illegitimam illarum sequelam detegerem; sed cum pluribus Sanctis sim debitor, diutius mihi hærere hic non licet in vindicanda Hispanica prædicatione *S. Jacobi Majoris*, cujus Acta ad diem xxv. Julii satis fuse conatus sum illustrare. Præterea nolo falcem mittere in alienam messem, quandoquidem R. P. Emmanuel Cajetanus de Sousa copiosas Jacobeæ prædicationis vindicias jam paravit, ut supra indicavi. Quare Hispanis ulteriorem Patroni sui defendendi curam relinquo, & ob rationes supradictas tantummodo præcipua adversarii argumenta obiter diluam, ne videlicet priorem meam sententiam videar tacite retractasse, & ne forte quispiam exemplo R. P. Michaelis systema nostrum chronologicum de morte Christi sub duobus Geminis consulibus male intelligat, aut interpretetur.

§. II. *Argumentum de tempore divisionis Apostolorum frustra nobis ab adversario objicitur.*

15 Adversarius in Dissertatione Latina cap. 2. §. 2. ex variis antiquissimorum Patrum testimoniis probat, divisionem Apostolorum anno duodecimo ab Ascensione Christi factam esse, & tunc Apostolos in suas provincias discessisse. In hac re R. P. Michael nobis amicam præstat operam, cum eamdem sententiam jam dudum secuti fuerimus, & non ita pridem iterum operose stabiliverimus ad diem xv. Julii, qua divisio Apostolorum in variis Martyrologiis celebratur. At hic amicus adversarius ex ea traditione, quam nos libenter amplectimur, perperam concludit, *S. Jacobum Majorem* eodem anno duodecimo post Ascensionem Christi ab Herode occisum esse, adeoque numquam potuisse in Hispaniam proficisci. Nihilominus existimat, hanc suam conclusionem adeo certam esse, ut majores nostros, qui antecedens admittebant, & tamen consequentiam negabant, de manifesto errore & evidenti contradictione audacter accusarit. Sed quam temere & infeliciter id fecerit, jam videamus.

16 Primo R. P. Michael in præfata Dissertatione Latina cap. 2. §. 3. citat Godefridum Henschenium & Danielem Papebrochium, eosque in Diatriba præliminari ad tomum 1. Aprilis pag. xii. num. 19. & 20. ita scribentes inducit: *Facta porro est divisio Apostolorum anno æræ vulgatæ quadragesimo, cum laberetur tunc post ascensionem Christi annus duodecimus, quod jam statuæ chronologiæ* (quæ nempe mortem Christi collocat sub duobus Geminis consulibus anno 29. æræ vulgaris, ut antea ibidem probatur) *magnam addit confirmationem. Discessit sunt S. Petrus, Apostolorum princeps ad principem orbis urbem Romanam, ibidem primam Ecclesiæ universæ cathedram collocavit; in qua testimonio omnium, ut infra ad ejus elogium dicetur, sedit annos quinque & viginti, scilicet usque ad annum LXV. quo eum martyrio coronatum infra demonstramus. Tunc etiam S. Jacobus Apostolus, filius Zebedæi, & frater Joannis evangelistæ, potuit discessisse in Hispanias, ut communis Hispanorum traditio habet; ac potuit tam ipse, quam S. Petrus, ob occurrentes causas circa annum XLIII. reversus fuisse Hierosolymam,*

lymam, quando Herodes Agrippa, ut affligeret quosdam de Ecclesia, occidit Jacobum, fratrem Joannis, gladio: videns autem quia placeret Judæis, apprehendit & Petrum, volens post pascha producere eum populo. Hæc anno XLIII. *contigisse, infra in elogio S. Petri probamus. Cumque sic potuerit S. Jacobus ad tertium usque annum in Hispaniis substitisse, fit, ut etiam in hac parte, quæ aliis tam difficulter probatur, non laboremus.* Laudo candorem adversarii, quo allegat ipsa Majorum nostrorum verba, ex quibus postmodum erroris convincetur.

17 Interim hallucinatur, dum etiam Danieli Papebrochio attribuit hanc Diatribam, quam solus Godefridus Henschenius composuit, ut ex initialibus nominis ac cognominis litteris G. H., ad marginem positis, colligere potuisset: nam ille nondum eo tempore admittebat opinionem Henschenianam de morte Christi sub duobus Geminis consulibus, eo quod tunc necdum intelligeret, quomodo obscuratio solis, quæ in Passione Domini contigit, & quæ a Phlegonte notata est, posset ad annum 29. referri. Hinc Papebrochius tomo V. Junii pag. 404. in Anamnesi sua fatetur, quod inter alia perperam existimaverit, *duodecim annos Apollonii, quibus ante divisionem Apostoli manserint Hierosolymis, sive (ut Henschenius benigne interpretatur) in Syria, non esse magni faciendos; sed potius tenendos duos, quos ille solus scripserit, alii vero eum transcribentes auxerint perperam ad duodecim.* Deinde ibidem certiora edoctus, & de veritate chronologiæ Henschenianæ convictus, priorem suam opinionem candide retractat his verbis: *Interim fateor ego in Henschenii magistri mei sententia non vacillaturum me fuisse, si unquam illam solis obscurationem, a Phlegonte notam, ad annum* XXIX. *reduci posse tunc credidissem.* Papebrochius itaque tomo I. Aprilis nondum admiserat traditionem Apollonii de duodecim annis, quos Apostoli ante divisionem in Syria transegerint, etiamsi adversarius illum tunc pro hac opinione alleget. Sed facilius ei hunc errorem condonabo, quam alios, quos occasione hujus textus Henscheniani postea committit, & de quibus jam disserendum est.

18 Imprimis R. P. Michael proxime citato cap. 2. Dissertationis suæ Latinæ §. 3. post relata Henschenii verba sic scribit: *Hæc illi auctores pro possibilitate adventus sancti Jacobi in Hispaniam. At ipsimet fatentur, hunc adventum aliis valde difficulter probari.* Id etiamnum fatemur, & ideo tomo IV. Julii pagina 10. & sequentibus rejecimus varias opiniones, quæ divisionem Apostolorum ante vel post duodecim istos annos collocant, & consequenter ab antiquissima traditione sine sufficienti causa recedunt. Propterea ad diem XXV. Julii in Commentario meo de Actis *S. Jacobi Majoris* part. 2. §. XI. num. 432. iterum sic scripsi: *Non diffiteor, veneranda Clementis Alexandrini & Apollonii auctoritate, quam tomo* IV. *Julii pagina* 12. *&* 13. *defendimus, urgeri posse Hispanos, quos miror nondum amplexos esse systema de morte Christi sub duobus Geminis, quod Henschenius noster in Diatriba præliminari ante tomum* I. *Aprilis solide stabilivit, & Schelstratius, Pagius, aliique eruditi nonnulli jam in scriptis suis sequuntur. Porro hanc curam relinquo Hispanis: nobis enim hic laborandum non est, cum in nostra sententia istis difficultatibus nos facile expediamus.*

19 Nunc audiamus præcipuum adversarii ratiocinium, quo sententiam nostram ita impugnat: *Deinde*, inquit, *cum immediate antea admiserint traditionem Apollonii, in qua legerint Domini præceptum de mansione Apostolorum intra fines Judaicæ gentis duodecim annos, non video, qua veritatis specie, & qua coherentia dicant, potuisse sanctum Jacobum tribus annis ante finitos vel inceptos illos duodecim in Hispania prædicare. Sic argumentor: Ergo non solum potuit, sed & de facto sanctus Jacobus transgressus est illud Christi præceptum. Patet consequentia; quia præceptum erat, ne discederent ab illis finibus intra duodecim annos; at isti dicunt, tribus annis ante duodecimum annum Jacobum discessisse in regionem longinquam: ergo & potuit, & re ipsa transgressus est Jacobus præceptum Domini; quam vero absurda sit consequentia, quæ ex ipsorum doctrina sequitur, nemo non videt.* Quantam chronologiæ nostræ ignorantiam R. P. Michael (vir ceteroquin doctus & in studiis theologicis cum laude versatus) in hac argumentatione prodat, jam ostendemus.

20 Eruditus ille sacræ theologiæ magister, tricis chronologicis minime assuetus, hoc loco pugnat cum umbris, quas sibi adversari imaginatur: numquam enim Henschenius asseruit, *S. Jacobum* tribus annis in Hispania prædicasse ANTE *finitos vel inceptos illos duodecim* annos, quos Christus juxta antiquam traditionem mansioni Apostolorum in Syria præscripserat. Nullus nostrum dixit, *S. Jacobum* discessisse in Hispaniam *tribus annis* ANTE *duodecimum annum*, usque ad quem Christus Apostolos intra fines Judaicæ gentis remanere jusserat. Imo Henschenius diserte affirmat, divisionem Apostolorum factam esse *anno æræ vulgaris quadragesimo, cum labebatur tunc post Ascensionem Christi annus duodecimus.* Igitur *S. Jacobus* juxta Henschenium non discessit in Hispaniam *tribus annis* ANTE *duodecimum annum*, ut fingit adversarius, sed potius *post* duodecimum annum inchoatum, seu ipso anno post Ascensionem duodecimo, qui cum quadragesimo æræ vulgaris anno concurrit. Hæc ipsa Henschenii verba adversarius citat, & tamen andabatarum more claram ejus sententiam cæcis ictibus frustra impetit. Ne quis exemplo tam illustris viri chronologiam nostram incaute aut præcipitanter oppugnet, eam hic breviter explicabimus, & majoris claritatis causa annos illius supputabimus.

21 Primo Henschenius ostendit, Christum pro redemptione generis humani incarnatum esse die XXV. Martii in utero virgineo sanctissimæ Mariæ, & XXV. Decembris natum, D. Lælio Balbo & C. Antistio Vetere consulibus, & quinque integris annis æram vulgarem prævenit, quia Christus juxta communiorem sententiam triginta tres annos & menses tres in hac vita mansit. Deinde cum antiquis Patribus statuit, illum sub Rubellio Gemino & Rufo Gemino, quorum consulatus in annum 29. vulgaris æræ incidit, die XXV. Martii, feria sexta in Parasceve cruci affixum esse, die XXVII. victorem a mortuis resurrexisse, & post quadraginta dies, videntibus discipulis, ad cœlos ascendisse. Si jam ab Ascen-

sione Christi, quæ juxta hanc chronotaxim anno 29. vulgaris æræ contigit, numeremus duodecim annos, quibus Apostoli juxta præceptum Domini in Syria manserunt, ingrediemur annum vulgaris æræ quadragesimum, ante cujus medium fluebat duodecimus istius præcepti annus, ut computanti apparebit.

21 Quid ergo impedit, quo minus Apostoli illo anno duodecimo, seu vulgaris æræ quadragesimo in provincias sibi destinatas abierint, & tunc etiam *S. Jacobus* in Hispaniam discesserit? Cum vero Herodes *S. Jacobum* anno XLIII. vel XLIV. dumtaxat occiderit, post divisionem Apostolorum tres aut quatuor anni superfuerunt, quibus sanctus iste Apostolus in Hispania prædicare, & Hierosolymam redire potuit, ut in Commentario de Actis *S. Jacobi* part. 1. §. 3. fusius probavi. Quid igitur huc facit inepta adversarii argumentatio de transgressione præcepti, quod *S. Jacobus* & alii Apostoli in nostro systemate chronologico exacte observarunt, cum intra fines Judaicæ gentis duodecim annis incompletis manserint, & tantum anno post Ascensionem Christi duodecimo, seu vulgaris æræ quadragesimo per orbem terrarum dispersi fuerint? Quænam est absurda consequentia, quæ ex hac doctrina sequitur, & quam ab omnibus videri, adversarius temere affirmat? At potius quanta sit rerum chronologicarum ignorantia in tali oppugnatore, nemo non videt. Si chronologia nostra ipsi displicebat, fundamentum illius, seu mortem Christi sub duobus Geminis consulibus collocatam, & anno vulgaris æræ vigesimo nono affixam, evertere debuisset.

22 Ceterum ne quis hic importune contendat, duodecim antiquæ traditionis annos, commorationi Apostolorum in Syria præscriptos, complete numerandos esse, legat ea, quibus collega meus Boschius in Tractatu de patriarchis Antiochenis ante tomum IV. Julii pag. 5. probavit, duodecim illos annos incomplete computari posse, & ubi textum Apollonii ac Clementis Alexandrini juxta mentem Henschenii recte exposuit. Saltem in hac re nullum nobis negotium facessere potest adversarius, qui chronologicis aliorum argumentis constrictus, in Dissertatione Lusitanica seu Voce veritatis §. 10. respondet, duodecim illos Apollonii annos inchoandos esse a tempore, quo Christus cœpit prædicare. Si verum est hoc ipsius effugium, in nostro systemate chronologico non tantum duodecim illos annos numerare possumus utrimque omnino completos, sed etiam prædicationi Jacobeæ in Hispania longiorem moram adscribere. At cum R. P. Michael solus, ni fallor, ad hanc responsionem confugerit, & una hirundo non faciat ver, ut habet proverbium, hoc loco dumtaxat ex concessis vel ad hominem, ut vulgo aiunt, argumentor, & postea novam hanc opinionem impugnabo.

23 Adversarius systema nostrum chronologicum, de quo hic pauca dixi, fuse deductum ac antiquis testimoniis probatum præ oculis habuit in Diatriba Henscheniana ante tomum 1. Aprilis, quam ipsemet citat, & nihilominus loco proxime citato contra nos cæco impetu sic argumentari pergit: *Cum autem viderent, se urgeri posse, quia Jacobus duodecimo illo anno Hierosolymis & erat, & occisus est, recurrunt ad divinationes amatores ejus sententiæ defensoribus communes; nempe propter occurrentes, inquiunt, causas potuit Jacobus post tres commorationis suæ annos ex Hispania Hierosolymam redire; quæ fuerint, aut esse potuerint causæ istæ, non indicant hi divinaculi; quas vero justi alii excogitaverunt, supra ex Augustino expugnatæ sunt.* De sententia S. Augustini, quam hic & alibi defensoribus prædicationis Jacobeæ in Hispania frequenter objicio, postea ipsum conveniemus. Porro reliqua argumenta, quæ hoc loco contra nos adducit, ex eadem chronologiæ nostræ ignorantia procedunt, & ex supradictis explodi possunt.

24 Imprimis falsum est, *S. Jacobum Hierosolymis* fuisse & ab Herode occisum esse *duodecimo illo anno*, nosque ex ea parte urgeri posse: nam in Commentario ad Acta *S. Jacobi* part. 1. §. 3. & alibi expresse diximus, martyrium sancti istius Apostoli anno 43. vel 44. affigendum esse, adeoque id tribus ut minimum annis post annum illum duodecimum contigisse. Quomodo ergo hinc urgeri possumus? Quod autem subjungit de divinationibus seu conjecturis, ad quas hic recurrimus, nihil ad chronologiam aut rem pertinet. Etsi enim probabilem reditus Jacobi causam afferremus, opinio nostra corruit, si *S. Jacobus* duodecimo post Ascensionem anno occisus fuerit, cum veterem Apollonii & Clementis Alexandrini traditionem de duodecim annis, intra fines Judæorum transactis, admittamus. Igitur iste martyrii Jacobei annus ab adversario erat probandus, & consequenter fundamentum opinionis nostræ evertendum.

25 Præterea an non licet historicis ac sacræ Scripturæ interpretibus conjecturas proponere, dum certas quarumdam actionum causas ignorant? Nonne præstat generales alicujus rei gestæ rationes indicare, silentio prætermissis antiquitate, quam peculiares sine ullo fundamento assignare? Vereor, ne ipsi sancti Patres ex talibus adversarii principiis appellandi fiant *divinaculi*, dum incertas alicujus eventus causas allegant. Quicumque hanc R. P. Michaelis censuram approbant, & a nobis indubitatam Jacobei discessus ex Hispania causam exigunt, hos rogatos volumus, ut nobis etiam dicant, cur S. Paulus tam cito Athenis discesserit, cum ibi tantum aliquos ad fidem convertisset, & quidam Athenienses post auditam ipsius prædicationem in Areopago dicerent, se illum de hac re iterum audituros, ut cap. 17. Act. ℣. 32. narratur. Cur S. Paulus non diutius remansit in illa celebri ac docta civitate, cujus exemplo & auctoritate gentes vicinarum regionum ad veritatem agnoscendam facilius induci potuissent? Quare etiam Apostolus apud philosophos Athenienses, viros minime rudes aut barbaros, prædicatione sua tunc tam parum profecit? Si *in* genere occurrentes causas aut alias conjecturas afferant, propria sua sententia cognomen divinaculorum non effugient.

26 Audiant interim S. Joannem Chrysostomum, qui homilia 39. in Acta Apostolorum has quæstiones discussit, ac ibidem primo seipsum ista interrogat. *Curnam Paulum, cum sic persuaserit, ut & Athenienses dixerint: Audiemus te iterum super hac re; cumque pericula non essent, festinat relinquere Athenienses?* Tunc huic quæstioni ita respondet: *Fortassis sciebat,*

se

se non magnum lucrum facturum; & alioquin etiam a spiritu in Corinthum ducebatur: . . Athenienses enim, quamvis nova doctrina amatores essent, attamen non attendebant; neque enim hoc curabant, sed ut semper haberent novi aliquid, quod fabularentur, studebant. Nisi enim hic mos illorum fuisset, non dixissent; Novorum dæmoniorum annuntiator videtur hic esse. Sed hæc erant illis admodum obscura. Attamen persuasit Dionysio Areopagitæ & aliis quibusdam: nam illi forsan, utpote vitæ moderationis, citius acceperunt sermonem, alii vero non item. Itaque Paulus visus est sibi jam sufficienter jacasse pietatis semina.

27 Si nos, mutatis rerum circumstantiis, similes conjecturas faceremus de discessu *S. Jacobi* ex Hispania ad urbem Hierosolymitanam, haud dubie ab adversario ejusque defensoribus *divinaculi* vocaremur. At spero, fore ut S. Chrysostomus divinaculis non annumeretur, etiamsi hic bis formulam dubitandi *fortassis* & *forte* adhibeat. Si R. P. Michaelis sectatores admittant hanc S. Chrysostomi interpretationem, videant, quomodo eam conciliaturi sint cum verbis S. Augustini stricte intellectis, quæ adversarius infra Hispanis opponit, & de quibus paragrapho sequente agemus. Quod si hæc S. Chrysostomi explicatio illis non placeat, ipsi meliorem ac certiorem Paulini discessus causam edisserant: nam si tantum conjecturas attulerint, inter divinaculos numerabuntur.

28 Nos interea istud divinaculorum cognomen nihil curamus, & malumus cum S. Chrysostomo, aliisque viris doctis interdum timide conjecturas proponere, quam temere dubia pro certis venditare exemplo adversarii, qui cap. 2. §. 3. sic confidenter scribit: *Juxta sanctos Patres, Apostolorum divulsio a Judea, & a se invicem, facta non est ex præcepto Domini, nisi eo anno decimo secundo* *; *sed initio ejus anni duodecimi Jacobus ab Herode fuit occisus*, UT OMNES DOCENT: *plexus namque capite est ineunte anno secundo Claudii imperatoris, qui duodecimus annus erat ab Ascensione juxta veram chronologiam*, OMNIBUS HISTORICIS PROBATAM: *ergo Jacobus morte præpeditus nec in Hispaniam venit, nec venire potuit*. Hoc loco R. P. Michael iterum juxta erroneam suam hypothesin argumentatur, & in crassa chronologiæ nostræ ignoratione perseverat, ut ex supradictis colligi potest. At quomodo adversarius tam certo asserere potuit *S. Jacobum* ab Herode occisum fuisse ineunte anno duodecimo post Ascensionem Christi, *ut omnes docent*, quandoquidem Cornelius noster a Lapide in Commentariis ad Acta Apostolorum cap. 12. refert sex opiniones, quæ martyrio *S. Jacobi Majoris* diversos anno assignant? Qua fronte tam asseveranter pronuntiat de certo Jacobei martyrii anno, acsi omnes auctores illum probarent, cum tamen maxime de eo disceptent?

29 Etiam non intelligo, quomodo adversarius tam confidenter affirmet, *S. Jacobum* capite plexum esse, *ineunte anno secundo Claudii Imperatoris*, eumque annum cum duodecimo post Ascensionem Christi concurrere *juxta veram chronologiam, omnibus historicis probatam*: certe enim noverat, aut nosse debuerat, annum secundum Claudii imperatoris cum anno duodecimo post Ascensionem Christi non componi ab

* *Opuscul. Collect.*

Henschenio, illisque omnibus auctoribus, qui mortem Christi consulatui duorum Geminorum & consequenter anno vigesimo nono vulgaris æræ affigunt. Inter alios consulere potuisset eruditissimum Schelstratium (hunc ipsemet in Dissertatione Lusitanica pag. 86. *insignem scriptorem* appellat) qui in Antiquitate Ecclesiæ illustrata, tomo 1. integra Dissertatione prima chronologiam Henschenianam variis testimoniis ac argumentis confirmat. Legere potuisset tomum secundum ejusdem operis, ubi laudatus auctor Dissert. 1. in Annalibus prædicationis Apostolicæ, martyrium *S. Jacobi Majoris* & captivitatem S. Petri anno decimo quinto post mortem Christi, & tertio Claudii imperatoris consignat. Qua igitur confidentia R. P. Michael jactat, sese secundum Claudii Imperatoris annum ineuntem connectere cum duodecimo anno post Ascensionem Christi *juxta veram chronologiam*, OMNIBUS *historicis probatam*, nisi sola sua auctoritate ex historicorum catalogo expungat Antonium Capellum, Henschenium cum sociis, eminentissimum Norisium, utrumque Pagium, Emmanuelem Schelstratium, Honoratum a sancta Maria, aliosque omnes eruditos, qui mortem Christi sub duobus Geminis consulibus collocandam censent?

30 Interim adversarius opinioni suæ mordicus adhæret, & cap. 3. Dissertationis Latinæ §. 3. de chronologia nostra, quam non intelligit, cæce & contemptim ita pronuntiat: *De Bollandianis nihil est curandum, quia, ut supra vidimus, admittunt hanc Apollonii traditionem, & illa non obstante, gloriantur a se inventam viam, qua firmetur traditio Hispanorum de prædicatione Jacobi in Hispania; quia nempe potuit in Hispaniam ire* ANTE *finitos illos duodecim annos: at hæc via longe ante hos auctores & inventa fuerat, & trita ab scriptoribus Hispanis. Quod si ad diem* xxv. *Junii contrarium dicunt, sibi contradicunt; adeoque de illis, ut dixi, curandum non est*. In paucis hisce lineis occurrunt varia falsa & absona, quæ jam singillatim ac breviter sunt detegenda.

31 Etiamsi antiquam Apollonii traditionem admittamus, & simul Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem tueamur, eamque cum probabiliore chronologia facile conciliemus, nusquam tamen gloriamur, hanc viam a nobis primo inventam esse, quemadmodum adversarius hoc loco perperam fingit. Potius ultro fatemur, sanctos Ecclesiæ Patres, aliosque antiquissimos scriptores nobis hanc viam præmonstrasse. Certe Henschenius post enumeratos veteres hujus viæ duces, in jam sæpe laudata Diatriba ante tom. 1. Aprilis pag. v. etiam recentiorem, qui sibi præluxit, memorat his verbis: *Eadem sententiam nuper asseruit, ut certiorem & constantem Ecclesiæ Catholicæ traditionem, Antonius Capellus, Franciscanus conventualis*. Nemini itaque R. P. Michael persuadebit, nos de prima hujus viæ inventione gloriari, nisi simul probaverit, nos mente captos esse. Quod si forte velit, nos alicubi dixisse, quod Henschenius, hanc viam ingressus, nonnulla historiæ & chronologiæ conciliandæ subsidia detexerit, ac dissolverit aliquas difficultates chronologicas, quas alii nondum clare explicuerant, quænam hæc gloriatio est? Præterquam quod facile sit inventis aliquid addere, meminerit adversarius comparationis suæ, quam in Dissertatione Lusitanica pagina 158. cum gravissimis theologis instituit

de pygmæo, qui humeris gigantis insidens longius prospicit, quam ipse gigas. Si quis dicat, pygmæum plura, quam gigantem, vidisse, an propterea gloriatur, aut illum præfert giganti, sine cujus ope vix quidquam vidisset? Hanc comparationem suam R.P. Michael applicet Henschenio, qui gigantæis aliorum humeris impositus detegere potuit aliqua, quæ illi non viderunt, aut penitus introspicere noluerunt.

32 Jam sæpius & pene ad nauseam explicuimus, quomodo prædicatio *S. Jacobi* in Hispania commode cum chronotaxi nostra componi possit. Nihilominus videmur surdo canere, aut cæco lumen præferre: nam adversarius antiquum obtinet, & hoc loco iterum crassam chronologiæ nostræ inscitiam prodit, dum ibidem asserit, traditionem Hispanorum de adventu *S. Jacobi* in Hispaniam a nobis firmari; *quia nempe potuit in Hispaniam ire* ANTE *finitos illos duodecim annos*. At quoties igitur dictum oportet, nos non affirmare, quod sanctus iste Apostolus *ante*, sed *post* duodecim Apollonii annos in Hispaniam profectus fuerit? Jam toties diximus, divisionem Apostolorum factam esse anno post Ascensionem Christi duodecimo seu vulgaris æræ quadragesimo, ut me crebrius eadem repetere tædeat. Digitis suis computare poterat adversarius duodecim Apollonii annos, iisque incomplete numeratis ab anno vulgaris æræ vigesimo nono, pervenisset ad annum ejusdem æræ quadragesimum, quo divisi sunt Apostoli, & quo consequenter juxta nostram sententiam *S. Jacobus* in Hispaniam discessit. Cum autem *S. Jacobus* secundum nostram chronotaxim anno 43. vel 44. vulgaris æræ occisus fuerit, ex hoc computo facile collegisset, sufficiens tempus superesse, quo sanctus Apostolus ille in Hispania prædicare, ac Hierosolymam, ubi martyrio coronatus est, reverti potuerit.

33 *At hæc via*, inquit, *longe ante hos auctores & inventa fuerat, & trita ab scriptoribus Hispanis*. Viam hic nostram intelligit, quæ discessum S. Jacobi statuit quidem *ante illos duodecim annos* ductos ab æra Mortis Christi vulgari; sed non ante illos, si ducantur a consulatu Geminorum. Imprimis igitur respondeo, viam illam tanto minus ab adversario contemnendam fuisse, quanto magis ab aliis trita fuerat. Præterea scire cupio, an antiquos vel recentiores Hispanos designet, dum viam illam ab Hispanis scriptoribus tritam affirmat. Si antiquos intelligat, manibus pedibusque in sententiam ipsius descendimus: non enim ignoramus, Idatium & Paulum Orosium, veteres Hispanos, huic viæ institisse, & mortem Christi sub Geminis consulibus collocasse. Quod si recentiores Hispanos significare velit, eos nobis assignari cupimus, & miramur, quod adversarius illos tam operose urgeat traditione Apollonii, si illam nobiscum admittant. Ceterum non tam contemptim ab ipso rejicienda erat illa via, quam Tertullianus, Severus Sulpitius, S. Augustinus, Victorius Aquitanus, Prosper, & alii veteres auctores triverant, ut ex Diatriba Henscheniana discere potuisset. Si vero scriptores isti nondum ei sufficiebant, consulere poterat Schelstratium tomo 1. Antiq. Eccles. dissert. 2. & Honoratum a sancta Maria in Reflexionibus Gallicis tomo 3. lib. 5. dissert. 1. ubi plures antiqui sententiæ nostræ patroni recensentur.

34 Denique R. P. Michael jactitat, nos ad diem XXIX. Junii in Commentario ad Acta SS. Petri & Pauli contraria docuisse iis, quæ Henschenius in Diatriba sua stabiliverat. *Quod si ad diem* XXIX. *Junii*, ait, *contrarium docuit, sibi contradicunt, adeoque de illis, ut dixi, curandum non est*. At si adversarius non cæcutiebat, hic oculis suis fidere debuisset, & legere ea, quæ Henschenius, Papebrochius & Janningus ibidem scripserunt. In Commentario illo, §. 2. invenisset hæc Henschenii verba: *Fundamentum hujus dissertationis jactum est in tractatu præliminari ad tomum primum Actorum Aprilis*. Tunc ibidem chronologiam suam, quam in Diatriba ante tomum 1. Aprilis probaverat, breviter repetit, & quibusdam punctis historicis confirmat. Deinde §. 3. ejusdem Commentarii vidisset candidam Papebrochii Anamnesim, qua priorem suam opinionem revocat, & chronotaxi Henschenianæ subscribit, ut jam supra indicavimus.

35 Postea §. IV. ibidem comperisset, Janningum vestigiis Henschenii fideliter insistere, & legisset sequentia illius verba: *Sublato igitur post passionem suam in cælum Christo, anno vulgaris æræ* XXIX. *consulibus duobus Geminis, Petrus gerere supremum Pontificatum cœpit. Anno sequenti* XXX. *exorta fuit persecutio in discipulos, & Saulus, in Paulum tunc conversus, post tres annos venit Hierosolymam videre Petrum, videlicet anno* XXXIII. *Scripsit ad Eusebium lib. 5. cap. 18. Apollonius, sub annum* CLXXXV. *martyrio coronatus, tamquam ex veterum traditione, Christum præcepisse Apostolis suis, ne intra duodecim annos a sua Passione discederent Hierosolymis; sumpta civitate primaria pro tota regione Palæstinæ, vicinaque Syria, sic ut per intervalla recurrerent Hierosolymam. Duodecimus porro annus a Passione Domini, in nostra sententia est quadragesimus vulgaris æræ. Illo igitur anno divisi dispersique fuerint Apostoli*. Quid ad comprobandam Henschenii chronologiam accuratius dici potuit? Adversario itaque aut ejus defensoribus incumbit ostendere, ubinam Bollandiani ad diem XXIX Junii Henschenio aut sibi ipsis contradixerint.

§. III. *Præcipuum adversarii argumentum refellitur ac enervatur*.

SI sequi vellem exemplum R. P. Michaelis, de nova ipsius opinione possem dicere, eam non esse curandam, sicut ille de male intellecta Bollandianorum chronologia superius pronuntiavit. Potiori autem jure id facerem, quia ad diem XXV. Julii in Actis *S. Jacobi* jam pleraque ipsius argumenta dissolvi, & aliquot effugia ei præclusi. Ne tamen videar hoc modo injuriam collegis meis illatam ulcisci, & contemptui contemptum rependere, nolo omnia adversarii argumenta tacitus præterire. Attamen non volo etiam singulos ipsius scrupulos, seu potius leviores errores redarguere. Sic R. P. Michael in Appendice Dissertationis suæ Lusitanicæ pag. 158. perperam accusat Hispanos, quasi Beato, presbytero Libaniensi, temere titulum *sancti* tribuerint, ut opinioni suæ pondus adderent. Si adversarius legisset ea, quæ Henschenius noster tomo III. Februarii pag. 146. & sequentibus ad diem XXIX. ejusdem mensis de hoc S. Beato edidit, tali scrupulo non laborasset, & falsam

istam

istam accusationem adversariis suis non impegisset. Neglectis etiam quibusdam minoris momenti ratiunculis & sophismatibus, præcipua R. P. Michaelis ratiocinia breviter convellere conabor, R. P. Emmanueli Cajetano de Sousa pleniorem omnium argumentorum refutationem relicturus.

37 Adversarius totis viribus impugnat popularem & incertam quorumdam Hispanorum traditionem, juxta quam nonnulli asserunt, paucos Hispaniæ incolas ab Apostolo *Jacobo* ad Christianam fidem adductos fuisse. Primo illis infœcundæ prædicationis assertoribus cap. 2. Dissertationis Latinæ §. 1. opponit verba S. Augustini, qui apud nos tomo 2. editionis Lovaniensis pag. 6. in epistola ad Volusianum post alia de Apostolis sic scribit: *Numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus crescunt, per afflictionum angustias usque ad terrarum extrema dilatantur*. Tum R. P. Michael post huna S. Augustini textum, quasi jam parta victoria, gloriabundus interrogat: *Vides Augustinum defensoribus istis Jacobeæ prædicationis ineffcacis resistentem, contradicentem, repugnantem?*

38 At illi defensores præter alia, quæ ad eam facilitatem respective explicandam sufficerent, rotunde respondere possunt, ista S. Augustini verba accomode accipienda esse, ita ut Apostoli populos plerumque facilitate mirabili converterint, etiamsi id non semper & ubique contigerit. Sic certe exponendus est ipse sacræ Scripturæ textus, dum dicuntur Apostoli omnibus gentibus aut universæ creaturæ, quæ sub cælo est, & sine ulla exceptione ubique Evangelium prædicasse: nam interpretes consentiunt has similesque sacræ Scripturæ expressiones stricte intelligendas non esse, sicut R. P. Michael cap. 3. Differt. Latinæ §. 3. ultro fatetur. Quamvis autem Apostoli plurimas gentes ad fidem Christianam mirabiliter converterint, & præcipuas mundi regiones peragraverint; non tamen ubique eumdem prædicationis suæ fructum retulerunt, ut S. Chrysostomus homilia 75. alias 76. in Matthæum indicat his verbis: *Ubique prædicatum est, sed non omnes crediderunt, usque receptum est ubique*. Unde in eadem homilia dicit, quod *gentes integræ* prædicationi Apostolorum restiterint.

39 Quinimo ipse S. Paulus aliquo modo innuit, prædicationem suam non semper & ubique optatum successum habuisse, dum epist. 2. ad Thessalonicenses cap. 3. ℣. 1. & 2. ita scribit: *De cetero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos: & ut liberemur ab importunis & malis hominibus: non enim omnium est fides*. Cornelius a Lapide ad hunc Apostoli textum post alia sic notat: *Nihil horum hic intendit Apostolus; tantum enim dat causam, cur aliqui sint importuni & mali, quia scilicet non omnium est fides, non omnes habent fidem, non omnes credunt; sed multi, audita etiam prædicatione fidei, nolunt credere, voluntque persistere in sua infidelitate, ac consequenter in pristina sua malitia & vita improbitate: .... fides enim & lex Christiana res excelsa, ardua, & heroica est, ad quam nemo pertingit, nisi suas concupiscentias generose superet, & heroice se ipsum vincat, ut mores Christianos assumat; & hoc significat hæc sententia:* NON OMNIUM EST FIDES, *scilicet quod fides non est hominum animalium & carnalium, sed eorum tantum, qui quasi heroes ad rem tam arduam connituntur, & gratiæ Dei cooperantur, vitamque spiritualem, imo angelicam sectari contendunt. Adde Apostolum non loqui hic de hæreticis, qui semel fidem Christi susceperunt, sed postea ab ea apostatarunt; sed de infidelibus, judaizantibus & paganis, qui numquam Christi fidem susceperant, sed illam impedire & evertere omnibus modis nitebantur, qualis fuit Alexander Ærarius, ut fatetur ipse Paulus 2. Timoth. 4. ℣. 14. Ita Chrysostomus, Theophylactus & alii*.

40 Hæc Cornelii nostri interpretatio confirmatur ex S. Chrysostomo, qui illa Apostoli verba; *Datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ, qui me colaphizet*, hom. 26. in epistolam 2. ad Corinthios cap. 12. sic exponit: *Quænam ergo horum verborum sententia est? Postquam, quisnam tandem iste stimulus, & quis angelus satanæ sit, aperuimus, tum demum hoc etiam exponemus. Nonnulli ergo, eum dolorem quemdam capitis, quem diabolus ipsi conflavisset, intelligere consueruut. Absit autem, ut ita sit; neque enim Pauli corpus diaboli manibus ac potestati addictum fuit; quippe cum diabolus ipse vel Pauli dumtaxat jussis atque imperiis cederet, eique Paulus & leges, & certos terminos præscriberet, cum fornicatorem illum in carnis interitum ipsi traderet, nec eos ille transire ausus fuerit. Quid igitur his verbis sibi vult? Satan Hebræorum lingua adversarium sonat, ac Scriptura tertio Regum libro adversarios hoc nomine appellavit: nam de Salomone verba faciens ait; Non erat satan in diebus ipsius (hoc est adversarius) qui bellum ipsi inferret, aut molestiam exhiberet. Quod ergo ait, hanc habet sententiam: Deus prædicationem late ac feliciter progredi non permisit, quo animos nostros demitteret, verum adversarios in nos impetum facere passus est: hoc enim ad deprimendum fastum vim habebat, non item ad illum capitis dolorem propulsandum. Quocirca per angelum satanæ Alexandrum Ærarium, Hymenæum, Philetum, ac denique omnes, qui fidei doctrinæ adversabantur, atque cum ipso contendebant, ac bellum gerebant, eumque in vincula conjiciebant, ac raptabant, intelligit; quod videlicet ea, quæ satanæ erant, perpetrarent*. Doctissimus Theodoretus, Cyri episcopus, similem hujus Paulinæ locutionis interpretationem reddit.

41 Videtur etiam S. Paulus in superstitiosa civitate Atheniensi paucos ad fidem convertisse, quia post eruditam ipsius prædicationem in Actibus Apostolorum cap. 17. a ℣. 32. legimus sequentia: *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam vero dixerunt; audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam vero viri adhærentes ei crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis*. Si hoc loco multi fuissent conversi, haud dubie scriptor Actuum id more suo expressisset. Adde, quod S. Chrysostomus supra §. 2. num. 26. verosimilem hujus parvæ messis causam expresserit, etsi postmodum ecclesia Atheniensis florentissima fuerit, ut Origenes lib. 3. contra Celsum testatur. Si igitur S. Paulus propter majorem cujusdam gentis superstitionem, superbiam,

luxuriam, alisque inveterata vitia interdum minus profecerit, quid obest, quo minus id etiam aliis Apostolis acciderit? Sane hodierni Christianæ fidei prædicatores, qui in Oriente & Occidente inter infideles versantur, quotidiana experientia discunt, propter corruptos mores unam nationem præ altera difficilius ac rarius ad evangelicam veritatem amplectendam adduci.

42 Præterea Hispani illi, qui prædicationi *S. Jacobi* exiguum fructum tribuunt, opinionem suam probare possent exemplo, quod adversarius quotannis ad diem XVII. Novembris in Breviario Romano præ oculis habebat, ubi de S. Gregorio Thaumaturgo, episcopo Neocæsariensi, leguntur sequentia: *Migraturus e vita cum quæsisset, quot in civitate Neocæsariensi reliqui essent infideles, responsumque esset, tantum esse septemdecim; Deo gratias agens, Totidem, inquit, erant fideles, cum cepi episcopatum.* Hoc loco R. P. Michael non potest recusare testimonium Breviarii Romani, cum hæc narratio desumpta sit ex Actis S. Gregorii Thaumaturgi, quæ S. Gregorius Nyssenus posteritati reliquis, & in quibus circa finem plane similia referuntur. Antea vero sanctus ille ejusdem vitæ scriptor narraverat, quomodo Phædimus, antistes Amasenus, Gregorium Thaumaturgum ad episcopatum promovere voluerit, *illam ei civitatem destinans atque attribuens, quam contigerat ad illa ipsa usque tempora adeo simulacrorum errori deditam esse, ut cum infiniti essent, qui ipsam urbem & regionem circum jacentem incolerent, non plures, quam septemdecim invenirentur, qui sermonem fidei recepissent.*

43 Eruditus adversarius non ignorabat, Neocæsaream esse urbem Cappadociæ in Ponto Polemoniaco sitam (unde nonnulli eam simpliciter in Ponto collocant) in qua S. Gregorius Thaumaturgus initio episcopatus sui tantum septemdecim Christianos invenit. Haud dubie etiam noverat, ipsum Apostolorum principem Petrum incolis Ponti, Cappadociæ & conterminarum regionum Evangelium annuntiasse, ut Eusebius, Hieronymus, aliique tradunt, & confirmatur ex prima S. Petri epistola, quam cap. 1. ℣. 1. *electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ* inscribit. Sanctus Augustinus lib. 22. contra Faustum Manichæum cap. 89. asserit, hanc S. Petri epistolam *ad gentes* istarum provinciarum scriptam esse; Estius autem cum aliis probabiliter existimat, illam ab Apostolo Petro ad conversos harum regionum incolas, tum qui ex Judæis, tum qui ex Ethnicis, Christiani facti erant, directam fuisse.

44 Hispanis ex his antecedentibus non improbabiliter concludent, S. Petrum saltem in Cappadocia non magnum prædicationis suæ fructum retulisse, quandoquidem post ducentos fere annos, a prædicatione S. Petri elapsos, Neocæsareæ, quæ erat una ex præcipuis istarum regionum urbibus, tam pauci Christianæ religionis cultores reperiebantur. Adversarius, aut illius defensores non dicant, numerum Christianorum illic persecutionibus diminutum esse: Hispani enim respondebunt, sanguinem martyrum antiquitus fuisse semen Christianorum, & Ecclesiam inter persecutiones maxime excrevisse, ut ex objecto S. Augustini textu eruitur, & innumeris aliorum Patrum testimoniis confirmari posset. Neque proficient dicendo, S. Petrum tantummodo obiter eas regiones percurrisse, atque ideo tam paucos ibi ad fidem Christianam conversos esse: nam S. Paulus non minori celeritate varias urbes ac provincias prædicando pertransiit, & Hispanis id etiam asserere licebit de prædicatione *S. Jacobi* in Hispania, cui certum temporis spatium assignare non possunt. Saltem ea responsio nihil officit mihi, qui dumtaxat contendo, *S. Jacobum* venisse in Hispaniam, sive uno, sive duobus annis in ea prædicaverit. At, inquit, R. P. Michael in Dissertatione Latina cap. 2. §. 1. hæc effugia Hispanis præclusit, ubi eos aggreditur hoc ratiocinio: *Rejiciuntur insuper adversarii, quia, ut recte Estius supra, certe non videtur, Jacobum profecturum ex instinctu Spiritus sancti (sicut ex eodem instinctu Apostoli alii in suas singuli provincias abierunt) in Hispaniam, ubi præsciebat, nullum ab Apostolo fructum faciendum esse, & Apostolum sine fructu Hierosolymam rediturum: nulla enim ratio hujus disparis dispositionis assignari cum fundamento potest.*

45 Imprimis Hispani huic ratiocinio opponere possent exemplum S. Pauli, qui Athenis cum exiguo animarum lucro prædicavit, quamvis alibi plurimos ad fidem adduxerit. Addere possent parvam prædicationis messem, quam S. Petrus in Ponto & Cappadocia collegit. Denique probabilem hujus discrepantiæ causam refundere possent in diversam indolem nationum, quæ propter pervicaciorem superstitionem, luxuriam, superbiam, aliave flagitia ab evangelico jugo magis abhorrebant. Quod si adversarius his responsionibus non acquiescat, Hispani ex illo quærent, cur non tantum ex diversis gentibus, sed ex sola natione Judaica interdum multi, interdum pauci ad fidem Christianam conversi fuerint. Sic Petrus unica concione convertit tria circiter Judæorum millia, ut Act. 2. ℣. 41. legimus: *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* At Judæi prædicante S. Stephano, ut Act. 7. ℣. 56. & sequentibus narratur, *impetum fecerunt* UNANIMITER *in eum. Et lapidabant Stephanum invocantem & dicentem: Domine Jesu suscipe spiritum meum.* Hispani igitur non immerito adversarium rogabunt, ut rationem hujus disparis dispositionis cum fundamento assignet.

46 Porro Hispani totum R. P. Michaelis & Estii ratiocinium evertere possunt argumento, quod S. Augustinus tomo 7. editionis Lovaniensis pag. 163. sive lib. 1. cap. 8. contra Cresconium Grammaticum aliosque Donatistas ita profert: *Videte, quid de ipso Domino Jesu Christo, ejusque servis prophetis & apostolis sentiatis: nempe enim Dominus ipse, Filius Dei, numquid cum solis discipulis vel turbis, qui in eum crediderunt, an non etiam cum inimicis tentantibus, obtrectantibus, maledicentibus habuit de veritate sermonem? Numquid eam etiam cum una muliere de quæstione orationis contra opinionem vel hæresim Samaritanorum piguit disputare? Sed illam, inquis, credituram esse præsciebat. Quid toties adversus Judæos, Pharisæos, Sadducæos, non solum minime credituros, verum etiam maxime contradicturos & persecuturos coram in os eorum quam multa locutus est? Nonne ab eis ultro cum voluit, quod voluit, inquisivit, ut eorum illos responsione convinceret? Nonne illis dolose tentando quærentibus, cum redar-*

gati

guti obmutescerent, sine ulla ambiguitate respondis? Quod cum faceret, nullus ex his legitur ad eum sequendum fuisse conversus. Et utique noverat, quia præstius erat, nihil ad eorum salutem, cum hæc ad eos, vel in eos, vel adversus eos diceret, profuturum. Sed nos fortasse suo firmavit exemplo, qui futuram fidem perfidiamve hominum prænoscere non valemus; ne si quando nimium duris nimiumque perversis sine fructu salutis eorum locuti fuerimus, deficiamus & desistamus ab instantia prædicandi, cum inaniter piguerit laborare.

47 *Quid, quod etiam ipsum diabolum, quem jam non solum Deus, sed ne homines quidem dubitare possunt, nullo modo ad justitiam conversum iri, Filius Dei tamen insidiose tentantem & de Scripturis sanctis quæstionum laqueos apponentem, de Scripturis sanctis respondendo convicit; nec judicavit indignum cum satana Christus de divinis eloquiis habere colloquium? Quid utique prævidens, nisi quod Judæis & diabolo nihil proderat, credituris gentibus profuturum? Prophetas etiam legimus missos ad homines tam inobedientes, ut Deus ipse, qui prophetas mittebat, de his, ad quos mittebat, prædiceret, quod verbis eorum obtemperaturi non essent. Omitto, quod prophetico spiritu, quæ futura cernebant, etiam hoc utique nosse potuissent, quod eorum verba contempturi fuerant, quibus ea tamen vehementi instantia non tacebant.* Deinde sanctus Doctor sententiam suam confirmat ex Actibus Apostolorum, variisque exemplis ostendit, infructuosa hujusmodi colloquia non tantum habita fuisse ab ipso Domino Jesu Christo, *qui se imitandum discipulis præbuit*, sed etiam ab ejus servis ac imitatoribus, atque inter alia memorat supradictam concionem S. Pauli, qui in Areopago Atheniensi coram philosophis Epicureis & Stoicis de fide Christiana disseruit. Quomodo igitur S. Augustinus cum seipso & S. Chrysostomo conciliabitur, nisi verba illius, supra Hispanis ab adversario objecta, juxta interpretationem nostram accommode intelligantur?

48 Hactenus exercitii gratia, ut in scholis dici solet, argumentatus sum ex principiis istorum auctorum, qui *S. Jacobo* exiguum prædicationis fructum in Hispania adscribunt. Nunc strictum adversarii mucronem a me plane averto, & R. P. Michaeli omnem lædendi spem præcido. Certe opinio illa, qua nonnulli sibi persuadent, *S. Jacobum* in Hispania vix ullam sementis suæ messem collegisse, non est antiqua & constans omnium Hispanorum traditio: nam excellentissimus D. Joannes Fernandez de Velasco in Vindiciis Hispaniarum tutelaribus, quas pro adventu *S. Jacobi* contra eminentissimum Baronium Hispanice edidit, quasque Erycius Puteanus Latinitate donavit, apud interpretem suum pag. 6. de hac opinione sic scribit: *Tametsi, quod ad prædicationis effectum attinet & sparsi Evangelii proventum, quorumdam auctorum opinio est, novem dumtaxat homines aliquos a gentili errore revocatos; revera tamen, ut Callixtus Pontifex refert, plurimi fuere.* Deinde post allatas aliquot sententiæ suæ rationes concludit, plures quam septem aut duodecim (hunc numerum alii exprimunt) ab Apostolo *Jacobo* in Hispania ad fidem Christi adductos fuisse; & contrariam quorumdam auctorum expressionem pag. 7. sic explicat: *Itaque scriptores, qui septenariam sive duodenariam numerum referunt, de præcipuis Apostoli discipulis intelligendi & sectatoribus: hi enim viventis quocumque vestigia secuti, mox in munus etiam exstincti succedentes, Hispaniam repetierunt, facti a Petro episcopi, & velut ad relictum Evangelii opus missi, ut religionis colligerent satam a Magistro messem.*

49 Ex his apparet, Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem solide propugnari posse, etsi singularis illa quorumdam traditio solido fundamento non nitatur. Quare miror, adversarium in Dissertatione Latina cap. 2. §. 1. tam operose argumentari contra incertam illam traditionem, de qua ipsemet ibidem sic scribit: *Hæc a nullo antiquo patre aut scriptore tradita, nullo fide digno monumento reperta, a recentibus hic pro contentione, non pro veritate, excogitata convincatur & confictа*, Cur igitur tanto conatu hanc fabulam impugnat? Cur toties argumentum suum ex Augustino repetit, acsi omnes Jacobeæ prædicationis assertores hoc unico argumento contrivisset? Breviter ab Hispanis exigere debuisset, ut antiquitatem & concordiam hujus traditionis probarent.

50 Hæc importuna R. P. Michaelis confidentia me movit, ut superius nimis fuse ostenderim, prædicationi *S. Jacobi* in Hispania nihil officere illam populorum quorumdam Hispanorum traditionem, quam adversarius tanto molimine impugnat: illa enim stante, objectus S. Augustini textus facile explicatur, & aliud adversarii ratiocinium ex ipsis Augustini verbis refellitur, ut ex supradictis liquet. Ea autem corruente, corruit præcipuum R. P. Michaelis argumentum, quod contra Hispanos tam acriter urget, & interim inconcussa stat Hispanica *S. Jacobi* prædicatio, quam cum excellentissimo D. Joanne Fernandez de Velasco contra discrepantem quorumdam auctorum opinionem tuemur. Cum itaque Hispani hujus traditionis defensores ac oppugnatores de adventu *S. Jacobi* in Hispaniam inter se consentiant, mihi non magis laborandum est de ea populari traditione, quam de alia, qua varii littorales Hispaniæ populi primum *S. Jacobi* appulsum sibi vindicant, & de incerta primi hospitii prærogativa inter se disceptant, ut in Actis *S. Jacobi* part. 2. §. XI. n. 433. & sequentibus dixi: talibus enim dissidiis nullum detrimentum infertur opinioni nostræ, quia omnes illi concertatores ad asserendam Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem unanimiter conspirant. Sic præciso præcipui argumenti nervo, ad alia quædam R. P. Michaelis ratiocinia discutienda progredior.

§. IV. *Alia quædam R. P. Michaelis argumenta obiter diluuntur.*

ADversarius cap. 2. Dissertationis Latinæ §. 1. hanc præfigit thesim: *Divisio Apostolorum ex Hierosolymis in remotas gentium provincias facta non est, nisi postquam gloriosus Jacobus Major martyrio coronatus in cælum evolavit.* Si *S. Jacobus* ab Herode occisus fuerit, antequam Apostoli per varias orbis partes dispergerentur, manifeste sequitur, eum in Hispania non prædicasse. Quare R. P. Michael hanc propositionem suam primo probare nititur antiqua Apollonii traditione de jam sæpe memoratis duodecim annis, quibus Christus Apostolos in urbe Hierosolymitana aut vicinis regionibus commorari jusserat, priusquam ad remotas gentes abirent.

Recte

Recte ibidem ostendit, hos duodecim commorationis annos ab Alphonso Salmerone nostro, & aliis quibusdam Jacobeæ prædicationis assertoribus admitti. Cæterum ipsi viderint, quomodo hos duodecim annos cum sua sententia ac chronologia concilient: nam traditio illa, quam libenter amplectimur, nobis nullum facessit negotium, ut §. 2. satis superque demonstravimus.

52 Cum hic igitur frustra hærendum non sit, pergemus ad alteram adversarii probationem, qua thesim suam confirmare conatur in hunc modum: *Probatur secundo eadem conclusio ex Act. Apostolorum cap. XII. ubi refertur, Petrum e vinculis ab angelo solutum, eodemque angelo ducente, in domum Joannis Marci pervenisse, & ipsius domus familiæ vix præ gaudio & admiratione credenti modum evasionis suæ e carcere per angelum narrasse, & quia inde statim abiit in alium locum, prius eidem familiæ dixisse* NUNTIATE JACOBO ET FRATRIBUS HÆC; *sed fratres isti erant Apostoli; ergo Apostoli Hierosolymis erant eo tempore, quo Jacobus Major occisus est, & Petrum de carcere liberatus*. At quia satis prævidebat, subsumptam hujus syllogismi propositionem ab adversariis suis libere negandam esse, probat eadem verbis Tirini nostri, qui voce *fratribus* apostolos significari existimavit. Deinde R. P. Michael ad illam Tirini interpretationem confirmandam congerit frivolas quasdem ratiunculas, quæ nos hic morari non debent, ut eas vel levi oculo percurrentibus apparebit.

53 Ne igitur hoc loco tempus inutiliter teram, rotunde nego minorem propositi syllogismi: nam in Actibus Apostolorum & Epistolis Pauli per vocem *fratres* plerumque Christiani vel alii ab Apostolis diversi intelliguntur. Imo cap. XI. Act. ℣. 1. fratres & Apostoli sic expresse distinguuntur. *Audierunt autem Apostoli & fratres qui erant in Judæa; quoniam & gentes receperunt verbum Dei*. Sic etiam S. Paulus in epistola prima ad Corinthios cap. 15. ℣. 5. & 6. de apparitione Christi post resurrectionem suam scribit hoc modo: *Visus est Cephæ, & post hoc undecim. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt*. Unde Bartholomæus Petrus Lintrensis, Duacenus sacræ theologiæ doctor, in Commentariis ad Actus Apostolorum cap. 12. ℣. 17. hæc verba *Nuntiate Jacobo, & fratribus* diserte explicat de solo Jacobo Minore, Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopo, & *fidelibus seu Christianis Jerosolymæ degentibus*.

54 Quinimo eximius iste Actuum interpres ex hoc ipso textu, quem adversarius nobis opponit, longe probabilius colligit, reliquos Apostolos ante illam Herodis persecutionem toto orbe dispersos fuisse, & de hac re ibidem ita disserit: *Cur hic nulla fit mentio aliorum Apostolorum? Hæc reticentia signum est, nullum aliorum Apostolorum tunc fuisse Jerosolymæ ..... An igitur ante hoc tempus contigerat illa celebris, quæ commemoratur, Apostolorum divisio? Ita videtur: nam alioqui omnino apparet, quod rex Herodes ad gratificandum Judæis non solum Petrum, sed & alios Apostolos studuisset tollere e medio, si eo usque hæsissent Jerosolymæ*. Cornelius noster a Lapide cum Duaceno isto sacræ theologiæ professore consentit, tametsi aliam opinionis suæ rationem afferat, quando ad hæc verba *Nuntiate Jacobo* cap. 12. Act. ℣. 17. notat sequentia: *Minori videlicet Jacobo (nam Major jam erat occisus ℣. 2.) qui erat episcopus Hierosolymorum. Unde videtur, quod cæteri Apostoli jam abierant in suas provincias, ut dixi initio capitis: alioqui enim eis pariter suam liberationem nuntiari jussisset Petrus*. Itaque adversarius jure conqueri non potest ob negatum syllogismi sui subsumptum, cum uni Tirino duos interpretes opposuerim, haud dubie plures inventurus, si mihi eos pervolvere luberet, aut vacaret. Nunc ad alia objecta pergamus.

55 In Actis *S. Jacobi* ad diem XXV. Julii part. 2. §. 15. exposui variis modis verba S. Pauli, quæ in epistola ad Romanos cap. 15. ℣. 20. exprimuntur hoc modo: *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem*. Hic autem Apostoli textus recte intellectus prædicationi Jacobeæ in Hispania nequaquam officit. Nihilominus R. P. Michael cap. 4. Dissertationis Latinæ §. 2. putat, se novam opinionis suæ demonstrationem reperisse in S. Chrysostomo, qui juxta ipsum in Homilia 29. ad caput 15. epistolæ ad Romanos hæc Apostoli verba sic exponit: *Sed neque ad eos abiit* (scilicet Apostolus Paulus) *qui prius fuerant edocti; usque adeo scilicet abstinuit, quo minus alienis se discipulis ingereret, gloriæque gratia, quod faciebat, faceret; ut & studio eos* MAXIME *voluerit docere, qui nondum audierant de Christo: non enim dicit; ubi nondum crediderant, sed ubi nondum nominatus est Christus: id quod plus est*.

56 Possem lectores ad memoratum commentarium meum de Actis *S. Jacobi* part. 2. §. 12. remittere, ubi similes objectiones dissolvi. Attamen hic obiter respondebo, ne quis decipiatur mutilato S. Chrysostomi textu, ex quo adversarius ibidem sic confidenter argumentatur: *Et quis rogo, non videt, sanctum Chrysostomum, qui sæpe alias docet, Paulum in Hispania prædicavisse, prædicationem in ea sancti Jacobi hic apertissime inficiari? Primo namque ait: Paulus* AD ILLOS NON ABIIT, QUI PRIUS FUERANT EDOCTI; *sed Paulus abiit ad Hispanos: ergo Hispani ab alio prius non fuerant edocti*. Sed hoc & sequentia ipsius ratiocinia ultro corruunt, si integer S. Chrysostomi textus attente expendatur, ut jam breviter demonstrabo.

57 Imprimis hic majorem in adversario fidelitatem requiro; quia immediate præcedentia & cum aliis connexa S. Chrysostomi verba studiose videtur suppressisse: nam Sanctus ille orator de his Apostoli verbis: ITA VERO CERTANS EVANGELIZARE, UBI NON EST NOMINATUS CHRISTUS hom. 29. ad cap. 5. sic disserit: *Vide rursus aliam hyperbolen, quod non solum tot populis Evangelium prædicavit ac persuasit, sed quod neque ad eos abiit, qui prius fuerant edocti* &c. Cur R. P. Michael hanc *hyperbolen* omisit? Nempe merito verebatur, ne adversarii ipsius cum S. Chrysostomo dicerent, Apostolum hoc loco hyperbolice locutum esse. Præterea Chrysostomus in ipso textu nobis objecto satis declarat, S. Paulum non semper prædicasse, ubi Christus non erat nominatus, quando ibidem expresse dicit, quod Apostolus *voluerit eos* MAXIME (id est *præcipue* vel *plerumque*) *docere, qui nondum audierant, de Christo*. Itaque hunc S. Pauli locum rursus inter-

interpretor, sicut eminentissimus Hugo de sancto Charo in supradicto Commentario meo num. 439. eumdem explicuit his verbis: *Prædicavit, ubi Christus non erat nominatus*, MAXIME, *licet etiam aliis*.

58 Jam vero proximum R. P. Michaelis syllogismum, mutata unica voce, quæ vim argumenti non minuit, sic in ipsum retorqueo: *Paulus ad illos non abiit, qui prius fuerant edocti; sed Paulus abiit ad Romanos: ergo Romani ab alio Apostolo prius non fuerant edocti*. Major ab adversario ponitur & admittitur; Minor est certissima; consequentia autem videtur legitima, etsi consequens sit falsum. Denique tota argumentatio habet eamdem formam, in qua adversarius suam instituit. Quoscumque R. P. Michaelis discipulos aut sectatores provoco, ut hunc nodum plane dissolvant. Forte pervicaciores quidam imitabuntur exemplum sui magistri, qui simili fere argumento pressus vana quæsivit effugia, & post alia frivola responsa confugit ad quamdam interpretationem divi Thomæ, qui Lect. 3. ad caput 15. epistolæ ad Romanos dicit, quod Paulus non intenderit ad docendos Romanos *principaliter ire, quia reputabat eis sufficere doctrinam Petri, qui primus inter Apostolos Romanis fidem prædicavit*. Deinde Angelicus doctor subdit, quod Apostolus tamen intenderit aliquam moram apud Romanos trahere, & postea eorum auxilio in Hispaniam proficisci.

59 Quandoquidem R. P. Michael in hac causa ad S. Thomam appellat, libenter cum ipso ibimus ad hunc judicem, qui Lect. 2. ad caput 15. ejusdem epistolæ ad Romanos, superius controversa S. Pauli verba, *Ne super alienum fundamentum ædificarem*, sic explicat: *Potest autem alienum fundamentum dupliciter intelligi; uno modo doctrina hæretica, quæ est aliena a vera fidei fundamento, & sic hoc, quod dicit*, Ne, *ponitur causaliter: ea enim intentione Apostolus voluit prædicare illis, qui nomen Christi non audierant, ne, si præventi essent a doctrina pseudo-apostolorum, difficilius esset eos ad veritatem reducere . . . Alio modo per alienum fundamentum potest intelligi doctrina veræ fidei ab aliis prædicata, &, sic potest sumi ly* Ne *consecutive: non enim vitavit Apostolus prædicare illis, quibus ante fuerat ab aliis prædicatum, sicut ipsis Romanis specialiter prædicavit, quos prius Petrus instruxerat: sed eo prædicante illis, qui nihil de Christo audierant, consecutum est, ut non ædificaret super alienum fundamentum, sed ipse jaceret prima fidei fundamenta*. Diceres, Adversarium hæc verba studiose subticuisse, ne nobis solutionem argumenti sui ultro suppeditaret.

60 Etiamsi altera S. Thomæ interpretatio nihil R. P. Michaeli prosit, tamen ex ea novos spiritus sumit, & post citata Angelici doctoris verba nos animose aggreditur hoc modo: *Hinc liquet, argumentum adversariorum esse contra ipsos; quia Paulus Romam non ivit eo fine, ut Romanis prædicaret, quia Petrus Romanis prius prædicaverat; sed primo ut a Romanis in Hispaniam deduceretur; secundo ut cum Romanis conversis consolaretur. Ex his redarguitur pars adversa sic: Quia Petrus Romæ jam prædicaverat, Paulus Romam non tetendit, ut ibi prædicaret; sed Paulus in Hispaniam tetendit, ut in ea prædicaret: ergo Jacobus in Hispania non prædicaverat*.

61 Verum præcipua illa profectionis Hispanicæ intentio non impediebat Apostolum, quo minus alios simul fines præ oculis haberet, & Romanos in transitu aliquantisper instrueret, ut ipsemet ad eos scribens cap. 1. ℣. 11. & sequentibus ita indicat: *Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos . . . Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos (& prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris gentibus . . . Ita (quod in me) promptum est & vobis, qui Romæ estis, evangelizare*. Ut alia consectaria omittam, ex his S. Pauli verbis saltem sequitur, quod ipse desideraverit interdum super alienum fundamentum ædificare, & aliquando ob justas causas alienis discipulis se ingerere, nisi urgentioribus Evangelii negotiis in Oriente detentus fuisset. Cur ergo adversarius argumentatur ex duabus Apostoli intentionibus, & alias sibi contrarias omittit?

62 Præterea advertendum est, quod S. Paulus hoc loco non dicat, se hactenus Romam non venisse, ne super alienum fundamentum seu præviam Petri doctrinam ædificaret; sed innuit, se non potuisse citius Romam ire, quia usque adhuc prohibitus erat propter majorem prædicandi necessitatem in iis regionibus, in quibus plerumque Christus nondum fuerat annuntiatus, ut ipsemet satis declarat, quando in eadem epistola ad Romanos cap. 15. ℣. 19. scribit, quod evangelium Christi ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum prædicaverit, ac deinde ℣. 20. & sequentibus ita pergit: *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus erat Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem; sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis; cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero, quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero*. Franciscus Macedo ex his Apostoli verbis recte colligit, quod S. Paulus tamdiu iter Italicum & Hispanicum distulerit, quia S. Petrus Romæ & *S. Jacobus* in Hispania prædicaverant, ut in commentario de Actis *S. Jacobi* part. 2. §. 12. n. 441. & 442. retulimus.

63 Sed quid diutius de intentione Apostoli disputamus, cum ipsa illius opera loquantur? Certo enim scimus, quod Paulus Romæ per duos annos Judæis & gentilibus Christum prædicaverit, ut constat ex Actibus Apostolorum, ubi cap. 28. ℣. 30. & 31. legimus sequentia: *Mansit autem biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens, quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione*. An igitur S. Paulus numquam super alienum fundamentum ædificavit? An semper prædicavit, ubi Christus non erat nominatus? Si id Romæ ab ipso factum est, cur in Hispania fieri non potuit? Quid R. P. Michael huic argumento responsurus fuisset, ignoro. Possem hic addere Antiochiam Syriæ, Galatiam, Asiam, aliasque urbes & provincias, in quibus S. Paulus Evangelium prædicavit, licet in iis Christus antea fuisset annuntiatus; sed ex dictis abunde

de liquet, supradicta Apostoli verba, quæ opinioni nostræ objiciuntur, non tam stricte intelligi posse, quam adversarii contendunt.

64 In Actis *S. Jacobi* part. 2. §. 6. prædicationem hujus Apostoli in Hispania confirmavi ex vetustissimo Officio Gothico, quod ecclesia Hispanien ab immemorabili tempore celebravit; in eo autem præter alia legitur hymnus, ex quo excerpseram sequentes versiculos, qui opinionem nostram stabiliunt.

Magni deinde filii tonitrui
Adepti fulgent prece matris inclytæ,
Utrique vitæ culminis insignia,
Regens Joannes dextra solus Asiam,
Et leva Frater positus Hispaniam.

Si R. P. Michael eruditioni suæ consulere volebat, debuisset hoc antiquum Jacobeæ prædicationis testimonium intactum relinquere, aut solidioribus argumentis impugnare: nam adeo frivolæ sunt ratiunculæ, quibus illud impetit, ut refutationem non mereantur. Attamen patientes audiamus unum alterumve illius ratiocinium, ne videamur ipsum prorsus contemnere, & ut juxta parœmiam, hic ex ungue leonem cognoscamus.

65 Postquam adversarius cap. 4. Dissertationis suæ Latinæ §. 3. ineptas quasdam de latere sinistro cavillationes proposuisset, ibidem contra auctorem hujus hymni sic vitilitigare pergit: *Præterea falsum est, quod solus Joannes Asiam rexerit: in Asia namque vastissima omnium orbis parte (si Americam excipias) etiam alii Apostoli prædicarunt: Thomas enim in India plures convertit; Philippus vero totam fere Scythiam: ergo non solus Joannes Asiam rexit*. Sed an bonus ille vir non noverat, hic ab hymnographo indicari Asiam minorem, quæ in partitione provinciarum S. Joanni obtigit, & quæ plerumque in Actibus Apostolorum ac epistolis S. Pauli solo voce *Asia* sine epitheto designatur. Hæc Asia minor, ut pars a suo toto, ab Asia latissime sumpta distinguitur, & nec Indiam, nec Scythiam comprehendit.

66 Si propter hanc expressionem carpendus sit hymnographus noster, etiam reprehensionem merebitur S. Hieronymus (Eusebium, S. Gregorium Magnum, aliosque veteres brevitatis causa prætermitto) qui in libro de Scriptoribus ecclesiasticis c. 9. in elogio S. Joannis inter alia de illo sic scribit: *Sub Nerva principe redit Ephesum, ibique usque ad Trajanum principem perseverans totas Asiæ fundavit rexitque ecclesias*. Ipse autem Joannes satis clare indicat, has ecclesias in Asia minori sitas esse, dum in Apocalypsi cap. 1. ℣. 11. eas ita enumerat: *Mitte septem ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis; & Philadelphiæ & Laodiciæ*. Quinimo videntur hoc adversarii ratiocinio tacite reprehendi S. Lucas in Actibus Apostolorum, S. Paulus in suis epistolis, ac S. Joannes in Apocalypsi, eo quod agentes de Asia minori eam sine distinctione tantum *Asiam* appellent. Profecto R. P. Michael magis honori suo consuluisset, si ab hac crisi abstinuisset.

67 Jam videamus, an felicius succedat aliarum ipsius ratiocinium, quod loco proxime citato contra eumdem hymnographum ita sarcastice instituit: *Tandem quæro*, inquis, *quo jure egregius iste hymni concinnator Jacobum in sinistra (etiam præscindendo ob eo, quod in malam partem accipiatur) loca certe minus nobili, minusque digno ponat, cum e contra in Evangelio quoties de his duobus Apostolis fit mentio sub propriis nominibus, Jacobus Joanni præponatur*. Tum post inutilem de majoris alterutrius sanctitate disputatiunculam ita concludit: *Quare politus ille vates pro suo arbitratu Joannem a dextris, Jacobum a sinistris, sedere fecit*. Tandem etiam vitiosum sacri poetæ metrum carpis, ut huic hymno omnem fidem abroges. At si propter vitia metri aut grammaticæ liceat negare antiquitatem quorumdam monumentorum, quæ sæpius ab imperitis amanuensibus transcripta sunt, facile auctoribus suis abjudicabuntur plura opera, quæ tamen eruditi venerantur. Hoc certe est nodum in scirpo quærere, de quo R. P. Michael alibi adversarios suos perperam accusat. Verum jam quæstioni ab ipso propositæ directe respondeamus.

68 Hæc altera adversarii argumentatio variis modis refutari posset; sed ne inutiliter tempus perdamus, pro nobis abunde, ut spero, ei satisfaciet S. Chrysostomus, qui in Catena Græcorum Patrum ad Matthæum, a Balthasare Corderio & Petro Possino collecta, tomo 1. pag. 134. de ordine Apostolorum observat sequentia: *Præponit vero Petrum & Andream ceteris, quod ii primi omnium vocati essent. Deinde Jacobum quoque Joanni præponit, non dignitatis prærogativa, sed simpliciter ordine ætatis*. Alteruter interpres has voces *ordine ætatis* ex sensu supplevit, sicut etiam diverso charactere indicavit. Certe hanc fuisse mentem S. Chrysostomi patet ex Homilia 32. alias 33. in Matthæum, ubi in novissima editione Montefalconiana tomo 7. pag. 363. ad hæc verba Evangelistæ Matthæi c. 10. ℣. 3. *Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus* circa nominum ordinem sic notari jubet: *Viden', quomodo non secundum dignitatem ponat? Mihi namque videtur non aliis modo, sed & fratre quoque suo, Joannem esse majorem*. Non erat igitur tantopere explodendus ille hymnographus, qui forte in S. Chrysostomo, aut aliis sanctis Patribus legerat, Joannem dignitate fratri suo Jacobo antecedere, atque ideo illum a dextris collocarit.

69 Tandem adversarius contra solem loquitur, quando c. 5. ejusdem Dissertationis Latinæ §. 2. asseris, quod traditio de Hispanica *S. Jacobi* prædicatione *nihil aliud sit, quam quædam vox & fama post seculum nonum orta & usquequaque sparsa a Castellanis occasione sumpta ex reliquiis sancti Jacobi in Gallæcia sepultis, & ex Hierosolyma illuc asportatis non multo antea; cui famæ, cujus proprium est facta æque atque infecta canere, post seculum decimum subscripsere scriptores quidam sine aliquo examine aut indagatione*. Quinimo infra addis sequentia: *Certum quoque est, post octo secula in Gallæciam translatum ejus* (videlicet *S. Jacobi* Apostoli) *corpus* fuisse. *Si certum est*, corpus *S. Jacobi Majoris* post octo secula in Gallæciam translatum fuisse, cur iam seram translationem nullis testimoniis confirmavit?

70 Nihilominus hoc debili fundamento nititur adversarius, quando post alias fallas hypotheses c. 4. Dissertationis Latinæ §. 2. adventum *S. Jacobi* in Hispaniam ita oppugnat: *Tempore, quo Hieronymus hæc scripsit, nondum beati Jacobi sacræ reliquiæ in Hispaniam fuerant delatæ; sed adhuc erant in Judæa; ergo si quisque Apostolorum*

in

in provincia Evangelii a se prædicati tunc requiescebat, non Hispania, sed Judæa fuerat provincia, in qua beatus Jacobus Evangelium juxta sanctum Hieronymum prædicavit. Variis modis hoc ratiocinium possem refellere, si mihi hic diutius hærere luberet. Sed R. P. Hieronymus Contador de Argote, clericus Regularis & academiæ Regiæ socius in Dissertatione sua Lusitanica solidis rationibus demonstrat, corpus *S. Jacobi* ante tempora S. Hieronymi in Hispaniam translatum fuisse. Ne igitur operose actum agamus, nunc istam improbabilem hypothesin, qua totum adversarii argumentum sustentatur, breviter evertemus.

71 Qua verisimilitudinis specie R. P. Michael affirmat, corpus hujus Apostoli *post octo secula* ex Oriente in Hispaniam translatum esse, quando quidem Mauri ineunte seculo octavo Hispaniam invaserunt? An Christiani Orientales eo tempore hunc sacrum thesaurum misissent ad tam longinquam regionem, in qua furori aut ludibrio infidelium Maurorum periculose exponeretur? Tillemontius saltem magis caute divinavit, corpus *S. Jacobi* seculo septimo Hierosolymis in Hispaniam missum fuisse, ut Saracenorum, tunc Palæstinam devastantium, furori subduceretur. At in gratiam R. P. Michaelis hic repeto dilemma, quod tunc Tillemontio opposui in Actis *S. Jacobi* part. 1. §. 4. n. 43. ubi sic argumentabar: *Si reliquiæ S. Jacobi Majoris usque ad seculum VII. fuerint in Palæstina, vel fuerunt ibi notæ, vel ignotæ. Si fuerint notæ, mirum est, Eusebium, Hieronymum, aliosque scriptores, dum de hoc S. Jacobo loquuntur, numquam de iis meminisse, præsertim cum aliorum Sanctorum reliquias & sepulcra in Terra sancta non raro assignent. Si vero fuerint ignotæ, quomodo Saracenorum persecutioni subduci, & in Hispaniam seculo VII. transferri potuerunt.* Hoc dilemma ab utriusque adversarii selectoribus dissolvi cupio. Præterea R. P. Michael, qui asserit, reliquias illas seculo nono translatas esse, fidem abrogare debet antiquissimis Martyrologiis, aliisque sanctis viris, qui ante seculum IX. seu ante repertas *S. Jacobi* reliquias, prædicationi Jacobeæ Hispaniam assignarunt. Jam videamus, quomodo adversarius frustra conatus fuerit hæc veneranda antiquitatis testimonia eludere aut negare.

§. V. *Aliquot effugia adversario occluduntur.*

Frustra se expedire nititur R. P. Michael ineluctabili S. Hieronymi auctoritate, qua constrictus tenetur, ut paragrapho sequente singillatim ostendam. Frustra etiam tentat eludere testimonium S. Isidori Hispalensis, qui in libro De ortu & obitu Patrum, Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem bis affirmat: nam adversarius in Dissertatione Latina c. 4. §. 3. hunc librum, quem nonnulli S. Isidoro abjudicant, tamquam genuinum hujus Sancti fœtum agnoscit, & ideo gratis ibidem asserit, utrumque istud testimonium huic operi *ab aliquo vel sciolo, vel adversæ sententiæ studioso* additum & insertum fuisse. Tota autem hujus accusationis probatio perperam eruitur ex ipso S. Isidoro, qui in eodem opere dicit, S. Paulum in Hispania prædicasse: hinc enim adversarius more suo infert, *S. Jacobum* numquam in Hispaniam venisse. Sed in Actis *S. Jacobi* & supra jam toties probavimus, illam utriusque Apostoli prædicationem inter se conciliari posse, ut hoc loco eadem repetere tædeat. Quare potius discutiamus alterum R. P. Michaelis argumentum, quod circa eamdem materiam secundis curis, quæ meliores esse solent, in voce veritatis §. 13. pag. 100. excogitavit, ut autem vis & solutio istius argumenti clare intelligantur, res paulo altius repetenda est.

73 Gregorius VII. Papa anno Christi 1074. ad Alphonsum Castellæ & Sancium Aragoniæ reges dedit epistolam, in qua eos hortatur, ut Hispani in celebrando Officio ecclesiastico recipiant ordinem Romanæ ecclesiæ, *sicut ceteræ regna Occidentis & Septemtrionis*; & in eo Officii ecclesiastici ordine servando sequantur Ecclesiam Romanam, a qua sciebant, se *suscepisse religionis exordium*. Hanc Romani Pontificis epistolam in Actis *S. Jacobi* part. 2. §. 14. exhibuimus, & ibidem ostendimus, eam Hispanicæ *S. Jacobi* prædicationi nullo modo obesse: Gregorius enim ab Hispanis tantummodo exigit debitam obedientiam, & ideo inter alia ad eos hæc scribit: *Quapropter, ut filios carissimos, vos adhortor & moneo, ut vos sicut bona soboles, etsi post diuturnas scissuras, demum tamen, ut matrem revera vestram, Romanam Ecclesiam recognoscatis*. Id autem facere debebat Hispania, *sicut ceteræ regna Occidentis & Septemtrionis*, quæ omnia ab Ecclesia Romana susceperant religionis exordium, quicumque demum in iis Evangelium prædicasset.

74 Attamen adversarius ex illa Romani Pontificis epistola infert, Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem post tempora Gregorii VII. seu annum 1074. operibus S. Isidori ab aliquo insertam esse, & in Voce veritatis pag. 100. id Lusitanice probare conatus in hunc fere modum: Cum S. Isidorus inter clarissimos Ecclesiæ scriptores numeretur, & per omnem nationem fuerit doctor Hispaniæ, memorati duo reges, eorumve subditi, & sapientissimus Papa Gregorius non ignorassent prædicationem *S. Jacobi* in Hispania, si illa eo tempore in scriptis S. Isidori legebatur. Imo juxta adversarium reges illi eorumque subditi non tacuissent; sed potius respondissent, Pontificem in ea re falli, & sese habere firmam traditionem, testimonio egregii doctoris Isidori confirmatam, quod non ab Apostolo Paulo, sed a Jacobo Majore, exordium religionis suscepissent. Ita ille magis acute, quam vere argumentatur: nam præterquam quod talis Hispanorum responsio nihil ad rem pertinuisset, ut ex supradictis colligi potest, totum hoc adversarii ratiocinium a veritate aberrat, quemadmodum jam demonstrabo ex antiquis quibusdam S. Isidori codicibus, in quibus Hispanica *S. Jacobi* prædicatio refertur.

75 Saltem laudo candorem R. P. Michaelis, quia loco proxime citato in margine notat, ab illustrissimo Petro de Marca antiquum S. Isidori codicem De ortu & obitu patrum citari, in quo Hispanica *S. Jacobi* prædicatio legatur. Nihil vero nos movere debet, quod adversarius ibidem confidenter addat, Gregorium VII. Papam ac duos supradictos reges codice illo antiquiores esse. Laudo, inquam, hunc adversarii candorem, etiamsi laudare non possim ejus astutiam, qua verosimillimam istius codicis ætatem subticuit, quam tamen illustrissimus Petrus de Marca in epistola ad Henricum Valesium data, & a nobis tomo V. Junii a pag. 544. cum animadversionibus recusa, sic diserte expresserat:

rat: *His adjungendum putavi testimonium vetustissimi codicis manuscripti ex bibliotheca S. Germani Parisiensis, in quo illa tractus Isidori ante* OCTINGENTOS ANNOS *adscriptus una cum aliis ejusdem auctoris libris continetur . . . Nec dissimulandum est, in eodem codice legi Hispaniam Jacobo Apostolo datam, eumque Hispanis fidem prædicasse: quæ vetusti codicis auctoritas a quibusdam conceptam suspicionem eximere debet vitiatæ forsan loca in illo lectionis in prioribus editionibus ab aliquo Hispanarum partium studiosa.*

76 Cur, obsecro, R. P. Michael *octingentos annos* istius codicis san-Germanensis suppressit? Nempe perspicax ille sacræ theologiæ magister satis videbat, supradictam suam argumentationem judicio illustrissimi Petri de Marca prorsus corruere: si enim iste S. Isidori codex, in quo Hispanica *S. Jacobi* prædicatio exprimebatur, tunc octingentos scriptionis annos habebat, manifeste sequebatur, illum ante tempora Gregorii VII. seu annum Christi 1074. exstitisse, adeoque prædicationem *S. Jacobi* in Hispania post tempora Gregorii VII. non fuisse ei insertam, quod adversarius contendebat. Certe majorem sinceritatis laudem mereretur, si opinionem de tanta codicis illius antiquitate candide retulisset, eamque postea rotunde negasset. Sed tunc ego etiam aperte respondissem, me in hac materia pluris facere unicam assertionem illustrissimi Petri de Marca, qui in antiquis hujusmodi monumentis dignoscendis exercitatissimus erat, quam centum negationes R. P. Michaelis, qui codicem istum numquam viderat.

77 Confirmationis gratia hisce adjungo veterem Musei nostri codicem, signatum ✠ Ms. 117. de quo in Actis *S. Jacobi* num. 384. mentionem feci, & in quo post aliud ibidem relatum Jacobeæ prædicationis in Hispania testimonium, leguntur sequentia: *Hi fuerunt Christi discipuli, prædicatores fidei, & doctores gentium, qui dum omnes unum essent, singuli tamen eorum propriis ceterisque locis in mundum ad prædicandum sortes proprias acceperunt. Petrus namque Romam accepit, Andreas Achajam, Jacobus Spaniam, Thomas Indiam, Johannes Asiam, Mattheus Machedoniam, Philippus Galliam, Bartholomeus Licaoniam; Simon Zelotes Egiptum; Mathias Judeam, Jacobus frater Domini Hierusalem; Judas Mesopotamiam. Paulo autem cum ceteris Apostolis nulla sors propria traditur, qui ab omnibus gentibus magister & prædicator eligitur: nam sicut Petro & reliquis circumcisionis apostolatus est datus, ita Paulo preputii in gentibus.* Hæc fideliter, nulla mutata littera, transcripsi ex membraneo nostro S. Isidori codice, qui cum san-Germanensi certare potest de antiquitate, & de quo certissime pronuntio, quod ætatem S. Gregorii VII. Pontificis longe superet, ut ex oculari codicis nostri inspectione omnes eruditi & veterum characterum periti mecum judicabunt. Sic igitur adversario præclusus est exitus, quo oppositum sibi S. Isidori testimonium effugere conabatur.

78 In Actis *S. Jacobi* par. 2. §. 8. retulimus verba S. Juliani præsidis Toletani, qui seculo septimo floruit, & Jacobeam prædicationem in Hispania litteris mandavit. Sed adversarius unica responsione hoc testimonium explodit, & more suo confidenter dicit, istud S. Juliani opusculum esse supposititium, aut Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem ei ab impostore aliquo intextam fuisse, etiamsi illud ex bibliotheca Bavarica prodierit. Ab hoc modo R. P. Michael quamlibet veterum monumentorum auctoritatem facile eludet: si enim ipsi opponatur Martyrologium Autissiodorense, quod ante octingentos annos in Gallia Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem asseruit, tantummodo respondere debet, istud Martyrologium confictum aut interpolatum esse. Eadem facilitate negabit testimonium Martyrologii Blumiani, quod anno Christi 772. in Germania exaratum est, ut videre licet in iisdem *S. Jacobi* Actis part. 2. §. 9. ubi de utroque illo Martyrologio plura diximus.

79 Itaque adversarius sine ullo fundamento & contra omnem veri speciem, non tantum in Hispania, sed etiam in aliis regionibus sibi fingere cogitur impostores, qui antiquis codicibus Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem perfide inseruerint. Quid, obsecro, Gallos aut Germanos movere poterat, ut in gratiam Hispanorum similia confingerent? Præterea oportet omnes illos diversarum regionum impostores conspirasse ad fingendam Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem, quæ nihil ad ipsos attinebat. Quid improbabilius aut ineptius excogitari potest? Nihilominus R. P. Michael ad absonas ejusmodi assertiones debet recurrere, ut opinionem suam tueatur. Sed an serio putabat, has exoticas suas imaginationes ab eruditis viris approbandas esse?

80 Non minus infeliciter adversarius tentavit evadere auctoritatem S. Beati, aliorumque auctorum subæqualium, qui in scriptis suis de Hispanica *S. Jacobi* prædicatione meminerunt: mihi enim amplam redarguendi materiam præbet, dum in Dissertatione Latina cap. 5. §. 4. de scriptoribus illis sic loquitur: *Opponunt secunda auctoritatem Beati presbyteri Libaniensis, Trecculphi* (voluit dicere *Freculphi*, Lexoviensis in Gallia episcopi) *Notheri &c.* Tum post recitatam quamdam ex S. Augustino sententiam, quæ nihil ad rem facit, huic oppositioni sic respondet: *At auctores hi post seculum decimum, & plures alii recentiores simpliciter & sine ullo probationis genere de hac prædicatione locuti sunt.* Nunc omnes hujus responsi hallucinationes sigillatim sunt detegendæ.

81 Imprimis R. P. Michael fallit, aut fallitur, dum ad oppositos sibi auctores respondet, illos *post seculum decimum* de Hispanica *S. Jacobi* prædicatione locutos esse: nam S. Beatus, presbyter Libaniensis, seculo octavo scripsit, ut ex opere nostro ad diem XIX. Februarii tomo III. istius mensis pag. 146. & sequentibus discere potuisset. Freculphus vero circa medium seculi noni obiit, ut eminentissimus Bellarminus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis & alii bibliographi passim tradunt. Denique B. Notkerus, cognomento *Balbulus*, ante finem seculi noni Martyrologium suum absolvit, ut apud nos tomo 1. Aprilis pag. 577. poterat videre. Adde, quod ab adversario hic omittantur auctor Martyrologii Gellonensis & Walafridus Strabo, qui ante medium seculi noni floruerunt, & Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem diserte affirmarunt. Qua igitur fronte asserere potuit, omnes hos auctores *post seculum*

seculum

solum decimum de Jacobea prædicatione locutos fuisse?

82 Quasi R. P. Michaeli non sufficeret, hac responsione tam turpiter errasse, ibidem in margine alterum errorem sic addit: *Multi ex his auctoribus non affirmant, sed referunt, eam prædicationem sancti Jacobi affirmari ab aliis, ut patet de Treculpho* (lege *Freculpho*, ut supra monui) *qui ait:* DICITUR, QUOD SANCTUS JACOBUS &c. Quis non putaret, saltem aliquos ex his auctoribus, cum *multi* ab adversario appellentur, sic de Hispanica *S. Jacobi* prædicatione ex aliorum fide locutos esse? At omnes supradicti auctores, si solum Notkerum excipias, sine ulla restrictione aut ambiguitate Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem absolute affirmant. Quomodo igitur, inquies, R. P. Michael verba Freculphi citavit? Fateor, me id ignorare: nam Freculphum pervolvens nihil simile inveni, quin potius tomulo 2. Chronicorum lib. 2. cap. 4. legi, quod Freculphus illo loco his Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem affirmare asseruerit. Quare adversarium hic de fraude suspectum habebimus, donec ejus defensores ostenderint, citata ab ipso verba in Freculpho inveniri. Hinc hactenus sequitur, quod *multi* illi auctores redigantur ad unicum Notkerum, cujus mentem in Actis Jacobeis par. 2. §. 10. explicuimus.

83 Præterea adversarius eodem cap. 5. §. 4. ad evertendam S. Beati auctoritatem in margine notat sequentia: *Beatus, presbyter Libaniensis, & alii sicut de B. Jacobo in Hispania, sic de B. Philippo in Gallia dicit prædicasse; quod tam sit aperte falsum, patet, hos auctores sibi inexplorata scripsisse.* At non tam facile Gallicam S. Philippi prædicationem accusasset de aperta falsitate, si legisset epistolam, quam illustrissimus Petrus Marca ad Henricum Valesium scripsit, & quam Papebrochius noster tomo v. Junii a pag. 544. cum animadversionibus suis iterum edidit: nam varia doctissimi istius præsulis argumenta Papebrochium ita moverunt, ut non diffiteretur, S. Philippum obiter in Gallia Evangelium annuntiasse, quemadmodum in Actis *S. Jacobi* par. 2. §. 8. rursus monui. Itaque enervanda erant testimonia, quæ illustrissimus Petrus de Marca pro Gallica S. Philippi prædicatione attulerat, priusquam adversarius illam tam contemptim rejiceret, & ea de causa S. Beato aliisque fidem abrogaret.

84 Videtur ipse R. P. Michael huic effugio diffidere, & propterea in Dissertatione sua Lusitanica §. 14. pag. 106. fatetur, Gallicam S. Philippi prædicationem non tam improbabilem esse, quam sit Hispanica *S. Jacobi*, quia S. Philippus saltem Hierosolyma discessit ad prædicandum gentibus, adeoque Gallia potuit pars istius prædicationis fuisse. Proinde postmodum excogitavit alias quasdam responsiones, quibus istud S. Beati testimonium convellere conatur. Hinc in Voce veritatis pag. 158. & sequentibus dicit, scripta hujus viri pii (nimis scrupulose a titulo *Sancti* abstinet; ut supra §. 3. obiter observavi) tempore Antonii Possevini nostri nondum fuisse typis vulgata. Cum autem postmodum prælo subjecta fuerint, & Hispani curam editionis habuerint, sine ullo scrupulo audacter concludit, quod non temere judicari possit, Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem isti editioni fraudulenter ab aliquo fuisse insertam.

85 Verum hoc loco adversarius nimis temere procedit: prius enim legere debuerat Nicolaum Antonium tomo 1. Bibliothecæ Hispanicæ, qui lib. 6. cap. 2. num. 41. Commentarios in Apocalypsin S. Beato vindicat, ac variis locis manuscriptos haberi demonstrat. Præterea R. D. Joannes de Ferreras, primarius regiæ Matritensis bibliothecæ custos, in priori sua Dissertatione Latina de adventu *S. Jacobi* in Hispaniam num. 23. testatur, idem opus Ms. Matriti in bibliotheca regis conservari, & sub finem illius notari; quod Facundus æra 1085. id est anno Christi 1047. istud exscripserit. Quinimmo ipse eruditissimus D. Joannes de Ferreras anno 1721. si recte recordor, mihi istud testimonium in eodem S. Beati opere Matriti ostendit. Quapropter debuisset adversarius per se aut amicos consulere istud Ms. Matritense, aut alia a Nicolao Antonio assignata, antequam adeo temerarium judicium proferret.

86 Denique R. P. Michael testimonia S. Isidori, S. Juliani, venerabilis Bedæ, & S. Beati de adventu *S. Jacobi* in Hispaniam unico spiritu difflare tentat. Unde in Voce veritatis pag. 180. notari jubet, Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem apud ipsos iisdem pene verbis exprimi, quod est, inquit, *manifestum fictionis indicium*, & ex quo liquet, similes illas expressiones in opera eorum perfide intrusas esse. His scriptoribus addere poterat Freculphum, Lexoviensem in Gallia episcopum, post cujus verba, in Actis Jacobeis par. 2. §. 10. allata, de illa similitudine sic judicavimus: *Videtur Freculphus hic præ oculis habuisse aliquem Isidori Hispalensis codicem, quia non tantum illius verba, sed etiam opinionem de auctore epistolæ Catholicæ exscripsit.* Idem de aliis dici posset, nisi S. Julianus & S. Beatus in suis expressionibus ab Isidoro & inter se discreparent, sicut facile videbit, qui in Actis Jacobeis part. 2. §. 7. & sequentibus testimonia eorum inter se conferre voluerit.

87 Imo licet hæc testimonia sibi similia essent, tantummodo sequeretur, unum auctorem ex altero sua transcripsisse, & juniores scriptores verbis antiquiorum sententiam suam confirmasse: si enim illa verborum similitudo sit *manifestum fictionis indicium*, ut adversarius generaliter asserit, vereor, ne tali ratiocinio epistola secunda S. Petri, vel epistola Catholica S. Judæ, reddatur suspecta de interpolatione, & consequenter sacra illarum auctoritas in dubium revocetur, quia non tantum similes phrases, sed interdum eadem verba, in diversis istis epistolis leguntur. Cum itaque hoc argumentum R. P. Michaelis nimium probet, juxta commune philosophorum axioma, nihil probat. Quare ipsemet sine dubio magis caute stricteque in hac materia locutus esset, si prævidisset, ex universali suo principio tam absurda consectaria deduci posse.

88 Miror, adversarium in parum discrepantibus istorum auctorum testimoniis dijudicandis non meminisse Estii sui, qui in præfatione ad epistolam B. Judæ de simili duorum Apostolorum stylo scripserat his verbis: *Convenit argumentum hujus epistolæ cum iis, quæ B. Petrus scribit in secunda epistola, præsertim capite secunda & initio tertii: nam quæ hic scribuntur*

adeo eum illis similia sunt, ut hujus auctor S. Judas ea non solum legisse videatur, verum etiam, partim contrahendo, partim extendendo, partim iisdem vocibus & sententiis utendo, imitatus fuisse. Hoc certa loco laudabiliter secutus fuisset exemplum carissimi sui Estii, quem alibi toties laudat, & de S. Julixoo, ac S. Beato, aliisque scriptoribus simile judicium tulisset. Saltem ab ipso breviter iudicanda fuerat hæc Estii opinio, ne quia ex memorata styli ac verborum similitudine, quam nimis generaliter *manifestum fictionis indicium* vocaverat, perperam de epistolis S. Petri & Judæ, similibusve sacræ Scripturæ textibus argumentari posset.

89 Similem explicationem invenire poterat apud nostrum Cornelium a Lapide, qui in proœmio ad epistolam Judæ de eadem materia sic judicat: *Nota, hanc epistolam valde similem esse epistolæ secundæ S. Petri cap. 2. adeoque multas cum ea easdem vel pene easdem habere sententias. Quare vel S. Petrus illas sumpsit ex S. Juda, ut ejus dicta confirmaret, uti vult Salmeron; vel certe Judas illas accepit ex S. Petro, ut volunt Baronius anno Christi* LXVIII. *Adamus Sasbout* &c. *Porro ut videas S. Petri & S. Judæ harmoniam & consonantiam, accipe easdem utriusque sententias per parallela digestas*. Tum Cornelius in Commentariis suis ad epistolas canonicas pag. 570. & sequente subdit parallelum, in quo ex una parte sententiæ S. Petri, & ex altera similes S. Judæ expressiones repræsentantur. Si sectatores R. P. Michaelis hæc attente expenderint, ob aliqualem styli & verborum similitudinem non facile tradent universales criticæ regulas, ex quibus tam periculosa consectaria deducantur. Nunc superest, ut adversario quoddam alterius generis effugium in chronologia præcludamus.

90 Jam supra vidimus, quanto ardore R. P. Michael defenderit duodecim illos annos, quibus Apostoli intra fines Judaicæ gentis manere jussi sunt, ut antiqua traditio testatur. Præterea adversarius asserit, Christum post triginta tres ætatis suæ annos cruci affixum fuisse, & Apostolos per totum terrarum orbem dispersos esse anno Claudii imperatoris secundo, quem cum quadragesimo secundo Christi anno componit. Hinc R. D. Joannes de Ferreras ad hominem argumentatur, & recte contendit, ab adversario non inveniri duodecim istos annos, quibus Apostoli post resurrectionem Christi intra fines Judaicos permanserint: nam juxta chronologiam adversarii ab anno trigesimo quarto, quo Christus crucifixus est, usque ad divisionem Apostolorum seu annum Christi quadragesimum secundum necdum novem anni effluxerant, ut calculum annorum subducenti apparebit.

91 Duro huic nodo R. P. Michael novum cuneum adhibendum censuit, & in Voce veritatis §. 10. pag. 74. Lusitanice respondet, R. D. Joannem de Ferreras falso supponere, quod duodecim illi anni a morte Christi computandi sint, & ibidem confidenter affirmat, duodecim istos annos ab anno trigesimo primo, quo Christus prædicare cœpit, ex antiqua traditione numerandos esse. Nova enimvero & hactenus omnibus eruditis ignota antiquæ istius traditionis interpretatio! Sed parum referret, eam hactenus inauditam esse, nisi etiam foret falsa, ut mox demonstrabimus. Nihilominus R. P. Michael loco proxime citato dicit, hanc explicationem suam maxime conformem esse Evangelio Matthæi, ubi cap. 10. ℣. 5. leguntur sequentia. *Hos duodecim misit Jesus; præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Itaque ex his verbis colligit, tunc præceptum de duodecim annis cœpisse.

92 Sed dum adversarius ad summas angustias redactus hoc effugium excogitavit, & sic ab una difficultate se expedire conatus est, in alteram multo majorem incidit: si enim tunc Christus Apostolis præceperit, ne intra duodecim annos ad gentes abirent, aut civitates Samaritanorum intrarent; quomodo servarunt hoc præceptum Apostoli illi, qui non diu post martyrium S. Stephani, Saulo Ecclesiam persequente, Samaritanis Evangelium prædicarunt? Quoslibet R. P. Michaelis defensores rogatos volo, ut hanc novam ipsius opinionem concilient cum Actibus Apostolorum, ubi cap. 8. ℣. 14. & 25. hæc narrantur: *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem... Et illi quidem testificati & locuti verbum Domini, redibant Jerosolymam, & multis regionibus Samaritanorum evangelizabant*.

93 Nos in sententia nostra supradictum Matthæi textum cum proxime citatis Actibus Apostolorum facile conciliamus, quia cum plerisque sacræ Scripturæ interpretibus distinguimus duo Christi præcepta, quorum primo Apostolis prohibuit, ne ante gloriosam suam resurrectionem gentibus aut Samaritanis Evangelium prædicarent. Alterum vero dedit post gloriosam suam resurrectionem, & tunc Apostolis præcepit, ut Hierosolyma discederent ad remotas nationes, ac docerent omnes, postquam videlicet adhuc duodecim annis mansissent intra regiones Judaicas, & præcipue Judæos ad fidem amplectendam pariter invitassent, quemadmodum habet antiqua Apollonii & Clementis Alexandrini traditio, quam R. P. Michael tam impense tuetur.

94 Hinc Cornelius a Lapide in Commentariis suis ad cap. 10. Matthæi ℣. 5. de hoc priore Christi præcepto sic disserit: *Primum est hoc Christi præceptum, quod ipse Apostolos mittens prædicatum, eis assignat, scilicet, ne gentes & Samaritanos adeant, sed Judæos; cujus vera ratio erat, quod Christus volebat primo suum adventum & Evangelium prædicari Judæis: hi enim erant filii regni, ac filii Abraham, Isaac, Jacob, David &c. quibus a Deo promissus erat Messias, id est Christus: alioqui enim Judæi contra Christum & Apostolos excipere potuissent ac dicere: Tu non es verus Messias, quia evangelizas gentibus & Samaritis. Messias enim nobis Judæis a prophetis promissus est, non gentibus. Hoc præceptum fuit temporarium dumtaxat; duravit enim solum toto tempore vitæ Christi: nam post passionem & resurrectionem suam Christus misit Apostolos evangelizari gentibus per totum orbem*.

95 Videtur etiam S. Hieronymus distinxisse hæc duo præcepta, quando in Commentariis ad cap. 10. Matthæi, in novissima editione Parisiensi tomo 4. part. 1. col. 35. sic scribit: IN VIAM GENTIUM NE ABIERITIS, ET IN CIVITATES SAMARITANORUM NE INTRAVERITIS:

TIS: SED POTIUS ITE AD OVES, QUÆ PERIERUNT DOMUS ISRAEL. *Non est contrarius locus iste ei precepto, quod postea dicitur:* EUNTES, DOCETE OMNES GENTES, BAPTIZANTES EOS IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI; *quia hoc ante resurrectionem, illud post resurrectionem præceptum est. Et oportebat primum adventum Christi nuntiare Judæis, ne justam haberent excusationem, dicentes, ideo se Dominum rejecisse, quia ad gentes & Samaritanos Apostolos miserit.*

96 Ex dictis defensores R. P. Michaelis videns, memoratum Matthæi textum frustra ab ipso citari, ut probet, duodecim illos Apostolorum annos ab anno trigesimo primo Christi sive ab exordio prædicationis ejus computandos esse. Deinde facile concludent, hanc ejus opinionem novam esse, quam eruditi viri hactenus ignoraverint, eique propterea aptari posse verba, quæ ipse ex Proœmio S. Hieronymi de Scriptoribus ecclesiasticis desumpsit, & cap. 4. Dissertationis Latinæ ℣. 1. contra adversarios suos ita profert: *Ego quid acturus, qui nullum priorum sequens, pessimum, ut dicitur, magistrum memet ipsum habeo.* Ceterum non præclusi adversario hoc effugium, quia opinioni nostræ incommodat: si enim hanc novam illius sententiam admitterem, *S. Jacobo* in Hispania longiorem moram tribuere possem, ut ex supradictis §. 2. liquet. Neque systema ipsius impugno, quia novum est; sed istud rejicio, quia falsum esse existimo. Nunc ad aliam, eamque ultimam luctationem progrediamur.

§. VI. *Adversarius constringitur ineluctabili auctoritate S. Hieronymi, quam frustra tentat eludere.*

IN gratiam R. P. Michaelis hic breviter repetendum est argumentum, quod in Actis *S. Jacobi* part. 2. §. 5. contra adversarios sententiæ nostræ protuli ex S. Hieronymo, qui in Commentariis ad caput 34. Isaiæ post alia de Apostolis affirmat, quod *spiritus congregaverit eos, dederitque eis sortes atque diviserit, ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & unusquisque in evangelii sui atque doctrinæ provincia requiesceret.* Ex his Hieronymi verbis cum eminentissimo Aguirrio deduxi, unum ex Apostolis in Hispania prædicasse, eumque diversum esse ab illo, qui Evangelium in Illyrico annuntiavit. Cum autem antiqua traditio, variis testimoniis suffulta, prædicationem Hispanicam *S. Jacobo Majori* attribuat, tandem probabilius conclusi, hic ab Hieronymo *S. Jacobum*, tamquam determinatum Hispaniæ apostolum, implicite designari.

98 Adversarius in Dissertatione sua Latina cap. 4. §. 5. miris modis sese torquet, ut auctoritatem S. Hieronymi explicet aut infringat. Quamvis autem ibidem confidenter jactet, sibi plures argumenti nostri solutiones ad manum esse, variasque etiam offerat; pleræque tamen adeo violentæ sunt ac miseræ, ut vix responsum mereantur: nam duabus primis responsionibus suis probare nititur, quod S. Hieronymus vel sibimetipsi contradixerit, vel illa expressione *alius ad Hispanias, alius ad Illyricum* tacite indicaverit unicum & eumdem Apostolum Paulum, qui in Illyrico & Hispania Evangelium annuntiarit. Quinimo contendit, eamdem horum verborum explicationem dandam esse ab illis omnibus, qui prædicationem S. Pauli in Hispania admittunt. At profecto R. P. Michael vel ejus sectatores diu laborabunt, antequam viro cordato, & linguæ Latinæ utcumque perito persuadeant, nomine partitivo *alius* atque *alius* unicum & eumdem hominem significari. Porro ex infra dicendis patebit, ad hanc exoticam expositionem nobis recurrendum non esse.

99 Interea patienter audiamus alias adversarii responsiones, inter quas ab ipso *tertia solutio* appellatur illa, quæ jam sequitur: *Si adversarii*, inquit, *legissent Hieronymum epistola tertia ad Augustinum, & est septuagesima quinta inter Augustinianas in nova editione monachorum sancti Benedicti, hæc non dicerent. Ibi namque sanctus doctor simpliciter, ut ait, & ingenue fatetur, se rerum, quas in mente coacervaverat, multitudine obrutum, eas amanuensi suo dictasse, nec ordinis, nec verborum interdum, nec sensuum memorem. Nihil ergo mirum, quod verbulum illud* ALIUS & ALIUS *Hieronymo exciderit non attendenti, proindeque neque intendenti diversitatem Apostolorum, in Illyrico & Hispania prædicantium. Quærunt ergo adversarii, ut in proverbio est, nodum in scirpo.*

100 Sed si responsio ista nomen solutionis mereatur, facile solvemus quælibet nobis opponenda sanctorum Patrum testimonia: semper enim respondere possumus, polygraphos illos viros, obrutos multitudine & diversitate rerum, quas in mente coacervaverant, forte unum pro altero scripsisse, aut amanuensibus dictasse. Sic S. Augustinus lib. 2. Retractationum cap. 15. errorem suum fatetur his verbis: *In primo ergo libro in eo quod positum est, Dominum seorsum duobus discipulis suam retulisse passionem, mendositas codicis nos fefellit: nam* DUODECIM *scriptum est, non* DUOBUS. Sic etiam sanctus Doctor eodem libro cap. 62. alterum errorem corrigit hoc modo: *Nomen hominis, qui hoc facere solebat, quasi certum posui, cum sit incertum, quia memoria me fefellit. Hoc autem Soranus medicinæ artis magister scripsit, eegem Cyprium facere solere, sed nomen ejus proprium non expressit.* Plura hujusmodi afferri possent.

101 Unde Hispani simili responsione superius sibi oppositam S. Augustini auctoritatem eludere potuissent: dum enim sanctus Doctor asserit, populos *facilitate mirabili* ab Apostolis conversos esse, respondere poterant, istud nomen *facilitate* Augustino excidisse non attendenti, & forsan *charitate mirabili* legendum esse. Certe eodem fundamento, id est nullo, Hispani ille dicerent, ab Augustino vocem contrariam *facilitate* pro *difficultate* scriptam esse, quo R. P. Michael contendit, ab Hieronymo vocem *alius* pro *idem* amanuensi dictatam fuisse. Neque adversarius hinc evasisset respondendo, magnum in hac re discrimen esse inter S. Augustinum & S. Hieronymum, cum ille scripserit duos Retractationum libros, quibus ambiguas suas sententias clarius explicuit, vel erroneas ingenue revocavit: nam ipsemet R. P. Michael in Dissertatione sua Lusitanica seu

Voce veritatis §. 14. pag. 106. affirmat, quod viri docti ac pii recte demonstrarint, S. Basilium, S. Chrysostomum, S. Augustinum, aliosque in quibusdam scriptis suis errasse. Si igitur exemplo adversarii sic argumenta dissolvere liceat, nullo negotio quælibet contraria istorum Patrum testimonia eludemus.

102 Cum R. P. Michael satis præsentiret, hoc suum responsum, seu potius effugium, ab eruditis explodendum esse, voluit ei alteram responsionem addere, & simul fatalem nobis ictum ibidem minatus est hoc modo: *Sit quarta solutio, & simul validissimum in adversarios argumentum ex hoc ipso Hieronymi loco sic. Hieronymus hic ait:* ALIUS (*Apostolus*) IN HISPANIA, *prædicavit scilicet: ergo unicus Apostolus prædicavit in Hispania. Patet consequentia; quia Hieronymus non dicit* ALII, *sed* ALIUS *in numero singulari. Atqui juxta Hieronymum Paulus prædicavit in Hispania: ergo unus Paulus; ergo ex Apostolis solus Paulus prædicavit in Hispania: ergo juxta Hieronymum Jacobus in Hispania nullatenus prædicavit.* Adversarius putavit, se hic ex principio Grammatico deduxisse demonstrationem historicam, quæ via certitudini mathematicæ cedat. At illam nunc paucis examinemus.

103 Ne lectorem hic longiore disputatione detineam, iisdem fere verbis, & in simili prorsus forma validissimum istud argumentum (sic adversario sophisma suum appellare placuit) contra ipsum R. P. Michaelem ita retorqueo: *Hieronymus hic ait;* ALIUS (*Apostolus*) IN INDIA, *prædicavit scilicet: ergo unicus Apostolus prædicavit in India. Patet consequentia; quia Hieronymus non dicit* ALII, *sed* ALIUS *in numero singulari. Atqui juxta Hieronymum Thomas prædicavit in India: ergo unus Thomas; ergo ex Apostolis solus Thomas prædicavit in India: ergo juxta Hieronymum Bartholomæus in India nullatenus prædicavit.* En simillimum ratiocinium, & tamen falsum: nam ipsemet Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, aliique veteres auctores ex antiqua traditione referunt, Bartholomæum in India prædicasse.

104 Nescio, quid defensores R. P. Michaelis ad hanc retorsionem responsuri sint: nequeunt enim negare prædicationem S. Thomæ in India: quam S. Hieronymus in epistola ad Marcellam de quinque quæstionibus novi Testamenti tomo 4. novissimæ editionis Parisiensis part. 1. col. 167. sic exprimit: *Divina quippe natura .... in omnibus locis versabatur,* CUM THOMA IN INDIA, *cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaia, cum singulis Apostolis & apostolicis viris in singulis cunctisque regionibus.* Neque possunt recusare testimonium de Indica S. Bartholomæi prædicatione, quod idem sanctus Doctor in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum cap. 36. tomo 4. ejusdem editionis Parisiensis part. 2. col. 112. profert his verbis: *Pantænus Stoicæ sectæ philosophus .... tantæ prudentiæ & eruditionis, tam in Scripturis divinis, quam in seculari litteratura fuit, ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis, a Demetrio Alexandriæ episcopo mitteretur; ubi reperit, Bartholomæum de duodecim Apostolis adventum Domini Jesu juxta Matthæi Evangelium prædicasse, quod Hebraicis litteris scriptum, revertens Alexandriam, secum detulit.* Legi etiam potest Eusebius lib. 5. Hist. eccles. cap. 10. ubi eamdem Bartholomæi prædicationem similius ea veteri traditione narrat.

105 Pluribus hoc loco urgere possem R. P. Michaelem, nisi ipsemet hoc suum *validissimum in adversarios argumentum* postea destrueret, quando in Voce veritatis pag. 147. contendit, nomine partitivo *alius* interdum eleganter multos significari. Id autem probas ex Sallustio, qui in Bello Catilinario cap. 6. narrat, quomodo Aborigines Trojanis immixti fuerint, & *dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, ... facile coaluerint.* Hinc infert vocem *alius* aliquando plurali pro *alii*, & nomen istud singulare vim pluralis numeri habere. Denique ex eo concludit, apud Hieronymum nomine *alius* multos Apostolos, & eosdem in diversis provinciis, adeoque Paulum in Græcia, Illyrico, ac Hispania indicari potuisse.

106 Ex hoc adversarii ratiocinio imprimis patet, quod ipsemet hoc loco diruat suam argumentationem, quam antea operose construxerat, & quam tanti faciebat, ut eam pro validissimo in adversarios suos telo haberet. Deinde non video, qua ratione R. P. Michael ex citatis Sallustii verbis concludat, ab Hieronymo eosdem Apostolos in diversis provinciis designari. Sallustius enim nomine partitivo *alius* non significat eamdem nationem, quæ in variis urbibus commorabatur; sed contra clare distinguit duos populos, qui dissimili idiomate & diversis moribus in eadem urbe Romana antiquitus vivebant. Etiamsi ergo gratis supponamus, S. Hieronymum simili loquendi modo usum fuisse, tantummodo sequeretur, tali expressione ab ipso indicari plures Apostolos, qui in eadem regione Evangelium annuntiarint.

107 Præterea magnum est discrimen inter phrasim Sallustii & S. Hieronymi, quia Sallustius participio pluralis numeri *viventes* & verbo *coaluerint* satis ostendit, se hic de pluribus agere. Dum etiam apud Virgilium legimus *pars in frustra secant*, & apud Livium *pars in juveniles lusus versi, pars vescentes sub umbra*, ex addito numero plurali statim intelligimus, illos de multis loqui, eosque magis attendere ad vocis significationem, quam ad ipsam vocem singularis numeri, cum qua verbum aut adjectivum solet in numero concordare, ut Grammaticis notum est. Hieronymus autem nullo signo innuit, per vocem *alius* plures a se denotari: ubique etenim in numero singulari scribit, Apostolos ad prædicandum Evangelium ita dispersos fuisse, *ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & unusquisque in Evangelii sui atque doctrinæ provincia requiesceret.*

108 Circa istam constructionum disparitatem plura observari possent; sed ne similibus Grammaticæ minutiis cum tædio inhæreamus, liberaliter adversario concedemus, ab Hieronymo per vocem *alius* plures Apostolos significari potuisse. Si defensores R. P. Michaelis inde inferant, alios Apostolos in India, alios in Illyrico, alios in Græcia semen evangelicum dispersisse, eodem jure ego inde concludam, etiam alios Apostolos videlicet Jacobum & Paulum, in Hispaniis prædicasse. At tunc delere

coge-

cogentur titulum, quem R. P. Michael Dissertationi suæ Latinæ ita præfixit: *Dissertatio historica de primo, potius unico, Evangelii prædicatore in Lusitania nostra, totaque Hispania.* Quod si contendant, in eodem Hieronymi testimonio per vocem *alius* modo plures Apostolos, modo unicum designari, nemini frivolam illam exceptionem persuadebunt, & eruditorum ludibrio sese exponent.

109 Forsan hac occasione curiosus quispiam me interrogabit, quis ex Apostolis ad Græciam, quis ad Illyricum perrexerit. Quandoquidem S. Hieronymus in supradicto testimonio dicit, quod spiritus congregaverit Apostolos, *dederitque eis sortes atque diviserit*, satis manifeste indicat, se hoc loco agere de præcipuis regionibus, quæ Apostolis sorte obtigerunt. Quapropter ex mente ejusdem sancti Doctoris respondeo, Græciam Asiaticam S. Joanni obtigisse, cumque Ephesi in Jonia, quæ est Asiæ minoris provincia, diu commoratum esse, ut sancti Patres & antiqui scriptores passim testantur. Ne autem videar Joniam gratis in Græcia collocare, audi eumdem S. Hieronymum, qui in Commentariis ad Isaiam lib. 18. cap. 66. sive tomo 3. novissimæ editionis Parisiensis col. 507. de hac re sic scribit: *Græci autem, qui sermone Hebraico appellantur* JAVAN, *Jonas significans; unde & Græci Jones & mare Jonium.* Sanctus Doctor in Commentariis ad caput 3. Sophoniæ prophetæ, sive tomo proxime citato col. 1670. eamdem explicationem suam repetit his verbis: *Sciendum, quod alii e contrario asserant, pro* COLUMBA *ibi posse intelligi* Ἑλλάδα *id est* GRÆCIAM, *ut sit sensus:* A FACIE GLADII JONA *id est,* A FACIE GLADII GRÆCIÆ, *Jona enim tam columbam, quam Græciam significat. Unde & usque hodie Græci Jones, & mare appellatur Jonium, & apud Hebræos permanet eorum vetus vocabulum.*

110 Ad alteram quæstionem respondeo, Illyricum late sumptum sancto Andreæ præcipue assignatum fuisse: nam teste Hieronymo S. Andreas in Achaja, & juxta Gregorium Nazianzenum oratione 25. in Epiro Christum prædicavit. Græci vero in suis Menæis ad diem xxx. Novembris præter alias vicinas gentes, quas S. Andreas Evangelica doctrina imbuit; sorti ejusdem Apostoli attribuunt *populos, qui Thraciam & Macedoniam incolunt, quique ad Istrum usque extenduntur, Thessaliam quoque & Græciam seu Helladem, & gentes ad Achajam usque procurrentes.* Jam vero regiones illæ ad Illyricum late dictum pertinent, ut constat ex Sexto Rufo Festo, qui in Breviario rerum gestarum populi Romani omnes Illyrici provincias ita enumerat: *Habet Illyricus decem & septem provincias, Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Suaviam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciarum duas; & in diœcesi Macedoniæ provinciæ sunt septem, Macedonia, Thessalia, Achaja, Epiri duæ, Prævalis, Creta.* Hinc sequitur, S. Andream præsertim prædicasse in Illyrico Orientali, cujus provincias & urbes Carolus a sancto Paulo in Geographia sacra a pag. 184. distincte recenset. Propterea tamen non nego, in Illyrico aliisque multis regionibus prædicasse S. Paulum, qui *effusus est super faciem universæ terræ*, ut S. Hieronymus de illo affirmat. Jam ad alia R. P. Michaelis effugia examinanda revertamur,

111 Cum adversarius satis videret, se violentis suis explicationibus nihil proficere, ac honorifice elabi non posse, aliam evadendi viam excogitavit. Quare tandem genuinum testimonii Hieronymiani sensum admittit, & nihilominus ibidem Hispanicam *S. Jacobi* prædicationem sic negare pergit: *Nam dato, inquit, & non concesso, quod Hieronymus voluerit per li* ALIUS IN ILLYRICO, ALIUS IN HISPANIA *diversos Apostolos indicare, non sequitur illum* ALIUM, *qui prædicavit in Hispania, fuisse Jacobum Zebedæi: cum enim de quolibet Apostolo vere dici possit* ALIUS APOSTOLUS, *nulla est major ratio, cur illud* ALIUS *potius determinetur ad Jacobum, quam ad alium Apostolum, verbi gratia Mathiam, nam & hic alius Apostolus est.* Tunc post futiles quasdam ratiunculas ac falsas hypotheses, quas hic refellere piget, ex his sic concludit: *Unde ex Hieronymi auctoritate, cui adversarii maxime fidunt, etiam intellecta, ut ipsi volunt, solum sequitur, Jacobum in Hispaniam* (melius dixisset *in Hispania*) *numquam prædicasse.*

112 Henschenius noster die xxiv. Februarii Acta S. Mathiæ collegit, & in Commentario prævio §. 2. varias de prædicatione ejus opiniones retulit: nam Isidorus & Freculphus Judæam, Nicetas Paphlago aliique Græci Æthiopiam, denique nonnulli Pontum Euxinum & Macedoniam apostolicis ipsius laboribus assignant. Sed hactenus nemini in mentem venit, nisi soli R. P. Michaeli, Hispaniam prædicationi S. Mathiæ attribuere. Quo igitur fundamento adversarius hanc Hispanicam S. Mathiæ prædicationem viris eruditis obtrudere ausus est, cum nullus veterum aut recentiorum illam somniaverit? Interim ipsemet fatetur, opinionem de Hispanica *S. Jacobi* prædicatione apud incolas & exteros post seculum nonum invaluisse. Qua ergo confidentia hic asserit, non esse majorem rationem, cur in testimonio Hieronymiano vox illa *alius* ad Jacobum, quam ad Mathiam referatur? Si S. Paulo in prædicatione Hispanica alium Apostolum, a Jacobo distinctum, juxta mentem S. Hieronymi superaddere volebat, saltem minus improbabiliter assignasset S. Petrum, qui etiam erat *alius Apostolus*, & cujus profectionem in Hispaniam Metaphrastes & Gelesinius affirmant, ut apud Gasparem Sanctium Tractatu iv. de prædicatione sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Hispania cap. 2. videre est.

113 Sed quia R. P. Michael prævidebat, sese Hispanicam S. Petri prædicationem (multo minus ea sancto Mathiæ tribui potest) non facile criticis persuasurum esse, verosimiliter ab illa commemoranda abstinuit, & statim ad priorem suam opinionem stabiliendam relabitur. Unde ibidem rursus contendit, solum S. Paulum ex Apostolis in Hispania prædicasse, & defensoribus Jacobeæ prædicationis insultat hoc modo: *Ceterum adversarii quidam non timeant, se a recte sentientibus judicandos esse contentiosissimos, dicunt, ut a fide dignis audivi, Hieronymum cum dixit, Spiritum sanctum Apostolis sortes seu provincias ad prædicandum divisisse, minime comprehendere Paulum voluisse, quia huic non aliqua determinata regio sortita obtigit: sed doctor gentium cum esset, effusus est super faciem universæ terræ: Hieronymus autem loquitur* (inquiunt) *de assignatione determinatarum provinciarum, quæ singulæ singulis Apostolis datæ sunt:*

ergo illud ALIUS IN HISPANIA *de Paulo intelligi nequit*. Tunc primo nobis applicat verba S. Augustini, quæ sanctus Doctor lib. 2. contra Gaudentium cap. 5. sic pronunciat: *Puta, quod non in carne, sed in ipsa mente cæcantur; qui contendunt latere, quod cernitur*. Deinde instituit ratiocinium, quod non magis rem conficit, quam mox recitata S. Augustini sententia, & quod partim ex supradictis refelli, partim rotunde negari potest.

114 Si in *ipsa mente cæcantur* illi, qui determinatam sortem S. Paulo non attribuunt, haud dubie cæci fuerunt S. Isidorus, S. Beatus, & Freculphus, qui posterior phrasin præcedentium imitatus, post enumeratas singulorum Apostolorum sortes tomulo 2. Chronicorum lib. 2. cap. 4. ita diserte concludit. *Paulo autem cum ceteris Apostolis nulla sors propria traditur, quia in omnibus gentibus magister & prædicator eligitur*. Propter hæc clara trium veterum scriptorum testimonia suspicor, clausulam S. Juliani antistitis, quam adversarius in Voce veritatis pag. 107. secutus exemplum Natalis Alexandri nobis pro carmine Leonino frustra obtrudit, ut in Actis *S. Jacobi* part. 2. § 8. n num. 393. ostendi, post assignatas Apostolis suas provincias sic emendatius legendam esse: *Quisque sua sorte Christum sparsit; sine sorte vera per Paulum tote dispergitur orbe*.

115 Quidquid sit de hac mea corrigendæ lectionis suspicione, quam eruditis codicum Mss. investigatoribus examinandam dumtaxat propono, ex multis sanctorum Patrum locutionibus colligo, ipsos nullam propriam prædicationis sortem S. Paulo tribuisse: nam S. Gregorius Magnus Papa Romanus hom. 17. in Evangelia depingens extremum judicium, in quo Apostoli cum populis a se conversis comparebunt, inter alios de prædicatione S. Pauli sic loquitur: *Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit; ibi Paulus conversum, ut ita dicam, mundum ducens; ibi Andreas post se Achajam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectu sui Judicis conversam ducet*. Hinc antiquus scriptor, quem Villalpandus noster sub nomine S. Remigii Rhemensis edidit, in caput 1. epistolæ ad Romanos de S. Paulo ita scribit: *Cum reliqui Apostoli singulis in locis prædicassent, verbi gratia Andreas Achajam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, ille omnibus gentibus & omnibus regnis prædicator extitit*. Hinc etiam Apostolus ille a Chrysostomo passim *magister* aut *prædicator orbis* appellatur. Denique ex variis S. Hieronymi phrasibus similia deduci possunt.

116 Quod si forte quis ex sectatoribus R. P. Michaelis respondeat, Patres illos hic hyperbole usos esse, saltem id nemo asserere poterit de Actibus Apostolorum, epistolis Pauli, aliisque antiquis scriptoribus, quando historice narrant, S. Paulum in Cypro, Pamphilia, Pisidia, Lycaonia, Syria, Arabia, Galatia, Phrygia, Macedonia, Asia, Græcia, Achaja, Illyrico, Italia & Hispania Christianam doctrinam promulgasse. Jam ab adversariis discere cupio, an S. Paulus omnes illas regiones pro sorte sua acceperit. Si affirmant, quænam igitur fuit sors Petri, Andreæ, Joannis, & Philippi, quibus variæ ex illis provinciis obtigerunt? Si cum adversario dicant, Hispaniam fuisse sortem S. Pauli; cur id potius de Hispania, quam de aliis provinciis jam enumeratis asserunt? Quapropter rotunde illam adversariorum assertionem negabimus, cum nullus ex sanctis Patribus Hispaniam S. Paulo pro sorte assignet, quamvis plures ex iis tradant, ipsum in Hispania prædicasse. Quod si ex Hispanica S. Pauli prædicatione inferant, sortito illam provinciam ei obtigisse, idem dici poterit de omnibus supradictis regionibus, in quibus S. Paulus Christum annuntiavit, atque ita mox proposita difficultas recurrit.

117 His responsionibus præcluditur effugium R. P. Michaelis, qui loco proxime citato vim argumenti nostri frustra eludere nititur his verbis: *Quod vero Apostolus* (nempe Paulus, de quo hic sermo est) *etiam in aliis pluribus regionibus prædicaverit, hinc solum sequitur, sortem Paulo datam fuisse latiorem seu ampliorem, quam sortes singulis aliis Apostolis datæ; at Hispaniam Paulo sorte datam constat ex unanimi consensu sanctorum Patrum* (adversarius hic prodit temerariam confidentiam, cum nullus sanctorum Patrum de Paulina illa sorte meminerit;) *ex quo potius sequitur, Hispaniam non Jacobo, sed Paulo sortita obtigisse: nam Hieronymus non eamdem easdemque provincias duplici Apostolo divisas asserit, sed aliam vel alias huic, aliam aliis*.

118 At R. P. Michael hic in fine nobis imprudenter suppeditat arma, quibus ipsemet vulneretur: si enim S. Hieronymus in hoc testimonio non *eamdem easdemve provincias duplici Apostolo divisas asserit, sed aliam vel alias huic, aliam aliis*, quomodo adversarius in Voce veritatis pag. 247. potuit S. Paulo Græciam, Illyricum, & Hispaniam pro sorte propria assignare, cum illæ regiones etiam aliis Apostolis sortito obtigerint, ut sancti Patres ac antiqui scriptores testantur? Si hoc loco *Hieronymus non eamdem easdemve provincias duplici Apostolo divisas asserit*, quomodo idem sanctus Doctor supra num. 104. laudatus S. Bartholomæo & S. Thomæ Indiæ prædicationem adscribit? Denique ex hac adversarii clausula sequitur, ut Hieronymus totam illam Apostolorum divisionem restrinxerit ad duos Apostolos, quorum unus ad Indiam, alter ad Græciam, Illyricum, & Hispaniam perrexit. Quis autem hanc consequentiam admittet, si attente textum Hieronymi expenderit? Ex his concludo, sanctum Doctorem hic dumtaxat generaliter egisse de præcipuis ac vastis regionibus, quæ Apostolis distributæ sunt, sive in iis unus sive plures Apostoli Evangelium prædicaverint.

119 Nunc superest, ut R. P. Michaelem urgeamus altero S. Hieronymi testimonio, cujus fundamentum habemus in Evangelio Matthæi, qui cap. 4. ℣. 18. & sequentibus de vocatione quorumdam Apostolorum ita scribit: *Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ* (hoc apud Lucam cap. 5. ℣. 1. *stagnum Genesareth*, & apud Joannem cap. 6. ℣. 1. *mare Tiberiadis* appellatur) *vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocavit eos. Illi autem statim, relictis retibus & patre, secuti sunt eum*. Marcus

cap.

cap. 1. ℣. 16. & sequentibus similia eodem fere modo narrat.

120 Evidenter ad hæc Evangelistarum verba allusit S. Hieronymus, dum in Commentariis ad caput 42. Isajæ, tomo 3. editionis supradictæ col. 319. sic scripsit: *Apostolos enim videns Jesus in littore juxta mare Genezareth reficientes retia sua, vocavit & misit in magnum mare, ut de piscatoribus piscium faceret hominum piscatores, qui de Jerusalem usque ad Illyricum & Hispanias Evangelium prædicarunt, capientes in brevi tempore ipsam quoque Romanæ urbis potentiam.* Cum Apostoli illi, quos Christus vocavit *reficientes retia sua*, fuerint *S. Jacobus* & S. Joannes, inde in Actis Jacobeis part. 2. §. 5. cum eminentissimo Aguirrio intuli, unum ex his duobus Apostolis judicio S. Hieronymi in Hispania prædicasse, ac tandem *S. Jacobo* Hispanicam prædicationem probabilissime adscripsi, quia illam nemo S. Joanni assignaverit.

121 Constrictus hoc argumento R. P. Michael nodum istum solvere aut scindere conatur tali responsione: *Si discursus hic aliquid valet, sequitur, quod, sicut adversarii ex hoc Hieronymi loco inferunt, prædicasse Jacobum in Hispania, ita inferre debuisse* (lege *debuerint* vel *debuissent*, ut syntaxis exigit) *Joannem prædicasse de Hierusalem usque ad Illyricum; sed hæc Joannis prædicatio falso ex Hieronymo inferretur: ergo & illa Jacobi. Patet, quia auctores isti volunt, illud* QUI DE HIERUSALEM USQUE *&c. referre ac significare prædicationem filiorum Zebedæi; ergo si Hispania ab istis Jacobo assignatur, pars altera, nempe* DE HIERUSALEM USQUE AD ILLYRICUM *Joanni debuit assignari, quod tamen falsissimum est. Igitur doctor eloquentissimus, ut sæpe alias solet, per synecdochen hic locutus (est,) sumens partem pro toto, id est dicens de Jacobo & Joanne, quod de aliis tantum Apostolis verum habet.*

122 At unde adversarius tam certo noverat, consectarium illud de Illyrica S. Joannis prædicatione, quod ex proxime citatis S. Hieronymi verbis deduci potest, *falsissimum* esse, ut supra confidenter affirmat? Prius solidis rationibus probandum erat, quod S. Joannes *de Hierusalem usque ad Illyricum* prædicare non potuerit: nam falsitas hujus prædicationis non recte eruitur ex solo aliorum scriptorum silentio, cum saltem juxta testimonia veterum auctorum Apostolus ille ab urbe Hierosolymitana semel atque iterum usque ad civitatem Ephesinam pervenerit, & pleraque ipsius expeditiones apostolicas ignoremus, ut apud Tillemontium in Actis S. Joannis tomo 1. Monument. ecclesi. pag. 335. & sequentibus videre est. Nec refert, quod S. Paulus quoque *ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum* doctrinam evangelicam annuntiaverit, quia Paulus etiam Ephesi in Asia minore, & in Achaja, aliisque regionibus eamdem docuit, ubi tamen postea S. Joannes, S. Andreas, & alii Apostoli Christum prædicarunt.

123 Quandoquidem S. Joannes ad Parthos aliasque remotas gentes discessit, ut in Actis Jacobeis part. 2. §. 5. num. 355. retuli, certe nullo modo est improbabile, illum Epheso ad viciniores Illyrici provincias aliquando navigasse. Huic opinioni aliquod fundamentum præbet Eusebius in editione Valesiana lib. 3. cap. 23. ubi ex Clemente Alexandrino recitat sequentia: *Cum post obitum tyranni ex insula Patmo Ephesum rediisset Joannes, ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut episcopos constitueret, partim ut ecclesias integras disponeret ac formaret, partim etiam ut homines, sibi a divino Spiritu indicatos, in clerum quemdam seu sortem Domini seponeret.* Propter has congruentias & supradictum S. Hieronymi testimonium nobis fit verosimile, S. Joannem inter alias apostolicas excursiones, quas haud dubie tempore diuturnioris suæ vitæ sæpius fecit, nonnumquam ad Illyricum excurrisse. Nimis ergo temere adversarius asseruit, Illyricam S. Joannis prædicationem ex hoc posteriori S. Hieronymi testimonio falsissime inferri.

124 In hac sententia non est recurrendum ad synecdochen: nihilominus R. P. Michaeli gratis ac liberaliter demus, S. Hieronymum synecdoche usum fuisse. At numquam audivi, quod illa rhetorica figura possit excedere inviolabiles veritatis terminos, aut sese extendere ultra limites, quos expressæ rerum circumstantiæ ei præfigunt. Quare notari velim, S. Hieronymum hic agere de illis Apostolis, quos Christus *de piscatoribus piscium* fecit *hominum piscatores*, & quos juxta stagnum seu *mare Genesareth* retibus suis occupatos invenit. Atqui ex Evangelio Matthæi & Marci scimus, Petrum, Andream, Jacobum & Joannem hos piscatores fuisse. Ergo S. Hieronymus id nullo modo intellexit de Paulo, qui nec piscator fuit, nec ita ad apostolatum vocatus est.

125 Itaque expressio S. Hieronymi, quæ adjunctis verbis *reficientes retia sua* ad Jacobum & Joannem restringi videtur, tantummodo per synecdochen extendi potest ad quatuor illos piscatores, quod facile concedemus: nam in ea hypothesi satis commode intelligimus, quomodo quatuor isti Apostoli Evangelium prædicaverint *de Jerusalem usque ad Illyricum & Hispanias; capientes in brevi tempore ipsam quoque Romanæ urbis potentiam*: cum Andreas in Illyrico, & Jacobus in Hispania doctrinam Christi annuntiaverint. Petrus vero Romæ docuit, & nil solicitus de magna imperatoris potestate, multos ex primoribus Romanis ad fidem Christianam convertit, atque ita quodammodo cepit *in brevi tempore ipsam quoque Romanæ urbis potentiam*, quæ etiam juxta priorem nostram sententiam mystico quodam sensu capta est a Joanne, ut in Actis *S. Jacobi* part. 2. §. 5. num. 354. explicui. Libenter diutius cum hoc illustri adversario digladiarer; sed jam me alio vocant Cælites mensis Augusti, quibus potius, quam genio meo, obtemperandum est. Quapropter R. P. Emmanueli Cajetano de Sousa & Hispanis ulteriores *S. Jacobi* vindicias relinquo.

A P O-

A P O L O G I A

P R O

HAGIOGRAPHIS

A N T V E R P I E N S I B U S

SOCIETATIS JESU

Adversus tres epistolas, quibus anonymus quidam Commentarium prævium ad Acta S. Dominici impugnavit.

AUCTORE

GERMANO QUODAM ROMANO-CATHOLICO.

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

NOn ita pridem ad manus meas pervenerunt aliquot pagellæ, in Italia furtim impressæ (nonnulli suspicantur, eas typis Bononiensibus excusas esse) quæ clanculum Romæ ad coonflandam hagiographis Antverpiensibus invidiam spargi dicuntur. Quamvis hæ mordaces auctoris anonymi paginæ potius nomen satyræ, quam epistolæ mereantur, tamen eas appello epistolas, eo quod primus editor Italus illis præfixerit hunc epistolarem titulum: *Viris pacificis Antverpiensibus editoribus Actorum Sanctorum salutem.*

Postea vidi easdem epistolas, typis Belgicis vel Germanicis iterum occulte impressas sub hoc mendaci titulo: *Apologia adversus Bollandistas Antverpienses, qui nuper in editione Actorum Sanctorum nobilitatem sanguinis sancto Patri Dominico, Ordinis Prædicatorum fundatori denegarunt.* Titulum illum voco mendacem, quia nullus ex Bollandistis nobilitatem sanguinis sancto Dominico denegavit; sed unus ex illis propter penuriam veterum monumentorum & mirabile coævorum subæqualiumque auctorum silentium, dubitavit de veritate istius nobilitatis, ut in decursu hujus opusculi evidenter patebit.

Ceterum huic secundæ trium epistolarum editioni insuitur absurda alterius anonymi *Apostrophe ad Bollandistas Antverpienses* cum arbitraria quadam S. Dominici genealogia, quæ nullis antiquis testimoniis probatur, ut forsan alio tempore ostendam, ubi plus otii nactus fuero. Hic interim tantummodo tres priores editoris Itali epistolas refellam, ut quisque ex hoc levi specimine intelligat, mihi ad alia convitia refutanda non materiam, sed tempus deesse.

Porro vehementer miratus sum, tum in his epistolis, tum in recusa Apologia, accusari omnes Bollandistas, cum tantum unus ex illis Acta S. Dominici examinaverit; nimirum amicus meus Guilielmus Cuperus, quemadmodum colligo ex initialibus nominis & cognominis ejus litteris, quæ antiquo hagiographorum Antverpiensium more in margine Commentarii prævis ponuntur. Si quid igitur in eo Commentario perperam scriptum est, culpa soli Cupero imputanda erat. Alioqui adversarius eodem jure potuisset, accusare censorem ordinarium & Præpositum provincialem Jesuitarum in Provincia Flandro-Belgica, eo quod hunc tomum primum Augusti typis vulgari permiserint. Sed his aliisque similium librorum approbatoribus, ut eruditi norunt, non sunt discutienda singula documenta, quæ Cuperus consuluit, & propterea censores illi solummodo judicare solent, nihil fidei & bonis moribus, aut veritati historicæ evidenter contrarium in hujusmodi lucubrationibus contineri. Cur ergo innocui decessores & sodales hujus hagiographi in istis epistolis tam acerbe tractantur?

Cum legissem satyrica illa scriptoris anonymi folia, cœpi attentius pervolvere accusatam Cuperi lucubrationem, in qua ipse illustria S. Dominici Acta ex antiquis codicibus operose collegit, & more majorum ac collegarum suorum vera Sancti gesta a falsis (hæc imprudentes quidam confinxerant vel incaute adoptarant) & certa ab ambiguis distinxit. Nihil autem in toto illius Commentario inveni, quod PP. Prædicatores aliosque veritatis amantes jure merito posset offendere. Attamen Cuperus una cum sociis injuste accusatur, acsi non tantum sacro Prædicatorum Ordini, sed etiam ipsi Sancto ejusdem Ordinis Fundatori maximam injuriam intulisset.

Primo mirabar diuturnum Bollandistarum silentium, & ferme indignabundus illos insimulabam negligentiæ, eo quod nihil responderent insulso homini, cujus ineptas ratiunculas facili negotio poterant refutare. Sed postea didici,

Bol-

Bollandistas nolle utiliorem suum laborem propter tales nugas interrumpere, & ab ipsis ignotos hujusmodi scribillatores contemni. Quinimo eruditus quidam senex mihi dixit, eos hac in re prudenter imitari exemplum decessoris sui Papebrochii, qui pluribus satyris & famosis libellis nihil reposuit, donec tandem coactus fuit conscribere Responsiones adversus R. P. Sebastianum a sancto Paulo, qui sub vero Ordinis sui nomine & officio Papebrochium nominatim ad apologiam aut palinodiam provocaverat. Forsan Bollandistæ etiam opiniones suas defendent aut retractabunt, si quis ex Ordine Prædicatorum aperta fronte prodeat, & Commentarios prævios ad Acta S. Dominici & S. Ignatii de Loyola solidis rationibus impugnet.

Interim ego moleste tuli, viros laboriosos & de Ecclesia bene meritos falso argui de irreverentia contra Sedem Apostolicam, eosque ab inepto accusatore tam indignis modis infamari. Cum itaque scriptoribus etiam innoxiis (dum præsertim calumniatores suos non redarguunt) plerumque aliquid infamiæ ex impacta calumnia soleat adhærescere, brevem pro illis apologiam concinnavi, ut adversarius opprobrio suo edoctus desinat eruditos Bollandistas tam contemptim & pueriliter traducere.

Vix scio, quo nomine compellaturus sim obscurum hunc scribillatorem, qui in prima sua epistola nullum, ne fictum quidem, nomen expressit. Primum mihi occurrebant appellationes quædam duriusculæ; sed de mitiori illius nomine cogitare cœpi, quando in secunda ac tertia epistola legeram, quod auctor se ipsum saltem *Christianum Catholicum* nominaret, etiamsi hoc tempore propter illam minus distinctam fidei professionem nondum plane constet, eum Romano-Catholicum esse: nemo enim ignorat, adhuc superesse plures Jansenianos & Quesnellianos, etiam ex Ordinibus Religiosis, qui se Christianos & Catholicos dicunt, dum interea dogmaticas Romanorum Pontificum Constitutiones explodunt, & ad futurum Concilium audacter appellant. Potius itaque adversarius in sequentibus epistolis, quas promittit, nomini Christiano adderet cognomen Romano-Catholici, ut de fide ejus certius judicium ferri possit.

Ego autem publice & sincere me profiteor obedientem Ecclesiæ Romano-Catholicæ filium, & omnes dogmaticas summorum Pontificum Constitutiones (inter has expresse recenseo Constitutionem *Unigenitus Dei Filius*, quam Clemens XI. Papa ad cunctos Christi Fideles direxit) pure & simpliciter admitto. Quandoquidem vero secundum regulam juris tamdiu quis præsumitur bonus, donec probetur malus, libenter quoque supponam, adversarium in hac re mecum sentire, & genuinum ejusdem matris Ecclesiæ filium esse. Quapropter in hac hypothesi illum compellabo benigniori Fratris nomine, quod fortassis etiam professioni ejus convenit. Huic adjiciam cognomen *anonymi*, eo quod reliqua ad ipsum spectantia tantum incerto rumore cognoverim. Poterit ille me iisdem titulis ornare, si animum ad respondendum appulerit: cum enim verum nomen suum non indicaverit, neque ego prodam meum, ut æqualibus armis decertemus, & utrimque sensa nostra liberius exprimamus.

Nemo miretur, plurimos varii generis libros mihi ad manum esse, quandoquidem omni litterarum studio semper ab adolescentia addictus fui, & jam ab annis aliquot facilem aditum ad instructissimas urbis nostræ bibliothecas impetravi benevolentia eorum, ad quos illæ pertinent.

Denique confido, PP. Prædicatores, & hagiographos Antverpienses non ægre laturos, si auctoribus illorum non semper titulos eruditionis aut dignitatis adjunxerim, & hos appellaverim familiari Bollandistarum nomine, quod a primo Operis sui inceptore traxerunt, & quo eos in Gallia passim vocari scio: teste enim S. Hieronymo Lib. 1. adversus Jovinianum, *commissa pugna, vacant nomina dignitatum, & sola fortitudo quæritur*. Hæc sunt præcipua, de quibus lectorem præmonere volui deinceps Fratrem meum anonymum allocuturus.

RESPONSIO

Ad primam anonymi epistolam.

INitio epistolæ tuæ primæ imitaris ridiculum illum auctorem, qui *gemino bellum Trojanum orditur ab ovo* (Horat. lib. de Art. Poet.), quod ineptum historici principium poeta Venusinus ideo explosit: nam tu vindicias S. Dominici exordiris ab obsoletis controversiis, & insultas Harduino ac Germonio, doctis scriptoribus Jesuitis, qui de materia inter te & hagiographum Antverpiensem controversa nusquam meminerunt. Germonius quidem disputavit de veteribus Regum Francorum diplomatibus; sed quid ea, obsecro, ad rem præsentem faciunt? Tentasne forsan Bollandistas ab utili suo labore abducere, & copiis auxiliaribus instructus bellum diplomaticum renovare? Visne, ut Cuperus Commentarium suum prævium ad Acta S. Dominici indefensum relinquat, & tecum de Germonii ac Harduini scriptis disceptet. Falleris, anonyme, si id intendas, aut frustra Bollandistas cupis fallere. Haud dubie cum orbe litterario nosti, quæstionem de genuinis Regum Francorum diplomatibus inter Germonium aliosque illustres scriptores jam dudum agitatam fuisse. Libelli utrimque hac de re editi olim manibus eruditorum terebantur, & adhuc in bibliothecis passim prostant. Quare periti antiquitatis investigatores, qui ab omni partium studio alieni sunt, liberum de hac disceptatione judicium ferant. Nihil mea aut Bollandistarum interest, utra pars causam suam vicerit: tu enim aliam plane impingis dicam hagiographis Antverpiensibus, ut ex mox dicendis apparebit.

Cuperus in Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. IX. quærit, an S. Dominicus ex nobilissima Guzmanorum familia oriundus fuerit, Ibidem ingenue fatetur, neotericos auctores hanc nobilitatem Sancto passim adscribere; sed conqueritur, opinionem illam nullis antiquis & authenticis documentis probari. Ipse autem neque hic neque alibi istum generis splendorem S. Dominico denegavit. Prudentis critici officio functus, solummodo ibi asserit, se apud antiquos scriptores, qui de S. Dominico agunt, & quorum verba ibidem refert, nullam hujus nobilitatis mentionem invenisse. Propterea miratus rarum illud veterum biographorum hac de re silentium, jam a triennio ad PP. Prædica-

dicatores occurrit, & ab iis publice privatimque petiit, ut solida ejusdem nobilitatis argumenta dignarentur subministrare, Ar surdis cecinit, ut fateris.

Hoc itaque auxilio destitutus Cuperus de nobili aut ignobili S. Dominici stirpe nihil certi pronuntiavit. Quinimo ad acuendam PP. Prædicatorum diligentiam in fine citati paragraphi liberaliter adjecit hæc verba: *Quod si quis Guzmanicam S. Dominici nobilitatem antiquis ac genuinis instrumentis probaverit, jam inde omne dubium circa illam deponimus, & tantum omnium veterum biographorum taciturnitatem deinceps tantummodo mirabimur. Quo autem ea testimonia fuerint plura & certiora, eo erunt nobis gratiora; maxime tamen placuissent eadem, si temporius fuissent subministrata, quandoquidem sic instructi, claros S. Dominici natales etiam in hoc commentario intrepide asserere potuissemus.* Quid humanius, quid modestius dici poterat?

Tu interim, Frater anonyme pag. xv. primæ tuæ epistolæ post parerga de Epicureis & Pyrrhoniis, quæ cohærent velut ægri somnia, illum fraudulenter accusas, quasi conatus sit *sanctum Dominicum fortunis omnibus exturbare, ipsius nobilissimum Guzmanorum sanguinem sugere, ne dicam vorare, & in animum deterrimam conditionem deducere.* Hæc tua, verecunda scilicet, est phrasis, quam etiam usurpare posses contra Urbanum VIII. Pontificem, qui fictitiam S. Catharinæ Senensis nobilitatem ex Breviario Romano expungi jussit. An propterea Urbanus Papa sanctam Catharinam Senensem fortunis omnibus exturbavit? An Echardus Dominicanus, veteres auctores secutus, sanctam Catharinam in omnium deterrimam conditionem deduxit, quando in Bibliotheca Prædicatorum tom. 2. pag. 823. de eadem Sancta sic scripsit? *Patrem nimirum habuit sancta Catharina Jacobum de Benincasa dictum, Senensem utique civem, Virum simplicem & sine dolo, Deum timentem, & recedentem a malo, qui parentibus orbatus duxerat Lapam ejusdem cum eo civitatis, nec statu dissimilem. Plebeia scilicet uterque de gente fuit, nec tamen illaudabili popularium genere satus, quique temporalibus pro modo status satis abundaret, uti notat in Vita Sanctæ capite primo Raimundus, tinctoriamque Senis Jacobus exercebat pannis & lanis tingendis occupatus; nade tinctoris audiebat ille nomine. Quod hic annotamus, ne quis ultra modum & veritatem Catharinam, sorte sua contentam, inanibus stemmatum & fictis attollat titulis, aut nimia generis obscuritate deprimat.* Nihilominus hæc S. Catharina olim in Breviario Romano & PP. Prædicatorum legebatur orta *ex Benincasia una cum Burghesia familia ex eodem stipite proveniente*, ut infra videbimus.

Porro quicumque hanc epistolam tuam leget, Frater anonyme, procul dubio opinabitur, a Cupero Guzmanicam S. Dominici nobilitatem confidenter negari ac pernegari. Hoc tamen falsissimum est, ut ipse nosti, si paragraphum nonum Commentarii prævii pacato animo pervolvaris. Cur igitur lectoribus persuadere vis, hunc hagiographum S. Dominico omnem generis claritatem asseveranter abjudicasse? Forsan putasti, falsitatem accusationis tuæ a plerisque non facile detegendam esse, cum Opus de Actis Sanctorum in manibus paucorum versetur, & leves epistolæ tuæ ultro obtrudantur, ac per manus plurium volitent. Sed ne pergas imponere iis, qui vasto illo Opere carent, eumdem paragraphum ex Commentario prævio ad Acta S. Dominici tom. 1. Augusti pag. 384. & sequ. hic recudi jubeo, ut æqui rerum æstimatores intelligant, quam inique amicum meum aggrediaris.

PARAGRAPHUS NONUS.

An Sanctus ex nobilissima Guzmanorum familia oriundus fuerit.

Hieronymus de Villalobos, Lazarus de Puerta Quiñones, Petrus Barrantes Maldonatus, Ambrosius Morales, Prudentius de Sandoval, Petrus Hieronymus de Aponte, aliique genealogi tum Hispani tum exteri consentiunt, stirpem Guzmanorum inter nobilissimas Hispaniæ familias numerandam esse, etiamsi de antiqua illustrissimi istius stemmatis origine disputent, quam aliqui ad Gothos, quidam ad duces Britanniæ Armoricæ referunt, ut apud Jacobum Wilhelmum Imhoffium in Genealogia aliquot illustrium familiarum Hispaniæ pag. 118. & sequentibus videre est. Nullus itaque de insigni & vetusta familiæ Guzmanicæ nobilitate dubitat; sed quæstio pure historica superest, an *S. Dominicus* ex illustri illa stirpe ortum duxerit. Imhoffius, Ludovicum Salazarium de Castro secutus, in tabulis genealogicis Operis proxime citati pag. 103. patrem *S. Dominici* Ferdinandum appellat; at paragrapho præcedente ex constanti veterum MSS. lectione ostendimus, patrem ejus Felicem vocari, & hanc novam Salazarii conjecturam abunde refutavimus.

Ambrosius Morales peculiari dissertatione Hispanica, quam tomo 3. Chronici generalis Hispaniæ subjunxit, consanguinitatem *S. Dominici* cum stirpe Guzmanica variis argumentis vindicare nititur, ubi tamen fol. 332. fatetur, eam suo tempore nondum satis probatam fuisse, & propterea quosdam de illa dubitasse. Hinc passim recentiores auctores, qui de rebus gestis *S. Dominici* agunt, hunc Sanctum eodem nobilitatis titulo exornant, ita ut Malvenda in Annalibus ad annum Christi MCLXX. c. 5. de consanguinitate illa sic confidenter scribat: *Natum Virum Dei splendidissima Guzmanorum familia, auctores omnes & cuncta vetera monumenta testantur.* Sed utinam Malvenda protulisset cuncta vetera ista monumenta, quæ nos hactenus invenire non potuimus! Certe apud biographos nostros, aliosque veteres scriptores nullum nobilissimæ istius consanguinitatis vestigium reperimus, ut ex allegandis eorum textibus jam apparebit.

Beatus Jordanus apud nos num. 4. agens de pueritia *S. Dominici*, hæc tantum habet: *Fuit quidam adolescens, nomine Dominicus, in eadem diœcesi, villa, quæ dicitur Chaleruega, oriundus, quem ab annis puerilibus parentum suorum, specialiter autem cujusdam archipresbyteri, avunculi sui, diligentia nutriebat.* Huic ætate proximus est Bartholomæus Tridentinus, qui synopsim Vitæ sic exorditur: *Dominicus, ... a vico Calegora diœcesis Oxomensis provinciæ Hispaniæ, patre Felice, matre Joanna editus, ante suam præfiguratus est nativitatem.* Constantinus

Urbe-

Urbevetanus apud Echardum tomo 1. Bibl. Prædicat. pag. 25. de natalibus ac parentibus ejusdem Sancti sic breviter agit: *Venerabilis igitur pater, beatus Dominicus, quem tempore mundo pariter occidenti destinandum providentia divina disposuit, ex occiduis partibus Hispaniæ, scilicet villa quadam, quæ dicitur Calaroga Oxomensis diœcesis, patre Felice, matre vero Joanna nomine, secundum carnem duxit originem.* Præterea Gerardus de Fracheto, qui ab aliis biographis omissa *S. Dominici* Acta collegit, de parentibus & fratribus ejus sic obiter meminit: *Non solum parentes habuit honestos & pios, sed & duos germanos fratres, viros valde perfectos* &c. Nullus horum de illustri illa Sancti prosapia verbum facit.

Denique inter veteres biographos Theodoricus de Appoldia inferius num. 11. patrem & matrem Sancti nostri ita indicat: *In Hispaniæ partibus, villa, quæ dicitur Calaroga Oxomensis diœcesis, anno Dominicæ Incarnationis* MCLXX. *fuit vir unus, qui vocabatur Felix, & accepit uxorem nomine Johannam, qui secundum statum seculi satis quidem erant honesti, & ante Deum Christiana pietate devoti* &c. Echardus tomo 1. Bibl. Prædicat. pag. 25. ex hoc Theodorici textu nobilem *S. Dominici* prosapiam elicit, & ibidem ad ea biographi verba sic notat: *Tò* SATIS *juxta grammaticos significat* ABUNDE; *itaque* SATIS HONESTI, *hoc est multum præstantes, maxime illustres honesti, & generis nobilitatem indicat.* Dubito, an hæc interpretatio ab omnibus statim admittenda sit, etiamsi ultro concederem, vocem *satis* apud grammaticos interdum pro *abunde* usurpari: cur enim Theodoricus satis honestos *S. Dominici* parentes non appellasset nobiles, aut genere illustres, ut biographi nobilium Sanctorum facere consueverunt? Præterea Echardum rogamus, ut hanc explicationem suam conciliet cum verbis ejusdem Theodorici, qui numero precedente eximias *S. Dominici* virtutes laudans inter alia de eo sic scripserat: *In hac peregrinatione admirabilis refulsit in gratia, naturalisque nativitatis ortu* HUMILITER *fulsit ex Hispania.* Quid hic sibi vult adverbium *humiliter*, si parentes *satis honesti* pro maxime illustribus accipiendi sint, & iste loquendi modus nobilitatem stirpis indicet, ut Echardus contendit?

At illa Echardi expositio saltem tolerabilior est, quam interpolatio Fratris Thomæ de Trugillo, qui in Actis Appoldianis satis honestos *S. Dominici* parentes tacite sola sua auctoritate in illustrissimos commutavit, & tomo 2. Thesauri concionatorum col. 1411. Vitam ejusdem Sancti ipsis fere Theodorici verbis ita narrare incipit: *Præsidente in cathedra sancti Petri magno patre domino Alexandro tertio, & Frederico primo imperante, in Hispaniæ oppido Callaroga Oxomensis diœcesis, anno Domini* MCLXX. *fuit quidam vir, Felix nomine, qui sibi matrimonio junxit uxorem Joannam; erant autem hi tum secundum seculi conditionem* ILLUSTRISSIMI, *tum erga Deum Christiana pietate devoti* &c. Nescio, qua fide F. Thomas de Trugillo hisce Actis ibidem præfixerit titulum sequentem: *Vita beatissimi patris Dominici, Ordinis Prædicatorum primi institutoris, auctore Fratre Theodorico de Appoldia Dominicano.* Quis, hisce lectis, non crederet, parentes *S. Dominici* ab ipso Theodorico de Appoldia *illustrissimos* vocari, cum tamen hic auctor eos tantum *satis honestos* appellet; imo superius afferat, eumdem Sanctum naturalis nativitatis ortu *humiliter* ex Hispania fulsisse? Hic igitur majorem fidelitatem in Trugillo desiderare cogimur. Iam videamus, utrum alii historici, aut etiam recentiores Actorum collectores, nobilitatem illam clarius expresserint.

Lucas Tudensis, *S. Dominico* synchronus, tomo 4. Hispaniæ illustratæ pag. 2. inter alios patriæ suæ martyres & confessores Sanctum nostrum recenset; sed de nobilitate ipsius altum silet. Bernardus Guidonis in Libello de Magistris Ordinis Prædicatorum apud Edmundum Martene tomo 6. col. 397. de loco natali aliisque dotibus sancti sui Fundatoris hæc tradit: *Primus ac præcipuus dominus & Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum fuit beatus Dominicus, natione Hispanus, de villa, quæ dicitur Calaroga, diœcesis Oxomensis, vir scientia Dei plenus, vita sincerus, religione conspicuus; qui fuit primo Canonicus Regularis ac Supprior regulatus & regulans in ecclesia Oxomensi provinciæ Toletanæ, qui supprioratus habebat in eadem ecclesia personatum.* Nicolaus Trivettus, chronographus Dominicanus, in Spicilegio Dacheriano novissimæ editionis tom. 3. pag. 180. de natalibus ejusdem Sancti tradit sequentia: *His temporibus in Hispania claruit vir Dei Dominicus, sanctitate & religione insignis, qui in villa, quæ Calaroga dicitur, ex piis natus parentibus, & religiose nutritus, cœpit esse puer ingeniosus, utpote qui sortitus est animam bonam.* Hæc ille verosimiliter transcripsit ex venerabili Humberto, qui eadem phrasi utitur.

Petrus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib. 7. cap. 22. patriam & parentes *S. Dominici* exprimit his verbis: *Dominicus Ordinis Prædicatorum dux & fundator inclytus ex Hispaniæ partibus villa, quæ dicitur Calaroga Exomensis diœcesis, patre Felice, matre Joanna originem duxit.* Denique ut Vincentium Bellovacensem, Jacobum de Voragine, Mombritium, similesque Actorum collectores omittam, sanctus Antoninus tomo 3. Chronici tit. 23. cap. 4. circa eamdem rem sic scribit: *Beatus Dominicus Prædicatorum dux & pater inclytus, qui appropinquante mundi termino quasi novum sidus emicuit, ex Hispaniæ partibus villa, quæ dicitur Callaroga, Oxoniensis diœcesis oriundus fuit, præsidente Romæ Alexandro tertio, imperante autem Friderico primo, anno scilicet Dominicæ Incarnationis* MCLXX. *cujus pater vocatus est Felix, mater Joanna: honesti siquidem parentes & Deo devoti habuerunt filios tres, qui litteris instructi gradum sacerdotii conscenderunt. Unus eorum se dedit hospitalitati in hospitali deserviens, & magnis virtutibus clarus, dicitur post mortem miraculis claruisse; secundus dictus est Mannes contemplationi deditus, & Frater Ordinis effectus; tertius fuit beatus Dominicus.* Dein ibidem repetit, Sanctum nostrum natum esse *ex piis parentibus*, & supradictam venerabilis Humberti aliorumque phrasim imitatur. Sane miramur, neminem ex his omnibus scriptoribus de tam illustri *S. Dominici* nobilitate expressam mentionem fecisse. Hinc etiam patet, Malvendam non parum hyperbolice locutum esse, dum loco supra citato dixit, quod nativitatem ejusdem Sancti ex *splendidissima Guzmanorum familia auctores omnes, & cuncta vetera monumenta* testentur.

Ipsa Breviaria Romana, medio seculo decimo sexto antiquiora, de hac splendidissima *S.* *Domi-*

Dominici consanguinitate silent: nam, ut vetustiora prætermittam, in Breviario Romano, quod anno 1556. Parisiis excusum est, præteribitur sequens Lectio: *Dominicus natione Hispanus, vir sanctitate & doctrina clarus, Ordinis Prædicatorum auctor, Calagura* (in editione Coloniensi anni 1536. melius *Calaroga* legitur) *Oxomensis diœcesis oppido, natus est patre Felice matre vero Joanna; quæ facta gravida in somnis visa sibi est utero se gestare catulum cum facula ori inserta, qua egressus ex utero totum mundum incenderet.* Quinimo ipsi PP. Prædicatores ante medium seculi decimi sexti non videntur illustrem illam sancti Fundatoris sui nobilitatem Officio ecclesiastico inseruisse: nam in Breviario Ordinis sui, quod Parisiis anno 1549. impressum est, in lectionibus primi nocturni tantum de natalibus ejus cantabant sequentia: *Beatus Dominicus, Prædicatorum dux & pater inclytus, qui appropinquante mundi termino quasi novum sidus emicuit, ex Hispaniæ partibus villa, quæ dicitur Calaroga Oxomensis diœcesis oriundus fuit .... Pater ejus Fœlix, mater vero Joanna nuncupata est, quæ antequam ipsum conciperet, vidit in somnis, se gestare catulum accensam ore faculam bajulantem, qui egressus ex utero totum mundum incendere videbatur.*

Non ignoro, illam *S. Dominici* cum stirpe Guzmanica consanguinitatem post aliquot annos Lectionibus insertam esse: siquidem in Breviario Prædicatorum, quod in eadem urbe Parisiensi post sex annos, sive anno Christi 1555. iterum typis excusum est, Lectio quarta sic recitatur: *Beatus Dominicus, Prædicatorum Ordinis dux & pater inclytus, in Hispaniæ partibus ex nobilissima Gusmannorum prosapia ortus, quasi novum sidus mundo emicuit. Hic matri suæ carnali, adhuc eum in utero gestanti, præmonstratus est in figura catuli, accensam in ore faculam bajulantis &c.* Hinc forte opinio illa postmodum transiit in Breviarium Romanum, quod jussu S. Pii V. typis Plantinianis Antverpiæ an. 1569. editum est: & in quo legimus sequentia: *Dominicus Calarogæ in Hispania ex nobili Gusmanorum familia natus, Palentiæ liberalibus disciplinis & theologiæ operam dedit: quo in studio cum plurimum profecisset, prius Oxomensis ecclesiæ canonicus Regularis, deinde Ordinis Fratrum Prædicatorum auctor fuit. Hujus mater gravida sibi visa est in quiete continere in alvo catulum, ore præferentem facem, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet.* Eadem hodiedum in Breviario Romano recitamus.

Nemo mihi hic dicat, istam Breviariorum auctoritatem sufficere, ut de illustribus *S. Dominici* natalibus non dubitetur: simile enim hujus rei exemplum habemus in sancta Catharina Senensi, de cujus stirpe in antiquis Actis & lectionibus tantum narrabantur sequentia: *Beata Catharina de Senis patrem Jacobum, matrem vero Lapam nomine, in civitate Senensi virtute fideque probatos habuit.* In Breviariis Prædicatorum, quæ circa medium seculi decimi sexti prodierunt, eadem Sancta *honesto genere orta* dicebatur. Postmodum credebatur nata *ex Benincasia una cum Burghesia familia, ex eodem stipite proveniente*, quemadmodum in Breviario Romano usque ad annum 1641. legimus. At eo anno hæc splendida Sanctæ consanguinitas examinata, & ex Breviario Romano legitime expuncta est, postquam ipsa nobilissima Burghesiorum familia sese huic lectioni opposuisset, ut apud nos tomo III. Aprilis pag. 978. fusius licet videre.

Unde Echardus tomo 1. Bibl. Prædicat. pag. 833. de natalibus ejusdem sanctæ Virginis hæc tamquam certa statuit: *Patrem nimirum*, inquit, *habuit sancta Catharina Jacobum de Benincasa dictum, Senensem utique civem, virum simplicem & sine dolo, Deum timentem & recedentem a malo; qui parentibus orbatus, duxerat Lapam ejusdem cum eo civitatis, nec statu dissimilem. Plebeia scilicet uterque de gente fuit, nec tamen illaudabili popularium genere sati, quique temporalibus pro modo status satis abundarent, uti notat in Vita Sanctæ capite primo Raimundus, tinctoriamque Senis Jacobus exercebat, pannis & lanis tingendis occupatus; unde tinctoris audiebat illo nomine. Quod hic annotamus, ne quis ultra modum & veritatem, Catharinam forte sua contentam, inanibus stemmatum & fictis attollat titulis, aut nimia generis obscuritate deprimat: tam enim injurius in Sanctos, qui falsam eis affingit generis claritatem, & qui nativam eorum obscurare nititur aut præripere; illud quidem vani ostentatique hominis est, hoc lividi; quod utrumque fugiendum & pudendum.* Deinde huic recentiori opinioni, propter quam prætensa S. Catharinæ nobilitas postea Breviariis quibusdam inserta fuerat, opponit silentium veterum, ac ibidem ita concludit: *Quare mirum satis, qua typorum an alterum temeritate vel levitate in Romani Prædicatorumque Breviarii lectionibus immutatum & affictum de Benincasia Burghesiaque nobilitate & affinitate, quod Urbani VIII. decreto, die XXVIII. Septembris MDCXLI. Romæ, sanctæ fidei promotore interveniente, in congregatione sacrorum rituum Cardinali Cajetano referente, dato, deleri merito jubetur, eque nova Breviarii editione hæc abradi in lectionibus temere adducta sequentia verba:* Ex Benincasia una cum Burghesia familia ex eodem stipite provenients. *Quæ scilicet in editionibus Breviarii præcedentibus ad annum usque MDCXXX. aut circiter, haud inveniebantur.*

Laudatus Echardus, pagina sequenti tomi proxime citati asserit, in examinandis Sanctorum Actis non nisi per accidens & secundario discuti nobilitatem generis, eamque obiter comprobari, dum processus Canonizationis instituitur, vel Officium in festivitate alicujus Sancti recitandum admittitur. Scriptor ibidem hanc assertionem suam probare nititur exemplo S. Francisci nostri, qui communiter de Borja cognominari solet, & cujus progenitores asserit oriundos esse, *non ex antiquis Aragoniæ regno primævæ nobilitatis de Borja nuncupatis, sed ex Dominico quodam Borgia, vili utique homine, tenueque prædium apud Sciabim Aragoniæ habente, qui Borgianum usurpavit sibi nomen.* Tum denique, quasi jam omnibus hanc opinionem suam persuasisset, sic confidenter concludit: *Adeo verum est, in hisce Sanctorum apotheoses vel lectionum & Officiorum approbationis negotiis, ubi nihil aperte reclamat fama, nec communis populorum abhorret sensus, nec ad viri plurimum refert sanctitatem atque commendationem, non nisi leviter ista tractari, fumosasque vel avorum imagines, vel obsitas parum ut attendi membranas.* Hanc Echardi sententiam suo tem-

tempore in Actis nostris examinabimus ad diem x. Octobris, quo annua S. Francisci Borgiæ festivitas celebratur.

Nos interim de nobili aut ignobili *S. Dominici* stirpe non tam audacter pronuntiare audemus: cum enim, teste Echardo, otiosi vanique hominis sit, falsam Sanctis nobilitatem affingere, & lividi, veram iisdem abrogare, utrumque hoc vitium evitare cupientes, nihil certi de genere *S. Dominici* statuimus. Quinimo libenter fatemur, argumentum nostrum maxima ex parte esse negativum, quod nihilominus sæpe vim suam habet, ut plures viri eruditi demonstrarunt. Attamen hoc genus argumenti plane corruit, quando aliunde ex genuinis & antiquis monumentis res aliqua probari potest. Propterea omnem lapidem movimus, ut RR. PP. Prædicatores authentica hujus nobilitatis testimonia nobis communicarent: jam enim a tribus annis & eo amplius publica epistola, quæ Memoriis Trivultianis anno 1719. Gallice inserta est, exactam *S. Dominici* genealogiam expetiimus.

Apud Echardum tomo 1. Bibliot. Prædicat. pag. 25. in notis de patre *S. Dominici* legeram sequentia: *Ex illustri gente Gusmana Felicem ersum accurate probasse dicitur noster Andreas Ferrer Valdecebro in Historia Ordinis idiomate Hispano elegantissime scripta; sed quam morte præventus typis non edidit.* Deinde Echardus tomo 2. ejusdem operis pag. 658. iterum mentionem faciens de Hispanica auctoris illius historia, quæ adhuc Ms. servatur, editionem ejus desideras his verbis: *Hic scriptor inter eos sane recensendus est, qui puriori & elegantiori lingua Hispana scripserunt; & utinam Annales Ordinis, quos post Ferdinandum de Castillo scripserat (nam a Johanne de Lopez scriptos ei saltem ratione styli ferunt non placuisse) typis ederentur, præsertim quæ dicuntur ab eo scripta de genealogia sancti Dominici ex antiqua stirpe Gusmanica.* Cum hæc ab uno alterove anno legissem, idem desiderium me incessit. Sed cum editionis hujus videndæ exigua & remota spes esset, præter alia studia in istum finem collata, statim R. P. Priori Prædicatorum Conventus Antverpiensis hos ipsos Echardi textus assignavi, ut jussu reverendissimi Magistri Generalis totius Ordinis ex his operibus posthumis & anecdotis quædam argumenta pro nobilitate *S. Dominici* impetrarem; at licet laudatus R. P. Prior paginas assignatorum textuum tunc coram me in pugillares suos referret, & sic non parvam petitionis obtinendæ spem faceret, tamen post moram duorum annorum nihil hactenus accepi.

Equidem sciebam, ab Ambrosio de Morales in Dissertatione Hispanica, & Ferdinando de Castillo in Historia Hispanica Prædicatorum citari quædam diplomata ad asserendam Guzmanicam *S. Dominici* stirpem; sed ea vel rem non conficiunt, quam auctores illi intendunt, vel nobis suspecta sunt, quia nec æram nec annum exprimunt; quod tamen in genuinis hujusmodi instrumentis fieri consuevit. Sic Castillus par. 1. laudatæ Historiæ lib. 2. cap. 78. p. 436. recitat diploma Hispanicum, quo Didacus Garcia ex devotione erga *S. Dominicum*, & propter locum natalem, quem cum eodem Sancto communem habebat, monialibus Calarogensibus concedit ea omnia, quæ in Calaroga possidebat. Hoc autem donationis motivum inter alia Hispanice sic exprimit: *Por naturaleza e por devocion especial, que yo è con sancto Domingo de Caleruega, padre e fundador de la Orden de los frayres Predicaderes.* Ambrosius Morales, aliique nonnulli per vocem Hispanicam *naturaleza* intelligunt consanguinitatem, quam Didacus iste Garcia secundum illorum opinionem cum *S. Dominico* habuerit. At ea vox æquivoca est, & æque pro natali alicujus solo, quam pro consanguinitate accipitur, ut Hispanicæ linguæ periti norunt, & Ambrosius Morales fatetur. Ita etiam vox *natureza* apud Lusitanos patriam seu natalem locum significat, ut Augustinus Barbosa in Dictionario Lusitanico-Latino col. 763. testatur. Potuit igitur Didacus iste Garcia ad donationem illam faciendam moveri, eo quod *S. Dominicum* singulari veneratione prosequeretur, & patriam cum eodem Sancto communem haberet.

Hinc etiam Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum 1170. cap. 5. nimis leviter & perfunctorie hanc illustrem *S. Dominici* prosapiam persuadere nititur his verbis: *Vetustæ memoriæ exstare dicuntur, in quibus subscriptio sancti Dominici in hunc modum expressa legitur,* Frater Dominicus de Guzman. At has similesque subscriptiones ex authenticis archivis extractas, notis chronologicis distinctas, & fide dignis testimoniis roboratas exhibere oportuit. Adde, quod in diplomate anni 1203. inveniamus alium Dominicum de Guzman, Priorem cœnobii Vitensis, ut postmodum alia occasione dicetur. Quod si quis Guzmanicam *S. Dominici* nobilitatem antiquis ac genuinis instrumentis probaverit, jam inde omne dubium circa illam deponimus, & raram omnium veterum biographorum taciturnitatem deinceps tantummodo mirabimur. Quo autem ea testimonia fuerint plura & certiora, eo erunt nobis gratiora; maxime tamen placuissent eadem, si tempestive fuissent subministrata, quandoquidem iis instructi, claros *S. Dominici* natales etiam in hoc commentario intrepide asserere potuissemus.

Hactenus paragraphus nonus, ex cujus lectione patet, totum Cuperi crimen consistere in eo, quod vulgari recentium scriptorum opinioni protinus album calculum non adjecerit. At meminisse oportebat, hagiographos Antverpienses in illustrandis Sanctorum Actis maximum honorem deferre venerandæ antiquitati, & non statim cæce populares quaslibet traditiones approbare, ut tanto melius egregia Sanctorum gesta & miracula ab hæreticorum calumniis & ludibriis vindicentur. Tuum itaque erat, Frater anonyme, proferre vetusta & solida nobilitatis istius Guzmanicæ testimonia, qualia Cuperus jam ante quadriennium postulaverat. At forsitan respondebis, te in prima tua epistola id abunde præstitisse, & illustres natales S. Dominici ex stemmate Guzmanico invicte probasse. Audiamus ergo illa omnia, quæ ibi ad hanc rem protulisti.

Imprimis Cupero opponis auctoritatem Gregorii XIII. qui in Bullario Ordinis Prædicatorum tom. 5. pag. 349. Const. 83. refert, S. Dominicum ex nobilissima Guzmanorum familia originem duxisse. Sed quid miri, quod Gregorius XIII. ab ætate S. Dominici trecentis quin-

quaginta annis remotus, in hac re communem sui temporis sententiam secutus sit? Profecto, Frater anonyme, nimis cito oblitus es eorum, quæ Echardus Dominicanus ad talem Pontificum Romanorum auctoritatem superius reposuit. Cum igitur tibi hic memoriam refricare cogar, iterum accipe verba illius scriptoris Dominicani, & ea jam alte animo insculpe: *Adeo verum est*, inquit, *in hisce Sanctorum apotheoseos vel lectionum & officiorum approbationis negotiis, ubi nihil aperte reclamat fama, nec communis populorum abhorret sensus, nec ad viri plurimum refert sanctitatem atque commendationem, non nisi leviter ista tractari, fumosasque vel avorum imagines vel obsitas parum iis attendi membranas*. Ita laudatus Echardus in Bibliotheca Prædicatorum tom. 2. pag. 834. occasione S. Catharinæ Senensis, ubi etiam nobilem S. Francisci Borgiæ stirpem rotunde negas. Attamen in codice canonizationum, quem illustrissimus Justus Fontaninus Romæ nuper edidit, in Bulla (Codex Canonizat. pag. 535.) qua B. Franciscus Borgia in catalogum Sanctorum refertur, & quam Benedictus XIII. Pontifex cum eminentissimis Cardinalibus renovavit, de Sancto illo leguntur sequentia: *Inter præcipuos Hispaniarum dynastas Gandiæ duces, quæ est gens Borgia, numerantur. Eam multiplices dignitates claram & percelebrem reddiderunt; clarior tamen evasit, ex quo magnus Dei servus Franciscus parentibus Johanne Gaudiensium duce III. & Johanna ex Alphonso Ferdinandi regis Catholici filio progenita, in lucem prodiit anno Christi Domini millesimo quingentesimo quinto, v. Kalendas Novembres, quem diem beati Apostoli Simon & Judas martyrio nobilitarunt. Francisci locus natalis fuit Gandia, Borgiæ domus avitum oppidum ad oram Balearici maris in Contestanis, populis Hispaniæ Terraconensis, in diœcesi & regno, quæ a Valentia, principe civitate appellantur*. Audis hic nobilem S. Francisci Borgiæ stirpem assignari, Tamen Echardus loco proxime citato de progenitoribus ejusdem Sancti sic crude pronuntiat; *Non ex antiquis in Aragoniæ regno primævæ nobilitatis de Borja nuncupatis, sed ex Dominico quodam Borgia, vili atque homine, tenueque prædium apud Setabim Aragoniæ habente, qui Borgianum usurpavit sibi nomen, oriundus erat*. Etiamsi Jesuitæ illud audax Echardi judicium, & Bullæ Pontificiæ omnino oppositum, jam diu in publico Ordinis Dominicani Opere legerint, tamen propterea nec Echardum nec ejus sodales ullis anonymis & mordacibus scriptis impugnarunt. Quinimo Cuperus in paragrapho supra recuso, ubi hæc Echardi verba allegaverat, pacate scribit, in Actis Sanctorum illam Echardi opinionem examinandam esse die x. Octobris, quo Acta S. Francisci Borgiæ illustranda occurrent.

Ego interim ex te quæro, Frater anonyme, an sceleris arguas Cuperum, eo quod nihil certi statuerit de stirpe S. Dominici, & utrum ab omni culpa absolvas Echardum, qui clarum S. Francisci Borgiæ genus omnino inficiatur. Si quid in ea re esset piaculi, certe magis videretur deliquisse Echardus, quam Cuperus; hic enim solummodo dubitat de nobili S. Dominici stemmate, & ad illud firmiter stabiliendum exegit antiqua testimonia, inter quæ non censet numerandam Bullam Gregorii XIII. Papæ, qui nobilem S. Dominici nativitatem, tot seculis ab ætate sua remotam, & tempore suo passim creditam, bona fide admisit. Verum Echardus audacter negat nobilitatem S. Francisci Borgiæ, & aperte contradicit Romanis Pontificibus, qui affirmant splendidam S. Francisci Borgiæ prosapiam, quæ temporibus suis vicinior erat, & quam proinde facilius sine morali erroris periculo novisse aut indagare potuerunt. Hic exspecto æquos judices, qui sententiam ferant, utrum Cuperus an Echardus sit irreverentiæ condemnandus.

Porro ut Guzmanicam S. Dominici nobilitatem probes, Frater anonyme pag. v. primæ tuæ epistolæ hagiographos Antverpienses ita alloqueris: *Audite saltem tot illos scriptores, qui rem perspicuam reddunt, & inconcussis argumentis ostendunt. Evolvite libros, quos Nobiliarios vocant: nullus enim, vobis exceptis, a septem circiter seculis ad hanc usque diem, vel majoribus sancti Dominici vel eorum posteris, qui nunc etiam florent, Guzmanici generis nobilitatem denegavit umquam*. Hic falsa obscuris miscuisti, ut jam demonstrabo. Primo postulas, ut Antverpienses hagiographi saltem audiant illos scriptores, qui hanc S. Dominici nobilitatem reddunt perspicuam, & inconcussis argumentis ostendunt. At nihil hic audio præter inania verba & confusas voces. Quinam sunt illi scriptores? suntne antiqui, an recentiores? Si sint antiqui, cur eos non nominasti, aut cur verba eorum non protulisti? Si autem sint recentiores, actum agis: jam enim Cuperus illos consuluerat, & inter alios citat Malvendam, qui in annalibus Prædicatorum ad annum Christi 1170. cap. 5. sic frigide scribit: *Vetustæ memoriæ exstare dicuntur, in quibus subscriptio sancti Dominici in hunc modum expressa legitur*: Frater Dominicus de Guzman. Verum vetustas illas memorias fideliter exhibere vel saltem distincte assignare oportuit, ut Cuperus rogavit. Cum autem Malvenda id non fecerit, severus iste hagiographus Antverpiensis non admittit vagam illius scriptoris Dominicani assertionem, & videtur dubitare de ipso Guzmanico S. Dominici cognomine, quia hoc apud veteres biographos aliosque historicos suppares nusquam huic Sancto Prædicatorum Fundatori adscriptum invenit.

At ego liberalius tecum agere statui, & gratis cum Malvenda supponam, in antiquis quibusdam instrumentis cognomen *de Guzman* S. Dominico adjungi. An inde statim concludes, S. Dominicum certocertius ex illustrissima Guzmanorum familia oriundum esse? Sed Cuperus in Commentario prævio §. ix. n. 152. & §. xi. num. 175. ad Acta S. Dominici jam assignavit alium Dominicum de Guzman, Priorem monasterii Vitensis in Hispania, ex ordine Præmonstratensi, & Petrum de Guzman, ejusdem ordinis Canonicum, qui ambo *æra* MCCXLI. sive anno Christi 1203. inter alios cuidam diplomati subscripserunt. Nunc mihi edissere, Frater anonyme, an illi duo canonici Præmonstratenses etiam ex nobilissimo Guzmanorum stemmate orti fuerint, & in quo consanguinitatis gradu sanctum Dominicum attigerint: nam PP. Dominicani omnem illam Guzmanorum affinitatem & consanguinitatem ita

per-

perſpectam habent, ut in Genealogia Guxmanorum nuper Latine edita Auguſtiſſimum imperatorem Carolum VI. in vigeſimo gradu, & Chriſtianiſſimum Galliæ regem, Ludovicum XV. in vigeſimo ſecundo cognationis gradu propinquos S. Dominici ſtatuerint. Si ex ſolo cognomine *de Guzman* duos iſtos Canonicos Præmonſtratenſes ſtemmati Guxmanico inſeras, cave, ne illuſtriſſimam Guzmanorum progeniem injuria afficias: nam eodem fundamento, id eſt nullo, duos typographos aut bibliopolas Hiſpanos eidem nobiliſſimæ familiæ poteris adſcribere. Primus eſt Thomas de Guxman, qui Toleti anno 1597. Hiſtoriam Deiparæ Guadalupenſis Hiſpanice typis ſuis excudit. Alter eſt Bernardinus de Guxman, qui Matriti anno 1619. Chronicon generale Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula etiam Hiſpanica impreſſit. Quid tibi videtur, Frater anonyme, de his duobus Guzmanis, aliiſque ejuſdem cognominis & ignobilis conditionis hominibus quos recenſere poſſem? An propter ſolum cognomen ad clariſſimam Guxmanorum conſanguinitatem pertinent iſti typographi, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis? Jam ab hac digreſſione in viam redeo, & ad ſecundam objectionis tuæ partem progredior.

Secundo loco petis, ut hagiographi libros Nobiliarios evolvant. Videtur Cuperus eos evolviſſe, quandoquidem initio paragraphi noni plures genealogos Hiſpanos allegat, & in Opere genealogico Ludovici Salazarii de Caſtro reperit, patrem S. Dominici pro *Felice* appellari *Ferdinandum*. Sed hujus novæ opinionis lectorem Imboffium, & laudatorem Franciſcum de Berganza recta refellit ex conſtanti lectione veterum codicum, in quibus pater S. Dominici expreſſa *Felix* nominatur. Cum genealogi illi nomen patris S. Dominici temere mutaverint, quid certi exipectes ab his aliiſque recentioribus nobilium ſtemmatum indagatoribus, dum præſertim ſæpe inter ſe diffidcnt, & antiquas tabularum ſuarum probationes non adferunt? Poſtmodum alia occaſione oſtendam, quomodo Ambroſius Morales & Prudentius de Sandoval circa originem ſtirpis Guzmanicæ inter ſe diſcordent.

Tertio aſſeris, neminem a ſeptem circiter ſeculis ad hanc uſque diem, exceptis hagiographis Antverpienſibus, Guzmanicam S. Dominici proſapiam negaſſe. Frater anonyme, hic imprimis falſa hypotheſi niteris: Cuperus enim non negavit nobile S. Dominici genus; ſed de eo dumtaxat dubitavit, & ego nunc magis magiſque dubitare incipio. Præterea ſi *negare* & *dubitare* apud te ſint verba ſynonyma, prorſus falſum eſt, neminem uſque ad hanc diem de illuſtri illa S. Dominici proſapia dubitaſſe: jam enim a duobus fera ſeculis dubitarunt plures illi, in quorum gratiam Ambroſius Morales peculiarem hac de re diſſertationem conſcripſit, ut ipſe initio ejuſdem diſſertationis fatetur. Tom. 3. Chron. Gen. Hiſp. fol. 331.

Denique ultimam tuam periodum involvis & obſcura exprimis, acſi Cuperus illuſtri familiæ Guxmanicæ antiquam ſuam nobilitatem abjudicaret. Si ad concitandam ei invidiam tam ambigua locutus es, fraus tua ex initio paragraphi ſupra recuſi manifeſta eſt: nam ibi Cuperus ex conſenſu omnium genealogorum præmonuit, neminem de inſigni & vetuſta familiæ Guxmanicæ nobilitate dubitare; ſed ibi quæſtionem pure hiſtoricam inſtitui, an S. Dominicus ex illuſtri illo ſtemmate ortum duxerit. Quinimo Cuperus ibidem innuit, quoſdam genealogos cum illuſtriſſimo Prudentio de Sandoval probabiliter originem nobiliſſimæ familiæ Guzmanicæ ad Gothos referre, eamque ſtirpem multo antiquiorem eſſe, quam Ambroſius Morales, Joannes a ſancta Maria, & alii Dominicani ſcriptores paſſim exiſtimaverint. Ceterum hic contemno illa, quæ de innumeris Bollandiſtarum ocellis & craniis binis dictitas, quia hæc ſimiliaque dicteria Bollandiſtæ parum curant.

Quapropter potius pergo ad præcipuum tuum argumentum, quod prima fronte nonnullam difficultatis ſpeciem præfert, & quod pag. VI. prioris tuæ epiſtolæ proponis his verbis: *Unum ſit vobis ingenue dicam, quod anno* MDCCXXIX. *eruditus Michael Lequien, ſciens, vos ſic omnino decreviſſe Guzmanicum nobile genus S. Dominici in miſerrimum ſtatum redigere, ut ſurdo caneret, quiſquis vobis aliquid hujuſce nobilitatis argumentum proferret, uni ex ſuis Dominicanis dono miſit epitaphium matris S. Dominici, quod Gothicis litteris inſculptum ſepulcro reperitur in cœnobio Fratrum Prædicatorum Rupis Fidelis, vulgo Peñafiel, in Hiſpania. Hujus tenoris eſt:* HIC JACENT OSSA SANCTÆ JOANNÆ, UXORIS DD. FELICIS DE GUZMAN, PATRIS BEATI PATRIARCHÆ DOMINICI; EJUS PIÆ MEMORIÆ DICATUM A FILIIS. Ex iis, quæ hoc loco profers, aliqua indaganda, quædam falſitatis arguenda ſunt. Paulatim ſingula diſcutiamus. Imprimis miror, eruditum Michaelem Lequien uni e ſuis Dominicanis anno 1729. miſiſſe epitaphium matris ſancti Dominici, tamquam novum & ſingulare donum, quod hic Dominicanus facile in hiſtoria Ordinis ſui invenire poterat: nam illuſtriſſimus Joannes Lopez, qui ex Ordine Prædicatorum ad Cathedram Monopolitanam evectus fuit, in hiſtoria Hiſpanica Ordinis Prædicatorum Part. 3. lib. 1. c. 78. jam a centum & pluribus annis eamdem inſcriptionem ſepulcralem Latine retulerat. Hec aliaque incerti temporis monumenta Cuperus apud Ambroſium Morales, Ferdinandum de Caſtillo, & Joannem Lopex jam dudum viderat; ſed cum ignoraret ætatem horum omnium monumentorum, exegit authentica inſtrumenta, notis chronologicis diſtincta, ut nobiles S. Dominici natales ſine manifeſto erroris periculo intrepide poſſet aſſerere. Quotidiana quippe experientia Bollandiſtæ diſcunt, ſæpius ſibi nova vel fictitia documenta pro antiquis & ſinceris obtrudi. Unde etiam in hoc ipſo Commentario prævio ad Acta S. Dominici Cuperus præter alia, de quorum fide dubitat, cum Echardo Dominicano prorſus rejicit ſuppoſititia ſcripta Joannis de Monte ac Thomæ de Templo, qui ab Alano Rupenſi teſtes citantur, quamvis auctores illi numquam in rerum natura extiterint, ut §. 2. ejuſdem Commentarii prævii demonſtratum eſt.

Præterea vehementer dubito, Frater anonyme, an magnam a PP. Prædicatoribus initurus ſis gratiam, dum hic aperte prodis, Michaelem Lequien Dominicanum jam ab anno 1729. ſupradictum epitaphium uni ex Fratribus

suis misisse: hinc enim sequitur, valde inurbanos fuisse PP. Prædicatores, qui Bollandistis, postmodum solida controversiæ nobilitatis argumenta toties rogantibus, communicare noluerint istud epitaphium matris S. Dominici, quod tu irrefragabile ejusdem nobilitatis testimonium ac Bollandistis hactenus ignotum perperam putasti. Licet ergo pro PP. Prædicatoribus constanter declames, tamen nomen advocati non meteris, quia patrocinio tuo causam illorum pejorem reddis. At Bollandistæ jam omnino decreverant, inquis, nobile S. Dominici genus in miserrimum statum redigere, ita ut surdo canerei, quicumque ipsis aliquod hujusce nobilitatis argumentum proferret. Verum Cuperus §. IX. Commentarii prævii publice testatur, neminem ex PP. Dominicanis ullum hujus nobilitatis argumentum sibi postea protulisse. Quare, ut nulla circuitione utar, paucis respondeo, hanc accusationem tuam esse falsissimam, sicut facile probari posset ex litteris, quas Cuperus ad amicum dedit, & in quibus candide profitetur, se anno 1729. de illustrandis S. Dominici actis nondum cogitasse, multo minus dubitasse de Guzmanica ipsius nobilitate, quam tunc needum examinaverat. Quod si nosse desideres, cur Bollandistæ eodem anno 1729. exactam S. Dominici & S. Hyacinthi genealogiam expetierint, causam vel occasionem hujus petitionis tibi libenter exponam. Cum Sollerius in Actis Sanctorum ad diem primam Julii edidisset Acta B. Bartholomæi Vicentini, diu post editionem istius tomi P. Matthæus Texte Dominicanus in Dissertatione quadam Gallica Sollerium præcipue reprehendit, quod non affirmasset, Beatum illum ex illustri familia Brigantina natum fuisse. Huic Dissertationi Sollerius opposuit epistolam Gallicam, quæ Memoriis Trivultianis mense Novembri anni 1729. inserta est, ac breviter respondit, se illam Beati nobilitatem apud veteres scriptores non invenisse, eamque verosimiliter ipsi B. Bartholomæo Vicentino fuisse ignotam. Ne autem P. Matthæus Texte imposterum nimis sero de omissionibus hujusmodi posset conqueri, hac occasione Sollerius illum monuit, ut Bollandistis tempestive subministraret accuratam genealogiam S. Dominici aliorumque Sanctorum Ordinis sui, qui colebantur mense Augusto, ad quem jam manum admovere incipiebant. Sed P. Matthæus querelis suis contentus, nihil ei respondit, nec aliquid Bollandistis suppeditavit. En totam istius petitionis rationem, quæ tibi præcludit effugium, quod hic & in epistola tua secunda quæris, ut infra videbimus.

Interea propius accedamus ad epitaphium matris S. Dominici, quod in Penafilensi PP. Prædicatorum cœnobio cernitur, & quod Gothicis litteris sepulcro incisum esse dicitur. Ante omnia ex te scire cupio, quo tempore epitaphium istud scriptum fuerit. Quare æra Hispanica aut annus mortis vel translationis in illo tumulo non exprimitur, ut in aliis epitaphiis fieri consuevit? Evolve Ægidium Gundisalvum Davila in Theatro ecclesiastico Hispaniæ, ubi plures inscriptiones sepulcrales, notis chronologicis distinctæ, occurrunt. Ibi inter Episcopos Uxamenses lib. 2. cap. 6. invenies epitaphium Didaci Azebes, qui fuit familiarissimus sancto Dominico, expressum his verbis: ✠ HIC JACET DIDACUS AZEBES, EPISCOPUS OXOMENSIS. OBIIT ÆRA MILLESIMA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA QUINTA. Tomo primo ejusdem Theatri ecclesiastici pag. 512. legere poteris alteram inscriptionem, quæ in Segoviensi PP. Prædicatorum cœnobio distinguitur hac nota chronologica; HIC SUNT RELIQUIÆ MULTORUM SANCTORUM ET CORPUS SANCTI CORBALANI, SOCII S. DOMINICI, QUI MORTUUS EST IN HAC ÆDE ANNO MILLESIMO DUCENTESIMO DECIMO OCTAVO. Cur igitur in hoc epitaphio Penafilensi annus Christi aut æra Hispanica omittitur? Fortasse dices, vetustatem istius inscriptionis abunde probari ex litteris Gothicis, etiamsi determinatum illius tempus ignores. Sed eruditos antiquitatis investigatores parum movent Gothicæ hujusmodi litteræ, quales etiam in libris ante sesquiseculum impressis passim occurrunt. Quinimo Cuperus in epistola quadam ad amicum data testatur, se in Hispania plures ejusmodi Gothicas inscriptiones legisse, atque ibi proprio experimento didicisse, passim ab Hispanis appellari characteres Gothicos, qui necdum ante duo secula lapidibus incisi fuerant, ut ex apposito Dominicæ Incarnationis anno prorsus constabat. Verum qualescumque sint characteres, quibus hoc epitaphium Penafilense exaratum dicitur, vel invitus fateri cogeris, illam inscriptionem factam esse post centum sexaginta & plures annos ab obitu S. Dominici, sive post annum Christi 1383. cum primum illo anno ossa matris sancti Dominici ex monasterio Cisterciensi ad Penafilense PP. Prædicatorum cœnobium translata fuerint. Si mihi non credis, audi Angelum Manrique, eruditum abbatem Cisterciensem, & postea Pacensem in Hispania episcopum, qui in Annalibus Cisterciensibus ad an. 1194. c. 4. n. 10. de hac translatione sic scribit: *Servabat item* (videlicet monasterium Cisterciense sancti Petri de Gumiel in Hispania, de quo ibidem fuse agit) *veneranda corpora Felicis & Joannæ vere felicium parentum S. Dominici* (*Hispaniæ nostræ & totius Ecclesiæ luminis*) *Ordinis Prædicatorum institutoris, quamvis jam matris corpus eisdem Patribus* (*donone an prodigentia nostrorum dicam?*) *dudum accesserit, nempe ab anno MCCCLXXXIII. tumulatum in sancti Pauli temple Penafilensi*. Dein ibidem laudatus annalista allegat inscriptionem, quæ in hoc monasterio Cisterciensi adhuc superest, & de qua inferius agam.

Etsi PP. Prædicatores Penafilenses anno Christi 1383. corpus matris S. Dominici a Cisterciensibus acceperint, tamen inde certo concludi non potest, illam inscriptionem sepulcralem eodem anno 1383. exaratam fuisse, aut prorsus primigeniam esse illam, quæ nunc ibi legitur. Quod si tunc aliquod epitaphium ibi positum fuerit, facile potuit postea renovari & augeri, ut non raro contingit. Sic Ambrosius Morales in Chronico generali Hispaniæ tom. 1. l. 9. c. 7. exhibet inscriptionem Venetam, in honorem S. Jacobi Majoris lapidi incisam, quæ certe postmodum renovata & corrupta fuit, ut Bollandistæ in Actis ejusdem sancti Apostoli 1. 6. Julii p. 70. & 71. probarunt. Consule etiam Echardum Dominicanum, qui in Bibliotheca Prædicatorum tom. 1. pag. 86. rejicit inscriptionem, opinioni suæ contrariam, quam ab imperito quodam renovatam putat. Placetne hoc Echardi argumentum, quo inscriptionem, etiam notis chronologicis

dist-

distinctam, tam confidenter explodit? Cur igitur mihi de inscriptione Penafilensi, cujus tempus ignoratur, suspicari non liceat, eam primo fuisse exaratam, aut saltem renovatam, postquam a duobus fere seculis opinio de Guzmanica S. Dominici nobilitate primum tradi ac Breviariis inseri cœpit? Quocumque te vertas, haud dubie fateri compelleris, epitaphium istud Penafilense nonnisi centum sexaginta & pluribus annis post mortem S. Dominici sepulcro matris ejus incidi potuisse. Videsne, Frater anonyme, non adeo antiquam esse inscriptionem, quam sine ullo temporis indicio opponis Cupero, qui tamen testimonia notis chronologicis distincta postulaverat? Videsne, illam forte postea renovatam vel auctam esse, & ex hoc capite multum vacillare ejus auctoritatem, quam inconcussam credebas? Hæc mea renovationis suspicio non parum confirmabitur ex iis, quæ infra commemorabo.

Certe non nimis fidendum est similibus incerti temporis monumentis, ut patet ex inscriptione metrica, quæ in Segoviensi PP. Prædicatorum cœnobio legitur, & quam Cuperus in Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 31. Tom. I. Augusti pag. 475. sic retulit:

Praeterea Domino pendenti in stipite vivo
Compatiens, lacrymis pallida & ora rigans
Hac sub rupe crucis totus liquefactus amore
Stigmata per totam sensit acerba cutem.

Hac inscriptione PP. Dominicani Segovienses indicare voluerunt, S. Dominicum ibi sacris stigmatibus insignitum fuisse. Attamen popularis illa traditio falsa est, eamque ab eruditis plerisque Dominicanis admittendam non existimo, ut ex §. 31. Commentarii prævii ad Acta S. Dominici haud difficulter colligi potest. Quinimo ipse Ecbardus Dominicanus, cujus verba Cuperus §. 4. ejusdem Commentarii prævii num. 62. retulit, ingenue fatetur, librum sodalis sui Hyacinthi Choquetii propter hanc exoticam opinionem aliasque fictitias narrationes in Indice Romano prohibitum fuisse. Quid si illa inscriptio metrica etiam characteribus Gothicis expressa sit? Saltem falsa ista traditio jam diu Segoviæ viguit, & verosimiliter originem suam debet Alano Rupensi, qui incautos posteros variis figmentis decepit. Hinc vides, Frater anonyme, quam parum inscriptionibus hujusmodi fidendum sit.

Nunc progredior ad alterum tuum argumentum, quod præcedenti sic gloriabundus subjungis: *Fortassis* (verba tua sunt) *ne in communi quidem meridiana luce vobis videre datum est. Agite, rem in clariori lumine collocemus; obtusiorem interim vos aculeorum aciem vitro, quod conspicillum vocant, corroberate.* Hui quam festiva & acuta præfatio! Tum ex libro monasterii Cisterciensis, quod vulgo sancti Petri de Gumiel appellatur, recitas Hispanicum testimonium his verbis: *En dos arcas desta capilla fueren depositados los nobles y devotos senores D. Felix de Gusman, y D. Joanna de Aza padres del gloriosa S. Domingo fundador de la Orden de Predicadores &c.* Hanc periodum lectoribus tuis relinquis explicandam, in qua forte Hispani aliquam styli novitatem detegent. Interim ego hæc verba Hispanica, in quibus totum tui argumenti robur consistit, sic Latine interpretor: *In duabus arcubus hujus sacelli fuerunt sepulti nobiles & pii domini, D. Felix de Gusman, & D. Joanna de Aza, parentes gloriosi sancti Dominici, fundatoris Ordinis Prædicatorum &c.* Numquid verba Hispanica fideliter Latina feci, quamvis idioma Hispanicum non calleam, nec conspicillo ulla sim, quo (gratia sit superis) nondum indigeo? Si dubites & linguam Hispanicam plane ignores, consule Hispanos, quos facile invenies in Urbe, in qua epistolæ tuæ clanculum sparguntur. Opinor, te interpretatione mea contentum esse; sed hoc testimonium, etiam prout a me Latine redditum est, tibi peremptorium videtur, & ideo Bollandistis insultas, acsi jam causam tuam plane evicisses. At noli canere triumphum ante victoriam.

Est mihi quoque ad manum inscriptio Latina, quæ in eodem monasterio Cisterciensi legitur: nam laudatus Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi 1194. cap. 4. n. 10. testatur, in monasterio Cisterciensi S. Petri de Gumiel, ex quo tu supradictum testimonium Hispanicum extraxisti, adhuc conservari tabellam ejusdem inscriptionis sepulcralis, eamque distinctis characteribus ibidem sic exprimit. HAC IN SACRA CAPELLA S. DOMINICI SANCTUS UTERQUE PARENS SEPULTUS FUIT; ILLA JOANNA IN SANCTO PAULO PENAFILANA, ILLE FELIX HIC REQUIESCIT ADHUC. Nullum hoc loco fit verbum de nobili S. Dominici stemmate, aut de cognominibus parentum ejus, ut clare vides. Quare vehementer dubito de authentica fide vel antiquitate memorati testimonii, quod ex libro Hispanico incertæ ætatis tam confidenter Cupero objecisti. Quomodo in monasterio Cisterciensi sancti Petri de Gumiel assignatur liber Hispanicus, in quo nobilitas & cognomina parentum S. Dominici singillatim exprimuntur, cum in epitaphio Latino eorumdem parentum, quod illustrissimus Angelus Manrique ex tabella ejusdem monasterii Cisterciensis profert, de his omnibus altum sit silentium? Non improbabiliter existimo, prædictam clausulam libri Hispanici (si revera ibi sic legatur) Latino epitaphio recentiorem esse, & titulos illos ac cognomina ab uno alterove seculo usurpari & huic libro inseri cœpisse, postquam prævaluit cogitatio eorum, qui Sanctum Dominicum ex paterna maternaque stirpe nobilem volebant. Hæc conjectura mea confirmari potest exemplo S. Catharinæ Senensis, quæ antiquitus *honesto genere orta* dicebatur, & postmodum nata credebatur *ex Benincasia una cum Burghesia familia ex eodem stirpe proveniente*. Deinde falsa illa opinio de fictitia hujus sanctæ Catharinæ nobilitate paulatim ita invaluit, ut hæc etiam in Breviarium Dominicanum & Romanum irrepserit, ex quo tamen postea jussu Urbani VIII. Pontificis, severiori super hac re examine instituto, deleta est.

Dum superius existimavi, allegatam a te clausulam libri Hispanici recentiorem esse tabella Latina, quam ego ex illustrissimo Manrique transcripseram, dumque ibidem censui, titulos illos nobilitatis atque cognomina parentum S. Dominici in recentioribus inscriptionibus paulatim crevisse, opinioni meæ non parum favet Joannes a sancta Maria Dominicanus, qui in Opere Gallico de sanctis mulieribus Ordinis Prædicatorum Lib. 1. partis 2. cap. 1. ingenue fatetur, cognomen matris sancti Dominici, & alia ad prosapiam illius spectantia, scriptoribus prorsus ignota fuisse usque ad istud tempus, quo

Ferdinandus de Castillo Historiam Ordinis Prædicatorum Hispanice conscripsit, quam anno 1584. primum typis Mantuanis vulgare cœpit.

Potuissem hic longiorem scriptoris illius Galli textum in compendium redigere; sed ne fortasse suspiceris, aliquid a me additum aut omissum fuisse, audi ipsa Joannis Dominicani verba, quæ loco proxime citato sic sonant: *Jusque icy nos Historiens n'ayant autre lumiere en la connoissance de la tige d'où étoit sortie la B. Jeanne mere de nôtre pere saint Dominique, si non celle que les auteurs Espagnols faisoient éclater en leurs écrits, ont crû simplement & à la bonne foy, ce qu'ils en ont couché dans leurs livres, sans examiner de plus prés ce qui en étoit. Auparavant que Ferdinand du Chateau eût mis au jour sa premiere & seconde Centurie, nous ne trouvons que ténebres dans les chroniques de l'Ordre touchant le surnom, la race, & la qualité de la B. mere de nôtre pere saint Dominique. Tous gardent en ce point un profond silence, ne sçachant dire autre chose, si non que de son nom elle s'appelloit Jeanne, sans dire ny ses qualitez, ny sa genealogie. Or Ferdinand du Chateau ayant entrepris d'écrire l'histoire de l'Ordre plus curieusement & exactement que les autres; comme de fait il en fût heureusement venu a bout, si la mort n'eût tranché le fil à ses desseins; luy, dis je, voyant ce grand silence des auteurs en un point si important, a écrit sans nommer, ny auteur, ny papier, ny tradition, qu'elle étoit surnommée Jeanne d'Aça, & étoit de la tige illustre des Chevaliers d'Aça qui est un bourg distant environ trois lieues de la ville d'Aranda de Doüero. De ce bourg étoient & ont été longtems seigneurs les chevaliers susdits, desquels fait un honorable mention l'archêveque dom Rodriguez en son histoire; & la chronique generale d'Espagne sous le Roy dom Sancho, celuy qui mourut à Zamora, & encore sous le Roy dom Alphonse son fils. Leur memoire s'étend es Annales d'Espagne jusque aux jours du Roy dom Pierre le Cruel, esquels les comtes de Miranda s'emparerent en qualité d'heritiers du domaine d'Aça, & en changerent aussi-tot les titres & le nom, ainsi que l'on peut voir dans l'histoire generale d'Espagne sous le Roy dom Jan deuxiéme sur la fin de son regne.*

Le susdit Ferdinand ajoute a cette curieuse recherche, que la B. Jeanne étoit fille ou sœur d'un Garci Gorces d'Aça Espagnol des plus riches de Castille: Sitot que cette opinion à vû jour, elle a été indifferemment acceptée & receue de tous ceux qui ont écrit depuis la premiere impression de ce livre, comme l'on peut voir & en Ribadeneyra en la vie de nôtre pere saint Dominique. Malvenda en ses Annales, Nicolas Jaussenius en la vie qu'il a composée de nôtre pere saint Dominique, & Michael Pio en son 1. tome l. 1. aux annotations du nombre 1. Mais d'autant qu'une des qualitez requises à un historien est de ne rien avancer es choses qui devancent de longtems sa naissance, qu'il n'ait quelque auteur irreprochable, ou papiers autentiques, ou tradition communement receue; & que d'un autre côté c'est une espece d'infidelité, & trahison de la sincerité requise à l'histoire de suivre des opinions qui n'ont aucune solidité; je me depars entierement de cette opinion de Ferdinand du Chateau, ayant un auteur d'une trés sainte vie, irreprochable, & trés digne de creance, qui étoit religieux de l'Ordre, & florissoit il y a deux cens ans, lequel assure & temoigne avoir appris de la bouche même de la sacrée Vierge, que la B. Jeanne mere de nôtre pere saint Dominique étoit Françoise de nation & de la tige des Ducs de Bretagne. C'est le B. Alain de la Roche, ce grand favory de la Vierge, du quel dit fort bien Nicolas Jaussenius en son livre des bien-faits de la sainte Vierge conferez à nôtre saint Ordre, voire le prouve des écrits du même Saint, que si nous exceptons nôtre saint pere Dominique, jamais Saint n'a été favorisé de la sainte Vierge, comme luy. Ce grand Apôtre de la Vierge, restaurateur de la devotion de son Rosaire, écrit que la B. Jeanne étoit fille d'un certain duc de Bretagne; puis au même lieu il dit, que nôtre pere saint Dominique visita l'an 1200. vers la fête de saint Jean Baptiste le duc de Bretagne, qui étoit son cousin. Or celuy-la étoit Arturus fils de Geofroy & de Constance ducs de Bretagne. Cette opinion ayant un si bon auteur, lequel sans doute n'avanceoit rien sans en avoir quelque assurance, doit être beaucoup plus unanimement receuë, que celle de Ferdinand du Chateau, lequel sans aucune autorité s'est enhardy jusques à ce point d'écrire ce qui n'a point appris.

Hactenus Joannes à sancta Maria vernaculo suo idiomate, quod hic Latine non interpretor, quia pag. XIV. epistolarum tuarum ostendis, linguam Gallicam tibi satis notam esse. Itaque ex hoc longiori textu facile intelliges, Joannem a sancta Maria & Ferdinandum de Castillo in hac re inter se dissidere. Porro meum non est hanc duorum Dominicanorum dissensionem componere; sed tibi, Frater anonyme, revelationem Alani Rupensis cum sententia Ferdinandi de Castillo conciliandam relinquo. Interim ex opinione Joannis a sancta Maria colligo, cognomen matris sancti Dominici antiquis scriptoribus ante tempora Ferdinandi de Castillo ignotum fuisse. Quomodo igitur nomini ejusdem Joannæ additur cognomentum *d'Aça* vel *de Aza*, in memorata clausula libri Hispanici, nisi hæc sit ætate Ferdinandi recentior? Si cum Ferdinando de Castillo contra Joannem a Sancta Maria & Alanum Rupensem contendas, hoc cognomen *d'Aça* vel *de Aza* matri sancti Dominici antiquitus ex stirpe sua datum fuisse, cur illud in epitaphio Penafilensi non exprimitur?

Nunc paululum sine, Frater anonyme, ut circa originem familiæ Guzmanicæ tibi proponam diversas auctorum opiniones, quas Jacobus Wilhelmus Imhoffius in Genealogia edita Lipsiæ an. 1712. pag. 118. viginti illustrium in Hispania familiarum ex Franckenavio refert, & ubi post recensita aliquot genealogorum Opera hactenus inedita, etiam impressas aliorum de hac stirpe lucubrationes ita recenset: *Typis publicis enarrata de hac familia sunt Ambrosii Moralis Dissertatio de sancti Dominici stemmate, historiæ ejus scilicet CRONICA GENERAL DE ESPAGNA tomo tertio adjecta; Prudentius item de Sandoval, Pampilonensis episcopus, originem Guzmanici stemmatis detexit in libro DE LAS DESCENDENCIAS DE CASAS ILLUSTRES, Chronicis suis Alphonsi VII. Imp. Hisp. adjecto, reliqua ex generalibus genealogorum libris haurienda sunt. Etymologiam nominis GUZMAN Petrus Hieronymus de Aponte corruptum vult ex GUDEMAR, derivatumque a regis Legionis Bermundi II. vexillifero, quem stirpis hujus stipitem facit; & ex rege Gothorum cognomini oriundum*

asse-

asserit. Refellitur hac Apontii sententia a Morali, qui ex voce GUDEMAN Britannica veteri deducit nomen hocce, & ex Ferdinando Perezio de Gusman domino de Batres, qui Vitas excellentium virorum scripsit (tabula VIII. nobis dictus) Chronicis Joannis II. Castellæ Regis adjectas, probat, gentem istam Comiti Ramiro, qui filiam Alphonsi Legionis regis elocavit, originem debere; ipse tamen Morales opinatur, potius ad Britanniæ Duces ipsosmet eam referendam: Guilielmi enim Ducis fratrem religione motum cum aliis Christi nominis affectis ad pugnandum contra Mauros, succurrendumque Regibus Legionis eo advenisse, & fixa illic sede uxorem ex Ramiri Comitis prosapia duxisse, huncque GUNDEMAN, id est patrio sermone VIR BONUS, dictum posteris id nomen indidisse. Argumenta, quæ pro hac assertione adducit Morales, potissimum sunt Guilielmi prænomen Gusmanicæ stirpi cum Britanniæ Ducibus familiare, & vellus murinum seu ponticum (LOS ARMINOS) quod scutum Gusmanicum circumdat.

Deinde ibidem Imhoffius contrariam Sandovalii sententiam ex Latina Franckenavii interpretatione sic refert: *Hanc Moralis opinionem false perstringit Prudentius Sandoval, cujus verba adponere Latinitate donata libet. „ Antiquissima, inquit, Gusmanica domus in regno Legionis tanti splendoris vetustatisque est, ut jam septingentis retro annis ex præcipuis regni magnatibus regioque permista sanguini fuerit. Solare seu castrum gentilitium (STAMM-HAUSS) ipsius antiquius, licet auctores varii vario super eo disserant, indubitato in montibus Legionis castelloque AVIADOS, quatuor leucis Legione distante, collocatur, cui dein successit oppidum TORAL, quo a Bermudo rege anno Christi 990. ob unius ex hac gente præstita vexilliferi servitia donata est: utriusque dominium perpetuo tenuere Gusmanni Legionenses, quorum posteritas omnes reliquos ejus nominis ramos complectitur, speciatim etiam dominos castelli de Gusman, leuca & media ab urbe Aranda Durii distantis, quamvis Morales, sancti Dominici amore ductus, hos principes domus Gusmanicæ veneretur, nullis rationibus argumentisque quam solis conjecturis nixus: diu enim antequam Christiani territoria Arandense & Roanum incolerent, Legionenses illi floruere Gusmani, castrumque de AVIADOS, cujus principia ob nimiam antiquitatem vere ignorantur, tenuerunt.*

Sunt, qui Gusmanos peregrinum faciunt, & ex Britannia derivant, quæ opinio Morali perplacet, tum ob Guilielmi nomen, Britanniæ Ducibus familiare (quæ tamen ratio debilis valde & plane nulla est: concesso enim, id nomen Ducibus frequens fuisse; rarius tamen est Gusmanis Legionensibus, & si reperitur, factum id ob contracta cum Bretonibus Normandisque, qui frequentes ad Gallæcia appellebant littora, ibique commorabantur, matrimonia, quæ Gusmanis nostris id nomen conciliare poterant; scimus autem contra Almansorem, Legionis urbis desolatorem, eamdem cum vitæ dispendio strenue defendisse Comitem Guilielmum Gonsalez, quem unanimi omnes consensu Gallæcum indigenam profitentur) tum ob vellus ponticum LOS ARMINOS, quod Morales itidem a Ducibus Britanniæ petit; sed absque fundamento, cum ipse fateatur, & vere, nullum magnatum, nec ipsosmet Hispaniæ reges insignia seu armos usurpasse ad tempora usque Alphonsi Ramonis. Nec insequitur, hunc illum vestria ilia gestare in scuto, ideoque regibus Franciæ ortum. Vidi ipsemet diplomata tumulosque, octingentorum annorum vetustate superbientes, nullibique plus quam signum hoc ✝ crucis reperi, idemque obtinuit in sigillis signisque, quibus regiæ chartæ muniebantur, hujus magnitudinis ✠.

Displicet nimirum Morali sententia Hieronymi de Aponte & Comitis Petri de Peringal, qui Gusmanium nomen a GUNDEMARI corruptum volunt; omni tamen dubio procul, quod nunc GUZMAN, tum (octingentos nempe ante annos) erat GUNDEMARUS, quod nomen Gothicum est: notum quippe est, æra 648. regnasse Gothis GUNDEMARUM, quem concilia nonnulla GUNDEMIRUM appellant. Reperitur hocce nomen in regno Legionis fere a Pelagii Regis inde ævo, nec tamen in Navarra, Aragonia, Lusitaniaque, nec inter plebeios, sed solum inter grandes regni, ut probabo scripturis, ponamque nomen, prout Latine vocarunt; unde patebit corrupta ejus indies magis magisque pronuntiatio, demendo litteras adponendoque alias; mos nostro idiomati admodum familiaris, adeo ut qui antiquitatum non peritissimus, diligenterque appulerit animum, plurima vix intelliget nomina, verbi gratia ISBANEZ quod JOANNES, SANTILLANA pro SANCTA JULIANA, SOTONOVAL pro SANDOVAL &c. Familiare huic genti Gusmaniæ fuit adnomen FLORES corruptum ex FROILA; unde FROILAZ & FROILES, tandemque FLORES; item adnomen RAMIRI & RAMIREZ, ob unius ex hac domo contractum cum Comitis Ramiri filia, Legionis infanta, conjugium. Insignia ejusdem sunt duo lebetes aurei in scuto cæruleo, licet antiquitus, ut ex sigillis patet, erat castellum fumo tinctum. LEBETES innuebant GRANDES regni: ii enim soli istis utebantur, una cum vexillo, idque regum permissu; unde & ad innuendum GRANDATUM dici solebat: CASA DE PENDON Y CALDERA, domus vexillo & lebete ornata: vexillum quippe erat signum, quod sequebantur MESNADERI ejus sive soldurii; & lebes notabat alimenta, quæ RICUS HOMO istis præbere tenebatur. „ Hæc ex Sandovalio Franckenavius.

Frater anonyme, quid de diversis hisce opinionibus censes? Utra tibi probabilior videtur? Mihi sane magis placet sententia illustrissimi Sandovalii, qui originem Guzmanorum facie antiquiorem, & nobilem illam stirpem ex ipsa Hispania ortam existimat. Si tamen cum Ambrosio Morali velis, Guzmanos ex Britannia Armorica oriundos esse, hac de re, quæ ad præsentem controversiam nostram nihil pertinet, tecum non litigabo. Sed memento mihi assignare veteres & fide dignos scriptores, qui diserte asserant, etiam matrem S. Dominici ex Britannia Armorica prodiisse: nam videtur Alanus Rupensis part. 1. c. 15. & part. 3. c. 22. hanc patriam ei affinxisse, ut saltem cum aliqua veritatis specie narraret, S. Dominicum ibi de virtute Rosarii prædicasse, suamque prædicationem portentosis miraculis confirmasse, quemadmodum Cuperus §. XI. ex scriptoribus Dominicanis retulit. Certe ego nondum ullum auctorem reperi, qui ante tempora Alani Rupensis floruerit, & maternum S. Dominici genus ex illa Galliæ provincia accersiverit. Præterea nullum hactenus vidi scriptorem synchronum, nul-

lum

lum authenticum certi temporis instrumentum, quo Guzmanica S. Dominici nobilitas invicte probetur: duo enim epitaphia, quæ Cupero opposuisti, certis annorum characteribus carent, quamvis ille jam diu testimonia notis chronologicis distincta expresse exegisset. At ne ego videar morosus criticus, si semper coævos hujus nobilitatis testes postulem, liberaliter tecum agam, & sententiam tuam in hac re libens amplectar, licet scriptores dumtaxat suppares aut subæqualia certæ ætatis documenta produxeris. Si genuina & authentica hujusmodi testimonia allegaveris, facies tandem id, quod Cuperus ab ipsis PP. Prædicatoribus ante quadriennium aut triennium petiit, & ea conditione jam inde tibi gratulor de victoria, quam hactenus nondum retulisti.

Sed quid tam diu disputamus de nobilitate, quæ Sanctis minimam affert gloriam, etsi illa non sit negligenda, quando solide probari potest? Utilius itaque & gloriosius, Frater anonyme, operam tuam impendes ad vindicandam publicam sanctitatem piis & honestis parentibus sancti Dominici, quos supra titulis Sanctorum decorari vidisti. Hoc obsequium ab humanitate tua exspectabo, cum præsertim pag. 2v. primæ tuæ epistolæ professus sis, te velle de Bollandistis bene mereri, & officia tua in eos conferre, ut falsa respuere & vera sectari possint. Quare etiam nomine PP. Prædicatorum, quibus hoc haud dubie gratissimum erit, te obnixe rogo, ut illos singillatim edoceas, utrum parentes S. Dominici umquam publico & immemorabili cultu honorentur. Sunt autem signa hujus cultus, ut verosimiliter nosti, commemoratio eorum in antiquis Breviariis aut Menologiis, capita radiata in vetustis imaginibus depicta, & alia publicæ venerationis indicia, quæ centum annis ante notissimum Urbani VIII. decretum in usu fuerint. Præterea si quæ peculiaria & fide digna eorumdem gesta noveris, ea Bollandistis communicare ne graveris. Hac occasione etiam recordare Cuperi, qui circa Manetem germanum S. Dominici fratrem, & Corbalanum ejusdem Sancti socium §. 8. & §. 31. Commentarii sui prævii ad Acta S. Dominici similem notitiam flagitavit. Si hæc diligenter executioni mandaveris, de venerabilibus S. Dominici parentibus optime mereberis, sacrum Prædicatorum Ordinem tibi plurimum obstringes, ac ipsos Bollandistas, quos mordacibus tuis pagellis lacerasti, facilius placabis. Vale, Frater anonyme, & omnes vires collige, ut Guzmanicam S. Dominici prosapiam fortiter tueri possis. Sed cave, ne cum Bollandistis tam contemptim agas.

RESPONSIO

Ad secundam anonymi epistolam.

NUnc discutienda est secunda tua epistola, Fr. anonyme, quam decimo Kal. Apriles ejusdem anni 1734. edidisti.

Lecta relectaque hac secunda epistola, tandem intellexi, te ægerrime ferre, quod Cuperus de stemmate aut genere S. Dominici nihil certi statuerit. Hanc indignationem tuam colligo ex disparatis exclamationibus, quas pag. 2. adversus omnes Bollandistas sic accumulas: *Heus! quid dicitis NIHIL CERTI &c.? Quis hic loquitur? Vos etenim, viri pacifici, jam omnem lapidem movistis, ut sanctus Dominicus e gente Gusmanica pelleretur. Nunc autem nihil certi de genere &c. Numquid, ut est in proverbiis, antica exclusum postica recipere gestitis? Quorsum hæc quæso NIHIL CERTI &c.? En mentem vestram penitus introspexi! Hem astutias vestras! Miram sane calliditatem! ut olim C. Gracchus cum effudisset ærarium, verbis tamen defendebat ærarium. Sic vos, viri pacifici, cum solitas viles nænias cantastis, crocodilinis ambiguitatibus effugere reprehensionem sæpe conamini. Astute! ut incautis fucum faciatis, quos occidistis, unguento perungitis. Caritas singularis! Nihil certi de genere S. Dominici statuitis. Quis corvum delusit hiantem? NIHIL CERTI &c.? Fœdum est mansisse diu, vacuumque redisse. Manibus siquidem, pedibus, nervis omnibus, omni telorum genere sanctum Dominicum comminus eminus aggressi fuistis, omnem in ipsius nobilitatem vocem emisistis, & nihil certi dixistis. Ita plane dum corvus voce crocitat sua, nihil certi profert.* Hactenus blanda tua & concinna scilicet oratio.

Mira mihi videtur inconsiderantia, qua scribis, te mentem Bollandistarum penitus introspexisse. Feliciores sane oculi tui auribus Batavi, quas hic hagiographis Antverpiensibus affinxisti! Profecto melius hanc omnimodam mentium perspicientiam supremo cordium Scrutatori reliquisses, nisi forsan cælestibus revelationibus, sicut Alanus de Rupe, aliquoties illustreris. At saltem exemplo Alani de divinis hujusmodi favoribus Bollandistas præmonere debueras, ut hi deinceps tibi, tam perspicaci cordium scrutatori, nihil contrarium cogitare auderent. Ceterum lectoribus epistolarum tuarum imponis, dum hic & alibi asseris, Bollandistas omni telorum genere nobilitatem S. Dominici impugnasse: Cuperus enim tantummodo dubium suum de nobilitate illa proposuit, & se paratum ostendit ad amplectendam PP. Prædicatorum sententiam, si hanc solidis argumentis probarent. Quid ergo certi de illa dixisset, qui hactenus nihil certi invenerat?

Cum Cuperus §. IX. Commentarii prævii ingenue fateatur, argumentum suum maxima ex parte negativum esse, hic iterum gloriabundus exclamas: *Hujus argumenti parentem scio, sarcinatorem Launoium novi, ipsique gratulor, quod maternum non memineritis. Quam feliciter concordiæ studetis, viri pacifici! Sic olim Pilatus & Herodes. Gaudeo plane, quod, depositis odiis, mutuam benevolentiam susceperitis. Præclarum fœdus, Launoius & Antverpienses! .... Lepidum fœdus, egregia societas Launoius & Antverpienses!* Ita quidem tu ridicule vociferaris. Sed an satis advertisti, Frater anonyme, quod Cuperus dixerit, argumentum suum *maxima ex parte* negativum esse? Certe negativum non est testimonium Theodorici de Appoldia, qui in Vita S. Dominici apud Bollandistas tom. 1. Augusti p. 566. scribit, hunc Sanctum naturalis nativitatis ortu *humiliter* in Hispania fuisse. Quapropter Cuperus §. IX. Commentarii sui prævii ad Acta S. Dominici quæsivit, & ego hic rursus cum ipso quæro, quid illic sibi velit adverbium *humiliter*, si parentes *satis honesti* pro nobilibus & maxime illustribus accipiendi sint.

Verum

Verum gratis concedamus, argumentum Cuperi prorsus negativum esse. Omnes eruditi norunt, S. Hieronymum, S. Augustinum, aliosque Ecclesiæ patres hoc argumenti genere usos fuisse. Qua igitur ratione Launoium *hujus argumenti parentem* appellas? Certe diu ante Launoium Melchior Canus ex Ordine Prædicatorum, & Cæsar Baronius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis illud argumentum negativum usurparunt. Quinimo eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis tamquam certam sibi præscribit sequentem regulam his verbis: *Quod a recentiori auctore de rebus antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.* Canus autem in Opere de locis Theologicis l. xi, p. 518. fictitiam Constantini Magni lepram sic oppugnat: *Lepra Constantinum laborasse, apud idoneos auctores nusquam lego.* Deinde paucis interjectis de Cajetano, qui hoc ipsum negat, Canus argumentum suum negativum sic ibidem prosequitur: *Habet scriptores omnes veteres ejus ætatis, qui tacuerunt, non omissuri, si scivissent; scituri omnino rem, si fuisset.* Mutatis mutandis, hæc applica Guzmanicæ S. Dominici nobilitati, de qua scriptores coævi & suppares tacuerunt, non omissuri tam illustres Sancti natales, si scivissent, scituri omnino notissimam illam Guzmanorum familiam, si S. Dominicus ex ea oriundus fuisset.

Canus itaque & Baronius argumento negativo utuntur. An ideo dicendi sunt mutuam concordiam iniisse? Etsi uterque hic scriptor in argumento negativo usurpando concordet, tamen in aliis quæstionibus dissidet, & eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad an. 681. n. 31. audaciam Melchioris Cani reprehendit his verbis: *Inter hos est recentior auctor, quem voluissem sensibus potius Canum, quam nomine, totus præceps in ferenda de re tanta sententia, dum leviter admodum, fuisse Honorium hæreticum (nondum inspecta & dijudicata ejus epistola, cujus causa ponitur esse damnatus) affirmat.* Sane ludibrio omnium eruditorum me exponerem, si propterea exemplo tuo instituerem comparationem de amicitia Pilati & Herodis, aut, mutatis nominibus tecum pueriliter exclamarem: Præclarum fœdus, Canus & Baronius! Eodem jure vociferari potes: Lepidum fœdus, egregia societas inter Launoium & Natalem Alexandrum, famosum scriptorem ex Ordine Prædicatorum, qui in historia sua ecclesiastica sæpe argumentum negativum adhibuit.

Post alias nugas Bollandistis invidiam conflare niteris apud nobilitatem Italicam, quia decessores eorum olim scripserunt, nullius episcopi Itali cognomen facile inveniendum esse ante annum Christi millesimum. Sed sera & jam dudum refutata est hæc tua accusatio. Quamobrem, ne te multis detineam, obiter inspice Responsiones Papebrochianas *Resp. ad art.* 3. §. 8. ubi invenies plures doctos Italos, qui ibidem accusatam illam Papebrochii opinionem confirmant. Quod si hæc tibi nondum sufficiant, consule eruditissimum Joannem Mabillonium Benedictinum in Opere diplomatico, qui lib. 2. cap. 7. de origine cognominum in Gallia fuse disserit, ubi varia tibi hactenus ignota disces. Cum autem videam, te non raro sophismata quædam ab antiquis Papebrochii adversariis mutuari, & solutiones eorum omittere, deinceps curiosum lectorem ad Responsiones Papebrochianas remittam, quia mihi nec lubet nec vacat accusationes illas, jam dudum refutatas, iterum operose & inutiliter refellere.

Ibidem Bollandistis exprobras, illos cubitis adolescere, eo quod tomo VII. Maii optent expunctas nonnullas cognominum appellationes, quarum vanitatem mense Januario & Februario Operis sui necdum satis cognitam habebant. At in ipsis laudandum esset, quod tu hic vitio vertis. Numquid sapientis est mutare consilium? Imo Papebrochius sententiam quamdam *sapienter revocaverat*, ut tu ipse initio epistolæ tuæ primæ testaris. Itaque, ut video, retractatio Bollandistis honorifica est, dum tibi favet; sed probrosa, quando opinioni tuæ repugnat. Verum summopere miror, quod Bollandistas validis argumentis non cogas revocare tot aniles fabulas, quas lucubrationibus sui inseruerunt, ut tu quidem ex tripode pronuntias, quando pag. 11. primæ tuæ epistolæ inter alia dicteria illos alloqueris hoc modo: *Vos autem, viri pacifici, licet passim cuique cordato tædio sitis ex tot illis anilibus fabellis, quibus scripta vestra fœdatis, qua estis tamen summa constantia, diligentis Pyrrhonii partes plerumque sustinetis egregie, & ut rebus omnibus exhaurire possitis adversarios vestros, & vobis ipsis & certioribus instrumentis abrogatis fidem.* Equidem memini me in Opere Bollandistarum legere quasdam fabellas. Sed tum ipsi monent, illas esse fabulas, easque explodunt. Sic etiam Cuperus in Commentario prævio ad Acta S. Dominici ex variis scriptoribus retulit nonnulla figmenta & portentosa miracula, eaque simul cum Echardo Dominicano rejecit. Quinimo observavi, Bollandistas nonnumquam edere fabulosa alicujus Sancti gesta, iisque statim subnectere alia sincera ejusdem Acta, ut contraria juxta se invicem posita magis elucescant, quemadmodum philosophi loquuntur. Nonne id melius est, quam ridiculas fabellas pro veris historiis obtrudere, ut Ludovicus Urreta Dominicanus fecit integro libro Hispanico, quem de historia Æthiopiæ conscripsit, & quem legere poterit quispiam istius linguæ peritus dum melancholicis humoribus obruitur, vel Amadisianis fabulis delectatur.

Porro Baltasar Tellez, & Nicolaus Godignus, aliique in rebus Æthiopicis versatissimi Jesuitæ hanc fabulosam scriptoris Dominicani historiam mitissime refutarunt. Si forsan in hac re nolis admittere judices Jesuitas, saltem prius audi Hippolytum Helyotum Franciscanum, *Hist. Ord. monast. &c. tom. 1. in præf. pag.* XXVII. qui post explosas Ordinum quorumdam Religiosorum fabulas de hac ipsa Urretæ historia fert judicium & simul satis lepidam ejusdem synopsim sic Gallice exhibet: *Mais ils ne sont pas les seuls qui ont produit des historiens amateurs des fables; l'Ordre de saint Dominique, sans parler de quelques autres en à aussi produit; temoin le Pere Louis d'Urreta, qui a donné en Espagnol un Roman pieux & divertissant sous le titre d'Histoire du sacré Ordre des Freres Prescheurs dans le roiaume d'Ethiopie: car comment penser autrement de cette histoire, lorsque l'on voit, que cet auteur dit, que le principal Couvent de cette province est celui de Plurimanes, qui a quatre ou cinq lieues de circuit; qu'il y a ordinairement dans ce Couvent*

neuf

neuf mille Religieux & trois mille domestiques ; que ces neuf mille Religieux mangent tous ensemble dans un même refectoire ; que ce Convent contient quatre-vingts Dortoirs, autant de Cloîtres, autant d'eglises particulieres où le Religieux de chaque Dortoir disent l'Office tous les jours, excepté les fêtes & les Dimanches, qu'ils se trouvent tous dans une grande eglise commune à laquelle chaque Dortoir repond ; que le fondateur de ce beau Convent étoit un si grand Saint, que quand il vouloit dire la Messe, un Ange descendoit du Ciel pour la lui servir, qu'il lui preparoit le pain & alloit tirer le vin : que ce Saint aiant chassé un diable du corps d'une femme, il ordonna pour penitence à ce diable de servir dans le Convent pendant sept ans en qualité de valet ; qu'on lui donna le nom de MALABESTIA ; que son emploi étoit de sonner les cloches pour appeller les Religieux à l'Office ; ce qui n'étoit pas une petite affaire, & il falloit être aussi adroit que Malabestia pour sonner en même temps les cloches dans quatre vingts clochers ; mais il ne faisoit pas paroître moins d'addresse lorsqu'il falloit balaier le Convent, c'est à dire quatre-vingts Dortoirs, autant de Cloîtres, autant de cours & neuf mille cellules : car tout cela étoit balaié en un instant. Tout ce qu'on lui commandoit étoit exécuté sur le champ ; mais il y eut une chose à laquelle le Pere Louis d'Urreta dit d'un grand serieux, que Malabestia ne voulut point obeir ; c'est qu'on ne put jamais l'obliger à balaïer le Chapitre, à cause que les Religieux y reconnoissoient leurs fautes devant le Superieur. Enfin il proposa les Religieux de cette province d'Ethiopie comme des modeles d'humilité & de mortification, & il nous assure ; que du Convent de Plurimanos de celui d'Alleluia, où il a sept mille Religieux, & de celui de Beoingali, qui est un Monastere de filles où il y a cinq mille Religieuses, il sort tous les matins de chacun de ces Convents, plus de trois mille Religieux & Religieuses qui vont balaïer les ruës de la ville, & servir de crocheteurs & porte-faix, quoique la plûpart soient enfans de Rois & de Princes.

Hæc tui gratia transcripsi, Frater anonyme, quia ex epistolis tuis non obscure colligo, te interdum jocis delectari. Haud dubie ex hac Gallica synopsi intelligis, totam illam Ludovici Urretæ narrationem ab Helyoto explodi. Propterea tamen non negabo, Dominicanos olim in Æthiopia aliisve Occidentalium & Orientalium Indorum regionibus utiliter Evangelium prædicasse. Neque illam Ordini Prædicatorum gloriam adimit supradictus auctor Franciscanus, dum in Historia Ordinum Religiosorum & militarium *Tomo 3. cap. 25. pag. 210. & sequentibus*, de Dominicanis ita scribit : *Je crois bien que les Religieux de cet Ordre ont aussi passé en Ethiopie dès l'an 1253. & qu'ils y ont travaillé à la conversion des peuples de ce pays-là, comme quelques auteurs du même Ordre le pretendent, alleguant pour cet effet une Bulle du Pape Innocent IV. adressée aux Religieux qui étoient en Ethiopie & en d'autres païs. Mais ce que dit le pere Louis d'Urreta dans l'Histoire de l'Ordre de saint Dominique en Ethiopie qu'il a composée en Espagnol & publiée l'an 1611. n'est pas soûtenable. Il pretend que ces Religieux y ont plusieurs Convens, dont les principaux sont ceux de Plurimanos & d'Alleluya ; que dans le premier il y a toûjours neuf mille Religieux ; & plus de trois mille ouvriers & serviteurs, & dans celui d'Alleluya sept mille Religieux, que le Convent de Plurimanos a quatre lieues de circuit ; qu'il contient quatre-vingts Dortoirs, que chaque Dortoir a une grande cour, un cloître, une bibliotheque, une sacristie & une eglise particuliere, où tous les Religieux de ce Dortoir disent l'Office divin pendant la semaine ; mais que tous les Dortoirs sont disposés de telle sorte, qu'un des bouts repond de plein pied à la grande eglise, où tous les Religieux se trouvent le Dimanche pour chanter l'Office en commun, & que l'autre bout repond au Refectoire, qui a deux mille de longeur, c'est à dire une lieue, où tous les Religieux mangent ensemble tous les jours ; que dans ce refectoire il y a un serviteur pour trois tables, au bout desquelles il y a un passoir qui repond à la cuisine, qui est aussi commune pour tous les Religieux, & qu'il y a un grand & vaste cloître proche la grande eglise, qui sert à faire les Processions ; que le sacristain de la grande eglise donne le signal pour aller à l'Office, & qu'en même tems les sacristains des eglises particulieres de chaque Dortoir sonnent aussi afin que les Religieux se rendent dans leurs eglises.*

Nous croirions ennuïer le lecteur, si nous voulions rapporter toutes les fables, que le Pere d'Urreta debite touchant ce Convent, son fondateur Taycle-Aymanot, S. Tayele-Avares, sainte Imate, sainte Claire & autres Saints de son Ordre à ce qu'il pretend, & touchant les Convens d'Alleluya & de Beniogali. Nous en avons suffisamment parlé dans la preface qui est à la tête du premier volume de cette Histoire : de telles fables ne meritent pas d'être refutées ; mais nous ferons seulement remarquer, que ce Tayele-Aymanot, que les Religieux de l'Ordre de saint Dominique s'attribuent, & dont ils mettent la mort l'an 1366. vivoit l'an 620. c'est à dire plus de cinq cens cinquante ans avant la naissance de leur Fondateur. C'est ce même Taycle-Aymanot qui fut le restaurateur de la vie monastique en Ethiopie suivant le temoignage de M. Ludolphe très-versé dans l'histoire de ce païs, & le Convent de Plurimanos est sans doute celui de Debra Libanos qui fut transferé à Bagendra, comme nous avons dit dans la premiere partie au chapitre XI. Deinde laudatus Helyotus originem harum fabularum ibidem ita detegit : *Le Pere Seraphin Rozzi, qui avant le Pere Louis d'Urreta avoit donné les Vies de ce Taycle-Aymanot, & de quelque autres Saints d'Ethiopie, avoue que ce qu'il en dit n'est que sur le rapport de deux Ethiopiens ou Abyssins, qui se disoient de l'Ordre de saint Dominique & qui furent reçus en cette qualité l'an 1513. dans le Convent de cet Ordre à Pise, d'où ils allerent à Rome, où l'un d'eux aïant demeuré près de trois ans, aïant appris la langue Italienne, laissa par écrit la description de ce pretendu Convent de Plurimanos & de celui de l'Alleluia avec les Vies de quelques Saints de l'Ordre de saint Dominique qui sont mort en Ethiopie, comme de Saints Taycle-Aymanot, fondateur de ce beau & spatieux monastere de Plurimanos, Taycle-Avares, Philippes, André, Samuel, & de saintes Imate, Claire & quelques autres. Michel Pio dit aussi la même chose, & le Pere Loüis d'Urreta reconnoit, que l'an 1515. il y en eut*

huit

bais qui furent recus dans le Couvent de Valence & qui venoient de Rome. Apparamment que de ce nombre étoit cet Abyssin qui avoit laissé à Rome la description de ce Couvent de Plurimanos, & qui avoit composé les Vies de ces Saints d'Ethiopie, dont il laissa aussi des memoires en Espagne, qui ont servi au Pere Loüis d'Urreta à composer son histoire. Ainsi il y a lieu de s'étonner de ce que sur la bonne foi de quelques Abyssins inconnus, sans credit & sans autorité les PP. Razzi, d'Urreta, Pio, & les autres historiens de cet Ordre ayent debité de telles fables.

Huic judici Franciscano, velis, nolis, adjungo unum Jesuitam, cui alios credituros spero, licet hic apud te fortasse nullam fidem sit obtenturus. Is est Nicolaus Godignus Lusitanus, qui in Opere Latino de Rebus Abassinorum lib. 1. cap. 34. Ludovicum Urretam sub nomine novi auctoris placidissima refellit his verbis; *Novus auctor & quidam alius eo autorior litterarum monumentis tradiderunt, multa esse Dominicani Ordinis per totam Abassiam cœnobia. Illa duo maxime celebrant, quæ de Plurimanis & Alleluja vocant. In primo novem Religiosorum millia, in secundo millia septem ajunt vivere. Addunt monialium ejusdem tertium, Bedenagli dictum, quod quinque complectitur millia feminarum . . . Quæ de cænobiorum fabrica, ædificiorum magnitudine, forma, dispositione, deque universa gubernandi ratione adjungit, haud lubet referre. Ex his autem quæ retuli multa ut a veritate, sic ab humana fide sunt aliena, & tenebris magis quam luce digna. Optandum quidem esset, ut in aliqua Christiani orbis parte, nedum in asperrimis illis Æthiopiæ dumetis tam celebres ac tam copiosæ modo reperirentur Religiosæ vitæ veræque pietatis scholæ. At nullos in Abassia esse sive virorum sive feminarum cœtus, qui sancti Dominici legibus regantur, omnino certum est. Cœlatur illi ipsi Abassino, cujus fidem novus auctor in cœlum effert, quique has forsitan fabulas, ab alio primum fictas, auctoritate sua firmavit. Is nobis asseruit, dubitare se, an ullum unquam in Abassia viderit Dominicanæ familiæ Religiosum; cœnobium quidem ejus Ordinis esse nullum. Item Abissini illi, qui Romam veniunt, cum quibus sumus collocuti, idem qui Olisiponem appellunt, absque hæsitatione affirmant. Multis id quoque nostrorum litteris sæpe inculcatum: cum enim scribant, illos, qui in Abassia sunt, Religiosos, paucis exceptis, quibus Romanæ veritatis lux fulsit, plurimis involvi erroribus, & Catholicæ fidei præ ceteris obsistere atque omnium pessime vivere; statim monent, eos neque Dominicani Ordinis esse, neque Franciscani. Tales vero illi monachi sunt, qui in illis de Plurimanis sive Bilibanis (sic etiam appellant) & de Alleluja cœnobiis habitant (quod non solum ex Francisco Alvaro antiquiore teste, sed etiam ex Gonzalo Roderico, qui anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto in Abassia fuit, atque ex iis, qui modo ibidem degunt, agnoscimus) ut judicare facile sit, indignissimos esse, qui tam sanctæ piæque familiæ credantur alumni. Et quidem illud ejusdem rei magno esse argumento debet, quod Societatis Religiosi, qui annis jam prope sexaginta Æthiopicas incolunt regiones, nihil usquam reperere, unde colligere possent, aut nominata cœnobia aut alia, quæ apud Abassinos sunt, Dominicanis legibus gubernari vel ad Dominicanam familiam quidquam pertinere, quod & ipsa quoque indicat ædificiorum vetustas, cum sint omnia multo antiquiora, quam ut cum sancti Dominici Ordine inceperint.*

Jam ex te scire cupio, Frater anonyme, utrum illam Ludovici Urretæ historiam pro vera habeas, eamque cum F. Joanne Calalas (*Candor lilii pag. 41 a. & sequentibus.*) Dominicano tueri velis. Si affirmes, iterum nactus es opportunam occasionem bene merendi de PP. Prædicatoribus: nam vereor, ut severi illi hagiographi Antverpienses Taycle-Aymanotum, Imatam, Claram, aliosque Æthiopiæ Sanctos, quos Urreta commemorat, Ordini Prædicatorum adscribant, nisi certiora hujus professionis testimonia acceperint. Quapropter suadeo tibi, ut studia tua utiliter commutes, & conscribas opusculum de istis Æthiopiæ Sanctis, in quo solide probes, illos fuisse Dominicanos. Ego autem hactenus existimo, inclytum Prædicatorum Ordinem tot veris Sanctis abundare, ut fictos ejusdem instituti sectatores non oporteat in Æthiopia quærere. Tibi tamen gloriosum & PP. Dominicanis gratissimum erit, si me in hoc judicio errare ostenderis, & sacrum Prædicatorum Ordinem tot sanctis Dominicanis antea ignotis illustriorem reddideris.

Si vero cum aliis emunctæ naris auctoribus prudenter censeas, primos harum fabularum scriptores ab impostoribus Abissinis deceptos fuisse, & illos Æthiopiæ Sanctos ad Ordinem Prædicatorum nequaquam pertinere, patienter responde alteri interrogationi, quam nunc tibi proponam. An tu injuriose diceres, Prædicatores cubitis adolescere, si hi supradictis argumentis convicti cordate faterentur se optare, ut ex libris Razzii, Urretæ, Pii, ac Menologiis suis Sancti hujusmodi Æthiopes expungerentur? Cur ergo istud exprobrat Bollandistis, eo quod nonnullas cognominum appellationes, quarum vanitatem antea nondum satis perspexerant, ex mense Januario & Februario expunctas velint? Sane magnam laudem meretur Echardus, quia eliminavit varias fabulosas traditiones, quæ in historiam Ordinis sui irrepserant. Crede mihi, Frater anonyme, etiamsi PP. Prædicatores expungerent omnia historiæ suæ figmenta, & Bollandistæ corrigerent errata, quibus Opus eorum scatere asseris, nihil dedecoris neque ad hos neque ad illos redundaret. Verum tu generali commemoratione aniliunı fabellarum, quibus scripta Bollandistarum fœdari contendis, me impulisti ad referendas peculiares Prædicatorum fabulas, ab hac materia alienas, & me inscientem ab Apologiæ meæ scopo ad longam digressionem sensim avocasti. Quare jam in viam redeo, & me non amplius evagaturum promitto.

Pagina XII. in eadem epistola tueris violentam interpretationem Echardi Dominicani, qui per *satis honestos* S. Dominici parentes, quales ab antiquis scriptoribus vocantur, maxime nobiles & illustres intelligi voluit. Cum autem Cuperus illam explicationem non admiserit, nec ab aliis statim admittendam putaverit, ibidem ei contumeliose objicis, quod plura ex Echardo furtive descripserit, & tamen hunc nonnumquam durius exceperit. Sed a veritate aberras, Frater anonyme, dum illum tamquam plagiarium depingis: nam Cuperus ubique fere gloriatur titulo illo, quod eruditum Dominicanum sæpius

opi-

opinioni suæ consentientem habeat, & idcirco omnia hujus verba distinctis characteribus studiose expressit, ne forsan ea, quæ de revelationibus Alani Rupensis aliisque fabulosis narrationibus cum Echardo judicat, Prædicatoribus displicerent. Dum autem Cuperus ab Echardo in quibusdam controversiis dissentit, quod etiam inter amicos licere, salva semper amicitia, sapientes viri existimant, nusquam durius hunc excepit, sed solidas opinionis suæ rationes modeste protulit, ut §. V. Commentarii sui prævii num. 72. promiserat. Imo ibidem cum candida grati animi significatione publice profitetur, Bollandistas interdum ab Echardo aliisque meliora ac certiora edoctos esse.

Porro Grammaticum agis, ut defendas improbabilem interpretationem Echardi, qui asserit adverbium *satis* aliquando pro *abunde* accipi, indeque confidenter concludit, per *satis honestos* S. Dominici parentes, ut apud Theodoricum de Appoldia appellantur, significari *maxime illustres*, & hac phrasi nobilitatem generis indicari. Imprimis operose probas, vocem *satis* & *abunde* nonnumquam in eadem significatione usurpari. Sed hac probatione inutiliter tempus teris, & subdole tibi fingis adversarium, ut de eo gloriose triumphes: jam enim rariorem illam significationem sponte admiserat Cuperus, dum §. IX. Commentarii sui supradictam Echardi explicationem rejicit his verbis: *Dubito, an hæc interpretatio ab omnibus statim admittenda sit, etiamsi ultro concederem, vocem SATIS apud Grammaticos interdum pro ABUNDE usurpari: cur enim Theodoricus satis honestos S. Dominici parentes non appellasset nobiles aut genere illustres, ut biographi nobilium Sanctorum facere consueverunt.* Non igitur opus erat, Frater anonyme, quærere umbras, quibuscum pugnares.

Deinde ex vocabulario, quod ad calcem Calepini anno 1726. editum est, lectoribus tuis persuadere niteris, adjectiva *honestus* & *nobilis* synonyma esse, & promiscue eamdem significationem habere. Huic addis Thesaurum linguæ Latinæ ex editione Basileensi, Thesaurum Ciceronianum editionis Venetæ; & syntaxin mihi ignotam. At ne miser Cuperus tanto grandium voluminum pondere opprimatur, amico meo periclitanti opitulabor, cui etiam scriptores Dominicani opportune opem ferunt: nam Sanctus Antoninus, qui ex sacro Prædicatorum Ordine ad cathedram Florentinam assumptus est, parte 3. Chronicorum tit. 23. cap. 14. de S. Catharina Senensi sic scribit: *Hæc Virgo mirabilis de civitate Senensi provinciæ Tusciæ ex parentibus HONESTIS & devotis, patre Jacobo pannorum tinctore, & Lapa matre originem traxit.* Nescio, an hunc *honestum* pannorum tinctorem nobilitate donaturus sis. Attamen Catharinæ Senensis pater nobilitatem meretur, quandoquidem adjectiva *honestus* & *nobilis* in tua hypothesi eamdem rem significant. Si forsan ab illa nobilitate afferenda te retrahat defectus adverbii *satis* aut *abunde*, quod huic adjectivo apud S. Antoninum non additur, audi duos ejusdem Ordinis Dominicani scriptores, unum Gallum, alterum Italum, qui hunc scrupulum tibi penitus eximent. Primus est jam sæpe laudatus laudandusque Joannes a sancta Maria, qui in Opere de Sanctis mulieribus Ordinis Prædicatorum part. 1. in Vita S. Catharinæ Senensis sic Gallice scribit: *La seraphique Vierge S. Caterine de Sienne .... prit naissance ... de parens à la verité mediocres en la qualité de leur état, mais TRES-HONESTES & vertueux en leur vie.* Huic expressioni Gallicæ, quam haud dubie sine interprete intelligis, favet Dominicus Maria Marchesius, dum in Diario sacro Dominicano ad diem 30. Aprilis tom. 2. pag. 304. etiam honestissimam stirpem diserte a nobili distinguit hac phrasi Italica: *Nacque questa santa Vergine Caterina da parenti, se non nobili quanto al mondo, pure di HONESTISSIMO lignaggio.* Possem his addere Paulum Frigerium aliosque ejusdem Vitæ scriptores, qui parentes S. Catharinæ Senensis valde *honoratos* vel *honoratissimos* appellant. Si ergo per *satis honestos* vel etiam *honestissimos* parentes intelligendi sint *maxime illustres*, & hoc adjectivum nobilitatem generis indicet, ut cum Echardo contra Cuperum contendis, cur sanctæ Catharinæ Senensi nobilitatem, quæ jussu Pontificis ex Breviario Romano expuncta est, restituere non tentas? Sed conatibus tuis obstabit, reverendissimus Ordinis Prædicatorum magister generalis Raymundus Capuanus, qui eidem sanctæ Virgini fuit a confessionibus, & qui apud Bollandistas tom. 3. April. p. 859. de parentibus istius sanctæ ita scribit: *Hi sic matrimonialiter conjuncti & in simplicitate uniti, quamvis plebeii, rebus tamen temporalibus juxta conditionem propriam abundabant, & de satis laudabili popularium genere orti erant.* Sic Raymundus Capuanus de parentibus S. Catharinæ Senensis, quos optime novisse poterat, cum mater Sanctæ adhuc viveret, quando ille hæc scribebat. Nihil itaque profecisti auctoritate novi tui Vocabularii, ex quo citas sequentia: *Nobile, cioè d'onorata famiglia; honesto loco natus, ex honesta familia; primarius, honestus, optimæ inter cives conditionis.* Nemo dubitat, quin omnis nobilis ex honesta familia sit natus. Sed hinc non sequitur, omnem honestum ex nobili stemmate oriundum esse. Tandem ergo disce, adjectiva *nobilis* & *honestus* non esse synonyma, aut terminos convertibiles: nam plures ex parentibus satis honestis atque etiam honoratissimis nati sunt, qui tamen ex nobili stirpe non prodierunt, ut ex supra relato exemplo constat. Hæc de cavillationibus tuis grammaticis satis superque dicta sunto.

Quia Cuperus jam sæpe citato §. IX. Commentarii sui scripserat, se omnem lapidem movisse, ut PP. Prædicatores Guxmanicam S. Dominici nobilitatem authenticis testimoniis probarent, ad ingeniosam tuo judicio responsionem ita recurris: *Quid*, inquis, *lapides movetis? Oculos aperire sat est.* Sic acute scilicet alludis ad lapidem Peñafilensem, in quo cognomen *de Guzman* genitori S. Dominici tribuitur, & quod ibidem legi potest, si quis tantum oculos aperuerit. Sed jam in responsione mea præcedente hunc lapidem movi, & contra expectationem tuam, ut opinor, ab ætate S. Dominici nimis removi.

Dein generaliter objicis antiqua hujus nobilitatis instrumenta, & interea nullum profers; imo implicite fateris, te documenta hujusmodi proferre non posse, dum pag. XIV. epistolarum tuarum sic scribis: *sed, amabo, quis in archivis authenticis Hispaniæ degens, vobis Antverpiæ commorantibus manus porrigere poterit, & authentica dare?*

dare? Quæ manus, bone Deus, quæ manus! Hic hallucinatis, Frater anonyme, aut te hallucinari fingis, ut difficultatem subterfugias, & incautum epistolæ tuæ lectorem fallas. Quis Bollandistarum umquam petiit, ut proceres Hispaniæ vel PP. Prædicatores ipsa primigenia Guzmanicæ nobilitatis instrumenta, quæ in archivis Hispanicis conservantur, in Belgium transmitterent? Putasne, illos viros tam fatuos esse, ut undique omnes manuscriptos codices, etiam Vaticanos, ex quibus multa Sanctorum Acta ediderunt, sese impetraturos sperant, eosque innumerabilibus impensis Antverpiam velint accersere? Videris ignorare, quomodo illi Acta Sanctorum colligant. Si nescis, breviter & candide tibi hanc rem indicabo prout ex ipsis aliquando audivi. Plerique ex Bollandistis varia per Europam itinera instituerunt, & ex antiquis codicibus, quos eis videre datum est, multa ad Sanctos spectantia transcripserunt. Quod si nihilominus postea deprehendant, se ad illustrandas Sanctorum Vitas carere quibusdam instrumentis (omnia enim & ubique colligi non potuerunt) per amicos aut amanuenses illa fideliter describi curant. Cum itaque ipsis deessent certa testimonia ad probandam Guzmanicam S. Dominici nobilitatem, simili modo tempestive postularunt genuina veterum instrumentorum apographa, ex authenticis archivis extracta, notis chronologicis distincta, & fide dignis testimoniis roborata, ut claros S. Dominici natales solide possent asserere. Cur id fieri non potuit in Hispania, in qua documenta hujusmodi exstare dicebantur, cum similia veterum instrumentorum ecgrapha sæpe ex remotioribus & difficilioribus Europæ partibus obtinuerint? Quid igitur ad rem faciunt tuæ exclamationes? Quid in hac petitione peccatum est? Tamen, te judice, *hæc petiisse turpius est, quam S. Dominici nobilitatem pernegasse*. Verum non arbitror, ab æquis rerum æstimatoribus idem judicium ferendum esse.

Dum eadem pagina XIV. ex memoriis Trivultianis probare conaris, Bollandistas jam ab anno 1729. Actis SS. Dominici & Hyacinthi ultimam manum imposuisse, ignorantiam tuam prodis. Jam quidem a multis annis Bollandistæ in scriniis suis solicite conservant pleraque monumenta, ad Sanctos mensis Augusti pertinentia; sed rudis & indigesta illa materia pedetentim & mature expendenda est, ac Commentariis præviis aliisque notis illustretur. Sic habent varia instrumenta, quæ ad Vitam S. Hyacinthi spectant; hactenus tamen nemo eorum penitus illa discussit, quamvis ista discussio jam quamprimum facienda sit, ut Cuperus in litteris ad amicum datis testatur. Tu interim affirmas, Bollandistas jam ab anno 1729. Actis SS. Dominici & Hyacinthi ultimam manum imposuisse, ac materiam postulare, dum constructas ædes nuntiant. Ergone adeo imperitus es, Frater anonyme, ut putes, operosos Bollandistarum Commentarios, sicut fungos, una nocte nasci? Quando igitur anno 1729. in memoriis Trivultianis annuntiarunt, se Sanctis mensis Augusti ultimam manum apponere, hoc paulatim & successive intelligendum erat, ut per se patet: nam Cuperus post annum 1729. de elucidandis S. Dominici Actis primum cogitare cœpit, & post eumdem annum pro stabilienda S. Dominici nobilitate per R. P. Priorem Conventus Antverpiensis ab ipso totius Ordinis generali magistro solida quædam argumenta petiit, eidemque Priori assignavit historiam manuscriptam Andreæ Farrer Valdecebro Dominicani, qui Guzmanicam S. Dominici stirpem accurate probasse dicebatur, ut ex recitato superius paragrapho liquet.

Sed etiamsi ultro concedam, Cuperum jam ante triennium vel quadriennium sive ab anno 1729. post quem tamen instructionis petendæ gratia ad PP. Prædicatores recurrit, Actis S. Dominici ultimam manum imposuisse nihil proficies: nam in hac falsa tua hypothesi tantum post tres aut quatuor annos Acta illa edenda erant, ut ex anno editionis 1733. manifestum est, adeoque tunc majori studio subministrare oportebat petita instrumenta, ni Bollandistæ sententiam mutarent, quod non raro etiam post conscriptos editosque suos Commentarios faciunt, ubi ab aliquo probabiliora aut certiora edocentur. Certe non ignoras, Papebrochium opinionem suam, qua officium venerabilis Sacramenti sancto Thomæ Aquinati abjudicaverat, aliosque errores historicos candide retractasse. Imo tu ipse supra Bollandistis exprobrasti, eos cubitis adolescere, quia nonnullas cognominum appellationes, quarum vanitatem antea nondum satis perspexerant, postea ex Opere suo expunctas optabant. Quod si post suppeditata solida argumenta Cuperus in priori suo dubio pertinax hæsisset, tunc saltem justam conquerendi causam habuisses. Quare magis laudo candorem tuum, dum ibidem post pauca non obscure innuis, PP. Prædicatores non voluisse (ego illos non potuisse crediderim) Bollandistis invicta hujus nobilitatis argumenta suppeditare.

Hinc digrederis ad arrodandum Commentarium, quo Joannes Pinius, Acta S. Ignatii de Loyola non ita pridem illustravit, ut hic iterum ex initialibus prænominis cognominisque ejus characteribus facile conjicio, & clarius intelligo ex epistola iisdem Actis præfixa, qua hagiographus ille R. admodum P. Francisco Retz Præposito Generali Societatis Jesu lucubrationem suam dedicavit. Verum hac occasione tibi suadeo, Frater anonyme, ut istum P. Pinium non nimis lacessas: jam enim ab aliquot annis lustravi Antverpiense Bollandistarum Museum, & collocutus sum cum ipso Pinio, qui mihi videbatur vir fervidi animi, & præditus corpore non quidem magno, sed solido & succi pleno. Amicus autem meus Cuperus, quem ibidem inter alios hagiographos vidi, mihi apparebat esse lenioris indolis ac minus robustæ valetudinis, ita ut potius hunc, quam illum, impune possis irritare. Hæc instructionis causa monere te volui, ut caveas ab isto ferventioris ingenii & calami scriptore Antverpiensi, qui tamen hactenus videtur ineptias tuas floccifacere, cum nihil his respondeat. Quamquam omnes hæ frivolæ observationes tuæ nihil ad Acta S. Dominici faciant, talesque nugas ego etiam responsione indignas existimem, tamen commiseratione moveor, dum te video scrupulis angi, eo quod Pinius, alios auctores secutus, Societatem suam cohorti vel legioni militum comparaverit, & Christum Dominum appellarit supremum hujus spiritualis militiæ tribunum atque ductorem. Hic nimirum times,

ne Pinius crimen blasphemiæ commiserit, & propterea omnes Bollandistas hac exclamatione interrogas: *Siccine Dei virtutem ac Dei sapientiam, Salvatorem omnium Jesum, vocatis tribunum cohortis militum?* Sine, hunc scrupulum ex animo tuo evellam, ne altius radices agat, & forte alios timidos aut imperitos contagione scrupulorum inficias. Crede mihi, Frater anonyme, nodum in scirpo quæris, & tantum umbra irreverentiæ te terret: nam sancti Patres passim Christum figulo, aucupi, agricolæ, aliisque infimæ conditionis hominibus assimilant, eumque metaphorice his nominibus appellant.

Nolo te hic textibus Sanctorum Patrum obruere, quia ad omnem scrupulum tibi eximendum sufficiet, si indices Operum S. Ambrosii, S. Hieronymi & S. Augustini ad nomen *Christi* consolas. Si vero te adhuc terret appellatio militaris, ut alia hujusmodi plura omittam, tantum obiter inspice Bullam Gregorii IX. Pontificia, qua S. Dominicum numero Sanctorum adscripsit. In ea apud Bollandistas tom. 1. Augusti p. 624. Pontifex iste post alias bellicas metaphoras de Christo habet sequentia: *Adversus infestissimam multitudinem, militiam aduuare voluit promptiorem; & sicut in præsentiarum cernimus, post trium signis differentium tirocinia quadrigarum, in quadriga quarta equos varios & robustos Prædicatorum & Minorum Fratrum agmina cum electis ducibus simul in prælium directurus, spiritum S. Dominici suscitavit, & ei, velut equo suo gloriæ, præbens fidei fortitudinem & fervorem, divinæ prædicationis hinnitum circumdedit collo ejus.* Vereor, ut hæc tibi placeant, quia Gregorius IX. ibi de militia & prælio loquitur, aliasque, forsan tibi non placituras, comparationes instituit.

Cum tantopere ab appellationibus bellicis abhorreas, fortasse gratior tibi erit comparatio, quam Reverendissimus Pater Frater Jacobus de Lactans Ordinis Prædicatorum, sacræ theologiæ professor meritissimus (his titulis decoratur in fronte Operis, quod Lutetiæ Parisiorum litteris Gothicis impressum est) in sermone de Passione Domini inter Christum & Caponem assatum instituit. Ut de mea fidelitate securior sis, accipe ipsa hujus reverendissimi Patris Dominicani verba, quæ apud me fol. xcIII. sic sonant: *Unde isti pessimi Judæi fecerunt de Salvatore nostro, sicut homines faciunt de capone assato. Primo depilant eum, postea ponunt in veru, & tandem perforant eum de cultello, ut probent, si bene sit coctus, an non. Sic fecerunt isti pessimi Judæi Salvatori nostro. Exspoliaverunt eum nudum, affixerunt cruci clavis ferreis, exposuerunt fervori solis, & tandem, ut probarent eum, si bene coctus esset, lancea perforaverunt latus ejus.* An tibi hæc comparatio arridet? Sane ea mihi, ut animum sincere aperiam, nimis videtur vilis & abjecta. Opinor hæc ad inanem tuum scrupulum tollendum sufficere.

Quantumvis tibi displiceant nomina militaria, tamen places stratagema, quo milites interdum utuntur: hi enim aliquando levem impetum faciunt in quoddam urbis obsessæ propugnaculum, ut hostem ex munitiore civitatis loco eliciant. Sic tu in fine epistolæ tuæ secundæ leviter accusas ea, quæ Bollandistæ olim de genealogia Christi scripserunt, ut Cuperum abducas a mutitissimo suo Commentario, qui ei tantum pugnandus est. Attamen inter te & peritos belli duces ea est disparitas, quod illi aperto marte hostem invadant, & tu adversarium turpi fraude aggrediaris: postquam enim audacter pronuntiasti, Bollandistas pessima quæque de genealogia Christi garrivisse, statim subdis hæc verba: *Novi, quæ respondistis olim; sed proh dolor, ut dici solet, de fumo ad flammam.* Cur non exhibuisti ea, quæ Bollandistæ olim responderunt? Cur saltem non indicasti locum, ubi ea responsa curiosus lector invenire posset? Putasne, omnes tam credulos esse, ut dicta tua pro oraculis habeant? Quapropter quod tu fraudulenter omisisti, ego hic assigno, & eruditum lectorem remitto ad Responsiones Papebrochianas, quæ in multorum manibus sunt, ubi in Responsione ad articulum xxv. variis paragraphis genealogia Christi ab accusationibus fuse vindicatur. Vale, Frater anonyme, & deinceps in epistolis tuis majorem prudentiæ curam habe.

R E S P O N S I O

Ad tertiam Fratris anonymi epistolam,

SUspicor, Frater anonyme, decimo die ante Kalendas cujusque mensis felicius uberiusque tibi calamum fluere: sicut enim primam præcedentium epistolarum tuarum decimo Kalendas Martias, & alteram decimo Kalendas Apriles edideras, ita etiam decimo Kalendas Maii scripsisti hanc tertiam, quæ nunc examinanda est, & in qua mihi amplam disserendi materiam præbes. In ea varias inconstantis animi affectiones prodis, & modo Heracliti, modo Democriti partes agis. Primo quidem dolorem tuum exprimis hac exclamatione: *Me miserum! Cur amores deliciasque meas, Antverpienses scriptores, quos toties laudavi, reprehendere cogor? Doleo! Doleo! Bat! Vicem tuam doles, Christiane Catholice? Magis amica veritas. Loquaris.* Quamvis hæc tua scribendi methodus nonnihil obscura sit, tamen propemodum intelligo, quid velis. Nimirum magis amica veritas te invitum coegit, ut hagiographos Antverpienses, tibi antea dilectos, conviciis dicteriisque proscinderes. At miror, amicam illam veritatem ante hæc tempora tibi dormitanti aurem non vellicasse: nam scriptores Antverpienses jam abhinc quinquaginta annis pessima quæque garriverunt de genealogia Christi, ut superius in fine epistolæ tuæ secundæ conquerebaris. Quando igitur & quomodo eos toties laudasti? Haud dubie primo te excitavit amica veritas, quando Cuperus de Guzmanica S. Dominici stirpe dubitavit, & fabulas Alani Rupensis explosit. Hinc illæ lacrymæ.

Mox dolori tuo risum subjungis, & in cachinnos erumpis, lectoremque tuum facetis verbis ad ridendum excitare conaris. Quidni rideam, inquis: *Vix anicularum lucubratione digna proferunt, quæ risum vel ab ipsis gementibus exprimerent. Vidi, novi, scio, video. Quid mali? Mirum, si vos ipsi risum tenere potuistis.* Sed paulisper, obsecro, a risu tempera, & interim mihi veram risus tui causam expone. Respondes, Bollandistas omnibus risum movere, quia tot inutiles quæstiones instituunt, ac inter alia quærunt, utrum S. Dominicus fuerit calvus, an S. Ignatius esset valde canus &c. Sed scias, Frater anonyme, quæstionem de calvitie S. Domi-

nici

nici noo fuisse ioutilem : ez hac enim decideodum erat, utrum Sorianensis pictura, quæ e cælo delata dicitur, & in qua S. Dominicus calvus depiogitur, esset vers Sancti istius effigies, an autem altera tabella, in qua oulla ejusdem Sancti calvities exprimitur, & quam PP. Prædicatores pro vera S. Dominici effigie hagiographis Antverpiensibus miserant, cum tamen ambæ illæ imagioes plurimum inter se discreparent. An cælestes pictorea formam S. Dominici viventis ignorabant? Forsao te pungit, quod tabellam Sorianensem, quæ io cælo picta aut saltem è cælo ad cœnobium Prædicatorum allata traditur, cum alia Bollandistis submissa conciliare oequeas. Si utramque illam picturam longe diversam nemini pro vera S. Dominici effigie venditare possis, saltem clare mihi edicito, utra hunc Sanctum vere repræsentet. Porro si hujusmodi quæstiones sint ridiculæ, certe ridiculam quæstionem movit frater Joannes a sancta Maria Dominicanus, qui in vita Gallica S. Dominici lib. 4. toto capite undecimo disputat de corporea sancti sui Patriarchæ forma, & ibidem reprehendit eos, qui in aliquibus S. Dominici imaginibus quamdam calvitiem exprimunt, ut in Commentario prævio Cuperi §. 44. videre est.

Quod vero attinet ad sanctum Ignatium, Pinius in Commentario suo ad Acta ejus retulit quæstiones, quas de corporea S. Ignatii forma olim propoluerat venerabilis P. Nicolaus Lancicius, doctus & pius Societatis Jesu sacerdos. Si pietatem aliasque dotes venerabilis hujus viri nosse cupis, lege ampliorem ipsius Vitam aono 1690. Pragæ lingua Latina editam. Non inutiliter io ea lectiooe tempus collocabis, & haud dubie inveoies, quod imiteris. Ceterum vir ille venerabilis more majorum omnia in Sanctis hominibus suspiciebat, & ideo etiam in minimas Sancti sui Patris actiones formamque corpoream solicite inquirebat. Neque id mirum videri debet, quandoquidem plerisque insita est quædam curiositas, qua cupiunt inclytos antiquitatis heroes, & viros doctrina aut sanctitate illustres, vivis coloribus depictos contemplari, ac etiam minimas eorum actiones cognoscere. Sic Gregorius Nazianzenus tomo 1. editionis Billianæ pag. 370. in Oratione funebri S. Basilii parvas hujus virtutes describit, atque de ipsis corporais ejus defectibus ita memioit : *Tanta ipsius virtus gloriaque præstantia fuit, ut multa etiam ex parvis illius virtutibus, atque adeo ex corporeis defectibus ab aliis ad gloriam nominisque claritatem parandam excogitata sint; cujus generis fuat pallor, barba, certus incedendi modus, tum etiam ad loquelam minime promptum esse, sed ut plurimum cogitabundum atque intro collectum (id quod multi non recte imitantes, nec animadvertentes, in odiosam quamdam tristitiam inciderunt) vestis etiam genus & lectuli species, & cibi sumendi modus, quorum ille nihil dedita opera, sed simpliciter ac fortuito factitabat.* Hæc S. Gregorius Nazianzenus de S. Basilio, ex quibus vides, quomodo antiqui minimas hujus Sancti actiones observarent.

Frater anonyme, si corporea Sanctorum descriptio sit nugatoria, ut tu quidem existimas, nugatus est Theodoricus de Appoldia Dominicanus, quando apud Bollandistas tom. 1. Augusti pag. 598. formam S. Dominici minutim ac scrupulose depingit his verbis : *Interim sanctus pater Dominicus in conventu Fratrum Bononiæ morabatur ex hoc seculo in proximo migraturus; qui utriusque hominis sui decore ac puritate gratiosus, omnium in se provocavit aspectum pariter & affectum : erat namque statura mediocritate æqualis, corporis tenuitate agilis, facie pulcher & paulisper rubens. Barba vero ejus & capilli aliquantulum rufi coloris speciem præferebant. De fronte ipsius & intercilio splendor quidam radiosus micabat, qui omnes ad venerationem ac dilectionem ejus attrahebat. Hilaris semper & jucundus apparebat, nisi cum ad compassionem per quamlibet afflictionem proximi movebatur. Manus longas habebat & pulcras, vocem magnam & pulcram, & tubaliter resonantem. Calvus non fuit; sed coronam rasilem totam integram habebat, paucis canis respersam.* Etiam obiter pervolve Relationem juridicam Bononiensem, quam Cuperus tom. 1. Augusti pag. 632. & sequ. ex Echardo recudi jussit, & in qua novem jurati testes ex Ordine Prædicatorum narrant varia minoris momenti gesta, quæ in sancto suo Fundatore observaverant. Hic tu simplicitatem Theodorici de Appoldia & istorum testium ride, quantum lubet. Imo audi insuper alias hujus generis narrationes, ut in dulci isto risu & tam jucundo cordis oblectamento diutius perseveres.

Secundum tuam opinionem etiam nugatus est Frater Guilielmus de Thoco Ordinis Prædicatorum, & contemporaneus sancto Thomæ Aquinati, qui apud Bollandistas tom. 1. Martii pag. 672. figuram Angelici Doctoris ita describit : *De naturali etiam dicti Doctoris dispositione corporis, sicut & mentis, dicitur, quod fuit magnus in corpore & recte staturæ, quæ rectitudini animi respondet; coloris triticei ad temperata ejus complexionis indicium : magnum habens caput, sicut virtutum animalium perfectiones, quæ rationi deserviunt, organa perfecta requirunt. Aliquantulum calvus, fuit tenerrimæ complexionis in carne, sicut aptitudo ejus intelligentiæ indicabat in mente. Fuit virilis robore, cum se ad aliquos actus virtutis corpore exercebat* &c. An hi duo scriptores Dominicani *vix auricularum lucubratione digna* proferunt, dum unus asserit, S. Dominicum non fuisse calvum; sed coronam rasilem integram habuisse, paucis canis respersam; alter vero dicit, quod S. Thomas Aquinas *aliquantulum calvus* fuerit?

Denique in tua sententia nugatus est Franciscus Silvester Ferrariensis, vir inclytus ex eodem Prædicatorum Ordine, & B. Osannæ Mantuanæ intimus, qui formam ejusdem Beatæ apud Bollandistas tom. 3. Junii p. 719. exprimit hoc modo: *Erat non supra communem modum procera statura; forma egregia atque præstanti, non quæ ad illecebram, sed quæ ad morum integritatem homines pelliceret. Paulum oblonga facie ad fuscum colorem (rubore tamen quodam, maxime in juventa suffusa) inclinata; oculis glaucis atque cæruleis, quos tanta ingenuitate versabat, ut divinum quiddam præ se ferrens. Genæ aliquantulum tumentes erant ad gratiam hominum conciliandam. Erat præterea corpore gracili, sed in senectute languidiore atque infirmiore; usque adeo vero macilenta, ut pellis ossibus hæreret.* Quales nugas profert auctor ille Dominicanus, si te judicem audiamus! Mirum, si risum tenere possis!

Quod si adhuc risu delecteris, Frater anonyme, copiosiorem ridendi materiam tibi dabo. Evolve igitur Vitam B. Columbæ Reatinæ, quam F. Sebastianus Perusinus Dominicanus conscripsit, & quam Papebrochius ad diem xx. Maii edidit. Ibi in Actis Sanctorum tom. 5. Maii pag. 358. F. Sebastianus beatæ virgini Columbæ, cui a confessionibus erat, varias proponis quæstiones, quas hic præ nausea repetere nolo. Certe hic occurrunt multæ quæstiones physicæ aut medicæ, quas ego minus necessarias judico, licet Papebrochius eas referre debuerit, ut manuscriptum suum exemplar fideliter sequeretur. Forsan hæ curiosæ interrogationes tibi non displicebunt, quia ab auctore Dominicano describuntur. Postquam eas levi oculo percurreris, sincere mihi renuntia, utrum hæ interrogationes tibi videantur utiliores, quæstionibus illis, quas Bollandistæ de calvitie S. Dominici vel canitie S. Ignatii proponunt, quasque tu nugatorias ac ridiculas arbitraris.

At hic recordor laudum tuarum, quas olim hagiographis Antverpiensibus impendisti. Quo fundamento, qua crisi, toties laudare potuisti amores deliciasque tuas, scriptores Antverpienses, qui tot ineptias & nugas, te nimirum judice, jam a triginta, quadraginta, & quinquaginta annis in Opere suo retulerunt? Nihil hic tibi superesse video, Frater anonyme, nisi ut laudes tuas, scriptoribus illis perperam impensas, quantocius revoces, & ingenue fatearis, te antea nihil aut parum de Actis Sanctorum legisse, adeoque te etiam ea laudantem, tamquam cæcum de coloribus judicasse. Nunc experior, te etiam cubitis adolescere, quod superius Bollandistis exprobrabas, & nihilominus tibi gratulor, quod tandem amica veritas te hactenus cæcutientem illuminaverit.

Post risus & jocos traiceris, & classicum canis, ut venerandum Cappucinorum Ordinem contra Jesuitas excites. Primo hagiographos Antverpienses interrogas, cur præstantissimi Cappucinorum Ordinis alumnos deprimere gestiant, & probrosis ruinis altius efferre Societatem suam velint. Dein pag. xix. alteram aculeatam interrogationem huic priori ita subnectis: *Adeone sacer Ordo Cappucinorum, quorum præclarissimas virtutes ipsimet hostes Ecclesiæ demirantur, quorum fama verbis amplissimis ubique celebratur, quorum laudes humanum prope fastigium supergressæ sunt, Ordo præstantissimus, innocentiæ custos, exemplar pœnitentiæ, sanctitatis arx munitissima, celeberrimus Ordo Cappucinorum, idoneus, in qua sic illudatis, vobis videtur?* Quam facunde hoc loco excurris in laudem Cappucinorum, ut Jesuitas odiosos reddas! Tota autem harum interrogationum causa est, quod F. Laurentius de Mola, pius concionator Cappucinus jam morti proximus accersi jusserit Vincentium Matresium Jesuitam, eique dixerit, omnes, qui in Societate Jesu moriuntur, ad æternam salutem pervenire; sed *a* sua Religione, tametsi multi salventur, aliquos damnari, sicut tomo 7. Julii apud Bollandistas pag. 851. & sequente susius refertur.

Nemo a te exigit, Frater anonyme, ut huic narrationi certam fidem adhibeas, quemadmodum Pinius ibidem pag. 852. abunde indicavit his verbis: *Habes, lector, qua nitatur fundamenta mirabilis illa, quæ circumfertur de salvandorum in Societate Jesu prærogativa, cujus veritati tantum tribues, quantum rationibus pro ea allatis deferendum esse censueris. Et vere erunt sine dubio, qui pro re adeo paradoxa, dicam pene incredibili, majora credibilitatis motiva requirant; quæ cum mihi non sint in promptu, superest, ut me contineam intra solos simplicis narrationis fines, relicta cuilibet in utramque partem sentiendi plenissima libertate.* Numquid hæc historia monito illo ita temperata est, ut neminem ad assensum compellat? Imo ista Jesuitarum prærogativa non est mihi prorsus certa, & vix dubito, quin Societas illa varios reprobos habitura esset, si retinere cogeretur omnes eos, quos ad probationem vel simplicia vota admisit. Tu igitur, Frater anonyme, hanc narrationem & omnia testimonia in eam rem adducta tanti facies, quanti volueris.

Sed cur hanc qualemcumque Jesuitarum traditionem tam acerbe impugnasti? An tu, vir adagiorum peritissime, ignorabas, *suum cuique pulcrum esse*, ut fert parœmia? Sic Hyacinthus Choquetius Dominicanus Ordinem Prædicatorum omnibus aliis Religionibus præfert, dum in Opere de Maternis Deiparæ visceribus caput secundum exorditur hoc modo: *Inter has gratulationes piasque spiritualis gaudii lacrymas, exsultat potissimum illustrissimus vereque apostolicus Prædicatorum Ordo, tot tantisque ab effusa Mariana manu auctus cumulatusque gratiæ donis, ut inter eximia beneficia aliis præstita omnium pene sententia palmam ferat. Sunt sane maxima, quæ Religiones aliæ a Dei Parente Virgine acceperunt, ut quemque fateri, gratulari & admirari merito oporteat; largissimo haustu gustaverunt illæ aquas gratiarum, quæ in hominum salutem ex maternis Mariæ uberibus manant, scaturiunt, atque exundant. At in Prædicatorum Ordinem (quod ad Dei Virginisque gloriam absque cujuspiam offensione dictum sit) videtur cæli Regina totum benignitatis fontem effudisse, & quidquid illi gratiarum est, manu prodiga in sinum injecisse; sincerioris scilicet affectus delicias. Ut quemadmodum mystico Salomoni Christo plures sunt reginæ atque innumeræ concubinæ, justorum videlicet animæ, sponsa ejus lectissimæ; unica vero amica illi est Maria ipsa sanctissima, unica columba, unica quæ puriores casti amoris ignes habet; ita Virgini ipsi Deiparæ omnes Religiosorum Ordines in amoribus sunt, ut tamen prima illi cura sit Prædicatorii instituti Ordinisve amor, sitque clarissima illa Religio, unica veluti tantæ Virginis amica, unica columba, unica dilecta.* Idem auctor gloriose debuccinat alias Ordinis Dominicani prærogativas, quibus Bollandistæ numquam contradixerunt.

Verum ne videar extra oleas saltare & relinquere materiam, quam præcipue in Jesuitis accusas, dabo simile exemplum ex citato Opere cap. 19. pag. 567. Hyacinthi Choquetii, qui inter alia de Dominicano pie moriente hæc scribit: *Insigne argumentum est, quod refert noster Gerardus Lemovicensis ex adversariis B. Humberti, qui memorat, Ferdinandum quemdam Hispanum (ipse Ferrandum appellat) post varios diuturnæ ægritudinis cruciatus mortem obiisse, a qua mox cadaver ingenti splendore radiaverit; illum porro cuidam e nostris alteri apparuisse, ex quo cum is nonnulla sciscitatus esset, atque inter alia quonam pacto cum Ordinis nostri Fratribus ageretur, respondit Ferdinandus: „ Optime; siquidem „ bea-*

„ *beatissima Virgo Mater OMNIBUS, qui in er-* „ *dine moriuntur, in supremo agone pugnantibus* „ *semper adest, ac, ne pereant, sua benignitas protegit* „. Ex hac relatione audis, omnes, Dominicanos, æque ac Jesuitas, ad æternam salutem pervenire. An propter hanc narrationem Prædicatores probrosis aliorum ruinis Ordinem suum altius efferunt? An propterea Dominicani deprimunt præstantissimum Ordinem Cappucinorum, qui ultro in Annalibus suis fatentur, aliquos in sua sanctissima Religione damnari, ut infra paucis indicabo?

Ne forte quispiam dicat, hic a me allegari Opus Choquetii, quod in Indice Romano proscriptum est, confirmabo eamdem rem ex Nicolao Jansenio Dominicano, qui in Vita S. Dominici l. 3. c. 5. ad illam Prædicatorum prærogativam probandam narrat sequentia: *Frederico III. imperatore Occidentis, obierat omnium opinione quidem Ordinis Præmonstratensium Canonicus. Hic cum ad tumulum efferretur, revixit, ac deinde in tugurio quodam haud procul a monasterio reliquum vitæ rigidissima fui castigatione exigebat. Illum venerabilis quidam Frater Ordinis Minorum, Guardianus Friburgi, in Germania Brisgoiæ illac transiens invisit (quippe ferium rei gestæ ub antistite cœnobii cognoverat). Post varia ultro citroque colloquia de rebus divinis, certior ub eo factus est quarumdam secretorum, quæ spectabant ad Ordinem S. Francisci. Unde facile existimavit Guardianus, illum prædicta ex cælesti revelatione didicisse. Quærenti vero studiosius de Prædicatorum Ordine, responsum ab eo est:* „ *Isti regulam B. Augustini, quæ Vitam apostolicam & statum primitivæ præ se fert* „ *Ecclesiæ, quæ collapsa fuerat, per suam religiosam & plenam observantiam erexerunt. Sciatis quoque, quod inter omnes electorum status* „ *Prædicatorum Ordo ante Deum præeminet &* „ *refulget, nullusque status personæ tam generaliter salvæ sunt, & fiunt. Et non damnabitur QUISQUAM, in illo Ordine & sancta* „ *vita usque ad finem perseverans* „. *De his aliisque instructus Guardianus rediens Friburgum F. Arnoldo in eadem civitate Priori Ordinis Prædicatorum, viro probatissimo, hæc ipsa narravit.* Quamvis Bollandistæ etiam hunc prophetam non noverint, & forsan de veritate istius narrationis dubitent, tamen numquam illud singulare Prædicatorum privilegium invidiose oppugnarunt. Porro ex hac Jansenii relatione intelligis, Ordinem Prædicatorum super omnes alias Religiones extolli, & neminem damnari, qui in illo Ordine usque ad finem perseverat. Si hæc vera sint, jam in ea re Prædicatores non tantum Jesuitis sunt æquales, sed iisdem longe superiores, quandoquidem antiquitate & numero personarum Jesuitas multum præcedunt, adeoque in ea hypothesi ex Ordine suo plures cæli incolas habent. Crede mihi, Frater anonyme, illam qualemcumque Jesuitarum traditionem, cui similem Prædicatores proferunt, potius intactam reliquisses. Quidquid sit de ista Prædicatorum & Jesuitarum prærogativa, ego plane censeo, nulli Ordini Religioso, etiam sanctissimo, ignominiosum esse, si in eo aliquot sacrilegi votorum suorum violatores damnantur. Certe Antonius Senensis Dominicanus id Ordini suo probrosum non putavit, dum in Chronico Fratrum Prædicatorum ad annum Christi 1370. narrat sequentem historiam his verbis: *Rem satis notatu dignam jubes his referre, quia quo loco convenientius illius fieri queat memoria, non novi. Accidit Neapoli in Conventu nostro sancti Dominici (sunt enim ibi præter hunc sex vel septem Conventus alii etiam nostri Ordinis) ut post Completorium refectionis locum ingrederetur, cui erat illius cura commissa, qui mox in ingressu videt illum Fratribus circumquaque refertum; & illi cappas habebant indutas, & tamquam hora foret collationis faciendæ & illam exspectarent, sedebant. Accurrit ille sine mora ulla ad Priorem, & isti illud aperit. Prior Fratrem delirum putat vel somnia narrantem. Attamen dum urgetur, vadit, videt, & credit; & ille quoque turbatur, & rem mox confert cum monasterii gravioribus Patribus & prudentioribus, de quorum consilio sacras vestes assumit, & sacrum Christi corpus deferendo, toto Conventu comitante, se illuc confert, & ad illum sermone directo, qui honoratiori loco sedebat, eos adjurat, ut aperiant, quinam sint, & ad quid venerint, & quid velint: & ut ad hæc respondeant, illis præcipit in nomine illius Domini, quem gestabat in manibus. Ut enim quando Prior coram illis comparuit cum venerabili Sacramento, illi omnes assurrexerunt quidem & capita inclinarunt; Caputia tamen taliter demittentes, ut eum minime viderent: & hoc facto, iterum sederunt. Ita jussi a Priore, ut responderent ad proposita, inclinarunt. Tandem qui inter eos videbatur præcipuus, respondens dixit, quod ipsi omnes fuerant ejusdem Ordinis Religiosi, & pro majori parte Magistri, Priores, Suppriores, Baccalaurei, Lectores, & aliis officiis donati, & quod omnes damnationis sententiam acceperant, quoniam ambitio multa, superbia, invidia, & alia hujus generis vitia eos fecerant damnatione dignos. Sed quod divina permittente clementia, jussi fuerant illuc venire, ut eos & universos Ordinis cultores commonefacerent, ut suæ vocationi facerent satis: nam illi, quia minime id præstiterant, omnes damnati erant, & flammis cremabantur æternis; & in signum hujus cuncti in eos aspicerent. Et hoc dicto, omnes illi cappas aperuerunt, & singuli eorum flammis circumcincti & incensi visi fuere; & tunc idem præcipuus manu in mensa signum dedit, & sic illa visio evanuit, & totus Conventus mansit timore consternatus. Istius rei adhuc perseverat memoria in illo Conventu nostro, quasi per traditionem recepta ab antiquis. Nec dubium, quin maximus eo tempore ibi & alibi fuerit ex visione illa fructus subsecutus, & multa regularis vitæ instauratio.* Hanc Antonii Senensis narrationem tibi, Frater anonyme, cum supradicta Choquetii narratione & altera Canonici Præmonstratensis revelatione conciliandam relinquo.

Interim audi Joannem a sancta Maria Dominicanum, qui in Vita S. Dominici lib. 4. c. 29. veritatem hujus horrendæ historiæ variis argumentis probat. Cum autem alibi indicaveris, te callere linguam Gallicam, accipe vernaculum & simplicem hujus scriptoris Dominicani stylum, qui loco proxime citato hæc habet: *Michel Pio dans sa premiere partie de sa premiere edition, au livre second, rapporte d'Antoine de Sienne en sa Chronique, l'an mille trois cens septante, la plus epouventable vision, qui se puisse jamais écrire sur ce sujet. Quelques mo-*

dernes la rejettent; mais ils me semblent n'avoir pas de raison, & vouloir flatter la relaxation de ceux, qui derogent notablement à l'observance de leurs regles, veu que premierement la tradition en est aussi fraiche dans le Couvent, où elle est arrivée, comme s'il n'y avoit que deux jours. Secondement Antoine de Sienne & Seraphin Razzi, qui ont appris l'histoire sur les lieux, auroient ils pû coucher à la posterité une chose si prodigieuse, qu'ils n'en eussent au prealable de certaines assurances? J'ay oüi des Religieux, qui protestent en avoir veu les marques, dont nous ferons mention à la fin de l'histoire. Troisiemement, elle n'est pas seulement arrivée au Convent de saint Dominique à Naples, mais encore à celuy, que saint Hyacinthe bâtit à Frisac, ville de Carinthie, premiere province des Allemagnes. Quatriemement, il ne faut point de vision pour faire croire la substance de la chose, que nous devons écrire, n'y ayant rien de si asseuré, que les premiers, tant superieurs qu'inferieurs, lesquels introduisent la relache dans les Ordres, sont damnez, s'ils n'en font une serieuse penitence, ou que Dieu par un excés extraordinaire de ses misericordes ne leur donne quelque peu acte de contrition à l'heure de la mort. Cinquiemement, tous nos auteurs s'accordent unanimement qu'au tems où l'on dit que cette vision arriva, l'Ordre n'étoit qu'un chaos de desordre, qu'une sentine d'infamies, & une cloaque de miseres: & cela étant, il n'y a que trop de sujet de croire, que Dieu voulant relever ce grand Ordre si decheu, il a ordonné, que cette vision arrivât pour ébranler les cœurs, & degourdir les sentimens assoupis des Religieux inveterez en leurs malices, Sixiemement, nous trouvons, que justement les reformes commencerent en ce tems-là dans l'Italie, & en Allemagne sous le B. Raymond de Capoue, lequel pendant le schisme gouvernoit l'Ordre d'un côté, & le Pere Elie Raymond Toulouzain de l'autre: lesquelles reformes n'ont pû jamais être commencées dans un debris si general de la pieté, qu'il n'y ait eu quelque coup extraordinaire de la main de Dieu. Supposez donc une puissante probabilité de cette histoire, je traduiray en François, ce qu'Antoine de Sienne dit en Latin, pour montrer combien Dieu a puny ceux, qui ont éteint en leur vies la devotion, ferveur & observance de nos premiers Peres. His pro'ationibus præviis Gallice subjungit illam terribilem historiam, quam jam supra Latine exhibui.

Ceterum prædictus Antonius Senensis loco supra citato sui Chronici exponit causam hujus terrificæ apparitionis, & ibidem de alia mirabili Prædicatorum Bononiensium reprehensione sic breviter meminit: *Nec talis visio arbitranda est propter Conventum illum tantummodo ibi accidisse, sed propter universi Ordinis alumnos. Sicuti & quæ Bononiæ audita est vox in sacello S. Dominici Patris nostri, concinentibus Fratribus &c. Vox illa insonuit inquiens, NEC EGO PATER, NEC VOS FILII; propter universos nostri Ordinis Fratres accidisse credenda est. Quemadmodum enim in politico regimine aliquot locis solennioribus fieri solent earum rerum proclamationes, quæ populo intimandæ veniunt, sic & in istis &c. Singularis etiam quidam amor divinus erga illos ostenditur & protectio, apud quos contingunt similia. Et sicut D. Dominici Patris nostri curæ, quam Bononiensis nostri Conventus habet, adscribi debet, quod vox illa ibi insonuerit: NEC EGO PATER, NEC VOS FILII; sic quoque nostri Angelici doctoris D. Thomæ Aquinatis singulari protectioni, quam (gerit) illius Conventus Regii Neapolitani, quod in ille talis visio contigerit ad nostrorum omnium instructionem & emendam.* Illustrissimus Joannes Lopez in historia Ordinis Prædicatorum part. 3. l. 2. c. 29. agens de reprehensione illa Bononiensi, Hispanice asserit, distinctam hujus vocis notitiam *ex communi & certa traditione* recepiam esse.

Insuper Joannes a sancta Maria in jam sæpe allegata Vita Gallica S. Dominici lib. 4. c. 23. tempus & circumstantias hujus monitionis Bononiensis sic accuratius vernacule exponit: *Pour ne rien omettre qui appartienne à ce tombeau, Seraphin Razzi, lequel étoit sur les lieux & en apprenoit ce que la tradition avoit conservé, dit que l'an 1427. sous le generalat de Barthelemy Tessier François, les Religieux de Boulogne chantans apres le SALVE REGINA des Complies, le Répons O SPEM MIRAM, QUAM DEDISTI MORTIS HORA TE FLENTIBUS, DUM POST MORTEM PROMISISTI., TE PROFUTURUM FRATRIBUS, & étant à ces mots, IMPLE PATER QUOD DIXISTI NOS TUIS JUVANS PRECIBUS, une voix effroyable s'entendit par toute l'eglise, qui sortoit du sepulcre: NEC EGO PATER, NEC VOS FILII. Je ne suis vôtre Pere, ny vous mes enfans. Ce qui epouventa si fort les Religieux, que tous embrasserent l'observance reguliere, laquelle par un malheur des tems étoit beaucoup decheue. Quelques auteurs, dont Malvenda fait le plus notable, rejettent cette histoire comme apocryphe, mais quoy qu'il en soit, il ne faut point entendre cet effroyable tonnere pour nous faire croire, que saint Dominique rejette du nombre de ses enfans & des soins paternels de son cœur tous ceux, qui dementent leur profession.* Nescio, cur hæc & similia in Commentario suo prævio ad Acta S. Dominici prætermiserit Cuperus, qui tamen alia multa satis diligenter undique collegit. Forte nimium timidus putavit, ista omittenda esse, ne PP. Prædicatoribus vel minimam offensionis ansam daret. Sed vanus erat hic timor, cum salutares illæ monitiones ad gloriam S. Dominici spectent, & ipsi auctores Dominicani easdem patrocinio sancti sui Fundatoris adscribant, ut ex supra relatis patet. Præterea publicum & vernaculum istud Opus Joannis a sancta Maria, ex quo superius nonnulla excerpsi, jussu reverendissimi Thomæ Turci, generalis Magistri Ordinis Prædicatorum, conscriptum & a variis ejusdem Ordinis theologis approbatum est. Quare hunc inanem Cuperi metum in viro quantumvis amico probare non possum.

Nunc ad te revertor, Frater anonyme, & confidenter ex te quæro, utrum Antonius Senensis, Seraphinus Razzius, Joannes a sancta Maria, aliique scriptores Dominicani Ordinem suum injuria affecerint, quando supradictas terribiles historias narrarunt. Si neges, ulterius quæro, an Bollandistæ venerabilem Cappucinorum Ordinem læserint, quando ex testimonio Laurentii de Mola Cappucini retulerunt, aliquos in hac sanctissima Religione damnari, quamvis multi æternam salutem in ea conse-

quan-

quantur. Causam & discrimen assigna, eur contra Bollandistas sic exclames: *Adeone sacer Ordo Cappucinorum .... idoneus, in quo sic illudatis, vobis videtur?* Si vero affirmes, Prædicatores illos Ordini suo iojuriam intulisse, consequenter hi, eorumque epprobatores, simili exclamatione ioterrogandi erant, an inclytus Prædiceiorum Ordo idoneus, in quo sic illuderent, ipsis videretur.

Forsan duro huic nodo durum quæres cuneum, & cum quibusdam rotunde respondebis, has auctorum Dominicanorum historias fabulis annumerandas esse. Sed fere mihi exciderat. An hic appellando cuneum sive instrumentum, quo ligna finduntur, Frater anonyme, cognomen tuum [1] fortuito expressi? Quidquid sit, nimium obtusus est tuus ille cuneus: sive enim narrationes istæ veræ sint, sive falsæ, nihil mea interest. Saltem ex iis liquet, quod illes historias Ordini suo ignominiosas non judieeverint varii Prædicatores, qui has publice litteris mandarunt, & qui libros prædictorum historiographorum approbarunt. Hic hæres, Frater anonyme, & adeo intentus videris defensioni PP. Cappucinorum, ut clientes tuos Dominicanos deseras. Verum, te tacente, ego his patrocinabor, & asseveranter dicam, sacrum Prædicatorum Ordinem, in quo tot viri sanctitate & doctrina illustres floruerunt, non esse minoris faciendum, quamvis aliquot improbi Constitutionum contemptores in eo inveniantur. Quod ad me attinet, intime veneror Ordinem Prædicatorum, in quo jam dudum novi doctos piosque viros, quorum virtutem suspicio; sed non æquali veneratione prosequerer omnes qui sese illius instituti sectatores dicerent: si enim in hac sacra Religione reperirem nonnullos, qui damnatis Jansenii aut Quesnelli erroribus pervicaciter adhærerent, ad futurum concilium provocarent, aut aliis criminibus Ordinem suum dedecorarent, hos floccipenderem ac inter genuinos sancti Dominici filios non annumerarem. Sic prorsus sentio cum S. Antonino, qui eumdem Ordinem suis virtutibus ornavit, & tamen quosdam religiosæ paupertatis violatores acriter reprehendit, dum parte 3. Chronicorum tit. 23. c. 4. §. 13. de S. Dominico sic scribit: *Verus erat paupertatis amator, in vestibus, in calceamentis, in libris, in ædificiis, in cibis pretiosa & curiosa habere refugit; sed humilia & paupertati congrua in se & Fratribus suis elegit. Unde cum semel Bononiam veniens invenisset cellulas Fratrum aliquantulum in ædificio sublevatas, plus quam prius erant, vocavit procuratorem, & cum lacrymis ei dixit: quam cito vultis palatia erigere? Non decet pauperes Religiosos, de eleemosynis viventes, sumptuosa ædificia habere. Quid diceret Pater sanctus, si nunc attenderet ad ecclesiam, & domos & cellas Fratrum ampliatas, testudinatas, in cælum elevatas, in sculpturis & picturis curiosissime ornatas, in paramentis aureis & purpureis curiosas supra cathedrales ecclesias; in vestibus Fratrum, in lectis torum pompas dominorum excedentes, nec ab esu carnium abstinentes, cum sani sint & robusti, nec jejunio, non solum Ordinis, sed nec Ecclesiæ, servantes; non solum in communi, sed in singulari possessiones & redditus habentes, non ex dispensatione, sed ex dissipatione prælatorum; non studiis vacantes, sed visitationibus & frequentationibus monasteriorum, ut de ceteris taceamus. At si qui litteris intendant, non salutis animarum inde consulere affectantes, sed ut vocentur ab hominibus RABBI, ut exemptionibus gaudeant, quæ utinam non sint tales, ut a patria etiam superna eximant & excludant. Quid, Pater sancte, diceres, de his? Nisi quia hic non est Ordo, quem institui, pro quo tantum laboravi, ubi nullus Ordo, & utinam sempiternus horror non inhabitet!* &c.

Deinde hic sanctus Præsul Florentinus eodem tit. 23. partis tertiæ Chronicorum cap. 13. §. 3. enumerat cœnobia monialium, quæ sub cura PP. Prædicatorum suo tempore degebant, & ea occasione vitia quorumdam Fratrum vehementer increpat his verbis: *Quoniam autem temporibus his abundavit iniquitas, & caritas refriguit, sicut Conventus ipsi Fratrum Prædicatorum quasi exinaniti sint usque ad fundamentum vitæ regularis, ita & monasteria monialium relaxata sunt, & facta in laqueum Fratrum, & scandalum populorum propter ea, quæ quotidie contingunt minus honesta & satis notoria, exceptis paucis Conventibus reformatis ad observantiam regularem, & paucissimis monasteriis monialium, Domino fideliter reddentium vota sua. Et quamvis Prælati Ordinis conati sint remedium adhibere ad vitandum accessum frequentem & inutilem Fratrum ad monasteria, ac etiam fulminata sit sententia excommunicationis per bullam Papalem contra omnes Fratres & seculares ingredientes monasteria Ordinis sine causis necessariis, expressis in Constitutionibus monialium, a qua sententia absolutio Papæ reservatur, vel Generali Ordinis, vel habenti specialem commissionem ab aliquo eorum super hujusmodi absolutione, tamen quia parum timetur & cavetur, sæpe incurritur.*

Hucusque S. Antoninus, qui tales votorum suorum ac legum Ecclesiasticarum violatores non numerat inter veros S. Dominici filios, in eo re secutus sententiam S. Birgittæ, quæ lib. 3. Revelationum Deiparam sic loquentem inducit: *Quid dicam de Fratribus Dominici? Certe pauci sunt, qui sunt in regula ejus, & pauciores sunt, qui imitando vestigia sequuntur ejus.* Mihi non lubet hoc loco transcribere duo longiora capita, quibus ibidem illa Sancta hanc rem fusius exponit. Quare sufficiet exhibuisse vetera horum capitum compendia, ex quibus facile deductionem totius materiæ intelliges, aut ipsum Sanctæ textum, si placet, poteris consulere. Itaque lib. 3. Revelationum S. Birgittæ, quæ anno 1680. Monachii in Bavaria recusæ sunt, capiti decimo septimo præfigitur hic titulus: *Verba Virginis ad filiam* (id est Deiparæ ad S. Birgittam) *vitam & Ordinem S. Dominici commendantia, & qualiter tempore mortis suæ conversus est ad Virginem; & qualiter modernis temporibus pauci de suis Fratribus sequuntur signum Passionis Christi per Dominicum eis datum, & multi vadunt post signum incisionis per diabolum eis oblatum.* Sequenti autem capiti ejusdem libri præmittitur hæc synopsis: *Verba Matris ad filiam, quod citius Fratres nunc audirent & audiunt vocem diaboli, quam sui patris Dominici; & quomodo nunc pauci imitantur ejus vestigia; & qualiter episcopatus desiderantes propter mundi honorem, & sui quietem & libertatem,*

[1] Dicitur Dominicanus harum epistolarum auctor commorari Bononiæ in Italia, & cognominari *Cuneus*, quod tamen hactenus pro certo habere non ausim.

tatem, non sunt in regula S. Dominici; & de terribili sententia contra tales, & de experientia damnationis pro tali episcopatu. Eminentissimus Joannes de Turrecremata, qui ex Ordine Prædicatorum ad Romanam purpuram assumptus est, aliique sacræ theologiæ doctores has S. Birgittæ revelationes post severum examen approbarunt, adeoque hæc & alia capita Ordini Prædicatorum non censuerunt esse ignominiosa,

Tu interim clamas, Frater anonyme, Bollandistas venerando Cappucinorum Ordini injuriam inferre, eo quod ex ore Cappucini pie morientis narrant, nonnullos in hoc sancto Ordine damnari. Crede mihi, non defensoribus istis Ordo ille eget, & frustra prudentes PP. Cappucinos contra Jesuitas incitare tentas: illi enim de contumelia nec conqueruntur, nec jure conqueri possunt, cum Zacharias Boverius Cappucinus publica Annalibus sui Ordinis inseruerit varia terribilia exempla ultionis divinæ, quam prævaricatores quidam in sanctissima sua Religione experti sunt. Ex his unum alterumve breviter assigno. Boverius igitur tomo 1. Annalium suorum ad annum Christi 1566. num. 38. agit de quodam F. eleemosynario, qui sæpe præcepto Guardiani sui rebellis fuerat, & de infelici ejus obitu narrat sequentia: *Huic tandem post hæc accidit, ut in gravem corporis languorem incideret; in quo cum Guardianus supremum illi vitæ periculum imminere intelligeret, suavibus verbis ægrotum admonet, ut pœnitentiæ Sacramento animum abluat; ceterisque, ut fieri solet, se ad vitæ finem disponat. Cui eleemosynarius, Sacramentis, inquit, mihi non est opus. Cur id, ait Guardianus. Justo, inquit ille, Dei judicio damnatus sum, eo quod obedientiæ numquam jugo colla submiserim; sed superiorum jussis meam semper sententiam ac placitum prætulerim. Monet Guardianus, necdum illi pœnitentiæ tempus effluxisse; ac dummodo eum facti pœniteat, culpam Sacramento deleat, ac divinam misericordiam imploret, cælestem illi indulgentiam pollicetur. Instabant quoque reliqui Fratres, ut hominem in divinæ clementiæ spem erigerent. At frustra: neque enim ullam ab eo pœnitentiæ vocem extorquere valent; cum ea tantum vox illi ad mortem usque supra esset, qua se juste Dei judicio condemnatum asserebat. Atque hoc pacto impœnitens ac inexpiatus hinc migrans ad horrendum Dei viventis tribunal judicandus accedit*. Deinde laudatus Annalista ad annum Christi 1569. num. 4. narrat aliam horribilem historiam de sacerdote Cappucino, qui coram omnibus a dæmone ad inferos abreptus est, eo quod formali obedientiæ præcepto constrictus Breviarium furto sublatum alteri restituere noluisset. Si hæc tibi nondum sufficiant, consule eumdem Boverium ad annum Christi 1540. a num. 8. & sparsim alibi, aut etiam evolve Annales aliorum Ordinum, in quibus haud difficulter invenies similia divinæ vindictæ indicia, quæ forsan tibi salutare metum incutient.

Verum ab his tragicis ad lætiora progrediamur, Frater anonyme, & audiamus obvias historici regulas, quas Bollandistis ex Cicerone præscribis. *Quis nescit*, inquit Cicero lib. 2. de Oratore, *primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis*. Hæc historiæ fundamenta omnibus nota, sed solis hagiographis Antverpiensibus prorsus ignota esse pronuntias. Ergone miseri illi cæcutiunt soli, dum omnes alii acutum cernunt? Severum enimvero judicium! At opinor, Bollandistas de hoc tuo judicio non multum sollicitos esse. Attamen breviter & rigide discutiamus, an hi leges Ciceronis a te recitatas violaverint. Non is sum, qui amico etiam maximo turpiter adulari velim. Quare hic amicissimum Cuperum tueri nolo, & ingenue fatebor, hunc hagiographum peccasse in secundam Ciceronis regulam, quæ ab historico requirit, ne quid veri dicere non audeat, sive ne res veras præ timore displicendi omittat: nam Cuperus in Commentario prævio ad Acta S. Dominici non est ausus referre ea, quæ ego superius ex S. Birgitta, & S. Antonino aliisque scriptoribus Dominicanis recitavi. Forsan nimis alte animo inculcaverat Terentianum illud: *Veritas odium parit*. Haud dubie vir ille nimium pavidus inaniter metuebat, ne commemoratione harum rerum displiceret Prædicatoribus, etiamsi Joannes a sancta Maria Dominicanus has & similes narrationes Gallicis S. Dominici Actis jam dudum inseruisset. In amico hunc vanum timorem non laudo, ut supra iterum dixi. Præterea dubitari possit, an Cuperus omnem gratiæ suspicionem in scribendo effugerit, & utrum non voluerit captare benevolentiam PP. Prædicatorum, quando §. 24. Commentarii sui prævii singularia Ordinis Dominicani elogia tam studiose collegit, & eumdem Ordinem ab impacta calumnia solide vindicavit. Certe hæc parerga minus ad Acta S. Dominici pertinebant, quam terribilis apparitio Neapolitana & salutifera monitio Bononiensis, quas Joannes a sancta Maria in vernacula S. Dominici Vita refert, & quas scriptores quidam Dominicani paternæ sollicitudini sui sancti Fundatoris adscribunt, ut supra rursus monui.

Tu quidem, Frater anonyme, Cuperum ab omni gratiæ suspicione absolvis; sed ipsum ejusque collegas de altera legum Ciceronianarum violatione sic accusas: *Et sane*, inquis, *nullam quidem gratiæ suspicionem vobis objicio; sed quis feret, quod, ut simultati, quam cum Dominicanis exercere non pudet, indulgeretis, quidquid habuistis virium, in ipsas contuleritis tomo 1. Augusti a pag. 358. ad 544*. Parcius, obsecro, parcius: nam hæc paginarum computatio totum Commentarium prævium ad Acta S. Dominici complectitur. An igitur singularia Prædicatorum elogia, breves ejusdem Ordinis vindiciæ, tot præclara S. Dominici gesta & miracula, quæ in illo Commentario leguntur, ad exercendam cum Prædicatoribus simultatem collecta sunt? Non adeo stupidus es, Frater anonyme, ut confidas, te ulli homini cordato hæc persuasurum esse. Saltem ego facilius credam, quod testudo leporem cursu præverterit. Insuper nescio, quam simultatem Bollandistæ umquam cum Prædicatoribus exercuerint. Quantum scio, Dominicani de injuria sibi ab ipsis illata numquam sunt conquesti, quamvis in Opere suo jam multa sanctorum ac beatorum Prædicatorum Acta illustraverint. Contra vero Echardus Dominicanus labores eorum laudat, & in præfatione ante tomum primum Bibliothecæ Prædicatorum non ita pridem editæ obsequium Ordini suo ab ipsis præstitum agnoscit his verbis: *Inter alios nominandi*

veni-

veniunt eruditi Actorum Sanctorum, quæ Antverpiæ in dies prodeunt editores, quosque gratus animus oblivisci non sinit, cum multa Ordinis monumenta e tenebris eruerint, quorum apud nos nulla jam exstabat memoria. Quid ergo de simultate inter Bollandistas & Prædicatores inconsiderate garris? Si Bollandistæ semper de simultate accusari possint, quotiescumque putidas fabulas aut populares traditiones rejiciunt, & de aliis quibusdam incertis narrationibus dubitant, jam non tantum cum Dominicanis, variisque Religiosis Ordinibus & diversis Europæ populis, sed etiam cum ipsa sua Societate simultatem exercere dicendi erunt; nam in Commentario prævio ad Acta S. Ignatii de Loyola §. 1. & 2. sæpiusque alibi dubitant de domesticis quibusdam traditionibus, quamvis hæ ab ætate sui sancti Fundatoris non tanto temporis intervallo distent. Quinimo intellexi, quosdam Jesuitas (jure an injuria ipsi viderint) de hac rigida eorum censura conquestos esse. Non ignoro, severam Bollandistarum crisim displicere nonnullis, qui populares patriæ, aut Ordinis sui traditiones mordicus tenent, Sed ea placet plerisque eruditis, qui propter hanc sinceram veritatis indagandæ solicitudinem Opera eorum magni faciunt.

Post hæc, Frater anonyme, videris velle prophetam agere, & satis ambigue prænuntias, Dominicanos forsan brevi locuturos, etsi hactenus tacuerint. Id conjicio ex tua phrasi, cui adagium more tuo sic subjungis: *Hæc plerique Dominicani, vident, hæc sciunt. Muti tamen magis quam pisces tacent. Num turpe, quod silcent? Alius dixerit. Fortassis, ut est in proverbio, TUNC CANENT CIGNI QUANDO TACUERINT GRACULI*. Hic te ipsum graculo, ni fallor, & Dominicanos cygnis comparas, eaque parœmia significare vis, Prædicatores cantaturos, postquam tu tacueris. At scisne, Frater anonyme, cui animali te comparaveris? Si nescis, te docebit Paulus Manutius, qui explicans parœmiam *graculus inter musas* usum illius ita exponit: *Recte dicetur & in homines ostentatione falsa doctrinæ sese jactantes, & viris eruditis impudenter obstrepentes: est enim graculus avis minime canora; sed tamen odiose garrula, atque obstrepera*. Si plura cupis nosse de graculo, cui te assimilasti, Ulyssem Aldrovandum in Ornithologia tom. 1. p. 757. & seq. consule, ubi multa alia reperies.

Nunc iterum ad Acta S. Ignatii carpenda dilaberis; verum vehementer falleris, Frater anonyme, si hoc stratagemate me sæpius tentes ab intento scopo avertere, sicut me incautum jam semel atque iterum seduxisti. Quapropter tibi rotunda edico, me deinceps vestigia tua non inhæsurum, quotiescumque extra chorum saltaveris. Posset Pinius facile Commentarium suum de S. Ignatio tueri, & te dignis excipere modis, si ei operæ pretium videretur. Tamen suspicor, anonyma tua folia tum ab ipso, tum a Cupero, potius contemnenda quam refutanda esse. Cum itaque hic rursus diverticulum quæras, ego tantum obiter observo, te astute ex hoc ipso Pinii Commentario excerpsisse fere omnia illa, quæ hic & alibi Actis S. Ignatii opponis, omissisque Pinii responsionibus, ita fucum facere iis, qui vasto Bollandistarum Opere carent. Sed hanc fallendi artem etiam norunt heterodoxi, qui ex Controversiis eminentissimi Bellarmini objectiones excerpunt, relictisque ejusdem solutionibus, triobolares pro sua secta libellos excudunt, ut decipiant eos, qui grandiora Bellarmini volumina non habent, aut quibus ea evolvere non vacat.

Post longam digressionem ad Acta S. Dominici redis, & Cuperum non de irreverentia dumtaxat, sed etiam de impietate accusas, dum pag. XXII. epistolarum tuarum ita scribis: *Non queror, quod ita classicum cecineritis, ut nec Inquisitoris munus, nec officium Magistri sacri palatii, nec tertius Ordo S. Dominici, verbo dicam, nec ipsemet sanctissimus Patriarcha tutus sit a ludibriis vestris. Proh facinus incredibile! Quocumque vos vertitis, omnia vastatis, diripitis, aufertis. O miserum scribendi modum!* Hoc loco contra Solem loqueris, & varias falsas accusationes impudenter coacervas, ut jam breviter demonstrabo.

Postquam Cuperus §. 17. Commentarii sui retulisset litem inter Cistercienses & Dominicanos diu agitatam de munere primi Inquisitoris, quod hi sibi, illi suæ Religioni vindicabant, causam neutri Ordini adjudicandam censuit, & secutus est Echardum Dominicanum, qui proprie & stricte dictum Inquisitoris officium tantummodo post mortem S. Dominici institutum fuisse arbitratur, illiusque sententiam Cuperus aliquot argumentis ex antiquitate confirmavit. Cur igitur non æque Echardo Dominicano, quam Cupero obgannis?

Deinde non obscure innuis, Cuperum Magisterium sacri palatii S. Dominico abrogasse. Sed dic, obsecro, quibus oculis legisti opinionem, quam ei perperam imputas? Tuisne, an alienis? Si alienis, te volentem & incautum deceperunt. Si autem tuis, in Sole caligasti, cum Cuperus propter auctoritatem Joannis de Columna, antiqui scriptoris Dominicani, Magisterium istud prorsus admiserit, ac S. Dominico aperte asseruerit. Si mihi non credis, obtusiorem oculorum aciem, ut supra Bollandistis suadebas, conspicillis robora, & mecum lege judicium, quod Cuperus §. 29. Commentarii sui prævii tulit his verbis: *Etsi veteres biographi istud sancti Magisterium diserte non expresserint, tamen illud nobis satis certum est ex testimonio Joannis de Columna, qui sub Gregorio IX. Pontifice Ordinem Prædicatorum intravit*. Quid clarius dici poterat? Tu tamen affirmas, istud Magisterium a Cupero explodi. An forsan sperabas, hunc paragraphum a nemine legendum esse, atque ita falsitatem accusationis tuæ occultam fore? Sed quid facias homini, cui sit pro ratione voluntas, & qui pleno die pertinaciter asserat, jam mediam noctem esse?

Neque minus falsa est accusatio tua, quam circa tertium Ordinem S. Dominici Cupero temere impingis: licet enim tam certis argumentis institutionem istius Ordinis S. Dominico tribuere non potuerit, tamen §. 18. Commentarii prævii ex Raymundo Capuano & S. Antonino antiquiora hujus institutionis argumenta allegavit. Quinimo ibidem ex verbis Guilielmi de Podio Laurentii, auctoris supparis, varias conjecturas hactenus a nemine, quod sciam, productas alicui, ut Ordinem de militia Christi, ex quo tertius Ordo de Pœnitentia postmodum ortus fuisse dicitur, probabiliter S. Dominico adscriberet. Si tibi non vacabat totum illum paragraphum

per-

pervolvere, saltem in margine, ubi Bollandistæ compendium rei tractatæ exhibere solent, tomo 1. Augusti pag. 422. legere poteras sequentia: *Si militia illa sanctum Dominicum auctorem habeat, verisimiliter consilio ejus in partibus Tolosanis erecta est, ut ex conjecturis nonnullis deducimus.* Præterea in fine ejusdem paragraphi leviter percurrere potuisti conjecturas Cuperi, quas conclusit his paucis verbis: *Ceterum hanc conjecturam nostram, cum testimonio Raymundi Capuani, sancti Antonini, aliorumque conjunctam, non prorsus improbabilem putamus, cum præsertim huic Ordinis traditioni nullum certum argumentum repugnet.* Tu interim hic ita loqueris, acsi Cuperus illam Ordinis Dominicani traditionem funditus evertisset, cum tamen eamdem novis conjecturis stabilire conatus fuerit. Hæc scilicet gratia difficili ac tetrico Bollandistarum labori rependitur! Sed quis deinceps sibi accusanti credet, Frater anonyme, cum in hac ipsa epistola tua ex proverbio moneas, cavendum esse ab eo, qui semel imposuit? Hæc parœmia potiori jure in te retorquebitur, cum sæpius lectori tuo imponas, ut ex dictis dicendisque manifestum est. Ne igitur fac, quod aliis vitio vertis, & patere legem, quam tu ipse tulisti, ut docent adagia, quibus tantopere delectaris.

Jam sequitur omnium falsarum accusationum tuarum pessima, qua Cuperum impietatis insimulas, & scribere non erubescis, nec ipsum mei sanctissimum patriarcham Dominicum ab illius ludibriis tutum esse. O scelus igne expiandum, si Cuperus sanctissimum Prædicatorum Fundatorem, jam conspectu Dei fruentem, & innumeris miraculis illustrem, ludibrio exposuerit! At ego in lucubratione Cuperi ubique observavi, quod S. Dominicum summa veneratione prosequatur, & non semel sanctissimi hujus viri opem imploraverit, dum Actis ejus discutiendis occupabatur. An forsan putas, moris esse apud Belgas aut Germanos Catholicos, ut ludibrio exponant Sanctos, antequam auxilium eorum implorent? An Cuperus Sancto illudere voluit, ut ejus patrocinium impetraret? Certe non video, Frater anonyme, qua fronte aut qua conscientia illum de tanto crimine accusare audeas, postquam occasione piissimæ orationis, quam B. Jordanus in honorem S. Dominici composuit, §. 48. Commentarii sui prævii tom. I. Aug. pag. 530. n. 880. publice de affectu suo erga S. Dominicum ita scripsit: *Certe ego* (verba sunt Cuperi) *ne turpissimum ingrati animi vitium incurram, de meme ipse testari cogor, hanc orationem mihi plurimum profuisse: cum enim in difficili ac pertinaci morbo, qui me non ita pridem corripuit, eamdem quotidie per duos fere menses magna fiducia recitassem, animum ad tolerandas morbi molestias alacriorem sensi, & paulatim ita vires recuperavi, ut huic Commentario, tunc cœpto, finem imponere potuerim. Etsi in ea re nullum sit miraculum, tamen libens agnosco beneficium, cujus ne videar immemor, illam Orationem ad honorem S. Dominici, & communem omnium fidelium usum, hic transcribere non gravabor.* Hactenus Cuperus, qui hæc ad gloriam S. Dominici tunc sibi scribenda existimavit. Etiam ego legens genuina Acta S. Dominici magnam de hoc sanctissimo Viro concepi existimationem, quam cum tua comparare non verebor, tametsi varias fabulas, ei ab imprudentibus quibusdam scriptoribus affictas, rotunde cum Cupero rejiciam. Memor quippe sum dicti illius, quod Melchior Canus in Opere de Locis theologicis Lib. xi. cap. 6. sic pronuntiat: *Dum quidam affectui suo nimium indulgent, & ea scribunt, quæ animus scribentis dictat, non veritas, tales Divos quandoque nobis exhibent, quales Divi ipsi, etsi possent, esse tamen noluissent.* Ceterum hic jure merito Cuperus de contumelia sibi illata conqueri posset, & debitam famæ suæ restitutionem aut legitimam criminis impacti probationem postulare: ego enim nullam S. Dominici ludificationem reperi in toto Commentario illius prævio, quem tamen attente pervolvi. Nihil igitur tibi superesse video, Frater anonyme, nisi ut ex Cuperi scriptis vel dicta hæc S. Dominici ludibria proferas, aut te calumniatorem fatearis.

Circa finem ejusdem epistolæ tertiæ ægerrime fers, Cuperum dubitasse, an S. Dominicus piissimam Rosarii recitandi praxim primus instituerit, postquam ille §. 19. & duobus sequentibus Commentarii sui prævii præcipua utriusque opinionis argumenta curioso lectori proposuerat. *Ad utrumvis parati* (sic iterum alloqueris omnes Bollandistas) *tomo 1. Augusti die iv. pag. 322. §. xix. quæritis, an sanctus Dominicus instituerit Deiparæ Rosarium. Antipitis animi vos esse fingitis, ut Dominicanos fœdius præcipitetis. Callide! Pro Dominicanis aranearum telas texitis; contra ipsos omni telorum genere pugnatis.* Ita tu quidem, Frater anonyme. At cur in illis aranearum telis, quas Cuperus pro Dominicanis texuerat, inexpugnabilia propugnacula ad tutelam Prædicatorum non substituisti? Quid te impedit, quo minus adversus omne telorum genus, quo Cuperus PP. Prædicatores impugnasse fingitur, omni contrario telorum genere pugnes. Crede mihi, Frater anonyme, non inanibus verbis aut vagis clamoribus, sed solidis argumentis, causa PP. Prædicatorum erat defendenda.

Ibidem pag. xxiii. de Alano Rupensi mentionem facis; sed statim tamquam a presso angue pedem retrahis, & laudes lucubrationesque ejus tantum leviter attingis his verbis: *Venerabilem virum Alanum a Rupe, BEATI nomine passim vocatum, docent, ni fallor, Dominicani. Ipsum, si velint, vindicent; neque enim vel de persona vel de scriptis Alani Rupensis nobiscum lis est.* Sane miratus sum, Alanum Rupensem in libris Prædicatorum contra notissimum Urbani VIII. Pontificis decretum titulo *beati* passim ornari, & propterea Cuperus §. 3. Commentarii sui prævii num. 48. rogavit illos, quorum interest, ut legitimum & immemorabilem hujus viri cultum probarent. Cum autem Cuperus tot apertas juratasque fictiones, quæ in scriptis illis occurrunt, cum vera auctoris pietate conciliare non posset, PP. Prædicatoribus optionem dedit, utrum ea Alano suo, an alteri ignoto impostori tribuere mallent. At ibidem simul monuit, atque ego idipsum repeto, verum horum opusculorum auctorem (quisquis demum iste fuerit) esse impudentem fabulatorem, qui aperuit lutulentum figmentorum fontem, ex quo nihilominus posteriores quidam scriptores incaute sua hauserunt, & veris S. Dominici gestis multas fabellas immiscuerunt. Quinimo Echardus Dominicanus

inter

inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tom. 1. p. 851. testatur, in opusculis illis non tantum occurrere varia veritati historicæ contraria, sed forte etiam in iis *quædam esse fidei recte non consona, si ad litteram sumantur.*

Has aut similes Alani opiniones, sanæ fidei non satis consonas, vidit Ludovicus Vene Dominicanus, dum in epistola, quæ editioni Moguntinæ Alani Redivivi præfixa est, ad editorem sic scribit: *Admodum reverende & eximie Pater, precor felicissimum annum. Remitto V. P. R. beatum Alanum cum nostra approbatione, Utinam ex mea voluntate penderet, ut statim prælo mandaretur! nihil enim magis cupio & ex corde desidero, quia existimo, id fore beatissimæ Virgini gratissimum, & multum valere ad nostræ confraternitatis majora incrementa. Inveni aliquas propositiones, quæ possunt turbare indevota ingenia; per chartulas jam designo in ipso libro. Præcipue moneo V. P. R., ut deleat illam, si forsitan non est jam deleta, ubi habetur, quod reprobi & præsciti per devotionem Rosarii vitam æternam assequuturam* (lege *assequantur.*) *Alia omnia, quæ perlustravi, sunt plane piissima & doctissima, & devotionem sanctissimi Rosarii in sublime erigunt & maxime exaltant. Commendo me precibus V. P. R., & spero* (forte pro *spera* legendum *offero*) *omnem meam operam in suis laboribus promovendis: Scio enim plurimum desudare, & totos sui ingenii nervos contendere in vinea Domini excolenda, & in nostra provincia illustranda & decoranda. Friburgi 1623. Vestræ Paternitatis reverendæ frater & amicus F. Ludovicus Vene.* Imprimis ex hac epistola intelligis, quædam Alani placita displicuisse ipsi censori Dominicano, & insidiam eorum suppressionem satis libera suaderi. Quapropter illas similesque Alani propositiones, quas ipsi Prædicatores improbant, tueri aut huic auctori abjudicare oportuit. Licet igitur de persona Alani tibi cum Cupero lis non sit, tamen ex his haud difficulter colligis, inter vos controversiam esse de scriptis illis, quæ Coppensteinius Dominicanus sub nomine Alani Rupensis vulgavit.

Verum tu scripta, quæ sub Alani nomine prodierunt, indefensa relinquis, omissoque hujus auctoris patrocinio, recenses aliquot Pontifices Romanos, qui post tempora Alani Rupensis Ecclesiam Catholicam gubernarunt, & originem Rosarii S. Dominico utcumque adscripserunt. Cuperus §. 22. num. 385. aperte fassus est, magnam esse Pontificum Romanorum auctoritatem, eamque huic PP. Prædicatorum opinioni non exiguum pondus addere. Non tamen existimo, illam in hac materia pure historica esse talem, ut viri Catholici prohibeantur de illa quæstione disputare, ac inter se dissentire. Si enim id contendas, quid facies de R. D. Nebridio Mundelheimio ex Ordine Canonicorum Regularium, R. P. Joanne Mabillonio ex Ordine S. Benedicti, amplissimo D. Josepho Stephano de Noriega, abbate Ordinis Præmonstratensis, aliisque viris eruditis & apprime Catholici, qui post illa Pontificum Romanorum diplomata non solum dubitant, an S. Dominicus fuerit primus Rosarii institutor, sed etiam expresse affirmant, piam istam Rosarii institutionem ætate S. Dominici antiquiorem esse? Quomodo etiam hanc Pontificum Romanorum opinionem conciliabis cum ipso Alano Rupensi, qui diversis sui Opusculi locis *part. 1. c. 8. & part. 2. c. 2.* asserit, illam Rosarii recitationem diu ante tempora S. Dominici usitatam fuisse?

Ibidem crasso sophismata conaris Cuperum reddere odiosum ac læsæ majestatis Pontificiæ reum facere, eo quod §. 22. num. 366. ex Lectione quarta novi Officii de Rosario, & quibusdam suis observationibus concluserit, *sacram Rituum Congregationem & Benedictum XIII. a nobis in hac re non exigere majorem fidem, quam mereatur auctoritas Alani Rupensis, qui illud singulare privilegium post ducentos quinquaginta annos a morte S. Dominici primum memoriæ prodidit.* Frater anonyme, an omnia præcedentia mature expendisti? An advertisti, illic non agi dumtaxat de prima Rosarii institutione, sed etiam de privato S. Dominici colloquio cum Deipara circa urbem Tolosanam, aliisque rei adjunctis, quæ Alanus Rupensis primum detexit, ut Hyacinthus Choquetius Dominicanus *Deiparæ viscera materna cap. 22. p. 461.* fatetur. Unde Echardus jam sæpe laudatus hanc ipsam historiam de falsitate suspectam habet, dum in Bibliotheca Prædicatorum tom. 1. pag. 851. de scriptis Alani post alia sic disserit: *Ea vero, quæ de sancto Dominico narrat, ita cum veris ejus gestis pugnant, ejus historiæ adeo sunt dissona & contraria, ut nulli cordato placere possint, nec ab historico veritatis amico & cultore adaptari. Sic historia, quam de Sancto, Rosarium Tolosæ prædicante, & de stupendis prodigiis, quæ tum acciderunt, refert parte 4. cap. 3. si vera fuissent, quis putet, in inquisitione de ejus gestis anno MCCXXXIII. tam diligenter facta, ubi tot testes, qui ipsum viventem viderant, auditi, a nemine fuisse memorata?* Ibidem Echardus hoc suum judicium probat aliis argumentis, quæ hic brevitatis causa prætermitto.

Præterea tu Cuperum de Alano Rupensi ita loquentem inducis, acsi ille assereret, hunc scriptorem nihil umquam veri protulisse. Sed iterum nimis crassa est hæc tua accusatio. Etsi Alanus plerumque falsis historiis incautos lectores suos deceperit, tamen propterea Cuperus non vult, illum adeo fuisse infelicem, ut semper & ubique figmenta obtruserit: nam fidem adhibet ei asserenti, recitationem Rosarii esse dæmonibus terribilem, Deiparæ gratissimam, & alia hujusmodi, quæ omnes probi Catholici admittunt. Sed eidem credendum non arbitratur, dum in supradictis opusculis narrat, S. Dominicum in Hispania, Britannia Armorica, Germania, & Anglia virtutem Rosarii portentosis miraculis confirmasse: has enim narrationes veris S. Dominici gestis repugnare cum Echardo Dominicano existimat. Ego autem non capio, quomodo Alanus illam Rosarii institutionem nunc antiquiorem, nunc recentiorem faciat, & idcirco ex te discere cupio, qua ratione has aliasque istius scriptoris assertiones inter se conciliare possis. Cum itaque Alanus Rupensis nobis multas fabulas vendita verit, ut Cuperus variis locis Commentarii sui prævii cum Echardo demonstrat, non immerito fides ejusdem auctoris suspecta est etiam in iis, quæ forsan vera narravit: mendaci quippe homini, ne verum quidem dicenti, credere audemus, ut vulgo dici solet. Quapropter Cuperus caute dubi-

dubitavit de hac Tholosana Rosarii institutione, quam Alanus ducentis quinquaginta & pluribus annis post obitum S. Dominici primus litteris mandavit, & in cujus origine assignanda secum pugnat. Posteri autem sine severo examine fabulosas Alani historias, & facilius ambiguam Rosarii originem lucubrationibus suis certatim inseruerunt. Cum igitur sacra Rituum Congregatio & Romani Pontifices Alano recentiores vix dubitarent de veritate narrationis, quæ in libris PP. Prædicatorum aliorumque auctorum passim legebatur, nihil miri, si ex recepta sui temporis opinione originem Rosarii S. Dominico adscripserint. Age, Frater anonyme, & assigna auctorem Alano antiquiorem, qui hanc Tholosanam Rosarii institutionem, de qua testes coævi & suppares altum silent, testimonio suo confirmet.

Interim Cuperus de summa irreverentia accusatur, eo quod cum aliis viris apprime Catholicis dubitet de veritate hujus historiæ, & hoc loco etiam suspectam habet fidem Alani Rupensis, qui primus tam mirabilem Rosarii originem inconstanter nobis indicavit. Hinc invidiosas consequentias contra Cuperum deducis, & in fine epistolæ tuæ tertiæ sic argumentaris: *Et sane si sacræ Rituum Congregationi ac summo Pontifici debita fides ea sit, quam meretur Alanus Rupensis, & iste sit imprudens fabulator, cui nec etiam juranti, credendum sit, quia vel mente captus aut falsis visionibus delusus fuerit. Ergo, horrendum dictu! Ergo &c. Sileo ita tetra quædam, ut ea fugiat & reformidet oratio.* Recte siluisti consequens, quod ex his antecedentibus deductum velles: nam consequentia nimis ridicula apparuisset. Nimirum, acute philosophe, ex his invidiose concludere volebas, a Cupero sacram Rituum Congregationem & summos Pontifices fabulatoribus annumerari. Sed patiens profecto ingeniis, ut totam tuam argumentationem, cujus consequentiam astute suppressisti, breviter oculis eruditorum exponam, eamque hoc enthymemate constringam: *Pontifices Romani interdum ab impostoribus aut falsis instrumentis decipiuntur; ergo Pontifices Romani sunt impostores aut falsarii.* Numquid hoc enthymema brevem totius ratiocinii tui synopsim complectitur? At nescio, ex quibus dialecticæ regulis hanc argumentandi methodum didiceris. Quapropter absurdam argumentationis tuæ futilitatem paucis exemplis illustrabo.

In Breviario Romano ad diem 26. Aprilis legimus, S. Marcellinum Papam in persecutione Diocletiani simulacris deorum thus obtulisse, & postea profusis lacrymis in Concilio Sinuessano culpam suam humiliter confessum esse. Scin' tu, Frater anonyme, quid plures viri docti de hac historia censeant? Si forte nescis, libenter tibi sententiam quorumdam indicabo. Christianus Lupus eruditissimus scriptor ex Ordine Eremitarum S. Augustini putat, hunc sancti Pontificis lapsum a Donatistis calumniose confictum esse, & in Opere de synodis generalibus ac provincialibus tomo 5. pag. 229. opinionem suam declarat his verbis: *Donatistæ, quo Melchiadis adversus Donatum a Casis Nigris pro Cæciliano Carthaginensi episcopo judicium evacuarent, dixerunt, ipsum, Marcellumque & Sylvestrum fuisse Marcellini Pontificis clericos, cum ipso in Diocletiani persecutione tradidisse ac thurificasse, non fuisse legitimos Pontifices, ideoque ipsorum de quavis ecclesiastica causa judicium stramineum ac penitus nullum. Ait esse non solum calumniosam, sed insuper novellam fabulam ostendit sanctus Augustinus.*

Huic opinioni consentit eminentissimus Vincentius Maria Ursinus, qui ex sacro Prædicatorum Ordine ad purpuram ac postea sub nomine Benedicti XIII. ad cathedram Romanam evectus est. Hic enim in Dissertatione de corpore S. Bartholomæi articulo VII. objectam sibi Romani Breviarii auctoritatem refellit, & ibidem post aliquot ratiocinia hac occasione ad propositum meum sic concludit: *Quæ omnia argumenta sunt, Breviaria non illico putanda esse ab omni historica aberratione libera; sed magna pleramque spongia egere, licet illa in suum usum usurpet Ecclesia. Imo nec suis omnino carere nævis Clementino-Urbanum, quo utimur, Breviarium, doctissimi Historiarum exploratores indicant, cujusmodi sunt; 1°. Marcellini Pontificis cultus idolis exhibitus, ejusque pœnitentia in Concilio Sinuessano; cum neque sanctissimum Pontificem in id impietatis incidisse, constet ex S. Augustino libro unico de Baptismo contra Petilianum cap. 16. neque tale Concilium unquam habitum fuisse, neque ipsam denique civitatem Sinuessanam ullibi gentium exstitisse, irrefragabilibus comprobetur argumentis.* Deinde ibidem alia assignat, quæ ex Breviario Romano expungenda censet, & quæ huc non spectant.

Nunc etiam audi Natalem Alexandrum, qui in selectis historiæ ecclesiasticæ capitibus sæculi 3. part. 2. dissert. 20. sive in Historia veteris novique testamenti, quæ Parisiis anno 1714. in folio recusa est, tom. 3. pag. 732. de hac quæstione fusius disputat. Postquam hic famosus Dominicanus proposuit quæstionem, *utrum Marcellinus thus idolis adoleverit, ob idque in Sinuessana synodo fuerit damnatus*, conclusionem suam primam exprimit his verbis: *Marcellini lapsus commentitius est.* Tum affert varias hujus conclusionis probationes, ac primo quidem illam probat argumento negativo, contra quod tu supra tantopere clamitasti. Dein conclusionem suam secundam exponit hoc modo: *Concilium Sinuessanum supposititium est ac plane fictitium.* Rursus hanc conclusionem variis argumentis confirmat. Dum autem ei opponitur auctoritas Nicolai I. Pontificis, qui in epistola ad Michaelem Græcorum imperatorem memorat hunc Marcellini Pontificis lapsum, Natalis Alexander rotunde respondet, *Nicolaum primum falsis Concilii Sinuessani Actis deceptum esse, atque illam retulisse de lapsu Marcellini historiam, prout vulgo ferebatur apud illos, qui commentum emunctiore nari subodorati non essent. Neque enim certam historiam facit Romani Pontificis auctoritas, cui in ejusmodi factis major non debetur fides, quam aliis quibuslibet auctoribus. Sicut ergo eruditorum nemo crediderit, priscorum Pontificum epistolas genuinas esse, quia ita sensit Nicolaus; cum argumentis luce meridiana clarioribus compertum sit, suppositas esse ab impostore Isidoro, ita nemo doctus colliget, Marcellinum thus idolis adolevisse, & in Concilio Sinuessano fuisse damnatum, quia Nicolaus I. id refert.* Hactenus scriptor ille Dominicanus, qui sibi ipsi ibidem objicit sequens argumentum: *Romanam*

manum Breviarium thurificationis Marcellini meminit; Romana igitur Ecclesia illius lapsus historiam probat. Hac objectione non movetur Alexander; sed nodum illum intrepide scindit hoc cuneo: *Ad confirmationem respondeo*, inquit, *Romani Breviarii auctoritatem efficere non posse, ut fabulæ in historias evadant: nec censeri debere exploratæ & inconcussæ veritatis, quæcumque Breviario sunt inserta, quod multis exemplis probare facile est*. Hæc iterum Natalis Alexander, qui clypeum post vulnera sumpsit, in secunda & tertia historiæ ecclesiasticæ editione, quæ postrema anni 1714. editio nondum proscripta est, quantum scio. Eruditissimus Emanuel Schelstratius in Antiquitate illustrata part. 2. dissert. 1. cap. 6. ingenue fatetur, quod plerique insignes scriptores nunc sibi persuadeant, lapsum S. Marcellini a Donatistis fuisse confictum. Inter alios sententiæ sectatores recenset eminentissimum Robertum Bellarminum, qui in recognitione libri IV. de Pontifice cap. 8. priorem suam sententiam retractavit, & pro defensione S. Marcellini Pontificis S. Augustinum & Theodoretum adduxit. Huic illustri auctori addit eminentissimum Cardinalem Perronium, qui contra regem Angliæ cap. 47. scribit, crimen Marcellini a Petiliano fuisse objectum, & ibi Gallice subjungit hæc verba: *Combien que cette reproche fut fausse, comme il appert par la relation, que S. Augustin en fait ailleurs*. Quinimo Antonius Pagius, qui in Critica Historico chronologica ad Annales Baronii anno 302. num. 18. & sequentibus opinionem Natalis Alexandri amplectitur, ibidem num. 21. non diffidit, illum Marcellini lapsum aliquando ex Breviario Romano expungendum esse, cum videlicet inter omnes convenerit de hujus historiæ falsitate.

Jam ex te quæro, Frater anonyme, utrum eminentissimi doctissimique illi viri, quos lapsui S. Marcellini contradicentes audisti, injuriam intulerint Nicolao I. Pontifici, aliisque ejus successoribus, qui falsam lapsus istius historiam Breviario Romano inseri, & in eo hactenus recitari permiserunt? Illi quidem auctores ex præscripto Breviarii Romani quotannis Lectiones illas recitant; sed cum Bollandistis putant, sacram Rituum Congregationem & summos Ecclesiæ Pontifices ab ipsis in hac materia non exigere majorem fidem, quam mereantur instrumenta, quibus hæc historia nititur.

Si exemplum tuum imitari vellem, Frater anonyme, ex his conficerem soritem, superiori tuæ prorsus similem, & secundum novas dialecticæ tuæ regulas contra hos eruditissimos viros sic inepte argumentarer: *Si sacræ Rituum Congregationi ac summo Pontifici debita sit ea fides, quam merentur Acta Concilii Sinuessani, & ea sint fabulosa vel conficta ab hæreticis Donatistis, quibus etiam jurantibus non sit credendum, quia illam historiam ad dedecus Romanorum Pontificum ementiti sunt. Ergo, horrendum dictu. Ergo &c. Sileo ita tetra quædam, ut ea fugiat & reformidet oratio*. Mutatis solum nominibus, hæc tua est sorites, seu potius sophistica argumentatio. At candide mihi edicito, quid inde concludendum censeas. An hinc sequitur, sacram Rituum Congregationem & summos Pontifices, qui illum S. Marcellini lapsum afferunt, vel in Breviario Romano relinquunt, eam historiam confinxisse & fabulatoribus annumerandos esse? Dic ergo aperte, quam ex his antecedentibus consequentiam deductam velis. Ego interea post illustrissimos scriptores Catholicos inde dumtaxat concludo, Nicolaum I. Pontificem falsis Concilii Sinuessani Actis deceptum esse, & sic postea historiam illam S. Marcellini in Breviarium Romanum irrepsisse. An hoc tam horrendum dictu, ut consequentiam supprimere debueris? An hæc adeo tetra, ut ea fugiat & reformidet oratio?

Quod si me interroges, cur sacra Rituum Congregatio & summi Pontifices lapsum S. Marcellini in Breviario Romano relinquant, respondebo cum eminentissimo Baronio, qui in Appendice ad tomum secundum Annalium apud me pag. 10. iis, quæ hac de re alibi dixerat, addenda monet sequentia: *Porro his addere ista compellimur*, inquit, *quod post evulgata ista nostra diligenterque examinata a viris sane doctissimis, eosdem scriptis suis vehementissime nos compellasse, indigne ferentes, Marcellini Papæ integritatem male traduci, commentitiis Actis illis nullius ponderis existentibus, levissimisque argumentis (ut ajunt) nomen Marcellini ab antiquioribus omnibus bene acceptum & magnæ æstimationis habitum, infamari asserentes, Acta illa non nisi callide excogitatum commentum fuisse Donatistarum, idque validis sane argumentis probare conati, de Martyrologio atque Breviario Romano queruntur, quod ista in Ecclesia recitanda contineant. Sed sciant velim, Romanam Ecclesiam antiquitatis tenacissimam, quæ ante octingentos annos ita publice lecta reperit, haud adeo facile convellenda, quamvis sibi valde molesta, putavit. Ceterum eamdem ipsam Romanam Ecclesiam, non sicut Evangelium (quod Gelasius monuit) legere consuevisse, vel legenda preponere quælibet Sanctorum Acta; sed potius ea cuncta Apostolica lance libranda relinquere: OMNIA PROBATE; QUOD BONUM EST, TENETE*. Hactenus laudabili sinceritate eminentissimus doctissimusque Baronius, qui postremis his verbis clare innuit, salva auctoritate Pontificia, inter viros Catholicos de hac controversia impune disceptari posse.

Neque hæc disputatio solummodo locum habet in lapsu S. Marcellini, quem insignes viri solidis argumentis libere impugnant; sed etiam in aliis quæstionibus historicis, ut patet ex lite, quæ inter Romanos & Beneventanos de corpore S. Bartholomæi apostoli jam diu agitata est: nam supra laudatus eminentissimus Vincensius Maria Ursinus longa Dissertatione contra Romanos contendit, corpus S. Bartholomæi in Beneventana ecclesia requiescere, & in prædicta Dissertatione arbitratur, apocryphis instrumentis niti omnes illos, qui cum Martyrologio & Breviario Romano asserunt, corpus ejusdem Apostoli Romæ in insula Tiberina conservari. An inde tunc eminentissimus Cardinalis, ac postea summus Ecclesiæ Pontifex, concludere voluit, illos Pontifices Romanos & eruditos Martyrologii Breviariique Romani examinatores falsariis & fabulatoribus accensendos esse? Oporteret esse malevolum aut stupidum, qui ex hoc Antecedente talem sequelam deduceret. Brevitatis causa prætereo plura hujusmodi argumenta, quæ in te retorqueri possent: nam mihi videntur sufficere jam relata, quibus tamen unicum ac domesticum Prædicatorum exemplum adjicio.

Cuperus ad diem 3. Augusti, tomo 1. istius mensis a pag. 582. illustravit Acta B. Augustini de Gazotha, qui ex Ordine Prædicatorum ad episcopatum Zagabriensem in Croatia, ac deinde ad Lucerinum in Apulia assumptus est. Anno 1702. sacra Rituum Congregatio & Clemens XI. Pontifex concesserunt PP. Prædicatoribus, ut de hoc Beato recitarent Officium proprium, in quo hæc de illo leguntur: *Exacto tyrocinio, Parisios una cum fratre Jacobo Ursini studiorum causa missus, sanctum Thomam Aquinatem magistrum habuit, sub quo mirum est, quantum in scientia, pietate, ceterisque virtutibus profecerit*. Jam sæpius a me laudatus Echardus Dominicanus hunc B. Augustinum inter scriptores Ordinis sui recenset, & de ingressu illius in Ordinem Prædicatorum ex codice Carcassonensi Bernardi Guidonis hæc refert: *Intravit Ordinem anno* MCCLXXVII., *vel* MCCLXXVIII. At si B. Augustinus de Gazotha tantum anno Christi 1277. vel 1278. Ordinem initiaverit, & S. Thomas anno Christi 1274. mortuus fuerit, quomodo ille potuit, *exacto tyrocinio*, eumdem S. Thomam Aquinatem, qui jam ab aliquot annis mortem obierat, magistrum habere, ut in hoc Officio proprio legitur? Quapropter Echardus sciens, Doctorem Angelicum anno Christi 1274. ad superos migrasse, & B. Augustinum anno Christi 1277. vel 1278. Religionem PP. Prædicatorum tantummodo ingressum esse, tomo 1. Bibliothecæ Prædicatorum pag. 551. opinionem de commentitio isto magisterio S. Thomæ refellit his paucis verbis: *Sancti Thomæ auditorem fuisse quidam comminiscuntur, quod ex anno, quo nomen dedit Ordini, omnino evertitur, Parisios missum studiorum causa anno* MCCLXXVI. *narrat Pius, & verosimillimum*. Vide Cuperum, si lubet, qui in Actis Sanctorum tomo 1. Augusti pag. 287. eumdem inextricabilem nodum fusius proposuit.

Frater anonyme, an etiam Echardum reum credis irreverentiæ contra sacram Rituum Congregationem ac summum Pontificem, eo quod rejiciat illud magisterium S. Thomæ, quod PP. Prædicatores quotannis recitant in Lectionibus propriis, quas sacra Rituum Congregatio & Clemens XI. Pontifex anno 1702. approbarunt. Simul mihi edissere, quid censeas de eminentissimis eruditissimisque viris, qui rotunde negarunt lapsum S. Marcellini, aliasque historias, quas Romani Pontifices admiserunt, aut etiam Martyrologio Breviarioque Romano inseri permiserunt. Si illos ab omni crimine absolvas, uti absolvendos existimo, cur de læsa majestate Pontificia accusas Cuperum, qui solummodo dubitavit, an prima Rosarii institutio sancto Dominico esset adscribenda.

Jamne vides, jamne sentis, Frater anonyme, quam inique Cuperum aliosque Bollandistas aggressus fueris? Verum hæc & similia responsa, quæ prævidere poteras, tibi antea expendenda erant, priusquam in fine epistolæ tuæ tertiæ Cuperum & collegas ejus compellares his minacibus verbis: *Vos vos alloquor, Antverpienses scriptores. Tentatisne quid Roma ferre, quid pati possit?* Sed ego vicissim te interrogo, an eminentissimi Cardinales, doctissimique auctores, quos supra allegavi, tentaverint, quid Roma ferre, quid pati posset. An id etiam tentarunt Nebridius Mundelheimius, Joannes Mabillonius, Josephus Stephanus de Noriega, aliique scriptores Catholici, qui primam Rosarii institutionem ætate S. Dominici antiquiorem pronuntiarunt? Nimirum viri illi eruditi noverant, quid in materia dogmatica, & quid in rebus historicis auctoritati Pontificiæ deberent. Ut utramque hanc materiam imposterum accuratius distinguas, bone Frater, pro corollario audi sententiam Melchioris Cani, qui lib. 11. Locorum Theologicorum cap. 5. de hac distinctione sic disserit: *In maxime illi errore versantur, qui rerum gestarum memorias, tamquam Ecclesiæ Oracula accipiunt, si eas in epistolis & decretis suis Pontifices aliquando usurparint. Non est idem, mihi crede, historiæ approbatio & usurpatio. Utitur quidem interdum Pontifex, si quidquam suadere cupit, receptis opinionibus, sententiis rebusque vulgatis; at non continuo, quæcumque in hunc usum attulerit, ea Sedis Apostolicæ judicio probat: aliud quippe est suadentis munus, aliud definientis. Qui pronuntiat, res veras ille affert; qui suadet, nonnumquam etiam verosimiles . . . Itaque imprudentium hominum erit, historias quasvis, obiter etiam & ad præsentem causam a Pontifice adductas, non aliter amplecti, atque eas, quæ sint Ecclesiæ certo judicio comprobatæ*. Hæc itaque imposterum accuratius distingue, & Cuperum solidioribus argumentis impugna, aut tace. Si enim pergas repetere obsoletas accusationes, quibus olim R. P. Sebastianus a sancto Paulo Bollandistas oppugnavit, jam inde te, & lectorem ad Responsiones Papebrochianas remitto. Quod si amicum meum Cuperum tantummodo dicteriis incessas, ut hactenus fecisti, nullum a me deinceps responsum feres, nisi otio abundavero. Vale, Frater anonyme, & firmiter tibi persuade, pharetram meam nondum exhaustam esse, ut forsitan experieris, si tu viris innocentibus maledicere perrexeris, & ego superfluum tempus ad emittendas sagittas invenero. Dabam anno MDCCXXXIV. jam ad finem vergente, cujus felicem exitum, & simul auspicatissimum anni subsequentis exordium tibi ex animo precor.

APO-

APOLOGIA ALTERA
PRO
HAGIOGRAPHIS
ANTVERPIENSIBUS
SOCIETATIS JESU

Adversus duos tresve scriptores ignotos, ab alio Anonymo aggressore distinctos, qui variis modis Commentarios ad Acta Sanctorum impugnarunt,

AUCTORE
GERMANO QUODAM
ROMANO-CATHOLICO.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

JAm diu prælo paratam habui amplissimam responsionem ad duas ultimas anonymi Fratris mei epistolas, cujus tres priores in prima Apologia mea utcumque refutavi. Dum autem exspecto sextam ejusdem scriptoris epistolam, ut eam simul cum duabus præcedentibus refellerem, ecce ab amico quodam ostenduntur mihi Monumenta Gallica (*Memoriæ Trivultianæ anni 1735. mense Majo pag. 906. & sequentibus.*) Trivultianorum, & Brevis Monitio ad hagiophilos, quam Bollendistæ post Synopsim tomi secundi de Actis Sanctorum mensis Augusti nuper ediderant, & ex iis scriptis intelligo, priorem meam Apologiam his & illis propter acrimoniam stili non placuisse, quamvis ibidem fateantur, epistolas aggressorie longe acerbiores esse. Attamen, lecta hac eorum censura, cui non parum deferre soleo, cœpi egomet mecum ratiocineri, ac me ipsum ita interrogare: Si ideo displicuerit prima mea responsio, quæ mihi lenis videbatur, quale judicium ferent de illa posteriore jam typis edenda, quam ego ipse multo acriorem esse existimo?

Itaque hoc eruditorum virorum judicio mature expenso, consilium mutavi, & elaboratam illam lucubrationem, vel omnino supprimendam, vel tantisper differendam censui, donec Frater meus anonymus aut alius importunus scribillator me ad eam vulgandam compelleret: si enim ille vel alii quidam eodem modo, quo hactenus usi sunt, pergant Acta Sanctorum impugnare, & reverendos eorum editores invidiose maledictis incessere, nec Trivultianorum nec Bollendistarum crisim curabo, & his illisque respondebo, hanc non esse aggressionem meam, sed justam honorabilium virorum defensionem, quæ etiam quibuslibet reis negari non potest. Præterea opponam ipsis exempla S. Bernardi, S. Thomæ Aquinatis, S. Bonaventuræ, aliorumque Sanctorum, qui calumniatores catholicos strenue redarguerunt, & clientes suos ab eorum obtrectationibus acriter vindicarunt. Itaque Trivultianis ac Bollandistis liberam relinquo suam censuram; sed ob eam deinceps ab edenda acriore Apologia non absterrebor. Attamen amice suadeo illis, quorum interest, ne fumantem nasum ursi tentent, quod poeta Bilbilitanus (Martialis l. 6. Epigr. 64.) cavendum docet. Hæc præmonere volui, ne postea serius eos facti pœniteat, & sibi non prædictum quiritentur.

Dum datorum & acceptorum rationes in re litteraria subduco, ut quotannis facere consuevi, opportune recordor, me in Præfatione prioris Apologiæ promisisse refutationem arbitrariæ cujusdam Genealogiæ & alterius absurdæ Apostrophes, quæ iteratæ trium epistolarum editioni injungitur. Hic nuper accessit quidam popularis meus, ut suspicor, qui etiam hagiographos Antverpienses aggressus est, & astute frivolam suam lucubrationem recusis duabus posterioribus anonymi mei Fratris epistolis immiscuit. Sed ipsa hujus commilitonis loquela & simplicitas hanc fraudulentam suppositionem statim produnt, & illum hominem ab anonymo meo Fratre diversum esse demonstrant. Quinimo subdubitare quispiam posset, an non sit idem bonus vir, qui Apostrophen & hanc epistolam conscripserit. Quidquid sit de hac suspicione, nunc promissis stabo, & istos duos vel tres adversarios, quos cum Fratre meo anonymo confundere nolui, jam eadem opera refutabo, & unumquemque pro meritis excipiam.

Non ita pridem didici, quibusdam Fratris mei anonymi adjutoribus festivum ipsius stylum arridere, ipsosque propterea iteratæ pagellarum

ejus editioni præfixisse hunc magnificum titulum: *Christiani Catholici ad viros pacificos, Antverpienses Actorum Sanctorum editores, epistolæ censoriæ, quibus eorum in scribendo aberrationes, commenta, ineptiæ, iniqua partium studia, mordax & irreverens stylus, aliaque id genus vitia bene multa festive aperiuntur, deridentur, emendantur.* Post lectionem primæ Apologiæ meæ jam multi norunt, quid hi promissores tanto hiatu dignum tulerint; illi enim festivioris styli laudatores me excitarunt, ut ad genium adversariorum me accommodarem, & exemplo Fratris mei anonymi subinde facetum scribendi genus avide arriperem. Imo potius isti novorum titulorum inventores mihi currenti, ut vulgo dici solet, calcar addiderunt: nam candide fatebor, me sic a natura comparatum esse, ut interdum jocis delecter. Quare severi lectores mihi ignoscent, ut spero, si etiam huic Apologiæ nonnumquam sales & unam alteramve lepidam narratiunculam inseruero. Quod si forte quispiam ex adversariis jactabundus glorietur, sese ridiculas narrationes etiam in Jesuitas retorquere posse, hic arbitrio suo id libere faciat. Sed meminerit exemplo meo publicos narrationum suarum testes allegare, & eas non excerpere ex Provincialibus Montaltii Epistolis, Theatro Jesuitico, Tuba Magna, aut famosis hujusmodi libellis, qui ubique proscripti & alicubi manu carnificis combusti fuerunt. Si enim advertero, historias illas esse haustas ex hoc aut simili cloacali flumine, quod olim adolescens enavigavi, & cujus plerosque rivulos adhuc novi, Romano-Catholico ac æquo lectori venenatum hujus fontem assignasse sufficiet.

Porro cum vidissem, Bollandistas ab advocatis Dominicanorum perperam exagitari & pueriliter irrideri, illosque utilioribus occupationibus distentos tacere, ultro patrocinium bonæ causæ suscepi, quod unicuique causidico liberum esse existimo. Igitur eo dumtaxat fine has responsiones conscripsi, ut anonymi hagiographorum Antverpiensium aggressores ab ineptis satyris vulgandis tandem desisterent, vel magis seriam Apologiam exspectarent, quam si posthac mordacibus epistolis extorqueant, me hactenus tantummodo lusisse experientur. Tamen post edita etiam illa, quæ nondum in lucem proferenda arbitror, verissime potero usurpare eadem verba, quibus mellifluus Doctor Bernardus (*Opera S. Bernardi in Coloniensi editione anni 1641. tomo 4. pag. 39.*) acrem Apologiam, quam ad Guilielmum abbatem sancti Theodorici de corruptis monachorum quorumdam moribus scripserat, ita concludit: *Quæ in vestris laudabilia sunt, laudo & prædico: si quæ reprehendenda sunt, ut emendentur, vobis & aliis amicis meis suadere soleo. Hæc non est detractio, sed attractio.*

Ex dictis eruditus lector designatam hujus Apologiæ methodum facile intelliget, & benignam alterius suppressionem aut dilationem non moleste feret. Secutus ergo vulgare istud dictum, *quod differtur, non aufertur*, nunc rem ipsam aggrediar, & prius antiquis creditoribus meis satisfaciam: nam secundum regulam juris; *Qui prior est tempore, potior est jure*. Deinde respondebo alteri ignoto Bollandistarum oppugnatori, qui post editam priorem Apologiam meam ausus est iterum occupatissimos istos viros contemptim ad certamen provocare. Quod si interea Frater meus anonymus importune debitum suum exigat, spondeo, me statim cum fœnore soluturum. En una manu hastam & altera caduceum adversariis offero, ut habet vetus Græcorum proverbium. Ex his duobus eligant illud, quod sibi magis prodesse arbitrantur. Tunc etiam nuper detecta Guzmanicæ nobilitatis testimonia, quæ hoc ipso anno Frater meus anonymus ex monumentis Bononiensibus in fine ultimæ suæ epistolæ primum protulit, severe & accurate examinabo, ut Bononienses authenticam suorum instrumentorum fidem evidenter ostendant, & hæc illustrissima sancti Dominici stirps, quam veteres Vitæ scriptores mirabili taciturnitate suppresserunt, tanto firmius stabiliatur, vel ista documenta de interpolatione arguantur.

J U D I C I U M

De arbitraria quadam S. Dominici genealogia, quam anonymus scriptor aut potius interpres nuper Lucæ edidit.

Non ita pridem scriptor mihi ignotus, sed vir moderatus, ut ex stylo ejus colligo, adornavit quamdam genealogiam nobilissimæ familiæ Guzmanicæ, ex qua S. Dominicum oriundum existimat. Cum ille, ut decet, sententiam suam modeste tueatur, etiam modestam responsionem meretur. Quapropter curioso lectori singula ejus argumenta fideliter ipsis auctoris verbis exhibebo, & iis breves observationes seu notas subjiciam.

Audiamus itaque primum ipsius ratiocinium, quod ita proponit: *Ad adstruendam probabilitatem extrinsecam, sufficere testimonia antiquorum & probatorum auctorum, in confesso est apud omnes, etiam Bollandistas: itaque ad probandam antiquitatem, nobilitatem, propagationem, originem, stemma, confœderationem & statum familiæ Guzmanorum, ex qua natus est sanctus Pater Dominicus, abs dubio sufficiet adducere complures probatos auctores, Bollandistis omnibus antiquiores, & hac de re ex professo scribentes.* Ita amicus adversarius, qui de auctoritate veterum scriptorum hic non satis clare disserit. Quare ambiguam ipsius locutionem nonnihil explicabo.

Certe apud Bollandistas & omnes eruditos in confesso est, testimonia veterum & probatorum auctorum ad historiæ veritatem stabiliendam sufficere; at ideo non sufficiet adducere complures auctores, Bollandistis omnibus antiquiores, nisi illi simul S. Dominico coævi aut saltem suppares fuerint. Alioquin fides adhibenda esset F. Alano Rupensi, F. Joanni Martin, F. Thomæ Malvendæ, aliisque pluribus scriptoribus, qui Bollandistis antiquiores sunt, & tamen varias fabellas Actis S. Dominici inseruerunt, ut Cuperus §. III. & IV. Commentarii sui prævii demonstravit.

Deinde adversarius recenset illos auctores, inter quos, ipso teste, *primus est Ambrosius Moralez, curiosus exactusque Philippi II. Hispaniarum regis historiographus, qui, visitatis per se ipsum celebrioribus regni Castellæ archiviis, lectis relectisque privilegiis & titulis, integrum justæ molis volumen de genealogia S. Dominici conscripsit.*

Sed

Sed Cuperus consuluit istum historiographum Hispanum, qui initio dissertationis ingenue fatetur, suo tempore dubitatum fuisse, an S. Dominicus ex illustri Guzmanorum stemmate originem traxisset. Moralio igitur proferenda erant certa & authentica documenta, quibus invicte probaret illam Sancti nobilitatem, de qua omnes veteres biographi altum tacchant: nam absque hujusmodi testimoniis exigere non poterat, ut istam præclaram S. Dominici nativitatem, ab aliquibus in dubium revocatam, & ab ætate sua tam remotam, statim omnes unanimi consensu admitterent. Non videtur autem mihi ille genealogus, cujus argumenta hic expendo, umquam legisse istud Moralii opusculum, quod *integrum justæ molis volumen* incaute appellat: tota enim illa dissertatio genealogica, quam Ambrosius Moralez generali Historiæ suæ Hispanicæ subnexuit, vix novemdecim folia complectitur. Forte vir iste aliquando audiverit, vel alicubi legerit, illam S. Dominici genealogiam tomo tertio generalis historiæ Hispanicæ ab Ambrosio Moralez propugnari, atque hinc perperam putaverit, toto isto tomo seu magna ejus parte de hac genealogia tractari. Utut est, hunc errorem, qui ad rem præsentem viz quidquam facit, libenter ei condono.

Progrediamur ad alios memoratæ genealogiæ defensores, quos allegat hoc modo: *Secundus est Ferdinandus de Castilio, ejusdem Philippi II. prædicator ordinarius, qui ob eamdem causam sedulo laboravit, inquirendo maxime in antiquis monasteriis & Conventibus nostris, & aliorum Ordinum. Tertius est Joannes Lopez episcopus Monopoleos, vir eximiæ pietatis & doctrinæ, qui permissione Apostolica, abdicata dignitate episcopali, prioris vitæ solitudinem repetiit, alteri onus & honorem relinquens.*

Breviter respondeo, duos hos doctos piosque viros sola sua auctoritate efficere non posse, ut opinionem eorum tace amplectar, nisi prius eamdem veteribus ac genuinis instrumentis confirment. Propterea etiam Cuperus in Commentario prævio ad Acta S. Dominici ab his aliisque recentioribus documenta, ex authenticis archivis extracta, notis chronologicis distincta, & fide dignis testimoniis roborata postulavit.

Post tres illos recentiores modestus adversarios citat scriptorem, quem primo loco collocatum oportuit, & cujus solo testimonio tota controversia dirimi poterat. Hic testis, sancto Dominico coævus, ab amico genealogo nostro memoratur his paucis verbis: *Quartus est Dom. Rodericus, archiepiscopus Toletanus in sua generali Historia ejusdem regni & civitatis, qui vixit tempore S. Dominici.*

Hic Rhodus, hic saltus. Quapropter hic pedem figamus, & tantisper candide colloquamur. Ubinam, amice mi, Rodericus Toletanus umquam scripsit, S. Dominicum ex nobilissima Guzmanorum stirpe natum esse? Cur verba Roderici Toletani non attulisti, aut saltem locum historiæ ejus non assignasti? Si tamen id uspiam Rodericus asseruerit, jam sine ulla tergiversatione circa natales S. Dominici omne dubium depono, & ea lege fateor, Sanctum illum ex illustri stemmate Guzmanico ortum esse. Tibi itaque tantum incumbit hanc assertionem in Historia Roderici Toletani ostendere. Nunc æqui rerum æstimatores judicent, utrum non sit honesta conditio, quam hoic genealogo & omnibus PP. Prædicatoribus sincere offero.

Etiamsi inutile sit ab hoc scriptore synchrono, qui solus litem dirimere potest, ad alios recentiores iterum transire, tamen hac in re sequar amicum adversarium, qui reliquos auctores ita recenset: *Quintus est Dom. Ferdinandus Perez de Guzman, qui, cum ex eadem esset familia, omnem navavit operam, ut de suæ familiæ statu ac origine veras & singulares caperet notiones & notitias, quas libro suo, quem de viris illustribus compilavit, inseruit. Sextus est Barrantius Moldonatus in illustratione Domus Ducum de Medina Sidonia. Septimus est Didacus Ferdinandus Mendozius in suo Nobiliario: quorum auctorum vestigiis unanimiter institere permulti recentiores, qui non nisi jam tradita ab aliis edidere. Inter quos recentiores novissimus est & octavus R. P. Joannes de sancta Maria Ordinis Prædicatorum historicus generalis, qui jussu & mandato reverendissimi Patris Magistri generalis Thomæ Turci (postquam totum quodammodo orbem & Ordinem peragrasset pro inquirendis hinc inde antiquis monumentis ad rem facientibus) historiam integram sancti Patris Dominici conscripsit, & genealogiam contexuit, ex quo & reliqua sequentia desumpta sunto.* Ita quidem Latinus ille interpres genealogiæ Guzmanicæ, quam fere totam postea ex libro Gallico Joannis de sancta Maria excerpsit, ut hic ultro fatetur.

Verum omnes isti recentiores historici aut genealogi, veteribus instrumentis destituti, non satis certam reddunt rem, quæ ætatem eorum tanto annorum intervallo præcessit, & de qua omnes antiqui Actorum S. Dominici scriptores mirabiliter siluerunt. Quod vero ad F. Joannem de sancta Maria attinet, is *nimium credulus* fuit, ut Echardus Dominicanus in Bibl. Prædic. tom. 2. pag. 595. testatur. Hinc etiam Cuperus varia figmenta, quæ Joannes ille Actis S. Dominici incaute immiscuerat, in Commentario prævio ad Acta ejusdem Sancti sæpe coactus est rejicere.

Denique laudatus genealogus confugit ad Breviarium, acsi omnibus auctoribus hactenus allegatis diffideret, & ex illo nobilitatem S. Dominici probare nititur his verbis: *Accedit authoritas Breviarii tum Romani, tum proprii, sacri Ordinis Prædicatorum, authoritate Apostolica confirmati, & desumpti ex perantiquis authoribus Theodorico de Appoldia & S. Antonino, in quibus hæc formalia habentur: SS. P. DOMINICUS CALAROGÆ IN HISPANIA EX NOBILISSIMA GUZMANORUM FAMILIA NATUS EST.* Hæc periodus adeo ambigua est, ut jure merito possis dubitare, utrum formalia illa verba, quæ literis majusculis expressi, in Actis Theodorici de Appoldia & Opere historico S. Antonini, an in solo Breviario Romano & Dominicano legantur. Forte alius hanc amphibologiam tribueret astutiæ vel meditatæ fraudi; sed ego malim candidam adversarii mentem, quæ ex hac lucubratione ejus elucet, benignius interpretari, & dubiam istam phrasim simplicitati aut inconsiderantiæ adscribere. Interim curiosus lector sciat, Theodoricum Appoldianum & S. Antoninum de Guzmanica

S. Dominici nobilitate nullum verbum fecisse, & hanc tantum in Breviariis Romano & Dominicano recentioribus exprimi: nam Cuperus paragrapho nono, quem integrum priori meæ Apologiæ inserui, ex ipsis veterum Breviariorum lectionibus evidenter ostendit, in antiquis Breviariis tum Romano, tum Dominicano, nullam de nobilitate S. Dominici mentionem fieri. Hæc hactenus pacifice disputata sint ad eruendam veritatem, quam solam quæro, & quam in Latina hujus adversarii genealogia nondum clare inveni.

Ceterum ex hoc moderationis exemplo discant alii inconsiderati Bollandistarum aggressores, quomodo inter viros honestos disceptandum sit, si quid controversiæ oriatur. Quare vix dubito, quin hagiographi Antverpienses huic mansueto disputatori breviter ac modeste responsuri fuissent, si proprium nomen opusculo suo præfixisset. Denique certius affirmare possum, Bollandistis omnes opinionum suarum vindicias a me relinquendas fuisse, si ceteri scriptores anonymi tam placidam disputandi methodum servassent.

ANIMADVERSIO

In absurdam scribillatoris cujusdam ignoti Apostrophen.

NUnc in scenam prodit alius, qui Fratri meo anonymo suppetias ferre voluit, & ideo apostrophen ad Bollandistas direxit. Totum hujus Opus vix constat unica pagella, in qua præter brevitatem nihil mihi placet. Ut igitur hoc breve eruditionis ac modestiæ monimentum, quod forsan omnia hujus eloquentis viri Opera hactenus edita complectitur, ære perennius perseveret, & facilius ad posteros transeat, illud hic integrum recudam, & quibusdam observationibus illustrabo.

Facundus auctor, qui Rhetoricam vix a primo limine videtur salutasse, Ciceronem imitatus orationem suam sic abrupte exorditur: *Ergone, viri pacifici, nullum extat probabilitatis punctum de nobilitate sanguinis sancti Patris Dominici? Nullum, inquitis, pedissequi in hoc puncto prædecessoris vestri P. Danielis Papebrochii, qui in suis ad Acta Sanctorum notis, præter innumeros alios errores (quos videre licet in libro, cui titulus, Exhibitio errorum, quos P. Daniel Papebrochius S. J. suis in notis ad Acta Sanctorum commisit, oblata SS. D. N. Innocentio XII. per F. Sebastianum a sancto Paulo Carmelitam) non absque Sedis Apostolicæ auctoritatis contemptu asserere ausus fuit, quod etiam per Bullas Pontificias, quibus historiæ aliaque antiqua monumenta prævio examine approbantur, ne minimum quidem punctum majoris, quam ante habuerunt, probabilitatis modo accedat istis historiis.*

Hæc est prima orationis tuæ pars, in qua posthumam celeberrimi Papebrochii famam obscurare incassum niteris. Verum mortuo leoni etiam lepores insultant, ut fert parœmia. Sed cur textum Papebrochii fraudulenter mutilasti, & hodiernis Bollandistis affinxisti verba, quæ nusquam in scriptis suis protulerunt? Ubinam, obsecro, Cuperus umquam scripsit, nullum extare probabilitatis punctum de nobilitate sancti Dominici? Ille solum conqueritur, nobilitatem istam ab omnibus recentioribus passim traditam, & hodierno Breviario Romano insertam, ab æqualibus aut supparibus S. Dominici biographis non confirmari. Propterea PP. Dominicanos humaniter invitavit ad eam opinionem ex antiquis monumentis roborandam, de cujus veritate propter miram veterum scriptorum taciturnitatem prudenter dubitabat.

Quod vero ad Papebrochium spectat, noli a me exspectare operosam hujus eruditissimi hagiographi defensionem, cum ille hanc ipsam accusationem, jam a te renovatam, olim duobus paragraphis (*Resp. ad art.* 2. §. x. *& ad art.* 3. §. 11.) abunde refutaverit: mihi enim non lubet in gratiam tuæ pagellæ transcribere duos istos paragraphos, qui molem ingentis tui Operis facile quinies aut sexies superarent. Sicut igitur tu lectori librum Exhibitionis errorum assignasti, ita ego eumdem lectorem ad Responsiones Papebrochianas remitto.

Interim audiamus denuo disertam tuam orationem, quam ita prosequeris: *At timeo, quod, sicut idem Papebrochius quosdam palmares errores solemniter recantare coactus fuit, specialiter, dum contra communem Ecclesiæ sensum asseruit, quod Officium de venerabili Sacramento, non a Thoma Aquinate, sed a Joanne quodam Clerico sæculari, compositum fuerit, ita vos punctum controversum fors expungere & palinodiam canere debeatis: neque enim desistent umquam genuini Parentis filii, Fratres Prædicatores, sive in Hispania, sive Italia, sive Gallia, sive Germania, sive Belgio, pro gloria & nobilitate sui Patris Dominici, ceu pro focis & aris, scripto & verbo fortiter decertare.*

Quandoquidem hic Papebrochio inhumaniter exprobras id, quod ei gloriosum est, non omnino frustra vereor, ne tandem S. Augustinum ob retractatos errores suggilles. Quamvis tibi sit curta scientiæ supellex, ut ex tua unius pagellæ lucubratione colligo, tamen verosimiliter aliquando audisti, viro sapienti non esse probrosum, si agnitæ veritati victas manus dederit. Quod si tamen forsitan hoc ignores, ex uno alterove viri prudentis judicio ostendam, Papebrochio minime vitio vertendam esse facilem illam errorum retractationem, quam tu ei ignominiosam arbitraris.

Papebrochius in dubium revocaverat sinceritatem quorumdam diplomatum, quæ ab eruditissimo Joanne Mabillonio Benedictino genuina censebantur. Sed postea, expensis Mabillonii novis argumentis, sententiam mutavit, scriptaque ad amicum adversarium epistola, errorem suum candide agnovit. Quid ad hæc Mabillonium rescripsisse existimas? Accipe humanissimas hujus docti viri litteras, quibus mense Novembri anni 1683. Papebrochio respondit hunc in modum: *Nobis ex itinere Germanico reversis reddita est epistola tua, in qua quid de Opere nostro diplematico sentias, sincere exponis. Ego vero satis mirari non possum tantam in insigni eruditione modestiam, cujus exemplum vix ullum illustrius reperire licet. Quotus enim quisque eruditorum est, qui in litterario conflictu victum se agnoscat, & agnita veritate priorem sententiam incunctanter deponat, utque id palam omnibus testatum velit? Tu vere facis ultro & tam amice, ut, si aliunde te non nossem, statim intimo amore complecterer. Sic non tibi sufficit doctrinæ & eruditionis primas tenere,*

usi

nisi etiam primas assequare modestiæ. Utramque tibi palmam deferimus, admodum reverende Pater. Neque hæc mei solius sententia est, sed etiam eorum omnium, quibus litteras tuas tuo jussu ostendi. Alii nimirum tuam eximiam humanitatem, alii modestiam & humilitatem, omnes insignem eruditionem tuam deprædicabant. Sed vereor, ne, dum hæc fusius prosequor, mihi de tua confessione ingenuissima abblandiri videar. Absit hæc a mente mea cogitatio, ut de tua modestia ego ipse superbiam. Imo vero id ita animo repuio, si quid in Opere nostro dignum tua publicave æstimatione invenitur, non tam ex ingenii nostri conatu, quam ex monumentorum copia & facultate æstimandum esse. Verum quidquid illud est, malim esse modestissimæ epistolæ auctor, quam cujusvis Operis vanus ostentator. Tu vero, vir pussime, Deum precare, ut qui tui in Actis Sanctorum illustrandis imitatores sumus, etiam in consectanda Christiana humilitate socii esse mereamur. Has modestissimi victoris litteras Papebrochius io Responsionibus suis [*Resp. ad art.* XV. §. 31.] edidit; & easdam nuper dominus Vincentius Thuillier Benedictinus inter Opera posthuma Mabillonii tom. 1. pag. 460. post exhibitam Papebrochii epistolam recudi jussit. Possem tibi hic suppeditare alterum modestæ disceptationis exemplum, quod io eruditissimis suis Dissertationibus ecclesiasticis præbuit Josephus Parezius, Benedictinus Hispanus, qui Opus de Actis Sanctorum impense laudabat eo ipso tempore, quo nonnullas Papebrochii opiniones improbabat. Sed fortasse aliàs opportunior hujus rei tractandæ occasio recurret.

Na autem putes, hanc humanitatem apud solos Benedictinos usitatam esse, breviter tibi demonstrabo, eamdem io sacro Prædicatorum Ordine olim viguisse: nam eximius Pater ac Magister Franciscus Janssens Elinga, sacræ theologiæ in academia Lovaniensi doctor, & PP. Prædicatorum in Belgio Provincialis, laudibus extulit hanc ipsam Papebrochii retractationem, quam tu ei superius inclemanter & acerbe exprobrasti. Audi fragmentum epistolæ, quam Papebrochius integram Responsionibus suis [*Resp. ad Art.* XIII. §. 14. *num.* 176. *& sequentibus*] inseruit. Cum hagiographus ille erroneam suam opinionem circa authoram Officii de venerabili Sacramento retractasset, & hujus retractationis testimonium petiisset, laudatus Magister ac Provincialis inter alia sic ad eum scripsit: *Cum autem secundum meam epigraphen, requisitum pro manifestanda veritate nec me elinguem esse deceat, nec bilinguem, imo nec hoc illatenus meo charactere conveniat, attento etiam, quod ceteroquin admodum reverendæ Paternitati vestræ, & in ea Societati, plurimum in hoc obstricti sumus, quod non minoribus impensis ac sumptibus, quam exantlatis laboribus studiisque (quæ & continuari pro residuis nostri Ordinis Sanctis summopere desideramus) laudabiliter adhibitis, jam nunc in præteritorum mensium decursu tot intercurrentia nostrorum Sanctorum virorum Acta, numquam antea vel non sic edita, illustraveris, ut justa molis tomum in folio (prout vere in tuis ad me meminisiti) si cum tuis Commentariis in unum colligerentur, facile complerent. Propterea, Pater reverende, veritatem sensus dictique mei præfatis litteris tibi requirenti, sincero calamo respondeo, & candida mente notum facio ac declaro, me eo tempore, id est lecta tua illa Dissertatione vigesima tertia, gratam acceptamque habuisse, ac etiamnum habere sinceritatem illam tuam: sed nec hoc solum, verum etiam plus vice simplici in confessu seu præsentia diversorum virorum præcipuorum, etiam Ordinis nostri, eamdem ingenue commendasse; eo quoque intuitu, quod sub finem prænemoratæ Dissertationis tuæ ultro spontaneeque affirmasses, te similem satisfactionem quibuscumque aliis dare paratum, quando videres, veritatem pro iis stare, contra quam nec velles, nec posses.* Hæc moderationis exempla deinceps imitare, & ex illis gravium virorum litteris disce, non fuisse insultandum Papebrochio propter hunc aliosve errores, quos jam dudum publice revocaverat.

Exprobrationi tuæ addis minas, & asseveranter denuntias, Dominicanos in Hispania, Italia, Gallia, Germania & Belgio non destituros a certamine, quod pro defendenda sancti sui Fundatoris nobilitate susceperunt. Verum hæc belli denuntiatio Bollandistas nequaquam terret, ut opinor: nam Cuperus omnes ubique Dominicanos aliosque antiquitatis indagatores invitavit ad nobilitatem illam solide probandam, & diligentiæ acuendæ causa adjecit, illa nobilitatis testimonia, quo fuerint plura & certiora, eo sibi fore gratiora. Nullo igitur opus est certamine; sed tantum diligenti investigatione, qua controversa ista nobilitas alicunde eruatur, & ex genuinis vetustisque instrumentis demonstretur. Certe Bollandistis displicere non potest amica instructio, quam privatim & publice postularunt. Sed ea instructio desinet esse amica, & potius nomen satyræ merebitur, si illam comitentur convicia, & parerga, qualia tu, & tibi similes hactenus edidistis. Quamobrem Bollandistæ prudenter tuam aliasque mordaces pagellas pergunt contemnere, & verosimiliter exemplo Papebrochii tacebunt, donec illis vir quispiam modestius ac notius certam defensionis aut retractationis materiam suggesserit.

Superius monui, ab hac instructione removendas esse invidiosas digressiones, qualem tu subnectis, dum in levi tua pagella Bollandistas alloqueris in hunc modum: *Profecto verificatum in vobis videtur, quod olim sub ipsis Societatis incunabulis, Præpositus vester generalis Mutius Vitellescus, vestrum criticandi spiritum, novandi libidinem, scribillandi pruriginem notans & amplius prævidens, lamentatus est in epistola ad Patres & Fratres Societatis pag. 413. inter alia inquiens:*
„ *Nemini parcunt, nimiaque libertate agunt &*
„ *licentia, non sine gravi charitatis justitiæque*
„ *interdum injuria, dum aliena seu facta* (ad-
„ dendum erat *seu dicta*, quod omisisti) *nunc*
„ *amplificata augent, modo ultro citroque renun-*
„ *tiant, nunc in deteriorem partem arripiunt.* „

Nescio, utrum hæc Mutii Vitellesci verba transcripseris ex ipsis Præpositorum Generalium litteris, an ex infami auctore Tubæ magnæ & majoris, qui clangore primo [*Tuba altera edita Argentinæ anno* 1714. *pag.* 8.] eamdem epistolæ partem Jesuitis exprobravit. Sed undecumque ea excerpseris, quod mea parum interest, hic tu saltem Mutio Vitellesco spiritum prophetiæ tribuis, utpote qui præviderit & in epistola sua allocutus fuerit Bollandistas, antequam nati essent. Vehementer Jesuitas tibi obstringis, quod generalem eorum Præpositum inter prophetas collocaveris, & illi forsan hoc gravi tuo testimonio utentur, si umquam causa de

neg-

Beatificatione venerabilis hujus viri instituatur. Porro hanc curam ipsis relinquo, & interim breviter tibi ostendam, in hoc epistolæ fragmento, quod allegasti, nullum verbum fieri de publicis Societatis scriptoribus, multo minus de Bollandistis, de quorum utilissimo Opere tunc nondum cogitari cœperat.

Mutius Vitelleicus hoc loco reprehendit quosdam sui temporis Jesuitas, qui dicta seu facta fidelium suorum, aliorumve hominum, temere divulgabant, nimis libere carpebant, aut sinistre interpretabantur. Verum in his omnibus agi de leviori materia & venialibus peccatis, quibus etiam religiosa corda sordescunt, facile colligo ex ipsis ejusdem reverendissimi Præpositi generalis verbis, quæ præcedentibus a te citatis ita statim subjicit: *Equidem mihi persuadeo, consulto & dedita opera non delinqui, quod sciam, quantus Dei timor, ipso adjuvante, in Societate vigeat; verum affirmo, inconsiderantiam, indiligentiam, lubricitatem hac in re malum esse longe gravissimum.* Tu tam cautus, quam supradictus tubicen, vel auctor Tubæ alterius suppressisti hæc posteriora reverendissimi Generalis verba, ex quibus videbas, in illa nimia alios carpendi libertate, temerariis suspicionibus aut judiciis, & sinistra alienorum dictorum factorumve interpretatione plerumque ex inconsiderantia vel pravitate aut levitate delinqui. Tamen reverendissimus Mutius Vitelleicus illud malum appellat gravissimum, eo quod etiam levia peccata, si invalescant & impunita maneant, Ordinibus Religiosis maximum damnum inferant secundum istud Ecclesiastici: *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

Equidem tibi in hac materia reponere possem id ipsum, quod eminentissimus S. R. E. Cardinalis Sforria Pallavicinus olim in Vindicationibus Societatis cap. 47. respondit cuidam Julio Scotto, qui Jesuitis similes Præpositorum Generalium suorum querelas maligne objecerat. Sed tua pagella tam seriam & operosam refutationem non meretur. Quare hic satis superque erit unicam interrogatiunculam tibi proposuisse. An tu putasti, mi homo, Jesuitas nullis vitiis obnoxios esse? Si ita censeas, nimis magnam de Societate illorum opinionem concepisti. Ego quidem Jesuitas magni facio; sed non existimo, eos impeccabiles, aut omnium vitiorum experetes esse. Neque mihi persuadeo, sanctissimas etiam Religiones omni culpa vacare. Hinc supremi Ordinum Religiosorum moderatores, vel generalia eorumdem comitia, identidem subditos suos monent, a vitiis deterrent, & errata illorum severe castigant. Possem id plurimis argumentis demonstrare. At ex solis Capitulis generalibus Ordinis Dominicani, quæ Edmundus Martene tom. 4. Anecd. a columna 1669. ex Ms. Codice Tolosano RR. PP. Prædicatorum edidit, pauca hujus rei exempla retulisse sufficiet.

In Capitulo generali, quod Burdigalæ anno 1287. celebratum est, quibusdam Fratribus injunguntur sequentes pœnitentiæ [*Thes. Anecd. tomo 4. col.* 1821.] his verbis: *Quia multi Conventus Franciæ nobis suis litteris intimarunt, quod quidam Fratres ejus provinciæ acuerunt linguas suas in derogationem famæ venerabilis Patris Magistri Ordinis, effundentes & disseminantes de ipso quædam, de quibus idem Magister est innocens omnino & immunis; ordinamus & volumus, quod Fratres Hugo de Villa-sana, & Frater de Sancta-Teva, Johannes de Arenes, quos Prior Provincialis Franciæ propter hujusmodi linguarum suarum lubricitatem & detractationem de suis emisit Conventibus, non redeant ad eosdem, & sint omni voce privati, nisi in sui accusatione; nec ad alios tractatus Ordinis admittantur, donec per generale Capitulum fuerint restituti. Duodecim insuper diebus in pane & aqua abstinebunt; duodecim Missas & duodecim disciplinas recipient. Et injungimus Priori Provinciali Franciæ, quod in sua provincia super quibusdam Fratribus, qui nobis de prædicto excessu fuerunt delati, & etiam de aliis Fratribus inquirat diligenter, & si quos invenerit deliquisse, similiter vel etiam gravius puniat, si gravius excesserint, ne tantus excessus remaneat impunitus.*

Præterea Fratres quidam Dominicani, quod summopere mirandum, olim detraxerunt de fama vel doctrina Angelici Doctoris, ut patet ex Mediolanensi Capitulo anni 1278. in quo legitur [*ibid. col.* 1793.] sequens decretum: *Injungimus districte Fratri . . . . de Medullione & Fratri Johanni Vigorosi, quod cum festinatione vadant in Angliam, inquisituri diligenter super facto Fratrum, qui in scandalum Ordinis detrahunt de scriptis venerabilis Fratris Thomæ de Aquino, quibus ex nunc plenam damus auctoritatem in capite & in membris, quos culpabiles invenerint in prædictis, puniendi, extra provinciam emittendi, etiam officio privandi plenam habeant potestatem. Quod si unus eorum casu aliquo legitimo fuerit impeditus, alter eorum nihilominus exsequatur; quibus Priores de sociis competentibus, quos ipsi ad hoc officium exsequendum idoneos judicaverint, teneantur, quandocumque requisiti fuerint, providere.*

Eadem detractio in Parisiensi Capitulo anni sequentis prohibetur [*ibid. col.* 1797.] his verbis: *Cum venerabilis vir memoriæ recolendæ Frater Thomas de Aquino sua conversatione laudabili & scriptis suis multum honoraverit Ordinem, nec sit aliqualiter tolerandum, quod de ipso vel scriptis suis aliqui irreverenter vel indecenter loquantur, & aliter [sint] sentientes, injungimus Prioribus Provincialibus & Conventualibus, & eorum vicariis, ac visitatoribus universis, quod si quos invenerint excedere in prædictis, punire eos acriter non postponant.* Hoc decretum in altero Capitulo, quod anno 1286. habitum est Parisiis, (ibid. col. 1817.) rursus ita urgetur: *Districtius injungimus & mandamus, ut Fratres omnes & singuli, prout sciunt & possunt, efficacem dent operam ad doctrinam venerabilis Magistri Fratris Thomæ de Aquino recolendæ memoriæ promovendam, &, SALTEM, UT EST OPINIO, defensandam. Et si qui contrarium facere attentaverint assertive, sive sint magistri, sive baccallarii* [" id est *baccalaurei*] *Priores, & alii Fratres etiam aliter sentientes, ipso facto ab officiis propriis & aliis Ordinis sint suspensi, donec per Magistrum Ordinis vel generale Capitulum sint restituti. Et nihilominus per prælatos suos seu visitatores, juxta culparum exigentiam, condignam reportent pœnitentiam.* Nisi hæc decreta in comitiis generalibus Prædicatorum legerem, numquam credidissem, inveniri potuisse Fratres Dominicanos, qui doctrinam S. Thomæ Aquinatis carperent.

Non lubet mihi hic transcribere alias pœnas,

nas ; quæ contra seditiosos quosdam Ordinis Dominicani perturbatores, audaces amineorissimorum Cardinalium obtrectatores, & falsos Superiorum suorum accusatores in iisdem Capitulis statuuntur : nam ex jam relatis vacuus studio partium lector facile concludet, in adversarium meum quadrare illud Venusini poetæ lib. 1. Serm. Satyr. 3.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius ? At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus & illi.

Referam tamen aliquas minoris momenti noxas, ut ex his pateat, æqua a Prædicatoribus ac Jesuitis leviora delicta prudenter reprehendi aut castigari. In laudatis PP. Prædicatorum Capitulis sparsim invenio sequentia decreta. Primum (*Thesaur. Anecdot. col.* 1672.) anno 1233. *Ne garciones* (id est *famuli*, ni fallor) *per viam ducantur, &, si aliqui duxerint, puniantur, & ipsi garciones non recipiantur in hospitiis Fratrum.* Secundum (*eadem columna*) anno sequenti: *Ne Biblia Fratri a Fratre vendantur carius, quam emerit, & idem de aliis scriptis servetur.* Tertium (*ibid. col.* 1685.) anno 1240. ubi cuidam Fratri Bartholomæo, qui forte præcedens decretum non servaverat, præscribitur pœnitentia hoc modo : *Frater Bartholomæus privetur Biblia propter modum notabilem acquirendi, & paret se ad disciplinam, & faciat pœnitentiam a vicario sibi injunctam.* Quartum (*ibid. col.* 1706.) anno 1255. *Illis, qui duxerunt garciones ad Capitulum cum expensis contra formam constitutionum, injungimus tres dies in pane & aqua, & tres disciplinas.* Quintum (*ibidem col.* 1720.) anno 1258. *Omnibus Prioribus vel eorum vicariis, qui secundum monitionem præteriti Capituli non præciderunt cappam Conversorum, injungimus, quod legant quinquaginta psalmos, & Constitutiones a principio usque ad finem diligenter.*

Sextum occurrit (*ibid. col.* 1881.) an. 1301. quo Priores & Lector quidam propter inhospitalitatem ita exauctorantur: *Absolvimus in pœnam Priorem Trajecti superioris, & assignamus eum Conventui Trajecti inferioris, eo quod male recepit Provinciales quosdam & Definitores venientes ad Capitulum generale. Item absolvimus subpriorem Amburgensem in pœnam, quia petivit litteram testimonialem a Definitore Daciæ, & non cognovit eum definitorem, antequam sibi de hoc per constitutionem constaret, & damus ei decem dies in pane & aqua. Item absolvimus in pœnam Fratrem Hugelerium Priorem Bruensem provinciæ . . . quia male recepit definitorem Ungariæ venientem ad Capitulum generale. Item Fratrem Gotfredum Lectorem Sindoniæ, eo quod Provinciali Daciæ posito in Dormitorio communi cum uno infirmo, non cessit de camera Provincialis, quam occupaverat, non contentus camera Lectoris, & quia impedivit Subpriorem, ne mitteret pro Priore, qui vicinus erat, suspendimus ab omni officio lectionis per annum, & assignamus eum Conventui Gisimensi.* Certe laudanda est hæc PP. Prædicatorum vigilantia, cujus plura exempla hic darem, si frivola adversarii pagella tantum laboris mereretur.

Potius itaque animum lectoris, jam forte propter tot pœnas & exauctoratos Priores afflictum, nonnihil recreabo lepida historia, quæ nunc mihi in memoriam redit occasione inhospitalitatis, quam etiam expertus est Reverendissimus Pater Joannes de Vercellis, sextus Magister generalis Prædicatorum, dum monasteria quædam sui Ordinis ignotus visitaret. Hæc res apud Edmundum Martene in Collectione amplissima tomo 6. col. 363. & sequente ex chronico cujusdam scriptoris Dominicani ita refertur : *Anno Domini* MCCLXIV. *in Capitulo Parisiensi electus in Magistrum Ordinis sextum Frater Joannes de Vercellis Provincialis Lombardiæ, magnæ prudentiæ & sapientiæ vir. Hic transferri fecit corpus beati Dominici in arcam de alabastro valde pulchram, in qua etiam nunc requiescit, quam ipse fieri procuravit. Et hoc anno Domini* MCCLXVII. *hic reverendus Magister totum Ordinem visitavit cum baculo suo, pedester semper incedendo ; qui ut melius oculata fide mores Fratrum exploratos haberet, superveniebat Conventibus incognitus & diligenter observabat, qualiter Religio observaretur.*

Unde cum semel ad quemdam Conventum valde famosum Teutoniæ debuisset accedere, dimissis sociis extra civitatem, ipse cum uno Fratre hora prandii Conventum ingressus est. Cumque quæreretur ab eis, qui essent, responderunt, quod erant Fratres Lombardi. Quod Prior, qui in refectorio prandebat, audiens, hospitium minime eis præparari jussit, sed servitori dixit : Vade & præpara illis Lombardis in ultimo loco illius mensæ. Quod cum factum fuisset, & male fuissent procurati, videns Magister Ordinis, quod Prior & Fratres alii haberent bonos pisces, & eis solum ferculum datum fuisset, vocato servitore, dixit : Bone Frater, dicatis Patri Priori, quod placeat ei dare nobis etiam modicum de piscibus, quia lassi sumus & jejunamus. Quod cum Priori a servitore dictum fuisset, Prior alta voce clamavit : NON HABEMUS PISCES PRO LOMBARDIS.

Magister Ordinis, hoc audito, patienter sustinuit. Finito prandio, sicut Magister ordinaverat, dum Fratres gratiarum actiones peragerent, socii Magistri ad portam Conventus pulsaverunt, & intromissi, dum peteretur ab eis, qui essent, responderunt : Socii sumus domini Magistri Ordinis. Et illi ; ubi est, inquiunt, Magister Ordinis ? Quibus socii Magistri dixerunt : Numquid non venit ad vos jam diu Pater unus antiquus cum baculo & uno socio? Consternati illi & verecundia ac confusione repleti, quid agerent, nesciebant. Tunc Magister Ordinis mandavit pulsari ad Capitulum, & ingressus Capitulum, assumpsit pro themate, NON HABEMUS PISCES PRO LOMBARDIS ; & increpata durissime inhumanitate Prioris & Fratrum, facta visitatione, Priorem absolvit, & Fratres & Conventum in melius reformavit. Nonne hæc historia laudabilem piissimi istius Magistri Generalis vigilantiam indicat ? Verum ex ea, aliisque præcedentibus confidenter conclude, te domi talpam esse, etiamsi foris in alienis perspiciendis lynx videri velis, & sacrum Prædicatorum Ordinem non carere suis nævis, quales Jesuitis pueriliter exprobrasti, & quos ridicule ad Bollandistas detorsisti.

Porro, ne aliquid ex pretiosa tua pagella pereat, audiamus bellam perorationem, qua toti tuo Operi sic finem imponis : *Interim væ vobis,*

vobis, qui ausi estis mittere manum in Sanctum Domini! Valete & bene vivite. Ceterum apud nos deinceps tantum ponderis obtinebit auctoritas totius vestræ historiæ, quantum vel minimum punctum. Decimo septimo Calendis (haud dubie *Calendas* dicere voluisti) anni MDCCXXXIV. En, curiose lector, totam lucubrationem hic recusam, ut facilius ad posteros propagetur, & ex ea omnes absque ullo scrupulo confidentissime concludant, S. Dominicum ex illustrissima Guzmanorum stirpe ortum esse: si quis enim de hac nobilitate dubitaverit, severo hujus gravissimi viri judicio, manum mittet in Sanctum Domini. At ego ex te quæro, rigide judex, utrum Echardus Dominicanus manum miserit in Sanctum Domini, quando nobilitatem S. Francisci Borgiæ negavit?

Postrema tua clausula vastum Bollandistarum Opus omnino evertis, & simul toti Prædicatorum Ordini ingens damnum imprudenter affers: si enim tota Bollandistarum historia apud te tuique similes deinceps obtineat tantum ponderis, quantum vel minimum punctum, quam fidem merebuntur omnia Sanctorum Dominicanorum Acta & miracula, quæ Bollandistæ hactenus ediderunt? Certe non ita de illis judicabat R. P. Franciscus Janssens Elinga, eximius Prædicatorum in Belgio Provincialis, cujus verba superius audivisti. Nolo te hic diutius exagitare, ne viris prudentibus videar cum nugatore nimium nugari. Quapropter vale, & miseram tuam pagellam nimio honore affectam crede. Nunc salva tua pace, transeo ad alium Bollandistarum oppugnatorem, vel saltem ad alteram lucubrationem, quam tu ipse forsan, jam in scribendo exercitatus, priori tuæ pagellæ addidisti.

M O N I T U M

De quadam epistola, quæ recusis anonymi Fratris mei lucubrationibus perperam immixta est.

Fortassis idem obscurus idiota, vel certe præcedenti similis, aliam symbolam conferre voluit ad oppugnandos Bollandistarum Commentarios de Actis Sanctorum, & idcirco scriptum, quod ab ipso magnifice *Apologia quinta ad viros pacificos Antverpienses* vocatur, addidit recusis anonymi mei Fratris epistolis, quas eodem *apologiæ* titulo insignivit. Interea ex variis indiciis patet, illam epistolam vel apologiam hic dolose intrusam esse, ut omnes unius ejusdemque scriptoris lucubrationes crederentur. Si tamen Frater meus anonymus istum fœtum, quem supposititium existimo, pro suo adoptare velit, non refragabor. Ceterum auctor hujus apologiæ quintæ videtur esse vir simplex & non admodum dissimilis illi presbytero, de quo Melchior Canus Lib. XI. de Locis theologicis in editione Coloniensi pag. 539. ita scribit: *Ætas nostra sacerdotem vidit, cui persuasissimum esset, nihil omnino esse falsum, quod semel typis fuisset excusum; non enim, ut aiebat, tantum facinus Reipublicæ administros commissuros, ut non solum divulgari mendacia sinerent, sed sua etiam communirent privilegio, quo illa tutius mentes mortalium pervagarentur. Quo sane argumento permotus animum induxit credere, ab Amadiso & Clarisino res eas vere gestas, quæ in illorum libris commentitiis referuntur.*

Sic enim vero auctor hujus apologiæ quintæ etiam putat, omnes illas historias esse indubitatæ fidei, quas summus Pontifex vel sacra Rituum Congregatio in Breviariis excudi permittit. Hinc severo & censorio supercilio pronuntiat, læsæ Majestatis Pontificiæ reos fieri omnes illos, qui de historica similium factorum veritate dubitant. Hoc rigidum ipsius judicium patet ex initio hujus intrusæ epistolæ, quam etiam abrupte exorditur his verbis: *Quousque, viri pacifici, tentatis, quid Roma ferre, quid pati possit, dum petulante vestro calamo tam absona contra ipsa summorum Pontificum oracula scriptitatis, dum in nupera Apologia vocatis in dubium, an sanctus Dominicus instituerit Deiparæ Rosarium.* Nihil hic moror illam accusationem, cui in priori Apologia me satis respondisse existimo, dum variis exemplis probavi, Melchiorem Canum, eminentissimum Vincentium Mariam Ursinum, Natalem Alexandrum, Jacobum Echardum, omnes ex Ordine Prædicatorum, aliosque eruditissimos & apprime Romano-Catholicos viros eadem imprudenti accusatione involvi.

Quod vero ad Rosarium Deiparæ spectat, ibidem evidenter demonstravi, Joannem Mabillonium Benedictinum, Nebridium Mundelheimium ex Ordine Canonicorum Regularium, amplissimum D. Josephum Stephanum de Noriega, abbatem Ordinis Præmonstratensis in Hispania, non solum dubitasse, an sanctus Dominicus fuerit primus Rosarii institutor, sed etiam affirmanter scripsisse, originem piissimi istius exercitii ætate S. Dominici antiquiorem esse. Quodnam igitur ego singulare crimen admisi, dum in nupera Apologia mea in dubium revocavi, an S. Dominicus Rosarium Deiparæ primus instituerit? Certe non tam temere me accusasset rudis ille historicus, si Dissertationem eminentissimi Cardinalis Ursini de sacris Reliquiis sancti Bartholomæi Apostoli, vel Historiam ecclesiasticam Natalis Alexandri Dominicani umquam attente perlegisset.

Ex hac inutili ejusdem veniæ repetitione satis video, bonum istum virum mente distracta tres prioris Apologiæ meæ Responsiones percurrisse, aut eas certe non intellexisse. Sed non tam facile assequor, quo fundamento nuperam Apologiam meam Bollandistis adscribat, ut ibidem facit. Si forsan putet, neminem præter Bollandistas idoneum esse, qui illas epistolas refellat, multum fallitur, & viros istos nimio honore dignatur. Ego quidem eruditionem hagiographorum Antverpiensium suspicio ac veneror; sed *& nos didicimus litteras*, ut verbis S. Hieronymi l. 2. ep. 4. utar, *& nos sæpe manum ferulæ subduximus. De nobis quoque dici potest: FOENUM HABET IN CORNU, LONGE FUGE.* Huic nervosæ sancti Doctoris phrasi superaddo, me sæpius attento animo pervolvisse Responsiones Papebrochianas, & legisse quosdam Commentarios ad Acta Sanctorum ita ut de re historica nonnihil judicare possim. Cur igitur, me neglecto, Bollandistas aggreditur? Cur potius voluit eruditos istos viros lacessere, quam nupera argumenta mea refutare? Forsan id gloriæ causa fecit, ut aliquando hagiographi Antverpienses cum ipso certasse ferantur?

Sane conjector ille in appellandis hujus Apologiæ auctoribus videtur æque infelix, ac F. Jacobus Hyacinthus Serry Dominicanus, qui in

in assignando alicujus Operis auctore turpiter erravit: cum enim Belga quidam doctus, sub nomine Theodori Eleutherii, falsam ejus Historiam de Auxiliis refutasset, Serrius in eadem Historia defensa & aucta *Antverpiensis editionis anni 1715. lib. 5. sect. 1. cap. 1. pag. 654.* confidenter adversario respondet his verbis: *Age igitur, Eleutheri, ac de gemino, uti facis, Historiæ nostræ auctore detecto tibi plaude: alii mentem tibi figmentis ac somniis feracissimam gratulantur. Nobis haud ita fingendam somniandamque fuit, ut binos Historiæ tuæ auctores detegeremus; non utique illos commentitios ac de fabula; sed certos ac minime dubios: Livinum de Meyere, cujus verbosa ac virulenta Præfatio dicitur esse; & Joannem Baptistam du Soulier, qui in corradenda ac disponenda sex librorum materia operam contulit. Cui maxime tot mendaciorum totque calumniarum ac virulenti, qui passim eminet, styli gloria competat, haud satis notum.* His lectis, quis non crederet, Serrium hac de re certissimum esse, & nobis folium recitare Sibyllæ?

Attamen intrepidus ille pronunciator toto cælo hic a veritate aberrat: nam Joannes Baptista Sollerius numquam huic Historiæ manum admovit, & tunc illustrandis Actis Sanctorum insudabat. Si quis mihi nolit credere, legat Epistolam curiosam ad F. Norbertum D'Elbequa responsoriam, quæ post Historiam de Auxiliis ab objectionibus R. P. Serrii vindicatam edita est art. 3. seu pag. 19. & in qua P. Livinus de Meyer Jesuita ipsum Fratrem Norbertum D' Elbeque assertionis meæ testem adducit, dum adversarium ita alloquitur; *Dicis secundo, aliquando me sub Theodori Eleutherii, aliquando sub Liberii Gratiani nomine vestros, seu verius Jansenistarum, libros refellere. Quod si verum foret, tibi id mirum videri non deberet, qui aliquando F. Norbertum D' Elbeque, aliquando CURSOREM te vocas THOMISTARUM (LE POSTILLON DE THOMISTES.) Laudo tamen candorem, quo consodalem tuum F. Hyacinthum Serri (qui nunc sub ABBATIS, nunc sub AUGUSTINI LE BLANC nomine personatus delituit) palam erroris vel mendacii arguis: hic enim confidentissime more suo asserit, auctorem Historiæ Controversiarum de Auxiliis sub Theodori Eleutherii nomine latere P. Joannem Baptistam Du Sollier. Tu neges, & recte: quippe qui nullam eo in Opere partem habet, ne minimam quidem. Tu interim divina, quantum lubet, egone sim auctor Historiæ contra Le Blanc, & dissertationum contra Reginaldum, an alius quispiam. Dicerem tibi, si tua id referret.* Adversarius meus illam clausulam sibi dictam existimet, & hoc exemplo cautior redditus, discat de occultis hujus Apologiæ aliarumque lucubrationum auctoribus non tam temere ac confidenter certum judicium ferre.

Ego interea lubens fatebor, hunc adversarium meum prorsus mihi incognitum esse: licet enim in Præfatione hujus Apologiæ propter ejus stilum aliaque indicia suspicatus fuerim, illum esse quemdam ex meis popularibus, tamen asseveranter istam patriam ei non assigno, nec illam conjecturam meam mordicus tuebor. Neque hæc suspicio mea officit splendori nationis nostræ, cum experti norint, in omni gente doctos & indoctos inveniri. Quare, ut cum Virgilio loquar; *Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo.* Saltem ex hac epistola ipsius patet, eum esse virum nimis credulum, qui in rebus historicis dijudicandis, ut mitissime dicam, parum versatus est, & forte librum undecimum Melchioris Cani de Locis Theologicis numquam evolvit. Cum igitur nihil ad rem faciat, qualiscumque huic scriptori patria obtigerit, potius breviter audiamus, quid virum illum præcipue moverit, ut cum hagiographis Antverpiensibus tam acerbe expostularet.

Imprimis ægerrime fert, quod Bollandistæ Alanum de Rupe, vel auctorem libri, qui sub nomine Alani Redivivi prodiit, *fabulatorem* appellaverint. Deinde congerit aliqua Alani Rupensis elogia, ut prodigiosas hujus scriptoris narrationes veritati consentaneas esse ostendat. Si bonus ille Alani vindex Bollandistas consulere voluisset, verosimiliter ei assignassent Joannem a sancta Maria Dominicanum, in cujus Opere Gallico plures Alani laudes reperisset. Si vero linguæ Gallicæ ignarus erat, procul dubio illum remisissent ad Hyacinthum Choquetium Dominicanum, qui mirabilem Alani Rupensis Vitam & mirabiliores ejusdem revelationes, Latine vulgavit.

Verum hic non est quæstio de elogiis Alani Rupensis: nam etiam suos laudatores ac sectatores habuit Joannes Annius Viterbiensis Dominicanus, qui tamen variis figmentis incautos decepit, & de quo Aubertus Miræus inter scriptores ecclesiasticos ita pronuntiat in Biblioth. Eccles. part. 2. cap. 6. *Joannes Annius, Viterbiensis, Ordinis Prædicatorum, sacri Palatii Magister, reliquit Antiquitatum libros viginti septem sæpius recusos, sed anilibus mendaciis plenos. Nam Berosus, Manetho, & alii scriptores veteres, quos se producere dicit, prorsus sunt supposititii, ut in Auctario Bibliothecæ ecclesiasticæ cap. 3. & sequentibus docui. Suis porro nugis Annius in errorem traxit Joannem Nauclerum, Joannem Driedonem, Leandrum Albertum, Valerium Anselmum, Joannem Lucidum, Michaelem Medinam, Sixtum Senensem & alios. Quod & hic monere visum fuit, ne quis errantium vestigiis insistat. Annius autem obiit Romæ sub initium seculi decimi sexti, conditus apud suos in æde supra Minervam. Ceterum ut Annius suo ævo, sic & nostra ætate fabulator, nescio quis, multos eruditione præstantes viros in errorem traxit, editis veterum aliquot chronographorum, ut his Lucii Flavii Dextri & Marci Maximi, fragmentis supposititiis.*

Si alicui hac in re non sufficiat auctoritas eruditissimi Miræi, relictis aliis doctis viris, possum ei addere duos testes minime suspectos ex Ordine Prædicatorum, videlicet Melchiorem Canum & Natalem Alexandrum, qui de sodali suo simile judicium tulerunt. Cum autem Canus in Opere de Locis theologicis lib. 11. c. 6. supposititios Annii Viterbiensis libros exploserit pluribus ac longioribus argumentis, quæ mihi transcribere non vacat, magis placet brevis censura Natalis Alexandri Dominicani, qui in Historia ecclesiastica veteris novique Testamenti tom. 8. de eodem Annio sic scribit: *Fictitia illorum auctorum Opera Commentariis illustrans, orbi imposuit, plures in errores abduxit, tempore abusus est, quod melius collocare poterat vir Latine, Græce, Hebraice, Chaldaice & Arabice eruditus, ut de eo tradit Leander in Italia sua.*

Post

Post hæc Alexander citat varios circumspectos auctores, qui hanc Annii imposturam aut nimiam credulitatem olfecerunt, relatisque Cani argumentis, in fine censuram ejusdem docti Dominicani sic refert: *Non ergo Philo Judæus, cujus ingenium, eruditionem, facundiam celebravit antiquitas, auctor illius libelli fuit; sed homo quispiam sine ulla bona arte, sine eloquentia, sine ingenio, sine litteris. Censura est Melchioris Cani loco superius laudato, quam subjicere volui, ut ex domestico scriptore Annii ingenium cognoscas.* Ita Natalis Alexander, quem nemo cordatus in hac materia de studio partium accusare poterit. Porro ex his liquet, veritatem historiæ non satis probari ex quibusdam elogiis, quæ doloso illius auctori ab incautis viris bona fide impenduntur: nam etiam multi eruditione præstantes, ut Miræus loquitur, Annium Viterbiensem & alterum fabulatorem, securi sunt, & innocue laudarunt. Igitur huic scriptori Apologiæ quintæ elaborandum erat, ut historias & revelationes Alani cum certis S. Dominici gestis connecteret, aut fabulosum Opus ei abjudicaret.

Nonne recordabatur, sibi semel ac iterum datam fuisse optionem, utrum mallet hæc commenta Alano Rupensi vindicare, an potius alteri ignoto impostori adscribere? Si oblitus est hujus liberalitatis, refricet memoriam, & audiat Cuperum, qui §. 2. Commentarii prævii tom. 1. Aug. p. 364. ad Acta S. Dominici sic disseris: *Dubitare etiam quis posset, an in hac supposititiorum auctorum serie non sit collocandus Alanus de Rupe, cui forsan exterus aliquis impostor fabulosa opuscula de Psalterio seu Rosario Christi ac Mariæ affinxerit, iisque nomen Alani perfide inscripserit; qua falsa inscriptione deceptus Joannes Andreas Coppenstein, ex sacro Prædicatorum Ordine, ea primus postmodum sub nomine B. Alani de Rupe Redivivi typis vulgaverit: cum enim Alanus ille dicatur fuisse vir pius & doctus, quinimo in Ordine passim BEATUS appelletur, non videntur ei tribui posse crassa & manifesta figmenta, quibus auctor horum opusculorum Vitam S. Dominici contaminavit. Non ignoramus, huic dubio opponi posse testimonia plurium auctorum, qui similia opuscula Alano adscripserunt. Quapropter hanc quæstionem in medio relinquamus, & RR. PP. Prædicatoribus optionem dabimus, un ea Alano suo, an alteri ignoto tribuere malint. At certe opinamur, verum horum opusculorum auctorem (quisquis iste demum fuerit) fuisse imprudentem fabulatorem, qui aperuit lutulentum figmentorum fontem, ex quo nihilominus posteriores quidam scriptores incaute sua hauserunt, & veris S. Dominici gestis immiscuerunt multas fabellas, ut duobus paragraphis sequentibus & in decursu hujus Commentarii prævii demonstrabitur.* Similia Cuperus alibi sæpius repetit.

Interim incautus adversarius exigit, ut hæ fabulæ sibi assignentur, & Bollandistas ita interrogat: *Sed amabo vos, viri pacifici! Quæ ejus fabulæ, figmenta, falsæ visiones?* Breviter respondeo, ipsum inventurum plures fabellas, quam velit, si Commentarium prævium Cuperi levi oculo percurrere non gravetur. Ceterum huic interrogationi abunde satisfaciet Echardus Dominicanus, qui inter alia in Biblioth. Dominic. tom. 1. p. 851. de Alano Rupensi hæc tradit: *Ea vero, quæ de sancto Dominico narrat, ita cum veris ejus pugnant, ejus historiæ adeo sunt dissona & contraria, ut nulli cordato placere possint, nec ab historico veritatis amico & cultore adoptari. Sic historia, quam de Sancto, Rosarium Tolosæ prædicante, & de stupendis prodigiis, quæ tum acciderunt, refert Part. 2. cap. 3. si vera fuisset, quis putet, in inquisitione de ejus gestis anno* MCCXXXIII. *tam diligenter facta, ubi tot testes, qui ipsum viventem viderant, auditi, a nemine fuisse memorata? Quis credat, Jordanum ejus successorem, Petrum Ferdinandi Hispanum, Constantinum, Humbertum de Romanis, Stephanum de Borbone, Vincentium Bellovacensem, Stephanum de Salanhaco, Theodoricum de Appoldia, omnes ejus ætatis scriptores Dominici gestorum apprime cupidos, & qui mira ejus omni sollicitudine & diligentia quæsierunt, effugisse? Idem dicas de Conrado Cardinali, quem vult in juventute Oximi studiorum Dominici sodalem, ab eo ad frugi revocatum, inde Cisterciensem; cum certo Cardinalis ille in Hispania juvenis moratus non sit, nec studuerit, sed in Germania. Idem de Dominici captione a piratis, a quibus conversis in portum Armoricæ deductus sit, quam provinciam numquam Dominicus vidit. Idem de Dominici itinere Parisios per Germaniam Part. 3. cap. 3. & de castro ad Rhenum aut Danubium, in quo dæmones sub specie puellarum formosissimarum rectorem & satellites deludebant, quam viam Sanctus numquam arripuit, qui nec Parisios venit, nisi semel ex Hispania. Idem brevi de omnibus, quæ de Sancto narrat. Omitto, cum Part. 5. cap. 38. Dominicum exhibere in æde sanctæ Mariæ super Minervam habitantem, quod illum arguit in historia Ordinis omnino peregrinum, qui hanc ædem nescierit sub Gregorio X. tantum, anno scilicet* MCCLXXV. *nostris Romanis concessam.* Nonne post hæc aliaque eruditi Echardi argumenta Cupero licuit qualemcumque auctorem hujus opusculi appellare *imprudentem fabulatorem*, qui eximia S. Dominici gesta crassis & manifestis fabulis contaminavit?

Attamen imperitus ejusdem quintæ apologiæ sarcinator has fabellas Alano vindicat, & imprudenter addit, ipsum revelationes suas jurejurando confirmasse. Quinimo illas jurandi formulas majori charactere expressit, ut lector eas tanto facilius observaret. Sed hæc ipsa juramenta Bollandistis maxime displicuerunt, & propter illa Cuperus §. 3. Commentarii sui prævii pag. 367. sic hæsitabundus pronuntiavit: *Quare ii, quorum interest, eligant, utrum hæc opuscula malint Alano adscribere, an eidem abjudicare. Interea fateor, tot apertas ac juratas fictiones hactenus a me cum vera auctoris sanctitate conciliari non posse.*

Si popularis meus velit Bollandistis negotium facessere, eosque egregie exagitare, optimum ei consilium subministrabo. Igitur paucis & fide dignis testimoniis demonstret, Alanum Rupensem ob immemorabili tempore in Ecclesia publicum licitumque cultum habuisse. Enimvero tunc Bollandistæ sudabunt pro conciliando hujus scriptoris sanctitate cum tot juratis figmentis, & nullum video illis patere effugium, nisi memoratum Opus Alano abjudicent, ac ignoto impostori adscribant. Satis hanc difficultatem sensit amicus meus Cuperus, qui ad angustias redactus, ibidem sic timide scribit:

Si

Si tamen RR. PP. Prædicatores solida immemorabilis cultus testimonia de illo proferre possint, ea nobis communicare ne graventur, ut Alanus ad diem VIII. *Septembris Operi nostro inferatur: tunc enim discutiendum esset, qua ratione tot jurata figmenta possint cum vera sanctitate consistere.* Si quis ergo immemorabilem Alani Rupensis cultum solide probaverit, magnum obsequium Ordini Prædicatorum præstabit, & interim res Bollandistarum hac in parte ad triarios redibit.

Attamen hagiographi Antverpienses in hoc casu, quem numquam occursurum arbitror, forsan imitabuntur eminentissimum Cardinalem Baronium, qui in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 604. fuse disputans de æterna Trajani imperatoris salute, eamque ab aliquibus assertam explodens, ad objectas opinioni suæ contrarias S. Birgittæ & S. Mathildis revelationes ibidem (*Tomo 8. ultimæ editionis Antverpiensis pag. 190. ad annum 604. num. 49. & seqq.*) ita respondet: *Sed absit, ut credam, quid hujusmodi divinitus pronuntiatum. Eloquia enim Domini casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum, quæ nec rubiginis quidquam admittant. Nec fiat, ut credam, quid hujusmodi fuisse sanctissimis feminis revelatum, vel ab ipsis esse conscriptum, sed tantum ipsarum nomine ab aliis promulgatum. Abeant igitur vana commenta, sileant prorsus inanes fabulæ, sepeliunturque æterno silentio, data venia iis, qui quod factum acceperunt, verum putantes, de eo scripserunt. Laudetur tamen zelus eorum, qui quod assertum invenerunt, quomodo se habere potuerit, scholastice disseruerunt: magis vero laude digni habeantur, qui emunctis naribus odorati falsitatem, errorem sunt detestati. Sic itaque tandem postliminio veritas reddita, sua fulgens integritate ac sinceritate, firma intaqueconsistat, nec amplius historica veritas istiusmodi labefactetur ineptiis.*

Vidisti quidem quam levibus ac frivolis nitatur res tanta fabellis, & traducatur undique mendaciis historia tanti momenti; quæ etsi testes gravissimos potuisset habere sibi invicem consentientes, in nullo discrepantes, pluresque contestes id ipsum asserentes, omnique genere probationum id affirmantes, adhuc tamen ob offensam majestatem Evangelicæ veritatis & sacra totius Ecclesiæ Catholicæ firmata stabilitaque dogmata, adhuc, inquam, fuisset jure meritoque de veritate historiæ dubitandum, eaque ad discussionem exactissimam revocanda; sed & probata veraque inventa, non tamen continuo divulganda, sed veluti arcanum quoddam in sacris Ecclesiæ penetralibus retinenda. Quanto ergo magis prudens quisque facile judicaverit esse oblivione delendam, damnandamque silentio, quæ probatione destituitur, mendaciis scatet, nec saltem verisimili aliqua nititur conjectura, neque ullo stabili fundamento subsistit, dignamque esse (quod vetus proverbium habet) rejici in Beatam, in quam Trajanus moriens est projectus ad inferos. Sed & execratione æque insectanda sunt, quæ nomine Joannis & Petri diaconorum sancti Gregorii in medium afferuntur ex codice Vaticano scripta, quæ ob id recipienda simplices putent tamquam divinum oraculum: quasi non omnis copiosa bibliotheca referat similitudinem sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congregantis, bonos & malos continens libros, probatos & improbatos, utiles & inanes simul amplexans, illos ut fruatur, rejiciat vero istos.

Hæc eminentissimi viri verba adversarius cum debita proportione applicet Alano Rupensi, aut cuilibet prædicti Operis auctori, qui Part. 5. cap. 43. narrat incredibilem historiam de rege quodam Hispaniæ ad vitam revocato, quam Cuperus in Commentario suo omisit, & quam hic ipsis Alani verbis ita refero: *Rex quidam magnus volens familiam suam inducere ad orandum Virginis Mariæ Psalterium, portabat in zona sua magnum PATRILOQUIUM, quod tamen non orabat: sicque videntes universi regem suum hoc portare, fecerunt & ipsi similiter, & quod magis est, illud orabant. Quid amplius? Rex iste raptus ad judicium Dei se pertrahi sibi videbatur condemnandus ad tormenta inferni, quoniam vix boni aliquid fecerat; sed mala plura in bellis, rapinis, blasphemiis, superbia, gula, & sic de aliis perpetraverat. Cumque contra eum daretur sententia damnationis, Virgo Maria adfuit, dicens, se habere pro eo aliquid boni; simul porrexit in medium illud PATER NOSTER, quod rex iste portarat, non tamen ipsum orarat. Itaque in statera sunt posita mala summa, & de parte alia PATRILOQUIUM suum. Mira res! Tunc dæmones contra Virginem Mariam furentes & blasphemantes cœperunt summam partem stateræ velle gravare, dicentes, Mariam injuste fecisse illi æqualitatem. Quid plura? Conversa Maria ad regem ait: Ecce tibi impetravi a Filio meo propter illud modicum servitium, quod exhibuisti mihi, ut redeas ad vitam, & ad stateram de parte tua apponas. Interim rex in domo sua mortuus jacebat, ad sepulturam mox efferendus. Et ecce subito, cunctis videntibus, surrexit & ait: O benedictum sit Psalterium Virginis Mariæ, per quod sum liberatus a damnatione gehennæ. Itaque in cunctis emendatus, nedum de cetero Psalterium Mariæ portavit, verum etiam devotissime oravit. Istud putatur accidisse cuidam regi Hispaniarum tempore sancti Dominici Prædicatoris.* Huc usque Alanus; cujus narrationem ex antiquis Hispaniæ monumentis probatam videre desidero: nam rei tam prodigiosæ sine testibus & tabulis fidem non adhibebo. Interim fervidus ille Alani defensor edisserat mihi nomen istius regis, & aliquam probabilem rationem reddat, ob quam prodigium adeo publicum ac singulare in Annalibus aut Chronicis Hispanicis non memoretur.

Ceterum de exoticis hujusmodi narrationibus Echardus Dominicanus tom. 1. Biblioth. Prædic. pag. 851. recte pronuntiavit hoc modo: *Ingenium Alani ut cognoscas, confer historiam Benedictæ Florentinæ, quam habet Part. 5. cap. 38. cum num. 35. Vitæ Dominici per Constantinum, qui ex ore ipsius Benedictæ rem gestam audivit, & simpliciter narrat. Heu quantum discrimen! Quidquid Alanus habet altra, id totum amplificatio ejus est, visio, si velis, meditatio, compositio; & quis addet forsan, quædam esse fidei rectæ non consona, si ad litteram sumantur, ut cum beatam Virginem in altari exhibet, cum beato Dominico celebrante, sacrificium dividentem, partemque Hostiæ & Calicis sumentem & bibentem, & postea ad vestes sacras deponendas adjuvantem, quæ nisi modo quodam spirituali, meam fateor mentem excedente, explicentur, nescio, quis theologus ferat. Sunt alia plura hujus rationis.* Tum subnectit alia, quæ ego hic brevitatis causa præ-

Opuscul. Collect.

termitto. Verum hæc & similia prodigia ab adversario cum sententiis historicorum ac theologorum concilianda erant, si hoc opusculum Alano Rupensi adscribere, aut stupendas ejus narrationes tueri volebat.

Sed vir ad approbandas fabulas nimium facilis, deserta Alani causa, ad ineptias evagatur, & more Fratris mei anonymi veteres nenias recantat. Possem iis facillime & cumulatissima respondere, si mihi a Melchiore Cano & Natale Alexandro Dominicanis, aut ab aliis emunctæ naris scriptoribus, argumenta mutuari luberet. Sed vagæ ac repetitæ ipsius accusationes apud me non sunt tanti momenti, ut illis operose refellendis tempus inutiliter impendam. Quapropter hic brevis esse laboro; nec tamen obscurus fiam, ut spero, si curiosus lector pervolvere voluerit ea, quæ ex Responsionibus Papebrochianis mox assignabo. Prius itaque ipsis adversarii verbis breviter referam parerga, ad quæ digreditur per interrogationes, quarum hæc prima est: *Nonne enim (ut sexcentas alias historias faciam missas) historiam inventionis S. Crucis in Ecclesia receptissimam, & Romano Breviario insertam, ut fabulam repudiatis?* Secunda: *Nonne proscripto Joanni Launoyo, historiam sanctarum Marthæ & Magdalenæ tamquam fabulam explodenti, festive applauditis?* Tertia: *Nonne cum infami Launoyo contra communem Ecclesiæ sensum pernegatis, S. Dionysium Areopagitam suum abscissum gestasse caput, hocque passim receptam historiam ad aniles fabulas rejicitis?* Quarta: *Nonne pariter receptam S. Theodori Ducis & martyris miraculosam de dracone victoriam, peræque ac pugnam S. Georgii, tamquam fabulosam exsibilatis?* Quinta: *Numquid Acta S. Sylvestri, a Nicolao I, variisque conciliis approbata (puta baptismum a sancto Sylvestro Romæ collatum imperatori Constantino, donationem itidem factam Sylvestro ejusque successoribus ab eodem Constantino) fabularum imo mendaciorum monstris annumeratis?* Putatne bonus iste, se aliquid novi in lucem proferre, dum Bollandistis has quinque interrogationes proponit?

Verum jam diu Papebrochius singulis hisce accusationibus abunde respondit, ut eruditus lector facile colliget ex solis veterum accusationum titulis, quos hic collocabo eodem ordine, quo interrogationes ab hoc novo hagiographorum Antverpiensium oppugnatore propositæ fuerunt. Responsio prima legi potest ad articulum primum §. 7., cui præfigitur hæc accusatio: *Papebrochius historiam inventionis sanctæ Crucis, in Ecclesia receptissimam & Romano Breviario insertam, repudiat tamquam fabulam*. Secunda ad articulum undecimum §. 3. eique hæc accusatio præmittitur: *Papebrochius cum Joanne Launoyo historiam SS. Marthæ & Magdalenæ explodere censetur, tamquam fabulam*. Tertia ad eumdem articulum §. 5. cum sequenti accusatione: *Papebrochius negat cum Launoyo, Dionysium Areopagitam suum abscissum caput gestasse*. Quartæ interrogationi bipartitæ Papebrochius duplicem responsionem reddidit; unam quidem ad articulum decimum quintum §. 26. cui præfixa legitur hæc accusatio: *Papebrochius sancti Theodori Ducis & martyris miraculosam de dracone victoriam deliriis accenset narratiunculis*. Alteram vero dedit ad articulum undecimum §. 9. ut patet ex hoc accusationis titulo: *Papebrochius receptissimam S. Georgii pugnam cum dracone accenset commentis plebeiis, & deliris narratiunculis*. Quandoquidem rudis ille fabularum æstimator tantopere delectatur historiis draconum, legat popularem nostrum Joannem Zahn, Canonicum Ordinis Præmonstratensis, qui in Mirabili mundi œconomia Disquisit. 3. Zooscopica cap. 17. §. 1. & sequentibus, quædam prodigiosa de draconibus narrat. Ibi inveniet dracones apodes, bipedes, quadrupedes, montanos, palustres, volantes, ignitos, verbo uno genus omne draconum, inter quos fortasse draconem S. Theodori vel S. Georgii ex forma agnoscet, ejusque figuram in altera epistola ad opprobrium Bollandistarum disertis verbis describet, aut æri potius incidi curabit.

At jam serio properandum est ad quintam & ultimam ipsius interrogationem, quæ complectitur varias accusationes, quas etiam Papebrochius distinctis responsionibus diluit; videlicet ad articulum secundum §. 2. 3. & 4. quibus sequentes antiquæ accusationes præmittuntur: *Papebrochius Acta S. Sylvestri cum Natale Alexandro, ab Ecclesia damnato, ablegat ad fabulas, & baptismum Constantini a sancto Sylvestro susceptum explodit tamquam fabulam. Papebrochius cum Luthero aliisque hæreticis donationem Constantini imperatoris, Sedi Apostolicæ factam, effutit esse fictitiam*. Ex his patet, omnem hujus scribillatoris industriam in eo consistere, quod exhibitos veterum accusationum titulos in novas interrogationes mutaverit. Sed fallor: nam aliquid amplius præstitit, dum in suis interrogationibus nomen Natalis Alexandri Dominicani caute suppressit, & Joanni Launoyo epitheton *infamis* liberaliter addidit. Hinc eruditus lector etiam facile colligit, ab hoc homine, præter cramben recoctam, nihil exspectari posse, quamvis confidenter alios ingenii sui fœtus promittat, dum in fine hujus apologiæ Bollandistas salutat his verbis: *Valete porro, viri pacifici, & valetudinem vestram curate diligenter. Proxime plura, si diis placet*. At si diis placet, & accusator ille plures hujusmodi nugas proferat, vel antiquas quæstiones repetat, nullum deinceps a me responsum exspectet.

Interea miror, propter has exigui momenti controversias, quæ inter auctores Romano-Catholicos libere agitantur, bonum hunc virum adeo commoveri, ut adversus hagiographos Antverpienses exclamet, & simul frivole sic argumentetur: *O viri insupportabiles, qui, dum sacras historias a Sede Apostolica prævio examine approbatas, seu fabulas exploditis, atrocem in ipsum Pontificem injuriam facitis redundare! Enimvero dum sacrosancta Sedes Apostolica suis in bullis narrat & approbat historiam, aut Breviario inserit pro divino Officio, quod præcipit recitari, hoc ipso dictam historiam adeo sibi devincit & connectit, & quasi suam facit, ut quidquid est contra unum, & contra alterum sit oporteat*. Obiter observo, Bollandistas hic ab adversario appellari *insupportabiles*, quos alibi viros *pacificos* nominarat. Sed viri pacifici & insupportabiles non bene conveniunt, nec in una sede morantur. Ceterum jam in priori mea Apologia evidenter ostendi, hanc ratiocinationem falsam esse. Attamen hic vir historiæ ignarus ad opinionem suam probandam ex Barbosa allegat axioma juris, quod huic rei convenit,

sicut

sicut *cani balneum*, aut *caeco speculum*, quemadmodum in adagiis refertur. Denique rudia iste historicus de confirmatione Societatis Jesu & S. Francisco Xaverio aliquid in Bollandistas retorquet. Sed jam originem Societatis & S. Franciscum Xaverium ejus alumnum impugnaverat Frater meus anonymus, cui abundanter hac in re satisfaciam, si Apologiam meam tertiam typis vulgari desideret. Interim popularis mei gratia hic corollarium quoddam adjungo.

Cum in Breviario Romano ad diem VII. Martii dicatur sanctus *Thomas Landulpho Comite Aquinate & Theodora Neapolitana, nobilibus parentibus natus*, coram hoc viro vix asserere auderem, eumdem Sanctum ex parte matris originem Normannicam habuisse: cum enim adversarius ob jam memoratas exigui momenti controversias tam facile excandescat, forsitan imitaretur istum R. P. Priorem, qui in Gallia, seu distinctius in Britannia Armorica, concionatorem quemdam propter hanc ipsam assertionem ridicule ultus est. Hac occasione lepidam exhibebo comœdiam, quam lectori non ingratam futuram arbitror, & ex cujus læto exitu popularis meus saltem discet, non statim levibus de causis pueriles iras gerendas esse, & historicis ejus placitis impune contradici posse.

Nuper ruri degens, ubi interpono meis interdum gaudia curis, legi Miscellanea historica & litteraria domini de Vigneul-Marville, qui illa de re facetam historiam narrat (*Parisiensis editio anni 1725. tomo 1. pag. 13. & sequentibus.*) hoc modo: *Saint Thomas d'Aquin étoit Normand, & Bas-Normand, du côté de sa mere, qui étoit sortie des seigneurs Tancrede de Hauteville, &c. La preuve s'en trouve dans de vieux Manuscrits à Coûtance, & dans l'Année Dominicaine, composée par un Jacobin, qui en fait mention le septiéme de Mars, Fête de saint Thomas.*

Ce point d'Histoire a donné lieu à une rencontre qui pourra rejoüir le Lecteur. Un predicateur Bas-Normand, & d'un Ordre Regulier, prêchant avec reputation dans une ville celebre de Bretagne, fut prié par certains Religieux de cette ville, de leur donner un sermon de sa façon le jour de saint Thomas. Le predicateur reçut avec plaisir l'honneur, que ces Religieux lui faisoient, les assurant qu'il cherchoit depuis longtems l'occasion de faire connoître au public, que S. Thomas d'Aquin étoit Normand & Bas-Normand. Ces Peres éfraïez de ce discours, prierent trés-humblement le predicateur de ne rien dire de semblable, vû que les Bretons haïssant les Normands à mort, ce seroit les detourner de leur devotion envers le Saint, & leur rendre les Thomistes abominables. Le predicateur leur repartit, qu'il ne vouloit offenser personne, ni rien dire en chaire, que de bien à propos. Mais le jour de la Fête, sur le milieu du sermon, venant à parler de la profonde sagesse de saint Thomas, il eleva tout d'un coup une voix de tonnerre, s'ecriant à pleine tête: „ Aussi étoit-il du Païs de sapience le grand Saint, Normand & Bas-Normand du côté de sa mere „. Ce mot laché, il se fit un efroïable murmure par toute l'eglise, & un sifiement comme de serpens irritez.

Le Prieur outré jusqu'au fond du cœur, sortit de l'auditoire, & s'en alla preparer toutes choses à la vengeance. Quand le predicateur après son action, fut retourné à la chambre destinée au repos des orateurs sacrez, le Frere, qui devoit l'assister, mit le feu a un fagot moüillé; & se retirant, ferma la porte à double tour. La fumée étoufoit le predicateur, & il avoit beau vouloir exciter la flame du coin de son manteau; plus il faisoit de mouvement, & plus il étoufoit. Il but toute sa sueur dans cet exercice; & ne trouvant ni pain ni vin pour se soulager, il se jetta sur la paillasse d'un lit dégarni pour prendre un peu de repos: mais il ne lui fut pas possible, ne pouvant deviner, à quoi se termineroit un jeu si desagreable. Il étoit dans ces inquietudes, quand sur le soir il entendit ouvrir sa porte & une voix, qui lui crioit: „ Si vous voulez souper, entrez dans la chambre voisine „. Pressé de la faim (car de la journée il n'avoit pris qu'un bouillon) il passa brusquement de sa chambre dans celle qu'on lui marquoit.

D'un premier coup d'œil il apperçût une table bien converte: un grand turbot étaloit ses franges sur les bords d'un vaste bassin; des soles, des vives, un ragoût & une tourte de poisson, tenoient les quatre coins de la table, & dans les entredeux, il y avoit des capres, des olives, une salade avec des anchois & des huîtres marinées. Le vin brilloit sur le buset dans des carafes de cristal; & les verres étoient proprement rinsez. Le pere Prieur avec son Soûprieur & quatre autres de ses Religieux, prenoit l'air d'un grand son. Le predicateur les salua tous: mais pas un ne fit semblant de le voir, ni de l'écouter. On presenta à laver; le Prieur y invita les siens, sans faire nulle civilité au predicateur. On se mit à table; le Prieur mit son Soûprieur à côté de lui, les autres se rangerent de suite, deux de chaque côté, personne ne disant au predicateur, mettez vous là.

Cependant comme il s'aperçut, qu'il y avoit un septiéme couvert, & une septiéme place, il prit sans façon le lieu qu'on lui laissoit; Le Prieur servit ses Religieux, & ne mit rien sur l'assiette du predicateur. Mais le predicateur, homme bien avisé, se servit lui même, & du tranchant de son coûteau fit une breche irreparable à la tourte, qu'il avoit sous les yeux. Le Prieur, à plusieurs retours, bût la santé de ses Religieux, & ils lui en firent raison, ne faisant nulle mention du predicateur, non plus que s'il n'y avoit point été. Il buvoit pourtant à la sourdine, & on le laissoit boire. Au dessert, le Prieur le verre à la main dit, en s'addressant à ses Religieux: „ C'est la santé du predicateur ASINUS, ASINIOR, ASINISSIMUS, qui a osé prêcher contre la verité de l'Histoire, que saint Thomas est Normand & Bas-Normand; vous m'en ferez raison „.

Le predicateur se voyant attaqué personnellement, prit son serieux, & dit d'un ton grave: „ C'est à tort, mes Peres, que vous me traitez si mal. J'ai prêché la verité dans la chaire de verité; & c'est à la plus grande gloire de saint Thomas, que j'ai declaré, qu'il étoit Normand & Bas-Normand; en voici la preuve „. Alors tirant dessous son manteau l'Année Dominicaine, composée par un savant Jacobin, leur fit voir, qu'il n'avoit point parlé temerairement & sans autorité. Le Prieur prit ses lunettes pour examiner la chose; le Soûprieur l'accoloit pour voir de plus prés; & les autres regardoient par des-

sus l' epaule de ceux ci. Enfin convaincus par leurs propres yeux, & craignant, que le predicateur ne se vengeât de l' insulte qu' on lui avoit fait, s' accuserent eux mêmes d' inconsideration, comblerent le predicateur de loüanges, admirerent sa profonde erudition, & la grande connoissance qu' il avoit des anciennes genealogies; & après mille acclamations, le conjurerent d' oublier ce qui s' étoit passé. Le Prieur fit signe qu' on aportât d' une certaine liqueur toute celeste, qui sert à apaiser les emotions, qui s' elevent quelquefois entre les Freres. Chacun en but la mesure necessaire pour avoir son asses; & le sommeil étant survenu, on ne se souvint plus de cette histoire de part ni d' autre, que pour s' en divertir, & en rire de tout son cœur.

Numquam suaserim amico meo Cupero, ut apud quoldam PP. Prædicatores concionem de S. Thoma aut S. Dominico instituat: si enim supra allatum Echardi judicium de Alano Rupensi coram popolo repeteret, aut ex Melchiore Cano, aliisve eruditis scriptoribus, etiam Dominicanis, aliud quidpiam proferret opinioni R. P. Prioris contrarium, fortasse simili prandio vel cœna exciperetur. Hæc dicta sint in gratiam popularis mei, aliorumque ei similium, ut discant sententias historicorum attento & maturo animo examinare, priusquam eas condemnent. Quod si bonus ille vir sit omnino imperitus linguæ Gallicæ, aut eamdem non satis clare intelligat, interpretem quærat, ac plurimum valeat. Dabam anno 1735.

EPISTOLA FAMILIARIS
AD D. PETRUM JOSEPH DE MESA
BENITEZ DE LUGO

Auctorem novi libri inscripti: *Ascendentia S. Dominici Guzmani*,

Ex Hispanico idiomate in Latinum translata.

1. LEgi, Domine mi, librum tuum super *illustri ascendentia* magni P. S. Dominici Guzmani stylo gravi, eleganti, ac nobili scriptum. Nec possum, quin mihi gaudeam, tibique gratuler, quod communem opinionem, S. Patriarchæ, ejus præclaræ religioni, ejus inclitis cognatis, universæque Hispanæ Nationi honorificam sectatus fueris. Cui opinioni equidem (quamvis id nihil referat) ante ac post tuum partum semper assensus fui. Attamen, etsi mihi placet sententia & proba intentio tua, non admodum me liber tuus delectavit, eo quod eum legendo multum temporis impenderim, quin pro eo justum pretium acceperim. S. Dominici genealogiam solide perspicue ac breviter probatam aspicere cupiebam, Tu vero multis frondibus otiosæ eruditionis involutam, & sylva inclusam argumentorum partim idoneorum, partim inutilium, partim inefficacium, partim odiose exaggeratorum illam mihi offers. Si magis granum delegisses, & in atramentario rhetoricas amplificationes reliquisses, opus tuum tribus quartis, aut quatuor quintis partibus levius evasisset, majorem plausum retulisset a nobis, qui pecuniæ, tempori & patientiæ parcere, pluresque libros parvo sumptu legere optamus.

2. Valde commendanda est existimatio & veneratio, quas non semel Dissertatoribus profiteris. In hoc tuam modestiam, prudentiam, atque intelligentiam patefacis. Non ita se gessere aliquot alii loquendo de dubitatione, quam illi auctores excitarunt; V. G. ille concionator, qui Legione tribus ante annis e suggestu dixit: *quin S. Dominicus fuerit Guzmanus, nemo, nisi Hæretici & Hæreticorum asseclæ, dubitavit*, Non prævidit probus iste vir, se ab Hæreticis in hoc puncto nominandis tam alienum fore. Ne præbuit quidem tibi laudabile exemplum R. P. M. F. Joseph Manzanus in Vita S. Isidori, in quam magnam partem Hispanicæ Historiæ intrusit, totamque poterat intrudere eadem opportunitate, quam regalis Guzmanorum genealogiæ intrudendæ cœperit. Ad finem ejus vitæ lib. 3. cap. 32. cum a Trevoltii monumentis notum de S. Dominici progenie dubitationem intellexerit, hoc telum audacter jacit: *Si quis exterus calamus (Hispanus esse nequit, nisi qui tendat omnia Historiæ fundamenta evertere) notitiarum sterilis & infœcundus, scriberet, studendo S. Dominici tam altam originem ac nativitatem in disputationem vocare; illi adversabuntur omnia Tabularia, omnes antiquæ novæque historiæ, omnes genealogicæ arbores, & omnes enses, quos summo honore plerique Hispaniæ Dynastæ & proceres gerunt.* Hoc est historicas quæstiones more castrorum defendere. Tu Domine Petre inaniter lassaris probationes & argumenta propter magnum S. Dominici genus cumulando. Hunc laborem effuge, ac Reverendissimi Manzani Viam tere. Affer promiscue omnes historias, & omnia Tabularia; id enim pauci constat; deinde Hispanicis ensibus adversarios terre. Illos, quam citissime recedere aspicies, professos se nolle obsistere. Etenim hi viri critici, dum ad arma vocantur, strenuitatem amittere consueverunt.

3. Quod steriles sint notitiarum atque infœcundi illi exteri calami, quam parvo jure id afferat Manzanus non ignoras, utpote qui Operum Hagiographorum Antuerpiensium peritissimus nosti, quot exquisitis notitiis Mundum, & præsertim Sacras Religiones, clarissima S. Dominici religione non excepta, locupletaverint,

Du-

Dubio procul legisti verba eruditissimi Echardi Scriptoris ordinis ejusdem præfat. tomi 1. suæ Bibliothecæ: *Viros eruditos veteres, & recentiores, qui historiæ ecclesiasticæ, vel etiam litterariæ expurgandæ & accurandæ incubuerunt, vel etiamnum incumbunt, animi qua par est, reverentia prosequor, & ubique laudo, ceu ex quorum lucubrationibus non parum profecerim. Inter alios nominandi veniunt eruditi Actorum Sanctorum, quæ Antuerpiæ in dies prodeunt, Editores, quosque gratus animus oblivisci non sinit, cum multa ordinis monumenta è tenebris eruerint, quorum apud nos nulla jam extabat memoria.* Existimo lectam quoque a te esse epistolam Reverendissimi P. M. F. Francisci Jassens Elingæ Sacri Ordinis Prædicatorum Provincialis Belgii scriptam Papebrochio, ab eoque inditam suæ responsioni *ad exhibitionem errorum* art. 23. n. 177. ubi recolenda sunt illa Reverendissimi Provincialis verba: *Attenta etiam, quod cæteroquin adm. Rev. Paternitati vestræ, & in ea Societati, plurimum in hoc obstricti sumus, quod non minoribus impensis ac sumptibus, quam exantlatis laboribus, studiisque (quæ & continuari pro residuis nostri Ordinis Sanctis summopere desideramus) laudabiliter adhibitis, jam nunc in præteritorum mensium decursu tot intercurrentia nostrorum Sanctorum Virorum Acta, nunquam antea, vel non sic edita, illustraveris.* Ita loquebantur doctissimi illi Dominicani, quin Acta gloriosi Patriarchæ S. Dominici recens illustrata die quarta Augusti legissent. Atque ipsi dicta sua non revocarent, opinor, in tuendo hodie impressam Sancti Vitam a Bartholomæo Tridentino scriptam, itemque impressam Sancti Vitam exaratam a Theodorico de Apoldis, ductam ex integro autographo, ac proprio Auctoris stylo editam. Cujus editione frui nondum fueramus, quantumque illam Echardus Biblioth. tom. 1. p. 454. desideraret, qui, quamvis ab Hagiographis Antuerpiensibus expectaret, non tam brevi esse prodituram putabat.

4. Si forte in M. Manzanum offenderis, eum precare, quæso, ut in relatis Reverendissimorum Elingæ & Echardi textibus attente consideret illa verba: *Cum multa ordinis monumenta è tenebris eruerint, quorum apud nos nulla jam extabat memoria, ... tot intercurrentia nostrorum Sanctorum virorum Acta, nunquam antea, vel non sic edita, illustraveris:* ne M. Manzanus notitiarum tam sterilem exterum calamum existimet. Postea eum precare, ut alia verba observet: *Quos gratus animus oblivisci non sinit, ... Plurimum in hoc obstricti sumus:* ut idem grato animo sit a suis edisent; utque, si tantum non valet, saltem clementius calamos exteros accipiat, neque iterum (quemadmodum citatis lib. & cap. Vitæ S. Isidori) dicat sequentia: *Hac effecta digressione, cujus aliquam occasionem mihi obtulit filum historiæ & causam nimia quorumdam ingeniorum libertas, quæ se constituendo Judices arbitros eorum, quæ homines scripserunt, sibi proponunt tamquam universale principium omnes scriptores fiscalizare, nullum e loco sue lapidem non dimovendo: redeamus &c.* Non animadvertit, credo, Reverendissimus non bene convenire Judici & agere & fiscalizare, & Judices Arbitros diffidia potius esse composituros, quam suscitaturos. Ipse non nocuisset tantillum illius criticæ, quam ipse in quibusdam ingeniis nimiam existimat; sic enim plura apocrypha omisisset, quæ occasione Vitæ S. Isidori de Comite Ferdinando Gonzalez nobis enarrat.

5. Porro quid ais de Reverendissimo Tagle Exprovinciali meritissimo PP. Agonizantium, tuique libri approbatore? Nonne est pretiosus? Nonne pro te Regiæ Majestatis concionatore fortiter arguit textibus sermonum armis invictis, quę maxime induratam obstinationem terrebunt? Nolens tu eum contristas, dum n. 52. libri ejus mirari te ostendis, *quod scribendo stylo oratorio, in quo licet uti tropis & figuris, iisdem textus litterales propter Historiam conficiatur, visque oratoriæ arti fiat, & in argumentum exornatio convertatur.* Sunt ipsa verba tua, quæ ut puto non legerat Reverendissimus Tagle, quando approbationem suam elucubravit. Plus etiam eum contristasses, si ei legisses quod inquit Illustrissimus Manrique Tom. 1. Annal. ad an. Christ. 1103. Cist. cap. 2. n. 3. loquendo de aliquibus opinionibus sacro ordini suo decoris, quæ non satis in antiquitate fundatæ ipsi videbantur: *Recentioribus quidlibet supponere, quam singula indagare, facilius visum: in quo etiam cum aliis nos peccavimus, quamdiu non videbamur adstricti historiæ legibus. Concionatoribus* (Quadrat Reverendissimo Tagle) *latior campus subest, morum, quam chronologiæ errores corrigentibus; nec tam intentis supputare tempora, quam excitare fidelium devotionem*, &c. Equidem solum miror quatuor sermonibus fuisse contentum, cum adeo facile sit colligere sermonum exercitum Xersis exercitu numerosiorem; & ita indubitatam reddere victoriam, si non validis, certe multis argumentis, juxta regulam: *Mali vincere solent, si bonis sint plures.* Sed quo pugnet tutius, alia arma stringit Reverendissimus Pater, atque in hostem jacit illa B. Augustini fulmina: *Quisquis contradixerit, dementissimus habeatur: insolentissimæ insaniæ est, disputare*, &c. Istud ensibus M. Manzani est deterius. Ad abundantiam Paternitas Reverendissima Adversarios his clamoribus terrefacit: *O Sanctus Deus, & Dominus! Ambigat quispiam, & affirmet, De Nobilitate S. Dominici nihil certum haberi! Res miranda! Miranda dubitatio! Exterus dubitat. Quid erit? Horum alterutrum aut judicio, aut benevolentia vacat.* Postea ceu jam ab hostibus liber, incipit amice docilem Hispanum edocere, illum hortatus, ut ad cognoscendam S. Dominici nobilitatem unice Breviarium consulat (Quam cupidus erat terendi temporis Tabularia evolvendo Ambrosius de Morales, dum Breviarium præsto erat!) atque instructionem suam Reverendissimus ita absolvit: *Hoc pro constanti veritate habendum est: nec cæterorum libros legito, quia non juvant.* Præclarum documentum propter curiosos, qui regiam Bibliothecam frequentant. Plures quam quatuor vidi, qui legendo Approbationem putabant Reverendissimum Tagle tecum vel de te jocari, & risu moriebantur, & Paternitatem Reverendissimam sibi morientibus adfuturam vocare cogitabant: sed non vocarunt, *quia voluptas hac morte moriendi vitam illis reddidit*, juxta dictum Cervantis. Venustates a me relatas sic intelligere oportet: nam aliter in ore Magistri Theologiæ, Jubilati, Præfecti, Regii Concionatoris, & exprovincialis tam gravis doctæque Religionis male quidem sonarent.

6. Prudentior & urbanior est alius tui Appro-

bator Doctor Emanuel Lopez Aguirre, etiamsi falso arguit Auctores dubitationis, quando affirmat ab ipsis interpretationem F. Thomæ de Truxillo *intolerabilem ac turpem* appellatam fuisse. In libello inscripto *Dissertatio contraria* hæc verba non leguntur. Tantum ibi alia expositio appellatur *tolerabilior*. Hoc autem non est expositionem F. de Truxillo *intolerabilem* appellare. Quemadmodum dicere aliquem Doctorem in petitione Cathedrarum Toleti judicatum fuisse competitoribus *digniorem*, non est competitores *indignos* dicere. Denique, D. Petre, malum est in Theatro litterario Critici munus; Deus illud cupienti tribuat. Hujusce muneris professoribus insultare nemo non audet, insultantique theatralis multitudinis plausus refert. Ad criticum spectat deceptos illuminare. Id sufficit. Eruditissimus Echardus Tom. 1. Biblioth. pag. 7.18. excusando sui ordinis auctorem, qui aliquantum se præoccupari siverat *in gratiam antiquarum fabularum*, hanc parenthesim inserit (*Quæ enim historia seu sæcularis, seu Regularis, suas non habet? quas, ubi semel receptæ sunt, aut imbibitæ, vix quis deponere potest, aut audet arguere.*) Revera vix legitur humana historia, cui fabulosi quidquam non immisceatur; quod ubi vetus evasit, si quis de illo audet dubitare, illud *vix quis potest deponere*. Ad traditionem confugitur, & ad quæcumque Divinæ litteræ, & SS. Patres in approbationem dixere. Sique antiquum factum aliqua mentione positum fuit in Breviario, aut in aliquo Pontificio diplomate, clamatur o audacia! o temeritas! o impietas! atque adeo erroris, hæresisque nota immiscetur. Propterea *vix quis audet arguere*, vix quis contra ejusmodi antiquitates in aliqua Regione, vel in aliqua Congregatione locatas hiscere audet. Veruntamen necesse est, ut aliqui Criticorum officio fungantur; secus nonnisi pulverem in confusa turba historiarum & fabularum cerneremus. Quamobrem qui, sicut ipse agis, vulgares præventiones superasse non nesciunt, benigniores esse debent in illos Catholicos Scriptores, qui ob communem utilitatem, ob Sanctorum honorem, & majus ecclesiæ decus ia sacrificant, incommodisque accuratæ & justæ Criticæ se exponunt.

7. Hujus characteris sunt doctissimi PP. Societatis Jesu (a te, nescio an dedita opera, solo nomine *Dissertatorum vel Criticorum* nuncupati) qui in Urbe Antuerpia continuarunt, & persequuntur ingens opus a P. Bollando susceptum edendi, maxime justa, efficaci, ac prudenti critica, examinata acta omnium Sanctorum, quorum in universo Ecclesiæ Orbe memoria & cultus extat. Utilissimum, sed summæ arduitatis laborisque immensi facinus, in quo centum annos gloriose desudarunt post P. Joannem Bollandum PP. Godefridus Henschenius, Daniel Papebrochius, Franciscus Baertius, Conradus Janningus, hodieque desudant æquali diligentia & laude PP. Joannes Baptista Sollerius, Joannes Pinius, Guillelmus Cuperus & Petrus Boschius Auctores tomi primi Augustani, in quo vita magni Patriarchæ S. Dominici, & quæstio de ejus progenie continetur. Ad tam arduum cœptum perficiendum quo corde opus est? quibus muneribus? quibus laboribus? quibus sumptibus? (Magnorum Principum liberalitati gratias habemus) quo studio? qua molestia in Bibliothecis ac Tabulariis evolvendis? in lapidibus, monumentis, traditionibus investigandis? in legendis, & latine vertendis plurium linguarum veteribus scripturis, & ambesis membranis? qua prodigiosa copia eruditionis Divinarum Humanarumque litterarum, Chronologiæ, Geographiæ, universæ Ecclesiasticæ Historiæ (cujus puncta reconditiora passim tractantur) Historiæ civilis, Rituum, & morum plurium Gentium & Regionum? Quo judicio? quo ingenio? Qua integritate ob judicandum de narrationibus, obesque in congruo gradu magis minusque certarum, dubiarum, & apocrypharum collocandas? Utrum de iis Antuerpienses assumpto fecerunt satis, sapientiores atque eruditiores præteriti & præsentis seculi homines non ignorant, & publice testantur.

8. Sapientissimus P. M. Joseph Perez ex ordine Magni Patriarchæ S. Benedicti, Doctor Salmanticensis, suis eruditissimis Dissertationibus ecclesiasticis impugnaturus nonnulla puncta operis Antuerpiensis præsertim super Actis S. Eleutherii, sic præfatur in Dissert. Ecclesiast. p. 2. Apologet. titulo, Dissertatio, &c. n. 11. *Principio non possumus non eorum, qui in hoc opus suas symbolas contulere .... pietatis plenam industriam plurimum commendare. Opus enim ecclesiæ dubio procul utilissimum, atque honorificentissimum, nulla laborum, nulla immanium expensarum habita ratione, magnis animis aggressi sunt; nec sequiore eventu, Deo, ut par est credere, eorum piissimis inceptis favente, hactenus prosequuntur. Plera que enim (fatendum est) Sanctorum Acta circumferebantur, partim aperte falsa, partim tenebris densissimis obsita, quæ ab doctissimis Patribus admota falce juxta & face egere videbantur.* Hæc sapiens ille Hispanus Benedictinus vel quando in quibusdam punctis discrepabat, nec modum criticæ servatum esse autumabat. A tam generosis adversariis impugnari delectat. Eruditissimus P. F. Honoratus de S. Maria Carmelita Excalceatus Provinciæ Aquitaniæ suis animadversionibus in veras regulas, & usum criticæ, postquam laudavit opus R. P. Theoderici Ruinartii Benedictini, de Antuerpiensi opere his vocibus loquitur apud P. Joseph Cassani to. 9. de viris illustribus in Vita P. Bollandi: *Secundum opus est prolixius, & Acta Sanctorum continet, & Martyrum omnis ætatis, omnis Terræ, omnium conditionum & statuum, omnium ordinum, & Religionum. Ad hujusmodi opus aggrediendum & peragendum necessaria erat tota Societas Jesu, Religio tam ampla, tam erudita, tam zelo plena, ob nos edocendos Sanctorum actiones dignas præmiis, quæ nos cum iis assequemur, si eas imitamur, sicut ipsi Christum sunt imitati.* Refert hic R. P. Honoratus tomos usque ad annum 1699. impressos, deque illorum scriptoribus meminit, deinde procedit: *Profunda & vasta eruditio, magna prudentia, laborandi constantia horum celebrium Jesuitarum annumerandorum insignioribus elapsi sæculi Criticis, satis cognoscitur, si recolatur, ipsos hoc longo acerboque labore examinasse veritatem factorum relatorum in Vita cujuslibet Sancti, loca obscura eruditis notis illustrasse, Chronologicas difficultates explicuisse, multaque Operis perfectioni necessaria addidisse. Denique maximum Criticæ studium in hoc Opere impenditur ob dignoscenda, & separanda falsa a veris monumenta. In ipso examen temporum, Regionum, & actionum immensæ multitudinis Sanctorum aspicitur; inveniuntur singularis rerum multarum re-*

latio,

latio, quæ adhuc in historia nonnisi generatim apparuerant; multorum Principum fit mentio, Episcoporum, Provinciorum, Civitatum & Monasteriorum, quorum nomina adhuc vix audita fuerant, eo quod pleraque Vitarum hoc magno Opere contentarum numquam antea impressa fuerant ... Ad summum universe dici potest hoc opus esse integra Ecclesiæ & ferme omnium Regnorum cogniti orbis Historia. Hactenus eruditissimus Carmelita. In præsenti satis sunto hæc duo testimonia ob specimen innumerabilium similium, quæ habentur. Quemadmodum enim ecclesia non est, non Religio, non sacer Ordo, quæ ab illo opere insignia beneficia non acceperint, sic mirum non est, quod gratum animum multæ linguæ testentur. Dumtaxat testimonium non omittam Alexandri VII. qui, loquendo de hoc Opere jam impresso mense Februario, ait apud P. Cassani ibidem: *Opus Ecclesiæ utilius & gloriosius non modo nondum fuit editum, sed ne inchoatum quidem, aut cogitatum fuit.* Quid dixisset Summus Pontifex, si idem opus protractum usque ad mensem Augustum, ut nunc est, & incrementis eruditionis & Criticæ ditatum, vidisset?

9. Isti tam celebres honestique Jesuitæ ab Hispaniæ vulgo minus cogniti, atque adeo indecoris imaginibus deturpati, ii sunt, quos ipse *Dissertatores* appellas. Quatuor postremi ante memorati super Acta Magni Patriarchæ S. Dominici die 4. Augusti 52. Paragraphis prævium compingunt Commentarium; quo maxima eruditione, maximeque prudenti ac modesta critica examinant quidquid consideratu dignum de hoc Sancto legitur, illustrant, & confirmant quidquid historicam fidem meretur, incerta arbitrio credulitatis relinquunt, & claram apocryphi formam præferentia rejiciunt. In toto hoc amplo Commentario aperte versatur syncerus amor veritatis, pius zelus gloriæ S. Dominici, & propensum studium promovendi majus decus & splendorem inclyti Ordinis Prædicatorum. Illud legat quilibet ab omni sinistra præoccupatione liber; & pro certo habeo, ab eo idem, quod a me judicium latum iri, quin quæstio mere historica, quæ est ex brevioribus, §. 9. mota eum turbet. Hunc paragraphum nonne tu quidem *Dissertationem*, Auctoresque *Dissertatores* vocas: ego vero te imitabor, quo invicem intelligamur.

10 Causa dubitandi in ea quæstione inde oritur, quod nobilissimi cognomenti *Guzman* S. Dominico attributi mentio nequa fit ab Auctoribus Sancti æqualibus, neque ab ullis eorum, qui trecentorum annorum spatio post illius mortem ejus admirabilem vitam scripsere. Pariter elapsi sunt trecenti & triginta anni amplius antequam hoc de cognomento atque origine Breviaria meminissent. Cum enim S. Dominicus anno 1221. occidisset, ipsius stirps *Guzmana* in Breviario Ordinis Prædicatorum usque ad annum 1555. in Romano usque ad annum 1569. non offenditur. Septemdecim post annis, idest anno 1586. Ambrosius de Morales Dissertationem seu sermonem edidit super S. Dominici genere, de quo tum quoque nonnulli in Hispania dubitabant, ut idem auctor testatur. Verum, quamvis de Morales propositi sui plures probationes deprompserit, illæ utpote vel ambiguæ, vel circumstantiis non satis adjutæ, Dissertatoribus haudvisæ fuerunt idoneæ ad vim silentii trium sæculorum in S. Dominici Historicis superandam. Quare optantes Dissertatores hujus sancti nobilitatem Guzmanam in Opere suo firmare clarioris & certioris antiquitatis testimoniis, hæc sollicitiora diligentia studuerunt assequi per RR. PP. Prædicatores, ad quos litteras hujus petitionis dederunt Trevoltianis monumentis evulgatas, quarum triennio diutius aliquod responsum frustra expectarunt. Supplices confugerunt pariter ad R. P. Priorem Antuerpiensis Cœnobii, qui benigne curaret, ut jussu Reverend. P. Generalis aliqua ipsis lux impertiretur Historiæ manuscriptæ P. F. Andreæ Ferreri Valdecebri; eo quod penes Echardum ipsi legerant hac Historia Guzmanam originem S. Dominici accurate probari. Sed etsi R. P. Prior bene sperare jussit, biennio post responsionem desperarunt. Tandem anno 1733. adstricti in lucem prodendi suum Tomum diei primæ Augusti, suspenso judicio, nihiloque statuto de S. Dominici origine, motam quæstionem indecisam reliquerunt. Verum eodem tempore professi fuerunt, si quis instrumentis authenticis ac genuinis Guzmanam nobilitatem S. Dominici probaverit, se illico omnem dubitationem abjecturos esse; ac probationes quo fortiores & certiores eo sibi gratiores fore; easdem a se summa voluptate acceptum iri, si opportune subministrarentur, ut per ipsos eo Commentario claram S. Dominici nativitatem indubitate affirmare possent.

11. Hæc est illius Dissertationis aut paragraphi summa; quam lingua vernacula exhibueram, ut merum Hispanicum sermonem callentes, librum tuum legendo, in quo situm sit Dissertatorum delictum, agnoscerent. Latina scientibus legere licebit integrum textum per te exscriptum (si mala interpunctio, & reliqua menda illum construere patitur) ipsique non ægre temperantiam, moderationem observabunt, stylique nobilitatem una cum solo desiderio hoc historiæ punctum satis probatum inveniendi sine ulla voce, quæ partium studium, perfidiam, aut obstinationem sonet. Forsassis hoc Vulgo occultare causa fuit, cur Dissertatorum textum accurate in vernaculam nostram linguam non traduxeris. Aliam causam affers, quæ frivola videtur. Certum est, quamtamcumque observantiam ac venerationem profitearis, te nullam in libro tuo, inque argumentorum tuorum forma negligere opportunitatem Dissertatoribus invidiæ conflandæ, curando, ut eorum dubitatio gravissimum facinus judicetur. Quid sua introductione significare cogitas exemplo Filii Crœsi, nisi Dissertatores rapinam honoris S. Dominici perpetrasse? Quid quæris, quando ais: *lege, & aspice tantum Sanctum adhibitum tamquam injustum intrusum possessorem ornamentorum, quibus adhuc pietas eum colit?* Quando vero addis benedictum Sanctum Rosario, primi Inquisitoris scuto, vexillo Militiæ Christi, insignibus Magistri Sacri Palatii, tunica, & scapulari veste, atque ipsis miraculis & revelationibus orbari? Quid quæris, inquam, sententiis istis, nisi in simplicium lectorum phantasia imprimere tetram imaginem Criticorum violentorum, audacium, impiorum, qui postquam Sanctum tau injustum intrusum possessorem male mulcarunt, instar grassatorum montis Torozorum, aut Villæcastinæ, rebus omnibus, ne excepta quidem tunica, eum spoliant, & Adamum relinquunt? Quid tibi vis, quando ibidem Dissertatores accusas, quod re-

gulam

gulam & propositum Bollandi violaverint: *Nec mihi id fumo, ut passim libere pronuntiem, falsa esse, ridicula, indigna, quæ de Sancto hactenus tradita*; quid tibi vis, inquam, hac accusatione, nisi Dissertatores passim impudenti libertate pronuntiare, falsum esse, ridiculum, indignum, quidquid hactenus de S. Dominico affirmatum fuerit? Multum est te non dicere, cum per Dissertatores tamquam male comparentem e cælo depelli, ac tamquam intrusum e Sanctorum catalogo deleri,

12. Homines sapientes, quemadmodum tu loqueris, loqui non debent stylo & modo tam exagerato, indigesto, famamque Auctorum denigrante catholicorum, piorum, bene de ecclesia, & peculiariter de præclara Dominicana religione meritorum: Auctorum, qui illustrando, amplificando, & publicando innumerabilia magni P. S. Dominici, ejusque filiorum solidissima decora ab aliis Scriptoribus aliquo puncto historico dissentiunt, aut edoceri cupientes, modeste suas difficultates proponunt. Si ipsi adversus S. Dominicum, quemadmodum tu dictitas, se gererent, intolerabile foret RR. PP. Prædicatorum silentium. An inter illos multi filii Crœsi non invenirentur, qui Parentem suum tam male acceptum inspiciendo vocem extollere scirent? An expectarent, te ad ipsia exemplo tuo animos faciendos tre? R. P. M. Manzanus fortuito pronuntiavit pauca a nobis ante memorata: sed ea pronuntiavit ex conjecturis ob confusam speciem, quam, credo, a Trevoltiensis monumentis acquisivit, quin Dissertatorum opus legisset impressum anno postquam opus illius impressum fuerat. Ex quo in lucem prodiit Dissertatio, neque ille, neque ullus alius religiosissimorum ejus Fratrum, quod ego sciam, etiamsi in hac sacra Familia tot zelantissimi, strenuissimi, ac doctissimi viri degant, contra solitam Dissertatorum petulantiam frontem exeruit. Dubio procul iis utpote cordatis styli formæque scribendi modesta urbanitas arrisit; quamvis mota quæstio de eorum S. Patre non arriserit. Atque benigne mittere ad Musæum Antuerpiense cogitabunt optatas firmas notitias & documenta, quæ forsitan in tempore pervenire nequivere; neque enim dubitabunt, quin Dissertatores melius edocti dubitationem suam reforment, & secunde quæstionem solvant. Id in pluribus punctis sapienti docilitate præstiterunt Dissertatorum antecessores; e. g. in dubio, an Officium SS. Sacramenti Angelico Doctori attribuendum esset. Idque præstare ipsimet sua dissertatione offerunt, expressiusque alio libello, quo Tomum secundum Augustanum annuntiant. Ibi ajunt ad cognitionem suam, etsi non ad manus suas venisse Anonymi scriptum quæstioni suæ de S. Dominici origine contrarium, istum Anonymum jam ab alio scriptore refutatum esse non sine acrimonia, quam ipsi improbans, seque lectis quæ pro S. Dominici origine denuo afferuntur, vel illa, si imbecillia sunt, modeste refutaturos; vel ingenua incertitudinem suam retractaturos: *Lector a nobis aut modestam refutationem, aut candidam palinodiam expectet*. Ad extremum, mi Domine, siquis RR. PP. Dominicanorum in Dissertatores scripserit (quod neque affirmo, neque nego) eum multo melius quam te scripturum, neque scribendo verba atramenti dedecorantis, neque inepta episodia, neque importunas eruditiones emendicaturum pro certo habeo.

13. In illa generali expoliatione laudum & Officiorum S. Dominici, quam introductione tua pingis, jam purgas Dissertatores, quoad spectat ad religiosas vestes. Laus Deo. Jam benedicto sancto reliquerunt, quo tegatur, & taliter Religiosus ac Magister compareat. Ast aliquem Domesticorum, seu S. Parenti suo adversum, culpas, quatenus *ingenuitatem affectando cum tunica exuere voluerit, & scapulari veste, quam in peculiaris maternitatis testimonium ipsa Dei Mater ei largita fuit*. Præclara ingenuitas: Parentem suum nudum relinquere. Dei Mater ignoscat. Veruntamen tu jam ingenuitatem affectatam nominas, ideoque vera simulatio & malitia censenda erit. Æquitas postulat, ut melius adhibeatur inclytus S. Dominici filius, qui Ordini suo multum honoris comparat. Iste *aliquis Domesticorum* est R. P. F. Jacobus Echardus, novus Auctor Ordinis S. Dominici valde notus propter eruditissimum Opus suum *De Scriptoribus Ordinis Prædicatorum*, quod duobus tomis in lucem edidit, & quod ego titulo Bibliothecæ memoravi & memorabo: opus non solum Ordinis approbatione impressum, sed existimatione & plausu Domesticorum & exterorum exceptum, eo quod mirifica accuratione, profunda eruditione, & sapienti critica scriptum fuerit. Tomo primo Dissertationem inseruit, qua contra plures sui Ordinis scriptores oppugnare studuit Religiosæ vestis mutationem, quam induxisse creditur S. Patriarcha, postquam M. Reginaldus a Domina nostra semel aut sæpius visitatus fuit. Hac in re S. Parentem suum juxta accusationem tuam expoliare non cogitavit, sed illi idem indumentum, antea adhibitum, iterum a Divina Matre probatum, & commendatum relinquere. Super illo historico facto erravit Echardus; ut nemo æque efficaciter ac Dissertatores ineluctabilis antiquitatis testimoniis demonstravit. At quis scriptor, præter Canonicos, errores omnes declinet? Hic nomen Dissertatorum observantiæ causa reticet, illudque deinde alibi non sine elogio pronuntias. Ego quidem eos consulto nominavi, ut quæ sint accusationes tuæ, & quo criminis colore innocuas sapientorum dissertationes exprimas, agnoscatur.

14 In omnibus aliis memoratæ S. Dominici expoliationis Dissertatores Jesuitas reos constituis. Veruntamen de Rosario precor curiosos, ut paragraphos legant 19. 20. & 21. Commentarii prævii Actis ejusdem Sancti; de vexillo atque institutione Militiæ Christi paragraphum 18. & de stemmate primi Inquisitoris paragraphum 7. legant. Hisce paragraphis, ubi copiosam, attentam, & solertem Dissertatorum eruditionem mirati erunt, ipsis animadvertere licebit summam considerationem, & moderationem, qua procedunt inter diversas Catholicorum, graviumque Auctorum (itemque PP. Prædicatorum) opiniones, quas jam in Theatrum litterarium invectas repererunt, & quam absint a cupiditate S. Dominico vera ejus ornamenta auferendi, perspicietur. Quod attinet ad nullius fidei auctoritatisque *multa miracula*, *multasque admixtas revelationes* credendas, quænam sint, non explicas. Ast ego deposita pecunia (si mihi condonetur evidentia) me divinaturum cogitationem tuam afferto. Næ tu non cogitas, nisi Opus Apologeticum inscriptum

Ala-

Alanus redivivus, quod communiter B. Alano de Rupe attribuitur? Nonne veraciter divino? Hæc accipito, Domine. Utique Dissertatores prodigiosas illius Operis narrationes tamquam historica fide indignas minimi faciunt; & sapiens Dominicanus Echardus benigne illas adhibiturus nos admonet, ne illas historias, sed parabolas existimemus. Æquo animo memorati commentarii paragraphum 3. & post plures alios, quibus denuo hoc punctum attingitur, paragraphum 39. legito. Si autem, spectato, quod Dissertatores observant, Echardi judicio, nihilominus deglutire & concoquere potes illa miracula, & revelationes, te felicissimam obtinere stomachi constitutionem affirmo. Hanc ego tibi invideo ceu pignus commode effugiendi indigestiones, quando crudas fabulas absorbueris. Jam Dissertatores Commentar. §. 2. n. 35. decus B. Alani de Rupe, & cujuscumque alterius Dominicani servare nituntur, arbitrium suggerendo illud Opus externo scriptori attribuendi; atque id credendum est. Sapiens Echardus Biblioth. Tom. 1. p. 19. refutatis non paucis stupendis prodigiis S. Dominici, & Rosarii, per alios Scriptores bona fide narratis, & *de Alano redivivo* desumptis ita desinit: *Hujusmodi miraculis non indiget gloria Dominici, nec iis astruatur dignitas societatis rosarii, propriis meritis abunde stabilita*. Præclara sententia, quam memoriæ mandare deberes! Ab eodem non dissidet, credo, gravissimus Chronista M. F. Ferdinandus de Castillo, quando prologo p. 1. Historiæ S. Dominici, suique Ordinis, præmissa nomenclatione Auctorum, quos ipse sequitur, hæc adjicit verba: *Sed videntur ex professo stupendia scribere reticendo quod plus interest* &c.

15. Pergamus ad aliam locutionem tuam odium Dissertatoribus comparare idoneam. In tui assumpti proposito ais, Dissertatores elapsis pacificæ possessionis nobilitatis Guzmanæ quinque sæculis (de hac tam antiqua possessione disputatur) a S. Dominico titulos ejus assertæ nobilitatis postulare, ac proinde mittere *Citationem*, aut *Monitorium* Trevoltianis monumentis significatam, & ad S. Dominici filios directum, ut exhibeant si quod habent authenticum instrumentum aut Testimonium, elapsoque fine diligentia peremptorio termino eos expedire hoc Decretum: *De nobilitate S. Dominici nihil certi statuimus*; atque hoc modo in Sanctum Patriarcham eosdem expoliationis sententiam ferre. Ita pluribus verbis rem pingis. Verum cur odiosa, & simulata imago apponatur ei, qui syncero & genuino procedendi ritu suapte natura hominis probi vultam præsefert? Dissertatores non dicunt: *Nihil de nobilitate*, sed: *Nihil certi de genere S. Dominici statuimus*. Tibi *statuimus* sonat decidimus. At venia tua illa clausula sic exponitur: *Nihil decidimus, nihil certi de genere S. Dominici decernimus*. Hoc vero neque est decretum, neque sententia, neque ejus figura; cum certum sit juxta legem Grammaticalem, ac Summulas, illud *nihil* illi *Statuimus* significationem auferre. Nihilominus, si *de plenitudine potestatis* tuæ velis suspendendo judicium judicari, nihil decernendo decretum poni, sententiæ parcendo sententiam ferri, nos famuli tui non obsistere debebimus. Epistola ad RR. PP. Prædicatores missa neque est monitorium, neque quidpiam monitorio simile. Est urbana epistola, qua isti RR. Patres rogantur, ut certam antiquitatis lucem suppeditare ne graventur, quæ inveniri non potuerat. Publice autem Trevoltianis monumentis mandata fuit, quo facile omnibus juvare valentibus innotesceret, aliique indicare possent notitias, quibus alii carerent. Consueverunt, hodieque consueverunt Dissertatores, quando aliquid ignorent, quod ex se investigando reperire nequiverint, ad Ecclesias, Civitates, Monasteria, Religionesve scribere, quorum illud interest, subsidiumque instrumentorum & authenticorum testimoniorum petere. Neque adhuc scitur, hanc eorum consuetudinem improbatam fuisse; siquidem omnes optant sua in celebri opere recte sita & solide constituta cernere, ac fatentur fieri non posse, ut pauci homines, quantumcumque eruditi, solertes, atque indefessi, soli cunctarum rerum veritatem assequantur.

16. Hic tu nobis insinuas; deinde numero 362. libri tui nobis serio persuadere contendis a Religione Prædicatorum neglectam esse, ac negligi debuisse hanc dissertatorum petitionem: *ejusmodi enim Religionem dedecebat* (inquit inter cetera) *putare, ab ullo particulari calamo certitudinem aut existimationem addi posse rebus, quas Ecclesia* (scilicet in Breviario) *proponit & confirmat*. Te egregium virum falsitatis non insimulo, sed ipsissimus insimulat liber tuus. Si Ordo Prædicatorum tranquille Breviarii auctoritate confisus manum non movisset, ac dubitationem a dissertatoribus motam nihili pendisset, quemadmodum tanta notitiarum, ac testimoniorum copia librum tuum locupletasses? Juridica & minutissima studia Calaroga & Palentiæ, præstantissimorum virorum testificationes, tabulariorum extractiones qualibet forma per scribas ac Tabelliones Matriti, Legione, in Vandalitia &c. publice firmatæ; nonne hæc omnia solicitantibus, instantibus, postulantibus S. Dominici religiosis peracta fuere? Nonne cuncta observavit ad colligendum scribendumque R. P. Franciscus Cavallerus Reverendissimi Magistri Generalis sui Ordinis in Aula Hispanica Procurator? Nonne hoc libri tui aperta declaratio patefacit? Et adhuc id appellatur nullam diligentiam ob S. Dominici genus certum efficiendum non adhibere? adhuc id appellatur *rem tamquam judicatam intueri, in qua vetitam, non solum supervacaneum existat novum examen?* Eja, mi Domine: majori tibi sit curæ congruentia illorum, quæ scribis, neque te interpretem constitue sententiarum & cogitationum Sacri Ordinis Prædicatorum, qui a te politicæ, aut prudentis incuriæ regulas non est desumpturus. An non in Breviariis jam legebatur S. Dominici progenies, dum ejus ordo accurata, ob historicam certitudinem eidem progeniei comparandam, studiis utebatur, quæ nobis Morales testatur? Quid oberat hujus sancti progeniei, illam testimoniis antiquitatis in prælato dissertatorum Antverpiensium Opere valide confirmari? Non ignoro; si ipsi pro hac progenie suffragium tulissent, non deessent, qui id prædicassent. Juxta affirmationem tuam quicumque Catholici Auctores, qui post Breviarium scripserunt, examinando ad lucem antiquitatis puncta historica, Lectionibus secundi Nocturni contenta, examini vetito, non solum supervacaneo ope-

operam dederunt. Quod a te dicitur, non iusficit: at de Breviario, de quo tantum fragorem excitas, postea loquemur.

17. Jam vero, quid ad Dissertatorum difficultates respondeas, videamus. Existimas S. Dominico ab ipsis non modo Guxmanam Nobilitatem, sed quamlibet nobilitatem denegari; atque istam claululam refers: *Nos interim de nobili aut ignobili S. Dominici stirpe nihil certi statuimus*. Accurate loquaris. Clausulam istam Dissertatio non continet. In ea Echardi textus legitur, quo ille S. Franciscum Borgiam *de homine vili* descendere asseverat. (Hic familiæ Gandiæ ejusque cognatis potiori jure, quam Familiæ Medinæsidoniæ commoveri liceret.) Verba ipsissima Dissertatorum hæc sunt: *Nos interim de nobili aut ignobili S. Dominici stirpe non tam audacter pronuntiare audemus*. Nimirum: quamvis nobis idoneum fundamentum non suppetat, ob certo affirmandam S. Dominici Guxmanicam nobilitatem, non continuo tanta audacia efferimur, sicut pro S. Francisco Borgia elatus est Echardus, ut illius prosapiam abjectam esse asseramus. Subinde hanc aliam clausulam subjiciunt: *Nihil certi de genere S. Dominici statuimus*; ubi certissime nonnisi de prosapia Guzmanica loquuntur, quemadmodum ex dissertationis titulo, & progressu usque ad extremam periodum constat. Nihilominus eos generatim de nobilitate loqui demus. Responsa tua promamus ad eorum dubitandi caulas. Quod non legatur in B. Jordano, aliisque biographis contemporaneis ulla mentio nobilitatis S. Patriarchæ; reipsa unice respondes a n. 1. usque ad n. 15. primos ordinis Scriptores modestiæ gratia, & consulto nobilitatem reticere, & virtutem dumtaxat scribere. Ac Dissertatores redarguis ipsorum dictis in aliam materiam adversus Reverendissimum Bandellum, ex B. Jordani, aliorumque ejusdem temporis Auctorum silentio, ejusdem rei falsitatem non inferri. In hoc recte loquuntur Dissertatores: nam, quod Bandellus negat, eo quia a nonnullis reticeatur, affirmant Constantinus Urbevetanus, aliique illius ætatis Auctores. Tantumdem verum ostendito in re, qua de agimus, & inter nos conveniet. Legito capitulum 3. Præfationis tomi 1. Januarii, & capitulum 2. tomi 1. Februarii, & cetere omnia, si lubet; & perspicies, quomodo Dissertatores regulas Criticæ ibi statas exequantur, uteumque id tu inficieris.

18. Audientem veteres Ordinis Scriptores modestiæ gratia nobilitatem siluisse ad omnem vanitatis speciem vitandam, me parvus pungit scrupulus. Gerardus Fracchetius Vitas Fratrum jussu V. Humberti scribendo S. Dominici Parentes *pios & honestos* vocare fuit contentus. Sed l. 4. c. 17. ab Historico S. Thomas vocatur *Frater valde nobilis de partibus Romanis*. Num illud *valde nobilis* potius Patri quam Filio attributum vanitatis speciem præsefert? Guillelmus de Toco, qui primum ordinis sæculum assecutus Vitam Angelici Doctoris scripsit, ab ejus nobilitatis silentio procul abest. C. 1. ait fuisse S. Thomam *de nobili Comitum genere, de domo Aquinorum; ... amplius morum, & scientiæ claritate conspicuus, quam genitorum nobilitate præclarus*, ipsius matrem *tam morum, quam genitorum claritate conspicuam*. C. 2. ait, sancto Religionem ingressu admiratos fuisse *Nobiles civitatis, quod tam nobilis juvenis Parentum domum desereret*; itemque Religiosos *exultasse in Domino, tam nobilem, & mirabilem juvenem eis esse divinitus destinatum*. C. 3. ait, Religiosos eum Romam misisse, *cogitantes, nec esse tutum tam nobilem Juvenem retinere in suorum natalium regione*. Bernardus Guidonis pariter primum Ordinis sæculum, & partem secundi assecutus, primum Vitæ ejusdem Sancti Capitulum sic inscribit: *De illustri prosapia S. Thomæ, & ortu &c.* Hæc animadvertendo, & animadvertendo neque verbo Guxmanus, neque verbo nobilis, uti B. Jordanum, V. Humbertum, Gerardum Fracheitum, Bartholomæum Tridentinum, Theodoricum de Apoldia, reliquosque illorum temporum, postulas Dissertatores non mirari? Quid peccavit, cur silentio damnaretur Guzmanorum familia, cujus nobilitas, sicut merito n. 9. dicis, in Orbe universo a nulla alia superatur? An discriminis causa est, parentes S. Thomæ fuisse comites? Parentes quoque S. Dominici comites fuere, illiusque genitor, quemadmodum ipse monas n. 123. & 124. & apud te alii, *Comes Felix* nominabatur. Et quidem scimus quanti valeant Hispaniæ comites, Italiæ præferendi comitibus, quorum plurimi (excipiendi sunt præsertim Comites Aquini) minimi penduntur. Huc accedit, S. Antoninum tot post annis scribendo, claramque nobilitatis & S. Thomæ, & S. Vincentii Ferrerii patre comite non orti mentionem faciendo, S. Dominicum filium genitorum *honestorum & devotorum* fuisse tantummodo asserit.

19. Impatienter expectas, credo, me considerare in libro tuo a num. 15. ad 70. ingenii electæ eruditionis copia te demonstrare vocem *honestus* omnem nobilitatem significari; ideoque, cum antiqui scriptores *honestos* appellent S. Dominici parentes, dubitandi non esse locum, quin illi ejusdem Sancti excelsam nobilitatem declararint. Id ego jam legi, eruditionisque affluentiam commendo; quamvis, ut mihi videtur, maximam illius eruditionis partem in aliam occasionem reservare satius foret. Attamen non diffiteris, neque tibi diffiteri licet, vocem *honestus* prosapiæ appositam nobili ac plebejo applicari posse, & solere. Atque hinc exit Dissertatorum interrogatio. *Cur Theodoricus satis honestos S. Dominici parentes non appellasset nobiles, aut genere illustres, ut Biographi nobilium Sanctorum facere consueverunt?* Si Theodoricus de Apoldia explicare voluit inclytam S. Dominici nobilitatem, quare vocabulum ad nobiles, & plebejos indifferens elegit? Quare eos fuit contentus *satis honestos* nominare, expectavitque Echardum nomen *satis honestos* interpretari valde *illustres*, & Truxillum *illustrissimos*, dum idem nomen suapte naturæ sonat *satis honoratos*, & nihil amplius? Quare consuetudinem, moremque non sequitur Scriptorum Vitarum Sanctorum Nobilium, qui Scriptores, vel in ejus ordine, ejusque tempore nobilitatem verbis propriis explicare studuerunt? Tam magno ei constabat Vox *nobiles*, aut *Valde nobiles*, aut *genere illustres*? Paucis ego sciscitor id, quod quidam Lusitanus, qui, dum versus Gongoræ ei explicaretur, audiretque ab interprete Auctorem voluisse hoc illudque dicere, *si hæc*, inquit, *dicere voluit*, *quare non dixit?* Dissertatores verbum *honestus* ad Nobiles

lis, ad Principes, ad Reges contrahi posse non negant. Solummodo aliud verbum clarius, minusque ambiguum desiderant: *Sane miramur, neminem ex his omnibus Scriptoribus de tam illustri S. Dominici nobilitate expressam mentionem fecisse.*

20. Voci latinæ *honestus* vox Castellana *honrado* respondet, ut ipse fateris, & liquet. *Propterea* ex veterum auctorum textu S. Dominicum honoratis parentibus natum esse solummodo infertur. Hoc in dubium non vocatur. At negabisne in Hispania ex pertinentibus ad populum plurimos annumerari, qui *honoratorum*, & *honoratæ gentis* nomen pleno ore prolatum mereantur? Textibus tuis utor. *Honestus* (ais D. Isidorus Etymol. l. 10.) *qui nihil habet turpitudinis*. Inter plebejos Artifices quis ignoret homines inveniri puri sanguinis citra generis aut officii vilitatem, *qui nihil habent turpitudinis*, nihilque informis, quod ipsos dedecoret. *Inter honestos vel claros* (inquit illustris Jurisconsultus Scbardus Lexic. Jurid. Verbo *Nobilis*) *etiam de plebe homines, quos sua, vel majorum virtus, ac merita, vetustæ opes, vel honores gesti commendant, numerandi sunt*. Clarius loqui non potest pro plebeiis, vel popularibus, quando circumstantiæ virtutis, meriti, divitiarum, & honorificorum munerum concurrant. Quis autem dubitet, quin in Hispania permulti hujusmodi omni tempore extiterint, hodieque existant? Pergamus e.g. Salmanticam, namque illis, qui ibi oppidi Tribuni appellantur, omnes ante dictas circumstantias reperiri cernemus. Sunt in Hispania Loca & Castella numerosa, ubi homines non ignobiles ad Reipublicæ regimen non admittuntur, vel ad solam regiminis partem admittuntur. Ibi munera Judicum Rectorum &c. hominibus humilis ordinis conferuntur; nec proinde ejusmodi muneribus homines idonei, probi, solliciti, prudentes deficiunt. Etenim istæ, non vero aliæ sunt conditiones, quas memoratus Jurisconsultus postulat, ut plebeii inter *honestos & claros* percenseantur. Iisdem conditionibus usum vocum *honestus* & *honoratus* explicat Marcus Tullius in Bruto. *Cum honos sit præmium virtutis, judicio studioque civium delatum ad aliquem; qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi & honestus, & honoratus videtur*. Illud verum efficiebatur in populi Romani Tribunis; illudque in Procuratoribus Communitatis, & in Judicibus Oppidorum Hispaniæ verum efficitur. Animo fingamus Patrem S. Dominici horum aliquem fuisse, & Calarogæ (quæ magnus Locus olim erat) Judicis munere functum fuisse, eo quod Nobiles militiæ nomen darent, Quid ni deesset, ut *honestus* aut *honoratus*, addito Apoldiano *satis*, merito appellaretur? Nequaquam existimo id revera accidisse, cum initio assensum meum nobilissimo generi S. Dominici patefecerim. Dumtaxat id statuo tamquam hypothesim, ut aspiciatur ex priscis Biographis oppositum non inferri, neque Dissertatores temere dubitare, neque a te recte solvi illorum dubia. Respondere ambiguitatem vocis *honestus* in re nostra a traditione & ecclesiastica Breviarii auctoritate determinari non facit satis. Semper admirationi superest locus; cur veteres Biographi a voce *Guzmanus*, & a voce *Nobilis* abstinuerint? *Sane miramur &c.* Illam traditionem auctoritatemque sola vi vocis *Honestus* nisi quis credat? Alia extiterunt fundamenta, quæ cupiunt, & flagitant Dissertatores, cum ea studio suo invenire nequiverint.

21. Ex dictis cognoscitur pariter probationes divitiarum genitorum S. Dominici a D. T. n. 258. & sequentibus deprompturum ad rem nostram parum valere. Complures ignobiles novi ego, ac tu ipse novisti, credo, qui facultatibus Nobiles longe antecellant. S. Antoninus Histor. p. 3. tit. 19. c. 12. §. 2. in Vita S. Mariæ de Ognes *Fuit*, inquit, *mediocribus orta parentibus, licet divitiis & multis bonis temporalibus abundaret*. Igitur facile possunt componi magna opulentia, & ordinis mediocritas a Guzmanorum altitudine procul abiens. Interpretationem, qua Apoldianum adverbium *Humiliter* declaras, ingeniosam esse fateor. Quæ fortasse Dissertatoribus non subiit, qui, quamvis te eruditiores, haud scio, an tibi ingenii acumine æquentur. Attamen quando Apoldianus de S. Dominico pronuntiavit: *Naturalis nativitatis ortu humiliter fulsit ex Hispania*, si de tenui Gratiæ fulgore locutus esset præ fulgore, quo postea fulsit, quemadmodum tu existimas, loco dicendi *naturalis nativitatis ortu* dicere debuisset *supernaturalis regenerationis* propter Baptismum, mihi videtur. Jam video te dicturum (sicut a n. 605. jam dicis) Sanctum Dominicum in alvo materna sanctitate donatum fuisse, & nondum natum Gratia potitum fuisse. Res esto, ut liber; etsi cum eruditis Dominicanis Loumans & Loegio dissentiunt Dissertatores Commentar. præv. a n. 114. & sequentibus, & clarum S. Thomæ textum afferunt; ego quidem opinionem tuam admitto, & in S. Dominici gloriam hoc privilegium libens credo, quod a conjectura, vel pio ratiocinio, non ab historia pendet. At in hac hypothesi videtur Apoldiano dicendum esse *Ante ortum*, non *ortu*; aut si ipse loqui vellet de Gratiæ nativitate juxta illud *ex Deo nati sunt*, dicere *supernaturalis nativitatis* debuisset. Opinaris verbum *Humiliter*, si ad ordinem pertineat, verbo *Fulsit* repugnare. Equidem abnuo, quia inter plebejos, quorum ordo præ Nobilium ordine *humilis* vocatur, multi reperiuntur *claris* annumerandi, ut Jurisconsultus Schardus nuper ajebat. Hi omnes sunt mere nonnulli exigui scrupuli, quos tibi pro arbitratu tuo contemnere licet.

22. A n. 80. innumerabilia excris, quæ, si in compendium contraxisses, ea libentius & minus laboriose legissemus, nihilque sui roboris deperdidissent. Ægre fere Ambrosium Morales asseverasse, aliquot in Hispania de Guzmanica S. Dominici progenie dubitare; ideoque ob istos dubitantes rejiciendos pluribus modis huc illucque distorqueris. Tibi non arridet naturalis illatio, videlicet saltem ante ipsum Morales inconcussam non fuisse in Hispania adeo decantatam traditionem. Et sane auctor gravissimus Morales, qui de S. Dominici genere sua dissertatione seu discursu in hanc materiem omnium primus disputavit, ais, quod a te exscribitur, se optasse scribere de Guzmanico S. Dominici genere, *eo quod sit res nondum satis vera apparens, cum de illa nonnulli dubitent*. Deinde paulo infra subdit, quod a te non exscribitur, cum consilium suum P. F. Petro Fernandez Ordinis Prædicatorum Provinciali Castellæ communi-

municasset, Paternitatem ejus Reverendissimam valde fuisse lætam, *adjecissеque ingentem ejusdem rei necessitatem eo tempore, quo valide cogitabatur scribere magna fide dignam Ordinis historiam, & deficiebat bonum caput hujus generis abunde suppetentibus membris, quibus reliquum corpus compingeretur*. Ultra progreditur versa pagina dicendo, quanto magis id ad multas præcipuas Familias spectat, quæ hujus Sancti propinquitate gloriantur, *tanto justius esse hujus totius negotii notitiam præbere aliqua vera certitudine, & peculiaritate, quæ adhuc desicit*. His testibus perspicitur tempore Ambrosii Morales (idest brevi spatio trium & dimidii sæculorum post S. Dominici obitum) quod iste Sanctus foret ex inclyta Guzmanorum gente esse rem nondum satis veram apparentem etiam in Hispania, de illaque nonnullos dubitare: esse rem, quæ statui non posset tamquam bonum caput corporis historiæ Ordinis Prædicatorum: rem, cujus usque ad illam ætatem nulla vera certitudo extiterat. Atque animadvertendum est eamdem rem in Breviario Ordinis, inque Romano jam tunc legi. Saltem præ illo tempore *Nihil certi* Dissertatorum locum habere non negabis. Haud ignoro a te censeri dubitationem, incertitudinemque, pertinere, non ad substantiam originis S. Patriarchæ a Guzmanis, sed ad filiationem, seu quo parente stirpi huic nobilissimæ insertus fuerit. Sed haud ignoro pariter in contextu Ambrosii Morales *esse rem nec satis veram apparentem, de illaque nonnullos dubitare; eam statui non posse tamquam bonum caput historiæ; ejus nullam veram certitudinem extitisse* clare tres hosce articulos continere: *quod Sanctus fuerit de genere Nobilium Guzmanorum: quinam fuerint illius genitores: quinam postea ejus Cognati usque ad Castellæ ac Lusitaniæ reges fuerint*. Insuper haud ignoro Morales illico subdere: *Ante omnia intelligi volo, rem esse valde antiquam, pro certo veroque haberi S. Dominicum e Domo Guzmanica ortum fuisse*. At, si non vis Morales huic suæ affirmationi contradicere, illorum verborum significatio hæc erit: *pro certo* habebatur, sed sine aliqua vera certitudine; & *pro vero* non satis apparente; idque non omnes universe sentiebant, quia nonnulli dubitabant.

23. Clamas, declamasque contra Dissertatores, eo quod argumentis, quæ Morales protulit, non sint contenti, & cum reliqui omnes Scriptores convicti fuerint, ipsi soli dubitationem iterum suscitent. Nihilominus illustrissimo Sandoval aliquem scrupulum superfuisse consiteris. Idque demonstrat ipse infirma, dubiaque assertione sua per te n. 95. relata, qua, postquam dixit a Morales monumentis Familiæ Medinæ Sidoniæ Alvarum Guzmanum Felicis Genitoris S. Dominici fratrem effici, adjicit Sandoval: *Id negare non ausim. Ast in scriptis Regni hunc virum nobilem non legi, &, ut mihi quidem videtur, si Alvari & Petri frater fuisset, quemadmodum illi divites fuerunt, hic quoque dives fuisset, neque a duobus Fratribus discrepuisset*. Qui opinioni Morales adeo meticulose assentitur, se minus convictum patefacit, nec procul abest ab illius *Nihil certi statuimus* adoptione. Deinde idem Sandoval communem sententiam permittit, eamque veram putat. Sed hoc unice confirmat, quod de ejusmodi opinionibus ajebat Echardus: *quas, ubi semel recepta sunt aut imbibita, vix quis audet arguere*. Prudentis non est se innumeræ multitudinis torvis oculis exponere, quando, qua de agitur, permultum non interest. Reflexio Sandoval Aloysio de Salazar levis visa non fuit. Nam hic ad illum oppugnandum, omissis Breviariorum, concordique Scriptorum vel contemporaneorum testimonio, Genitori S. Dominici nomen *Felix* abstulit, & auctoritate sua nomen *Ferdinandus* substituit, eum hoc pacto divitem, privilegiorumque confirmatorem ostensurus. Responsa tua ad Sandoval, & Salazar difficultates refellere mihi non est animus. Dumtaxat velim omnes intelligant, non esse Dissertatores, qui victinse singulares se neque scriptis Morales, neque Monumentis Familiæ Medinæ Sidoniæ convictos dedant.

24. Miraris hæc monumenta non censeri irrefragabilia, cum ipsa viderint, legerintque plures, inter quos Petrus Barrantes, cujus ecce verba a te n. 316. relata: *Dicunt vetera monumenta Familiæ de Niebla, quæ ipsemet legi, hunc Alvarum Ruiz de Guzman esse Dominum Familiæ de Toral, & habere fratrem nomine Felicem de Guzman, qui Joannam de Aza Uxorem duxerat, &c.* Hæc Barrantes verba in tenuitate mea duas parvas animadversiones excitant. Prima est: juxta Ambrosium Morales erratur dicendo S. Dominicum ex Familia de Toral exiisse, hujusque Dominum fuisse Sancti Patruum Alvarum Ruiz de Guzman: etenim Familiam de Toral non intrarunt Guzmani usque ad Joannem Perez tertium Nepotem Alvari, qui Joannes filiam Heredem Familiæ de Toral matrimonio sibi junxit. Dicendo Familiam Ducis Medinæ Sidoniæ exiisse ex Familia de Toral pariter erratur, etenim illa Familia *descendebat* (inquit Morales discursu de genere &c. fol. 345.) *a Guillelmo Guzman, cujus posteri Familiæ de Toral numquam immixti fuere*. Quæ cum ita sint, consentaneum mihi videbatur Morales existimare fallacia, vel fallaciæ obnoxia illa monumenta, quæ apud Barrantes legit. Secunda animadversio est. Eadem monumenta genitrici S. Dominici cognomentum de Aza tribuunt. R. P. F. Joannes De la Cruz in Historia ordinis Prædicatorum lib. 1. c. 1. etsi recte edoctus a Floriano de Ocampo (sicut ipse n. 215. arbitraris) Sancti genitricem Joannam Beza, non De Aza, nominat, & ejusdem fœminæ Majores nominando Beza cognomentum repetit, a te tam reprobatum adversus Antonium Augustinum. Ex quo aut monumentis, aut eorum auctoribus error aliquis insit, necesse est. Selige utrumlibet. Sed ne tantum mireris convincentia non putari monumenta anonyma, neque ætatem suam indicantia, quæ nonnisi anno 1544. afferri cœperunt. At enim jam tum erant antiqua. Magna eorum antiquitas esse non poterat: nam, quando scripta sunt, jam turbata erat memoria Posterorum Guillelmi de Guzman, atque hi cum Familia de Toral confusi erant. Demus centum annis ante illud tempus scripta fuisse. Id sufficiebat, ut Petro Barrantes antiqua viderentur. Sed idem sufficit, ut instrumentum circumstantiis destitutum certam efficiat notitiam ignotam omnibus, qui de S. Dominico spatio saltem ducentorum annorum post ejus mortem scripserunt. Denique Morales, quamvis illorum monumentorum

torum gnarus, eadem ad *aliquam veram certitudinem* ob ia præbendam idonea non judicavit; fassus enim est, hujusmodi certitudinem usque ad sua tempora defuisse.

25. De Petro Tasar idem est sermo auctore, quem item legerat Morales, & qui antiquior pro re nostra sæculo decimoquinto extat, neque historiam, vitamve S. Dominici scripsit, solumque obiter de S. Patriarchæ sepulchro, & genere nonnihil innuit, dum in suo Itinerario de urbe Bononia loquebatur. Non affirmat Tasur, originem S. Dominici a Guzmanis esse perspicuam, aut suæ ætatis traditionem, dumtaxat se itemque Magistrum Aloysium Guzman hujus esse opinionis indicat; proinde Aloysius ob ornatum memorati sepulchri Bononiensis quamdam impendi summam pecuniæ jussit. Atque id, quod Tasur observat de stemmatibus ibi insculptis, certissime tamquam recentem impendii affectum refert. Postquam enim illius mandati executionem narravit, actutum subdit: *Ejus sacellum vidi, & sepulchrum affabre elaboratum, quod antea erat, credo, rude, & circum undique sculpta & picta Guzmanorum stemmata.* Quam parum avulgatum, & admissum, vivente Tasur, Guzmanicum S. Dominici genus forat, inde cognoscitur, quod S. Antoninus, qui post Tasar scripsit, illius in vita S. Dominici nihil meminit. Quo circa vel illud ignoravit, etiamsi tam eruditus, sapiensque esset, vel illud adeo solidum non invenit, ut in historia locum mereretur. Quamquam post S. Antoninum intra idem sæculum decimumquintum Joannes Garzonius Vitam S. Dominici stylo oratorio scripsit; cumque esset Bononiensis, sancti sepulchrum, & insculpta Guzmanorum stemmata a Tasar aspecta non aspexisse non poterat; tamen ea ipsi visa non fuerunt arma idonea ad silentium plusquam duorum sæculorum vincendum. Nam hujus illustris cognominis nullam mentionem fecit, quamvis oratorios radios suos usque ad considerationem pulchritudinis, ac dotes Matris S. Dominici extenderit: *Puellam quidem venustam, muliebribusque officiis ornatam.* (Garzonius apud Leandrum Albert. fol. 8.) Igitur ne scandalum patiaris, si Dissertatores Tasarianum testimonium a Morales exertum non magni pendunt.

26. Antiquior est Rex Henricus II. de quo ait P. Mariana hist. l. 18. c. 2. *veste S. Dominici sepeliri voluit ob amorem, pietatemque, quibus memoriam Sancti cognati sui prosequebatur.* Ea vero cognatio nonnisi per D. Eleonoram de Guzman parentem regis derivari poterat. At hæc Marianæ clausula Regem Henricum credere ad se ejusmodi cognationem pertinere non probat, quia ut ille veste S. Dominici sepeliri vellet, amor pietasque erga S. Patriarcham erat satis. Probat utique eadem clausula Marianam id sentire; ideoque ipse de suo expressionem *cognati sui* adjungere potuit. Monumenta S. Ecclesiæ Uxamensis a te n. 222. allegata neque tempus suum, neque vetustatem præseferant. Ecclesiæ, Monasteria, Dynastarum Palatia pro monumentis anonymis, nec authenticis, quæ in eorum Tabulariis asservantur, non respondent; neque conqueruntur, si videant ab antiquitatum investigatoribus contenta examinari, & non raro despici, oppugnarique; cujus rei innumera extant exempla, quæ tibi ignorare non licet. Quamvis adessent ista monumenta, traditio Guzmanicæ stirpis S. Dominici vel sæculo decimoquinto, & in Hispania ab Antonio Augustino adhibita fuit tenui existimatione, quam patefaciunt ejus verba n. 550. a te adscripta. Verum quidem est, Antonium Augustinum *dialogos suos de stemmatibus, & generosum* adolescentem elucubrasse: sed magnus ille vir jam inde ab adolescentia erat eruditus, ac visum, volatusque aquilinos ostendebat: & cum scripserit centum saltem annis post Tasur, mirum est eum cernere ita in genere adversas Nationis suæ opinionem tam inconcussam, perspicuamque, ut ipse autumas. Hispalensem narratiunculam esse narrationem, & nihil amplius, non diffiteor. At Matris S. Dominici cognomen immutare, ipsam *Dezam* pro *De Aza* nominando, non est inscitia tam supina, ut in Historico Ordinis Prædicatorum R. P. F. Joanne De la Crux existere nequiverit; quemadmodum jam curavi, ut animadverteres.

27. Duæ Scripturæ Legionis, & Zamoræ, quas affert Morales teste R. P. Provinciali F. Petro Fernandez, utpote exaratæ alia præsente, alia pro *F. Dominico de Guzman Fundatore Ordinis Prædicatorum*, ejusque tempore, dubio procul litem dirimere credendæ essent, nisi exceptionem paterentur, quam Dissertatores innuerunt, quamquam antea idem Morales his verbis apposuerat: *P. Provincialis hasce duas scripturas vidit, earumque relationem sumpsit, sed brevem, qualem ego hic expono, die, mense, atque anno carentem, quippe qui Sancti cognomentum unice attendebat.* Testibus Joanne de la Cruz, & Floriano de Ocampo alia quoque scriptura Familiæ Medinæ Sidoniæ a te n. 215. allata, utpote a S. Dominico confirmata, expresso nomine & cognomine ejus genitorum, eamdem exceptionem patitur. Gnari antiquitates indagandi experimento didicerunt, quantum examen hujusmodi vetera instrumenta postulent in temporis scriptione, aliisque circumstantiis ob dignoscendum, utrum exemplaria sint, an exempla; utrum interrupta, an continua sint; utrum aliquem anachronismum, aut aliquam annorum repugnantiam in personis, quæ ibi apparent, in eventibus, qui narrantur &c. Reverendissimus Provincialis, se hoc salebrosi studii genere non admodum exercitum ostendebat, quando *Sancti cognomentum unice attendebat.*

28. N. 225. & insequentibus huic animadversioni obstiturus, ingenti elogio virtutem, litterasque Reverendissimi P. F. Petri Fernandez extollis, perpendisque, & exaggeras fidem, quam mereatur ejus testimonium; addendo formalitatum defectu Instrumentum non infirmari, imo fortius validari, *quia demonstratur candor, ingenuitas, & bona fides, qua actum fuit, sine arte, quam simulatores affectant.* Propugnatio hæc, Domine mi, aliqua imbecillitate laborat. Quod attinet ad elogium Reverendissimi Provincialis, libens assentior. Non me fugit hujus alti gradus virtutis, ac doctrinæ in S. Dominici religione multos Petros Fernandez degere, atque esse membrum hujus inclyti corporis sufficere, ut quis virtute ac sapientia præditus censeatur. At non continuo veram esse definit, quod de illo ait Morales: *Sancti cognomentum unice attendebat*; ideoque Tabulariorum scripta accurate dispicere nequivit. Non creditur ipse, quod non legerat, simu-

lasse, neque ejus *candori*, *ingenuitati*, *bonaque fidei* diffiditur. At hisce præclaris dotibus accedat oportet solers vigilantia, quando instrumentis recens inventis res antiquorum temporum, contemporaneis scriptoribus ignota, certitudine donanda sit. Libro tuo Bollandi judicium, & criticen te magni facere ostendis. Igitur hos illius versiculos audias Tom. 1. Febr. Præfat. c. 1. *Illud quoque indagare oportet, an non etiam probatissimorum hominum scripta adulterata sint a posteris, aut inepte interpolata: quod etiam in donationum instrumentis evenit, ut adjecta iis sint quædam, & quandoque integre conficta. Ac sunt præterea hæc universa ad veritatis rationem revocanda, expensis, quantumvis fastidiose, temporibus, ac locis, & nationum, apud quae ea feruntur gesta, institutis, tum hominum, qui intervenisse dicuntur, ætate ac moribus.* Jam vero usuine fuit his legibus Reverendissimus Provincialis? Nonne easdem non neglexerunt Dissertatores? Æqui bonique facies huic Reverendissimo applicari, quod de alio magno viro dixit Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptor. Ecclesiasticis pag. 270. ad ann. 604. *Sed fieri potest, ut S. Joannes Damascenus, quamvis alioquin doctus, & prudens, istis narrationibus facile fidem habuerit, neque de veritate earum investiganda solicitus fuerit.* Itemque quod de eodem dixit Cardinalis Baronius: *In his, quæ rerum gestarum veritatem spectant, frequenter accidit falli etiam prudentissimos.* Et subinde: *Cum in his, quæ sunt facti, non dogmatis, potuerit quisque sanctissimus atque doctissimus fidei orthodoxæ professor, atque defensor aliquando falli.*

29. De relatis Legionis, & Zamoræ scripturis auribus meis ingrate sonant duæ animadversiones. Prima est hæc, Non solum illæ Scripturæ ex Tabulariis evanuerunt, sed neque Ambrosius Morales accuratam solicitavit ipsarum cognitionem, cujus scribendo Dissertationem indigebat, neque antea ipsas offendit, quando Hispaniæ historiam elucubraturus omnia Regni Legionis Tabularia quamprolixe, diligenterque percontatus est. Idem Prologo 3. gloriatur laborem hunc posteris relinquere: *Cum opus non sit* (sunt ejus verba) *omnes Gallæciæ, Asturiarum, Regni Legionis & veteris Castellæ angulos lustrare.* Fierine potuit, ut nullo istorum angulorum scripturas invenerit adeo claras ob ejus propositum de genere S. Dominici scribendi? Neque respondere licet, eum tunc de hoc non cogitasse, quia initio suæ Dissertationis oppositum ipse asserit; *Semper optavi accurate scribere de illius origine ac progenie &c.* Et infra; *Desiderium hoc meum Compluti aliquot ab hinc annis communicavi &c.* Secunda animadversio est hæc, Ex relatis scripturis infertur, S. Patriarcham vel post fundatum illustrem ordinem suum *F. Dominicum de Guzman appellari*, & his nomine & cognomine vulgo dignosci; secus enim ita ejus præsentiam in publicis juridicisque Instrumentis signare, & confirmare absurdum foret. Quomodo autem inter hodie existentes subscriptiones Sancti nulla cognomine *De Guzman* distincta legitur? Testaris n. 173. *Sanctum primis suæ vitæ annis se subscribere, & nominare De Guzman; quando Uxamæ Canonicus evasit, illud cognomentum dereliquisse, nomen, munusque Religiosis assumendo; ab aliisque de Calaroga appellatum fuisse*, Sed hæc ab illis dissident, quæ M. F. Ferdinandus Del Castillo narrat: *Viventem appellari De Guzman, sicut ejus majores; sed post Cæli ingressum magis consuetum ejus nomen De Calaroga fuisse*, Si Sanctus usque ad Cœli ingressum *de Guzman* sese nuncupavit, liquet eum primos vitæ suæ annos egrediendo illud cognomen non dereliquisse. Ne ea quidem, quæ tu asseris, & relatæ scripturæ conveniunt. Nam, quod in illis vocetur *F. Dominicus de Guzman*, dum Fundator, & Patriarcha esset, clare ostendit, isto cognomine tunc temporis eum distingui & dignosci. Quæ cum ita sint, auctoritate M. De Castillo, & scripturarum, ingenue fateor apud me argumentum negativum situm in silentio veterum Biographorum Sancti numquam alias tantum valuisse. Eritne credibile ingentem Scriptorum numerum partim contemporaneorum, partim subsequentium per integra sæcula ex professo Vitam scribere & gesta Herois Posteris manifestaturi, quin illorum aliquis consueti, notique cognominis, per quod ipse, quandiu vixit, appellatus, cognitus, distinctusque fuit, meminerit? Dic mihi sincera loquendo: Siquis Vitam tuam ex professo scribendam susciperet, tui memoriam futuris temporibus traditurum, crediine, contentus esset, te nominare *Petrum Joseph*, & neque *Mesa*, neque *Benitez*, neque *Lugo* adjiceret? Tecum ipso solus reputato, & ad alia migremus,

30. Maxima probationum a Morales allatarum desumitur e tribus donationibus Regio Monasterio Calarogæ, Petri De Guzman, Joannis Perez De Guzman, & Didaci Garziæ sæculo decimo tertio; qui donare se *por naturaleza, y devocion especial, que tienen con Santo Domingo de Caleruega* pronuntiant. Harum donationum in fine libri tui authenticatas secundam ac tertiam profers; imo n. 195. easdem roboras pluribus aliis eodem sæculo habitis virorum e Familiis De Guzman, & De Aza descendentium; quas donationes, libro inscripto *Informe de los Sarmientos*, asseverat Pellicer, cui, utpote ejusmodi scriptorum perito, fides adhibenda est, Scripturas, quas citat Pellicer, non videntur præ oculis habuisse Dissertatores; nec facile ipsis in mentem venire poterat ob acta S. Dominici illustranda *Informe de los Sarmientos* consulere. Præterea pleræque harum donationum non Guzmanorum sunt, sed, juxta Pellicer, sunt cognatorum Familiæ de Aza; & quamvis iste Auctor aliquot Guzmanos nominet inter eos, qui Burgis scripturam anni 1266. confirmarunt, non ait, illos expressisse, se *por naturaleza* cum S. Dominico motos id præstitisse, Didacus Garzia, qui illud expressit, pariter, teste ipso Pellicer, De Aza, non vero De Guzman erat; ac teste Morales, *agnosci peculiariter non poterit, qua cognatione cum S. Dominico esset conjunctus*. Quare agendo hic de Guzmanico nostri Sancti genere minus opportunæ hujusmodi scripturæ videntur.

31. Objiciunt Dissertatores exceptionem ambiguitatis vocis Hispanicæ *Naturaleza*, eo quod per ipsam non constet, utrum Donatores significaverint cognationem suam cum S. Dominico, an vero dumtaxat se quoque, sicut S. Dominicus, Calarogam patriam sortitos fuisse. Contra hoc a n. 183. valide argumentaris memorando usum illorum temporum, quibus illa

voce

voce *Naturaleza* unice cognatio significabatur. Nonnisi unicum exemplum depromis, credendusque es nullum aliud invenisse; siquidem totam eruditionem tibi a Deo impertitam effundere liberaliter consuevisti. Certe vocabulum *Naturaleza*, antiquitus significationem admittebat, quam hodie retinet, dum dicimus, quempiam esse *naturalem* vel nativitate, vel concessione cujuspiam vel Populi, vel Territorii; illiusqua loci incolas sunt ejusdem naturales, seu cum eodem, & invicem habent *naturalitatem*, licet mutua cognationis relatione careant. Id liquet ex dictis Ambrosii Morales Discursu de genere (n quo hanc notitiem cuncti hauriunt) quaedem loca quasdam Personas, vel Familias donare naturalitati, ut illas ad eorumdem locorum gubernationem eligibiles redderent. Hinc fit adversus Morales vocabulum *Naturaleza* ad Loca relatum non semper cognationem significasse: nam secus idem foret in memoratis locis habuisse naturalitatem, & cognationem habuisse; quae sunt illetiones omnino respuendae. Desinere esse Castellae, alteriusve Regionis *naturales* olim nobilibus adeo usitatum, quando se n Regibus injuria affectos, aut gratia orbatos putarent, erat idem ac *renunziar la naturaleza;* & sane illud erat patriam, non vero cognationem relinquere, cum ii tamquam in illo loco non nati haberi vellent. Quandoquidem igitur Hispanicum vocabulum *Naturaleza* in memoratis donationibus ad Locum refertur, ut verba ipsa Hispanica ostendunt, *por naturaleza, que yo he con Santo Domingo de Caleruega;* ex eodem vocabulo inter Donatores & S. Dominicum cognatio inferri posse non videtur. Si cognationem significare voluissent facilius verbum *Deudo*, aut verbum *Guzman*, verbo Caleruega brevius adhibere licebat. Neque obstat, quod n. 201. animadvertis in dicta Pellicer de donationibus Garziae (Iste Nobilis teste eodem auctore Guzmanus non erat) illum donasse *por la gran naturaleza, que tiene con Santo Domingo*. Non constat, utrum Pellicer illud *gran* in scripturis invenerit, an vero de suo addiderit. At non negato idem in donationibus legi, nihil impedit, quominus significando Regionis communitatem vox *gran* & vox *naturaleza* copulentur. Etenim Regionis communitas gradus pluris, minorisque admittit; cujusmodi sunt ejusdem nationis, ejusdem provinciae, ejusdem Territorii, ejusdem populi existere. Joannem Garziam Calarogae civem fuisse, sicut S. Dominicum, existimemus. Ex hoc solum, cur se habere *gran naturaleza* cum S. Dominico dicere non posset?

32. Objicis n. 106. & 200. violentum videri putare tot viros primariae nobilitatis Regni fuisse naturales Calarogae *pauperis pagi*, & incoluisse *Calarogam pagum tam ignotum, qui adhuc in Geographicis tabellis locum non obtinet, neque in Historia obtinuit, nisi quem S. Dominici nomen illi tribuit*. Hoc argumentum, mi Domine, paupere pago est pauperius. Scripta, impressaque reperta oblitterere nequeo. De S. Dominici tempestate locutus Ambrosius Morales ait: *Calaroga tam erat quid grande, ut P. F. Ferdinandus De Castillo probat, atque ea tot Nobilibus ibi titulos, & jura tum possidentibus perspicitur*. Hic tibi praesto sunt duorum Auctorum gravissimorum testimonium, & probatio tua, scilicet Calarogae titulos possidere tot viros primariae Nobilitatis Regni, qui aeque difficulter *pauperis pagi* titulos ac nativitatem haberent. Joannes Garzonus gravis & antiquus Auctor in vita S. Dominici apud Leandr. Albert. fol. 8. da Calaroga ita loquitur: *Id temporis Calarogam, quod Hispaniae admodum nobile est oppidum, Felix quidam incolebat, &c.* Locus, qui vocari meruit *Hispaniae admodum nobile Oppidum*, pauper, ignotusque pagus esse nequibat. Describendo eruditissimus Dominicanus Malvenda in Annal. Praedicar. ad an. 1170. c. 2. situm Calarogae ait: *In Episcopatu Uxamae oppidum est Calaroga, ... quondam opulentum, & splendidis familiis insigne, nunc pristinae claritudinis vix reliquias conservat*. Quid apertius? Nonne oculis vides antiquitus esse Calarogam locum opulentum, magnorum virorum, & splendidarum Familiarum patriam? Hactenus dictis addi posset, admisse significatione cognationis in memoratis donationibus per vocabulum *Naturaleza*, non proinde constare, cognationem, de qua nunc agimus, per lineas De Guzman, & De Aza, derivari. Ibi enim cognomina haec allata tam facilia non afferuntur, & solummodo cognatio generali voce innuitur, quae per aliam aliquam lineam vere effici poterat.

33. Inculcas totam antiquorum verborum ambiguitatem ab intelligentia vinci, & persuasione, in qua versati fuerunt, hodieque versantur Excellentissimi Domini, ac Descendentes Familiarum De Guzman, & De Aza; quorum testimonia, & monumenta a n. 203. fuse percenses. Illa equidem omni, quam merentur, observentia veneror. Te sane, alterumve aeque eruditum licebat ea dissertatoribus indicare, quando notitiarum & documentorum subsidium enixe petierunt. Nihilominus apud me non multum valent animadversiones, quibus eadem n n. 221. roborat. Quis credet, inquis ipse, Familiam tanta gloria redundantem quantumvis magnum cognationis S. Dominici ornamentum indecora injusteque sibi vendicasse? Haec vendicatio, Domine mi, si possibilia spectemus, citra dedecus, furtumve contingere potuit. Nullum monumentum a Petro Tafur vetustius exeritur. Existimemus ergo initio saeculi decimiquinti ducentis annis post S. Dominicum jam elapsis nonnullos coepisse ob aliquam probabilem conjecturam, aut verisimile fundamentum sentire, & asserere, S. Dominicum de Guzmanica progenie fuisse. Ista vox nipote ab Historicis Sancti non oppugnata, eidemque Sancto, & ejus ordini honorifica sine contradicto extendi, & libere diffundi inter plures potuit: & cum ad Guzmanorum aures pervenisset, ipsi credendi sunt non neglexisse, aut contempsisse secrum illud suae prosapiae decus, quod multorum opinione suffultum, nulliusque Scriptoris calamo impugnatum viderent. Neque obfuisset circumstantia, quod ea aetate Hispani Proceres plus armis, quam litteris gloriarentur, a litterarum studiis forsitan absterriti exemplo Marchionis Villenae, cujus doctrina ars magica habita fuit. Hoc pacto non perperam cognationem illam admittere sine dedecore aut crimine potuit Magister Aloysius De Guzman, cujus Tafur meminit. Hoc pacto eamdem cognationem idem Tafur obiter scribere potuit, & magis ex professo qui monumenta Familiae Medinae Sidoniae scripsit. Hoc pacto po-

tuit deinceps dispergi ea opinio, & e Patribus in Filios descendere usque ad subsequens sæculum, quo priscæ traditionis vim acquisivit, & scriptis Barrantes, Morales, aliorumque, magnum incrementum suscepit. Si res ita evenisset (quod repugnare ægre probabis) jam exploratum est, quam vere Domini Guzmani proxime superioris, præsentisque sæculorum firmam suam, majorumque suorum de cognatione S. Dominici sententiam testeri possent.

34. Nihilo fortior est hæc alia tua animadversio. Si Dominicus ex domo non Guzmana ortus fuisset, aliquot ejus legitimi consanguinei sæculo decimoquinto vixissent. Horum vero consanguineorum (quando Sanctum Guzmanum appellari audivere) *siluerunt omnes, contradixit nemo, nemo clamavit, nemo de jure suo mutivit? Fierine potest, tam paucis annis extinctam ita esse Familiam, ut ne memoria quidem in ulla ejus parte superfuerit?* Utique, Domine, id non sine aliqua probabilitate omnino fieri potest. Isti *tam pauci anni*, de quibus loqueris, ab obitu S. Dominici saltem ducenti, & ab illius nativitate ducenti & quinquaginta erant. S. Patriarchæ fratres scimus Ecclesiæ nomen dedisse, ex quo recta linea parentum in filiis defecit. Si extiterunt cognati proximi forsan pauci fuerunt, ipsosque post duo sæcula & dimidium defecisse haud est incredibile. Si quis vero tunc adhuc restaret, impos esse posset ac viribus, auctoritate, ac modo, ut audiretur, suumque jus declararet. Præterquamquod ex illustri Guzmanorum origine ortum putari ei non displiceret; præsertim si ob aliquem casum ipse Guzmanorum cognomine uteretur. Quemadmodum humilis ordinis homines appellari Castros, Pimentelos, Toledos &c. cernimus, qui si cognatum aliquem Sanctum haberent, illumque novissent cum Domibus De Lemos, Benavente, Alva &c. cognatione junctum neque abnuerent, neque vociferarentur, neque de jure suo mussarent, credendum est. Id omnino fieri potest, quin a verisimili procul absit. Hic tibi referre integrum esset, quod multis ab hinc annis audivi de quodam paupere Calaguritano, qui non inutilibus scriptis instructus Reverendissimum P. M. Matillam eo tempore Caroli II. Regis Confessarium convenit, & quominus fragorem excitaret, honorifico, lucrosoque officio contentus dimissus fuit *ad loca longinqua, ubi nocere non posset*. Sed quoniam de hac re graves testes non suppetunt, satis mihi est, narrationi Antonii Augustini eam æquari, atque adeo ei me non assentiri profiteor.

35. Aliam animadversionem n. 500. desumis ex Romana querimonia Familiæ Burghesiæ adversus D. Catharinæ Senensis Officium, quod illam Familiæ isti nobilissimæ sanguine copulabat. Ibi tu Dissertatores insultanti voce premis urgesque ad dicendum, an Familia Guzmana nihil Burghesiæ debens questa fuerit de attributa S. Dominici cognatione spectato adverbio *humiliter*, ex quo illi in Apoldiano humilem Sancti originem videntur inferre. Atque ut hanc reconventionem intelligant, latino sermone in illos sua ipsorum verba retorques. Parum sudabunt Dissertatores angustiis, quibus eos includis. In Apoldiano adverbium *humiliter* obscuræ dubiæque est significationis, quia secus nec dubitassent, nec indecisam quæstionem reliquissent. Illud adverbium Guzmani non legerant in Apoldiano, cujus integer textus sub ipsius stylo in lucem non prodiit, donec impressum Dissertatores non ediderunt; sique eum legissent, non defuissent qui eum, sicut tu interpretaris, interpretatus esset. Igitur, cum, utrum S. Dominici Familia humilis, an plebeja foret, incertum sit, non erat, cur Guzmani quererentur, aut sacrum ornamentum excelso illorum generi attributione tanti Cognati parum dedignarentur. Quin S. Catharina parente Infectore nata ex plebeja Familia esset, non ambigebatur. Si de S. Dominico tantumdem constitisses, idem ac Burghesii Guzmanos non acturos fuisse quis tibi significavit?

36. Hac occasione a n. 478. longam narrationem super genere S. Catharinæ extendis, quam ex Familia Pierleona derivas, & per hanc viam innumerabilium Senatorum, Consulum, Imperatorum, Regum Terræ, & innumerorum Cœli Sanctorum consanguineam efficis. Habeat Seraphica Virgo quot cognationes tu in Cœlo, Terraque illi tribuere volueris: per me licet. Equidem posita illius sanctimonia semper dicam, quod alius Romanus dicebat:

Tunc licet a Pico numeres genus, altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter Majores, ipsamque Promethea ponas.

At facile non est tibi condonare importunitatem indendi sub titulo: *Origo S. Dominici*, digressionem longe extra assumptum, nosque sine miseratione cogere ad pecuniam, tempusque insumendum, quod restitui nobis deberet. Idem conscientiæ gravamen extenditur ad triginta folia a te occupata referendi gratia multos Nobiles, Principes, Reges, & regales viros, qui Dominicalem vestem susceperunt, aut erga sacrum S. Dominici ordinem pietatem singularem ostenderunt, aut sese ejus vexillis adscripserunt. Hæc omnia non sine delectatione, atque admiratione in Religionis historiis leguntur. Sed animus non patitur eadem in libro tuo legere tamquam argumentum ob probandum S. Patriarcham de Guzmanorum gente ortum fuisse. Si nobis persuadere cupis (sicut innuis) peculiarem sympathiam Nobilitatis in S. Dominici ordinem, atque hanc sympathiam non oriri & derivari nequire e gloriosi Patris Guzmanica stirpe, nescio qui instantiam non animadverteris, quam derivatio adeo voluntaria offendit. Missas faciendo ceteras Religiones, plurimum Nobilitatis vel sceptra & diademata includens in Franciscano ordine invenietur; nec propterea Seraphicum Patrem B. Franciscum Comitis aut hominis prædivitis fuisse filium contenditur.

37. Bononiensia monumenta non obliviscor, quæ n. 278. & subsequenti Anonymi textum exscribendo proponis. Magnopere iis legendis fui lætatus; sique sunt legitima, me nihil amplius exposcere fateor. Si certum est Cardinalem Hugolinum, postquam manibus suis sacrum S. Dominici cadaver sepelivit, apposuisse istud epitaphium: *Hoc est corpus venerabilis Servi Dei Magistri Dominici De Guzman, &c.* Si certum est Bononiæ diploma, quo in civem suum eumdem Sanctum viventem, ac præsentem adoptat hanc exprimendo rationem & causam: *Inspecta generis sui splendida origine, quam novimus, ex communi etiam voce & opinione, valde nobilem, ex Guzmanica familia, &c.* Si hæ duæ notitiæ, inquam, reliquis omissis, sunt certæ ac legitimæ,

mihi

mihi gaudeo, sibique gaudere debent, quicumque vetera, clara & fortia excelsæ prosapiæ S. Dominici argumenta inspicere desiderabant. Compertum habeo sibi Dissertatores quoque esse gavisuros, qui tantum illa optarunt, atque flagitarunt, omnique dubitatione, sicut promittere, abjecta, rarum, mirandumque omnium veterum Biographorum silentium intuiti obstupescent: *Si quis Guzmanicam S. Dominici nobilitatem antiquis & genuinis instrumentis probaverit, jam inde omne dubium circa illam deponimus; & rarum omnium veterum Biographorum taciturnitatem deinceps mirabimur* (Comment. præv. n. 15c.) Neque ipsis negligentiæ, aut ignorantiæ crimini vertendum est haice probationes antea nescivisse. Nam spectata æquitate iidem licere debebat ignorare, quod etsi rem suam Ordinis S. Dominici scriptores universi quingentos annos ignorarunt. Ista omnis hypotetice procedunt, & sub umbra illius ente dictæ conditionis: *Si hæ duæ notitiæ sunt certæ, ac legitimæ*. Absolute loquendo, ingenue fateor eas mihi esse suspectas, cum eas nonnisi ex Anonymo profluere videam.

38. Te quoque illis non multum fidere demonstras, quin unice Anonymi textum exscribis, & protinus ad aliud transis, quin immorerit, ut debuisses, eumque adjungas eloquantium animadversionum ornatum, quem in aliis probationibus abunde ostenias. Si Bononiensis monumenta certa credidisti, frustra tot paginarum libro scribendo ipse lassatus es, & nos lassasti. Duabus solis paginulis & dimidia res erat peragenda. Quorsum lis de eo institueretur, quod executione confici posset? Quorsum tot conjecturales probationes glomerarentur, ubi probationibus certis abundares? Magna te incessit solatii cupiditas, quando illorum Bononiensium monumentorum gnarus a n. 238. sex paginas impendisti interpretando verba Sororis Angelicæ Sociæ B. Cæciliæ Cæsarini; de cujus Sororis Angelicæ chirographo hanc Hispanicam locutionem extraxisti. *Don Santo Domingo, Noble Adalid, muy guisado, Cavallero de Christo, hijo de D. Felix, Leales, y piadosos sus padres*. Reliquis omissis in illo *Don*, in illo *muy guisado*, in illo *Leales* ingens constituis mysterium. Non est id nisi conjecturas emendicere, & paupertatem ostendere, dum Anonymi opibus non cares. Primum esto suspicionis meæ fundamentum hæc ipsa tacita tua diffidentia, & quod, cum tibi non defuerint, qui omnia Hispaniæ monumenta authentica tibi suppeditarent, nobis Bononiensia pariter monumenta authentica non præbes. Omnia indicia persuadent RR. PP. Prædicatores Reverendissimi tui P. Generalis jussu studuisse quærere, & authentica reddere cuncta ad rem præsentem attinentia tum Italica, tum Hispanica monumenta. Quadriennio autem postquam Dissertatorum opus impressum fuit, haud erat difficile ex Italia ducere authenticum Bononiæ inventorum exemplum.

39. Secundum fundamentum est. Soror Angelica, cum esset Bononiæ Civis, ibique degeret Monialis S. Dominici Ordinis exordio, Epitaphium, ac Diploma relata nequivit ignorare, aut puncta despicere tam digna historia S. Dominici, quam scribendam suscepit. Attamen neque illorum mentionem fecit, neque ex illis S. Parentem suum *Guzman* appellare didicit, neque id a B. Cæcilia edocta fuit; & ad nos de Sancti nobilitate instruendos, relicto tam brevi, facili, ac idoque calle satiatus, *muy guisado, hijo de Padres leales &c.* exquisivit.

40. Fundamentum tertium. Per illa Bononiensia monumenta clarissimum evadebat *Guzman* fuisse continuum, commune, & notum S. Dominici tota vita cognomen, & utpote tale sepulchro insculptum, ob eum a ceteris Dominicanis dignoscendum. Si res ita se habet, nunc validius animadversionem repeto, & interrogationem, qua te ex occasione scripturarum Legionis & Lamoræ interrogavi. Qui fieri potest, ut immensus scriptorum numerus Heroic historiam ab ejus ætate incipiendo, & usque ad tria, quatuorve sæcula pergendo scripserit, illorumque nemo cognomen significaverit, quo idem Heroi totam vitam a ceteris idem nomen gerentibus distinctus fuit? Potissimum in Vincentio Bellovacensi mirificum est hoc silentium, & in D. Antonino, de quibus Melchior Canus De loc. theolog. l. 11. *Uterque . . . dedit operam . . . . ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur*. Quis credat in nulla schedula, aut in nullo papyri frustillo Bononiensium monumentorum ab illis indicium inventum fuisse? Huc accedit, quod secundum Anonymum Justinus Anselus anno 1430. ea monumenta edidit, ideoque D. Antonino scribente jam in lucem prodierant, multoque magis Joanne Garzono scribente Bononiensi, qui eadem pariter oblivione involvit.

41. Quartum fundamentum est. Prætermisso Guzmanico genere multorum auctorum, qui S. Dominici, ejusve Ordinis historiæ a Sancti tempore usque ad nostrum tempus operam dedere Hispani, Itali, Galli, Belgæ, Germani, nemo unus Epitaphium a Cardinali Hugolino effectum transtulit saltem ob debitam existimationem patefaciendam pii actus tanti Viri, qui postea fuit Gregorius IX. nemo unus nobis qualecumque illius honorifici Diplomatis exemplum tradidit, saltem ob debitum gratum animum Bononiæ significandum, quæ civitate, privilegiis, atque emolumentis Civium suorum, S. Patriarcham, ejusque successores Magistros Generales Ordinis, & Bononiensis Cœnobii Priores donaverit. Tacuerunt omnes; solusque ista commemoravit Auctor sæculi decimiquinti, qui neque ex ordine Prædicatorum videtur esse, neque ex professo historiam ejusdem ordinis, aut sancti exaravit, neque tempus diplomatis adscripsit. Hujusmodi argumenta utique negativorum notam subibunt; sed in multorum judicio magnum volumen positivarum probationum conjecturalium pondere superaturs esse arbitror: neque novum mihi accidet, si ob adeo rarum silentium marmorea statua mirebunda supercilium contrahat. Sapientem putavi semper observationem Melchioris Cani criticorum principis a te nominati, qui De locis Theologicis l. 11. cum dixisset a Cajetano Constantini lepram negari, subdit: *Habet hic Scriptores omnes veteres ejus ætatis, qui tacuerunt; non omissuri, si scivissent; scituri omnino rem, si fuisset*. Illi *veteres* addo ego *recentiores etiam nostræ ætatis*, quod attinet ad epitaphium ac Diploma. In me hoc dumtaxat suspicere est, meæque suspicionis rationem reddere. Dissertatores ultra progressos, jam quid certi conti-

neant monumenta Bononiensia revelasse, nobilique ingenuitate & candore, quibus solent, sententiam suam esse laturos conjicio.

42. Denique ad argumentum in Romano & Dominicano Breviariis a te fundatum deveniamus. Hoc est bellicum tormentum maximum, quo Dissertatorum duritiem infringere conaris 138. paginas implendo decem aut undecim non numeratis, quas narratio prosapiæ S. Catharinæ Senensis occupat. Quereris n. 346. de damno & scandalo, apud pusillos & indoctos parto, quod docti homines nonnulla historica Breviarii oppugnent. Si hoc verum est, vernaculo sermone hanc rem tractando perperam egisti: nam indoctis & pusillis fusiores & magis particulares præbuisti notitias materiæ, de qua illorum plerique loqui adhuc non audivissent: cumque certum sit (Non dubitabis credo) ejusmodi homines doctos, non juvantibus quæ ad convincendos scripsisti, in sua opinione permansuros, gravius imposterum fore scandalum videtur. Pauca, quæ sum dicturus, ita proferre enitar, ut scandalum declinetur; nihilque vernacula lingua dicam, nisi forte opus esset ad justam Dissertatorum defensionem, quos plurimi eorum, qui librum tuum legerint, unicos ac præcipuos reos criminis *læsæ Majestatis Breviarii* esse judicabunt.

43. Originem Actorum Sanctorum, lectionumque historicarum Divini Officii ab ovo deSumis; atque expositis non citra prolixam eruditionem pluribus juxta diversa tempora mutationibus, narras Concilii Tridentini mandato, homines doctissimos examini ac reformationi Breviarii Romani laborem & diligentiam contulisse; cumque hoc opus S. Pio Pontifice absolutum fuisset, Breviarium reformatum eumdem Pontificem approbasse, & ab Ecclesia universa usurpari jussisse, ac deinde novis præmissis examinibus & reformationibus eamdem approbationem, eumdemque jussum a Summis Pontificibus Clemente VIII. & Urbano VIII. iteratum fuisse. Ex Breviarii proœmiis nulla horum nos fugiebant. Postulas autem, ut materiæ gravitatem & utilitatem attente observemus, curam Tridentini Concilii, Pontificum sollicitudinem, examinum maturitatem, viros, cujus eruditioni res commissa fuit, quos inter Cardinales Baronium & Bellarminum, & potissimum auctoritatem Ecclesiæ, Summorumque Pontificum approbationem, qui Ecclesiam universam allocuti Breviario totum supremæ potestatis suæ pondus impertivere; idque per tres sententias, quæ in omni jure vim præbent rei judicatæ, contra quam siquidem nova instrumenta, probationesve positivæ non valent, quomodo negativa argumenta valebunt?

44. Ineffabiles sunt exaggeratæ animadversiones, vehementes declamationes, perorationes vividæ, ac fervidæ, quibus hoc assumptum induis, atque exornas. Totus contextus ad nobis persuadendum aperte tendit a Jesu Christo Ecclesiæ suæ promissam infallibilitatem huc inflecte. Quorsum, nisi in hunc finem n. 189. affers textum S. Petri: *Habemus firmiorem propheticum sermonem &c.* Quorsum n. 347. textus ad Ecclesiam pertinentes: *columnas & firmamentum veritatis; Fundata est supra firmam petram; Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis &c.?* Quorsum textum D. Thomæ: *Magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati Augustini, vel Hieronymi &c.?* Quorsum D. Augustini textum: *Quisquis falli metuit, Ecclesiam consulat &c.?* Quorsum textum ejusdem Sancti Doctoris: *Mihi videtur exitiosissime credi aliquod in libris sanctis haberi mendacium &c.?* Quorsum textum Synodi Aquilejensis: *S. Romanam Ecclesiam Magistram, & matrem agnoscimus &c.?* Poteratsne meliores textus afferre ob confundendum impugnantem Concilii Oecumenici, aut Pontificis decreta? Sanctorum historica facta Breviarii divina fide non esse credenda jam confiteris. Sed quid prodest ista confessio, si ad probandam fidem Ecclesiæ in hoc puncto debitam illud Augustini commemoras: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoneret auctoritas?* Nequidquam admones Theologorum esse docere, quæ pars hujus auctoritatis & certitudinis ex Ecclesiæ approbatione in Breviarii lectiones promanet. An ignoras, legentium vernaculos libros, aut etiam Latinos textus intelligentium plerosque non esse Theologos? Annon vides ipsos esse suscepturos indistincte, prout verba sonant, quidquid a te pronunciatur.

45. Protestaris quoque tibi non esse animum opinionibus Catholicorum Doctorum contrariis censuram Theologicam aut ullam aliam notam, aut umbram calumniæ conviciique applicare. Ast hoc *juro, non juro* assimilatur. Nonne admittis illa B. Augustini de Herrera verba: *Nemo sine temeritatis nota contradicere, vel in minimis circumstantiis dubitare audebit?* Nonne æque admittis verba Soulay de Breviario post ejus reformationem, & approbationem prolata; *Certum est & peremptorium jam nemini Catholicorum fas esse sibi auctoritatem assumere impugnandi librorum ejusmodi tenorem?* Illud *nemini Catholicorum*, illudque *temeritatis nota* num convitii umbram non continet? Cæterum si antecedentia ponis, indoctorum aut semidoctorum discretioni permittendo pro arbitratu suo illationes ducere, quæ tibi erit excusatio pro injustis ideis, absurdisque conceptibus, quos ipsi efformaverint? Pulli perdicum, inquiunt Naturalistæ, matrem agnoscunt, quæ ova peperit, non quæ ova fovit, eosdemque pullos eduxit. Tandem n. 373. ad tuum propositum trahis, quod egit auctoritas Sedis Apostolicæ Institutum Societatis Jesu approbando; & antea num. 358. quod approbando librum exercitiorum S. Ignatii Loyolæ eadem Apostolica sedes egit. Jam perspicitur id esse infallibilitatis clavum repercutere; siquidem non autumabis ignorare nos Sedem Apostolicam in Religiosorum Ordinum approbatione esse infallibilem, neque dum praxim approbat spiritualium exercitiorum ob Christianam perfectionem assequendam, errare posse sine periculo noxium pabulum ovibus Christi porrigendi adversus Domini sententiam Petro dicentis: *Pasce oves meas.*

46. Ad Breviarii auctoritatem roborandam magis ex professo propugnare aggrederis historias Romani Baptismatis Constantini, & lapsus S. Marcellini Papæ ingenti studio eos impugnando, qui ambabus historiis obloquuntur. Præclarum autem est te ob defendendam in hisce duobus punctis contra Criticos Breviarii auctoritatem ad historias, Auctoresque veteres confugis, quamvis n. 358. hoc documentum tradideris:

deris: *Existimant, & permale existimant Critici non historias a Breviariis, sed Breviaria ab historiis historicam auctoritatem ducere*. Si hac in re Critici permale existimant, quare historias aliis historiis, non vero sola & unica Breviarii auctoritate impugnas? Rogo: Quid hæc facta tractando voluisti? Si in ipsis tantummodo Breviarium defendere voluisti, de aliis non cogitando, inanem laborem suscepisti. Nam si aliquando a Breviario diffidere liceat, Criticis super Guzmanico genere, aliisque punctis cavillari integrum erit, utcumque de Constantino & Marcellino se res habeat. Si opinatos in aliqua historia fas esse a Breviario recedere generatim oppugnare tibi mens fuit, non minus inaniter laborasti; etenim hac de causa æque reliqua omnia puncta, de quibus dubitant Critici, disceptare oportebat, quia eis vel de unico dubitatio sufficit. Verumtamen multam eruditionem tuam pandere cupiebas, & nihil amplius. Libentius illi extra hanc occasionem ego crederem.

47. Ad extremum Dominicani Breviarii formationem & reformationem prolixe narras, ejusque ingentem auctoritatem, & meritam gloriam perpendis, & opportunitatem laudes atque elogia sacræ Religionis Prædicatorum, pluriumque insignium virorum suorum immiscendi arripis. Quod attinet ad elogia, equidem illa concedo libentissimo animo, nedum non invitus, & indubitate credo a te me nequaquam superari existimatione ac benevolentia erga sanctissimam, eamdemque doctissimam Religionem. Ad Breviarium Dominicanum quod attinet, utrum ejus lectionibus mendum aliquod historicum inesse queat, necne, te ad epistolam remitto impressam die 8. Februarii præteriti anno 1738. quam R. P. F. Joannes de Hispania Seraphici Ordinis S. Francisci ad R. P. Priorem Ovetensis Monasterii S. Dominici scripsit.

48. Ad Romanum Breviarium regrediamur. Debuisses clarius indoctos commonefacere, ne ullus Catholicus Auctor potestatem sibi vendicet generatim in Breviario contenta impugnandi: Omnes admittunt (exploratum est) tamquam divina, quæ illuc ex Sac. Scriptura transferuntur. Quæ illic leguntur ad dogmata & morum doctrinam spectantia; ad sanctitatem eorum, qui veu Sancti proponuntur; ad pietatem & veritatem precationum; ad formam & modum ritus & cultus, omnes credunt, venerantur, & amplectuntur. Nemo cunctas, aut plerasque historias impugnat, quæ in secundi Nocturni lectionibus narrantur. Delirium illud esset. Ea quoque particularia historiæ mere humanæ puncta controversæ veritatis objectivæ ipsi Auctores in dubium vocantes vel negantes putant debere auctoritate sua non delere, pie recitare in divino officio, cum illa Ecclesia non reformaverit, illis debitam observantiam præstare, contrarium sine gravi causa non affirmando, rati illa Breviario indita fuisse prudenter, & non sine examine congruenti materiis & tempori, quo Breviarium compactum fuit. Ecce tibi, quid in hac re efficiat Pontificia approbatio, quandoquidem tantum instas, & vociferaris, ut id explicetur. Potuit examen tempori congruere, quamvis tunc non adessent omnes observationes, & monumenta, quæ deinde prodierint; potuitque congruere materiæ, quamvis non in singulis punctis æque accuratum foret. Ob officium alicujus Sancti prolixius examinantur præcipua historiæ suæ facta, quam leviores circumstantiæ: e.g. utrum Sanctus Matriti, an Compluti natus fuerit; utrum ejus parens Sancius, an Pelagius vocaretur, utrum ejus cognomen fuerit Gonzalez, an Fernandez; utrum nobilis fuerit, an plebejus. In hisce rebus non diu immoratur examen, neque exquisitæ probationes postulantur, ut docet eruditus Dominicanus Jacobus Echardus, Biblioth. tom. 2. p. 8349. qui hac tradita confirmataque per exemplum doctrina sic definit: *Adeo verum est in hisce .... Lectionum & officiorum approbationis negotiis, ubi nihil aperte reclamat fama, nec communis populorum abhorret sensus, nec ad viri plurimum refert Sanctitatem, atque commendationem, nonnisi leviter ista tractari, fumosasque vel avorum imagines, vel absitas parum iis attendi membranas.*

49. His præmissis contentio nostra non est super directo punctorum historicorum; est solummodo super reflexo auctoritatis, ad quam illa extollit Breviarii approbatio. Utrum hujusmodi approbatio ea nulli disputationi obnoxia reddat; utrum impietatis, temeritatisve culpam efficiat illis contradicere, de illisve dubitare: utrum eadem approbatio infallibilis censenda sit, atque eatenus irrefragabilia, ut quilibet Catholicus Auctor quibuslibet difficultatibus argumentisque contra quælibet facta Breviarii occurrentibus oculos claudere debeat, ne Ecclesiæ debitam observantiam violet. Huc diriguntur cuncta arma, quibus penes vulgus Criticis invidiam conflare cogitas, ac præsertim Dissertatoribus, contra quos passim sexcentis modis iterum iterumque te convertis. Ego quidem ad eos propugnandos hoc utor clypeo. Permulti Catholici Scriptores doctissimi ac piissimi omnium Nationum, classium omnium, omnium Religiosorum Ordinum veritatem plurium punctorum historiæ in Breviario relatorum aut negant, aut dubiam esse asserunt. Id novit Ecclesia, Sedesque Apostolica, publicisque scriptis evulgari intuetur; non solum autem eosdem Auctores neque damnat, neque objurgat, sed imo magni facit, commendat, remuneratur, extollit. Igitur, cum certum sit Ecclesiam & Apostolicam Sedem se melius scire, quænam fini suæ auctoritatis jura, & quatenus suæ approbationis efficacitas perveniat; cumque blasphemum sit existimare ei zelum deesse ac virtutem ad eadem jura propugnanda, & corrigendos errantes; infertur antedictis dubitationi & contradictioni nullum errorem, temeritatem, crimenve inesse. Porro dum Ecclesia Sedesque Apostolica nullum errorem in eis reprehendit, næ tu illa potes negligere, quin indoctos & pusillos turbes, ac tumultuose commoveas.

50. Quam vera sit mea prima propositio, te non latet. Nam utpote legere assuetus non ignoras, quot, & qui Auctores alii alia historica puncta in approbatis lectionibus indicata, seu narrata impugnent, aut de ipsis ambigant. Non ignoras aliis compluribus omissis a me nominari Cardinales Baronium, Perronium, Bonam, Aguirre, Lauream, item Petrum de Marca Tolosanum & Parisiensem Episcopum, sapientes Benedictinos Congregationis S. Mauri, Natalem Alexandrum Dominicanum, Casimirum Oudinum Præmonstratensem, Antonium Pagium Franciscanum, Christianum Lupum Augustinia-

num,

num, Sirmondum, Petavium Jesuitas, Joannem Morinum ex Oratorio Berullianos & ne longior sim, Cangium, Schelstratium, Cabassutium, Blanchinum, duosque fratres Hadrianum & Henricum Valesios; neque notus celebrisque Papebrochius saltem ob numerosum ejus comitatum est reticendus, qui de puncto historico locutus, in quo non assentitur Breviario, ait in Respons. ad exhibit. error. art. 2. num. 28. *Quod omnes, qui nunc aliqua eruditione clarent in Italia ac Germania, atque potissimum in Gallia Historica critices studiosissima de Actis Sylvestri, & Baptismo Constantini eadem mecum sentiant*. Istos Auctores in directo punctorum historicorum, de quibus ambigunt, vel quæ impugnant, causam æquam tueri non assevero. Eos dumtaxat nomino, ut superioris meæ propositionis veritatem declarem: *Permultos esse catholicos scriptores doctissimos & piissimos* &c. Atque edito libro tuo eosdem Scriptores aliquantum vulgo innotescere opus est, ut magna invidia, quam Dissertatoribus hac via conflare contendis, inter multos dispertita, minus eos feriat.

51. Verum quoniam n. 347. citato Sousa nobis persuadere cupis, decus & gloriam Hispanorum esse historiis Breviarii omnino assentiri, ac pro te & pro reliqua Natione hæc verba subdis. *Sancta vanitate gloriabimur, si putemur nos stulti propter Christum, multum cavendo, ne simus stulti, & tardi corde ad credendum*; nonnullas nostræ Hispaniæ notitias afferam, ne liber tuus indoctos decipiat. Jam nosti a Breviario Auctorem Epistolæ Canonicæ Apostolum S. Jacobum Minorem statui: *Unam scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est*. Vide Eusebium Nierembérg de Origine Sacræ Scripturæ l. 12. c. 16. 17. 18. & invenies hunc probum Hispanum aliis probis Hispanis, nempe Thomæ Tamajo, Didaco Deza, Joanni de Salazar, Francisco Vivar &c. adjunctum præter exteros tueri auctorem illius epistolæ esse nostrum magnum patronum S. Jacobum Majorem. Scriptores isti dant operam, ut Tridentini Concilii Sess. 14. Decr. de Sacr. Extr. Unction. c. 1. expressionem interpretentur vocantis Auctorem ejusdem epistolæ *Jacobum Apostolum & Domini fratrem*, & titulum *Domini Fratrem* etiam patrono nostro attribuunt. Sed Breviarii clausulam interpretari non conantur, nec possent. Eorum opinionem ego neque admitto, neque respuo. Solum velim animadvertas, eos, quamvis Hispani sint, illam amplectendi scrupulum non pati, nec metuere, ne *stulti & tardi corde ad credendum* putentur. Isti Hispani classem vulgarium longe excellunt. At ne vulgus quidem Hispaniæ est in hoc puncto tam delicatum, aut scandalo obnoxium, quam tu formidare, aut cupere videris. Id cogniturus locum Toletani regni, Hispanice *Cifuentes* dictum petas, & experieris, an indigenas amovere valeas ab ingenita persuasione, suum esse, non vero Armenum S. Martyrem Blasium Sebastenum Episcopum. Atque ut eo migres præscius laboris a te impendendi, & difficultatis, si non impotentiæ propositum assequendi, antea legas in Hispano Tamayi Martyrologio ad diem 3. Februarii tenacitatem, qua ibi popularis hæc sententia servatur. Ad alios suffragii non vulgaris Hispanos redeamus.

52. Hispanus quoque est, ac perinsignis Aloysius de Salazar & Castro; neque tu nescis quanto studio adversus Breviarium, cunctosque reliquos Auctores parentem S. Dominici Ferdinandum, non vero Felicem nominatum fuisse contendat. Hispanus non minus insignis, imo insignior est Nicolaus Antonius, qui de S. Liberata differendo ait: *Nec certum est, quamvis Lectiones Breviarii Seguntini huc tendant, martyrem nos celebrare Hispanam: siquidem hujus almæ Ecclesiæ monumentis, translatum ad se foris a Fiorrnia usque, Simonis Gironis Præsulis opera circa annum 1300. Liberatæ martyris corpus, non obscure manifestatur .... An vnde ad nos, quæ a nobis olim in Italiam, translata sint veræ martyris pignora, nec affirmare, nec negare est animus*. Idem Auctor loquendo de S. Pitacio ait: *Nec opponas, sacram Congregationem Rituum instante Placentina Ecclesia, summoque viro D. Didaco de Arze Reynoso, Generali Hispaniarum Inquisitore, ejus Episcopo, lectionem solemnis Officii, quo eadem Ecclesia nunc utitur, S. Epitacii approbasse: in qua is Ambraciæ, antiquissimæ Hispaniarum urbis, Antistes falso dicitur, a Petro Rotrusi renunciatus. Non enim, quod sacra Rituum congregatio indulserit fidelium instantissime supplicantium pietati, tam objiciendum nobis est, quam imputandum credulæ & parum cautæ fidelium pietati, quod absque exactissimo rei examine traditionum, Scriptoribusque heri & nudiustertius natis, imprudenter stipare libellos supplices, a sacraque ista Congregatione, quæ traditionibus Ecclesiarum non parum deferre consuevit, impetrare, ac, ut verius dixerim, extorquere solent: quibus ad obrussam sani ac defæcati judicii exactis, ne adversus se ipsa pronunciet, veritas testimonium denegat*. Hactenus Nicolaus Antonius, cujus totus textus est considerandus. Si forte, ubi tantus Hispanus ita loquatur, te prætereat, scito hæc omnia relata ejus Manuscriptis posthumis contineri, penes Hadrianum Konik existentia, auctoris propinquum, qui ea Matriti generose communicavit P. Guillelmo Cupero, qui Dissertatoribus annumeratus eadem tom. 5. Julii die 20. in Vita S. Liberatæ allegat.

53. R. P. F. Hyacinthus Segura Ordinis S. Dominici est pariter Hispanus, neotericus, & cognitus ob librum *Norte Critico* inscriptum, quem Hispanice in lucem edidit. Hujus prima pars Dissertationem de Baptismo Constantiniano efformat, relationemque Breviarii Romani oppugnat, & Eusebii Cæsareensis propugnat. Neque hoc esse aliquanto gravioris momenti punctum, quam S. Dominici genus, inficias ibis. Cardinalem Aguirre item Hispanum & virum amplissimum jam supra nominavi; quem citatum invenies ab alio Hispano, quem citaturus sum, & quem a te non rejectum iri spero. Ipse est illustrissimus & excellentissimus D. F. Joannes Thomas Roccaberti Valentinus Archiepiscopus, Generalis Inquisitor, & magnum sacri Ordinis Dominicani ornamentum; qui in opere suo doctissimo, *De Romani pontificis auctoritate* tom. 1. l. 2. c. 14. S. Marcellini Papæ historiam tractat. Et quamvis doceat defendi posse hunc S. Pontificem in fide non defecisse, licet admittatur ejus lapsus, externaque thuris oblatio, nihilominus acriter lapsum ac thuris oblationem impugnat. Ait num. 2774. *Respondemus* 1. *negantes, quidquid nobis de Marcellini thurificatione opponitur, quo totum argumentum falsæ in tantum Pontificem accusationis innixum penitus*

cor-

corruit. Insequenti numero silentio contemporaneorum auctorum negationem suam probat. Exceptioni vero tuæ contra Dissertatores, scilicet hoc esse negativum argumentum, ita D. Roccaberti num. 2780. occurrit: *Nec hujus argumenti robur infringes, si asseras, esse negativum, sicque nullius esse ponderis, ac momenti. Etenim si Auctores isti, tanta auctoritate præclari, nullam omnino de Marcellino mentionem fecissent, esset certo certius negativum: at cum ipsi dedita opera Marcellini vitam, factaque commemorent, nihilque in ipso, nisi Sanctum, venerandum, ac omni commendandum laude agnoscant, præclarumque ipsius martyrium deprædicent, cur tam immane idololatriæ facinus ipsi sine capite, sine auctore, ingrati viri sumus historiis adscripturi?* Argumentum hoc, & Dissertatorum de Guzmanica S. Dominici progenie argumentum confero, mihique dicito, an ullum discrimen tibi non contrarium deprehendas. Sicut a Dissertatoribus scitaris, a Roccaberti sciteris quoque, num opus suum Romano Breviario gravius, magisque observandum arbitretur. Insequentibus numeris affert excellentissimus Præsul D. Augustinum, Cardinalem de Laurea, Christianum Lupum, & Cardinalem Aguirre tract. 2. *Cathed. S. Petri vindic.* d. 28. §. 1. num. 28. qui pariter argumento negativo ferme eodem utitur.

54. Postea excellentissimus Dominus plura contra Sinuessanum Concilium argumenta, horumque objecta, & responsa depromit, & num. 2931. sic incipit: *Quamvis ex multiplici, quam attulimus, ratione thurificatio, quæ Sancto adscribitur Marcellino, cujusque Sinuessana Synodus meminit, falsitatis, ac Donatistarum, illorumque sequacium impostura convincatur, totque mendaciis ac inconsequentiis obnoxia a nobis sit demonstrata &c.* Pergit dicendo, nihilominus pro contraria parte obtinere magnam vim, & efficaciam, auctoritatem Ecclesiæ in Breviarii lectionibus, ac Romano Pontificali, & subdit: *Cum igitur Ecclesiæ auctoritas certior irrefragabiliorque sit, his duobus testimoniis indubitata redditur Marcellini thurificatio, quamvis Sinuessanæ Synodi auctoritate non satis stabiliretur.* Quid autem respondet? Eum duobus insequentibus numeris audiamus: *Respondeo 1. esto Breviarii Martyrologiique auctoritas in cujuslibet facti censura ac sententia magna, gravisque sit, necesse tamen esse, ut animadvertamus, nullatenus Ecclesiam nobis historias, factaque in illis enarrata, ut tanquam Evangelio credamus, proponere: solum ergo a nobis ecclesia exigit, ut hisce historiis fidem adhibeamus ea ratione, qua fides hujuscemodi actis adhibenda sit.* Subinde citato Baronio pro hac doctrina, addit: *Respondeo 2. Ecclesiam in Sanctorum factis historialibus, sicut & in iis, quæ ad illorum attinent cultum, sequi, quod communiter exceptum est, quodque ad probabilem opinionem gravissimorum Auctorum innixam judicio sufficit, quin hinc deducatur non posse nos oppositum probabiliter opinari; cum Ecclesia ea, quæ in Sanctorum actis continentur, tamquam fide certa, & infallibili actu credenda, ut cum Baronio diximus, non proponat.* Neque dices, etiamsi eadem tamquam Evangelium non credantur, omni humana fide credenda esse. Nam valde clare elucet D. Roccaberti mens, qui hanc doctrinam præ oculis habens dicere non dubitavit, ut ex ejus ante relatis verbis perspicitur, se falsitatis & calumniæ convicisse Marcellini thurificationem, ac mendaciis & pravis illationibus plenam demonstrasse. Tandem num. 2935. absolvit: *Igitur quamvis Ecclesia in Breviario permittat legi acta de Marcellini lapsu longe antiquitatis argumenta probata, non tollit gravissima in oppositum monumenta, quibus tractu temporis veritas poterit lucidius examinari; de quibus late diximus hucusque.*

55. Alius mihi superest testis, qui non Hispanus plus est, quam Hispanus, & licet ab aliis jam allatus, semper summa cum observantia auditur, & omnium clarissime in rem nostram loquitur. Ipse est æque Sanctus, ac sapiens Cardinalis Vincentius Maria Ursinus immortale Religionis S. Dominici decus, Beneventanus Archiepiscopus, qui sanctissimus Pontifex Benedictus XIII. deinde fuit. Iste dum Cardinalis & Archiepiscopus erat, eruditissimam Dissertationem, *De Reliquiis S. Bartholomæi Benevento vindicatis*, edidit, ubi Romanam translationem corporis S. Bartholomæi negat; & sibi objectæ Breviarii illam translationem affirmantis auctoritati sic art. 7. facit satis: *Respondeo 1. maxime quidem auctoritatis esse Breviarium Romanum in iis, quæ per sese ad cultum Ecclesiasticum attinent; minoris tamen ponderis esse in privatis factis, aut gestis, quæ in vitis Sanctorum ex occasione referuntur; itaut efficax argumentum inde peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa, quæ illis utitur, inconcussæ, infallibilisque veritatis judicat, quæcumque Breviariis sunt inserta; cum multoties, varia ex occasione, ea mutaverit correxeritque.* Plura deinde Concilia refert, quæ Breviarii reformationem decrevere. *Quæ omnia*, inquit, *argumento sunt Breviaria non illico putanda esse ab omni aberratione libera, sed magna plerumque spongia egere, licet illa in suum usum usurpet Ecclesia.* Id valere potest propter aliquot Religionum Breviaria, quæ tu num. 505. cum Dominicano congeris. At quod attinet ad Romanum, vel post ultimam reformationem, hæc tuæ sententiæ opposita subdit sapientissimus Cardinalis: *Imo nec fuit omnino carere nævis Clementino-Urbanum, quo utimur, Breviarium doctissimi historiarum exploratores judicant: cujusmodi sunt 1. Marcellini Pontificis cultus idolis exhibitus, ejusque pœnitentia in Concilio Sinuessano &c.* Plura alia adjicit exempla, quæ dedita opera prætereo, ne nonnulli idiotæ illa perperam intelligant, & concludit: *Et vero Cardinalem non absolutissimam in rebus historicis fidem Romano Breviario tribuisse certissimum est.* In toto relato contextu multa habes consideranda, & quamvis non nisi verba illa, itaut efficax argumentum inde peti non possit, consideres, abunde tibi suppetit, quo librijius pulverem madefacias.

56. Sciens Cardinalem Ursinum contra Breviarium Romanam translationem corporis S. Bartholomæi negasse, animadversionem Sousæ num. 468. refers, nimirum sapientem Cardinalem nihil in Breviario immutasse, postquam fuit Papa Benedictus XIII. etiamsi sex annorum Pontificatu idoneum tempus habuerit, & sacrorum rituum, atque ecclesiasticæ disciplinæ zelantissimus fuerit. De tuo autem addis: *insigne exemplar, quanta sit Breviarii Romani auctoritas, & quam procul ab erroribus abesse ejus historiæ censendæ sint.* Hoc est, mi Domine, ligna, qua

parte

parte commodant, non vero qua parte ustulant, arripere. Ego aliam oppositam animadversionem educo, quæ magis naturalis, & contentanea magis videtur, Sanctissimus Benedictus neque revocavit, neque deleri jussit, quæ Cardinalis de Breviarii auctoritate scripserat. Illud crediderim *insigne exemplum*, quantum liceat a Breviario in aliquibus historicis punctis dissidere. Haud nesciebat Sanctus Pontifex a se per factum suum suamque generalem doctrinam licentiam hanc roboratam fuisse, neque integrum erat ei ignorare ob exaltationem suam ad Sedem Apostolicam ejusmodi doctrinę validam commendationem adjectum iri. Quemadmodum ergo zelus ejus, summique Pontificis debitum non eum ad Breviarii auctoritatem reparandam ante scripta retractando adegit? Breviarii mutatio, aut reformatio, ut in præteritis reformationibus cognitum fuit, ingentem laborem postulabat. At dissertationem retractare perfacile erat, multumque apud omnes laudabile, ac reliquos Catholicos Auctores efficaciter monuisset, quin eorum scripta expresse damnando ii contristarentur, quia indubitate unusquisque satis intellexisset, eatenus processisset. Ex alia parte præ oculis habebat Benedictus XIII. Exemplum Pii II. qui publica Bulla Papa revocavit, quod in Apostolicæ sedis auctoritatem scripserat, dum erat Æneas Sylvius, hac præclara usus clausula: *Æneam rejicite, Pium recipite*. Quæ res sane Benedicto nostro gradiendam viam straverat. Quomodo igitur alia Bulla, qua diceret: *Vincentium rejicite, Benedictum recipite*, Romani Breviarii auctoritatem non instauravit? Adeo id non præstitit, ut insuper Benedictus ex Romano Indice prohibitorum librorum detrahi mandaverit Historiam Ecclesiasticam Natalis Alexandri, cujus opera multo prius interdicta fuerant, eo quia celebres propositiones Cleri Gallicani anni 1682. continerent. Optime noverat Sanctus Pontifex Natalem Alexandrum in S. Marcelli lapsu, aliisque historicis punctis Breviario non concordare, imo generalem regulam statuere: *Non censeri debere exploratæ & inconcussæ auctoritatis, quæcumque ei sunt inserta*. Nihilominus, quin eum in Indice relinqueret, alia de causa antea positum, inde eum detrahi, & censura liberari mandat. Perspectis omnibus, a me hactenus consideratis, de *insigni Exemplari* Sousæ quid tibi videtur?

57. Iis, quæ pro prima propositione mea paragraphi 48. dicta sunt, secunda quoque demonstratur. Non invenies a Sede Apostolica librum Auctoris Catholici unquam proscriptum fuisse, dumtaxat eo quod in illo aliquod Breviarii punctum historicum in dubium vocetur, aut negetur; multoque minus si ejusmodi punctum circumstantias, vel connexiones peculiares trahat, quæ generalem regulam aliorum historicorum Breviarii punctorum non constituant. Ex altera parte istorum auctorum dissentientium libri Romæ maximi fiunt, & in universa Ecclesia, cujus præcipuas dignitates Infulas, pileos, etiamque supremam thiaram assecuti fuerunt iidem Auctores, ut ex paucis, quos subjicio, plures omittendo, perspicitur. Natalis Alexander ob aliam causam molestiam passus liberatur. Schelstratius a Romana curia instituitur Antuerpiensis Canonicus, Romam vocatur Vaticanæ Bibliothecæ Bibliothecarius, ibi Canonicus Lateranensis efficitur, multoque ulterius perrexisset, nisi ejus præpropera mors vetuisset. Henschenio & Papebrochio obsecundat summus Pontifex Alexander VII. favet, adblanditur. Ipsis Apostolico Brevi ex qualibet Bibliotheca quælibet, consentientibus partibus, extrahendi facultatem concedit; itemque illos permisit ex bibliotheca Vaticana extrahere, & in Domum Professam Romanam transferre ob eorum commodum quidquid voluerint. Cum autem Bibliothecarius moneret extare decretum illinc librum nullum efferendi, nisi ad summum in 15. dies; *Dispensatione*, respondet Pontifex, *opus non est. Tanti viri communibus subesse legibus non debent. Nihil illis obloquaris. Libros decimoquinto quoque die adnotes; verumque erit ab illis nonnisi 15. dies detineri*.

58 Tandem, ut demonstretur ab Ecclesia non judicari nulli reformationi obnoxias Breviarii historias, opportunissimum, & validissimum accidit, quod narrant Dissertatores, videlicet anno 1641. præmisso longo, maturoque examine, precante nobilissima familia Burghesia, decreto S. Congregationis per summum Pontificem approbato ademptam fuisse Officio S. Catharinæ Senensis eam clausulam: *Ex Benincasa una cum Burghesia familia ex eadem stipite proveniente*; quæ antea & in Dominicano, & in Romano Breviario post ultimam reformationem legebantur. Omnia tu in substantiam tuam convertis; & quoniam in Echardo legisti mirandam esse Impressorum aliorumque temeritatem, ac levitatem, qui in Breviarium illam clausulam ingesserint, nobis persuadere studes temeraria alicujus privati audacia, non vero legitima auctoritate eamdem clausulam ingestam fuisse. Porro hanc supra basin validum instantiæ ac retorsionis argumentum in Dissertatores constituis asserendo hunc eventum esse ingentem integritatis, & certitudinis Breviarii probationem, siquidem clausula Breviario non rite indita brevi cognita fuit, & permanere nequivit nisi ad summum decem annos, eum, ut ait Echardus, ante annum 1630. in Breviario non legeretur. Supra idem fundamentum sexcentas alias animadversiones proposito tuo extollis. Verum ego me breviter ex omnibus extricabo. Quæso, ut quiescas tantisper, & paulo post mihi dicas, an serio putes ulli privato potuisse suppetere modum, industriam, atque efficacitatem cuncta Romani & Dominicani Breviarii exempla adulterandi, & assequendi, ut clausula temere excogitata, pacifice decem annos in Ordine Prædicatorum universo, & in universa Ecclesia, in ipsa urbe Roma recitaretur ab iisdem, qui postremæ reformationi interfuerant, & coram Urbano VIII. qui illam proxime approbaverat, ac tam efficaciter impressionis puritati prospexerat, ut in sua Bulla testatur. Si hoc moraliter impossibile primæ classis non est, pauca in Orbe terrarum impossibilia reperies. Quid interest anno 1630. clausulam in Breviario non extitisse, si Breviarium anno 1631. ab Urbano VIII. reformatum prodiit? Tunc illa clausula inducta fuit, aliarumque approbatione fuit comprehensa; neque aliter credi potest; & nisi Burghesia domus reclamasset, per integra sæcula, aut donec alius Pontifex quartam Breviarii reformationem perageret, permansisset. Præterea si mendum historicum in Brevia-

rio

cio tam est absurdum, sicuti nobis significas, tamque infallibilitati Ecclesiæ oppositum, qui Ecclesia illud ceu approbatum decem annos recitavit, quin animadverteret? Æque decem, ac mille annos infallibilitate pollet Ecclesia. Num fieri potest, ut Ecclesia, quin animadverteret, Damnato cultum & officium decem annos concederet? Hic ita de Dissertatoribus triumphare autumas scitatus, cur non evanescat illorum nova opinio, quod S. Dominicus Guzmanus non sit, quomodo juxta illos nova opinio, quod S. Catharina esset Burghesia, evanuit? Neque enim Breviarium minorem fidem primum retinendo, quam secundum rejiciendo meretur. In promptu est responsio. Si S. Catharinam Burghesiam esse nullo alio fundamento nisi Breviarii lectionibus nitebatur, quid mirum, quod eo ablato evanuerit? Et si S. Dominicum esse Guzmanum in Breviario legatur, aliunde falsum ostendi potest. En quam male Logica tua ratiocinetur. Duas hasce opiniones constituito: Titium vivere, Titium obiisse. Si Titio caput obtruncatum fuisse inveniatur, evanescit prima opinio. Titio caput obtruncatum fuisse non invenitur, non continuo secunda opinio evanescit, quia Titius centum aliis causis obire potuit. Improprium esse opinionem nominandi meram dubitationem, aut suspensionem judicii missum facio. Alias quoque animadversiones omittere oportet, quominus prolixitatem tuam imitemur.

59. Ad exitum epistolæ meæ deveni longioris, quam initio putabam. Mihi tantummodo fuit animus Dissertatorum sinceritatem, modestiam, sanumque judicium vindicare, ipsosque ab invidia redimere, quæ toto opere tuo eosdem gravas tanquam homines, qui dubiam reddere rem evidentem, notoriam, disputationi non obnoxiam, & ab Ecclesia in Breviario consecratam ausi fuerint. Propterea te admonui non par esse eos redarguere illis probationibus, quibus citra culpam caruerunt, laudabileque futurum fuisse illas indicare, cum easdem petierunt. Propterea item tibi patefeci, inter multas probationes, considerationesque ingentis libri tui nullam offendi, quæ ex se sola evidens, aut irrefragabilis habenda sit. Sed seposita hac tua vanitate, me opinioni tuæ intellectu & voluntate esse conformem, & gloriosum S. Dominicum Guzmanum censere iterum profiteor.

60. Si mihi S. Dominici Guzmanica progenies probanda esset, hanc methodum assumerem. Si Bononiensia monumenta vere certa mihi suppeterent, his essem contentus, & ad summum, ornatus gratia, nonnulla Hispanica monumenta adjicerem. Deficientibus monumentis Bononiensibus, inprimis Scripturas donationis ponerem, quas affers Morales, confirmatas Scripturis, quas addit Pellizerus. Etenim cum istæ Scripturæ tot sint, inque omnibus dicatur S. Dominicus habere *naturalitatem* &c. validam efficiunt præsumptionem ibi illud vocabulum tamquam *cognationem* significans usurpari. Jacto hoc solido antiquitatis fundamento monumenta & demonstrationes Familiæ Medinæ Sidoniæ afferrem, ac vetustissimam persuasionem, in qua Proceres magnarum gentium Guzmani & Aze vixerunt, hodieque vivunt. Traditionem Calarogæ, & Calarogensis Monasterii adjungerem, & scuta antiqua domus, unde ortus fuit S. Dominicus (quamquam caldaria sunt æquivoca stemmata;) traditiones item Monasteriorum S. Dominici Sclosiani, S. Petri Gumeliensis *de Izan*, & Pinciani non sine veteri Epitaphio S. Fœminæ Joannæ genitricis S. Dominici, quod ibi legitur. Istæ traditiones magnæ antiquitatis speciem præferunt, quamvis ad alias Hispaniæ partes, credo, ante decimum quintum sæculum non pervenerint, neque communes evaserint ante decimum sextum, quo tempore latæ divulgatæ atque admissæ Nationis universæ assensum meruerunt, & Breviaria inierunt. Dicerem postea, quamvis singulæ istæ probationes effugium patiantur, earumdem congeriei magnam inesse vim, atque in materie, in qua Mathematicæ demonstrationes non sunt exposcendæ, valde prudentem credibilitatem satis esse oportere. Ad argumentum silentii veterum Scriptorum responderem, S. Dominicum modestiæ ergo Guzmani cognomento usum non fuisse, priusquam in Galliam concionaturus migraret, & priusquam Religionem suam institueret; ac proinde antiquos Biographos exteros, familiarumque & generum Hispaniæ minus gnaros hoc illustre cognomentum neglexisse. Postea vero D. Antoninum, aliosque, cum in antiquis non legissent, idem omisisse.

61. Hæc ego pro tenuitate mea dicerem. Dissertatores, quid essent dicturi, nescio; siquidem neque ullum ab ipsis mandatum accepi, neque inter me & ipsos intercedit consuetudo. Profecto caverem prorsus, ne illos temeritatis, aut levitatis arguerem; multoque magis ullam in illis suspicarer umbram animi non benevoli erga illustrem Prædicatorum Religionem. Non secus ac nemo in illis animum non benevolum erga Societatem Jesu suspicabitur, eo quod T. 7. Julii comment. præv. ad vitam S. Ignatii dia 31. §. 1. s. 3. silentio contemporaneorum innixi negent, nec approbent aliquot circumstantias graves, & S. Patriarchæ Ignatio Loyolæ decoras, quamvis eas pene multos suæ Religionis auctores legerint. Hujusmodi sunt: sanctum ob matris ejus pietatem erga Redemptoris nostri Nativitatem in stabulo natum esse: eumdem recens natum nomen proprium ante Baptisma pronunciasse: eumdem in Pampelonensi propugnatione fuisse Ducem. Hoc autem postremum præter domesticos Auctores Surius & Genebrardus afferunt, & Navarræ traditio confirmat. Ita Dissertatores Criticen suam non ulla animi perturbatione, nullaque immoderata affectione, sed leges historiæ juste observandi desiderio moveri ostendunt. Simili integritate, & ingenuitate Cisterciensibus Annalibus suis usus fuit Illustrissimus Angelus Manrique ad an. Christi 1105. Cisterc. 8. c. 1. n. 4. ubi nobilitatem magni sui Patriarchæ & mellifluí Doctoris S. Bernardi perpendendo, communi Ordinis ejus opinioni, & Sancto perdecoræ arctæ conjunctionis sanguinis cum Galliæ Regibus, ideoque cum omnibus Christianis principibus non assentitur. Atque ad non assentiendum non alio argumento nisi negativo movetur eam cognationem apud Scriptores contemporaneos expressam non inveniendi, quamvis apud illos hæc generalia verba legerit *Parentes claros secundum sæculi dignitatem*, verbis Theodorici Apoldiani ad rem nostram pertinentibus clariora. Porro se recte egera ob proban-

bandum Manrique præclarum dictum profert: *Honor regis judicium diligit: honor Sanctorum certam veritatem*, Deinde profitetur se paratum regiæ S. Bernardi prosapiæ subscribere, si validis auctorum testimoniis probetur: *Scripturi majora, si dignis fide testibus fulciantur*; quod in re nostra Dissertatores accurate imitantur. Denique, mi Domine, nec tuum, nec meum est de magni Patriarchæ S. Dominici genere litam suscipere. Sinamus eam a RR. PP. Dominicanis & Dissertatoribus Jesuitis dirimi, qui utpote sapientes, ac probi amice illam diriment, illud antiquum distichum non obliti,

Non eadem sentire bonus de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper amicitia,

Idemque valeat, ne nos duo amici esse desinamus, Deus te multos annos servet

Salmantica 20. Maij 1738.

Fidelis amicus & Famulus tuus
Licentiatus Aloysius Lopez Beneficiatus & Curatus Morillanus in Salmaticensi Diœcesi.

P. S. Scriptis hisce litteris jam obiisse Reverendissimum P. M. F. Joseph Manzanum intellexi. Deus in sua gloria illum habeat. Tu vero mandatum paragraphi 4. revocatum putes; nolo enim ad alium mundum illud executurus proficiscaris,

---

VITA ET SALUS

Celebris Epistolæ Familiaris

PAROCHI MORILLANI

Super Guzmanico S. Dominici genere, comprobata contra vanum ejus funus per aliam ejusdem Parochi Epistolam ad amicum suum Vallisoletanum,

Ex Hispanico idiomate in Latinum translata.

1. REspondeo, Domine mi, etsi aliquanto serius ad litteras tuas XV. proximi Februarii ferentes libellum recens impressum, inscriptumque: *Honor mortuorum, lux vivorum, funus Epistolæ familiaris Curati Morillani, pro glorioso S. Dominico de Guzman, ejusque illustribus cognatis*. Me admonebas, tibi non vacasse, nisi primam & sesquipaginam legere, quod sufficit, ut de tota elucubratione judicium ferres, & ut mihi obstreperes ob personam egeni hominis, quam ibi repræsentare cogor. Objurgationem hanc tam amicæ manus libenter excipio; multoque magis, quando existimas artem fingendi, qua meam esse epistolam familiarem nego, & satue quibuslibet contumeliis in me prolatis applaudo, esse valde rudem & vulgarem; & quod mihi perfacile fores (quamvis bardus, ut pingor, essem) vulnera per novum libellum accepta similibus armis reparare; in eo enim totum artificium situm est, ut mutationibus temporis serviamus, & simulare valeamus. Me simul admonebas libellum, etsi impressionem Salmaticensem, & impressionis facultatem præsefert, neque impetrata hujusmodi facultate, neque nisi Vallisoleti in officina R..... impressum fuisse, quod alius magis scrupulosus typographus illum imprimere abnuerit. Sed venia tua in hoc eum defendam. Quæ major facultas facultate, quam sibi arripit rusticus calamus ad viros reverentia dignos contemnendos, in ipsos jactando lapides, truncos, lutum, & quidquid adversa eorum fortuna reperit? Id verum esse mox videbis. De libelli pariter auctore, hujusque nomine, cognomento, & circumstantiis, non item de ejuidem statu, aut professione, me certiorem faciebas, precatus, ut hæc ceu arcana a te cognita constanti silentio involvam. Desiderio tuo adhærebo. Non absque causa nomen suum auctor occuluit. Delicatæ ejus conscientiæ par est indulgere. Merito nobis gratiam suam (Hispani aliquando nomen lepide gratiam dicunt) in libro tot peccatis redundante non patefecit. Dum quidam miles cum meretrice paciscebatur, ipsa, quæ inter reliquas dotes curiositate prædita erat, illius nomen sciscitata fuit. Cui miles: Quid tua interest meam gratiam rescire? Peccatum meum rescire tibi sufficiat. Eamdem nobis responsionem dare potuisset novi libelli Auctor, si curiosi fuissemus.

2. Mirandum attamen est ejusmodi virum indecoram æditui Canariensis larvam sumere; æditui, inquam, tam culti, ut ejus bibliotheca sit *culina & urceus*, tamque justi, ut Curatum interficere statuat, & objecta simultate ejus capiti urceum impingere minetur. Tanta hujusce occulti Auctoris humilitas ædificat, magnamque moralitatem parabola continet. Ei ejusque similibus indignum, credo, visum est cum Parocho litem inire; ideoque plurium contra me dispersorum libellorum, alium aurigæ, alium cuidam Petrino, aliusque aliis adscribunt; nunc autem novi istius libelli æditum olla & urceo instructum auctorem statuunt. Robur epistolæ familiaris adversus Mesæ librum eos multum commovet, & violentas convulsiones excitat, ut ex effectibus perspicitur. In illa nomen Parochi legere eis nauseam parit, & congruos antagonistas oppositurì e viliore, atque abjectiori gente ipsos quæritans, qui sordium aspersione Parochum repellant. Dum Uulpem canis insequitur, ipsa in propriam caudam mingit, caninumque rictum conspergit; fœtidumque odorem horrescens miser canis caput deflectit, ac recedit. Nihilominus interdum, quando scilicet canis rheumate laborat, vulpinus astus nihil juvat.

juvat. Solummodo pro aurigis, cæterisque id genus antagonistis meis valet hæc similitudo. Atque jam nunc profiteor ad solos istos a me directum iri, si quid in posterum his litteris dixero ludicrum, aut contemptivum; ad solos vero viros graves, quæcumque seria & rationabilia dixero. Cæterum ego usque adhuc existimabam, & etiamnum existimo per Sacerdotii characterem prætermisso Parochi officio, me dignitate supra reges extolli. Hoc me docet S. Joannes Chrysostomus Homil. 60. ad Popul. Antioch.: *Sive quis dux militiæ sit, sive Præfectus, sive Princeps diademate coronatus ..... majorem ille potestatem habet. Propterea vos Deus hoc insignivit honore. Hoc vestra dignitas est.* Periode ac iste, S. Hieronymus in Epist. ad Heliodorum, & reliqui Sancti Patres nihil magis, quam Sacerdotibus debitam reverentiam inculcant.

3. Ex eodem contemptus principio non creditur, opus meum esse epistolam familiarem. Hoc aperte probat epistolam ob valorem intrinsecum non videri contemptibilem; si enim contemptibilis foret, ac videretur, cur legitima idiotæ filia ægre crederetur? Hæc animadversio me consolatur. Quod attinet ad idiotissimum, quo mihi gratificantur, & ad notam patris putativi Epistolæ resumo, quod in re omnino simili eruditi, & cordati Auctores Diarii Litteratorum Hispaniæ t. 2. Introd. his verbis respondent. *Videntes se non posse nobis alia via existimationem adimere, alios hujus Diarii auctores commenti sunt, cum ex hac dubitatione emergere æque facile sit, atque colloqui cum quolibet eorum qui subscripsimus, ut judicium feratur, utrum studia nostra ad expediendum, quod tentavimus, sufficiant.* Addunt, *æmulos opera eorum legendo errore deposito cogituros, ad sciendum esse tantummodo necesse studere, ac meditari, & ad intelligendum rationalem animam citra titulos & dignitates veritatis amore solummodo indigere.* Hactenus illi Sapientes. Fortia mihi arma suppeditat tam modesta responsio. Propitiam non depromo præsumptionem plurium annorum, litterario cursui dicatorum in Salmanticensi archigymnasio, quod doctrinæ ex opere operato infundendæ vim obtinet. Dumtaxat assero me invenire cupienti, neque Diogenis lanterna, neque Cereris facibus opus esse. Salmanticæ propinquitas me ibi facile aspiciendum frequenter exhibet. Post evulgatam autem epistolam meam iterum ac sæpius frequentiores illius urbis calles detecta facie perambulavi. Imo dedita opera nonnullis obviam ivi, qui ut scivi, optabant me visu agnoscere, & perspicere, an Morillanus Parochus aliquis gryphus, aut Hippocentaurus aliquis esset. Quibus occurrentibus me esse Morillanum Parochum patefeci, ut facilius ipsis experiri liceret, an vere de Papebrochiis, Bollandis &c. nihil scirem, sicut novus libellus arbitratur. Si nemo hunc labyrinthum ingredi voluit, mihi culpæ non vertatur.

4. Charitatis consilium, quod præbes, neque fastidiendi, neque irascendi propter libelli injurias, neque eodem accentu respondendi, non despicio; eo tamen revera non indigebam, quia ab aliquot diebus pluribus de causis eidem consilio proxime adhærebam. Primum ob debitum christianæ mansuetudinis, quam commendando mecum ipse repetere soleo hæc Mingi Rebulgi Hispani Poetæ regum Alphonsorum ævo florentis carmina:

Nunca vos fagau por quexa ferir,
Cà siempre venciera quien supo sofrir.

Deinde ob rationem meam non deprimendam, nec in fellis acredine perdendam. Non ita se gessere Adversarii mei, qui usque adhuc in omnibus scriptis suis argumenta mea omnia illæsa prætergressi, fastidium solummodo iracundiamque suam magnopere explicuerunt. Dicteria & Satyræ in sacram Jesu Societatem, in me vituperia & opprobria, pulcherrimæ præmissæ ad conclusionem hanc eliciendam: *Ergo S. Dominicus est Gusmanus.* Ob hujusmodi scripta adeo non succenseo, ut imo inanis gloriæ tentationi obsistendi mihi occasio sese obtulerit, parumque abfuerit, quin epistolam meam familiarem libellis Aurigæ, Petriei &c. conjunctam denuo imprimerem. Mihi videbantur exhiberi non posse epistolæ meæ approbationes magis panegyricæ, nec magis evidentia testimonia, quod animadversiones meæ quoad substantiam sint insolubiles, & quoad modum modestissimæ. Nihil enim, quod oppugnent, invenientes mei irati censores, ad eam defensionem confugiunt, quam arripit, qui haud sine magno dolore se aggressum & convictum agnoscit. Ceu quidam stultus, a me cognitus, qui quando verbera evitare non poterat, dolorem solabatur dicens: *Protestor me penitus invitum verberari*; & subinde verberatores suos irridendo semihoram impendebat. Tandem rursus epistolam meam una cum memoratis adjunctis imprimere suadebat illud Plutarchi: *Agricolæ rosas & violas efficere se putant meliores, si allia & cæpas juxta seminent.* Iterum profiteor ejusmodi similitudines solummodo pro aurigis, æditius urcei, aliisque hujus ordinis valere.

5. Tertia causa ad ante dictum consilium amplectendum est admodum attendenda, nimirum ne adversariis meis voluptatem me satyricum & obtrectatorem efficiendi porrigam. Audio curatum, aut desideratum fuisse, ut Sanctum Tribunal epistolam meam tanquam turbandæ charitatis occasionem colligere præciperet; siquidem in reliquis, ubi eam accusarent, non invenerunt. Jam constat, quam facile fuisset postea dicere dubitationem de Guzmanica S. Dominici progenie esse crimen Inquisitionis, siquidem hujus argumenti libellus sine alia culpa, vel delicto, S. Officii jussu collectus fuisset. Profecto cæptum arduum erat. Etenim hic titulus occasionis turbamentorum indefinitus, & sine scandali dati acceptique distinctione est vere propter quodlibet litterariæ inter Catholicos disputationis scriptum. In qualibet materia oppugnatus succensere, & contumeliose respondere poterit. Lacessitos oppugnator poterit conviciis plenum responsum reddere. Ecce longam rixam, & seriem lapideorum ictuum, qui charitatem graviter vulnerabunt. Haud vetat S. Ecclesia Catholicos invicem disputare, contrariasque tueri opiniones, ubi suum irrefragabile judicium ipsa non interposuerit. Oraculum Innocentii XI. (Decret. 2. Martii an. 1679.) virtute S. obedientiæ præcipit; *ut ab injuriosis contentionibus se abstineant .... ut caveant ab omni censura, & nota, nec non a quibuscumque conviciis.* Animadvertas autem (si forte quis historicas materias excipere velit)

Pontificium decretum quoscumque Catholicos, non solos scholasticos disputantes alloqui: *Seu scholastici, aut alii quicumque*. Qui tam torvis oculis epistolam meam familiarem aspiciunt, illam violationis hujus decreti accusent. Sique ubi ea accusetur, non inveniant, ejus impugnationibus eam immittantur, & quamvis iterum iterumque usque ad extremum judicii diem mutuo respondeatur, charitas omnino incolumis permanebit. Non secus in scholasticis Disputationibus a multis annis & nonnullis sæculis argumenta & responsa multiplicantur, quin ullum charitas detrimentum capiat.

6. Me excandescere vellent adversarii, quo suum rixarum propter meas litteras futurarum prognosticum verum evaderet. Rixæ utrinque iracundiam suscitant. Quod ad me attinet, animo statui cuicumque irato me invadenti semper dicere: Scito me non irasci; idque dicendo novo nexu fellis crumenulam constringam. Ego morem geram Apostolo nos hortato Galat. 5. ne simus *invicem provocantes*. Si me provocent, certe hoc *invicem* non obtinebunt. Jam video, me hac via verbera non declinaturum. At quid agam? Nihil aliud mihi in mentem venit, nisi quod egit quidam judex comædiæ, qui ab uxore sua verberatus Vicarium adivit matrimonium dissoluturus, eo quod in matrimonii contractu apertam inseruerat conditionem, neque baculos, neque forfices viventibus conjugibus domi fore citra utriusque consensum. A petitione autem sua non destitit, donec Vicarius ait rem longam esse matrimonium dissolvere, verbera vero ab uxore accepta declaratum iri *ipso jure* irrita fuisse. Ita Judex acquievit, atque ego quoque acquiescerem, si verbera mea *ipso facto* irrita forent. Nihilominus, amice ac Domine mi, neque verbera, neque aliud quidquam mœrore me afficiunt, quia hæc omnia totidem sunt elogia epistolæ meæ: Et quemadmodum ad alios libellos non respondi, ne ad libellum quidem ficti Canariensis æditui respondissem, nisi responsum meum profuturum fuisset quibusdam speciebus dissipandis, quæ Hagiographos Antuerpienses admodum denigrant offenduntque. Me non latet, intelligentibus antidoto non opus esse. Sed quoniam inter tot non intelligentes degimus, & Canariensis æditus istos proprio ipsorum sermone alloquitur, damnum oportet præcavere. Quanquam hanc responsionem judicio tuo subjicio, ut eam supprimas, vel evulges, prout publico bono conferre tibi videbitur. In primis quandoquidem libellum non legisti, ecce ejus urbanissimæ moderationis specimen.

7. Mecum locutus pag. 1. *Materiæ tam parvæ, studia tam vilia, veluti de honore, quem S. Dominicus possidet, disputare, ac litigare ..... Apage, Domine. Tibi gratificandi causa solum dico esse quid puerile ac fœmineum ..... Si scieus, hominum capriosorum, propriæ opinioni mancipatorum, dolosorum, ultorum & contumeliosorum illud erit. Contra Sanctum de honore altercari male olet. Hoc in re deterius non egit Lutherus.* Præclarum stipendium laboris, quem RR. PP. Jesuitæ Antuerpienses in gloriosi S. Dominici, hujusque sacræ Religionis obsequium contulerunt. Ego, cum tam sævam tempestatem ingruere sensi, æditus meo præcepi, ut campanas pulsaret: cumque Breviarium in promptu non haberem, mihi subiit quædam adjuratio, quam aliquot ab hinc annis festo S. Marci audiveram. Exiit Parochus de more pluviali indutus, a sodalitii præsidibus, multoque alio populo stipatus ad taurum quærendum in prato pascentem, & accedens sumpto aspergendi instrumento, eum aspersit, & sic adjuravit: *Mansuescat te Deus Pater, mansuescat te Deus Filius, mansuescat te Deus Spiritus Sanctus*. Gnarus ego, *mansuesca* non esse verbum activum, timui, ne adjurationi vim solœcismus auferret. Verum aliter evenit. Quin etiam Taurus vel quia Latine parum sciebat, vel alia de causa se rite adjuratum exhibuit, & ceu agnus processioni immixtus D. Marci eremiticam domum petiit, & neminem læsit. Tunc magnam illi adjurationi fidem adhibui; & mihi visa fuit posse valere contra feras, de quibus ad Deum conversus David Psal. 67. loquitur: *Increpa feras arundinis*; aut juxta S. Hieronymi in Epitaph. Paulæ lectionem: *Increpa, Domine, bestias calami*. Hæc verba S. Doctor iniquis Scriptoribus applicat. Ego vero solum dico, me aspecto novi libelli nimbo cœpisse magna fide pronunciare: *Mansuescat te Deus pater, mansuescat te Deus Filius, mansuescat te Deus Spiritus Sanctus*.

8. Loquendo p. 10. de epistola mea familiari: *Tanta vocum farraga, tanta subdolorum terminorum obscuritas, tot argumenta Sophistica, inanes laudes veris contumeliis conjunctæ*. Item pag. 4. *Ab initio ad finem* (epistola familiaris) *nonnisi vituperia & dicteria in quoslibet sententiæ de S. Dominici nobilitate fautores continet*. Epistolam familiarem, Domine æditue Canariarum, visu non agnoscere videris. Eam intuearis, ab eaque tibi blande cani putes illos Hispanos versiculos:

Mire usted, yo me cantento
Sala con que mire usted.

Deinde proferas quæso alicujus contumeliæ, aut vituperii, aut dicterii exemplum. In tota epistula ne unicum quidem verbum, quo cavillationes tuas fulcires, explicari potuisti. Super duobus solis verbis, super quibus me purgabo, etsi verba mea non sint, frivole vociferaris. Progediamur. Pag. 7. de RR. Patribus Jesuitis loquendo ais, hos Patres non solum non esse *prudentes, æquos, veraces, nec haud gloriose pro Sanctorum honore sudasse; sed esse fide indigna & contemnenda magna ex parte Acta Sanctorum ab ipsis scripta. Num est pro Sanctorum honore sudare tot Sanctis honorem adimere? A Papebrochio & Henschenio usque ad Sollerium & Pinium, isti honorem S. Dominico audacter adimendo eamdem viam tenuit*. Bene est, domine æditue. Mansuescat te Deus. At nondum exordium præterivimus. Pag. 8. allato Inquisitionis Decreto contra eorumdem Patrum libros, Scriptorem non sine magna laude nominat, cujus aliquot pretiosa dicta refert, & commendat: e. g. hæc duo: 1. *Tot propositiones Jesuitarum mereri censuras, quot propositiones integrum tomum implerent*. 2. *Eorumdem Patrum opera, si citra exaggerationem, animi perturbationem, sinistramque affectionem inspiciantur, esse dumtaxat famosos libellos contra Sanctos in horum vitis & historiis, contra Breviaria, traditiones, & antiquitates communiter admissas*. Ah! egregie. Ita orbis litterarii oculis araneas detrahis. Mansuescat te Deus. Quid plura? Pag. 12. divinæ fidei, fideique humanæ præmissa distinctione addit:

Liberet

Liberet me Deus ab intellectibus in humana pertinacibus, qui non parum in divino jam excesserunt. Plerique hareticorum infra saperunt: pertinacia, pervicacia, sermo liber, aliorum sententiam deferens, propria phantasia adhaerens, quidquam boni ne credatur. Hujus autem generis est de S. Dominici nobilitate dubitatio. Miseri hi boni Patres, qui se Lutheranos inopinanter cernere perielitentur, eo quod de S. Dominici nobilitate dubitent.

9. Pag. 16. Epistolam familiarem, ejusque auctorem nominat *Sirenem & crocodilum, ovis & lupi copulam, Judam.* Subditque: *In hac materia judicium mihi abripit, quod tanto impendio molestiam ferentium impudentes vivant.* Obscuriusculo hæc sententia. Episcopum Armenum, Astrologum, duosque lenes Brachmanes accersemus, qui eam nobis edisserant. Interea, *mansuescat te Deus.* Clarius loquare, domine Æditue; neque illud *judicium mihi abripit* repetens, quia sunt nonnulli creduli, qui ad idem credendum juramentum tuum non expectabunt. Pag. 16. & 17. *Rixo, as, juxta nostrum Nebrissensem significat ore contendere, alium illudere, aut irridere. Id cum gloriose S. Dominico præstant Antuerpienses Jesuita. O Deus! Ea en mentem venit nox, qua in domo Pilati* (dicturus erat *in domo Caiphæ*) *Jesus tot irrisiones passus est. Jesum vel puerum subsannabant, cum illum filium fabri vocitarent. Hanc meram esse historiam animadvertito.* Si Æditus postremis hisce verbis ad Evangelicam narrationem alludat, esse meram historiam afferendo vehementer errat, siquidem historiæ nomen vernaculo Hispaniæ sermone narrationibus fidei humanæ applicari consuevit. In reliquia Æditui cantilena non mentitur. Quod lepidum est, post projectam tantam conviciorum grandinem eadem pag. 17. curat, ut a sui Dialogi Interlocutore tamquam modestus, prudens, cordatus, nihilque scandalosus commendetur. Quid agatur? Hæc illius modestia est respectiva. Nonne erga PP. Jesuitas, cos grassatores, Turcas, Atheistas non appellando Æditus valde modestum se præbet? Præterquamquod divinam legem violare sine modestiæ jactura non omnes norunt. Dum olim Hispali altercabantur duæ meretrices, nomine professionis suæ altera alteram appellavit. *Tu quoque es*, respondit secunda. Cui prima, *fateor*, inquit, *ego quoque sum, sed admodum modeste sum.*

10. Pag. 20. affirmat Patres Jesuitas, Epistolæque Auctorem *se mutuo laudare, sicut illos, de quibus dictum fuit: Ecce duo muli, qui ad invicem se scabant.* Res esto, ut lubet, domine Æditue. Id mihi nullam molestiam creat. Imo grata mihi accidit notitia, quia me a Patribus Antuerpiensibus laudari, nut ipsos non latere Parochum Morillanum esse in rerum natura adhuc nesciebam. Attamen ingentem apud me vim obtinet tetrastichon Quevediani rei sufurario damnati, qui audiendo consuetam formulam verberationi adjunctam, *Mandat Rex noster Dominus &c.* ajebat:

Dicea, que lo manda el Rey:
No lo creo, aunque me ahorquen:
Pues ne le he visto jamas,
Ni pienso que el me conoce.

Pag. 21. de eisdem Patribus Jesuitis asserit, sibi mentem non esse, illorum dubitationem *imprudentem, schismaticam, & S. Dominico, Dominicaneque Religioni injuriosam vocare; sed solummodo illorum dissertationem ac dubitationem sua pte natura istos maxima injustitiæ comites secum trahere:* scilicet: ego eam hujusmodi nomine non appello, sed ipsa ex se ejusmodi nomen meretur. Pag. 22. *De Dissertatoribus quoque verum fieri dictum Davidicum* Psal. 61. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Additque: *Hæc salva meliore est mea opinio, quam coram toto collegio Apostolico firmarim: nempe id genus homines, si tam assidua absurda, tamque aperta prodigiosorum Sanctorum injuria silendo aspiciatur, petulantiores evadere.* Profecto multum ædificaretur totum Apostolicum Collegium. Progreditur. *Dico Antuerpienses Dissertatores proprietates obtinere viri & mulieris; & nihil altra, quia eorum neque prolixitatem, neque audaciam imitari mihi arridet.* Nunc video proficere adjurationem meam: *Mansuescat te Deus.* Silentium hoc adeo obsequiosum, & virgineum integro Peruvio valet, sicut silentium Hispanici dialogi patris cum filia, hanc nuptui dare volentis.

Parens. *No querràs casarte, dì,*
Con Don Onofre Mayorga,
Por darme este gusto a mi?
Filias. *Digo que si, y que resì.*
Pareon. *Bien esta; quien calla otorga.*

11. Hæc habet pag. 26. *Nec mentior, nec inurbane ago, si præ aliis pueros Antuerpienses Patres nuncupem. Nam hujusmodi quæstionarios vel Plato pueros nuncupat; non aliter quidem mea sententia, inquit Plato, quam nugator, & garrulus vocandas.* Te hominem adeo probum, Domine Æditue, mentiri quis putet? Pag. 31. *PP. Sollerium & Pinium duos imberbes contra nonaginta barbatos nominat.* Pag. 40. *Jesuitis Antuerpiensibus dicam: Populus iste duræ cervicis; & nil amplius, quia meum est S. Dominicum defendere, non quemquam calumniari.* Utique id sufficit, ut Dissertatores cervicem emolliendam aquæ immergant. Pag. 42. eos existimat *aspides, qua aures occludant.* In præsentia eos juvat surdos esse. Pag. 47. elogia obsignando: *Qui Patres Antuerpiæ parum moderatos, inurbanos, obstinatos, phantasticos nominaverit, suis nominibus nominabit.* Id ex eorum baptismi testimonio, per Canariatum Æditum firmato constat. Verum non est, cur Patres expostulent, quia paulo infra sibi animum esse omnia Deo relinquere, proprium zelum purgando profitetur; propriumque inimicum esse tantummodo *dubitationem de S. Dominici nobilitate, non vero ejusdem dubitationis Scriptores:* atque ita se exonerat omni debito. Hic ego sisto, domine Æditue. Si quis adversarios suos ad satietatem verberet, & a vertice ad talos luto conspurcet, omnia Deo relinquendo excusatur. Hoc pacto zelus tuus perfectissime purgatur. Scriptores memoratæ dubitationis a te tamquam inimicos non adhiberi perspicitur.

Yà se vè que nos les dice,
Si no lo que yà se vè.

Super eamdem dubitationem cuncta cadunt opprobria voluntate omnino præscindente ad cujusdam aurigæ invitationem, qui cum audisset fœminam ex viri costa effectam fuisse, illud sibi, uxorique duæ applicans domum reversus eam sine scrupulo fustibus maceravit, misellæque cla-

manti dicebat: Tace stulta; non te, sed costam meam percutere cogito. Æditum Patribus nihil debere non inficior. Sed ne Patres quidem Æditu quidquam debent, quia curavit, ut sibi ipsi omnia abunde solvant. *Manos blancas no offenden*, dicit Hispanicum proverbium. Dicerem ego, ne fœdas quidem manus offendere hac ipsa de causa, quod multum offendere quærant. Certe Patres Æditui aggressus non vereantur, qui quantumcumque Solem luce carere vociferetur, nihil Soli detrahet, propriique visus imbecillitatem ostendet. Elegans Nysseni textus lib. 1. in Eunom. *Etsi quis sine lumine Solem esse criminetur, non eripit lumen radiorum per scommata. Sed Sol quidem Sol manebit etiam injuriis appetitus. Conviciatoris autem velut obscurato lumine cæcitas apparebit.*

12. Oblectare, Domine & amice mi, hoc venustatum fasciculo, quas huc transtuli, quamquam hæ non sint nisi exiguum specimen urbanitatis Æditui; sique omnes transferre voluissem, totum ejus libellum exscribere debuissem. Me fastidio levaturus, & aliquantum solatii capturus, hujus loci Chirurgum accivi, & legendum libellum porrexi, ut quid de eo sentiret, intelligerem. Vir est facetus, perspicax, multisque dotibus pollet. Non est omnino indoctus, neque illi Græcum pro Latino traditur propter multa, quæ in sodalitiorum concionibus audivit, in quibus ipsius opinio multum valet, & quando ipse Concionatorem laudat, suffragiorum multitudinem secum trahit, & concio longe pluris æstimatur. In morbis curandis magnum nomen obtinet, adeout nonnulli eum Chirurgorum Protomedicum appellent. Et sane purgatione ut *sic*, cordiali potione ut *sic*, pharmaco crura sanante, ac tribus quatuorve medicis schedulis ex Polyanthea Curvi deprompsis, ceu præstantissimus Medicus alios sanando, alios interficiendo, ægrotos omnes curat. Dum Chirurgus ex se libellum legebat, ambulabam cogitabundus, mihique solus dicebam: Fierine potest, ut in Hispania ita scribatur? ut libellis publicis, impressisque Catholici Scriptores, colendi, & a reliquis Nationibus culti utpote viri primariæ distinctionis in litteraria Republica tam male accipiantur? Nonne hoc Exteris occasionem afferr nos existimandi semi-barbaros, litterario gustu, critica, judicio, eruditione destitutos? Si Stentoris voce pollerem, Hispanis nostris Joannis de Mena dictum inculcarem; *Catad que profazam de vos las Naciones*. Utique culpa hac Exteræ gentes gentem nostram immerito criminantur; in Hispania enim semper inventi sunt, hodieque inveniuntur multi eruditi viri, qui decore, eleganterque scribere calleant; ex altera vero parte in omnibus regionibus vulgus indoctum existit. Inter nos tamen quidam scioli Scriptores, quatuor Latinis verbis, & aliquot eruditionis perperam adhibitæ centonibus egregiæ litteraturæ laudem aucupati, ceterorum gloriæ offi tunt, æmulisque nostræ nationis nos irridendi, nobisque hæc nostræ culturæ exemplaria exprobandi ansam præbent.

13. Etiam in Martis campis inter excultos [illegible] ratum firmumque est sine mutuæ existimationis honorisque detrimento bellare. An[illegible] secum prælium ineatur contrarii Duces [illegible] opportunitate, sive voce, sive scripto urbanissime se invicem accipiunt, neque coram se quemquam de inimico Duce minus honorifice loqui patiuntur. Jam antiquitus inter homines animi nobilis ejusmodi vigebat consuetudo, Scipio Annibalis meritum, Annibal vero meritum Scipionis magni faciebat, multumque laudabat. Ante ipsos etiam Alexander, cum acerrimum bellum cum Dario gereret, Memnonem Rhodium strenuissimum Persarum ductorem maximi æstimabat, omnisque erga illum etsi hostem observantia utebatur. Memnon vero ne hilum quidem ab officio suo recedens se humanitate superari nequaquam sinebat, militemque suum Alexandro obtrectantem baculo percutiens, ait: *Non ego tibi, nebulo, stipendia solvo, ut Alexandro obtrectes, sed ut adversus illum pugnes*. Nihilo secius nostra ætate Princeps Eugenius post Hochstedtensis pugnæ victoriam anno 1704. quemdam Officialem suum Marescallos Galliæ Talardum & Marsinum contemnentem, neque Duci Bavariæ parcentem objurgavit. Pariter quotiescumque aliquis Dux generalis, aut arcis alicujus Præfectus post laudabilem propugnationem belli capitur, non insultatur, imo ipsius strenuitas, animus, regimen commendatur, & humanissime adhibetur. Celebris Eduardus Walliæ princeps, *Princeps Niger* appellatus, in Pictaviensi certamine captum Joannem Galliæ regem quibuscumque obsequiis, honoribus, ejusque fortitudinis amplis elogiis consolari studuit. Eduardus ejus mensæ ipse ministravit, & quantumcumque a Joanne rogaretur, ut assideret, semper stetit, se indignum affirmans tanti Regis mensæ accumbere. Sexcenta hujusmodi exempla nobis præbuere generales utriusque partis Ductores magni belli, quod cum præsenti sæculo inchoatum fuit. Proinde evasit principium rationalis politicæ, *Hostem honorare*. Atque huic principio adhærere & virtutis est, & adhærentem juvat. Si vinceris, a magno viro vinci dolorem minuit; Si vincis, inimici robur victoriam tuam extollit. Dum Annibal inter eximios Imperatores primum Alexandrum, Pyrrhum secundum, semetipse tertium constituebat; Quid si me vicisses, ait Scipio? Cui Annibal: tunc me omnium primum censuissem. Ingeniosiore assentatione summam hostis sui existimationem significare non potuit. Ne multis: nobiles bellatores fortiter arma tractare, generose & intrepide pugnare, non vero inimicorum nomen deprimere, & obscurare gloriantur.

14. Hæc eadem principia in Minervæ litibus, ingeniisque libellis Catholicorum severe custodienda essent; eoque magis, quo magis hic exercetur ratio, minusque ira excitatur. In hoc præliorum genere honorifica & justa arma sunt argumenta, argumentorum solutiones & retorsiones, non vero despectus, opprobria, vituperationes. Videantur, quando præliandum est, valida argumenta, argumentorum firmæ solutiones, acutæque retorsiones; ardenter, vivide, & robuste hæc tela vibrentur. At decens, urbanitas, mutua præliantium existimatio semper incolumis perseveret. Si novi libelli Auctor Antuerpienses Hagiographos vinceret (qui casus ex illis est, qui ad praxim neque pervenire queunt) vincendo *pueros*, *imberbes*, *nugaces*, *garrulos* &c. quam gloriam acquireret? Nonne eruditos viros, Criticos insignes,

sapien-

ſapientes multi meriti magnique nominis vincere glorioſius foret? Jam video eum Auctorem illis armis uſum non eſſe, quia illa non invenit. Revera Epiſtolæ meæ familiaris robur illæſum relinquit; atque erga omnes ſcrupulos, animadverſiones, & difficultates ſuper progenia S. Dominici, ne leviter quidem eas tangendo, ingentem nolens humanitatem exercet. Ad illarum vim debilitandam nihil affert; nullum affert novum argumentum quæſtionis proprium, neque ullam quantulumcumque retorſionem, quæ ad rem faciat. Repetit quidem nonnulla argumenta ex impugnatis in Petro de Mela, ſed illa ipſa repetendo infirmiora reddit. Nihil item exerit, quo argumentorum impugnationem confutet. Quare deficientibus armis ingenii miſer ad odii arma confugis. At nulla lex probabit ejuſmodi confugium, & *ex diametro* adverſatur Angelici Doctoris S. Thomæ in 12. Metaph. lect. 9. effato: *Oportet amare utroſque, ſcilicet eos, quorum opinionem ſequimur, & eos, quorum opinionem repudiamus. Utrique enim ſtuduerunt ad inquirendam veritatem, & nos in hoc adjuverunt.* Apologiſtæ permittitur adverſarii ſui ineptias irridere, ſed id permittitur, poſtquam adverſarium rationibus carere innotuit, ejuſque argumenta clare ſoluta fuere.

15. His ſimilibuſque animadverſionibus detinebar, quando Chirurgus meus, abſoluta libelli lectione, ſubridens inquit; video, domine Paroche, Æditum Canarienſem eſſe ardelionem. Me ad riſum movit, quia ignarus canendi ſe egregie canere opinatur. Canarios tam male canere non putabam. Ejus cantus aures obtundit, modo vociferatur, modo gracillat. Canarius iſte magni pretii avem non ſe oſtendit. Vidiſtine ejus altercationem cum Sollerio, Pinio, & Antuerpia, eatenus ut viſcera noſtra Antuerpienſia efficiat? Mihi videtur non homo loqui; & Æditus eſſe obſeſſus a Solleriis Piniis, & Antuerpia, quos eſſe dæmonum nomina exiſtimat, & gutture tranverſos includit. Re quidem vera, ego dixi, quæ loquitur, non multum intelligit; & ex quatuor Jeſuitis Antuerpienſibus, quos tamquam Auctores tomi primi Auguſtani in epiſtola mea memoravi, ſolum PP. Sollerio & Pinio obſiſtit, non animadvertens illorum neminem commentarium Actis S. Dominici prævium elaboraſſe; quemadmodum ex literis initialibus ejuſdem tomi margini appoſitis, dignoſcere potarat, ſi melius intendiſſet. Quod attinet ad ejus procellam opprobriorum, adjuratione tauri S. Marci aliàs audita uſus jam ſui. Neutiquam, Domine, reſpondit Chirurgus, hæc non eſt idonea adjuratio. Quoniam Æditus eſt energumenus ex Antuerpienſibus, aliiſque ſimilibus ſpectris, apta eſt adjuratio, quam adhibebat quidam Doctor mihi notus, minoribus Ordinibus initiatus, etſi non admodum doctus. Hic ad energumenum adjurandum vocatus accepti libri exorciſmorum primam paginam aperuit, ubi locus impreſſionis grandibus notis impreſſus legebatur. Hanc eſſe adjurationem ratus in nequam ſpiritum inclamare cœpit: *Antuerpiæ ex officina Plantiniana*. Arreptoque collo energumeni, vocem magis extollens, & ſolum identidem pedibus diverberans iterum iterumque repetebat: *Antuerpiæ ex officina Plantiniana*. Hinc exito canis. Exeundum tibi eſt, quamvis diſrumpereris. *Antuerpiæ ex officina Plantiniana*. Tantum contemptum ferendo impotens Diabolus effugit, hominemque liberum deſtituit, relinquens in ſignum fugæ ſuæ pomum curtipendium, ſeu pirum bergamium, ut alii malunt. Valde glorioſus evaſit Doctor, eamque Adjuratoris famam acquiſivit, ut in tota illa regione dæmon ullus non extaret, qui illum non timeret. Cum Æditio Canariarum hac adjuratione utere, quæ vix dubito, quin Antuerpienſes, Sollerios, & Pinios ex ipſo emittat.

16. Mihi videris bono animo eſſe, mi Chirurge, tunc ego dixi. Ille vero: Hujus rei cauſa eſt, quod proxima nocte catapotia ſumpſi. De hoc libello nonnulla dicit, & in pagina novarum rerum nomine *funeris epiſtolæ familiaris* inditum fuiſſe jam audiveram, videnſque epiſtolam tuam vivam ſanamque, ne minimo quidem morbo laborantem ſepeliri dolebam. Inſuper audivi eumdem libellum ſchedis Salmanticæ expoſitis publicatum fuiſſe, ideoque e cubili ſuo extra ipſum non audere, in nulliſque bibliopolarum officinis quæſitum inveniri, & a quibuſdam aereum dæmonem ſtrepentem, nec apparentem vocari. Poſtea dictus fuit multiplex perveniſſe ad quoddam hoſpitium, a cujus domino docto & pio ejectus, & pulſus ac repulſus plura hoſpitia pertranſierat, quin alicubi exciperetur, niſi ea lege, ut lateret. Magna ſeveritas! funus ipſum, & quidem exſtinctis cereis ſepeliri, & poſt tantum campanarum ſonitum nullius parœciæ januam, niſi clanculum delato feretro, aperiri! Matriti ajebant eum vexari, eo quod ſine conducta facultate impreſſus fuiſſet. Lignum eſt, infelix libelle, ſub mala Luna cæſum. At dic mihi, Domine Paroche; quid ſibi vult illud de Inquiſitione & de anathematizatis propoſitionibus, quod Æditus pronunciat! Nam ſi quid hujuſmodi habetur, equidem Hiſpanico proverbio adhæreo. *Con la Inquiſicion chiton*.

17. Hæc hiſtoria valde adverſam ſortem offendit. Res paucis ita evenit. Contra Papebrochium (non contra Bollandum, aut Henſchenium, ut imperite ais Æditus) eo quia ſuffragium cuidam antiquitati magni momenti denegaverit, quidam cœtus venerabiliſſimus inſurrexit, quem hic nominare non oportet. Eſt maligna Æditui petulantia nunc præteritorum dolorum memoriam renovare. Quidam illorum præclarorum virorum Mundum clamoribus implevere, tantumque in Hiſpania accuſationibus ſuis valuere, ut S. Tribunal judicio deſtinatorum Conſultorum de more inhærens gravi ſeveraque cenſura 14. tomos Antuerpienſis Operis Decreto 25. Octobris anni 1695. interdixerit. Sonitus terribilis hujuſce ictus Europam univerſam percurrit. Iidem quatuordecim tomi apud reliquas Nationes plauſo, non ſolum approbatione excipiebantur. Verum ingens S. Tribunalis Hiſpanici auctoritas Decreto ſuo & Hagiographos Antuerpienſes ob eorum opinionum læſionem terreſecit, & aliarum regionum eruditos ob interdicti Operis æſtimationem contriſtavit. Dici poteſt vix extitiſſe vir doctus ſingularis nominis, qui ſcriptis Papebrochio literis dolorem ſuum ſignificantibus eum in tanto infortunio non conſolaretur, eique ad ſperandos ſereniores in Hiſpanico cœlo dies animos

nos non faceret. Hisce amicitiæ officiis sapientiores quarumlibet sacrarum Religionum, præque omnibus illustris Ordinis Prædicatorum multum sese insigniverunt. Illicet Papebrochius ad S. Tribunal confugit, petivitque, ut sibi concederetur rationem sui reddere, sibique traderetur exemplum doctrinarum ac propositionum in libris suis improbatarum, professus se paratum esse quascumque expressiones retractare errorem sonantes, siquæ contra mentem animumque suum semper catholicum excidissent. D. Rocaberti Inquisitor Generalis (in cujus opere De Romani Pontificis auctoritate aliquot accusatarum in Papebrochio opinionum legebantur) petita exempla ei tradi mandavit. At Consultores pluribus excusationibus diu mandati executionem distulerunt.

18. Interea accusatores nullum non moverunt lapidem, ut suprema, & universalis Inquisitio Romana Hispanicam interdictionem & censuram iteraret. Ast conatus in irritum cesserunt. Opus Antuerpiense propugnare aggressi fuerant Eminentissimi Albanus (deinde Papa Clemens XI.) Noris, Aguirre, Sfondrati, Carpegna, Petrucci, Coloredus &c. seque tamquam in propria causa sollicitos patefecerunt eruditiores Europæ viri, & potissimum doctissimus Benedictinus Mabillonius, qui ad cunctos amicos suos Romæ degentes scripsit, illos ad Papebrochii defensionem fortiter ardenterque suscipiendam hortatus; Procuratori Generali Congregationis suæ S. Mauri, & causam hanc veluti propriam assumere, nec desistere Papebrochii merita penes universam Ecclesiam, summamque inter homines Galliæ litteratos ejus scriptorum approbationem exponere vehementer commendavit. Alius doctissimus Benedictinus Benedictus Bacchinus epistola 21. Julii anni 1696. sic scribebat: *Vix explicare possum dolorem, quo angor propter nobis pro-manans commune dedecus, dum insigne opus magis, vel saltem æque utile & necessarium, ac celebre Cardinalis Baronii, Romæ peracriter accusari video.* Post plures fervidas delationes, & iterata matura examina Antuerpienses tomi liberi exierunt, veraque apparuit Cardinalis Norisii prædictio eorumdem tomorum ne apicem quidem Romæ umquam vetitum iri. Memoratus Cardinalis Albani (qui opus Antuerpiense magni pendebat, & eleganti sua Menologii Basiliani Latina versione aliisque lucubrationibus illud juverat) Janningum monebat, ut de Romana Inquisitione metum abjiceret, omnemque curam Acta Sanctorum defendendi sibi relinqueret. Paulo post Pontifex Maximus litteris ad Generalem Inquisitorem datis revocationem Hispanici decreti commendatione, non supremæ potestatis usu accelerare optavit. Quamquam ob politicas Romanæ Hispanicæque aularum dissensiones Pontificium propositum ad exitum non pervenit. Cardinalis Norisius Janningo persuadere studebat, aliam Romanam vindicationem supervacaneam esse, & satis esse Acta Sanctorum post Hispanicam censuram examini subjecta fuisse, nihilque in iis censura dignum innotuisse.

19. Dum hæc agerentur, advenit annus 1707. quo illustrissimus D. Vitalis Marinus Inquisitor Generalis libelli supplicis oblati rationibus motus prohibitionem Antuerpiensis Operis Indici Expurgatorio ejusdem anni inseri noluit. Imo tomos censura notatos secundo examini & inspectioni subjecit. Quamobrem septemdecim Consultores sapientiores clarioresque Hispaniæ Theologos delegit. Propediem de sententia, quam prolaturi erant, inter ipsos convenit. Sed ob plures exortos casus judicium ad annum usque 1715. protractum fuit; quo anno die 20. Decembris Eminentissimus Cardinalis Franciscus de Judice subsequens decretum edidit: *Cum inspecta omni studio ac diligentia, & considerata sint Opera PP. Godefridi Henschenii, & Danielis Papebrochii Societatis Jesu, cumque eorum Operum expurgationem interfuerint litterati integrique viri nomine DD. Inquisitorum Generalium Antecessorum nostrorum, & nostro, interdictum absolutum eorumdem Operum prolatum 25. Octobris anni 1695. edicto D. Archiepiscopi Valentini auferri concessimus: dummodo in tomo 3. Martii pag. 10. col. 2. n. 27. linea penult. deleatur verbum* temere, *& huic verbum* facile *substituatur*. Progreditur decretum, aliisque duobus locis hanc eamdem adverbiorum commutationem mandat. Itemque indicat tria historica puncta ab Auctore retractata, addisque notam *minus proprie* in quodam Epitheto vocis *martyr*. Itemque præcipit tribus in locis obliterari quædam verba sine Theologica censura, solumque prorsus interdicit secundam partem *Conatus Chronici Historici ad Catalogum Romanorum Pontificum*, quæ ad Acta Sanctorum non spectat, meritoque interdicta est ob quasdam narrationes, quæ omitti potuerunt & debuerunt. Magnopere observandum est, hoc novæ inspectionis decreto quatuordecim tomorum antea vetitorum septem omnino intactos dimitti, omnesque correctiones in septem cæteros dividi, cumque sint tomi tam grandiores, tam ingentes, tamque abstrusæ materiei, mirum est post tot tamque fervidas delationes, & post tam severa examina, habita honoris primæ sententiæ debita ratione, ad extremum tam pauca emendanda inveniri, eademque spectato decreto censuram Theologicam non merentia, quæ etiamsi cuncta in unico tomo colligerentur, nemo doctus ista Auctoris errata miraretur. Memoratum edictum & decretum jussu S. Tribunalis in universo regno publicatum fuit, & toto mense Januario ad Templorum januas affixum patuit. Eminentissimus Generalis Inquisitor id præstitisse tam vehementer gavisus fuit, ut litteris Conradi Janningi ista rescripterit die 9. Martii 1716. *Innovat mihi R. T. voluptatem quam sensi, quando erga tam præstantia opera eam justitiam exercere mihi licuit, quam merebantur. Vere lætor, tam quia eadem publicæ utilitati restituere potuerim; tum quia factum hoc meum tibi adeo gratum acciderit &c.*

20. Hæc est historia, quam Auctor novi libelli Vallisoletani importune, & infideliter attingit. Multo magis importuna est Guzmanicæ S. Dominici progeniei, in cujus dubitationibus nihil plane egit Papebrochius. Quod deterius est, primam S. Inquisitionis sententiam refert, secundam silentio involvit. Novi libelli Auctor Moralistam agens ait pag. 28. *Jesuitis Antuerpiensibus regulas Morales in scribendo esse servandas; eos id saltem debere, sed non facere.* Ad quam Moralem regulam quæso pertinet, dedecus Auctoris apud Tribunal referre, decorisque instaurationem ab eodem Tribunali præstitam tacere? Injusta obtrectatio cum mentiendo, tum veritatem mutilam vel diminu-

tam

tam pronunciando patratur juxta Davidicam querimoniam Psal. 11. *Diminutæ sunt veritates a filiis hominum*. S. Inquisitio permittenti materia imitari novit morem Dei, qui postquam infirmavit, roborat, postquam afflixit, erigit, postquam depressit, extollit: *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit ... humiliat & sublevat*. 1. Reg. 2. Injuriam autem eidem S. Officio facit, qui alterum referendo alterum taceat. Venerabilis Magister Joannes de Abula Vandaliciæ Apostolus initio Apostolicæ prædicationis suæ, ut in ejus Vita legitur, ab Hispalensi Inquisitione carceri inclusus fuit. Si hoc ego narrarem, atque hic sistendo non adderem, cognita ejus innocentia a S. Officio eum juste absolutum fuisse, indeque ejus honorem & existimationem crevisse, quis me liberaret iniqua violatione famæ tanti viri, qui ut Beatis adnumeretur, hodie valide curatur?

21. In re præsenti interdictorum librorum idem accidit. Quocirca in epistola mea interdictionem Operum Natalis Alexandri Doctoris Parisiensis Ordinis Prædicatorum referens ego retuli simul eadem opera jussu Benedicti XIII. ex Indice detracta fuisse, in quo a multis ante annis indita fuerant. Dubio procul periniquum foret terribiles censuras referre, quibus celebris Inquisitor Dominicanus Nicolaus Elmericus, Bulla Gregorii XI. putata nixus, opera Illuminati Doctoris B. Raymundi Lulli vetuit, & dedecoravit, simulque evidentes vindicationes & honorificas sententias non referre, quæ deinde eorum librorum decus, doctrinæque non minus sanæ quam reconditæ existimationem abunde repararunt, illosque deleverunt ex librorum vetitorum Pauli IV. catalogo, in quo ob superiorem pravam famam continebantur. Easdem sententias (quibus memorata Gregoriana Bulla, si non est ficta, subreptitia declaratur & obreptitia) in Maguntina antedicti Doctoris Operum editione anni 1721. tom. 1. vindicationibus pluribusque magnificis elogiis fuse expositas cernere licet. Pariter magna injuria illud sapientiæ & virtutis miraculum Tostatum afficeret, si quis aliquot ejus adhuc viventis propositiones censuris infixas esse, & deinde mandato S. Hispanicæ Inquisitionis in Expurgatorio anni 1632. pluribus Operum Tostati locis notas & cautiones esse appositas narraret, quin subderet magnum illum Doctorem viventem coram Eugenio IV. propositiones suas defendisse, easque servasse, deinde jubente S. Inquisitione in Expurgatoriis anni 1640. & 1707. novo præmisso doctissimorum virorum examine, & lecta Collegii Majoris S. Bartholomæi defensione omnes anni 1632. notas & cautiones obliteratas esse.

22. Æque injuste agit novus libellus vituperationes atque hyperboles Accusatoris Papebrochii narrando, comprobandoque, nec Lectores admonendo Papebrochium ad singulas Delatoris accusationes, objectiones, & exaggerationes tanta soliditate, claritate, eruditione, ac moderatione respondisse, ut generali applausu responsa excepta fuerint, nullumque aliud opus Papebrochio majorem existimationem comparaverit. Debuisset quoque Lectores admonere libellus ejusmodi responsa multo ante relatam secundam sententiam impressa fuisse, & per omnes regiones evulgatas fuisse, quin a S. Inquisitione vetarentur. Si nominis detrimentum caperent essent celebres Scriptores ob ea, quæ minus æquo, valdeque fervido Accusatori, aut cuivis alteri juxta propriam phantasiam etsi alioquin docto & colendo libeat pronunciare, cujus auctoris nomen extra periculum foret? Neminem latet Homeri poemata Zoilo suo, & Aristarcho suo non caruisse. Ruffinus, qui adversus D. Hieronymum scripsit, doctrina pollebat & auctoritate, illumque Gelasius Papa, dum quædam doctrinæ illius puncta oppugnat, virum religiosum appellat; propetereane Rufini dicteria in Doctorem maximum sunt æstimanda? Propetereane illa commemorata omissa apologiarum S. Hieronymi mentione liceret? Eruditus & insignis Criticus Lucas Holstenius Canonicus & Vaticani Bibliothecarius dicere solebat se paratum esse in Cardinalis Baronii Annalibus octo mendorum aut falsitatum millia retegere; an ideo magnus hic Annalista, atque Ecclesiasticæ historiæ parens quidquam famæ deperdidit? Redeundo autem ad B. Raymundi Lulli exemplum, si illius meritum ex iis, quæ de illo Elmericus scripsit quamvis adeo sapiens & religiosus, æstimaretur, quanti ille Illuminatus Doctor nunc fieret? Papebrochium duo errorum millia propter ignorantiam admissa retractasse est poeticum Accusatoris commentum, quod Accusatus eadem claritate & evidentia, qua reliqua ejusmodi commenta, falsum esse ostendit. Mirum vero est Auctorem illum, novi libelli Auctorem Papebrochio culpæ vertere docilitatem quodlibet retractandi, in quo propter novas notitias (quæ semper aliquid revelabunt sapienti, etiamsi annos Mathusalem viveret) se errasse cognoverit. Epistolę meę assertioni, Patres Antuerpienses, si eis aperietur, quam quærunt, veritas, *candidam palinodiam* canere non dubitaturos, Auctor novi libelli de suo hanc interpretationem adjungit: *Dicit Epistola illos canturos candidam palinodiam. Ecce quæ unio. Perinde ac si diceremus, Pulchrum peccatum*. Præclara insulsitas ejus, qui in naturalis rationis principiis est adeo rudis, ut palinodia (nempe docilis retractatio alicujus erroris per novam lucem cogniti) ei peccatum sonet, & ingenuitas animique candor ovi putamen videatur. Hactenus defectui vitioque scriptori vertebatur illud Pilati Joan. 19. assumere: *quod scripsi scripsi*, & semel scriptis immobilem adhærere: a converso virtuti & gloriæ ingenuitas in fatendo quocumque suorum operum mendo, in eoque emendando facilitas. Certe Aquilæ Doctorum Ecclesiæ magno Patri S. Augustino gloriosum fuit duos libros edidisse retractationum ejus, quod in admirabilibus scriptis suis emendatione dignum judicavit. Non rebatur Sanctus proprios errores reprehendendo se umquam imprudentum tribunali reprehensionem subiturum: *Neque enim quisquam, nisi imprudens ideo, quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit*. Prolog. Retract. Verum jam ad eam tempestatem devenimus, qua homines exprobrandi cupidi, vitia, quæ accusent, non invenientes, adversarii sui virtutes accusant.

23. Longe aliter agebat sapiens & celebris Benedictinus Mabillonius. Scripserat Papebrochius parvum tractatum *de re diplomatica*, quo motus Mabillonius copiosum de eadem materie Tractatum scribere statuit. Hunc tractatum statim ac Papebrochius legit magni fecit, & Mabillonio gratulatus significavit, quantum se pœnite-

ret

xet eorum, quæ in priore sua elucubratione inepte scripserat, ac præsertim eorum, quæ Tabulario S. Dionysii obesse poterant, quæque improbabat, improbationemque suam omnibus innotescere cupiebat. Hisce Papebrochii literis Mabillonius post exordium ita respondit: *Equidem in tanta eruditione tantam modestiam illustriare exempla vix non carentem satis mirari nequeo. Quis enim inter eruditos in litteraria certamine se victum fateatur, & cognita veritate pristinam sententiam aperte deponat, idque omnibus notum velit? Tu vero id ultro præstas, & quidem tam amice, ut etiamsi te aliunde non agnoscerem, intimo statim amare te amplecterer. Primum in doctrina locum obtinere non es contentus, nisi modestiæ quoque primatum obtineas. Utramque palmam tibi admodum Reverende Pater deferimus. Neque mei solius est hæc sententia. Omnes, quibus jussu tuo litteras tuas communicavi, ita sentiunt. Alii eximiam benignitatem tuam, alii tuam moderationem, animi tui demissionem alii, universi insignem eruditionem tuam commendabant. At vereor, ne de hac re fusius loquendo confessione tua ingenuissima nimis gaudere videar. Absit a me, quod ex modestia tua superbire velim. Quin imo siquid in opero meo insit publica existimationa dignum, id potius, quam ingenii mei viribus, copiæ Instrumentorum mihi ablatorum acceptum refera. Utut se res habeat, mallem modestissimæ Epistolæ auctar esse, quam cujusque operis inanis ostentator. Tu autem, vir pissime, Deum precare, ut nos in Sanctorum actis illustrandis te imitati, ta pariter in Christiana humilitate exercenda comitamur.* (Vit. Papebr. c. 3. n. 17.) Hactenus sapientissimus Mabillonius. Sed timendum est, ne ab Æditio hæc intrepide pertranseantur, atque isti esse duo muli se invicem scalpentes ab eodem dicantur.

24. Jam video hasce laudes Auctori novi libelli nauseam parituras, sicuti laudes Antuerpiensis Operis, ejusque Scriptorum in mea epistola familiari relatæ pepererunt. Pravum animum suum comprobat dicendo Jesuitas in epistola mea Patribus Antuerpiensibus ea elogia tribuere, *quæ neque ipsi Ignatio, Xaverio, & Borgiæ conjunctis, neque ecclesia mater nostra S. Petro, cæterisque Sanctis tribuant.* Optime dictum! Num, domine Æditue, omnia S. Petri, cæterorumque Sanctorum elogia ad eos Criticos, Eruditos, in antiquitatibus investigandis Laboriosos, ecclesiæque magnopere utiles appellandos rediguntur? Utique oportet non considerare, quis tu sis, aut quem te simules, ut tam absurdum barbarismum condonemus. Id inde oritur (hic ait Chirurgus) quod Æditues tantummodo forsan aliquot panegyricos SS. Doctorum sermones audivit, quibus de eorum virtutibus nulla fiat mentio, atque unice magna eorum doctrina commendetur; qui sermones mutatis nominibus ad Platonem, & Aristotelem transferri possent. Hæc ille non diceret, si sermonem de S. Petro audivisset, cui ego cujusdam Sodalitii festo interfui: ubi Concionator Auditores sibi minus benevolos allecturus pridie vespere, *eos postridie mane visuros S. Petrum aliquot cubitis Deo superiorem* promisit. Promissa implevit; omnes dicendo, *egregie*, exierunt. Ego quoque, veluti approbator vini, gesticulatus ajebam: *Papæ! Concionator iste vana non est, est avis.* Hanc saltem laudem excellentiæ supra Deum tu PP. Antuerpiensibus non tribuisti, Domine Paroche. Præterquamquod elogia a te relata a Pontifice Maximo, a Benedictino, a Carmelita, a duobus Dominicanis prodierunt; atque ignoro, cur Æditus in eos non se convertat.

25. Elogiorum a me relatorum (tunc ego dixi) Auctores nominavi, sique alios luberet nominare, nunquam desisterem. Etenim reipsa evenit, quod Antonius Magliabechius Magni Ducis Hetruriæ Bibliothecarius ajebat (Vit. Papebr. c. 13. §. 1.): *Credas mihi, inter probos & eruditos omnes neminem unum reperiri, apud quem Acta illa summo in pretio & veneratione non habeantur.* Verumtamen Æditus, nomine proprio celando, sese proborum & eruditorum indignatione subtrahit, atque impune quod in buccam venit, effutit. Si ejus nomen retegere mihi liceret, ultionem illius antiqui Philosophi Thebani imitaturus essem. Quidam Nicodromus Musicus ejus vultum pugno percutiens fœdum tuber extulit. Siluit Crates, & duntaxat tuberi frontis suæ inscripsit, *Nicodromus faciebat*, magnorum artificum ritu, qui eximiis operibus suis similia verba, ceu *Apelles faciebat, Phidias faciebat*, inscribere solebant. Hanc inscriptionem ostentans urbem Crates perambulavit, ita petulantiam patefaciendo sui aggressoris, qui acerbius punitus fuit, quam si verberibus fuisset. Equidem hanc historiam recolens, Jesuitas Antuerpienses imprimere cogitaveram facie præferentes tubera ista, *phantastici, dolosi, ultores, injuriosi, aspides, pueri, avari, inurbani, obstinati*, aliasque teiras imagines, quibus illos Æditus deturpat, statimque addere inscriptionem, *N. faciebat*. Deinde impressionem ad universos Europæ Sapientes mittere cogitaveram, cum iste optimus aggressoris puniendi modus mihi videretur. Ast ejus nomen aperire non licet,

26 Saltem, ait Chirurgus, eum ex professione sua a te indicari licebit. Scisne, cujus Ordinis sit Monialium Calarogæ Monasterium? Etiam, respondi ego. Sed hoc quid prodest? Chirurgus vero; Novi libelli Auctor pag. 41. mittere incautus fuit dicendo: *Quidam Castellæ Rex ædificari jussit cœnobium, in quo Religiosæ nostri Ordinis Deo famulantur.* Fateor, dixi, me id non animadvertisse; vim tamen apud me nullam obtinet. Nam sæpenumero a sæcularibus ob peculiarem pietatem, ac benevolentiam suam declarandam hujusmodi locutio usurpatur: *Noster P. S. Augustinus, Noster P. S. Dominicus, Noster P. S. Franciscus &c.* Ex eo procedit dicere *Noster Ordo*, quando sæcularis quispiam pius erga aliquam Religionem loquitur. Petrus de Meta cujusdam Ducis Medinæ Sidoniæ ad Reverendissimum Generalem Ordinis Prædicatorum epistolam servat, qua Dux de eodem Ordine locutus iterum ac sæpius ait: *Nostra sacra Religio.* Nihilominus, inquit Chirurgus, ego in Deum credo. Æditus scriptor novi libelli Secularis? Volabit potius Sæcularis, quam eum libellum elucubret. Quoniam volatum nominasti, Chirurgum interpellans dixi; Magni documenti exemplum audio, quod de S. Thoma Aquinate narratur. Cum Sanctus & Angelico intellectu, & voluntate Angelica, & columbæ polleret candore, indeque malum de nemine ad judicandum adduceretur, nonnulli eum nimiæ credulitatis arguebant. Aliquando, dum ipse aliique Religiosi rure ioveni-

venirentur, quidam ipsorum jocantes: ecce F. Thoma, ecce, ecce bos volat. Respexit S. Thomas illud prodigium visurus. Erisne tam credulus, dixit ridens alius, neque agnosces fieri non posse, ut bos volet, aut credatur volare? Utique novi, respondit Aquinas, boves volare non posse. At potius volare bovem, quam Religiosum mentiri credam. Angelicum Doctorem imitatus profiteor, Chirurge, me prius crediturum boum armentum instar corvorum volitare, quam libellum adeo inurbanum, adeoque malum a Religioso, multoque minus a Religioso Ordinis Monasterii Calaroganí scriptum fuisse.

27. Elogiorum ab Epistola mea relatorum duo simulatus Æditus rejicere contendit pag. 9. & 10. Alterum est elogium summi Pontificis Alexandri VII. de quo Æditus volupe asserit, ab eodem solum ideam in Antuerpiensi opere, non vero executionem approbatam esse. Quod attinet ad fidendum Antuerpiensibus Jesuitis, Vaticanæ, aliarumque Bibliothecarum liberum usum ipsis concedendo, addit Æditus, id secundum sanam Pontificiam mentem evenisse, *judicante Pontifice eamdem esse Jesuitarum Antuerpiensium mentem. Sed hoc illorum malitiam auget. Etenim iidem putati sanissimæ intentionis homines, illarum, aliarumque plurium Bibliothecarum fidentiam in fatalem certiorum historiarum contemptum converterunt.* Sunt verba, aut vomitus pravæ indolis Æditui istius bile laborantis, qui, ut puto, per errorem vino emetico pro communi vas suum implevit, ideoque ex ore immunda omenta miser emittit. Ipsum miseror, ipsique lene pharmacum porrecturus tantummodo dicam Alexandrum VII. ante assumptionem ad Apostolicam sedem fuisse Coloniæ Nuncium, ubi non sine magna voluptate opus legit Bollandi, cum quo necessitudinem contraxit nixam ingenii existimatione virtutis, atque eruditionis tanti viri: eumdem ad Pontificiam dignitatem erectum Bollandi litteras optasse, easque inter sua delecta scripta asservasse: etiam tum sibi legi Acta Antuerpiensia jussisse, & nunquam satis fuisse contentum eadem commendare. Hæc plane comprobat, quod contigit in magna lite, quam coram Sanctitate sua de reliquiis S. Antonii Abbatis S. Ecclesia Arelatensis & primarium Monasterium S. Antonii diœceseos Viennæ Gallicæ habuere. Post multas prolixasque pro utraque parte allegationes jussit Pontifex ad se ferri Acta Antuerpiensia mensis Januarii, legique quod ibi narratur super translatione reliquiarum S. Antonii Abbatis, omninoque Bollandi suffragio adhærens pro Antoniano memorato Archimonasterio definitivam sententiam pronunciavit. V. vitam Bollandi n. 46. initio tom. 1. Martii.

28. Alterum elogium, quod Æditus noster rejicere studet, est Reverendissimi P. Magistri Josephi Perez Benedictini in Differt. Eccles. p. 2. cujus elogii plures particulas male expositas, immutatasque exscribit. Ecce illud elogium a me relatum: *Inprimis non possumus non vehementer laudare pietatem tum Papebrochii, qui egregie ad hoc opus* (Antuerpiense) *perficiendum laboravit, tum reliquorum, qui aliquid ad idem opus efficiendum contulerunt. Nam hi viri magna animo opus dubio procul Ecclesiæ maxime utile, atque honorificum sunt aggressi, nulla habita studii aut sumptus ratione; Deinque, ut credere par est, pissima eorum cœpta secundante felici exitu idem opus construere adhuc pergunt. Enimvero plura Acta Sanctorum (fateri oportet) partim aperte falsa legebantur, partim densissimis tenebris involuta, quæ ostendebant necesse esse, ut ii Patres doctissimi ad falsitatem recidendam, illustrandamque veritatem incumberent.* Horum verborum sapientis Magistri Benedictini Æditus nonnisi parvum segmentum transtulit, vel quia Latinitatem non est assecutus, vel quia verba libellum suum mendacem declarabant, patefaciendo non congruere, quod viri tanta doctrina & pietate præditi, divinoque favore adjuti, opus erroribus plenum, aptum honori Sanctorum auferendo, & famosis libellis conflatum ederent. In Epistola mea admonui memoratum elogium a Benedictino scribi, quamvis ipse pluribus punctis ab opere Antuerpiensi discreparet, in eoque immoderatam Criticam exerceri suspicaretur. Et sane statim in prima particula per Æditum translata (etsi aliquot ipse vocabula immutat) ait Critices immoderationem timendam esse, docetque ambo extrema credendi facile, & facile improbandi esse declinanda. Deinde subdit: *Nos vero pleraque in his actis inter rejectanea conjici advertimus, quæ cur indigna visa sint, quæ probis accenseantur, haud satis intelligere possumus. Unum aut alterum subjiciam, ex quo de aliis æquus & eruditus arbiter conjecturam faciet.* Latinum hunc textum Æditus noster sic perperam exponit pag. 19. *Vere nos judicamus in his actis multa puncta contineri improbanda. Unum aut alterum indicabimus, per quæ de ceteris Eruditus Lector conjiciat.* Quid chirurge de hac expositione tibi videtur? Equidem, ait Chirurgus, dumtaxat nonnullas Latinas phrases non ignoro, quas ob artem meam exercendam didici. Nihilominus video illud Latinum ab Æditu opposite intelligi, ab eoque dici multa puncta contineri improbanda, dum Latinus textus significat multa puncta contineri improbata, quæ improbari non merentur. Res ita se habet, respondi ego. Nam Latina illa verba clare significant in hisce actis res multas inter rejiciendas poni (nimirum fabulosis adnumerari) quæ Magister Perez asserit se non agnoscere, cur inter bonas & veras non collocentur, subditque ejusmodi rerum unum aut alterum exemplum allaturum. Tum Chirurgus: Ne mireris, quia sunt nonnulli, qui omnia confundendi peculiari virtute polleat. Cuidam propositus fuit sacræ Scripturæ textus Jon. 2. quo Jonas a balena deglutitus, ac tres dies noctesque in ventre detentus dicitur. Ille vero præmissa multa textus Latini consideratione, *has voces*, inquit, *interpretabor; sed quemadmodum fieri potuerit, ut Propheta Jonas unico die tres balenas degluiverit, non video.*

29. Plura supersunt, dixi ego. Ad numerum 34. Magistri Perez transit Æditus, consuetaque sua inconsiderantia nos non admonet numerum istum 34. non pertinere ad numerationem, quam præ manibus habebamus, sed ad novam aliam, quæ post alium incipit titulum, ubi objecta refelluntur; inde adulteram clausulam hanc Magistro Perez attribuit pag. 10. *Permittendum non est, ut P. Papebrochius invidia armatus contra nostros Monachos cuncta nostra*

stra authentica instrumenta falsa nomines ; quod quam atrox sit, nemo dubitabit. Credibiles non foret, nisi cernaretur, tanta malitia vel inscitia in M. Perez interpretanda clausula, quæ est hæc: *Nec prætermittendum est, quod P. Papebrochius dicti Propylæi num. 103. falsatorum diplomatum invidiam omnem in Monachos nostros derivat : quod quam atrox sit, nemo non videt.* Scripserat Papebrochius plura instrumenta falsa, quæ in Monasteriorum tabulariis inveniuntur, credenda esse a nonnullis Monachis antiquitus etsi ex recto animo conficta. De hoc queritur M. Perez, dicitque prætermittendum non esse, quod Papebrochius adulterationem instrumentorum solis Monachis culpæ vertat, & quemlibet visurum, quam atrociter hæc accusatio Monachos gravet. Jam vero genuina ista sententia senteotiæ ab Æditao intellectæ comparetur, & quam Arabica ipsi sit Percaiana Latinitas, perspicietur. *Prætermittendum* ejus auribus insonuit *Permittendum* ; sicut quidam Ordinandus has latinas particulas: *Inclinata est jam dies : Jam lucis orto sidere*, ita Hispanice interpretabatur : *Jam dies* Iuan Diaz: *Jam lucis* Iuan Luis. Æditui illud *falsatorum diplomatum invidiam in Monachos derivans* visum fuit significare, *invidia armatus contra Monachos*. Non satis studuit misee, ut sciret, *derivare invidiam alicujus criminis in aliquem* significare *alicujus delicti culpam in aliquem transferre*. Ita Nero ignem Romæ applicuisse dicitur, deinde *incensæ urbis invidiam in Christianos derivasse*, incendii culpam in Christianos transtulisse, qui tunc ad invidiam Neroni conflandam idonei nequaquam erant.

30. Pergendo Æditnus sententias adulterare hæc verba ismquam a M. Perez prolata exscribit: *An nostrum tabularium S. Dionysii vere esse celeberrimum, & nulli secundum, & esse totum corruptum : atque his non contentus omnes Scripturas nostras unico ictu dejicit. Quid ageret, si multos ictus vibraret? Vereor ne, qui sequitur, sit tam animosus, ut vel sacra Biblia in tabulario nostro contenta æque corrumpat.* Ita malam fidem, aut hallucinationem suam Ædituus coronat. M. Perez verba sunt sequentia: *Jam Sandionysianum archivum inter omnia Europæ celeberrimum, certe nulli secundum, a nostris (nam a quibus aliis ?) corruptum & nobis infarctum diplomatis his verbis significat.* Hic affert Benedictinus Papebrochii verba, quibus plura Dagoberti regis, Pipini, Caroli Magni, aliorumque privilegia in S. Dionysii tabulario inventa incerta vocat. Ad quæ verba num. 35. Benedictinus jocose respondet. *Euge, Papebrochi ! ad solum omnia Benedictina tabularia dedisti, idque unico ictu. Quid si plures dirigas ? Vereor, ne tam animose explosum fulmen etiam sacra Biblia, si quæ, ut fit, in nostris archivis extant, pariter corripiat.* Prima expositio de corruptione tabularii S. Dionysii admitti poterat, qualis ab Æditua exponitur. At secunda hanc litteralem sententiam reddit: Egregie P. Papebrochio ! Unico ictu chartis nostris omnibus solum operuisti ; quid erit, si multos ictus in illas convertas? Vereor, ne fulmen tam animose explosum sacros Bibliorum libros pariter feriat, si in archivis nostris inveniantur, sicut reipsa inveniuntur. Iste est aperte modus loquendi hyperbolicus & jocosus, quales in apologiis usurpantur, ut significetur, quam diffidentem ac severum Papebrochius in S. Dionysii tabularium sese ostenderit. Narrabat quidam amens Salmanticæ, se totam noctem animabus e Purgatorio extrahendis impendisse, multisque extractis pervenientem ad animam cujusdam Lusitani nullo modo potuisse eam adducere, ut exiret, eo quod pertinaciter diceret in ope Castellani inde non exituram, etiamsi ad judicium usque ibi detinenda esset. Audientium quidam vir sapiens *res præclara*, inquit ridendo, *Lusitanorum antiquam antipatiam declarans adversus Castellanos talem in vulgi opinione, ut forsitan anima Lusitana ne ad cælum quidem ascendere vellet, si Castellano beatitudinem acceptam referre deberet.* Valeat hæc narratiuncula ad ostendendum, quid in ore Sapientum hujusmodi ludicræ hyperbolæ significent. Cæterum Benedictinus doctissimus n. 14. secundæ numerationis Papebrochium denuo commendat, & primæ numerationis n. 20. ait neminem dubitare posse, quin ipse opus tot nominibus illustre, ejusque auctores clarissimos colat, & veneretur, seque studendo aliquot nævos retegere aut indicare in tam pulchro corpore, ejus fulgores obscurare neutiquam velle. Si Reverendissimus Pater generosam novisset docilitatem erga Tabularium S. Dionysii, & Mabillonii Epistolam n. 23. a me relatam, profecto qualemcumque Apologistæ acrimoniam, etsi non tourbanam in Dissertatione sua exercitam emendasset. Verum ad Æditui nostri interpretationem revertamur. *Vereor, ne qui sequitur, sit tam animosus, ut vel sacra Biblia in Tabulario nostro contenta æque corrumpat.* Non miror, *corripiat* illius auribus *corrumpat* sonare, siquidem istud memorato *jam dies* Juan Diaz assimilatur. Non intelligo, quo pacto *Vereor, ne tam animose explosum fulmen* apud Æditiuum *Vereor, ne qui sequitur, sit tam animosus* &c. tonare potuerit. Quid *fulmen explosum* cum *qui sequitur?* Nonne hoc est dedita opera simulare, ac textus dedita opera adulterare, sicuti Ædituus alium textum adulterat eruditi Dominicani Echard hunc injusta querimonia eidem attributa calumniatus? Minus severus esto, inquis Chirurgus. Quod Ædituus Grammaticam ignorat, cui culpæ misero vertatur? Ipse facit satis dicendo, quod dicebat Patruelis meus Religionis ingrediendæ cupidus. Ad Grammaticæ examen vocatus; Patres mei, dixit Examinatoribus, si de cantu plano me examinare vultis, de hoc nonnihil scio. Latinum Deus donat, & Deus aufert. Non aliter a paupere Æditua non amplius, quam cantare aliquot Kyria, exposcere licet. Latinos textus interpretari integrum ei non est. Bene est, respondi ego. At fidem, & veritatem violare nunquam turne inter res illas, quas Deus donet, & Deus auferat?

31. Nihilominus infelix homo Moralistam agit, & Jesuitas Antuerpienses, quod doctrina morum deficiant, & contra octavum præceptum delinquant, accusat. In hujusmodi accusatione per totum suum libellum præsertim a pag. 27. ad 31. volutatur. Ecce accusationis ejusdam summa: Jesuitæ super honore Sanctorum delinquunt. Etenim de nobilitate S. Dominici dubitare, qui nobilis putabatur, ei honorem adimit, eumque dedecorat : Quamvis aliquem sive honores, sive morum deprehendamus defectum,

ctum, quem tempus oblivioni tradiderit, illum evulgare non licet. Quamvis annueretur incertam esse S. Dominici nobilitatem, PP. Antuerpienses pro sancto decernere debuissent. Nam secundum D. Thomæ Theologiam, etsi judicando de rebus veritas est a nobis inspicienda, tamen de hominibus judicando, veluti si quis probus improbusve sit, dubium in meliorem partem a nobis resolvendum est, atque ille probus credendus, quamdiu manifesta improbitatis indicia non adsint. Neque inde ullum detrimentum capit intellectus, quia id ad benevolam voluntatem pertinet. Huc tota Æditui accusatio redigitur. Hominis sagacitas deprehenditur, quia difficile erat cuiquam alii novam hanc viam Guzmanicæ stirpis S. Dominici servandæ invenire, antiquitatum investigatoribus scrupulum injiciendo, metumque, ne illis negetur absolutio, si leges Historiæ custodiant. Ignoscat vobis Deus, vir bone Petre de Mesa, & Sancte vir Ambrosi Morales, qui S. Dominici genus propugnaturi tot circuitibus usi estis, nec vobis subiit, octavum Præceptum edifferendo statim ore Criticorum claudere. Te vero, illustrissime Domine F. Angele Manrique, qui ad an. 1105. c. 1. num. 4. adversus communem tui Ordinis opinionem D. Bernardo parenti tuo regum Gallorum propinquitatem ademisti, & ad id assequendum silentium contemporaneorum procul, & remote petivisti, cur scrupulus non absterruit honoris Sancto, ornamentique auferendi, quod pluris, quam titulus Comitis valet, utpote quod ad characterem Principis Sanguinis attinet? Me non latet te mihi redditurum pulchra illa verba, quæ ego in litteris meis protuli: *Honor regis judicium diligit: honor Sanctorum certam veritatem.* Prior particula Davidis est, nosque edocet vel cœli Regem non sine judicio, seu recta critice esse honorandum. Proinde, etiamsi Renatus Chartesius autumaverit potuisse Deum falsa reddere principia hæc: *Tria & duo quinque efficiunt; Totum est majus sua parte*, aliaque id genus, ratus divinam Omnipotentiam honorare, omnes Sapientes ejusmodi honorem, tamquam falsum, Deo indignum, quia judicii expertem improbant. At secundam particulam, quæ tua est, illustrissime Domine, non admittat Æedituus noster. Quorsum honor Sanctorum *certam veritatem* postulare dicatur? Annon *dubiam veritatem* dicere suffecisset, quo doctrinæ D. Thomæ, *dubium in meliorem partem esse resolvendum* ratio haberetur? Neque per Æedituum sufficit dicere a te satis honoris prosapiæ S. Bernardo relinqui. Nam hoc pariter S. Dominico Antuerpienses Jesuitæ præstant, quin illi nobilitatem negent, sicut idem Æedituus eos falso insimulat, cum ipsi eum filium parentum *satis honestorum* vocent juxta Theodorici Apoldiani testimonium. Nihilominus, quod Sanctum honore viduent, arguuntur; perinde ac si illius genitores satis honorati, ac nobiles esse nequiverint, si non fuerint de Guzman, quamvis de Lara, aut de Sylva, aut de Castro, aut cujuslibet alterius familiæ fuisse queant.

32. Ad vos pariter me convertam, o Burghesii Principes, qui D. Catharinam Senensem gloria originis ex gente vestra nobilissima orbastis, postquam Sancta Virgo hanc gloriam diu Romani, Dominicanique Breviariorum auctoritate possederat validis nixam Scriptoris, quas in suis digressionibus affert Petrus de Mesa. Quomodo studium moralibus regulis adeo oppositum conscientiam vestram non momordit? Si vobis hic D. Catharinæ defectus notus erat, quare ipsum jam oblivioni traditum, qui illum Romanæ curiæ panderetis, silentio non involvistis? Si vero de ipso dubitastis, quare pro Sancta dubitationem *in meliorem partem* non resolvistis, non ignari ibi potius benevolæ voluntati, quam intellectui judicandum esse? Insuper quo pacto Sacra Rituum Congregatio pro Burghesiis sententiam tulit, atque e Breviario hunc honorificum S. Catharinæ descensum oblitterari præcepit, Summusque Pontifex Urbanus VIII. judicium probavit, & confirmavit? Num octavum præceptum Cardinales & Pontifices non obligat? Verumtamen aliud validius exemplum depromere mihi liceat. Profecto afferendo S. Marcellinum Papam & martyrem in externam idololatriam incidisse, atque idolia thus obtulisse, ei crimen gravissimum attribuitur, quo ejus honor longe magis, quam S. Dominici honor incertitudine Guzmanici generis obscuratur. Profecto extat opinio, S. Marcellinum ab hujusmodi crimine solvens, & quidem adeo solida, ut illam manifeste tuitus fuerit D. Augustinus, hodieque omnium Nationum, Hispanica non excepta, Critici catholici tueantur. Textus leguntur in mea familiari Epistola §. 51. & 53. relati a D. Roccaberti arbitratu se Marcellianæ oblationis falsitatem evidenter demonstrasse. Saltem actum suffitus valde dubium esse negari nequit. Cur igitur Ecclesia & Apostolica sedes tantum in hac opinione arbitrium tenens, ut facile queat D. Marcellini decus reparare, tantum crimen e Breviario non expungit, contenta dicere S. Pontificem pœnituisse? Terrenæ nobilitatis honor non admodum in Sanctis consideratur. Nam ut sapienter ait R. P. M. Fr. Ferdinandus de Castillo Ordinis Prædicatorum Chronista, *homines illustri, obscurove sanguine nasci ob sanctitatem Christianamque virtutem parum interest. Imo magnitudinem suam melius ostensurus Deus, atque Spiritus Sancti dona non e carne, & sanguine, sed e divina gratia manare, in Apostolos Ecclesiæ suæ Principes, teste D. Paulo, homines plerosque humili loco natos delegit. Nec beneficium, quod S. Dominico contulit, ex ejus nativitate initium duxit.* Subdit de Castillo, se nihilominus, ne in hoc, quod minus est, ab historiæ veritate deficiat, prosapiam narraturus &c. Hinc sequitur, quamvis Jesuitæ Antuerpienses S. Dominico non majus humanæ nobilitatis lumen dedissent, quam quo fulserunt Apostoli, non ideo eidem Sancto eosdem Jesuitas honorem edempturos fuisse, quia non ideo S. Dominicus numerari desineret inter illos, quos David tanti honoris plenos inspexit, ut nimis honoratos appellaverit: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Psal. 138. Contra vero delictum Marcellino tributum dum perseverat, proprium Sanctorum honorem excludit. Hunc honorem D. Marcellinus utique recuperavit, sed postquam illum amiserat. Coram Deo utique nobilis evasit, sed postquam vilis fuerat. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* 1. Reg. 2. Cur ergo Apostolica Sedes ab hac ignominia S. Pontificem non redimit, dubitationem *in meliorem partem* resolvendo, ac tot tantorumque Auctorum adhærendo sententiæ,

ter, quam non solum pronunciant, sed ex professo probationibus roborant.

33. Itaque fateri oportet, doctrinam ab Ædituo allatam in præsentia ad rem non facere. D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 3. prava dubia & judicia de Proximo *per levia indicia*, & pravas de alio sine causa *sufficienti* opiniones damnat. Quis Ædituo dixit, Antuerpiensium dubitationem (utcumque eam pravam opinionem nominare velis) per levia indicia, & sine sufficienti causa esse? Mox super hoc quidpiam aliud addam. Postea art. 4. docet S. Thomas, deficientibus manifestis malitiæ alterius indiciis eum a nobis probum esse censendum, dubitationem interpretando in meliorem partem. Ibidem judicium de rebus, & judicium de hominibus distinguens, in secundo debere nos docet in Proximi favorem propendere, quin malitiam incerto cognitam illi attribuamus. Jam vero audiamus, quemadmodum Angelici mentem ejus Commentator Cardinalis Cajetanus interpretetur. Asserit in S. Doctore memoratam doctrinam tradi de casu, quo utrum externa Proximi actio probo an improbo animo elicita fuerit, ambigatur; existimatque Cajetanus super art. 4. cit. qu. 60. judicium suspendi posse, nec obligationem adesse reipsa judicandi Proximum probo animo egisse. *Recta ratio non tradit, quod in objecta neutrali generetur, aut sumatur opinio declinans ad alteram partem, sed quod neuter præservetur intellectus. Nulla rursus ratio suadet, ut occursus ambigui facti alterius obliget me ad bene opinandum de ipso.* Sententia ista cum ea comparetur, quam contra suspensionem judicii Antuerpiensium de Guzmanica progenie noster Ædituus his vocibus depromit pag. 25. *Si assumptum est controvertibile, neque voluntas, neque intellectus suspendi queunt, cum sint extrema invicem distincta.* Bonus Ædituus æque Philosophiam, & Grammaticam, ac morum Theologiam callet. Nisi ad *Deus donat, Deus aufert* perfugias, aliam excusationem non video. Progreditur Cajetanus loco cit. asserendo D. Thomæ doctrinam intelligi de casu, quo quispiam de Proximi mente judicare velit; ac tunc pro eo judicandum esse, donec oppositum non constet. Explicando discrimen inter judicium de rebus, & judicium de hominibus intercedens ait, tunc demum de homine judicari, quando de ejus corde, aut de ejus probo improbove animo judicatur, seu ei crimen incerto patratum adscribitur. *Ex quo collige, quod judicium de personis est solum judicium de corde, seu intentione alterius, aut de applicatione personæ ad hanc actionem.* Paucis: D. Thomas eadem significatione loquitur, quam eleganter Regula juris expressit: *Ea facta, quæ dubium est, qua animo fiant, in meliorem partem interpretemur.*

34. Dicat nunc nobis Ædituus, an Jesuitæ Antuerpienses aliquod delictum, aut aliquam pravam mentem, aut aliquem pravum animum S. Dominico adscripserint, seu hominem pravi cordis illum censuerint. Dicet, saltem ab ipsis in luce editi naturalem ejus defectum ad prosapiam spectantem, jam oblivioni mandatum. Utique, Chirurgus inquit, atque ex ingenti Æditui fragore suspicor istos Patres perturbasse S. Dominici probationes ab aliquam dignitatem, vel S. Jacobi Vestem, vel Canonicatum Toletanum assequendum, aliquam ejus originis aut officii vilitatem revelando. Si quid ejusmodi est, juro, illos choro damnabo, siquidem, ut Ædituus libello suo nos monet, eborum non adeunt. Nihil ejusmodi est, respondi. Honoribus superni ordinis S. Dominicus abundat, neque terrenis hic emendicatis indiget. Verum ipsius decus ne in terris quidem ab avita Procerum origine pendet. Satis decoratur merito cultu, quem Ecclesia universa eidem confert. Præterea immensam gloriam potius a filiis, quam a patribus suis S. Dominicus assequitur. Romanorum Oratorum princeps lib. 3. de Offic. M. Catonem, qui Catonem Uticensem filium suscepit, cohonestaturus eum *hujus nostri Catonis patrem* vocat; & evestigio rationem subjicit: *Ut enim cæteri ex patribus, sic hic, qui lumen illud progenuit, ex filio est nominandus.* Tantumdem ego de S. Dominico pronuncio. Si alii a suis patribus Comitibus, Ducibus, hominibus locupletibus decorantur, equidem scio hunc Sanctum talibus filiis gloriari eo quod parens sit Religionis Prædicatorum gloriosissimæ, qua nulla sapientior, nulla sanctior, nulla de ecclesia melius merita. Video Ædituum nostrum succensere ob elogia, quibus in epistola mea hunc sacrum Ordinem, ipsiusque Religiosos effero, omniaque simulato, pravoque consilio prolata esse judicare. Me in verbo capere vellet, sed nihil, quod arripiat, inveniens in desperationem erumpit. Usque adhuc inter Christianæ vitæ Magistros hæc vigebat regula: *Animum excusa, si opus non potes.* At Ædituus eamdem regulam sic pro se immutat: *Si opus accusare non potes, animum accusa*; seque moralibus institutionibus S. Thomæ subtrahendo, eas ad alios edocendos asservat. Salmanticæ Medicum agnovi, qui graviter ægrotans, videnfque alios Medicos sibi calida, & inediam præscribere, homines Dei, ajebat, ista calida, istaque inedia reliquis ægrotis præscribantur: nobis non congruunt. Idque iam pathetice dicebat, ut illi tandem columbum & pernam comedere permissum fuerit. Quod attinet ad morales præceptiones, idem præstat Ædituus noster. Veruntamen quantumcumque sincera mea erga Religionem S. Dominici reverentia ei non arrideat, eidem dicam, quod improbo tentatori S. Bernardus ajebat: *Nec propter te cœpi, nec propter te desinam.* Ad iam illustrem Ordinem commendandum, *Si mihi sint linguæ centum, sint oraque centum*, omnia mihi pauca viderentur.

35. Filum resumamus. Jesuitæ Antuerpienses in S. Dominico naturalem generis defectum indecorum retegunt. Ejus Majores relinquunt omnino, quos in cunctis Auctoribus repererunt, qui Sanctum noverunt, ejusque vitam scripserunt: scilicet illos *honestos*, *satis honestos* nominant, sed illorum cognomentum reticent. Constare de honesto ejus genere asserunt, sed non constare, utrum hoc genus Guzmanicum fuerit, an ullum aliud multorum honestorum generum, quæ in Hispania inveniuntur. Atque id sibi vult ea particula: *Nihil certi de genere S. Dominici statuimus.* Animadvertatur obiter frigidus & rudis lepor Æditui, super verbo *genere* interrogantis, an dicendus sit S. Dominicus non esse fœminini generis? tantumdem Ædituus Angelum Raphaelem interroget Tobiæ dicentem: *Genus quæris mercenarii?* nunc

To-

Tobiam Angelo dicentem: *Ex magno genere es tu*. Tob. 5. Totus igitur defectus generis S. Dominici redigitur ad defectum expressionis Scriptorum contemporaneorum, qui nobis facem prælaturi erant. Hic vero defectus (si defectus nomen meretur) antiquis Auctoribus, non PP. Antuerpiensibus est adscribendus. Neque illum ipsi ducunt ex latibulo araneis operto, unde nemo eumdem poterat intueri. Impressum illum offendentes in compluribus publicis, celebribusque scriptis eumdem præterire non poterant, quin Operis sui instituto deessent. Id solum, omissis jam ante dictis, ad importunitatem, qua relatæ morales doctrinæ referuntur, declarandam sufficit; quamvis concederetur (quod non conceditur) defectum, de quo loquimur, esse verum honoris defectum; & quamvis (de quo non agitur) de defectu probitatis animæ ageretur; illæ doctrinæ ad rem pertinent, ne citra necessitatem occulti defectus evulgentur, neve de mentibus moribusque Proximi in humanis actionibus, vitæque consuetudine perperam judicetur. At in punctis ad forum externum, & ad publicam historiæ lucem jam deductis auferendam esse sapientibus libertatem scripta examinandi, opinionemque magis verisimilem deligendi sive Proximo secundam, sive adversam nemo somniavit. Hoc perspicuum fit exemplis, quæ attuli, D. Marcellini, & D. Catharinæ, aliisque innumerabilibus, quæ nullo negotio liceret recensere. Disputant Scripturæ Interpretes, utrum Balaam, etsi Ethnicus, verus Dei Propheta fuerit, sicut Sybillæ, & Mercurius Trismegistus fuisse creduntur. Affirmat Eugubinus. Plerique Doctorum Balaam Magum intrepide nuncupant. Adhuc penes Doctos problema est, utrum moriendo Salomonem pœnituerit, & salutem fuerit assecutus. Annuunt alii, alii abnuunt, dubitant nonnulli, propriumque judicium suspendunt, quin sue secundi, aut tertii ut pravi de Proximo judicii, aut non resolutionis dubii *in meliorem partem* accusentur. Utrum Propheta Daniel in Aula Babylonensi fuerit revera Eunuchus juxta propriam hujus vocis significationem, quæritur. Graves interpretes negant, illudque nomen Danieli tantummodo honorificum officii titulum in regio palatio fuisse sentiunt. Origines, D. Hieronymus, aliique affirmant; neque ulli, quod S. Prophetam dedecoraverint, eos arguunt. *Dedecoraverint*, inquam; Eunuchi enim inter Hebræos erant infames, divinaque lege Ecclesiam ingredi vetabantur. Deuter. 23.

36. Hujusmodi exempla unice depromo, ut affatim ostendam, quam certa sit regula a me constituta super punctis in litterario theatro ad forum externum deductis; quamque importune Jesuitis Antuerpiensibus objiciatur, quod Moralia statuta violent. Reliquis non immoror documentis, vel locis communibus, quos Æditus pag. 28. & 29. congerit, de novitatibus non amandis, de veteribus Sapientibus venerandis, de non credendis omnibus incertis & dubiis, de non deprimendis fratribus, de Sanctis non infamandis, neque illis dedecorandis per verba, *Male orti sunt*, quæ in Mahometum, & Lutherum proferimus. Principia hæc omnia non aliam noxam præseferunt, nisi quod ad rem præsentem non pertineant, & eidem rei temere applicentur. Non animadvertit Æditus Jesuitas Antuerpienses super S. Dominici prosapia nihil novi scribere, quia textus ipsos Antiquorum solummodo transferunt. Neque illorum dubitatio nova est nominanda, cum jam antiquo fundamento nitatur, eamque teste Ambrosio Morales in Hispania alii multi multo ante moverunt, quos inter magnus vir Antonius Augustinus, cujus verba apud Petrum de Mela leguntur. Non animadvertit pariter Æditus dubitationem in veterum Sapientum venerationem redundare, quia dubitando illorum dictis adhæretur. Non animadvertit dubitare de Guzmanica S. Dominici stirpe non esse omnia incerta & dubia credere, quia stirps Guzmanica omnia non complectitur, & S. Dominicus alia innumera & solida ornamenta obtinet, quæ ab Antuerpiensibus certissima habentur. Non animadvertit, non esse fratres deprimere, veritatem historicam respuere, ubi ea non invenitur. Non animadvertit, si quis Mahometum, aut Lutherum *filios honestorum* parentum appellaret, *male ortos* non appellaret. Ejusmodi animadversiones etsi adeo naturales ac debitæ, Æditum gratæ non acciderunt. Dummodo sive recte, sive oblique, sive apte, sive inepte ad Jesuitarum Antuerpiensium existimationem imminuendam locos communes animose coacervet, est contentus.

37. Importuna potissimum est in casu præsenti Illustrissimi Cani doctrina de fide Historicis præstanda, quam Æditus prolixe affert. Non indicat locum Cani, sicut in toto libello nullius alterius auctoris locos indicat; siquidem, opinor, qui ei textus exhibuit, textuum locos non exhibuit. Sed Canus illam doctrinam l. 11. de locis Theologicis tradit, estque doctrina generalis, ac verissima, & *per se nota* contra eos, qui omnem humanis historiis fidem adimere cogitant. At qua fronte istis Æditus Jesuitas Antuerpienses tot historiis etiam S. Dominici assentientes annumerabit? Legat, quod postea adjicit c. 6. idem Præsul, nimirum quænam sint historiæ, quibus fides adhibenda est; ejusque invectivam legat in parvam fidem & diligentiam illorum, qui Sanctorum vitas scripsere, invectivam, inquam, adeo acrem & vehementem, ut eam iisdem vernaculo sermone referre non decet, ne terrorem incutiat. Legat quoque, quod ibidem hic sapiens Dominicanus scribit contra credulitatem, exiguumque delectum nonnullorum Scriptorum Ordinis sui, ejusque ludificationem legat cujusdam miraculi S. Dominici, tametsi illud Theodoricus Apoldianus narret, ac B. Cæciliæ de Cæsarinis discipulæ S. Patriarchæ testimonium confirmet. Si hæc omnia ex ore Jesuitarum Antuerpiensium prodiissent, quid de illis audiretur? Denique legat primam historiarum credendarum regulam, quam eodem cap. 6. Canus proponit: credendum esse probis integrisque Historicis edocet. At quando? *Cum quæ narrant Historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab iis, qui viderunt, accepisse*; additque subinde rerum a SS. Patribus commemoratarum exemplum, atque isti ob virtutem & sanctitatem suam, inquit, *Meruerunt, ut in rebus ejusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarunt, se audivisse testati sunt, fides omnino illis habeatur*. Secundum hanc regulam superiore c. 5. Canus loquendo de controversia regiæ dignitatis Magorum, qui Christum recens natum adoraverunt, ait se

non obsistere cuilibet oppositum sentienti, neque id fidei historiæ repugnare, quamvis plurimos Auctores longe plures, quam quos pro se Guzmanicæ S. Dominici prosapiæ opinio) affirmantium sententia numeret, eademque sit sententia pervetusta, pia, popularis, plausuque digna. Cur autem, Cane illustrissime, hanc facultatem concedis? *Nempe res hæc ejus generis est, quam nemo Historicorum sese affirmet aut vidisse, aut ex viris fide dignis, qui viderunt, audivisse.*

38. Jam vero Magistrum Canum Æditus conveniat. Sed antea hunc rogo, ut mihi significet, an inter nonaginta Scriptores, quos ipse pro S. Dominici Guzmanica familia vociferatur, ullus affirmet a se visum esse Sanctum, ejusve genitorem hoc uti cognomento, aut saltem id audivisse ab aliis fide dignis, qui id viderint? Jam in epistola mea innui, quod in memorato capite 5. de Constantiniana lepra ait Magister Canus. Eam neque tamquam certam admittere, neque tamquam falsam respuere audet: *Hæc nec pro certis affirmare ausim, nec pro falsis refellere.* Quo prorsus modo Antuerpienses super Guzmanica S. Dominici progenie se gerunt. Nonne hujus lepræ assertio integris sæculis pro certa habita fuit? Nonne innumeri Auctores, duo Pontifices Maximi, & Doctor Angelicus, ut tu ipse fateris, illam narraverunt? Nonne in Breviario lecta fuit, hodieque legitur? Nonne Cardinalis Cajetanus oppositum sentiens neotericis annumeratur? Num pro se plus quam duos, tresve non antiquos Scriptores nominat? Nihil refert, inquit Canus. *Lepræ Constantinianæ testis gravis & probatus ex veteribus nemo est.* Cajetanus vero pro se plures, quam putetur, testes obtinet. *Habet Scriptores omnes veteres ejus ætatis, qui tacuerunt, non omissuri, si scivissent, scituri omnino rem, si fuisset.* In his Cani verbis habet Æditus unam ex validioribus, & justioribus Criticæ regulis, in totaque Cani doctrina & praxi clarissimam Antuerpiensium apologiam. Constantinianæ lepræ casus adeo nostro assimilatur, ut idem videri posset, nisi multo incredibilius foret veteres Guzmanicum S. Dominici genus tacuisse, si fuisset certum; quam Constantini lepram tacuisse. Illud est honorificum, humanisque oculis fulgidum hominis discrimen; hæc morbus est, nihilque ad honorem splendoremque conducit. Æditus de Antuerpiensibus dicit pag. 39. *ipsi soli sine ratione, & sine ullius Scriptoris auctoritate dubitationem excitarunt.* Animadvertat Æditus, quod pro Cardinali Cajetano Canus respondebat: *Habet Scriptores omnes veteres ejus ætatis, qui tacuerunt.* Sine ullius Scriptoris auctoritate Cajetanus non loquitur; siquidem pro se omnes habet antiquos illius temporis Scriptores, qui ei suffragantur, solummodo id silendo, quod si certum foret, necessario ab ipsis commemorandum erat. Applicationis hæc responsio non indiget. Quare jam supervacaneum est Antonium Augustinum denuo afferre scribentem Dialog. 5. n. 49. & 50. nescire se decernere, utrum *S. Dominicus Felicis Guzmani & Joanna Dezæ filius vere dicatur.* Et subdit: *Audivi illud fuisse commentum cujusdam, qui Hispali coram Episcopo Deza & Medinæ Duce concionabatur.* Supervacaneum quoque est repetere, quod in epistola mea familiari n. 22. ex Ambrosio Morales retuli, videlicet Guzmanicum S. Dominici genus rem esse *non satis ostensam veram, cum de ea aliqui dubitent*: rem esse, cujus *aliqua mediocris certitudo* habita non fuerat.

39 Nunc videamus, quam verum sit, quod inquit Æditus pag. 40. *Jesuitarum Antuerpiensium esse positive probare, atque illorum negativa argumenta non probationes, sed responsiones esse.* Si epistolam meam n. 52. vigilibus oculis legisset, vidisset, quod in simili casu alius magnus Dominicanus D. Roccaberti respondet, nimirum in hujusmodi circumstantiis veterum silentium esse non mere negativum, sed positivo æquivalens, & quidem ex fortiori argumentum. Nisi Veteres S. Dominici vitam scripsissent, eorum silentium de Guzmanica prosapia mere negativum & imbecillum argumentum foret. At quod Sancti vitam complures ex professo scripserint, omnesque rem tam obviam, tamque dignam, quæ posteritati innotescat, siluerint, secundum D. Roccaberti animadversionem summi ponderis efficit argumentum, cujus impugnandi causa claræ efficacesque contrariæ probationes postulantur. In Scholasticis disputationibus sæpe usurpatur hæc argumentatio: *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: atqui non est necessitas in hac vel illa materia entia multiplicandi: ergo* &c. Ad probandam vero propositionem subsumptam nonnisi oppositas probationes rejicere ac solvere oportet. Hujusmodi argumentatio etsi specie negativa, pervalida putatur, & equus Okami vocatur, quia celebris Franciscanus Guillelmus Okamus eo passim utebatur, eoque innixus in Minervæ præliis majorem, quam in Martis præliis conscenso Bucephalo Alexander, fragorem edebat. Quamquam Okamus præ ingenio suo & pedes, & eques formidandus erat, ipsique illud Virgilii congruebat:

> ..... *Non illi quisquam se impune tulisset*
> *Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,*
> *Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.*

40. Alium similem equum Critice ob historicas disputationes possidet: nempe, Facta antiqua non sunt affirmanda sine auctoris illorum temporum testimonio, vel saltem sine antiquo instrumento valido & certo, præsertim quando de re agitur, quam veteres, si foret certa, nequiebant ignorare, eamque non ignorantes non scribere nequibant: *Non omissuri, si scivissent, scituri omnino rem, si fuisset*, ut Canus aiebat. Hoc principium adeo rationi cohæret, estque adeo clarum, ut omnis Criticus illud amplectatur. Atque juxta illud Cardinalis Baronius hanc regulam statuit, & usurpat: *Quod a recentiore auctore de rebus antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.* Nunc subsumitur. Atqui quod S. Dominicus sit Guzmanus, est factum antiquum, cujus non extat testimonium alicujus auctoris illorum temporum; est factum, quod nequibant ignorare multi, qui tunc de Sancto scripsere, neque est credibile omnes illud tacuisse, si scivissent; & insuper de eodem facto ducentos & quinquaginta annos ab ortu S. Dominici usque ad Petrum Tafur nulla fit mentio, & quadringenti amplius anni prætierant, quando Ambrosius Morales rem non satis ostensam veram, & sine ulla mediocri certitudine esse scribebat. Aliunde nullum antiquum instrumentum validum & certum ad idem factum pro-

probandum affertur. Ergo &c. Propositio subsumpta est certa & perspicua usque ad *Aliunde*. Ad hanc postremam ejus partem probandam sufficit, opinionis contrariæ instrumenta confutare. Ita conficitur argumentum, vim obtinens positivam, & Okami equo haud minus validum. Atque hoc epistola mea familiaris peregit, respondendo ad fundamenta Petri de Mesa, eaque solvendo animadversionibus maxime naturalibus, quæ reipsa in hac re nostra, æque probationum ac responsionum vim obtinent.

41. Fortiter arctas, domine Paroche, dixit Chirurgus, ac tua Epistola familiaris, quia se mortuam sepultamque præseferat, robur suum clarius ostendit, ut constet eam vivere. Putavit Æditus eamdem epistolam sanam credendam fore mortuam, aut dubie mortuam. Quemadmodum quidam civis Alcarr.anus, qui audiens conjugem suam lamentantem, quod illam vespa momordisset, territus illam rogavit. *Quid uxor, an ego mortuus sum? Fare; verum mihi fatere?* Alio die absens de morte filii admonitus, domumque reversus videns reliquos superstites filios lætos sibi obvios rogavit: *Uxor, quis horum puerorum est mortuus?* At Æditus hallucinatus fuit. Ego (tunc Chirurgo respondi) dumtaxat ad sua legitima principia caulam dubitandi Antuerpiensium redegi. Quandoquidem Æditus tam parvam historiæ Ecclesiasticæ & Criticæ cognitionem præsefert, ejus oculis grave exemplum subjiciam. Cardinalis Baronius ad an. 237. n. 11. Pontificis ac Martyris decore orbavit quemdam S. Cyriacum, qui propter ejus reliquias, quas Colonienses ostendunt & reverentur, S. Ursulam hujusque socias comitaturus Pontificatu se abdicasse, & Coloniæ, una cum undecim millibus Virginibus martyrium subiisse generatim creditus fuerat. Quomodo autem hujusmodi decore illum orbavit? Hoc negativo argumento. *At non audiendi penitus recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quemdam Romanum Pontificem, cujus nulla prorsus extat mentio in serie Romanorum Pontificum a Latinis descripta, ut in libro de Romanis Pontificibus, vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum, aut Crasconium, aliosve indices Vaticanos: nec apud Græcos, ut Eusebium, Nicephorum Chronographum, vel alios: adeout ne digna quidem sit, quæ pluribus confutetur sententia, quippe quæ nulla penitus nitatur ratione, vel testimonio antiquorum*. Quid quæso, valet negativum argumentum ex silentio priscorum Scriptorum desumptum adversus pacificam saltem quinque sæculorum possessionem immenso Auctorum numero firmatam? Cyriaci historia anno 1156. ob revelationem cuidam sanctæ adscriptam audiri cœpit. Illam sectati sunt Robertus Altissiodorensis, Vincentius Bellovacensis, Thomas Cantipratensis, Martinus Polonus, Jacobus de Voragine, aliique plurimi quingentos annos, quorum spatio effecta fuit communis traditio, potissimum Coloniæ, ubi etiam hodie ceu reliquia caput S. Cyriaci Pontificia thiara coronatum ostenditur. Glossa ordinaria in 6. Decretal. l. 1. tit. de renunt. ad probandum licere summum Pontificatum abdicare hoc exemplo utebatur. Quodque majus est in Romano Breviario Venetiis impresso an. 1522. Cyriaci historia legebatur. Porro contra sententiam tam admissam & roboratam quam vim habere potest Baronii argumentatio? Attamen sapiens Cardinalis negativo suo argumento tantum potuit, ut Breviario illa historia adempta fuerit, jussuque Gregorii XIII. Glossa eamdem afferens fuerit obliterata, seriemque summorum Pontificum Cyriacus non ingrediatur, hodieque vix ullus Criticus ejus historiam tueatur.

42. Historiam cum historia, argumentum Baronii cum Jesuitarum Antuerpiensium argumento nunc Æditus conferat, & quam accurate congruant, perspiciet. Præsertim observare ne prætermittat Recentiorum nomen, quo Auctores Cyriaci Pontificatum affirmantes Baronius nominat: *Recentiores quidam*; cum isti auctores essent, quos numeravi, aliique multi, qui ante Baronium quingentis annis vixerunt. Hac præmissa observatione nuncupari ab Antuerpiensibus recentiores eos, qui in S. Dominici Guzmanica progenie Ambrosium Morales secuti sunt, haud mirabitur, nec frigide sciscitabitur pag. 38. *Quamodo istos Patres appellabimus?* Recentioris qualitas factum, de quo disputatur, respicit. Si Auctores illi quadringentis annis post disputatum factum scripserunt, quid deficit, ut recentiores sint? Præ M. Cano antiquus erat D. Thomas, antiqui erant Papæ Clemens, & Nicolaus pro Constantiniana lepra a Cano memorati; nihilominus idoneum antiquorum testem non extare idem Canus asseverat: *Testis gravis & probatus ex veteribus nemo est*. Atque antea dixerat: *lepra Constantinum laboravisse apud idoneos Auctores nusquam legi*. Nimirum ut cogamur quodpiam factum credere, Canus Auctores idoneos non autumat, nisi qui illud viderint, aut a testibus visus audiverint. Hinc agnoscitur, quam indigesta sit alia Æditui locutio pag. 27. *Cum nonaginta amplius Scriptores habeantur post S. Dominici mortem . . . vere scribunt PP. Antuerpienses aliquot solum aperta de S. Dominici nobilitate non meminisse: plerique illum asserunt, certamque arbitrantur*. Qui mera hæc verba audiverit, omnes nonaginta contemporaneos esse, & auctoritate pares existimabit. Illi *aliquot*, qui S. Dominici tacent nobilitatem, sunt contemporanei, eique tempori proximi, nec sunt pauci, hique soli sunt *Auctores idonei* illustrissimi Cani. Illi alteri *plerique* ab eo tempore annis trecentis & quadragentis absunt; atque eidem, quamvis forent mille, narrantibus novitatem, videlicet S. Dominici parentem fuisse Comitem Felicem Guzmanum Alvari opulenti fratrem, quisque Criticus merito dicere potest: unde, Domini mei, hanc curiositatem rescitis? Quis eam vobis post trium quatuorve sæculorum silentium revelavit? Si quod instrumentum habetis, quo eam confirmetis, illud exhibitote. Esse autem valde authenticum, valde circumstantiis definitum, & nihil ambiguum oportet, ut nos certos efficiat de re ignota omnibus, qui suo tempore illam agnoscere, notitiæque nostræ transmittere debuissent. Si qua istarum proprietatum instrumento desit, ad summum in obsequium vestrum, mihi neutrum servare intellectum, judiciumque suspendere licebit: *Nihil certi statuimus*. Ita se gessit magnus S. Martinus Turonensis Episcopus, qui cum aram invenisset a superioribus Turoni Episcopis dicatam nescio cui martyri, de quo antiqua & constantia monumenta non extabant, mere a cultu abstinendi consilium inivit, quia illum in vul-

vulgi pietate damnaret, aut ſuffragio ſuo foveret. V. Severum Sulpit. in vita S. Martini c. 8. Sit igitur contentus Æditųus, quod Antuerpienſes in nonaginta Auctorum ejus obſequium judicium ſuſpenderint. Hujuſmodi ſuſpenſio ad certitudinem ſpectat; probabilitatem non negant, neque per illud *nihil certi* excludunt. Nam quamvis contra certum probabilitas non ſubſiſtat juxta proloquium; *Contra certum non datur probabile*; tamen certum & probabile conveniunt. Hanc probabilitatem ex animo amplector, & ſecundum ipſam, quod in epiſtola mea dixi, repeto a me glorioſum S. Dominicum pro legitimo Guzmano haberi, applaudens in excelſo Patriarcha humano decori, & in magna Guzmanorum gente cœleſti gloriæ. At evidentia, ſeu certitudo per ſolas Ambroſii Morales & Petri de Meſa probationes inaniter petitur.

43. Deſinat Æditųus noſter Scriptores duorum ante ſæculorum vociferari, atque inſtrumenta fidem facientia depromat. Porro aut inſtrumenta depromat ab inſtrumentis Petri de Meſa diſtincta, aut reſponſa Epiſtolæ meæ familiaris impugnet, ac ſolvat. Alterutrum præſtare debebat quilibet rationalis propugnator generis S. Dominici modeſto ſtylo, ſicut honeſtum hominem decet. Sed Æditųus neutrum præſtat. Addit ſolummodo ſe in Monaſterio Fani S. Facundi legiſſe hanc S. Dominici ſubſcriptionem: *F. Dominicus de Guzman*. At ſi velit eamdem ſubſcriptionem quidquam valere, prius cum ſuo conſentiat Petro de Meſa n. 173. ſic loquente: *In extantibus ſubſcriptionibus, poſtquam concionaturus Galliam petiit, inque aliis inſtrumentis unico proprio nomine ac munere Canonici, Superioris, Miniſtri prædicationis citra ullum cognomentum ſe nominat*. Breviariorum argumento Æditųus non inſiſtit, Timuit ſcilicet, ne cum duobus præclaris Dominicanis, Maximo Pontifice altero, & altera Archiepiſcopo Generali Inquiſitore in mea Epiſtola memoratis frontem collideret. At in parentheſi ait, pag. 34. *a Patribus Antuerpienſibus abſolute Breviariis fidem denegari*. Perinde ac ſi in Epiſtola mea n. 53. 54. prorſus clare diſtincteque, quatenus liceat, aut non liceat, in aliqua hiſtoria Breviariis diſſentire, non edocuiſſem. Nunc aſſevero ejus dictum eſſe abſolute falſum, & prolatum ad ſtomachum cruditate plenum ſublevandum; neque alia opus eſt impugnatione. Cæterum Æditųus in ore volutat inſtrumenta Petri de Meſa, multumque illis detrahit roboris, & venuſtatis, quam in hoc gravi moderatoque Auctore illa obtinent, neque ullam reſponſionem & exceptionem Epiſtolæ meæ impugnat: quæ quamdiu valide & perſpicue non impugnentur, ſtat difficultas; nihilque juvat clamare fidem antiquis inſtrumentis eſſe adhibendam, aut mendoſe repetere Benedictini M. Perez verba de ingenti cautione, qua in illis improbandis uti oporteat. Hanc generalem doctrinam quis inficiatur? Quodnam inſtrumentum improbarunt Antuerpienſes, quod eſſe antiquum & authenticum conſtet? Num conſtat id de monumentis diem, menſem, & annum non præferentibus præter alia vehementia incertitudinis indicia, veluti monumentum S. Eccleſiæ Oxumenſis, quod, præterquamquod ſ... ...tione temporis caret, ſermone ſuo novita... patefacit? Nonne aſſerit Æditųus pag. 42. Benedictinum non abſolute de omnibus inſtrumentis loqui, ſed ſolum de illis, quæ ab omnibus circumſtantiis credibilia fideque digna redduntur? Unum exerat, quod omnibus hujuſmodi circumſtantiis, & clara locutione potiatur.

44. Scripturæ donationis, in quibus legitur vox naturalitas, non tamquam novæ, aut dubiæ improbantur. Dumtaxat animadvertitur eas non prodeſſe, quia utrum illa de ſe ambigua vox cognationem ſignificet, neſcitur. Paragraphus 31. epiſtolæ meæ familiaris legitur nondum impugnatus, nec impugnatu facilis. Etenim quando dicimus Eminentiſs. Cardinalem Alberoni Hiſpaniæ *naturalitate* donatum fuiſſe, eum ullius Hiſpani cognatum evaſiſſe haud ſignificamus. Scripturæ Legionenſis cœnobii, quibus Domini Guzmanii exprimunt Majores eorum illud cœnobium fundaſſe, illi proventus contuliſſe *ob pietatem erga glorioſum S. Dominicum ex eorum familia ortum*, ſi forent temporis fundationis, ideſt circa an. 1261. vel ſi legeretur ſcriptio temporis non multo poſterioris, convincerent. Verum earumdem Scripturarum altera eſt anni 1643. & anni 1687. eſt altera; ſicut inſtrumentum tertium authenticum in fine libri Petri de Meſa teſtatur. Harum Scripturarum expreſſionem §. 33. meæ epiſtolæ nomine colendarum teſtificationum comprehendi. Tantum addo colendas non minus eſſe D. Thomæ, duorumque Pontificum in caſum ſupra §. 38. memoratum teſtificationes. Indicavi quoque in epiſtola mea §. 59. inter æſtimabiles probationes Epitaphium S. dominæ Joannæ genitricis S. Dominici in Dominicano Pintiæ Monaſterio, ad quod e Ciſtercienſi Gumielenſi monaſterio ejus corpus tranſlatum fuit; *Hic jacent oſſa S. Joannæ uxoris D. Felicis de Guzman patris B. Patriarchæ Dominici*. Sed hoc Epitaphium, etſi teſte P. Medrano erudiſſimo & cultiſſimo Dominicano Gothice ſcriptum, ad quæſitam certitudinem non ſufficit, Nam tranſlatio ſecundum illuſtriſſimum Manrique ad an. 1194. c. 4. n. 10. anno 1383. nempe 160. annis poſt S. Dominici mortem evenit. Tranſlatione poſterius eſt aliud Epitaphium, quod in quodam Monaſterii Gumielenſis ſacello legitur: *Hac in ſacra capella S. Dominici Sanctus uterque parens ſepultus fuit: illa Joanna in ſancto Patria Pennafielenſi: ille Felix hic requieſcit adhuc*. His verbis memorata tranſlatio jam facta exiſtimatur, & ambo S. Dominici parentes cum meris nominibus ſine cognomine ſcribuntur. Unde infertur Epitaphii auctores ad illud uſque tempus non audiviſſe S. Dominici patrem Guzmanum vocari; ſecus enim ejuſmodi cognomen a Gumielenſibus omiſſum fuiſſe incredibile videtur. Quare Pintianum Epitaphium eo cognomine utens poſterius eſſe oportet. Quantum autem ſpatium tranſlationem inter & Epitaphium intercesſit? Hoc ignoratur, quod tranſlationis tarditati additum relati Epitaphii auctoritatem labefactat.

45. Potiſſimum inſiſtit Æditųus in Bononiæ monumentis, quæ Petrus de Meſa exſcripſit; nobiſque denuo inculcat Cardinalis Hugolini Epitaphium, & Bononienſis civitatis diploma, quorum utroque Guzmanicum S. Dominici cognomentum exprimitur. Præſumptiones in mea Epiſtola iſtis monumentis oppoſitas Æditųus negligit, eaſque oppugnare ne minimo quidem co-

conatu curas. Tunc ego notitiis postea acceptis, ad me ab ipsa Bononiensi urbe missis, hodieque apud me extantibus carebam. Eas autem reticere cogitabam, ratus me ad hanc materiam resumendam non coactum iri. Sed quoniam ita vult Æditaus, ut eum consoler, dicam illa Bononiensia monumenta esse conficta, & arbitrario condita: primum eorumdem inventorem vel conditorem fuisse quemdam Alexandrum Machiavellum Legulejum, qui per ipsa obsequium se præstare S. Dominico, hujusque sacræ Religioni putavit; perinde quasi S. Patriarchæ locutio Jobi 13. 7. non congrueret: *Numquid indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* Pariter idem Legulejus, cum ab eo quidem Cardinalis postulasset, ut authenticas pagines ostenderet, ex quibus illæ notitiæ eductæ fuissent, tanti viri postulationi indulgere noluit, quia nequivit. Neque id latet RR. PP. Dominicanos Italiæ, qui fraudi jam gnari cavebunt diligenter, ne illa decantate monumenta producant. Deterius, inquit Chirurgus, se habet miser, quam antea se haberet. Si Bononiensia monumenta immota relicta fuissent, ea nonnulli credidissent, alii in dubium vocassent. Æditaus Epistolam tuam familiarem sepeliendo incaute egit. Epistola hæc intubis & cerduis assimiletur, qui quo magis humantur, eo majores, gratiores, & sapidiores evadunt. Quæ in ejusdem Epistolæ funere erat cantaturus, pro Bononiensibus monumentis servet, quæ dies suos jam absolverunt, quemquam revera in Mundo nunquam extiterint. At dic mihi, Domine Paroche; plura argumenta Æditaus non producit?

46. Producit utique, respondi ego. Aliud *a ratione* argumentum valde pretiosum a pag. 31. ad 37. libelli sui legitur. Antiquorum silentium excuset, eo quod Genealogici non forent, & antea dixeras genealogiam recentiorem professionem esse, perinde ac si ad significandum Sanctum vocari F. Dominicum de Guzman genealogiæ scientia opus esset; & perinde ac si Antuerpienses plus peterent, quam contemporaneum testem, aut authenticum instrumentum, quod sanctum eo cognomento appellatum fuisse mere testetur. Quamvis ego genealogiam non profiteor, omnium Parochianorum meorum cognomina calleo, eaque in libro Baptizatorum vel mortuorum scribo, quando oportet. Sique alicujus vitam scribendam susciperem, ex. gr. Michaelis Ruiz, mirum esset si nomen *Michaelis* scriberem, & *Ruiz* omitterem, licet nullam operam impenderem in ejus Majoribus comprobandis, vel non inquirerem, an a *Cid Rui Diaz* descenderet. Unicum effugium verosimile illud est, quod n. 59. epistolæ meæ exhibui; neque vere aliud habetur. Asserere in hoc puncto Scriptoribus duorum proxime superiorum sæculorum e nobis credendum esse, alia est Æditui importunitas. Proderit Genealogicus ad viri alicujus originem (deficientibus testibus) recte conjiciendam. Sed hoc non eveniet, nisi virum tali cognomine vocatum fuisse, & ad talem familiam pertinere jam præscietur. Hoc autem ionnicicere nequit, nisi per illos, qui eumdem virum, ipsiusve parentes, aut fratres noverint.

47. Efficax Æditui argumentum audiamus. Antuerpienses, ait, ex iis solum, quæ penes antiquos legerunt, Guzmanicam S. Dominici prosapiam fateri coguntur. Cur? Quia penes antiquos constet S. Dominicum Calarogæ natum esse ex satis honestis parentibus Felice, & Joanna; duos habuisse fratres Antonium & Manetem; eumdem e patruo suo Archipresbytero educatum fuisse; Canonicum ab Uxamensi Episcopo fuisse electum, & in Galliam ad Albigensium conversionem ductum fuisse. *Hæc omnia*, addit Æditaus, *præmissam efficit, quæ bono intellectui ad optimam illationem trahendam majorem lucem præbet*. Utique hinc meridianæ luci æqualis claritate exit hæc illatio: *Ergo Guzmanica S. Dominici prosapia.* Sciant quotquot Æditaum legerint, in posterum quicumque honestorum parentum sit filius, fratres, & patruum Archipresbyterum habeat, & Episcopum, a quo Canonicus eligatur, illum sive volentem, sive nolentem Guzmanum appellandum esse, quin ipsi aliud cognomentum, aut genus habere liceat. Quisquis hanc illationem non traxerit, gravi mulcta punietur, hebetisque erit intellectus, qui majori luce excæcetur. Si quis Osorius, Velascus, Manrique de Lara &c. honestos parentes, patruum Archipresbyterum habere, eligi Canonicum voluerit, necessario Guzmanus appellabitur, ne nostram indignationem subeat. Paulo post Æditaus ita fortius Antuerpienses arctat: *Felix & Joanna fuerunt Calarogæ S. Dominici parentes. Isti Felici, & isti Joannæ quodnam erat cognomen? Dicite, Patres mei: aliter dicemus eum ne appellatum quidem fuisse Felicem. Felix, utique Felix. Cujus cognominis, Patres mei?* Vidistin unquam lepidiorem petulantiam, Chirurge? Hæc interrogatio non est absimilis illis, quibus Tiberius Cæsar apud Sveton. in Tiber. cap. 70. Eruditos suæ Tertulliæ de Trojanis antiquitatibus, aliisque similibus interrogabat. Quo nomine scilicet appellaretur Hecubæ mater? quod nomen gesserit Achilles, quando inter puellas personatus vixit? Quid canere consueverint Sirenes? Observantiæ causa erga Imperatorem Tertulliistæ labia mordentes risum comprimebant, eique solum respondebant: Domine, cum Veteres soli nobis illustrandis idonei de rebus hisce non meminerint, non facile eas tam remotas licet divinare citra Jovis revelationem, aut Mercurii, qui Deorum tabellarium egit. Ad Elysios campos ito Homerum interrogaturus, aut illinc scripta de Hecuba & de Achille nobis transferto. Sirenas Cantrices fuisse Veteres testentur; verum quas cantiones canerent, tunc nemo scripsit. Ulysses id significare nobis nequivit, quia ut se illius Musicæ fascino liberaret, aures cera obturavit. Ejus comites exigua memoria pollebant, & auditas Sirenum cantiones obliti fuere.

48. Istud de Sirenibus, Domine Paroche, mihi arridet, inquit Chirurgus. Lubeat mihi dicere Sirenes cantasse Hispanicam cantionem *Las tres Anades Madre*; aut, *El Villano que le dan*. Accedent PP. Antuerpienses, idque non constare, incertumque esse affirment: *Nihil certi*. Ita arguo: *Profecto Sirenes cantabant. Quas cantiones cantabant? Dicite, Patres mei. Aliter eas ne cantasse quidem dicemus. Cantabant, utique cantabant. Quid cantabant, Patres mei?* Hinc legitime infertur: *Ergo Sirenes cantabant* Las tres Anades Madre, *aut* el Villano, que le dan. Et Patres velint, nolint, hoc

fateri coguntur. Non est inepta similitudo, ego respondi, & valere etiam potest pro eo, quod postea dicit Æditus de domina Joanna: *Mulierem tam nobilem, virtuteque præditam, Calarogæ matrimonio junctam cum Felice, & S. Dominici matrem, credibile est nuptam non fuisse cuidam Felici, ut Patres Antuerpienses volunt.* Perinde ac si Patres isti voluerint plus aut minus, quam quod voluerunt omnes Vitæ Sancti Scriptores ab illius obitu 300. annorum spatio. Est pariter credibile, Sirenas non cantasse cantionem *ut fic.* Deplorandum est, dominum Felicem non fuisse equitem Hispalensem; nam forsitan non fuisset *quidam Felix*, sed *vigintiquatuor* (idest e vigintiquator Senatoribus unus.) Id, exiliens hic ait Chirurgus, mihi in memoriam revocat narrationem, qua possit explicari neminem virum probum ex eo quod sit *cujusdam Felicis* filius, aliquid deperdere. Mulier quædam filia nostha Hispalensis vigintiquatuor altercavit aliquando cum vicina sua; cumque se vidisset ab altera verbis impetitam, deprompsit qualitatem suam dicens: Meminisse poteras te loqui cum filia unius vigintiquatuor. Magnum quid certe (reposuit altera, quæ erat sagacior) bonum tibi sit filiam esse vigintiquatuor, & eris forsan filia quadraginta octo; ego oonnisi unius filia sum; neque ideo me minus honoratam puto.

49 Æditus, prosecutus sum ego, non solum omnia epistolæ meæ ossa sana, quin ullum e loco moveat, sed etiam totam ejus vestem illæsam relinquit. Videlicet neque fundamenta dissolvit, neque reperit, quod in Verbis mordeat. Dumtaxat adversus duas Antuerpiensium expressiones declamat pag. 5. & 6. Altera est, quando super illic verbis Apoldianis *satis honesti* æquivalentia Truxilli & Echardi referunt verba. Truxillus formalem Apoldiani textum transferre professus loco *satis honesti* ponit *illustrissimi*. Echardus æquivalentiam aliquantulum mitigat, & *valde illustres* ponit. Hanc autem secundam expositionem esse Truxillana *magis tolerabilem* ajunt Antuerpienses. Doctor Aguirre Petri de Mela approbator pro arbitratu suo Truxilli expositionem ab Antuerpiensibus *intolerabilem ac turpem* vocari existimat. Hoc autem in mea epistola esse mendacium affero. Expositionem enim aliquam alia tolerabiliorem vocare non est aliam intolerabilem ac turpem dicere. Quemadmodum aliquem competitorem alicujus cathedræ vocare cæteris digniorem, non est reliquos indignos dicere. Hinc Æditus (quis crederet?) multarum admirationum & interpretationum occasionem arripit. Larragam gravem Dominicanum Auctorem producit, quo cum in ipso libello suo quasi cum alio Æditu sui æquali jocatur. Inter cætera hæc habet: *Inde infera; Auctor epistolæ una cum Antuerpiensibus Jesuitis vult esse absolute, etsi inæqualiter, intolerabiles benignas interpretationes pro S. Dominici nobilitate.* Mirifica ejus Logica hanc illationem trahit. Si audiat ipse Purgatorii cruciatus esse alios aliis tolerabiliores, illos Sanctis animabus esse absolute intolerabiles inferre non dubitabit. Utique, dixit Chirurgus, quia in Æditui vocabulario *intolerabile*, & *tolerabile* idem sonant; sicuti inter Morillanos agrestes idem valet *possibile ac impossibile*. Hinc vicina mea marito suo dicere solet: *Impossibilene est, ut toto die in taberna verseris?* Optime, dixi ego, quia infra sic se explicat Æditus: *Nunc dico: Recte loquitur Doctor Aguirre terminis identicis.* Inspice, utrum *intolerabile*, & *tolerabile* sint termini synonymi, aut identici. Et si distinguit debeant *possibile*, & *impossibile*. At statim locutionem moderatur, & loqui pergit. *Plus me terret, quod in genere doloriferi tolerabilis ponunt quidquid ad S. Dominici nobilitatem pertinet.* Mirum eum terrore non defecisse præsertim, cum perspicue videat, quidquid ad S. Dominici nobilitatem spectat, redigi ad dignoscendum, utra duarum impropriarum expositionum illius *satis honesti* tolerabilior sit. Concludit Æditus: *Dignum, magis dignum, minus dignum continetur in digni genere valde distincto a tolerabili. Ex qua Auctor epistolæ excludi potest a concursibus ad cathedras, donec doctrinæ Christianæ ac summulis studeat, interimque fallaciarum Baccbalaureus fieri potest.* Merito ita sentit. Neque enim idem est porrum esse porro majus, & allium allio majus esse; quia porrum magis minusve porrum in specie porri sistit, quæ a specie allii multum differt. Qui aliter sentiret, neque Doctrinæ Christianæ, neque summulis studuisset.

50. Alia Antuerpiensium expressio mille terroribus objurgata est, cum ipsi die 30. Aprilis in Acta D. Catharinæ Senensia ajunt: *Nobilissima Burghesiorum familia non quasi Sanctam dedignata concivem, verum ut abhorrens originis plebejæ notam in totius Orbis Christiani conspectu Majoribus suis affictam, querelas Romam detulit ad sacram Rituum congregationem.* Cadebant istæ querelæ in clausulam Breviarii, ubi idem esse familiarum Burghesiæ stipes, & Benincasæ, atque ex communi hoc stipite descendere D. Catharina dicebatur. Quoniam vero aliunde constabat familiam Benincasam D. Catharinæ plebejam esse, sicut scripto testatus fuit Reverendissimus Raymundus de Capua Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, & sicut nemo dubitabat, ideirco familia Burghesia ægre ferens stipitem suum ex Breviario plebejum coram Orbe Christiano universo existimari, ad sacram Rituum Congregationem confugit, a qua sententiam ab Urbano VIII. illam clausulam deleri jubente confirmatam impetravit. Hunc eventum adeo publicum, authenticum, recentem Antuerpienses Acta S. Catharinæ ex professo tractantes non referre nequibant: illum enim reticere ridicula affectatio fuisset. Magnam Æditus erudito Dominicano Echardo injuriam facit, dicens, pag. 14. illum inde commotum fuisse, & in S. Francisco Borgia se ulcisci cogitasse. Qui se offensum crederet Echardus, dum ipse temeritatem arguit eorum, qui illam clausulam Breviario inseruerant, amboque S. Catharinæ parentes familiæ plebejæ etsi honestæ fuisse tanquam manifestum statuit? Deinde subdit tom. 2. Biblioth. pag. 883. *Quod hic monemus nequis moderationem & veritatem lædens D. Catharinam sua sorte contentam aut inanibus & simulatis stemmatibus extollat, aut nimia generis obscuritate deprimat.* Hactenus Echardus. Unde perspicitur Æditum morali doctrina sua temerariorum judiciorum in deteriorem partem inclinasse, & ne RR. quidem Patribus Dominicanis pepercisse. Verumtamen tota ejus contra Antuerpienses expostulatio verbo *abhorrens* nititur. Propterea Antuerpiensium textum a me relatum sic adulterat pag. 13. *Non solum dedignatæ istæ familiæ* (Burghesia & Be-

nin-

nincasa) *sed abhorrentes per Historicos fœminam plebejam ipsis immisceri &c.* Quis ferre potest tam infidelem interpretem? Quod sola peregit familia Burghesia, id commune facit Benincasæ, perinde ac si hæc ab omnibus nota cognatione sejungi potuisset. Quod ajunt Antuerpienses, familiam Burghesiam questam fuisse, non ut Sanctam dedignaretur, *Non quasi Sanctam dedignata concivem*, Ædituus invertit, & ita transfert: *Non solum dedignata, sed abhorrens &c.* Atque illud abhorrens, quod Antuerpienses unice ad notam originis plebejæ identitate stipitis utriusque familiæ fundatam applicant, ad Sanctam addito *fæmina plebejæ* nomine Ædituus transfert. Deinde perinde ac si textum illum rite exposuisset, vocem effert, & ait p. 13. & 14. *Vere hæc propositio omnium scelestissimo scandalum pariet*, Atque infra; *Aliud est non esse* (cognatam Burghesiorum Sanctam;) *aliud est eos de hujusmodi materia tanto cum horrore loqui. Quandoquidem ex ipsis exiit istud abhorrens, fateor voluntatem paulatim propendere ad talium virorum despectum.* Hoc est ex validioribus ejus fundamentis, ut pronunciet munere Sanctos dedecorandi Antuerpienses fungi. Dubio procul Æditui voluntas bene propendet ea significatione, qua sibi bene propensi dictitantur. Si *abhorrens* scandalum parit, sibi culpæ vertat, quia hic utcum maxime congruit illud Martialis: *Sed male dum recitas, incipit esse tuum*: Burghesios conveniat scandalum passurus, quod plebejæ originis notam abhorreant. Denique si propositio est adeo scandalosa, cur piam expositionem suam S. Officio exhibendo illam non accusat.

51. Hoc præstare debuisset, inquit Chirurgus, & S. Officium in zeli ejus præmium eum mari, terraque Latinorum Qualificatorem elegisset. In loco, qui non multorum dierum itinere hinc abest, quidam scriba Latinitatem minus callens, quam scribæ soleant, audiens sola scribæ exercitatione posse quem multum Latine scire, eo quod Latini sint multi professionis scribarum termini, seu *Processus*, *scriptura*, *transactio*, *contractus*, *testis* &c. se sine alio Grammaticæ studio Latina omnia intellecturum confidit. Aliquando apertum Breviarium offendens in eo legit: *Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei.* Hic de Apostolis, ait, est sermo. Præsens alius, hæc verba interpretare, dixit, domine secretari, Facile interpretabor respondit scriba. *Loquebantur* andavan loqueando; *magnalia Dei* en los Manzanales de Dios; *variis linguis* con varas langas. Id clarum est. At significatio scandalum mihi affert. Qui de SS. Apostolis talia proferantur? Juro me delaturum Breviarium ad sanctum tribunal. Et nihil considerando Commissarium S. Officii convenit, ei, quod acciderat, narravit, & expositionem suam retulit. Commissarius, qui prudens erat, subridens zelum commendavit, seque malo consultorum promisit, ei potum præberi mandavit, valdeque lætum dimisit. Exiguam applicationem narratio postulat. At re tute eum Æditum transfigas, Domine Paroche. Ego ad nonnullos bubulcos radendos, aliorum capillos tondendos, & cujusdam anus cruri medendum accersor. Fac valeas. Ita dixit, & abiit.

52. Solus mansi, & in conviciis novi libelli examinandis lassatus. Mihi venit in mentem, quod in epistola mea scripsi, magnopere incommodum esse Critici munus, & Critices Professoribus neminem esse, qui insultare non audeat. Æditui, Aurigæ, aliique id genus eos contemnere non dubitant, & specie honoris Sanctorum curandi incolumes evadunt. Sed illud Criticos consoletur, quod eorum munus (etsi non ad literas contractum, & ad totam Critices universitatem extansum) omnibus incommodis adjunctum Mundi Servator suscepit juxta Isajæ 7. vaticinium: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Jesuitæ Antuerpienses admodum lente incesserunt, causam Guzmanicæ prosapiæ S. Dominico denegandæ tam fortem, tamque invalide solutam intuiti, sapiens Dominicani Echardi documentum præsens habuerunt: *Æque injuriosum Sanctis esse falsum generis splendorem eis attribuere, atque eis originis suæ lucem adimere & obscurare.* Hæc eadem verba resumentes ob periculum S. Dominico utrinque injuriam faciendi, viam mediam ineunt, & nihil de Sancti progenie decernendi consilium capiunt. Ædituus inquit, ipsos dubitando, & nihil decernendo virtute certitudinem negare, & magnam Sancto reapse injuriam facere. Si melius intelligeret, sciret illa de ipsa certitudine dubitari posse, quin eadem negetur. In eo certitudo, de qua loquitur, sita est, quod clarum authenticumque adsit instrumentum, quo S. Dominicum esse Guzmanum edoceamur. Antuerpienses, an tale instrumentum existat, haud inficiati dubitant, quia secus illud neque postularent, neque quærerent. Qui memoratam certitudinem velit primam quæstionis basim constitui, multum vult, & jam Ædituum monui. Denique Jesuitæ Antuerpienses ob nimiam verum a falso dignoscendi cupiditatem in hoc, aliisque utpote homines errare potuerunt; sed illorum error erit honestus error, vel saltem valde excusabilis secundum magni S. P. Augustini doctrinam, qui pro ipsis locutus videtur. *Nunquam errari tutius existimo, quam cum in amore nimio veritatis, & rejectione nimia falsitatis erratur. Qui enim severe reprehendunt, hoc nimium dicunt esse: ipsa autem veritas fortasse adhuc dicat, Non est satis*, S. August. de Mendac. ad Consent. l. 1. c. 1. Deus te multos annos incolumem servet. E Morillana Parœcia 8. Martii 1739.

Fidelis Amicus, Famulus, & Capellanus
Licentiatus Aloysius Lopez
Beneficiatus & Curatus Morillanus in
Salmaticensi Episcopatu.

P. S. Absoluto hoc libello ad manus meas pervenit epistola cujusdam Reverendissimi P. Magistri Benedictini Monasterii Fani S. Facundi filius, in qua mirabundus ob subscriptionem S. Dominici, quam cognomen Guzmanum continentem Ædituus ait pag. 45. se legisse, asseveras talis subscriptionis memoriam neque in Regia illa Domo, neque penes ejus Historicos extare, inter quos M. Perez invenitur, qui diligentissime laboravit, & ad suam historiam condendam omnia documenta perscripsit. Additque idem Benedictinus: *In hoc Fano S. Facundi largum munus ei tribueretur, qui memoratam subscriptionem certam redderet.* Quid Ædituo dicam, qui se propriis oculis eam vidisse testatur? Illum excutet proverbium: *Somniabat cæcus se videre &c.* Atque hæc illius notitia Benonienſibus monumentis accedat.

DIS-

DISSERTATIO
DE
GUZMANICO
S. DOMINICI
STEMMATE,

In qua recentiora Bononiensium monumenta examinantur & eruditis æquisque arbitris expendenda proponuntur,

AUCTORE

GUILIELMO CUPERO

HAGIOGRAPHO ANTVERPIENSI SOCIETATIS JESU.

§. I. Lucubrationis hujus occasio & necessitas.

NOn ita pridem pervolvi Gallicam S. Dominici Vitam, quam R. P. Antonius Touron Dominicanus anno 1739. Parisiis edidit, ac divisit in sex libros, quorum quatuor prioribus egregia Acta sui sancti Fundatoris, & duobus posterioribus gesta insignium discipulorum ejus enarrat. His adjecit dissertationem criticam cum quibusdam documentis Hispanicis & aliis, quæ postea discutiemus. Interim laudo moderatum & urbanum scriptoris hujus stylum, qui propterea modestam responsionem meretur: nam parum curamus injuriosas epistolas, aculeatas apologias, & alias anonymas hujusmodi lucubrationes, licet in his subinde argumenta quædam notatu digna occurrant.

2 Multo magis contemnimus insulsas satyras, quas Hispani nonnulli vernacule vulgarunt, ut hagiographos Antverpienses apud indoctum vulgus odiosos redderent. Exemplo sit impudens ille concionator Legionensis, qui ab annis aliquot ex cathedra publice pronuntiare ausus est, exceptis hæreticis eorumque sectatoribus, neminem de Guzmanica S. Dominici prosapia dubitare, quemadmodum R. D. Ludovicus Lopez parochus de Morille diœcesis Salmanticensis in Epistola sua familiari §. 2. testatur. Clamosus ille idiota simul populum docere debuisset, quinam fuerint & quo seculo vixerint isti hæretici, qui de Guzmanica S. Dominici nobilitate dubitarunt. Nomina eorum deferre debuisset ad sacrum tribunal Inquisitionis, ut ab orthodoxa plebe vitarentur. At bonus ille vir verosimiliter ignorabat, quid esset hæresis, & in quo fœditas hujus monstri consisteret.

3 Huic inepto declamatori jungi meretur futilis alius nugator Hispanus, qui sub ficto Canariensis ædituі nomine me meosque collegas conviciis ac dicteriis incessit. Pauci tales imperiti nugarum venditores nationem suam, in qua tamen plures doctissimi viri reperiuntur, imprudenter injuria afficiunt, eamque ludibrio exterorum exponunt, ut laudatus R. D. Ludovicus Lopez merito conqueritur §. 12. alterius Epistulæ Hispanicæ, qua hunc infrunitі oris æditu̅um, seria responsione indignum, jocose compescuit, & facetis argumentis refutavit.

4 Quidam similis farinæ scriptores occulti (occultos saltem se existimant) incautis lectoribus persuadere voluerunt, me prorsus omnem nobilitatem sancto Dominico abjudicasse, & Guzmanicam ipsius originem pernegasse. Inter hos numerari potest ille anonymus, qui in Epistola prima Romanæ editionis pag. iv. contra me scripsit, quod conatus fuerim *sanctum Dominicum fortunis omnibus exturbare, ipsius nobilissimum Gusmanorum sanguinem sugere, ne dicam vorare, & in omnium deterrimam conditionem deducere*. Non est operæ pretium crassas hujusmodi calumnias refellere, cum falsitas earum facile detegi possit ab omnibus eruditis, qui paragraphum nonum Commentarii mei prævii ad Acta S. Dominici obiter percurrere voluerint.

5 In hac materia R. P. Touronus æquiorem se mihi præbuit arbitrum, cum sincere fatetur, me de Guzmanica sancti sui Fundatoris origine solummodo dubitasse. Sed in Dissertatione critica Gallicis S. Dominici & discipulorum ejus Actis subnexa contendit, me non habuisse sufficientem dubitandi rationem, & prudenter acquiescere debuisse judicio Ambrosii Moralesii, qui monumenta genealogica Hispaniæ melius noverat, & accuratius examinaverat. Hac occasione vir cetera moderatus, fortan inscienter, aculeo subtili me pupugit, & fidem meam de fraudulentia suspectam reddidit, ut mox demonstrabo.

6 In Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 9. num. 138. scripsi sequentia: *Ambrosius Morales peculiari dissertatione Hispanica, quam tomo III. Chronici generalis Hispaniæ subjun-*

jun-

junxit, consanguinitatem S. Dominici cum stirpe Guzmanica variis argumentis vindicare nititur, ubi tamen folio 332. fatetur, eam suo tempore nondum satis probatam fuisse, & propterea quosdam de illa dubitasse. Hinc passim recentiores auctores, qui de rebus gestis S. Dominici agunt, hunc Sanctum eodem nobilitatis titulo exornant.

7 Ex his verbis meis adversarius Gallus deducit tria consectaria, quæ mihi perperam imputat, & quorum primum manifeste falsum est: nam vult, me per *recentiores auctores* intellexisse tantummodo neotericos illos, qui post Ambrosium Morales scripserunt, & hanc illustrem consanguinitatem sancto Dominico tribuerunt. At per *recentiores auctores* clare designavi omnes hujus nobilitatis assertores, qui ab ætate S. Dominici valde remoti erant. Hæc mens mea satis patebat ex iis, quæ num. 145. ejusdem paragraphi noni allegaveram de Breviariis ecclesiasticis, quibus non diu post medium seculi decimi sexti nobilitas ista primum inseri cœpit. Cum vero Moralesius anno 1586. dissertationem suam de familia Guzmanica dumtaxat ediderit, & illa Guzmanica S. Dominici nobilitas ab anno 1555. in Breviario PP. Prædicatorum legi cœperit, ex subducto annorum numero liquet, hanc opinionem facile triginta annis Hispanica Moralesii dissertatione vetustiorem esse. Quomodo ergo per *recentiores auctores* intelligere potui tantum illos, qui post Moralesium floruerunt?

8 Quamvis alia duo consectaria, quæ mihi hic etiam tribuuntur, in terminis a me non sint deducta, tamen eorum substantiam tuto possum admittere, cum R. P. Touronus inde nomine meo tantum inferat, hanc Guzmanicam S. Dominici nobilitatem tempore Moralesii controversam vel incertam fuisse, & historicum illum Hispanum tunc conscripsisse memoratam dissertationem, ut in hac re dubitationem quorumdam destrueret aut impugnaret: Moralesius enim præter singularem pietatem, quam a teneris annis erga S. Dominicum habuit, easdem lucubrationis suæ causas in margine ad hunc textum assignat, ut postmodum in Hispanicis ejus instrumentis annotabo. Ceterum ex testimonio ipsius ego simpliciter retuli, Guzmanicam S. Dominici stirpem nondum satis illo tempore probatam fuisse, & ideo tunc quosdam de ea dubitasse.

9 Verum biographus Gallus rotunde negat, umquam de Guzmanica S. Dominici nobilitate dubitatum fuisse. Quinimo confidenter asserit, hanc opinionem suam ex ipsis Moralesii verbis evidenter sequi, & se ex oculata Operis ejus inspectione fraudem vel hallucinationem meam detexisse. Tamen benigne mavult credere, me Opus istud Hispanicum non legisse, quam meditate lectoribus imponere voluisse. Maximas ei gratias ago pro benevola mei erroris excusatione; sed hic simul coram toto orbe litterario publice testor, me genealogicam Moralesii dissertationem a capite ad calcem perlegisse, priusquam paragraphum nonum Commentarii mei prævii ad Acta S. Dominici prælo subjicerem. Haud difficulter id R. P. Touronus eruere poterat ex num. 151. ejusdem paragraphi, ubi tunc ex Ambrosio Morales aliisque de æquivoca significatione vocis Hispanicæ *naturaleza* disputavi. Tamen ex instrumentis Hispanicis, quæ post hanc disputatiunculam inferius exhibebo, facilius colligere poterit, me dissertationem Moralesii satis attente legisse, ac etiamnum præ manibus habere.

10 Quapropter eruditus adversarius majori probabilitatis specie dixisset, me Hispanicum Moralesii textum non satis recte percepisse, & ideo male interpretatum esse. Certe hæc accusatio non fuisset adeo ignominiosa mihi Belgæ, qui sine dedecore linguam Hispanicam ignorare poteram. Sed in ea hypothesi allegassem testimonium eruditi D. Ludovici Lopez Hispani, qui linguæ suæ vernaculæ peritissimus eodem modo Hispanicam illam Moralesii periodum intellexit & explicavit, ut ex Hispanicis illius argumentis infra referendis patebit. Cum igitur aperte jam declaraverim, genealogicam Moralesii dissertationem ante aliquot annos a me perlectam esse, nihil effugii adversario superest, nisi ut ab ipso dicar Hispanicum Moralesii sensum corrupisse, ac incautos lectores fallere voluisse.

11 Propter hanc fœdæ fraudis accusationem vel invitus R. P. Tourono respondere debeo, quemadmodum quisque æquus honoris sui æstimator haud dubie judicabit, & mihi necessariam sinceritatis famam vindicare cogor. Itaque meo loco loquatur ipse Moralesius, & hic breviter Latine dicat ea, quæ postmodum fusius Hispanice explicabit. *Cum ab adolescentia fuerim pius erga sanctum Dominicum*, inquit, *semper desideravi perfectissime scribere ea, quæ ad genealogiam & originem hujus Sancti pertinent, & optavi demonstrare, quomodo pater ejus fuerit eques nobilissimus ex stemmate Guzmanico, ac mater ipsius in suo non habuerit minorem nobilitatem. Hoc solummodo scribere volui de sancto Doctore, quia res illa non est hactenus bene probata, & aliqui de ea dubitant.* Hæc sunt ipsa Moralesii verba, in quibus Latine reddendis fidelem simplicitatem prætuli eleganti stylo, sicuti manifestum fiet ei, qui hanc interpretationem meam cum Hispanico Moralesii textu conferre voluerit. Porro sequitur ex hac periodo (recitatam Latine vel Hispanice, sicut lubet) tempore Ambrosii Morales illustrem sancti Dominici originem nondum sat solide probatam fuisse, & tunc aliquos dubitasse, an pater Sancti fuerit eques nobilissimus ex stirpe Guzmanica, & utrum mater ejus ex sua prosapia parem nobilitatem habuerit.

12 In notis ad dissertationem criticam pag. 746. R. P. Touronus ipsum Moralesii textum sic Hispanice exhibet: *Aviendo yo sido desde muy moço devoto del bendito Santo, siempre dessee escrivir del muy complidamente lo que toca à su descendencia y linaje, y al moastrar (1) como su padre fue cavallero muy principal del linaje de Guzman, y que sa (2) madre no tuvo menor nobleza en el suyo &c.* Non scio, qua de causa Disputator Gallus ibi suppresserit hæc verba Hispanica immediate sequentia: *Esto solamente dessee escrivir del santo Doctor, por ser cosa, que hasta agora no esta bien averiguada, poniendo algunos duda en ella.* Dicat nobis R. P. Touronus, cur eo loco prætermiserit hanc Hispanicam clausulam, quæ Latine sic sonat: *Hoc solummodo scribere desideravi de sancto Doctore, quia*

res

(1) lege *mostrar*. (2) lege *su*.

res ista non est hactenus bene probata, & aliqui de ea dubitant. An forsan videbat, hoc loco nimis claram mentionem fieri de parum firma nobilitatis istius probatione, & expressa quorumdam dubitatione? Quidquid sit de suspecta hujus omissionis causa, non immerito possem hic adversario præmeditatam fraudem objicere; sed par pari referre nolo.

13 Ambrosius Morales ibidem deinde narrat, quomodo Compluti suum istud scribendi desiderium indicaverit R. P. Petro Hernandez, tunc PP. Prædicatorum Provinciali, qui propterea multum lætabatur, & propositum ipsius omnino probabat. Imo R. P. Provincialis ille addebat, tunc maxime necessariam esse talem lucubrationem, quandoquidem eo tempore agebatur de conscribendo authentico Ordinis Dominicani chronico, cui bene probatum de stirpe sancti Dominici principium adhuc deerat, quamvis alia monumenta parata jam essent ad reliquam Ordinis historiam contexendam. Ex hac narratione sequi videtur, ætate Moralesii consanguinitatem S. Dominici cum familia Guzmanica nondum satis compertam fuisse, cum ipsi PP. Prædicatores tunc temporis adhuc solido illo historiæ suæ fundamento carerent, ut Ambrosius Morales ibi fusius testatur.

14 Equidem non ignoro, Moralesium postea folio 332. verso ante omnia velle, ut intelligatur esse res admodum antiqua, & habeatur pro certo vel probato, quod S. Dominicus e stemmate Guzmanico prodierit. Adversarius hoc argumentum putat ineluctabile, & idcirco Hispanica Moralesii verba non sine mendis ita proponit: *Antes todas cosas quiero, que se entieda* (1), *como es cosa muy antiqua, &* (2) *tenerse por cierta y averigado* (3), *que sancto Domingo fue de la casa de Guzman. Esto se monstrera* (4) *despues por privilegios y escrituras antiguas.* Hunc Hispanicum Moralesii textum, quem initio hujus numeri partim Latine interpretatus sum, R. P. Touronus non satis fideliter in linguam Gallicam transtulit, ut inter argumenta ejus Gallica post hanc disputatiunculam notabimus.

15 Ceterum Moralesius hoc loco tantisper supponit, aut pro certa haberi cupit Guzmanicam S. Dominici originem, donec eam postea ex antiquis monumentis probaret, ut interim cœptam suam dissertationem genealogicam prosequeretur: ipse enim satis sciebat, hanc suppositionem vel sententiam suam non ab omnibus admitti, & ideo statim ibidem spondet, se postea illam Sancti nobilitatem ex privilegiis & antiquis scriptis ostenturum, sicut Hispanice loquitur: *Esto se mostrara despues por privilegios y escrituras antiguas.* Quid opus erat antiquis instrumentis, si Guzmanica illa S. Dominici consanguinitas ab omnibus pro certa & probata habebatur? Cur Moralesius inutiliter & operosa probaret rem, quæ apud omnes in confesso erat? Oportet igitur aliquos hac de re dubitasse, quemadmodum Moralesius initio dissertationis suæ fatebatur. Nisi hæc phrasis Hispanica sic explicetur, & pro mera hypothesi accipiatur, Ambrosius Morales cum se ipso pugnabit.

16 Ex instrumentis Hispanicis infra referendis discimus, quod Ambrosius Morales admodum liberalis fuerit in accumulandis hujusmodi suppositionibus, aut postulatis, ut mathematici loquuntur. Hac in re novus vitæ Gallicæ scriptor imitari vel potius superare videtur veterem genealogum Hispanum: hic enim confirmationem suæ suppositionis aut hypotheseos promittit, ac postmodum dare conatur; ille vero authenticam fidem monumentorum Bononiensium ubique supponit, & nusquam probat, in qua tamen probatione cardo litis vertitur, ut postea videbimus.

17 Post hæc R. P. Touronus extollit auctoritatem Moralesii, cui me non satis detulisse conqueritur, eo quod circa Guzmanicam S. Dominici originem non statim manibus pedibusque, ut vulgo ajunt, in sententiam istius eruditissimi genealogi descenderim. Ego virum illum sincerum & de historia Hispanica optime meritum veneror, ac magni facio. Sed quandoque bonus dormitat Homerus, & non juramus in verba magistri; si enim semper cæce credendum esset eruditis magnæ famæ scriptoribus, non potuissem paragrapho octavo Commentarii mei prævii num. 127. corrigere Ludovicum Salazarium de Castro, Franciscum de Berganza, aliosque celebres genealogos, quos in hac arte libenter magistros meos agnosco, & qui tamen patrem S. Dominici perperam pro Felice Ferdinandum appellarunt.

18 His adde, quod ante & post editam Moralesii dissertationem plures genealogi circa stemma Guzmanicum in varias sententias abierint: nam Moralesius Petrum Hieronymum Aponium refellit, & postea Prudentius Sandovallius Pampilonensis episcopus ab Ambrosio Moralesio dissensit, ut fusius videre est apud Jacobum Wilhelmum Imhoffium in Genealogia viginti illustrium in Hispania familiarum, qui pag. 118. istius Operis exegesim suam historicam de Guzmanis exorditur hoc modo: *Guzmanicæ stirpis origo incerta, dubia, & controversa est.* Ipso teste Moralesio, multi suo tempore dicebant, S. Dominicum ex familia Toralensi ortum fuisse, Alii vero volebant, familiam Medinæ Sidoniæ ex stirpe Toralensi originem habere, & ideo S. Dominicum ex familia Medinæ Sidoniæ prodiisse, quemadmodum in instrumentis Hispanicis infra refertur.

19 Desinat itaque R. P. Touronus mirari, quod non consentiam celebri huic genealogo, quem tot alii deseruerunt. Imo ipse biographus Gallus hac in re mihi exemplum dedit, aut certe meum secutus est, quando Moralesio circa fratres S. Dominici manifeste contradixit, ut postmodum probabo. Sed cur de mente vel auctoritate Moralesii diutius disputamus, cum scriptor ille seculi decimi sexti non possit finem imponere quæstioni, quæ ab auctoribus coævis aut subæqualibus decidenda est? Hæc ergo tantum dicta sint ad defensionem famæ meæ, quam Gallus adversarius in suspicionem fraudis ac temeritatis adducere voluit. Jam paulatim progrediar ad præcipuum controversiæ caput, & rationem diuturni silentii mei reddam.

§. II,

(1) lege *entienda*. (2) lege *antigua, el*. (3) lege *averiguado*. (4) lege *mostrara*.

§. II. Nova documenta pro Guzmanico S. Dominici stemmate, & causæ propter quas examen eorum tam diu dilatum fuit.

ERuditissimus P. Touronus lib. I. Vitæ Gallicæ cap. I. statim ex testimonio Ambrosii Moralesii & communi recentiorum scriptorum consensu decernit, aut potius supponit, de Guzmanica S. Dominici prosapia tam certo constare, ut constans illa traditio majori confirmatione non indigeat, & hæc antiqua Sancti nobilitas in dubium revocari non possit. Cum tamen post admirabile silentium veterum biographorum, & dubium meum a septennio modeste propositum, jure merito judicaret, hanc generalem ac vagam assertionem suam mox ab omnibus criticis admittendam non esse, prudenter huic hypothesi addidit alia testimonia, quæ præsenti paragrapho breviter attingemus & postea fusius examinabimus.

21 Primo ex Vindiciis Alexandri Machiavellii memorat solenne decretum, quo Magistratus Bononiensis S. Dominicum adhuc vivum jure civitatis suæ donavit, & in quo Guzmanica ejus nobilitas evidenter exprimitur. Secundo meminit de epitaphio, quod Cardinalis Hugolinus ei mortuo erexit, ubi clare Dominicus *de Guzman* cognominatur, ac fit mentio de publico decreto, quo Bononienses illum anno præcedente in civium suorum numerum receperunt. Tertio citat Luminosum de Apola S. Dominici Synchronum, qui simile testimonium chronico suo seculi decimi tertii dicitur inseruisse. De tribus his instrumentis Biographus Gallus ita loquitur, acsi illa adhuc hodiedum in archivo Bononiensi conservarentur, ut infra ad Gallica ejus verba breviter annotabimus. Interim cautus lector sciat, nullum ex his tribus instrumentis coævis produci posse, ac ea tantummodo recitari apud Anellium scriptorem seculi decimi quinti, sicut postea distinctius explicabitur.

22 Ideo R. P. Touronus quasi diffidens his tribus testibus synchronis, qui tamen abunde sufficerent, allegat quarto loco Galvanum Braggia, qui anno Christi 1317. fertur composuisse rhythmum, ex quo profert hæc verba: *Majores nostri ipsum* (nempe S. Dominicum, de quo mox antea agebatur) *ampla quia stirpe editum Guzmana in civem allicuere suum*. Cum Galvaneus ille Braggia mihi ignoratus, plus quam centum viginti annis, post mortem S. Dominici hoc scripserit, fortasse quidam rigidi rerum historicarum censores istud testimonium ipsius tamquam certe verum sine formidine non admittent: nam collega meus Joannes Pinius in Actis S. Ignatii de Loyola tomo VII. Julii pag. 409. & 411. de domesticis quibusdam traditionibus dubitavit, licet eas litteris mandassent aliqui Societatis nostræ scriptores, qui ab obitu sancti Fundatoris sui non tanto temporis intervallo distabant. Hæc falsitatis suspicio majorem locum habet in Augustino Annellio, quem quinto loco recenset, & qui tantum anno Christi 1430. chronicon Italicum ex antiquioribus instrumentis collegisse perhibetur, ut infra videbimus.

23 Hæc instrumenta Bononiensia ad notitiam meam nondum pervenerant anno 1733. quo Vitam S. Dominici typis vulgavi, sicut ultro fatetur adversarius meus, qui ibidem nimia affectione superfluæ benignitatis æquum censet, ut hac in re mihi asserenti fides adhibeatur. Id enimvero sine affectata ista fidei meæ commendatione satis facile creditu est, cum monumenta illa Bononiensia primum anno Christi 1735. in lucem prodierint: quomodo enim anno 1733. consuluissem novos & obscuros illos auctores, qui tantummodo post biennium produci cœperunt, nisi scientia rerum arcanarum vel spiritu prophetiæ præditus fuissem? Tamen R. P. Touronus affirmat, quod ea monumenta postmodum visa fuerint ab apologista seu defensore meo, qui jam abhinc quatuor annis severum examen istorum monumentorum promisit. Sed ibidem mox addit, sibi ignotum esse successum istius examinis, cum defensor ille postea nihil hac de re scripserit. Unde silentium istius promissoris pro tacito consensu accipit, & magna cum fiducia suspicatur, eum nihil invenisse, quod in monumentis illis reprehenderet. Quamvis eruditus quidam Hispanus etiam me defenderit, tamen hoc loco per Apologistam meum designatur Germanus ille Romano-Catholicus, qui duas Apologias pro hagiographis Antverpiensibus edidit, ut patet ex Latino Apologiæ secundæ fragmento, quod ibi in notis affertur. Cur autem iste vindex noster promissis non stet, & hactenus taceat, ipse viderit.

24 Potiori jure Biographus Gallus istud examen exigere potuisset a nobis, qui in Synopsi prævia ad tomum secundum Augusti publice monueramus hagiophilos his verbis: *Dum grandis Operis nostri molem assiduo studio promovemus, anonymus quidam scribillator futilibus aliquot epistolis alio nos conatur avertere & laborem nostrum interrumpere. Sed nos exemplo Majorum, frivolas & anonymas hujusmodi satyras contemnimus. Hic tamen hagiophilus quispiam Germanus respondere voluit, qui dicaculum aggressorem satis videtur compescuisse. Licet autem ille causam nostram solidis argumentis hinc inde defenderit, tamen non approbamus omnia, quæ in actiore hujus Germani Apologia leguntur.*

25 *Nunc tandem intelligimus, hoc ipso anno* MDCCXXXV *Bononiæ ab Alexandro quodam Macchiavellio circa Guzmanicam S. Dominici nobilitatem, quæ ab uno e nostris in dubium revocata fuerat, nonnulla detecta ac publicis typis edita esse. Hoc Macchiavelli Opus necdum ad nos perlatum est, ita ut hactenus de illo judicium ferre non possimus. Postquam istud, & monumenta in eo relata, mature examinaverimus, benignus lector amicam honestamque apologiam, aut candidam palinodiam exspectet.* Cum vos anno 1735. palinodiam vel apologiam promiseritis, inquiet adversarius, cur alterutram vel examen instrumentorum Bononiensium tam diu distulistis? Equidem fateor, hoc promissum nunc aliquanto serius exsolvi, sed jam veras ac justas hujus dilationis causas indicabo.

26 Imprimis Vindicias Alexandri Macchiavellii, quæ forsan folio dicuntur typis Ferrariensibus editæ, difficulter obtinere potuimus. Attamen post longam moram illas, ab amico Romano missas, occasione cujusdam peregrini Belgæ tandem Roma post varios circuitus accepimus.

pimus. Postquam igitur Opusculum istud, eminentissimo D. Prospero Laurentio de Lambertinis S. R. E. Cardinali, & tunc archiepiscopo Bononiensi dedicatum, lenta lectione pervolveram, de authentica vel genuina documentorum illorum fide dubitare cœpi, cum testes passim bibliographis ignotos ibi plerumque citari adverterem: nam experientia me docuerat, ab impostoribus interdum fingi monumenta sub veris aut falsis veterum scriptorum nominibus, ut opiniones suas, aut falsas patriæ traditiones hac fraude tueantur. Etiam recordabar Joannis Tamayi de Salazar, qui famosissimus Martyrologus Hispanus ad quaslibet patriæ suæ fabellas afferendas Aulum Halum vel Halonem poetam Burdigalensem, & alios pseudo-scriptores ubique jactat, ut in veteri Bibliotheca Hispana apud Nicolaum Antonium lib. 7. cap. 7. videre est.

27 Igitur hac in re caute ac lente procedendum esse existimavi. Quare dubiis ac suspicionibus meis diffidens, ab erudito quodam viro Italo per litteras inquisivi, quid in Italia de novis illis documentis Bononiensibus diceretur. Hic mihi rotunde respondit in hunc fere modum: *Ut tandem ad Macchiavellum juris utriusque doctorem & lectorem publicum me recipiam, scito, virum hunc omnibus risum concitasse libello illo suo, de quo meum judicium postulas. Pura sunt inventa & mera mendacia singula illa monumenta, quibus ibidem suum assertum putat comprobare. Affert ille in sua Dissertatione omnibus ignota non modo Opera, sed etiam nomina, si unum excipies Augustinum delle Auelle, a quo certo scio, compositum fuisse breve quoddam Chronicon, sed diversum ab eo, quod allegat Macchiavellus.*

28 *Libellum suum iste conscriptum ostendit alteri* (propter non satis certam rei notitiam nomini hujus approbatoris parco) *qui illum velut approbatus imprimi curavit, eminentissimo Cardinali Lambertino, inscio ipso, dedicatum. Rem hanc ægre tulit quidam vir in urbe Romana primariæ dignitatis, & eminentissimum archiepiscopum Bononiensem per litteras rogavit, ut inquirere dignaretur, exstarentne, & quantæ auctoritatis essent codices a Macchiavello citati. Hic igitur Macchiavellum ad se vocatum de monumentis illis interrogavit; qui præter alia respondit, apud Patrem quemdam Orlandum (vir hic monumentorum veterum esse creditur inventor æqualis Macchiavello) quosdam codices a se visos fuisse. Sed quod hic magis mirum apparet, & suis Macchiavellum armis jugulat, illud hoc est, quod, cum prædictus Pater Orlandus completissimam omnium scriptorum Bononiensium Bibliothecam & notitiam ediderit, de antiquioribus a Macchiavello citatis, quos apud Patrem Orlandum se legisse ipse testabatur, ille ne verbum quidem habeat. Instabat eminentissimus Lambertinus, ut a Macchiavello aliquid erueret, qui tandem, cum nihil posset producere, conclusit, unicuique contra ipsum scribenti se responsurum.* In hoc epistola recitanda quædam prætermisi, quæ Macchiavello minus honorifica videbantur: nam eum moderamine inculpatæ tutelæ famam & sinceritatem meam solummodo tueri volo.

29 Etiamsi de substantia narrationis hujus non dubitem, tamen de particularibus illius adjunctis & veritate circumstantiarum distinctius ac serius judicium ferre poterit Sanctissimus Dominus noster Benedictus XIV. summus Pontifex, qui tunc ecclesiæ Bononiensi præerat, & cui felix Ecclesiæ Catholicæ regimen ex toto cordis affectu precor, pro diuturna ipsius incolumitate Deum Optimum Maximum Sanctosque omnes enixe rogaturus. Ceterum Macchiavellius meminerit promissis stare, ac etiam mihi respondere, cum unicuique contra ipsum scribenti responsionem pollicitus fuerit. Certe magnam a nobis & ab omnibus eruditis inibit gratiam, si monumenta Bononiensia communicet eo modo, quem inferius assignabo. Sed forsan id jam fieri non poterit, quandoquidem documenta illa, quæ apud supradictum P. Orlandum conservari dicebantur, nunc in Angliam transvecta fuisse finguntur, ut ex recensioribus litteris Italicis intelligo.

30 Quinimo multum dubitare cogor, an umquam ea monumenta apud P. Orlandum conservata fuerint, licet Alexander Macchiavellius eminentissimo suo archiepiscopo superius id asseruerit: nam hic ipse Pater Orlandus anno 1714. Bononiæ Notitiam scriptorum Bononiensium edidit, in qua non tantum impressa, sed etiam manuscripta illorum Opera recenset. Inter alia ibidem pag. 97. & sequente meminit de manuscriptis Chronicis, quæ tunc adhuc Bononiæ conservabantur, & distincte locum conservationis istorum assignat. Attamen de Chronicis Luminoli de Apola, Annelli, aliisque monumentis ab Alexandro Machiavellio citatis nullum verbum facit, ut instructor meus Italus supra solerter observavit. Quis autem credat, illum P. Orlandum manuscriptos aliorum codices enumerasse, & suos ante apud se depositos oblivioni tradidisse? Cum P. Orlandus jam commune mortis debitum solverit, ejus loco Macchiavellius mihi significare non gravetur, quo tempore codices isti apud P. Orlandum exstiterint, & ubi jam conserventur.

31 Cum itaque scirem, in ipsa Italia prudentem hujusmodi suspicionem de monumentis illis oriri, non arbitrabar, in iis ulterius examinandis mihi festinandum esse: vix enim dubitabam, quin hæc notitia per alias regiones paulatim divulganda esset, quamvis ego languida corporis habitudine præpeditus, aut aliis negotiis occupatus, huic odiosæ liti me non immiscerem. Expectationi meæ respondit eventus: nam fama suspicionis aut discussionis hujus Bononiensis in Hispaniam transvolavit, ubi tunc illa controversia de Guzmanico S. Dominici stemmate maxime fervebat. Unde R. D. Ludovicus Lopez, eruditissimus in diœcesi Salmanticensi parochus, anno 1738. scripsit epistolam familiarem, in qua documentis istis Bononiensibus arduas difficultates opponit. Imo laudatus parochus Morillensis in altera responsione, quam deinde contra æditum Canariensem vulgavit, post acceptam certiorem Bononia notitiam, eadem documenta Bononiensia, tamquam fictitia & fabulosa, aperte rejicit, ut infra cap. 5. inter instrumenta Hispanica referetur.

32 Lectis his epistolis Hispanicis, exspectabam strenuum Guzmanicæ nobilitatis vindicem, qui propositas ab hoc parocho Morillensi difficultates dissolveret, aut saltem postremam ejus opinionem de fictione monumentorum Bononiensium refutaret. Sed nihil de tali refutatio-

ne

ne nec ex litteris Italicis nec Hiſpanicis intellexi. Nihil etiam hac de re videtur audiviſſe R. P. Touronus, quamvis in præfatione Vitæ Gallicæ fateatur, in Italia & Hiſpania pro ſe laboratum fuiſſe: ſi enim noverat, hæc inſtrumenta Bononienſia falſitatis aut fraudis argui, potius authenticam eorum fidem probare, quam ſupponere, debuiſſet. At ubique incerta veritatis hypotheſi ſecure nititur, & nuſquam probat id, quod in quæſtione potiſſimum vertatur.

33 Haud dubie prudentes antiquorum diplomatum cenſores mirabuntur, eruditum ſacræ theologiæ Profeſſorem ex natione Gallica, quæ de nimia credulitate accuſari non ſolet, adeo leviter & confidenter inſtrumentis hiſce Bononienſibus indubitatam fidem adhibuiſſe. Certe hæc magna R. P. Touroni confidentia me denique movit, ut dubia mea nunc tandem documentis Bononienſibus opponerem, ne diuturnius ſilentium noſtrum forſan ab incautis quibuſdam pro conſenſu accipiatur. Atque hæ ſunt præcipuæ rationes, ob quas illud examen, ante aliquot annos promiſſum, tam diu dilatum eſt.

§. III. Nonnullæ levioris momenti quæſtiones, in quibus R. P. Touronus a me diſſentit.

JAm ſæpe laudatus Biographus Gallus eodem capitis primo libri primi, ſeu pag. 6. novum Guzmanicæ nobilitatis argumentum profert, & non ſatis fideliter ex diplomate Alphonſi X. regis aſſerit, aulam Guzmanorum ſive paternam S. Dominici domum ab hoc rege in cœnobium monialium converſam fuiſſe. Sed in antiquis hujus fundationis inſtrumentis, quæ R. P. Ferdinandus de Caſtillo in Hiſtoria Hiſpanica ſacri Ordinis Dominicani lib. 2. cap. 78. & ſequente exhibet, de palatio Guzmanorum vel paterna S. Dominici domo nullum fit verbum. Rex in iis tantummodo affirmat, ſe conſtruere ac fundare cœnobium monialium in oppido Calarogenſi, quia S. Dominicus in eo natus fuerat, ut hoc pio opere promoveretur Dei ac hujus Sancti honor, & aſſiduæ preces pro regia ſua familia funderentur, ut in Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 8. num. 123. monui. Quilibet curioſus lector aſſignatum fundationis inſtrumentum Hiſpanice volvat ac revolvat, & nunquam palatium Guzmanorum vel paternam S. Dominici domum ex eo extundet.

35 Imo R. P. Touronus hac opinione ſua nobis imprudenter ſubminiſtrat arma, quibus ipſum impugnemus: nam Moraleſius in Diſſertatione genealogica, quam jam ſæpe memoravimus, fol. 142. verſo teſtatur, ſuo tempore Calarogæ adhuc oſtendi conſueviſſe cubiculum, in quo S. Dominicus primam lucem aſpexerat; & mox addit, illud a cœnobio monialium ſeparatum eſſe, quamvis ei ſit vicinum. Sed S. Dominicus veroſimiliter in cubiculo domus paternæ natus eſt, quod ætate Moraleſii adhuc extra ſepta monaſterii monſtrabatur. Si ergo rex Alphonſus aulam Guzmanorum vel paternam S. Dominici domum in monaſterium commutaverit, ut adverſarius exiſtimat, cur natale Sancti cubiculum ab ædificio reliquo ſeparavit? Hinc ulterius inferri poſſet, natalem S. Dominici domum palatio Guzmanico quidem vicinam, ſed ab eo diſtinctam fuiſſe, quantumvis ultro concederem, quod aula Guzmanorum in cœnobium monialium poſt aliquot annos ab Alfonſo rege converſa fuerit: potuit enim Felix S. Dominici pater Calarogæ palatio Guzmanico vicinus habitare, etiamſi fundus monaſterii poſtea conſtructi ad ipſum non pertineret. Hæc tantum pro conjecturis haberi volo, ut adverſarii diſcant, ſe magis intricari difficultatibus, dum ſe parum feliciter iis expedire nituntur.

36 Biographus ibidem pag. 7. & ſequente putat, S. Dominicum præter Antonium & Mametem, qui cælibes obierunt, habuiſſe fratres alios ætate juniores, quorum nomina ignorantur. At hæc ejus opinio prorſus contraria eſt Ambroſio Moraleſio, quem alibi tantis laudibus exornat, & a me perperam ac temere relictum fuiſſe, conqueritur. Hic autem Moraleſius in arbore genealogica familiæ Guzmanicæ ſic ſcribit: *D. Felix de Guzman fuit pater sancti Dominici: sed quamvis præter hunc habuerit duos alios filios, hi matrimonium non inierunt, ac ita ſtirps non eſt propagata, niſi per ejus patruum D. Alvarum Rodriquez.* Patet ex hoc Moraleſii textu, quem cap. 3. Inſtrumentorum recitabo fuſius Hiſpanice, S. Dominico nullum fuiſſe fratrem, ex quo ſoboles orta eſt. Cur ergo R. P. Touronus hoc loco deſerit celebrem iſtum hiſtoriographum & Hiſpanicæ genealogiæ peritiſſimum, ſicut mihi ſuperius objiciebat? Fortaſſe neſcivit, ſeſe hac in re ab Ambroſio Moraleſio diſſentire.

37 Probabilius tamen ſuſpicor, incautum virum dubia cujuſdam vocis ſignificatione deceptum fuiſſe, cum mox ibidem in notis allegat ſequentia venerabilis Humberti verba: *Duo vero nepotes ejus in Ordine sancte & laudabiliter vixerunt.* Hoc loco vocem *nepotes* in ſtrictiori ſignificatione veroſimiliter intellexit, ac inde concluſit, S. Dominico fuiſſe fratres alios, qui filios progenuerint. In Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 8. num. 119. ſimilia verba ex Gerardo de Fracheto retuleram; ſed ibidem ſimul monui, vocem *nepos* interdum in latiori ſignificatione uſurpari, & apud Latinos accipi pro poſteris, ut liquet in hoc carmine Virgiliano: *Tarda venit ſeris factura nepotibus umbram.* Doctiſſimus adverſarius ambiguam vocis hujus ſignificationem in lexicis obviis examinare potuiſſet, antequam ſententiam celeberrimo Moraleſio contrariam arriperet. Etiam ſcire poterat, voce Gallica *neveu*, late poſteros omnes interdum ſignificari, quemadmodum in Dictionario Trevoltiano probatur. Hæc ſufficiant ad illam minoris momenti quæſtiunculam diſcutiendam, & ulteriori genealogorum Hiſpanorum examini relinquendam.

38 Etiamſi controverſia de primo Roſarii inſtitutore non ſpectet ad me, qui §. 19. & duobus ſequentibus Commentarii prævii ad Acta S. Dominici tantummodo diverſas auctorum opiniones ſine ulla litis deciſione retuli, tamen reverendus hic ſacræ theologiæ Profeſſor lib. 1. Vitæ Gallicæ cap. 14. diſputationem illam renovat, & primam Roſarii inſtitutionem ſancto Fundatori ſuo confidenter adſcribit. Imo videtur ei diſplicere, quod illam litem indeciſam reliquerim, & propterea in notis ibidem ſequentia Commentarii mei prævii verba allegat: *His in utramque partem diſputatis ac obſervatis, de ipſa controverſia liberum judicium eruditis lectoribus relinquimus.* Hinc eodem capite

dicat, hagiographos Antverpienses longa sua dissertatione quæstionem illam non illustrasse, sed post multas ambages dumtaxat ostendisse discrepantes opiniones auctorum, qui originem pii hujus exercitii ætate S. Dominici vetustiorem esse censent.

39 Cur ergo me refellit, relictis apertis adversariis suis, quos ei assignavi, & quorum sententiam nullo verbo stabilivi? Cur non impugnat amplissimum D. Josephum Stephanum de Noriega, abbatem Ordinis Præmonstratensis in Hispania, vel R. D. Nebridium Mundelheimium Canonicum Regularem ex Ordine sancti Augustini in Germania, aliosve scriptores a me citatos, qui recitationem Rosarii ante tempora S. Dominici usitatam fuisse arbitrantur? Cur nos aggreditur, qui de prima Rosarii institutione nihil certi pronuntiavimus? Quo jure tandem a nobis exiget, ut omnes obscuras odiosasque lites dirimamus, & in bello litterario semper unius aut alterius partes amplectamur? Totum tamen delictum meum videtur in eo consistere, quod opinionem ipsius non approbaverim, vel defenderim.

40 Forsan R. P. Touronus hoc inusitatum judicium de me tulit exemplo Pompeji magni, qui in bello civili contra Julium Cæsarem cum suis fœderatis judicabat, omnes sibi hostes esse, nisi qui secum essent, ut Marcus Tullius Cicero in oratione pro Ligario testatur. At eruditus Vitæ Gallicæ scriptor potius hac re imitatus fuisset Julium Cæsarem, qui ab eodem eloquentissimo oratore laudatur, eo quod omne, qui contra se non essent, suos diceret. Unde Suetonius historicus in Opere de duodecim Cæsaribus lib. 1. apud nos num. 75. illam Julii Cæsaris prudentiam extollit his laudibus: *Moderationem vero clementiamque tum in administratione, tum in victoria belli civilis admirabilem exhibuit. Denuntiante Pompejo, pro hostibus se habiturum, qui Reipublicæ defuissent, ipse medios & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronuntiavit.* Adde, quod hic biographus Gallus istud bellicum Pompeji magni axioma non satis constanter teneat, ut unico exemplo nunc ostendam.

41 Si sola variarum opinionum relatio reprehensionem mereatur, eodem, id est, nullo jure reprehendere potuisset eruditissimum Mabillonium, qui in Præfatione ad seculum quintum de Sanctis Ordinis Benedictini num. 125. & 128. diversas inchoati Rosarii sententias refert his verbis: *De Rosarii auctore variæ sunt opiniones. Alii ad Sanctum patrem Benedictum, alii ad venerabilem Bedam, alii ad Petrum eremitam, alii denique ad sanctum Dominicum Prædicatorum institutorem referunt ..... De Rosario, quod quinquaginta supra centum salutationes cum quindecim orationibus Dominicis complectitur, in Actis sancti Dominici, cui hoc inventum ante annos ducentos tribuitur, nulla mentio est. Thomas Cantipratensis Ordinis Prædicatorum, Dominico suppar, tres salutationum quinquagenas, a quibusdam beatæ Mariæ devotis frequentari solitas, semel & iterum memorat; at de Auctore nihil dicit.* Quid igitur ego peccavi, dum similes auctorum sententias retuli, & nulli calculum meum adjeci? Ex hoc diverso agendi modo in eadem re prudens lector facile colliget, axioma Pompejanum non semper adversario placuisse.

42 Ac fortasse respondebit, sese hic ex novis monumentis Bononiensibus voluisse erroris convincere generatim omnes illos, qui de tempore instituti Rosarii dubitarunt, vel institutionem istam S. Dominico denegarunt. Audiamus ergo, quid novi afferat, ut dubium nostrum deponamus, si solidis argumentis opinionem suam stabiliat. Imprimis post alia jam dudum nota producit Galvanum Braggia, Bononiensem seculi decimi quarti scriptorem, & ex eo transcribit hæc verba: *Rosarii demum tuo nostroque primum hic auctore Dominico.* Sed ante omnia quæro, quis sit iste Galvanus Braggia, de quo superius egimus, & quem P. Orlandus in Noticia scriptorum Bononiensium non novit. Præterea R. P. Touronus meminerit authenticam testis hujus fidem probare, quemadmodum infra postulabo. Eamdem probationem requiro pro Luminolo de Apoia vel Annellio, cujus prolixum textum Italicum in notis ibidem recitat.

43 Verum gratis tantisper supponamus, hæc esse genuina Galvani verba, quibus Biographus Gallus opinionem suam invicte confirmari putat. Ex illis nondum sequitur, S. Dominicum fuisse primum, qui istud exercitium in orbem Christianum induxit: quamvis enim R. D. Nebridius Mundelheimius Germanus, & amplissimus D. Josephus Stephanus de Noriega Hispanus contendant, institutionem Rosarii ætate S. Dominici antiquiorem esse, tamen ultro & libenter S. Dominicum piissimi hujus exercitii fervidum propagatorem agnoscunt. Potuit itaque S. Dominicus Bononiæ (Galvanus Braggia adverbium *hic* non frustra addidit) hanc [illegible] Rosarii recitationem primus instituere, licet in aliis regionibus aut monasteriis jam diu in usu esset. Hæc dicta sint in hypothesi, cujus legitimam probationem postea exspectabo.

44 Deinde Biographus ibidem pag. 98. nos ad palinodiam excitat exemplo R. P. Echardi, qui quamdam opinionem suam in hac ipsa materia retractavit. Ab annis quinque [illegible] anonymus ad eamdem retractationem nos invitarat in futili & injuriosa epistola, quam post relata Galvanei vel Galvani verba adversus hagiographos Antverpienses ita concludit: *Hic adjiciatis, Patres, quæ de Rosario retulit Echard ex antiquo Ms. seculi* XIII. *Ipso viso, palinodiam cecinit, & pristinam sententiam revocavit.* Jure merito R. P. Echardus palinodiam cantavit, cum bis aperte asseruerit, recitationem Rosarii, qualis nunc in usu est, primum ab Alano Rupensi post medium seculi decimi quinti excogitatam fuisse. Si igitur eruditus ille Dominicanus postea viderit manuscriptum seculi decimi tertii, in quo pius iste Rosarii usus sancto Dominico adscribitur, ut suspectus anonymus affirmat, laudabili candore priorem sententiam suam revocavit.

45 Verum quid hæc Echardi retractatio spectat ad me, qui tres diversas opiniones hac de re proposui, & de nulla certum judicium tuli? Cum Galvanus Braggia solummodo scripserit anno Christi 1347. sicut adversarii fatentur, & supradictus Anonymus antiquiorem seculi decimi tertii codicem assignaverit, non satis intelligo, qua de causa R. P. Touronus hoc testimonium seculi decimi tertii pro sententia sua non allegaverit. Hæc aliaque mysteria revelabuntur, ut spero, quando Bononienses authenticam mona-

monumentorum suorum fidem probabunt. Interea progredior ad aliam velitationem, qua huic paragrapho finem imponam.

46 In Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 16. num. 281. citavi sequentem Constantini Urbevetani textum: *Prædicante aliquando viro Dei Dominico in partibus Tolosanis, contigit, quosdam hæreticos captos & per eum convictos, cum redire nollent ad fidem Catholicam, tradi judicio seculari.* Ex his Constantini verbis, & aliis scriptoribus probabiliter intuli, S. Dominicum ab Apostolicis legatis accepisse potestatem convincendi in juridico examine hæreticos, eosque in erroribus suis pertinaces tradendi brachio seculari, sicut vulgo dicimus. Sed R. P. Touronus lib. 1. Vitæ Gallicæ cap. 18. contendit, S. Dominicum sola prædicatione vitæque piæ exemplo conversionem hæreticis suasisse, & numquam sese suppliciis eorum immiscuisse. In hac opinione defendenda secutus est Echardum, cui severitas illa quoque displicet.

47 Si Echardo objicias, quod S. Dominicus in epistola authentica Inquisitionis Tolosanæ ab oculatis & juratis testibus non sine laude bis ac tertio *persecutor hæreticorum* vocetur, in notis ad hanc epistolam respondet hoc modo: *Viden' qui hæreticorum assiduus persecutor fuerit? Nempe redarguendo tam verbo, quam exemplo bonæ vitæ, non jugulum petendo, non ferrum & ignem minitando, quod sui non erat officii.* Verum B. Joannes Vicentinus ex Ordine Prædicatorum, cujus Acta ad diem secundam Julii in Opere nostro illustrata sunt, etiam *persecutor hæreticorum* appellatur, eo quod plures hæreticos comburi curaverit, ut Gerardus Maurisius scriptor synchronus ibidem testatur. Quid igitur hoc loco eumdem S. Dominici titulum de spirituali persecutione dumtaxat interpretari cogit? Cum R. P. Touronus fateatur, hanc severitatem S. Dominico minime probrosam fore, cur relatus Constantini Urbevetani textus ita intelligi non potest, ut Sanctus hæreticos pertinaces, a se examinatos & convictos judicio seculari tradiderit?

48 Equidem scio, de ambigua Constantini expressione diu disceptari posse, & ideo hanc opinionem nostram tamquam verosimilem eruditis proposui. Ne igitur in hac velitatione diutius hæreamus, eamdem finio iisdem verbis, quibus paragraphum decimum sextum Commentarii mei prævii num. 298. sic conclusi: *Itaque hic inter nos & Echardum* (jam biographus Gallus addi potest) *sola, ut opinamur, agitatur illa quæstio, an S. Dominicus umquam hæreticos pertinaces potestati seculari plectendos tradiderit. Ille id negat, quia nusquam satis clare exprimi arbitratur. Nos vero contendimus, hoc satis erui ex supradicta Constantini Urbevetani narratione, ejusque adjunctis, & cum plerisque scriptoribus Dominicanis id affirmamus.*

49 Supersunt aliæ leviores hujusmodi quæstiunculæ, in quibus R. P. Touronus a me dissentit, quod inter eruditos licitum est, incolumi semper amicitia. Sed mihi non lubet hanc cramben recoquere, & has minoris momenti controversias iterum agitare. Saltem gaudeo, me RR. PP. Prædicatoribus copiosam scribendi materiam suppeditasse, & commentario meo prævio id effecisse, ut prudens biographus Gallus ineptas Alani Rupensis & aliorum fabulas in præclaris S. Dominici Actis omiserit. Jam paragrapho sequenti viam paulatim sternam ad severum Bononiensium monumentorum examen, & exemplis quibusdam demonstrabo, quanta sit opus prudentia, ne ab astutis impostoribus aliquando decipiamur.

§. IV. Necessaria cautela in admittendis novis instrumentis, quæ toti antiquitati ignota fuerunt.

OMnibus fere sæculis inventi sunt impostores, qui ex cerebro suo finxerunt fabulosas historias, ut incautos lectores fallerent. Exemplo sit Asiaticus ille presbyter, de quo S. Hieronymus inter Scriptores ecclesiasticos cap. 7. sive tom. IV. Operum novissimæ editionis Parisiensis part. 2. col. 104. occasione sancti Lucæ evangelistæ sic meminit: *Lucas medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant, Græci sermonis non ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli & omnis peregrinationis ejus comes, scripsit Evangelium .... Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Apostolicarum* Πράξεων *prænotatur; cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem urbe librum esse compositum.*

51 *Igitur* Περιόδους *Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas computamus: quale enim est, ut individuus comes Apostoli, inter ceteras ejus res, hoc solum ignoraverit? Sed & Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert presbyterum quemdam in Asia* σπουδαστὴν *Apostoli Pauli convictum apud Joannem, quod auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, loco excidisse.* Tertullianus apud nostrum Joannem Ludovicum de la Cerda, cujus Opus Parisiis una cum copiosis notis editum est, in libro 2. de Baptismo adversus Quintillam cap. 17. vel tomo secundo memoratæ editionis pag. 204. & sequentibus, hac de re consuli potest. Eminentissimus Baronius in præfatione ad Martyrologium Romanum cap. 2. plura similia scripta apocrypha recenset. Sed omitto veteres hujusmodi fabulatores, ut ad tempora nostra citius accedam.

52 Præcipuis seculi decimi quinti pseudo-scriptoribus annumerari potest Alanus Rupensis, qui nomine Joannis de Monte ac Thomæ de Templo, quos coævos S. Dominici socios appellat, commentitia Sancti gesta, itinera, & conciones ex cerebro suo confictas nobis obtrudit. Audiatur Echardus inter scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos, ubi tomo 1. istius Operis pag. 471. duos hosce suppositios testes ita explodit: *Fratres Joannes de Monte & Thomas de Templo una sunt a nobis laudandi, nec ab invicem disjungendi, cum eadem de utroque fabulentur. Ambo dicuntur Hispani, ambo beati Dominici, dum verbo Dei apud Albigenses instaret, socii & comministri, ambo a sancto Patre ad Ordinem suum allecti .... Interim hos duos scriptores, homines plane fictitios sincerus veri amator habebit, & quæ ex iis de beato Dominico proferuntur, nulla veri specie fulcita, cum certis ejus Actis non convenientia, imo omnino adversa deprehendet.*

53 Laudatus Echardus post explosas Alani Rupensis fabulas & revelationes pag. 851. & sequente ejusdem tomi primi de duobus his ficti-

tiis auctoribus ab Alano allegatis judicium suum renovat hoc modo: *Joannes de Monte & Thomas de Templo, quos socios beati Dominici & ejus rerum scriptores laudat, ejusdem sanctæ fabricæ ac ejus revelationes, homines primis nostris scriptoribus Gallis, Italis, Hispanis, Germanis, Anglis plane incogniti. Si codices eorum manuscripti prostabant adhuc ætate Alani, utique non solus ille legisset; at nullus alius eos se vidisse umquam asseruit, non Michael Francisci Insulensis ejus discipulus, non Cornelius de Snekis alter ejus auditor (ambo de Rosario scripserunt) non Jacobus Sprenger, qui primus societatem Rosarii Coloniæ erexit. Verbo hos auctores nemo umquam legit, nisi apud Alanum.* Hoc eruditissimi Echardi argumentum, paucis mutatis, forsan Augustino Annellio applicari poterit, ut postea apparebit.

54 Eodem seculo decimo quinto exeunte floruit Annius Viterbiensis, de quo Aubertus Miræus parte altera Bibliothecæ ecclesiasticæ cap. 6. scribit sequentia: *Joannes Annius Viterbiensis Ordinis Prædicatorum, sacri palatii Magister, reliquit Antiquitatum libros viginti septem sæpius recusos, sed nugis mendacibus plenos: nam Berosus, Manetho, & alii scriptores veteres, quos se producere dicit, prorsus sunt suppositi, ut in Auctario Bibliothecæ ecclesiasticæ cap. 3. & sequentibus docui. Satis porro nugis Annius in errorem traxit Joannem Nauclerum, Joannem Driedonem, Leandrum Albertum, Valerium Anselmum, Joannem Lucidum, Michaelem Medinam, Sixtum Senensem & alios. Quod & hic monere visum fuit, ne quis errantium vestigiis insistat. Annius autem obiit Romæ sub initium seculi decimi sexti, conditus apud suos in æde supra Minervam.*

55 Ne quis forte Miræum de studio partium habeat suspectum, breviter audiat Natalem Alexandrum Dominicanum, qui in Historia ecclesiastica, Parisiis anno 1714. recusa, tomo 8. pag. 180. de sodali suo simile fert judicium paucis his verbis: *Fictitia illorum auctorum Opera Commentariis illustrans, orbi imposuit, plures in errores abduxit, tempore abusus est, quod melius collocare poterat vir Latine, Græce, Hebraice, Chaldaice, & Arabice eruditus, ut de eo tradit Leander in Italia sua.*

56 Miræus hac occasione simul ibidem meminit de quodam subdolo chronicorum figulo, qui seculo sequente in Hispania varias fabellas sub nominibus veterum scriptorum producit, quemadmodum indicat his verbis. *Ceterum ut Annius suo ævo, sic & nostra ætate, fabulator nescio quis multos eruditione præstantes viros in errorem traxit, editis veterum aliquot chronographorum, ut hic Lucii Dextri & Marci Maximi, fragmentis suppositiis. Qua de re consuli poterunt Matthæus Raderus in analectis ad tertiam editionem commentariorum in Martialem, Cornelius Lapidanus proœmio in primam sancti Joannis epistolam, Gabriel Pennottus in Historia Canonicorum Regularium, & Theophilus Rainaudus in Sanctorum Lugdunensium Indiculo.* His unam alteramve viri prudentis censuram subnectit.

57 Quamvis Hispanus ille impostor initio plures viros doctos deceperit, tamen paulatim fraus ejus detecta est, ita ut nunc ab ipsis cautioribus Hispanis passim repudietur, quemadmodum Papebrochius noster in suis Responsionibus & Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana demonstrant. Quapropter eminentissimus Josephus Saenz de Aguirre presbyter Cardinalis in præfatione ad collectionem maximam conciliorum Hispaniæ pium & eruditum lectorem pag. VII. num. 39. sic præmonet: *Exiguam aut potius nullam rationem habemus monumentorum quorundam sublestæ fidei, sive chronicorum, quæ sub nomine Dextri, Maximi, Helecæ, Liberati, Luitprandi, Juliani Perez & Hauberti Hispalensis, a fine circiter præcedentis seculi usque modo venditantur, ingenti plane detrimento & injuria veritatis atque historiæ rerum Hispaniæ; intra quam multi homines docti ab eo tempore, aut cum eruditissimo Mariana & aliis exteris scriptoribus risere ea commenta, aut bilem excrent & stylum exacuunt cum D. Nicolao Antonio, celeberrimo scriptore Bibliothecæ Hispanæ* &c.

58 Brevitatis causa prætereo Gregorium Argaiz & Antonium Lupian Zapata, aliosque fictitiorum Chronicorum scriptores, quorum fraudes Antonius Nicolaus in veteri Bibliotheca Hispanâ lib. 6. cap. 22. detegit, turpemque fallaciam acriter reprehendit. Paucis etiam dimitto Alphonsum Cicarellum, qui tres homilias sancti Dominici *de gratia Dei* & totidem *de ineffabili Trinitate* penes se esse fingebat, sicut in Commentario meo prævio ad Acta S. Dominici §. 45. num. 848. breviter indicavi: nam Leo Allatius fraudulentum illum hominem integro opusculo depinxit, ut in proxime laudata Bibliotheca Hispana lib. 8. cap. 7. Nicolaus Antonius testatur, ubi tomo 2. pag. 69. num. 289. mendax ille Cicarellus ab eo propter hunc dolum *impostorum coryphæus* appellatur. His aliisque personatis librorum fabricatoribus adjungo duos veterum scriptorum interpolatores, quos ego ipse deprehendi.

59 In Commentario prævio ad Acta sancti Jacobi majoris die XXV. Julii mentionem feci de dolosa cujusdam amanuensis interpolatione, quam olim in Hispania expertus sum, & quam ibidem tomo sexto Julii pag. 13. num. 35. manifestaro incipio in hunc modum: *Multo simplicius verisimiliusque eadem translatio narratur in manuscripta Historia Compostellana, quæ ante medium seculi duodecimi a diversis auctoribus collecta est, & adhuc in archivo Compostellano servatur, ut Ambrosius Morales, aliique scriptores Hispani passim testantur. Vidi anno* MDCCXXI. *Matriti in Regia bibliotheca duo ejusdem Historiæ Compostellanæ ecgrapha, ex quibus ad rem nostram descripsi sequentia.* Deinde ex uno manuscripto codice Matritensi retuli translationem S. Jacobi Majoris, & ibidem num. 35. lectorem monui, alteri apographo ab amanuensi posteriore fraudulenter additum fuisse nomen *Hispaniæ*, de qua voce quæstio erat, ut hac interpolatione posteros falleret, & subdole tueretur patriam traditionem de prædicatione S. Jacobi Majoris in Hispania, quæ sine hac inutili fallacia satis probabiliter potest propugnari.

60 Forsan R.P. Touronus hunc Commentarium de sancto Jacobo Majore numquam legit. Sed haud dubie pervolvit paragraphum nonum Commentarii mei prævii ad Acta S. Dominici, ubi num. 141. majorem fidelitatem requirere coactus sum in Fratre Thoma de Trugillo, qui Vitam S. Dominici ex Theodorico Appoldiano referens, *satis honestos* ejusdem sancti Fundatoris sui parentes, ut a Theodorico vocabantur, sola sua auctoritate infideliter in *illustrissimos*

com-

commutavit. Quinimo in hac ipsa controversia de Guzmanico S. Dominici stemmate Ædituus Canariensis supra memoratus apertum mendacium adhibuit, teste Ludovico Lopezio, cujus testimonium Hispanicum inter Instrumenta cap. 5. postea citabo: nam mendax Ædituus ille pag. 46. satyræ suæ asserit, se in Fano sancti Facundi sive monasterio Sahagunensi subscriptionem S. Dominici vidisse hac forma FRAY DOMINGO DE GUZMAN. At Lopezius postmodum accepit litteras, in quibus reverendissimus ejusdem monasterii Benedictini alumnus testatur, nullam talem subscriptionem ibi inveniri, & insigne præmium promittit ei, qui illam ibi potuerit ostendere. Hinc laudatus Lopezius in fine responsionis suæ, detecta hac fraude, Ædituo Canariensi lepide objicit illud adagium Hispanicum: *Somniabat cæcus, se videre &c.*

61 Absit, ut ex his omnibus exemplis quispiam concludat, RR. PP. Prædicatores, vel Antonium Touronum simili fallacia usos fuisse, & monumenta Bononiensia ab ipsis conficta vel interpolata esse: hinc enim dumtaxat inferri volo, illos ab Augustino Annello vel aliis obscuris hujusmodi scriptoribus decipi potuisse, quemadmodum plures ab Alano Rupensi, Joanne Annio Viterbiensi, & impostoribus quibusdam Hispanis decepti fuerunt. Unde non tantum prudenti historiographo cavendum est, ne ab ipsis primariis fabulatoribus circumveniatur; sed etiam vitanda est nimia simplicitas quorumdam scriptorum, qui vagos rumores & quaslibet miras novasque narrationes sine maturo examine chartis illinunt, atque incautos lectores ita fallunt.

62 Nondum oblitus sum Ludovici de Urreta Dominicani, qui ex falsa nonnullorum Abyssinorum narratione fabulosissimam Æthiopiæ historiam contexuit, ut viri naris emunctioris affirmant, & Echardus inter scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tomo 2. pag. 378. non diffitetur his verbis: *Nos hoc unum contendimus, Urretam ab impudentiorum falsariorumve crimine immunem omnino esse, nec quid, quod verum ipse non putaret, edidisse; utrum autem cujusdam Æthiopis agyrtæ Joannis Baltazeri fraudibus illectus & circumventus fuerit, faciliorisque fidei hominem se præstiterit ac levioris, id peritorum certe cordatorumque relinquimus arbitrio & criterio.* Adhuc etiam recordor Joannis de sancta Maria Dominicani Galli, quem laudatus Echardus de nimia credulitate accusat, ut in Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. IV. n. 63. & sequentibus retuli. Nemo igitur ægre ferat, si severius imposterum discussero monumenta Bononiensia, quæ R. P. Touronus statim pro genuinis habet aut potius supponit, & authenticam illorum probationem requisivero.

§. V. Examen monumentorum Bononiensium, quæ Alexander Macchiavellius anno 1735. vulgavit.

NOn est necesse, ut hoc loco discutiam singula, quæ Macchiavellius in Vindiciis suis confuse protulit: si enim præcipua illius testimonia legitime probentur, facile de reliquis inter nos conveniet. Quapropter incipio ab instrumento publico Magistratus Bononiensis, quod R. P. Touronus in Vita Gallica S. Dominici lib. 3. c. 9. ex Vindiciis Macchiavellianis ita transcripsit: *Nos .... inspecto tam generis tui splendida origine, quam novimus ex communi etiam voce & opinione, valde nobilem ex Guzmana familia Calaguritana in Hispania derivare, quam ipsius tui doctrinæ, operum & nuper conspicuis in Ordine tuo, per te instituto, Fratrum Prædicatorum Ordinis, alias Canonicorum Bononiensium, supremi muneris dignitate, te venerabilem & reverendum Magistrum Dominicum de Guzmanis, jam oriundum Calaguritanum in Hispania & modo per hanc nostram ordinationem, civem hujus civitatis Bononiensis, studiorum matris, ac sacri Ordinis institutorem, per quem insuper heri legitime in Conventu sive Capitulo omnium Fratrum tuorum in S. Nicolao de Vineis non secus, ac anno superiori ad peculiare hujus nostræ patriæ decoramentum celebrato, constabilitus in primum Magistrum generalem dicti tui Ordinis fuisti; ac insuper omnes & singulos tibi post vitam tuam in eadem dignitate Magistri generalis FF. Prædicatorum pariter legitime secuturos successores, nemine excepto, quemadmodum propter ipsum te, similiter statuimus de omnibus & singulis pro tempore futuris Prioribus in hoc cœnobio, jam Canonica S. Nicolai de Vineis Bononiæ, dicimus, creamus, facimus, & omni ampliori modo & forma volumus esse, haberi & teneri, tractari & recognosci pro cive & civibus civitatis nostræ Bononiæ, studiorum matris, dantes & conferentes propterea tibi & illis civibus ut supra creatis, omnia jura & privilegia, quibus alii cives veri & originarii potiuntur, atque adeo cum facultate insuper ingrediendi concilium generale, & dicendi ac dandi votum & suffragium in eo &c.*

64 Lecta explicatione Gallica, quam R. P. Touronus huic diplomati præfixit, vix dubitabam, quin ipsum privilegii istius autographum Bononiæ conservaretur, cum Biographus Gallus in Actis S. Dominici lib. 3. cap. 9. pag. 354. sic ambigue scribat: *Id videri potest in ipso instrumento, quod hic referemus eodem modo, quo in archivis publicis Bononiensibus invenitur.* Hac periodo lecta, quis non putaret, primigenium istius temporis instrumentum adhuc in archivo Bononiensi publice monstrari? Sed hanc opinionem mihi exemit Alexander Macchiavellius aut ejus editor, dum in notis ad Vindicias pag. XXVI. lectorem candide monet his verbis: *Utinam authenticum hoc documentum habere datum esset! At antiquo auctori huic, qui ex authenticis documentis, quæ narrat, se transcripsisse candida adeo verborum expressione fatetur, fides deneganda forsan erit?* Annotator hoc loco per antiquum auctorem intelligit Augustinum Annellium, qui seculo decimo quinto scripsisse dicitur, & cujus Italicum textum ibidem allegaverat. Imo R. P. Touronus forte per hæc instrumenta designat impressum Macchiavellii libellum, quem Magistratus Bononiensis in archivo suo reponi jussit, ut ex infra referendis apparebit.

65 Interea paucis examinabimus relatum hujus prærogativæ diploma, quod si genuinum sit, jam controversia nostra finita est, & S. Dominicus certissime ex illustri Guzmanorum stemmate originem traxit. At videtur primogenium vel authenticum istius privilegii instrumentum, si umquam Bononiæ exstiterit, incendio vel alio casu periisse, cum illud apud Augustinum Annellium dumtaxat assignetur. Sed hic propterea

mihi sese offerunt aliquæ difficultates, quas ab Alexandro Macchiavellio vel aliis Dominicanæ nobilitatis assertoribus dissolvi velim. Imprimis quæro ex viris cordatis, utrum non mirentur, Bononiæ Guzmanicam S. Dominici adhuc viventis originem *ex communi etiam voce & opinione* atque ex publico civitatis testimonio notam fuisse, & tamen omnes Actorum scriptores coævos ac suppares illustrem illam Sancti nobilitatem silentio præteriisse, quamvis de nativitate & parentibus ejus loquantur? Nonne prorsus mirum est, neminem ex omnibus Dominicanis, qui Bononiæ ad comitia generalia convenerant, vel ibidem cum S. Dominico habitaverant, de famosa sancti sui Fundatoris stirpe vel honorifica illa civium Bononiensium adoptatione post obitum ipsius meminisse?

66 De Guzmanico S. Dominici stemmate & hoc publico civitatis Bononiensis privilegio nullam mentionem facit Cæcilia de Cesarinis, prima sancti Fundatoris adhuc viventis filia spiritualis, quam Echardus in sacro gynæceo Dominicano, sive tomo 1. Bibliothecæ Prædicatorum pag. 830. post alia sic laudat: *Tanta vero deinceps morum cælestium ac disciplinæ regularis laude claruit, ut cum ejusdem Ordinis monasterium Bononiæ, sanctæ Agnetis dictum, erigendum aut potius jam erectum religiosis moribus informandum esset, eo, cum jam vigesimum secundum annum ætatis exiisset, auctoritate summi Pontificis missa est (1), quæ novum hoc monasterium præfecta regeret, & juvenes in eo receptas virgines ad veram pietatem & regularem disciplinam institueret. Diutius sacro huic præfuit gynæceo, pluresque insignes Christo Domino exornavit sponsas, inter quas numerantur B. Diana prima hujus monasterii, vivo tum adhuc beato Dominico, spontanea victima & fundatrix, soror Angelica de Bononia, & innumeræ aliæ.*

67 *Ad seros annos pervenit, & florebat etiamnum anno* MCCLXXXVIII. *quo accedentem ad se F. Gerardum Teutonicum è comitiis Ordinis generalibus, anno illo Lucæ habitis; in quibus nomine provinciæ suæ Teutonicæ diffinitor adfuerat, plura de beati Dominici gestis ἀνέκδοτα docuit, quæ postea ille Fratri Theodorico de Appoldia Vitam Sancti scribenti communicavit in eam inserenda.* Theodoricus de Appoldia in prologo primo ad Vitam S. Dominici, quam tomo 1. Augusti pag. 562. & sequentibus ex ipso edidi num. 4. de hac sororis Cæciliæ instructione meminit; sed de Guzmanica sancti Fundatoris sui nobilitate & illa publica Bononiensis civitatis adoptatione altum silet.

68 Etiam mirabili taciturnitate duas illas Sancti prærogativas suppressit Angelica Bononiensis, de qua laudatus Echardus pagina sequente tomi proxime citati sic scribit: *Soror Angelica de Bononia ex primis sacri gynæcei sanctæ Agnetis in civitate Bononiensi in ipsis Ordinis initiis erecti sanctimonialibus una fuit, quæ sub B. Cæcilia de Cesarinis supra laudatæ institutione ad eam perfectionem ascendit, ut illustrem vitæ suæ sanctissime actæ memoriam reliquerit. Floruisse dicitur ab anno* MCCXXV. *ad* MCCXL. *& ultra. Scripsit Vitam & gesta beati Dominici, ut eo narrantem B. Cæciliam & primos ejusdem Sancti socios audierat. Hujus Operis exemplum Ms. exstat Matriti in regio S. Dominici monasterio a F. Josepho de Sarabia, de quo supra pag. 782, visum, qui testatur tamen, non nisi apographum esse post annum* MCCCLXXII. *scriptum, cum eadem manu in eo habeatur non solum Vita S. Thomæ de Aquino, sed & hujus translationis corporis historia.* Quis facile credat, ambas istas spirituales S. Dominici filias, quæ diu Bononiæ habitarunt, hanc publicam sancti Patris sui gloriam vel ignorasse vel omisisse, quandoquidem plura minoris momenti de illo narrant?

69 Nonne præterea lector antiquariæ rei peritus jure merito mirabitur, in hoc diplomate prætermitti annum, mensem, diemque rei gestæ, & nomina eorum, qui S. Dominicum, ejusque successores civitate Bononiensi donarunt? Si R. P. Touronus aut Alexander Macchiavellius respondeat, istud dumtaxat esse apographum Augustini Annellii, qui brevitatis causa hæc omisit, & autographum illius privilegii documentum postea periisse, ulterius ambos ita interrogo: An antea nullum legitimum primigenii hujus diplomatis ecgraphum Patribus Prædicatoribus Romanis aut Bononiensibus communicatum fuit? An Romæ apud reverendissimos Magistros generales Ordinis, aut Bononiæ apud Dominicanos istius cœnobii Priores, qui juris hujus in perpetuum participes fiebant, nulla authentica vel antiqua illius beneficii memoria scripto conservata vel litteris mandata est? Certe tanta eximiæ prærogativæ negligentia vel oblivio æquis arbitris creditu difficilis apparebit.

70 Forsan autographum vel saltem antiquum istius privilegii testimonium adhuc Bononiæ cum blattis & tineis luctatur, quandoquidem tempore Augustini Annellii etiamnum superfuisse dicitur. Quare Bononienses diligenter excutiant omnes archivi sui angulos, & fortasse desideratum diploma reperient; nam Joannes Michael Pio sive Plodius Dominicanus Bononiensis in Opere de viris illustribus Ordinis Prædicatorum lib. 1. col. 120. narrat prodigiosam stellæ apparitionem, quæ anno Christi 1385. supra Bononiensem S. Dominici ecclesiam visa est, & authenticas hujus miraculi probationes adhuc in Bononiensi archivo conservari affirmat, ut § 49. Commentarii mei prævii ad Acta S. Dominici, seu tomo 1. mensis Augusti pag. 5.4. docui. An ergo post ætatem memorati Plodii, qui seculo decimo sexto & sequente floruit, hæc aliaque vetera documenta Bononiæ perierunt? Tempus & occasionem hujus infortunii Bononienses assignent, si possint.

71 Ne diutius inhæreamus huic diplomati, quem par est, nunc legere oportet epitaphium S. Dominici, quod apud R. P. Touronum l. 3. Vitæ Gallicæ cap. 11. pag. 367. in notis ita sonat: *Hoc est corpus venerabilis servi Dei Dominici de Guzman, nati civis Calaroguitani in Hisp. diœc. Oxom. & institutoris S. Ord. Prædicatorum, cujus fuit etiam Magister primus generalis per Honorium III. & postea hic Bononiæ per Capitulum generale Fratrum suorum confirmatus, anno superiori* MCCXX. *ac eo titulo ipso anno* MCCXXI. *insignitus, quo per populum Bononiensem fuit etiam in die festo Pentecostes* XXX. *Maii, cum omnibus generalibus Mag. Ordinis (2) dignitate successoribus civis suus creatus, ac qui in Domino obdormivit hic Bononiæ feria sexta post meridiem, die sexta Augusti . . . . Et per me legatum Hu-*

golin

(1) lege *sit*

(2) al. *in Gen. Magistri*

golinum Cardinalem post officium, quod ipse ei feci, hic dictum ejus ven. corpus meis manibus locatum est &c.

72 Ex hoc epitaphio præcedens diploma confirmatur, & propter hæc duo testimonia (utrumque genuinum & authenticum esse tantisper suppono) cuilibet agnoscenda erit sine dubio Guzmanica S. Dominici nobilitas, si R. P. Touronus aut Alexander Macchiavellius mihi exemerit aliquot scrupulos, qui nunc menti meæ occurrunt. Quapropter æquo animo ferant, ut alterutrum vel ambos interrogem hoc modo: An istud epitaphium tumulo S. Dominici inscriptum vel incisum fuit? Si ita est, cur Joannes Garzo orator Bononiensis, qui circa initium seculi decimi sexti Vitam S. Dominici scripsit, & alii rerum Bononiensium indagatores illud monumentum neglexerunt? An inscriptio illa incendio consumpta, an vetustate exesa est? Saltem alteruter mihi dicat, an adhuc supersit, ubi exstet, vel exstiterit, quo tempore vel quo casu perierit. Cur nemo ante seculum decimum quintum de epitaphio illo meminit?

73 Alexander Macchiavellius vel editor ad ejus Vindicias pag. xxx. in notis ita divinat: *Utinam hoc quoque splendidissimum monumentum adinveniretur! Quis scit, num in elegante illa, in quo sanctissimus parens Dominicus jacet, marmorea arca reconditum sit? Quis interim credet, virum hunc honestissimum* (Augustinum Annellium designat) *hacce in re, ea præcipue tempestate, qua nondum sapidi illi Antverpiensium scrupuli nati erant, imponere nobis voluisse aut imposuisse?* Simili interrogatione scilicet evincerem, Alanum Rupensem nobis imponere non voluisse, cum nondum nati essemus. Dum vero annotator ille respondet, hanc epigraphen tumulo S. Dominici fortassis inclusam esse, conjectura ejus omnino mihi videtur improbabilis: nam tumulus istius Sancti sæpe fuit reseratus, & tamen nulla fit mentio de hoc epitaphio, licet alia instrumenta ex eodem sepulcro extracta & lecta fuerint, ut in Commentario meo prævio ad Acta S. Dominici §. 49. videre est, ubi ex documentorum veterum repetita identidem inspectione ac recognitione usque ad annum Christi 1473. probavi, præcipuas sancti Patriarchæ reliquias apud Patres Prædicatores Bononiæ conservari. Videtur ergo tota istius epitaphii notitia duntaxat exstare apud Anellium, qui primum seculo decimo quinto floruisse fertur. Si denique hæc sepulcralis inscriptio tumulo sancti Fundatoris inclusa est, quomodo nullus, excepto Augustino Annellio, illam commemoravit aut transcripsit?

74 Cum igitur Alexander Macchiavellius & Antonius Touronus Annellium in rebus ab ætate ejus jam remotis ubique testem producant, tota utrinsque documenti jam relati fides niti videtur auctoritate istius scriptoris, quem plerique bibliographi non norunt. Saltem de me fateri cogor, quod ignorem prorsus, utrum Annellius iste sit albus, an ater. Quare nemo miretur, me non statim ei fidem adhibere, quamvis citet Luminosum de Aposa, qui sancto Dominico synchronus dicitur, & æque mihi ignotus est. Nec refert, Annellium ab aliquibus neotericis laudari: nam etiam Alanus Rupensis allegatur ab omnibus ferme recentioribus Dominicanis, quos tamen figmentis suis decepit. Quid si Annellius ille sit similis aliquibus impostoribus ejusdem seculi decimi quinti & sequentis, qui res numquam gestas aut scriptas sub nominibus veterum historicorum confinxerunt?

75 Exemplum habemus in Alano Rupensi, qui ex Joanne de Monte & Thoma de Templo, quos coævos S. Dominici socios appellat, commentitia ejusdem Sancti gesta & miracula speciatim narravit. Quare Bononienses ipsum Ms. civis sui Chronicon proferant, aut viris eruditis & a partium studio alienis ostendant, ut ex forma characterum & aliis adjunctis certius judicium de illo ferri possit. At imprimis ætatem Gustini vel Augustini Annellii sui distincte exprimere meminerint: hanc enim cum chronologia R. P. Touroni & historia Bononiensi conciliare non possum, sicuti jam demonstrabo.

76 Editor Vindiciarum Macchiavellianarum pag. xxx. notat sequentia: *Luminosus de Aposa vir honestissimus ac sancto Dominico coævus, qui effœta annorum octoginta octo ætate obiit anno* MCCLXXII. *Multa de patria sua Bononiensi, aut quæ ipse viderat, aut quæ ex publicis documentis collegerat, scripsit, quæ omnia improbo publici Officii, in quo adservabantur, incendio an.* 1413. *periere, præter ea, quæ ante incendium illud excerpserat Gustinus dalle Anello, quemadmodum ipse hoc loco candide fatetur*. Sed Cherubinus Ghirardaccius in Historia Bononiensi part. 1. pag. 562. in assignando hujus archivi Bononiensis incendio centum annis ab hoc annotatore differt, & lib. 17. memoratæ historiæ Bononiensis ad annum Christi 1313. jacturam plurium documentorum ea occasione deplorat. Ghirardaccius autem parte 2. ejusdem Historiæ Bononiensis ad annum Christi 1413. nullam de incendio archivi cujusdam mentionem facit.

77 Confirmatur istud incendii tempus ex ipsis Macchiavellii Vindiciis, ubi pag. xxxv. recitat sequentia Lanciæ de Bruscolo verba: *Namque per Deum immortalem, quot latet, plurima esse flammis voraciter vel supero repentino igne conflagrata; quam ob id luridam adhuc faciem archivum nostrum anno* MCCCXIII. *succensum exhibet, & in agro* IGNANUM, *qui locus est, a vetustiori subito incendio nomen retinet?* Oportet igitur in hac annotatione editoris agnoscere errorem typothetæ, qui annum 1413. perperam pro anno 1313. expressit, ita ut editor vel typographus anachronismum centum annorum nobis obtruserit.

78 Verum tunc oritur alia difficultas, quam ab Alexandro Macchiavellio vel R. P. Tourono solvi cupio, cum memoratus editor ad Vindicias Macchiavellianas pag. x. ponat hanc annotationem: *Hic Gustinus sive Augustinus dalle Anello circa annum* 1430. *grande suum de rebus Bononiensibus, ex publicis Bononiæ monumentis chronicon memoriale edidit, quod Amatus ejus filius, affecto adversa valetudine patre, usque ad annum* 1497. *in quo obiit, perduxit*. Etiam R. P. Touronus hanc Augustini Annellii ætatem assignat, & bis terve Chronicon ejus anno 1430. affigit, ita ut hic nemo mendum typographicum suspicari possit.

79 Si igitur archivum Bononiense an. 1313. conflagraverit, & Annellius anno 1430. Chronicon suum scripserit, quomodo ipse vel ejus

filius

silius Amstus hæc transcribere potuit ex publicis Bononiæ monumentis, quæ ante centum annos flammis consumpta fuerant ? Quomodo denique Gustinus Anoellius ineunte seculo decimo quinto verbum de verbo fideliter hæc monumenta excerpere potuit ex archivo Bononiensi, quod incendio anni 1313. jam perierat? Dignetur itaque R. P. Touronus me docere, quomodo hæc cohæreant, ac inter se combinari possint. Cum duo instrumenta jam relata sufficiant ad asserendam Guzmanicam S. Dominici nobilitatem, si legitima & sincera demonstrentur, non attingam alia recentiora testimonia, quæ proferuntur, nisi dum paragrapho sequente breviter assignabo modum, quo authentica istorum monumentorum fides etiam probari possit. Nunc ad hanc ipsam rem progredior.

§. VI. Assignatur facilis methodus, qua fides authentica monumentorum Bononiensium probari potest.

HAud dubie R. P. Tourono superfluus videbitur hic titulus, quandoquidem in Dissertatione critica post Gallicam S. Dominici Vitam §. 7. firmiter sibi persuadet, authenticam istorum documentorum fidem satis probatam fuisse nuper a Magistratu Bononiensi, cujus ibidem pag. 769. testimonium Latinum simul cum interpretatione Gallica sic recitat: *Antiani, consules, ac vexillifer justitiæ, populi & communis Bononiæ. Cum nobis & excelso Magistratui nostro fuerit a viro clarissimo de patria hac & republica litteraria optime merito, Domino Alexandro Macchiavelli philosopho Platonico, Jurisconsulto collegiato, ac publico legum interprete, oblatus liber impressus, cui titulus: „ Vindiciæ de origine sancti patris Dominici, Bononiæ civis atque patroni, a splendida Guzmanorum familia, solis Bononiensibus monumentis adornatæ, „ quo egregie & concludenter evincitur, sanctum Patriarcham atque concivem, præter omnem dubitationem, ortum fuisse ex præfata nobili familia, cujus præsertim intuitu a majoribus nostris in album civium Bononiensium fuit adlectus, & præcise die* XXX. *Maii, an.* MCCXXI. *relatus.*

81 *Propterea considerantes memoratum eumdem celebrem auctorem concivem nostrum eruditorum Operum editione, quæ aut Magistratui nostro, pro sua ejusque vetustæ gentis erga ipsum observantia, inscripsit; aut quæ jussu publico ad bonum patriæ elucubravit & edidit, grata officia nostra promeritum fuisse; volentesque idcirco votis nostris respondendo, & juxta vetus ac laudabile prædecessorum nostrorum institutum, eadem grati animi, benevolentiæ, dignationisque nostræ, quam ipsi pollicemur, sublimia testimonia constanter duratura exhibere, mandavimus librum ipsum in Archivo nostro reponi, ut ibi perpetuo cum aliis publico commodo propositis monumentis quam diligenter servetur & custodiatur. Datum Bononiæ in palatio publico ex aula residentiæ illustrissimi atque excelsi hujus Magistratus hac die sabbati* XXVI. *Februarii* MDCCXXXV. Tum sequuntur subscriptiones & aliud simile plebiscitum, quod mense Martio ejusdem anni 1735. vulgatum est. Illud autem hoc loco transcribere non lubet, cum sit ejusdem fere tenoris, & non magis, quam præcedens, ad controversiam nostram pertineat.

82 Quando pag. 768. legeram monitionem Gallicam, quam R. P. Touronus utrique huic instrumento præfixit, absque dubio putabam, manuscripta monumenta Bononiensia, quibus Alexander Macchiavellius recenter usus fuerat, in archivo Magistratus Bononiensis conservari, & consules aliosque præcipuos istius civitatis viros de sincera istorum manuscriptorum fide testimonium daturos. At mea me fefellit exspectatio, cum ex relato civitatis Bononiensis instrumento tantum colligi possit, impressum Macchiavellii librum in archivo Magistratus non ita pridem custodiri.

83 Magistratum Bononiensem & omnem potestatem a Deo constitutam veneramur; sed sæpius in re litteraria privatas urbium vel principum opiniones amplecti non possumus. Sic ab aliquot annis Magistratus Cordubensis in Hispania nobis huc misit humanissimas litteras, quibus obnixe rogabat, ut illustrissimo martyri ac levitæ Laurentio patriam Cordubensem vindicaremus. His litteris addebatur apographum Vitæ Laurentianæ excerptum ex Ms. codice, quem vetustissimum vocabant, & cujus ætatem non noverant. Cum vero deprehendissemus, hunc Ms. codicem recentiorem esse, quam illi putarent, desiderio istorum honorabilium virorum satisfacere non potuimus, ut ad diem x. Augusti, sive tomo secundo istius mensis pag. 508. & sequente fusius videre est. Igitur in factis historicis evidentes probationes exigimus, & potius testes antiquitatis peritos, quam nobili auctoritate præditos, requirimus. Nunc exemplo mentem meam clarius explicabo.

84 Verosimiliter R. P. Touronus vel etiam Macchiavellius in Memoriis Trivoltianis anni 1729. mense Julio pag. 1305. vel aliis libris antea vulgatis aliquando legit Epistolam S. Francisci Salesii, cujus autographum in Antverpiensi Hagiographorum museo reverenter & honorifice servatur. Nemini hactenus in mentem venit dubitare de genuina epistolæ istius fide, si excipias Ignatium Hyacinthum Amat de Graveson Dominicanum, qui pretiosum illud instrumentum de suppositione vel fictione arguere, eamque epistolam rotunde *spuriam & adulterinæ fœturæ partum* vocare non erubuit. Interim hæc autographa S. Francisci Salesii Epistola cuilibet, etiam contrariam sententiam tenenti, humaniter ab hagiographis ostendebatur, ut plures experti sunt ac testari possunt, qui Museum Antverpiense lustrarunt. Ut autem eruditi exteri, qui numquam in Belgium venerant, etiam sinceritatis hujus notitiam haberent, Joannes Baptista Sollerius piæ memoriæ collega noster totam illam Epistolam æri fideliter incidi curavit, ac ita quodam modo ipsum autographum multiplicavit, ut ibidem Trivoltiani loquuntur.

85 Multa cælaturæ hujus exemplaria per Europam sparsa sunt, iisque laudatus Sollerius addidit sequentem monitionem: *Celeberrima sanctissimi Gebennensium præsulis & principis Francisci Salesii ad Leonardum Lessium Epistola, propria ejus manu exarata, cum multis aliis ejusdem Sancti autographis epistolis sæpius collata, eruditorum omnis generis & gentis oculis tot annis usurpata, omnium calculis approbata,*

sine

imo Catholicorum plerorumque venerabundis oculis nonnihil fœdata, apud PP. Societatis Jesu, qui scribunt Acta Sanctorum, Antverpiæ religiose asservatur, advenientiumque omnium conspectui quotidie exponitur. Eadem ipsa in variis Operibus, seu tota seu ex parte, excusa est, de cujus genuina autographia nemo, quod sciam, saltem oculatus vel dubitare ausus est hactenus, donec è sacro RR. PP. Prædicatorum Ordine in ipsam impegit quidam, cujus audax juxta ac temeraria censura, solem & cœlum contra, ut ad oculum convellatur, totam ipsam Epistolam, quanta est, secundum formam, plicaturam, inscriptionem, sigillum ceterosque omnes omnino apices æri incisam hic expando, ut ex notissimo toto orbe Catholico Sancti charactere refutetur calumnia, discatque imposterum præceps criticus a eam sacris sanctisque monumentis calamum cohibere, quem turpiter hic acuisse, ex sequenti extracto circumforanei Operis faxo clare perspicias.

86 Deinde referuntur ipsa verba Gravesoni, qui in Historia ecclesiastica seculi decimi septimi, tomo 8. Germanicæ editionis par. 2. colloquio 5. pag. 142. Epistolam illam de suppositione sic accusat: *Circumfertur quædam S. Francisci Salesii Epistola ad Leonardum Lessium Societatis Jesu data die* XXVII. *Augusti anni* MDCXVIII. *in qua ajunt, sanctum illum Antistitem doctrinam Lessii de prædestinatione ad gloriam, meritis prævisis nixa, suo calculo approbasse. Verum ejusmodi Epistolam, tamquam* SPURIAM, *sancto huic Antistiti* SUPPOSITAM, ET ADULTERINÆ FOETURÆ PARTUM, *jure optimo exsufflant viri eruditi, eo potissimum nomine, quod, si hæc Epistola genuina certaque esset, suum omni procul dubio tot inter alias S. Francisci Salesii epistolas, summo studio & diligentia conquisitas, locum haberet. Porro certum est, hanc Epistolam, quæ prostat sub nomine S. Francisci Salesii, nullum inter ejus epistolas locum habere nec habuisse umquam; quod quidem argumento est, eam sancto huic Antistiti asseri ac vindicari non debere, maxime cum hujusce Epistolæ nullam prorsus mentionem fecerint diligentissimi S. Francisci Salesii Operum editores, quos tamen constat cetera quæque vel minutissima hujus viri Dei sedulo collegisse epistolarum fragmenta, eaque publica luce digna judicasse.*


87 Huc usque Gravesonus, cujus argumentum mere negativum (propter istud argumenti genus RR. PP. Prædicatores non parum de me conquesti sunt) Joannes Baptista Sollerius breviter diluit his verbis: *Qua arguendi ratio si subsistat, jam spuriæ sunt, suppositæ sunt, adulterinæ fœturæ partus sunt, quotquot usquam extant ejusdem Sancti litteræ & hic in Belgio & alibi, quæ in dicta earum collectione non reperiuntur. Quod pari argumento dixeris de litteris Pontificiis & sexcentis aliis monumentis, quæ quotidie erui, quis vel tiro in hisce rebus ignorat? Ut ex eo specimine colligas, quanti faciendæ sint tot aliæ id genus historici in eodem Opere censuræ, locum hic habeat parœmia:* EX UNGUE LEONEM. Ceterum hæc epistolæ Salesianæ sinceritas, ab annis undecim tam clare demonstrata, sufficere videbatur, ut Gravesonus inconsideratam suam censuram revocaret. Sed hactenus nullam temerarii istius judicii retractationem vidi.

88 At quorsum (inquiet nonnemo) tendit hæc tam longe quæsita ac fuse deducta censuræ Gravesonianæ commemoratio? Non scripsi hæc, ut Gravesonum satis superque refutatum rursus refellerem, sed ut hac in re Macchiavellius hagiographos Antverpienses imitetur, & quasdam monumentorum Bononiensium lineas æri fideliter incidi curet. Quod si velit parcere sumptibus in cælaturam expendendis, ipsos manuscriptos illorum monumentorum fontes assignet, aut saltem veteres codices ostendat viris eruditis, etiam de sinceritate eorum dubitantibus, ut antiquitatis periti commodo suo dispiciant, an in illis manuscriptis nihil sit alia manu additum vel interpolatum, ac demum de vetustate characterum prudenter judicium ferre possint. Ut facilius intelligar, hoc loco breviter exhibebo quoddam cælaturæ specimen, & simul hujus speciminis occasionem jam declarabo.

89 Nonnulli jactant, ut amicus fide dignissimus mihi retulit, in quodam manuscripto codice Theodorici de Appoldia pro adverbio *humiliter*, quod in Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 9. num. 140. observari jusseram, scribi adverbium *nobiliter*, quod ab altero multum differt in significatione, licet in litteris non sit magnum discrimen. Nescio quantum antiquitatis habeat iste codex, & an forte non sit corruptus ab amanuensi posteriore, qui adverbium *nobiliter* fraudulenter adverbio *humiliter* substituerit, sicut superius de Hispano manuscripti codicis interpolatore testis oculatus narravi.


90 Quidquid sit de hac notabili differentia, confidenter assero, in Appoldiano Musei nostri codice, qui P. MS. 8. signatur, illam periodum sic eodem charactere legi, prout hic æri incisam lector videt,

1



91 Accedit alter antiquus Musei nostri codex, P. MS. 7. signatus, qui etiam nomen Theodorici de Appoldia præfert, & eamdem periodum exprimit his characteribus.

2.



a

Desinant ergo quidam jactare adverbium *nobiliter*, aut legitime demonstrent, codicem suum Appoldianum utroque nostro vetustiorem esse. Si quis nobis aut cælatori non satis fidat, ipse ad Museum nostrum venire non gravetur, ut utramque cælaturam conferat cum duobus memoratis Mss. codicibus, quos jam inde curiosis quibusdam Belgis ostendi.

92 Spero, fore ut Bononienses hoc exemplum imitentur, & eruditis monumenta sua simili modo communicent, aut certe quibuslibet veteres characterum peritis humaniter ostendant,

dant, & cælaturam cum codicibus autographis conferre permittant. Forte Macchiavellius respondebit, la id facere non posse de duobus coævis instrumentis, quæ paragrapho præcedente discussimus, & quæ nunc ambo latent aut perierunt, ficut aditor Viodiciarum in ootis ibidem fatetur. At faltem id fieri poterit de Calendario perpetuo gymnasii Bononiensis, & rhythmo Galvanei Braggia, aliisque recentioribus testimoniis, quæ Bononiæ adhuc superesse perhibentur.

93 Si Macchiavellio eredimus, Calendarium istud gymnasii Bononiensis ab anno Christi 1280. vulgari cœpit, & die sexta Augusti refert sequentia: *Transfigurat. D. N. J. C. & obitus S. P. Dominici nati in Hispania ex illustri gente Guzmanna Calarogæ Oxamen. diœcesis & Ord. Frat. Prædicat. qui pro grandi decore hujus urbis fuit initio & per plures annos appellatus* ORDO FRATRUM PRÆDICATORUM CANONICORUM BONONIENSIUM, *institutoris, Doct. & civis, & protect. Bononiæ, qua in civitate pretiosa mors ejus contigit hac die A. S.* MCCXXI. *ætatis autem suæ quinquagesimo primo, & cujus sac. corpus apud nos sepultum est, ac in ecclesia sua hic veneratur, Honorio III. PP. & Guilfredo Pirovalo Mediolanensi, Bononiæ prætore. Inter Sanctos porro illum solemniter Reatæ Gregorius IX. retulit die* III. *Julii A. D.* MCCXXXIX. *coadjuvantibus plurimum illius canonizationem nostris Doct. Bononiensibus.*

94 In hoc fragmento Calendarii Bononiensis tantum mihi uccurrit unica levioris momenti difficultas, quam tamen ab Alexandro Macchiavellio avidenter explicari eupio. Non satis intelligo, qua de causa in illo Calendario prætor Bononiensis, quem scriptores istius temporis passim Latino-barbare *Potestatem* vocant, hoc loco cognominetur *Mediolanensis*: nam in Chronico Bononiensi, quod ex manuscriptis codicibus nuper Italice Mediolani vulgatum, & circiter medio sæculo decimo quarto conscriptum est, ut eruditissimus Muratorius in præfatione hujus chronici probat, inter Scriptores rerum Italicarum tomo 18. col. 253. ad annum Christi 1221. reperio hæc Italica verba: MCCXXI. *Messer Guidofreda da Pirovala* DI TOSCANA *fù Podestà di Bologna*. Cur in Calendario Bononiensi idem ille Prætor aut Potestas dicitur *Mediolanensis*, & in memorato Chronico Bononiensi cognominatur *di Toscana*, id est *Tuscus* aut *Etruscus*, cum hactenus invenire non potuerim, eo tempore Mediolanum ad Tusciam vel Etruriam pertinuisse?

95 Verum hic exiguus scrupulus facile dissipabitur, si Macchiavellius exemplo meo fragmentum istud Calendarii Bononiensis æri fideliter incidi jubeat, aut viris antiquariæ rei peritis ostendat. Insuper Alexander Macchiavellius ejusve defensores me docere dignentur, an illud Calendarium Bononiense primigenio charactere exaratum sit, & adhuc autographum Bononiæ conservetur. Denique mihi explicent, utrum diversa scriptorum sibi invicem succedentium manus in illo appareat, cum istud per tot annos a variis scribis auctum vel continuatum fuisse oporteat.

96 Equidem scio moris esse, ut hujusmodi calendaria vel chronica eodem calamo subinde ab elegantiore scriba postmodum renoventur, ne tota rerum gestarum notitia posteros lateat, si forsan autographum casu improviso periret. At tunc etiam non raro contingit, ut hoc primigenium exemplar aut prototypon in apographo corrumpatur ab infidelibus amanuensibus, qui vulgares patriæ traditiones, & suas aut amicorum gloriosas utilitates pee fas & nefas tueri volunt. Oculati testes & in antiquis instrumentis dignoscendis diu versati similia veritatis aut falsitatis indicia facile deprehendent. Quapropter desidero ut hæc & alia sedulo discutiantur ab eruditis doctisque viris, quos in celeberrima academia Bononiensi defuturos, nemo suspicabitur.

97 Restat igitur ultimus actus, isque forsan Alexandro Macchiavellio facillimus, qui in sincera ac legitima monumentorum Bononiensium probatione consistit. Si diligenter hoc executioni mandetur, post diuturnam moram tandem fiet id, quod omnes accuratos antiquitatis investigatores ab aliquot annis publice & privatim rogavi. Hac conditione, quam spero fideliter implendam esse, gratulor Alexandro Macchiavellio, eo quod primus anno Christi 1735. detexerit illustrem S. Dominici stirpem, quam PP. Prædicatores ante illud tempus ex domesticis instrumentis aut traditionibus nondum satis exacte vel solide probaverant.

98 Quapropter impense illum commendo precibus & favori totius Ordinis Dominicani, qui propterea huic felici documentorum Bononiensium inventori non parum debet. Etiam gratulor mihi ipsi, quia dubio meo præbui occasionem indagandi diligentius hanc historiæ partem, quæ prius non sat firmiter stabilita erat, & de qua propter insolitam veterum biographorum taciturnitatem non immerito dubitavi. Denique gratias ago R. P. Tourono, quod urbanitate sua me provocaverit ad investigandam Bononiensium monumentorum veritatem: Si quis enim consuetis antecedentium scribillatorum conviciis aut ineptiis me impugnasset, is certe nullum responsum tulisset. His subjungo varia linguæ Gallicæ & Hispanicæ testimonia, quibus brevem prologum præfigam.

INSTRUMENTA

GALLICA ET HISPANICA,

De quibus in hac dissertatione prævia mentionem feci.

BREVIS PRÆFATIO.

Haud dubie quidam lectores hujus Opusculi mirabuntur, & forsan improbabunt, hic absque Latina interpretatione tam multas ex peregrina lingua probationes allegari. Sed forte mirari desinent, & a me gravem accuratæ interpretationis operam non exigent, ut spero, si paucas istius consilii mei rationes attente perpenderint. Imprimis potissimum respondeo R. P. Antonio Touron Gallo, qui Gallicis S. Dominici Actis Dissertationem criticam Gallice subjunxit. Idcirco ipsa Gallica Biographi illius verba proferre malui, ne quis fortasse suspicetur, Gallicas ejus phrases a me non satis fideliter explicari, vel in deteriorem partem detorqueri. Præterea Gallus iste linguam Hispanicam vide-

videtur callere, cum varios textus Hispanicos in notis citaverit, aut per decursum sui Operis explicuerit. Cum igitur inter me & ipsum disputetur de Hispanico Moralesii genealogi Hispani sensu, quem sententiæ meæ contrarium existimat, prudenter ipsum Moralesium & alios hujus disceptationis arbitros alegisse videor Hispanos, qui de lingua sua vernacula certius judicare possunt, & apud quos ante aliquot annos ea controversia ferventius agitata fuit. Adde, quod omnes linguæ Latinæ periti satis ex Dissertatione mea prævia scire possint, in quo cardo quæstionis vertatur. Denique infirma corporis valetudo & aliæ magis utiles occupationes ab hoc tetrico labore me deterruerunt, ut verum fatear. Itaque nec operæ pretium mihi visum est, nec lubuit propter exteros quosdam, Gallicæ vel Hispanicæ linguæ ignaros, hæc instrumenta prolixiora magno cum tædio ac studio Latine interpretari. Tamen in gratiam Gallorum vel Hispanorum, & eorum, qui alterutram ex his linguis intelligunt, ista testimonia peregrina notis Latinis illustrabo.

CAPUT PRIMUM.

Ipsa verba vel argumenta Gallica, quæ R. P. Touron in Actis S. Dominici protulit.

IN Præfatione hujus Operis pag. IV. & V. hæc habet: *Pour éclaircir certains points, qui ne se trouvent pas dans la Chronique très-abregée du B. Jourdain, & qui ont été depuis peu contestés, nous avons été heureusement aidés par le zéle de quelques personnes habiles, qui ont bien voulu nous fournir d'excellens Memoires. On a travaillé pour nous en Espagne* (1), *& en Italie* (2). *Les manuscrits tres-authentiques, qui nous ont été envoyés de Rome* (3), *serviront à prouver avec la derniere évidence, que rien ne pouvoit être moins fondé, que le doute, qu'on avoit voulu faire naître de nos jours, touchant l'illustre naissance de saint Dominique. J'ose bien me promettre, que ce ne sera plus une matiere de contestation* (4). *Et puisque la charité ne permet point de penser, que des Ecrivains sages & religieux veuillent disputer par le seul plaisir de disputer* (5), *j'ajoûte qu'on ne l'auroit peut-être jamais fait sur cet article, si les Editeurs des Actes des Saints avoient seulement vû une partie de ce qu'on trouvera dans la suite de cette Histoire* (6).

2 Paucis interjectis: ibidem pag. V. & sequente sic loquitur: *Nous passerons sous silence les faits incertains ou peu importans, & tous ceux que nous ne trouverons appuyés, que sur une simple tradition, dont on ignore l'origine & le fondement. Nous ne pensons pas, que toutes les traditions populaires soient absolument fausses; mais nous ne croyons pas aussi, qu'elles soient toujours veritables: & quand il s'agit de quelque fait extraordinaire, il paroit qu'il faudroit quelque chose de plus, pour en prendre la garantie* (7). *Lorsque nous avons de bonnes preuves contre ces sortes de traditions, nous ne faisons point difficulté de les combattre; quoique d'habiles Critiques parmi le modernes les ayent quelquefois reçues, ou pour ne les avoir pas assez examinées, ou pour avoir trop facilement ajouté foi à ceux, qui en avoient parlé avant eux,*

3 Suivant ce principe, nous montrerons, que M. Baillet (8) *même, sur l'autorité d'un auteur du quinziéme siécle* (9), *a donné trop d'étenduë aux premieres missions de S. Dominique, dans quelques provinces d'Espagne; & nous prouverons contre les Continuateurs de Bollandus, que le Saint n'eut jamais aucune part aux jugemens rigoureux* (10), *que les Croisés, dans le Languedoc, prononçoient contre les Sectaires toujours opiniâtres dans leur heresie. Comme il est du devoir d'un historien exact d'établir solidement ce qu'il trouve de certain, il doit aussi rejetter tout ce qui paroît ajouté à la verité* (11). *Il n'y a rien de bon que ce qui est vrai.*

4 Dein lib. I. Vitæ Gallicæ c. I. Guzmanicam S. Dominici nobilitatem probare nititur his verbis: *Pour ne point rompre d'abord le fil de l'histoire par une longue digression, qui ne plairoit peut-être pas à ceux, qui dans la vie d'un Saint n'aiment à lire que ce qui édifie leur pie-*

[1] Ex Hispania prodierunt illa testimonia, quæ Biographus Gallus Actis S. Dominici subjunxit. At his opus non erat, cum rem non conficiant, aut recentiora sint, ut in Dissertatione prævia §. 1. num. 7. dixi. Præterea scire velim, an omnes illi Magnates, quorum testimonia referuntur, ex primaria Guzmanorum familia orti fuerint. [2] In Italia potissimum Bononiæ laboratum est, ut ex Vindiciis Macchiavellianis patet. [3] Biographus hic in margine citat R. P. Bremond Doctorem Casanatensem & assistentem Reverendissimi patris Generalis ex Ordine Prædicatorum, qui mihi tantum scriptis quibusdam notus est. Ceterum miror, hæc instrumenta *maxime authentica*, sicut hoc loco gratis appellantur, potius Roma quam Bononia in Galliam transmissa fuisse, nisi forsan Biographus per instrumenta *maxime authentica* more Magistratus Bononiensis ipsum impressum Macchiavellii libellum significare voluerit, ut §. 6. Dissertationis præviæ num. 82. ex relato Bononiensium testimonio collegi. [4] Jam superius promisi, hanc controversiam finitam esse, si fideliter executioni mandentur ea, quæ §. 6. Dissertationis præviæ postulavi. [5] Vilis enimvero ac turpis esset hæc delectatio! Semper disputavi, ut veritatem certius indagarem, & eo fine nunc etiam eruditis arbitris hanc Dissertationem meam proposui. [6] Satis tempestive testimonia hujus nobilitatis a RR. PP. Prædicatoribus petivi. Sed hæc Bononiensia tunc ipsis & nobis ignota fuerunt. Si ante annum Christi 1733. communicata fuissent, ea post diligens examen admisissem vel rejecissem, quemadmodum jam sub conditione feci. [7] Inter populares traditiones ab hoc prudente Biographo prætermissas videtur numeranda Segoviensis illa, quæ S. Dominico sacra stigmata tribuit, ut in Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 31. num. 593. & sequentibus explicui. [8] In Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 11. num. 182. & sequentibus jam diu castigatus est hypercriticus iste, qui alibi tam severus, hoc loco cæce fabulas adoptavit. [9] Hic indicatur Alanus Rupensis, qui primus istas fabellas procudit, ut proxime citato Commentarii prævii paragrapho videre est. [10] Videtur hoc loquendi modo Biographus Gallus opinionem nostram de pertinacibus hæreticis per S. Dominicum judicio seculari traditis cum fabulis Alani Rupensis comparare. Sed ingens discrimen est inter opinionem verisimilem & manifestam fabulam: nam illa sententia mea saltem probabilis est, eamque §. 3. Dissertationis præviæ num. 46. & sequentibus, iterum pro tali cum R. P. Malvenda Dominicano defendo. [11] Hæc doctrina verissima est, & propterea varias traditiones populares & evidentes fabulas ex Actis S. Dominici expungendas esse monuimus.

pieté, on ne s'arrêtera pas à faire connoître la genealogie des Guzmans (1), ni à prouver ici avec quelque étenduë la verité de la tradition, qui fait sortir saint Dominique de cette illustre Maison, si distinguée en Espagne par les grands services, qu'elle a rendus à l'Etat, & par ses alliances avec les premieres Maisons de l'Europe (2). Elle est trop ancienne cette tradition, pour qu'elle ait besoin de nouvelles preuves, & trop constante, pour qu'on puisse jamais esperer de la combattre avec succès.

5 Ambroise Moralez celebre Genealogiste & Historiographe du Roi Catholique Philippe II. a prouvé, il y a près de deux cens ans, que les historiens de la nation n'ont jamais varié sur ce point (3).... Nous en donnerons de preuves bien claires & bien authentiques. On peut en avoir deja vû quelques-unes dans l'ouvrage du sçavant Alexandre Macchiaveli (4), avocat & professeur public de Bologne. L'auteur est récent; mais les preuves, qu'il nous fournoit, prises des antiquités de Bologne, ne peuvent remonter plus haut (5). Elles trouveront naturellement leur place dans la suite de cette histoire, ainsi que plusieurs autres, qui ne paroîtront pas moins expresses. Nous ne differons de les rapporter, que pour éviter les redites (6).

6 Quelques Modernes, qui avoient voulu faire regarder comme douteuse cette noblesse de S. Dominique, ne paroissent avoir eu d'autres fondement de leur doute, que le silence du B. Jourdain, & de ceux qui l'ont copié... Toutes les difficultés disparoissent, au jugement même des Bollandistes (7), dès qu'au silence de quelques auteurs on peut opposer le temoignage exprès de plusieurs autres, qui ne sont ni moins anciens, ni moins instruits de ce qu'ils avancent. Ces Ecrivains ont quelque fois mis en pratique cette regle de critique... Il faut esperer, que dans le cas present ils en feront de même, quand ils verront, que dans un Acte public & fort solemnel, passé du vivant de nôtre Saint, & en sa presence, les Magistrats de Bologne l'appellent plusieurs fois DOMINIQUE DE GUZMAN, & declarent, que ce n'est pas moins en consideration de son illustre naissance, qu'a cause de sa qualité de Fondateur & de premier Superieur General de son Ordre, qu'ils lui donnent le titre, les honneurs, & tous les privileges de Citoyen de Bologne. Dans un second Ecrit du VIII. Aout MCCXXI. le Cardinal Hugolin, Legat du Pape & ami particulier de S. Dominique, parle de même de sa naissance, & rappelle la declaration des Bolonois (8). Les autres Monumens de la ville de Bologne & les Martyrologes de cette eglise ne s'expliquent pas d'une maniere moins expresse, toutes les fois qu'ils font mention de nôtre Saint.

7 Toutes ces pieces, la plûpart plus anciennes que les écrits du B. Jourdain, ne sont points demeurées jusqu'aujourdhui dans l'obscurité des Archives (9). Luminosi de Aposa, contemporain de S. Dominique & Agent public de Bologne, les insera dans sa chronique dès le treiziéme siécle (10). Galvanus Braggia (11) en a fait mention dans un petit Ouvrage composé l'an MCCCXLVII. lorsque la ville de Bologne menacée de peste, imploroit avec une nouvelle ferveur, la misericorde de Dieu, & la protection de ses saints Patrons: „ Majores nostri ipsum (S. Dominicum) ampla quia „ stirpe editum Guzmana, in civem allicuere „ suum „. Augustin Annelli (12) dans sa chronique de MCDXXX. assure le même fait, & en apporte des preuves, qu'il avoit tirées, dit-il, ou copiées mot à mot d'un monument ancien & authentique...

8 Mais ces vieux monumens & ces auteurs Italiens n'étoient point venus à la connoissance du pieux & habile Ecrivain, qui nous a donné ses Commentaires sur la vie de S. Dominique. Il avoue, qu'il n'avoit rien vû de tout cela, & il est juste de l'en croire sur sa parole (13). L'Apologiste (14) du R. Pere Cuper avoit promis, il y a deja quatre ans, d'examiner avec une severe attention tous ces Monumens de Bologne, soit pour y souscrire & publier avec nous

la

[1] Recte judicat scriptor Gallus, sibi hic in describenda Guzmanorum genealogia diutius hærendum non fuisse: habemus enim multas ac diversas illustris familiæ illius arbores genealogicas, quæ ad controversiam nostram nihil faciunt, ut ex annotatione sequenti patebit. [2] Jam dudum noveram, stemma Guzmanorum per totam Europam celebrari, & ideo lectorem §. 9. Commentarii prævii num. 137. præmonui his verbis: *Nullus itaque de insigni & vetusta familiæ Guzmanicæ nobilitate dubitat; sed quæstio pure historica superest, an S. Dominicus ex illustri illa stirpe ortum duxerit.* [3] Quamvis R. P. Touronus id hoc loco confidenter asserat, tamen inter me & ipsum de sententia illa nequaquam convenit, ut ex §. 1. Dissertationis præviæ num. 9. & sequentibus apparuit. [4] Hunc scriptorem, qui aliis opusculis etiam notus est, semper Latine *Macchiavellium* appellavi, quia in titulo Vindiciarum sic se ipsum cognominavit. [5] Biographus hac phrasi Gallica voluit indicare, quod Macchiavellios antiqua & synchrona testimonia produxerit. At ubi illa sunt, aut cui veteri scriptori umquam innotuerunt? [6] Reverendus sacræ theologiæ Professor hic innuit, se odisse repetitas ejusdem rei probationes, & propter eas interdum me carpit. At in decursu harum annotationum deprehendemus, ipsum quoque subinde repetitionibus usum fuisse. [7] Sic in Gallia passim vocamur, eo quod R. P. Joannes Bollandus Opus nostrum primus typis edere cœperit. [8] Jam §. 5. hæc duo monumenta discussi & candide fassus sum, controversiam finitam esse, si genuina illorum fides ostendatur. [9] Hisce lectis, quis non putaret, illa vetera monumenta nuper ex archivis transcripta fuisse, & adhuc in iisdem conservari? Tamen editor Vindiciarum Macchiavellianarum fatetur, ea jam latere, vel periisse, sicut paragrapho mox citato retulimus. [10] Quis etiam ex illa confidenti assertione non colligeret, chronicon coævum Luminosi de Aposa ad manum esse? Ceterum scriptor ille bibliographis Bononiensibus ignotus est, & ejus chronicon ostendi non potest. [11] De Galvano illo Braggia, qui in Notitia scriptorum Bononiensium non memoratur, supra §. 2. num. 22. & §. 3. num. 42. disserui. [12] Gustinus ille vel Augustinus Annellius mihi de fictione suspectus est, & in Dissertatione prævia n. 78. & sequente non contemnendam difficultatem opposui ipsius ætati, qua dicitur hæc monumenta anno 1430. ex antiquioribus collegisse. Cum tamen amicus meus Italus existimet, ab Augustino dalle Annelle scriptum fuisse chronicon, quod a Macchiavelliano plane differt, facile fieri potuit, ut aliquis impostor huic vero Annellii Chronico fictitium aliud adjunxerit, aut nomine ejus confinxerit. [13] Sine hac inutili & superflua fidei meæ commendatione istud facile credi poterat, nisi spiritu prophetiæ fuissem præditus, ut in Dissertatione prævia num. 23. observavi. [14] Hic indicatur Germanus Romano-Catholicus, ut eodem num. 23. monui.

la noblesse de S. Dominique de Guzman ; soit pour montrer (s'il étoit possible) la fausseté de toutes ces pieces. Nous ignorons encore quel a été le succès de son examen. Mais son silence parle assez : & le Magistrats de Bologne, toujours zélés pour la gloire de leur S. Patron & depositaires des principales pieces (1) *publiées en dernier lieu par Alexandre Macchiavel, viennent d'en certifier l'authenticité par deux Actes publics* (2).

9 *On les trouvera en entier à la fin de cet ouvrage, avec les declarations, que fit Alphonse X. Roi de Castille, l'an* MCCLXVI. & MCCLXX. *lors qu'établissant les Religieuses de S. Dominique, dans le Palais de Guzman* (3) *à Calaruega, sa Majesté declara, qu'elle avoit voulu convertir la maison paternelle* (4) *du saint Fondateur en un monastere ; afin que dans le lieu même, où il étoit né* (5), *le Seigneur fut servi avec pieté, & loué le jour & la nuit.*

Dom Jean Perez de Guzman & Dom Diego Garcia, fils de Dom Garcia Fernandez, par un Acte passé à Burgos le XXII. *de Juillet* MCCLXVI. *donnerent à ce monastere royal, les héritages, vassaux, & tous les autres droits, qu'ils avoient dans la ville de Calaruega, declarant qu'ils faisoient cette donation à cause* DE LA PARENTE' (6) *& devotion particuliere, qu'ils avoient au glorieux patriarche saint Dominique.*

10 Deinde biographus Gallus ibidem de liberis Felicis ejusque uxoris aut fratribus S. Dominici differit hoc modo : *Les trois premiers, dont nos historiens font particulierement mention, se consacrerent au service des autels. L'ainé de tous, nommé Dom Antoine, remplit jusqu'à la fin de sa vie, tous les devoirs d'un digne Prêtre, & d'un parfait disciple de Jesus-Christ, dans un Hôpital ; où l'esprit de pénitence, de zéle, de charité, & les œuvres de misericorde, qu'il y exerça, l'eleverent à une si éminente sainteté, que selon Thierri d'Apolde, elle fut honorée de plusieurs miracles après sa mort. Nous parlerons ailleurs du second, appellé Manès ou Manez, qui se joignit à nôtre Saint dans ses missions & dans sa profession. Dominique fut le troisieme. Et nous ignorons les noms de ceux, qui naquirent après lui* (7). *Un auteur du treizieme siecle dit, que deux de ses neveux* (8) *entrerent dans son Ordre, auquel ils firent honneur par la pureté de leur vie. Dominique ne fut donc pas le dernier fruit de cet illustre mariage* (9) ; *mais il en a été le plus excellent.*

Opusc. Collect.

11 Capite tertio ejusdem libri primi laudatus Vitæ Gallicæ scriptor occasione diplomatis, cujus in Commentario meo prævio ad Acta S. Dominici §. XI. mentionem feci, sic ratiocinatur: *Dom Joseph-Etienne de Noriega, Abbé de l'Ordre de Prémontré, dans sa dissertation imprimée depuis peu à Salamanque, à voulu établir une autre datte ; mais il le fait sur un fondement ruineux, & il avance en même temps quelques faits, que la verité de l'histoire ne permet ni de recevoir, ni de passer entierement sous silence. Cet auteur assure d'abord, que S. Dominique dès sa plus tendre jeunesse entra dans le monastere de sainte Marie-des Vignes ; qu'il porta l'habit de S. Norbert, & fit profession de sa Regle ; qu'après avoir édifié l'Ordre par l'éclat de ses vertus, & l'avoir illustré par ses miracles, il fut fait Prieur du même monastere, & le gouverna fort saintement. Il cite un Acte passé en* MCCII. *où après la souscription de l'Abbé, on lit celle-ci :* D. DOMINICUS DE GUZMAN, PRIOR EJUSDEM ECCLESIÆ. *Enfin selon l'opinion de cet Ecrivain ce ne fut que dans le cours de la même année* MCCII. *que nôtre Saint (avec plusieurs autres grand personnages du même Ordre) fut appellé par l'Evêque d'Osma, pour travailler à la reforme de son Chapitre . . . . Il faut cependant avouer, que l'Acte, dont parle de Noriega, signé par Dom Dominique de Guzman, Prieur du monastere des Vignes, s'il étoit bien authentique, n'embarrasseroit pas peu nôtre chronologie, ou plûtôt celle de tant d'auteurs presque contemporains, sur le temoignage desquels nous nous appuyons. Mais en même-tems nous aurions, dans cette piece, une nouvelle épreuve bien decisive* (10) *de la noblesse de nôtre Saint.*

Lib. I. cap. 14. occasione piissimi exercitii, quod vulgo *Rosarium* vocant, & cujus originem §. XIX. & sequentibus Commentarii mei prævii operose indigaveram, ac dijudicandam

Pppp reli-

[1] Qualia monumenta conservat Magistratus Bononiensis præter impressum Macchiavellii librum? Si sint autographa, & ab illo libello distincta, proferantur & eruditis ostendantur. [2] In Dissertatione prævia §. 6. num. 80. & sequentibus unum ex his Actis publicis exhibui ; sed istud testimonium parum me movit, ut ibidem significavi. [3] Alphonsus rex nusquam declarat, se palatium Guzmanicum in cœnobium monialium commutasse, sed etiamsi id verum foret, illa declaratio magis adversario noceret, quam prodesset, ut num. 34. & 35. Dissertationis præviæ contendo. [4] In instrumento fundationis idem rex Alphonsus nullam mentionem facit de paterna S. Dominici domo, quam in monasterium converterit, ut etiam numeris proxime citatis observavi. [5] Ex hac R. P. Touroni sententia sequeretur, natale S. Dominici cubiculum in ipso cœnobio situm esse, ubi moniales Deum die noctuque laudant. At illa opinio contraria est testimonio Moralesii, sicut num. 35. Dissertationis præviæ vidimus, & postea ex Hispanico ejusdem Moralesii textu confirmabimus. [6] Biographus hanc vocem Gallicam distincto charactere notavit. Sed caute siluit, in diplomate Hispanico legi vocem *naturaleza*, quæ æquivoca est, sicut ex Commentario meo prævio ad Acta S. Dominici §. 9. num. 151. scire poterat. Itaque lectorem in notis monere debuisset, Hispanice exprimi vocem *naturaleza*, de qua novum Dictionarium linguæ Castellanæ tomo 4. pag. 651. habet sequentem explicationem: NATURALEZA *se toma assimismo por el origen, que alguno tiene en alguna ciudad o reino, en que ha nacido.* Hæc significatio ibidem exemplis probatur. [7] Non est mirum, ignorari nomina juniorum fratrum, cum nulli post S. Dominicum nati fuerint, teste Moralesio, quem §. 3. num. 36. citavi. [8] Vox Latina *nepotes* & Gallica *neveux* interdum in latiori significatione usurpatur, ut num. 37. Dissertationis præviæ probavi. [9] Quidam suspicantur, S. Dominico fuisse sororem, per quam familia propagata sit. Sed hoc prorsus incertum & Moralesio contrarium est. [10] Etiamsi genuinum esset istud diploma, quod amplissimus D. Josephus Stephanus de Noriega retulit, nondum video, hanc esse decretoriam probationem pro illustri S. Dominici nobilitate : nam eidem diplomati subscribit alter D. *Petrus de Guzman Canonicus ejusdem ecclesiæ*. An ille Petrus etiam certe ortus erat ex illustri Guzmanorum stemmate? Simili argumento probarem, duos typographos Hispanos ejusdem cognominis ex nobilissima familia Guzmanica prodiisse.

reliqueram eruditis lectoribus, R. P. Touronus ex Monumentis Bononiensibus profert sequentia: *Galvanus Braggia, auteur Bolonnois, qui écrivoit en* MCCCXLVII. *lorsque la ville de Bologne étoit ménacée de peste, dit en termes formels, que saint Dominique, l'un des saints Patrons de cette ville a été le premier Auteur du Rosaire: „ Rosarii demum tuo nostroque primum hic „ [1] auctore Dominico „ Augustin Annelli dans sa Chronique de Bologne; composée en* MCDXXX. *apporte plusieurs preuves de ce fait, qu'il declare avoir tirées des Actes de quelques Notaires; & de plusieurs manuscripts, dont les auteurs contemporains de saint Dominique n'avoient écrit, que ce qui s'étoit passé de leur tems, & quelquefois en leur présence. Parmi ces historiens, ajoute Annelli, j'estime particulierement Luminosi de Apòsa [2] comme celui qui étant Agent public de cette ville, avoit eu une connoissance particuliere de plusieurs faits, dont il nous a instruit.*...

13 *Le Pere Echard avoit d'abord écrit, que la pratique de joindre la meditation des saints Mysteres à la recitation du Chapelet n'avoit commencé que dans le quinzieme siecle. Il a depuis reconnu son erreur, & il s'est retracté [3]: Un auteur qui aime sincerement la verité, lui fait toujours hommage, & quand elle le favorise; & lorsqu'elle paroit contraire à ses interêts. Rien ne doit être plus précieux, que la verité [4]. Si nous étions moins persuadés qu'elle est le solide fondement de la tradition, dont il s'agit ici, nous ne craindrions pas de la combattre cette tradition; ou du moins nous la mettrions au rang de celles, que nous passerons sous silence dans la suite de cette histoire.*

14 *Les Editeurs des Actes des Saints ont fait une fort longue Dissertation sur le fait présent; mais ils ne l'ont point éclairci. Tout leur travail après bien des recusations, semble n'aboutir, qu'à faire remarquer le peu d'uniformité, qui se trouve parmi les auteurs, qui ont cru que cette institution étoit plus ancienne que saint Dominique [5]. Les uns la rapportent au deuxieme siecle; les autres au neuvieme. Il y en a qui en vont chercher l'origine dans le sixieme siecle, ou dans le tems même des Apôtres. On peut dire, que leur embarras & la foiblesse de leurs preuves (si on peut les appeller des preuves) decident en notre faveur ....: Nous osons bien défier nos adversaires de faire voir, que cette pratique ainsi entendue ait été publique dans l'Eglise avant le tems de saint Dominique.*

15 Ad hunc textum suum R. P. Touronus alio charactere pressit annotationem sequentem his verbis: *Un auteur du quinzieme siécle [6], qui n'établit ordinairement les faits historiques, que sur des visions ou des revelations, assure que la devotion du Rosaire à été connue & familiere aux premiers Docteurs de l'Eglise, & aux anciens Fondateurs d'Ordre, parmi lesquels il nomme saint Ambroise, saint Jerôme, saint Augustin, saint Gregoire, saint Benoit, le venerable Bede & saint Bernard. Mais le sçavant Pere Mabillon [7] nous a dispensé de répondre serieusement à une fiction, qui ne merite pas même d'être refutée.*

16 Denique lib. 3. Vitæ Gallicæ cap. 9. pag. 354. & sequente in notis exhibet diploma Latinum, quo Magistratus Bononiensis S. Dominicum inter cives suos adoptavit, & istud ibidem sic Gallice explicat: *Ce fut après ce second Chapitre de Bologne, que les Magistrats de cette ville, & ceux qui étoient à la tête du Conseil, voulurent temoigner plus particulierement à nôtre Saint l'estime qu'ils faisoient de son merite & leur juste reconnoissance pour toutes les marques de prédilection qu'ils recevoient tous les jours de sa part. Ils le firent par un Acte public, qui declaroit Dominique de Guzman citoyen de leur ville avec droit d'entrer dans leur Conseil, de donner son suffrage dans toutes les deliberations publiques, & de jouir de tous les autres droits, dont jouissoient les citoyens naturels. Les principaux motifs de leur declaration furent la doctrine ou la science eminente du Serviteur de Dieu; ses belles actions, la qualité de Fondateur & de chef de l'Ordre des Freres Prêcheurs, qu'ils appellent encore Chanoines de Bologne; & en particulier son illustre naissance de la Maison de Guzman, si celebre en Espagne. C'est ce qu'on peut voir dans cet Acte même, que nous rapporterons tel qu'on le trouve encore dans les Archives publiques de Bologne [8]. Les Bolonois ne se contenterent pas d'accorder à nôtre Saint un honneur, que les celébres villes d'Italie n'ont coûtume de deferer, qu'aux personnes les plus distinguées par leur naissance & par leurs qualités; mais à sa consideration ils donnerent dès-lors les mêmes droits & les mêmes privileges à tous ses successeurs dans la charge de superieur General de son Ordre [9].*

CA-

[1] Ex adverbio *hic* tantummodo sequeretur, S. Dominicum Bononiæ fuisse primum, qui piam Rosarii recitandi praxim ibi induxerit, quemadmodum num. 43. Dissertationis præviæ admisi ex hypothesi, quod Galvanus Braggia sit auctor antiquus ac genuinus. (2) Testimonium Luminosi de Apòsa & alia vetera documenta tantum nituntur auctoritate Annellii, sicut in Dissertatione prævia aliquoties repetii. Itaque fides hujus recentioris auctoris invicte probanda est. Insuper Macchiavellio incumbit ostendere, quod genuinum Annellii Chronicon non differat ab eo, quod hoc loco Macchiavellius allegat. (3) In Dissertatione prævia §. 3. num. 44. & sequente dixi, Echardum laudabiliter hanc priorem suam sententiam revocasse; sed eam retractationem nihil ad me pertinere. (4) Si Gravesonus hoc verissimum effatum attente expendisset, forsan evidentem & clare demonstratum errorem suum circa Epistolam S. Francisci Salesii revocasset. (5) Licet auctores illi de tempore instituti Rosarii non concordent, tamen initium pii hujus exercitii ante tempora S. Dominici collocandum censent. Igitur hi potius impugnandi erant, ut superius §. 3. num. 38. & sequentibus ostendi. (6) Saltem lætor; hac occasione fabulas Alani Rupensis, qui hoc loco per auctorem seculi decimi quinti designatur, ingenue tandem agnosci. (7) At eruditus ille Mabillonius etiam de primo Rosarii institutore dubitavit, quamvis judicet, hoc pietatis exercitium ætate S. Benedicti ac venerabilis Bedæ recentius esse. (8) Numquid ex his verbis incautus lector inferret, illud instrumentum autographum adhuc in archivis Bononiensibus asservari? Tamen ex num. 64. Dissertationis præviæ colligimus, istud ibi non inveniri. (9) Videtur hoc loco R. P. Touronus oblitus esse RR. PP. Priorum Bononiensium, qui eodem privilegio gaudebant, ut ex diplomate sequitur.

CAPUT SECUNDUM.

Ratiocinationes desumptæ ex dissertatione critica, quam R. P. Touronus Gallicis sancti Dominici Actis subjunxit.

Amicus adversarius pag. 744. & sequentibus ita ratiocinatur: *Il y a six ans précisement* [1], *qu'on a commencé à vouloir faire douter de l'illustre naissance de nôtre Saint. Cette critique, aprés une Tradition constante de plus de cinq siécles, paroissoit avoir quelque chose d'odieux, ou de trop affecté. On l'a senti; & on a cru pouvoir donner le change au lecteur, en prêtant au nouveau doute* [2] *une ancienne date. L'editeur des Actes des Saints, dans son premier Tome d'Aout, publié l'an 1733. commence ainsi sa dispute. „ Ambroise Morales dans une dissertation particuliere, qu'il a ajoutée au troisiéme Tome de sa Chronique d'Espagne, tâche de prouver, par divers raisonnemens, que S. Dominique étoit issu de la noble Maison de Guzman. Il avoue neanmoins, que ce fait n'avoit pas encore été suffisament prouvé; & qu'il avoit paru douteux a quelques-uns. De là les Auteurs modernes, qui ont écrit les actions de S. Dominique, lui attribuent communement ce titre de Noblesse „* [3].

18 *Par ces paroles l'Editeur a prétendu insinuer trois choses; 1°. qu'il n'y a que les Modernes, ceux qui ont écrit depuis Morales, qui aient donné à nôtre Saint une si illustre origine: 2°. que du tems de Morales, dans le seiziéme siécle, cette noblesse étoit disputée: 3°. que l'Historien Espagnol n'avoit entrepris sa Dissertation critique, que pour détruire ce doute ou pour le combattre* [4]. *Mais aprés tout ce qui a été déja dit, il ne paroît pas bien necessaire de refuter encore cette nouvelle opinion: il en coutera peu, pour en montrer la fausseté dans toutes ses parties.*

19 *Et d'abord je demande s'il faut mettre au nombre des modernes, ceux, qui vivoient du tems même de S. Dominique, ou peu d'années aprés sa mort? Compterons-nous parmi les récens, dont le témoignage peut être recusé, les Magistrats de Bologne, qui, adressant la parole au saint Fondateur l'an 1221. relevoient la grandeur de sa naissance, parmi ses autres qualités: „ Inspecta tam „ generis tui splendidâ origine, quam novimus ea*

Opuscul. Collect.

„ communi etiam voce, & opinione valde nobi„ lem, ea Guzmana familia „ &c. Le célébre Cardinal Hugolin, si intimement uni au Serviteur de Dieu, ignoroit-il qui il étoit? ou prétendoit-il le flatter même aprés sa mort, en le nommant DOMINIQUE DE GUZMAN, *& rappellant dans son Epitaphe l'Acte public de Bologne, qui le qualifioit de même? Ce double temoignage (n'en eussions-nous aucun autre) ne seroit-il point pleinement suffisans pour lever tout doute, & terminer la dispute* [5]?

20 *Dom Jean Perez de Guzman, & Dom Diego Garcia, de l'illustre maison de Aza, par un acte de 1266. donnerent les vassaux, & les héritages, qu'ils possedoient dans la ville de Calaruega, au Monastere des Religieuses de saint Dominique, & déclarerent qu'ils faisoient ce don* EN CONSIDERATION DE LA PARENTE' [6] *qu'ils avoient avec le B. Patriarche. Ces Seigneurs s'étoient-ils laissé surprendre par Morales, qui n'écrivoit que trois cens ans apres?*

21 *Luminosi de Apesa, contemporain de saint Dominique, Galvanus Braggia, qui composoit son Ouvrage, De peste mintata, l'an 1347. & Augustin Annelli, dont la Chronique parut en 1430. seront-ils aussi rejettés comme des Auteurs modernes, trompés, ou éblouis par le discours de Morales* [7]? *Ne rappellons point tant d'autres preuves, que nous avons déja placées, dans differens Chapitres de cet Ouvrage; & ne prévenons pas celles, qu'on peut voir dans les pieces suivantes. Le Public sçait déja à quoi s'en tenir. Et l'Editeur voudra bien nous dispenser d'en dire davantage sur ce premier article* [8].

22 *Mais pourquoi Morales même avoue-t'il, que de son tems cette noblesse de saint Dominique n'étoit pas suffisament prouvée, & que quelques-uns en doutoient? Je demande à mon tour, s'il est vrai, que Morales ait fait ce prétendu aveu? Je l'avois cru bonnement sur la parole de l'Editeur: Les yeux m'ont détrompé, en lisant l'Ouvrage de ce Généalogiste Espagnol, j'ai reconnu qu'il disoit rien moins, que ce qu'on a voulu lui faire dire* [9]. *Selon lui la descendance de S. Dominique de la maison de Guzman „ est un fait „ anciennement connu, qu'il faut regarder, & „ qui est regardé, comme très-certain, & avé„ ré, un fait solidement prouvé par differens ti„ tres, & par les anciens Ecrits „* [10]. *Quand on entreprend d'éclaircir un fait douteux, commen-*

[1] Biographus hoc loco numerat tempus, quod inter nostram editionem anni 1733. & suam anni 1739. effluxit. (2) Ex ipsis Ambrosii Moralesii verbis probavi, jam annis fere ducentis de hac S. Dominici consanguinitate dubitatum fuisse, quemadmodum §. 1. Dissertationis præviæ demonstratum est, & postmodum ex Hispanicis instrumentis confirmabitur. (3) In Dissertatione prævia §. 1. num. 6. rursus hæc mea verba Latine exhibui. (4) De consectariis hic ab adversario deductis ibidem num. 7. & 8. disserui, & eorum primum ex falsa suppositione ortum habere demonstravi. (5) Inutiles & superfluæ sunt hæ repetitiones & interrogationes: sufficeret enim, si R.P. Touronus unius aut alterius instrumenti fidem probasset. (6) Jam superius in annotatis ad caput præcedens monui, vocem Hispanicam *naturaleza*, quæ in illo diplomate exprimitur, æquivocam esse, ac etiam sæpius accipi pro patria vel loco natali. Tamen R. P. Touronus sine ulla monitione semper illam explicat per vocem Gallicam *pareate*, quæ consanguinitatem significat, acsi vox Hispanica nullam aliam significationem haberet. Æquus lector judicet, an satis sincera sit hæc agendi ratio. (7) Biographus in his interrogationibus antiquum obtinet, & secure nititur authentica horum scriptorum fide, quam numquam probat. [8] Sat confidenter, si sat vere! Ceterum non desidero plura, cum hæc monumenta jam bis repetita abunde sufficiant, si fides eorum legitime probetur. [9] Provoco ad ipsum prolixiorem Moralesii textum, quem capite sequente exhibebo. Hunc Hispanus aut Hispanicæ linguæ peritus attente legat ac relegat, & judicio ipsius stabo. Certe circa veram S. Dominici genealogiam dubitabant, vel ex opinione Moralesii errabant omnes illi, qui suo tempore communiter affirmabant, S. Dominicum ex familia Toralensi vel Ducibus Medinæ Sidoniæ prodiisse, quemadmodum §. 1. Dissertationis præviæ breviter monui, & capite sequente rursus annotabo. [10] Hæc verba Gallica diverso charactere expressa vel hic uncis distincta non satis fideliter ex Hispanico Moralesii textu translata sunt, ut facile videbit utriusque illius

ce-t'on par en sapposer la verité, & la certitude [1]?

23 *Quel est donc le dessein de l'Auteur, & l'objet de sa Dissertation? Le voici; Morales suppose d'abord (ce qui n'étoit point mis en dispute) que nôtre Saint tiroit son origine des Guzmans: mais plusieurs branches de cette illustre Maison le disputoient cet honneur; & le Généalogiste a entrepis de prouver la descendence du Saint de la principale branche des Guzmans* [2]. *Qu'on prenne la peine de lire avec attention la suite de son discours; on trouvera que c'étoit-là tout son objet, & l'unique difficulté, qu'il vouloit éclaircir. Il étoit en état de le faire avec succès. Historiographe du Roi Catholique Philippe II. & chargé de perfectionner l'Histoire générale de toute sa Nation; il avoit en main (ou il lui étoit facile de se procurer) tout ce qui lui étoit necessaire, pour reussir dans son entreprise. Avec une grande connoissance des plus illustres Maisons d'Espagne, il avoit encore l'entrée dans leurs Bibliotheques, & dans leurs Archives* (3). *Cela paroit assez par son Ouvrage; & voilà déja un grand préjugé en sa faveur.*

24 *Un Auteur, qui, deux siécles aprés écrivoit dans une ville de Flandres; & qui n'avoit certainement ni les mêmes secours, pour bien traiter le fait en question, ni peut-être le même loisir, auroit dû (ce me semble) en déferer un peu à l'autorité d'un aussi habile Généalogiste; ou prendre du moins la peine d'examiner ses preuves* (4). *Le R. P. Cuper n'a fait ni l'un ni l'autre; & nous aimons-mieux croire qu'il n'avoit point là cet Ouvrage Espagnol, que de penser, qu'il ait voulu à dessein faire dire à l'Auteur le contraire de ce qu'il a dit* (5).

25 Deinde Biographus Gallus affert quædam diplomata Hispanica & recentiora Magnatum Hispaniæ testimonia, quibus opus non erat, iisque p. 768. subnectit verba sequentia: *Pendant que les Espagnols prenoient les precautions, que vous venez de voir, contre la dissertation de l'Editeur, un habile avocat, professeur de Bologne, travailloit non moins heureusement à la refuter, par des piéces beaucoup plus anciennes, & fort solemnelles. Son ouvrage, dedié aux Magistrats de Bologne, fut imprimé à Ferrare* (6) *l'an* MDCCXXXV. *sous ce titre: „ Vindiciæ de origine „ sancti patris Dominici Bononiæ civis atque pa„ troni à splendida Guzmanorum familia, solis „ Bononiensibus monumentis adornatæ „. L'Editeur (ou son Apologiste anonyme) ayant vû un fragment de cet écrit, fut obligé de reconnoitre, que ces pieçes étoient victorieuses, si leur authenticité se trouvoit bien prouvée* (7). *Mais outre que le sçavant Alexandre Macchiavel ne les avoit point produites sans indiquer les sources, d'où il les avoit prises, les consuls & le Magistrats de Bologue ont jugé à propos de les munir de leur sceau, tant pour les rendre plus authentiques* (8), *que pour donner a l'Auteur une marque particuliere d'estime, & faire connoitre au public, combien cet ouvrage leur étoit agreable & precieux. C'est ce qu'on verra dans les deux actes suivans.*

26 Post exhibita Latino-Gallice hæc duo senatus populique Bononiensis testimonia, quorum primum §. 6. Dissertationis præviæ discussi, R. P. Touronus pag. 772. & sequentibus ratiocinium suum prosequitur hoc modo: *Nous pourrions produire bien d'autres pieces non moins authentiques pour constater de plus en plus, ce que nous avons entrepris de démontrer. Mais pourquoi grossir sans necessité un volume déja trop étendu? Il paroit que beaucoup moins auroit suffi à nôtre dessein, si nous n'avions eu envie de convaincre ceux même, qui aiment à demeurer dans le doute, si on ne les force d'en sortir par le poids, & l'évidence des preuves. Il a fallu les multiplier* (9), *ces preuves, pour n'être point obligé d'y revenir.*

27 *Ne dissimulons point cependant une reflexion, qui s'est souvent presentée à notre esprit; & qui aura peut-être frappé celui de bien des Le-*

istius linguæ peritus, qui Gallicum & Hispanicum textum diligenter inter se conferre voluerit: hic enim nomine Moralesii affirmare dicitur hæc Guzmanica S. Dominici nobilitas ex veteribus instrumentis comprobata, cum tamen ibi Moralesius tantummodo supponat aut cupiat, ut hæc Guzmanica Sancti consanguinitas tantisper pro certa habeatur, & in hac hypothesi promittat, se nobilitatem illam postea ex antiquis scriptis probaturum, sicut §. 1. Dissertationis præviæ num. 14. dictum est.

[1] Hypotheses hujusmodi Moralesio valde familiares sunt, ut ex capite sequenti patebit. Imo ipse R. P. Touronus huic interrogationi respondere potest: nam Guzmanicam S. Dominici stirpem probare conatur ex monumentis Bononiensibus, & ubique supponit eorum sinceritatem, quam ante omnia probatam oportuisset, ut jam sæpius ac iterum num. 16. Dissertationis præviæ demonstravi.

[2] Etiamsi gratis admitterem, hunc fuisse præcipuum Moralesii scopum, an inde sequeretur, quod illum scopum attigerit? Si inter diversos stirpis Guzmanicæ ramos olim talis contentio fuerit, ea propter hanc genealogicam Moralesii dissertationem nondum finita est, cum R. P. Touronus in Dissertatione critica §. 6. pag. 765. sic scribat: *La dissertation des Bollandistes, qui a donné lieu à celleci, ne fut pas plutot repandue en Espagne, il y à cinq ou six ans, qu'on vit les Seigneurs de differentes branches de la Maison de Guzman & de celle de Aza s'elever comme de concert & avec le même zele, contre une nouvelle opinion &c.* An omnes illi Magnates ex præcipua Guzmanorum stirpe orti sunt, ac inter se de nobilitate ista concordant? Hæc iis de prima Guzmanicæ stirpis origine ex infra notandis confirmabitur.

[3] Si Moralesius tot veritatis indagandæ subsidia habuerit, cur adversarius in multiplicandis S. Dominici germanis ab hoc celeberrimo genealogo Hispano dissentit?

[4] Examinavi illas Ambrosii Moralesii probationes; sed eas non inveni convincentes, quales etiam non sunt visæ R. D. Ludovico Lopez Hispano, sicut ex infra referendis ejus verbis apparebit.

[5] Jam publice testatus sum, me genealogicam Moralesii dissertationem sedulo pervolvisse, & consequenter ea his adversarii verbis conclusi, me malæ fidei vel fraudis insimulari.

[6] Quidam suspicantur, hoc Opusculum Bononiæ impressum fuisse. Sed parum refert, ubi typis excusum fuerit. Utut est, audio illud jam rarum esse, & vix magno pretio comparari posse.

[7] Cum R. P. Touronus audiret, hanc solam conditionem requiri, debuisset eam tanto diligentius implere: Id autem nec hic, nec alibi facit.

[8] Ad probandam legitimam Bononiensium monumentorum fidem non sufficit, quod Magistratus Bononiensis impressum Macchiavellii librum sigillo suo munierit. At de ipsis Vindiciarum Macchiavellianarum fontibus, id est, manuscriptis codicibus & antiquis characteribus prudens judicium ferre oportuit, illudque virorum eruditorum testimonio confirmare.

(9) Non erant multiplicanda monumenta Bononiensia, sed argumenta pro legitima illorum auctoritate multiplicari poterant.

Lecteurs. La gloire d'un Saint, qui jouit de la souveraine felicité, & qui possede tout dans la possession de Dieu-même, est-elle bien interessée dans la question dont il s'agit? Qu'importe, dira-t'on, qu'il ait tiré sa naissance selon la chair, des parens nobles, & puissans dans le siécle? Sa régéneration spirituelle, la grace, qui l'a fait Enfant de Dieu, frere, & cohéritier de Jesus-Christ, n'est-elle pas le premier titre de sa veritable noblesse? Pourquoi donc se mettre en frais pour lui assurer une vaine grandeur, que la Religion lui avoit appris à mépriser? Cette reflexion, je l'avoue, auroit pû nous épargner une partie du travail, s'il étoit permis de négliger, ou d'abandonner une verité historique, lorsqu'elle est combattue. Les recherches, que tant de personnes illustres, dans differens pays, ont cru devoir faire, pour la défendre, nous ont servi d'exemple & de loi. Il m'a paru, que, sans m'exposer à aucun blâme, je pouvois bien recueillir une partie de ce que leur zele me mettoit en main, pour perfectionner mon Ouvrage. [1] *Après tout, l'Editeur, qu'il falloit réfuter, ne s'est guére moins étendu pour faire valoir sa grande preuve, prise du silence de quelques Auteurs, & il avoit certainement d'interêt, moins de raison, & de moyens, pour obscurcir l'origine de saint Dominique* [2] *que nous n'en avons, pour la mettre dans tout son jour. Dès là qu'il a parlé, il ne m'étoit point permis de me taire.*

28 *Nôtre intention au reste ayant toujours été d'établir solidement la verité, sans blesser la charité, ne peut-on point esperer, que ceux même, qui ne pensent pas, ou qui n'ont pas toujours pensé, comme nous ne prendront point en mauvaise part* [3] *ce que la necessité d'une juste defense nous a obligé d'écrire? „ Si quelqu'un, „ disoit le R. Pere Cuper, vient à prouver, „ par des Piéces anciennes, & authentiques, la „ descendance de saint Dominique, de la Maison „ de Guzman, nous déposerons aussi-tôt nôtre „ doute; & nous nous contenterons désormais d'ad„ mirer le silence si surprenant de tous le anciens „ Historiens. Les preuves, qu'on nous fournira, „ seront d'autant plus agréables, qu'elles se trouve„ ront en plus grand nombre, & plus certaines „.*

29 *Les voilà enfin ces Preuves si longtems désirées, ces Piéces anciennes & nouvelles, toutes bien authentiques* [4]. *Le nombre en doit paroître assez grand; & la certitude n'en est pas moindre. Elles ne peuvent donc qu'être agreables à l'illustre Editeur. Mais il remarquera que tous les anciens Historiens* [5] *n'avoient point gardé (comme il se l'étoit persuadé) le même silence, que le B. Jourdain, & ceux, qui, à son exemple, n'avoient entrepris de parler de nôtre Saint, que pour nous faire connoître ce que la grace de Jesus-Christ avoit fait en lui, en nous répresentant en abregé ses grandes vertus, ses belles actions, & les effets admirables de son zéle.*

CAPUT TERTIUM.

Documenta Hispanica ax Ambrosio Morales excerpta.

AMbrosius Moràles dissertationem suam de Guzmanica S. Dominici nobilitate post tomum tertium chronici generalis Hispaniæ fol. 332. sic exorditur: *Aviendo sido el glorioso doctor santo Domingo fundador de la Orden de los frayles Predicadores, tan insigne luz y gloria de España (siendo natural della) que aun toda la Christianidad se halla muy esclarecida con su santidad y doctrina; y aviendo yo sido desde muy moço devoto del bendito Santo, siempre dessee escrevir del muy cumplidamente lo que toca à su descendencia y linaje, y al mostrar, como su padre fue cavallero muy principal del linaje de Guzman, y que su madre no tuvo menor nobleza en el suyo* [6]. *Esto solamente dessee escrevir del santo Doctor por ser cosa, que hasta agora no esta bien averiguada, poniendo algunos duda en ella* [7]; *y por tener yo consideradas y juntas hartas cosas, que pueden dar mucha claridad y certidumbre en esta verdad dignissima de estar muy certificada.*

31 *Este mi dessee comunique (harios años ha) en Alcala de Henares con el padre fray Pedro Hernandez Provincial, que à la sazon era en Castilla, y para dezir lo que era razon de su gran santidad y su ingenio y letras, no ovia de offrecerse la ocasion, en donde no puede tratarse esto si no de passada. Su paternidad reverendissima se alegro mucho con oyr este mi proposito, y me pidio (teniendo entero derecho de mandarme por el mucho acatamiento y reverencia que yo le tenia) que escriviesse aquello, que nadie como yo le parecia podria hazerle. Añadia la gran necessidad que avia dello en aquella sazon, en que se tratava con mucho calor el escrevir una Coronica de la Orden muy autorizada, y que faltava la buena cabeça desto del linaje del Santo* [8], *teniendo bien con que acomodar lo de-*

[1] Utrum Biographus Gallus his digressionibus Opus suum ornaverit, an oneraverit, eventus docebit. [2] Tunc eram memor effati istius Echardiani, quod in Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 9. num. 1447. retuli; videlicet in Sanctos æque injurium esse, qui falsam eis affingit generis claritatem, quam qui nativam eorum nobilitatem obscurare nititur. [3] Nullo modo ægre fero, dum sis humaniter, sicut hic Vitæ Gallicæ scriptor fecit. [4] Biographus semper errat in supponenda potius quam probanda authentica monumentorum Bononiensium fide: hæc enim sola illis deest, ut jam sæpius ad nauseam repetere coactus fui. [5] Superflua videtur hæc R. P. Touroni monitio: nam quomodo judicassem de veteribus historicis, quos nec videram, nec videre potueram? Propterea §. 1. num. 6. Commentarii prævii ad Acta S. Dominici publice significavi, me Vitam sancti Fundatoris à Petro Ferrando conscriptam frustra quæsivisse. Sic ibidem §. 9. num. 150. narravi, me Guzmanicam S. Dominici genealogiam, ab Andrea Ferrer Valdecebro compositam, satis tempestive petiisse, sed nihil impetrasse. Quare satis clarum erat, me tantummodo locutum fuisse de omnibus biographis vel historicis, quos videram. [6] Moralesius hic in margine folii plures hujus genealogiæ conscribendæ causas assignat his verbis Hispanicis: *Las causas porque se escrivio esta genealogia de santo Domingo.* [7] Itaque inter istas scribendi causas numerandæ sunt hæ duæ, quæ immediate sequuntur; nempe quod illa genealogia tunc temporis nondum satis probata esset, & aliqui de ea dubitarent, ut §. 1. Dissertationis præviæ fusius ostensum est. [8] Si tunc adhuc deerat illud firmum fundamentum de Guzmanico S. Dominici stemmate, quod ad conscribendam authenticam Ordinis Dominicani historiam requirebatur, ætate Moralesii Guzmanica Sancti nobilitas necdum satis probata erat, ut §. 1. Dissertationis præviæ commemoravi, & eruditissimus D. Ludovicus Lopez infra nu. 45. capitis sequentis attente expendet.

mas de aquel cuerpo. Para este fin dezia, que andando en la visita de su provincia, avia juntado algunas buenas memorias de harta importancia y autoridad, y me daria todas las que fuessen a proposito de lo que yo avia de escrevir.

32 *Yo me estava harto incitado, y assi fue menester poco para moverme del todo. Dio me los papeles, y yo escrevi entonces lo que se me mandava, y se lo embie luego al padre Provincial guardando los papeles. Y aunque ha ya salido impressa la Coronica de la Orden de santo Domingo del padre fray Hernando del Castillo* [1], *donde con su gran juyzio y diligencia trato tambien esto del linaje del Santo: mas toda via lo quedo a mi devocion y desseo su lugar de emplearse en esto, como aqui se haze: porque el padre fray Hernando trato desto brevemente, atento a proseguir a la larga las otras cosas, que como era razon, le pedian mayor detenimiento. Yo tomo esto mas de proposito para escrevirlo mas en particular y con mayores fundamentos, por no aver avido hasta agora ninguna averiguacion entera en ello* [2], *siendo cosa muy desseada que la uviesse.*

33 *El padre fray Hernando nos dio desto todo lo, que como religioso devia; yo como coronista lo estendere y anadire sobre ello mucha particularidad y averiguacion, qual se me puede pedir: y seran tres cosas las que yo avro de mostrar; como el Santo fue del linaje de los cavalleros de Guzman, quien fueren sus padres, y quien fueron despues sus deudos* [3] *hasta los reyes de Castilla y de Portugal. Todo esto se escrevira aqui harto mas estendidamente y con mas fundamentos que lo que al padre Provincial embie, por aver visto despues y considerado otras cosas de mucha ayuda para la verificacion de todo. Y aunque al glorioso santo Domingo le va muy poco en el cielo, el mostrarse aver sido de este illustrissimo linaje: mas toda via para los que biven es mucho exemplo y consuelo: y tambien se manifiesta la verdad, deshaziendose los errores, que en esto ha avido hasta agora* [4]. *Y quanto esto mas pertenece a hartas casas muy principales deste reyno, que con mucha razon para santos fines estiman en mucho el tener deudo con el bienaventurado Santo, tanto es mas justo darse noticia de todo esto con alguna buena certidumbre y particularidad, qual hasta agora no se ha tenido.*

34 Interea Moralesius ibidem cupit, ut opinio sua de Guzmanica sancti Dominici consanguinitate tantisper habeatur pro certa & vera, donec eam inferius ex instrumentis probaverit, ut indicat his verbis: *Ante todas cosas quiero, que se entienda, como es cosa muy antigua, el tenerse por cierto y averiguado, que santo Domingo fue de la casa de Guzman* [5]. *Esto se mostrara despues por privilegio y escrituras antiguas.* Tum folio 334. verso post investigatam familiæ Guzmanicæ originem, de qua Genealogi inter se dissentiunt, opinionem suam etiam in hac re pro certa haberi vult, & contra Petrum Hieronymum Apontium ita concludit: *Agora ya no quedava mas para mi fin principal de lo del glorioso santo Domingo, sino dezir lo que yo del principio del linaje de Guzman tengo por mas cierto y verdadero* [6]. *Mas porque yo desseo, tenga todo lo que se ha de dezir, tan entero fundamento y averiguacion, como es possible, sera necessario presuponer algunas cosas en general y ensenarlas aqui luego, para que nadie por no entenderlas del todo, dexe despues de satisfazerse de lo que se dixere. Y aunque avra algunas que todos las entienden, mas toda via es menester cumplir con quien las ignora.*

35 Eodem folio & sequentibus hypotheses ita multiplicat: *Sera el primer presupuesto una costumbre muy antigua de Espana, tomada de otra antiquissima de los Griegos. Ellos no tuvieron ningunos sobrenombres particulares, con que diferenciar los que tuviessen un mismo nombre, sino los de sus padres ..... Sera otro presupuesto, muy conjunto con el passado y dependiente del, que aviendo durado (como deziamos) en Castilla por mas de quatrocientos anos desde el rey Don Pelayo la costumbre de no aver mas sobrenombre, que el patronimico, se introduxo despues la de anadir alcuna y sobrenombre particular del linaje y nobleza de cada casa de las principales de Castilla. Estas alcunas y sobrenombres, que assi se anadieron sobre el patronimico, que siempre se conservava, siempre por la mayor parte se tomavan de los lugares donde eran naturales* [7] *los senores o los cavalleros, como Lara, Castro, Haro, Guevara, Soto-mayor, Rybera y otro muchos .....*

36 *Es tambien presupuesto muy necessari el entenderse, como antiguamente despues del rey don Pelayo las dos principales dignidades en el reyno eran condes y ricos hombres, y estos y no otros confirmavan los privilegios con los infantes y perlados ..... Tambien sera menester presuponer, que siendo las Coronicas y los privilegios y otras escrituras los mayores fundamentos para proseguir bien averiguada la succession de un linaje antiguo en Espana; porque estas dos ayudas faltan muchas vezes, es menester socorrernos de las buenas conjecturas, sin las quales seria impossible*

llevar

[1] In Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 5. num. 57. de hoc Hispano Ordinis Dominicani historingrapho sufficientem notitiam subministravi. [2] Hinc confirmantur ea, quæ superius dixi; nam Moralesius hoc loco rursus fatetur, se usque ad illud tempus nondum solidam nobilitatis istius probationem vidisse. [3] Ergo Moralesius tantum voluit probare, quomodo S. Dominicus ex equestri Guzmanorum familia sit natus, & quinam parentes ejus ac consanguinei fuerint. Nihil hoc loco dicit de præcipuo Guzmanorum stemmate vel ramo, sicut Biographus Gallus supra contendebat. [4] Ex his verbis sequitur, ante tempora Moralesii quosdam Hispanos in asserenda vel indaganda Guzmanicæ stirpis origine non tantum dubitasse, sed etiam errasse. [5] Hæc est illa Moralesii hypotesis, qua Biographus Gallus tantopere gloriatur. Sed ea nihil ipsi prodest, ut ex verbis immediate sequentibus abunde colligitur, & in Dissertatione prævia §. 1. num. 15. evidenter ostendi. Hæc opinio mea ab eruditissimo D. Lupez inter instrumenta capitis sequentis num. 46. confirmabitur. [6] Ambrosius Morales hic etiam pro certis & veris haberi cupit ea, quæ judicat de prima Guzmaniei stemmatis origine, quam ex Britannia Armorica accersit. Attamen hanc ejus sententiam Prudentius Sandovallius & alii scriptores Hispani plane rejiciunt, ut in Exegesi historica, quam num. 18. Dissertationis præviæ citavi, ad tabulam primam Guzmanicæ stirpis pag. 118. & sequentibus legere est. [7] Moralesius hoc & sequente numero bis vocem Hispanicam *natural* pro patria vel naturali solo usurpat. Hujus significationis juverit meminisse, quando de voce *naturaleza* postmodum controversia recurret.

llevor nada bien continuado ..... Por presupuesto tambien quiero que vaya todo lo de la casa de los senores de Toral, por averse de tratar dellos adelante, y no se entenderia lo que alli se dira, si aqui no se uviesso dicho todo lo que para esto conviene, aunque en la Coronica se ha dicho. Los senores de la casa de Toral naturales del reyno de Leon, teniendo alli su assiento y senorio, se llaman Nunes de Guzman y Ramirez de Guzman. Su origen y principio es de lo muy antiguo, que en Espana ay de linajes, aunque el alcuna de Guzman los entro en su casa muy tarde, como en su lugar se vera ..... El ultimo y mas necessario presupuesto [1] es la situacion de algunos lugares de aquella comarca de Calernega, que es el lugar donde nacio el bienaventurado santo Domingo: pues en lo que se ha de tratar adelante, alcunas cosas tendran fundamento en la vezindad de los lugares y en otras particularidades dellos.

37 Deinde folio 342. verso narrat, quomodo rex Alphonsus, cognomento Sapiens, in patria S. Dominici jam defuncti cœnobium monialium fundaverit, ac de diplomate istius fundationis ibidem sic meminit: *Esta fundacion del real monasterio de Calernega esta alli en privilegio del rey, donde cuenta todas estas particularidades, y siempre dize, que funda y dota assi por aver sido aquel lugar su tierra natural de santo Domingo, donde nacio. Dio el rey este su privilegio aquel mismo ano de sesenta y seys, que no era mas del quarenta y seys despues de la muerte de santo Domingo Y dexo yo de poner el privilegio, porque lo puso el padre fray Hernando, y alli lo hallara, quien lo quisiere ver [2]. Alli en Calernega muestran el aposento donde nacio el bendito Santo [3], aviendose conservado esto memoria de unos en otros por tradicion y devocion, que se ho tenido siempre con aquella pieça, de donde tanta luz salio a toda la Christianidad, y assi reverencian tambien la pila [4], donde fue bautizado. Y estando lo uno y lo otro fuera del monasterio, aunque junto con el, parece lo mando dexar assi el rey don Alonso sin incerrarlo, para que se gozasse. Tambien aviendo agora otra pila de bautismo para el lugar, parece lo mando hazer el rey, porque se quedasse la otra antigua con la gloria y fama Christiana, de aver sido bautizado en ella un Santo tan excelente.*

38 Ambrosius Morales ex suis suppositionibus ac ratiociniis opiniones aliorum folio 345. verso sic refellit: *Por lo dicho se deshaze el error comun de mucho (5) que dizen aver salido santo Domingo de la casa de Toral, no se pudiendo esto dezir; pues entro tan tarde el Guzman en ella. Antes se podria mejor dezir, que desde este tiempo de don Juan Perez de Guzman la casa de Toral viene de la de santo Domingo, aviendo tomado el sobrenombre della, y dadole varon, que succediesse en ella. Tratando Geronimo de Aponte esto de como este cavallero por este casamiento metio en la casa de Toral el nombre de Guzman, dize que de alla tomo el los arminos, y los anadio en sus armas por orla, siendo ellos armas propias de los de Toral, que pretendian venir de Bretana. Esto no ha lugar, pues por tan buenos fundamentos hemos provado, como el fundador y primer tronco de la casa de Guzman vino de la casa de Bretana [6] y truxo los arminos [7] mucho antes que la casa de Toral se los pudiesse dar a los Guzmanes ..... Por todo lo dicho se deshazen dos errores [8], que muchos tienen diziendo primero, que la casa del duque de Medina Sidonia salio de la casa de Toral Ya se entiende quan lexos estava don Alonso Perez de ser de aquella casa, siendo de la primera y verdadera origen del solar y senorio de la torre de Guzman: y el, y el senor primero de los Guzmanes, que como hemos dicho, tuvo la casa de Toral, no se encuentran hasta el visabuelo, que fue un mismo de ambos a dos don Pedro Ruyz de Guzman el Mayordomo, como se ha visto. El otro error, aunque no tan comun, es de algunos que dizen aver sido santo Domingo de la casa de Medina Sidonia, y no se ha dezir, sino al reves, que la casa de Medina Sidonia salio de la de santo Domingo.*

39 Denique Morales folio 349. verso repræsentat genealogiam Guzmanicam, cujus initium tantummodo hic ad rem meam breviter ita transcribo: *Don Rodrigo Nunes de Guzman senor de la casa y solar de Guzman en tiempo del emperador don Alonso hijo de dona Urraca fue abuelo de santo Domingo. Don Rodrigo tuvo dos hijos don Alvar Rodriguez o Ruyz de Guzman y don Felix de Guzman. Don Feliz de Guzman fue padre de santo Domingo; mas aunque sin el tuvo otros dos hijos, no casaron, y assi no se continuo la succession por ellos, sino por su tio don Alvar Rodriguez [9]. Don Alvar Rodriguez de Guzman tio de santo Domingo, hermano de su padre, tuvo un hijo llamado don Pedro Ruyz de Guzman, que fue mayordomo mayor del rey don Alonso el de las Navas y primo hermano [10] de santo Domingo.*

C A.

[1] Ex his liquet, quam liberalis fuerit Moralesius in accumulandis hypothesibus. Unde non est mirum, quod etiam supra tantisper supposuerit, S. Dominicum ex nobili Guzmanorum familia natum esse, ut discursum suum tanto facilius prosequeretur. [2] Instrumentum istius fundationis in Dissertatione prævia num. 34. apud Ferdinandum de Castillo assignavi, in quo de palatio Guzmanorum vel paterna S. Dominici domo nullum fit verbum, sicut curiosus lector deprehendet, qui vetus istud diploma Hispanicum consulere voluerit. [3] Ex situ natalis istius cubiculi §. 3. Dissertationis præviæ num. 37. non satis fidelem Biographi Galli interpretationem impugnavi. [4] In Commentario prævio ad Acta S. Dominici §. 8. num. 124. & 125. de fonte illo baptismali fat multa retuli. [5] Si tempore Moralesii fuerit tam communis multorum error in hac materia, certe non est mirum, quosdam de Guzmanica S. Dominici stirpe dubitasse. [6] Illustrissimus Sandovallius episcopus Pampilonensis apud Imhoffium supra citatum pag. 118. hanc Moralesii sententiam refellit, ut ibidem fuse legi potest. [7] Laudatus præsul Pampilonensis alteram Moralesii conjecturam de insignibus aut vellere Pontico (Hispanice *los arminos*) ibidem operose refutare pergit. Hinc colligimus, auctoritatem Moralesii non esse tantam apud ipsos Hispanos, ut ab ejus opinione reverenter non liceat recedere. [8] Patet ex his diversis opinionibus, quas Moralesius *errores* appellat, ætate Moralesii non admodum certa fuisse ea, quæ de ramis & origine Guzmanicæ familiæ circumferebantur. [9] Hinc in Dissertatione prævia §. 3. num. 36. demonstravi. Biographum Gallum Moralesio aperte contradicere, quod tamen ipse mihi vitio vertit. [10] Cum Petrus ille Ruyz de Guzman hic dicatur *primo hermano* id est Latine patruelis S. Dominici, sive Gallice *cousin germain*, ex hac Moralesii sententia sequitur, S. Dominico non fuisse sororem, per quam familia ipsius propagata sit, quod tamen aliqui suspicantur.

CAPUT QUARTUM.

Testimonia & argumenta Hispanica desumpta ex epistolis familiaribus, quas R. D. Ludovicus Lopez parochus diœcesis Salmanticensis anno 1738. edidit.

Eruditissimus D. Lopez in epistola prima familiari, quam contra D. Petrum Josephum de Mesa Benitez de Lugo scripsit, §. 2. moderationem adversarii sui laudat his verbis: *Es muy de alabar el concepto, aprecio, y veneracion, que Vmd. protesta mas de una vez à los Dissertadores* [1]. *En esso muestra Vmd. modestia, cordura, y buen gusto. No lo han hecho assi algunos otros hablando de la duda excitada por aquellos autores. Verbi gratia aquel Predicador, que en Leon (havra como tres anos) dixo desde el pulpito, que „ de lo Guzman de santo „ Domingo nadie ha dudado, sino los herejes, „ y los que siguen su partido „* [2]. *Este buen hombre no previò, que Vmd. avia de hacer tanto hincapie en el silencio de los hereges sobre esto punto* [3].

41 Laudatus vero parochus in altera epistola seu responsione, qua postea injuriosum æditiuum Canariensem refutavit, §. 12. de nonnullis imprudentibus nationis suæ scriptoribus ita conqueritur: *Mientras leia para si el barbero, me passeaba yo pensativo, diciendo à mis solas: Es possible, que en Espana se escriba assi? que en papèles publicos y de molde, se trate assi à escritores Catholicos respetables y respetados de las demàs naciones, como personages de la primera distincion en la republica de las letras? No es esto dar ocasion à los estrangeros de reputarnos por semi-barbaros, sin gustillo, sin critica, sin erudicion, sin lima litteraria? Si yo tuviera la voz de Stentor, con ella havia de repetir à nuestros Espanoles la de Juan de Mena: „ Catad que profazan de vos las naciones „. Es verdad, que en esto agravian à nuestra nacion las estrangeras; porque en ella ha havido siempre y hay al presente muchos sugetos de pluma erudita y bien cortada, que saben escribir en hombres de honor y de buena crianza litteraria. Y por otra parte, en todos paysses hay vulgo indocto, y cantèras en bruto* [4]. *Pero entre nosotros, ciertos escritores semi-leidos, que con quatro Latines y algunos centones de erudicion mal aplicada quieren passar por no vulgares, desacreditan à los demas, y dan piè a los emulos de nuestra nacion para reirse de nosotros, dandonos en rostro con essos exemplares de nuestra cultura.*

42 Ludovicus Lopez §. 10. ejusdem Epistolæ primæ causam dubii mei, quod in Commentario prævio ad Acta S. Dominici modeste proposueram, breviter & nitide explicat his verbis Hispanicis: *La razon de dudar en dicha question, se funda en no hallarse mention del nobilissimo apellido* GUZMAN *aplicado à santo Domingo, ni en los Autores contemporaneos del Santo, ni en quantos han escrito su admirable Vida por espacio de trecientos anos despues de su muerte. Tambien se passaron mas de trecientos y treinta anos antes que se hiciesse mencion de este apellido y Ascendencia en los Breviarios: pues haviendo muerto el Santo en el anno* MCCXXI., *no se encuentra su estirpe Guzmana en el Breviario de la Orden de Predicadores hasta el ano* MDLV. *ni en el Romano hasta el ano* MDLXIX. *Ambrosio de Morales,* XVII. *anos despues, es decir, ano* MDLXXXVI. *diò à luz una Dissertacion, o Discurso, sobre el Linaje de Santo Domingo, del qual aun entonces dudaban algunos en Espana, como lo testifica el mismo. Pero, aunque Morales produxo por su assunto, varias pruebas, estas, ò por equivocas, ò por no bien circunstanciadas, no parecieron a los Dissertadores bastantemente decisivas, para contrarrestar el silencio de tres siglos en los Historiadores de Santo Domingo.*

43 *Por esso, deseando los Dissertadores autorizar en su Obra la nobleza Guzmana del Santo con testimonios de antiguedad mas clara y autentica, solicitaron con las mas vivas diligencias obtenerlos por medio de los RR. PP. Predicadores; à quienes dirigieron una Carta con esta peticion, que se publicò en las Memorias de Trevoux, de la qual aguardaron en vano, por mas de tres anos, alguna respuesta. Recurrieron tambien al R. P. Prior del Convento de Anvers, supplicandole se sirviesse procurar, que de orden del Rmo. General se les communicasse alcuna luz de la Historia manuscrita del P. Fr. Andrès Ferrer Valdecebro; por haver leido en Echard, que en esta Historia se prueba exactamente la ascendencia Guzmana de Santo Domingo. Mas aunque el R. P. Prior les diò esperanzas de lograr su intento, al cabo de dos anos se hallaron sin respuesta. Finalmente, precisados a dar a luz su Tomo 1. de Agosto el ano 1733. dexaron la excitada Question sin resolver, suspendiendo su juicio, y no determinando cosa cierta sobre el Linage de Santo Domingo. Pero declararon al mismo tiempo, que, si alguno probare la nobleza Guzmana del Santo con instrumentos autenticos y genuinos, desde luego deponen toda su duda; y que las pruebas, quanto mas fueren, y mas ciertas, tanto seran para ellos mas agradables; y que sobre todo las huvieran visto con sumo placer, si se las huviessen submnistrado a tiempo, para poder con ellas afirmar sin rezelo en aquel Commentario la esclarecida cuna de Santo Domingo.*

44 Deinde §. 22. defensor meus Hispanus verba Moralesii, de quibus in dissertatione prævia disputavimus, mecum intelligit & explicat hoc modo: *No quisiera Vmd. que Ambrosio Morales huviesse dicho tan claramente, que algunos en Espana dudaban le Guzman de santo Domingo: y assi se tuerze y retuerze Vmd. de*

varios

(1) Ille D. Petrus Josephus de Mesa nomine Hispanico *dissertadores* designat hagiographos Antuerpienses, quod hoc loco semel monuisse sufficiat. (2) Hanc odiosam temerarii concionatoris accusationem, quæ se ipsam destruit, in Dissertatione prævia §. 1. num. 2. breviter explosi. (3) Petrus Josephus de Mesa operose probavit, ipsos hæreticos S. Dominico Guzmanicam nobilitatem non abjudicasse. Sic unus ejusdem nobilitatis defensor adstruit verbo, quod alter calamo destruit. Sed quid hæc dubitatio ad hæreticos aut fidem spectat? (4) Jure merito R. D. Lopez hic affirmat, ubique terrarum doctos & indoctos inveniri, adeoque imprudentes Hispanorum quorumdam lucubrationes non esse ignominiosas nationi suæ, quam plures eruditi scriptores illustrissimis Operibus exornarunt.

varias modos para descartar à estos dudantes. Y es que no le acomoda à Vmd. la consequencia natural, de no ser inconcussa en España, à lo menos antes de Morales, la tradicion, que tanto se clamorea. Con effecto el gravissimo escritor Morales, que fue el primero, que puso en solfa el linage de Santo Domingo, en su Dissertacion, ò Discurso, de esta materia dice lo que traslada Vmd.: que deseò escribir de el linage Guzman de Santo Domingo, „ por ser cosa, que hasta agora „ no està bien averiguada, poniendo algunos du„ da en ella „.

45 *Y dice tambien poco despues lo que no traslada Vmd.: que, haviendo comunicado su proposito con el R. P. Fr. Pedro Hernandez de la Orden de Predicadores Provincial de Castilla, su Rma. se alegrò mucho, y añadia (su Rma.), la gran necessidad, „ que havia de ello en aquel„ la sazon, en que se trataba con mucho calor el „ escrivir una Coronica de la Orden muy autori„ zada, y que faltaba la buena cabeza desto del „ linage de el Santo, teniendo bien con que aco„ modar lo demàs de aquel cuerpo „. Dice mas, à la buelta de la hoja: que quanto esto pertenece mas à muchas Casas principales, que se precian de tener deudo con el Santo: „ tanto es mas justo „ darse noticia de todo esto con alguna buena cer„ tidumbre y particularidad, que hasta agora no „ se ha tenido „. En estos textos se vè claro, que en tiempo de Morales (es decir, la niñeria de tres siglos, y medio, despues de la muerte de Santo Domingo) el ser el Santo de el gran linage de Guzman era una cosa no bien averiguada hasta entonces, aun en España, y que algunos ponian duda en ella: una cosa, que no se podia pòner por buena cabeza en el Cuerpo de una Coronica de la Orden de Predicadores: una cosa, de que no se havia tenido hasta aquel tiempo alguna buena certidumbre. Y es mucho de notar, que ya estaba puesta esta cosa en el Breviario de la Orden, y en el Romano. A lo menos respecto de aquel tiempo, no me dirà Vmd. que no tiene lugar el* NIHIL CERTI *de los Dissertadores.*

Ya sè que pretende Vmd. que la duda y la incertidumbre se entienda, no de la substancia de ser el Santo de linage Guzman, sino de la filiacion, por donde entroncaba con esta nobilissima estirpe. Pero tambien sè, que en el contexto de Morales, aquella de ser cosa no bien averiguada, de poner algunos duda en ella, de faltar una buena cabeza para la Coronica, y de no haverse tenido alguna buena certidumbre, comprende claramente estos tres articulos: „ Como el santo fue „ del linage de los Cavalleros de Guzman: quien „ fueron sus padres: quien fueron despues sus „ deudos hasta los Reyes de Castilla, y de Por„ tugal „. Tampoco ignoro, que Morales dice luego despues: „ Ante todas cosas quiero que se „ entienda, como es cosa muy antigua el tenerse „ por cierto y averiguado, que Santo Domingo „ fue de la Casa de Guzman „. Mas, si no quiere Vmd., que Morales diga lo contradictorio de lo que acababa de afirmar, el sentido es: que se tenia por cierto, pero sin alguna buena certidumbre: por averiguado, pero no bien: y que esta no era universalmente, y entre todos, porque algunos lo ponian en duda (1).

47 Denique Lopezius §. 31. ejusdem Epistolæ de voce Hispanica NATURALEZA, quam in Commentario prævio ad Acta S. Domini num. 151. æquivocam esse dixi, sic differit: *Los Dissertadores oponen la excepcion de ser equivoca la voz* NATURALEZA, *y no constar por ella, si los donadores quisieron significar parentesco suyo con santo Domingo, ò solo que ellos eran tambien naturales de Caleruega como el Sancto. Contra esto arguye Vmd. rectamente desde el num. 183. con el uso de aquellos tiempos: en que solo se usaba esta voz para significar parentesco. No especifica Vmd. mas de un exemplo: y es de creer que no encontrò mas; porque no suele ser escasa en derramar toda la erudicion, que Dios le depara. Es cierto que el vocablo* NATURALEZA *admitia en lo antiguo la significacion, que aun oy conserva, quando decimos que uno es natural, ò naturalizado, por nacimiento, ò concession, en tal territorio, ò tal pueblo, y que los de allì son sus naturales, que es lo mismo que tener naturaleza con èl, y entre si, aunque no tengan correlacion de parentesco.*

48 *Consta ser assi por lo que dice Ambrosio de Morales (de quien todas beben estas noticias) con inspeccion del Libro del Bezerro: que las Behetrias daban naturaleza à ciertos Sugetos, ò Linages, para hacerlos assi elegibles al señorio de ellas; y que de resulta, estos Linages, ò Sugetos, se decian tener naturaleza en tales Behetrias, ò lugares, y si tenian allì alguna divisa, esto es alguna renta, ò contribucion, se llamaban tambien Diviseros. De aqui resulta contra el mismo Morales, que el vocablo* NATURALEZA, *puesto con relacion à Lugares, no significaba siempre parentesco. Porque de otra suerte, seria lo mismo dar las Behetrias naturaleza, que dar parentesco de sangre al sugeto naturalizado: y este no podria tener naturaleza en un Lugar, sin tener allì su parentela: que son consequencias inadmissibles. El desnaturalizarse de Castilla, ò de otro paìs, cosa en lo antiguo tan estilada de los Nobles, quando se sentian agraviados, ò desfavorecidos de los Reyes, era lo mismo, que renunciar la naturaleza: y ciertamente no querian decir, que renunciaban el parentesco, sino la patria, pretendiendo ser considerados como no nacidos en aquella tierra. Poniendose pues aquel vocablo en las referidas donaciones con expressa relacion a lugar como lo muestra la expression,* POR NATURALEZA, *que yo hè con santo Domingo de Caleruega; no parece se puede inferir del con certidumbre, que huviesse parentesco entre los donadores y el Santo. Si ellos querian significarlo, poco costaba la palabra* DEUDO, *o el verbo* GUZMAN, *mas breve, que el verbo* CALERUEGA.

49 *Ni obsta la reflexion, que hace Vmd. num.* 201. *sobre lo que dice Pellizer de las donaciones de Don Juan Garcia (no era Guzman este Cavallero, segun el mismo Autor), que las hace por la gran naturaleza, que tiene con santo Domingo. No consta si Pellizer hallò el* GRAN *en las Escrituras, ò si lo puso de su Casa. Pero, dado que se halla assi en las donaciones, no hay impedimento para casar el* GRAN *con la palabra* NATURALEZA *en significacion de paysanage. Porque el paysanage admite sus grados de mas y menos:*

[1] Cum inter R. P. Touronum & me de Hispanico Moralesii sensu non conveniat, allegavi hunc Hispanum judicem, linguæ suæ peritissimum, qui favet explicationi meæ, quam §. 1. Dissertationis prævia dedi, sicut Hispanicæ linguæ periti clarius intelligent.

nos: qaales son, el ser de ana misma Nacion, de ana misma Provincia, de un mismo territorio, de un mismo pueblo. Supongamos, que Don Juan Garcia fuesso natural de Calernega, como santo Dominga. Con esto solo, por què no podria decir, que tenia GRAN NATURALEZA *con el Santo* [1]?

CAPUT QUINTUM.

Judicium ejusdem eruditissimi D. Ludovici Lopez de monumentis Bononiensibus recenter inventis.

JAm sæpe laudatus parochus Morillensis §. 37. & sequentibus Epistolæ suæ familiaris dubia quædam monumentis Bononiensibus ita candide apponit: *No estoy olvidado de las Memorias Bononienses, que propone Vmd. al num. 278. y al siguiente, transcribiendo el texto de un Anonymo. Me he alegrado mucho de verlas; y desde luego confiesso à Vmd. que, si son legitimas, no hay mas que pedir. Si es cierto, que es Cardenal Hugolino, despues de dàr sepultura por sus manos al sacro cadaver de Santo Domingo, le puso este Epitaphio, „ Hoc est corpus Ven. „ Servi Dei, Magistri Dominici de Guzman, „ &c. „: si es cierto el diploma de la Ciudad de Bolonia, en que adopta por Ciudadano suyo al mismo Santo vivo y presente, expressando esta razon y motivo „„ Inspecta generis tui splendida „ origine, quam novimus, ex communi etiam vo„ce & opinione, valde nobilem, ex Guzmani„ca familia, &c.„*

51 *Si estas dos noticias, buelvo a decir, (prescindiendo de las demas) son ciertas y legitimas, me doy el parabien, y se lo deben dàr todos los que deseaban ver pruebas antiguas, claras, y convincentes del excelso Linaje de santo Domingo. Persuadome, se felicitaràn tambien los Dissertadores, que tanto las desearon, y pidieron: y deponiendo toda duda, como lo tienen ofrecido, no haràn mas que arquear las cejas à vista del raro y estrano silencio de todos los Biographos antiguos: „ Si quis Guzmanicam sancti Dominici „ nobilitatem antiquis & genuinis instrumentis „ probaverit, jam inde omne dubium circa il„lam deponimus: & raram omnium veterum „ Biographorum taciturnitatem deinceps mirabi„mur „.*

52 *Y no se les debe contar por negligencia, ò ignorancia culpable, el no haver tenido antes noticia de essas pruebas, pues en buena equidad, les havia de ser licito ignorar, lo que ignoraron, siendo cosa tan suya, todos los Escritores de la Orden de santo Domingo por espacio de quinientos anos. Todo esto và en sentido hypothetico, y à la sombra de aquella condicion* [2]: *„ Si las dos noticias son ciertas, y legitimas „. En lo absoluto, no puedo dissimular que se me hacen sospechosas, mientras no las veo venir por otra canal, que la de un Anonymo* [3].

53 *Vmd. tampoco muestra fiar mucho en ellas; porque no hace mas, que transcribir el texto del Anonymo: y passa luego a otra cosa, sin hacer alto, como debiera, ni anadir aquel ornato de ponderaciones eloquentes, de que gasta tanto recodo en las demàs pruebas. Si Vmd. tuvo las Memorias Bononienses por indubitables, en vano se cansò y nos cansò en escribir un Libro tan gruesso. Con solas dos hojitas y media, tenia concluido el assunto. A què fin, hacer pleyto ordinario, lo que se podia llevar por via executiva? A què proposito, amontonar tanto numero de pruebas conjeturales, quando làs havia ciertas, y peremptorias?*

54 *Gana tenia Vmd. de divertirse, quando, sabidor de dichas Memorias Bononienses, gastò seis hojas desde el num. 238. en glossar las palabras de Soror Angelica, companera de la B. Cecilia; de cuya Manuscrito entresaca Vmd. estas expressiones „„ Don santo Domingo, Noble Adalid, muy guisado, Cavallero de Christo, hijo „ de D. Felix, Leales y piadosos sus padres „; y dexando las otras, halla Vmd. gran mysterio en el* MUI GUISADO, *en el* DON *y el* LEALES. *Todo esto es andar aranando conjeturas, y mostrar pobreza sin què, ne para què, quando se halla Vmd. tan rico con las preciosidades del Anonymo* [4].

55 *Y sea este el primier fundamento de mi sospecha, esta misma desconfianza tecita de Vmd.: y el vèr, que haviendo tenido Vmd. quien le subministrasse legalizadas todas las Memorias, que se pudieron hallar en Espana, no nos dà tambien legalizadas las Bononienses. Todas las senas persuaden, que los RR. PP. Predicadores, de orden de su Rmo General, procuraron buscar y autenticar todas las Memorias concernientes, assi en Italia, como en Espana. Y en el espacio de quatro anos desde que se imprimiò la Ombra de los Dissertadores, no era dificultoso traer de Italia alguna copia autentica de lo que se logrò hallar en Bolonia* [5].

56 *Segundo fundamento: que Soror Angelica, siendo natural de Bolonia, y viviendo alli Monja de santo Domingo en los principios de la Orden, no podia ignorar el Epitaphio, y Diploma referidos, ni despreciar puntos tan dignos de la historia del santo Patriarca, que se puso à escribir: y sin embargo, ni hace mencion de ellos, ni aprendiò de ellos à llamar Guzman à su santo Padre, ni se lo enseno la B. Cecilia de Cesarinis* [6]; *y para instruirnos de la nobleza del Santo, dexando un atajo tan breve, facil y tri-*

(1) Si Biographus Gallus legisset istud R. D. Lopezii ratiocinium de voce *naturaleza*, quæ in diplomate donationis exprimitur, forte non tam confidenter eam per vocem Gallicam *parenté* sine ullo lectoris præmonitione interpretatus esset, ut supra rursus annotavi. (2) In Dissertatione prævia §. 6 num. 97. sub eadem conditione Guzmanicam S. Dominici nobilitatem admisi. (3) Lopezius non videtur ipsos Alexandri Macchiavellii Vindicias habuisse, sed eorum fragmentum legisse in Epistola anonymi scribillatoris anno 1735. vulgata. Unde hoc loco monumenta Bononiensia hactenus anonymo adscribit. At postea didicit, hanc eorumdem monumentorum collectionem Macchiavellio tribuendam esse, sicut ex infra referendis manifestum fiet. (4) Recte judicat R. D. Lopez, Petro Josepho de Melo non fuisse hærendum in minutiis & ambiguis probationibus, cum claro testimonio piæ manibus haberet. (5) Ipsa vindicis Hispani diffidentia, & defectus authenticæ probationis hanc monumentorum Bononiensium ferruginem non immerito suspectam reddunt. (6) In dissertatione prævia §. 5. mirabile istud silentium, quod ambæ moniales illæ synchronæ in hac re notoria servarunt, iisdem documentis apposui.

trillado, se fue à buscar los rodeos de MUY GUISADO, HIJO DE PADRES LEALES *&c.*

57 *Tercero: que por dichas Memorias Bononienses se acaba de hacer claro, que el apellido* HUZMAN *fue el usual, ordinario, y notorio de santo Domingo por toda su vida, y como tal, gravado en la Lapida de su Sepulcro, para distinguirle de otros Domingo. Y si esto es assi; repito aora con mas fuerza la reflexion y la pregunta, que hize à Vmd. §. 29. con ocasion de las Escrituras de Leon y Zamora. Como cabe, que un prodigioso numero de Escritores se haya puesto à escribir la historia de un Heroe, comenzando desde su tiempo, y subsiguiendose por tres ò quatro siglos; y ninguno dellos nos haya dado noticia del apellido, que por toda su vida le hizo conocer, y le distinguiò de otros de su nombre?*

58 *Con especialidad es assombroso este silencio en Vincencio Bellovacense, y S. Antonino; de quienes dice el Maestro Cano: „ Uterque .... „ dedit operam ...., ne nihil omnino praeteri„ ret, quod scriptum in schedulis quibuslibet ee„ periretur „. Es possible, que ni en una cedulita, ò retazito de papel hallaron noticia de tales Memorias Bononienses? Juntese a esto, que Gustino Anello, segun el Anonymo, las diò a luz el ano* MCCCCXXX; *y por consiguiente andaban ya publicas, quando escribiò S. Antonino; y mucho mas, quando escribiò Juan Garzon* (1), *natural de Bolonia, que tampoco se acuerda dellas.*

59 *Quarto: que (dexando aparte lo Guzman) de quantos Autores han emprendido la Historia de santo Domingo, ò de su Orden, desde, el tiempo del Santo hasta nuestro tiempo, Espanoles, Italianos, Francescs, Flamencos, Alemanes, ninguno ha trasladado el Epitaphio hecho por el Cardenal Hugolino, siquiera para mostrar el debido aprecio a la accion piadosa de un hombre tan grande, que despues fue Papa Gregorio IX. ninguno tampoco nos ha dado una copia de aquel diploma honorifico, siquiera para mostrar el debido agradecimiento a la Ciudad de Bolonia, por haver dado naturaleza, privilegios, y goze de Ciudadanos suyos, al santo Patriarca, y a sus Sucessores en el empleo de Maestro General de la Orden, y a los Priores del Convento de la misma Ciudad. Todos callaron; y solo se acordò desto un Autor del siglo dezimoquinto, que ni parece fue de la Orden, ni escribiò de proposito la Historia della, ò del Santo, ni puso la fecha del Diploma.*

60 *Estos argumentos bien pueden tener la tacha de negativos: pero yo temo, que en el juicio de muchos han de pesar mas, que un gruesso volumen de pruebas positivas conjeturales: y no me admirarè, que una tan rara taciturnidad haga arquear las cejas a una estatua de marmol. Siempre me pareciò muy juiciosa la observacion del Maestro Cano, a quien Vmd. llama Principe de los Criticos, el qual, haviendo dicho como el Cardenal Cayetano negaba la lepra de Constantino, anade: „ Habet hic Scriptores omnes vete„ res ejus aetatis, qui tacuerunt; non omisssent, „ si scivissent; scituri omninò rem, si fuisset „. Al* VETERES *anado yo* RECENTIORES ETIAM NOSTRAE AETATIS, *por lo que mira al Epitaphio, y Diploma* [2]. *Estos no es mas que sospechar, ò dar la razon de mi sospecha. Los Dissertadores, excitada la especie, discurro que havran averiguado ya lo que hay de cierto en las Memorias Bononienses; y dican su sentir con la ingenuidad y candor noble, que acostumbran.*

61 Verum Lopezius in altera responsione ad Æditum Canariensem §. 45. post ulteriorem notitiam de monumentis Bononiensibus acceptam rotunde ea fictione arguit his verbis: *En lo que muestra insistir mas el Sacristan, es en las Memorias de Bolonia, que transcribiò D. Pedro de Mesa; y nos buelve a inculcar el Epitaphio puesto por el Cardenal Hugolino, y el Diploma de la Ciudad de Bolonia, que uno, y otro expressan lo* GUZMAN *de santo Domingo. De las presumpciones, que expuso mi Carta contra la legitimidad dessas Memorias, no se hace cargo su mercèd, ni hace el menor esfuerzo para atajarlas. Yo entonces no tenia los noticias, que recibì despues, y tengo aora, remitidas de la misma Ciudad de Bolonia por seguro conducto. Pensaba callarlas; no creyendo se me pondria en precision de bolver à este assunto. Mas ya que el Sacristan lo quiere assi, le dirè para su consuelo, que me consta de cierto, ser supuestas, y fabricadas a plazer, las tales Memorias Bononienses: que su primer Inventor ò Fabricador, fue un Alexandro Machiavello, de profession jurista, que creyò con ellas hacer obsequio al glorioso santo Domingo, y a su Sagrada Religion; como si no se le pudiera decir con la phrasse de Job, „ Numquid Dominus indiget vestro men„ dacio* [3], *ut pro illo loquamini dolos „? Item què el tal Jurista, instado por un Cardenal* [4] *para que moustrasse los Papeles autenticos, de donde havia sacado aquellas noticias, no quiso condescender a la instancia de tan gran Personage, porque no podia* [5]. *Y en fin, que esto no lo ignoran los RR. PP. Dominicos de Italia; los quales, noticiosos ya de la fraude, se guardaràn bien de alegar aquellas decantadas Memorias.*

62 Lopezius jam antea §. 43. ejusdem Responsionis adversus Æditum Canariensem sic disseruerat: *Dexese pues nuestro Sacristan de clamorear escritores de dos siglos acà, y muestrenos instrumentos se hacientes, Y en quanto a estos, una de dos: ò trayga otros distintos de los, que alegò D. Pedro de Mesa; ò impugne las respuestas, y cierre las salidas, que yo les dì en mi*

(1) Iste Joannes Garzo vel Garzonius fuit orator Bononiensis, qui ineunte seculo decimo sexto floruit, & Vitam S. Dominici rhetorice conscripsit, ut §. 5. Dissertationis praeviae num. 72. monui. (2) Similes difficultates paragrapho proxime citato sparsim monumentis istis Bononiensibus objeci. (3) Si durior illa accusatio non sit vera, Macchiavellius famam suam adversus hunc Hispanum scriptorem vindicare cogitur. (4) Erat hic eminentissimus Prosper Laurentius de Lambertinis, S. R. E. Cardinalis & tunc ecclesiae Bononiensis Archiepiscopus, qui mense Augusto praesentis anni 1740. cum summo totius orbis Christiani plausu ad cathedram sancti Petri sub nomine Benedicti XIV. evectus est. Utinam Deus talem tamque eruditum Pontificem ad majorem Ecclesiae suae splendorem quam diutissime nobis incolumem conservet! (5) Haec eruditissimi scriptoris Hispani narratio concordat cum testimonio instructoria mei Itali, quod in Dissertatione praevia §. 2. num. 27. & sequente recitavi; ubi tamen omnem hujus rei veritatem dijudicandam reliqui Benedicto XIV. summo Pontifici, qui factum istud optime scire potest.

en mi Carta familiar . Lo uno ò lo otro debia hacer qualquiera defensor racional del linage de santo Domingo con estilo modesto en hombre de honor . Mas el Sacristàn no hacè lo uno , ni lo otro . Solo dice de nuevo , que el mismo vió en el monasterio de Sahagun una firma de santo Domingo en esta forma : FRAY DOMINGO DE GUZMAN. *Pero si quiere, que nos haga fuerza esta firma , compongase primero con su don Pedro de Mesa , que dice assi : „ En las „ firmas , que se producen del Santo , despues que „ pasò à Francia à predicàr y otros instrumen„ tos , solo se nombra por su nombre y officio , „ ya de Canonigo , suprior , ministro de la predica„ cion , sin apellido alguno „ .*

63 Denique Ludovicus Lopez in clausula , post Responsionem suam scripta , memoratum Æditnum , qui sese oculatum subscriptionis hujus testem supra finxerat , imprudentis mendacii convincit hoc testimonio Hispanico: *Concluido este papèl , he visto carta de un reverendissimo P. Maestro Benedictino , hijo del monasterio de Sahagun , en que estranando lo de la firma de santo Domingo , que el Sacristàn dice haver visto allì con el apellido de* GUZMAN , *assegura , que no hay memoria de tal firma , ni en aquella real casa , ni en los historiadores della ; siendo uno destos el Maestro Perez , què fue diligentissimo y registrò todos los documentos para formar su historia manuscrita . Y añade , que en Sahagun se daria un buen hallazgo al autor, que la diesse certificada. En vista desto, què dirèmos al Sacristàn, que se nos dà por testigo ocular ? Sirvale de escusa el refràn ,* SOÑABA EL CIEGO , QUE VEIA [1] *&c. Y pongase esta su noticia por apendiz de las Memorias de Bolonia.*

(1) Hoc Æditui Canariensis mendacium §. 4. Dissertationis previæ num. 60. breviter indicavi ; ibique proverbium istud Hispanicum Latine retuli.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

Zyphræ Arabicæ primæ paginam, fecundæ numerum feu fectionem, & ubi hæc defit, columnam paginæ denotant.

A

B

Be-

C.

au-

D

Dium.

SS. Eu-

Habi-

H

I

Inci-

L

M

Opuscul. Collect.

N

O

P

Bono,

Sar-

T

V

Wi-

FINIS.